68
6 E
6

R. II ed To. I. p 367 n. 4 -

Digitized by Google

Digitized by Google

Collegij Romani

IN OMNES

# M. TVLLII CICERONIS ORATIONES DOCTISSIMORVM VIRORVM LVCVBRATIONES,

accurate in unum uolumen collectæ, locisq́ue non paucis ad ueritatem emendatæ.

Adiectis Q. Aſconij Pediani commentarijs, cum correctionibus Pauli Manutii propè innumerabilibus.

*Rerum ac uerborum in iiſdem lucubrationibus memorabilium pleniſſimus Index.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, M. D. LII.

*CVM inter omnes liqueat, ex latinis ſcriptoribus primas ſibi partes Ciceronem uendicare; ſequitur, ut, ad illius intelligentiam quod pertineat, prorſus nihil omittendum uideatur. itaque fecimus diligenter admodum, ut omnes in illius orationes commentarios adhibita correctione uno uolumine ederemus: in quo puto nos à uobis multā iniuiſſe gratiam; eo magis, quòd, præter multa in libro reſtituta, indicem addidimus ita copioſum ut non modo res, ſed ipſa uerba, & particulas etiam, quæ modo alicuius ponderis ſint, in ordinem literarum digeſtas reperire poſſitis. Valete.*

## LVCVBRATIONVM, QVAE HOC VOLVMINE CONTInentur, omnium, eo quo ſe inuicem conſequuntur ordine, Catalogus.


In orationem pro P. Quintio, Franciſci Syluij Ambiani Commentarius. Pag. 1.
In eandem, Barth. Latomi. 26
Pro Sex. Roſcio Amerino, F. Syluij. 33
In eandem, Barth. Latomi. 71
In eandem, [redacted] 77
Pro Q. Roſcio Comœdo, F. Syluij. 81
Pro M. Fonteio, F. Syluij. 91
Pro A. Cæcina, Iacobi Omphalij. 109
In eandem, Ioann. Tilini. 137
In eandem, Barth. Latomi. 1156
Pro Lege Manilia, F. Syluij. 177
In eandem, Iac. Omphalij. 205
Pro A. Cluentio, F. Syluij. 225
De lege Agraria contra Rullum I. Iacobi Bugelij. 309
De lege Agraria II. Eub. Dynateri. 311
De lege Agraria III. Eiuſdem. 325
Pro C. Rabirio, F. Syluij. 327
Pro L. Murena, F. Syluij 339
In eandem, B. Latomi 385
In eandem, [redacted] 387
Pro L. Valerio Flacco, F. Syluij 399
Pro P. Sylla, F. Syluij 431
In eandem [redacted] 455
Pro A. Licin. Archia poeta, F. Syluij. 463
In eandem, B. Latomi. 473
In eandem, [redacted] 475
In eandem, Martini Boleri 481
Antequam iret in exilium, Myliandri Tig. 489
Ad Quirites poſt reditum, B. Latomi. 509
Poſt reditum in Senatu, Iac. Bugelij. 515
Pro domo ſua, Iac. Bugelij. Ibid.
De Reſponſis Aruſpicum, [redacted] 517
Pro Cn. Planco, ſiue Plancio, Fr. Syluij. 425
In eandem, B. Latomi. 567
Pro P. Seſtio, Iac. Bugelij. 593
Pro M. Cœlio, B. Latomi. 595
In eandem, Io. Tilini. 607
In eandem, [redacted] 643
Pro L. Corn. Balbo, F. Syluij. 649
De Prouincijs Conſularibus, Iac. Bugelij. 673
Pro T. An. Milone, Fr. Syluij. 675
In eandem, [redacted] 727
In eandem, B. Latomi. 735
Pro C. Rabirio Poſthumo, Io. Tilini. 753
Pro M. Marcello, F. Syluij. 775
In eandem, [redacted] 787
In eandem, B. Latomi 793
Pro Q. Ligario, F. Syluij. 795
In eandem, B. Latomi 809
In eandem, Georg. Trapezuntij. 813
In eandem, Georg. Merulæ 850
Pro Rege Deiotaro, F. Syluij. 872
In eandem, Iac. Bugelij. 888
In eandem, B. Latomi. 890
In eandem, Gerard. Bucoldiani. 892
In Verrinā actionem I. Aſconij, 894. Latomi, 869. Syluij. Ibid.
In eandem, [redacted] 910
In Verrinam II. Aſconij, 916. Latomi, Syluij. 918
In eandem [redacted] 924
In Verrinam III. Aſconij, Latomi, Syluij. 930
In eandem, [redacted] 936
In Verrinā IIII. Aſconij, Latomi, 946. [redacted] 948
In Verrinam V. Latomi, & Eubuli Dynateri. 956
In Verrinam VI. B. Latomi. 976
In Verrinam VII. Barth. Latomi. 978
In Catilinariam I. Franc. Syluij. 984
In II. Eiuſdem. 1001
In III. Eiuſdem. 1012
In IIII. Eiuſdem. 1022
In Vatinium, Barthol. Latomi. 2028
In L. Piſonem, Iac. Omphalij, 1032
In Philippicam I. B. Latomi. 1048
In eandem, [redacted] 1054
In Philipp. II. Bartholomæi Latomi. 1060
In eandem, [redacted] 1074
In Phil. III Barthol. Latomi. 1082
In eandem [redacted] 1086
In Philippicam IIII. Barth. Latomi. 1090
In eandem, [redacted] Ibid.
In Philippicas reliquas, B. Latomi. 1092. Inde
In eaſdem Philippicas omnes, Georgij Trapez. 1128
In orationem Salluſtij cōtra Ciceronem, Franciſci Syluij 1142
In M. Tullij orationē, qua Salluſtianæ reſpōdet, F. Syluij. 1148


Hoc amplius, quàm eſt in Germanico uolumine. Matutantii, Beroaldi, [redacted], Hieronymi Ferrarii, & Aſcenſii, in omnes Ciceronis Philippicas Annotatiunculæ.

# IN M. TVLLII CICERONIS
## PRO P. QVINTIO ORATIONEM FRANCISCI
### SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

### A R G V M E N T V M.

C AIVS Quintius, Publij frater, earum rerum quas in Gallia Narbonenſi habebat, ſocietatem fecit cum Sex. Næuio præcone. Multis annis poſt Quintius in Gallia moriens, fratrem hæredem facit. P. Quintius in Galliam uenit, ibi cum Næuio annum uixit familiariter. Eo toto tempore Næuius nullam fecit mentionem, pecuniam ſibi debitam eſſe à C. Quintio. Suſpicatus eſt P. Quintius, Næuium aliquid ſibi ex ſocietate debere. Eum igitur appellauit, ut quod deberet diſſolueret. Vt res quàm primum, & quàm minima cū moleſtia tranſigeretur, arbitros ſumpſerunt, qui de re decidere non potuerunt. Res in iudicium allata eſt, dilata ſæpe uadimonia ſunt. Biennio poſt C. Quintij mortem Næuius dicit, uelle ſe omni lite deſiſtere: & ſi quid agere ſecum Quintius uelit, ſe non recuſare. qua ratione uterque ſoluitur uadimonio. Non multo poſt, Quintius rem Gallicanam reuiſit. Id ubi reſciuit Næuius, tanquam uocatus in ius Quintius uadimonium ſibi promiſiſſet, obit uadimonium: à prætore Burrieno, ut Quintij bona ex edicto poſtulare liceat, petit, quia uadimoniū deſeruerit. ea proſcribit. Sex. Alphenus, Quintij procurator, impedit quo minus Quintij bona uendantur. aduentū Quintij expectandū dicit, eumq; Id. Septemb. ſiſti promittit. Quintius ad diē præſtitutū reuerſus eſt. Duos annos quieſcit Næuius: tandē à Cn. Dolabella prætore poſtulat, ut ſibi Quintius iudicatū ſolui ſatiſdet, quod eius bona ex edicto prætoris Burrieni XXX dies Romæ poſſeſſa eſſent. Quintiū aut ſatiſdare, aut ſponſionē facere, Dolabella iubet. Sponſionē facere Quintius maluit, C. Aquiliū iudicem ſumpſit. Quintiū Cicero defendens, in hac defenſione tria oſtendit: Primū, cauſam non fuiſſe cur Næuius à prætore Burrieno poſtularet, ut bona Quintij poſſideret: quòd ei Quintius nihil debuerit. & quamuis ei debuiſſet, nullū ei promiſiſſe uadimonium: itaque non deſeruiſſe. Deinde, Næuiū ex edicto prætoris Quintij bona poſſidere nō potuiſſe: quia Quintius, cū profectus in Galliam eſt, profectus non eſt ut Næuium fraudaret. Romæ enim procuratorem Sex. Alphenū reliquit, qui proſcriptionis libellos deiecit, uadimoniū pro Quintio promiſit, quin pro Quintio iudiciū acciperet non recuſauit. Poſtremo, Næuiū Quintij bona non poſſediſſe: quod edicto cautū ſit, ne dominus inuito detrudatur, quod omnia bona nō poſſederit. Poſtea Cicero per enumerationē capita impetit, eorū quæ in probatione dixit. Poſtremo concludit per commiſerationem. In exordio oſtendit, quàm ſibi ſit hæc defenſio difficilis, contra magnā Næuij gratiam, & ſummā Hortenſij eloquentiā: quòd hæc cauſa ſibi familiariter cognita non ſit, quòd ante accuſatorem agere cogatur. Genus cauſæ iudiciale eſt. Status cōiecturalis. Cauſa priuata eſt. Accuſatores ſunt, Q. Hortenſius et L. Philippus: Cicero defenſor. Hæc autem cauſa acta eſt, anno quarto ferè exacto poſt C. Quintij mortem. Hanc actam eſſe M. Tullio & Cn. Dolabella COSS. Cicerone annos ſex et uiginti nato, A. Gellius cap. 28. libri 15. auctor eſt. Hanc ſuſcepit, uictus precibus Q. Roſcij Comœdi.

1

QVAE RES IN CIVITATE. ] Suſpectam Q. Hortenij eloquentiā, & Sex. Næuij gratiam, Aquilio iudici facit: eiuſq; beneuolentiā ſibi conciliat, à modica ſua dicendi exercitatione, atque à P. Quintij inopia & ſolitudine. Plurimum poſſunt. ] Gratiam in ciuitate plurimū poſſe, dubiū non eſt. Eloquentiam in Rep. tantum poſſe, quantū in bello gladium, Demetrius Phalereus dicebat. Neq; uſu ſatis. ] Annos enim ſex & uiginti natus Cicero hanc cauſam egit. uſu igitur et exercitatione parū ualebat. Aduerſarij eloquentiā amplificare, ſuā uero extenuare Cicero ſolet. Ingenio parum poſſum. ] Ingenioſum ſe eſſe Cicero negat. ut in libro Tuſculanarū Quæſtionū primo: Ariſtoteles quidem ait, omnes ingenioſos melācholicos eſſe, ut egomet tardiorē eſſe non moleſte ferā. Cū patrono. ] Q. Hortenſio, qui tū erat omniū diſertiſſimus. In hac uero cauſa Hortenſius accuſator erat, nō patronus. Is enim patronus eſt, qui reū defendit. Sed alijs in cauſis patronus fuit. aut patronum pro oratore præſtabili poſuit, quòd defendere quàm accuſare ſit difficilius. Cui tenues opes. ] Cui tenues opes ſunt, gratioſus non eſt. nā amor & gratia mouentur opinione & fama liberalitatis, ut ait Cic. lib. de Offi. 2. Gratioſiſſi. ] Vt libro Epiſt. famil. ſecundo: Petiui ſæpius per literas, ſed tum quaſi à Senatore nobiliſſimo, tū adoleſcente etiā gratioſiſſimo. Eſt autē gratioſus, qui, apud multos ualet gratia. Quod M. Iunius. ] Hunc M. Iuniū Cicero lib. de Legibus tertio, ſodalem ſuum appellat. Actionis ſuæ infirmitatē Cic. cōmendat, quòd cauſam P. Quintij ſatis familiariter nō norit, nec ſatis habuerit tēporis ut noſſet. Aliquoties apud te egit. ] Hanc cauſam ſæpe apud Aquilium actam dicit. Raro enim fiebat, ut cauſa actione prima dijudicaretur, niſi ea eſſet clariſſima. ut pro L. Flacco: Itaq; recuperatores cōtra iſtū rem minime dubiam prima actione iudicauerūt.

2

Actiones in Verrem multæ ſunt, quòd cauſa cōpoſita fuerit, & ideo nō ſatisfacilis. Vt ſumma. ] Id eſt, tanquā ſi ſumma. uel, Sūma, Id eſt, ultima & minima. Tot cōtrouerſijs implicatam. ] Nam à C. Quintij morte ad hāc actionē anni plus quatuor interfuerūt. quo tēpore cauſa acta eſt primū ad arbitros, deinde apud P. Burrienū Prætorē, tum apud Cn. Dolabellā Prætorē. Hæc autē Ciceronis actio, fuit eodē Dolabella & M. Tullio Coſſ. In cæteris cauſis eſſe adiumēto. ] Quamuis primam cauſam publicā pro Sex. Roſcio dixiſſe ſe Cicero ſcribat de Claris oratoribus, hanc tamē pro P. Quintio primā non eſſe ſignificat, quā priuatā dixerit. Subſidio. ] Id eſt, auxilio & loco ingenij. Diligentiā. ] Quæ in cauſis defendendis ualet plurimū. de qua Cic. lib. de Orat. 2. Cū ad inueniendū, inquit, in dicēdo hæc tria ſint, acumen, deinde ratio (quā licet, ſi uolumus, appellemus artē,) tertiū diligentia, nō poſſum equidē nō ingenio primas cōcedere. ſed tamen ipſum ingeniū diligentia etiā ex tarditate incitat. Diligentia, inquā, cum omnibus in rebus, tū in cauſis defendēdis ualet plurimū. hæc præcipue colenda eſt nobis, hæc ſemper adhibēda, hæc nihil eſt quod non aſſequatur. Idē paulo poſt: Inter ingeniū quidē et diligentiā perpauluū loci reliquū eſt arti. Ars demōſtrat tantū ubi quæras, atq; ubi ſit illud quod ſtudeas inuenire. reliqua quæ ſunt in cura, attētione animi, cogitatione, uigilātia, aſſiduitate, labore (cōplectar hoc uno uerbo, quo ſæpe iā uſi ſumus) diligētia, qua una uirtute omnes uirtutes reliquæ cōtinentur. Niſi tēpus et ſpatiū. ] Nā ſine tēpore & ſpatio diligētia adhiberi nō poſſit. ut in primo de Off. Adhibebis et tēpus, et diligentiā. Hoc autē Cicero dicit, ut Aquilio minus ſuſpecta ſit hæc defenſio, quæ præparata præmeditataq; non ſit.

Qui tibi in cõſilio aſſunt.] Id eſt, aſſeſſores tuos. Veritas.] Id eſt, cauſa bonitas & æquitas: quã in re ueritas in hac oratione ſæpe dicitur. Verũ enim pro bono & iuſto dici, ſcripſimus pro C. Rabirio. ut in libro de officijs tertio: Tantum dabit amicitiæ, ut uerã amici cauſam eſſe malit. Cõtra uim.] Id eſt, eloquentiã Q. Hortenſij. Solitudini.] Id eſt, P. Quintij. Pendetur.] Id eſt, æſtimabitur. Humilitatem.] Id eſt, humiles & inopes homines. Reperire non poterit.] Nulli enim uobis iuſtiores ſunt. Quos tibi aduocaſti.] Hinc attende, aſſeſſores à iudice aduocari ſolitos. Aut quod non ijs, etc.] Is ſpem habere dicit, pro eo quod eſt, in ijs ſpem habere. De ſe ſpem habere Cicero dixit, actione in Verrẽ 2. pro eo quod eſt, bene ſperare de ſe: An iſte unquã de ſe bonam ſpẽ habuiſſet, niſi de bonis malam opinionẽ animo imbibiſſet? Poteſtatis.] Id eſt, quod poteſtatem habeas eum condemnandi, ut abſoluẽdi. Quid poſſit.] Id eſt, quam poteſtatem habeat. Eam ob rem Alcibiades, cum ad iudicium capitale ab Athenienſibus è Sicilia uocaretur, ſe ipſe abſcondit: quod diceret eum ſtultũ eſſe, qui accuſatus, cum liceat fugere, quærat abſolui & liberari. At cum aliquis dixiſſet, Non credis patriæ de te ipſo iudicium? Ego, inquit, ne matri quidẽ: ne forte ignara pro calculo albo nigrum in urnam immittat. auctor eſt Plutarch. in Apophthegmatis. Ornatiſſ.] Vulgo dicerent, maxime laudabiles. Priore loco cauſam dicere.] Terentius in prologo Eunuchi, L. Lanuiũ poetã reprehẽdit, quòd in comœdia quã fecit, inſcripſitq; Theſaurũ, fecerit, ut is à quo petitur aurũ, prius dicat cauſam cur ſuũ ſit, quã ille qui petit, dicat, unde theſaurus eſſet ſibi. Id in cauſa priuata ſi uitioſum eſt, in cauſa publica ſi reus cogatur ſe ante defendere, quàm uerbũ ullum accuſator fecerit, multo indignius eſt atque iniuſtius. Partes.] Id eſt, munus, officiũ. Partes accuſatoris obtinet. Cicero in Diuinatione, cauſam ſuſtinere in eadẽ re dicit. In mentẽ tibi nõ uenit, quid negotij ſit, cauſam publicã ſuſtinere? uitam alterius totã explicare, atq; eã non modo in animis iudicum, ſed etiam in oculis conſpectuq; omniũ exponere? Cauſam uero obtinere, eſt cauſam uincere: quod alio loco docuimus. Cui ſummam copiam.] Eloquentiam aduerſario tribuit. Tela depellere.] Accuſatorẽ uulnera faciẽdi, et defenſorem ea curanti cõparat. Quintil. lib. 5. difficilius eſſe defendere, quàm accuſare oſtendens, ab hac ſimilitudine nõ receſſit: Tanto, inquit, eſt accuſare quàm defendere, quanto facere quàm ſanare uulnera facilius. Nullum iecerit.] Si telum nullũ aduerſarius iecerit, nullũ uulnus eſt: ſi nullũ uulnus eſt, ei mederi non poſſis. Venenatũ.] Id eſt, ueneno imbutũ & ut uulgo dicunt, intoxicatum. Medicinæ.] Id eſt, medicamenti. ut in lib. de Off. 1. Vt ad urendũ & ſecandum, ſic ad hoc genus caſtigãdi raro inuitiq; ueniemus: nec unquã niſi neceſſario, ſi nulla reperietur alia medicina. alioqui medicina ars eſt, et ſcientia. Prætoris iniquitate.] Cn. Dolabellæ, ut poſtea dicet. A. tamen Gellius hanc orationẽ Cn. Dolabella et M. Tullio Coſſ. habitã dicit. Aut igitur errauit Gellius, aut hæc cauſa multo poſt prætoris interdictũ acta eſt. nam biennio poſt præturã cõſulatũ gerere licebat, nec citius. ut Cic. in Rullũ, biennio poſt præturam, factũ ſe conſulem ſuo anno dixit. De probro.] Vt ſatiſdaret Quintius, aut ſponſionẽ faceret. Quàm de re.] An Quintij bona Næuius dies X X] X ex Burrieni prætoris edicto poſſederit. Eorum gratia.] Quos diſertiſſimos fortiſſimos, ornatiſſimos ante dixit. Affectus atq; afflictus.] Annominatio eſt. Vt à principio.] Auctore Quintil. lib. 4 ſi longiore ac perplexa magis ſequetur narratio, ad eam ipſam præparandus iudex erit. ut Cicero cũ alias ſæpe, tũ pro A. Cluentio fecit: Paulo, inquit, longius exordiũ rei demonſtrandæ gratia repetam, quod quæſo iudices, ne moleſte patiamini principijs enim cognitis, multo facilius extrema intelligetis. C. Quintius fuit.] Narratio eſt, quæ initiũ habet à perſona, & à recto caſu. quales eſſe dilucidiores, Sulpitius Victor ſcripſit. C. Quintius fuit P. Quintij huius frater.] Illum dicendi morem poſt eã tenuit Cicero, ut diceret C. Quintius fuit P. huius frater. de quo alio loco præcepimus. Attentus.] Id eſt, diligens. Conſideratus.] Id eſt, prudens: ut uulgo dicunt, aduiſatus. Societatem fecerit.] Vt paulo poſt Quintius fecit, ut dixi, ſocietatẽ earum rerum, quæ in Gallia comparabantur. Societatẽ coire in hac re ſæpe dici, alio loco docuimus. Societatẽ autẽ coire ſolemus, aut totorũ bonorum, aut unius alicuius negociationis: ueluti mancipiorum uendendorũ aut emendorũ, aut olei, aut uini, aut frumẽti uendendi aut emendi: ut eſt in libro Inſtitutionũ Iuſtiniani tertio, de ſocietate. Certi.] Id eſt, boni & conſtantis. Parum facetus.] Id eſt, non ingenioſus. Inhumanus.] Id eſt, ruſticus, et agreſtis, ut lib. de Offic. 1. Adhibenda mũditia eſt, nõ odioſa, nec exquiſita nimis: tãtumq; fugiat agreſtẽ et inhumanã negligentiã. Alioqui inhumanus pro inciuili, ut humanus pro ciuili dicitur. Præco hoc loco dicitur, qui uenalẽ rem alienã prædicat: & laudãdo, ut ita dicam, proclamat. quales ſunt hac ætate, qui uenale uinũ prædicant. Nihil præter libertatẽ reliquiſſet.] Id eſt, eũ inopẽ, ſe liberũ reliquiſſet. Impunius.] Id eſt, magis impune. ut actione in Verrẽ ſexta: Ille ciuis Romanus quòd erat, impunius id ſe facturũ putauit. & pro Deiotaro: Impunius fit, quod, cum eſt factũ, negari poteſt. Dicax eſſet.] Dicacitas, ut ait Quintilianus lib. 6. propriè ſignificat ſermonem cũ riſu aliquo inceſſentẽ. Ideo Demoſthenẽ urbanũ fuiſſe dicũt, dicacem negant. Dicax erat Næuius: nõ enim parũ facetus ſcurra erat. Significat autem liberis hominibus licuiſſe magis, ut dicaces eſſent, quàm ſeruis. Vellet.] Id eſt, aliquis, quicunq; ſit, uellet: ut, Migrantes cernas, &, Priuſquã incipias conſulto, &c. Inductus.] Id eſt, excitatus & impulſus. Pecuaria res.] Pecuariũ, à pecu dicitur. Vetuſtiſſimos hoc pecu dixiſſe, unde et hæc pecua plurale, Priſcianus libro ſexto docet. Erat ei pecuaria res ampla.] Id eſt multa armenta, multoſq; greges habebat. Etiam pecuaria tantum ſine re dicitur M. Varro libro de re Ruſtica primo: Ipſe pecuarias habui grandes in Apulia ouarias, & Reatinas equarias. Inde pecuarius dicitur, qui habet pecuarias. ut pro M. Fonteio: Omnes illius prouinciæ publicani, agricolæ, pecuarij, cæteri negociatores, uno animo M. Fonteium, atque una uoce defendũt. & pro Deiotaro: Optimus paterfamilias, et diligentiſſimus agricola, et pecuarius haberetur. Pecuarius canis dicitur à Columella lib. 8 qui pecoris cuſtos eſt: Pecuarius canis neque tam ſtrigoſus aut pernix eſſe debet, quã qui damas ceruoſq; & uelociſſima ſectatur animalia: nec tam obeſus, aut grauis, quàm uillæ horreiq; cuſtos. Ruſtica.] Res. Tollitur ab atrijs Licinijs.] Atria Licinia quæ ſint, legere nõ memini. ex hoc tamẽ loco conijcere licet, in ea atria præcones cõuenire ſolitos, ut ibi cõducerẽtur ab ijs qui uenalẽ rem proſcriberẽt. Conſeſſu.] Id eſt, multitudine. Trans alpes uſq;.] Vſitata non eſt dicendi ratio. Fit magna mutatio loci.] Cœlum enim, nõ animũ mutant, qui trans mare currunt: ut ait Horatius. Ab adoleſcentulo.] Hoc dictũ eſt, qua forma dicimus, à puero. Sine impẽdio.] Sine quæſtus acceſſione & augmẽto, & quaſi uſura, & ut uulgo dicũt, abſq; eo ut faceret creſcere ſuũ bonũ. Impendiũ. n. ut ait M. Varro libro de Lingua lat. 1. pecunia ea appellatur, quæ in fœnore ſorti accedit. In cõmune.] In ſocietatem. De cõmuni.] De bonis ſocietate quæſitis. Ad ſe.] Id eſt, in domũ ſuam. In priuatam domũ.] Nã bona ſocietate quæſita, in domo, quæ utriq; cõmunis eſſet, erant. Seuocabat.] Id eſt, deportari ſeorſum iubebat. Qua in re.] Id eſt, ſeuocando ad ſe in priuatam domũ, quidquid de cõmuni poterat. Arbitriũ pro ſocio condẽnari ſolerẽt.] Locus hic emẽdatus nõ eſt, nec ulla inde ſentẽtia elici poteſt. Quid autẽ, ſi Condẽnare legas, pro eo quod eſt liberare. ut ea ſententia ſit: qui magna fide ſocietatẽ gerãt, ſolitos eſſe

liberare

liberare arbitrium, id eſt, arbitri ſententiam, pro ſocio. Condemnare enim, pro liberare dici, apud No. Marcellũ eſt. Nó neceſſe habeo dicere.] Vt libro Epiſtolarũ ad Atti. 10. Eo minus habeo neceſſe ſcribere, aut etiá cogitare, quid ſim facturus: ſi acciderit, ut legaret. Habeo neceſſe dicere, & habeo dicere, à Cicerone non ſemel dici, alio loco docuimus. Quia poſtulat, non flagitat.] Poſtulare eſt, quodammodo requirere pro ut res, tẽpus, locus, perſona, cauſa poſtulat, & tanquá rem iuſtam petere: Flagitare, eſt uehementer, & plus quàm poſtulare. auctor eſt Valla lib. 5. id ue probet; locũ hunc citat. Præteribo.] Auditores facit attentos, nomine breuitatis. ſe enim breuitatis cauſa præterire dicit, etiã quæ cauſa poſtulat. Poſſe.] Næuius. Libidine.] Sine cauſa, ſine ratione; & ut uulgo dicunt, pro placito. Et moritur repentino.] Tacitam quandam ueneni à Næuio dati C. Quintio ſuſpicioné affert: quòd Næuius ſuſpectus, quòd rationem reddere nó poterat, quòd eo præſente Quintius mortuus ſit, quodq́; repente. Repentino.] Hoc aduerbium uſu rarũ eſt. repente ſæpius, & de repẽte dicitur. Teſtamẽto.] Quod ante ſcripſerat, quàm ægrotaret. Summus honos.] Id eſt, fraterna hæreditas, quæ ampla erat. Societatem.] Id eſt, C. Quintium ex ſocietate. Priuatim.] Id eſt, ſine ſocietate. Cum æris alieni aliquantulum eſſet relictum.] Romæ ſcilicet, cum P. Quintius Roma diſcedens ibi creditores reliquiſſet, quos C. Quintius reliquerat. Hos autem complures fuiſſe, poſtea Cicero dicet. Aut relictum.] A' Caio Quintio moriente. Quibus nominibus.] Id eſt, propter quæ nomina & debita. Curari.] Id eſt, quæri, & confici, & cumulari. Auctionem ſe facturum. Id eſt, per auctioné uenditurum. Eſt enim auctio, rerum uenditio, quæ in publico & celebri loco fit. inde auctionari, eſt publice & ferè ſub haſta uendere: non ea quæ ad eſum pertinent, ſed ea quæ ad ſuppellectilem, atque ad alios uſus. auctor eſt Valla lib. 4. Auctionem facere, & auctionari dicitur is, qui uenalem rem proſcribit: ut in oratione pro Deiotaro: Ille tertio auctionibus factis pecuniam dedit, qua ad bellum uteretur. Proſcribit.] Id eſt, proponit affixo in loco celebri libello, ubi id ſcriptum ſit. Priuate.] Non ex ſocietate. Vir optimus.] Ironia eſt. Commode.] Id eſt, bene & utiliter & opportune. Facultatem.] Id eſt, copiam. Si ſaperet.] Id eſt, niſi eſſet ſtultus. Cõmunem.] Vtriq;. Pro fraterna illa neceſſitudine.] Id eſt, pro ſocietate cum eius fratre facta. Habet in matrimonio.] Id eſt, habet uxorem. de hoc dicendi genere alio loco ſcripſimus. Ex ea liberos.] Affinitatis uinculum communes liberi colligant arctius. Coniugij coniunctionem liberos eſſe: itaque diſſolui citius, ſi liberi non ſint: quòd liberi bonum ſint, marito & uxori commune, Ariſtot. lib. Ethic. 8. ſcripſit. Vel hoc dicit Cicero, ut oſtendat hanc affinitatem uiuis liberis diuelli nó poſſe, ut poſtea dicet. Orationem.] Id eſt, ſermonem. Per te.] Id eſt, tuo iudicio. Decidit.] Id eſt, conſtituit & determinat. quòd Deſiſtit in codicibus alijs legatur, id non placet. Hoc eo per te agebatur.] P. Quintiũ turpitudinis nota liberat. quòd in iudiciũ uocatus ſit, ut creditam pecuniam diſſolueret. Quæ tibi cum Scapulis eſt.] C. Aquilio Gallo cũ P. Quintio Scapula neceſſitudinem fuiſſe, Plin. cap. 53. libri 7. ſignificat: qui apud Aquilium cœnantem Scapulam repente interiiſſe dicit. Aerariam.] Id eſt, pecuniariam. In tabulis.] Id eſt, in rationario, in ſchedulis, in libellis obligatorijs, alijs'ue eiuſdem generis, ubi de credita pecunia ſcriptum erat. Inſpexiſſe.] Id eſt, legiſſe: & ut dicunt aſpicere, inſpicere libros Sybillinos, & inſpicere arma dicimus. A' Quæſtoribus.] Iis qui in Gallia prouincia fuerunt. Quæſtores enim cum prætoribus in prouinciam proficiſcebantur. ab ijs autem creditas pecunias conſcribi ſolitas, locus hic documento eſt. Quæſiſſet.] P. Quintius. Quod ijs denarium ſolueretur.] Id eſt, quod Scapulis ſatisfieret uſque ad denarium. Denarius dictus, quod decem aſſibus conſtet: ualebat quantum denarij noſtri duo et quadraginta, ut eſt apud Budæum de Aſſe. Quòd autem in alijs codicibus eſt, Quid ijs ad denarium ſolueretur: ſi emendata lectio eſt, eam arbitror eſſe ſententiã, Quid ijs pro uſura ſingulorum denariorum ſolueretur. Auctore & conſuaſore Næuio.] Id eſt, hortatu & impulſu Næuij. Conſuaſor autem, rariſſime dicitur. Numeraturum.] Id eſt, pecuniam daturum. Poſſe facere.] Quia diues erat, & bene nummatus. Debere.] Pro fraterna neceſſitudine illa & affinitate. Conſtituit.] Id eſt, decidit & promittit. Vt curet.] Id eſt, ut faciat, ut paulo poſt: Nũc hoc uelim cures, ſi tibi uidetur, quòd dixiſti. In ſummas anguſtias.] Id eſt, in neceſſitatem maximã. nam neceſſe erat, ut Scapulis diſſolueret, quemadmodum cóſtituerat. Suis conditionibus.] Id eſt, ſuis legibus, ſuæ uoluntati. In ipſo articulo temporis.] Id eſt, in ipſo puncto temporis, quo eſſet illa diſſoluendi neceſſitas. Cum Quintio controuerſiæ nihil futurum.] Id eſt, Quintium ab eo nihil in poſterum petiturum. Non plus ſua referre.] Id eſt, ſe non plus curare. Hic autem uerbum Negat repetendum non eſt, ſed uerbum Dicit, quod in uerbo Negare includitur. Quod dicendi genus apud T. Liuium, quàm apud Ciceronem inuenias ſæpius. Cum auctionem uenderet.] Si emendata lectio eſt, auctionem uendit is, qui bonorum domini iuſſu uendit. Domini iuſſu quippiam promiſiſſet.] Significat, ſi quis quid domini iuſſu promiſerit, nihil ſua referre, ſi dominus promiſſum non faciat. Deſtitutione.] Deſtitutus dicitur is, cui promiſſum ſeruatum non ſit. ut pro A. Cluentio: Hos qui leuiores erant, deſtitutione iratos Oppianico redderet. item: Queritur ſe ab Oppianico deſtitutum. itemq́; Pulchre aſſeuerat ſe ab Oppianico deſtitutũ. & lib. de Offi. 1. Magisq́; ille, cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur. Perculſus.] Id eſt, perturbatus. Paucos dies aufert.] Id eſt paucorum dierum dilationé impetrat. Deteriore tempore.] Id eſt, tempore non cómodo. uſu enim aliquando uenit, ut res alia, alio tempore pluris uendatur aut minoris. Difficiliore conditione.] Id eſt, difficilius, & maiore ſuo incommodo. Appellat.] In iudicium. Vltro.] Id eſt, non quæſita pecunia, de qua controuerſiam fore ſuſpicaretur. Quàm minima cum moleſtia.] Minore enim moleſtia res controuerſa ab arbitris, quàm à iudicibus tranſigitur, aut dijudicatur. Tota res tranſigeretur.] Tranſigere, eſt pactionem facere de ea re, de qua lis & controuerſia eſt: auctore Vlpiano, libro Digeſt. 1. de Tranſlationibus. Qui tranſigit, quaſi de re dubia, & lite incerta, neq; finita, tranſigit. Dat iſte amicum.] Næuij iniquitatem, et Quintij æquitatem Cicero amplificat. Communem neceſſarium.] Id eſt, Næuij & Quintij neceſſarium. Neceſſarius enim, à neceſſitudine dictus eſt propinquus, uel affinis, uel familiaris, uel amicus. Hic mediocré iacturam facere cupiebat.] Virum bonum Quintium probat. Viro enim bono conuenit, à litibus, quantũ liceat, & neſcio an paulo plus etiam quàm liceat, abhorrere. Eſt enim non modo liberale, paulũ non nunquam de iure ſuo decedere, ſed interdũ etiam fructuoſum. auctor eſt Cicero libro de Offic. 2. In uadimonium.] Id eſt, ad uadimoniũ. Vadimoniũ autem à uade dictum primitiui intellectum non retinet: quemadmodum nec matrimoniũ, nec patrimoniũ. Eſt enim uas, ut ait Valla lib. 6. qui ſponſor eſt alterius in capitis periculo, ſiue idem ſupplicium ſubiturus, ſiue pecuniam ſoluturus. Auſonius in monoſyllabis in eadẽ fere ſententia eſt: Quis ſubit in pœnam capitali iudicio? uas. Vadimonium autem, ut eodem loco Valla definit, eſt ſponſio ad certum diem ſiſtendi ſe in iudicio: id eſt, comparendi per ſe, uel per aduocatos. Cum uadimonia ſæpe dilata eſſent.] Id eſt, cum multæ in iudicio factæ eſſent, ut uulgo loquuntur, dilatio-

nei. In ea re.] Id eſt, in differendis uadimonijs. Perfe-ctum eſſet.] In codicibus alijs ſcriptum eſt, profectũ eſſet. quæ lectio mihi uiſa melior eſt. Sæpe enim differtur uadimoniũ, ut tranſigendi ratio inueniri poſſit. Venit ad uadimonium.] Venire ad uadimonium, obire uadimonium, & ſiſtere uadimonium, in eadem ferme re dicuntur. Obſecro C. Aquill.] Auditores facit attentos. id in omni parte orationis fieri ſolet, cum cauſæ noſtræ intereſt, cognoſci ab auditoribus, quod dicturi ſumus. Rationem.] Id eſt, modum. Ait.] Ad iudices. Quod ſibi uideretur.] Vulgo dicerent, quod ſibi uideretur bonum. Ne quid ſibi ſocietas deberet.] Id eſt, ne quid ſibi Quintius nomine ſocietatis deberet. Id autem dixit, ut Quintium deterreret, qui ſibi aliquid Næuium ex ſocietate debere dicebat. Vadari.] Id eſt, uadimonio obſtringere. Se iam neque uadari amplius, neq; uadimonium promittere.] Id eſt, Ait fore, ut in poſterum à litibus abſtineat, neque uocet in iudicium, neque uocetur. Itaque Quintius, qui Næuium uadatus erat, uadimonio liberatur à Næuio. Agere.] In hoc loco, ut arbitror, ſignificat tranſigere, uel agere iure. Hominem.] Næuium. In præſentia.] Id eſt, præſentibus iudicibus, uel pro tempore præſenti. Sine uadimonio.] Id eſt, ſine uadimonij in poſterum obligatione. Quæ habebat.]

Tam ea quibus obligatus erat, quàm ea quibus alios obligauerat. Habere uadimonium cum aliquo dicitur, tam qui uadatus eſt, quàm qui eſt obligatus. Expeditus.] Id eſt, ſine ulla moleſtia, & metu deſerti uadimonij. Egreditur ante diem IIII. Calend. Februarij.] In probationibus poſtea dicet, Egreſſum pridie Cal. Februarij. Memoriæ mandetis.] Id enim poſtea ualebit, ut probet Cicero Quintium Næuio nullum promiſiſſe uadimonium. L. Albutius, &c.] Huius teſtimonio poſtea utetur, ut probet uadimonium à Quintio Næuio promiſſum non eſſe. Quirinas.] Quirinas hoc in loco fortaſſe dicitur, pro Quirinali flamine. Quirino enim & & templum & ſacerdotem dicatum fuiſſe, ignotum non eſt.

Ad uada Volaterrana. Ea in Ethruria eſſe Plinius cap. 5. libro 3. ſignificat. Pueros.] Id eſt, ſeruos. Puer enim aliquando puerilem ætatem demonſtrat: aliquando dicitur, ut à puella diſtinguatur: aliquando ſeruum ſignificat, ut cum omnes ſeruos, pueros appellamus: auctor eſt Paulus Iureconſ. lib. Digeſt. l. de uerborum & rerum ſignificatione. Iſti.] Sex. Næuio. Solet Cicero litigatorem ſuum oſtẽdere, per pronomen Hic: & aduerſarium, per pronomen ille. ut alio loco docuimus: In hac uero oratione, aduerſarium per pronomẽ Iſte, demõſtrat. Ex Publicio narratum.] Attende dici Narratum ex Publicio, pro eo quod eſt, narratum à Publicio. Non tam cito.] Vix tum enim Galliam Quintius attigerat, cum poſſeſſionem bonorum eius Næuius petiuit: unde hæc contentio nata eſt. Pueros.] Id eſt, ſeruos. Dimittit.] Id eſt, alium aliò mittit. Ipſe.] Id eſt, ipſemet Næuius. Ab atrijs Licinijs.] Et à præconum conſeſſu. Quos ab Atrijs, & à faucibus macelli corrogauit Næuius, eos omnes eſſe homines leues: itaque eorum teſtimonio credendum non eſſe, ſignificat. Ad tabulam Sextiam.] Vbi uadimonium ſiſti oportebat. Tabulam autem Sextiam appellatam arbitror, quòd ea ab aliquo Sextio poſita ſit: ut tabulam Valeriam Cicero in Vatinium appellat. Hora ſecunda.] Ea erat fermè, ut hora IX. matutina. Horæ enim ab oriẽte ſole ad meridiem ſex erãt. Id autem factum eſt circa Cal. Feb. De horis alio locô ſcripſimus fuſius. Iſti.] Næuio: Id eſt, Næuij gratia. Non ſtitiſſe.] Id eſt, uadimonium nõ obiſſe. A' ſiſtendo, ſtitiſſe eſſe, eſt apud A. Gelliũ lib. 2. Tabulæ maxime.] Id eſt, inſtrumenta: et ut uulgo dicũt, bellæ literæ. Signis, &c.] Nam mos erat apud ueteres, ut teſtes teſtimonia, quæ per tabulas dicerent, aut ſi cui rei teſtes adhiberentur, ſignis conſignarent. Hominum nobilium.] Ironia eſt, niſi Nobilium in malam partem accipi mauis. Prætore.] Vrbano. Vt ex edicto bona poſſidere liceat. Aliquod prætoris edictũ fuiſſe ſignificat, ut qui uadimonium deſeruiſſet, eius bona aduerſarij eſſent. Eius edicti uerba poſtea ponit Cicero. Prætorum autem edicta appellantur, ut ſenatuſconſulta aut decreta. Iuſſit bona proſcribi.] Quia narratio breuis eſſe debet, in ea illud ſæpe fit, ut ea non dicãtur, quæ ex ſequentibus intelligi poſſint. Si Næuius Quintij bona proſcribi iuſſit, ſatis intelligitur Burrienum conceſſiſſe, ut ea ex edicto poſſideret. uel hoc tacet Cicero, quia poſtea negat Næuium Quintij bona ex edicto poſſediſſe. Liberis iſtius uiuis.] Attende, affinitatem nullis liberis, aut ijs mortuis diuelli poſſe: ut puta, ſi fiat diuortiũ, aut ſi maritus aut uxor moriatur: quæ uiuis liberis maneat. Nullum eſſe officium.] Vt actione in Verrem ſecunda: Nihil eſſe tam ſanctũ, quod non uiolari: nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poſſit. Solẽne.] Id eſt, religioſum & diuinũ. Quod non auaritia.] Hinc illud Vergilij eſt, libro Aeneid. 3. Quid non mortalia pectora cogis, Auri ſacra fames? Si ueritate, amicitia.] Boni uiri, quem eundem ſapiẽtem licet dicere, in amicitia iſtud eſſe Cicero in Lælio dicit, ne quid fictũ ſit, ne'ue ſimulatum. Aperte enim uel odiſſe, magis ingenuũ eſt, quàm fronte occultare ſententiam. nullæ enim occultiores inſidiæ ſunt, (ut idẽ ait actione in Verrem tertia) quàm eæ, quæ latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. Nam eum qui palàm eſt aduerſarius, facile cauendo uitare poſſis. hoc uero occultum, inteſtinum, ac domeſticum malum non modo non exiſtit, uerumetiam opprimit, antequã perſpicere atq; explorare potueris. In eadem ſententia eſt illud Cæcilij poetæ, apud A. Gellium lib. 15. Nã ij ſunt inimici ſunt peſſumi, fronte hilaro, Corde triſti: quos neque ut apprehendas, neq; ut mittas, ſcias. Vanum.] Id eſt, fictum & mendacem, ut amicitiæ ueritati opponatur. Libellos.] Id eſt, tabulas, quibus Quintij bona Næuius proſcribi iuſſerat. Seruulum unum.] Quintij. Abducit.] A' Næuio. Atque inhibuerit.] In codicibus alijs melius ſcriptũ eſt Inhibuerit. Eiuſmodi rationibus.] Id eſt, tam iniquis modis. Illum.] Quintium. Ad ſuas cõditiones.] Id eſt, ad ſuam uoluntatẽ, ad id quod cõcupiuit, ut ſcilicet Quintij bona ſua ſint. Seſe nihil precari.] Denunciat. Nihil precari.] A' Næuio familiari & propinquo, ut fama & fortunis Quintij cõſulat, eiusq; aduentũ expectet. Communi.] Qui Næuio & Quintio ex ſocietate cõmunis erat. Eadem ratione ſeruos cõmunes appellat. Modo.] Id eſt, modeſtia & uirtute. Per literas.] Quibus mandatum erat ſeruis cõmunibus, ut Quintium de ſaltu agroq; communi ui deijcerent. Ordine.] Id eſt, honeſte & opportune. Ad C. Flaccum imperatorem.] Qui prætor Galliam prouinciam obtinebat. Vt ipſius dignitas poſcit.] Honoris cauſa nomino, à Cicerone ſæpe dici: idq; nemini niſi aut honeſtiſſimo, aut amiciſſimo fieri ſolitũ eſſe, alio loco docuimus. Cum iſto gladiatore.] Audaciſſimos homines Cicero appellare ſolet gladiatores, ut duos T. Roſcios. Cum iſto gladiatore uetulo.] Vetulum dicitur, quod eſt multorum annorum: ut uetulam arborem, & uetulum equum Cicero dixit. ut de Finibus quinto: Viuere uitam, & mori dicimus, arboremq; & nouellam & uetulam, & uigere & ſeneſcere. & in Lælio: Equis uetulis teneros anteponere ſolemus. A' uetere, uetulus per diminutionem dicitur. uetus autem, pro exercitato, etiam in malã partem dicitur. ut pro Sex. Roſcio: Alter plurimarũ palmarum uetus & nobilis gladiator habetur. Pugnabat.] Aut uerbis diſceptabat, aut re uera pugnabat. Populo ſanè ſuo.] Id eſt, ſibi fauente. Caput petere.] More gladiatorum. Iudicatum ſolui ſatiſdaret.] Satiſdatio eodem modo appellata eſt, quo ſatiſfactio. nam ut ſatiſfacere dicimur ei, cuius deſiderium adimplemus:

mus: ita ſatiſdare dicimur aduerſario, cum pro eo quod à nobis petijt, ita cauemus, ut eũ hoc nomine ſecurũ faciamus, datis fideiuſſoribus. auctor eſt Caius Iureconſultus libro Digeſtorum ſecundo: Qui ſatiſdare coguntur. Iudicatum ſolui ſatiſdaret.] Id eſt, daret fideiuſſorem Sex. Næuio, ut ei ſolueretur iudicatum: id eſt, ut bona P. Quintij poſſideret, quæ ex Burrieni prætoris edicto dies 32. Romæ poſſederat. Satiſdare non deberet.] Negat enim P. Quintius bona ſua ex edicto prætoris à Næuio XXX dies poſſeſſa eſſe. Appellantur Tribuni.] Tribuni enim pl. iuriſdictionem habebant. Conditionibus.] Id eſt, uerbis, aut multa in aliquos dies denunciatione, & quaſi crebra procraſtinatione. Eſt enim conditio, ut ait Sex. Pompeius, in diem certum eius rei quæ agitur, denunciatio. Cum igitur P. Quintius à Sexto Næuio peteret, ut hac de re tranſigerent, certum aliquem diem Næuius denunciabat. Vbi is dies aduenerat, Næuio poſtulante, Quintius alium diem denunciabat. Qua ratione Quintium Næuius quoad potuit, produxit: Id eſt, longius duxit, & ut uulgo dicunt, intertinuit. Ea in re Trahere Valerius Maximus libro quarto de Paupertate, uſurpauit: Cornelia Gracchorum mater, cum Campana matrona apud illam hoſpita, ornamenta ſua pulcherrima ſeculi illius, ei oſtenderet, traxit eam ſermone, quouſque è ſchola redirent liberi: Et hæc, inquit ornamenta mea ſunt. Vt hominem, ita rem producimus. ut in libro de Senectute: Conuiuiumq; uicinorum quotidie compleo, quod ad multam noctem, quàm maxime poſſumus, uario ſermone producimus. Quàm æquum.] Id eſt, quàm iniquum: ironia eſt. Ex formula.] Id eſt, quod uulgo dicunt, ſecundum ſtylum. Eius] Quintij. Iuberet.] Dolabella. Decernit.] Dolabella. ut Quintius ſatiſdet. A Cn. Dolabella] Qui fuit prætor anno ſecundo poſt Burrienum. Nouum.] Id eſt, rem nouam decernit. Vtrunque.] Quàm æquum & nouum. Iubet P. Quintium ſponſionem facere.] Sponſio, genus quoddam actionis apud ueteres erat. Fiebat autem ſponſio, interpoſita ſtipulatione certæ pecuniæ, quam perderet is, qui ſponſione uinceretur. erat autem decima pars rei controuerſiæ in cauſis priuatis, in publicis autem quinta. Fiebat autem ſponſio plerunque in prætorum interdictis, ut in hac, & in A. Cæcinæ cauſa: ſed nonnunquam ſine interdictis fiebat. De ſponſione agebatur apud iudicem, ut in hac cauſa, uel apud recuperatores, ut in cauſa Cæcinæ. De ſponſione plura in Annotationibus Budæi in Pandectas legere poſſis. Qui aderant cum Quintio.] Id eſt, quos Quintius aduocauerat. De re.] De pecunia, quæ ex ſocietate eorum alteri deberetur.] Famam alterius.] Magnam enim infamiæ notã ſibi inurebat is, qui uadimonium deſeruiſſet. Ne uideretur iudicaſſe.] Nam ſi Quintius ſatiſdaret, id eſt, fideiuſſorem daret iudicatum ſolui, confiteretur bona ſua à Næuio XXX dies poſſeſſa, eiq; à Burrieno adiudicata. De capite ſuo.] Id eſt, de bona ſua exiſtimatione: aut de bonis ſuis quæ Næuij eſſent, ſi ſponſione uinceretur. ut ſanguinem & miſerias ciuium, bona ciuibus iniuſte adempta, Salluſtius in Ciceronem appellat: Cui poteſt eſſe dubium, quin opulentiam iſtam ex ſanguine & miſerijs ciuium parauerit?

Priore loco.] Significat Quintium, & non Næuiũ, ſponſionem feciſſe. Itaque Quintium priorem de ſponſione dicere debuiſſe, ut ſponſione uinceret: & quam oppignoraſſet pecuniam, reciperet, quod tanquam petitor cauſam prior diceret. Solent nobiles.] Nobilium hominum tam in male quàm in benefactis pertinaciam oſtendit, qui deſiſtere nolũt incœpto, ne uicti uideantur. In utroq;.] Id eſt, in recte & in perperam factis. Noſtro loco. Id eſt, equeſtri uel obſcuro genere natus. nondum enim Cicero ullum magiſtratum adeptus fuerat. Aſſequi.] Id eſt, æquare: & ut uulgo dicunt, attingere. Fortiſſime.] Id eſt, pertinaciſſime. id in malam partem dici attende. Submoueri.] Id eſt, remoueri: aut etiàm aut alia cauſa ſimulata remoueri. In altera re.] Id eſt, ſi ſatiſdediſſet. Secus.] Quam res eſſet: negat enim Quintius, bona ſua à Næuio ex prætoris edicto poſſeſſa. Id confiteretur, ſi ſatiſdaret. Grauiſſimum.] Id eſt, ueriſſimum, & momenti maximi. Veriſſimum eſt enim teſtimonium, aut iudicium, quod contra ſe aliquis dicit. Ad talem uirum.] C. Aquilium. Auferret. Id eſt, acciperet. Sumpſit.] Significat liberum fuiſſe ei qui ſponſionem feciſſet, quem uellet iudicem eligere. Ex ſponſo egit.] Arbitror legendum eſſe, Ex ſpõſo agit. Nam quod ſponſionem fecerit, quod Aquilium iudicem ſumpſerit, hæc ad preteritum pertinent: quod autem ex ſponſo agat, id præſentis eſt. Ex ſponſo.] Id eſt, ex ſponſione. Sponſum enim & ſponſio, ut præceptum & præceptio, reſponſum & reſponſio, promiſſum & promiſſio, in eadem re dicuntur. In hoc ſumma iudicij.] Auctore Quint. lib. 4. ſunt qui narrationem perduci uolunt eò, unde quæſtio oritur. ut pro A. Cæcina: His rebus ita geſtis, P. Dolabella prætor interdixit, ut eſt conſuetudo, de ui hominibus armatis, ſine ulla exceptione: tantum ut unde deieciſſet reſtitueret. reſtituiſſe ſe dixit. ſpõſio facta eſt. hac de ſponſione nobis iudicandum eſt. Id à petitore ſemper fieri poteſt, à defenſore non ſemper. Animaduertendũ præterea eſt, illud fieri ſolitum, ut facta narratione admonerẽtur iudices, quid cum aduerſario conueniat, & de quo controuerſia ſit, de quo iudicandum ſit: ut attentiores ſint iudices, cum cognoſcunt qua de re iudicandum ſit. Inaudita.] Id eſt, non audita. Aquilij iudicis beneuolentiã ſibi conciliat, ab immutato more maiorum: & Hortenſij, qui Cõtra caput dicere, id eſt, accuſare non didicit. In ſalute, etc.] Id eſt in defendendo. multos enim Hortenſius defendit, ut C. Verrem, L. Flaccum, P. Seſtium. Reſtiterat.] Id eſt, manſerat: à reſtando. Tempus quandiu diceremus.] Oratoribus enim, quandiu dicerent, præſtitui ſolebat: ut Ciceroni C. Rabirij defenſione ſemihora: in cauſa Milonis accuſatori duæ horæ, defenſori tres præſtitutæ ſunt. Impetraſſent.] Aduerſarij. Neque nobis.] Aquilium iudicem ſibi conciliat. Præter te.] Qui nobis tempus, quandiu diceremus, præſtitutere noluiſti, cum tuum ius, officium, poteſtatem docuiſti. Vbi.] Id eſt, apud quem. Illis.] Burrieno, & Cn. Dolabellæ. Illud.] Ius. Quod probari omnibus poſſet.] Id eſt, quod æquũ & iuſtum eſſet. id enim, quod etiam iniuſtũ eſſet, obtinere uoluerunt. Sine iniuria, &c.] Illud innatum hominibus improbis eſt, ut faciendo iniuriam, potentiam ſuam maiorem fore exiſtiment. Pleriſque nobilibus, quibus tenues opes ſunt. id ſæpe contingit: quemadmodum milites ſe formidabiles fieri non exiſtimant, niſi admodum iurent, & diuina omnia atq; humana execrentur. Eas in conſiliũ.] Ire in conſilium iudex aut quæſitor dicitur, cũ accuſatoris & patroni auditis orationibus, hic à iudicibus, ille ab aſſeſſoribus ſententiã petit. Ipſi quoque iudices in conſiliũ eũt. ut pro A. Cluentio: In conſilium erant ituri iudices triginta & duo. Itemq;: Conuitiũ C. Iunio iudici quæſtionis maximũ fecit, ut ne ſine Staleno in conſilium iretur. Vt eas in conſiliũ.] Id eſt, ut ab aſſeſſoribus tuis petas conſiliũ. Auctore Aſconio in Verris accuſationem, mittere iudices in conſilium, eſt eos dimittere ad ſententiã dicendam, ubi, allegatis omnibus argumẽtis orator dixerit, Dixi. Abſumam.] Id eſt, conſumã. Priore patrono.] Id eſt, cum patronus alij quoque in cauſis dicit, antequã dicat accuſator. Nunquã perorari potuiſſe.] Id eſt, cauſæ finem haberi poſſe. Nos rem iudicari nolle.] Significare uidetur, in actione de ſponſo oportuiſſe eodem die utranq; partẽ dicere, & iudicem pronunciare quemadmodum in cauſa Milonis, Cn. Pompeius legem tulit, ut uno eodemq; die & ab accuſatore & à reo peroraretur, ut ait Aſconius. Et auctore Plutarcho in uita Cæſaris, Cæſar ex Hiſpanijs decedens, quas prætor adminiſtrauerat, miſſa

qui ab Senatu impetrarent, ut abſenti ſibi conſulatum petere liceret. Eius poſtulatis M. Cato aduerſatus eſt, auxilio legis, quæ iubebat, ut qui conſulatũ peteret, is præſto in urbe eſſet. Vbi uero multos à Cæſare delinitos cognouit, rem tempore longo refellere cœpit, totumq; diem orando abſumpſit. itaque nullũ ea de re factũ eſt ſenatus decretum. Quàm antea demonſtrata ſit. ] à M. Iunio. Qui tũ dixit. ] Cum demonſtraretur. niſi malis legere, Qui antea dixit: ut eſt in alijs codicibus. Informata iá cauſa eſt. ] Id eſt, cauſæ forma iã impoſita eſt. Informare figulus dicitur, cum formam imponit: ut ait M. Varro, lib. de Ling. latina primo. uti ab auro inaurare, ita à forma informare dicitur. Informati fructus ij ſunt, quorũ iam forma apparet, poſt quã flores deciderunt. eos Quintil. lib. 6. deformatos appellat: Certos, inquit, ac deformatos fructus oſtẽderat. Deformare alia in re poſtea Cicero dicit. Informare ætatẽ artibus, pro eo quod eſt inſtituere, & quaſi formam dare, Cicero dixit pro Aschia poeta: Vt primũ ex pueris exceſſit Archias, atq; ab ijs artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet ſe ad ſcribendi ſtudiũ contulit. Inde animũ informatum, libro de Officijs primo, idem dixit: Vt nemini parere animus bene informatus à natura uelit, niſi præcipienti, aut docenti, aut utilitatis cauſa iuſte et legitime imperanti. Quod te ſæpe animaduerti facere. ] Diuiſione in agendis cauſis Hortenſius ſæpe uſus eſt. Cicero in Diuin. de hac Hortenſij diuiſione Q. Cæcilio: Quid, inquit, cũ accuſationis tuæ membra diuidere cœperit, et in digitis ſuis ſingulas partes cauſæ cõſtituere? de hac Quintil. lib. 4. Non immerito, inquit, multũ ex diligentia partiendi tulit laudis Q. Hortenſius. cuius tamẽ diuiſionẽ in digitos diductam, nonnũquam Cicero leuiter eludit. In eo ſpõſio facta eſt. ] Ex eo nõ in eo, legendũ mihi uidetur. Oſtendam primum. ] Diuiſio eſt, qua ſæpe Cicero uſus non eſt. eius, cum utitur, tres partes ſolet facere. ut pro Sex. Roſcio: Tres ſunt res, quantum exiſtimare poſſum, quæ obſtent hoc tempore Sex. Roſcio, &c. & pro L. Murena: Intelligo iudices, tres totius accuſationis partes fuiſſe, &c. & pro A. Cluentio: Oſtendam iudices primum, &c. ibi enim tres partes facit, quamuis duas tantum faciat in principio eiuſdem orationis. Cancellos. ] Id eſt, limites. Cancelli enim ligna ſunt, in tranſuerſum modicis interuallis, in formam retis annexa, ita diſpoſita, ut tranſitus intercludatur: qualibus hortos & uineas muniri uidemus. His forum iudiciale Romæ clauſum fuiſſe, Cicero ſignificat pro P. Seſtio: Tantus eſt, inquit, ex omnibus ſpectaculis uſque à Capitolio, tantus ex fori cancellis plauſus excitatus, ut nunquam maior conſenſio, aut apertior po. Ro. uniuerſi fuiſſe ulla in cauſa diceretur. Nominibus. ] Id eſt, debitis. Ratio. ] Id eſt, liber rationũ. Omnes literæ. ] Id eſt, omnia inſtrumẽta, omnes tabulæ: ut ſchedulæ, acceptationes, aliaq; generis eiuſdem. Tam diſſolutus. ] Id eſt, tã negligens. Appellaret. ] Vt diſſolueret. Rationem. ] Id eſt, rationum libros: ut paulo ante. Summo iure. ] Id eſt, apud iudicẽ. Id Sex. Næuius non faceret. ] Ironia eſt. Velit aliquam partem amittere. ] quam Hortenſio, uel prætoribus Burrieno & Dolabellæ dederit: Cum ipſe te confirmaſſes. ] Id eſt, cum propoſuiſſes, & animum tuum confirmaſſes: Virginali. ] Id eſt, ſumma, qualis in uirginibus eſſe ſolet. Ipſe te retinebas. ] Id eſt, te reprimebas, & propoſitum mutabas. Oratio. ] Qua Quintium appellare cõſtitueras. Anno uertente. ] Auctore Cenſorino de die Natali, ueteres in Græcia ciuitates cũ animaduerterent, dum ſol anno curſu orbem ſuum circuit, lunam nouã interdum ter decies exoriri, idq; ſæpe alternis fieri: arbitrati ſunt lunares XII menſes, & dimidiatũ, ad annum naturalem conuenire. Itaque annos ciuiles ſic ſtatuerunt, ut intercalãdo facerẽt alternos XII menſium, alternos XIII utrunque annũ ſeparatum, Vertentẽ: iunctos ambos, Magnum annum uocantes. Sine controuerſia. ] Id eſt, reuera. Singula autem affirmandi particulis cõfirmat, cum Profecto, Sine controuerſia, & Vero dicit. Cum tibi quotidie. Nam in agro communi cum Quintio ſimul habitabas. Biennio iam confecto. ] Poſt C. Quintij mortem. Appellas. ] Ad iudicium. In narratione dixit Næuium à Quintio appellatum. Aut hac pugna, aut poſtea Quintium Næuius appellauit. Ac profuſus nepos. ] Nepos, ut ait Sex. Põpeius, eſt uitæ luxurioſæ homo: quòd ei rei familiaris cura maior non ſit, quàm eius cuius pater & auus uiuunt. Cicero de Reſponſis aruſpicum: Quis unquam nepos tam libere eſt cum ſcortis, quàm hic cum ſororibus uolutatus? Et contra Rullum in Senatu: Videte nunc proximo capite, ut impurus helluo turbet rempublicam, ut à maioribus noſtris poſſeſſiones relictas diſperdat & diſſipet, ut ſit non minus in populi Romani patrimonio nepos, quàm in ſuo. Adeſa. ] Id eſt, comeſta & decocta. Tẽpus. ] Id eſt, ſpatiũ. Anno plus. ] Vulgo dicerent, plus quàm per annum. Anno plus, & plus annum dicitur. In prouincia. ] Quæ erat in Gallia. Ius dicebatur. ] A` prætore. Romæ. ] Quò poſtea uenerunt Næuius & Quintius. Reſtat, ut aut ſumma negligentia. ] Argumentum eſt ex remotione, ad hunc modũ: P. Quintium ante biennium non appellaſti: aut id factũ eſt per negligentiam tuã, aut per liberalitatem, aut quia nihil tibi debebat. ſed nec tua fuit negligẽtia, nec liberalitas: ex quo efficitur, ut nihil tibi debuerit. Mirabimur. ] Cum ferueas, ferareq; auaritia. Teſtimonio eſſe. ] Id eſt, teſtari & docere. Iam biennium uerſamur. ] Significat hãc orationem habitam anno quarto poſt C. Quintij mortem. nam biennio poſt P. Quintius appellatus eſt, & in cauſa iam biennio uerſati ſunt. Tot & tales uiros. ] C. Aquilium, & aſſeſſores eius. Nunc denique. ] Id eſt, nunc primum, multo ante petere debuit. Eſt autem locus hic affinis dialogo. Inquit. ] Næuius. Tot annos. ] Id eſt, quatuor annos. Pugnas. ] Id eſt, iudicio petis. Locum ſuum. ] Id eſt, ſtatum aut dignitatem. Tum denique. ] Id eſt, tunc primũ. Ad tuũ. ] Id eſt, ad pecuniam tibi debitam. Honeſtiore iudicio. ] An hoc pertinet, ut honeſtiore iudicio conflictere? Id autem turpiſſimum tibi eſt. Vt facilius iudiciũ ſit. An hoc pertinet, ut iudicium ſit facilius? quod erit difficilius: quia C. Aquilius de capite alterius libenter non iudicat, et Q. Hortẽſius accuſare ſolitus nõ eſt. Si ueretur ut res, &c. ] Id eſt, ſi metuit ne lata ſententia pecunia parata ſit. Quod peto. ] Si quid peto, mea quidẽ ſententia non male ſcriberetur: ad hanc ſententiam, ut Næuius etiã ſatiſdet, iudicatũ ſolui, ſi quid ab eo Quintius petat. Liberatus moleſtia. ] Nã de capite alterius libenter non iudicas: & iudiciũ de re pecuniaria erit. Conditione. ] Quam tibi offero: ut ſi uelis Quintiũ ſatiſdare, Næuius quoque ſatiſdet. Depoſitis armis. ] Id eſt, depoſita contentione de capite. Tam æqua. ] Ironia eſt. Vt ad ſuũ quiſque, &c. ] Id eſt, ut Næuius ad ſuum perueniat, ſi quid ei à Quintio debetur, ſine Quintij dedecore. Omnia iudicia. ] Prætorũ Burrieni & Dolabellæ, & iudicis Aquilij. Quàm unũ illud. ] De re pecuniaria. Tempus omne conſumpſit. ] Differendis enim uadimonijs aliquantum temporis conſumptum eſt nec quidquam profectum. Vadimonium miſſum fecerit. ] Negauit enim ſe uadari amplius, aut uadimonium promittere. Per inſidias. ] Næuius enim per inſidias uadimonium ſtitit, bonorum Quintij poſſeſſionem petiuit, per ſeruos communes miſſis literis de agro communi deiecit: ut eſt in narratione expoſitum amplius. De re. ] Pecuniaria. Nullo recuſante. ] Ne Quintio quidem. Sponſionem de probro. ] Ea quàm eſſet probroſa, ſi Quintius uinceretur, paulo poſt dicet. Ad iudicium. ] De re pecuniaria. Conditionem commodiſſimam. ] A` Cicerone oblatam. Is non hoc palàm dicit. ]

cit. ] Non uerbis quidem, ſed factis. Illud autem ſæpe facit Cicero, ut fingat aduerſarium dicere ea, quæ uerisſimile eſt eũ dixiſſe, quæ cauſæ ſuæ utilia ſint. Non hoc. ] Quod ſequitur. Abſtuliſſem. ] Id eſt, accepiſſem. Tam copioſa aduocatione. ] Id eſt, oratore tam copioſo & eloquenti, quàm Q. Hortenſius eſt: aut tam multis quàm Næuio adeſſent aduocatis. Ingratiis. ] Id eſt, inuito: ſed ingratiis magis eſt, quàm inuito. Exprimendum. ] Id eſt, extorquendum.

Deturbandus. ] Id eſt, præcipitandus, & ut deijciendus.

Veritati. ] Id eſt, æquitati & iuſtitiæ. Vel aduocatorũ, & in primis Hortenſij eloquentia faciendum eſt, ut quod uerũ eſt, falſum appareat. Intendantur. ] Id eſt, cum minis proponantur. ut pro Sex. Roſcio: A uobis iudices peto, ut audaciam ſceleri reſiſtatis, innocentium calamitatem leuetis, & in cauſa Sex. Roſcij periculum quod in omnes intenditur, propulſetis. Intentare frequentatiuum eius, pro minari dicitur. ut pro eodem: Aiunt illum Sex. Roſcio intentaſſe, & meditatũ eſſe. Virg. lib. Aeneid. 1. Præſentemq́; uiris intentant omnia mortẽ. Intenta tela Cicero dicit, de prouincijs cõſularibus: Cum omnia tela undique eſſe intenta in patriam uiderem. Formidines opponantur. ] Id eſt, metus proponantur, magnus ei metus inferatur. Qui contra pugnent uideo. ] Vt Næuium, Hortenſium: potentes, diſertos, nobiles aduocatos. Illum confeſſum. ] Eorum qui à Næuio aduocati ſunt. Leuiora. ] Id eſt, minoris momenti, & minus efficacia. Vt tu ipſe Næui prædicas. ] Id eſt, palàm dicis: ut ante Cicero oſtendit. Quid ſi debuiſſet. ] Id concedit aduerſario, ut ad ſequentia tranſeat. Ex officij. ] Patroni. Ad uadimonium non uenerat. ] Oſtendit inique atque impie factum à Næuio, ut à prætore peteret poſſeſſionem bonorũ Quintij, etiamſi uadimonium deſeruiſſet. Id autem eſt, quod uult docere antequã oſtendat uadimonium deſertum non eſſe. Verum. ] Id eſt, iuſtum. Inimiciſſima. ] Quibus homines inimiciſſimi uti ſolent. Decurrebat. ] Ex celeritate improbam cupiditatem oſtendit. Pecuniam ſi cuipiam. ] Ex comparatione calamitatem Quintij amplificat. Fortuna. ] Vt incendium, eluuio, tempeſtas. Alicuius. ] Vt tyranni, uel latronis. Non nemo. ] Id eſt aliquis. Non enim omnis, qui turpi iudicio conuictus eſt, bonorum ſuorum poſſeſſionem retinet. Iudicio turpi. ] Id eſt, iudicio publico, ubi de honore & exiſtimatione rei agatur. Famoſum iudicium Vlpianus appellat, libro Digeſt. 3. de poſtulando: Si quis, inquit, famoſo iudicio condemnatus, per in integrum reſtitutionem fuerit abſolutus, Pomponius putat hunc infamia eximi. Alterius opes nõ expectat. ] Notatus enim infamia eſt, auctore Vlpiano libro Digeſt. 3. de ijs qui notantur infamia: Qui furti, alijsq́; famoſis actionibus cõdemnatus fuerit, inter famoſos habetur, niſi prouocauerit. pendente enim iudicio, nondum inter famoſos habetur. Hoc adiumento. ] Quòd bonis ſuis utatur. Ampliſſimæ fortunæ. ] Id eſt, bona quæ ſunt ad ſplendorem domus & uitæ, non ad neceſſitatem. Subiectus eſt. ] Nam præcones in lapides aſcendebant, ad quos in foro uenalia bona ſubijciebãtur. Bona ſubiacere uoci præconis, Cicero dicit libro de Offi. 2. Sic, inquit, par eſt agere cum ciuibus, nõ ut bis iam uidimus haſtam in foro ponere, & bona ciuium uoci ſubiacere præconis. Niſi contra fidem exemplariũ Subijcere mauis legere. Subijcere, pro eo quod eſt offerre digniori, Cicero dixit pro Archia: Cum ei libellum malus poeta de populo ſubieciſſet. Mandatur. ] Id eſt, mittitur: ut libro Aeneid. 3. Furtim mandarat alendum.

Mors honeſta. ] Mortis enim honeſtas, uitæ turpitudinem obſcurat: uita autem turpis honeſtam mortem facere nõ poteſt.

Libelli. ] Proſcriptionis bonorum. Celeberrimis. ] Id eſt, maxime frequentatis à populo. In his locis libelli proponi ſolent. Cui magiſtri fiunt et domini. ] Qui auctioni præſunt. Qua conditione. ] Id eſt, quemobrem. Prædicat. ] Id eſt, palàm dicit, & ut uulgo dicunt, proclamat.

Viuo uidentiq́;. ] Vt Terentius in Eunucho: Viuus, uidensq́; pereo. auctore Donato, bene addidit uidensq́;: nam ut unus perit, qui etiam dormiens opprimitur. Videre autem, aliquãdo uigilare eſt. Funus ducitur. ] Deducere funus dicit, pro eo quod eſt, facere funus. ut Vergil. lib. Aeneid. 4. dixit, Ducere ſomnos, pro eo quod eſt dormire, & tanquam ſomnũ facere: Nate dea, potes hoc ſub caſu ducere ſomnos? Huic autem bonorum proſcriptioni, non ita diſſimilis eſt bonorum auctio, cũ creditoribus debitores aut nolunt, aut non poſſunt ſatisfacere. tum enim debitorum bona ex iudicis ſententia publice diuendũtur, ut creditoribus ſatisfiat. Raro id accidere. ] Vt alterius bona proſcriberentur. Conſiderate. ] Id eſt, prudenter, & bene explorata ratione. Comparauerunt. ] Id eſt, conſtituerunt. Fraudantur. ] A debitoribus. Experiundi. ] Id eſt, ut experiantur an ius ſibi competat, nec ne. Id autem fit, cum reus obit uadimonium, & reſpondet Paulus Iuriſcon. lib. Digeſt. 2. de in ius uocando: In ius, inquit, uocare eſt, iuris experiundi cauſa uocare. Cum reus obit uadimonium & reſpondet, tum petitor experitur, an apud iudicem cõpetentem agat, an alieno tempore non agat, an reus creditam pecuniam non neget. Poteſtas non eſt. ] Niſi enim ad uadimonium reus ueniat, petitori non eſt poteſtas, ut ius experiatur.

Iſtuc. ] Id eſt, ut alterius bona proſcribant. Multis uadimonijs deſertis. ] Viri boni poſſeſſionem bonorum non petunt, niſi ſæpius deſertum ſit uadimonium. Quemadmodũ hac ætate uidere licet, reum (ut rudius dicam, ſed clarius) in cauſis ijs, quæ apud Officialem pontificium aguntur, non prius excommunicari, quàm ter uadimonium deſeruerit. eamq́; excommunicationem inſtar mortis putant; quæ ignominioſa maxime, hominem alterius ope & auxilio priuat. quæ & quanta ſit, uiri boni conſiderant: nec facile petunt, ut etiam alieniſſimus homo et inimiciſſimus hac ignominia afficiatur. Illuſi ac deſtituti. ] Quia non rei obiuerunt uadimonium, quod ſæpe promiſerunt. Ne iure quidem. ] Cum ius habeat, ſi deſertum uadimonium eſt. Cum poſſet perdere, peperciſſe. ] Contentio eſt. Alieniſſimos. ] Id eſt, nullo modo nobis propinquos. Denique inimiciſſimos. ] Quid ſi atque non Denique, legas. Hæc ſi in homines alieniſſimos, atque inimiciſſimos uiri boni faciunt: Sex. Næuius ſi uir bonus eſſet, eadem in propinquum, ſocium, & amicum feciſſet. Scientes. ] Id eſt, conſulto. Nihil ipſis iure. ] Illud iuſtum eſt, ut nihil incommodi accipiat, qui nihil incommodi attulerit. qua enim menſura menſi fueritis, eadem (ſecundum teſtimoniũ diuinum) remetietur uobis. Sua ſponte. ] Id eſt, per ſe. Neceſſitudinis. ] Id eſt, propinquitatis. Vt ibi præſto nõ eſſet. ] Cum uadimoniũ deſeruit. Male agendi cauſa fraudandiq́;. ] Reus enim cum uadimonium ſæpe deſerit, id agere uidetur, ut fraudet creditorem, ne ſit poteſtas iuris experiendi. Si de prædijs tuis ageretur. ] Budæus lib. de Aſſe 5. cenſet legendum, Si dupondius tuus ageretur: exiſtimatq́;, dupondium hoc in loco poni pro pecuniola. Iulius quoque Rufinianus in lib. de Figuris legit, Si dupondius tuus. Anacœnoſin enim, id eſt, communicationem ait eſſe, cum aduerſarios conſulimus, aut cum iudicibus deliberamus. ut pro P. Quintio: Si dupondius tuus ageretur, Sex. Næui, &c. Itemq́;: Ego nunc pro te hoc conſulo poſt tempus, &c. Dupõdius, ut ait M. Varro lib. de Lingua Latina 1. à duobus ponderibus dicitur, quod unum pondus aſſipondiũ dicebatur. Dupondius ualebat octo denariolos noſtros, paulo amplius. As enim, ut ibidem Budæus colligit, ualet paulo plus quatuor denarios turonicos. Ab eo quod eſt pondo, dupõdo ab omnibus dictum eſſe uſque ad ſuam ætatẽ, idq́; recte dici à Meſſala confirmatum, Quintilianus lib. 1. ſcripſit. Si dupondius tuus

*ageretur, rectius & uſitatius diceretur, quàm ſi de prædijs tuis ageretur. ut paulo poſt : Cum ius amicitiæ, ſocietatis, affinitatis ageretur.* Captionis. ] *Id eſt, fraudis & deceptionis: in ea enim re captio dicitur. inde eſt captioſus. Cicero lib. Academic. 4. Vt maneamus in perſpicuis firmius & conſtantius, maiore quadam opus eſt uel arte uel diligentia : ne ab ijs, quæ clara ſint ipſa per ſeſe, quaſi præſtigijs quibuſdam & captionibus depellamus. itemq; : Fallacibus & captioſis interrogationibus circumſcripti atque decepti, quia eum eas diſſoluere non poſſunt, deſciſcunt à ueritate.* Ad eorum aliquem qui conſuluntur. ] *Id eſt, ad aliquem iuriſconſultũ.* Ad te retuliſti. ] *Id eſt, in deliberationem tuam poſuiſti, ut ad Senatũ referre dicimus.* Horæ duæ fuerunt. ] *Mimeſis eſt.* Reſpiraſſet. ] *Id eſt, tam celeris, tam præceps non fuiſſet: aliquantum ut reſpirare poſſet, quieuiſſet.* Tu te collegiſſes. ] *Id eſt, animi tui partes diſſipatas in unum collegiſſes, ut quid agendum eſſet cõſideratius uideres.* Apud tales uiros. ] *Quales ſunt, Aquilius & aſſeſſores.* Hominis propinqui fortunas euertere. ] *Sæpius à Cicerone dici inuenias, hominẽ fortunis euertere, quam hominis fortunas euertere. ut actione in Verrem tertia: Ne per ſummam iniuriã pupillum Iuniũ fortunis patris conetur euertere. item quarta : An huiuſmodi iudicium det, quo iudicio indicta cauſa fortunis omnibus euerti neceſſe ſit. De hoc dicendi genere alio loco plura diximus.* Conſilium cœpiſſe euertere. ] *Euertere, pro euertẽdi, more Græco dixit.* In aliena re. ] *Non in re P. Quintij, ſed in aliena : per fictionem, quæ ſequitur.* Quæſo abs te C. Aquili. ] *Cum iudicibus deliberat. Lucullum, Quintilium, Marcellum, Aquilij aſſeſſores fuiſſe ſignificat.* Domum potius denunciem. ] *Id eſt, mittam domum eius, qui nuncient uxori & liberis. compoſitum pro ſimplici dixit. Et uerbum Nunciare, latentem quendam in ſe motum habere, alio loco exemplis docuimus.* Expectare. ] *Id eſt, reſponſuri ut expectem.* Latitare. ] *Ne mihi uadimonium obeat.* Amicos. ] *Rei.* Rationem extremam. ] *Id eſt, bonorum proſcriptionem.* Extremam neceſſariam. ] *Rarum eſt, ut duo adiectiua uni ſubſtantiuo ſine coniunctione attribuantur. quocirca fortaſſe legendum ſit, Extremam atq; neceſſariam.* Qui in uita ſua, &c. ] *Id eſt, qui in eo ſummum officium, & mores uirorum bonorũ eſſe debere putemus.*

In uita ſua. ] *Reciprocatio hæc bona admodum non eſſe uidetur. In uita eius, melius dictum putarem. Reciprocatione ſimili uſus eſt Cn. Næuius poeta, cuius ij uerſus ſunt apud Aulum Gellium, capite 8 libri 6. Etiam qui res magnas manu ſæpe geſſit glorioſe, cuius facta uiua nunc uigent, qui apud gentes ſolus præſtat, eum ſuus pater cum pallio uno ab amica abduxit.* Quid mihi, inquit. ] *Ethopœiam, id eſt, moralem, fictionem, Aquila Romanus in libro de figuris eſſe dicit: cum uidelicet certæ cuidam perſonæ accommoda uerba ad improbitatem eius aut dignitatem demonſtrandam affingimus.* Quid mihi, inquit, cum iſta ſumma ſanctimonia & diligentia. ] *Id eſt, nihil duco iſtam ſummi officij rationem, & bonorum uirorũ mores, nec ea ut habeam laboro.* Viri boni. ] *Qualis ego non ſum.* Quibus rebus. ] *Id eſt, quàm turpi & ſordido quæſtu.* Et quemadmodum, &c. ] *Ita legit Aquila: Et quemadmodum natus, & quo pacto educatus ſim, memini.* Quemadmodum natus. ] *Id eſt, quàm ignobilibus parentibus. Similes parentibus ac maioribus ſuis filij plerunque creduntur. Et nonnunquam ad honeſte turpiter'ue uiuendum inde cauſa ſiunt, ut ait Quintilianus lib. 5.* Et quo pacto. *Id eſt, quàm turpiter. Eodem libro 1. auctore: Natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudis annis percepimus. & hoc ipſa magis pertinaciter hærent, quo deteriora ſunt. nam bona facile mutantur in peius: nunc quando in bonum uerteris uitia?* Vetus eſt de ſcurra, &c. ] *Hoc quoque Næuium dicere fingit.* Diuitem. ] *Qui quouis modo, iure & iniuria, honeſte & turpiter diuitias accumulat. Itaque paupertatem cum uiris bonis habitare, ueteres dixerunt : ut eſt in Problematis Ariſtotelis. Viri enim boni, quia diuitias honeſte ſolum parare uolunt, pauperes manent.* Quàm patremfamilias. ] *Paterfamilias nomen officij & dignitatis eſt.* Inſtituto. ] *Id eſt, more.* Multa oportet diſcat. ] *Vt honeſta, quæ adoleſcens non didicit: & dediſcat, quæ adoleſcens turpia didicit.* Illi ætati. ]

Quàm Sextus Næuius agit. *Aetas enim grandis apta non eſt, ut noua diſcamus, & uetera dediſcamus. Itaque uitia quæ nobiſcum creuerunt, difficulter reſcindi, Seneca dicebat.*

Quid ſi nunquam deſeruit. ] *Tractat quod ante promiſit : poſtquam ſcilicet ex officij ratione, atque ex omnium conſuetudine, rem ipſam & Næuij factum conſiderauit.* Iſta cauſa. ] *Cum dicis uadimoniũ à Quintio deſertum.* Malitiam. ] *Verſutiam.* Quo te nomine appellem? *Addubitatio eſt. quo enim nomine ſatis idoneo Næuij improbitatẽ appellaret, dubitabat.* Res autem noua & inaudita. ] *Itaque nomine nouo & inaudito appellanda eſt.* Vadimonium factum. ] *Id eſt, à Quintio promiſſum.* Diſcedens. ] *Quintius à te.* Ad ephemeridem reuertitur. ] *Cum non per annos, ſed per dies ſingulos res geſtæ ſcribuntur, ea hiſtoria Græco uocabulo ἐφημερὶς dicitur. Id Sempronius Aſellio diarium latine appellauit : auctor eſt Aulus Gellius cap. 18. libri 5. Solent patresfamilias diligenter ſingulorum dierum accepta et expenſa ſcribere. Itaque Corn. Nepos ſcire ſe ſcribit in uita Pomponij Attici, ipſum Atticum non amplius quàm tria millia æris peræque in ſingulos menſes ex ephemeride expenſum ſumptui ferre ſolitum. Magnarum familiarum & nobilium œconomi, huius modi ephemerides ſcribunt. ij enim quid in ſingulos dies expenſum ſit, quidq; acceperint, ſcribunt : ut reddere poſſint rationem. Hæc, ut ita dicam, regiſtra, ſuos computos uulgo appellant. Ad ephemeridem reuertitur Quintius, id eſt ad ſuum regiſtrum recurrit, ut ibi legat, quo die Roma diſceſſerit.* Pridie Cal. Febr. ] *Aut locus emendatus non eſt, aut Cicero ſibi non conſtat. nam in narratione eſt, Quintium Roma egreſſum ante diem quartum Cal. Febr.* Nonis Februarij. ] *Sed iam Roma diſceſſerat. Itaque nullum tibi promiſit uadimonium.* Hoc. ] *Id eſt, Quintium tibi uadimonium non promiſiſſe, quod Nonis Febr. Romæ non fuerit.* Cum primis honeſtus. ] *Teſtimonio L. Albij credendum ſignificat. Homines enim propter notam & infamiam uitæ, ad teſtimonij fidem admittendi non ſunt, ut qui iudicio damnati ſunt, qui in uinculis cuſtodia'ue publica ſunt, qui cum beſtijs ut depugnarent ſe locauerunt, qui palàm quæſtum faciunt aut fecerunt: qui ob teſtimonium dicendum, aut non dicendum, pecuniam accepiſſe iudicati ſunt, uel conuicti: ut ait Calliſtratus iuriſcon. lib. ff. 20. de teſtibus.* Dicet teſtimonium. ] *Dicere & dare teſtimonium, non ferre, alio loco docuimus.* Proſecuti ſunt. ] *Id eſt, ad certum aliquod uiæ ſpatium comitati : quod à uia, uulgo dicunt conuiare.* Familiares. ] *Albij & Quintij.* Literæ. ] *Aut quas miſit, aut certe ipſa ephemeris.* Scire. ] *Diem profectionis.* A ſtipulatore tuo. ] *Id eſt, à tuo teſtium interrogatore. teſtes enim facta utriuſq; peroratione, aut in oratione ipſa interrogabantur, niſi aliter lata lege conſtitutum erat.* Et in hac. ] *Et interrogatiuum eſt: ut, Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa uidendi?* Laborabit. ] *Id eſt, in periculo erit.* Vixit enim ſemper inculte. ] *P. Quintij uitam & mores ſimplices eſſe oſtendit, ut nulla in eo malitia, nulla fraudatio credatur.* Recondita. ] *Id eſt, tacita, obſcura, & penè ruſtica.* Non ad ſolarium. ] *Solarium in ſignificatione multa dicitur. auctore enim Varrone, libro de Lingua latina 2. ſolarium dicunt, id in quo horæ in ſole inſpiciebantur, idq; à ſole appellatum eſt. Vlpianus lib. ff. 43.*

Ne quid

Ne quid in loco publico, uel itinere fiat, ſolarium eſſe dicitur uectigal, quod pro ſolo pendatur: idq́; à ſolo dictum. Solarium quoque eſt planum tectum, in modum ſpectaculi factum, unde ludi ſpectantur. Menius cum domum ſuam uenderet Catoni et Flacco cenſoribus, ut ibi baſilica ædificaretur, exceperat ſibi ius unius columnæ, ſuper quam tectum proijceret, ex prouolitibus tabulis, unde & poſteri ius ſpectare munus gladiatorium poſſent, quod etiam tum in foro dabatur: auctor eſt Aſconius in Ciceronis diuinationem. Hoc tectum Menianum dici ſolarium, de eoq́; locū hunc intelligi, auctor eſt Cælius Rhodiginus cap. 10. libri 15. Sed cum ſignificet Cicero P. Quintium neque in ſpectaculis, neq; in campo, neq; in conuiuijs uerſatum: ut ſimplicem eius uitam magis probet, ſolarium pro omni ſpectaculo dictum uidetur: id quoque à ſolo appellatum. Solum enim eſt, quod aliud ſuſtinet: ut hominum terra, nautum mare, auium aer ſolum: ita ſpectatorum ſolum, ſpectaculum ipſum dicitur. Qualis uita Quintij fuerit, poſtea dicet in concluſione. Non in campo. ] Martio, uel ferendo ſuffragia, uel ludos & uenationes ſpectando. Campus enim Martius ſuppeditat & ſtudia uenandi, & honeſta exempla ludendi, ut ait Cicero libro de Offic. 1. Obſeruantia. ] Id eſt, ueneratione & honoris exhibitione. de qua eſt apud Vallam libro 4. Rem parſimonia retineret. ] Res enim familiaris quæri ſolet, & augeri parſimonia & diligentia, ut ait Cicero libro de Offic. 2. Antiquam rationem. ] Id eſt, antiquum morem. Rationis. ] Id eſt, uitæ & honeſtatis. ueteres enim parſimoniæ ſtudioſi erant. Cuius. ] Rationis antiquæ. His moribus. ] Id eſt, præſentibus. Obſoleuit. ] Id eſt, inueteratus eſt & deletus. At ſi in cauſa pari. ] Permiſſio eſt. In cauſa pari. ] Quæ ei par cum Næuio eſſet. Diſcedere. ] A' iudicio. Vſq; eo. ] Inferiorem ſe eſſe patitur. Sexti Næuij cupiditati, & cætera. ] Id eſt, ſecundum cupiditatem & crudelitatem Sex. Næuij condemnetur. De hoc genere dicendi alio loco diximus. Docui quod primum pollicitus ſum. ] Tranſitio eſt. Commiſſum nihil eſſet. ] Nam Quintius Næuio uadimonium non promiſit. Ad iſtam rationem. ] Id eſt, ad bonorum Quintij poſtulandam poſſeſſionem. Tracta. ] Id eſt, prome uel recita. Id autem præconi aut recitatori dicit.

Qui fraudationis cauſa. ] Edicti uerba ſunt. Debitores ſæpe nolunt obire uadimonium, ut lateãt, & creditores fraudent, ne ſcilicet creditã rem fateri cogantur. Niſi latitarit. ] Ironia eſt. Relicto procuratore. ] Sex. Alpheno. Eſt autem procurator, ut ait Vlpianus libro 3. Digeſt. de procuratoribus, qui aliena negotia mandato domini adminiſtrat. Solum uerterit. ] Hoc loco deſunt, quibus Cicero Quintium fraudandi cauſa non latitaſſe, neque exilij cauſa ſolum uertiſſe demonſtrauit. Hoc autem edictum integrum non eſt. Diuinare. ] Quia uadimonium Quintius non promiſerat. Qui locus. ] Id eſt, quod tempus. Hominem. ] Id eſt, ſeruulum. Credo aliquem electum hominem. ] Vt qui poſtulat, eum oportet carere infamia: ita procuratorem, hominem honeſtum eſſe debere ſignificat. Electum. ] Id eſt, uilem & abiectum: & tanquam ex ciuitate, aut ex bonorum uirorum cœtu electum. Litigioſum. ] Id eſt, litium cupidum, qui etiam ſerat lites, ubi nihil ſit litium. In malam enim partem hic dicitur, ut pro A. Cæcina: Mulierum aſſentatoris, cognitoris uiduarū, defenſoris nimiū litigioſi. Pro litigioſo, calumniatorem dicit in concluſione. Scurræ diuitis. ] Quod grauius eſt, quàm ſi diuitis non improbi conuictū ſuſtineret. Suſtinere. ] Id eſt, pati æquo animo & tolerare. Eques Ro. ] Non electus. Locuples. ] Non egens. Sui negotij bene gerens. ] Non litigioſus. Iudicium acciperet. ] Id eſt, in iudicium uocaretur, & cauſam Quintij nomine ſuſciperet. Concredere. ] Id eſt, committere. compoſitum pro ſimplici. Concredere melius quàm Concedere, quomodo in nonnullis codicibus ſcriptum eſt. Vt ſatiſdaret. ] Quintius, iudicatum ſolui. Ita uidebare. ] Poſtulare iniuria. Niſi legere maius, ita uidebatur: ut id Næuius reſpondeat, ad hãc ſententiam: Næuio uidebatur, me iniuria poſtulare. Ita. ] Affirmantis eſt. Verum prætor decernebat. ] Sed prætor Burrienus decreuit, ut procurator Quintij iudicatum ſolui ſatiſdaret. Appellabantur. ] Ab Alpheno. Non eſt iſtud pati. ] Melius legatur, Non eſt iſtud iudicium pati. ut ſit iudiciū pati, idem quod accipere iudicium. Itaque Ciceronem captum eſſe dicit, & contra ſe dicere: quòd fateatur tribunos pl. ab Alpheno appellatos. ea enim ratione Alphenus iudicium non accipit, iudicio Quintium non defendit. appellatos enim tribun pl. moræ, non auxilij cauſa Næuius putabat. Hoc. ] Quod modo dixiſti. In ea uerba, quæ Næuius edebat. ] Vt antea dixit, Vadari uis? promittit. In ius uocas? ſequitur, &c. Edebat. ] Id eſt, dicebat; ut paulo poſt: Se iudico id quod edat accipere. Per eum magiſtratum. ] Id eſt, per tribunos pl. à quibus ita diſceſſum eſt, ut idibus Septemb. P. Quintium ſiſti Alphenus promitteret. Qui auxilij cauſa conſtitutus eſt. ] Cum plebs Romana propter nexos ob æs alienum in montem Sacrum ſeceſſiſſet, de concordia actum eſt, & plebi conceſſum, ut tribunos haberet, quibus auxilij latio aduerſus conſules eſſet: ut ait T. Liuius lib. 2. Aut hæc facta non eſſe. ] Id eſt, Alphenum libellos non deieciſſe, uadimonium non promiſiſſe, accipere iudicium recuſaſſe. Iuratus. ] Id eſt, iudex. Cuius procurator. ] Ordo eſt: Conſtituat Aquilius eum non defendi, &c. cuius procurator non omnia acceperit, &c.

Non omnia iudicia acceperit. ] Prætor enim Burrienus edixerat, ut Alphenus Quintij procurator ſatiſdaret iudicatum ſolui: in quæ uerba Næuius poſtulabat. Id iudicium, quia Alphenus accipere noluit, tribunos pl. appellauit. Ad tribunos appellare. ] Prouocare ad tribunos, & appellare tribunos, uſitatius dici inuenias. Ignaro fortunarū ſuarum. ] Id enim quod Romæ Næuius feciſſet, Quintius ignorabat. Omnia uitæ ornamenta. ] Id eſt, omnia bona. Si probari nemini poteſt. ] Id eſt, ſi fieri non poteſt, ut quiſquam approbet.

Ex edicto bona poſſeſſa non ſunt. ] Nam ſi Quintius Romæ procuratorem reliquit, ab eoq́; defenſus ſit, in Galliam non uenit ea cauſa ut Næuium fraudaret. quod ſi fraudationis cauſa non fecit, eius bona ex edicto poſſeſſa non ſunt. Ne audierunt quidem. ] Alpheni cauſam. Si ita eſt. ] Si tribuni pl. non audierunt. PRAE. VRB. ] Id eſt, prætoris urbani (is enim relinquebatur in urbe, ad ius dicendum inter ciues) qui edixerat, ut Alphenus ſatiſdaret iudicatum ſolui.

Quid ſi M. Brutus, &c. ] Id ſi ita eſt, tribuni pl. Alpheni cauſam audiuerunt. Interceſſurum ſe. ] Id eſt, ſe, ut uulgo dicunt, oppoſiturum. Vnius autem tribuni pl. interceſſio reliquorum decreta tollit. Conueniret. ] Inter eos enim nihil conueniebat. Petebat enim Næuius, ut Alphenus ſatiſdaret: id æquum eſſe Alphenus negabat. Inter eos igitur tandem conuenit, ut Alphenus Quintium idibus Septemb. ſiſteret ad iudicium: idq́; ita trib. pl. decreuerunt. Interceſſiſſe. ] Id eſt, interueniſſe. Non moræ, ſed auxilij cauſa. ] Næuius enim dicebat, hanc tribunorū appellationem ab Alpheno factam eſſe cauſa moræ, non auxilij: ut fraudationis anſam inde Quintius acciperet. Aliena ab ipſius officio. ] Vt liber metu, & liber à metu: ita alienus officio, & alienus ab officio dicitur. ut Oratione in Rullum: Hanc uero emendi & uendendi quæſtuoſiſſimam ac turpiſſimam mercaturam alienam actione tribunitia, alienam dignitate populi R. ſemper putaui. Ipſius. ] Alpheni procuratoris. Huius Quintij. Teſtatur. ] Id uulgo dicerent, proteſtatur. Iſto. ] Næuio. Pro communi neceſſitudine. ] Quæ intercedit inter Næuiū & Quin-

eius familiares, ſocios, propinquos. Se iudicio accipere.] Id eſt, ſe in iudicio defenſurum. quod dicat & petat Næuius.

Viri boni.] Quos Alphenus aduocauit. Tacet res.] Id eſt, tacita manet. annum enim & ſex menſes Næuius nihil petit, quieſcit, códitionibus Quintium quoad poteſt producit: ut ante dixit in narratione. Vſque dum.] Id eſt, quouſque.

Qua ratione.] Id eſt, quo modo. Ab uſitata conſuetudine.] Quæ à prætoribus ſeruari ſolet. Iniquum autem & nouum Cn. Dolabella decreuit, ut Quintius ſatiſdaret ſolui iudicatum: aut ſponſionem faceret, ni bona eius à Næuio ex prætoris Burieni edicto poſſeſſa non eſſent. Singulare.] Id eſt, ſolum & unicum. Concluderetur.] Id eſt, contineretur & finiretur. Iniecit.] Id eſt, dixit & obiecit. Parem certationem.] Id eſt, par certamen apud tribunos pl. ad quos Alphenus prouocauit, quod M. Brutus Alpheno fauere uiſus ſit. Illis dominantibus.] Id eſt, talibus tribunis pl.

Non neminem.] Id eſt, aliquem. Gratioſum.] Id eſt, qui gratia apud M. Brutum trib. pleb. ualuerit. Experiri.] Id eſt, litigare & ius experiri. de hoc uerbo ante diximus. Qualis is.] Procurator, ſiue gratioſus, ſiue non. Magiſtratum.] Id eſt, aliquem, qui competeret. Illarum partium:] Tribunorum plebis. Apud te.] Domi tuæ. A`puero.] A`tempore, quo puer erat Alphenus. Hæreret.] Id eſt, coniunctus, notus, & familiaris eſſet. Videtur autem Cicero parum probare tribunos pl. præter Brutum. Is intercedebat.] Brutus. Quia eius familiaris Alphenus erat, palàm ſe dixit interceſſurum, niſi quid inter Alphenum & Næuium conueniret. Iniuriam.] Id eſt, rem iniuſtam; ut Quintij bona Næuius poſſideret. Omnium denique illorum.] Aut Næuij aduocatorum, aut tribunorum pl. præter Brutum. Iſtos uincere.] Id eſt, ut iſti uincerent Alphenum: uel, ut uinceres iſtos. eſt enim amphibologia. Studium.] Id eſt, fauorem. Impetrabat.] Impetrare autem magis eſt, quàm poſtulare. Studium ueſtrum.] Id eſt, tuum & Alpheni. Vetuſtate.] Id eſt, ueteratoria calliditate. Artificio.] Id eſt, fraude & malitia. Cum ijs & propter eos.] Cum quibus, & propter quos, Alphenus perierit, mihi cognitum non eſt. licet tamen conijcere, eum in immani illa Syllæ proſcriptione periſſe, quod paulo poſt Cicero dicat, Alpheni bona à L. Sylla Dictatore uendita eſſe. Aliquem.] M. Brutum. Conſiſteret.] Id eſt, firmior & tutior eſſet.

Neque magiſtratus.] Neque Burrienus, neque Dolabella. Vſitatum.] Nouum enim à Dolabella redditum eſt, cum tulit, ut Quintius uel ſatiſdaret, uel ſponſionem faceret. Ne fando quidem audita.] Id eſt, noua. De re pecuniaria.] Contentio Quintij & Næuij eſt, ſimilis dialogo. Vbi.] Poſtquam, aut quia. Reſtituendæ horæ ad arbitrium noſtrum.] Id eſt, præſtituendum tibi tempus, quàm diu dicas. Iudex ipſe arceſſetur.] Id eſt, C. Aquilius in ius adducetur, ut tempus præſtituat. Antiqui officij.] Id eſt, boni & honeſti officij, id eſt, patronum bonum. L. Philippus.] Is eſt orator, ut arbitror: quem raro dixiſſe, eſt apud Ciceronem de claris oratoribus. Decernit.] Id eſt, dicit. Niſi potius dicit, quàm Decernit ſcribendum eſt. Hæc eſt iniqua certatio.] Quintij cum Næuio, talibus prætoribus & accuſatoribus. Equitabas.] Id eſt, pugnabas. In codicibus alijs ſcriptum eſt, uelitabaris. Eſt autem uelitari, uelitũ, id eſt, leuis armaturæ hominum more pugnare. Sponſores.] Qui P. Quintio ſpoponderant: qui Quintio non ſoluente, fidem ſuam liberaſſent. ut pro L. Flacco: Hermippus C. & M. Fuſijs pecuniam diſſoluit, quam eo ſpondente Heraclidi crediderant. Non conuenerint.] Vt uenditis bonis Quintij ſibi ſatisfieret. Reliquerat.] Cum moreretur. Homines erant ab hoc omnes.] Ex comparatione Sex. Næuij inhumanitatem atque crudelitatem amplificat. Homines omnes.] Sponſores & creditores. Ab hoc alieniſſimi.] Id eſt, nullo prorſus neceſſitudinis uinculo cum Quintio coniuncti. Inſigniter improbus.] Id eſt, ut uulgo dicunt, notabiliter malus. Haud ſcio an inſigniter, non inſignite: ut acriter, fortiter, utiliter, tenuiter legendum ſit. Vltro.] Id eſt, ſine ulla lædendi cupiditate, & quaſi nullo ſceleris premio propoſito. Sed locus nõ uidetur emendatus. Per ſe afflictum.] Id eſt, à ſe afflictum. Partis.] Id eſt, paratis & quæſitis. Hoc tempore.] Cum agitur de ſponſo. Fraudationis cauſa.] Id eſt, ut creditores fraudaret. Latuiſſe.] Id eſt, ut lateret, in Galliam profectum fuiſſe. Ratio.] Id eſt, negotium & res pecuniaria. Perfidia.] In caſu ablatiuo. Derogetur.] Id eſt, adimatur. In huiuſmodi ſponſionem.] Id eſt, contra Quintium in hac cauſa. Ex eo numero.] Sponſorum, aut creditorum. Vadimonium mihi deſeruit.] Ethopœia eſt, qua probat ex alijs creditoribus Quintij integritatem. Nominis.] Id eſt, creditæ rei. Diem petunt.] Quem ei ego dixi. Parantur.] Id eſt, ſubornantur à Næuio. Cum dixerint.] Teſtimonium. Graues.] Id eſt alicuius auctoritatis. Ad obtinendum mendacium.] Id eſt, ad falſitatem probandam. Tranſegerit.] Id eſt, perfecerit. Alijs.] Præter Næuium. Ad iſtam rationem.] Id eſt, ad iſtam bonorum Quintij uenditionem. Suſcepiſſes.] Id eſt, inchoaſſes. Quid ſi tu ipſe, &c.] Vt primum diuiſionis membrũ tractando probauit, etiã Næuij ſententia nihil ei Quintium debuiſſe: ita hoc loco oſtendit, Næuium ex ſua ſentẽtia Quintij bona non poſſediſſe. In aliena re.] Id eſt, in re alterius. L. Sylla dictatore uendente.] Significat Sex. Alphenũ à Sylla proſcriptũ, eiuſq; occiſi bona eſſe publicata. In huius bonis.] Emẽdis. Edidiſti.] Id eſt, feciſti et ſcribi iuſſiſti. Plura non dico.] Præciſio eſt. Iudicio tuo.] Cum ſocietatem cum eo coibas. Animo certo & confirmato.] Id eſt, animo firmo et audaci. Diffidebam me poſſe conſiſtere.] Dicendi genus annotandum eſt. uulgo enim dicerent, Diffidebam ne poſſem conſiſtere. Auditurus.] Quæ ego dicerem. Timore prolaberer.] Id eſt, ex metu conticeſcerẽ, aut certe laberer. Dicebã huic Q. Roſcio.] Q. Roſcius hiſtrio fuit Romæ nominatiſſimus. is geſtibus faciendis maxime ualebat. C. Cæſar orator ſolere ſe mirari dicebat, impudentiam eorum, qui agerent in ſcena geſtum ſpectante Roſcio: ut ait Cicero lib. de Orat. 2. Eodem auctore lib. 1. Roſcius conſecutus eſt, ut in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. Hic L. Syllæ chariſſimus fuit, & annulo aureo ab eodẽ Dictatore donatus eſt: ut ait Macrob. lib. Sat. 3. ubi docet, hunc Roſcium Ciceroni familiarem fuiſſe. Cuius ſoror eſt cũ P. Quintio.] Eam enim P. Quintius in matrimonio habebat. Summe contenderet. Id eſt, maxime & inſtanter poſtularet. Ore duriſſimo.] Id eſt, uultu impudentiſſimo. Donatus exponens illud Terentij ex Eunucho, os durum: Os durum, inquit, os impudens. ut contra mollis frontis dicuntur, qui ſunt reuerentes. Os impudens in eadem fabula Terentius dixit: Vide amabo, ſi non cum aſpicias, os impudens uidetur. Eſt igitur ſententia: Qui Hortẽſio præſente geſtum agere conaretur, is mihi impudens uideretur: quod Cæſar de Roſcio dicebat, ut modo docuimus. Præſente eo.] Vulgus diceret, In eius præſentia. Geſtum agere.] Hortenſij motus & geſtus etiam plus artis habebat, quàm erat oratori ſatis: ut ait Cicero de Claris oratoribus. Is plus ſtudij in elaborando corporis motu, quàm in ipſa eloquentia affectanda impendit. itaque neſciret, utrum cupidius ad audiendum eum, an ad ſpectandum cõcurreretur. ſic uerbis oratoris aſpectus, & rurſus aſpectui uerba ſeruiebant. Itaque conſtat Aeſopum Roſciumq;, ludicræ ar-

tis

tis periti[ſſimo],illo cauſas agente, in corona frequenter aſtitiſſe, ut foro petitos geſtus in ſcenam referrent: auctor eſt Valerius lib 8 de Pronunciatione. Eius manus inter agendum argutæ admodum & geſtuoſæ erant: multaq; in eum, quaſi in hiſtrionem, in ipſis cauſis atque iudicijs dicta ſunt. eumq; L. Torquatus apud conſilium iudicum non iam hiſtrionem eſſe dixit, ſed geſticulariam Dionyſiam appellauit: ut eſt apud Aulum Gellium lib. 1. Cum ipſo contenderent. ] In cauſa agenda.

Confirmandi mei. ] Id eſt, dandi mihi animum. Studio. ] Id eſt, zelo. Artifex. ] Id eſt, comœdus tam peritus. Vir. ] Id eſt, honeſtus homo. Virum enim in eundem Cicero dicere ſolet. Qui eo non accedat. ] Id eſt, qui in ſcena non ſpectetur. Hiſtrionum enim uitæ genus ſordidum habitum eſt. Itaque Actius & Lucilius poetæ, de iniurijs egerunt in iudicio cũ hiſtrionibus ijs, à quibus in ſcena nominatim appellati fuerant: ut eſt lib. Rhetoricorum ad Herennium 2. Eam ob rem in prologis Terentianis, Terentius ipſe non nominatur: ne cũ prologus ab hiſtrione ageretur, Terentius ipſe appellaretur. D. Laberius eques Romanus, annos L X natus, à C. Caſare quingentis millibus inuitatus eſt, ut prodiret in ſcenam et ipſe ageret mimos, quos ſcriptitabat. A Caſare coactum ſe hanc ſubire infamiam, in Prologo teſtatur, qui eſt apud Macrob. lib. Saturnal. 2. Iulianus iuriſcon. lib. Digeſt. 3. enumerans eos qui notentur infamia: eos qui artis ludicræ, pronunciandi'ue cauſa in ſcenam prodierunt, nominat. Ad ſummum. ] Id uſitatius dici, quàm Aut ad ſummum, alio loco docuimus. Ambulare. ] Hoc uerbum poſuit, pro celeriter ire. Naues quoque ambulare Cato dixit, de re Ruſtica: Si, inquit, mare aut amnis, quo naues ambulant, aut uia bona celebriſq; ſiet. Quamuis autem mari, aut amne ambulare Cato dixerit: dixit tamen Cicero, DCC millia paſſuum ambulare. Sed Quintilianus lib. 1. cum dicimus, Ambulo uiam, ſolœciſmum eſſe putat per detractionem, quòd ibi particula Per, detrahatur.

Vt poſſit. ] Id eſt, ne poſſit. Abs te C. Aquili. ] Aquilium & aſſeſſores facit attentos. quod Cicero facere ſolet, cum accedit ad quæſtionem: quam à iudicibus cognoſci, ſua intereſt. A uobis quæſo. ] De hoc dicendi genere, alibi præcepimus. Illinc. ] Id eſt, à Næuio. Hinc. ] Id eſt, à Quintio. Facinus conuinci. ] Conuincere reum, & conuincere facinus dicimus. Poetarum & pictorum portenta conuincere, id eſt, refutare, Cicero dicit, lib. Tuſc. 1. Ante V. Cal. intercalares. ] Romulus annum conſtituit, ut eſſet trecentorum quatuor dierum, quem in menſes decẽ diuiſit, ut Martius, Maius, Quintilis, & October, tricenorum & ſingulorum dierũ eſſent: reliqui ſex, tantum tricenorum. Numa Pompilius anno adiecit dies quinquaginta, ut annus eſſet dierum CCCLIIII: ijſq; ſingulis menſibus tricenorũ dierum ſingulos dies detraxit, quos adiunxit quinquaginta diebus: quos addidit, ut eſſent dies LVI. eoſq; diuiſit in duos menſes, Ianuarium & Februarium. Cum autem Romani uiderent, in illa Pompilij inſtitutione dies anni eſſe CCCLIIII. ſcirentq; annum conſtare CCCLXV. diebus, & ſex horis, itaque quotannis dies undecim, & ſex horas reſtare: id conſtituerunt, ut octauo quoque anno intercalarentur, id eſt, interponerentur dies XC. qui eſſent ex undenis diebus, & ſenis horis octies repetitis: indeq; tres menſes tricenorum dierum conficerentur, qui intercalares appellarentur. Hæc fuſius ſunt apud Macrob. lib. Sat. 1. Auctore Seruio in Bucolica Vergilij, intercalaris uerſus eſt, qui frequenter poſt aliquot interponitur: ſicut intercalares dies, aut menſes uocantur, qui interponuntur, ut ratio lunæ ſoliſq; conueniat. quem diem uulgo appellant diem biſſextilem, eum intercalarem appellare poſſis. Quàm longe eſt hic in ſaltum. ] Id eſt, quantum ſaltus ab hinc diſtat. Saltum autem ex C. Aelij ſententia Sex. Pompeius ait eſſe, ubi ſyluæ & paſtiones ſunt. De iure concurrerit. ] Id eſt, conuenerit & dixerit ſecundum ius. Aut de iure aliquis. ] Id eſt, aliquis iuriſconſultus mediocris doctrinæ. ut pro Milone: Audiendus ſit Popa Licinius neſcio quis de circo maximo. O nuncium uolucrem. ] Nuncium uolucrem, poſtam uulgo appellant. In Sebuſianos. ] Sebuſiani Galli ſunt, Allobrogibus finitimi, extra Prouinciam, citra Rhodanum primi, ut eſt in lib. Commentariorum Cæſaris 1. de bello Gallico. Seu potius Pegaſos. ] Correctio eſt. Eſt autem Pegaſus equus alatus, natus ex ſanguine effluente ex capite Meduſæ, quã Perſeus obtruncauerat. de eo Ouid. lib. Faſt. 3. Creditur hic cæſæ grauida ceruice Meduſæ, Sanguine reſperſis prosiluiſſe iubis. Huic ſupra nubes, & ſubter ſidera lapſo, Cœlum pro terra, pro pede penna fuit. Si Craſſi omnes cum Antonijs. ] Id eſt, ſi omnes oratores eloquentes, quales fuerũt L. Craſſus, et M. Antonius, qui ætate ſua fuerunt eloquentiſſimi. Superior ſim neceſſe eſt. ] Fiduciam ſuam promit. Id tamen oratori fugiendum eſſe, Quintilianus præcipit. Eſt quædam tamen. ] Lectio hæc emendata mihi non uidetur. quam puto emendatiorem, ſi ſcriptum ſit: Eſt enim quædam ita, &c. Dominus. ] P. Quintius. A ſua familia. ] Id eſt, à ſuis ſeruis, qui etiam Næuio communes erant. Quamuis familiam multis modis dici Paulus iuriſcon. ſcribit, lib. Digeſt. 50. de uerborum & rerũ ſignificatione: nonnunquam tamen dici pro ſeruorum multitudine, auctor eſt. Auctore Sex. Pompeio, ſeruus ab Oſcis famel dicebatur, unde & familia, & inde famuli uocati ſunt. Verum libet. ] Vel biduo, ad ſummum triduo DCC. millia paſſuum confecta, uel antequam poſtulares, ut bona poſſideres, te miſiſſe, &c. Alterum. ] Id eſt, prius. Decurſa. ] Auctore Priſc. lib. 8. uerba neutra caſum accuſatiuum poſt ſe habentia, quæ ad muta animalia, aut anima carentia pertinẽt, paſſiuum ſæpe habent in perſona tertia, & participium præteriti temporis. Dicimus enim, aratur terra, inſeritur arbor, curritur ſpatium. Vnde Terentius in Adelph. Decurſo iam ſpatio, aliaq; generis eiuſdem multa enumerat. Et ab alijs, & à Cic. locis alijs decurſum dici, in Catone Maiore docuimus. Malo. ] Conſieri, me ante miſiſſe. Hoc conſilium. ] Vt ante mitteres. Feſtinatio. ] Quia feſtinabas mittere, antequam bonorũ poſſeſſionem poſtulaſſes. Immaturitas. ] Id eſt, nimia celeritas. Poſt dies XXX. ] Significat Cicero poſſeſſionem bonorum à prætore poſtulari iure non ſolere, niſi diebus XXX poſt deſertum uadimonium. Si uoluntas eadem maneret. ] Poſt dies XXX. quæ tum fuit, cum deſertum uadimonium eſt.

Denique ſi uiueres. ] Multa enim cadunt inter os & offam, ut eſt in prouerbio. Si uellet. ] Eius enim uoluntas certa non erat. Si nemo recuſaret. ] Vt recuſauit Alphenus. A ſuis dijs penatibus. ] Id eſt, à ſua domo. Corrigeres. ] Id eſt, emendares & compenſares. Scilicet. ] Ironia eſt. Ignorares. ] Futura enim incerta ſunt. Reliqui temporis. ] Id eſt futuri. Quaſi debueris, aut potueris. ] Cum tamẽ neque debueris, quòd Quintius amicus tuus, ſocius, propinquus fuerit: neque potueris, quòd Quintij bona ex edicto poſſidere non potueris. Miſiſſes. ] Nuncium, antequàm prætor iuſſiſſet. Veritate. ] Id eſt, æquitate Quintij. Prætor te quemadmodum. ] Accedit ad tertiam partem diuiſionis, ut oſtendat Sex. Næuium bona P. Quintij non poſſediſſe. Si ex edicto prætoris. ] Hoc in narratione clarius dictum eſt. Nihil opinor. ] Cauſæ eſt. Nam ſi longe aliter poſſedit, quàm prætor edixit, non poſſedit. quòd ſi non poſſedit, ego ſponſione uici. Veniſſe. ] In poſſeſſionem bonorum Quintij. Eum ipſum, qui fraudandi cauſa latitet. ] Argumentum à maiore ad minus. Si dominum inuitum, qui fraudandi cauſa latitet, quem iudicio nemo defendat, qui cum omnibus creditoribus ſuis male agat, detrudere non licet: multo minus licet detrudere Quintium, in quo hæc prorſus nõ fuerũt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ius non auferatur. ] In codicibus alijs melius ſcriptum eſt Vis non afferatur: id eſt, inuitus non detrudatur. Qui tibi uadimonium non deſeruiſſet. ] Nam ſi uadimonium Quintius non promiſit, non deſeruit. Eum non promiſiſſe, Cicero ante docuit. Hoc dico. ] Hoc in loco deſunt omnia quæ Cicero dixit, ut oſtenderet Næuium Quintij bona nõ poſſediſſe. Ea que ſint, potes cognoſcere ex his quæ in peroratione Cicero per capita repetit. Deeſt etiam principium perorationis, id eſt, concluſionis per enumerationem. Næuium ne appellaſſe quidem Quintium. ] Breuiter, & per capita repetit ordine, ea quæ oſtendit in tribus diuiſionis partibus. Næuium ne appellaſſe quidem. ] Id primum eſt, quod primum in parte diuiſionis Cicero oſtendit. uerbum tamen aliquod deeſt: cuiuſmodi eſt, Oſtendi, Docui, aliud'ue generis eiuſdem. Experiri. ] Summo iure ſcilicet. Deinde quod omnia, &c. ] Ordo eſt: Deinde oſtendi, aut planum feci, quod Næuius omnia iudicia difficillima, quã hoc pecuniarium, fieri mallet. Omnia autem iudicia fieri mallet Næuius, quã unum illud pecuniarium, unde hæc omnia naſcuntur, ut ante dixit. Cum ſumma ſua inuidia. ] Quod petat, ne Quintius in ciuitate ſit, ne locum ſuum obtineat, ne numeretur inter uiuos, ut priore loco dicat, ut cum ſummo ſcelere Quintium propinquum ſuum iugulare poſſet: ut Aquilium, non libenter de alterius capite iudicantem, & Q. Hortenſium, defendere, non accuſare ſolitum, fatiget. Tuli. ] Id eſt, obtuli. Dum ipſe. ] Id eſt, dummodo ipſe Næuius. Si quid peteret. ] Quintius. Pari conditione uteretur. ] Id eſt, etiam ſatiſdaret. Quàm multa fieri. ] Primum expectare, deinde ſi latitare, ac diutius ludificare uideatur, amicos cõuenire, quærere quis procurator ſit, domum denunciare. Vadimonium nullum fuiſſe. ] Nullum enim Quintius promiſit. Ex edicto autem. ] Capita ſunt eorum, quæ in ſecunda parte diuiſionis dicta ſunt. Et cum nemo iudicio defenderit. ] Aut ironia eſt, aut ſibi tanquam ab aduerſario proponit. Calumniatore. ] Id eſt, litigioſo.

Ab equite Romano. ] Sex. Alpheno. Potentia procuratoris. ] Quia Alphenus M. Bruto trib. pleb. familiaris erat. Nunc. ] Cum de ſponſo agitur. Vix reſpirandi. ] Vt antea: Huic tu moleſtus eſſe, uidelicet noluiſti, quẽ nunc reſpirare libere non ſinis. Eum ſocium. ] P. Quintium. Poſtea recitaui. ] Hæc capita ſunt ex parte diuiſionis tertia. Vnde conijcere licet, quæ antea deſint. Conſtitui. ] Id eſt, deſtitui & confirmaui. Non in aliqua parte. ] Hoc de acquirenda bonorum poſſeſſione adnotandum eſt. Domum. ] P. Quintij. Aſpirarit. ] Id eſt, ueniendi conſilium ceperit. Prohibitum fuiſſe. ] Eum enim Alphenus abduxit. Quieuiſſe. ] Id eſt, ut abduceret, reluctatum non fuiſſe. Cognoſtis. ] Ex ijs quæ antea dixi. Per iniquitatem iudicij. ] Næuiũ iudicibus facit odioſum.

Nunc cauſa perorata. ] Facta peroratione per enumerationem, per commiſerationem concludit, ut Aquilium & aſſeſſores Næuio iratos, Quintio miſericordes efficiat. Non ſæpe fit, ut concluſio utraque ſit in oratione iudiciali: eſtq́; frequentior ea, quæ eſt per commiſerationem. Cauſa perorata. ] Peroratio, eſt orationis concluſio, quæ eſt per enumerationem. ea enim cauſæ propria eſt. Itaque antea dixit Cicero: Hæc tria cum docuero, perorabo. Extra cauſam uero eſt concluſio, per commiſerationem. Per ſenectutem. ] Sexagenarius enim Quintius erat. Veſtræ naturæ bonitatiq́; obſequimini. ] Iudices ſibi conciliat, ab eorum natura & bonitate. Veritas. ] Id eſt, cauſæ æquitas. Ad crudelitatem. ] Id eſt, Quintij condemnationem: quæ ſi erit, erit ex Næuij crudelitate. Negligere. ] Id eſt, non metuere. Cauſa cum cauſa contenderet. ] Id eſt, cauſa Næuij cum mea pugnaret: et ſi cõtentio eſſet, uter haberet cauſam meliorem. Quod uitæ ratio. ] Id eſt, quod alius eſſet uiuendi modus Næuij, alius Quintij. Decerneret. ] Id eſt, pugnaret. Ea res enim. ] Vtriuſque uitæ contentionem oſtendit. Luxuriem: ] Næuij. Eſt autẽ luxuries, ſuperfluens rerũ abundantia, ut cibi, potionis, aliarumq́; rerũ generis eiuſdem. Ruſticana illa. ] Quintij.

An deformata. ] Deformatum, pro informato à Quintiliano dici, antea docuimus. Hoc autem in loco deformatũ, pro eo quod deforme & infame ex pulchro & honeſto factum ſit, dicitur. ut pro P. Sylla: Quid reliquã conſtantiã uitæ commemorem? dignitatẽ, libertatem, moderationem in priuatis rebus, ſplendorem in publicis? quæ ita à fortuna deformata ſunt, ut tamen à natura inchoata compareant. Addicatur. ] Id eſt, adiudicetur, & ſecundum cupiditatem Næuij atque petulantiã condemnetur. Non comparat ſe tecum gratia. ] Næuium in odium, Quintiũ in beneuolentiam ex utriuſque uiuendi ratione adducit. Genus dicendi adnotandum, Comparat ſe tecũ, pro eo quod eſt, comparat ſe tibi. Omnes tuas artes. ] Vel dolos, uel præconis atque paraſiti & ſcurræ artem intellige. Non belle. ] Id eſt, non ſcurriliter, ut facit Næuius. Non ad uoluntatem. ] Quod ſcurrarum eſt, & paraſitorũ. Gnatonis Terentiani illa ex Eunucho ſunt: His ultro arrideo, & eorũ ingenia admiror ſimul: Quidquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque. Negat quis, nego: ait, aio. poſtremo imperaui egomet mihi, Omnia aſſentari. Is quæſtus nunc eſt multo uberrimus. Non ab afflicta amicitia trãſfugere. ] Vt Næuius facere ſolet. Ab afflicta amicitia transfugere dicitur is, qui amicũ aduerſa aliqua fortuna afflictũ relinquit. nam, ut canit Ouid. Cũ fueris felix, multos numerabis amicos: Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris. ibi. n. amici, ubi opes: ut eſt apud Quint. lib. 8. Profuſis. ] Id eſt, nimijs & immoderatis. Cauſam pudori et ſanctimoniæ. ] Id eſt, in qua nullus pudor ſit, nulla uitæ ſanctitas, qualis eſt Næuij domus. Horridam. ] Id eſt, ruſticam. In hanc ſententiã illud eſt pro Sex. Roſcio: In urbe luxuries creatur, ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt, ex auaritia erumpat audacia. inde omnia ſcelera & maleficia gignuntur. Vita autem hæc ruſtica, quã tu agreſtem uocas, parſimoniæ, diligentiæ, iuſtitiæ magiſtra eſt. Aridam. ] Id eſt, ſine ullis obſonijs: et qua uiuatur, ut uulgo dicũt, in pane ſicco. De hac uoce pro Sex. Roſcio plura ſcripſimus. Iſta. ] Quæ tu Næui ſectatus es. Superiora. ] Id eſt, maioris momẽti, et (ut uulgo dicunt) efficaciæ. Poſſe. ] Id eſt, ualere. His moribus. ] Id eſt, ſecundum mores præſentis temporis. Sentit. ] Quintius. Non uſque eo tamen. ] Poſſunt, ſcilicet. Et quæſtum & ſumptũ Gallonij. ] P. Gallonius in uoluptate omnia ponebat. In eo omne ſtudiũ conſumebat, ut accuratis dapibus et ſumptuoſis ueſceretur, in primisq́; accipenſere, quẽ omniũ piſcium apud antiquos habitũ fuiſſe nobiliſſimũ, Plinius lib. 9. auctor eſt. De Gallonio Lælius illa dicit apud Lucilium, ut eſt in lib. Ciceronis de Finib. 2. Lælius præclare & recte ſophos, illeq́; uere O Publi gurges Galloni es homo miſer, inquit: Cœnaſti in uita nunquã bene, cum omnia in iſta conſumis ſquilla, atque accipenſere cũ decumano. Hunc Lælius negat unquam bene cœnaſſe, id eſt, ut exponit Cicero, recte, frugaliter, honeſte: et tamen non negat, libenter unquã cœnaſſe Galloniũ. Quæſtum Gallonij. ] Gallonius enim præco erat: ut eſt apud Horat. lib. Sermonũ 2. Galloni præconis erat accipenſere menſa infamis. Præconũ autẽ quæſtum eſſe ſordidum, antea Cicero ſignificauit. Itaque paulo poſt dicit: Funeſtum eſt, à forti atque honeſto uiro iugulari: funeſtius ab eo, cuius uox in præconio quæſtũ præſtitit. Quod in illo. ] Gallonio. Contra uuiũ dictionemq́;. ] Næuij potentiã Aquilio facit odioſam. Pudore. ] Id eſt, honeſte. Ornamenta. ] Id eſt, bona.

Conſiſtere. ] Id eſt, confirmari & recreari. Appellãdus. ] Id eſt, inuocandus. Fides ] Id eſt, auxilium. Miſerius eſt,

Iniuria

iniuria. ] Nā ut, auctore Ouidio, Oenone ad Parim ſcripſit. Leuiter ex merito quidquid patiare ferendum eſt: Quæ uenit indigne pœna, dolenda uenit. Hoc tamen dixit Cicero, ut cauſæ ſuæ ſeruiret. Aequiore enim animo innocenti pœna ferenda eſt, quod criminis mens conſcia ſibi non ſit. Itaque Socrates uxori Xanthippæ, inter fletum & lamentationem uociferāti, innocentem eum perimi: Quid ergo, inquit, nocenti mihi mori ſatius eſſe duxiſti? auctor eſt Val. Max. lib. 7. de Sapienter dictis & factis. Acerbum. ] Id eſt, ut uulgo dicunt, doloroſum. Euerti. ] Id eſt, per uim omnino ſpoliari. Funeſtum. ] Id eſt, triſte. Ab eo cuius uxor. ] Id eſt, ab homine ignauo & turpi. Circumſpexit. ] Id eſt, diligenter inſpexit. Miſericordiam mouet non mediocriter, quòd eam neque à magiſtratibus, neque à Næuij propinquis, neq; ab ipſo Næuio ulla ratione capere potuerit. quocirca tota eius ſpes in Aquilio eſt, cui ſe ſuaq; omnia cōmendat. Periclitatus eſt. ] Id eſt, expertus eſt. Prætorem. ] Cn. Dolabellam. Atque adeóne unde, &c. ] Id eſt, alium etiam nullū inuenire potuit, à quo arbitratu ſuo ius poſtularet. Arbitratu in hoc caſu tantum dicitur, ut iuſſu, euentu, permiſſu, hortatu, aliáq; permulta generis eiuſdem. Iniuriam. ] Id eſt iniuſtam & iniquam conditionem: Subijt. ] Supplex.

Manum. ] Qui manum alterius prehendebat, is ſe ſupplicem eſſe ſignificabat, quod in ambitione fieri ſolebat. In propinquorum bonis, &c. ] Inter propinquos Sex. Alphenium intelligere uidetur. Quamuis ſcelerata Næuij manus eſſet, tanta erat Quintij miſericordiæ cupiditas, ut eam apprehendere ueritus non ſit. In bonis proſcribendis exercitatum. ] Vt exercitatum in uxoribus necandis, atque in iudicijs corrumpendis Cicero dicit, pro A. Cluentio. Fratris ſui. ] C. Quintij. Cinerem. ] Quamuis cinerem & cineres dicamus, tamen pulueres latine dici, Priſc. lib. 5. negat. Horatius tamen in Epodis, Nouendiales diſſipare pulueres dicit. Quibus. ] Id eſt, per quos, uxorem Næuij & liberos. Næuij enim uxor, Quintij conſobrina erat. Miſericordiam caperet. ] Capere miſericordiam, pro eo quod eſt captare & mouere dixit. Aetatis. ] Id eſt, ſenectutis. Humanitatis. ] Id eſt, uinculi eius, quo natura omnes homines inter ſe colligauit. Illud enim auctore Cicerone libro de Off. 3. natura præſcribit, ut homo homini, quicunque ſit, ob eam cauſam tamen, quòd is homo ſit, conſultum uelit. Ab ipſo. ] Næuio. Non ſubleuatus. ] Nam ad eorum pedes iacuit ſtratus. Ab omni magiſtratu. ] Præcipue à Burrieno & Dolabella prætoribus. Non turpis. ] Id eſt, non ſceleratus. Sed miſer. ] Miſerum eſſe Donatus dicit, qui prematur calamitate, qua indignus ſit. Ornatiſſimo. ] Id eſt, locupletiſſimo & uberrimo, uel maxime inſtructo. Appetitus. ] Id eſt, uexatus & percuſſus. Eſt enim participium. ut in oratione pro Domo ſua: A` quibus ille ſe lapidibus appetitum & percuſſum eſſe dixit. Cum illum. ] Næuium. In ſuis paternis bonis. ] Id eſt, in bonis quæ Quinctius à patre habuerat. Dominari uideret. ] Id eſt, dominum & poſſeſſorem eſſe. In primo de Off. dominari paſſiue dicitur: O` domus antiqua, quàm diſpari domino dominaris. Filiæ nubili. ] Per ætatem, ut in lib. Aeneidos ſeptimo: Iam matura uiro, iam plenis nubilis annis. Conficere non poſſet. ] Id eſt, comparare, & in dotem pecuniam cogere. Nihil alienum tamen. ] Multi enim homines boni, calamitate, quam indigne ferunt, ad maleficium impelluntur. Alienum uita ſuperiore. ] De hoc dicendi genere antea præcepimus. Ferat. ] Id eſt, patiatur.

# IN EANDEM PRO P. QVINTIO ORATIONEM

## SCHOLIA, BARTOLOMAEO LATOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

### ARGVMENTVM

per Ioannem Sturmium.

IN hac cauſa P. Quintius in famæ fortunarumq; diſcrimen deducitur. Aduerſarius eſt Sex. Næuius. hic deſertum eſſe ſibi dicit uadimonium à Quintio: bona eius à ſe eſſe poſſeſſa, ex edicto prætoris Burrieni, dies triginta: ideoq; à Dolabella poſtulat, ut Quintius iudicatum ſolui ſatiſdet, uel ſponſionem faciat. Mauult Quintius ſponſionē facere, & C. Aquilium iudicem ſumit, atque ex ſponſo agit. Orator aduerſarius Q. Hortenſius eſt. M. Cicero Quintij patronus, negat poſſeſſa eſſe bona ex prætoris edicto. Primum quòd cauſa nulla fuit, cur à prætore id poſtularet: nā neque quidquam Quintium debuiſſe, neque uadimonium deſeruiſſe. Deinde quia nō potuit ex edicto poſſidere, id probat ex uerbis edicti: quòd neque latitarit fraudandi cauſa, neque exilij cauſa ſolum uerterit. Poſtremo, non poſſediſſe: propterea quòd bonorum poſſeſſio non ſpectatur in aliqua parte, ſed in uniuerſis quæ teneri & poſſideri poſſint.

QVAE res in ciuitate. ] Orditur à ſuæ partis inopia, quam confert cum potentia aduerſariorum. Id itaque ad beneuolentiam ualet: quia naturalis eſt fauor pro laborantibus. Gratia Sex. Næuij. ] Hoc dicit Cicero, quòd Næuio primores auxilio ſint. Id uero non. ] Reſumptio. Neque hoc. ] Amplificatio. Verum ita. ] Ducit per partes comparationem, conferendo perſonam cum perſona, rem cum re, ad amplificationem. Vt ego. ] Se extenuat. P. Quintius. ] Ex adiunctis Quintij inopia colligitur. Illud quoque. ] Aliud incommodum in hac defenſione, quòd cauſam totam uix cognoſcere potuerit, propter M. Iunij abſentiam, & temporis breuitatem. Noua legatione. ] Quæ fuerit hæc noua legatio, non conſtat. Ita quod mihi. ] Exponit, quo modo in alijs cauſis id, quod fuit illi adiumento, in hac cauſa deficiat. Quæ quo plura. ] Petit fauorem à iudice, & cauſam propter commune periculum ueritatis, atque innocentiæ commendat. Certe aut. ] ἐπιφώνημα, per disiunctionem. Non eo dico. ] Occupatio, qua uitat offenſionem, & ad potentiam aduerſariorū periculumq; reuertitur. Tacite autem facit inuidiam aduerſarijs, potentiam eorum, qua reum oppugnent, cōmemorans. Quid ergo eſt? ] Interrogatio iudices excitat. Idq; dum rogitat. ] Captat beneuolentiā ab æquitate iudicum, quòd dicat omnes diuitias in manu illorū eſſe. Deinde habet. ] Dicit Cicero, hoc à naturis comparatū eſſe, ut potius eos timeamus, in quorū poteſtate ſumus, quā eorū æquitatem & clementiā agnoſcamus. Si id eſt defendere. ] Correctio in uerbo, uituperandi cauſa. Nā quid hoc. ] Oſtēdit iniquum iudicium eſſe, quòd reus prior cauſam dicat: nempe ex decreto Dolabellæ. Decreuerat enim Dolabella, ut aut ſatiſdaret Quintius, aut ſponſionem faceret. & ſi ſponſionem feciſſet, ut prior cauſam diceret. eſtq; tertium incōmodum, quo laboret in hac cauſa, contra aduerſarios. Q. Hortenſius, qui. ] Auget à perſona. Ita fit ut. ] Ornate admiſcet ſimilitudinē,

declarandi cauſa, aut illuſtrandi. Deinde quod ita. ] Reprehendit defenſores Næuij, & iniqui iudicij culpam in hos cōfert.

Cum tot tantiq́;. ] Commendat iterum cauſam iudicibus, & exordium concludit. C. Quintius fuit. ] Narratio cauſæ, quæ prolixa eſt, ſed dilucida, & interim multis locis continet aduerſarij reprehenſionem. Vna iure paulo. ] Ad uituperationem. Sex. Næuio uiro. ] Locus ſapit ironiam: tamen occupatione eum mitigat. Non quo ei. ] Occupatio. Fatetur autem Cicero, Næuium ſatis habuiſſe ingenij ad cognoſcēda iura, ſed noluiſſe. Nā neque parum. ] Aduerſarium irridet, & depingit, ſuiſq; ornat coloribus. Vocem in quæſtum. ] Totus locus uerſatur in uituperatione Næuij. Quare quod. ] Enallage perſonarum. Ab atrijs. ] Atria Licinia, locus in publico, ubi præcones conſidebant. Locus autem ad contemptum hominis pertinet. Nam qui ab ad. ] A cauſa confirmat, facitq; argumentationem ex minori. Arbitrium perſo. ] Hoc maiuſculis literis ſcribi debet, cū ſit caput formulæ, id eſt initium legis de ſocietate. cuius principium tantum appoſuit, propter tritam illius ubique notitiam: ſicut hodie etiam facimus, dum in teſtimonium leges ubique decantatas citamus. Senſus autem loci huius eſt, quaſi hi, &c. eius legis de ſocietate, quæ ita incipit, condemnentur. Budæus tamen in commentarijs Græcæ linguæ, Arbitrij legit. Nam arbitrium pro ſocio, ſolenne uerbum iuris erat, pro iudicio quo inter ſocios decidebatur. Eſt ergo hic ironia in Næuium, cum dicit Cicero ita illū diligentem fuiſſe, uti qui magna fide ſocietatem gererēt, arbitrij pro ſocio, hoc eſt iudicij ſubeundi condemnare ſolerent. Re gallicana. ] Res gallicana, non gallica, quæ in Gallia habebatur. Proſcribit. ] Hoc eſt, ſcripto indicat. nam id ſcriptum in publico proponebatur. Scribebatur autem non ſolum dies auctionis, ſed etiam res quæ in auctionem uentura erat. Ibi tum uir. ] ἐιρωνικῶς. Eſtq; proſopopœia loquentis Næuij. Nam P. Quintij. ] Exponit affinitatem inter Næuium & Quintium. Conſobrinam. ] Sobrini ſunt, duarum ſororum filij: conſobrini, ex ſobrinis nati. Hoc eò per te. ] Occurrit aduerſæ cogitationi, & cauſam reddit, cur per Aquilium pecunia diuiſa fuerit. Aerariam rationem. ] Aerarij rationem dicit, cui quæſtores præerant. ſed quod æs alienum hoc fuerit inter Scapulas & Quintium, & quo modo ad ærarij rationem pertinuerit, ſciri non arbitror. A quæſtoribus. ] Ad Caſtoris, legit Daneſius. Ad denarium ſol. ] Modus loquendi in rationibus, pro ad minimum: hoc eſt, totum, ut ne minimum quidem relinquatur. Denarius autē ualebat quaternis caroleis: decem denarij coronato, hoc eſt 36. duodenis.

Summas anguſtias. ] Metaphora à temeritate gerendi belli ſumpta. De rebus rationibuſq;. ] Res ſunt in natura, rationes in contractibus. ut ager, aurum, pecus, res ſunt: quod autem de ijs ſtipulamur ac paciſcimur, ratio eſt. Cum auctionem uēderet. ] Metonymia. Deteriore tempore. ] Breuiter rem deſcribit. Hæc autem pertinent ad improbandam improbitatem & damnum. Propterea quod. ] Ratio, quare res conuenire non potuiſſet. Vadimonium. ] Ius ſiſtendi ad certum diem, in iudicium dictum: quod uadere, hoc eſt diſcedere ei liceat, qui uadimonium promiſerit. Et nota figuram loquēdi ex iure ciuili, Rem in uadimonium, pro in re, id eſt cauſa, uadimonium promiſſum, & re ad iudicium delata. Vadari. ] Vadimonio obligari: dicimus enim uadare & uadari, pro uadum fluminis tranſire: IIII. Cal. Feb. ] Lege, III. Cal. Spurione. ] Lege, Scipione. Quod niſi ex. ] Ex ſigno. Ab atrijs Licinijs. ] Apparet atria Licinia iuxta macellum fuiſſe. Fauces autem macelli ad contemptum dicit, ioco petito ex ambiguo. nā fauces & anguſtiæ ſunt locorum, & maris fauces. itaque hic ad inuidiam detorquetur. Teſtificantur iſti. ] Lege, teſtificatur iſte.

Proſcribi. ] Id eſt, in publico proponi, depoſitis libellis, ut homines ex edicto poſſideri bona cognoſcerent. Qua ex re. ] Locus communis. Etenim ſi. ] ἀντιλογία ex contrarijs.

Libellos. ] Dicit, quibus bona proſcripta fuerant. Procurator. ] Eſt, qui ita defendit alterū, ut negotium ſuſceperit. auctor Aſcon. in Diuinat. Inhibuerit. ] Id eſt, impedierit, quo minus illi ad conditiones ſuas, hoc eſt ius ſuum tenendum perducātur. Verba ſunt iuris ciuilis. Exiſtimat ſe. ] Collatione factorū monet, iudicem non minus in Gallia per literas, quàm Romæ Næuium improbū fuiſſe: & ad aduerſarij inuidiam pertinet. Quē ut. ] Ad uitandā offenſionem, locū mitigat. Cognoſcere. ] Hic uidetur debere recitari edictū. Iſto gladiatore. ] Ad uituperationem, quaſi perito ob uſum & ætatē, pro certatore uetulo. Metaphora eſt. Iudicatū. ] Eſt, res iudicata, cuius cōtrouerſia per ſententiā iudicis finē accipit. Satiſdet. ] Satiſdare eſt, aduerſariū eius rei, de qua cōtrouerſia eſt, ſecurū reddere: quod fiebat ſponſoribus & prædibus datis, ut etiā nunc obſeruatur. Iā tum diſc. ] Significat tribunos quoque fuiſſe corruptos potentia Næuij. Bonorū expulſor. ] Cōgeries. Quoniā eius. ] Hæc erat formula. Iuberet. ] Vide nū iuberetur legendū ſit. Iubet P. Q. ] Formula ſpōſionis. De capite. ] Caput uocat, famam & fortunas. Quēadmodū. ] Inſerit παρέκβασιν, ad inuidiā nobilitatis. Aduocatos. ] Aduocati ſunt, qui reo præſentiā ſuā accōmodāt. Quin ſecus iudicaret. ] Hoc eſt, aliter quā poſtulabat ab aduerſario: hoc eſt, cum ipſe condēnare nollet. In hoc ſumma. ] Status cauſæ, qui ex uariatione relinquitur in domo Quintij, ex edicto prætoris XXX. dies poſſeſſa nō ſunt. Iudicium eſſe. ] Cōfirmatio, in quā ingreditur renouata beneuolētia ab incōmodis iudicij, et nouā aduerſariorum iniquitatē adiungit. Illud etiam. ] Noua iniquitas aduerſariorū, & in reū et in iudicē. Quod heſterno die. ] Dicit Aquiliū obſtitiſſe, quo minus præſtitutū fuiſſet Quintio tēpus, ad cauſam dicenadm. Verū quoniā. ] Pollicetur ſe breuiter dicturū, atq; ita ad cauſæ diuiſionē accedit. Vt eas in cōſiliū. ] Tunc ibāt in conſiliū iudices, cū actiones ante diuiſiſſent, ad decernendū de cauſa. Informata iam. ] Metaphora à ſtatuarijs. Faciam quod. ] Iam accedit ad diuiſionē cauſæ, & in capita diſtribuit. Et obiter eludit Hortēſij cōſuetudinē. Negamus te. ] Ponit ſtatū cauſæ, et diuidit probationē in tria capita, quibus iudicatio cōtinetur. Cicelli. ] Dicti ſunt à cancris. Cācer enim morbus eſt, qui multa in corpore foramina efficit. Nego ex edicto. ] Remonet diuiſionē, et breuius eā quā antea exponit. Non fuit cauſa. ] Probatio, quæ cōfirmat primū caput: cauſam nō fuiſſe, cur Næuius poſtularet, quia ei Quintius nihil debuerit. Id porrò cōfirmat duobus argumētis. primo, ꝗ Næuius ex Quintio nihil unꝗ petiuerit: ꝗ eſt coniectura ex adiūctis. deinde, quod nūc nō de re, ſed de ſpōſione agat: quod eſt ex conſequentibus. Vtrunque pluribus uerbis oratorie tractatur. Moritur. ] Repetit argumentū, & auget circunſtantijs. Et eſt expoſitio oratoria, quæ hūc locum amplificat. Quis tā. ] Adiungit locū cōmunē, & uehemēter inſtat. Habet autē locus cōmunis, quod ubique obſeruandum eſt, uim maioris propoſitionis. Quod uiri. ] Ex minori. Qui uſque. ] Deſcribit perſonā ad amplificationem.

Et is pecuniā. ] Aliud à minori. Et oſtendit nullū hominem fuiſſe cupidiorem pecuniæ, ꝗ Næuium. Occupat obiectionem à perſona Næuij. Huic tu. ] Refellit à perſona Næuij. Ita credo. ] εἰρωνεία, qua deformata cōtraria perſona, Næuiū diſſolutum in cupiditate, & minime uerecundū oſtendit. Credamus hoc. ] Colligit ironiā ex minori, & negat quæ dixit in cauſa fuiſſe. Si debuiſſet. ] Aſſeuerāter loquitur, & infert quod dicendū eſt, & eſt ſpecies ſubiectionis, ſiue anthypophora. Anno uertēte. ] Gradatio & incrementum. Quis tam perditus. ] Epiphonema, quo claudit ſententiā, ad uituperationē Næuij.

Nepos. ] Proprie prodigus bonorū dicitur, ſed & in alium ſenſum ponitur pro affine. Debuit tibi. ] Inſtituit altercationem, & eundem locū repetit. Itaque uide, quo modo uariet orationem, cōmemorādo circa eandē rē, ut uim augeat argumētationis

tionis ex circunſtantijs. Reſtat ut aut.] concludit, amplectendo ſententiã per diuiſionem. Satis eſt arg.] Aliud argumentum, Quintium nihil debuiſſe Næuio: quia nunc non de re, ſed de ſponſione agat. Et eſt ex cõſequentibus ſiue à ſigno. Mire autẽ tractat hunc locum utriuſq; partis proſopopœia, qua & declinantẽ Næuium, ne de re agat, & cõtra ſe offerentem Quintiũ inducit. Valet figura ad delectandũ pariter, & excitandũ iudicem: q & orationẽ uariet, & rem cõmode tanquã actu quodã repræſentet. Et inſtat crebra interrogatione. Verũ aliquãdo.] Et hoc per ſe figura eſt, cum uelut iniquũ quiddam uidemur fiducia pati. Eſtq; ſpecies ironiæ, per cõceſſionem. Quid igitur.] Id interrogat, quod negari non poteſt. At ſi id.] Subiectio, qua argumẽtatur à remotione, cauſam nõ eſſe, cur de ſponſione agat. Ergo de re nolle iudicium fieri, quia nihil debeatur. Eſt ſanè hic ordo, & ſcopus. Agit de ſpõſione Næuius, ergo timet iudiciũ: Et timet iudiciũ de re, ergo nihil debetur. Ex aduerſis locus. Quid à nobis.] Secunda pars proſopopœiæ. Actum iam.] Profert uiciſſim ſuã proſopopœiam, et Quintij uoluntatẽ ut iudicetur oſtendit. Duplex argumentatio. una q Næuius fugiat iudicium de re: altera, q Quintius nihil aliud expetat. Ergo relinquitur, nihil Næuio deberi. Locus à ſigno. Quid agimus Hort.] Deliberat cum Hortenſio, & quod paratus eſt facere Quintius, æquiſſimum eſſe oſtendit. Figura cõmunicationis eſt, & ad fidem ueritatis ualet. Nõ uidetur enim temere de re ſtatuere, qui uel aduerſariũ in conſiliũ adhibet. Imo inquit.] Inuadit quaſi reſponſum aduerſarij, et tanquã iniquũ reprehendit. Inueniri ratio.] Per ſubiectionem locũ figurat, et cõcludit repetitq; argumẽta, alijs etiã ſuſpicionibus in exornãdo interiectis.

Is non hoc.] Variat rem proſopopœia, et inuidiã cõcitat ex perſona Næuij. Extorquendum eſt.] Ἀντίθεσις. Cum autem ad te.] Alia ἀντίθεσις ad beneuolentiã iudicis. Nihil igitur.] Alia ratio principalis, cur Næuius poſſeſſionem bonorũ poſtulare nõ debuerit. Et auget ordinẽ probationis: Etiã ſi debuiſſet Quintius Næuio, tamen poſtulare illum nõ debuiſſe. primo propter affinitatẽ, quod extra cauſam eſt: deinde, quia præter æquũ feſtinauerit: tertio, quia uadimonium deſertũ non fuerit. Sunt ergo ad ſummum quatuor cauſæ: una, quæ hactenus explicata eſt: tres, reliquæ ſequentes. Antequã doceo.] Excuſat breuiter, q extra cauſam aliquid additurus ſit: cõtra ferè, quam ſupra in diuiſione cauſæ promiſit. Et mox inſtituit ſuo more altercationem. Continuo'ne uerum] Legi æquum. Nam quid.] Amplificat iniquitatem facti, figura dicendi, quæ incrementum uocatur. Sicut illa in Ver. Facinus eſt uincire ciuem Rom. &c. Alterius opes.] Altiores opes legendum. Ergo hercule.] Concludit, & iterum amplificat ex circunſtantijs. Funus ducitur.] Lege, inducitur. Eſt autẽ prouerbiale, natum (ut uidetur) à Phædria Terent. Viuus nõ mortuus intelligitur, uidens non dormiens. Iugulare ciuem.] Locus communis. Hæc tu ho.] Deſcendit in aliã ratiocinationẽ principalem, contra morem & æquitatẽ Næuium in poſtulando feſtinaſſe, & profert maiorum edicta. Ad uadimodium.] Inducit altercationẽ amplificandi cauſa, & figurat locum ſchemate ſubiectionis. Ad uadimodium nõ.] Repetit. Omnia tela.] Allegoria. dicit. n. tela, poſſeſſionẽ uero bonorum intelligit. Quid ago.] Proſopopœia, qua oſtendit, quid factum fuerit à Næuio. Et circa rem oratorie cõmoratur. Ego pro te.] Alia proſopopœia, qua cõſulit ſeipſum, pro Næuio cõſulente iudices. Quid ad hæc.] Conuertitur in Næuium, & improbitatẽ inſectatur. Quid mihi. Mire hominis ingenium exprimit, & totum per proſopopœiã tractatur. Etenim ſi.] Αἰτιολογία. Verum quoniã.] Correctio. Quid ſi nunquã.] Aſcendit altius, & docet uademodium nullum deſertũ fuiſſe. Et eſt 4 cap. quo docet cauſam nõ fuiſſe, cur Næuius bonorum cauſam poſtularet. Eſt autẽ hoc argumẽtum, nullum fuiſſe uadimonium, ergo deſertum nõ fuiſſe. Locus ex cõnexis. Quo te nomine.] Amplificat rem, dubitando quo nomine appellet. & eſt præparatio ad cõfirmationem inſtituti argumenti. Inuenitur dies.] Coarguit à tempore. Quid hoc.] Confirmat teſtimonium, Quintium Romæ nõ fuiſſe Non. Februarij, ſed ante ad prid. Calend. in Galliã profectum. Vide ergo ordinẽ totius argumentationis: Nonis Febr. nõ fuit Romæ Quintius, Ergo eo die Romæ uadimonium nõ promiſit: quod eſt ex loco & tẽpore. Demens non promiſit uadimoniũ, ergo nõ deſeruit, quod ex cõnexis eſt. Non deſeruit aũt. Ergo Næuio cauſa poſtulandi non fuit: quod eſt caput probationis. Stipulari.] À ſtipe: nempe qui pecuniã rogabat, uel communiter ad omnes regiones tranſlatũ eſt: & ſtipulari pro rogare uel promittere uſurpatur. eſtq; cõmune uerbum, actiue & paſſiue ſignificans. Et in hac, &c.] Indignatio per querelam, de fortuna Quintij: quia affectũ mouet, quẽ ſubiungit argumẽtationi. Vixit enim.] Hoc tametſi ad affectum pertinet, tamen tacite refertur ad remouendã fraudem à perſona Quintij, ne quid tale in cauſa dolo malo egiſſe uideatur. At ſi in cauſa.] Amplificatio per cõparationem. Domi quod.] Breuis argumentorũ repetitio. Attende nunc.] Alloquitur prætorem. Qui fraudationes.] Totum ita cõiunge, ex Daneſij ſententia: Qui fraudationis cauſa ſui copiã non fecerit, aut latitarit. Non eſt is Quintius: niſi latitarit, qui ad negotiũ ſuum relicto procuratore proficiſcitur (quanquã in antiquo codice latitant, et proficiſcuntur, legatur.) Qui exilij cauſa ſolũ uerterit. Ne is quidem. Quĩq; abſens boni uiri arbitrio non defenſus fuerit: iubebo eius bona poſſideri uendiq; undique. Recita edictum.] Secundum caput cõfirmationis, quod in diuiſione propoſitũ fuit, Bona Quintij ex edicto prætoris poſſideri non potuiſſe. Probat ex ipſo edicto. nõ tamen totum edictum, ſed capita certa huic loco inſeruntur. Solum uerterit.] Deſunt multa, quibus Cicero Quintium fraudandi cauſa non latuiſſe, neque exilij cauſa ſolum uertiſſe demõſtrat. Quo tempore.] Hic locus pertinet ad caput edicti, quo cauebatur, ſi abſens indefenſus eſſet: nã ita demum poſſeſſionem dari. Probat aũt Quintium ab Alpheno procuratore ſuo defenſum fuiſſe. Quod prætor nõ.] Intellige, quod prætor nõ ſimpliciter fieri iubebat, ſed ex edicto ſuo quod daturus erat. Suſpenſa igitur fuit ad conditionẽ prætoris, poſſeſſio, quæ edicto continebatur. nempe ſi fraudationis cauſa abeſſet, ſi heres non extaret, ſi exilij cauſa uertiſſet ſolũ, & à nullo defenſus eſſet: quibus conditionibus ceſſantibus, nihil iubebatur. ergo nõ attinebat recuſare. Videamus.] Argumenta à proprijs defenſionis, quibus oſtendit Quint. ab Alpheno defenſum fuiſſe. Ac quis erat.] A perſona Alpheni: illũ ſatis locupletẽ defenſorẽ fuiſſe. Credo aliquẽ.] Εἰρωνεία. Et audes Sex.] Cõcludit per indignationẽ. Poſtulabã inquit.] Occupat obiectionẽ, quã per altercationẽ exponit, ut ad caput deducat. Hoc ego.] Reſpondet, & negat nõ defendiſſet, qui tribunos appellarit. nam id obijciebat aduerſarius. Aut hæc facta.] Contendit, eum qui defendat, recte à prætore ad tribunos appellare poſſe, neque id contra defenſionis iudicium eſſe. Colligit autẽ per diuiſionem, aut hoc ius eum, aut tribunos iniuria appellare nõ licere. A prætore ad tribunos.] Lege, A prætore tribunos, &c. At enim.] Remouet obiectionem, quã falſam oſtendit, ac mox pergit. Non mora.] Id eſt, nõ ut differretur iudiciũ, dum ueniret ex Gallia Quintius, ſed planè ut auxiliũ cõtra iniuriã prætoris, et iniquã poſtulationẽ ferretur. Viros bonos.] Refert quæ poſt appellationẽ tribunorũ facta ſint ab Alpheno: per quẽ propriũ officiũ defenſoris oſtẽdit illum Quintium defendiſſe. eſt ergo probatio ex proprijs. Deberi ſe iudicio.] Recuſabat ſatiſdare Alphenus, & tamen iudicium de ea re fieri nõ recuſauit, niſi ita iudex decreuiſſet, utique ſatiſdaret. Iudiciũ lege, cũ Daneſio. & paulo poſt, Tacet res: lege, Iacet res. Ab uſitata.] Nempe, ut aut ſatiſdaret, aut

ſponſionē faceret Quintius: et ſic de ſponſione potius, quā de re ageretur. tum ne in ſponſorio iudicio Quintius prior cauſam diceret. Quod officium. ] Concludit, & aliud quod dici pōt occupat, Næuio imparem certationē fuiſſe cū Alpheno: idcirco cū eo experiri non potuiſſe. Hic itaq; reprehendit primo, ut neget ea cauſa cū eo experiri nō potuiſſe, à cauſa remouet. deinde ut doceat parē fuiſſe Næuiū cum Alpheno, ergo nō imparem. Negarur. ] Lege, negetur. Qualis is. ] Oſtendit, auctore Næuio Alpheuum gratioſum fuiſſe: quare non oportere eum, illud obijcere. Illarum partium. ] Opinor Marianarum. nā erant hæ partes tum in Rep. Nobili. ] Qui ex nobilitate eſſet. nam hi erant Syllani. Quem autem gladiatorem intelligat, non conſtat niſi q̄ apparet, aliquem fuiſſe, quē inuidioſe nominat, ad inuidiam faciendā. Hæreret. ] Lege crederet. Bruti inquit. ] Oſtendit Næuium æque gratioſum fuiſſe, ſicq; inuidia factionū premit. Significat autem Marianos, à quibus, deſperata eorum cauſa, Næuius ſe ad Syllanos transtulerat. Id probat Cicero ex diuerſis, & inconſtantiam notat, dicens illum non ſemper Syllanis fauiſſe, tametſi ab eis nunc defendatur. Si fretus. ] Correctio, qua abrumpit locum offenſionis. Vnum illud dico. ] Conducit in unum quæ dixit, & concludit. Quod ſi tum. ] Vertit in inuidiam obiectionem aduerſarij, conferendo cū Quintio. & monet κόλω ab iniuria. Non conditio. ] Exprimit προσωποποιία quod dixit, & amplificandi cauſa certius exprimit. Vide autem quo modo inducat inuidioſe loquentem Næuium. Arceſſetur. ] Id eſt, in iudicium adducitur, ut horat præſtituat. de quo recognoſce quæ ſupra dixit poſt narrationem. Hæc eſt iniqua. ] Concludit, & ad quæſtionem reuertitur. Equitabas. ] Lege, uelitabaris. Etenim ſi. ] : Subiungit alia argumenta, quæ ſunt ex adiunctis: Bona non uæniſſe, nec ſponſores, nec creditore ſicut ſolent conueniſſe: ergo ex edicto non eſſe poſſeſſa. Quid ergo eſt. ] Obiter inuehitur in Næuium, & improbitatem exaggerat per contentionem. Alieniſſimos autem dicit, id eſt nulla neceſſitudine Quintio coniunctos. Vbi erant. ] Redit ad argumentationem, Vadimonium. ] Obiter requirit legitima teſtimonia, idq; occaſione eorum, quibus cum rem habebat Quintius. Verum opinor. ] Monet eos qui dicturi ſunt teſtimonium, & à calumnia deterret. Verum opinor. ] Præteritio. Ego hæc duo. ] Redit ad inſtitutam argumentationem. Quid ſi. ] Aliud argumentum, quo ex iudicio ipſius Næuij probat, bona poſſeſſa non eſſe, nempe quia Quintium Næuius ſocium emptionis adhibuerit. Diffidebam. ] Narrat quo modo ad hanc cauſam agendam à Q. Roſcio confirmatus ſit, & hinc facit aditum ad ſequentem argumentationem, qua audaciam et improbitatem Næuij oſtendens, confirmat à tempore, bona ex edicto poſſideri non potuiſſe. Qui autem in poſſeſſionem miſerit Næuius, quam à prætore poſtularit? Id uero confirmat à loco: nempe ex ſpatio itineris à Roma uſque in Galliam. Et tempus confert, docens non potuiſſe tantum ſpatium tam breui tempore confici, quo Næuius & poſtularit poſſeſſionem à prætore, & in eandem ab Roma miſerit. Etenim cum. ] Αἰτιολογία, qua laudat Roſcium. Veruntamen quid. ] Perſequitur quod inſtituit. Quod abs te. ] Petit attentionem, ac rem in quā præparauit iudices exponit. Ante V. Calend. ] Hoc eſt 23. die Februarij. Intercalares autem uocat, q inter hanc diem et præcedentem inſerebantur dies, quibus abundat annus, ut Macrob. auctor eſt Satur. 1. cum nō congrueret ad curſum ſolis. atque ij intercalares nominabantur. Vt ſtatim de. ] Hoc uidetur prouerbialiter dici, pro eo quod eſt ad ſummum exegerit. quia inter ligatores in iure omnia ad certum & liquidum ſcrupuloſius producuntur. O rem. ] Exclamatione exaggerat improbitatem. Ad miniſtri. ] Εἰρωνεία. Pegaſos. ] Pegaſus equus alatus fingitur à poetis, qui ex ſanguine Meduſæ creatus fuerit, cum eam Perſeus interfeciſſet. Non enim. ] Oſtendit fiduciā, & inuictam uim huius argumenti, quod ad amplificandum ualet. An antequam. ] Redit ad argumētationem, quam euaſione aduerſarij occupata, ita cū eadem amplectitur, ut oſtendat, utrumuis ille elegerit, id ei eſſe contrarium. Argumentatio naſcitur ex diuiſione, & uocatur per cōplexionē. Dic negas? ] Exclamat, & exaggerat factum, idq; incertū ſignum calumniæ tradit. Mittis tu. ] Vrget acrius per indignationem, & uarias euaſiones occupat, ac reprehendit. oratio ad rem ſimul & affectum per altercationem aptè figuratur. Nam per deos. ] Exaggerat temeritatē & audaciā fictione ex conſequentibus, quantum iniuriæ & incōmodi cōſecuturū fuerit, ſi miſſis in poſſeſſionē ſeruis, procurator Quintij quæ poſtularetur facere noluiſſet. De cuiuſquā. ] Ἐπιφώνημα, quo claudit hunc locum. Atq; hæc. ] Tranſit ad aliud crimen Næuij, quod Quintium contra edictum de poſſeſſione in Gallia eiecerit, atq; ita non poſſederit ex edicto. Omnia ſunt. ] Exclamatio, ad amplificationem. Prætor te. ] Interrogat & conſtituit fundamēta eius, quod efficere intendit. Num quid eſt. ] Appellat iudicem, & ſummā argumentationis cōtrahit. Qui ex. ] Probat ex edicto, bona aliter quā edixerat prætor, poſſeſſa eſſe. De te loquitur. ] Interpretatio edicti. Ius non auferatur. ] Lege, uis ne afferatur. Mitto illud. ] Repetit quæ ſemel dixit, & præteritionē amplificat. Hoc dico. ] Deſunt omnia quæ Cic. dixit, ut oſtenderet Næuium Quintij bona nō poſſediſſe, et iā principium cōcluſionis. Ibidem. ] Deſunt multa hoc loco, nempe totum tertium caput, quod in diuiſione propoſitum fuerat, & initium epilogi, quē numeroſiorem inducit. Probauit enim hactenus, cauſam poſtulandi Næuio nō fuiſſe. Deinde, ex edicto bona non poſſediſſe. Reſtabat tertium, non poſſediſſe: quod quibus argumentis collegerit, in epilogo uidere licet. Epilogo autem non multa deſunt, quod initium fragmenti ſatis indicat. & diuiditur in enumerationem argumentorum & affectum. Oſtendi. ] Argumenta ſecundi capitis. Id teſtibus. ] Cōmendatio teſtium. Quæſiui quæ. ] Ex conſequentibus ſiue adiunctis. Omnino aūt. ] Argumenta tertij capitis, quod deeſſe ſupra notauimus. Ex quo. ] Concludit hanc partem epilogi. Nunc cauſa. ] Altera pars epilogi, quæ cōmiſerationem cum inuidia aduerſarij cōtinet. Incipit ab obſecratione iudicis deinde ſpem in eo collocans, ita aduerſarium inuadit, ut cōferat cum eo Quintium. poſtremo amplificationem inducit, & affectum uehementius cōcitat. Quo die. ] Confert cum Næuio Quintium, & inuidiā concitat. Fatetur ſe. ] Hæc obliq; dicuntur in Næuium, & amare uitā eius perſtringit, notatq; illius inconſtantiā quod deſertis Marianis partibus ſed ad Syllanos uictores tranſtulerit. Quid ergo eſt? ] Et hic acerbe taxat Næuium, & uitæ genus exprobrat. Gallonius aūt præco fuerat, & homo luxu ac gulæ inſigni. Fit eius mentio in 2. de Finibus, ubi citatur à Cic uerſus in eundem ex Lucilio. Item apud Hor. Serm. 2. Galloni præconis erat accipenſere menſa Infamis. Huius igitur diſciplinā uult Cicero, Næuiū ſecutum eſſe. Sin & poterit. ] Αὔξησις, & gradatio. Miſerum eſt. ] Amplificat indignitatem à modo & perſona auctoris, idq; per contentionem, quam ex contrapoſitis frequentat. Funeſtius. ] Ab indignitate perſonæ. Horribile eſt. ] A modo. Omnia decū. ] Exclamat, & labitur in conqueſtionem, quæ appoſita eſt ac commiſerationem. Ducit eam ex antea ctis incommodis & acerbitatibus Quintij, & in præſenti fortuna grauius conſtituit. Per nomen propinq. ] Vide commiſerationem. Vt ſecum aliquid. ] Hæc omnia ad commiſerationem faciunt, per contentionem. Tibi ſe. Commendat reum iudica. Multis uexatus. ] Congeries. Ipſe filiæ. ] Πάθος à fortuna. De cuius officio. ] Hic locus ardet conqueſtione.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO SEX. ROSCIO AMERINO, FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS,

## ARGVMENTVM.

*SEXTVS Roſcius Amerinorum ut nobiliſſimus, ita locupletiſſimus fuit. Eum à cœna redeuntem T. Roſcius Magnus, cum quo ei ueteres inimicitiæ erant, ad balneas Palatinas Romæ hora noctis prima occidit. T. Roſcius Capito, qui Ameriæ erat, eadem nocte huius cædis factus certior, L. Cornelio Chryſogono, qui in caſtris L. Syllæ ad Volaterras erat, hoc factum nunciat. Chryſogonus de L. Sylla paruo emit ampliſſima bona Sex. Roſcij, tanquam proſcripti. eorum tria prædia dat Capitoni: in reliqua T. Magnus Chryſogoni nomine impetũ facit. Quo autem his bonis pacatius & certius fruerentur, quærunt occaſionem occidendi Sex Roſcij filij. Is bonis omnibus ſpoliatus, ab Ameria Romam confugit. Hi erepta ſibi occaſione huius occidendi, crimen confingunt. C. Erucio eum tradunt accuſandum, quòd patrem occiderit. Erucius, ut crimen ueriſimile faciat, Sex. Roſcium patri odioſum, eumq; odij cauſa à patre ad colenda prædia relegatum fuiſſe: & patrem in animo habuiſſe, ut hunc exhæredaret: eam ob rem ab eo patrem occiſum eſſe dicit. Cicero hæc omnia refutat, docetq; Erucium in accuſando negligentem fuiſſe, quòd metu Chryſogoni neminem fore putaret, qui Roſcium defendere auderet. Nam pluribus argumentis parricidium Erucius probare debuit, quòd uix in quoquã credi poſſit, quòd ſit contra naturam. Ideo Solon legiſlator ſupplicia nulla parricidis conſtituerit, quòd parricidam fore non putauerit. Nec igitur cauſam, cur patrem Roſcius occiderit, nec quomodo occiderit, Erucius dicere potuit. Dicit itaque Cicero, iudicibus dubium eſſe non debere, quin Roſcius non à filio occiſus ſit, ſed Magni Capitonis, et Chryſogoni fraude & conſilio. nam Roſcij cæde filius omnibus bonis ſpoliatus eſt: hi autem locupletati ſunt maxime. Huius cædis Magnum fuiſſe auctorẽ docet, quòd pauper, auarus, audax, inimicus Sex. Roſcij fuerit. Roſcij Capitonis uitia dicit, ut ad eum quoque cædis ſuſpicio pertineat, utq; à dicendo teſtimonio arceatur. Roſciorum Magni & Capitonis opera, Chryſogonum de hac cæde certiorem factum: Ipſumq; Capitonem feciſſe, ut qui ſecum Legati ab Amerinis miſſi ad Syllam erant, ut de rei indignitate quererentur, inorata re Ameriã redierint oſtendit. Suſpicione cædis implet Chryſogonum, quòd noluerit Sex. Roſcij ſeruos in quæſtionem dari, quòd apud ſe in permagno honore habuerit. Chryſogonum ſectorem bonorum Sex. Roſcij arguit, docetq; ea bona iniuſte ueniſſe, eaq; omnia L. Sylla neſciente à Chryſogono facta. Quæ contra Chryſogonum dicit, negat ſe Roſcij iuſſu dixiſſe. In concluſione iudices flectit ad miſericordiam. Cauſa iudicialis eſt. Status qualitatis. In hac cauſa Cicero facit, ut in accuſatores crimẽ obiectum reo retorqueat. Vt pro Cluentio accuſatores dixerant, à Cluentio corruptos eſſe iudices: ab Oppianico, non à Cluentio id factum oſtendit. A Milone factas Clodio inſidias accuſatores dixerunt, à Clodio Miloni factas eſſe Cicero probauit. Hanc Sexti Roſcij cauſam cum metu Syllæ nullus ſuſcipere auderet, omni patrocinio deſtitutus Roſcius ad Ciceronem confugit. Eum hortati amici ſunt, ut eam cauſam ſuſciperet. negabant enim eum quidquam ad primum nominis ſplendorem inuenturum commodius. Suſcepto igitur patrocinio, uictoriam cum ſumma laude nactus eſt. Id Cicero ſignificat in libro de Officijs ſecundo: Maxime, inquit, & gloria capitur defenſionibus, & gratia paritur, eoq; maior, ſiquando accidit, ut ei ſubueniatur, qui potentis alicuius opibus circumueniri urgeriq; uideatur. ut nos ſæpe aliàs, & adoleſcentes contra L. Syllæ dominantis opes, pro Sex. Roſcio Amerino fecimus. quæ, ut ſcis, extat oratio. Idem in libro de Claris oratoribus: Prima, inquit, cauſa publica pro Sex. Roſcio dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla eſſet, quæ non noſtro digna patrocinio uideretur. Cicero metuens Syllam, quem in hac cauſa offenderat: ſimulata ualetudinis cauſa in Græciam & in Aſiam abijt, ut in eius uita Plutarchus ſcribit. Qua ætate Cicero hanc cauſam egerit, eſt apud Aulum Gellium, capite uiceſimo octauo, libri decimi quinti.*

CRedo ego uos iudices mirari quid ſit, quod cũ tot ſummi oratores, &c.] Prolepſis eſt. de qua Quintilianus libro quarto, de Exordio præcipiens: Non inutilis, inquit, etiam ratio occupandi eſt, quæ uidentur obſtare. ut Cicero dicit: Scire ſe mirari quoſdam, quod qui per tot annos defenderit multos, læſerit neminem, ad accuſandum Verrem deſcenderit. Deinde oſtendit hanc ipſam ſociorum defenſionem eſſe: quod ſchema prolepſis dicitur: Hæc ille. Huius autem exordij initium perſimile eſt initio Diuinationis, quod modo Quintilianus citabat. Surrexerim.] Orator enim ſtans dicebat, & iudex ſedens pronunciabat, ut alio loco ſcripſimus.

Neque ætate, &c.] Hæc in oratore plurimum habent momenti, ætas, ingenium, auctoritas. Horum uero maximum auctoritas eſt: quam oratori neceſſariam eſſe, multis in locis Quintilianus ſcribit. Sed ætas, ut ingenium & auctoritas exiſtimanda non eſt. hæc enim quo maiora ſunt, eo ſunt efficaciora. Senectus uero oratori apta admodum non eſt, ut ſcribimus in Commentarijs in Catonem maiorem Ciceronis. Ætas igitur quæ aptior ſit, eſt quæ Ciceroni conſtans & corroborata, quæq; uirilis uulgo dicitur. Cum his qui ſedeant.] In ſubſellijs. Nouo.] Id eſt, inaudito & magno. Conflatam.] Id eſt, inuentam & machinatam. Adſint.] Id eſt, præſentes ſint. Quamuis alioqui adeſſe pro patrocinari ſæpe dicatur. Licet etiam dicere, adeſt præſens. ut pro Domo ſua: Adeſt præſens uir ſingulari uirtute, conſtantia, grauitate præditus, M. Bibulus. Sequuntur.] Id eſt, faciunt.

Quid ergo, &c.] Ratiocinatio eſt. Se enim interrogat, deinde rationẽ reddit. Audaciſſimus ex omnibus.] Id dicitur, ut audaciſſimus omniũ: ut multi ex ſocijs, et multi ſociorum. Ea autem eſt, quæ à Grãmaticis partitio dicitur. At tanto.] Legendum puto, An tanto: niſi ſibi facit obiectionem, quaſi ſub perſona aliena, ut ſit, At, ſupl. dicet quiſpiam, ſi nõ es audaciſſimus, tu es tanto officioſior quã cæteri, ſupl. oratores ſunt. Vbi comparatiuus comparatiue tẽtus bene inter plura duobus reſpicit. Vt cauſam reciperem.] Recipit cauſam patronus cum eam ſuſcipit defendendam. de quo uerbo ſcribimus pro A. Cluẽtio. Similiter.] Atque oratio iſtorum. Temere.] Id eſt, impudenter. Concedi.] Id eſt, ignoſci. Occultum eſſe.] Hominũ dicta aut facta perinde clara ſunt aut obſcura, ut eorũ fortuna eſt. Nondum ad Remp. acceſſi.] Id eſt, nullũ adhuc magiſtratum geſſi. Ignoſci adoleſcentiæ.] Adoleſcentes non ſunt ſapientes. ſi quid igitur errant: imprudenter errant: quocirca ijs ignoſcendum eſt. Cognoſcendi.] Id eſt, iudicandi. L. enim Sylla rerũ potitus, iudicidi poteſtatem equitibus Ro. ſuſtulit, eamq; paulo ante huius cauſæ actionem

Senatoribus tradidit. Nec planè traditũ ſignificat. A cæteris.] Oratoribus. Vt dicerent.] Pro Sex. Roſcio. Vtrũ uis facere.] Id eſt, dicere uel nõ dicere Saluo officio.] Vt paulo poſt dicit, Quod ſalua fide poſſim. Contenderunt.] Id eſt, cõtente et inſtanter petiuerunt. in qua re hoc uerbũ à Cicerone perſæpe dici, alio loco docuimus. Ad finẽ huius orationis, Cicero hãc ſibi cauſam à M. Meſſala traditã dicit. Poſſunt.] Id eſt, poteſtatem habent: et ut uulgo dicunt, habent poteſtatem imperandi. Beneuolentiã ignorare.] Quod ingrati eſt. Oſtendit non licuiſſe ſibi, ut recuſaret ne Roſcium defenderet.

Auctoritatem aſpernari.] Quod arrogantis atque diſſoluti hominis eſt. Voluntatem negligere. Quod inimici eſt.

Extiti.] Id eſt, ſurrexi. Forſitan quæratis.] Alia prolepſis eſt. Qui ſit.] Vt, Sed tamen iſte deus qui ſit da Tityre nobis. itemq́;: Deſpectus tibi ſum, nec qui ſim quæris Alexi. Cauſam dicere.] Id eſt, orare. alioqui reus cauſam dicit. Ab accuſatoribus] Quãuis C. Erucius ſolus accuſauerit, accuſatores tamen appellat eos qui accuſatorẽ ſollicitẽt, eiq́; probationes ſubminiſtrent. ut pro Cluentio, accuſatores ſæpe appellãt T. Actium & Oppianicum, quamuis Actius ſolus uerba fecerit. Conflauit hoc iudiciũ.] Id eſt, hanc cauſam machinata eſt & fecit. Quæ ſunt ſexagies.] Id eſt, quæ ualent ſexagies centena millia ſeſtertium: quæ ualent centũ quinquaginta millia aureorũ, ut ex aſſe Budæi collegimus. Duobus millibus nummum.] Id eſt, quinquaginta aureis, ut ſinguli aurei ualeant XL. nummos. Quem honoris cauſa nomino.] Vt uirum honeſtiſſimum. De hoc dicendi genere alibi ſcripſimus. Emiſſe de uiro.] Vt emere de ſectoribus, & emere de A. Rupilio, dixit pro A. Cluentio: & pro L. Flacco, mercatus de pupillo. Vel potentiſſimus.] Inuidiam Chryſogono facit. L. Cornelius Chryſogonus.] L. Cornelius nomine L. Cornelij Syllæ, cuius libertus erat, appellatus eſt. Libertos enim patronorũ nomine appellari morem fuiſſe Romæ, alibi ſcribimus. Pecuniam.] Pecuniæ ſignificatio ad ea refertur, quæ in patrimonio noſtro ſunt, ut ait Paulus iuriſcõſul. lib. Digeſt. 50. titul. De uerborum & rerũ ſignificatione. Auctore Vlpiano eodem in loco, Pecuniæ uerbum non ſolum numeratã pecuniam complectitur, uerumetiam omnem omnino pecuniã, id eſt, omnia corpora. nam corpora quæcunque, pecuniæ appellatione cõtineri, nemo eſt qui ignoret. Hermogene eodem in loco auctore, pecuniæ nomine non ſolum numerata pecunia, ſed omnes res tam ſolidæ quã mobiles, & tam corpora quã iura cõtinentur. Tam plenam.] Id eſt, tam copioſam, tam abundantem. Tam præclaram.] Id eſt, tam eximiam, tã egregiam, tam opimam. ut paulo poſt dicit: Opimam præclaramq́; prædam. Nullo iure.] Id eſt, iniuſte. In alienã pecuniam inuaſerit.] Id eſt, alienam pecuniam per uim eripuerit & occupauerit. ut paulo poſt: Accuſant ij, qui in fortunas huius inuaſerunt. Incurrere in damnum, Cicero dicit pro M. Cælio in eandem rem: Ne incurrat, inquit, in alterius damnum atque famã. Et pecuniæ uita Sex. Roſcij obſtare atque officere uideatur.] Quo minus ea Chryſogonus ex animi ſentẽtia fruatur. Poſtulat deleatis.] Hoc aliquando facit Cicero, ut fingat aduerſariũ poſtulare, aut dicere quid ipſe aduerſarius ſentiat, quod eius cauſæ contrarium ſit: quæ ſit ueluti quædam criminis confeſſio, ut contra poſtulat ipſe aut dicit, quod pro cauſa ſua ſit. ut pro A. Cluentio: Accuſator Cluentius dicit hæc, Primum grauiſſimis criminibus accuſabã, ut nihil opus eſſet pecunia. deinde condemnatũ adducebam, ut ne eripi quidem pecunia poſſet. poſtremo etiã ſi abſolutus eſſet, mearũ tamẽ omniũ fortunarum ſtatus incolumis maneret. Quid contra reus Oppianicus? Primũ ipſam multitudinem & atrocitatem criminũ pertimeſcebam. deinde Fabritijs propter conſcientiam mei ſceleris condemnatis, me eſſe condemnatum ſentiebam. poſtremo in eũ caſum uenerat, ut omnis fortunarum mearum ſtatus unius iudicij periculo contineretur. Delatis ex animo ſuo, &c.] Id autem facietis, ſi Sex. Roſcium damnaueritis. Hoc incolumi.] Id eſt, Sex. Roſcio non condemnato. Copioſum.] Id eſt, opulentum: à copijs, id eſt, diuitijs, de qua uoce alio loco ſcripſimus. Eiecto.] Non quidem in exilium, (ea enim parricidij pœna non eſt,) ſed in flumen. Effundere.] Id eſt, temere & large expendere. Inde effuſiones pecuniarũ Cicero dixit in lib. de Offi. 2. Quanto, inquit, Ariſtoteles grauius & uerius nos reprehendit, qui has effuſiones pecuniarum nõ admiremur. Eſt igitur effundere, large & prodige inſumere & dare, quaſi non numerando nec pendendo, ſed effundendo conſumere. ut pro M. Cælio: Parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienã, ne effundat patrimoniũ, ne fœnore trucidetur. Inde large et effuſe donare, paulo poſt dicit Cicero. In eadem re profundere pecunias dicit, in lib. de Offic. 2. Prodigi qui epulis & uiſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum uenationumq́; apparatu pecunias profundunt, in ea res, quarum memoriam aut breuẽ, aut nullam ſunt relicturi omnino. In eadẽ ferè re illud eſt in eodem libro: Periclem principem Græciæ uituperabat, qui tantam pecuniam in præclara illa Propylæa proiecit. Per luxuriam.] Largiendo, potando, ſcortando. Eſt autem luxuria, ſuperuacanea rerum abundantia & ſumptus: cui contraria frugalitas eſt. Adiutores.] Impulſorẽ in mala re, adiutorem in bona dici, Donatus in Terent. ſcribit. Quæ differentia perpetua nõ eſt: ſed adiutor in mala re dicitur ſæpius, quã in bona impulſor. Adiutores nos profiteamini.] Aduerſarium iudicibus in odium adducit, quòd ijs ad maleficiũ uti uelit. Vt pecunia fortunisq́;.] Hoc ualet ad mouendos affectus. Periculum quod in omnes intẽditur.] Hoc iudiciũ ad Remp. pertinere, nec id ſolũ petere accuſatores, ut Roſc. damnetur, ſignificat: quod amplius poſtea oſtendet. In omnes intendetur.] Id eſt, proponitur. Videtur tranſlatio ducta ab ijs, qui retia tendunt. ea enim in feras, aut in aues intendunt. Miſi à gladiatoribus, aut à minantibus potius ducta eſt, qui in aduerſariũ gladiũ aut brachiũ intendunt. Inde intentare, pro minari, cũ datiuo dicitur. ut poſtea: Quod aiunt illũ Sex. Roſcio intentaſſe, & medicatum eſſe, ſe omnia illa pro teſtimonio eſſe dicturũ. Verg. in 1. Aen. Præſentemq́; uiris intentãt omnia mortem. Cauſa criminis.] Id eſt, cur parricidiũ Sex. Roſcius admittere uoluerit. Cauſæ enim cur quis quid fecerit, aut nõ fecerit, in probationibus ualet plurimũ. Facti.] Id eſt, parricidij. In deferendo nomine.] Id eſt, in accuſando Sex. Roſcio. Non recuſamus.] Illud ſolet facere Cicero, ut probationes ſuas proponat fore clariſſimas. alioqui ſe nõ deprecaturũ, ut reus ſeruetur: nec recuſaturũ, quo minus reus dãnetur. ut pro Milone: Quanquam in hac cauſa iudices, T. Annij tribunatu, rebus omnibus pro ſalute Reip. geſtis, ad huius criminis defenſionẽ nõ abutemur, niſi oculis uideritis inſidias Miloni à Clodio factas: nec deprecaturi ſumus, ut crimẽ hoc nobis multa propter præclara in Remp. merita cõdonetis: nec poſtulaturi, ut ſi mors P. Clodij ſalus ueſtra fuerit, idcirco eã uirtuti Milonis potius quã Po. Ro. felicitati aſſignetis. Sed ſi illius inſidiæ clariores hac luce fuerint, tũ deniq; obſecrabo obteſtaborq́; uos iudices, ſi cætera amiſimus, hoc ſaltem nobis ut relinquatur, ab inimicorũ audacia telisq́; uitam ut impune liceat defendere. Quin illorum libidini Sex. Roſcij uita dedatur.] Id eſt, ad illorum libidinem Sex. Roſcius condonetur. ut pro L. Flacco: Ne hominibus leuitate Græcis, crudelitate Barbaris, ciuem ac ſupplicem ueſtrum dederitis. Condonare & concedere in eadem re dici, pro Cluentio ſcribimus. Pugnatur.] Certatur iudicio, & contenditur. Opimam.] Id eſt, copioſam, amplã, magnificã. Auctore Sex. Pompeio, Opis fuit Saturni coniunx, per quã uoluerũt terrã ſignificare, quia omnes opes humano ge-

ueri

neri terra tribuit,unde opulenti,terreſtribus rebus copioſi:et hoſtiæ opimæ,præcipue pingues: & optima magnifica, & ampla ſpolia. Vos idoneos habitos.] Aduerſarios in odium iudicum adducit. Idoneus in mala re hic dicitur. Iusq; iurandum.] Nam iurati iudices erant. Ex ciuitate in ſenatum. Nemo enim ſenator fiebat,quin ciuis eſſet. Ex Senatu in hoc cõſilium.] Soli Senatores tum iudicabant,lege Cornelia,quam L.Cornelius Sylla tulit. In hoc conſilium.] Conſilium pro cœtu iudicum dici,alibi docuimus. Seueritatem.] Seuerus iudex eſt,qui nocentes dãnat,innocentes abſoluit. Sicarios.] Id eſt,homicidas.Auctore Quint.lib.10. per abuſionem ſicarios etiã omnes uocamus,qui cædem telo quocunque commiſerint. Gladiatores.] Vel ad augendam facti atrocitatem appellat gladiatores,quo nomine L.Catilinam appellat: uel re uera gladiatores intelligit, ut poſtea T. Roſcios Capitonem & Magnum dicit eſſe gladiatores. A` uobis me tuere.] Vt Terent. in Andria, Metui à Chryſide. Metuo ab illo,ut ait Donatus, cuius cauſa poſſum aliquid mali pati, etiam ſi ipſe nihil in me mali conſulat. His de rebus ſatis.] Attentos facit auditores: quia magnitudinem rei oſtendit, eorumq; auxilium tacite implorat contra aduerſarios,cum ſe ad dicendum,querendum,uociferandum ſufficere negat, propter nimiam rei aduerſariorum atrocitatem. Ingenium.] Solet Cicero,auctore Quintil.lib. 11.ingenium ſuum ſubmittere.

Quem mihi natura.] Ciceronem reliquosq; bonos oratores initio dicendi timere ſolitos,pro Cluẽtio abunde ſcripſimus.

Vos oro atque obſecro.] Iudicum primũ,deinde M.Fannij Prætoris,qui huic cauſæ præeſt beneuolentiam captat. Te quæſo.] Quæſo ſæpius abſolute dicitur,iungiturq; cum imperatiuo modo.Exiſtimat Donatus tũ id eſſe aduerbium, quod dicatur ad leniendum imperium uerbi imperatiui. cuiuſmodi illa ſunt:ſis,ſultis, age,agite,ſodes: & id quod imperite uulgus dicit,parum. ut cum dicit, adiuua me parum. Nonnunquam tamen dicimus, quæſo te: & ſæpius, quæſo à te. ut poſtea: Quæſo à uobis iudices, ut hæc pauca quæ reſtant, ita audiatis, ut partem me dicere pro meipſo putetis, partim pro Sex. Roſcio.Et pro Archia poeta: Quæſo à uobis, ut in hac cauſa mihi detis hanc ueniam.pro L.Flacco:Quæſo à uobis Aſiatici teſtes. Libro epiſtol.famil.11.Deos quæſumus conſilia tua Reip. ſalutaria ſint.atque tibi. Huic idem quæſtioni præeſſes.] Intelligendum arbitror,cum accuſator diceret.Nam (ut ait Aſconius)dies uiginti dabantur ad accuſandum legitimi, totidemq; defenſori ad reſpondendum.Nonnunquam tamen lex ferebatur,ut eodem die accuſator & patronus orarent,ut iudices pronunciarent:quod in cauſa Milonis à Pompeio latum,idem ſcribit. Præeſſes.] Id eſt, Prætor eſſes. In hac enim cauſa Fannium prætorem fuiſſe, paulo poſt ſcribit.Quæſtioni quoque Iudex præeſſe quæſitor dicitur,ut Cicero pro Au.Cluentio de C. Iunio,qui in Oppianici cauſa quæſitor fuerat: Condemnatus eſt C.Iunius, qui ei quæſtioni præfuerat. Adde etiam illud, ſi placet,tum eſt condemnatus,cum eſſet iudex quæſtionis. Impertias.] Id eſt,præſtes & prebeas. Quanta multitudo hominum conuenerit.] Affectuum ſemina ſunt, quos in perotatione tractabit amplius. Quæ cupiditas.] Cupiditatẽ in re bona dicit. In eadem re ſæpius dicit ſtudium. Cupiebat autem populus Romanus, ut acria, & ſeuera iudicia fierent: propterea quod iudicia à L.Sylla ſublata fuerant,quo tempore cædes maxime indigniſſimæq; factæ ſunt. Longo interuallo.] Id à Cicerone ſæpe dicitur: uulgo autem dicerent,longo interuallo poſt. Iudicium hoc.] Poſt ſublata iudicia à L.Sylla, eaq; longo interuallo ſenatui conceſſa, hanc Roſcij cauſam primam actam eſſe ſignificat. Committitur.] Id eſt,conſtituitur,ut Conſtituere quæſtionem & iudiciũ ſæpius, ita hoc loco Committere iudicium dicit. Interea.] In eo longo interuallo.Boni enim ciues & opulenti, quorum bona Syllani cõcupierunt,ut aduerſarij proſcripti ſunt, & necati. Qua proſcriptione, Romana ciuitas nihil unquam uidit indignius. Manifeſtis maleficijs.] In alijs codicibus eſt, De manifeſtis maleficijs. quæ lectio mihi uidetur melior: ut intelligas quæſtionem de manifeſtis maleficijs. Demiſſius.] In alijs quoq; codicibus ſcriptum eſt, Haud remiſſius: id eſt, diligentius. ea autem lectio mihi aſpernanda non uidetur. nec prior eſt à ſententia auerſa.Demittere enim eſt,ſummittere,& deorſum mittere, & minus animoſe agere.ut: Demittunt animos magnæ nil laudis egenos.Illud enim ualet ad cauſæ noſtræ commendationem,ſi dicamus quæ iudicij expectatio hominum ſit. Qui cauſam dicimus.] Id eſt, qui defendimus. Maleficia uindicetis.] Id eſt, maleficos & perditos homines puniatis. Niſi in hac cauſa,&c.] Hoc iudicium quantum ad Remp. pertineat oſtendit,ut in omnibus ferè cauſis facere ſolet. Prorumpere.] Id eſt,ut peruenire,extendi,& effundi. ut Proruptam audaciam paulo poſt appellat,quã proiectam dixit pro A.Cluentio: Hæc magnitudo maleficij facit,ut niſi penè manifeſtum parricidium proferatur,credibile non ſit: niſi turpis adoleſcẽtia,niſi omnibus flagitijs uita inquinata,niſi ſumptus effuſi cum probro atque dedecore,niſi prorupta audacia,niſi tanta temeritas,ut non procul abhorreat ab inſania. Inter ipſa ſubſellia.] Subſellia non modo iudicum, ſed etiã oratorum in foro ſunt. Quid aliud hoc iudicio tentatur.] Illud pero ſæpe facit Cicero ut oſtendat peti aliud ab accuſatoribus,quàm quod in quæſtione ſit. quod ſit Reip. pernicioſum. Id.] Id eſt,cædes ante tribunalia,ante iudices,inter ipſa ſubſellia. Accuſant ij,] Quàm audaces ſint accuſatores,quàm miſer et innocens reus ſit,oſtendit:ut cognoſci facilius poſſit,quid hoc iudicio petant accuſatores,ut iudicum fauorẽ ab accuſatoribus ad reum conuertat,ut ſpargat uelut ſemina argumentorum. Hunc ipſum.] Roſcium filium. Huius enim uitæ inſidias à T.Roſcijs paratas fuiſſe, eamq; ob cauſam hunc Romã cõfugiſſe,paulo poſt dicet Cicero. Summe.] Id eſt, ualde. Poſtit.] Id eſt,ad ſuppliciũ petit, quod improbi ſint. Atque ut facilius.] Ad narrationem tranſit.id cum fit, admonendi ſunt auditores, ut diligentius intelligant id de quo pronunciaturi ſunt.Cum ſtatus coniecturalis ſimplex eſt,id eſt,cũ reus factum,quod accuſator intendit,tantũ negat,patrono nihil opus eſt narratione.Quid enim narrabit, qui à ſe factum negat? Si uero patronus non modo neget, ſed etiã in aduerſarium crimen ipſum retorqueat: iam ſtatus coniecturalis ſimplex nõ eſt. oportetq; ut probet id quod retorquet.itaq; cũ oportet uel narratione.ut pro Milone,accuſator dixit à Milone factas inſidias Clodio:negat id Cicero,retorquetq; à Clodio factas Miloni.ideo narrauit,In hac quoque cauſa à Sex.Roſcio patrem occiſum eſſe,accuſatores dixerunt. id non negat Cicero,ſed etiã retorquet eum ab accuſatoribus necatũ. Id ut probet facilius,utitur narratione. Sex.Roſcius pater huiuſce.] Huius narrationis initiũ perſimile eſt initio primæ narrationis pro Aulo Cluẽtio. Hoc exẽplo utitur Sulpitius Victor in lib.Inſtitut.oratoriarum, cum ſcribit narrationem fieri dilucidam, ſi à recto caſu incipiat,quo modo fermè eſſe narrationes Tullianas dicit. Amerinus.] Ameria urbs Italiæ, DCCCCLXIIII annis ante Perſei bellum condita eſt, ut ait Plinius libro 3. ex Catonis ſententia. Aliquot igitur ſæculis ante Romam condita fuit. Municipij.] Id eſt,Ameriæ. Conſuetudo.] Id eſt, familiaritas: & ut uulgo dicunt,conuerſatio. Hoc ſolum.] Cõmodum,quod ſcilicet amicos ei et hoſpites reliquerit. Domeſtici prædones.] Titi Roſcij,Capito & Magnus, qui itidem Amerini erant. Vi ereptum poſſident. Id eſt,ui eripuerunt & poſſident. Hic.] Sex.Roſcius pater. Hoc tumultu proximo.] Tumultus,ut ait Cice.in Philippica 8.nihil aliud

eſt, niſi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur. unde etiam nomen ductum eſt Tumultus. Itaque, inquit, maiores noſtri tumultum Italicum, quod erat domeſticus: tumultũ Gallicũ, quod erat Italiæ finitimus: præterea nullum tumultũ nominabant. Romani igitur Italicũ bellum, aut Gallicum, appellabant tumultũ. Vt hoc loco ciuile bellũ, quod Sylla cum C. Mario aliiſq; geſſit, appellat tumultum. Cũ omnium nobilium dignitas.] L. Sylla gerente bellum cũ Mithridate, Cinna, Marius, Sertorius, Carbo, cum ſingulis exercitibus in urbem Romam recepti ſunt. eam uelut captã cædibus & rapinis uaſtauerũt, Cn. Octauio Coſ. occiſo, omnibuſq; aduerſæ partis nobilibus trucidatis, in quibus M. Antonius, & C. Cæſar oratores fuerũt. L. item Craſſus orator, ne quid uirtute ſua indignũ pateretur, gladio ſe trãſfixit: Auctor eſt Tit. Liuius lib. 80. Eam partem cauſamq;.] Nobilium ſcilicet. Conſtituta.] Id eſt, confirmata interfectis hoſtibus. ut paulo poſt dicit, conſtituere pacem: Cum & pacis conſtituendæ rationem & belli gerẽdi poteſtatem ſolus haberet. & pro C. Rabirio, conſtituere Remp. Precorq; ab iis, ut hodiernum diem & ad huius ſalutem conſeruandam, & ad Rempu. conſtituendam illuxiſſe patiantur. Proſcriberentur homines.] Præcipue ii, qui aduerſarii fuiſſe putabantur.

Frequens.] Id eſt, frequenter, ut in libro de Officiis ſecundo: Facillime autem & in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes, qui ſe ad claros & ſapientes, & bene conſulentes uiros Reip. contulerunt: quibuſcum ſi frequẽtes ſunt, opinionem afferunt populo, foro ſe ſimiles, quos ſibiipſi delegerunt ad imitandum. Victoria nobilitatis.] Quæ fuit L. Syllæ. Erant ei ueteres inimicitiæ.] Oportet narrationẽ eſſe ueriſimilem. Eam autem faciemus, ſi cauſam quæ impulit dicamus: ſi perſonæ, quæ fecit, mores ita deſcribamus, ut ad eẽ facta alieni non uideantur: ſi loci & temporis opportunitatẽ oſtendamus. Hoc loco hæc quatuor Cicero tractat. Veteres inimicitiæ.] Vt amicitiæ, ita inimicitiæ, quo uetuſtiores, ita grauiores eſſe ſolẽt.

In accuſatorum ſubſelliis.] Id eſt, in iis ſubſelliis, in quibus accuſatores ſedere ſolent: id eſt, in iis quæ ſunt ad ſiniſtram manum iudicis. Nam ad dexteram, reus & patroni ſedebant.

Alterum.] T. Roſcium Capitonem. Quas inimicitias, ſi tam cauere.] Cauere inimicitias, ſocium, proditorem, omnia dicimus. ut paulo poſt: Socium uero cauere qui poſſumus? quem etiam ſi metuimus, ius officii lædimus. In oratione Poſt reditum ad Quirites: Sic ulciſcar perfidos amicos, nihil credendo atque omnia cauendo. Quintil. lib. 7. Cuius uox fuit, Cauete proditorem. Capitoni cognomen eſt.] Capito, Capitonis, & Capitoni cognomen eſt, auctore Ser. dicimus. Plurimarum palmarum.] Id eſt, plurimorũ certaminum, quod ſequitur pro eo quod præcedit. Niſi enim in his certaminibus uictor fuiſſet, interfectus fuiſſet. nam in pari gladiatorum, alterũ interfici mos erat, niſi forte ſibi ſatisfactũ eſſe dominus dixiſſet. Palmã pro uictoria dici, nemo ignorat. cauſa apud A. Gellium eſt. Inde palmariũ, pro eo quod eſt palma dignum, Terent. in Eunucho dixit: Tum, inquit, hoc alterũ, id uero eſt quod mihi puto palmarium. Vetus ac nobilis.] Vetus, ut ait Donatus, plerunq; refertur ad laudem, interdum ad uituperationẽ. ut: Sed qui maleuoli ueteris poetæ maledictis reſpondeat. & alibi: Vetus ueternoſus ſenex. Hoc in loco Vetus, quẽadmodum Nobilis, in uituperationem dicitur. Hic autem.] Tit. Roſcius Magnus. Ad eum laniſtam.] Ad Titũ Roſcium Capitonem. Eſt autem laniſta, qui familias domi habet ad gladiaturam exercendam, quas inſtituit. Ante hanc pugnam tyro eſſet, quod ſciam.] Id eſt, prout ego ſcio. Hic Sex. Roſcius.] Filius. Res ipſa.] Quæ probaturus eſt Cicero, pollicetur ea, ut dixi, fore clariſſima: alioqui dãnari nõ recuſat.

Res ipſa.] Non oratio mea, ſed res ipſa: Ameriam nunciat.] De hoc dicendi genere ſcribimus pro Milone. Non filii.] Id eſt, Sex. Roſcii. Hæc autẽ Cicero dicit, ut credibile faciat, à T. Roſcio Magno Capitonis cõſilio Sex. Roſciũ occiſum eſſe. Poſt horã primam noctis.] Veteres ſolitos eſſe numerare horas duodecim, ab oriente ſole ad occidẽtem, quæ diurnæ eſſent: et totidem ab occidente ad oriẽtem, quæ eſſent nocturnæ, alibi diximus. Primo diluculo.] Sæpius dicit, prima luce. Vulgo dicunt, ſummo mane. Decem horis nocturnis.] Nam poſt primã horam noctis diſceſſit, et hora ante ſolem ortẽ tem Ameriam uenit. Sex & quinquaginta.] Inde attende, Ameriam, ab urbe Roma tot millibus paſſuum diſtare.

Ciſiis.] Ciſium uehiculi genus erat, quo utebantur Romani cũ celeriter uolebant conficere iter. ut in Philip. ſecunda: Cum hora diei ferè decima ad Saxa Rubra ueniſſet, delituit in quadã cauponula, atq; ibi ſe occultans, perpotauit ad ueſperum. Inde ciſio celeriter ad urbem aduectus, domũ uenit, capite inuoluto. Quod autem ciſiis dicat, ſignificat eum ciſia mutaſſe, quo iter celerius conficeret, ut ſolent curſores noſtri mutare equos. Cruorem inimici.] Mouet affectum, ut aduerſarium in odiũ adducat. Quatriduo, quo hæc geſta ſunt.] Diceret Tit. Liuius, Quatriduo quã. Ita enim poſt numeralia nomina, quæ ordinalia Grammatici appellant, cuiuſmodi ſunt, primus, ſecundus, tertius, &c. ſolet ponere Quàm. Quatriduo autẽ eſt, quarto die, nõ quatuor diebus. Poſt alia nomina numeralia, quæ appellant cardinalia, ut ſunt, unus, duo, tres, &c. Cicero ſolet particulam Cum poſtponere. ut: Sunt duo anni, cum à te literas nullas accepi. Volaterras.] Volaterræ oppidũ eſt in Etruria, ante bellum Troianũ conditum. In eo Mariani proſcripti cõſiſtentes, à L. Syllà obſeſſi ſunt. is uerũ potius, agrum Volaterranum publicauit. Cn. Cæſar primo ſuo conſulatu agrũ Volaterranũ et oppidũ, omni periculo in perpetuũ liberauit: ut eſt apud Ciceronẽ lib. Epiſt. fam. 13. Pecuniæ.] Id eſt, bonorum Sex. Roſcii. Bonitas prædiorum.] Vt pro lege agraria in Rullum: Demigraturos in illa loca noſtros homines, propter agrorũ bonitatem, & omniũ rerũ copiam. Itemq;: Si quis agri aut oppidi bonitate delectetur. Decẽ et tres.] Pro tredecim, Licet dicere Decẽ et tres, et Tres et decem: eodemq; modo uſq; ad uiginti. Sed in nominibus ordinem ſignificantibus, id quod minorẽ numerũ ſignificat, præponi ſolet. ut tertiuſdecimus, quartuſdecimus, etc. nõ contra dici ſolet. Qui Tyberim ferè omnes tangunt.] Commendatiora ſunt prædia ea, quæ flumio magno, et ut ita dicã, nauigabili proxima ſunt. facilius enim, et minore impenſa dominus ea uiſitat, eorumq; fructus in urbẽ conuehendos curat. Tangunt Tyberim.] Id eſt, Tyberi ſunt proxima, et ut uulgo dicũt, contigua. ut in oratione de Reſpõſis Aruſpicum: Quid habet tua domus religioſi? niſi quod impuri et ſacrilegi parietem tãgit. et pro Milone: Suſpicari tamen debuit, cum etiã ſi Romã illo die reuerti uellet, ad uillã ſuã, quæ uiã tangeret, diuerſurũ. Continere uiã in eadem re dici, alio in loco ſcribemus. Inopia & ſolitudo.] Inops dicitur is qui ſolus eſt, qui nec amicos nec propinquos hẽt, quorũ ope, id eſt auxilio tutari ſe poſſit. Inopiam itaque et ſolitudinem ferè in eadẽ re dicit. Solitudinem hac in re dixit Terent. in Andr. Perq; huius ſolitudinem Te obteſtor, ne abs te hanc ſegreges, neue deſeras. Cum pater huiuſce.] Suaſio eſt à maiori ad minus. Tam ſplendidus.] Id eſt, liberalis et magnificus. Gratioſus.] Id eſt, apud multos ualens gratia. qua uoce utitur Cicero ſæpiſſime. Nullo negotio.] Id eſt, facile. ut pro M. Cælio: Neque huius iudicii ueritatẽ, quæ mutari nullo modo poteſt, in uoluntate teſtiũ collocari ſinã: quæ facillime fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri poteſt. Ne diutius teneam.] Quia narratio debet eſſe breuis, ſi ea fuerit longiuſcula, auditorum tædium effugandum eſt illis figuris: Sed quid moror? Sed quid uerbis opus eſt? Ne diutius teneam: aliiſq; eiuſdem generis. Societas coitur.] Id eſt, ineunt ſocietatem de Roſcii pecunia.

De

De ſocietate poſtea ſcribemus. ſed interim attendendũ eſt, coire ſocietatem, pro eo quod eſt amicitiam inire, dici. ut in Philippica ſecunda: Vtinã Cn. Pompeij cum Cæſare ſocietatem nunquam coiſſes, aut nũquam direuiſſes. Antea. ] Id eſt, cum eſſet proſcriptio. Defunctos. ] Id eſt, liberatos. ut: O tandem magnis pelagi defuncte periclis. Mancep. ] Auctore Boetio lib. Cõmentariorum in Topica Ciceronis tertio: Omnes res quæ abalienari poſſunt, id eſt, quæ à noſtro ad alterius dominiũ tranſire poſſunt, mancipi dicuntur. Eſt autem mancipatio, imaginaria quædam, ſeruata iuris ſolẽnitate, uenditio: quod ipſum ius Romanorum ciuium proprium eſt. Eaq; res ita agitur, adhibitis non minus quàm quinque teſtibus, ciuibus Romanis, puberibus, & præterea alio eiuſdem conditionis, qui librã æneam teneat, qui appellatur libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit. Hunc ego hominem ex iure Quiritium meũ eſſe aio, iſq; mihi emptus eſt hoc ære, æneaq; libra. deinde ære percutit libram: idq; æs dat ei à quo mancipium accipit, quaſi pretij loco. Manceps igitur hoc loco dicitur, qui per hanc iuris ſolennitatem emit. Alioqui mancipes ſunt, publicanorum principes: ut ait Aſconius. Hominis ſtudioſiſſimi nobilitatis. ] Id eſt, Sex. Roſcij patris. cuius bona mancipari non oportuit, propterea quod nobilitatis ſtudioſus, cum L. Sylla ſenſerit. Propria. ], Id eſt, non utenda, ſed ut uulgo dicũt, proprietaria. Iſte T. Roſcius. ] Magnus. Hæc bona LX. ] Sexagies ſcribi debet. Ea quæ Prætor imprudente L. Sylla. ] Prudenter facit Cicero, ne eum dicit contra Chryſogonũ, contra L. Syllam, qui tum rerũ potitus erat, dicere uideretur. Vt enim oratoris eſt cauere, ne quid dicat, quod cauſæ aduerſum ſit: ita ne quid ſalua fide patrocinij dicat, quod ſibi nocere poſſit. Et ea quæ præterita ſunt. ] Verbum Ordinet, aliud'ue quod ſimile adſeribendum puto Hæc autẽ Cicero dicit, ut contendat L. Syllam negotijs plurimis occupatũ eſſe. itaq; imprudente eo Chryſogonũ & T. Roſcios hæc omnia facere. Spectent. ] Id eſt, ſpem habeant. Diſtentus. ] Id eſt, occupatus, à diſtinendo: uel diſtractus, à diſtendendo quãuis Diſtinere & Diſtendere, ſi dicãtur, raro dicantur. Reſpirare libere. ] Magnã Syllæ diligẽtiã prædicat. Viris enim grauibus, Reip. munus ſuſtinẽtibus, licet aliquando recreare ſe, et reficere. Vt Scipio Africanus maior, auctore Cic lib. de Offic 3. requieſcẽs à Reip. pulcherrimis muneribus, otiũ ſumebat aliquãdo, et à cœtu hominũ frequẽtiaq; interdum, tanquã in portũ ſe et ſolitudinem recipiebat. Reſpirare libere ] Id eſt, ut uulgo loquũtur, accipere anhelitũ ad uoluntatẽ. Eſt autem hyperbole, quæ auctore Quint lib 8. non in augendo ſolũ fit, ſed etiã in diminuendo. ut, Vix oſſibus hærent. et quod Cicero in quodam ioculari libello: Fundum Varro uocat, quẽ poſſim mittere funda. Ni tamen exciderit, qua caua funda patet. Hyperbole omnis, quãuis ſit ultra fidem, eſſe tamen nõ debet (ut idem ait) ultra modũ. Si aliquid. ] Ordo eſt: Neque enim mirũ eſt, ſi aliquid, &c. Si aliquid nõ animaduertat. ] Id eſt, ſi quid imprudente eo fiat. Occupationẽ eius obſeruẽt. ] Id eſt, inſpiciant, et ut uulgo dicũt, diligẽter cuſtodiant, et ſpeculentur, quãdo ſit occupatus. Tempuſq; aucupentur. ] Id eſt, peragendi ſui negotij opportunitatem captent, quod L. Sylla ab occupationibus libere agere non poſſet. Deſpexerit. ] Id eſt, non aſpexerit, nõ animaduerterit. De aũt, hoc loco priuatiua particula eſt. Ille ſit felix. ] L. Sylla, cũ propter alios multos felices rerũ ſucceſſus, tum præcipue quod Athenas, quibus ui potitus erat, nõ euertiſſet, ſed ijs peperciſſet, propter egregia ſtudia, quæ illic uiguerant: L. Lucullus, ut in eius uita Plutarchus ſcribit, feliciſſimam Syllæ ſe admirari fortunam dixit, qui cum noluiſſet Athenas ſeruare, potuerit. Se quoque uenuſtum idem Sylla appellabat, ut in eius uita idẽ Plutarchus ſcribit. In tanta felicitate, &c. ] Id ita uerũ eſt, ut in familia Chriſti, quã ſibijpſi elegerat, unus è diſcipulis duodecim improbus impiuſq;

exſtiterit. Vir optimus. ] Ironia eſt. Luctu perditum. ] Id eſt, mortẽ patris miſere lugentem. Iuſta enim ſoluiſſet. ] Id eſt, exequias feciſſet. Iuſta enim numero tantũ plurali, ſunt exequiæ, et põpa funebris. ut in lib. de Legibus 2. Quid uero ex his, qui horũ ſcelerũ principes fuerũt, et præter cæteros in religione impij? Non ſolũ uita cruciati atque dedecore, uerũ et ſepultura ad iuſtis exequiarũ caruerunt. itemq; Siti dicuntur ij qui conditi ſunt. nec tamen eorũ ante ſepulchrũ eſt, quã iuſta facta et corpus incenſum eſt. Inde collige, dici Facere & ſoluere iuſta. Iuſta funebria dicit T. Liuius lib. 1. Nec cœleſtes modo cerimonias, ſed iuſta quoque funebria, placandoſq; deos manes, ut idẽ pontifex edoceret. Nudum. ] Id eſt, omni patrimonio ſpoliatum. Eiecit. ] Eijcit melius legatur: ut cũ uerbis illis cõueniat, inuadit, exturbat. Eijcit domo atque focis patrijs. ] Rei indignitatẽ auget. Nam, ut ait pro Domo ſua Cicero: Nihil ſanctius, nihil omni religione munitius, quã domus uniuſcuiuſque ciuium. Hic aræ ſunt, hic foci, hic dij penates, hic ſacræ religionis cerimoniæ continentur. hoc perfugiũ eſt ita ſanctũ omnibus, ut inde arripi neminem fas ſit. Sunt autem dij Penates, intimarum rerum cuſtodes, ſiue à penu ducto nomine (eſt. n. omne quo ueſcuntur homines, penus) ſiue ab eo quod penitus inſidẽt, ex quo etiã penetrales a poetis uocantur, auctor eſt Cic. in li. de Nat. deor. 2. Auctore Seruio in Comment 5 et .6. Aen. Vergil. apud priſcos in ſua quiſq; domo ſepeliebatur, Hinc ortum, ut Lares in domibus colerẽtur. unde umbras larvas uocamus. Penates quoque domi ex hac cõſuetudine coli, idem dicit. Dijs autẽ penatibus domorum culmina, ut parietes Ioui Herceo dedicari morẽ fuiſſe, idẽ ſcribit lib. 2. Auctione. ] Id eſt, publica uenditione, qua res addici ſolet ei, qui ultimus auxerit pretium. Fletus gemituſq;. ] Ex Amerinorum dolore facinoris aduerſariorũ atrocitatem auget. Qua ratione ab aduerſarijs iudices auertit, eoſq; Sex. Roſcio conciliat. Qui non ardere omnia mallet. ] Vt qui permagna re alicuius cupiditate tenẽtur, magnum aliquod incõmodum etiã publicum exoptãt, modo id quod tãtopere cupiũt, aſſequãtur. (Varro de uita po. Rom. ut eſt apud Marcellum: Tanta porrò inuaſit cupiditas honorum pleriſq; ut uel cœlum ruere, mõ magiſtratũ adipiſcãtur exoptẽt:) Ita qui odioſum aliquã rem maxime auerſantur, magnũ aliquo exitiũ etiã publicũ uidere malunt, quam quod tanto odio auerſantur. Qui non ardere omnia mallet. ] Melius hoc modo legitur, quã quo modo ſcriptũ inuenio apud Iul. Rufinianũ in lib. de Figuris: Pathopœia, inquit, uel odio, uel iracũdia, uel miſericordia cõmouetur. Verg. At domus interior gemitu, miſeroq; tumultu Miſcetur. Cic pro Roſc. Nemo erat qui non ardere illa omnia mallet, quã uidere in Sex. Roſcij bonis dominantẽ, etc. Decurionum. ] Id eſt, ſenatorũ Ameriæ. Vt decem primi ] Id eſt, decem municipes Amerini, primarij homines. Ex T. Liu. permultis in locis cognoſci facile põt, fuiſſe morẽ Romanũ, ut decẽ Legati mitterentur: nõnunquã tamẽ tres mittebantur, ſed rarius. Illius mortui famã. ] Nam eius nomen in proſcriptionũ tabulas Chryſogonus retulerat. Ipſum decretũ Decurionum. ] Quia narratio breuis eſſe debet, in ea nec teſtes interrogari, nec quid quã recitari licet. Quod igitur hoc loco fecit Cicero, id ab eodem loco alio factum uix inuenias: à Demoſthene et cæteris Græcis perquã frequenter. Erant autem ad hoc publice inſtituti, qui decreta, dũ iuberentur, recitarent: atq; ita illis maior fides, quam ſi ab oratore aduocato recitarentur, habebatur: quocirca ab alio legebantur. Allegat. ] Scilicet mittit. De his reb. Syllam doceri. ] Attende dici, de his rebus doceri. Homines anti. ] Id eſt, uiri boni et ſimplices, quales antiqui fuiſſe exiſtimantur.

Qui ex ſua natura cæt fing. ] Id eſt, qui cæteros fallaces et malitioſos eſſe nõ putarent, quales ſe nõ eſſe ſcirent. Cõfirmaret. ] Id eſt, affirmaret. Nomẽ Sex. Roſc. de tab. exemp. ] Id eſt, deleturũ et obliteraturum. nã in tabulis proſcriptionum

Sex. Roſciū Chryſogonus ſcribendum curauerat, poſtquam occiſum eū audiuerat, ut bonis eius liberius ipſe frueretur. Eximere nomē de tabulis dicit: quemadmodū in lib. de Orat. 2. eximere ex ærarijs, quod eſt, mulctam condonare: et ut uulgo dicūt: quitare: Is enim qui te ex ærarijs exemit, luſtrum condidit. Prædia uacua.] Id eſt, ex quibus decedere iuſſerit eos, qui in ea ſuo nomine inuaſerant. In decem legatis.] Id eſt, unus ex decem legatis. Adpromitteret.] Id eſt, ualde promitteret. Inorata re.] Id eſt, nō orata, nō obito munere legationis. Non. Marcellus docens Enniū dixiſſe regredere pro reuocare, illud ex eo citat: Quō nūc incerta re atque inorata gradū regredere conare? Procraſtinare.] Id eſt de die in diem differre. quæ in re et hoc loco dici, manifeſtū eſt. ut actione in C. Ver. 6. Res non procraſtinatur & 7. iſte non procraſtinat, aduocat amicos ſtatim, quærit ex his ſigillatim, quot quiſque nautas habuerit. Actione 4. ita illi nō procraſtināt, Sthenium ſtatim educūt, aiūt ab eo literas eſſe corruptas. His in locis, Non procraſtinare dicit, pro eo quod eſt nō expectare ad idem craſtinū. Aliquādo lentius.] Id eſt, nō de die in diē, ſed tertio, quarto, quinto, etc. quoq; die differre. Deludere.] Sex. Roſciū. De amicorū cognatorumq; ſententia.] Vt eū feciſſe prudēter uideatur adoleſcēs nō de ſua (quia in adoleſcentiā non cadit prudentia) ſed de amicorū propinquorumq; ſentētia. Ad Cæciliā Nepotis filiam.] Hanc Cæciliā Balearis filiam, Nepotis ſororem poſtea dicit Cicero. Eam autem ex Metellorū familia eſſe, nomen ipſius oſtendit. Cæcilij enim, Metelli appellati ſunt. & fœminas appellari ſolitas ex nomine familiæ, quod proximū ſequeretur prænomē, alibi ſcripſimus. Nepos autem, etiā cognomen eſt. hinc Corn. Nepos, hinc Q. Metel. Nepos: cuius meminit Plutar. in uita Ciceronis.

Quaſi exemp. cauſa.] Antiquos fuiſſe meliores, multis ſcriptorum monumentis cōprobatū eſt. Id quo uerius eſſe cognoſcatur, aliqui ſunt uiri optimi, qui poſſunt eſſe cauſæ exempli antiquæ illius uirtutis. Quam occiſus, &c.] Vt Sex. Roſcius pater poſtquā occiſus eſt, in proſcriptorum tabulas relatus eſt. Veterem.] Id eſt, callidum ueteratorē, et malitia exercitatum. Quid de ea re.] Qui cauſam omni ſuſpicione carentem, ſuſpicione poſſit implere, & facere ueriſimile à Sex. Roſcio patrem occiſum eſſe. Ita loqui hom.] Id eſt, Roſcij aduerſarij loquebantur. Non quò ita eos locutos ſciat Cicero, ſed eo ita locutos uerisimile eſt. Quod iudicia tandiu facta nō eſſent.] L. enim Sylla iudicandi poteſtatem ademit equitibus Ro. eamq; Senatoribus conceſſit: poſtquam Remp. ordine cœpit. Quid primum quærar.] Illud aliquando fit in fine narrationis, ut uelut indignitate & atrocitate eī, quam narramus ex ordine recto depulſi exclamemus, ad indignitatem rei & atrocitatem augendam: ut hoc loco fecit Cicero. ut idem fecit pro A. Cluentio circa nuptias Saſſiæ: O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc unā in omni uita inauditum: O libidinem effrenatā, & indomitam: O audaciā ſingularem, &c. Hanc exclamationem Quint. lib. 4. appellat egreſſionem. In fine huiuſmodi narrationis nō dicitur quid conueniat cū reo, et de quo controuerſia ſit.

Quid primū querar.] Dubitatio eſt, quæ aliquā fidem ueritatis affert, cū ſimulamus quærere nos, unde incipiendum, ubi deſinendum, quid potiſſimū dicendum, an omnino dicendū ſit. ut pro A. Cluentio: Equidem quod ad me attinet, quo me uertam neſcio. Negem fuiſſe illā infamiam iudicij corrupti? negem illam rem agitatā in concionibus? iactatā in iudicijs, cōmemoratam in Senatu? &c. Fidem.] Id eſt, auxilium. Pater occiſus nefarie.] Per capita repetit, quæ narrauit: ut turba ualeāt, quæ diſperſa minus mouere uidebātur, ſingula uerbis atrocioribus amplificat. Poſſeſſa direpta.] In codicibus alijs melius ſcriptū mihi uidetur, Poſſeſſio direpta. Vita infeſta.] Id eſt, uita Sex. Roſcij malum impendet. Infeſtum enim actiue dicit et paſſiue, ſcribit Aul. Gellius lib. 9, tam pro eo qui malum infert cuipiam, quā contra pro eo cui aliunde malum impendet. Appetita.] Id eſt, ualde et diligenter petita. Quid ab his tot maleficijs.] Artificioſum illud eſt, ut cum rem amplificamus, ubi ea uidebitur maxima, quæramus quid ei accedere poſſit, ſignificantes eam maiorem eſſe non poſſe poſtea aliud adiungamus, quo eam maiorem efficiamus. Ferunt.] Id eſt, offerunt. Roſcio.] Magno. Vitam amittere.] Vt pro Milone: Qua in turba C. Vibienus ſenator uir optimus, cum hoc cum eſſet una, ita eſt mutilatus, ut uitā amiſerit. Amittere ualetudinem idem dicit lib. Epiſtol. fam 9. Ipſe melior fio ualetudine, quam intermiſſis exercitationibus amiſeram. Quàm fidei.] Patrocinij ſuſcepti. Diſſoluto.] Id eſt, ignauo & deſidioſo. Patrē meum cū proſcriptus non eſſet.] Quod litigatoris perſonā induas, magis mouet affectus. Hominē lōge audaciſſimum.] T. Liuius dicit lib. 8x. ultimæ audaciæ hominem fuiſſe C. Fimbriam. De morte Scæuolæ, huic et Appiano cum Cicerone nō conuenit. Cum enim C. Marius filius Præneſtæ á L. Sylla obſideretur, deſperatis rebus, ut hoſtes occideret ad Brutum prætorem mittit: ut Senatum uelut alia ex cauſa conuocet, ſuoſq; inimicos interficiat. P. igitur Antiſtium, Papyriū Carbonem, alterum in ipſo Senatu, L. Domitiū effugientem in Curiæ exitu, Mut. Scæuolam Pont. Max. in ueſtibulo Veſtæ, quò cōfugerat, Brutus interficit: ut ait Appianus lib. de bellis ciuil. lib. 1. Titus uero Liuius lib. 86. à L. Domitio prætore, non à Bruto, Marij iuſſu hos dicit interfectos. Sed Ciceronis ſententia ſequenda eſt, qui non multo ante Scæuolæ operam dederat. Eū poſſe uiuere. Id eſt, uulnus mortiferum non eſſe. Quòd non totū telū, &c.] Id eſt, quòd ſatis alte uulneratus non eſſet. Telum recepiſſet.] Vt in lib. Tuſcul. quæſt 2. Quis cum decubuiſſet, ferrū recipere iuſſus, collum contraxit? Quæ tantū potuit.] Id illam habet, ut arbitror, ſententiā: Q. Scæuola inter Syllam, eiuſq; inimicos, ſeditiones ciuiles cōponere conabatur: C. Marius Scæuolam omnemq; nobilitatem odio Syllæ curauit interficiendam. Id Sylla ut ulciſceretur, omnes inimicos ſuos, quiq; ijs fauiſſent, è medio ſuſtulit. Per compoſitionē.] Id eſt, per concordiam, et inter eos componendo. Cōponere enim eſt lites et diſcordias ſedare. Virgil. in Buc. Non noſtrum inter nos tantas componere lites. Quod defenſionis indigeat.] Priſcian lib. 18. præcipiens à Latinis dici Indigeo illius rei, illam rem, & illa re, hunc Ciceronis locum citat. Oſtendit autem Cicero, hoc crimen ab aduerſarijs ita confictum eſſe, ut a patrono etiam minus ingenioſo et eloquente facile defendi poſſit. Totam cauſam iudices explicemus.] Facta narratione et egreſſione, ad probationes accedere ſe ſignificat, quo attentiores faciat iudices. Qui duos ſequi.] Inferenda ſententia, ſcilicet. Tres ſunt res.] Partitio eſt, quam partem orationis eſſe Quintilianus negat. Ea autem uſus Cicero raro eſt, niſi hoc loco, & pro A. Cluentio, & pro L. Murena. Eius autem tres partes fecit, eſq; patronus quàm accuſator uti poteſt commodius. Roſcij.] Magnus & Capito. De omnibus.] Dicam, ſcilicet. Vobis populo R. impoſuit.] Significare uidetur, L. Syllam quamuis rerum potitus eſſet, populo R. id reliquiſſe, ut ab eo iudicandi poteſtatem iudices quos ipſe conſtituit haberent, utq; legibus populi R. ipſi iudicarent. ut pro A. Cluentio: Hanc, inquit, legem ne quis iudicio circumueniretur, C. Gracchus tulit, eam legem pro plebe, non in plebem tulit. poſtea L. Sylla, homo à populi cauſa remotiſſimus, tamen cum eius rei quæſtionem hac ipſa lege conſtitueret, qua uos hoc tempore iudicatis, populum Rom. quem ab hoc genere liberum acceperat, alligare nouo quæſtionis genere auſus non eſt. Vt igitur populum Ro. alligare hoc nouo quæſtionis genere auſus non eſt Sylla, ita id reliquiſſe uidetur, ut à populo Rom. iudices poteſtatem iudicandi haberent. Sceleſtū dij immortales.] Auget criminis atrocitatē, ut minus credibile ſit, tantū crimē à Roſcio admiſſum eſſe.

idem

Idem poſtes facit amplius. Complexa.] Priſcian.lib.9 præcipiens à uerbis deponentibus participia præteriti tẽporis ducta accipi etiam paſſiue, hunc locum Ciceronis citat: Vultu ſæpe læditur pietas.] Vultus à mente fingitur, ut ait Cic.lib.Tuſcul. quæſt.3. eſtq; uultus, ut idem in Piſonem ait; ſermo quidã mentis tacitus. Qui igitur in parentes uultu nubilo, irato; acerbo, importuno eſt, quamuis eos neque dicto, neq; facto ullo lædat, impius eſt. Qui uero parentes pulſat, aut necat, impius maxime eſt. Acre.] Id eſt, acerbum & uehemens. Mortem obtulerit parenti.] Id eſt, parentem necauerit. ut paulo poſt: Illud incredibile eſt, mortẽ oblatã eſſe patri à filio. Portenti ac prodigij. Portenta ac prodigia cõtingunt rariſſime, eaq; cũ contingũt, ſæpe rem malã portendunt. Itaq; oſtenta, portẽta, monſtra, prodigia appellata eſſe Cic. dicit, lib. de Diuinat. 1. quòd oſtendũt, portendũt, mõſtrãt, prædicãt. Non'ne & audaciã.] Illud artificioſum eſt: quia nemo repẽte fit malus, ut ait Quintil. Crimen magis uериſimile faciemus, ſi oſtẽdamus aduerſariũ aliàs idem crimen aut ſimile cõmiſiſſe: ſi mores eius & uitã anteactam huiuſmodi fuiſſe dicamus, ut ab eo non abſit criminis huius ſuſpicio. Non'ne & audaciã eius.] Vt ſit argumentũ à natura animi. In crimẽ.] Id eſt, in criminoſum iudiciũ. Profligata.] Id eſt, ad perniciẽ interitumq; deducta. Profligare enim ab affligẽdo inclinatũ, prodigere eſt & deperdere. inde profligatas res, quaſi proflictas & deperditas appellare ſolẽt ij, qui diligẽter loquũtur: ut eſt apud A.Gel.cap.5.lib.15. quo eodẽ in loco negat ædificia, tẽpla, aliaq; ferè multa, quæ propè abſoluta ſint & effecta, dici profligata. In ea re, in qua dicit Gell. per ſæpe dicitur. M.Cælius apud Quintil. lib.4. Ipſum offendũt temulento ſopore profligatũ. Cic.lib. de Orat.3. Neque uero eſſe mirandũ, ſi cũ ſuis conſilijs rempublicã profligaſſet, conſiliũ Senatus à rep. repudiaret. Idẽ pro P.Seſtio: Diſputauit etiã multa prudẽter, ita de me illũ amentiſſimum & profligatiſſimũ hoſtẽ pudoris et pudicitiæ ſcripſiſſe quæ ſcripſerat Act.in Ver.2. Vſq; eo Senatoria iudicia perdita profligataq; eſſe arbitrabatur. Hũc locũ enarrans Aſcon. Prius, inquit, uoluit eſſe profligata, quàm perdita. nã perditum, quod inueniri non põt: profligatum quod poteſt. In hanc ſententiã inductũ eſſe Aſconium arbitror, quod profligatum poſt poſuerit Cic. Orationem aũt creſcere debere, tradunt ſcriptores artiũ. Sed alibi Ciceronẽ poſt poſuiſſe attẽdimus, ut pro C.Rabirio: Nemo eſt, inquã, inuentus tam profligatus, tam perditus, tã ab omni non modo honeſtate, ſed etiã ſimulatione honeſtatis relictus, qui ſe in Capitolio fuiſſe cũ Saturnino fateretur. Sed in qua ſignificatione A.Gell. negat, in ea Cicero dixit in lib. Tuſc.quæſt.5. Atqui ſi ita eſt, profligata iã hæc, et penè ad exitũ adducta quæſtio eſt. Obijciẽdi.] Id eſt, maledicti. Maledicta enim præter crimen id, quod cauſæ propriũ, obijci ſolita eſſe alio loco diximus. Adoleſcentulus.] Hoc dicit Cic. non q ita ſit, ſed tanquã q Erucius dicere debuerit, ut crimen parricidij eſſet credibile. Magis quadraginta.] Plus, amplius, & magis, ita adiunguntur à doctis, nominibus numeralibus, ut uulgus ſolet adiungere Quàm. Plus millies audiui, imperiti dicerent pluſquã millies. de hoc dicendi genere alio loco plura ſcribemus. Vetus ſicarius.] Vt ante dixit ueterẽ gladiatorẽ. Sæpe in cæde uerſatus.] Id eſt, qui multos occidit, uel in occidendis hominibus ſiccariorũ ſæpe adiutor fuit. Indomitæ animi cupiditates.] Id eſt, libidines. De luxuria.] Luxuriam dicimus nimis magnã rerũ abundantiã & ſumptũ, qualis eſt in ueſtimẽtis & in cõuiuijs. Purgauit.] Cauendũ eſt oratori ne dicat, quod cauſam ſuã lædat, aut aduerſarij cauſam adiuuet. In cõuiuio interfuiſſe.] Intereſſe conuiuio, & in cõuiuio, ſcribimus pro M.Fonteio. Nihil autem unquam debuit.] Aeris igitur magnitudo eũ ad hoc ſcelus non impulit. In eo qui ruri ſemper habitauit.] Multo plura ſunt in urbe, quàm ruri cupiditatũ lenocinia. Qui etiã ruri aſſiduus in opere eſt, nullis huiuſmodi cupiditatibus mouetur. Itaq; apud Lucianum, Cupido cũ deos oẽs penè reliquos uulnerauerit, negat ſe aſſequi potuiſſe Dianã, uenationi in ſyluis & montibus perpetuo intentam nec unquã otioſam, ut eã uulneraret. Cum officio.] Id eſt, cum recte et honeſte factis, cum uirtute. Officium.n. ab efficiendo dictum, recte factum eſt, quod ſcilicet uniuiq; perſonæ congruit. Agricolæ ſimpliciores ſunt urbanis: inde aſtuti appellati. Nam, ut ait Aſconius in Act.2. in Ver. urbs aſtu dicitur. Terent. in Eunuch. An in aſtu uenit, id eſt, in urbem: ut ait Donatus. Virum bonum cum laudabant maiores noſtri, inquit Cato de Re ruſtica, ita laudabant, bonũ agricolã, bonumq; colonum. Romulus, ut ait Dionyſius Halicarna. lib.2. duas tantũ partes ciuibus ſuis lege cõceſſit, agriculturæ, & belli gerendi. His.n. rebus homines fieri temperatiores, et uenereis rebus, alijſq; cupiditatibus minus obnoxios putabat. Tantum iſtum furorem.] Vt patrẽ necaret.] Nece, ſe eſt.n. eam quoq; iuſtam.] Magnum enim quendã amorem inter parentes & liberos natura genuit, qui ſine magna cauſa dirimi non poſſit. In unico filio.] Filius unicus parẽti multo charior eſt. Si igitur patri odio ſit, magnum eius uitium, aut patris amentiã eſſe oportet. Nullum.] Vitium fuit conſtãtiſſimus.] Id eſt, nõ fuit amens: tanquã id dicat accuſator. Eſt aũt hic locus, dialogo ſimilis. Sceleris.] Id eſt, parricidij. Hunc in prædia ruſtica relegarat.] Auctore Dionyſio Halicarn. lib.2. Romulus omnẽ patribus per omne tempus uitæ in filios poteſtatẽ lege dedit, ſiue coercere, ſiue uerberare, ſiue uinctos ruſtico operi detinere, ſiue etiã occidere mallẽt. Nugatoria.] Id eſt, ficta & leui. Patreſfamiliæ.] Dicuntur etiã patreſfamilias, & patreſfamiliarum. Homines illius ordinis.] Equeſtris. Ex municipijs ruſticanis.] Municipiorum duo genera eſſe ſignificat, ut alia ſint urbana, alia ruſticana. Rei familiari ſeruire. Id eſt, rem familiarẽ curare, & adminiſtrare. In prædijs colendis operæ plurimũ ſtudijſq; cõſumere.] Vt paulopoſt: In agris quoq; colendis aliquãtum operæ temporiſq; cõſumpſerint. Au amãdarat.] Amãdare hominem, eſt homini mãdare cauſa odij, ut à nobis alio diſcedat: id eſt, remouere. Nam particula à, uel ab, in compoſitione aliquando ſignificat ab aliquo. aut auertere, auferre, aſportare. Ideo amãdare, remouere ſignificat. ut in lib. de Nat. deorum 2. Vt in ædificijs architecti auertunt ab oculis naribuſq; dominorum ea quæ profluentia neceſſario tetri eſſent aliquid habitura, ſic natura res ſimiles procul amandauit à ſenſibus. Ad uillã.] Id eſt, ad rem ruſticam, ad agrum colendũ. Certis fundis frui.] Id eſt, certorum fundorũ fructus capere. Attenta.] Id eſt, dura & laborioſa, ab attendẽdo. Neq; hæc tu non intelligis.] Id eſt, tu hæc intelligis. Cõtra nos.] Id eſt, contra Roſcium. Contra rerum naturã.] Quod dicas filiũ patri odioſum. Contra conſuetudinẽ.] Id enim cõſuetudine patres faciunt, quod quaſi nouũ reprehendis. Cõtra opiniones omniũ.] Id beneuolentiæ cauſa fieri omnes opinantur, ut in liberos ſuos patreſfamiliæ colendis agris præficiant. At enim.] Hoc Erucij dictũ Cic. proponit, ut refutet. Dimittebat.] Amittere, pro dimittere Veteres hac in re dixiſſe, Donatus ſcribit. In bonã partem accip.] Ita ferè Cic. dicit. Boni cõſulas, ſæpius dicũt recentiores. Exprobrandi.] Id eſt, uituperandi & probro uertendi. Qua in re dicitur à Quint. lib.4. Nihil his nec credibilius fingi, nec uehementius exprobrari, nec manifeſtius oſtẽdi põt. Aliter exprobrare eſt, collatũ in aliquẽ beneficiũ obijcere: quod uulgo dicũt reprocare. ut in Andr. Terẽ. Iſtæc cõmemoratio, quaſi exprobratio eſt immemoris beneficij. & in 1. de Offic. Odioſum eſt genus hominũ, officia exprobrantium. Fortunã non dedit.] Quod legitimis nuptijs uel contra naſcamur, id à fortuna eſt. Vt patre certo.] Id eſt, legitimo matrimonio. auctore Modeſtino iuriſc. lib ff 1. tit. de ſtatu homi. Vulgo cõcepti dicũtur, qui patrẽ demonſtrare nõ poſſunt: uel qui poſ-

ſunt quidẽ, ſed eũ habẽt, quẽ habere nõ licet. qui & ſpurij appellãtur, παρὰ τὴν σπορὰν. Spurij aũt ideo appellantur, ꝙ auctore Plutar. in Problem. Latini prænomina non ſcribunt integra: ſed aut una litera, ut T. L. M. aut duabus, ut Cn. aut tribus, ut Sex. Seruilius. Eſt aũt Spurius inter ea prænomina, quæ duabus literis notãtur, Sp. quib. iiſdẽ literis ſcribunt, cũ ſine patre dicũt. Hoc igitur errorẽ fecit, ꝙ ſine patre & ſpurius, iiſdẽ literis, id eſt, Sp. ſcribitur. Nothũ, qui nõ ſit legitimus, Græci uocãt: latinũ rei nomen, ut Cato quoq; in oratione quadã teſtatur, non habemus, ideoq; utimur peregrino: auctor eſt Quint. lib. 3. Patre certo naſcere.] Naſci patre, & naſci ex patre dicimus. Eo acceſſit ſtudiũ doct.] Naturæ, & doctrinæ ſtudijs, boni mores cõparantur. Vt ad fabulas ueniamus.] A` fabulis nonnum quã fieri probationẽ, paulopoſt dicemus. Cæcilianus.] Quẽ Cæcilius Comicus inducit. Ad iſtas ineptias.] Id eſt, fabulas. Quãuis.] Id eſt, quamtumuis. Ne longius abbeã.] Id eſt, ne alienos dicã, uel longinquos. Tribules.] Id eſt, de mea tribu. Tribules meos, tuos, ſuos, noſtros & ueſtros dicimus, nõ cõtribules: ut alibi ſcribimus amplius. Vicinos meos.] Id eſt, qui Aprino uicini ſunt. Aſſiduos.] Id eſt, continuos, ab aſſidendo. n. i. ab æſſe dando, aſſiduus pro locuplete dicitur, ut ſcribit Cicero in Top. Homines notos ſumere odioſum eſt.] Id aũt ita odioſum eſt, ut Cicero de Cla. oratorib. ſcribens ſtatuiſſe ſe dicat, eorũ qui uiuerent nominare neminẽ. Eius conſiliũ ſecutus eſt Quint. lib. 10. Ex agro Veiente.] Qui eſt in Etruria. Refer animũ ſis.] Veteres ad leniendũ imperium uerbi imperatiui, his uocibus utebantur: ut ſis, ſultis, ſodes, &c. ut ante diximus. Nõ modo in Vmbria.] Vmbrorũ genus, ut ait Plin. li. 3. antiquiſſima Italiæ exiſtimatur, ut quos Vmbrios à Græcis putent dictos, quod inũdatione terrarũ imbribus ſuperfuiſſent. In Vmbria aũt Ameria eſt. Vnuſquiſq; ueſtrum.] Noſtis. Intelligentia.] Id eſt, cognitione & ſcientia. ut in lib. de Offi. 1. Illi ipſi doctrinæ ſtudijs & ſapientiæ dediti, ad hominũ utilitatẽ, ſuam ſapientiam, prudentiam, intelligentiamq; potiſſimũ conferunt. Idem in 3. intelligentiam pro prudentia dicit: Nec ulla pernicies uitæ maior inueniri põt, quàm in malitia ſimulatio intelligentiæ. Ex iis propinquis.] Id eſt, cognatis, qui adſunt, ut pro Roſcij ſalute deprecentur. Hominibus honeſtiſſimis.] Hoc dicit, quo facilius iis credatur. In iſto artificio accuſatorio callidior eſt.] Odioſum iudicibus & ſuſpicioſum aduerſarium facit, quod tam callidus artifex ſit. Ars enim iudicibus ſuſpicioſa eſt. ideo Quint. artificioſum cenſet eſſe, artẽ occultare, ne à iudicibus deprehendatur. Artificiũ.] Id eſt, agri colendi ſcientiã. Omnis enim ſciẽtia niſi excolatur & exerceatur, eam facile obliuiſcimur. Feret tamen æquo animo.] Oſtendit ex cõparatione eorũ quæ Roſcius paſſurus ſit, ſi damnetur, leuia eſſe quæ alioqui ferenda non eſſent: quæ æqui animo feret, ſi abſoluatur. In hanc calamitatẽ.] Vt damnatus uitam & famã amittat. Fraudi.] Id eſt, uitio: de qua uocẽ alio loco ſcripſimus. Alijs.] Id eſt, T. Roſcijs & Chryſogono. Næ.] Id eſt, certe. Si illis temporibus.] Argumentũ à fictione. Cum ab aratro.] Plin. cap. 3. lib. 18. ſcribens Rom. priſcos paucis agrorũ iugeribus contentos fuiſſe, quòd eſſent fœcundi: Quæ nam, inquit, tantæ ubertatis cauſa erat? Ipſorũ tunc manibus Imperatorũ colebantur agri: ut fas eſt credere, gaudente terra uomere laureato, & triumphali aratore. Siue illi eadẽ cura tractabant ſemina, qua bella, eademq; diligentia arua diſponebant, qua caſtra. ſiue honeſtis manibus omnia lætius prouentũt, quoniã & curioſius fiunt. Serentẽ inuenerunt dati honores Serranũ, unde cognomen. Aranti quatuor ſua iugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, Cincinnato uiator attulit dictaturã: & quidem, ut tradit Norbanus, nudo, plenoq; puluneris etiamnũ ore. cui uiator. Vela corpus, inquit, ut proferam Senatus populiq; Romani mandata. Tales tũ etiam uiatores erãt, quibus id ipſum nomẽ eſt, ſubinde ex agris Senatum ducẽq; accerſentibus. Illum Attilium.] Seruius exponens illud ex lib. Aen. 6. Vel te ſulco Serane ſerentem: Attilius, inquit, quidam ſenator fuit qui cum agrũ ſuum coleret, euocatus propter uirtutem meruit dictaturam. Serranus autẽ, à ſerendo dictus eſt. Attilium Serranum ædilem fuiſſe poſt ſecundum bellum Punicũ, anno ab urbe condita D L V I I I. Valer. libro 2. ſcribit, titu. de Inſtitutis antiquis. Sed temporis ratio facit, ut de hoc Attilio non putem hoc loco intelligendum. Paulo enim poſt ſecundum bellum Punicũ cœperunt Romani diuitias amare, & agriculturam minoris facere. De Attilio Calatino puto intelligendum, qui dictator fuit in 1. bello Punico, ut ait T. Liu. lib. 19. De hoc autem Valer. lib. 4. tit. de paupertate: Attilium, inquit, qui ad eum accerſendum à Senatu miſſi erant, ad imperium populi Romani ſuſcipiendum, ſemen aſpergẽtem uiderent. Sed illæ ruſtico opere attritæ manus, ſalutem publicam ſtabiliuerunt, ingentesq; hoſtium copias peſſundederunt. Is poſt triumphũ agriculturam repetiuit. Hunc eſſe arbitror, qui Serranus primus cognominatus ſit. Quo conferenda.] Id eſt, ut conferenda. niſi legere malis, Quod conferenda. Quærimus.] Id eſt, quæſtio & cõtrouerſia eſt. Illo enim tempore, quo Serranus erat, ſtudium agriculturæ honeſtius erat. Sedere.] Id eſt, manere & expectare. Terẽ. in Adelph. An ſedere oportuit domi uirginem tam grãdem, dũ cognatus huc illinc ueniret expectantẽ? Opinor.] Ironia eſt. Nunc dicis aliquid quod ad rẽ pertineat.] Si probaret Erucius, Roſcium uoluiſſe exhæredare filiũ, ea res parricidij ſuſpicionem afferre poſſet. Illa.] Sequentia: ꝙ cum patre conuiuia non inibat, ꝙ domum ſuam iſtũ nemo uocabat: quæ obiecta Erucius non probauit. ea tamen Cicero purgat leuiter. Conuiuia non inibat.] Id eſt, non cõuiuabatur. ut in L. Piſonẽ: Conuiuium publicum non dignitatis cauſa inibit, niſi forte, ut cũ P. Clodio, hoc eſt, compotoribus ſuis cœnet. intra epulas idẽ dicit, lib. de Legibus 2. Sequebantur epulæ, quas inirent propinqui coronati. In oppidum.] Id eſt, Larinum. Ne Romã intelligas.] Negat Valla lib. 4. Romã eſſe oppidũ. Qui ne in oppidum quidem.] Sex. Roſcius tanta colendi agri uoluptate capiebatur, ut Larinũ niſi perraro nunquã ueniret. Neq; rure.] Id eſt, ex rure quiſquã, ſcilicet uocaturus eſſet. Nugatoria.] Id eſt, leuia & ficta. Odij.] Filij in patrẽ. Mitto quærere, &c.] Occupatio eſt. Enumerare cauſas omnes oportebat.] In quæſtione, cuius ſtatus coniecturalis eſt, cauſa ualet plurimũ, ut oſtẽdamus cauſam, quæ ad maleficiũ impulerit: uel defendendo, nullã fuiſſe cauſam cur reus faceret: aut potius, fuiſſe cur nõ faceret, dicamus. Animum inducere.] Inducere animum eſt, animo ſuo perſuadere quod ſit difficile, durum, aut immane. Inducere animũ, & inducere in animum dicimus. Ter. in Eunu. Qui huic animũ aſſentari induxeris, è flamma te petere cibum poſſe arbitror. Idem in Hecyra: Ego nunquã credidi fore, ut hac ille uiua poſſet animũ inducere, uxorẽ habere. Itẽq;: Leuia ſunt hæc, quæ tu pergrauia eſſe in animũ induxti tuum. Ingenitum.] Id eſt, naturalem. Patrẽ eſſe.] Patris enim hæreditas filio iure obuenit. Huiuſce.] Roſcij filij. Quæ cũ taces.] Ipſa enim taciturnitas pro conſenſu eſt. Illudere.] Id eſt, deridere, ludibriũ & contumeliam afferre. Dicimus aũt illudo dignitati, dignitatem, in dignitatem, et in dignitate. Virg. in 2. Aen. Certantq; illudere capto. Teren. in Andr. Adeon' nobis uidemur idonei, in quibus ſic illudatis? Idẽ in Heautont. Dignã me putas quam illudas? Idem in Phormione: Sanctiu' ſuperbe illuditis me? Cic. lib. de Orat. 3. Quæ cũ dixiſſet, in Albutium illudẽs, ne à me quidem abſtinuit. Idẽ pro Domo ſua, Hic nõ illudit auctoritati horũ omniũ, qui abſunt, ſummorũ uirorum. Iudicio abuti ad quæſtum.] Id eſt, iudicum ſententiã ad ſuum quæſtũ conuertere. Ad libidinem.] Id eſt, ad

uoluptatem:

*uoluptatem: & ,ut uulgo dicunt, ad placitũ.* Inimicitias cum Sex. Roſcio nullas eſſe. ] *Inimicitijs homines aliquando ad accuſandum adducuntur. ut M. Celiũ patris inimicũ Attacinus accuſauit.* Inimicus. *Id eſt, accuſator.* Huiuſce pecuniæ. ] *Ad iudicum miſericordiam Sex. Roſcium, & in odium C. Eruciũ adducit.* Horum. ] *Iudicum.* Exiſtimationem. ] *Id eſt, bonam, ut dicunt, reputationem.* Legem Memmiã. ] *In condice manu ſcripto, & in nonnullis codicibus impreſſis, legẽ Remmiã lego: quæ lectio magis placet. Nã lib. Digeſt. 48. ad Senatuſc. Tertull. calũniatoribus id eſt, falſa crimina intendẽtibus, pœna lege Remmia irrogatur. Quod igitur Erucius calumniatus ſit, iudicũ exiſtimationem & legem Remmiã contẽnere uiſus eſt, quòd eã nihil ualere putaret.* Audacia. ] *Id eſt, audaces homines. Intellectio eſt.* Ne planè illudamur. *Id eſt, ne aperte ficto crimine in iudiciũ uocemur.* Suſpicione tamen nõ caret. ] *Suſpicio res certa nõ eſt. Vſu ſæpe uenit, ut ad innocentẽ ſuſpicio perueniat. Id ſi ita eſt, ſi quis eum accuſet quãuis id miſerum ſit, & tamẽ aliquo modo ignoſci poteſt: nec calumniatur qui eum accuſat.* Aliquid habeat. ] *Id ſcilicet, unde orta ſuſpicio eſt.* Crimnoſe. ] *Id eſt, ut uulgo loquũtur, criminaliter, de qua dictione alio loco diximus.* Ludificari. ] *Calũniari. & quod paulo ante dixit illudere, in eadem re dicit. Ludere enim, fallere eſt ut in 1. Aen. Vana ſpe luſit amante. Ab eo, illudere & ludificari facta ſunt. À caluẽdo, id eſt, à decipiendo, facta eſt calumnia.* Quam nocentem cauſam nõ dicere. ] *De improbis hominibus cum ſumitur ſupplicium, eorum exẽplo cæteri à peccato deterrentur, et improbis hominibus ciuitas purgatur. Itaque ciuitates tum optime gubernari, Plato de Philoſophia ſcribit, cum nocentes pœnas expendunt.* Anſeribus cibaria publice locantur. ] *Auctore Plutarcho in Problematis, Cẽſores magiſtratũ ineuntes nihil prius agũt quàm ut ſacrorũ anſerum cibaria, & anſeris argentei ſplendorẽ locẽt: quòd bello Gallico dormientibus etiam canibus, anſeres omniũ primi Gallorũ in capitoliũ aſcenſum præſenſerunt, & clangore uigiles excitarunt. Auctore Plinio lib. 10. eſt anſeri uigil cura, Capitolio teſtata defenſo, per id tempus canũ ſilentio proditis rebus quamobrẽ cibaria anſerũ Cenſores in primis locãt. Auctore Plutarcho in uita Camilli: Gallis in Capitoliũ aſcendentibus, ſacri anſeres iuxta templũ Iunonis erant, qui antea copioſo cibo alebantur: tunc aũt propter ſummã commeatus inopiam, neglecti eſuriebant. Eſt autem hoc animal natura pauidũ, ſed ſenſu atq; auditu acerrimũ. Hi igitur ob inediã uigilantes ac tumultuantes, ſtatim Gallorum aſcenſum percipiunt, ac clãgore curſuq; Romanos dormientes excitãt. His anſeribus in ſumma inopia cibi Romani abſtinebãt, quia Iunoni ſacri erant: ut ait Tit. Liuius lib. 5. Cibaria anſerũ, ut hoc loco Cicero appellat, ita alibi hominũ cibaria dicit: ut libro Tuſcul. quæſtionũ 2. Deinde quis labor, quantus agminis? ferre plus dimidiati menſis cibaria. Action. in Verrem 4 liberaliter ex iſtius cibarijs tractati, non minus acres cõtra me fuerunt. Actione 5. Vberiora cibaria facta ſunt caritate. Itemq; ? Propter caritatem frumenti, quæ fuerat in Macedonia per magnã eſt cibarijs pecuniã deportare. Sed cibaria minùs delicata eſſe arbitror: quamuis cibus etiã delicatis, auctore Donato præbeatur. Inde cibarius panis à Cicerone dicitur, in lib. Tuſculan. diſputationũ 5. panis ater, qualis eſt paſtorũ & ruſticorum: Nec eſuriens, inquit, Ptolemæus ederat, cui cum peragranti Aegyptum, comitibus non conſecutis, cibarius in caſa panis datus eſſet, nihil uiſum eſt illo pane iucũdius.* Publice. ] *Id eſt, impenſa publica.* Locantur. ] *Locare cibaria dicit, pro eo quod uulgo dicerent, conuenire de pretio, ut dentur cibaria.* Significent. ] *Latratu ſuo.* Internoſcere. ] *Id eſt, ab alijs, ijs ſcilicet, qui fures non ſunt, diſcernere. ut Pacuuius de Fortuna: Brutam, quia dignum atq; indignũ nequeat internoſcere. Libro Academicarum quæſtionũ 5. Vt mater geminos internoſcit, conſuetudine oculorum: ſic tu internoſces, ſi aſſueueris. nobis ſatis eſt, oua illa internoſcere.* Si qui. ] *Siue fures, ſiue alij.* Id eſt ſuſpicioſum. Vt fures ſint. *Alij ueſtrum anſeres ſunt.* ] Vt C. Erucius. *Alij canes. ut T. Roſcij, & Chryſogonus.* Cibaria nobis præberi uidemus. ] *Nam Chryſogonus ſibi decem prædia retinuit, tria Roſcio Capitoni propria dedit, Roſcium Magnũ ſuum procuratorem fecit, Erucius ad accuſandum pecunia conductus eſt.* Veriſimile. ] *Id eſt, ſuſpicioſum.* Commiſiſſe. ] *Id eſt, deliquiſſe.* Si ego hos bene noui. ] *Id eſt, ſi ego bene cognoſco hos iudices.* Literã illã. ] *Condemnationis, quã Aſconius Pedianus alibi C, alibi Θ eſſe dicit. C, quod prima ſit uerbi Condemno: Θ, quod ſit prima uerbi θανάτῳ, id eſt, morte mulcto. Hinc illud Perſij eſt, Satyra 4. Et potis es nigrum uitio præfigere theta.* Eas omnes literas iudicũ. ] *Id eſt, omnia iudicia. uel Eas omnes: nam odiſtis literas abſolutionis, uel ampliationis, metuẽtes ne Roſcius abſoluatur, ut ne cauſa eius amplietur. Odiſtis autem literam condemnationis, metuentes ne ad caput ueſtrum affigatur.* Neminem aliũ accuſare poſſitis. ] *Significare uidetur. ut calumniatoribus ea quoque pœna lege Memmia infligatur, ut accuſare amplius prohibeantur: qua pœna præuaricatores & tergiuerſatores affici, Paulus iuriſconſultus dicit, lib Digeſt. 48. ad S.C. Turpilianum.* Niſi fortunas ueſtras ] *Quod ſcilicet in hanc pœnã incidiſtis, ob calumniã ueſtram.* Non'ne hoc palàm dicis? ] *Illud ualet ad refellendum aduerſariũ, ut eius perſonam inducamus dicẽtẽ, quæ ipſe cogitet: ut ante diximus.* Quid acceperim. ] *Id eſt, quã pecuniam, ut Roſciũ accuſare.* Quid acceperim ſcio, quid dicã neſcio. ] *Huiuſmodi contrarijs in hac oratione ſæpe utitur Cicero.* Neminem patronũ. ] *Id eſt, nullũ. Neminem pro nullo ſæpe dici, aliàs admonuimus.* De bonorum. ] *Sex. Roſcij.* De ſocietate. ] *Quam cum Chryſogono Titi Roſcij coiuerunt.* Hoc tempore. ] *L. Sylla dominante.* Negligentiam eius in accuſando conſiderare. ] *Nimiam Erucij in accuſando negligentiam arguit, ut oſtendat accuſationem non crimine Sexti Roſcij, ſed Chryſogoni potentia nixam eſſe.* Credo cum uidiſſet. ] *Narratio ſpecialis eſt, in qua narrat ea non quæ fecerit Erucius, ſed feciſſe uerisimile ſit.* Qui homines. ] *Id eſt, qui oratores.* Cum in mentem ueniret. ] *Magnam Erucij negligentiã oſtendit. ipſa enim dicendi ratio ſi diligens fuerit, ita mẽtem occupat, ut ad alia eã aberrare non patiatur.* Puerum. ] *Id eſt, ſeruum. Pueri appellatio, ut ait Paulus Iuriſc. lib. Digeſt. 1. de uerb. & rerum ſignific. tres ſignificationes habet. unam. cum omnes ſeruos, pueros appellamus: alterã, cum puerũ contrario nomine puellæ dicimus: tertiam, cum ætatem puerilem demonſtramus.* Hoc conuentu. ] *Circunſtantium hominum.* Pro ſumma ſolitudine abuteretur. ] *Id eſt, in ueſtro & circunſtantium conſpectu id facit, quod in ſumma ſolitudine uix faceret.* Alias res agere. ] *Id eſt, qui dicerem negligere, & ideo non attendere.* Bonorum. ] *Sex. Roſcij.* Societatem. ] *Quàm cum T. Roſcijs Chryſogonus coiuit.* Verſa eſſe omnia. ] *Id eſt, aliter atque putaſti euenire.* Dedit. ] *Id eſt à iudicibus Chryſogono condonari: id eſt, condemnari, ſine ulla defenſione.* Indicare. ] *Id eſt, attente cauſam audire & cognoſcere, ut iudicetur.* Reſtitue. ] *Id eſt, omitte & relinque.* Nobis ] *Id eſt, ad cauſæ innocentis Roſcij utilitatem.* Prudentiam. ] *Scientiam, uel malitiam, quæ ſe uult haberi prudentiam, ut ait Cic. in lib. de Offic. 3.* Hic. ] *Id eſt, in foro iudiciali.* Latrocinium. ] *Vbi iudices ſententijs ſuis innocentem Roſcium iugularent.* Quod in nimis noxis. ] *À minori ad maius oſtendit, parricidij cauſas oſtendi debere ab accuſatoribus. Noxæ appellatione omne delictum continetur, ut ait Caius Iuriſc. lib. Digeſt. 1. de uerborum & rerum ſignificat. Noxiam, quàm noxam, à Terent. pro delicto

*ſæpius dictam licet inuenire. ut in Eunucho, Vnam hanc noxiã mitte. In Heaut. Magnum hoc quoque ſignum eſt dominã eſſe extra noxiam. In Hecyra: Quod me accuſat nũc uir, ſum extra noxiam. Ea quoque uoce Plaut. uſus eſt: Amicum caſtigare ob meritam noxiam, Immane eſt facinus; uerum in ætate utile atq; conducibile. Illud quoque ex lib. Cic. de Legibus: Noxiæ par pœna eſto: In codice antiquo ſcripto manu lego Noxij, nõ noxiæ. In quo ſcelere.] Quia difficillima eſt grauiſſimi cuiuſq; ſceleris fides, ut ait Quintil. grauiſſimum ſcelus oſtendit eſſe parricidiũ. Ideoq; non facile credi, niſi probatum ſit clariſſime, & penè deprehenſum. Cõgruere.] Id eſt, conuenire. Niſi enim cauſæ illæ inter ſe conueniant, fidem non faciunt. Non temere.] Id eſt, non facile, non leuiter: ut uulgo dicunt, non de leui. Penditur.] Id eſt, ponderatur, examinatur. Teſtis incertus.] Id eſt, qui audiuit. Nam qui rem uidit, certus teſtis eſt: qui audiuit, incertus. Itaq;, auctore Plauto, pluris eſt teſtis oculatus unus, quàm auriti decem. Nam qui uiderunt, planè ſciunt: qui audiuerunt, audita dicunt. Accuſatoris ingenio.] Qui accuſationẽ artificioſe compoſuit, crimenq; ingenioſe probauit. Vbi, qua ratione.] Artificioſum eſt, ut cũ aliquid probare uolumus, oſtendamus perſonæ, à qua id factum arguimus, mores ab eo facto non abhorrere: cauſam quæ impulerit, opportunũ locum, & tempus, & quibus adiutoribus fecerit. Horum nullum quia oſtendit Erucius, fictum crimen Cicero coarguit. Communio ſanguinis.] Id eſt, cõſanguinitas. Reclamitat.] Id eſt, quibuſdam ueluti clamoribus aduerſatur & contradicit. Eſſe aliquem humana ſpecie & figura.] Sæpe illud facit Cicero, ut cum alicuius crudelitatem auget, in figura hominis feritatem belluarum eſſe dicat. ut in lib. de Offi 3. ubi de tyrannis ſcribit: Iſta inquit, in figura hominis feritas & immanitas belluæ, à communi tanquã humanitate corporis ſegreganda eſt. Itemq;: Quid intereſt, utrum ex homine ſe cõuertat quis in bellũ, an in hominis figura immanitatem gerat belluæ? & pro A. Cluentio de Saſſia: Eò iam denique adducta eſt, ut ſibi præter formam, nihil ad ſimilitudinem hominis reſeruarit. Beſtias uicerit.] Beſtias pecudum in numero haberi, Caius Iuriſc. negat lib. Digeſt. 9. ad legem Aquiliam, eaſq; ferociores eſſe ſignificat: ex his numerat urſos, leones, Pantheras. T. Clœlium.] Apud Valer. Max. libro 8. titu. Infames rei quibus ex cauſis abſoluti aut dãnati ſunt: ubi hoc exemplũ ſcriptũ eſt, Cœlius, nõ Clœlius ſcribitur. Tarracinenſem.] Tarracina oppidum Volſcorum in Campania eſt. In idem conclaue.] Conclaue eſt locus ſecretior domus, habens unã clauem, domeſticis omnibus communem: auctore Sex. Pompeio. Conclauia dicuntur loca, quæ una claue clauduntur. Conclauibus etiã penus aſſeruatur, ut in conclaue excelſiſſimum pretioſiſſima uaſa & ueſtem condi, Columella lib. 13. ſcribit. Id ætatis.] Id eſt, eius ætatis. de quo dicendi genere ſcribimus pro Cluentio. Adoleſcentes autem & iuuenes ijdem ſunt: hi ſcilicet, qui annum 17. exceſſerunt, necdum 47. attigerunt. Propter.] Id eſt, prope. Hæc uox Ciceroni in ea re quàm ſit familiaris, in Cat. Maiorem ſcribimus. Quid poterat?] Id eſt, quid ualebat, quod accuſator contra adoleſcentes diceret? Se cõmittere.] Id eſt, ingredi ſine metu. Somnum capere.] Id eſt, incipere dormire, & dormire. ut lib. Epiſtol. ad Atticum 8. Ego ſi ſomnum capere poſſem, tam longis te epiſtolis non obtunderem. Ne quos poetæ, &c.] De Alcmæone Amphiarai & Eryphiles, de Oreſte Agamemnonis & Clytemneſtræ filijs poetæ ſcripſerunt. De Oreſte ſcribimus in Miloniana. de Alcmæone ita ſcribit Cicero in lib. Academic. quæſt. 4. Illud, inquit, contingit inſanis, ut & incipientes furere ſentiant, & dicãt aliquid quod nõ ſit, id uideri ſibi: & cum relaxentur, ſentiant, atque illa dicant Alcmæonis: Sed mihi neutiquam cor conſentit cum oculorum aſpectu. & paulo poſt: Quid ipſe Alcmæon tuus, qui negat cor ſibi cum oculis conſentire? nonne ob idem incitatus furore? Vnde hæc flamma oritur? Et illa deinceps: Incede, incede, adſunt, me expetunt? Quid cum uirginis fidem implorat? Fer mihi auxilium, peſtem abige à me flammiferam, hanc uim quæ me excruciat: Cærulea incinctæ igni incedunt, circunſtant cum ardentibus tædis, &c. Pij.] Id eſt, patrum ultores. Eſt autem argumentũ ex fabulis poetarum: Idq; à minore ad maius eſt. Nam ſi deorum iuſſis matres hi interfecerunt, ut patres ulciſcerentur, hiq; furijs agitati ſint, multo grauius furijs agitari debent, qui audacia impulſi parentes necant. Nolite enim putare.] Similis in L. Piſonem ſententia eſt: Nolite, inquit, putare P.C. ut in ſcena uidetis, homines cõſceleratos impulſu deorum terreri furiarum tædis ardentibus. Sua quenque fraus, ſuũ facinus, ſuũ ſcelus, ſua audacia, de ſanitate ac mente deturbat. Hæ ſunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Ego te non uecordem, non furioſum, non mente captum, non tragico illo Oreſte aut Athamante dementiorẽ putem? Conſceleratiſſimis.] Id eſt, maxime impijs. Conſceleratus qui ſit, alio loco docuimus. Niſi turpis adoleſcentia, &c.] Vita ante acta turpiter, ſcelus facit credibile: ut contra facit, ea quæ honeſte acta eſt. Cum probro & dedecore.] Vt in ſcortis, & helluationibus. Animaduerſionis paternæ metus.] Id eſt, metus, ne in eum pater animaduertat: id eſt, ne exheredet, ne uerberet, ne uinculis & carcere coerceat, ne uinctum operi ruſtico deſtinet, ne uendat, ne occidat. Huius enim modi poteſtatem patribus in filios lege Romuli permiſſam, ex Dionyſio Halicarnaſeo ante ſcripſimus: qui negat maiorem domino in ſeruum, quàm ſit patri in filium, poteſtatem eſſe. Amici improbi.] Qui ſtimulauerint & impulerint. Serui conſcij.] Id eſt, adiutores. In multis enim ſceleribus dominos improbos ſerui adiuuãt. Ea ratione à dominis inire ſe gratiam putant. Hinc apud poetas ſeruorum conſilijs heriles filij in uitia inducuntur. Penè reſperſas manus ſanguine paterno iudices uideant oportet.] Id eſt, parricidiũ non ſit credibile, niſi maxime manifeſtum ſit, & penè deprehenſum. Dicam.] Parentheſis eſt. Si conuincitur.] Id eſt, ſi oſtenditur, ſi ita probatur, ut reus confiteri cogatur. Dum ea rerum potita eſt.] Id eſt, quandiu dominata eſt, antequam in Lacedæmoniorum poteſtatem ueniret. Sapientiſſimum Solonẽ.] Leges à Solone latæ axibus ligneis inciſæ ſunt. Eas Athenienſes, ut ſempiternæ manerent, pœnis & religionibus ſanxerunt: ut ait A. Gell. lib. 2. Multas Solonis leges apud Plutarchum in eius uita legere licet. In officio.] Id eſt, in pietate, quæ eſt in parentes. Summouerentur.] Id eſt, prohiberentur, deterrerentur. Inſui uoluerunt.] Modeſt. Iuriſc. lib. Digeſt. 48. ad legem Pompeiã de Parricidijs: Pœna, inquit, parricidij more maiorum hæc inſtituta eſt, ut parricida uirgis ſanguineis uerberetur, deinde culeo inſuatur, cũ cane & gallo gallinaceo & uipera & ſimia, deinde in mare profundum culeus iactetur. Hoc ita, ſi mare proximum ſit: alioqui beſtijs ſubijcitur, ſecundum Diui Adriani conſtitutionem. hæc ille. Hac autem lege tenentur præcipue hi, qui patrem, & matrẽ, auum, aut auiam necauerint. Qui uero alium ex propinquis necauerit, is lege Cornelia de Sicarijs tenetur. P. Malleolus matre interempta, primus omnium inſutus culeo, in mare præcipitatus eſt: ut ait T. Liuius lib. 48. ubi ſignificat id factum paulo poſt bellum Cimbricum, & C. Marij quintum conſulatum. tanto tempore Romæ admiſſum nullum parricidium eſt. Quòd autem uirgis ſanguineis parricidã uerberari Modeſtinus dicat, uereor ne locus mendoſus ſit. Nam ſagmineis, pro ſanguineis legendum uidetur. Sagmina enim, & uerbena, pro eadem re dicuntur, id eſt, pro genere herbæ, quod cum ſua terra ex arce euulſum legatis fecialibus dabatur, cũ ad hoſtes clarigatumq; mittebantur: id eſt, raptas res clare repetitum: ut ait Plin. cap. 2. lib. 22. Idem ſcribit cap. 9. lib. 25. Iouis menſam hac herba uerri,*

uerri, domos purgari, luſtrariq́. Noſtri quoque has herba ſcopas & uirgas conficiunt. Cœlum. ] Id eſt, aerē. qua in re quod ſæpe dicatur à poetis, nemo ignorat: ſed quod à Cicerone quoq; dicatur, hoc loco docere uolumus. Is igitur lib. Tuſculanarum quæſt. 1. de animi celeritate diſputans: Qui ſi permanet, inquit, incorruptus, ſuiq; ſimilis, neceſſe eſt ita feratur, ut penetret & diuidat omne cœlū hoc, in quo nubes, imbres, uentiq; coguntur: quod & humidū & caliginoſum eſt, propter exhalationes terræ. Itemq; : Quid, obſecro te, terra ne tibi, aut hoc nebuloſo & caliginoſo cœlo, aut ſata aut concreta uidetur tanta uis memoriæ? Idem lib. de Natura deorum 2. Licet uidere acutiora ingenia, et ad intelligendum aptiora, eorum qui terras incolant eas, in quibus aer ſit purus & tenuis: quàm illorum qui utantur craſſo cœlo atque concreto. Ex quibus omnia nata eſſe dicuntur. ] Vnde nata ſint omnia, inter antiquiſſimos illos philoſophos non conuenit. Thales enim Mileſius ex aqua, Anaximenes itidem Mileſius ex aere, Heraclitus ex igni omnia naſci, in eaq; omnia reuerſura eſſe dixerunt. Empedocles uero ex quatuor elementis, de quibus ad hanc ſententiam ſcripſit: Quatuor in primis cunctarum ſemina rerum Iuppiter æthereus, Pluto inferus, almaq; Iuno, Neſtis, quæ lachrymis hominum riuos alit udis. Iuno autem intelligit, feruorem & æthera: almam uero Iunonem, aera: Plutonem, terram. Neſtim denique, humanosq; riuos, tanquam genituram & aquam. Sunt qui Tethym legāt, pro Neſtim. Noluerunt feris corpus obijcere. ] Multo poſt Ciceronem D. Adrianus fuit, qui conſtituit, ut parricida in culeum inſutus feris obijciatur, niſi mare proximū ſit. Nudos. ] Id eſt, nō inſutos in culeum. Quo cætera quæ uiolata ſunt. ] Aqua fluuiali, non marina, expiationem fieri ſolitam, eſt apud Macrobium lib. 3. qui idem libro ſeptimo ſcribit, aquam dulcem magis idoneam eſſe, quàm ſalſam, abluendis ſordibus. Nihil tam utile. ] Vile, non utile legendum eſſe qui propius inſpiciat, facile intelligat. Quid tam eſt commune. ] Quanta hoc loco ſit uis dicendi, quātus impetus, Cicero ipſe ſcribit, de Oratore ad Brutum: Quantis, inquit, illa clamoribus adoleſcentuli diximus, de ſupplicio parricidarū? quæ nequaquam ſatis deferbuiſſe, poſt aliquanto ſentire cœpimus. Quid enim tam commune, quàm ſpiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuātibus, littus electis? Ita uiunt, dum poſſunt, ut ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, ut eorum oſſa terram non tangāt: ita iactātur fluctibus, ut nunquam alluantur: ita poſtremo eijciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant: & quæ ſequuntur. Hæc ille. Spiritus. ] Id eſt, aer. Fluctuantibus. ] Id eſt, iactatis fluctibus: cuiuſmodi ſunt, qui poſt naufragium arrectis tabulis, fluctibus agitantur. Electis. ] Id eſt, naufragis, ad littus electis, ut in 1. Aen. Libyæ luſtrare extrema iubebo, Si quibus electus ſyluis aut urbibus errat. et in 4. Electum & littore egentem Excepi, & regni demens in parte locaui. Ducere animam. ] Id eſt, ſpirare. Animam enim pro ſpiritu dixerunt Veteres. inde animum dictum, eſt in 1. Tuſcul. quæſtion. libro. Vt nunquam abluantur. ] Alluantur, non Abluantur legi debere, & ſententia et uerba Ciceronis quæ modo huc adſcripſi de Oratore, indicant. Talibus uiris. ] Iudicibus. Si hunc apud bonorum emptores. ] Argumentum à fictione eſt, quod in ſe continet uim argumēti à minore ad maius. Bonorum emptores. ] T. Roſcios. Ne minimum quidem maleficium. ] Idem paulo poſt dicit: Sic uita hominum eſt, ut ad maleficium ne conetur ſine ſpe atque emolumento accedere. Itaq; Cæſarem non mediocriter Cicero uituperat, in lib. de Offic. 2. quòd gratis improbus eſſet: Tanta, inquit, in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipſum delectaret peccare, etiam ſi cauſa non eſſet. Viciſſe. ] Cauſa ſcilicet. De meo iure decedam. ] Simulat ſe condonare aduerſario, quod ſatis refutauit, ut ſibi ueluti gradū ad ſequentia facit. Id artificioſum eſſe Quintil. docet. In hac concedam. ] Sex. Roſcij innocentiam, & cauſæ fiduciam iudicibus latenter inſinuat. Poteſtatem tibi faciam. ] Alioqui in oratione perpetua aduerſario, reſpōdere, interpellare, interrogare non licebat. Ipſe percuſſit an alijs occidendum dedit. ] Argumentum à remotione eſt, quo hoc loco frequenter Cicero utitur. Eſt igitur ſententia: Sex. Roſcius patrem occidit, uel per ſe, uel per alium. non autem per ſe, ergo per alium. Sed nec per alium. nam ſi per alium, igitur per liberum, uel per ſeruum. Sed nec per hunc, nec per illum ex quo fit, ab eo patrem non occiſum. Ipſe. ] Id eſt, ipſemet. Occidendum dedit. ] Id eſt, occidere fecit. Indidem ne Ameriæ? ] Priſc. lib. 15. docens indidem aduerbium compoſitum eſſe hunc Ciceronis locum citat. Indidem autem ſignificat, ex eodem loco, compoſitum ab inde & idem. Ad caput. ] Id eſt, ad originem. Depinxeris. ] Id eſt, deſcripſeris. Quātuis pingere poetarum ſit, aut pictorum. Simonides enim picturā poema mutum, & poema picturā uocalem appellabat. Hunc Hominum ferum atque agreſtem. ] Præcipua oratoris cura eſſe debet, ut diximus, ne quid dicat, quod cauſam ſuam lædat: proxima, ne quid dicat, quod aduerſarij cauſam adiuuet. In hac oratione cauſam ſuam ſæpe Cicero probat, ex his quæ C. Eructus dixit. Præterea illud. ] Occupatio eſt. In uictu arido. ] Id eſt, parco & tenui. Donatus exponens illud ex andria Terentij, primum hæc pudice uitam, parce ac duriter Agebat, lana ac tela uictum quæritans: Cibus, inquit, eſt qui etiam delicatis præbetur, uictus in paruis aridisq; alimonijs eſt cōſtitutus. unde Virgilius: Victum infelicem, baccas, lapidoſaq; corna, Dāt rami. Vt autem opſonium dicitur, quicquid in cibo præter panē & uinum adijcitur: ita uictus aridus is eſt, qui ſine ullo obſonio eſt: uulgo panem ſiccū, noſtri appellant. Hinc aridum Terentius in Heautont. appellat, hominem auarū, qui huiuſmodi arido uictu uictitet: habet, inquit, patrem quendam auidum, miſerum, atque aridum, Horrida incultaq; uita. Ea, ut ante dixit, maxime disiuncta à cupiditate eſt, & cum officio coniuncta. Virgilius lib. Georgicorum ſecundo, poſtquam oſtendit incultā ruſticorum uitam, de iiſdem ſcribens: At, inquit, ſecura quies, & neſcia fallere uita. itemq; : Et patiens operum, paruoq; aſſueta iuuētus, Sacra deum, ſancti que patres, extrema per illos Iuſtitia excedens terris ueſtigia fecit. Dicit igitur, apud illos ruſticos ſanctos eſſe parentes: quod ad hāc rem pertinet plurimū. auctore Catone de re Ruſtica, Virum bonum cum laudabant, ita laudabant: Bonum agricolam, bonumq; colonum. Ampliſſime laudari exiſtimabatur, qui ita laudabatur. Nec ſine cauſa, ut ait Marcus Varro, libro de re Ruſtica tertio: terram eandem, appellabant Matrem & Cererem. Et qui eam colerent, piam & utilem uitam agere credebant: atque eos ſolos reliquias eſſe ex ſtirpe Saturni regis. Vt non omnem frugem. ] Nam non omnis fert omnia tellus: auctore Virgilio, libro Georgicorū primo: Hic ſegetes, illic ueniunt felicius uuæ, Arborei fœtus alibi, atque iniuſſa uireſcunt Gramina, &c. In urbe luxuries creatur. Luxuries & luxuria dicitur. Ea quæ ſit, ante diximus. In ea autem effunditur pecunia. Inde naſcitur pecuniæ cupiditas, ne conſueta huiuſmodi luxuria tollatur. Exiſtat. ] Id eſt, emergat. Iuſtitiæ magiſtra eſt. ] Nam per agricolas Iuſtitia excedens terris ueſtigia fecit Extrema, ut modo ex Virgilij ſententia diximus. Aratus quoque dixit, ut ait Seruius, Iuſtitiam primum in urbibus, deinde tantum in agris fuiſſe: ubi eā inducit loquentē, cur abſcedat è terris. Suſpicioſe. ] Id eſt, per ſuſpicionem. Culpam ineſſe concedam. ] Hoc fiducia innocentiæ Roſcij dicit. Credo. ] Id uerbum in interrogatione ironice à Cicerone ſæpe dici, ſcribimus in Inuectiuas in Catilinam. Puer. ] Id eſt, ſeruus. Adminiſter. ] Id eſt, miniſter. Ex tanta familia. ] Seruorum ſcilicet. Te nunc appello P. Scipio, te Metelle. ] Hi erant hoſpites &

amici paterni Sex. Roſcij eos Sex. Roſcius aduocauerat, cum de cæde patris uellet quærere, ut ſe omni ſuſpicione liberaret. Quẽadmodum in oratione pro A. Cluentio, Saſſia de ſeruis Stratone & Nicoſtrato quæſtionem habitura de morte Oppianici, amicos & hoſpites Oppianici aduocauit. Aliquoties duos ſeruos, &c.] In poſtea amplius tractat. Quid facitis.] Apoſtrophe eſt. ad T. enim Roſciũ uerba deflectit. Venio.] Id eſt, redeo. Aut ipſum ſua manu feciſſe, &c.] Argumentum ex remotione eſt. Temere.] Id eſt, ſine cauſa. Vbi.] Id eſt, in quo tanquam portu. Ab hoc reſilire.] Id eſt, ad Sex. Roſcium non pertinere. Vulgo.] Id eſt, paſſim. ut in lib. Tuſculanarum quæſtionum 1. Vulgo ex oppidis publice & gratulabantur. Vna mercede.] Quam à T. Roſcijs pro accuſatione accepiſti. Perfundere.] Confundere, perdere, opprimere. Sectores collorum & bonorum.] Annominatio eſt. Sector collorum eſt, qui ſecat colla: ſector bonorum eſt, qui bona condemnatorum uel proſcriptorũ in actione ſemel emit, quæ poſtea ſemel ſingula ſingulis uendit. à ſequendo dicitur, quòd ſpem lucri ſui ſecutus ea bona emat: ut ex Aſconio colligimus. Id autem maxime ſordidum erat. Ideo Cicero in Philippicis M. Antonium inſectans, Pompei ſectorem ſæpe appellat. In præda & ſanguine uerſabantur.] Prædabantur, & interficiebant. Vereor ne aut moleſtus.] Hac Cicero uerecundia Sex. Roſcij innocentiam iudicibus facit probatiorem. Niſi forte expectatis.] Irridet maledictum quoddam, quod in Sex. Roſciũ Erucius coniecerat de crimine ambitus. Declamare.] Id eſt, clamoſe dicere, & pronunciare. Commentaretur.] Id eſt, memoriter ediſceret. Hoc enim loco commentari, ab eo quod eſt commemini, factum eſt. Aliàs à comminiſcendo factum fingere, & mentiri ſignificat. inde res commentitias paulo ante appellauit. Ad eum qui cauſam dicit.] Id eſt, ad Sex. Roſcium. Verbo arguit.] Id eſt, crimen tantum obijcit, neque id probat. Quod ad teſtes reſeruet.] Teſtes enim finita utriuſq; actione interrogabantur: niſi forte lata lex fuerat, ut ante actionem cauſæ interrogarentur, ut in cauſa Milonis factum eſt. Venio nunc eò.] Secunda pars eſt, quam in partitione propoſuit. Non cupiditas.] Accuſandi ſcilicet, aut cupiditas gloriæ. Adoleſcentes enim gloriam ex accuſatione conſequebantur: ut eſt in lib. de Offic. 2. Fides.] Patrocinij. Qui enim aliquem defendendum ſuſcipit, eum in fidem patrociniumq; recipit: quem deſerere, omnino inhumanum eſt. Liberet.] Accentu acuto in media id eſt, placeret. Alios potius.] Quàm T. Roſcium. Nam ex clari alicuius ac potentis uiri accuſatione gloriam maiorem aſſequeretur. Vtrum uis.] Id eſt, accuſare, uel non accuſare. Per alterius incommodum.] Vt qui per clari alicuius uiri accuſationem & damnationem aſcendit. Niſi neceſſe eſſet.] Pro Roſcij defenſione. Proſequar.] T. Roſcij facinora. Iſtic.] Vbi tu es, in accuſatorum ſubſellijs. De Capitone poſt uiderimus. Poſtquam T. Roſcium Magnum ſuſpicione cædis impleuerit, Capitonem tractabit, deinde ad T. Roſcium redibit. Alias quoque ſuas palmas.] Nam plurimarum palmarum uetus ac nobilis gladiator habetur, ut antea dixit. Alias quoque.] Præter hanc de Roſcij cæde. Cognoſcet.] Minatur Capitoni, ut eum à teſtimonio deterreat. Cui bono fuiſſet.] Caſſiani huius dicti, alibi meminit Cicero. ut pro Milone: Itaq; illud Caſſianũ, Cui bono fuerit, in his perſonis ualeat, & ſi boni nullo emolumẽto impelluntur in fraudẽ, improbi ſæpe paruo. Philippica 2. Quòd ſi te in iudiciũ quis adducat, uſurpetq; illud Caſſianũ, Cui bono fuerit, uide quæſo ne hæreas. L. Caſſius uir ſummæ ſeueritatis, quoties quæſitor iudicij alicuius eſſet, in quo quæreretur de homine occiſo, ſuadebat, atque etiã præibat iudicibus, ut quæreretur, cui bono fuiſſet perire eũ, cuius de morte quæreretur. ob quã ſeueritatẽ, quo tẽpore Sex. Peducæus Trib. pl. criminatus L. Metellum Pont. Max. totumq; collegium Pontificũ male iudicaſſe de inceſtu uirginũ Veſtaliũ, quod unam modo Aemiliam damnauerat, duas autem Martiã & Liciniam abſoluerat, pop. Rom. hunc Caſſium creauit, qui de ijſdem uirginibus quæreret. Is utranq; aliaſq; multas, nimia (ut tum exiſtimatio erat) aſperitate uſus damnauit: auctor eſt Aſconius. Quibus periculum creabatur.] Id eſt, rei. Creare periculum, pro eo quod eſt, accuſare (nam reus in periculum adducitur) non ſemel dixit Cicero. ut in Diuinatione: Cum uero neq; iniuriã acceperis, & pretori tuo periculũ crees, fatearis neceſſe eſt, te illi iniuſtum impiumq; bellũ inferre conari. In oratione ad Quirites antequam iret in exilium: Nemini iniuſte periculum creaui, nemini innocẽti fui calamitati. pro L. Cornelio Balbo: Re denique multo ante Gadibus iam audita, fore hinc ut ab illo periculum crearetur, grauiſſima tum in iſtũ ciuem ſuum Gaditani Senatuſconſulta fecerunt. Inde periclitantem reum ſæpe dicit Quintilianus. Alijs quoq; in rebus creari periculum dicimus. ut de Aruſpicum reſponſis: Monent, ne per optimatiũ diſcordiã diſſenſionemq; patribus principibuſq; cædis pericula creentur. Præeſt huic quæſtioni.] Id eſt, in hac cauſa quæſitor eſt. Ab innocentia.] Id eſt, ab innocentibus: & ut uulgo dicunt, pro parte innocentium. Apud Caſſianos iudices.] Iudices ſeueros: quales erant ij, qui Caſſio quæſitore iudicabant. ut Actione in C. Verrem quinta: Non quæro iudices Caſſianos, ueterem iudiciorum ſeueritatem nõ requiro. Cum uiderent.] Iudices Caſſiani. Illos.] T. Roſcios. Potius ad prædam, quàm ad egeſtatem.] Id eſt, ad eos qui prædati ſunt potius, quàm ad eũ qui egẽs factus eſt. Vt tenuis antea fueris.] Hæ cauſæ ſunt, quæ T. Roſcium ad hoc maleficiũ impulerunt. Tenuis.] Id eſt, pauper: qua in re hæc uox ſæpe uſurpatur in lib. de Officijs. Diſſimulari.] Id eſt, occultari. Præfers.] Id eſt, præ te fers & oſtendis. Municipijs.] Sex. Roſcij. Communicipem autem latine non dici, quemadmodum nec conciuẽ, alio in loco ſcripſimus. Alienisſimo.] Id eſt, nec municipe tuo, nec cognato. Alienus enim opponitur uel propinquo, uel amico, uel ciui. Extraneum uulgo appellant. Obliuiſcar.] Id eſt, ne dicam. Os tuũ.] Id eſt, tuam audaciam, tuã impudentiam. qua in re os ſæpe dicitur. Terentius in Eunucho: Os durum. Id exponit Donatus, os impudens: ut contra mollis frontis dicuntur, qui ſunt uerecuntes. Idẽ: Vide amabo, ſi non cum aſpicias, os impudens uidetur. Ardens auaritia.] Ardere cupiditate, iracundia, inuidia, furore, dolore, amore dicit Cicero in Piſonem: Si triumphũ non cupiebas, cuius tandem rei te cupiditate arſiſſe defendes? Pro L. Flacco: Septimium ardentem iracundia uidere potuiſtis. Libro Epiſtol. ad Q. fratrem ſecundo: res ardet inuidia. Libro Epiſtol. ad Atticum decimo: Alter ardet furore & ſcelere. Lib. 2. ad eundem: Edicta Bibuli audio ad te miſſa. Is ardet dolore, & ira noſter Pomp. in Verrem Act. 4. Ardebat amore illius hoſpitæ, propter quam hoſpitij iura uiolarat. Iſdem rebus incenſus, & inflammatus dicitur. In ſuos.] Propinquos. Vt quæſtum non uoſſet.] Quæſtum & fructum diſtinguere hoc loco Cicero uidetur: ut quæſtus pecuniæ ſit fructus agrorum. Inſolentiam.] Inſolentia proprie dicitur, ea quæ conſuetudini contraria eſt. Solens enim, ſolitus dicitur. Plautus in Amphitryone: Si mendacium dixero, ſolens more meo fecero. Inde inſolens, pro inconſueto, inſolito. ut in illo Cæſaris: Tanquam ſcopulum, ſic fugias inauditum atque inſolens uerbũ. Cicero lib. de Orat. 1. Ea requiruntur à me, quorum ſum ignarus atque inſolens. Derogo.] Derogare contrarium eſt hoc loco ei uerbo, quod eſt arrogare. Alioqui derogare, detrahere & diminuere eſt: ut derogare fidem dicimus. ut pro M. Fonteio: Quorum uirtuti, genere, rebus geſtis, fidem & auctoritatem in teſtimonio cupiditatis, atq; inimicitiarum ſuſpicio derogauit. Pro

L. Flacco:

L.Flacco: Non quo nationi huic ego unus maxime ſidem derogem. Tametſi nihil arrogo.] Ingenij arrogantiam oratori maxime ſugiendam eſſe, Quintil.lib.11. præcipit. Ego forſitan propter multitudinem, &c.] Sententia eſt: Quia multi ſunt patroni, ego forſitan, & uix in eorum grege annumerer. cum uero pauci ſint accuſatores, permultis in Syllana diſſenſione occiſis: tu ſatis bonus accuſator habeare, non quidem propter eloquentiam tuam, ſed propter accuſatorum paucitatem. In grege.] Patronorum ſcilicet. Armentum, maiorum animaliũ eſt: grex uero, tam maiorum quàm minorum dicitur. ut gregem equarum Cicero dixit Act.in Verrem 3. gregem equorum, T. Liuius lib.24. & lib. 37. gregem elephantorum, gregem boum Vergilius lib.Georg.3. Idem lib.Aeneid.6. gregem iuuencorum. lib.7. gregem ouium. lib.8. gregem porcorum. Horatius quoque lib.Epiſt.1. gregem auium: ut Valerius Max. lib.9. gregem piſcium dixit. Inde grex dicitur pro multitudine hominum, ſiue parum honeſta, ſiue honeſta. ut ab eodem Valerio, grex libidinariorum: à Cicerone Philip.8. grex mimorum & mimarum: & 12. grex latronum: pro Domo ſua, grex prædonum: pro P.Seſtio, grex fœneratorum: pro P.Sylla, grex hominum perditorum: Pro Milone, grex ancillarum: pro L.Murena, grex iuuentutis: In Piſonem, grex nouitiorum: in Diuinatione, grex oratorum: in Lælio, grex amicorum: in libro de Orat. 1. grex philoſophorum. À T.Liuio lib. 35. grex imperatorum dicitur. Te pugna Cannenſis.] Aenigma eſt, de quo Quintil. libro 8. Hæc, inquit, allegoria quæ eſt obſcurior, ænigma dicitur, uitium meo quidẽ iudicio: ſiquidem dicere dilucide, uirtus. quo tamen & poetæ utuntur: Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Treis pateat cœli ſpatium non amplius ulnas. Et oratores nonnunquam: ut Cecilius quadrantariam Clytemnæſtram, & in triclinio coam, & in cubiculo nolam. Pugna Cãnenſis.] Per pugnam Cannenſem intelligit miſeram illam et luctuoſam bellorum ciuilium Syllæ & Marij diſſenſionẽ, & Syllanã proſcriptionem. Sat bonum.] Sat, pro ſatis, ante Ciceronis ætatem dictum ſæpius eſt, quàm Ciceronis ætate, & poſtea. Non ad Traſymenum lacum.] Vbi ante pugnam Cannenſem C.Flaminius Coſ. cum exercitu cæſus eſt: ut ait T. Liuius libro 22. Sed ad Seruilium.] Seruilius iſte lacus ubi ſit, legere non memini. Ferro Phrygio.] In ænigmate perſiſtit, Per ferrum Phrygium, fortaſſe gladium Rom. intelligit, quod è Phrygibus Romani ducant originem. Ferro.] Id eſt, gladio: ſynecdoche eſt. Non neceſſe eſt commemorare, &c.] Curtium, Marium, & Mamercum, accuſatores ignobiles fuiſſe ſignificat. De M.Mario, alijſq; indoctis & turbulentis oratoribus, in lib. de Clar. orat. Cicero: Cn. Carbonem, M.Marium, & ex eodem genere complures, minime dignos elegantis conuentus auribus, aptiſſimos cognoui turbulentis concionibus, quo in genere (ut in his perturbem ætatum ordinem) nuper L.Quinctius fuit. Aptior autem etiam Palicanus auribus imperitorum. Aetas.] Id eſt, ſenectus. Leges enim ſexagenarium otio reddunt. A præliis.] Aut à prælijs ipſis, aut reuera ab orandi certaminibus, & ab accuſandi ratione. Primum ipſum ſenem.] Aenigma eſt. De P. Antiſtij morte ante ſcripſimus. Eum autem occiſum Plutarchus ſcribit in uita Pompeij, quòd filia eius Antiſtia Pompeio nupſerat, & ob Pompeium Antiſtius Syllanam factionem ſequi uidebatur. Non omnino bonum oratorem hunc Cic. putat fuiſſe, de Claris oratoribus: Verbis, inquit, non ille quidem ornatis utebatur, ſed tamen non abiectis. expedita autem erat, & perfacile currens oratio. Et eius quidem tanquam habitus non inurbanus, actio paulum cum uitio uocis, tũ etiã ineptijs claudicabat. Hic temporibus floruit ijs, quibus inter profectionem reditumq; L.Syllæ ſine iure fuit, & ſine ulla dignitate Reſp. Hoc autem etiam magis probabatur, quod erat ab oratoribus quædam in foro ſolitudo. Sulpitius acciderat, Cotta aberat, & Curio: uiuebat è reliquis patronis eius ætatis nemo præter Carbonem & Pomponium, quorum utrunque facile ſuperabat. Sexcenti.] Id eſt, innumerabiles. Numerus certus pro incerto. Inter ſicarios, & de ueneficijs.] Imperitos eos fuiſſe ſignificat. Canes.] Id eſt, accuſatores. Inde oratores latrare, per metaphoram ſæpe dicuntur: & Scipionem à Catone allatrari, Liuius refert: ut ait Quintil.lib.8. Is qui ſummam, &c.] Id eſt, L.Sylla. Qui ſuis uulneribus mederentur.] Id eſt, ſuam egeſtatem depellerent, ſua damna compenſarent. uulnus enim pro damno poni, ante ſcripſi. Vel, iudiciorũ metum ſibi adimerẽt. uulnus enim pro metu dici, Seruius ſignificat, enarrãs illum uerſum ex primo Aeneide. Cum Iuno æternum ſeruans ſub pectore uulnus. Si offuſa Reip. ſempiterna nox eſſet.] Id eſt, ſi omnino Reſp. concidiſſet. Vt enim mortuorum hominum in æternam clauduntur lumina noctem, ita intermortuæ Reip. nox ſempiterna eſt. Omniaq; miſcebant.] Id eſt, omnia perturbabant, nihilq; non faciebant. Subſellia.] In quibus ſederent accuſatores & iudices. Studio.] Id eſt, cupiditate. Officio.] Id eſt, fide. Eeque facultas.] Auctore Quint. lib. 5. intuendæ ſunt præcipue in coniecturis facultates. Credibilius eſt enim, otioſos à pluribus pauciores, à firmioribus imbecilliores, à uigilãtibus dormiẽtes, à præparatis inopinantes. quorum contraria in diuerſum ualent. Qui in bonis erant occupati.] Id eſt, qui bonorum ſectores erant: qui conducebant ſicarios, ut occiderent eos, quorum bona cõcupiſcerent. Noſtra.] Id eſt, Sex. Roſcij. Sæpe enim patronus in perſona litigatoris loquitur. Contentio.] Id eſt, comparatio. Ad plures.] Id eſt, non ad te ſolum. Cuiuſquemodi.] Cuicuimodi, pro Cuiuſcuiuſmodi, legendum eſſe Priſcianus docet. Is enim lib. 13. ſcribens de nominibus, quorum genitiuus in ius exit: Hæc, inquit, ipſo ſecundum mobilem regulã nominum ſolebant apud uetuſtiſſimos terminare etiam genitiuos & datiuos. ut Terent. In Andria: Tam iners, tam nulli conſilij: pro nullius conſilij. Idem in Heaton. Dum loquitur alteræ, pro alteri. & in Eunuch. Solæ mihi ridiculo fuit, pro ſoli: & cuicuimodi, pro cuiuſcuiuſmodi, Cicero pro Sex. Roſc. Vereor enim cuicuimodi es Roſci, ne ita hũc uidear uoluiſſe ſeruare, ut tibi omnino non pepercerim. Oris tui.] Id eſt, tuæ impudentiæ, uel audaciæ. Tene partes iſtas depopoſciſſe.] Huiuſmodi queribũdæ orationes, & interrogatoriæ ſolent eſſe ſine uerbo modi finiti. Virg. in prim. Aeneid. Me ne incœpto deſiſtere uictam? Nec poſſe Italia Teucrorum auertere regem; itemq;: Me'ne Iliacis, occumbere campis Non potuiſſe, tuaq; hãc animã effundere dextra? Hoc dicendi genus Terentio familiare eſt. Cæteri ſocij tui. Id eſt, alij ſicarij. Aſſequeris.] Accentu acuto in penultima. eſt enim futuri temporis. Occiſo Sex. Roſcio.] Oſtendit Sex. Roſcium. à T. Roſcio occiſum eſſe, ex eius morte per Mallium Ameriam nunciata. Nullamq;.] Si emendatus eſt hic locus, hoc dicendi genus adoleſcentiæ Ciceronis tribuendum eſt, à quo ferè poſtea diſceſſit. Nam alij in locis, nec ullum, aut neque ullum, nec unquam, aut neq; unquã, ſolet Cicero dicere: nõ nullumq;, aut & nullum, nunquamq;, aut & nunquam. Diuinare.] Vulgo dicunt addiuinare. Conuenientes.] Id eſt, concordes, manſueti, bonis moribus præditi. Nondum lucebat.] Id eſt, ante primam lucem. Lucebat hoc loco, eſt ex uerbis ijs, quæ grãmatici exempta actionis appellant: cuiuſmodi ſunt, tonat, pluit, ſerenat, &c. Quæ autem in narratione breuiter attigit, ea hic tractat amplius, et cũ argumentis. Non excutio te. Id eſt, non exquiro, an nullum telum in ueſtimentis occultum habueris. Apertam tuum ſcelus.] Ad Titum Roſcium uerba deflectit. Tantum itineris.] LVI millia. Contendere.] Id eſt, contente & celeriter conficere. Id temporis.] Id eſt, eo tempore: id eſt, poſt primam horam noctis, cum iam occiſus eſſet Sex. Roſcius.

*Capienda.* ] *Id eſt, inueniendo, ut capere conſilium, pro eo quod eſt inuenire dicimus.* Non'ne hæc quæ audiſtis, &c. ] *Perſpicuitas eſt, quæ à Cicerõe ſub oculos ſubiectio, à Græcis ἐνάργεια dicitur, de qua Quintil. lib. 4 & 8. plura ſcribit.* Poſitas inſidias. ] *Vt pro P. Seſtio: Monuerunt, ut eſſet cautior: eiusq; uitæ à me inſidias, apud me domi poſitas eſſe dixerunt. Facere inſidias, cum alibi, tum pro Milone, dicit ſæpius.* Automedontem illum. ] *Automedontem appellat Glauciam, propter tantam celeritatem itineris, tam breui ſpatio confecti. Automedon enim, Patrocli auriga fuit. occiſo Patroclo, Hector in Automedontem pergit, ipſum feriendi cupidus: at illũ iam equorum immortaliũ fuga abſtulerat, quos equos Peleo dij immortales dederant: ut ait Hom. lib. Iliados 16.* Sui. ] *T. Roſcij.* Capitonem in his bonis eſſe ſocium. ] *Capitonem hoc loco tractare incipit. Id enim ante pollicitus fuit, cum dixit: de Capitone poſt uiderimus.* De tribus & decem. ] *Antea mutato ordine dixit, Fundos decem & tres reliquit.* Suſpicionem conferri. ] *Conferre ſuſpicionem dicit. ut pro L. Flacco, conferre inuidiam: Hic Dorylenſis, nuper cum efferretur magna frequentia, conſeſſuq; ueſtro, mortis illius inuidiã in L. Flaccum, leuius conferebat.* Infames palmas. ] *Habebatur enim plurimarum palmarum uetus ac nobilis gladiator, ut dixi antea.* Hanc primum. ] *De cæde Sex. Roſcij, qui Capitonis conſilio interfectus eſt.* Lemniſcatam. ] *Id eſt, maxime inſignem: ut in gladiatorũ metaphora maneat. Lemniſci, ut ait S. Pompeius, ſunt faſciolæ coloriæ, id eſt, ex lana non tincta: ſed natiui coloris, dependentes ex coronis. Propterea autẽ dicuntur, quod antiquiſſimum fuit genus coronarum lanearum. ex tenuiſſimis phylira, id eſt, tiliæ tunicis, quæ ſunt inter corticem & lignum, huiuſmodi lemniſcos fieri ſolitos, Politianus. cap. 72. Miſcellan. multis teſtibus probat.* Nullum eſſe modum. ] *Multis enim modis homines occiduntur, ſed præcipue ferro aut ueneno.* Habeo etiam dicere. ] *Hoc dicendi genere non ſemel uſus Cicero eſt. ut pro P. Quintio: Verum his de rebus non neceſſe habeo dicere ea, quæ me P. Quintius cupit commemorare. Pro L. Cornel. Balbo, Quid habes igitur dicere, de Gaditano fœdere eiuſmodi? Lib. Epiſt. ad Atticum 10. Eo minus habeo neceſſe ſcribere, aut etiã cogitare, quid ſim facturus, ſi acciderit ut legarer. Lib. de Nat. Deorum. 3. Hæc ferè dicere habui de Natura Deorum.* Quem contra morem maiorum, &c. ] *M. Varro, ut eſt apud Nonium Marcellum, ſcripſit ſexagenarios à negotijs pub. liberos atque otioſos eſſe debere. ideoq; in prouerbium, ut quidam putant, ueniſſe, ut diceretur, Sexagenarios de ponte deijci oportere. id eſt, quod, ſuffragium non ferant, quod per pontem ferebant. De hoc prouerbio apud Eraſmum multa legere licet. In ponte ſuffragia ferri ſolita, ſignificat auctor Rhetoricorum ad Herennium libro. 1. Cæpio, inquit, ut illum contra Senatuſconſultum, intercedentibus collegis, aduerſus Rempub. uidit ferre, cum uiris bonis impetum facit, pontes diſturbat, ciſtas deijcit: impedimento eſt, quo ſecius feratur lex. Ad hunc igitur morem alludit Cicero cum dicit, hominem quendam à Capitone in Tyberim præcipitatum. Niſi forte id uerum eſt, quod putant poſt urbem Rom. à Gallis liberatam, ob cibatus inopiam, ſexagenarios in Tyberim de ponte deijci cœptos. Quæ ſententia Siſinnio Capitoni non placet: ut eſt apud Sex. Pompeium.* Explicit ſuum uolumen. ] *Veteres cum primum in folijs arborum, & deinde in libris arborum ſcribebant, tum nec folia nec libros ſuebant: ſed alia alijs ſuperpoſita inuoluebant, ne ordo eorum turbaretur. Inde dictum uolumen eſt, & euoluere, & explicare uolumen.* Eructum conſcripſiſſe. ] *Derogat fidem Capitonis teſtimonio, qui non quod ſentiat, ſed quod Erucius uelit, dicturus ſit. & ita quodammodo accuſator teſtis eſſet. Vt autem patrono in cauſa ſua teſtimonium dicere non licet, ut ait Arcadius Iuriſconſul. lib. Digeſt. 22. de teſtibus: ita multo minus liceat accuſatori. Naturalis enim fauor, auctore Quintil. eſt pro laborantibus.* Meditatum eſſe. ] *Id eſt, didiciſſe.* Libentius animis. ] *Id eſt, libenter & attente.* Ad eius teſtimonium. ] *Id eſt, ut ſecundum eius teſtimonium iudicetis.* Volucrem nuncium. ] *Vulgo poſtam appellant.* Ipſe. ] *T. Roſcius.* Si dijs immortalib. placet. ] *Hæc parentheſis poni ſolet in ironia, et in irriſione. ut in L. Piſonẽ: Appellatus eſt hic Vulturius illius prouinciæ, ſi dijs placet. Imp. Lib. de finib. 2. Quoniã, ſi dijs placet, ab Epicuro loqui diſcimus. Lib. Tuſculanarũ quæſt. 5. Qua gloria cõmotus Epicurus exoritur, cui etiam, ſi dijs placet, uidetur ſemper ſapiens beatus.* Is quod dixerit. ] *Id quod dixerit, legendum.* Tertiam partem orbis. ] *Id eſt, Africam.* Cum de bonis, &c. ] Non de minimis rebus. Qui & ſector, &c. ] *Qui amplisſimus non eſt.* Multa audacter. ] *Priſcianus lib. 15. cenſet hoc loco legendum eſſe Audaciter. Is enim de aduerbiorum forma ſcribens: Alia, inquit, datiuo ter addũt, penultima correpta: ut fortis forti fortiter, utilis utili utiliter, felix felici feliciter, audax audaci audaciter. ſed per ſyncopam in uſu eſt frequentiore Audacter. Terentius in Phorm. Minus multo audacter, quàm nunc lædit, læderet. Saluſt. tamen Hiſtoriarum 2. audaciter protulit, ſecundum analogiam, & Cicero pro Sex. Roſcio: Multa ſcelerate, multa audaciter, multa improbe feciſti.* Accuſatore mutuo. ] *Teſtis enim, qui in accuſatoris ſubſellio ſedet, accuſatori fauet: isq; quodãmodo accuſator; ſed mutus eſt.* Qui de accuſatoris. ] *Paulo Iuriſc. libro Digeſt. 22. de teſtibus, non placuit interrogari teſtes eos quos accuſator de domo produxerit. ut hos interrogari non placet, ita ijs qui de accuſatoris ſubſellio ſurgant, credi oportere Cicero negat.* Eſſet. ] *Id eſt, eſſe deberet.* Ad Volaterras, &c. ] *Vt ante fecit, ita hoc loco amplius probat, id quod in narratione dixit breuiter.* Hominem. ] *Sex. Roſc.* Aut rem. ] *Id eſt, eius prædia.* At qui. ] *Id eſt quomodo.* Aliquem municipem. ] *Communicipem uulgo dicerent.* Hoc. ] *Id eſt, hac re: quod uidelicet municipes aliquis, aut uicinus dixerit. niſi Hanc, non Hoc legere malis: ut in codicibus alijs inuenio ſcriptum. Putare ſuſpicionem dicit, ut putare rationes, lib. Epiſt. ad Attic. 4. Is cum ueniſſet Romam, & illum, & ſe, ſtatim uenturos, ut rationes cum publicanis putarent.* Non enim ego ita diſputabo. ] *Occupatio. Id enim dicit, quod ſe negat dicere.* Qui ſunt igitur in iſtis bonis. ] *Id eſt, qui habent iſta bona? Qua ratione dicimus aliquem eſſe in ære alieno, id eſt, habere æs alienum.* Obtulerint. ] *Id eſt, nunciauerint.* Tulerunt. ] *Id eſt, acceperunt. ut pro Roſcio Comœdo: Cognitor ſi fuiſſet tuus, quod uiciſſet iudicio, ferres tuum. Inde ferre puncta, & tribum, pro eo quod eſt, accipere ſuffragia: de quo genere ſcribimus in Inuectiuas. Ferre fructum, in eadem re dicitur: id eſt, accipere uel percipere. ut in oratione pro domo ſua: Vtriuſque temporis fructum tuli maximum. & pro Cn. Plancio: Fructus autem ex ſeſe, nõ ut oportuiſſet lætos & uberes, ſed magna acerbitate permixtos tuliſſem. Et pro P. Sextio: Piſo ille gener meus, cui fructum pietatis ſuæ, neq; ex me, neq; à populo Rom. ferre licuit.* Operæpretium. ] *Id eſt, utile & fructuoſum Chryſogono, quaſi pretium operæ, id eſt, facinoris.* Rem detulerunt. ] *Id eſt, eadem nunciauerunt.* Honoris aliquid haberi. ] *Vt ante dixit, Sex Roſcij ſeruos apud Chryſogonum in honore, & pretio haberi.* Has manubias. ] *Aul. Gell. cap. 24. lib. 13. & Nonius Marcell. prædam & manubias ita diſtinguunt: ut ſit præda, corpora ipſarum rerum quæ capiuntur. manubiæ uero, pecunia ex præda uendita redacta. Aſconius uero Pedianus in commentarijs in Praeturam Vrbanam, manubias eſſe dicit, ſpolia quæſita de uiuo hoſte nobili., per deditionem.*

Erat

Erat autem hæc præda Imperatorum, ex qua quid uellent facerent. Idem paulo ante dicit, manubias prædam eſſe imperatoris, pro portione de hoſtibus captam. Hæc Aſconij ſententia mihi melior eſſe uidetur. nam manubias Imperatoris à Cicerone dici, multis in locis attendimus. ut in oratione contra Rullum ad Quirites: An pompeium non adhibebit? in eius prouincia uendet manubias imperatoris? itemq́; Acceſſerunt in cumulum manubiæ ueſtrorum imperatorum. His manubijs quod uolebant Imperatores faciebant. ſæpius tamen in monimenta deorum, ut templa, uel in urbis ornamenta conferebant: ut eadem in oratione ſignificat Cicero. Caſtoris ædem L. Metell. de manubijs extruendam curauit, ut ait Aſconius. Auctore Cicerone pro Domo ſua, Q. Catulus de manubijs Cimbricis porticum fecit. Quia igitur pugnam, in qua occiſus eſt Sex. Roſcius, & prædam ante dixit, manubias Chryſogoni dicit, tanquã eius pugnæ imperator fuerit. Venit in decem, &c.] Arguit Roſcium Capitonem, quòd legatus Decurionum mandata uiolauerit, & ſocios fefellerit. Primis.] Nam Decurionum decretum factum eſt, ut Decemprimi proficiſcantur ad Syllam: ut in narratione dictum eſt. Virum optimum eſſe eum iudicatote, & ita Sex. Roſcium damnatote.] Iam admonuimus, uti Cicero probationes ſuas fore clariſſimas promittere ſolitus ſit: alioqui ſe non recuſare, quo minus damnetur reus is quem defendit. Si ſublata ſit.] Ex Syllæ decreto. Illum acuere.] Capito acuebat & excitabat Chryſogonum. Huiuſmodi infinitiuis, pro imperfectis indicatiui modi, Comici & hiſtorici ſæpius quàm oratores utuntur. Cum illo partem ſuam depaſci.] Id eſt, de parte ſua pactionem facere. Depeciſci autem, non depaſciſci, legendum eſſe Priſcianus docet lib. 9. ſcribit autem uerba permulta eſſe, quæ in compoſitione mutent a, alia in i; alia in e: ut tango contingo, frango confringo, ago exigo, gradior ingredior: fatiſcor defetiſcor, paciſcor depeciſcor. Eſt autem depeciſci, pactionem facere. Terentius in Phormione: Ita me dij bene ament, ut mihi liceat tandiu quod amo frui, iam depeciſci morte cupio. Hora.] In codicibus alijs, Aura ſcribitur. Iſtius fide.] Fidem apud antiquos in utranque partem appellatam eſſe, ex libro de Officijs tertio ſæpe cognoſci poteſt. Inde fides bona ſemper appellatur. Fidem malam, pro perfidia, idem Cicero dixit lib. de Nat. Deorum 3. Inde tot iudicia de fide mala, tutelæ, mandati pro ſocio, &c. Fide ac potius perfidia.] Correctio eſt. ſatis enim idoneo uocabulo ſibi uſus non uidebatur: ideo magis idoneum repoſuit. Teſtimonium denunciare.] Id eſt, in iudicium uocare, ut dicant teſtimonium. Quintil. lib. 5. duo teſtium genera dicit. Alios enim uoluntarios, alios quibus iudex publicis iudicijs lege denunciare ſolet. De hoc uerbo, alio loco plura ſcribimus. Spem falſam.] Quam ſpem legati Ameriam retulerint, dixit in narratione. In priuatis rebus.] Locus communis eſt. Tractat in generali, quàm turpe habitum ſit priuatis rebus mandatum negligenter gerere: ut à minore ad maius probet, quàm turpe habendum ſit, in negotio publico mandatum non modo deſerere, ſed etiã ne geratur malitioſe conſulere. Eadem quoque arguendi ratione paulo poſt utitur, ubi de uiolata ſocietate ab hoc Capitone agit. Rem mandatam.] Auctore Paulo Iuriſcon. lib. Digeſt. 17. titulo Mandati, uel contra: Obligatio mandati conſenſu contrahentium conſiſtit. Ideo per nuncium quoque, uel per epiſtolam mandatum ſuſcipi poteſtatem ſiue rogo, ſiue uolo, ſiue mando, ſiue alio quocunque uerbo ſcripſerit, mandati actio eſt. Mandatum, niſi gratuitum, nullum eſt. nam originem ex officio atque amicitia trahit. Contrarium porro eſt officio, merces. interueniente enim pecunia, res ad locationem & conductionem potius reſpicit. Malitioſius.] Id eſt, callidius. Vicaria fides.] Id eſt, quæ uicem noſtram ſubit. Fides amicorum.] Qui mandatum noſtrũ receperunt. Operæ noſtræ ſupponitur.] Id eſt, loco operæ noſtræ ponitur. Recipis.] Id eſt, ſuſcipis & te executurũ promittis. Quid recipis mandatum.] Fictio eſt alicuius qui mandauit, expoſtulantis cum eo cui mandauit. Fama mortui.] Sex. Roſcij. Hunc enim nobilitati & Syllæ aduerſarium, ideoque proſcriptum accuſatores dixerunt. Ignominia mortuũ affecerit.] Illud mihi aſcribendum uidetur, Fortunis uiuum ſpoliauerit: aliud'ue quid ad eandem ſententiam, ut ita legatur: Ignominia mortuũ affecerit, fortunis uiuum ſpoliauerit. In rebus minimis.] A minore ad maius arguit. Iudicijq́; infami.] Id eſt, iudicio famoſum. Ita enim Iuriſperiti ſolent appellare. Si recte fiat.] Negligentia ſcilicet. Geſta.] Id eſt, mãdata. Priuatũ aliquod commodũ.] Id eſt, priuatũ commodũ alicuius. Cerimonias.] Legationem perinde ut rem ſacrã ueteres habuerunt, cui deũ Mercuriũ præfecerunt. ideoq́; Legatos uiolare impiũ habebatur. Quàm ſacros fœciales ſuos Romani habuerint, quantis cũ cerimonijs eos mittere ſoliti ſint, ignotũ non eſt. Aliarũ quoque legationum cerimonias eſſe, locus hic documento eſt. Si hanc ei rem &c.] Argumentũ à fictione eſt. Tranſigeret.] Id eſt, de prædijs patris paciſceretur. Quãuis paciſci & tranſigere diſtinguant Iuriſperiti. Vlpianus enim lib. 2. Digeſtorum de Tranſactionibus: Qui tranſigit, inquit, quaſi de re dubia & lite incerta neque finita tranſigit. qui uero paciſcitur donationis cauſa, rem certam & indubitatam liberalitate remittit. Eſt igitur tranſigere, quod uulgo dicunt, facere appunctamentum. Decideret.] Id eſt, pactionem & deciſionem faceret. Vt autem antea dixit, partem ſuam depeciſci: ita pro Roſcio Comœdo, Tuam partem dimidiam quemadmodum uis decide. ibidem tamen dicit, De tota re decidiſti. In eam rem fidem ſuam interponeret.] Id eſt, pactionibus & conuentis manſurum ſe promitteret. Recepiſſet.] Id eſt, promiſiſſet, ut lib. Epiſt. ad Atticum 5. Omnino omnia ſe facturum recepit. In ſe recipere, pro eo quod eſt recipere dicitur. ut lib. Epiſt. Famil. 13, Sed tamen ſeparatim promitto, in meq́; recipio, fore eum tibi & uoluptati, & uſui. Itemq́;: Spondebo enim tibi, uel potius ſpondebo, in meq́; recipio, eos eſſe M. Curij mores, &c. Recipio tibi, ut promitto tibi, dicimus. Plancus Ciceroni lib. Epiſt. Famil. 10. Si omnia mihi integra & ipſe & fortuna ſeruauerit, recipio uobis celeriter me negotium ex ſententia confecturum. Cicero lib. 13. A. Fuſium unum ex meis intimis obſeruantiſſimum ſtudioſiſſimumq́; noſtri, eruditũ hominem, et ſumma humanitate tuaq́; amicitia digniſſimũ, uelim ita tractes, ut mihi coràm recepiſti. Itemq́;: Gratiſſimum mihi feceris, ſi curaris, ut intelligat Brutus, id quod ei recepi, hanc meam commendationem ſibi magno adiumento fuiſſe. Mandatus eſt.] Id eſt, cum mandato commendatus. Euertit.] Id eſt, ſpoliauit, expilauit: ut Actione in Verrem tertia: Venit ad Verrem M. Marcellus, petit ab eo pro ſua fide & diligentia pluribus uerbis, ne per ſummam iniuriam pupillum Iunium fortunis patris conetur euertere. Actione quarta: An huiuſmodi iudicium det, quo iudicio iudicta cauſa fortunis omnibus euerti neceſſe ſit? Itemq́;: Cogitare cœperũt eius inimici, nihilominus eodem Prætore hũc euerti bonis poſſe, quo Heraclius eſſet euerſus. Tantidẽ quanti fidem.] Id eſt, minimis. In rebus minoribus ſocium fallere.] Vt uiolare mandatum, docuit eſſe turpiſſimũ: ita & eadem ferè uia docet, quàm turpe ſit fallere ſocium, id eſt, eum cũ quo ſocietatem coieris. Auctore Cicerone pro Q. Roſcio: Si quæ ſunt priuata iudicia ſummæ exiſtimationis, & penè dicã capitis, tria hæc ſunt, fiduciæ, tutelæ, ſocietatis. Aeque enim perfidioſum & nefarium eſt, fidem frangere, quæ continet uitam: & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit: et ſocium fallere, qui ſe in negotio coniunxit. Societatem autem coire ſolemus aut omnium bonorum, aut unius alicuius negotiationis: uelut

mancipiorum uendendorum emendorumq́;, aut olei, aut uini, aut frumenti emendi uendendiq́;. ut eſt in lib. Inſt. Iuſtiniani 3. de Societate. Communicauit.] Id eſt, communem fecit. Tecti eſſe ad alienos poſſumus.] Si alienos præcauere poſſumus. Intimi.] Id eſt, maxime familiares. Multa apertiora.] Sed non omnia. Ideo eos præcauere poſſumus. Cauere ſocium.] De hoc dicendi genere ante dixi. Quod tametſi graue eſt.] Ex hac re amplificat magnitudinem ſceleris Capitonis. Induxit, decepit, deſtituit.] Vt in L. Piſonem: Hic in fraudem homines impulit, hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit. Deſtituere dicitur is, qui promiſſum non facit: ut in Cluentianam ſcripſimus. Is autem fallit: ideo deſtituere, fallere eſt. Aduerſarijs tradidit.] Id eſt, prodidit Chryſogono. Militiam.] Id eſt, uerſutiam. Orationi uanæ.] Id eſt, mendacijs Capitonis. Parum putantur cauti.] Quòd miſſi legati munus ſuum non obierint. Proditor.] Sociorum ſcilicet. Perfuga.] Qui ad aduerſarium tranſit, eiq́; ſuorum ſociorũ conſilia aperuit. Qui primo ſociorum.] Ideo proditor. Deinde ſocietatem.] Ideo perfuga. Prædijs, hoc eſt, præmijs.] Annominatio eſt. In his.] Id eſt, inter hæc. Audacter.] Audaciter, ut ante, legendum eſt. In illo.] Capitone. Conſtant.] Conſtat legendum putarem. Illorum.] Maleficiorum. Dubitatur.] Id eſt, dubium et incertum eſt. Dubitatur paſſiue dici, attendendum eſt. Conuincatur.] Id eſt, probetur Ille laniſta.] Capito. A` gladiatore ceſſiſſe.] Morem fuiſſe ſignificat, ut ueteres gladiatores, multarum palmarum uictores, nimium callidi artifices, á gladiatoribus ceſſarent: id eſt, gladiatores eſſe deſinerent. Aut is diſcipulus.] T. Roſcius Magnus. Vtriuſque paris ſcelera dicit, ut eos in odium magis adducat. Tantulum.] Id eſt, minima re. De arte.] Gladiatoria. Gemina.] Id eſt: ſimilis & æquabilis: ut, Geminiq́; minantur In cœlum ſcopuli. de quo uerbo alibi plura. Fidem.] Ironia eſt: ut poſtea, æquitatem. Fidem.] Quod ſit proditor & perfuga. Dixi iam antea.] Dixit enim antea: Te nunc appello P. Scipio, te Metelle, &c. Sæpenumero poſtulatos.] Ne intelligas, Dixi ſæpenumero. Aliquoties, inquit ante Cicero, duos ſeruos paternos in quæſtionem ab aduerſarijs Sex. Roſcius poſtulauit. Ab iſtis.] Scipione & Metello. Quæro abs te.] Tria quærit, et ad ſingula reſpondet. An iſte.] T. Roſcius. Attendendum eſt, hoc pronomine litigatorem oſtendi, cum alibi ferè ſolitus Cicero ſit per pronomen Hic demoſtrare. Ipſe ſeſe in cruciatum.] Mouet affectum, & remouet ab eo criminis ſuſpicionem. Vtrum eam rem recuſares, &c.] Recuſando enim, de maleficio ſatis confitetur. Verbum confiteri à Cicerone, alijsq́; ita uſurpari attendimus, ut dicant confiteri de ſcelere, non ſcelus: quemadmodum accuſare, defendere, damnare, de furto, de repetundis, de ambitu, dicimus. ut in Partitionibus oratorijs: Minime eſſe concedendum, ut is qui de re confiteatur, uerbi ſe interpretatione defendat. Ea de re amplius ſcribimus in Ligarianam. Cum occiditur.] Videtur legendum, Cum occideretur. Quod à uobis oppugnari.] Aut oppugnari pro repugnari poſuit, aut certe Repugnari legi debet. In dominos quæri de ſuis. Hoc proponit tanquam ab aduerſarijs reſponſum, quòd hi ſint ſerui T. Roſciorum, & Chryſogoni. De his igitur ſi quæreretur, in dominos quæreretur. De ſeruis in dominos quæri quòd non liceat, ſcribimus in Milonianam. An'ne quæritur?] De ſeruis in dominos, ſcilicet. Cum de hoc quæritur.] Si locus hic emendatus eſt, ſententia eſt: cum quæritur de hoc, id eſt, de Roſcij cæde, uos ſeruorum eius dominos non dicitis De hoc quæritur, ne intelligas, de Roſcio habetur quæſtio. nam antiquo ciuili Romanorum iure, de liberis hominibus non quærebatur. Literis eorum.] Ironia eſt. Ex tot elegantiſſimis familijs.] Quæ in Sillana proſcriptione publicatæ ſunt, & auctionatæ. Permagnam Chryſogoni potentiam dicit. Operarios.] Id eſt, duros, ruſticos, mechanicos, qui operari ſolent. ut Actione in uerrem 6. Barbatos quoſdam Lilybæo ſcitote aduocatos eſſe operarios. & lib. Tuſculanarum diſputationum 5. An quidquam ſtultius eſt, quàm quos ſingulos ſicut operarios barbaros contemnas, eos aliquid putare eſſe uniuerſos? eoſdem Opifices appellat in libro de Officijs primo: Opificesq́; omnes in ſordida arte uerſantur. Patris familiæ.] Sex. Roſcij. Non ut rei.] Id eſt, non eſt ueriſimile, ut rei, &c. Eorum.] Seruorum. Diligentiam & fidem.] In ſeruis hæc duo commendantur maxime. In omnes.] T. Roſcios, & Chryſogonum. Omnia.] Vt ficti criminis accuſationem, audaciam, & potentiam. Poteſtas data eſt.] A' populo Romano. Quæri.] Id eſt, quæſtionem haberi. Venio nunc.] Partitionis eius, qua antea uſus eſt, hæc eſt pars tertia. Cum ad nouam quæſtionem, id eſt materiam accedimus, admonendi ſunt auditores: qua ratione fiunt magis attenti. Hinc illa ſæpe, Reliquum eſt, Reſtat, Venio nunc, &c. Ad aureum nomen Chryſogoni.] Raro fit, ut in nomine aduerſarij ludamus. Cicero Actione 3. ludens in nomine Verris, ex ridiculorum hominum ſermone id ſe ſumere dicit. Chryſogonus autem eſt, quaſi tu dicas aureum genus, uel aureum ſemen. Nam aurum χρυσὸς, & ἡ γονὴ genus uel ſemen dicitur. Statuitur.] Id eſt, ponitur & firmatur. Neque quomodo dicam.] Addubitatio eſt. Vel maximam.] Id eſt, non ſolum magnam, ſed maximam. Id quod ad me nihil pertinet.] Si uidelicet ſolus læſum ſe eſſe putet. Singularis.] Id eſt, cum alijs non coniunctura, nec ijs ſimilis. Itaque de hac cauſa poſſum dicere, nihil attingendo communem ſectorum cauſam. Emptorem Chryſogonum.] eſſe ſcilicet. Eius hominis.] Sex. Roſcij. Docet autem Sex. Roſcij bona lege nulla ueniſſe. Hæc.] Id eſt, indignum eſſe, bona hominis innocentis ueniſſe. Vt de eo potiſſimum.] Multi enim uiri clariſſimi fuerunt, quorũ bona uenierunt, de quibus itidem quæri liceret. Siue ualeria eſt, ſiue Cornelia.] Mortuis Cn. Papyrio Carbone in Sicilia, & C. Mario filio Preneſtæ, Conſulibus, ut noui Conſſ. fierent, interregem Senatus creari iuſſit. Creatus eſt L. Valerius Flaccus. auctor eſt Appianus lib. 1. Omniũ legum iniquiſſimam diſſimillimamq́; legis L. Flaccus interrex de Sylla tulit, ut omnia quæcunque ille feciſſet, eſſent rata. Qua lex non hominis, ſed temporis eſſe uidetur. auctor eſt Cicero in oratione contra Rullum ad quirites: Flacco interrege, dictatura, que per annos quadringentos intermiſſa fuerat, Sylla quandiu gerere uellet demandata eſt. Hæc lex proſcriptionis à quo lata ſit, incertum ſibi eſſe Cicero dicit: à Flacco'ne, qui tulit, ut quæcunque Sylla feciſſet ea rata eſſent: an à L. Cornelio Sylla. Leges appellari ſolitas ex nominibus ijs quæ proxima ſequerentur prænomina, alibi diximus. inde lex Valeria, & lex Cornelia dictæ ſunt, quas L. Valerius Flaccus, & L. Cornelius Sylla tulerunt. Otio.] Id eſt, pace. Si lege.] Occiſus eſt ſcilicet, Non in eum quem uis.] Id eſt, non in L. Syllam. Ementiretur.] Id eſt, planè mentiretur. Vt efficere & exorare magis ſunt: quàm facere & orare: ita ementiri, quàm mentiri. Apud aduerſarios.] Id eſt, in præſidijs aduerſariorum. Id quod aperietur.] Id eſt, planè et aperte dicitur. Si per uos licitũ erit.] Id eſt, ſi patiamini, & ſi attente audiatis. Poſtea.] Id eſt, iam. ibi enim aperire incipit, Opinor enim eſſe in lege, &c. In tabulas publicas nullas redierunt.] Id eſt, in tabulis publicis ſcripta non ſunt: id eſt, non ſunt, ut uulgo loquuntur, irregiſtrata. Ante tempus.] Id eſt, citius quàm debeam. Prius enim oſtendere debeo, Sextum Roſcium con-

tra

*tra omnem legem occiſum, quàm bona eius lege nulla ueniſſe.* Rediuiam curem.] *Rediuia eſt, cum circa ungues cutis ſe reſoluit, ut ait* Sex. Pomp. *Sic autem dicta eſt, quia rediuire pro ſoluere dixerint antiqui. Succida lana ex aqua frigida impoſita, rediuias ſanat: ut ait* Plin. *cap.* 2. *lib.* 29. Quæſo à uobis iudices.] Attentos facit. In extrema oratione.] *Id eſt, in extrema parte orationis, in concluſione. De hoc dicendi modo, quàm familiaris* Ciceroni *ſit, ſcribimus in commentarijs in* Cat. Maiorem. Apud aduerſarios.] *Id eſt, in aduerſariorum præſidijs.* In eos ſolos.] Aduerſarios. Tantulo.] Sex. *enim* Roſcij *bona erant ſexagies ſeſtertium, & uenierunt tantum duobus millibus nummum.* Tantulo uenierint.] *In primitiuo diceretur, tanti uenierint.* In patronū ſuum.] L. Cornelij Syllæ Chriſogonus *libertus erat, ideo* L. Cornelius *appellatus eſt.* Magnitudinem rerum.] *Quas* L. Sylla *gereret.* Præteriri.] À Sylla *ſcilicet.* Iupiter Opt. Max.] *Iouem propter beneficia, populus* Rom. *Optimum: propter uim, Maximum nominauit. ut ait* Cicero *in oratione pro Domo ſua.* Perdidit.] *Id eſt, uaſtauit.* Pernicij cauſa.] A. Gell. *cap.* 14. *lib* 9. *docens nomina* 5. *declinationis apud ueteres habuiſſe genitiuum, ut huius facies, facij, & facie, hunc locum citat, ut probet huius pernicij à* Cicerone *dictum.* Vt ipſa.] Ventorum, tempeſtatum, &c. Magnitudine rerum.] *Quas* Iupiter *ipſe gerat.* Eo *enim alijs rebus agendis occupato, hæc fiunt. Multa quoque dijs imprudentibus fieri poetæ ſignificant: ut apud* Homerum *lib.* Iliad. 14. Iouem Iuno *ſopiuit. eo dormiente,* Neptunus *contra* Iouis *edictum* Græcos *adiuuat. experrectus* Iunoni *iraſcitur, fugientibus* Troianis *opitulatur.* Id *eſt quod apud* Virg. *lib.* Aen. 1. Aeolus *imprudente* Neptuno *uentos in mare immittit, agitat & uexat* Troianos. *Id reſciſcens* Neptunus, *uentis* Aeoloq́; *iraſcitur, & mare pacat.* Spiritumq́; quem ducimus.] *Ducere ſpiritū dicit, ut ante, ducere animam.* Receperat.] *Id eſt, recuperauerat.* Accuſare ſe dicit Erucius.] *Nonnulla hoc loco deeſſe, nemini dubium eſt.* Ea *tamen pauca eſſe arbitror: propterea quòd ante dixerit: pauca reſtare quæ dicturus ſit.* Aptam.] *Videtur præmittendum,* Habitationem *aut* Villā *aut* Latebram, *ſuæ nequitiæ & ignauiæ aptam, &c.* Qui in Salentinis, aut in Brutijs habent.] *Id eſt, habitant.* Et *ſi liceret diuinare, quæ in ſuperioribus deſunt, legerem ſic:* Hoc *iudicium, cuius honoris cauſa accuſare ſe dixit* Erucius, *mendacij & manifeſtæ calumniæ conuincit eos. nam nequitiæ & ignauiæ ſuæ latebram aptam, &c.* Cuius honoris cauſa.] *Quia honeſtum eſt iudicibus, ſi culpam uiri coram eis arguit.* Alter.] Chryſogonus. *Oſtendit quæ diuitiæ, quæq́; luxuria* Chryſogono *ex hac proſcriptione accreuerit, ut eum in inuidiam & odium iudicibus adducat.* Vaſis Corinthijs & Deliacis.] Auctore Plinio *cap.* 2. *lib.* 34. *ex illa antiqua æris gloria,* Corinthium *maxime laudatur.* Antiquiſſima *autem æris gloria* Deliaca *fuit, mercatus in* Delo *concelebrante toto orbe.* Authepſa illa.] *Authepſam uas eſſe* Corinthium, *aut* Deliacū *prætioſiſſimum ſignificat.* Fundū uenire.] *Tanti enim* Authepſa *iudicabatur, quāti fundus.* Auctore Florentino Iuriſcon. *lib.* Digeſt. *quinquageſimo, de uerborum & rerum ſignificatione, fundi appellatione omne ædificium, & omnis ager continetur.* Sed *in uſu, urbana ædificia, ædes ruſtica,* Villæ *dicuntur.* Locus *uero ſine ædificio in urbe, area: rure autem, ager appellatur.* Idemq́; *ager cum ædificio, fundus dicitur.* Quid ſtragulæ ueſtis.] *Stragula ueſtis, ut ait* Aſconius *plicta eſt.* Hac *uoce alibi uſus* Cicero. Actione in Verrem tertia: Præterea *greges equarum eius, iſtum abigendos curaſſe, argenti ueſtiſq́; ſtragulæ quod fuerit curaſſe auferendum.* Actione quarta: Præterea *greges nobiliſsimarum equarum abactos, argenti ueſtiſq́; ſtragulæ domi quod fuerit eſſe direptū*

*Itemq́;:* Plena *domus cælati argenti, multæq́; ſtragulæ ueſtis. ita* HS. *undecies* Quintum *denem, &c.* Latini, *auctore* Varrone *libro de* Lingua *latino quarto, quidquid inſternebant, à ſternendo ſtragulum appellabant.* Quid pictarum tabularum.] *Pictæ tabulæ, ſigna, id eſt, imagines cereæ, argenteæ, aureæ, etiā marmorariæ, ut pictores & ſtatuarij, apud ueteres magno in pretio fuerunt.* In turba & rapinis.] *Id eſt, in proſcriptione.* Artificijs.] *Id eſt, artificibus: ut ſeruitia pro ſeruis dicuntur.* Lecticarios.] *Id eſt, lecticarij artifices.* Alioqui *lecticarij ſunt, qui lecticam uehunt: ut in commentarijs in inuectiuas amplius ſcribimus.* Vocū, & neruorū, & tibiarū.] Muſica *triplex eſt, quæ fit ore, quæ manu, quæ flatu.* Hanc *muſicam triplicem hoc loco ſignificat.* Hanc *autem luxuriam* Chryſogoni Cicero *commemorat: ut eum in odium & in inuidiam iudicibus adducat.* In hac uita.] *Id eſt, in tali uiuendi ratione.* Credo.] *Ironia eſt.* Potius quàm officina nequitiæ.] *Correctio eſt.* Officina, *ut, ut ait* Valla *lib.* 4. *eſt, ubi opera fiunt, ut ſtatuarij, fuſoris, flatoris, cælatoris, excuſoris, pictoris ſutoris, fabri.* Officina *nequitiæ per tranſlationem dicitur, ubi admittitur multa & quaſi exercetur nequitia. ut contra, officina eloquentiæ ſchola dicitur. ubi diſcipuli fiunt eloquentes.* Cicero *de* Orat. *ad* Brutum, *de* Iſocrate: Cum *doceret eos qui partim in dicendo, partim in ſcribendo principes extiterunt, domus eius officina habita eloquentiæ eſt.* Compoſito & delibuto capillo.] Auctore Quintil. *lib.* 5. *uitam, uultum, inceſſum, habitum incuſare, multum ualet ad conciliandum ijs, quos inuiſos facere uolueris, odium. ut pro* Cluentio, *aduerſus* Quintium Cicero, *ipſam prætextam demiſſam ad talos inſectatus eſt. capillum compoſitum, id eſt, calamiſtratum & delibutum* Chryſogoni, *eadem ratione hoc loco* Cicero *inſectatur.* Delibuto.] *Id eſt, uncto. ut de* Claris *oratoribus:* Qui *deuinctus erat faſcijs, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus.* Delibutum *gaudio per tranſlationem* Terent. *in* Phormione *dicit:* Satis *eſt, ſi te delibutum gaudio reddo.* Ad *animum, inquit* Donatus, *tranſtulit, quod eſt corporis. nam delibutus, unctus dicitur.* Capillo.] *Capillos in numero plurali uulgus, capillum in ſingulari docti appellare ſolent.* Per forum uolitet.] *Id inſolentiæ, inconſtantiæ, & arrogantiæ eſt. ut pro* Domo *ſua, de* P. Clodio: Cum *tu florens ac potens per medium forum popularis uolitares.* Præ ſe.] *Id eſt, comparatione ſui.* Cæteros *homines comparatione ſua belluas, non homines eſſe putabat.* Imperitior.] *Id eſt, ſimplicior, & de uulgo.* Imperitos *enim, idiotas, &c. ut uulgo dicunt, ſimplices ſæpe appellat* Cicero. Cauſam.] *Id eſt, partes nobilitatis, quas* L. Sylla *tutatus uicit.* Lædere.] *Id eſt, reprehendere & uituperare.* Pro illa tenui, infirmaq; parte.] Quæ *plebeiorum erat, quam* Marius *tutabatur.* Vt componeretur.] *Id eſt, ut pax & concordia reſtitueretur.* Componere *enim, ſedare eſt.* Virg. 1. Aen. Sed *motos præſtat componere fluctus.* Ii uincerent.] Syllani *ſcilicet.* Humilitatem cum dignitate.] *Id eſt, plebeios cum patricijs. eſt autem intellectio.* Res *enim dicitur, & perſona intelligitur.* De amplitudine.] *Id eſt, de magnitudine: & ut uulgo dicunt, de ſuperioritate.* Ad eos.] Nobiles & patricios. Quibus incolumibus.] *Id eſt, uictoribus.* Domi] *Id eſt, in urbe, in patria: foris, id eſt, extra urbē, & extra patriā. quæ in re domi & foris ſæpe dicuntur. ut,* Fruſtra *ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi.* Quod animaduerſum eſt in eos.] *Id eſt, quod proſcripti ſunt, eorumq́; bona publicata.* Animaduertere *in aliquē, eſt eū legitime punire, quaſi adhibita animaduerſionē, ne quid temere fiat: de qua re* Laurent. Valla *accurate diſſerit.* Viris fortibus.] Syllanis militibus. Honos habitus eſt.] *Id eſt, data ſunt præmia. ut ante:* Non' *ne ſatis fuit his gratias agi? denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi?*

*Homines poſtremi.*] Id eſt, perditiſſimi, quales ſunt T. Roſcij & Chryſogonus. *Hæc.*] Id eſt, hanc nobilitatis uictoriã, *Conceſſum et non eſſe.*] Id eſt, imprudente Sylla hæc eum facere commemorant. *Tam ſtultus.*] Id eſt, tam imperitus, tam ſimplex. *Vnus omnia poterat.*] Id eſt, L. Sylla omnem poteſtatem habeat. nam Dictator factus erat. *Magiſtratus creauit.*] Creare magiſtratus rariſſime, facere magiſtratus ſæpiſſime à Cicerone dici inuenias. *Cuiq;.*] Magiſtratui. *Quam.*] Magiſtratuum procurationem & authoritatem. *Ii.*] Id eſt, eius ordinis homines: id eſt, nobiles. Si enim Syllæ beneficio recuperauerunt etiam eos magiſtratus, quos plebi in eius ſeceſſione concedere coacti fuerant, uel eiuſmodi eſt, ut alter conſulum è plebe eſſet. *Noſtri iſti nobiles.*] Qui gerunt magiſtratus. *In quibus hæc erunt.*] Id eſt, qui erunt uigilantes, boni, &c. *Ornamenta ſua.*] Id eſt ſuos magiſtratus. *Male locutum eſſe.*] Sic dixit, ut dicimus aliquem male audire, non qui malum, ſeu debilem aut corruptum habeat auditum: ſed de quo mala dicuntur, & qui ea de ſe audiens dici, male afficitur. Sic hoc loco male locutum dicit, non qui cum uitio & impedimento linguæ ſit locutus: ſed qui male dixerit, id eſt, detraxerit, et inique locuens ſit. *Equeſtrem ſplendorem.*] Equites enim lege Sempronia iudicauerunt per annos quinquaginta. Iis L. Sylla iudicandi poteſtatem ademit, propterea quòd in ciuili diſſenſione Cinnæ fauerent. *Serui nequiſſimi.*] Chryſogoni, qui Syllæ ſeruus fuit. *In alijs rebus.*] In proſcriptione, in ſectione. *Hic.*] Id eſt, in ueſtris iudicijs. *Aliquid poſſe.*] Id eſt, aliquam poteſtatem habere? *Ad perniciem innocentis.*] Id eſt, ad damnationem Roſcij. *Experrecta nobilitas.*] Quæ ante ciuilem diſſenſionem quodammodo ſopita uidebatur, quod de iure eius tam multa plebeij & equites uſurparent: aut quæ ante Syllæ reditum Marianis tam fortiter non reſiſtebat. *Qui hoc maluerim.*] Vt uinceret nobilitas. *Meã orationem.*] Id eſt, hanc defenſionem, & potiſſimum partem hanc, qua Chryſogonum inſector. *Grauiſſimam.*] Alijs in codicibus lego Gratiſſimam, quæ lectio magis placet. *Cauſam.*] Nobilitatis. *Vt iam ante dixi.*] Id enim ante dixit: Verum quæſo à uobis iudices, ut hæc pauca quæ reſtant ita audiatis, ut partim me dicere pro me ipſo putetis, partim pro Sex. Roſcio. *Reſp. & dolor meus.*] Antea dixit: Quæ mihi ipſi indigna & intolerabilia uidentur, quæq; ad omnes, niſi prouidemus, arbitror pertinere, ea pro me ipſo & animi mei ſenſu ac dolore pronuncio. *Iſtorũ iniuria.*] Quam iſti T. Roſcij & Chryſogonus faciunt. *Sed Roſcius.*] Quãuis antea pollicitus ſit, hæc ſe dicturum pro Sex. Roſcio, ea tamen concluſio eſt huius orationis per commiſerationem. Mouet enim affectus iudicibus ab inhumana Chryſogoni crudelitate, & à Sex. Roſcij imperitia: fortuna acerba, & aduerſarum rerum æquo animo patientia, modo parricidij ſuſpicione iudicum ſententia liberetur. *Vos.*] Accuſatores. *Culpa liberatus.*] Id eſt, abſolutus. *Rogat, oratq; te Chryſogone.*] Aquila Romanus de apoſtrophe ſcribens, hoc Ciceronis exemplo utitur. *Si nulla in re te fraudauit.*] Id eſt, ſi in re nulla te decepit, ſi tibi omnia ſua bona tradidit. Hoc in loco attende, Fraudare in re iuſta & honeſta dici. Iure enim & honeſte Roſcius aliqua ex bonis ſuis retinere poterat. *Id ſi feciſſet.*] Chryſogonum fraudaſſet. *Optima fide.*] Id eſt, fideliſſime. *Adnumerauit, appendit.*] Pecunia partim numerabatur, partim pendebatur. *Os ſuum.*] Id eſt, oris & uultus imaginem in annulo expreſſam. *Prædia mea tu poſſides.*] Illud in oratione uim habet maximam, ut orator litigatoris uoce utatur. Ea autem proſopopœia eſt, quam ad miſerationem commouendam ualere, Quintil. lib. 6, ſcribit. *Animus æquus eſt.*] Id eſt, æquo animo fero. *Familia mea.*] Id eſt, meis ſeruis. *Ab eo ne aliquid metuis.*] Vt in Andria Terentij, Metui à Chryſide. De hoc dicendi genere ante diximus. *Præter cæteros.*] Bonorum emptores. *Præter animam.*] Id eſt, uitam. *Neque metuere.*] Quia nihil audet. *Neque odiſſe.*] Quia nihil poteſt. *A' Cæcilia. Balearis filia.*] Balearici fortaſſe, non Balearis legendũ ſit. auctore Aſconio Pædiano in orationem pro Cornelio de maieſtate, Qu. Metellus Nepos Balearici filius fuit. Huius Metelli Nepotis filius eodem nomine appellatus eſt. Is & Metellus Celer nihil in cauſis uerſati, nec ſine ingenio, nec indocti, populare dicendi genus aſſecuti erant: ut ait Cicero de Claris oratoribus. Licet hoc loco conijcere, Q. Metellum Nepotem Balearici filium, Balearicum quoque appellatum eſſe: aut in narratione legendũ eſſe, ſeſe ad Cæciliam Nepotis ſororem, &c. quamuis in exemplis omnibus ſcriptum inueniam, Nepotis filiam. *Spectatiſſima.*] Id eſt, optima & probatiſſima: ut M. Fonteij matrem Cicero lectiſſimam fœminam appellat. *Patrem clariſſimum, &c.*] Multi ex Metellorum familia fuerunt uiri clariſſimi, qui ex deuictis à ſe nationibus nomina acceperunt: ut Macedonicus, Numidicus, Balearicus, Creticus, Dalmaticus. Cum C. Verris cauſa ageretur, tres Metelli fratres erant: quorum unus Conſul, alij duo Prætores eodem anno fuerunt: ut eſt apud Ciceronem in accuſatione Verris. *Cum eſſet mulier.*] Mulieris enim, quàm uiri minor uirtus eſt. Itaque Cæciliæ magna laus eſt. *Virtute.*] Id eſt, animi magnitudine. *Ex illorum.*] Patruorum & fratris. *Omnes huius hoſpites.*] Vt Metelli, Seruilij, Scipiones. *Satis copioſe.*] Id eſt, à ſatis multis. Nam ut multos rei accuſatores, ita defenſores eſſe licebat. *Summa Reipub. &c.*] Id eſt, hoc iudicium ad Rempub. pertinet. Nam ſi damnatur Roſcius, proſcriptorum aliorum liberi in iudicium uocabuntur. *Vobis.*] Id eſt, tibi & T. Roſcijs. *Meſſala.*] De hoc Meſſala Cicero de Claris oratoribus, inquit: Meſſala minor natu quàm nos, nullo modo inops ſed non minus ornatus genere uerborum: prudens, acutus, minime incautus, patronus in cauſis cognoſcendis componendisq; diligens, magni laboris, multæ operæ, multarumq; cauſarum. Adoleſcens autem Cicero hanc cauſam defendit: ut eſt apud A. Gellium. *Si iam ſatis ætatis.*] Auctore Vlpiano lib. Digeſt. 3, de poſtulando, Prætor puerum, id eſt, eum qui annum ſeptimumdecimum in totum non compleuit, poſtulare prohibet. quia moderatam hanc ætatem prætor ratus eſt, ad procedendum in publicum. *Roboris.*] In dicendo ſcilicet. nam defendere, laborioſum magis eſt, quàm accuſare. Aut roboris, id eſt, roboratæ & firmatæ ætatis, quam uirilem appellat: de qua pro Cluentio ſcribimus. In qua ætate minus pudoris eſt. *Aetatem.*] Id eſt pueritiam. *Quem ſua cauſe cupere.*] In huius orationis exordio amplius Cicero dicit de ijs, qui à ſe contenderunt, ut Roſcium defenderet. *Sua cauſa.*] Id eſt, propter amicitiam, beneficia, & dignitatem ſuam. *Pro hac nobilitate.*] Id eſt, cauſa huius nobilitatis. *Pars maxima ciuitatis.*] Id eſt, plebeij & patricij, in ciuili diſſenſione Syllæ & Marij. *Hæc acta res eſt.*] Victore Sylla. *Nobiles qui electi fuerant.*] Quo tempore Sylla exercitum ductabat contra Mithridatem. *Qui.*] Nobiles reſtituit. *Quantum poſſent.*] Id eſt, quantam poteſtatem haberent. Ea autem uera ſynceraq; nobilitas eſt, quæ poteſtatem ſuam in iuuandis hominibus, non in lædendis & opprimendis oſtendit. Hac ratione ad diuinam naturam accedere ſe propius oſtendit. Alijs enim prodeſſe, diuinum eſt. Hinc ethnici Iouem & Iunonem, à iuuando appellauerunt. Iiq; deos inferos eſſe putauerũt, qui ſoli nocerent. Inde illud antiquum prouerbium eſt, Homo eſt homini deus. Deus eſt, mortali iuuare mortalem: Plinius ſcribit. Nolim dicere, quamuis hic locus admoneat, nonnullos eſſe nobiles hac ætate, qui aliorum exitio potius quàm ſalute nobilitatem ſuam oſtentare cupiant. *Eodem loco.*] Id eſt,

eodem

eodem genere: Id eſt, qui ſunt nobiles. Ex illis.] Nobilibus. Pecunia noſtra.] Id eſt, bonis noſtris omnibus. Propria.] Vulgus diceret, proprietaria. Quæ communis eſt. Hac autem lux communis eſt, non modo hominum, ſed etiam belluarum. Auaritiam ſuam explere.] Id eſt, ſatiare, mitigare, ſedare. In hoc enim uerbo Explere, particula Ex, habet uim complendi ſignificationem. ut pro P. Sylla: Te ipſum iam Torquate expletum huius miſerijs pateat. Hinc dicit Cicero, explere animos inuidorum odium, famem, libidinem. In oratione pro Domo ſua: Expleui animos inuidorum, placaui odia improborum, ſaturaui etiam perfidiam & ſcelus perditorum. Pro Milone: Cum ſanguine inimici expleſſet odiũ ſuũ. In Vatinium: Ex epulo magnificentiſſimo, famem illam ueterem tuam non expleras. Pro domo ſua: Neque porrò illa manus copiæq; Catilinæ, Cæmentis ac tegulis meorum tectorum ſe famem ſuam expleturas putauerunt. Pro M. Cælio: Cum hac ſi quis adoleſcens forte fuerit, utrum hic tibi L. Herenni adulter an amator, expugnare pudicitiam an explere libidinẽ uoluiſſe uideatur? Satiare & ſaturare ſimiliter dici, alio loco ſcribemus. Crudelitate præditus.] Quod Præditus in bona re dicatur ſæpius, nemo dubitat. Vt autem in re mala nonnunquam dici intelligas, aliquot Ciceronis exempla adſcripſimus, ex orationibus pro Q. Roſcio: Proh dij immortales, eſſe'ne quenquam tanta audacia præditum. Diuinatione: Homo ſingulari cupiditate, audacia, ſcelere præditus. Actione in Verrẽ quinta: Quæ tua donatio ſingulari impudentia prædita, noua Siculis omnibus, mihi uero incredibilis uidebatur. pro L. Flacco: Antequam dico à quibus, qua ſpe, qua ui, qua re concitatis, qua leuitate, qua egeſtate, qua perfidia, qua audacia præditis: dicã de genere uniuerſo, & de conditione omnium noſtrum. Eadem quæ Reip.] Nam Reip. cauſam cum hac Roſcij cauſa coniungit. Quæ hoc tempore.] In hac crudeli porſcriptione Syllæ. Veſtros quoque animos.] Vſu uenire ſolet, ut qui natura ſunt lenes et miſericordes, earum rerum quæ lenitati & miſericordiæ cõtrariæ ſunt, aſſiduitate, naturam mutent. ut poſtea dicit Cicero. Vt uidere licet iudices primum in reos miſericordes, deinde conſuetudine factos ſeueriores. Actum eſt.] Prouerbialis ſententia eſt, qua deſperatio ſignificatur. ea Comici ſæpe utuntur. Reſeruati.] A'fortuna, ut arbitror: quòd cum nobilibus alijs ab aduerſarijs occiſi non eſtis, Delecti.] Iudices ſcilicet. Iudicum enim primum delectus fiebat, deinde ſortitio, ut alio loco diximus amplius. Committunt.] Id eſt, incipiunt. ut pro Milone: Ante ipſam, inquam, Bonam deam cum prælium cõmiſiſſet, primum illud uulnus acceperit, quo teterrimam mortem obiret. Committere enim, ut ait Sextus Pompeius, proprie eſt ſimul mittere. Nunc eo utimur & pro facere, & pro delinquere, & pro incipere. Nonio quoque Marcello auctore, Committere initiare eſt, id eſt, incipere. Virg. lib. Aeneid. 5. Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos. Varro Endimionibus: Diſcumbimus multitudo, minus matura cœnam committitis. De improuiſo.] Vt de repente & repẽte, ita de improuiſo & improuiſo pro eodem dicimus. Cicero lib. Epiſt. ad Atticum 15. Etiam illud quid eſt quod non pertimeſcendum ſit? cum hominem temperantem, ſummum medicum, tantus improuiſo morbus oppreſſerit? Idem lib. de Offic. 2. Cumq; tirãnum Methodeum improuiſo oppreſſiſſet, ſexcentos exules, qui locupletiſſimi fuerant eius ciuitatis, reſtituit. Idem pro L. Mur. Tempeſtates ſæpe certo aliquo cœli ſigno commonentur, ſæpe improuiſo nulla ex certa ratione: obſcura aliqua ex cauſa concitantur. Iſti bonorum emptores.] Hos modo bonorum emptores, modo ſectores appellat. Sedere.] Id eſt, iudices eſſe. Excipiatis.] Id eſt, recipiatis & interficiatis. ut excipere feram dicimus, auctore Nonio Marcello. Excipere eſt opprimere, uel circumuenire. Virg. lib. Aeneid. 2. Et ſcelerum furijs agitatus Oreſtes Excipit incautum. M. T. ad Pompeium lib. 4. admoniti ſumus, ut caueremus, ne exciperemur à Cæſare. Conſiliũ publicum.] Senatum intelligit. ex quo ſolum erant tum iudices: Equitibus enim, ut diximus, iudicãdi poteſtatem Sylla ademit, quam ſolis Senatoribus permiſit. Hoc autem loco iudices Cicero ita afficit: ut uereantur crudelitatis nomen, niſi Sex. Roſcium abſoluant. Nihil aliud agi.] Alijs in locis ſæpe diximus, Ciceronem ſolitum eſſe oſtendere, quam tulerint ſententiam iudices, non ad reum ſolum pertinere, ſed ad alios, uel ad iudices ipſos, uel ad remp. Quauis ratione.] Aut per ſectores, aut per uos iudices. In ueſtro iureiurando.] Id eſt, in ueſtra ſententia. Dubium eſt.] Initium concluſionis hoc loco eſſe poſſit, quæ ſit per enumerationem. Ex altera parte.] Id eſt, in ſubſellijs accuſatorum. Sectorem.] T. Roſcium Magnum. Ex altera parte,] Id eſt, ex dextra iudicum parte. In ea enim reum ſedere mos erat, ut meliores magisq; propitios haberet iudices, Naturalis enim fauor eſt pro laborantibus, niſi calamitate digni ſint. Probatum ſuis.] Amerinis. Conſiſtere.] Id eſt, exiſtere & apparere etiam accuſatione Erucij. Suſcipitis.] Id eſt, approbatis. Id autem approbatis, ſi Roſcium damnatis. Paulo poſt dicit, Senatus ſuſcipere noluit. Profitemini.] Id eſt, pollicemini. Qui arma capere potuerunt.] Per ætatem ſcilicet: id eſt, qui iuuenes aduerſarij, uel in præſidijs aduerſariorum fuerunt. Infantium puerorum.] Vt in libro de Oratore ſecundo: Ego autem, ſi quem nunc planè rudem inſtitui ad dicendũ uelim, his potius tradã aſſiduis uno opere eandem incudem diem noctemq; tundentibus, qui omnes tenuiſſimas particulas, atque omnia minima manſa, ut aiunt nutrices, infantibus pueris in os inſerant. Ex quibus rebus.] Ordo eſt: Conuenit homines ſapientes mederi iis rebus, quibus ex rebus Reſpub. laborat. Quondam in hoſtes leniſſimus exiſtimabatur.] Qui proprio nomine perduellis erat, is hoſtis uocabatur: lenitate uerbi triſtitiam rei mitigante. Hoſtis enim apud Romanos ueteres is dicebatur: quem nunc peregrinum dicimus: ut eſt apud Ciceronem in lib. de Offic. I. Domeſtica crudelitate.] Id eſt: ciuili: quæ ſcilicet fuit in ciuili diſſenſione, & in Syllæ proſcriptione. Crudelitate laborare.] Laborare crudelitate, & laborare ex crudelitate, hocq; poſterius dici ſæpius, id quod alibi ſcripſimus, ex hac oratione cognoſcere licet. Aſſiduitate moleſtiarum.] Id eſt, incommodorum conſuetudine. Senſum omnem humanitatis.] Id eſt, omnem humanitatem, quam in nobis natura ſentimus.] Amittimus.] Id eſt, ablegamus, & reijcimus. Amitere, pro dimitere Romanos ueteres dixiſſe, Donatus ſcribit. Ad finem orationis huius aliquid deeſſe dubiũ non eſt. quod, ut alia multa, temporis iniuria interciderit.

# IN EANDEM PRO SEX. ROSCIO AMERINO ORATIONEM

## BARTHOLOMAEI LATOMI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

OMINANTE L.Sylla Romæ, & durante proſcriptione, quã ille poſt uictoriam Marianorum fecerat, Sex.Roſcius Amerinus, quũuis partes Syllanas & cauſam nobilitatis defendiſſet, tamen nocte rediens à cœna, è quodã propinquo ſuo T.Roſcio Magno, cũ quo ei ueteres inimicitiæ erant, tanquam proſcriptus occiſus eſt. Ea cædes eadẽ nocte Ameriam T.Roſcio Capitoni fratri interfectoris nunciata fuit: qui ſubito Ameriæ Volaterras in caſtra L.Syllæ aduolans, Chryſogonũ quendã libertũ Syllæ, & propter opes patroni ualde potentem, docet, quantũ lucri ſit in Roſcij bonis, ſi ea à Sylla empta forent, erant aũt, ſicut indicat in oratione Cicero, ſeſtertiũ ſexagies: quæ tamen Chryſogonus ab imprudente Sylla, & harũ rerũ ignaro, duobus millibus nummũ emit: deditq; ex eiſdem tria prædia T.Capitoni, qui eam rem adnunciauerat, & ad reliqua ſuæ nomine occupanda eundem Capitonem Ameriã miſit. Erat Sex.Roſcio filius eodem nomine Sex. Roſcius Amerinus, unicus tantorum bonorum hæres: qui cũ uiuo patrẽ uitã in agro ferè agere conſueuiſſet, tunc cũ pater eius Romæ interficeretur, Ameriæ erat. Is occiſo patre, cum paucis diebus paterna domo, ac bonis omnibus eiectus eſſet, ſimulac uitæ ſuæ inſidias fieri ſenſit, de conſilio amicorũ Romam profugit, ibiq; ex liberalitate Cæciliæ cuiuſdã nepotis ſuæ, ad quã ſe cõtulerat, in egeſtate ſuſtentabatur. Cæterũ Roſcijs incolumitas eius obſtare uidebatur, ad tantã prædam quiete poſſidendã: præſertim cũ iam inſidias minus proceſſuras eſſe ſperarent, propter diligentiorẽ Roſcij cuſtodiam. Itaque conſiliũ capiunt, quoquomodo opprimendi hominis: confictoq; crimine, quaſi ipſe Roſcius patrem ſuum occidiſſet, accuſatorem apponunt Erucium quendam, notæ improbitatis hominem, qui illũ adductum in iudiciũ parricidij accuſaret. Nemo erat ea tempeſtate, ne ex magnis quidem uiris, qui eam cauſam ſuſcipere auderet, propter Syllæ potentiam, qui accuſatorũ parti propter Chryſogonum fauebat. Verum Cicero adhuc adoleſcens, & nuper reuerſus ex Græcia, cum iam primum ingreſſus in Rempub. rogaretur ab amicis Roſcij, ac ſimul confirmaretur magnum uirorum adhortatione, ut hac propoſita occaſione, quæ amplisſima eſſet, illuſtraret nomen ſuum in Repub. minime recuſauit, ſed ſuſceptam cauſam Roſcij ita conſtanter & dilucide egit magno hominum concurſu, ut reum abſolueret. Cæterum hæc, ut ipſe de ſe refert in lib. de Claris oratoribus, prima cauſa publica fuit quam unquam egit: ex qua ſe tantum commendationis tuliſſe dicit, ut non ulla poſtea cauſa fuerit, quæ non ſuo patrocinio digna uideretur. Annos tunc natus erat, ut Gellius auctor eſt, tres & uiginti: qua quidem ætate iam tum apparebat & quantus orator eſſet Cicero, & quantus futurus eſſet. Cauſam egit hoc ordine, quem oſtendit ipſa oratio. Nam in exordio reddit rationem patrocinij ſui, cur ipſe potiſſimum dicat pro Roſcio, tacentibus cæteris magnis & ampliſſimis uiris: eandemq; ob cauſam conqueritur de potentia & ſcelere aduerſariorum, quos crimnoſa inſectatione in inuidiam adducit. Secundo loco exponit cauſam, quomodo res geſta ſit: eamq; totam narrationem accommodat ad coniecturam, ut intelligatur innocentia Roſcij, & aduerſariorum crimen demonſtretur. Ex quo loco ante confirmationem excurrit ad incendendos iudicum animos, & crimen aduerſariorum uehementer amplificat. Tertio confirmat cauſam, quam in tria capita diuidit: falſam criminationem Roſcij, audaciam aduerſariorum, & Chryſogoni potentiam. Falſum crimen in Roſcio multis argumentis oſtendit, & interim diſſoluit dicta aduerſariorum, & crebra inſectatione accuſatorem lædit. Audaciam aduerſariorum, in quos crimen confert, multis & euidentiſſimis ſuſpicionibus arguit, & inter ſe comparat argumenta, & grauiter amplificat, & interim deterret aduerſarios à teſtimonio dicendo. Potentiam Chryſogoni inuidioſe inſectatur. eodemq; adiungit luxuriam: & interim quaſi dilapſus à propoſito, diſputat de uenditione bonorum Roſcij, quæ negat aut uendi potuiſſe iure, aut poſſideri. Eoq; in loco, ſicut in tota cauſa, mire uitat offenſionem Syllæ, quo imprudente hæc omnia acta fuiſſe dicit. Poſtremo perorans, mouet commiſerationem à fortuna Roſcij, & oſtendit indignitatem iniuriæ, amplificando ſcelus aduerſariorum: & ad extremum collecta ſumma defenſionis concludit. Status orationis duplici coniectura conſtat: de innocentia Roſcij, & aduerſariorum crimine: non à Sex. Roſcio, ſed ab accuſatoribus patrem eius occiſum eſſe: quæ utraque ſanè ad perfectam defenſionem ſunt neceſſaria. Genus orationis temperatum eſt, quale forenſibus actionibus conuenit: niſi quod in peroratione & quibuſdam alijs in locis, ubi de accuſatorum crimine agitur, uehementius inſurgit.

CREDO ego uos iudices mirari.] Orditur κατὰ πρόληψιν ab excuſatione officij ſui: et cauſam reddit, cur ipſe præ cæteris aduocatis Roſciũ defendat. Quæ me igitur res.] Mire iſta faciunt ad beneuolentiam, quibus et amplificat cæteros, & ſuam perſonam extenuat. nam in adoleſcente nihil eſt modeſtia amabilius. Accedit illa quoque cauſa.] Altera cauſa cur defendat. Forſitan quæratis.] [illegible] qua inducit in odium aduerſarios, & potentiam eorũ & iniuriam in Roſcium criminatur. Quæ ſunt ſexagies HS.] Sexagies HS ſunt centum 50 millia coronatorum, duo millia nummũ ſunt 50 coronati, ſecundum Budæum. Is à nobis iudices hoc poſtulet.] Inducit inuidioſam προσωποποιΐαν, qua potentiam & improbitatem Chryſogoni inſectatur. Hũc ſibi ex animo ſcrupulum.] Id eſt, ſollicitudinem: metaphora à calculo, qui pedem in calceo urgere ſolet. Quod ſi aut cauſa criminis.] Oſtendit fiduciam in cauſa. Non'ne cum multa indigna.] Mouet indignationem. His de rebus tantis.] Hæc ἐπιφωνηματικῶς attolluntur. Quapropter uos oro.] Poſtulat attentionem. Te quoque magnopere M.Fanni quæſo.] Appellat prætorem, quem expectatione iudicij cauſæ atrocitatis admonet. Omnes hanc quæſtionem.] Id eſt, iudicium. Eò prorumpere hominum cupiditatem:] Periculum commune, niſi ſeuere iudicetur, futurum oſtendit. Accuſant ij.] Exaggerat indignitatem contentione. Atque ut facilius:] Tranſit ad narrationem. Sex. Roſcius pater huiuſce.] Narratio, quæ tota ad innocentiam Roſcij, & crimen aduerſariorum accommodatus. Fuit cum genere & nobilitate.] Laudat Roſcium patrem, & docet eum Syllanum fuiſſe. Erant ei ueteres inimicitiæ.] Cauſa cædis in Roſcijs. Quorum alteri Capitoni.] Breuiter deſcribit utrunque Roſcium. Ad eum laniſtam contulit.] Quem laniſtam intelligat, incertum eſt: nam metaphoricῶs loquitur. Occiditur ad balneas.] Cædes Roſcij, quam bono ordine cauſæ ſubiungit. Primus Ameriam nunciat.] Commemorat alias ſuſpiciones poſt factum. Ciſijs peruolauit.] Ciſium, uehiculi genus. Nam fundos decem.] Exprimit ſpem commodi & impunitatis. Manceps fit] Id eſt, bonorum emptor. Sunt etiam mancipes, publicanorum principes: uide Aſconium.

prudente

Imprudente L. Sylla.] Excuſat imprudentiam Syllæ, ut rem uerisimilem faciat. Quamuis ille felix ſit.] Syllæ Fauſto cognomen erat. Iuſta ſoluiſſet.] Exequias feciſſet. Qui in ſua re fuit egentiſſimus.] Amplificat indignitatem, ut reliqua ſubtexat uerisimilius. Itaque Decurionum decretum ſtatim fit.] Decuriones ſenatores erant in municipijs. Decemprimi, nomen legationis Amerinorum, ſicut Quinqueuiri & Septemuiri apud Romanos, & Decemuiri quondam legum ſcribendarum cauſa. Allegat ijs.] Ad eos mittit. De tabulis exempturum.] De tabulis proſcriptionis, in quas Sex. Roſcius falſo relatus erat. In qua muliere iud.] Obiter laudat Cæciliam.] Ná poſtquàm iſti intellexerũt.] Conſilium accuſandi Roſcij. Accuſatorem ueterem compararent.] Veterem in malam partem, pro exercitato & uſu perito. Quid primum querar?] Prorumpit in indignationem, & excurrit in amplificationem criminis, ad incitandos iudicum animos, priusquam cauſam confirmet. An inſutus in culeum.] Culeus, ſaccus ex corio, in quem inſuti parricidæ unà cum uipera, cane, & gallo gallinaceo, in mare abijciebantur. Quoniam quidem ſuſcepi.] Oſtendit affectum ſuum in cauſa, & hoc ipſo incitatur ut liberius defendat. Patrem meum.] Mire fingit perſonam, ut affectum melius exprimat. Hominem longe audaciſſimum.] Amplificat ſimili exemplo. Ipſe ab his interemptus eſt.] Scæuola Mariano bello à Marij filio interfectus fuit. Totam cauſam iudices explicemus.] Tranſit ad confirmationem cauſæ. Tres ſunt res.] Confirmatio, cuius tria capita proponit. Occidiſſe patrem Sex. Roſcius.] Proponit crimen cum amplificatione, & probationes requirit ab aduerſario. In hoc tanto, tam atroci.] Hic locus ſi in ſyllogiſmum conferatur, hanc ſummam efficiet. Crimen magnum probari oportuit. Non probauit Erucius. Nullum eſt igitur crimen. Patrem occidit Sex. Roſcius.] Purgat à perſona, & argumenta ſtrictim colligit. Quæ res igitur tantum iſtum furorẽ.] Refellit obiectionem. At perſpicuum eſt.] Vide argumentationem ex remotione. Neſcio, inquit, quæ.] Alia obiectio quam primo contemnit, deinde oppoſitis contrarijs argumentis refellit. Patres familiæ qui liberos.] Coniectura uoluntatis ex more patrum familias, cur Sex. Roſcius filium ruri habuerit. Quid ſi cõſtat hunc.] Auget argumentationem, & indignitatem calumniæ oſtendit. At enim cum duos filios.] Renouat obiectionem, ut etiam exemplo refellat. Quid tandem tibi uidetur.] Obiter exprobrat generis obſcuritatem Erucio. Alterum in urbe ſecum.] Exemplum Comicum ex poetarũ auctoritate. Verum homines.] Occupatione reiectionis confirmat auctoritatem exempli. Refer animum ſis.] Sis, particula hortantis, pro ſi uis: apud Comicos familiaris. At non modo.] Auget ordinem exemplorum. Verum ut opinor.] Delabitur ad indignationem. Ne tu Eruci.] Profert grauiora exempla, cum aduerſarij reprehenſione. Attilium.] Attilium Calatinum intelligit. Neque ego hæc eo.] Vitat ineptiam, & uim exemplorum interpretatur. Odium igitur acerrimum.] Ironicos loquitur, & concludit intentionem; & mox alia inducit. In tranſitu præterit quædam, tanquam leuiora, & tamen obiter diſſoluit. Quæro qui ſciat.] Requirit probationes criminis, et calumniam acriter inſectatur. Quid ergo affers.] Inſtat & requirit cauſam exheredationis. Quid eſt aliud.] Excurrit in indignationem. Et legem Memmiam.] Lege Memmia puniebantur calumniatores. Accuſatores multos.] Locus communis in accuſatores, quorum officium demoſtrando calumniæ improbitatem amplificat. Anſeribus cibaria.] Mira ſimilitudo. Literam illam, cui.] Literam condemnatoriam ſignificat. quæ erat C, apud Romanos: apud Græcos, Θ. Quid mihi ad defendendum.] Inſtat, & inſultat accuſatori. Ego quid acceperim ſcio.] Mire inducit confitentem Erucium, & corruptelam ei exprobrat. Operæpretium erat.] Inſectatur ſecuritatem calumniatoris, & in odium adducit. Reſideret, deinde ſpatiaretur & cætera.] Hypotypoſis odioſa negligentiæ in accuſando. Statim homo ſe erexit.] Argumenta conſcientiæ in accuſatoribus. Quæ quoniam te.] Redit ad inſtitutam argumentationem de cauſa criminis. De parricidio cauſa.] Negat parricidium credendum eſſe, ubi cauſa non reddatur. Idq; confirmat amplificando crimen ex minore, à natura, exemplis, & ſupplicij magnitudine. Magna eſt enim uis humanitatis.] Locus communis à natura. Non ita multis ante annis.] Exemplum præiudicij de parricidio. Videtis ne quos.] Exempla fabuloſa ex poetis. Nolite enim putare.] Interpretatur furiarum tædas, quã ſignificationẽ habeant in fabulis. Hæc magnitudo.] Redigit prædicta ad ſcopũ argumentationis. Quare hoc quo minus eſt credibile.] Magnitudo ſceleris ex ſupplicij magnitudine: quo in loco amplificat maiorum ſapientiam & Græcis anteponit. Locus eſt ex iudicatis, ſi auctoritas et ſentẽtia legislatoris in pœna parricidij ſpectetur. Vel ex comparatis, ſi ut parua cum leuiore delicto ita grauius ſupplicium cum parricidio comparetur: quod alij uocant ex proportione. Inſui uoluerunt.] Supplicium parricidarum apud Romanos conſtitutum, quod interpretando amplificat. Tanti maleficij crimen.] Concludit totum hunc locum, cum increpatione accuſatoris. Eſto, cauſam proferre.] Poſt cauſam uenit ad facultatem criminis, qui eſt ſecundus locus coniecturæ, quomodo patrẽ occidere potuerit Sex. Roſcius. Quomodo occidit?] Colligit rem diuiſione, & ſingula quæ dici poſſunt refellit. Quæro ſeruos'ne.] Locus eſt à perſonis, qui ad efficientia refertur. Hæc ſola interrogatione refelluntur, & inſtant acrius, & ipſo aceruo ualent. Et ſimul tibi.] Argumenta ex oratione aduerſarij. Vt non omnem frugem.] Bona ſimilitudo. Illud quæro.] Vrget inſtitutum, & negat per liberos homines cõmiſſum eſſe. Reliquum eſt.] Hoc membrum ita refellit, ut prorumpat in commiſerationem, negando copiam purgandi Roſcio relictam eſſe, & crimen conuertendo in aduerſarios. Conueniat mihi tecum.] Renouat & contrahit ſummã argumentationis, ut concludat. Eiuſmodi tempus erat.] Hanc quoque obiectionem retorquet in aduerſarios, et accuſatoris imprudentiam arguit. Locus ad facultatem perficiendi pertinet, ab accuſatoribus ex tempore ductus: Nos iudicio perfundere.] Perfundere iudicio mire dixit, ad extenuandam rem, ſicut aſpergere crimine. Vereor ne aut moleſtus.] Abrumpit criminis diſſolutionem: & cæteris præteritis quæ obiecta fuerant, tranſit ad accuſatorum criminationem. Venio nunc eò.] Secunda pars defenſionis, quæ conuertit crimen in aduerſarios. Ingreditur ab excuſatione officij ſui, ad declinandam inuidiam accuſationis. L. Caſſius.] Parat argumentari ex cauſa criminis, quæ caput eſt in omni coniectura, poſita uel in emolumenti ſpe, uel metu incõmodi, uel affectione aliqua uehemẽtiori. Huius uim primo amplificat ex L. Caſſij auctoritate, deinde demonſtrat fuiſſe in T. Roſcio accuſatore. Quid ſi accedit eodem.] Adiungit ad ſpem commodi cauſas impulſionis. Inimicitias tibi fuiſſe.] Comparat utrinque argumenta inter T. & Sex. Roſcium. Hæc tu Eruci.] Inſultat aduerſario, & improbitatem calumniandi inſectatur, ex licentia Syllanorũ temporum. Te pugna Cannenſis.] ἀλληγορικῶς ſignificat Erucium & cæteros accuſatores non tam cauſis, quàm temporum iniquitate fretos, multos poſt Syllanam uictoriam condemnaſſe. Nam per Cannenſem pugnam ciuile bellũ ſignificat: alludens ad clades populi Rom. 2. bello Punico

accepias. Addit per correctionem pro Thraſymeno, nomen Seruilij quæſitoris, ut opinor, noti illis tẽporibus, apud quem multi damnati fuerunt. eandemq́ rem deinde exequens, ſubijcit uerba ax poeta quopiam: Quis ibi non eſt uulneratus ferro Phrygio? ſignificans multas debiles & calumnioſas fuiſſe accuſationes. Curtij, Marij, & Mamerci, accuſatorum ſunt nomina: item Antiſtij, quem Priamum appellat, perſtans in belli Troiani metaphora. Antiſtij & Marij facit mentionem, de Claris oratoribus. Video igitur.] Tranſit ad facultatem criminis, quam primum arguit ex loco in T. Roſcio, & comparat argumenta. Age nunc cæteras.] Alia facultates ex tempore & perſona T. Roſcij. Dices, quid poſtea.] Occupat defenſionem, & diſſoluit argumentorũ comparatione. Videamus nunc ſtrictim.] Tertium genus argumentorum ex conſequentibus, qua partim ad ſigna, partim ad alias ſuſpiciones pertinent. Quo in loco uide mirabilem præparationem contra inuidiam criminationis, & ad lædendam T. Roſcij perſonam. Occiſo Sex Roſcio.] Argumẽtatur à perſona eius qui nunciauerat cadem Sex, Roſcij Ameriam: item à perſona eius cui nunciata fuerat, & à celeritate itineris, & tempore. Nihil eſt Glaucia.] Obiter, & ficta præteritione Glauciã inſimulat, quaſi eius manu Sex. Roſcius occiſus ſit de conſilio T. Roſcij patroni. Hoc genus præteritionis ad ironiam pertinet, quæ aliud in dicendo ſimulat, aliud agit. Non ne uobis.] Ὑποτύπωσις facta cædis, qua rem geſtã ante oculos ſubijcit. Automedontem illũ.] Automedon fuit auriga Patrocli ad Troiam, equorum pernicitate inſignis, Iliad. 16. Audio præterea.] Digreditur in Roſcium Capitonem, quem lædit à uita anteacta, & à dicendo teſtimonio deterret. Habeo etiam dicere.] Græcanica figura eſt, De ponte in Tyberim.] Alludit ad prouerbium, Sexagenarios de ponte deijcere: ſignificans, quendam à Capitone occiſum, & in Tyberim delectum fuiſſe. Alter ex ipſa cæde.] Mouet indignationem. Africanus, qui ſuo.] Exemplis repellit teſtimonium Capitonis in Sex. Roſcium. Quid tu uir optime?] Inſultat Capitoni, & irriſet. Age nunc, illa uideamus iudices.] Pergit ad cætera argumenta, poſt pactum nunciatam fuiſſe mortem. Roſcij Chryſogono à T. Roſcijs. probat ex amicitia Roſciorum cum Chryſogono, & ex parte præda quæ ad Roſcios peruenerit, quæ ſunt argumenta ex adiunctis & conſequentibus. Qui ſunt igitur in iſtis bonis:] Ex communicatione prædæ. Quam ob cauſam à Chryſogono.] Adiungit iudicium Chryſogoni. Niſi intellexeritis iudices.] Argumentum ex perfidia Capitonis, in legatione obeundã ad Syllam: tractatur cum amplificatione. In priuatis rebus.] Amplificat uiolati mandati perfidiam. Itaque mandati.] Mandati actio in iure ciuili. Quid recipit mandatum.] Increpat Capitonem; & improbitatem exaggerat. Ita ne eſt?] Contendit ex minori. Videte iam porro.] Alia amplificatio ex uiolata ſocietate legationis. Recte igitur maiores.] Arbitrium pro ſocio iure ciuili conſtitutum in eiuſmodi uita iudices.] Refert amplificationẽ ad cauſam. Nõ aut ille laniſta.] Confert utrunque Roſcium: ex quibus, Capitonem laniſtam, Roſcium Magnum gladiatorem apellat. Dixi iam antea ſæpenumero.] Argumentum conſcientiæ, ex recuſatione ſeruorum in quæſtionem. Seruos ipſos, quod ad me.] Argumenta ſuſpicioſæ recuſationis. In dominos queri.] Occupatio, & mox ſolutio. Cum Chryſogono.] Rurſus occupatio, quã irridendo refellit. Quid igitur? Chryſogonus.] Excuſat Chryſogonum, & hoc ipſo ad tertiam partem orationis tranſit. Venio nunc ad illud nomen.] Tertia pars defenſionis. Nomen aureum Chryſog.] Chryſogoni nomen, quaſi aureã genituram ſonat. Primum, hoc uideamus.] Data opera aberrat ab inſtituto: ac diſputat, bona Sex. Roſcij uenire non potuiſſe, idq; probat ex lege. Siue Valeria.] L. Valerius collega Syllæ fuerat in conſulatu, & unà legem proſcriptionis tulerat. Nam Syllam.] Purgat Syllam, ut accuſet Chryſogonum auctorem iniuria in Sex. Roſcium fuiſſe. Opinor enim eſſe in lege.] Probat, bona omnino non ueniſſe, ex lege & tempore. Intelligo me ante tempus.] Corrigit, & ſe ad inſtitutum reuocat. Reduuiam curem.] Reduuia eſt exulceratio digitorum circa ungues, ex qua interdum decidunt. Verum quæſo à uobis iudices.] Poſtulat attentionem ex rei indignitate. Primum, quare ciuis optimi bona.] Vrget bonorum uenditionem in Chryſogono, & probat potentiam illius cauſam ſceleris fuiſſe. & denuo excuſat Syllam. Etenim ſi Iupiter.] Magnifica ſimilitudo de Sylla. Pernicij cauſa.] Pernicij genitiuus, uide Gellium. Verũ ut hæc miſſa faciam.] Redit ad argumentationem, malorũ auctorem Chryſogonũ fuiſſe. Habet animi cauſa.] Inſectatur luxuriam Chryſogoni, ad inuidiam accendendã. In quibus eſt authepſa illa.] Authepſa uaſis genus, quod per ſeipſum coquebat: unde & nomen inditum. Ipſe uero quemadmodum.] ὑποτύπωσις luxurioſi & arrogantis hominis. Non enim uereor.] Purgat priuatam affectionem in cauſa, ad uitandam nobilitatis offenſionem, propter Syllanos iudices. Humilitatem cum dignitate.] Id eſt, Marianos nouos homines, cum Syllanis, qui erant ex nobilitate. Gaudeo iudices.] Oratorie ſimulat ſe gaudere, quamuis Syllanam uictoriã nunquam probarit: quia hic cauſa ferult. Sin autem id actum eſt.] Hoc inuidioſe dicit in Chryſogonum. Verum longe aliter eſt.] Remouet Chryſogonum à cauſa nobilitatis, ad confirmandos iudices, ne potentiam illius metuant. Sin has cædes & rapinas.] Monet à periculo transferendorum iudiciorum ad alium ordinem, ſi remiſſius iudicatum ſit. Nam tunc lege Cornelia ſenatorius ordo iudicabat, cum antea equites Romani iudicaſſent. Videant ne turpe.] Repellit potentiam Chryſogoni, & indignationem commouet. Verum hæc omnis oratio.] Peroratio, qua mouet commiſerationem in Roſcium, & aduerſariorum ſcelus inſectatur. Rogat oratq; te Chryſogone.] Inducit proſopopœiam, ut augeat affectum. Prædia mea tu poſſides.] Erumpit liberius, et uertit in querelam. Vbi tuis commodis.] Redit ad ſuam perſonam. Itaque uide quomodo in eadem re expolienda uariet orationẽ. Facis iniuriam Chryſogone.] Sedate mouet primo, deinde erumpit in accuſationem, & crudelitatem amplificat. An quod diligenter.] Inuidioſa occupatio, qua in commendationem defenſionis Roſcij excurrit. Fori iudicijq; rationẽ Meſſala.] Laudat Meſſalæ officium, ac fidem erga Roſcium. Nimirum iudices.] Amplificat perſonam Meſſalæ, ex nobilitatis dignitate in republica. Verum ſi.] Redit ad Chryſogoni inſectationem. Vnũ perfugiũ iudices.] Admonet clementiæ iudices, & ex contentione aduerſariorũ mouet indignationem. Sin ea crudelitas.] Locus ad deprecationem pertinet. Indignitas ex aduerſariorũ conſilio et improbitate. Quod ſi id uos ſuſcipitis.] Admonet communis periculi iudices: & quantum huius iudicij ſeueritate improborum audaciæ reſiſtendum ſit, oſtendit. Hanc tollite ex ciuitate.] Hortatur ad uindicanda maleficia, & concludit.

# IN EANDEM PRO SEX. ROSCIO ORATIONEM SCHOLIA

[redacted] PRAELEGENTE EXCEPTA.

*Aec eſt prima cauſa publica in crimine capitali, quã Cicero dixit natus annos 20. Auditus eſt à populo non ſine magna uoluptate. Roſcius autem abſolutus eſt.*

LOCI EXORDII.

1. *Excuſatio ætatis.*
2. *Neceſſitas & officium.*
3. *Cur alij non defendant.*
4. *Epilogus.*
5. *Apoſtrophe ad iudices.*
6. *Exaggerat dignitatem.*    *qui loci hoc diſticho comprehenduntur,*

*Aetas, officium, metuunt defendere multi.*
*Epilogus ſequitur poſthæc, & apoſtrophe Fanni.*

CREDO *ego uos iudices.*] Excuſatio ætatis. Primus locus. *Iniquitatem temporum.*] Syllanorum uidelicet. *Quid ergo? audaciſſimus.*] Subiectio. *Si uerbum de Rep. feciſſet.*] Propter Syllam uidelicet. *Deinde quod cæterorum.*] Repetitio prioris ſententiæ. *Concedi.*] Id eſt, ignoſci. *Tametſi non modo.*] Scomma. *Accedit illa.*] Neceſſitas uel officium. Locus ſecundus. *Se facere poſſe.*] Id eſt, ut recuſare poſſint. *Neq; beneuolentiã erga me.*] Incrementum. *Forſitan quæratis.*] Cur alij non defendant. Locus tertius ἄτεχνον hoc eſt: naſcitur enim ex cauſa. *Eius rei quæ conflauit hoc iudicium.*] Id eſt, diſſimulauerunt fontem rei. *Quæ ſunt ſexagies.*] Id eſt, ſexagies centena ſeſtertia. *Honoris cau.*] Id eſt, aduerſus eum nihil dico. Germani dicunt, ſoblicher gedechtnuſſe. *Duobus millibus nummum.*] Id eſt, duobus ſeſtertijs, hoc eſt L. coronatis Seſtertium pretium 25. coron. *Quoniamq; & pecuniæ.*] Inuidioſe dictum. *Seſe hoc incolumi.*] Scilicet, Roſcio filio. *Hunc ſibi ex animo.*] Repetitio. *Vt pecunia fortunisq; noſtris.*] Πάθος, id eſt, facile poſſemus ferre, eripi fortunam nobis, modo relinquerent hunc animum. *In deferenda nomine.*] Id eſt, accuſando. *Quibus ſatis nihil eſt.*] Scilicet Syllanis. *Vt ad illa opimam.*] Amplificatio. *His de rebus.*] Ab impoſſibilitate, ἀδύνατον. *Quapropter uos oro.*] Epilogus, Quartus locus. *Te quoq; magnopere.*] Apoſtrophe ad iudicem. Locus quintus. *Quanta multitudo.*] Ab expectatione hominum. *Qua uoſt feratione.*] Fiducia, & exaggeratio dignitatis. *Accuſant ij.*] Frequentatio. *Cauſam dicit.*] Id eſt, reus eſt. *Atq; ut facilius.*] Tranſitio. *Omnes hanc quæſtionem.*] Sperant in iudicijs non futuram crudelitatem, qualis eſt alias in quotidianis maleficijs. q. d. improbi obiecerunt Roſcium iudicibus iugulandum, & ſperant tam facile in iudicio opprimi poſſe, quàm ſi ipſi manu confoderent: ſed boni diuerſum ſperant. Status huius actionis eſt, Non eſſe parricidium factum à Roſcio. Conſtitutio eſt coniecturalis. *Sex. Roſcius.*] Narratio. *Hic cum omni tempore.*] Semina probationis aſpergit. *In diſcrimen ueniret.*] Scilicet, bello ciuili Marij & Syllæ eam partẽ.] Scilicet Syllanã. *Victoria conſtituta eſt.*] Id eſt, deuictus eſt Marius. *Atq; ex omni ratione.*] Incrementa, rhetorica. *Quam timere.*] Occaſiones ſunt quibus confirmat, non metuendã fuiſſe Roſcio proſcriptionem. *Plurimarum palmarum.*] Id eſt, qui multos occidit, qui magnus eſt latro, metaphora à gladiatoribus ſumpta. *Hic autem.*] Id eſt, alter qui adeſt. *Laniſtæ*, qui inſtituebant gladiatores. *Ante hanc pugnam.*] Id eſt, ante occiſum Roſcium. *Nam cum hic.*] Commemorat cædem. *Hunc aſſinem culpæ.*] Scilicet, filium. *Nunciat domum.*] Ille primus ſciuit, ergo ueriſimile eſt ipſum occidiſſe. *Ciſſijs.*] Id eſt, uehiculis binarum rotarum, Karrhen. LVI. millia paſſ. X. miliaria ſunt noſtratia. *Telumq; paulo ante.*] Tragicum Πάθος. Pecuniam ueteres uocabant uniuerſam poſſeſſionem. *Huius inopia.*] Scilicet mei clientis, filij. *Societas coitur.*] Id eſt, illi duo Roſcij faciunt ſocietatẽ cum Chryſogono. *Mancepi.*] Id eſt, redemptor bonorum. Mancipes illi ſunt, qui à rep. redimunt, quod poſtea uendunt ſuo arbitratu. *Duobus millibus nummum.*] Id eſt 50. coronatis. *Hic omnia iudices.*] Occupatio. Cauet autem ubiq;, ne impingat in Syllam. *Cum & pacis conſtitu.*] Id eſt, cum & bellũ gerat, & pacem conſtituat. *Deſpexit.*] Id eſt conniuxerit. *Vir optimus.*] Ironia. *Qui nondum paterno funeri.* Pathetica & tragica. *Qui in ſua re.*] Scilicet T. Roſcius. *Norma. Conſtituta auctione.*] Scilicet à Chryſogono. *Quod Amerinis.*] Occaſio profugiendi. *Vt decem primi.*] Qui erant ſucceſſuri in oppidis. ſunt autem ſenatores in municipijs. *Allegat.*] Id eſt, ſubornat ἀναξιφάζειν. *Homines antiqui.*] Id eſt, ſimplices, candidi, homines antiquorum morum. Iſta faciunt orationem ueriſimilem. *Confirmaret.*] Id eſt, promitteret. *De tabulis.*] Scilicet proſcriptorum. *Re ignorata.*] Apud Syllam. *Quod is ſimul atque.*] Profugium Roſcij filij. *In qua muliere.*] Laudatiũcula mulieris. *Vt hic potius uiuus.*] ἀνάμνησις iucunda. *Aliquem accuſatorem.*] Erucium, qui fuit nihili nebulo. *Denique ut quoniam.*] Occaſiones, quibus rem reddit ueriſimilem. *Quid primum querar.*] Epilogus narrationis & exclamationis, habet etiam repetitionẽ, qua proſtruit uallum, &c. *Pater occiſus.*] Collectio criminum. Congeries. *Teſtes in hunc.*] Inuidioſum eſt. *Conditionem ferunt.*] Id eſt, dant optionem. *Nulla res tanta.*] γνώμη in fine, quæ addit aliquid ponderis ſuperioribus. Nihil incidet, quod plus apud me ualiturũ ſit quam fides. *C. Fimbriam.*] Exemplum. Fimbria fuit iniquus partibus optimatium. *Quod non totum telum.*] Quia non potuit occidere. *Vereor ne me accuſet, ego eum anteuertam. Nam per deos immortales.*] Tranſitio. *Tres ſunt res.*] Diſtributio, qua premonet iudicem, quid expectare debeat, & quid intendat. Sed quia narratio præter crimen continebat multa alia, negat ſe iã parare orationem in Chryſogonum, ſed purgare ſuſpicione Roſcij filium. *Roſcij.*] Scilicet qui accuſabant. Erucorum etiam mentio eſt in Claris oratoribus. *Non eodem modo de omnibus.*] Quaſi diceret, erat aduerſus illum etiam dicendum, ſed non eſt huius negotij. *Ergo crimen oportet diluam.*] Id eſt, non accuſabo illos, ſed defendam Roſcium, meum clientulum. *Prima illa res.*] Scilicet de crimine. Propoſitio, collecta ex diſtributione. *Vos audaciæ reſiſtere.*] Id eſt, cauete uos, ne ſcelere & audacia Roſcius aliquid iniqui patiatur. *Occidiſſe.*] Confutatio duorum argumentorum Erucij. *Sceleſtum dij immort.*] Amplificatio à contrario adhibetur propterea, ut extenuentur cauſæ quibus uſus eſt Erucius. *Etenim ſi id.*] Amplificat à communi ſententia. In crimen uocari, eſt ſuſpicione mouere. *Profligata.*] Id eſt, perfecta atque conſummata. tamen in malam partem ſumitur. Vide Gellium. *Qui homo.*] Repetitio ſuperioris ſententiæ: quaſi dicat, nullæ ſunt notæ improbæ mentis. *At is quidem.*] Scilicet pater. *Neſcio inquit quæ.*] Argumentum Erucij ex ſigno eſt. *Quod*

Erucio.] Confutatio, ſed præfatur ἀντίθεσιν. Ergo res tam leues.] Id eſt, tam claræ ſunt, ut non opus habeãt confutatione. Quid ais Eruci.] Inuerſio. ſi odiſſet eum, non tradidiſſet ei ſua bona ruſticana. Sed certis fundis.] Pater dedit ei certos fundos, quibus pro ſuo cómodo frueretur. Vides Eruci.] Repetitio, & exaggeratio interrogationis. A' ſpecie tranſit ad genus, & ad locum communem. ἄτεχνα hactenus fuerunt, iá ſunt ἔντεχνα argumenta. Si tibi fortuna non dedit.] Scomma acerbum. obijcit illi, quód natus ſit incerto patre, ſignificans eum eſſe ſpurium. Vt ad fabulas ueniamus. Contulit illum locum ad ſcenicum exemplum finge tu ex Teren. Cteſiphontem rus ablegari, & tam charum parenti eſſe quàm Aeſchinum. Non tu iſto artificio.] Ἦθος, & affectus obiter aſperſit. Suſpendit eum etiam naſo, nó ſatis excultum literis eſſe. Ne tu Eruci.] Pergit laudare rem ruſticam. Odium igitur.] Secundum argumentum Erucij, quod uoluerit eũ exhæredare. Amorem illum.] Amplificatio exhæredationis. Qui cum taces.] Id eſt, cũ non probas, ſignificas à te eſſe conficta. Videaris facere.] Id eſt, mentiri. Nemo noſtrum.] Incipit accuſare Erucũ, ergo accepiſti pecuniã, ut iniuſte accuſes. Et legem Memmiam.] Quæ lata eſt aduerſus accuſatores impudentes. Veruntamen hoc.] Id eſt, nemo eſt accuſandus, niſi ſuſpicio áliqua adſit criminis & peccati. Cauſam non dicere.] Id eſt, non uocari in iudicium. Anſeribus cibaria.] Similitudo periucunda. Si ego hos.] Id eſt, iudices. Literam.] Id eſt, nigrum K. Eas omnis.] Salſum hoc eſt. Ad caput affigent. Id eſt, damnabunt. Non, qui eum deliberarit.] Repetitio ſuperiorum. Non'ne hoc palàm dicis.] Pergit cætera commemorare, quæ pertulerint ad accuſationem, & eſt expoſitio conſilij. In falſam fraudem.] Id eſt, in hoc damnum. Operæpretiũ erat.] Geſtus ſigna. Alias ees agere.] Id eſt, ludere. Deſcribit geſtus, & negligentius ab eo omnia dicta. Quintilianus ualde admiratur hunc locum. Aperiri.] Id eſt, palàm fieri. Societatem.] Scilicet Chryſogoni, cum duobus Roſcijs. Dedi.] Scilicet, neci. De parricidio.] Epilogus, confutationis, qui conſtat amplificatione criminis. Conſtant autẽ hic epilogus quatuor locis, Ratione, exemplo, fabulis, & legum latorum ſententijs. Omnino dignus locus eſt, quem ediſcamus, quod in ea perſpicua & clara copia ſit, qualiſq; exemplum copiæ eſſe debeat. De parricidio.] Propoſitio'eſt epilogi. In quo ſcelere iudices.] Et hodie Iureconſultus dicit, Probationes in capitali crimine debere luce meridiana clariores eſſe. Magna eſt enim uis.] Ratio epilogi. Propter cubantes.] Id eſt, iuxta. Videtis'ne quos.] Amplificatio à fabula, quæ depingit uim conſcientiæ. Quod ne pij quidem.] Quia eſt ultus Oreſtes cædem patris. Itaque cum multis.] A' ſententijs legumlatorũ, & pœnis. O' ſingularem ſapientiam.] Amplificatio ſupplicij. Noluerunt feris.] Declamatorium hoc eſt. Ne beſtijs quidem.] Id eſt, ne fierent ſæuiores beſtiæ, contagione iſta. Tanti maleficij crimen.] Repetita propoſitio ſupra inſtituta. Vtitur tribus locis: Primo, à circunſtantia, quomodo ſit occiſus, aut à ſeruis, aut ab alijs, &c. Secundo, à fortuna ſeruorum. Tertio, à probabili, ſcilicet à ſpe commodi, uel metu incommodi. De meo iure decedam.] Id eſt, faciam ut interea dicas meo tempore, cum mihi eſt dicendum. Demoſthenicum eſt, Tibi mea aqua fuit, quæ ſunt indicia fiduciæ. Hunc hominem ferunt.] Pugnantia. Nunquam in oppido.] Scilicet, Ameria. Vt non omnem frugem.] Egregia ſimilitudo ex locis communibus.

Illud quæro, is homo.] Redit ad circunſtantiam quomodo. & eſt Fiducia. Reliquum eſt ut per ſeruos.] De ſeruis torquendis. Secundus locus. Te nunc appello.] Illi erant iudices. Aliquoties duos ſeruos.] Apparet Erucium dixiſſe, quód per ſeruos ſit cædes facta. Vbi ſcopulum oſtendis eiuſmodi.] Quia ſerui ſunt apud Chryſogonum, is eſt ſcopulus & ſcrupus in hac re. Eiuſmodi tempus erat.] Alia ſuſpiciuncula. Interim mihi uideris.] Retorquet ſuſpicionem in aduerſarios. A' quibus mercedem.] Id eſt, Syllanos. Vis tu illos ſuſpicione aſpergere, qui te conduxerunt. A' ſectoribus.] Sectores erant, emptores bonorum proſcriptorum, & eiuſmodi appellatio erat infamis, quód turpe uidebatur ſectari bona miſerorum & innocentium ciuium. Eoſdem ferè ſectores.] ἀμφιβολογία. Ludit eleganter in ambiguitate nominis. Vereor ne aut moleſtus.] Breuis epilogus. Quæ mihi iſte uiſus eſt.] Feſtiuum. Venio nunc eo.] Translatio ſuſpicionis per argumentum probabile. Et eſt planè cóſirmatio propoſitionis. Tractat hunc locum ſyllogiſmo. Maiorem: ſcilicet Veriſimile eſt eum occidiſſe, ad quem maxima commoda redierunt, copioſe tractat. dicit tamen, ſe nolle accuſare illum alterũ Roſcium, ſed tamen transferre ſuſpicionem criminis. Nẽ ſi mihi liberet.] Occupatio eſt, neminem uolo accuſare. Dum utrumuis licebit.] Id eſt, accuſare, & non accuſare. Is enim mihi uidetur.] Noema. Quæ ſunt inania.] Id eſt, ſuſpiciones tractare de Roſcio. Quod non perſequar longis.] Id eſt, non accuſabo, tantum defendam. Cauſam tum nullam reperiebas.] Probabile. Suas palmas cognoſcet.] Id eſt, cædes. L. Caſſius ille.] Maior incipit. Veriſimile eſt eum feciſſe cædem, cui fuit bono, id eſt, cómodo. Sic uita hominum eſt.] αἰτιολογία. Implicatus ad ſeueritatem.] πάθος. Vel apud Caſſianos.] Id eſt, ſeueros. Huius eſt mentio apud Salluſtium in Iugurthino bello. In hac enim cauſa.] Minor ſyllogiſmi. Sed eo perſpicuũ crimen.] Id eſt, citra ſuſpicionem ſtatuerent, illum eſſe reum, hunc innocentem. Auaritiam præfers.] Id eſt, oſtendis. Qui ſocietatem coieris.] Scilicet cum Chryſogono. De municipis.] Id eſt, deines lantzmans. Sed etiam offerres.] Scilicet ad accuſandum. Id eſt, oſtentares etiam te auctorem fuiſſe cædis. Reſtat iudices.] Concluſio ſyllogiſmi. Et eſt repetitio argumenti, & collatio in concluſione. Vt quæſtum noſſet nullum.] Id eſt, non negotiabatur ſed fruebatur ſuis prædijs. Hæc tu Eruci.] Inſectatio Erucij. lædit hic eius exiſtimationem, atrociſſimis criminibus. Video igitur.] Redit ad inſtitutum. Supra uoluntatem & impulſionem tractauit. iam facultas ſequitur. Cum defenſione noſtra contenditio.] Id eſt, confer. Videamus nunc ſtrictim.] Coniectura & ſuſpiciones. Hanc primam eſſe lemniſcatam.] Id eſt, inſignem, nobilem. Lemniſci, faſciæ à coronis propendentes. Eleuat fidem atque auctoritatem Capitonis teſtis. Itaq; morem maiorum.] Ab exemplo & auctoritate, fidem teſtium eleuat. Agenum illa.] Pergit ad reliqua, & quomodo bona empta ſint commemorat. Venit in decem.] De legatione alia ſuſpicio. In priuatis rebus.] Ex minori. Etenim quoniam fidem magiſtri.] Repetit locum de ſeruis ad quæſtionem poſtulatis. Reduuiam curem.] Reduuia morbus eſt, qui Græce παρωνυχία dicitur, quando cutis circa ungues reſoluitur. Hæc.] Scilicet, Syllana. At iam nihil eſt quod quiſquam.] Alia occupatio, quæ illis occurrit, qui metu ſe prohiberi dicebant. Separat autem Chryſogoni cauſam à communi Syllæ cauſa. Rogat oratq;.] Peroratio, conſtans amplificatione, collatione, affectibus indignitate, ἀποστροφῇ.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO Q. ROSCIO COMOEDO FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

## ARGVMENTVM.

CAIVS Fannius Chærea cum Q. Roſcio Comœdo ſocietatem coiuit, quæ triennio ante huius cauſæ actionem diſſoluta eſt. Certam quandam pecuniam à Roſcio debitam ſibi Fannius petiuit. Arbitrum ſumpſit C. Piſonem iuriſcon. à quo Roſcius abſolutus eſt. Poſtea in iudicium eadem de re Fannius Roſcium uocauit: ſponſio ex parte tertia facta eſt, ni eam pecuniam Fannio Roſcius non debeat. Eundem Piſonem Fannius ſumpſit iudicem. P. Saturius Fannij nomine petit. Cicero Roſcium Fannio nihil debere probat. nam ſi quid deberet, id Fannius uel ei mutuo dediſſet, uel ſocietatis nomine expendiſſet, uel ei Roſcius liberaliter promiſiſſet. Primæ partis refutatio deſideratur, & ut arbitror, initium ſecundæ, quam refutat: quod eo Fannij tabulis in re propria credendum non ſit: quod quamuis ijs credi oporteret, in his Roſcij nomen ſcriptum non ſit: quod credendum non ſit Fannij aduerſarijs, in quibus Roſcij nomen triennio ante ſcriptum ſit. Tertiam partem leuiter refutat. Sed quoniam Saturij oratione, Roſcij exiſtimatio & fama læſa eſt, quod ſocium feſelliſſe dicatur: eam Cicero tuetur, primum à uita ante acta, deinde à Saturij teſtimonio, tum à Roſcij copijs & liberalitate. Socium autem illa ratione feſelliſſe dicitur. Seruum Panurgum Fannius emit, eumq; cum ſocio Roſcio communem fecit. eum Roſcius hiſtrionica diſciplina inſtituit. quem ſeruum poſtea Q. Flauius Tarquinienſis occidit. Flauius à Fannio in ius, de damni iniuria uocatus eſt. C. Flauio Roſcius pro parte ſua pactionem fecit. Annis quinque & decem poſt hanc pactionem acta eſt hæc Fannij & Roſcij cauſa, in qua Saturius Roſcium dicit pro ſocietate pepigiſſe. Quòd ſi pro parte ſua tantum pepigiſſet, eius quod à Flauio acceperit, partem dimidiam nomine ſocietatis Fannium accipere debuiſſe contendit: quod Cicero refutat. Genus cauſæ iudiciale eſt. Cauſa eſt priuata. Status eſt coniecturalis. Hanc cauſam Cicero adoleſcens egit, poſt Syllæ mortem, aut certe poſt Dictaturam depoſitam. Ciceronem Roſcio tam familiariter uſum, ut res eius rationesq; ſolertia ſua tueretur, Macrobius lib. Saturnalium 3. ſcribit. Nec Roſcium deſeruiſſet Cicero, qui eius cauſa P. Quintium defendit. Huius orationis exordium deeſt, & forte narratio. Deeſt etiam diuiſio, eiusq; primæ partis probatio. Deeſt extrema refutatio, unà cum tota concluſione.

HVIVS orationis exordium, forte narratio, & probationis initium, deeſt. Eaq; quæ prima extant, ita corrupta & mutilata ſunt, ut intelligi non poſſint. Vult tamen primũ Ciceroprobare, C. Fannij Chæreæ tabulis credendum non eſſe, ne ipſe ſit teſtis & aduerſarius. Corrũpere. ] Pecunia. In codicem referret. ] Referre in codicem, & referre in tabulas dicit, pro eo quod eſt (ut ita tum uulgo dicã) in regiſtro ſcribere. Quàm mox. ] Id eſt, quàm cito. Hac oratione. ] Sequenti. Egóne hanc manum. ] Facit Cicero aduerſarium dicentem, quòd eius cauſæ obſit. Hanc manum. ] Id eſt, meam. Nomen. ] In rationibus (ita enim appellari placet, quod regiſtrum uulgo dicũt) nomen dicitur, pro eo quod appellant articulum: aut, ut uulgo dicunt, unum item. In hac ſignificatione dici, in hac oratione ſæpe inuenias. Proferet. ] Id eſt, exhibebit. Hoc nomen. ] Id eſt, hic articulus. In huius. ] Tabulis. Cur potius illius. ] A conſequentibus arguit. Si tabulas ſuas exhibeat Fannius, ubi ſcriptum ſit. Q. Roſcium debere Fannio ſeſtertios C C C L I I I. ſuas exhibebit Roſcius, ubi hoc nomen ſcriptum non ſit. & ſi credatur Fannij tabulis, oportebit etiam credere tabulis Roſcij: cum æque turpe ſit, non ſcribere quod debeas, atque ſcribere falſo aliquid deberi. Non referre. ] In codicem. Qui uerum non retulit. ] Id eſt, qui non ſcripſit, quod deberet. Sed ego copia. ] Tabulis Fannij credendum non eſſe docuit, niſi itidem tabulis Roſcij credatur. Illud donat aduerſario, ut Fannij tabulis credatur. In his enim ſcriptum eſſe, Roſcium debere Fannio HS. C C C L I I I. negat. Copia & facultate. ] Id eſt, magna cauſæ ueritate & bonitate. Quo progrediar. ] Id eſt, quantum ego tibi concedam. Accepti & expenſi. ] Acceptum ferre, eſt ſcribere ſe accepiſſe pecuniam: & Expenſum ferre, eſt ſcribere ſe pecuniam dediſſe; ut ait Aſconius in Verris accuſationem. id uulgo dicũt, receptas & miſſas ſcribere. Hinc accepti et expẽſi tabulæ, aut codex dicitur, rationũ liber: regiſtrũ uulgo appellãt. Inde acceptilatio appellata eſt. In ſuam rem, ſuo arbitratu. ] Vt plura concedere aduerſario uideatur qui ſuas tabulas in ſuam utilitatem, & ſuo arbitratu ſcripſit. Secundum illum. ] Fanniũ, id eſt pro Fannio. ut pro A. Cæcina: Iam recuperatores nulla dubitatio eſt, ſiue rem, uerba ſpectare uultis, quin ſecundum nos iudicetis. M. Perpenna. ] M. perpennæ ſcribendum eſſe arbitror, ut fuerit hic M. Perpẽna argentarius. Singulorum enim rationes argentarij conficiebant, ut ait Vlp. lib. Digeſt. 2. de Edendo: ubi multa de hoc argentariorũ officio ſcripta ſunt. C. Fannij Chereæ. ] Scribendum uidetur, C. Fanni Cherea. Lis detur. ] Id eſt, iudicetur. Ita. ] Id eſt, tali conditione. Non proferri. ] Tabulas Fanni. Parua nomina. ] Parua debita, uel articulos paruæ pecuniæ. Omnes ſummas. ] Siue paruæ ſint ſiue magnæ. HS. ] Id eſt, ſeſtertia. Seſtertia autem 353. ualent amplius ſeptem millia & quingentos coronatos. Lege Budæum de Aſſe. Pecunia extraordinaria. ] Vt actione in Verrem tertia: Hinc illæ extraordinariæ pecuniæ, quas nullo duce, tamen aliqua ex particula inueſtigamus, redundarunt. Extraordinarias pecunias eſſe Aſconius tradit, quæ neque ex reditibus, neq; ex annonis, neq; de aliqua legitima ceſſione aut donationis aut hæreditatis, uidentur adiectæ. Itaque per extraordinarias Verris pecunias, ut idem ait, Cicero ſordida lucra & furta Verris ſignificat. Iacet. ] Id eſt, neglecta eſt, & non ſcripta. Iurare in litem. ] Id eſt, iudici præſtare iuſiurandum, cum litis dominus, is uidelicet qui litem ſuo nomine conteſtatus eſt, iudice deferente iurat quanti res illa ſit, de qua litigatur. Vt ſi furti agatur, qui agit, iurat tanti rem fuiſſe, cum furtum factum ſit, ut eſt in lib. Digeſtorum 12. de In litem iurando. Ait me indignari. ] Indagare apud Budæum in adnotationibus in Pandectas melius ſcriptum arbitror. In aduerſarijs. ] Ea eſſe Budæus ſcribit, tumultuarias quaſdam tabulas, quæ ante tabularũ inſtitutionem & cõfectionem ſcribantur, ne rerum memoria excideret, ut ex ijs poſtea tabulæ iuſtæ & æternæ conficiãtur. Aduerſaria dicta eſſe arbitror, quod animum memoriamq; aduertant. Patere. ] Id eſt, ſcriptum eſſe. Vſque eò. ] Apoſtrophe eſt ad Fannium. Suum codicem. ] Id eſt, ut uulgo dicunt, regiſtrum. Eſt autem argumentum à minore ad maius. Liturarũ. ] Quòd in aduerſarijs lituræ eſſe, id eſt, nonnullæ dictiones tranſuerſo calamo deleri ſoleant. Codicem inſtituere. ] Id eſt, regiſtrum facere. Literarum uetuſta

tem. Quæ in aduerſarijs ſcripta erant. Quod etiam apud omnes.] Aduerſarijs credere. Apud omnes leue.] A minore ad maius arguit. Menſtrua.] Id eſt, unius menſis, aut breuis alicuius temporis. Aduerſaria enim ad breue tempus ſcribuntur. A' menſe autem, menſtruum appellatum eſt: idq́; eſt, quod eſt ad unum menſem: ut labor, cibus, opus menſtruum dicitur. Delecta.] Conlecta, non delecta, eodem in loco apud Budæum lego. Ea autem conlecta quæ ſunt, nullo ordine diſpoſita atque digeſta ſunt. Codicē protulit.] Hoc, ut arbitror, hunc habet intellectū, ut ſuum codicem aliqui protulerint, non teſtis loco. ut dictio Nemo, conueniat cum eo tantum, aduerſaria in iudicium protulit nemo. Tu C. Piſo tali fide ornatus.] Genus dicendi ſimile illi eſt, Defende me tu uir optimus: de quo eſt apud Vallam. Tu C. Piſo, &c.] Piſonem in re facturum non eſſe dicit, quod Fannius fecit. Ego quæ clara ſunt conſuetudine.] In re clara argumentari, tam ſtultum eſſe Quintil. lib. 5. dicit, quàm in ſolem clariſſimum mortale lumen inferre. Quampridem.] Id eſt, quantum temporis eſt. Pridie rarius dici quàm nuper, niſi cum negatione, cum quàm, cum ita Laurent. Valla lib. 2. ſcripſit, ubi locum hunc citat. Amplius ſunt ſex menſes.] Hoc dicendi genus uſitatum eruditis eſt. Id hoc in loco ſæpe uſurpatur. Vulgo dicerent, amplius ſunt quàm ſex menſes. Iacet.] ut antea. Quomodo tibi tanta pecunia extraordinaria iacet? & paulo poſt: Hoc tu nomen triennium amplius in aduerſarijs iacere pateris. Rationes.] Id eſt, accepta & expenſa. Digeſta.] Id eſt, ordine ſcripta. Si etiam.] Id eſt, ſi habes. Nolebas ſciri.] Sermocinatio eſt. Ne referres.] In tabulas. Niſi eundem & aduerſarium & teſtem.] Cauendum eſſe Quintil. libro. 5. præcipit, ne unquam iuſiurandum aduerſario deferamus: ſicut eidem nec optio iudicis permittenda eſt, nec ex aduocatis partis aduerſæ iudex eligendus. Teſtis autem iuratus dicit teſtimonium. Sed huic præcepto hoc contrarium non eſt. Non enim Cicero iuſiurandum Fannio defert: ſed Fannius ex eo, q arbitrum ſumpſerit, quodammodo fatetur Roſcium ſibi nihil debuiſſe. Per iudicem.] Id eſt, per iudicium, & ut loquuntur uulgo, per iuſtitiam. Legitimæ partis.] Eam in cauſis priuatis decimam, in publicis quintam eſſe, pro P. Quintio diximus. Paulo poſt tamen Cicero dicit, ex tertia parte ſponſionem factam eſſe. Hic tu, & cætera.] Id eſt, apud iudicem, quod apud arbitrum ita non fit. HS. numo.] Seſtertium & nummum in eadem re dici, eumq́; decem denarios turonicos & ſemiſſem ualere, Budæus ſcribit. Cauſam perdidiſti.] Vt paulo poſt: Niſi planum facit HS. L I I I. ad libellam ſibi deberi, cauſam perdit. Perdere litem in eadem re dicit, in libro de Orat. 1. Neque intelligebat, ſi ita eſſet actum, litem aduerſarium eſſe perditurū. Amittere litem, paulo poſt dicit. Cadere cauſa, & à cauſa, in eadem re dici, alio loco docuimus. Pecunia certa.] Quæ petatur. Litem aut obtineamus.] Id eſt, cauſa uincamus. Obtinere cauſam ſæpe in hac re dici, alio loco docuimus. Formulæ.] Quæ de iudicio & de arbitrio eſt. Directum, aſperum, ſimplex.] Hæc ſunt uerba formulæ, quæ de iudicio eſt: quemadmodum illa de arbitrio, mite, moderatum, &c. Ad libellam.] Id eſt, neque plus, neque minus. Quanto æquis & melius.] Vt Cicero in libro de Offic. 3. In arbitrio rei uxoriæ illa uerba, æquius, melius, excellere dicit. Ille tamen confitetur.] Quia ſumpſit arbitrium. Satis ſuperq́;. Id eſt, ſatis & ultra. ut in libro Aeneid. 2. Satis una ſuperq́; Vidimus excidia. Alter cauſæ confidit.] Qui apud arbitrum plus petit, quam ſibi debeatur. Diffidit uero, qui plus petens uenit ad iudicem. De his ipſis HS. L I I I.] C. enim Fannius à Q. Roſcio HS. L I I I. ſibi deberi dicebat. Compromiſſum feceris.] Compromittere & compromiſſum facere, eſt litem ad uiri boni arbitrium mittere. Cōpromiſſum autem, eſt ipſa poteſtas arbitrio promiſſa ut repromittere aduerſarius dicitur, qui etiam facit compromiſſum. Cum enim petitor rem controuerſam in boni alicuius uiri arbitrio collocat, & defenſor promittit fore, ut eo arbitrio ſtet, repromittere dicitur. Dari repromittiq́;.] A' Roſcio. Niſi legere mauis, Dari repromittiúe: ad eam ſententiam, ut æquius & melius eſſet, ſi Fannius peteret. HS. L I I I. dari ſibi, aut repromitti à Roſcio, quàm ea de re arbitrum ſumere. Repromittere quàm uarie dicatur, poſtea ſcribemus. Quis in hanc rem fuit arbiter.] Sermocinatio eſt. Hoc quærit Cicero, ei Fannius reſpondet. Sederet in conſilio.] Id eſt, eſſet ex aſſeſſoribus Piſonis. Sumebas.] Sumere arbitrium & iudicem, pro eo quod eſt, eligere & accipere, dicit hic ſæpius. ut pro P. Quintio: Te iudicem C. Aquili ſumpſit. Infinitam.] Id eſt, incertam. Arbitrium enim antea dixit eſſe pecuniæ incertæ. Remittebas.] Id eſt, permittebas. In Anguſtiſſimā formulam.] Illa enim iudicij formula erat, ut ex pecunia quæ peteretur, ſi creditam eam nec diſſolutam eſſe conſtaret, nihil quidquam remitteretur. Ad arbitrum.] Id eſt, apud arbitrum. ut paulo poſt: Cæteri cum ad iudicem cauſam labefactari, & cætera. Iam duæ partes.] Significat Cic. uſum ſe fuiſſe in hac cauſa partitione: eiusq́; tres partes fuiſſe. Nam cum Fannius pecuniam ſibi à Roſcio deberi diceret, Cicero illa partitione per remotionem uſus eſt: Si Fannio Roſcius debet pecuniam, uel eā Fannius Roſcio dedit mutuo, uel ſocietatis nomine Fannius expendit, uel Roſcius promiſit. Superiora duo falſa eſſe Cicero docuit, tertium quoque falſum eſſe paulo poſt oſtendit: quo fit ut nihil Fannio Roſcius debeat. Adulteraſſe ſe negat.] Dediſſe, non adulteraſſe hoc loco legendum eſſe, quæ proxime ſequuntur indicant. Non dicit.] Quò in eius tabulas nihil relatum ſit. Stipulatum ſe eſſe dicat.] Stipulatio eſt ſolēnis promiſſio, interrogatione præcedente: ut, Promittis'ne te mihi daturum centum aureos? Promitto. Vt ſtipulatum ſe eſſe dicat. Id eſt, Fannius dicat ſe interrogaſſe Roſcium, an ſibi promitteret HS. L I I I. & Roſcium promiſiſſe. Vbi, quo die? &c.] Harum rerum breuior uſus multum ualet ad refutandum. Spopondiſſe.] Id eſt, ſtipulanti & interroganti promiſiſſe. Fidei.] Roſcij enim cauſam in fidem patrociniumq́; ſuſcepi. Diligentia meæ.] Quam in patrono magnam eſſe debere, alio loco docuimus. Formulæ.] Id eſt, modo, & ut ita dicam, ſtylo, qui in cauſis defendendis ſeruari ſolet. Sponſioni.] In hac cauſa factum eſſe ſponſionem ſignificat. De ſponſione ſatis multa pro P. Quintio diximus. Iudicari debeat.] Vtrunque uerbum imperſonale eſt. Codices Fannij confirmat.] In eos enim codices hæc pecunia relata non eſt. Eius.] Roſcij. Pecunia leuiſſima.] Leuiſſimam Roſcij pecuniam eſſe dicit, propterea quod Roſcius nunc ſit auarus & tenax, ſed liberalis & magnificus: & quòd quæſtum reijciat, uti poſtea dicet. De nobis.] Id eſt, de Roſcio. Aduocatio.] Id eſt, multitudo amicorum, quos ad hoc iudicium aduocauimus, ut nobis fauerent. Solebant enim petitores, accuſatores, & rei amicos ad iudiciū aduocare, cauſa fauoris emerendi. In hanc formulam.] Id eſt. in hanc partem, quæ eſt de Roſcij exiſtimatione. Sententia eſt: Ego dicam non minus diligenter de bona exiſtimatione Roſcij, quā Fannius labefactare conatur, quàm ſi de omnibus iudicijs, omnibus arbitrijs, omnibus domeſticis rebus dicendum eſſet. Legitima.] Id eſt, legibus conſtituta. Honoraria.] Arbitria honoraria propterea appellata eſſe arbitror, quod uiri boni deligebantur arbitri. Perinde dicemus.] In hac clauſula particula perinde bis ponitur. Id nonnunquam facit Cicero, ut in eadem clauſula eandem dictionem bis ponat, uel aliquam omittat: ut ex tempore oratio eſſe uideatur, qua ratione

minus

minus ſuſpecta iudicibus ſit. Illa ſuperior.] Id eſt, huius orationis pars ſuperior, qua ego defendi Roſciũ. Neceſſaria.] Quia Roſcium ſuſcepi defendendum. Hæc.] Poſterior orationis pars, qua ego bonam Roſcij exiſtimationem tuebor. Ad C. Piſonem.] Non tanquam iudicem. Pro Roſcio.] Non tanquam reo. Victoria.] Id eſt, uincendi lite. Satis ampliter defenſum Roſcium dicit: ſed quia eius exiſtimatio uiolata eſt in petitione, eam tueri uult reliqua oratione. Alterum eſt grauius.] Si ex ſocietate debeatur. Priuata iudicia. Nam ſunt etiam publica iudicia, de quibus alio loco diximus. In publicis autem iudicijs ferè agitur eorum exiſtimatio: in priuatis raro, niſi in ijs, quæ ſunt fiduciæ, tutelæ, ſocietatis. Fiducia autem à fide appellata eſt. ea quæ ſit, cognoſcere poſſis ex uerbis Boetij, quæ ſunt in lib. Commentar. in Top. Ciceronis 4. Fiduciam, inquit, accipit, cuicunque res aliqua ea lege mancipatur, ut eam mancipanti remancipet. uelut ſi quis tempus dubium timens, amico potentiori fundum mancipet: ut ei, cum tempus quod ſuſpectum eſt, præterierit, reddat. Hæc mancipatio, fiduciaria dicitur: idcirco, quod reſtituendi fides interponitur. Tutela.] A. Gellio auctore cap. 13. libro 5. ex moribus populi Rom. locum primum iuxta parentes tenere debent pupilli, fidei tutelæq; noſtræ crediti. Dolus malus in tutela ſi quis interuenerat, lege tabularum 12. uindicabatur, ut ait Cicero lib. de Offic. 3. Societatis.] Auctore Cic. pro Sex. Roſcio, in rebus maioribus ſocium fallere turpiſſimum eſt, propterea quòd auxilium ſibi ſe putat adiunxiſſe, qui cum altero rem communicauit. Ad cuius igitur fidem confugiet, cum per eius fidem læditur, cui ſe cõmiſerit? Nec ſocium cauere poſſumus, quem etiam ſi metuimus, ius officij lædimus. Recte igitur maiores, inquit, eum qui ſocium fefelliſſet, in uirorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. Auctore Iuliano iuriſconſ. lib. Digeſtor. 3. de iis qui notantur infamia: Prætor ait, notari infamia eũ, qui pro ſocio, tutelæ, mandati, depoſiti damnatus ſit. Mandati quoque iudicium ſummæ exiſtimationis eſſe, ut Iulianus: ita Cicero in oratione pro Sex. Roſcio ſignificat. In priuatis, inquit, rebus ſi qui rem mandatam non modo malitioſius geſiſſet, ſui quæſtus aut commodi cauſa, uerum etiã negligentius, eum maiores ſummum admiſiſſe dedecus exiſtimabant. itaque mandati conſtitutum eſt iudicium non minus turpe, quàm furti: credo propterea, quòd qui in rebus ipſi intereſſe nõ poſſumus, in ijs operæ noſtræ uicaria fides amicorũ ſupponitur. Quam qui lædit, oppugnat omnium commune præſidiũ: & quantum in ipſo, eſt, diſturbat uitæ ſocietatẽ. Aliaq; multa in eandem rem ibi dicta ſunt. Dabit enim nobis, &c.] Vitæ anteactæ rationem multum ualere ad confirmandum uel refutandum, ſcripſit Cicero pro P. Sylla: Omnibus, inquit, in rebus iudices (quæ maiores grauioreſq; ſunt) quid quiſque uoluerit, cogitarit, admiſerit, non ex crimine, ſed ex moribus eius qui arguitur eſt ponderandum. Neque enim poteſt quiſquam noſtrum ſubito fingi, neque cuiuſquam uita mutari, aut natura conuerti. In alterutram partem.] Id eſt, uter ſocium ſefellerit, Roſcius an Fannius. Q. Roſcius.] Oratio imperfecta. Ignis.] Id eſt, ignita res. Referuens.] Id eſt, ualde feruens & magnum. Sumpta eſt tranſlatio ex ſimilitudine ignis in aquam coniecti. Plus fidei quam artis.] Q. Roſcius Comœdus quantum artis habuerit, docuimus pro P. Quintio. Veritatis.] Id eſt, iuſtitiæ & bonitatis. Ita digniſſimus eſt ſcena.] Vt pro P. Quintio de hoc Roſcio: Artifex eiuſmodi eſt, ut ſolus dignus uideatur eſſe, qui in ſcena ſpectetur. uir eiuſmodi eſt, ut ſolus dignus uideatur, qui eò non accedat. Propter abſtinentiam.] Abſtinens dicitur, is qui à bonis alienis manus abſtinet qui ex bonis alienis, quæ tractauit, nihil ad ſuam utilitatem conuertit. Digniſſimus ſit curia propter abſtinentiam.] De Senatu Cicero ſcribens in lib. de Legib. 3: Is ordo, inquit, uitio uacato, cæteris ſpecimen eſto. Ignotum hominem ſcilicet.] Ironia eſt. In nomen huius incidiſti.] Id eſt, Q. Roſcium nominaſti. Quod nemo.] Homines honoris aut contumeliæ cauſa nominari, teſtis eſt Cicero actione in Verrem ſecunda: Fit, inquit, obuiã caſu ei multitudini C. Curio, quẽ ego hominẽ honoris potius quàm cõtumeliæ cauſa nominatum uolo. Quod nemo, &c.] Id eſt, aliquem honoris cauſa appellare. Virum optimum & hominẽ improbiſſimum.] Virum enim in laudem, hominem modo in laudem, modo in uituperationem Cicero dicere ſolitus eſt. Gratia.] C. Fannij, cuius in gratiam Roſcium accuſabat. Aliquem timidum, &c.] Qualis Fannius non eſt. Experiri.] Id eſt, in ius uocare, & cum eo ius experiri. De hoc uerbo pro P. Quintio ſatis multa diximus. Faciem.] Id eſt, formam, figuram, & quaſi facturam totius corporis. Quæ in re propriè dici, ſcribit A. Gellius cap. 29. lib. 13. Vt in illo uerſu Pacuuij: Aetate integra, feroci ingenij, facie procera uirũ. ipſa autem corporis facies, qualis animus ſit plerunque indicat. Caput.] Penitus abraſum. Et ſupercilia.] In ſupercilijs pars animi eſt. in his faſtus & ſuperbia ſedem habet: ut ait Plinius capitu. 37. libro. 11. Malitiam.] Id eſt, fraudem. Hac uero ætate caput penitus abraſum quale monachorum multorum eſt, ſanctimoniam uitæ ſignificat. Ab imis unguibus.] Id eſt, ab unguibus pedum: & ut dici ſolet, à planta pedis. Tacita corporis figura.] Id nõnullis ita perſuaſum fuit, ut ea de re libros conſcriberent. Ne ullum pilum.] Id eſt, nihil, & ne pilum quidem. Si par gratia refertur.] Iocatur Cicero. Perſona illa.] Ballionis, apud aliquem poetam. Expreſſa.] Id eſt, inſculpta, & effigiata. Hunc imitari ſe.] Sententia eſt: Quia Fannius animaduertit, uti ſe Roſcius in lenonis perſona imitatus ſit, exiſtimat eum etiam mores ſuos imitari. Periurium caſtus.] Caſtum & periurum contraria eſſe ſignificat. Imperitus.] Id eſt, ſimplex. Auidum.] Id eſt, auarum. Auidum pro famelico poſuit in Topicis: Sed quoniam auidum hominem ad has dicendi epulas recepi, ſic accipiam, ut reliquiarum ſit potius aliquid quàm te hinc patiar non ſatiatũ diſcedere. Veteràtor.] Id eſt, uetus in aſtutia, & omni in re callidus. Hac calliditate improbi patroni ſibi placent. Ait propter ipſa, &c.] Indocte reſpondet Saturius, quamuis callide ſibi uideatur reſpondere. Quæſiuit enim Cicero, qua de cauſa Roſcius fraudauit Fannium HS. L I I I. Reſpondet Saturius propter ipſas HS. L I I I. Nam tibi M. Perpenna.] Si locus hic emendatus eſt, ita intelligi debet: C. Piſo, qui teſtis fuit & arbiter rationum C. Fannij, non fuiſſet tanti M. Perpennæ argentario, ut Roſcij ſocium fraudarent. Piſonem enim arbitrum Fannius ſumpſit. Roſcio cur tanti fuerit.] Piſo. In ſummis ſuis uerſibus.] Id eſt, nihil debeat, eiq; debebatur: & expenſi accepti q; habita ratione, omnes ſummæ eius erat, non creditorum. Quantum locuples fuerit Roſcius, ſcripſit Budæus lib. de Aſſe, ſecundo, ubi hunc locum citat. Eumq; ex Macrobij ſententia ſcripſit, mercedem diurnam de publico mille denarios, id eſt, centũ aureos accepiſſe. qui HS. C C C L I I I. C C C L I I I. C C C L I I I. idem negat ſe intelligere, cur hi numeri iter legantur: exiſtimaſq; legendũ, HS. C C C L. M. Merere.] Id eſt, quærere & lucrari. Si poteſt Dionyſia.] Hanc eſſe arbitror Dionyſiam ſaltatriculam, cuius nomine Q. Hortenſium à L. Torquato appellatum eſſe: eſt apud A. Gellium libro primo. Illa.] Quam merere potuit. Hæc.] Quam per fraudem appetiſſe dicitur. In cauſa & iudicio collocata.] Id eſt, controuerſa, & de qua lis ſit. HS. ſexagies.] Id eſt, centum & quinquaginta aureorum milia, ut eodem in loco idem Budæus exponit. Conſequi.] Id eſt, merere & lucrari. Laborem quæſtus recepit.] Id eſt

In ſcena egit, qua ex re tantam pecuniam quærere poterat: ſed quæſtum laboris reiecit, id eſt, tantam pecuniam repudiauit. Pop. Roman. ] Nam agere comœdias in ſcena perſequerat. Et geſtum & animam ageres. ]. Agere geſtum, potius quàm facere dicimus. Agere enim comœdias docti dicũt, ludere comœdias uulgo uſitatum eſt. Auctore Sex. Pompeio ſcenici agere dicuntur, quòd eorum actioni quidam geſtus & uultus decor accedat, ut actioni oratoriæ. Oratores autem agere cauſam dicuntur. Geſtus hiſtrionici & oratorij magna ſimilitudo eſt. Itaque Ciceronem cum Roſcio contendere ſolitum Macrobius libro Saturnalium tertio ſcribit: utrum ille ſæpius eandem ſententiam uarijs geſtibus efficeret, an ipſe per eloquentiæ copiam ſermone diuerſo pronunciaret, quæ res Roſcium ad hanc artis ſuæ fiduciam abſtraxit, ut librum conſcriberet, quo eloquentiã cum hiſtrionica compararet. Agere animam dici, auctor eſt Cicero lib. Tuſculanar. quæſtion. 1. Animum, inquit, animam etiam ferè noſtri declarant nominari. nam & agere animam, & efflare dicimus: & animoſos, & bene animatos, & ex animi ſententia. Agere autem animam, mori eſt. Inertiam. ] Id eſt, fugam. Sunt formulæ. ] Id eſt, quædam rationes agendi, quidam modi in ius uocandi, quales ſunt in iure ciuili actionũ formulæ. Eſt autem actio nihil aliud, niſi ius perſequendi in iudicio quod ſibi debetur, ut eſt in libro Inſtitutionum Iuſtiniani quarto de Actionibus. Expreſſæ. ] Id eſt, deſcriptæ Publicæ à Prætore formulæ. ] Actionum enim aliæ ciuiles ſunt, aliæ prætoriæ, ut eodem in loco Inſtitutionum eſt. Arbitrium pro ſocio. ] Hanc fuiſſe actionis formulam ſignificat, qua in ius uocarentur ij, qui ſocium fraudaſſent. Redegeris. ] Compuleris, perſecutus ſis, in ius uocaueris. Iudicio graui. ] Nam ſocium fallere, turpiſſimum eſt: ut ante dictum eſt. Inſimulas. ] Inſimulare, eſt ſimulato crimine accuſare: &, ut ait Sex. Pompeius, & eſt crimen in aliquem confingere. Propter ægritudinẽ criminis. ] Id eſt, quia crimen tibi ægrum & triſte. Ita'ne uero? In indignæ alicuius rei reprehenſione hoc Cicero dicere ſolet. Per arbitrum. ] C. Piſonem. Non erat iudicium. ] Sed arbitrium. Vbi licet agere. ] Id eſt, in iudicio. Vbi non oportet. ] Id eſt, apud arbitrum. Illa formula. ] Quæ dicitur, Arbitrium pro ſocio. Habet. ] Roſcius. Quemadmodum pactio eſt. ] Pactionem in tabulas referri, morem eſſe ſignificat: alioqui pactionem non eſſe. Familiarem ſuum. ] C. Piſonem. Temere commiſiſti. ] Id eſt, imprudenter feciſti. Nam poſtquam Roſcius ab arbitro abſolutus eſt, eum Fannius ad iudicem uocauit. In iudicium ut denunciaret. ] Id eſt, ut eum in ius uocares, & tibi uadimonium promitteret. Id autem iudicium non fuit hoc C. Piſonis. Res erat manifeſta. ] In perſona Fannij Cicero reſpondet. Eſt enim ſermocinatio. Veteris. ] Id eſt periti & exercitati. Panurgus. ] Ea narratio eſt, quam fecit Saturius. Eam autem Cicero ad cauſæ ſuæ utilitatem deflectit. Largitus eſt ſcilicet homo. ] Ironia eſt. Diſſolutus. ] Id eſt, largus, & ferè prodigus. Ille. ] Saturius. Hic. ] Id eſt, hoc loco paulſper commoratus eſt. Corpus. ] Panurgi. nam Panurgum Roſcius emerat. Facies. ] Id eſt, figura corporis. Ars. ] Hiſtrionica, quam de Roſcio Panurgus didicit. Ex trunco corporis. ] Id eſt, ex corporis figura, quæ ſtultum illum eſſe, coniecturam afferebat. ut in oratione Poſt reditum in Senatu, de L. Piſone: Cum hoc homine, aut ſtipite Aethiope, ſi in foro conſtitiſſes, nihil crederes intereſſe. Sine ſenſu, ſine ſapore, elinguem, tardum, inhumanũ, neglectum, Cappadocem, modo abreptum de grege uenalium diceres. Terentius in Heaut. In me quiduis harum rerum conuenit, Quæ ſunt dictæ in ſtultũ: caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus. Truncum, ſtipitem, caudicem, in hominem ſtultum dici, his locis ſatis conſtat. Duodecim æris. ] Id eſt duodecim aſſibus. As autem ualebat paulo magis quatuor denarios turonicos. Locabat ſe. ] Locat enim, qui dat utendum: conducit, qui accipit. Inde accipe quanto plus debeas præceptoribus, à quibus diſciplinam bonam acceperis, quàm parentibus, à quibus habes corpus. Tanto plus ſe debere præceptoribus, quàm parentibus, Ariſtoteles dicebat: quanto præclarius eſt, bene uiuere, quàm uiuere. Quod ſit. ] Id eſt, quod ualeat, quod æſtimetur. Si ueniret à Statilio. ] Id eſt, à ludo Statilij hiſtrionis: id eſt, ſi à Statilio fuiſſet inſtitutus Panurgus. Si ueniret à Statilio, hoc dicit, quemadmodum paulo poſt: Veniebat à Roſcio. In Erote comœdo. ] Eros & Erotes in caſu nominatiuo, dicitur à Cicerone lib. Epiſt. ad Atticum 15. eadem epiſtola: ſcilicet Eros numerauit, Leonides tamen retinet ſuum illud adhuc, ſummis uero laudibus Erotem. Non modo ſibilis, &c. ] Hinc attende, homines indoctos non ſolum manibus, ſed etiam ſibilis & conuitijs explodi ſolitos. Sicut in aram. ] Id eſt, ueluti in aſyllum, ubi tutum eſſet perfugium. ut in oratione Poſt reditum in Senatu, de P. Clodio: Qui niſi in aram Tribunatus confugiſſet, neque uim prætoris, neque multitudinem creditorum, nec bonorum proſcriptionẽ effugere potuiſſet. In nouiſſimis. ] Id eſt, poſtremis. Ciceronem hac uoce, quæ eſt nouiſſimum, uti noluiſſe, quòd ſcripſerit A. Gellius cap. 21. lib. 10. hallucinatus eſt. Alijs quoque locis hac uoce uſus Cicero eſt. ut lib. Epiſtol. famil. 10. Quo ego interprete nouiſſime ad Lepidũ ſum uſus. Itemq́; Nouiſſime, ut ab omni omniũ ſollicitatione auerſos eos, tales nobis præſtare poſſem, quales adhuc fuerunt. Lib. 11. Ad nouiſſima auxilia deſcendemus. Idem epiſtola ad Octauium: Nouiſſima conferam primis. Ad primos. ] Ad eorum numerum, qui primi erant nominis. Summo cũ labore. ] Panurgum Erote commendatiorem fuiſſe oſtendit. Iam quo quiſque. ] Arbitror legendum eſſe, Nam quo quiſque: ut ratio ſit, cur Panurgum Roſcius ſummo cum ſtomacho miſeriaq́; erudierit. Tarquinienſis. ] Tarquinij in numero plurali oppidum fuit in Etruria, à Tarconte conditum: ubi Tarquinius Priſcus natus fuit, ut ait Strabo lib. 5. In hanc me, inquit. ] C. Flauius Q. Roſcium cognitorem dedit in hanc litem, quæ de Panurgi cæde fuit. Auctore Caio Iuriſ. lib. Digeſtor. 9. ad legem Aquiliam, legis Aquiliæ cap. 1. cauetur, ut qui ſeruum alienum iniuria occiderit, quanti is in eo anno plurimi fuerit, tantum æs dare domino, damnas eſto. Q. Flauius de damni iniuria in ius uocatus eſt. Q. Roſcium in hanc rem cognitorem Fannius dedit. Auctore Aſconio in Diuinationem Ciceronis: qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur ſi orator eſt: aut aduocatus, ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico: aut procurator, ſi negotium ſuſcipit: aut cognitor, ſi præſentis cauſam nouit, & ſic tuetur ut ſuam. Sex. Pompeius cognitorem à procuratore diſtinguit: ut ſit cognitor, qui litem alterius ſuſcipit corã ab eo, cui datus eſt, procurator autem abſentis nomine auctor fit. Cicero in diuinatione: cognitorem ſe à Siculis in eorum cauſam datum dicit: Adſunt, inquit, queruntur ſiculi uniuerſi, ad meam fidem, quam habent ſpectatã iam & diu cognitã, confugiunt: auxilium ſibi per me à nobis, atq; à populi Rom. legibus petunt: me defenſorem calamitatum ſuarum, me ultorem iniuriarũ, me cognitorem iuris ſui, me actorẽ cauſæ totius eſſe uoluerunt. Lite conteſtata. ] Litis conteſtatio ex actoris intentione, et rei depulſione, cũ dicto iudicis ut procedatur, conſiſtit. Iudicio conſtituto. ] Id eſt, conſtituta quæſtione & actione. Damni iniuria. ] Hæc actio de damni iniuria fuit. Tuum negotium geſſiſti bene. ] Id eſt, rem tam utiliter feciſti: & ut uulgo dicunt, bene feciſti tuũ caſum. Magno. ] Id eſt, magna pecunia. Decidiſti. ] Decidere, paciſci, & pactionem facere, in eandem rem hoc in loco ſæpe Cic. dicit. Vero. ] Id eſt, uere: id eſt, ſi id quod

dicis

dicis uerum eſt. Re & ueritate.] Id eſt, re uera. Cum iacerent pretia prædiorum.] Id eſt, cum ob L. Syllæ crudelem proſcriptionem prædiorum minima pretia inuenirentur. Vt M. Craſſum multa urbana prædia paruo admodum emiſſe, Plutarchus in eius uita ſcripſit. Omnium poſſeſſiones erant incertæ.] Si quis enim domum, prædium, uillam haberet, quæ alicui ex Syllanis placeret, is proſcribebatur tanquã hoſtis, eiusq; bona publicabantur: ut eſt apud Saluſtium in bello Catilinæ. Nunc deum immortalium benignitate. Significat hanc cauſam actam fuiſſe poſt Syllæ mortem, aut certe poſt dictaturam depoſitam: quo uiuo acta eſt Roſcij Amerini. Benignitate.] Id eſt, gratia. Sine tecto.] Id eſt, domo. Synecdoche eſt, oratori conceſſa. Tam maleuolus es.] Maleuolentiam definiunt Stoici, ut ſit uoluptas ex malo alterius, ſine emolumento ſuo: ut ait Cicero lib. Tuſcul. 4. Moleſtia, & cura.] Id eſt, inuidia quam ex Roſcij felicitate contraxiſti. Nam ſi rem extenuarem, te liberarem. Si quid communi nomine tetigit.] Id eſt, faciendo pactionem ſi quid de ſocietate locutus eſt. Præſtare.] Id eſt, exhibere & ſatisfacere. Societatis, non ſuas lites redemit.] Hoc intelligendum eſt, ut aduerſarij nomine dicatur. Redimere lites, eſt pactionem facere. Qui enim paſciſcitur, facit ut lis non ſit. Satis non dedit.] Id eſt, non dedit fideiuſſorem Flauio, neminem ab eo quidquam de Panurgi cæde petiturum. Cauere.] Id eſt, ſatis accipere: & ut ita dicam, cautionem accipere ad maiorem ſecuritatem. Caueri, non cauere, ſi ſcriberetur, improba lectio non eſſet. Præclare.] Sciebat. Reſtipulatur.] Id eſt, petit promitti à Roſcio. Decidit.] Cum Roſcio. Non abſoluitur.] Id eſt, non liberatur. Nam cum Fannio lis Flauio manet, facta pactione. Tam imperite.] Id eſt, tam imprudenter, tam ſimpliciter. Stipulatione.] Stipulari & reſtipulari hoc loco in eadem re ſæpe dicit. Alliget.] Id eſt, obliget. Neque à Fannio iudicio ſe abſoluat.] Id eſt, neq; Roſcius ſatis det Flauio, neminem ab eo quidquam petiturũ. Abſoluere iudicio in ea re dicit, in qua uulgus garãtire. A' tuis ſubſellijs contra te teſtem ſuſcitabo.] Morem ueterũ fuiſſe, ut teſtes ſederent in ſubſellijs eorum, à quibus producerentur: ex Quintiliani lib. 5. ubi de teſtibus præcipit, cognoſci poteſt. Contra hunc morem Cicero Fannium teſtem producturus, qui aduerſarius eſt, ab eius ſubſellijs eum ſe excitaturum dicit. Teſtem ſuſcitabo.] Vſitatius à Cicerone dicitur excitare teſtem. ut in oratione pro Cn. Plancio: Quem iudicem ex illis, aut tacitum teſtem haberes, aut uero etiam excitares? Excitare enim eſt, quod uulgo dicunt facere ſurgere. de quo uerbo alibi plura ſcripſimus. Repromitteris.] Id eſt, per ſtipulationem promitteris. Clarius.] Id eſt, uoce clariore, & ut uulgo dicunt altiore. Huc atque illuc tergiuerſantem.] Tergiuerſari, ut ait Non. Marcellus, eſt fallere, & dicta mutare, & eſt quaſi tergum uertere. Quid tu auferre potes, &c.] Artificioſe arguit Cicero. Nam ſi Roſcius decidit cum Flauio pro ſocietate, Flauius nihil debet: ſi nihil debet, ab eo Fannius nihil auferre poteſt. Sed cum in reſtipulatione dicat, Quod à Flauio abſtulero: ſignificat Roſcium pro ſocietate pactionem non feciſſe. Nunc.] Id eſt, ab hinc triennium. Omne quod debuit, diſſoluit.] Si pro ſocietate Roſcius cũ eo pactus eſt. Tam confecto.] Id eſt, tam antiquo & obſoleto. In ſocietate diſſoluta.] Diſſolutam fuiſſe hanc ſocietatem dicit, cum reſtipulatio à Fannio facta eſt. Pro opera & labore.] Fannij, quod Fannius cognitor fuiſſe, &c. Arbiter.] Id eſt, cuius arbitrio hæc reſtipulatio facta eſt. Soluitur autem ſocietas, cum aliquis ex ſocietate, ſocietati renunciauerit, aut mortuus ſit: ut eſt in lib. Inſtitution. Iuſtiniani. 3. de Societate. Repromiſiſſe.] Id eſt, uiciſſim promiſiſſe. Hoc enim loco repromittere eſt, promittenti promittere. Domino.]

Id eſt, Fannio, qui Panurgum emerat. Tu non exitum exactionis, &c.] Id eſt, nunquid tu ſpectare debes quid promiſſum ſit, non quid exactum? Neque ſi ille.] Sententia eſt: Nunquid ſpectare debes Roſcium redemiſſe lites ſuas, non ſocietatis, ſi iudicauit iudicio perſequẽdum eſſe, quod in ſe non fuit: id eſt, Fannij partem. Poſt deciſionem ueterem.] Quam cum Flauio Roſcius fecit annis XV ante. Recentem.] Qua triennio ante Fannius Roſcio repromiſit. Illudere uiri optimi exiſtimationi.] Vulgo dicerent uiri optimi bonã famam tollere, aut uirum optimum ludibrio habere. Eſt etiam illudere, inſultare. Auctore Seruio libro Commentariorum in Aeneid. Vergil. 2. illudo tibi dicimus: ut, Certantéq; illudere capto. & illudo te: ut, Verbis uirtutem illude ſuperbis. Illudo in te dici, Terentius auctor eſt, qui in Andria dicit: Adeon' uidemur uobis eſſe idonei, in quibus ſic illudatis? Quæ ratio tibi cum eo interceſſerat.] Id eſt. quid tibi negotij cum eo fuerat. Addictus.] Addicti, ut ait Valla libro quinto, apud ueteres dicebantur, qui prætoris pronũciatione ac iuſſu cum ſoluendo non eſſent, creditoribus uendebantur. Quid inter ſeruum & addictum interſit, eſt apud Quintil. libro ſeptimo. Cauſare.] Id eſt, cauſam affers. Certe.] Id aduerbium affirmantis eſt. Quis erat petitor.] In cauſis priuatis petitor dicitur potius quàm accuſator: ut in publicis accuſator non petitor dici ſolet. Grauiſſimus.] Cui maxime credendum. Spectabis.] Id eſt, probabis. Si ex cenſu ſpectas.] Qui à Cenſoribus quadringentis millibus ſeſtertium cenſebantur, ij erant equites Rom. Quibus abroges fidem?] His'ne Senatoribus in Cluuio? Vtraq; uniuerſæ uox.] Cum uniuerſa tua uita conueniens. Quàm mox.] Id eſt, expectas quàm cito, &c. Ordine eſſe Senatores, etc.] Hæc ualent, ut oſtendat Cicero, eorum teſtimonio credendum eſſe. Locupletes & pecunioſos.] Multos fieri falſos teſtes egeſtas cogit. Itaque fideles teſtes Cic. ſæpe appellat locupletes. Qua de re alio loco ſcripſimus. Non faciam.] Occupatio eſt. Simulat enim nolle ſe dicere, quod dicit. Nihil mihi detraham.] Qui indignos laudant, ſibi detrahunt. Eorum enim, quos laudant, ſimiles eſſe creduntur. Contra, merentur laudem, qui dignos laudant. Mea adoleſcentia.] Adoleſcens tum erat Cicero, cum hanc cauſam egit. Concoquendum.] Id eſt, animo tanquam digerendum. Concoquere enim, eſt captum cibum, ut uulgo dicunt, digerere. Idq; ſæpe transfertur. ut lib. Epiſt. ad Quintum fratrem. 3. De Epiſtola Vatinij riſi, ſed me ab eo ita obſeruari ſcio, ut eius iſta odia non ſorbeam ſolum, ſed etiam concoquam. Manilio & Luſcio iuratis.] Iurati enim teſtes dicebant teſtimonium. In alieno iudicio.] Id eſt, in iudicio nihil ad ſe pertinente. Eundem'ne teſtem.] A' maiore ad minus arguit. Infirmabit.] Id eſt, debilitabit, & penè derogabit. ut infirmare fœdus Cicero dicit, pro L. Cornelio Balbo: Nec uero hæc oratio mea ad infirmandum fœdus Gaditanorum iudices pertinet. Religionem.] Id eſt, iuſiurandum. Ferrem.] Id eſt, ſumerem. Iniuratus.] Id eſt, non tanquam teſtis. Inter periurũ & mendacẽ.] Inter eos illud intereſt: uterque falſum dicit, ſed periurus iuratus, mendax iniuratus. Religione.] Id eſt, metu conſcientiæ. Deprecatione deorum.] Quæ in iureiurando adhibetur. Non conſcientiæ fide.] Deprecatione deorum commouetur, qui nõ peierat: conſcientiæ fide, qui non mentitur. Sed qui mentitur, quodammodo peierat. Nam, ut ait Cicero lib. de Offic. 3. Iuſiurandum eſt affirmatio religioſa. quod autem affirmatiue, quaſi deo teſte promiſeris id tenendum eſt. Quæ pœna à dijs.] Iouem iuriſiurandi auctorem eſſe: Cicero ſignificat lib. de Offic. 3. Plato lib. de Legib. 11. Iuriſiurandi tres deos nominat, Iouem, Apollinem Themidem. Idem paulo ante: Nemo, inquit, dijs inuoca-

tis mendacium dicat, aut decipiat, aut adulterare uerbo, aut re quidquã audeat, niſi deo uelis odio eſſe. Idem in lib. 12. de iudi cũ religione: Iudicium, inquit, pudica quædã uirgo eſſe uere dici tur. Pudori aũt atq; iudicio ſecundum naturam odio mendaciũ eſt. Iraſci & ſuccenſere.] Iraſci lenius eſſe quam ſuccenſere, locus hic documento eſt. Donatus in Andr. Teren. Succenſere ait eſſe, in re graui & iuſta iraſci. Alij diſtinguunt, ut ſuccenſere ſit iure, iraſci ſine iure, ſine iniuria. Alij ſuccenſere aiunt eſſe, cum quis quem natura amare debeat, læſus ei iraſcitur. Ex contrario contendo.] Diſputo enim, nihil minus credendum eſſe Cluuio iniurato, quàm ſi iuratus eſſet: tanquam grauiorem auctoritatem iurati, quàm iniurati aduerſarius exiſtimet. Contra autem ego contendo, Cluuij iniuriati grauiorem eſſe auctoritatem. Ex contrario.] È contrario Cicero dixit, in oratione Antequam iret in exilium: Si nemini innocenti obfui, ſi etiam è contrario, ut quiſq; auxilium meum deſiderauit, opem ferre non dubitaui. Contra multo ſæpius à Cicerone dici inuenias, quàm ex contrario, uel è contrario. Improbis nimis cupidus.] Legendum eſſe arbitror, Improbis lædẽdi nimis cupidus uideretur. Lædendi autem cupidus eſt, aut qui ultro teſtimonium dicit aut qui qua de re iudex eſt, teſtis ſit. Caſtiſſimus.] Id eſt, minime mendax. Conſtantiſſimus.] Vt teſtimonium iudicio reſpondeat. Iniecit.] Inijcit legendum arbitror, ut cum uerbo Cogit conueniat. Vnde hoc totum.] Ironia eſt. Roſcius eſt.] Ethopœia eſt per ironiam, ad Roſcij & Cluuij dignitatem oſtendendam. Poſtea quam ſe præclare confirmauit.] Id eſt, propoſuit facere, quod cogitauit. Mobilem.] Mutabilem Virg. appellat, lib. Aeneid 4. Varium & mutabile ſemper Fœmina. Concinne.] Id eſt, compte, ornate compoſite. Compendij.] Id eſt, lucri. Laborem caperet.] Capere laborem dixit, quemadmodum ab eodem dici capere ſomnum, lætitiam, uoluptatẽ, detrimentum, dolorem, alio loco docuimus. HS. millies.] Hæc ualent uicies quinquies cẽtena millia aureorũ, ut eſt apud Budæum. In iudicium haberet.] Id eſt, in controuerſia apud iudicem haberet. À Ballione.] Lenone impuriſſimo. Expoſtulare.] Id eſt, poſtulare: compoſitum pro ſimplici. Veritate falſum.] Dicendi ratio adnotanda. Obliuiſcor enim Roſcium, &c.] Id eſt, fac Roſcium & Cluuium homines fuiſſe improbos. Falſum ſubornauit teſtem.] Id eſt, ſubornauit ut eſſet falſus teſtis. Tam ſero.] Poſt recentem ſtipulationem. Penſio.] À pendendo penſio appellata, eſt, ab eo quod ære graui cum uterentur Romani, penſo eo, non numerato debitum ſoluebant: ut ait Sex. Pompeius. Cum altera penſio ſoluenda eſſet.] Soluere penſionem dicit, ut lib. Epiſt. ad Atticum 16. Cal. Hortenſius uero imprudenter, nihil enim debetur ei, niſi ex tertia penſione, quæ eſt Sextil. ex qua penſione ipſa maior pars eſt ei ſoluta aliquãto ante diem. Cur potius. HS. L III.] Tam facile erat in re magna mentiri, quàm in parua. Et ex magna re maius compendiũ Roſcius faciebat. nam partem dimidiam ex reſtipulatione accepturus erat. Repugnare contra ueritatem.] Dicendi genus adnotandum: nam repugnare ueritati, dici ſolet. In eodem ueſtigio.] Id eſt, in eodem loco, & ex tempore. Diuerticulum.] Quo diuerteret, & deflecteret. Auctore Donato in Terent. Eunuchum, diuerticulum eſt, ubi iter de uia flectitur. & proprie diuerticula dicuntur, in uia domicilia, ad quæ de itinere diuertendum ſit. Vnde igitur facta ſit translatio hæc, apparet. Nõ ſibi.] Soli. Quod cum redactum eſſet.] Arbitror legendum eſſe, Id cum redactum eſſet. uti paulo poſt: Si id petierit, non uero, nunquid petierit. Qui per ſe litem conteſtatur.] Litem conteſtare hoc in loco dicit, pro eo quod eſt litigare. Qui cognitor eſt factus.] Antea dixit, Me cognitorem dediſti. licet itaq; dicere, facere & dare cognitorem. Quod uiciſſet iudicio.] Vulgo dicerent, quòd ſententia iudicis lucratus fuiſſet. Vincere enim hac in re uſitate dicitur. Inde uictoria, quæ lucratio litis uulgo dicitur. Ferres tuum.] Id eſt, acciperes. Ferre, pro eo quod eſt accipere, dici, alio loco docuimus. Damni iniuria.] Id eſt, actione de damni iniuria, ut antea uiſum eſt. Ex tua oratione.] Quam habuiſti cognitor ad iudicem. Niſi te in ſuam litem, &c.] Id enim tibi ſoli, non Roſcio exegiſſet. Gemina.] Id eſt, ſimilia. Geminorum enim, id eſt, eodem partu editorum, magna ſimilitudo eſt. Hinc gemina, duo quæ ſimilia ſunt, Vergilius ſæpe appellat: ut in lib. Aeneid. 1. Geminiq; minantur in cœlum ſcopuli. Arguit autem Cicero à ſimili. Hæres in hæditate.] Si cohæredes habeat. Non cohæredibus.] Hac uoce uſus eſt etiam in lib. Epiſt. famil. 7. Quod ſi mihi permiſiſſes, qui meus amor in te eſt, confeciſſem cum cohæredibus. Vterque.] Hæres & ſocius. Diſſolute.] Creditoribus. Hæreditatem adijt.] Hæreditatem adire dicitur is, qui hæres factus, uel auctoritate Prætoris, uel ſua uoluntate in hæreditatem ſe intromittit.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO M. FONTEIO

## FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

MARCVS Fonteius Prætor partem Galliæ, eam in qua erant Allobroges & Aruerni, triennium adminiſtrauit: ex qua prouincia poſtquam deceſſit, legationem Galli Romam decreuerunt, quæ de Fonteio quereretur. M. Plætorius accuſator, & M. Fabius Sanga ſubſcriptor conſtitui ſunt. Hi Fonteio prætore, Galliam ære alieno oppreſſam eſſe, quod inde grandem pecuniam exegiſſet, ex uiarum munitione Gallis imperata magnum quæſtum feciſſe Fonteium, nouum uini portorium eundem inſtituiſſe dixerunt. Id ut probarent, Gallorum teſtimonio uſi ſunt. Hæc Cicero refutans, probat iudicibus ex teſtimonijs ferendam ſemper non eſſe ſententiã: docet Gallorũ Fonteio iratorũ. ex eiuſq; dãnatione propè immunitatẽ & libertatem ſperantiũ, nec ulla religione obligatorũ, teſtimonijs contra Fonteium non eſſe credendum: ſed Narbonenſium, Maſſilienſium, ciuium Rom. qui ibi negotiabantur, hominumq; honeſtiſſimorũ pro Fonteio teſtimonia anteponenda. Contemnendos eſſe Gallos oſtendit, minantes quoddam bellum Gallicũ, niſi Fonteius damnetur: nec proptee id damnandũ eſſe Fonteiũ, quamuis eſſet nocentiſſimus. quem ita integrum eſſe atq; innocentẽ oſtendit, ut in duabus in eum actionibus ne maledictum quidẽ ante actæ uitæ in eũ ab aduerſarijs obiectũ ſit. In peroratione docet Fonteiũ propter generis antiquitatẽ, maiorum claritatẽ, patris ab Aſculanis interfecti recentem memoriam, & propter innocentiam eius integritatemq;, & ſummam in re militari uirtutẽ, induſtriam, felicitatẽ: in urbe retinendum, amicisq; reddendum potius quàm hoſtibus dedendum. Idq; è repub. eſſe oſtendit, ꝙ permultis bellorum ducibus amiſſis, pauci reliqui ſint, qui poſſint ducere exercitus. À Fonteij matre, & ſorore Veſtali, ipſiusq; Fonteij lachrymis, ne ignominiam ſuis æternam relinquat metuentis, iudicum miſericordiam commouet. Oratio iudicialis eſt, ſtatus coniecturalis.

A QVIBVS

A QVIBVS uerſuram.] Verſuram facere, eſt mutuam pecuniam ſumere: ex eo dictũ eſt, quòd initio qui mutuabãtur ab alijs, non ut domũ ferrent mutuabantur, ſed ut alijs ſoluerent, uel ut uerterent creditorẽ: auctor eſt Sex. Põpeius. Dicimus autem, uerſuram à Gallis facere, ut mutuã à Gallis pecuniã accipere. ut in actione in Ver. 4. Inſpiciebamus Syracuſis à Carpinatio cõfectas tabulas ſocietatis, quæ ſignificabãt multis nominibus eos homines uerſurã à Carpinatio feciſſe qui pecuniã Verri dediſſent. Hæc autẽ pecuniæ mutuatio, ab eodẽ Cicerone pro L. Flacco uerſura, dicitur: In ærario, inquit, nihil habent ciuitates, nihil in uectigalibus. Duæ rationes conficiendæ pecuniæ, aut uerſura, aut tributo. Nec tabulæ creditoris proferũtur, nec tributi cõfectio ulla recitatur. Idẽ in li. Tuſc. quæſt. 1. utrũque mutationẽ & uerſurã dixit: tanquã id diſtet, ut uerſura ſit creditoris mutatio: Ego, inquit, illi maximã gratiã habeo, qui me ea pœna multauerit, quã ſine mutatione & ſine uerſura poſſem diſſoluere. Auctore Donato, uerſurã facere dicitur is, qui æs alienũ ex ære alieno ſoluit. Dicitur etiã, qui minore fœnore acceptã pecuniã, pecunia maiore fœnore accepta diſſoluit. Verſurã ſoluere Terentius dicit in Phorm. Verſurã ſolues Geta, inquit, præſens quod fuerat malũ, in diẽ abijt. Dicũt] Aduerſarij ſcilicet. A' Gallis, etc.] Argumẽtũ ex remotione eſt. Nã ſi ære alieno oppreſſa Gallia eſt, ea mutuatitia pecunia à Gallis, aut ciuibus Ro. qui in Gallia negotiãtur, ſumpta eſt. ſed nec ab his, nec ab illis: relinquitur igitur, eã Fõteio Prætore ære alieno oppreſſam nõ eſſe. Qui negotiãtur in Gallia.] Solebãt Romani in prouincijs ſuis negotiari. Tabulæ nullæ.] Qui enim pecuniã dãt mutuã, ij tabulas ſolent accipere, creditæ pecuniæ teſtes: quas obligationes uulgo appellant. Plus ego in hac cauſa laboris. Vt in defenſione quã in accuſatione, ita in refutandis teſtibus quàm in poſtulãdis plus laboris eſt. Plus laboris et operæ cõſumo.] Id eſt, plus laboro. Conſumere operã et laborẽ dicitur, laborare et dare operã. ut Cicero in lib. de Offic. 2. dicit ponere operã: Mirẽtur, inquit, in ea tantũ me operæ et tẽporis ponere. Idẽ in lib. de Orat. 1. conſumere otiũ dicit & id eſt, otij euitãdi cauſa aliquid agere, quod uulgo dicũt tranſire tẽpus: De his, inquit, rebus omnibus in angulis cõſumẽdi otij cauſa diſſerant. Conſumere diem Seruius Sulpi. lib. Epiſt. famil. Ciceronis quarto dicit, pro eo quod tranſire diem uulgo dicunt: ibi, inquit, Marcellum collegam noſtrum conueni, eumq́; diẽ ibi conſumpſi, ut cum eo eſſem. Audacter hoc dico.] Quod ſequitur ſcilicet. Nõ temere.] Id eſt, nõ imprudẽter, nõ ſine cauſa. Confirmo.] Id eſt, affirmo. Nemo Gallorum.] Id eſt, nullus Gallus. Pro nullo enim, ſæpe nemo ponitur, ut poſtea dicemus. Sine ciue Romano.] Antiqua illa cũ his comparare licet, quo hic locus facilior intellectu ſit. Vt paruus ignis, propè maiorem accenſus, nihil proficit: ita ruſtici magnæ alicuius et copioſæ urbis atque celebris accolæ, pauperes ſunt, nihil ferè negotij ſine eius urbis ciuibus gerunt: his uendunt, ab his uerſuram faciunt, his nomina & tabulas conficiunt. Eodem modo Galli illi prælijs multis à Rom. attriti, bonis ſpoliati, agro mulctati, ideoq́; tenuiores facti, nihil ſine ciue Romano quidquã negotij gerebant. Si igitur pecuniã Fonteius Gallis imperaſſet, eam Galli à Romanis negotiatoribus mutuam accepiſſent. Itaque illud poſtea dicit: Numus in Gallia nullus ſine Ciuium Romanorum tabulis commouetur. Si quis enim ab imperatore, numus à Gallis exigitur, oportet Gallos eum numum à ciuibus Roma. accipere, ideoq́; tabulas conficere. Nam cõmouere numum, eſt exigere, et ut uulgo dicunt, leuare pecuniam. In quã re per ſimplex uerbum, Mouere numum Cicero dixit, pro L. Flacco: Dicunt, inquit, ſe Flacco & ijs qui ſimul eſſent, drachmarum 15 millia dediſſe. cum ciuitate mihi res eſt acerrima & conficientiſſima literarum, in qua numus moueri nullus poteſt, ſine quinq; Prætoribus, tribus Quæſtoribus. quatuor Menſarijs, qui apud illos à populo creãtur. Videte quò deſcendam Iudices.] Quintilian lib. 6. ubi de altercatione præcipit. multi cõſilij atque artis eſſe dicit, diſſimulare nos habere probationes: Cum enim aduerſarij inſtant, et ſæpe diſcrimen omne committunt, id eſt, uelle ſe cadere cauſa dicũt, probemus propterea quòd eas nobis probationes deeſſe putant: qua ratione faciunt probationibus noſtris auctoritatem poſtulando. Poſſet igitur diſſimulare accuſator Pletorius, ſe habere probationes. Inſectatur Cicero, atque inſtat accuſatori, omne diſcrimen cõmittit, cum uerè accuſatum Fonteium ſe conceſſurum pollicetur, ſi una tabula, ſi unus ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero teſtis contra Fonteium producatur. Cautione.] Id enim cauere ſoleo, ne omne cauſæ diſcrimen cõmittã. Vna tabula.] Tabulas in hac re tãtum in numero plurali dicimus. Negotiatorum.] Ciuium Rom. qui in Gallia negotiabatur. Colonorũ.] Narbonenſium. Publicanorum.] Publicani, aratores pecuarij qui ſint, alibi ſcribimus. Vere ac cuſarũ.] Id eſt, iuſta cauſa. Vt uetera mittam.] Vt bellũ Senonicũ. Partim noſtra memoria.] Paulo antequã naſceretur Cicero, & Ciceronis ætate, multa Gallis cũ Rom. bella fuerunt. Fuluius enim Flaccus Ciſalpinos Ligures bello domuit. Domitius & Fabius Allobroges & Aruernos, ut poſtea dicemus, ſuperauerunt. C. Martius Saruios, Arpinam gentem, expugnauit. L. Caſſius Coſ. à Tigurinis Gallis in finibus Allobrogum, cũ exercitu cæſus eſt: auctor eſt T. Liu. Cimbros præterea & Theutonas, quibuſcũ acerba et diuturna bella populo R. fuerũt, Gallos fuiſſe L. Florus ſcribit. Modo triumphi, &c.] Scribit L. Florus lib. 3. Domitiũ & Fabiũ ſuperatis Allobrogibus & Aruernis, in ijs ipſis locis ubi cum Gallis pugnatum erat, ſaxeas turres erexiſſe, deſuperq́; exornata armis hoſtilibus trophæa erexiſſe: quãuis Romanis is mos inuſitatus foret, qui hoſtibus domitis uictoriam unquã exprobrauerunt. Cum autẽ id paulo ante Ciceronis ætatem geſtũ fuerit, Modo pro aliàs, nõ pro nũc, hic reperi arbitror. Agris urbibusq́; mulctati.] Quos Rom bello ſuperauerant, eos in cõponendo fœdere agris urbibusq́; perſæpe mulctabant. Contulerunt.] Conſeruerunt & pugnauerunt. ut in lib. Aeneid. 7. Quibus acer Eryx in prælia ſuetus Ferre manũ: Eſt in eadem prouincia.] A' natura animi probat credendũ eſſe potius de Fonteij cauſa colonis Narbonẽſibus ſocijs et amicis Maſſilienſibus ciuibus Romanis, qui tũ in Gallia negotiati ſunt, atq; hominibus honeſtiſſimis: quã Gallis iratis, quòd uicti, quòd agro urbibusq́; mulctati quod ſibi equitatus, pecunia, & magnus frumẽti numerus imparatus ſit. Narbo Martius.] Anno ab urbe condita 633. paulo poſt bellũ Allobrogicum, paulo ante quàm Cicero naſceretur, Narbo Martius deducta colonia eſt, M. Porc. Catone, Q. Martio rege Coſſ. ut ait Eutrop. lib. 4. idem ferè ſcribit Paterculus. Plin. cap. 4. lib. 3. ſcribit Narbonem Martium Decumanorum coloniam eſſe. Volater. lib. 3. cauſam dicit, quòd decem legionum milites in eam deducti ſint. Cuius in ſententiã ut diſcedam, idem Plin. facit, qui in eodem capite Arelatam Sextanorum, Biliteras Septumanorum, Arauſionem Secundanorum colonias eſſe ſcribit, eadem dicendi ratione. Specula po. Ro.] Vti è ſpecula hoſtium aduentus proſpicitur ita è Narbone Gallicus tumultus, ſi quis erat, prouidebatur. Fideliſſimorum.] Quãtum fidelis populo Rom. Maſſilia fuerit Cicero ipſe in lib. de Offic. 2. ſcribit: Portari, inquit, in triumpho Maſſiliam uidimus, & ex ea urbe triumphari, ſine qua noſtri nunquam imperatores ex tranſalpinis bellis triumpharunt. Qui Gallicorum bell.] Cum Maſſilienſiũ fines Falanij Galli popularentur, aduerſus eos Romani Maſſilienſibus auxilium miſerunt: ut ait T. Liu. lib. 60. Auctore L. Floro lib. 3. Salyi Gallorum Ciſalpinorum primi arma Romanorum ſenſerunt, cum de incurſionibus eorum fideliſſima atque amiciſſima

ciuitas maſſilia quereretur. Remiſcisq;.] Remisq; in codici bus alijs legitur. idq; melius, mea quidem ſententia: cum remis ſcis nihil in hoc loco ſignificare uideatur. Compenſarunt.] Quid ſi Compulſarunt, aut repulſarunt legas? Hominũ honeſtiſſ.] Vt exercituũ Ro. qui in duabus Hiſpanijs erant: ut Imperatorũ. ut Equitũ, ut Tribunorum militũ, ut Legatorũ ad eos exercitus, ut Pompeij, qui in Gallia tum hyemauit: ut paulo poſt dicet. Qui proximi fuerant.] Id eſt, qui nouiſſime hoſtes domiti fuerant, ante eos qui tum in prouincia erãt, cum in eam Fonteius uenit. Cæteris.] Qui antea hoſtes fuerant. Vt ſemper popul. Rom. parerent.] Id eſt, ut imperio grauiore preſſi, & diuitijs magis attenuati parerent, nec repugnarẽt. Magnus equitatus.] Nam equitatu Gallia ſemper ualuiſſe credita eſt. Quæ in toto orbe terrarum.] Multis in locis tum populus Romanus bella gerebat: in Thracis cum Dardanis, in Aſia cum Mithridate, in Sicilia cum piratis, in Hiſpania cum Sertorio, in Italia cum fugitiuis. Ad eorum.] Equitum. Maximum frumenti numerum.] Numerum frumenti à Cicerone ſæpe dici alibi ſcribimus. Hiſpanienſe.] Quod cum Sertorio in Hiſpania gerebatur. Tolerandum.] Id eſt, ſuſtinendum. Imperauit equitatum, pecuniam & frumentum.] Id eſt, imperauit ut hæc Galli traderent. De hoc dicendi genere alibi ſcripſimus. Is hæc qui geſſit.] Indignitatem cauſæ oſtendit, quòd accuſatur is, qui de imperio Romano meritus optime ſit: quòd iudices non affuerint. ideóq; nihil præter auditum habeant, quòd accuſatores et teſtes reo irati maxime, infeſtiq; ſint. In re nõ interfuiſſetis.] Interfuiſſetis dici, attendendum eſt. nam rei intereſſe dici ſolet. Cicero in lib. Epiſtol. famil. 1. De omnibus rebus, quæ ad te pertinent, quid actum, quid conſtitutum ſit, quid Pompeius ſuſceperit, optime ex Emplatorio cognoſces: qui non ſolum interfuit his rebus, ſed etiam præfuit. itemq;: Quæ gerantur, accipies ex Pollione, qui omnibus negotijs non interfuit ſolum, ſed præfuit. Cum populus Roman.] Huic cauſæ populus Romanus fortaſſe affuit, propterea quòd nouũ quoddam bellũ Galli minarentur, ſi Fonteius abſolueretur. Cognoſcitis.] Id eſt, auditis. Cognoſcere hac in re dicuntur ij, qui de cauſa pronunciaturi & ſententiam dicturi ſunt. Quibus inuitiſſ. imperatum ſit.] Nam imperatus eſt equitatus, &c. Ex Cn. Pompeij decreto.] Paulo ante dixit, Gallos à ſenatu agris urbibusq; mulctatos: hic autem dicit, ex agris ex Pompeij decreto decedere iuſſos. Aut idem non eſt agris mulctare, & iubere ex agris decedere: aut hoc dici conijcere licet, quia Pompeius cum inter pacis cõditiones deuictis à ſe Gallis obiectas illud quoque adieciſſet, ut agris decederent, ſi id Senatus decreuerit. Nam pacem facere Pompeio ſine auctoritate Senatus non licebat. Gallos autem Romanis legionibus in Hiſpaniam intercludentes iter, Cn. Pompeius uicit: ut ait Cicero in oratione pro lege Manilia. Inermem. Quẽ armatum, cum prouinciæ præeſſet, metuebãt: eum inermem, poſtquam abijt magiſtratu, nihil metuunt. Quid coloni Narbonenſes?] Mos erat ueterum Roman. ut cum quis cauſam dicebat, qui prouinciam non omnino peſſime adminiſtrauerat, aut qui ex municipio eſſet, ex ea prouincia aut à propinquis ciuitatibus, aut à municipibus, legati Romã publice mitterẽtur, cũ laudatione eius qui reus eſſet, qui pro eiuſdem rei incolumitate deprecarentur. ut C. Verrem Mamertina ciuitas per legatos publice laudauit, auctore Cicerone actionibus 4. & 6. In Cn. Planci Attinatis cauſa, ex uicinis municipijs aderant Equites Romani publice cum legationis teſtimonio. Conijcere licet, à Narbonenſibus & Maſſilienſibus legatos publice miſſos ad hanc cauſam, cum Fonteij laudatione. Abſens orat.] Per legatos. Sua religio.] Id eſt, ſuum iuſiurandum, quo laudationem firmauerunt. Eſt autem laudatio, quod de laude alicuius ſcriptum eſt, hinc demõſtratiuæ orationes ſæpe uocantur laudationes. Ciuium Rom.] Qui in Gallia negotiantur. De imperio.] Nam cum imperio prætores quoque in prouincia erant. Ciuibus.] Qui in Gallia erant. Conſulere.] His enim non conſuletis, ſi Fonteium damnetis: nam poſthac cæteri ad imperandum ſegniores erunt, ut paulo poſt dicet. An his.] Gallis. Neque propter iracundiam fidem.] Iratis hominibus credendum non eſt. Ideo Cicero in lib. Tuſcul. quæſt. 4. Iratos, inquit, proprie dicimus exiſſe de poteſtate: id eſt, de conſilio, de ratione, de mente. Quintil. in lib. 6. hanc ob cauſam dicit bonum altercatorem uitio iracũdiæ carere debere. nullus enim, inquit, rationi magis obſtat affectus. Nec honorem.] Honos habetur teſtibus, cum uera dicere creduntur. is enim fides non abrogatur, nec de eorũ religione dubitatur. Ideo conuicij loco Ciceroni Clodius obiecit, quod eius contra ſe teſtimonio iudices non credidiſſent. Quid ſi maiorem, &c.] Homines honeſtiſſimos quos appellet, antea dixi. Maiorem.] Id eſt, multum magnam. Conſenſio.] Eadem multorum ſententia, conſenſio à Cicerone appellari ſolet. pro Rabirio: Vt nihil poſthac auctoritas Senatus, nihil conſulare imperium, nihil conſenſio bonorum cõtra peſtem ac perniciem ciuitatis ualeret. Itemq; paulo poſt: Agitur enim nihil aliud in hac cauſa Quirites, quàm ut nullum ſit poſthac in rep. publicum conſilium, nulla bonorum conſenſio contra improborum furorem & audaciam. In Catilinam oratione prima: Polliceor uobis hoc P. C. tantam in nobis Conſulibus fore diligentiã, tantam in uobis auctoritatem, tãtam in equitibus Romanis uirtutem, tantã in omnibus bonis conſeſionẽ ut Catilinæ profectione omnia patefacta, illuſtrata, oppreſſa, uindicata eſſe uideantur. In lib. Tuſcul. quæſt. 1. Omni autem in re cõſenſio omniũ gentiũ, lex naturæ putanda eſt. Omniũ.] Narbonenſium, Maſſilienſium, ciuium Roman. hominũ honeſtiſſimorum. In duabus Hiſpanijs.] Vlteriore & citeriore. Hyemauit.] Romani exercitus diſpoſitis præſidijs, in ſociorũ uel amicorũ populi Romani regionibus, aut in prouincijs hybernabat. Hyemare dicit, & pro lege Manilia hybernare: iam uero quemadmodum milites hybernẽt, quotidie ſermones ac literæ perferuntur. inde Hyberna: ut quæ æſtate fiunt, æſtiua, numero plurali à T. Liuio perſæpe dicuntur. Cõſcios.] Id eſt, qui uiderunt. Nam pluris eſt teſtis oculatus unus, ut ait Plautus, quàm auriti decem. nam qui audierunt, audita dicunt: qui uiderunt, planè ſciunt. Conſcius enim, quàmuis in malã partem ſæpe dicatur, ut conſciũ maleficij Cicero dicit pro A. Cluentio: in bonam partẽ nonnunquã dicitur, ut lib. Epiſt. ad Attic. 1. Qui mihi & in publica re ſocius, & in priuatis omnibus conſcius, et omniũ meorum ſermonum et conſiliorũ particeps. Quemadmodum cõſcientia inde facta, in bonam quoque partem à Cicerone dicitur, lib. Epiſt. famil. 5. Conſcientiam rectæ uoluntatis maximam conſolationem eſſe rerum incommodarum, nec eſſe ullum magnum malum præter culpam. Et lib. Tuſcul. quæſt. 2. Nullum theatrũ uirtuti conſcientia maius eſt. Auctor.] Teſtimonij ſcilicet. Vtemur eo laudatore.] Id eſt, laudabit Fonteium. Aliud per hoc iudicium.] Illud admonui, admonendumq; ſæpius eſt, quod facit Cic. ſæpiſſime: quod commodum aut incommodum, iudicibus aut ciuibus Reip. euenturum ſit, ſi hoc uel illo modo iudicetur. Oppreſſo.] Id eſt, damnato. Segniores.] Id eſt negligentiores & minus ſeueri. Eos oppugnari.] Intellectio eſt. ponitur enim pluralis pro ſingulari. ut: Nec perpeti meretricum contumelias. Quæſtum feciſſe.] Id eſt, pecuniam coegiſſe: et ut loquuntur, lucratum eſſe. ut pro Roſcio Comœdo, Quæſtus facere noluit. & pro P. Seſtio: Quod ille cum quaſi quæſtum faceret, amiſit. Ex uiarum munitione.] Cn. Domitius, qui cum Fabio Gallos deuicit, uiam in Gallia muniuit, quæ ab eo Domitia appellata eſt. Cum ea uetuſtate quaſſata eſſet, eamq; reficere è Rep. eſſet, M. Fonteius

C. Annio

C. Annio & Fonteio legatis negotium dedit, ut muniendæ uiæ præeſſent. Ii Gallis pro dignitate ſua cuiq; imperauerũt, ut munirent eam uiam. Accuſator dicit, Gallos Fonteio dediſſe pecuniã, alios, ne munirent: alios, quod à ſe munitum erat, ne Fonteius improbaret, quod bene ſatis munitũ non eſſet. Ob uacationẽ.] Id eſt, ob immunitatẽ, quod uidelicet Fonteius non cogeret munire. Vacationẽ muniendæ uiæ dicit, ut T. Liu. uacationẽ militiæ dicit li. 24. Nomina omniũ ex iuniorũ tabulis excerpſerũt, qui quadriẽnio nõ militaſſent, qbus neq; uacatio iuſtæ militiæ, neq; morbus cauſa fuiſſet. Idem lib. 23. uacationẽ à belli adminiſtratione dicit: De prætoribus quidẽ, qui ad dicendũ ius creati erant, uacatio à belli adminiſtratione data eſt. Immunis nemo.] Auctore Paulo iuriſc. lib. Digeſt. 50. tit. de uerb. & rerum ſignific. Munus aliquando onus ſignificat, quod cum remittitur, uacationem militiæ munerisq; præſtat: inde immunis appellatur. Optimis nominibus.] Optimis hominibus, in alijs codicibus ſcriptũ inuenio: quæ lectio magis placet. ut ſignificet, per optimos homines, id eſt, optimorũ hominũ teſtimonio. Niſi legere malis contra exemplorũ fidem, Optimis hominibus freti. Probare.] Id eſt, facere ut approbetis. Cum maioribus.] Narratio ſpecialis eſt. Ad Remp. pertineret.] Id eſt, Reip. utile eſſet. Negotium dedit.] Id eſt, onus impoſuit. ut T. Liu. lib. 3 M. Claudio clienti negotium dedit, ut uirginem in ſeruitutem aſſereret. Imponere onus in eadem re Cicero dicit, in oratione pro Domo ſua: Delegaui amico locupletiori, non quo illi ita de me merito onus illud imponerem: ſuccubuiſſem enim potius ipſe. Alicui dare negotium, eſt faceſſere negotium. Imperauerunt pro dignitate ſua quod uiſum eſt.] Mihi uidetur eſſe legẽdum, Imperauerunt pro dignitate ſua cuique: ad eam ſententiam, ut unicuiq; imperauerint, ut munirent quãtũ digni eſſent, ut opulentiores tenuioribus plus munirent. Et probauerunt.] Id eſt, hoc eorum factum probatum eſt. Ex literis ueſtris, quas ſcripſiſtis.] Id eſt, ex literis à Senatu ſcriptis. Iudices enim erant partim Senatores, partim Equites. Si antea non legiſtis.] Id eſt, ſi tum in Senatu non aderatis, cum ſcriberentur. Lege M.] Præconi Cicero dicit, ut M. Fonteij literas ad legatos, itemq; ad eum legatorum recitet. Hanc rationem.] Id eſt, hoc negotium. Cognoſcite nunc de crimine uinari.] Id eſt, de portorio uini exportandi gratia ſoluendo, quod à Fonteio conſtitutum in Gallia eſſe accuſator dicit. Cauſam repetundarum multiplicẽ eſſe Quintil. ſcribit. ea enim multa crimina continet, quæ cauſæ propria ſint. Illi.] Aduerſarij. Inuidioſiſſimum.] Id eſt, quo inuidia Fonteio cõflaretur maxima. Conſtitutum.] Id eſt, poſitum & explicatum. Portorium uini.] Id eſt, uectigal ex uino. Portorium eſt uectigal id, quod in portu exigitur, ex rerũ exportatione. Crodunum.] Multis in locis lectio hæc integra nõ eſt. Crodini tamen hic legendũ puto: ut ſit portus, uel urbs, in qua portus ſit nomen. Ternos Victoriatus.] Auctore Plin. cap. 3 lib. 33. qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percuſſus eſt. antea enim hic numus ex Illyrico aduectus, mercis loco habebatur. eſt autem ſignatus Victoria, & inde nomen. Erat autem hic nũmus (ut ex Plin. conijcere licet) argenteus, cui octaua æris portio mixta erat. ut bigati & quadrigati, eodem auctore argentei erant, quorum notæ fuerunt bigæ et quadrigæ. T. Liu. apud quem crebra Bigatorũ & Quadrigatorũ memoria eſt, lib. 36. Bigatũ argentũ dicit: M. inquit, Fuluius Nobilior, qui biennio ante prætor in Hiſpaniã profectus eſt, ouãs urbẽ eſt ingreſſus argẽti bigati præ ſe tulit CXXX millia. Qua autem forma Victoriati, Bigati, et Quadrigati, à uictoria, bigis, & quadrigis appellantur: nõ indocte mihi uidentur dicere, qui aureos nummos appellant ſcutatos, quorum ſcutũ nota eſt: regios uulgo appellãt. qui item ſolatos dicunt, quos uulgus: eorũ enim nota ſolet eſſe. Seuere Vmbinos.] Hunc locũ emendate legi non arbitror.

Cobiamacho.] Id eſt, ex Cobiamacho. Neq; Toloſam.] Sed potius ad hoſtem. Portarent.] Nauibus uel equis: de quo uerbo diximus pro lege Manilia. Vectigal impoſitum.] Imponere uectigal ita uſitatum uulgo quoque eſt, ut uectigalia noua appellent impoſitiones. Alibi quoque id Cicero dixit, ut in oratione contra Rullum in Senatu: Iubet eoſdem Decemuiros omnibus agris publicis pergrande uectigal imponere. Itemq;. Excipit in uectigali imponendo agrum Recentoricum, Sicilienſem. Imponere leges, id eſt: conditiones, idẽ dicit pro Cornelio Balbo: Non fœdus ſibi nobiſcum, ſed iniquiſſimas leges impoſitas à nobis eſſe arbitrabuntur. Idem imponere iniurias, id eſt, facere, dixit Act. in Verr. 6. Quibus tu priuatim iniurias contumeliasq; impoſuiſti, quo in oppido multas familias in perpetuũ infames tuis ſtupris flagitijsq; feciſti. Imponere plagam, pro eo quod eſt facere. Idem dixit pro P. Seſtio: Ego uero ſi mihi uni pereundum fuiſſet, ac modo accipiẽda plaga mihi inſanabilis, illa mortifera, quam Reipublicæ impoſuiſſet, ſemel perire tamen iudices maluiſſem, quàm bis uincere. Fructibus noſtris.] Qui ſunt in Gallia. Ex his enim ſolum rebus, quæ exportabantur, portorium exigi ſolebat. Ratione iſta.] Iſto modo. Pecuniam cogi.] Id eſt, colligi. pro C. Rabirio poſthumo. At ex hoc ipſo crimen exoritur. Ait enim, dum Gabinio pecuniam Poſthumus cogeret ex decumis imperatorum, pecuniam ſibi coegiſſe. Inde coactores, qui colligunt pecuniam, dicuntur. Idem pro eodem: Non intelligo hoc quale ſit, utrum acceſſionem decumæ, ut noſtri facere coactores ſolent, centeſima, an deceſſionem de ſumma fecerit. Cogere pecuniam ab aliquo ſæpe idem dicit. In Verrem Actione 4. Huius ego pecuniæ iudices, quæ permagna eſt, impudentiſſimeq; coacta ab inuitis, non habui rationem. Act. 5. Demonſtrat hanc iſtius conſuetudinem ac rationem fuiſſe, cum omnis frumenti copia Decumanorum nomine, penes iſtum eſſet redacta, ſolitum eſſe iſtum pecuniam cogere à ciuitatibus. In eadem: Deinde à ciuitatibus pecunias ad emendum frumentum cogere. Cogere Senatum, iudices, medicos, milites, dicimus. Et inuidiam.] Et ciuium Romanorum, & aliorum. Nam ut ait Cicero in 1. de offic. Improbantur ij quæſtus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum & fœneratorum. Occupare.] Id eſt, præuenire & afficere. Vt difficilis aditus ueritati relinquatur.] Id eſt: ut difficile ſit ijs qui audiunt, audire uelle ueritatem: quia iam male perſuaſi ſunt. At hoc crimẽ Galli negant. Actio uerum, & ius argumentorum coargui poteſt.] Hæc coniuncta ſunt cum ijs, quæ hoc loco deſiderantur. itaque intellectus nullus inde elici poteſt. Non credere.] Tum demum iudices teſtibus credere uidentur, cum ſecũdum eorũ teſtimonium ferũt iudicium. Cupidis.] Lædendi reum ſcilicet. ut apud Quintil. libro 5. Si habet teſtem cupidum lædẽdi, cauere debet hoc ipſum, ne cupiditas eius appareat. Coniuratis.] Id eſt, qui ſimul in Fonteij calamitatem coniurauerunt: ideoq; nouũ quoddam bellum Gallicum minantur, ſi Fonteius abſoluatur. Ab religione remotis.] Id eſt, qui iureiurando nullo obligari ſe putent, qui lucati teſtes iuſiurandum facile uiolent. Hic li ceret mihi oſtendere, Gallos illos ueteres Romanis fuiſſe religioni, quæ tum erat, propinquiores: & multam Romanorum in omnes reges nationesq; perfidiam, cum aperto pectore Galli gererent omnia: niſi ſcirem Ciceronem hoc idee dicere, ut ſuo quaſi theatro ſeruiret, qui hoc putet facile perſuaſum iri iudicibus, qui Gallis irati erant. eos enim metuebant maxime: & quem metuunt, oderunt, ut ait Ennius. Si quid Galli dicunt.] Vulgo noſtris etiam theologis perſuaſum eſt, iudicem debere ſententiam dicere ſecundum allegata & probata: quamuis rem eſſe aliter ſciat. Contra uulgatam hanc perſuaſionem Cicero oſtendit, in ſapientia & conſilio iudicis, non in teſtimonijs conſtitutam eſſe debere iudicandi æquitatem.

Ea de re hic generalem quæſtionem acute coplosé́q; tractat. Quid æquo quæſitore.] In cauſis publicis præter iudices adhibebantur prætor & quæſitor. Quæſitor autem criminis eius, de quo erat cauſa, quæſtionem exercebat. eſtq; proprie criminaliũ quæſtionum, ut apud Verg lib. 6. Quæſitor Minos urnã mouet. Vt L. Caſſius uir ſũmæ ſeueritatis, quoties quæſitor alicuius iudicij erat, in quo quæreretur, de homine occiſo, ſuadebat, atque etiam præibat iudicibus ut quæreretur, cui bono fuiſſet perire eum, cuius de morte quæreretur. Is autem quæſitor pop. Romani ſuffragio creabatur: auctor eſt Aſconius Pæd. in Comment. in Actionem 1. in Verrem, & in orationem pro Milone. Accuſatoris officium eſt, ut ait auctor Rhetoricorum ad Herennium, inferre crimina defenſoris, diluere & propulſare: Teſtis eſt, dicere quæ ſcierit: Quæſitoris eſt unũquenq; horũ in officio ſuo cõtinere. Nõ ſtulto.] Id eſt, perito & ingenioſo. Eſt autẽ diminutio, ut in lib. de Orat. 2. Hic quantũ ſit mali, ſi iratũ, ſi non ſtultum, ſi non leuem teſtem laſeris? Habet enim & uoluntatẽ nocendi in iracundia & uim in ingenio, & pondus in uita. Dicunt enim Galli, negare non poſſumus.] Hæc proponit Cicero, tãquã à iudicibus dicatur. Negare.] Nõ credere, & ſecundũ id nõ iudicare. Credendũ ſit.] Et ſecundum teſtimonia iudicandũ. Salus ipſa uirorũ fortium innocentiã tueri non poteſt.] Legendum ita arbitror, Salutem ipſa uirorũ fortium innocentia tueri non poteſt. Nam ſalutem innocentia, non innocentiam ſalus tuetur. Momentoq; ſuo põderandã.] Id eſt, ponderibus ſuis examinandam: hoc eſt, diligenter inſpiciendam. Næ:] Id eſt, certe. Teſtis.] Contra me productus. Teſtes enim interrogabant, & qui producebant, & contra quos producebãtur. His, quàm illis, teſtium: interrogatio difficilior eſt. Hi enim raro unquam poſſunt ante iudicium ſcire, quid teſtis dicturus ſit. Qui uero producit teſtẽ, eum domi ante examinare potuit. Et ſæpe etiam nõ interrogandus.] Quintil. lib. 5. de patroni officio in teſte interrogando ſcribens, ſi prudens et conſtãs ſit, eum uel tanquã inimicum & peruicacẽ ſtatim dimittendũ: uel nõ interrogatione, ſed breui interlocutione patroni refutandum: aut aliquo, ſi cõtinget, urbane dicto refrigerandũ dicit. Ad dicendum.] Teſtimonium. Data.] Interrogatione. Cupio.] Id eſt, qui lædendi reum cupidus ſit. Auctoritas attributa.] Cũ teſtẽ contra nos productũ interrogamus, ideo interrogamus, & quòd eũ cõtra nos nihil dicturum, aut certe aliqua ex parte ſententiam mutaturum ſperemus: ſi uero perſeueret, auctoritatem eius teſtimonio quodãmodo tribuimus. Eandem rem.] In teſtibus interrogandis ſcilicet. Eá quæ ſunt ex officio iudicis, in teſtiũ interrogatione, opponit ijs, quæ ſunt ex officio oratoris. Præſcriptum lege.] Id eſt, definitũ & conſtitutum lege. Alius alio iudice.] Id eſt, unus iudex alio. Promiſcue & communiter, &c.] Id eſt, ita bene audit ſtultus, ut ſapiens. Religioſo.] Id eſt, iurato. Coniectura et cogitatione trahuntur.] Id eſt coniiciunt cito iudices & cogitant. Trahere enim celeritatem quandam ſignificat. Ideoq; id uerbum, ad exprimendam uim naturæ congruit: qua quæ fiunt, celerius fiunt, quàm ea quæ arte. Plin. lib. 20. Atque ut à ſublimioribus recedamus, ferrum ad ſe trahente magnete. Cicero in 1. de Offic. Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis ſcientiæq; cupiditatem. Arripere in eadem re idem pro Milone dicit: Eſt, inquit, hæc iudices non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: uerũ ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam nõ docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Vel Trahuntur, id eſt, accipiũtur. ut trahere fortunã dicit in oratione Antequam iret in exilium: Vos ut tutam tranquillamq; fortunã traheretis, mea perfeci diligentia. Quanta auctoritate.] Id eſt, quanta anteactæ uitæ integritate. unde auctoritas, ut Quintil. ait, naſcitur. Auctoritatem, animi æquitatem, pudorem, & ceteria. In teſtibus ineſſe oportere ſignificat. De ſtudio exiſtimationis bonæ paulo poſt dicet. Cn. & Q. Cæpionibus.] Hæc exempla ſunt apud Val. Max. lib. 8. tit. de Teſtib. Cn. & Q. Seruilij Cæpiones iiſdem parentib. nati, per omnes honorũ gradus ad Conſulatũ prouecti ſunt. L. item & Q. Metelli Conſulares fuerunt, eorumq; alter fuit triumphalis. Hi Q. Pompeium Auſidiũ repetundarũ reũ teſtimonio ſuo opprimere fruſtra conati ſunt. Q. Pompeius non contemptus orator temporibus illis fuit, qui ſummos honores homo per ſe cognitus, ſine ulla commẽdatione maiorum eſt adeptus: auctor eſt Cicero de Claris orat. Ciuibus iniurati.] Id eſt Senatoris. Senatores enim iniurati ſententiã dicebant. M. autem Scaurus ex obſcura uita, obſcuriore genere ortus, nouus homo, et ut dicitur, terræ filius, ab ipſa fortuna ſublatus, Senatus princeps factus eſt: auctor eſt Plutarch. de Fortuna Rom. Hũc principẽ ciuitatis & Senatus appellat Cic. in lib. de Orat. 2. Hic Scaurus ita patricius fuit, ut tribus ſupra eũ ætatibus domus eius fortuna iacuerit. Nam neq; pater, neq; auus, neq; etiã proauus, propter tenues opes, & nullã uitæ induſtriã honores adepti ſunt. Auctor eſt Pædianus in Scaurum. Iurati.] Id eſt, teſtis. Neq; in C. Fimbriã, etc.] Valer. lib. 8. C. Flauiũ, non C. Fimbriã dicit. Mẽmiũ enim & Flauium eadem lege accuſatos repetundarũ ſcribit. Huius Scauri teſtimonio in C. Norbanũ creditum nõ fuiſſe, Cicero quoq; ſcribit, in lib. de Orat. 2. C. Fimbria pater fuit M. Marij Gratidiani, ut ait Cic. de Claris orat. Quo eodem in libro hunc cũ uirtute, tum etiam ipſo orationis genere liberũ, cuius orationes puerũ ſe legiſſe dicit. Ei in dicendo neruos fuiſſe, idẽ libro de Orat. 2. ſcribit. Hũc fuiſſe uirũ Conſularẽ, idem ſcribit pro C. Rabirio; & de Offic. lib. 3. C. Memmiũ.] Is eſt, ut arbitror, quẽ L. Craſſus apud Ciceronem lib. de Orat. 2. ita magnũ ſibi uideri dicit, ut in forũ deſcendens caput ad fornicem Fabij demitteret: quẽ candidatũ conſulatus, Saturninus Trib. pl. ideo iuſſit occidi, quòd eũ actionibus ſuis aduerſariũ metueret: ut ait T. Liuius lib. 69. Quæſtus in L. Craſſo.] Is eſt Craſſus, quem in libris de Orat. ad Q. fratrem Cicero facit diſputantem, per quem, ut per Socratem Plato, ſententiam ſuam ſignificat. Is adoleſcens admodũ ex accuſatione C. Carbonis hominis eloquentiſſimi, ſummam ingenij non laudem modo, ſed etiam admirationẽ eſt conſecutus: ut ait Cicero de Claris orat. ubi plura de huius cõmendatione ſcribit. Hũc in foro tantum excelluiſſe Val. ſcribit, quantum in Senatu Aemylium Scaurum. Probare] Id eſt, facere ut iudices probarent. In M. Marcellum.] Hic M. Marcellus promptus, & ad dicendum non inexercitatus fuit, ut ait Cicero de Claris orat. Hunc adoleſcentulum dicendi ſtudijs maxime deditũ fuiſſe, idem ſcribit lib. de Orat. 1. Fuit fuit.] Hæc conduplicatio ad uim augẽdã ualet plurimũ. ut in Catilinã inuectiua 1. Fuit fuit illa iſta quódam in hac Rep. uirtus, ut uiri fortes acrioribus ſupplicijs ciuem pernicioſiſſimum, quàm acerbiſſimum hoſtem coercerent. Quid fictum.] Ab accuſatore, uel teſte. Quid fortuna ac tempore allatum.] Quamuis naturalis fauor ſit pro laborantibus, ſunt tamen aliqui homines ita inhumani, ita à natura alieni, ut miſeros homines canum more inſequantur: qui omnino quieuiſſent, niſi ea affuiſſet miſeria. Itaque Cicero pro Cn. Plancio, multos eſſe dicit communes reorum omnium inimicos. Ex illo loco.] Id eſt, à teſtibus. Ex oraculo aliquo.] Id eſt, ueriſſime, tanquam ſi diuino aliquo oraculo dictũ eſt, Huic muneri atque officio.] Iudicandi ſcilicet. Illi equites Rom.] Equites Rom. tum iudicabant. T. enim Sempronius Gracchus legem tulerat, ut Equites Rom. iudicarent. Iudicauerũt annos propè 50 cõtinuos. deinde uictor Sylla legẽ tulerat, ut ſenatorius ordo iudicaret: et iudicauit per annos 10. poſtremo M. Aurelius Cotta Prætor legem tulit, ut Senatores, Equites, et Tribuni ærarij ſimul iudicarẽt: auctores ſunt Cicero actione in C. Verrẽ 20. et Aſconius Pædian. Iudicijsq;

maxi-

maximis.] Id eſt, publicis. Floruerũt.] Eos enim Equites ſine ulla ſuſpicione acceptæ ob rem iudicandam pecuniæ iudicaſſe, Cicero in Verrem dicit: quamuis ſint qui contra ſentiant, ut paulo poſt dicemus. Habuerunt tantum animi, &c.] Id eſt, tam magnanimi fuerunt. Belgarũ.] Belgas à Celtis Matrona & Sequana diuidit, qui Gallorum omniũ fortiſſimi ſunt, ut ait Cæſar lib. Comment. 1. Hi autem uel à Belgio oppido, cuius idẽ lib. 5. meminit; uel à Beligro quodã eorũ rege appellati ſunt. de quo eorũ rege apud Beroſum eſt. In Gallia Belgica Treuiri Rheno fluminí proximi ſunt. Treuirorũ princeps Indutiomarus erat, ut antẽ, ut in hac oratione Cicero ſignificat, Romã uenit, ut diceret teſtimonium contra M. Fonteiũ. Sed cũ poſtea dicat Indutiomarum Allobrogum ducem eſſe, atque ab Allobrogibus Belgæ diſiuncti ſint maxime, Gallicarum rerum et regionum Cicero peritus omnino fuiſſe non uidetur. Eſt argumẽtum à maiori ad minus: Si M. Scauri teſtimonio Equites illi non crediderũt, multo minus Belgis et Allobrogibus credere debetis. Si inimico teſti.] Libro Pãdectarũ 20. titulo de teſtibus Caliſtratus teſtem eum qui inimicus ſit, ei aduerſus quem teſtimonium dicturus ſit, admittendum negat. Inimicior Marcello Craſſus.] A' minori ad maius argumentum eſt. Nam creditum non eſt Craſſi teſtimonio in Marcellum, inter quos leues inimicitiæ interceſſerunt, cum inter Gallos et Fonteium ſint grauiſſimæ. Obtrectatione domeſtica.] Id eſt, inuidia quadam & domeſticæ gloriæ eleuatione. Qui optima in cauſa ſunt.] Id eſt, qui ſunt meliores, qui melius parẽt pop. Romano. Equites, frumentũ, pecuniam, &c.] Id ante dixit. Si qui ob aliquod emolumentum.] Idem Calliſtratus, ad dicendum teſtimonium negat admittendum eum, qui lucri cauſa dicturus ſit. Credo maius emolumentum.] A' minore ad maius itidem argumentum eſt. Credo autem in huiuſmodi ironia interrogatiua à Cicerone dici ſepius, aliàs præcepimus. Obtrectatorem.] Id eſt, æmulum. Calamitate.] Id eſt, damnatione. Si homines ipſos ſpectare.] Id eſt, teſtes pro Fonteio & contra Fonteium inter ſe comparare. Scribit Quint. lib. 5. quando ab accuſatore & patrono producunt teſtes, ut ſequatur quæſtio, ex his utri ſint meliores: ex cauſa, utri magis credibilia dixerint: ex litigatoribus, utri gratia magis ualuerint. Mouetur eo timore.] Qui ſit teſtium timor, paulo poſt dicit Cic. Et religionis.] Quia teſtes iurati ſunt. Ea.] exiſtimatio. Quæ comperta habemus, quæ ipſi uidimus.] Ideoq; certo ſcimus. De exiſtimatione ſua deperderet.] Qui teſtimonium dicit, certa habere debet eã quæ dicat. Incerta autem Indutiomarus quæ diceret alijs uideri putaret, ſi arbitrari ſe diceret: quòd in eo uerbo aliquid dubitationis ſubeſſe uideatur. Itaque ſcire ſe omnia dixit. Tam cupide.] Putabat Indutiomarus uideri ſe cupide & temere dicere teſtimonium, ſi ſe arbitrari diceret, quod uidelicet tam cupide diceret, ut etiam quæ ſibi certa non eſſent, diceret. A' dijs immortalibus pacem. Auctore Platone in Timæo, omnes qui mẽtis quoquomodo compotes ſunt, in operis cuiuslibet uel magni uel parui principio deũ inuocare ſolent. Idẽ ad Dionis propinquos ſcribit, omnib. in rebus et dicẽdis et cogitãdis principiũ ſemper à Deo ſaciẽdũ. Romæ quoq; apud antiquos, ut lib. 2. Valerius tradit, non ſolũ publice, ſed etiã priuatim nihil gerebatur, niſi auſpicio prius ſumpto. Bella quoq; ſine auſpicijs geri ſolita nõ eſſe, ſatis notum eſt. Pacẽ ac ueniã petunt.] Id eſt, beneuolentiã propitiationem, fauorem, auxilium. ut pro C. Rabirio: Quæ cum ita ſint, primũ quod in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumq; omniũ fieri neceſſe eſt, ab Ioue Opt. Max. cæteriſq; dijs deabuſq; immortalibus, quorũ ope & auxilio multo magis hæc Reſp. quàm ratione hominũ et conſilio gubernatur, pacem ac ueniã peto; precorq; ab his hodiernũ diẽ & ad huius ſalutem conſeruandã, et ad Remp. conſtituendã illuxiſſe patiantur. Aliquando eorum alterũ tantũ ponitur. utrunque enim in eadẽ re dicitur, T. Liu. lib. 3. Iuſſi cũ cõiugibus ac liberis ſupplicatũ ire, pacemq; expoſcere deum. Virg. lib. Aen. 3. Cecidere animi: nec iam amplius armis, Sed uotis precibuſq; iubent expoſcere pacẽ: Siue deæ, ſeu ſint diræ obſcœnæq; uolucres. Idẽ in eod. Hic Helenus cæſis primum de more iuuencis, Exorat pacẽ diuum. Idem lib. 4. principio delubra adeunt, pacemq; per aras Exquirunt, mactant lectas de more bidentes. Apud eundẽ lib. 10. Venus ad Iouem: Si ſine pace tua, atque inuito numine Troes, Italiam petiere, luant peccata. Veniã pro pace in hac re dictã, proprie uerbũ eſſe pontificale (unde, Tu modo poſce deos ueniã. & paulo poſt: Pacemq; per aras Exquirũt) Seruius ſcribit, enarrans locũ illũ ex lib. Aen. 1. Cuncti nã lecti nauibus ibant, Orantes ueniam, & templum clamore petebant. Virg. lib. Aeneid. 4. Extremã hanc oro ueniã, miſerere ſororis. Idq; de hominibus quoq; dicitur, quibus pax de dijs in hac re præcipue dicatur, Et idem lib. 10. Vnum hoc, per ſi qua eſt uictis uenia hoſtibus, oro, Corpus humo patiare tegi. Idẽ in lib. Georg. 4. utrunque poſuit: Tu munera ſupplex Tende, petens pacem, & faciles uenerare Napæas, Namq; dabunt ueniam uotis, iraſq; remittent. Pacem, beneficium et beneuolentiã Seruius exponit, in his locis ferè omnibus. Inde arbitror profectũ ut Cicero alijq; ſæpe dicant, pace tua, & uenia tua, & T. Liuius lib. 38. Pace deum, tanquam ſit, cum beneuolentia tua dixerim. Nã etiam cũ pace, et cum uenia dicitur. Tam longe ab ſuis ſedibus.] Delphi in medio uniuerſæ Græciæ et totius orbis terrarum eſſe quodammodo uidentur. Ideo terræ umbilicũ appellabant ueteres. Scripſit Pindarus, aquilas duas eodẽ tempore ab Ioue dimiſſas, alterã ab oriente, alterã ab occidẽte, ſibiq; hoc loco factas eſſe obuias. Eratq; in templo Apollinis ſuſpẽſus quidã umbilicus, cui duæ aquilæ incumbebant: auctor eſt Strabo lib. 9. Delphos uſque ad Apollinẽ Pythium.] Templum Apollinis Delphicum fuiſſe opulẽtiſſimum, theſauroſq; ibi à populis & regibus collocatos fuiſſe, idem Strabo eodem libro ſcribit. Galli ſpe prædæ allecti, Delphos uenerunt. Eorum dux Brenus Apollinis tẽplum ingreſſus, dei uoluntate in ſe manus uertit: ut ait Valerius Maximus lib. 1. titulo de Neglecta religione. Obſeſſum Capitolium eſt.] Vrbem Romam à Gallis Senonibus captam, & Capitolium obſeſſum fuiſſe, magis notum eſt, quàm ut ſcribẽdũ ſit. Quòd autem Gallos uituperat Cicero, quòd Capitolium, in quo Iouis tẽplũ erat, obſederunt: uideat quàm late genus hoc uituperationis ad Romanos pertineat, qui nulla etiam iniuria laceſſiti urbes infinitas non modo obſederunt, ſed etiam diripuerũt, in quibus aliquid fuiſſe religionis credendũ eſt. Nulla enim gens tam fera, nemo omniũ eſt tam immanis, cuius mentem non imbuerit deorum religio: ut ait Cicero Tuſcul. quæſt. 1. Ille Iupiter.] Capitolinus ſcilicet. Cuius nomine maiores noſtri.] Iudices et teſtes in leges iurare ſolitos, apud Aſconiũ Pædianum eſt. Magiſtratus quoque plus quinq; dies, niſi qui iuraſſet in leges, non licebat gerere: ut ait T. Liuius lib. 31. Hic tamen dicit Cicero, morem ueterum fuiſſe, ut per Iouem teſtes iurarẽt. Auctore A. Gell. lib. 1. Iuſiurandum per Iouem lapideum, habitum eſt ſanctiſſimum. Lapidem ſilicem, ut ait Sex. Põpeius, tenebãt iuraturi per Iouẽ, hoc uerba dicentes: Si ſciens fallo, tum me Dieſpiter ſalua urbe arceq; bonis eijciat, ut ego hunc lapidem. Sanctam teſtimoniorum fidem,] Deam Fidem coluerunt Romani, quam in Capitolio uicinam Iouis Opt. Max. eſſe uoluerunt, quã Iouis iuſiurandũ Ennius appellat: ut ait Cicero lib. de Offic. 3. Si quando aliquo metu adducti.] C. Cæſare lib. Comment. de bello Gallico 6. Gallos laudat, quo nomine Cicero hoc loco uituperat: Natio eſt, inquit, Gallorũ omniũ admodum dedita religionibus, atq; ob eã causam, q̃ ſunt affecti grauiorib. morbis, quiq; in prælijs piculiſq; uerſantur, aut pro uictimis homines immolant, aut ſe immolaturos uouẽt, adminiſtriq; ad ea ſacrificia Druidibus utũtur, quod pro uita hominis, niſi uita ho

minis reddatur, non poſſe deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceq; eiuſdem generis habent inſtituta ſacrificia. Alij immani magnitudine ſimulachra habent, quorum contexta uiminibus membra uiuis hominibus complent. quibus ſuccenſis circumuenti flamma exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto, aut in latrocinio, aut in aliqua noxa ſunt deprehenſi, gratiora dijs immortalibus eſſe arbitrantur. Sed cum eius generis copia defecit, etiam ad innocentium ſupplicia deſcendunt. Euſebius in lib. de Euangel. preparat. 4. multos enumerat, qui homines dijs immolare ſoliti ſunt: ut Heliopolitanos, Chios, Arabes. Præterea eodem auctore, Scythæ aduenas omnes Dianæ, Syri in Laodicea uirginem Palladi, Salaminij hominem Diomedi, Arcades Pani Lyceo, Lacedemonij Marti, Cretenſes Ioui, Romani Ioui Latiali, Pelaſgi & Aborigines in Italia Ioui, atque Apollini: Itali, Rhodij, Phœnices, Curetes, Carthaginenſes, & Galli, Saturno: omnes Græci, antequam ad bella exirent, hominem mactabant. Aliquo metu.] Cum ægrotarent, aut periclitarentur. Funeſtant.] Id eſt, funere & cæde polluunt. Romani ueteres pollutum exiſtimabant eum qui mortuum uidiſſet: ut apud Virg. in lib. Aen. 6. Teolanus eos qui in Miſeni funere fuerant, Corynæus pura circumtulit unda Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ, Luſtrauitq; uiros. Auctore Seruio lib. 3. ramum cupreſſi Romæ ante domũ funeſtam ponebãt, ne quis Põtifex per ignorãtiã ingreſſus pollueretur. Eſt autem funeſta domus, in qua quis mortuus ſit, ideoq; polluta. T. Liuius lib. 2. Aegrius quàm dignum erat tulere Valerij neceſſarij, dedicationem tam inclyti templi Horatio dari. Id omnibus modis impedire conati, poſteaquam alia fruſtra tentata erant, poſtem iam tenenti Conſuli, fœdum inter precationem deũ nuncium incutiunt, mortuum eius filium eſſe, funeſtaq; familia dedicare eum templum nõ poſſe. Idem funeſtum bellum aſperum & mortiferum lib. 35. appellat: Dum integra omnia eſſent, uerbis potius de dijs, quæ ambigerentur, diſceptarẽt, quàm Aſiã Europamq; ad funeſtum armarent bellum. Fatum funeſtum Cicero dicit, in oratione pro M. Marcello: Omnes, inquit, qui ad illa arma fato ſumus neſcio quo Reip. miſero funeſtoq; compulſi, et ſi aliqua culpa tenemur erroris humani, à ſcelere certe liberati ſumus. Inde funeſtare idem quoque dicit, pro C. Rabirio: Funeſtari concionem contagione carnificis ueto. Vſque ad hanc diem.] Euſebius lib. de Euangelica præparatione 4. ſcribit hominum immolationes Imperatoris Adriani temporibus ubique fere ceſſaſſe. Quali fide, quali pietate.] Ex repugnantibus enthymema eſt. Cum his uos teſtibus, &c.] Id eſt, cum horum teſtium iureiurando ueſtrum iuſiurandum coniungetis? An ſecundum hos teſtes uos iurati ſententiam feretis? Vt cum omnes legati.] Ab indecenti arguit. Omnes equites Romani.] Id eſt, publicani. Negociatores.] Id eſt, ciues Romani, qui in Gallia negotiabantur. Qui ſunt ſocij.] Vt Maſſilienſes. Iurati.] Nam teſtes ſunt. Publice laudant.] Hi enim à ſuis legati miſſi ſunt, cum publica Fonteij laudatione. Grauior igitur.] A' repugnantibus arguit. Mercenarios.] Mercenarij dicuntur ij, qui mercedis cauſa aliquid faciunt, quibus utimur ad operam exigendam & iuſta præbenda: ut ait Cicero in lib. de Offic. 1. Quo eodem in lib. auctore, illiberales et ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum opera, non quorum artes emuntur. eſt enim in illis ipſa merces auctoramentum ſeruitutis. Eſt igitur mercenarius, qui aliquid cauſa quæſtus facit: ut mercenarius, miles, comes, teſtis, patronus. T. Liuius lib. 24. Id modo eius anni in Hiſpania ad memoriam inſigne eſt, quod mercenarium militem caſtris neminem, antequam tum Celtiberos Romani habuere. Cicero in oratione in L. Piſonem: Tribuit ſe mercenarium comitem Regi Alexandrino. Idem lib. Epiſt. famil. 3. De mercenarijs teſtibus à ſuis ciuitatibus notandis, niſi iã aliquid factũ eſt per Flaccũ, fiet à me, cũ per Aſiam decedam. Salluſtius in Cic. Homo leuiſſimus, ſupplex inimicis, amicis contumelioſus: modo harum, modo illarũ partium, nemini fidus, leuiſſimus ſenator, mercenarius patronus. Numarios iudices Cicero pro A. Cluentio in eadem ferè re dicit, eos qui ob rem iudicãdam pecuniam acceperint: id eſt, corruptos. Varia, inquit, iudicum genera, numarij pauci, ſed omnes irati. Contra, gratuitus dicitur is qui aliquid gratis facit. Inde gratuito, pro gratis dicitur. Cicero libro de Offic. 2. Diſerti igitur hominis et facile laborantis, quodq; in patrijs eſt moribus multorum cauſas non grauate, ſed gratuito defendentis, beneficia & patrocinia late patent. Inſitas inimicitias.] Id eſt, naturales, tanquam natura inſitas & ingeneratas: ab inſerendo. ut in actione in C. Verrem 5. Ita ſerpit illud inſitum in natura malum conſuetudine peccandi libera, finem ut audaciæ ſtatuere ipſe ſibi non poſſit. Inſitũ item, ut ait Sex. Pompeius, aliquando ſignificat impoſitum, in ea re dicitur à Salluſtio contra Ciceronẽ: Atque in hoc ordine ita moderatur, quaſi unus reliquus ex familia uiri clariſſimi Scipionis Africani, ac nõ repertitius, accitus. Et paulo poſt, Ante inſitus huic urbi ciuis. Sagatos.] Sagum, ut ait Nonius Marcellus, ueſtimentum militare eſt. ideoq; Romani in tumultu ſaga ſumebãt, quæ finito metu deponebãt. Vt in belli Italici initio eos ſumpſiſſe, poſtea Samnitibus à L. Cæſare uictis poſuiſſe, T. Liu. lib. 72. et 73. ſcribit. Inde ſagulũ per diminutionẽ dicitur. Morẽ Gallorũ fuiſſe, ut ſagula uirgata gererẽt, hyeme quidem craſſiora, æſtate ſubtilia, Diodorus Siculus lib. 6. auctor eſt. Virg. Aeneid. 8. de Gallis: Virgatis lucent ſagulis. Virgata Seruius appellari dicit, quòd haberent in uirgarũ modũ deductas uias. Braccatoiq;.] Autore Diodoro Siculo libro 6. Galli ueſtes intonſas & coloris uarij ad terrorem ferunt, quas illi uocãt brachas. Sed præter Gallos brachis alios quoque uſos fuiſſe, ne ignores. Ouid. lib. Triſtiũ 5. de Getis: Pellibus, & laxis arcent mala frigora brachis, Oraq; ſunt longis horrida tecta comis. Itemq;: Hos quoq; qui geniti Graia creduntur ab urbe, Pro patrio cultu Perſica bracha tegit. Eſt igitur bracha, ſiue ueſtis, intonſa, uarij coloris, qua utitur ad frigora propulſanda. Huiuſmodi ueſtium uſus nautis frequens eſt. Affecti iniurijs.] A' prætore uel conſule. Ad opem iudicum.] Cũ accuſant repetundarũ. Atque immani terrore uerborum.] Qui utuntur ſermone cultiore, ijs incultus ſermo & barbarus formidabilis uidetur. Cum præciperent, ut caueretis.] Oratorũ morẽ eſſe diximus, ut oſtenderẽt, niſi hoc uel illo modo iudicetur, quorũ res euentura ſit. Si M. Fõteiũ.] Argumentũ à fictione eſt. Si M Fonteiũ iudices in cauſa deficerent omnia.] Id eſt, ſi omnia Fonteio deeſſent, ſi contra eum eſſent omnia, ſi nihil pro ſe haberet quo ſe tuearetur. Deficere cum caſu accuſatiuo, pro deeſſe et deſtruere ſæpe dicitur, ut pro Sex. Roſcio: Hæc tu Eruci tot & tanta ſi nactus eſſes in reo, quamdiu diceret? quo te modo iactares? tẽpus Hercule te citius, quàm oratio deficeret. Idem pro M. Cælio: Dies iam me deficeret, ſi quæ dici in eam ſententiam poſſunt, coner exprimere. Coniunctis.] In codice alio manu ſcripto, lego Conuictus: quæ lectio mihi uidetur melior, ut ſit ſententia: Si Fonteius uirorum bonorum teſtimonijs conuictus turpi adoleſcentia, uita infami, &c. Nam conuictus ſceleris, ſcelere, & de ſcelere dicitur. Legationibus.] Quas in Macedonia & in Hiſpania eum obiſſe, ex his quæ poſtea dicit conijcere licet. Contemnendi.] Id eſt, non metuendi. Qui maxime gloria & laude ducuntur.] Ciuiũ igitur ignominia erit, ſi uos minis Gallorum permoti, Fonteium damnaueritis. In ſententijs ferendis.] Iudex ferre ſententiam, Senator dicere ſententiam, uſitatius dicitur. Hoſti cedere.] Id eſt, hoſtis uolũtati obtemperare, & Gallorũ libidini M. Fonteiũ dedere. Quod autem in codicibus alijs, credere ſcriptum ſit, ea lectio aſpernanda non eſt. Nam ſæpe antea dixit, credere teſtimonijs, pro eo quod eſt ſecundum teſtimonia

nia

nia iudicare. Cum autem in Fonteij cauſa Galli ipſi teſtes ſint, quos Fonteij inimicos antea dixit, Credere hoſti legi poteſt. Magna me Hercule.] Ex Fonteij damnatione quid euenturum ſit oſtendit: ideo abſoluendum potius oſtendit. Id Ciceronē facere ſolitum, ante præcepimus. Cum autem Gallica bella Romanis eſſent formidabilia, metuebat Cicero ne metu belli, quod Galli minabantur, permoti iudices Fonteium damnarent. Ignominia ſuſcipiatur.] Vt hic ſuſcipere ignominiam, ita alibi dicit ſuſcipere dolorem, gemitum, fraudem. Libro de Finibus bonorum & malorum primo: Dolores ſuſcipiantur maiorum dolorum effugiendorum gratia. In Vatinium teſtem: Vt quicunque te aſpexiſſet, duplicem dolorem gemitumq́; ſuſciperet. In Lucium Piſonem: Quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? Id mea ſententia, quod accidere nemini poteſt niſi nocenti, ſuſcepta fraus, impedita & oppreſſa mens, conſcientia, bonorum omnium odium, nota iuſti ſenatus, amiſſio dignitatis. Suſcipere crimen, non idem quod ſuſcipere ignominiam. Id enim Cicero pro C. Rabirio dicit, pro eo quod eſt, alienum factum crimini datum ſibi tribuere: & ut uulgo dicunt, capere culpam ſuper ſe. Arguis, inquit, occiſum eſſe à C. Rabirio L. Saturninum. & id C. Rabirius multorum teſtimonijs Q. Hortenſio copioſiſſime defendente, antea falſum eſſe docuit. Ego autem ſi mihi eſſet integrum, ſuſciperem hoc crimen, agnoſcerem, confiterer. In eadem re cauſam ſuſcipere idem dicit, pro rege Deiotaro: Hieras quidem cauſam omnem ſuſcipit, & criminibus illis pro Rege ſe ſupponit reum. Suſcipere in ſe facinus, idem dicit pro A. Cluentio, pro eo quod eſt committere: Quo tādem, inquit, Habitus metu adductus, tantum in ſe facinus ſuſcipere conatus eſt? Senatum Equiteſq́;.] Nam iudices erant Senatores & Equites. Ad illorum libidinem.] Id eſt, uoluntatem. nam ab eo quod libet, libido dicitur. Ea quamuis in mala re ferè ſemper dicatur, tamen in re honeſta dicit Salluſtius in Catilina: Magiſq́; in decoris armis & militaribus equis, quàm in ſcortis atque conuiuijs libidinem habebant. Ita uero.] Vero, auctore Donato in Commenta. in Eunuchum Terentij, ironiæ conuenit. Hæc autem ironica uidētur, quæ de Mario, Domitio, Maximo excitandis ab inferis, quæ de Pletorio & Fabio orandis dicit. Excitandus ab inferis.] Id eſt, in uitam reuocandus, & ut uulgo dicunt, reſuſcitandus. Qua in re perſæpe dicitur: ut in Catilinam lib. 2. In tantum æs alienum inciderunt, ut ſi ſalui eſſe uelint, Sylla ſit ijs ab inferis excitandus. Pro Milone: Si is, inquā, potuiſſet ut quæſtionem de morte P. Clodij ferre, ſic ipſum ab inferis excitare. In oratione Poſt reditum in Senatu: Vt haberet in conſilio & fratrem ab inferis, ſocium rerum mearum, & omneis Metellos præſtantiſſimos ciues penè ex Acheronte excitatos. Nam quæ iacent, excitare doctis dici, alio loco ſcribimus. Vulgus dicit, facere ſurgere, ut excitare feras, lectores, teſtes, cōſuetudinem, Rempub. afflictā. Cicero dicit in lib. de Officijs 3. Sunt ne igitur inſidiæ, tendere plagas, etiamſi excitaturus nō ſis, nec exagitaturus? ipſæ enim feræ nullo inſequente ſæpe incidunt. In lib. de Orat. 2. Cum enim Brutus duos lectores excitaſſet. Pro Cn. Plancio: Quem iudicem ex illis aut tacitū teſtē haberes, aut uero etiā excitares? In foro iudiciali lectores & teſtes ſtabant: cum aliquid legebant, aut teſtimoniū dicebant: alioqui ſedebant in ſubſelijs. Pro P. Seſtio: Excitauit illam ſuam non ſolutam, ſed ſuſpicione aliqua retardatam conſuetudinem Reip. bene gerendæ. Itemq́;: Vno aſpectu intueri poteſtis eos qui cum Senatu, cum bonis omnibus Rempublicam afflictam excitarint, et latrocinio domeſtico liberarint. Idē in eadem oratione excitare ſuſpicionē pro facere dicit. Atque hanc ſuſpicionē alij literis mittēdis, alij nuncijs, alij corām ipſi excitauerunt. C. Marius.] Qui Cimbros, Teuthonos, Tigurinos, & Ambrones deuicit, quos Germanos & Gallos fuiſſe, Eutrop. lib. 5. ſcribit. Appianus Illyrico, Cimbros dicit fuiſſe Celtas Gallos. Hos igitur fuiſſe Gallos nonnulli putauerunt, quorū hic ſententiam ſecutus Cicero eſt. In belligerando.] Belligerare latinos ueteres dixiſſe, illud Ennij apud Ciceronē in primo de Officijs: Non cauponantes bellū, ſed belligerantes: Significat. Ne tamen hāc uocem uſu indignā, quòd antiqua ſit, putes, Cicero tibi hoc loco documento ſit. Itemq́; in oratione Poſt reditū ad Quirites: Nobis quaſi aliqua fatali neceſſitate, non ſolū cum ijs qui hæc delere uoluiſſent, ſed etiam cum fortuna belligerandū fuit. Rhetoricorū ad Herennium auctor libro 4. ea uoce uſus eſt: Socij noſtri cum belligerare nobiſcum uellent, profecto ratiocinati eſſent etiam atque etiam quid poſſent facere. Bellitur, pro bellat, antiquo more Vergilium libro 12. in hac ſignificatione dixiſſe, Priſcianus lib. 8. ſcribit: Pictis bellantur Amazones armis. Excitandus C.N. Domitius.] Paulo poſt bellū Numantinū, & nō multo ante bellum Iugurthinū, Allobroges & Aruerni Teutomalium Salluuiorum regem à C. Seſtio Proconſule uictum exceperunt, eumq́; omni ope iuuerunt. ijdem Heduorum pop. Rom. ſociorum agros incurſionibus uaſtauerunt. Ea cauſa fuit cur populus Rom. cum his bellum ſuſceperit: qui à Cn. Domitio Proconſule, et à Fabio Maximo Coſ. uicti ſunt. Sunt qui putent duo bella fuiſſe: prius Allobrogicum à Domitio, poſterius Aruernicū à Fabio confectum. Sed cum Fabius à deuictis Allobrogibus, Allobrogicus cognominatus ſit, id permagnū argumentum eſt, Allobrogicum bellū ab eo perfectum. De hoc bello idem nō ſcripſerūt L. Florus lib. Epiſt. 3. T. Liuius lib. 61. & Eutropius lib. 4. In quo etiam ſcribit, Bituitum regem Aruernorū CCLXXX. armatorum millia habentem, ideoq́; Romanorum paucitatem cōtemnentem, uix ad eſcam canibus, quos in agmine habebat, eos ſufficere poſſe iactaſſe. Auctore L. Floro, Bituitus in triūpho ductus eſt, armis diſcoloribus, et argenteo carpento, qualis pugnauerat. Et maximus.] Q. Fabius Maximus, Pauli Aemilij nepos. Pauli enim filiorum alter in Scipionū, alter in Fabiorum familiam adoptatus eſt. Suos nouos clientes.] In hac enim cauſa Gallorum patronus erat, quorum cauſa Fonteium accuſabat. Cliens ad patronum refertur, patronus eſt qui defendit. In cauſis repetundarum qui accuſat, is defendit eos, qui uexati ſunt. ut de Siculis, quos Verres populatus erat Cicero in Diuinatione: Qui, inquit, nunc populati atq; uexati, cūcti ad me publice ſæpe uenerūt: ut ſuarum fortunarum omnium cauſam defenſionemq́; ſuſciperem. Itemq́;: Veniſſe tempus aiebant, nō iam ut commoda ſua, ſed ut uitam ſalutemq́; prouinciæ defenderem. Item non multo poſt: Quo in negotio tamen illa me res iudices cōſolatur, quòd hæc quæ uidetur eſſe accuſatio mea, nō potius accuſatio quā defenſio eſt exiſtimāda. Defendo enim multos mortales, multas ciuitates, prouinciā Siciliam totā. Quamobrem ſi mihi unus eſt accuſandus, propemodū manere inſtituto meo uideor, & non omnino à defendendis hominibus ſubleuandiſq́; diſcedere. Deprecetur.] Id eſt, precando auertat. De hoc uerbo Gellius & Valla ſcripſerunt. M. Fabium.] Is fortaſſe eſt, quem Q. Fabium Sangam appellat Saluſt. in bello Catilinæ, cuius patrocinio uſos plurimum Allobroges dicit. Nam auctore Cicerone in 1. de Officijs, qui ciuitates aut nationes deuictas bello in fidem cepiſſent, earum patroni erant more maiorum. Id patrocinium à poſteris quoque ſuſceptum eſſe multis teſtimonijs comprobatum eſt. Nec obſtat, quod diuerſis prænominibus appellent. Nam in prænominibus inter ſcriptores non ſemper conuenit. Cn. Saturnium T. Liuius L. Saturnium Cicero, eundem appellant: quem Cn. Domitium paulo ante appellauit, eundem Sex. Domitium Eutropius appellat. Subſcriptorem.] Subſcriptor, ut ait Aſconius Pædianus, eſt qui accuſatorem adiuuat: qui etiam adhibetur, ut non facile corrumpatur accuſator. Tendere.] Id eſt, oſtendere. Quod ſi in turpi reo.] Argumentum à fictione eſt. Turpi.] Id eſt, nocenti & flagitioſo. Cauſa duabus

actionibus perorata.] Repetundarum cauſæ ſæpius agi poterant, ut in Verrem multæ Ciceronis actiones ſunt. Ne maledictum quidem.] Crimina rei uitæ ante actæ multum habent momenti, ut id crimen quod cauſæ proprium eſt, de quo pronunciaturi ſunt iudices, credibile ſit. Itaque in omnibus ferè cauſis huiuſmodi crimina accuſator proferre ſolebat. Hanc partem in accuſatione eſſe debere grauiſſimam, tamq; frequentem in cauſis eſſe ſolitam, Cicero pro L. Murena dicit, ut accuſatoria quædam lex habeatur. Hæc anteactæ uitæ crimina, quæ cauſæ propria non ſunt, appellari maledicta, Cicero ſcribit pro M. Celio. Eius autem uerba ſunt: Quod obiectum eſt de pudicitia, quodq; omnium accuſatorum non criminibus, ſed uocibus maledictisq; celebratum eſt, id unquam tam acerbe feret M. Celius, ut eum peniteat non deformem eſſe natum. Sunt etenim iſta maledicta peruulgata in omnes, quorum in adoleſcentia forma & ſpecies fuit liberalis. Sed aliud eſt maledicere, aliud accuſare. Accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ne notet, argumento probet, teſte confirmet. Maledictio autem nihil habet propoſiti, præter contumeliam. quæ ſi petulantius iactatur, conuitium: ſi facetius, urbanitas nominatur. Quibus uerbis ſignificat maledicta ea eſſe crimina uitæ anteactæ, ab accuſatore obiecta, ſed quæ cauſæ propria non ſint: quæ conuitia ſpeciali uocabulo appellantur, ſi petulantius iactata ſunt. In eadem ſententia Quintilianus eſt libro ſeptimo: Satius eſt, inquit, omni ſe ante actæ uitæ abſtinere conuitio. quàm leuibus, aut friuolis, aut manifeſto falſis reum inceſſere. quia fides cæteris detrahitur: et qui nihil obijcit, omiſiſſe credi poteſt maledicta, tanquam ſuperuacua. In hac uitæ ratione.] Id eſt, in adminiſtranda prouincia. In honoribus.] Id eſt, in magiſtratibus. In poteſtatibus.] Id eſt, in magiſtratibus gerendis. Poteſtas enim pro magiſtratu dicitur, ut Tribunitia poteſtas dici ſolet: ut à Cicerone pro P. Seſtio dicitur extraordinaria poteſtas, quæ alicui extra ordinẽ cõmittitur. Poteſtas, ut ait Paul. lib. Pandect. 50 titulo, De uerborũ & rerũ ſignificationibus plura ſignificat. In perſona magiſtratuũ, imperiũ: in perſona liberorum, patriam poteſtatem: in perſona ſerui, dominium. In imperijs.] Id eſt, in magiſtratibus imperium habentibus: quales ſunt, Dictatura, Conſulatus, & Prætura. M. Aemilium Scaurum.] Is eſt, cuius antea Cicero meminit, cuius ob recentem memoriam Scaurus filius repetundarum reus abſolutus eſt: ut ait Val. Max. lib. 8. de iudicijs præter ſpem. A' M. Bruto.] M. Brutus cum tanto nomine eſſet, patremq; optimum uirum habuiſſet, et iuris peritiſſimum, accuſationem tamen factitauit, ut Athenis Lycurgus. Is magiſtratus non petiuit, ſed fuit accuſator uehemens et moleſtus, ut facile cerneres naturale quoddã ſtirpis bonum degeneraſſe ſtudio deprauatæ uolũtatis: auctor eſt Cicero lib. de Claris oratoribus. Eiuſdem de eodẽ illa ſunt uerba in lib. de Officijs 2. Duri eſt hominis, uel potius uix hominis uidetur, periculum capitis inferre multis. Id cũ periculoſum ipſũ eſt, tum etiam ſordidum ad famam, committere, ut accuſator temere nominetur: quod contigit in Bruto, ſummo genere nato, illius filio qui iuris ciuilis in primis peritus fuit. Quod multa.] M. Aquilius uir conſularis, qui Imperator fuerat, qui ouans, in Capitolium aſcenderat, repetundarũ accuſatus, à M. Antonio defenſus eſt: quem ſordidatũ, afflictum, debilitatum, mœrẽtem, in ſummum diſcrimen adductum reum excitauit, eiuſq; tunicam diſcidit: & ut Ciceronis uerbo utar, deloricauit à pectore, & iudicibus cicatrices aduerſas imperatoris oſtendit. auctor eſt Cicero de Oratore 2. Idem in oratione pro L. Flacco: M. inquit, Aquilium patres noſtri multis auaritiæ criminibus teſtimonijsq; cõfictũ, quia cũ fugitiuis fortiter bellũ geſſerat, iudicio liberauerunt. T. Liuius lib. 70. et Quintil. lib. 2. de hoc eodem ſcripſerunt. Hunc accuſauit P. Lentulus, is qui princeps Senatus fuit ſubſcriptore C. Rutilio Ruffo: ut ait Cicero in Diuinatione.

Quàm multo L. Cotta.] P. Scipio Africanus minor, poſtea quã bis conſul & cenſor fuerat, L. Cottam in iudicium uocauit: ut eodem in loco ſcribit Cicero. Huius cauſa quãuis criminibus grauiſſimis cõfoſſa eſſet, ſepties tamẽ ampliata eſt, et ad ultimũ octauo iudicio abſoluta: ut ait Valerius lib 8. de iudicijs. Denique P. Rutil.] P. Rutilius uir ſummæ innocẽtiæ, legatus C. Marij Proconſulis, à publicanorum iniurijs Aſiã defenderat: ob id ordini equeſtri, penes quem iudicia erãt, inuiſus fuit. nam publicani erant ex equeſtri ordine. Is igitur ab equitibus damnatus repetũdarum, in exiliũ abijt: auctor eſt T. Liu. lib 70. Inter uiros optimos.] Rutilius, auctore Valerio, non ſæculi ſui modo, ſed omnis antiquitatis uir fuit optimus. Vt opinio mea fert.] C. Gracchus præſtantiſſimo ingenio, & flagranti ſtudio, & doctus à puero fuit: quo nemo plenior, & ad dicẽdũ uberior fuit. Cuius immaturo interitu res Romanæ, latinæq; literæ damnũ fecerunt. Grãdis eſt uerbis, ſapiens ſentẽtijs, genere toto grauis: Manus extrema nõ acceſſit operibus eius, præclare inchoata multa, perfecta non planè: auctor eſt Cic. de Clar. orator. quem legendum, ſi quiſquam alius legendus, iuuentuti cenſet. Non enim ſolum acuere, ſed etiã alere ingeniũ poteſt. Huius eloquẽtia paſſim à Cicerone, ab A. Gellio, & à Plutarcho in eius uita commendatur. Solus tamen frugi nominaretur.] Frugalitas à fruge appellata eſt, qua nihil melius è terra oritur. Ea fortitudinẽ, iuſtitiã, prudentiã, temperantiam complexa eſt. Quòd niſi eo nomine uirtutes oẽs continerentur, nunquã illud ita peruulgatũ eſſet, ut iam prouerbij locum obtineret, Hominẽ frugi omnia recte facere. Frugalitas niſi tanta eſſet, & ſi ijs anguſtijs, quibus plerique putant, teneretur, nunquam eſſet L. Piſonis cognomen tantopere laudatum: auctor eſt Cicero in libro Tuſc. quæſt. 3. & 4. Sed auctore Quintiliano libro primo, cum M. Celius ſe eſſe hominem frugi uult probare, non quia abſtinens ſit (nam id ne mentiri quidem poterat:) ſed quia utilis multis, id eſt, fructuoſus ſit, dicit: unde dicta eſt frugalitas. Frugi pleriſque uidetur eſſe dictio indeclinabilis. quidã figurate datiuũ eſſe putant, ut ſit homo frugi, id eſt. ad frugem: ut ait Priſc lib. 4. qui idem in libro quinto inclinari dicit, huic frugi, hac frugem, ab hoc fruge. Nam uetuſtiſſimi, inquit, frux & fruges nominatiuum protulerunt. Viatores, ut ait Sex. Pompeius, ſunt ij, qui magiſtratibus apparẽt: dicti, quod antiquitus, cum agri in propinquo urbis erant, atq; aſſidue homines ruſticabãtur, crebrior opera eorũ in uia erat: quàm in urbe: & quòd homines per eos ex agris plerũque uocabãtur à magiſtratibus, eratq; eorũ ab agris ad urbem uia frequens. Id autẽ factum eſt uocabulũ, quia uiare pro ire dixerunt ueteres. In omnibus uitæ partibus.] Id eſt, in tota uita. Temperantem.] Temperans, ſed temperatior, et temperatiſſimus, dici ſolent. Dedi inimiciſſimis nationibus.] Id eſt, ad Gallorũ minas & uoluntatem damnari. In monumentis rerum geſtarũ.] Id eſt: in annalibus. Quemadmodũ auctore Aſconio Pædiano, Marcellus is qui naufragio ad Africam perijt paulo ante cæptum Punicum bellum tertium, cũ ſtatuas ſibi patriq; & auo poneret, in monimentis aui ſui ad honoris et uirtutis decorem ſubſcripſit: Hi Marcelli nouies Conſules, auus quinquies, pater ſemel. Itaque neque mentitus eſt et apud imperitiores patris ui ſplendorem auxit familiæ ſuæ, uel in ſtatuis. Videte igitur.] Concluſio eſt, per commiſerationem. Tũ.] Id eſt, deinde. Continuæ præturæ.] Quas proauus, auus, pater, ordine geſſerunt, nec tamen Cõſules facti ſunt. Recens memoria parẽtis.] Auctore Quintiliano libro ſexto; reum beneficia maiorum commendant. Quo Cicero atque Aſinius certatim uſi ſunt pro Scauro, patre hic, ille pro filio. Aſculanorum manus.] Cum ſumma cupiditate ciuitatis Romanæ Italici populi tenerentur, ob idq; magna pars eorum pro ciuibus Romanis ſe gereret, P. Licinius Craſſus & Q. Mutius Scæuola Conſules, tulerunt legem de redigundis in ſua

ciuitate

ciuitate ſocijs : ſcilicet, ut in ſuæ quiſque ciuitatis ius redigerentur. Verum ea lege ita alienati ſunt animi principum Italicorum populorum, ut ea uel maxima cauſa fuerit belli Italici, quod poſt triennium exortum eſt. Non multo poſt M. Liuius Druſus trib. pl. Italicos ſpe ciuitatis illexit. Cum promiſſa Italicis ciuitas præſtari nõ poſſet, irati Italici defectionem agitauere. Omne Latium, Picenum, Etruria, Campania, omnis denique Italia contra Romanos coniurauit. Initio belli à Picentibus orto, Aſculi in ipſa ludorum frequentia Seruius Sulpitius Prætor & M. Fonteius Legatus occiſi ſunt. Propterea in exitu belli, Aſculum Pompeij uirtute captum, euerſum eſt. Auctores ſunt Aſconius, Velleius, L. Florus, & T. Liuius. Eſt autem Aſculum, nobiliſſima Piceni colonia : ut ait Plinius lib. 3. Sociale bellum. ] Ab alijs ſociale, ab alijs Italicum bellum appellatum eſt, quod cum ſocijs & Italicis geſtum ſit. Imbutum. ] Id eſt, infectum & inquinatum. Huius enim ſceleris, id eſt, legati occiſi macula totum bellum ſociale contaminatum eſt. Imbuere enim eſt, primam tincturam dare, uel madefacere. Imbuere, ut ait Seruius, proprie eſt initiare & inchoare. Inde imbutum literis & moribus dicimus, pro inſtituto. Cicero in primo de Offic. Plerunque aũt parentum præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem moremq́; deducimur. Idem in Philippica 10. Nos ita à maioribus inſtituti atque imbuti ſumus, ut omnia cõſilia atq; facta ad uirtutem atq; dignitatem referamus. In mala quoque re id uerbum uſurpamus. nam imbuere ſcelere, odio, ueneno, ſanguine, crudelitate dicimus. Cicero pro Milone: Milonem nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritũ, nulla conſcientia exanimatũ Romã reuertiſſe. Idem pro Domo ſua ad Pontifices: Qui parietibus, qui tectis, qui columnis ac poſtibus meis horrificũ quoddã & nefarium omni imbutum odio bellum intuliſtis. Titus Liuius Libro 4. Impigrum iuuenem, etiã inde ab incunabulis imbutum odio Trib. pleb. Salluſt. in Catilina: Auaritia pecuniæ ſtudiũ habet, quam nemo ſapiens concupiuit. ea quaſi uenenis malis imbuta, corpus animumq́; uirilem effœminat. Cicero pro Milone: Eadem nunc crebro uſurpatur, poſteaquã latronis & parricidæ ſanguine imbuta eſt. Idem Philippica 14. Imbuti ſanguine gladij P. C. legionũ exercituumq́; noſtrorum, uel madefacti potius duorũ Conſulum, 3. Cæſaris prælio. Idem Philippica 5. Cum autem ſemel gladium ſcelere imbuiſſet, nulla res ei finem cædẽdi, niſi defatigatio & ſacietas attuliſſet. Idem Philipp. 3. Hac ille crudelitate imbutus, cum multo bonis omnibus ueniret iratior, quàm illis fuerat, quos trucidarat. Cum ſummi conſilij. ] Illa in bono Imperatore neceſſaria ſunt, conſilium, uirtus, & exercitatio. Exercitus. ] Exercitum hic, lib. Epiſt. ad Atticum 14 exercitatum appellat: quæ uox uſitatior eſt. Hæc, inquit, conſcripſi apud Veſtorium, hominem remotum à dialecticis, in arithmeticis ſatis exercitatum. Idem contra inexercitatum dicit in lib. Tuſcul. quæſt. 2. Adduc pari animo inexercitatum militem, mulier uidebitur. Et paulo poſt: Videmus ex acie efferri ſæpe ſaucios, & quidem rudem illum & inexercitatũ, quamuis leui ictu ploratus turpiſſimos edere. At uero ille exercitatus & uetus, ob eamq́; rem fortior, medicũ modo requirit à quo obligetur. Quod non eſtis. ] Fiduciam & ſecuritatẽ cauſæ tollit Cicero: quæ iudicibus odioſa ſunt, ne iudicibus ipſe præſcribere uideatur, quàm laturi ſententiã ſint.

Vt ex eo genere homines. ] Cum pauci Romæ ciues bellicoſi ſint, qui exercitus poſſint ducere, Fonteium ad dubia Reip. tempora reſeruandum ſuadet. Virtus. ] Id eſt, fortitudo. Fortitudinem in periculis, induſtriam in agendo, & felicitatem in re militari in imperatore eſſe debere, Cicero pro lege Manilia ſcribit. Talium uirorum. ] Id eſt, bellicoſorum: qualis Fonteius eſt. Studijs militaribus apud iuuentutem obſoletis. ] Id eſt, iuuenibus rem militarem contemnentibus, ideoq́; in ea ſe nihil exercentibus. Quantum huiuſmodi exercitatio ualeat, Vegetius lib. 1. Qualis militum in bello exercitatio ſit, indeq́; exercitum appellatum: Cicero ſcribit lib. Tuſcul. diſputationum 2.

Apud iuuentutem. ] Id eſt, apud milites. Alibi enim ſcribimus, iuuenes eſſe ab anno ætatis 17. ad 46. quo tempore ad rem militarem aptus ſit. inde iuuenes pro militibus, à Latinis ſæpe dici. Obſoletis. ] Id eſt, antiquatis, deſitis, & neglectis. Obſoleo, ut ait Priſcianus lib. 9. ab obs, & oleo: ſicut obſcænos ab obs, & canendo, uel cœno: uel ἀπὸ τοῦ κοινός. unde & inquino. Obſoleſcere res proprie dicimus, quæ propter antiquitatem male oleant, uel ſordes contrahant, uel inquinentur. ut in oratione pro P. Seſtio de uirtute: Quæ, inquit, in tempeſtate quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, atq; hæret in patria, ſplendetq́; per ſeſe ſemper, neq; alienis unquã ſordibus obſoleſcit. Obſoletus ueſtitus eſt, ſordibus uel antiquitate, uel negligentia. Cicero in Rullum ad Quirites: Iam deſignatus, alio uultu, alio uocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabitur, ueſtitu obſoletiore, corpore inculto & horrido. Obſoleta crimina, uetuſta & antiqua idem appellat. Act. in C. Verrem. 7. non uult pop. Rom. obſoletis criminibus accuſari Verrem, noua poſtulat, inaudita deſiderat. Summis ducibus. ] Id eſt, optimis Imperatoribus. Aetate. ] Id eſt, ſenectute. Ciuitatis diſcordijs. ] Id eſt, bellis ciuilibus, Syllæ & Marij, Cinnæ & Octauij, Lepidi & Catuli. Recordamini. ] Bellum Italicũ annos tres durauit, quo in bello Romani uiri clariſſimi interierunt, Conſules L. Iulius Cæſar, C. Cæſaris oratoris frater, P. Rutilius eius collega, & L. Porcius Cato collega Pompeij: Legati, Q. Cæpio, A. Poſthumius Albinus, Sulpitius, A. Gabinius auctores ſunt Aſconius, Velleius, & T. Liuius. Imperatoribus autem legatos dari, ex oratione pro lege Manilia ſatis cognitum eſt. Quos Cn. Pompeius. ] Hic eſt Cn. Pompeius Strabo, Cn. Pompeij Magni pater. M. Cornutum, &c. ] Hi tres legati erant prætorij. De Sylla tantum legi, quod in hoc bello legatus fuerit, quodq́; anno ante Prætura functus ſit. Id autem Velleius ſcribit. Præterea C. Marium, &c. ] Solum ex his C. Marium T. Liuius nominat, qui fuit legatus P. Rutilij.

Non literis homines. ] In omni ferè diſciplinæ genere illud contingit, ut ea quæ uſu & exercitatione percipiuntur, certiora ſint ijs, quæ literis & præceptoribus diſcuntur. itaque Cicero pro L. Manilia, cum probat Cn. Pompeium rei militaris eſſe ſcientiſſimum, docet eum cum militando, tum ſæpiſſime imperando hanc diſciplinam percepiſſe: Cuius, inquit, adoleſcentia, ad ſcientiam rei militaris, non alienis præceptis, ſed ſuis imperijs: non offenſionibus belli, ſed uictorijs: non ſtipendijs, ſed triũphis eſt tradita. Hos igitur Conſulum legatos militaris diſciplinæ fuiſſe peritiſſimos ſignificat, qui iã omnes interciderunt. Age inferte. ] Putauit Laurentius Valla, age ſingularem numerũ, agite pluralem deſiderare. Verum apud Ciceronem, Age cum imperatiuo numeri pluralis adiunctum ſæpe inuenias. ut pro Lege Manil. Age uero, cæteris in rebus quali ſit temperantia conſiderate. Item pro Milone: Age nunc iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis conſiderate. Illud addamus, quod contra multorum opinionem eſt, Agite iungi etiam cum prima numeri pluralis. Verg. lib. Aen. 5. Ergo agite, & cuncti lætum celebremus honorem. & lib. 7. Quare agite, & primo læti cum lumine ſolis, Quæ loca, qui ſe habeant homines, ubi mœnia gentis, Veſtigemus. Inferre oculos in curiam. ] Senatus enim conſilio bella ſuſcipiebantur. Nihil. ] Id eſt, nullum bellum. Ad labores belli impigrum. ] Illa in Imperatore eſſe debere, Cicero ſcribit pro lege Manilia: laborem in negotijs, induſtriam in agendo, fortitudinem in periculis, rei militaris ſcientiam, conſilium in prouidendo, & felicitatem. At infeſtis prope ſignis. ] Quia Galli Fonteium inſtanter urgenterq́; perſequebantur, Cicero metuebat, ne horum metu Fonteius damnaretur: ideo in concluſione quoque obiectionem propoſitam di-

luit: Galliq; Fonteium opprimere conantibus opponit Macedones, Hiſpanos, Maſſilienſes, Narbonenſes, ciues Romanos, Galliæ publicanos, agricolas pecuniarios, qui uolũt Fonteiũ abſolui.

Infeſtis propè ſignis.] Metaphora eſt, in qua hic diutius perſiſtit. Infeſtus, ut ex Nigidio ſcribit A. Gellius, is eſt, qui inſtat alicui eumq; properans urget, opprimereq; eũ ſtudet feſtinatq;: idq; à feſtinando dicitur. Paſſi ſe quoque idem uerbum dicitur. Firmis præſidijs.] Id eſt ualidis. Firma enim præſidia Cicero, ut firmas nuptias Terẽtius, appellare ſolet. Manu Fonteij.] Quod Fonteius in Macedonia & in Hiſpania bellum geſſerit, nuſquam legi. A' Thracum aduentu.] Thraces Macedoniam ſæpe populati ſunt. Religione.] Id eſt, iureiurando & teſtimonio. Se in his terris collocatam.] Maſſiliam Phocenſium coloniam eſſe, Strabo lib. 4. auctor eſt.

Ne quid noſtris hominibus.] Maſſilia quantum pop. Rom. utilis fuerit, ante diximus. Vt maiorum iura moreſq;.] Sexagenarijs, ſacerdotibusq; nullam iure ciuili Romanorũ fuiſſe immunitatẽ in bello Gallico, quæ alijs in bellis conceſſa erat, alio loco ſcribimus. Omnes igitur ciues Rom. etiam ſenes & ſacerdotes, Fonteij ſalutem defendunt. Præſcribunt.] Id eſt, definiunt & conſtituunt. Nemo eſt ciuis.] Nemo pro eo quod eſt nullus, perſæpe dicitur, ut ante diximus: ſed quoniam legentibus hæc ſe paſſim offerunt, pauca exempla proferam. Cicero in lib. Tuſcul. quæſtio. 2. Spartæ uero pueri ad aram ſic uerberibus afficiuntur, ut multis è uiſceribus ſanguis exeat, nõnunquam etiam, ut cum ibi eſſem, audiebam, ad necem, quorũ nõ modo nemo exclamauit unquam, ſed ne ingemuit quidem. Idem pro L. Flacco: Quòd ſi Flacco Prætore, nemo in mari prædo fuiſſet, tamen huius diligentia reprehendenda non eſſet. Idẽ in oratione Poſt reditum in Senatu: Fecit quod nemo unquam tyrannus. Inde illud eſt, ꝙ ſæpe Ciceroni, ſæpius Terentio dicitur: Nemo homo eſt. Inde quoque illud Verg. eſt lib. Aeneid. 9. Turne quod optandi diuum promittere nemo Auderet, uoluenda dies en attulit ultro. Excuſatione.] Immunitatis ſcilicet. Auxiliorum noſtrorum.] Quibus Fonteiũ tueamur. In rei bellicæ tranſlatione perſiſtit, ut per auxilia Macedones, Hiſpanos, Maſſilienſes ſignificet. Auxilia enim dicuntur milites ij, qui à ſocijs, uel à fœderatis gentibus mittuntur: ut eſt apud Vegetium lib 2. Nam de matris hunc complexu.] Auctore Quintil. lib. 6 in commouenda iudicum miſericordia plurimũ momenti habent liberi, parentes, cæteriq; propinqui. Id pro L. Murena Cicero abunde tractat. Sed quod huic loco non omnino diſſimile eſt, paucis perſtringamus. Si Murenam, inquit, ſententijs ueſtris afflixeritis; quo ſe miſer uertet? an ad matrem? quæ miſera, modo Conſulem oſculata filium ſuum, nunc cruciatur, & ſollicita eſt, ne eundem paulo poſt ſpoliatum omni dignitate conſpiciat. An in Galliam? quo animo C. Murenam fratrem ſuum aſpiciet? quis huius dolor? quis illius mœror erit? quæ utriuſque lamentatio eſt! &c. Hanc autem Fonteij matrem, eiusq; ſororem Fõteiam Veſtalem, in foro iudiciali præſentem adfuiſſe, ne intelligas. Pudor enim matronalis atque uirginalis, eas carere publico cogebat. In forum iudiciale pudica fœmina uenire nõ ſolebat. Hinc Cicero pro M. Cœlio, Clodiá mente neſcio qua effrenata atq; præcipiti in forũ deferri, iudiciũq; uoluiſſe, dicit. Iure quoq; ciuili (ut illud addamus) cautum eſt, ne mulier in foro poſtulet: id eſt, cauſam agat. auctore Vlpiano lib. Pandectarum 3. titulo de poſtulando prætoris edictum, fœminas prohibet pro alijs poſtulare, ne cõtra pudicitiam ſexui congruentẽ alienis cauſis ſe immiſceãt, nec uirilibus officijs fungantur mulieres. Origo autem introducta eſt, à Calphurnia improbiſſima fœmina: quæ inuerecunde poſtulans, & magiſtratum inquietans, cauſam huic dedit edicto. Atque haud ſcio an hæc Calphurnia ſit ea, quæ apud Valerium libro 8. titul. de Mulieribus cauſidicis, C. Afrania appellatur. quæ in agendis cauſis impudentia ita abundabat, ut pro crimine improbis fœminarũ moribus C. Afraniæ nomen obijceretur. Fuit enim facile, ut in alterutro propter magnam literarum ſimilitudinem nomẽ corrumperetur. Virgo Veſtalis] Fonteia. Germanum fratrem.] Mutato ordine fratrem germanum alibi Cicero dicit. Actione in Verrem 3. Dixit C. Fannius eques Romanus, frater germanus Q. Titinij, iudicis tui, tibi ſe pecuniã dediſſe. Pro M. Cœlio: Vicinũ eius mulieris miraris male audiſſe, cuius frater germanus ſermones iniquorum eff gere non potuit? Germanus autẽ additur, quod frater patruelis dicatur, de quo alio loco ſcripſimus: quodq; ſororis maritus dicatur frater. ut Cicero pro domo ſua, & de reſponſis Aruſpicum, Q. Metellum P. Clodij fratrem appellat, ꝙ ei Clodia nupſiſſet. Donatus exponens illud Terentij ex Andria, Siue in germani fratris dilexi loco: germanum fratrem magis quã fratrem eſſe oſtendit. Nõ fratris, inquit, ſolum: ſed etiam germani. Fidem.] Id eſt, opem, & auxilium. in qua ſignificatione dicitur in illa quoque exclamatione comica, Dij ueſtram fidem. Tot annos.] Veſtalis uirgo primis annis decem diſcebat, alteris miniſtra erat, ultimis docebat: poſt hos, triginta annos ei nubere licebat. auctor eſt Plutarchus in uita Numæ Pompilij. Id dijs immortalibus placandis.] Non ad deos ſolum, ſed etiam ad homines placandos antiqui Veſtales adhibere ſolebant. ut auctore Suetonio, C. Cæſar Veſtales ad impetrandam à L. Sylla ueniam adhibuit. Meſſalina cum audiret Claudium maritum ab Hoſtia redire, feſtinantem ad ipſius pœnam, Vibidiam Veſtalem orauit, ut à Claudio ſibi ueniam impetraret. Miſeræ.] Quæ propter fratris caſum miſera eſt. Solatium.] Id eſt, conſolatio. Socium participemq;.] Filium ſcilicet. Huic uero uirgini.] Cui gignere non licet. Ne ignis ille æternus.] De Veſta, eiusq; igni perpetuo, multa legere licet apud Plutarchum in uita Numæ Pompilij, & Ouidium libro Faſt. 6. Huius autem ignis aſſeruandi tanta Veſtalium diligentia erat, ut T. Liuius lib. 23. inter prodigia ignẽ in æde Veſtæ extinctam ſcribat. Nec extinctum eum ex igni alio accendi, ſed ex ſole tãtum licebat, ut ait Plutarchus. Virginis eius, cuius negligentia ignis extinctus eſſet, pœnam eſſe nonnulli dixerunt, ut uirgis à Pontifice cæderetur. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. de Veſtalibus multa ſcribens, mortem pœnam eſſe ſignificat. apud quem Aemylia, cuius negligentia ignis extinctus erat, Veſtam orans: Mihi, inquit, te monſtra, ſuiq; auxilio, nec paruipendas ſacerdotem tuam mori morte miſerrima. Hunc ignem extinctum putabant Romani, ut idem auctor eſt, prodigium eſſe interitus imperij. Tendet manus.] Vt in lib. Aeneid. 1. Duplices tendens ad ſidera palmas. T. Liuius libro 3. Ordine cuncta, ut geſta erant, expoſuit: ſupinas deinde tendens manus, commilitones appellans orabat, &c. Videtis'ne ſubito.] Ab ipſius quoque Fonteij lachrymis mouet affectus. Quamuis Milonẽ uirum fortem in eius defenſione Cicero ubique ſignificet, eius tamẽ uultũ eundem in tota cauſæ actione ſemper fuiſſe, flabilem uocem, orationem immutatam, nec ullam in iudicum omnium fletu uiſam eius lachrymã: dicit in Epilogo orationis, qua eum defendit. Eſt enim uiri fortis, laborem, dolorem, mortẽ, cæteraſq; res humanas ex quibus lachrymæ naſcuntur, contemnere. Sed Ariſt. lib. Ethicorum 3. dicit, mala eſſe nonnulla, quæ uirum fortem metuere oporteat: eadem non metuere, turpe. Nam infamiam qui nõ timet, impudens eſt. Quod igitur Fonteius metuat ne ſuis æternam ignominiam relinquat, à uiri fortis dignitate non diſcedit. Profudiſſe,] Id eſt, abunde emiſiſſe. Nunquam in arce, &c.] Hæc enim uiri fortis ſunt. Pertimuerit.] Id à pertimeſcendo eſt. nam à timendo compoſita, in ſco tantum exeunt. Eadem ſe ſolatia.] Pulchrum mori ſuccurrit in armis. Inde iuuenes illi apud Verg. lib. Aeneid. 11. Dant funera ferro Certantes, pulchramq; petunt per uulnera

mortem

*mortem. Ideoq; magna conſolatio eſt, ſi quis ex propinquis pro Rep. honeſte occubuit. Xenophon, cum ei ſacrificanti nunciatum eſſet, filium apud Mantineam in prælio cecidiſſe: coronã deponens, quónam modo occidiſſet filius interrogauit. ut audiuit, fortiter pugnantem occubuiſſe, eandẽ capiti repoſuit: ſignificans, nullam ſibi luctus cauſam eſſe. M. uero Scaurus, cũ Catulus Coſ. à Cimbris uictus eſſet, eiusq; filius cum alijs multis deſerto Cõſule fugiſſet, miſit qui filio dicerent, ſe libentius in acie eius interfecti oſſibus occurſurũ, quàm ipſum tam deformis fugæ reum uiſurum: auctor eſt Valerius libro 5. Quæ pater ſuus.] Qui legatus pop. Rom. Aſculi interfectus eſt, cui eam ob rem ſtatua tripedanea poſita eſt. Si deligere.] Si, id eſt, utinam. ut in lib. Aeneid. 6. Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus Oſtendat. Vt potius telis Gallorum.] Viri fortis eſt, ut cum in capitis periculum ſe indignũ adducitur, quod tum nõ interierit, cum ei mors honeſta fuiſſet queratur. ut Aeneas Virgilianus lib. Aeneid. 1. naufragio perire metuens: O, inquit, Danaum fortiſſime gentis Tydide, mẽne Iliacis occumbere campis Non potuiſſe, tuaq; animã hanc effundere dextrã? &c. Res enim efficiuntur grauiores, cum magnis alioqui malis grauius id, quod paſſuri ſumus, oſtendimus. Telis Gallorũ.] Cum tu cum ijs pugnabas. Periurijs.] Id eſt, falſis teſtimonijs. Vitæ ſocia uirtus.] Id eſt, fortitudo ijſdem quibus uita terminis producta. Ciuem fortem atque innocentem.] Strictim et per capita repetit multa, ex ijs quæ ante dixit. Eius quæ ueſtris ſacris præſit.] Id eſt, Fonteia Veſtalis.*

# IN M. TVLLII CICERONIS PRO A. CECINA ORATIONEM

## DE INTERDICTO RECVPERATORIO, VNDE VI, IACOBI OMPHALII ANDERNACI IVRISCONS. SCHOLIA.

### QVID CONFERAT LECTIO HVIVS ORATIONIS PRO A. CECINA.

*CVM Ciceronis ſcripta omnia hunc nobis immenſæ utilitatis adferant fructum, ullus ut in iudicijs, aut publicis conſultationibus incidere locus poſſit, cuius non plurima inde exempla, tanquam ex uberi quodam rerum omnium, quæ inquiſitione cognoſcuntur, theſauro depromi poſſint: tum uero orationis huius immẽſa præter cæteras utilitas, & maior quædã argumenti eſt difficultas. Docet enim atque declarat, qui in Reip. adminiſtratione ac ciuilibus cauſis uerſari aliqua ingenij cum gloria ac laudis nobilitate uelit, eius pectus omniũ ingenuarum artium cognitione opplendum eſſe: neque in hac publica ciuilium rerum procuratione committendum, ut cum ea ſit in omnibus linguis uerborum quædam egeſtas, omnes ut res certis ac proprijs uocabulis explicari non queant, cauſas non uerbis, ſed æquitate ponderemus. Et claro illuſtriq; exemplo oſtendit, magnis & grauibus actionum controuerſijs explicandis ornatam, elegantem, ac ſubtilem dicendi rationem accommodari poſſe. Quorum illud à magnis iam olim uiris, ingenio & otio affluentiſſimis, traditum magis iuuentuti, quàm perſuaſum adhuc uidetur: quando ad ius ciuile perdiſcendum, uix pauci liberalibus diſciplinis inſtituuntur. Hoc uero, multis iam annis dicendi uſu intermiſſo, præcipitante re publica Rom. qui cum eloquentiæ ſtudia ruere & ferri in peius cœperunt, ad noſtram uſque ætatem prorſus fuit ſublatum. Eſſe autem neceſſariam ingenuarum artium cognitionem ei, qui ad laborantem, ægram, ac propè depoſitam Remp. gerendam, uſum, ſcientiam, & ſtudium ſuum conferat, aut eam ſuſcipiat perſonam, ut ciuium afflictas fortunas ac ſanguinẽ innocentiũ propugnet, amicorum controuerſias tueatur, laborantibus & in medium fortunarum capitisq; diſcrimen adductis ſuccurrat, nulli ſalutis ac fortunæ perfugium intercludat, non arbitror longa mihi oratione demonſtrandum eſſe. Cum ſicut omnium diſciplinarum cognatio quædam eſt, qua ueluti communitatis uinculo inter ſe continentur: ita ad ciuilium rerũ adminiſtrationem accedere nemo, niſi longo multiplicis eruditionis uſu exercitus, rectè & publica cum utilitate poteſt. Nam & impudentiæ uideri poteſt, cum nulla excellẽtis ingenij laus parari, nulla grauis & cum Reip. dignitate coniuncta cauſa ſuſcipi, nulla de rebus agendis, aut fugiendis prudens deliberatio explicari ſine communibus literis poſſit: eſſe tamen, qui prompto ore ac uultu inuerecundo magna cum hominum caterua, toto foro uolitare, cunctis ciuibus ingenij, ac conſilij lucem porrigere, præcipitanti Reip. præſidium polliceri audeant: cum interim in hac legitima atque uſitata in ciuium cauſis æqualitatis conſeruatione nihil aliud aſſequantur, quã multis ut propter eruditionis egeſtatem miſerandi, omnibus uero propter audacẽ temeritatem irridendi uideantur. Et illud inſignis eſt ſtultitiæ, in reliquis diſciplinis omnibus, uerborũ exornationem aucupari, ſolam iuris ciuilis prudentiam eloquentiæ ſtudio ſpoliare. cum ea ex omnibus propè ſola ſit, quæ propter priſcam uerborum uetuſtatem, uariam antiquitatis effigiem, ac multiplices forenſium cauſarũ formas, oẽm oratoris uim, omnem humanæ mentis impetum, omnem denique benedicendi facultatem complectatur. Illa enim præpotentis & glorioſæ philoſophiæ ſubtiles diſputationes rectius, quàm philoſophorum placita ad maiorum inſtituta, ad ciuitatis diſciplinã, ad ciuiles actiones adfert. illa non momentaneis animorum permotionibus, ut rhetorica: non argutis elenchis, ut dialectica: nõ incertis & controuerſiarum plenis demonſtrationibus, ut matheſis: ſed naturali æquitate metuq; legum, communis uitæ ſocietatẽ retinet, uerum, iuſtum ac honeſtum laborem pro Repu. ſuſceptum honoris ſplendore dignitatisq; amplitudine compenſat: fraudes hominum ac nequitias, damnis, ignominia, carcere, uerberibus, exilio atque morte conſtringit. Laudatur philoſophia, quòd omnium uirtutum imaginem ceu ideam nobis proponit ſpectandam. Sed ſicut profuſam illa ac proiectam hominum nequitiam, indomitas uoluptatum libidines, promptam nocentiſſimorum hominum audaciam in odium rapit ac deteſtatur: ita iuriſprudentia eos, qui in rapinis, qui in ſtupris, qui in Reipublicæ perturbationibus, qui in ſcelerum omnium importunitate uigilias conſumũt ſuas, infamiæ turpitudine ac ſupplicio afficit. Illa uirtutis ſolius præmia proponit: hæc ſuos uirtuti honores, ſua improbitati adfert ſupplicia. Illa præceptis nos ad omnem pulcherrimarum rerum ambitum adhortatur: hæc pœnæ formidine, ut uitæ honeſtatẽ caſte integreq; cõplectamur, nos impellit. Furit hic audacia, ſcelus atque facinus anhelans, ſed leges uim arcent atque propellunt. Præfert alius honeſto publico utilitatem priuatam, ſed Atticæ leges Cyrſilum quendam utilia honeſtati præferentem, lapidibus cum uniuerſa familia obrui uolebant. Parui apud quoſdam ſit neglecta recta uitæ inſtitutio: ſed Athenienſiũ leges eum, qui uiatorem aberrare paſſus eſſet, in crucem adigi uolebant. Sunt qui ſocium, qui ſe in negotijs coniunxit, fallere, ac cõmunis officij ius lædere turpe eſſe non ſuſpicentur: ſed maiorum conſtitutiones, qui ſocietatis fidem uiolaſſet, in bonorum uirorũ numero putarunt habere non oportere. Iacerent in ſitu & ſqualore omnia uitæ præcepta, niſi ad leges officia noſtra, tanquam ſcopulum, referrentur. Iam uero uniuerſa humanæ uitæ felicitas, omnis bene beateq; uiuendi ratio, in ipſius iuriſprudentiæ omnium uirtutum moderatricis cultu eſt poſita.*

llo, iacam diſciplinæ ueteris perturbationem, ut nulli iam diu commentarij in iuriſprudentiam ſcripti extiterint, qui non barbariſmis & intolerabili obſcuritate abundent. Cum tamen ueteres ſcriptores grauiſſimi, Herennius, Modeſtinus, Antiſtius, Labeo, Cato, cæteriq; admirabili orationis elegantia legum uſurpationem illuſtrarint. Quorum magnis & claris conatibus, ſempiternæq; laudis prædicationi nuper ſucceſſerunt magnus ille Gulielmus Budæus, Andreas Alciatus, Vldaricus Zaſius, ac plerique alij, qui immortalibus ſuis nos ſtudijs, pro quibus otium deuouerunt ſuum, in ueterem illam & eloquentiæ & iuriſprudentiæ poſſeſſionem, unde noſtra deſidia electi fueramus, propemodum reſtituerunt. Magna quoque ſpes, & penè incredibilis cum illuſtrandæ iuriſprudentiæ, tum laborantis & defeſſæ Reip. ad priſtinam illam adminiſtrationem dignitatemq; prouehendæ, orbi uniuerſo proponitur, in Haione Hermano Phryſio Cæſa. Maieſta. apud Traiectenſes conſule. Habet & Toloſa duo eximia Aquitanici nominis ornamenta, Io. à Boyſſone, & Mattheum Pacum, uiros ad omnem laudem, atque dignitatem magnos & excelſos admirabili naturæ beneficio productos: quorum commentationes, ſi in uulgus aliquando, ut ſpero, exeant, habebunt iuriſperitorum ſcholæ, ad quorum ſe imitationem pergrata ſtudiorum omnium utilitate componant. Qui igitur hoc ſibi aſſumit, ut certam legitimam atq; conſtantem optimorum hominum propugnationem, ciuiumq; ſalutem cunctis præſtet, aut eloquentiæ ſtudia ad iuriſprudentiæ referat dignitatem, habet in hac Ciceronis oratione, quod ſuis in ſcriptis, publicisq; functionibus ſequatur, exemplum plenum eruditionis, prudentiæ, atque altiſſimæ diſputationis.

## ARGVMENTVM ORATIONIS.

MARCVS Fulcinus nobiliſſimus argentarius, moriens bonorum omnium uſum fructum Ceſenniæ, probatiſſimæ fœminæ legat, inſtituto, quem ex ea habebat, filio hærede: qui & ipſe breui tempore adoleſcens moritur. hæredem facit P. Ceſennium, uxori ac matri teſtamento legat communem fundum Fulcinianum: cuius diuidundi cũ auctio hæreditaria Romæ conſtitueretur, eſſetq; cauſa atque poteſtas Ceſenniæ eius fundi emendi, dat negotium Sex. Ebutio callido homini, & ficta officiorum ſedulitate mulieri uiduæ coniuncto. Hic facit emptionem Ceſenniæ, à qua etiam pecunia ſoluebatur: ſed argentarij tabulas, in quibus ſibi expenſa pecunia lata ſit, acceptaq; relata, callide & dolo malo auertit, uſurus ſcilicet ijs, ſi quid humanitus Ceſenniæ accidiſſet, ad probandum ſibi eum fundum emptum eſſe. Poſſedit interea Ceſennia fundum, neque ita multo poſt A. Cecinæ nupſit, quem & moriens facit hæredem ex deunce & ſemuncia: M. uero Fulcinium, libertum ſuperioris uiri, ex duabus ſextulis: Ebutio ſextulam aſpergens, tanquam ſuſceptæ moleſtiæ mercedem. In bonorũ poſſeſſione cum eſſet Cecina, eiq; Ebutius ſextulam ſuam exaggerans, aliam atque aliam ſubinde litem maleficioſe intenderet: placuit de amicorum ſententia, ut de fundo, qui in controuerſiam uenerat, Cecina moribus deduceretur. Sumptus in eam rem ex utriuſque uoluntate dies, ad quem cum Cecina unà cum amicis in fundum proficiſceretur, adeſt Ebutius, atque ingredienti armatos homines opponit, factoq; incurſu Cecinam ac reliquos eius amicos metu perterritos in fugam conuertit. His rebus, ut ait Cicero, ita geſtis, P. Dolabella prætor interdixit de ui armatis hominibus, ſine ulla exceptione, tantum ut unde deieciſſet, reſtitueret. reſtituiſſe ſe dixit, ſponſio facta eſt. de hac ſponſione Recuperatoribus eſt iudicium faciundum.

## CAVSAE GENVS.

CAVSAE genus propter uariam & dubiam iuris rationem, de qua hic diſceptatur, obſcurum eſt, Græcis δυσπαρακολούθητον appellatum: explicaturq; attentionis, cauſarum, affectuum, ac reliquis definitionis locis. Continet enim grauem & ſubtilem diſputationem de interdicto recuperatorio, VNDE VI, de ſcripto & ſententia, quẽ ſtatum ῥητοῦ καὶ διανοίας Græci uocant: ex quo maxima iuris controuerſia inter iureconſultos pendet, quoties lex aliquam gignit obſcuritatem: & pars altera ſcripto atque legi parendũ, altera uero legis æquitatem ſcripto anteponendam eſſe, nec ſcripto ſtare ſemper oportere contendit. qua de re amplius in rhetoricis noſtris ſcribimus. Vt tamen orationis huius οἰκονομίαν, argumentorũ locos, & propriã propoſitæ quæſtionis naturam, & quã laudabili deniq; rerũ inuentione interdicti huius æquitatem magnus ille dicendi artifex propugnet, facilius pueri adſequantur, adſcripſi demonſtrãdæ rei cauſa, quoſdam ueluti cõmunes locos de recuperatorio interdicto VNDE VI: quod orationis huius proprium eſt. Feci autem id de induſtria ſimplicius, primam puerorũ inſtitutionẽ ſecutus, ne rei ipſius, quæ traditur, uel magnitudo, uel difficultas ſpem conatumq; frãgeret iunctutis.

## DE INTERDICTO VNDE VI.

INTERDICTVM unde ui, ſumma æquitate ad recuperandam poſſeſſionem recte poſſidente proponitur, qui de re ſolo coherenti, qualiſcunque is locus ſit, ui deiectus eſt. ad easq; res omnes, quæ apud eum, qui ui deturbatus eſt, uel depoſitæ, uel commodato, uel pignori datæ fuerint, refertur. Eius æquitas cum ſingularis ſit, & maior quædam ratio, tum uero in rerum earum, quæ nobis acquiſitæ ſunt, poſſeſſione retinenda, uſus maxime neceſſarius. Nam & illam, in qua uitæ dignitas efflorescit, inculpatæ tutelæ moderationem cunctis proponit amplectendam: ne offenſi animi, & ex iniuria ægrotantis importunitate impulſi, iniurioſius uim uel propulſemus, uel etiam ulciſcamur. & ciuilis uitæ ſocietatem, quo magis ſua cuique fortuna atque exiſtimatio ſecundo uitæ ſine perturbatione curſu cõſtare queat, in officiorum religione atque concordia retinendam eſſe monet: qua cõmoditate nulla alia maior eſſe poteſt. Periret enim omnis libertatis iucunditas, amitteretur parentum hæreditas, concideret Reip. decus atque ornamentum, omnis deniq; uitæ tranquillitas ſeditionibus perturbaretur, ſi nulla uel rerum noſtrarum, uel periclitantium amicorũ moderata propugnatio aduerſus uim nobis legibus permitteretur: cum etiam eum, qui laboranti ſocio, & inimicorum impetu oppreſſo, præſidium nullũ attuliſſet, perinde in uitio eſſe maiores noſtri uoluerunt, atque ſi parentes deſeruiſſet. Quam æquitatem & leges confirmant: ut propter naturalẽ uitæ officiorumq; coniunctionem, mutuo ſe defendant, cauſam communem tueantur pater & filius, maritus & uxor, ſponſus & ſponſa. Sed Bartolus, defenſionem hanc eſſe uoluit moderatam & neceſſariam: hoc eſt, ab omni iure, cupiditatis, & uindictæ ſuſpicione alienam. Nam ut diuus Aquinus ſcriptum reliquit, qui occidit animo ſe defendendi, non peccat: qui uero hoc agit, ut defendendo occidat, peccat, quod in eã ſententiã accipere debemus, ſi ad expediendam ſalutem neceſſaria fuerit occiſio, etiam ſi CHRI-

STVS offendatur. Ergo qui cedentem fugientemq; hoſtili animo inſequitur, non iam uim illatam propellit, ſed uindictam facit, niſi tamen dolo malo aggreſſor, & animi colligendi cauſa, exemplo illius Ro. Horatij cum tergiminis contendentis pedem referat. Vis autem non omnis accipienda eſt, ſed ea, quæ atrox, uehemens, dolo malo, & nulla iuris ratione eſt illata; & uulgo expulſus appellatur Nam qui metu compulſus, alium in poſſeſſionem ſuã induxerit, nec deiectus uidetur, nec huius interdicti auctoritate in poſſeſſionem reſtituitur: ſed actione quod metus cauſa iuuatur. Quo etiam in loco male ſentire creduntur, qui hanc uim appellant iniurioſam, ne ſi eorum admitteretur ſententia, furioſus qui uitio caret, uim facere dicatur: cuius tamen impetum defendendo, etiam illius cum periculo interdum repelli poſſe Baldus exiſtimat, propterea quod maior eius haberi ratio debet, qui conſeruandæ ſalutis cauſa uim à ſuo corpore arcet. Sed an uim faciat, qui calumniis alterius laudem obterit, petulanſq; ac inuerecundum conuitium iacit, quæſtionis eſt: cum præſertim omne conuitium grauem habeat reprehenſionis aculeum: quem ferre ne prudentes quidem homines ideo poſſunt, quod dignitatem, quam optimus quiſque uitæ anteponit ſuæ, uehementer lædit: nec aliud eſt ad excitandas inimicitias uehementius, quàm animus calumniis affectus. Et dubitatio nulla eſt, quin ſecundum naturã magis ſit, ut contuitium inter populares ſimili conuitio obteratur. Claris uero hominibus & litium fugitantibus, uim repellẽdi poteſtas aduerſus calumniatores eos detur, qui inflammata libidine, in optimi cuiuſque non ſolum famam dignitatiſq; oppreſſionem, uerumetiam uitã non raro feruntur: ut quæ nobis in rerum poſſeſſione, eadem etiam in dignitate retinenda (quando perſonarũ maior eſt præſtantia) defenſio permittatur: & qui pœnam pecuniariam egentes eludunt, corpore temeritatis ſuæ luant pœnas. Liquet igitur & naturali æquitate, quam Caſſius probat, & prætoris edicto nobis permitti, ut noſtris in rebus retinendis uim ni confeſtim, non etiam ex interuallo repellamus. Cuius edicti æquitas hanc habet ſententiam, ut iniuriam perſonalem, quam facit uel aggreſſor, uel adulter, ipſo naturæ momento tanquam rei indignitate permoti propulſemus. Realem uero iniuriam atque deiectionem pro natura facti et rerum circunſtantijs, tanquam ex boni uiri arbitrio repellamus: hoc eſt, ut Bartolus notat, unius hominis priuati impetum ex continenti arceamus: potentioris uero aggreſſoris, & aliorum præſidio ſepti incurſum ſimili armatorum hominũ apparatu, cũ primũ cæteris omnibus rebus neglectis per opportunitatem liceat, propulſemus. Nã eam ferè interpretationẽ huic dictioni CONFESTIM Aſſignat Bartolus. Quod aũt imp. Diocl. adiecerit, uim illatam cum inculpatæ tutelæ MODERATIONE propulſandam eſſe, hunc puto ſenſum habere, ut uim armatam armis confeſtim repellamus: & ſi nullum grauius corporis capitiſq; periculum nobis obijciatur, aduerſarij inſolentiam impetumq;, quoad dignitas ſaluſq; noſtra patitur; ſine cæde aut uulneratione frangamus: quod Panormitano in meris defenſionis finibus ſtare, Bartolo & Baldo modum, tempus, & cauſam, quæ defenſionem à uindicta diſtinguit, diligenter adſeruare ſignificat. Atque hic non ſimplex eorum eſt error, qui uim armatam armis, inermem ſine armis propelli oportere contendunt. Conſtituendum enim foret, quod fieri non poteſt, ut & corporis uiribus, & externis auxilijs pares in concertatione comparanda eſſemus: nec ſolum libera quadã ac periculoſa graſſandi impunitas aggreſſori ad uim faciendam iam ante præparato daretur, uerumetiam nobis iniuſta prius pœna luenda eſſet, quàm expediri ſalus poſſet noſtra. Vlpianus certe, Paulus, Florent. Iulia. Caius, cæteriq; clariſſimi iuriſconſulti, ſine ulla armorum diſtinctione, uim ui repelli, omnibus legibus permitti reſcripſerunt. Suffragatur ſententiæ noſtræ Baldus, dum ſcribit armorum æqualitatem ex litigatorum uiribus eſſe ponderandam: legibuſq; permitti, ut qui corporis infirmitate laborat, pugione ſe aduerſus eum defendat, qui colaphum infringit.

Eſt in hoc quoque controuerſia, num uulneratio prius, quàm uis repellatur, ſit accipienda? Et conſtat eum, qui periculi ac futuræ cædis apparatu perterritus, propter periculoſam cunctationem incertumq; Martis euentum, prior ſe defendendo aggreſſorẽ percuſſerit, iure uideri uim depuliſſe. Nam & ſui defendendi, ut ait M. T. Cicero, lex ipſa tacite dat poteſtatem. & Angelus Aretinus notauit, antequam aggreſſor arcum in meum ſanguinem & perniciem intendat, repellendo illum percuti poſſe: quoniã iuſtæ defenſionis Caius eſſe uoluit, iniuriam atque uim propulſare. Sunt qui fuga potius, quàm uim propellendo, ſalutem eſſe petendam confirment. quorum ſententiam puto diuidi poſſe: ut cum fuga ſit plena turpitudinis & periculi, nec adornari ſine magna nominis offenſione poſſit, reſiſtamus de ſententia Bart. & Panor. Si autem qui prouocatur plebeius ſit homo, nullis publicis officijs perfunctus, & euitare periculum nullo cum incommodo poſſit, præſtabit fugere. Nec obſtat ijs quæ diximus Panormitani auctoritas. Non enim conuenit clericos ob leuem offenſionẽ, aut rerum uiliſſimarũ defenſionem cuiuſquam ſanguine aut pulſatione ſacras polluere manus: cum tamen eiſdem Clemens Pont. ob ſui defenſionem inſidiatorem occidere permiſerit. Oſtendimus quid uis ſit, & quomodo repellenda. Deiectum ſanè eum dicimus, qui cum turbaretur, poſſidebat, ſiue corpore, ſiue animo. Nam Vlpianus ediſſerit eum, qui de agro ſuo proceſſerit, nemine ſeruorum relicto, ac mox reuerſus prohibitus ſit ingredi in ipſum prædiũ, aut in medio itinere retentus, nihilominus poſſidere, & ui deiectum uideri. adempta enim ei ui poſſeſſio fuit, quam animo retinebat, etſi non corpore. Labeo etiam eum, qui metu turbæ perterritus fugerit, ui uideri deiectum confirmat. quod & Cicero in hac oratione declarat: quoniam uis omnis eſt, quæ nos periculo alicunde decedere cogit. Ac proinde ſi quis fundum meum coactis hominibus occupans, propoſita impunitatis ſpe, ut fundum ingrediar me adhortetur, ego uero armorum metu deterrear, dicetur ui armata me deieciſſe: quoniã in eadem cauſa non ſum, in qua, ſi deiectus non eſſem, futurus eram. Quare uerus bonorũ poſſeſſor; aut eius hæres, fructuarius, & qui habitationem habet, ſi uti frui prohibetur, nõ etiam colonus aut inquilinus, hoc interdicto reſtituetur. Quemadmodum igitur hoc interdictum aduerſus eum recte proponitur, qui deiecit, uel ut aliquis deijceretur mandauit, aut iuſſit, aut deiectionem ratam habuit, (quoniam Sabino & Caſſio placuit ratihabitionẽ in maleficijs mandato cõparari) aut cuius uerus procurator, mercenarius, familiaue deiectionẽ fecit: ita liberis aduerſus parentes, libertis cõtra patronos propter autoritatem, quam habet, non datur, ſed actio tantum in factum: niſi ui armata aduerſus libertum patronus, aduerſus liberos parens uſus ſit, atque hoc interdicto cõuenlatur. Infamiam, quoniam perſonale eſt, non irrogat, daturq; tantummodo intra annum utilem: poſt annum ad perſequendum ea, quæ ad eum, qui ui deiecit, peruenerunt, ſiue hæres is ſit, ſiue bonorum ſucceſſor. Poſt litis uero conteſtationem eo qui uim fecit defuncto, in ſolidum hæredes conueniuntur.

## DE CAVSAE CONSTITVTIONE.

CAVSAE conſtitutio eſt, in qua tota res uertitur, ueluti iuris punctum, de quo iudici ferenda eſt ſentẽtia, Græci στάσιν uocant. Rhetores generales conſtitutiones faciunt, coniecturalem, definitiuam, & iudicialem ſiue qualitatis. His tribus rationalibus cõſtitutionibus ſubijciunt quatuor legales, quas legitimas diſputationes in Topicis appellat Cicero: ut ſcripti & uoluntatis, legum contrariarũ, amphiboliæ, & ſyllogiſmi: ut ſit ſcripti & uoluntatis, quando lex aliquam habet, ut dixi, controuerſiam, & pars altera in uerborũ proprietate atque calumnia ſine ulla alia interpretatione uerſatur:

altera ſcriptum ad rem, de qua inſtituta eſt quæſtio, deflectit. Ea uel ad coniecturam, uel ad qualitatem, auctore Fab. Quintiliano libro ſeptimo, cap. 7. refertur. Talis in hac eſt oratione, & qualitate excutitur, ad hunc modum. INTENTIO: Reſtituere me Ebuti, unde ui deiectus ſum, ex edicto prætoris debes. DEPVLSIO: Non te deieci, ſed ingredientem non ſiui accedere. Αἰτία, id eſt, ratio ſiue exceptio, quæ depellendi criminis cauſa adfertur: Deijci enim nõ potuiſti, qui non acceſſeris: ac proinde actionem aduerſus me ex hoc edicto nõ habes. Συνέχον, id eſt, continens ſiue firmamentũ quo ratio deſtruitur, iuriſconſulti replicationẽ appellant: Deijcitur, qui ui prohibetur, & armatis hominibus pulſatur. in eadẽq; eſt cauſa, qui uel egreſſum expellit, uel ingredientẽ repellit. Hæc pars locis cõmunibus & exemplis mirabiliter eſt amplificata. DVPLICATIO, quæ à reo aduerſus firmamentũ adfertur: Sed uis ibi nulla eſt, ubi nec uulneratio, nec cædes & occiſio facta eſt. TRIPLICATIO ad infirmandam duplicationem: Vis eſt, quæ periculo aut decedere nos alicunde cogit, aut prohibet accedere. hæc quoque pars ſuis locis utiliſſime expolitur. QVADRVPLICATIO, ab interdicti uerbis ſumpta, quorum frigida calumnia nititur Ebutius: Non deieci, ſed eieci. eſtq; hic mucro defenſionis aduerſarij. Hæc quoque alio firmamento cõuellitur. Vno hoc uerbo, DEIECISTI, præter res duas ſignificat, & ex quo, & à quo loco. Sed & huic firmamento aliud opponitur: Deijcitur, inquit, is qui cum turbatur, poſſidet. Sed tu, cum non poſſideres, deijci quomodo potuiſti? Hoc poſtremo ad hunc modum deſtruitur: Si cum fundum non poſſiderem, armatis hominibus deiectum me fatereris, ſponſione uincerem: Sed poſſedi, unde deiectus ſum, fundũ: male igitur à te facta ſponſio. TRACTATVR hæc pars de poſſeſſionis & ciuitatis iure leuiter admodum à Cicerone, quòd, ut ipſe teſtatur, extra cauſam eſſet, & in eam rem teſtimonia extarent: ne quis forte hic coniecturam explicari ſuſpicetur. In fine orationis quoque monet Recuperatores, tantũ ut ſtatuant, quid deciſio de æquitate, quid ratio interdicti de iure admoneat. Eſt igitur conſtitutio iudicialis, ſiue qualitatis, ex ſcripti & uoluntatis diſceptatione, an male fecerit ſponſionem Ebutius.

## DE ORATIONIS PARTIBVS, ET GENERE DICENDI.

ORATIO generis iudicialis eſt. Eius partes ſunt, exordium, narratio, contentio, & peroratio. GENVS orationis ſubtile eſt atque temperatum in affectibus, & amplificationibus paululum ſubſidens. Exurgit tamen interim, atque excurrit in locos communes, de æquo & bono, de maiorum inſtitutis, de interdicti huius æquitate, ſine qua nec ciuiũ fortunæ defendi, nec conſiſtere Reip. tranquillitas diu poſſit. IN PRIORE actione apparet grauiſſimam inhumanamq; inſectationem in diſſolutam Sex. Ebutij impudentiam, calliditatem atque impoſturam uſum fuiſſe. Hic ſanè pugnaci ac ſubtili ſe actione propter dubiam iuris ciuilis diſputationem confligere, cauſamq; ſummi ingenij ad obterendam Ebutij calumniam eſſe, ipſe fatetur: quare orationis huius lectio in primis conducit cum ad locupletandam eloquentiam, tum uero ad certam quandam rerum ciuilium uſurpationem adſequendam.

Si quantum in agro locisq;, &c.] Exordium ductum eſt à præcipite aduerſarij Ebutij in ui facienda confidentia, quæ in grauem iudicum indignationem hic adducitur. Nam ſicut honeſtiſſima ad acquirendam multitudinis beneuolentiam eſt, illa officij noſtri pro Republica ſuſcepti commendatio: ita ſæpe prodeſt ei, qui communi uirtutis uoluntate, nulla animi & inuidiæ ægrotantis offenſione adductus, ciuiũ fortunas atque ſalutem propugnat: aduerſus quos dicit, eorum libidinoſum perſtringere furorem, referente Fab. Quintil. lib. 4. Huius autem periodos prima, inſignem naturæ moderationem atque prudentiam A. Cecinæ iudicibus proponit ſpectandã, & in hanc ratiocinationem conijcitur: Si quantum in agris, tantum in foro armorum ualeret furor, non iam iure contendere Cecina. eſtq; hæc maior propoſitio, ἡγούμενον Græcis appellata: cui additur ἄντιον, ſiue minor propoſitio: Sed ius in foro, non armorum furor ualet. Iure igitur Cecina cum Ebutio contendet. Apta hæc periodos magnarum cauſarum initijs, figurata, & eius generis, quod ἰσόκωλον Græcis dicitur. habet enim ὁμοιόπτωτον καὶ ὁμοιοτέλευτον. Simili figura uſus eſt Cicero in oratione pro L. Valerio Flacco: Homo, inquit, audaciſſimus pertimuit, loquaciſſimus obmutuit. Ac mihi quidem.] ἀπόδοσις, redditio ad probandum τὸ ἡγούμενον. Fertur autem Ebutius eadem in iudicio audacia, qua nuper in conuocandis hominibus confidentia. Hæc tractatur per locum cauſarum, ad conflandam aduerſario grauem, uehementem, & inſignẽ inuidiã: cuius defenſionis fiduciam, ſpemq; omnem oſtẽdit in publica iudiciorum infamia, in recuperatorum religione ſubuertenda, in oppugnanda ciuilis iuris æquitate poſitam eſſe. Decerpit autem utiliter per locũ docilitatis, qui in obſcuro cauſæ genere in principijs eſt neceſſarius, ex quæſtionibus ieiunas quaſdam et frigidas Sex. Ebutij aduerſarij exceptiones: Niſi, inquit, hoc rationis habuit. quaſi diceret: Si ex fundo ui armata deiectus eſſet Cecina, facile agnoſceret Sex. Ebutius, prætoris interdicto reſtitui illum oportere. nunc uero, cum is qui in fundum ingreſſus non ſit, deijci inde non potuerit, ſed metu perterritus profugerit, nullam ei actionem dari poſſe. Voluit autem Sex. Ebutius ad ſolam atrocem uim, quæ uulnerationem, quæ cædem, quæ occiſionẽ haberet, hoc interdictum pertinere: eiq; tantum competere, qui de poſſeſſione eſſet deiectus, cum ſolum armorum terrorẽ, ut uideamur armis deiecti, ſufficere Vlpianus reſcripſerit. Quaſi uero.] εἰρωνικῶς infirmat aduerſarij exceptionem, ad confirmandam minorem propoſitionem, quam aſſumptionem alij uocant. Itaque longè.] Complexio ratiocinationis, quæ ipſius actionis propoſitionẽ habet, & collationibus eſt amplificata, mire utilis cũ ad augendam orationis dignitatem, tum uero ad declarandam actionis formam. Nam de cauſa ex oratoris officio tã quam honeſtæ uoluntatis conſcientia confirmatus, optime ſperat: & rationes ſuas omnes aduerſus teſtium probationes acuto dilemmate præmunit. Porrò quoties de dolo malo, de metu, de ui armata iudicium habitum fuiſſet, & ea in re cognitores habere liceret, qui receptam cauſam iudicio æſtimarent, tum ad id tres iudices, id eſt recuperatores creabantur. auctores ſunt Cicero in oratione pro L. Flacco, Petrus Crinitus, & A. Gellius. Veruntamen.] Repetit prioris τοῦ αἰτίου probationem, & recuperatorum integritatem aduerſus callidam aduerſariorum uerſutiam præmunit. Impudens eſt, & calumniæ plena aduerſariorum actio. Et ueſtræ in iudicando religioni moram calliditatemq; ſuã opponunt. Sequitur deinde eius ſententiæ αἰτιολογία, & res uniuerſa Rhetorum more expolitur locis communibus de cauſæ huius magnitudine, ad excitandam multitudinis attentionem, de interdicti utilitate, de oratoris officio. Refert autem in Diuinatione M. Tullius, L. Craſſum & M. Antonium dixiſſe, ad iudicia cauſaſq; amicorum, præter fidem & ingenium nihil adferre oportere. In quam ferè ſententiã ſcribit & in oratione pro A. Cluentio: Semper equidem, inquit, magno cum metu incipio dicere: quotieſcunque dico, toties mihi uideor in iudicium uenire non ingenij ſolum, ſed etiam uirtutis atque officij: ne aut

id profiteri uidear, quod nó poſſum implere, quod eſt impudentiæ : aut id nó efficere, quod poſſum, quod eſt aut perfidiæ, aut negligentiæ: tum uero ita ſum perturbatus, ut omnia timeá, ſi nihil dixiſſem, ne infantiſſimus : ſi multa, ne impudentiſſimus exiſtimarer. Quanquá ego.] Mollit ac lenit poſteriorē ſenſum, ad retinendam iudicū beneuolentiam, quorum offenſionē propter interpoſitá auctoritatem religionemq;, uidebat periculoſam fore : & cauſam, cur iniquá aduerſariorū defenſionem nó uindicent, hanc adfert: Exiſtimationis periculum, quod reo impendit, non obſcura iuris ratio á iudicádi uos religione remouet. Quod eſt grauius.] Querela á diſſoluta iudiciorum conſuetudine, ad tollendam iudicandi moram. Hæc uenuſte conijcitur in rhetoricum epicherema. Maior propoſitio per locū cōmunem infertur : Omnis actio turpis, et quæ exiſtimationis periculum habet, mature eſt iudicanda. Hæc actio de ui exiſtimationis habet periculum. Mature ergo iudicanda. Cōcluſio eſt facta enthymematis modo. á repugnantibus. Ei additur expolitio per collationem, quo magis appareat male in hoc iudicio morá ad condemnandum reum acquiſitam eſſe. ſed ea quoque illuſtri epiphonemate extollitur. EST ENIM turpe, inquit, iudiciū, &c. atque ita locus concluditur. Pendet autem exordij huius uis ex iuris ciuilis cognitione. Ná cum legis uirtus ſit, ut ait Modeſtinus, imperare, uetare, permittere, punire : exiſtimauit reum uel abſolui, uel damnari, & ut quodque facinus illiberalius foret, ita maturius iudicari oportere. quæ ſententia rationem habet: propterea q principum conſtitutionibus cauetur, ne ciuiles cauſæ ultra triennium, criminales uero ultra biennium differátur, niſi actionis diuerſitas hoc mutet. Quòd uero de hac re EXISTIMATIONIS PERICVLVM eſſe dixerit, hanc puto habere ſignificationē. Interdictum, unde ui, quod ui aut clàm, quod metus cauſa, condictio furtiua, & quæcunq; doli uel fraudis mentionē habent, nó ei, aduerſus quē dantur, iuris infamiá inurunt : quoniá famoſæ actiões nó ſunt, tametſi ex famoſis cauſis pendeant. ſed tamen dignitatē, atq; nominis exiſtimationem propter facinoris atrocitatem, quá in ſe cótinet, & latentem facti infamiá lædunt : ac proinde aduerſus parentes & patronos, & quibuſcunq; ueneratio debetur, non datur, ſed actio in factum. Atq; hæc facti infamia, quá hic Cicero exiſtimationis periculum appellare uidetur, nó mediocrem uim habet, in inofficioſi teſtamenti querela, & dignitate uel conſequenda uel amittenda. Si quis, quod ſpopondit.] Sponſionis nomine Paulus accipiendum exiſtimat omnem ſtipulationē promiſſionemq;. Extat titu. de uerb. oblig. ff. & Inſtitu. Tutelam.] Erudite Seruius tutelam definit lib. ff. 26. cap. de tutelis, eamq; triplicem conſtituit, teſtamentariá, legitimá, & datiuam. Eius ſané actio, ſi dolus committatur, famoſa eſt. Inſtit. tut. §. ſuſpectus. t. de ſuſpec. tutor. Societatem.] Duplex eſt ſocietas: altera, in qua rerū omniū, quas ad cómunem uſum natura produxit, ſeruanda eſt cōmunio : quæ referente Pythagora efficit, ut unus ex pluribus fiat, ſintq; iuxta prouerbium τὰ τῶν φίλων κοινά. Altera huius eſt inſtituti, Græcis κοινωνία appellata, quæ ex omni cauſa honeſta, quæ inter eos qui obligari poſſunt, colitur, cōſtituiturq; certis quibuſquam pactionibus, ne uel dolus, uel cómodi ſocietas excludatur. l. ſi non fuerit. § ultimo. ff. eo. Diſſoluitur renunciatione, morte, capitis diminutione, & egeſtate. l. 1. §. ult. ff e. Ex hac damnatus ignominia notatur, eoq; grauior eſt actio §. ex quibuſdam. Inſtit. de pœn. tem. litigan. Rem mandatam.] Mandatum gratuitum eſt. propterea q originem ex officio atque amicitia trahit. l. 1. ff. mandati. Eius obligatio ex conſenſu contrahentium in rebus honeſtis conſiſtit, quoties ut negotium noſtrum gerat, aliquem rogamus, mandamus, atq; ſcribimus, ex eo actio oritur, cum procuratori ex re noſtra aliquid obuenerit : uel in rem ille noſtram aliquid expenderit, dolus ue aut culpa fuerit commiſſa. itaque directa actio, quæ mandatori & eius hæredi conuenit, famoſa eſt. l. furti §. mandati. ff de ijs qui notantur infamia. Fiduciæ rationem.] Fiduciam accipere, pro fidem ſuam dare, adiungere, interponere, frequenter uſurpat Cicero in Top. Si tutor, inquit, fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Vbi Boetius eum fiduciá accipere, dicit, cui res aliqua ea lege emancipatur, ut emancipanti aliquando remancipet. Videtur hoc mihi eſſe, quod uulgo dicitur, in fideles manus accipere. Magnam certe cognationem habet cū imaginaria uenditione, cuius pulcherrimū eſt exemplū ad hunc locum intelligendum in. l. 4. §. 1. ff. de manumiſſionibus ubi ab initio ſeruus iniurioſius habitus, numerata pecunia, cū emptore egit, ut á ſuo domino emeretur, ea tamen lege, ut emptus ſtatim manumitteretur ab emptore, & ſui fieret iuris. Cicero pro Roſcio Comœdo, cum expoſuiſſet tria illa fiduciæ, tutelæ & ſocietatis iudicia, quæ exiſtimationis haberent pericula, ſubiecit, perfidioſum eſſe, acceptá fidem frangere. ex quo intelligitur, quid ſit fiduciá accipere. Videte igitur.] Cócluſio loci prioris, illuſtrata gradatione, quæ κλῖμαξ Græcis dicitur. At ſi quis.] Προκατάληψις, præſumptio, elegans in primis ſchema, & plenū prudentiæ, cum ad obſeruanda auditorum, et quò uoluntas eorum inclinet, tacita quædam iudicia, tum uero occupandá latētem obiectionem. Auertit enim iudicum ſæpe animos importuna actoris ambitio: et natura adfert, ut quibus periculum creetur, in eos humana aliqua miſericordia propendeamus: ſimulq; omnes ad liberationem propenſiores, ut ſcribit Paulus in l. Arrianus. ff de actio. & obligat. Etenim ſi prætor.] Approbatio oppoſitionis á prætoris inſtituto, per locum comparatorum á maiori. Prætor neminem prohibet, qua uelit actione, ius ſuum perſequi. multo igitur minus prohibere debet iudex. Obſeruabis autem hic iuuentus, Conſulis olim munus ab urbe condita ad nonageſimum ſupra trigeſimum annum fuiſſe, quod hodie eſt prætoris, reſpondere, ſcilicet de iure controuerſo, bonorū poſſeſſionem dare, hæredis in defuncti bona admittere, ius atque iudices cōſtituere, dolo uel metu lapſis, uel ui deiectis ſuccurrere, &c. Verumtamen.] Excuſatio officij á cauſæ natura : hoc eſt, criminis, quod intendebatur, atrocitate, ad deprecandá actionis inuidiam. quaſi dicat : Cuius uim atque iniuriá criminali iudicio cōſtringere poſſem : in eum ne uideor atrocior ciuiliter agens? Quod ut rectius, & maiore aliqua cū utilitate iuuentus intelligat, ſubieci Impp. Valent. et Grat. reſcriptū. t. quando ciuilis actio crimi. præiu. C. A pleriſque prudentiū generaliter definitū eſt, quoties de re familiari & ciuilis & criminalis cōpetit actio, utraque licet experiri : ſiue prius criminalis ſiue ciuilis actio moueatur. nec ſi ciuiliter fuerit actum, criminalem poſſe conſumi: & ſimiliter econtrario, &c. Verum ſine.] Epilogus exordij, quo aptè tranſitū facit ad orationis narrationé. quid autem ſit ſummo iure agere, eruditiſſime interpretatur in Anno. in Pand. Budæus. & Cicero in huius quoque orationis fine. Cæcina, inquit, ita ſe probatum uobis, ueſtriq; ſimilibus ſemper uoluit, ut id non minus in hac cauſa laborarit, nec cōtenderit aliud, quàm ne ius ſuū diſſolute relinquere uideretur : nec minus ueretur, ne cōtemnere Ebutium, quá ab eo contēptus eſſe exiſtimaretur. Marcus Fulcinius.] Narratio omnibus occaſionibus demonſtrandæ rei amplificata, atque ad effugiendū tædium admirabili rerum, perſonarum, cauſarum, euentorum uarietate pulchre expolita, ſparſis paſſim argumentis & ſuſpicionibus ad cauſæ cómendationem augendam. Vertitur enim tota ſæpe cauſa in lucida, breui, ac ueriſimili narratiōe, quæ reliquæ orationis omnis fons eſt, auctore Fabio Quintiliano lib. 4. Huius prima pars matrimonium M. Fulcinij & Ceſenniæ continet : quæ quoniam nó admodum ad cauſam pertinebat, ſtatim reijcitur, & additur interfatio cū epiphonemate: Magnus, inquit, honos, &c. Quid autem ſit argentariam facere, explicat Vlpianus

in. l. ſi

in l. ſi hominem. §. quoties. ff. depoſiti. et Budæus in Annotat. & Andreas Alciatus. Cum uteretur. ] quòd Reip. interſit, dotes mulieribus conſeruari, l. i. ff. ſol. matri. quo fit, ut mariti bona, ſi nihil expreſſe obligatum ſit, uxori pro dote reſtituenda obligentur. l. i. §. ut plenius. C. de rei uxoriæ actione. Sed dos initio Romanis æs graue fuit, mox 10. millia æris, poſtremo 40. millia. Itaque Fabricij, Scipionis, & M. Curij filiæ, cum dotis inopia laborarent, ut tamen pro notalib. nuberent, ex publico dotem acceperunt. Solon et Lycurgus legibus uetuerunt, ne ſponſæ maritis dotem darent. Aegyptij, ſi dotem accepiſſent, uxoribus tanquam mancipia addicebantur. Apud Iberos, nuptiarum die ſponſa colum comptam, et fuſum cum flamine ad uirũ dotis loco deferebat. Cum eſſet. ] Hæc narrationis pars occaſionem habet, qua Sext. Ebutius in Ceſenniæ bona irrepſit: eſtq; cauſarũ et euentorũ argumentis ad mouendas ſuſpiciones munita. Rationibus auctionis & partitionis. ] Tria ſunt apud iureconſultos duplicia iudicia: finium regundorum, quod datur in confinio ruſticorũ prædiorum, quoties lis eſt de finibus regundis atque diſterminandis, & iudex ruſticorum prædiorum fines adiudicatione, aut per menſores dirimit. C. et. ff. l. 2. fin. regund. Alterum eſt, Communi diuidundo, per quod corporalium rerũ, quarum dominium habemus, non etiã hæreditatis fit diuiſio. l. per hoc. ff. de communi diuid. Tertium, Familiæ herciſcundæ: id eſt, hæreditatis diuidendæ. quod datur hæredibus uolentibus à communione diſcedere, ſiue eis hæreditas ex teſtamento, ſiue ab inteſtato deferatur. Cicero illud partitionis rationem hoc in loco appellat. Actio ſanè ea uenditio eſt, qua res præcone proclamante, plus offerenti addicitur. Quam perſonam. ] Breuis [illegible] in deſcriptionem Sex. Ebutij, quẽ fraudi atque calliditati opportunum facit. Fuerat enim artis, ut quem in crimen calummiæ uocabat, eius nequitiã ſingularem, naturam importunam, promptam atque audacem calliditatem, et animi denique induſtriam omnem ad perniciem profligatam ac perditam oſtenderet: ſumpto argumento à uitæ conſuetudine, quæ (ut ait ille) cuiuſque ingenium quale ſit declarat maxime. Fitq; narratio lucidior ſubiectione rhetorica, Porrò cognoſcere Vlpiano in l. Cognoſcere. ff. de uerb. & rerum ſignific. ſignificat inſtrumenta relegere et reconoſcere Cicero paſſim in Verrinis refert ad res controuerſas. Cognoſcit, inquit, Verres cauſam. Et cognoſcere ij dicuntur, ut ſcribit Aſco. Pedian. qui tanquã iudicaturi controuerſias audiunt. Hinc cognitor, qui alterius litem coram eo, cui datus eſt, cognoſcit, cum procurator abſentis nomine agat.

Cum eſſet. ] Redit ad intermiſſum narrationis curſum, & breuem facti rationem adfert, ut credibilior ſit narratio: cuius ſimplicitas imprimis conducit ad fidem faciendam. Cui tandem? ] Subiectione recuperatorũ attentionem excitat, atque præparat ad cauſæ quæſtionem in qua magna lis uertebatur, utri ſcilicet fundus emptus eſſet, Ebutio'ne, ut ille maleficioſe dicebat: an uero Ceſenniæ, quæ Ebutij opera in fundo emendo uſa fuiſſet. Adeſt ad tabulam. ] Quemadmodum olim moris fuit, argentarijs ſiue argyropractis pecunias cuſtodiendas dari uel gratuito, uel fœnerato: ita etiam illi publicis auctionibus interueniebant, et quod cuique uenderetur, hoc teſtibus argentariorum tabulis reddebatur, auctore Quintil. lib. 11. Habebant autem argentarij ueteres, duas tabulas, quemadmodũ & ærarij quæſtores, ut refert Aſconius Pædia, quarum una accepti, altera expenſi erat. Facit harũ in Verrinis Cicero mentionem. Cum autem ſcribebant, ut inquit Aſco. in tabula accepti, ſe pecuniã à Titio accepiſſe, Titio dicebant pecuniam acceptam ferre: meminit huius et Vlpia. in l. mulier. ff. ad ſenatuſconſ. Trebell. ſi mulier. ff. de peculio, &c. Cum omnia. ] Cõmonitio, et opportuna narrationis breuitas. Locũ hunc ſic explicat Budæus in Pand. Cicero, inquit, hæreditatem, id eſt aſſem, his uerbis in deuncem, ſemunciã, et tres ſextulas diuiſit. Ex quo liquet, ſextulam tertiam eſſe partem ſemunciæ, & unciæ ſextam. Duas ſextulas dixit, pro tertia unciæ parte: cum tamen aliud uocabulum latinum haberet, duellã ſcilicet. nam duæ ſextulæ duellam faciũt, quæ tertia unciæ pars eſt, hoc eſt ſexta & triceſima totius aſſis.

Iam principio. ] Hæc narrationis pars cauſæ eſt propria, ad quam reliqua confirmationis argumenta omnia referũtur. Meminit autẽ præter cæteros Volaterranorũ in uita Syllæ Plutarchus: & in libro I. Epiſtol. ad Atticum, atque in huius orationis fine Cicero cuius quoque uerba in oratione pro Domo ad Pontifices hæc ſunt: Populus Romanus L. Sylla dictatore ferente, comitijs censuriatis, municipijs ciuitatem ademit: ijſdẽ agros. de agris ratũ eſt (fuit enim populi poteſtas) de ciuitate, nec tamdiu quidem ualuit, quandiu illa Syllani temporis arma ualuerunt, Hanc uero Volaterranis, cum etiã tum eſſent in armis, L. Sylla uictor Rep. recuperata, comitijs centuriatis ciuitatem eripere non potuit: hodieq; Volaterrani non modo ciues, ſed etiam optimi ciues fruuntur nobiſcum hac ciuitate. Itaque homo. ] Præparatio ad cauſæ perſonæq; commendationem, per locũ adiacentium. adiecta enim factis cauſæ et rationes, credibilem faciunt narrationem. Videbatur enim ſubeſſe ſuſpicio, quaſi deteriore iure Cecina fuerit, metuq; legum in re controuerſa cum aduerſario tranſigere maluerit, quã ius ſuũ perſequi. ſed hanc ſuſpicionem epanorthoſis remouet. Nomine hæredis. ] In familiæ herciſcundæ iudicio unuſquiſque hæredum et rei et actoris partes habet. l. 2. §. in familiæ. ff. famil. herciſcun. Denunciat. ] Frequentius denunciare, quemadmodum et obnunciare, in malam uſurpatur partem, quaſi comminari. Nam Cicero dicit, mortem à Clodio palàm Miloni denunciatam et prædicatam eſſe. Sic denunciare periculum, uim, bellum. Quid alij? ] Sermocinatione illuſtriorem facit narrationem. Recte Cicero in partitionibus præcipit, ut habeat narratio ſuauitatẽ, admirationes, expectationes, exitus inopinatos, colloquia perſonarum, omnes affectus. In rem præſentem. ] In rem præſentem uenire ueteres dicebant, cum propoſito retinendæ uel recuperandæ Poſſeſſionis interdicto, de cõtrouerſa re acturi uel pronunciaturi, agri aut fundi fines oculis deſignabant: aut teſtium inquiſitione ſibi deſcribi uolebant. cuius apud Vlpianum in l. Si irruptione. §. ad officium. ff. fin. regund. fit mentio. Ad officium, inquit, iudicis de finibus cognoſcẽtis pertinet menſores mittere, & per eos dirimere ipam finium regund. quæſtionem, ut æquum eſt: ſi res exigit, oculiſq; ſuis ſubiectis locis. Vſus et ea locutione in Epiſtolis Plinius, & Fab. Quint. lib. 4. Videtur. ] Elegans & prudens præcaſtigatio à facti ratione, ne captata ſuſceptaq; uis uideatur. Homo mea ſententia. ] Modeſta Cecinæ reprehenſio, quæ ſibi fidem uel affirmanti: uel neganti conciliat, tanquam libero et recto animi iudicio, & nullam ad gratiã commendationemq; Cecinæ, rem geſtam ſit narraturus: ſimul ut pulſus Cecina uideatur. Talis uero eſt reprehenſio & in oratione pro C. Rabirio Poſthumo. Publ. Dolabella. ] Hæc commonitio uim propoſitionis habet, qua expoſito rerum ordine, iudices ad orationis quæſtionem atque ſtatum informantur. meminit huius loci & Quintil. lib. 4.

Sponſio facta. ] Sponſio plerunque fiebat in interdictis apud iudices, uel recuperatores. auctore Fabio Quintiliano libro 7. ad coercendos puniendoſq; uel temere litigantes, uel pertinaciter & improbe factum negantes. Fit autem ſponſio, quã Cicero libro de Oratore primo & officiorum tertio, & in huius orationis fine, ſacramentum, Aulus Gellius & Cicero pro P. Quintio actionem ex ſponſo uocant, cum præter rem, de qua controuerſia eſt, depoſita pecunia apud recuperatores litigatur: ubi ſuam uictor aufert, uicti pecunia ad ærarium redit. qualis hæc eſt. Ebutius ſe prætoris edicto ſatisfeciſſe dicit: negat Cecina. facta ſponſio, ni Cecina reſtitutus ſit. Itaque tota controuerſia, & huius orationis conſtitutio eſt, ut

decernatur, rectène Ebutius, an uero male fecerit ſponſionem, dum ſe reſtituiſſe dicat. Scribit in hanc ſententiā in Annot. in Pand. pleraque Gulielmus Budæus: & extat exemplum memorabile ſponſionis factæ inter Cleopatrā & Antonium, apud Pliniū lib. Natural. hiſtoriæ nono. Porrò Cicero in oratione pro Domo ſua refert, maiorum inſtitutis cōceſſum fuiſſe, ut quotieſcunque uellet is, qui de ſponſione facta contendebat, poſſet rem iudicatam referre. Maxime fuit.] Præparat iudicum animos ad cauſæ naturam defenſionemq; intelligendam: & propoſita actionis imagine, quanta cū confidentia aduerſariorū controuerſia iactetur, pulchre & utiliter in rem præſentem ducit. Prodeſt enim, ut ſcribit Quintilianus lib. 4. eiuſmodi præparationibus, quæ noui cuiuſdam exordij uim habent, in cauſa præſertim obſcura et controuerſa, iudices probationi noſtræ conciliare, uel defatigatum & ueluti offenſum eorum ſtomachum mitigare. idq; ſtudio fuiſſe Cicer. nobiles illius aliquot orationes pro An. Milone, pro Q. Ligario, pro Deiotaro, &c. indicant. Laudatur hæc præcipue, ſi breuis ſit, et ueluti ſequentis membri initium: ne iudici ad probationes rerum animū referenti, noua mora interponatur. Facit autem hic eam illuſtriorem Cicero, argumentatione rhetorica: cuius maior infertur per locū communē, eiq; ſubtexitur ratio, quæ cauſæ habet eum fiduciam, tum uero cōmendationem ſequitur deinde aſſumptio, ſiue partiū priorū comprobatio: Improbus, inquit, fuit, &c. Sed hæc quoque exornatione amplificatur. Nam in eas ipſas res teſtimonia, inquit, ſumpſit. Poſtremo cōcludit per propoſitionem, Quid confitetur.] Expoſita cauſa, confirmat quæ in tota narratione ſparſa fuerāt, et quæ ex aduerſo proponuntur, refellit, ſumpta probatione à teſtium confeſſione: quorū teſtimonij dictionem admirabili induſtria et conſilij laude ad cauſæ ſuæ utilitatem accommodat. Nam et Cecinam coactis armatisq; hominibus deiectum, et eam uim habēdam eſſe, qua ille pulſus fugatusq; ſit, magna teſtium ferè omnium conſenſione probat. Fuerat artis, in teſtes fortuna egentes, exiſtimatione damnatos, audacia et ſcelere furentes, cupiditatis & periurij inuidiam conijcere: extorquere uero, quæ cauſæ aduerſariorum maxime eſſent aliena, atque pugnantia oſtendere, hoc naturæ excellentis, hoc laudabilis induſtriæ, hoc eius eſt, qui longo exercendæ prudentiæ uſu res omnes animo habet pertractatas. Quod eò diligentius obſeruare iuuentutem uelim, quò nulla ciuilis uitæ pars, nulla Reip. ac communiū rerū ſit propugnatio, in quā non plurimus huius loci incidat uſus. Et cum rhetores duplicem, ut edito libro oſtendimus, probationem faciant, erit hæc inartificialis habenda, propterea quòd quamuis magna ingenij induſtria explicetur, à cauſa tamen ad oratoem transferat. Illud ſanè prudentiæ & utilitatis eſt obſeruare, quàm ſuſpicioſe, quā acriter, quā inuidioſe, quàm uaria denique ac multiplici orationis figura aque flexu, uel ad concitandos iudicum animos, uel iucundo & liberali ſcōmate triſtes illos affectus diſſoluendos, teſtiū dicta plena iniuriæ atque atrocitatis proponat, ſparſis ubiq; ſuſpicionibus atque argumētis cauſarū, adiacentiū, connexorū, antedictorum. Nam locū uniuerſum rhetoricis exornationibus perſonarū deſcriptione, illuſione, ridiculo à Phormionis nomine petito, acerbiore etiā ſcommate in Fidiculani Falculæ improbitatem, perfidiā, et omnibus largitionibus proſtitutam ambitionem coniecto. De hoc autem Falcula, quoniam pleraq; ſcribit Aſcon. Pædia. actione 2. in Verrem, et loci huius expoſitionem continet M. T. oratio pro A. Cluentio: nec obſcura eſt ratio ampliādi, quā præter ceteros deſcribit Aſcon. Pæd. in Miloniana, nolui hic lexica tradere, aut copioſiores ſcribere commentarios. Quod autem dixerit, MORIBVS DEDVCTIO FIERET, hunc habet ſenſum, ut de poſſeſſione cōtrouerſi fundi eo more deduceretur, qui à maioribus uel lege uel moribus fuiſſet obſeruatus: quando forenſibus in rebus ac iure ciuili pleraque non principum conſtitutionibus, ſed moribus ac conſuetudine regūtur l. de quibus ratio ſi. ff. de legib. & ſenatuſcon. iuriſconſulti hanc uocant actionē familiæ hercifcundæ. nam familiæ nomine etiā hæreditatem recte intelligimus. l. pronūciatio. §. familiæ. ff. de uerb. ac rerū ſignifi. argum. to. tit. familiæ hercifcundæ. ff Vocat autē P. Ceſennium AVCTOREM, quoniā auctor eſt, referēte Aſc. Prædiano actione ult. in Verrem, à quo ius in re aliqua comparamus. Si uno minus damnarent.] Quoties plures fuerint iudices, et diuerſas dixerint ſententias, ſtandū erit partis maioris ſententiæ. l. item ſi unus. §. Principaliter. & ibi Barto. ff. de arbitris. Quomodo autē hæc ratio uariet, ſcribunt amplius Accurſius et Bart. in. l. diem proferre. §. Si plures. c. Philippus Decius in. c. 1. de arbitr. lib. 6. Decretal. Deprecetur.] Deprecari culpā elegantius & crebrius dicimus, cum, ut nobis ignoſcatur, petimus: in quā ſignificationem ſimpliciter dixit Cicero in Philippica ſecunda: Pacem, inquit, uult M. Antonius, arma ponat, roget, deprecetur. Hinc deprecatio illa rhetorica. cuius & Tripho. meminit in l. auxiliū. §. In delictis. ff. de minoribus. Nulla, inquit, deprecatio adulterij pœna eſt, ſi ſe minor annis adulterū fateatur. Eſt etiā deprecari, ualde precari. Verū, Recuperatores.] Commonitio & interfatio iudicum, pulchre ad tollendām iudicandi moram illuſtrata argumentatione, quā ſubiectionem Rhetores uocant: qua quæ obſtare uidebantur, additis ueluti rationibus amouet. An uero illa defenſio.] Contentio, quæ ex intentionis et depulſionis, rationis ac firmamentorū conflictione ſtatum cauſæ habet. Intentionem ſupra oſtendimus: aduerſus eam hic adfertur depulſio: Non deieci, inquit, &c. et additur αἰτία ratio, ſiue exceptio: Non enim te ſum paſſus, &c. Cui deſtruendæ ſubtexitur συνέχον, firmamentum ſiue replicatio: Deiectus eſt, qui armis pulſus fuit. Hæc reſeruatur κατὰ τὴν ἀπο δεἰξιν in locum commodiorem: ut quoniam reus exciperet, deiectum Cecinam nō eſſe, ac proinde actionem, qua reſtitui poſſit, nullam illi dari: prius Cicero hanc controuerſiam decideret. Eſt hæc res, inquit, poſita, etc. Eſt igitur enthymema per locum antecedentium: Vi pulſum Cecinam conſtat. Ergo actio ad reſtituendum datur. Fac in hoc errare.] Conceſſio rhetorica, qua actionis lenit uehementiam: & dilemmate probat, actionem ad reſtituendum Cecinā dari. cuius uis hæc eſt: Aut cauſæ huic actio datur, aut nulla. Sed datur: igitur et animaduerſio. Nullam dari qui dici poteſt? cum rerū omniū iura à maioribus ſint inſtituta. Expolitur huius cōplexionis pars prima locis communibus de iure, æquo ac bono, ut iudicū animi nō ſolū doceantur, ſed quadam etiā animorum permotione ad cauſæ conciliationem impellātur. Altera pars amplificatur collationibus, συναθροισμῷ, incremento, ſermocinatione, cōmunicatione, iure diſſimili, cæteriſq; figuris rhetoricis: et quò altius recuperatorū ſenſibus intentionē ſuā aſſiguet, repetit eā interfatione ſiue cōmonitione, non ſe de poſſeſſionis iure, ſed iniqua hac Piſonis defenſione conqueri. Cui etiā ſuā replicationem, ſiue firmamentum ad labefactandam aduerſarij rationem opponit: collationibus oſtēdens, eiuſdem iniuriæ eſſe, uel ingredientē prohibere, uel ingreſſum deijcere quā ſententiam et Vlpianus probat in l. 1. §. ſiue animo. ff. de ui et ui armata. Sed interdictum hoc ei dari, qui uel prohibitus uel deiectus ſit: propterea quòd iniuriarum actio, imminutæ libertatis dolorem mitigat. Nec uideri prætorē, qui minoribus de rebus ac controuerſijs interdixerit, nullum de ui atroci propoſuiſſe interdictum. Extant de ijs multa in libris Pandectarū. Nouū eſſe, epiphonemate oſtendit, in ieiuna ac friuola calumnia defenſionis fiduciā ponere: uerbis cōtrouerſiam, nō æquitate dijudicare. Et omnino hanc, quæ proponitur, ex interdicto actionē dari, probat argumentatione, quā enumerationē rhetores atque dialectici uocant: Verū hanc, inquit, actionem habebis, etc. remotis enim partibus prioribus, poſtremā facit neceſſariam. Non eſt obſcurus uniuerſus hic locus ei, qui mediocrem

uſum

uſum et ſcientiã ad rhetorica contulit. Non enim.] Προλη[illegible] obruit aduerſarij exceptionem: & de huius interdicti utilitate rhetorum more diſputat. Nam ut Vlpianus ſcribit in l. 1. § ff ne uis fiat ei qui in poſſ. hoc interdictum prætor ſumma prudentia propoſuit. Fruſtra enim in poſſeſſionem mitteret rei ſeruandæ cauſa, niſi miſſos tueretur, et prohibẽtes uenire in poſſeſſionem coerceret. Atque hic quoq; locus collationibus fit illuſtrior, et apto clauditur epiphonemate. Queramur inquit.] Dialogiſmo aliud aduerſarij firmamentũ, ſiue (ut iuriſcõſulti dicunt) duplicationẽ proponit, eamq; deſtruit argumẽtatione rhetorica ad hunc modũ: Maior uis ea eſt quæ animũ, quã quæ corpus de ſuo dimouet ſtatu. Hoc axioma definitionẽ habet, quã Fabius Quintil. lib. Inſtit. rhetor. 7. cap. 4. ideo optimam eſſe refert, quòd in ea res proponantur, et uerba nõ perklitentur. Eſt enim, ut ait Vlpianus, ff. de reg. iur. omnis definitio in iure periculoſa. Ratio axiomatis eſt: Quoniã ſaucij ſæpe homines nõ cedunt, & integri ſæpe pelluntur. Aſſumptio: Sed terror animum de ſtatu dimouet. Probatio eius: Nam exercitus maximi ſæpe ipſo terrore ſunt depulſi. Ergo uis maior eſt, ad animum quæ peruenit. Vides hic argumentationem eſſe, non collectionem, quoniã concluſio neceſſario ex prioribus partibus infertur. Oeconomia argumentationis rhetorica eſt. Præcedit enim aſſumptio cũ ſua probatione ſequitur maior propoſitio: propterea quòd rhetor artis ſubtilitatem apud indoctam plerunq; plebem diſſimulat, et propoſitiones indefinitæ ac ſingulares magis audientium animos permouent. quod amplius docuimus in Commentarijs noſtris in orationem pro lege Manilia. Infertur deinde per contentionem, per locum ſimilium & antecedentium tropologia, ſiue præcedentis argumentationis accõmodatio, quo res ipſa, et quædam ueluti diſputationis exilitas auguſtior illuſtriorq; fiat. Extant huius rei paſſim exẽpla in hiſtorijs, inter quæ in primis memorabilis eſt illa in maxima rerum deſperatione animi magnitudo, quã uel Catilinæ exercitus præ ſe tulit, uel Romanus populus aduerſus Pyrrhum Epirotarum regem pugnans, acceptis aduerſo pectore uulneribus, et ipſa morte apparente ferocitate. In fine additur elegans in primis & uenuſta argumentatio per locum cauſarũ, Rhetores ſubiectionem appellant: Quid igitur, inquit, fugiebanti &c. Poſtremo locum hunc concludit enthymemate à conſequentibus. At uero.] Expolitio ſiue amplificatio prioris loci ab inſtitutis maiorũ, pulchre & admirabiliter exornata, ut quantũ periculi uniuerſæ Reip. ac ciuiũ fortunis referat actionis huius neglectio, et quædã ueluti iniuriæ impunitas, iudicibus appareat: pertinetq; hoc præcipue cum ad docendos, tum uero etiam magis ad inflammandos iudicum animos. Quam autem uim atque ſenſum hæc orationis pars habeat, nõ obſcure indicat illa de ui armata diſtinctio Vlpiani in l. Idem. §. Si quis uiſis armatis, qui aliò tendebant ff. de ui & ui armata. Obſeruabit autẽ iuuentus, ſi, et ui, particulis prætores in conceptionibus iudicij recuperatorij uti cõſueuiſſe, cuius rei multa apud Ciceronem ſunt exempla. Ita'ne.] Expolit ſenſum priorem loco comparatorum à minori, et figurata interrogatione membri collocationem reddit intenſiorem, epiphonemate extollens replicationem, cuius hic quoque definitionem diuerſa explicat orationis figura: ut hoc exemplo appareat, rem eandem non uno modo definiri. Et rurſus propoſita futuræ actionis imagine, quid ſtatuere debeãt, recuperatores docet, per locum comparatorum. Meminit huius hiſtoriæ Cicero in oratione pro A. Cluentio: ſtatuerunt maiores noſtri, inquit, ut ſi à multis eſſet flagitiũ rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animaduerteretur, ut metus ſcilicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret. Hanc pœnam apud Romanos primum exercuiſſe Appiũ Claudium aduerſus ſignorum deſertores, bello aduerſus Volſcos ſuſcepto, ſcribit Tit. Liuius lib. ab urb. cond. 2. eam deinde in uſum reduxit M. Craſſus, fugato exercitu Romano à Spartaco in agro Piceno. quingentos enim ex ijs, qui primum fugerant, in 50 diuiſit curias: inde ex earum qualibet unum ſorte ad ſupplicium delegit. Age uero.] Vrget dilemmate aduerſarij confeſſionem, & hunc locum concludens, uim factam eſſe confirmat. Iam uim factam.] Tranſitio ad illuſtrem diſputationem à ſententia contra ſcriptum: qua contendit legis uim non in uerbis ac literis, ſed ſcriptoris mente poſitã eſſe: idq; proprijs huius cauſæ locis probat, atque exemplis. Aduerſarius enim his uſus locis uidetur: Non debere legislatoris ſenſum ab interprete potius, quàm lege interpretari. Iniquum eſſe, quæ ſcripta ſit reprobare, proferre quæ ſcripta non ſint. Improbum eſſe, ſtultitiæ prudentiſſimos homines damnare. Contra hos alios adducit, et uerbi diſputationem, quam ſupra reiecerat, illuſtri rerum exemplorumq; uarietate inſtituit. DIMOVERI, inquit aduerſarius, &c. Hæc aduerſarij hypophora infertur per enthymema: Deijcitur nemo, niſi ex loco depellatur. ergo in eo loco, qui non fuerit, deijci non potuit. Deſtruitur hæc, apta refutandis obiectionibus argumentatione per ſubiectionem. Cui etiam alius ſtatim locus contra ſcriptum per aſſeuerationem opponitur, nempe illiberaliter eos facere, qui uerbis controuerſiã, non æquitate dijudicant. Sed nec hæc quidem pars ſimpliciter tractatur. Nam et obiurgationẽ Ebutij, legis uerbis præfidentis habet. & uocabuli, deijci, notationem, ſiue etymologiam docilitatis cauſa continet. Additur deinde ſecundus locus contra ſcriptũ, imprudẽtiæ ſcilicet et ſtultitiæ eſſe, cũ interdicti æquitas intelligatur, in uerborum uerſari errore. Sequitur hunc tertius locus ab inopia omniũ linguarũ, cuius inſignis quoq; apud Cic. in Dialogo de oratore extat diſputatio. Quartus porrò locus ex ſimilibus legibus adductus, facile indicat, referente Fabio Quintiliano lib. 7. cap. 7. ſtari ſcripto ſemper non poſſe. Nihil autẽ attinet in tantæ lexicorũ copia quid lex ſit, quid ſenatuſcõſultũ declarare. eruditus præceptor ex iuriſperitorũ ſcriptis exempla ad hunc locum declarandum ſumet. & extant in eam ſententiam, l. Si legatum. l. Qui duos filios. & to. denique tit. ff. de rebus dubijs. Quinto loco uniuerſam hanc diſputationem exemplis, quæ mire ab probandum ualent, declarat atque illuſtrat. Non eſt obſcura diſputatio L. Craſſi cum M. Curio. cuius Cicero lib. de Oratore primo, lib. Epiſtolarũ primo ad Atticum, et amplius in Bruto meminit. Cum ſæpe, inquit, aliàs, tum apud centumuiros in cauſa M. Craſſi cognitũ eſt. &c. Qualia uero centumuiralia iudicia fuerint, præter Feſtũ Pomp. et Alexandrũ ab Alex. doctiſſime declarat unicũ Galliæ decus Gulielmus Budæus. Ne tamen leuis hæc cuipiam legum imperito probatio uideatur, adſcribam Caij deciſionem in l. utrũ. ff. de rebus dubijs. Vtrum, inquit, ita poſthumus partem faciat, ſi natus ſit, an etſi natus non ſit, quæritur. ego cõmodius dici puto, ſiquidẽ natus non eſt, minime eũ partem facere, ſed totũ ad te pertinere: quaſi ab initio tibi ſolido relicto. Sin autem natus fuerit, utroſque accipere quantũ cuique relictũ eſt: ut uno nato, pars tibi dimidia debeatur: duobus natis, tertia tibi debeatur: tribus natis (quia treſgemini quoq; naſcũtur) quarta tibi debeatur. Et noſtra quidem ætate, Serapia Alexandrina mulier ad diuũ Adrianũ perducta eſt cũ quinq; liberis, quos uno fœtu enixa eſt: ſed tamen quòd ultra tres naſcãtur, ferè portẽtuoſum uidetur. hactenus ille. Excitat deinde eũ iudicantiũ animos, tum uero rerum probationem ſubiectione rhetorica, ad demerendã omniũ cõſenſionẽ, amoliendamq; omnẽ dubitationẽ. QVID? VERBIS, inquit, hoc ſatis cautũ erat, minime etc. Sed & hic locus amplificatur alio exemplo à natura uſucapionis ſiue præſcriptionis ducto. LEX VSVM ait, & auctoritatẽ fundi iubet eſſe biennium, etc. Vocat autem hic Cicero uſum atque auctoritatem, uerba Venul. in l. ultima. ff. de euictio. ſecutus, quod hodie noſtri iuriſcõſulti appellãt uſucapionẽ ſiue præſcriptionem, id eſt, definitore Caio in l. iij. ff. de uſucap. et uſurp. acquiſitionẽ dominij

*per cōtinuationē poſſeſſioni, temporis lege definiri. Quæ olim in rebus mobilibus unius anni, in rebus immobilibus biennij erat. hodie uero l. unica. C. de uſucap. in mobilibus rebus triēnij eſt: immobilibus uero inter præſentes decēnij, inter abſentes uicēnij, aut etiā ulterioris. Verba autem Venul. iuriſcon. ſunt eiuſmodi: Si alienā rē mihi tradideris, et eādē pro derelicto habuero, ſunt ei auctoritatē, ideſt, actionē pro euictione placet. obſeruauit hūc locū et Budæ. in Annot. ...* Si uia ſit, etc. ] *Amplificatio à natura ſeruitutū ruſticorū prædiorum. inſtit. et ff. e. hoc tit. Eſt autem uiæ latitudo 8. pedum in directum, in angulis 16. l. Viæ latitudo. ff. eo. uide Alexandrum Genialium dierum lib. 2. cap. 20.* Actio eſt in auctorem. ] *Aliud exemplum à formula rei uendicationis, cuius in oratione pro Murena meminit Cicero, et A. Gellius libro 9. De Appio Cæco multa ſcribunt T. Liuius, Sabellicus, Florus lib. 1. cap. 18. Plutarchus in Pyrrho, Cicero in Catone maiore, Ouid in 6. Faſtorum, Valer. Max. lib. 8. cap. 14* Teſtamento ſi recitatus hæres. ] *Aliud exemplum, à teſtamenti formula, quo probatur ſcripto ſtari non oportere. Eſt autem proprie pupillus, definitore Pomponio in l. pupillus. ff. de uerb. ſignifi. qui cū impubes eſt, deſijt in patris poteſtate eſſe, aut morte, aut emancipatione.* Veniunt in mentem. ] *Tranſit à locis communibus à ſentētia legis contra ſcriptum, ad interdicti, de quo cauſæ cognitio eſt conſtituta, interpretationem: & uenuſto exemplo oſtēdit, interdicti huius utilitatem uerborū calumnia amitti: cuius formula refertur in l. 1. ff. de ui & ui armata. Porrò hinc etiam colligi poteſt, ius noſtrum, quo hodie utimur, longe locupletius quàm olim anguſtiuſq; eſſe neque enim in controuerſiam hodie uenit, deiectum eum uideri, qui ingredi in prædium prohibitus ſit. 1. §. idcircoq;. ff. de ui & ui armata. aut etiam qui metu perterritus fugerit, l. §. Labeo ait. ff. eo, Et ſatis conſtat, etiam ſi unus ſeruus ui deiecerit, familiam deieciſſe uideri. d. l. 1. §. familiæ appellatio. ff. e. Locum autem uniuerſum ſupra declarauimus. Plinius lib. 33. tanto ueteribus ſtudio frugalitatem fuiſſe ſcribit, ut priſci Romani ſingulis ſeruis contenti uixerint. Meminit illius et Quintilianus lib. 1. hinc Marcipores et Publipores. ſed Varro ſcribit, olim familiæ nomine ſolos ſeruos intelligi conſueuiſſe: deinde uſu receptum, ut & liberi hoc nomine comprehenderentur, poſtremo etiam cognati: ſed tamen nec unum, nec duos ſeruos familiam facere.* At uero ratio iuris. ] *Hypophora aduerſarij, qua defenſionis infirmitas, & quædam quaſi uerborum calumnia proditur. eam anthypophora Cic. deſtruit: cuius uis in hanc conijcitur argumentationem: Vbi eadē æquitatis eſt ratio, ibi nihil attinet uerborum uim inquirere. In eo reſtituēdo, qui uel uno, uel pluribus ſeruis deiectus eſt, eadem æquitatis eſt ratio. Nihil igitur attinet, quæ uerborū uis ſit inquirere. Maior propoſitio apud Cic. quoq; in Topicis explicatur: Valeat, inquit, æquitas quæ paribus in cauſis paria iura deſiderat. Infertur deinde aſſumptio: Non. n. alia hic cauſa eſt æquitatis, &c. Recte autem addi, tuo rogatu. Aliter enim decernendū, ſi deiectio inuito et inſciente domino eſſet facta. l. 1. § quod ergo adijcitur. ff. de ui et ui armata. Hæc poſtremo omnia cōplectitur cōcluſio per enumerationē.* Perge porrò hoc idem interd. ] *ſimilis argumentatio priori, per locū à ſententia cōtra ſcriptum infertur. n. i. et ibi ius eſſe idē debere contendit, ubi eadē æquitatis ſit ratio quæ ſentētia æquitatē habet. l. pe nul. C. de inoff don. l. 1. C. de lib. præter. l. à Titio. ff. de uerb. obl. l. illud quæſitū. ff. ad l. Aquil. Et crebris definitionis cauſarumq; locis declarat, interdictorū ius non in uerbis, ſed æquitate eſſe conſtitutū. Quid uero armorū nōine accipi debeat, docet Vlpianus in l. Idem eſt. §. Armi deiectum. ff. de ui et ui armata. et ibi Bartolus.* Venio, etc. ] *Tranſit ad Piſonis reprhenſionem eiuſq; defenſionē infirmam, nugatoriā, ſecū pugn. item, & planè alieno tempore, et contra quā cauſæ utilitas poſtulat inſtitut. i. in odiū rapit atque cōtēptionem. Qui locus præterquā quòd mire utilis eſt ad labefactandas omnes aduerſarij exptiones, etiam aptis orationis figuris atque exornatiōibus expolitur, cū inſigni arrogātiæ deprecatione. Et quo liberius Piſonis inepta defendendi ratio reprehendatur, exponit eam per contentionem: Cæteri, inquit, ita demū iuriſconſultorū auctoritati obtēperare nō oportere cōtendunt, cū ſe in cauſa ſua æquū & bonū defendere putant. Tu uero Piſo, cum uerborū columnia æquitatē oppugnes, tamen alieno tēpore uociferaris, concedi nimiū iuriſconſultorū edictis nō oportere. Atq; hæc Piſonis infantia pulchre exponitur ſermocinatione rhetorica. Subtexit deinde aliud in eadem ſententiā exemplum Scæuolā dicis cauſam apud Centumuiros non obtinuiſſe. at iſtud tuis maxime obſtat rationibus. Piſo: quoniā cauſam ideo nō obtinuit, quòd uerbis æquitatē oppugnaret. quod etſi hic tu facias, ille tamen in ea cauſa, quæ iuris haberet cōtrouerſiam, facit: tu uero in nulla facis.* Cum id mi ror. ] *Breuis et opportuna digreſſio in eorū reprehenſionē, qui iuris ciuilis dignitatē eleuāt. Transfert autē dilemmate omnem criminationis inuidiā à ciuilis iuris ſacroſancta maieſtate in iuriſconſultos indoctos: & cauſam adfert per locū cōiugatorū.* At eſt aliq. ] *Dilemmate obruit diſſentientiū hypophorā, exemplo diſputationē illuſtrās, et addit in fine αἰτιολογίαν, qua auerſam à iure ciuili inuidiā in certorū hominū imperitiā cōuertit.* Quod nobis, etc. ] *Illuſtris & in primis inſignis amplificatio à iuris ciuilis ſplendore, utilitate, et amplitudine: qua ueluti argumentatione declarat, interdicti huius dignitatem cōuelli aut negligi ſine magnis totius Reip. malis nō poſſe: et crebris comparationibus quæ demonſtratiui generis propriæ ſunt, et rebus amplificandis accōmodatæ, docet, quā rebus omnibus ac ciuiū fortunis propugnādis utilitatē adferat obſeruatū atq; defenſum ius ciuile. Pulchre autē cauſæ ſuæ inſeruit Cicero, nulla gratia, nulla hominū nimia potētia iudicē corrūpi, uel infirmari ius ciuile poſſe confirmās: cū idem tamen in ordine pro L. Flacco exclamet, periculoſam eſſe eiuſmodi Reip. adminiſtrationē. Chryſippus certe ſummus philoſophus interrogatus, cur Reip. legibus ac prudentia nō regeret, reſpondiſſe dicitur, Periculoſam eſſe publicarū rerū gubernationem, quoniā recta et legitima adminiſtratio homines, iniuſta uero deos offenderet. Atque hac de cauſa ſunt, qui cōmemorent Iſocratē tria admirabilia cū magna prudentiæ laude præſtitiſſe: quòd à Reip. abſtinuerit: quòd 99. annis literas in magna et affluenti auditorū frequentia docuerit: quòd tantus libertatis cultor extiterit atque propugnator, ut accepta Athenienſium apud Chæroneam clade, mœrore fuerit extinctus.* Hoc non poteſt. ] *Teſtamentum multis modis infirmari docent iuriſconſulti eo. illo tit. ff. de iniuſto, rupto, & irrito facto teſtamento. & Imperator libro Inſtitutionum Imperialium ſecundo. Infirmatur enim, ſi nulla cum ſolennitate & legitima ratione factū fuerit, inſtituto hærede eo, qui capax hæreditatis eſſe non potuit, aut nullo inſtituto: aut ſi teſtator ipſe teſtamenti factionem non habuit. Si facto teſtamento ſuus agnatus eſt hæres, ſiue is per adoptionem, ſiue poſthumi natiuitatem contingat. mihi ſatis fuit locum indicaſſe.* Quod mulier. ] *Aliud adfertur exemplum à ſenatuſconſulto Velleiano, quo, ut refert Vlpianus in lib. 1. ff. ad ſenatuſc. Velle. cauetur, ne pro ullo fœminæ intercedant. nam ſicut moribus ciuilia officia adempta ſunt fœminis: ita multo magis adimendum eis fuit officiū, in quo periculū rei familiaris uerſaretur. Itaq; locū hoc ſenatuſconſultū habet, quoties mulier alienā ſuſcipit obligationē mandādo, fideiubēdo, nouādi animo promittendo. l. 1. l. 4. C. Ad ſen. uel. l. delegare. § ſit autem. ff. de nouatio. Ceſſat uero, ſi mulier ſenatuſcōſulti beneficio renunciet. l. ultima. § pe ff. e. Fit autem magis conſuetudine quā iure, ut huic priuilegio renunciet mulier. Bartol. in. l. doli mali. ff. de nouatio. Si mulier prima quidē facie alienā, reuera autē ſuā obligationem ſuſcipiat. l. Aliquando. l. Sed & ego. ff. e. Si mulier, ut intercederet,*

*conſignatis*

conſignatis tabulis aliquid ſe pretij nomine accepiſſe cõſiteatur, l. Antiqua. C. e. Si mulier tanquam in uſus ſuos pecuniam ac ceperit, alij crediturea. l. Si mulier. ff e. Si mulier tanquam do- nandi animo alieno creditori ſoluerit. d. l. ſed & ego. Quæ ad hunc locum pertinent, amplius ſcribunt Iuriſconſulti. Scribit in hanc quoque ſententiã quædam Cicero in Topicis. Non eſt.] Epiphonemate extollit Iuriſprudentiæ ſanctam & incorruptam maieſtatem. Deberi uiro dotem.] Mulier quæ in tutela eſt. quemadmodum et pupillus, res ſuas alienandi poteſtatem ſine tutoris auctoritate non habet, ut probatur to. tit. Inſtitut. quibus alienari licet uel non. l. non omnis. §. ſi pupillus. ff. Si certum peta. Neque ſolum qui in tutela eſt, ſed & qui curatorem habet, res ſuas ſine curatoris conſenſu atque auctoritate alienare non poteſt. l. Si curatorem habens. C. de in integrum reſtitutione. Aliter enim atque ſuæ poteſtatis ſi ſit mulier. l. nulla lege. C. de iure dotium. O rem.] Exclamatio plena admirationis, & ſubiecta ætiologia confirmata. Porrò res mancipi quæ dicãtur optime declarat Budæus in annotationibus in Pandec. Et quæcunque ex alterius dominio in noſtram poteſtatem ueniunt, iure mancipij noſtra eſſe dicuntur. Addit autem commouendi cauſa expolitionem: & de iuris ciuilitate, ex qua cauſæ huius æſtimatio dependet, pulchre atque utiliter diſputat.

Quapropter.] Concluſio diſputationis de iuris ciuilis utilitate, cum quadam enumeratione, ut appareat nullã huius iuris partem conuelli ac negligi ſaluis ciuium fortunis poſſe. Deſiderantur autem ea ferè omnia, quibus probatur, iniuſtiter eos agere qui uerbis, non æquitate ac ſcripti ſententia ius torquent. meminit huius lib. Officiorum primo Cicero, quod & ſupra annotauimus. Hoc loco.] Amplificatio à loco pronunciati, quo cauſæ huius confirmatio communitur: ut iudicum mentes ad cauſæ æquitatem, quæ ſcripto expugnari uidebatur, conuertantur magni illius et clari Iuriſconſul. C. Aquilij auctoritate. Regnat autem hic locus pronunciati præcipue in eiuſmodi controuerſijs. l. Si pater. ff. de ſolutio. l. Proponebatur. ff. de iudicijs. l. Septimo menſe. ff. de ſtatu hominum. l. 1. ff. de contrahenda emptione. Obſeruabit iuuentus ex hoc loco, quã diſſimulanter, et officioſa præmunitione uſus, laudẽ C. Aquilij prædicet M. T. Cicero: ne, quem propter priuatam aliquam utilitatem diligere uidebatur, eius effuſius excellentes animi uirtutes uerborum honore proſequatur. qua de re meum iudiciũ feci in Nomologia.

Illud autem.] Deſtruit atque amolitur prauam quorundam ſuſpicionem, per locum repugnantium: & pulchre accommodat actoris aduerſarij pronunciatum ad iuris ſui confirmationem. qui locus imprimis efficax eſt ad conuincendum. Qui cum iſtam.] Mira orationis ſimplicitate cõſilium iudiciumq́; eius auctoris, qui Ebutij cauſæ ſuffragabatur exponit, ut et cauſæ tractatio magis appareat: nihilq́; ficti aut excogitati credatur. Vſus hac ſimplicitate ad conuincendum, inſidias nullas à Milone ſuſceptas eſſe, Cicero in oratione pro An. Milone. In fine orationem apertam atque lucidam facit dialogiſmo: & uno ſyllogiſmo uniuerſum ius aduerſæ partis, defenſionemq́; deſtruit: atque ex hoc loco pulchre apparet, cauſæ huius conſtitutionem ad qualitatem referri. Quid eſt Piſo?] Apoſtrophe cũ obiurgatione Piſonis uerbis ſcripti, nõ ſententia pugnantis. Ego quid mihi.] Concluſio per collationem utriuſque defenſionis, uel ἀνακεφαλαίωσις quo alius, quæ in cauſa tota ſparſo ſunt, iudicis memoriæ affiguntur. Quoniam ſatis.] Metábaσις id eſt, tranſitio ad naturam & conditionem factæ ſponſionis, qua Cecinam ſuperiorem eſſe iiſdem argumentis & uerborum ut probat, quibus ſuam cauſam defenſionemq́; aduerſus interdicti ſententiam atque æquitatem munire Piſo nitebatur. Itaq́; ſuã aduerſario defenſionem præripit, in ſuamq́; conuertit utilitatem. quod imprimis artificioſum eſſe, & prudentiæ plenum annotauit Fabius Quintilianus libro Inſtitutionũ oratoriarum ſexto. cap. de Refutatione. Deſtruitur autem omnis hic aduerſarij defenſio acuto ſyllogiſmo, græci διλημμάτον uocant: cuius non ea ſolũ uis eſt, ut re una in duo oppoſita diuiſa utrunque uel cõfirmetur, uel deſtruatur: ſed aliquanto magis, ut ipſe aduerſarius diſſentiens, ſuo quaſi iudicio atque conſenſione ad noſtram accedat impellaturq́; ſententiam. Dilemma ſiue complexio ad hunc modum infertur. Prætor reſtitui me uoluit, aut in eũ locũ, de quo, cũ Ebutius reſtituere iubebatur, tũ agebatur: aut in eũ ſine ulla diſtinctione locũ, unde ſum eiectus. Sed nec in illum de quo agebatur ſum reſtitutus, nec in illum, unde ſum deiectus: male igitur, quocunque te uertas, ſponſionem à te factam eſſe neceſſe eſt. Prima dilemmatis pars rhetoricis exornationibus expolitur, nõ ſolum ad probãdum id de quo agebatur, uerumetiã conuincendum, pulchre à maiorum inſtituto amplificata. Altera pars ſimpliciter proponitur. Atque ex hac quoq́; cõplexione apparet orationis huius ſtatum eſſe qualitatis, ex conflictione ſcripti & uoluntatis. Præcedit autem dilemma docilitatis cauſa protaſis: nego, inquit, me ex decreto Prætoris reſtitutum eſſe: & confutationis forma explicatur prouerbiali figura, quã Eraſmus declarat in prouerbio, Suo ſibi hunc iugulo gladio, ſuo telo. Iſtum locum.] Aduerſarium dilemmate captum atque conſtrictum, in odium atque inuidiam adducit.

Velim, recuperatores.] Prolepſi, & ueluti præfatione, officij ſui defenſionisq́; rationem recuperatoribus probare conatur: collatione argumentorum oſtẽdens, optimo ſe iure callidam aduerſarij calumniam oppugnare poſſe. qui locus præcipue actionis habet dignitatem ad conciliandũ fauorem. Veruntamen.] Propoſitio alterius quæſtionis, qua declarat uerbum Vnde ui, in eam partem ſignificationemq́; ualere, ut ex quocũque loco quis deiectus ſit, in eum ille reſtituatur: idq́; etiam exemplis, maiorum inſtitutis, & ſimilium locis probat. Captat autem attentionem à cauſæ magnitudine & utilitate: & diſputationem diuiſione explicat. Cum de ui, inquit, interdicitur, &c. Vlpianus ſanè in l. 1. §. & generaliter. ff. de ui & ui armata, ſcribit non referre, qualiſcunque fuerit locus, unde quis ſit ui deiectus, ſemperq́; huic interdicto eſſe locum. Vnde deiectus eſt Cecina?] Illuſtrem facit diſputationem ſubiectione Rhetorica & exempla ad rei propoſitæ fidem faciendam adducit.

Deiectus Carbo.] Carbonis, Sorani, prætoris Venuleij infelicia fata calamitatemq́; deſcribunt Liuius, Florus lib. 3. cap. 21 Val. Maximus cap. 2. lib. 9. Plutarchus in uitis Marij & Syllæ, Fuit enim incredibilis quædam Syllæ ſæuitia, quæ non prius ſuppreſſa eſt, quàm Furfidius moneret, oportere aliquos uiuere, ut eſſent quibus imperaretur. Vnde deiecti Galli?] Galli Senones, ut refert L. Florus, ab ultimis quondam terrarum oris in Latium profecti, urbem incurſione occupauerunt: eos noctu Capitolium ſubeuntes, Manilius clangore anſeris excitatus, à ſumma rupe deiecit, paneſq́; ab arce in confertiſſimam hoſtium turbam proiecit, ut in maxima rerum omnium inopia atque deſperatione, deditionis ſpem hoſtibus adimeret. Nouiſſime cum mille auri pondo receſſum ſuum Galli uendicaſſent, ac ſuperbe uictis Romanis illuderent, à tergo abeuntes adorſus Camillus adeo cecidit, ut ait Florus, ut omnia incẽdiorum ueſtigia gallici ſanguinis inundatione deleret. Scribunt hanc hiſtoriam Liuius lib. 5. ab Vrbe condita, Plutarchus in Camillo, Plinius cap. 23. de Viris illuſtribus, A. Gel. lib. 5. cap. 17. Cum Graccho?] C. Gracchus, ut plebem in auitos agros arceſſeret, fretus comitum manu Capitolium inuaſit. inde proximorum cæde pulſus, cum ſe in Auẽtinũ montem recepiſſet, Opimio conſule interfectus eſt: caput eius ludibrij cauſa circumlatũ. Valer. Max. eius ceruices, ne in poteſtatem inimicorum deueniret, à Philocrato ſeruo inciſas ſcribit. Meminit huius Apian. lib. 1. bell. ciuil. Sic quoniã.] Accõmodatio præcedentis diſputationis ad propoſitæ cauſæ defenſionisq́; confirmationem. Cum igitur.]

Concluſio uniuerſi loci prioris, deſcripti uerbis ac uoluntate, qua opportune tranſit ad alteram orationis partem, cuius ſupra œconomiam indicauimus. Vt uero iam.] Obrutis aduerſarij exceptionibus, perdit ac deſtruit aliud eius firmamẽtũ, quo in dubium uertebatur, num Cecina, cum ui ſe deiectum diceret, fundum poſſederit. Atque hæc defenſionis huius pars altera eſt, quam Cicero, quaſi hac in cauſa non magnopere deſideraretur, indicare magis, quàm explicare uidetur: tum tamen hac exceptione uel maxime ſe tueri Ebutius aduerſus Cecinæ criminationem actionemq́; poſſet, ſi tum A. Cecina cum deijceretur, non poſſediſſe probetur. propterea quòd Vlpianus in. l. 1. §. interdictum. ff. de ui et ui armata, ſcriptum reliquerit, ei ſoli, qui tunc cum deijceretur, poſſidebat, hoc interdictum competere: nec alium, quàm qui poſſederit, deiectum uideri poſſe. Armatã certe uim, ut prudenter ac uere hic differit Cicero, prætor ius omne eſſe, et repelli poſſe, notarunt iuriſcõnſulti in l. 1. §. uim ui repellere. ff. eo. in l. ſi quis in tantam. C. unde ui. in l. Extat decretum. ff quod metus cauſa. Numero,] Miro ingenij acumine atq; celeritate Cicero Piſonis infantiam, temeritatem, ac quandam in collocandis argumentis imprudentiam, per locum repugnantium perſtringit. de quo ſupra pleraque multa diximus. Cur ergo.] Probatio per aſſeuerationem à uerbis interdicti, et maiorũ inſtitutis, in primis efficax ac uehemens ad cauſæ communitionem. Porrò nullam hodie dubitationem eſſe, quin ei, qui recte poſſederit, ſoli hoc interdictum competat, d l §. interdictum. ff. de ui & ui armata. probatur: & hanc fuiſſe ſolennem quandam et legitimã carminis rationem, ut in proponendis interdictis, aſcriberetur, Nec ui, nec clàm, nec precario, inter cætera argumento eſt l. 1. ff. uti poſſidetis. Oſtendo.] Proponit quæſtiones apto ordine, eaſq́; poſtea commodiſſime diſſoluit, et commonitione ueluti turbatum animiq́; cõfuſum Piſonem, ad cauſæ defenſionem excitat. Atque ego.] Tractat hoc loco alteram illam partitionis partem, de iure poſſeſſionis: ad eamq́; propoſitione præparat Recuperatorum attẽtionem, multa ingenioſe de maiorũ inſtitutis, de L. Syllæ pernicioſa ambitione atque iniurijs, de ciuitatis poſſeſſione, amiſſione, atque iure diſputans: quo magis appareat, cum adimi ciuitas Syllæ legibus nemini poſſit, non debere Cecinæ obſtare, quod ab aduerſario obijciebatur. Qui colonos.] Adducit argumenta & ſigna, quibus Cecina probetur, cũ deijceretur, fundum poſſediſſe. cuius loci argumentum extat in l. 1 §. unde ui. ff. de ui & ui armata, et nos ſuprà quæ ad hunc locum pertinent pleraque multa notauimus. Eſt autem totus ferò locus imperfectus, et temporis iniuria corruptus. At enim Sylla.] Deſtruit hic aliam aduerſarij hypophoram, probans Syllæ lege, qua is occupata libertate Romana, Volaterranis, Arriminenſibus, Spoletis, cæteriſq́; Rom populi ſocijs, ciuitatis, in quã adſcripti fuerãt, ius adimere conatus eſt, non impediri ius atque hæreditatẽ Cecinæ. Hic locus paucis admodum argumentis defenditur, ad extremum reſeruatus, quòd ad cauſæ, ut ille ait, ſponſioniſq́; factæ cognitionem non magnopere attineret. Declarat iſta.] Probatio à ſcripta legis formula. diſputat autem ex ueterum inſtituto de ea capitis diminutione, qua ciuitas & libertas amittitur. Cum enim Paulus iuriſconſultus in tit. de capitis diminutione. ff. libertatem, ciuitatem & familiam proponat, in quibus hominis ſtatus atque cõditio uertitur, inſtituta ſunt tria quoque capitis diminutionis genera, quæ priorem hominis ſtatũ mutãt: quorũ maxima capitis diminutio ea eſt, qua libertas, ciuitas & familia amittitur: quæ illis incumbit, qui pœnæ ſerui facti ſunt de hac Cicero hic diſputat. Media capitis diminutio eſt, qua ciuitas quidem amittitur, retinetur tamen libertas. Minima eſt, qua libertas et ciuitas retinetur, mutatur tantum familia, ut optime tradit Paulus in l. capitis diminutio. ff. de capitis diminutione. Atque ego.] Efficax probatio à loco pronunciati. quapropter rerum ac iudicatæ rei ſimilitudine, cauſa hæc præcipue confirmatur. Vocat autem hic ſacramentum, quã ſponſionem ſuprà appellauit, eodẽ uocabulo in lib. 1. de Oratore uſus. Sunt autem peculiares Ciceroni locutiones, inijcere religionem, dubitationem, metum: inijcere deſperationem & ſcrupulum.

Certe quæri.] Προκατάληψις aduerſarij tacitam obiectionem obruit, multa ſubtiliter de ueteri ciuitatis iure diſputans, ut hac in cauſa doceat atque oſtendat, nec ciuitatem cuipiam ijs legibus, quibus Piſo ſuas confirmabat rationes, ademptam eſſe, nec adimi poſſe: ac proinde Syllæ legibus ius Cecinæ nulla in parte conuelli. Mulcta. Tribuni olim plebis mulctam, pœnam pecuniariam dicebant: quam poſtea Rom. pop. uel irrogabat, uel abrogabat, uel in uniuerſum remittebat. Quid quem pater patratus.] Interpretatur ueterum inſtituta, ſubiectione Rhetorica. extant autem apud Liuiũ lib. ab Vrbe condita patris patrati officia, et certa quædam atque legitima fœderis carmina. Erat autem idem patris patrati, qui & fœcialis uſus: ſed præcipua eius auctoritas refertur ad patrandum, id eſt, ſanciendum iuſiurandum, ubi de fœdere conueniſſet. Salui ciuitatem religione dicimus, quoties interpoſita fides liberatur. Mancinum Numantini.] Exemplo declarat diſputationem. Numantini cum bello Hoſtilium Mancinum uiciſſent, contenti armorum manubijs, inermem cum ſpoliato exercitu dimiſerunt: ſed Rom. popul. ignominiæ indignitate flagrans, fœderis decus Mancini deditione expiauit. Florus & Plinius cap. 59. de Viris illuſtribus, Valer. lib. 2. cap. 2. Oroſius lib. 5. cap. 6. Iam populus.] Hoc olim fieri in pœnam detractatæ militiæ ſolebat. Sic enim in cenſum is uenditus dicitur, qui ſuas apud cenſores facultates nõ eſt profeſſus. Dicitur autem is cenſus, qui (ut ſcribunt Gulielmus Budæus, & Alexander ab Alexandro Genialium dierũ cap. 15. lib. 6.) qui multam pecuniam, & ultra centum numum millia in poſſeſſione habet. Quod ſi maxime.] Probatio: libertatem nemini adimi, niſi ſupplicij pœnam ſubterfugienti. Cui ſtatim ſubtexit aliam probationem à deſcriptione exilij. qua in re obſeruabis iuuenens, exulis et exilij generale eſſe nomen: nam & deportationis & relegationis exilium dicere poſſumus. Vtrunque ſanè pœnam ac ſupplicium irrogat Eſt quoq; exilium, cum patria exire iubemur, cuius extat exemplum in l. 1. ff de effractoribus. Sed quarta ea eſt exilij ſpecies, de qua hic diſputat Cicero, cum nullam ad exilij fœditatem damnamur, ſed ſponte ad euitandas pœnas alio migramus. quod ij facere uidentur, quos bannitos hodie & proſcriptos appellamus. Non me præterit.] Procatalepſi ſe purgat, cur de ciuitatis amiſſione et libertate copioſius diſputauerit. Habet hic locus obliquam beneuolentiæ captationem. Nexa atque hæreditates.]. Nexus et nexũ iuris eſt ſolennitas, cuius meminit imperator in l. unica. C. de uſucapione transformanda, & in §. Sed ne nihil antiquitatis. Inſtitut. de teſtamentis. Hæc in abalienationem fiebat, adhibitis non paucioribus 5. teſtibus ciuibus Romanis puberibus, & alio qui libram æneam teneret. Auctores ſunt Boetius lib. 3. commentar. in Top. Alexand. et Budæus. Quod ſi adimi.] Fictio ex abundanti, pulchre accommodata ad Cecinæ commendationem, quã perorata cauſa facit gratioſiorem. Quapropter.] Peroratio, cum enumeratione argumentorum, ex quibus cauſæ ſtatus elicitur. Pulchre autem Cecinæ pudorẽ atq; excellentes animi uirtutes prædicat, per locum ab adiunctis perſonarum: & collatione litigatorum, audacem Ebutij temeritatem, atq; inſolentiam in odiũ, atque inuidiam rapit.

# IN EANDEM PRO A. CECINA ORATIONEM IOAN. TRISLINI COMMENTARIVS, AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM NICOLAVM A LOTARINGIA.

## ARGVMENTVM.

A VLVS Cecina Romanus ciuis in matrimonio Ceſenniam nobilem è Tarquinienſi municipio mulierem, quæ nupſerat antea M. Fulcinio, habuit. Hic autem Fulcinius paulo poſt quàm in eius familiam ueniſſet Ceſennia, teſtamento, quo ſextulam unam Ebutio, duas Fulcinio liberto, reliquas Ceſenniæ dimittebat, facto, moritur. Vnde Sex. Ebutius cum eſſet ad omnem potius controuerſiam natus, quàm ad pacem, putabat ſe omnium litium anſam retinere, ac proinde agrum ſibi quendam annis circiter quatuor à Ceſennia poſſeſſum uendicabat. Quò cum forte ueniſſet Cecina, ut Ebutius deduceretur moribus, ui armatisq; hominibus arcetur ab agro, deijciturq;. Quod Prætor intelligens, ſtatim interdicit, ut unde Cecinam deiecisſet Ebutius, eodem reſtitueret. At Ebutius ſe putat interdicto non teneri, & quod magis mirum uidebatur, reſtituiſſe affirmat, propterea quòd non deiecerit, ſed eiecerit, & ne agrum ingrederetur prohibuerit. Sponſio fit, ni ſit reſtitutus Cecina: de qua per totam ferè diſceptatur orationem. Quanquam tota cauſa eſt de uerbis interdicti, & res inuolutas explicat, ius ciuile laudat, ac uerba quæ uidentur ambigua declarat. Genus autem cauſæ, quod ad qualitatem ſpectat, Amphidoxon eſt: dubium uulgus appellat. nam habet honeſtatis partem, dum Cecinæ uiro bono agrum ſeruare contendit ſuum: et partem turpitudinis, dum Ebutij ac Piſonis exiſtimationem uidetur labefactare. Conſiſtitq; præcipue in ſtatu qualitatis, an recte ſponſionem fecit Ebutius. Deinde in ſtatu legali, ex ſententia & uoluntate. Sex. enim Ebutius egerat ſummo iure ex ſcripto ac uerbis, unde pro Cecina non uerba, ſed ſententiã interdicti, & mentem Prætoris ſequendam Cicero defendit. Diſpoſitio naturalis eſt: nam ea primum habet exordium ex locis beneuolentiæ. inde narrationem, quæ eſt propria cauſæ: & mox Confirmationem, cui Reprehenſio, quã alij uocant Confutationem, admixta eſt. & poſtremo loco perorationem, cum breui enumeratione ac affectu. Character autem, ut Cicero in Oratore ſignificare uidetur, ſubtilis & ſummiſſus eſt. Nam in eodem opere alter commentatorum hanc orationem ad ſubtile genus dicendi ſpectare ait, alter humilem eſſe: & proinde Ciceronem ſtylo omnia humilia humili eſſe conſectatum.

SI quantum in agris.] Exorditur à criminatione aduerſarij, contraria uitia in eundem conferendo: quod uſitatum eſt ac familiare non in orationibus iudicialibus tantum, ſed in epologis etiam, item diſputationibus, atque cæteris orationibus, quæ habent aduerſarium. In quibus licet eum contra quem nobis interceſſit contentio notare, perſtringere, ac criminari, ut ſic eſſe odio dignus, & inuidia credatur. Hæc igitur eſt exordij propoſitio, qua bifariã conciliat fauorem. Cum enim audaciam atque impudentiã Ebutij perſtringit, tum Cecinam ab animi conſtantia prudentiaq; commendat. Eſt ergo locus ab utriuſque litigatoris perſona ſumptus. Propoſitio autem iucunda fit, quod per ἰσόκωλον, ὁμοιόπτωτον & ὁμοιοτέλευτον cum παρονομασίᾳ, ut in nono Fabius docet, tractatur. Nam paria paribus eſſe reddita uides in membris, cæſis, et caſibus per circunductionem cum Redditione τοῦ quantum ad tantum: ubi quantum uenuſte præcedit. In agro.] Nam ex agro deiectus ſuo Cecina fuerat per Ebutium. Atque in iudicijs.] Interpretatio eſt, quam Græci ἐπεξήγησιν nominant. Nam quid eſt in foro, niſi in iudicijs? Imprudentia.] Hoc uitium eſt, cum nullo quis pudore ducitur. Illud uero uitioſum, quemadmodum 2. de Legibus ſcribit Cicero, Athenis, quòd Cylonio ſcelere expiato, Epimenide Crete ſuadente fecerũt Contumeliæ phanũ, & impudentiæ. Virtutes enim, non uitia conſecrare decet. Valeret.] Haberet momenti. Non minus.] Inuidioſa collatione perſonarum utriuſq; litigatoris utitur, ad beneuolentiam à perſonis ducendam, aduerſarium criminando, & litigatorem ſuum efferendo. Quàm, tum.] Δικτικὰ. ſunt enim dictiones duæ, quàm, & tum. In ui facienda.] Scilicet, cũ ex agro ſuo deijceretur. Verum & illud.] Particula aduerſatiua cũ fauore, quem à perſona Cecinæ captat, cũ eius exponit cõſilium. Hæc particula ſolet illico ſubiungi Propoſitioni, cũ Propoſitio ſatis eſt aperta: niſi forte detur amplificandæ propoſitionis occaſio. Conſiderari.] Prudentis, & quæ agenda ſunt perpendentis. Iure decertari.] Legitime agi. Armis nõ contendere.] Gladijs non decidere, ſine ui agere. Quicum.] Cum quo, Anaſtrophe. At mihi.] Ethologis ſuperiorum à perſona aduerſarij, probans eius audaciam & impudentiam à facto, quod ualet ad inuidiam. Obiter aduertendum: ut perſtringat inanes quaſdam & non minus ineptas Ebutij quæſtiones, idq; ad docilitatem. Cum audax.] Cum & tum habent id differentiæ, ut illud quiddam uel minus, uel generale poſtulet: hoc uero quiddam maius aut ſpeciale. Vall. lib. 2. cap. 22. hæc pluribus exponit. Conuocandis.] Cogendis. Non ſolum.] Factum Ebutij exaggerat ad inuidiam, per dirimentem copulationem. Nam id quidem.] Parentheſi mores ſui temporis ſubſannat. Quod arguitur.] De quo accuſator. Accuſabatur autem Ebutius, quòd Cecinam ui ab agro deieciſſet. Id ipſum, quod arguitur, confiteri.] Vſitatius eſt confiteri de crimine, quàm confiteri crimen: quod exemplis paſſim obuijs licet intueri. Cicero tamen pro lege Manilia dixit: Hoc ego non ſolum confiteor, uerumetiam profiteor. Niſi forte.] Anthypophora, quæ tractatur Aporia, hoc eſt dubitatione. fingit autem obiectionem Ebutij moribus apprime dignam, ſed tamen alienam à uiro bono. Si facta uis eſſet moribus.] Si Cecinam ex agro ſecundum mores deieciſſet. Poſſeſſione.] Agro. Dilemma parum probabile, ut iniuſta uideatur eſſe ratio Ebutij. Solet plerunque Cicero prauum aduerſarij conſilium iudicibus aperire, quo melius cauſam ipſis ſuã poſſit probare, indeq; ſibi fauorẽ uenari. More inſtitutoq.] Mos tam ad bonitatem, quàm malitiam refertur. Dicimus enim bonos mores, & malos. Inſtitutum uero dicitur bonus mos, & aliquando propoſitum inceptum. Inferiores in agendo non futuros.] Superiores euaſuros. Sin è conſuetudine recedatur.] Fiat contra mores. & eſt altera Dilemmatis pars. Quò impudentius egerit.] In iudicium uenerit confidentius. Hoc.] Ideo. Quaſi uero.] Obiectionem ſoluit primum Ironia, deinde Paradoxo: quo breuiter confirmato, duplex inducit Dilẽma. Quaſi uero.] Particula eſt Ironijs apta. Plautus in Pſeud. Quid admirati eſtis? quaſi uero nunc nouum proferatur, Iouem nunc facere hiſtrioniam. Aut non eò.] Cauſam adfert idoneam, cur fugerit Cecina. Itaque longe alia.] Paradoxon orationis excogitatæ ſuſpicionem auferens eo ſumit à perſona ſua beneuolentiã, et attentionem ex noua ratione defendẽdi Cecinam, quã orator permittit. Recuperatores.] Hi iudices erant, quibus à Prætore

*iuriſdictio priuatarum cauſarum mandabatur: eoſdem Neoterici poſtea iudices de legatos appellare cœperunt. Hi dabantur, cum de metu, dolo malo, uel armati ui cõtendebatur, neque res ſine cognitoribus tranſigi poterat. Veteres autem nomen ipſis dederũt à prouincis rerũ, quibus iniuria quis priuatus fuerat, recuperandarum. Cicero Act. 1. in Verrem: Iudicium dat ſtatim, ſi pateret eũ ſe & ſua Veneris eſſe dixiſſe, iudicant Recuperatores id, quod neceſſe erat. Quid? quod Budæus totius eruditionis fons uberrimus, recuperatorij iudicij pulchre meminit in poſterioribus Annot. in Pandect. ubi recuperatoribus ſimiles fuiſſe dicit apud Græcos, qui διαιτηταὶ uocabantur, non αἱρετοὶ, ſed κληρωτοὶ. Illud quoq; ad huius loci intelligentiã facit. quòd ſponſionis actio et lis apud Recuperatores decidebatur.* Tum enim noſtræ.] *Ratio à re & tempore, per collationem.* Tum.] *In initio.* Laborabam.] *Sollicitus eram.* Ne ſi improbi.] *Inducit cauſam, cur tum laboraret quæ dilemmate conſtat.* Aequiſſimo.] *Admodum tranquillo.* Sin enim ſunt uiri.] *Confirmatio, rurſus dilemmate uarijſq; alijs rationibus ac argumentis ſuffulta.* Iurati.] *Qui iurarunt. Nam iureiurando teſtes à iudicibus aſtringuntur, ſe nihil contra quod uerum eſſe ſciant dicturos. Paulo aliter hoc Græci faciebant, quibus mos fuit, cum teſtimonium dixiſſent, iurãdi cauſa ad aras accedere: nimirum quòd prius teſtimonium dicerent, poſtea iurarent. Huc illud etiam ſpectat, quod iuratus eſt mihi, pro iurauit, paſſiue dixit Plautus in Perſa: Quid nam, inquit, acturum hunc dicam uicinum meum, qui mihi iuratus eſt ſeſe hodie argentum dare?* Sin autem minus.] *Altera pars dilemmatis.* Veruntamen.] *Tacite iudicum moram inferenda ſententia notat. ſed ne offenderetur, eius rei cauſam transfert in aduerſariorum aſtutiam, & calliditatem: interimq; à re conciliat Recuperatores, oſtendendo cauſam aduerſariorum eſſe iniquam, & rationem actionis indignam.* Veſtram in iudicando dubitationem.] *Modeſte iudicum cunctationem, quia cauſa bis acta fuerat, nec dum tamẽ deciſa, perſtringit.* Nam ſi negaſſent.] *Ratio à perſona aduerſariorum, cũ dilemmate. quo de more ſuo admonet rurſus orator, quid aduerſarij ſpectarint in ſua actionis ratione. Id in exordijs, uel raro, uel nunquã ſolet prætermittere, cuius rei quod exẽplum commodius proferri poteſt, quàm ex Actl. in Verrem. 2. his uerbis: Quæ cum ita ſint, homo amens ac perditus, alia mecum ratione pugnat. Non id agitur ut alicuius eloquentiam mihi opponat, non gratia, nõ auctoritate cuiuſquam, non potentia nititur. Simulat his ſe rebus confidere, ſed uideo quid agat. Neque enim agit occultiſſime. Proponit inania mihi nobilitatis, &c. Nam locus in promptu eſt, & ueluti ad manum. Spectabis igitur hoc loco, aduerſarij conſilium proferri plerunque in exordijs.* Hominibus armatis.] *Septimus eſt caſus, & eſt hic Amphilogia. dicimus enim per datiuum etiam, facta eſt tibi uis.* Tenerentur.] *Conuincerentur.* Se iniecturos nobis cauſam deliberandi.] *Anſam & moram deliberandi ſe nobis præbituros.* Religionem.] *Metum, & ſollicitudinem. Vergilius: Iam tum religio pauidos terrebat agreſtes Dira loci.* Simul illud. *Amplificatio ad indignitatẽ conſilij detegendam.* Improbitate.] *Malitia. Improbitas dictio Ciceroni frequens.* De iure ciuili.] *Interdicto Prætoris.* Quã in re.] *Docet à contrario, et per oppoſitionem non priuatim ad ſolum Cecinam hanc cauſam pertinere, ſed ad ius omnium potius: quod ad attentionem parandam non parum ualet. Nam coniunctam cum ipſis apud quos res agitur, cauſam eſſe demonſtrat. ſumit etiã ab officio ſuo fauorem, qui ſanè locus perefficax eſt in exordio.*

Profiterer.] *Palàm dicerem, & aperte.* Fidem meam diligentiamq; præſtarem.] *A. Cecinæ patrocinium præberem. Fides & diligentia duo ſunt, quæ in actore cauſæ ſolent potiſſimum requiri. Præſtare uariæ ſignificationis eſt uerbum. nam ſignificat exhibere, dare, concedere ea cum quibus actum coniungimus: ut præſtare culpam, fidem, & diligentiam. At ſi dandi caſui iungatur, idem erit quod antecedo: ut præſtat omnibus. Iuriſconſultis uero præſtare ſignificat cauere, ne quid damni fiat alicui, ut in Offic. lib. orator Emptorem indemnem damno præſtari oportere dixit. Alias eſt alienæ culpæ diſpendiũ nolle ſuſtinere, aut exitum rei in ſe recipere: ut Præſtare promiſſum alienum, præſtare euentum.* Sed cum de eo iure.] *Exaggerat partium ſuarum difficultatem, ac rei quæ in controuerſia uerſatur, magnitudinem. non aliam nimirum ob cauſam, quàm ut iudices ad audiendum magis excitentur. Et eſt ſecunda pars oppoſitionis, quæ redit ad primam propoſitionem.*

Conſtitutum.] *Traditum. Commendat Cecinæ cauſam ab auctoritate maiorum, qui locus ad honeſti rationem ſpectat. Et hic obſeruabis ordinem rerum. prius ſiquidem quidpiam conſtitui neceſſe eſt, quàm ſeruari.* Quo ſublato.] *Ab commodis quæ ſequi potuerunt, ſi commune ius negligatur.* Summi ingenij cauſam.] *Excellenti tractandam ingenio.* Quod ante oculos eſt.] *Quod omnibus peruium atque cognitũ eſt.*

Sed ne, ſi quis.] *Obiter metum iudicibus inijcit, ne ius ignoraſſe uideantur, ſi hac in cauſa ſecus iudicauerint atque æquitas poſtulat.* In tanta re.] *Hoc dictum eſt, ut oſtendat rem paruam non eſſe, ſed quæ diligenti libranda ſit examine.*

Si quis error obiectus.] *Si quid per uos in tam atroci crimine perperam iudicatum proferatur.* Religioni ueſtræ.] *Iuriiurando ueſtro, quod inuiolatum conſeruare oportet.* Deſuiſſe.] *Non ſatisfeciſſe.* Quanquam ego.] *Correctio, per quam iudicibus iuris obſcuritatem & ignorantiã adimit, nouam ſuſpicionem, atque præcedente grauiorem inducendo, ne propter famam Ebutij ſententia fuiſſe dilata uideatur, quod iniquitatem iudicum argueret. Locus autem de iuris ignorantia pertinet ad beneuolentiam captandam.* Non uos tam propter iuris obſcuram dubiamq; rationem.] *Non quia incognita uobis dubiaq; ſit iuris diſciplina.* Bis iam de eadem cauſa dubitaſſe. *Bis ſententiam ueſtrã ſuſpendiſſe, ampliationis nota. nam hæc cauſa bis ante fuerat acta, ut dictum eſt, & nihil tamen deciſum.* Exiſtimationem.] *Famam.* Moram ad condemnandum acquiſiuiſſe.] *Iudicij moram creaſſe, & protraxiſſe temporis dilationem.* Ad ſeſe colligendũ.] *Ad cogitandũ quid ageret, et animũ retinẽdum. quã dicendi formã lib. 4. quæſt. Tuſ. ſic exponit: Quid eſt autem, inquit, ſeipſum colligere, niſi diſſipatas animi partes rurſum in ſuum locũ cõgere? ecta mihi ducta uidetur ab his, qui res congregant diſſipatas diſſitaſq;.* Quod quoniã.] *Excuſantur iudices conſuetudine, ac aliorum exẽplo, qui idem fecerunt quod hi factũ. Hoc autẽ ualet ad mitigationẽ iniecti metus iudicibus. quos omnino ſtultum offendere: ne beneuolẽtia quam uenamur, uertatur in odiũ.* Quod.] *Quæ mora.* Et id.] *Et eã morã in iudicãdo. Vides autem & hic beneuolentiã a probitate iudicantiũ.* Fortaſſe.] *Bene fortaſſe, ne id quod affirmarat, prorſus negare uideatur.* Querendum uero.] *Querela de iudiciorum ratione deprauata, a deſtinatis iudiciorum. Sunt autem deſtinata, quæ in certũ aliquem finem ordinantur.* Querendum.] *Conquerendum: a queror, quod ſine diphthongo ſcribitur.* Quòd omnia iudicia.] *Duo eſſe genera iudiciorum innuit: alterum, ad diſtrahendas diducendaſq; controuerſias: alterum uero ad puniendos nocentes ac malefactores.* Diſtrahendarum.] *Pacificandarum, ſedandarum. Sueton. in Cæſare: Apud eundem longo tempore ſacrificare, uota ſuſcipere, controuerſias quaſdam interpoſito per Cæſarem iureiurando diſtrahere perſeuerauit.* Quorum alterum.] *Scilicet, prius diſtrahere controuerſias.* Diſceptatore domeſtico.] *Arbitro intra priuatos parietes iudicante. Quid diſceptator ſit, ſcripſimus in orationem pro Cælio.* Alterum.] *Poſterius de*

punlendis

puniendis maleficijs. Honorariam operam. ] Vocat cauſam, quam amicus honoris cauſa, uel cõſeruandæ dignitatis amicis exhibet. In Tuſcul. queſt. lib. 5. uocat honorarium arbitrum eum, quem pars utraque ſummum ſuæ cõtrouerſiæ honoris cauſa facit iudicem: Quorum controuerſiam, inquit, ſolebat tanquã honorarius arbiter iudicare Carneades. Non honorariam operam amici, ſed ſeueritatẽ. ] Elegans ablatio inferens, ad amplificandã rei, de qua cõqueritur, indignitatem. Quod eſt grauius. ] Epiphonema ad commiſerationem, quæ ab indignitate rei ſumebatur. poteſt etiam eſſe propoſitio noua. Diſſolutũ. ] Deprauatum. Nam ut quæque res. ] Aetiologia epiphonematis à ſimili per γνώμην, id eſt, ſententiam. Vt quæq; res. ] Quodque factum. At ea de qua. ] Obiectionẽ ſubtexere uidetur per Antypophoram, quam primum deſtruit à repugnantibus. et deinde peruerſæ conſuetudinis exemplũ eſſe docet, ut adaugeat rei indignitatẽ. De qua eſt exiſtimationis periculum. ] Quæ eſt de infamia. Qui igitur. ] Reſpõſio ad obiectionẽ, per Enthymema à repugnantibus. Qui. ] Quomodo. Si quis. ] Poſt Enthymema ponit exemplum malæ cõſuetudinis, ad amplificãdam indignitatem per comparatiuũ. argumentum à minori ad maius. Verbo. ] Sponſione. Intelligit autem uerbũ hoc, ſpondeo. Qui per tutelã. ] Alia peruerſa conſuetudo. Cæterum tutelã Seruius definit, uim atq; poteſtatem in capite libero conſtitutam: hoc eſt, uiolentam poteſtatem ad tuendum eum, qui propter ætatem ſuam ſe defendere nequit, iure ciuili datã. Vide Pandect. lib. 26. tit. 1. Societas uero dicitur, duorũ uel plurium conuentio honeſte celebrata, ob commodiorem uſum & uberiorem quæſtum contracta. Rem mandatam. ] Commiſſam. Mandatũ inter nos, auctore Caio, contrahitur, ſiue mea tantum gratia tibi mandem, ſiue aliena tantum, ſiue mea & aliena, ſiue mea & tua, ſiue tua & aliena. Conſiſtit aũt obligatio mandati, conſenſu contrahentiũ. De hoc plura in Pandect. lib. 17. quemadmodũ & de ſocietate. item lib. 3. Inſtitut. imperialium. & in oratione pro Roſcio Amerino. Fiduciæ rationem. ] Fiducia inter contractus bonæ fidei, atque etiam optimæ fidei fuit. Vnde Boetius in 4. lib. Commentar. in Top Ciceronis, fiduciam accepiſſe dicitur, cuicunque res aliqua ea lege mancipatur, ut mancipanti aliquando remancipet. Veluti ſi quis tempus dubium timens, amico potẽtiori fundum mancipet, ut ei cum tempus quod ſuſpectum eſt, præterierit, reddat. Hæc mancipatio fiduciaria nuncupatur idcirco, q re ſtituendi fides interponitur. Hæc Boetius. Quibus uerbis facile intelligemus, omnino fiduciariam mancipationẽ aut fuiſſe eiuſmodi uenditionem, cuiuſmodi ea eſt, quam hodie ſub redimẽdi redhibendiq; lege facimus. Ex hoc igitur contrahendi modo naſcebatur actio fiduciæ atq; ratio. cuius in Top. Cicero his uerbis meminit: Si tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit: debet etiam procurator. Et in 3. de Natura deorũ: Inde tot iudicia, De fide mala, Tutelæ, Mãdati, Pro ſocio, Fiduciæ. Ad hæc ut intelligas qualia ſint, fiducia, ſocietas et tutela, Cicero pro Roſcio Comœdo, tria eſſe iudicia ſummæ exiſtimationis et penè capitis putat, quæ ſunt hæc, fiduciæ, tutelæ, ſocietatis. Aeque enim perfidioſum & nepharium eſt, fidem frangere, quæ continet uitam: & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit: & ſocium fallere, qui ſe negotio cõiunxit, Eſt enim turpe. ] Probatio à re, per conduplicationem ad acrimoniam. Et facto. ] Ob delictum. Videte igitur. ] Conclusio antegreſſæ obiectionis, cum permiſſione: quo ſententiarũ ſchemate aduerſarijs, ut iudicibus, quippiam expendendũ deferimus. Res. ] Factum. Quia res indigna ſit, ideo turpis exiſtimatur. ] Gradatio eſt, ad extollendã rem. At ſi quis. ] Procatalepſis quod obijci poterat, diluendum proponit. Nam in exordijs apprime neceſſarium eſt, ut nihil ſuſpicionis in iudicũ uel auditorũ animis relinquatur, quod omiſſum nocere poſſit. Et proinde non inutilem eſſe rationem occupandi Fabius docet, maxime ſi quæ lædent: & ſi quam iudex opinionem domo attulerit, quæ contra nos faciat, ea tollenda, aut certe minuenda, antequam cauſæ ſuſcipiatur expoſitio. Potuiſti enim. ] Mimeſis. Et particula Etenim hic expletiua uidetur. ut in illo Terent. in Adelphis: Enim non ſinam. Leuiore actione. ] Quàm ut in periculum famæ adduceres Ebutium. Confligere. ] Certare, & iudicio agere. Iudicem. ] Mature ſententiam feram. Etenim ſi Prætor. ] Ratio præoccupationis à maiori, & ſuperuacuo, ad diſſoluendum id quod præſumpſerat. Iudicia dat. ] Agendi facultatem præbet: ea dicendi forma Ciceroni perquàm familiaris eſt. Nam in Verrem Actione tertia hoc modo loquitur: Si quis enim, inquit, pulſaſſet, edixit ſe iudicium iniuriarum non daturum. Præſtituit. ] Præſcribit, præordinat. Frequens eſt etiam præſtituere diem. ut in Phormione Terent. Certe hercle ſi ſatis commemini, tibi quidem olim eſt dies, Quam ad dares huic, præſtituta. Et Plautus in Penulo, Sicut hæc eſt præſtituta ſummæ argentariæ dies. Veruntamen nimie. ] Inducit ex abundanti aliam argumentationem, quæ oppoſitio rhetoribus uocatur. In ea probat, ſe leuiore non poſſe uti actione: & excuſat officiũ ſuum à cauſæ natura, & criminis quod obijcebatur acerbitate. Hæc facit ad actionis inuidiam deprecandam. Veruntamen. ] Hæc propoſitio eſt argumentationis. cuius oppoſitum ſequitur illic, Nunc uero quis eſt, &c. ] Benignitati. ] Liberalitati. Intelligit iudices nimium largiri Ebutio, & liberaliores eſſe quàm par eſt. Benignitatem pro liberalitate, quæ in quantitate rerum eſt, aut facilitate præſtantis, ſæpius dici comperies. Terent. in And. Vide quàm iniquus ſis præ ſtudio, dum efficias id quod cupis, neque modum benignitatis, neq; quid me ores cogitas. Et in Eunucho: Cedo, num ſolus ille donabat? nũcubi meam benignitatem ſenſiſti in te claudier? Nunc uero quis eſt, qui aut uim armatis hominibus factam relinqui putet oportere? ] Redit ad oppoſitum Propoſitionis. Armatis hominibus. ] Per armatos homines. Vt illi clamitant, uel iniuriarum, uel capitis. ] Parentheſis, aduerſariorum notãs actionem, ad beneuolentiam. Iudicia conſtituta ſunt. ] Recepta in proceſſum ordinarium, ut nunc formularij loquuntur, à uera antiquaq; loquendi ratione tam alieni, quàm ſtultus à prudenti. Atrocitatem. ] Acerbitatem. Interdictum. ] Prætoris. Interdicta dicuntur formulæ aut conceptiones uerborum, quibus à Prætore aut iubebatur aliquid fieri, aut prohibebatur. quod tunc præcipue fiebat, cum inter aliquos erat de poſſeſſione controuerſia. Dicta autem ſunt interdictá, quaſi interim dicta. Nam cum poſſeſſionem reſpiciant, totam litem non perimunt, cum de domino quæri poſſit. & ob eam cauſam Præiudicia nonnunquã appellantur. Verum ſiue nos. ] Epilogus exordij, & ἀξιώσις. in ea autem aliquid poſtulamus à iudicibus, uel oſtendimus, quid facere debeãt perorata cauſa. Iuris dubitatio. ] Obſcuritas cauſæ. Alterius rei. ] Prioris, quod ad exiſtimationis periculum pertinet. Alterius. ] Quod ad iuris dubitationem ſpectat. Et ſi forte uideor altius initium. ] Præparatio ad narrationem. Ea ſolemus uti, cum aut longiorem aut prolixiorem futuram narrationem uidemus. Rei demonſtrandæ. ] Narrationis. Non enim minus laborat A. Cecina. ] Ratio præparationis à perſona Cecinæ. Vult, inquit Orator, Cecina hanc meam cauſam uerboſius explicare: non quòd euentum litis timeat, quippe qui certiſſimo iure nitatur, ſi uti uelit iure ſibi legibus moribuſq; conceſſo: ſed cauſam iudices uult nobis æquam probari, non modo certam: & æquitate quoque, non modo iure niti. Summo iure egiſſe. ] Hoc eſt, non ex æquo & bono, ſed iniquiore quodam iure & quaſi præfracto agere: & ut uulgus loquitur, ad rigorem iuris. Hinc prouerbium, Summ-

*mum ius ſumma malitia. Eſt autem ſummum ius, cum de uerbis iuris contenditur, neque ſpectatur ſcriptoris uoluntas: quod cum fit, tum maxime diſceditur ab æquitate.* Ius non obtinuiſſe. ] *Ius non obtinere ueteribus dicebatur, ubi nunc imperiti iuſtitiam non habere dicunt. In eadem re alibi à Cicerone ius non retinere dicitur. Porrò quia de iure tam multa à nobis uerba facta ſunt, libet quid ius ſit explicare. Ius igitur eſt, quod natura, uel ciuitas, uel populus, uel gens, uel conſuetudo iubet. Vel ſi mauis Agricolæ definitionem: Ius eſt decretum maioris poteſtatis, ad tuendum ciuitatis ſtatum, ex æquo & bono inſtitutum.* M. Fulcinius. ] *Narrationis eſt principium à perſona, quæ eſt eius partis, quam orator tuetur: & proinde eam laudibus exornat, ut à Rhetoribus eſſe faciendum præcipitur. Cæterum in hac narratione adeo ingenioſe diſpoſita ſunt omnia, ut ubique mirus rerum, temporum; perſonarum, ac locorum ordo, quod ad credibilitatem cæteraſq; narrationis uirtutes, plurimum ualet, cernatur. Ea primum habet expoſitionem matrimonij Fulcinij & Ceſenniæ, ex quo ius agri ad Cecinam peruenerat. Nam uſu fructu Ceſenniæ relicto, Fulcinius filium hæredem inſtituerat: qui paulo poſt patrem moriens, hæredem P. Ceſennium fecit, & maiorem bonorum partem matri legauit. Deinde detegit fraudes Ebutij, quibus in familiam Ceſenniæ obrepſit. ac paulo poſt narrat, ut in Fulciniani fundi emptione doloſus fuerit: quòd fundum, quem Ceſenniæ pecunijs emerat, attribuere ſibi conatus eſt. Poſtremo narratur occaſio delecti ab agro Cecinæ, atq; ſponſionis origo, de qua iudicandum erat. In hac autem narratione, quia paulo perplexior erat, obiter interſerunt argumentationum ſemina, uarijs ad iudices reficiendos intermixtis elocutionum formis: quæ cum breuē uideri faciant narrationem, tum ſic eam illuſtrant, ut res cerni potius, quàm narrari uideatur. Hæc igitur quàm pulchra ſint omnia, perpendamus.* Municipio Tarquinienſi. ] *Hoc fuit in Campania. Nam Tarquinios, netus fuiſſe Campaniæ oppidum, Geographi ſeribunt.* Cum primis. ] *Admodum, ualde.* Argentariā non ignobilem fecit. ] *Argentarij ſunt numularij & menſarij, quos Græci uocant trapezitas, & collibiſtas. Argentariorum duplex fuiſſe genus comperio. Alterum minutulorum nummulariorum, qui Campſores uulgo dicuntur, & Græcis argyrognomæ, quaſi pecuniæ ſpectatores & collibiſtæ. hi publicam cauſam non habebant, nec rationem accepti uel expenſi faciebāt. Alterum uero fuit eorum, qui non tantum pecuniarum permutationem, ſed maiorem etiam negotiationem exercebant. His olim dabantur pecuniæ cuſtodiendæ, interdum gratuito, fœnerato interdum. Hi Romæ ſolebant actionibus interuenire. Ergo argentariam facere dixit, pro eo quod eſt, exercere & profiteri artem menſariorum, quos Campſores uel bancquetarios nominamus. Has igitur lector formas dicendi notabis, facere argentariam, uaſculatoriam, carnificinam, nauiculatoriam, uecturam, medicinam, mercaturam, &c. quæ paſſim in bonis inueniuntur auctoribus.* Eodem. ] *Tarquinienſi.* Summo loco. ] *Claris natalibus. Sic enim locus apud Oratores accipi ſolet.* Teſtamento declarauit. ] *Nam uſum fructum omnium bonorum ſuorum Ceſenniæ legauit.* Huic Ceſenniæ fundum in agro Tarquinienſi uendidit. ] *Viri uxoribus, & contra, apud ueteres aliquid uendere poterant iure, ut titulus De contractibus inter uirum & uxorem declarat in Pandectis. Id tamen hodiernis moribus ratum non habetur. Quòd uero apud nationes diuerſas diuerſi fuerint dotis ritus, omitto. certe non aliam ob cauſam, niſi quòd ad Ciceronis intelligentiam nihil efficere uideatur.* Temporibus illis difficilimis ſolutionis. ] *Cum debita ægre diſſoluebantur creditoribus.* Cum uteretur dote uxoris numerata. ] *Cum pecunia uteretur, quam pro dote numerauerat Ceſennia, cū præſentem pro dote habuiſſet pecuniā.* Quò mulieris eſſet res cautior. ] *Cautus propriè dicitur, qui ſcit ſibi cauere, non qui cauetur. aliquando tamen res cui cauetur, ut in hoc loco Laurent. Valla libro primo, cap. trigeſimo, hunc locum citans, mulieri hic legit, non mulieris.* Vt in eo fundo dos collocaretur. ] *Vt in eo agro Ceſenniæ uxori dos conſtitueretur: &, ut ſic dicam, ſuper eum agrum dos aſſignaretur.* Diſſoluta. ] *Poſtquam locum in quo argentariam fecerat diſſoluiſſet, uel quam debebat pecuniam pro argentarij empto munere exoluiſſet.* Continentia. ] *Contigua.* Prædia. ] *Sunt ruſticæ uel urbanæ poſſeſſiones, dictæ à præſtando, ut ait M. Varro. Vel à prius dando. Vel quod uero ſimilius eſt, à præda. Nam captos ab hoſtibus agros, ueteres militibus diuidebant, & inde prædia uocabant.* Moritur Fulcinius. multa enim quæ ſunt in re, quia remota ſunt, &c. ] *Interfatio eſt. ubi enim narratio longior eſt, monet Quintilianus, eſſe quædam ex ordine prætermittenda, adducitq; hunc locum pro exemplo. Nam uix dici poteſt, quantum tædij leuet talis interfatio.* Vſum fructum omnium bonorum ſuorum Ceſenniæ legat. ] *Iuriſconſulti uſum fructum eſſe dicunt, ius alienis rebus utendi fruendi, ſalua rerum ſubſtantia, quod uſus fructus ius ſit in corpore: quo ſublato, & ipſum tolli neceſſe eſt. Duplex numeratur uſus fructus à Iuriſperitis recentioribus. Formalis, qui ſeruitus eſt, & nullo modo pertinet ad dominum, quia de ſeruitutum ſpecie eſt. Cauſalis, qui cauſam dominij habeat, quòd ea domini commoditas eſt, ut re ſua utatur, aut fruatur. Conſtituitur autem uel teſtamento, uel pactionibus inter uiuos, uel ſtipulationibus: idq; non in fundo ſolum ædibuſ'ue, ſed in ſeruis & iumentis atque cæteris rebus. Quòd ſi uſus fructus in ruſtico prædio conſtitutus fuerit, quidquid in fundo naſcetur, aut ex eo percipi poterit, aut natura, aut hominis induſtria ipſius fructuarij fit: ſic tamen ut fruatur arbitratu boni uiri. Nam recte colere cogi poteſt. Eſt autem elegans harum rerū expoſitio in principio ſeptimi libri Pādectarum.* Fruentur. ] *Fructum capient. Frui enim, pro eo quod eſt fructum capere, ſæpe inuenies. Cicero de Imperatore deligendo: Quò minus certa eſt hominum ac minus diuturna uita, hoc magis reſpub. dum per deos immortales licet, frui debet ſummi hominis uita atque uirtute. Hinc uſufructuarij dicuntur agri, ex quibus fructum capimus.* Cū filio. ] *M. Fulcinio, Fulcinij & Ceſenniæ filio: qui non multum poſt patrem mortuum immatura morte & ipſe præuētus obijt.* Magnus honos uiri, iucundus mulieri fuiſſet. ] *Epiphonema. quo admonet, quanta res ageretur, ad augendam admirationem debemus autem intelligere honorem, quem Fulcinius moriens exhibuit uxori Ceſenniæ.* Eo. ] *Filio. Suis bonis hæredem eſſe cupiebat.* ] *Attende locutionem, pro eo quod eſt, ſibi ſuccedere.* Sed hunc fructum mature fortuna ademit. ] *Huc ſpectat locus communis, Opes fortunæ ſubiectas eſſe.* Mature. ] *Celeriter. Nam breui tempore M. Fulcinius adoleſcens mortuus eſt, &c.* ] *Admiſcet narrationi occaſionem, euentum, & cauſas, ut credibilior uideatur, ac ſuauior.* Matri. ] *Ceſenniæ.* Mulieres. ] *Vxor & mater.* Vocatæ ſunt. ] *In partem uocatas dixit, ubi uulgus ad faciendam partitionem uel diuiſionem diceret.* Cum eſſet hæc auctio. ] *Hactenus Fulcinij perſonam tractauit, nunc ad Ebutium uenit.* Hæc auctio hæreditaria conſtituta. ] *Auctio uenditio erat publica, ubi res plus offerenti addicebatur, præcone pretium proclamante. hoc eſt, Auctio rerum erat uenditio, quæ in publico & celebri loco fiebat. In ea ueniebant, non quæ ad eſum pertinent, ſed quæ ad ſupellectilem, atque alios uſus. Inde fit Auctionari, publice, & quaſi ſub haſta uendere. Lege Vallam libro quarto, capitu. trigeſimoſecundo. Dicimus itaque facere uel cōſtituere auctionem.*

nem. Cicero pro Quintio: Cum æris alieni aliquantulum eſſet relictum, quibus nominibus pecuniam Romæ curari oporteret, auctionem in Gallia P. hic Quintius Narbone ſe facturum eſſe proſcribit, earum rerum, quæ ipſius erant priuatæ. In familiaritatem inſinuaſſet hac ratione, ut cum aliquo, &c. ] Hoc eſt, non recta, ſed per quoſdam ſinus, & quaſi diuerticula ambageſq; latenter in amicitiam intraſſet: Atqui Ciceronianæ huic ſententiæ cõgruit illa Plauti in Milite: Interim huic hinc miles, Forte Athenis aduenit, inſinuat ſeſe ad illã amicã heri mei. Hæc autẽ loquutio perfamiliaris eſt Ciceroni, ut Acti. in Verr. 5. Videtis ut moneat Apronium, quibus rebus ac muneribus inſinuet ſe in familiaritatem Metelli. Nec minori orationis uenere dixit in epiſtola quadam ad P. Figulum: Et in ipſius conſuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clauſit, inſinuabo. Compendio. ] Fructu & utilitate. Sunt duæ res, ut auctor ad Herenniũ libro quarto ait, quæ poſſunt homines ad turpe compendium commouere, inopia atque auaritia. Rationibus. ] Partitionis rationes appellat familiæ herciſcundæ, id eſt, hæreditatis diuidendæ iudicia. Hæc dantur hæredibus, quocunque modo deferatur hæreditas, uolentibus à communione diſcedere. Auctionis & partitionis. ] Subaudi, bonorum Fulcinij adoleſcentis. Atque etiam ſe ipſe inferebat. ] Hoc eſt prædicabat ſe nobilem. Nam id inferre ſe denotat, ut Iacobus Tuſſanus, uir in utraque lingua apprime doctus, in Epiſtolas Budæi tradit. ubi tamen hunc locum ſecus legere, niſi uitio librariorum ſubſit error, uidetur, ac in uulgatis exemplaribus habemus. Sic enim hunc locum citat: uerſabatur quotidie in his rationibus auctionis & partitionis, atq; etiam ſe ipſe inferebat, & introdabat. Hoc loquendi modo frequenter cum alibi Plautus, tum in Milite uſus eſt: Viden', inquit, ignauum ut ſeſe inferat? hoc eſt, ut glorietur & ſuperbiat. Callide. ] Caute. Quam perſonam. ] Digreſſio per communicationem, qua Ebutium ſubſannat, ac perſtringit ex arte. Sunt enim perſonæ aduerſariorum infamandæ in narratione, dum quidquam, in quo de illis fit mentio, tractamus apud iudices ut magis in eos odium concipiatur. Hic totus locus ſpectat ad Ebutij perſonæ deſcriptionem. Eſtq; ſchema quod Græci uocant icona. per hoc exprimitur rerum, aut perſonarum imago. Potiſſimum prudens orator ſumit argumentum à uita conſuetudine. quod hac liquido quale ſit ingenium uniuſcuiuſque deprehendatur. Cognitoris uiduarum. ] Pedianus in Diuinationem, quid Ciceroni cognitor dicatur, exponit his uerbis: Qui defendit, inquit, alterum in iudicio, aut patronus dicitur, ſi orator eſt: aut aduocatus, ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico: aut procurator, ſi negotiũ ſuſcipit: aut cognitor, ſi præſentis cauſam nouit, ac ſic tuetur, ut ſuam. Ergo cognitorem Cicero appellauit familiariſſimum defenſorem. Hæc Aſconius. Defenſoris. ] Vtitur articulo, quo plura maioraq; Ebutij crimina uideantur. Rixam. ] Onomatopœia. Nam rixa à rigendo, quod eſt canum, cum prouocantur, deduci putatur. Feſtus tamen rictus rixas, rixoſe ringi dici uideri ſcribit, quia in diuerſum rumpantur, contrariaq; ſint recto. Inter mulieres. ] Recte, quòd ſpecie & quaſi umbra facile decipiantur mulieres. Is enim Ceſenniæ. ] Ratio præcedentis ſenſus uariata ſubiectione Rhetorica. ea eſt, cum nobis ipſi reſpondemus. Ex ſententia Fabij, breuitas orationis debet eſſe non inornata. Et cõpendioſius dixiſſet, Ebutium uoluntarium Ceſenniæ fuiſſe amicũ: ſed id ut magis oblectaret longior narratio, exornauit ſubiectione. Quis igitur. ] Epilogus huius loci & imaginis, iterum per ſubiectionem. Deformaui. ] Deſcripſi. Simulataq; ſedulitate. ] Ficta diligentia. Cum eſſet. ] Reuertitur ad inſtitutam narrationẽ, per Epanalepſin ſeu Reſumptionem. Nam id quod fuerat ſuſpenſum, connectit. Huic figuræ ſeruiunt particulæ igitur & inquam, & parentheſis, ut dicere inſtitueram. Adfert præterea breuẽ facti cauſam, quò probabilior appareat facti narratio. Id quod ipſi quoq; mulieri in mentẽ ueniebat. ] Vſitatũ eſt eti.i, cuiuis ipſi quoq; mulieri ueniebat in mentem. ut paulo poſt: An non in mentem uenit omnibus illius ad hoc munus, &c. Fundum Fulcinianum. ] Intelligimus prædia quæ dicta ſunt, eſſe cõtigua fundo Ceſenniæ. Fundo antiquo. ] Agrum dicit, quem initio Narrationis aſſeruit Fulcinium uxori uenundediſſe. Nuſquam. ] Nulla in re, nullo in loco. Mandat. ] Tradit negotium & committit. quo in ſenſu mandare ueteſte dicitur. Cui tandem. ] Subiectionis interrogatio. Hæc adhibetur attentionis gratia. nam uult iudices attentos eſſe ad quæſtionem, in qua litis magna pars conſiſtebat. An Ebutius ſuo nomine emiſſet fundum, ut ab ipſo caute fingebatur. an potius Ceſenniæ, eius erat procurator. Cui putatis. ] Reſponſio per aliam interrogationem: niſi mauis eſſe ſermocinationem, qua ſuauior efficiatur narratio. Recte attenditis. ] Fingit iudices annuiſſe. Adeſt ad tabulam. ] Verum adeſt ad legem, (hoc enim interdum tabula ſignificat) an adeſt ad librum quem quiſque priuatim facere ſolet, quaſi quoddam memoriæ fidele promptuarium, eorum quæ à ſe acta ſunt? An adeſt ad tabulas, hoc eſt locum in quo fundus addici debebat plus offerẽti? in quo fortaſſe tabula fuit. An adeſt ad tabulam argentariorum? Quid ita? quoniã hi olim publicis interrerant auctionibus, & quod cuipiam uendebatur, eorum tabulis reddi mos erat. Conficiebant enim duplicem tabulam, unam accepti, & alteram expenſi. An denique Adeſt ad tabulam, hoc eſt, auctionem, quod D. Budæo placet rectiſſime. Licetur. ] Pretium defert in auctione facienda. Vide lib. 28. cap. 5. apud Vallam, ubi mutilatus hic locus citatur, proinde illũ reſtitue. Fundus addicitur Ebutio. ] Hoc eſt, licitanti Ebutio, & maius pretium pollicenti fundus uenditur. nam addicere id ſignificat, ut teſtis eſt Valla libro quinto. Et Budæus in Annot. ſcribit, addicere eſſe licitanti rem auferendam permittere, hoc eſt uernacula lingua, deliberare. Et ne huius uerbi multis incognita ſit ſignificatio, adijciamus & aliam. Nam addicere etiam eſt, auctionem facere, & bona ſua proſcribere, uel licitantibus obijcere. hinc prouerbium, Numo addicere: quod noſtrates fruſta panis uendere appellant. quod cum donationis inſtar ſit, inſidiã tamen donationis prætextu uitamus, conſulentes accipientis pudori. Argentario. ] Vocat argentarium eum, qui auctionis pecuniam recipit. ] Vir optimus. ] Ebutius. & eſt ironia. Quaſi uero, aut nos ei neg. ] Continuat ironiam, & à coniecturis ac circumſtantijs docet, Ebutio fundum non eſſe emptum, ſed Ceſenniæ. Aut tum quiſquam. ] Ab opinione omnium. Iam porrò in prædict. ] A re. Venirent. ] Proſcriberentur, uenundarentur. Liceretur is, qui. ] Ab aduerſarij perſona. Hæc autem omnia ſunt ueluti, ſemina futuræ diſputationis, quæ per Narrationem ſparguntur, ut expoſitio probabilior appareat. Hac emptione facta. ] Hoc addicto fundo. Et eſt procurſus narrationis, Ebutium notans ab opinione ſuppreſſarum tabularum. Rei. ] Solutionis. Reddere rationem alicuius rei, eſt oſtendere cauſam, & quemadmodum ea facta eſt. Plautus in Aulul. Tibi rationẽ reddam ſtimulorum ſeges. Sumitur tranſlatio à nummularijs, qui ſuas pecunias uarijs nominibus expenſas ferunt. Auerterit. ] Suppreſſerit. Auertere eſt, à proprio loco in alienum transferre. Expenſa pecunia. ] Quæ ſcripta eſt datam eſſe. Expenſum ferre, eſt ſcribere pecuniam ſe dediſſe. Et acceptum ferre, uel referre dicuntur, qui ſcribunt uel confitentur ſe pecuniam quandam accepiſſe. Vtrunque transfertur etiam ad alia, quàm ad pecunias. Plinius in 2. Natural. hiſtoriæ de fortuna: Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibuſq; horis omnium uocibus fortuna ſola inuocatur, una nominatur, una

agitur rea, una cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuitijs colitur : huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium ſola utranque paginem facit. Et in lib. Epiſtol. famil. Celius Ciceroni : Mentio facta eſt, de legione ea quã expenſam tulit Caio Cæſari Pompeius. Cum omnia ita.] A ſignis inſpergit argumenta. & à conſequentibus probat fundum fuiſſe Ceſenniæ. Vt in pauca conferã.] Vt breuiter dicam. Locus eſt attentionis, & breuitas narrationis per communitionem, ad leuandum lõgæ narrationis tædiũ. additur per parenteſim. Mulier.] Ceſennia. Facit hæredem.] Vſitatum eſt etiam hæredem relinquere. Iuuenal. Hæredem ex oſſe relinquit. Ex deunce.] Vniuerſa Ceſenniæ hæreditas aſſis nomine cõprehenſanda eſt: ex hac deuncem, id eſt, undecim uncias & ſemunciam, hoc eſt, unciæ dimidium teſtamento reliquit Cecinæ : duas Sextulas, quæ tertiam partem unciæ efficiunt, liberto M. Fulcinij prioris uiri, Ebutio uero ſextulam. Vt autem Sextula eſt minima pars hæreditatis, quòd ſexta pars unciæ ſit : ita ſemuncia, dimidium unciæ denotat. Semis enim in cõpoſitione dimidium ſignificat eius cui adiungitur : qua uoce raro extra cõpoſitionem utimur. Aſpergit.] Tranſlatio ab hortis uel plantulis : quæ niſi pluuiæ copia alantur, aut aſperſione quapiam à nobis ſolentur, cito flaceſcunt. In hac taxatur Ebutij paupertas. Aſſiduitatis.] Diligentiæ. Iſte autem.] Narrat occaſionem controuerſiæ, qua Cecinam petierit Ebutius, & eam uult leuem uideri ac iniuſtam. Anſam retinere.] Metaphora prouerbialis, occaſionem retinere innuens. quæ tracta eſſe poteſt à uaſculis, in quibus anſa, quam Græci λαβὴν uocant, ea pars dicitur, qua prehendimus illa tenemuſq;. licet Anſam de alijs etiam dici nõ negauerim. Sunt pleriſque tales metaphoræ uſu quotidiano celebres, ut habere, quærere, præbere, arripe, uel præterire anſam. Iam principio.] Iam, id eſt, præterea, & quaſi quoddam uinculum inter ſententias : idq;, ſi ſolum ponatur, uel ſi particulam uero adiungamus. Iam principio.] Egreſſio ad nouum calumniæ genus commemorandum, in quo Ebutius uictoriæ præſidium potius in fraudibus, quàm in æquitate poſuerat. Deteriore.] Iniquiore, peiore. Incommodum Volaterranorum.] Volaterræ oppidum Tuſciæ in monte ſitum, cuius incolæ Volaterrani dicuntur. Hoc incommodum Volaterranorum his uerbis in oratione pro Domo ſua ad Pontifices declarat: Populus Roman. L. Sylla Dictatore ferente comitijs Centuriatis, municipijs ciuitatem ademit, ijſdem agros. de agris ratum eſt : fuit enim populi poteſtas. de ciuitate, ne tam diu quidẽ ualuit, quandiu illa Syllani temporis arma ualuerunt. Hanc uero Volaterranis, cum etiã tum eſſent in armis, L. Sylla uictor repub. recuperata, comitijs Centuriatis ciuitatem eripere non potuit. Hodieq; Volaterrani non modo ciues, ſed etiam optimi ciues fruuntur nobiſcum ſimul hac ciuitate. Hæc Cicero. Volaterranorum agros publicatos fuiſſe à Sylla, neque tamen diuiſos, in 1. Epiſtol. ad Atticum teſtatur Cicero. Calamitatemq; ciuilem.] Bellum ciuile, quod fuit Syllanis temporibus, intelligit, de quo Lucanus in [2. Pharſ. abunde ſcribit. Calamitatem ciuilem.] Calamitas proprie à ruſticis grando uocatur, quòd comminuat calamum, hoc eſt, culmum & ſegetem. unde in Eunucho de meretrice Parmeno dixit : Sed ipſa egreditur, noſtri fundi calamitas. Homo timidus.] Cecina. Recte Cecinam timidum uocat, ut ab ipſo uis illatæ ſuſpicionem auferat. Locus eſt ex adiacentibus, ualet ad cauſæ perſonæq; commendationẽ. De ciuitate.] De cõmuni ciuiũ omniũ iure, ſine quo nemo poterat alienã hæreditatẽ adire. Tale ius ciuitatis apud Gallos uocatur Naturalitas, uel quod magis placet Neutralitas, cũ rex permittit externis, ut in regno aut hæredes conſtituere, aut ſacerdotia poſſint aſſequi, atq; iure cõmuni perinde ac natis in Gallia frui. unde dicimus eos donari ciuitate, pro eo quod eſt, in ius cõmune admitti, et ut Cic. pro Archia poeta loquitur, aſcribi in ciuitate, uel ciuitatẽ. Conceſſit credo.] Verbũ credo quod Græcis οἶμαι dicitur, Ciceroni hic et in pleriſq; alijs locis ironicon eſt, Græcorum imitatione. ut de Natura deorum, cũ de latronibus & ſacrilegis loquitur : Credo, inquit, aut hos mortis timor terret, aut hos religionis. Imo ut.] Correctio ironica, ſimilitudine exornata. Calumniam.] Calumnia, cum quis in litibus uexat alterum per fraudem, & iure priuat. Exiſtunt autem ſæpe iniuriæ, ut Tullius ait, calumnia quadam, & nimis callida atque malitioſa iuris interpretatione. Obtriuit ac contudit.] Ab omni parte tutudit ac ſuffocauit. Metaphora eſt à rebus aſperis & difficilibus, quæ ſi conterantur, facilius in uſum hominum cedunt. In poſſeſſione.] Accedit ad id, quod cauſæ proprium eſt. Cum eſſet.] ſ. Ebutius : Arbitrium familiæ.] Arbiter, iudex non lege datus, ſed à litigatoribus electus, qui totius rei habet poteſtatem. Cæterum quid inter arbitrium & iudicium differentiæ ſit, Cicero pro Roſcio Comœdo hoc pacto expreſſit : Cauſam perdidiſti, propterea quòd aliud eſt iudicium, aliud arbitrium. Iudicium eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. Ad iudiciũ hoc modo uenimus, ut totam litem aut obtineamus, aut omittamus. ad arbitrium hoc modo adimus, ut neque nihil, neq; tantum quantũ poſtulauimus conſequamur. Eius rei ipſa uerba formulæ teſtimonio ſunt. Arbitrium uero familiæ herciſcundæ uel unus petere põt, ut Vlpianus lib. 10. Pandect. ſcribit. Nam prouocare apud iudicem uel unum hæredem poſſe, palàm eſt. Igitur & præſentibus cæteris & inuitis poterit uel unus arbitrum poſcere. Ergo arbitrum Ebutius poſtulauit, ut apud eum de hæreditatis ratione diſceptaret cum Cecina. Herciſcundæ.] Iudicium uel arbitrium familiæ herciſcũdæ, actionis erat genus, quo agebatur, ut quis arceretur ab hæreditate. Et quemadmodum familia ponitur pro hæreditate, ut in l. fi. C. de uerborũ ſignificat. ita Herciſcunda, pro diuidenda uel coercenda. Erctum ueteribus (ut Feſto placet) dicebatur : inde coercro, & herciſco uerbum frequentatiuum. Hic autem antiquo Comicorum loquendi modo uſus eſt : apud quos, ut in 1. Inſtit. grammatices docet Priſcianus, hæ uocales e & u ſunt affines, & proinde una pro altera ſæpe ponitur. dixit itaque Herciſcundæ pro herciſcendæ, ut diuidundo pro diuidendo. In hoc autem iudicio quilibet hæredũ & actoris & rei partes habet. Abradere.] Vi auferre. Homini.] Cecinæ. Fundum.] Fulcinianum. De quo ante dixi.] In principio narrationis. Mandato.] Commiſſione. Nam mandatum commiſſio eſt, uel quod committitur. Legulei uolunt mandatum eſſe dictum, quaſi ex mea manu datum : ſed an id ſit uerum, aliorum eſto iudicium. Quid ais?] Obiectio figurata, quæ pertinet ad impudentiã Ebutij retundendam. Fingit enim quempiam ex aſtantibus cũ admiratione ſic interrogantem, Quid ais? Ea ualet ad ſuauitatem narrationis. Iſtius.] Ebutij. Hoc eſt.] Interpretatio. Vſus enim.] Mimeſis. Sunt enim Ebutij uerba cauſam reddentis, cur emptione facta quadriennium Ceſennia fundum poſſederat. Cum hoc.] Redit ad expoſitionem, & occaſionem uis illatæ docet. Intenderet.] Quæreret nouũ uictoriæ præſidium. De amicorum ſententia.] Secundum ſententiam amicorum. Conſtituere.] Statuere, tranſigere. In rem præſentem ueniretur.] In rem præſentem, inquit Budæus in Pandect. olim ueniebant, cum locum oculo ac digito deſignare uolebant, ut hodie cũ aut iudex pronunciat aut inter litigantes conuenit agrum, quem cõtrouerſum facere uolumus, aut reo deſignari, aut teſtibus per inquiſitionẽ demonſtrari, certis finibus circũſcriptum, uidelicet ut ille deliberare de re controuerſa poſſit, cedere necne uindicanti debeat: hi ut certi ſint teſtimonij ſui. & paulo poſt ſubiungit : Vulgo nunc ueſtam facere iuriſperiti, quaſi latinæ uocis inopia, uocãt, quod in

rem

rem præſentem perducere dici debet. Hæc Bud. Moribus.] Secundum mores. Colloquuntur.] Cecina & Ebutius. Dies ex utriuſque commodo ſumitur.] Dies eligitur ex utilitate Cecinæ & Ebutij, quo in rem præſentem uenirent. In caſtellum Axiam.] Caſtellum diminutiuum à caſtro, & eſt locus muris munitus, &, ut auctor eſt Seruius, urbs. Seruos coegiſſe & armaſſe Ebutiū.] Amphibolia eſt. Intelliges tamen ſeruos ab Ebutio coactos & armatos, non Ebutium ab illis armatum. Partim mirarentur.] Enallage aduerbij loco nominis, hoc eſt, partim pro quidam. Gell. pura lib. 10. capitu. 13. Denunciat Cecinæ.] Interponit facta utriuſque, ut ſuauis atque credibilis narratio reddatur. Quoad uideretur ſaluo capite fieri poſſe.] Quod citra ſalutis & uitæ periculum fieri poſſe uideretur. Tum de caſtello.] Vide quanta ſit orationis breuitas & ſyntomia. Videtur temere.] Alia interfatio, rurſus tædium leuans, quod concipi poſſet longitudine narrationis. Commiſſurum.] Temere committere quippiam, eſt ſine ratione, et periculi cogitatione aliquid ſuſcipere. In illum proximum.] Antiquum Ceſenniæ fundū, receptitia dote emptum. Atque hic locus hypotypoſim habet rei geſtæ. Depulſus.] Delectus ab Ebutio, & eis armatis. Conuentu.] Compoſito. Oleæ.] Oliua uel olea arbor eſt cui folia non decidunt, Mineruæ ſacra. nephas olim fuit eam in prophanis uſibus polluere, & proinde ne propitiandis quidē numinibus ex ea ueteres altaria accēdebant. Directo ordine deſioniūt.] Certo ordine terminat. Ad eas.] Immiſcet probationes, Status cōiecturalis, ex factis & dictis, & perſonis. Copijs.] Amplificatio in uerbo. copias enim poſuit pro parua militum manu. Clara uoce.] Vt etiam à Cecina & cæteris, qui cum aderant, audiretur. Homo mea.] Laudat ſic litigatorem ſuū, ut aliquid uituperationis uideatur inſpergere: quod ualet ad fidem. Nam cum aduerſum nos uel litigatores noſtros quippiam dicimus, facilius nobis creditur, quàm cum quid aut pro ipſis, aut pro nobis adducitur. Eſt ergo modeſta reprehenſio, qua dicenti ſibi fidem conciliat. Eam uocem.] Ebutij: ut Antiochus eum, qui illum olearum ordinem intraſſet, occideret. Eodem tempore.] Iucunda debet eſſe narratio, unde fugam eorum, qui cum Cecina in rem præſentem uenerant, iocoſe narrat. Quemadmodum.] Semen futuræ confutationis teſtium. His ita geſtis.] Concluſio narrationis & tranſitus ad confirmationem. In hac autem concluſione indicationem aperit, ne iudices quid ſit id, de quo ſententia ferenda eſt, ignorent: eóq; narrationē perducit, unde oritur quæſtio. Lege Fab. in cap. de Narratione lib. 4. P. Dolabella.] Plerique rectius dici Dolabellam, quàm Dolobellam aſſerunt: ſed qua ratione id fieri debeat, non proferunt. Quidquid tamen ſit, opinor hinc obrepſiſſe, quod pleræq; nationes, nihil diſcriminis uel paruū faciunt, cum a uel o proferunt. Interdixit.] Sine ulla exceptione interdicere de ui, eſt ſimpliciter imperare, ut uis ac uiolentia ſedetur, ſine cuiuſquā iuris diminutione. Exceptio uero dicta eſt quaſi quædā excluſio, quæ interponi actioni cuiuſq; rei ſolet, ad excludendum id quod in intentionem condemnationemq; deductum eſt. Sponſio facta eſt.] Sponſio actionis fuit genus apud ueteres, quæ interpoſita certæ pecuniæ ſtipulatione fiebat, quam amittebat qui ſponſione uincebatur. eo coram iudice uel recuperatoribus diſceptabatur. Ebutius igitur ſpōſionem fecit, ni ſatisfeciſſet interdicto Dolabellæ prætoris, Sponſionem contra fecit Cecina, ſi ſatisfeciſſet. Hac de ſponſione.] Hoc uim propoſitionis habet, etiamſi non ſit propoſitio, poſt expoſitum rerum ordinem. Hoc enim ſic dictum eſt, ut ſit commonitio iudicum, quo ſe acrius ad quæſtionem intendant, & quodam uelut ictu excitati, finem eſſe narrationis & initium confirmationis percipiant, & nobis probationē ingredientibus ipſi quoque quodammodo nouum auſcultādi ſumāt exordium. Itaque his erit totius orationis κρινόμενον, Recte, an male fecerit ſponſionem Ebutius, & an ex interdicto reſtituerit Cecinam, unde fuerat delectus. Maxime fuit.] Aneoſios, ad præparandos Recuperatorum animos. Hac utitur ad procemij modum, quo ad refutationem teſtimoniorum paratiores habeat iudices. Quòd ſi huius requiris œconomian, ſcias eam cōfici mediocri argumentatione, quæ propoſitionem cum diuiſione illic habet, Maxime fuit, &c. quam continuo ſequitur à perſona Ebutij ratio, & confirmatio, & poſtremo Epilogus per totius cauſæ diuiſionem, hoc modo: Itaque mihi certum eſt. Sed redeamus ad ananeoſeos principium, & ſingula ſtrictim percurramus. Maxime fuit optandum.] Ingreſſus confirmationis per diuiſionem tripartitam: in eo beneuolentiam conciliat à perſona Ebutij. Homine.] Ebutio. Etenim non minus.] Ratio à perſona aduerſarij per comparationem. Improbus fuit.] Reſumptio cum diſtributione. ut illa pro Celio: Qui habet excuſationem uel pietatis, uel neceſſitatis, uel ætatis. Si uolunt accuſare, pietati tribuo: ſi iuſſus eſt, neceſſitati: ſi ſperauit aliquid, pueritiæ. Coactis armatiſq;.] Gradatio eſt, & Amphibologia. ſed intellige, per coactos atque armatos ab Ebutio uim fuiſſe factam: ut coactis atque armatis ſit inſtrumenti ablatiuus, & non dandi caſus. Subleuauit.] Auxilium præſtitit, iuuit. Nam in eas.] Confirmatio huius argumentationis à facto Ebutij. In cauſa.] In agendo. Itaque mihi.] Epilogus præparationis, & diuiſio totius cauſæ. proponit enim ſummam confirmationem, & ſe prius de Ebutij confeſſione dicturum pollicetur, mox de teſtibus, ac poſtremo de ſua defenſione. Hæc omnia ualent ad docilitatem. Quid confitetur.] Exponit primum Ebutij confeſſionem ſubiectione. Fateri.] Fatemur priuatim, profitemur large & palàm. Atque ita.] Ploce, ad acrimoniam. Non ſolum fateri, ſed etiam profiteri.] Elegans amplificatio, quaſi ex ſimilitudine uocū petita. Conuocaui.] Mimeſis, cum exaggeratione per congeriem. Nam quid conuocare homines, & cogere aliud eſt, quàm armare? Capitis.] Vitæ. Accederes.] Adires agrum. Ferro, inquit.] Alia Mimeſis cum repetitione ad inuidiam, & Emphaſim. Et hoc dicit in iudicio.] Breuis parentheſis & amplificatio à loco ad indignitatem facti. Quid teſtes?] Expoſita confeſſione Ebutij, præparat Recuperatores ad teſtium aduerſarij confutationem, ut in diuiſione pollicitum fuerat. hoc in loco interrogationes mire attentionem excitant. P. Veſilius propinquus Ebutij.] Locus contra teſtes. Hoc loco uideo commode dici poſſe, unde teſtium appellatio ſumpta ſit, & quæ in teſtibus conſideranda ſint. Teſtes igitur apud antiquos, ſuperſtites ideo dicebantur, quòd ſuper ſtatu cauſæ proferebātur. Nunc uero per Aphæreſim, partem uocabuli ſubtraximus, & teſtes ſolum dicimus. Quod uero ad alterum ſpectat, id hoc diſticho cōplexi ſumus, ne prolixitas tædium cuiquam adferat. Conditio, fortuna, fides, diſcretio ſexus, Fama, ætaſq;, bonis teſtibus eſſe uolunt. Aduocatum.] Ad ſubſidium ferendum. Quid præterea?] Interrogatiunculas interponit, ne iacens ad depreſſa uideatur oratio: & eſt Subiectio. Ceterum graue erat, complures fuiſſe armatos: at longe grauius eſt, minatū fuiſſe Ebutium Cecinæ. Quid ego de hoc teſte dicam?] Figurata interrogatio, ad attentionem concitandam. Minus idoneus.] Parum locuples teſtis eſt. Sed ideo.] Solemus enim eorum habere teſtimonia firmiſſima, qui ſuo teſtimonio aut propinquos, aut ſeipſos lædunt: propterea, quòd nemo de ſeipſo uel propinquis mentiri uelle uideatur. Illi cauſæ.] Ebutij. A. Terentius.] Secundus teſtis Ebutij. Hunc apodioxi refutat, quaſi contemptu quodam. Arguit.] Accuſat ſe ſuo teſtimonio. Aliàs arguere generaliter pro oſtendere demonſtrareq; ponitur. ut in carmine Maronis: Degeneres

animos timor arguit. In Ebutium.] Hermenia eſt præcedentium, & ferè quædam interpretatio. De ſe autem hoc prædicat.] Palàm dictitat. Cum ferro inuaderet.] Gladio aggrederetur. Amphibolia. utrum enim aduenientem cum ferro, an inuaderet cum ferro dicit? Quod ſi eſt, neque exiſtimato perperam præpoſitionem Cum additam eſſe, nomini inſtrumentum ſignificanti. Nam quoddam idioma, hoc eſt, priuatam rationem habet inuadendi uerbum, ut notauit Linacer. Quid loquar?] Relectio. Rei capitalis.] Criminis, propter quod capiti ſupplicio dignus ſit. De eo.] Aporia, hoc eſt dubitatio: quæ acuta magis eſt & mordax, quòd præmonita eſt & quieta. Deinde L. Cælius.] Tertium Ebutij teſtimonium. in eo, ut quæ nocent Ebutio exaggerat: ſic quæ ſunt contra Cecinam, cum extenuatione profert. Detraham.] De teſte detrahere dixit, pro eo quod eſt fidem teſti derogare. Et in oratione de Reſponſionis aruſp. Qui in concione detrahat de Pompeio. P. Memmius.] Quartus teſtis, quẽ ſcommate eludit, & reprehendit. Viam.] Tranſitum. Dare uiam, eſt tranſitum præbere. Plaut. In Aul. Date uiam, quà effugere liceat. Et per tranſlationem dare uiam, ſignificat tradere modum & rationem rei alicuius peragendæ. Plaut. in Ep. Ipſi hi mihi dant uiam, quo pacto ab ſe argentum auferam. Miſericordem.] Cum Cecinæ ac amicis uiam daret. Religioſum.] Quod peierare noluerit, & falſum dicere teſtimonium. A. Atilius.] Quintum teſtimonium, in quo A. Atilius contra ſe dicit, in duobus primis factum ab alijs fuerat. L. Atil.] Hic dixit ſextum teſtimonium. Etiam hoc amplius.] Amplificatio ab indigno Ebutij facto. Etiã hoc amplius.] Hoc ad attentionem dicit, ut iudices expectatione nouitatis excitet ad cauſæ ſummam. Ibi.] Tunc. & eſt argumentum ab honeſta Cecinæ poſtulatione. Ded. ſi.] Hoc eſt, ut de poſſeſſione deduceretur eo modo, qui à maioribus inſtitutus eſſet. P. Rut.] Hic fuit ſeptimus in Cecinam teſtis. eius fidem ita labefactat, ut antea nunquam ei creditum fuiſſe innuat. Duo præterea.] Refutatio duorum teſtium Ceſennij, & Sexti Clodij Phormionis. priorum à corpulentia deridet, poſteriorem à cognomine. Locus eſt ex attributis perſonarum. P. Ceſennius.] Octauus teſtis. Is eſt Ceſennius, quem ante in narratione inſtitutum hæredem à M. Fulcinio & Ceſenniæ filio dixit, ut uiſum eſt in narratione. Auctor fundi.] Auctor eſt is à quo quis ius in re comparauit, aut aliàs quæſiuit. hoc eſt, qui debet præſtare, ut emptor cum tali iure poſſideat uenditam rem, quali ipſum eſſe in uenditione affirmauit. Cicero Act. ultima in Ver. Nam ſtatim L. Metellus, ut iſti ſucceſſit, ex C. Sacerdotis & Sex. Peducæi inſtituto frumentũ Mamertinis imperauit: tum illi intellexerunt ſe, id quod à malo auctore emiſſent, diutius obtinere non poſſe. Non tam auctoritate.] Scomma in proceritatem Ceſennij teſtis, quem ignauum fuiſſe hominem uult intelligi, & ueluti phreneſi correptum: ꝙ ij qui ſunt graui corpore, plerunque non plus ſapiant, quàm rana gyrina. quippe quòd ut auctor eſt Plinius, minus ſolertes ſunt ijs, quibus uenter eſt obæſiſſimus. quod hominibus grandi corpore ſæpius accidit: cui ſanè opinioni Galenus aſtipulatur. Graui.] Dilogia, hoc eſt, æquiuocatio. quæ fieri ſolet, cum uerbum ambiguæ ſignificationis uſurpatur. Grauis autem & ad molem corporis, & ad animi bonum referri poteſt. Et argentarius.] Hic erat argentarius, cui numerata fuit pecunia, in cuius tabula nomen Ebutij tanquam ueri emptoris relatum fuit. Cui nomen eſt Phormio.] Cui Aphricano fuit cognomen, cui nomen Iulio. tales locutiones ſunt ſolæcophanes, niſi eas cõtra rationem uſus auctores aſſererent, cum datiuus ille propriorum, & nominatiuus, nomen uel cognomen, repræſentant eandem perſonã. Et eſt harum locutionum expoſitio apud Vall. lib. 3. capit. 60. ubi nominatim hic locus adducitur in teſtimonium. Nec minus niger.] Vituperatio eſt ex notatione. locatur in nomine Phormionis, ut hac urbanitate iudicum animos reficiat. Præbet aliquando (ut ait Fabius lib. 6. cap. de riſu) occaſionem quædam felicitas hoc quoque genere bene utendi, ut pro Cecina Cicero in Sextum Clodium Phormionem: Nec minus niger, inquit, nec minus confidens, quàm eſt ille Terentianus Phormio. De confidentia porrò Phormionis, lege ſecundam & tertiã ſcenam Actus ſecundi apud Terentium in Phormione. Non minus niger.] Non minus malus. Solebant antiqui carbone mala, & bona notare creta. Iuuenalis, Nigrum in candida uertũt. Quinetiam Pythagorei nigrum in coordinatione malorum connumerant. Decimo uero loco.] Ironia tacite graditur ad eleuandum teſtimonium: P. Falculæ Senatoris interim ſpargendo ſemina inimicitiarum, quæ inter ipſum & Senatorẽ interceſſerant. Ad extremum reſeruatus.] Hoc dici ſolet de eo, qui cauſa uel excellentiæ uel præſidij ad ultimũ locum retinetur. Fidiculanus Falcula.] Arguit ex arte Fidiculanum teſtem, quòd aliter dixiſſet, atque cæteri: quòd inconſtanter, qui nullos armatos fuiſſe cum dixiſſet prius, ſeruos poſtea ſuos dixit armatos fuiſſe. Hic autem, ut Aſconius in Actionum ſecunda in Verrem ſcribit, ad cõplendã Oppianici damnationẽ dicebatur ſuppoſitus, à Cluentio autẽ ſuppoſitus uidebatur. Vehemens acerq; dicitur, qui præter æquum rationemq; ſe in rem quampiam ingerit. Mollemq;.] Non ſeuerum. Sunt qui mollem à mouendo dictum uelint, quaſi mobilem, qui quancunq; in partem facile trahi ac moueri poſſit. Quot millia.] Millium eſt idem quo milliarium, hoc eſt, paſſuum mille ſpaciũ. Liuius Lib. 10. Alio itinere ad ſtationem nauium, millia autem quatordecim ab oppido aberant. Ipſa eſſe.] Ironice hæc à populo Romano dicta eſſe intelligendum. Meminerant enim.] Inſectatur ſordes & auaritiam Falculæ. de hoc enim ſic pro Cluentio ſcribit orator: Fidiculanus quid feciſſe dicebatur? accepiſſe à Cluentio HS. CCC. Cuius erat ordinis? Senatorij. Qua lege in eo genere à Senatore ratio repeti ſolet de pecunijs repetundis, ea lege accuſatus, honeſtiſſimæ abſolutus. Quibus uerbis qui non uidet hunc locũ illuſtrari, iudicio carere meriso dicendus eſt. In Albiano iudicio.] C. Aelio Staleno iudice pecuniam grandem datam fuiſſe à Statio Albio Oppianico, ad corrumpendum iudicium, & eandem damnato Oppianico recuperatam, ſcribit Cicero pro Cluentio. Vnde ſuſpicor Albianum iudiciũ hic dici id, in quo Albius Oppianicus damnatus eſt. In eum quid dicam? niſi.] Aporia attentionem parans, & occaſionem captans maioris conuicij. Veniſſe in conſilium.] Dicebatur iudices uenire in conſilium, cum poſt dictionem actoris & patroni uenirent ad ſententiam dicendã. Cũ eius cõſilij iudex nõ eſſet. Suppoſitus enim fuerat à Cluẽtio, ut nobis ante ex Pædiano dictũ eſt. Et eſt refutatio à turpi facto Falculæ. Et poteſtas eſſet ampliandi.] Olim qui iudicio præerat, iudicibus ternas tabellas præbere ſolebãt, abſolutionis, cõdemnationis, & ampliationis: quarũ A uel T abſolutionis nota erat, C uel Θ condemnationis, N et L ampliationis. Reus.] Oppianicus. Verum grauius.] Auxeſis per comparationem. Hominem.] Albium Oppianicum. Pretio.] HS. CCC. Ne nutu quidem.] Argumentum eſt à ſigno. Nutus ſignũ eſt, quod oculis, capite, uel manibus fieri ſolet. Hic nutum pro renutu poſitum uidetur, ut in Veſpaſiano apud Suetonium. Docet enim Plinius libro primo Epiſtolarum, nutum dici, cum quis annuit: & renutum, cum recuſat: Nanque ego, inquit, ſimili nutu ac renutu reſpondere uoto tuo poſſum. Veruntamen.] Exponit teſtimonium Falculæ, à dictis quæ ad perſonam referuntur. Et eſt argumentum à repugnantibus teſtimonij. Non adfuiſſe animo.] Hoc eſt, ſecordem fuiſſe. animus enim ſapientibus adeſt. Viſus eſt mihi.] Notat

Falculæ

*Falculæ teſtis ſtultitiam.* Viſus eſt.] *A' conſilio & aſtutia Falculæ teſtimonium diluit.* Veterator.] *Eſt, qui diuturna multiplicíq; & ſæpe cõmutata ſeruitute uerſutus ac uafer euaſit.* Quid huic tu homini?] *Epiphonema cum Subiectione, & Communicatione.* Facias.] *Facere poſſis: & concedas, concedere debeas, potentiales ſunt modi.* Improbitatis odiũ deprecetur.] *Precibus aliorum inuidiam propter improbitatem conflatam molliat, & leniat.* Vtrum Recuperatores.] *Paulatim à teſtimonijs ad defenſionem ſuã, quemadmodum in diuiſione poſt narrationẽ promiſſum fuit, labitur.* At controuerſia.] *Obiectio, ſed aduerſarij, iudicium ſit incertum. Eam refellit, uim factam probans ab aſſeueratione.* An incoacta multitudine.] *Reſponſio ad obiectionem per Enthymema, à conſequentibus uel adiunctis ibi enim neceſſe eſt uim eſſe, ubi coacta turba, arma, tela, præſentis mortis metus, & manifeſtum cædis periculum fuerit.* Quibus igitur.] *Hic latere uidetur locus à definitione, quæ à cõſequẽtibus trahatur.* An uero illa.] *Hactenus inartificialia argumenta duxit à teſtibus. Nunc probationem à ſtatu ex ſcripto & ſententia aggreditur. eſt igitur hæc Propoſitio aduerſarij per mimeſim, quæ uerbi etymologia nitebatur, & definitione: ſed ea eleuat poſtea Cicero, docendo non hanc eſſe uim definitionis qua uſus fuerat Ebutius.* Non deieci.] *Mimeſis.* Pedem poſuiſſes.] Intraſſes. Quid ais?] *Solutio per locum cõmunem, quaſi definitione probantem Cecinam à fundo eſſe deiectum. uidetur etiam argumentum à ſpecie ad genus, tanquam ſi probet eum deiectum eſſe, qui quoquomodo fugatus eſt. Vt enim deijcere genus eſt, ita ſub ſe continet terrere, fugare, repellere.* Quid ais?] *Interrogatio admirantis ob indignitatem dicti.* Poſterius.] *Tranſitio ad defenſionem cauſæ, cum apodioxi uerbi finitionem reijciens. Hic locus ad attentionem referendus eſt.* Eſt & hæc.] *Propoſitio iniuriæ, Cecinam impulſum eſſe per confeſſionem Ebutij. Vocat autem rem poſitam, firmatam & fixam factam.* Coactis hominibus.] *Congeries dictionum, ut maior Cecinæ facta uideatur iniuria.* Cum hoc conſtet ego.] *Ironia non facultatem modo ſuam extenuat, ſed aduerſarium quoque deludit.* Atque iniuriam.] *Ex hoc apparet loco, hanc omnem periodum efferri per apoſtrophen ad Ebutium.* Iniuriam tuam.] *Quam intuliſti, non quæ tibi illata eſt.* Fac in hoc errare.] *Conceſſio, uim argumenti à fictione habens. Interim notabis elegantiam uerbi faciendi. quod ſi à noſtris fieret Sophiſtis, non tam frequenter ponerent caſum dicerent: cum barbarum id ſit, & latine dicendum fuiſſet, fac ita eſſe, finge uel da, &c.* Quæro ſit'ne.] *Inductionis propoſitio, qua probat aliquam eſſe actionem in ui facta ab Ebutio. Vtitur in hac Argumentatione primũ argumento à iure, quo factum Ebutij eſſe iniquum oſtendit: deinde negatione aduerſarij pro affirmatione ſua: poſtremo probat ſtultum eſſe, negligentiæ maiorum arguere, qui tam diligẽtes in iure ſtatuendo fuerint.* Nec iuri quidquam.] *Ratio à re, ſententia ſubiecta.* Quæ cum ita ſint.] *Concluſio præcedentis argumentationis, quæ ſequentis eſt propoſitio.* In pace, & otio.] *A' temporis circunſtantia factum Ebutij amplificat. Eſt etiam hypotypoſis alicuius, qui rem ſimilem iniuriæ Ebutij fecerit, quæ propter id conficta eſt ab oratore, ut iniuria non dici, ſed fieri uideatur, quo acrius aures iudicum feriret talis aduerſariorum impudentia, qui de huiuſmodi iniuria nullam eſſe actionem affirmarent.* Manum fecerit.] *Facere manum eſt exercitum cogere, ac in unum multos congregare. Cicero in Verrem: Illi nocte facta manu, armatáq; conueniũt.* Copias pararit, multitudinem.] *Congeries cum diſſoluto. hac exaggerat factum Ebutij ad inuidiam.* Hominis inermes.] *Cecinam & eius amicos.* Ad conſtitutum.] *Deeſt tempus. Venire ad conſtitutum ſignificat, quod uulgus diceret uenire ad aſſignatum tempus.* Experiundi iuris gratia.] *Vt ius ſuum experirentur.* Repulerit, fugarit, auerterit.] *Homioteleuton cum diſſoluto & incremento.* Peci quidem.] *Confeſſio, & mimeſis arrogantis hominis.* Nam quid agas?] *Hæc ad Ciceronem ab aduerſario dici finguntur.* Iure ciuili ac prætorio.] *Ius ciuile eſt, quod ex legibus, plebiſcitis, Senatuſconſultis, decretis principum, authoritate prudentum, uenit. Ius uero Prætorium eſt, quod Prætores introduxerunt, adiuuandi, uel ſupplendi, uel corrigendi iuris ciuilis gratia propter utilitatem publicam: quod & honorarium dicitur ab honore prætorio ſic nominatum.* Itàne uero.] *Communicatio cum iudicibus.* Cum maiores.] *A' maiorum exemplo ad uindictam ſceleris hortatur.* Vt omnis omnium.] *Polyptoton.* Vt hoc unum genus.] *Scilicet iuris, & expellere armis eum qui ad conſtitutum experiundi iuris gratia ueniſſet.* Vt ſi qui me.] *Fabius lib. 5. uult hic Argumentum eſſe ex iure diſſimili.* Nondum de Cecina, &c.] *Tranſit ad perſonam Piſonis tractandam, quòd is fuerit in hac cauſa Ebutij aduocatus, & Apoſtrophe ad illum utitur, quæ finitur illic, Is'ne apud nos, &c. Tota igitur hæc Apoſtrophe tractatur per inductionem, more Socratico. Nam multis propoſitionibus interim conceſſis, negatis interim, agitatum aduerſarij animum ad confeſſionem pertrahit, & quaſdã uelut in anguſtias reſponſionis inducit, in quibus ſit conceſſurus Piſo & deiectum Cecinam, & litem per interdictum recte inceptam eſſe: quod erat inter huius cauſæ quæſtionis.* Si Cecina, cum in fundo.] *Propoſitio aduerſarij.* Quæro.] *Communicatio & reſponſio ad Propoſitionem aduerſarij per locum comparatorum, & Argumentum à ſimili: alij malunt eſſe à fictione.* Aditu ueſtibulóq;.] *Veſtibulum locus ante ianuam domus, per quem à uia ad ædes itur.* Monet amicus.] *Exemplo confirmat fictionem à ſimili factam.* L. Calphurnius.] *Apparet hunc unũ fuiſſe ex aduocatis Ebutij, qui idem clamitabat, Cecinam debuiſſe agere iniuriarum.* Iniuriarum.] *Subaudi, acturus ſum.* Iniuriarum.] *Mimeſis.* Ages iniuriarum.] *Verba aduerſarij, Ciceroni reſpondentis.* Plus tibi ego.] *Huiuſmodi locum alij Inſtantiam uocant, alij Ectaſim, cum aduerſario ſtuporem inijcimus. quod nonnunquam fit, cum eidem plus cõcedimus quàm poſtulet.* Actio enim.] *Etiologia à re.* Prætor interea.] *Refutat à minori. Nam ſi de minimis interdicta facit Prætor, de re atroci idem facturum ueriſimile eſt. & totum id reſpicit ad illud quod ſuperius dixit: Quæro ſi te hodie domũ tuam, &c.* Piſo.] *Vocatiuus eſt, ne coniungas cum dictione præter.* Qui dies totos.] *Enumerat minima quædam, in quibus prætor dare ſolet interdictũ, ut oſtẽdat in hac re atroci recte interdicto agi.* Aut reſtitui factam.] *Reſtituere uim factam, eſt compenſe damnum illatum.* Cloacis.] *Cloaca locus, in quem recipitur aquarum & ſordium proluuies.* Et, C. Piſone.] *Et hic habet indignitatem.* Prohibito.] *Iteratio, quæ habet Emphaſim.* Quid enim dicet.] *Prætor, ſubaudi.* Nouum eſt.] *Epilogus cum prætеritione, & inferente copula, ut imprudentia defenſionis oſtendatur.* Vnde deiectus?] *Verba ſunt Piſonis, quærentis à Cicerone unde deiectus fuiſſet Cecina.* Quid proficies.] *Hinc Cicero reſpondet Piſoni, & eius deridet interrogationem uanam. Eſt ergo argumentum ab inutili, & euentu.* Deijcior ego, inquis. *Antipophora, quæ occurrit obiectioni. Porrò induxit tandem aduerſariũ ad confeſſionem eius quod quærebat.* Omnino.] *Soluit obiectionem cum Ironia.* Et æquitas.] *Ea eſt quæ de iure multum remittit. Nititur autem totus hic locus ex ſententia ſcripti, & uoluntate.* Verum ita eſt uti dicis.] *Fingit Piſonem confiteri id, quod probauit.* Non'ne? age.] *Poſtremo loco inductionis adfert*

argumentum ex remotione & enumeratione. enumerat enim tres partes, quas ſeorſum infirmat. Sunt qui appellant tale argumentandi genus Syllogiſmum cornutum. Nullam eſſe actionem.] Enthymema, quo ultimam partem enumerationis refutat. Alia ſi qua forte.] Secundum enthymema, ſecundam enumerationis partem diluens: in eo pro ratione ſilentio aduerſarij utitur. Hæc ſi eſt, qua uos.] Tertium enthymema, reliquam partem enumerationis deſtruens. Non enim uereor.] Ratio ultimi enthymematis, confirmans intentionem. Etenim cui perſp.] Confirmatio ab incommodis futuris. In ea Cicero ſuo more docet incommoda quæ euentura ſunt, ſi ſecundum aduerſarium fuerit pronunciatum, in qua re metum adhibet iudicibus. Talium.] Habet emphaſim. Ea eſt cum plus intelligendum, quàm explicatum eſt. Is ne apud uos.] Amplificatio, quæ ad exprimendam indignitatem controuerſiæ additur. Is.] Ebutius. Eieci ego.] Mimeſis, inuidiam faciens Ebutio. Videtur autem Ebutius ſic diſtinguere hæc duo uerba eijcere & deijcere, ut eijcere ſit expellere quempiam antequam ſit ingreſſus: deijcere uero, iam ingreſſum deturbare. Experiundi.] Agendi. Experiri, eſt actionem intendere in iudicio. Quid ergo.] Impugnat ſecundam partem diuiſionis antegreſſæ, per comparationem legis & facinoris. & oſtendit eandem eſſe quæſtionem deiectionis à loco, & acceſſus ad locum. Hæc autem diuiſio illic facta eſt: Poſterius de uerbo uidebimus, nunc rem ipſam, &c. Probat autem Cicero, eodem actionis iure teneri eum qui ingreſſum exturbarit, quo ille qui ui armatiſq; hominibus expulerit. Quid ergo.] Hæc interrogatiuncula habet attentionem, ad hanc ſecundam partem refutandam. poniturq; loco præparationis. Pedem tum intul.] Cum ingreſſus fuero. Veſtigium fecero.] Ambulauero, pedis ſignum reliquero. Hoc.] Poſterius. Ab illo.] Superiore. Vt ille cogatur reſtituere.] Argumentatur à ſimili iure.] Videte per deos.] Iterum per commonitionem iudicibus metũ adhibet. Per hoc interdictum. Dolabellæ. Huiuſce generis.] Accedit ad primam partem diuiſionis, quæ dudum propoſita eſt. Ea ſi nihil.] Ab oppoſitis interdictum ualere probat. poteſt itemq; eſſe ab auctoritate maiorum argumentum. nam nihil refert, idem argumentum pluribus locis inueniri. Prætermiſerint.] Hoc ad negligentiam maiorum referendum eſt. Conſtituerint uero, ad ſtultitiam. Captioſum.] Expone, dolis plenum. Stultitiæ prudentiſſimos.] Anthitheton, ad ornatum demonſtrationis. Queramur, inquit.] Hypophora aduerſarij, firmamentum eiuſdem, uel, ut loquuntur iuriſperiti, duplicationem proponens, quam primum negat orator. deinde quinque partita diluit argumẽtatione. Eius partes ſuis locis indicabimus. Ea uero poteſt in hunc anguſtum ſyllogiſmum conijci. Maior eſt uis quæ mentem de ſtatu dimouet, quàm quæ occidit. At terror mentem de ſtatu dimouet. Itaque maior eſt uis in terrore, quàm in cæde. Neque uero quenquam deterrere debet, quod Rhetorica diſpoſitione, aſſumptionem cum probatione Cicero præmiſit. nã id ad occultandam artem factum eſt. Quid? quod unicuique parti ſuam addit probationem. Sed ad rem reuertamur. Quid ita.] Solutio per ſummiſſionem. Eſt autem ſummiſſio argumentatio, in qua noſmetipſi à nobis petimus rationem, quare quidquam dicamus. Quid ita?] Quare ſic? deeſt Dicis, ut ſit Quid ita dicis? & eſt una pars orationis, ut inquit Donatus. Quid uis Cecinæ.] Enthymema ex conſequentibus. Nemo, inquit.] Inuidioſe ponit aduerſarij uerba: & probat etiam ibi uim eſſe, ubi nemo uel uulneratus, uel interfectus eſt. Quid ais?] Aiunt dicimus, ut Donatus refert, de ijs, qui uana loquantur. Ergo interrogatiuncula hæc, Quid ais ſuanam fulſe monſtrat aduerſarij propoſitionem. Tu.] Emphaſim habet. Ergo exercitus.] Aſſumptionis probatio, ab exemplo maiori. Hic attendendum, aſſumptione cum ſua probatione præcedere propoſitionem argumentationis. Etenim Recuperatores.] Propoſitio per locum à finitione, uim non ſolum eſſe corporis, ſed etiam animi. Ea eſt indefinita, eoq; magis mouet iudices. Cæterum de hoc loco ſic diſſerit Fabius lib. 7. capitu. 4. loquens de diffinitione: Rariſſima enim reperietur illa conſuetudine philoſophorum ducta ſeruitus. Eſt enim certa ſeruitus ad certa uerba aſtringendi: idq; faciendum in libris de Oratore notat M. Antonius Nam etiam periculoſum eſt, cum, ſi uno uerbo ſit erratum, tota cauſa cecidiſſe uideatur. Optimaq; eſt media illa uia qua utitur Cicero pro Cecina, ut res proponatur, uerba non periclitentur. Etenim Recuperatores non ea ſola uis eſt, quæ ad corpus uitamq; noſtram, &c. animum perterritum loco ſæpe & certo de ſtatu. Dimouet.] Hoc eſt, extra ſe erumpere facit: id eſt, mente alienari & furere. Eſt ergo dimouere, de ſtatu animi ad ſtuporem uſque percellere. Itaq; ſaucij.] Ratio poſitionis. ea habet comparationem uis, quæ animo infertur, cum ea quæ corpori inferri poteſt. Saucij.] Vulnerati. Nomen eſt, quod à participio ſouciatus deducitur, ut laſſus à laſſatus, & lacerus laceratus. Debilitantur.] Infirmantur. Animo tamen non cedunt.] Conſtantes remanent. At alij.] Altera pars prima contentionis. Integri.] Intacti. Quòd ſi.] Altera contentio, per definitionem ex ſimilitudine, ut in 5. ſcribit Quintil. Adhibetur locupletãdæ orationis gratia. Ac tenui ſæpe ſuſpicione.] Extenuat quæ dicit, ut maiorem uim habeat expoſitio. Scutorum.] Armorũ: ut ſit ſpecies pro genere, per metonymiam. dictum autem Scutum ἀπὸ τοῦ σκύτεος, id eſt pelle, quod nõ ſine pellibus ſcuta fiant. Hi qui nihil præclare adhuc geſſerant, ſcutis albis utebantur: qui uero claris rebus geſtis illuſtres erant, hi præclara facinora ſcutis depicta habebant. hinc Plin. lib. 35. ſcribit, ſcutis qualibus apud Troiam pugnatũ eſt, contentas fuiſſe imagines. Ne illud quidem ignorare oportet, Scutũ uaſis eſſe genus, ſed nõ hic. Cõmunis.] Propè. Nam cõminus pugnare dicuntur, qui de propinquo pugnant. huius relatiuũ eſt Eminus. Cicero in Catone: Nec enim excurſione, nec ſaltu, nec eminus haſtis, aut cõminus gladijs uterentur, ſed conſilio, ratione, ſententia: Aliàs cõminus idẽ eſt quo ſtatim, ut auctor eſt Seruius. Virg. 1. Georgic. Quid dicam, iacto qui ſemine comminus arua inſequitur? Quæ uis in bello.] Iam admonuimus ex Fabio eſſe argumẽtũ ex ſimilitudine. Eſt etiã cõgeries, quæ unam rem alijs uerbis ſeu ſententijs effert. Et quod exercitus armatos.] A` maiore eſſe argumentũ lib. 5. cap. de arg. Fabius oſtendit, ubi paulo imminuta eſſe lectio uidetur. Sic enim legit: Qui exercitus armatos mouet, is aduocationem togatorũ nõ uidebitur mouiſſe? Aduocationem.] Aduocare eſt, ad conſilium opitulationemq; cauſæ præſtandã amicos arceſſere. Quippe hominũ, uel conſultorũ, uel auctoritate opibuſq; pollentiũ, comitatus & ſtudium, uel reum uel actorem fauorabilẽ facit, interdumq; reũ noxæ eximit, interdũ iuri uim adfert. Inde hic aduocatio togatorum Ciceroni dicitur. Aduocatio, ut ſcribit Budæus, hodie conſilium appellatur, id eſt, cauſidici & cognitores, omneſq; qui quaſi tutores cauſæ dati ſunt, cum unus ſit actor cauſæ. Inde aduocatio à Cicerone dicitur, quam conſultationem homines baſilicani uocant. Togatorum.] Tranquillorum, & in pace uiuentiũ. Nam toga tempore pacis Romani utebantur. Et uiuius corpo.] A minore ducit argumentum. Tuus enim teſtis.] P. Mẽmius, ut ante uiſum eſt & eſt locus à teſtimonio. Qui non modo.] Epiphonema, ad uehementiã contentionis. Quid igitur?] Breuiter initia, cauſas, effecta, antecedentia, cõſequẽtia cõplexus eſt: auctor Fab. lib. 7. Quid igitur fugiebant.] Subiectio cum frequentatione: quæ eſt, cum in eodem loco commoramur. Propter metum.] A cauſa. Vim uidelicet.] Ab effectis. Poteſtis igitur princ.] Enthymema à conſequentibus & Epilogus huius argumentationis. Arma multitud.]

Iterum

iterum aliud à conſequentibus Enthymema. At uero hoc.] Confirmat ius ſuum à maiorũ conſuetudine & inſtituto quod uice legis fungitur: & oſtendit uim factam fuiſſe Cæcinæ. ad comprobatur à minore. Teſtificati diſcederent.] Teſtimonio accepto abirent. Optime ſponſionem, &c.] Formula ſponſionis eſt. De ſponſione uero paulo ante à nobis dictum eſt. Cæterum tractabãtur huiuſmodi ſacramenta & ſponſiones, ut exiſtimo, ſponte partium: inuiti uero compellebãtur uadimoniũ facere, id eſt ſub certa pœna ſe iudicio ſtaturos promittere. quod etiam Vadari dicitur. Verba autem formulæ ſponſionis erant NI, uel SI. Nam ſi & ni Prætores utebantur in conceptionibus iudicij Recuperatorij quam rem exemplo probare ſuperſedebimus in præſentia, quia ſatis à Budæo in Annot. reliquis in Pandect. probata. Ita'ne uero.] Ex minore eſſe argumentum teſtatur Fab. lib. 5. Minus enim eſt, ſcire armatos eſſe: maius, in manus eorum incidere. Duo etiam quæ ſequuntur argumenta, ex eodem loco ducta uideri poſſunt. Hunc qui uolet locum, Expolitionem uocare poterit, in qua membra ſiunt acriora per interrogationem ſiguratã. Ac ego dico.] A fictione, ac Ebutij dicto, & confeſſione probat uim fuiſſe factã: qui locus ad cõiecturas referendus eſt. Primo.] Hic aduerbium eſt ordinis, ne ablatiuũ eſſe putes. Caſtello.] Axia. Vide ſuperiorem narrationem, tum de eodẽ caſtello, tum de hoc Ebutij dicto. Si uero ſimul.] Hæc omnia ad locũ minoris referenda cenſemus. Omnis enim uis.] Ratio à definitione, probans argumentũ à minore. Quod ſi aliter.] Rurſus ab incõmodis, quæ futura ſunt, ſi ſecundũ Ebutiũ iudicarint, Recuperatores deterret, et metum incutit. admiſcet interim argumentũ à ſimili, ut manifeſtior res uideatur. Statuetis.] Decernetis. Confligendum.] Prælio congrediendũ. Et armis decertandũ.] Epexegeſis. nam idem eſt cõfligere, & armis decertare. Sic quemadmo.] A ſimili. Ignauis.] Parũ ſtrenuis. Cum de.] Interpretatur uim, & docet aliũ habere intellectũ in iure ciuili, quàm in bello. Pertenuis.] Perquàm exigua. Vidi armatos.] Mimeſi illuſtrat interpretationẽ ſuã. Hoc ſi ita ſtatuetis.] Cõtentio, quæ ſtrictim declarat ſecuturam utilitatẽ, ſi in cauſa Cæcina ſuperior euadat: ſin ſecus, damnũ & ingens detrimentũ. Hoc ſi ita ſtatuetis.] Scilicet uim factam eſſe Cæcinæ. Nõ erit cur depugnare.] Occaſionem depugnandi tolletis omnem. Depugnare eſt, cum altero propter aliquam rem cõtendere & altercari. & eſſe uidetur parœmon in uerbis depugnare & repugnare. Sine uulneratione.] Noue uulnerationem dixit. Poſſeſſionis.] Agrorũ poſſidendorũ. Age uero.] Apoſtrophe, qua uehementer Ebutius aduerſarius urgetur. In ea tractat duos cõiecturales locos uoluntatẽ & poteſtatem Cæcinæ: ut oſtendat uim eſſe factã, quod Ebutius negabat. Cum te obſtitiſſe.] Enthymema à conſequentibus. Potes igitur.] Clauſula, quæ uim habet Epiphonematis, quod à repugnantibus ſumptũ eſt. Per homines coactos.] Propter homines armatos. Si enim.] Probationem à conſequentibus clauſulæ adiungit. Iam uim factã.] Inuento cũ iure rei, tum actionis genere, tranſit, ut antea promiſerat initio Confirmationis, poſt teſtimonia Ebutij, ad quæſtionẽ uerbi Deijcio. Nã dictũ fuit: Poſterius de uerbo uidebimus: nunc rem ipſam ponamus, quã illi nõ negant, & eius rei uim actionemq́; quæramus. Paulatim labitur ad cõſtitutionem à ſcripto. Nã confirmat exemplis, uim legis potius in auctoris mẽte quã uerbis eſſe poſitam. Dimoueri enim, &c.] Ratio propoſitionis, qua utebatur Ebutius, quã tanquam obiectionem, confutandam proponit orator. Præter hæc in ea hoc Enthymema continetur. Nullus deijcitur ex loco, niſi ex eo depellatur. Ergo Cæcina ex agro, in quo non fuit, deijci nõ potuit. Qui poteſt?] Quomodo poteſt? Quod ſi.] Rationem Ebutij deſtruit argumentatione, qua uocatur Subiectio. Hæc continuatur uſque ad illum locũ, An hoc dubiũ eſt. Metu permotus.] Timore perculſus. An tu qui tã.] Alia ſubiectionis pars. Exprimis.] Interpretaris. unde Exprimere uerbum de uerbo dicimus, ubi uulgus transferre ad uerbum dicere ſolet. Quid?] Non ſolum uim interrogandi habet, ſed etiam eclipſim, quam reticentiam Cicero tranſtulit, continet. Intelligitur enim dicis, uel quid eiuſmodi. Et animaduertere, Quid ſecundum morem quotidianum tum dici, cum fit tranſitus à mentione alterius rei ad alteram. Detruſum.] Deorſum truſum, uel trudendo deiectũ, uiolentia quadam. Quid ais?] Tertia pars ſubiectionis. Si uerbum ſequi.] Si uerbo niti uolumus. Si ad uerbum rem, &c.] Si ui uerbi rem uolumus metiri. Delectus uero.] A notatione, quam etymologiam dicunt. Aequo.] Non montuoſo, nec aſpero. Quid ergo?] Poſtrema ſubiectionis pars. An cum uolun.] Voluntatem atque ſententiam potius, quàm uim uerborum in interdictis ſequendam dicit. An hoc dubium.] Excurſio in locum communem, non res uerbis, ſed uerba reb. ſeruire. Is locus communis protenditur illuc uſque, Veniunt in mentem mihi permulta. Sumit loci communis principium ab expoſitione, neque anxie locos perſequitur, qui ſunt ab Aphthonio & cæteris traditi. Noſtra lingua.] Hoc eſt, Romana, quæ inops eſt, græca locupletior. Quæ lex.] Collocat nunc ſententiam, Caput ſic uocatam agentis mentem calumniando ab incommodis. Cæterũ nemo non uidet, quàm eleganter per diſtributionem hanc ſententiã dilatet: Omne ius tam publicũ quàm priuatum uiolabitur, ſi non uerba rebus, ſed res uerbis ſeruiant. Quæ lex.] Lex, Papiniano definitore, eſt cõmune præceptum uirorũ prudentum, conſultũ, delictorum quæ ſponte, uel ignorãtia contrahuntur, correctio, cõmunis Reip. ſponſio. Quamobrem recte Chryſippus librum quem fecit περὶ νόμου ſic exorditur: νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς, θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα, καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τ' εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων προστακτικὸν μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων. Legis aũt, ut Modeſtinus ait, uirtus hæc eſt, imperare, uetare, permittere, punire. Senatuſconſ.] Cũ difficile populus cõgregaretur, cura Reip. ad Senatum deducta eſt, qui ſe interponere cœpit, atque rerũ ſatagere, id quoque ius uocatum Senatuſconſultum. Quod magiſtratus edictum.] Magiſtratus, non Prætori, recte dixit. Singuli enim magiſtratus edicta habebant ſua et edictũ proprie magiſtratuũ eſt. Fœdus.] Hic locus poſtulare uidetur, ut antiquũ feriendi fœderis morem hic referamus quod dum paucis facio, quæſo Princeps illuſtriſſ. diligẽter attende. Fiebat Senatuſconſultũ in hæc uerba, ut priuas uerbenas priuosq́; feciales Prætorem poſcerẽt, qui uerbenã ex arce & ſagmina (herbæ enim genus eſt) ac lapidem ſilicem ex templo Iouis Feretrij daret. feciales ea ſecum portarent, ac porca adhibita, ueteri præfatione priſcis uerſibus ad præſtitutum tempus in foro, uel ubi cõuenerat enunciatis, fecialis ſic manu ſceptrum tenebat pro Iouis ſimulachro, ac ſi is fœderi adhiberetur, filo lanæ capite uelatus, et uerbena coronatus, Iouem, Martem, cæteroſq́; obteſtabatur deos, & dira obſecratione precari ſolebat, ut ſi quis fœdera uiolaſſet, aut illa ſciens falleret, ſic illum Iupiter feriret, ut ipſe porcam percuteret. His obteſtationibus quàm ſanctiſſime prolatis, ſecundum rem diuinam poſt precationem, ſilice porcam percutiebat, mox aqua & igne adhibitis illam immolabat, & poſt talem immolationem iura pacis & fœdera conuenta acta eſſe rite arbitrati ſunt: non ſolũ hanc fidem, ſed etiam arctiſſimum fœdus eſſe putantes, quo nihil ſanctius firmiusq́; fuit. Id ante meridiem, & primo diluculo fiebat: ne te lateat tempus Princeps generoſiſſime. nam poſt meridiem, aut eas precationes facere, aut fœdus percutere, nephas erat. Atque, ut quod grammaticorum eſt dicamus à feriendo Fœdus dictum multi uolunt. quod Virgil. lib. 8. confirmaſſe

putatur,cum dixit: Stabant & cæſa firmabant fœdera porca. Alij malunt à fecialibus fœdus dici,quòd per hos fœdera percuti ſolent. Non deſunt etiam,qui à fide deriuent,quòd in fœderibus fides interponeretur. & hæc de fœdere hactenus. Aut pactio.] Pactionem definit Vlpianus, duorum pluriumúe in idem placitum & conſenſum. à pactione autem pactum dicitur,unde pacis nomen appellatur. Pactorum uero duo genera ſunt, in rem, & in perſonā. In rem,quoties generaliter paciſcor, ne rem petam. In perſonam,quoties ne à perſona petam,hoc eſt, ne à Sempronio petam. Teſtamentum eſt, uoluntatis noſtræ iuſta ſententia,de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri uelit, cum inſtitutione hæredis. Stipulationes.] Pomponius ſtipulationem eſſe ſcribit,uerborum cóceptionem,quibus qui interrogatur,daturum facturum'ue ſe,id quod interrogatur, reſpódet. Conuenti.] Conuentionis uerbum generale eſt ad omnia pertinens,de quibus negotij contrahendi tranſigendiq; cauſa cóſentiunt qui inter ſe agunt. Nam ut conuenire dicuntur,qui ex diuerſis locis in unum colliguntur,et ueniunt: ita qui ex diuerſis animi motibus in unum conſentiunt,id eſt, in unam ſententiam concurrunt. Conuelli.] De ſtatu & loco dimoueri. Sumptum ab his qui ramos ab arboribus auferunt. Deflectere.] detorquere. Sermo mehercule.] Aſſeueratio incommodi. Verbo inter nos aucupabimur:] Si uerba ad utilitatem noſtræ cauſæ capiamus. ab aucupibus trandatum. Aucupari orationem dixit in oratione pro P. Sextio, pro eo quod eſt,undique materiam componendæ orationis corradere: Non ſum,inquit,tam ignarus,iudices,cauſarum, non tam inſolens in dicendo,omni ut ex genere orationem aucuper,et omnes undique floſculos carpam ac delibem. Denique.] Poſtremo. hæc particula multis enarratis poni ſolet. Non ad id quod ex uerbis.] Non ad rem. Eſt enim periphraſis rei, quæ uerbis intelligi ſolet. Exemplis.] Præparatio ad locum ab exemplis,per quæ locus communis probatur. Non occurrit.] Communicatio. Aliud alij.] Polyptoton. Ornate L. Craſſus.] Ab exemplo. magnam autem L. Craſſi fuiſſe eloquentiam, teſtatur Cicero in principio orationis pro L. Cornelio Balbo,ubi eum uocat hominem natum ad dicendi ſingularem quandam facultatem. & in primo Offic. cum ait: Vberior oratio L. Craſſi, nec minus faceta. Cæterum pater familias, qui opinabatur uxorem grauidam relinquere,ſic teſtamentum condidit. Si poſthumus meus annos tutelæ ſuæ attigerit,hæredem quem uolet facere poterit: ſin prius quàm ueniat in tutelam deceſſerit, M. Curium hæredem ſecundum facio, Pater moritur, filius non eſt natus. Curius adit hæreditatem, Coponius agnatis contra petit. apud Centumuiros cauſam Coponij Scæuola agit, ex uerbis teſtamenti iura defendit. Contradicit ex ſententia teſtamenti Craſſus,et Curij cauſam agit. Iudicio centumuirali.] Iudicia centumuiralia,ut Feſtus ſcribit, à Centumuiris dicta ſunt. Nam cum eſſent Romæ triginta quinque tribus,quæ et curiæ ſunt dictæ,terni ex ſingulis tribubus ſunt electi ad iudicandum,qui Centum uiri appellati ſunt. Et licet quinque amplius quàm centum fuerunt,tamen quo facilius nominarétur, Centumuiri ſunt dicti. Facilius autem dicimus Centumuiri, quàm Centumquinque uiri. Hi omnes cum iura daturi erant, haſta poſita in unum coibant: Illorum iudicia in duas haſtas diuiſa erant. Ideo Centumuiralis haſtæ tam frequens eſt mentio. Horum iudicia erant de hæreditatibus, uſucapionibus,teſtamentis,gentilitatibus,tutelis,aquationibus,nexis,alluuionibus,mancipijs, & ſtillicidijs: ut in primo de Oratore Cicero demonſtrat. Probauit.] perſuaſit. M. Curi.] Huius controuerſiæ ſic in Bruto meminit: Hoc inquit, cũ ſæpe aliàs, tum apud Centumuiros in cauſa M' Curij cognitum eſt. Ita enim multa Craſſus tum cõtra ſcriptũ pro æquo & bono dixit,ut hominẽ acutiſſi. Q. Scæuolã, & in iure in quo cauſa illa uerſabatur peritiſſimũ, obrueret exemplorũ argumentorũq; copia. Diffuſius item de hac cauſa uidere potes,in primo de Oratore ad Q. fratrem. Poſthumo filio.] poſthumi appellati ſunt, qui poſt patris obitum nati eſſent. Virgil. lib. 6. adiectiue uidetur Poſthumum uſurpaſſe pro futuro,ſequenti,ac poſtero: cum dixit: Primus ad auras Aethereas Italo commiſtus ſanguine ſurget Syluius, Albanum nomen,tua poſthuma proles, Quem tibi longæuo ſerum Lauinia coniux Educet ſyluis regem,regumq; parentem. Quid? uerbis ſatis.] Subiectio, ad orationem illuſtrandam,iudicumq; demerendam approbationem. Quæ ſi tacitis nobis.] Tacitus enim non ſolum actionem denotat, ſed etiam plerunque paſſionem. Virgilius: Quis te magne Cato tacitum, aut te Coſſe relinquat? Quia non poteſt.] Subaudi, intelligi uoluntas nobis tacitis. Non quæ imped.] Ablatio inferens. hæc non tantum circunductionem, ſed multo magis pulchritudinem adfert orationi. Lex uſum.] A' legitimo nunc locum communem amplificat, & quatuor leges adducit,in quibus uerba rebus ſeruiunt, & uoluntas ſpectatur. Nam huc ſpectat quod in Topicis ſcribit Cicero, cum docet argumentum à pari. Quod in re pari, inquit, ualet, ualeat in hac quæ par eſt: ut quoniam uſus auctoritas fundi bienniũ eſt,ſit etiã ædium. At in lege ædes non appellãtur, & ſunt cæterarũ omnium quarũ annuus eſt uſus,ualeat æquitas, quæ paribus in cauſis paria iura deſiderat. Ergo ſic hoc loco dicit: Quia uſus auctoritas fundi bienniũ eſt,ſit quoque ædium. hic itaque ædiũ uſus auctoritatem biennio fieri docet,quandoquidẽ immobilium æqua poſſeſſio eſſe uidetur. cũ ædes immobiles ſint, fundus etiã immobilis: biennio fundus uſucapitur,ædes biennio uſucapi poſſe uidebuntur. quoniã æquitas in rebus paribus paria iura deſiderat. Verum addidit,quæ in lege non appellantur: ubi legẽ duodecim tabularũ intellexit , ut ſentire mihi uidetur Boetius,in qua de ædibus nihil aſcriptum eſt. Siquidem cũ de fundo legiſlator præſcriberet,bienniiq; diceret eius uſucapionẽ eſſe, de ædibus nihil adſcripſit,qua taciturnitate uidetur lex iunxiſſe his quorum annuus eſt uſus. Sed æquitas quæ paribus in rebus, ut diximus,paria iura deſiderat,facit ut uſucapio eadem ſit in fundo & ædibus. Eſt autem uſucapio,ut id intelligas, acquiſitio ſiue adiectio dominij per continuationem longi temporis à lege definiti. Auctoritatem.] Vſum & auctoritatem hic & in Topicis uocat uſucapiendi conditionem,quæ olim erat biennij in rebus ſoli,ut auctor eſt in ſecundo Iuſtinianus,quemadmodum & Gellius lib. 17. Rei furtiuæ non annuus eſt uſus & auctoritas, aut bima trimáue dies, ſed æterna. Res enim furtiuæ & uſu poſſeſſæ uſucapi lege xij. tab. & lege Attilia non poſſunt,ut dicit Iuſtinia. Cicero in 1. Offic. Aduerſus hoſtem æterna auctoritas. Vide Bud. in Annot. in Pandect. in dictione Auctoritas. In lege non appellantur.] De quibus lex tacuit. Si uia ſit.] Secunda lex,quæ oſtendit, quòd ſi uerba tantum ſequi uolumus,ſi uia ſit in Brutijs imminuta, qui longe à Tuſculano diſtant, à quopiam iumentum poſſe agi per Tuſculanum Scauri: cum uoluntas legiſlatoris fuerit, ut per locum proprium,iuxta quem uia eſſet imminuta, iumenta agerẽtur. Dicitur autem Via imminuta, quando ita fracta eſt, ut per eam nemo tranſire poſſit. Iubet.] Subintelligamus lex. Velit.] Aliquis iter faciens cum iumento. Agere.] Ducere iumentum. Columella libro 7. iumentum à iuuando dictum uidetur innuere,cum ait: Nec tamen ultra religio eſt in aqua,modo frumenta gignantur, quæ non ut ouium, ita armentorum adiumento iuuentur. Vnde etiam iumenta nomen à re traxere, quòd noſtrum laborem uel onera ſubuertẽdo uel arando iuuarent. Verum aliter iuriſconſulti ſentiunt. nam in lege xij. tabul. à iungendo, non à iuuando iumenta dicta eſſe ſcriptum eſt. cui ſententiæ Gellius libro 20. cap. 1. aſtipulatur. Videtur tamen mihi ex eruditorum opinione magis approbari

bari

bari Columellæ ſententia. Iumenti uero appellatione continentur animalia, quæ uel ſarcinas gerunt, uel currus trahũt, uel terram excolunt, ut aſini, muli, equi, cameli. Boues tamen, ut Pomponius lib. 6. ad Senatuſconſult. ait, magis armentorum quàm iumentorum nomine appellantur. In Brutijs. ] Hi ſunt populi Italiæ, finitimi Lucanis & mari: ita uocati, quòd quaſi bruti et obſcœni forent. hi bilingues dicti, et græce loqui: ab his Brutianos nuncupatos comperio, qui officia ſeruilia magiſtratibus exhibebant, eo quòd primi ad Annibalem deditionem fecerunt, & cum eo perſeuerauerunt, dum ex Italia recederet. Brutianas quoque parmas dici ea ſcuta, quibus Brutij utebantur, quis non nouit qui literariam fecerit? Per M. Scaur. Tuſculanũ. ] Hic fundus M. Scauri longe à Brutijs ſitus erat. unde ſi uia in Brutijs imminuta erat, ex uerbis legis iumentum non eſt agendum, ſed potius aſpicienda legiſlatoris ] Voluntas. Actio eſt in auctorem. ] Tertia lex, quæ probat ſi uerba tantũ aucupemur ab Appio Cæco, actionem in auctorem præſentem non poſſe haberi: quoniam in iure conſpicere nõ poſſit, quòd ſit Cæcus. De hoc autem Appio diximus in orationem pro Cælio. Eſt igitur actio nihil aliud, quàm ius perſequendi in iudicio quod ſibi debetur. Iuſtinian. libro 4. Inſtitut. In auctorem præſentem. ] Quem uocet auctorem, à nobis explicatũ eſt paulo ante. Quandoquidem te. ] Formula actionis in auctorẽ præſentẽ. Alciatus Iuriſconſultus noſtra tempeſtate apprime doctus in Commentarijs de Verborum ſignificatione, huius actionis ſic meminit: Actionis, inquit, in perſonam uerba erãt in uſu, Aio te mihi dare oportere: itemq́; Oportere facere. quorum Valerius Probus in libello de præſcriptis notis meminit. Harum actionũ præparatoriæ erant interrogationes, & Vindiciæ. Interrogatio ſic fiebat: Q. T. I. I. C. P. A. T. F. A. Id eſt, quando te in iure conſpicio, poſtulo an te facias auctorẽ. Vindiciæ erant ius poſſeſſionis: quod diſceptabatur pendente iudicio, penes utrum res quæ uendicabatur, remanere deberet. Conſectarentur: ] Mordicus tenerent, & aucuparentur. Quam rem cuius cauſa uerba ſunt. ] Hoc uidetur in Cratilo apud Platonem confirmare Socrates, dicens: Nomen itaque rerum ſubſtantias docendi diſcendiq́; inſtrumentum eſt, ſic ut pecten & radius ipſe tela. Teſtamento. ] Habet iſtic teſtamentum uicem quartæ legis, quæ per Apoſtrophen ad aduerſarios, Idem quod in ſuperioribus legibus Docet. Ergo argumentum eſt à teſtamenti formula, comprobans non ſemper uerbis ſcripti ſtandum eſſe. Eſſet pupillus. ] Pupillus diminutiuum à Pupo, quæ uox puerum indicat. Hunc Catullus poeta Populum uocat. unde ex notatione dici poteſt pupillus, qui eſt in patris poteſtate. Nam Pomponius ſcribit in tit. de Verbo. ſignific. pupillum eſſe, qui cum impubes eſt, deſijt in patris poteſtate eſſe, aut morte aut emancipatione. Pueritia uero perficitur biſſeptem annis, incipitq́; pubertas, ut Macrobius ſcribit. Quamobrem impubes eſt, qui nondum pubertatis ad annos peruenit. Ergo ſi Cornelius uiginti annos natus ſit, & uerba ſequi uelimus, pupillus non erit. Veniunt. ] Præparare iudices incipit, ad particulas interdicti exponendas, ſimulq́; ad futuram diſputationem. Veniũt in mentem mihi permulta. ] Hoc habet à perſona dicentis fauorem. iſtud enim proœmij formulam præ ſe fert. Vobis plura. ] A' perſona iudicum: quibus maiorem ſagacitatem tribuit, quàm ſibi. Verum ne. ] Animaduerte particulam aduerſatiuam, cum beneuolentia à ſua perſona, & à re. Intelligetis. ] Ratio aduerſariorum. cum attentione ac docilitate. Quid enim aliud quàm attentos & dociles facit, dum interdicti futuram intelligentiam promittit? Dum uerſuti & callidi. ] Vtrunque de Natura deorum ſic interpretatur Cicero: Verſutos eos apello, quorum celeriter mens uerſatur: Callidos, quibus tanquam manus opere, ſic animus uſu concaluit. Plautus in Epid. Verſutior es, quam rota figularis. Et Terent. in Eunuch. At etiam primo callidum & uerſutum credidi hominem. Vnde tu aut familia. ] Particula interdicti, quæ probat nullam eſſe utilitatem, ſi uerbo ducamur ad rem æſtimandam. Familiam. ] Familiæ appellatio qualiter accipiatur, uidebis in Pandect. titul. de uerb. & rerum ſignifi. l. Pronunciatio ſermonis. Et quidem uarie accepta eſt. nam deducitur in res & perſonas. Procurator. ] Vlpianus putat eum procuratorem dici, qui aliena negotia adminiſtrat. Si me uillicus tuus. ] Extat inter exempla locorum apud Fabium lib. 5. cap. de argumentis, hic eſſe argumentum à fictione. quam rem proponam, ut tua cauſa, Princeps clariſſime, iuuenes hunc locum facilius intelligant. Illud, inquit ille, adijciendum uidetur: duci argumenta non à confeſſis tantum, ſed etiam à fictione, & quidem ex omnibus iiſdem locis, quibus ſuperiora, quia totidẽ ſpecies eſſe poſſunt ficta, quot uera. Nam fingere hoc loco, id eſt, proponere aliquid quod uerum ſit, aut ſoluat quæſtionem, aut adiuuet. deinde id de quo quæritur, facere illi ſimile. Id quo facilius accipiant iuuenes, nondum ſcholam egreſſi, primo familiaribus magisq́; uſitatis exemplis oſtendam. Lex eſt, Qui parentes non aluerit, uinciatur. Non alit quis, & uincula nihilominus recuſat. utitur fictione, ſi miles, ſi infans ſit, ſi Reipub. cauſa abſit. & illa contra opinionem fortium, ſi tyrannidem petat, ſi temporum euerſionem: plurimumq́; ea uirium habet. Contra ſcriptum utitur his Cicero pro Cæcina: Vnde, Tu aut familia, & procurator tuus: Si me uillicus tuus ſolus deieciſſet: Si uero ne habeas quidem ſeruum præter eum qui me deiecerit: & alia in eodem libro plurima. Hactenus uerba Fabij recenſuimus. Porrò uillicus dicitur ſeruus (ut M. Cato, & L. Columella ſcribunt) qui uillam gubernat, aut præeſt pago, & totius rei ruſticæ curam habet. Huic ſerui ipſi agricultores ſubijciuntur Vnde uero uillicus dicatur, ſic narrat libro primo cap. 2. de re ruſtica Varro: Villicus agri colendi cauſa conſtitutus, atque appellatus à uilla: uilla, quod in eam conuehuntur fructus, & euehuntur cum ueneunt. à quo ruſtici etiam nunc quoque uiã Veham appellant, propter uecturas: & uellam, nõ uillam, quo uehunt, & unde uehuntur. Reſtituiſſe. ] Satis feciſſe interdicto. Prob. ijs qui latine ſciant. ] His qui latine loqui nouerint. In uno ſeruulo familiæ nomine non ualere. ] Quanquam Vlpianus in tit. de uerb. ſignifi. leg. deteſtatio dicit unicum ſeruum familiæ appellatione nõ contineri, nec duos quidem familiam facere: in interdicto tamen à familia deiectus dicitur, qui uel ab unico ſeruo deiectus: ſed id ex interpretatione, & uoluntate ſcriptorum, non ex ui uerborum eſt. Cuius ſententiæ habeo auctorem eundem Vlpianum in l. 1. §. Familiæ. de ui & ui armata libro 43. Pandectarum. Iam uero, ne id cuiquam remaneat dubium, dicamus unde familia deducatur. Familia igitur ab iſto uerbo Famul uenit, quod ſeruum denotat: atque ideo de ſeruis proprie dici debuit, non autem ad filios, uel etiam liberos homines trahi. ſed tamen uſus aliter obtinuit. Hincq́; manifeſtum eſſe poteſt argumentũ à notatione, & quod à coniugatis Tullius in Topicis appellat, probabile potius quàm ſemper concludens eſſe. Neque dubium eſt. ] A' definitione præcedentia probat. Verbum certo hoc. ] Ratio huius uocabuli. Non modo. ] Dirimens copulatio, cum non tantum hoc, ſed etiam magis illud ſequi oſtendimus. Cogit. ] Subaudi, unum hominem non eſſe familiam. At uero. ] Verbis interdicti non ſolum ſententiam, ſed potius uoluntatem Prætoris eſſe intelligendã dicit. Reſpuat. ] Repudiet. Hanc defenſionẽ. ] Quæ in uerbis poſita eſt. Quid ergo. ] Anthypophora. potuit ſiquidẽ obijci, illos latine neſcire. Imo uero. ] Solutio per uiolationem. Seruos nõ numero diſtinguant. ] Seruos à familia numero nõ ſeparent. Non quo omnes ſint, aut. ] Oportet enim domini mandatum in

teruenire, ut quis procurator dici poſſit. Cognita ſententia interdicti.] Cum cognoſcitur Prætoris uoluntas. Exquirere.] Excuti & aucupari. Non enim alia.] Ratio interpretationis ab æquo bonoq;. In uno ſeruo, & in pluribus.] Si quis enim ab uno deijciatur, is non minus deiectus erit, quàm ſi à duobus deiectus fuiſſet. Duntaxat.] tantummodo. Ponitur aliquando cum particulis non, & ſed etiam. Paulus Iuriſcon. Cum tutor non rebus duntaxat, ſed etiam moribus præponatur. Vtrum me tuus procurator.] Sanè quoties uerus procurator deiecerit, cum utrolibet eorum, id eſt ſiue cum domino, ſiue cum procuratore agi poſſe, Sabinus ait, & alterius nomine alterum eximi. Sic tamen, ſi ab altero eorum litis æſtimatio fuerit præſtita. Non enim excuſatus eſt, qui alterius nomine deiecit, non magis quàm ſi iuſſu alicuius occidit. Cum autem falſus eſt procurator, cum ipſo tantum procuratore interdici debere. Ita ferè Vlp. lib. 43. ff. de ui & ui armata. l. 1. & paulo poſt. l. Idem & ſi quis. Cum procurator armatus uenit, & ipſe dominus armis deieciſſe uidetur, ſiue mandauit, ſiue (ut Iulianus ait) ratum habuit. Atque illud quoque hic animaduerte, quam uenuſte eleganterq;, quis legitimus dici poteſt procurator, exponat. Hoc eſt, alieni iuris.] Interpretatio. Vicarius.] Qui uices alterius gerit. Aut tuus colonus.] Nam colonus, cliens, uicinus, libertus, uel quiuis, qui aliquid pro nobis ſeruorum loco facit, familiæ appellatione continetur, ut in dicto §. Familiæ aſſeuerat Vlpianus, et ideo tã tenemur interdicto Vnde ui, ſi quid illi fecerint, quàm ſi nos ipſi, aut familia feciſſet. Quare ſi ad eum.] Concluſio argumentationis per enumerationem. Tam reſtitues ſi tuus me lib.] Pars hæc refertur ad procuratorem, de quo ſupra diximus. Tam reſtitues ſi unus ſeruus.] Vides quoque hanc partem pertinere ad familiam. Etiam ne longius.] Alienis deijcientibus, dummodo mercenarij fuerint, quéque poſſe deijci affirmat, & hanc à uerbo longe alienam eſſe ſignificationem aſſeuerat. Mercenarij.] Nam cum filius familias uel mercenarius deiecerit, utile interdictum competit. Perge porrò.] Adhortatio, habens uim præparationis ad reliquas edicti particulas. Hominibus coactis.] Verba ſunt ex formula edicti, propoſita ab oratore ut diſcutiantur. Neminem coegeris.] Explicat qui cogere dicantur. Coacti. Definitione exponit, qui coacti dicantur. Si non modo conuocati.] Interpretatur particulam edicti. Sed quia.] Argumentum à cauſa, cur hoc interdictum compoſitum eſt. Armatis'ue.] Aliam edicti particulam excutit, eamq; tractat ſubiectione: cuius ſecunda pars habet argumentum à definitione. Opinor eos qui.] A' finitione. Quid igitur.] Obiectio. Glebas.] Glebã accipimus ceſpitem terræ, dictã, quòd ſit quaſi globus. Verba ſi ualent.] Solutio ab opinione diſencis. Dicito.] Subaudi reſtituiſſe. Eos qui ſaxa.] De hac re ſic Vlpianus lib. 43. de ui & ui armata. Armis deiectum quomodo accepimus. Arma ſunt omnia tela, hoc eſt, & fuſtes & lapides, nõ ſolum gladij, haſtæ & frameæ, hoc eſt romphææ. tamen ſi uim & proprietatem dictionis inſpiciamus propius, longe aliter ſe res habet. Arma eſſe.] A' diuiſione. Alia ad tegendum.] Vt thoraces & galeæ. Alia ad nocendum.] Vt gladij & haſtæ. Verum ſi quidem.] Iam docet à tempore, quando ad uim uocabuli armorum inſiſtendum, & quando non. Calumnia.] Cautela. Deliteſcas.] Lateas. Virg. Limoſoq; lacu per noctem obſcurus in ulua Delitui. Nõ enim reperis.] Ratio à comparatione. Perinde & Quaſi ma;nam adferunt orationi gratiam, ſi coniungantur. Cicero pro Cluentio: Perinde quaſi exitus rerum, non hominum conſilia legibus uindicentur. Et pro Milone: Hoc enim ſæpe ab iſtis dicitur, perinde quaſi Appius ille Cæcus uiam munierit. Atque ut magis.] A' fictione probat, plerunque in interdicti interpretatione numerum non conſiderari. Eam fictionem partim à ſua, partim ab aduerſarij perſona ſumit. Oratio uariatur hoc loco per ſubiectionem. Impudens.] eſt, qui nullo pudore ducitur. Atqui uide.] Communicatio. deliberat enim cum aduerſario. Implorare.] Auxilium petere, & proprie cum fletu rogare. quod eſt uapulantis, auctore Feſto. Inermes armati.] Antitheton. Verum in his.] Accommodat fictionem ad ſuam cauſam, & diſſimilitudinem aperit. Coniecta ſunt.] Poſita ſunt. Ad caput, &c.] Epexegeſis. ſiquidem caput uitam ſignificat: non tamen proprie ſed figurate. Sine ulla exceptione.] De hac dictum eſt paulo ante confirmationem. Ea.] Vis. Si non alio.] Concluſio per enumerationem, qua percurrit ſtrictim omnes partes huius argumentationis, quæ fuerat inſtituta de uerbis & ſententia huius interdicti. Voluntarij.] Qui ultro & non rogati, ad uim inferendam uenerunt. Aſſidui.] Qui continui eſſent in domo, uel eo loco ubi uis eſſet facta. Quibus enim rebus.] Aetiologia concluſionis. Appellantur interdicto.] Recenſentur nominatim in interdicto. Concluditur.] Continetur. Venio nunc.] Μετάβασις ad reprehenſionẽ obiectionum Piſonis. immiſcet enim ab hoc loco ſuæ confirmationi refutationem. Eſt etiam præparatio cũ propoſitione aduerſarij. Non fui.] Permiſi, à uerbo ſino. Puto teipſum.] Reſponſio ad propoſitionem aduerſarij, cũ Apoſtrophe ad Piſonem, per locum à comparatione. Quàm ſi illa uterere.] Si illã adhibeas defenſionem. Fuſtibus.] Perticis aut baculis. de hoc iure ex Vlpiano paulo ante dictũ eſt. Non copioſo.] Verecunde ſuam facultatem dicendi extenuat, ut beneuolos Recuperatores faciat à ſua perſona. Vtranque rem.] Vna eſt, non eſſe deiectũ eum cui ui et armis ingredienti ſit occurſum: altera uero, armatos nõ fuiſſe, qui ſine ſcutis & ſine ferro fuerint. In altera.] De armatis hominibus. Hic.] Intelligamus in uerbo deieci. Hæream.] Dubitem. Pulſus.] Vi. Fugatus.] Timore uiſorũ armatorum. Atque illud.] Alia propoſitio Piſonis. & ea erat unum ex firmamentis aduerſæ cauſæ. Quod ego.] Solutio à ſuperuacuo. Nam cæteri.] Confirmatio per contentionem. At interim ſi quid ſummo iure contendere ſit. requiris, uide ſupra ad narrationem. Ea res idem ſignificat, quod ad extrema & inimiciſſima iura recurrere, ut eſt alibi à Cicerone dictum. Tũ illud quod dicitur.] Hic locus corruptus eſt, neque emendari poteſt, niſi ex fide antiqui exẽplaris, quod à me quæſitũ ſæpius, nondum inuentũ eſt. Suſpicor hic deeſſe aliquod prouerbiũ, quod tempore Ciceronis fuit uulgatiſſimũ. Ex æquo & bono.] Appellat æquũ et bonũ, quod Græci ἐπιείκειαν uocant. dicitur etiam ἐπιεικὲς uel dicæon, id eſt, emendatio iuris ſcripti. Hæc aũt reduci poſſunt ad hunc ſyllogiſmum: Sequi uerba & ſcriptum calumniatoris eſt, ut uiri boni aſſeruat: atqui Piſo ſequitur uerba et ſcriptũ, Piſo igitur calumniator eſt. Aucupia uerborũ.] Aucupare, captare eſt Ciceroni. unde Auceps & aucupium. ut in primo de Oratore: Ita tibi Iuriſcõſultus per ſe ipſe nihil niſi Leguleius quidam cautus et acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps ſyllabarum. Et Terent. in Eunucho. Olim iſti fuit generi quondam quæſtus apud ſeclum prius: hoc nouum eſt aucupium, ego adeo hanc primus inueni uiam. Literarum tendiculas.] Feſtiua utitur tranſlatione ab auibus uel feris. Nam tendiculas uocamus laqueos, quos auibus uel feris tendimus. Vociferantur.] Clamitant. Oſtendit aduerſariorum dicta factis eſſe diſſona, & ſummam locorum cõmunium contra eum qui ſcripto nititur, perſtringit. In iſta uero.] Altera pars contentionis. In ea ad Sex. Ebutium conuertit orationem, per Apoſtrophen. Literam.] Literam uidetur uocare, quod uulgo textum non ſatis latine, ut multi autumant, appellatur. licet quidam Leguleï plerunque loquaces magis quàm facundi, in ea

diſciplina

diſciplina quàm profitentur, cum in omnibus alijs ſint planè plebei, ſubinde ſic hanc uocem uſurpent. Cum tuæ ſint partes.] Intelligit iniquam eſſe cauſam Ebutij. Vnde deiectus.] Mimeſis, qua deridet aduerſarij cauſam. Cum tua ſit hæc.] Verba Ciceronis amplificantis Mimeſim. Fateor me.] Altera Mimeſis cum repetitione ad uehementiam contentionis. Sed ego inuenio.] Confert ſe ad aliam defenſionem Ebutij. Non deieci.] Propoſitio aduerſarij, deijciendi uerbo nitentis. Vnum uerbum.] Non deieci, ſed eieci. In iſta defenſione.] Reſponſio ad propoſitionem, in qua primum in odium trahens aduerſarium, iniquitatem actionis eius declarat, ſicq; ſibi iudices conciliat. deinde addit aliud aduerſarij dictum, quod poſtea negatione deſtruit. Eos, qui conſulantur.] Periphraſis iuriſconſultorum. Quem ego.] Negat quod ante dixerat aduerſarius. Tamen probaſſe.] Ex ſuperioribus repete hoc uerbum Dixiſti: ut ſit ſenſus, tamen dixiſti. Scæuolam probaſſe. &c. Probaſſe nemini.] Et hæc argumentum habent à confeſſione aderſarij. Cum id miror.] Occupat obiectionem, quam primum à ſuperuacuo & circunſtantijs, deinde dilemmate obruit. Cum id miror.] Cum, partim: ut referatur ad tum, quod poſtea ſequitur. Vulgo.] Paſſim, aduerbium eſt. Virg. Hinc letis uituli uulgo moriuntur in herbis. Nam qui hoc. Ratio ſecundæ partis ſuperioris periodi, per dilemma. Neque enim fieri.] Confirmatio à coniugatis. Numeretur.] Habeatur. At eſt aliquando.] Aliam inuadit obiectionem, quæ diluitur complexione, ut ſuperior. Illuſtratur hic locus exemplo & ratione, per quam conuertit inuidiam in nonnullorum ignorantiã. Primum utrum.] Dilemma. Perperam.] Praue & peruerſe. Deinde ſi de iure.] Alia ratio ſolutionis per uiolationem, qua demonſtrat Ebutij rationem pro ſe facere, Sin aliter.] Si perperam iudicatum eſt. Non dubium.] Certum eſt iudices, non iuriſconſultos eſſe uituperandos. De iure uario.] De eo quod obiecerat ei, cum dixiſti Scæuolam cauſam apud Centumuiros non tenuiſſe. Deinde ſi de iure uario.] Videtur hic locus præ ſe ferre ſpeciem argumentationis, quæ Græcis βίαιον, Latinis uiolatio ſolet appellari. Nã ipſe rationem aduerſarij ſecum facere demonſtrat. Etenim.] Confirmatio ab exemplo. Ipſe Craſſus.] In oratione pro M. Curio. Illud quod Scæuola defendebat.] Intelligamus ſequenda eſſe potius uerba, quàm uoluntatem & ſententiã teſtatoris. Socero.] Is eſt, qui uxoris noſtræ pater eſt. Hominibus auctoribus.] Auctores ſententiæ alicuiuſque conſilij dicuntur hi, quorum ſententiam conſiliumq; ſecuti ſumus. Nam qui ius.] Hæc probatio uidetur eſſe ſumpta ex ſententia et definitione per tranſlationem facta. Qui autem. Complexio probationi adiuncta, ut fortior appareret. Interpretes iuris.] Iuriſconſultos. De hominibus, non de iure ciuili detrahit.] Homines uituperat, non ius ciuile. Hæc dicendi forma Ciceroni perfrequens eſt, ut in oratione de Reſponſis aruſp. Qui in concione detrahat de Pompeio. Et alio loco: Et ſi quæritis ut ipſe de me detraham, illos ego accuſatores puto. Huc etiam ſpectare uidetur, quia in huius uerbi mentionem incidimus, ut admoneam dictum in. 2. Philip. Ciceroni, de cœlo detrahere aliquem, pro eo quod eſt, de ſumma gloria aliquem deturbare: Collegam, inquit, tuum de cœlo detraxiſti. Quod uobis uenire, &c.] Alteram inducit perfectiſſimam argumentationem de conſeruandis legibus, ea hic ponitur amplificandi gratia. conſtatq; Epicheremate. cuius axioma, quod probatur, eſt huiuſmodi. Nihil in ciuitate tam diligenter retinendum quàm ius ciuile. Ergo propoſitionem per locum communem hoc loco putamus eſſe, quod uenire in mentem, &c. Retinendũ.] Nunc conſeruandum. Aliàs retinere dicitur, ut ſcribit Donatus, qui aduerſum aliquẽ tenet: Etenim hoc ſubla.] Aetiologia, petita à periculis et incõmodis quæ futura ſunt, ſi ius tollatur. ea ſecunda pars argumentationis eſt. In multis exemplaribus legitur male: Etenim hoc ſublato nihil eſt. quare exploremus, cuiquam poſſit eſſe. Legendum enim cenſeo exploratum, non exploremus. Alioqui quis non uidet, nullam ex hoc loco ſententiam elici poſſe? Aequabile.] Idem eſt quod æquale. Cicero, Et uox reducitur in ſonum quendam æquabilem et conſtantem. Itaque in cæteris.] Confirmat collatione cæterarum controuerſiarum. Et eſt tertia pars argumentationis. Subornari.] Latenter ſeduci. Plin. in Epiſt. Et teſtibus quidã ſiue iratus quòd euocatus eſſet inuitus, ſiue ſubornatus ab alteruo reorũ, ut accuſatorẽ exarmaret Narboniũ Liciniũ Legatũ. Teſtamentum aut tabulas, &c.] Hoc eſt, aut ſecundum teſtamentum, aut ſecundum tabulas iudicaſſe credatur. In iure.] Altera pars Contentionis. Denique nimis.] Obiter notat mores ſui temporis, quo libidinoſe à potẽtibus pauperes opprimebantur. In hoc ſolo genere.] In iure ciuili tantum. Aggrediatur iudicem.] Adoriatur ac adeat, ut ipſum recipiat. Nam ſic Terent. Ita'ne agitis mecum Satis aſtute aggredimini. Qua denique digitum, &c.] Hoc eſt, nullum locum in iure ciuili potentia habet. Sumptum uidetur ab inſigniter tenuibus, qui nihil omnino poſſeſſionis habent. Huic locutioni haud diſſimilẽ eſſe prouerbialem illã hyperbolẽ crediderim, Pedem ubi ponat non habet: quæ denotat, ne tantillum quidem agri poſſidet. Eſt apud Ciceronem locus ad hunc locũ aut impertinens, in fundũ, quẽ poſſis mittere funda. Illud enim.] Addit etiam confirmationis partem, ab eodem loco petitam, à quo & ſuperior, nempe à Contentione reliquarũ cauſarum & iuris ciuilis. Gratioſo.] Amicis abundanti. gratiam enim pro amicitia poni peruulgatum eſt. Vnde gratioſus cognominatur. Cui filius agnatus.] Leges non poſſe labefactari, probat prolatis duabus legibus. At quid de priore ſtatuat Vlpianus, dicendum. Is autem lib. 27. Pandect. in hunc modum ſcribit: Certum eſt adoptione uel arrogatione filij filiæ ue, teſtamentum rumpi, quoniam ſui hæredis agnatione ſolet rumpi. Attendendum autem hoc loco fieri poſſe, ut ex alijs legibus exempla ducantur, per quæ appareat ſemper ſtari ſcripto non eſſe neceſſe. Quod mulier.] Lex olim fuit: quæ mulierem in perpetua eſſe tutela iubebat, donec in manum uiri conueniſſet. unde ſi quid non conſentiente tutore promittebat, id iure ciuili fiebat irritum. Vide Ciceronem in Topicis, de argumento ab adiunctis, & Boetium. Vulgatior fama tenet, hãc eandem legem fuiſſe Athenis, ut in Commentarijs docet Budæus. Mulier.] Appellatione mulieris uirgo uiripotens continetur, ſi propriè uerba accipiantur: alioqui ex lata interpretatione mulier etiam dicitur, quæ uiripotens non eſt, nimirum quia muliebris eſt ſexus, quod & notatio nominis oſtendit. Lactantius enim atque Varro ſcribunt, mulierem à mollicie dictã fuiſſe. At ſi licitãti uenditor fœminam dixerit, corrupta eſt intelligenda. nec enim credibile eſt, de ſexu tunc fuiſſe dubitatũ. Quod Ciceronis ſcomma uidetur probare, cui cum uitio uerteretur quòd ſenex uirginem duxiſſet uxorem: Cras, inquit, mulierem reddam. Non eſt aditus.] Aſſeueratione ſuperiores leges confirmat, eaſq; inuiolabiles eſſe demonſtrat. At id diligenter attende, hunc locum (non eſt aditus) referri ad ſecundam collationis partem. Denique quo malus.] Hoc referes ad priorem partẽ eius collationis, quæ ante fuit expoſita. Iſte ueſter teſtis.] Intelligit Fidiculanũ Falculã, de quo ſupra dixit abunde. Et hic locus dici poteſt Exornatio, quarta pars Epicherematis, per locum à teſtimonio. Ipſe nunquam auderet iudicare.] Nã mulier ſine tutoris auctoritate dotem dicere, & ut cum uulgo loquar, aſſignare non poterat. quod unum Athenis fuiſſe ſeruatum, Budæus in Comment. hunc locũ citãs teſtatur. O rem præclaram.] Concluſio, poſtrema pars

argumentationis per Epiphonema, quod nouæ collectionis quinque partibus tractatæ propoſitio eſt. O rem præclaram.] O præclaras leges. Quod enim eſt.] Ratio, qua more ſuo Cicero nõ ſolũ incommoda, quæ iuri ciuili poſſunt accidere, ſed etiam quid futurũ ſit, ſi aliter iudicetur atque ſperat, oſtendit. Si quis tamen malit expolitionem nominare, quæ monendi cauſa hic addatur, nõ admodũ repugnabo, mihi certe magis placet prior opinio, quòd ſic iuuenes facilius percipiẽt Ciceronis mentẽ, quã de induſtria ſimpliciter oſtendimus. Quid enim refert.]. Confirmatio à ſuperuacuo. Iure mancipij ſit.] Mancipij iure feruntur eſſe, quæcunque à noſtro dominio ad alterius trãſire poſſunt, hoc eſt abalienari. dicuntur etiam res mancipi. Cicero pro Murena. Quòd ſi rebus repetundis quæ mancipi ſunt, is periculum præſtare debet, qui ſe nexu obligauit, profectò etiã rectius in iudicio Conſulis deſignati, is potiſſimum Conſul, qui Cõſulem declarauit auctor beneficij populi Rom. defenſorq; periculi eſſe debebit. Quid inquam.] Reſumptio ad orationis claritatem. Mihi credite.] Quarta pars argumentationis, quam exornationem Rhetores uocant: ea habet exaggerationem utilitatis, quæ in iure ciuili conſpicitur per contentionem. Nam ut proueniat. Probat contentionis primam partem à re, quòd maior proueniat utilitas à iure, quàm ab his quorum ſucceſſores ſumus. hic locus ab efficientibus manare uidetur. Fundus à patre.] Varias res commemorat, quæ quanquam à parentibus relinquantur, non tamen ſine legibus conſeruari poſſunt. Hoc eſt, finis ſolic.] Interpretatio. Aquæductus.] Iuriſperiti uocant aquæductum, ius aquæ ducendæ per fundum alienum, ſiue fiſtula ducamus aquam, ſiue quocunque alio fictili inſtrumento, non lapide ſtrato. Hauſtus aquæ, eſt ius aquæ de puteo uel fonte uicini hauriendæ. Iter eſt, ius eundi, ambulandi hominis, non etiam agendi iumentum uel uehiculũ. Itaque ſiquis ſolus, uel lectica uehatur, ſella, equo, aut quouis animali, iter uocabitur. Actus ius agendi, uel uehiculum, uel iumentum. Ergo cuicunque iter eſt, huic non eſt actus: ſed qui actum habet, iter habet, non tamen duas ſeruitutes. Ergo aquæductus, hauſtus, iter, actus, appulſus pecoris, ius paſcendi & calcis coquendæ, ſunt ſeruitutes ruſticorum prædiorum. Rata auctoritas.] Quid auctoritatis appellatione ueteribus intellectum ſit, præcedentia declarabant. Quapropter.] Epilogus huius argumentationis. Non ſolum.] Ex abundãti probat ab utili præcedentem Epilogum. In hac ipſa.] Argumentatione noua reuertitur ad id quod ante iã probauit, nẽpe quid futurũ ſit, ſi non ſtatuatur ui deiectũ fuiſſe Cecinã: aut ſi non in poſſeſſionem reſtituatur. Porro quali utatur argumentatione, non ſatis auſim aſſerere. quòd hic locus ſic mutilatus eſt, ut uel Delphico ſit opus oraculo ad eum intelligendum: uel, quod multi faciunt, ſomnia pro ueris commemoranda. Pulſum, fugatumq;.] Recte. minus enim pulſare quàm fugare. Quàm ipſe.] A perſona litigatoris, hoc eſt, aut ui magnitudine, iudices conciliat, et fauorem captat. Si tempus ita feret.] Si condemnabitur. In poſſeſſionem.] Anthypophora, quam ſtatim diſſoluit ab incommodis, quæ futura ſunt ciuitati, ſi nõ in poſſeſſionem Cecina fuerit reſtitutus. Bona fortunæ.] Fortunæ in plurali felicitates dicuntur. Recte autem fortunas à bonis diſtinguit, quòd pleraque bona parum habent felicitatis. cuius rei memor Terentius in Andria dixit, Tum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia bona dicere, & laudare fortunas meas, qui gnatum haberem tali ingenio præditum. Hoc conſtituetur, hoc præſcribetur. Hoc proponetur, & hæc lex (ut cum uulgo loquar) ponetur. Quicum.] Cum quo. Anaſtrophe. Contendent.] Secunda perſona pro quauis tertia, hoc eſt, cum quo quiſpiam contendet. Contendere de poſſeſſione dicit, pro eo quod eſt propter fundum aut aliam quamuis rem apud iudices altercari. Repuleris, fugaris, euerteris.] Incrementum, cum articulo. Tu res ſi æquos.] Et hunc uides locum ſic deprauatum, ut nihil inde certi deprehendas, niſi ueteris adiutus ope codicis reſtituatur. At fortaſſis ſic legendum eſt, quod tamen potius diuinare, quàm aſſerere audeo: Conſtitueris uim in cæde ſolum, non in animo libidinis. Apparet autem pauca hic deeſſe, quandoquidem perſiſtit in eadem re. Vbi ueſtigium impreſſerit.] Pedem fixerit. Vt uilioes eſſe uideatur.] Sic quidem habent omnia, quæ hactenus uidimus, exemplaria. Verum & hic per Muſas auſim iurare, legendum eſſe: Vos ſtatuite, Recuperatores, utrum æquius eſſe uideatur. Sic enim plerunque Cicero loqui ſolet. Hoc loco percommode.] Digreſſio ad laudes C. Aquilij, quem Piſo & Ebutius dixerant auctorem eſſe ſuæ defenſionis. Huc adduxit hanc excurſionem, ad hoc cauillum refutandum. Huc ſpectat attendere, Ciceronem præparatione uſum eſſe, ut digredi potius ob amorem in Aquilium, quàm ob utilitatem cauſæ uideatur. Vniuerſa digreſſio locum habet à teſtimonio humano, quod pronunciatum recentiores maluerunt appellare. Percommode.] Admodum apte. Qui paulo ante adfuit.] Iam hoc à factis Aquilij falſum cernitur, quod aduerſarius propoſuerat. Vir ornatiſſimus.] Is dici ſolet ornatiſſimus, qui optimis artibus inſtructus, & honores aſſecutus à populo, & maxime aptus eſt: cuiuſmodi eſt Senator, miles, conſularis, gladiator, aut actor fabularum. Nam ipſo.] Ratio cur tam commode acciderit. Ipſo præſente.] Laudem enim præſentium adulationis ſuſpicio ſequitur, & boni laudes præſentium referre citra pudorem non poſſunt. Hinc locus communis, De laude præſentis diſſerere timemus. Cuius auctoritati.] Hunc datiuum non ad uerbum concedi referes, quod recedi denotat. Sic enim tum Terentius, tum Plautus loqui ſolent: Ille in Heaut. At certe cõcedas aliquò ab eorum ore aliquantiſper: hic uero in Moſtell. Concedam à foribus nunc hinc, ſpeculabor procul. Quàm aut ſentiatis, aut.] Polyſyntheton. In cauendo.] Ne quod malum populo contingeret. An cautionem præſcribendo, formulamq; dictando, paciſcendo, contrahendóue & monitis conſilioq; inſtruendo, ne conditionem ſuã deteriorem faceret populus? Id enim ferè cum datiuo caueo ſignificat. Qui tot annos.] A meritis in populum laudat Aquilium. Conſultus eſſe.] Conſultum uocat eum quem Græci ἐμπειρικὸν appellant. Fabius eandem dictionem ſic in 7 uſurpat. Scripti & uoluntatis, inquit, frequentiſſima inter conſultos quæſtio eſt. Verum etiam bonitas.] Hæc denique uera eſt ſcientia, quæ poſſeſſorem reddit bonum. Vt quidquid inde haurias.] Tranſlatio à puteis, uel fontibus. Quare per magnam.] Concluſio digreſſionis, qua totum aptatur cauſæ. Initis à nobis gratiam.] Ingentem apud nos conciliatis amicitiam. Et id ironice accipiendum eſt. Hic autem tam familiaris Ciceroni dicendi modus non eſſet, ſi non eo ſæpius uteretur. Sic enim loquitur in Verrem: Nemo enim erat uoluntarius laudator præturæ tuæ, defenſor periculorum tuorum, præſertim cũ inire à populo Rom. gratiam poſſet nemo. Et in Officijs: Sin erunt merita, ut non ineunda, ſed referenda ſit gratia, maior quædam cura adhibenda eſt. Et ut ſexcentos præteream alios locos, rurſus in Verrem ait: Vt idem Pompeius non ab homine ſolum, ſed etiam à prouincia tota ſe huius abſolutione inire gratiam arbitraretur. Cum eum auctorem.] Propoſitio aduerſariorum. Auctorem uero dicit eum, qui inuentor fuit, & primum dedit conſilium defenſionis; ac ad illud impulit. Illud autem.] Solutio à dictis aduerſarij, quæ diſſentanea commonſtrat eſſe. proindeq; locus à repugnantibus perefficax ad conuincendum. Veruntamen quid.] Venuſta ſubiectio, parans priore parte attentionem obiectioni ſequenti. Omnibus quidquid uerbis.]

Ebutij propoſito, reſpondens interrogatiunculæ præcedenti. Ego ex iſto genere.] Solutio ex antedictis et factis Aquilij. qui locus ad Coniecturam referendus eſt. Iſtum ipſum.] Aquilium. Diſputationem mecum ingreſſus eſſet.] Cum mecum de hac re diſputare cœpiſſet. Mecum facere.] Mecum ſentire. dicimus etiam tecum, ſecum, nobiſcũ, uobiſcũ, uel una facere. quarum dicendi formarum aliquot exempla proferam. Ait ergo Cicero in partitionibus. Defenſor autem ad ea quæ propoſuit & æquitate nitatur, & ea cauſa ſecum facere fateatur. Et in hac oratione circa finem, Cum uideatis auctoritatem hominum facere uobiſcum. Quinetiam percommode huc adduci poteſt exemplum, quod idem in exactiſſima maximeq; ingenioſa oratione pro Sylla poſuit, dicens: Non reſpondit tandem una facere Syllã. Inſulſe autem & barbare dicitur, facit pro me. Ab uerbo & ab ſcripto.] Vſitatius tamen uidetur à uerbo, & à ſcripto. Semperq; id ualuiſſe plurimum.] Elegans repetitio in uerbo plurimum, fini addita. Quod laborarem.] Solicitus eſſem, Quo nam, inquã.] Dialogiſmus, ad iucunditatem: quo interpretatur edictum ex ſententia Aquilij. Quid eſt Piſo?] Labitur paulatim ad ſuperiorum concluſionem, & apoſtrophe Piſonem Ebutij cauſidicum uehementius urget, cum diuiſione. Pugnare uerbis.] Dicũtur, qui uerboſa potius quã probabili ſententia nituntur. Placet cauſam.] In hoc uerbo Placet, peruenuſta eſt repetitio, quod dicendi genus ualet ad acrimoniam & inſtantiam. Ego quod.] Contrahit in Epilogum quæ ſupra dicta ſunt, ut memoriam iudicum, qui poterant orationis longitudine defatigari, renouet. quod commodiſſime fit, collatione utriuſq; defenſionis & enumeratione. Tu me ad uerbum uocas.] Breuiter aperit intentionem aduerſarij, cum depulſione. Nõ ante uenio.] Apodioxis elegans, cum diſtributione. Nego.] Amplificat inficiationem, non repetitione ſolum, ſed etiã congerie, quo meliorem uideatur habere cauſam. Quoniam ſatis receſ.] Tranſitio ad uim uerbi, naturamq; factæ ſponſionis. Neque enim.] Parẽtheſis cum excuſatione Dolabellæ Prætoris. Sed eo unde.] Hoc refertur ad ea quæ Parentheſim præcedunt, ut ſit ſenſus: quæro abs te, ſim ne deiectus non de Fulciniano fundo, ſed eo unde deiectus eſſem. His uero interponitur parentheſis, cauſam reddẽs à fictione, cur non de Fulciniano fundo deiectus ſit. nempe quod ſi inde deiectus eſſet, ita Prætor iuſſiſſet reſtitui. Sum ex proximi.] Iſtud habet expoſitionem loci, quo deiectus eſt. Reſtituiſſe te dixi.] Sic legit nominatim Fab. lib. 9. non Dixiſti, ut uulgo impreſſum eſt. Nego me.] Noſtra perſona ſæpius utimur pro aliena, & alios pro dijs fingimus. Nego igitur dixit, pro eo quod eſt negat Cecina. Sic in præcedentibus. reſtituiſſe te dixti. cum uerum ſit illud, reſtituiſſe Ebutius dixit. Hæc autem conſtituunt aduerſarij intentionem cum depulſione, quam eludit dilemmate. Quid ad hæc dicimus.] Interrogatio, ad excitandam attentionem. Aut tuo.] Solutio per dilemma. Is autem locus prouerbio illuſtratus eſt, & metaphoris inſignibus. Tuo quemadmodum dicitur gladio.] Suo, inquit, Eraſmus, iugulari gladio dicitur, aut confici, qui ſuis ipſius dolis euincitur, aut qui ſuopte inuento, dolóue capitur: denique in quem quocunque modo ſeu dictum ſeu factum retorquetur, quod ab ipſo profectum ſit, ſumpta metaphora ab his qui in pugna ſuis ipſorum telis aliquoties conficiuntur. Cicero in hac eadem oratione paulo poſt dicit. Hic eſt mucro defenſionis tuæ, in eum ipſum incurras neceſſe eſt. Conficiatur.] labefactetur. Si ad interdict.] Probat priorem dilemmatis particulam. Verbi laqueo.] Verbi laqueo capitur æquitas, cum aucupamur eam non ex ſcriptoris ſententia, ſed ex uerbis ſcripti. In meis caſtris præſidijsq;.] Hoc eſt, in ratione meæ defenſionis, unde mihi paratum eſſe præſidium puto. Atq; hoc loco uides, ut in metaphora ſuperiore perſiſtat. Meã mea.] Altera dilemmatis pars, per repetitionem & iuſiurandũ. Cæterum ut repetitio ualet ad orationis uehementiam, ſic iuſiurandũ uim habet affirmandi maximã. Hoc autem tum potiſſimũ ſolent uti Oratores, cum res dubias uolunt probare, neq; obuiã habent aliam probationem: aut cum aduerſarius rem negat ad modum euidẽtem, cunctisq; peruiam. Atque hoc loco fuerit per commodum attendere, poſt dilemma, ſubiungi argumentum ab auctoritate maiorum, à quibus nunquam aliter interdictũ fuit intellectum, atque hic interpretatur. Enim uero huiuſmodi maiorum auctoritas plurimum ſemper iure ponderis habuit. quare diligenter ab Oratore quærenda eſt. Nam præterquam quod mouet magnopere, neſcio quo ſit pacto, ut etiam tacitum pariat auditoris aſſenſum. Homines deosq;.] Recte prius homines dixit, et inde ſubiungit deos, ut oratio potius creſceret. quã diminueretur: quod in oratione magnũ eſt uitium, licet à paucis hoc tempore uitetur. Neque uero hic prætermittẽdum puto teſtari eſſe in teſtimonium adducere, et alterius implorato teſtimonio affirmare. Nunquid enim ſic Virgilius? Vos æterni ignes, & non uiolabile ueſtrum Teſtor numen ait. Et Terentius in Hecyra: Neque culpa id eueniſſe mea, id deos teſtor. Aliàs teſtari ſignificat rogare, quod precantes ſolemus adhibere numina. Vis'ne etiam ut addam, eos teſtari, iuriſconſultis dici, qui teſtamentum faciunt? Sed ad rem, cum non hic tam uocularum ſignificatus uarios uenemur: quàm uerum Ciceronis intellectũ. Cũ maiores.] Rurſus ea repetit, quæ antea fuerunt probata: qui locus ad ἐπεξεργασίαν referri poteſt. Epexergaſiam uero, ut Fabius in octauo libro, uocamus repetitionẽ probationis eiuſdem, & cumulum ex abundanti. Non ueſtigium eius qui, & cætera.] Ablatio inferens: quæ tum amplificat, tum circumducit, tum multo pulcherrimam facit orationem. Porrò ſic literam ordinabis. Teſtor non ueſtigium eius qui deiectus ſit, uenire in iudicium, ſed factum. & rurſus repetes uerbum teſtor, hoc modo: Teſtor deiectum eſſe qui fugatus ſit, teſtor uim eſſe factam, & cætera. ut per parentheſim ſequens illud accipiatur, Cũ maiores uim armatam nulla iuris defenſione texerint. Iſtum locum fugis.] Communicatio cum aduerſario, iam uelut uicto dilemmate, ea parte eidem odium atque inuidiam. Deſcribit autem elegãter eum iuris interpretẽ, qui ius exactius dariusq; præponit æquitati. Talem uero ἀκριβοδίκαιον [illegible] Ariſtoteles appellare ſolet. Sic enim ipſe ſcribit, ὁ γὰρ τῶν τοιούτων προαιρετικὸς, καὶ πρακτικὸς καὶ ὁ μὴ ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖρον, ἀλλ' ἐλαττωτικὸς, καίπερ ἔχων νόμον βοηθὸν, ἐπιεικής ἐστι. Ex hoc, ut ita dicam, campo æquitatis.] Cãpus proprie dicitur lata terræ planicies, & ſpatioſa. Vnde appellatione campi ſpatioſæ plateæ ac areæ continentur. Hic ſatis audacter ad rem inanimatam tranſtulit. Sed id Ciceroni uitio quis uertere auderet, cum præſertim metaphoram temperarit admonitione, cum ait, Vt ita dicam. Tamen multo accõmodatius campus aquarum ab Ouidio dicitur in Metamorphoſi, hiſce uerbis: Pars maris, inquit, & latus ſubiectarum campus aquarum. Nam campus de aquarum planicie dici, ferè Grammaticis eſt in confeſſo. Porrò autem hic orationem non minus aptis, quàm elegantibus exornat tranſlationibus, cum uerborum anguſtias, & literarum angulos dicit. Sed age ſis ad interpretationem reliquorum pergamus. In his ipſis.] Hunc locum Budæum ſecuti ſic emendandum cenſemus: In his ipſis intercludere uis inſidijs, quas mihi opponere conaris. Non deieci, inquis, ſed ieci. Sic enim ille legit in principio Annotationum in Pandectas. Alij Intercludere legunt, penultima producta, ut ſit Intercludere pro Intercluderis, ſecunda futura Indicatiui perſona. Sed magis Placet Budæi opinio. Adeo nihil nõ gratum eſt, quod à tanto uiro proficiſcitur. Non deieci, inquis, ſed ieci.] Proponit aduerſarij uerba per Mimeſim.

Peracutum hoc tibi uidetur. ] Solutio propoſitionis ab aduerſario illatæ, quæ eleuat per deriſionem, quæ ab ipſo fingebantur dici. Hic eſt mucro tuæ defenſionis. ] De hac prouerbiali metaphora ſuperius à nobis dictum eſt, cum quid ſuo iugulari gladio ſignificaret, exponeremus. Hic præterea ut eleganter incurrere in mucronem dicat, notabis. Nimirũ quòd alludat ad eorum conſuetudinem, qui cum ſe defendere uelint, ultro ſe in aduerſariorum tela conijciunt. Ego enim tibi refero. ] Refero tibi dixit, pro refero ad te. Nam Plautus in Curcul. dixit: Tute ipſe, ſi quid ſeminaſti, ad me refer. Ergo referre alicui, uel ad aliquem, nihil aliud eſt, quàm in conſultationem ponere. Et eſt hic ſolutionis confirmatio, quæ ſuã cauſam aduerſarij iudicio ſubijcit. Quo. ] Ad quẽ. At. ] Saltẽ, ἰλαττωτικῶς ſignificat, & id quod minus eſt dignum concedi denotat. Tales particulæ à Græcis dicuntur Elattoticæ cõiunctiones. Cicero pro Flacco: Si non propinquitatis, at ætatis ſuæ: ſi non hominis, at humanitatis rationem haberet. Si prætor non diſtinxit. ] Alia probatio. Ex edicto. ] Secundum interdictum. Velim recuperatores. ] Prolepſi, quæ Latinis præoccupatio dicitur, purgat, quod præter morem aſtutius agere uideatur, referendo crimen in Ebutium. Atque hic locus ualet ad beneuolentiam, à Ciceronis perſona comparatam. Verſutius. ] Callidius, aſtutius. Primum, alium. ] Ordinatio, quæ circumducit orationem. Alium. ] Ebutium. Idq; me non ad meam defenſionem attuliſſe, ſed illorum defenſioni retuliſſe. ] πάρισον eſt, in uerbis attuliſſe & retuliſſe. Vt autem in nominibus paronomaſia dicitur, ſic in uerbis πάρισον nocari ſolet. Cicero uocat utrobique Agnominationem. Me poſſe pro meo iure. ] Quia ſum patronus. Atque hic repetendum uerbum exiſtimetis, quo magis dilucida fiat oratio: ut ſit ſenſus, exiſtimetis ne poſſe pro meo iure. Neque in hac re. ] Obiter iudicibus exponit interdicti ſentẽtiam, et prætoris qui id edidit uoluntatem: ut eos commonefaciat, quid iudicare debeãt. Quæ ſanè dicendi ratio raro, imo nunquam omitti ſolet ab Oratore optimo. Te uero nullo modo poſſe defendere. ] Elegans Apoſtrophe ad aduerſarium, ut magis urgeat ipſum, et ut non undique ſibi ſimilis ſit oratio. Et ordo eſt: Recuperatores exiſtimetis, te Ebuti nullo modo poſſe defendere, & cætera quod ſanè ſic accipiendum eſt: Velim, Recuperatores, ſic exiſtimetis, quòd Ebutius nullo modo poſſet defendere, &c. ius enim nõ uoluntate litigantis, ſed æquitate conſiſtit. Quinetiam attende pulchrum Anthitheton, in uerbo Nolis & Velis. quod certe multum facit ad orationis ornatum. Veruntamen & quid. ] Præparatio ad deſtruendam rationem Ebutij. In ea repetit quæ pro Cæcina maxime uidebantur facere. Non enim. ] Ratio per Parentheſim, cum beneuolentia à ſua & iudicum perſona., nam facit attentos à cauſæ tum magnitudine, tum utilitate. Cum de ui. ] À maiorum interpretione. Vnum ſiqui. ] Axioma per diuiſionem. Et horum. ] Id eſt ex loco deijcere, & à loco. Id adeo. ] Plerunque particula adeo, uel redundat, uel nimium ſignificat. Si qui meam. ] Licet qui ſæpe pro qualis ponatur, ut in Philipp. Qui uir & quantus fuiſſes? hic tamen pro quis poſitum uides. ut pro Plancio: Neque enim qui illi nuncij fuerint, nec quæ tribus, ne qui diuiſor, oſtenderas. Attende grammaticis ſæpius dici ſiquis, quàm ſiqui. Siqui meam. ] Videtur deridere aduerſarium, qui differentiam eſſe putabat inter hæc, deijcere ex hoc loco, & deijcere à loco. Vt is deijci ex loco dicatur, qui ex eo loco, in quo eſſet, protruderetur. deijci autem à loco, qui non in loco eſſet, ſed qui locum adire uellet, & repelleretur. Vnum uerbum. ] Hanc ſcilicet particulam Vnde. Vnde tu. ] Pergit ad interpretationem reliquarum interdicti dictionum, & declarat uim particulæ Vnde. Vnde Carbo deiectus. ] Probatio ab exemplis. Carbo Sozanus prætor fuit Venuleius. Vnde deiecti Galli. ] Cum Galli urbem captam incendiſſent, nihil prius factum eſt, quàm ut capitolium caperetur: beneficio tandem anſerum excitatis cuſtodibus, Galli inde deiecti ſunt, opera M. Manlij. Lege Liuium in 5. ab urbe condita. Deiecti ergo Galli dicuntur à Capitolio, quod nondum intrarant: non ex Capitolio. Vnde qui cum Graccho. ] Tyberius Gracchus leges agrarias contra Senatus auctoritatem laturus, Capitoliũ intrauit, à quo poſtea deiectus eſt, ac cæſus cum his, qui cum eo fuerant. Vide Plutarchũ in uita Gracchorũ. Videtis igitur. ] Claudit interpretationem uerbi, Vnde. Cum autem. ] Alterius uerbi interpretatio per locum comparatorum. In cuniculum. ] Cuniculus foramen eſt ſub terra latens. Hinc Varro lib. 3. cap. 12. Cuniculos dictos ab eo putat, quòd ſub terra cuniculos ipſi facere ſoleãt, ubi lateãt in agris. Cuniculorum in 5. ab Vrbe condita, non facit mentionem Liuius: ſed ueſtigij humani, quæ nuncius à Veijs peruenerat, aut aſcenſus ad Carmentis ſaxum animaduerſi. Qua. ] Per quem locum. Qua, aduerbium eſt loci. Vt ſiqui. ] Similitudo. prædicta cõprobans: ut in ſtatu Ex ſententia rhetores præcipiũt faciendum eſſe. Ex alto. ] Ex maris medio aut profundo. Salluſt. Et piſcatoria ſcapha in altum nauigat. Non in ſalum. ] Latini ſalum uocant mare, à ſalis ſapore: aut Græco uerbo σαλεύω, id eſt, moueo uel fluctuo. Virg. Perq; undas ſuperante ſalo. Sic quoniam. ] Redditio ſimilitudinis, ſubiecta ratione. Aucupamur. ] Quærimus, inueſtigamus. Etenim Piſo. ] Apoſtrophe ad Piſonem, Ebutij cauſidicum, per epexergaſian, hoc eſt repetitionem eius probationis, qua fuerat ante uſus. Perſequerere. ] Cum aduerſario tuo contenderes. Cum igitur. ] Epilogus diſputationis τοῦ Vnde, per enumerationem rationum, quas adduxit. Si è ueſtibulo. ] Ex area, per quam à uia publica acceſſus eſt ad ædes. At uero. ] Aggreditur aliam defenſionem ex conditione perſonæ, quæ deiecta dicatur, & iure. Artificioſe primum orator probauit quod ſecum faciebat, Sententiam eſſe ſequendam, non uerba. Nunc autem quaſi illud aduerſario condonetur, ex abundanti ſecundum uerba interdicti Sext. Ebutium probat eſſe condemnãdum. Secundum nos. ] Hoc eſt ad utilitatem noſtræ cauſæ, uel pro nobis. Cicero ad Attic. Seruanus quoque horum loco ſententiam rogatus, multa ſecundum cauſam noſtram diſputauit. Obrutis rebus. ] Translatio à naufragio. Tum. ] Hoc eſt, cum deijceretur. Numera. ] Commonitio, cum Apoſtrophe ad Piſonem. Eum qui nõ. ] Alia propoſitio, quam ex uerbis interdicti deſtruit. In illud quotidianum interdictum. ] Quod quotidianum uocat interdictum, ſic accipi poteſt, quod eſt de ui facta ſine armatis hominibus. Quod autem in illud, non in illo dixit, ſic accipimus, ut in pro ad accipiamus. Vnde ille me ui deiecerit. ] Verba ſunt interdicti formulæ, quemadmodum & illa quæ paulo poſt ſequuntur. Cum ego poſſiderem. Vtitur autem hic eo loco ſtatus à ſcripto, in quo ſolemus quærere quid ſcriptori offuerit, ſi id uoluiſſet præſcribere, an non potuerit præſcribi? Locus hic tractatur per collationem duorum interdictorum. Negas adijci. ] Intentio aduerſarij. Oſtendo ſi ſine. ] Depulſio. Vincere ſponſionem. ] Sic Vitruuius, uincere Pithia et Iſthmia dicit. eademq; eſt apud Græcos cõſtructio uerbi νικᾶν. dicunt enim νικᾶς τὴν δίκην. item huius uerbi κρατεῖν, quod idem denotat. Negas deijci. ] Pulchra intentionis & depulſionis repetio, ut aduerſarium urgeat. Dupliciter. ] Hic in genere didactico uerſari occipit, quo probat, quo modo armatis hominibus deijciatur. atque hic uides locum à partibus, uel diuiſione. Aut per eiuſmodi rationem ac uim. ] Id eſt, coactis armatisúe hominibus. Ad duas difficiles res. ] Ad duplicem rationem deijciendi. Deuincta. Accommodata. Nec ui. nec clàm, nec precario. ]

Quid

Quid ſit ui, aut clàm, aut precario poſſidere, uideamus. Vi ergo poſſideri puto, ſi quis contra quàm prohibetur poſſederit. Clàm uero habet, qui celauit aduerſarium, neq; ei denunciauit, ſi modo timuit eius controuerſiam, aut debuit timere: uel qui celandi animum habet, eum quem prohibiturum ſe intellexerit. At ad poſtremum ueniamus. Precario igitur poſſidet, qui poſſeſſionem corporis uel iuris adeptus eſt ex hac ſolum cauſa, quòd preces adhibuit, & impetrauit precibus, ut ſibi poſſidere aut uti liceat: ueluti ſi rogaueris, ut per fundum meum tibi ire uel agere liceat, aut ut per tectum ſiue aream ædium mearum ſtillicidium, aut lignum immiſſum in parietem habere. Itaque is ] Ebutius. Itaque is. ] A' confeſſione aduerſarij, quā adauget, tum quòd magna uoce, cum quod ſæpe, quod maius eſt. Planum facit. Probas & patefacit metaphorice à loco inæquali, quem adhibito cultu uel opera planum reddimus. Cicero pro Quintio: Id teſtibus pollicitus ſum, planum me facturum. Videtis'ne.] Amplificat ab auctoritate maiorum, ac per collationem. Venuſtam orationem etiam interrogatione, & commonitione facit illuſtrem. Hunc uero. ] Altera pars collationis, cum articulo & repetitione. Deſtitutum.] Derelictum. Virg. in Bucol. Et freta deſtituent nudos in littore piſces. Vt qui.] Cauſam addit per antitheton, & paria paribus reddita, & ſimiliter deſinens. Ecquid igitur. ] Epilogus huius argumentationis, per apoſtrophen ad Piſonem, Ebutij cauſidicum. Ecquid igitur intereſt.] Conduplicatio amplificationis cauſa, & ad iudices, & Piſonem commonendum. Apte autem huiuſmodi conduplicationes in iuridicialibus cauſis interferuntur concluſionibus. Verum hoc additum.] Enumeratio probationum, quæ in hac argumentatione expoſitæ ſunt.] Ecquid ] Aliquantulum'ne. ſic enim Donatus explicat illud Terent. in Eunuch. Ecquid nos amas de fidicina iſthac? Si eſſet additum.] A' contrario ex abundanti. Id concluſioni adiungit, tanquam enthymematicam acclamationem uides. Atque in hoc. ] Preparatio ad digreſſionem, cum attentione & beneuolentia. Percurream.] Breuiter attingam. Hominem ipſum. ] Cæcinam. Ceſenniam poſſediſſe.] Digreſſionis propoſitio, ab aduerſarij confeſſione. Qui colonus.] Ratio à manifeſto, & ſignis præcedentibus. Porrò colonus eſt, qui penſione ad certum tempus fundum accipit colendum. De Ceſennia.] Ab uxore Cæcinæ. Heres.] Cæcina. Deinde.] Altera rationis pars, à præcedentibus. Rationes à colono accepit. ] Hoc eſt, ut nunc loquimur, computum audiuit. Ratio interdum ſupputatio eſt, calculus, aut expenſa. Poſtea cur Ebuti.] Argumentum coniecturale à loco, & apoſtrophe ad Ebutium. De iſto fundo.] Propter iſtum fundum Fulcinium. Denunciabas.] Ad iudicium euocabas. De amicorum ſen.] Secundum amicorum ſententiam. Et ad eum.] Hic deſiderantur aliqua, plurimum perfectam argumentationis explicationem præpedientia. At enim Sylla legem tulit.] Propoſitio Ebutij. de hac lege diximus ad narrationem: & Plutarchus, quales Sylla leges tulerit, de ciuitate gubernanda ſatis recitat. Vt nihil de illo.] Solutio à uerbis & ſententia legis, per Præteritionem. Hæc autem obiectio pertinet ad id, de quo in narratione diximus, ubi Cæcinam hæredem eſſe non poſſe dicebat Ebutius, propter incommodum Volaterranorum. Rogari.] Statui. quoniam populum magiſtratus rogabant, an id placeret quod ſtatuerant: in qua re uerba fuiſſe ſolennia comperio, Velitis'ne iubeatis'ne Quirites, ut hoc aut illud fiat? Quid eſt.] Alia obiectio. cuius hic ſenſus eſt: At populus omnia quæ iuris uerbo non continentur, iubere aut uetare poteſt. Vt ne longius.] Solutio per inficiationem. Immo ut ab lege, inquit, non recedam, in eadem eſt aliquid quod neq; iubere, neque uetare poteſt populus. Inde rationem addit à re. hoc enim niſi ius eſſet, in cunctis legibus non aſcriberetur. Sed quæro.] Hic (generoſe Princeps) quanquam id te non lateat, admonebo tamen, argumentum eſſe à differentibus per communicationem cum aduerſario. Nam præter id quod Ebutium alloquitur, hanc ultimam interrogationem à cæteris differre ait. Item.] Similiter, ut illud in Andria: Sed poſtquam amans acceſſit, pretium pollicens unus, & item alter. Ratum atq; firmum.] Epexegeſis. nam ratum, firmum denotat & ſtabile. Primum illud. ] Venuſta ordinatione aduerſarij firmamenta indicat. Nihil rationis adferi, quamobrem.] Eſt hic loquendi modus apud ueteres mire frequens, quo nomini ſubſtantiuo ſubiungunt particulas, quamobrem, quare, &c. Terent. in Eunucho: Multæ ſunt cauſæ quamobrem cupio. Cicero pro Roſcio Amerino: Si uel minima pars reperietur, quamobrem uideantur illi nonnihil tamen in deferendo nomine ſecuti. Et ubi ab ineptis nunc uulgo dicitur, Quid eſt quod me uidere non poteſt: ueteres dixiſſent, Quid eſt quamobrem me uidere non poteſt? De utraque re.] Vna eſt, quod non quicquid populus iuſſerit, ratum habeatur: altera, quod adimi nullo modo poſſit ciuitas. Qui enim.] Confirmatio à repugnantibus. Quiritum.] Per ſyncopam, pro Quiritium, hoc eſt, Romanorum. qui unde ſic dicantur, his uerbis in Faſt. docet Ouidius: Siue quòd haſta Quiris priſcis eſt dicta Latinis, Bellicus à telo uenit in aſtra deus: Siue ſuo regi nomen poſuere Quirites: Seu quia Romanus uicerat ille cures. Alij alias cauſas adducunt, ſed fide carent. Atque ego hanc.] Alia à iudicato confirmatio. Cottam.] De huius Cottæ dicendi genere, multa uidebis in libro de Claris oratoribus. Aretinæ mulieris.] Ex Aretio urbe Tuſciæ, CCCC ſtadijs à Peruſio diſtante. Non poſſe ſacramentum noſtrum.] Pœnales lites erant ſacramentum & ſponſio. Sacramentum uero non abſimile fuiſſe ſponſionis, ex 2. Varronis de Ling. latina poteſt intelligi. nam & qui petebat, ut ille ait, & qui inficiabatur, de alijs rebus utrique quingentos æris ad pontem deponebant, de alijs rebus item certum numerum aſſium. qui iudicio autem uicerat, ſuum ſacramentum à ſacro auferebat: uicti ad ærarium redibant. hoc eſt, uictus ea pecunia quam depoſuerat mulctabatur, in pœnam iniuſtæ litigationis, quæ ærario cedebat. Ergo à ſacro uocatum eſt ſacramentum. Huic loco non diſſimile uidetur illud Ciceronis pro Domo ſua ad Pontif. dicentis: Maiores noſtri etiamſi Decemuiri ſacramentum in libertatem iniuſtum iudicaſſent, tamen quotieſcunque uellet quis hoc in genere, rem iudicatam referre poſſe noluerunt. Iam uero in cæteris.] Præoccupatio, tacitæ obiectioni reſpondens. Certe quæri hoc.] Solutio præoccupationis. Quid? quem.] Præoccupatio alia. hoc autem quod ait Quid? ſic accipimus, ut intelligatur: Inquies Piſo. Patris uero patrati partes erant, aut bellum hoſtibus indicere, aut pacem fœdus'ue componere. quod cum multis in locis, tum in primo libro ab Vrbe condita Liuius oſtendit. Adde quod hic fecialibus præerat. Aut ſuus.] Sanè quod ait Cicero ſuus, quomodo accipimus? Verū pro proprium, τὸ ἴδιον ſignificet? quod mihi rectum uidetur. Vt religione.] Primam deſtruit obiectionis partem. Religione autem ſolui dicitur ciuitas, quando quod ab illa promiſſum eſt perficitur: hoc eſt, cum promiſſam exoluit fidem. Vt Mancinū Numantini.] Locus ab exemplo. C. Mancinus cōſul Romanus fuit, uir haud quaquam improbus, ſed tamen ducum omnium ignauiſſimus. Hic enim, cum forte eueniſſet, ut contra Numantinos proficiſceretur, uictus ingentibus prælijs tentauit nocte aufugere. quod cum hoſtes cognouiſſent, occupatis propere Romanorum caſtris, & fugientem exercitum perſequuti, extremiſq; eorum cæſis, reliquis uero circumuentis, ac in anguſtias compulſis, eò rem perduxere, ut Mancinus deſperatis rebus, miſſoq; caduceatore pacem cum Numantinis faceret citra Senatus auctoritatem, quod cum

Romanis renunciatum fuiſſet, Numantinis Mancinus lata lege, cuius ſuaſor fuit, traditus eſt, ſed ab ipſis non eſt acceptus. Plutarchus pluribus hiſtoriam refert in uita Grachorum, & Cicero 3. Offic. Si pater uendidit eum quem, &c.] Soluit ſecundam obiectionis partem. Susceperat.] Receperat. Verbum ſuſcipiendi tam ad animum refertur, quàm ad corpus dicimus enim ſuſcipere onus, uel uoluntatem. Iam populus.] Solutio tertiæ partis obiectionis. Qui miles factus non eſt.] Qui noluit in militiam proficiſci. Non adimit.] Nõu aufert. Incenſum uendidit.] Hoc eſt, eum qui conſeri noluit. Iuſta fuerit.] Vera. Vnde iuriſconſulti eum qui filium adoptat interrogant, an uelit iuſtum eſſe filiũ, hoc eſt, uerum. Aliter Terentius in Andria, iuſtam uocat ſeruitutem, in qua nihil iniquum iubetur: Vt ſemper, inquit, Tibi apud me iuſta & clemens fuerit ſeruitus, ſcis. Abiudicaſſe.] Abiudicat rem quampiam, qui eam per iudicium aufert alienat'ue. Cicero in Verrem Actio. 2. Nulla res cuiuſquam tam patria atque auita fuit, quæ non imperio eius abiudicaretur. Ergo abiudicaſſe ſibi libertatem, hoc eſt, ſemetipſum condemnaſſe, quòd nõ eſſet liber. Quòd ſi maxime iſce rebus adimi.] Obſcure taxat aduerſarium, & illum inſcitiæ arguit. Hic uero locus habet uim concluſionis: quam probat à ſimili. Nam quod ad exilium attinet.] Reuertitur ad obiectionem prius de exilio. Porrò non tabis hic, nam, pro præterea poni. Exiliũ enim, non ſuppliciũ eſt.] Ratio ex nominis etymologia. Exilium autem olim pœna legum non erat ſed eorum fuga qui pœnam legum uitare uolebant. quod Græci ſatis demonſtrant. Illi enim exilium φυγὴν uocant, hoc eſt fugam. Quid? iſtuc ſubſequentia indicant. ait enim: Eo ſolum uertunt, hoc eſt, ſedem ac locum mutant. Vbi aduerte, reis olim licitum fuiſſe poſt primam actionem exilium ſibi cõſciſcere ante iudicium peractum: id quod dicebatur, exilij cauſa ſolum uertere. Hunc autem locum totum perfectius intelliget, qui Demoſthenis orationẽ contra Ariſtocratem perlegerit. Adiungam his & illud uelut auctarium, quod ſolum uertere etiam de decoctoribus olim fuit uſitatum, qui et foro cedere dicebantur. Iuuenalis Satyra undecima: Qui uertere ſolum Baias, & ad hoſtia currunt. Cedere nanque foro iam non eſt deterius, quàm Aeſquilias à feruenti migrare Suburra. Ille dolor ſolus patriam fugientibus, illa Mœſtitia eſt caruiſſe anno Circẽſibus uno. In nulla lege noſtra reperietur.] Hoc eſt, Romana. Multatum.] Punitum. Sed cum homines uincula, neces.] In plurali raro neces, niſi apud Plinium, & hunc auctorem inuenies. Eſt autem nex, cædes, uel mors quæ fit ferro, aut alia ui. Ignominias.] Nominum notas. Quid ignominia, his uerbis libro de Repub. 4. Cicero tradit: Itaque inquit, cũ omnis ea iudicatio uerſatur tantummodo in nomine, animaduerſio illa ignominia dicta eſt. Confugiunt quaſi ad arma in exilium.] Gulielmus Budæus uir exacti iudicij, rectè legendum eſſe Ad aram, non ad arma, contendit in poſterioribus in Pandect. Annotat. qui error quidem certe tantum unius literæ tranſpoſitione dignoſcitur obrepſiſſe. Nam cum ex noſtro iure duarum ciuitatum.] Ratio poſterioris ſenſus à iure ducta. Non me præterit.] Inducit excuſationem, quod nimium uideatur extra cauſam dixiſſe. hæc autem conciliat iudices ad perorationem, per locum à perſona dicentis. Sunt quibus placet iſthic perorationis principium. Non me præterit.] Hoc eſt, non ignoro. & eſt ſenſus, Non neſcius ſum me longius prolapſum eſſe, quàm ratio ueſtri iudicij poſtularit, tametſi de hoc iure multa prætereo. Verum id feci.] Præ ſe fert fiduciam cauſæ, et oratoriè cauſam digreſſionis adaptat utilitatis cauſa. Hoc cum eos ſcire.] Profert cauſas digreſſionis. Quibus Sylla uoluit iniuriam facere.] Intellige de bello ciuili, quo multi à Sylla fuerunt proſcripti. Quod autem iniuriam facere dixit, non dare, id ſpectat ad linguæ latinæ proprietatem. Tum cæteros nouo.] Nouos dicit ciueis, eos qui ciuitate à Sylla donati ſunt. Nam alijs ciuitatis ius ademit Sylla, alios ciuitate donauit. Neque enim.] Hæc ratio ſumpta eſt ab æquo. Patricij autem dicuntur, qui à Senatoribus orti ſunt. Omnibus antiquiſſimis.] Omnis particula eſt diſtributiua, quæ dicitur de uniuerſis numero diſtinctis: interdum iungitur ſuperlatiuo, ut hic cum dixit, omnibus antiquiſſimis. Nam ad hanc.] Confirmatio rationis ab his quæ facta non ſunt, quod ad coniecturam referendum eſt. Primum ex eo.] Ordinatio, ſchema circunductionis. Nexa.] Res mancipi. Apud antiquiſſimos nexum æs dicebatur, pecunia per nexum obligata. Res autem abalienabantur per quandam nexus ſolennitatem. Nexus in quarto ordine flectendi, aut in neutro genere nexum, fuit quædam iuris ſolennitas, qua, qui rem abalienabat, tenebatur indemnem reddere emptorem, ita ut res omnino accipientis fieret. Hæreditates, & uenditor euictionem non præſtaret.] Iura capiendarum hæreditatum. Ariminenſes.] Ariminum urbs uetus iuxta Rubiconem fluuiũ, cuius ciues Ariminenſes uocati ſunt. Duodecim coloniarum.] Liuius Druſus Tribunus pleb. deduxit duodecim colonias ſine onere penſionis. De alijs conſtitutum erat, ut ſingulæ populo Romano penſionem penderent. Duodecim igitur coloniæ quaſi per excellentiam nominabantur, quòd præter cæteras à penſione eſſent exemptæ. Quod ſi adimi.] Labitur ad perorationem, qua Cecinam cum amplificatione cõmendat, & Ebutium per collationem uituperat: tandemq; breuem facit ſuperiorum enumerationẽ, ut renouetur iudicũ memoria, non ut redintegretur oratio. Locus eſt à fictione. Spectatiſſimum.] Probatiſſimum, & cuius uirtus ſæpiſſime tam ſpectata, hoc eſt probata fuit. Sic Virgilius hoc carmine ſpectatam uocat iuuentutem: Sunt nobis fortia bello Pectora, ſunt animi, & rebus ſpectata iuuentus. Atque hic attende ſummã Cecinæ commendationem, quæ ornatur Diſſoluto, ad maiorem uim. Leuatum.] Defenſum atque liberatum. Deperdere.] Iuriſconſulti, in quibus eſt Caius, putant deperditum dici quod in rerum natura eſſe deſijt. hic deperdere mihi ſignificat amittere. Niſi tui Sexte.] Correctio, & apoſtrophe ad aduerſarium: ut quemadmodum Cecinam commendat, ſic Ebutium rapiat in odium. Locus eſt à perſona aduerſarij. Et ſtultitia & impudentia.] Ablatiuus eſt, & polyſyntheton. Huic.] Cecinæ. Quoniam Recuperatores.] Pulchrè redit ad iudices, & ab honeſto, Cecinæ factum illis commendat, admiſcendo ipſorum laudem: quod facit ad beneuolentiã, qua opus eſt in fine, ut ſecundum nos ſententia feratur. Communem cauſam, populiq; ius.] Hoc rectè, ut iudices Cecinam, ne populum Romanum læſiſſe uideantur, abſoluant. Is homo.] Cecina. & eſt pathos, à bona Cecinæ in iudices uoluntate. Diſſolute.] Diſſipate ac negligenter. Ne contemnere Ebutium.] Deeſt potius: ut ſit, ne contemnere Ebutium potius quàm de eo, &c. Quapropter ſi quid.] Sunt qui hic perorationis principiũ eſſe uelint, quorum ſententiæ non admodum refragor. Ea certe fit per enumerationem. Habebis hominem.] Cecinam intelligit. & hoc loco uides perſonæ commendationem, cuius innocentia, & uita probe acta magnopere poterat cauſam iuuare. & proinde ipſius laudes rurſum iudicibus inculcat, per locum ex adiunctis. Pudore.] Modeſtia. In bonam rem pudorem dixit, ſed cum epitheto: ne mireris, à Donato dictum pudorem eſſe mali facti, uerecundiã recti & honeſti. Hetruriæ nomine.] Hoc dicit, quoniam Volaterrani ſunt in Hetruria, ex quibus Cecina fuit: quem uniuerſæ fuiſſe probatum Hetruriæ nunc affirmat. & id ex conſuetudine. Mos enim fuit, ut cum quis accuſaretur, ex prouincijs legati uenirent, qui accuſatum uel laudarent, uel uituperarent. Sic à Siculis uituperatus Verres, & plerique alij, ut à Ci-

cerone

cerone in Orationibus relatum eſt, laudati fuerunt. In utraque fortuna. ] Hoc eſt, tam proſpera, quàm aduerſa: ſed magis aduerſa probone hominet, quam proſpera. Si quid in contraria parte in homine, &c. ] Dilemma, & altera pars collationis: in qua breui repetitione cap ienm confirmationis aduerſarium perſtringit. Ergo hic, ut in frumentariis paucis enumerationem conficit. Offendendum ſit. ] Reperiendum. Vt nihil amplius dicam. ] Modeſta paralipſis. Sin hominibus remotis. ] Altera pars dilemmatis. Is qui arguit. ] Ebutius. Verbo. ] Hoc eſt ſcripto, & non legis ſententia. Auctoritatem. ] Opinionem & iudicium. Nam ſic etiam pro Cluentio dixit Orator: Et illa oratio potius temporis mei, quàm iudicij & auctoritatis fuit. Sapientiſſimorum hominum. ] L. Craſſi, & Aquilij. Facere nobiſcum. ] Sentire nobiſcum. Eleganter ut ante, rem & ſententiam interdicti ſecum facere, aduerſariumq; uerbo excludi dicit. Sic Horatius: Et ſapit, et mecum facit, & Ioue iudicat æquo. Cum hæc ita ſint. ] Clauſula orationis per repetitionem continuam. Tempora. ] Pericula. Cæterum deciſio eſt proprie amputatio. ſed hic metaphoricos deciſionem accipimus determinationem de iure, et quaſi ſuperfluam falſarum opinionum amputationem.

Hæc ſunt, Clariſſime princeps, quæ horis ſucciſiuis in hanc orationem meditabamur, ſtilo certe magis Commentarijs conuenienti, quàm generoſæ tuæ Celſitudini. Neque enim curabamus ingentes gloriolas efflantes leges à Ciceronis mente fortaſſis alienas potius quàm conuenientes euomere. ſed tenuiter anguſteq; ſecundum rem ſuſceptam omnia ſcientes uolenteſq; interpretabamur rudius. Verebamur, ne ſi parturirent montes, ut eſt in prouerbio, naſceretur ridiculus mus. Vtinam ea tibi magis grata ſint, cæteriſq; utilia, quàm fuit ullus unquam patri filius. Ea ſi tibi probabuntur, labor noſter quantus quantus eſt, ſatis cõpenſatus eſſe putabitur.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO LEGE MANILIA AD POPVLVM, QVAE EST DE LAVDIBVS CN. POMPEII MAGNI, ET DE IMPERATORE DELIGENDO, FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

## ARGVMENTVM.

VM Mithridatem regem Ponti multis prælijs terra mariq; L. Lucullus uiciſſet, eumq; tandem in Armenia cum rege Tigrane, ad quem confugerat magno certamine ſuperaſſet: cum à militibus ſuis deſtitutus, tum Senatuſconſulto reuocatus, bellum non confecit. Mithridate igitur prouincijs, ſocijs, atque amicis populi Romani imminente, C. Manilius Trib. pleb. legem tulit, ut Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, Pontus, Armenia, & quotquot alia loca in prouincia Lucullus obtinebat, ea omnia cum omni illius exercitu Cn. Pompeio mandarentur: ut Bithynia accepta, cui tum Glabrio præerat, aduerſus reges Mithridatem & Tigranem dux belli gerendi Pompeius declararetur: additis ei maritimis uiribus, nauticq; apparatu, quem piratico bello paulo ante ſortitus erat. Hac lege Pompeij potentia nimium augeri, libertas publica prodi, Lucullus ſuarum rerum geſtarum gloria priuari uidebatur: quòd triumphi potius quàm belli ſucceſſor, hac lege Pompeius decerni uideretur. Quapropter Senatores multi legis promulgationi obſiſtere conſtituerunt. ij tamen cum legis perferendæ dies adeſſet, plebis metu conticuerunt: præter Q. Hortenſium, & Q. Catulum, uiros Conſulares, qui hanc legem diſſuaſerunt. Cicero autem contra ſuaſit hac oratione, cuius hoc argumentum eſt. PRINCIPIO cauſam dicit, cur antea conciones ad populum Romanum non habuerit, nunc autem Prætor factus habeat. Sibi lætandum dicit in hac oratione prima ad populum, oblatam eſſe materiam copioſiſſimam, hoc eſt, de Cn. Pompeij laudibus. Primo igitur oſtendit, graue & periculoſum bellum uectigalibus, ſocijs populi Romani, & bonis ciuium, à duobus potentiſſimis regibus Mithridate & Tigrane inferri: deinde belli magnitudinem aperit, quod ijdem duo reges potentiſſimi, magnis aduentitijs multorum regum & nationum copijs adiuti, adminiſtrent. poſtremo docet, in ſummo Imperatore illas quatuor uirtutes ineſſe oportere, quæ in Cn. Pompeio ſunt: ſcientiam rei militaris, uirtutem, auctoritatem felicitatem. Præter quas etiam innocentiam, continentiam, temperantiam, fidem, facilitatem, eloquentiam, humanitatem, in Cn. Pompeio eſſe copioſe admodum probat: quem ex omnibus unum uectigales, ſocij, atque amici populi Romani poſtulant: quem hoſtes præter cæteros metuunt. Itaque hortatur, bellum cum Mithridate & Tigrane gerendum, Cneumq; Pompeium hac lege Manilia ei bello eſſe præponendum. Refutat primum ſententiam Q. Hortenſij, qui bellum neceſſarium eſſe & magnum, & in Pompeio ſumma eſſe omnia confeſſus eſt: negauit tamen omnia uni tribuenda eſſe. populum Romanum iudicio ſuo Hortenſij auctoritatem non debere anteponere, oſtendit ex bello Piratico. Legem enim Gabiniam, qua Cn. Pompeio imperium in piratas conſtituebatur, quam Hortenſius diſſuadebat, populus Romanus ſuffragijs ſuis probauit: cuius beneficio mare, omniſq; ora maritima intra dies quadraginta prædonibus liberata eſt. A. Gabinium Pompeio expetenti & poſtulanti, debuiſſe legari oſtendit: illudq; improbe factum, ut utique obtrectaretur. De eo legando ad Senatum ſe relaturum profitetur, ſi dubitent Conſules, aut grauentur referre. Refutat Q. Catuli ſententiam, qui legem diſſuadens, negabat oportere Pompeium ad bellum mitti, in quo tota ſpes ciuitatis eſſet: quem ſi amitterent, nullum eſſe reliquum, in quo Reipub. ſpes niteretur. Negabat item, quidquã noui contra exempla maiorum atque inſtituta fieri oportere. Cicero, cum uita hominum breuis ſit & incerta, ea dum adeſt fruendum eſſe dicit, oſtenditq; alia multa noua etiam à Q. Catulo in Cn. Pompeio conſtituta fuiſſe. Hortatur Cn. Manilium, ut legem ferre perſeueret, nec uim cuiuſquam aut minas pertimeſcat. poſtremo, hanc cauſam à ſe ſuſceptam Reip. cauſa confirmat. Genus cauſæ deliberatiuum eſt. Suadet enim hanc legem ab utilitate uectigalium Aſiaticorum, quæ cæterarum prouinciarum uectigalibus longe anteponit: eaq; non modo ab hoſtium incurſatione, ſed etiam à metu hoſtium defendenda dicit. Suadet ab utilitate ciuitatis Romanæ. Multi enim ciues Romani in Aſia magnas pecunias collocatas habent: quas ſi amittant, plures ſecum in eandem calamitatem trahent. nam creditoribus ſuis ſoluere non poterunt, nec item illi alijs. Ideoq; impedita ſolutione, fides concidet. Suadet ab honeſtate, quòd turpe ſit, Mithridatem anno tertio & uiceſimo, poſtquam ciues Romanos omnes qui in Aſia erant iuſſit occidi, adhuc regnare: & ita regnare, ut bellum populo Romano faciat, quamuis de eo bis triumphatum ſit. Quo ſi mittatur Pompeius, bellum conficiet. Turpe quoque eſſe dicit, ſocios & amicos populi Romani & nationes exteras non minus in-

mo in tertium locũ eſſe ſubuectum? Ter prætor primus, centurijs cunct.] Singula uerba augent beneficij magnitudinem. Renunciari magiſtratus uſitate dicitur, is qui ſuffragijs populi factus dicitur. Quid de me iudicaretis.] Id eſt, quod de me ſentiretis & exiſtimaretis. Quid alijs præſcriberetis.] De me iudicandum ſcilicet. Nunc cum & auctoritatis.] Legendum putem, Nunc quod &c. ad hanc ſententiam: Prætorem me feciſtis propter auctoritatem & eloquentiam, quam ineſſe mihi putabatis, nunc efficiam, ut in me utrunq; cognoſcatis. Honoribus.] Id eſt, Aedilitati & Præturæ, Aedilis enim ante Ciceronem fuit. Mandatum.] Id eſt, tribuendum. Oratorem definit M. Cato, auctore Quintil. ut ſit uir bonus dicendi peritus. Eodem auctore illud oratori præcipuũ eſt, ut ſit uir bonus: proximum, ut uir bonus habeatur inde paratur oratori auctoritas, quæ cum peritia dicendi coniuncta, oratori neceſſaria eſt. Ad agendum.] Id eſt, ad orandum. Certe.] Et certe id legendum eſſe uidetur. Id quoque rei.] Id eſt, facultati meæ dicendi: id eſt, eloquentiæ. Fructum.] Id eſt, Præturam. Suo iudicio.] Id eſt, ſuffragio, quod ex iudicio tulerunt. Illud.] Id eſt, propter id quod ſequitur. Finito proœmio quid dicturus ſit oſtendit. In qua.] Videlicet cauſa. Oratio nemini deeſſe poteſt.] Male legunt quidam, oratione. Modus.] Id eſt, exitus & finis & moderatus uſus. Atque ut inde oratio mea, &c.] Breuiter narrat, ut doceat bellum cum Mithridate & Tigrane gerendum eſſe. Vectigalibus.] Id eſt, his prouincialibus, qui in prouincijs ueſtris ſunt uectigalia ſoluentibus. Vectigales homines atque prouinciæ dicuntur. Vectigalia ſunt, & priuata & publica. Alter relictus.] Mithridates bello non confecto à Lucio Lucullo relictus eſt.] Mithridates poſtquam in Ponto à Lucullo uictus eſt, rerum ſuarum deſperatione coactus, ad Tigranem Armeniæ regem confugit. Idem Lucullus utrunq; regem cũ immenſis copijs in Armenia multis prælijs uicit. Ne bellum conficeret, ſeditio militũ cauſa fuit, qui ſequi noluerunt: ut ait Tit. Liuius. lib. 97. & 98. Ei abrogatũ imperiũ Plutarchus in eius uita ſcribit, de quo poſtea amplius.] Equitibus Romanis.] Publicani enim decumani, aratores, paſcuarij, alijq; qui pop. Romani uectigalia conducebant, ex equeſtri ordine erant. Ex eo ordine, quia nonnulli ſordidi erant & auari, qui ad ſe id ſcriptum ſimulare poſſent, ut de conductorum uectigalium pretio aliquid condonaretur: ideo dicit hos honeſtiſſimos uiros. Quorum.] Videlicet equitum, non, quorum literarum magnæ res aguntur. Magnæ res.] Id eſt, diuitiæ. Ea enim uectigalia non niſi magno conduci ſolebant. Itaque ea conducebant, qui erant locupletiſſimi. Hi autem erant equites Romani. In ueſtris uectigalibus exercendis.] Vt paulo poſt: Quo tandem animo eſſe exiſtimatis, aut eos qui uectigalia nobis penſitant, aut eos qui exercent atque exigunt? Exercere uectigalia dicũtur ijs, qui uectigalia cõduxerunt, eaq; aut ipſi, aut eorum nomine alij colligunt: ideoq; colligendis uectigalibus præſunt. Vt Cicero pro Publio Sylla exercere iudiciũ dixit, pro præeſſe iudicio: Hoc, inquit, Prætore exercente iudicium, patiamini de ſtudijs humanitatis hac literarũ paulo loqui liberius. Magnæ res aguntur.] Id eſt, agitur de magnis rebus. Occupatæ.] A Mithridate & Tigrane. Mihi eſt cum illo ordine.] Nam Cicero ex ordine equeſtri erat. Quæ nunc ueſtra prouincia eſt.] Nicomedes Bithyniæ rex à L. Sylla regno reſtitutus eſt, unde à Mithridate pulſus fuerat. Is non multis poſt annis moriens, pop. Romanũ fecit hæredem, regnumq; eius in prouinciæ formam redactum eſt: ut ait Liuius lib. 93. Regnum Ariobarzanis.] Id eſt, Cappadociam. Huic qui ſuccurreris.] Alij legunt Succurreret. niſi ſit ſuccurreret, ſuccederet: mihi legendum uidetur, Succederet. Præterea.] Id eſt, præter eum neminem. Frequens apud Ciceronem locutio. Vnum.] Pompeium. Ciuibus.] Qui in Aſia negotientur, & uectigalia colligant. Cauſa.] Id eſt, quæſtio ea de qua laturi ſuffragium eſtis. Admonet quæ dixerit, quæ dicturus ſit: per partitionẽ proponit, quo cauſa ſit facilior, et auditores attentiores. Huius aũt partitionis tres ſunt partes. Id Ciceroni familiare eſt, ut in huiuſmodi orationum partitionibus, tria mẽbra ſint: ut pro Roſcio, pro Cluentio, pro Murena, quamuis non ſæpe utatur partitione. Agitur ſalus.] Melius & uſitatius, quàm agitur de ſalute. Pro qua multa.] Idem poſtea Cicero dicit. Si propter ſocios, nulla ipſi iniuria laceſſiti, maiores ueſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, Pœnis bella geſſerunt: quanto uos ſtudio, conuenit iniurijs prouocatos, ſociorum ſalutem una cum imperij ueſtri dignitate defendere? Certiſſima uectigalia.] Cicero Actio. in Verrem 5. Vectigalium quæ imponantur prouincijs, duo eſſe genera dicit. unum quod certum eſt, quod ſtipendiarium dicitur. ut Hiſpanis et pleriſque Pœnorum impoſitum, quaſi uictoriæ præmium ac pœna belli. Id autem certum ideo dicitur, quod certum & definitum in annos omnes impoſitum ſit. Alterum, quod cenſoris locatione conſtitutum eſt: ut in Aſia, lege Sempronia. Cenſores enim locabant uectigalia, nec uſquam locare licebat niſi Romæ, niſi in pop. Rom. concione: ut ſcribit Cicero in diſſuaſione legis Seruiliæ Rulli. Hæc autem non certo eodemq; pretio ſemper locabantur. Hic autem certiſſima uectigalia aliter appellat ea uidelicet, quæ deuictæ nationes parere ſolitæ ſoluunt, aut quæ ab hoſtiũ incurſu liberæ ſunt. Et pacis.] Vectigalia neruos Reipublicæ poſtea Cicero, & contra Rullum in Senatu ſubſidia belli, & ornamenta pacis: & in M. Antonium lib. 5. infinitam pecuniam neruos belli appellat. Itaque idem ad M. Brutum ſcribit, maximum in Repub. nodum eſſe, inopiam rei pecuniariæ. Philippus Macedo omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modo aſellus onuſtus auro poſſit aſcendere: ut ait Cicero ad Attic. lib. Epiſtol. 1. Requiretis.] Id eſt, deſiderabitis. Vna die tota Aſia.] Mithridatis iuſſu, poſtquam Aſiam occupauit, quidquid ciuium Romanorum in ea fuit, trucidatum eſt. ut ait T. Liuius lib. 78. auctore Appiano in lib. qui Mithridaticus inſcribitur, ad omnium Aſiæ urbium primores literas Mithridates ſcripſit, ut trigeſima die qua ſcriptæ erant literæ, omnes Romanos Italoſq; cũ uxoribus & liberis interficerent, atque inſepultos abijcerent. Id facientibus, præmium: contra uero, pœnam propoſuit. CL. millia ciuium Romanorum occiſa eſſe, Plutarchus ſcribit in uita Sylla. Trucidandoſq;.] Trucidare magis inuidioſum quàm necare egerunt.] Id eſt, agitauerunt & uexauerunt Mithridatem, eumq; pacis conditiones accipere coegerunt. Quod reliquerunt.] Id eſt, quod eum perſecuti non fuerunt. Syllam in Italiam Reſpub.] Cum Cinna, Carbo, Sertorius, Marius, urbem Romam hoſtilem in modum uaſtantes, multos uiros clariſſimos qui eſſent patricij necarent, à bello Mithridatico Sylla reuocatus eſt. Is igitur cum Mithridate pacem illis conditionibus fecit, ut Aſia, Bithynia, Cappadocia, Mithridates excederet: in Pontum finibus regni paterni contentus ſe referret: omnem eius belli impenſam à Romanis factam integre perſolueret: ut ſcribunt T. Liuius libro. 83. & Appianus in Mithridat. Adiungit Plutarchus in uita Syllæ, ut LXX. naues æratas cum apparatu & armamentis Syllæ Mithridates traderet, utq; Mithridatem Sylla pop. Romani ſocium decerneret. L. Murena à Sylla relictus cum duabus legionibus, ut reliqua Aſiæ cõponeret, primum leuibus quibuſdam prælijs triumphi cupiditate, deinde grauioribus Mithridatis regnum laceſſebat. Sylla cõ indignum arbitraretur, Mithridatem, cum quo fœdus pop. Rom. eſſet, oppugnari: ad Gabinium miſit, qui Murenam, Ariobarzane & Mithridate reconciliatis, reuocaret: ut ait Appianus. Boſphoranis.] Mithridates bellum facturus poſt-

*oppreſſit : ut ait Appianus. Aquilium , non Attilium in Liuij codicibus lego. Excruciatum necauit. ] Id eſt , excruciauit & necauit. Illis pulcherrimum fuit. ] Enthymema eſt , ex pugnantibus. Certum. ] Cn. Pompeium. Alium. ] Id eſt , L. Lucullum. Non audent. ] Metuentes ne quid uos offendant. Vnum uirum. ] Pompeium. Omnia ſumma. ] Vt uirtus,ut rei militaris ſcientia , ut felicitas,ut alia generis eiuſdem, quæ imperatoris dignitatem exornent. Quo etiã carent ægrius. ] Id eſt, quem magis deſiderant. Ad maritimum bellum. ] Cum piratarum ingens multitudo,mare, urbeſq; maritimas etiam Italiæ ita infeſtaret , ut omne annonæ commercium intercluderet , Cn. Pompeius Gabinia lege contra piratas imperator factus eſt : quos incredibili celeritate atque felicitate deuicit. Nam intra quadragesimũ diem, toto mari eos expulit. Eos in Cilicia per urbes & colonias diſtribuit, iiſq; agros aſſignauit. De hoc piratico bello, Plutarchus in uita Pompeij permulta ſcribit. Tametſi ad bellum maritimum uenerit. ] Non ad bellum Mithridaticum. Hac de re amplius paulo poſt Cicero dicet, cum Pompeij innocentiam laudabit. Repreſſos. ] Metu Pompeij. Cilicia enim in Aſia eſt. Hos etiam magis quàm cæteros. ] Id eſt , dignos exiſtimetis. Hoc idem poſtea Cicero dicet amplius. Maritimum bellum & exercitum pro nauali, ut pedeſtre pro terreſtri,dici,in Commentarijs in Ciceronem de Senectute ſcribimus. Nauale bellum paulo poſt appellat. Si propter ſocios. ] Suadet à minore ad maius. Contra Philippũ Macedoniæ regem Romani bellum ſuſceperunt , cauſa Athenienſium ab eo obſeſſorum : ut eſt apud Tit. Liuium lib. 31. In hoc bello uictores, Græciæ libertatem à Philippo ereptam reſtituerunt. Et Græciæ cum Antiochus Syriæ Rex & Aetoli bellũ facerent , aduerſus eos Romani bellum ſuſceperunt : ut idem ait libro 53. Primum bellũ Punicum illud habuit initium,quòd contra Carthaginenſes & Hieronem Syracuſanorum regem , auxilium Mamertinis ferendũ Senatus cenſuit : ut ait Liuius lib. 16. Cum Antiocho, &c. ] Hic Cicero contra morem ſuũ , ordinem temporum non ſeruat. Primum enim bellum fuit cũ Pœnis,deinde cũ Philippo, poſtremum cũ Antiocho & Aetolis. Hunc aũt Philippum, ne intelligas eum qui Alexandri pater fuit,in quem Demoſthenis Philippicæ ſunt. Hic enim multo poſt fuit. Tanta. ] Id eſt , tam parua. Vix contenti eſſe poſſimus. ] Id eſt, uix ſufficient. Varietate fructuum. ] Vt uini,olei , aliarumq; rerum. Magnitudine paſtionis. ] Ex pratorum enim publicorum locatione, uectigalia populus Romanus percipiebat. Ea qui conducebant cauſa paſcendi pecoris, paſcuarij dicebantur. Quæ exportatur. ] Vectigal ex portu nullum exigebatur , niſi cum merces ex prouincia exportarentur. Hac ratione prouincia opulentior erat, quippe cũ ex ea non tam multa exportarentur , in eamq; plura importarẽtur. Id aũt uectigal portoriũ dicitur. Cicero actione 4. in Verrem : Dico te maximũ pondus auri,argenti,eboris,purpuræ,plurimam ueſtem Melitenſem, plurimã ſtragulam,multam Deliacam ſuppellectilem, plurima uaſa Corinthia,magnum numerum frumenti,uini,mellis maximum,Syracuſis exportaſſe his pro rebus quod portorium non eſſet datum, literas ad ſocios miſiſſe L. Canuleiũ , qui in portu operas daret. Et belli utilitatem. ] Vectigalia enim ſunt belli ſubſidia , & pacis ornamenta. Pecora relinquuntur. ] Tribus ex rebus uectigalia Romanos percipere ſolitos ſignificat hic ſæpius,ex paſtione,ex agricultura, & ex rerũ exportatione. Paſcua enim publica,agroſq; publicos,quibus mulctati fuerant hoſtes,et portoriũ publicani cõducebant. Vt portorium ex portu uectigal eſt: ita decuma ex agricultura , & ſcriptura ex paſtione eſt. Inde decumanũ frumentũ auctore Aſconio in Ciceronis Diuinationẽ dicebatur. Id quod exigebatur ab aratoribus ſine pretio. Decumas autem pro decimis dicimus : ut optumum,peſſumũ, maxumum,pro optimo,peſſimo,maximo ueteres dixerunt. Nam ſcripturarius ager publicus eſt,in quo ut pecora paſcantur , certum æs eſt. dictus , quia publicanus ſcribendo conficit rationem cum paſtore,ut ait Sextus Pompeius. Eorum qui paſcua publica conducebant ratio, ſcriptura dicebatur: ut ait Aſconius in Diuinatione Ciceronis. Eos. ] Id eſt, Aſiaticos. Qui penſitant. ] Id eſt, ſoluunt. In ſalinis Romæ. ] Tempore regum ſalis uectigalia exigebantur,hac ut arbitror ratione,quæ fit in Gallia : ut nemini uendere liceat , niſi qui uectigal redemerit & conduxerit. Id autem ad conciliandam plebem electis regibus ſenatuſconſulto ſublatum eſt. T. Liuius libro ſecundo : Salis , inquit,uendẽdi arbitrium, quia immenſo pretio uenibat in publicum,omni ſumptu ademptũ priuatis,portorijs quoque & tributo plebe liberata. Poſtea uectigal nouum ex annona ſalaria populo Romano impoſitum,à cenſore M. Liuio, cui ob id Salinatori cognomen factum eſt. Idem lib. 39. ſcribit. Vlpianus quoq; libro Digeſtorum 50. titulo De uerborum & rerum ſignificationibus, ſalinarum eſſe uectigal dicit. Publica, inquit , uectigalia intelligere debemus,ex quibus uectigal fiſcus capit. quale eſt uectigal portus,uel uenalium rerum,item ſalinarum,& metallorum,& piſcariarum. Eſt tamen quod mihi facile perſuadeam,locum hunc emendatum non eſſe : quod de ſalario uectigali ante Cicero locutus non ſit , quod ex Aſia ſalariũ uectigal exactum non putem. Ideoq; de uectigali ex paſſione locus intelligendus eſt : quare in ſaltibus,aut in ſyluis,aut in paſcuis legendam mihi uidetur. Quas habent. ] Ad exigenda uectigalia. Frui. ] Id eſt, fructum capere. Fructuoſi ſunt. ] Id eſt fructus afferunt. Conſeruaueritis liberatos. ] Id eſt, liberaueritis & conſeruaueritis : ut ante, excruciatum necauit. Quod mihi ego. ] Auditores facit attentos. Id fit,cum ſignificamus nos aliquid commodiore loco reſeruaſſe. Suas rationes & copias in illam prouinciam contulerunt. ] Nam tanti uectigalia ueſtra conducunt,ut omnes eorum fortunæ in uectigalibus ueſtris collocatæ ſint. Homines naui. ] Id eſt, impigri & diligentes. ut contra , ignauos appellari Donatus in Andriam Terentij dicit eos, qui uim ferre non poſſint : Ideoq; nec ſunt perſeuerantes. Induſtrij. ] Id eſt , laborioſi. Eo enim nomine induſtrios homines appellari,Cicero in libro Tuſculanarum quæſt. ſecundo dicit. Partim eorum. ] Qui ſcilicet Romæ ſunt. Collatas habent. ] In ratione negotiatorum ſcilicet,quibus male conſuleretur,ſi res ſuas negotiatores amittant. Numerum. ] Id eſt,multitudinem. ut magnum frumenti numerum dicit Actione in Verrem 5. Cuius iudicij metu magnus à multis frumenti numerus ablatus,magnæq; pecuniæ coactæ ſunt. Et in libro de Offic. 3. Vir bonus ab Alexandria profectus,Rhodum magnum frumenti numerũ aduexerit. Prohibere calamitate dicit , uel pro A. Cæcina : Quod multitudine coacta, nõ introitu, ſed omnino aditu quẽpiã prohibuerit. Et libro de Officijs tertio: Vrbis uſu prohibere peregrinos, ſanè inhumanum eſt. Paulo tamen poſt Cicero dicit , à periculo prohibere Rempub. Multorum ciuium. ] Etiam eorum qui in urbe ſunt. Multorum ciuium calamitatem, & cætera. ] Id eſt , ſi multi ciues incommodum accipiant , id eſt incommodum ad rem quoque publicam peruenire. Illud primum parui refert. ] Vel ironia eſt,uel interrogatio. Publicanis amiſſis. ] Amiſſa,non amiſſis legendum arbitror. ut ſit publicanis datiui caſus. quod ſubiũgat iiſdem publicanis redimẽdi poteſtatem non eſſe propter calamitatem. Redimere uectigalia. ] Id eſt , conducere publicani dicebantur. Certam enim pecuniæ ſummam ex cenſoria pactione ſoluebant,eaq; uectigalia periculo ſuo exigebant,prouidentes in illa redemptione commodis ſuis. Cicero in oratione de Reſponſis aruſpicum : Aerarium nullum eſt,uectigalibus non fruuntur qui redemerunt. Inde Publicani redemptores dicuntur. Initio belli. ] Cũ Mi-*

patrem prodiderit, quòd Iaſonem ad rapiendum uellus aureum adiuuerit, quòd eundem ſecuta ſit. ex poetis atque ex Grammaticorum commentarijs ſatis cognitum eſt. Ea autem ex Colchide nauigans, in Pontum applicuit. Speculator ex alto tumulo proſpiciens, dixit ſe proſpicere nauem ex Cholchide uenientem. Medea patrem eſſe, ut erat, ſuſpicans, qui eam perſequeretur: Aegialeum fratrem, quem ſecum abducebat, ignarum, nec quidquam tale timentem occidit. Atque ita diuellit, diuulſaq; membra per agros Diſſipat, in multis inuenienda locis. Ne pater ignoret, ſcopulo proponit ab alto Pallenteſq; manus, ſangnineumq; caput: Vt genitor luctuq; nouo tardetur, & artus Dum legit extinctos, triſte retardet iter: auctor eſt Ouidius libro Triſtium tertio. Profugere dicuntur ij, qui uel formidine pœnæ, uel cauſa belli, aliaúe qua eiuſdem generis patriam relinquere coguntur. Id per ſimplex uerbum Virgilius dixit: Nos patriam fugimus. Inde profugus, ut: Italiam fato profugus: Lauineq; uenit Littora. Qua.] Auerbium locale eſt, id eſt, per quæ loca. Maximam uim auri.] Cum Mithridates uictis, ut dixi, equitibus fugeret, Luculli milites eum inſequentes inciderunt in eos qui permagnam uim argenti & auri & ueſtium & magnæ pecuniæ è caſtris in Pontum referebant. Hi igitur rapiendis his rebus occupati, Mithridatem perſequi neglexerunt: ut ait Appianus. Multæ itidem diuitiæ, quas in Ponto inuenerunt, eos retardauerunt. E manibus.] Luculli milites eius capiendi occaſionem amiſerunt. Illum.] Lucullum, qui ferebat grauiter milites ſuos retardari. Cum exercitu uenit.] Luculli aduentum Tigrani qui primus nunciauit, is in crucem actus eſt: ideoq; nullus poſtea nunciare auſus eſt. Erat enim metus iniectus.] Metuebant enim, ne in ſe quoque arma populus Romanus converteret. Neque tentandas.] Tentare minus eſt quàm laceſſere. Itaque in negatione poſtponitur. Peruaſerat.] Id eſt, iniuſte peruenerat. Id enim uerbum, quod eſt Vado, cum compoſitis dici ſolet in re iniuſta aut difficili. ut: Vadimus immixti Danais, haud numine noſtro. Inde Donatus euadere dicit eſſe, per obſtantiam & difficultatem uenire. Vrbem ex Tigranis regno.] Tigranes accepto regno Armeniæ, urbem maximam condidit, cuius muros quinquaginta cubita altos fecit, in quam uiros optimos & locupletiſſimos commigrare, eamq; ex ſuo nomine Tigranocertam, quaſi Tigrani ciuitatem appellari iuſſit. Ad hanc urbem Mithridatis & Tigranis exercitum, in quo erant ducenta quinquaginta peditum, & equitum quinquaginta millia, Lucullus paruo exercitu deuicit. Luculli paucitatem militum Tigranes deridens, eos dicebat eſſe nimis multos, ſi ueniſſent ut legati: ſi uero ut hoſtes, nimis paucos. Poſt hanc uictoriam Lucullus Tigranocerta potitus eſt. Poſt hanc cladem acceptam duo reges exercitum alium parare properauerunt, in quo peditum ſeptuaginta millia, equitum trigintaquinque eſſent. Hi rurſus uicti, Lucullum fugiunt. Itaque Tigranes in Armeniæ interiora, Mithridates in Pontum ſe contulerunt. Longinquitate locorum.] Artificioſum eſt, ut ſi quem laudes, cuius in uita aliquid turpe uideatur, id tractes ita, ut ea turpitudo ne appareat. Mithridatem & Tigranem uictos Lucullus ideo perſequi non potuit, quod á ſuo exercitu deſertus ſit. Ab exercitu deſeri turpe eſt, turpitudinem Cicero occultat: tum nullo id Luculli uitio, ſed nimia locorum longinquitate, & ſuorum deſiderio factum eſſe oſtendit. Auctore Liuio libro. 98. Lucullus ne perſequeretur Mithridatem & Tigranem, ſummamq; uictoriæ imponeret, ſeditio militum tenuit, qui ſequi nolebant, quia legiones Valerianæ impleta à ſe ſtipendia dicentes Lucullum reliquerunt. L. autem Lucullo Conſuli, in Aſiam contra Mithridatem proficiſcenti, etiam duas Fimbriæ legiones traditas eſſe, Appianus ſcribit. Hæ autem ſunt legiones, quæ Fimbria duce Valerium Flaccum Conſulem occidentes, cum Fimbriam ſibi delegerunt Imperatorem. Has autem legiones à P. Clodio ſollicitatas, ut à Lucullo deficerent, ſeq; reſeruarent, Plutarchus in Luculli uita auctor eſt. Idem Luculli arrogantia atque auaritia factum dicit, ut à militus ſuis deſereretur. Suam manum.] Alij ſuum animum legunt, idq; mea quidem ſententia melius. Exanimatus enim cladibus ad Cyzicum, in Ponto, in Armenia acceptis, non ſperabat fore, ut in regnum unquam rediret. Qui ſe ex eius regno collegerant.] Id eſt, qui depoſito metu ad ſe redierunt. Colligere ſe, eſt diſſipatas animi partes rurſum in ſuum locum congerere: ut dicit Cicero in libro Tuſculanarum. 4 Eſt igitur colligere ſe, id quod uulgo dicunt, ad ſe redire, uel redire ad rationem. Id ſæpe à Cicerone dicitur libro Epiſt. familiarium. 3. Cum eſt ad nos allatum de temeritate eorum qui tibi negotium faceſſerent, & ſi grauiter primo nuncio commotus ſum, quod nihil tam præter opinionem meam accidere potuit: tamen ut me collegi, cæt era mihi facillima uidebantur. In oratione pro Domo ſua: Si me populus Romanus incitatus iracundia aut inuidia è ciuitate eieciſſet, idemq; poſtea mea in Rempublicã beneficia recordatus ſe collegiſſet, temeritatem atq; iniuriam ſuam reſtitutione mea reprehẽdiſſet. Pro A. Cluentio: Tum uero ita ſum perturbatus, ut omnia timerem, ſi nihil dixiſſem, ne infantiſſimus: ſi multa in eiuſmodi cauſa dixiſſem, ne impudẽtiſſimus exiſtimarer. collegi me aliquando, & ita conſtitui fortiter eſſe agendum. Qui ex eius regno collegerant ſe.] Id eſt, ſuum animum. Cicero enim putauit, hominem eſſe animũ. ſed eum qui in corpore ſit, ut ſcripſi amplius in Ciceronem de Senectute. Hæc igitur ſententia eſt: Mithridates animum ſuum confirmarat, & iuuabatur copijs eorum, qui ex eius regno ſe collegerant. Hi enim fugiente Mithridate perturbati, maxima ex parte Lucullo ſeſe dediderũt. Collegerant ſe. Id eſt, congregauerant intelligi poſſit. Magnis aduentitijs.] Alium exercitum in Ponto Mithridates collegit. Vt regale ijs nomen.] Similis ferè ſententia in oratione pro rege Deiotaro eſt: Semper, inquit, regium nomen in hac ciuitate ſanctum fuit, ſociorum uero regũ et amicorum ſanctiſſimũ. Proprie dicimus ſancta, ut ait Vlpianus libro Digeſt. 1. titulo de rerũ diuiſione. quæ nec ſacra, nec profana ſunt, ſed ſanctione quadã confirmata. Vt leges ſanctæ ſunt: ſanctione enim quadã ſubnixæ ſunt. Quod tantum ſanctione quadã ſubnixum eſt, id ſanctũ eſt, & ſi Deo non ſit conſacratum. Eodẽ in titulo, Marianus Sanctum eſt, inquit, quod ab iniuria hominũ defenſum atq; munitum eſt. Virgilius quoque non ſolum regibus, ſed etiam regine Didoni ſacerdotis officium accommodat. Inde morem emanaſſe arbitror, ut reges quemadmodum ſacerdotes ungerentur. Vt.] Id eſt, ita ut. Eſſe uideatur.] Id ideo dicit, ne plebis animi ob religionem à bello cum rege gerendo auertantur. Nã ſi rex ſanctus eſt, eum uiolari religio eſt: Id uero affirmat pro Deiotaro. Nam ad Cæſarem dicit, qui Romanum regnum iam occupauerat, ut hac ratione in eius beneuolentiam magis influeret. Tantum uictus efficere potuit.] Enthymema eſt ex pugnantibus. Incolumis.] Id eſt, non uictus. Incolumem ſæpe dicit Cicero eum, qui aduerſam fortunam non ſuſtinuit: ut reum, qui liberatus eſt. ut contra, calamitatem, damnationem & exilium dicit. In exercitum ueſtrum.] Mithridates poſtquàm in ſuum ſe regnum recepit, coacto exercitu primum Fabium, quem in Ponto Lucullus reliquerat. profligauit: deinde cum C. Triario Luculli legato ita fortiter pugnauit, ut ad ſeptem millia Romanorum, centum quinquaginta Centuriones, uigintiquatuor Tribunos militum occiderit. Id autem Triarij ambitione & temeritate factum eſt, qui ut ſolus gloriã deuicti Mithridatis aucuparetur, cum eo prius pugnare uoluit, quàm adueniret Lucullus, qui non longe aberat. Clarum, atque uictorem.] Maiorem animum Mithridatis in populo Romano oſtendit. Præterite me ueſtram calamitatem.]

Hæc contra hiſtoriæ legem eſt, quam Cicero in libro de Oratore 2. primam eſſe ait: ne quid falſi dicere audeat, ne quid ueri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis. Sinite hoc loco præterire me noſtram calamitatem.] Illud euenire ſolet, ut quæ nolle nos dicere fingimus, ea auditoribus maiora uideantur, quàm dicendo efficere poſſemus. Eſt autem occupatio, cum dicimus nos præterire, aut neſcire, aut nolle dicere, quæ tamen dicimus. ideoq; addit Cicero, Quæ tanta fuit, &c. Non ex prælio nuncius.] Significat Triarij cladem à Mithridate fuiſſe tantam, ut cæſis omnibus nullus fuerit cladis nuncius. Ex ea tamen Triarium cum Militibus aliquot euaſit: ſed tantam eam fuiſſe Plutarchus ſcribit, quantã in toto bello Mithridatico Romani acceperint. Belli offenſionem hic & paulo poſt Cicero appellat, quam uulgo dicunt amiſſam uictoriam. Aliqua ex parte iis incõmodis mederi potuiſſet.] Lucullus Triario deuicto, contra Mithridatem caſtra locauit. tum autem præconis uoce reuocatus eſt, quod ultra præſcriptum ſibi tempus exercitum haberet, & bellum gereret. Iſq; præco nomine pop. Romani edixit, ut ne quis ex militibus Lucullo pareret: irrogata pœna, ut eorum qui paruiſſent bona publicarentur. auctor eſt Appianus. Forſaſſe.] Euentus enim futurorum incertus eſt, & fortuna belli dubia. Veſtro iuſſu.] Nam ſenatus cenſet, populus iubet. Tum enim populus iubet, cum aliquid faciendum, aut contra, ſuis ſuffragiis decernit. Ideoq; qui ad populum ferebat, dicebat: Velitis, iubeatis, ut P. Clodius de Ciceronis exilio ad populum tulit illis uerbis, ut eſt apud Ciceronem in oratione pro Domo ſua: Velitis, iubeatis, ut M. Tullius in ciuitate ne ſit, bonaq; eius ut mea ſint. Imperij diuturnitati.] L. Lucullus Conſul Aſiam prouinciam, bellumq; Mithridaticum ſortitus eſt, quod per annos ſeptem geſſit: ut ait Velleius Paterculus libro. 2. Imperium.] Prætorum & conſulum & proconſulum dicebatur. Id autem ne diuturnum eſſet, certum aliquod tempus præſcribebatur. ut Cn. Põpeio lege Gabinia conceſſum eſt imperiũ trium annorum, ad perſequendos atque tollendos piratas. C. Verres Siciliam tres annos, Q. Cicero Aſiam totidem annos adminiſtrauit. Cæſari paulo poſt hoc bellum Mithridaticum quinquennale imperium datum eſt, & annos totidem continuatum. Nonnunquam tamen imperium ſine ullo certo modo mandabatur, ut Marcello Syracuſanum, ut Scipioni Hiſpanicum. Cicero in prima Philippica ſæpius flagitatam legem dicit, ne prætoriæ prouinciæ pluſquàm annum, ne pluſquam biennium Conſulares obtinerentur. Qui iam ſtipendiis confectis erant.] Id eſt, qui ſtipendia impleuerant. Hi autem milites erant Fimbriani, quos T. Liuius libro. 98. Valerianos appellat: eam ob cauſam, ut arbitror, quòd L. Valerius Flaccus Conſul miſſus in Aſiam, ut Syllæ ſuccederet, propter auaritiam exercitui ſuo inuiſus, à C. Fimbria legato ipſius occiſus eſt, & imperium ad Fimbriam tranſlatum: ut idem ait libro 83. Hi autem confectis ſtipendiis Lucullum, ut diximus, ſequi noluerunt. Aetas autem militaris, ut paulo poſt dicemus, eſt ab anno decimoſeptimo ad 46. annum. Illo autem tempore ſi Reſp. poſtulabat, lege militari iuuenes cogi poterant, ut annos decem militarent: ut ſcribit Plutarc. in uita Gracchorum. Hos igitur Valerianos milites Lucullus dimiſit.] Id eſt, abire permiſit. Glabrioni.] Qui tum Bithiniæ præerat, quam redactam in prouinciam ante diximus. Quod coniungant.] Id eſt, ſimul & coniunctim gerant. Renouent agitatæ nationes.] Ut qui luctando ſupplantatus iterum luctatur, ob nixius contentis uiribus aduerſarium ſupplantare nititur. Cicero in libro de Offic. 2. acriores eſſe dicit morſus intermiſſæ libertatis, quàm retentæ. Nationes.] Ut Pontus & Armenia. Integræ gentes.] Id eſt, nihil bello imminutæ, ut aduentitia illæ regum & nationum copiæ, quibus Mithridatem iuuari ante dixit. Nouus imperator,] Pompeius, aliuſue quis, qui ad hoc bellum mittatur. Vetere expulſo exercitu.] Veteranus autem exercitus melior eſt atque commodior, & ad parendum & ad pugnandum. Satis mihi multa.] Quæ dixit, memorat: & quæ dicturus eſt, proponit: ut quæ dicta ſunt, hæreant firmius, & ad ſequentia præparentur auditores, ut ſint attentiores. Ea autem tranſitio eſt. Utinam Quirites.] A' fictione ſuaſio eſt. Antiquitatis memoriam.] Id eſt, eos qui ante fuerunt, de quibus in libris memoria eſt. Virtute.] Id eſt, animi magnitudine. E' ludo.] Id eſt, è ſchola. Omnem enim ſcholam ludum dixere Romani, & magiſtri ludi dicuntur, qui primas literas docent: auctor eſt Aſconius. Cn. tamen Pompeius multa in ſchola præter illas primas literas didicit. nam cauſas in foro egit, Milonemq; defendit: ut ait Cicero pro Milone. Cuius etiam illa uerba ſunt ex libro de Claris oratoribus: Meus, inquit, æqualis Cn. Pompeius, uir ad omnia ſumma natus, maiorem dicẽdi gloriam habuiſſet, niſi eum maioris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abſtraxiſſet. Erat oratione ſatis amplus, rem prudenter uidebat, actio uero eius habebat & in uoce magnum ſplendorem, & in motu ſummam dignitatem. Bello maximo.] Cn. Pompeius Strabo cum exercitum duceret aduerſus Cinnam, filius eius Pompeius admodum adoleſcens in caſtris erat, ut ait Plutarchus. Quàm ſeditioſus ciuis & pernicioſus Cinna fuerit, hiſtoriæ Romanæ ſcriptores paſſim memorant. Extrema pueritia.] Seruius Tullius Romanorum Rex, ætatem hominis in tres partes diuiſit, ut pueri eſſent uſque ad annum 17. inde ad annum 46. iuuenes, & ætate reliqua ſenes: ut ſcribit A. Gell. libro 10. Iuuenum ætatem eam deſcripſit, quæ bellis gerendis apta eſſet. Ideoq; iuuenes pro militibus, & iuuentutẽ pro militum multitudine Latini ſæpe dicunt. Eam ob rem ueteres anno ætatis 17. incipiebant facere ſtipendia. Qua ætate Scipionem & Catonem cœpiſſe militare ſecundo bello Punico, ſcribimus in Commentariis in Ciceronem de Senectute. C. Gracchus legem tulit, de minoribus annis ſeptem & decem ad militiam non cogendis: ut in eius uita Plutarchus ſcribit. Seruius tamen in libro Commentariorum in Aeneid. Virgilij ſeptimo, morem Romanum fuiſſe dicit, ut poſt pubertatem pueri armis exercerentur, ut anno decimoſexto militarent, quo ſolo anno ſub cuſtodibus agebant. Extrema pueritia.] Id eſt, extrema parte pueritiæ. Id genus dicendi quàm familiare Ciceroni ſit, ſcribimus in Ciceronem de Senectute. Summi imperatoris.] Id eſt, L. Syllæ. Pompeium Sylla diſcipulum Sertorius adpellabat, ut in eiuſdem Sertorij uita Plutarchus ſcribit. Ineunte adoleſcentia.] Adoleſcentiam pro iuuenili ætate dixit. Nam adoleſcentes & iuuenes hac Seruij diuiſione non diſtinguuntur. Maximi ipſe exercitus imperator.] L. Cinna conſule occiſo, Cn. Papyrius Carbo eius collega magis ſeditioſus, exercitũ parauit contra Syllam à Bello Mithridatico redeuntem. Sylla igitur cum uictore exercitu in Italiam reuerſo, Cn. Pompeius annos tres & uiginti natus in agro Piceno tres legiones comparauit, multos ut à Carbone deficerent ſollicitauit, L. Scipionis inimici milites ad ſe allexit, multaq; egregia in Italia fecit facinora: ad Syllam uenit, à equo deſiliens Syllam imperatorem ſalutauit. Pompeium & ipſe Sylla imperatorem e contra ſalutauit: idq; mirum omnibus fuit, quod iuueni uiro in Senatum nondum admiſſo, id nomen Sylla communicauerit. Illud quoque honoris Pompeio Sylla præſtabat, ut aduenienti aſſurgeret, eiq; caput aperiret: quod nulli alij Sylla faciebat, quamuis multos uiros clariſſimos ſecum haberet. Prouincias confecit.] Id eſt, nationes bello ſubiugauit, eaſq; populo Romano prouincias fecit. Quàm alij.] Qui ſcilicet magiſtratus eſſent. Suis imperiis.] Nam ferè omnibus in præliis, quibus affuit, ipſe imperator fuit: ideoq; rei militaris diſciplinam uſu, non

præceptis

præceptis aſſecutus eſt. Vſum autem, magiſtrum eſſe optimum, Cicero ipſe non ſemel dixit. Fortunæ Reipublicæ.] Cui contingit, ut multa bella multis in regionibus gererentur. Ciuile.] Cum Cinna & Carbone. Africanum.] Cum Cn. Domitio, aliiſq; proſcriptis & Hierica rege Numidiæ, quod intra dies quadraginta confecit, natus annos quatuor & uiginti. Ex hoc bello reuertentem Sylla obuiam profectus, magna uoce Magnum tum ſalutauit, quod ei cognomen factũ eſt. Iſq; ea ætate adhuc Eques Romanus triumphauit, quod ante hanc ætatem nemini contigerat. Auctores Tit. Liuius libro octuageſimonono, & Plutarchus in uita Pompeij: qui Numidiæ regem Hiarbam, non Hiericam appellat. Tranſalpinum.] Quod cum Gallis geſſit, qui Romanis legionibus in Hiſpaniam iter includebant: de quo paulopoſt Cicero dicit. Hiſpanienſe.] Cum Sertorio: de quo bello paſſim ſcriptores tradiderunt. Miſtum ex ciuitatibus.] Quo tempore Lucullus in Aſia cum Mithridate bellum gerebat, in Italia exortum bellum ſeruile eſt. nam Capuæ ex ludo Lentuli 74. gladiatores profugerunt, & ſeruorum & ergaſtulorum tantam multitudinem coegerunt, ut ad ſexaginta millia armarentur. Eorum duces, Chryſus, Granicus, & Spartachus fuerunt. Hi Romanos Imperatores ſæpe uicerunt, [illegible]d anno tertio quàm bellũ exortum eſt, cum à Q. Ario, tum maxime à M. Craſſo deuicti ſunt. tria tamen ſeruilia bella Florus ſcribit. Quòd cum his Pompeius pugnauerit, alibi legere non memini. Ex bellicoſiſſimis nationibus.] Id eſt, ex Gallis & Germanis. In hoc enim fugitiuorum exercitu Gallos Germanoſq; fuiſſe, quorum dux erat Granicus, Tit. Liuius libro 97. ſcribit. Tit. Liuius libro 21. Gallicas gentes ſemper auidas eſſe: Idem libro 10. Gallos inter ferrum & arma natos, feroces cum ſuopte ingenio, tum aduerſus populum Romanum eſſe dicit: D. Brutus in epiſtola quadam ad Ciceronem, quæ eſt in libro Epiſtolarum Ciceronis familiarium undecimo, Gallos eſſe dicit omnium bellicoſiſſimos. Apud Romanos maiorum more nulli ciui bello Gallico immunitas erat, ut ait Cicero pro M. Fonteio. Auctore Appiano libro de bellis ciuilibus ſecundo, is ſacerdotum & ſeniorum lege, quæ de immunitate lata eſt, exceptum fuit, niſi Celticum bellum inſtaret. Eo enim inſtante, ſacerdotes ſenioreſq; in armis eſſe oportebat. nam Gallica gente nulla Romanis fuit formidabilior. Nauale bellum.] Quod cum piratis geſſit. Varia & diuerſa genera bellorum.] Quia alia terreſtria, alia maritima fuerũt. Ex hoſtiũ.] Quia alij reges, alij exules, alij proſcripti, alij piratæ, alij ſerui fuerũt. Cõfecta.] Id eſt, expleta, & ad finem perducta. ut Confecta ſtipendia ante dixit, ut dicam penè confectum. Idem libro Epiſtolarum familiarium undecimo, ad D. Brutum: Res ſic ſe habet, is bellum confecerit, qui Antonium oppreſſerit. Idem libro decimo ad Plancum: Qui M. Antonium oppreſſerit, is bellum confecerit. Idem ad eundem: Qui Antonium oppreſſerit, is hoc teterrimum bellum periculoſiſſimumq; confecerit. Fortitudo.] Quæ eſt mortis doloriſq; contemptio. Induſtria.] Id eſt, perſeuerantia, quam aſſiduitatem ante Cicero appellauit. Celeritas.] Quæ in imperatore ualet plurimum. Huius uirtute.] In bello quod geſſit cum Cinna & Carbone. Teſtis eſt Sicilia.] Cneus Papirius Carbo à Sylla ſæpe in Italia uictus, in Siciliam profugit. Pompeius in Siciliam cum imperio à Senatu miſſus, Carbonem tribus conſulatibus inſignem uicit cepitq;. Is cum ad ſupplicium duceretur, flebat muliebriter. Vbi uero ſtrictum gladium ceruicibus ſuis imminere conſpexit, locum & horam perbreuem orauit, quod uentris onere moleſtari ſe diceret. auctores ſunt Titus Liuius libro octogeſimonono, & Plutarchus in uita Pompeij. qui idem ſcribit, à Perpenna quoque ui occupatam Siciliam, atque inde ceſſiſſe audito Pompeij aduentu, qui inde ciuitates afflictas recepit, eaſq; omnes præter Meſſanam clementiſſime habuit. Explicauit.] Liberauit. Teſtes uero iam omnes oræ.] Id dicit propter bellum, quod cum piratis Pompeius geſſit. Mithridates initio belli cum populo Romano ſuſcepti, aliquot homines in naues impoſuit, ne tam libera eſſet Romanorum in Aſiam nauigatio. Cum uero bellum exarſiſſet, hi aucto numero prædonum more, ut mare, ita inſulas & urbes maritimas, ipſam denique italiam infeſtabant: cui annonæ commercia intercluſerunt. Hi Cilices appellati ſunt, uel quia primi Cilices fuerunt, uel quia in Ciliciam ſe receptabant. In horum ſocietatem accepti ſunt prædones, exules, fugitiui, ſerui. Eorum numerus ita creuit, ut naues amplius mille haberent. tam multæ præda locupletati ſunt, ut inauratis rudentibus, uelis purpureis, remis ſubargentatis uterentur. Cum igitur ſocios & prouincias pop. Romani atque Italiam impotẽter uexarent, omnibuſq; mercatoribus mare clauſum eſſet, aduerſus eos Cn. Pompeius lege Gabinia factus Imperator, bellum incredibili celeritate [illegible]fecit. De hoc bello ſcripſerunt amplius L. Florus, Appianus & Plutarchus in uita Pompeij. Per hos annos.] Id eſt, paucis his annis præteritis. Aut tam firm. hab. præſid.] Firma præſidia ſæpe dicit Cicero, ut Terent. firmas nuptias. Aut mortis.] Si hyeme nauigaret: aut ſeruitutis, ſi æſtate. Tum enim periculum erat, ne à prædonibus caperetur. Committeret ſe periculo.] Id eſt, periculo ſe exponeret. Tantum bellum.] Omne enim mare interius, quod mediterraneum appellant, hi prædones occupauerant. Tam turpe.] Id bellum totum in contumeliam dedecuſq; pop. Rom. fuiſſe, Plutarchus ſcribit. Tam uetus.] Quàm uetus fuerit hoc bellum prædonum, inde conijcere licet, quòd cœpit initio belli Mithridatici. Bellum autem Mithridaticum annos quadraginta geſtum fuiſſe, Appianus ſcribit, quo auctore Mithridates regnauit annos 58. Bellum autem piraticũ Cn. Pompeius confecit, paulo ante quàm belli Mithridatici factus eſſet imperator: quod bellum Mithridaticum, ut alia, celeriter confecit. Cui præſidio.] Id eſt, cui ſociorum claſſes ueſtræ præſidio fuerunt. Longinqua.] Id eſt longe ab oculis ueſtris, hoc eſt, in longinquis regionibus geſta à prædonibus. A` domo.] Id eſt, à patria, ab urbe Roma. Propugnaculis.] Id eſt, uiribus. Mare clauſum.] Quia in eo nauigare metu prædonum non auderent. Socijs ueſtris ergo mare clauſum.] A` faciliori ſocios populi Romani defenſos non fuiſſe oſtendit. Nam ſi Romanis exercitibus mare clauſum fuit, quod ſocijs fuerit clauſum facile fuit. Si legati populi Romani capti ſunt, difficile nõ fuit, ne qui ab exteris nationibus Romam uenirent, caperentur. Si duo prætores capti ſunt, mirum non eſt mare tutum mercatoribus non eſſe. Si Caietæ, Miſeni, & Hoſtiæ portus in prædonum poteſtate fuerunt, credibile eſt Colophonem, Samum, aliaſq; urbes innumerabiles captas eſſe. Brunduſio.] Brunduſium ciuitas eſt Italiæ, portu nobilis, unde in Græciam atque in Aſiam tranſmittitur. Coloniam populo Romano ſub finem primi belli Punici deductam fuiſſe, Tit. Liuius ſcribit libro decimonono. Summa hyeme.] Id eſt, bruma. Tranſmiſerunt.] Id eſt, mare tranſierunt. ut in libro Epiſtolarũ Ciceronis ad Quintum fratrem ſecundo: Idem aiebant nunciare te prima nauigatione tranſmiſſurũ. Tranſmittere mare idem dixit libro de Natura Deorũ ſecundo: Grues, inquit, cũ loca calidiora petentes maria tranſmittunt, triãguli efficere formam. Idem tranſire mare dicit ſæpius. ut lib. Epiſtolarum ad Atticũ ſeptimo: Inde utrum conſiſtere uſpiam uelis, an mare tranſire, neſcitur. Idem pro Cn. Plancio: Hic uero ſimulatq; me mare tranſiſſe cognouit. Idem dicit tranſportare exercitum, libro Epiſtolarum ad Atticum nono: Sic inquam agam, Senatui non placere in Hiſpanias iri, nec exercitus in Græciam tranſportari. & in Piſonem: Te pro-

uinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum tranſportaſſe, ſine ullo milite reliquiſſe. Tranſportare, deportare, & reportare exercitum perſæpe dicit T. Liuius: de quibus poſtea dicemus. Redempti ſint.] Id quod ſequitur pro eo quod præcedit: id eſt, capti ſint. Hi autem legati qui fuerint, legere nō memini. Duodecim ſecures.] Id eſt, duo Prætores, Sextilius & Belinus, qui cum lictoribus cæteriſq; inſignibus capti ſunt: auctor eſt Plutarchus. Prætoribus autem ſingulis ſeni lictores erant. Veſtros portus.] Caietam, Miſenum, & Hoſtiam. Quibus uitam & ſpiritum ducitis.] Id eſt, qui bus annona frumentaria uobis præcipue aduehitur. Fuiſſe in poteſtatem.] De hoc dicendi genere eſt apud A. Gellium libro primo. Portum Caietæ.] Caietam à Caieta Aeneæ nutrice appellatam, eſt apud Virgilium in libro ſeptimo. Celeberrimum.] Id eſt, maxime à mercatoribu frequentatum. Inſpectante prætore.] Id magis populum mouet. Is tamen prætor qui fuerit, mihi ignotum eſt. Miſenū ab Aeneæ comite appellatum eſt, apud Virgilium libro Aeneid. ſexto. Propè inſpectantibus nobis.] Hoſtia in oſtio Tyberis ab Anco Martio ædificata eſt, ut ait Tit. Liuius libro primo. Iniuria autem quæ fit inſpectantibus nobis, grauior eſſe uidetur. ut Virgilius in lib. Aeneid. ſecundo, de morte Politæ, qui Priami filius fuit: Vt tandem ante oculos euaſit, & ora parentum, Concidit, ac uitam multo cum ſanguine fudit. Ea res quantū Priamum commouerit, illic dicit. Interdum tamen glorioſum cenſetur, ante ora parentū pro patria fortiter cadere. unde Aeneid. 1. O terq; quaterq; beati, Quis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis Contigit oppetere, &c. Sed huiuſmodi iniuriæ ad diuerſa referuntur, & diuerſis fiunt modis. Nam Politæ cædes fugientis, turpis fuit Priamo, nec Politæ glorioſa: Hectoris & Troili fuit occiſu glorioſa, & ideo ſpectantibus minus triſtis, licet parentibus. Ante oſtium Tyberinum.] Id eſt, ante Hoſtiæ portum, qui in oſtio Tyberino eſt. Oceani hoſtium appellat, quo Oceanus in mare (quod alij interius, Plinius internum, uulgus mediterraneum appellat) influit. Intra Oceani oſtiū.] Id eſt in toto mari interno. Aut obeundi negotij] Duæ res ſunt, quibus incitentur homines ad iter faciendum celerius, negotij conficiendi & conſequendi quæſtus cupiditas. Curſus.] Id eſt, nauigationes. ut in primo Aeneid. Quæ proxima littora curſu Contendunt petere. & in libro de Officijs tertio: Si, exempli gratia, uir bonus ab Alexandria profectus, Rhodum magnum frumenti numerum aduexerit, in Rhodiorum inopia & fame, ſummaq; annonæ caritate: ſi idem ſciat complures mercatores Alexandria ſoluiſſe, nauesq; in curſu frumento onuſtas petentes Rhodum uiderit, dicturus ne ſit id Rhodijs, an ſilentio ſuum quàm plurimi uenditurus. Impetus belli.] Id eſt, Pompeij claſſis, in qua belli impetus conſiſtebat. Frumentaria ſubſidia.] Id eſt, quæ frumentum ſubminiſtrāt. ut Tit. Liuius Siciliam & Sardiniam in ſecundo bello Punico, appellat duo Reipublicæ horrea. Inde ſe cum in Italiam receptiſſet.] Cn. Pompeius accepto in piratas Gabinia lege imperio, internum mare in multas regiones diuiſit, ac unicuique parti claſſem ducemq; præfecit: Tiberium Neronem & Manlium Torquatum Hiſpanico mari, quod Atlanticum uocant, uſque ad columnas Herculis: M. Pomponium Gallico & Liguſtico: Lentulum Marcellinum & P. Attilium Libyco, Sardoo, Corſico, inſuliſq; finitimis: L. Gellium & Cn. Lentulum Tyrrheno & Adriatico: Plotium & Trentium Varronem Siculo & Ionio, uſque ad Acarnaniam: L. Cinnam Peloponneſo, Atticæ, Eubœæ, Theſſaliæ, Macedoniæ, Bœotiæ: L. Cullium Aegeo mari, omnibusq; in eo inſulis, & Helleſponto: P. Piſonem Bithyniæ, Thraciæ, & Propontidi: Metellum Nepotem Lyciæ, Pamphyliæ, Cypro, Phœniciæ, præfecit. ſed ita præfecit, ut in ſua quiſque regione permaneret, nec ultra piratas inſequeretur, neque in regiones alijs traditas inuaderet, ſed mutuis ſe auxilijs adiuuantes piratas intercluderent. Cn. Pompeius lectis nauibus ſexaginta inſtructis piratas inſecutus, eos uenatoris more congregans, in Ciliciam redire compulit. auctores ſunt Plutarchus & Appianus. Cum in Italiam ſe recepiſſet.] His ducibus diſpoſitis Pompeius Romam rediſs, quia Piſo conſul apparatum naualem ſolueret, militesq; ſtipendijs liberaret. Duabus Hiſpaniis.] Vlteriore & citeriore. Italiæ duo maria.] Tyrrhenum & Adriaticum. Vt à Brunduſio profectus eſt.] Poſtquam Romam redierat. Idem Cretenſibus.] Poſt Ciliciam, piratarum receptaculum alterum Creta erat. Q. Metello Proconſ. bellum aduerſus Cretenſes ante mandatum eſt, quàm piratas perſequi Pompeius iuſſus eſſet. Piratas multos ibi Metellus more mulctauit. eandem pœnam metuentes reliqui prædones à Metello obſeſſi, Pompeium in Cretam ſuppliciter inuitabant, ut ei ſe ipſi dederent, quòd Creta ſub eius imperio eſſet. Itaque Pompeius Metello ſcripſit, ut ab eorum oppugnatione deſiſteret: mandauitq; inſulæ ciuitatibus, ne Metello parerent, eoq; legatum L. Octauium miſit. Is in urbem obſeſſam cum præſidio ingreſſus, piratis contra Metellum auxilium tulit. [illegible] tamen ceſſit Metellus, obſeſſos ad deditionem compulit, de [illegible] ſupplicium ſumpſit. Octauium dimiſit. auctores ſunt T. Liuius lib. 99. & Plutarchus. Quod Pompeio turpe fuit, id contexit, inq; laudem conuertit. Metello enim gloriam rerum ſuarum geſtarum tollere turpe fuit: turpius autem, Pompeium gloriam ſuam cum prædonum cauſa cōiungere. In Pamphiliam.] Quæ regio minori Aſia inter Ciliciam & Syriam eſt. Deprecatores.] Id eſt, qui pro ſe Pompeium deprecarentur. Terentius precatores, uulgus interceſſores appellat, ubi quid offenſæ admiſſum eſt. Obſidesq; imperauit.] Id eſt, imperauit, ut darent obſides. ut in oratione pro M. Fonteio: Magnas pecunias ad eorum ſtipendium, maximum frumenti numerum ad Hiſpanienſe bellum tolerandum imperauit. Extrema hyeme.] Id eſt, extrema parte hyemis: ut ante dixit, extrema pueritia. Hic attendere licet partium anni diuiſionem. ut dicamus ineunte uere, quod Virgilius dicit, Vere nouo: medio uere, & extremo uere. Itidē de alijs anni partibus dicere licet. Significat autem amplius quatuor menſes hoc bellum apparatum, ſuſceptum, & confectum fuiſſe. Piratas intra quadrageſimum diem toto mari expulſos eſſe, Liuius ſcribit libro nonageſimonono. Plutarchus hoc bellum tribus menſibus, Appianus 120. diebus confectum dicit. Artes.] Id eſt, uirtutes. Ars enim ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, id eſt, à uirtute appellata eſt. Adminiſtræ.] Id eſt, famulæ & miniſtræ. Quanta facilitate.] Non quanta felicitate legendum eſt. Quanto ingenio.] Id eſt, quanto conſilio, quanta dicendi grauitate & copia. Quali ſint.] In codicibus alijs Quanta ſint non abſurde legitur. Ex aliorum contentione.] Id eſt, cōparatione. Valet enim comparatio ad amplificationem, aut ad extenuationē. Quem enim poſſumus imperatorem.] De Pōpeij innocentia dicit. Eſt autem innocētia, ut ait Cicero in lib. Tuſc. quæſtionū 3. affectio talis animi, ut nemini noceat. Idē in libro 5. innocentem dici eum, qui non noceat, ſcribit. Aliquo in numero.] Id eſt, aliquo in ordine imperatorum. Venéant centuriatus.] Male rem ſe habere Cicero dicit in libro de Officijs, cum quod uirtute effici debet, id tentatur pecunia. Centuriatus enim (qui Centurionis officium eſt) reliquaq; militaria officia, uirtuti militum mandari debēt. De Republica cogitare.] Id eſt, Reipublicæ utilem eſſe. Pecuniam ex ærario depromptam.] Hæc pecunia quæ ex ærario deprompta eſt ad bellum adminiſtrandum, attributa appellatur. Ad bellum adminiſtrandum.] Adminiſtrare bellum imperator dicitur, id eſt gerere. Id uocabulum in hac oratione ſæpius dici inuenias. Propter prouinciæ cupitas

pidiutatem. ] Apud Romanos ueteres poſtquam deſignati Conſules & Prætores erant, decernebat Senatus quæ prouinciæ conſulares, quæq; prætoriæ eſſent: poſtea ſortiebantur Conſules, uter utram prouinciam haberet. itemq; prætores prætorias prouincias ſortiebantur. Aliquando tamen ſenatorum iudicio potius quàm ſortitioni rem magiſtratus permittebant. Id Caium Lælium maiorem & Lucium Scipionem Conſules feciſſe, Titus Liuius libro trigeſimo octauo ſcribit. Poſtea Caius Gracchus decreta lege ſanxit, ut neceſſe eſſet prouincias cõſulares per Senatum quotannis conſtitui, ut ait Cicero in oratione pro Domo ſua. Nonnunquã tamen furioſi Tribuni plebis contra hanc legem Semproniam, quas uolebant prouincias, ſine ulla Senatus auctoritate dabant. Vt Vatinium tribunum plebis eripuiſſe Senatui prouinciæ decernendæ poteſtatem, Cicero in oratione contra eum dicit. Idem in oratione pro Domo ſua, P. Clodium Tribunum plebis, A. Gabinio & L. Piſone cõſulibus, amplificato pretio nominatim dediſſe prouincias ſcribit: Quamuis ante utriuſque tribunatum hæc lex Manilia lata ſit, tamen conijcere licet alios quoque Tribun. pleb. antea idem feciſſe. Romæ in quæſtu reliqueris. ] In hiſtoria ſacra parabola eſt de patre familias, qui peregre proficiſcens, ſeruis ſuis pecuniã ſuam diſtribuit. Alij enim dedit talenta quinque; alij duo, alij unum. Ab his diſcedens, ut ait Lucas, Negociamini, inquit, dum uenio. Hic autem pecuniam ſuam in quæſtu reliquit. Veſtra admurmuratio. ] Populum Romanum admurmuratione & acclamatione ſolitum eſſe probare, quod publice aut fieret, aut diceretur: ſcripſimus in Commentarijs in orationem pro M. Marcello. Itaque ſignificabat populus Romanus, uera eſſe quæ Cicero diceret. Ad hunc admurmurationis morem alludit Virgilius libro Aeneid. primo: Talibus Ilioneus, cuncti ſimul ore fremebant Dardanidæ. Nec de Troianorum indignatione intelligi debet. Quocunque uentum ſit. ] Siue in noſtras prouincias, ſiue in ſociorum & amicorum populi Romani agros & ciuitates. Ferant. ] Id eſt, afferant, non tam propter ſtipendiorum inopiam, quàm propter Imperatoris incontinentiam. De hac calamitate antea Cicero: Eiuſmodi, inquit, in prouinciam homines cum imperio miſimus, ut etiam ſi ab hoſte defendant, tamen ipſorum aduentus in urbes ſociorum, non multum ab hoſtili expugnatione differant. Oppida ciuium Romanorum. ] Id eſt, per colonias & municipia. Recordamini, tum facilius. ] Quantas calamitates Romani exercitus exteris nationibus afferant, à difficiliori probat. Difficilius eſt enim agros & oppida ciuium Romanorũ, quàm exterarum nationum uexare. An hybernis. ] Romani imperatores quas urbes hoſtium æſtate ceperant, eas inſtante hyeme firmis præſidijs muniebant, exercitumq; in urbes propinquorum ſociorum in hyberna deducebant. Neque enim poteſt. ] Sententia eſt: Solent enim ſubditi tales eſſe, quales eorum ſunt principes. Cicero in libro Epiſto. familiarium primo: Erant, inquit, hæc animaduertenda in ciuitate, quæ ſunt apud Platonem noſtrum ſcripta diuinitus: Quales in Republica principes eſſent, tales reliquos ſolere eſſe ciues. Eodem auctore libro de Legibus tertio, Vt cupiditatibus principum & uitijs infici ſolet tota ciuitas, ſic emendari & corrigi continentia. Idem paulopoſt: Nec tantum mali eſt peccare principes, quanquam eſt magnum hoc per ſeipſum malum, quantum illud, quod permulti etiam imitatores principum exiſtunt. Nam licet uidere, ſi uelis explicare memoriam temporum, qualeſcunque ſummi ciuitatis uiri fuerint, talem ciuitatem fuiſſe: quæcunque mutatio morũ in principibus extiterit, eandem in populo ſecuturam. Idq; haud paulo eſt uerius, quàm quod Platoni noſtro placet, qui muſicorum cantibus ait mutatis mutari ciuitatum ſtatus. Ego autem nobilium uita uictuq; mutato, mores mutari ciuitatum puto. Quo pernicioſius de Republica merentur uitioſi principes, quod non ſolum uitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in ciuitatem: neque ſolum obſunt, quod illi ipſi corrumpũtur, ſed etiam quod corrumpunt, pluſq; exemplo quàm peccato nocent. Exercitum is continere. ] Continentia & abſtinentia à Valerio Maximo libro quarto dicuntur ferè pro eadem re, hoc eſt, pro uirtute ea quæ auaritiam libidinemq; coerceat. Pro utroque continentiam Cicero dicit libro Epiſtolarũ ad Quintum Fratrem primo: Quid eſt, inquit, negotij cõtinere eos quibus præſis, ſi te ipſe contineas? Idem paulopoſt, cum eundem ſe continere dicit: Tu, inquit, tum pecuniæ, tum uoluptati, tum omnium rerum cupiditati reſiſtes, ut facis. Hic tamen Cicero continentiam dicit, uirtutem quæ prohibeat alienis bonis iniuſte manus afferre: quæ eadem innocentia eſt, quæ auaritiæ inimica eſt. Temperantiam uero intelligit, quæ uoluptates reprimat. Qui ſeipſum non continet. ] Id eſt, qui ab alienis diuitijs manus non abſtinet. Seuerus in iudicando eſt is, qui nihil reo ignoſcit, nihil de pœna legibus conſtituta remittit: qui in iudicando nec gratiam, nec odium, nec preces, ſed uerum ſequitur. Inde ſeuerum appellatum putant. Iudicem oportere eſſe ſanctum, ſeuerum, incorruptum, inadulabilem, immiſericordem, inexorabilem: eſt apud A. Gellium libro decimoquarto. Viri fortes ſi quid deliquerint, ignoſci ſibi nolunt. M. Cato dicebat, ſe pro collato beneficio malle gratiam non accipere, quàm pro illata ab ſe alijs iniuria pœnam non ſubire: omnibuſq; qui peccarent, quàm ſibi, ueniam dare. auctor eſt Plutarchus in Apophthegmatis. In Aſiam. ] Id eſt, in Ciliciam & in Pamphyliam, in bello Piratico. Pacato. ] Id eſt, qui hoſtis non eſſet. Quemadmodum milites hybernent. ] Cn. enim Pompeius quo tempore de ferenda lege Manilia agebatur, caſtra ad Ciliciam habebat: ut ſcribit Appianus. Sumptum faciat in militem. ] Id eſt, ut pecunia, uel ueſtis, uel commeatus detur militibus. Cupienti. ] Facere ſcilicet. Tantam illam celeritatem. ] In piratis perſequendis. Inuentum. ] Alij, Initum legũt. Non auaritia. ] Vt Luculli milites. Curſu. ] Id eſt, nauigatione. Non libido ad uoluptatem. ] Vt C. Verrem Lampſaci detinuit, ut Seplaſia Annibalis robur molliuit. Nõ nobilitas urbis ad cognitionẽ. ] Pompeius poſtquã ſoluit Brundiſio, de negotio ſuſcepto ſollicitus, cũ urbes cæteras prætermitteret, Athenas tamen aduenit, rem ſacram fecit: ſed habita concione populi ex templo diſceſſit, ut in eius uita Plutarchus ſcribit. Labor ipſe ad quietem. ] Solent Imperatores militibus labore aut uia fatigatis concedere, ut curent corpora, ſeq; reficiant. Signa & tabulas. ] Signorum & tabularum antiqui Romani ſtudioſi erant, ut hac ætate nobiles & Pontifices argenteorum aureorumq; uaſorum, quibus menſas abacoſq; exornent. Tabulas. ] Id eſt, picturas. ut in libro Epiſtolarum primo ad Quintum fratrem, Cicero picturas appellat: Præclarum eſt, inquit, ſummo cum imperio fuiſſe in Aſia triennium, ſic ut nullum te ſignum, nulla pictura, nullum uas, nulla ueſtis, nullum mancipium, nulla forma cuiuſquam, nulla conditio pecuniæ (quibus rebus abundat iſta prouincia) ab ſumma integritate continentiaq; deduxerit. Quæ cæteri. ] Imperatores. Tollenda. ] Et Romam in ſuas domos apportanda. In his locis. ] Id eſt, in Aſia. Sed de cœlo lapſum. ] Vt ad Q. Fratrem Cicero: Græci, inquit, ſic te uiuentem intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria, aut etiam è cœlo diuinum hominem eſſe in prouinciam delapſum putent. Nunc denique. ] Id eſt, nunc primum. Id enim tum dicitur, cum aliquid ante fieri aut dici oportuiſſe ſignificamus. Homines Romanos. ] Vt Curium Dentatũ, & Fabritium, qui tanta fuerunt abſtinẽtia, ut etiã oblata ultro munera repudiarint. Quantum dicendi grauitate & copia ualeat. ] Id ante ex Ciceronis uerbis docuimus. Cicero in Oratione poſt reditum ad Quirites, laudat maxime

tripartitam illam orationem de ſuo reditu, quam Cn. Pompeius ad populum habuit. Hoſtes.] Piratæ, quos in deditionem accepit, iiſq; fidem ſeruauit. Eſtq; argumentum à minori ad maius. Transmittendum.] Tranſmittere bellum eſt, belli onus alijs decernere. Cum ſcimus homines, &c.] Sententia eſt: Opinione famæ & certa aliqua ratione mouentur homines ut aliquem contemnant aut metuant, &c. Contemnere, contrarium eſt metuere. Illius diei.] Quo perlata lex Gabinia eſt. Referto foro, &c. Comitium foro ita propinquum erat, ut pro eo forum ſæpe dicatur. Circum forum multa tẽpla fuiſſe Aſconius ſignificat, cum pro templis omnibus circum forum præſidia in cauſa Milonis à Pompeio diſpoſita ſcribit. Vilitas annonæ.] Id diuino numine comprobatum ſignificat ut de ſuo reditu dicit in oratione pro Domo ſua: Cum de mea, inquit, dignitate in templo Iouis Maximi Senatus frequentiſſimus uno iſto diſſentiente decreuiſſet, ſubito illo ipſo die cariſſimam annonã nec opinata uilitas conſecuta eſt. Erant qui deos immortales, id quod ego ſentio, numine ſuo reditum meum dicerent comprobaſſe. Rei frumentariæ.] Id eſt, frumenti. ut in libro Epiſtolarum ad Q. Fratrem primo: Nullas, ut opinor, inſidias hoſtium, nullam prælij dimicationem, nullã defectionẽ ſociorum, nullam inopiam ſtipendij, aut rei frumentariæ, nullam ſeditionem exercitus pertimeſcimus. Iam accepta calamitate.] Cum à Mithridate Caius Triarius deuictus eſt. Iu uitus admonuit.] Cum dixit Cicero: Sinite hoc loco Quirites, ſicut poetæ ſolent, qui res Romanas ſcribunt. Id ipſum eius temporis.] Id eſt, eo ipſo tempore. Id temporis, & id ætatis à Cicerone ſæpe dici, alias admonuimus. Ad eas regiones.] Id eſt, in Aſiam minorem ad bellum piraticum. Inſolita.] Id eſt, magna, aut non ſolita. Sæpiſſime enim Mithridates uictus fuerat, rariſſime uictor. Inflammatum uictoria.] Eſt enim uictoria inſolens natura et ſuperba, ut pro Marco Marcello Cicero dicit. Tigranem magnis copijs.] Tigranes enim magnis copijs Mithridatem ex Armenia in Põtum redeuntem ſecutus eſt. Aduerſus quem cum duceret exercitũ Lucullus ne ſe cum Mithridate cõiungeret, ab Senatu ut Plutarchus ait, reuocatus eſt. Quid uirtute.] A` facilliori ſuadet. Nam ſi abſens Pompeius auctoritate tantum proficit, proficiet facilius præſens uirtute. Ex locis tam longinquis.] De piratis intelligit. Noſter Imperator.] Quintus Metellus, cui Proconſuli bellum aduerſus Cretenſes mandatum erat. In ultimas propè terras.] In Pamphyliam ueniſſe diximus. Omnes Cretenſium ciuitates.] Non ſolum piratas, qui ab Metello obſidebantur, ſed reliquos quoque Cretenſes optaſſe uenire in deditionem Pompeij dicit. Idem ſignificat Liuius libro 100. qui à Pompeio legatum in Cretam miſſum dicit ad accipiendas urbium deditiones. Erat moleſtum.] Ex inuidia, quòd ad ſe quoque miſſus non fuiſſet. Metellum autem & Perpennã ſignificare uidetur, quibus exercitus quoque in Hiſpanis commiſſi erant contra Sertorium, quo tempore Cn. Pompeius Quæſtor adhuc cum imperio Conſulari aduerſus Sertorium miſſus eſt. Speculatorem.] Id eſt, exploratorem. Vero autem ſimile magis eſt, eum ſpeculatorẽ quàm legatum fuiſſe, quòd contra Sertorium in Hiſpaniam Pompeius miſſus ſit, cum Sertorio autem Mithridates fœdus fecerit. Magnis ueſtris iudicijs.] Quæ de Pompeio feciſtis, cum ei Sertorianum bellum itemq; maritimũ contra piratas cum imperio Conſulari mandauiſtis. Præſtare.] Id eſt, prædicare. niſi forte Prædicare, non præſtare legendum eſt. ut in primo de Officijs: Deforme eſt, de ſeipſo falſa præſertim prædicare. Ego enim ſic exiſtimo.] Vt ludentium, ita bella gerentium, alios miſeros, alios felices uidemus. Vt in ludis, ita in bellis, qui felices ſunt interim uincuntur, & qui miſeri, interim uincunt: & qui principio uincunt, poſtremo uincuntur. Eſt igitur magna ludi & belli ſimilitudo, cum bellum ipſum malæ ſit fortunæ quaſi ludus. Illud autem uſu ſolet euenire, ut iſtiuſmodi felicitas perpetua non ſit, eam enim qui nacti ſunt, ad extremum miſere aut uicti, aut mortui ſunt. Alexander Magnus ueneno necatus eſt. Scipio Africanus maior à ſuis eiectus, in exilio perijt. Profugus Annibal ueneno ſibi mortem conſciuit. Scipioni Africano minori, in ædibus quieſcenti uis allata eſt. Quis autem ex Romanis uictoriarum atque triumphorum gloria Cneo Pompeio clarior atque felicior? is miſere uictus à Cæſare, miſerius obtrũcatus eſt. Iam Cæſarem uictorem in Capitolio necatum, nemo neſcit. Adde etiam ſi lubet, urbis Romæ felicitatem: cuius tantum fuit imperium, quantũ nullius ciuitatis: quæ miſere amiſſo imperio ſæpe capta eſt, & ab hinc triennium ab Hiſpanis & Germanis uexata eſt. Illudq; uerum eſt, quod in Agamemnone Seneca ſcribit: Nulla longi tẽporis felicitas. Maximo.] Qui cunctando reſtituit rem, qui Dictator et quinquies Conſul fuit. Marcello.] Marcus Claudius Marcellus Annibalis exercitũ ad Nolam fudit atque uicit, primusq; omnium tot cladibus feſſis Romanis meliorem ſpem belli dedit. Idem Syracuſas expugnauit. Idem fuit quinquies conſul. Scipioni.] Vel maiori, qui anno quarto & uigeſimo cum imperio conſulari in Hiſpaniam miſſus, inde Pœnos eiecit: inde Conſul Annibalem ex Italia redire in Africam coegit. eo uicto, Carthaginenſes accipere conditiones pacis coegit. Vel Scipioni minori, qui bis ſolutus legibus, bis Conſul factus, duas urbes opulentiſſimas euertit Carthaginem & Numantiam. Mario.] Qui nouus homo Iugurtham Regem uicit cepitq;, qui Theutones, Ambrones, Cimbros penitus deleuit, qui ſepties Cõſul fuit. Meminiſſe.] More dicendi Græcorum hic uſum Ciceronem arbitror. Ii enim pro gerundijs quibus carent, utuntur infinitiuo: Memini autem nullum habet gerundium. Hæc igitur ſententia eſt, ut præterita recordando reliqua ſperare uideamur. Nam futurorum ſpes ex præteritorum memoria perſæpe naſcitur. Inuiſa.] Si dicerem fortunam eſſe in poteſtate Pompeij. Aut ingrata.] Acceptorum enim beneficiorum commemoratio, animi gratitudinem oſtendit. Non ſum prædicaturus.] Occupatio eſt. Aſſenſerint.] Aſſentior ferè omnes dicunt. Siſenna unus aſſentio in Senatu dicebat: & eum poſtea multi ſecuti, neque tamen uincere conſuetudinem potuerunt. auctor eſt Marcus Varro, ut ait Aulus Gellius libro ſecundo. Vt autem impertio & impertior, reuerto & reuertor, munero & muneror, aliaq; eiuſdem generis permulta: ita aſſentio & aſſentior auctores grauiſſimi dixerunt. Ouidius in libro Faſtorum ſexto: Sic cecinit Clio, doctæ aſſenſere ſorores. Idem in libro Metamorph. tertio: Dixerat, aſſenſit precibus Rhamnuſia iuſtis. Idem libro decimoquarto: Aſſenſere dei, nec coniux regia uultus immotos tenuit. Virgilius libro Aeneidos ſecundo: Aſſenſere omnes, & quæ ſibi quiſque timebat, Vnius in miſeri exitium conuerſa tulere. Hac uoce Titus Liuius perſæpe uſus eſt, ut libro uiceſimoſecundo: Varroni ferè omnes, Paulo nemo præter Seruilium prioris anni conſulem aſſentirent. Libro uiceſimoſexto: Si aliquibus aſſentire neceſſe eſt, media ſimillima ueris ſunt. Libro uiceſimoſeptimo: Sed tum quoque, aut uerbo aſſentiebat, aut pedibus in ſententiam ibat. Nihil minus ſæpe uſus Cicero eſt, in libro Epiſtolarum familiarium primo: Aduertebatur Pompeij familiares aſſentire Volcatio. Libro ad Atticum primo: Homines ad quindecim Curioni nullum ſenatuſconſultum facienti aſſenſerunt facile. Libro ſecundo: Cenſuit hoc Cato, aſſenſit Senatus equiti. Libro decimoquarto: Is planè mihi probabat, ſe aſſentire & cupere pacem. Tam multis res mihi probanda exemplis fuit, propterea quòd male loqui latine permulti exiſtiment eum, qui aſſentire dicat. Hanc enim uocem poſt Siſennam uſu inualuiſſe, plurimi non putant. Venti tempeſtateſq; obſecundarint.] Cum piratas

Pompeius

Pompeius perſequeretur, eos tam breui tempore è mari nô eleciſſet, niſi uentos ſecundos & ſerenitatem habuiſſet. Tempeſtates.] Id eſt, ſerenitates. Aulus Gellius libro duodecimo inter uocabula quæ in utranque partem accepta enumerat, tempeſtatem adiungit. Tempeſtatem pro temporis ſerenitate à Virgilio ſæpe dici attendimus, ut in libro Aeneidos primo: Nymborumq; facis, tempeſtatumq; potentem. Prius enim Iuno Aeolo dixerat: Tibi diuum pater atque hominum Rex, Et mulcere dedit fluctus, & tollere uentos. Ventus enim effert nymbos & ſerenitatem. Idem in eodem: Olli ſubridens hominum ſator atque deorum, Vultu, quo cœlum tempeſtateſq; ſerenat. Idem in libro nono: Vnde hæc tam clara repente Tempeſtas. Tempeſtatem medium eſſe uocabulum Seruius dicit, ideoq; clara tempeſtate dicitur. Obſecundarint.] Id eſt, ſecunda & proſpera fuerint. Proprium ac perpetuum.] Proprium pro perpetuo dici, Nonius Marcellus teſtis eſt. Cum communis ſalutis.] Hic attendas particulam Cum adiungi cum dictione maioris momenti, & Tum minoris: quod eſt contra Grammaticorum præcepta. Quare cum & bellum.] Concludit Cicero, Cnæo Pompeio Mitridaticum bellum hac Manilia lege mandandum eſſe. Sed in hac concluſione per capita repetit ea quæ dixit. Quod ſi Romæ.] Argumentum à fictione eſt. In his ipſis locis adſit:] Vbi bellum cum Mithridate gerendum ſit. Ab his qui habent.] Id eſt, ab his Romanis qui in prouincijs propinquis imperio ſunt. Ducibus dijs immortalibus.] A deorum auctoritate ſuadet, quorum nutu & uoluntate factum uidetur, ut nunc in Aſia cum exercitu Pompeius ſit. Hac deorum auctoritate Cicero alibi quoque ſæpe utitur, auctore Quintiliano libro quinto: In libro de reſpôſis Aruſpicum, in concione contra Catilinam, quæ inuectiua tertia appellatur, & pro Ligario Cum cauſam C. Cæſaris meliorem, quàm dij hoc iudicauerint, confitetur.

At enim uir clariſſimus.] Refutat ſententias Hortenſij & Catuli, qui legem Manilliam diſſuadentes uni Pompeio omnia tribuenda eſſe negauerunt. Veſtris beneficijs ampliſſimis affectus.] Id eſt, ſuffragijs ueſtris factus Conſul. Q. enim Catulus cum M. Lepido fuit conſul. Vt enim conſulatus magiſtratus eſt ampliſſimus, ita ſuffragia pro conſulatu beneficia ſunt ampliſſima. Summis ornamentis honoris.] Id eſt, conſulari dignitate. Hortenſius enim Conſul deſignatus erat, cum Verris cauſa agebatur. Ingenij.] Nam eloquentiſſimus erat Hortenſius. In oratione iudiciali fit, ut contra aduerſarium dicatur. quamuis id Quintilianus libro quarto uetet. In deliberatiua autem ſi qua ſunt auctoritate qui contra ſentiunt, hi uituperandi non ſunt. Catulum & Hortenſium laudat Cicero, ſed ueritatem potius quàm rerum auctoritatem ſpectari oportere dicit. Multis locis.] Id eſt, ſæpe & multis temporibus. Locus enim pro tempore dicitur. Hinc locum actionis Stoici dicunt eſſe opportunitatem temporis, ut ait Cicero in primo de Officijs. Auctoritates contrarias.] Alij enim hanc legem ſuadent, alij diſſuadent. Adhuc.] Id eſt, hucuſque. Et neceſſarium bellum eſſe.] Hæc tria ſunt quæ præcipue dixit Cicero, ut in partitione erat pollicitus. Obſoleuit iam iſta oratio.] Oratio & ratio legitur, Priſcianus uero libro nono legit oratio. ubi enim ſcribit Obſoleo factum ab obs, & oleo, non a ſoleo, hunc Ciceronis locum citat. Re.] Id eſt, euentu belli piratici. Refutata.] Refutare à Cicerone & Quintiliano potius quàm confutare dicitur. Pro tua ſumma copia, &c.] Solet Cicero in orationibus & ſuaſorijs iudicialibus eloquentiam ſuam demittere, aduerſarij autem extollere: tum ut aduerſarium auditoribus ſuſpectum faciat, qui eloquentia magis quàm cauſæ ueritate nitatur: tũ quia auctore Quintiliano libro 11. omnis iactatio, præcipue ea quæ ingenij eſt, oratori turpis eſt. Contra uirum fortem.] A. Gabinium. Lege Gabinia quid Cn. Pompeio conceſſum ſit, eſt apud Plutarchum in uita Pompeij. De hac lege in Senatu actum eſt. Senatus promiſit moriturum ſe potius quàm lex illa perferatur. Ei legi Lucius Trebellius Auli Gabinij Trib. pleb. collega interceſſit. Eo perſeuerante Gabinius tribus intro uocare cœpit, ut Trebellio magiſtratum abrogarent: ſicut quondam C. Gracchus tribunus, M. Octauio collegæ ſuo magiſtratum abrogauit. Aliquandiu Trebellius ea re perterritus non aderat, perſiſtebatq; in interceſſione, quod damnari magis quàm perſeueraturum eſſe Gabinium arbitrabatur. Sed poſtquam 7 & 20 tribus legem acceperunt, & una minus eſſet, ut populi iuſſum conficeret, remiſit interceſſionem Trebellius, atque ita legem Gabinius de piratis perſequendis pertulit: auctor eſt Aſconius in Commentarijs in orationem Ciceronis pro Cornelio de Maieſtate. In qua oratione Cicero A. Gabinium uirum fortem appellat, quem cum ſalutem populo Romano atque omnibus gentibus finem diuturnæ timiditatis, turpitudinis & ſeruitutis afferret, paſſum eſſe negat plus unius collegæ ſui quàm uniuerſæ ciuitatis uocem ualere, & uoluntatem. Fortem igitur appellat, quia contra Senatus uoluntatem, & collegæ interceſſionem hanc legem ferre perſeuerauerit. Aulus Gabinius is eſt, ut arbitror, qui cum Lucio Piſone Conſul fuit eo anno, quo Cicero in exiliũ abijt. Ex hoc ipſo loco.] Dicit Hortenſium habuiſſe duas orationes, quibus Gabiniam legem diſſuaderet: unam in Senatu, alteram in foro. Si plus apud populum.] Id eſt, ſi ſecundum ſententiam tuam lex Gabinia lata non fuiſſet. eſt autem argumentum à fictione. Vera cauſa.] Id eſt, bona, ut in lib. de Officijs tertio: Tantum dabit amicitiæ, ut ueram amici cauſam eſſe malit. Populi cauſam ueram ideo dicit, quod Pompeius iudicio populi aduerſus piratas dux factus uictoria potitus eſt. ut pro Q. Ligario Cæſaris cauſam dicit fuiſſe meliorem: Cauſa, inquit, tum dubia, quòd erat tum aliquid in utraque parte, quod probari poſſet. nunc melior certe ea iudicanda eſt, quàm etiam dij adiuuerunt. Legati.] Legatos populi Rom. & duos prætores cum lictoribus à prædonibus captos fuiſſe, antea dixit. Quod autem hic adiungat Quæſtores, intelligi fortaſſe liceat Quæſtores qui cum illis prætoribus in prouinciam proficiſcebantur. Commeatus nomine hic intelliguntur cibaria ad alimoniam exercitus, ciuitatis, multitudinis alicuius. Etiam priuatum commeatum dici, hic locus documento eſt. Oſtendit autem Cicero imperium Romanum iure appellandum non fuiſſe imperium, ante belli maritimi onus Pompeio Gabinia lege mandatum. Clauſa erant nobis.] Clauſum cuiquam mare eſt, cum aut propter ſæuientem tempeſtatem, aut prædonum pericula nauigare non audet. ut paulo ante: Socijs ueſtris ego mare clauſum per hoſce annos dicam fuiſſe, cũ exercitus noſtri Brunduſio nunquam niſi ſumma hyeme tranſmiſerint. Et in libro Epiſtolarum ad Quintum Fatrem ſecundo: Tuas mirifice literas expecto, atq; adhuc clauſum mare ſcio fuiſſe, ut contra pro Archia poeta: Populus Romanus aperuit Lucullo imperante Pontum, & Regis quondam opibus & ipſa natura regionis uallatum. Mare tenuiſſe.] Hinc nauali certamine Xerxem uicerunt. Iidem cum Lacedæmonijs maritima pugna ſæpe certantes, ad extremum à Lyſandro uicti ſunt. Carthaginenſes maritimis rebus multum ualuiſſe, Punica bella documento ſunt. Aliquot annos continuos.] Aliquot enim annos prædones mari incubuerunt. Nos quorum maiores.] A turpitudine & quaſi degeneratione legis Gabiniæ ferendæ neceſſitatem, eiuſq; latæ utilitatem oſtendit. Antiochi regis præfectos nauali certamine à Romanis uictos eſſe, poſtquam Antiochus ad Thermopylas uictus ex Græcia expulſus eſt, T. Liuius libro triceſimoſexto ſcribit. Perſenq;.] Perſen Macedoniæ regem à Romanis pugna maritima ui-

ctum fuiſſe, non memini legere. Scribit quidem Plutarchus in Pauli Aemilij uita, apud Oreũ uiginti magnas naues Romanorum ouuſtas, aliaſq; multas à Perſeo ui captas. Sed ad rem nihil. Dicitur autem Perſas & Perſeus. De uarietatis huius ratione ſcribimus in Progymnaſmatis. Omnibus naualibus pugnis.] Carthaginenſes in primo bello Punico primum à Cnæo Duellio Conſule, deinde ab Attilio Regulo uictos fuiſſe, Titus Liuius libro decimoſexto ſcribit eodem tamẽ auctore libro decimonono, Claudius Pulcher conſul, qui contra auſpicia profectus iuſſit pullos mergi, qui cibari nolebant, infeliciter cum Carthaginenſibus claſſe pugnauit. Il nullo in loco.] Pronomen is, ea, id, ad primam referri hic attende: ut paulo poſt, ijdem. Id aliquãdo Titus Liuius imitatus eſt, ut libro ſexto: Vidiſtis in uincula duci uniuerſi eum, qui à ſingulis uobis pericula depulerã. & libro tricesimo: De pace agitur, agimuſq; ij quorum & maxime intereſt pacẽ eſſe: & qui quodcunq; egerimus, ratũ ciuitates noſtræ habituræ ſint. Poſita.] Id eſt, collocata: & ut cum uulgo dicã, ſituata. Nam ad fabulam alludere uidetur. Cũ Terram iureiurando Iuno aſtrinxiſſet, ne parientem Latonam ſuſciperet, Latona parturiente Iupiter Irim ad Neptunũ miſit, ut inſulam ab Sicilia auulſam in mari natantem apparere faceret, eamq; firmam in Aegeo mari ſiſteret, ut Latonam exciperet: Lucianus auctor eſt, inde appellata eſt. nam δῆλος manifeſtus dicitur. Ponere aliquãdo eſt firmare, & certũ atque fixũ facere. ut in oratione pro Aulo Cecina: Eſt hæc res poſita, quæ ab aduerſario non negatur. Quintilianus libro tertio, de ratione urbes laudandi præcipiens, loci poſitionem appellat, quam ſituationem uulgus diceret. Cicero in oratione pro Domo ſua, ponere eandem dicit ædificare: Spurij Caſſij domus ob eandem cauſam euerſa, atque in eodem loco ædes poſita Telluris. Oris Italiæ maritimæ ac portubus noſtris.] Vt Caieta, Miſeno, & Hoſtia. Appia uia à porta Capena uſque ad urbem Capuam eſt, ut ait Iulius Frontinus in libro de Aequaductibus. His temporibus.] Ante legem Gabiniam. Tempora in re mala dicit. In hunc ipſum locum.] Id eſt, in forum. In foro enim conciones ad populum haberi ſolebant, ut initio diximus. Exuuijs nauticis.] Antiatibus deuictis, eorũ naues partim in naualia Romam ſubductæ, partim incenſæ, roſtriſq; earum ſuggeſtum in foro extructum adornari placuit, roſtraq; id templum appellatum: auctor eſt T. Liuius libro octauo. Ceteros.] Vt Catulum aliosq; ſenatores. Dolori ſuo.] Dolebat populus Romanus, mare oraſq; maritimas à prædonibus occupatas eſſe, cum alijs multis nominibus, tum maxime, quod intercluſi commeatus eſſent, unde maxima annonæ caritas Romæ eſſet. Turpitudine.] Nam turpe erat populo Romano, etiam portus populi Romani qui in Italia ſunt, à piratis occupatos eſſe. Quo mihi.] Aulum Gabinium poſtquam abiiſſet, tribunatu, legatum ſibi Pompeius poſtulauit: id tamen impetrare non potuit. Id hic agit Cicero, ut legetur, quatenus bello quoq; Mithridatico legatus maneat. Legatus autem eſt is, quem imperatoris uicarium & locum tenentem uulgo dicunt. Cicero in oratione in Vatinium teſtem, legatos appellat nuncios pacis ac belli, curatores, interpretes, bellici conſilij auctores, miniſtros muneris prouincialis. Imperatores autem ad bellum proficiſcentes, legatos poſtulabant eoſq; ſi commodum uidebatur, Senatus mittendos decernebat. nam ex huius ordinis auctoritate legati legebantur, ut ait Cicero in oratione in Vatinium teſtem. Quo eodem auctore pro Quinto Ligario, Ligarium Senatus primum, deinde Tuberonem in Africam legauerat. Gabinio dicam.] Dubitatio eſt. Cæteri ad expilandos.] Tales ſunt, qui pecuniam magiſtratibus diuidunt, aut pecuniam Romæ in quæſtu relinquunt. Quos uoluerunt.] Eos enim à Senatu impetrauerunt. Niſi fortaſſe intelligas eos, qui contra Senatus uoluntatem legati ſint, qualem Vatinium fuiſſe Cicero dicit. Honoris cauſa nomino.] Id perſæpe dicit Cicero, cum uiuum aliquem nominat, in quo aliqua ſuſpicio contumeliæ latere poſſe, ut actione in Verrem ſecunda: Vt Hortenſius conſul deſignatus, domum reducebatur è campo cũ maxima frequentia ac multitudine, fit obuiam caſu ei multitudini Caius Curio, quem ego hominem honoris potius quàm contumeliæ cauſa nominatũ uolo. Id etiam de honeſtiſſimis hominibus aut amiciſſimis dici cõſueuit, ut ait idem in oratione pro Roſcio Comœdo: non ne, in quis, quoſleſcunque in cauſa, in nomen huius incidiſti, toties hunc & uirum bonum eſſe dixiſti, & honoris cauſa appellaſti? quod nemo niſi aut honeſtiſſimo aut amiciſſimo facere conſueuit. Cum Tribuni pl.] Significare uidetur hos Tribunos pl. leges tuliſſe de mittendis imperatoribus, eoſdem poſtquam tribunatu abiuerunt legatos fuiſſe. Arguit igitur è ſimili, A. Gabinium legari debere. Tam diligentes.] Vt eum ab urbe nollint amittere. In hoc bello. Maritimo ſcilicet. Spero Cõſules, &c.] Scribit T. Liuius libro tertio, nemini ius eſſe habẽdi ſenatum, qui ipſe magiſtratus non ſit. Omnibus autem magiſtratibus id ius non eſt. Scribit A. Gellius capite ſeptimo libri decimiquarti, M. Varronem in Commentario ad Pompeium ſcripſiſſe, qui fuerint per quos more maiorũ ſenatus haberi ſoleret: eoſq; nominat, Dictatorem, Conſules, Prætores, Tribunos plebis, Interregem, Præfectum urbis, neque alij præter hos ius dicit fuiſſe ſenatuſconſultum faciendi. Quoties autem uſu ueniebat, ut omnes iſti magiſtratus eodem tempore Romæ eſſent, tum quo ſupra ordine ſcripti eſſent, qui eorum prior alijs eſſet, ei potiſſimum Senatus conſulendi ius fuiſſe. Qui autem Senatum habebat, idem ad Senatum referebat. Cũ igitur Dictator nõ eſſet, ſi erant Conſules, illis ſolis ad Senatum referre ſolebat. Ideoq; egit Clodius Tribunus plebis cum Aulo Gabinio & Lucio Piſone conſulibus, ne ad Senatum referrent de Cicerone ab exilio reuocando. A quibus, ut ait Cicero in oratione pro Publio Seſtio, flagitabatur quotidie cum querelis bonorum omniũ, tum etiam precibus Senatus, ut meã, inquit, cauſam ſuſciperent, agerent aliquid, denique ad Senatum referrent. Hi nõ modo negando, ſed etiã irridendo ampliſſimũ quenque illius ordinis inſequebãtur. Dubitabunt.] Id eſt, non audebunt aut grauabuntur, metuentes malam ab ijs inire gratiam, qui contra ſentient. Grauabuntur.] Id eſt, non libenter, ſed moleſte facient. ut pro Aulo Cluentio: Negauit quenquã in ciuitate eſſe præter ſe, qui id efficere poſſit. Sed primo grauari cœpit, quòd ædilitatem ſe petere cũ hominibus nobiliſſimis, inuidiam atque offenſionem timere dicebat. Idem in Lælio: Ego uero non grauarer, ſi mihi ipſe confiderem. Inde grauate, id eſt, contra animum, contra cor, ut uulgo dicunt. Idem libro de Offic. tertio: Inſenſus Cannius cupiditate, contendi à Pythio ut uenderet, grauate ille primo. Inimicum dictum.] Hic cõiectare licet, edicto cautum fuiſſe, ne quis præter Senatum haberet, pro tempore Conſules, eorum'ue alter Romæ eſſet, uel ne quis Tribunus plebis cũ prætores adeſſent, &c. Veſtrum ius beneficiumq; defendam.] Quia Tribuni plebis qui de imperio alicui committendo legem ſuffragio ueſtro tulerunt, poſtquam abiuerunt magiſtratu, ſolẽt diſcerni legati ei qui ueſtro beneficio Imperator conſtitutus eſt: contra quod edictum qui feciſſet, is ſibi inimicos pararet. ideoq; inimicum edictum appellari. Pro Cicerone ab exilio reuocando octo Tribuni plebis, repugnantibus Piſone & Gabinio conſulibus, ad Senatum retulerunt: ut ait Cicero in oratione pro Publio Seſtio, ut etiã Varro apud Aulum Gelliũ ſignificat. Præter interceſſionem.] Ne fiat ſenatuſconſultũ, de Gabinio legando ſcilicet. M. Varro ſcripſit, ut ibidem ait A. Gellius, intercedendi ius ne Senatuſconſultum fieret, ijs ſolis eſſe, qui eadem poteſtate, qua ij qui Senatuſconſultum facere uellent, maiores'ue eſſent. Ideoq; ſi Cicero Prætor ad Senatum de legando Gabinio referat, ſolis Conſulibus aut collegis eius intercedendi ne fieret Senatuſconſultum

tuſconſultum ius eſſet. Qui id liceat, &c.] Vt referam ad ſenatum, ſi Conſules referre aut dubitabunt, aut grauabuntur.

Rerumq; geſtarum Cneo Pompeio aſcribitur.] Legendũ eſſe ita arbitror, Rerumq; geſtarum gloria Cneo Pompeio aſcribitur. Eſt autẽ aſcribere, adiungere: ut qui ciuitate donantur, quia natis ciuibus adiungũtur, aſcriptij ciues appellantur. quæ ex re eſt illa Ciceronis ſimilitudo in libro de Natura deorum tertio: Iam uero, inquit, in Græcia multos habent ex hominibus deos, Alabandum Alabandi, Tenedij Tennem, Leucotheam, quæ fuit Ino, & eius Palæmonem filium, cuncta Græcia, Herculem & Aeſculapium, Tyndaridas: Romulum noſtri, aliosq; complures, quos quaſi nouos & aſcriptios ciues in cœlum receptos putant. Inde ſcribi in ciuitatem, in ciuitate, & ciuitati Cicero dicit, pro Archia poeta: Quæ, inquit, cum eſſet ciuitas æquiſſimo iure ac fœdere, aſcribi ſe in eam ciuitatem uoluit.

Item: Data eſt ciuitas Syllani lege & Carbonis, ſi qui fœderatis ciuitatibus aſcripti fuiſſent. Item paulopoſt: Quæ cum ita ſint, quid eſt quod de eius ciuitate dubitetis, præſertim cum alijs quoque in ciuitatibus fuerit aſcriptus? Reliquum eſt, ut de Q. Catuli.] Ciceronem Plutarchus hac in re ſecutus non eſt. Is enim in uita Pompeij Catulum in diſſuaſione legis Gabiniæ dixiſſe ſcribit, Pompeio parcendum, nec eum tot periculis belliſq; obijciendum: & ſi Pompeium amitterent, non eſſe in quo ſpem ciuitas poneret. eundem in legem Manliam multa inuectum ſæpius pro roſtris acclamaſſe, iubendo & hortando Patres, uti maiorum exemplo mentem animumq; repoſcerent ob publicam libertatem uindicandam.

Cum ex uobis quæreret.] In legis diſſuaſione. Si quid de eo factum eſſet.] Id eſt, ſi contingeret eum mori. Id autem ominis cauſa euitandi dicere. ut in 1. Philippicarum: Si quid mihi humanitus accidiſſet (multa autem impendere uidebãtur præter naturam etiam, præterq; fatum) huius diei uocem teſtẽ Reip. relinquerem, meæ perpetuæ erga ſe uoluntatis. Si quid eo factum eſſet, legendum putarem: quod id uerbum Facere in ea ſignificatione cum ablatiuo ſine præpoſitione adiungi ſoleat. ut pro A. Cluentio: Quid iſtis hominibus factum eſt, Stratone & Nicoſtrato? Quo in loco plura de hoc dicendi genere ſcribemus proxime. Dixiſtis.] Id eſt, roganti Catulo reſpondiſtis.

In hoc ipſo.] Quod dicat Pompeio parcendum. Quo minus certa eſt.] Hominis uita caſibus morbiſq; innumerabilibus obnoxia eſt, eiuſq; exitu nihil eſt quidquam minus certum. Ideoq; negat Cicero in Catone Maiore, ullũ hominẽ eſſe quantumuis adoleſcentem, cui exploratum ſit, ad ueſperam ſe eſſe uicturum. Minus diuturna uita.] Nam breue & irreparabile tempus Omnibus eſt uitæ. Dum per deos immortales licet.] Id eſt, dum dij ipſi permittunt: Id eſt, dum ſanus & incolumis & conſtanti ætate homo eſt. Frui hominis uita.] Id eſt, fructum & commoditatem ex hominis uita capere. Frui enim, pro eo quod eſt fructum capere, ſæpe dicitur: ut frui uectigalibus, agris, fundis dicimus, unde fructus appellatus eſt. Cicero de Reſponſis aruſpicum: Aerarium nullum eſt, uectigalibus non fruuntur qui redemerunt. Idem cõtra Rullum ad Quirites: Adiungit agros Bithyniæ regios, quibus nunc publicani fruuntur. Idem pro Sex. Roſcio: Hunc nõ modo colendis prædijs præfuiſſe, ſed certis fundis patre uiuo frui ſolitum eſſe. Idem pro A. Cecina: Teſtamento facit heredem, quem habebat è Ceſennia filium, uſum fructum omnium bonorum ſuorum Ceſenniæ legat, ut frueretur una cũ filia. Vnde fructuarios agros M. Cælius in lib. epiſt. Ciceronis 8. appellat, pacate poſſeſſos, ex quibus fructus percipitur: Agros, inquit, quos fructuarios habẽt ciuitates, uult tuo beneficio, quod tibi facile et honeſtum factũ eſt, immunes eſſe. At enim nihil noui fiat.] Quod Catulus in legis diſſuaſione dixit, id Cicero repetit, ut refutet. In ea autẽ repetitione Cicero At, uel At enim, ſolet dicere. Nõ dico, &c.] Occupatio eſt. Simulat enim Cicero id ſe nõ dicere, quod dicit.

Conſuetudini paruiſſe.] Id eſt, noui nihil feciſſe. Cum Iugurtha.] Quem poſtea uictum in triumpho ante currum ſuum duxit. Poſtea Marius triumphali ueſte in Senatum uenit, quod nemo ante eũ fecerat, ut ſcribit T. Liuius lib. 67. Idem cum Cimbris] A quibus Romani exercitus ſæpe uicti fuerãt. Nam Papyrius Carbo conſul cum exercitu fuſus eſt, M. Iunius Syllanus cum his pugnauit infeliciter. Aurelius Scaurus conſulis legatus, miſſo exercitu captus eſt. C. Manlius & Q. Seruilius Cæpio procõſules, miſere uicti, binis caſtris ſpoliati ſunt: ut ait T. Liuius. Cum Theutonis.] Quibus Cimbri poſt tam multas uictorias ſe coniunxerunt. Theutonos & Theutones dicimus. In bello Cimbrico C. Mario ſæpe continuatus conſulatus eſt, quemadmodum Fabio Maximo in ſecundo bello Punico.

In ipſo Cn. Pompeio.] Quæ in Pompeio noua conſtituta ſint, dicit. Adoleſcentulum.] Natus erat tum Pompeius annos tres & uiginti, cum in agro Piceno, ut dixi, tres comparauit legiones, quem Sylla imperatorem appellauit. Difficili Reip. tempore.] Quo tempore bella erant ciuilia Syllæ cum Carbone. Exercitum conficere.] Id eſt, cogere & colligere. ut conficere pecuniam Cicero dicit in orat. pro L. Flacco: Duæ rationes conficiendæ pecuniæ, aut uerſura, aut tributo. Et contra Rullum ad Quirites: Permittitur infinita poteſtas innumerabilis pecuniæ conficiendæ, de ueſtris uectigalibus non fruendis.

Rem optime ductu ſuo gereret.] Nam in Sicilia uicit, cepitq; Carbonem: ut ante diximus. Peradoleſcenti.] Adoleſcens & adoleſcentior tãtum dicitur. Pro ſuperlatiuo autem hic peradoleſcentem dicit, ut paulo ante adoleſcentulum. Cuius à ſenatorio gradu.] Senatum à ſenum ætate appellatum eſſe, Cicero in lib. de Senect. ſcribit: quem eandem ob cauſam γερουσίαν Græci appellant. γέροντας enim hi ſenes appellant. Bellumq; contra Domitium Hiericam.] Natus Pompeius 4. & 20. annos, adhuc eques Romanus, quod quidem nemini contigerat, ex Africa triumphauit: ut ante diximus. Deportauit.] Id eſt, in Italiam conduxit. Deportare exercitum, pro eo quod eſt, claſſe in patriam reducere: T. quoque Liuius ſæpe dicit, ut lib. 23. Neque controuerſiam fore quin ipſo confecto bello Annibal uictor in eam decedat, exercitumq; deportet, Italiæ imperium Campanis relinquatur. Idem lib. 30. Tum M. Attilius & Q. Minucius Trib. pl. ad populum tulerunt, uellent iuberent'ue Senatum decernere, ut cũ Carthaginenſibus pax fieret, & quẽ eã pacẽ dare, quemq; ex Africa exercitus deportare iuberent. De pace ubi rogaſſent, omnes Tribus iuſſerunt pacẽ dare P. Scipionem, eundem exercitum deportare. Idem lib. 39. Ita cõparatum more maiorum erat, ne quis qui exercitum non deportaſſet, triumpharet: niſi perdomitam pacatamq; prouinciã tradidiſſet ſucceſſori ſuo. Reportare exercitum, idem in eadem ſignificatione dicit in lib. 38. Auctoritas ſeniorum ualuit, negantium exemplũ proditũ memoriæ eſſe, ut imperator, qui deuictis perduellibus, confecta prouincia exercitum reportaſſet, ſine curru & laurea priuatus inhonoratuſq; in urbem iniret. Tranſportare exercitum quid ſit, ante diximus. Portare exercitum idem quoque dicit, libro triceſimonono: Senatuſconſultum factum, ut prætores quatuor millia peditum Romanorum ſcriberẽt, quadringentos equites, & quinque millia ſociorum peditum Latini nominis, quingentos equites, quos ſecum in Hiſpaniam portarẽt. Sed deportare, pro portare quoque dicimus. Cicero in Verrem actione prima: Non te ex Sicilia literas in Verrem deportare uelle arbitrãtur. Idem Actione ſexta: Omniaq; quæ ornamenta ibi eſſe poſſent, Carthaginem ſunt ex illo loco deportata. Ita continuo ſignum ut demolirentur, & Meſſanam deportarent, imperauit. Duo conſules.] Hi qui fuerint, nondum legi, quamuis Eutropius libro ſexto ſcribat, Sertorianum bellum M. Aemylio Lepido & Q. Catulo Conſulibus cœpiſſe. Ad bel-

*quoque dici poſſet: ut in libro Inuectiuarum in Catilinam 2. Sed triduo tamen audietis. Id exponit Priſcianus, pro intra triduum.* P. Seruilius ] *Is eſt, ut arbitror, qui ante Pompeiũ cum piratis uictoria non incruenta conflixit. quosè mari eiectiſ ſe non contentus, eorum urbes ualidiſſimas, diutina præda abũdantes, Phaſelin & Olympon euertit, Iſauronq́; ipſam Ciliciæ arcem ſuſtulit. Vnde conſcius ſibi ipſe magni laboris, Iſaurici cognomen adamauit: auctor eſt L. Florus. Significat autem Cicero hos in ea eſſe ſententia, ut Cn. Pompeio decernatur imperium in Mithridatem.* C. Curio. ] *Is eſt, ut arbitror, ad quem Ciceronis epiſtolæ lib. 2. ſunt.* Summis ueſtris beneficijs prædi. ] *Id eſt, uir conſularis.* Pro ampliſſimis ueſtris honoribus. ] *Id eſt, pro conſulatu.* Eſt Cn. Lentulus. ] *Hunc enim cũ Lucullo conſulem fuiſſe, Cicero Acti. In Verrem 4. ſcribit. Duorum autem Lentulorum Cicero meminit: unius Cn. Lentulij Marcellini, In Diuinatione: alterius, Cn. Lentuli Vaciæ, In libro Epiſt. ad Q. Fratrem 2. De utro hic intelligatur, incertum eſt.* C. Caſſius. ] *Hunc eſſe arbitror, ad quem Ciceronis epiſtolæ ſunt lib. 15.* Horum auctoritatibus. ] *Id eſt, per horum auctoritates.* C. Manili. ] *Apoſtrophe eſt. auertit enim ſermonem à populo Romano.* Cuiuſquam uim aut minas pertimeſcas. ] *Lex Manilia uiris optimis iniqua uidebatur, propterea quod ea primum Lucullus rerum ſuerũ geſtarum gloria priuabatur. triumphi enim potius quàm belli ſucceſſor Lucullo Pópeius mitti uidebatur: deinde potentiã Pompeij metuebant, ne in tyrannidem euaderet. Itaque priuatim conſtituerunt inter ſe, promulgationi legis obſiſtere, neque ferre publicam libertatem prodi. Verum cum perferendæ legis dies adeſſet, plebis metu fracti animis ſilentium egere, præter Catulum: ut ait Plutarchus in uita Pompeij. Hortenſium adiungit Cicero.*

Non iterum. ] *Id eſt, non alias.* Teſtorq́; omnes deos. ] *Remouet omnem ſuſpicionem, ne hanc legem ſuadere uideatur, aut rogatu cuiuſdam, ut Pompeij gratiam ſibi conciliaret, aut ad depellenda pericula, aut ad conſulatum aſſequendum, ſed Reipub. cauſa id ſe tantum facere profitetur.* Huic loco templóq;. ] *Id eſt, foro & roſtris. Templum quamuis perſæpe pro curia dicatur, nonnunquã tamen pro foro inuenitur. Titus Liuius lib. 8. Naues, inquit, Antiatium partim in naualia Romæ ſubductæ, partim incenſæ, roſtriſq́; earum ſuggeſtum in foro extructum adornari placuit, roſtraq́; id templum appellatum.*

Per hanc cauſam. ] *Id eſt, per hanc legis ſuaſionem.* Adiumenta honoribus. ] *Id eſt, ad conſulatum.* Vt hominem præſtare oportet. ] *Iudiciorum pericula innocens non metuit. Idq́; utrum bonum præſtare decet, ut innocentia munitus ea nihil formidet.* Confirmo ] *Id eſt, affirmo.* Aliquã bonam gratiam. ] *A. Gellius cap. 9. lib. 12. gratiam nominat inter uocabula ancipitia, quæ in utranque partem dicũtur. ideoq́; gratiam bonam hic Cicero dicit. ut in oratione pro Lucio Murena: Lucij, inquit, Murenæ prouincia multas bonas gratias cum optima exiſtimatione attulit. Referre gratiam in re mala idem dixit, in oratione pro Publio Sylla: Quod ſi eſſem uſu atque ætate robuſtior, eſſem idem qui ſoleo, cum ſum laceſſitus. nunc tecum ſic agam, tuliſſe ut potius iniuriã, quàm retuliſſe gratiam uidear.*

# IN EANDEM PRO LEGE MANILIA ORATIONEM, IACOBI OMPHALII ANDERNACI SCHOLIA.

## ARGVMENTVM.

CVM *Mithridates Ponti rex, atrox & maximum bellum uniuerſo nomini Romano inferret, anno urbis conditæ* DCLXII, *quo tempore primum diſſidium ciuile in Romani populi uiſcera gliſcebat: eũ Sylla primum magnis cladibus affectum oppreſſit. Conuerſum deinde, ac maioribus quàm antea copijs, adeoq́; totius regni ſui mole ceu quodam diluuio, totum penè Orientem ac Septentrionem inuadentem, L. Lucullus incredibili ſuperauit uirtute: confecturus bellum uniuerſum, niſi militum ſuorum imperium omne detrectantium uirtute deſtitutus, aut à Senatu in urbem fuiſſet reuocatus. Sæuiente interea Mithridate, ac impune graſſante, C. Manilius Trib pleb. legẽ tulit, ut Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, ac cæteræ prouinciæ, quas ante Lucullus obtinuit, cum exercitu & nauali bello Cn. Pompeio mandarentur. Hac lege quoniam Pompeij potentia, quæ multis formidoloſa erat, nimium augeri, libertas publica unius hominis arbitrio occupari, & Lucullus ſua quaſi uictoria ac triumphi gloria priuari uidebatur: Hortenſius & Q. Catulus uiri conſulares legis promulgationi intercedere conabantur: cæteris metu plebis conticentibus. Cicero contra hac oratione pulcherrima Quiritibus ſuadet, ut Pompeium ad id bellum extra ordinem deligant Imperatorem.*

## DE CAVSAE COMPOSITIONIS GENERE.

CAVSAE *genus eſt deliberatiuum, ſimplici uerborum lenitate, ac temperata planè orationis compoſitione, ſententijs quàm uerbis ornatiore excultum: qualis ferè dictio in hoc genere eſſe ſolet. Nam ut deliberatio omnis popularem eorũ conciliationem habet, quos conſulimus: ita conſilia, prudentia, fide, & moderatione præcipue conſtant. ac proinde moderata quadam compoſitionis lenitate explicantur: niſi rei de qua agitur conditio hoc mutet. quæ ſi magna ſit ac grauis, qualis uel populi dignitas, uel Reipub. cauſa eſſe ſolet: genus quoque dicendi grandius atque illuſtrius deſiderat. Cicero ſanè ipſe in libro de Oratore fatetur, temperata ſe oratione ornandi Pompeij copiam perſecutum eſſe.*

## CONSTITVTIO CAVSAE.

CAVSAE *huius ſtatus, quem Græci* στάσιν *uocant, in quo hæc deliberatio uertitur: eſt coniecturalis. An Pompeius Aſiatico huic & regio bello ſit præponendus. Hunc quo certiore animi iudicio iuuentus intelligat, ex ſuis partibus ueluti membris eruamus. Videas enim cum in ſcolaſticis diſputationibus, tum etiam publicis in conſultationibus pueriliter eos labi, nec quidquã dignum conſultatione, dignum audientium expectatione adferre, qui eius cauſæ, de qua ferenda eſt ſententia, ſtatum negligunt. Ducitur autem ſtatus omnis, præter quã ubi crimen, quod intenditur, prima ſtatum depulſione negatur: ex intentione, depulſione, ratione, & firmamento: ut ſit hæc ſuadentis.*

INTENTIO: *Pompeius, in quo ſumma ſunt omnia, rei militaris ſcientia, uirtus, auctoritas, & felicitas, bello huic Aſiatico eſt præficiendus.* DEPVLSIO: *Summa omnia in Pompeio inſunt: ſed nec ideo huic tanto bello eſt præficiendus.* Aitiæ.

es orationis perſpicuitate præſenti consultationis circumſtantias non indicet ſolum, ſed etiam Rom. populi animos ad conſentiendum ipſa quæſtionum turba permoueat, & deliberandi morã quodammodo tollat. Et quoniã ſemper appetentes gloriæ. ] Probatio hæc eſt maiori propoſitioni ſubiecta, qua explicat atque docet Romani nominis dignitatem in hoc formidoloſiſſimo bello uehementer cõuelli, eiq; turpiſſimam ignominiæ famam inuri, niſi illam omni belli apparatu deleant. Eius autem initium commode trahit à laudis ſtudio, militariſq; diſciplinæ gloria, qua Rom. populus permoueri ſolet: & affectus mouet ab indignitate rei, & graſſandi impunitate. Appetentes gloriæ. ] Cum hiſtoriographi ferè omnes teſtentur, Rom. populum gloriæ admodum fuiſſe cupidum, eamq; maximam in maximo imperio ſitam eſſe duxiſſe: tum illud documento eſſe poteſt, quod iam inde à primo conditæ urbis rudimento ad interceptã à Gallis urbem, annos circiter C C C L. nullo ſumptu publico, ſed ſola gloriæ cupiditate ſtipendia fecerit. Vno nuncio, atque una litterarum. ] Appianus memorat, Mithridatem ſcriptis literis Aſiæ urbium præfectis imperaſſe, ut intra triceſimum diem Romanos omnes, Italoſq; cum liberis & uxoribus contrucidatos, beſtijs obijcerent dilaniandos. Hoc in conflictu centum quinquaginta millia ciuium Romanorum ſunt colliſa. Redeat, et ita regnat. ] Ἀναδίπλωσις uehementiæ cauſa per uim circuitionis, qua cuncta grauiora fiunt. Etenim adhuc ita ueſtri. ] Probat Mithridatem inuictum eſſe, idq; confirmat ab exemplo. Triumphauit L. Sylla. ] Concinnam facit orationem traductione, quàm alij πλοκὴν appellant: eiuſq; finem ἀντιθέτου ſpecie exornat. ſuperatuſq;, inquit, regnaret. Verumtamen illis imperator. ] Excuſatio ſiue præmunitio tacitæ reprehenſionis, ne L. Luculli & Murenæ rebus geſtis ſuam detraxiſſe laudem uideatur, quæ ipſa pleniorem habet gratiam, orationis ad id accommodata ſuauitate, & ἰσοκώλῳ, ὁμοιοτελεύτῳ, καὶ ὁμοιοπτώτῳ figuris expolita. Hiſtoriam præter T. Liuium lib. 83. deſcribit Appianus. Mithridates autem omne. ] Expoſitio eſt conſilij regis Mithridatis, argumentationi inſerta: ut appareat, quantum detrimenti ac periculi ex pernicioſo regis conatu Romani nominis dignitati immineat. Boſphoraniſq; finitimis ſuis. ] Reuocato in urbem Sylla, Mithridates ingentem quibuſcunque ex gentibus comparauit exercitum: cuius fama multorum ſermonibus ſparſa uarie Rom. populum affecit. et quod Rom. potentiam ita demum frangi poſſe exiſtimauit, ſi à diuerſis hoſtibus, diſiunctiſſimis in locis obrueretur, legatos uſque in Hiſpaniam ad Sertorium miſit, qui magnis pecuniarũ ac nauium pollicitationibus illũ ſollicitarent ad concedendam Aſiam. Horum perſuaſione adductus Sertorius, icto fœdere, Cappadociam & Bithyniã conceſſit Mithridati. ipſe autem naues quadraginta, & talentum tria millia à Ponti rege accepit: auctor Plutarchus. Sed tamen alterius partis. ] παράδοσις in Pompeij & L. Luculli res præclare geſtas, quæ cum cauſæ huius & dignitate & utilitate ſunt coniunctæ. Sertorianæ atque Hiſpanienſis. ] Q. enim Sertorium à M. Antonio & M. Perpenna coniuratis occiſum eſſe, Plutarchus ſcribit. Ita res à L. Lucullo. ] L. Lucullus cum Mithridate in Ponto proſperis expeditionibus congreſſus, ſupra ſexaginta hoſtium millia occidit, ac regem uſque in Armeniam fugauit. Hæc autem extrema. ] Addit τὸ χρῶμα occultæ cui deformitati, ne L. Lucullus ob ingenij ſui illiberalitatẽ, imperãdiq; ambitionem potius, quàm inimicorum inuidiam illius famam probris omnibus proſcindentium, uirtute militum, qui parere nolebant, deſtitutus uideatur: Hanc rem copioſe ſcribunt Plutarchus & Appianus.

Sed de Lucullo dicam. ] ἀποδίωξις laudis Luculli in locũ opportuniorem: ut ad inſtitutam argumentationem redeat.

Sed pro ueſtri imperij. ] Hæc eſt maior propoſitio τοῦ ἐπιχειρήματος, cuius partes duas, aſſumptionem & eius probationem oſtendimus: Omne uidelicet bellum ſuſcipiendum, in quo Romani nominis gloria agitur. Maiores ueſtri ſæpe mercenarij. ] Probatio maioris propoſitionis, loco rationis, ab exemplis ex minoribus ad maiora ductis, quæ præcipue ad exhortationẽ impellendoſq; audientium animos ualent. Corinthum patres. ] L. Mummius ante bellum Numantinum Corinthum euertit, qd Romani legati ſordibus è tectis proiectis ſuffuſi, per contumeliam ac probrum eſſent exacti. Hiſtoriam amplius ſcribunt Strabo et Eutropius. Legatum pop. Rom. conſularẽ. ] Manium Atilium comprehenſum, uinctum & ex aſino hærentem triſti ſpectaculo circunduci iuſſit Mithridates eiuſq; os, ut Romanis auaritiam obijceret, auro oppreſſit. quæ rei indignitas occaſionem huic tanto bello dedit. Vinculis ac uerberibus. ] Πάθος mouet à ſupplicij fœditate, ad concitandam cõmiſerationem. Videte ne ut illis pulcher. ] Complexio ſiue concluſio argumentationis, Aſiaticum igitur bellum eſt ſuſcipiẽdum. Hanc uenuſte munit ἐνθυμήματι à repugnãtibus, quo ipſa uis ſuaſionis ſit acrior. Quid, quod ſalus ſociorum. ] Ἐπιχείρημα ſecundum & quinque partitum, quo belli huius, in quo ſociorum fortunæ defenduntur, utilitatem cum Rom. populi dignitate coniunctam eſſe ad hunc ferè modum probat: Hoc in bello ſociorum ſalus in diſcrimen uocatur. Omne tale bellum ueterum exemplo eſt ſuſcipiendum. Hoc ergo bellum ſuſcipiendum. Salus ſociorum ſummum in periculum, &c. ] Hæc eſt minor propoſitio ſiue aſſumptio, quã oratores non raro præponunt, quod particularia diligentius moueant, & acrius etiam audientium trudant animos, quaſi ex immenſa illa amplitudine in quandam ueluti anguſtiam redactos: rum autem, ut dicendi artificium occultent. cum dialecticus contra ſua argumentãdi forma, & uniuerſali uſus pronunciato dicere malit: Omne bellum, &c. Regno expulſus eſt Ariob. ] Probatio aſſumptionis, à ſignis impendentis periculi. Ciuitates autem omnes. ] Expolitio, quæ hic maiorem propoſitionem præcedit, ad belli huius utilitatem explicandam à præiudicijs & uoluntatibus ſociorum pop. Romani. Vnum uirum eſſe, in quo. ] Pompeiũ intelligit: eſtq; hæc præparatio à uotis Aſiaticorum & Græcorum ad cauſæ quæſtionem: Sit’ne bellum Aſiaticum & regium ad unum Pompeium deferendum. Tametſi ille ad maritimum. ] Pompeius lege Gabinia bello piratico præpoſitus, prædones omnes furioſoſq; latrones incredibili celeritate, felicitate ac perpetua nominis ſui gloria toto mari expulit. nam intra quadrageſimum diem incruenta uictoria uſus, nec una quidem naue amiſſa, piratas in perpetuum exegit. Bellum hoc deſcribũt Plutarchus in uita Pompeij, Plin. ultimo illuſtrium uirorum; L. Florus libro 3. cap. 6. Valer. Max. cap. 16. lib. 8. Hoſtili expugnatione differant. ] Conqueſtio de auaritia quorundã Prætorum, per locũ commiſerationis: ut collatione probet Pompeij continentiam. Hunc locum fuſius tractat in poſtrema confutationis parte. Quare ſi propter ſocios. ] Hæc eſt maior propoſitio, ſiue intentio: cuius uis eſt, Omne tale bellum ueterum exemplo eſſe ſuſcipiendum. Nec te mouebit, quòd orator occulta quaſi arte, à minore ad maius per quandam contentionem hunc locum ducat: quando illud ad indoctæ plebis aures magis eſt accommodatum. Porrò hiſtorias tibi Liuius memorabit. Quanto uos gaudio. ] Complexio huius quinquepartitæ argumentationis, cui aliam ſubiungit argumentationem. Cum de ueſtris maxime uectigalibus. ] Argumentatio rhetorica quinquepartita, quam collectionem uocant uenuſte, & magna cum gratia priori ſubiecta: ut belli genus atque utilitatẽ, quæ huius eſt loci propria, ab omnibus doceat circunſtantijs, ac rerum quadam ubertate impleat audientes. Ea autem probat hoc in bello Aſiatico de Roman. uectigalibus agi, cuius hæc eſt propoſitio ſiue intentio. Nam cæterarum prouinciarum. ] Ratio intentionis per collationem: qua oſtendit Aſiam, cuius

uectigalia in diſcrimen ueniunt, omnibus terris antecellere. Itaque hæc uobis.] Comprobatio τῆς αἰτιολογίας. Nam cæteris in rebus.] Exornatio, ad expoliendam præcedentem cõprobationem, quæ collatione amplificatur, & belli incommodorum συναθροισμῷ. Quare ſæpe totius anni.] Complexio. uectigalia, id eſt, anni totius fructus, hoc bello in diſcrimen uenire. Quo tandem animo.] Ἐπεξήγησις eius quod extremũ in complexione poſuit: ut à ſociorum Rom. populi uoluntate, & tacitis cogitationibus probet, quantum incommodi etiam belli metus illis, qui uectigalia conducunt, afferre ſoleat. Quas in ſalinis habent.] Plin. lib. 31. cap. 7. Ancum Martium regem memorat, ſalis modia ſex millia in congiario populo dediſſe, ſalinaſq; primum inſtituiſſe. Earum autem uectigal exploſis regibus ſublatum, iterum impoſuit Cenſor M. Liuius, ob idipſum Salinator appellatus. Ac ne illud quidem uobis.] Hac argumentatione, quæ quatuor conſtat partibus, & ordine ipſo eſt quarta, belli huius, & dignitatem & utilitatem probat: quod in eo multorum bona ciuium agantur, quæ ruere niſi cõmuni omnium malo nequeant. eſtq; hæc propoſitio. Nam & publicani homines.] Propoſitionis ratio per locum dignitatis. Etenim ſi uectigalia.] Comprobatio rationis à conſequenti.

Eum certe ordinem.] Ordinem dicit equeſtrem, ex quo decumani, aratores, publicani, paſcuarij, alijq; erant. Erit igitur humanitatis.] Concluſio argumentationis. Etenim illud primum parui.] Προκατάληψις deliberantium cogitationes occupat: monetq; figurato orationis ductu, ut ſua conſilia publicis poſtponant rationibus: quòd publicanorũ fortunæ bello amiſſæ, multorum ciuium bona in eandem pertrahant calamitatem. Neque enim iiſdem.] Probat quod propoſuit, ſubiectis rationibus. Iiſdem redimendi facultas.] Redimere uectigalia publicani dicuntur, cum ex pacto certæ pecuniæ uectigalia à cenſoribus conducunt: quæ poſtea ſuo uel bono, uel incommodo ſint exacturi. Neque enim aliud eſt redimere, quã conducere. Nam & conductor, redemptor aut manceps, paſſim in Verrinis Ciceroni dicitur. Nam tum, cum in Aſia.] Probat ab exemplo κατὰ ὁμοιοπάθειαν. Non enim poſſunt.] Approbatio per locum communem. A quo periculo.] Adhortatio, qua hunc locum concludit κατὰ ὑποτύπωσιν, ut belli utilitas magis appareat. Quare uidete, num dubitando.] Generalis concluſio primæ huius confirmationis de belli genere, μετ' ἀνακεφαλαιώσεως priorum partium: qua omnia altius audientium memoriæ affigit, & uniuerſam confutationis naturã ante oculos ponit: ut argumentationum, quæ per ſe ſingulæ minus mouent, congregatione, deliberantiũ aſſenſionem ſibi acquirat. Quoniam de genere belli.] Μετάβασις, qua audientium animos primæ confirmationis fine reficit, atque ad ſequentem probationem commonitione quadam præparat. Poteſt enim hoc dici.] Confirmatio alterius partitionis partis, de magnitudine belli, per locum utilitatis: quæ impendentis periculi circunſtantijs, hoc eſt, duorum regum pernicioſa potentia, turbulenta offenſarum gentium concitatione, claſſibus ac populi defectionibus per coniecturam excutitur. Neque illud fallere quẽquam debet, quòd Cicero dicat belli genus ita eſſe neceſſarium, ut ſit gerendum: quaſi ille locus à neceſſario ſit ductus, quem nos facimus utilitatis. Nam neceſſarium in deliberationem rã, quæ de rebus faciundis eſt, & in utranque tractari poteſt partem, non incidit, quod neceſſitas humanis impediri conſilijs nequeat. & ſi quid ideo nobis neceſſario faciendum uidetur, ut grauiora uitemus pericula: haud dubie ad utilitatis quæſtionem referri poteſt. Vt ſi Romani neceſſe haberent, aut bellum hoc Aſiaticum aduerſus potentiſſimos reges ſuſcipere: aut in libertatis ſuæ ac rerum omnium uenire periculum, erit nimirum de ipſa rei utilitate conſultatio: cum alterum facere poſſint. quare & hic locus eſt utilitatis. In quo maxime laborandum.] Exuſcitat audientium animos à propoſitæ conſultationis magnitudine, per locum attentionis. Atque ut omnes intelligant.]

Παράβασις in rerum à L. Lucullo præclare geſtarum commemorationem, ex quibus præſentis negotij deliberatio deducitur. Eius fauorabilem facit ingreſſum, quadam ueluti præfatione uſus: ne nimio ſtudio prædicandi Pompeij, quidquam laudis rebus à Lucullo geſtis detraxiſſe uideatur: cuius potius triumpho, quàm conatibus ſuccedere Pompeius eſt creditus. Mithridatis copias.] Longum mihi uidebatur, & luxurioſæ propemodũ diligentiæ, uniuerſam hiſtoriam ad hunc locum pertinentẽ aſcribere, cum eam tam multi commemorarent: Appianus Alex. in ſuo Mithridatico, Plutarchus in uita Syllæ & L. Luculli, Cicero in oratione pro Archia poeta, Plinius de Viris illuſtribus. Iuſtinus lib. 37. Auguſtinus de Ciuit. dei libro 3. cap. 22. Valerius Max. lib. 4. cap. 6. Florus lib 3. cap. 5. quare ſatis eſt, locum indicaſſe. Cyzicenorum.] Cyzicum Aſiæ urbs nobilis arce, mœnibus, portu, turribuſq; marmoreis, magnis conatibus eſt depreſſa à Mithridate: quàm rem amplius ſcribunt Front. lib. 2. cap. 1. 4. & 3. Plin. lib. 5. cap. 32. Strabo lib. 12. Lucullus uirtute.] L. Florus præcipuam uirtutis laudem Lucullo attribuens: Mithridates, inquit, per quadraginta annos reſtitit, donec tribus ingentibus bellis ſubactus felicitate Syllæ, uirtute Luculli, magnitudine Pompeij conſumeretur. Satis opinor hoc eſſe laudis.] Commonitio, & ueluti μικρὸς ἐπίλογος laudis Luculli. Requiretur fortaſſe.] Προκατάληψις tacitæ quæſtioni reſpondet: ut appareat bellum hoc Aſiaticum à Lucullo non eſſe confectum, ſimul ut hac præmonitione Quirites commoneat, ne quod diligentia prouidendum fuerit, negligentia ſubterfugiãt.

Cognoſcite Quirites.] Locus attentionis, quo Rom. populum ad ſequentes præparat probationes. Primum ex ſuo regno.] Probatio magnitudinis & periculi huius belli, à fuga Mithridatis, per ſimilitudinem: quæ magnam hoc in loco et gratiam & uires habet, quòd ex rebus penè paribus ſit ducta, et rei ipſius de qua conſultatio inſtituitur, ὑποτύπωσιν at imaginem deliberantium oculis ſubijciat: tantoq; magis perſuadeat, quãto cuiuſque animus ipſa imagine uel ad commiſerationem, uel ad iram permoueatur. Ponto Medea illa.] Medea patrem Oetam Colchorum regem, ob factam proditionem, ſubductũq; aureum uellus fugiens: ut patris ſui perſecutione elaberetur, Aegialei fratris, quem fugæ comitem habuit, diſcerptum corpus, diuulſaq; membra aduentanti patri obiecit: eiuſq; perſequendi celeritatem, filij luctu ac funeſta lacerati corporis inſpectione retardauit. Sic Mithridates.] Ἀνταπόδοσις, ſimilitudinis redditio. Maximam uim auri.] Cum Mithridates Cyzicum, nobiliſſimam Aſiaticæ plagæ ciuitatem hoſtili exercitu obſideret, ac iam L. Luculli aduentu partim territus, partim etiam fame, atque peſtilentia coactus recederet, Lucullus cum abeuntẽ aſſecutus, tanta hominum pecorumq; ſtrage cecidit, ut Granicus & Aſopus amnes ex confluenti ſanguine cruenti ſint redditi. Rex autem calidiſſimus, & non ignarus Romanæ auaritiæ, ut ſtratagemate hoſtem falleret, cui ſuis reſiſtere uiribus non poſſet, diſpergi à fugientibus ſarcinas, ac magnam pecuniæ uim abijci iuſſit: cuius collectione inſequentes Romanos moraretur, eaq; occaſione effugeret. Hoc mihi uidetur Alarici Gottorum regis exemplo feciſſe, qui à Stilicone uictus ſimili ferè modo hoſtium inſectationes retardauit. Tryphon Syriæ rex, ut ſcribit Frontin. lib. 2. cap. 13. grauiſſima belli offenſione afflictus, ac rebus deſperatis, in plena fuga pecunias per totum iter ſparſit: quas cũ Antiochi equites colligerent, ipſe hoſtiũ telis eſt elapſus. Hunc in illo timore.] Alia probatio, à coniunctione regum potentiſſimorum, communi ſubſidio acceptæ cladis ultionem petentium: ut doceat ita neceſſarium & magnum hoc eſſe bellum, ut negligi non debeat. Confirmauit, & afflictum erexit.] Splendidam facit orationem, ac cõcitatam καθ' ὁμοιόπτωτον καὶ ὁμοιοτέλευτον

ἀνέλϑωσι. Erat enim metus.] Αἰτιολογία, probationi ſubiecta. Erat etiam alia grauis.] Vehemens probatio, & cũ ad perſuadendum, tum etiam belli periculoſiſſimi magnitudinem oſtendendam efficax, ab ipſa Barbararum gentium cõcitatione: eſtq; hic locus à rumore. Noſter autem exercitus.] Artificioſe dat τὸ χρῶμα, occultæ rei fœditati: ne diceret Lucullum à militibus deſertum eſſe, eorumq; ſeditione impeditam uictoriæ ſummam: quod Lucullo uerti probro potuit. Is enim, ne ſolidam uictoriæ gloriã ex depreſſis duobus regibus referret, in cauſa fuere legiones Valerianæ, imperium omne detractantes, quòd ſua impleuiſſent ſtipendia. Plutarchus ſanè eas ſcribit ad defectionem à P. Clodio ſollicitatas: & magna etiam ex parte intolerabili L. Lucullus ſuperbia atq; auaritia fuiſſe offenſas. Hic iam plura non dicam.] Commonitio, qua tranſit à rebus Luculli ad aliam probationem. obſeruat autem prudenter τὴν τῆς οἰκονομίας τέχνην, ne diutius in ijs quæ obſtant immoretur. Mithridates autem.] Alia probatio periculi magnitudinisq; belli Aſiatici, à forma exercitus, id eſt, auctis copijs regis Mithridatis, cuius defenſionem ſuſcipiant integræ gentes. Hoc iam ferè ſic fieri.] Comprobatio ſenſus prioris per locum communem. Magnum autem nomen & ſanctum dixit intactum, ab omnium iniurijs defenſum, & quod citra graue piaculum attrectari nequeat: quo modo ferè definit Vlpianus. Liuius frequẽter ærarium ſanctum, & tribunitiam poteſtatem ſacroſanctam uocat. Simile autem huic ſententiæ eſt illud apud Ciceronem pro Deiotaro: Semper regium nomen in hac ciuitate ſanctum fuit. Itaque tantum uictus.] Communis priorem approbationem ἐνϑύμημα ἐκ τῶν ἐναντίων, à repugnantibus: cuius partes ſunt, propoſitio, & eius ratio. Sinite hoc loco.] Παράλειψις, quam alij ἀπόφασιν, Cicero occupationem, nonnulli præteritionem uocãt: qua ſe belli atrocitatem, quo omnia maiora quàm ut dicendo proferri poſſint uideantur, præterire ſimulat per conqueſtionem, ad eliciendam miſericordiam. Non ex prælio nuncius.] Triario ſiquidem L. Luculli legato cum Mithridate pugnãte, ſeptem hominum millia, centum quinquaginta centuriones, quatuor & uiginti tribuni militum ſunt occiſi. Hic in ipſo illo.] Παρασκευὴ, ad nouum imperatorẽ, Pompeium ſcilicet, Aſiatico bello præponendum. Multa prætereo conſulto.] Ἐπίλογος huius confirmationis, qua bellum Mithridaticum ipſo genere eſſe neceſſarium, & magnitudine periculoſum, per coniecturam oſtendit, cum ipſarum probationis partium congregatione, ad reficiendam conſultantium memoriam. Satis mihi multa uerba.] Μετάβασις monet eorũ Quirites, quæ dixerit, & poſtea ſit dicturus. Vtinam Quirites uirorum.] Confirmatio, quã in partitione fecit ordine tertiam de Imperatore ad id bellum deligendo. Huius ciuilem facit ingreſſum, ne uideatur cupide cæteros contemnere, eiſq; unũ anteponere Pompeium, ne hac occaſione in conſultantium animos admittatur. Poteſt autem hæc orationis pars, ob popularem Pompeij laudem omnibus locis amplificatam ad genus demonſtratiuum referri. Gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam.] Plinius lib. 7. cap. 25. ſummam pulcherrimarũ laudum gloriam Pompeio Magno attribuit: eius titulos ac triumphos non modo cum Alexandri Magni rerum fulgore, ſed etiã Herculis propè ac Liberi patris conferre audet. Ego enim ſic exiſtimo.] Ratiocinatio rhetorica quatuor partium, quarum hæc prima eſt: intentio nempe, aut propoſitio. Eius autem uis hæc eſt: Quiſquis has res habet, ſcientiam rei militaris, uirtute, auctoritatem, & felicitatem, ad hoc bellum deligendus eſt imperator. Pompeius præcipue has res habet. Ad hoc igitur bellum deligendus Imperator. Atque hæc poſtrema eſt confirmatio. Quis igitur hoc homine.] Hæc eſt aſſumptio, ſiue minor propoſitio, mirifice amplificata. Nam & Pompeio ſcientiam rei militaris, uirtutem, auctoritatem, & felicitatem ineſſe declarat: & ſingulis uirtutis formis ſuas ſubijcit probationes. Bello maximo.] Bellum dicit aduerſus Cinnam, Imperatore Cn. Pompeio Strabone, huius patre ſuſceptum: ſub quo Pompeius ætatis ſuæ anno decimo ſeptimo ſtipẽdia fecit, ac poſtea extremæ pueritiæ L. Syllæ fuit miles. Plura bella geſſit.] Ὑπεροχὴ rerum à Pompeio geſtarum laudem extollit ad cõcitandam illius admirationem: & orationis dignitatẽ figuris illuſtrat. Quod denique genus belli.] Amplificat res à Pompeio geſtas συναϑροισμῷ, ut eius uſum militarẽ declaret. Fuit autẽ Pompeius uario fortunæ euentu exercitus. In bello ciuili.] Cuius initiũ Cornel. Cinna, Cn. Octauio Coſſ. ortũ ex diſcordia eſt, cum ad populum referretur, ut quos ſenatus hoſtes iudicaſſet, reuocarentur. In Aphricano.] Quod incredibili omniũ admiratione 24. ætatis ſuæ anno, aduerſus Cn. Domitiũ et Hiericã Numidiæ regem geſſit. Tranſalpino.] Cum Gallis geſto, ob iter in Hiſpaniã Romanis intercluſum. Hiſpanienſi.] In quo Pompeius Metello additus, ancipiti ferè acie Sertorij uires in Hiſpania atriuit: donec Hiſpaniæ, factionis ſuæ pœnas funeſtas luentis, ciuitates aliquot in Romanam dederentur fidem, & Sertorius domeſtica oppreſſus fraude occumberet. Miſto ex ciuitatibus.] Id eſt, ciuili bello. Nam cũ tria in Italia bella ſeruilia fuerint, hoc ortũ memoratur ex gladiatoribus, qui Capuæ ex ludo Lentuli eruperant: quo tẽpore Lucullus cũ Mithridate prælium inierat. In nauali.] Quod cum piratis geſtũ eſt.

Varia & diuerſa genera.] Clauſula huius loci, qua tranſit ad laudem uirtutis Pompeij. Iam uero uirtuti Cn.] Φράσις à uirtute Cn. Pompeij, cuius magnitudinem κατὰ ἐπάνοδον extollit. Non enim illæ ſunt ſolæ.] Extenuatione eorũ, quæ natura ſunt & magna, et admirabilia, illuſtriorẽ facit Pompeij laudem per cõtentionẽ, qua omnia attollũtur. Teſtis eſt Italia.] Approbatio à præiudicato & ſignis, cũ illuſtri atque illuminata rerum à Pompeio geſtarũ expolitione. Porrò hiſtorias deſcribunt diuerſis in locis L. Florus, Eutropius, Oroſius, Plutarchus in uita Marij & Pompeij, Solinus, Appianus, &c. Quis enim toto mari.] Confirmatio ab aſſeueratione. Hoc tantũ bellum.] Huius belli fœditas in Romani populi contumeliã conuerſa, primũ exarſit in Aſia, quã Mithridates bello cõcuſſerat: quo ueluti rupto humani generis fœdere, perditi ac furioſi latrones in uniuerſum nomen Romanũ impune graſſabantur: & quaſi non ſatis ſibi foret hic terra ambitus, in aquas ſuas deſilierunt, quo latius ſæuirent: donec omnem hanc peſtem toto mari diſperſam, magnus ille ac felix Pompeius in perpetuũ extinxit. Bellũ hoc piraticũ amplius ſcribũt Liuius li. 99. Plutarchus in uita Põpeij, Plinius cap. ultimo illuſtriũ uirorum, Valer. Max lib. 8. cap. 16. Ab uno Imperatore.] Ὑπερβολὴ, ad amplificationem. Sed quid ego longinqua.] Commonitio fuit, ad diſſimulandam nimiam Pompeij prædicandi diligentiam. Fuit hoc quondam fuit.] Conduplicatio per locum communem. Socijs ueſtris ego mare.] Amplificatio laudis Pompeij per locum comparationis, qua priſtinam Romanæ Reipub. ruinam ac cladem terra mari acceptam, cum illa Reipub. dignitate confert, quam diuina Pompeij uirtus pepererat. Spargit autem querelas, & affectus, quibus conſultãtium animi ipſa quaſi afflictæ Reip. cõmemoratione impulſi, in unius Pompeij admirationem plenius incumbant. Duodecim ſecures.] Prætori Romano præter regia inſignia, conſulareſq; fermè apparatus, non dabantur niſi ſex numero lictores: & quòd hic dicat duodecim ſecures, intelligẽdum eſt de duobus Prætoribus Sextilio & Bellino quos cum lictoribus & inſignibus captos ſcribit Plutarchus. Veſtros portus, atque eos.] Conduplicatio uehementiæ cauſa. Portus autẽ dicit, quos hĩc enumerauit: Caietam, Miſenũ & Hoſtiam. Nam quid ego.] Præteritio, & ἀπορία, concitandis affectibus opportunũ. Pro dij immortales.] Exclamatione alteram cõparationis partem com

plectitur. Atq; hæc qua celeritate. ] Amplificatio à celeritate et feliciſſimo bellorū ſucceſſu, quæ Pompeius incredibili animi uirtute cōfecit: κατ' ἀντίθεσιν, quo ipſo rerū geſtorū expoſitio ſit illuſtrior. Qui Siciliā adijt. ] Pleniſſime hanc hiſtoriā referūt inter cæteros Appianus et Plutar. Vocat autē Siciliā, Africam, & Sardiniā, tria frumentaria ſubſidia: quòd ea fructuum ubertate, uectigaliū copia, & earum rerū omnium, quæ uel ad uictum, uel ad fortunā populi R. pertinebant, multitudine cæteris terris antecellerent. T. Liuius bello Punico ſecūdo, ſimilem admodū Siciliā & Sardiniam, duo Reip. horrea appellauit.

Ita tantū bellū. ] Concluſio huius loci. Eſt hæc diuina. ] Ἐπιφώνημα, qua Pompeij uirtutem extollit. Quid cæteras quas paulo. ] Venuſta & inſignis amplificatio à Pompeij ſingulari uirtute, quā hoc in loco, in ſuas formas diuiſione uſus diſtribuit. quemadmodum turba pleraque magis ualeant, quam ſigillatim propoſita: ita etiā his uirtutis formis maiorem laudis admirationem concitet, & ipſam orationis cōpoſitionem faciat ſublimiorem iucundioremq;. Ac primum, quanta. ] Propoſitio, per locū attentionis, à magnitudine uirtutū Pompeij ductum. Quem enim poſſumus. ] Comparatione, qua præcipue rerū amplificationes expoliuntur, contentioneq; eorū imperatorū, qui ſua auaritia, luxurijs ac libidinibus labem ac peſtem Romanæ Reip. aſperſerunt, Pompeij innocentiam commendat.

Veſtra admurmuratio. ] Præmunitio, remouendæ calumniandi ſuſpicionis gratia. Quare iraſci mihi. ] Qui enim prius, quā nominatim taxatus fuerit, læſum ſe queritur: is ſanè aut factioſi animi temeritatem declarat, aut admiſſæ culpæ prodit conſcientiam. Recordamini: tum facilius. ] Παθοποιΐα commiſerationem mouet ab afflicta populi R. ſociorumq; fortuna. Neque enim poteſt exercitum. ] Argumentum à difficiliori. Hanc autem ſententiam his uerbis exprimit Cicer. actione in Verrem 5. Legem enim ſibijpſi indicunt innocentiæ, continentiæ, uirtutumq; omnium, qui ab altero rationem uitæ repoſcūt: atque eo magis, ſi id, ut ante dixi, faciūt nulla re commoti, niſi utilitate cōmuni. Nam qui ſibi hoc ſumpſit, ut corrigat mores aliorū, aut peccata reprehendat: quis huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe ab religione officij declinarit? Plato ſanè tales in Rep. ciues eſſe oportere exiſtimabat, quales eſſent principes. Cuius ſententiæ eſt conſimilis illa Herodiani, lib. 1. in uita Commodi: φιλεῖ γὰρ πῶς ἀεὶ τὸ ὑπήκοον ζήλῳ τῆς τοῦ ἄρχοντος γνώμης βιοῦν. Principes enim exēplo, quod miſera ferè plebs ſequitur, omniū peccant grauiſſime. Hic miramur. ] Accommodat Pompeij innocentiā cōparationi, eamq; probat à ſignis & rumore, qui quidam ueluti ciuitatis eſt conſenſus. Hyemis enim, nō auaritiæ. ] Parua concluſio huius comprobationis, per locum communē ab inſtituto ueterum. Age uero, cæteris in rebus. ] Tranſit ab innocentia Pompeij ad laudem temperantiæ, quàm in illo ſummā fuiſſe ab anteactis rebus, incredibili profectionis celeritate, & uita ratione ab omni alienarum rerum cupiditate remotiſſima probat, κατ' ἀντίθεσιν, ad illuſtrandam illius abſtinentiam, auariſſimorum hominum, qui cum imperio fuerūt, collatione. Non libido ad uoluptatem. ] Ea enim continentia fuiſſe Pompeium Plutarchus refert, ut fugatis Mithridate ac Tigrane regibus, ex omnibus pellicibus Mithridatis, quotquot capta fuerant, nullā ſtupri cōmercio exceperit: ſed ſaluas atq; integros ſuis reſtituit parentibus ac neceſſarijs. Signa & tabulas. ] Signorū atque tabularum, id eſt, picturarum uſus, iam inde à deuicta Aſia immodicus cum incredibili luxuria in Italiam irrepſit: eorumq; tantum fuit Romanis ſtudium atque cupiditas, ut propemodum inſatiabilis uideretur. Nam M. Scaurus Aedilis tria ſignorum millia in ſcenam produxit, magno cū miraculo: & Mummius deuicta Achaia, urbem repleuiſſe dicitur: multa poſtea Lentuli, cæteriq; inuexere. quo factum eſt, ut plerique imperatores ac Prætores in cōſularibus prouincijs parū temperantes ſe habuerint: teſtatur paſſim Cicero in Verrinis. Itaque omnes quidem nunc. ] Probatio à pronunciatis. Romanos hac quondā. ] Hæc animi magnitudo (inquit Cic. in oratione pro Flacco) in maiorib. noſtris fuit, ut in priuatis rebus minimo contenti eſſent: in imperio atque publica dignitate omnia ad gloriā & ſplendorē reuocarent. Habes abſtinentiæ clara exēpla M. Curij, Fabricij, Pauli Aemilij, cæterorumq; apud Valer. Max. lib. 4 cap. 3. apud Cicer. in Officijs & Paradoxis.

Seruire populo. Rom. ] Complexio à repugnantibus. Iam uero ita faciles aditus. ] Facilitatem Pompeij probat à pronunciato, per locū à repugnantibus, qui plurimum hic conciliationis ac gratiæ habet. Iam quantum conſilio. ] À conſilio amplificat. Fidem uerò eius. ] Pompeij fidem probat argumēto à minori. nec hæc fidei cōmendatio paruā habet laudē, quando Romanis omni utilitate antiquior fuerit fides: et qua abrogata, uniuerſa humanæ uitæ ſocietas tollatur. de hac plura lege apud Macrob. Satur. lib. 1. Senecam, Valer. Max. lib. 6. Humanitate iam tanta. ] Admirabiliorem facit Pompeij humanitatem κατ' αὔξησιν, & orationem ſplendidiorem facit loco à repugnantibus. Et quiſquā dubitabit. ] Clauſula à maiori: hoc bellū Aſiaticum Pōpeio eſſe tranſmittendum, qui ad omnia bella conficienda ſit natus. Et quoniam auctoritas. ] Tranſitus à cæteris animi uirtutibus ad Pompeij auctoritatem: cuius uim in bellis adminiſtrandis plurimum ualere, hac ratiocinatione rhetorica ex quinque partibus conſtituta probat, ad hunc modum: Quiſquis in rebus publicis adminiſtrandis plurimum habet auctoritatis, is huic bello erit præponendus. Huic propoſitioni ſuā deinde ſubijcit rationem: Pompeius in rebus publicis adminiſtrandis plurimū habet auctoritatis. eſtq; hæc aſſumptio, quā exemplis comprobat. Pompeius ergo, &c. Vehementer autē pertinere. ] Ratio prioris propoſitionis: imperatoris auctoritatem uehementer pertinere ad bella adminiſtranda. Quod igitur nomen. ] Aſſumptio, quæ ipſa interrogatione fit concitatior: nempe, Pompeium in rebus publicis adminiſtrandis plurimum habere auctoritatis. In orbe terrarum clarius fuit. ] Cū Pompeius magnā nominis gloriam, admirationemq; ſibi apud cunctas gentes, ex rerum præclare geſtarum magnitudine conciliauit. Nam in Sicilia recuperanda egregiā operam adoleſcens nauaſſe dicitur: & Syllæ partes ſecutus, Domitio ingenti clade expugnato, ac Iarba rege capto, totam ſubegit Africam. & quoniā de ea adoleſcens pubertatis annos neque dum egreſſus, (id quod ante nemo) triumphaſſet, lætis omniū acclamationibus ab uniuerſo Syllæ exercitu Magnus eſt ſalutatus. Inde maiore animo in Hiſpaniam profectus, communi Metelli conſilio auxilioq; Sertorium cum uniuerſa factione ſuſtulit. Poſt, lege Gabinia imperator creatus, ac bello præfectus piratico, furioſos prædones ac animalium in morem graſſantes, toto mari intra quadrageſimum ſubegit diem. Reuocato deinde L. Lucullo ſucceſſit, atque de Mithridate triumphauit. Tigranem regē deuictum, & inter miſerandas lacrymas ad genua procumbentem, in regnum miſit. Ita unus homo inſigni nominis fama, ex Aſia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudæis, capto eorū rege Ariſtobulo, Albanis, Iberia, Creta, Baſternis triūphauit, indignus qui poſt cladem Pharſalicā tā fœde interimeretur. Itaque ne plura. ] Cōprobatio aſſumptionis ab exemplis. Et quiſquā. ] Argumentū à faciliori per coniecturā: quo huius cōſolationis quæſtio iuuatur. Age uero, illa res. ] Amplificatio cōprobationis ab exemplis, quo plenius Pompeij declaret auctoritatem. Ii quibus ſemper erat. ] Metellum & Perpennam tacito ſenſu ſignificare uidetur, quorum omnem penè laudem Pompeius aduerſus Sertorium miſſus in ſe tranſtulit. Poteſtis igitur iam conſtituere. ] Complexio quinquepartitæ ratiocinationis: Pompeius igitur ad tantum bellum eſt præficiendus. Reliquū ut de felicitate. ]

Tranſitio ad Pompeij felicitatem, cum quadam præmunitione.

Ego enim ſic exiſtimo.] Hac argumentatione quatuor partium, quæ artificioſe in poſtremum hunc confirmationis locū adſeruatur, quod in ea cauſa huius conſtitutio magis appareat, ſummam in Pompeio felicitatem ad iſtum ferè modum probat: Omnibus ferè imperatoribus ob felicitatem imperia ſunt mandata. huic addit deinde rationem: Pompeius ſummam habet felicitatem pompeio igitur hoc imperium mandandum. eſt autem hæc propoſitio. Fuit enim profectò] Ratio propoſitionis. De huius autem hominis.] Præcaſtigatio ad deuitandam orationis inſolentiam. Itaque non ſum prædicaturus,] Prolepticῶs infert aſſumptionem. Quod ut illi proprium.] Complexio argumentationis cum breui adhortatione. Quare cum & bellum] Epilogus generalis totius confirmationis, cum enumeratione eorum argumentorum, quibus hanc partem muniuit, ad cauſæ exitum cognoſcendum. Quod ſi Romæ Cn. Pompeius.] Annectit epilogo expolitionem κατ᾽ ὑπόθεσιν, & ueluti ex abundanti fiduciæ cauſa: ut ab ipſa loci exercitusq́; opportunitate oſtendat, nemini rectius præterquā uni Pompeio Aſiaticum bellum mandari poſſe: idq́; probat diuino teſtimonio. At enim uir clariſſimus.] Refutatio, quæ Q. Catuli, & Q. Hortenſij contrarias ſententias deſtruit. ij enim contra legem Manilīam de imperio Cn. Pompeio mandando, periculoſum eſſe putabant, ſi Pompeius ad hoc tantum bellum mitteretur, cuius uirtute uniuerſa Reip. ſalus niteretur. deinde nihil oportere præter maiorum exempla atque inſtituta noui fieri quæ à Cicerone non ſolum magnis eloquentiæ uiribus, ſed ſingulari etiam ingenij acumine atque arte refelluntur. Nam ut ſalua tantorum utrorum gratia ac dignitate (quæ huius oratoris poſſim eſt obſeruatio) ſuam illis ſententiam detrahat, omnia alia quæ uel ad nominis exiſtimationem, uel eloquētiæ laudem, uel auctoritatis pertinent amplitudinem, illis concedit. In hoc ſolum non ſine animi moderatione, & molli ueluti articulo ſummos alioqui uiros taxat, quod priuatis ſententijs publicam poſtponant utilitatem: quòd in Pompeio quidquā noui fieri prohibeāt, in quo tam multo ſint publico omniū bono præter exempla facta. Hæc adoleſcentes ad animi iudiciū reuocare debent, ut, quāto conſilio, quanta fide, quanta etiam dignitate Cic. agat, nec ſolum de ingenij fama, ſed etiam officij ratione ſit ſollicitus, ne quid cupide, ne quid inſolenter aut faciat aut dicat, cognoſcere queant: ita rectius & de ſuis, & de publicis iudicaturi rationibus. Summis ornamentis.] Summa ornamenta dicit conſularem dignitatem. Ab hac ratione diſſentiunt.] Hæc eſt propoſitio, quā ἐπάγγελσιν uocant Græci, refutandis obiectionibus accommodata: qua orator pollicetur, de aduerſariorum obiectionibus ſe dicturum. quod ipſum & ad docilitatem, & cauſæ utilitatem, exornationemq́; præcipue pertinet. Rationem exquirere poſſumus.] Κατ᾽ ἀντιπρόφορον obiectionis confutationē promittit cū perſuaſionis fiducia. Quid igitur ait Hortenſ.] Ὑποφορὰ Hortenſij. Obſoleuit iam iſta oratio.] Λύσις ſiue ἀνθυποφορὰ, quæ Hortenſij ſententiam deſtruit: & ab exemplo docet, priuatam ſententiam populi uel uoluntati uel ſaluti condonandam eſſe. eſtq́; hic locus uehemens uel ad ſuadendum uel diſſuadendum quod uolumus, quòd exempla ſint quædam quaſi experimenta, & certa humanæ rationis documenta: & ita quiſque ad conſentiendum permouetur, ut ipſo rerū uſu atque euentu (qui ſæpe plus quàm conſilium in rebus gerendis ualet) eſt ante exercitus atque inſtructus. Singulari facultate dicendi.] Cicero in Bruto ſcribit Hortenſium magna eloquentiæ laude effloruiſſe, atque Aſiaticæ dictionis ſtudio inprimis fuiſſe delectatū: eoq́; factum, ut adoleſcens in cauſis agendis magis quàm ſenior floruerit. Quid tum per deos.] Figurata obteſtatione, quàm δείνωσιν uocant, fidem ſibi conciliat: & per locum commiſerationis oſtendit, quantum detrimenti Reſpub. accepturà fuerat, ſi Hortenſij auctoritas contra legem Gabiniam ualuiſſet: quātum item ſoluis cōmuni patriæ Pompeij prouidentia ſit partum. Hæc omnia acriora fiunt ul ἀναστροφῆς. Quæ ciuitas.] Expolitio per contentionem. At hercle aliquot annos.] Contentionis pars altera: ut collatione eius incommodi, quo ante latam legem Gabiniam oppreſſa Romana Reſpub. fuit, declaret, quanto beneficio Romanam libertatem Pompeij uirtus auxerit. Delos tam procul.] Cyclades Aegæo Creticoq́; mari adiacent: quarum prima & omniū clariſſima, mercibus item & diuitijs refertiſſima eſt Delos, ob Phœbi numen: cum cæteræ mouerentur, ſola ſtabilitate donata, ut ſcribit Pindarus poeta. eſt autē Delos appellata, à manifeſtatione ſui, quòd ſubmerſa ſtatim in mari apparuerit. Plinius Ortygiam dicit à Latonæ ſorore, & Aſteriam ab aſtri ſimilitudine, Delum appellatam. In hunc ipſum locum.] Romanū intelligit forum, quod & Latinum & uetus appellatur, inter Capitolium & Palatium ſitum: ubi Roſtra, ædes Saturni, Caſtoris & Pollucis delubra fuere. ad illud populus frequēs de rei publicæ negotijs conſulturus ueniebat: quemadmodū Senatores ad Comitium. Eundem in locū Romani magiſtratu finito honoris tempore, imperij inſignia deponebant: ſpolia item ac trophæa, fractarum nauium roſtra, & huiuſmodi alia affigebāntur. Erat præterea forum Olitorium, Piſtorium, Piſcarium, Cupedinis, Auguſti Cæſ. &c. Bono te.] Conceſſio ſiue permiſſio rhetorica, quæ pulchre ſubſequentis concluſionis clauſulam præcedit. Itaque una lex.] Parua huius loci concluſio, & tranſitus ad aliam refutationem, à perſona A. Gabinij. Quo etiam mihi indignius.] Propoſitio iniuriæ, quæ & Gabinio & Pompeio facta eſt, κατ᾽ ἀκρίβειαν, quæ ad augēdā orationem pertinet, & ueritatis fidem præcipue cōmendat: quaſi nihil præmeditati, nihil ad fallendū excogitati hæc habeat oratio. Verum ille qui poſtulat.] Argumento à minori probat, Pompeio concedendum eſſe, ut legatum poſtulet: quando idem cæteris imperatoribus nulla ex parte cum Pompeij uirtute conferendis licuerit. Nam Pompeius A. Gabinium, poſtquam tribunatu abijſſe, legatū ſibi pro more dari poſtulauit: cuius petitioni quòd alij intercederent, Cicero hic perſuadere conatur ut Gabinius petenti Pompeio legetur. An ipſe, cuius.] A perſona Gabinij, cuius præclarum in Remp. officium, gratiam atque laudem dicit mereri. An C. Falſidius.] Probatio ἐκ τοῦ παραδείγματος, à ſimili. Quos omnes honoris cauſa.] Præcaſtigatio, qua tacitam inuidiæ ſuſpicionem amolitur. quod magnus ille & ſobrius orator paſſim ac ſemper ſtudio ſibi habet. Spero conſules ad Senatum.] Sylla rerum potitus trecentos legit ſenatores, qui de creandis magiſtratibus, prouincijs adminiſtrandis, de bellis, triumphis, prouinciarum præſidibus decernendis, exercitu ſcribendo, ſubmittendisq́; auxilijs, & totius denique Reip. negotijs liberam ſententiam dicerent: ſanxitq́; lege, ne quidquam niſi ex ſenatuſconſulto ad populū ferretur. Sed ſenatus conuocandi conſultumq́; faciendi ius atque poteſtas ijs ſolū dabatur, qui uocationem prehenſionemq́; habebant, ut Dictatori, Conſuli, Prætori, Tribuno plebis, uel etiam urbis præfecto, aut interregi. In quo & illud obſeruabatur, ut habendi Senatus poteſtas ad illum primum deferretur, qui dignitate cæteris antecelleret. Neque enim digniores præſtantioresq́;, quorum maior erat auctoritas, præterire licebat: nec Senatum niſi auguſto aliquo & ſacro in loco, ac deorum religione celebri conuocare fas erat. Priuatis autem hominibus aduocandi Senatum nulla omnino facultas dabatur. Ad hunc morem Cicero hoc in loco reſpicit. De hac re multa ſcribunt Lod. Cælius, Aulus Gellius, lib. 14. cap. 7. & Alexander Genialium dierum lib. 4. cap. 11. Inimicum edictum.] Edictum intelligit, de quo iā diximus: ut ij, quibus ſumma eſſet poteſtas, ab inferioribus negligerētur. Nā, ut Gellius ſcribit, quoties uſu ueniſſet, ut

omnes iſti magiſtratus eodem tempore Romæ eſſent, tum quo ſu pra ordine ſcripti eſſent, qui eorũ prior alijs eſſet, ei potiſſimũ Se natus conſulendi ius fuit. Neque me impediet. ] Προκα-ταλήψει eorũ occupat obiectionem, qui ſe facturos comminaban tur, ne ſenatuſconſultũ de legando Gabinio haberetur. Ne que præter interceſſionem. ] A. Gell lib. 14. cap. 7. ex Marci Varronis ſententia ſcribit, intercedendi ius ne ſenatuſconſultũ fieret ijs ſolis eſſe, qui eadem poteſtate, qua ij qui ſenatuſconſultũ facere nellent, maiores ue eſſent. Sed in hoc. ] Α'ντιπόφα-σις. Quo minus certa eſt. ] Λύσις, quã uenuſte munit ar gumentatione rhetorica, quæ Græcis τὸ βιαῖον, Latinis fortaſſe uiolentum dicitur: & refutationis eſt propria. Nam aduerſa rij obiectionem ſimili ferè ſententia, ſed in contrarium ſenſum commutata deſtruit, ac perdit: & reluctantem aduerſariũ ui quadam, ac orationis impetu perturbatũ, aliena potius quã ſuo credere iudicio cogit. Eſt autem eiuſmodi: Non eſt Pompeij ui ta utendum, quòd non ſit diuturna. Imo hoc magis Pompeij ui ta ac uirtute ad Reip. dignitatem eſt utendum, quòd ea ſit in certa, & nõ diuturna. Minus diuturna. ] Plinius Natur. hiſt. lib. 7. in præfatione, cap. item 7. eiuſdem libri, quàm fragi lis & incerta hominum ſit uita, graphice deſcribit: teſtaturq́; exemplo humanæ fragilitatis, Fabium ſenatorem in lactis hau ſtu uno ſtrangulatum eſſe pilo. de uitæ breuitate plura ſcribit eiuſdem libri cap. 50. At enim nihil noui. ] Alia Q. Ca tuli ὑποφορά, nihil noui et contra ueterum inſtituta fieri opor tere. Non dico hoc loco. ] Παράλειψις, qua Catuli obiectio nem ab exemplis infirmat. Sunt autem notæ hiſtoriæ. Nos uos caſus temporum. ] Tempora Cic. in orationibus uocare ſo let pericula, et Reip. perturbationes. In ipſo Cn. Pompeio. ] Efficax & uehemens refutatio à contrario, qua Q. Catuli in conſtantiam, & quandam iudicij egeſtatem notat, quod idem is in eodem hoc Pompeio damnet, quod ſummo antea conſenſu ap probauerit. Eiuſmodi rationem in refutandis aduerſariorũ ob iectionibus in primis approbat Fabius Quint. cap. 13. lib. 5. ubi præcipit, oratorem efficere debere, ut quid aut contrarium eſſe, aut à cauſa diuerſum, aut incredibile, aut ſuperuacuum, aut no ſtræ potius cauſæ uideatur eſſe coniunctum. Quid tam no uum. ] Subiectione rhetorica, quæ uehementi ac ueloci ora tione conſultantiũ, excitat animos, probat contra Catuli ſenten tiam, noua permulta in Pompeio eſſe conſtituta. Hiſtoriam ſu pra annotauimus. Eques Romanus. ] Victo in Sicilia Car bone, & Africa tota in ditionem Rom. redacta, Pompeius ado leſcens & eques Roman. ſine exemplo, ac ueterũ nullo inſtituto (ut ante diximus) curru triumphali reuectus eſt. Porrò hic non ſimplici cura obſeruabis, affluentem illam atque admirabilem orationis ubertatem, qua diuinus penè orator effloreſcit. Nam ne ſterilis & infœcunda orationis ſimilitudo tædiũ gigneret au dientibus, eundem ſenſum diuerſis loquendi formis ad hunc mo dum exprimit: Quid tam nouum? Quid tam præter conſuetu dinem? Quid tam inauditum? Quid tam inuſitatum? Quid tam ſingulare? Quid tam incredibile? Ad bellũ maximum. ] Bellum dicit, quod in Hiſpania Pompeius Metello additus cum P. Sertorio geſſit. Fuit enim ingens, magnum, et cruentũ bellum ob gentes immanitate barbaras, & multitudine etiã ipſa innu merabiles, quas Sertorius callido commento, quo ſibi barbarorũ militum animos ad omnia imperata obeunda conciliaret, ſollici tauerat. Nam ceruam candidam eximiæ pulchritudinis circum tulit per uniuerſam Hiſpaniam, cuius monitu quæ dij homini buſq́; gratiſſima eſſent, ſe facturum dicebat. Quantum autem cladis hoc bellum Romanæ libertati attulerit, ſcribit Plutarchus in uita Sertorij, Appianus bel. ciuil. lib. 1. Eutrop. lib. 6. Front. lib. 1. cap. 11. L. Philip. ] A' iudicato. de hoc Philippo plu ra Plutarchus, quæ ad hunc locũ pertinent, ſcribit. Tanto in eo. ] Ε'παίνεσις. Quã ullũ aliũ magiſtrũ. ] Ad conſularẽ dignitatẽ ex ueterũ inſtituto nemo prouehebatur, niſi q antea Aedilis, ac deinde Prætor populari ſuffragatiõe fuiſſet creatus. Põpeius antẽ, ut refert Liuius, cũ adhuc quæſtor eſſet (qui magi ſtratus ad cõſularẽ ordinem nõ referebatur) cũ imperio cõſulari aduerſus Sertorium eſſe miſſus. Qui in omnibus. ] Expolitio per cõparationem, ad cõciandã maiorẽ admirationẽ. Atq; hæc tot exempla. ] Accõmodatio eorum quæ dixit à iudicato Q. Catuli, cuius auctoritate, adeoq́; totius populi R. conſenſu, hæc tam noua in Põpeio ſint perfecta. Quare uideãt. ] Cõ cluſio per locũ à cõtrario, quo diſſentientiũ uoluntatẽ arguit: & populum R. à ſua auctoritate impellit, ut Põpeio decernat im perium in Mithridatẽ. Propterea quòd iſtis. ] Probat Rom. populi auctoritatem ab anteactis rebus: ut iuuat, eodẽ modo licere populo, reclamantibus cæteris, belli huius adminiſtratio nẽ Põpeio cõmittere, quo antea illi per legẽ Gabiniã, inuito ſe natu, piraticum mandauerit bellum. Hoc ſi uos temere. ] Argumẽtũ κατ' ἐνδεχόμενον: quod opportune inſeritur, ut ab ipſo rerum euẽtu ac feliciſſimo belli piratici ſucceſſu populi iudiciũ commendet. Atq; in hoc bello. ] Alia Q. Catuli ὑποφο-ρά. Difficile eſt in Aſia. ] Α'νθυποφορά, ad refellendam obiectionem. Hac enim oſtendit Cn. Pompeiũ cum ſuis illis præ claris animi uirtutibus, tum cæterorum Imperatorum, qui nefa rias iniurias libidineſq; in prætorijs prouincijs exercuerunt, colla tis uitijs magnũ atq; excelſum eſſe. Difficile eſt dictu Qui rites. ] A` querela ſociorũ quod dixit probat, ſignificans præ tores quoſdã ad prætorias prouincias, conſuleſq́; ad conſulares prouincias cum imperio miſſos: ita nihil ſibi in omni auaritia ac libidine exercenda feciſſe reliqui, ut eorũ etiam turpitudo, cæterorũ nomini ac famæ, ignominiæ labem aſpergat. Quod enim fanum. ] A` ſignis declarat, quantum detrimenti Con ſularibus prouincijs attulerit quorundam Imperatorum cupidi tas: & affectus à rei indignitate mouet. Ciuitatem ſan ctam. ] Sanctum Martianus in l. Sanctum. tit. de Rerum diuiſione, à Saminibus ductũ exiſtimat, quibus fœciales ad fœ dus ſanciendum profecturi utebantur, auctore Liuio. Sacræ au tem res iuriſconſultis dicuntur, quæ rite per Pontifices, Deo cõ ſecratæ ſunt: ueluti ædes ſacræ, donaria templis dicata, muri et portæ ciuitatis. Hinc ſancti muri, ſancta ciuitas, etc. Libẽter hæc coram. ] A`. Catuli & Hortenſij teſtimonio ſociorũ Rom. populi attritas eſſe fortunas, Rom. Imperatorum auaritia do cet. Pro ſocijs uos. ] Ε'νθυμήματι fœdam Imperatorum cu piditatem per locũ à contrarijs exprimit, & orationem facit cõ citatiorem, ad perturbandos affectibus audientes. Quæ ciuitas eſt. ] Argumentum à minori ad maius. Quare etiam ſi quem. ] Clauſula per fictionem, eum nempe ad bellum Aſia ticum mittendũ, qui inſigni animi uitæq; ſit continentia, qua lem Pompeium eſſe oſtendit. Ecquam putatis ciuitatem. ] Expolitione amplificat immoderatam Prætorũ cupiditatem, cũ inſectatione, quæ conduplicationis figura fit acerbior. Quanta autem Romanorum fuerit auaritia ac habendi cupiditas, argu mento eſſe uel hoc ſolum poteſt, quòd cũ Annibal ad Antiochũ regem profugiſſet, eumq; rex ſuũ exercitum eximia ſupellecti le, multo auro & barbarico plane apparatu inſtructũ oſtendẽs rogaret, nũ hæc ſuffectura eſſent Romanis, reſpondiſſe dicatur, ſibi quidẽ uideri ſatis ea eſſe multa, etiamſi auariſſimi ſint Ro mani. Hoc enim dicto rerum prudens dux, & grauiſſimis belli periculis exercitus, inexplebilem Rom. notauit auaritiam.

Ora maritima. ] Præparatio eius ſuaſionis, quam fuſius in ſubſequenti tractat epilogo, ut Aſiatici belli ſumma uni Pom peio concedatur, à iudicato & uolũtate ſociorum Rom. populi
ὑπὸ μετωνυμίας figura. Claſſium nomine. ] Eos intelligit, qui claſſibus præfecti, nauale prælium gerebãt magno ſociorũ Rom. populi detrimento. Ignorant uidelicet iſti. ] Εἰρωνεία ad illudendam Hortenſij & Catuli ſententiam. Quare nolite

dubitare

dubitare.] Concluſio totius refutationis,cum breui adhortatione. Quod ſi auctoribus hanc.] Infirmat ac collidit Q. Catuli atque Hortenſij auctoritatem, ſimili grauiſſimorũ uirorum omnia ad Pompeij uirtutem deferentium auctoritate. qui locus eſt & ad perſuadendum utilis, & ad conuincendum uehemens, P.Seruil.] Huius P.Seruilij meminit L.Florus lib.3.cap.6.Miſſus in piratas P.Seruilius,inquit. quamuis leues & fugaces & Myoparonas,graui & Martia claſſe turbaret, non incruenta uictoria ſuperat.Sed nec mari ſubmouiſſe contentus,ualidiſſimas urbes eorum,et diutina præda abundantes, Phaſelin & Olympon euertit. Hactenus ille. Iſaurum ſanè oppidum,flumine eo qua hoſtes aquabantur auerſo, ad deditionẽ ſui compulit. Lege Sex. Ruffum, Eutropium lib.6. cap. 1. & Frontinum. C. Curio.] Curionem opinor intelligit, cuius poſt fuit in Africa recipienda magna & uirtus et calamitas:ut ſcribunt Appianus bel. ciuil.lib. 2. Caeſ. lib.2. Comment. Lucanus in 4. Pharſ. Quæ cum ita ſint.] Peroratio, qua Manilij legem ac ſententiam de Cn. Pompeio Aſiatico bello præficiendo laudat: eumq; hortatur,in eadem ut maneat ſententia. Ne'ue cuiuſquam uim.] Plutarchus in uita Pompeij ſcribit, Gabiniam legem admodum fuiſſe plerıſq; inuiſam,quòd ea publica libertas,ſi uni Pompeio rerum ſumma decerneretur,proderetur,& L.Lucullus triumphi priuaretur gloria.ſed ne quiſquã præter Catulum intercederet,feciſſe concitatæ plebis metũ, quo multorũ animi fracti ſeſe cõtinuerunt. Ego autẽ,quidquid.] A'ſuo officio & in Remp. ſtudio populi Rom. conſenſum demeretur, ſuamq; operã omnem Manilio populoq; Romano pollicetur. Teſtorq; omnes deos.] Obteſtatione deorum,quã δείνωσιν Græci uocãt, uere ac recte ſuadendi libertatem ſibi confirmat: remouetq; ſuſpicionem omnem,ne qua gratiæ captandæ,uel depellendi periculi cauſa, hæc dicere uideatur. Quãobrem quidquid.] Commendatione officij & propenſi in Remp. affectus, beneuolentiam captat,ad emereadum Romani populi fauorem. Bonam gratiam.] E'πίθετον addit, quòd quædam nomina ſint μέσα, id eſt, media: ut dolus, fama,ualetudo,gratia, uenenum, &c.

# IN M. TVL. CICERONIS ORATIONEM PRO A. CLVENTIO

## HABITO FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

SASSIA A. Cluentij mater A. Aurio Melino genero,uiua filia Cluentia, nupſit. Melinum Statius Albius Oppianicus eques Romanus ex municipio Larinate interfecit.Huic nupſit Saſſia.Sororis iniuria et domus ignominia faciebant,ut ſingularẽ matris libidinẽ Cluentius acerbo ferret animo.Hac de cauſa Cluentium mater oderat grauiſſime.Eundem oderat Oppianicus. nã Cluentius à Decurionibus & municipibus ſuis rogatus Oppianicum accuſarat,quòd Martiales Martis miniſterio uindicaſſet,eoſq; liberos et ciues Romanos eſſe defenderat.Oppianicus igitur,audaciſſimus homo & auariſſimus, qui iam uxores aliquot cauſa hæreditatis earũ habẽda necauerat,Cluentiũ necare ueneno conatus eſt,ut ei mater hæres eſſet:cuius bona,ut uxorum ſuperiorũ,ad ſe uentura ſperabat. Impurum hominẽ C.Fabricium Oppianicus ſollicitauit, ut necandum ueneno Cluentium curaret. Venenum Fabritius Scamandro liberto dedit. Cum ægrotaret Cluentius, uteretutq; medico Cleophanto,medici ſeruum Diogenèm Fabritius ad uenenum Cluentio dandum ſpe & precio ſollicitare cœpit. Diogenes rem ad dominum detulit,qui cum Cluentio de hac re locutus eſt.A' uiris bonis conſulto latentibus deprehenſum uenenum eſt, quod Scamander Diogeni conſilium diſſimulanti traderet.Scamandrum Cluentius uocauit in iudicium. Accuſauit P. Cannutius. M. Cicero Aletrinatium uicinorũ precibus adductus,defendit. Scamander omnibus ſententijs præter unã damnatus eſt.Ad eoſdem iudices Fabritius reus factus eſt. Accuſauit idem Cannutius: defenderunt fratres Cepaſij. Iudicum omniũ ſententijs damnatus Fabritius eſt. In utraque accuſatione Oppianicus criminis architectus arguebatur. Oppianicus his duobus præiudicijs iam damnatus, ad eoſdem iudices reuocatus eſt.Accuſauit idem Cannutius,defendit L. Quintius Trib.pleb.Accuſator præter hoc ueneni crimẽ, cædes multas uxorum, liberorum fratris & alienorum ab Oppianico factas enumerauit. In hac cauſa iudices erant triginta duo. Ex his decem & ſeptem ſibi corrumpendos Oppianicus putauit.Per Stalenum, qui & ipſe iudex erat,rem commode fieri poſſe ratus, ad eum,ut pactus erat, DCXL. millia nummum deferri iuſſit ad corrumpendos XVI. iudices, ut ſingulis quadragena millia daret, ipſius autem Staleni ſententia ſeptima decima ſpe maiorum præmiorum accederet.Stalenus Oppianici pecunia domi condita, è re ſua putat Oppianicum damnari potius quàm abſolui. Eo enim damnato non putat fore, qui pecuniam repetat. Aliquot iudicibus pecuniam ab Oppianico (ſe enim accepiſſe diſſimulat) promittit, ut ea ante iudicium non tradita, infenſos ſibi hos iudices Oppianicus habeat. Iudicibus promiſſam pecuniam ante iudicium petentibus,Stalenus ab Oppianico ſe dicit deſtitutum. In conſilio iudicum manauit fama, pecuniæ mentionem inter iudices uerſatam eſſe.Itur in conſilium. Oppianicus abſolui ſperans, damnatur etiam ab ijs,quos corruptos eſſe putarat. L. Quintius Oppianici patronus,concionibus turbulentis populum Romanum in iudices concitauit.Oppianicum enim hominem innocentem corrupto iudicio oppreſſum eſſe dicebat.nam in populum iactabat,iudices à Cluentio corruptos eſſe: quod populo magis erat credibile,quàm ab Oppianico, quòd Oppianicus damnatus eſſet. C. Iunius, qui in hac cauſa quæſitor fuerat,populi concitati furore damnatus eſt.Alij poſtea iudices damnati.Alij à Cenſoribus notati ſunt. Anno quinto poſt hoc iudicium, Oppianicus cum exularet,ex equo decidit,latus offendit,febri correptus eſt, quo ex morbo interijt. Saſſia, quæ filium Cluentium cupiebat perditum, de Stratone, qui fuerat ſeruus A. Rupilij, quo medico Oppianicus uſus fuerat, & de Nicoſtrato Oppianici ſeruo quæſtionem habuit,ut ui tormentorum dicere cogerentur, Oppianicum à Cluentio necatũ ueneno. Iterum habita quæſtione,idem conſtanter dixerunt. ſe enim de ueneno quidquam ſcire negauerunt. Amici & hoſpites Oppianici & Saſſiæ uiri boni,qui ad eam quæſtionem aduocati fuerant,ſibi ſatis quæſitum uideri dixerũt. Quæſtio igitur dimiſſa eſt. Triennio poſt, Strato in domo Saſſiæ furtum fecit. De hoc & de Nicoſtrato habita quæſtio eſt,ut cum de furto quæreretur, aliquid de ueneno,quod Oppianico Cluentius dediſſet,confiterentur.Horum in quæſtionem,confeſſionem Saſſia ipſa ſcripſit: de furto, de quo habebatur quæſtio,nihil ſcripſit: de ueneno ſcripſit. poſtea Stratonem execta lingua in crucem egit. De Nicoſtrato quid actum ſit, incertum fuit. Saſſia igitur ab Oppianico priuigno, cui filiam ex genero ſuſceptam ipſa deſpondit, impetrat, ut Cluentium accuſet,quod Oppianicum ueneno in exilio necauerit. Anno octauo poſt damnatum Oppianicum, Cluentius infeſto matris odio, à T. Actio de ueneficio accuſatur. In accuſatione Cluentij duo præcipue fuerunt, quæ Cluentium lædere uiderentur: quòd à Cluentio

Oppianicum ueneno necatum accuſator dicit, quod cauſæ proprium eſt: & inuidis iudicij Iuniani, quod à Cluentio corruptum, ut Oppianicus damnaretur, Actius dixerat, quæ per annos octo continuos durauit. Superius eſſe ſibi facile quod refutet, poſterius difficile quod tollat, Cicero dicit. Prius refutat id quod difficilius eſt, quod Cluentij cauſam lædere maxime uidebatur. Vt doceat, illo iudicio Iuniano Oppianicum iure damnatum fuiſſe, primum oſtendit, quàm impia in filium Saſſia fuerit, à qua omne hoc periculum Cluentij profectum eſt: deinde multa nefaria Oppianici flagitia enumerat, quæ in Oppianici accuſatione Cannutius dixerat, ut his cognitis, credibile ſit, non à Cluentio, nihil de uictoria deſperante: ſed ab Oppianico, ſibi conſcio, ideóq; ne damnaretur metuente, iudices eſſe corruptos. Quod obiecit Actius de C. Iunij quæſitoris & iudicũ poſt Oppianici iudicium damnatione, Cicero negat Iunij damnationẽ legitimo iudicio factam fuiſſe, ſed ſeditioſam populi concitationem eſſe potius quam iudicium. Id quamuis iudiciũ eſſet, oſtendit tamen Iunij cauſam cum Cluentij cauſa coniunctam non fuiſſe. Alia iudicia partim, nihil contra Cluentium ualere, partim pro Cluentio eſſe demonſtrat. M. Aquilium & T. Guttam iudices à Cenſoribus Senatu motos, ab iiſdem Cluentium notatum ob corruptum iudiciũ Actius dixit. Cenſoriam notã iudicij loco habendam non eſſe, oſtendit Cicero, eluditq; quod dixerat, Actius Egnatium à patre exhæredatũ, quòd in eadem cauſa iudex corruptus fuiſſet. Senatuſconſultum de corrupto hoc iudicio factum Cicero eleuat, purgatq;, quòd poſt damnatum Oppianicum, cum C. Verrem accuſaret, Iunianũ iudicium, ut Actius obiecit, corruptũ dixerit. Iudiciaria lege, qua equites non tenebantur, Cluentius, qui ex equeſtri ordine erat, defendi noluit. Eius legis æquitatem Cicero oſtendit. Leuia quædam maledicta in Cluentium, leuiter diluit. Tribus ueneficijs, quorũ poſtremũ eſt, quo Oppianicus dicitur necatus, Cluentium Actius criminatus eſt. Ea Cicero refutat. Alio mortis genere Oppianicum interiſſe, & hoc crimen à Cluentij matre confictum eſſe oſtendit. Concludendo primum enumerat per capita, quæ in Saſſiam dicta ſunt. deinde Saſſiæ in filium impietatem amplificat. poſtremo flectit iudices, ut Cluentij miſereantur. Oratio iudicialis eſt. Status cõiecturalis. Acta eſt hæc cauſa ad gradus Aurelios. Q. Naſo Prætor, & Q. Voconius Quæſitor fuit. T. Actius adoleſcens accuſauit, & Cicero Prætor defendit.

ANimaduerti iudices.] In orationum iudicialium initio ad iudices ſermo conuerti ſolet. aliquando tamẽ cauſæ utilitas poſtulat, ut ad alios conuertatur. ut in Ciceronem Salluſtius: Grauiter & iniquo animo maledicta tua paterer M. Tulli. & in Salluſtium Cicero: Ea demum magna uoluptas eſt Criſpe Salluſti, æqualem ac parem uerbis uitam agere. Sicut & feceras in Catilinam, Quouſque tandem abutere patientia noſtra? Cicero quoque pro Scauro ambitus reo, in ipſo orationis initio proſopopœia loquentis pro reo: pro eodem Scauro repetundarum reo, & pro Rabirio Poſthumo exemplis: pro A. Cluentio partitione uſus eſt, ut ait Quintil. in lib. 4. cuius eodem ex libro illa uerba ſunt: Docilem ſine dubio & hæc ipſa præſtat attentio, ſed & illud, ſi breuiter & dilucide ſummam rei, de qua iudex cognoſcere debeat, indicauerimus. quod Homerus atque Virgilius in operum ſuorũ principijs faciunt. nam iſtius rei modus eſt, ut propoſitioni ſimilior ſit quàm expoſitioni: nec quo modo quidque ſit actum, ſed de quibus ſit dicturus orator oſtendat. Nec uideo quod huius rei apud Oratores poſſit reperiri melius exemplum, quàm Ciceronis pro Cluentio: Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes, quarum altera mihi niti et magnopere confidere uidebatur, inuidia iam inueterata iudicij Iuniani: altera tantummodo conſuetudinis cauſa timide et diffidenter attingere rationem ueneficij criminum: qua de re, lege hæc eſt quæſtio conſtituta. Id tamen totum reſpondenti facilius eſt, quam proponenti: quia hic admonendus iudex, ille docendus eſt. Inuidia iudicij Iuniani.] C. Iunius quæſitor fuerat in cauſa Oppianici, ideo iudicium de Oppianico factum, appellat Iunianum. C. autem Iunius poſtea damnatus eſt, quòd in Oppianici cauſa corruptus fuiſſe dictus ſit. Inuidia iam inueterata.] Quæ octo annos cõtinuos durauit. tot enim anni fuerunt à damnato Oppianico ad hanc Cluentij cauſam. Ea autem inuidia eſt, quam L. Quinctius Trib. pleb. Oppianici patronus multis concionibus excitauerat. Conſuetudinis cauſa timide.] Securitas oratoris & fiducia iudici ſuſpecta eſt. ideóq; crimina ipſa timide & diffidenter attingere orator debet. Veneficij criminum.] A. Cluentium T. Actio accuſauit, quòd exulem Oppianicum ueneno necaſſet. Id ut credibile magis faceret, ab eodem Cluentio C. Vibium Capacem necatum ueneno, & ab eodem paratum uenenum ad Oppianicum iuniorem necandum dixit. Lege eſt hæc quæſtio conſtituta.] Conſtituere legem, quæſtionem, & iudicium, pro eadem re dici, hoc eſt, decernere, ut de commiſſo aliquo inſigni crimine quæratur & iudicium fiat, pro Milone ſcripſimus. Lege.] Lege Cornelia de ſicarijs & ueneficis: qua tenetur etiam, qui hominis necandi cauſa uenenum confecerit, habuerit, uel dederit, ut lib. Pandect 48. ad legem Corneliam traditum eſt. Vel lege noua à Coſſ. conſtituta, ut Cn. Pompeius Cos. legem tulit de cæde, quæ in Appia uia facta eſſet, in qua P. Clodius occiſus fuit, ut ait Cicero pro Milone. Hæc quæſtio.] Id eſt, hæc cauſa. Nam de ueneficio tantum conſtitutum iudicium eſt: de eóq; ſolo iudices pronunciare debent. De corrupto iudicio quæſtio conſtituta non eſt, alioqui duæ eſſent actiones. Sed ne maiore inuidia reus oneraretur, idq; ueneficij crimẽ magis eſſet credibile, hoc de corrupto iudicio additum eſt. Conſtituta eſt.] A Senatu quæſtiones conſtitui ſolitas, Cicero pro Milone ſignificat. Subterfugere uoluiſſe reticendo.] Id eſt, quod uerum eſt reticere, ut ſubterfugiam: quod falſum eſt dicere, ut obſcurem, Pollicetur igitur, ſe nihil celaturum quod uerum ſit, nihil dicturum quod falſum. Quæ propria eſt iudicij neſtri.] Id eſt, de qua quæſtio conſtituta eſt: ideóq;, de qua ſententiã laturi eſtis. Quamuis enim accuſator multa crimina reo obijciat, ut id quod cauſæ proprium eſt ſit magis credibile, iudices tamen de eo ſolo pronunciant, de quo quæſtio conſtituta eſt: id igitur iudicii proprium eſt. Legitimæ quæſtionis.] Id eſt, cauſæ lege conſtitutæ. Per mihi breuis.] Id eſt, mihi perbreuis. Tmeſis eſt, uel ut Donatus, diæreſis. ut lib. Epiſtol. ad Atticum 1. Quod ad me de Hermathena ſcribis, per mihi gratum eſt. In eodem: Per mihi, per, inquam, gratum feceris, ſi in hoc tam diligens fueris, quã ſoles in his rebus, quas me ualde uelle arbitraris. Libro quinto: Per mihi gratum erit, ſi id curaris ad me perferendum. Libro decimo: Per enim magni æſtimo tibi firmitudinem animi noſtri, & factum noſtrum probari. Hac autem dicendi ratio minus eſt oratoribus quã poetis frequens, ſi altera compoſitionis pars præpoſitio ſit. Per mihi breuis.] Multo plura Cicero dicit, ut ab Oppianico iudicium corruptum oſtendat, quàm ut ueneficij crimina refutet. Contentionis.] Id eſt, laboris. Contendere enim, laborare & niti ſignificat, ut in libro Æneidos primo: Defeſſi Æneadæ quæ proxima littora curſu Contendunt petere. Inde contente pro fortiter & laborioſe Cicero dicit, libro Tuſculanarum quæſtionum ſecundo, Genu, mehercule, M. Antonium uidi, cum contente ipſe pro ſe lege Varia diceret, terram tangere. Quæ procul à iudicio remota eſt.] Id eſt, quæſtionis iudicij propria non eſt: id eſt, ea quæ eſt inuidia iudicij Iuniani. Seditioſe concitatis.] Ab aliquo Tribu. pleb. Audire.] In accuſatione, id eſt, de criminibus, quæ propria

cauſæ

cauſæ ſunt. Diſſolutionem.] Id eſt excuſationem, negationem, purgationem, uel refutationem. Illa autem ſententia eſt: Cum accuſator intendit, uel probat crimina reo obiecta, nō continuo creditis, ſed expectatis eius, qui reo patrocinatur, diſſolutionem. Ideo ſpero fore, ut refutationem meam horum ueneficij criminum expectetis. Id ſi feceritis, nihil dixerit accuſator, quod reum lædat. Ab oratore.] Id eſt, à patrono: nam auctore Donato in Hecyram Terentij, orator eſt is, cui cauſa defendenda mandatur. Ad ſalutem.] Id eſt, ad abſolutionē.

Sed quid oporteat dici, conſideretis.] Cum ad ordines ueſtros hæc inuidia pertineat. In criminibus.] Veneficij ſcilicet. Cauſa cōmunis.] Iudicum omnium ſcilicet. Alteram partē cauſæ.] De ueneficij criminibus. Vt uos doceamus.] Id eſt, credibile nō eſſe ut doceamus crimina hæc à Cluentio admiſſa. Diligentia ueſtra.] Id eſt, attenta ueſtra auditio.

Fides imploranda.] Id eſt, poſtulandū auxilium. Nemo eſt qui inuidiæ.] Inuidia eſt mala gratia, & maleuolētia ex improbo aliquo facinore, aut huiuſmodi facinoris ſuſpicione contracta, aut improbi alicuius hominis ſermone excitata: quæ tantū habet momenti, tantū uiriū ad opprimendam etiā innocētiam, ut eam uiro forti metuendam eſſe Ariſtot. lib. Ethicorū 3. ſcribat. Quò me uertam neſcio.] Diaporeſis eſt, id eſt, addubitatio: qua utimur, ut ait Romanus Aquila, cum propter aliquas res uolumus uideri dubitare, & quaſi ab ipſis iudicibus cōſilium capere, quo potiſſimum genere orationis utamur. Quale, inquit, eſt pro Cluentio proœmium: Equidem quo me uertam iudices neſcio. negem fuiſſe illam infamiā, &c. Auctore Quintiliano libro nono: Affert aliquam fidem ueritatis dubitatio, cū ſimulamus quærere nos unde incipiendum, ubi deſinēdum, quid potiſſimū dicendū, an omnino dicendum ſit. Cuiuſmodi exemplis plena ſunt omnia. ſed unū interim ſufficit: Equidem, quod ad me, quò me uertam neſcio. Negem fuiſſe infamiam iudicij corrupti, &c. Negem fuiſſe, &c.] Id autem negare Cicero non poterat, quod ea infamia diuulgata ſit. Agitatam in concionibus.] Conciones ſunt, pop. Romani: ut forum iudicum, & curia ſenatorum. Sunt etiam conciones, orationes ad populum. L. autem Quintius popul. Romanum ſuis concionibus concitauerat maxime, uti poſtea dicet. In iudicijs.] Vt in cauſis Staleni, Bulbi, Guttæ, Popilij, quorum de damnatione poſtea Cicero dicet. Tam penitus.] Id eſt, tam altis uelut radicibus. Alijs locis.] Vt in teſtamentis, in tabulis, in teſtimonijs, alijsq; eiuſdem generis rebus. Vt à uero ueritas ſæpius, ita à falſo falſitas rarius dicitur. Imperitorum.] Id eſt, uulgi. Sine inuidia, &c.] Auctore Cicerone in libro de Offic. primo, optandum eſt, ut ij, qui præſunt Reip. legum ſimiles ſint: quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur. Sine culpa inuidia.] Id eſt, falſa inuidia, ea ſcilicet, quæ ſuſcepta eſt ſine culpa eius, in quem ſuſcepta eſt.

Ponatur.] Id eſt, deponatur. ut in L. Piſonem: Hoc ita fit, ut uiri fortes, etiam ſi ferro inter ſe comminus decertarint, tamen illud contentionis odium ſimul cum ipſa pugna armiſq; ponant. In ea re id uerbum ponere ſæpe dicitur: ut ponere arma, ueſtem, dolorem, uitam, Cicero dixit. In primo de Officijs: ij, qui armis poſitis ad Imperatorum fidem confugiunt, quāuis murum aries percuſſerit, recipiendi ſint. In libro Tuſc. quæſtionum primo: Iuuenes ij, quos modo nominaui, ueſte poſita, corpora oleo perunxerunt. lib. 5. Atque is cum pila ludere uellet, ſtudioſe enim id factitabat, tunicamq; poneret, adoleſcentulo, quē amabat, tradidiſſe gladium dicitur. Ponere tunicam pro induere, uulgus indocte dicit. Lib. 3. Quid eſt autem quod plus ualeat ad ponendum dolorem, quàm cū eſt intellectum nihil profici, & fruſtra eſſe ſuſceptum? Libro Epiſtolarum Familiarium 9. Hoc denique animo ſum, ut ſi in hac cura atque adminiſtratione uita mihi ponenda ſit, præclare actum mecū putem.

Hoc poſtulo.] Quia iudices nobis conciliatos habere debemus, ſumma diligentia uidendum eſt, an eorum animi alieni ſunt, uel præiudicijs, uel opinione domo allata, uel tacita, cū agitur cauſa, cogitatione, ut hanc animorū affectionem tollamus.

Præiudicati.] Præiudicatū hic appellat, quod paulo poſt præiudicium, id autē eſt, quod ante in iudicijs ad cauſam ipſam pertinētibus pronunciatu eſt: ut paulo poſt, Scamandri, & Fabricij damnationes, Oppianici præiudicia appellat. Quia igitur poſt damnatum Oppianicum C. Iunius, Stalenus, Gutta, aliiq; multi, qui in Oppianici cauſa iudices fuerant, damnati ſunt, & Cluentius a Cenſoribus notatus, poſtulat Cicero ne hæc iudices habeant ueluti præiudicia, ad hanc corrupti iudicij cauſam pertinentia. Sed etiam nomen iudicum.] Nam ex aliorum ſententia, non ex noſtra, iudicium feremus. Quintilianus lib. 5. in præiudiciorū refutatione dicit rogandos eſſe patrono iudices, ut rem potius intueantur ipſam, quàm iureiurando alieno ſuū donent. Extorquebit.] Id eſt, extrahet, & falſam oſtendet. Ne repugnetis.] Id eſt, ne pertinaciter illā opinionem relaxetis atque relinquatis. Tum autem.] Id eſt, tertio.

Ne ipſi quæ contraria ſint.] Id eſt, ne cogitetis ea, quæ retineatis. Eamq;.] Opinione. Remittatis.] Id eſt, ſunt ijs, quæ dicam, contraria: id eſt, contrariam opinionem ne habeatis, ſed ea ita audiatis, tanquam ſi nunc primum hæc cauſa ageretur. Annos octo continuos.] Nam octo anni fuerunt ab Oppianici damnatione, uſque ad hanc Cluentij cauſæ actionem. Ex contraria parte.] Id eſt, ab L. Quintio, aliiſq; Cluentij aduerſarijs. A' rei iniquitate flectit iudices. naturalis enim fauor eſt pro laborantibus. Reo fauetur, ideoq; reo, quàm accuſatori plures ad agendum horæ dabantur: ut in cauſa Milonis accuſatori duæ, reo tres horæ datæ ſunt. Si quis deus conciliarit.] Hoc ideo dicit, quia difficile eſt conciliatos iudices habere, qui tot annos aduerſam cauſam audiuerunt. In hoc uno.] Iudicio. Denique.] Id eſt, tandem. Inſaniæ.] Id eſt, inuidiæ. Magna me ſpes tenet.] Id eſt, multum ſpero: ut, tenet me odium tui, id eſt odi te. Cic. Actione in Verr. tertia: Homines ſcitote eſſe quoſdam, quos tantum odium noſtri ordinis teneat, ut hoc palàm iam dictitent, ſe iſtum, quem ſciant eſſe hominem improbiſſimum, hoc uno nomine abſolui uelle, ut ab Senatu iudicia per ignominiam turpitudinemq; auferantur. Sed ea quæ ſunt in cauſa, &c.] Id eſt, ſi beneuole me & attente audiueritis. Conſeſſumq; ueſtrum.] Id eſt, ueſtrum cœtum, qui ad iudicandum ſimul ſedetis. Auctore Valla libro 4. nomina in us (quæ in io quoque exeunt) pro perſonis accipi ſolent: Conuentus non eſt cōuentio, ſed homines qui unum in locum conuenerunt: Conſeſſus nō eſt conſeſſio, ſed homines uno in loco conſidentes. Nam uti lector cum recitat, teſtis cum dicit teſtimonium, orator cum agit, Senator cum dicit ſententiam, recti ſtant: ita iudex cum audit & cum pronunciat, ſedet. nam ſedendo & quieſcendo fit anima ſciens & prudens. Et ille apud Plautum: Plus, inquit, ſapio ſedens. Horribilem atque formidoloſum.] Putauerunt enim fore, ut à uobis Cluentius dānaretur: quæ res animos iudicū ab aduerſarijs alienat, tanquā illi aduerſarij iudicibus iam præſcripſiſſent, quid ipſi eſſent pronunciaturi. Perfugium.] Vt in lib. de Offi. 2. Regum, populorum, nationum portus erat et perfugiū Senatus. Perfugiū autem, non ut uulgo dicunt refugium dicitur: quamuis confugere, non perfugere dicamus, pro eo quod eſt perfugiū quærere. Verg. lib. Aeneid. 1. Ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco. Inde confugelā pro perfugio antiquos dixiſſe, Sext. Pompeius auctor eſt.

Tametſi permulta ſunt.] Quia oratio breuis eſſe debet, utilis illa occupatio eſt, cum aliquid nos dicere nolle ſignificamus, metuentes ne prolixa noſtra oratio ſit, tum enim fortaſſe maiora, quàm diceremus, animis iudices concipiunt, noſq; breuitati

ſtudere cogitantes, nihil nos putant eſſe dicturos, niſi quod ad cauſam pertineat plurimum. Inde orationi noſtræ fides auctoritasq; accedit. De communibus inuidiæ periculis.] Id eſt, Communis locus mihi tractandus uidetur, quantũ omnes etiam innocentes inuidiæ periculis ſubiecti ſint. Suſpenſa.] Incerta & dubia, expectans refutationẽ. ut de lege Agraria contra Rullũ: Nolo ſuſpenſam et incertã plebem Romanã obſcura ſpe & cæca expectatione pendere. Aggrediar ad crimen.] Simile illud eſt pro P. Seſtio: Quanquã à Q. Hortenſio clariſſimo uiro atq; eloquentiſſimo cauſa eſt P. Seſtij perorata, nihilq; ab eo prætermiſſum eſt, quod aut pro Rep. conquerendum fuit aut pro reo diſputandum, tamen aggrediar ad dicendũ, ne mea propugnatio ei potiſſimum defuiſſe uideatur, &c. Illud autem, Aggredere ô magnos, aderit iam tempus, honores: poetis magis familiare eſt. Qua mihi ſæpius, &c.] Hac enim deprecatione modo uſus eſt. Quaſi hoc tempore, &c.] Id eſt, ne quid hinc præiudicati afferatis, ne quã opinionem mentibus noſtris contra Cluentiũ domi comprehenſam audiendo hanc cauſam habeatis. Hæc cauſa dicatur.] Reus, aut eius patronus cauſam dicit. Sæpe iam dicta.] In concionibus, in foro, in curia. Error.] Cum enim ab Oppianico iudicium tentatum ſit, id à Cluentio corruptũ uulgo creditũ eſt. Breuiter dilucideq;.] Oratio enim breuis & dilucida eſſe debet. Eius autem breuitas tum demum eſt, ſi nihil in ea ſuperuacaneũ ſit. Itaque hæc oratio, quæ paginis multis perſcripta eſt, breuis eſt. Benigne attenteq;.] Illud ſæpe fit, ut cum ad aliud tranſimus, auditores admoneamus, eoſq; attentos faciamus. Hac ratione oratio magis dilucida fit, & auditores prædicta mente recolligunt, atque ad reliqua audienda ſe præparant. Corrupiſſe dicitur.] Proponit quid refutaturus ſit. Condemnaret.] Accuſatorem condemnare dicit, qui facit ut reus condemnetur. Oſtendam iudices primum. Partitio eſt, cuius ſunt tres partes, quamuis in partitione ea quæ initio huius orationis eſt, duæ partes ſint, illud tamen ſæpius facit Cicero, ut ſint tres partes: ut pro Sexto Roſcio, & L. Murena. Innocentem.] Oppianicum. Circumuentum.] Id eſt, oppreſſum & damnatum. ut poſtea circumuenire iudicio, in eadem re dicit: Mulierem quandam Larino, atque illam uſque à mari ſupero Romam proficiſci cum magno comitatu & pecunia, quo facilius circumuenire iudicio capitis, atque opprimere filium poſſet. Alioqui circumuenire decipere eſt, ut in libro de Offic. 2. In primiſq; operam dabunt, ut iuris & iudiciorum æquitate ſuũ quiſque teneat, & neque tenuiores propter imbecillitatem circũueniantur, neque locupletioribus ad ſua uel tenenda uel recuperanda obſit inuidia. Neminem nunquem maioribus criminibus, &c.] Ideo debuit condemnari, nec metuebat Cluentius ne is abſolueretur. itaque iudices non corrupit. Grauioribus.] Id eſt, fide dignioribus: qui neque pecunia, neque gratia, neque odio, neque minis dicendũ falſum teſtimoniũ moueri poſſent.

Præiudicia.] Quibus Scamander & Fabricius damnati ſunt. Ab ipſis iudicibus, à quibus.] Idem fuit accuſator Scamandri, Fabricij, Oppianici, ijdemq; iudices fuerunt. Tentatum.] Id eſt, ut corrũperetur ſollicitatum. Iudices enim, qui à Staleno ſollicitati fuerant, ut Oppianicum abſoluerent, eũ damnauerunt, quia promiſſa pecunia non proferebatur, neque ſequeſtribus ante iudicium data putabatur. Non à Cluentio, &c.] Quintiliano in libro 4. hæc partitio placere non uidetur. Si, inquit, unum crimen uarie defendimus, ſuperuacua partitio eſt. ut ſi ita partiamur: Dicam non talem eſſe hunc quem tueor, ut in eo credibile uideri poſſit homicidium: dicam occidendi cauſam huic non fuiſſe: dicam hunc eo tempore, quo homo occiſus eſt, trans mare fuiſſe. quæ omnia, antequam id quod ultimum eſt exequaris, inania uideri neceſſe eſt. Feſtinat enim iudex ad id quod potentiſſimum eſt, & uelut obligatum promiſſo patronum, ſi eſt potentior, tacitus appellat: ſi uel occupatus, uel aliqua poteſtate, uel etiam ſi moribus incompoſitus, cum conuicio efflagitat. Itaque non defuerunt, qui Ciceronis illã pro Cluentio partitionem improbarẽt, qua ſe dicturum eſſe promiſit, primũ neminem maioribus criminibus, grauioribus teſtibus in iudiciũ uocatum, quã Oppianicum: deinde præiudiciũ eſſe factum ab ijs ipſis iudicibus, à quibus damnatus ſit: poſtremo iudicium pecunia tentatum non à Cluentio, ſed cõtra Cluentium. Quia ſi probari poteſt tertium, nihil neceſſe fuerit dicere priora. Sed contra Cluentium.] In cauſis iudicialibus ut rei, ita accuſatoris diſcrimen erat. ut enim reus diſcrimen capitis, id eſt exilij, ita accuſator bonæ exiſtimationis ſubibat. æquũ eſt enim ut periculum ſubeat, qui in periculum alium adducere fruſtra conatus ſit. Itaque Cicero in eandem ſcribit ſententiam in Diuinatione: Nulla, inquit, ſalus Reip. maior eſt, quàm eos qui alterum accuſant, non minus de laude, de honore, de fama ſua, quàm illos qui accuſantur, de capite ac fortunis ſuis pertimeſcere. Itaque ſemper ij diligentiſſime laborioſiſſimeq; accuſarunt, qui ſeipſos in diſcrimen exiſtimationis uenire arbitrati ſunt. Quid error.] Error eorum, qui à Cluentio corruptum iudicium putauerũt, propterea quòd Oppianicus dãnatus eſſet, à quo iudices corruptos eſſe ueriſimile non erat. Hoc loco faciendum, &c.] Vt Oppianicum iure condemnatum, ideoq; à Cluentio iudices corruptos non eſſe oſtendat, neceſſe eſt exponat crimina, quibus Oppianicus damnatus eſt, atque repetat Oppianici accuſationem. Breuiter.] Breuis enim narratio eſſe debet. Albius.] Oppianicus. Id enim facere ſolet Cicero, ut primum nomina omnia alicuius ponat: cuius ſi poſtea facienda ſæpe mentio eſt, modo hoc, modo illud ponat. Exponam.] Id eſt, narrem: qua in re à Cicerone, & à Quintiliano perſæpe dicitur. Vt me inuitum.] Illud in agendis cauſis euitandum eſt, ne quem uobis amicũ lædere uideamur. Ideoq; ſi contra amici uoluntatem dicamus, id excuſemus: ut Cicero hoc loco facit, & pro L. Murena, quẽ contra Seruiũ Sulpitiũ defendit. Adductum fide, &c.] A. Gellius cap. 13. libri 5. illos gradus officiorũ ex moribus pop. Rom. ſeruatos ponit, ut primus ſit parentum, alter pupillorũ fidei tutelæq; noſtræ creditorũ, tertius clientum, qui ſeſe itidem in fidẽ patrociniumq; noſtrum dederunt, quartus hoſpitum, poſtremus cognatorũ atque affinium. Fidẽ igitur defenſionis clienti Cluentio ſeruare debet Cicero, quã ſi Oppianici patris crimina reticeret, proderet, eſſetq; præuaricator: quem eſſe Vlpianus dicit lib. Digeſt. 3. tit. de his qui notantur infamia, qui diuerſam partem adiuuat, prodita cauſa ſua. Reliquo tempore.] Id eſt, in poſterum. Poſtea mihi ſatisfaciendi.] Nam damnatus exulabit. Damnatum & mori.] Oppianicum. Pro incolumi & uiuo.] Cluentio. Mors uero etiam dol.] Tanquã animus mortalis ſit, hoc Cicero dicit, ut uulgarem ſequatur opinionem, & minus acerbe ferat Oppianicus, ſi pater cauſam eius dicente Cicerone, dolorem nullum ſentiat. Ideo Cæſar apud Salluſtium dicit, In luctu atque miſerijs mortem ærumnarum requiem, non cruciatũ eſſe: eam cuncta mortaliũ mala diſſoluere, ultra neque curæ neque gaudio locum eſſe. Cicero in lib. Tuſc. quæſt. animos immortales eſſe probans, ut alijs multis, ita illo quoque argumento utitur, quod omnibus curæ ſunt, quæ poſt mortẽ futura ſunt: idq; multis modis probat. ſed de hac re poſtea. Nihil poſſit offenſionis.] Id eſt, damnari non poſſit. Offenſionem paſſiue, & offenſam actiue dici, apud Vallam eſt. Non accuſatorio animo.] Id eſt, non inimico. Non oſtentatione.] Auctore Cicerone lib. de Offic. 2. adoleſcentes magnã ſibi gloriã ex eloquentia cõparant, ſiue ex accuſatione, ſiue ex defenſione. Huius gloriæ cauſa multi adoleſcentes uiros claros aut accuſauerunt, aut defenderunt. Propoſito ante oculos.] Nam deprehenſum ante uenenũ eſt, quo necare

Cluentium

Cluentium Oppianicus conatus eſt. Paulo longius.] Auctore Quintiliano lib.4. cũ à proœmio ad narrationem uel ad refutationem tranſitus eſt, id debet in proœmio poſtremum eſſe, cui cõmodiſſime iungi initiũ ſequentium poterit: id eſt, cadere non oportet abrupte ex proœmio in narrationem uel refutationem, ſed ita cõiungenda eſt, ut ex proœmio duci uideatur. Huius tamen tranſitus admonendi ſunt auditores: nec in his partibus ſolum, ſed in alijs etiã, & plerunq; in quæſtionibus. Quoniã tamen narratio breuis eſſe debet, ſi ea futura ſit longior, ad eam ipſam præparãdum eſſe iudicẽ idem præcipit, ut Cicero, inquit, ſæpius, ſed hoc præcipue loco fecit: Paulo longius exordium rei demonſtrandæ gratia repetam, &c. In hac autem oratione narratio nulla generalis eſt, multæ ſunt ſpeciales. Fit enim raro, ut cum ſtatus coniecturæ eſt, patronus narret. Quid enim narrabit, qui factum à ſe negat? A. Cluentius Habitus.] Sulpitius Victor in Oratorijs inſtitutionibus præcipit narrationẽ apertam fieri, ſi à recto caſu incipias: ut ferme, inquit, narrationes Tullianæ ſunt. ut P. Clodius cũ ſtatuiſſet omni ſcelere in Præture uexare Remp. &c. Et Sex. Roſcius pater huiuſce, municeps Amerinus fuit, cum genere & nobilitate & pecunia non modo ſui municipij, uerumetiam eius uicinitatis facile primus, tum gratia atque hoſpitijs florens hominũ nobiliſſimorum. Cuius narrationis initium huic perſimile eſt. Auctore Quintiliano libro 4. initium narrationis quidam faciendum à perſona putant: eamq; ſi noſtra ſit, ornandam: ſi aliena, infamandam ſtatim. Hoc ſanè frequentiſſimum eſt, quia perſonæ ſunt inter quas litigatur. Sed hæ quoque interim cũ ſuis accidentibus ponendæ, cum id profuturum eſt: ut, A. Cluentius Habitus fuit pater huiuſce iudices, homo non ſolum municipij Larinatis, ex quo erat, ſed etiam regionis illius & uicinitatis uirtute, exiſtimatione, nobilitate facile princeps. Hæc ille. In hac autem narratione Cicero cauſas dicit, quibus Cluentio Saſſia mater inimica ſit. Vicinitatis.] Id eſt, locorum, ut uulgo loquuntur, circumuicinorum. Vicinitas enim, auctore Valla lib.4. eſt uicinorum propinquitas. Vicinia autem non tam homines, qui eundem uicũ incolunt ſignificat, quã qui prope domum noſtram habitant. Sylla & Pompeio Coſſ.] L. Sylla & Q. Pompeius Conſules fuerunt paulo poſt confectum bellum Italicũ, & initio belli Mithridatici. De eorum Conſulatu T. Liuius libro 77. Nubilem filiam.] Vt in oratione pro P. Quintio: Cum illum in ſuis paternis bonis dominari uideret, ipſe filiæ nubili dotẽ cõficere non poſſet. Virgilius libro Aeneidos 7. Iam matura uiro, plenis iam nubilis annis. Conſobrino ſuo.] Conſobrinos appellari eos, qui ex duabus ſororibus editi ſint, quaſi conſororinos, ſcribit Nonius Marcellus. Quamuis iure prohibitæ ſint nuptiæ inter patrem & filiam, auum & neptem, & matrem et filium, auiam & nepotem, inter fratrem & ſororem, ſiue eodem patre eademq; matre nati ſint, ſiue altero eorum, duorum tamen fratrum uel ſororum liberi, uel fratris & ſororis coniungi poſſunt, ut eſt in Inſtitutionum Iuſtiniani primo, titulo de nuptijs. Propinquorum connubia fieri ſolita non eſſe, Plutarchus in Problematis ſcribit: uel ad augendas neceſſitudines, uel ad euitanda propinquorum diſſidia, quæ inter uxorem & maritum ſæpe intercidunt: uel ut mulieres à propinquis opem implorarent, ſi quid à maritis iniuſte paterentur. Id tamen natura duce factum arbitror, qua duce maior quædam inter propinquos uerecundia ingenita eſt, quod etiam in belluis aliquando animaduerſum eſt. Auctore enim M. Varrone in libro de Re ruſtica ſecundo, cum equus matrem ut ſaliret, adduci non poſſet, cum capite obuoluto auriga adduxiſſet, & coegiſſet matrem inire, cum deſcendenti uelamen dempſiſſet ab oculis, ille impetum fecit in eum, & mordicus interfecit. Plenæ dignitatis.] Id eſt, honeſtæ. ut in primo de Officijs: Cn. Octauio, qui primus ex illa familia Coſ. factus eſt, honori fuiſſe accepimus, quod præclaram ædificaſſet in Palatio, & plenam dignitatis domum. Importunæ.] Id eſt, inhumanæ & crudelis: de qua uoce ſcribimus in Iunect. Ciceronis. Dedecore coniuncta.] Id eſt, cõiunctum habens dedecus. Amantius indulgentiusq; maternum.] Auctore Ariſtotele lib. Ethicorum 9. ſuũ quiſq; opus diligit, ut poemata ſua poetæ perinde ac liberos diligunt. Suos itaque liberos parentes, ut opus ſuũ diligunt. Quod autem maiore labore partũ eſt, charius habetur. Suos filios matres diligunt ardentius, igitur liberos matres diligunt magis quàm patres. Suum enim opus eſſe ſciunt certius, idq; opus maiore cum labore & dolore pariendo matres ſuſcipiunt. Eſt igitur maternum nomen amantius indulgentiusq; quã paternum. Et nunc cũ maxime.] Legendum arbitror, & nũc ut cum maxime: ad hanc ſententiam, Saſſia multos iam annos filium cupit interfectum, ſed nunc præcipue. Nunc ut cum maxime.] Dicimus enim, diligo te ut quẽ maxime: id eſt, diligo te ut eum quem ego maxime diligo, id eſt, diligo te maxime. nunc lætus eſt, ut cum maxime: id eſt, nunc tantũ lætus eſt, quantum eſt tum cum eſt maxime, id eſt, maxime lætus eſt. Contra quàm fas erat.] Aeque ac & æque quã, alius ac & alius quàm, contra ac & cõtra quàm, aliaq; eiuſdem generis multa dici ſolent. In illa cupiditate.] Id eſt, ſe cõtinebat, tamq; cupiditatem occultabat. Amentia.] Id eſt, amoris uehementia, cuius amoris inceptio eſt amentiũ, haud amantium, ut ait Terentius in Andria. Inflammata libidine.] Amor enim ignis eſt. Pudor.] Quòd nullũ ueretetur. Pudor enim uerecundia eſt. Id eſt, animi quedã affectio, qua dictorũ factorum'ue turpitudine aliorũ aures oculos'ue offendere ueremur. Pudicitia uero caſtitas eſt.] Non pietas.] Saſſiæ in filiã. Nondum cõſilio ac ratione firmatũ.] Animos adoleſcentiũ mutabiles eſſe multis modis, Ariſtoteles libro Rhetoric. 2. ſcribit. Auctore Cicerone in libro de Amicitia, ſummi puerorũ amores ſæpe unà cum prætexta, ſumpta toga, deponuntur. Quod ſi in adoleſcentiam perduxiſſent, disimi tamen interdum conſentione uel luxuriæ, uel conditionis, uel commodi alicuius, quod idem adipiſci uterq; nõ poſſet, dicit. Idem in libro de Officijs I. diſputans quomodo cõſiderãda ſit eorum in quos liberales eſſe uolumus, in nos beneuolentia. Beneuolentiã, inquit, non adoleſcentulorum more, ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potius & conſtantia iudicemus. Inde uirilis ætas à Cicerone in lib. de Senectute appellatur conſtans ætas. de qua illic plura ſcribimus. Eandem corroboratam & firmatam idem appellat pro M. Cælio: Multa, inquit, nobis blandimenta natura ipſa genuit, quibus ſopita uirtus cõniueret: & interdum multas uias adoleſcentiæ lubricas oſtendit, quibus illa inſiſtere aut ingredi ſine caſu aut prolapſione uix poſſit: & multarum rerum, iucundiſſimarum, uarietatem dedit, qua nõ modo hæc ætas, ſed etiam iam corroborata caperetur. Idẽ paulo poſt: Multi: & noſtra & patrum maiorumq; memoria iudices, ſummi homines & clariſſimi ciues fuerunt, quorum cum adoleſcentiæ cupiditates deferbuiſſent, eximiæ uirtutes firmata iam ætate extiterunt. Quibus illa ætas capi.] Illud de Catilina Salluſtius ſcribit. Maxime iuuenum uel adoleſcentium familiaritates appetebat: eorum animi molles, & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur: nam ut cuiuſque ſtudiũ ex ætate flagrabat, alijs ſcorta præbere, alijs canes atq; equos mercari. Illa ætas.] Id eſt, homines illius ætatis. Illo communi dolori muliebri.] Acerbo rnim ferunt animo mulieres, ſuos maritos alienarum amore capi. Viri iniurijs.] Vxori enim maritus iniuriam facit, ſi quam ei amore prætulerit. Pellicatum.] Pellicem appellatam Aulus Gellius libro.4. ſcribit, quæ iuncta conſuetaq; cum eo, cuius in manu mãcipioq; alia matrimonij cauſa eſſet: eaq; quaſi πάλλαξ, id eſt παλλακίς, id eſt concubina eſſet, ut ait idem, appellata eſt. Antiqui eã proprie pellicem nominabant, ut ait Sex. Pompeius, quæ uxorem

habenti nubebat. cui generi mulierum etiã pœna conſtituta eſt à Numa Pompilio illa lege: Pellex aram Iunonis ne tangito. ſi tangit, Iunoni crinibus demiſſis agnum fœminam cædito. Inde pellicatus: qua uoce in libro quoque de Officijs 2. uſus Cicero eſt. Nec eum fefellit opinio.] Ab ea eſt enim ipſe propter pellicatus ſuſpicionem interfectus. Sine ſcelere.] Quia Saſſia mater erat. nam parentum iniurias æquo animo ferendas putabat. Conſeneſcebat.] Id eſt, conficiebatur: & uti uulgo dicunt, dolore moriebatur. Conſeneſcere enim præter id quod eſt ſenem fieri, uim amittere, & ad interitum tendere ſignificat, ut libro Epiſt. Ciceronis ad Atticũ 2. Quanto in odio noſtro amicus Magnus, cuius cognomẽ una cum Craſſi Diuitis cognomine conſeneſcit. Ecce autem ſubitum diuortium.] Auctore Aſconio Pediano, Ecce autem proprium Ciceronis eſt in rebus improuiſis: quod cum cura Virgil. legit & tranſtulit. ut: Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta (Horreſco referens) immenſis orbibus angues incumbunt pelago. Donatus hunc Virgilij locum exponens: Ecce, inquit ſemper ponitur, ubi res horrenda & repentina ſignificatur. Diuortiũ.] Vt ait Paulus Iuriſc. libro Pandect. quinquageſimo, titulo De uerborum & rerum ſignificationibus, dictum eſt, quod in diuerſas partes eunt qui diſcedunt. Diuortium de uia deflexum eſſe, Non. Marcellus dicit, à diuertendo. Virg. libro Aeneid. 9. Obijciunt equites ſeſe ad diuortia nota. Ideoq́; diuortia, ut idẽ ait, non coniugij diſtractionem ſolum ſignificant, ſed etiam omnium inflexionum, quæ à recto detorquentur. Quod ſolatium.] Improbi enim coniugij diuortium, eius qui iniuria afficiatur ſolatiũ eſt. Solatium à conſolatione Valla ſeparat, li. 3. quod illud re, hæc uerbis fiat. quemadmodum ſolamur re, conſolamur uerbis. Cluentia.] Romanarum mulierum nomina ex nominibus ijs quæ prima ſequerentur, prænomina ſumẽ mos erat: ut P. Cornelius Scipio, A. Licinius Craſſus, Cn. Papirius Carbo, C. Iulius Cæſar, M. Tullius Cicero. Harum familiarum fœminæ, Cornelia, Licinia, Papiria, Iulia, Tullia appellabantur. Qui mos in colonijs quoque & municipijs retẽtus eſt. Hæc igitur A. Cluentij Habiti ſoror, Cluentia appellata eſt.

Tum uero illa egregia.] Ironia eſt, in qua particulã Vero ſæpe poni, alibi diximus. Triumphat gaudio.] Id eſt, lætatur maxime. ut in oratione pro L. Murena: Tum erupit è Senatu triũphans gaudio, quem omnino uiuũ illinc exire nõ oportuerat. Triũpho & gaudio idem dicit libro Epiſtolarum ad Atticum nono: Atque ego cum ex ipſa re magnã capio uoluptatẽ tum meum factum probari abs te, triumpho & gaudeo. In eadem domo.] In domo Melini. Nouam enim nuptã ad mariti domũ à propinquis duci mos erat. Nubit genero ſocrus.] Stomachum iudicis attenta auditione fatigatum, in narratione ſententia breui interiecta reficere utile eſſe, Quintilianus lib. 3. ſcribit. qualis illa pro Milone eſt, Fecerunt ſerui Milonis, quod ſuos quiſque ſeruos in re tali facere uoluiſſet. Aliquando paulo liberior ſententia ſit. qualis eſt illa: Nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus, funeſtis omnibus omniũ. Nullis auſpicijs.] Auctore Valerio Max. lib. 2 titulo de Inſtitutis antiquis, apud antiquos non ſolum publice, ſed etiã priuatim nihil gerebatur, niſi auſpicio prius ſumpto. Quo ex more nuptijs, inquit, etiã nunc auſpices interponuntur: qui quãuis auſpicia petere deſierint, ipſo tamen nomine ueteris conſuetudinis ueſtigia uſurpantur. Inde conijcio hic legendum eſſe Nullis auſpicibus, quemadmodum apud Quintilianum ſcriptũ inuenio. Nullis auctoribus.] Id eſt, bonis ſuaſoribus. Auctor enim in re bona, ut impulſor in mala dicitur ſæpius. Funeſtis omnibus omnium.] Id eſt, omnibus de his nuptijs male ominantibus. O mulieris ſcelus incredibile.] Facta narratione, & adiecta breui ſententia ad reficiendos iudicũ animos, breuem facit egreſſionem, quæ poſt narrationem facienda non eſt, niſi cauſæ utilitas poſtulet. Nam auctore Quintil. lib. 4. nihil tam conſequens eſt, quã narrationi confirmatio: niſi egreſſio illa, uel quaſi finis narrationis, uel quaſi initium confirmationis eſt. Erit ergo illi nonnunquã locus, ut ſi expoſitio circa finem atrox fuerit, proſequamur eam uelut ſpiritu erumpente protinus indignatione. Quod tamen ita fieri oportebit, ſi res, in quam egreſſio eſt, dubitationẽ non habebit. alioqui prius eſt quod obijcias uerum efficere, quã magnum: quia criminum inuidia pro reo eſt, priuſquam probatur. difficillima eſt enim grauiſſimi cuiuſque ſceleris fides. Idem fieri nõ inutiliter poteſt, uel ſi beneficia in aduerſariũ aliqua expoſueris, in ingratum inuehêris. aut ſi uarietatem criminum narratione demonſtraueris, quantum ab ea periculũ intentetur oſtendas. Verum hæc breuiter omnia. Iudex enim ordine audito feſtinat ad probationem, quamprimũ certus eſſe ſententiæ cupit. Præterea cauendũ eſt, ne narratio ipſa uaneſcat auerſis in aliud animis, & inani mora fatigatis. Idem paulo ante negat, excurſionem in narratione eſſe debere niſi breuẽ, & talẽ, ut ui quadam uideamur affecti, & uelut recto itinere depulſi: Qualis eſt, inquit, Ciceronis circa nuptias Saſſiæ, O mulieris ſcelus incredibile, &c. O libidinem effrenatam.] Ita in codicibus omnibus ſcriptum inuenio: & à Cicerone nõ ſemel dici effrenatũ, pro eo quod eſt nullis legibus, nulla ui honeſtatis cohibitum, inuenire licet. Quintilianus uero infrenatã legit. Infrenatos equites, qui equis non frenatis utantur, T. Liuius appellat libro 21. Quocunque, inquit, circũtuli oculos, plena omnia uideo animorũ ac roboris, ueteranum militem, generoſiſſimarũ gentiũ equites frenatos & infrenatos. Tu utramuis lectionem delige. Non timuiſſe.] Huiuſcemodi queribundæ orationes de alicuius rei non factæ indignitate, ſine uerbo modi finiti eſſe ſolent: ut in primo Aeneid. Mẽne Iliacis occumbere campis Non potuiſſe? Item, Mẽne incepto deſiſtere uictam? Quæ dicendi ratio familiaris maxime Terentio eſt. Vim deorum.] Id eſt, uindictam diuinam. At illam ipſam noctem.] Auctore Plutarcho in Problematis, mos Romanorum erat, ut mariti cum noua ſponſa non die, ſed nocte in tenebris primũ coiret, ut legitimis ac iuſtis connubijs pudor quidam & uerecundia adhiberetur, quo maior contumelia illicitæ Veneri fieret. Faceſq; illas nuptiales.] In nuptijs quinque faces ex ſpina albæ à quinque pueris matrimis & patrimis ferri ſolitas, idem Plutarchus & Sextus Pompeius ſcripſerunt. Non limen cubiculi.] Noua ſponſa à propinquis in mariti domum deducebatur. ea ubi proxime acceſſerat, rapiebatur, & trans limen transferebatur, ne id limen tangeret. Apud eundem Plutarchum in eodem libro multa ratio eſt. Seruius libro Commentariorum in Aeneida ſecundo, illam dicit rationem cur noua ſponſa limen non attingat: quia ueſtibulum Veſtæ conſecratum eſt, ſi limen, quod ueſtibuli pars eſt, calcarent, ſacrilegium committere uiderentur. Singula enim domus dijs conſecrata ſunt, ut culmina dijs penatibus, maceries quæ ambit domũ Ioui Herceo. Non cubile filiæ.] Illum morem fuiſſe apud ueteres, qui nunc quoq; ſæpe retinetur, conijcere licet, ut noua nupta cubile tribuat. Non parietes.] Vxores ab ungendo dictæ ſunt, quaſi unxores, ut ſcribunt grammatici. cum enim puellæ nubebant, maritorum poſtes ungebant, ut ait Seruius oleo: ut ait Plinius libro uigeſimooctauo, adipe ſuillo; ut eodem auctore Maſſurius, adipe lupino: ne quid mali medicamẽti inferretur. huius enim modi medicamentum lupos præſtare creditum eſt. ideo auctore Plinio eodem libro, ueneficijs roſtrum lupi reſiſtere inueteratum eſſe aiunt, ob idq́; uillarum portis præfigunt. Inde mos emanauit nobilibus, ut luporum, aprorum, ceruorum, aliorumq́; eiuſdem generis animalium capita ianuis ſuis præfigerent. In poſtibus aliquid ineſſe religionis putauit antiquitas: ideoq́; in dedicatione templi poſtem teneri oportebat, ut ait Cicero pro Domo ſua. Poſuit igitur Cicero totum pro parte,

aut

*aut parietes uere intelligit, in quibus nuptiæ ſuperiores factæ ſunt.* Vicit pudorem libido. ] *Apoſiopeſis ſpecies eſt, quæ dicitur* ἀναπόδοτον, *in qua unum ad uerbum plures ſententiæ referuntur, quarum una quæque deſideraret illud, ſi ſola poneretur. Id accidit aut præpoſito uerbo, ad quod reliqua reſpiciant: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. aut illato, quo plura clauduntur: Neque enim is es Catilina, ut te aut pudor unquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocauerit. Auctor Rhetoricorum ad Herennium libro quarto, hanc exornationẽ appellat adiunctionem.* Grauius faciendum. ] *Id eſt, prudentius.* Illa matre ne uteretur. ] *Id eſt, ne eam coleret, ne frequentaret, ne mane ſalutatum iret, ne alia in matrem officia exhiberet.* Initium quod huic. ] *Admonet quid narrauerit, ut dociles magis faciat auditores.* Simultatis. ] *Id eſt, odij.* Pertinuiſſe hoc ad cauſam. ] *Quia breuis eſſe narratio debet, ideo cauendum eſt, ne quid in ea ſuperuacaneum ſit, ut omnia ad cãuſam pertineant. Hæc autem narratio neque ad inuidiam iudicij Iuniani, neque ad crimina ueneficij pertinere uidetur. Ne igitur iudices taciti requirant, quorſum hæc narratio ſit, promittit fore ut intelligant iudices, cum reliqua audiuerint. Que ratione eos quoque ad audienda reliqua attentos facit.* Cognoueritis. ] *Cognoſcere iudices perſæpe dicit.* Cuiuſmodicunq;. ] *Id eſt, cuiuſcunquemodi, per tmeſim: Id eſt, quantumcunque impudica, impia, improba ſit.* In iudicio filij. ] *Id eſt, in cauſa. Id eſt, quantumcunque ſcelerata mater ſit, non oportet filium in cauſa ſua de eius turpitudine dicere. Parentibus quod omnia, etiam noſmetipſos debeamus, confeſſa res eſt. Itaque auctore Platone in libro de Legibus undecimo, parentes negligere nec Deus nec homo ſanæ mentis unquam cuiquam conſulet. Idẽ in Apologia, æquum eſſe negat, ut quod à parentibus patiare, idem in eos referas. Neque liceat, ſi te hi iurgio laceſſant, eos contra iurgare: neque ſi te uerberent, eos uiciſſim uerberare: neque alia eiuſdem generis in eos tentare. Hoc naturæ ius, quod liberis in parentes præſcriptum ſit, ignorare ſe Cicero negat. Id ab eo ne iudices requirant, occupat: docetq; taceri iure nõ poſſe, quæ in Saſſiam dicat. Auctore Quintiliano libro 11. ea quæ ſunt natura parum ſpecioſa, quæq; non dicere, ſi utrumlibet eſſe liberum maluiſſemus, indecora ne ſint dicentibus. Quid aſperiorem habere frontem poteſt, aut quid aures hominum magis reſpuũt, quàm cum eſt filio filijue aduocatis in matrem perorandum? Aliquando tamen neceſſe eſt, ut in cauſa Cluentij Habiti. ſed non ſemper illa uia, qua contra Saſſiam Cicero uſus eſt: non quia non ille optime, ſed quia plurimum refert qua in re, & quomodo lædat. Itaque illa cum filij caput palàm impugnaret, fortiter fuit repellenda. Duo tamen, quæ ſola ſupererant, diuine Cicero ſeruauit. Primum, ne obliuiſceretur reuerentiæ, quæ parentibus debetur: Deinde, ut repetitis altius cauſis diligentiſſime oſtenderet, quàm id quod erat in matrem dicturus, non oporteret modo fieri, ſed etiam neceſſe eſſet. Primaq; hæc expoſitio ſit, quanquam ad præſentem quæſtionem nihil pertinebat: adeo in cauſa difficili atque perplexa nihil prius intuendum credidit, quàm quid diceret. Fecit itaque nomen parentis non filio inuidioſum, ſed ipſi in quam dicebatur. Poteſt tamen aliquando mater & in re leuiore, aut minus infeſta, contra filium ſtare. tum lenior atque ſummiſſior decebit oratio. Nam & ſatisfaciendo aut noſtram minuemus inuidiam aut etiam in diuerſum eam transferemus: & ſi grauiter dolere filium palàm erit, credetur abeſſe ab eo culpam, fietq; ultro miſerabilis.* Oportere. ] *Oportet & licet diſtinguũtur, uelut ſpecies & genus. Nam quidquid oportet, licet: non contra, quidquid licet, oportet. Id ſignificat Cicero in oratione pro L. Cornelio Balbo: Eſt, inquit, aliquid, quod non oportet, etiam ſi licet: quidquid uero non licet, certe nõ oportet. Huc pertinet illud pro Milone: Satis iudicatum eſt à Pompeio, falſo iſta conferri in Milonem, qui legem tulit, qua, ut ego ſentio, Milonem, abſolui oporteret: ut omnes confitentur, liceret. Item illud ex Actione 5. in Verrem: Nam illud genus tertium deductionis erat eiuſmodi quaſi nõ modo liceret, ſed etiam oporteret, nec ſolum oporteret, ſed planè neceſſe eſſet. Vix igitur oportere, id eſt, non licere & non oportere.* In communibus hominum ſenſibus ] *Communes hominum ſenſus ſunt, per quos communiter homines per ſe ipſi ſentiunt. ut odium eius qui nocuit, amor eius qui profuit, ex cõmuni hominũ ſenſu naſcuntur. Cicero pro Domo ſua, communẽ ſenſum naturæ appellat, quod is ſenſus à natura datus omnibus ſit. Accepi, inquit, Pontifices magnũ atque incredibilem dolorem. non nego, neque iſtam mihi aſciſco ſapientiam, quam nõnulli in me requirebant, qui me animo nimis fracto eſſe atq; afflicto loquebantur. An ego poteram (cũ tot rerum tanta uarietate diuellerer, quas idcirco prætereo, quòd ne nunc quidẽ ſine fletu commemorare poſſum) inficiari, me eſſe hominem, & communem naturæ ſenſum repudiare?* In ipſa natura. ] Hominum. Nihil in uita uidit. ] *Id eſt, nihil ſenſit. Videre enim abuſiue ad alios ſenſus refertur. Terent. in Hecyra: Audiſſe uocẽ pueri uiſus eſt uagientis. Idem in Eunucho: Audire uocem uiſa ſum modo militis. Auctore Donato, omnes ſenſus uiſa dicũtur, ab eo quod eſt certiſſimus oculorũ ſenſus.* Quæ futura eſt. ] *Poſt peractam cauſam teſtes interrogabãtur, niſi lata lege cõtra fieret ut in cauſa Milonis, lata lege à Cn. Pompeio, ante actionẽ cauſæ interrogati ſunt.* Adornata. ] *Inuenta, cõparata, & inſtructa. ut in fine huius orationis: Totius denique huius ab illa eſt inuenta & adornata comparatio criminis.* Romam aduolauit. ] *Hoc poſtea dicet amplius.* Aduolauit. ] *Hoc uerbo nocẽdi cupiditatem expreſſit.* Pecunioſa. ] *Hoc nomẽ hoc loco inuidioſum, tanquam accuſatores & teſtes facile corrũpat.* Inſtituit teſtes. ] *In duobus codicibus manu ſcriptis inſtruit, non inſtituit ſcriptum eſt. quæ lectio repudianda non eſt, quod ante dixerit, copiam teſtium a matre inſtrui. Quæ lectio ſi placet, legendum eadem ratione eſt, Inſtruit accuſatores. Inſtruit igitur, id eſt, docet et exercet quid dicturi ſint. Volũtarios teſtes multum domi ante uerſandos, ac uarijs percũtationibus (quales haberi ab aduerſario poſſunt) explorãdos eſſe, Quintil. lib. 5. ſcribit.* Squallore huius. ] *Reos in foro ſquallido et ſordidos eſſe ſolitos, ignotũ non eſt. Id ad mouendam iudicũ miſericordiam fieri, ideoq; propinquorũ quoq; ſimilem habitũ profuiſſe, Quintil. lib. 6. ſcribit.* Sanguinem ſuum profundere. ] *Magna odij ſignificatio eſt, cum qui odit, quod grauiſſimum eſt pati uelit, modo idem ante paſſus ſit inimicus.* Hæc niſi omnia perſpexeritis. ] *Quamuis nimiæ cauſæ noſtræ fiduciam oſtentare iudicibus non debeamus, noſtrarũ tamen probationũ perſpicuã claritatem iudicibus promittere debemus. hac enim ratione animos eorum nobis conciliamus, eosq; attentiores facimus. Ideo Cicero pro Milone probaturus inſidias à Clodio Miloni factas. T. inquit, Annij Tribunatu, rebus omnibus pro ſalute Reipublicæ geſtis, ad huius criminis defenſionem non abutemur, niſi oculis uideritis inſidias Miloni à Clodio factas, &c. Itemq;: Sed ſi illius inſidiæ clariores hac luce fuerint, tum deniq; obſecrabo obteſtaborq; uos iudices, ſi cætera amiſimus, hoc ſaltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia teliſq; uitam ut impune liceat defendere.* Temere. ] *Id eſt imprudenter, & tanquam ad agendam cauſam idoneus non ſim.* Appellari. ] *Id eſt nominari tã turpiter in cauſa filij.* Nunc iam ſummatim. ] *Quod in ſingulis ferè quæſtionibus Cicero admonere ſolitus ſit, quid ſit dicturus, admonuimus: id in hac oratione ſæpe licet animaduertere.* Summatim exponam. ] *Id eſt breuiter narrabo.* Conſtantiam. ] *Id eſt, in accuſando perſeuerantiam: quæ non fuiſſet, ſi iudices corrupiſſet. cauſæ enim diffidens, ad tentandum iudicium confugiſſet.* Vi & neceſſitate coactũ. ]

Cluentij animum ab Oppianici, qui eius uitricus erat, accuſatione remouet. Id etiam dicit: ut neque accuſatorio animo, neque oſtentatione, neque gloria adductum Cluentium ad Oppianici accuſationem oſtendat. Cum manifeſto uenenum deprehendiſſet.] Qua ratione manifeſto deprehenſum ſit, poſtea dicet: Manifeſto uſitatius quàm manifeſte à Cicerone dicitur. Auctore Priſciano lib. 15. multa ex adiectiuis nominibus ipſa terminatione datiui pro aduerbijs accipiũtur, ut falſo, cõſulto, poſtremo, ſedulo, auſpicato, augurato, manifeſto, priuato, precario, merito, priuatim, tamen, non priuato dicendum putem. Sed manifeſte pro L. Flacco Cicero dicit, ſi emendatus locus eſt: Apameæ manifeſte comprehenſum. Vir.] Id eſt, maritus. Oculis ac manibus teneretur.] Id eſt, clariſſima & certiſſima eſſet. Quã diligenter.] Nam diligentiſſime atque laborioſiſſime accuſa bãt, qui ſe ipſo in diſcrimẽ exiſtimationis uenire arbitrati ſunt. Hoc autem Cicero dicit, ne accuſandi negligentia Cluentium ad tentandum iudicium excitaſſe credita fuiſſet. Propoſitum uitæ periculũ.] Quod Cluentij uitæ Oppianicus propoſuerat. Pauca crimina.] Hoc dicit, ut plura reſtare intelligant iudices. Illius iudicij.] Quod damnatus Oppianicus eſt. Bello Italico.] De eo ſcribimus pro M. Fonteio. Hæredem reliquit.] Relinquere hæredem & ſcribere rarius, facere hæredem ſæpiſſime Cicero dicit. Sororis ſuæ filium.] Nepotem ex fratre aut ex ſorore à iuriſperitis imperite dici, aliàs admonuimus. nam fratris aut ſororis filius dici ſolet à doctis. Nepos autẽ reſpectu aui, ut filius reſpectu patris dicitur. Eumq; partiri cum Dinea.] Hoc ideo dici arbitror, quia mulieres iure ciuili Romanorum hæredes non fiebant: & lege Voconia cautum erat, ne quis homo cenſus, id eſt, pecunioſus unicam habens filiam, eam faceret hæredem. Cum igitur matrem Dineam hæredem facere Cn. Magio non liceret id ei legauit, ut cum ſororis filio Oppianico, quem faciebat hæredem, partiretur. Venit iudex ad Dineã.] Index eſt, qui uel præmij uel impunitatis ſpe, aut humanitate illectus, de ſe uolẽs aliquid aut de alijs prodit. Neque obſcurus neq; incertus.] Id eſt, qui uera indicare uideretur, & ut uulgo dicunt, daret certa ſigna de M. Aurio. In agro Gallico.] Nobis tranſalpino. Tranſalpina Gallia Alpibus & Rubicone fluuio terminabatur. Amiſſis.] Id eſt, mortuis. Amittere, pro eo quod eſt morte perdere, perſæpe dicitur. Neceſſarios.] Id eſt, amicos. Nepotem ſuum.] Id eſt, filiæ ſuæ Magiæ filium. His diebus paucis.] Id eſt, paucis diebus poſtquam teſtamentum fecit. Gallicanum.] Priſcianus libro ſecundo de poſſeſſiuis nominibus ſcribens, à locis quoque ea fieri dicit, ut ruſticanus, urbanus, oppidanus, Capitolinus, Palatinus, Eſquilinus, Gallicanus, uicinus, externus. Gallicanos autem appellari putem, Gallos eos qui ſint extra Galliam, quos itidem Gallos appellari non negem. Suetonius in uita Neronis: Quidquid in urbe hominum Gallicanorum eſſet, contrucidare. Non magna iactura facta.] Id eſt, data parua pecunia. Inueſtigandi.] Id eſt, inueniendi & recuperandi: quod præcedit, pro eo quod ſequitur. Experiẽs.] Qui expertus uulgo dicitur. ut in Act. in Verrem ſexta: Tu P. Caeurij promptiſſimi hominis & experientis, & in primis gratioſi ſupellectilem omnem auferre non dubitaſti. Et Actione 5. Nympho eſt Centuripinus, homo nauus & induſtrius, experientiſſimus ac diligentiſſ. arator. Clariſſima uoce.] Id eſt, ut uulgo loquuntur, altiſſima. Inde clare dicere, id eſt, alte loqui: ut ſuppreſſa uoce & leniter, id eſt, ſubmiſſe. ut in oratione pro P. Sylla: Qui cum ſuppreſſa uoce de ſcelere P. Lentuli, de audacia coniuratorum omnium dixiſſet, tantummodo ut uos qui ea probatis, exaudire poſſetis, de ſupplicio P. Lentuli, de carcere magna & queribunda uoce dicebat. In quo primum illud erat abſurdum, quod cum ea quæ leniter dixerat, nobis probare uolebat: eos autem qui circum iudicium ſtabant, audire nolebat: non intelligebat ea quæ clare diceret, ita illos audituros, quibus ſe uenditabat, ut uos quoque audiretis, qui id non probabatis. Item libro de Offic. 1. Cum orationis indicem uocem habeamus, in uoce duo ſequamur, ut clara ſit, ut ſuauis, utrunque omnino à natura petendum eſt: uerum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio preſſe loquentium & leniter. Denunciarat.] Id eſt, indixerat, ſignificauerat & minatus fuerat ſe Oppianici nomen delaturum. Denunciare enim eſt indicere, prænunciare, & ut ita dicam, perſignificare: idq; in mala re dicitur, ideoq; minari ſignificat. ut denunciare inimicitias, periculum, bellum. Cicero pro L. Flacco: Non ſum arbitratus quenquam amicum Reipublicæ poſteaquam L. Flacci amor in patriã perſpectus eſſet, nouas huic inimicitias nulla accepta iniuria denunciaturum. Idem libro epiſtolarum ad Atticum ſecundo: Clodius mihi adhuc denunciat periculum. Idem lib. de Offic. 1. Ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe iuſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denũciatum ante ſit & indictum. Q. Metelli.] T. Liuio auctore, Q. Metellus Pius partes optimatium ſecutus, caſtra in Africa habuit, non multo ante L. Syllæ uictoriam. Nunquam ſe iudicijs.] Hac ratione probat Oppianicum cædis M. Aurij fuiſſe conſcium. ut contra pro Milone, Milonẽ poſtero die quam inſidiatorem Clodium necauerat, nullo motu perterritum, nulla conſcientia exanimatum Romam reuertiſſe, ſeq; populo Romano, Senatui, publicis præſidijs, Cn. Pompeio Conſuli tradidiſſe dicit: Magna, inquit, uis eſt conſcientiæ, & magna in utranque partem, ut neque timeant, qui nihil commiſerunt: et pœnam ſemper ante oculos uerſari putent, qui peccauerint. Inermem.] In Larinum hoc loco in codice manu ſcripto quod legatur, non placet: inermem placet. Inermem autem dicimus, qui etiam ſine telo eſt: telum autem in concionem, in forum, in curiam ferri non licebat. Itaque auctore Cicerone, cum Senatus in Capitolio haberetur frequentiſſimus, inuentus eſt Senator, qui Milonem cum telo eſſe diceret, excuſſo Milone telum nullum inuentum eſt. Inermem pro reo dicere uidetur, ut pro M. Fonteio: Dicunt qui ex bello, cæde, fuga, nunc primum audent contra M. Fonteium inermem conſiſtere. Inimicis.] Id eſt, accuſatoribus, qui reo aduerſarij ſunt & inimici. Per illam L. Syllæ uim.] Cum pulcherrimam uictoriam perniciosiſſima Reipublicæ peſte L. Sylla commutauit, cum tam multas bonorum ciuium proſcriptiones fecit. Quatuor uiros.] Dicit, ut duum uiros, triumuiros, quinqueuiros, &c. dicimus. Fecerant.] Id eſt, creauerant: ut facere Conſules, aliosq; magiſtratus, ſolet dicere Cicero. Suſtulit.] Id eſt, necauit, à tollendo. Eiusq; C. filium.] Id eſt, Aurium filium C. Aurij. Id enim facere ſolet Cicero, ut cum filius eodem nomine & prænomine, quo pater appellatur, hunc prænomine, illum nomine appellet: quemadmodum ſi dicas, Marcus Ciceronis filius. id uulgus diceret: M. Cicero M. Ciceronis filius. Quo ſequeſtre.] Sequeſtres, ut ait Aſconius, ſunt apud quos deponitur pecunia. cum enim teſtes, iudices, alij' ne corrumpuntur, ijs non prius datur pecunia, quàm quod promiſerũt executi ſunt: ideoq; apud ſequeſtres, ut & uulgo dicunt, in manu tertia, pecunia deponitur. Sequeſtri autem, non ſequeſtre, ex præcepto Priſciani lib. 7. legendum eſſet. Quo ſequeſtre in illo iudice corrumpẽdo.] Auctore Cicerone in primo de Offic. libro, iniuriæ à metu aliquando proficiſcuntur: cum is qui facit, timet ne niſi id fecerit, aliquo afficiatur incommodo: ut ſi quis ſeruum ſui ſceleris conſcium interfecerit, metuens ne ab eo indicaretur. Huiuſmodi hominem perinde puniendum ac ſi occidiſſet ciuẽ, Plato cenſet libro de Legibus 9. Sex igitur Virium occidit Oppianicus, metuens ab eo ne indicaretur. In cauſa.] Oppianici. Hæc parua ſunt, cognoſcite reliqua.] Dociles & attentos auditores facit. Aliquandiu incolumem.] Id eſt,

ciuis

citius in iudicium non uocatum. In matrimonium ducere.] Fœmina ſola nubere dicitur, uir autem ducere in matrimoniū. ducere in uxorē, habere uxorem, & habere in matrimonio. Terentius in Adelphis: Patrem ita obſecratum, ut liceat ſibi hāc in uxorem ducere. Idem in eadem Comœdia: Quod fortunatū iſti putant, uxorem nunquam habui. Cicero pro P. Quintio: P. Quintij conſobrinam habet in matrimonio Næuius, & ex ea liberos. Idem pro A. Cecina: Is habuit in matrimonio Ceſenniam, eodem è municipio, ſummo loco natam, & probatiſſimā fœminam. Hoc autem poſtremum dicendi genus Ciceroni magis familiare eſt. Cuius uirū A. Aurium occiderat.] Is non eſt A. Aurius uir fortis, & experiens, & domi nobilis, quem proſcribendum interficiendumq́; Oppianicus curauit. A. enim Aurius Melinus Saſſiæ maritus adoleſcens erat, ut ante dixit. eius autem cædem in tranſuerſū nominat, ut putēt iudices multa Oppianici crimina ab eo prætermitti. Virum pro marito ſæpe hic Cicero dicit, ſæpius apud Terentiū inuenire licet. Humanitatem.] Ironia eſt. Magnopere contendit.] Id eſt, inſtanter & urgēter petit. nam contendere magis eſt quàm petere. Habere tres ille filios.] Vnum ex Magia, nomine Oppianicū, cuius in hac oratione Cicero ſæpe meminit: alterum ex Papia: tertium ex Nouia natum. Ab his nuptijs abhorrere.] Id eſt, nolle huic nubere. Domo. Id eſt, ex domo, ex familia, ex filiorum cæde. Nam cum haberet ex Nouia, &c.] Hæc oratio perfecta non eſt. Id à Cicerone aliquando fieri, ut ex tempore uideatur oratio, alibi docuimus. Papia natus.] Hæc Papia Milonis propinqua erat: nam Milonem ex Papia familia fuiſſe, & adoptatū à T. Annio auo materno, Aſconius ſcribit. Natus Papia.] Dicitur etiam natus ex Papia. Terent. in Adelphis: Ex me hic natus non eſt, ſed ex fratre. Theani Apuli.] Theanum Italiæ oppidū eſt duplex. eſt enim Theanū Sidicinum cognomine Nola, in Appia uia poſitū: & Theanū Apulum, ut Plin lib. 3. & Strabo libris 5. & 6. ſcribunt. Decem et octo milia.] Nomina menſuram ſignificantia in accuſatiuo potius quàm in ablatiuo ponenda, ſcribimus in Progymnaſmatis. Millia autem, non milliaria in numero plurali dicere ſolet Cicero, quemadmodū in numero ſingulari milliare, aut milliarium, ut de Clar. Oratoribus. Videmus item paucis annis poſt exactos reges, cum plebs prope ripam Anienis, ad tertium milliarium cōſediſſet. Libro Epiſt ad Atticū 8. Siquidē etiam uos duos tales ad quintum milliarium. Et li. 6. Accepi tuas literas ad quintum milliare Laodiceæ. Hora undecima.] Id eſt, hora ante ſolem occidentē. De horarū obſeruatione alibi ſcribimus. Poſtridie.] Id eſt, ea ipſa nocte, ſed poſt mediam noctem. nam à media nocte initium diei à Romanis ſolitum ſumi, ex A. Gellio ſatis cognitum eſt. A tempore.] Veneni ſuſpicionem auget. Antequam luceret.] Mortuorum corpora noctu afferri ſolebant, ideoq́; tedæ accenſæ præferebantur. Combuſtus eſt.] De ratione comburendi cadauera, Plinius cap. 54. libri 7. ſcribit. Ex Oppianici familia.] Hoc ualet ad ueneni dati probationem. Exequiarum munus.] Quod propinqui ſolent obire. ut auctore Seruio in lib. Aeneid. quartum, lauare cadauera dabatur proximis. Vnde mater Euryali, Nec uulnera laui Veſte tegens. Iā ſepulto.] Id eſt, cremato & condito. Sepelire enim ut ait Plin. cap. 54. lib. 7. eſt quoquo modo condere: humare uero, humo tegere. De integro.] Id eſt, renouando, & ut uulgo dicūt, reincipiendo. Ille alter.] Nouia natus. Nuptialibus donis.] Quibus mariti ſponſas donare ſolent. Iucundum.] Alij codices habent Iucundius, quæ lectio mihi uidetur melior: ut iucundius referatur ad Cupidiores. Sentio iudices.] Quia iudices commoueri uidet audiendis Oppianici criminibus, quæ exponat, multo magis cōmoueri debuiſſe tum iudices, cum à Cannutio Oppianicus accuſabatur, oſtēdit. Quod ſi ita eſt, nihil mirum eſt, Oppianicum diffidentem cauſa ſua, iudicium pecunia tentaſſe. Pro ueſtra humanitate.] Aliquando ſpargendæ ſunt laudes iudicū, ut magis fiant beneuoli: idq́; breuiter faciendum, ne qua ſuſpicio aſſentationis ſubrepat. In quem iudices non eſtis, &c.] Hæc eo pertinent, ut oſtendat Cicero hos iudices minus commoueri debere, quàm olim cōmoti ſunt ij, qui Oppianici cauſam cognoſcebant. In quem iudices non eſtis.] Iudex in reum dicitur, non in accuſatorem. ut paulo poſt: A quibus ſi qui quærerent, ſediſſent'ne iudices in C. Fabricium? ſediſſe ſe dicerent. Quem odiſſe iam non poteſtis.] Quia mortuus eſt. mortuos odiſſe non debemus, iis ne maledicamus, Chilo Lacedæmonius auctore Laertio ſuadet. Illiberale eſſe, & cogitationis auaræ & muliebris & uilis, cadauer ſpoliare, hoſtemq́; putare mortui corpus, Plato ſcribit in libro de Rep. 5. cum ipſe aduerſarius abierit, cum quo pugnabat relicto. Ab accuſatoribus.] Cluentio & Cannutio. Aceruatim.] Id eſt, magis adiuncta & cohærentia. Quæ amita.] Amita ſoror patris eſt. Inde Amitini, qui ex fratre & ſorore nati ſunt. Nec diutius uixit quàm locuta eſt.] Id eſt, loquendo mortua eſt. Quæ ſolent eſſe indicia.] Si tumore aut liuore decoloratum corpus mortui eſt, ſignificat eum ueneno necatum, ut eſt in libro Rhetoricorum ad Herennium ſecundo. Liuores & tumores ueneficij & cruditatis ſigna eſſe communia, Quintilianus libro quinto ſcribit. Fraterno parricidio.] Parricidam appellauerunt ueteres eum, qui hominem aliquē occidiſſet, qui ſcilicet parem, id eſt ſecum pari iure uiuentem occidiſſet: quod inter ciues eſſe debeat æquabilitas, itemq́; inter ciues & peregrinos. Inde ab hoſtiendo, id eſt, ab æquando peregrinos apud Romanos ueteres appellatos fuiſſe hoſtes, Sex. Pompeius ſcribit. Inueterauit poſtea, ut qui filium, uel parentem uel fratrem, uel ſororem occidiſſet, is parricida appellaretur. Itaque cum adiuncto parrida appellari cœpit. T. Liuius lib. 40. In ea cœna dicitur uenenum datum: poculo epoto extēplo ſenſit, & mox coortis doloribus, relicto conuiuio, cum in cubiculum receptiſſet ſeſe, crudelitatem patris conquerens, parricidum fratris, ac Didæ ſcelus incuſans, torquebatur. Idem libro tertio: Orabat ne quod ſcelus Ap. Claudij eſſet, ſibi attribuerent, non ſe ut parricidam liberum auerſarentur. Illud tamen fit, ut uocabulis etiam ſpecialibus appellentur, qui propinquum necauerint. Cicero ad Quintum fratrem: Altera eſt de Blādenio Zeuxide, quē ſcribis certiſſimum matricidam tibi à me intime cōmendari. Idē pro Domo ſua: Quid de me quod tuliſſe dicis parricida, fratricida, ſororicida, non'ne extra ordinē tuliſti? Aditū ſibi aliis.] Tā nefariū n. ſcelus primū admittere auſus nō fuiſſet, niſi prius alia commiſiſſet. Nemo enim fit repente malus. Ideoq́; qui alia ſcelera admiſiſſet, commentus ſit, ab eo admiſſum eſſe id de quo controuerſia eſt, magis eſt credibile. Vnà.] Id eſt, ſimul. Ne partu eius.] Si quis ex ea filius naſceretur. Fratris autem liberos.] Liberos pro unico filio, unica'ue filia dici, A. Gellius lib 2. ſcribit. Nihil ſanctum.] Id eſt, ab eius iniuria tutum. Mecianus enim iuriſconſultus libro Digeſt. 1. de rerum diuiſione, ſanctum id eſſe dicit, quod ab iniuria hominum defenſum atque munitum eſt. Memoria teneo.] Triphonius Iuriſc. lib. Digeſt. 48. hoc Ciceronis exemplum pro re iudicata de lege aduocat. Memoria teneo.] Oratoris eſt, amplificare, quæ cauſæ ſuæ utilia ſunt. Amplificationem ex comparatione aliquando fieri, Quintilianus lib. 8. ſcribit, in qua nō nunquam propoſito ſimili exemplo efficiendum eſt, ut ſit maius id quod à nobis amplificandum eſt. ut Cicero pro Cluentio, cū expoſuiſſet Mileſiam quandam à ſecundis hæredibus pro abortu pecuniam accepiſſe: Quanto eſt, inquit, Oppianicus in eadem iniuria maiore ſupplicio dignus? Siquidem illa cum ſuo corpori uim attuliſſet, ſe ipſa cruciauit. hic autem idem illud effecit, per alieni corporis uim atque cruciatum. Cum eſſem in Aſia.] Cicero cum iam biennium in cauſis uerſatus eſſet, cum

hortati ſunt amici & medici,ut cauſas agere deſiſteret, quia in eo ſumma erat gracilitas & infirmitas corporis: procerum & tenue collum: qui habitus,& quæ figura non procul abeſſe putatur à uitæ periculo, ſi accedit labor & laterum magna contentio. A' ſperata dicendi gloria Cicero diſcedendum non putauit: ſed cum cenſeret remiſſione & moderatione uocis,et cõmutato genere dicendi ſe & periculum uitare poſſe,& temperatius dicere,ut conſuetudinem dicendi mutaret,in Aſiam profectus eſt,ut idem ſcribit de Claris oratoribus. Rei capitalis eſſe damnatum. ] Si mulierem uiſceribus ſuis uim intuliſſe,quo partum abigeret, conſtiterit, eam in exilium Præſes prouinciæ exiget,ut ait Vlpianus ad legem Cornel.de ſicarijs, lib. Digeſt. 48. Ab hæredibus ſecundis. ] Secundus hæres dicitur, ut ait Boetius lib. Comment.in Topi. Cic. ſecundo,qui hæredi inſtituto ſubſtituitur: ueluti ſi quis filium inſtituat hæredem,ſcribatq́; ſi is filius intra pubertatem deceſſerit, nepotem uel quẽlibet alium hæredem eſſe oportere. Abegiſſet. ] Id eſt,eieciſſet. Vtrunque enim uerbum in hac re proprie dicitur. Spe parentis. ] Hæc Cicero dicit,ut crimen exaggeret. Per alieni corporis mortem atque cruciatum. ] Quintilianus legit, per alieni corporis uim atque cruciatum. ] Quæ lectio magis placet,ne ſit ordo rerum peruerſus. Suſcipere. ] Id eſt cõmittere:ut ſuſcipere facinus, poſtea Cicero dicit. de cuius uerbi uſu alibi ſcribimus. Sororis ſuæ filium. ] Id eſt, Oppianicum,Oppianici & Magiæ filium. Faceret. ] Imperfectũ tempus ſignificat. Oppianicum enim ſororis filium hæredem faciebat:ſed priuſquam perficeret,uenit ei in mentem,ut uxorem interrogaret,eſſet ne prægnans. Præſente matre. ] Non, quod uulgo dicunt,in præſentia matris. ut abſente matre, non in abſentia matris,dici ſolet. Eſſet'ne prægnans. ] Auctore Sex. Pompeio,Grauida eſt quæ iam grauatur conceptu: Prægnans, uelut occupata in generando,quod conceperit: Inciens, propinqua partui,quod incitatus ſit fœtus eius. Donatus in Hecyram Terentij,prægnantem quaſi ante natum, uel ante genitricem appellatam dicit. Hoc autem loco prægnans dicitur, quæ recens ſe ſentit concepiſſe,cuius uẽter intumeſcere nondum cernitur. ut ante grauidã Auriam dixit, cuius iã appropinquare partus uideretur. Legat grandem pecuniam, à filio. ] Id eſt,ſi filius ex ea naſcatur,qui hæres teſtamento inſtituitur. Grandem pecuniam. ] Grandis quamuis multis de rebus dicatur, ſæpius tamen ad ætatem & ad pecuniam refertur: ut ante dixit grandem & nubilem filiam. A' filio, ſi qui natus eſſet. ] Nam ſi nata eſſet filia,ea lege Voconia hæres non eſſet. De qua lege ſcribimus in Cõment. in Cic.de Senectute. Cũ eius filium faceret hæredẽ. ] Vt ante dixit,hæredẽ illũ ſororis ſuæ filiũ faceret. Vel hæredẽ ſecundũ hic intellige. Longe animo proſpexiſſe morientem. ] Animus appropinquante morte multo eſt diuinior: nam & id ipſum uident qui ſunt morbo graui & mortifero affecti, inſtare mortem. Itaque his occurrunt plerunque imagines mortuorum,tumq́; uel maxime laudi ſtudent: eoſq; qui ſecus quàm decuit uixerunt,peccatorum ſuorum tum maxime pœnitet. Diuinare autem morientes, etiã illo exemplo confirmat Poſſidonius,quo affert Rhodium quendam morientem ſex æquales nominaſſe,& dixiſſe,qui primus eorũ, qui ſecundus,qui deinceps moriturus eſſet: Auctor eſt Cicero in libro de diuinatione primo. Quo eodem in libro auctore, cum Calanum Indum ad mortem proficiſcentem rex Alexander rogaret,ſi quid uellet,ut diceret: Optime,inquit propediem te uidebo. quod ita contigit. Nam Babiloniæ paucis poſt diebus Alexander eſt mortuus. Eodem auctore in libro Tuſculanarum quæſtionum primo,Theramenes Critiæ,qui ei uenenum præbuerat,uere mortem eſt eam auguratus, quæ breui conſecuta eſt. Apud Homerum & Virgilium quàm ſæpe id fiat,ut morientes inimicis ſuis mortem uere denuncient,nihil attinet dicere. Nõ dubitam. ] Nondum enim pepererat. Abortionis. ] Aborſus & abortus ita diſtinguuntur à Non. Marcello,ut ſit aborſus qui eſt in primis menſibus,cum conceptui exordium factum eſt: abortus,prope tempus pariendi. tunc enim moritur quod naſcitur. Abortum grauidæ mulieris dici,quod nõ ſit tempeſtiue ortum, Sex. Pompeius ſcribit. Tum. ] cum Oppianici cauſa ageretur. Ex tabulis Oppianici. ] Quas Oppianicus fecerat,cum ea munera emeret, nec (ut conijcio) ſolueret. Nihil poſſe iam. ] Amplificat Cicero ſcelus, quòd hæc Magij uxor Oppianico nupſerit menſe quinto poſt mariti mortem. Obteſtatione. ] Id eſt, obſecratione. Decem illis menſibus. ] Auctor eſt Ariſtoteles libro de natura animalium 7. cum unum pariendi tempus naturæ conſtitutum ſit cæteris animãtibus,homini uni multiplex datum. nam ſeptimo menſe,& octauo,& nono, mulier parere poteſt: & quod ſæpiſſime fit,decimo. nonnullæ etiam undecimum tangunt. Ea de re A. Gellius quoque ſcripſit,Vt hac ætate perſuaſum ferè omnibus eſt,partum edi menſe nono,ita ueteres menſe decimo parere mulierem putabant. Apud poetas id tam ſæpe licet inuenire, ut uix aliud inuenias ſæpius. Ouid. in libro Faſtorum 1. cauſas cur Romulus annum decem menſium conſtituerit exponens,hãc quoque ſcribit: Quod ſatis eſt utero matris dũ prodeat infans, Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis. Quinto menſe poſt uiri mortem. ] Mos erat Romanorum,ut mortuos maritos uxores omni auro purpuraq́; poſita annum lugerent, cumq́; annũ uiduæ manerent. Cum annus decem menſium erat,decem menſes lugebatur. Ouidius libro Faſtorum primo,de anno decem mẽſium à Romulo conſtituto ſcribens: Per totidem menſes,inquit, à funere coniugis uxor Suſtinet in uidua triſtia ſigna domo. Poſt annum licebat ijs iterum nubere. Quæ uno autem contentæ erant matrimonio,corona pudicitiæ honorabantur: ut eſt apud Valerium Maximum lib. 2. tit. de inſtitutis antiquis. Celebrata. ] Id eſt, diuulgata. Summa egeſtate. ] Egeſtas ferè in mala re dicitur,quæ ſcilicet ad maleficum hominem impellit. Facit Virg. in lib. Aeneid. 6. ut in ueſtibulo inferorũ ſedeat turpis egeſtas. Arte quadam præditus, &c. ] Id eſt,adoleſcentulis ſcorta ſubminiſtrans. Immerſit ſe. ] Id eſt penitus deuenit,& tanquam ſe abdidit in conſuetudinem, id eſt,familiariſſimus ei factus eſt amicus. Tanquam machina admota. ] Sumpta ſimilitudo ex urbium obſidione, quæ admotis machinis expugnantur & capiuntur. Et quia in his machinis uis maxima eſt,omnes machinas adhibere Cicero dicit in lib. Epiſto. ad Brutum, pro eo quod eſt,omnes uires adhibere. Ad reliquos,inquit,hic quoque labor mihi acceſſit,ut omnes adhibeam machinas ad tenendum adoleſcentem, ne famam ſubeam temeritatis. Fortunas patrias. ] Id eſt,patrimoniũ. In ſolitudine. ] Id eſt, in urbe minus frequenti. In turba. ] Id eſt, in urbe frequentiore,ubi quæ admittuntur ſcelera ſunt obſcuriora, propterea quòd minus multis noti ſint, ea qui admittunt. Veſtigijs conſecutus eſt. ] Id eſt, illico poſt ſecutus eſt:itaq́; eos tam mature ſecutus eſt,ut eorum ueſtigia nõdum turbata fuerint. Iam ut Romæ uixerint. ] Quæ in re tali fieri ſolent,Cicero breuiter enumerat,ut quod narrat credibile ſit. ea autem ſe dicit prætermittere,ut breuis narratio ſit: ea enim dicere,ad rẽ præſentem non multum attinet. Adiutore. ] Perpetuum non eſt, quod Donatus ſcribit in Phormionem Terentij,adiutores in re bona,impulſores in mala dici. Adiutores in re mala ſæpius, quàm in bona impulſorem inuenire licet. Aſſimulata. ] Id eſt,bene & callide ſimulata. nam particula Ad,uim habet augendi. Apud mulierculam quandam. ] Quam ei Auius comparauerat. Pernoctaret. ] Id eſt, noctem cubaret. Obſignatores. ] Id eſt,teſtes,qui teſtamentum obſignarent. Nam ut eſt in Inſtit. Inſtit. In teſtamento faciendo adhibebantur edicto Prætoris

ſeptem

ſeptem teſtes puberes, ciues Rom. qui teſtamentum obſignarent. Eos & ſignare & nomen ſuum aſcribere oportere, Vlpian. dicit lib. Digeſt. 28. de teſtamentis. Illum Aſinium.] Cum eſſet Auilius, eum tamen Aſinium Oppianicus appellabat. Breui illo tempore.] Id eſt, ilico poſt. Quaſi in hortulos.] Nam ſimulabat Auilius, eum ſe in hortulos ducere. Sunt enim hortuli amœnitatum & uoluptatum. In arenarias.] In arenæ fodinas. Poſtremum.] Id eſt, poſtremo. In eum inuadunt.] Auilium comprehendunt. Qui tum erat Triũuir.] Romæ erant Triumuiri capitales, qui carceris cuſtodiã haberent, ut cum animaduerti oporteret, interuẽtu eorũ fieret, ut ait Pomponius Iuriſc. lib. Digeſt. 1. tit. de origine iuris. Ex trahitur domo.] Larinum iam redierat Oppianicus, ſed Manilij mandato Romam reductus eſt. Non ille honorem à pueritia.] Aliarum cauſarum iudices uituperare, niſi culpa in ijs manifeſta ſit, Quintil. lib. 5. negat eſſe utile. Vnus enim quiſque iudicum uult firmam eſſe alterius ſententiam: & ipſo ſententiam laturus, nõ libenter facit exemplum, quod in ſe fortaſſe recidat. Huius igitur Q. Manilij culpam manifeſtam Cicero oſtẽdit, ut paulo poſt Staleni, Bulbi, Guttæ, aliorumq́;, qui ab Oppianico iudices corrupti ſunt. In diſcordijs ciuil.] Quæ fuerunt inter Syllam & Marium, Cinam & Carbonem, Lepidum & Catulum. Ad eam col.] Columnam Meniam Cicero appellat in Diuinatione. Menius, auctore Aſconio, cum domum ſuam uenderet Catoni & Flacco cenſoribus, ut ibi baſilica ædificaretur, exceperat ſibi ius unius columnæ, ſuper quam tectum projiceret è prouolãtibus tabulis, unde ipſo & poſteri eius ſpectare munus gladiatoriũ poſſent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo columna Menia uocitata eſt, apud quam fures & ſerui nequam apud Triumuiros capitales puniri ſolebant. Perductus erat.] Hic ſignificat Cicero, improbos homines nulla quæſtione conſtituta, nulla diei dictione, nulla citatione ad Triũuiros, ad columnam Meniam adduci ſolitos. ut ante dixit: In eum inuadunt, & hominem ante pedes Q. Manilij conſtituũt. Rem tranſigit.] Conuenit & paſciſcitur cum Manilio. Trãſigere autem & paciſci diſtinguit Vlpian. lib. Digeſt. 2. tit. de Tranſactionibus: Qui tranſigit, inquit, quaſi de re dubia, & lite incerta, neque finita tranſigit. qui uero paciſcitur, donationis cauſa rem certam & indubitatam liberalitate remittit. Crimen Aſinianum.] Id eſt, in Aſinium admiſſum. Allegatos.] Id eſt, adhibitos ad necandum Aſinium. ut Terentius in Andria: Hoc modo te obſecro, ut ne credas à me allegatum hunc ſenem. Allegatum, inquit Donatus, id eſt adhibitum. Putabat enim Simo à Pamphilo Critonem adhibitum eſſe, qui Glycerium ciuem Atticam eſſe diceret, ad impediendas nuptias. Auiam tuam Oppianice.] Apoſtrophe eſt: auertit enim ſermonem à iudicibus ad Oppianici filium. Hæc auerſio ſi rara eſt, iudices fatigatos reficit. Victorem. Id eſt, uoti compotem: id eſt, qui ſæpe necauit, quos uoluit. Curari.] Id eſt, medicari, & ut uulgo dicunt, medicinari. Inde curatio pro medicamento. ut in primo de officijs: Grauioribus autem morbis ancipites adhibent curationes. Alioqui curare eſt ſanare: qua in re perſæpe dicitur. Suos omnes.] Vt Numerium, Aurium, Cn. Magium & Magiam. Anconitanum.] Anconitanus gentile nomen eſt, ab Ancone urbe Italiæ. Pharmacopolam.] Id eſt, pharmacorum & medicamentorum uenditorẽ. Circumforaneum.] Id eſt, forã multa multorum oppidorum circumeuntem, ut pharmaca ſua uenderet. quod ſolent facere qui merces malas habent. Nam, ut ait Plautus, proba merx facile emptorem inuenit, etiamſi in abſtruſo ſita eſt. Ipſius tabulis.] Quas ipſe Oppianicus confecit apud argentarios. Tum.] Id eſt, cum Oppianici cauſa à Cluentio ageretur. Traſigit.] Hic pro eo quod eſt paſciſcitur, dicit. Punctum temporis.] Id eſt, breuiſſimo tempore. ut pro P. Seſtio: Illo, inquam, ipſo die, die dico? imo hora, atque etiã puncto temporis eodem, mihi reiq́; publicæ pernicies, Gabinio et Piſoni prouincia rogata eſt. Idem actione in Verrem tertia: Fatebor etiam illud inuitus, me prorſus, cum iſte punctum temporis nullum uacuum peccato præterire paſſus ſit, omnia quæ ab iſto commiſſa ſunt, non potuiſſe cognoſcere. Hæc uox Ciceroni frequens eſt. Quod appellat punctum temporis, id Phyſici inſtans uulgo appellant. Punctum eſt temporis.] Nomina enim temporis ſignificantia in accuſatiuo poni ſolent. Prendiſſet.] Id eſt, accepiſſet. Qui gener eius fuiſſet.] Ei enim Magia Dineæ filia nupſerat. Digito legata deleuit.] Vt ad eius filium hereditas amplior perueniret. Significare uidetur, in tabulis ceratis id teſtamentum ſcriptum. Lituris.] Id eſt, deletionibus, & ut uulgo dicunt, caſſuris. À linendo lituræ appellatæ ſunt. Cicero pro Archia poeta: Metellus homo ſanctiſſimus modeſtiſſimusq́; omnium, tanta diligentia fuit, ut ad Lentulum Prætorem & ad iudices uenerit, et unius nominis litura ſe commotum eſſe dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinij uidetis. Idem actione in Verrem quarta: Cum hæc maxime cognoſceremus, & iam in manibus tabulas haberemus repente aſpicimus lituras eiuſmodi, quaſi quædam uulnera tabularum recentia. Coargueretur.] Id eſt, improbaretur & reprehenderetur. Tranſcriptum obſignauit.] Id eſt, tranſcripſit et obſignauit. Tranſcribere, in aliud exemplum ſcribere eſt, quod uulgo dicunt copiare. Tranſcribere ſceptra colonis, pro tradere. Virgilius in libro Aeneid. 7. dixit. Signis adulterinis.] Id eſt, falſis, & alterum quàm teſtium adhibitorũ annulis factis. Multa prætereo.] Ad augendam rem quã tractas, & ad conciliandam attentionem, Cicero in hac oratione ſæpe dicit multa ſe prætermittere, ut breuitati ſtudere uideatur. Similem ſui fuiſſe.] Id eſt, à ſuo more non deceſſiſſe. Illum tabulas pub.] In tabulas publicas referebant Cenſores, quæ in Cenſura feciſſent, eæq́; tabulæ in æde Nympharũ aſſeruabantur. Improbi homines à Cenſoribus notabantur, ideoq́; ſcelera ſua in tabulas publicas nominatim referri ægre ferebãt. Quocirca P. Clodius, ut eſt in oratione pro Milone, ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicam recenſionis tabulis publicis impreſſam extingueret. Eandem ob rem Oppianicus Cenſoris tabulas publicas Larini corrupit. Illum tabulas.] Quintilianus lib. nemo dicit eſſe πολύπτωτον, quod μεταβολὴν Cæcilius dicit. durat autem eò uſque, peſtemq́; fugiebant: ibi enim coniuncta rerum diuerſitas eſt. Decuriones.] Id eſt, Larini Senatores. Municipiorum enim Senatores appellantur decuriones. Nemo rem ullam contrahebat.] Id eſt, nemo de ea ulla contractum faciebat. Congreſſione.] Id eſt, congreſſu. Congreſſus autẽ, quàm congreſſio, uſitatior eſt. Abhorrebant.] Id eſt, ueluti horridam rem deteſtabantur. Nunquam accuſaſſet Habitus.] Animum Cluentij ab accuſatione uterici remouet, eumq́; neceſſitate coactum fuiſſe oſtendit. Erat huic inimicus Opp.] Id Cicero tanquam aduerſarius proponit, ut accuſandi uoluntas oſtendatur. Erat, inquit Cicero, ſed tamen erat uitricus. Per hoc animum Cluentij ab accuſatione remouet. Crudelis & huic infeſta mater.] Eſt itidem uelut aduerſarij obiectio. Attamen mater.] Obiectionis ſolutio eſt. Tam remotum.] Id eſt, tam abhorrens. Natura.] Cluentij natura ab accuſatione abhorrebat, quòd benignus & humanus eſſet. Voluntate.] Nam inuitus & coactus accuſauit. Inſtituta ratione uitæ.] Id genus uitæ ſibi Cluentius conſtituit, quòd à cauſis agendis alienum eſſet. Quoquo modo.] Etiam contra naturam, contra uoluntatem, contra inſtitutam uitæ rationem. Hæc ita eſſe.] Id eſt, accuſare quoquo modo poſſet, quàm illo modo emori maluiſſe. Oppianici facinus.] Id eſt, uenenum ab Oppianico datum, quo Cluentius necaretur. Martiales

quidam. ] Oſtendit unde ortum ſit Oppianico Cluentij odium, cur eum necare ueneno conatus fuerit. Qua in re, ut in cæteris, optimum fuit Ciceronis conſilium & iudicium. Nam ſi Cluentium Oppianicus necare ueneno uoluit, inter eos ſimultas fuerit neceſſe eſt. Simultatis autem cauſam ante ueneni deprehenſionem apte Cicero oſtendit. Vt in Sicilia permulti uenerei ſunt. ] Eryx ab Eryce Veneris & Butæ filio dictus mons eſt Siciliæ, omnium qui in ea inſula ſunt maximus, præter Aetnam. Imminet autem mari ex ea parte, quæ ad Italiam ſpectat, mediuq; attollitur inter Drepanum & Panormū: Drepano tamen magis coniunctus. In eius uertice templum fuit Veneris Erycinæ, quod ſine controuerſia omnium templorum opulentiſſimum atque ornatiſſimum creditum eſt. auctor eſt Polybius lib. 2. de 1. bello Punico. Strabo lib. 6. de hoc templo ad hanc ſcribit ſententiam: In Eryce Veneris templum poſitum eſt, quod ſingulari ueneratione colitur: antiquitus mulierum frequentia refertum, illius miniſterio dicatarum, quas & è Sicilia & ex nationibus exteris multas uocauerant. Venerei autem ſunt illi Veneris miniſtri: qui autem ex his à Venere ſe liberauerunt, hi Veneris liberti ſunt. Et quemadmodum Q. Cæcilius Quæſtor Verris, auctore Cicerone in Diuinatione, Agonidē libertam Veneris ipſi Veneri in ſeruitutem iniuſte adiudicādo, magnam ex bonorum ipſius uenditione redegit pecuniam, ita ſperabat Oppianicus, magnā ſe ab ijs Martialibus conſecuturum pecuniam, ſi eos liberaſſet. Eorum enim, ut Venereorum, magnus erat numerus. Quamuis hi Veneris miniſtri mulieres ſint, Venereos tamen genere uirili Cicero ſolet appellare. In Martis familia. ] Familiam Martis dicit, pro cœtu Martialium ut Platonis & philoſophorum familiæ dicuntur, pro ſectatoribus. ut apud Ciceronem libro de Legibus primo: Valde à Xenocrate & Ariſtotele, & ab illa Platonis familia diſcreparet. Libro 3. Ab hac familia magis iſta manarunt Platone principe, &c. Libro de Finibus bonorum & malorum quarto: Ariſtoteles, Xenocrates, tota illa familia non dabit. Libro Tuſculanarū quæſt. 1. Licet concurrant plebeij omnes philoſophi (ſic enim ij qui à Platone & Socrate, & ab eâ familia diſſident, appellandi uidentur) non modo nihil unquam tam eleganter explicabunt, ſed ne hoc quidem ipſum, quàm ſubtiliter concluſum ſit, intelligent. Inde licet intelligere diui Franciſci, diui Dominici, aliorumq; familias melius quàm ordines dici. Ab omni eiuſmodi negotio. ] Id eſt, à cauſis agendis. Pro loco. ] Id eſt, dignitate. Suorum municipum. ] Id eſt, Larinatum. Ciues municipiorum non dicuntur, ſed municipes: nec communicipes, quemadmodum nec conciues. Neceſſariorū. ] id eſt, propinquorum & amicorum. Ex utriuſque ſtudio defenſionis. ] Nam Martiales Oppianicus, Larinatium commoda Cluentius defendebat. Illi. ] Oppianicus & Saſſia. ] Magni arbitrabantur. ] Id dicitur, ut magni duco, magni facio. Illius iudicij. ] Id eſt, cauſæ Martialium. Eiuſmodi. ] Id eſt, tam improbe & impie. Nomen omnino prætermittere. ] Quin ei aliquid legaret. Bona eius omnia ad matrem eſſe uentura. ] Hic ſignificat Cicero, ætate ſua ius fuiſſe, ut inteſtati filij mater hæres eſſet. quamuis in li. Inſtit. Iuſtin. 3. ſcriptum ſit, Diuum Claudium ad ſolatium liberorum amiſſorum matri legitimam eorum hæreditatem primam detuliſſe: poſtea autem Senatuſconſulto Tertulliano, quod Diui Hadriani tempore factum eſt, cautum eſſe ut mater ingenua trium liberorum ius habens, libertina quatuor, ad bona liberorum, qui inteſtati mortui ſunt, admittatur. Quæ ] Mater Cluentij. Maiores præmio. ] Quia aucta pecunia. Cognoſcite. ] Commode hic admonet iudices, ut attente audiant. Hoc enim in loco Iuniani iudicij cauſa præcipue uerſatur. Veriſimilis autem hæc narratio eſt, quæ fit cum cauſa, perſona, agens, tempus, locus, & modus tractantur. Vt igitur ueriſimile faciat, conatum fuiſſe Oppianicum necare ueneno Cluentium, cauſam dixit, quod Cluentius Oppianico inimicus fuerit, quod Cluentij eiuſq; matris Saſſiæ bona ad ſe uentura eſſe ſperauerit. Oppianicum & Fabricium ita turpes oſtendit, ut alter multas cædes fecerit, alter nullum quæſtum turpem eſſe arbitratus ſit, quocirca hæ perſonæ ab hoc facinore alienæ non ſunt. Tempus dicit, cum Cluentius ægrotaret, tum enim facilius uidebatur pro medicamento uenenum dari. Modus eſt, cum Diogenem Fabricius ſollicitauit, Cleophanto Diogenes indicauit: Diogenem de amicorum conſilio Cluentius emit, cum uiros bonos diſpoſuit, qui ex occulto interuenientes, cum Diogeni uenenum daretur, deprehenderent. Locus autem abditus fuit & occultus, qui tradendo ueneno Diogeni accommodatior uideretur. Ex municipio Aletrinate. ] Aletrinati, non Aletrinate legendum eſſe, Priſcianus docet, qui libro 7. ſcribit, nomina gentilia in as quōdam in atis, et hoc ate exiſſe, habereq; ablatiuum in e & in i. Cicero pro Varrone: C. Ancharius Rufus fuit à municipio Fulginate. Idem in eodem, In præfectura Fulginate. Idem pro Cluentio, E municipio Aletrinati. Erat autem Aletrinum Arpino uicinum, ut paulo poſt Cicero dicit. Cum forma. ] Vſuuenire ſolet, ut gemini, id eſt, eodem partu editi, forma ſimiles ſint. inde gemini pro ſimilibus & paribus à Virgilio ſæpe dicuntur, ut Geminiq; minantur in cœlū ſcopuli. Ciceronis quoq; eadē dicendi ratio eſt. ut pro Sex. Roſcio: Par eſt auaritia, ſimilis improbitas, eadē impudētia, gemina audacia. Et pro Roſcio Comœdo: Simillima enim et maxime gemina ſocietas hæreditatis eſt. Quemadmodū ſocius in ſocietate habet partē, ſic hæres in hæreditate habet partē. Municipū autē ſuorū diſſimillimi. ] Moribus ſcilicet. In quibus. ] Municipibus, id eſt, Aletrinatibus. Nullum quæſtum turpem. ] Ne eum quidem, qui ex aliena cæde factus ſit. Non eſt aſpernatus. ] Id eſt, nō repudiauit, & paciſci de ueneno ſe ſimulauit. Ne multis. ] Quia narratio debet eſſe breuis, ad leuandum auditorū tædiū intermiſcemus, Quid uerbis opus eſt, in ſumma, ne multis, aut alia eiuſdem generis. Ne multis. ] Agam, ſcilicet: id eſt, ut breuius dicam. Pro dij immortales. ] Excurſio narrationem ſequitur. qualis illa eſt: O mulieris ſcelus incredibile. de ea quid ſentiat Quintilianus, diximus. Pro dij immort. ] Indignanter hoc dicit. Pro enim indignantis ſignificationis interiectio eſt: qua tum utebantur, cum dijs conuiciū facerent, quòd rem tam indignam paterentur. Donatus exponens illud quod apud Terentium in Adelph. leno dicit. Pro ſuperne ſupreme Iupiter. Non abhorret, inquit, à perſona & plebeij & lenonis, & uim paſſi, Iouem ipſum conuicio perſequi: ut quotidie uidemus ab hominibus eius loci & ordinis fieri. Pro dij immortales. ] Pro deum immortalium, etiam dici Donatus ſcribit. Terent. in Phormione: Pro deum immortalium, negat Phanium eſſe hanc ſibi cognatam Demipho? Cicero in Oeconomico: Quid igitur pro deum immortalium primum eam docebas quæſo? Apertior. ] Id eſt, manifeſtioribus criminibus. Excogitatā. ] Id eſt, præmeditata, quæ extemporanea perfectior eſt. Satis eſſe arbitror demonſtratum. ] Primam partem in partitione propoſitam, abſolutam eſſe admonet. quo magis dilucida ſit oratio, quo audita facilius meminerint iudices, quo ijdem ad audienda reliqua ſint attentiores. nam etiam proponit, quod in partitione ſecundum erat. Citatum reum. ] Reum citare ſæpe Cicero dicit, pro eo quod eſt uocare in iudiciū, uel in ipſo foro appellare reum ad cauſæ actionem. Semel. ] Damnato Scamandro. Atque iterum. ] Damnato Fabricio. Integrum conſilium. ] Id eſt, tum iudices corrupti fuerunt. Conſilium pro iudicum cœtu dicit, ut pro Milone: In iudicio uero, & in eo conſilio, in quo ex cunctis ordinibus amplisſimi uiri iudicarent. Simplex cauſa. ] Cauſarum duo genera eſſe Quintil. libro 3. docet: aliæ ſunt ſimplices, quæ

unicum

*unicum ſtatum habent alia cõiuncta, quas alibi compoſitas appellat: in quibus duos uel tres ſtatus inueniri licet, ut ſi duo pluráue crimina accuſator intendat: reus autem aliud ſe non feciſſe, aliud recte feciſſe defendat. uel ſi quis duo crimina, uel omnia neget. Simplices cauſæ coniunctis & ad dicendum, & ad iudicandum faciliores ſunt: ideo iudicia certiora. Vnum crimen.] Alij uero crimen legunt. Nam ſi cauſa ſimplex eſt, unum crimẽ eſt, de quo iudices pronunciaturi ſint. Ideo uerũ crimen potius legatur. Niſi unum crimen legere malis, quod in cauſa ſimplici, quamuis de uno crimine iudicium cõſtitutũ ſit, aliquando tamen multa crimina dicuntur ab accuſatore, uel ad faciendam reo inuidiam: uel ut crimen, quod cauſæ propriũ eſt, ſit magis ueriſimile ut in hac cluentij cauſa ad ueneficij crimẽ, adiunctum eſt crimen iudicij corrupti: in Oppianici accuſatione Cannutius præter crimen ueneficij deprehenſi ſuperiora crimina dixit, quo ſit magis credibile id crimẽ ueneficij. ſed in Scamandri accuſatione, Oppianici uitam & audaciam Cannutius protulit, ideóq; uerum crimen potius legendum puto. Magnũ uſum.] Id eſt, magnam conſuetudinem & familiaritatem. Hæc Cicero dicit, ut deprehenſum uenenum faciat magis credibile. Fabricius enim, quia uenenũ dederat, cauſæ diffidebat: ideóq; operam amicorum adhibebat, ut eius cauſæ patrocinium ſuſciperet Cicero. quod autem patrocinium cauſæ eius, quam hic damnat, ſuſceperit, excuſat: quod uicinorum & amicorum precibus morem geſſerit, quòd hoc crimen tantum, tamq; manifeſtũ arbitratus non ſit. Pollicitus ijs ſum.] Hic attende perpetuam non eſſe differentiam illã à Seruio lib. Aeneid. 6. ſcriptã, Pollicemur ſponte, promittimus rogati. Hic enim rogatus pollicetur. De homine.] De Fabricio. Sicut neceſſe erat.] Nam Fabriciũ ueneni conſcium eſſe, uti erat, exiſtimabãt. Ex eodẽ municipio.] Id eſt, Aletrino. Suæ dignitatis.] Id eſt, ſui honoris. Turpe enim ſibi fore putabant, ſi Fabricius municeps ſuus etiam nocens damnaretur. Patroni omne periculum.] Nam in ſummum diſcrimẽ exiſtimationis bonæ patronũ huius cauſæ uenire neceſſe erat. Quintil. lib. 11. hanc rationem dicendi, Scamãdrum nocẽtem eſſe, dicit difficiliorem, cuius cauſam ipſe egerat. Citatus.] Id eſt, excitatus: id eſt, cauſa Scamandri appellata eſt. Cauſa inſidiarum.] Id eſt, cur ueneno Cluentium Oppianicus necare uoluerit. Hominis.] Oppianici. Surrexit.] Stat enim orator, cum dicit: ut Senator, cum dicit ſententiam. Semper equidem magno cũ metu.] Id natura inſitũ fuiſſe Ciceroni, ut initio orationis metueret, in Milonẽ diximus. Idem de ſeipſe Cicero in Diuinatione dicit de cauſa Verris: Ita deos, inquit, mihi uelim propitios, ut cũ illius tẽporis mihi uenit in mentem, quo die citato reo mihi dicendum ſit, non ſolum commoueor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco. Iam nunc mẽte & cogitatione proſpicio, quæ tum ſtudia hominũ, qui concurſus futuri ſint, quantam expectationem magnitudo iudicij ſit allatura, quantam auditorum multitudinem C. Verris infamia concitatura, quantam denique audientiam orationi meæ improbitas illius factura ſit. Quæ cum cogito, iam nunc timeo, quidnã pro offenſione hominum, qui illi inimici infenſiq; ſunt, & expectatione omnium, & magnitudine rerũ dignum eloqui poſſim. Id oratori bono honeſtum eſſe, L. Craſſus dicit apud Ciceronem lib. de Oratore 1. Mihi, inquit, quíq; optime dicunt, quíq; id facillime atque ornatiſſime facere poſſunt, tamẽ niſi timide ad dicendum accedunt, et in exordienda oratione perturbantur, penè impudentes uidentur, tametſi id accidere nõ poteſt. Id enim quiſque ut optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, uarióſq; euentus orationis hominumq; pertimeſcit. Id idem Craſſus ſe in alijs ſæpiſſime animaduertiſſe, atque in ſemetipſo expertũ fuiſſe dicit, ut in principijs dicendi exalbeſcat, & tota mente atque artubus contremiſcat. Ibidem M. Antonius probans Craſſi ſententiam, ſummos oratores in dicendi exordio commoueri dicit. Alia multa ibidem in hanc ſententiam legere licet. Vlyſſes, cuius eloquentia hybernis niuibus ſimilis erat, apud Homerum lib. Iliados 3. antequam dicere cœpiſſet, ſtetit aliquantum oculis in terram defixis, immoto ſceptro, uerecundo homini atq; imperito ſimilis. Inde factum eſt, ut Theophraſtus omnium philoſophorum ætatis ſuæ doctiſſimus, quem eloquentiſſimum fecit Ariſtoteles, cui ab eloquentia diuina inditum nomen eſt, ad populum Athenienſem, & Demoſthenes ipſe ad regem Philippum uerba facturi, deturbati uerecundia obticuerint, ut eſt apud A. Gellium. Non ingenij ſolum.] M. Antonius eodem Ciceronis lib. de Oratore 1. cur bonus orator exordio dicendi timeat diſputans: Cæterarum, inquit, homines artium ſpectati & probati, ſi quando aliquid minus bene fecerunt quàm ſolent, aut noluiſſe, aut ualetudine impediti non potuiſſe conſequi id quod ſcirent, putãtur. Noluit, inquiunt, hodie agere Roſcius, aut crudior fuit. Oratoris peccatum, ſi quod eſt animaduerſum, ſtultitiæ peccatũ uidetur. Stultitia autem excuſationem non habet: quia nemo uidetur, aut quia crudus fuerit, aut quod ita maluerit, ſtultus fuiſſe. quo etiam grauius iudicium in dicendo ſubimus. Quoties enim dicimus, toties de nobis iudicatur & qui ſemel in geſtu peccauit, nõ continuo exiſtimatur neſcire geſtum. cuius autem in dicendo aliquid reprehenſum eſt, aut æterna in eo aut certe diuturna ualet opinio tarditatis. Profiteri.] Id eſt, ſcire me ac efficere poſſe dicere & fateri. Vt profiteri ſe grammaticum, philoſophum, dicimus. Cicero in libro Tuſcul. quæſt. 2. Vt, inquit, ſi grammaticum ſe profeſſus quiſpiam barbare loquatur, aut ſi abſurde canat is qui ſe uelit haberi muſicum, hoc turpior ſit, quòd in eo ipſo peccet, cuius profitetur ſcientiam. Sic philoſophus in ratione uitæ peccans, hoc turpior eſt, quòd in officio, cuius magiſter eſſe uult, labitur: artemq; uitæ profeſſus, delinquit in uita. Dicere ſe philoſophum, pro eo quod eſt profiteri, idem in libro de Offic. 1. dicit: Quis eſt, inquit, qui nullis officij præceptis tradendis philoſophum ſe audeat dicere? Id igitur profiteri, id eſt, dicere me oratorem. Implere.] Id eſt, exequi. Id autem uirtutis eſt.] Fortitudinis, implere poſſe id quod profiteare. Impudentiæ.] Impudenter mentientis eſt, id te profiteri, quod implere nequeas. Id non efficere quod, &c.] Ad officium patroni id refertur, quod eſt perfidiæ. Nam in patronorum fide patrociniumq; clientes ſe dedunt; ut ait A. Gell. Tũ uero.] In cauſa Scamandri, poſtquam Cannutius dixit. Impudentiſſimus.] Id eſt, mendaciſſimus. Collegi me aliquando.] Id eſt, metu depoſito ad me tandem redij. Colligere ſe quid ſit, pro lege Manilia ſcribimus. Illi ætati, &c.] Id eſt, adoleſcẽtiæ. Adoleſcens Cicero Scamandrum defendit. Antequam enim profectus in Aſiam eſſet, in cauſis Romæ biennium uerſatus eſt, iamq; nomen eius in foro celebrabatur, ut ſcribit de Clar. oratoribus. Illo biennio Sext. Roſcium defendit annos 7. & 20. natus, ut eſt apud A. Gellium. Aedilitas primus eſt gerendorum magiſtratuum gradus, eam gerebant adoleſcentes. Cicero Aedilis C. Verrem accuſauit. Verre prætore antequam in Siciliam iret, ubi fuit triennium, Oppianici cauſa, paulo ante hanc Scamandri acta eſt. Ex quo relinquitur, à Cicerone adoleſcente cauſam ſuſceptam eſſe. Quod Cicero Scamandrum defenderit, quem nocentem hic fateatur, elegantiſſime adoleſcentiam ſuam accuſat, ut ait Quint. lib. 11. Alioqui enim detracturus erat plus auctoritatis, ſi in cauſa, præſertim ſuſpecta, eum ſe eſſe fateretur, qui temere nocentes reos ſuſciperet. Solere laudi dari.] Cicero libro de Offic. 2. ſcribens quæ ex re ſibi adoleſcentes parent gloriam, magnam eſſe dicit eam, quæ ex defenſione parata ſit: negatq; habendum religioni contrarium, nocentem aliquando & nefarium impiumq; defendere. nam id uult multitudo, patitur conſuetudo, fert etiam humanitas. Minus firmis.] Id eſt, malis. Non defuiſſem.] Id eſt, patrocinatus fuiſſem. Remedia & perfect.] Quibus in cauſis defendendis patro-*

ni uti ſolet, ſi cauſam minus firmam nacti ſint. Cuiuſmodi ſunt, rei ante acta honeſte uita, ab eo nunquam aliquid admiſſum, nullas interceſſiſſe inimicitias cum eo cui factæ inſidiæ dicitur, nullum ex eius cæde commodum ad reum fuiſſe peruenturum, aliaq́; eiuſdem generis. Quod timide.] Cum cæterarum rerum, tum maxime ingenij iactationem oratori fugiendam eſſe, Quintil. lib. 11. fuſius præcipit: ideoq́; Cicero ingenium ſuum in cauſis iudicialibus extenuare ſolet. Patronum defuiſſe.] Cauſæ patronus tum deeſſe dicitur, cum bene ingenioſeq́; non defendit. Apprehenderam.] Quo in defenſione uterer. An inimicitia.] Ad probandas inſidias uel cædem, inimicitiæ rei cum eo cui factæ inſidiæ, uel qui occiſus dicatur, ualent plurimum: ut contra patrono profuerit plurimum, nullas interceſſiſſe inimicitias oſtendere. ut Roſcij accuſatores eum patri inimicum dixerunt, quod à patre reus ablegatus eſſet: Cicero Clodium Miloni, non contra Milonem Clodio feciſſe inſidias probat, quod Clodij odium in Milonem maximum, nullum Milonis in Clodiũ fuerit, præter hoc ciuile odium, quo omnes improbos odimus. In ijs cauſis, quarum ſtatus coniecturalis eſt, idonea cauſa rei faciẽdæ, uel non faciendæ, multum habet momenti. Huic inimiciſſimum.] Hac ratione probabat, Oppianicum ueneni auctorẽ fuiſſe. Venturum emolumentum.] De emolumento idem ſentiendum eſt, atque id quod de inimicitijs diximus. L. Caſſius is quem populus Romanus ueriſſimum & ſapientiſſimum iudicem putabat, identidem in cauſis quærere ſolebat, Cui bono fuiſſet. Sic uita hominum eſt, ut ad maleficium nemo conetur ſine ſpe atque emolumento, ut ait Cicero pro Sex. Roſcio. Nam, ut ait idem pro Milone, boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpe paruo. Hac ratione Roſcij patrem ab accuſatoribus, non à Roſcio occiſum: inſidias non à Milone Clodio, ſed à Clodio Miloni factas oſtendit. Hominis in uxoribus necandis exercitati.] Habiti inteſtati bona ad matrem, matris (quæ Oppianici uxor erat) ad uirum uentura erant. Nam ea quoque cauſa fuit, ut uxores alias necarit. In uxoribus necandis exercitati.] Vt ante dixit, P. Canutius homo in primis ingenioſus, & in dicendo exercitatus. Libertinorum.] Libertini ſunt, qui iuſta ſeruitute manumiſſi ſunt: ijq́; dicuntur, ut ab ingenuis conditione diſtinguantur. Libertus autem, qui idem eſt, ad patronum refertur, ut filius ad patrem. Hæc ex Valla lib. 4. Sed libertinum dici inuenio, ſiue ut ad ingenuum referatur, ſiue ſimpliciter dicatur. Hoc autem loco ad patronum refertur. Sed quærebat cui patronus eſſet probatus.] Nam ſi patronus Fabricius nemini probatus fuit, ea res Scamandrum minus probabat, quod patrono improbo probatus fuerit. Magnam enim habet uim, ut ante dixit ad coniungendas amicitias, ſtudiorum ac naturæ ſimilitudo. Probatus eſſet.] Alijs in codicibus Fuiſſet legitur. Scamandro factas inſidias.] Id eſt, Scamandrum deceptum. Vt medicamentum, non uenenum.] Quia pixis in Scamandri manibus deprehẽſa eſt, quod uerisimile eſt, Cicero in Scamãdri defenſione ſecutus eſt. Cleophantus enim medicus erat. Medicamenta medici uendebant. Egit Scamander cum Diogene, ut à Cleophanto medicamenta emeret. Diogenes pro medicamento uenenum attulit, quod in Scamandri manibus deprehenſum eſt. Itaque factas eſſe Scamandro per Diogenem inſidias dicit. Hoc cuiuis uſui uenire poſſe.] Nemo enim eſt, cui illud contingere non poſſit, ut ei pro medicamẽto uenenum ab improbo medici ſeruo afferatur. Nam in alio codice Vſu, non uſui legitur. Vel intelligas, hoc medicamentum poſſe uenire, cuius non ægroto uſui: id etiam eſt, utilitati uenire poſſe. In eo commoratus eſſem.] Repeti debet uel cum dicens, uel dicendo. ſermone domeſtico dicimus id ſæpe. à Cicerone & à Liuio omittitur ſæpiſſime. Cæteraq́; eo loco ponunt ubi ponerentur, ſi id dicens uel dicendo poneretur. Quærebat &c.] Quod dixit Ciceronem inter Scamandrum & Diog. conſtitutum, ut medicamentum non uenenum afferret, id Canutius refutauit: quod abditum in locũ conueniſſent, quod ſolus ueniſſet Scamãder, quo obſignata eſſet pecunia. Per obſignatam pecuniam ſignificari putem loculos, in quibus pecunia Diogeni danda eſſet, obſignatos. Summa religione.] Hoc dicit, ut Vari teſtimonium fidelius oſtendat. Teſtes enim iurati teſtimonium dicebant. ſi ſumma religione Varus præditus erat, nunquam peieraſſet. Obſcure ferebat.] Id eſt, occultabat: ut contra, præ ſe ferre dicitur. Aderat frequens.] Nam multos aduocarat, ut eorum ſtudio gratiaq́; in liberando Scamandro uteretur. Pugnabat.] Litigabat: ut lis ipſa certamen à Quintil. ſæpe dicitur. Hoc ipſo in loco.] Id eſt, in his fori ſubſellijs. Quaſi reus ipſe eſſet.] Significat morem fuiſſe, ut reus tum ſederet cum eius cauſa ageretur. Suſpenſus.] Id eſt, dubius. ut in lib. Aeneid. 2. Suſpenſi Eurypylum ſcitatum oracula Phœbi Mittimus. Inde pendere animi dicimus. Quæ erat ſuſpicioſa.] De ueneno dato Scamãdro. Cum in conſilium iri oporteret.] Ibant in conſilium iudices, cum cauſa ab utraque parte perorata, ad ſententiam ferẽdam conueniunt. Ire ad conſilium uulgo dicunt. Hac uoce hic ſæpe utitur Cicero. Ex lege illa Cornelia.] L. Cornelium Syllam tuliſſe legem ſignificat, ut antequam iretur in cõſilium, ex reo quæſitor quæreret, clam an palàm de ſe ſententiam ferri uellet. Quæ tum erat.] Hanc legem Corneliam abrogatã fuiſſe, aut certe obſeruari deſiſſe ſignificat, cum hæc Cluentij cauſa ageretur. In hac cauſa & in ſequentibus mittebant iudices in urnam notam eam quam uolebant. Erant enim tres notæ, ut pro Milone ſcribimus: A, abſolutionis: C, condemnationis, N L, ampliationis, tanquam non liqueat. Ternas notas ſingulis iudicibus dabat is qui cauſæ præerat. ut pro Milone, literam quoque ſalutarem A, Cicero dicit à Cn. Pompeio Conſule iudicibus datam. Clam an palàm.] Clam ferre ſententiam, eſt notam in urnam mittere. palàm uero, eſt ore pronunciare. Cicero libro de Legibus tertio, ſcribens de his duobus iudiciorum generibus: Grauiora, inquit, iudicia de potentiſſimis hominibus extant uocis quàm tabellæ. Iudicia enim & ſuffragia, quæ uoce dentur, commendat, alia damnat. Reſponſum eſt.] À Scamandro. Habiti familiarem Iunium.] Hæc familiaritas auxit ſuſpicionem iudicij à Cluentio corrupti: quocirca Iunius damnatus eſt, ut poſtea dicit. Hæc autem Iunij familiaritas cauſa fuit, cur Scamander clam ferri ſententiam petiuerit, ut omnes ferrent liberius, ne qui Iunij gratia damnaſſent Oppianicum, ſi ore ſententiam tuliſſent. Prima actione.] Multis enim actionibus aliquando cauſæ agebantur, ſi erant multiplices, aut difficiles & implicatæ. ut M. Fonteij cauſa actionibus duabus peracta eſt. cauſæ Verris actiones multas fuiſſe, nemini ignotum eſt. Lege.] Lex enim nulla conſtituta erat de Oppianico: itaque adhuc de eo nihil pronunciatum eſt. In eos ſolos, &c.] Id eſt, an eos ſolos condemnarent. Habuiſſe.] Et ita deprehenſos, aut probatos. Ipſos.] Id eſt, ipſosmet. Conſilia conſcientiaq́;.] Id eſt, eos qui dediſſent conſilium, & conſcij fuiſſent. Agentes enim, ut dici ſolet, & conſentientes pari pœna puniendi ſunt. Conſcium illi facinori.] Vt lib. Epiſt. ad Atticum 12. Vides & officium agi meum quoddam, cui tu es conſcius. Maleficij conſcium paulo poſt Cice. dicit: Fabricium conſcium maleficij condemnarent. Vt autem in utranque partem conſcientia, ita conſcius dicitur. Arbitrabatur.] Scamander de Fabricio nihil confeſſus eſt. Suſpicionẽ ueneni à Fabricio accepti, auxit Oppianici cum Fabricio familiaritas. Vtq́; ei locus.] Id eſt, ut damnato Scamandro, cum recens adhuc iudicum memoria eſſet, Fabricij cauſa lege conſtituta prima ageretur. Idem paulo poſt de Oppianici cauſa dicit. Propter cauſæ coniunctionem.] Scamandri enim & Fabricij cauſæ ſunt

ita

ita coniunctæ, ut una cauſa eſſe uideatur. Impetrauit. ] A iudicibus. Hic tum. ] Cicero in hac oratione ſæpius dicit, pro eo quod eſt tum. Eſt enim hoc loco Hic aduerbium temporale. Neq; laudatoribus. ] Diximus pro Fonteio, morem fuiſſe ut Legati à municipijs, uel à prouincijs publice mitterentur cum laudatione rei, ſi is reus municipio aut prouinciæ charus eſſet, ut facilius abſolueretur. Rem integram. ] Id eſt, nondum iudicatam. Non alieni. ] Id eſt, propinqui uel amici, uel ciuis. Non extranei uulgus diceret. Quamuis. ] Id eſt, quantumuis. Humanitatis eſſe putabamus. ] Fert enim humanitas, ut ante diximus, nocentem aliquando nefariumq; & impium defendere. Itaq; Cicero in Oratione pro P. Sylla, probat uiros illos Conſulares, qui affuerunt Catilinæ, eũq; laudarunt: Nulla, inquit, tum patebat, nulla erat cognita coniuratio. defendebant amicum, aderant ſupplici, uitæ eius turpitudinem in ſummis eius periculis non inſequebantur. Iudicatam labefactare conari. ] Cum P. Sylla ambitus eſſet damnatus, L. Cæcilius eius frater legem tulit, qua minuebat ambitus pœnã eam, quæ ſuperioribus legibus cõſtituta erat, quã promulgauit non de tollenda, ſed de leuanda calamitate fratris. Res iudicatas eũ reſcindere uoluiſſe L. Torquatus accuſator dicit. Hac lege cõtendit Cicero non iudicũ ſententiã, ſed legis uitiũ corrigi. Nemo enim iudiciũ reprehendit cũ de pœna quæritur, ſed legẽ. Dãnatio enim eſt iudicũ, quæ manebat: pœna legis, quæ leuabatur. Sed fratris auctoritate deductus Cæcilius deſtitit. Status enim (inquit Cicero) Reip. maxime iudicatis rebus continetur. Neque ego tantum fraterno amori dandũ arbitror, ut quiſquã de ſalute ſuorum conſulat, communem relinquat. Rem iudicatam labefactare, & quod paulo poſt, & pro P. Sylla dicit, reſcindere, eſt quod uulgo dicunt, quaſſare, & annihilare ſententiam iudicis. Inopia. ] Quod ne à municipibus quidem ſuis opem habere poſſet. ] Ad Cepaſios fratres. ] C. & L. Cepaſij fratres fuerunt, qui multa opera, ignoti homines & repentini, Quæſtores celeriter facti ſunt, oppidano quodam & inconditο genere dicendi. Auctor eſt Cicero de Claris oratoribus. Homines induſtrios. ] Ironia eſt. Quæcunque dicendi, &c. ] Id eſt, quancunque dicendi facultatem haberent. Comparatum. ] Id eſt, conſtitutum & confirmatum. In qua ſignificatione dici, Non. Marcellus ſcribit. Turpilius, Nunquã unius me comparaui ſeruire elegantiæ. Afranius: Proba & pudica quod ſum, conſulo & parco mihi, Quoniam comparatum eſt, uno ut ſimus contentæ uiro. Difficilimus. ] Id eſt, grauiſſimus, & periculoſiſſimus. Adhibetur. ] In codice ſancti Victoris hæc aſcripta ſunt: Niſi forte hæc cauſa eſt, quod medici nihil præter artificium, oratores etiam auctoritatem præſtare debent. ſed hoc adiectitium puto. Medici itaque eſt præſtare artificium: Orator & artificium & auctoritatem præſtare debet. In oratore auctoritatem Quintilianus præcipue requirit. Vt autem facilius eſt ſolum artificium, quam artificium & auctoritatem præſtare: ita oratorem bonũ quàm medicũ inuenire difficilius eſt. Mihi certe uidetur, lectio cohærentior, ſi hoc non aſcribatur. Incipit longo. ] Imperitum oratorem Cepaſium fuiſſe dicit, quod uitioſo exordio, uitioſa narratiõe, uitioſa et reliqua oratione uſus ſit, ut cauſam Fabritij deteriorem oſtendat, quam bonus patronus ſuſcipere noluerit, quippe cum iam res iudicata eſſet. Longum exordium. Quintilianus lib. 4. uitioſum eſſe dicit. id autem longum eſt, quia etiam alte repetitum. Exordij modus, ut idem, ait, eſſe debet pro cauſa. Nam breuius ſimplices, longius perplexæ ſuſpectæq; & infames deſiderant. Eiuſq; longitudo immodica uitãda eſt, ne in caput oratio excreuiſſe uideatur. Poſtquam de re, &c. ] Finito exordio uel narraret, uel refutare cœpit. Noua quædam uulnera. ] Bonus orator ſumma diligentia cauet, ne quid dicat, quod cauſæ noceat. Hic Cepaſius noua quædam uulnera cauſæ addebat, id eſt, præter ea quæ Cannutius in accuſatione dixerat contra Fabritij cauſam, nonnulla Cepaſius dicebat quæ cauſæ nocerent. Vulnera. ] Id eſt, damnum. Nam uulnera & plagam pro damno ſæpe dicimus. Inde infligere aut inijcere ſecurim Reip. pro eo quod eſt, grauiter nocere Reip. Cicero dicit, de quo dicendi genera alibi ſcribemus. Sedulo. ] Id eſt, bona fide, & ſine dolo: unde ſedulo dicitur. Præuaricari accuſationi. ] Id eſt, partem ſuam prodere, & accuſationem adiuuare. Nam præuaricator, ut ait Vlpia. lib. Digeſt. 47. titulo de præuaricatoribus, eſt qui diuerſam partem adiuuat, prodita ſua cauſa. Quod nomen Labeo à uaria certatione tractum ait. nam qui præuaricatur, ex utraque parte conſiſtit. Callidiſſime. ] Id eſt, artificioſiſſime, ad commouendos iudicum animos, ad miſericordiam Fabritio tribuẽdam. Ex intimo artificio. ] Ea dicendi ratio quæ in rhetoricis ad Herennium repetitio appellatur, magnam habet uenuſtatem, grauitatem, & acrimoniam. Ea autem fit cum continenter ab uno atque eodem uerbo in rebus ſimilibus aut diuerſis principia ſumuntur. ut hoc loco, Reſpicite Cepaſius repetiuerat. Hanc narrationem contra fratres Cepaſios factam eſſe, eamq; introductam ad ſoluendos urbanitate iudicum animos, Quint. libro 4. ſcribit. Ideoq; lib. 6. fabulam appellat. Idem eodem lib. in primis ſubtile & oratorium eſſe dicit, falſa narrare. ut Cicero pro Cluentio narrat de Cepaſio atque Fabritio. Nam ab eo ſic eſt Fabritij fuga illa condita: Itaque cum callidiſſime ſe putaret dicere, &c. Reſpicite dubios uarioſq;. ] Duros, non dubios apud Quintilianum lego. A ſubſellijs. ] Vbi ſedebat. nam in foro ſubſellia erant, in quibus oratores, rei, teſtes, alijq; ſederent. Rideret. ] Id eſt, ridebat. Hoc dicendi genus poetis & hiſtoricis multo frequentius eſt, quàm oratoribus. Stomachari. ] Id eſt, patronus Cepaſius ſtomachabatur, & acerbe ferebat, &c. Stomachari, grauiter & acerbe ferre. ut in lib. de Offic. 3. Stomachari cœpit Cannius. Idem lib. Epiſt. familiarium 10. Iucundiſſimis tuis literis ſtomachatus ſum in extremo. Libro Tuſcul. quæſt. 4. An uero uir fortis, niſi ſtomachari cœperit, non poteſt uir fortis eſſe? Inde ſtomachus pro ira ab eodem dicitur, in eodem lib. Tractata definitione fortitudinis, intelliges eam ſtomacho non egere. Lib. epiſt. ad Quintum Fratrem tertio: Superiori epiſtolæ quid reſpondeam nihil eſt, quæ plena ſtomachi & querelarum eſt. Ad Atticum lib. 5. Multa præterea quæ tum mihi maiore ſtomacho, quàm ipſi Quinto fuerunt. Cauſam eripi. ] Id eſt, uincendi facultatem adimi. De illo loco. ] Id eſt, ab illo loco. Cætera non poſſe dicere. ] Cepaſij orationem præparatam fuiſſe, & præmeditatam ſignificat: ſed eum ita imperitum, ut aliter dicere non poſſit, quàm quo modo ſcripſerit. Collo obtorto. ] Id eſt, inuitum & reluctantem: ut Act. in Verr. 6. Quem obtorta gula de conuiuio in uincula atque in tenebras abripi iuſſit. Suo iudicio. ] Nã demiſſo capite diſceſſerat, quod cauſæ ſuæ diffideret. Quod eſt grauiſſimum. ] Suũ enim cuiuſque contra ſe iudiciũ uel teſtimoniũ eſſe debet grauiſſimum. Legis ui. ] Vel legis Corneliæ de ſicarijs & ueneficijs. Qua lege, ut ait Marcellus lib. Digeſt. 48. tenetur, qui malum uenenum necandi hominis cauſa fecerit, uel uendiderit, uel habuerit. Vel legis Q. Catuli de ui. qua lege poſtulatus eſt M. Cælius, quod Clodiam necare ueneno tentaſſet. Vel legis, cuius conſtitutione illa Fabritiorum & Oppianici cauſa acta ſit. Fabritiorum. ] Id eſt, Scamandri & C. Fabritij: ut hæres appellabatur nomine eius à quo hæres factus eſſet, ita patroni nomine libertus appellabatur. Si nocentes Fabritios. ] Argumentum à fictione eſt. Cum cæteri ſoleant. ] Nam ut ait Quintil. libro quinto de præiudicijs: Vult cognoſcentium quiſque firmam eſſe alterius ſententiã, & ipſe pronunciaturus exemplum non libenter, quod in ſe fortaſſe recidat, facit.

Et illi. ] Reliqua pars eſt segumenti à fictione. Principem ſceleris dici hic attende (cum is ee bona ferè dicatur) ut paulo poſt: An ille, qui ſe in principem maleficij lenem, in adiutorem eius & conſcios uehementiſſimum eſſe reſpondit? Architectũ ſceleris. ] Architectus is eſt, qui ædificijs conſtruendis præeſt, quem fabrum præcipuum, aut magiſtrũ operis uulgo appellant. Inde architectari, id eſt, fabricari. ut in lib. Rhetoricorum ad Herennium I. Cogitatio quamuis regionem poteſt amplecti, & in ea ſitum loci cuiuſdam ad ſuum arbitrium fabricari & architectari. Hi autem quoniam in ædificandi ratione aliquid nouum ſolent inuenire, ideo architectari eſt nouum aliquid inuenire. Cicero in libro de Finibus bonorum & malorum: An quòd ita callida etiam, ut optime poſſit architectari uoluptates? Inde architecti, fabricatores appellantur. Idem de Claris oratoribus. Omnes ferè Stoici prudentiſſimi in diſſerendo ſint, & id arte faciant, ſintq; architecti penè uerborum. Etiam in mala re architectus dicitur, pro nouo inuentore & fabricatore. Idem in Rullum in Senatu: Nunc quis'nam tam abſtruſus uſquam mi nus uidetur, quem non architecti huiuſce legis olfecerint? Idem pro Sex. Roſcio: Ex his quæ nunc maxime fiunt, non'ne quiuis poteſt intelligere, omnium architectum & machinatorem unum eſſe Chryſogonum? Qui cæteros. ] Argumentum eſt à minore ad maius. Eſt etiam Enthymema ex pugnantibus. Cæteros ] Scamandrum & Fabritium. Tum uero illa iudicia. ] A' minore ad maius argumentatur. Iudicia Senatoria Lege Sempronia Equites iudicauerunt per annos quinquaginta: deinde L. Sylla rerum potitus, ab Equitibus ad Senatores ſolos iudicia tranſtulit, ſuſtulitq; una cũ Trib. pl. poteſtatem ad populum prouocandi: ut ſignificat Cicero Actione in Verrem ſecunda. poſtea M. Aurelius Cotta prætor circa ea tempora, quibus cũ Mithridate bellum Lucullus gerebat, ad Equites Senatores & Tribunos ærarios tranſtulit iudicia. Senatoria igitur iudicia appellat, cum Senatores ſoli Cornelia lege iudicarent. Hos autem ſæpe corruptos fuiſſe, in eadẽ Actione in Verrem ſecunda Cicero dicit. Hi igitur Senatores à Cenſoribus non falſa inuidia, & uera atque inſigni turpitudine notati ſunt. Defenſioni locum nullum reliquiſſent. ] Id eſt, ob iudicandam rem pecuniam accepiſſent, & ita defenſione opus non eſſet. Nam ſi ab accuſatore accepiſſent, nulla defenſio reum liberaſſet: ſi ab reo, cum nulla accuſatio oppreſſiſſet, etiam ſi defenſus non fuiſſet. Ita igitur à minore ad maius argumentatur. Si Senatores iudices corruptiſſimi Scamandrum & Fabritium condemnaſſent, Oppianicum non abſoluiſſent. Hi igitur qui in eius cauſa iudices fuerunt, quod eum damnauerint, à Cluentio corrupti non ſunt. Eſt etiam argumentum non diſſimile ei quod eſt à fictione. Illi iudices. ] Senatores, ſi in hac cauſa iudices fuiſſent. Adminiſter. ] Id eſt, miniſter: ut ſit compoſitum pro ſimplici. alioqui adminiſter præcipuus miniſter eſt. In Catilinam Actione I. C. Manlium audaciæ ſatellitem atque adminiſtrum tuæ. Pro L. Flacco: Polemocratem ſcripſiſti mercenarium & adminiſtrum conſiliorum tuorum. Actione in Verrem 4. Rerum huiuſmodi omnium tranſactor atque adminiſter ad Sopatrum uenit. Actione 5. Ita populos habent uniuerſos non ſolum conſcios libidinis ſuæ, uerumetiam adminiſtros. Expertem. ] Id eſt, non conſcium. Reum. ] Oppianicum. Accuſatori. ] Cluentio. T. Acti. ] Hic T. Actius Cluentij accuſator eſt, de quo Cicero de Claris oratoribus: T. Actij Piſaurienſis Equitis Ro. & amici noſtri accuſationi reſpondi pro A. Cluentio, qui & accurate dicebat, & ſatis copioſe. eratq; præterea doctus Hermagoræ præceptis, quibus & ſi ornamenta non ſatis opima dicendi, tamen ut haſtæ uelitibus amentatæ, ſic apta quædam & parata ſingulis cauſarum generibus argumenta traduntur.

Num Fabritios quoque innocentes. Argumentum ex remotione eſt, ad hanc fermè ſententiam. Fabritij damnati ſunt, ergo innocentes uel nocentes. Sed non innocentes: nam eorum alter ſententijs omnibus, una excepta, damnatus eſt: alter etiam ſe ipſe condemnauit. nec iudicia hæc pecunia corrupta eſſe dicas. Relinquitur igitur eos nocentes damnatos eſſe. Sed in horum accuſatione nihil dictum eſt, præter inſidias ueneni Cluentio ab Oppianico per Fabritiũ factas. Quo fit, ut hæc duo præiudicia de Oppianico facta ſint. Ipſe ſe condemnauit. ] Cum à ſubſellijs demiſſo capite diſceſſerat. Nihil unquam aliud. ] In antiquo codice legitur, Nihil inquam aliud: quæ lectio aſpernanda non eſt. Extat memoria. ] In tabulis publicis, & ut uulgo loquuntur, in regiſtris. cauſas publicas ſcribi, morem fuiſſe Romæ hoc loco Cicero ſignificat. In maledicti loco. ] Maledicta eſſe diximus crimina ea, quæ accuſator obijcit, præter id quod cauſæ proprium eſt. Occurram. ] Id eſt, ſatisfaciam. Tranſitus eſt ad tertiam partem, quam in partitione propoſuit, iudicium pecunia tentatum: ſed ab Oppianico, non à Cluentio. Expectationi ueſtræ. ] Qui expectatis, ut exoluam me promiſſis, idq; probẽ, quod tertio loco probaturum me dixeram. Obloqui. ] Id eſt, contra me loqui, & quodammodo expoſtulare mecum. Obloqui eſt, contra aliquem loqui. T. Liuius lib. I. Vterque uociferari, & certatim alter alteri obſtrepere: coerciti à lictore, ac iuſſi inuicem dicere, tandem obloqui deſiſtunt. Inde obloqui, male dicere eſt. Plautus: Qui de altero obloqui uult, ipſum ſe contueri oportet. Confirmo. ] Id eſt, affirmo, Primum ſi incertũ fuiſſet. ] Illud à fictione argumentum eſt: Si incertum fuiſſet quã ſententiã iudices laturi fuiſſent, ueriſimilius fuiſſet iudicium corruptum ab Oppianico, qui timuiſſet ne condemnaretur: quàm à Cluentio, qui ueritus eſſet, ne Oppianicus abſolueretur. Sed cum nemini dubium fuerit, quin Oppianicum duobus iam præiudicijs condemnatum condemnaturi fuiſſent, certum eſſe debet ab Oppianico de cauſa diffidente, non à Cluentio bene omnino ſperante corruptum iudicium. Quod iudicari neceſſe erat. ] Nam præiudicia duo facta erant. Alia ratione. ] Id eſt, alio modo, quàm corrupto iudicio: Id eſt, niſi iudices corrumperet. Offendiſſet apud eos iudices. ] Id eſt, ab ijs iudicibus damnatus fuiſſet. Nam ut læditur, qui pedem ad lapidem offendit: ita qui à iudicibus damnatur, apud iudices offendiſſe uidetur. Vnum quidem certe. ] Argumentum ex remotione eſt. In eo autem argumento cum ſpecies per diſiunctiuam coniunctionem enumerantur, omnes enumerari oportet. nam ſi aliqua una omiſſa ab aduerſario animaduerſa ſit, res tota cũ riſu ſoluitur. Ideoq; illud utile eſſe Quintilianus libro quinto ait, ut duo ponantur inter ſe contraria, quorum tenuiſſe utrumlibet ſufficiat. quale, inquit, Ciceronis eſt: Vnum quidem certe nemo erit, &c. Tam iniquus. ] In codice ſancti Victoris, & in Quintiliano Inimicus, non iniquus legitur. quamuis iniquus pro inimico dicatur: ut, Fatis Iunonis iniquæ: ut ait Donatus, exponens illud ex prologo Adelphorum Terentij, Poſtquam poeta ſenſit ſcripturam ſuam ab iniquis obſeruari. Huic. ] Cluentio. De illo ipſo. ] Oppianico. nam poſtea de Oppianico, quod iudicium corruperit, ſeparatim dicet. Ego illa non argumentabor. ] Id eſt, argumentis ſequentibus non probabo. quæ ſunt: Eum corrupiſſe qui in periculo fuerit, & cætera. Eſt autem occupatio. Illa argumentabor. ] Hoc dicendi genus rarum eſt. Argumentatio, ut ait Cicero libro de Inuẽtione primo, nomine uno res duas ſignificat. Ideo quod & inuentum aliquam in rem probabile aut neceſſarium, argumentatio uocatur, & eius inuenti artificioſa expolitio. Quæ ſunt grauia uehementer. ] Id eſt, quæ ſunt efficacia, & multum habent momenti ad probandum corruptos iudices ab Oppianico fuiſſe. In alia ratione. ] Quàm in corrupto iudicio. Multa ſunt eiuſmodi. ]

Quibus

*Quibus argumentari poſſum, ab Oppianico iudicium corruptũ. Non dubium. ] Illud enim ſit argumentis, ut quod dubium eſt, per ea quæ certa ſunt probetur. Eſtq; argumentum, ut ait Quintilianus libro quinto, ratio probationem præſtans, qua colligitur aliud per aliud: & quæ quod eſt dubium, per id quod dubium non eſt, confirmat. Stathium Albium. ] Oppianicum. Te appello Oppianice. ] Apoſtrophe eſt. Oppianice. ] Filii Oppianici. Quod repetiſtis. ] Damnato enim Oppianico recuperata pecunia eſt, quæ Staleno data fuerat ad corrumpendum iudicium, ut poſtea dicet amplius. Confeſſi eſtis. ] Oppianicum Staleno dediſſe. Abſtuliſtis. ] id eſt, à Staleno domum retuliſtis. Quo ore. ] Id eſt, quo pudore. tanquam dicat, Nõ pudet uos facere mentionem iudicij corrupti. Terentius in Heautontimorumeno: Quo ore appellabis patrem mihi dare uxorem, cum uiderit me habere amicam? Idem in Eunucho, os durum, pro impudenti: ut contra mollis frontis dicuntur, qui ſunt reuerentes. Ab iſta. ] Id eſt, à ueſtra: id eſt, ab Oppianico. Iudici. ] Staleno. Quæ in diuturna obſcuritate latuerunt. ] Id eſt, quæ diu ignorata fuerunt. Sic aperiam, ut ea cernere oculis uideamini. ] Quæ pollicemur nos eſſe probaturos, ea, ut alibi dixi, fore manifeſta maxime promittamus, præcipue ſi ea ualde utilia cauſæ noſtræ ſint. Adhuc. ] Id eſt, hucuſque. Item ] Id eſt, ſimiliter. Ex eo. ] Id eſt, ex eo tempore. In iudicijs corrumpendis exercitati. ] Vt ante dixit, Oppianicum in necandis uxoribus exercitatum. Id credibile facit, quod poſtea dicturus eſt, Oppianicum Staleno dediſſe pecuniam ad corrumpendum iudicium. Tum autem. ] Id eſt, in cauſa Oppianici. Ac primum Scamandro. ] Id eſt, cum Scamander reus factus eſſet, Oppianicus dona & munera Staleno dedit, ut eo auctore uteretur, &c. Auctore. ] Id eſt, adiutore. Cupidiore. ] Id eſt, magis auaro. Hæc enim ille, &c. ] Id eſt, Stalenus aliquantum erat ad excogitãdum acutus, ad audendum impudens, &c. magis tamen eſſe ſe ſimulabat. Vt etiam beſtiæ. ] Ex comparatione fieri probationes, quæ exempli uim habeant, auctor eſt Quintilianus lib. 5. Biennio ante. ] Id eſt, Biennio antequam Oppianici cauſa ageretur. Cum cauſam bonorum Safinij. ] Crimen quod probare uolumus, fit admodum credibile, ſi aliquando ſimile dicamus admiſſum ab eo, quem id de quo quæſtio eſt, admiſiſſe dicimus. In cauſa Safinij Stalenum accepiſſe pecuniam & ſuppreſſiſſe dicit, ut magis probabile ſit, ab eodem idem factũ in cauſa Oppianici. Atellæ. ] Quod Oſcorum oppidum eſt. Cauſam recepiſſet. ] Id ante ſæpe Cicero dixit ſuſcipere cauſam, ſed alibi quoque recipere cauſam ab eo dici attendimus. ut pro Sex. Roſcio: Quæ me igitur res præter cæteros impulit, ut cauſam Sexti Roſcij reciperem? Actione in Caium Verrem quarta: Recipi enim cauſam Siciliæ. ea me ad hoc negotium prouincia attraxit.*

*A' pupillo. ] Safinio. Suppreſſit. ] Supprimere pecuniam hoc loco, & paulo poſt, eſt pecuniam alij uſui datam & deſtinatam, ſibi iniuſte retinere. Bonorum emptoribus. ]*

*Id eſt, ijs qui Atellæ Safinij bona omnia emerãt, cum hæc pecunia Safinij eſſet, nõ Staleni. Profudiſſet. ] Profundere pecuniam eſt, porrò & per luxuriam effundere, id eſt nimio ſumptu pecuniam effundere. Inde profuſi ſumptus, & profuſæ epulæ dicuntur, ut pro Publio Quintio: Fatetur ſe non belle dicere, non ad uoluntatem loqui poſſe, non ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliã deuolare, non profuſis ſumptibus uiuere, non ornare magnifice ſplendideq; conuiuium. Et pro Sex. Roſ. Hos tantos tamque profuſos ſumptus, aut facient aut approbabunt. Pro L. Murena: Odit pop. Rom. priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit: non amat profuſas epulas, ſordes & inhumanitatem multo minus. Ad cupiditates. ] Id eſt, ad libidinem ſuam. Reliquiſſet. ] Nam illud Plautinum omnino uerisſimum eſt, Male partum male perit. Nihil eſſe uerius exiſtimamus, quàm quod Seruator noſter dixit. eius autem in Euangelio illa uerba ſunt: Qui non congregat mecum, diſpergit. Iugulatum. ] Id eſt, condemnatum. ut pro Milone: Quod ſi ita putaſſet, certe optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio, non ſemel ab illo, neque tum primum petitum: quàm iugulari à uobis, quia ſe illi non iugulandum tradidiſſet. In Verrem actione quinta: His te liberis homo audaciſſime atque amentiſſime iugulatum ſentis? Saluti deſperare. ] Vt in oratione Poſt reditum in ſenatu: Bonoſq; uiros lugere malui meas fortunas, quàm ſuis deſperare. Dicimus etiam deſperare ſalutem, ut pro L. Murena. Simulatq; candidatus accuſationem meditari uiſus eſt, ut honorem deſperaſſe uideatur. Et pro Milone: In quos incenſos ira, uitamq; domini deſperantes cum incidiſſet, hæſit in his pœnis, quas ab eo ſerui fideles pro domini uita expetiuerunt. Libro Epiſtolarum ad Atticum ſeptimo: Breuiloquentem iam me tempus ipſum facit, pacem enim deſperaui. Rationem. ] Id eſt, uiam & modum. Grauari. ] Id eſt, dicere id ſe non libenter facere. Id enim callidi hominis & malitioſi eſt, ut quod maxime uelit, id uelle ſe diſſimulet, quo id maiore pretio efficere poſſit. ut in libro de Officijs tertio: Pythius Syracuſanus magnificam uillæ ſuæ opportunitatem malitioſe Cannio oſtentat. Incenſus Cannius cupiditate, contendit à Pythio ut uenderet. Grauate ille primo. Quid multa? impetrat. emit homo cupidus & locuples tanti, quanti Pythius uoluit. Grauari autem, pro eo quod eſt inuito & non libenter aliquid facere, dicitur. ut in libro de Amicitia: Ego uero non grauarer, ſi mihi ipſe confiderem. Virgilius libro Aeneidos decimo, hoc uerbum cum accuſatiuo poſuit: Cui Iuno illachrymans, quid ſi quæ uoce grauaris, Mente dares? T. Liuius libro 24. grauor mittere dixit: Tum ait illis, ſi ad Conſulem grauarentur mittere, ſibi ſaltem darent populi conſilium, ut ſciretur uerũ paucorum ea denunciata, an uniuerſæ ciuitatis eſſent. Inde grauate, id eſt non libenter. Idem libro tertio: Qui cum haud grauate ueniſſent. Idem libro 21. Reguli Gallorum caſtris ad Illiberum extemplo moti, grauate ad Pœnum uenerunt capti donis. Idem libro 32. Caduceator ab rege uenerat, locum & tempus petens colloquio. Id grauate conceſſum regi eſt. Idem libro primo grauatim dixit, quod rarius eſt: Haud grauatim ſocia arma Rutulis iunxit. Offenſionem. ] Id eſt, ne quid ſibi noceretur ad Aedilitatem adipiſcendam. Offenſio enim pſ̃a ſiue dicitur. Initio permagnam pecuniam. ] Nam ut ait Quintilianus, iniquum petendum eſt, ut æquum feras. Quod confici potuit. ] Id eſt, ad æquam pecuniæ ſummam. Impuriſſimus. ] Id eſt, auariſſimus. Terentius in Adelphis: Obſecro hercle hominem iſtum impuriſſimũ quàm primum abſoluito te. Alioqui impurus pro improbo ſæpe dicitur. Suis rationibus utilius. ] Id eſt, ſibi cõmodius: ut ſit ducta tranſlatio ex mercatorum, eorumue qui aliena gerũt negotia, rationibus. hi enim ſuas rationes dicunt. Iudicibus diſpertiendam. ]*

*Vt ſex & decem iudices haberent ſinguli quadragena millia. tot enim iudices corrumpendi erant, qua ratione diſpertita eſſet tota pecunia. Recordari C. Staleni uitã. ] Hoc dicit, ut credibile ſit quod de Staleno dicit. Ex ante factis uitã hominis ſpectandã eſſe, ut res fiat probabilis, in libro Rhet. ad Herenniũ 2. traditum eſt. Perfidioſus. ] Magis eſt, quàm perfidus. Inaniſſimus. ] Id eſt, pauperrimus. ut etiam uacuus à Iuuenale Satyra tertia pro paupere dicitur: Cantabit uacuus coram latrone uiator. Alioqui inanis dicitur ſpoliatus, ut ager ſpoliatus aratoribus. Actione in Verrem quinta: Vnus ager Agyrinenſis 170. aratoribus inanis cum ſit, uos coniecturam totius prouinciæ non facietis? Itemq;: Deſertas arationes, inanes agros, prouinciã miſeram perditamq; offendi. Exinaniti iti-*

*dem ab eodem, eodem in libro dicuntur: Electos aratores eſſe dico, agros uectigales uexatos, atque exinanitos à Verre. Et in Diuinatione: Siciliam prouinciam C. Verres per triennium depopulatus eſſe, Siculorum ciuitates uaſtaſſe, domos exinaniſſe, fana ſpoliaſſe dicitur. Idem actione quarta, equeſtris ſtatua equum inanem appellat, unde ſtatua deiecta ſit: quemadmodum Actione ſexta: Inanem baſim Tyndaritani deiecerunt in foro, & eadem de cauſa equum inanem reliquerunt. Cum inanis eſſet baſis, & in ea P. Africani nomen inciſum.* Malitiam. ] *Id eſt, fraudem.* Dem'ne iudicibus. ] *Mimeſis eſt. Eam eſſe dicit Donatus in Phormionem Terentij, ubi non uerba modo, uerumetiam geſtum uocemq; fingimus alienam. Eſt itidem proſopopœia. Ea auditores magis commouet, quàm ſi uerbis ſuis id Cicero dixiſſet.* Præter periculum & infamiam. ] *Magna Staleni auaritia eſt, qui cum pecunia periculum infamiamq; comparans, ijs pecuniam anteponat.* Mihi igitur ipſi, &c. ] *Id ſignificat quod uulgo dicunt, nõ poſſum niſi ſubire periculum & infamiã.* Oppianico damnari neceſſe ſit. ] *Neceſſe eſt, licet, fas eſt Oppianico uel Oppianicũ damnari, utrunque dicimus: ſed per datiuum locutio frequentior eſt. ut, Mihi iuſſa capeſſere fas eſt.* Siquis eum forte caſu, &c. ] *Id eſt, ſi forte abſolutus fuerit.* Nonne reddẽdũ eſt. ] *Quod ab Oppianico accepi.* Præcipitantẽ, &c. ] *Id eſt, periclitantem, & quaſi ruentem impellamus. ut Labantem quàm firmum ſternere, ita periclitantem reum quàm non uocatum in iudicium iudicio opprimere facilius eſt.* Capit hoc conſilium. ] *Id eſt, hoc proponit, hoc conſilium inuenit.* Graues homines. ] *Id eſt, integros & incorruptos iudices.* Sua ſponte. ] *Id eſt, ſine pretio, & ex æquitate cauſæ.* Seuere iudicaturos. ] *Id eſt, damnaturos.* Deſtitutione. ] *Deſtitutus hoc loco ſæpe dicitur is, cui quid promiſſum ſit, nec promiſſum fiat. ut libro de Officijs primo: Magisq; ille cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur.* De ſtitutione igitur. ] *Id eſt, quod promiſiſſet Oppianicus pecuniam, ſed non tradidiſſet.* Iratos redderem. ] *Hoc dicit, ut libro Epiſtolarum familiarium 15. reddere amicum: Si alij Conſules eſſent, ad te potiſſimum Paule mitterem, ut eos mihi quàm amiciſſimos redderes.* Præpoſterus. ] *Id eſt, impurus & perditus.* Nihil quæſierat. ] *Id eſt, quæſtum nullum fecerat.* Leniter. ] *Id eſt, paruo negotio, & facile.* Quid tu. ] *Quintilianus in lib. 4. præcipiens licere aliquando in narratione uti proſopopœia. hoc Staleni Bulbiq; colloquio id probat, quod ad credulitatem & fidem cõfert plurimũ.* Ecquid. ] *Id eſt, nunquid aliquantum?* Ne gratis Reipublicæ ſeruiamus. ] *Nam lege Cincia cautum erat, ne quis ob orandam cauſam, aut iudicandam, domum munus'ue acciperet, ut in Commentarijs de Senectute ſcribimus.* Quo uoles, inquit, ſequar. ] *Id eſt, faciam quod uolueris: impera, faciam.* Cæteros. ] *Iudices ſcilicet.* Conſueſſet. ] *Alijs in cauſis, id eſt, quos facile corrumpi poſſe cognoſceret.* Conditor. ] *À condiendo conditor media ſyllaba acuta dicitur. alluditq; ad bulbum, quod genus quoddam ceparum eſt, aſcaloniæ ſimile. Eorum igitur acrimonia temperatur, cum aqua aſpergitur. In Bulbo & Gutta locatur, ut hac urbanitate opportuna iudicum animos reficiat. Huius autem modi iocos etiam ex nominibus duci ſcribit Quintilianus libro ſexto, ut cum Cicero dixit actione in Verrem tertia: Malum ſacerdotem, qui tam nequam Verrem reliquiſſet. quia Sacerdoti Verres ſucceſſerat. Præbet aliquando, ut idem ait, occaſionem quædam felicitas hoc quoque genere bene utendi, ut pro Cecina Cicero in teſtem Sextum Clodium Phormionem: Nec minus niger, inquit, nec minus confidens, quàm eſt ille Terentianus Phormio.*

Minime amarus. ] *Bulborum multa ſunt genera, de quibus uolumen unum condidit Pythagoras philoſophus. Bulbos omnes acrimoniam habere, Dioſcorides libro ſecundo ſcribit. Nulli tamen nim aſperiorem eſſe, quàm ei quæ ſcylla dicitur, quæ exacuendo aceto adhibetur: Plinius libro nono auctor eſt. In loco autem perſiſtit.* Viſus eſt. ] *Id eſt, apparuit, creditus eſt: aut ad guſtum retulit, quod oculorum proprium eſt Donatus exponens illud ex Hecyra Terentij, Matris uox uiſa eſt Philomenæ: Omnia, inquit, quæ ſenſu percipi poſſunt, uiſa dicimus. Virgilius, Viſæq; canes ululare per umbram. Ibidem quoque Terentius hoc dicendi genere uſus eſt, Audiſſe uocem pueri uiſus eſt uagientis. Et in Eunucho, Audire uocem uiſa ſum modo militis.* Aliquid ſpeculæ deguſtarat. ] *Id eſt, paruam aliquam ſpem ex reſponſo Guttæ acceperat. A ſpe dicta eſt ſpecula, ut à re recula, à die diecula. Spe gulæ, non ſpeculæ, in codice manu ſcripto inuenio ſcriptum.* Deguſtarat. ] *In loco perſiſtit.* Interceſſerat. ] *Id eſt, præterierat: ut antea. Dies nondum decem interceſſerant, cum ille alter filius infans necatur.* Res parum certa. ] *Id eſt, promiſſa pecunia incerta.* Sequeſter. ] *Apud quem promiſſa pecunia deponeretur. Nam facto iudicio, neque à Staleno neque ab Oppianico exigere pecuniam Bulbus, Gutta, alijq; auſi fuiſſent.* Confirmator. ] *Id eſt, qui habere ſe pecuniam affirmaret, ſeq; traditurum iudicibus promitteret, ſi abſolutus Oppianicus eſſet. Id eſt quod uulgo dicunt, qui faceret bonum de pecunia.* Cognomen. ] *Id autem eſt, quod ab euentu impoſitum eſt, uel quod quis ſibi ſumpſit: nõ autem agnomen eſt, ut grammatici uel doctiſſimi tradunt.* Ex illis imaginibus Aeliorum. ] *Aeliorum familia Romæ fuit clariſſima, ex qua fuit Sextus Aelius Catus. de quo illud Ennij eſt, Egregie cordatus homo Catus Aelius Sextus. Nobiliſſimæ cuiuſque familiæ ille fuit mos, ut eorum qui ex ea familia eſſent, imagines in atrio haberentur. de quo more in Milonianam ſcribimus. Earum imaginum tituli erant, ut ſciri poſſent, quorum eſſent imagines. Hoc loco conijcere licet, ex hac familia fuiſſe aliquẽ Aelium cognomine Paetum, quo ſe cognomine appellari uoluit Caius Aelius Stalenus. Non fuit Stalenus. de Aeliorum familia, de quo Cicero de Claris oratoribus: Caius, inquit, Stalenus, qui ſe ipſe adoptauerat, & de Staleno Aelium fecerat, feruido quodam & petulanti & furioſo genere dicẽdi fuit. quod quia multis gratum erat & probabatur, aſcendiſſet ad honores, niſi in facinore manifeſto deprehenſus pœnas legibus & iudicio dediſſet.* Ne ſi ſe Ligurem feciſſet. ] *Id eſt, Ligurem ſe appellaſſet.* Nationis magis ſuæ. ] *Stalenũ genere Ligurem fuiſſe ſignificat, ideoq; fallacem. Ligures autem omnes fallaces ſunt, ſicut ait Cato in libro Originum ſecundo: auctor eſt Seruius. Itaque apud Virgilium libro Aeneidos 11. Camilla Auno: Vane Ligur, inquit, fruſtraq; animis elate ſuperbis, Nequicquam patrias tentaſti lubricus artes, Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno. Eſt autem Liguria Italiæ pars, Appennino maiore ex parte coniuncta.* Generis. ] *Id eſt, familiæ, unde eſt.* Quærunt. ] *Iudices ſcilicet, ij quos appellaut.* Planus. ] *Planus prima breui proprie eſt, qui hominibus ſui generis, ſui ordinis imponit: ut Stalenus iudicibus corruptis hoc loco imponit. Planum fuiſſe hominem quendam, qui ſolebat fallere eos, quorum in uehicula tolli noluiſſet, ut fingeret ſe crus fregiſſe, Acron ſcribit in Commentarijs in lib. Epiſt. Horatij primum.* Quæſtu iudiciario paſtus. ] *Id eſt, nutritus lucro, quod fecit iudicijs corruptis. Ita enim paſtus in re mala dicitur, cum ad homines refertur. ut pro Milone: Quos P. Clodij furor rapinis & incendijs, & omnibus exitijs publicis pauit. Et in lib. de Offic. 2. Iuſtitia ad rem gubernandam neceſſaria eſt: cuius tanta uis eſt, ut ne illi quidem qui maleficio & ſcelere paſcũtur, poſſint ſine ulla particula iuſtitiæ uiuere. Paſcere pro oblectare animum, & reficere dicimus. ut in lib. Epiſt. ad Atticum 4. Ego hic paſcor bibliotheca Fauſti. Virg. 1. Aeneid. Animum*

pictura

pictura paſcit inani. Quem condiderat.] Id eſt, ſuppreſſerat, & domi occultauerat. Incubaret.] Id eſt, inhiaret, in eamq́; pecuniam cogitationem totam collocaret, ab eaq́; ne dormiens quidem diſcederet: id eſt, ſumma diligentia cuſtodiret, parceretq́;, quod cupidi pecuniæ & auari ſolent facere. Virgilius in libro Georgicorum 2. Condit opes alius, defoſſoq́; incubat auro. Quintilianus libro 10. Qui, inquit, ſcierit quo ſint quæque modo dicenda, niſi tãquam in procinctu paratam quidem ad omnes caſus habuerit eloquentiam, uelut clauſis theſauris incubabit. Indormire pro incubare, Horatius dixit, ſcribens contra auaros libro Sermonum 1. Tantalus à labris ſitiens fugientia captat Flumina, quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur, congeſtis undique ſaccis Indormis inhians, & tãquam parcere ſacris Cogeris. Contrahit frontem.] Id eſt, triſtem ſe eſſe ſimulat. Frons enim triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeueritatis index eſt, ut ait Plinius libro undecimo. Ideoq́; explicare frontem & exporrigere, pro lætari & exhilareſcere dicimus. Contrahere animum etiam dicimus, id eſt, triſtem eſſe, Cicero in libro Tuſculan. quæſtion. 3. Hoc detracto, quod totum eſt uoluntarium, ægritudo erit ſublata illa mœrens: morſus tamen & contractiuncula quædam animi relinquentur. Et libro quarto. Itaque hæc prima definitio eſt, ut ægritudo ſit animi, aduerſante ratione contractio. Et libro primo: Quanquam hoc quidem nimis ſæpe, ſed eo quod in hoc ineſt omnis animi contractio ex metu mortis. Recordamini faciem.] Rem ſub oculos iudicum ſubijcit. Totus ex fraude & mendacio factus.] Id eſt, fraudulentus omnino et mendax, qui nihil in ſe habet præter fraudem & mendacium, tanquam ex his corpore & animo conſtet. Studio atque artificio.] Vt bona, ita mala quæ nobis à natura inſunt, uoluntate, uſu, & conſuetudine augentur. Studium & artificium hic in mala re dicuntur, quamuis in re bona dicantur ſæpius. Malitiæ.] Id eſt, calliditatis & uerſutiæ. hac in re malitiam à Cicerone ſæpius dici attendimus. Palàm laturi.] Pronunciando ſententiam, non notas in urnam mittendo: ut ante dictum eſt. In conſilio.] Id eſt, in iudicum cœtu. Occultanda.] Cauſa Oppianici & iudicum nummariorum. Senſiſſet.] Id eſt, olfeciſſet, ut in metaphora perſiſtat. A canibus facta ratio eſt, qui res etiam latenter occultas olfaciunt. Eadem tranſlatione uſus eſt Cicero in diſſuaſione legis agrariæ Rulli in Senatu: Nunc quiſnam tam abſtruſus uſquã nummus uidetur, quem nõ architecti huiuſce legis olfecerint? Neque dum.] Id eſt, nondumq́;: quemadmodum nec ullum, & nec unquam Cicero dicere ſolet, nonnullumq́; & nunquamq́;. Placuit.] Canutio & Cluentio: id eſt, optare ſe dixerunt, ut repente pronũciaretur, ſi iudices uellent. Repente.] Illico poſt peroratam utriuſque partis cauſam. Significat non ſemper fieri ſolitum, ut eodem die pronunciaretur, quo cauſæ agerentur. Ideo in cauſa Milonis lege conſtitutum eſt, ut eodem die iudicaretur, quo accuſator & reus dixiſſent. Triginta & duo.] Hoc loco attende, perpetuum non eſſe quod præcipiunt Grammatici de nominibus numerum ſignificantibus, ut tantum dici liceat duo et triginta, uel triginta duo. Triginta & duo iudices erant in cauſa Oppianici. In cauſis ſingulis certus erat iudicũ numerus, ſed idem numerus in omnibus non erat, ut pro Milone iudices fuerunt 71. in cauſa Clodij de inceſtu 55. in cauſa Oppianici 32. ut dixi. Decem & ſex.] Dicimus enim ſex & decem, & ſedecim. Abſolutio confici poterat.] Auctore M. Cælio in epiſt. quadam ad Ciceronem, legis unum & centeſimum caput erat: Quod eorum iudicũ maior pars iudicarit, id ius ratũ eſto. Quadraginta millia nummum.] Priſcianus lib. 7. de ſyncopa nominum ſcribens, hoc loco legit quadragena: itaq́; in antiquis codicibus inuenio ſcriptum, idq́; melius. nã in re pari uſurpari ſolent nomina numeralia: cuius generis ſunt, bina, terna, quaterna, dena, uicena, tricena, quadragena, &c. Sexcẽta & quadraginta millia.] Hic igitur dicit quadragena millia nummum in ſingulos iudices diſtributa: id eſt, ut uulgo loquuntur, unicuique iudici data quadraginta millia. Eum numerũ.] Decem & ſex iudicum. Ad cumulum.] Id eſt, ad numerum 16. iudicum. Septimadecima.] Ita minor numerus uſque ad uiginti præponi ſolet, quãuis huius ætatis non indocti poſtponant, quod ex imprudentia fieri arbitror. Septimadecima accederet.] Vt à maiore parte ſententia ferretur. Quod illud repente erat factum.] Niſi enim repente factum fuiſſet iudicium, Stalenus, quippe cũ diem ſciſſet, non abfuiſſet. Hoc.] Id eſt, Stalenum abeſſe. Conuicium fecit.] Id eſt, conuiciatus eſt. ut in lib. Epiſt. ad Att. 1. Hic tibi roſtra Cato aduocat, & conuicium Piſoni Conſuli mirificum facit. Et lib. 16. Hæ congiarium ab Antonio accipere noluerunt, ut hic quidem narrat, & ei conuicium grande fecerunt, concionantemq́; reliquerunt. Quæſtionis.] Id eſt, cauſæ. Ideo autem Iunio conuicium Quintius fecit, quòd cauſæ quæſitor erat. Per uiatores.] Per quos Stalenum Quintius aduocabat. Id agi.] Vt Stalenus adeſſet. Conſulto.] Id eſt, dedita opera, tanquam Cluentij conſilio uiatores morarentur. E publico iudicio.] Iudiciorum duo ſunt genera, publicum & priuatum. Publica ſunt ea, quorũ executio cuiuis ex populo plerunque datur: cuiuſmodi ea ſunt quæ legibus Iulijs maieſtatis, de adulterijs, de ui publica ſeu priuata, peculatus, repetundarum, ambitus, de annona, de reſiduis: lege Cornelia de ſicarijs & ueneficijs, de falſis: lege Pompeia de parricidijs conſtituta ſunt, ut eſt in libro Inſtitutionum Iuſtiniani quarto, de iudicijs publicis. Priuata uero iudicia ſunt, quorũ actio certis quibuſdam perſonis conſtituta eſt, ut de re pecuniaria, de hæreditate, de locato et conducto, &c. Soli enim petitori, aut eius procuratori agere licet. Pro poteſtate.] Nam Trib. pleb. erat. Dimitti iuſſit.] Id eſt, ut uulgo dicunt, ceſſare fecit. Dimittere iudicium, ut Senatum dicimus. Ad ſubſellia.] Subſellia iudicum dici, hoc loco attendendum eſt, quemadmodum Senatorũ ſubſellia idem appellat, libro ſecundo in L. Catilinam: Princeps eius ordinis partem illam ſubſelliorum, ad quam ille acceſſerat, nudam atque inanem reliquerat. Vt iudicũ ſubſellia, ita quæſitoris tribunal, idem in Vatinium appellat: Quæro ex te, inquit, num quis reus poſt urbem conditam in tribunal ſui quæſitoris aſcenderit, eumq́; ui deturbarit, ſubſellia diſſiparit, urnas deiecerit? Subſellia quoque Tribunorum, Triumuirorum, Quæſtorum & huiuſmodi minora iudicia exercentium eſſe, qui nõ in ſellis curulibus, nec in tribunalibus, ſed in ſubſellijs conſidebant: Aſconius teſtis eſt in Diuinationem Ciceronis. Quæ tum erat poteſtas.] Ex lege Cornelia, ut ante dictum eſt. Numarij.] Præmio corrupti. Vt qui accipere in campo.] Quintilianus libro quinto, poſtquã præcepit de probatione, quæ exemplo fit: Proximas, inquit, exemplo uires habet ſimilitudo, præcipueq́; illa, quæ ducitur citra ullam tranſlationum mixturam, ex rebus penè paribus: ut qui accipere in campo conſuerunt, &c. In campo.] Martio, ubi ſuffragijs populi fiebant magiſtratus. Ecce.] Id eſt, de improuiſo. Proprium hoc Ciceronis eſſe in rebus improuiſis, ut Ecce dicat, quod cum cura Vergilius & legit & tranſtulit, Aſconius ſcribit in actionem in Verrem ſecundam. Sententia igitur eſt: Inſperata res fuit, & uiſa eſt, quaſi (ut cum uulgo loquar) miraculoſa, quòd facta ſortitione iudices nummarij dicturi fuerint ſententiam primi. Tibi.] Ornatus gratia, aut (ut uerius dicam) ex quodam uſu dicendi hic ponitur, ut mihi, nobis, uobis. Sortitio.] Obſeruari illud ſignificat, ut cum lege Cornelia petiuerat reus, ut palàm ferretur ſententia, ſortitio fieret, quis ordo ferendarum ſententiarum eſſet, idem ſignificat actione in Caium Verrem ſecũda, de hoc Oppianici corrupto iudicio: Inuenti

*ſunt, inquit, Senatores, qui Caio Verre Prætore urbano ſortiente exirent in eum reum, quem incognita cauſa condemnarent. Nam alia iudicum ſortitio erat, quæ ante cauſæ actionem fieri ſolebat, de qua alio loco dicemus.* Ex uetere illa diſciplina iudiciorum.] *Id eſt, boni iudices, quales fuerunt ueteres. Antiqui enim meliores omni memoria æſtimati ſunt. Demea apud Terentium in Adelphis Hegionem laudans: Eſt, inquit, homo antiqua uirtute & fide.* Non liquere.] *Quibus ſatis cognita cauſa non erat, in ferenda ſententia neque damnabant, neque abſoluebant, ſed non liquere dicebant, quæ ſignificatio ampliationis erat, id eſt, ut amplius cauſa ageretur.* Alij.] *Id eſt, numarij.* Superioribus.] *De Scamandro & Fabritio.* Quinque omnino fuerunt.] *Quinque iudices dixerunt nõ liquere, quinque abſoluerunt, & reliqui omnes damnauerunt.* Sine imprudentia.] *Illam Oppianici per quinque iudices abſolutionem extenuat.* Ambitione.] *Id eſt, gloriæ cupiditate, quòd clementes humani & miſericordes uulgo uiderentur, ſi nocentem reum abſoluerent.* Concionum uentos colligere.] *Id eſt, in concione ſe iactare & gloriari. ut apud A. Gellium libro 1. de iactabundo adoleſcente: Has ille inanes cum flaret glorias. Inde uentoſus, popularis gloriæ cupidus, & rerum ſuarum nimius iactator dicitur. Cicero lib. Epiſt. famil. 11. In primis rogo te ad hominem uentoſiſſimum Lepidum mittas, ne bellum nobis redintegrare poſſit Antonio ſibi coniuncto. Et Philippica 11. Extraordinarium ſemper imperium populare atq; uentoſum eſt.* Ex inuidia Senatoria.] *Id eſt, quam Senatui faceret. Soli enim Senatores tum iudicabant, lege Cornelia. Nam Equitibus, qui Sempronia lege, ut diximus, iudicabant, ademit iudicandi poteſtatem, propterea quòd in bellis ciuilibus Cinnam ſecuti fuerant.* Poſſet creſcere.] *Id eſt, ampliorem ſibi gloriam apud Quirites quærere.* Concio.] *Id eſt, ad populum oratio.* Clamitabat.] *Probat Cicero C. Iunium concitato populi furore, magis quàm probato ullo ſcelere damnatum fuiſſe.* Agi fortunas omnium.] *Id eſt, quæſtionem eſſe de fortunis ciuium omnium. Illud artificioſum eſt, ut id quod ſuademus, aut diſſuademus, quod accuſamus, aut defendimus, ad uniuerſos, aut ad Rempub. pertinere dicamus.* Nulla eſſe iudicia.] *Id eſt, in iudicijs omnibus corruptos eſſe iudices.* Qui pecunioſum.] *C. Verre Prætore acta eſt cauſa Oppianici. In Verris accuſatione quæ iudicij opinio fuerit, Cicero ſcribit Action. in Verr. ſecunda: Inueterauit, inquit, iam opinio pernicioſa Reipub. uobiſq; periculoſa, quæ non modo Romæ, ſed & apud exteras nationes omnium ſermone percrebuit, his iudicijs, quæ nũc ſint, pecunioſum hominem, quamuis ſit nocens, neminem poſſe damnari.* Cauſam illam totam.] Corrupti iudicij. Ad ſe depoſcere.] *Id eſt, ſuæ cognitioni & iudicio reſeruari. uel depoſcere, id eſt, ad iudicium poſcere: ut in oratione Poſt reditum in Sen. Duas partes eſſe in Rep. cum putaretur, alteram me depoſcere propter inimicitias, alteram timide defendere propter ſuſpicionem cædis putabatur. Et pro M. Cælio: Hac lege Cælij adoleſcentia non ad Reip. pœnas, ſed ad mulieris libidines & delicias depoſcitur.* T. Anni.] *Licet coniectare fuiſſe hunc, à quo T. Annius Milo adoptatus ſit.* Ab Oppianico.] *Priuſquam in exilium abiret: uel ab Oppianici filio, quem pecuniam repetiſſe atque abſtuliſſe antea dixit.* In forum.] *Id eſt, in iudiciũ.* Staleni perſonæ.] *Perſonam uiri hoc loco attende dici, contra aliquorum opinionem.* Ab nulla turpi ſuſpicione abhorrebat.] *Id eſt, nulla turpitudo tanta erat, cuius à ſuſpicione abhorreret. Staleni turpitudinem etiam populo notam dicit, ut magis credibile faciat, hunc ab Oppianico accepiſſe pecuniã ad corrumpendum iudicium.* Pro reo pronunciaſſet.] *Quamuis ita in omnibus exemplis ſcriptum inueniam, tamen Promiſiſſet potius quàm Pronunciaſſet legendum putem.* Neque enim docebantur.] *Id autem L. Quintius in concione celabat: aut quia ita eſſe non putabat, aut quia id cauſæ eius aduerſum erat.* Itaque confiteor.] *Ordo eſt: Confiteor ſummam inuidiam famamq; conflatã illi, quòd non modo uita Oppianici, &c.* Quod Oppianici non modo uita.] *Cauſas enumerat, cur inuidia apud pop. Rom. Cluentio conflata ſit: quæ quia iniquæ ſunt, iniquitatem inuidiæ oſtendunt.* Cauſam ageret.] *Apud populum.* Summa poteſtate.] *Id eſt, tribunitia: quæ apud pop. Rom. ſumma erat.* Illi.] *Cluentio. uel illi, id eſt, ibi, id eſt in foro: ut ſit illi aduerbium locale, quo uti Terentium & Virgilium Donatus adnotat. In Adelphis: Ego illi maximam partem feram. In Phormione: Interea dum ſedemus illi, interuenit adoleſcens quidam lachrymans. In ſecundo Aeneid. Illi mea triſtia facta, Degeneremq; Neoptolemum narrare memento. Cur autẽ illi ita dici poſſe mihi uideatur, niſi illic legatur, cauſa eſt, quòd Cicero litigatorem ſuũ per pronomen Hic, aduerſarium per pronomen Ille ſignificare ſolet.* In hanc flammam inuidiæ.] *Perſiſtit in metaphora. nam conflatam inuidiam dixerat. Flammam inuidiæ Cicero dixit in libro de Oratore tertio: Sulpitius autem, qui in eadem inuidiæ flamma fuiſſet, quibuſcum priuatus cõiunctiſſime uixerat, hos in Tribunatu ſpoliare inſtituit omni dignitate. Flammam belli idem dicit lib. Epiſt. famil. 16. Incidi in ipſam flammam ciuilis diſcordiæ, uel potius belli. Inde flagrare inuidia, de quo poſtea dicemus.* Quæſtioni.] *Id eſt, cauſæ.* Aedilitium.] *Id eſt, qui ædilitatem geſſerat.* Non diſceptatione, &c.] *Id eſt, ſine ulla cauſæ actione.* Sed clamore hominum.] *Iudicibus aduerſus reum concitatis, patrocinio locus facilis non eſt. Vt cum Socratis iudicium ageretur, in ſuggeſtum Plato aſcendit, ut eum defenderet. cumq; illud dixiſſet, Minor natu cũ ſim uiri Athenienſes his omnibus qui tribunal aſcenderunt: à iudicibus interpellatus, deſcendere iuſſus eſt. Eſtq; Socrates 280. ſententijs damnatus.* De ciuitate.] *Id eſt, in exilium. Nec de ciuitate, pro eo quod eſt de urbe intelligas, ſed de iure ciuitatis. Nã iure ciuili Romanorum nulli duarum ciuitatum ciuem eſſe licebat. Igitur cum quis in exilium mittebatur, Romanam ciuitatem prius non amittebat, quàm in aliam aſcitus eſſet. qua de re aliàs amplius.* Pœniset.] *Id eſt, inutile & incommodũ eſt. ut in 1. Aeneidos: Officio nec te certaſſe priorẽ Pœniteat. Id autem magis placet, ut pœnitere hoc loco in ea re dicatur, quàm pro eo quod eſt, parum uideri aut pudere & tædere. Hoc autem dicendi genus pœnitet defendere attendendum eſt, propterea quòd pœnitet defendiſſe dici ſolet, itaq; dicendum Grammatici præcipiunt.* Ab illis quorum, &c.] *Id eſt, à multitudine, quæ circunſtat, quæ iudicatura non eſt.* Tum.] *Id eſt, recenti inuidia.* Si dicerem, &c.] *Tempus pro tempore poſitum eſt: id eſt, ſi dixiſſem, auditus non fuiſſem.* Tum denique.] *Id eſt, tum demum, tum primum.* Duobus proximis præiudicijs.] *Nam damnato Scamandro, locus primus Fabritio datus eſt: quo itidem damnato, cauſa Oppianici prima acta eſt.* Dies.] *Id eſt, tempus, aut temporis longinquitas.* Oratio mea deprecata eſt.] *In exordio.* A ueritatis diſcep.] *Nam qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira atque miſericordia uacuos eſſe decet. haud facile animus uerum prouidet, ubi illa officiunt: ut ait Cæſar apud Saluſtium. De reliquis animi perturbationibus, idem ſentire licet. Qui igitur de ueritate diſceptant, eos à ſe inuidiam reijcere æquum eſt.* Grauiſſimis criminibus accuſabam.] *Hæ duæ Cluentij & Oppianici proſopopœiæ plus habent uirium, quàm ſi id ipſe Cicero ſine ulla figura diceret.* Mearum tamen.] *Nihil incommodi mihi futurum eſſet.* Quid contra reum] *Vt contraria dicat Oppianicus, Cicero facit: quæ Oppianicus ipſe in iudicio non diceret:, ſed apud ſe potuit dicere, cum de corrumpendo iudicio deliberauit.* Age, quoniam.]

Age hoc

Age hoc loco hortatius particula non eſt, ſed ſermonis continuatiua. Grauis.] Id eſt, ut uulgo dicunt, efficaces. Profectio.] Id eſt, unde profecta ſit: id eſt, quis eam dederit. Confecit tabulas, &c.] Hoc proponit Cicero, tanquam quod ab aduerſario obijci poſſit: Cluentium ita diligenter & callide confeciſſe tabulas, ut res cognoſci non potuerit. Confecit tabulas diligentiſſime.] Morem fuiſſe obſeruatum Romæ arbitror, ut qui in re extraordinaria pecuniam expenderet, tabulas apud argentarios aut alios conficeret. eam ob cauſam, ne proxima cenſione res eorum Cenſoribus diminuta uideretur. In tabulas enim publicas Cenſores referre ſolebant, quæ cenſuerunt. Licebat igitur cenſione proxima uidere, ſi quid patrimonium diminutum erat. Itaque male adminiſtrationis notabatur is, cuius patrimonium diminutum erat. Si tantam igitur pecuniã corrumpendis iudicibus Cluentius dediſſet, patrimonium eius diminutum fuiſſet, confeciſſetq; tabulas: ſed nec confecit tabulas, nec patrimonium diminutum eſt: quo fit, ut nullam corrumpendis iudicibus pecuniam dederit. Eſt autem argumentum ex conſequentibus. Poteſt etiam intelligi Cluentiũ accepiſſe pecuniã mutuo, ideóq; tabulas confeciſſe creditori. Ideóq; poſtea dicit Cicero: Duce quã pecuniam Cluentius dederit, unde dederit, quemadmodum dederit. Quæ ratio mihi uidetur melior. nullos.n. tum fuiſſe Cenſores, cum ageretur cauſa Oppianici, poſtea docebimus. Hæc autem res habet.] Probat nullam potuiſſe tantam eſſe Cluentij in tabulis conficiendis diligentiam, quin eas inueniſſent aduerſarij, ſi quas confeciſſet. Meditatione.] Id eſt, inquiſitione & inueſtigatione. Tanta enim per octo annos cura & diligentia de Cluentij bonis & ære alieno accuſatores quæſiuerunt, ut neſcire non poſſent, ſi quid bonis eius additum ſit, aut detractum. Ex aliorum tabulis.] Cluentium tabulas diligentiſſime confeciſſe aduerſarij dicebant, tanquam nomine ſuo quidem Cluentij amici eas confeciſſent: Veſtigium nullum.] A' feris facta tranſlatio eſt, quarum ueſtigia canes cum inuenerunt, ipſas feras ubi iaceant tandem inueniunt. Albiana.] Id eſt, Albij Oppianici. Veſtigijſne nobis.] In tranſlatione perſiſtit. Odorandа eſt.] Odorare actiuum, & ſæpius odorari deponens dicitur. ut in oratione Poſt reditum in Senatu: Hi uoluptates omnes ueſtigãt atque odorant. In oratione in Legem Seruiliam: Committite uos nunc Quirites his hominibus hæc omnia, quos odorari hunc decemuiratum ſuſpicamini. Actione in Verrem 6. Eos iam bene cognitos & reprobatos, ſecum in Siciliam duxit: quo poſtea quàm uenerunt, mirandum in modum canes uenaticos diceres, ita odorabantur omnia & peruestigabant, ut ubi quidquid eſſet, aliqua ratione inuenirent. Olfacere pecuniam Ciceronem dixiſſe, ante docuimus. Ad ipſum cubile.] Eſt adhuc in tranſlatione. ut in L. Piſonem. An uero tu parum putas inueſtigatas eſſe à nobis labes imperij tui, ſtragesq; prouinciæ, quas quidem nos non ueſtigijs odorãtes ingreſſus tuos, ſed totis uolutabribus corporis & cubilibus perſecuti ſumus? Ferarum enim cubilia dicuntur, ubi iaceant. ut Virgilius libro Georgicorum 3. de tauro: Ergo omni cura uires exercet, & inter Dura iacet pernix inſtrato ſaxa cubili. Idem libro primo: Aut oculis capti fodere cubilia talpæ. Auium quoque nidi cubilia appellatur. Idem eodem libro: Tum liquidas corui preſſo ter gutture uoces. Aut quater ingeminant, & ſæpe cubilibus altis, Neſcio qua præter ſolitum dulcedine læti. Columella lib. 9. de gallinis ſcribens: Curæ autem debebit eſſe cuſtodi, cum parturierint aues, ut habeant quàm mundiſſima paleis conſtrata cubilia: eaq; ſubinde conuerrat, & alia ſtramenta quàm recentiſſima reponat. nam pulicibus alijſq; ſimilibus animalibus replentur, quæ ſecum affert auis, cum ad idem cubile reuertitur. M. Varro libro de re Ruſtica tertio de gallinis: Contra ſingulas perticas in pariete excuſa ſint cubilia earum. Item: In parietibus circum omnia plena ſint cubilia gallinarum. Idem libro ſecundo, cubiculum catulorum pro cubili poſuit: Subſternitur ijs acus, aut quid aliud, quòd meliore cubiculo facilius educuntur. Hominem audaciſſimum.] Stalenum. At enim.] Alio loco docuimus morem Ciceronis eſſe, ut cum aliquid aduerſario dictum proponit ſibi refutandum, dicat At, aut At enim. Id quia hoc loco ſæpius fit, ideo rurſus admonemus. Cur eum.] Refutat quod propoſuit. Cur eum, cum in conſiliũ iretur.] Arguit à conſequentibus: Nam ſi Stalenum Cluentius non corrupit, eumq; ab Oppianico corruptum eſſe ſuſpicatus eſt, eum abeſſe à iudicio facile paſſus eſt: quia uero Oppianicus corrupit, eum abeſſe paſſus non eſt. Quàm in conſilium, &c.] Mittere iudices in conſilium, eſt dimittere iudices ad ſententiam ferendam, ubi allegatis omnibus argumentis orator dixerit, Dixi: auctor eſt Aſconius Pedianus. Inde ſunt ire in conſilium, & conſurgere in conſilium, quibus ante uſus Cicero eſt. Tribunitia poteſtate.] Id ante dixit, cum de Oppianici iudicio dixit. At condemnauit.] Hoc proponit refutandum. Hanc enim damnationem.] Refutat. Dederat obſidem Bulbo.] Se deſtitutum ab Oppianico Stalenus dixit: atque hoc addidit teſtimonij, ſua illum ſententia condemnatum iri. Obſidem.] Id eſt, teſtem. Auctore Sex. Pompeio ob præpoſitio aliquando dicitur pro ea quæ eſt propter, ut ob merita, ob ſuperatos hoſtes. Vnde, inquit, obſides pro ob fides, qui ob fidem patriæ præſtandam dantur. Quare ſi iſtinc cauſa.] Pars tis eius, quæ in partitione tertia erat, iudicium ab Oppianico, non à Cluentio corruptum eſſe, concluſio eſt, quæ eſt per enumerationem. Iſtinc.] Id eſt, ab Oppianico. At enim pecuniam.] Conſulto fecit Cicero, ut prius oſtenderet Oppianicum Staleno dediſſe pecuniã ad corrumpendum iudicium, quàm refutaret eam pecuniam Staleno datam ad Cluentium Oppianico reconciliandum, quod hoc loco refutandum proponit. Ad conciliationem gratiæ.] Id eſt, ad reconciliandum Cluentium Oppianico. Téne hoc Acti dicere.] Oratio, qua de rei indignitate per interrogationem querimur, ſine uerbo finiti modi eſſe ſolet. ut, Méne incœpto deſiſtere uictam, & cætera. Méne Iliacis occumbere campis Non potuiſſe? Id dicendi genus Terentio familiare maxime eſt, de quo alio loco diximus. Tali prudentia.] Ita ſe res habet, ut cum reprehendimus quod à prudenti uiro dictum factum'ue ſit, tum eum ſana mente fuiſſe negemus, cum id diceret aut faceret, quaſi tum ſano conſilio deſtitutus fuerit. Oratorem in aduerſarium non debere eſſe maledicum atque contumelioſum, ex Ciceronis defenſionibus cognoſci poteſt, qui multis in locis laudat eos qui contra dicunt, quamuis ab aduerſarijs ei maledictum eſſet, L. Murenæ & Publio Syllæ defenſiones oſtendunt. Etiam uſu atque exercitatione.] Id eſt, non ſolum natura, ſed etiam uſu & exercitatione. Prudentiam pro uirtute ex qua longo uſu rerum multaq; exercitatione paratur, hoc loco intelligere licet. de qua intelligitur illud Ariſtotelis, Iuuenes non eligi in duces, propterea quòd non conſtet eos eſſe prudentes: quam Cicero appellat ſapientiam, cum pro M. Cælio dicit, in adoleſcentiam non cadere ſapientiam. Aut prudentiam pro orandarum cauſarum ſcientia intellige. Prudentiam enim pro ſcientia dici, cum alij multi ſcriptores, tum Cicero in primo de Officijs documento eſſe poſſunt. Oratorem autem natura & exercitatione fieri, uſumq; optimum dicendi magiſtrum eſſe, eſt in libris Ciceronis de Oratore. qui idem in libro de Officijs negat oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu & exercitatione conſequi poſſe. Sapientiſſimum eſſe dicunt.] Heſiodi ſententia eſt, ex libro qui Opera & dies inſcribitur, Omnis qui per ſe ſapiat, longe optimus ille eſt. Multo ante expendens quænam ſint optima

factu. Is tamen & frugi eſt,qui paret recta monenti. At qui nec per ſe ſapiat, neque mente reponat. Ex alijs audita,uir undique inutilis hic eſt. Apud T.Liuium lib.22. M.Minutius Q. Fabij prudentia ſenatus ad milites, Sæpe ego,inquit,audiui milites,eum primum eſſe uirum, qui ipſe conſulat quid in re ſit: ſecundum eum,qui bene monenti obediat: qui nec ipſe conſulere,nec alteri parere ſcit, eum extremi ingenij eſſe. Eraſmus in prouerbio,Nec ſibi nec alijs utilis,de hac ſententia copioſe ſcribit. Tum recenti re.] Non multo poſt Oppiani damnationem,cum cauſam diceret. Cum faucibus premeretur.] Id eſt, ſententijs iudicum penè iugularetur. De Staleno à P. & L.Cominijs accuſato,atque de conciliatione gratiæ, non multo poſt amplius Cicero dicit. Sermonem.] Id eſt, famam. Fidele.] Id eſt,bonum. ut in primo de Officijs: Deliberanti fidele conſilium dare. Auctore Cicerone in libro epiſt. famil. 16. & doctrina, & domus, & ars & ager, fidelis dici poteſt: ut ſit, quo modo Theophraſto placet, uerecunda tranſlatio. Remouere.] Per ſententias iudicum ſcilicet. Ad quã rem accepiſſet.] Ad corrũpendum iudicium. Alia cauſa tum Staleni fuit,&c.] Stalenus cum cauſam diceret, ſe ab Oppianico accepiſſe pecuniam confeſſus eſt,ſed ad gratiæ conciliationem. T.Actius in hac Cluentij accuſatione eandem cauſam acceptæ pecuniæ dixit. Cum re premeretur.] Vt paulo ante, Cum faucibus premeretur. Quod tum exploſum.] Nam Staleno creditum non eſt. Qui enim tum poterat.] Ad conciliationem gratiæ Stalenũ pecuniam non accepiſſe probat. Hærebat.] Id eſt, ita ſcriptus erat, ut obliterari non poſſet. Alio accuſatore.] Id eſt, ſi Cluentius accuſationem deſtituiſſet, aliusq; accuſaſſet. Sine ignominia calumniæ.] Auctore Marcello iuriſc. lib.Digeſt.48. ad Senatuſconſul. Turpilianum,accuſatorum temeritas tribus modis detegitur. Aut enim calumniantur,aut præuaricantur,aut tergiuerſantur. Calumniari eſt,falſa crimina intendere. Præuaricari eſt, uera crimina abſcondere. Tergiuerſari eſt,in uniuerſum ab accuſatione deſiſtere. Sine ignominia calumniæ.] Nam niſi propoſita & intenta crimina probaſſet, falſa crimina obieciſſe uiſus fuiſſet. An ut præuaricaretur.] Præuaricator cũ reo colludit,probationes proprias diſſimulat,falſas accuſationes admittit: ut idem Marcellus eodem in libro ſcribit. Iudice ſequeſtre.] Sequeſtri fortaſſe legendum. Nam ex grammaticorum præceptis,ea ſola terminatio ablatiui huiuſmodi nominũ eſt. Quamobrem tota iſta res per Stalenum potius.] Illud ad refutãdum ualet plurimum,ut rem eam, de qua quæritur, alio loco,uel alio tempore,uel per aliam perſonam commodius perfici potuiſſe doceamus. Ab utroque alieniſſimum.] Id eſt,neque propinquum,neque amicum Cluentio & Oppianico. Sordidiſſimum.] Id eſt,auariſſimum, ut ſordes pro auaritia dicimus. Turpiſſimum.] Id eſt,improbiſſimum. Neceſſariumq; communem.] Id eſt,utrique amicum uel propinquum. Sed quid ego hæc pluribus.] Dico ſcilicet. Quaſi de re obſcura diſputem.] In re non obſcura arguendum eſſe negat Quintil.lib.5. Cicero in libro de Offic. 2. Panætium quodammodo arguit,quòd utatur in re non dubia teſtibus non neceſſarijs. Numero ac ſumma ſua.] Quanto ſcilicet numero,& quanta ſumma. Corrumpendos fuiſſe.] Vt à maiore parte abſolueretur. Nam Staleni ſententia acceſſura erat. Quadraginta iſtorum acceſſio millium.] Id eſt,ad quid adiuncta ſunt quadraginta millia? nunquid ſexcenta millia ſufficiebant? Non Archimedes melius.] Archimedes ſummo ingenio ac diſciplina præditus,ſingularis cœli ſiderumq; ſpectator fuit,ut ait T.Liuius libro 24. De hoc ſcriptores quia paſſim tradiderunt,illud ſolum hoc loco dico, neminem unquam mathematicis diſciplinis habitum clariorem. In arithmeticis igitur excelluit. Deſcribere.] Id eſt,definire, & ut uulgo dicũt, calculare. At enim iudicia.] Dixit accuſator multos ex iudicibus qui damnauerunt Oppianicum,fuiſſe poſtea condemnatos,quod à Cluentio corrupti fuiſſent,hisq; præiudicijs Cluentius lædi uidebatur. Itaque Cicero ei proponit, ut refutet. Immo uero.] Id uulgus diceret,non eſt ita,ſed potius. Suo nomine.] Id eſt, per ſe,& lata lege. Significat autem hanc rem maledicti loco aliquando iactatam. Veritas uocem miſerit.] Rei inanimatæ dat ſenſum. Mittere uocem, pro eo quod eſt loqui, ſæpe dicit Cicero. ut de Reſponſis aruſpicum: Cum furiales in concionibus uoces mittis. Et pro P.Seſtio: Conciones haberi quotidie contra me,uocem pro me, ac pro Repub. neminem mittere. Et pro Domo ſua: Quare quis eſt,qui exiſtimare poſſit huic nouo Pontifici primam hanc poſt ſacerdotium initum religionem inſtituenti,uocemq; mittenti,non & linguã obmutuiſſe,& manum obtorpuiſſe,et mentẽ debilitatam metu concidiſſe? Partim ruinæ ſimiliora.] Partitio eſt,quæ opportune adhibita, plurimum orationi lucis & gratiæ confert, reficitq; auditorem propoſito ſingularum partium certo fine,ut eſt apud Quintil.lib.4. Partim ruinæ ſimiliora.] Quale C. Iunij iudicium fuit. Partim nihil contra Cluentium ualere.] Vt Bulbi damnatio. Partim etiam pro hoc eſſe.] Vt Staleni. Partim eſſe eiuſmodi,&c.] Cuiuſmodi ſunt animaduerſiones Cenſoriæ. Condemnatus eſt C. Iunius.] À pop.Rom.qui hanc ſibi cauſam depopoſcit. Cum eſſet iudex quæſtionis.] Iniuſte uocatum in iudicium ſignificat. Eo enim tempore Iunium ad nullum aliud Reip.munus adduci licebat. Legi.] Qua lege quæſtio conſtituta eſt. Quidquam laxamenti.] Auctore Plutarcho in uita Ciceronis,mos erat Prætorum,reis ad dicendam cauſam non pauciores decem diebus dicere. Arreptus.] Id eſt,adductus. Arreptus autem dicitur propterea quòd in hoc uerbo ſit uiolentia quædam & nimia celeritas. Vultus enim ueſtri iudices.] Vultus, ut ait Nonius Marcellus,eſt uoluntas,quæ mutata facie cognoſcitur. Putato fuiſſe.] Id condonat aduerſario,ut ad proxima gradum faciat. Hac lege accuſatum eſſe.] Accuſatus eſt Cluentius,quantum conijcere licet,lege Cornelia de ſicarijs & ueneficijs. Eadem lege C. Iunium accuſari oportuit. Hac lege tenetur is,qui pecuniam dederit aut acceperit,ut reus circũueniretur. Vel legem,qua Cluentius reus factus eſt, intellige. At ipſe.] Hic locus dialogo ſimilis eſt,ut etiam reſpondentis aduerſarij perſonam ſuſtineat. Quæ uarietas ſi rara eſt, iucunda eſt. Priuatus.] Id eſt, ſi abiſſet Tribunatu. Multam petiuit.] In legem non iuraſſe Iunium,eumq; ſubſortitum non eſſe,accuſator dicebat, quòd pecunia corruptus eſſet, ideoq; multam petebat. Ea enim auaritiæ pœna erat. M. Cicero in libro de Legibus 3. exponens illã legem,Noxiæ pœna par eſto: Vt in ſuo,inquit,uitio quiſque plectatur, uis capite, auaritia mulcta,honoris cupiditas ignominia ſentiatur. Quòd in legem non iuraſſet.] Quæſitor,ut iudices,in leges iurabat. Quæ res nemini.] Hoc dicit Cicero, ut oſtendat Iuniũ damnari non oportuiſſe. Fraudi.] Id eſt,pœnæ: quod ſequitur,pro eo quod præcedit. Fraudem enim pro uitio dici, alio loco ſcripſimus. Et quod C. Verres.] Delectis iudicibus à Quæſitore,eorumq; facta ſortitione,accuſatori et reo reijcere licebat,quos aut inimicos,aut ſuſpectos, aut aliqua ex cauſa ſibi putaret incommodos. In eorum qui reiecti erant locum, Prætoris aliorumq; iudicũ ſubſortitio à Quæſitore fiebat,ut legitimus ille iudicum numerus compleretur. His perfectis,primum iudices omnes,præter Prætorem, in leges iurabant, ut obſtricti religione iudicarent: deinde iudicum nomina in libellis ſcribebantur,& à Prætore in arca aſſeruabantur, ne pro delectis & ſortitis iudicibus ut fit in multitudine, corrupti aliq; ſuppoſiti iudicarent. Damnato Oppianico inuidioſa res facta eſt. Reus enim Oppianicus pecunia oppreſſus uidebatur,illorum iudicum princeps

ceps Iun: alios ſuppoſuiſſe dicebatur, quàm quos Prætor fuerat ſubſortitus, qui reum damnarent. C. Verres, qui in cauſa Oppianici prætor fuerat; pro teſtimonio dixit in iudicio Iuniano tabulas ſuas adulteratas fuiſſe, in quibus ſuppoſiti iudices eſſent ad ferendam ſententiam corrupti, qui cauſam ante non audiſſent. Idem Verres, ut hæc inuidia aduerſus Iunium uera uideretur, ſuſtulit quos in ſuis tabulis habebat, alioſq; ſcripſit: & obſignauit annulo nó ſolum ſuo, ſed etiam ſcribæ ſui, quem furtorum participem & diuitem fecerat, & annulo aureo donauerat. auctor eſt Aſcon. diuerſis in locis cur id fecerat Verres, Cicero dicit Act. in C. Verrem 3. Hoc, inquit, dicam, quod oſtendam multos ex te uiros primarios audiſſe, cum diceres ignoſci tibi oportere, quod falſum codicem protuleris. Num qua inuid. &c. ] Qua inuidia C. Iun. conflagrarit, ea niſi prouidiſſes, tibi ipſi tum pereundum fuiſſet. Hoc modo iſte ſibi & ſaluti ſuæ proſpicere didicit, referendo in tabulas & priuatas et publicas quod geſtum non eſſet, tollendo quod eſſet: & ſemper aliquid demendo, mutando, curando ne litura appareret, interpolando. Homo ſanctus. ] Ironia eſt. Vel id Cic. dicit, tanquam ab aduerſario dictum ſit. Subſortitionem eius. ] Id eſt, quam C. Iun. Quæſitor facere debuit. Qui tum interlitus. ] Hoc Cic. dicit, ut libello credendum non eſſe oſtendat. Interlitus. ] Id eſt, lituris contaminatus, adulteratus atque corruptus: quamuis hunc codicem à Verre interpolatum, ne litura appareat, dixerit Cicero Act. in Verr. 3. ut modo dicebamus. Ab interlinendo interlitus fit. eaq; particula Inter uim habet augendi, ut intercipere, interbibere. Idem uerbum paulo poſt uſurpat Cicero. Dum uero eum fuiſſe Oppianicum conſtabit, qui tabulas publicas municipij ſui corrupiſſe iudicatus ſit, qui teſtamentum interleuerit, qui ſub poſita perſona falſum teſtamentum obſignandum curauerit. Et in Verrem Act. 4. Quid à nobis iudices expectatis argumenta huius criminis? Nihil dicimus. tabulæ ſunt in medio, quæ ſe corruptas atque interlitas clamant. Subſortitur. ] Id eſt, loco reiectorum iudicum alios iudices ſortitur. Commiſerat. ] Id eſt, peccauerat. Poſſunt illud ijdem, &c. ] Exiſtimandū enim iudiciū non eſt, niſi quod ea de re latum eſt, quæ quæſtionis propria eſt. Prætor. ] C. Verres. Per eum. ] Iuniū. Alia ac. ] Id eſt, alia quàm. Tunc. ] Cum Iunius cauſam diceret. Ad ſubſellia. ] Id eſt, in foro. Sed etiam cum ipſa, &c. ] Concitatiorem multitudinem ſignificat, quæ ex concione cum Trib. pl. cuius oratione concitata erat, ad Iunij iudicium ueniret. Gradus illi Aurelij. ] In foro Aurelio acta fuit Iunij cauſa. De Aurelio foro ſcribimus in primam Inuectiuam Ciceronis. Tum noui. ] Hoc loco conijcere licet, à M. Aurelio Cotta hoc forum Aurelium ut ædificatum, ita appellatum: qui non multo poſt equitibus quoque iudicandi poteſtatem reſtituit. Qua ſi pro theatro. ] Quod ibi tanta populi celebritas eſſet. Illi iudicio. ] Iunij. Ab reo. ] Id eſt, pro reo. Ne ſurgendi quidem. ] Nam ut accuſator, ita patronus cum dicebat ſtabat. Collegam meum. ] In pretura. Probat exemplo à maiori, iniquam fuiſſe Iunij accuſationem, quòd iniqua conditione reus cum accuſatore fuerit. Locus ab iudicibus conſtitutus. ] Locum, id eſt tempus cauſæ ab iudicibus conſtitui ſolitum, hoc loco attende: quemadmodum ante dixit, damnato Scamandro primum locum Fabricio, itemq; damnato Fabricio primum locum Oppianico à iudicibus conſtitutum. Fauſto Syllæ. ] Is L. Syllæ filius fuit, & Ciceronis condiſcipulus Athenis. De pecunijs reſiduis. ] De pecunijs reſiduis Sylla reus erat. Auctore Paulo Iuriſ. libro Digeſt. 48. ad legem Iuliam peculatus, & de ſacrilegijs & reſiduis: lege Iulia tenetur, qui publicam pecuniam delegatam in uſum aliquem retinuit, neque in eum uſum conſumpſit. Hac lege damnatus amplius tertia parte, quàm debet, punitur: ut ait Martianus. Non quo illi. ] Apud No. Marcellum illegem & exlegem dici teſtatur dicentem lego, ut hoc loco ſcriptum inuenio. Sed apud Priſcianum lib. 6. ita ſcriptum inuenio: Non quod illi aut exlegem eſſe Syllam arbitrarentur. Exlegem. ] Id eſt, reum non factum. id eſt, nulla lege conſtituta uocatum in iudicium. Conditione æqua. ] Nam accuſator Trib. pl. ſummæ poteſtatis erat, reus autem priuatus. Diſceptari. ] Id eſt, litigari & cauſam agi. Diſceptatio enim eſt accuſatoris & patroni contentio. Sylla maximis opibus. ] Ex comparatione accuſatorum, reorum, & temporum, iniquioris conditionis diſceptationem Iunij quàm Syllæ oſtendit. Maximis opibus. ] Eius enim pater Romanorum omnium ditiſſimus erat. Poſt quem M. Craſſum fuiſſe ditiſſimum, Plinius lib. 33. ſcribit. Criminoſus. ] Id eſt, contentioſus & ſeditioſus. De hoc nomine pro Ligario ſcribimus. Summa uis poteſtatis. ] Id eſt, Tribunitia poteſtas quæ ſumma eſt. Quid mali, quantum periculi. ] Quid habeant poteſtatis Trib. pl. in unumquenque oſtendit, ut iniquiorem diſceptationis conditionē oſtendat. Quid hominis. ] Trib. pl. ſcilicet. Iactatione populari. ] Id eſt, concitatione & uelut tempeſtate populi. Nam populi concitatio ſæpe à Cicerone tempeſtati comparatur. Iactatio autem tempeſtatis eſt: ut Multum ille & terris iactatus & alto Vi ſuperum. Nec C. Popilius. ] P. Popilius legi debet. C. Gracchus Trib ple. legem tulit, qua cauebat, ut ſi quis magiſtratus ciuem Romanum ſine iudicio morte aut exilio multaſſet, in eum populi animaduerſio foret. Hac lege in Popilium iudicium parabatur. Is enim Prætor amicos Tyberij Gracchi in exilium eiecit. Is igitur ſalutem ſibi fuga conſuluit. auctor eſt Plutarchus in uita Gracchorum. L. Calphurnius Beſtia Trib. pl. Popilium filijs cognatis multis & affinibus deprecantibus rogatione ſua reſtituit: ut ait Cicero in Orationibus Poſt reditum ad Quirites, & in Senatu, & de Claris oratoribus. quibus in locis P. Popilium hominem nobiliſſimum appellat. Nec Q. Metellus. ] L. Saturninus Trib. pl. legem agrariam tulit, in quam Senatum iurare coegit. Q. Metellus Numidicus nec ui Tribunitia cogi, nec amicorum hortatu adduci potuit, ut in eam iuraret. Itaque Saturnini iuſſu Metello, aqua, igni, tecto interdictum eſt: quodq; turpiſſimum eſt, licere omnibus Metellum necare. Metellus multis uiris bonis ad ſalutem eius tutandam conuenientibus, ſeditionem exoriri paſſus non eſt. Itaque in exilium Rhodum profectus eſt, ibiq; legendo & audiendo magnos uiros aduocabat. Auctores ſunt T. Liuius lib. 69. & Plutarchus in uita C. Marij Occiſo Saturnino, Metellus filio multiſq; propinquis deprecantibus (permulti enim tum Metelli aut Metellorum liberi erant) ab exilio reuocatus eſt, ut ait Cicero in Oratione Poſt reditū eius ad Quirites. Modus. ] Id eſt, moderatio eorum qui iudicarent, id eſt, pop. Romani. Non fuit igitur illud iudicium iudicij ſimile. ] Tautologia eſt, id eſt, eiuſdem uerbi iteratio: quæ auctore Quintiliano lib. 8. quanquam non magnopere ſummis auctoribus uitata ſit, interim uitium uideri poteſt: in quod ſæpe incidit etiam Cicero, ſecurus tam paruæ obſeruationis, ſicut hoc loco: Non fuit igitur hoc iudicium iudicij ſimile iudices. Non mos conſuetudoq;. ] Nihil enim laxamenti reo datum eſt, ad quæſtionem arreptus eſt quæſitor, quem ad nullum aliud Reipub. munus adduci licebat. Non cauſa defenſa. ] Nam ab re ne conſurgere quidem licuit. Quod ſi quis eſt. ] Simile genus defenſionis, atque illud eſt, Si feci, iure feci: ſed non feci. de quo multis in locis Quint. ſcribit. Eſt igitur hæc ſententia, Damnatio Iunij iudicium non fuit: & ſi fuit, id cum cauſa Cluentij coniunctum non fuit. igitur non fuit præiudicium. His rebus iudicatis ſtandum. ] Id eſt, iudicem debere ſecundum illud iudicium pronunciare. At etiam Bulbus. ]

Hoc ſecundum præiudicium eſt. Id cum cauſa Cluentij coniunctum non eſſe docet, quemadmodum nec tertium, quo P. Popilius & T. Gutta damnati ſunt. Adde maieſtatis. ] Simile eſt illud quod ante dixit, Condemnatus eſt C. Iunius, qui ei quæſtioni præfuerit. Adde etiam illud ſi placet. tum eſt condemnatus, cum eſſet iudex quæſtionis. A' maiore maieſtas, ut ab honore honeſtas, auctore Priſciano appellata eſt. Eſt autem maieſtas, ut definit Cicero lib. de Oratoribus 2. amplitudo & dignitas ciuitatis. Minuere maieſtatem, potius quàm lædere dicimus. Idem in eodem, Maieſtatem minuit, qui exercitum hoſtibus pop. Rom. tradidit: Idem libro de Inuentione 2. Maieſtatem minuere eſt, de dignitate, aut amplitudine, aut poteſtate populi, aut eorum quibus populus poteſtatẽ dedit, aliquid derogare. Bulbus igitur maieſtatis condemnatus eſt, quia legionem in Illyrico ſollicitauit. Auctore Vlpiano libro Digeſt. 48. ad legem Iuliam maieſtatis, hac lege tenetur, qui milites ſollicitauerit, concitauerit'ue, quo ſeditio tumultus'ue aduerſus Remp. fiat. Hoc crimen. ] Corrupti iudicij. Lege maieſtatis tenebatur. ] Vt dicimus, qui hominem necauerit, lege Cornelia de ſicarijs teneri. Cicero in oratione de Reſponſis aruſp. Decreuit Senatus, eos qui id feciſſent, lege de ui, quæ eſt in eos qui uniuerſam Remp. oppugnaſſent, teneri. Igitur lege tenentur ij, qui contra legem peccauerunt. Hoc. ] Crimen corrupti iudicij, quod Bulbo obiectum eſt. C. Coſconij. ] C. Coſconius Calidianus orator fuit, nullo acumine: eam tamen uerborum copiam, ſi quam habebat, præbebat populo cum multa concurſatione magnoq́; clamore, ut ait Cicero de Claris oratoribus. Mea coniectura multo ſit uerior quàm diuinatio tua. ] Quãuis diuinatio certa, coniectura incerta eſſe ſoleat. Facilius eſſe damnatum. ] Non eſt damnatus Bulbus, quia eſſet homo nequam, turpis, &c. Hæc enim cauſæ propria non erant. hæc tamen commouerunt iudices, ut facilius maieſtatis damnaretur. Quapropter. ] Relicta apoſtrophe, ad iudices uerba dirigit. P. Popilij. ] Is non eſt, cuius ante meminit. hic enim multo poſterior fuit. Qui accuſati ſunt ab ijs. ] Hoc loco ſignificat Cicero legem fuiſſe, ut ſi quis de ambitu dãnatus, alium ambitus accuſaret uinceretq́;, in integrum reſtitueretur. Auctore Modeſt. Iuriſc. lib. Digeſt. 48. ad legem Iuliam de ambitu: Si quis in municipio contra hanc legem magiſtratum ſacerdotium'ue petiuerit, per Senatuſconſultũ in centum aureos cum infamia punitur: qua lege damnatus, ſi alium conuicerit, in integrum reſtituitur, nõ tamen pecuniam recipit. Hæc autem lex Romæ ceſſauit, quia ad curam principis magiſtratuum creatio pertinet. Cum hanc cauſam Cicero ageret, nondum lex illa Iulia lata erat. Veriſimile tamen eſt, eam ad exemplum ſuperiorum latam eſſe. Id ſi ita eſt, damnati de ambitu pœna exilium non erat. Nam ad exules, ut ait Quintilianus lib. 7. lex nulla pertinet. P. Sylla de ambitu damnatus, lege in patria retinebatur, ut ait Cicero in eius defenſione. qui idem in libro de Legibus tertio ſcribit, ambitus pœnam ignominiam eſſe. Idem tamen pro L. Murena ſignificat exilium huius criminis pœnam eſſe. Is enim negans fieri poſſe, ut quis petat Conſulatum, ſimulq́; in competitores accuſationem ambitus meditetur: Magnum eſt, inquit, te comparare ea, quibus poſſis hominem è ciuitate, præſertim nõ inopem, neque infimum exturbare. Nam ipſe Cicero conſul ex Senatuſconſulto legem tulit de ambitu. cuius damnato exilij quoque pœna conſtituta eſt. Id pro eodem Murena, quem deſignatum Conſulem Conſul defendit, ſignificat: Quem, inquit, noua pœna legis, & domo, & patente, & omnium ſuorum conſuetudine complexuq́; priuat. Ad præmia legis. ] Id eſt, ut in integrum reſtituerentur. Quid quod Stalenus eſt condemnatus? ] Hoc eſt præiudiciũ, quod pro A. Cluentio eſſe Cicero oſtendit. Non dico hoc tempore Iud. ] Occupatio eſt. Simulat enim id ſe omittere quod maxime dicit. Hac dicendi ratione auditores fiunt attenti. Fiunt autem attentiores, cum proxime adiungimus aliquid nos dicere, quod ad cauſam noſtram magis pertineat. Cum Quæſtor eſſet. ] Cum Conſulibus aut Prætoribus in prouinciam proficiſcentibus, ad pecuniariam rem adminiſtrandam, & ad prædas uendendas, Quæſtores mitti ſolebant. M. igitur Aemilium Imp. Stalenus Quæſtor ſecutus eſt. Conflatam. ] Id eſt, factam: ut ante dixit, conflare inuidiam. P. & L. Cominijs. ] P. Cominius Spoletinus eques Rom. Ciceronis amicus fuit, quo accuſante Caium Cornelium maieſtatis reum Cicero defendit. In eo compoſitum dicendi genus & acre & expeditum fuit. auctor eſt Cicero de Claris oratoribus ubi de L. Cominio nihil ſcribit. In ſtatuis inauratis. ] Inauratum dicimus id quod uulgo dicunt deauratum. Actione in Caium Verrem 6. Neque me poſtulare, ut quidquam contra Caium Verrẽ decerneretur in ea curia, in qua inauratã Cai Verris ſtatuam uiderem. In Lucium Piſonem: Me inaurata ſtatua donarant. In libro Tuſcul. quæſt. 1. Argiui in ea delecti uiri uecti petebant pellem inauratam arietis. Idem inaurari, pro ditari dixit, in lib. Epiſt. famil. 7. Moriar, ni quæ tua gloria eſt, puto te malle à Cæſare conſuli, quàm inaurari. Vt inaurare, non deaurare: ita contra dealbare, non inalbare dicimus. Vt libro eodem: Sed amice, Magne noli hanc epiſtolam Attico oſtendere. Sine eum errare, & putare me uirum bonum eſſe, nec ſolere duos parietes de eadem fidelia dealbare. In Verrem actione 3. Omnes illæ columnæ, quas dealbatas uidetis. Item. Quod ſi tanta pecunia columnas dealbari putaſſem, certe nunquam Aedilitatem petiuiſſem. Ad Iuturnæ. ] Id eſt, ad ædem Iuturnæ. Ea autem locutio poetis, hiſtoricis, & oratoribus familiaris eſt. ut Ad Dianæ, Terentius in Adelphis: Cicero pro Milone, ad Caſtoris: & in Philippica ſecunda, ad Opis dicit, de quo dicendi genere alibi plura ſcribimus. Iuturna Turni ſoror nympha eſt, ſtagnis quæ fluminibusq́; ſonoris præſidet. hunc illi Rex ætheris altus honorem Iuppiter erepta pro uirginitate ſacrauit: ut ſcribit Virg. in lib. Aeneid. 12. Eſt autem Iuturna, ut ait Seruius, fons in Italia ſaluberrimus, prope fluuium Numicum, cui nomen à iuuando inditum eſt, quaſi Iuuans Turna. Cum enim omnis aqua naturaliter noxia ſit externorum corporibus, omnibus hic fons ſaluberrimus eſt. De hoc autem fonte Romam ad omnia ſacrificia aqua afferri conſueuerat. Huic autem Romæ poſitam ædem hoc loco ſignificat Cicero, ad quam ſibi poſuit ſtatuam Stalenus. Exagitabantur. ] Id eſt, tanquam iacentes & latentes excitabantur atque proferebantur. In eiuſmodi ratione. ] Id eſt, in tali modo. Egeſtas domeſtica. ] Nam pecuniam forenſi quæſtu comparatam Stalenus ita profundebat, ut ne ad neceſſitatem quidẽ ſibi relinqueret, ut ante dictum eſt. Forenſis. ] Quem ſibi ex foro turpiter faceret. Interpres. ] Interpretes ſunt, per quos indicitur pactio: ut ſequeſtres, apud quos deponitur pecunia auctor eſt Aſconius, qui idem ſcribit ( ut illud addamus ) emiſſarios uocari conciliatores atque internuncios furtorum eorum, quæ à magiſtratibus committuntur. Cum ita conſtitutum ſit. ] Conſtabat Ciceroni cum aduerſario iudicium corruptũ. igitur à Cluentio uel ab Oppianico, ut ante dictum eſt. Reperiatur. ] Reperiatur, & poſtea ablata ſit, legendum uidetur, ut particula Cum repetatur. A' iudice. ] Id eſt, à Staleno: ut ante dictum eſt. Incurſionem. ] Id eſt, ut uulgo dicunt, inuaſionem. Multitudinis. ] Id eſt, uulgi. Ergo adhuc. ] Concluſio ſpecialis eſt, per quam repetit ea præiudicia partim non eſſe contra Cluentium, partim pro eo eſſe. Nullo modo illam multam. ] Idem ante dixit Cicero, id eſt, hoc non eſſe iudicium aut ſi quid iudicium putet, id cũ Cluentij cauſa non eſſe coniunctum. C. Fidiculanus Falcula. ] Cicero in actione in Verrem ſecunda de corruptis iudicijs uerba faciens:

faciem: Inuenti ſunt, inquit, Senatores, qui C. Verre Prætore urbano ſortiente exirent in eum reum, quem incognita cauſa condemnarunt. C. Fidiculanum Falculam ſignificari Aſconius tradit, qui ad complendam Oppianici damnationem dicebatur eſſe ſuppoſitus: à Cluentio autem ſuppoſitus uidebatur. In qua ſententia Cicero eſt pro A. Cecina. Is enim de hoc Falcula ſcribens: Meminerant, inquit, omnes quantum in Albiano iudicio accepiſſet. In eum quid dicam, niſi id quod negare non poſſit? ueniſſe in conſilium publicæ quæſtionis? cum enim conſilij iudex non eſſet, & in eo conſilio cum cauſam nõ audiſſet, & poteſtas eſſet ampliandi, dixiſſe ſibi liquere, dũ incognita re iudicare uoluiſſet, maluiſſe cõdemnare quàm abſoluere: cum, ſi uno minus damnarent, condemnari reus non poſſet, non ad cognoſcendam cauſam, ſed ad explendam damnationem præſto fuiſſe. Vtrum grauius aliquid in quenquam dici poteſt, quàm ad hominem cõdemnandum, quem nunquam uidiſſet, neque audiſſet, adductũ pretio eſſe? An certius quidquam obijci poteſt, quàm quod is, cui obijcitur, ne unum quidem infirmare conatur? Hoc loco cauſæ ſuæ ſeruiens Cicero contrarium dicit. Paulo poſt dicet, errare eũ qui auctoritatem ſuam in iudicialibus orationibus conſignatam ſe habere putat. Licet oratori in cauſis diuerſis diuerſa dicere. Dixit'ne tandem cauſam. ] Auctore Quint. lib. 9. interrogamus etiam quod negari non poſſit. Dixit'ne tandem cauſam C. Fidiculanus Falcula? Poſt paucos dies. ] Quàm facta erat ſubſortitio, ſcilicet. Nam intelligendum non eſt, poſt paucos dies quàm ab accuſatore & patrono dictæ ſunt orationes. Nam repente eo ipſo die de Oppianico pronunciatum eſt. Hoc fortaſſe coniungendum eſt cum ſuperiore. Id quod fuit in illo iudicio inuidioſiſſimum paucos dies poſt, quod uidelicet L. Quinctius abijt Tribunatu. Sediſſet. ] Id eſt iudicaſſet: qua in re hoc loco ſedere ſæpe dicitur. Vno iudicio. ] Id eſt, priore cauſa. Suæ decuriæ. ] Id eſt, ſui ordinis iudicum. ut actione in Verrem tertia: Cui niſi ego ui populi & hominum clamore atque conuicio reſtitiſſem, ex hac decuria noſtra, cuius mihi copiam quàm largiſſime factam oportebat, erepta eſſet facultas eorum, quos iſte aduerat. Quo in loco decuriam pro iudicum ordine dici, Aſconius auctor eſt. In eadem re Suetonius dicit in uita Cæſaris Auguſti: Ad tres iudicum decurias quartam adiecit. Idem in uita Caligulæ: Vt leuior labor iudicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit. Prima actione. ] Eiuſdem cauſæ multas aliquando actiones eſſe, ante diximus. Illam multam. ] Id eſt, culpam ob quam multa exigatur. Id quod ſequitur, pro eo quod præcedit. Captam nuſquam. ] Locum hunc emendate ſcriptum non eſſe, opus non eſt ut admoneam. Quid autem ſi ita legas? Accepiſſe tamen ob rem iudicandam pecuniam accuſatus eſt. Quæſtionis eius. ] Staleni. Nam de maieſtate Staleni quæſtio conſtituta erat. Senatorij. ] Tum enim ſoli Senatores, ut diximus, iudicabant. De Fidiculano illa Cicero dicit per ironiam pro A. Cecina: Senator Po. Rom. ſplendor ordinis, decus atque ornamentum iudiciorum, exemplar antiquæ religionis Fidiculanus Falcula. Qua lege. ] Lege Cincia cauebatur, ne quis ob orandam cauſam aut iudicandam, donum munus'ue acciperet: de qua lege ſcribimus in Catonem Maiorem. Hac lege Fidiculanus accuſatus abſolutus eſt. Dicta. ] A' Fidiculani patrono, quamuis ab Iunio reo ne conſurgere quidem licuerit. Expoſita. ] Id eſt, narrata. Demonſtrata. ] Id eſt, probata: id eſt, attente audita eius defenſio eſt. Qui non perpetuo ſediſſet. ] Id eſt, qui accuſationem & defenſionem totam non audiſſet. De eo. ] Reo. Tum etiam illi quinque. ] Honeſtius Oppianicum à Fidiculano damnatum, quàm à quinque iudicibus abſolutum probat, reddetq; meliorem rationem Fidiculanus cur damnauerit, quàm illi quinque cur abſoluerint. Imperitorũ hominum. ] Id eſt uulgi. Rumuſculos aucupati. ] Id eſt, ex rumore clementiæ ſuæ & miſericordiæ glorioſam captantes. Iam ſuam clementiam. ] Hos quinque in Fidiculaniana cauſa ſediſſe ſignificat. Quæſitum Habito. ] Id eſt, paratum contra Cluentium. Rei iudicatæ. ] Id eſt, duobus præiudicijs. De ſtatu ſuo. ] Id eſt, de animi conſtantia. Superiora iudicia. ] Id eſt, de Scamandro & Fabricio præiudicia: Id eſt, qui Oppianicum damnauerunt. Sua ſponte. ] Id eſt, æquo & moderato animo, non irritato, nec concitato. Conſilij. ] Id eſt, iudicum. Eſſet iniecta. ] Iniecta infamia & ſuſpicio, pro eo quod eſt, facta & ſuſcepta dicitur. ut iniectus timor, pro L. Murena dicitur. Quibus rebus qui timor bonis omnibus iniectus ſit, quantaq; deſperatio Reipub. ſi ille factus eſſet, uolite à me commoneri uelle. Inijcere ignem, pro eo quod eſt imponere, Idem dicit in L. Piſonẽ: Cum in Palatio mea domus ardebat, non caſu aliquo, ſed ignibus iniectis. Tam atrocis rei. ] Vt reus innocens iudicio opprimeretur. Paulo poſterius. ] Re ampliata. ] Sapientes illos. ] Aut qui non liquere dixerunt, aut etiam eos qui damnauerunt. Ex hominibus ipſis. ] Id eſt, ex ipſorum animis & uirtutibus. Hominem enim eſſe animum qui ſit in corpore putauit Cicero, ut amplius in Catonem Maiorem ſcribimus. Quæ quia cognita ſunt. ] Numerum pluralem pro ſingulari ponit. Verborum ornamenta. ] Id eſt, laudes. Ex uetere illa iudicum diſciplina. ] Hoc dicendi genere antea uſus eſt. Natu minimus. ] Ita paruum natu ne exiſtimes, ut eum minorem annis 35. credas. Nam ante hanc ætatem nulli iudicare licebat. ut anno ætatis 30. iudicare liceret, id eſt, quinquennio maturius quàm ſolebant, Auguſtus Cæſar conſtituit: ut in eius uita Suetonius ſcribit. Religione. ] Id eſt, iuriſiurandi integritate. O' innocentiam. ] Ironia eſt. Agitante. ] Id eſt, multitudinem concitante. In iudicio. ] Pop. Rom. ſcilicet, quod de Iunio fuit. In dicendo. ] Id eſt, in Iunio defendendo. Peruertit. ] Id eſt, oppreſſit & damnari fecit. Cauſam totam. ] Eorum quos à Cluentio damnatos iactauerat, quibus omnibus minatus erat. Priuatus eſt factus. ] Id eſt, abijt Tribunatu. Studia. ] Id eſt, inuidiam aduerſus iudices conflatam. Deferbuiſſe. ] Id eſt, refrixiſſe, & ut dicunt refrigerata eſſe. Vt in libro de Oratore: Quantis illa clamoribus adoleſcentuli diximus de ſupplicio parricidarum? quæ nequaquam ſatis deferbuiſſe, poſt aliquanto ſentire cœpimus. Et pro M. Cælio: Multi & noſtra & patrum maiorumq; memoria iudices, ſummi homines & clariſſimi ciues fuerunt, quorum cum adoleſcentiæ cupiditates deferbuiſſent, eximiæ uirtutis firmata iã ætate extiterunt. Efferueſcere contrarium eſt, ut pro M. Cælio: Si cui nimiũ efferbuiſſe uidetur huius uel in ſuſcipiẽdis, uel in gerẽdis inimicitijs, uis, ferocitas, pertinacia. Refrigeratũ à Cicerone quoque dicitur, Act. in Ver. 2. Ita defeſſa ac refrigerata accuſatione rem integram ad M. Marcellum eſſe uenturam. A' deferueſcendo autem dicitur, quæ ut arbitror ſola uox eſt. deferuere enim dici non arbitror. Idem in libro Tuſculan. 4. Aut rogandi ſunt orandiq;, ut ſi quam habent ulciſcendi uim, differant in tempus aliud, dum deferueſcat ira. Deferueſcere autem refrigerari ſignificat ardorem animi, inuita ratione excitatum. Poteſtas. ] Id eſt, copia. de qua uoce alio loco ſcribimus. Inſolentia. ] Id eſt, ſuperbia ſupra humanum morem ſe efferens. Inſolens, ut ait Nonius Marcellus, impudens & audax dicitur conſuetudine. M. Tullius ad Cæſarem iuniorem libro ſecundo: Inſolens, arrogans, iactans. Ignoratio ſui. ] Quantum bonum eſt noſſe ſeipſum, tantum ignoratio ſui malum eſt. Auctore Cicerone libro de Leg. primo, natura docuit, ut noſmet ipſos noſceremus. Cuius præcepti tantam uim eſſe, tantam ſententiam dicit, ut ea non homini cuipiam, ſed Delphico

deo tribueretur. Indeq; omnem ſapientiam uaſit oſtendit. Auctore Platone in libro de Philoſophis, ſeipſum ignorare deſipere eſt. ſe noſſe, ſapere. Eodem auctore in Protagora, ſeptem Græciæ ſapientes facto conſilio & communi conſenſu, illas Delphici Apollinis templo primitias ſapientiæ dedicarunt, quæ templo inſcriptæ ab omnibus celebrantur: Noſce teipſum, & Ne quid nimis. Apud eundem in Carmide Critias: Ferme, inquit, hoc ipſum temperantiam eſſe arbitror, ſeipſum cognoſcere. illiq; aſſentior, qui præceptum hoc templo Apollinis ipſius inſcripſit. Certe uidetur hæc inſcriptio tanquam dei ſalutatio quædam ad homines, qui templum ingrediuntur, loco eius, quæ gaudere iubet, &c. Ex quo illa nata ſunt omnia. ] Quæ fecit aut dixit, Quintius in concione, aut in iudicio, ad concitandam multitudinem. Non ſibi ac defenſioni ſuæ, &c. ] Id eſt, quod Oppianicus propter ſe & ſuam defenſionem abſolutus non ſit. Tantum enim ſibi arrogabat, ut cauſa ſua Oppianicum abſolutum iri putaret. Signi. ] Id eſt, argumenti & probationis. Ab omnibus eum fuiſſe deſertum. ] Id eſt, nullum patronum bonum uoluiſſe cauſam eius ſuſcipere, ut diximus Fabritij cauſam ab indocto Cepaſio ſuſceptam. Quintiliano auctore libro 4. beneuolentiam aliquando captamus à perſona aduerſarij per contumeliam, ut Aſinius pro Vrbiniæ hæredibus Labienum aduerſarij patronum inter probationes cauſæ malæ poſuit. Erat enim Romæ. ] Cauſam Oppianici deteriorem oſtendit, quòd eques Rom. quòd in municipio ſuo nobilis fuerit, cũ tamen nemo ex tanta copia patronorum hominum eloquẽtiſſimorum ſuſcipere uoluit defendendum. Equitem Rom. ] Oppianicum. Ex municipio. ] Larino. Municipes enim & coloni, ciues Romani erant. Dixerat. ] Id eſt, orauerat. Ad quinquaginta. ] Id eſt, circiter quinquaginta. Maiorem Quintij inertiam ſignificat. Adoleſcentes enim accuſare aut defendere incipiebant, unde magnam ſibi gloriam quærebant, ut Cicero natus annos 23. aut ut alijs placet 27. Sex. Roſcium parricidij reum defendit. L. Quintius quinquagenarius ne laudatoris quidem aut aduocati officio tum uſus fuerat, cum Oppianici cauſam ſuſcepit. Laudatoris. ] Reorum laudatores aut à municipijs, aut à prouincijs, aut à ſocijs adhiberi ſolebant: qua de re ſcribimus amplius pro M. Fonteio. Hiq; laudatores publice mittebantur cum tabulis publicis. Ea res multum ualebat ad tollendam ſuſpicionem criminis obiecti ab accuſatore. Nam ueriſimile non erat, hominem tam probatum ijs, quibuſcũ uixerit, crimen id, de quo quæſtio cõſtituta ſit, admiſiſſe. Hac quoque ratione iudices ad miſericordiam flectebãtur, eius, quem tam charum alijs uidebant, quam charitatem à uirtute proficiſci putabant. Aut aduocati. ] Aduocatus eſt, ait Aſconius, is qui alterum in iudicio defendens, aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico. Iandiu uacua. ] Annos ad ſeptem ante Oppianici damnationem L. Sylla tribunitiam poteſtatem ſuſtulerat, quia Patritiorum contra Plebeios cauſam ipſe tutabatur. Eodem enim ferè tempore iudicandi poteſtatem ab Equitibus ad Senatores tranſtulit, quo & tribunitiam poteſtatem ſuſtulit. Verre Prætore urbano cauſa Oppianici acta eſt, Poſtea Verres prouinciam Siciliam triennium adminiſtrauit. Poſtquam de prouincia deceſſit, à Cicerone accuſatus eſt. In eius accuſatione decem annis ante iudicia ad Senatum translata dicit. Poteſtas tribunitia populo ante à Pompeio Coſ. quàm Equitibus iudicandi poteſtas à M. Aurelio Cotta reſtituta eſt. Aſconius autem in Commentarijs in Diuinationem ſcribit, pop. Rom. annis 10. tribunitia poteſtate L. Sylla uictore ſpoliatum fuiſſe, eamq; iudiciorum deſiderio efflagitatam. Senatores enim qui iudicabant, auaritiæ infamia maxime flagrabant. Poſt aduentum L. Syllæ. ] Id eſt, poſtquam à bello Mithridatico redierat, & cum C. Mario populari homine pugnauerat, eumq; uicerat. Ad ueteris conſuetudinis ſimil. ] Id eſt, ad conciones, quales haberi ſolebant ante poteſtatem tribunitiam ſublatam. Renouauerat. ] Significat L. Quintium fuiſſe ex primis Tribunis, poſtquam ea poteſtas reſtituta eſt. Sicinium, Quintium, & Palicanum primos per feciſſe, ut poteſtatem tribunitiam populo Rom. Cn. Pompeius & M. Craſſus Coſſ. darent: auctor eſt Aſconius. Quocirca coniectare licet, hos inter primos Tribunos pleb. fuiſſe. Cuiuſdam hominum generi. ] Id eſt, plebi. Illis ipſis. ] Id eſt, populo Rom. cuius ſuffragijs Tribunus plebis factus fuerat.

Facite ut recordemini. ] Id eſt, recordamini. ut de Senectute: Inuitus feci, ut L. Flaminium eijcerem è Senatu: Id eſt, inuitus eieci. Sed etiam uultum atque amictum. ] Sub oculos ſubiectio eſt, ueluti ante: Recordamini faciem, atque illos eius fictos ſimulatoſq; uultus. Et pro P. Seſtio de Piſone & Gabinio: Quorum per deos immortales, ſi nondum ſcelera uulneraq; inuſta Reip. uultis recordari, uultum atq; inceſſum animis intuemini. Facilius facta eorũ occurrent mentibus ueſtris, ſi ora ipſa oculis ueſtris propoſueritis. Charientiſmon, ſiue ſcomma facit: qua figura fit feſtiua dictio. Atque illam uſque ad talos. ] Auctore Quintiliano libro quinto, à patronis aliquando aduerſarij, uita, uultus, inceſſus, habitus recte incuſari ſolet. ut, inquit, aduerſus Quintium Cicero, ipſam prætextam demiſſam ad talos inſectatus eſt. preſſerat enim turbulentis concionibus Cluentium Quintius. Id utile eſſe dicit ad conciliandum ijs quos inuiſos facere uolueris, odium. Hoc tamen loco appellat Cicero purpuram, quam Quintilianus prætextam. Purpura uſos fuiſſe oratores qui eſſent adoleſcentes, ſcriptum inuenio. Cicero pro L. Flacco, Deciano accuſatori auaritiam obijciẽs: Affers faciem nouam, nomen uetus, purpuram Tyriam: in qua tibi inuideo, quod unis ueſtimentis tandiu lautus es. ſignificat eum præter ætatem purpura uti. Et pro M. Cælio: Si quem etiam minorum horum aliquid offendit, purpuræ genus, ſi amicorum cateruæ, ſi ſplendor, ſi nitor? Iam iſta deferuerit, iam ætas omnia, iam res, iam dies mitigarit. Quintil. lib. 11. de cultu oratoris ſcribens, ſignificat purpura uti oratores: Vt purpuræ, inquit, recte deſcendant, leuis cura eſt. Huiuſmodi prætextam purpuram tanquam rem uiro indignam fecit Virg. in lib. Aeneidos 9. ut Remulus Troianis probri loco obijceret: Vobis picta croco & ſplendenti murice ueſtis. Id fortaſſe fecit Virg. quia ætate ſua id turpe habebatur. Vſque ad talos demiſſam purpuram. ] Non reprehendit quòd toga ad talos demiſſa fuerit. nam, ut ait Quintilianus lib. 11. togam ueteres Romani ad calceos uſque demittebant, ut Græci pallium. Huiuſmodi togis Ciceronem, & qui poſt eum fuerunt, uſos fuiſſe dicit. Sed illud reprehendit Cicero, quòd purpura uſque ad talos prætexta ſit. Diſceſſiſſe uictum. ] Amiſſa cauſa ſcilicet. Rem ab ſubſellijs ad roſtra detulit. ] Forum, roſtra, & ſubſellia pro eadem re ſæpe dicuntur. Nec hoc loco Cicero locorum differentiam ſignificare uidetur, ſed actorum & auditorum: quod ad ſubſellia agant oratores, audiant iudices, in roſtris concionem habeat Trib. pl. populus audiat. Aut ſi locorum diſtinctio eſt, ſicut certe eſſe uidetur, roſtra ſunt ubi conciones ad populum habentur, ut Populo ante roſtra iandiu uacua dixit. Subſellia. ] Vbi exercentur iudicia. ut antea. Accuſabat Tribunus pleb. idem in concionibus, idem ad ſubſellia, ad iudicium non modo de concione, ſed etiam cum ipſa concione ueniebat. eaq; ſubſellia ſunt gradus Aurelij, ubi antea dixit C. Iunium accuſatum, & pop. Rom. iudicio damnatum. Ad ea Oppianici cauſam actam ſignificat. Forum triplex Romæ fuiſſe, eſt apud Celium Rhodiginum. Et iam querimur. ] Et hoc loco particula interrogatiua eſt, ut apud Virgilium in Bucolicis: Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa uidendi? Aut potius indignatiua. ut apud eundem in libro Aeneidos primo: Et quiſquam numen Iunonis adoret Præterea, aut ſupplex aris imponat

nat honorem? Loco. ] Id eſt, genere. Vt nobilitatis dig. ] Nobilitatis dignitatem uirtute tueri dicitur is, qui ignobili loco natus, nobilitatem ſibi uirtute parauit, quam etiam tuetur. Vſque eo peruenit. ] Ad honores, ad magiſtratus ſcilicet. Perſecuta. ] Id eſt, comitata. Hac uno. ] Id eſt, hac re ſola, quòd ſit ignobilis, & non quòd ullam habeat uirtutem. Procedit ſæpe longius. ] In magiſtratibus aſſequendis uel gerendis. Intolerantia. ] Intolerantia hic dicitur paſſiue, pro intolerabili arrogantia. Eo loco. ] Id eſt, ignobilis. erat enim plebeius. Nemini enim patricio licebat gerere plebis Tribunatum. P. itaque Clodius ut fieret Trib. pl. plebeio Fonteio ſe dedit adoptandum. Tu. ] T. Acti. Gratis. ] Id eſt, nulla accepta pecunia. At condemnarat. ] Dialogo aut altercationi ſimilis hic locus eſt, ubi perſonam accuſatoris & patroni agit Cicero. Illa igitur. ] Apte hoc loco complexione uſus Cicero eſt, ad hunc modum: Si gratis iudicaſſe Oppianicũ Fidiculanius iudicum ſententia dictus eſt, cæteri qui eundem damnauerunt, gratis damnauerunt. omnium enim eadem cauſa eſt. Si omnes gratis damnauerũt, quos damnandos Quintius curauit, ij iniuſte damnati ſunt. Omnia igitur Quintiana iudicia fuerunt falſa, inqua, &c. Eſto. ] Eſto eſt particula concedentis. tanquam id concedat Actius Ciceroni, Falculam potuiſſe innocentem eſſe. Iam ergo aliquis. ] Nam ſi innocens Falcula fuit, Oppianicum gratis condemnauit. In quenquam illorum. ] Qui Oppianico damnato in iudicium uocati ſunt. In quenquam illorum obiectam. ] Quæ Fidiculano obiecta non ſit. Ex hoc loco attende, obijcio tibi, & obijcio in te dici poſſe. In cæterorum. ] Iudicum ſcilicet, qui damnato Oppianico rei facti ſunt. Rebus iudicatis. ] Id eſt, præiudicijs. Aut hoc iudicium. ] Argumentum ex remotione eſt: Iudicium Fidiculani aut falſum eſt, aut uerum: Si non falſum, uerum eſt. Si uerum Opplan. gratis à Fidiculano damnatus eſt, quod hoc iudicio liberatus ſit. Magno argumento. ] Id eſt, magnæ probationi. Ex tam multis iudicibus. ] Qui Oppianicum damnauerant. Quid enim mihi. ] Quia dixit abſoluto Falcula neminem ex tam multis iudicibus reũ factum eſſe, ne Popilium & Guttam aduerſarios obijciat, eos ambitus alia lege damnatos dicit. Debuerint potius accuſari. ] Si eorum iudicia eſſent Cluentij præiudicia, repetundarum accuſari debuerunt. Marcello Iuriſ. lib. Digeſt. 46 ad legem Iuliam repetundarum auctore, lege Iulia repetundarum tenetur, qui cum poteſtatem aliquam haberet, eadem iubet ne quis ob hominem condemnandum abſoluendum'ue aliquid accipiat. Hoc. ] Id eſt, quod ob rem iudicandam accepiſſent pecuniam. Adductt. ] Id eſt, in iudiciũ uocari. Qua quiſque lege. ] Ordo eſt, Qua lege quiſque ex illis iudicibus. Hac plaga periret. ] Id eſt, hoc crimine corrupti iudicij damnaretur. Tantis præmijs. ] Accuſatoribus qui uiciſſent lege conſtitutum fuiſſe præmium, apud Aſconium eſt in Commentarijs pro Milone. Id autem præmium quartam partem honorum damnati rei arbitror. Inde quadruplatores idem ſcribit appellari, accuſatores criminum publicorum. quod ipſi ex damnatorum bonis, quos accuſauerant, quartam partem conſequerentur. Hic profertur. ] Quartum eſt hoc genus præiudiciorum ab Actio prolatorum. Id ut proximum, iudicij loco habendum non eſſe Cicero oſtendit. P. Septimio Scæuola. ] Hic quoque iudex Oppianicum damnauit. De hoc Cicero actione in Verr. 2. Senatores iudices corruptos commemorans: Quid ſit, inquit, quòd P. Septimio Senatore damnato, Q. Hortenſio Prætore de pecunijs repetundis, lis æſtimata ſit eo nomine, quòd ille ob rem iudicandam pecuniam accepiſſet. Litem eo nomine eſſe æſtimatam. ] Litem æſtimare, ut ait Aſconius in Commentarijs in Actionem ſecundam in Verrem, eſt pecuniam de qua lis fuit, & propter quam condemnatus eſt reus, in ſummam redigere, quæ de bonis eius redigatur. Lis igitur æſtimari ſolebat ei qui repetundarum poſtulatus eſſet. Quod igitur P. Septimius Scæuola ob rem iudicandam accepiſſet pecuniam, lis ei æſtimata eſt. Eſt autem æſtimare ab ære dictum, id quod uulgo dicunt appreciare & taxare. Auctore Sex. Pompeio æſtimata pœna ab antiquis ab ære dicta eſt, qui eam æſtimauerunt ære, ouem decuſſi, bouem centuſſi, hoc eſt, decem & centum aſſibus. Apud homines, &c. ] Conciliat ſibi iudices, quia eos ore præſenti laudat. Pluribus uerbis. ] Dociles & attentos facit, promittendo breuitatem. Nunquam enim, &c. ] Tacite confitetur litem Scæuolæ æſtimatam fuiſſe, ſed cum aliæ iudicij loco habitæ non ſint, hanc quoque habendam non eſſe oſtendit. Nunquam enim. ] Sententia eſt: Si quid aliud in damnatum reum dicatur, iudices ita diligentes non ſunt, quàm cum reus nondum damnatus eſt. Si qua in eum lis, &c. ] Inferre litem in aliquem, eſt cum aliquo litem inchoare. ut pro C. Rabirio Poſthumo: Itaque in inferendis litibus adeſſe ſolebant, qui aliquid de ſe uerebantur. Lis capitis. ] Id eſt, capitalis. Illi. ] Accuſatores. Que de re antequam. ] Præter id exordium quod eſt totius orationis, multa ſæpe ſunt in eadem oratione ſpecialia, auctore Quintil. lib. 4. ſi multiplex cauſa eſt, ſua quibuſque partibus danda præfatio eſt. Vt, Audite nunc reliqua: &, Tráſeo nunc illud. Sed in ipſis probationibus multa funguntur procemij uice, ut facit Cicero pro Cluentio dicturus contra Cenſores: pro Murena, cum Seruio ſe excuſat. Verum id frequentius eſt, quàm ut exemplo confirmandum ſit. De meo officio. ] Quod aduerſus amicos eſt. Huiuſce periculi. ] In quo Cluentius uerſatur. Inde reum periclitari, apud Quintilianum licet non ſemel inuenire. Cum uiris fortibus. ] Cn. Lentulo & L. Gellio. qui proxime Cenſores fuerunt. M. Aquilius & T. Gutta, qui iudices damnauerunt Oppianicum, triennio amplius à Cenſoribus notati ſunt. Nomen enim Cenſorum triſte ſeuerumq; populus Rom. ſic oderat, ut intermiſſa eſſet Cenſura per plurimos annos, quam Cicero in Diuinatione à populo expoſci dicit ob infamiam iudicum corruptorum, quam ante recuſabat: auctor eſt Aſconius. Verris cauſam amplius triennium poſt Oppianicum damnatum actam fuiſſe, ante diximus. Qui proxime Cenſores fuerunt. ] Id eſt, qui fuerunt proximi Cenſores ante eos, qui tum erant, cum Cluentij cauſa ageretur. Cum altero. ] Cn. Lentulo. Magnus uſus. ] Id eſt, magna conſuetudo & familiaritas. De ſubſcriptionibus. ] Id eſt, de animaduerſionibus. Hoc loco ſubſcriptiones in ea re ſæpe dicit Cicero, quod in tabulas publicas Cenſores referebant eos quos notaſſent, quæ tabulæ in æde Nympharum aſſeruabantur, ut diximus. Honoris cauſa nominatur. ] De honeſtiſſimo homine aut amiciſſimo id dici ſolitũ, ſcripſi alio loco. Honeſtiſſimum hominem. ] Lentulum ſignificat, cum dixit pro eximia ſua uirtute, ſummiſq; honoribus. Summus honos Conſulatus eſt. Magiſtratuum gerendorum ille ordo erat, Aedilitas, Prætura, Conſulatus, Cenſura. Hic igitur Lentulus ante Cenſuram geſſit Conſulatum. In amicorum periculis. ] Id eſt, defendendo amicos. Orator enim fuit. Libertatem dicendi. ] Vt libère diceret, etiam contra amicos, ut fidem patrocinij ſeruaret. Huius. ] Cluentij. Caute pedetentimq;. ] Vt Actione in Verrem 2. Quæ tamen à me pedetentim cauteq; dicentur, ut amicitiæ noſtræ & dignitatis illius habita ratio eſſe intelligatur. Neque in re nota. ] Quintilianus libro quinto auctor eſt, in rebus apertis argumentari tam ſtultum eſſe, quàm in clariſſimum ſolem mortale lumen inferre. de eo ante diximus. Caium Getam. ] Hoc exemplum eſt etiam apud Valerium Maximũ libro 2. de nota Cenſoria. qui idem de M. Valerio Maſſala ſcribit. Ex Senatu eiectus eſſet. ] Eijcere è Senatu, ſæpe

Cicero dicit. ut in Catone Maiore: Inuitus quidem feci, ut fortiſſimi uiri T. Flaminij fratrem L. Fleminium è Senatu eijcerem. Mouere ſenatu alij dicunt ſæpius. uulgus deponere de Senatu. Cenſorem factum. ] Nam facere magiſtratus ſolet dicere Cic. quod Valerius & T. Liuius creare, uulgus eligere & reficere, quod alij continuare. de quo alio loco plura. Cæteri turpi iudicio damnati. ] Præter eos qui de ambitu damnati ſunt. qui ſi quem alium ambitus accuſauerint, & uicerint in integrum (ut ante dictum eſt) reſtituuntur. Turpi iudicio. ] Vt furti, cædis, repetundarum, maieſtatis, quod famoſum in libris Pandectarum ſæpe appellatur. Turpe enim iudicium non erat, cum quis de re pecuniaria, aut hæreditate, aut alia eiuſdem generis damnabatur. In perpetuum. ] Niſi ab exilio reuocati erant. Honore. ] Id eſt, Magiſtratu. Dignitate. ] Id eſt, Senatu. Ignominia notatis. ] À Cenſoribus. Nunc ſi quem. ] Inter iudicium & notam Cenſoriam longe intereſſe oſtendit. Nam ſi quis ab humiliore turpi iudicio damnatus ſit, omnia dignitatis ornamenta amittat: ſi quis à Cenſoribus clariſſimis uiris atque ſapientiſſimis notatus ſit, ea ornamenta non amittit. Captarum pecuniarum. ] Ob rem iudicandam. Non modo in Senatum redierunt. ] Videtur Cicero in ea eſſe ſententia, ut Lentulus & Gellius fuerint Cenſores ij qui duos iudices notauerint, qui Oppianicum damnauerunt. Id ſi ita eſt, intelligendum eſt, hanc animaduerſionem fuiſſe antequam Gutta de ambitu damnaretur. aut poſtquam ipſe damnatus alium ambitus accuſauerit, uiceritq́; ideo reſtitutus in integrum ſit. In Senatum redierunt. ] Antequam notati eſſent Aquilius & Gutta, ſenatores erant: tum enim, ut diximus, ſoli ſenatores iudicabant. Notati autem è Senatu electi ſunt. Nam, ut ait Aſconius in Commentarijs in Diuinationem Ciceronis: Regendis moribus ciuitatis, Cenſores quinto quoque anno creari ſolebant. Hi ciues ſic notabant, ut qui Senator eſſet, è Senatu moueretur: qui eques Rom. publicum equũ perderet: qui plebeius, in ceritum tabulas referretur, et ærarius fieret, ac per hoc nõ eſſet in albo centuriæ ſuæ, ſcilicet ad hoc ut eſſet ciuis, ſed tantummodo, ut pro capite ſuo tributi nomine æra penderet. Iudicijs ipſarum rerum. ] Id eſt, quæ de captis pecunijs eſſent. De exiſtimatione cuiuſquam. ] Id eſt, in turpi iudicio. Ibi enim de exiſtimatione rei agitur. Nam qui damnatus, infamiam adipiſcitur perpetuam. Niſi qui inter aduerſarios conueniſſet. ] Facta iudicum ſortitione, accuſator et reus quos uolebant reijciebant, quorum in locum ſubſortitio fiebat, ut diximus. Itaque nemo erat iudex, niſi inter accuſatorem & reum conueniſſet. Ita non fiebat in Cenſorum animaduerſionibus: hæ igitur, ut iudicia habendæ non ſunt. Quapropter in omnibus legibus. ] Præterea hoc loco aptius, quàm Quapropter legeretur. Alia enim cauſa eſt, cur Cenſoriæ animaduerſiones iudicij loco habendæ non ſint. In omnibus legibus, quibus exceptum eſt, &c. ] Aliquæ nonnunquam interueniunt cauſæ, cur non liceat aut accuſare, aut iudicẽ eſſe, aut magiſtratum gerere. Hæ aũt cauſæ in iure ciuili perſcriptæ ſunt: ut lib. Digeſt. 3. de poſtulando, & de his qui notãtur infamia, permultæ huiuſmodi cauſæ traditæ ſunt. In huiuſmodi cauſis animaduerſionem Cenſoriã eſſe, Cic. negat. Magiſtratũ capere. ] Id eſt, gerendũ ſuſcipere, & ut dicunt, acceptare. ut pro L. Manilia: Quid tam ſingulare, quàm ut S. C. legibus ſolutus, Conſul ante fieret, quàm ullum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet? Et pro Cn. Planco: Quod multo etiam minus eſt ferendum. Tum enim magiſtratum non gerebat is qui ceperat. Mandare magiſtratum, pro eo quod eſt dare uel offerre, uſitate dicitur. de quo alio loco dicemus. Timoris enim cauſam. ] Id eſt, ut ignominiam timerent: itaq; à turpitudine auocarentur. Poteſtate. ] Cenſoria. ut ante poteſtatem tribunitiam appellauit. Populi Rom. ſuffragijs. ] C. enim Geta qui à Cenſoribus notatus fuerat, Popu. Rom. ſuffragijs Cenſor factus eſt. Iudicijs eorum qui iurati. ] Quæ iudicia ſuffragijs populi iniurati habenda ſunt grauiora. Senatores equiteſq́;. ] Cum per annos plurimos ante Oppianici damnationem poteſtas Cenſoria, ut diximus, intermiſſa fuerit. hoc intelligendum eſt factum, poſtquam L. Aurelia Senatoribus & equitibus Rom. poteſtas iudicandi data eſt. Suæ religioni. ] Quæ ex iureiurãdo profecta eſt. Qui iuraret. ] Prætor Vrbanus cum ſeligeret iudices, qui ſortituri erant, iuratus erat, ut hoc loco ſignificat Cicero. Cn. Pompeium Coſ. ſolum delegiſſe iudices in cauſa Milonis, idem Cic. teſtis eſt. Cum uero facta erat iudicum ſortitio, omnes in leges iurabãt, præter Prætorem. Prætorem autem iurare morem non fuiſſe, Cicero ſignificat Act. in Verr. 2. Cum enim, ut ait, Prætorum deſignatorum ſortitio fieret, M. Metello obtigit, ut de cauſa Verris quæreret. eo iudice quam Prætore hanc rem tranſigi, & iurato ſuam quàm iniurato aliorum tabellas committere ſe malle dicit. Id enarrat Aſconius. Nam cum iudex ſit Metellus, tabellam iudiciariam iuratus accipit: cum orator fuerit, & non iurauerit, quia non eſt iuris, in poteſtate habebit omnes tabellas omnium iudicum. Prætor igitur cum ſeligit iudices, iuratus eſt: cum præeſt iudicio & iudicum tabellis, iuratus non eſt. Ad eam rem. ] Id eſt, ad optimũ quenque in ſelectos iudices referendũ. Impedimento eſſe oportere. ] Nã ſi iudicij loco haberetur Cenſoria animaduerſio, notatos homines in ſelectos iudices referri non oporteret. Cenſores denique, etc. ] Id eſt, proximi Cenſores ſuperiorum Cenſorum iudicia non probauerunt. Eos enim reſtituerunt, quos alij notauerant. Auctore Aſconio, Cenſorum notam ſucceſſores plerunque ſoluebant. Iudicijs non ſteterunt Id eſt, iudicia non ſeruauerunt: ut ſtare re iudicata, conuentis, promiſſis dicimus. Pro L. Flacco: Re iudicata ſtari oſtendit placere. Libro de Offic. 3. Multa, quæ honeſta natura uidentur eſſe, temporibus fiunt non honeſta: facere promiſſa, ſtare conuentis, reddere depoſita, commutata utilitate fiunt non honeſta. Idem libro primo: Iam illis promiſſis non ſtandum eſſe quis non uidet, quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiſerit? Alter alterius. ] Præter id quod hoc loco dicit Cicero, illud animaduertendum eſt, Claudium Neronem & Liuium Salinatorem, cum Cenſores equitum centurias recenſerent, ſe inuicem notaſſe: Salinatorem Claudius, quia populi iudicio ante Conſulatum & Cenſuram damnatus fuerat: Neronem Liuius, quòd non ſincera fide ſecum in gratiam rediſſet, notauerunt. Idem Salinator quatuor & triginta tribus in ærarios retulit, quod cum ſe damnaſſent, poſtea Conſulem & Cenſorem feciſſent: auctor eſt Valerius Maximus lib. 2. titulo de nota Cenſoria. Ordine ampliſſimo. ] Id eſt, Senatu. In ærario. ] Id eſt, inter ærarios, quod eodem loco idem Valerius dicit: Salinator, inquit, quatuor atque triginta tribus inter ærarios referre non dubitauit. In ærarios relati dicebantur ij, qui ære multatitio damnati erant. qui tum ex ærarijs eximebantur, cum ſatis fecerant, aut aliqua ratione, hac ignominia leuabantur. Tribu moueri. ] Id eſt, in albo centuriæ ſuæ nõ eſſe. De quo animaduerſionis genere ex Aſconij ſententia ante diximus. Quæ à po. Ro. reſcindi. ] Per enumerationem concluſio ſpecialis eſt. Diſcrepare. ] Diſcrepare hoc loco impersonale eſt, ut contrariũ eius cõuenire. alioqui ſæpius perſonale eſt, ut pro Cn. Planco: Neque ego nunc legis iniquitatem queror, ſed factum tuum à ſententia legis doceo diſcrepare. Inde diſcrepantiam Cicero dixit in primo de Officijs: In actiones omnemq́; uitam nullam diſcrepantiam conferre debemus. Quæ cum ita ſint. ] Rem ſatis notã iudicibus ſatis iam probaſſe ſibi uiſus eſt. Quàm illa acerbiſſima proſcriptio. ] L. Syllæ proſcriptionem intelligit. Cenſorum ſtylum. ]. Id eſt, Cenſoriam ſubſcriptionem. Cenſores enim ſtylo in ceratis tabulis ſcribebant. Di-

ctatorum

Dictatorium. ] Id eſt, Syllæ Dictatoris. Graue debet eſſe. ] Id eſt, debet ualere. Vince. ] Id eſt, oſtendo & obtine. Nihil de illo unquam, &c. ] Quum quòd uir bonus & homo integer eſſet. Amplexator. ] Amplexato legendum eſt: auctore Priſciano: is enim libro 8. multa uerba deponentia enumerans, quæ apud ueteres in o exibant: Amplexo, inquit, pro amplexor. Q. Claudius in ſecundo Annalium, Comprehenſare ſuos quiſque, ſeruire, amplexare Cicero pro Cluentio: Auctoritatem Cenſorum amplexato. Amplecto quoque pro amplector, & complecto pro complector. Hæc ille. Cum re. ] Id eſt cum facto. Dum uero eum fuiſſe Oppianicum conſtabit. ] Improbiſſimum hominem & nequiſſimum fuiſſe atque nocentiſſimum Oppianicum oſtendit, breuiterq́; & per enumerationem repetit Oppianici crimina, quæ ante expoſuit, ut turba magis ualeant. Nam ſi quæ per ſe infirma ſunt, colligenda Quintilianus lib. 5. præcipit, ut turba ualeant: quanto plus ualebunt collecta ea quæ per ſe firma ſunt? Tabulas publicas. ] Cenſorias ſcilicet. Municipij ſui. ] Larini. Iudicatus ſit. ] A Decurionibus. Qui teſtamentum. ] Dineæ ſocrus ſuæ. Suppoſita perſona. ] Atilij, qui ſe Aſinium mentiebatur. Qui eum. ] Aſinium. Auunculum filij ſui. ] M. Aurium fratrem Magiæ, ex qua Oppianicus filium ſuſcepit. Municipes ſuos. ] Quatuor uiros, & tres Aurios, & C. Virium Larinates. Eius uxorem. ] Saſiam A. Aurij Melini uxorem. In matrimonium duxerit. ] Ducere in matrimonium dixit, ut Terentius in Eunucho ducere in uxorem, & ducere uxorem dicit: Dicebat patrem ita obſecraturum, ut licere ſibi hanc in uxorem ducere. Bono animo es, duces uxorem hanc. In matrimonio habere ſæpe dicit Cicero pro Publio Quintio: Publij Quintij conſobrinum habet in matrimonio Næuius. Actione in Verrem quinta: Vectius tuus affinis cuius ſororem habes in matrimonio. Pro A. Cæcina: Is habuit in matrimonio Ceſenniam. Poculum pro potione dederit. ] Vxori Cn. Magij prægnanti. Pro abortione non pro potione, lego in codice S. Victoris. Socrum. ] Dineam Magiæ matrem, per L. Clodium circumforaneum medicum necatam. Qui uxorem. ] Cluentiam Cluentij amitam. Vxores, non uxorem lego in codice S. Victoris. Quæ lectio uidetur emendatior. Nam Oppianicum in uxoribus necandis exercitatum dixit. Vxorem, ſperatoſq́; liberos. ] Id eſt, uxorem grauidam. Fratremq́; ipſum. ] C. Oppianicum. Suos liberos. ] Id eſt, duos filios, alterum Pappia, alterum Nouia natos: quos ut ſibi nuberet Saſia necauit. Priuigno. ] Cluentio. Miniſtris conſcijſq́. ] Scamandro & Fabritio. Iudici. ] Staleno. Argumento. ] Id eſt, indicio & probatione. Grauiſſime. ] Id eſt, ueriſſime. Nihil cauſa cognita ſtatuiſſe. ] Id eſt, nec cauſam cognouiſſe, nec ſtatuiſſe. Quod ſi ita feciſſet. ] Aliquando fingimus aliquid donare aduerſario, ut ad proxima gradum faciamus. Potentem aliquem, &c. ] Hoc dicit, ut D. Matrinius, qui à Cenſoribus notatus fuerat, non potentia aliqua aut gratia lectus ſcriba eſſe uideatur. Tenuem. ] Id eſt, pauperem. Scribam Aedilitium. ] Aediles Curules habuiſſe ſcribas, deq́; ſcribarum ordine, ſcribimus in Commentarijs in quartam Ciceronis Inuectiuam in Catilinam. Aediles Curules. ] Aedilibus iudicandi poteſtas fuit. Hinc in libro Digeſtorum uno & uiceſimo titulus eſt de Aedilitio edicto. Vt Scribam iurati legerent. ] Significat D. Matrinium à Cenſoribus notatum, de Scribarum ordine electum fuiſſe, ſeq́; perſuaſiſſe ut eum iterum legerent. niſi illud: Nuper hominem tenuem Scribam Aedilitium, &c. intelligere maluit: ut tum Scriba Aedilitius fuerit, cum hanc Cluentij cauſam Cicero ageret, non cum Matrinium defenderet. Iidem iſti Cenſores. ] Lentulus & Gellius. Aerarium reliquiſſent. ] Id eſt, in ærarios retuliſſent. nam plebeius erat. Nam hæc quidem. Nam, id eſt, præterea. in qua ſignificatione perſæpe à Cicerone dicitur. Donatus exponens illud ex prologo Adelphorum, Nam quod iſti dicunt maleuoli: Nam, inquit, incipiendi uim habet modo: ut, Nam, ego hanc machæram meam dico. & in Hecyra, Nam Senex rus abdidit ſe. Plautus in Milite, Nam meus conſeruus eſt homo ut magni pretij. Eodem Donato auctore in eandem fabulam: Enim inceptiua particula apud ueteres fuit. Cæteri. ] Viginti iudices, ſcilicet. Non eſt igitur circumuentus. ] Nam ſi maximus fuit numerus eorum, qui gratis condemnarunt, circumuentus innocens nō fuit. In culpa ſunt ac ſuſpicione ponendi. ] M. Cælius in lib. Epiſtolarum Ciceronis 8. contra dixit ponere in gratiam: Amabo te, ſi quid, quod opus fuerit, Appio facies, ponito me in gratiam. In culpa ac ſuſpicione. ] In ſuſpicione culpæ. Affines. ] Id eſt, conſcios, & ut uulgo loquuntur, culpabiles. De hoc uerbo ſcribimus in Inuectiuas. Compertum de cæteris. ] Legendum arbitror, compertum, nihil in cæteris comperiſſe. Illos. ] Cenſores. Flagitium rei militaris. ] Quamuis multa ſint rei militaris flagitia, hoc tamen loco intelligit, cum milites hoſtium metu abiectis armis ex prælio effugiunt. Quorum illa apud Romanos ueteres pœna fuit, ut qui fugiſſent, in decurias diuiderentur, ex quibus ſortitione ſinguli deligerentur, in quos ultimo ſupplicio in oculis exercitus animaduerteretur, ut ait Plutarchus in uita M. Craſſi. De hoc more nunc Cicero intelligit. Si igitur dicat Actius, illo more à Cenſoribus in iudices nummarios animaduerſum fuiſſe, quòd ex uiginti duobus, qui damnauerunt Oppianicum, duo à Cenſoribus notati ſint, hoc minime probandum eſſe oſtendit Cicero. Sortitione. ] Etiam Sortito aduerbium dicit in Verrem Actione quarta: Syracuſis lex eſt de religione, quæ in annos ſingulos Iouis ſacerdotem ſortito capi iubeat, & Sortitu, pro Domo ſua: Si etiam pluribus de rebus uno ſortitu retuliſti. In quoſdam. ] Id eſt, in decimum quenque. In delectu dignitatis. ] Id eſt, in legendo Senatu. Cenſorum enim erat legere Senatum, & Senatu eijcere, Senatus principem conſtituere. Nam miles qui locum. ] Hunc morem in exercitu utilem, in ciuitate pernicioſum eſſe oſtendit. Et miles eſſe melior. ] In hanc rem eſt illud prouerbium, Vir fugiens & denuo pugnabit. de quo apud Eraſmum eſt. Amplior et mortis & ſupplicij metus. ] Nam ſibi quiſque metuit, ne ſorte puniatur, ut apud Virgilium in libro Aeneid. ſecundo, Sinon dicit Eurypylum uatem renunciaſſe: Sanguine quærendos reditus, animaq́; litandum Argolica, uulgi quæ uox ut uenit ad aures; Obſtupuere animi, gelidusq́; per ima cucurrit Oſſa tremor, cui fata parent, quem poſcat Apollo. Si carpes. ] Id eſt, ſi ad ignominiam ex maiore numero eliges. Fortunas. ] Calliſtratus Iuriſconſ. libro Digeſtorum 48. de bonis damnatorum ſcribit ſupplicij damnatione bona publicari, cum aut uita adimitur, aut ciuitas, aut ſeruilis conditio irrogatur. Is nota non inuretur. ] Tu nota inureris, & tibi nota inuritur dici poteſt. Pro Publio Sylla: Neque generi & nomini ſuo nota nefariæ turpitudinis inuratur. De hoc dicendi genere plura ſcribimus in Inuectiuas. Tu et perfectus moribus. ] Apoſtrophe eſt ad Cenſorem. Veteris. ] Id eſt, bone. Qui in eadem culpa ſit. ] In libro de Officijs primo, Cicero cauendum eſſe ait: ne iiſdem de cauſis alij plectantur, alij ne appellentur quidem timiditatis. Timiditati militis. ] A timido timiditatem dici attendo. ut pro Milone: Quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates. Quantum timidus à timente, tantum timiditas à timore diſtat.

Quod ſi hoc exemplum. ] Sententia eſt, Si hoc exemplum ex re militari ad animaduerſionem Cenſoriam transferendum

fuit, id ſortitione à Cenſoribus factum oportuit, ſed Cenſorium non eſt ad ciuium improborum pœnam ſortiri. Huius igitur animaduerſionis rationem ad Cenſores transferri non oportuit. Eſt autem argumentum ex contrarijs. Fortunæ iudicio. ] Id eſt, ſortitioni. Verum omnes intelligimus. ] Quod duo iudices tantum notati fuerunt à Cenſoribus, non fuit factum ad imitationem conſuetudinis militaris: ſed Cenſores popularem quendam plauſum petentes, quia uidebant perſuaſum populo iudices ob rem iudicandam accepiſſe pecuniam, Aquilium & Guttam, quos cæteris uitijs, atque omni dedecore infames uidebant, eos notauerunt. Ventum quendam popularem. ] Id eſt, fauorem, iactantiam, gloriam populi. De hoc uerbo ante diximus. Quæſitum. ] Quærere, colligere, petere uentum aut plauſum aut rumorem popularem dicimus. ut paulo poſt: Ex tota ipſa ſubſcriptione rumorem quendam & plauſum popularem eſſe quæſitum. Et antea: Omnes rumorum & concionum uentos colligere conſueſſet. Quintilianus libro quarto: Et huius uelut præſtigiæ plauſum petat. A' Tribuno. ] L. Quintio. Incognita. ] Id eſt, indefenſa. Probatum. ] Et ideo creditum. Multitudinem illicitum eſt credere. ] Locus hic aſteriſco notandus non erat, ſi ſcriptus fuiſſet, ut in codicibus alijs, hoc modo: Multitudini illicitum erat contradicere. Contrariam partem. ] Id eſt, partem iudicum. Illa iudicia. ] Id eſt, illi iudices, qui Oppianicum damnarunt. Iudicia pro iudicibus, ut ſeruitia pro ſeruis, cuſtodias pro cuſtodibus, operas pro opificibus dicimus. Paucis poſt menſibus. ] Hoc intelligi arbitror de cauſa C. Iunij. Ea enim cum ageretur, C. Verres Prætor Vrbanus pro teſtimonio dixit, in Iuniano iudicio adulteratas fuiſſe tabulas ſuas, in quibus ſuppoſiti eſſent iudices ad corruptam ſententiam ferendam, quam cauſam ante non audiſſent, ut ante diximus ex Aſconij ſententia. Illis Cenſoribus. ] Caſus datiuus eſt, non ablatiuus. Nondum enim ordini Equeſtri reſtituta erat iudicandi poteſtas. Iudicia. ] Id eſt, Cenſoriæ animaduerſiones. Idoneorum. ] Id eſt, indignorum. Idoneus enim hoc loco in malam rem dicitur. ut in Andria Terentij: Adeon uidemur uobis idonei, in quibus illudatis? Illa iudicia. ] Quibus damnatus Oppianicus eſt. Nam in L. Popilium. ] Nam inceptiua particula eſt. In L. Popilium ſubſcripſit. ] Vt animaduertere in aliquem, ita ſubſcribere in aliquem dicimus. Quantæ diuinationis eſt. ] Diuinationem rerũ quoque præteritarum eſſe attendendum eſt. Viderat. ] L. Gellius ſcilicet. Cum hominis ſapientiſſimi. ] Argumentum à maiore ad minus eſt. Nam ſi iudices qui cauſam Oppianici audiuerunt, eum innocentem non putauerunt: multo id minus putare debuit L. Gellius, qui eum fortaſſe nunquàm uiderat. Cauſa cognita. ] Id eſt, auditis accuſatione & defenſione. Verum eſto. ] Id condonare uidetur aduerſario, ut ſibi ad proxima gradum faciat. Et erat Libertini filius. ] Libertini ſunt qui ex iuſta ſeruitute manumiſſi ſunt, ut eſt in lib. Inſtitut. Iuſtiniani I. Appius Claudius Cenſor Libertinorum filios in Senatum legit. Hoc facto ſenatorius ordo inquinatus uidebatur. Ob hanc infamem atque inuidioſam Senatus lectionem C. Plautius Appij collega ſe Cenſura abdicauit: Cenſores proximi Senatum extemplo citauerunt eo ordine, quo Cenſores ante Appium & Plautium fecerunt. auctor eſt T. Liuius lib. 9. Libertinorum filij indigni Senatu habebantur. ſi qui per imprudentiam lecti fuerant, eos Cenſores è Senatu eijciebant. L. itaque Popilium Cn. Lentulus Cenſor è Senatu eiecit, quia Libertini filius erat, non quia ob rem iudicandam pecuniam acceperat. In Senatum non legit. ] Is autem proximis Cenſoribus lectus fuerat. Locum quidem Senatorium ludis. ] Locus in theatro Senatoribus deſignatus erat, quæ orcheſtra dicebatur. Et cætera ornamenta. ] Senatorum ornamenta erant latus clauus, & lunatus calceus, quo alij quoque nobiles utebantur. Dion Caſſius in uita Traiani, Senatorem pingi ſolitum dicit illa forma, ut eſſet ſenior in tunica & prætexta purpurea cum corona. Eius. ] Popilij. Exiſtimatione. ] Nam gratis eum condemnaſſe Lentulus exiſtimabat. Non dicam uitium, ſed erratum. ] Erratũ minus quàm uitium eſſe ſignificat, ut Act. in Verr. 6. minus eſſe ſignificat, quàm facinus: Mirũ omnibus uideri, Diodorum reum hominem quietiſſimum, ob omni non modo facinore, uerum minimi errati ſuſpicione remotiſſimum. Id enim erratum eſt, quod conſulto admiſſum non eſt. Illi. ] Cenſores. Accuſatorem. ] Cluentium, cuius nomine Oppianicum P. Cannutius accuſauit. P. Africani. ] Minoris. Verbis conceptis peieraſſe. ] Quædam uerborum formula erat, quam concipiebant, id eſt, exprimebant ij qui iurabant. Inde factum eſt, ut dicatur, uerbis conceptis iurare: ut contra uerbis conceptis peierare, cum quis quid ex illa uerborum formula iurando mutat, aut transmittit, ne iureiurando obligatus eſſe uideatur. Cicero in libro de Officijs tertio: Quod, inquit, ex animi tui ſententia iuraueris, ſicut uerbis concipitur more noſtro, id non facere periurium eſt. Quibus uerbis ſignificat, in iureiurando oportere adeſſe & animi ſententiam, & uerborum conceptionem. Iuſſit equum traducere. ] Nam Equiti Rom. equus publicus adimebatur, cum à Cenſoribus notabatur. Cum C. Licinium Sacerdotem accuſare nullus uellet, tum Scipio: Traduc equum, inquit, ſacerdos, & lucri fac Cenſoriam notam, ne ego in tua perſona & accuſatoris, & teſtis, & Cenſoris, & iudicis partes egiſſe uidear. auctor eſt Valerius libro quarto titulo de Animi moderatione. Hoc autem exemplo oſtendit Cicero, Cenſorum iudicio ſtari non oportere, cum ne ſuo quidem iudicio Publius Scipio Cenſor ſteterit. Quintilianus libro quinto, de probatione quæ exemplo fit, ſcribens: Contrario, inquit, exemplo Cenſoriam notam Cicero euertit, laudando Cenſorem Africanum, qui eum quem peieraſſe conceptis uerbis palàm dixiſſet, teſtimonium etiam pollicitus, ſi quis contradiceret, nullo accuſante traducere equum paſſus eſſet. Is cuius arbitrio. ] Scipionis arbitrio quantum etiam exteræ gentes contentæ ſint, unicum hic ſcribam exemplum, quo id agnoſcas facilius. Maſiniſſa Numidiæ Rex tribus filijs regnum commune reliquit: idq; eos Scipionis arbitrio diuidere iuſſit, ut eſt apud T. Liuium lib. quinquageſimo. Si hoc habito facere licuiſſet. ] Id eſt, ſi licuiſſet Scipioni facere Habito, quod C. Licinio fecit. Illis ipſis iudicibus. ] Id eſt, cum tam graues & ſeueri iudices eſſent. Vnum etiam eſt, quod me maxime conturbat. ] Ironia eſt, qua ſæpe in refutando uti licet, cum argumenta aduerſarij, quæ leuia ſunt, dicimus grauiora. Elogium. ] Id eſt, teſtificationem. de quo uocabulo ſcribimus in Commentarijs in Catonem Maiorem. Hominis honeſtiſſimi. ] Ironia eſt. Alieniſſimos. ] Id eſt, neque cognatos, neque affines, neque neceſſarios. Sed tu Acti. ] Quintilianus libro quinto, de refutatione ſcribens, artificis eſſe dicit, inuenire in actione aduerſarij quæ inter ſemetipſa pugnent, aut pugnare uideantur. Id hoc loco facit Cicero. Nam ut ait idem Quintilianus, quid tam uideri poteſt contra Cluentium, quàm Cenſoria nota? Quid tam contra eundem, quàm filium ab Egnatio corrupti iudicij, quo Cluentius Oppianicum circumueniſſet, crimine exhæredatum: At hæc Cicero pugnare oſtendit: Sed tu Acti conſideres diligenter, &c. Quem tu grauem eſſe uis, è Senatu eiecerunt. ] Ideo immerito eiecerunt. Eiecerunt. ] Apud Quintilianum lego eieciſſent. Retinuerunt. ] Qui tamen eijciendus erat. At enim Senatus. ] Purgat quod Actius dixit, Senatum deferente populo Romano cauſam ſuſcepiſſe, ſenatusq; conſultum feciſſe.

Ad

Ad manus. ] Id eſt, ad concertationem. Inuidia flagraret. ] Ob corruptum iudicium. Si qui ſunt. ] Sunt uerba Senatuſconſulti. Si ipſe A. Cluentius. ] Argumentum à fictione eſt. Aliam non diceret. ] Dicere ſententiam, & ferre, differunt. nam iudex fert, Senator dicit. Aliâ atque. ] Id eſt, aliam quàm. Num iſtam legem. Cum atrocior res aliqua admiſſa fuerat, pop. Rom. aut in dignitate rei permotus, aut Trib. pl. concionibus ſeditioſis impulſus flagitabat, ut ea de re Senatuſconſultum fieret, ex quo Senatuſconſulto lex per conſulē ferretur: ut pro Milone factum eſt. Hoc factum ad præſens inuidiæ incendium reſtinguendum dicit, quod poſtquam reſtinctum eſt, illa lege opus non eſſe Conſules uiderunt. In quos cum Conſules. ] Tum Conſules legi oportet. Significat autem M. Lucullum & C. Caſſium fuiſſe ex iudicibus ijs, à quibus Oppianicus damnatus ſit. Quod tu Habiti pecunia. ] Conſules à Cluentio accepiſſe pecuniam, ut ex iſto S. C. legem nō ferrent, Actius dixit. Id Cicero refutat. Id quod Senatus. ] Cum poſtea dicat, id poſtea perferendum: alterum id ſuperuacaneum eſt. Id aliquando facit Cicero, ne præparata oratio uideatur. Rem illam & rogationē. ] Id eſt, Senatuſconſultum & legem. Quæſtionem. ] Id eſt, cauſam. Vt mare quod ſua natura. ] Eadem eſt ſimilitudo apud T. Liuium libro 28. in oratione P. Scipionis ad milites: Multitudo omnis, inquit, ſicut natura maris per ſe immobilis, ut uenti & auræ cient, ita aut tranquillum, aut procellæ in uobis ſunt: & cauſa atque origo omnis furoris penes auctores eſt, uos contagione inſaniſtis. Eſt etiam reliqua. ] Artificioſum eſt, ut cum quid alio loco dici poteſt, quàm ſuo, commodius id ad eum locum reſeruemus, noiq; pene prætermiſſe dicamus. ea enim ratione auditores facimus attentos, & rem tractamus commodius. ut cum in oratore illud præcipuū ſit, ut ſit uir bonus, aut is certe habeatur: ſi quid in eum ab aduerſario dictum ſit, quo eius exiſtimatio lædatur, id poſt procemium, ante cauſæ actionem refutandū eſt. Id Cicero fecit in oratione pro L. Murena, & pro P. Sylla. T. Actius in Cluentij accuſatione dixit, Ciceronem in alia oratione dixiſſe, in iudicio Iuniano iudices pecuniam accepiſſe etiā ab accuſatore Cluentio, ut Oppianicum reum damnarent. Id ex Ciceronis oratione in Verrem ſecunda Actius recitauit. Probauit igitur ab auctoritate Ciceronis, iudiciū à Cluentio corruptū. Hoc loco Cicero contrarium defendit. Multum igitur de Ciceronis auctoritate detrahitur. Id Cicero poſt exordium ante cauſæ actionē cōmode refutare non potuiſſet. oportebat enim prius probari, id iudiciū ab Oppianico corruptū, & quanta populi Rom. cōcitatio à L. Quintio facta fuerit. Hoc igitur loco id tractatur cōmodius, quod ſe penè turpiter præterijſſe dicit. Permagna auctoritas. ] Quintil. lib. 5. inter probationes ponit locum ab auctoritate, ſi quid uidelicet ita uiſum eſt gentibus, populis, ſapientibus uiris, claris ciuibus, illuſtribus poetis, referri poteſt. À Ciceronis auctoritate ex Actione in Verr. 2. uſus accuſator fuerat. Turpiter. ] Turpe enim fuiſſet Ciceroni id præterire, quod ad exiſtimationem eius pertinebat. Ex oratione neſcio qua. ] Id legere licet in ea Act. 2. Ad honeſte iudicandum. ] Ne à Verre corrupti turpiter iudicarent. Quæ probata non eſſent. ] Id eſt, quæ bona non eſſent, propterea quòd accepta pecunia facta eſſent. Inuidioſum. ] Id eſt, inuidiæ plenum, quam Quintius excitauerat. Offenſiones iudiciorum. ] Id eſt, corrupta iudicia, quibus offenſus populus erat. Conſignatas. ] Id eſt, certas & non mutabiles. Orationes cauſarum & temporum ſunt. ] Nam oportet orationes ipſas cauſis & temporibus accommodari. Hominem ingenioſum. M. Antonij Oratoris incredibilem quādam & propè ſingularem & diuinam ingenij uim fuiſſe, Cicero dicit in libro de Orat. 1. Eodem auctore de Claris oratoribus: huius erat memoria ſumma, nulla meditationis ſuſpicio, imparatus ſemper aggredi ad dicendum uidebatur. Nullam unquam orationem ſcripſiſſe. ] In libro de Claris orat. Cicero alias cauſas dicit, cur alij orationes ſuas non ſcripſerint. Alij enim oratores inertia nihil ſcripſerunt: alij non laborauerunt ut meliores eſſent. nulla enim res tantum proficit ad dicendum, quantum ſcriptio. Alij memoriam ingenij ſui in poſterum non deſiderarunt. Suam enim dicendi gloriam maiorem uiſum iri exiſtimauerunt, ſi in exiſtimantium arbitrium ſcripta ſua non uenirent. Alij putant melius dicere ſe poſſe quàm ſcribere, quod peringenioſis hominibus, neque ſatis doctis, plerunque contingit. Eloquentiſſimi. M. Antonius & L. Craſſus, ætate ſua fuerunt oratores maximi. Antonio alij parem eſſe dicebant, alij anteponebant L. Craſſum. Illud quidem certe omnes ita iudicabant, neminem eſſe, qui horum alterutro patrono cuiuſquam ingenium requireret, ut ait Cicero de Claris oratoribus, ubi permultum ornat utrunque laudibus. L. Plancium. ] C. Plancū Quintilianus lib. 6. appellat. Accuſante M. Bruto. ] M. Brutus generi ſuo magnum fuit dedecus, qui cum tanto nomine eſſet, patremq; optimum uirum habuiſſet, & iuris peritiſſimum, accuſationem factitauit. Accuſator fuit uehemens & moleſtus, ut facile cerneres naturale quoddam ſtirpis bonum degeneraviſſe uitio deprauatæ uoluntatis: auctor eſt Cicero de Claris oratoribus. Hunc accuſatorem paſſim nominatum fuiſſe, idem in lib. de Offi. 2. dicit. Recitatoribus. ] Id eſt, lectoribus. Capita alterna. ] Id eſt, quæ alternatim recitarent. In diſſuaſione rogationis. ] Cum lex ferretur, ne Martius Narbo colonia deduceretur. eam legem diſſuaſit L. Craſſus. de quo Cicero in lib. de Claris oratoribus, Voluit, inquit, adoleſcens in colonia Narbonenſi cauſæ popularis aliquid attingere, eamq; coloniam, ut fecit, ipſe deducere. Extat in eam legem ſenior, ut ita dicam, quàm ætas illa ferebat oratio. In ſuaſione legis Seruiliæ. ] L. Craſſus annos, 34. natus Seruiliam legem ſuaſit, quam Q. Seruilius Cæpio Conſul tulit. de qua Cicero eodem in libro de Claris oratoribus: Mihi, inquit, à pueritia quaſi magiſtra fuit illa in legem Cæpionis oratio, in qua & auctoritas ornatur Senatus, quo pro ordine illa dicuntur: & inuidia concitatur in iudicum & accuſatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. Multa in illa oratione grauiter, multa leniter, multa aſpere, multa facete dicta ſunt. plura etiam dicta quàm ſcripta, quod ex quibuſdam capitibus expoſitis, nec explicatis intelligi poteſt. Illorum iudicum. ] Id eſt, equitum Romanorum, qui ſoli tum lege Sempronia iudicabant. Vtriuſque temporis. ] Quo diſſuaderet legem, quæ contra coloniam Narbonenſem ferebatur, & quo ſuaderet legem Seruiliam. Quo lepore. ] In Craſſo multum leporem fuiſſe, Cicero in 1. de Offic. ſcribit, cuius orationem dicit fuiſſe uberiorem, nec minus facetam. Excitauit. ] Id eſt, ſurgere fecit, de quo uerbo alibi plura. In lib. de Oratore 2. hanc eandem rem licet legere, ubi traditum eſt, tantum tres ueros eſſe Bruti libros. Pomponius uero iuriſcon. lib. Digeſt. 1. de origine iur. ſeptem fuiſſe dicit. Forte euenit. ] Id libri primi principium eſt. In Priuernate. ] In Priuernati legendum eſſe, docet Priſcianus lib. 7. quemadmodum etiam legitur in libro de Oratore ſecundo. Flagitabat. ] L. Craſſus ſcilicet. Sciebat enim hoc & reliqua prædia Brutum uendidiſſe, quæ ſibi pater reliquerat. In Tyburti. ] Ita legitur in codice S. Victoris, In Tyburti forte cum aſſediſſemus ego & Brutus filius. quæ lectio librorum aliorum initijs cohærentior eſt. Brutum autem hominem ſapientem. ] Idem de Oratore ſecundo: Sapiens, inquit, homo cum primis noſtræ ciuitatis norat hunc gurgitem: metuebat ne, cum is nihil haberet, nihil eſſe ei relictum putaretur. Teſtificari. ] Id eſt, teſtari, quæ uox infrequens non eſt apud Ciceronem. de Oratore ſecundo:

Teſtificatur pater tibi Priuernatem fundum reliquiſſe. Lib. Epiſtol. fam. 2 Hoc quidquid attigi, non feci infamandi tui cauſa, ſed teſtificandi amoris mei. Lib. de Finib. 2. Quippe qui teſtificetur ne intelligere quidem ſe poſſe ubi ſit. Lib. Tuſcul. quæſt. 4 Hos autem, ut teſtificor ſæpe, de ſapiente quærimus. Inde teſtificatio appellata. ut de Claris oratoribus: Seſeq; chirographa, teſtificationes, iudicia, quæſtiones, manifeſtam rem deferre diceret. Dicebat ] L. Craſſus. Si potuiſſet honeſte ſcribere. ] Nam Romano more cum parentibus filij puberes, cum ſoceris generi non lauabantur: ut ſcribit Cicero lib de Offic. 1. Cum id ætatis filio. ] Id eſt, cum filio pubere. Id autem ætatis, pro eo quod eſt, ea ætate, uel eius ætatis, ſæpe dicit Cicero. ut in libro Epiſtol. familiarium ſexto: Ita uiximus, & id ætatis iam ſumus, ut omnia, quæ non noſtra culpa nobis accident, fortiter ferre debeamus. Libro decimo quinto: Moleſte fero me Conſulem tuum ſtudium adoleſcentis perſpexiſſe: te meum, cum id ætatis ſim, perſpicere non poſſe. Libro de Oratore primo: Id nobis Antoni hominibus id ætatis oneris ab horum adoleſcentium ſtudijs imponitur. Actione in Verrem tertia: Homo qui & ſumma grauitate, & iam id ætatis ut parens eſſet, obſtupuit hominis improbi dicto. Actione quarta: Homo nefarius de homine nobili, atque id ætatis, ſuoq; hoſpite, uirgis ſupplicium crudeliſſime ſumeret. Id temporis, pro eo quod eſt, eius temporis, uel eo tempore itidem dicitur, de quo alibi. Non præteriſſet. ] Hoc dicit, quia balneas quoque Brutus uendidit. In quem L. Craſſi facetus eſt ille locus apud Ciceronem libro de Oratore ſecundo: Cum Brutus diceret ſe ſine cauſa ſudare, tum Craſſus: Minime mirum, inquit, modo enim exiſti de balneis. Balnea locum ipſum ubi lauamur, & balneum aquam calidam qua lauamur ſignificant. Cornelius Celſus lib. 1. Prodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti. Ex tabulis & cenſu. ] Cenſores enim ciuium bona cenſentes, quæ cuiuſque bona eſſent, in tabulas referebant. In quibus. ] Orationibus de reipub. conſtantia requiratur, magis quàm in iudicialibus. Illa recitata. ] A' T. Actio. de Actione in Verrem ſecunda. Quod tum erat. ] Cum accuſarem Verrem. Magna enim tum corruptorum iudiciorum infamia erat. Ab ea cauſa. ] Verris. Tum enim ſperabat Verres, corrupto iudicio ſe abſolutũ iri, quod patronus eius Q. Hortenſius Conſul eſſet deſignatus, quòd Q. Metellus collega eius eſſet, quòd M. Metellus Prætor eſſet urbanus, quòd Q. Metellus eorum frater Siciliam Prætor obtineret, qui omnes Verri fauebant. Nunc quoniam ad omnia. ] Viſus eſt ſibi Cicero ſatis probaſſe, iudices ab Oppianico, non à Cluentio corruptos fuiſſe, & refutaſſe aduerſarij argumenta. Nunc eò tranſit, ut oſtendat Cluentium, etiam ſi iudices corrupiſſet, condemnari non oportere: quòd iudiciaria lege, quam primum C. Gracchus & poſtea Sylla tulit, non teneatur, propterea quòd ſit eques Romanus. Perſæpe dixiſti. ] Si quid petat accuſator, quod patrono in defenſione præſcribatur, aut ſcire ſe dicat, qua ratione patronus defenſurus ſit, id patrono irridendi accuſatoris materiam præbet. Itaque auctore Quintil. lib. 5. defenſionis permutatio reprehenditur ſæpe, ſicut Actius aduerſus Cluentium, Aeſchines aduerſus Cteſiphontem, cum ille Ciceronem uſurum lege ſolum, hic minime de lege dicturũ Demoſthenem queritur. Hac eadem ratione cauendum eſt, ne accuſator aſſumat ſibi refutanda quædam, quæ patronum dicturũ putet ne ſcire ſe dicat aduerſarium hoc eſſe dicturum, & ita perſecuturum. Is enim patrono uenuſtiſſimos de ſe luſus daret, cum modo ſe uero nihil dixiſſe, ne tam ſtulte dicturum: modo bene admonitum ab aduerſario, & agere gratias, quod adiutus ſit iocaretur. Lege. ] Sempronia. de qua paulo poſt dicetur. Ita'ne eſt. ] Iucunde Actium irridet. Conſilia. ] Id eſt, ſecreta. Hominem. ] Cluentium. Quæret fortaſſe quiſpiam. ] Prolepſis eſt. A' capite periculum. ] In codice S. Victoris, Capit: periculum ſcriptum eſt. In hominis honeſti iudicio. ] Id eſt, in cauſa Cluentij Non ſolum meo. ] Suum hoc inſtitutum dicit, ut non ſuo ſolum conſilio utatur, ſed multum obtemperet conſilio uoluntatiq; ſui litigatoris. De eo qui coiſſet quo quis condemnaretur. ] Id eſt, de eo capite legis, quod eſt ad eam ſententiã, Qui coiſſet quo quis damnaretur, &c. Illum eſſe liberum. ] Id eſt, lege non teneri. Noſtrum ordinem. ] Id eſt, Senatum. Si uero Cicero nondum Senator erat, legendum eſt illum eſſe liberum, nec teneri noſtrum ordinem. Traduxit. ] Id eſt, induxit, & ut uulgo dicunt, traxit. Ciuitatis retinendæ. ] Quam retineret, ſi lege iudiciaria defenderetur. Non enim corrupti iudicij damnaretur. Exiſtimationis. ] Nam ſi iudiciaria lege defenderetur, non exiſtimaretur non damnatus, quia innocẽs eſſet: ſed tantum, quia lege non teneretur. Auctore Quintil. lib. 5. aliquando ſimulandum eſt nos quædam inuitis litigatoribus dicere: quod, inquit, Cicero facit circa legem iudiciariam. Neque enim id ſemper. ] Cognoſcit orator quid utile cauſæ ſit magis quàm litigator. Ideo litigatori orator non debet ſemper morem gerere. Quod uidebam. ] Prudenter hoc dicit Cicero, ut magis probet iudicibus ab Oppianico, non à Cluentio corruptum iudicium. Plus dignitatis. ] Nam ſi abſolueretur, ut cauſæ bonitate confiſus Cicero ſperabat, innocens exiſtimaretur. Minus laboris. ] Quamuis defendere magis laborioſum ſit. Vt hanc cauſam obtinerem. ] Id eſt, ut uincerem, ut ſecundum me lis daretur, exiſtimatione neglecta. Obtinere cauſam, pro eo quod eſt cauſa uincere, & ut uulgo dicunt, lucrari proceſſum, ſæpe dicitur. ut paulo poſt: Si obtinuerit cauſam Cluẽtius, ſicuti ueſtra æquitate niti confidimus, omnes exiſtimabunt, id quod erit, obtinuiſſe propter innocentiã. Libro Epiſtolarum ad Atticum ſeptimo, de Cn. Pompeio: Malas cauſas ſemper obtinuit, in optima concidit. Actione in Verr. 4. Verres calumniatores apponebat, Verres adeſſe iubebat, Verres cognoſcebat, Verres iudicabat. pecuniæ maximæ dabantur: qui dabant, cauſas obtinebant. Amittere litem contra dicimus. ut pro Roſcio Comœdo: Ad iudicium hoc modo uenimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus. Cadere cauſa, pro amittere litem, & uincere cauſa pro obtinere cauſam: inde uictoriã quòd dicamus, alibi ſcribimus. Lege recitata peroraſſem. ] Id eſt, primum recitaſſem legem, deinde peroraſſem. Iudicio quenquam circumuenerit. ]. Iudicio circumuenit non ſolũ iudex corruptus, qui innocentem condẽnat: ſed etiam qui iudices corrumpit. Teneatur. ] Id eſt, regatur. Hoc enim uinculum eſt, &c. ] Probat multo indignius eſſe à legibus diſcedere, in ea ciuitate quæ legibus teneatur: oſtenditq; quantum leges in ciuitate neceſſariæ ſint, ſine quibus ciuitas conſiſtere non queat, ſine quibus nulla ſit iudiciorum æquitas. Vt corpora noſtra ſine mente. ] Quintil. lib. 5. frequentem in oratione ſimilitudinem eſſe dicit, quæ probabilius ſit, quod intendimus. Vt ſi animum dicas excolendum, ſimilitudine utaris terræ: quæ neglecta ſentes atque dumos, exculta fructus creat. Aut ſi ad curam reipublicæ horteris, oſtendas apes etiam formicaſq;, non modo muta, ſed etiam parua animalia, in commune tamen laborare. Ex hoc genere dictum eſt illud Ciceronis: Vt corpora noſtra ſine mente, ita ciuitas ſine lege, ſuis partibus, ut neruis ac ſanguine; & membris uti non poteſt. Suis partibus & neruis. ] In codice S. Victoris, & in Quintiliano lego, Vt neruis: quæ lectio mihi probatior eſt. Q. Naſo. ] Q. Naſonem Prætorem huic cauſæ præfuiſſe ſignificat: ut paulo poſt, Q. Voconium quæſitorem. Abs te coerceantur. ] Id eſt, ſibi pareant. His autem exemplis oſtendit, legem uelut animam ciuitatis. Tandiu. ] Accuſatori & reo patrono certum aliquod orandi tem-

pus

pus lege dabatur: ut auctore Aſconio in cauſa Milon. horæ duæ accuſatori, patrono tres datæ ſint. Cicero de Claris oratoribus: Lege, inquit, Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad cauſas ſimillimas inter ſe, uel potius eaſdem noui ueniebamus quotidie. Quibus uerbis ſignificat, illas cauſas orandi lege dari ſolitas. Idem queritur, ſemihoram ſibi tantum dari ad Caium Rabirium defendendum. Quid lictores. ] Prætor enim ſex lictores habebat. Quid M. Pletorij. ] Oſtendit alias quoque cauſas legis quaſi mente gubernari. His autem quos hic nominat, cauſis, Prætores præfuerunt. M. Pletorius fuit is qui Fonteium accuſauit repetundarum. Caij Orcinij peculatus. ] Licet conijcere, ut ex hoc loco, ita ex proximis, à Cicerone Prætore Cluentium defenſum. Caium enim Orcinium ante appellat collegam ſuum, quem hoc loco præfuiſſe cauſæ dicit. Peculatus. ] Id eſt, de reſiduis pecunijs, quo crimine accuſatum Fauſtum Syllam ante dixit. Quid mea de pecunijs repetundis. ] Apud Ciceronem Prætorem quæſtio de pecunijs repetundis acta fuit. Ea autem quæ fuerit mihi ignotum eſt, niſi ea Manilij eſt, qui ſub finem Præturæ Ciceronis accuſatus eſt repetundarum. Quæ cauſa fuerit, idem non explicat. pro Caio Rabirio Poſthumo: Accuſaui, inquit, de pecunijs repetundis, Iudex ſedi, Prætor quæſiui, defendi plurimos. Nunc de ambitu cauſa agitur. ] Licebat apud diuerſos iudices eodem tempore diuerſas cauſas agi, ut ante dixit priuatum Staleni iudicium agi, cum Oppianici publicum ageretur. Præſcripto. ] Id eſt, ut legibus præſcriptum eſt. In alijs codicibus præſidio, non præſcripto legitur. Si quid apud me. ] Prætorem ſe eſſe ſignificat. Eſt autem argumentum à fictione, ut probet Cluentij recuſationem non eſſe confeſſionem. Te lege pecuniarum, &c. ] Quod neque magiſtratus prouinciam adminiſtraueris, neque iudex fueris, neque pecuniæ publicæ præfectus fueris. Laboris. ] In defendendo, uel negotij. Non legitimi. ] Id eſt, contra legem. Nam lege non tenetur, qua ei periculum infertur. Qua lege hæc quæſtio conſtituta eſt. ] Hæc enim Cluentij quæſtio de ueneno, non de corrupto iudicio conſtituta eſt. Iudicem quæſtionis. ] Q. Voconius huius cauſæ quæſitor fuit. Obuenerint. ] Id eſt, contigerint, & ſortitione euenerint. Infinitum eſt. ] Id eſt, lege certa perſona definita non eſt. Quicunque fecerit. ] Verba ſunt legis Semproniæ, qua hæc quæſtio conſtituta eſt. Deq; eius capite quærito. ] Hinc coniectare licet, quæ formula fuerit legum earum, quibus quæſtiones conſtituerentur. Eius qui coierit. ] Verba ſunt Ciceronis, recitantem præconem interpellantis. Deinceps omnes magiſtratus nominauit. ] Hoc dicit Cicero, ne longum nimis uideatur, ſi præco magiſtratus omnes nominet. Qui eorum coit. ] Hoc eſt, quo oſtendit Cicero Cluentium hac lege non teneri. Nec enim magiſtratus, nec ſenator Cluentius fuit. Erat igitur lex Sempronia dicta, quòd à C. Sempronio Graccho lata ſit, ad hunc ferè modum: De eius capite quærito, qui uenenum malum fecit fecerit, uendidit uendiderit, emit emerit, habuit habuerit, dedit dederit: deq; eius capite quærito, qui Tribuni militū legionibus quatuor primis, qui'ue Quæſtores Tribuni plebis, &c. qui'ue in Senatu ſententiam dixit dixerit: qui eorum coijt coierit, conuenit conuenerit, conſenſit conſenſerit, falſum'ue teſtimoniū dixit dixerit, quo quis iudicio publico condemnaretur. Coire autem dicuntur, ij qui conſcij ſunt, pecunia uel conſilio impellunt, aut certe adiuuant iudices, ut reum condemnent, ut qui iudices corrumpūt: ut ſunt ſequeſtres & interpretes, qui uere cōueniunt, conſentiunt cum iudicibus, ijsq; ex animi ſententia dant fidele conſiliū, cuiuſmodi ſunt aſſeſſores. Qui ſupra ſcripti ſunt. ] Id eſt, magiſtratuum & Senatorū. Vtro modo. ] Vel qui eorum, uel qui Tribun. militum, Trib. pl. Quæſtorum, reliquorumq; magiſtratuum. Alligat. ] Lex ſcilicet. Loquetur. ] Ita hoc uerbū uſurpat, ut ante nominauit. Eſtq; metaphora, cum rebus inanimis datur aliquis ſenſus. Venenū malum. ] Caij Gracchi hæc uerba ſunt, ubi uenenum malum dicit. ut poſtea Saluſtius: Ea quaſi uenenis malis imbuta, corpus animumq; uirilem effœminat. Id uocabulum in utranque partem dici, apud Aul. Gellium eſt. Mihi tamē Acti. ] Quia Cluentius noluit lege defendi, ne exiſtimationem admitteret: uidet tamen Cicero maximum & certiſſimum huius cauſæ patrocinium eſſe in hac lege, ut ea lege tacite Cluentium defendat, callide ſimulat, ſua, non Cluentij cauſa ſe refutare, quod Actius dixit, indignum eſſe Senatorē aliqua lege teneri, qua eques Rom. non tenetur. Cumq; illa lex iudiciaria ſit, qua Cluentius non tenetur, iniquū eſſe oſtēdit à legibus diſcedere. Geſto negotio. ] Id eſt, prout geſtum eſt negotium, quòd ſcilicet iudices non corruperit. Dicenda eſt. ] Id eſt, oranda eſt: id eſt, alias cauſas præter hanc Cluentij acturus ſum. Labor meus. ] In defendendo ſcilicet. Hæc. ] Id eſt, mea quæ de lege dicta ſunt: id eſt, indignum eſſe equitem non teneri lege ea, qua ſenator teneatur. Quæ à me deſiderari arbitror. ] Id eſt, quæ à me alij, ut arbitror, deſiderant, ut ego præſtem. Primum ut id iniquiſſimū, &c. ] Locus hic ſubobſcurus eſt, propterea quòd mendū ſubeſſe uideatur. Ita enim mihi uidetur emendatior: Primum ut id iniquiſſimum eſſe confitear, huiuſmodi eſt, ut commutatis ijs opus ſit legibus, ut ijs quæ ſunt non pareamus. Ad eam ſententiam. ] Iniquum eſſe dicis non iiſdem legibus omnes teneri. quod tu dicis, iniquiſſimum eſſe confiteor: id eſt, commutare leges, & à legibus diſcedere. Vtrunque fiet, ſi in hanc legem equeſter ordo includatur. Altiorem gradum. ] Id eſt, magiſtratum. Beneficio. ] Id eſt, ſuffragio. Eo ſe putaret durioribus. ] Pluribus enim durioribusq; legibus magiſtratus quàm priuati homines tenentur. horum quàm illorum leuiores moleſtiæ, & labores minores, ut paulo poſt dicemus. Quàm multa ſunt commoda. ] Vt rei familiaris tractatio, ut amicorū familiaritas, ut quies, ut animi oblectatio, ut alia generis eiuſdem. Quibus caremus. ] Nos ſcilicet, qui Senatores populi Rom. ſuffragio magiſtratus facti ſumus. Quàm multa moleſta & difficilia. ] Nam magiſtratus gerere miſerum eſt. Cicero pro L. Murena, ſe dicit & ex aliorū miſerijs, & ex ſuis curis laboribusq; quotidianis fortunatos eos homines ſæpe iudicare, qui remoti à ſtudijs ambitionis, otium ac tranquillitatem uitæ ſecuti ſunt. Idem libro Tuſculanarum quæſtionum tertio, inhonoratos propter idipſum dicit beatiores, quòd honores cōtemnant: eorumq; uitam laudari nominatim, qui priuatū otium negotijs publicis antetulerunt. Eiuſdem illa querela pro L. Flacco: O conditiones miſeras adminiſtrandarum ciuitatum & prouinciarū in quibus diligentia plena ſimultatum eſt, negligentia uituperationum: ubi ſeueritas periculoſa eſt, liberalitas ingrata, ſermo inſidioſus, aſſentatio pernicioſa, frons omnium familiaris, multorū animus iratus, iracūdiæ occultæ, blanditiæ apertæ, uenientes Prætores expectant, præſentibus inſeruiunt, abeuntes deſerunt. Idem libro Epiſtolarum familiarium quinto, ſcribit eam uideri conditionem impendere legum, iudiciorum, temporum, ut optime actum cum eo uideatur eſſe, qui quàm leuiſſima pœna ab republica diſceſſerit. Dictum illud Pythagoræ à fabis abſtinendum, exponit Plutarchus de liberis educandis, ut magiſtratus gerendi non ſint: Fabis inquit, priſcorum ſuffragia ferebantur, quæ finem principibus attulere. Honoris & amplitudinis. ] Auctore Xenophonte libro primo de Pædia Cyri, ſimilia corpora Imperatoris & priuati hominis iiſdem laboribus ſimiliter non afficiuntur. Honos enim labores Imperatori facit leuiores, præſertim quòd intelligat in hominum eſſe oculis quidquid facit. Eadem hæc Xenophontis ſententia apud Ciceronem libro Tuſculanarum quæſtionum ſecundo eſt: Semper, inquit, Africanus Socraticum Xeno

phontem in manibus habebat, cuius in primis laudabat illud quod diceret:, eoſdem labores non eſſe æque graues Imperatori et militi, quòd ipſo honos laborem leuiorem faceret Imperatorum. Conuenire. ] Id eſt, ueni. In cæteros ordines. ] Id eſt, ad plebeios. Laqueos. ] Id eſt, pericula. Laqueos legum appellat, ut pro Milone, laqueos iudicij. Non potuerunt. ] Quia repulſam paſſi ſunt. Aut non petiuerunt. ] Multi enim equeſtri ordine ſuo, patrumq́; ſuorum contenti, magiſtratus non petiuerunt: ut paulo poſt dicet Cicero. Sunt liberati. ] Id eſt, non tenentur. Hanc ipſam legem. ] Quæ hac quæſtio conſtituta eſt. Remotiſſimus. ] Id eſt, alieniſſimus. Patritiis enim contra plebeios Sylla fauebat. Cum eius rei quæſtionem. ] Equites lege Sempronia iudicauerant. Equitibus iratus erat L. Sylla: ut de iis qui iudicauerant quæreretur, hac ipſa lege conſtituit. Ab hoc genere liberum. ] Id eſt, hac lege non teneri. Liber hoc genere, & ab hoc genere, in eadē re dicitur. Cicero pro C. Rabirio Poſthumo: Vos Senatus liberos hac lege eſſe uoluit, populus nunquam alligauit. Idem in libro de Finibus primo. Robuſtus animus & excelſus omni eſt liber cura & angore. de Officijs libro primo: Id autem ipſum cernitur in duobus, ſi & ſolum id quod honeſtum ſit bonum iudices, & ab omni animi perturbatione liber ſis. Idem in Rullum in Senatu: Qui ſe incolumes uolent, ſequentur auctoritatem Conſulis, ſoluti à cupiditatibus, liberi à delictis. Alligare. ] Id eſt, obligare, obſtringere, obnoxium facere. Nouo quæſtionis genere. ] Id eſt, mutata lege, ut ea populus Romanus teneretur. Quod habuit in Equeſtrem ordinem. ] Nam Cornelium Cinnam equeſter ordo contra Syllam adiuuit, ut ait Aſconius. Habeo te odio non dicimus, ſed habeo in te odium: ut habeo amorem in te. Cicero pro Domo ſua: Quam porticum pro amore quem habetis in rempub. & ſemper habuiſtis, nō modo ſententijs, ſed ſi opus eſſet, manibus ueſtris diſturbare cuperetis. Habeo tecum odium, etiam dicere licet. ut in hac oratione: Qui poterat tum in gratiam redire cum Oppianico Cluentius, qui cum matre habebat ſimultates? Habere inuidiam non dicitur eodem modo ſed paſſiue. ut pro L. Murena: Inuidiam uerò his temporibus habere Conſulatus ipſe nullam poteſt. Et libro de Oratore ſecundo: Cum Scaurus nonnullam haberet inuidiam, ex eo quòd Phrygionis Pompeij locupletis hominis bona ſine teſtamento poſſederat. Queſtus in ueteres iudices. ] Id eſt, in Equites Romanos. Quamuis enim Cicero Actione in Verrem ſecunda dicat, equeſtrem ordinem annos propè quinquaginta continuos iudicaſſe: id eſt, à Graccho ad Syllam, quo toto tempore ne tenuiſſimam quidem ſuſpicionem acceptæ pecuniæ ob rem iudicandam conſtitutam fuiſſe: Velleius tamen cum alios multos clariſſimos uiros atque innocentiſſimos, tum P. Rutilium uirum non ætatis ſuæ modo, ſed etiam omnium ſæculorum uirum optimum, repetundarum lege interrogatum, maximo cum gemitu ciuitatis, ab Equitibus damnatum fuiſſe ſcribit. T. Liuius libro ſeptuageſimo, hunc inuiſum fuiſſe Equeſtri ordini dicit: propterea quòd C. Marij Legatus ab iniurijs publicanorum, qui ex Equeſtri ordine erant, Aſiam defenderat. Hæc in Equites iudices Sylla queri potuiſſet. In ueteres iudices. ] Alij legunt, In Equeſtres iudices. Vtrobique eſt eadem ſententia. Nec nunc aliud quidquam agitur. ] Artificioſum eſt, ut oſtendat patronus, accuſatorem non ſolum petere id quod aperte in reum petere uidetur, ſed id tacite contra multos, aut contra rempub. peti. Vt pro Fonteio dicit, Gallos ex Fonteij damnatione immunitatem atque libertatem ſperare. Eo enim damnato nullus Prætor Gallos regere ſeuere audebit, metuens ne concitato eorū odio repetundarum accuſetur. Pro C. Rabirio oſtendit T. Labienum occulto petere, ut cum ad arma Conſules ex Senatuſconſulto uocabunt, nullus ciuium arma capiat, ut ſit improbis ciuibus uexandi patriam licentia maior. Pro Sex. Roſcio docet accuſatores petere, ut damnato Roſcio ad iudices adducantur filij proſcriptorum, quorum bona uenierunt. In periculum includatur. ] Idem genus dicendi eſt libro Epiſtolarum ad Atticum primo: Sed quid ago? penè orationem in epiſtolam incluſi. Ab omnibus. ] Senatoribus. Sine cupiditate. ] Id eſt, ſine auaritia, id eſt, qui ob rem iudicandam pecuniam nō acceperūt. Dignitate proximos. ] Equites medij inter Senatores & plebeios erant. Ex his Senatores à Cenſoribus plerunque legebantur. Præterea. ] Id eſt, præter id quod poſſint. Si conſtitutum eſt. ] Hac lege, ſcilicet. De iis qui rem iudicarent. ] Id eſt, qui cauſæ iudices eſſent. Vt actione in Verrem ſecunda: Ne tenuiſſima quidem ſuſpicio acceptæ pecuniæ ob rem iudicandam conſtituta ſit. Nec ſignificat iudicandi poteſtatem equeſtri ordini factam, ſed quemadmodum antea dixit, Cenſoribus iudicia cum Equeſtri ordine fuiſſe communicata, ut uiderentur per hominum idoneorum ignominiam ſua auctoritate illa iudicia cum Equeſtri ordine reprehendiſſe. ita Senatoribus cum Equeſtri ordine communicata iudicia arbitror. Et quemadmodum illi Equites non erant Cenſores, ita hi non erant iudices. Huius ordinis. ] Equeſtris.

Hoc metu propoſito. ] Equitibus. Euellere ſe aculeum. ] Ab apibus facta tranſlatio eſt, quibus cum auulſus aculeus eſt, non pungunt. Hoc autem dicit tanquam Equitum iudicia Senatores ſequantur in ferendis ſententijs, ſintq́; Equites ueluti aculeus ſeueritatis Senatoriæ. Seueritatis. Seueros iudices appellari, qui nocenti reo non ignoſcunt. Quis. ] Ex equeſtri ordine, ſcilicet. Fortiter. ] Id eſt, ut dicunt, audacter. Cum ille nihil aliud ageret. ] Auctore T. Liuio lib. 71. M. Liuius Druſus Tribunus plebis legem tulit iudicialem, ut æqua parte iudicia penes Senatum & Equeſtrem ordinem eſſent. Auctore Velleio lib. 2. Druſus ab Equitibus ad Senatores iudicandi poteſtatem transferre conatus eſt. Ab utroque hoc loco diſſentit Cicero. Hanc eandem ſententiam iiſdem propè uerbis legere licet in oratione pro C. Rabirio Poſthumo, quem Iulia lege de repetundis negat teneri, quòd ſit eques Rom. hortaturq́; Equites ne ſe teneri ea lege patiantur, qua Senatus eos teneri noluit. Illinc multa liceat accipere, ad hunc locum clarius intelligendum: quæ propterea non aſcripſimus, quòd nimis multa uiderentur. indicaſſe locum ſatis fuit. De Druſi morte ſcribimus pro Milone. Illa cuncta, quæ tum erant nobilitatis. ] Id eſt, Equites qui tum ſoli iudicabant. Niſi utique. ] Aut Vtique pro uero dixit: aut Vero, non utique legi debet: quod mihi perſuadeam facilius, quòd etiam Valla ſcribat, Vtiq; nunquam ferè à Cicerone dici. Huiuſmodi quæſtionibus. ] Id eſt, hac lege Sempronia. Dixerent. ] Arbitror legendum eſſe, Dixerunt, ad hanc ſententiam: Cum hi Equites etiam paulò recuſarent, quod agebat Druſus, fortiſſime & honeſtiſſime dixerunt, ea quæ ſequuntur: cum quibus uerbum Dixerunt, repetendum eſt. Iudicio. ] Id eſt ſuffragio. quos enim ſuffragio populus Rom. facit magiſtratus, eos dignos iudicat. In ampliſſimum locum. ] Id eſt, ad Conſulatum. In ea uita. ] Id eſt, in gerendo magiſtratu. Ordine ſuo. ] Id eſt, ordine equeſtri: qui per adeptionem Senatus, uel Præturæ, uel Conſulatus amittebatur. uel ordine ſuo: id eſt, uitæ ſuæ ſtatu. Vitam illam tranquillam & quietam. ] Id eſt, uitam priuatam, quæ ſine magiſtratu eſſet. Petitionem. ] Magiſtratuum ſcilicet. Ea conditione propoſita. ] Vt iudiciorum periculis non carerent. Locus, auctoritas. ] Hæc ſunt ornamenta Senatorum magiſtratuum, quibus pericula & labores ſiunt leuiores. Cum ſummum recte factis. ] In codicibus alijs ſcriptum eſt: Cum ſumma rectè factis maiores noſtri præmia, plura peccatis pericula propoſita eſſe uoluerunt. Quæ lectio meâ quidem ſententia emendatior eſt. ut ea ſententia ſit; Maiores noſtri uoluerunt rectè

factis ſumma propoſita eſſe præmia, ut locum, auctoritatem, &c. quæ enumerat: peccatis autem, id eſt, non recte factis, plura pericula propoſita eſſe uoluerunt, ut accuſationes, damnationes, exilia. Illi. ] Puſio, Titinnius, Mecœnas. Quæ tū erat Sempronia. ] A` C.Sempronio Graccho Trib.pl. lata. Leges enim appellantur à nomine familiæ, quod proxime ſequitur prænomen eius qui tulerit. A` quo nomine fœminas quoque appellari ſolitas, ante diximus. ut C. Iulius Cæſar: leges ab eo latæ Iuliæ, filia eius Iulia appellata eſt. C. Sempronius Gracchus: leges Semproniæ earumq́; ſoror, quæ Scipioni nupſit, Sempronia. L. Cornelius Sylla: leges Corneliæ inde appellatæ ſunt. Nunc eſt Cornelia. ] Vel quia eam de integro Sylla tulit, uel quòd eam Sylla confirmauit, quòd populum Rom. nouo quæſtionis genere alligare auſus non fuerit. In omnes ordines. ] In equites, & in plebem. Nam ſi Cluentiū cauſam dicere ea lege, qua non tenetur, æquum eſt, reliquos quoque dicere æquum ſit. Itaque in omnes ordines quæſtio perferatur. Interea. ] Id eſt, antequam hæc quæſtio in omnes ordines perferatur. A` legibus non recedamus. ] Hanc quoque legem retineamus, qua equeſter ordo non tenetur. Quam nunquam ipſe iuſſerit. ] Iubet populus cū fert ſuffragium. Itaque in plebiſcitorum formula erat: Velitis: iubeatis, &c. Senatar cenſet, cum dicit ſententiam. Adoleſcens. ] Adoleſcentes enim quærebant ſibi gloriā ex accuſatione. ut eſt in lib. de Offic. 2. Vos attenditis. ] T. Actium. Quoniam ita defenſus ſit. ] Nō lege, ſed re ipſa, et geſto negotio. Is meæ uitæ ſtatus eſt. ] Id eſt, uitam ita conſtitui Opera poſita ſit. ] Vt in lib. de Offic. 2. Mirenturq́; in eo tantum me operæ & temporis ponere. Item: Cum autem reſpub. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni ſolebat, nulla eſſet omnino. In omniū periculis. ] Id eſt, in omnibus reis. In noſtrum ordinem. ] Senatorium, eorumq́;, qui habuerunt magiſtratus. Quod quam late pateat. ] Hoc enim non ad Senatores tantum, aut eos qui habuerunt magiſtratus, ſed ad omnes generaliter pertinet. Tum obſcurū. ] Obſcurum enim eſt, an is etiam qui nō repugnauerit, cum quis publico iudicio condemnaretur, hac lege teneatur, quod conſenſiſſe uideatur. Cui non hoc periculum. ] Vetere Romanorum iure lex aliquando habebat uim in ea quæ admiſſa erāt, antequā lex ferretur. ut auctore Aſconio M. Celius Tribun. pl. queſtus eſt de lege, quæ in Milonem lata uidebatur: qua de ui lata, nominatim cædes in uia Appia facta comprehendebatur. Hac lege Cornelia ſi alligetur populus Romanus, periculum intentatum erit iis qui antea teſtimonium dixerint. Hoc iudicium. ] Id eſt. hæc quæſtio, hæc lex qua teneatur. Confirmo. ] Id eſt, affirmo. Si cui. ] Equiti uel plebeio ſcilicet. Negotium faceſſetur. ] Faceſſere, facere, exhibere negotium, eſt alterum moleſtia ac labore officere, præcipue per accuſationem, ut eſt apud Vallam lib. 5. Iudicibus probaturum. ] Id eſt, facturum ut iudices approbent. Inuidioſus. ] Id eſt, inuidiæ plenus. nam paſſiue dicitur, Offenſus contra dicitur, non quem alij offenderunt, ſed qui alios offendit: id eſt, alijs odioſus. Vt in libro Epiſtolarū ad Atticū 15. Hircius ſe ſcribit uehemēter offenſum eſſe ueteranis. Religioni ueſtræ. ] Id eſt, conſcientiæ, quæ iureiurando allegata eſt. Meminiſſe ſe hominem. ] Et ideo rationi & conſcientiæ potius quàm odio parere debere. Tantum permiſſum, quantum commiſſum. ] Permittimus quod poteſtati concedimus ut liceat: committimus, quod fidei credimus ut deceat. Vt pro C.Rabirio Poſthumo: Hic iam iudices ueſtri conſilij res eſt, ueſtræ ſapiētiæ, quid deceat uos, non quantum liceat uobis ſpectare debetis. Si enim quid liceat quæritis, poteſtis tollere è ciuitate quē uultis. Tabella eſt quæ dat poteſtatem: occultate eādem libidinem: cuius conſcientiam nihil eſt quod quiſquam timeat, ſi non pertimeſcat ſuam. Vbi. eſt igitur ſapiētia iudicis in hoc, ut nō ſolū quid poſſit, ſed etiā quid debeat ponderet: nec quantum ſibi permiſſum meminerit ſolū, ſed etiam quatenus commiſſum ſit. Pro M. Fonteio: Frugi igitur hominem iudices, frugi inquam, & in omnibus uitæ partibus moderatum ac temperantem, plenum pudoris, plenum officij, plenum religionis, uidetis poſitum in ueſtra fide ac poteſtate, atque ita ut commiſſus ſit fidei, permiſſus poteſtati. Actione in Verrem tertia: Incommoda ſua ueſtris committere legibus & iudicijs, quàm dolori ſuo permittere maluerunt. Ideoq́; ſubiūgit, non ſibi ſolam poteſtatem datam. ] Id eſt, permiſſum, uerum etiam fidem habitam: id eſt, commiſſum. Iudicandi cauſa tabellam. ] Ceratas tabellas Prætores iudicibus dabant, ſi clàm iudicandum erat, in quibus inſcriptæ erant notæ: A abſolutionis, C condemnationis, N L ampliationis, tanquam ſit, Non liquet. Hæ tabulæ iudiciariæ appellabantur. Harum quam uolebant ſinguli iudices in ciſtam conſtituebant, id eſt, ponebant: poſtea Quæſitor urnam mouebat, ut tabellæ confunderentur. Tū Prætor ex harum maiore numero cognoſcebat, quæ rei conditia eſſet, damnatus'ne an abſolutus, an cauſa ampliata eſſet. Hæc ex Aſconio. In cauſa Milonis has tabellas iudicibus dedit Cn. Pompeius. Is enim ſolus Conſul erat loco Dictatoris. nam dictaturæ nomen ob Syllæ dictaturam populo Romano odioſum erat. Quod ei uideatur. ] Etiam ſi contra leges ſit. Reliqua perpauca ſunt. ] Intelligit de ueneficij criminibus, quæ paulo poſt refutabit. ea enim quæſtionis propria ſunt. Nam de his hæc quæſtio conſtituta eſt ea parte legis, De eius capite quærito, qui uenenum malum fecit fecerit, emit emerit, &c. Fingenda eſſe. ] Melius ita legitur, quàm quo modo in codicibus alijs ſcriptum eſt, fugienda non eſſe. Hac enim ratione falſa & ficta eſſe ueneficij crimina ſignificat, ut paulo poſt probabit. Intelligetis. ] Quia hæc ueneficij crimina breuiſſime defendam, quæ paucis defendi poſſint. inde intelligetis me pluribus uerbis neceſſario egiſſe de his rebus, de quibus iā dixerim: id eſt, de inuidia iudicij Iuniani. Cn. Decio. ] Hæc ſunt maledicta ex ante acta uita Cluentij ab accuſatoribus collecta, eiq́; obiecta, quo magis uerisſimilia ſint ueneficij crimina. Ea autē maledicta prius refutari ſolent, quā ad crimen quod cauſæ propriū eſt: ut ex defenſionibus L. Murenæ & M. Cælij facile uidere licet. Ea autē Cicero partim contemnit, partim refutat leuiter, ut ea ab aduerſarijs conficta eſſe oſtendat. Villicum. ] Villicos legendum eſſe, quæ proxime ſequuntur iudicant, quemadmodum in antiquo codice ſcriptum eſt: in quo eodem Ancharij per aſpirationem lego. Attuliſſe. ] Dixiſti, ſcilicet. quod uerbum in proximis repetendum eſt, eſtq́; apoſtrophe. In his maledictis refutandis prius Cicero repetit quid aduerſarij dixerint, deinde refutat. Id in omni refutatione Cicero facere ſolet. Expoſtulatio facta. ] Expoſtulare, et quod hoc loco Cicero dicit, expoſtulationem facere, eſt cum querela apud amicos requirere, & quaſi officium amicitiæ in alio deſiderare. quia ab eo uiolatum ſit. Facta igitur expoſtulatio uillicis Habiti eſt, quòd iniuſte in domini priuata poſſeſſione illi paſtores paſcerent. Alienior. ] Id eſt, multū alienus: id eſt, nullo modo propinquus. Merita. ] Id eſt, beneficio. Eſt autem nomen. Neque hic in teſtamento. ] P. Aelium à Cluentio non eſſe ſubornatū probat. Ab huius inimico. ] Verum eſſe teſtamentum & adulteratum oſtendit, quod etiam ab inimico teſte obſignatum ſit. Qui enim teſtes faciendo teſtamento adhibebantur, annulo obſignabant. Florio. ] In codice antiquo Floro legitur. Ei. ] Floro. Cautum. ] Id eſt, prouiſum. Soluit. ] HS.CCC. Cn. cuiuſdam Samnitis. ] Fortaſſe legendum ſit, Cn. Cælij ſamnitis. Emiſſet de ſectoribus. ] Vt paulo poſt: Emit de A. Rupillo. Vt enim dicimus: quæro à te & quæro de te: audiui à patre, & audiui ex patre: ita emi à ſectoribus, & emi de ſectoribus. Sunt autem ſectores, qui publicata bona, cū per auctionem uenduntur, emunt: dicti, quòd ſuum lu

crum ſequentes emant. Liberam eſſe audiuit. ] Auctore Vlpiano lib. Digeſt. 48. titulo ad legem Flauiã de Plagiarijs: Si quis hominem liberum ſciens emerit, capitale crimen aduerſus eum ex lege Flauia de plagio naſcitur. Idem iuris eſſe arbitror, ſi quis hominem, quem ſciat eſſe liberum, retinuerit, quem tum liberum eſſe neſciret, cum emeret. Calumniator. ] Calumniari, ut ait Marcellus lib. Digeſt. 48. titulo ad Senatuſconſultum Turpillianum, eſt falſa crimina intendere. Inde calumniator etiam dicitur is, qui rem ſibi nõ debitam iudicio petit. Calumniã pro malicioſa & nimis callida iuris interpretatione, Cicero dicit in lib. de Offic. 1. Eſtq; à caluendo, id eſt fallendo appellata. Mercenarius. ] Id eſt, temporarius famulus, quòd operam ſuã Oppianico mercedis cauſa locauerit. Famulus enim proprie ſeruus eſt. Petere. ] In iudicio. Inde petitor in iudicijs priuatis dicitur, non accuſator. Priuato iudicio. ] Priuatum iudicium appellat, quia nulli competebat huius cauſæ actio, niſi ei cui deberetur. Calumniam. ] Id eſt, calumniæ damnatione. Calumniatoribus pœna lege Rhemmia irrogatur, ut eodem in lib. Digeſt. idem Marcellus ait, & pro Sexto Roſcio ſcribimus. Multorum hoſpitum. ] Hoſpitem, non hoſpitum, eſt in codice S. Victoris, quæ lectio aſpernanda non eſt. Hoſpes enim tam qui accipit dicitur, quàm qui accipitur. Eſtq; hoc loco attendendum, hoſpitem dici etiam eum qui accipit, aut accipitur in diuerſoriũ. Coponem. ] Alij cauponem legunt. Sed ut Plautum & Plotum, ut plauſtrum & ploſtrum, ut cautem & cotem, ita cauponem & coponem dicere licet. De uia Latina. ] Ad uiam Latinam diuerſorium habebat. Subornatis. ] Vos accuſatores ſubornatis. In taberna ſua. ] Id eſt, in caupona, in diuerſorio. Si inuitauerit. ] Ad cauponum morem alludit. De uia deceſſiſſe. ] Ad eundem morem alludit. Caupones enim ut hoſpites inuitent, de uia nonnunquam decedunt. Habetis. ] Id eſt, audiuiſtis. Reſponſu. ] In ablatiuo tantum dicitur, ut iuſſu, euentu, permiſſu, hortatu, arbitratu, aliaq; generis eiuſdem multa. Huius autem modi ablatiuis prepoſitio addi non ſolet. Quamuis reſponſum dicatur ſæpius, reſponſio tamen nonnunquam dicitur. ut Actione in Verrem tertia: Alio reſponſionem ſuam deriuauit. & pro L. Cornelio Balbo: In quo erat accuſatoris interpretatio indigna reſponſione. Cognoſcite nunc. ] Fit magis dilucida oratio, auditores meminerunt facilius, ſuntq; ad audienda reliqua attentiores, ſi tum breuiter quibus de rebus diximus, repetamus, & proponamus, que dicturi ſumus, cum ad nouam quæſtionem accedimus. Cum igitur leuia & falſa maledicta breuiter refutauerit, accedere ſe ad crimina ueneni oſtendit. Coacti. ] Id eſt, congregati. Dicimus enim cogere iudices, Senatum, medicos, agmen, milites, pecuniam, aliaq; eiuſdem generis, pro eo quod eſt congregare. ut in Commentarijs in Inuectiuas, & pro Fonteio ſcribimus. Que ad huius uoluntatem maxime pertinent. ] Cluentius enim ut bonam exiſtimationem retineret, obiectum crimen corrupti iudicij negotio geſto, non lege defendi uoluit. Id autem paucis defendi non potuit. Ad neſtrum iudicium minime pertinerent. ] Nam id de corrupto iudicio, ut maledictũ Actius obiecit Cluentio, ut magis credibile faceret Oppianicum à Cluentio necatum ueneno: quem tantum oderat, ut eum corruptis iudicibus opprimeret. De criminibus ueneni tantum conſtituta hæc quæſtio eſt: ideoq; de his ſolum iudicandum. Obiectum eſt C. Vibiũ Capacem. ] Primum ueneni crimen eſt. Nam tria obiecta ſunt. Cauponem non capacem, in codicibus alijs ſcriptum inuenio. Haud hæres eſt Cluentius. ] Vt accuſator rem facit credibilẽ, cum cauſam dicit, que reum ad maleficium impulit: ita patronus fidem remouet, cum cauſam remouet, que ad maleficium impellere potuiſſet. Inteſtatum. ] Inteſtatus decedit, qui aut omnino teſtamentum non fecit, aut non iure fecit: aut id quod fecerat, ruptum, irritumq; factum eſt: aut ſi ex eo nemo hæres extiterit, ut eſt in lib. Inſtit. Iuſtiniani tertio, titulo de hæreditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur. Huic illius ſororis filio. ] In lege Tabularum 12. illa lex erat: Si paterfamilias inteſtatus moritur, familia pecuniaq; eius agnatorum gentiliumq; eſto: ut eſt in lib. Rhetoricorum ad Herennium 1. Vt autem eſt in lib. Inſtit. Iuſtiniani 3. titulo ad S. C. Tertullianum, lex 12. tabularum ita ſtricto iure utebatur, & præponebat maſculorũ progeniem, eoſq; qui per fœminini ſexus neceſſitudinem ſibi coniunguntur, adeo repellebat, ut neque inter matrem quidem & filiũ filiam'ue ultro citroq; hæreditatis capiendæ ius daret, niſi quòd Prætores ex proximitate cognatorum eas perſonas ad ſucceſſionem, bonorum poſſeſſione, unde cognati, accommodata uocabãt. Poſtea S. C. Orficiano, quod D. Marci Antonini tempore factum eſt, liberi ad bona matrum inteſtatarũ admiſſi ſunt. Illius. ] C. Vibij. In mulſo. ] Mulſum potio eſt, quæ fit ex melle & uino. Auctore Plin. cap. 24. lib. 22. ſemper mulſum ex uetere uino utiliſſimum, facillimeq; cum melle concorporatur, quod in dulci nunquam euenit. Hac ego ſi ſic agerem. ] Fictũ hoc crimen & contemnendum, ideoq; ſibi diluendum non eſſe ſignificat. Idq; planè falſum poſtea oſtendit, & probat. Hæc ego ſi ſic agerem. ] Ironiam hoc in loco eſſe, Quintilianus lib. 9. ſcribit. Quid unquam, &c. ] Id eſt, quod unquam ſcelus cõmiſit. Quid autem magnopere. ] Oſtendit nullam cauſam fuiſſe, cur Oppianicum necare uellet: imo potius fuiſſe, cur nollet. Cum ille uerbum omnino, &c. ] Hanc ob cauſam hoc dici conijcere licet, quod Prætoris edicto pueri prohibentur poſtulare, id eſt, accuſare aut defendere. Pueritiam autem uſque ad 17. ætatis annum cõpletum durare, Vlpianus ſcribit lib. Digeſt. 3. titulo de Poſtulando. Hunc Oppianicum tempore quo pater mortuus eſt, puerũ fuiſſe, eiq; triennio poſt Saſſiam deſpondiſſe filiam, quam ex Melino ſuſceperat, poſtea dicit. Inde coniectare licet Oppianicum adhuc puerum fuiſſe, præſertim cum paulo poſt dicat: Vel Oppianicus Cluentium breui tempore poſt accuſaturus eſſet. aut Voluerit, non Potuerit legendum eſt. Adoleſcens enim, Oppianicus à Saſſia impelli potuit, ut ſeruum ſuum Nicoſtratũ daret in quæſtionem de cæde patris Oppianici. Nec licet dicere, non licere Oppianico accuſare Cluentium, quòd eius patrem in exilium Cluentius egerit. Nam auctore Valerio Maximo lib. 3. titulo de Fiducia ſui: L. Craſſus orator cum Conſul prouinciam Galliam obtineret, Cn. Carbo, cuius patrem damnauerat, in Galliam ad ſpeculanda eius acta uenit, ut patrem ulciſci ſibi liceret. Quod autem tempus. ] In refutandis teſtibus illam rationem Quintilianus libro quinto probat: Pecuniam dediſti? quis numerauit? ubi? unde? Venenum arguis? ubi emi? à quo? quanti? per quem dedi? quo conſcio? Quæ, inquit, ferè omnia pro Cluentio, Cicero in crimine ueneficij excutit. Auctore eodem libro nono, rerum coniunctam diuerſitatem Celius μεταβολὴν uocat, qualis eſt: Quòd aũt tempus ueneni dandi? unde illa frequẽtia, per quẽ porrò datũ? unde ſumptũ eſt. &c. De integro. ] Id eſt, ut uulgo dicũt, iterũ incipiendo. Nõ dicendo. ] Id eſt, tacẽdo, prætermittẽdo. Nego illũ adoleſcentẽ. ] Auctore Quintiliano lib. 5 cum quod dixit aduerſarius palàm falſum eſt, id negare ſatis eſt. ut pro Cluentio: Cicero enim, quem dixerat accuſator epoto poculo concidiſſe, negat eodẽ die mortuũ. Crudior. ] Id eſt, cuius ſtomachus cibo multum offenderetur, ne eum facile cõcoqueret, propter malum quendam corporis habitum, aut nimis magnam cibi copiam. Vt lib. de Oratore 1. Noluit, inquiunt, hodie agere Roſcius, aut crudior fuit. Et libro de Finibus 2. Nolim enim mihi fingere Aſotos, ut ſoleis, qui in menſam uomant, & qui de conuiuijs auferantur, crudiq; poſtridie ſe rurſus ingurgitent. Eſt igitur crudus, qui cibum crudum in ſtomacho habet, qui nondum concoxit: & ut uulgo dicunt, qui nondum fecit digeſtionem. Inde cruditas, cui contraria concoctio eſt, que à Cornelio Celſo ſæpe dicitur.

citur. Vt ætas illa fert. ] Adoleſcentia enim cibi auidior eſt. Repercuſſet. ] Id eſt, temperaſſet. Aliquot dies. ] Id eſt, nec paucos, nec multos. Qui ſit luctus, teſtis eſt. ] Id eſt, qui mortuum filium luget. Pertenuis ſuſpicio. ] Si qua ad Cluentium perueniſſet. Ex illo loco. ] Id eſt, ex illa dignitate: niſi ex illo luctu mauis legere. Teſtem in Cluentium conſtituere. ] Permagnum eſt necati hominis propinquis ſolatium, ſi eum qui necauerit, pœnas expendere uideant. Si igitur pertenuis ſuſpicio ueneni dati, quo Balbutius interijt, ad Cluentium perueniſſet: eius Balbutij pater Cluentium teſtimonio læſiſſet, ut eum affici pœnis uideret. Subleuat. ] Id eſt, ut uulgo dicunt, deonerat. Tu autem illum. ] Apoſtrophe eſt ad Balbutij patrem, poſt quam teſtimonium eius præco recitauit. Exurge. ] Teſtis enim ſtans dicebat teſtimonium. Dolorem commemorationis. ] Vt, Infandum Regina iubes renouare dolorem. Quæ enim nobis acerba ſunt, cum ea commemoramus, dolorem renouamus, uulnusq; ut aiunt, refricamus. Neceſſariæ. ] Id eſt, quæ mihi ad Cluentij ſalutem neceſſaria eſt, ut abſoluatur facilius, ſi teſtimonio tuo eius innocentiā iudicibus probauero. Vnum etiam mihi. ] Refutat aliud ueneni crimē, quod fuit præcipuum. A. enim Cluentium paraſſe uenenum accuſatores dixerunt, quo per M. Aſellium Oppianicus necatus ſit. Alia autem duo ueneni crimina ab accuſatoribus obiecta mihi uidentur, quo magis credibile eſſet, id quod de Oppianici nece obijcitur: quamuis ut de hoc, ita de illis quæſtio conſtituta ſit. Per hos annos. ] Id eſt, his annis præteritis. Quæ cauſa. ] Qui factum eſſe negat, facti cauſam ut diximus, remouet: alio loco, alio tempore, alio modo commodius potuiſſe fieri oſtendit. Inimicitias enim inter ipſos, &c. ] Inimicitiæ magnam in ſe habent cædis cauſam. Ideoq; Miloni ab Appio Clodio accuſatore obiectū eſt, quod P. Clodio propter inimicitias fecerit inſidias. Illic Cicero ullas fuiſſe Miloni inimicitias cum Clodio negat, præter odium ciuile, quo improbos omnes odimus. Quod autē homines inimicos ſuos affici morte uelint, id eſt, uel quia eos metuunt, uel quia oderunt, nullum huiuſmodi in Cluentio fuiſſe probat. Facinus in ſe ſuſcipere. ] De hoc dicendi genere ſcripſimus pro M. Fonteio. Ne accuſaretur à condemnato. ] Nam condemnato iudicio publico accuſare non licebat, niſi ut ante dictū eſt. Ne exulis teſtimonio læderetur. ] Ad exulem lex nulla pertinet, ut ait Quintilianus libro ſeptimo: Ne teſtimonium quidem dicere exuli licet. Quam tum ille uiuebat, uitam eſſe arbitraretur. Nam miſera uita & calamitoſa, uix appellari uita poteſt. Importunitatem. ] Id eſt, peruerſitatem & crudelitatem. Recipere tecto. ] Id eſt, domo. Synecdoche eſt. Penitus. ] Id eſt, penè intus: id eſt, maxime. Maturabat. ] Id eſt, ueneno accelerabat. Virtutis. ] Id eſt, fortitudinis. Inimicos. ] Quos necauerat. Socrus. ] Dinæ. Vxorum. ] Quibus necādis exercitatus erat. Fratris. ] C. Oppianici. Liberum. ] Id eſt, filiorum. Duos enim filios ipſe necauit, ut Saſſia ſibi nuberet. Liberum autem pro liberorū dici, Cicero ſcribit de Oratore ad Brutum: ut cū dicimus cupidos liberū, aut in liberū loco. Sed liberorū ſæpius dici inuenias. Actū eſſe præcipitem. ] Id eſt, præcipitatum eſſe. In ſceleratorum ſedem. ] Id eſt, in tartarum: ubi animas miſeras cruciari Virgilius dicit, libro Aeneidos ſexto: Hinc exaudiri gemitus, & ſæua ſonare Verbera, tum ſtridor ferri, tractæq; catenæ. Quæ ſi falſa ſunt. ] Impia eſt hæc Ciceronis ſententia, qui hoc loco, ut in libro Tuſculanarum quæſtionum primo, inferos eſſe neget. Præter ſenſum doloris. ] Aeque impia eſt hæc ſententia, ſi ita ſentiat ut dicit. Significat enim animum interire unà cum corpore, & ut corporis, ita animi ſenſum morte eripi. In eadem ſententia eſt C. Cæſar apud Salluſtium in bello Catilinario: De pœna, inquit, poſſum equidem dicere id quod res habet, in luctu atque miſerijs mortem ærumnarum requiem, non cruciatum eſſe: eam cuncta mortalium mala diſſoluere: ultra neque curæ neque gaudio locum eſſe. Sed longe aliter Ciceronem ſenſiſſe arbitror, quippe cum in Lælio, in Catone maiore, in libro de Republica ſexto, in lib. Tuſculan quæſt. 1. alijsq; multis in locis, doceat animos eſſe immortales. Hoc autem dixit, ut cauſæ ſuæ ſubſeruiret. Nam ut antea dixit: Omnes orationes iudiciales cauſarum ſunt & temporum, non hominum ipſorum ac patronorum. Age uero. ] Veriſimile non eſſe oſtendit, Cluentiū Oppianico dediſſe uenenum per M. Aſellium, ipſi Oppianico familiariſſimum. Offenſiorem. ] Id eſt, multum inimicum. Cur deinde tu. ] Id eſt, ut mortem patris ulciſcerere. Habiti exemplo. ] Is enim Oppianicum ueneficij crimine prius nō accuſauit, quàm primum de Scamandro, deinde de Fabricio præiudicatum eſſet. Iam uero illud. ] Alio modo uenenum dari potuiſſe cōmodius oſtendit, id eſt, in poculo, non in pane: Ideoq; credibile non eſſe quod dixit accuſator. In poculo. ] Id eſt, in potione. Hypallage eſt, continens pro contento. Faciliuſ'ne potuit quàm in poculo. ] Eclypſis eſt. faciliuſ'ne potuit, in pane dari ſcilicet. Latius potuit. ] Quamuis ita legam in omnibus codicibus, improbanda tamen lectio non uideatur, ſi latentius, non latius legatur. Abditum. ] Ita legendum eſt, non Additum, ut in omnibus codicibus ſcriptum. Ita enim apud Priſcianum legere licet libro decimo. Ibi enim bis citat hoc exēplum, cum præcipit, comeſum & comeſtum à comedendo fieri. In uenas. ] A uenis uenenum appellatum eſſe putant, quod in eas facile permanet. At repentina morte perijt. Aduerſarij dictum eſt, quod ſibi refutandum proponit. Quod ſi eſſet ita factum. ] Ita enim factum non eſſe, paulo poſt exponit. Propter multorum eiuſmodi mortem. ] Multi enim repentina morte pereunt, qui tamen ueneno nō pereunt. Suſpicioſum. ] Id eſt, ſi haberetur ſuſpicio eum ueneno necatum. Paſſiue enim dicitur. In eo ipſo. ] Quòd ueneno, quòd repentina morte perierit. Id ut intelligatis. ] Attentos facit auditores. In Falernum. ] Falernus ager in Campania uini bonitate à Latinis ſcriptoribus celebratus eſt. Eſt tamen quod coniectem, in eum agrum deductam fuiſſe coloniam eiuſdem nominis. Nam paulo poſt Stathinum Albium Falerni colonum appellat. Sunt autem coloni coloniarum, ut municipiorum municipes, & urbiū ciues. Niſi colonum pro agricola poſuit, ideo Homine ualente addidit. Solent enim agricolæ urbicis hominibus eſſe ualentiores. Ideoq; ex his potius deligendos milites, Vegetius libro primo ſcribit. Homine ualente. ] Id eſt, robuſto iuuene. Hoc dicit, ut magis credibile ſit adulterium. Familiarius uteretur. ] Ad libidinem ſcilicet. Quàm uir diſſolutiſſimus. ] Vxorum impudentia maritis etiam diſſolutis odioſa eſſe ſolet. Ea autem aliquando fortunæ calamitas eſt, ut hanc huiuſmodi mariti non ſolum tolerare cogantur, ſed etiam uxores proſtituant. Vir autem grauis extrema omnia potius ſuſtineret, quàm talem uxoris impudentiam pateretur. Vir. ] Id eſt, maritus. Vir enim niſi cum pro marito dicitur, à Cicerone in bonam partem ſolum dici ſolet, homo in utranque. Quintilianus autem uiro, modo in bonam partem, modo in malam dicit. Diſſolutiſſimus. ] Id eſt, impudentiſſimus. Is enim diſſolutus eſt, qui nullis pudoris uerecundiæq; & honeſtatis uinculis ligatus eſt. Effrontem uulgo appellant. ut in primo de Officijs: Negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non modo arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. Et libro Tuſculanarum quæſtionum quarto: Commode dixit Afranius, Dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet. dixit enim de adoleſcente perdito ac diſſoluto. Oratione in Rullum, diſſoluta conſilia appellat improba, & ſine ulla ratione: O perturbatam rationem, ò libidinem refrenandam, ò conſilia diſſoluta atque perdita. Diſſolutam conſuetudinem, eadem ratione dicit pro L. Flacco: Satiſ'ne uobis coarguere his auctoribus diſſolutam Græcorum conſuetudinem, licentiamq; impudentem ui-

*demur? Hinc diſſolutus pro negligente dicitur, Actione in Verrem ſeptima: Tantum intelligo maluiſſe Domitium crudelem in animaduertendo, quàm in prætermittendo diſſolutũ uideri. Et pro Aul. Cecina: Nec contenderit aliud, quàm ne ijs ſuum diſſolute relinquere uideretur.* Percurioſus. ] *Credibile facit, hoc adulterium Nicoſtrato cognitum fuiſſe.* Ad urbẽ. ] *Id eſt, prope urbem. ut in primo Aeneid. Prima quod ad Troiam pro charis geſſerat Argis. Nam in urbem exuli redire non licet. Sed ad urbem eſſe, aliter dicitur. Auctore Aſconio, omnis magiſtratus, qui intramuranus non eſt, nec ut nobonus, etiamſi adminiſtrator eius Romæ eſt, ad urbem eſſe dicitur. Salluſtius lib. 2. Vtrique ad urbem Imperatores erant. Cicero Actione quarta in Verrem: Ad urbem cum eſſet, audiuit Dioni cuidam Siculo permagnam uenisſe hæreditatem. Idẽ Actione ſecunda: Ipſe deniq; Cn. Pompeius cum primum concionem ad urbem Coſ. deſignatus habuit. Hunc locum exponens Aſconius: Ad urbem, inquit, id eſt in urbe. Et ſic dici ſolet de ijs, qui cum poteſtate prouinciali aut nondum in prouinciam profecti ſunt, aut in urbem redierunt. Cicero Proconſul ad Cæſarem libro Epiſtolarum ad Atticum nono: Vt legi tuas literas, quas à Furnio noſtro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad urbem eſſem, te uelle uti conſilio & dignitate mea, minus ſum admiratus.* Extra portam. ] *In ſuburbijs.* Aliquid habere conducti. ] *Id eſt, conducere domum uel prædium.* Infirma ualetudine, ] *Magis credibile facit eum ex equo cecidiſſe, & latus offendiſſe.* Latus offendiſſe. ] *Id eſt, ut uulgo loquuntur, in latere ſe læſiſſe, ut offendere pedem dicimus. Hinc offenſio pedis, à Cicerone in libro de Diuinatione ſecundo dicitur: Quæ ſi ſuſcipiamus, pedis offenſio nobis, & abruptio corrigiæ, & ſternutamenta erunt obſeruanda.* Cum febri. ] *Febri in ablatiuo dici attende, ut apud Catonẽ in epiſtola ad filium. Ex dolore, ex febri, ex medicamentis bibendis. Id exemplũ eſt apud Priſcianum libro ſeptimo. Alibi quoque Cicero hac uoce uſus eſt. ut libro de Oratore tertio: Ex quo cum cohorruiſſet, cum febri domum redijt. In oratione in Catilinam prima: Cum æſtu febriq; iactantur. Et libro Epiſtolarum ad Atticum quinto: Cum ſine febri laboraſſem. Huius terminationis cauſa eſt, quia hanc febrim dicimus. Idem libro Epiſtolarum familiarium decimo tertio: Mihi & ſcriptum & nunciatum eſt, te in febrim ſubito incidiſſe.* Quod Habitus in emendo Diogene. ] *Id ante dictum eſt.* De aſſecla quodam. ] *Aſſeclæ serui ſunt, dicti quòd omnibus iuſſis dominorum aſſint, & præſto ſint, ut ait Non. Marcellus. Cicero in libro de Diuinatione ſecundo: Iccum ei Troginorum tetrarchiam eripuiſſet, & aſſeclæ ſuo Pergameno neſcio cui, dediſſet. Idem Actione in Verrem tertia: Oſtendit munus illud ſuum non eſſe, ſe cum ſuæ partes eſſent hoſpitum recipiendorũ, tum ipſos tamen Prætores & Conſules, non Legatorũ aſſeclas recipere ſolere.* In quæſtionem. ] *Id eſt, ut de eo haberetur quæſtio.* Hic. ] *Oppianicus.* Amici & hoſpites. ] *Oppianici. Mirum eſt aliquem fuiſſe Oppianico amicum & hoſpitem, præſertim cum antea dixerit Oppianicum ab omnibus deſertum, quem propter animi importunitatem nemo recipere tecto, nemo adire, nemo alloqui, nemo reſpicere uoluerit. Id autem hoc loco Cicero dicit, ut habitæ quæſtionis & dimiſſæ auctoritatem augeat.* Omnibus uehementiſſimis. ] *Hoc genus dicendi non omnino Ciceroni infrequens eſt, quod eſt contra Grãmaticorum præcepta.* Spe. ] *Id eſt, promiſſis.* Et metu. ] *Id eſt, minis ut paulo poſt dicet.* Aduocatorum. ] *Id eſt, eorum qui aduocati erant. Ex his autem poſtea nominat T. Annium, L. Rutilium, P. Saturium.* Auctoritate aduocatorum. ] *Iis enim præſentibus mentiri noluerunt.* Vi tormentorum. ] *Quæ magna eorum conſtantia fuit & patientia.* Aduocantur amici & hoſpites. ] *Oppianici.* De integro. ] *Id eſt, rurſus incipiendo, perinde ac ſi ante habita non fuiſſet.* Aduerſarij aduocati. ] *Quos Saſſia aduocauit, qui horum ſeruorum qui torquebantur aduerſarij erant. Magnam uim tormentorum exprimit.* Poſſe. ] *Id eſt, poterant: ut Furere, pro furebat. Hiſtoricis quàm oratoribus hoc dicendi genus magis familiare.* Nequaquam procedere. ] *Id eſt, quod nequaquã ſuccederet. Procedere enim pro ſuccedere dici, apud Sex. Pompeium eſt.* Cum iam tortor. ] *Tortor dicitur, is qui equuleo torquet. ut pro Milone: Quid opus eſt tortore? quid quæris? occideris'ne? occidit.* Tormenta ipſa defeſſa. ] *Metaphora eſt: nam rebus inanimis ſenſus datur. ut pro Q. Ligario: Quid tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? Magnam autem tormenti uehementiam ſignificat.* Honoribus populi. ] *Id eſt, magiſtratu.* Larinum ipſa proficiſcitur. ] *Nam Romæ habita hæc quæſtio eſt.* Incolumem. ] *Id eſt, non damnatum, quòd eius cauſa melior eſſet.* Instructam. ] *Id eſt, ornatam, paratam: ut inſtructum conuiuium, & inſtructos hortos dicit Actione in C. Verrem ſexta: Deinde ipſum regem ad cœnam uocauit, exornat amplè magnificeq; triclinium, exponit ea quibus abundabat plurima ac pulcherrima uaſa argentea: nanque hæc aurea non fecerat omnibus curat rebus inſtructum & paratum ſit cõuiuiũ. In oratione Poſt reditum in Senatu: Hi ſunt conditores inſtructoreſq; conuiuij. Libro de Offic. 3. de hortis quos à Pythio Canius emit: Emit inſtructos, nomina facit, negotium conficit. Vlpianus lib. Digeſt. 5. tit. de Verborum & rerum ſignificationibus: Tabernæ appellatio declarat omne utile ad habitandum ædificium, ex eo quòd tabulis clauditur. Inſtructam autem tabernam, ut idem ait, ſic accipimus, quæ & rebus & hominibus ad negociationem parata conſtat.* Vnum, alterum, tertium annum. ] *Hoc modo mouet magis, quàm ſi dixiſſet tres annos.* Vt. ] *Id eſt, ita ut.* Hortenſio & Metello Coſſ. ] *His Conſulibus deſignatis Verres accuſatus eſt: quo eodem tempore Cicero Aedilis deſignatus fuit, ut ipſe ſcribit in accuſatione Verris. Prætor autem Cicero hanc cauſam, ut diximus, defendit. Quocirca licet conijcere, tres, aut ad ſummum quatuor annos poſt mortem Stratonis actam eſſe Cluentij cauſam. Verre enim Prætore urbano Oppianicus damnatus eſt. Poſtea Siciliam triennium adminiſtrauit. Hortenſio & Metello Coſſ. accuſatus eſt, quo tempore de Stratone ſumptum ſupplicium eſt. Anno octauo poſt Oppianici damnationem accuſatus eſt Cluentius. Oppianicum quoque mortuum eſſe anno poſt damnationem, aut circa, inde licet conijcere. Nam triennio ante Stratonis furtum, de Stratone & Nicoſtrato quæſtio habita fuerat.* Aliquid agentem. ] *Aliud agentem, legendum arbitror.* Deſpondit ei filiam. ] *Spondere & deſpondere ita diſtinguit Donatus in commentarijs in Terentiũ, ut ſpondeat puellæ pater, deſpondeat adoleſcenti: ut deſpondeat puellam qui petit, ſpondeat à quo petitur. Sed hoc loco hæc Donati differentia non obſeruatur. Illud tamen obſeruari ſolet, ut ſpondere uel deſpondere puellam, non adoleſcentem, dicamus. Sibi quoque adoleſcens uxorem deſpondere dicitur. Cicero lib. Epiſtol. famil. 8. Cornificius adoleſcens Oreſtillæ filiam ſibi deſpondit.* Ex genero. ] *A. Aurio Melino* Furtum fecit. *Facere furtum, inſidias, prædas, pactionem, conuicium: pro furari, inſidiari, prædari, paciſci, conuiciari dicimus. Pro Roſcio Comœdo: Cuius rei furtum factum erat? Pro P. Sylla: Vt etiam ex memoria, quas mihi ipſe fecerat inſidias deponerem. Id dicendi genus ſæpe pro Milone eſt. In Verrem Act. 3. Iã uero in bonis Q. Opimij uendendis, quas iſte prædas quàm aperte, quàm impr[illegible]be fecerit, longum eſt dicere. Pro Roſcio Comœdo: Dic pactionem feciſſe, ut abſolueretur. Libro Epiſtol. ad Atticum 1. Conuicium Piſoni Coſ. mirificum fecit. Facere bellum,*

*prælium,*

prælium,pugnam,cædem, caſtra,cœnam, conceſſionem, concionem,finem,fraudem,gratulationem, largitionem, lucrum,moram pro bellare,prœliari,pugnare,occidere, caſtrametari,cœnare,concedere,concionari,finire, fraudare,congratulari, largiri, lucrari,morari,aliaq́; generis eiuſdem apud Ciceronem inuenire licet. Armarium. ] Armarium eſt,ubi reponuntur arma. Arma autem ſunt, ut ait Seruius in lib. Aeneid. 1. cuiuſcunque artis inſtrumenta. Hoc uocabulum tam latè patet, ut Valla in lib. 1. armarium eſſe dicat, ubi reponũtur libri cæteraq́; huiuſmodi. Armarium hoc loco Cicero dicit pro loculo, ubi reponuntur pecuniæ. Numorum aliquantum & auri. ] Numorum nomine aurum non contineri,hic attendendum eſt. Conſeruos. ] Erat enim Strato Saſſiæ ſeruus. Conſeruos,cohæredes condiſcipulos dici: quamuis conciuem,coæqualem,conſodalem,confœderatum non dicamus,in Progymnaſmatis ſcribimus. In piſcinam. ] Lacus & ſtagna,quæ piſcibus uiuis coercentur clauſa, ſuo atque proprio nomine piſcinas nominauerunt: ut ſcribit Aul. Gellius cap. 20. lib. 2. Viuarium quoque & ſtabula,pro piſcina, Columella lib. 9. dicit. Execuit. ] Id eſt, ſecando perforauit. Seſtertiorum & auri. ] Hic quoque attendendum, ſeſtertiorum nomine aurum non cõtineri. Non grandi. ] Id eſt,non magno natu. Grandis enim de ætate ſæpe dicitur, ut ante admonuimus. Qui non cõparebant. ] Quòd occiſos in piſcinam Strato deiecerat,quos furto facto profugiſſe arbitrabantur. Eſt autem ueriſimilis admodum hæc narratio. Commouebatur. ] Id eſt,excitabatur et perueniebat. In auctione. ] Id eſt,in publica bonorum uenditione. In rebus minutis. ] Id eſt,inter res minutas. Ex omni parte dentium. ] Dentatam,non dentium legi debet. Itaque in antiquis Priſciani codicibus lego, qui in libro 3. hunc locum citat,cũ dicit à nominis in a primæ declinationis fieri diminutiua in ula,ut à ſylua ſyluula,luna lunula, rubicũda rubicundula,lingua lingula, & per conciſionem ligula, puella puellula, ſerra ſerrula. ut inquit Cicero pro Cluentio: Ex omni parte dentatam & tortuoſam uenire ſerrulam. Venire. ] Id eſt, uendi. Ne multa. ] In narratione illud ualet ad leuandum auditoris tædium,ut dicamus: Sed quid ego diutius? Quid uerbis opus? Quid ultra moror? Ne multa: aliud'ue quid eiuſdẽ generis. Quo etiam admonetur auditor,ut id quod proxime dicturi ſumus,audiat attentius. A' coactoribus. ] Coactores hoc loco dici uidentur ij qui in auctione pecuniã accipiunt,remq́; auctionatam addicunt ei qui maximum obtulerit eiuſdem rei pretium: qui & rei uenditæ pretium & emptoris nomen ſcribere ſolent. Id hac quoque ætate fieri ſolet. Inſimulato. ] Id eſt,accuſato, ſed extra iudicium, & ut ita dicam,coarguto. Pertimuit. ] Pueros alicuius maleficij conſcios terreri facile eſt. eoq́; magis ſi ullam ipſi ſpem ſibi impunitatis proponunt. Indicauit. ] Indicare & confiteri ita diſtinguit Donatus in Adelph. Terentij: Indicat,inquit, is qui de ſe uolens aliquid & de alijs etiam prodit. Sed confitetur,qui de ſe tantum, & qui inuitus. Nequaquam omnes. ] Vt res magis ſit ueriſimilis, furum cõſuetudinem exprimit, apud quos ſi ſublata pecunia reperitur,nequaquã tota reperitur. eius enim partem ipſi iam expenderint. Conſtituitur quæſtio. ] Conſtituere quæſtionẽ quid ſit,pro Milone diximus. Hic uero quæſtio pro tormento,non pro cauſa dicitur. An hoc dicitis. ] Apoſtrophe eſt ad Saſſiam, ad Oppianicum adoleſcentem, ad T. Actium accuſatorem. Hi autẽ dixerunt, Stratonem in quæſtione aliquid de Oppianico necato ueneno confeſſum fuiſſe. Hanc quæſtionem de furto, non de Oppianici morte habitam fuiſſe, Cicero contendit. Expilato. ] Id eſt,exinanito,exhauſto. Inſtituam. ] Id eſt, conſtituam. Cui probaris. ] Id eſt,ut quis probet facere poteſtis. Triennio poſt mortem. ] Significare uidetur iure ciuili cautum fuiſſe, ne de cuiuſquam morte poſt triennium quæreretur,id eſt,quæſtio haberetur. Adductu eam. ] Accerſi uxor ad maritum, abduci à marito ad diuortium dicitur. Sic Virgilius. Et gremijs abducere pactas. Auctor eſt Donatus: exponens illud ex Hecyra, Et filiam abduxit ſuam, &c. Hanc loquendi differentiam apud Terentium paſſim licet inuenire. Mulieri crudeliſſimæ ſeruũ fideliſſimum non, &c. ] Indignitatem rei oſtendit,ut Saſſiam in odium iudicum adducat. Id quæſtionem tulit. ] Id eſt, obtulit. Eſt aphæreſis. Noua credo res obiecta noui, &c. ] Ironia eſt. De iiſdem enim ſeruis, de crimine eodem quæſitum eſt,quo triennio ante Romæ quæſitum fuerat. Romæ hi ſerui nihil dixerunt, quo læderetur Cluentius. Triennio poſt cum Larini torquerentur, de eodem ſcelere quæri non licebat. Illud itaque confinxit Saſſia, cum de furto quæreretur, Stratonem de ueneno aliquid dixiſſe: idq́; in tabellis ſcriptum, in iudicium allatum. Cicero autem oſtendit, à Saſſia impudentius id confictum quàm callidius. Noui quidam homines in ſuſpicione uocati. ] Pro in ſuſpicionem: ut paulo ante, Hoc uno metu ſe putat equites Rom. in poteſtate ſua redacturos. Et in oratione pro Domo ſua: Auctor ne eſſes, ut in te P. Fonteius uitæ necisq́; poteſtatem haberet, ut in filio. Non morbo, ſed ſcelere furioſa,cum quæſtionem. ] Non enim ſolum morbo furioſi fiunt homines, ſed etiam ſcelere, ut Oreſtes & Alcmæon.

Ne colonum, &c. ] Stathium Albium, de quo antea dixit,quo pro uiro,id eſt,marito Saſſia utebatur. An hoc dicitis abfuiſſe? ] Cum haberetur de furto quæſtio, &c. An hoc dicitis? ] Vos accuſatores, Acti & Oppianice. Proiecta eſt. ] Id eſt,extenta, eminens, & ueluti ſe exerens. ut Act. in Verr. 3. Eſt idem Verres qui fuit ſemper, ut ad audendum proiectus, ſic paratus ad audiendum. Et pro Domo ſua: At uidete hominis intolerabilem audaciam, cum proiecta quadam & effrenata cupiditate. Proiecta ſaxa Virgilius dixit in lib. Aeneid. 3. qualia in rupibus eminent: Hinc altas cautes, proiectaq́; ſaxa Pachynni Radimus. A' conſilijs malitiæ deſeruntur. ] Id eſt, ſatis callidi non ſunt, ad cogitandum & fingendum. Malitiæ. ] Id eſt, calliditatis & uerſutiæ. Malitia à malo appellata,non dicitur improbitas, quam Græci κακίαν appellant,ſed certi cuiuſdam uitij nomen eſt: ut ait Cicero lib. Tuſcul. quæſt. 4. Inde malitioſum, callidum, aſtutum, uerſipellem dicimus. Confidens aſtutia. ] Id eſt, audax.

An id actum non eſt in quærendo. ] Id eſt, an de furto quæſitum non eſt. En hoc illud eſt, quod ante dixi. ] Id autem eſt: Illi quorum enim & audacia atque proiecta eſt, à conſilijs malitiæ deſeruntur. Audax Saſſia fuit in confingendo hoc ſcelere, callida tamen non fuit. Ideo ueritas emergit. Mulier abundat audacia. ] Priſcianus libro decimo octauo, Abundans hoc loco, non Abundat legit. Abundans illius rei, inquit, nomen eſt. nam participium ablatiuo, quo modo & uerbum eius coniungitur. Virgilius in Bucolicis: Quàm diues pecoris niuei, quàm lactis abundans. Cicero pro Cluentio: Mulier abundans audacia. Idem pro Cornelio Balbo: Quis tam abundans copijs? Conſilio & ratione deficitur. ] Id eſt, deſtituitur. Vt in oratione de Reſponſis aruſpicum: Monent ne per optimatium diſcordiam diſſenſionemq́; patribus principibusq́; cædes periculaq́; creentur, auxilioq́; diminuti deficiantur. Tabellæ quæſtionis. ] Id eſt,in quæſtione confeſſionis. Quod præcedit, pro eo quod ſequitur. Quæ recitatæ uobisq́; editæ ſunt. ] Id eſt, exhibitæ & oblatæ. Edere, ut ait Vlpianus libro Digeſtorum ſecundo,titulo de Edendo, eſt copiam deſcribendi facere, uel in libello complecti & dare, uel dictare. Tum obſignatas. ] Legendum uidetur. Non obſignatas: ante enim dixit: Nullo adhibito, non dicam uero, &c. ut tabellarum auctoritatem tolleret. Non uenit in mentem. ] Nam conſilio malitiæ defecta fuit.

*Primam orationem Stratonis.* ] *Id eſt, confeſſionem. Ea autem prima ſcribenda erat, quia de furto eam haberi quæſtionem Saſſia dixit.* Quod non percontatione quæſitum. ] *Cum de ueneno non haberetur quæſtio. Oſtendit autem quid Saſſia feciſſet, niſi conſilij malitia deſerta fuiſſet.* Superiore quæſtione ſublata. ] *Quæ triennio ante habita Romæ fuerat.* Per triennium maxime ex omnibus ſeruis. ] *Partitio eſt per ablatiuum. Superlatiuus aduerbij regit caſum eundem quem ſuperlatiuus nominis: maximus ſeruorum, & ex ſeruis ut dicitur, ita maxime ſeruorum & ex ſeruis.* In honore habuerat. ] *Aliquem in honore habere dicit, alibi tamen alicui habere honorem in eadem re dicit. In Diuinatione: Quibus ego non ſum tantum honorem habiturus, ut ad ea quæ dixerint, certo loco, aut ſingulatim unicuique reſpondeam. Et in Vatinium: Ne tibi hunc honorem à me haberi forte mirere.*

Eo loco quo debuit. ] *Id eſt, primo loco.* In aliqua parte quæſtionis uerbum fecit nullum. ] *Vllum, non Nullum, legendũ eſſe uidetur. Illa enim eadem ſententia dicimus, ne in extrema quidem parte uerbum fecit ullum: et, Verbum fecit nullum, ne in extrema quidem parte.* Videtis illam nefariam mulierem. ] *Saſſiam adducit in odium iudicum.*

Niſi forte eiuſmodi hominem. ] *Stathium Albium colonum.* Quem ego proferri malim. ] *Huius enim leuitas atque improbitas tabellarum auctoritatem tolleret.* Ex matris ſinu. ] *Id eſt, ex tabellis, quas in ſinu Saſſia geſtauit. Quæ enim chara habemus, ut diligentius ſeruemus, ſinui committimus. uel Ex ſinu, id eſt, ex occulto animo.* Hi tales uiri. ] *Inuiſum iudicibus Actium facit, quòd ijs falſa & pernicioſa conetur probare.* Eſto in tabellis nihil eſt auctoritatis. ] *Quamuis in omnibus codicibus ita ſcriptum inueniam, legendum tamen arbitror: Eſto, in tabellis aliquid eſt auctoritatis. ut id quod iam refutauit, condonet aduerſario, ut ad ſequentia ſibi ueluti gradum faciat. Id autem artificioſum eſt.*

Quid ipſa quæſtio.. ] *Haud ſcio an legendum ſit Prima quæſtio, non ipſa quæſtio. Id niſi ita legatur, de ea quæſtione, quæ prius habita Romæ eſt intelligit, quam Saſſia ſuppreſſit: propterea quòd Cluentium non modo non læderet, ſed etiam adiuuaret. Eam autem quæſtionem iudicibus, amicis, hoſpitibuſq; Oppianici, & huic ipſi tempori reſeruari oportebat.*

Quid iſtis hominibus factum eſt. ] *Hoc modo uerbum Facere cum ablatiuo ſæpe inuenitur. Terentius in Andria: Nec quid me nunc faciam, ſcio. Quo in loco notandum eſſe Faciam cum ablatiuo, Donatus dicit. Idem in eadem: Quid me fiet? Itemq;, Nunc audio primum quid illo ſit factum. Lucilius apud Marcellum: Quid me fiet, ſiquidem non iuſte improbis committere. Cicero lib. Epiſtol. 14. Quid puero miſero fiet? Itemq;, Sed quid Tulliola mea fiet? In oratione in Rullum ad Quirites: Quid pecunia fiet? Pro P. Seſtio: Quid hoc homine facias?* Seruo tuo Nicoſtrato quid factum eſſe dicas. ] *Significat Nicoſtratum ab Oppianico, uel potius à Saſſia è medio ſublatum, ne quæſtio ea quæ Romæ habita eſt, his iudicibus eſſet cognita.* Dare poteſtatem. ] *Sic ſæpe Cicero dicit, ut facere poteſtatem, de quo alibi plura: & pro Sex. Roſcio, permittere poteſtatem.* In crucem actum. ] *Id eſt, ſublatum. Seruorum enim, non ciuium, crux ſupplicium erat. In ſeruos autem necis poteſtatem domini habebant. Poſtea D. Hadrianus ſeruos à dominis occidi uetuit, eoſq; per iudices, ſi digni eſſent, condemnari iuſſit, ut ait Ael. Spartianus in eius uita.* Iam enim uidetis. ] *Concluſio eſt per enumerationem ſcelerum & impietatis Saſſiæ, & per commiſerationem.*

Mitto illam primam libidinis iniuriam. ] *Occupatio eſt. Id enim ſe dicit omittere, quod maxime dicit: Illam primam libidinis iniuriam, cum, expulſa filia, nupſit genero.* Filiam. ] *Cluentiam.* Huiuſce. ] *Cluentij.* De alteris. ] *Alterum de duobus dicitur. Ter nupſit Saſſia: ſed primæ nuptiæ, quæ cum A. Cluentio fuerunt, unde hic natus eſt, honeſtæ & legitimæ fuerunt: binæ reliquæ cum Melino & Oppianico, fuerunt infames. de quibus hic loquitur.* Obſides. ] *Id eſt, tanquam in pignus nuptiarum.* Proſcriptum occiſumq;. ] *Id ante dixit.* Fabriciani ueneni. ] *Quod Scamander Fabricius Diogeni dabat, ad necandum Cluentium. Venenum Fabricianum dicit, ut crimen Clodianum, quod Clodius admiſit, de quo alio loco ſcripſimus.* Suſpicioſum cæteris. ] *Suſpicioſum paſſiue dixit.* Huic. ] *Cluentio.* Non eſt de illo ueneno celata. ] *Id eſt, Oppianicus non celauit eam de ueneno, id eſt, conſcia fuit. Celo te uenenum, ueneni, & de ueneno dicimus. Terentius in Hecyra: Quam ob rem tantopere hunc omnes nos celare uolueris partũ. Hanc antiquam locutionem eſſe Donatus ſcribit. duæ autem proximæ Ciceronis ſunt, ut pro Cælio: Vidit hoc Balbus, facinoris tantum celatam eſſe Clodiam dixit. Idem pro Rege Deiotaro: De armis, de ferro, de inſidijs celare te noluit.* Deprehenſa re. ] *Id eſt, deprehenſo ueneno.* Scelere omni affluentem. ] *Vt paulo ante: Mulier abundans audacia.* Inſtrueret inſidias. ] *Moliri, facere, ſtruere, & inſtruere inſidias dicimus.* Confirmaret. ] *Id eſt, firmum faceret.* Collocatione filiæ. ] *Collocare filiam pro eo quod uulgo dicunt maritare, ſæpe à Cicerone dici ſolet. ut lib. de Oratore 3. Non ſolum ut de iure ciuili ad eos, uerum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio referretur. Idem lib. de Offic. 2. Liberales autem ſunt qui ſuis facultatibus, aut captos à prædonibus redimunt, aut æs alienum ſuſcipiunt amicorum cauſa, aut in filiarum collocatione adiuuant. Itemq;: Cum conſuleretur utrum bono uiro pauperi, an minus probato diuiti filiam collocaret. Collocare in matrimonium idem dicit in libro de Diuinat. 1. Cum uellet ſororis ſuæ filiam in matrimonium collocare. Apud eundem lib. de Oratore 3. neſcio quis poeta dicit collocare nuptias: Sed mihi cum retulit coronam ob collocandas nuptias.*

Itaque apud cæteros. ] *Peruerſam & præpoſteram dicit fuiſſe Saſſiam, quo eam iudicibus magis inuiſam faciat.* Sororem eius. ] *Saſſiæ & Melini filia Cluentij ſoror erat germana. Nam germani, ut ex Varrone Seruius ſcribit, qui ex eadem matre nati ſunt, appellantur, quamuis ex eodem patre non ſint. Ideo Virgilius Aeneid. 5. Erycem Veneris & Butæ filium Aeneæ dicit fuiſſe germanum, qui Veneris & Anchiſæ filius fuit: Hæc, inquit, germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.* Cæteri nouis affinitatibus. ] *Vt Scipionis & Gracchi reconciliatio firmata arctior eſt nuptijs Corneliæ Scipionis filiæ, quam in matrimonium Gracchus duxit.* Inimicitias ſæpe deponunt. ] *Vt pro L. Flacco: Cum à clariſſimis uiris iuſtiſſimas inimicitias ſæpe cum bene meritis ciuibus depoſitas eſſe uidiſſem. De prouincijs Conſularibus: Si ipſas inimicitias depono Reip. cauſa, quis me tandem iure reprehendat? De hoc uerbo in quartam Inuectiuam in Catilinam ſcribimus.*

Eum. ] *Accuſatorem.* Armaret. ] *Id eſt, muniret & inſtrueret. Eſt autem metaphora. ut in oratione pro Domo ſua: Erat incredibili armatus audacia.* Et minis & promiſſis. ] *Vt paulo ante: Cum eſſent animi ſeruorum & ſpe & metu tentati, ut aliquid in quæſtione dicerent.* Infinitæ. ] *Quibus ne amicorum quidem & hoſpitum ſententia finem facere potuerit.* Crudeliſſimæ. ] *In quibus tortor & tormenta defeſſa ſunt.* Aliquando. ] *Id eſt, tandem.* Modus. ] *Id eſt, modeſtia.* Finem fecit. ] *Vt Actione in Verr. 5. Vt ille aliquando impudentiæ ſuæ finem faciat. Et in Rullum ad Quirites: Finem feci offerendi mei.* Falſæ conſcriptiones. ] *Id eſt, falſæ tabellæ.* Conſceleratæ. ] *Id eſt, ualde ſcelerata. In qua ſignificatione à Ci*

cerone

cerone ſæpe dicitur. ut antea: Cuius præſentis nefarium & conſceleratum uultum intuebantur. Pro P. Sylla: Voluntates uero conſceleratas ac nefarias nec ſanare potui, nec tollere. Pro domo ſua: Cum ſeruos tuos ad rapinam, ad bonorum cædem paratos, quoniam illa tua conſceleratorum ac perditorum manu armatos in Capitolium tecum ueniſſe conſtabat. In Piſonem. Me tamen fugeras, deorum immortalium has eſſe in impios & conſceleratos pœnas certiſſimas conſtitutas. Item: Nolite enim putare P. C. ut in ſcena uidetis homines conſceleratos impulſu deorum, terreri furiarum tædis ardentibus. Et pro Sex. Roſcio: Hæ ſunt impijs aſſiduæ domeſticæq; furiæ, quæ dies noctesq; parentum pœnas à conſceleratiſſimis filijs repetant. Conducendorum.] Id eſt, pretio corrumpendorum. Inde mercenarij teſtes, qui mercede conducti ſunt, appellantur à Cicerone lib. Epiſt. Famil. 3. De mercenarijs teſtibus à ſuis ciuitatibus notandis, niſi iam aliquid factum eſt per Flaccum, fiet à me cum per Aſiam diſcedam. Aduolauit.] Immoderatam Saſſiæ cupiditatem opprimendi filij oſtendit. Nec accuſatoribus diligentia deeſſet.] Id eſt, ut accuſatores ſollicitaret. Huius ſordium.] Rei enim ſordidi & ſqualidi erant, ut iudicum miſericordiam commouerent facilius. Propter uicinitatem Aquinatium & Frabaternorum. Aquinum & Frabateria oppida ſunt Arpino uicina. Aquino autem & Frabateria Saſſiam feciſſe iter ſignificat. Ex his oppidis.] Aquino & Frabateria. Quantos uirorum & mulierum gemitus.] Mouet affectus ex matris crudelitate, & ex aliorum commiſeratione. Vſque à mari ſupero.] Id eſt, uſque à mari Hadriatico: ut Tyrrhenum mare appellant Inferum. Vſque à mari.] Vt dixit Virgilius, Ab uſque Pachynno. Circumuenire.] Circumuenire & opprimere aliquem iudicio capitis, eſt iudicibus corruptis, uel conductis teſtibus, facere ut innocens condemnetur. Qui non contagionem.] Id eſt, qui non fugeret aſpectum eius, quo ſe contaminari & pollui putaret. Quorũ fidem pretio.] Significat Saſſiam uoluiſſe aliquos ex iudicibus pecunia corrumpere. De ſuo ſcelere teſtatur.] Id eſt, uocat & adhibet teſtes ſui ſceleris. ut pro L. Flacco: Vociferarem, & quantum maxime poſſem contenderem, teſtarer publicanos, excitarem negociatores. Pietate & religione.] Deos placatos pietas efficiet et ſanctitas, ut ait Cic. in lib. de Offic. 2. Eſt autẽ pietas, iuſtitia aduerſus deos, ut idem ait in lib. de Deorum nat. 1. Nec eſt ulla erga deos pietas, ut ait idem pro Domo ſua, niſi honeſta de numine eorum ac mente opinio, cum expeti nihil ab ijs quod ſit iniuſtum ac inhoneſtum arbitrere. Superſtitione.] Superſtitio, ut ait Cicero lib. de Natura deor. 1. eſt in qua ineſt timor inanis deorum: ut religio eodẽ auctore eſt, quæ deorum cultu pio continetur. Confido.] Id eſt, arbitror. ut in libro Epiſt. ad Atticum 6. Confido te iam, ut uolumus, ualere. Confidere & ſperare, dicta pro arbitrari, iunguntur cum uerbis præteriti præſentis & futuri temporis. de uerbo Sperare plura ſcripſimus in Catonem maiorem Ciceronis. Alios deos.] Id eſt, mortales. Tanquam mortales deos dicat eſſe hos iudices, qui Cluentiũ tanta ſollicitudine, tanto periculo liberẽt. Homines hominibus prodeſſe diuinũ eſt. Inde illud prouerbium antiquitate tritũ eſt, Homo eſt homini Deus. In cuius prouerbij explicatione multa ſcribit Eraſmus, quæ ab hoc loco aliena non ſunt. Ad omne uitæ tempus.] Nam ſi Cluentium abſolueritis, eũ omni periculo à matre in perpetuum liberabitis. Fortuna eſſe noluit.] Iudicum enim facta ſortitio eſt. ſortitio autem fortunæ eſt. Peccata liberum, &c.] Id eſt, multi iudices ſæpe abſoluerunt nocentes liberos, quod parentum eorum miſererentur. Liberum.] Id eſt, liberorum, ut ante & poſtea dicit. Conceſſerunt.] Id eſt, condonauerunt, & peccatis ignouerunt. Concedere peccato etiã dici poteſt. ut pro Sex Roſcio: Cæterorum neque dictum obſcurum poteſt eſſe propter nobilitatem et amplitudinem, neque temere dicto concedi propter ætatem et prudentiam. Condonetis.] Iudex aut princeps reum condonat, qui poſtulantis uoluntati permittit & donat aut liberandum, aut necandum. Totum municipium.] Id eſt, omnes Larinates. eſt autem intellectio. nam municipium dicitur, & municipes intelliguntur. Valet multum ad mouendos affectus, cum dicimus plurimos de rei ſalute ſollicitos eſſe. Qui ualuerũt.] Id eſt, qui ualentes fuerunt: id eſt, omnes præter pueros & mulieres. Quos tamen ipſos.] Pueros & mulieres. De unius municipij.] Artificioſum eſt, ut oſtendamus ſententiam, qualiſcunque lata ſit, ad alios multos, quàm ad reum pertinere. Rem.] Id eſt, commoditatem: id eſt, publicæ utilitatis admodũ ſtudioſus eſt. In omnes homines.] Tam municipes ſuos, quàm alienos. Iuſtitia & fides.] Eſt enim iuſtitia, fundamentum perpetuæ commendationis & famæ, ut ait Cicero in libro de Officijs ſecundo. Fundamentum autem iuſtitiæ fides eſt, ut ait idem in libro primo. Locumq; à maioribus traditum.] Auctore eodem, libro eodem, optima hæreditas à patribus traditur liberis, omniq; patrimonio præſtãtior gloria uirtutis, rerũq; geſtarum, cui dedecori eſſe nefas et uitium iudicandum eſt. Illis igitur commendat Cluentium, diligentia in Remp. benignitate in ſingulos, in omnes iuſtitia & fide, & maiorum imitatione. Reum autem uirtus eius, & bene acta ante uita iudici non parum commendant. Tuetur.] Id eſt, conſeruat, & ut uulgo dicunt intertenet. Qua in re id uerbum ſæpe dici inuenias, ſiue agrum, ſiue domum, ſiue dignitatem, ſiue aliud quid quis tueri dicat. Iis cum uerbis.] De huiuſmodi reorum laudationibus alibi ſcripſimus. Sed ex hoc loco attende, laudationes illas publice decerni conſcribi & obſignari ſolitas. Publice.] Id eſt, ex decreto publico. Vos quæſo.] Apoſtrophe eſt ad Larinates, qui eam laudationem attulerunt. Aſſurgite.] Orator cum diceret, ſtabat, ut modo dicebamus: itidem & teſtis, cum diceret teſtimonium. Legatos autem ſtare, cum recitaretur laudatio, quam attuliſſent, morem non fuiſſe ſignificat. quos hoc loco excitat, ut ex eorum lachrymis facilius perſpectis affectus moueantur. Recita.] Laudationem præco recitat. Ex lachrymis horum.] Significat Cicero Larinates omnes lachrymaſſe, cum Cluentij laudatio recitaretur. Omnes hæc Decuriones.] Decuriones municipiorum & coloniarum Senatores eſſe, alibi diximus. Ex Decurionum decreto huiuſmodi laudationes fieri ſolitas, hinc attende. Decreuiſſe lachrymantes.] Laudationis finem commendat, & mouet affectus, remq; ſub oculos ſubijcit. Age uero.] Continuatiuæ particulæ ſunt, non hortatiuæ, ut antea ſæpe dixit in eadem re. Iam uero. quamuis Age uero, aliquid hortamenti habere uideatur. In libellis.] Id eſt, in ſcriptis. Laudationum decreta.] Id eſt, laudationes decretas & publicas. Eſt enim laudatio, oratio de laude cuiuſquam ſcripta. Quos noſſemus omnes.] Id dicit, ut maius uicinorum ſtudium liberandi Cluentij oſtendat. Hi enim homines notos miſerunt, ut eorum uerbis fides haberetur maior, cum publice laudarent Cluentium. Ferentani.] Ferentium oppidum Faliſcorum eſt, ut ait Volaterranus. inde Ferentani, quos Ferentinos Plinius appellat libro 3. Ferentium Theano Appulo propinquum eſſe, auctor eſt Strabo libro 5. qui idẽ ſcribit, poſt Picenum Ferentanos & Marrucinos eſſe. Theano Appulo.] Quod à Larino abeſt decem & octo millia paſſuum, ut ante dixit Cicero. Atque Luceria.] Luceria Apuliæ oppidum eſt. Daunorum uetus oppidum fuiſſe, Strabo auctor eſt libro 6. Atque Luceria Equites Romanos.] Non ſolum ex urbe Roma, ſed etiam ex municipijs & colonijs erãt equites Romani, ut Cicero Arpinas, ut Cluentius Larinas, alijq; innumerabiles documento eſſe poſſunt. Bouiano.] Bouianum, uel ut ait Strabo, Boianum, oppidum in Samnio eſt.

Tum homines ampliſſimi.] Laudationum commendatio

maior eſt, quòd eos ampliſſimi homines honeſtiſſimiq; attulerũt,

Qui res pecuniarias habent. ] Id eſt, qui aliquos illic habent reditus, aut debitores: aut reuera, qui fœnerantur. Summo ſplendore. ] Equites eſſe ſignificat. Equites enim qui honeſti ſunt & liberales, ſplendidi: qui contra turpes ſunt & auari, ſordidi appellari ſolent. Non multi mihi. ] Vt unus multos deligat, uel quos amet, uel quibus fortunas ſuas commendet, uel à quibus aliquid ſperet, facile eſt. ut autem unum aliquem ſibi uniuerſi deligant, difficilius eſt, eaq; ſummæ probitatis eius qui deligatur ſignificatio eſt. Nominare. ] Quàm uellem ſciliet, id eſt, quàm uellem ut adeſſet. Sed maiore uerecundia. ]

Auctore Quintiliano lib. 4. ſi iudex amicus noſter ſit, diligẽter tractandus eſt. Eſt enim nonnunquam prauus hic ambitus iudicibus, aduerſus amicos pronunciandi, pro iis, quibuſcum ſimultates gerunt, & faciendi iniuſte, ne læſiſſe uideantur. Iudex es in A. Cluentium. ] Vt antea: Sediſſent'ne iudices in C. Fabritium. Confirmamus. ] Id eſt, affirmamus. Vetere inſtituto ſolus peroraui. ] Inſtitutum fuiſſe uetus ſignificat, ut unus accuſator, unus patronus eſſet. ætate uero Ciceronis id immutatũ erat. Nam in eadem cauſa licebat multos eſſe accuſatores, multos patronos, quibus ſingulis ſua cauſæ pars agenda data eſſet. M. Scauri cauſam, auctore Aſconio, patroni ſex defenderunt, cum ad id tempus raro quiſquam pluribus quàm quatuor uteretur. Totidem patronos Miloni affuiſſe idem dicit. Lucium Murenam tres accuſauerunt, totidemq; defenderunt. P. Syllam duo defenderunt, quot accuſauerunt. M. Cælius quatuor habuit accuſatores: tres L. Cornelius Balbus defenſores. Ex Ciceronis orationibus hæc facile agnoſcas. Vna mater oppugnat. ] Vt Cluentius in iudicum miſericordiam influat, adducit Saſſiam in odium iudicum, quòd ea ſola nefaria mulier tam multorum ſtudiis rectis aduerſetur. Ferri. ] Id eſt, toto animi impetu rapi. unde feras appellatas eſſe accepimus. Cupiditatem. ] Vt nuberet genero. Iura hominum. ] Vt eadem eſſet ſocrus & uxor, idem eſſet gener & maritus. Ius hominum appellat ius gentium, quod ius humanum T. Liuius lib. quinto appellat: Interim Galli poſteaquam accepere ultro honorem habitum uiolatoribus iuris humani, eluſamq; ſuam legationem eſſe, flagrantes ira, cuius impatiens eſt gens, confeſtim ſignis conuulſis, citato agmine iter ingrediuntur. Vt eam nemo hominem. ] Homo. n. qui ſolus rationis particeps eſt, ſolus prudens eſt. Vt eã nemo hominẽ. ] Priſci. lib. 6. hunc locum citat: Ordo, inquit, ordinis, homo hominis. Cic. pro A. Cluentio, cũ de eius matre loqueretur ait: Cuius ea ſtultitia eſt, ut eam nemo hominem appellare poſſit. Ea uis ut nemo fœminam. ] Fœminæ, niſi cum fœtus habent, maribus multo ſunt manſuetiores. Vt nemo matrem. ] Ipſum enim matris nomen amantius eſt, ut antea dixit. Atq; etiam nomina neceſſitudinum. ] Ordo eſt, mutauit non ſolum naturæ nomen & iura, ſed etiam nomina neceſſitudinum. Vxor generi. ] Cicero in libro de Oratore ad Brutum, ab indole adoleſcentiæ illa eſſe matura dicit: Vxor generi, nouerca filii, filiæ pellex. Nouerca filij. ] Quæ nouercali odio in filium eſt. Adducta eſt. ] Id eſt, peruenit: Vt ſibi præter formam. ] Apud Tit. Liuium lib. 29. in Oratione legatorum Locrenſium, de Q. Pleminio P. Scipionis legato querentium, eadem ſententia eſt: In hoc, inquit, Legato ueſtro (dant enim animum ad loquendum libere ultimæ miſeriæ) nec hominis quidquam eſt P. C. præter figuram & ſpeciem, nec Romani ciuis præter habitum ueſtitumq; & ſonũ Latinæ linguæ. Ex uictoria. ] Nam cauſæ uictoria dicit, quẽadmodum uincere cauſa. Liberum. ] Id eſt, filij Cluentij. Liberos etiam de unica filia dici, apud Gellium eſt. Sin autem uirtutem diligitis. ] Inter odiſſe uitia, & uirtutem diligere, aliquod eſſe medium ſignificat. Ea autem ſententia eſt, ſi odiſtis ſcelus, ſcelus Saſſiæ à Cluentio ſententiis ueſtris prohibete: ſin autem uirtutem diligitis, innocentiam Cluentij leuate. Supplicem ueſtrum. ] Id eſt, ſupplicantem uobis, & ut uulgo loquũtur, humilem famulum ueſtrum. qua in re ſæpe dicit Cicero in Diuinatione: Et quid auctoritatis apud uos in ſuo iure repetundo ſocij populi Romani ſupplices ueſtri habere debeant. Pro L. Murena: Nunc idem ſqualore ſordidus, confectus morbo, lachrymis ac mœrore perditus, ueſter eſt ſupplex iudices, ueſtrã fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, ueſtram poteſtatẽ, ac ueſtras opes intuetur. Pro L. Flacco: Ne hominibus leuitate Græcis, crudelitate Barbaris, ciuem ac ſupplicem ueſtrum dederitis. Itemq;: Huic, huic miſero puero ueſtro ac liberorum ueſtrorum ſupplici iudices ac iudicio uiuendi præcepta dabatis. Pro M. Cælio: Quem uos ſupplicem ueſtræ miſericordiæ, ſeruum poteſtatis, abiectum non tam ad pedes, quàm ad mores ſenſuſq; ueſtros uel recordatione parentum ueſtrorum, uel liberorum iucunditate ſubleuate. Poſt illam flammam. ] Inuidiæ ſcilicet. Aliorum facto. ] Oppianici pecunia, iudicum auaritia, & L. Quintij concionibus. Reſpirare à metu. ] Vt de Reſponſis aruſpicum: Idem poſteaquam reſpirare uos à metu cædis, emergere auctoritatem ueſtram à fluctibus illis ſeruitutis, reuiuiſcere memoriam ac deſiderium mei uidit, uobis ſe cœpit ſubito fallaciſſime uenditare. Condonetis. ] Id eſt, dedatis.

Si qua calamitas hunc afflixerit. ] Id eſt, ſi Cluentius damnabitur. Id quod difficile factu eſt. ] Hanc enim calamitatem ſibi mortem fortiter conſciſcendo effugiet. Fabricianum uenenum. ] Quod Scamander Fabritius, Diogeni dabat ad necandum Cluentium, quod etiam ante ita appellauit. Multorum medicamentum laborum. ] Ex comparatione quàm miſer futurus ſit Cluentius, ſi damnetur, oſtendit. Nam huius miſeriæ comparatione felix tum fuiſſet, ſi uenenum iudicatum non fuiſſet, eò quæ interiſſet. Auctore Quintiliano libro ſexto, graue aliquid facimus, cum magnis alioqui malis grauius eſſe id quod paſſi ſumus oſtenditur. Quale eſt illud Virgilij: O felix unà ante alias Priameia uirgo. Hoſtilem ad tumulum Troiæ ſub mœnibus altis iuſſa mori. Quàm miſer enim caſus Andromachæ, ſi comparata ei Polyxena ſit felix? Fortaſſis. ] Fortaſſis rariſſime, fortaſſe ſæpiſſime Cicero dicit. Ex mediis mortis inſidiis. ] Cum deprehenſum uenenum eſt. Mors ſepulchro patris. ] Sepulchra familiæ communia Romani habebant, quibus priuari triſte erat. Satis diu. ] Illud reum cõmendat, ſi dicimus eum iam ſatis pœnarum expendiſſe. Ex inuidia laborauit. ] Id uerbum laborare ita ſæpe à Cicerone dicitur, ut pro Sex. Roſcio: Quod ſi omnes qui eodem loco nati ſunt facerent, & Reſpub. ex illis, & ipſi ex inuidia minus laborarent. Libro epiſtolarum Familiarium 9. Dixit te in lecto eſſe, quòd ex pedibus laborares. Libro 7. Cum decimum iam diem grauiter ex inteſtinis laborarem. Libro Tuſcul. quæſt. 2. Cum ex renibus laboraret, ipſo in eiulatu clamitabat, falſa eſſe illa quæ antea de dolore ſenſiſſet ipſe. Libro Epiſtolarum 16. Non ignoro quantum ex deſiderio labores. Tam iniquus. ] Id eſt, tam inimicus.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM DE LEGE AGRARIA PRIMAM, CONTRA P. SERVIL. RVLLVM ANNOTATA

## PER IACOBVM BVGELIVM.

### ARGVMENTVM.

QVANTOS in Romana Rep. tumultus, quas ſeditiones & patrum plebiſq; diſcordias Agrariæ legis promulgatio pepererit, multi tradunt Hiſtorici. Originem legis huius copioſe deſcribit libro 2. ab Vrbe condita Liuius. Perſequitur & reliquis libris, qui nam huius legis auctores, qui ad promulgandam eam incitatores, et ad ſuſcipiendam hortatores fuerint. Appianus quoq; in bellorum ciuilium deſcriptione, in ipſo ferè hiſtoriæ initio plurimis deſcribit, Agrariæ legiſlationem à Graccho factam. Sed et Ciceronis temporibus, in ipſo Conſulatu, quē multis nobilium prælatus Cicero aſſecutus erat, Rulliana hæc ſeditio emicuit. Cuius cum nō ſcopus alius, quā ſacra miſcere prophanis eſſet, & Reip. manus inijcere auctores eius conarentur, itemq; alia periculoſa, imo pernicioſa in animo haberent, quo deformem illam corniculam alienis ueſtirent plumis, & populi fauorem conſequerentur, Agrariæ legis promulgationem ſimulauerunt. Hæc ut & alia olfaciens Cicero ipſum Rullum aggreſſus, tribus orationibus eius inſtitutum oppugnauit. Quarum duas poſteriores ad populum, primam uero hanc in Senatu habuit. Quæ cum temporum iniuria ānipar… ad nos peruenerit, in eius enarratione multum laboris inſumere ſuperuacaneum uidetur. Sufficiat ergo ſumma tantum eorum quæ oppugnantur hic capita delineare. Cætera quæ deſunt, qui ſtudioſior eſſe uelit, ex ſecunda oratione petat.

QVAE res aperte petebatur, ea nunc occulte cuniculis.] Ptolemæus Aegypti rex, Romanorū ſocius, regno pulſus, Romam, ut horum auxilio reſtitueretur, peruenit. Libri uero Sybillini Regem per exercitum reſtitui prohibebant: non deerant tamen quamplurimi, qui de eius reſtitutione contenderent, ut uidere licet apud Ciceronem Epiſt. fam lib. 1. Erant enim qui regnū hoc ſibi in priuatum cōmodum uendicare uolebant. Tandem per Gabiniū reſtitutus eſt. Ptolemæus uero mortuus, pop. Rom. hæredem ſcripſit. Hoc regnum itaq; Decemuiri, contra quos Cicero hic agit, in ſuā priuatā poteſtatem redigere conabantur inſidijs quibuſdā clanculariis, quas Cicero metaphorice cuniculos uocat. Sunt. n. cuniculi, ſubterraneæ foſſæ, per quas mœnia ſuffodi ſolent. Siccorum.] Id eſt, ſobriorū et prudentiū. Videte nunc proximo capite.] Singula Seruilianæ legis capita ordine confutat Cicero: quod in ſecunda oratione, quæ integra eſt, clarius apparet. Vt impurus helluo.] In odiū rapit, et contemptum. populi Ro. patrimoniū uocat, hæc ampliſſima uectigalia, utpote à maioribus relicta, & poſteris tradita. Proſcribit.] Id eſt, per ſcriptū publice uenalia proponit. Multū autem hoc energiæ habet, quod primū aduerſariorū legis uerba ponit Cicero, ſuā interpretationē ſubiungens. Interpretatur. n. quid ſit uectigalia proſcribere, ſcilicet auctionem inſtituere publicorū bonorum. Hoc autē maxime inuiſum erat. quare et hac ſua legis deſcriptione legem inuiſam facit. Proſcribit auctionem.] Id eſt, uendere conatur. Auctio enim fit in iis quæ publice uendūtur, per augmentū pretij. Agros. n. uult.] Decemuiri prætexebant ſe agros diuidere uelle. Sed interim magna ui pecuniæ coactā, ad dominationem aſpirabant. Expecto quid Trib. pleb.] Ironia, quæ Seruilium Rullum uilem & contemptum reddit. Tu pop. Rom. &c.] Argumentū hoc ab utilitate tale eſt: Subſidia belli & ornamenta pacis non ſunt eripienda. Sylua Scantia, & uectigalia, ſubſidia belli paciſq; ornamenta ſunt: ergo non ſunt eripienda. Hæc autem quo plus energiæ haberent, per interrogationē efferūtur. Tum uero hoc me inertiorem.] Colligit abſurdū à maiori ad minus: quibus & ſibi & Reip. hoc inhoneſtum, ſi concedat, fore confirmat. Vendit Italiæ poſſeſſiones.] Recenſet per enumerationem eas Romani imperij partes, quarū uenditionem Trib. pleb. adornabat. Addit poſtea his ipſis regionibus eorū imperatorum nomina, quorū auſpicijs hæ in Romani pop. ditionem uenerant: ut fortiſſimorū uirorū memoria incitati, clariſſima ipſorū fortitudinis monumenta nō publice Decemuiris dilapidāda darent. Qui L. Mummij imperio ac felicitate, &c.] Ab hoc poſtea apud Romanos æs Corinthiacum, æs Mummiū dictum eſt. His inſignibus atque infulis.] Id eſt, ornamentis, & regijs inſignibus. Nam Decemuiris quibus in locis ipſis uideatur.] Quod hæc lex iniqua ſit, cenſorū more à Romanis inſtituto probat, à maiori ad minus. Atq; hoc etiam nequiſſimi homines.] Cauſam hic efficientem, id eſt auctores legis, in contēptū et odiū rapit. In legiſlatore enim & prudentia & uitæ probitas requiritur. Iam illa omnibus.] Miſerū & horrendum euentum ob oculos ponit, ſi lex agraria recipiatur. Nunc quis nam, & cætera.] Egregia metaphora, à canib. indagatoribus ſumpta, legiſlatorum notat auaritiam. Minuetur huius, &c.] Hactenus iniquas acquirendæ pecuniæ rationes confutauit. nūc huius pecuniæ uſum etiā inutilem eſſe oſtendit, maximeq; ipſorum auaritia excogitatum. Siquidem agrorū emptionē dilemmate iniquā declarat. Si enim, inquit, ab inuito emas, iniurioſum: ſin ab non inuito, quæſtuoſum. Nunc proſpicite, &c.] Oſtendit nunc, quantū mali ex illa agrorū mercatura conſecuturū ſit. Deducentur inquit Coloniæ, etc.] Aliud nūc caput tractat, quo Colonias deducere inſtituerant tribuni: ſed hoc eleganter per circūſtantias loci & perſonarum diſcutit, et oſtendit hæc Reip. Romanæ et libertati periculoſiſſima fore. Capuā deduci.] Inſtituerant Decemuiri, Capuam Italiæ fertiliſſimam urbem cum uicinis occupare oppidis. hoc nunc quā pernicioſum futurum ſit indicat. Maxime autē circumſtantijs à loco deſumptis utitur, uidelicet Capuam deſcribendo. Et credo qua in urbe, &c.] Argumentum à maiori ad minus: quo oſtendit, ſummā illius urbis inſolentiā Romanos non eſſe laturos. Maiores noſtri, &c.] Maiorū exemplo ſua nunc probat. Non queror, &c.] Per occupationem autē expoſita damna repetit, quaſi præteriens, quo periculum illud Coloniarū magis amplificet. Erraſtis Rulle, etc.] Ἀποστροφὴ uehemens ad Rullum eiuſq; conſortes, qua commonſtrat non ipſos, ſed ſe popularem eſſe: idq; maxime ab ipſa popularium rerū definitione facit. Nihil, inquit, tam populare, quàm pacem, quàm concordiam reperimus, &c. Præſertim cum mihi, &c.] Vehementiſſimum hoc ad beneuolentiæ conciliationem eſt. quare eo in fine maxime utitur, ut Senatus animi ſui pietate cognita facilius perſuadeatur. Quamobrem, &c.] Epilogus iā ſequitur, qui etiam hortationem ad reliquos tribunos continet, ut à pernicioſo tribuno diſcedant. hortatur autem à patriæ periculo, et pietate, quæ patriæ debetur. Deinde iis qui ſpe uana ducti, non deſiſtunt ab hac lege ferenda, terrorem incutit.

# IN ORATIONEM SECVNDAM DE LEGE AGRARIA EVBVLI DYNATERI SCHOLIA.

## ARGVMENTVM.

*VO genera hominum (ut Cicero in oratione pro Seſtio inquit) in Romana ciuitate fuerunt, eorum qui uerſari in Repub. atque in ea ſe excellentius gerere ſtuduerunt, quibus ex generibus alteri populares, alteri optimates & haberi & eſſe uoluerunt Qui ea quæ faciebãt, quæq; dicebant, multitudini eſſe iucũda uo-*
D *lebant, populares: qui autem ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuiq; probarent, optimates habebantur. Fuerunt inter hos contentiones ferè perpetuæ Populares enim dum nimis populariter plebis fauorẽ ambirent, ſæpe iniqua, ſæpe pernicioſa Reip. Populo tamen iucunda conſulebant. His cum optimates reſiſterent, horrẽdi tumultus nõ ſemel extitere. In primis uero populares omnes in hoc intẽtos fuiſſe legimus, ut Agrariam legem ferre ac ſtabilire poſſent. quæ cum plebi iucunda et grata eſſet, nec ſine quæſtu proponeretur: patribus contra pernicioſa & moleſta, nunquam ſine tumultu ferri potuit. Primus etenim huius legislator (ut Liuius lib. 2. Decad. 1. ſcribit) fuit Sp. Caſſius, anno ab urbe condita ducenteſimo ſexageſimooctauo: qui uel populari fauori intentus, uel tyrannidem (ut nonnullorum ſuſpicio erat) affectans, partes agri duas Hernicis ademptas, Latinis plebiq; diuiſurus erat. Reſiſtebat largitioni huic unà cum patribus collega alter, Proculus Virginius. Populus etiam tunc cautior prudentiorq; quàm antea factus, & largitionis huius cauſam facile olfaciens, eam tanquam ſordidam contempſit. Imo conſulatus tempore peracto, regni affectationis condemnatus interijt, uel (auctore Valerio Max.) à patre uerberibus necatus eſt. Non terruit autem horrenda Conſulis mors Sp. Licinium Trib. pleb. qui cum populum huius legis dulcedine captum exiſtimaret, legis promulgationem ſuſcepit. Verumetiam in hunc Patrum, cæterorumq; collegarum, & uniuerſi populi inuidia coorta eſt. Poſtea à Licinio Stolone lex lata eſt, ne quis amplius quàm quingenta agri iugera poſſideret. Verum cum ipſe fallaci legis diſpenſatione uſus, unà cum filio mille iugera occupauiſſet, propria lege decem millibus æris damnatus eſt. Fuere poſt hunc multi, qui huius legis promulgationem ſuſceperunt: ſed omnium conatus in nihilum diſſipati ſunt. Donec ex nobili Corneliorum natus familia T. Gracchus, ſummo cum conatu Agrariam, & C. Gracchus Frumentariam legem ferre ſtatuit. Quod cum populo gratum eſſet, & tenuiorum fortunæ conſtitui hoc uiderentur: optimates contrà diſcordiæ ſemina fore animaduertentes huic reſiſterent, magno ciuitatis tumultu, multorum & ipſius auctoris cæde impeditum eſt Poſtremò etiã hic P. Seruilius Rullus Trib. pleb. pernicioſiſſimus, auaritiæ ſtimulis & imperij cupiditate inſtinctus, legis Agrariæ prætextu, totam Italiam cum ſuis, quos ob id elegerat, Decemuiris, aliaſq; Romano Imperio ſubditas nationes partim uendere, partim colonijs deductis occupare conabatur. Quo autem uenditionem ſuam pernicioſam aliquo honeſtatis titulo ornaret, pecunia illa ſic conflata, agros ſe empturum quos plebi diuideret pollicebatur. Cuius quidem meminit & Plutarchus in Ciceronis uita: quò lectorem, ut breuiores ipſi ſimus, libenter dimittimus. Hæc autem Rulli conſilia fraudeſq; Cicero, qui tum conſulem agebat, deprehendens, tres contra hunc orationes uehementiſſimas habuit, duas ſcilicet ad populum, in Senatu uero primam, quæ hodie mutila & principio carens extat. Diſputat in his multa de populi Romani dignitate & utilitate: quæ duæ Reip. partes huius Legis promulgatione quã maxime imminuebantur, quæ omnia in ipſius ſecundæ orationis lectione manifeſte apparebunt. Hæc itaque præfati, ipſam aggrediamur, ſi prius ſtatum orationis paucis expoſuerimus. Generalis huius legis propoſitio & ſcopus, quò omnia tendunt, eſt: Lex P. Seruilij Rulli, quam Agrariam uocat, promulganda non eſt. Hanc ſententiam Cicero iure defendit, contenditq; ne populus legem hanc tanquam utilem ſuſcipiat. Quare orationis ſtatus iuridicialis uidetur. iure etenim agit. Cum uero inter omnes homines, in primis uero apud populum ſic comparatum ſit, ut utilitatis magis quã honeſtatis ac iuſtitiæ rationibus ducantur, multa in hanc orationem ex deliberatiuo genere transſumpſit Cicero, oſtendens quàm periculoſum futurum ſit, ſi populus Tribuni aſtutijs ſeſe decipi ſinat. Reliqua quæ hic notanda uidentur, ut quæque obuiam uenerint, pro uirili exponemus.*

*EST hoc in more poſitum Quirites.* ] Duo ſunt principiorum genera, quæ in orationibus ſequi ſolemus, Exordium ſcilicet & Inſinuatio, quæ à Græcis ἔφοδος nominatur. Illud palàm, quid'nam dicendum ſit proponit, certis apertiſq; rationibus beneuolentiam, attentionem & docilitatem parat. hæc uero circumductione quadam iucũdiore in hominum animos ſeſe inſinuans, poſtquàm attentos ſibi beneuoloſq; auditores uidet, oblique ad id quod agitur deſcendit. Hac autem tũ maxime uti ſolemus, cum aut cauſam turpem, aut auditorẽ iam ante perſuaſum defeſſumq; habemus. Cum autem hac in cauſa Cicero populum à lege Seruilij non abhorrere animaduerteret (erat enim huiuſmodi lex, ut idem pro Seſtio dicit, iucunda plebi. uictus enim large ſine labore ſuppeditari uidebatur) ne ſe dicentem ſpernerent, iucunda quadam inſinuatione utitur, cuius principalia capita hæc ſunt. Beneuolentiam à ſua & auditorũ perſona ſibi conciliat Cicero, cum ſe populo propter honores cõceſſos gratum exhibet, populiq; beneficium maxime extollit. Vehementer enim delectatur uulgus, cũ ſua beneficia ab eo in quẽ collata ſunt prædicari uidet. Beneficiorum enim commendatio animi gratitudinem ſignificat. Deinde ſuum in Remp. ſtudium exponens, beneuolos in primis auditores reddit. eos enim magna cum delectatione audimus, quos nobis bene uelle cõpertum eſt.

*Eſt hoc in more, &c.* ] Primum à publico ritu eorum orditur orationem, qui pop. Rom. beneficij ornati, familiæ ſuæ ſtemmata inſigniaq; adepti ſunt. Facit autem & hoc ad beneuolentiam, ut ſcilicet populus publici illi gratias agendi moris recordatus, Ciceronem, cuius hoc etiam officium erat, dicentẽ audiret. *De meis maioribus, &c.* ] De Ciceronis maioribus nihil certi extat, niſi quod ſunt (ut Plutarchus inquit) qui genus eius ad Tullium illum Appium Volſcorum regem referant, & matrem eius locupletem fuiſſe conſtat. Patrem uero, quis'nam fuerit, nemo de ſcribit. Certum eſt autem & hoc ipſo Ciceronis teſtimonio, & aliorum auctorum ſcriptis, quod nullos unquam in Rep. honores aſſecutus eſt. Vnde & ipſe Cicero homo nouus (ſic enim nominabantur, qui nulla maiorum uirtute in Repub. claruiſſent) appellatus eſt à nonnullis conuitij loco, quod & Catilina ei obiecit, et urbis hoſpitalitatem uituperauit, quod hominem ignobilẽ nouumq; ſibi in Cõſulatus petitione prætuliſſet. uide de his Appianum libro ſecundo Bellorũ ciuilium. *De me autem ipſo uereor, ne, &c.* ] Diuiſio hæc eſt, quam deinde per Expolitionem magis exponit. His autem quaſi Occupatione utitur, ne quid illi obijci poſſit, cum poſtea de ſuis honoribus liberius loqueretur.

*Quare adhibebitur à me, &c.* ] Diſtributio eſt, qua proponit quid'nã in hoc Exordio dicturus ſit. *Me perlongo, &c.* ] Incipit populi commemorare beneficia, quæ eſt prima Diſtributionis

tionis pars. Et eum locum quem nobilitas, &c.] Quantũ ſemper nobiles Romæ ſudauerint, ut populum à Conſulatu arcerent, plurimis deſcribit Liuius in Decade prima. Volebant enim patres penes ſe, non populum, ſummam Imperij conſiſtere. Deinde Cicero comparatione quadam, & temporis circunſtantijs, pop. Romani beneficium magis exaggerat. Neque ſingulæ uoces præconum.] Nam præcones ſuffragia petebant. Vnde etiam nonnulla comitia ἀπὸ τοῦ καλεῖν, uel calando, quod idem eſt, Calata uocantur. Hoc ego tam inſigne, &c.] Sequitur nunc ſecunda Diſtributionis pars, qua ſuum in Remp. ſtudium exponit. In primis uero hoc efficere conatur, ut uere popularis habeatur, idq; ſuum officium eſſe oſtendit à loco, quem Dialectici pronunciatum, Rhetores iudicium & auctoritatem uocant: quia una populi uoce Conſul creatus, multiſq; nobilibus antepoſitus ſit. Sed mihi ad huiuſce uerbi uim, etc.] Poſtquam auditorum animos deliniuit aliquãtum, nunc commoda a ſuperioribus occaſione ſumpta, rem ipſam aggreditur. Cum enim ſe popularem fore promiſiſſet, oſtendit iã qui'nam ij ſint, qui ipſum, quo minus popularis eſſe poſſit, impediant. Hæc autem attentionem parant, cum ſe ipſorum ſapientia opus habere dicit, quæ unica ſententia rei magnitudinem declarat. Tum etiam aduerſarios in odium rapit, cum eos populari Conſuli reſiſtere oſtendit. Maxime autem inuidioſum hoc eſt, quod populi ſaluti inhiantes, populares tamen dici uolunt. Ego qualem Calend. Ian.] Rurſum à ſua perſona beneuolentiam parat, cum oſtendit ſe in periculoſiſſimo ſtatu Reip. magnum illud & periculoſum Conſulatus onus ſuſcepiſſe. Aequũ ergo, ut eius uerba non contemnant, quem patriæ ruinis obſiſtere poſſe arbitrati ſunt. Quã uero anceps Reip. ſtatus iſtis temporibus fuerit, præter Appianum manifeſte docet Plutarchus, qui hac ſolũ de cauſa Ciceronem Conſulem creatum eſſe demonſtrat. Cum enim Syllana illa monarchia rerum innouationem attuliſſet, & multi adhuc eſſent qui bellis aſſueti, & luxui dediti, bona ſua dilapidaſſent, totam Remp. priuatis ducti affectibus ſubuertere conabantur. His dux erat Catilina, qui etiam Ciceroni candidato inſidias ſtruxerat. Cum itaque in tanto rerum diſcrimine, nec copiæ ullæ ad uim coercendam praſto eſſent (nam Pompeius tum apud Pontum & Armenios exercitum ductabat) ad Ciceronis prudentiam populus confugiẽs, ipſum Conſulem creauit.

Boni metuerent, improbi expectarent.] Metus enim opinio futuri mali, ſpes expectatioq; opinio eſt futuri iucũda boni. Hæc autem Reip. ſubuerſio inſtituta, improbis illis iucundiſſima erat: quia omnium bonorum opibus ſeſe potituros arbitrabantur, nihilq; non ſibi ex illa coniuratione promittebant. Lege Salluſtiũ de coniuratione Catilinæ. Quid enim, &c.] Per definitionem ipſius popularis, atque adeo per eius partium enumerationem, propius ad Tribunorum conſilium accedit: ut eos non modo non populares, ſed Reip. inſidiatores eſſe declaret. Argumenti forma eſt: Populares ſunt, qui pacem, otium & libertatem tuentur: Rullus cum ſuis hæc non tuetur: Ergo populares non ſunt. Quàm pax.] Erat enim hiſce temporibus, ciuilibus Marij et Syllæ armis ita attritus populus, ut nihil tam perinde quàm pacem ſecuritatemq; ſpectarent. His autem omnibus quæ hic proponit, paci ſcilicet, libertati et otio, cauſas ſubijcit, ob quas hæc tãtopere expetuntur, quæ plurimum ad impellẽdos animos auditorum ualent. Videmus enim Dei conſilio ſic inſtituta quæuis eſſe etiam inanimata, ut per pacem concordiamq; augmenta capiunt, diſcordia uero pereant. Quod in mundi illa machina mirabili manifeſte apparet, cum tot tamq; diuerſæ naturæ elementa, iucundiſſima quadam concordia in unum opus concluſa eſſe uidemus. Gaudent & pace agri: nam pacis tempore arare plantareq; licet, cum belli turbis omnia pacis opera diſturbentur. Libertatis uero aureæ quàm cupida ſint omnia, palàm in feris uidere licet: quibus nihil moleſtius captiuitate & ſeruitute contingere poteſt. unde non immerito dictum uidetur. O felix nimium, generoſo pectore digna, Libertas, cunctis anteferenda bonis. Horum autem omnium condimentum ſuauiſſimũ eſt otium, cuius & hic meminit Cicero, quo hic non quòd laborum uacatione ſumitur, ſed ſecuritatem et liberum eorum quæ poſſidemus uſum ſignificat. Quare qui, &c.] Concludit nũc ea, quæ hactenus de popularitate dicta ſunt. Neque enim Quirites, &c.] Iam ipſum ulcus tangit Cicero, reiq; propoſitæ ſummam attingit. Sunt uero hæc quaſi Narrationis loco, per Occupationem uel προκατάληψιν (ut Rufinianus uocat) appoſita. Obijci etenim poterat Popularem te futurum conſulem ſedulo promittis, ijs tamen interim reſiſtis, qui legis Agrariæ promulgationem, qua nihil popularius eſt, ſuſceperunt. Hæc præuenit Cicero, ut eadem qua ſupra uſus eſt inſinuatione, animos eorum præoccupet: hanc illis opinionem excutiens, ne Reip. perturbatores popularĩũ loco habeant. Hoc autem facit, ut poſtea narrationem clariorem, quæ ſequitur, & omnibus circunſtantijs ſuſpectã eſt, æquiore animo audirent. Niſi exhauſto, &c.] Nã ut ſupra ex Plutarcho indicatum eſt, ius in ærarium ſibi uendicabant Decemuiri. Quæ uerbis oſtentari, &c.] Eſt hic figura, quam auctor ad Herennium conuerſionem, Rutilius uero ἐπιφορὰν uocat: quæ fit, cum ad idem uerbum reuertimur. ut hoc loco, utraque membra in fine uerbum Poteſt aſſumunt. Neque uero, &c.] Partium enumeratione omnia nunc illis proponit Cicero, quæ Tribuni per Decemuiros moliebantur. At non ipſa Tribunorum uerba & promiſſiones, ſed quid ex his euenturum ſit indicat: quæ cum atrociſſima eſſent, à populo facile aſpernabantur. Nam uere dicam Quirites.] Prudentiſſime Cicero nullam beneuolentiæ captandæ rationem prætermittit, ut populum ab hac cauſa, quæ maxime popularis uidebatur, amoueat. Cum enim modo agrorum mentionem feciſſet, ne huic beneficio, quod in populum conferri uidebatur, reſiſtere putaretur, mox expoſitionem ſubiungit, qua animum ſuum erga Legem agrariã teſtatur. Oportet enim, ut qui cum populo agere inſtituit, ſumma prudentia utatur. furit enim ignobile uulgus, ac fluctuum more inſurgit: nec alia ratione facilius quàm concedendo ſedari poteſt, & amicis hortationibus. Venit enim mihi.] Ratio eſt, cur Agrariam legem non uituperet. idq; oſtendit à cauſa efficiente, uel (ut Rhetores uocant) ab auctoris commendatione. Gracchos enim, qui ex nobili familia oriundi erant, Reip. amantiſſimos fuiſſe, omnibus perſuaſum erat. hoc ergo populo concedit, ne commodis eius obſtinatius reſiſtere uideretur. Eſt autem hic ſchema ὁμοιοτέλευτον, quod auctor ad Herennium ſimiliter deſinens uocat. omnia enim terminantur in Os ſyllabam. Tiberium & C. Gracch.] Quæ'nam huius legis ſumma & origo fuerit, tumultus etiam ob hanc cõcitatos, & Gracchi cædem, multis deſcribit Appianus lib. 1. de Bel. ciuilibus. Itaque ut initio, &c.] Incipit nunc Narrationem, quæ ad refellendos aduerſariorũ conatus plurimum ualet. oſtendit enim, quo modo Cõſul popularis ab ijs excluſus ſit, qui tamẽ popularem legem ferre uideri uolebant. Diligenter autem hic circunſtantiæ locis, temporis, & eorũ conditiones inſpiciendæ ſunt, qui hiſce conſilijs interfuerunt. Syllogiſmus totus eſt: Qui conſulem popularem excludunt, populares nõ ſunt: Decemuiri me popularem conſulem excluſerunt: ergo Decẽuiri populares non ſunt. Etenim arbitrabar.] Cauſa cur ſeſe in tribunorum commercium inſinuare conatus ſit, qua curioſitatis ſuſpicione Ciceronem liberat. Eſt autem hic νόημα, ut uocant, pulcherrimũ: quo diſcimus, quantam inter Reip. adminiſtratores concordiam eſſe conueniat. niſi enim hi cõſenſerint, qui imperij habenas tenent, hinc inde in ſummum exitium diſtrahitur Reſpub. Quo & illud Homeri referri poteſt, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. quo non tam Monarchiam iuuit poeta, quàm unanimem eorum qui præſunt concordiam. Didicerunt autem plu-

rimis exemplis Romani & horrendis bellorum ciuilium prælijs, quantum exitij optimatium diſcordia pariat. Cum familiariter.] Pulchra contrariorum oppoſitione ſibi beneuolum, aduerſarijs inuiſum auditorem facit. Opponuntur enim, familiariter ſe inſinuare, & excludi ac celari. Suſpectos autem & hoc Tribunos facit, quod Conſulem, eumq́; popularem, imo & eum qui ſe legis (ſi modo populo utilis eſſet) auctorem fore promittebat, excluſiſſent. Liberalitatem.] Id eſt, promptam officij mei oblationem. Interea non deſiſtebant.] Pergit in narratione, qua Tribunorum fraudes detegit: & omnibus adhibitis circunſtantijs, eos in ſuſpicionem trahit. Non enim ſuſpicione fraudis caret, Conſulem, penes quem ſumma rerum eſt, excludere. Hanc nunc auget temporis circumſtantia: quia nox ſeditioſis idonea eſt. Auget hanc etiam loci circumſtantia: quod in ſolitudine conuenerunt, ne ſcilicet quis eſſet qui conſilia hæc audiens eliminaret. Iam deſignatus alio uultu.] Pulcherrima effictione, uel προσωποποιΐᾳ Rulli perſonam deſcribit, ut eum populo contemptibilem reddat. Vt oculis & aſpectu.] Energiam hoc habet, cum interpretatur, quid'nam ſuo illo inſolito habitu Rullus uoluerit. Odium uero concitat, quod non tribunitiam poteſtatem, ſed uim uocat: quæ rariſſime in bonam partem ſumitur. Eodem refertur, quod ipſum Reipub. minitari dicit. Huc quoque pertinet, quod poſtea non ſine contemptu legem hominis, non Tribuni dicit. maxime enim hoc curandum, cum in contemptum hominis rapere uolumus, ut eorum honorum titulos, quibus præditi ſunt, reticeamus.

Omni hoc uobis ratione, &c.] Rurſus beneuolentiam à ſua perſona captat Cicero, ne Agrariæ legis mentio, quæ populo pero iucunda erat, animum auditorum à Cicerone alienaret.

Non enim natura, &c.] Occupatione ſuſpicionem eam diluit, qua Conſules Tribunis tanquam inimici ſuſpecti erant. Videbat enim populus Romanus iam multis annis, imo ab ipſo Romani imperij initio, Tribunis pleb. nunquam cum Conſulibus conueniſſe, quemadmodum multis libris deſcribit Liuius: qui non raro etiam ad uerbera ac cædes in foro peruentũ fuiſſe oſtendit, quorum tumultuum primaria cauſa Tribuni erant. Maximum enim horum duorum ordinum certamen fuit, quod utrique maxime populares uideri uolebant, interim tamẽ populum maximis tumultibus & periculis uexabant. Hanc itaque ſuſpicionem Cicero per criminis remotionem à re, ſcilicet Conſulatu, in homines ſingulares remouet, oſtendens non Conſulatum Tribunatumq́;, ſed nonnullorum ſeditioſorum conſilia cauſas eſſe. Conſulatum uero & Tribunatum per μετωνυμίαν pro Conſulibus & Tribunis ponit. Quem Conſ.] Idem hic dicit quod ſupra in oratione prima, ubi ſe Conſulem ueritate, nõ oſtẽtatione popularem uocat. Atque ego à primo, &c.] Paucis nunc proponit ea quæ in tribunitia illa lege continebantur, quã enumerationem maximis ſuſpicionibus aſpergit, quibus et leges & auctores eius inuiſos reddat. Nihil aliud.] Figura hic eſt, quam auctor ad Herennium Repetitionem, Græci uero ἐπαναφορὰν uocãt: quæ fit, cum idem uerbum per ſingula membra uel κόμματα repetitur, qua oratores & ipſi commoti eſſe uideri, et auditorem commouere uolunt. Niſi uti decem reges.] Romano populo nihil perinde inuiſum fuiſſe atque Regis nomen, Liuius teſtatur libro ab urbe condita 2. Tantum enim in regium nomen odium conceptum fuit, ut etiam L. Collatinus, qui reges expulerat, Conſulatu ſe abdicare, urbemq́; relinquere cogeretur, cum ex regis familia natus eſſet. Hæc non ignorans Cicero, maxime inuiſo uocabulo Tribunos Decemuirosq́; appellat, ut & hi ſicut reges urbe pellerentur. Sic confirmo Quirites, &c.] Hic locus cum admodum uehemens eſſet, latius tractatur à Cicerone, eundemq́; per Expolitionem & ἔμφασιν clarius interpretatur. Quem maiores præſidem.] Nota eſt hiſtoria, quæ apud Liuium lib. 2. extat, Cum enim populus creditorum potentia preſſus, Senatus auxilium nequicquã imploraret, tandem ſeceſſione in Sacrum montem facta, Menenij eloquentia reductus eſt: ea tamen conditione, ut populus ex ſe magiſtratus crearet, Tribunos ſcilicet, quorum maieſtatem uiolare nephas eſſet, quiq́; Conſulum potentiæ reſiſterent. Inuiſum itaque hoc legis auctorem facit, cum eum quaſi perfidiæ in plebem coarguit, cum illum regnum conſtituere indicat, cui hic honor ne Rex regnaret à populo conceſſus erat. Quæ cum expoſuero.] Antequam ipſa legis capita aggrediatur, alia beneuolentiæ captandæ ratione utitur, cum ſe ſua ſententia propter publicum commodum libenter ceſſurum promittit. facit & hoc populum promptum, ne ſua ſententia cedere dignetur, cum Conſulem tam facilem uideat. Continetur autẽ & hic argumentum ab honeſto ductum, cum maiorũ mentione ipſos ut hæc tueantur hortatur. Primum caput eſt legis Agrariæ.] Incipit nunc Cicero ſingula Rullianæ legis capita recenſere, & refellere. Primum erat, quo populum Romanum ſuffragijs fraudare uolebant. Cum enim Romæ (ut Appianus lib. 1. ſcribit) tribus eſſent triginta quinque, non harum omnium, ſed decem ſaltem et ſeptem tribuum ſuffragijs decemuiros creari uolebãt. Vnde Cicero hoc non tutum eſſe oſtendit, quod primum in deliberatione quæritur. Quis enim non monſtri aliquid hic ali putaret, ſi ea, quæ ipſi popularia uocabant, populi ſuffragijs confirmari nollent? Hic uero quam ob.] Cauſam oſtendit, cur hoc à Tribunis inſtitutum ſit. Subiectione autem hic utitur, cum ipſe quærit, & idem poſtea reſpondet. Deinde argumento ualido à pronunciatis, uel auctoritate & iudicio, antehac nunquam populi Romani ſuffragia imminuta eſſe oſtendit. Etenim cum omnes.] Argumentum à minori ad maius: Si, inquit, alij omnes honores communi populi conſenſu conferuntur an nõ hæc maxime populi ſuffragijs uniuerſis approbãda ſunt, quæ propter populi commodum ſuſcepta uidentur? Hoc Tribuno pleb. &c.] Breuis concluſio eorum quæ in primo legis capite continentur. Vt comitijs Pontificis Max.] Verba legis hæc ſunt, & exemplum, quo ſuam illam decemuirorum electionem ſtabilire uolebant. Hoc Cicero confutat, cum hic nullã ſimilitudinem, ſed diſſimilitudinem eſſe oſtendit. Nam, ut Pomponius Lætus inquit, defuncto Pontifice alius eligebatur, non à populo, ſed à Pontificibus. Diſſimilitudinem autem in his ex cauſis colligit Cicero. nam in Pontificis creatione propter ſacrorum myſteria, populi ſuffragia non petebantur: hic autem, ut in alijs creandis magiſtratibus, populi conſenſu opus eſt. Deinde hæc etiam exemplo Cn. Domitij confutat, qui cum integritate plurimum claruiſſet (ut Cicero pro Deiotaro oſtendit) & popularis maxime fuiſſet, eius auctoritas non parui momẽti apud populum fuit. Accommodat autem hæc argumenta omnia ad Comparationem maioris ad minus: quibus etiam Rullum inuiſum reddit, cum pulcherrima Antitheſi deſcribit, Cn. Domitium etiam maxima populo conceſſiſſe, hunc uero minima quoque eripere. Cum ſe nobilem.] Contemptibilem hoc reddit Rullum, quod ignobilis nobilitatem affectauit. Quoad poſſet.] Repetitio, uel ἐπαναφορά. Beneficium.] Scilicet Tribunatus, aut alterius magiſtratus honorem. Id totum eripere.] Vtitur hic uerbis uehementiſſimis, quæ uim, non rationem quandam beneuolentiæ notant. Quadam ratione.] Scilicet ſimulatæ legis Agrariæ. Quæret quiſpiam.] Subiectione cauſam huius legis ſubiungit, & eius iniquitatem arguit. Vehementiam autem hic habet Conuerſio illa, uel ἐπανάληψις, qua uerbum Defuit repetitur. Iubet enim comitia decemuiris.] Horum comitiorum iniquitatem planius deſcribit. Homo non cupidus.] Ironia uel σαρκασμός. Sortietur tribus idem Rullus. Aliud ponit inconueniens, cum etiam harum ſeptemdecim tribuum delectum inſidioſum eſſe oſtendit. Deinde quod hoc beneficium non populi, ſed nouem

tantummodo tribnū futurū ſignificat. Quos tandē igitur.] Tertium, quod hinc abſurdum & iniquū ſequitur, ponit: cum ſeipſum etiam decemuirum creare conatur. Hoc quā iniquū ſit, à pronunciatis probat, uel legibus. Quemadmodum autem in teſtimoniorum citatione teſtium commendatione opus eſt, ſic & hic leges ſuas commendat Cicero, cum ab ipſis Tribunis, quorum ſacroſancta poteſtas erat, has latas eſſe oſtendit. Honeſti quoque ratio ineſt, cum horum legum obſeruationem maioribus gratiſſimam fuiſſe ait. Argumentum uero eſt à minori ad maius. De lege Licinia uide Gelliū libro 2 cap. 24. & libro 20. cap. 1. De Ebutia, libro 16 cap 10. Etenim ſi populo conſulis.] Complexio quædam ſuperiorum, per ἀποστροφὴν ad P. Rullum, qua oſtendit, hanc legem ſalua libertate & honeſtate recipi nō poſſe. Quis legem tulit? Rullus, &c.] Locum hic nactus eſt plauſibilem Cicero, cui diutius immoratur, & uarijs uerborū commutationibus tractat. Eleganti uero & uehementiſſimo hic ſchemate utitur, complexione ſcilicet, quod Rutilius κοινότητα, Aquila uero Romanus idem hoc citans exemplum συμπλοκὴν uocat. Eius natura eſt, ut & ἐπαναφορὰν & ἐπανάληψιν, quas ſupra poſuimus, complectatur. Vides enim hic ſingula membra uno à uerbo incipere, & uno eodemq; uerbo finiri. Intendit hæc orationem, & uehemētiſſimam reddit, cum per interrogationē, ut hoc loco, enunciatur. Vix me hercle.] Breuis & uehemens huius complexionis concluſio, per argumentum à minori ad maius. Deinde enumeratione ſingulorum incommodorum, quæ hac lege continebantur, populum incendit. At uidete hominis diligentiam.] Breui attentione facta, conſilium Tribunorum exponit, & cauſam, propter quam ſuffragijs populū priuare uoluerunt: Te ſcilicet Cn. Pompeius hac re cognita, ipſis reſiſteret. Hoc etenim tempore Pompeius in Romana Repub. primas tenebat, & ſummum populi fauorem ſibi conciliauerat. Quare & hic Cicero cauſam hanc Pompeianæ dignitati aduerſam eſſe oſtendit. Notandum autem hoc in Cicerone eſt, quod ſemper ſolet cauſam eius quem defendit cum cauſa aut ſua aut alterius incliti ciuis communicare: & cauſam eius quem oppugnat, contra ſe, aut alios claros uiros inſtitutam oſtendere. Exemplum huius uide in oratione pro Milone, pro Seſtio, & alijs. Solet enim hoc plurimum fauoris aut odij apud populum iudiciq; conciliare. Erat autem Pompeius is, quem populi propugnatorem omnes appellabant, cuiq; omnia bella externa commiſſa erant. Facile itaque per collationem hoc animaduertebant Tribuni, eius quoq; conſilium à populo expetendum fore, cui ipſi tanquam ſummo rerum habenas commiſiſſent. Hic quoniam uideo uos.] Populum hiſce commotum fuiſſe animaduertens Cicero, occaſione tam commodata, iam ipſum aduerſarij iugulū petit, repetitione ſuperiorum. nihil enim (ut ſupra dictum eſt) Romanis tam inuiſum erat, quàm regis uocabulum. Hominis.] Scilicet Pompei. Legem incognitam.] Quia hæc lex aliud uerbis, aliud re ipſa ſignificabat. Et hoc paruum.] Aliud argumentum à cauſa efficiente, quo oſtendit populi libertatem oppugnari, quia is oppugnetur, qui libertatis publicæ patronus eſt. Argumentatio tota ſic eſt: Omnes qui libertatis patronum oppugnant, libertatem oppugnant: Rullus libertatis patronum oppugnat: Ergo Rullus libertatem oppugnat. Hoc autem Cicero plurimis tractat: maiorem, quia nota erat, omittit, minorem uero elegantiſſime uariat, probatq; Pompeium patronum libertatis eſſe, & oppugnari hac lege. Concluſionem uero infert per interrogationem. Primum lege curiata.] Oſtendit quantum ſibi poteſtatis uendicent decemuiri. Primum iniuſtum & abſurdum eſſe, ut is magiſtratus curiata lege nuncietur, qui à populo conſtitutus nō ſit. Deinde ipſius Seruilij imprudentem & inconſultam legis ferendæ rationem declarat, cum eum ſibi contraria dicere ait. Quod in aduerſarij argumentis quàm maxime obſeruandum eſt. Si enim ipſum ſibimet aduerſari oſtenderimus, non parum hoc ad uictoriam momenti afferet. Mendacij enim imprudentiæ aut ſtultitiæ is coarguetur, quo cum diſputamus. Sic etiam Cicero in Tuſculanis quæſt. lib. 2 eum ſibi cōtraria dicere monſtrat, qui ſic argumentabatur. Mortui ſunt miſeri, quia nō ſunt. Hoc etenim argumento eos ex eorum natura, & eorum tollebat ſubſtantiam, quos in propoſitione & eſſe & miſeros eſſe oſtēderat. Facit hoc aduerſariū contemptum, eumq; deridendum dat auditoribus. Sic hoc loco Rullus lege ſua eos decemuiratum habere iubet, quos plebs deſignauerit, cum ſuperius populi uniuerſi ſuffragijs hos deſignari nollet. Mendacem ergo & tergiuerſatorem memorem eſſe oportet. Hinc poſtea abſurdum ingerit Cicero, inconueniens eſſe, ut tam incautus & imprudens legislator totum orbem terrarum adminiſtret. Legis autem curiatæ meminit Appianus lib 3. de Bellis ciuilibus cū lege curiata nihil aliud quàm quod à populo factum eſt confirmari dicit. Atque hic perſpicuum eſt.] Per collationem nunc demonſtrat, quā aperte maiorum inſtitutis contradicat Rullus: unde honeſtum, quod in deliberatione caput ſecundum eſt, iudicatur eſſe, ſi legem hanc repudient. Nunc quia prima illa comitia.] Diuidebantur apud Romanos comitia, in calata & tributa. Calata dicta, quod per pratorem uocari ſolebant. Ea in centuriata & curiata ſubdiuiduntur. Curiata ex curijs, quæ triginta quinque numero erant, & omne genus ciuium continebant, per curiatum lictorem uocabantur. Centuriata uero, per cornicinem ex cenſu & ætate accerſebantur. Tributa uero, ex omnibus regionibus urbis ac tribubus (ut reor) nuncupata conſtabant. Hæc Feneſtella cap. libri de magiſtratibus. Dionyſius etiam oſtendit, in Comitijs curiatis omnem poteſtatem creandi magiſtratus penes populum fuiſſe, in centuriatis penes diuites. In his enim centuriatim, id eſt, per centurias ſingulas unus pro ſuffragio calculus ferebatur. Hic homo popularis.] Per ironiam Rullum popularem uocat: ut cum nos dicimus, Heus bone uir, uilem quendam hominem ſignificantes. Oſtendit autem comparatione, quàm minime popularis ſit. Quia maiores bina inſtituerunt de ſingulis magiſtratibus comitia, hic ne una quidem celebrat. Nam ut ſupra dictum eſt, per tribus tantum ſeptem & decem de decemuiris creandis ſuffragia petebat. Sed uidete hominis legionem, &c. Oſtendit nec religionis aliquo affectu ipſum tangi, cū ſua hæc haud aliter inſtituerit, ut luſiſſe uideatur. Verum hoc quod.] Pulchra tranſitio per occupationē, cum ſe id relicturum promittit, hoc interim dicens. Videt ſine lege curiata.] Clarius nunc exponit, quàm minime leges curet, Vult enim per legem curiatam ſuos creari magiſtratus. Si autem lex hæc ferri nō poſſit, eiuſdem tamen hos magiſtratus iure eſſe uult, quo ij ſint qui optimis legibus cōſtituti ſunt. Reges conſtituuntur.] Poſtquam creandi morem oſtendit, quod populum comitijs fraudare conetur, quod legū religionem contemnant, reges, imo tyrannos inſtitui cōcludit. Ariſtoteles enim μοναρχίαν ἀνυπεύθυνον, id eſt, ordine & dominationis termino, legibuſq; carentem, τυραννίδα uocat. Vehemens autem hoc eſt, quòd initiū huius dominationis regnū ſpirare demonſtrat, nedum dominationem ipſam. At uidete quā diligenter.] Aliud indicat, quo populum concitare poſſit: Rullum ſcilicet hac lege tribunitiam poteſtatem imminuere, quæ tamen ſacroſancta habebatur. Videte nunc eos.] Inuidiam hoc aduerſario concitat apud populum. In inuidiam enim maxime rapimus, ſi uim, potentiam & inſolentiam alicuius producimus. Iubet auſpicij coloniarum.] Enumeratio eorum quibus faſtum ſuum & inſolentiam Decemuiri repræſentabant. Pullarij autem erant ij, qui pullorum, quorum in auſpicijs uſus erat, curam petebant. Cæterum per tres uiros, Triumuiros intelligit, de quibus Feneſtella cap. 18 de magiſtratibus. Horum autem officium erat, ut agros nouis colonis diuiderent, urbes deſignarent, ædi-

*ficare uolentibus areas partirentur, &c.* Audes etiam Rulle. ] *Proprio Rullum gladio iugulat. hic enim lege Sempronia, ſua quædam ſtabilire uolebat. ipſum igitur* Decemuirorũ *creationem contra legem* Semproniã *inſtituiſſe oſtendit.* Formã adhuc habetis. ] *Ex enumeratione hac concludit, tyrannidem inſtitui. Obiectionem autem aduerſariorum pulchro diluit dilemmate: quod auctor ad Herennium diuiſionẽ uocat.* Perſpicite quanta poteſtas. ] *Iſtis demonſtrat, non ſtulte quadam ſuperbia aut inſania, ſed regni cupiditate fieri, quia poteſtatem ſummã ſibi uendicent, cuius partes poſtea explicat. Porrò finitor is eſt, qui agrorum terminos conſtituit, quẽ alij agrimenſorem uocant.* Verbum mihi deeſt. ] *Mira hic amplificatione utitur Cicero, per Dubitationem, quam Græci ἀπορίαν καὶ διαπόρησιν appellant. Commouet hæc ualde auditorum animos, cum rei grauitate nos impediri uident, ut ſatis apto uocabulo eam exprimere nequeamus. Vehementius enim hoc eſt, quàm ſi crudeliſſimam nominauiſſet tyrannidem.* Nullum enim regnum. ] *Cauſam ſuperiorum ſubijcit, per aliorum regnorum comparationem, ut huius poteſtatis effrenatam libidinem ſatis exaggeret.* Datur igitur eis. ] *Ordine iam ipſa legis uerba recenſere & confutare pergit, quorum primus gradus & aditus ad cætera erat hoc, quòd ea uẽdere uolebant, quæ ante decem & octo annos ſenatus penuria coactus uendere cẽſuiſſet. Cauſas deinde ſubijcit, cur ea loca nominari in lege non permiſerint. hæc deinde ipſe nominat, ut horum cõmemoratione populus magis cõmoueretur.* Habetis unum. ] *Primũ uẽditionis genus concludit per Tranſitionem ad aliud, interim attentos auditores reddens.* Qui agri, quæ loca. ] *Verba legis hæc ſunt, quibus nõ omnia, quæ uendenda erãt, recenſerẽtur: ſed poſtea ultima adiecta particula* ALIVD'VE QVID, *omnia ea comprehenduntur, quæ populi Romani imperio ſubdita ſunt. Vnde etiam oſtendit, quòd hæc omnia à Decemuiris et publica iudicari, & uendi poſſint.* Commodum erit Pergamum. ] *Enumerat ea loca, quæ à Decemuiris uendenda erãt, ut horum appellatione magis commouerentur. Sunt uero hæ urbes omnes Aſiæ minoris. de quibus lege Strabonem libro 14. & Pomponium Melam lib. 1.* Statius. ] *Munitiones ſunt quibus milites ſeſe continent.* Mitylenæ. ] *Inſula Troadi oppoſita. Mela lib. 2. huius hic laudes celebrat Cicero, ne populus tam utilem commodamq; inſulam dilapidandum tradat.* Dici illud regnũ teſtamento. ] *Rex etenim Ptolomæus regno pulſus, cum à Romanis in ſocietate receptus & reſtitutus eſſet, moriens populum Romanum hæredem ſcripſit.* Hic ego Conſul pop. Rom. ] *Rei magnitudinẽ hic per omnes circumſtantias proponit Cicero, quo nihil aliud uult, quã ne res tam ardua & grauis Rullo ſuiſq; collegis permittatur. Concludit hæc argumento à cõparatis, cum centumuiri priuatas iudicent hæreditates. indignum ut decemuiri populi R. hæreditatem iudicent. Cõferuntur hic inuicem centũuiri & decemuiri, priuata & publica populi hæreditas. Centumuiri autẽ erant, qui è ſingulis delecti tribubus, iudicijs præerant.* Quod ſi Alexandria petebatur. ] *Inſidias decemuirorum exemplo exponit Cicero. Ptolemæo mortuo multi erant, qui hoc regnum palàm petebant, ſed hi certas ob cauſas repulſam paſſi ſunt, Rullus autem nunc cũ ſuis per inſidias hoc affectabat, quod alij palàm. Argumento itaque à maiori ad minus iniuſtum oſtendit eſſe, ſi inſidioſis et uerſipellibus hoc committatur, quod ante aperte petentibus negatũ ſit. Huc facit & mutilus ille primæ orationis locus, ubi ait. Quæ res aperte petebatur, ea nunc occulte cuniculis oppugnatur, &c. ubi etiam uim notat, cum oppugnari dicit ea, quæ antea petentibus negata ſunt.* Legatos noſtros. ] *Aliud argumentum à minori ad maius, quo oſtendit hanc decemuirorũ potentiam exteris nationibus intolerabilem fore.* Hic autem mirum in decemuiris deſcribendis uerborum incrementum *uideri licet, quo ceu uiua hypotypoſi horum ſuperbiam ob oculos ponit.* Eſt in imperio. ] *Diuiſione eleganti nunc earũ nationum calamitatẽ proponit, ad quas hi decemuiri uenturi ſint: qua enumeratione ipſis miſericordiam, aduerſarijs uero tanquã inſolentibus & crudelibus inuidiam & odium conciliat.* Quanta calamitas. ] *Dilemma per interrogationem expoſitum, quo decemuirorum iniuſtitiam notat. Si enim publicam uebem dixerint, magna eſt calamitas: ſin negauerint publicam, hoc ſine maximo lucro non facient, & expilatione ciuitatum: iniquum ergo, uerum fecerint.* Atque ijdem qui hæc appetunt. ] *Argumentum à pronunciatis, tractatum per collationem. Sumitur autem hoc ex ipſa aduerſariorum ſententia, qui iniquum putabant, quod Pompeio omnia regna mariaq; commiſſa eſſent. Infert itaque Cicero: Si, ut ipſi dicitis, iniquum eſt omnia Pompeio committere: quãto iniquius uos agitis, qui hæc omnia uobis condonari, ui & fraudibus in ueſtram poteſtatẽ uẽdicare uultis.* Intellexiſtis quot res. ] *Concluſio eorum quibus oſtendit, eos publicorum uenditionem inſtituere. Tranſit autem nunc ad uectigalium proſcriptionem.* Incidant neruos pop. Rom. ] *Pulchra metaphora, qua periculi magnitudinem declarat. Alluſio autem uidetur eſſe ad id, quod uectigalia & ærarium publicum nerui belli plerunque appellari ſolent. Vehemens uero etiam in hoc eſt, cum manus adhiberi & irrumpi in ærarium dicit: quæ omnia uim, non ullam æquitatem legis denotant. Huc facit & illud, quod auctionem hanc publice hic recenſeri iubet. Deinde honeſtis rationibus cum illis agit, oſtendens quàm inhoneſtum hoc futurũ ſit. ſi ea quæ maiorum uirtute quaſi monumenta quædam relicta ſint, publicæ uenditioni ſubijciant. Argumentum totum eſt: Maiorũ monumenta uendenda non ſunt: Vectigalia maiorum monumenta ſunt: Ergo, uectigalia uendenda non ſunt.* Hic mihi parumper. ] *Rurſus nũc, ut ſupra, ſuã cauſam cũ Cn. Pompeio communicat, quo aduerſariorũ ſentẽtia, qua Põpeij impugnabatur dignitas, repudiaretur. Facit autem & hoc ad beneuolentiã parandam ( cuius in tota oratione cura habenda eſt ) cum ſe Põpeio gratitudinem referre dicit, quòd eius ope ad hunc honoris gradum peruenerit.* Iubet uenire quæ Attalenſium. ] *Ordine rurſum recenſet regiones, quas uendere inſtituit Rullus. Sunt autem Attalia, Phaſelis, & Olympus, urbes Lyciæ.* Sed nõ fuit. ] *Ironia eſt, qua Rullum ludit, qui ea loca, quæ à Scipione propter calamitatis ueſtigia conſecrata ſunt, uẽdere conatur.* Verum inter hos agros. ] *Iam ad ipſum deuenit Põpeium, oſtendens quã iniquus ipſi Pompeio ſit Rullus, qui agros in quibus adhuc Pompeius exercitum ductat, et quorum ius penes Pompeium eſt, nondum peracto bello, publicæ auctioni ſubijcere inſtituit. Simile ferè eſt Apologo de Venatore, qui urſinã pellem urſo nondum capto uendiderat.* In ultimis terris. ] *Mithridates enim pulſus, ad Tigranem Armeniæ regem confugit, qui illi regnum paternum reſtituere per uim conabatur.* P. Seruilius Rullus. ] *Pulchra effictione Rulli notat inſolẽtiã. Facit autem hæc aduerſariũ et cõtemptibilem et inuiſum. Huiuſmodi autem effictionem Eraſmus lib. 2. de Copia rerum, inter προσωπογραφίας refert. Eſt porrò Sinope Chalybum ciuitas, Diogenis Cynici patria.* Manubiæ. ] *Dicuntur, quòd manu ab hoſtibus capiantur. Aſconius manubias ponit prædas Imperatorum, proportione in hoſtibus capta, &c.* Ponite ante oculos. ] *Pergit in effictione illa, qua nunc rem ipſam ob oculos ponit. Superius enim tantummodo literarum exemplar poſuerat. Facit hoc multum ad delectationem, propter ſermonis uarietatem: & ad uehementiam, propter claram illam rei expoſitionem: & comparationem, cum milites & caſtra cum fœmoſis finitoribus cõfert.* Neque in hoc ſolum inest. ] *Conſequentia iã exponit & argumẽtatur à periculoſo, indicans quid poſtea & alij Pompeij inimici conaturi ſint, ſi*

hunc

hunc conatū decemuiris ſucceſſiſſe uideant. In deliberationibus enim futura maxime reſpiciuntur, ut docet Ariſtoteles Rhet. I. Ratio non moleſte. ] Communicat ſuam ipſis cauſam cum hac legis diſſuaſione. in odium etiam rapit, cum contra Conſularem poteſtatem hæc inſtituta eſſe indicat. O` perturbatam rationem. ] Poſtquam Conſulis maieſtatem lædi hac lege probauit, commode nunc exclamationem ſubiungit, quæ dolorem & rei indignitatem ſignificat. Eius etenim (ut auctor ad Herennium inquit) natura eſt, ut ſi in loco et raro ea utemur, tum rei magnitudo poſtulare uidebitur, ad quam uolemus indignationem animū auditoris adducemus. Vectigalia locare. ] Vehementi huic exclamationi argumentum quoque uehemens à pronunciatis uel conſuetudine publica ſumptū ſubiūgit, quod mirifico uerborum incremento tractat. Argumentum hoc eſt: Vectigalia nuſquam niſi in hac urbe locare licet: & decemuiri in remotiſſimis regionibus ueſtras res uendent? Sed hoc nūc ipſum quanta uerborū uenuſtate & uehementia eloquatur uide: Niſi in hac urbe, dixit. hoc nunc dupliciter interpretat[ur] & amplificat, ſubiungens hæc: Hoc ex loco, hac ueſtrum frequ[en]tia. Deinde decemuirorum factum quàm amplificat? Veſtras res dixit: quaſi hoc parum ſit, addit proprias. Quid uendere ſit, interpretatur ſic, in perpetuum à uobis alienari. Deinde & regiones, in quibus auctio ſit, per Periphraſim extollit, cum tenebras & ſolitudinem uocat. L. Sylla cum bona. ] Aliud argumentum ab exemplo, quod eodem modo per Comparationē tractat, ut ſuperius. Nota autem eſt hiſtoria de L. Syllæ crudelitate, qua indemnatos plurimos ſcripſit, & bona eorum uendidit. Scribit Appianus libro Bellorum ciuilium primo, ipſum uno die Senatores quadraginta, equites mille & ſexcentos ad mortem condemnauiſſe. Meminit huius Val. Max. multis in locis, maxime cap. 2. libro 9. & cap. 1. lib. 3. ubi oſtendit Catonē puerum adhuc, cum ad eum ſalutandum ueniſſet, proſcriptionū indignitate commotum, eius cædem inſtituiſſe. Faciunt hæc omnia ad iniquitatem decemuirorum amplificandam, qui etiam crudeliſſimo Imperatore iniquiores ſunt. Sequitur omnes agros. ] Probat nunc, contra maiorum ritus, nec ut antea indicatum ſit, grande uectigal omnibus agris imponi. Excipitur hoc capite. ] Exceptiones in hac lege binæ erant. una, qua ager recentoricus: altera, qua ij agri quibus fœdere cautū erat, excipiebantur. has nunc licet iuſtas, tamen non ſine dolis & auaritiæ ſtimulis factas eē oſtendit. De agro recentorico iniquū eſſe dicit, ſi hoc ſit, ut miſericordia potius quàm iure ſeſe defenderint. Tandem dilemmate concludit, non æquitatis cauſa excipi, ſed quod aliquod priuatum beneficium Rullo contulerint. Deinde & Hyempſali regi hoc beneficium non ob Rulli iuſtitiam, ſed lucri ſpem conceſſum eſſe. In poſterum uero. ] Iam enim imperatoribus Romanis legem hanc aduerſam eſſe demonſtrat, utpote qui omnia ſuo labore et curis parta, decemuirorum libidini ſubijcere cogantur. Hic tamen uir optimus. ] Ironia pulchra oſtendit, qua fraude & dolo malo Pompeium excipiat. ne & hic ſuas manubias decemuiris committere cogatur. Ex præcedentibus autem probat, hoc non amore, ſed metu fieri. Pompeium enim ſciebant contumeliæ eſſe impatientiſſimum. Quòd autem amore non faciant, ſuperiora conuincūt, quibus eius uectigalia proſcripſere. Refer huc, quòd in prima oratione dicit: Non enim hac exceptione unus afficitur beneficio, ſed unus priuatur iniuria: ſed cui manubias remittit, huius uectigalia inuadit. Nam ſi eſt æquum. ] Dilemma, quo declarat cōſilium decemuirorum, & ipſius Pompeij animum. Nihil ſibi appetit precipue Pompeius, nihil. ] Eſt hic cōduplicatio, quam Rutilius ἐπανάληψιν uocat: quæ fit, cum idem uerbum, quo grauior ſit ſententia, repetitur.. Veruntamen cauet. ] Hoc nunc argumentum eſt, quo decemuirum conſilium erga Pompeium oſtendit. Parta ſit pecunia. ]

Hactenus iniquiſſimas pecuniæ congerendæ rationes Cicero confutauit. nunc ipſum pecuniarum finem, id eſt uſum, propter quem deſtinata erat Reip. & inhoneſtum & periculoſum fore commonſtrabit. Cognoſcite nunc alios. ] Propoſitionis uice hæc per Tranſitionem poſita ſunt, quibus indicat quid nunc dicturus ſit: auaritia ſcilicet hos, non patriæ amore ſtimulari. Non conſueui homines. ] Præmunitio ad ea quæ poſtea ſequentur. nam ea bonis uiris intolerabilia eſſe uidebantur. Ciceronem autem miti animo, placidisq; moribus fuiſſe, ſatis cōſtat. niſi quod laceſſitus, ad ſcommata promptior fuit, ut Plutarchus de eo teſtatur. Tum cum haberet hæc Reſpub. ] Exemplis indicat, pulcherrimis maiorum inſtitutis hoc contrarium eſſe, ſi tāta poteſtas Decemuiris auaris committatur. Argumentatur à maiori ad minus. Lucinos autem & Calatinos plurali numero dixit, emphaſis cauſa. De horū aūt egregie geſtis, & paupertate, multa tradunt Hiſtorici. & Valerius libro 4. cap. 4. teſtatur Senatum filiam Fabritij Lucini (cuius hic mentionem fieri coniicio) ab indotatis nuptijs liberalitate ſua liberaſſe: & Calatino ſeminanti, ſummam Romani Imperij commiſſam fuiſſe, qui poſtea deuictis hoſtibus, & triumpho peracto, ad aratrum redijt. Committite uos nunc. ] Argumentum à perſona ipſorum decemuirorū ſumptum, quo oſtendit: etiam ſi hoc faciendum eſſet, tamen illis non eſſe committendum, quia aut auari, aut luxu perditi. Hic ego iā illud. ] Aliud ab honeſto, quo rem ipſam in uniuerſum tollit, oſtendēs contra maiorum ritus, hoc eſſe inſtitutum, & propterea nō admittendum. Libet agros emi. ] Aliud argumentum, ſumptum ab eorum agrorum conditione, qui à Decemuiris emendi erant. Conuerſa ratio. ] Probat hiſce hoc conſilium, non plebi, ſed paucis qui inuidia maxima laborant, prodeſſe. Erant enim (ut initio dictum eſt) multi Syllani, qui agros à Sylla acceptos poſſidebant, non ſine magna omnium inuidia & odio: hoſce nunc, non plebem, hæc Seruilij lex iuuabit. Atq; hoc carmen. ] Priuati commodi cauſa hæc Rullum ſuſcepiſſe indicat, quia ſocerum habebat, qui quàm plurimos agros bellis ciuilibus acquiſiuerat: eorum emptorem quærebat, ut ipſe liberaretur. Et uos non dubitatis. ] Pulchra comparatione maiorum, & Syllanorum militum, hanc legē inuiſam facit. Quid enim magis odioſum, quam ſeditioſos ciues maiorum noſtrorū ſanguine partis opibus frui? Et nimirum iſtud eſt. ] Ipſius Rulli uerbis Rullo inuidiam concitat, cum eum proprio teſtimonio conuincit, plebis oſorem eſſe. Huc facit metaphora, qua Rullus uſus eſt, interpretatio: quæ indicat, hunc Tribunum plebem nō pluris facere, quàm fœtidiſſimam quandam ſentinam. Vos uero Quirites. ] Concluſio ſuperiorum argumentorum, per adhortationem. Vtitur hic enumeratione omnium eorum, quæ in Repub. præſtantia habebantur: & his duo loca Italiæ iniquiſſima opponit, quo facilius plebis animum commoueat. Quanquam illud eſt. ] Alio argumento oſtendit, quàm iniquum hoc ipſorum ſit conſilium, cum omnia quæ populi ſunt uendere inſtituunt, incerti adhuc quos agros emant. Quòd ſi nulli ſint qui uendant ſuos, duplex hinc fore ſignificat incommodum. pecuniam enim in ærarium non conferent: ſecundo, ab ipſis hanc nemo exigere audebit: ſequitur ergo, quòd in priuatum uſum conuertent. Atque in hos agros, qui hac lege empti ſunt, colonias. ] Sequitur nunc aliud decemuirorum inſtitutum, quo colonias per totam Italiam deducere parabant. Hoc quàm perniciosum Reip. futurum ſit, pulcherrimis deliberatiui generis rationibus oſtendit, quarum mentione breuiſſimis uerbis facit Ariſtoteles Rhet. lib. I. Σχεδὸν γὰρ περὶ ὧν βουλεύονται πάντες, καὶ περὶ ἃ ἀγορεύουσιν οἱ συμβουλεύοντες, τὰ μέγιστα τυγχάνει πέντε τὸν ἀριθμὸν ὄντα. ταῦτα δ᾽ ἐστὶ. περί τε πόρων, καὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης, ἔτι δὲ περὶ φυλακῆς τῆς χώρας, καὶ τῶν εἰσαγομένων καὶ ἐξαγομένων καὶ νομοθεσίας, id eſt, Propemodum enim de

*quibus et deliberãt, et deliberãtes uerba faciũt, quinque ſunt: De prouẽtibus, bello & pace, inſuper de regionis cuſtodia, importandis & exportandis, id eſt de uictu & commeatu (nam poſtea dũ hæc ſingula perſequitur, hæc τροφὴν uocat) & de legum latione. Si itaque hæc in ſuadendo perſequenda ſunt, eadem in diſſuadendo erunt adhibenda. In hac autem de colonijs deducendis, & in primis de Capua diſputatione, priora hæc quatuor egregie oſtendit Cicero. propoſitio principalis: Capuam colonia deducenda non eſt, nec ager diſtribuendus Campanus. Hanc probat rationibus ex hiſce iam poſitis capitibus deſumptis: Vrbes diuitijs & reditibus abundantes abalienandæ non ſunt: Capua diuitijs reditibusq; abundat: ergo Capua abalienanda non eſt. Secundo, belli temporibus propugnaculũ nobis eſt firmiſſimum: nam & loci natura & hominum induſtria munita eſt. Tum eo tempore ſua nobis exhibet uectigalia ſine omni periculo, cũ extra omnia ceſſant uectigalia. Quare qui hanc populo Rom. auferre conantur, omnes belli neruos incidunt. Pacis autẽ tempore nobis ſolatiũ, & omnia pacis cõmoda exhibet. Argumẽti forma eſt hæc: Belli ſubſidia & pacis ornamenta retinẽda ſunt: Capua belli ſubſidiũ & pacis ornamentũ eſt: ergo Capua retinenda eſt. Tertiũ caput eſt, quia alienos incurſus hæc ſola ſuſtinere & infringere poteſt, ut immerito Romanæ urbis propugnaculum nominetur. Quartum, hæc cum fertiliſſimum agrum habeat, fructibus omnibus ſcateat, nullo non tempore afflicta Reip. ſubuenire poteſt. quare & Cicero uehementiæ cauſa hanc horreum legionum, et annonæ ſolatium uocat. Hæc autem omnia, quo plus uiriũ ad perſuadendum haberent, commodiſſime in unum locum omnia comprehenſa, poſt multa argumenta proponit hoc modo: Vnum'ne fundum pulcherrimũ populi R. caput ueſtræ pecuniæ, pacis ornamentũ, ſubſidium belli, fundamentũ uectigaliũ, horreum legionũ, ſolatium annonæ diſperire patiemini? Hæc deinde omnia ordine copioſius tractat, ſed nunc ſingula diſcutiamus. Quo in genere. ] Maiorum inſtituta illis ante oculos ponit, & ex coloniarum officio & uſu oſtendit, hoc coloniarũ deducendarum conſiliũ non admittendũ eſſe. Coloniæ hæ deducendæ ſunt, quæ Reip. utiles ſunt: Hæ coloniæ Reipub. utiles non ſunt: ergo deducendæ non ſunt. Coloniam in Ianiculum. ] Coloniarũ periculum exemplo probat. uide Liuium lib. 5. Decad. 1. qui ſic ait: Ianiculũ urbi adiectum, non inopia loci, ſed ne quando ea arx hoſtium eſſet, id nõ muro ſolum, ſed & ob commoditatem itineris ponte ſublicio tũ primũ in Tyberi facto coniungi urbi placuit. Hoc autem non aliud oſtẽdere conatur Cicero, niſi iniquum eſſe, quæuis quæ uoluerint loca colonijs ſuis occupare. Qua de cauſa nec duo Gracchi. ] Duobus diuerſi generis exemplis oſtendit, iniquum eſſe agrum Campanũ diuidere, quia nec Gracchus patriæ amantiſſimus, nec Sylla nullius religionis obſeruator hoc auſi ſint. Accommodat hæc præſenti cauſa, per comparationem à maiori ad minus. At qui homines poſſidebunt. ] Periculoſum nunc hoc eſſe oſtendit, ſi hæc admittant, quod tunc perpetuos ſibi hoſtes comparaturi ſint. Quod cum à maioribus. ] Argumentum à minori ad maius: ſi priuatus agrum uendere pernicioſum duxit, multo magis uniuerſus populus hoc pernicioſum ducet. Sed priuatus pernicioſum eſſe duxit, quod probat exemplo: ergo & populus idem iudicabit. Ab hoc Plebicola. ] Ironia per contemptum. Publicolæ enim dicebantur, qui optime de plebe meriti erant: ut Valerius Publicola Conſul. Rullum igitur nunc qui plebem affligit, Ironice plebicolam uocat.*

*Atque illi miſeri. ] Honeſti rationibus nunc utitur. Diuiditur autem honeſtum in rectum & laudabile: Rectum ſubdiuiditur in iuſtitiam, fortitudinem, prudentiam & temperantiam. Vis ergo argumenti à iuſtitia hæc eſt: Iuſtitia eſt quæ ſuum cuique tribuit: lex hæc ſuum cuique non tribuit: ergo hæc lex iuſtitia non eſt. Maiorem, quia manifeſta eſt, omittit: Minorem uero multis uerbis & figuris uariatam proponit & probat, cum eos, qui in his agris nati ſunt, & ipſos coluerunt, per uim eijci demonſtrat. Et ut uos nũc de ueſtris. ] Aliud argumentum à laude honeſtatis, quo huius facinoris memoriã turpiſſimam ipſis fore declarat. Eſt enim in deliberationibus etiã laudabile conſiderandum, quod & præſentem & conſequentem commemorationem honeſtam iucundamq; reddit. Equidem exiſtimo. ] Ficto exemplo, ſed ſimili, id extorquere ab ipſis conatur quod uult. hoc enim accommodat per comparationem minoris ad maius. Tunc illud exilium Campanæ. ] Quàm periculoſum futurum ſit Capuam colonos deducere, indicat. Poſtremo contra maiorum inſtitutum hoc eſſe, qui omnes urbes æmulas Romani imperij euerterunt. Probat ſua argumentis à prounnciatis deſumptis, cum literas publicas & Senatuſconſulta citat. Deinde pulchra comparatione & ἀντιθέσει confert inter ſe maiorum decreta, & decemuirorum conſilia, ut ex Collatione res ipſa fiat manifeſtior. Præoccupatiõe autem cauſam indicat, qua nam de cauſa maiores Capuam nõ funditus euerterint. hoc etenim factum & ipſis honeſtum, & poſteris futurum utiliſſimum fuiſſe oſtendit. Commemorabo id quod. ] Ad populum hæc rurſus pertinent, ne coloniam ad Capuam deducant. Id hortatur argumento à loci natura deſumpto: Quis hic locus ſuperbiam & ſolentiam parit, quod probat exemplo. Facit huic et illud quod in prima oratione habetur hoc modo: Et credo qua in urbe homines in ueteri dignitate fortunaq; nati, copiam rerum moderate ferre non potuerũt, in ea iſti ueſtri ſatellites modeſte inſolentiam ſuam continebunt? Exemplum autem hoc mirum in modum amplificat, ut eorum notet inſolentiam, qui Capuam perueniunt. Fuit enim hæc urbs & perfidia & inſolentia delicijsq;, cum Punico bello à Romanis deficerent, Annibalemq; intra ſua mœnia reciperent: ubi tantum loci uoluptas potuit, ut delicijs is caperetur, qui Romanis imperatoribus ſummo horrori erat. In Albana & Seplaſia. ] Fuerunt uicus & forum in Capua hoc nomine appellata. Seplaſia autem forum erat, in quo unguentarij negotiabantur. Nos autem. ] In inuidiam rapit, quod ciues Romanos ab his contẽptos eſſe dicit. Non ingenerãtur hominibus. ] Egregius locus, quo oſtendit quãtum ad humani ingenij commutationem loci natura faciat. Probat hoc multis exemplis, uelut per inductionem adductis. Concluſionem uero præmittit, deinde exempla ceu media ſubiungit, ad hunc modum: Carthaginenſes loci natura perfidi fuerunt, Ligures loci natura laborioſos fecit, Campanos agrorum fertilitas inſolentes reddidit: ergo non tam ingenerantur mores hominibus, quàm à loci natura aſſumũtur. Spectant autem huc omnia, ut oſtendat etiam Romanos ſi eò peruenerint, Romani nominis fidem & ſinceritatem amiſſuros eſſe. Huc iſti decemuiri. ] Adaptatio exemplorum, qua proponit, quid euenturum ſit, ſi Capuã Romani perueniant. Non optimis uijs. ] Vicos Romæ inordinatos fuiſſe, ex Liuio conſtat, lib. 5. Decad. 1. Cum enim à Gallis urbe incenſa & capta, F. Camilli conſilij impulſi denuo urbem ædificarent, feſtinatio curam exemit uicos dirigendi, dum omiſſo ſui alieniq; diſcrimine in uacuo ædificant. ea cauſa eſt, ut forma urbis ſit occupata magis quàm diuiſa ſimilis. Singularis homo priuatus. ] Argumentum à minore ad maius, quo indicat, loci huius inſolentiam Romanos colonos laturos modeſte non eſſe. Notum autem eſt, quàmplurimos ſecundis rebus ſuperbia & ſecuritate uinci, quorum animi utrinq; in aduerſis nullo modo confringi poſſunt. Hæc tu P. Rulle. ] Sequitur Epilogus, qui tres habet partes principales. Primam, qua Rullum ipſum alloquitur, pulcherrima omnium repetitione proponens, quid'nam conatus ſit. Epilogi enim eſt breuem & uehementem omnium eorum quæ dicta ſunt ἀνακεφαλαίωσιν cum amplificatione continere. Secundum, qua ſuã in*

Remp. ſtudium, curam & diligentiam commemorat: quæ pars ad beneuolentiæ captationem ſpectat. Tertiam, qua populi fidem & auxiliũ poſcit, ne ſe in hoc rerum diſcrimine deſerat. In enumeratione autem animaduertendum eſt, quã apto ordine omnia ea, quæ aduerſarij conabãtur exponit. Nam ceu imperator prudens hoc de Campana illa colonia cõſilium, quod perniciosiſſimum, & proinde ad populi animos auertendos uehemens erat, cũ alijs perinde ualidis argumentis in primam aciem conſtituit: quo cum animos populi patriæ pietate commotos occupauiſſet, alia leuiora ſubiungit, ut et illis aditus pateat. Poſtremo rurſus uehementiſſimũ ponit, quod Rullum populo inuiſum quã maxime faciebat, quod ſcilicet Cn. Pompei dignitati ipſum inſidiantem oſtendit. & hoc modo quæ tota oratione dixerat, hoc loco in unum collecta, ante oculos auditorum ponit. Non in cunabulis.] Id eſt, non generis nobilitate clari, ſed populi beneficio & uirtute ſua conſulatũ adepti ſunt. Ego nondum ueſtris armis.] Ab anteactis oſtendit quo animo in Rempub. Cicero ſit. Argumentum à minori ad maius. Ex quo intelligi Quirites poteſt.] Tertia hæc pars eſt, qua populi fauorem ſibi conciliat. Repetit autem ea quæ in initio dixerat, non decemuirorum, ſed ſua conſilia popularia eſſe. Poſtremo promiſſis animos eorum cõcitat, cum oſtendit, etiam ad populi dignitatem hoc plurimum facere, ſi ipſi obediant. Populus enim ipſum multis prælatum nobilibus, conſulem creauerat.

# IN ORATIONEM TERTIAM DE LEGE AGRARIA

## EVBVLI DYNATERI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

ARGVMENTVM huius orationis (quantum coniecturis aſſequi licuit) hoc eſt. Cum Cicero ſecundam illam contra Rullum eiuſq; conſcios orationem coram populo habuiſſet, nec illi coram reſpondere auſi fuiſſent, clàm poſtea ſuis conuocatis plebis animos à Cicerone alienare ſtatuerunt, Ciceronem Syllanæ dominationis patronum eſſe affirmantes. Cicero itaque hac breui oratione ad populum habita, oſtendit non ſe, ſed Rullum cum ſuis, Syllanæ tyrannidis defenſorem eſſe. eoſq; inique agere dicit, quod cum præſenti non non diſputent, abſentem uero clàm conuicijs lædant. Status huius orationis eſt Coniecturalis. Coniecturæ autem ſpecies ſunt plures, ut Hermogenes tradit. Eſt enim ϛοχαϛμὸς ἁπλοῦς, ἀτελής, ἐκ μόνων πραγμάτων, ἀτελὴς ἐκ μόνων προσώπων (quamuis talem ſtatum conſiſtere ipſe non putet) διπλοῦς τέλειος, διπλοῦς ἀτελὴς ἐκ τῶν πραγμάτων, διπλοῦς ἀτελὴς ἐκ τῶν προσώπων, ἐμπίπτον πραγματασκευαζόμενος, συγκατασκευαζόμενος. Has ſpecies ſi conſiderauimus, hanc orationem ad duplicem perfectam coniecturam referemus. διπλοῦς γὰρ τέλειος ϛοχαϛμὸς γίνεται, ὅταν δύο πρόσωπα καὶ δύο πράγματα κρινόμενα ἔχῃ. hoc eſt: Duplex perfecta coniectura oritur, quando duæ perſonæ, & duæ res in iudiciũ ueniunt. Perſonæ hic duæ ſunt, Cicero & Rullus: & quæſtio, Vter eorum Syllanæ dominationis patronus populi cõmodo obſtet, Rullus Ciceronem huius accuſat, ſigno utitur, quod Hermogenes ἀπ' ἀρχῆς τέλους appellat: quia legi Agrariæ, qua Syllanis ſui eripiebantur agri, & populo diuidebantur, reſiſtat. Cicero contra negat, nec ſolum modo negat, ſed per ἀντέγκλημα, hoc crimen in ipſum Rullum refert. Probat uoluntatẽ Rulli à perſona ipſius, quia Valgij gener ſit, qui plurimos in Syllana dominatione agros acquiſiuerat. probabile ergo, quod gener ſocero inuidia laboranti ſubuenire cupiat. Teſtimoniorũ loco utitur ipſius legis uerbis. unde probat, eũ Syllanæ tyrannidis fautorem eſſe. Non tamen omnia coniecturæ capita adamuſſum (ut aiunt) perſequitur Cicero, qui coràm cum ipſis Tribunis de his diſſerere cupiebat. Quare ſufficere hic putabat, ſi ſeipſum ſuſpicione apud populum liberaret, & ipſos Tribunos prouocatos in iudicium traheret. Sed, ut Plutarchus teſtatur, in hoc certamine penes Ciceronem palma fuit.

Commodius feciſſent Tribuni, &c.] Exordiũ huius orationis breue eſt, quo aduerſarios in odium rapit, ſibiq; beneuolentiam conciliat Cicero. Ab aduerſariorum perſona id facit, cũ eos iudicium publicum detractare & fugere clancularijs autem & factioſis cõcionibus ſtudere dicit. Cum uero diuerſi generis auditores haberet, beneuolos ſcilicet, et quorum animus abalienatus erat: duplici quoque attentionem parãdi ratione utitur. Beneuolos enim ab anteactis hortatur, ne ſuam beneuolentiã immutent. Reliquos contra deprecatur, ne tam paruam temporis particulam ipſi negent. ſuamq; facilitatem oſtendens, pertinaciæ ſuſpicionem apud ipſos diluit. Detulerunt.] Inuiſis uerbis utitur contra Tribunos, ut in inuidiã rapiat. Deferre enim eſt, clàm aliquem accuſare. Vnde delatores dicti ſunt, occulti accuſatores & calumniatores. Nã & æquitatem.] Ratio ob quam coràm cum Cicerone agere debuiſſent Tribuni: quia hoc æquitas iudicij, conſuetudo, & ius Tribunitiæ poteſtatis exigit. Argumentum à Pronunciatis.

Sed quoniam adhuc.] Prouocatio in iudicium, quæ Ciceronis æquitatem, Tribunorum fraudes redarguit. Quos leuiter immutatos.] Inconſtantiam notat, per quam etiam eorum non magnam rationem habendam eſſe oſtendit, qui abalienati ſunt. leuitatis enim crimine laborant. Bonæ de me opinionis.] Attentionem parat, cum ſe bona & Reipublicæ utilia dicturum promittit. Completi ſunt animi.] Propoſitio huius orationis, quidnam hic dicturus ſit. crimen enim erat ipſum Syllanis fauere, & populi commodo reſiſtere. Huic obiectioni pulcherrimo argumento occurrit, in quo ipſa latet recriminatio, qua hoc Tribunos facere oſtendit, quod in ipſo accuſabant. Non à ueſtrorum commodorum patrono, ſed à Valgij genero.] Pulchre hic oſtendit, Tribunum pleb. Rullum non publici, ſed priuati commodi cauſa, huius legis promulgationem ſuſcepiſſe. Vehementius autem hoc eſt, quàm ſi ipſum Rullum nominauiſſet. Idem autem uult, ac ſi dixiſſet: Hæc conſcripſit, non quatenus ueſtrorum commodorum patronus, ſed quatenus Valgij gener eſt, id eſt, uult ſuum ſocerum inuidia illa maxima, qua propter Syllanos agros laborat, liberare. Ne aut refricare.] Elegans metaphora à uulneribus ſumpta, quam deinde per expolitionem exponit. Omnium legum.] Comparatione duarum legendum oſtendit iniquitatem legis huius Rullianæ. De Flacco autem interrege, uide Appianum de Bellis ciuilibus libro primo. Huius etenim auxilio L. Sylla dictator creatus eſt, qui poſtea tyrannidem ipſam inſtituit. Hanc autem Flacci legem legi diſſimillimam eſſe conſtabit, ſi legis definitiones conſiderauimus. Nam ut Plato definit, lex eſt uera gubernandi ratio, quæ ad finem optimum per commoda media gubernata tendit, tranſgredienti pœnam, obedienti præmium ſtatuens. Et Cicero libro de natura deorum ſecundo. Lex, inquit, eſt recti præceptio, prauiq; depulſio. Et libro de Legibus primo. Legem rectam rationem in iubendo & uetando uocat. Cum quibus ſi Flacci legem contuleris, nihil in hac, quod legis ſit, præter nomen

titulumq́; iuuenies. Hæc autem ideo tam amplificat Cicero, ut eo maiorem huius legis, quam oppugnat, iniquitatem oſtendat. Nam Valeria lege Corneliyq́; legibus. ] Rationem ſubijcit, cur Rulliana lex ſit Syllanis legibus impudentior. Valeriam autem hic legem uocat, quam prius Flacci legem uocauit, & per Cornelias intelligit Syllanas. Sylla enim (ut Appianus tradit) Cornelius dici uoluit, qui ſuis legibus, legionibus tribus & uiginti ſub ipſo militantibus, multos in ciuitatibus agros attribuit, partim indiuiſos adhuc, partim per uim ereptos ob mulctam. Atque ideo hic Cicero dicit, Eripitur cum datur: id eſt, eo ipſo quo milites beneficio afficit, & donis, eripit priſtinis dominis ſuos agros. Et hæc gratitudo in milites impudens eſt, quia ex alienis bonis ſeſe gratum exhibet, ſumma cum aliorum iniuria. His tamen iniquiſſimis decretis, non ſpes ueris negatur agrorum dominis, nec inuidia & timore Syllani milites carent. Hic autem Rullus ipſos etiam inuidia & timore liberat. Idq́; probat uerbis ipſius Rullianæ legis, & ſuo hunc iugulat gladio. Argumẽtum à Prouunciatis. Quod deinde plurimis tractat, oſtendens quàm iniquus ſit Rullus, qui Syllanis agrorum poſſeſſorib. plus libertatis concedat, quàm his qui paternos & auitos fundo poſſident. Vtitur autem hic commemoratione, quia locum nactus eſt, quo populus maxime commouebatur. At ſi illa ſolum. ] Aliud oſtendit ipſius legis uerbis, quibus Rullum alterum Syllam eſſe arguit: quia ſua lege etiam ea donet, quæ Sylla non conceſſit cuiquam. Ergo hac lege. ] Concluſio eorum quæ hactenus dixit, qua oſtendit quàm periculoſum, iniquum, & publicæ aduerſum conſuetudini ſit, ſi hæc lex recipiatur. Nam ſocer huius. ] Planius nunc deſcribit, quomodo priuati commodi ſtimulis Rullus agitetur, qui hac ſua lege ſoceri agros confirmare uult. Et quoniam qua de cauſa. ]

Epilogum ſubiungit, quo Rulli impudentiam, ſuumq́; declarat in Rempublicam ſtudium: & cauſas ponit, ob quas huic legi reſiſtat. Deinde denuo exponit, quam ob cauſam, Capuam occupare conentur, & quid contra Pompeium ipſi moliantur:

Poſtremo Tribunos illos calumniatores in publicum iudicium prouocat.

HAEC ſunt, amice Lector, quæ in duabus hiſce Tullij orationibus obſeruanda eſſe duximus. Qua in re non aliud nobis quã ſtudioſis prodeſſe, ſtudium fuit. Quod ſi ſucceſſus noſtris conatibus non reſpondit, ne quæſo beneuolum & tui commodi ſtudioſum, Theonino dente lædas: & ſi uires non deſtituiſſe uides, ſtudium tamen non defuiſſe ſcias. Quare quæ diligentiore lima poliẽda uidebuntur, ea ætati & occupationibus condonabis.

## IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO C. RABIRIO PERDVELLIONIS REO AD QVIRITES, FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

Q VINTVS Metellus Cenſor, non multo poſt Gracchorum cædem, C. Glauciam Senatorem, & L. Saturninum notare conatus, aduerſante Collega deſtitit. Saturninus Tribunatum plebis petens, Glauciæ Prætoris auxilio uſus, A. Nonium competitorem occidit. Idem factus iterum Tribunus plebis, legem agrariam ſeditionis plenam per uim tulit: Metellum inimicum, quòd in hanc legem iurare nollet, Senatu mouit, eiq; aqua & igni & tecto interdixit. Metellus, cum eius cauſam uiri boni tueri uellent, metuentes ne ea ex re ciuium cædes fieret, in exilium abijt. In comicijs conſularibus C. Memmius Glauciæ competitor, Saturnini iuſſu fuſtibus necatus eſt. Hanc ob cauſam comitia ſumma pop. Romani indignatione diſſoluta ſunt. poſtero die Saturninus iram populi metuens, cum Glaucia prætore, C. Seruilio Cenſore, ac ueteranorum militum Syllæ multitudine (quorum tanquam præſidio in Tribunatu ſemper uſus fuerat) in Capitolium confugit. Senatuſconſultum fit, quo mandatur C. Mario & L. Valerio Flacco Coss. ut uideant, ne quid Reſpub. detrimenti capiat. L. Flaccus extra urbem, cum præſidio collocatur, C. Marius pop. Romanum ad arma uocat. Eum ſequuntur omnes Tribuni pleb. præter Saturninum, omnes prætores præter Glauciam, cunctus Senatus, equeſter ordo, omnes denique omnium ordinum homines, qui in ſalute Reipublicæ ſalutem ſuam repoſitam eſſe arbitrabantur. Fiſtulas, quibus aqua in templum Iouis Capitolini deducebatur, reſcindi Marius iuſſit. Saturninus, eiusq́; ſocij aqua defecti, Mario in fidem ſe dedunt omnes. Eos ut occidat Marius, omnes conclamãt. Eos in curiam Marius includit, tanquam eũ his lege acturus. In curiam per uim irrumpens multitudo omnes interficit, eo ipſo die quo S.C. factum eſt. Scæua Q. Crotonis ſeruus donatus eſt libertate, quod Saturninum interfeciſſet. T. Labienus ex equeſtri ordine Tribunus plebis, ut patrui ſui Quinti, qui cum Saturnino occiſus fuerat, mortem ulciſceretur, annis quadraginta, poſtquam occiſus fuerat, C. Rabirium equitem Romanum ad iudicium uocauit: eumq́; perduellionis reum, quod Saturninum Tribunum plebis occidiſſet, à Duumuiris indicta cauſa condemnandum curauit. Ad populum Romanum Rabirius prouocauit. Sperat Labienus Rabirium populi Romani iudicio condemnandum iri. Itaque carnificem in foro, ubi de Rabirij capite populus Romanus ſuffragium laturus erat, conſtituit: & in campo Mario crucem defigi iuſſit, ut damnatum Rabirium carnifex agat in crucem. Rabirium M. Cicero Conſul defendendũ ſuſcepit: crucem de campo, conſilio, uirtute, auctoritate ſuſtulit. Ob id in Rabirij cauſa Labienus Ciceronem, ut eum in inuidiam populi Romani adducat, iudicium perduellionis ſuſtuliſſẽ, eumq́; populi Romani commodis inimicum eſſe dicit, ſe uero popularem prædicat. Laudis ſuæ teſtimonium Cicero eſſe ducit, quod id iudicium ſuſtulerit, ſeq́; eam ob rem popularem eſſe: Labienum uero populi Romani libertati obſiſtere oſtendit. Negat præterea Saturninum à Rabirio occiſum. Id fateri ſibi ut liceret, optat. id enim Rabirio glorioſum foret. Sed id integrum Ciceroni non eſt: quod Rabirius multorum teſtimonijs, Quinto Hortenſio defendente, falſum eſſe docuerit. Quod proximum eſt, Cicero confitetur: hoc eſt, Rabirium ſumpſiſſe arma occidendi Saturnini gratia. Id iure factum contendit, quod omnes boni ciues fecerunt, quod Labieni pater fecit: quod Labienus ipſe, ſi natus fuiſſet, eiq; per ætatem licuiſſet, feciſſet. Fidem publicam L. Saturnino datam & uiolatam Labienus ſæpe repetit. Reſpõdet Cicero, ſi data eſt & uiolata, id à C. Mario, non à Rabirio factum: ſed nullam ei datam eſſe, quod Senatus auctoritas non interceſſerit. Genus cauſæ iudiciale eſt. Caſus enim Rabirius perduellionis reus factus eſt. Status duplex eſt. Quòd enim à Rabirio Saturninum occiſum neget, coniectura eſt: quòd arma Rabirium ſumpſiſſe ad occidendum Saturninum confiteatur, idq́; iure factum contendat, qualitas eſt. In exordio Cicero Coſ. Rabirium ſuſcepiſſe ſe defendendum dicit, quod ea cauſa ad Rempublicam pertineat. Periculoſis enim Reipublicæ temporibus, cum in ciuitate excitabatur ſeditio, aut cum occulte libertatis para-

*batur oppreſſio, tum fieri Senatuſconſultum ſolebat, quo mandabatur Conſulibus, ut uiderent, ne quid Reſpublica detrimenti caperet. Tum ad arma Conſules ciues bonos uocabant, ciuium auxilio ſeditionem Conſules reprimebant. Si damnetur Rabirius, tolletur auctoritas Senatus in huiuſmodi S. C. tolletur imperium Conſulum uocandi ad arma, tolletur bonorum conſenſio in armis capiendis. Queritur Cicero, ſibi à Labieno præſcriptam ſemihoram ad Rabirium defendendum. Vt patronus defendat, ſatis eſſe temporis dicit: ut Conſul queratur, ſatis eſſe negat. Cum dicit ſatis eſſe ut defendat, Labieni maledicta quædam in Rabirium leuiter eludit: nec magno tempore opus eſſe dicit ad ea defendenda. T. Labienum C. Cæſar, ut in eius uita Suetonius auctor eſt, ſubornauit, ut C. Rabirio perduellionis diem diceret, quo præcipuo adiutore Saturnini ſeditioſum Tribunatū Senatus coercuerat. In Rabirium reum Cæſar ſorte ductus iudex, tam cupide condemnauit, ut ad populum prouocanti nihil æque ac iudicis acerbitas profuerit. In omni genere amplificationis Cicero ſe in hac amplificatione exarſiſſe dicit, in libro de Oratore ad Brutum: quod omne ius retinendæ libertatis hac Rabirij cauſa contineretur. Eſt autem perduellio, crimen læſæ maieſtatis: cuius qui reus eſt, hoſtili animo aduerſus Rempublicam uel magiſtratum fuiſſe dicitur. Quod igitur Tribunum pleb. qui ſacroſanctus habitus eſt, Rabirius occiderit, perduellionis reus factus eſt.*

NON eſt meæ conſuetudinis.] *Sæpe tamen Cicero in exordio honeſtam aliquam cauſam dicit, cur ad defendendum accedat: ne aut ambitione, aut auaritia cauſam ſuſcepiſſe uideatur. ut Pro P. Sylla, & pro Archia poeta fecit.* Meæ uitæ perpetua conſuetudo.] *Cicero enim permultos defendit, paucos admodum accuſauit. Quod autem C. Verrem accuſauerit, id ſe feciſſe dicit magis ut Siculos defenderet, quàm ut Verrem accuſaret.* Conſulare officium.] *Tum enim Cicero Conſul erat, cum Rabirium defendit.* Illud ſummum auxilium maieſtatis.] *In atrociori negotio, magnoq́; Reipublicæ periculo, Senatus mandabat Conſulibus, ut uiderent ne quid Reſpublica detrimenti caperet. Ea poteſtas, ut ait Salluſtius in bello Catilinario, per Senatum more Romano Conſulibus maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios atque ciues, domi militiæq́; imperium atque iudicium ſummū habere. Aliter iniuſſu populi nulli Conſuli earum rerum ius erat. Id Senatus Lucio Opimio Conſuli mandauit. mox interfectus propter quaſdam ſeditionum ſuſpiciones Caius Gracchus, & cum liberis Marcus Fuluius. Simili Senatuſconſulto C. Mario & L. Valerio Conſulibus permiſſa eſt Reſpublica. Eo ipſo die L. Saturninus Tribunus plebis occiſus eſt: ut ait Cicero Inuectiua prima in Catilinam. Si igitur damnetur Rabirius, quia in Saturninum arma ſumpſit, damnabitur, quia Conſuli C. Mario ad arma populum uocanti paruit. Itaque minuetur auctoritas Senatus, & Conſulum poteſtas: quamobrem pernicioſis hominibus maior Reipublicæ lacerandæ licentia erit. Illud autem ſæpe facit Cicero, ut cauſæ, quā agat, iudicium ad Rempub. pertinere oſtendat.* Conſenſio bonorum.] *Ciuium, Conſuli ad arma uocanti parentium. Conſenſionem autem, quàm conſenſum à Cicerone ſæpius dici, alio loco docuimus.* Senectus.] *Anno enim quadrageſimo poſt necem Saturnini, C. Rabirius perduellionis reus factus eſt: ut eſt in oratione Ciceronis in L. Piſonem.* Solitudo.] *Quod ſolus ſit, & ſine propinquis, qui eum tutari poſſent.* Implorare fidem.] *Id eſt, auxilium.* Summum in Conſulibus imperium.] *In prætoribus quoque imperium eſt, ſed non ſummum.* Labor in hoc defendendo.] *Eſt enim difficilius atque laborioſius defendere, quàm accuſare: ut eſt apud Quintilianum libro 5. Defenſionum labores ſæpe Cicero dicit.* Neque à Tribuno pleb. ſuſceptam.] *Quæ accuſatio Rabirij à T. Labieno Tribuno pleb. ſuſcepta eſt.* Publicum cōſilium.] *Id eſt, Senatus. Nullus enim Senatus erit, ſi nulla eius ſit auctoritas.* Nullum extremis.] *Quale erat illud, cum Senatuſconſulto mandabatur Conſulibus, ut uiderent, ne quid Reſpublica detrimenti caperet.* Ab Ioue Optimo Maximo.] *Comprecatio eſt, quæ tum fieri ſolet, cum rei de qua agitur periculum maximum oſtenditur.* Optimo Maximo.] *Iouem Capitolinum pop. Romanus propter beneficia Optimum, propter uim Maximum nominauit: ut ait Cicero in oratione pro Domo ſua.* Dijs deabuſq́.] *À dea deabus dici, Priſcianus ſcripſit in libro 7. apud quem eſt illud ex Ciceronis oratione pro Cornelio: ut ab Ioue Optimo maximo, cæteriſq́; dijs deabuſq́; omnibus opem auxiliumq́; petamus.* Pacem ac ueniam peto.] *Id eſt, propitiationem, ut nobis ſint propitij & faueant. De pace & uenia deorū alibi plura ſcripſimus.* Precorq́; ab ijs.] *Precor à Deo Cicero dicit ſæpius, quàm precor Deum. ut in oratione Poſt reditum ad Quirites: Quod precatus ab Ioue Optimo Maximo cæteriſq́; dijs immortalibus ſum Quirites. Illud tamen alterum dicit, ut in libro Tuſcul. quæſt. primo: Sacerdos aduecta in fanum, cum currus eſſet ductus à filijs, precata deā dicitur, ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari poſſit à Deo.* Conſtituendam.] *Id eſt, confirmandam & ſtabiliendam.* Quorum poteſtas.] *Cum alijs in rebus, tum maxime in Rabirio abſoluendo.* Vno tempore.] *Id eſt, cū de Rabirio ſuffragiū feretis.* Suffragijſq́.] *Pop. enim Romanus ſuffragijs ſententiā ferebat.* Nunc quoniam Tite Labiene.] *Abſoluto proœmio accedit ad refutationem maledictorum, quæ Labienus obiecit Rabirio. Maledicta enim ante crimen id, quod cauſæ proprium eſt, ſæpius refutantur. Ea ingenioſe hic Cicero refutat, cum dicit, ſemihoram ſibi tantum à Labieno Tribuno plebis datam, ad Rabirij defenſionem: quod temporis ſpatium ſatis magnū eſſe dicit. Cum enim maledicta hæc ſatis facile refutari poſſunt, opus non eſt longa oratione ad ea refutanda.* Nunc quoniam T. Labiene.] *Apoſtrophe eſt.* Diligentiæ meæ.] *Id eſt, ut diligens eſſem in Rabirij defenſione.* Temporis anguſtijs.] *Id eſt, data ſemihora, qua Rabirium defenderem.* Conſtituto ſpatio defenſionis.] *Certum enim & conſtitutum accuſandi & defendendi ſpatium dabatur. ut in cauſa Milonis à Pompeio Conſule datæ ſunt horæ duæ accuſatori, & patrono tres, quibus orationes pronunciarent. Labienus autem conſtituit tempus, quia erat Tribunus pleb. & apud populum Romanum cauſa hæc agebatur.* Curriculum.] *Id eſt, breue tempus.* Accuſatoris conditioni.] *Quam accuſator imponat.* Præſcriptione.] *Id eſt, definitione, & ut uulgo dicunt, limitatione.* Patroni.] *Id eſt, defenſoris. Nam pro accuſatore patronus non dicitur,* Ad defendendum, &c.] *Ideo patroni mihi partes reliquiſti.* Verum ad conquerendum.] *Ideo Conſulis partes mihi ademiſti.* Niſi forte, &c.] *Hoc eò refertur, Ad defendendum propemodum ſatis erit hoc mihi temporis.* De locis religioſis.] *C. Macer alia in cauſa Rabirio obiecerat, quod religioſa loca & lucos uiolauerat: quo crimine Rabirius iudicum ſententia liberatus fuerat. Idem crimen Rabirio Labienus obiecit. Eſt autem religioſus locus, in quē mortuus illatus eſt. Itaque Martianus Iuriſc. lib. Digeſt. I. de Rerum diuiſione: Religioſum locum, inquit, unuſquiſque ſua uoluntate facit, dum mortuum infert in locum ſuum.* Ac de lucis.] *Vt de lucis, quemadmodum in nonnullis codicibus ſcriptum eſt, legatur, potius quàm ac delubris, ratio Grammatica ſuadet. Arbores enim ad tumulos ſeri ſolebant, quæ lucorum uicem præſtarent.* Nihil eſt unquam abs te di-

ctum. ] In Rabirij accuſatione. Inimicus. ] Ideo cui credendum non ſit. An de peculatu. ] Caius Curtius de peculatu facto, & incenſo tabulario reus factus eſt. In qua accuſatione nulla prorſus Rabirij mentio facta eſt. nihilo minus id Rabirio Curtij propinquo Labienus obiecit. Eſt autem peculatus, ut ait Labeo Iuriſc. lib. Digeſt. 48. ad legem Iuliā peculatus, furtum pecuniæ publicæ aut ſacræ. Eius pecuniæ fur, peculator dicitur. An de tabulario. ] Tabularium locus eſt, ubi tabulæ, id eſt, inſtrumenta & literæ reponuntur: ut ait Valla lib. 1. Iudicio clariſſimo. ] Id eſt, cuius iudices uiri eſſent clariſſimi. Pro uirtute ſua, ] Id eſt, pro ſua innocentia. Liberatus. ] Id eſt, abſolutus. An de ſororis filio. ] Maritus ſororis Rabirij in iudicium uocatus fuerat, ne dicto die ueniret. Rabirius, ut obiecit Labienus, filiū ſororis occidit, quo funere familiari excuſaretur. Id uériſimile non eſſe oſtendit Cicero. Itaque longa oratione opus non eſſe, ad id refutandum. De ſororis filio. ] Sororis & fratris filium, non ex ſorore aut fratre nepotem dici debere, alio loco docuimus. Diligentius. ] Id eſt, longa oratione. Moram. ] Id eſt, prolationem. Familiaris funeris excuſatio. ] Nam in ius uocari non decet, qui funus familiare ducit, aut mortuo iuſta facit: ut ait Vlpianus lib. Digeſt. 2. de in ius uocando. Qui igitur in ius uocatus eſt, ſi uadimonium deſerit, excuſatus, ſi funus familiare ducat. Quid enim eſt tam uériſimile: ] Ironia eſt. Sororis enim filius, quàm eiuſdem maritus, ſolet eſſe charior. Contra legem Fabiam retentis. ] Contra legem Flauiam legendum eſſe arbitror. Lege enim Flauia de plagio cauetur, nè quis hominem liberum pro ſeruo, ne quis ſeruum alienum pro ſuo uendat: ne quis alienum ſeruum ſollicitet, & apud ſe retineat: ut eſt in lib. Digeſt. 48. ad legem Flauiam. Contra legem Porciam. ] De hac lege paulo poſt dicit, et de eadem fuſius ſcripſimus in orationem Salluſtij in Ciceronem. Totius Apuliæ. ] Ex Apulia Rabirium fuiſſe, aut in ea certe magiſtratum geſſiſſe ſignificat. Legatos enim cum laudatione publica in commendationem rei, aut ex regione unde reus erat, aut ubi magiſtratum geſſerat, uenire ad iudicium ſolitos, alio loco docuimus. Si igitur tanta hominum frequentia ex Apulia & Campania uenit ad Rabirij iudicium, ea res probat ſatis, ab eo alienos ſeruos retentos nō eſſe, nec ueliberatos ciues aut necatos. Id enim ſi feciſſet, odioſus eſſet. In eadem mulctæ irrogatione. ] Significare uidetur, Labienum dixiſſe ſeruos alienos à Rabirio libidinis cauſa retentos; itaque præſcriptum fuiſſe, ut ei mulcta irrogaretur. Nam, ut ait Hermogenianus Iuriſc. ad legem Flauiam, pœna pecuniaria ſtatuta erat lege Flauia, quæ eius ætate iam in uſu eſſe deſierat. Nam in hoc, inquit, crimine detecti, pro delicti modo coercentur, & plerunque in metallum damnantur. Præſtitutam. ] Id eſt, præſcriptam. Vt ne plura, &c. ] Quæ Labienus impudicus æquis auribus, aut ſalua fronte non audiret. Nam de perduellionis iudicio. ] Refutat Cicero quæ in ſe Labienus dixerat, ut inuidiam ſibi factam à Labieno remoueat, eumq; Labienum inuidia oneret. Ciceronem enim crudelem Labienus, ſe uero popularem dixerat. Cicero contra oſtendit, ſe eſſe popularem; Labienum uero crudelem. Quod à me ſublatum eſſe. ] Quod ego Conſul contra Tribunum pleb. defendam Rabirium, qui Tribunum pleb. Saturninum occidit. Carnificem de foro. ] Quis Rabirij cauſa in foro agebatur; Labienus in forum carnificem duxerat, ut inde damnatum eum abduceret in campum Martium, ut ibi eum in crucem ageret, ubi crucem figi iuſſerat. Virorum fortium. ] Vt qui legem Porciam, qui legem Semproniam tulerunt. Infeſtam. ] Id eſt, cui malum impenderet. De hac uoce Aulus Gellius cap. 12. lib. 9. multa ſcribit. Popularis uero. ] Ironia eſt. Iniuſſu. ] Id eſt, ſine ſuffragio. ut enim Senatus cenſet, ita populus iubet. De capite. ] Id eſt, de uita. A Duumuiris. ] Significat hanc Rabirij cauſam primum apud Duumuiros actam fuiſſe. deinde Rabirium ab his condemnatum, ad po. Romanum prouocaſſe. Id ſi ita eſt, conijcere licet C. Cæſarem unū ex Duūuiris fuiſſe. Hunc enim ſorte in Rabirium iudicem ductum, ab eoq; reum damnatū, Suetonius in uita Cæſaris ſcribit. Duumuiros à Tullo Hoſtilio Rege in cauſa M. Horatij Trigemini primum cōſtitutos, permiſſamq; poteſtatem ab ijs ad pop. Romanū prouocandi: eſt apud T. Liuiū lib. 1. Indicta cauſa. ] Nullo Rabirium defendente, & ut uulgo dicunt, aduerſa parte non audita. Audita eſt enim accuſatio, ſed non defenſio. Idq; Cæſaris odio factum eſt. Horum. ] Id eſt, huius populi. Inuſitatis. ] Id eſt, quibus in ciues Romanos animoduertere uſitatum non eſt. Verborum inaudita crudelitate. ] Qualis illa eſt: I lictor, colliga manus, caput obnubito, &c. Quæ uerba à magiſtratu dici, nemo eorum qui uiuerent audiuit. Tenſare. ] Id eſt, euellere & tollere. I lictor, colliga manus. ] Illa erat iudicij formula, ut cum quis à Duumuiris damnatus erat perduellionis, alter ex his diceret: I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito. Sed Tarquinij, &c. ] Non ſignificat hanc iudicij formulam à Tarquinio Superbo primum inuentam. nam in Marci Horatij trigemini cauſa, Tullo Hoſtilio rege conſtitutam fuiſſe, T. Liuius libro 1. auctor eſt. Significat igitur hanc formulam à Tarquinio in ciuium Romanorum cruciatu ſæpe repetitam fuiſſe. Carmina. ] Id eſt, formula. De hac uoce ſcripſi pro Lucio Muręna. Caput obnubito. ] Id eſt, operito, ne crucem uidens expaueſcat, & aliquid indignum faciat, aut dicat. Arbori infelici. ] Ex qua crux facta ſit: id eſt, ipſi cruci. Auctore Plin. cap. 27. libri 16. arbores infelices & damnatæ religione taxſtimantur, quæ neq; ſeruntur unquā, neque fructum ferunt. auctore Macrobio lib. Saturnal. 3. ait Veranius de uerbis pontificalibus: felices arbores putantur eſſe quercus, æſculus, ilex, ſuberies, fagus, corylus, ſorbus, ficus alba, pirus, malus, uitis, prunus, cornus, lotus. Tarquinius autem priſcus in oſtentario arborario ſic ait: Arbores, quæ inferum deorum auertentiumq; in tutela ſunt, eas infelices nominant. altercum, ſanguinem, filicem, ficum atrum, quæq; baccam nigram nigrosq; fructus ferunt, item acrifolium, pirum ſyluaticum, pruſcum, rubum, ſentesq; quibus portenta prodigiaq; mala comburi iubere oportet: Hæc ille. Iam ob cauſam, ut arbitror, infelix loliū Vergilius appellauit. Quemadmodum in lib. Georgic. 2. infelicem oleaſtrum. & in lib. Aen. 6. felicem oliuam. Ex arbore infelici crucem fieri ſolitam, hoc ex loco coniicere licet, quemadmodum ex arboribus infelicibus portēta prodigiaq; mala comburi iubere oportet. Hinc fortaſſe dictum illud uulgare profectum eſt: cū enim aliquem infelicem uulgo dicunt, eū eſſe infelicem dicunt, quū lignum ex quo factum patibulum ſit. Suſpendito. ] Apud Liuium eſt reſte ſuſpendito. Funibus enim alligabantur, qui cruci ſuſpendebātur. Nec tamen intelligas ita ſuſpendi, ut fune fauces conſtringantur, fiatq; ſuffocatio: Id enim mortis genus apud Romanos ueteres turpe habitum eſt, quod animam, id eſt, ſpiritum occluſo uiis in pectore interire putabant. Itaque in lib. pontificalibus, ut ait Seruius, cautum erat, ut qui laqueo uitā finiuiſſet, inſepultus abijceretur. Hoc genus mortis Virgil. in lib. Aeneid. 12. informe letum appellat: Et nodum informis leti trabe nectit ab alta. Sed intelligendum eſt eorum, qui cruci ſuſpenderentur, brachia & crura funibus cruci alligari ſolita. Actio iſta. ] Id eſt, tua, qua in Rabirium agis. Caij Gracchi cum Tito Labieno comparatione Labienum oſtendit crudelem fuiſſe. Scilicet. ] Ironia eſt. Fratris. ] Tiberij Gracchi. Ex hoc loco licet conijcere, Quintum Labienum Titi patruum fuiſſe tum tribunum plebis, cum occiſus eſt cū Saturnino. Qui cū concord. &c. ] Vt pro Quinto Ligario: An ille, ſi potuiſſet illinc uno modo euadere, Vticæ potius quā Romæ? cum Publio Actio, quā cum concordiſſimis

fratribus

*fratribus? cum alienis eſſe, quàm cum ſuis maluiſſet?* Et ſimilis.] Et, interrogatiuum eſt. ut: Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa uidendi? Quiſquis fuit.] Extenuat Quinti Labieni deſiderium. Et Tyberius Gracchus.] Ac Tiberius Gracchus legi deberet. Ac enim & Atque, pro quàm ponitur, poſt dictiones quæ appellantur diuerſitatis et ſimilitudinis. ut contra aliud, ſecus, aliter, æque, perinde, par. ut paulo ante dixit, ſimilis atque. Ac Tyberius Gracchus. Is enim magnum ſui deſiderium reliquit. Erat enim Tyberij Gracchi filius, Africani maioris nepos. An pietas, &c.] Pietatem non ſolum in parentes eſſe, ſed etiam in propinquos alios locus hic documento eſt. Quàm Gracchi.] Caij Gracchi. An eloquentia.] Fortis & uehemens orator exiſtimatur fuiſſe Caius Gracchus. Eum cũ Cicerone nonnulli comparauerunt: ut eſt apud A. Gell. cap. 3. lib. 10. Tyb. & C. Gracchus Cic. in lib. de Orat. 1. dicit fuiſſet eloquẽtiſſimos. Quæ ſi in illo minima fuiſſent.] Argumentũ eſt à fictione. Præ tuis facultatibus.] Id eſt, comparatione tuarum facultatum. Quantum interuallum.] Id eſt, quantam differentiam poſitam. Moreretur prius, &c.] Vt in lib. de Offic. 1. At Aiax, quo animo traditur, millies oppetere mortẽ, quàm illa perpeti maluiſſet. Cælo hoc.] Id eſt, aere. Cenſoriæ leges.] A Cenſoribus latæ. ut leges tribunitias & conſulares dicimus. Significat autem Cenſores tuliſſe legem, ut nemo carnifex ciuis Romanus eſſet. Itaque ut foro, cælo Romano, atque ſpiritu, & domicilio careret. Petronius & poſtea Papius lata lege, peregrinos urbis Romæ uſu prohibuerant, eoſq; exterminauerant: ut eſt in lib. de Offic. 3. Carnifex.] Ariſt. lib. Politic. 6. eius qui in carcere reos cuſtodit, eiuſq; qui in eos animaduertit, id eſt, carnificis officium uitãdũ eſſe dicit: quod huiuſmodi homines improbi eſſe ſoleant. Domicilium Romæ debere habere eum qui ciuis ſit, ſignificat Cicero pro Archia poeta: in quam orationẽ ſcripſimus, quid ſit domicilium. Ex annalium monumentis.] Auctore Cic. lib. de Orat. 2. erat hiſtoria nihil aliud, niſi annalium confectio, cuius rei memoriæq; publicæ retinendæ cauſa, ab initio rerum Romanarũ uſq; ad P. Mutium Pont. Max. res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, efferebatq; in album, et proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi, ij qui etiam nunc Annales maximi nominantur. Annalibus Pontificũ Maximorum quidquam iucũdius eſſe poſſe, idem negat libro de Legibus primo. Ex Regum commentarijs.] Reges Romanos de ſuis rebus geſtis aut conſtitutis ſcripſiſſe commentarios cõſtat. Titus Liuius lib. 1. commentariorum Numæ Pompilij: & in fine libri eiuſdem, Seruij Tullij mentionem facit. L. Syllam, C. Cæſarem, Auguſtum, commentarios rerum ſuarum geſtarum ſcripſiſſe, ignotum non eſt. Arbitror id factum ex Regum imitatione. Hanc conditionem.] Id eſt, hunc ſtatum, & hanc ſortem, hãc fortunã. Quam ſerui ferre nullo modo poſſent.] Significat Quirites ſeruis eſſe miſeriores, niſi Labienũ crudelẽ exiſtiment. Si libertatis ſpem.] Ariſtoteles libro Oeconomicorum 1. auctor eſt, ſeruis omnibus finem eſſe propoſitum & præſcriptum, eſt enim iuſtum & utile libertatem propoſitam eſſe præmium. Libenter enim labores ſubibunt, cum & propoſitum præmium conſpexerint, & tempus definitum. Iudiciorum publicorum.] Iudicia publica ſunt, quæ uulgo dicuntur criminalia: de quibus alio loco ſcripſimus. In ea qui uocatur, non ſine ignominia uocatur. Mulctatio.] Id eſt, publicatio & confiſcatio. Obductio.] Obducere enim, tegere eſt & obumbrare. Sed etiam à cogitatione, &c.] Tam auerſandum ciuibus Romanis carnificem dicit, quàm cacodæmonem homini Chriſtiano dicimus. Qua ratione Labieno magnam facit inuidiam. Harum omnium rerum.] Carnificis obductionis capitis, & crucis. Perpeſſio.] Hæc uox quia rara eſt, adnotanda eſt. Mentio.] Id eſt cogitatio, aut potius nominatio. Vt cũ facere & habere mentionem dicimus. Seruos noſtros.] Qui ſumus Romani. Harum ſuppliciorum omnium metu.] Cruce enim ciues Romani non mulctabantur. Cum igitur ſeruus libertate donatur, & fit ciuis Romanus, carnificis & crucis metu liberatur. Eſt autem argumentum à minore ad maius. Vna uindicta.] In caſu ablatiuo. Eſt autem uindicta uirgula quædam, quam lictor manumittendi ſerui capiti imponens, eundem ſeruum in libertatem uindicabat, dicẽs quædam uerba ſolennia. atque ideo illa uirgula uindicta appellabatur: auctor eſt Boetius libro Commentariorum in Topica Ciceronis primo. Auctore Hermogeniano Iuriſcon. libro Digeſtorum 40. de Manumiſſis uindicta Manumiſſio per lictores domino tacente expediri ſolet, & uerba ſolennia licet non dicantur, ut dicta accipiũtur. Pro tribunali quoque ſerui manumittuntur, uindicta. Negat tamen Caius Iuriſcon. omnino neceſſe eſſe, pro tribunali manumittere. Itaque plerunque in tranſitu ſerui manumitti ſolẽt, cum aut lauandi, aut geſtandi, aut ludorũ gratia prodierit Prætor, aut Proconſul, Legatuſue Cæſaris. Alias quoque duas rationes liberi faciendi, idem Boetius eodem loco tradit. Si quis conſentiente domino, uel iubente, nomen in cenſum detuliſſet, ſeruitutis uinculo ſoluebatur. ſoli enim ciues Romani antiquitus cẽſebantur. Item ſi quis ſuprema uoluntate in teſtamenti ſerie ſeruum ſuũ liberum ſcripſerit. Ab unco.] A carnifice unco ad ſupplicium damnati trahebantur: itemq; qui rerum nouarum cupidi occiſi fuerant, unco in Tyberim trahebantur. Iuuenalis Satyra 10. Seianus ducitur unco Spectandus. Inde fortaſſe profectum eſt, ut cacodæmones cũ uncis uulgo depingerentur: quod ueluti carnifices animas miſeras ad ſuppliciũ trahant. Acta ætas.] Id eſt, ante acta honeſta uita. Honores.] Id eſt magiſtratus. Fateor, &c.] Hoc in loco ſignificat Cicero magis eſſe profiteri, quàm fateri: quemadmodum pro Manilio magis eſſe profiteri, quàm confiteri. Cuius illa uerba ſunt apud Nonium Marcellum: Hic ego non ſolum confiteor, uerum etiã profiteor. Præ me fero.] Id eſt, non diſſimulo. Oratoris fiduciam iudicibus odioſam eſſe, Quintilianus docet, quod uideatur Orator ipſe quodãmmodo præſcribere, quam ſententiam iurati iudices laturi ſint. Cum autem populus iniuratus ferat ſuffragium, & quod præſcriptum ſit, non inuidioſe ſequatur, Oratoris fiducia populo, ad quem prouocatum ſit cognita, odioſa nõ eſt. Sed regiam.] Labienum populo Romano facit odioſum. Virtute.] Id eſt, fortitudine. Omnia exempla maiorum.] Nã contra maiores omnes fecerunt. Hi enim carnificem & crucem non adhibuerunt in concione & in campo. Omnes leges.] Et præcipue Cenſorias quæ carnificem foro carere uoluerunt. Omnes religiones, &c.] Qui in ſancto campo Martio, Comitijs centuriatis, crucem defigi iuſſiſti. Exiguo meo temp.] Id eſt, ſemihora. Liberum.] Non quale à te mihi præſcriptum eſt. Ad iſtam diſceptationem.] Id eſt, ad diſceptandum de iſta re. Nunc de Saturnini.] Quid ſit acturus admonet, ut Quirites magis attentos habeat. Saturnini crimine.] Id eſt, quod in Saturninum admiſſum dicitur, ut pro A. Cluentio Aſinianũ, & pro Milone Clodianũ crimen appellat, quod in Aſinium & Clodium admiſſum ſit, aut admiſſum eſſe dicatur. Arguis occiſum.] Poſtquam refutauit Cicero, quæ in ſe à Labieno dicta fuerant, accedit ad id crimen, quod cauſæ proprium eſt. Q. Hortenſio, &c.] In alia cauſa C. Rabirio obiectũ ut maledictum fuiſſe, quod Saturninũ occiderit, coniicio. Nam ad Duũuiros defenſus non eſt, ſed indicta cauſa condemnatus, ut ante dictum eſt. Si mihi eſſet integrum.] Sed integrũ mihi non eſt, quod iam Rabirius multis teſtimonijs falſum docuit. Suſcipere hoc crimen.] Id eſt, quamuis id Rabirius non admiſiſſet, ab eo admiſſum dicerem. Agnoſcerem, tanquam meum. Nam in perſona litigatoris loquitur. Cauſſ.] Rabirij. Nihil me clamor iſte.] Nõnul-

lorum clamor excitatus eſt, quem Cicero relicto orationis curſu ſedat. Acclamatio.] Id eſt, clamor. Acclamatio dicitur, quãuis clamatio nõ dicatur. Quin continetis, &c.] Libera oratio eſt, quã Cornificius licentiã uocat, ut ait Iulius Ruſinianus. Valla libro ſecundo, hunc locum citans, Quin pro cur non expeuit. apud quem ita ſcriptũ eſt: Quin compeſcitis iſtã uocem, indicem ſtultitiæ, teſtem prauitatis? Libenter inquã, confiteor.] Repetitio eſt ſententiæ, propter aliam neceſſariam cauſam, ut ait idem Ruſinianus, qui hunc locũ ita legit: Libẽter, ſi eſſet integrũ, profiterer, L. Saturninum C. Rabirij manu interfectũ. Nihil me iſte clamor commonet. uſque hoc, Libenter inquã profiterer. Libenter inquã confiterer.] Simile eſt pro Milone. Clodiũ enim à Milonis ſeruis, non à Milone occiſum Cicero dicit. Quod ſi Milo eum occidiſſet, id ei eſſet glorioſum. Ad laudem minus ualebit.] Nam minor Rabirij laus eſt, quod arma ceperit cauſa Saturnini occidendi, quàm fuiſſet, ſi eum occidiſſet. Non minus.] Quàm ſi interfeciſſet. Grauiorem.] Id eſt maioris momenti. Niſi uero, &c.] Lege Cornelia de ſicarijs tenetur is, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulauerit: ut ait Martianus iuriſc. lib. Digeſt. 48. ad legem Cornel. de ſicarijs. Si interfici Saturninũ, &c. Argumentũ eſt à conſequentibus. Si arma iure ſumpta concedis.] Pauca hoc in loco mihi deeſſe uidentur, ut ea ſententia ſit: Si arma iure ſumpta cõcedis, interfectum iure Saturninum eſſe concedas oportet. Sed arma iure ſumpta ſunt. Fit enim Senatuſc. &c.] Niſi forte uſus eſt narratione, qua docuerit, quæ cauſa fuerit Senatuſconſulti faciẽdi. Iis.] Id eſt, ſibi. Videretur.] Vulgo dicerent, uideretur bonũ. Omnes Tribunos pl.] Tribuni pl. erant decem. Prætorum numerus certus non erat: tot enim erant, quot prouinciæ. Præter Glauciam.] C. Glaucia turpiſſimus homo fuit atque leuiſſimus, quem per tranſlationẽ curiæ ſtercus dici poſſe, Cic. lib. de Orat. 3. nõ negaret, niſi ad turpitudinem rei eius, unde tranſlatio eſt, animos eorũ qui audiũt traheret ſimilitudo. Idẽ in lib. de Reſponſis aruſpicũ dicit. C. Mariũ ſplendidiorem fuiſſe, cum eum iratus Glaucia uituperabat, quàm cum eundem laudabat. Arma capere & ſe ſequi iubent.] Non modo liberos, ſed etiam ſeruos ad arma uocauit C. Marius. Is enim in modum uexilli pileũ ſeruituti ad arma capienda oſtentauit: ut ait Valer. Maximus lib. 8. cap. Qui quæ in alijs uindicarunt, ipſi commiſerunt. Armamentarijſq;.] Armariũ & armamentariũ ab eadem origine eſſe, id eſt, ab armis, ſed declinata aliter & deriuata, Varro de lingua Latina lib. 1. teſtis eſt. Valla lib. 1. ſcribit, armarium eſſe ubi reponuntur libri, cæteraq; huiuſmodi: Armamẽtariũ, ubi reponuntur armamẽta et arma. Eſt igitur armamentariũ, ubi machinæ bellicæ, tela, ſagitta, aliaq; eiuſdem generis arma reponuntur. Eſtq; armamentarium priuatũ, eſt etiam publicum. De te Labiene quæro.] Probat Rabirium debuiſſe arma ſumere, ut ſumpſit: nõ latere domi, & per ignauiã deſidere, nõ cum Saturnino Capitolium occupare. Vnum enim ex his tribus faciendũ fuit. C. Saufeius.] Arbitror eum eſſe, quẽ C. Saffinium Appianus lib. primo appellat. Ex compedibus atque ergaſtulo.] L. Equitius Tyb. Gracchi filium ſe eſſe mentitus eſt, ut ea ratione populo magis conciliatus eſſet, apud quem Gracchorum memoriã ualere plurimum arbitrabatur. De eo eſt apud Valerium libro nono, De ui et ſeditione. Is Tribunus pl. deſignatus, Capitolium cũ Saturnino occupauit. Eodem.] Id eſt, ad eandem rem, ad eoſdẽ. De hoc Senatu detrahere.] Vt in oratione de reſponſis aruſpicũ: Mihi mediuſfidius tum de illius ampliſſima dignitate detrahere, cũ maximis laudibus efferebas, uidebatur. Et in L. Piſonem. De ipſo qui ſcripſit detrahi nolo. Detrahere homini uulgo dicũt. Patrũ noſtrorum.] Locus hic corruptus eſt, quẽ emendari poſſe arbitror, ſi legatur, Qui patrũ noſtrorũ ætate magnã partem Reip. &c. Et omnino dignitatẽ iudiciorũ.] C. enim Gracchus legem tulit ut ſoli Equites iudicarent, qui annos propè quinquaginta cõtinuos iudicarunt. poſtea L. Sylla ab his ad Senatores iudicandi poteſtatẽ tranſtulit. poſtremo M. Aurelius Cotta legẽ tulit, ut Equites, Senatores, & Tribuni ærarij iudicarent. M. Aemilius.] Cum Saturninus, Glaucia, & Equitius maximos ſeditionũ motus excitaſſent, nec ſe quiſquã populo concitato opponeret, primũ M. Aemilius Scaurus C. Marium ſextum conſulem hortatus eſt, ut libertatem legeſq; manu defenderet: protinuſq; arma ſibi afferri iuſſit. Quibus allatis ultima ſenectute confectũ & penè dilapſum corpus induit, ſpiculoq; innixus ante fores curiæ conſtitit, Senatũ & Equeſtrem ordinẽ ad exigendã uindictam impulit: auctor eſt Valerius Maximus lib. 3. de Fortitudine. In Comitio.] Quod curiæ proximũ erat. Ingredi.] Id eſt, ambulare propter ſenectutem. Non ad inſequendum, &c.] Id eſt, illam pedum tarditatẽ ſibi fore impedimento putabat, quo minus ſeditioſos ciues inſequeretur, non ut fugeret. Q. Scæuola.] Hic Scæuola augur'ne an pontifex fuerit, mihi cognitũ non eſt. Duos enim Scæuolas penè æquales fuiſſe, eſt apud Ciceronem in Lælio. Præpeditus morbo.] Laur. Valla cap. 35. libri 5. teſtis eſt, Præditus morbo legendum eſſe. Membris omnibus captus.] Captus membris dicitur, ut mente captus. Inuectiua tertia: Quis poteſt eſſe tam auerſus à uero, tam præceps, tam mente captus: qui neget hæc omnia quæ uidemus, præcipueq; hanc urbem deorum immortaliũ nutu atque poteſtate adminiſtrari? Et lib. de Offic. 1. Falli, errare, decipi, labi tam dedecet, quàm delirare & mente captum eſſe. Cum L. Metellus, &c.] Eandẽ fermè rẽ dixit Cicero Philipp. 8. Caio inquit Mario, L. Flacco Cõſulibus Senatus Remp. defendendã dedit. L. Saturninus Trib. pl. Glaucia prætor eſt interfectus. Omnes illo die Scauri, Metelli, Claudij, Catuli, Scæuolæ, Craſſi, arma ſumpſerunt. Num autem Conſules illos, aut hos clariſſimos uiros uituperandos putas? Quo tu imperatore.] Publius Seruilius Ciliciam ſubegit, Lyciæ urbes clariſſimas oppugnauit, cepitq;. In ijs Phaſelidem, Olympum, Corycũ Ciliciæ, Iſauroſq; aggreſſus ad deditionem compulit, atque intra trienniũ bello finem dedit. Primus omnium Romanorum in Iſauriam iter fecit. Is reuertens, & triumphum & Iſaurici cognomen accepit. Deinde miſſus in Illyricum, Dalmatiæ partem ſubegit, Salonas cepit, & compoſito bello poſt biennium rediјt. auctor eſt Eutrop. lib. 6. Omnes clariſſimi uiri.] Hoc dicẽdi genus quãuis ſit contra Grammaticorum præceptiones, tamen apud Ciceronem infrequens nõ eſt. Ignauiam.] Eam uulgo puſillanimitatem appellant. Tu denique Labiene.] In cauſa iudiciali, cũ ſtatus qualitatis eſt, illud ualet plurimum, cũ aduerſarium cauſæ noſtræ quodãmodo iudicem facimus: id eſt, cum ex eo quærimus, ſi loco rei quẽ defendimus fuiſſet, an illud non feciſſet, quod reum iure feciſſe defendimus. Ac tempore.] Quo Saturninus cum ſuis excitaret ſeditionem. Arceſſeret.] Id eſt, uocaret. Quid pater.] Labieni patrem arma cepiſſe cum bonis uiris, aut certe cũ Saturnino nõ fuiſſe ſignificat. Equites Romani.] Significat etiam Labienum ex equeſtri ordine fuiſſe. Omnis præfectura.] Intellectio eſt: id eſt omnes qui ſunt ex præfectura. De præfectura alio loco ſcripſi. Nonnunquã municipium præfecturã eſſe, cognoſci poteſt ex illis uerbis Ciceronis pro Varrone quæ ſunt apud Priſc. lib. 7, Ancharius Rufus fuit è municipio Fulginate. Item q; : In præfectura Fulginate. De præfectura Sex. Põpeius ſcribit fuſius, ad hanc ſententiam: Præfecturæ appellantur in Italia, urbes ea, in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agebantur. Et erat quædam earum Reſpublica, neque tamen magiſtratus ſuos habebant. In eas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui ius dicerent. Earum duo genera fuerunt. alterũ, in quas ſolebant ire præfecti quatuor, populi ſuffragio creati. Huius generis fuerunt Capua, Cumæ, Caſilinum, Vulturnum, Liternum, Puteoli, Acerræ, Sueſſula, Atella, Calatia.

alterum

alterum,quas prætor urbanus quotannis in quæque loca miſerat legibus:ut Fundos,Formias,Cere,Venafrum,Alitas , Priuernum,Anagniam,Fruſilonem,Reate , Saturnium,Nurſiam,Arpinum,aliaq́; multa generis eiuſdem . Quod tu nunc de tuo pa. ] Cum dicis,Patruus meus cum Saturnino fuit. Sed etiam ſimulatione. ] Si quis eſt ad uoluptates propenſior,modo ne ſit ex pecudum genere, occultat & diſſimulat appetitum uoluptatis propter uerecundiam,ut ait Cicero in primo de Officijs. Quod autem de una re Cicero dixit,id patet latius . Qui autem homines ex pecudum genere ſunt,honeſtatem non ſimulant. Nam lætantur cum malefecerint homines,et exultant in rebus peſſimis. Nulla deſperatione rerū ſuarum . ] Q. Labienum ſecutum eſſe Saturninum in Capitolium, nimia egeſtate et æris alieni magnitudine coactū ſignificat. nā Agraria lege rē domeſticā cumulaturus erat. Mortis erat inſtar . ] Id eſt, ad ſimilitudinē mortis et acerbitatem,ut lib.de Offic.2 . Patrocinio uero ſe uſos,aut clientes appellari,inſtar mortis putat . Et lib.de Finib.5. Ne ſi iucundiſſimis quidem nos ſomnis uſuros putemus,Endymionis ſomnum nobis uelimus dari : idq́; ſi accidat, mortis inſtar putemus. At C.Decianus,] T.Labienus,ut iram pop.R.in Caium Rabirium commoueret , L.Saturnini imaginē in concione produxit.Egregie hoc in hoc loco & grauiter cōtra Saturnini imaginem feciſſe Ciceronem,Quintil.li.6. auctor eſt. De Caio Deciano & Sexto Titio damnatis , eſt apud Valerium Max.lib.8.titulo Infames rei,quibus de cauſis damnati ſunt uel abſoluti. P.Furium.] Haud ſcio an ſit P.Furius is,qui fuit ex colonis,quos Fæſulas L.Sylla deduxit,quem in Catilinæ coniuratione in Allobrogum ſollicitudine uerſatum fuiſſe, Cic.Inuectiua tertia dixit. Summo ſtudio.] Id eſt , ſummo conſenſu & fauore.Aliam ob cauſam nullam Decianus damnatus eſt ,niſi quia de Saturnino in quadam parte actionis queſtus eſt . Erat enim uir ſpectatæ integritatis. In concione.] Furium in iudicium populi Romani uocatum fuiſſe ſignificat. Sextus Titius.] Qui alioqui innocens erat,& læſa lege Agraria apud populum gratioſus.Itaq; abſolutus fuiſſet,niſi Saturnini imaginem domi ſuæ habuiſſet.Ex hoc exemplo condiſcant ij,qui hæreticorum libros domi non ſolum non habent,ſed legunt, & ediſcunt,ò quàm improbe faciunt . Statuerunt Equites Rom.] Tum enim ſoli equites lege Sempronia iudicabant.Significat tamen Valerius,hunc Titium pop.Romani iudicio condemnatum fuiſſe. Hoſtilem in modum.] Id eſt,maxime , & more hoſtium. Aut mortem eius honeſtaret.] Hominum miſere necatorum ſtatuæ tribus de cauſis ponuntur , aut ad eorum mortem honeſtandam, aut miſericordiam multitudini commouendam,aut ad eorum imitationem excitandam . Imperitorū.]

Id eſt,uulgi,et imperitæ multitudinis. Quam habes.]

Hæc Saturnini imago,quam in concione Labienus propoſuit, aut fuit ea,quam domi ſuæ Titius habuerat,aut ei certe ſimilis.

Peſtem atque exilium.] Id eſt,calamitatem & condemnationem. Equitibus enim iudicibus morte mulctare , Sempronia lege non licebat. In roſtra atque in concionem. ] Nam in foro apud populum Romanum hæc Rabirij cauſa acta eſt. Tres rationes.] Quibus populum Romanum uis impellere in Rabirij calamitatem. Afflictam nauem. ] Nauem & nauim dicimus,quamuis Donatus in Editione prima,puppim , clauim:non puppem,clauem,nauem dici oportere præcipiat. Naufragium fortunarum.] Damnati etiam Deciani bona publicata ſunt. Antiquiorem memoria tua,] Nam annis quadraginta ante hanc Rabirij accuſationem,Saturninus occiſus eſt . Fraudem.] Id eſt,crimen. Capitalem. ] Vt Labienus putauit: qui ob eam rem carnificem in forum adduxit,& crucem in campo Martio fixit. Aetas illa qua tum fuit.] Id eſt,adoleſcentia. ] Adoleſcentulum tum fuiſſe Rabirium ſignificat. Itaque ſi quid deliquit,patronum eius deprecatione uti potuiſſe quòd per adoleſcentiam peccauerit , in quam ſapientia non cadit: ut eſt in oratione pro M.Cælio.Significat igitur alios , quàm Rabirium,peccaſſe grauius. Duos Mutios.] Q. Scæuolas, pontificem & augurem. L.Craſſum,M.Antonium.] Oratores.Illud facit Cicero alijs quoque in locis,ut ad mortuos, qui in ſimili cauſa fuerunt,Iudicium pertinere dicat . Vt pro L.Cornelio Balbo,Poteſt igitur iudices L.Cornelius condemnari , ut non C.Marij factum condemnetur ? Optimis ciuibus Equitib.Romanis.] Qui magnam partem Reipublicæ , atque omnem dignitatem iudiciorum tenebant. De Tribunis ærarijs.] Tribunos ærarios Budæus in Annotationibus in Pādectas exiſtimat appellatos fuiſſe,qui nunc receptores generales uulgo appellantur. Conſulari.] Id eſt , Conſulum. In ſacerdotio.] Lucium Flaccum flaminem Martialem fuiſſe,eſt apud Ciceron. lib.de Diuinatione primo. Nefarij ſceleris ac parricidij.] Id eſt , perduellionis. Quem uere patrem patriæ. ] Quia Cimbros,Theutonos,Ambrones imperio Romano exitium moliētes ſuperauit atque oppreſſit. A` quo Rempub. conſeruatam inuidi quoque fatebātur. Veſtræ libertatis. ] Nam in ciuili bello pop.Romani libertatem contra Syllam & Patricios tutabatur. Si C.Rabirio.] Amplificatio eſt à minore ad maius.

Qui uocauit.] Ad arma . Si fides Saturnino data eſt.]

Cum in Capitolio Saturninus obſideretur,fiſtulas, quibus aqua in templum Iouis Capitolini deducebatur , Marius reſcindi iuſſit. Saturninus aqua defectus,Mario ſe in fidem dedit. Eum Marius cum ducibus factionis in curiam incluſit.Irruptione facta,populus cum fuſtibus ſaxiſq; oppreſſit atque interfecit.

In fide non ſtetit.] Stare in fide dici,adnotandum eſt , cū ſtare fide dici poſſit:uti ſtare conuentis,& promiſſis,Cic.dixit. Vt lib.de offic.1.Iam illis promiſſis non ſtandum eſſe quis non uidet,quæ coactus quis metu,aut deceptus dolo promiſerit ? Libro tertio:Multa,quæ honeſta natura uidentur eſſe,temporibus fiunt non honeſta,facere promiſſa,ſtare conuentis,reddere depoſita.Qui potuit.] Id eſt,quo modo potuit? Sine Senatuſcōſultum.] Significat Conſulibus non licuiſſe fidem publicam dare ſine auctoritate Senatus. Adeóne hoſpes huius urbis. ] Vt pro Milone:An uero iudices uos ſoli ignoratis? uos hoſpites in hac urbe uerſamini ? ueſtræ peregrinantur aures? neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone uerſantur ? Peregrini enim & incolæ officium eſt,nihil præter ſuū negotium agere,nihil de alieno inquirere,minimeq; in aliena Repub.eſſe curioſum,ut ait Cicero lib.de Offi.1. Diſciplinæ.] Id eſt, morum & inſtitutionum.ut in lib.de Offi.2.Senſim hanc conſuetudinem & diſciplinam iam antea minuebamus. Magiſtratum.] Id eſt Tribunatum plebis. Quid iam iſta Caio Mario.] Si damnetur Rabirius,hæc iudicij infamia ad Caium quoq; Marium pertinet.Eam à Mario ſentiri ut oſtendat , arguit animos eſſe immortales. Senſu caret.] Id eſt,nihil ſentit,quod anima unà cum corpore interierit. Tantis in laboribus. ] Vt in libro Tuſculan.quæſtionum 1.Quid in hac Republica tot tantoſq; uiros ob Rempublicā interfectos cogitaſſe arbitramur ? Iiſdem'ne ut finibus nomen ſuum,quibus uita terminaretur ? Nemo unquam ſine magna ſpe immortalitatis , ſe pro patria offerret ad mortem. Licuit eſſe otioſo Themiſtocli,licuit Epaminondæ , licuit(ne uetera & externa quæram)mihi.Sed neſcio quo modo inhæret in mentibus quaſi ſæculorum quoddam augurium futurorum,idq́; in maximis ingenijs,altiſſimiſq; animis, & exiſtit maxime,& apparet facillime. Quo quidem dempta, quis tam eſſet amens,qui ſemper in laboribus,& periculis uiueret ? Innumerabiles hoſtium copias. ] Nam trecenta quadraginta millia Cimbrorum,Theutonorum & Ambronum Caius Marius occidit,ut ait Eutropius lib.5. Fudiſſet.] Id eſt,occidiſſet,ut: Nec prius abſiſtit,quàm ſeptem ingentia uictor Corpora fundat humi. Præſentis in poſterum.] Vt in oratione pro Archia

poeta : Certe ſi nihil animus præſentiret in poſterum, & ſi quibus regionibus uitæ ſpatium circumſcriptum eſt, iiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas: nec tãtis ſe laboribus frangeret, neque tot curis uigilijsq; angeretur, nec toties de uita ipſa dimicaret. Ad eorũ religionẽ, &c. ] Id eſt, ad deorũ numerũ acceſſiſſe. Teſtor. ] Id eſt, Iuro. Curriculum. ] Id eſt, ſpacium. ut pro Archia : Quid eſt, quod in hoc tam exiguo uitæ curriculo, & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? Ornabimus. ] Id eſt laudabimus, & gloria afficiemus. Iuſtiorẽ. ] Vt poſt mortem ab alijs ornemur. Videre non poſſumus. ] Id eſt, qui mortui ſunt. Quos uides. ] Id eſt, qui uiuunt. Illo die. ] Quo Saturninus occiſus eſt. quo enim die ad arma uocatum eſt eodem Saturninus occiſus eſt. Pubes. ] Id eſt, nõ puer. Pubes pro eo qui pubem generare poteſt, genitiuum habet huius puberis : ut ex Probo Priſc. tradit. Pubem pro iuuentute Cicero dixit, pro Milone : Omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma commiſerat. Non ſupplicium deprecarer. ] Id eſt, ut ei ignoſceretur, non precaret. De uerbo Deprecari, eſt apud Gellium & Vallam. Si Scæuæ ſeruo. ] Arguit à minore ad maius. Par. ] Id eſt, iuſtum. Fiſtulas. ] Fiſtulæ plumbeæ ſunt, per quas aqua è fontibus ducitur. Vitruuius lib. 8. Ductus aquæ fiunt generibus tribus, riuis per canales ſtructiles, aut fiſtulis plumbeis, aut tubulis fictilibus. Fiſtulas quoque appellari licet tubos plumbeos, per quos aqua pluuia è tectis ducitur. Quibus aqua ſuppeditabatur. ] Fons in Capitolium deductus, Anio uetus appellatur. Anno ab urbe condita 608. cum hic fons uetuſtate conſumptus, ac priuatorum fraudibus interceptus eſſet, datum eſt à Senatu negotium M. Titio Prætori peregrino, ut hunc fontem reficeret. Ei ab auctore Martiæ aquæ nomen inditum eſt. Anno poſtea ab urbe condita 627. Cneus Seruilius Cepio, & L. Caſſinus Longinus Cenſores in Capitoliũ deduxerunt aquam, quæ uocatur Tepula. Auctor eſt Iulius Frontinus libro de Aquæductibus. Hæc oratio quamuis integra non ſit, pauca tamen deſiderari arbitror.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO LVCIO MVRENA FRANCICI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

## ARGVMENTVM.

L VCIVS Murena equeſtri loco natus C. Antonio & M. Cicerone Coſſ. cum D. Syllano, L. Catilina, & Seruio Sulpitio conſulatum petiuit. Is cum Syllano Conſul deſignatus, à Sulpitio accuſatus de ambitu eſt. In accuſatione tria illa fuerunt præcipua : Vnum in mores L. Murenæ, quod in Aſia fuerit quodq; ſaltauerit. Alterum contendit Sulpitius, dignitate ſe Murena ſuperiorem eſſe, quod ſit Patricius, quod iuris ciuilis peritus in foro ſemper uerſatus ſit, quod in Quæſtura & in Prætura prior renunciatus ſit : Murena uero equeſtri genere natus, in exercitu ſemper fuerit. Tertium crimen ambitus eſt, quod contra legem Calphurniam & Senatuſconſultum, quod Cicerone Coſ. referente factum eſt, multi candidato Murenæ prodiſſent obuiam, quod multi ſectati ſint, quod ad ſpectandum gladiatores tributim locum dederit, quod ad prandia uulgo inuitauerit. Primum Cicero refutat. Quantum ad alterum, Murenam & Sulpitium dignitate pares eſſe, nec ordinem renunciationis eſſe ordinem dignitatis oſtendit : docetq; Murenam ſuffragiorum multitudine iuſta de cauſa ſuperiorem fuiſſe. Rem militarem qua Murena præſtitit, ſcientiæ iuris ciuilis, quæ Sulpitio familiaris fuit, anteponit. Poſtremo Murenam contra legẽ de ambitu nihil admiſiſſe contendit. Oratio iuridicialis eſt, Status cauſæ coniecturalis. Accuſatores fuerunt quatuor, Seruius Sulpitius cõpetitor, eius filius adoleſcẽs, M. Cato deſignatus Tribunus plebis, & Cn. Poſthumius. Tres autem patroni, Q. Hortenſius, M. Craſſus, & M. Cicero, qui poſtremo loco dixit. Abſolutus Murena fuit, nec ulla ratione Catoni ſe inimicum præbuit, cuius conſilio ipſe coſ. rempublicam adminiſtrauit : eumq; in uita reliqua obſeruauit, ut ait Plutarchus in uita Catonis.

QVAE precatus, &c. ] Morem populi Romani fuiſſe ſignificat, ut Conſulis qui habeat comitia conſularia, renunciet qui Conſules pop. ſuffragio facti ſint : utq; idem Conſul à dijs immortalibus precetur, ut ea res ſibi, magiſtratui ſuo, pop. plebiq; Romanæ bene atque feliciter eueniret. Auſpicato. ] Apud Romanos ueteres ne priuatim quidem quidquã gerebatur, niſi auſpicio prius ſumpto: ut ait Valerius Max. lib. 2. de Inſtitutis antiquis. Comitijs centuriatis. ] A. Gellius cap. 14. lib. 13. ex Meſſalæ ſententia tradit, auſpiciorũ duo genera eſſe : maiora, quibus comitijs centuriatis maiores fierent magiſtratus, ut Conſules, Prætores, Cenſores : minora quibus fierent comitijs curiatis reliqui magiſtratus, qui minores ſunt. Idẽ Cap. 27. lib. e 5. comitia curiata & cẽturiata diſtinguit : ut ſint cẽturiata, cũ ex cenſu et ætate ſuffragia ferantur: curiata, cũ ex generibus omniũ. Cic. in lib. de Legibus 3. Comitiũ centuriatũ appellat maximũ: Deſcriptus. n. ut inquit, populus cenſu ordinibus ætatibus plus adhibet in ſuffragiũ cõſilij, quã fuſe in tribus cõuocatus. Renũciaui. ] Id eſt, declaraui. Magiſtratui meo. ] Id eſt, conſulatui, quẽ ego uſq; ad Calen. Ianuarij geſturus ſum. Cũ ſalute. ] Id eſt, abſolutione. Obtinendũ. ] Veſtris ſententijs. Voluntate ſuffragijſq;. ] In quibus Murena Cõſul factus eſt. Id ego ſum. ] À religione Iudices ſibi beneuolos facit. Solenni enim precatiõe Cic. Conſul. à dijs precatus eſt, ut conſulatus Murenæ bene feliciterq; eueniret. Eadem uoce idẽ à iudicibus precatur, quorũ poteſtatem hac in re cũ dijs cõmunicatam eſſe dicit. Idẽ ego ſum precatus. ] Multũ illa religionis ratio mouet, quæ diuinis rebus attribui ſolita, humanis quoque attribuitur. ut pro M. Fonteio: Tendet ad uos uirgo Veſtalis manus ſupplices eaſdem, quas pro uobis dijs immortalibus tẽdere cõſueuit. Cauete ne periculoſum ſuperbumq; ſit, eius uos obſecrationem repudiare, cuius preces ſi dij aſpernarentur hæc ſalua eſſe non poſſent. Is quoq; hominibus. ] D. Syllano & L. Murena. Me rogante. ] Id eſt, me præfecto comitijs, quæ à me lege centuriata habita ſunt. Aut certe, Me rogante. ] Cũ uiderem Sulpitium Murenæ accuſationem meditari, eũ petitionem deſtituere arbitrabar. metuẽs igitur, ne Catilina fieret Conſul, rogaui ut Murena et Syllanus fierent. Aut certe cõmunicata uobiſcum. ] precatus eſt Cicero à dijs, ut quibus conſulatus eſt, ea res fauſte feliciter proſpereq; eueniret. Id dij facere poſſunt. poſſunt ẽt Iudices, ſi Murenã abſoluãt. Ad Iudices igitur deorũ poteſtas translata eſt; aut cũ ijs certe cõmunicata. Certe. ] Id eſt, ſaltẽ. Ea particula in diſiunctione poni ſolet, cum pars minoris momenti poſtponitur. Declaratus. ] In comitijs, & defenſus in iudicio. Declarare autem pro eo dicit, quod ante dixit renunciare. Fortaſſe in eadem

re deſignare dicitur. Deſignatus autē magiſtratus dicebatur, antequā iniret magiſtratū. Is autē à plebe unquā deſignabatur: ut ait Cic. in Rul. ad Quirites. Quocirca deſignari putē ab eo, qui comitijs præfectus ſit. Beneficium populi Romani. ] Quod P. R. ſuffragio præſtitit. Et quoniam in hoc officio. ] Abſoluto generali proœmio, breui quodā proœmio ſpeciali quid ſit facturus ante Murenæ defenſionem oſtendit. Cum orator ſit uir bonus, dicendi peritus. prima & ſumma auctoritat oratoris eſt, ut ſit, habeaturq́; uir bonus: proxima, ut habeatur, ſi non ſit. Itaque ſi quid ab aduerſario dictum ſit, aut ſi quid taciti ipſi iudices cogitant, quo patroni auctoritas lædatur, illud faciendū diligenter eſt, ut prius ſe patronus purget, ſuamq́; bonitatem iudicibus probet quàm rei defenſionem aggrediatur. Id facit Cicero pro P. Sylla: facit etiam hoc loco, cum Catonis dicta in ſe, et de ſe conqueſtionem Sulpitij purgat. Huius'ce. ] Murenæ. Facto meo uobis probato. ] Id eſt, poſtquam effecero, ut factū meum approbetis. Inimicorum. ] Id eſt, accuſatorū. Ad certam rationis normam. ] Cato enim Stoicus erat. Dirigēti & perpendenti. ] A' fabrorum amuſſi perpendiculoq́; factas eſſe has tranſlationes, ignotum non eſt. Momenta. ] Id eſt, particulas: Id eſt, non modo officia, ſed officiorū momenta. Me & conſulem, &c. ] Tria dicit Cato in Cicerone, ad quæ Cicero ordine reſpondet. Tam ſeuere. ] Præcipue in Catilinam. Attingere. ] Id minus eſt quàm defendere, ut maior Catonis indignatio oſtendatur. Quibus maxime debeo. ] Niſi enim mea bonitas uobis perſpecta fuerit, non facile obtinebo. Ea autem perſpecta erit, ſi facti mei rationem uobis probauero. Probem. ] Id eſt, faciam ut approbetis. Id uerbum hac in re ſæpe dici à Cicerone, alibi admonuimus. A' quo tandem M. Cato. ] Apoſtrophe eſt. Aut ò me uno. ] Conſul Cicero collegam habuit C. Antonium. Sed quo die habita ſunt illa comitia cōſularia, imperium erat penes Ciceronem. uiciſſim enim conſules imperio utebantur: ut ait Plutarchus in uita Annibalis. Quæ mācipi ſunt. ] Omnes res quæ abalienari poſſunt, id eſt, quæ à noſtro ad alterius trāſire dominiū poſſunt, mācipi dicta ſunt. Mācipi res ueteres appellabāt, quæ ita abalienabātur, ut ea abalienatio per quādā nexus ſolennitatē fieret. Nexus uero eſt quædā iuris ſolēnitas, quæ iure ciuili Rom. fiebat, adhibitis non minus quàm quinque teſtibus, ciuibus Romanis, puberibus: & præterea alio eiuſdem conditionis, qui libram æneā teneat, qui appellatur libripens. Is qui mancipium emit & accipit, æs tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritum meū eſſe aio, iśq; mihi emptus eſt huius ære, æneaq; libra. Deinde ære percutit libram, idq́; æs dat ei, à quo mancipium accipit, quaſi pretij loco. Inde mācipatio, imaginaria quadam uenditio eſt. Hæc ex lib. Commētariorum 3. Boetij in Topica Ciceronis. Mācipi, ut frugi, cordi, nili, huiuſmodi, cum omnibus alijs caſibus cōiungi poſſunt: Id eſt, poſſunt eſſe indeclinabilia: ut eſt apud Priſcianum lib. 3. Eſt autem ſententia: Si res uendita ab emptore repetatur, tanquam eius uendendæ uenditor ius nō habuerit, is qui uendidit, emptorem in iudicio defendere debet: multo rectius eſt, ut qui Conſulem declarauit, eum Conſulem in iudicio defendat. Eſt autem ſimilitudo. Periculū iudicij præſtare. ] Id eſt, defendere, & ut uulgo dicunt, garantire. Qui ſe nexu obligauit. ] Id eſt, qui ſe uendidit. Ac ſi ut nonnullis in ciuitatibus. ] Argumentum à fictione. Potiſſime. ] Aduerbia ſuperlatiui gradus alia in o, alia in um, alia in e tantum exeunt. Meritiſſimo, non meritiſſime, plurimum, non plurime: doctiſſime, non doctiſſimum dicimus. Vt autem minime & minimū, quæ Valla diſtinguit: ita potiſſime & potiſſimum dicimus: hoc ſæpiſſime, illud rariſſime. In libro quoque de Amicitia hac uoce uſus Cicero eſt: Hactenus mihi uideor de amicitia quid ſentirem potiſſime, dixiſſe. Honore affecto. ] Id eſt, gerēti magiſtratum. Eſt enim Affecto datiui caſus. Quod ſi ex portu ſoluentibus. ] Auctore Quintil. lib. 5. παραβολὴ, quam Cicero collationem uocat, longius res quæ comparantur repetere ſolet. ut Cic. pro Murena facit. quod ſi è portu ſoluētibus, &c. Vbi apud Quintilianum inuenio ſcriptū, Si è portu ſoluētibus: non, ſi portu ſoluentibus prædicare, non præcipere: naturo fert, non natura offert: ut in Codicibus orationum ſcriptum eſt. Ex alto. ] Id eſt, ex mari. Quamuis mare dicatur ſæpiſſime, nonnunquā tamen altum Cicero dixit, ne poeticam uocem tantum eſſe credas. ut in primo de Officijs. Atque etiam ſi ſatiata ſit, quæſtu, uel contenta potius, ut ſæpe ex alto in portum, ſic ex ipſo portu ſe agros poſſeſſionesq́; contulerit, uidetur iure optimo poſſe laudari. Actione in Verrem 6. Erat eiuſmodi loco atq; ita proiecta in altum, ut et exeuntes è Cilicia prædones ſæpe ad eam neceſſario deuenirent. Actione 7. Ab illis parte urbis nauibus aditus ex alto eſt. Idem pro P. Seſtio: Cū uero in hāc reipublicæ nauem, ereptis Senatui gubernaculis, fluitātem in alto tempeſtatibus ſeditionum ac diſcordiarum, &c. Idem paulo ante dicit profundum, in eadē re: iecissem me potius ipſe in profundū, ut cæteros conſeruarem. Idem ſalum pro mari dixit, pro A. Cecina: Vt ſi qui ex alto, cū ad patriam acceſſiſſet, tempeſtate ſubito reiectus optaret, ut cū eſſet à patria deiectus, eò reſtitueretur: hoc opinor optaret, ut ò quo loco depulſus eſſet, in eū ſe fortuna reſtitueret: non in ſalum, ſed in ipſam urbem, quam petebat. Ex magna iactatione. ] Id eſt, Reipublicæ tempeſtate. Terrā. ] Id eſt, finē mei Conſulatus, qui Calendis Ianuarij futurus eſt. Quid futurum ſit. ] Poſt Conſulatum ſuū.

Duos Conſules. ] Murenam & Syllanum. nam, ut dixi, Sulpitius à petitione deſiſtere uidebatur: Catilinam fieri conſulem Reipublicæ perniciosum fuiſſet. Calendis Ianuarijs. ] Eo enim die Conſules deſignati inibant magiſtratum. ſed tempore ſecundi belli Punici, & ante, inibant Idibus Martijs, ut amplius ſcribimus in Commentorijs in Catonem Maiorem Ciceronis. Hominis amici. ] Murenæ. Nam quod legem. ] Secundum eſt, quod à Catone dictum Cicero purgat. Eſt autem Nam inceptiua particula. De lege Ciceronis de ambitu, poſtea, quā mihimetipſi tulerim. ] Id eſt, quam eo mihi propoſuerim ſanctam, & ſemper ſeruandam. Largitionem factam. ] A' Murena, ad emenda populi ſuffragia. Facere largitionem dicit, pro eo quod eſt largiri. Id autem largiri ferè in mala re Cicero dicit. Negat eſſe. ] Tertium eſt. Verbis & penè imperio. ] Ea enim oratio qua Catilinā Cicero urbe expulit, eſt prima Inuectiuarum, cuius initium eſt: Quouſque tandem &c. Has arteis. ] Parteis, nō arteis legendum puto, ut ſit tranſlatio à comœdijs ſumpta, cuius partes dicuntur. ut in Diuinatione: Vt in auctoribus Græcis fieri uidemus, ſæpe illum qui eſt ſecundarum aut tertiarum partium, cū poſſit aliquāto clarius dicere, quàm ipſe primarū, multum ſubmittere, ut ille princeps quàm maxime excellat. Teren. in Phormione: Primas partes qui aget, is erit Phormio. Quas me natura ipſa docuit. ] De ſe Cic. pro P. Sylla: Me, inquit, natura miſericordē, patria ſeuerū, crudelem nec patria, nec natura eſſe uoluit. Denique iſtam ipſam perſonā uehementē & acrem, quā mihi tum tempus & Reſp. impoſuit, iā uoluntas et natura ipſa detraxit. Illa enim ad breue tēpus ſeueritatē poſtulauit, hæc in omni uita miſericordiā lenitatemq́; deſiderat. Vici naturam. Nam fui ſeuerus & uehemens, qui natura ſum miſericors. Seruire naturæ. ] Id eſt, obedire & operam dare. Seruire ualetudini, utilitati, gloriæ, pietati, rei familiari, Cic. dixit lib. Epiſt. familiarū 14. Quare, ut id quod ſperas, & quod agis cōſequamur, ſerui ualetudini. lib. 16. Quare malo te ualetudini tuæ ſeruire, quā meis oculis et auribus. Idē eodē lib. ſeruire corpori in eadē re dixit: Nunc te nihil impedit, omnia depone, corpori ſerui: quantā diligentiam in ualetudinē tuam contuleris, tanti me fieri à te iudicabo. Lib. de Offic. 3. Suæ cuique utilitati, quod ſine alterius iniuria fiat, ſeruiēn

dum eſt. In oratione Poſt reditum ad Quirites: Sic ulciſcar facinora ſingula, quẽadmodum à quibuſque ſum prouocatus: malos ciues, Rempublicã bene gerendo: perfidos amicos, nihil credendo, atque omnia cauendo: inuidos, uirtuti & gloriæ ſeruiendo. pro M. Celio: In alterius dolore uel pietati uel indulgẽtiæ ueſtræ ſeruiatis. Pro Sex. Roſcio: Non'ne optatiſſimum ſibi putãt eſſe, filios ſuos rei familiari maxime ſeruire? Sed me Iudices.] Hoc uice procemij fungi. Quintil. lib. 4 ſcribit. Conqueſtio.] Id eſt, querela: ut lib. Epiſtolarũ ad Quintũ fratrem 1. Vbi nullum auxilium eſt, nulla conqueſtio, nullus Senatus, nulla cõcio. In petitione.] Id eſt, cum peteres Conſulatũ. Petere magiſtratum multum uſitate dicimus. Studia.] Studere magiſtratũ petenti, id eſt, fauere, et ut uulgo dicunt, pro eo brigare dicimus. ut pro M. Celio: Studuit Catilinæ iterum petenti. Itemq́; : Studuit Catilinæ, cũ iam aliquot annos eſſet in foro Celius Inde ſtudis hoc loco appellat. Gratioſo.] Id eſt, ualente gratia apud multos. Honorem.] Id eſt, Conſulatum. Petas Murenam.] Petere cum ad hominem refertur, in mala re ferè dicitur. Inuectiua in Catilinam prima. Quotieſcunque me petiſti, per me tibi obſtiti. Petere Rempublicam, idem in eadem ibidem dicit: Nunc iam aperte Rempublicã uniuerſam petis. inde petere ſanguinem, uitam, & auctoritatem idẽ dicit. ut pro Q. Ligario: Certo ſcio uos non petere ſanguinem. Pro Deiotaro: Non ficto crimine inſectari, non expetere uitam, nõ capitis arceſſere. De Reſponſis aruſpicum: Iniecta eſt fax fœda ac luctuoſa reipublicæ, petita eſt auctoritas ueſtra, grauitas ampliſſimorum ordinum, conſenſio bonorum omnium, totus denique ciuitatis ſtatus. Alieniſſimos, Id eſt, qui nullo pacto amici noſtri ſunt. Verus amicitia.] Diſputat Cicero in Lælio, amicitiæ nouæ ueterem anteponendam eſſe. In capitis dimicatione.] Id eſt, in cauſa capitali. Capitalis cauſa ea eſt, cum damnato reo capitis pœna infertur. Eſt autem capitis pœna non ſolum ultimum ſupplicium, ſed etiam exilium: quo ſcilicet caput, id eſt, ciuis eximitur è ciuitate, ut alio loco amplius ſcripſimus. In honoris contentione.] Id eſt, in Conſulatus petitione. Contendere enim, petere eſt. Amicitia Ciceronis cum Murena in petitione Conſulatus à Sulpitio ſuperata eſt. nam contra Murenam Sulpitio Cicero ſtuduit. Quæ ſi cauſa non eſſet.] Id eſt, quamuis Murena amicus nõ eſſet. Id quodãmodo donat aduerſario, ut ad proxima ſibi gradum faciat. Famam inuſſiſſet.] Id eſt, infamiã attuliſſet. Inurere notã dici, in Inuectiuas ſcribimus. Inurere odiũ, uulnus, dolorem, Cicero dixit. ut de Reſponſis aruſpicũ: Ineſt hoc tempore haud obſcurum odium, atque id infixum penitus & inuſtum animis hominũ ampliſſimorum. Pro P. Seſtio: Quorum per deos immortales, ſi nondum ſcelera uulneraq́; inuſta reipublicæ recordari uultis, uultũ atque inceſſum animis intueamini. Act. in Verr. 3. Cur hunc dolorem cineri eius atque oſſibus inuſſiſti, ut liberis eius bona patria uolũtate patris, iure, legibus tradita eriperes? Actione 4. Videte Iudices, quantum et quàm acerbum dolorem ſociorum atque amicorum animis inuſſerint iſtius iniuriæ. Repudiaſſem.] Id eſt, ad me delatam non ſuſcepiſſem. Meum laborem.] Laborem defendendi appellat. Defendere quàm accuſare difficilius eſſe, pro lege Manilia ſcribimus. Hominũ periculis ſubleuandis.] Id eſt, defendendis reis. Cum præmia mihi tãta.] Cic. in Diuinatione, multos ſe dicit annos in cauſis iudicijſq́; publicis ita uerſatum, ut defenderit multos, accuſauerit neminem. Ex eodem tempore alios multos defendit. Exiſtimat igitur propter hoc defendendi ſtudiũ ſe factum Conſulem. Id munus æſtimat amplius multo quàm quod ulli cõceſſum ſit. Is enim nouus homo, nobilibus multis cõpetitoribus antepoſitus, anno ſuo Conſul factus eſt, cũ nobiles anno ſuo, id eſt, legibus præſcripto rariſſime fiant Cõſules. Id latius eſt in oratione Ciceronis ad Quirites in Rullum. Pro hac induſtria.] Id eſt, pro hoc defenſionum labore. Induſtria enim labor in re honeſta eſt, qui uoluntate ſuſcipitur: cui pigritia, deſidia, inertia contraria ſunt. Induſtrios homines, laborioſos appellamus, ut ait Cic. in lib. Tuſc. Quæſt. 2. In eadem re ab eodem dicitur lib. 5. de Dionyſio tyranno: Vt qui de hoc homine à bonis auctoribus ſic ſcriptum accepimus, ſummam fuiſſe eius in uictu temperantiam, in rebuſq́; gerendis uirum & acrem et induſtrium, eundem tamen maleficum natura & iniuſtum. Et actione in Verrem 6. Næ iſta præclara nobilitas deſignat queri pop. Rom hominibus nouis & induſtrijs libenter honores mandare, ſemperq́; mandaſſe. Quanta antea memini, ſic & ſi ceperis eos cum adeptus ſis.] In uulgatis codicibus ita ſcriptum inuenio. Sed in alio quodam codice lego, Quanta antea memini. Labores per quos ea ceperis, cũ adeptus ſis deponere. Quæ lectio aliquam in ſe habet ſententiam. ea autem eſt: Deponere labores defenſionum, per quos ceperis ea præmia, quæ præmia adeptus ſis, aſtuti & ingrati hominis eſſet. ut qui quid ab aliquo expectat, omni ratione ei obſequi ſtudet: ubi uero id ab eo cõſecutus eſt, omne obſequiũ deponit. Deponere labores.] Id dixit, ut deponere curas, moleſtias, ſtudia. Lib. Epiſt. famil. 4. ad Ser. Sulpitium ſcribens: Habebã quò confugerem, ubi conquieſcerẽ, cuius in ſermone et ſuauitate omnes curas doloreſq́; deponerẽ. lib. de Offic. 2. Nihil autẽ agere cũ animus non poſſet, in his ſtudijs ab initio uerſatus ætatis, exiſtimaui honeſtiſſime moleſtias poſſe deponi, ſi me ad Philoſophiam retuliſſem. In hac oratione: Huiuſmodi candidatorum amici intimi debilitantur, ſtudia deponũt. Ponere quoque, pro deponere à Cicerone ſæpe dici, alio loco ſcripſimus. Quod ſi licet deſinere.] Argumentũ à fictione eſt. Nulla inertia.] Quamuis intelligi poſſit nulla inertiæ turpitudo, facile tamen mihi perſuaderem, aliquod nomen deeſſe eiuſmodi eſt macula, uel nota, uel fama. quia ut ſuperbiæ turpitudo inhumanitatis culpa, ita inertiæ macula dicatur. Fuga laboris.] Stoici pigritiã definiũt, ut ea ſit fuga laboris, ut eſt in libro Tuſc. 4. Repudiatio ſupplicũ ſuperbiã.] Significat ſuperbũ eſſe eũ qui ſupplices repudiet: quo nomine appellatur et is, qui rogantibus non dignatur reſpondere. Cic. lib. Epiſtol. famil. 1. Qui iſtinc nunc ueniunt, partim ſuperbum te eſſe dicũt, quòd nihil reſpondeas; partim contumelioſum, quòd male reſpondeas. Nec miſericors.] Miſericors hoc loco opponitur ſuperbo. De tuo ipſius ſtud.] Id eſt, de ea re, quã libẽter facere ſoles: Conlecturam ceperis.] Id eſt conijcies. Tibi neceſſe putas.] Quia tu tibi hanc legem tuliſti. ut omnibus te de iure conſulentibus reſpondeas. Aduerſarijs.] Iis qui ſunt aduerſæ partis. De iure conſulentibus reſpondere.] Hoc ueteres Rom. feciſſe ſtudioſe Cicero ſcribit. apud quem in lib. de Oratore tertio Craſſus: Equidem, inquit, ſæpe hoc audiui de patre, & de ſocero meo, noſtros quoque homines, qui excellere ſapientiæ gloria uellẽt, omnia, quæ quidẽ tũ hæc ciuitas noſſet, ſolitos eſſe complecti. Meminerant illi, Sex. Aelium, M. uero Maniliũ nos etiam uidimus trãſuerſo ambulantem foro, quod erat inſigne, eum qui id faceret, facere ciuibus omnibus conſilij ſui copiã. Ad quos olim & ita ambulantes, & in ſolio ſedentes domi ſic adibatur, non ſolum ut de iure ciuili ad eos, uerum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio referretur. Te aduocato.] Aduocatus, ut ait, Pedianus, is eſt, qui in iudicio aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam cõmodat amico. Cauſa cadere.] Id eſt, uinci in iudicio & condemnari, ut in lib. Epiſt. famil. 7. ad Trebatium: Quid ſi ſcribere oblitus es, minus multi iã te aduocato cauſa cadent. Cadere à Cauſa dixit lib. de Inuentiõe 2. Ita ius ciuile habemus conſtitutũ, ut à cauſa cadit, is, qui non quẽadmodũ oportet egerit Cadere in iudicio in eadẽ re dicit paulo poſt, in hac oratione: Noluerũt ſapientiſſimi homines, qui tum rem illam iudicabant, ita quẽquam cadere in iudicio, ut nimijs aduerſarij uiribus abiectus uideretur. Noſtros etiã amicis.]

amicis. ] In codicibus alijs ſcriptum eſt, Noſtros riuulos etiam amicis, &c. quæ lectio magis placet: ut maior Sulpitij iniuſtitia ſit, ſi à Cicerone Murenā defendi nolit. Ab hac cauſa, &c. ] Id eſt, ſi propter amicitiam tuam Murenæ cauſam non ſuſcepiſſem. Q. Hortenſio, Marco Craſſo. ] Qui etiam ipſi Murenam defenderūt. Nemini unquā infimo. ] Vlpianus lib. Digeſt. 3. de Poſtulando, ſcribens uti prætor ſurdū apud ſe poſtulare prohibeat, illa ſubſcribit: Prætor ait, Si non habebunt aduocatū, ego dabo. Nec ſolū his perſonis hanc humanitatem prætor ſolet exhibere, uerū etiā ſi quis alius ſit, qui certis ex cauſis, uel ambitione aduerſarijs, uel metu patronū nō inuenerit. Si conſuli. ] In codicibus alijs lego, ſi Cōſul Conſuli. Quod dandū eſt amicitiæ. ] Sollicitus in eo Cicero eſt, ne amicū Sulpitiū lædere uideatur. ea enim ratione anctoritatē ſuam minuerat. At ſi meus erat frater. ] Marcus Cicero Quintum fratrē pluris quàm ſeipſum ſemper fecit, ut ſcribit in Epiſt. ad Atticū lib. 3. Intelligo iudices. ] Narratione non utitur, quia ſtatus coniecturalis ſimplex eſt. Nihil enim narrare debet, qui negat quod ſibi intenditur, nec aliud aduerſario intendit. Quod ſi quid accuſatori patronus intenderet, tum narrandum eſſet, ut probaret, id quod contra intēdat aduerſario. Vt pro Milone, Cicero negat inſidias à Milone, Clodio factas: ſed contra intendit, factas à Clodio Miloni. Pro Sex. Roſcio, idem negat à Sex. Roſcio patrem occiſum: ſed contra intendit, occiſum à Tito Roſcio Magno. Itaque in utraque oratione uſus narratione eſt. Intelligo iudices. ] partitio eſt, de qua Quintilianus libro quarto: Nemo, inquit, erit tā aut iniuſtus aut ſtultus, quin Ciceronē fateatur optime pro Murena eſſe partitū. Intelligo iudices, etc. ] Nā ſic & oſtendit lucidiſſime cauſam, et nihil fecit altero ſuperuacuū. Maledicto ponit pro prima parte partitionis. Pro Marco autem Celio prius refutat maledicta, quàm partitione utatur. In reprehenſione uitæ. ] Lucij Murenæ. In contentione dignitatis. ] Contendebat enim Sulpitius, ſe Murena eſſe nobiliorem, & conſulatu digniorem: ut oſtenderet, Murenam ſibi prępoſitū eſſe tantū propter largitionem. Grauiſſima. ] Id eſt, firmiſſima. Lex accuſatoria. ] Solent accuſatores ante actæ uitæ crimina reo obijcere, quo magis credibile ſit crimē id quod cauſæ propriū eſt. eáq; maledicta Cicero appellat pro M. Celio. Id autē tam obſeruare ſolent accuſatores, quàm quod maxime. Itaque accuſatoria quædam lex eſſe uidetur. Leges enim ſanctæ ſunt, quas uiolari non licet. ideóq;, quia dicendi præcepta perpetua non ſunt, negat Quintilianus legibus plebis ue ſcitis ſancta eſſe ſua de ratione dicēdi præcepta. Obiecta enim eſt Aſia. ] Id ſolet facere Cicero, ut prius maledicta, quàm crimen quod cauſæ proprium eſt, refutet. Huius enim modi maledicta iudicibus offerunt opinionē quandam improbitatis, quæ opinio tollitur, cum maledicta refutata fuerint. Probi uero mores, ut ait Quintilianus libro ſeptimo, & ante acta uitæ integritas nunquam non plurimū profuerint. Itaque idem eodem in libro ſcribit, ante actæ uitæ crimina plerunq; prima purgāda eſſe, ut id de quo laturus eſt ſententiam iudex, audire propitius incipiat. Sed hoc, inquit, pro Murena Cicero in ultimum diſtulit, nō quid tum expediret intuitus. Obiecta eſt Aſia. ] Aſia omnibus libidinū illecebris repleta eſt: ut ait T. Liuius lib. triceſimoquarto. Inde Romanam luxuriam ortam fuiſſe, idem ſcribit libro triceſimonono: Luxuriæ, inquit, peregrinæ origo ab exercitu Aſiatico inuecta in urbem eſt. Inde lectos æratos, ueſtem ſtragulam pretioſam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ ſupellectilis habebantur, monopodia & abacos Romam aduxerunt. Tunc pſaltriæ ſambuciſtriæq;, & conuiualia ludionum oblectamenta addita epulis. Epulæ quoque ipſæ et cura & ſumptu, maiore apparatu cœptæ. Tum coquus uiliſſimum antiquis mancipium, & æſtimatione & uſu in pretio eſſe: & quod miniſterium fuerat, ars haberi cœpta. Vix tamen illa, quæ tū cōſpiciebantur, ſemina erant futuræ luxuriæ. Prudentius fecit Spartana ciuitas, quæ, ut ait Valer. Max. libro 2. de Inſtitutis antiquis, ſeueriſſimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquandiu ciuiū ſuorum oculos à contēplanda Aſia retraxit, ne illecebris eius capti ad delicatius uitæ genus prolaberentur. Audierunt enim lautitiam inde, & immodicos ſumptus, & omnia non neceſſaria uoluptatis genera fluxiſſe. Patre ſuo Imperatore. ] L. Murena huiuſce pater in Aſia in bello Mithridatico L. Syllæ legatus fuit. Idē, cū Sylla icto fœdere cū Mithridate ciuiliū contētionū cauſa Romā reuertiſſet, cū Mithrid. Aſia bellū renouauit. Nam à Sylla cum duabus legionibus in Aſia relictus fuerat, ut reliqua Aſiæ componeret. Meruiſſet. ] Id eſt, militaſſet, ſtipendia feciſſet. Sedere in equis. ] Sedere in equo, in lapide (quod uulgo dicunt, eſſe ſuper equum, ſedere ſuper lapidē) docte dici, in Commentarijs in Catonem Maiorem Ciceronis latius ſcriptum eſt. Triumphātium filij in equis ſedebant, ipſi autem triumphantes curru uehebantur. Prætextati potiſſimum filij. ] Hoc à Tarquinio Priſco fortaſſe habuit originem. Is enim de Sabinis triumphans, filium annos 4. & 10. natū, quod hoſtem eo in bello percuſſerat, & pro concione laudauit, et bulla aurea prætextáq; donauit: puerum ultra annos fortem præmijs uirtutis & honoris illuſtrauit. Antea enim prætexta magiſtratuum erat, & bulla triumphantium: auctor eſt Macrob. lib. Saturnalium primo. Prætextatiq; potiſſimum. ] Significare uidetur certum aliquod pueritiæ tempus, quo prætextæ darentur pueris: uti toga uirilis ſumebatur anno ætatis decimoquarto, uel decimoquinto, uel decimoſexto. Antequam pueri eſſent prætextati, patris triumphum in equis non comitabantur. Nec pueri tantum ſunt prætextati. nam auctore T. Liuio libro 34. uiri prætextati purpura in magiſtratibus & in ſacerdotijs, eorumq; filij prætextis purpura togis utebantur. Decorare fugiendū fuit. ] Si emendata lectio eſt, id intellige propter uitā in Aſia turpiter actam. Vt rebus communiter geſtis. ] In codicibus alijs eſt, Ne ut rebus communiter geſtis, &c. Cū patre triumpharet. Hæc aſcribendum uidetur. Aſia iure obiecta eſt: aliud ue quid ſimile. In Aſia continenter uixiſſe. ] Cicero lib. Epiſt. 1. ad Quintum fratrem: Præclarum eſt, inquit, ſummo cum imperio fuiſſe in Aſia triennium, ſic, ut nullum te ſignum, nulla pictura, nullum uas, nulla ueſtis, nullum mancipium, nulla forma cuiuſquam, nulla conditio pecuniæ, quibus rebus abundat iſta prouincia, ab ſumma integritate cōtinētiáq; deduxerit. Non modo maximū. ] Id bellum Mithridaticum Cicero poſtea in hac oratione, & pro lege Manilia, docuit eſſe maximum. Sed etiam ſolum. ] Nondum enim cœperat bellum Sertorianum in Hiſpania, quod ante ortum fuit, quàm Lucullus aduerſus Mithridatem proficiſceretur. Virtutis. ] Id eſt, fortitudinis. Finem ſtipendiorum. ] Quæ L. Murena adoleſcens faceret. Saltatorem appellat. ] Saltare quod turpe habitum Romæ ſit, in Comment. in Inuectiuas latius ſcriptum. Deiotaro ſeni, quòd ſaltauerit, obiectum quoque eſt. Ex triuio. ] Id eſt ex uulgo: cuius mos eſt, ut cum quis cui conuicietur, eum ſaltatorem appellet. Temere. ] Id eſt, ſine cauſa, quia tibi res bene cognita ſit. Quibus præterea uitijs. ] Vt uitium ſit magis credibile, uitia alia, ex quibus hoc naſcatur, aut quæ huic affinia ſunt, oſtendi debent: ut auaritia, furtum, libido, adulterium, audacia, cædem facit magis credibilem. Vitiū qui credibile non eſſe contendet, contra utetur. Intempeſtiui. ] Id eſt, immoderati, & luxurioſi, & turpis. ut contra honeſtum & moderatum conuiuium, in libro de Senect. tempeſtiuum appellat. In eo te umbra luxuriæ. ] Tanquam ſaltatio luxuriæ umbra ſint. Vt autem umbra ibi eſſe nō poſſit, niſi ubi ſit corpus: ita ſaltatio eſſe non poteſt, niſi ubi ſit luxuria. Bene habet, iacta ſunt fundamenta. ] Cicero in oratione pro M. Celio, poſtquam refutauit maledicta. priuſ-

quam ad crimen ueneni accederet, quãtum adiumenti pro reliquorum defenſione aſſecutus ſit, ex maledictorum refutatione teſtatur. Sed quoniam, inquit, emerſiſſe iam è uadis & ſcopulis prætervecta uidetur oratio mea, perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur. Bene habet. ] Vulgo dicerent, res bene uadit. Eſt autem Habet uerbum imperſonale. Noſtris laudibus. ] Nondum enim laudaui Murenam. Inimicorũ confeſſione. ] Auctore Quint. lib. 7 ſatius eſt omni ſe ante acta uitæ abſtinere conuicio, quã leuibus aut friuolis, aut manifeſto falſis reũ inceſſere: quia fides cæteris detrahitur. Et qui nihil obijcit, omiſiſſe credi nõ poteſt maledicta tanquã ſuperuacua: qui uana congeſſerit, confitetur uanũ in anteactis argumentum, in quibus uinci quã tacere maluerit. Summam uideo eſſe. ] Oſtendit Murenã æque nobilé eſſe, ac ſe putat Sulpitius. Dignitaté generis. ] Id eſt, nobilitaté. Sumis. ] Id eſt, arrogas: et ut uulgo dicunt, præſumis. Rurſus plebs in Auentinum. ] Scripſimus in Griphũ Auſonij, Romæ factas eſſe tres plebis ſeceſſiones: unã in monté ſacrum, alterã in Auentinũ, tertiam in Ianiculũ. Libido Ap. Claudij Decemuiri, qui in Virginij filiam exarſerat, ſeceſſionem hanc in Auentinum excitauit, propter quã Decemuiri magiſtratu abdicare ſe coacti ſunt: ut ait T. Liuius lib. 3. Ex prætura. ] Id eſt, ex ijs quæ in prætura geſſiſſet in Aſia. Cicero pro lege Manilia, quale ſit bellũ Mithridaticũ oſtendens, Adhuc, inquit, ita ueſtri Imperatores cum illo rege contenderũt, ut ab illo inſignia uictoria, non uictoriam reportarent. triumphauit L. Sylla, triũphauit L. Murena de Mithridate, duo fortiſſimi uiri & ſummi imperatores: ſed ita triumpharũt, ut ille pulſus ſuperatusq; regnaret. Veruntamẽ illis imperatoribus laus eſt tribuenda, quod egerũt: uenia danda, quod reliquerunt. propterea quod ab eo bello Syllam in Italiã Reſpub. Murenã Sylla reuocauit. Iam patri debitus. ] Ob triũphũ. Populo uero & ſuffragatoribus obſcurior. ] Ideo nihil mirere, ſi tibi Murenã præpoſuerint, qué multo magis cognouerint. Pater enim fuit equeſtri loco. ] Hunc Sulpitium fuiſſe patricium, ante ſignificauit. Id etiam dicit Pomponius Iuriſc. lib. Digeſt. 1. de Origine iuris. Inde conijcere, licet, nõnullos equeſtri genere natos eẽ patricios. Patricij autẽ proprie dicuntur nobiles Rom. ij, qui à Senatoribus à Romulo conſtitutis oriundi ſunt. Recenti. ] Qui ſuffragatoribus poſſet eſſe cognitus. Ex annalium ueruſtate. ] Sulpitiorum familia antiqua fuit. Auctore Cicerone lib. de Claris orat. anno 10. poſt exactos reges, Ser. Sulpitius cũ M. Tullio Conſul fuit. T. Liuius lib. 3. de Ser. Sulpitio ſcripſit, qui P. Volumniũ collegã Conſul habuit. In noſtrum numerũ. ] Qui noui homines ſumus. Summa amplitudine. ] Id eſt, cõſulatu. In Q. Pompeio ] Q. Pompeius is eſt, qui Conſul Termeſtinos in Hiſpania ſubegit, quibuſcum & cũ Numãtinis pacem ob infirmitatem fecit: ut ſcribit T. Liuius lib. 54. Idem & Quintus Metellus uterque tunc primum de plebe Cenſores facti ſunt, ut idẽ ſcribit libro 59. In homine nobiliſſimo M. Aemilio. ] Marci Aemilij Scauri maiorum nobilitas ita ignota fuit, ut eum nouum hominem Plutarchus putauerit. De hoc enim ad hanc fere ſententiã in lib. de Fortuna Rom. ſcribit: Aemilius Scaurus ex obſcura uita, obſcuriore genere ortus, nouus homo, &, ut dicitur, Terræ filius, à fortuna ſublatus, magni princeps conſeſſus eligitur. Meo labore. ] Id eſt, mea induſtria. Curijs, Catonibus, Pompeijs. ] Id eſt, Marco Curio Dentato, Marco Portio Catone, Quinto Pompeio, alijsq; ſimiliter nouis hominibus. Huius enim modi nomina propria in numero plurali quandam ſimilitudinem fortunæ, induſtriæ, uirtutis eorum, quorum nomina ſunt, ſignificant. Vt cum dicit Cicero: Non poſſunt omnes eſſe Scipiones, aut Maximi: Id eſt, fortes et ſtrenui, ut Scipio & Fabius fuerunt. Nonnunquam etiam hæc pluralia pro ſingularibus ponuntur. ut de Senectute: Cæteri ſenes, Fabritij, Curij, Coruncani, cum Rempub. conſilio & auctoritate defendebant, nihil agebant? Quo modo hæc, poſita eſſe hoc loco intelligi poſſit. Curijs. ] Marcum Curium quem hoc loco nouum hominẽ eſſe ſignificat, in lib. de Senectute dicit ter triumphaſſe, de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrro. Catonibus. ] Marcũ Catonem adoleſcẽtem auxit Fabius Maximus ſenex, ut ait Plutarchus in Politicis. Marijs. ] De C. Mario quod nouus homo fuerit, notius eſt quàm quod dici poſſulet. Didijs. ] Didius prætor fuit poſt Cimbricũ et Teutonicum bellum, ſub quo tribus militum Sertorius fuit: ut ait Plut. in Sertorij uita. Idem Proconſul, aduerſus Celtiberos feliciter pugnauit: ut ait T. Liuius lib. 70. Qui idem ſcribit lib. 73. à C. Cœlio in Gallia Saluios rebellantes uictos eſſe. Iacebãt. ] Id eſt, ad honoris amplitudinem non erigebantur: Id eſt, Conſules non fiebant. Sententia autem eſt: Ante me Conſulem, uiri fortes, ſed ignobiles, cũ petebant conſulatum, nõ adipiſcebantur, quamuis cõmemorarent multos ignobiles uirtute præditos, qui cõſulatum adepti ſunt, ut Curium, Catonem, &c. Tanto interuallo. ] Tanto interuallo, & longo interuallo ſolet Cicero dicere: uulgo dicunt, tanto uel longo interuallo poſt, uel ante, uel poſt tantum uel lõgum interuallum. Significat autẽ Cicero, ſe nouũ hominem primum poſt C. Cœlium factum eſſe Conſulem. Clauſtra iſta nobilitatis. ] Tanquam in nobilium poſſeſſionem Conſulatus uenerit, eumq; ita pertinaciter retinerent, & quaſi includant, ut ad ignobiles egredi non paterentur. Vt cum duobus patricijs. ] Cicero in petitione Cõſulatus ſex competitores habuit. patritios, L. Catilinam, & P. Sulpitiũ Galbam: plebeios, C. Antoniũ, L. Caſſium Longinũ, Q. Cornificiũ, & C. Licinium Sacerdotem: ut ait Aſconius in Comment. in orationem Ciceronis in C. Antonium & L. Catilinam competitores. Dignitate. ] Nam Conſulatu dignior habitus ſum Catilina. Gratia. ] Nam plus ualui gratia apud pop. Rom. Homini nouo. ] Nouus homo dicitur is, qui Conſul factus eſt, cuius ex familia nemo ante fuit conſul, quamuis ex ea familia Prætores fuerint. Vt Murenam hominem nouũ eſſe, ante ſignificabat, cuius pater, auus & proauus Prætores fuerant. Quæſturam unà petijt. ] Secunda eſt dignitatis cõtentio. Sũt autem Sulpitij uerba, quæ Cicero ponit, ut refutet. Solet tamen Cic. huiuſmodi aduerſarij dicta in perſona ſua proponere. Factus. ] Id eſt, renunciatus. Primũ. ] Id eſt, primũ locũ. Renunciatio gradus habet. ] In renũciatione, id eſt, in appellatione, in nominatione eorum, qui ſunt alicuius dignitatis, non poſſunt omnes eſſe primi. Itaque neceſſe eſt hic ſit primus, ille ſit ſecundus, alius tertius, &c. Id in Theologorũ, ut appellant, licentijs uidere licet, quamuis eundem eſſe ordinem dignitatis & renunciationis ſibi perſuadeant. Sed Quæſtura. ] Quæſtura primus erat magiſtratus, eaq; ante Aedilitatem geri ſolebat, poſt hanc Prætura, deinde Conſulatus. de ea in librum de Senectu. plura ſcribimus. Auctore Aſconio, erat prima Senatoris adminiſtratio, Quæſtorem fieri, & in prouincia curam gerere pecuniæ publicæ in uſus diuerſos erogãdæ. Pari momẽto ſortis fuit. ] Id eſt, eodem ferè pũcto temporis facta eſt ſortitio, utri utra prouincia obueniret. Nam ex quæſtoribus ſolebant prouincias ſortiri ex Senatuſconſulto, ut ait Vlpianus lib. Digeſt. 1. de Officio quæſtoris. Lege Titia. ] Hæc lex quæ ſit, legere non memini. Licet tamen cõijcere, ex Senatuſconſulto, quo prouinciarum facta ſortitio eſt, ab aliquo Conſule Titio latam eſſe legem. Nam ex Senatuſconſulto nonnũquam leges ferebant Conſules. Quæſtores ſortiti prouincias rem pecuniariam adminiſtrabant, prædam ac manubias in rationes publicas referebant, hiq; Conſules aut Prætores ſequebantur. Tacitam & quietam. ] Id eſt, pacatam: in qua ſcilicet nullũ bellum gereretur. Acclamari. ] Id eſt, admurmurari, quod ſignum publicæ approbationis eſt. De quo uerbo alio loco latius ſcriptum eſt. Hoſtienſi autem prouinciæ, cum ſortiuntur, ideo (ut arbitror) acclamari ſolet,

quod

quod ea Romæ proxima ſit. Gratioſam. ] Gratioſa prouincia hoc loco dicitur, ex qua ſibi gratiam conciliat, qui eam adminiſtrat: uel ex Sicilia fecit Cicero. Conſedit. ] Id eſt, tacuit, quieuit, ſine laude fuit. Nullum enim uobis ſors campum dedit. ] Id eſt, ſorte nacti eſtis prouincias eas, ubi bellum nullum fuit. Campum. ] Metaphora ab armatu eſt, ut P. Clodium ſegetem & materiam gloriæ Milonis appellat. Reliqui temporis. ] Poſt Quæſturam. Reſpondendi. ] Conſultoribus ſcilicet. Vnde reſponſa prudentum appellata ſunt. Scribendi. ] Sulpitium multos libros in iure ciuili ſcripſiſſe, Pomponius Iuriſconſ. ſcribit libro Digeſtorum primo de Origine iuris. Cauendi. ] Vt cauere in iure dixit Cicero libro de Officijs ſecundo. In iure cauere, conſilio iuuare, atque hoc ſcientiæ genere prodeſſe quamplurimis, uehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. Ius ciuile didicit. ] Quæ cauſa fuerit, cur ad iuris ciuilis ſtudia ſe contulerit Sulpitius, ſcribit Pomponius de Origine iuris ciuilis, libro Digeſtorum primo. Seruius, inquit, Sulpitius cum in cauſis orandis primum locum, aut certe poſt Marcum Tullium obtineret, traditur ad conſulendum Q. Mutium de re amici ueniſſe: cumq; is de iure reſpondiſſet, idq; parum Seruius intellexiſſet, iterum Mutium interrogaſſe, nec Mutij reſponſum intellexiſſe: itaq; à Mutio obiurgatum. Eum enim dixiſſe ferunt, turpe eſſe patricio & nobili uiro, & cauſas oranti, ius in quo uerſaretur ignorare. Ea uelut contumelia Seruius tactus, operam dedit iuri ciuili. Præſto fuit. ] Id eſt, affuit. Stultitiam, arrogãtiam, & difficultatem. ] Eorum qui eum de iure conſulerent, uel quos in foro defenderet: uel aduerſariorum. Difficultatem. ] Id eſt, faſtidia, & mores difficiles & intractabiles. Exorbuit. ] Id eſt, tolerauit: ut cum uulgo ſignificant fortunæ neceſſitatem ferendam, eam ut lac exorbendam dicunt. Hac in re deuorare Cicero dicit, de Claris oratoribus ſcribens de M. Piſone: Is laborem quaſi curſum forenſem diutius non tulit, quòd & corpore erat infirmo, & hominum ineptias ac ſtultitias, quæ deuorandæ nobis ſunt, non ferebat, iracundiusq; reſpuebat: ſiue moroſe, ut putabatur: ſiue ingenuo liberoq; faſtidio. Auctore Priſciano lib. nono ſorbeo: uel ſorbo, ut Probo placet: ſorpſi uel ſorbui habet præteritum. Lucanus in quarto. Abſorpſit penitus rupes & tecta ferarum. Cic. in ſecunda Philippica: In ſanguinem ciuilem exhauſit, uel potius exorbuit. Idem pro Murena, Difficultatem exorbuit. Legatus L. Lucullo fuit. ] Mithridaticũ bellum per annos 42. geſtum fuiſſe, Appianus ſcribit. Idq; in tria bella diuidit, ut primum L. Sylla, alterum L. Murena huiuſce pater, tertiũ Lucullus & Pompeius geſſerint. Patre igitur imperatore L. Murena fecit ſtipendia, qui L. Lucullo legatus poſtea fuit. Delicatam. ] Delicata, ut ait Sex. Pompeius, dicebant dijs conſecrata, quæ nunc dedicata. Vnde adhuc manet delicatus, quaſi luxui dicatus. Delicatum filium, uerſum, ſermonem, Cic. dicit. Libro de Orat. 2. In Cælio ſanè etiam ad cauſam utile fuit tuum illud Antoni, cum ille à ſe pecuniam profectam diceret teſtis, & haberet filium delicatiorem, abeunte iam illo: Sentin' ſenem eſſe tactum triginta minis? In primo de Officijs: Turpe eſt enim, ualdéq; uitioſum, in re ſeuera conuiuio dignum aut delicatum aliquem inferre ſermonem. In Piſonem: Ita multa ad iſtum de iſto ſcripſit, ut omnes hominis libidines, omnia cœnarum genera cõuiuiorumq; adulteria eius delicatiſſimis uerſibus expreſſerit. Quibus in exemplis omnibus attende, Delicatum in malam rem dici. Præſente L. Lucullo. ] Caue tum uulgo dicas, In præſentia, uel in abſentia Luculli: ſed præſente, uel abſente Lucullo. Propter periculum noſtrum. ] Id eſt, ne Murena damnetur. Publicis literis. ] Significat Cicero in oratione de Prouincijs conſularibus, morem fuiſſe, ut Conſules uel Prætores in prouinciam profecti, re bene geſta ad ſenatum ſcriberent. Cõijcere licet Lucullum ad Senatum ſcripſiſſe, in ijsq; literis hæc ſcripſiſſe, quæ hoc loco Cic. dicit. Teſtata ] Paſſiue dixit, id eſt, μαρτυρηθέντα, ut ait Priſ. lib. 8. Ambitioſus. ] Id eſt, gloriæ cupidus. In utroque. ] Seruio & Murena. Agitat. ] Id eſt, uituperat. Legationem. ] Id eſt, quod Murena Lucullo fuerit legatus. Aſſiduitatis. ] Id eſt, ut uulgo dicunt, reſidentiæ. Aſſiduus ſimiliter pro reſidente dicitur. Aſſiduitatis & operarum harum. ] Id eſt, putat Conſulatum debere his ſolum mandari, qui Romæ aſſidui in foro uerſentur. Apud exercitum mihi. ] Cum aliquid nobis refutandum eſt, oportet prius id proponamus, quo magis dilucida ſit oratio noſtra. Qua autem ratione proponamus, ſcribit Quintil. lib. 5. Si aduerſarius, inquit, eſt minus efficaciter locutus, ipſa eius uerba ponantur: ſi acri & uehementi uſus fuerit oratione, eandem rem noſtris uerbis mitioribus proferamus. Vt Cic. de Cornelio: Codicem attigit: & protinus cum quadam defenſione: ut ſi pro luxurioſo dicendum ſit, Obiecta eſt paulo liberior uita. Sic & pro ſordido parcum, & pro maledico liberum dicere licebit. Vtique nunquam committendum eſt, ut aduerſariorum dictum cum ſua confirmatione referamus, aut etiã loci alicuius executione adiuues, niſi cũ eludenda. Apud exercitum mihi fueris, inquit: tot annos forum non attigeris, abfueris tandiu, & cum tam longo interuallo ueneris, cum ijs, qui in foro habitarunt, de dignitate contendas? Apud exercitum mihi. ] Mihi cauſa ornatus, & ex loquendi conſuetudine ponitur. Vt cum longo. ] Apud Quintil. lego, Et cum: quæ lectio mihi magis placet. Longo interuallo. ] Id eſt, poſt longum interuallum: de quo ante ſcriptum eſt. Iſta noſtra. ] Id eſt, mea & tua. Expedit. ] Id eſt, utile eſt. In oculis. ] Id eſt, in prõptu, in populi Rom. conſpectu. Poſtquã Cicero de prouincia Sicilia quæſtor deceſſit, Romæ habitare in oculis ciuium conſtituit. Deſtiti, inquit pro Plancio, quid de me audituri eſſent homines, cogitare: feci ut poſtea quotidie me uiderent, habitaui in oculis, preſſi forũ, neminem à congreſſu meo neque ianitor meus, neque ſomnus abſteruit. Et quid ego dicam de occupatis meis temporibus? cui fuerit ne otiũ quidem unquã otioſum. Illic autem Cicero locum huic contrarium tractat, hoc eſt, plus ualere ad honores aſſequendos domi, quàm foris habitare: quod pop. Rom. aures hebetiores, oculos acres atque acutos habeat. Gratiam. ] Id eſt, beneficium. Magno meo laborē. ] Qui præcipue reis defendendis ſuſceptus eſt. Noſtrum deſiderium. ] Id eſt, noſtra abſentia ab urbe. Deſiderium à Stoicis definitur, ut ſit libido eius, qui nondum adſit uidendi: ut ait Cicero in lib. Tuſc. Quæſt. 4. Hinc urbis deſiderium, cupiditas uidendæ urbis, aut ueniẽdi in urbem ut lib. Epiſt. famil. 2. Cupio te Aedilem uidere, miroq; deſiderio me urbs afficit, ut omnes mei, tuq; in primis. Amici quoque mortui deſiderium dicitur, ut in Lælio Cicero: Ego ſi Scipionis deſiderio me moueri negem, quàm id recte faciam, uiderint ſapientes. Noſtrũ deſiderium, uel utrique noſtrũ dici poteſt. Vigilas tu de nocte. ] Iulius Rufinianus in lib. de Figuris, Syncriſim ſiue Antitheſim hoc loco eſſe dicit, id eſt cõparationem rerum atque perſonarũ inter ſe contrariarũ. Quintil. lib. 9. cõparationem interim probationis, interim cauſæ genus, ut ſit talis eius forma, qualis eſt pro Murena: Vigilas tu de nocte, &c. Idem in eodem lib. de Epanodo, id eſt, regreſſione ſcribens, qui fiat multis modis: In contrapoſitis, inquit, uel comparatiuis ſolet reſpondere primorum uerborum alterna repetitio, quomodo huius eſſe loci potius dixi. Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpõdeas. Ille, ut eo quo intendit, mature cum exercitu perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exuſcitant. Tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit. Tu caues ne conſultores tui, ille ne urbes aut caſtra capiantur. Sed hac gratia non fuit contentus orator. Vertit in contrarium eandem figuram. Ille tenet

& ſcit, ut hoſtiū copiæ: tu, ut aquæ pluuiæ arceantur. Ille exercitatur in propagandis finibus, tu in regendis. Vigilas de nocte. ] Vt dixit Horatius in lib. Epiſt. 1. Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones. Quamuis dicatur uſitatius, Vigilare & ſurgere nocte. Conſultoribus. ] Conſulere cum datiuo, eſt dare conſilium: cum accuſatiuo, eſt petere. Inde conſultor hoc loco dicitur, pro eo qui petit conſilium: cum aliàs pro eo, qui dat, dicatur. ut in illo uerſu notiſſimo apud A. Gellium: Malum conſilium, conſultori peſſimum. Intendit. ] Apud Quintil. alio in loco Contendit, alio Intendit inuenio ſcriptum. Actionē inſtituis, aciem inſtruit. ] Annominatio eſt. Aquæ pluuiæ. ] Aquā pluuiam Boetius in lib. Comment. in Topica Ciceronis 3. eſſe dicit eam, quæ pluendo colligitur & creſcit. Lib. Digeſt. 39. titulus eſt de aqua pluuia arcenda. Quo in loco Vlpianus: Si cui, inquit, aqua pluuia damnum dabit, aquæ pluuiæ arcendæ actione auertetur aqua. Aquā pluuiam dicimus, quæ de cœlo cadit, atque imbre excreſcit: ſiue per ſe hæc aqua cœleſtis noceat. ut Tubero ait: ſiue cum alia mixta ſit. Tu in regendis. ] In lib. Digeſt. 10. titulus eſt de iudicio finium regund. Increpuit. ] Id eſt, inſonuit. Increpere pro ſonare dicitur à Virg. lib. Aeneid. 8. At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro Increpuit. Et lib. 12. Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri Sanguineus Mauors clypeo increpat. Suſpicio belli increpare dicitur, propterea quod tubæ ſonitu milites euocentur. Tumultus. ] Id eſt, belli Italici, aut Gallici. Hæc enim duo bella tumultus nomine intelligi, Cic. in 8. Philippica ſcribit: Italicum, quod erat domeſticū: Gallicū, quod erat finitimū. Nā tumultus nihil aliud eſt, niſi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur. Vnde etiam nomen ductum eſt tumultus. Artes illico noſtræ conticeſcunt. ] In tumultu Conſul ex auctoritate Senatus iuſtitium, id eſt, iuris ſtationem & tanquam uacationem indicebat, tabernas tota urbe claudi iubebat, quenquam priuatæ quidquā rei agere uetabat: ut aliud nihil tota urbe agatur, quàm bellū apparetur: ut ex libris 3. et 4. T. Liuij cognoſci poteſt. Itaque non ſolum Iuriſconſultorū, et Oratorum, ſed aliorum omnium artes in tumultu cōticeſcunt. Studia. ] Id eſt, ad ſuffragandum fauores. Et Senatus & populi. ] Deliberatiuæ orationes non modo in Senatu, ſed etiam ad populum Romanum haberi ſolebant, quæ tum conciones appellabantur. Tribunitios. ] Id eſt, Tribunorum plebis, qui populares Senatus auctoritati non pareant, populum concitent. Largitioni reſiſtat. ] Id eſt, oratione conſequatur, ne ulla in petitione magiſtratus fiat largitio. Ob hanc facultatem. ] Dicendi ſcilicet. Id autem cauſa præcipue ſua Cicero dicit. Videtur autē Cicero ab hac dicendi facultate Sulpitium remouere. Sed in libro de Claris oratoribus, ei multo maiorem iuris ciuilis ſcientiam quàm eloquentiam tribuit: De Seruio, inquit, dicam quod ſentio. Non enim facile quem dixerim plus ſtudij quàm illum & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum diſciplinas adhibuiſſe. Nam & in iiſdem exercitationibus ineunte ætate fuimus, & poſtea Rhodum unà ille etiá profectus eſt, quo melior eſſet & doctior. Et inde ut rediit, uidetur mihi in ſecunda arte primus eſſe maluiſſe, quàm in prima ſecundus. Atque haud ſcio, an par principibus eſſe potuiſſet. Sed fortaſſe maluit id quod eſt adeptus, longe omnium non eiuſdem modo ætatis, ſed eorum etiam qui fuiſſent, in iure ciuili eſſe princeps: Hæc ille. Is autem primam artem eloquentiam, & ſecundam iuris ciuilis ſcientiam appellat. Significat enim Sulpitium, poſtquam Rhodo rediit, reliquiſſe ſtudium eloquentiæ, quæ exercitatione alitur maxime. Homines non nobiles. ] Id eſt, homines noui. Plurimas gratias. ] Cicero in libro de Officiis ſecundo, ius ciuile commendat, ſed ei eloquentiam anteponit. Cum multa, inquit, præclara maiorum noſtrorum inſtituta, tum quàm optime conſtituti iuris ciuilis ſemper in honore fuit cognitio atque interpretatio. quam quidem ante confuſionem temporum in poſſeſſione ſua principes retinuerunt. Atque huic arti finitima eſt dicendi grauior facultas, & gratior & ornatior. Quid enim eloquentia laudabilius & præſtabilius, uel admiratione audientium, uel ſpe indigentium, uel eorum qui defenſi ſunt gratia? Huic ergo à maioribus noſtris eſt in tota dignitate principatus datus. Diſerti igitur hominis & facile laborantis, quodq́; in patriis eſt moribus, multorum cauſas non grauate, ſed gratuito defendentis beneficia & patrocinia late patent. Studia. ] Id eſt, fauendi uoluntates. Interpunctionibus uerborum. ] Interpunctiones uerborum quæ ſint, legere non memini. Hoc tamen loco conijcere licet, ut uerba ſpatio non diſtinguuntur, ita ueteres interpunctionibus, id eſt, punctis quibuſdam interpoſitis diſtinxiſſe. niſi breuiſſimas quaſdam, ita dicam, clauſulas intelligere mauis, quæ interpunctionibus diſtinguūtur. Enunciatis. ] Id eſt, peruulgatis. Myſterijs. ] Id eſt, arcanis. Eſt autem græca dictio: quamuis neget Cicero in libro Tuſculanarum quæſtionum primo, ſe græce loqui ſolere in latino ſermone, non plus quàm in græco latine. Agi lege. ] Id eſt, litigari. Pauci. ] Id eſt, ſoli Iuriſconſulti. Faſtos. ] Faſti dies, ut ait Marcus Varro de ſermone latino, à fando appellati ſunt. His enim diebus certa uerba legitima ſine piaculo prætoribus fari licet, quæ nefaſtis fari ius non eſt: & ſi fati ſunt, piaculum faciunt. Faſtis diebus, ut ait Sex. Pompeius, iucunda fari licebat: nefaſtis, quædam non fari licebat. Ouidius libro Faſtorum primo: Ille nefaſtus erit, per quem tria uerba ſilentur: Faſtus erit, per quem lege licebit agi. Nec toto perſtare die ſua iura putaris: Qui iam faſtus erit, mane nefaſtus erat. Nam ſimul exta deo data ſunt, licet omnia fari, Verbaq́; honoratus libera prætor habet. Eſt quoque, quo populum ius eſt includere ſeptis. Faſtorum etiam libri appellantur, ut ait Sextus Pompeius, in quibus totius anni fit deſcriptio. Faſti enim, dies feſti ſunt. Vulgo. ] Id eſt, paſſim. A Chaldæis. ] Chaldæi Babyloniæ philoſophi erant, qui genethlialogiam ſimulabāt: ſed à cæteris non recipiebātur, ut ait Strabo libro decimoſexto. Hi diuturna obſeruatione ſiderum, ſcientiam putantur effeciſſe, ut prædici poſſet, quid cuique euenturum, & quo quiſque fato natus eſſet: ut ait Cicero lib. de Diuinatione primo. quorum ſcientiam refutat in libro ſecundo. Vt igitur à Chaldæis dies, quo quid futurum eſſet: ita à Iuriſperitis dies, quo lege liceret agi, petebatur. Scriba. ] De ſcribis in quartam Ciceronis Inuectiuam ſcripſimus. Cnæus Flauius. ] Cnæus Flauius Cnæi filius ſcriba, patre libertino, humili fortuna ortus, cæterum callidus uir & facundus fuit. Is ciuile ius repoſitum in penetralibus pontificum euulgauit. Faſtos circa forum in albo propoſuit, ut quando lege agi poſſet, ſciretur: ut ait Titus Liuius libro nono. Erant autem Pontifices tum Iuriſperiti, quod poſtea quoque diutius retentum eſt. Et ideo Mutius Scæuola P. filius, ex patre audiſſe ſe dicit, Pontificem bonum neminem eſſe, niſi qui ius ciuile cognoſceret: ut ait Cicero libro de Legibus ſecundo. Qui huic ſcientiæ præfuerunt, obtinendæ atque augendæ potentiæ ſuæ cauſa peruulgari artem ſuam noluerūt: ut ait idem libro de Oratore primo. Cornicum oculos. ] Cornicum oculos configere dicuntur ij, qui arcanam aliorum artem, ob idq́; magis aut quæſtuoſam aut admirabilem peruulgant, qua peruulgata tollitur aut quæſtus aut admiratio. Vel dicuntur ij, qui alioqui cautos & prudentes, tale nihil ſuſpicantes, decipiant. Vt in oratione pro L. Flacco, Heraclides pecuniam mutuam ſumpſit à Fuſijs Hermippi fide, Heraclides poſtea creditam pecuniam abiurans, Hermippum probris omnibus maledictisq́; uexauit. De hoc igitur Cicero: Hic, inquit, cornici oculum, ut dicitur. nam hunc Hermippum hominem eruditum, ciuem ſuum, cui debebat eſſe notiſſimus, percuſſit.

Vel

Vel dicuntur, ut ait Eraſmus, quaſi dicas nouo quodam inuento ueterum eruditionem obſcurare: efficereq́;, ut ſuperiores nihil ſciſſe nihil uidiſſe uideantur. de hoc prouerbio apud eundem plura. Vulgo dici ſolet, ponere alicui puluerem in oculum. Sanè adagium tractum eſt ex natura animalis. Cornix enim ad cadauer hominis in patibulo aut rota expoſiti, primũ illi oculos eruit: ut cauſidici populo, auferendo illi cognitionem factorum, quoi ſcriba inuulgando eruit cornicibus oculos: id eſt, abſtulit id luminis, quo cæteris præſtare uidebantur. ſic Badio uiſum. Iuriſconſultis. ] Iuriſconſultos poſtea appellat. utrumque enim dicitur. Cõpilaris. ] Id eſt, inuolaris, ſuffuratus ſit. Suppilare, ut ait Nonius Marcellus, eſt inuolare uel rapere, à pilorum raptu. unde furtum paſſi, compilati dicuntur. Hoc uerbo alibi quoque uſus Cicero eſt, ut in libro de Oratore ſecundo: Nihil eſt, quo mihi gratias agas, inquit, ſi malui cõpilari quàm uenire. Actione in Verrem tertia: Ac non apertiſſime Conſulem, exercitum, prouinciamq́; compilaris, & propter impudentiſſimum furtum aufugeris. In Vatinium: Atque illud tenebroſiſſimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere. licet per me parietes in adoleſcentia perfoderis, uicinos compilaris, matrem uerberaris. Notas. ] Id eſt, formulas. Fundus Sabinus. ] Vt id petitor diceret. Imo meus. ] Vt id defenſor diceret. Inquit. ] Iuriſconſultus, is qui eam notam compoſuit. Satis uerboſe. ] Inquit Cicero. Nam affinis dialogo hic locus eſt. Ex iure manu conſertum. ] Auctore Marco Varrone in libro de lingua latina primo, ut conſerere manum dicimur cum hoſte, ſic ex iure manu conſertum uocare. Vindicatio, id eſt rei uendicatio, olim in re præſenti ex duodecim tabulis fiebat: in quibus ita ſcriptum eſt, Si qui in iure manum conſerunt. Sed poſtquam Prætores propagatis Italiæ finibus, datis iuriſdictionibus, negotijs occupati, pariſci uindiciarum dicendarũ cauſa longinquas res grauabantur, inſtitutum eſt contra duodecim tabulas tacito conſenſu, ut litigantes non ex iure apud Prætorem manum contererent, ſed ex iure manu conſertum uocarent: id eſt, alter alterum ex iure ad conſerendam manum in rem, de qua ageretur, uocaret. Atque profecti ſimul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, uel unam glebam in ius, in urbem ad Prætorem deferrent, & in ea gleba tanquam in toto agro uindicarent. Auctor eſt Aulus Gellius capite nono libri uiceſimi. De hoc plura Budæus in Annotationibus prioribus in Pandectas. Ibi. ] Id eſt, ut uolunt, ad eum agrum Sabinum. Quod ſi eſt, perpetuum non eſt, ut particula In iungatur cum accuſatiuo, quando motus ſignificatur. & ita ibi pro eo quod eſt, ad eum locum, ab antiquis aliquando dictum fuiſſe, ex hoc loco conijcere licet. De particula In, non deſunt exempla. Plautus: Pergam in ædibus nunc iam. Idem: Fortaſſe penetrauit in ædibus. Valerius Maximus: Eadem ciuitas, ſeueritatis cuſtos acerrima eſt, nullum aditum in ſcena mimis dando. Melior tamen ordo eſt, uoco te conſertum ibi, id eſt, cum ibi fueris: quàm, uoco te ibi. Litigioſus. ] Litigioſus eſt, qui frequenter litigat. Hoc tamen loco pro iuriſconſulto multum uerboſo in lite dicit. Tranſit idem. ] Quintilianus lib. 7. ſcribens de duorum fratrum controuerſia, quorũ unus ruſticus erat, alter diſertus, poſtquam dixit quid pro ruſtico declamator poſſit dicere, dicturus quid idem pro diſerto: Tranſeat, inquit, nunc idem ille, qui cogitauit, ut ait Cicero, tibicinis latini modo, ad diſertũ. Tibicinis igitur latini modo tranſire dicitur is, qui petitoris & defenſoris cauſam agit, aut probationes inuenit. In agẽdis comœdijs latini tibicines à tibijs dextris ad ſiniſtras tranſibãt. Apud Terentiũ, ubi ſcribitur quando quæque comœdia acta ſit, legere licet quis modos fecerit, id eſt tibicen fuerit, et quibus tibijs. Auctore Donato in Cõmentarijs in Terẽtiũ, in comœdijs cantica temperabantur modis non à poeta, ſed à perito artis muſicæ factis, Neque enim omnia iiſdem modis in uno cantico agebãtur, ſed ſæpe mutatis: ut ſignificant, qui tres numeros in comœdijs ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Agebantur autem tibijs paribus, aut imparibus et dextris aut ſiniſtris. Dextræ autem tibiæ ſua grauitate ſeriam comœdiæ dictionem pronunciabant: ſiniſtræ & Serranæ acuminis leuitate iocum in comœdia oſtendebant. Vbi aũt dextra & ſiniſtra acta fabula inſcribebatur, miſtim ioci & grauitates denunciabantur: Hæc ille. Tranſit igitur Iuriſconſultus tibicinis Latini modo, qui ubi notas petitoris compoſuit, componit notas defenſoris. Pulchrum. ] Id eſt, ſapientem. Vt in Eunucho Terentij, Pulchre mehercule dictum: id eſt, ſapienter, ut ait Donatus. Atque aliquid. ] Intellige, ne aliquid. Loqueretur. In pronuncianda ſententia. Carmen. ] Id eſt, formula, in qua re carmen nonnunquã dici inuenio. T. Liuius lib. 1. Lex horrendi carminis erat, Duumuiri perduellionem iudicent. ſi à Duũuiris prouocarit, prouocatione certato: ſi uicerit, caput obnubito, infelici arbori reſte ſuſpendito, uerberato uel intra pomœrium, uel extra pomœrium. Cicero pro C. Rabirio perduellionis reo: Hæc tua, quæ te hominem clementem popularemq́; delectant: I lictor, colliga manus: quæ non modo huius libertatis manſuetudiniſq; non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilij, ſed Tarquinij ſuperbiſſimi atque crudeliſſimi regis iſta ſunt cruciatus carmina, quæ tu homo lenis ac popularis libentiſſime commemoras. Caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito. Vtriſque. ] Id eſt, petitore & reo. Superſtitibus. ] Id eſt, incolumibus: Qua in re id uerbum à ueteribus uſurpatum fuiſſe, Nonius Marcellus ſcribit. Superſtitibus igitur, id eſt, ſanis & incolumibus, ideoq́; præſentibus. Nã qui morbo ſontico laborant, ij lege excuſantur, ne in ius uocati ueniant: iſt autem morbus ſonticus, qui cuique rei nocet: ut ait Modeſtinus Iuriſconſultus libro Digeſt. 50. de uerb. & rerum ſignificationibus. Inite uiam. ] Ire uiam legendũ eſſe, Priſcianus ſignificat. is enim lib. 18. Nos, inquit, ire uiã & ire uia dicimus. Cicero pro Murena: Hanc uiã dico, ite uiã. Virg. in 4. Aeneid. Longã incomitata uidetur ire uiam. Sapiens ille. ] Apparitor, aliuſue quis. eſt autem Ironia. Eodem. ] Sapientes. Barbatos. ] Id eſt, ueteres illos graues & ſapientes. De hac uoce ſcripſimus in Inuectiuas Ciceronis in Catilinã. Homines. ] Petitorem & reum. Quando te in iure. ] Aliæ ſunt iuris formulæ ineptæ, ab his iuriſconſultis compoſitæ. Cauſa uindicaris. ] Id eſt, in cauſa uindicias habueris. Vindiciæ quæ ſint, apud Aſconiũ, & in Annotationibus Budæi legere licet fuſius. Cauſa autem uindicare, in caſu ſexto dicimus: ut cauſa uincere, & cauſa cadere. Mulieres. ] Idem eſt in oratione Marci Catonis, qua apud T. Liuium lib. 34. legem Oppiam diſſuadet: Maiores, inquit, noſtri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas ſine auctore uoluerunt: in manu eſſe parentũ, fratrum, uirorum. Quę poteſtate mulierum. ] Qua ratione mulieres eſſent in poteſtate tutorũ, ſed rurſus illi tutores in poteſtate mulierum eſſent. niſi intelligere mauis, ut per ea genera tutelæ mulieres non eſſent ſub poteſtate tutorum, ſed potius tutores eſſent ſub harum mulierum poteſtate. Illi. ] Maiores noſtri. Sacra interire illi noluerunt. ] Præter ſacra publica, erant etiam priuata, de quibus Cicero in lib. de Legibus ſecundo: Sacra, inquit, priuata perpetua manento. Ad coemptiones faciendas. ] Id eſt, ad ducendas uxores per coemptionem. Auctore Boetio libro Commentariorum in Topica Ciceronis ſecundo, tribus modis uxor habebatur, uſu, farre, coemptione. Sed confarreatio ſolis pontificibus conueniebat. Quæ autem in manum per coemptionem conuenerant, hæ matresfamilias uocabantur. Quæ uero uſu uel farre, minime. Coemptio uero certis ſolennitatibus peragebatur, & ſeſe in coemunicando inuicem interrogabant: Vir ita, An ſibi mulier materfamilias eſſe uellet. Illa reſpondebat, uelle. Item mulier in-

terrogabat, an uir ſibi paterfamilias eſſe uellet. Ille reſpondebat, uelle. Itaque mulier conueniebat in manum uiri, & uocabantur hæ nuptiæ per coemptionem. Et erat mulier materfamilias uiro loco filiæ. Hunc morem habendæ uxoris per coemptionem, hac quoque ætate retineri uidemus. Interimendorum ſacrorum. ] Hac (ut arbitror) ratione, ut liberet nullos procrearent, & ita priuata ſacra interirent. Aequitatem. ] Aequitas et ius diſtingui ſolent, ut ſit æquitas ratio legis, quæ ex mente & uoluntate legiſlatoris profecta eſt: ius uero eſt ſententia ipſa, quæ ex uerborum legis ſignificatione ducitur. Vſu ſæpe uenit, ut inter ſe pugnent Ius & Aequitas. Reliquerũt. ] Id eſt, omiſerunt. Verba ipſa. ] Id eſt, ius ipſum. Vt quia in alicuius. ] In codicibus alijs lego, Vt quia Caia in alicuius, &c. Exempli cauſa. ] Auctore Plutarcho in Problematis, ſponſam in mariti domum introducentes iubebant dicere; Vbi tu Caius, ego Caia. Vel quia ita cum uiro paciſcebantur, ut omnia eſſent communia, & ut pariter imperarent. Nec aliud his uerbis oſtendebatur, niſi ubi tu dominus ac domus compos, ſic ego domus domina atque hera. His autem uerbis & alijs utuntur communibus, quemadmodum Iuriſconſulti C. Seium & L. Titium uſurpare ſolent, philoſophi Dionem & Theonem. Vel propter Caiam honeſtam ſane ac bonum mulierem, uni ex Tarquinij liberis collocatam, cui templum ædificatum eſt, in eoq; ſtatua ex ære poſita. Quæ coemptionem facerent. ] Hic attende, ut uiros, ita mulieres coemptionem facere. Per tot annos. ] Ius ciuile Cn. Flauius ante bella Punica, aliquot annis ante Pyrrhi in Italiam aduentum peruulgauit. An perendinum. ] Perendie eſt, quod Græci dicunt μεθαύριον, poſt cras uulgo dicunt. Cicero libro Epiſtolarum ad Atticum duodecimo: Sciet igitur fortaſſe cras, ad ſummum perendie. Inde perendinus dies, & comperendinus, quem Macrobius libro Saturnalium primo eſſe dicit, quo uadimonium dicere licet. De hoc in Budæi Annotationibus licet plura legere. Iudicem an arbitrum. ] Quantum differant iudicium & arbitrium, Cicero dicit in oratione pro Roſcio Comœdo: Aliud eſt, inquit, iudicium, aliud arbitrium. Iudicium eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. Ad iudicium hoc modo uenimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum quantum poſtulauimus, conſequamur. Conſulere licet. ] Vel quod dicebant, qui iuriſconſultos conſulturi erant: uel ipſi iuriſconſulti, cum conſulebantur dicebant, Conſulere licet; libros Faſtorum ſcilicet. In ea prudentia. ] Id eſt, in ea ſcientia. Prolatis. ] Id eſt, patefactis & peruulgatis. Vt ius ciuile Cn. Flauius protulit. Difficilis autem res. ] Iuris ciuilis ſcientiam non eſſe difficilem dicit. Dicebat Scæuola, nullius artis quàm huius faciliorem cognitionem ſibi uideri, ut ſcribit Cicero libro de Oratore primo: Omnia enim, ut eodem in loco L. Craſſus inquit, ſunt poſita ante oculos, collocata in uſu quotidiano, in congreſſione hominum atque in foro: neque ita multis literis, aut uoluminibus magnis cõtinentur. Si mihi ſtomachum moueritis. ] Id eſt, ſi me irritaueritis. Triduo me iuriſconſultum, &c. ] Inde ne conijcias, Ciceronem iuris ciuilis imperitum fuiſſe. Is de ſe ita ſcribit in libro de Claris oratoribus: Ego, inquit, iuris ciuilis ſtudio multum operæ dabam Q. Scæuolæ Publij filio. qui quanquam nemini ſe ad docendum dabat: tamen conſulentibus reſpondendo ſtudioſos audiendi docebat. Deſcripto. ] Id eſt, per ſcriptum, ut uulgo dicunt. ut hac quoque ætate lites deſcripto ſunt plurimæ, aliàs uerbales lites uulgus appellat. Tam anguſte ſcriptum eſt. ] Anguſte ſcribere eſt, uerſiculis proximis & quaſi conſtrictis compreſſisq; ſcribere: quod contra magni ſui quæſtus cauſa aduocati hac ætate faciunt. quàm iuſte, ipſi uiderint. Quod Seruius Sulpitius reſpondiſſet. ] Si conſultus fuiſſet, ſcilicet iuris ciuilis antiſtes. Id dicit, ut Sulpitium laudet à ſcientia iuris ciuilis. Ius controuerſum. ] Id eſt, ius de quo inter utranque partem controuerſia eſt. Vt rem controuerſam appellat Quintilianus libro 5. Argumento, inquit, niſi in re controuerſa, locus eſſe non poteſt. Et Cicero libro de Legibus primo: Controuerſam rem & plenam diſſenſionis inter doctiſſimos, ſed aliquando iudicandam. Vel ius controuerſum, id eſt, dubium. Vt in libro de Diuinatione ſecundo: Sat eſt intelligi, id ſumere iſtos pro certo, quod dubium controuerſumq; ſit. Conſuetudo. ] Id eſt, exercitatio. Eloquentiam pluſquam iuris ciuilis ſcientiam ualere ad magiſtratum aſſequendum oſtendit, ne ſuam iuris ſcientiam tanti Sulpitius faciat. Ad honorem. ] Id eſt, ad magiſtratum. Antecellit. ] Id eſt, præſtat. Antecello & antecelleo dicimus: ut auctore Priſciano libro octauo, excello excellis, & excelleo excelles. Multo hoc maluiſſe. ] Vt fierent eloquentes. Iſtuc. ] Id eſt, ad ueſtram iuris ſcientiam. Vt aiunt in Græcis. ] Parabola eſt, ubi ſimilitudo præcedit, res ſequitur. Hæc, auctore Quintiliano, rem uelut ſubijcit oculis, & pariter oſtendit. Eos aulœdos eſſe. ] Hoc prouerbium recte dici in eos, qui in multo infeliciori ordine alicuius haberi momenti, quàm inter excellentes negligi malunt: nec male quadrare in eos, qui de deſperatione meliorum ad humiliora, ſeſe conferunt, Eraſmus auctor eſt. Aulœdi. ] Id eſt, tibicines. αὐλὸς enim tibia Græcis dicitur. Oratores euadere. ] Euadere, ut ait Donatus in Andriam Terentij, eſt per quancunque difficultatem ad aliquid peruenire. In re itaque laborioſa & difficili dicitur. Eius ſimplex, quod eſt Vado, ſolet uſurpare uulgus, pro eo quod eſt eo; Vtũtamen docti in re uiolenta aut difficili ſolent uſurpare, ut Ennius, Vadunt ſolida ui. Deuenire. ] Id eſt, deſcendere. Salubritas. ] Salubre dicitur id, quod affert ſalutem aut ſanitatem. A iuriſconſultis in cauſis capitalibus petitur conſiliũ, quod reo ſalutem & incolumitatem, id eſt abſolutionem afferat: ſed ab oratoribus ſalus ipſa petitur. nam dicendi facultate id efficiunt, ut reus abſoluatur. In qua ſi ſatis profeciſſem. ] Quia omnis iactatio, & præcipue ingenij, oratori turpis eſt: ingenium ſuum Cicero ſæpe ſubmittit, ut ait Quintilianus libro undecimo. Id hoc loco Cicero facit. Pacis ornamenta. ] Nam accuſantur improbi, innocentes defenduntur, populus concionibus tenetur, quæ utilia ſunt ſuadentur, quæ contra diſſuadentur. De ſtudijs. ] Id eſt, fauoribus. Ad honorem. ] Id eſt, ad magiſtratum. Inſita. ] Id eſt, naturali. Omnia iſta ſtudia. ] Iuris & dicendi. Bellicum canere. ] Seruius lib. Commentariorum in Aeneid. 2. negat hoc loco figuram eſſe, quod bellicum nomen ſoni ſit. Idem in lib. 7. enarrans illum uerſum: Claſſica iamq; ſonant, it bello teſſera ſignũ: claſſicum eſſe dicit flexilem tubam. Canere bellicum alibi quoque Cicero dixit. ut in lib. de Oratore, ſcribens de Thucydide: Alter incitatior fertur, & de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum. T. Liuius lib. 35. A Macedonia Philippũ, ubi primum bellicum cani audiſſet, arma capturũ. Id autem fermè eſt, quod uulgo dicunt ſonare tympanũ, uel proclamare bellũ. Ingenioſus poeta. ] Id eſt, Ennius. de quo Ouidius libro de Triſt. lib. 2. Ennius ingenio maximus, arte rudis. Summum poetam hunc ſæpe Cicero appellat. Tollitur è medio. ] Apud A. Gelliũ cap. 9. libri 20. illi uerſus Ennij ſunt: Pellitur è medio ſapientia, ui geritur res: Spernitur orator bonus, horridus miles amatur. Haud doctis dictis certantes, nec maledictis, Miſcent inter ſeſe inimicitias agitantes. Non ex iure manum conſertũ, ſed mage ferro Rem repetunt, regnumq; petunt, uadunt ſolida ui. Sed ferro. ] Legendum eſſe, Sed mage ferro, cognoſci poteſt ex ijs uerſibus, quos modo citaui etiam ex Cicerone, qui libro Epiſtolarum familiarium ſeptimo ad Trebatium Iuriſconſultum ſcribens: Tantum, inquit, metuo,

ne artificium

*ne artificium tuum tibi parum proſit. nam, ut audio, iſtic, Non ex iure manu conſertū, ſed mage ferro Rem repetūt, regnumq; petunt, uadunt ſolida ui. Mage autem pro magis, antiquum eſt. Verum hæc Cato.* ] *Cato ut oſtenderet L. Murenam largitione, non ſuo merito factum eſſe Conſulem, bellum Mithridaticum eleuauit, quod ueluti cum mulierculis eſſe dixit. Scribit Ariſtoteles libro Problematum quartodecimo, homines qui in calidis regionibus habitant ſapientiores eſſe, quàm qui in frigidis. Alibi idem ſcribit, propterea Græcos fortes eſſe et ſapientes, quod inter meridiem & ſeptentrionem ſint. Aſia autem regio calida eſt, cuius homines imbelles ſunt. Itaque C. Cæſar cum paruo negotio uiciſſet Pharnacem Mithridatis filiū, O beate Pompei, inquit, cum his hoſtibus bellum gerens, qui ob id Magnus & habitus es & appellatus: auctor eſt Appianus libro Bellorum ciuilium ſecundo. Verum hoc bellum Mithridaticum quàm periculoſum et laborioſum fuerit, oſtendit Cicero hoc loco, pro lege Manilia, & pro Archia poeta, quod à poeta L. Licinio Archia perſcriptum eſſe dicit. Neque enim cauſa.* ] *Id eſt, id huius cauſæ proprium non eſt. Triumphus M. Curij.* ] *Is enim de Pyrrho triumphauit, quem iterum ex Sicilia in Italiam reuerſum uicit, & Italia expulit: ut ait Titus Liuius libro quartodecimo. De Philippo T. Flaminij.* ] *Poſt ſecundum bellum Punicum, bellum cum Philippo rege Macedoniæ renouatū eſt, quod T. Quintius Flaminius proconſul confecit, de eoq; Philippo & de Nabide, & quia Græciam liberauit, triumphauit. ut latius perſcriptum eſt apud T. Liuium, libris, triceſimoſecundo, triceſimotertio, & triceſimoquarto. De Aetolis M. Fuluij.* ] *M. Fuluius Nobilior Conſul Ambracienſes in Epiro obſeſſos, per deditionē accepit, Cephaleniam ſubegit, Aetolis perdomitis pacem dedit. ob id ei triumphus decretus eſt. De rege Perſe.* ] *L. Paulus Aemilius Perſen Philippi filium, Macedoniæ regem uicit cepitq;. Eumq; cum tribus filijs, cum triumpharet, ante currum duxit. Perſeus autem, Perſis & Perſa dicitur: de quo dicendi genere in Progymnaſmatis ſcripſimus. De pſeudophilippo.* ] *Hic Pſeudophilippus primum Andriſcus appellatus eſt. Is Perſei ſe filium mentiens, Philippus appellatus eſt. Occupata Macedonia à Q. Cæcilio Metello uictus captusq; eſt. ut ait idem Liuius libris 49. & proximo. Qui idē ſcribit libris quinquageſimoprimo et quinquageſimoſecūdo, de bello Achaico, & de Corintho euerſa à L. Mummio conſule. Hoc loco attende, quod perſæpe inuenire licet, Ciceronem ponendis exemplis ordinem temporis ſeruare ſolitum, ut antiquiſſima quæque prima collocet. Curij triumphum ſecutus eſt Flaminij, deinde Fuluij, deinde Pauli, deinde Metelli, poſtremo Mummij. Locus hic de ponendis exemplis admonet me, ut illud quoque dicam: prius externa, ſi qua ſint, deinde domeſtica à Cicerone poni ſolita. Cur Aſiaticæ nationes.* ] *Vel quia Aſia finitima Græcia eſt, uel quia Græciæ pars in Aſia eſt: quod ſignificat Cicero pro L. Flacco, quamuis Græcia uetus Athenienſes, Aeoles, & Dores tantum uere, ut idem ait, complexa ſit. Atqui ex ueterum.* ] *Ex bellis in Græcia geſtis probauit, bellum Mithridaticum non eſſe contemnendum. Idem probat ex bello, quod cum Antiocho geſtum eſt. Id bellum perſcripſit Titus Liuius libris 35.36.37. & 38. L. Scipio.* ] *Qui inde Aſiaticus cognominatus eſt. Cum P. fratre.* ] *Is enim P. Scipio Africanus maior, qui fratri Conſuli legatus profectus eſt in Aſiam, ad bellum Antiochi. A' Cicerone illud obſeruatum perſæpe inuenias, in propinquitate explicanda, ſi eadem prænomina ſint & nomina, ut alterius nomen præponatur, alterius prænomen tantum poſtponitur. ut Cicero M. filius: uulgo dicerent, M. Cicero M. Ciceronis filius. Si uero diuerſa ſint prænomina & idem nomen, prænomen & nomen alterius præponuntur, alterius uero prænomen tantum ſubſequitur. ut, Q. Mutius Publij filius: pro quo dicerent, Q. Mutius P. Mutij filius. L. Scipio.* ] *P. frater. Africa oppreſſa.* ] *Africanus enim cognominatus eſt. Is primus Imperator nomine uictæ à ſe gentis eſt nobilitatus, ut ait Titus Liuius libro triceſimo. Cognomine.* ] *Id agnomen Grammatici appellarent. Id uocabulum unde expiſcati ſint neſcio. Id autem nomen, quod ab euentu impoſitum eſt, cognomen ſcio appellari ſolitum. Ex Aſiæ nomine.* ] *Nam L. Scipio Aſiaticus cognominatus eſt. M. arci Catonis.* ] *Cum Antiochus Thermopylarum fauces poſitis caſtris occupaſſet, ut in Syriam aditum Romano exercitui occultaret, M. Cato maior conſularis legatus cum duobus millibus militum ab imperatore T. Quintio Flaminio miſſus, Callidromum, quod eſt unum ex Thermopylarum iugis, occupauit. Quæ res Romanis fugiente hoſte aditum præbuit: ut eſt apud Titum Liuium libro trigeſimoſexto. Proaui.* ] *Catonem minorem fuiſſe pronepotem maioris, eſt apud A. Gellium capite decimonono libri decimitertij. Nunquam cum Scipione eſſet.* ] *Auctore Cicerone lib. de Officijs primo: uiri fortis eſt res magnas gerere, illas quidem & maxime utiles, ſed ut uehementer arduas, plenasq; laborum & periculorum. Bellandum:* ] *Bellare dici ſolet. Virgilius tamen libro duodecimo. Pictis bellantur Amazones armis: pro bellant dixit, ut ait Priſcianus libro octauo. Cum P. Africano.* ] *Cum certamen eſſet inter L. Scipionem & Caium Lælium Conſules, & uterque prouinciam ſibi dari Græciam poſtularet, cauſa gerendi belli cum Antiocho, Publio Scipio Africanus ait, ſi L. Scipioni fratri ſuo prouinciam Græciam decreuiſſent, ſe legatum futurum. Hac uox magno aſſenſu audita, ſuſtulit certamen: auctor eſt Titus Liuius libro triceſimoſeptimo. Legatus.* ] *Locum tenens uulgo dicitur. Non rudis.* ] *Id eſt, exercitatus. Eſt autem Liptote. Non oppreſſum.* ] *Pro lege Manilia: Adhuc, inquit, ita noſtri cū illo rege contenderunt Imperatores, ut ab illo inſignia uictoriæ; non uictoriam reportarent. Triumphauit L. Sylla, triumphauit L. Murena de Mithridate, duo fortiſſimi uiri, & ſummi Imperatores: ſed ita triumpharunt, ut ille pulſus ſuperatusq; regnaret. Veruntamen illis imperatoribus laus eſt tribuenda, quod egerunt: uenia danda, quod reliquerunt: propterea quòd ab eo bello Syllam in Italiam Reſp. Murenam Sylla reuocauit. Id antea diximus. Aliquot annis ſumptis.* ] *Poſt ſecundum bellum. Tria enim Mithridatica bella fuiſſe, Appianus ſcribit: unum quod Sylla, alterum quod Murena, tertium quod Lucullus & Pompeius geſſerunt. Ad confirmandas rationes & copias belli.* ] *Claſſes enim maximas ædificauit, ornauitq; exercitus permagnos, quibuſcunque ex gentibus potuit, comparauit. Legatos ad Sertorium in Hiſpaniam miſit, ut pro lege Manilia ſcripſit Cicero, amplius centum uiginti millia peditum Rom. more armata & in ordines diſtributa, ſex & decem millia equitū, falcatos currus centū habuit Mithridates: ut in Luculli uita Plutarchus ſcribit. Oceanum.* ] *Id eſt, Hiſpaniā, quæ maxima ex parte Oceano alluitur. Sertorij copias.* ] *Hac de re ſcripſimus pro lege Manilia. Duobus Conſulibus.* ] *M. Aurelio Cotta & L. Lucullo. Alter Bithyniā.* ] *Cotta ſcilicet. Et terra & mari.* ] *Mithridates cum exercitu in Bithyniam tranſiens, benigne exceptus eſt, quod Bithyniam, ut reliquam Aſiam, Romani fœneratores & publicani intolerabili peſte euerterant. Cotta, ut huius uictoriæ gloria ad ſe ſolum pertineret, expectare noluit Lucullum, qui aduentare dicebatur. Cum Mithridate igitur temere pugnans, ab eo terra mariq; profligatus eſt, ut ait Plutar. in uita Luculli. Bithyniam autem Nicomedes rex ſine liberis decedens, populo Romano dedit: regnumq; eius in prouinciæ formam redactum eſt, ut ait T. Liu. lib. 93. Ad Cyzicenorum mœnia.* ] *De hac re eſt in oratione pro Archia poeta, & pro lege Manilia. Aſiæ ianuam.* ] *Aſiæ claues uulgo appellarent. Ianuā Aſiæ di*

eit, quamuis tenuia priuatorum ædificiorum ſepius dicatur: ut porta urbium, templorum, & caſtrorum. Diuturnitate obſidionis. ] Omnem commeatum, qui ad Mithridatem Cyzicũ obſidentem ferretur, Lucullus intercipiebat. unde fames, unde peſtis exorta eſt, quæ plurimos necauit, quæ regem mouere ab urbe caſtra coegit: ut ait Appianus in bello Mithridatico. Diuturnitate obſidionis. ] Obſidionis diuturnitatem iis, qui obſiderent pernicioſam fuiſſe, hac quoque noſtra ætate ſæpe comprobatum eſt. Ad Tenedum. ] L. Lucullo dimicante, ut ait pro Archia, cum interfectis ducibus depreſſa hoſtium claſſis eſt, & incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis. Eſt autem Tenedos inſula in mari Aegæo, extra Helleſpontum, Sigæo littori adiacens. Contento curſu. ] Id eſt, nauigatione. Italiam peteret. ] Significat Mithridatem in Italiam miſiſſe claſſem, ut ab Aſia Lucullum auerteret, etiam quod uictoriam patria adimere ſolita ſit, ſintq́; milites extra patriam multo fortiores. Sed Appian. ſcripſit, Mithridatem in ſumma rerum deſperatione non abieciſſe animum, ſed ad Celtas ſocios ueteres & amicos proficiſci, unáq; cum iis in Italiam ingredi: ſperantem exemplo Annibalis multas Italiæ ciuitates à Romanis defecturas eſſe, præcipue quòd uideret Italiam à Spartaco ſolo nullius famæ aut claritatis homine concitatam eſſe: ſed exercitum ſequi recuſaſſe, et ob audaciæ magnitudinẽ, & ob uiæ longinquitatem. Spe et animis inflata. ] Id eſt, magna ſpe animata & iactabunda. Idq́; in re uana, quæ ſcilicet non efficiatur, dicitur. ut in L. Piſonem: Quo in oppido, cum tibi ſpe falſa, quòd Quintium Ancharium non eſſe ſucceſſurum putares, animos rumor inflaſſet, quo te modo ad tuam intemperantiam ſcelerate innouaſti? Mitto prælia. ] Occupatio eſt. Rege Armeniorum. ] Tigrane: de quo pro lege Manilia plura dicta ſunt. Non id agimus. ] Quia id extra cauſam eſt. Tot annos. ] Mithridates annos quinquagintaſeptem regnauit, cum Romanis annos 42. bellum geſſit: ut ait Appianus. Populus Rom. detuliſſet. ] Lege Manilia. Cuius. ] Pompeij ſcilicet. Quæ ſunt innumerabiles. ] Nemo fuit quiſquam Romanorum ab imperio condito, qui plures pugnas pugnauerit, qui plures uictorias pepererit, qui plures hoſtes domuerit, quàm Cn. Pompeius. Itaque Plinius capite uigeſimoſexto libri ſeptimi, eius laudes ſcribens, eum dicit æquaſſe nõ modo Alexandri Magni rerũ fulgorem, ſed etiam Herculis propè ac Liberi patris. Innumerabiles ſolet Cicero dicere: alij modo innumerabiles, modo innumeros. Vt quod idẽ ſemper dicit ſuperuacaneũ, alij ſuperuacuum ut ſuperuacaneũ dicunt. Summa cõtentione. ] Summo labore, ſummis uiribus, cũ uterque uincere cõtenderet. Boſphorũ. ] Boſphorus, ut ait Plinius capite I. libri ſexti, à bouis meabili tranſitu dictus eſt. Appianus in bello Mithridatico, hanc Mithridatis fugam ſcribens: Nonnulli, inquit, Boſphorum ex Iouis tranſitu ſolent appellare, quo in loco ob Zelotypiam Io bos effecta, Iunonem effugiſſe dicitur. Eſt autem Boſphorus anguſtum fretum, per quod Mæotis palus in Pontum influit, appellaturq́; Boſphorus Cimmerius. nam eſt etiam Boſphorus Thracius ad Chalcedonem & Byſantium: auctor eſt Strabo libris 7. & 12. Sedibus. ] Id eſt, ut uulgo dicunt, manſionibus. ut: Sedes ubi fata quietas Oſtendũt. Nobis. ] Mithridati. Anima. ] Id eſt, uita. Quæ tenuerat. ] Mithridates. Vita expulit. ] Id eſt, mori coegit. Eius autem mors huiuſmodi ab Appiano perſcripta eſt. Extrema fortuna exagitatus Mithridates, uenenum temperauit, quod in gladij capulo aſſidue gerebat. Eo autem extingui non potuit, & quòd continuo ambulabat, & quòd medicaminibus ad prohibenda uenena aſſuetus erat, quæ ab eo hac quoque ætate Mithridatica appellantur. Fortem igitur & ſtrenuum Celtarum ducem Bithium rogat, ut illam poſtremam ſibi præſtet operam, ut ſe interficeret, ne uiuus in manus Romanorum ueniens ad triumphum ſeruaretur. Illachrymans Celta, Mithridatem gladio necauit. Tot Imperatores. ] L. Sylla, L. Murena huius pater, L. Lucullus, & Cn. Pompeius. Denique. ] Arbitror legendum, Tum denique, id eſt, tum primũ. Legatum. ] L. Luculli. At enim in præturæ petitione. ] Vt ante ex quæſtura, ita hic ex prætura Sulpitius ſe Murena digniorem probauit, quòd prior renunciatus ſit: id refutat Cicero. Ex ſyngrapha. ] Syngrapha eſt, ſcriptura quæ fit in alicuius rei fidem, cuiuſmodi ſunt quæ ſchedulæ appellantur. auctore Nonio Marcello, hic ſyngraphus & hæc ſyngrapha dicitur. Plautus in Aſinaria: Agedum iſtum oſtende, quem conſcripſiſti, ſyngraphum. Ex ſyngrapha agere cum aliquo, eſt litigare, de quo is ſyngrapham conſcripſerit. Quem locum ſemel honoris dederit. ] Id eſt, quo loco in aliquo magiſtratu renunciauerit. Quod enim fretum. ] Quintilianus libro octauo, illud longe ſpecioſiſſimum genus orationis eſſe dicit, in quo trium permixta eſt gratia, ſimilitudinis, allegoriæ, & tranſlationis. quale eſt: Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam uarias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus: quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita ſæpe perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquã commutat aura rumoris. Quem Euripum. ] Euripus mare eſt, quod die & nocte ſepties curſum tranſmutat, ut ait Strabo libro nono. Agitationes fluctuum. ] Apud Quintilianum inuenio ſcriptum, Agitationes, commutationes, fluctus. Etiam populus admiretur. ] Cicero pro Cn. Plancio, ad eandem ferè ſententiam ſcribit: Sin hoc, inquit, perſæpe accidit, ut & factos aliquos, & non factos eſſe miremur, ſi campus atque illæ undæ comitiorum, ut mare profundum & immenſum, ſic efferueſcunt quodam quaſi æſtu, ut ad alios accedat, ab aliis autem recedant: in tanto nos impetu ſtudiorum & motu temeritatis, modum aliquem & conſilium & rationem requiramus? Populus admiretur. ] Vt apud Titum Liuium lib. uigeſimoſexto: Publius Scipio, qui poſtea Africanus cognominatus eſt, annos quatuor & fermè uiginti natus, Proconſul populi ſuffragio factus eſt, ut in Hiſpaniam proficiſceretur, ubi paulo ante pater eius & patruus à Pœnis occiſi fuerant. Cæterum poſt rem actam, ut iam reſederat impetus animorum, ardorq́; ſilentium ſubito ortum, & tacita cogitatio, quid nam egiſſent noui, quòd fauor plus ualuiſſet, quàm ratio ætatis, maxime pœnitebat. À Q. Maximo. ] Non illo quidem Dictatore. Hic enim multo poſt fuit. Nam ut tempeſtates. ] Similitudo eſt quæ præcedit: cui ex aduerſo redduntur, ea quorum cauſa ſimilitudo ſumitur. De qua eſt apud Quintil. libro octauo. Certo aliquo cœli ſigno. ] Vt Orione, de quo eſt apud Virgilium in libro Aeneidos primo: Hic curſus fuit, Cum ſubito aſſurgens fluctu nymboſus Orion In uada cæca tulit, penitusq́; procacibus auſtris, Perq́; undas ſuperãte ſalo, perq́; inuia ſaxa Diſpulit. Sæpe improuiſo. ] Quamuis improuiſo, & ex improuiſo, pro re eadem dicamus, ut alio loco ſcripſimus: hoc tamen loco ex improuiſo legit Quintilianus. Sæpe ita obſcura eſt ut caſu. ] Legit itidem Quintil. Sæpe ita obſcurum eſt, ut ſine caſu: quæ lectio aſpernanda non uidetur. In prætura. ] Id eſt, in præturæ petitione. Muneris. ] Id eſt, ludorum. Legatione. ] Id eſt, cum L. Lucullo Murena legatus eſſet. Deceſſerãt. ] Ex urbe Roma ſcilicet. Qui ad triumphum conuenerat. ] Ne intelligas, ilico poſt Pompeij in Aſiã ad bellum Mithridaticum aduentum, L. Lucullum triumphaſſe. nam Pompeius Mithridatem iam uicerat, cum Murena factus eſt Conſul, qui non multo poſt quàm deſignatus eſt, à Sulpitio in iudicium uocatus eſt. Munus ampliſſimum. ] Id eſt, ludos maxime ſumptuoſos. Quod petitio præturæ deſiderabat. ] Fortaſſe quia ædilis Murena non fuerat. In ædi-

litate autem huiuſmodi ludorum magnificentia præſtari ſolet. Apud ſuos. ] Ciues & neceſſarios. Imperatores. ] Id eſt, qui gerendo bello exercitati ſunt, quiq́; exercitus ducere ſciunt. Verborum interpretes. ] Id eſt, iuriſperiti. Grauis. ] Id eſt, magni momenti & efficaciæ. Me ſaucium recreauit. ] Mimeſis eſt, id eſt, imitatio orationis eius quam aliquis ex militibus habere potuit de L. Murenæ commendatione. Quid fortis. ] Fortitudo enim & felicitas ſunt ex imperatorijs uirtutibus ijs, quas Cicero pro lege Manilia enumerat. Omen prærogatiuum. ] Solennia quædam uerba erant, quæ boni ominis cauſa in comitijs conſularibus ante dicerentur, quàm tribus in ſuffragium mitterentur. Eiuſmodi hæc eſſe coniectare licet. Cum fortis, tum etiam felix. ] Cicero in libro de Diuinat. I. de ominibus ſcribens: Ea, inquit, maiores noſtri quia ualere cenſebãt, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, fauſtum, felix, fortunatum que eſſet præfabantur: rebuſq; diuinis, quæ publice fierent, ut fauerent linguis imperabatur: inq; ferijs imperandis, ut litibus & iurgijs ſe abſtinerẽt: itemq; in luſtrãda colonia, ab eo qui eam deduceret, & cum imperator exercitum, cenſor populum luſtraret, bonis ominibus qui hoſtias ducerent eligebantur. Quod idem in dilectu Conſules obſeruant, ut primus miles fiat bono omine. Prærogatiuam etiam maiores omnes iuſtorum comitiorum eſſe uoluerunt. Idem in libro ſecundo appellat prærogatiuum omen comitiorum. Id autem omen appellari prærogatiuum arbitror, propterea quod id dicatur antequam tribus prærogatiua ferat ſuffragium. Sunt enim tribus prærogatiuæ, quæ primæ ſuffragiũ ferunt, ut ait Aſconius in accuſationem Verris. Eas ſortitione fieri, Cicero dicit in Philippica ſecũda. Scenæ magnificentiã. ] Quam ſcenam paulo poſt dicit fuiſſe argenteam. Vulgus imperitorum. ] Vt in libro de Natura Deorum primo: Quanto melius hoc uulgus imperitorum, qui non membra ſolũ hominis deo tribuũt, ſed uſum etiã membrorum. Vulgus autem imperitorum appellat, quem uulgo dicunt ſimplicem populum, ut mechanicos & mercenarios. Imperitam multitudinem Cicero appellat ſæpius. Idem paulo poſt appellat multitudinem indoctam. Vulgus autem pro multitudine ignobili dicit, ut in libro de Officijs tertio: Periclitemur, ſi placet, in ijs quidem exẽplis, in quibus peccare uulgus hominum fortaſſe non putat. Et de Claris oratoribus: Nec enim decet te ornatum uberrimis artibus, quas cum domo haurire non poſſes, accerſiuiſti ex urbe ea, quæ domus ſemper eſt habita doctrinæ, numerari in uulgo patronorum. Populum ac uulgus imperitorum. ] Hi enim præcipue ferebant ſuffragium. Noſmetipſi. ] Senatores aut magiſtratus. Si noſmetipſi. ] Argumentum à minore ad maius eſt. L. Otho. ] L. Roſcius Otho Trib. pleb. legem tulit, ut in theatro equitibus Rom. ordines quatuor & decem ſpectandi gratia darentur, ut ait Aſconius. Ad ignominiam ſuam pertinere plebs exiſtimauit, quòd à ſe equites diſiuncti eſſent. Othonem igitur in theatrum ſpectandi gratia uenientem, plebs ipſa contumelioſe ſibilis excepit, quem contra honeſto plauſu equites ornauerunt. Cum res in iurgia & contentionem adducta eſſet, omneq́; theatrum in honeſta ſpecie completum eſſet, Cicero Conſul plebem in templum Bellonæ conuocauit: quam ita moderate increpuit, monuitq́;, ut cum in theatrum rediſſent, Othoni applauderent, auctor eſt Plutarchus in uita Ciceronis. Plinius capite trigeſimo libri ſeptimi hoc quoque nomine laudat Ciceronem: Te, inquit, ſuadente Roſcio theatralis ſeditionis auctori leges ignouerunt, notataſq́; ſedes ignominiæ diſcrimine æquo animo tulerunt. Voluptatem. ] In ludis ſpectandis. In mea petitione. ] Id eſt, cum peterem conſulatum. Scenam competitricem. ] Id eſt, Caium Antonium competitorem, qui ludos fecerat magnificentiſſimos, ut ipſa eius ſcena ei petere Conſulatum uideretur. Trinos ludos. ] Aedilitatis ſuæ ſumptum ſanè exiguum, ſcilicet pro facultatibus fuiſſe, Cicero ſcribit in libro de Officijs ſecundo. Spectacula publica in honorem deorum facta, ludos appellari in numero plurali tantum, Valla auctor eſt. Cuiuſmodi ſunt ludi Apollinares, ludi Romani, ludi Plebeij: ideo trinos ludos, non tres ludos, hoc loco Cicero dixit. Ludos feceram. ] Alibi quoque Cicero dicit facere ludos, ut in Verrem Actione ſecunda: Decem dies ſunt ante ludos Votiuos, quos Cn. Pompeius facturus eſt. Pro Cn. Plancio: Præneſte feciſſe ludos. Quid? alij Quæſtores non'ne fecerunt? Pro P. Seſtio: Ex te igitur Scaure potiſſimum quæro: qui ludos apparatiſſimos magnificentiſſimoſq́; feciſti. Antonij ludis. ] Auctores Plinio capite tertio, libri triceſimitertij: C. Antonius ludos ſcena argentea fecit. item L. Murena & Caius princeps in circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo centum uigintiquatuor. Hos autem ludos à C. Antonio in ædilitate factos eſſe arbitror. Quandoquidem ædilitatis ludorũ ſplendor erat, quamuis Quæſtores & Prætores ludis quoque nonnunquam facerent. Ideo ædilitium munus ludos Cicero appellat in libro de Officijs ſecundo, quo in loco dicit uitandam ſuſpicionem auaritiæ. Multi enim, ut ludorum ſumptus euitarent, ædilitatem non petebant. Mamerco, inquit, homini ditiſſimo prætermiſſio ædilitatis conſulatus repulſam attulit. Quia ædilis non fuit Murena, eam ut arbitror ob cauſam Prætor ludos fecit, ut à ſe auaritiæ ſuſpicionem remoueret, & ſibi populi Rom. beneuolentiam & ſtudium conciliaret. Sed hæc ſanè ſint. ] Quæ antea probauit Murenæ utilia eſſe, ea condonare ſimulat, ut ad ſequentia gradum ſibi faciat. Sit par forenſis opera, &c. ] Hic locus corruptus eſt, qui ad hanc ſententiam ſcriptus fuiſſe uidetur: Sit par forenſis opera militari operæ, & ſuffragationi militari ſuffragatio urbana, &c. Iſtius ſortem. ] Poſtquam decreuerat Senatus quæ prouinciæ conſulares, quæ prætoriæ eſſent, conſularium Conſules, & prætoriarum Prætores ſortem faciebant. Sors iuris dicendi. ] Vt cauſarum duo genera ſunt (aliæ enim priuatæ ſunt, aliæ publicæ: has criminoſas, illas ciuiles uulgo appellant:) ita prætorum qui in urbe manerent duo genera fuiſſe arbitror: alios qui cauſis priuatis, alios qui publicis præeſſent, ut alios cauſis ciuilibus, alios criminoſis præfectos eſſe uidemus. Cauſæ priuatæ P. Quintij Caius Aquilius prætor præfuit. Cum Prætores deſignati ſortirentur, M. Metello obtigit, ut is in cauſa Verris de pecunijs repetundis quæreret: ut ait Cicero Act. 2. Cauſis priuatis Murena, publicis Sulpitius præfuit. Quæſtio peculatus &c. ] Hæ ſunt cauſæ publicæ, quarum ex iudicio multorum offenſionem Prætor in ſe cõcitat. Quæſtio. ] Id eſt, cauſa. Peculatus. ] Peculatum Labeo definit, ut ſit pecuniæ publicæ uel ſacræ furtum, ut ait Paulus iuriſc. lib. Digeſt. 48. ad legem Iuliam peculatus. Ex altera parte. ] Id eſt, ex parte rei. Reorum enim propinqui & amici cum reis ipſi ueſtem mutabant. Iudicũ. ] Id eſt, qui de peculatu iudicauerunt. Cogendi iudices. ] Id eſt, congregandi. Scriba dãnatus. ] Id eſt, ſi quis ſcriba prætore te dãnatus eſt, ordinem ſcribarum totũ tibi offenſum habes. De ſcribarum ordine in Inuectiuas ſcribimus. Syllana gratificatio. ] L. Sylla potitus uictoria ciuili, proſcriptorũ ciuium bonis ſuos milites locupletauit. Hanc Syllæ gratificationem, id eſt, liberalitatẽ ſi Prætor ſententia reprehendat, multos uiros fortes, et magnã partem ciuitatis, quæ fauit, aut quæ ab eo locupletata eſt offendit. Significare autem uidetur, has cauſas Sulpitio Prætore actas fuiſſe. Lites æſtimatæ. ] Aeſtimare litẽ quid ſit, ſcripſimus pro A. Cluentio. Seuere. ] Id eſt, ut uulgo loquũtur, rigoroſe: tanti uidelicet, quantũ reus repetundarũ accepiſſe cõuictus ſit. Cui placet. ] Placet et Dolet, Imperſonalia ſunt. Cui placet obliuiſcitur. ] Similis eſt illa Plauti ſentẽtia: Si quid in iſtos diuites bene feceris, leuior pluma ea gratia eſt: ſi

*quid male, plumbeas gerunt iras.* Quod in me ipſo, &c. ] Cur Cicero Prætor & Conſul in prouinciam ire noluerit, cauſam dicit in orat. pro Cn. Planco. Cum enim Quæſtor in Sicilia eſſet. ] Sic, inquit, tum exiſtimabā, nihil homines unquam aliud Romæ, niſi de Quæſtura mea loqui. frumenti in ſumma caritate maximum numerum miſeram; negotiatoribus comis, mercatoribus iuſtus, municipibus liberalis, ſocijs abſtinens, omnibus eram uiſus in omni officio diligentiſſimus. Excogitati quidam erant à Siculis inauditi honores: Itaque hac ſpe decedebam, ut mihi populum Romanum ultro omnia delaturū putarem. At ego, cum caſu diebus ijs, itineris faciendi cauſa, decedens è prouincia Puteolos forte ueniſſem, quamplurimi & lautiſſimi ſolent eſſe in ijs locis, concidi penè Iudices: cum ex me quidam quæſiſſet, quo die Roma exiſſem, & nunquid in ea eſſet noui. Cui cum reſpondiſſem, me à prouincia decedere: etiam mehercule, inquit, ut opinor ex Africa. Huic ego iam ſtomachans, faſtidioſe: imo ex Sicilia, inquam. Tum quidam, quaſi qui omnia ſciret: Quid? tu neſcis, inquit, hunc Syracuſis Quæſtorem fuiſſe? Quid multa? Deſtiti ſtomachari, & me unum ex his feci, qui ad aquas ueniſſent. Sed ea res, Iudices, haud ſcio an plus mihi profuerit, quàm ſi mihi tum eſſent omnes congratulati. Nam poſtea quàm ſenſi populum Rom. aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere, deſtiti quid de me audituri eſſent homines cogitare: feci, ut poſtea quotidie me præſentem uiderent, habitaui in oculis, preſſi forum, neminem à congreſſu meo neque ianitor meus neque ſomnus, abſterruit. Ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus? cui fuerit ne otium quidem unquam otioſum. Habuit delectum. ] Militum ſcilicet. Vmbria ] Vmbrorum gens antiquiſſima Italiæ exiſtimatur, ut quos Vmbrios à Græcis putent dictos, quod inundatione terrarum hymbribus ſuperfuiſſent: auctor eſt Plin. cap. 14. libri tertij. ὄμβρος enim pluuia, & ὄμβριος pluuialis Græcis dicitur. Noſtri homines. ] Publicani & negotiatores. Præſte. ] Id eſt, aduocatus & patronus. Et quoniam. ] Ad quæſtionem aliam ſe tranſire ſignificat. Amiſſo iam tempore. ] Id eſt, amiſſa iam occaſione, cum iam Conſules deſignati ſint. Tempus actionis opportunum. ] Græce εὐκαιρία, latine appellatur occaſio: ut ait Cicero in libro de Offic. 1. Ipſi. ] Id eſt, tibi. Re integra. ] Id eſt, ante comitiorum diem, cum adhuc Conſul eſſe poſſes. A ſpe adipiſcendi. ] Id eſt, à ſpe tua, ut adipiſcare conſulatum: Id eſt, perſuadens populo te deſperare conſulatum. Accuſationem meditari. ] Id poſtea dicit, & in eadem re cogitare accuſationem. Honorem deſperaſſe. ] Deſperare honorem & honori dici, ſcribimus pro Aulo Cluentio. Quid ergo, &c. ] Obiectionem ſibi proponit, quam purget. Magnis copijs. ] Id eſt, magno comitatu: quod tum fit, cum amicorum ſtudia debilitata non ſunt. In campum. ] Martium ſcilicet. Inquiſitio candidati. ] Quam facit candidatus de rei criminibus. Accuſatori enim conſtituto, certum aliquod tempus dabatur, ad inquirenda rei crimina. Comparatio. ] Comparare teſtes & ſuffragatores dicimus. Declamatio. ] Id eſt, orationis meditatio, & ut ediſcatur exercitatio. Perſalutatio ſuffragatorum, quos etiā nominatim appellare ſolebant. Candidatum enim ſequebatur nomenclator, qui ei hominum nomina ſuggereret. Concurſent. ] Candidati ſcilicet: Id eſt, adeant, ut eos ſalutent. Coniecturam faciant. ] Id eſt, conijciant. ut pro C. Rabirio: Omnes ij, quorum tu ex ætate coniecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te capitis C. Rabirij nomine citantur. Vides ne tu illum. ] Mimeſis eſt. Alicuius enim ſuffragatoris orationem imitatur. Abiecit haſtas. ] Id eſt, conſulatui deſperans abiecit animum, & petere deſtitit. Eſt autem prouerbialis ſententia, maiorem animi abiectionem ſignificans, quàm abijcere arma. Qui enim deſperantes arma abijciunt, haſtas ſibi retinent, quod in iis aliquam adhuc ſpem ſalutis habeant. Eſt enim haſta, non id quod uulgo dicunt: ſed iaculum, quam in ſumma deſperatione poſtremā abijciebant, ut nunc gladium. Alium faciam. ] Conſulem ſcilicet. Eiuſmodi. ] Id eſt, talium. E ciuitate exturbare. ] In exilium eijcere. Quamuis enim ambitus pœna exilium Calpurnia lege non fuerit, ut amplius pro A. Cluentio ſcripſimus: hanc tamen pœnam lege lata à Cicerone conſtitutam fuiſſe poſtea ſignificat. Non inopem. ] Id eſt, qui multos habent propinquos & amicos. Exturbare e ciuitate, & exturbare ciuitate, dicere poſſumus. ut Actione in Verrem quarta: Num etiam patrijs Heraclium bonis exturbare oportuit? Omnes enim ad pericula ] Nam ut ait Quintilianus: Naturalis fauor pro laborantibus eſt. Etiam alieniſſimis. ] Id eſt, non ſolum alienis, ſed etiam alieniſſimis. In qua dicendi ratione particula Vel uſitatior eſt. In accuſando laborem. ] Defendere difficilius eſſe quàm accuſare, ſcripſit Quintilianus, lib. 5. Cicero in eadem ſententia defenſionum labores ſæpe appellat, ſed hoc loco cauſa ſuæ inſeruit. Denunciationem. ] Id eſt, comminationem. De hoc uerbo pro Aulo Cluentio. Legem ambitus flagitaſti. ] C. Calpurnius Piſo, non multis annis ante Ciceronem Conſulem, tulit ex Senatuſconſulto legem de ambitu, in qua præter alias pœnas pecuniaria quoque pœna adiecta erat: Hanc legem grauiorem quàm antea fuerat, cum ferret, propter multitudinem diuerſorum, qui per uim aduerſabantur, è foro eiectus eſt: poſtea maiore manu ſtipatus, in forū deſcendens, eam tulit. Sed cum petente Cicerone Conſulatum, in dies licentia ambitus augeretur, propter præcipuam L. Catilinæ & C. Antonij audaciam cenſuit Senatus; ut lex ambitus aucta pœna ferretur. Ei rei Q. Mutius Oreſtinus Trib. pleb. interceſſit. auctor eſt Aſconius. Anno poſt Seruio Sulpitio poſtulante; Cicero Conſul ex Senatuſconſulto legem de ambitu tulit. Refragata eſt. ] Id eſt, nocuit. Pœna grauior. ] Quàm quæ Calpurnia lege conſtituta erat. Tenuiorum. ] Id eſt, plebis, in quam pœna grauior uoce tua efflagitata eſt. Exilium in noſtrum ordinem. ] Tua uoce efflagitatum eſt. Id autem fuit unū caput legis Tulliæ de ambitu, ubi morbi excuſationi pœna addita. In noſtrum ordinem. ] Id eſt, in Senatores. Duriorem. ] Quàm quæ Calpurnia lege conſtituta erat. Fortunæ communi. ] Omnium Senatorum. Morbi excuſationi. ] Hoc ut arbitror, ita intelligitur. Si quis de ambitu in iudicium uocetur, iſq; ne in iudicium ueniat, morbi cauſam excuſet, pœna ei addatur lege. Morbo enim ſontico excuſationem eſſe, apud A. Gellium eſt capitulo primo libri uigeſimi. Apud Titum Liuium libro 38. L. Scipio Publium fratrem excuſans, quòd dicto die reus non adeſſet, morbum cauſam eſſe dicit. Tribuni quoque pleb. decreuerunt, ut ſi morbi cauſa excuſaretur, ſibi placere accipi eam cauſam. Contra ualetudinis. ] Si ægroti in iudicium uenerint. Cæteri uita, &c. ] Exilio aliâue graui pœna mulctatis, niſi uenerint: Is qui auctoritati. ] Id eſt, ego Cicero. Confuſionem ſuffragiorum. ] Suffragiorum confuſio quæ ſit, legere non memini. Ea tamen pop. Romanum uſum fuiſſe aliquando, apud T. Liuium eſt. Is enim lib. 26. ſcribens de Proconſule creando, qui in Hiſpaniam mitteretur, loco P. & Cn. Scipionum, qui ibi occubuerant: Mœſta, inquit, ciuitas propè inops conſilij, comitiorum die in campum deſcendit, atque in magiſtratus uerſi circumſpectant ora principum, aliorumq; alios intuentium. fremuntq; adeo perditas res, deſperatumq; de republica eſſe, ut nemo audeat in Hiſpaniam imperium accipere, cum ſubito Publius Cornelius, illius qui in Hiſpania ceciderat, filius, quatuor & fermè uiginti annos natus, profeſſus ſe petere, in ſuperiore loco, unde conſpici poſſet, conſtitit. In quem poſtea quàm omnium ora conuerſa ſunt, clamore ac fauore extemplo omina

nari

*nati ſunt felix fauſtumq́; imperium. Iuſſi deinde inire confuſum ſuffragium, ad unum omnes, non centuriæ modo, ſed etiam homines P. Scipioni imperium eſſe in Hiſpaniam iuſſerunt. Fortaſſe confuſio ſuffragiorum eſt, cum in comitijs centuriatis non ſeruatur ordo claſſium, nec centuriarum: ſed confuſe, & ut uulgo dicunt, in globo ferunt ſuffragium. Comitijs enim centuriatis populus Romanus in campum Martium ſub Centurionibus & ſignis conueniebat: eratq́; is populus in claſſes quinque, & deinde in centum nonaginta tres centurias diſtributus, ut hæ claſſes ſecundum cenſum eſſent. Prima claſſis erat hominum maximi cenſus, in qua erant decem & octo equitum centuriæ, peditum octoginta. Secunda erat eorum qui ſecundi cenſus eſſent, in qua erãt uiginti duæ centuriæ. Tertia erat eorũ qui inferioris cenſus erãt, in ea erant uiginti centuriæ. Tot erant centuriæ in quarta claſſe, in qua qui erant, minoris cenſus erant. Iis additæ ſunt duæ centuriæ, cornicinum & tibicinum. Quinta autem claſſis erat eorum, qui minimi cenſus erant, quorum centuriæ erant triginta. Poſt has claſſes erant pauperrimi ciuium, non pauciores ipſi alijs omnibus, quorum una erat centuria. In ferendis ſuffragijs primæ claſſis centuriæ primum uocabantur. In ea ſi uariaret quod raro contingebat, id eſt, ſi multis candidatis ſuffragarentur, ſecundæ claſſis centuriæ uocabantur: deinde alia ordine, quoad nonagintaſeptem centuriæ, quæ maior pars eſt centuriarum, alicui uni ſuffragatæ eſſent. auctor eſt Dionyſius Halicarnaſſeus libro ſeptimo. In comitijs igitur centuriatis, quibus Conſules fieri ſolebant, ordine claſſium ferebatur ſuffragium. Poſtulabat Sulpitius, ut claſſium, ideoq́; centuriarũ ordo in ferendis ſuffragijs cõfunderetur: & fortaſſe ut uiritim ſuffragia ferrentur, ut comitijs curiatis fieri ſolet: propterea quod candidato ſatis ſit, claſſem primam largitione corrupiſſe, ſi ordo claſſium ſeruetur. Hæc tam multa lectori, ut arbitror, ingrata non fuerint, præcipue ut cognoſcat, quæ comitia centuriata ſint.*

*Flagitaſti.* ] *Cum legem ambitus flagitaſti.* *Prorogationem.* ] *Id eſt, continuationem & prolongationem, quæ noua rogatione, id eſt, lege fiat. ut Prorogare tempus prouinciæ, dicit libro Epiſtolarum familiarium ſecũdo: Tibi cum omnia mea commendatiſſima eſſe cupio, tum nihil magis, quàm ne tempus nobis prouinciæ prorogetur.* *Legis Maniliæ.* ] *C. Manilius Trib. pleb. leges duas tulit: unam Reipub. ſalutarem, ut belli Mithridatici imperium Cn. Pompeio mandaretur, quam Q. Hortenſio & Q. Catulo diſſuadentibus, Cicero ſuaſit: alteram pernicioſam, ut libertinis in omnibus tribubus ſuffragium eſſet, ut eſt Apud Aſconium.* *Aequationem gratiæ.* ] *Id eſt, ut non maioris eſſent momenti ſuffragia gratioſorum hominum & honeſtorum, quàm aliorum: & res ſuffragiorum numero, nõ gratia aut dignitate eorum qui tuliſſent, ponderaretur.* *Et municipijs.* ] *Municipes enim & coloni ius ſuffragij habebant.* *Edititios.* ] *Editiios iudices eos eſſe, apud quos in crimine ambitus tribus edantur, ſignificat Cicero pro Cn. Planco: Neque, inquit, quidquam aliud in hac lege, niſi editiios iudices es ſecutus: quod genus iudiciorum, ſi eſt æquum ulla in re, niſi hac tribuaria, non intelligo quamobrem Senatus hoc uno in genere tribus edi uoluerit ab accuſatore, neque eandem editionem tranſtulerit in cæteras cauſas. His uerbis ſignificat, in crimine ambitus tantum eſſe iudices editiios. Editij, ab edendo appellati ſunt. quid ſit edere, alio in loco ſcripſimus. Miror quæ ſit opinio huius ætatis hominum uel doctiſſimorum, ut edere cum æ diphthongo in prima ſyllaba ſcribant: cum præpoſitio e, unde id uerbum compoſitum eſt, neque in compoſitione, neque extra hanc, diphthongum recipiat.* *Odia ciuium.* ]

*In candidatum, uel in eos quos fauere candidato certum eſt.* *Continentur.* ] *Id eſt, intus & in animis coercentur, ne foris appareant.* *Erumperent.* ] *Si apud iudices editiios tribus ederentur. Nam populus Rom. bis ferebat ſuffragium de magiſtratũ faciendo: primum comitijs Centuriatis, deinde Curiatis, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum ipſum beneficij ſui pœniteret. Sed poſtea curiata tantum auſpiciorum cauſa remanſerunt, ut ait Cicero contra Rullum ad Quirites.* *Adipiſcendi.* ] *Conſulatum.* *Atque ex omnibus.* ] *Illud Seruio nocuit maxime, quod pop. Romanus metuebat, ne Catilina fieret Conſul. Nam Ciceronis competitor Catilina fuit. Is repulſus, in annum proximum petiuit.* *Illa plaga.* ] *Plaga, uulnus, ſecuris, pro damno maximo ſæpe à Cicerone dicuntur. lib. Epiſt. familiarium 9. Leuior eſt plaga ab amico, quàm à debitore. Ad Attic. lib. 5. Satis enim habeo negotij in ſanandis uulneribus, quæ ſunt impoſita prouinciæ. Pro Cn. Planco: Vulnus illud Reipublicæ, dedecus huius imperij, turpitudo pop. Romani, non iudicium putandum eſt. Paulo poſt dicit: Quam te ſecurim putas iniecisse petitioni tuæ. Pro Cn. Planco: Quam enim illi iudices (ſi iudices, & non parricidæ patriæ nominandi ſunt) grauiorem potuerunt Reipublicæ infligere ſecurim? Inijcere plagã dicit, ut inijcere ſecurim.* *Non tacente me.* ] *Id eſt, id me tibi dicente. Eſt autem Liptote.* *Vt cũ ante me.* ] *Cũ alicuius cauſæ multi erant accuſatores, aut multi patroni, tum inter ſe cauſam diuidebant, ut ſuam quiſque partem ageret. Vt pro M. Cælio, adoleſcenti Attacino datum eſt, ut Cælij adoleſcentiam criminaretur. Pro P. Sylla Hortenſius de priore coniuratione, Cicero de poſteriore egerunt. Antiquo more pop. Romani unum accuſatorem, & unũ defenſorem fuiſſe, Cicero dicit pro A. Cluentio.* *M. Craſſus.* ] *Hic Hortenſij æqualis, in principibus patronis aliquot annos fuit: ut ait Cicero de Clar. orator. ubi de eo plura ſcribit.* *Quod poſſum.* ] *Id eſt quantum poſſum.* *Occurro.* ] *Id eſt, obuiam uenio, doq́; operam, ne ullum uos eadem iterum audiendi capiat tædium.* *Obſeruationes.* ] *Id eſt, diſcurſiones, cum inquireres.* *Teſtificationes.* ] *Aut Teſtificationes pro teſtationibus, aut Teſtationes legi debet. Eſt autem teſtatio, teſtimonium ſignatum, ab abſente miſſum.* *Seductiones teſtium.* ] *Cum ſcilicet domum tuam teſtes ſeduceres. Teſtes enim ei qui producturus eſt, domi ante uerſandi, ac uarijs percontationibus, quales haberi ab aduerſario poſſunt, explorandi ſunt: ut ait Quintil. lib. 5.* *Seceſſionem ſubſcriptorum.* ] *Subſcriptores ſunt cauſidici, qui accuſatorem adiuuare ſolent: ut ait Aſconius. Hi igitur ſecedebant, ut meditarentur, qua ratione Sulpitij accuſationem adiuuarent.* *Obſcuriores.* ] *Id eſt, triſtiores, & ita deſperantes.* *Alacrem atque lætum.* ] *Alacris ſiue alacer (utrunque enim dicitur) is eſt, qui uiget ſenſibus uniuerſis, quod eſt indicium erecti animi atque ſublimis: auctor eſt Aſconius, exponens illud ex ſecunda Act. in Verrem: Iſte repente ex alacri & læto ſic erat humilis atque demiſſus, ut non modo pop. Rom. ſed etiam ſibi ipſe condemnatus uideretur. Alacres & lætos Cicero dicit etiam pro P. Seſtio: Eos autem qui omnia diuina & humana uexarint, uiolarint, perturbarint, euerterint, non ſolum alacres lætoſq́; uolitare, ſed etiam uoluntarios fortiſſimis atque optimis ciuibus periculum moliri.* *Vallatum iudicibus atque ſicarijs.* ] *Iudicibus hoc in loco emendate non legi, ignotum non eſt. Quid autem loco eius ſcribi debeat, mihi in mentem commode non uenit. nam Indicibus ut ſcribatur, non placet. Catilina autem omnium facinoroſorum atque flagitioſorum hominum circum ſe tanquam ſtipatorum cateruas habebat, ut ait Salluſtius: qui plura ſcribit de iuuentute, quæ Catilinam ſecuta eſt.* *Tum collegæ mei.* ] *C. Antonius Ciceronis Conſulis collega, familiaris neceſſariuſq́; Catilinæ fuit. Sperabat Catilina in priore Conſulatus petitione, ſi cum C. Antonio Conſul factus eſſet, cum eo ſe initiũ belli agendi facturum. Idem in poſteriore ſperabat, ſi Conſul deſignatus foret, facile ſe ex uoluntate Antonio uſurum. De Antonio igitur nihil bene ſuſpicans Cicero, cum pactione prouinciæ perpule*

rat, ne contra Remp. diſſentiret : auctor eſt Salluſtius in Catilinã. Antonius paucis centurijs in petitione conſulatus Catilinam ſuperauit, cũ ei propter patris nomen, paulo ſpecioſior manus ſuffragata eſſet, quàm Catilinæ. Cicero uero omnium conſenſu Conſul factus eſt, ut ait Aſconius. Arretinorum & Fæſulanorum. ] Arretium & Fæſula in Etruria pop. Romani coloniæ ſunt. Harum coloni ſtudebant Catilinæ. Ideo tanta turba Romam ad comitia uenerunt, ut exercitus uideretur. Hi quoque Catilinam bellum molientem ſecuti ſunt, & Manlius exercitum Catilinæ Fæſulis habuit. Quam turbam. ] Sectatorum Catilinæ. Diſſimillimo ex genere. ] Alij enim Romani erant, alij Arretini, alij Fæſulani, alij ex alijs oppidis. Diſtinguebant. ] Nam hos ab illis diſcerni facile erat. Hi aũt Syllani temporis calamitate percuſſi, Catilinã ſequebantur. Aut niſi ſequebãtur, diſtinguebãt: id eſt, diſcernebãt. Percuſſi calamitate. ] Id eſt, proſcripti, quorũ bona publicata ſunt. Percuſſi calamitate, eadẽ ratione, qua Inijcere plagã & ſecurim ante dixit. Et pro L. Flacco : Nam hunc Hermippum hominem eruditum, ciuem ſuũ, cui debebat eſſe notiſſimus, percuſſit : id eſt, damno affecit. Inde eſt illud Terentij in Phormione: Porrò autem Geta ferietur alio munere, ubi hera pepererit. Ex conſuetudine, inquit Donatus, ferietur. Nam plagam, damnum, et ſumptum, ſanguinem noſtrum dicimus Vultus erat plenus furoris. ] Vultus ſermo quidam tacitus mentis eſt: ut ait Cicero in L. Piſonem. Oculi ſceleris. ] Auctore Cicerone lib. de Orat. 3. Imago animi uultus eſt, indices oculi. nam hæc eſt una pars corporis, quæ quot animi motus ſunt, tot ſignificationes & commutationes poſſit efficere. Auctore Plinio cap. 37. lib. 11. nulla ex parte, quàm ex oculis maiora indicia animi cunctis animalibus ſunt, ſed præcipue homini, in quibus animus habitat. de horum indicio ille plura. Sermo arrogantiæ. ] Cicero ſcribit lib. Tuſcul. quæſt. 5. qualis cuiuſque animi affectus eſſet, talem eſſe hominem: qualis autem ipſe homo eſſet, talem eius eſſe orationem : orationi autem facta ſimillima, factis uitã. Ideo idem pro P. Seſtio de L. Piſone: Denique inquit, ſermonis anſas dabat, quibus recõditos eius ſenſus tenere poſſemus. Domi conditus. ] Certus, tanquam ſi rum iam haberet, ut uulgo dicunt, in manica. Accuſatorem ſuum. ] Tanquam qui ſua cauſa Murenam accuſaret. Vim ] Quam fortaſſe facturus erat. Timor iniectus. ] Id eſt, factus. ut ante, Plaga iniecta. Gladiatoris. ] Reipublicæ pernicioſos homines et tanquam parricidas, Cicero appellat gladiatores: ut Philippica 7. M. & L. Antonios fratres : Gracchorum, inquit, potentiam maiorem fuiſſe arbitramini, quàm huius gladiatoris futura ſit? Quem gladiatorem non ita appellaui, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari ſolet? In concione domeſtica. ] Id eſt, quam domi habuit, cum ad coniurationem uniuerſos excitaret eos, quos ante ſingulos allocutus fuerat, ut eorum animos pertentaret. In ea tamen concione, quæ eſt apud Salluſtium, hæc ſcripta non ſunt. Saucios. ] Id eſt, damno aliquo affectos : ut ſaucios integris, quemadmodum miſeros fortunatis, opponat. Saucios autem dicit, ut ante Plagam, & Percuſſum calamitate. Qui conſumpta. ] Id eſt, ſaucij et miſeri, qui bona patria, manu, alea, uentre penè diſſipauerant. Eaq; replere. ] Id eſt, tantum recuperare uellent. Erepta. ] Syllani temporis calamitate. Quid. ] Quantum. Ipſe. ] Catilina. Hæc dicebat Catilina : ut ſe calamitoſorum ducem profiteretur. Quid poſſideret. ] Id eſt, quàm parum. Referente me. ] Tum enim Conſul erat Cicero. Ideo ad Senatum retulit. ] Id eſt, in conſultationem poſuit. Mos enim Romæ erat, ut ad Senatum alter Cõſulũ referret: niſi lata lege aliquis Prætor id faceret. ut apud Titum Liuium libro 38. Seruius Sulpitius Prætor Vrbanus ad Senatum lata lege tulit, ut quæreretur de pecunia ab Antiocho capta. Vt referre ad Senatum, ita ferre ad populum dicimus. Excitaui. ] Id eſt, ſurgere feci, ut diceret. Catilina autem Senator erat. Senator autem cum dicebat, ſtabat. Atque ille, &c. ]. Plutarchus in uita Ciceronis de hac re ad hanc ferè ſententiam ſcribit : Comitiorum die Cicero in Senatu, quæ de coniuratione audiuit, nunciat. Catilina exiſtimans pleroſque in Senatu eſſe, qui nouandarum rerum cupidi eſſent, ſimulq; ut audaciam ſuam popularibus oſtentaret, ſimulata ac molli fronte Ciceroni reſpondit : Quid, inquit, pecco, ſi duorum corporum, quorum alterum caput habebat, ſed ægrum & pertenue: alterum ſine capite, ſed ualidum atque præpotens, huic me caput adijcio? Hæc ænigmata frequenti Senatu cum dixiſſet, pertimuit Cicero. Itaque boni omnes & nonnulli è Romanorũ iuuentute de Ciceronis ſalute ſolliciti, eius latera muniebant. Eum poſtea thorace indutum, & agmine ſtipatum, è domo in campum Martium deducebant. Quia thorax magnus erat, ueſtis eius modicum ab humeris ſciſſa, thoracem nudabat. Quæ res magnum Ciceronis periculum admonere uiſa eſt. Quocirca indignantium ciuium turba in Catilinam accenſa, animos ad Ciceronem adiecit, atque in comitijs. Catilina iterum à Conſulatu repulſus eſt, & D. Syllanus atque L. Murena Conſules declarati ſunt. Apertiſſimus. ] Id eſt, nullo modo diſſimulator. Apertus enim ſimulatori & diſſimulatori contrarius eſt. Cicero in lib. de Offic. 1. Sunt ijs alij multum diſpares, ſimplices & aperti, qui nihil ex occulto, nihil ex inſidijs agendum putant: ueritatis cultores, fraudis inimici. Et lib. 3. Hoc autem celandi genus quale ſit, & cuius hominis, quis non uidet? Certe nõ aperti, non ſimplicis, non ingenui, non iuſti, non uiri boni eſt. Apertus autem dicitur, quaſi ſit aperto pectore. Inde apertum pectus idem dicit, in lib. de Amicitia : In qua niſi, ut dicitur, apertum pectus uideas, tuumq; oſtendas, nihil fidum, nihil exploratũ habeas. Vnum debile. ] Integrorum ſcilicet & fortunatorum. Alterum. ] Miſerorum & calamitoſorum. Incendium excitatum. ] Salluſtius ſcribit Catilinam hoc reſpondiſſe, cum laceſſitus oratione Ciceronis, ea quæ prima inuectiuarum eſt, maledicta in Ciceronem conijceret. Tum enim obſtrepere omnes, hoſtem atque parricidam uocare. Tum furibundus ille: Quoniam quidem circumuentus, inquit, ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina reſtinguam. Non aqua, ſed ruina. ] Domorum incendia partim aqua, partim ruina reſtinguuntur. Coniuratus. ] Coniuratos, non coniuratores latini dicunt. Cum firmiſſimo præſidio. ] Firmum præſidium à doctis ſæpe dicitur, quod bonum præſidiũ uulgo dicunt. Remiſſiorem. ] Id eſt, minus diligentem. Spe & cupiditate inflammatũ. ] Inflãmatus cupiditate, libidine, odio, furore dicimus. Act. in Verr. 6. Quod ubi iſte audiuit, ſic cupiditate inflammatus eſt, non ſolum inſpiciendi, uerumetiam auferendi, ut Diodorum ad ſe uocaret ac poſceret. Lib. Tuſc. quæſt. 5. Quid uero illum, quem libidinibus inflammatum ac furẽtem uidemus? Pro Milone : Non timeo iudices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus libentius hæc in illum euomere uidear, quàm uerius. Act. 7. Ipſe inflammatus ſcelere & furore in forum uenit. Verbum ardere in eadem ſignificatione dici, alio loco ſcripſimus. Geata in munere. ] Id eſt, in ludis, quos prætor Murena edidit. Nunc mihi tertius ille locus. ] Is enim locus eſt tertius ex ijs, quos in partitione propoſuit. Perpurgatus. ] Id eſt, omnino defenſus. Ab ijs qui ante me dixerunt. ] Id eſt, à Quinto Hortenſio, & Marco Craſſo. Retractandus. ] Id eſt, iterum tractandus. De diuiſorum iudicijs. ] Sua enim cuique accuſatori pars, ſua quæſtio data erat. Quod omnes tribus habeant diuiſores, dubitat Aſconius, utrum legitimi ſint illi diuiſores, quos Plautus magiſtros curiarũ in Aulularia uocat his uerbis: Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter curiæ, Diuidere argenti dixit nummos in uiros. An diuiſores criminis

res criminis nomen eſt. Ex his Plauti uerbis, & quæ proxime ſequuntur, cognoſci poteſt, diuiſores tribuū eſſe eos, qui pecuniā uiritim diuidant, eoſq; eſſe curiarum magiſtros. Cicero Act. in Verr. 2. dicit apud Senatorem quendam decem fiſcos pecuniæ Sicilienſis à Verre relictos, ad eum diuiſores omnium tribuū noctu uocatos: quibus pollicitus eſt ille Senator, quantum uellent pecuniæ, ſi Aedilitate Ciceronem deieciſſent. Aedilitatem enim Cicero petebat. De deprehenſis pecunijs. ] Quas diuiſorū indicijs deprehenſos eſſe, Poſthumius dixerat. Adoleſcenti ingenioſo. ] A' duobus Ser. Sulpitijs accuſatum Murenam ſignificat, à Sulpitio competitore, & ab eius filio. De equitum centurijs. ] De equitum centurijs quid Sulpitius dixerit, ne conijcere quidem licet, quòd quæ Cicero reſponderit, deſiderentur. In omni uirtute excellenti. ] Vt pro L. Cornelio Balbo: Cum in omni genere ac uarietate artium; etiā illarum, quæ ſine ſummo otio non facile diſcuntur, Cn. Pompeius excellat. Excellere uirtute dici ſolet uſitatius. De ipſius accuſatione. ] Quod tanta eius auctoritas non debeat nocere reo, nec eiuſdem in reum iudicium pro præiudicio ualere oporteat. De Senatuſconſulto. ] Quod Cicerone ad Senatum referente factum eſt, ex quo lex de ambitu lata eſt. De Republica. ] Nam Murenam cauſa Reipublicæ accuſare ſe dicebat. Ad hæc tria ordine Cicero reſpondet. Remoti à ſtudijs. ] Vt in lib. de Offic. 1. Multi & ſunt & fuerunt, qui eam quam dico tranquillitatem expetentes, à negotijs publicis ſe remouerunt, ad otiumq; profugerūt. In his & nobiliſſimi philoſophi, longeq; principes, & quidam homines ſeueri & graues, nec populi, nec principum mores ferre potuerunt. Vixeruntq; nonnulli in agris, delectati re ſua familiari. His idem propoſitum fuit, quod & regibus: ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur. cuius proprium eſt, ſic uiuere ut uelis. Omnium noſtrum. ] Qui ſtudijs ambitionis tenemur, aut magiſtratus gerimus.

Ex honoribus continuis, &c. ] Id eſt, ex Pretura, quam ipſe Murena, eius pater, auus, proauus, alijq; eius maiores geſſerunt. Vnum aſcendere gradum. ] Id eſt, fieri Conſul. Preturam enim Conſulatus ſequebatur. Relicta. ] A' parentibus & maioribus, id eſt, honorem Preturæ. Parta. ] In Pretura. aut Relicta & parta, de patrimonio intelligantur.

Non qui odio inimicitiarum. ] Id eſt, odio grauiſſimo, quod ab inimicitijs ortum ſit. ut pro Milone: Non timeo iudices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentius hæc in illū emouere uidear, quàm uerius. Vt amicorum laudationi, ita inimicorum accuſationi non temere creditur. Accuſationi igitur fidem derogat. Honoris contentione. ] Id eſt, quod cum Murena de Conſulatu contenderet. A' contendendo contentio appellata eſt: ut in lib. de Offi. 1. Miſerrima eſt omnino ambitio, honorumq; contentio. Paternus amicus. ] Id eſt, qui fuit amicus patris Murenæ. Neceſſarius. ] Id eſt, neceſſitudine deuinctus. Protulit. ] In accuſatione. Sodalis. ] Id eſt, ſocius. Ea re ſodalem dici, Non. Marcellus ut probet, citat illud Ciceronis ex lib. de Oratore 2. Quod tamen eum defenderem, qui ſodalis eſſet. Sodalis filij. ] Murenæ, uel potius mei. Paterni. ] Vt Murena, qui meus neceſſarius eſt. Ideo de filio Ciceronis potius intelligendum dixi, cum etiam in cōmouendis affectibus nullam filij Murenæ faciat mētionem, cum reliquos eius propinquos memoret. Accuſat M. Cato. ] Quæ cauſa fuerit, cur Cato Murenam accuſauerit, eſt apud Plutarchum in uita Catonis, ad hanc fermè ſententiā M. Cato Tribunus pleb. factus, cum animaduertiſſet comitia conſularia uenalia eſſe, increpuit uehementer pop. Romanum. In extrema oratione iureiurando cōfirmauit, ſeſe, quicunque largitionem faceret, ei diem eſſe dicturum. Excipit tamen Syllanum propter neceſſitudinem, qui ſororem eius Seruiliā habebat uxorem. Eam ob cauſam Syllanum præteriens, L. Murenam ambitus accuſauit, quòd per largitionem obtinuiſſet, ut cum Syllano Conſul deſignaretur. Etiam alieniſſimis. ] Id eſt, non ſolum alienis, ſed etiam alieniſſimis. Ea autem in re particula Vel, ſæpius quàm Etiam uſurpari ſolet, ut ante dictum eſt.

Prætorius candidatus. ] Cn. Poſthumius præturam petebat, cum Murena peteret conſulatum. Sed ante diem comitiorū petitionem depoſuit. In Conſularem. ] Candidatum ſcilicet, id eſt, in Murenam. Quaſi deſultorius. ] Deſultorius equus à deſiliendo dictus eſt. Auctore Sex. Pompeio, Romani ueteres in prælio utebantur paribus equis, id eſt, duobus: ut ſudāte altero, tranſirent in ſiccum. Inde pararium æs appellabatur, id quod equitibus duplex pro binis equis dabatur. Numidas quoque huiuſmodi equis uſos fuiſſe, T. Liuius lib. 23. ſcribit: Nec omnes Numidæ, inquit, in dextro locati cornu, ſed quibus deſultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam ſæpe pugnam in recentem equum ex feſſo armatis tranſultare mos erat. Tanta uelocitas ipſis, tamq; docile equorum genus eſt. Eſt igitur deſultorius equus, ex quo facile deſilitur, et in quē facile trāſilitur. Deſultor uero, qui huiuſmodi equos alit atque docet, quiq; his utitur in prælio. In quadrigarū curriculum. ] Id eſt, in ſtadium Olympicum, ubi cum de alijs multis rebus, tum de quadrigarum celeritate certabatur. Ideoq; iuuenibus nobilioribus cura ingens erat, ut equos ueloces alerent. ea de re ſcribimus amplius in Catonem Maiorem Ciceronis. Quamuis magna eſſe debeat uelocitas equorum deſultoriorum, multo tamen eorum maior eſt, qui ad quadrigarum curriculū aluntur & docentur. Itaque M. Varro lib. de re ruſtica 2. de equis ſcribens, quòd alij ad aliud magis idonei ſint, dicit hominem peritum belli alios eligere, alere & docere: alios quadrigarium, alios deſultorem. Quadrigarium enim appellat eum, qui alat equos ad quadrigarum certamen, exerceatq;. Olympiorū uictoria Conſulatus ille antiquus uidebatur: ut ait Cicero in Tuſc. Vtq; idem ait pro L. Flacco, Olympia uiciſſe apud Græcos propè maius erat & glorioſius, quàm Romæ triumphaſſe. Hæc igitur ſententia eſt: Vt deſultorius equus cum incurrit in quadrigarū curriculum, incurrit in certamen dignius: ita Cn. Poſthumius præturæ cādidatus, incurrit in Conſularem candidatum, qui candidato prætorio dignior eſt. Curriculum. ] Id eſt, ſtadium, ubi curſu certatur. Cuius. ] Poſthumij. Nihil deliquerunt. ] Id eſt, ambitum non admiſerunt. Ne quid expectatio Tribunatus. ] M. Cato cum accuſauit Murenam, iam Trib. pleb. erat: ut in eius uita ſcribit Plutarchus. ſed nondum inierat magiſtratum. Bis Conſul fuerat. ] Vtroque tempore legibus ſolutus eſt. Primum enim Conſul fuit tempore tertij belli Punici, cum ædilitatem peteret, nec dum per annos conſulatum gerere liceret. Iterum bello Numantino, cum anni decem à ſuperiore conſulatu non eſſent: ut eſt apud T. Liuium lib. 50. & 56. Accuſauit L. Cottam. ] Hæc cauſa Cottæ apud pop. Romanum grauiſſimis criminibus ab accuſatore confoſſa eſt: ſed ſepties ampliata, ad ultimum octauo iudicio abſoluta eſt. Quia homines uerebantur, ne præcipue accuſatoris amplitudini damnatio eius donata exiſtimaretur: auctor eſt Valerius Max. lib. 8. titulo, Infames rei, quibus de cauſis aut damnati aut abſoluti ſunt. Summa eloquentia. ] Cicero pleriſque in locis magnam huius Scipionis eloquentiam commendat. Itaque ſcribit in 1. de Offic. ab hoc Scipione belli eam gloriam, quam à patribus acceperit, eloquentia cumulaſſe. Sapientiſſimi homines. ] Ad pop. Rom. hæc cauſa agebatur, ne ad iudices agi intelligas. Cadere in iudicio. ] Id eſt, condemnari. De hoc dicendi modo alibi ſcripſimus. Sergium Galbam. ] De hoc Valerius Max. lib. 8. Cum, inquit, à Libone Tribuno pleb. Sergius Galba pro roſtris uehementer increparetur, quòd Luſitanorum magnam manum interpoſita fide publica, prætor in Hiſpania interemiſſet, actioniq; Tribunitiæ

M. Cato ultima ſenectutis orationr ſua, quam in Origines retulit, ſubſcriberet: reus pro ſe iam nihil recuſans, paruulos liberos ſuos & Galli ſanguine coniunctum filium, flens commendare cœpit. Eoq́; facto mitigata concione qui omnium conſenſu periturus erat, penè nullum triſte ſuffragium habuit. auctore T. Liuio lib. 46. L. Scribonius Piſo Tribunus pleb. rogationem promulgauit: ut Luſitani, qui fœdere pop. Rom. dediti, à Sergio Galba, in Gallia uaeniſſent, in libertatem reſtituerentur. Eam M. Cato acerrime ſuaſit. Extat eius oratio in annalibus eius inclusa. Q. Fuluius nobilior, ab eo etiam in Senatu laceratus, reſpondit pro Galba. Ipſe quoque Galba, cum ſe damnari uideret, complexus duos filios peætextatos, & filium Galli Sulpitij, cuius tutor erat, ita miſerabiliter pro ſe locutus eſt, ut rogatio antiquaretur. Extant tres orationes eius, duæ aduerſus Libonē Trib. pl. rogationesq́; eius habitæ de Luſitanis: una contra L. Cornelium Cethegum. in qua Luſitanos, propter ſe caſtra habentes cæſos fatetur, quòd compertum habuerit equo atque homine ſuo immolatis, per ſpeciem pacis adoriri exercitum ſuum in animo habuiſſe. Hæc ille. Teaditum memoriæ eſt.] Nam ætate Liuij extabant Catonis Origines, ubi hæc peeſcripta erant. Incumbenti ad eius.] Id eſt, toto animo annitenti, ut Galba damnaretur. Incumbere etiam in re mala dici, Valla ut probet, hoc Ciceronis exemplo utitur. Idem quod pro Cn. Planco in eadem re dicit. Et ab eo quod hos dimouir potius quàm ab ijs, qui in te ipſum incubuerunt, te depulſum putas. Cum uerbo Incumbere, cum ad animum transfertur, ſæpe aliquid adiungitur, ad rem augendam. ut lib. Epiſt. famil. 10. In eempublicam omni cogitatione curaq́; incumbere. Libro ad Q. Fratrem primo: Toto animo & ſtudio omni in eationem incumbere. Incumbit in illo idem dicit, libro tertio ad eundem fratrem: Põpeius ei nihil tribuit, & omnia Gutæ, dixitq́; ſe perfecturum, ut in illo Cæſar incumbat. Incubare pecuniæ dici, quidque ſignificet, pro A. Cluentio ſcribimus. Eripuit.] Eripuit Catoni, quàm eripuit à Catone, dicitur uſitatius: quamuis hoc quoque dicatur. Nolo accuſatoe.] Mimeſis eſt. Imitatur enim orationem, quá aliquis de populo aut iudex poſſit dicere. Impotentium.] Id eſt, debilium. In qua ſignificatione quamuis impotens ſæpe dicatur, ſæpius tamen eſt ualde potens. Tit. Liuius libeo trigeſimoprimo: Nec diuini humani'ue iuris quidquam præ impotenti ira eſt ſeruatum. Cicero libro Tuſculanarum quæſtionum quinto: Atque alterum dici non poteſt, quin hi qui nihil metuant, nihil angantur, nihil concupiſcant, nulla impotenti lætitia efferantur, beati non ſint. Et lib. 4. Quam uim mali ſignificantes poetæ, impendere apud inferos ſaxū Tantalo faciunt ob ſcelera, animiq́; impotentiam & ſuperbiloquentiam. idem lib. Epiſtol. famil. 4. Sed miſerius nihil quàm ipſa uictoria, quæ etiam ſi ad meliores uenit, tamen eos ipſos ferociores impotentioresq́; reddit. Tuum conſilium.] Id eſt, quod ad Murenam accuſandum deſcenderis. Conformare.] Id eſt, ut uulgo dicunt, reformare. Multa peccas.] Id eſt, multum. Vt M. Cato apud A. Gellium capite 23. libri triceſimitertij: Vitia, inquit, uertunt, quia multa egeo, at ego illis, quia nequeunt egere. Niſi multa egeo, id eſt, multis rebus intelligas. ut Actione in Verr. 3. Homo Ligurem accuſare cœpit, qui in re aduenticia atque hæreditaria tam diligens, tam attentus eſſet, debere eum aiebat ſuam quoque rationem ducere, multa ſibi opus eſſe, multa canibus ſuis quos circa ſe haberet. Inquit ille.] Hoc dici ſolet, cum auctoris, quem citamus, nomen ad manum nobis non eſt: aut cum minoe eius auctoritas eſt, quàm ut citari nomine debeat. Fortiſſimo uiro ſenior magiſter.] Antonomaſia duplex eſt. nam pro nomine aliquid ponitur. Hanc poetis frequentiſſimam eſſe. Quintilianus libro octauo ſcribit. Oratoribus etiam, ut inquit, rarus eius uel nonnullis uſus eſt. Nam ut Tiliden & Peliden non dixerint, ita dixerunt impium pro parricida: euerſorem quoque Carthaginis & Numantiæ, pro Scipione & Romanæ eloquentiæ principem pro Cicerone poſuiſſe non dubitent. Cicero ipſe certe uſus eſt hac libertate. Non multa peccas, inquit ille, fortiſſimo uiro ſenior magiſter. Neutrum enim nomen poſitum eſt, & utrunque intelligitur. Quibus uerbis ſignificat Quintilianus, hæc Ciceronis uerba eſſe. Id tam non credo, quàm quod dicit interpres Quintiliani, fortiſſimum uirum pro L. Murena, & ſeniorem magiſtrum pro Cicerone poſitum fuiſſe. Pro quibus hæc ponat, mihi cognitum non eſt. Vt corrigendus potius.] Corrigere proprie eſt, rectum facere. Inde apud Macrobium libro Saturnalium ſecundo, locus ille Auguſti eſt: Is enim Galbæ, cuius informe gibbo erat corpus, agenti apud eum cauſam, & frequenter dicenti, Corrige in me ſi quid reprehendis: reſpondit, Ego te monere poſſum, corrigere non poſſum. Ad ſeueram nimis & pertinaciter rectam Catonis naturam alludit Cicero, quæ inflectenda leniter eſſe uidetur. Ei enim incredibilem natura tribuit grauitatem, eamq́; ipſe perpetua conſtátia roborauit, ſemperq́; in propoſito ſuſceptoq́; conſilio permanſit: ut ait Cicero in primo de Officijs. Acceſſit his doctrina.] Cato Apollinis ſacerdos factus, Antipatrum Tyrium Stoicum ſibi familiarem adiunxit: iiq́; moealibus atque ciuilibus præceptis incumbens, cum omnem uirtutis ſpeciem amplexaretur, præter cæteras honeſtatem ſeueritatemq́; adamauit. Eloquentiæ uero ea de cauſa operam dedit, ut philoſophiæ præceptis aliquid in agendo aut conſultando roboris adiungeret. Is autem diſcendo tardior erat: quæ uero didicerat, fideliter continebat. Id enim in cæteris quoq́; natura contingit, ut qui facili ingenio ſunt, memoria nõ multū ualeant: qui uero cum labore ediſcunt, hi ſint perceptorum tenaciores. auctor eſt Plutarchus in eius uita, qui hanc diſcendi tarditatem putat, ut ita dicam, inflexibilitatis cauſam fuiſſe. In Catone Stoico perfectiſſimo ſummam fuiſſe eloquentiam, Cicero dicit de Claris oratoribus. Non moderata, nec mitis.] Id eſt, Stoica. Aut ueritas.] Veritas enim non patitur omnia uitia paria eſſe: ut natuea non patitur ſapientem nullius miſereri. permultaq́; iſta Stoicorum paradoxa ueritati, aut naturæ inimica ſunt. Habenda aut cum imperita.] Nam orationem ad auditores accommodari oportet. Humanitatis.] Humanitatem pro eruditione inſtitutioneq́; in bonas artes dici, apud Aulum Gellium eſt. Sed ne eo nomine literas politiores tantum intelligi putes, hoc loco pro philoſophia ponitur. Iudicanda ſunt.] Qualia ſint, quantum à ueritate & natura diſcrepent. Ipſius eſſe propria.] Id eſt, ipſi eſſe à natura. Requiramus.] Id eſt, deſideremus in Marco Catone, quia in eo non inſunt. De hoc Catone. Cicero in Paradoxis: Cato, inquit, perfectus mea quidem ſententia Stoicus, & ea ſentit quæ non ſane probantur in uulgus, & in ea hæreſi eſt, quæ nullum ſequitur florem orationis. Zeno.] Zeno Citieus, ex Cypro, Xenocratis diſcipulus fuit. Antiquiorem eo fuiſſe Ariſtotelem, Cicero de Oratore ſcribit. Ariſtoteles enim & Xenocrates Platonis auditores fuerunt. Huius uitam ſcripſit Diogenes Laertius lib. 7. Sapientem gratia nunquam moueri.] Id eſt, nunquá cuiquam facere gratiam, ut uulgo dicunt. Vel gratia, id eſt, amicitia. Id in ea re dici, poſtea oſtendit. Miſericordem.] Miſericordiam definiunt Stoici, ut ea ſit ægritudo ex miſeria alterius, iniuria laborantis: ut ait Cicero libro Tuſculanarum Quæſt. 4. qui idem in lib. 3. probat, ægritudinem non cadere in ſapientem. Viri non eſſe.] Videbitur forte quibuſdam legendum eſſe, Viri eſſe: ſed quia, ut docet Valla, dum negatio in principio clauſula ponitur, & duæ ſubſequuntur, illæ tres non plus efficiunt quàm duæ, nihil mutem. Bene enim dixeris: Ego nihil neque boni, neque mali feci tibi. At neque boni, neque mali quidquam feci, &c. Diſtortiſſimi.] Id eſt, deformiſſimi & turpiſſimi: ut ſi claudi, gibboſi, collo in

alteram

alteram partem inclinatiore, ſi ſint denique qualis eſt ille Therſites Homericus. Mendiciſſimi. ] Id eſt, pauperrimi. Ex his multa ſunt in Paradoxis Ciceronis. Si ſeruitutem ſeruiant. ]

Ita locutos fuiſſe ueteres, Quintil. lib. 7. ſcribit: Qui, inquit, in ſeruitute eſt, eo iure quo ſeruus: aut, ut antiqui dixerunt, qui ſeruitutem ſeruit. Cic. in Topicis, qui ſint gentiles deſiniens, hoc quoque dicendi genere uſus eſt: Quorum, inquit, maiorũ nemo ſeruitutẽ ſeruit. Omne delictum. ] Id eſt, nullũ delictum eſſe, quantuncunque paruum dij æſtiment, quod ſcelus nefarium eſſe Stoici non dicant. Gallinaceum. ] Gallinaceum quoque à gallina dici, ſcribimus in Commentarijs in Griphum Auſonij. Cum opus non fuerit. ] Auctore Cicerone in primo de Officijs, placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari. Qui igitur gallum gallinaceum occidit, cum opus non eſt, peccat. Facit enim contra quàm natura uelit. Sapientem nihil opinari. ] Id eſt, nunquam aſſentiri rei uel falſæ uel incognitæ: ut eſt in libro Academicarum quæſtionum quarto. Zeno Stoicus, ut idem ait libro primo, quod erat ſenſu comprehenſum, id ipſum ſenſum appellabat, & ſi ita erat comprehenſum, ut conuelli ratione nõ poſſet, ſcientiam: ſin aliter, inſcientiã nouo uſus uerbo nominabat. ex qua exiſteret etiã opinio, quæ eſſet imbecilla, & cum falſo incognitoq́; communis. Fallit autem opinio dupliciter, ut idem ait libro de Inuentione ſecundo: cum aut res aliuſmodi eſt, ut putatur: aut non is euentus eſt, quem arbitrati ſunt. Scientia igitur rei certæ eſt, opinio incertæ. Itaque ſcire & opinari differunt, quod idem ſignificat pro Archia: Adeſt uir ſumma auctoritate & religione & fide, L. Lucullus, qui ſe nõ opinari, ſed ſcire: non audiuiſſe, ſed uidiſſe: non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. Falli. ] Id eſt, errare. Labi autem & errare, neſcire & decipi, malum & turpe dicimus. Hæc Stoicorum paradoxa cum Cicero irrideret, riſum non paruum iudicibus mouit. Cato quoque ſubridens, illis qui iuxta aſſidebant dixiſſe fertur. Dij boni, quàm ridiculum Conſulem habemus: auctor eſt Plutarchus in uita Catonis. Cicero in libro de Finibus quarto cum Catone diſputans, hæc paradoxa Stoicorum cum refutat, huius loci meminit: Nõ ego, inquit, tecum iam loquar, ut iiſdem his de rebus cum Lucium Murenam te accuſante defenderem apud imperitos: tum illa dicta ſunt, aliquid etiam coronæ datum. Vt magna pars. ] Stoicorum ſcilicet. Eorum enim multi præcepta hæc, aliaq́; quæ ex eorum ſecta ſunt, in ſcholis tantum tuentur: domi enim aliter uiuunt, ut eſt in Tuſculanis diſputationibus. Petunt aliquid publicani. ] Publicani, qui uectigalia conduxerant, ſi quantum ſperauerant, tantum lucrati non erant, aut propter bellum, bellí ue metum, aut propter aliquam cœli iniuriam, à populo Romano petebant, ut ſibi aliquid remitteretur de conductorum uectigalium pretio. Caue quidquam. ] Ne Cato quidem ulla gratia in publicanorum petitione mouebatur. Cicero in libro de Officijs tertio: Ego, inquit, cum Catone ſæpe in eo diſſenſi, nimis mihi Cato præfracte uidebatur ærariũ uectigaliaq́; defendere, omnia publicanis negare, multa ſocijs: cum in hos benefici eſſe deberemus, cum illis ſic agere, ut cũ colonis noſtris ſolemus: eoq́; magis, quòd illa ordinum coniunctio ad ſalutem Reipublicæ pertinebat. Facinus ignoſcere. ] Ordo eſſe poteſt. Ignoſcere eſt ſcelus nefarium. nam ignoſcere cum datiuo paulo ante poſuit: Nunquam cuiuſquam delicto ignoſcere. Et libro ad Cæſarem iuniorem primo, ut eſt apud Nonium Marcellum: Quod mihi & Philippo uacationem das, bis gaudeo. nam & præteritis ignoſcis, & concedis futura. Vel ignoſcere facinus, eſt nefarium. ut paulo poſt. Nihil ignoueris, imo aliquid, non omnia. Dixiſti quippe. ] Hæc particula Quippe, hoc loco mihi uidetur eſſe ſuperuacanea. Non re. ] Id eſt, ipſe rei ueritate & ſcientia. Dixi in Senatu. ] Catonem Tribunum pleb. deſignatum hoc in concione ad populum Romanum dixiſſe, ex Plutarchi ſententia ante ſcripſimus. Nunquam, inquit, ſapiens iraſcitur. ] Sapientem non iraſci, eſt apud A. Gellium capite ultimo primi libri. Catonem non temere iraſci, ſed ſi quando iraſcebatur, implacabilem ſolitum eſſe: in eius uita Plutarchus auctor eſt. Temporis cauſa. ] Venalia enim comitia conſularia animaduertebat. Mendacio fallere. ] Id facit, qui non præſtat quod promiſit. Diffiſum ingenio. ] Cicero multis in locis negat ſe ingenioſum eſſe: ut lib. Tuſc. quæſt. 2. Ariſtoteles quidem ait omnes ingenioſos melancholicos eſſe, ut ego me tardiorem eſſe non moleſte feram. Id autem Ariſtoteles ſcribit lib. Problematum 30. Se autem ingenio tardiorem eſſe Cicero non fert moleſte, quod melancholicus non ſit. Idem pro P. Quintio: Verum ita res ſe habet, ut ego, qui neque uſu ſatis, & ingenio parum poſſum, cum patrono diſertiſſimo comparer. Et paulo poſt: Quo minus ingenio poſſum, ſubſidio mihi diligentiã comparaui. Pro Sex. Roſcio: Nam commoditati ingenium, grauitati ætas, libertati tempora ſunt impedimento. Quæſiuiſſe adiumenta doctrinæ. ] Cicero quamuis nulli philoſophorum ſectæ addictus fuerit, Academicos tamen præcipue ſectatus eſt: propterea quod adoleſcens Academicis præceptoribus uſus ſit. Poſtquam enim à patre ad Scæuolam deductus, iuriſciuilis ſtudio operam dedit, ad philoſophiam ſe applicauit. De quo ſtudio ita ſcribit in lib. de Clar. oratoribus: Eodem, inquit, tempore, cum princeps Academiæ Philo cum Athenienſium optimatibus Mithridatico bello domo profugiſſet, Romamq́; ueniſſet, totum ei me tradidi admirabili quodam ad philoſophiam ſtudio concitatus. in quo etiam commorabar attentius, & ſi rerum ipſarum uarietas & magnitudo ſumma me delectatione retinebat: ſed tamen ſublata iam eſſe in perpetuũ ratio iudiciorũ uidebatur. Idem poſt Sexti Roſcij defenſionem ad philoſophiæ ſtudia rediit. Itaque paulo poſt: Cum, inquit, ueniſſem Athenas, ſex menſes cum Antiocho ueteris Academiæ nobiliſſimo & prudentiſſimo philoſopho fui, ſtudiumq́; philoſophiæ nunquam intermiſſum, à prima adoleſcentia cultum, & ſemper auctum, hoc rurſus ſummo auctore & doctore renouaui. Idem libro de Natura deorum primo, dicit ſe inſtitutum ab illis philoſophorum principibus, Diodoto, Philone, Antiocho, Poſſidonio. A' Platone & Ariſtotele. ] Id eſt, Platonis & Ariſtotelis præcepta ſecuti, id eſt, Academici, & Peripatetici. A' Platone eſt ] Id eſt, Platonicus eſt. Ab rege eſt. ] Id eſt, quod uulgo dicerent, eſt de hominibus regis: à Diuo Franciſco eſt, id eſt, Franciſcanus aliaq́; eiuſdem generis innumerabilia dici poſſunt. Terentius in Andria: Ab Andria eſt ancilla hæc, id eſt, una ex ancillis Andriæ, id eſt, Glycerij. Simpliciter dixit ab Andria eſt, inquit Donatus, pro Andriæ eſt. nam & uſu ſic dicere ſolemus. Ab reo Cicero dixit pro A. Cluentio, pro eo quod eſt, pro reo: Quos ubi accuſator concitatis hominibus complerat, non modo dicendi ab reo, ſed ne ſurgendi quidem poteſtas erat. Moderati homines & temperati. ] Stoicorum doctrinam non moderatam, nec mitem eſſe, antea Cicero dixit. Iraſci nonnunquam. ] Ariſtoteles in Ethicorum lib. 3. iram eſſe dicit cotem fortitudinis. De quo Cicero plura ſcribit, in lib. 4. Tuſculan. quæſtionum. Eam tamen à uiro forti reijcit Cicero eodem libro, & libro de Offic. 1. In eiuſdem anni cuſtodia. Nam eodem anno deſignati ſunt M. Cato Trib. pleb. & L. Murena conſul. ipſis autem magiſtratibus reipub. cuſtodia committitur. Fortuna poſuiſſet. ] Nam fortuna in comitijs dominatur, regitq́; candidatorum petitiones. Quod atrociter dixiſti. ] Id eſt, minatus es, te conſularis candidati nomen delaturum. Se poſuiſſet. ] In aliud tempus ſcilicet, id eſt, diſtuliſſes. Recentibus præceptorum ſtudijs flagrantem. ] Vſu uenire ſolet, ut qui recentes ex ſcholis redierint, ſint præceptis ſeruandis ardentiores, ut de dialecticis & leguleis uidere licet. Eos ex

fornace recta redire, uulgus dicit. Fines officiorum. ] Vt gratiæ, miſericordiæ, clementiæ, facilitatis fines non tantum protulerunt, ſed etiam ſuſtulerunt. Vt cum ad ultimum, &c. ]

Sententia eſt: Cum ad ultimum finem officiorum totis animi uiribus peruenire laboraremus, ibi tamen maneremus, ubi natura pateretur. Non omnia. ] Nam delictis omnibus ignoſcere utile non eſſet. Improbi enim nonnunquam puniendi ſunt, ne poſthac tale quid committant, & ut cæteri ſint ad iniuriam tardiores. Reſiſtito gratiæ. ] Id eſt, gratiæ cauſa nihil feceris. Cum officium & fides. ] Auctore Cic. lib. de Offic. 3. Neque contra Rempub. neque contra iuſiurandum ac fidem amici cauſa uir bonus faciet, ne ſi iudex quidẽ erit de ipſo amico. Niſi ſententia alia. ] Cic. lib. Epiſt. famil. 1. Nunquam, inquit, præſtantibus in Repub. gubernanda uiris, laudata eſt in una ſententia, perpetua permanſio. Sed ut in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiam ſi portum tenere non queas: cum uero id poſſis mutata uelificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quẽ ceperis, potius quàm eo commutato quo uelis tandem peruenire. Huiuſcemodi. ] Id eſt, huius Stoicæ ſectæ, cuius tu es. Scipio Africanus minor, & C. Lælius, Panætio Stoicorum grauiſſimo operam dederunt. Poſſum de L. Philippo. ] L. Philippum & C. Aquilium Galbum Stoicos fuiſſe, ſed comes & iucundos ſignificat. Naturæ ſimilitudo illius. ] Marcus Cato Maior, officiorum fines longius quàm natura uellet, non protulit. Itaq; apud Cic. de Senect. propterea ſe dici appellatum ſapientem, quòd naturam ducem ſequeretur. Naturæ ſimilitudo illius. ] Laurentius Valla lib. 6. ſcribens quid exemplum & exemplar diſtent, hoc loco legit, Naturæ ſimilitudine illud: & poſtea, Pertinere non peruenire. Quæ utraque lectio eiuſdem ferè ſententiæ eſt. Ad te magis, qui ab illo ortus es. ] Vt enim, corporis, ita animi ſimilitudo quædam à parentibus ad liberos transfunditur. Itaque auctore Quintil. lib. 5. ſimiles parentibus ac maioribus ſuis filij plerunque creduntur. Et nonnũquam ad honeſte turpiter ue uiuendum inde cauſæ fluunt. Tã mihi propoſitum. ] Virorum enim clariſſimorum uirtutes omnibus ſiue propinquis, ſiue alienis imitandæ ſunt. Si illius comitatem tuæ grauitati aſperſeris. ] Eodem dicendi genere uſus eſt pro A. Cluentio. Etiam ipſe conditor totius negotij Guttam aſpergit huic Bulbo. Condita. ] À condiendo, ut accentus acutus in penultima ſit. Perſiſtit enim in tranſlatione uerbi Aſperſeris. Ad id quod inſtitui. ] Id eſt, ut reſpondeam Catoni de Senatuſconſulto. Tolle mihi. ] Specialis concluſio eſt, per breuem enumerationem eorum quæ dixit de auctoritate Catonis. Quod lege punierim. ] Id eſt, cui lata lege pœnas propoſuerim. S. C. me referente. ] Cicerone conſule ad Senatum referente factum eſt S. C. de ambitu, ex quo legem tulit Cicero. Lex autem ad hanc ſententiam erat ſi mercede conducti obuiam candidatis irent, ſi conducti ſectarentur candidatos, ſi in ludis gladiatorum candidati uulgo locum tributim, item ſi prandia uulgo tributim darent, contra legem Calpurniam factum uideri. Hac lege pœna in plebẽ grauior, in candidatos exilium conſtitutum, excuſationi morbi pœna addita eſt, ut ante dictum eſt. Senatuſconſultum, &c. ] De hoc S. C. in Vatinium teſtem: Atque illud etiam audire à te cupio, quare cum ego legem de ambitu ex Senatuſconſulto tulerim, ſalua lege Helia Fuſia, tu eam eſſe legem non putes: præſertim cum ego legibus tuis, quoquo modo latæ ſint, paream. Sectarentur. ] Candidatum ſcilicet, cum in campum Martium ueniret. Gladiatoribus. ] Id eſt, ad ſpectandum gladiatores. Vulgo quid ſit, paulo poſt Cicero explicat. Tributim. ] Id eſt, per tribus. Quod nihil opus eſt. ] Non conſtat enim id factum eſſe. Dum candidatis morem gerit. ] Nam candidatis omnibus poſtulantibus, & præcipue Seruio Sulpitio, id decreuit Senatus. Quæritur. ] Id eſt, controuerſia eſt. Vt. ] Id eſt, ita ut.

Multi obuiam prodierunt. ] Id ab aduerſario dictum, Cicero proponit refutandum. Si etiam illud addam. ] Artificioſum eſt, ut cum negamus criminoſum quod nobis obiectum ſit, malui aliud addamus, quod itidem criminoſum non ſit. Si criminoſum non eſt, ut rogati multi obuiam prodeant reuertenti ex prouincia, uel candidatum deducant: multo minus eſt, ut non rogati prodeant. Rogatos autem prodire, aut deducere, ex conſuetudine eſſe oſtendit, itaque non eſſe criminoſum. Criminoſum, non criminale dici latine, alio loco ſcripſimus. Infirmorum hominum. ] Id eſt, obſcurorum. Filios. ] Candidatos ſcilicet. Propè de nocte. ] Id eſt, prima luce, uel paulo ante. Vt multa de nocte, dicit pro Publio Seſtio, pro eo quod eſt, cũ eſſet adhuc magna nox: Quid illi, quorum conſilio P. Seſtius in iudicium uocatur, quo ſe pacto gerunt, cum forum, comitium, curiam, multa de nocte armatis hominibus ac ſeruis pleriſq; occupauiſſent. Ex ultima urbe. ] Id eſt, ex ultima parte urbis. Vt extremum librum & extremam epiſtolam, pro ultima parte libri & epiſtolæ dici, alibi ſcripſimus. Hora tertia. ] Vt opponat illi, Propè de nocte. Hora tertia, quæ media eſt inter orientem ſolem & meridiem. De hac item horarum obſeruatione apud ueteres, alibi ſcripſimus. Societates. ] Id eſt, ut arbitror, ordines. Officioſiſſima. ] Id eſt, maxime obſequi ſolita. Non honeſte. ] Id eſt, non prodeundo obuiam. Tota natio candidatorum. ] Id eſt, omnium magiſtratuum candidati. Vt in Lucium Piſonem: Sed quid ego enumero, qui tibi obuiam non uenerint? qui dico ueniſſe penè neminem, ne de officioſiſſima quidem natione candidatorum, cum uulgo eſſent & illo ipſo, & multis ante diebus admoniti & rogati? Accuſator noſter. ] Noſtri putaret Valla dicendum. Poſthumius. ] Firmum argumentum eſt, quo probat, criminoſum candidato non eſſe multos ei prodire obuiam, quòd accuſator ipſe prodierit. Bene magna. ] Id eſt, ualde magna. Bene enim pro ualde ſæpe dicitur. In Diuinatione: In clamando quidem uideo eum eſſe robuſtum. Libro Epiſt. famil. 7. Itaque & ſi domum bene potus ſeroq; redieram, tamen id caput, ubi hæc controuerſia eſt, notaui, & deſcriptum tibi miſi. Ad Atticum libro quarto iens in Pompeianum bene mane ſcripſi. Libro decimo: Commodum ad te dederam literas de pluribus rebus, cum ad me bene mane Dionyſius fuit. Libro decimoquarto: Atque ad eum VIII. Iduum literas dederam bene mane. Id autem bene mane, id ferè eſt quod ante dixit, Propè de nocte. Caterua ſua. ] Id eſt, multitudine propinquorum, amicorum & clientum ſuorum. ut Macedonum, Græcorum, & Dardanorum phalanx, ut Romanorum legio, ita Gallorum, Celtiberorum, complurium q; nationum caterua erat: in qua erant ſex millia armatorum, ut eſt apud Vegetium libro ſecundo pro multitudine magna ponitur. Tribules dicimus, non contribules. In iſto officio. ] Id eſt, in prodeundo obuiam. Gratuitam. ] Id eſt, quæ gratis, non mercede uenit. Petitionibus. ] Magiſtratuum ſcilicet. Neque enim fieri poteſt. ] Sententia eſt: Equites aut Senatores candidati hanc aſſectationis operam à tenuioribus, non à propinquis poſtulare debent. nam propinqui ſatis obſeruaſſe & coluiſſe uidentur candidatos, ſi parumper ſectati ſunt. Tenuiores uero, aſſidui ſunt. Neque poſtulandum eſt à nobis, &c. ] Id eſt, nos Senatores aut equites poſtulare non debemus, ut noſtrorum ordinum homines ſuos neceſſarios ſectentur totos dies. Celebratur. ] Id eſt, frequentatur: id eſt, ſi multi in domum noſtram conueniunt.

Si uno Baſilicæ. ] Baſilica locus amplior eſt, publicus, ſub tecto, ubi conſilia priuata & iudicia & arbitria conficiuntur. Vt Marcus Cato maior, auctore Plutarcho, ex pecunia publica magno ſumptu baſilicam foro uicinam Cenſor ædificauit,

uit, eamq; nomine ſuo Porciam baſilicam appellauit. In ea Tribuni pleb. ius dicere conſueuerant. Sunt etiam baſilicæ, quo negotiatores conuenire ſolent. Earum loca, ut ait Vitruuius libro quinto, adiuncta foris, quàm calidiſſimis partibus oportet conſtitui, ut per hyemem ſine moleſtia tempeſtatum cõferre ſe in eas negotiatores poſſint. In medio quoque foro baſilicæ ædificabantur. Cicero ad Atticum libro Epiſtolarum 4. Paulus, inquit, in medio foro baſilicam iam penè texuit iiſdem antiquis colũnis: illam autem, quam locauit, facit magnificentiſſimam. Vno baſilicæ ſpatio.] Id eſt, tanto ſpatio, quantum Baſilica longa eſt, uel longitudine baſilicæ. Honeſtamur.] Id eſt, deducimur, id eſt, ſi nos ipſi ſectantur. Videmur.] neceſſarijs ſcilicet. Aſſiduitas.] Sectandi. Nihil ualent gratia.]

Apud eos quibus ſuffragantur. Dicere.] Id eſt, orare. Opera ſua.] Et præcipue aſſectatione. Legi Fabiæ.]

Hæc lex quo tempore, & à quo Fabio lata ſit, legere non memini: Ea tamen certum quendam ſectatorum numerum præſcribebat. Alia erat lex Fabia, quæ ſeruos alienos retineri uetabat. Eius meminit Cicero pro C. Rabirio. L. Cæſare.]

L. Cæſar & C. Figulus Conſules erant anno eo quo cœpit Catilinæ coniuratio, ut eſt apud Salluſt. Iiſdem Conſulibus Ciceronem habuiſſe orationem in Senatu in Catilinam & C. Antonium competitores, Aſconius dicit. Hi igitur proximi Conſules ante Ciceronem fuerunt. Cicerone petente Conſulatum cum indies licentia ambitus augeretur, propter præcipuam Catilinæ & C. Antonij audaciam, paucis diebus ante comitia cẽſuit Senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur. Huic S. C. Q. Mutius Oreſtinus Trib. pl. in gratiam Catil. interceſſit: Senatu ferente grauiter hanc interceſſionem Cicero ſurrexit, iſq; in Catilinæ & Antonij concionem inuectus eſt: auctor eſt Aſconius. Hoc S. C. ſectatorum numerus, quantum cõijcere licet, definiebatur. Itaque ei per Mutium Tribunum pleb. plebs ipſa reſtitit. At ſpectacula.] Spectacula loca ſunt erecta, ut ex iis ludi ſpectentur. Theatra uulgo appellant, ut græca uox quàm latina uulgo uſitatior ſit. Spectare ludos dici oportet, non ut uulgo loquuntur, aſpicere aut uidere. Modo.]

Id eſt, temperate, & ut uulgo dicunt, non exceſſiue. Hæ quæſtiones in Senatu habitæ.] Id eſt, harum rerum controuerſiæ in Senatu factæ. Alloqui habere quæſtionem, eſt equuleo torquere ad ueritatem extorquendam, qua in re ſæpe dicit pro A. Cluentio. Punctorum.] Id eſt, ſuffragiorum. Nam lege Caſſia; quæ etiam tabellaria appellata eſt, pop. Romanus ferebat ſuffragia, non uoce, ſed tabula, quo ea ferret liberius ut ait Aſconius. Cicero tamen lib. de Legibus 3. quatuor leges tabellarias enumerans, primam de mandandis magiſtratibus Gabiniam, ſecundam biennio poſt latam de iudicio populi Caſſiam appellat. In tabula igitur ſuffragia puncti notabant. Nobis ſerui.] Alia Apoſtrophe eſt: modo enim ad Catonem uerba deflectebat. Locus.] Ad ſpectandum ſcilicet. In circo.] Qui maximus dicebatur. Ibi enim ludi fiebant, qui inde Circenſes appellati ſunt. Tarquinius Priſcus, ut ait Tit. L. lib. primo, primum bellum cum Latinis geſſit, & oppidum ibi Apiolas ui cepit. Præda inde maiore, quàm quanta belli fama fuerat reuecta, ludos opulentius inſtructiusq; quàm priores reges, fecit. Tum primum circo, qui nunc Maximus dicitur, deſignatus eſt locus. Loca diuiſa patribus equitibusq;, ubi ſpectacula ſibi quiſque faceret. In foro.] Auctore Vitruuio libro quinto, à maioribus conſuetudo tradita eſt, gladiatoria munera in foro dari. Hac homines tenuiores.] Pauca quædam hoc in loco deſiderantur, quæ ita perierunt, ut ſuperiora & ſequentia integra non ſint. Præfectum fabrum.] Auctore Vegetio libro 2. legio habet fabros lignarios, inſtructores, carpentarios, ferrarios, reliquosq; artifices, etiam & cuniculario. Iis qui præeſt, Præfectus fabrum dicitur. Priſcianus libro ſeptimo, de conciſione genitiuorũ ſecundæ declinationis ſcribens, hoc loco Præfectum fabrum, pro fabrorũ exponit. Cicero quoque in lib. de Oratore, libenter ſe dicere teſtatur centuriam, ut Cenſoriæ tabulæ loquuntur, fabrũ & procum, non fabrorum et procorũ. In tuam nimiam diligentiam.] Nimia diligentia accuſatoris eſt, cum leuiſſima obijcit. ſignificat igitur hæc eſſe leuiora. Quintil. in lib. 5. negat omnibus argumentis quæ inuenerimus onerandum eſſe iudicem, quia & tædium afferunt, & fidẽ detrahunt. Neque enim poteſt iudex credere, ſatis eſſe ea potentia, quæ non putamus ipſi ſufficere qui dicimus. Vniuerſos, &c.] Melius Vniuerſos, quàm uniuerſis, ut in alijs codicibus ſcriptum eſt: ut ſit ad prandium uulgo, id eſt, uniuerſos inuitare. Nam locum ad ſpectandum uulgo, id eſt, uniuerſis dare, uix dicere audeo: cum ſpectacula tributim data, & ad prandium uulgo uocatos dixerit. Loco.] Id eſt, genere. In equitũ centurijs.] Romulus, auctore Liuio lib. 1. tres equitũ centurias cõſcripſit, eaſq; appellauit Rãnenſes, Tatienſes, & Luceres. Seruius lib. Commentariorum 9. dicit Rom. equites primo fuiſſe trecentos. nã Romulus in 30. Curias populum Rom. diuiſit, et ex ſingulis Curijs deni equites dabantur. Equitum numerum Tarquinius Priſcus auxit, ut eſſent mille & trecenti, ſed nomẽ non mutaretur, dicerenturq; tres centuriæ: ut ait Liuius libro primo. Ad hæc officium neceſſitudinis.] Id eſt, ad prandium uitrici cauſa dandum. Fraudi.] Id eſt, uitio. Locum ſuum gladiatorium.] Hoc loco attende, Veſtalibus licuiſſe ludos gladiatorios ſpectare, eaſq; certum quoddam ſpectaculum habere. Pie fecit.] Nam in propinquos pietas eſt. Munia candidatorum.] Id eſt, officia quæ à propinquis candidati accipiunt. Vel munera, quæ ſuffragatoribus candidati tribuunt. Verum eſſe.] Id eſt, iuſtum & bonum. quæ in re uerum dicitur in libro de Officijs tertio: Tantum dabit amicitiæ, ut uerum amici cauſa eſſe malit. Mandandis.] Id eſt, faciendis ſuffragio. Mandat alicui magiſtratum populus Romanus, cum eum ſuffragio ſuo magiſtratum facit. eo dicendi genere uſus ſæpe Cicero eſt. Libro de legibus tertio: Suffragia in magiſtratu mandando, aut de reo iudicando, qui lege aut rogatione damnatur, palàm ferre melius eſſet. Itemq;. Sunt enim quatuor leges tabellariæ, quarum prima de magiſtratibus mandandis, ea eſt Gabinia. Pro Cnæo Plancio: Nulla libertas populo in mandandis magiſtratibus. Mandare quoque ſacerdotia idem dicit, contra Rullum ad Quirites: Hoc idem de cæteris ſacerdotijs Cnæus Domitius Tribunus plebis uir clariſſimus tulit, quod populo per religionem ſacerdotia mandari non poterant. Voluptatibus.] Prandiorum, & ludorum ſpectandorum. Mihi.] Mihi hoc loco cauſa ornatus, & ex more dicendi quotidiano ponitur. ut ante: Apud exercitum mihi fueris inquit, tot annos forum non attigeris, &c. Summum imperium.] Id eſt, Conſulatum. Fouendis.] Id eſt, delectandis, deliniendis. Senſibus.] Vt uiſu & guſtatu. Vtrum lenocinium inquit.] A' lenone lenocinium dictum eſt. Eſt autem leno, qui lenocinium facit. facit autem lenocinium, ut ait Vlpian. lib. Digeſt. 3. tit. de iis qui notantur infamia: qui quæſtuaria mancipia habuerit. Sed & qui in liberis hunc quæſtum exercet, in eadem cauſa eſt. Eſt igitur lenocinium, crimen ipſum. Hic tamen pro lenonis artificio dici uidetur. A' grege delicatæ iuuentutis.] Gregem pro multitudine, & delicatum pro luxurioſo dici, alio loco ſcripſimus. Horribilis oratio.] Irriſio eſt. Vſus.] Id eſt, conſuetudo. Iſtius uitæ.] A' uoluptatibus aliena, de qua tu Cato dicis. Lacedæmonij rei bellicæ ſtudioſiſſimi erant. Itaque iuuentutem ſuam omni genere laborum exercebant, quo ea ad rem bellicam aptior eſſet. Ne autem peregrinis uoluptatibus corrumperetur, Lycurgus peregrinos uſu ciuitatis prohibuit, fecitq; ut numo ferreo Lacedæmonij uterentur, ne exterarũ gentium cõmercio cor-

rumperentur. Quotidianis epulis, &c.] Præter eas quotidianas epulas, conuiuia publica Lacedæmonij celebrabant, quæ Phiditia appellabant: ut eſt apud Plutarchum in uita Lycurgi. Huiuſmodi conuiuia non fiunt impenſa publica, quemadmodũ apud Cretenſes Andria: ſed ſuam quiſque partem in ea confert. Quòd ſi quis pauper nihil conferre poſſit, is ad Reipub. gubernationem more patrio non admittitur: ut ait Ariſtoteles libro Politicorum 2. In robore.] Id eſt, in ligno, in lapide, aliòue quo duriſſimo: non in lectis, ut Romani ſolent. Neq; enim Cretes.] Lacedæmoniorum Reſpub. Cretenſem in plurimis imitata eſt, ut eſt apud Ariſtotelem libro Polit. 2. & apud Strabonem lib. 10. quibus in locis comparant utriuſque Reſpub. Nemo guſtauit unquam cubans.] Non accumbebant Cretenſes, ut Rom. In accubatione, in lectis uoluptatem aliquam inesse ſignificat. Voluptatis.] Vt ludorum & epularum. Vno aduentu noſtri exercitus.] Q. Metellus Cretenſes uicit, iiſq; leges impoſuit. eam ob rem Creticus cognominatus eſt. Id autem factum eſt eo tempore, quo piratas Cn. Pompeius perſequebatur. Diſciplinam ſuam legesq; conſeruant.] Ab Achæis ſublatam eſſe Lycurgi diſciplinam, cui per octingentos annos Lacedæmonij aſſueuerãt, T. Liuius ſcribit lib. 38. Hoc loco conijcere licet, Achæis non multo poſt à L. Mummio uictis, ut eſt apud Iuſtinum libro 34. Lacedæmonijs leges ſuas reſtitutas eſſe. Eodem ex ſtudio.] Id eſt, Stoicus. Q. Tubero.] De hoc Cic. in lib. de Cla. orat. Q. inquit, Aelius Tubero fuit illo tempore L. Pauli nepos, nullo in oratorum numero, ſed uita ſeuerus, congruens cum ea diſciplina, quã colebat, paulo etiam durior. qui quidem in triumuiratu iudicauerit contra P. Africani auunculi ſui teſtimonium, uacationem Augures quo minus iudicijs operam darent non habere. Sed ut uita, ſic oratione durus, incultus, horridus. Itaque honoribus maiorum reſpondere non potuit. Is fuit mediocris in dicendo, doctiſſimus in diſputando.

Epulum.] Id eſt, publicum conuiuium, in funere Scipionis. Epulum & epulæ quantum diſtent, licet uidere apud Vallam. Q. Maximus.] L. Paulus ex uxore Papyria duos filios ſuſcepit, quorum maior natu adoptatus eſt à Q. Fabio Maximo, qui fuit quinquies Conſul, iſq; Q. Fabius Maximus appellatus eſt. Nam in nomen quoque familiæ adoptatio fieri ſolebat. Eam ob rem alter filiorum P. Cornelius Scipio appellatus eſt, quod à P. Cornelij Scipionis filio adoptatus ſit.

Sororis filius.] Idem Paulus ex alia uxore duas quoque filias ſuſcepit, quarum alteram in matrimonium habuit Q. Aelius Tubero, huiuſce pater, ut eſt apud Plutarchum in uita Pauli Aemilij. Sororis filius & fratris filius dici ſolet, nõ quod uulgo frequens eſt, nepos ex ſorore aut ex fratre. Pelliculis hædinis.] Id eſt, hædorum pellibus. Troianis temporibus lecti pellibus ſternebantur. Virgilius libro Aeneid. 8. de Aenea accepto ab Euandro: Hæc, inquit, ubi dicta, dapes iubet, & ſublata reponi Pocula, gramineoq; uiros locat ipſe ſedili, Præcipuumq; toro & uilloſi pelle leonis Accipit Aeneam. Romanos quoque pellibus pro tentorijs uſos fuiſſe, eſt apud T. Liuium, ut in libro 5. in obſidione Veiorum: Militem Romanum in opere ac labore pruinisq; obrutum ſub pellibus durare: Et libro 23. Vbi primum ſub pellibus haberi cœpti ſunt, uiaq; & alius labor militaris excepit, tyronum modo corporibus animiſq; reficiebant. Et lib. 37. ſub pellibus habendos milites fore. Lectulos.] Vt alij lectos, ita Cicero lectulos ſæpe appellat. Punicanos.] Id eſt, uiles & ſordidos, quibus Pœni uti ſolent. Nam à Punico punicanus, ut à Gallico gallicanus inflectitur. Expoſuit.] In abaco ſcilicet. Vt apud Auſonium: Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea regem, Atque abacum Samio ſæpe oneraſſe luto. In conuiuijs magnificis hac quoque ætate uaſis argenteis & aureis abacos onerare ſolent. Valerius Maximus libro ſeptimo, titulo de Repulſis, hanc hiſtoriam ſcribens, Tuberonem pro argenteis uaſis Samia expoſuiſſe dicit. Supremo eius die.] Id eſt, quo die mortuus eſt. Nocte autem mortuus eſt: quo mortis genere incertũ eſt. Tanquam ſi poſt mediam noctẽ mortuus eſſet, dicit, Supremo eius die. Nam à media nocte dies apud Romanos incipiebat. uel Supremo eius die, id eſt, die eo quo pompa funebris facta eſt. Is enim mortuorum tanquam ſupremus eſt. Ideo peractis omnibus his, dici ſolet Vale. Maximus laudaret.] Nam Scipionis Fabius erat frater. Funebres autem laudationes à propinquis fieri, ſcripſimus in Catonem Maiorem Ciceronis. quamuis Quintilianus libro tertio ſcribat, eas frequenter ex publico aliquo officio pendere, atque ex S. C. magiſtratibus ſæpe mandari. Neceſſe enim fuiſſe.] Hoc dicendi genus. T. Liuio multo magis familiare quàm Ciceroni eſt. Vt ubi ſermone domeſtico uulgus Inquiens, uel Dicens, uel dicendo poneret: id omittatur. Prætura deiectus eſt.] Id eſt, in Prætureæ petitione repulſam paſſus eſt: ut Actione in Verrem ſecunda: Deinde eſſe pollicitum, quantum uellent pecuniæ, ſi me ædilitate deieciſſent. Odit populus Rom.] Eadem propè ſententia eſt pro L. Flacco: Hæc, inquit, ratio ac magnitudo animorum in maioribus noſtris fuit, ut cum in priuatis rebus ſuiſq; ſumptibus minimo contenti tenuiſſimo cultu uiuerent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam ſplendoremq; reuocarent. Quæritur enim in re domeſtica continentiæ laus, in publica dignitatis. Odit populus Roma.] Antitheton eſſe dicit Quintilianus lib. 9. Profuſas.] Id eſt, nimias. Sordes.] Id eſt, tenacitatem et auaritiam. Sordes enim, ut ſplendori opponantur dici ſolent. Inde ſordidus & ſplendidus contraria ſunt. Inhumanitatem.] Id eſt, ut uulgo dicunt, inciuilitatem. Nam quod ais.] Artificioſum eſt, ſi aduerſarium id feciſſe oſtendamus, quo ipſe nos arguit. In petitione Tribunatus Catilinam id feciſſe oſtendit Cicero, quod Murenam in petitione Conſulatus feciſſe Cato reprehendit. Nam, inceptiua particula eſt. Studeat.]

Id eſt, faueat & ſuffragetur. Nomenclatorem.] Nomenclator dictus, quaſi nominis calator, id eſt, uocator: hoc loco dicitur is, qui ciuium Rom. nomina nouit. & ideo candidatum ſequitur, ut in perſalutatione ciuium, eorum nomina candidato ſuggerat, ut eos nominatim candidatus appellet. Se. n. quiſq; nomine proprio à candidato appellari gaudet. Fartores quoque hos appellari Sextus Pompeius tradit, quòd clàm uelut infercirent nomina ſalutandorum in aurem candidati. Eundem monitorem Cicero paulo poſt appellat. Fallis & decipis.]

Id eſt, falleris & deciperis, aut fallis te & decipis: ut, Nox humida cœlo Præcipitat. Seruo tuo. Nomenclatori. Cur ante petis, quàm inſuſurrauit.] In codicibus alijs ſcriptum eſt: Cur autem petis, quem non noſti? quæ lectio magis placet. Tute.] Id eſt, tu ipſe per te, & non per alium. Ita enim hunc locum exponit Priſcianus libro duodecimo. Sed apud eum ſcriptum eſt: Quid quod cum admonueris, quæ lectio mihi probatior eſt. Prauiſſime.] Id eſt, omnino non recta. Prauum enim & rectum contraria ſunt. Quare nec plebi.] Concluſio ſpecialis eſt. Quæ liberalitatem magis ſignificat quàm largitionem.] Vitia quædam ſunt, quæ uirtutum ſimilia eſſe uidentur, ut audacia fortitudinis, timiditas prudentiæ, largitio, quæ prodigalitas dici ſolet, liberalitatis. Quæ igitur accuſator uitia dixit, ea patronus uirtutum nominibus appellabit, ut minuatur criminis atrocitas. Id Quintilianus ſignificat libro quarto. Verbis, inquit, eleuare quædam licebit: luxuria hilaritatis, auaritia parſimoniæ, negligentia ſimplicitatis nomine lenietur. Idem libro 5. Si accuſator acri & uehementi uſus fuerit oratione, eandem rem noſtris uerbis mitioribus proferamus. ut Cicero de Cornelio: Codicem attigit. & protinus cum quadam defenſione: ut ſi pro luxurioſo dicendum

ſo dicendum, ſit obiecta eſt paulo liberalior uita. Sic & pro ſordido parcum, pro maledico liberum dicere licebit. Ex hac ratione illud eſt, quod antea dixit Cicero: Quod enim tẽpus fuit, aut noſtra, aut patrum noſtrorum memoria, quo hæc ſiue ambitio eſt, ſiue liberalitas, non fuerit? At enim te.] Hoc tertium eſt, uidelicet de republica, ad quod Catoni ſe reſponſurum ante promiſit. At & At enim quàm ſæpe ſolitus ſit dicere Cic. cum dictum aduerſarij proponit refutandũ, alio loco diximus. Reſpublica adduxit.] Artificioſe facit Cicero, cum oſtendit ſe cauſa reipublicæ defendere Murenam, quem eundem reipub. cauſa accuſare ſe Cato dixerat. Omnium ueſtrum.] Hoc dicendi genus frequens eſt, in Inuectiuis Ciceronis in Catilinam, de quo ibi admonuimus. Intus, intus eſt, inquam, equus Troianus.] De equo Troiano quæ ſcribat Virgilius in lib. Aeneid. 2. notiora ſunt, quàm ut hoc loco repeti debeant. Significat autẽ periculũ eſſe ab ijs coniuratis, qui Catilinam ſecuti nõ ſunt ſed in urbe reſtiterunt. Ita ſe uigilaturum Cicero promittit, quã diu Conſul erit, ut nihil incommodi ne nocte quidem coniurati afferant. In ſpeculis.] Specula locus altior eſt, de quo proſpicimus. Vt apud Virgilium lib. Aeneid. 10. Vtque leo ſpecula cũ uidit ab alta, Stare procul campis meditantem prælia taurũ. Inde ſpeculator, ut ait Varro de Lingua latina, quem mittimus ante, ut reſpiciat quæ uolumus. Latrones cum ſunt in inſidijs, ex ſpecula uenientes proſpiciunt. Integrum Conſulem.] L. Murenam. Reieci in campo.] Comitijs proximis, cum lata illa lorica armatus eram. Debilitaui in foro.] Concionibus ad Quirites, in L. Catilinam & coniuratos. Compreſſi etiam domi meæ.] Cum C. Cornelium equitem Rom. & L. Varguntеium Senatorem ianua domus meæ prohibui, qui ſimulantes uenire me ſalutatum, interficere me coniurauerant. Alterum conſulem.] Murenam. Plus multo erunt, &c.] Illud aliquando facit Cicero, ut dicat iudicibus, ſi reum condemnent, eorum ſententijs improbos homines pluſquam ſuis uiribus conſecutos. ut pro Sex. Roſcio: Ad eam'ne rem uos reſeruati eſtis? ad eam'ne rem delecti? ut eos condemnaretis, quos ſectores ac ſicarij iugulare non potuiſſent? Et totus in eam rem eſt locus, qui conſequitur. Magni intereſt iudices.] In proœmio huius orationis dixit Cicero: Oſtendam alio loco quantum ſalutis communis interſit, duos Conſules in reipub. Cal. Ian. eſſe. Id hoc loco oſtendit. Multis repugnantibus.] Vt Catilina petitore conſulatus, & coniuratis. Egi.] Comitijs conſularibus, cum Murena conſul declaratus eſt. Calendis Ian.] Nam Ciceronis ætate Conſules & Pretores deſignati inibant magiſtratum Calend. Ian. Circa bella Punica & antea, Idibus Martijs inibant: ut ſcribimus in Catonem Maiorem Ciceronis. Nolite arbitrari.] Hoc in loco aliquid deeſſe mihi facile perſuadeam. Nolite arbitrari.] Ironia eſt. Vſitatis uijs.] In codice manu ſcripto Vſitatis uitijs legitur. Aſpernanda fortaſſe lectio non eſſet, ſi ita ſine figura legeretur: Nolite arbitrari mediocribus conſilijs, aut uſitatis uijs, ſed lege improba aut pernicioſa largitione, &c. Si eos hoc nomine appellari fas eſt.] C. Cæſar exiſtimauit, qui in repub. ſit hoſtis, eum ciuem eſſe nullo modo poſſe: ut ait Cic. in Inuectiua 4. Itaque in Inuect. 1. iſtam uirtutem Romæ fuiſſe dicit, ut uiri fortes acriores ſupplicijs ciuem pernicioſum, quàm acerbiſſimum hoſtem coercerent. Si eos hoc nomine.] Correctio eſt. In exitu eſt iam meus conſulatus.] Calendis enim Ian. Cicero conſulatu abiturus erat. Vicarium.] Id eſt, ſucceſſorem, & qui uicem diligentiæ meæ ſuſtineat. ut Act. in Verrem 5. Vnum & quinquaginta aratores ita uideo delectos, ut ijs ne uicarij quidem ſuffecerint. Et Act. 6. Si hoc quod abs te poſtulo, ad officium tuum minus pertinere arbitrabere, ſuccedam ego uicarius tuo muneri. Te te appello Cato.] Qualis reipub. peſtis futura ſit Catone Tribuno pl. ſi Murena damnetur, oſtendit: ut etiam Catonem accuſationis pœniteat. Anni tui.] Id eſt, quo eris Tribunus plebis. Deſignati Tribuni.] Quintum Metellum Nepotem intelligit, de quo Plutarchus in uita Catonis ad hanc ferè ſententiam ſcribit: M. Cato, multis eum ad tribunatum plebeium petendum adhortãtibus, uideri ſibi nolle negauit, ut potẽtia eius magiſtratus in tempore non neceſſario conſumeretur. Et igitur id temporis, cum otium ſibi à republica foret, cum liberis & familiaribus in Lucaniam (habebat enim illic uillas ſatis amœnas) proficiſcenti, multitudo hominum cum uehiculis & impedimentis ſit obuiam. ex quibus intelligit, Metellum Nepotem Romam redire ad petendum Tribunatum. Perſtitit Cato aliquantulum tacitus, ac ſubito in urbem reuertendum dixit. Admirantibus ijs, qui cum eo erant: Metellus, inquit, per ſe ipſe metuẽdus eſt, & nunc ex Pompeij uoluntate redit, ut quaſi fulmen rempub. feriat. non eſt igitur otij tempus, neque ruſticationis: ſed huic omnia turbare cupienti reſiſtendum eſt, aut pro libertate moriẽdum. Extorſerunt familiares, ut adusque uillas progrederetur. ibi breue tempus cõmoratus, ad ueſperam in urbem redijt. Poſtero die prima luce in campum deſcendens Tribunatum petijt, ut Metelli conatus refringeret. Ius enim Tribunitiæ poteſtatis ad impediendũ magis eſt, quàm ad agendũ: quippe cum cæteris omnibus collegis uolentibus, unus, qui nolit & intercedat plus poteſt. Principio igitur pauci ex familiaribus, deinde eius ſentẽtia latius patefacta, omnes boni Catonem ſequebantur, cæteroſq; ad mandendum Catoni Tribunatum cohortabantur: ut pote qui non honorem quæreret, ſed operam ſuam patriæ offerret: Qui, cum liceret per otium gerere magiſtratum, noluerit, nunc uero pro republica ac libertate certaturus petat. Ferunt tantam fuiſſe multitudinem ei ſuffragantium, ut inter ſtudia hominum preſſus in periculo fuerit, uixq; habuerit facultatẽ ſeſe à turba explicandi. Factus eſt igitur Cato Tribunus plebis. A L. Catilina & Cn. Piſone.] Hoc fuit in priore coniuratione, quæ Lepido & Volcatio Coſſ. facta eſt. de qua Salluſtius: Erat, inquit, Cn. Piſo adoleſcens nobilis, ſummæ audaciæ, egens, factioſus, quem ad perturbãdam rempub. inopia atque mali mores ſtimulabant. Cum hoc Catilina & Antronius circiter nonas Decembris communicato conſilio, parabant in Capitolio calend. Ianuarijs L. Torquatum & L. Cottam, cum inirent conſulatum, interficere: ut ipſi faſcibus correptis, Piſonem cum exercitu ad obtinendas duas Hiſpanias mitterent. Ea re cognita, rurſus in nonas Febr. conſilium cædis tranſtulerunt. Iam tum non conſulibus modo, ſed pleriſque Senatoribus perniciem machinabantur. Quod niſi Catilina maturaſſet pro curia ſignum ſocijs dare, eodem die poſt conditam urbem Romam peſſimum facinus patratum foret: quia nondum frequentes armati conuenerant, ea res conſilium diremit. Mucronibus.] Synecdoche eſt. Nec minus uellent Cato.] Ad Catonem quoque pertinere periculum oſtendit, ut mutato accuſationis animo faueat Murenæ, ut ea ratione iudices Murenæ magis conciliet. Tollere.] Id eſt, interficere. Sufficiatur Conſul.] Sufficere conſulem eſt, in locum eius qui ambitus damnatus ſit, uel mortuus, alium facere. Nam particula Sub in compoſitione ſignificat, in locum aliorum. inde ſupplere, & ſupplementum, et ſubſortiri, dicta ſunt. Vident tuorum, &c.] Conſulem non ſuffragijs pop. Romani, ſed ab alio Conſule & à Tribunis plebis ſuffici ſolitũ, ex hoc loco attende: & ex eo qui paulo poſt ſequitur, In ſufficiendo collega occupatus. Non cupidum.] Id eſt, non auarum, uel non ambitioſum. Si L. Catilina.] Argumentum à fictione eſt, de quo Quintilianus lib. 5. præcipiens, hunc locum citat. Conſilio.] Id eſt, cœtu. Sed cum conſilium à Cicerone ſæpe dicatur pro cœtu iudicum, intelligi poſſit, ſi Catilina & cœtus coniuratorum eſſent iudices. Petunt.] Id eſt, conantur perdere. Vt de Reſponſis aruſpicum: Iniecta eſt fax fœda ac luctuoſa reipublicæ, petita eſt auctoritas ueſtra.

Vt minuatur.] Nam Murena ſi damnetur,exultabit. Tribunis plebis.] Seditioſis ſcilicet. Ampliſſimis ex ordinib.] Ordo ampliſſimus eſt Senatus.Ampliſſimi ordines ſunt equeſter & ſenatorius Ex his ordinibus iudices delecti erant. De ratione eos deligēdi,alio loco ſcripſimus. Importuniſſimus gladiator.] Catilina. Non ſolum de L.Murenæ.] Illud ſæpe admonuimus,idq; ſepius admonendum eſt:nam à Cicerone obſeruatur ſæpiſſime,ut oſtendat iudicium,quodcunq; tulerint iudices,ad iudices ipſos & ad rempublicam pertinere. Non apud Anienem.] In ſecundo bello Punico, cum Capuam M. Fuluius obſideret,Annibal,ut eum mouere caſtra cogeret, & uenire ad urbis defenſionem, caſtra poſuit ad Anienem ad tertium lapidem ab urbe.Ipſe autem Annibal cum duobus millibus equitū ad portā Capenā obequitauit ut ſitū urbis exploraret. Id T. Liuius ſcribit fuſius lib.26. Sine gemitu hoc dici nō poteſt.] Atrocitatem rei amplificat. Non nemo.] Id eſt,aliquis. Is autem qui fuerit incertum eſt,cum ex coniuratis multi Senatores fuerint.Illos nominat Salluſtius,P.Lētulū Suram, P. Antronium,L.Caſſium Longinum,C.Cethegum,P. & Ser. Syllas, L. Vargunteium,Q. Anniū,M.Porcium Leccam,L.Beſtiā,Q. Curium. In illo ſacrario.] Sacrarium Valla lib. 1. eſſe dicit, ſacrorum repoſitorium.In ea re Cicero dixit actione in Verrem 6.Erat apud Heium ſacrarium cū magna dignitate in ædibus à maioribus traditum, perantiquum in quo ſigna erāt pulcherrima quatuor,ſummo artificio,ſumma nobilitate.Itemq;: Minus clarum putauit fore,quod de armario,quàm quod de ſacrario eſſet ablatum.Itemq;, Sacrarium Cereris eſt apud Catinenſes,eadem religiōe,qua Romæ,qua in cæteris locis, qua propè in toto orbe terrarum.In eo ſacrario intimo fuit ſignū Cereris perantiquum,quod uiri non modo cuiuſmodi eſſet, ſed ne eſſe quidem ſciebant. Aditus enim in id ſacrarium non eſt uiris. Pro tēplo quoque ſacrarium dici uidetur, pro Milone: Niſi forte hoc etiā caſu factum eſſe dicimus,ut ante ipſum ſacrariū Bonæ deæ primum illud uulnus acceperit,quo teterrimam mortē obiret. Senatum autem haberi non ſolitum niſi in loco conſecrato, alio loco diximus. Armatus opprimat.] Poſtquam Romæ compertum eſt,Catilinam in caſtra ad Manlium contendiſſe, decreuit Senatus uti conſules delectum haberent,ut C.Antonius cū exercitu Catilinam perſequi maturaret, ut Cicero urbi præſidio eſſet. ut Salluſtius. Quod conceptum.] Naturæ ſeruat ordinem.Prius enim fœmina concipit,quàm parturiat. Vnus erit Conſul.] Dec.Syllanus. Occupatur.] Nam ſeditioſi Tribuni plebis impedient. Hunc qui impedituri ſint.] Videtur addendum,Omnes uidemus. Siquidem illa peſtis, &c.] Ordo eſt: Siquidem illa peſtis immanis Catilinæ prorumpet importuna. Quæ cū ita ſint.] Concluſio eſt,per commiſerationem. Hortor. Hortari magis eſt, quàm monere. Id enim quoddam quaſi imperium habet. Fidem ueſtram] Id eſt, auxilium ueſtrum. In ea re fides ſæpe dicitur: ut cū dicimus implorare fidem,dij ueſtram fidem,&c. Recentem gratulationem.] Quæ facta eſt ei à bello Mithridatico redeunti. Modo.] Id eſt,paulo ante,in comitijs conſularibus. Maximo beneficio.] Id eſt,conſulatu. In municipium antiquiſſimū.] Id eſt,in Lanuuium,quod in Italia poſt euerſam Troiam à Diomede conditum eſſe,pro Milone,ſcribimus. Squalore ſordidus.] Tales autem rei eſſe ſolent,ut iudices ad miſericordiam commoueant. Hac cum re.] Id eſt,propter Conſulatum. Si iniuſte neminem læſit,&c. Miſericordia iudicū dignus eſt, qui ſemper ita modeſte uixit. Nullius aures.] Dictis ſcilicet. Demiſſis.] Id eſt,ſummiſſis & ſupplicibus. Veſtris ſententijs afflixeritis.] Id eſt,dānaueritis.. Quo ſe miſer uertet?] Hæc Murenæ ſi damnetur miſeria, quæ ad quencunque locum eat,maior futura ſit,ad mouendam miſericordiam ualet pluriſmū. Imaginem.] Maiorū imagines Romæ aſſeruari ſolitū eſſe,pro Milone ſcripſimus. Lauream.] Triumphantes lauro coronabantur.Triumphi L.Luculli expers non fuit eius legatus L.Murena.Ei igitur in Luculli triumpho gratulabantur. In ea gratulatione laureata patris imago illata eſt. Deformatam. Id eſt,ut ita dicam deturpatā,& amiſſa dignitate priſtina turpificatā.ut pro P. Quintio: Ea res nunc in diſcrimine uerſatur,utrum'ne poſſit ſe contra luxuriem ac licentiam ruſticana illa atque inculta parſimonia defendere,an deformata atque ornamentis omnibus ſpoliata, nuda cupiditati petulātiæq; addicatur.Hinc deformare,pro uituperare dixit pro M. Celio: Vt ad ea quæ accuſatores deformandi huius cauſa, detrahēdæ ſpoliandæq; dignitatis gratia dixerunt, primum reſpondeam. Lugentemq;.] Metaphora eſt. Rei enim inanimatæ dat ſenſum. Noua pœna legis.] Id eſt,exilium.quod Ciceronis lege adiectum eſt. Ad orientis'ne partes.] Id eſt, in Aſiam: ut paulo poſt,an ſe in contrariam partem terrarum abdet? Et pro Archia poeta:Poſt in cæteris Aſiæ partibus,cunctæq; Græciæ ſic eius aduentus celebratur,ut famam ingenij expectatio hominis expectationem ipſius aduentus admiratioq; ſuperet. Habet magnum dolorem.] Vulgus diceret,facit bene malum.Id autem uerbum Habet,imperſonale eſt:ut etiam ante dixit Cicero: Bene habet,iacta ſunt fundamenta defenſionis. Habere dolorē, pro dolere,idem dixit lib.Epiſt.ad Attic. 1. Terētia tua magnos articulorū dolores habet. In contrariam partem.] Id eſt, ad occidentis partes,id eſt,in Galliam. Summo cum imperio.] Prætoribus in prouincia ſummum imperiū,id eſt,conſulare erat. Prætor autem Murena,id quod ante dixit Cicero in Gallia, ut noſtri homines deſperatas iam pecunias exigerent, æquitate diligentiaq; perfecit. C. Murenæ.] Non conuenit Salluſtio cū Cicerone.C.enim Murenam legatū citeriori Galliæ tum præfuiſſe ille dicit,quē in tranſalpina Gallia hic Cicero collocat. Perturbatio.] Id eſt,permutatio ſermonis,quòd qui modo Conſul nunciatus ſit,iam exul nuncietur. Excidet.] In codicibus alijs melius legitur,Eo accedet. Ipſe.] Id eſt,ipſemet: ut emphaſim habeat. Alieniſſima manſuetudine. In alijs codicibus legitur,Alieniſſima à manſuetudine. utrunque dicitur, ut in Vatinium teſtem:Nihilq; Maximus fecit alienū aut ſua uirtute,aut illis uiris clariſſimis,Paulis,Maximis,Africanis. Et contra Rullū ad Quirites: Hanc uero emendi & uendendi quæſtuoſiſſimā ac turpiſſimam mercaturam alienā actione Tribunitia,alienā dignitate populi Rom. ſemper putaui. Beneficiū.] Id eſt,conſulatum Murenæ datum ſuffragio populi Rom. Lanuuio.] Id eſt,Lanuuium. eſt autem intellectio. A ſacris patrijs Iunonis Soſpitæ.] Iunonis Soſpitæ ædes Lanuuij erat, ubi magna religione colebatur.In Latinorū deditione Lanuuinis,ut ait Liu.lib.8.ciuitas data,ſacraq; ſua reddita,cum eo ut ædes lucuſq; Soſpitæ Iunonis cōmunis Lanuuinis municipibus cū populo Ro.eſſet.Inde prodigia Romā eodem auctore, ſæpe nunciata ſunt:ut in huius æde coruos nidum feciſſe:Itemq; cum horrendo fragore ſtrepitum editū: Itemq;,ipſius deæ ſimulachrum lachrymaſſe.Priſc.lib.7.ut doceat etiam hanc Soſpitā dici, id probat his uerbis Ciceronis. Facere.] Id eſt,ſacrificare:ut, cum faciam uitulā pro frugibus,ipſe uenito.Facere res diuinas,etiam dicimus,ut Act.in Verr.6.Habitaſti apud Heium Meſſanæ: res illum diuinas apud eos deos in ſuo ſacrario propè quotidie facere uidiſti. Confirmatio.] Id eſt, affirmatio: ut Act. in Ver. 2. Si plures improbi fuerint,hoc nobis,hoc populo Rom.iudices confirmo, uitam me hercule mihi prius quàm uim perſeuerantiamq; ad illorum improbitatem perſequendam defuturam. Cupidiſſimum otij.] Quamuis hæc lectio mihi proba uideatur in antiquo tamen codice ſcriptum inuenio,cupidiſſ. hoſtem malorum.

## BARTHOLOMAEI LATOMI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

LVCIVS Murena plebeio genere natus, patrem habuit L. Murenam, qui in Prætura adoleſcente filio de Mithridate triumphauit. Acta ſub patre adoleſcentia, mox Quæſtor unà cum Ser. Sulpitio factus eſt. deinde Legatus L. Lucullo in Aſiam contra Mithridatem, ubi ſingulari fide ac diligentia induſtriam ſuã Imperatori probauit. Aedilitatem deinde, et Præturã obtinuit, in qua ludos fecit quos in ædilitate præter miſerat. Præturã primum in iure dicendo Romæ, deinde in Gallia ciſalpina geſſit. inde petijt Conſulatũ cũ Ser. Sulpitio, qui tum in iure ciuili florebat: item cũ Decimo Iunio Syllano, & L. Catilina, M. Cicerone et C. Antonio Coſſ. quo tempore Lucul. ex prouincia cũ exercitu ad triumphum reuertebatur. In qua petitione cũ Sulpitium & Catilinam uiciſſet, ipſe cum Syllano Conſul creatus, à Sulp. de ambitu accuſatus eſt: item à M. Catone & Poſthumio quodam familiari Ciceronis. Defenſus eſt tum ab alijs patronis, tum potiſſimum à Cicerone Coſ. patefacta iam coniuratione Catilinæ ſub finem anni, priuſquam magiſtratu ille decederet. Orditur igitur ab officio ſuo Cicero, & reſpondet Catoni, cur cum legem de ambitu ipſe tulerit, tamen Conſul Conſulem deſignatum defendat. Deinde totam cauſam diuidit in tres partes: in uitam Murenæ, quæ reprehenſa fuerat ab aduerſarijs, in contentionem dignitatis, & in crimen ambitus. Vitam purgat partim inficiatione, partim qualitate. Contentionem dignitatis in collatione perſonarum conſumit: quo in loco extollendo bellicas artes, iuris ſcientiam extenuat. Crimen ambitus ita diluit, ut partim neget uera eſſe quæ obijciebantur, partim defendat. In quo ſubeſt ſtatus tum coniecturalis, tum legitimus. Poſtremo monet & hortatur iudices, prouidendum eſſe contra pericula inſtantis anni, propter arma Catilinæ. & inde delabitur ad perorationem, & concludit.

QVAE precatus ſum.] Orditur à comprecatione, & reum iudicibus commendat. Et quoniam in hoc officio.] Reſpondet reprehenſioni aduerſariorum, & rationẽ officij ſui reddit in defendendo Murena. Locus ad exordium pertinet, ad remouendam inuidiam à ſua perſona. Quod ſi in his rebus.] Argumentum à ſimili. Res mancipi eſt, res quæ iure ciuili alienatur. Qui ſe nexu obligauit.] Nexus uenditionis genus, quod certa ſolẽnitate per æs et libram antiquitus celebrabatur. Præſtare eſt, ſuo periculo uitiũ rei corrigere uel defendere, quod uenditor emptori etiam apud ueteres facere cogebatur. Quòd ſi è portu.] Aliud ſimile, quod ornate tractatur. Nam quòd legem.] Alia defenſio, contra obiectam legem de Ambitu, ab ipſo latam. Negat eſſe eiuſdem.] Purgat etiam leuitatis & inconſtantiæ reprehenſionem. Ac de officio.] Poſt Catonem reſpondet etiam Sulpitio, & defendit factum ſuum à tempore & à periculo Murenæ: item ab amicitia eiuſdem & dignitate, & à perſona ſua. Atque huiuſce rei coniecturam.] Argumentatur à ſimili exẽplo ipſius Sulpitij, in reſpondendo. Intelligo iudices.] Contentio. Nam accedit ad cauſam, quam in tria capita diſtribuit: in uitam, dignitatem, & crimen. Atque harum trium.] Contemnit uitæ criminationem. Obiecta eſt enim Aſia.] Defendit quod in Aſia fuerit. Etſi habet Aſia.] Interpretatio criminis Aſiani, quod obijci ſolet. Saltatorem appellat.] Alia defenſio, quam ducit ex perſonis, & Catonem reprehendit. Nihil igitur in uitá.] Concludit uitæ purgationem. Quo conſtituto, facilior.] Altera pars contentionis cauſæ, de dignitate, quam parem in utroque facit, & pluribus diſputat. Quo loco, ſi tibi.] Confert genus Sulpitij & Murenæ: & ita alterum laudat, ne alterum cõtemnere uideatur. Nec mihi unquam.] Nobilitatem ex uirtute potius quàm generis uetuſtate eſſe, probat exemplis. Quæſturam unà petijt.] Venit ad quæſturam Murena, & inde gradus honorum utriuſque & ſtudijs induſtriæ, & rerum geſtarum laude comparat, uſque ad petitionem conſulatus. Reliqui temporis ſpatium.] Tempus interiectum inter quæſturam & præturam, quod Seruio uacuum ab honoribus fuit, Murenæ in legatione contra Mithridatem cum Lucullo conſumptum. Hoc mire amplificat, extenuata iuris ciuilis profeſſione in Seruio, et induſtria bellica in diuerſa parte amplificata. Qua in legatione.] Amplificat legationem. Apud exercitum mihi fueris.] Mira proſopopœia ad inuidiam, ex qua apparet, Seruium in accuſando iuris ſcientiam iactitaſſe. Primum iſta noſtra aſſiduitas.] Confert cum laboribus militaribus urbanam aſſiduitatem, et cũ iuriſprudentia bellicas artes. Vigilas tu de nocte.] Vide antitheta alternis inter ſe principijs reſpondentia. Et quoniã mihi uideris.] Rurſus placat, & concedit alias uirtutes. Grauis etiam illa eſt.] Anteponit & oratoriam facultatem iuris ſcientiæ. Quorum in iſto ueſtro artificio.] Extenuat iuris ſcientiam, & rem exemplis oſtendit. Qui cornicum oculos confixerit.] Cornicum oculos configere, eſt nouo inuento ueterum prudentiam eludere. uide Eraſmum. Eum ego ex iure meum eſſe.] Verba ſolennia uetuſti iuris, quibus in uindiciarum lite tuebantur. Vide Gellium. Nam cum permulta.] Profert alia ineptiarum exempla. Ad coemptiones.] Id eſt, nuptias. Licet conſulere.] Dictum iuriſperitorum, qui cõſulendi ſui copiam faciebant. Quapropter non ſolum.] Redit ad oratoriam facultatem. Duæ ſunt artes.] Redit ad bellicas laudes, & amplificat. Verũ hæc Cato.] Reſpondet Catoni, qui bellum Mithridaticum contempſerat: & contra magnum & graue fuiſſe oſtendit. Atqui ſi diligenter.] A' Mithridatis perſona. L. Luculli uero res.] A' rebus à Lucullo geſtis. Cuius ex omnibus pugnis.] A' Pompeij perſona, & pugna eiuſdem cum Mithridate. Hunc tu hoſtem.] Cõcludit locũ de bello. At enim in præturæ.] Venit ad præturam utriuſque: & primo ſoluit, quòd Seruius obiecerat, ſe priorem renũciatũ fuiſſe. In quo utitur egregia metaphora, cui et ſimilitudinis et allegoriæ gratia permixta eſt, in exprimenda populi mobilitate: & ſubiungit exempla. Sed tamen ſi eſt.] Cur Seruius Murenæ in pratura antepoſitus fuerit. Nũ tibi hæc parua uidentur.] Amplificat ſuffragationẽ militarẽ. Sed ſi hæc leuiora ducis.] Amplificat ludos Murenæ in prætura factos. Scenã competitricẽ.] Id eſt, adiutricẽ. Sed hæc ſanè ſint paria] Cõcedit leuiora, ut ad grauiora trãſeat. Eſt ironiæ ſpecies. Et quoniã oſtendi.] Oſtẽdit quibus rebus inferior fuerit Seruius, poſtquã de pari dignitate ſatis diſputauit. Quid ergo.] Occupat contradictionem, & ſoluit. Accedit eodem.] Difficultas ex tempore. Legem ambitus flagitaſti.] Alia offenſio populi, ex legis nouæ flagitatione.] Quid ergo?] Excuſat ſuam perſonam, ut cul-

pa hæreat in Seruio. Nam ipſe Coſ. legem de Ambitu tulerat, quam Seruius poſtularat. Idem editititio iudices.] Editi tij iudices, qui edebantur à reo. Atque ex omnibus.] Alia cauſa offenſionis ex metu conſulatus Catilinæ, ſi Murena damnatus eſſet. Etenim te inquirere.] Confirmatio ex adiunctis de metu populi. Vultus erat ipſius.] Hypotypoſis, ad odium in Catilinam. Tum igitur his rebus.] Hæc omnia commemorantur ad amplificationem periculi à Catilina. Inſigniq; lorica.] Hæc lorica uidetur in inuidiam tracta fuiſſe ab accuſatoribus Murenæ. Itaque cum te Serui.] Concludit locum de Catilina & dignitate Murenæ. Nunc mihi tertius ille.] Venit ad tertiam partem defenſionis de crimine ambitus. quæ propria eſt cauſa. In quo primum mouet commiſerationem erga reum, ex fortuna Murenæ: deinde inuidiam facit accuſatoribus, & minuit Catonis auctoritatem ex Stoicorum reprehenſione. Reſpondebo igitur.] Reſpondet Poſthumio. Quaſi deſultorius.] Cõparatio eſt de curuli certamine ſumpta. Nam deſultorij ita currebant, ut ex uno equo in aliũ deſiliret agitator: quadrigarij autem quaternos equos agitarent. Venio nunc ad.] Ita reſpondet Catoni, ut auctoritatem eius remoueat à cauſa Murenæ: quod primũ facit æquitate & exemplis, deinde Stoicæ ſectæ reprehenſione. Nam ſi quis hoc.] Soluit obiectionem. Sed ſi peccas.] Mire temperat orationem. In M. Catone.] Improbat ſeueritatem Stoicæ ſectæ, & irridet. Præcepta eiuſmodi.] Stoicorum placita, quæ diſputantur in paradoxis. Hæc homo ingenioſiſſimus.] Depingit mores Catonis, quos nulli ſeueriores eſſe ex Stoica diſciplina. Hos ad magiſtros.] Vide quo modo mores uituperando mire interim laudet naturam, quod ex prudentia oratoris in hoc toto loco obſeruare licet. Etenim iſti ipſi.] Stoici proferunt fines officiorum ultra naturam, quia ſolum honeſtum in bonis numerant, omnia interim & corporis & fortunæ commoda contemnentes. Melius igitur Academici. Huiuſcemodi Scipio.] Profert contraria exempla. Congredere mecum. Venit ad criminum diſſolutionem, & acrius pugnat. Ergo ita Senatus.] Interpretatur S. C. & negat in id commiſſum eſſe. Multi obuiam.] Purgat obiecta argumenta. Quid opus eſt, inquit.] Occurrit obiectioni, & ſoluit à conſuetudine & obſeruantia tenuiorum erga ſuperiores. At ſpectacula.] Alia obiectio, quam negat & defendit. Quid enim Senatus?] Rurſus interpretatur S. C. At enim.] Alia obiectio Catonis. Quippe, inquit.] Inuidioſa proſopopœia. Q. Tubero.] Q. Tuberonem Stoicum dicit, cuius exemplo reprehendit Catonis ſeueritatẽ. Nam quod ais.] Alia reprehenſio ipſius Catonis exemplo. Nomenclatorem.] Is eſt, qui nomina ſingulorũ citare poteſt. At enim te.] Venit ad periculum reipub. ſi damnato Murena Catilina Coſ. factus ſit. Intus inquam eſt equus.] De equo Troiano nota eſt hiſtoria, quo modo hoſtes incluſos habuerit. In ſpeculis atque inſidijs.] Specula locus editus eſt, ex quo belli tempore in omnem partem proſpicimus. Magni intereſt.] Mouet iudices, & uehementius contendit. Ita ſunt.] Amplificat atrocitatem periculi. Atque ad hæc mala.] Vehementius mouet, Catonem appellando. Tribuni collega tui.] Collegam Catonis Q. Metellum Nepotem intelligit, qui repugnante Catone eodem anno legem tulit, ut Pompeius reuertens ex bello Mithridatico cum exercitu ad urbem ueniret. Vide Plutarch. in uita Catonis. de Cn. Piſone & Catilina lege Saluſt. Quanquam huiuſce rei poteſtas. Redit ad iudices, & mouet contrarij exẽpli fictione. Hoſtis eſt enim.] Deſcribit periculũ. Et iam populo Rom. minatur.] Rem ponit ante oculos. Quæ cum ita ſint.] Peroratio, quam conuertit ad deprecationem. Vt ne hominis miſeri.] Commiſeratio à fortuna Murenæ. Atque ita uos.] A uitæ integritate & innocentia. Spoliatio Conſulatus.] Ab honore Conſulatus, ſi ſpoliatus fuerit. Quo ſe miſer uertet?] Ex conſequẽtibus incõmodis, quæ auget ex perſonis & rerũ geſtarũ gloria.] Quæ ſi acerba.] Extrema concluſio. Iunonis Soſpitæ. Iuno Soſpita in Auentino celebratur, olim Veijs captis illuc translata. Facere.] Id eſt, ſacrificare: ut, Cum faciam uitula pro frugibus.

# IN EANDEM PRO L. MVRENA ORATIONEM SCHOLIA [redacted].

[redacted] PRAELEGENTE EXCEPTA.

## ARGVMENTVM.

ſ VB extremo tempore conſulatus Ciceronis, petiuit conſulatum Murena, quem putabat Ser. Sulpitius ſolus ſibi obſiſtere poſſe, quòd notior multitudini eſſet, quòd pater ſuus & ipſe imperatores in bello fuiſſent. Itaq; ut ipſum ab hoc honore depelleret, diem dixit. Oratio eſt autem generis iudicialis. Seruius enim accuſat Murenam, ut conſulatum illi præripiat, dupliciter: primum, quia non ſatis ſit dignitatis in Murenæ perſona: deinde obijcit crimen de Ambitu. Cicero defendit Murenam. cumq; diuerſa ſint crimina, diuerſi ſiunt ſtatus orationis. Primus ſtatus eſt coniecturalis. Inficiatur enim Cicero probra obiecta Murenæ: deinde addit collationes quaſdam ex genere demonſtratiuo, in quibus præcipue digna eſt admiratione collatio rei militaris, eloquentiæ, & ſcientiæ iuris. in altero crimine utitur primo coniecturali ſtatu, negat, ambitum factum eſſe. ſed cũ Murena præbuerat quædam munera populo, tranſit Cicero ad finitiuum ſtatum, negat illud officium eſſe ambitũ: & diſputat lege, non ſimpliciter omnem liberalitatem prohiberi. Eſt & hic inſerta iucundiſſima reprehenſio Catonis. nam cum Murenam auctoritas Catonis prægrauaret, opus fuit eam extenuari in hoc iudicio. & uidit tamen Cicero parcendum eſſe dignitati Catonis: ideo transfert cauſam aſperitatis in Stoicam doctrinam, & hanc facete deridet. Quintilianus laudat conſilium Ciceronis, q ita extenuarit auctoritatem Catonis, ut tamen dignitati pepercerit, ac ſine conuitijs eum molli articulo (ut ipſe ait) tractauerit. In fine ſunt additæ rationes, ſumptæ à periculis reipub. quantum referat, ne conſulatus eripiatur Murenæ. Ita ſtatus initio quærendi ſunt, ut negotij ſumma intelligi poſſit, ac proſpici orationis finis: qui hic eſt, Murena abſolutus recipiat dignitatem. Exordium non conſtat uſitata forma, ſed habet excuſationes quaſdam. Inchoatur autem à uoto, ut eſſet auſpicatius. deinde excuſat ſe Catoni, qui reprehenderat Ciceronem, quòd reum ambitus defenderet. Cicero reſpondet hac propoſitione: Decet deſignatum Conſulem à Conſule defendi: & ſubijcit quatuor argumenta. Primum argumentum ſumitur à ſimilitudine: In iudicio emptionis uenditor debet emptori præſtare periculum rei uenditæ: ergo mea uoce renunciaui Murenam conſulem, & uelut tribui ei poſſeſſionem conſulatus: ergo nunc periculum præſtare debeo. Secundum ab exemplo: In alijs ciuitatibus turpe ducitur Magiſtratum à priuato defendi: ergo apud nos

etiam

*etiam honeſtum ſit, Conſulem à Conſule defendi. Tertium ex cauſa impulſiua: Maxime afficimur ijs periculis aliorum, quibus nos perfuncti ſumus: ergo & ego afficior periculis noui Conſulis, quæ uideo plurima et obeunda eſſe. Quartum à periculo reipub. Me Conſulem decet proſpicere reipub. Magno autē in periculo erit reſpub niſi ſint certi conſules. Ergo defendendus eſt conſul Murena. Poſtea diluit duo Catonis argumēta: Turpe eſt auctori legis de Ambitu defendere reū ambitus, diluit per inficiationē. Turpe eſſet defendere Murenā, ſi facere reū ambitus reū eſſe. Altera cauillatio Catonis eſt, Cicero antea ſeuere geſſit conſulatū, nūc propter hanc lenitatē uidetur ſui diſſimilis. Reſpōdet, diſſimilē eſſe cauſam, cur antea fuerit ſeuerus nunc lenis. Porrò Seruius etiā queſtus fuerat, Ciceronem oblitum amicitiæ quæ inter ipſos eſſet, contra ſe in iudicio uenire. Cicero quinque argumentis oſtendit, neque amicitiam, à ſe lædi, neque contra officium hanc defenſionē ſuſceptam eſſe. Primum argumentum eſt: Tantiſper amici adiuuandi ſunt, dum id fieri poteſt ſine aliorum iniuria, in petitione honoris ſine aliorum iniuria contendimus: nunc tu opprimere hominem innocentē conaris, & ſpoliare dignitate: ergo ut antea merito te adiuui, ita & nunc contra officium facerem, ſi te adiuuarem. Cicero maiore diſſimulata, minorem & concluſionem ponit, eſtq́; ratio ſumpta ex loca communi, quatenus iuuandi ſint amici. & prudenter cogitata eſt [illegible], in petitione honoris non fieri iniuriam competitori, ſed in iudicio fieri iniuriam innocenti, ſi dignitate & parta honore ſpolietur. Secundum ex communi conſuetudine defenſionis, ex maiori: licet contra amicos etiam alieniſſimos defendere, quāto magis licet mihi Murenam defendere, qui cum eſt mihi uetus amicitia. Tertium ab officio cauſidici: Ex officio cogor recipere cauſam, recte igitur facio. Sed hic addita eſt amplificatio, quorum criminum infamiam ſubiturus ſit, ſi honeſtorum hominum cauſas repudiet: Videbor ingratus, ignauus, ſuperbus, &c. Quartum ab exemplo iuriſconſultorum, qui olim utrique parti de iure reſpondebant, ergo licet etiam Oratori contra amicos uenire. Quintum ab exemplo aliorum, qui aderant Murenæ, quibus etiam cū Seruio amicitia fuit. hinc ratiocinatur abſurdum quiddam: Si hos quoque tua amicitia à defenſione Murenæ deterruiſſet, nullū proſus patronum haberet Murena. addit igitur concluſionem, quod Murenam defendere debuerit: & tamen mollit hoc occupatione quadam, dicens ita ſe moderaturum eſſe hanc defenſionem, ut meminerit utrunque eſſe amicum.*

## EXORDII PARAPHRASIS.

*QVOD in Comitijs renunciato Conſule L. Murena à dijs immortalibus publice precatus ſum ut L. Murenæ cōſulatus fauſtus felixq́; uniuerſæ reipublicæ eſſet: idem rurſus precor, & ut retinere conſulatum L. Murena ueſtris ſententijs poſſit, & ut ea res reipublicæ bene eueniat. deinde quoniam apparet deos huius reipublicæ cuſtodes eſſe, exiſtimandum eſt, & preces noſtras & uota à dijs immortalibus adprobari. Itaque precor etiam, ut priuatim hic conſulatus Murenæ fauſtus felixq́; ſit. Et quia deorū immortalium poteſtas uobiſcum iudices communicata eſt, perinde L. Murenæ ſalutem ac dignitatem uobis atque dijs ipſis commendo, rogoq́; ut cum noſtra uoluntate retinere populi beneficiū poſſit, ne' ue à cuſtodia reipublicæ cum periculo ciuitatis abſtrahatur. Sed quia accuſari me animaduerti, qui hanc cauſam ſuſceperim, initio orationis cogor pro me ipſo pauca dicere, ut plus auctoritatis ad hanc defenſionem adferam. Reprehendit Cato, quod & Conſul & lator legis de ambitu & tam ſeuere geſto conſulatu reum ambitus defendere auſit. Non autem leuiter commoueor grauiſſimi uiri reprehenſione. neque enim uobis tantum, ſed ipſi etiam Catoni, integerrimo uiro, probari meum officium uelim: Eſt enim boni uiri, præſtare ut optimis quibuſque placeat. Ac principio Cato, à quo eſt æquum Conſulem quàm à Conſule defendi? nam ut honos communis, & conſilia omnia communia ſunt, ſic etiam exiſtimare debeo, pericula communia eſſe debere. Proinde contra officium facerē, ſi illi de dignitate, de ſalute, deniq; de capite dimicanti, ego quem omnium periculorum ſocium eſſe oportuit, deeſſem. Deinde ut uēditor periculum iudicij præſtare emptori debet, ſi quis alius uendicare rem uenditam uelit: ita cum mea uoce L. Murena conſul renunciatus ſit, æquum eſt, me, ne ei hic honos eripiatur, præſtare. Etſi ut in alijs ciuitatibus in hac urbe publice darentur patroni in iudicijs, nemo rectius conſuli patronus quàm Conſul daretur. Eſt enim turpe, principem magiſtratus ab inferioris ordinis homine ſalutis et dignitatis propugnationē poſtulare. Poſtremo natura fit ut eorum ſalus nobis curæ ſit, qui in eadem pericula ingrediuntur, quibus ipſi perfuncti ſumus. uidemus enim quàm diligenter conſulant nauigaturis ij, qui iam in portum ex longa iactatione inuehuntur. quod cū ita ſit, æquum eſt me perfunctum penè hoc magiſtratu, et prævidentem quantæ tempeſtates futuro cōſuli ſubeundæ ſint, ei nō deeſſe, ſed eum auctoritate mea quantum poſſum defendere: præſertim cum etiam reipub. interſit. Nam cum intelligam quàm periculoſum ſit ciuitatem ſine cōſulari præſidio, eſſe boni conſulis eſt prouidere ne orbata conſulibus reſpub. improbis & pernicioſis conſulibus obijciatur. Quod cum ita ſit, non modo priuato officio ad amici ſalutem propugnandam adductus, ſed etiam reſpub. me aduerſus impendentia pericula firma præſidia comparare cogit. Sed legem, inquit, de Ambitu cum tuleris, turpe eſt tibi reum ambitus defendere. Ego uero fateor, me legem de ambitu tuliſſe: ſed illa ueteri lege humanitatis nō ideo ſolutus ſum, quam mihi tuli de ciuium periculis propulſandis. deinde nihil me lex de ambitu impedit: nam ſi hunc reum eſſe ambitus confiterer, & crimen defenderem, non recte facerem. ſed cum largitionem factam eſſe negem, nihil uideo, cur latio legis uetet hunc defendere. Poſtremo, diſſimilem mei factum me eſſe Cato dicit, qui nunc pro Murena dicam, antea tam ſeuere in nefarios ac perditos ciues animaduertens. Ego uero fui uehemens aduerſus improbos ciues, quanquam natura ad lenitatem factus, cū mihi hic magiſtratus et ſummum reipublicæ periculū eam neceſſitatem impoſuiſſet. nunc alia res eſt. Non enim improbum ciuem defendo. Proinde cum me multæ cauſæ ad miſeriam atq; humanitatem uocent, libenter illam ſeueritatis perſonam, quam tunc impoſuerat reſpub. depono, & ad naturam meam conſuetudinemq́; redeo. ſed cum de meo officio, tum de tuo diſputabo fortaſſe poſtea etiam. Sed me iudices non minus commouit Seruij querela, quàm Catonis accuſatio: qui ſe moleſte ferre dicit, me oblitum noſtræ neceſſitudinis, inimicum ſuū defendere huic ſatiſfacere cupiò Nam cum fidem accuſari graue eſt, tametſi falſo accuſetur, nullo modo diſſimulandū eſt. Tantis per omnia officijs tibi me præſtiti, cū ſine cuiuſquā, præſertim amici iniuria facere id poſſem. Proinde te in petitione honoris adiuui. Nunc autem cū non honorem petas, ſed huius caput, nō poſſunt tibi cum iniuria huius gratificari. Sic enim amicitiæ colendæ ſunt, ut ſine iniuria aliorum amicis noſtris gratificemur. Non eſt obſcura lex illa amicitiæ græca, Amicis uſque ad aras obſecundandum eſſe. Deinde humanitatis eſt, aduerſus amicos etiā alieniſſimos defendere. At cum Murena uetus mihi etiam amicitia eſt, quam non ideo hoc tempore, cum per iniuriam ſalus ac dignitas eius in ſummum diſcrimen uocentur, diſſimulare debeo, quia tibi in honoris petitione, cū ſine iniuria huius poſſem, ſtudui. Aequum eſt enim iniuriam à capite amici propulſare, nó*

*iniuſto dolori cuiuſquam morem gerere. Huc accedit honoris amplitudo, quē adeptus eſt. neq; enim ſine ſuperbiæ ſuſpicione potui repudiare cauſam Conſulis, non modo de dignitate, ſed etiam de ſalute periclitantis. Verſor enim in iudicijs, nec mihi iam integrum eſt recuſare laborem defendendi afflictos ciues, præſertim amicos. Eſt enim improbum, amicorũ periculis deeſſe: inhumanum, ſupplices repudiare, uel alienos. Iuriſconſulti reſpõdent etiam illis, contra quos uenerunt. quanto magis licet nobis amicos noſtros defendere? Et quidem ſi nemini tuorum amicorum licuit Murenam defendere, defuiſſet in hac ciuitate conſuli deſignato patronus, ubi nunquam maiores noſtri deeſſe patronum infimo cuique uoluerunt. Omnibus enim nobis, qui in iudicijs foroq; uerſamur, tecum amicitia eſt. Ego itaque exiſtimaui me iniuſte facturum, ſi amico deeſſem: crudeliter, ſi ſupplici: ſuperbe, ſi conſuli deſignato. Quare ita tamen hunc defendam, ut amicitiæ noſtræ habuiſſe rationem intelligas: & huius ſalutem ſine tua iniuria propugnabo. Comitijs centuriatis.] Id eſt, magnis, quando ſingulæ centuriæ conueniebant, hoc eſt, ex centum ſemper aliqui. ſunt deinde minora comitia, quæ curiata dicuntur, quando ex ſingulis tribubus aliqui cõueniebant. Quod ſi illa ſolennis.] Auget illam ipſam ſententiam. Si qua uis eſt in precatione, quod ad publicum ius attinet, eandē eſſe arbitror in priuato. Quæ enim ita ſint.] A' precibus ad iudices tranſit: quemadmodum dijs immortalibus ipſum commendaui, ita ipſum uobis commendo. Eſtq; collatio magiſtratuũ cum dijs. Et quoniam in hoc.] Excuſatio, iniuſte defendis ipſum. Occupatio, quare ipſum defendat. Negat fuiſſe rectum.] Propoſitio eſt excuſationis. Illa actio ualde laudata eſt inter actiones Ciceronis, à Plutar. in uita Catonis. Hic ubique multum tribuit aduerſarijs, & tamen uicit. Et legis ambitus.] Id eſt, qui tulit legem ambitus, ne quis ambiret populum. A' qua tandem.] Ab officio publico. prima ratio. Quod ſi in his rebus.] Similitudo eſt priuatis iudicijs. Mancipij.] Legendum eſt Mancipi, ex conſuetudine eruditorum: etſi recte ſcriptum ſit, genitiuus enim eſt à mancipium. Sententia eſt, ſi in rebus repetendis quæ noſtra ſunt poſtulamus. Mancipationem hodie uocant tranſlationem dominij. Qui ſe nexu obligauit.] Publico ritu teſtante uenditionem. Nexus eſt mos quidam publicus uendendi. Hodie ſolet ſic in omnib. rebus pub. ueteri Rom. more fieri. Auctor.] Id eſt, teſtis. Ac ſi ut nonnullis.] Tertia eſt ratio, ſi conſtituendus eſſet uoluntate iudicum patronus, tamen ille par honore eſſe deberet. Quod ſi è portu ſoluentibus.] Alia ſimilitudo, quæ eſt quarta ratio. Naturaliter fit, ut bene cupiamus ijs, qui pericula adeũt. quibus nos iam perfuncti ſumus. Quare ſi eſt boni conſulis.] Quintum argumentum, & eſt concluſio huius loci. Quod ſi ita eſt.] Tranſlatio à publico commodo. Nam quod legem.] Secunda pars occupationis aut propoſitionis. Opponit legi ſuam conſuetudinem. Negat eſſe. Tertia pars propoſitionis. Ac de officio.] Tranſitio. Sed me iudices.] Alia occupatio, cur contra amicũ defendat, dicit ſibi moleſtum eſſe reprehendi in amicitia. proinde operam ſe daturum, ut quoquo modo placet Seruium. Me tibi contra honorem.] A' licito uel honeſto orditur argumentum primum. Licet defendere Murenam, quia non de petendo honore, ſed de illo perdendo meditaris. Honorem petere liberum eſt omnibus, ſi quis uicerit, nulla iniuria alium afficit. Verum ille iniurius eſt, qui aliũ à nacta gloria conatur deijcere. Amicis enim uſque ad aras ſolum gratificandũ eſt. Mihi aũt cũ Murena.] Secundũ argumentũ, ab amicitia Murenæ. Non eſt reprehendendum ſi quis defendat alieniſſimos. nam calamitoſi ſunt adiuuandi, utut habeat res; hic uero fuit amicus: ergo multo magis adiuuandus. Argumentum à minore. Non obruetur.] Id eſt, nõ delebitur. In honoris contentione.] Id eſt, ubi non eſt læſus Seruius. Quæ ſi cauſa non eſſet.] Ab officio, quod diſtributione amplificauit, primo à dignitate perſonæ. Atque huiuſce rei.] Ab exemplo. Iureconſulti ſæpe reſpondent inimicis ſuis iure, cur nos non tuamur amicos. Te aduocato.] Id eſt, ſi te conſulat. Hic uidetur quàm ſancta tum profeſſio iuris fuerit, cum ſimpliciter reſponderint, quid ſit in iure, hodie non ita fit, &c. Cauſa cadere.] Ita dixerunt quoque, cum non licebat cauſam planè agere. Etenim ſi me.] Ab abſurdo, poſtremum argumentum. Ego uero iudices.] Breuis epilogus per diſtributionem. Nulla in hac oratione narratio eſt, ſed loco narrationis partitio eſt, qua totam cauſam in tria membra diſtribuit: uidelicet purgationem infamiæ, collationem dignitatis, & crimen ambitus. Primum igitur confutatio inſtituitur, in qua refellit quaſdam leues ſuſpiciones ſeu conuicia, quibus Murena aſperſus eſt. Primum eſt: Fuit in Aſia, igitur eſt mollis, & luxu corruptus. Cicero opponit neceſſariam & honeſtá cauſam petitæ Aſiæ, quòd apud patrē eſſe debuerit. deinde genus negotij, militauit: igitur non fuit otium, ad fruendas uoluptates. Inuerſio: ſi Aſia habet ſuſpicionem luxuriæ: ergo hoc magis laudandus erit Murena, quòd inter iſtas occaſiones continenter uixit. Deinde ſequitur cõcluſio, in qua eſt παραδιαστολὴ: eſſe in Aſia nihil habet turpitudinis, ſed turpiter in Aſia uiuere. Sicut nec apud nos alicui debet eſſe fraudi, quòd in Italia fuit: nam & iſthic boni & ſancti uiri ſunt. Additur & laudatio Aſiaticæ peregrinationis, ubi iterum per diſtributionem una in re multas uirtutes colligit: Militare fortitudinis, patri obedire pietatis eſt. Diluit & alterum conuitium de Saltatore, per inficiationem: quia ſigna coniuncta non reperiantur in Murena. Concluſio habet inficiationem. & prudenter urget confeſſionem aduerſariorum, qui ipſi liberant ſuſpicione Murenam, cum nihil grauius ipſi obijcere potuerint. Intelligo iudices.] Propoſitio, uel diſtributio. Criminibus ambitus.] Quod largitione peruenit in magiſtratum. Atque harum.] Confutatio criminis. Ita Romana reſpub. erat inſtituta, ut adoleſcentes ſimul operam rei militari & literis darent. nam ſtatim in ipſa adoleſcentia, ubi domi robur aliquod in literis fecerant, mittebãt eos parentes in caſtra, ubi minimum periculi erat, & literarum ſtudia florerent. propterea frequenter in Græciam, uel in minorem Aſiam mittebantur. Qui ſi adoleſcens.]. Argumentum à neceſſario. Prætextati.] Prætexta ueſtis nobilium adoleſcentium fuit. Hic uero iudices.] Diſtributio. Quamobrem.] Concluſio huius loci. Saltatorem appellat.] Secundum conuicium. Id planè pernegat M. Cicero. Maledici conuiciatoris.] eſt Demoſthenis. Neque temere.] Ratio, qua negat eſſe ueriſimile ſaltaſſe, propter modeſtiam præteritæ uitæ. Nemo enim.] Id eſt, non cadit niſi in extremam impudentiam. Omnium uitiorum eſſe poſtremum.] Id eſt, reliqui eius mores ſunt honeſti, quos non reprehendis: uerum arripis extremum conuicium. Opponit ſuos mores. Nihil igitur.] Concluſio, qua affirmat nihil poſſe reperiri, quod in eius uita & moribus reprehendi poſſit. Secunda pars orationis, tantum eſt collatio dignitatis. conferuntur utrinſque genus, geſta magiſtratus, poſtremo ſtudia ſeu uitæ genus. Hic tertius locus eſt ſplendidiſſimu. tranſtulit enim cauſam ad locos communes, & confert inter ſe rem militarem, eloquentiam, & ſcientiam iuris. Ac primum ut mollior aditus eſſet, tantum hoc detrahit ſcientiæ iuris, quòd minus habeat commendationis ad conſequendum conſulatum: ſed poſtea ſimpliciter extenuat. Eſt autem integer Syllogiſmus. Artes quæ concilliant beneuolentiam, debent habere magnam dignitatem & utilitatem: Iuris ſcientia nec dignitate nec utilitate cæteræ uincuntur: igitur non magis conciliat beneuolentiam quàm cæteræ. Minorem confirmat à tenuitate rerum, et ſuperſtitioſis interpretationibus,*

rationibus, & ab alijs quibuſdam circumſtantijs. Summam uideo.] Conceſſio eſt. Honeſti homines ita de dignitate digladiari debent, ut multum aduerſario concedant, non quemadmodum in triuijs uulgus ſolet, conuicijs obruere. honeſti uero ita tribuunt, ut eam tanquam ex inſidijs præripiant. Paria cognoſco.] Opponit Murenam. Conſulere, & gerere res, ſunt, artes ſummæ ad tenendas reſp. Contempſiſti.] Oblique adimit dignitatem Seruio. Et hiſtoricis eſt notior. Nobilitatem illi cócedit, ſed illa non eſt illuſtris. Nec mihi unquã.] Exempla. Q. Pomp.] Patrem putat, qui filio fortunatior & melior fuit. Meo labore.] Id eſt, meum exemplum poſſum nobiliſſimis opponere. Iacebant.] Id eſt, ante me cóſulem iacebant. quando uero ego conſul factus ſum, feci aditũ nouis hominibus ad Conſulatum. Etenim mihi ipſi.] Permanet in ſuo exemplo. Omittamus igitur.] Tranſitio. Sed quæſtura.] Collatio quæſturæ. Quæſtura urbana multa habuit negotia. Quadriennium autem erat erat interuallũ inter duos magiſtratibus. nam lege id ſancitum erat Annali, uel Annaria, ab Athenienſibus tranſumpta. Lege Titia.] Alij legunt lege Decia, quia Decio & Portio eſt factum ſenatuſconſultum, ut quæſtores quoq; prouincias inter ſe ſortirentur. Tacitam & quietam.] Id eſt, ubi nullius uoluntatem læderet. Campum dedit.] Metaphora ab equis. Seruius hic nobiſcum.] Collatio rerum geſtarũ, atque amplificatio eſt. Stomachi.] Pro nauſea dixit. Magna laus.] Epiphonema. Scientia.n. rei militaris eſt ferè omniũ uirtutũ humanarũ ſumma, quod ſub ea tanquam ſub clypeo lateãt omnes ciuiles diſciplinæ. Quid Murena interea.] Collatio Murenæ. Homerus in quodam Hymno dicit Martem ἀρωγὲ θέμιστος, q. auxiliatorẽ iuris. Illæ enim uere laudes, ut manu forti defendamus quod uel prudentia uel conſilio non poſſumus. Summa in utroque.] Vtrius artes aptiores ad conſulatum. Apud exercitum.] Sermocinatio. Mihi quidem.] Confutatio. Poſitam in oculis.] Id eſt, me quanquam præſentem eſſe gratum: uel beneficia præſentis eſſe grata. eſt rara locutio. Deſiderium.] Id eſt, abſentia. Sed ut hoc omiſſo.] Collatio artium, egregius eſt communis locus. Et quoniam.] Extenuat ſcientiam iuris. Adhibita eſt autem præcaſtigatio, in qua prius tribuit ei multas uirtutes, ut extenuatio profeſſionis minus ſit odioſa. Omnes enim artes.] Ratio ſuperioris propoſitionis, & eſt planè Syllogiſmus. Omnes artes debent eſſe ſplẽdidæ & utiles: Maior. Summa dignitas & utilitas eſt in re militari, &c. Minor. Porrò iureconſulti olim reſpondebant tantum, non dicebant in foro, quod oratorum erat. Dignitas.] Cicero τὸ καλὸν alibi uertit dignitatem. Omnis dignitas ex uirtute fit, propterea quod ea in animis hominũ magnã admirationem habet, &c. ideoq; eſt uelut color uirtutis. Id enunciatis.] Hiſtoria eſt apud Liuium, in fine 9. lib. ab V. C. de populo propoſitis faſtis. Cornicum oculos.] Id eſt, coarguebat eos quod deſiperent. Vt omnibus in rebus.] Id eſt, excogitarũt formulas actionum, ut ſi quis nõ petat iuſto genere actionis, cauſa cadat. Manu conſertum uoco.] Solebant ritu quodam glebam attingere, & teſtari ſe uelle litigari de hoc bono. Tibicinis Latino modo.] Tibicines Latini dicebantur, quorum uſus erat in latinis ferijs, qui præludebant tã huic, tam alteri choro. de his eſt apud Liu lib. 4. Redite.] Alludit ad totum morem ueterum Romanorum. Qui cauſa uindicaueritis.] Vindicare eſt, ſuum repetere. Exempla ſunt mutilata ex ueteribus iureconſul. qui cum non extent, non poſſumus diuinare. Eſt adhuc in exemplis, quibus probat nugas eſſe & uerſutias in iure ciuili. Notas.] Id eſt, formulas actionum. Ibi ego te ex iure manu.] Voco te ut mecum congrediaris in iudicio. Ille unde petebatur.] Id eſt reus. Et hæc] Scilicet inepta ſunt. Vindicare eſt aſſerere fiduciariam poſſeſſionem rei de qua litigatur, quoad lis finiatur. Sunt ergo uindiciæ, quod nunc uocant poſſeſſorium, cum uterque diſceptat de poſſeſſione uter poſſideat. Rei uendicatio, cum quis proprietatẽ et dominium rei ſibi aſſerit. Qui cauſa uindicaueris.] Lis uindiciarum, id eſt, de recuperanda re amiſſa. Nam cum permulta.] Prius dixit, eſſe tenuem ſcientiam: iam calumniat eſſe inquit, & comparatam ad fraudem faciendam. Mulieres omnes propter infirmitatem.] Romano iure omnes mulieres etiam maritatæ in tutela non quidem maritorum, ſed agnatorum & cognatorum erant, ita tamen ut illi potius curatores quàm tutores ſint uocandi. eiuſmodi enim curatores non perſonæ, ſed quibuſdam bonis dãtur, quibus tuendis & agendis præſunt. cæterum curatoribus ſuæ perſonæ & aliquorum bonorum mutandorum facultas cóceſſa eſt. ſecus eſt de tutela, quia tutores tam perſonæ quàm rebus & bonis omnibus dantur. perſtringit ergo Cicero hic ſubtilitatẽ iureconſult. qui tutelam à cura ſeiunxerint. Genera tutorum.] Scilicet, curam uel curatores. quia etiam mulieribus licet fungi officio curatoris in bonis liberorum adultorum, & in quibuſdam ſuis bonis. item mulieres adultæ agunt ſub cura, non ſub tutela. Hæc eſt ſententia: Maiores noſtri noluerunt ſacra gentilitia omitti aut negligi à mulieribus, tametſi maritus alterius ſit gentis. Iureconſulti uero ceremoniam inuenerunt, quam coemptionem uocant, per quam mulier ſuis relictis ſacris gentilitijs, mariti, hoc eſt alterius gentis, & aliena ſacra ſuſcipiat. ſicq; confinxerunt ceremoniam, qua ſacra gentilitia interirent per mulieres, ſcilicet per coemptionem. Ad coemptiones faciendas.] Coemptio eſt ritus faciendi matresfamilias, &c. de quo rite lege Boet. in Comment. in Topica. Verum diem tertium.] Simile eſt nugis noſtrorum iureconſ. qui dubitãt an ualiturum ſit teſtamentum Lazari poſtquam reuixit. An perendinum.] Perendinus dies eſt, cum iudex ſtatuit, aut cum inter partes conuenit, ut omne inſtrumẽtum litis aut acta utrinque proferantur intra triduum: tunc lis & res comperendinata dicitur, quaſi iudex poſt tertium diem, aut etiam die tertio ſententiam laturus ſit. inde comperendinare & comperendinati rei, quorum iudicium eſt ſuſpenſum. Gratiæ uero.] Extenuat per omnes circunſtantias iuris prudentiam. Rebus prolatis.] Id eſt, palàm factis. Quæ de ſcripto aguntur.] Certæ ſunt leges, & certi caſus ad has. atque illas breui aliquis perdiſcet, cum ſint ſcriptæ libris. Totum ius eſt comprehenſum certa ratione, & iuſto ordine. Verum quod ita tam eſt diffuſum, facit quòd quiſque adfingit quod ſibi uidetur, atque infinitatẽ illam caſuum uolunt expendere infinitate legum, cum potius explicandi eſſent communi ſenſu & iudicio rationis. Ius controuerſum.] Id eſt, diuerſum. Quapropter non ſolum.] Ius cum eloquentia confert. À uobis.] Id eſt, modicũ remedium à uobis accipitur. Duæ ſunt artes.] Epilogus, quem auxit citata ſententia ex Ennio. Ita ad uerbum coniunxit has duas artes in Imperatore Phœnix apud Homer. Iliad. I. Porrò Ennij uerſus citantur apud Gellium lib. 20. cap. 9. Pellitur è medio ſapientia, ui geritur res Spernitur orator bonus, horridus miles amatur. Haud doctis dictis certantes, nec maledictis, Miſcent inter ſeſe inimicitias agitantes. Non ex iure manu conſertum, ſed magis ferro Res repetunt, regnumq; petunt, uadunt ſolida ui. Quod ſi ita eſt.] Congeries. eandem rem ſubinde repetit uerbis mutatis, ut auditorem in cogitatione rei diu detineat. Sequitur amplificatio belli Mithridatici. quia Cato, ut Murenæ detraheret laudem militiæ, extenuauit bellum. Primum autem in genere opponit propoſitionem, bella cum Græcis geſta non fuiſſe leuia. Poſtea ſigna colligit à circunſtantijs, graue fuiſſe bellum & periculoſum cum Mithridate. Ciuitas omnium princeps.] Colon pleniſſimum. Cæterum Aſia ita tum apud Rom. audiebat, quemad-

modum hodie à nobis Itali præter meritum, cum Italia habeat homines optimos & induſtrios. Studia nationum ita ſunt, ut præ ſe ſingulæ contemnant alios, cum quælibet & uitia & uirtutes ſuas habeat. Nam ſi omnia bella.] Tranſit ad Theſim. Eandem ſibi hic ex Aſia.] Id eſt, uocauit ſe Aſiaticũ. Qualem te. Id eſt, forti natura. Fratri.] L. Scipioni. Atqui.] Redit ad hypoteſim. Cum pace domini ſit.] Id eſt, L. Sylla maluit bellum finire fœdere, quàm oppreſſo rege: quòd uidebat non poſſe obtinere uictoriam citra maximum periculum. Oceanum.] Id eſt, Hiſpanias. Alterius res ] Scilicet, Cottæ. Cum contento curſu.] Id eſt, intento, uehementi & concitato. Hoſte pulſo.] Id eſt, non deſtitit eum perſequi. Arbitrarer.] Dixit hic paſſiue, quod rarum eſt. At enim in prætura & petitione, &c.] Transfert culpam cõfuſi ordinis in populum. Eſtq; egregius locus communis, de mobilitate uulgi. Nunquam enim uel toto uulgo conſtat factorum ſuorum ratio. Illa ferè eadem ſunt in oratione pro Plancio. At enim, &c.] Confutatio argumenti Seruij. Seruius prior renunciatus eſt in prætura, ergo prior debuit fieri conſul. Cicero diluit per translationem: transfert enim cauſam in populi & comitiorum mutabilitatem. eſtq; hic locus eleganter ornatus: deinde recitat tres cauſas, cur renũciatio in prætura fuerit prior, poſterior in conſulatu. Prima eſt. tunc affuit exercitus, cuius prima ſunt ſuffragia. Secunda: ludos fecit, poſt quàm fuit prætor creatus. Addit amplificationem, uel maiorem, quòd ludi grati ſint, & concilient ſtudia urbanæ multitudinis. Ergo fuit aliqua cauſa, cur prælatus ſit Murena. Tertia ratio: prætura Murenæ fuit gratioſior, &c. Quod enim fretum.] Amplificatio per interpretationem. Nihil eſt.] Epiphonema. Quis L. Philippum.] Exempla. Fortuna dominatur in comitijs. Sed tamen.] Ratio. duo argumenta ſunt tracta ab utilitate. Sermonibus competitorum.] Id eſt, qui uolebant inuidioſum facere. Omnem ualuerit prærogatiuum. Id eſt, cognita felicitas, quæ ſemper in magiſtratu ſpectatur. Sed ſi hæc leuiora.] Secundum argumentum. Rectè Horatius dixit, Stultitiam patiuntur opes. Sententia eſt: Multitudo delinitur & deuincitur ludis & ſpectaculis. Honeſtiores homines fauent ijs qui rem feliciter geſſerunt. Sunt enim populi.] Id eſt, nihil attinet rationem reddere: quem populus elegit, is Conſul eſto. Sed ſi noſmetipſi.] Amplificat ludos. L. Otho uir fortis.] Amplificat exemplo. Ille tulit legem, ne promiſcue ſpectarent ordines ludos. Fructus quoque.] Id eſt, quod effecit ut equites poſſent commode ſpectare. Quod ego.] Secundum exemplum, quo ludos amplificat. Competitricẽ.] Nomen competitoris transfert ad ſcenam, id eſt, meus cõpetitor ſcenam inſtruxerat. Trinos ludos.] Id eſt, ter feceram ludos: ſic trinas literas. Nam male diceremus tertias literas. Quid? in ipſa prætura.] Prætura collatio utriuſque. locum illum ſupra attigit, ſed non pertractauit. Tu, inquit, in tua prætura non conciliaſti tibi plebem. ſed exulceraſti: ille uero ſibi cõciliauit multos. Lenitate audiendi.] ἄρχου ἄκουε καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως, id eſt, contemne hominum rumores de te non debes intumeſcere laudibus uulgi, neque offendi ſi uulgus uituperat. hæc uerißima huius rurſus ſententia eſſe uidetur, quamuis alij aliter interpretentur. Hic Cicero adumbrat ſummam laudem in principe. admonet etiam quæ eius officia ſint, Quæſtio peculatus.] Eſt de publico furto capitale iudicium. Ex altera parte lachrymarum. Videtur ad Sulpitium prætorem delata eſſe cauſa peculatus contra Fauſtum Syllæ dictatoris filiũ, & alios Syllanos, qui publicam pecuniam à Dictatore Sylla interceptam retinere ferebantur. Aſconius pro Cornelio. Ex altera.] Cum ſerui pro dominis torquerentur, ut indicia cõtra dominos etiam inuiti facerent de criminibus, quorum accuſabãtur domini. Ordo.] Id eſt, nobilitas. Syllana gratificatio.] Nam Sylla donauerat fortunas Rom. ciuium alijs, qui deinde electo Sylla repoſcebãt. Syllana gratificatio.] Quia Seruius nobilitatem timens, nihil grauius contra Syllanos iudicare uolebat. Et quoniam, &c.] Paulo ante tria argumenta recitauit, cur prælatus ſit Murena, ſcilicet ſuffragationẽ militarem, ludos & præturam gratioſam. Nunc addit duo argumenta, in quibus commemorat, quæ res proprie alienauerit uoluntates hominum à Seruio. Accuſatio eſt odioſa.: Seruius accuſationem inſtituit admodum importune: ergo Seruius abalienauit hominum uoluntates, & impediuit ſeipſum. Maior eſt uarie aucta, quo modo deterreat homines accuſatio, et impediat candidatos, quo minus interim ſpatij habeant ad adiungendos homines & conciliandos. Secunda ratio eſt: Cum iam certus eſſet conſul M. Marcellus, & tantum de altero adhuc deliberaretur, neceſſe fuit populo ſuffragari Murenæ, ne Catilina fieret conſul, qui collatus cum Seruio, facile uiciſſet eum numero ſuffragiorũ. Primum accuſandi terrores.] Cum competitores tuos ambitus reos te accuſare uelle dicebas. Inquiſitio candidati.] Scilicet, contra competitores ſuos. Pœna grauior in plebem.] Scilicet quod uenderent ſua ſuffragia. Exilium in noſtrum ordinem.] Nam crimen ambitus exilij pœna puniebatur. Confuſionem ſuffragiorum.] Id eſt, ut Libertini ultimi hominum liberorum, par ſuffragium cum ingenuis ciuibus haberent. Prorogationem L. Manilię.] Manilius tribunus plebis legem tulit, ut Libertini eorumq; filij idẽ ius eundem poteſtatem ſuffragandi in Comitijs haberent, atque eundem gradum in libertate & ciuitate Romana cũ ingenuis. Item edititios iudices.] Editicij ſunt iudices, quos altera pars tantum, id eſt, accuſator pro ſuo arbitrio contra aliquem accuſatum edit, id eſt, eligit. Alterni uero iudices ſunt, quos utraque pars, id eſt, tam reus quàm accuſator eligit, uide orationem pro Plancio. Inde edere iudices, & editicium iudicium. Fiebat autẽ fere, ut incertis quibuſdã cauſis accuſator ederet iudices editicios, plerunque reo infenſiſſimos. Optimi cuiuſque.] Id eſt, contra quem illi iudices editicij darentur. Atque ex omnibus illa plaga.] Ab abſurdo modum eius, in petendo reprobat. & hæc eſt ſententia: cum uideret populus à Sulpitio remiſſius petente ſtudia multorum alienata, reclinauit in Murenam, eiq; ſuffragia contulit, ne Catilina improbiſſimus homo competitor Murenæ, multitudine ſuffragiorum ſuperans Murenam, fieret Conſul. Occurro neſtræ ſapientiæ.] Id eſt, redigo uobis in memoriam. Seceſſionem ſubſcriptorum.] Id eſt, qui accuſationi tuæ ſubſcribebant, ſibi de eiuſmodi criminibus cõtra aliquem conſtare, ſe eum uelle ſimul accuſare. Collegæ.] Scilicet Antonij, quo homine familiari & omnibus neceſſitudinibus circumuẽto, facile ſe ex uoluntate uſurum Catilina ſperabat. Diſtinguebant homines.] Id eſt, quidam erant in illis hominibus quibus fauebat populus. Vultus erat ipſius.] Amplificatio, à ſignis ſpei Catilinæ. Quibus rebus.] Amplificatio, quantum fuerit periculi, ſi Catilina factus eſſet Conſul. Tum igitur his.] Scilicet Senatus timebat ne Catilinæ ſuffrogaretur populus, ſi nõ eſſet prius à ſenatu notatus. Apertiſſimus.] Id eſt, audaciſſimus. Infirmo capite.] Id eſt, bonos. Non aqua, ſed ruina.] Id eſt, ſe, ſi eſſet ruendum, tracturum ſecum uniuerſam Remp. Verum ut omnes boni.] Id eſt, non ſuffragarentur Catilinæ: ſed potius contra Catilinam. Itaq; cũ te Serui.] Cõcluſio, qua breuiſſime repetũtur ſuperiora. Tertia pars orationis. In purgatione de ambitu, priuſquã ad cauſam accedit, dicit de perſonis accuſatorũ, & prætexit quoſdam cõmunes locos, deplorat pericula eorum qui accedunt ad rempublicam. Et quia maxime Catonis auctoritate Murena prægrauabatur, ideo præfatur Cicero, dignitatem perſonæ non debere plus nocere reo, quàm cauſam. Poſtea extenuat Catonis auctoritatem, cum facit eum aſperiorem

quàm

quàm opus ſit. Et ne eum lædat, transfert culpam non in ipſius naturam: ſed in Stoicam doctrinam, quam facete deridet uelut minus conuenientem uitæ, quia recedit à mediocritate, quã natura requirit. Recte autem diſputat Cicero, id doctrinæ genus, quod cum uita & natura pugnat, eſſe repudiandum: ſicut & Ariſtoteles ſapientiſſime inquit in 10. Ethic. ueritas opinionum requirenda eſt ex actionibus & uita. quare ſi opiniones ad uitam congruunt, recipiendæ ſunt: ſin autem pugnant cum uita, exiſtimentur eſſe inanes fabulæ. Nunc mihi.] tranſitio à contentione ad tertiam propoſitionem, quæ habet ſtatum primarium coniecturalem, Murenam non admiſiſſe crimen ambitus. De deprehenſis pecunijs.] Id eſt, quas Murena largitus ſit tribubus. De diuiſorum indicijs.] Id eſt, quia dicit, ſe indicare poſſe diuiſores, id eſt, eos qui pecuniam uiritim in tribus pro emendis ſuffragijs Murenæ diuiſerunt. Diuiſores tribuum uocat Aſconius in 2. Verr. & Plaut. magiſtros curiæ. Athenis erat honeſtum, Romæ turpe. Et deprehenſis.] Id eſt, quod diuiſores ſeipſos prodiderint, aut proditi ſint. Equitum Centurijs.] Id eſt, quod corruperit equites Murena. Sed pauca quæ uideam.] Querela communis de periculis eorum, qui accedunt ad Rempub. Quæ relicta.] Scilicet, ſunt à maioribus. Ser. Sulpitium.] Id eſt, filius. Sodalis filij.] Scilicet, Murenæ. Quaſi deſultoribus.] Id eſt, qui relicto certamine equeſtri, contulit ſe in certamen curule. Id eſt, cum non petat conſulatum, tamen accuſat conſulem. Debebat ambiſſe præturam potius quàm conſulatum. Cuius competitores.] Scilicet præturæ. Ne quid expectatio tribunatus. Quem iam adeptus eſt Cato. Locus communis; quòd auctoritas accuſantiũ non debeat nocere reo. Extenuat autem poſtea hanc auctoritatem Catonis propterea quòd aliquanto aſperior ſit quàm opus eſt. Et tamen ne offendat Catonem, transfert culpam & illius inhumanitatis cauſam à natura Catonis in genus doctrinæ, quod Cato ſecutus eſt. Conformare.] q.d. corrigere. Acceſſit his.] Opponit conceſſioni uitioſum genus doctrinæ, quo detrahit ei illas ipſas uirtutes, quas antea tribuerat. Fuit enim quidam.] Digreſſio de Stoica diſciplina. Sic Lucanus de diſciplina & inſtituto Catonis in 2. Pharſ. Hi mores, hæc duri immota Catonis Secta fuit, ſeruare modum finemq́; tenere, Naturamq́; ſequi, patriæq́; impendere uitam, Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo. Neminem miſericordem.] Quia in ſapientem non cadunt affectus. Illa ſunt.] Scilicet uerba Catonis, quæ ſequuntur: Dixi in ſenatu, &c. At temporis cauſa.] Mutanda erat ſententia: concedendum eſt. Noſtri autem illi.] Ἀντίθεσις peripateticæ doctrinæ & Stoicæ. Dicit autem, mediocritate omnia officia regenda eſſe. Etenim iſti ipſi.] Ratio reprehenſionis, quia Stoica doctrina eſt falſa. Quid accuſas Cato?] Principalis iudicij quæſtio de Ambitu. reſpondet autem Cicero per inficiationem, uidelicet neminem mercede cõductum eſſe ad ſuffragandum, aut ad cætera officia. & purgat ſuſpiciones uidelicet per tranſlationem: oſtendit enim alias cauſas fuiſſe, cur multi uenientem exceperint, deduxerint, cur ſit datus locus tribulibus, &c. Non defendo.] Scilicet, ambitum, id eſt, turpitudinem ambitus, genus ipſum. non intelligendum eſt autem, Murenam reum ambitus. Non innocentiam.] Id eſt, hos qui iniuſte accuſarẽtur ambitus. Vulgo locus trib.] Id eſt, per ſingulas tribus. Ergo ita ſenatus.] Id eſt, ſenatus nihil noui in ea re decernit: quia tantum in genere decernit: ſi hoc eſſet factum: ego nego autẽ factũ eſſe. Ergo ita ſenatus ſi iudicat.] Id eſt, ſenatuſconſultũ à me factũ nihil noui cauet, niſi quod lex Calphurnia antea cauit. Hoc autẽ ſenatuſconſultum in gratiã candidatorũ factum eſt, ut cõtra ambitioſos ſuos competitores certius ius accuſandi haberent, ſi illi cõtra legẽ Calphurniã ambitũ admiſiſſent. Iam uero quia Murena in legem Calphurniam nihil admiſit, ideo nec in ſenatuſconſultum peccauit. quare inepte, & præter rem nobis ſenatuſconſultum obijcitur. Decernit quòd nihil.] Id eſt, nihil lædit Murenam: quia in genere loquitur de re, nõ de perſona. Cum candidatis morem.] Seruio & Catone. Quod eſt dubium.] Id eſt, de perſona. Quod nemini dubium.] Id eſt, de re. Atque id.] Id eſt, generaliter decernit de re, non perſona. Quare doce.] Inficiatio. Et cui autem non.] Tranſlatio cauſæ, quare uenientem exceperit. At ſectabantur.] Repetitio inficiationis. Negat enim illos mercede conductos eſſe. Sectatoribus.] Deductoribus, comitibus aſſiduis. Baſilica.] Loca publica iudiciorum. Si ut ſuffragantur.] Id eſt, poſtquam ſuffragantur. Puto eſſe corruptum. legendum enim, Vt ſuffragentur. Reſtiterunt.] Id eſt, pop. illi legi reſtitit. Nulla enim.] Antiquis legibus conſtituta. At ſpect.] Alia tranſlatio. Tribul. ſunt conductæ tabernæ ad ſpectandum. Punctor.] Id eſt, ſuffragiorum, multa ſuffragia amiſimus, quia in inquirendo eramus nimis acres. Hæc homines tenuiores.] Totus locus eſt mutilatus. Ego ſic intelligo: fecerunt ut alter alteri cederet. Nondum.] Id eſt, nondum fuerunt, qui ſuis totas tabernas conducerent. Hæc omnia ſectato.] Concluſio. Quid enim Senatus.] Interpretatio legis. Doce.] Id eſt, proba, quod nos conduxerimus. Aut ad prandium inuuit.] Licet dare prandium, ſed ita ne detur ſimul uniuerſis. Licet conducere tabernas, ſed ita ut conducantur tantum tribulibus, non alienis. Non igitur]. Probat exemplis, quòd hoc non ſit contra legem. Locus communis, non eſt opus nimia & quaſi ſuperſtitioſa ſeueritate, ſed in Repub. mediocris comitas, & magnificentia laudem habet. Omnes leges ſunt directæ ad quandam comitatem, non ad illam Stoicam horribilitatem, & acrimoniam. Verum eſſe.] Id eſt, rectum eſſe. Neque tamen &c.] Exempla mediocris ſeueritatis, & mitigatæ. Lectulos.] Id eſt, menſas. His hædinis.] Id eſt, propter ſordes. Odit P. R.] Epiphonema. Nam quod dis nulla re allici, &c.] Auget locum communem exemplo Catonis, quod ipſe quoque blanditijs & communi more ambiat magiſtratum. Rogas tu me.] Id eſt, ſi uolumus iſta uera ratione examinare, nulla res eſt grauior & præſtantior quã regere Reſp. et tamen iſti magiſtratũ petunt: cũ populus magis deberet ab illis petere, ut hoc negotiũ ſuſciperent. Quid quod habes nomenclatorem.] Nomenclator eſt, qui indicat nomina ciuium. eſtq́; index quidam, qui ſuggerit nomina præſtantium ciuium, ut is qui petebat magiſtratum, poſſet unũquemlibet uocare ſuo nomine, & inuitare ad ſuffragandum. Quid quod habes.] Dilemma eſt. Si habes nomenclatorem petitionis cauſa, facis quod nos: ſi honoris illorum cauſa, decipis nos. Quid poſteaquam eſt.] Leges, es. id eſt, tu Cato etiam uteris falſis & fucatis officijs, fingis te noſſe ciues quos non noſti: fingis te illis amicum eſſe, cum nunquam noueris eos. Aut ſic: non'ne tu quoque es ex illo genere, qui ſalutas ciues quos non nouiſti, et fingis te noſſe, quos tamen non nouiſti. & ſi honoris ipſorum cauſa ſalutares, tum poſteaquam es deſignatus, eos ipſos coleres diligentius, quod tamen non facis. At enim te ad accuſandum.] Tranſlatio, quòd Reip. expediat retineri Murenam conſulem. Et hic locus egregie ornatus eſt: nec alia pars orationis huius grandior eſt, aut magis tragica. Primum autem exaggerat periculũ, quod hoſtes intra mœnia ſint, quibus neceſſe eſt opponere certos conſules. Addit igitur uelut in enthymemate conſequens, præſtandum eſſe, ut certi conſules ſuccedant. deinde ſequitur repetitio & periculi et conſequentis. Audite, audite.] Ratio ex periculo. periculum requirit, ut ſint duo certi conſules in Repub. ergo date operam ut ſint, &c. Magni intereſt iud.] Conſequens, quia tantum eſt periculum, in quo plurimũ refert, ut Reſpub. habeat certos magiſtratus. Nolite

*arbitra.] Repetitio periculi. Auditum aliquando.] Id eſt, uſitatum: q.d. aliud quiddam quæritur, quàm uſitatum malum ſit. Sed uos moneo.] Conſequens. Atque ad hæc mala.] Apoſtrophe ad Catonem, in qua exaggeratur periculum ex Tribuni concione, & ex circumſtantia temporis. et oſtendit hoc nominatim agi, ut Reip. eripiantur magiſtratus & cuſtodes. Syllanum.] Id eſt, alterum deſignatum conſulem. Quanquam huiuſce rei.] Quarto fit apoſtrophe ad iudices. & argute ratiocinatur ex abſurdo, Catilinarios maxime optare, ut condemnetur Murena. Turpiſſimum autem fuerit, ſententias iudicum cum ſeditioſorum ſententijs congruere. deinde addit concluſionem, in qua iterum exaggerat periculum. Mihi credite.] Concluſio, quæ continet amplificationem periculi. Hunc iam qui impedituri ſunt.] Scilicet, Tribuni creati ſunt. Non puto multa deeſſe. Catilinæ.] Lego, Catilina. Quæ cum ita ſint.] Peroratio, in qua principio hortatur, obteſtatur, precatur, ut abſoluant Murenam. deinde aſpergit quædam argumenta & affectus. Continet autem peroratio adhortationem & deprecationem, in quibus ipſa principalis propoſitio repetitur, uidelicet ut retineatur cōſul Murena. Eſtq; elegans diſtributio facta, in qua amplificatio, adhortatio, deprecatio habent affectus ex perſona & uirtutibus Murenæ, & ex ipſa cauſa ex pœnæ magnitudine, ex moleſtia conſulatus, ex patre, fratre, matre, &c. Deinde ego fidem ueſtram.] Deprecatio, Hac re.] Id eſt, miſerum & acerbum eſſet, propter petitionem conſulatus non tantum amittere ipſum cōſulatum, ſed omnia ornamenta prioris uitæ. Qua ſe honeſtiorem.] Id eſt, in qua nihil peccauit, ſed tantū petiuit, ut adderet quædam ornamenta prioribus. Atque ita uos ſit.] Argumentum ex perſona ſumptum. Nemini fuit odio.] Id eſt, ſi nemini fuit moleſtus. Miſericordiam ſpoliatio.] mutoq; ex magnitudine pœnæ. Quo ſe miſer.] Affectus ex perſonis cognatis. Repente accedet.] Eo ipſe redibit, nuncius ſuæ calamitatis. Facere.] Id eſt, ſacrificare. Sacrificium autem conſulare fiebat Lanuuij Soſpitæ Iunoni, à Conſule.*

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO L. VALERIO FLACCO FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

## ARGVMENTVM.

*L. Valerius Flaccus ex antiqua illa Valeria familia, uſque à Valerio Publicola repetita, fuit: in qua multi Cōſulares uiri fuerunt. Is Prætor factus eſt comitijs iiſdem, quibus M. Cicero Cos. Idem cum C. Pontinio collega, Ciceronis conſilio deprehēdit noctu ad pontem Miluium legatos Allobrogum cum comitatu*
L & *literas à coniuratis ad Catilinam & Gallorum ſenatum. Anno proximo L. Murena & D. Syl. Coſſ. prouinciam Græciam & Aſiam obtinuit, eamq; annū adminiſtrauit. Repetundarum à Deciano et Lælio accuſatus, primum à Q. Hortenſio, deinde à M. Cicerone hac oratione defenſus eſt. Criminum obiectorū maior pars teſtimonijs eorum, quos ex Aſia ſecum et Græcia Lælius deduxerat, nitebatur. Itaq; tota ferè defenſio eſt in teſtimoniorum refutatione. Suadet iudicibus Cicero, ut anteactæ Flacci uitæ, ipſis etiam aliqua ex parte notæ, credant potius, quàm ignotorum hominum teſtimonijs. Scientiam Græcis tribuens, iiſdem teſtimonij fidem adimit. Coarguit ultiorum Flacci in Aſia & Græcia inquiſitionem quam Lælius fecit. Græcorum & Aſiaticorum fidem in dicendis teſtimonijs eleuat, quod ea corrupta libidine, iracundia, lædendi cupiditate, pretio, periurio dicta ſint. Aemonenſium, Dorylenſium, Mithridatis, Heraclidæ, Nicomedis, Lyſaniæ, Meandrij, Traliani teſtimonia refutat: Athenienſium, Lacedæmoniorum, Achæorum, Bœotiorum, Theſſalorum & Maſſilienſium laudationes Flacci his teſtimonijs opponit: Aſiaticos ex domeſticis eorum prouerbijs nihil habere auctoritatis demonſtrat. Accuſatus eſt Flaccus, quod claſſis nomine pecuniā ciuitatibus prouinciæ imperarit. Id ei licuiſſe, claſſe opus fuiſſe, eamq; nauigaſſe Cicero oſtendit. Aduerſarij uerterunt Flacco crimini, quod edicto ſanxerit, ne ex prouincia ſua aurum Hieroſolymam exportaretur, quod ex alijs quoque prouincijs exportari ſolebat. Id iure factum Cicero defendit. Deciani querelæ de Flacco credendum non eſſe oſtendit, quia is Flacco iratus erat, quod ab eo Prætore damnatus fuerat. nec uerum id eſſe docet, quod Flaccum ſibi iratum Decianus dixerat. Valeria Andronis Sextilij uxor mortua eſt inteſtata. Flaccum aduerſarij criminati ſunt, quod eius, quæ ſoror erat, hæreditatem Prætor ipſe ſibi uendicaſſet. Id iure factum Cicero contendit. Quod Falcidium Flacco dediſſe talenta, quinquaginta aduerſarij dixerint, id Cicero eludit. Concludens per enumerationem & commiſerationem, oſtendit Reip. pernicioſum fore, ſi Flaccus damnetur. Cauſa eſt compoſita. Genus cauſæ iudiciale. Status coniecturalis, qui in omnibus cauſis repetundarum eſſe ſolet. Non longe à gradibus Aurelijs hæc cauſa T. Vectio Prætore acta eſt. Loci opportunitate Flaccum abſolutum eſſe, Macrobius in libro Saturnalium 2. ſcripſit.*

*CVM in maximis.] Præter ſpem ſuam eueniſſe Cicero dicit, ut L. Flaccus de Rep. meritus optime, à D. Lælio, optimæ ſpei adoleſcente, in iudiciū uocatus ſit. In maximis periculis.] Id eſt, quo tempore eſſet Catilinæ coniuratio: in qua opprimenda L. Flaccus Prætor adiuuit Ciceronem Cos. Isq; cum C. Pontinio Collega Allobrogum comitatus in pōte Miluio per inſidias deprehendit. In maximis periculis.] Amplificat coniurationis periculum, ut L. Flacci beneficium maius faciat, quo eam adiutore depulit, ut maiorem accuſationis indignitatem oſtendat, Honoris adiutorem.] Id eſt, ut eum in petitione Conſulatus adiuuarem. Is autem Conſulatus poſt Præturam geri ſolebat. Miſeriarum deprecatorem.] Id eſt, defenſorem: in qua defenſione miſerias eius à uobis deprecarer. Huius maioribus.] Nulla, ut arbitror, familia Romæ fuit, ex qua plures facti fuerint Conſules, quàm ex Valeria. Innumerabiles ex hac familia apud T. Liuiū inuenire licet. Populus Romanus detuliſſet.] Nam pop. Romani ſuffragijs, ut alij magiſtratus, ita Conſules fiebant. Detuliſſet.] Deferre præmium dicit, ut deferre beneficium & honores. In primo de officijs: Quæ beneficia æque magna non ſunt habenda, atque ea quæ iudicio conſiderate conſtanterq; delata ſunt. Pro Cn. Planco: Ego tibi Laterenſi Plancum non antepoſui, ſed cum eſſetis æque boni uiri, meum beneficium potius ad eum detuli, qui à me contenderat, quàm ad eum qui mihi non minus ſummiſſe ſupplicarat. Et pro M. Cælio: Nam quòd eſt obiectum municipibus, eſſe adoleſcentem non probatum ſuis, nemini unquam præſenti Puteolani maiores honores habuerunt, quàm*

M. Cælio, quem abſentem in ampliſſimum ordinem cooptarunt, & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt. Valeriæ gentis.] Ex qua fuit Valerius Publicola: is, qui in regibus eijciendis, & patria liberanda, cum Iunio Bruto Conſul fuit. Propequingenteſimo.] Plinius. cap. 29. libri 9. auctor eſt, Ciceronem fuiſſe Cos. anno ab Vrbe condita 700. Romæ regnatum fuiſſe per annos 240. Euſebius in Annalibus tradit. Secundo aut tertio anno poſt Conſulatum Ciceronis hanc cauſam actam fuiſſe conijcere licet. Aſiam enim poſt oppreſſam coniurationem ſortitus eſt, quæ oppreſſa fuit in fine Conſulatus Ciceronis. Eam prouinciam annum adminiſtrauit. Inde poſtquam deceſſit, repetundarum accuſatus eſt. Itaque anni quingenti à Valerio Publicola Cos. ad L. Valerium Flaccum non interfuerunt. Beneficij huius obtrectator.] Id eſt, malignus laudator, detrectator, & maledicus. Cicero libro Tuſculanarum diſputationum 4. æmulari & obtrectare diſtinguit. ut is dicatur æmulari, qui ſe non idem uideat conſecutum, quod alium: obtrectare, qui alium idem uideat conſecutum, quod ſe, aut alium. Idem quoque paulo poſt: Obtrectare, inquit, alteri, aut illa uitioſa æmulatione, quæ riualitati ſimilis eſt, æmulari, quid habet utilitatis? cum ſit æmulantis angi alieno bono, quod ipſe non habeat: obtrectantis autem, alieno bono, quod id etiam alius habeat. Multitudinis imperitæ.] Id eſt, ut uulgo dicunt, minuti populi. Sapientiſſimorum.] Iudicum, ſcilicet. Laus autem iudicum admiſcetur, ut ij reo concilientur. Lectiſſimorum.] Quoniam à Conſule, uel Quæſitore maior numerus ex Senatu & Equeſtri ordine eligebatur, quàm legitimus iudicum numerus conſtitutus eſſet, ut ex eo facta ſortitione numerus legitimus haberetur. uel Lectiſſimorum, id eſt, egregiorum & eximiorum. Quod nomen dicitur ſæpius, quàm electiſſimum. ut pro Cælio: Iidemq; nunc lectiſſimos uiros & noſtri ordinis, & Equites Romanos cũ legatione ad hoc iudicium, & cum grauiſſima atque ornatiſſima laudatione miſerunt. Et pro M. Fonteio: Num etiam de matris hunc complexu, lectiſſimæ miſerrimæq; fœminæ uobis inſpectantibus auellet? Etenim quibus auctoribus.] Ordo eſt: Neminem unquam putaui creaturũ periculum & inſidias fortunis huius, per eos ipſos quibus auctoribus & defenſoribus, &c. Quibus auctoribus.] Nam in opprimenda coniuratione Catilinæ Ciceronem Equites adiuuerunt, ſed præcipue Senatus uniuerſus. In quo ordine nũquam poſt hominum memoriã plus uirtutis, plus amoris in Rempub. plus grauitatis, quàm tum fuiſſe Cicero pro P. Sylla dicit. Curaturum.] Quamuis in exemplis omnibus ita ſcriptum inueniam, tamen Creaturum, non Curaturum ſcribendũ eſſe arbitror. Creare periculum à Cicerone ſæpe dici, alio loco docuimus. Pernicie.] Id eſt, accuſatione. Sceleratorum ciuium.] Id eſt, coniuratorum, ut ulciſcerentur eum per quem indicata cõiuratio eſſet. Cum à clariſſimis.] Multas huiuſmodi inter uiros grauiſſimos inimicitias Reipub. cauſa depoſitas fuiſſe, apud ſcriptores inuenire licet. Auctore Cicerone in libro de Prouincijs Conſularibus: M. Lepidus, qui bis Cos. fuit & Pont. Max. cum M. Fuluio collega, quo die Cenſor eſt factus, homine inimiciſſimo, in campo ſtatim redijt in gratiam, ut commune officium Cenſuræ communi animo ac uoluntate defenderent. Grauiſſimæ P. Seruilij & M. Luculli inimicitiæ fuerunt: eas non ſolum extinxit Reip. dignitas & ipſorum, ſed etiam ad amicitiam conſuetudinemq; traduxit. Iuſtiſſimas.] Id eſt, iuſtiſſima de cauſa ſuſceptas. Ratione à contrario præter ſpem ſuam eueniſſe dicit, ut D. Lælius Flaccum accuſaret. Depoſitas.] Vt de Prouincijs conſularibus: Quid ſi ipſas inimicitias depono Reip. cauſa? De quo dicendi genere alio loco plura diximus. Nos fefellerunt.] Id eſt, contra ſpem noſtram euenerunt. Tantum à uobis peto.] Sententiam, quam laturi ſint iudices, ad Remp. pertinere oſtendit, ut Flaccum iudicibus magis conciliet, eiuſq; cauſam magis commendet. Reliquorum.] Id eſt, futurorum. De Lydorum, aut Myſorũ, aut Phrygum.] Qui ipſi Aſiæ populi ſunt, & unde teſtes à Lælio in Flaccum excitati ſunt. Omnia alia perfugia.] Præter ea quæ in uobis collocata exiſtunt. Quẽ enim aliũ.] Quàm uos. At is ipſe auxilium petit à uobis.] Significare uidetur, iam tum fuiſſe improbos, qui accuſationem Senatui denunciarent: quòd de coniuratis indicta cauſa ultimum ſupplicium ſumpſiſſet, qua de cauſa Ciceronem poſtea P. Clodius accuſauit. Eius ordinis.] Equeſtris. Iudicabitis quinquaginta.] Id eſt, in hac cauſa eſtis quinquaginta ſortiti iudices, ex Equeſtri ordine. Ex Senatu quot fuerint, incertum eſt. In ſingulis cauſis publicis certum quendam fuiſſe iudicum numerum, nec eundem in omnibus fuiſſe, alio in loco ſcripſimus. Quod cum omnibus.] Id eſt, uos iudicabitis, quod ſenſeritis cũ omnibus Equitibus. Omnem ſuam poteſtatem.] Iudices enim iudicandi poteſtatem habent à populo Rom. De bonis.] Nam de improbis & pernicioſis ciuibus iudicandi poteſtatem pop. Romanus lege Sempronia ſibi retinuit, qua cautũ erat, ne ciuis Rom. iniuſſu pop. Romani morte mulctaretur. Cui cauſæ.] Cauſæ ſuæ Cicero, hoc eſt, ut damnato Flacco ipſe Cicero accuſetur, fundamenta iaci dicit. Damnatus eſt is.] Flaccus. Cur non is:] Cicero. Indicia.] Id eſt, indices coniurationis: id eſt, Allobroges. Mecum potius cõtendant.] Quàm cum Flacco. Hic deeſt finis exordij, tranſitus ad refutationem, & refutationis initium. Quantum autem conijcere licet, pauca deſunt. Hunc igitur uirum.] Ex uita Flacci ante acta remouet huius criminis ſuſpicionem. admonet etiam iudices, qui Flacci uitam norunt, cõiecturæ ſuæ potius quàm ignotorum hominũ teſtimonijs credere debere. P. Seruilio.] P. Seruilius Proconſul Iſauros in Cilicia domuit, ut ait T. Liuius lib. 93. Inde Iſauricus cognominatus eſt. Tribunus militum.] Legio habebat decem cohortes. Cohorti primæ Tribunus militum præerat, armorum ſcientia, uirtute corporis, morum honeſtate præcipuus. Reliquæ cohortes prout principi placuiſſet, à Tribunis uel à præpoſitis regebantur: Auctor eſt Vegetius libro 2. M. Piſoni Quæſtor.] Quæſtores cum prætoribus in prouincias mitti, iiſq; perinde ac liberos charos haberi ſolitos, alio in loco ſcripſimus. Miſſa eſt.] Id eſt, facta eſt ab accuſatore in Flaccum. Mittere uocem, pro eo quod eſt loqui, alibi quoque Cicero uſurpauit. ut in oratione de Reſponſis aruſpicum, Furiales in concionibus uoces mittis. Pro P. Seſtio: Conciones haberi quotidie contra me, uocem pro me ac pro Rep. neminem mittere. Et pro Domo ſua: Quis eſt qui exiſtimare poſſit huic nouo Pontifici primam hanc poſt ſacerdotium initum religionem inſtituendi, uocemq; mittenti, non & linguã obmutuiſſe, & manũ obtorpuiſſe, & mentem debilitatam metu concidiſſe? Cum ſummo imperatore.] Q. Metello, qui à deuictis Cretenſibus Creticus cognominatus eſt. De quo T. Liuius libris 99. &c. Suſtinuit.] Nam Metello Legatus in eo bello fuit. Muta eſt huius temporis accuſatio.] Id eſt, accuſator nihil eum hoc tempore admiſiſſe criminatur. Præturæ iuriſdictio.] L. Flaccus anno eo, quo Cicero fuit Conſul, Prætor urbanus fuit. itaque ei inter ciues iuriſdictio fuit. Vrbana Prætura reliquas dignitate antecellebat, ut ſcribit Plutarchus in uita C. Marij. De huiuſmodi Prætura plura ſcripſimus in Commentarijs in Catonem Maiorem Ciceronis. Iuris autem dictio, non iuriſdictio hac in re dicitur. Nam dicere ius Prætores dicuntur. eſtq; unum ex tribus illis uerbis, quæ nefaſtis diebus ſileri Ouidius ſcribit in lib. Faſtorum 1. Multiplex ad ſuſpicionem.] Quod ſæpe aut amicitia aut pecunia corrupti ſententiam ferant. Et ſimultates.] Qui enim condemnati ſunt, quamuis non iniuſte, cũ iudice odium quoddam ſuſcipiũt: nec ij ſolum, qui ſunt condemnati, ſed etiam eorum propinqui

& amici. Non attingitur.] Ab accuſatore. In ſumme & periculoſiſſimo tempore.] Quo erupit Catilinæ coniuratio. Etiam ab inimicis.] Verior laus eſt. At à teſtibus læditur.] Id ex accuſatione proponit refutandum. Reum lædi à teſtibus, pro eo quod eſt, teſtes in reum dicere teſtimonium, poſtea dici ſæpe inuenias. Anno poſt.] Significat Flaccum adminiſtraſſe Aſiam uno anno tantum, cum Verres Siciliam, M. Fonteius Galliam, Q. Cicero Aſiam, L. Catilina Africam, triennium adminiſtrauerint. Coniectura.] Cum enim uideritis quomodo Romæ ius dixerit, nunquid coniectare poteſtis, quomodo anno proximo in Aſia ius dixerit, ueſtræ coniecturæ potius quàm ignotis teſtibus credere? Gratioſorum.] Id eſt, qui apud multos ualeant gratia, quibus offenſis offenduntur ij quoque, apud quos gratia ualeant. Læſæ uoluntates.] Quia condemnati ſunt. Quæ tamen ſolet eſſe falſa.] Vſu enim ſæpe uenit, ut falſa ſuſpicio ſit. Reus auaritiæ.] Id eſt, repetundarum. In uberrima re.] Id eſt, in iuriſdictione, in qua quæſtum quemuis turpem & ſordidum. ſed tamen quæſtū facere poterat maximum. Compendium.] Id eſt, lucrum. Vt in libro de Offic. 3. Negat ſe facturum compendij ſui cauſa quod nō liceat. Act. in Verr. 5. In Apronianis rapinis in quæſtu ſunt compendioq; uerſati. Et pro Roſcio Comœdo: Me uis peierare, ut paululum tu compendij facias. Alioqui compendiū pro uia breuiore, Quintil. lib. 4. dicit: Amœnum ac molle iter, etiam ſi eſt ſpacij amplioris minus fatigat, quā durū arduumq; compendium. Compendiariam uiam pro eadem re dixit Cicero in lib. de Offi. 2. Præclare, inquit, Socrates hanc uiam ad gloriam proximam & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, ut qualis haberi uellet, talis eſſet. In maledicentiſſima ciuitate.] Id eſt, Romæ. ut poſtea: In tam ſuſpicioſa & maledica ciuitate locum ſermoni obtrectatorum non reliquit. Et pro M. Cælio: At fuit fama, quotus quiſque iſtam effugere poteſt in ſuā maledica ciuitate? Ex qua oratione cognoſcere licet, quid interſit inter maledictum & crimen. qua de re alibi ſcripſimus. Præterea illa.] Occupatio eſt, qua auditores magis attenti fiunt. Sordem.] Id eſt, inelegantiam. Vicanus.] Vt ab urbe urbanus, à uilla uillanus, à pago paganus, ita à uico uicanus dicitur. Non quo nationi huic. Auctore Quinctiliano lib 4. uitandum eſt, ne in ordinem quenquā contumelioſi eſſe uideamur. Sed aliquando, ut idem ait libro undecimo, fides patrocinij cogit quædam de uniuerſo genere aliquorum hominum dicere, uel libertinorum, uel militum, uel publicanorum, uel ſimiliter aliorum. In quibus omnibus commune remedium eſt, ut ea quæ lædunt, non libenter tractare uidearis. nec in omnia impetum facias, ſed in id quod expugnandum eſt: & reprehendens alia laude compenſes. Similiter cupidos, dicas eſſe nō mirum, quod periculorum ac ſanguinis maiora ſibi deberi præmia putent. Eoſdem petulantes, & hoc fieri quòd bellis magis quàm paci aſſueuerint. Libertinis detrahenda eſt auctoritas: licet ijs teſtimonium reddere induſtriæ, per quam exierint de ſeruitute. Quod ad nationes exteras pertinet, Cicero uarie detracturus Græcis teſtibus fidem, doctrinam ijs concedit ac literas, ſeq; eius gentis amatorem fuiſſe profitetur. Derogem fidem.] Id eſt, detraham. ut pro M. Fonteio: Quorum uirtuti, generi, rebus geſtis fidem & auctoritatem in teſtimonio cupiditatis atque inimicitiarū ſuſpicio derogauit. Et pro P. Quinctio: Fides huius multis locis cognita, ne perfidia Sex. Neuij derogetur. De noſtris hominibus.] Id eſt, Romanis. Tum cum plus erat otij.] Id eſt, cum eram adoleſcens, nec dum ad Remp. acceſſeram. Quibus uerbis à Græcis dici ſoleat.] Ea autem ſunt, ἄνευ ἐν μοι μαρτυρίων. De quo Eraſmus ſatis multa. Ad rogatum.] Id eſt, ad interrogatum: & ut uulgo dicunt, ad propoſitum. Plus quā ad rogatū.] Id eſt, patrono interroganti. Teſtes enim accuſator & patronus interrogat: ut cognoſci poteſt ex 5. libro Quintiliani. Probent.] Id eſt, faciant ut à iudicibus probetur. Explicent.] Id eſt, expediant & expedite dicant. Iratus Flacco dixit.] Vel Dixit hoc in loco ſupereſt. uel ita intelligas. M. Lurco dixit teſtimonium in Flaccum, iratus ei quod libertus ei, &c. Ex comparatione teſtium Romanorum oſtendit, quàm leues Græci habendi ſint. Turpi iudicio.] Id eſt, Flacco iudice corrupte. Hunc autē Lurconis libertum Flaccus Prætor cōdemnauit. De Lurconis & Septimij in Flaccum odio & teſtimonio, poſtea dicet latius. De iudicio & de uillico.] Id eſt, de uillico à L. Flacco damnato. M. Cælius.] Hunc arbitror eſſe patrem Cælij, eius quem Cicero defendit, quem ex Equeſtri ordine eſſe dicit. Ex quo ordine ſunt Publicani, ex quo etiam ſunt Recuperatores, id eſt, Iudices à Prætore conſtituti, qui cognoſcant cauſas eorum, qui ſpoliatos ſe aut ui deiectos dicant, ut eorū iudicio illi ſuū recuperent. Putaſſet.] Flaccus. Sublatus erat.] Cælius. Vinci.] Id eſt, eius teſtimonio non credi. Ad id ſe parat.] Id eſt, ita meditatur uerba teſtimonij, ut uinci, refelli, coargui non poſſit. Loquaciſſimusq;.] Non etiam male ſcriptum eſt in alijs codicibus, Leuiſſimus, non Loquaciſſimus. Expenditis.] Id eſt, ponderatis & examinatis. Si formam hominis noſtis.] Id eſt, ſi ipſum teſtem de facie cognoſcitis. Qui autem dicit.] Romanorum & Græcorum mores in dicendo teſtimonio comparat, ut planius facit, teſtimonijs Græcorum credendum non eſſe. Qui autem dicit teſtimonium.] Dicere teſtimonium, non ferre, à Cicerone dici ſolitum, opus non eſſet ut admoneremus: niſi ferre teſtimonium, ut uulgo, ita indocte dici ſolitum cognoſceremus. Suſtentat.] Id eſt, examinat. A trutina fit translatio, quæ tum ſuſtentatur, cum in ea aliquid expenditur. Cupide.] Id eſt, lædendi cupiditate. De hac religione teſtimonij dicendi, eſt etiam in oratione pro M. Fonteio: Recordamini, inquit, quantopere laborare ſoleatis non modo quid dicatis pro teſtimonio, ſed etiam quibus uerbis utamini. ne quid minus moderate poſitum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapſum uerbum eſſe uideatur. Vultu denique laboratis, ne qua ſignificari poſſit ſuſpicio cupiditatis, ut & cum proditis, exiſtimatio ſit quædam tacita de uobis pudoris & religionis: & cum diſceditis, ea diligenter conſeruata ac retenta uideatur, &c. Tenebræ. Id eſt, ut res obſcura, & uilis ac parui momenti. Vanitatem.] Id eſt, leuitatem & mendacium. Vehementem accuſatorem.] Mos erat Romæ, ut qui in cauſa repetundarū accuſator conſtitutus erat, ei dies aliquot darentur, ad inquirenda rei uitia cum alibi, tum præcipue in prouincia ea quæ uexata dicebatur. ut Ciceroni ad inquirenda uitia Verris dati ſunt dies centum decem. In Flacci uitiorum inquiſitione in Græcia quàm immoderatum, quàm uehementem ſe Lælius præſtiterit, Cicero hoc loco docet, ut oſtendat quàm leuia & uana ſint teſtimonia ea quæ in Flaccum dicta ſunt. Et inimicum.] Lælio fidem derogat, quod odij cauſa Flaccum inſectatus, falſos teſtes habuerit. Quem ſpero.] Ironia eſt. Cupiditate.] Id eſt, odio, ideo nocendi cupiditate. Imo uero quantus exercitus.] Correctio eſt. Qui ſumptus.] Accuſatorem in prouincia inquirentem uitia qui accipiebant, ſiue priuatim ſiue publice nonnunquam ſumptus faciebant. Cicero actione in Caium Verrem tertia, de moderata ſua in Sicilia inquiſitione loquens: Nemini, inquit, meus aduētus labori aut ſumptui, neque publice neq; priuatim fuit. Ex his rebus.] Id eſt, ex accuſatione & inquiſitione. Adducit autem Lælium in odium, quod turpe ſit ex aliena calamitate gloriam ſibi quærere. De ui, de manu.] Id eſt, de ui quam accuſatores tāta comitum multitudine ſtipati, in uitijs inquirendis facere ſoliti ſint. De ui itaque & de armis, de manu & copijs. Significat autem propter uim & multitudinem comitum latam eſſe legem, qua certus comitū numerus conſtitueretur

retur

retue, ut oſtendat Lælium contra hanc legem comites multos habuiſſe. Diſtributis partibus.] Id eſt, Aſia in partes diuiſa, in eaſq; partes dimiſſis à Lælio comitibus, qui hũc rumorem diſſeminarent. Accuſatori autem inquirenti uitia rei, licebat in diuerſas partes prouinciæ comites dimittere, quorum auxilio uitia facilius inueniret. Itaque accuſatorio iure & more id factum dicit. Sermo diſſipatus eſt.] Id eſt, rumor diſſeminatus eſt.] Vt actione in Verrem tertia: Romam ut ex Sicilia redij, cum iſte atque iſtius amici, homines lauti & urbani, ſermones huiuſcemodi diſſipaſſent, quo animos teſtium retardarent, me magna pecunia à uera accuſatione eſſe deductum.

In Aſia.] Hanc prouinciã, cui Flaccus præfuit, modo Aſiam, modo Græciam Cicero appellat. Nam ſecundum geographiam, non fiebat ea prouinciarum diuiſio. Hanc autem partim in Aſia, partim in Europa fuiſſe arbitror. Contendiſſe.] Id eſt, ſummis precibus poſtulaſſe. Paterno amico.] Id eſt, cuius Lælij pater amicus Pompeij fuerat. Paterno amico ac perneceſſario.] Vt credibile magis eſſet Flaccum à Lælio Pompeij cauſa accuſatum. Hoc iudicio.] Id eſt, hac cauſa repetundarum. Arceſſeret.] Id eſt, uocaret. Arceſſere & accerſere pro eodem dici, Valla ſcribit lib. 1. Arceſſere autem dicitur, quia à Latinis priſcis arcio pro accio dicebatur, ut eſt apud Priſcianum lib. 1. de quo uerbo alibi plura. Hoc ueriſimilius.] Id eſt, tanto ueriſimilius. Familiarem Lælium.] Si Flacco Lælius familiaris paulo ante uiſus eſt, iſq; nunc eum accuſat, grauem accuſationis cauſam ſubeſſe oportet. Ea autem Pompeij contentio eſſe putabitur. Quanta eſſe debet.] Ne nimiam dicendo faciat Pompeio inuidiam, quem præ cæteris unum Cicero ferè extollit. Prædonum.] Id eſt, piratarum. Et Regum.] Mithridatis & Tigranis. Qui domo exire nolebant.] Id eſt, locupletes, qui ad dicendum teſtimoniũ in urbem eam, in quo concio daretur Lælio, cõuenire nollent. Teſtimonij denunciatione.] Denunciare teſti, eſt iudicio publico teſti inuito lege denunciare, & ut uulgo dicunt, facere teſtem conuenire in iudicio ad dicendum teſtimonium. Id ſignificat Quintil. lib. 5. Duo, inquit, genera ſunt teſtium, aut uoluntariorum, aut eorum quibus iudex publicis iudicijs lege denunciare ſolet. Quorum altero utraque pars utitur, alterum accuſatoribus tantum conceſſum eſt. Paulus Iuriſconſ. libro Digeſt. 22. de Teſtibus: Lege Iulia, inquit, iudiciorum publicorum cauetur, ne alicui inuito denuncietur, ut teſtimoniũ dicat aduerſus ſocerum, generum, &c. In loco eodem Vlpianus: Nec pupillis teſtimonium denunciari poteſt. Senatui denunciare, pro eo quod eſt Senatum inuitò cogere & congregare, Cicero dixit in Vatinium teſtem: Initio Tribunatus tui Senatui denunciaris.

Qui domi ſtare nõ poterunt.] Vel propter egeſtatem, uel propter leuitatem. Largo & liberali uiatico.] Lege Iulia de ui à dicendo teſtimonio arcetur is, qui ob dicendum teſtimoniũ, uel nõ dicendum pecuniam accepiſſe indictus uel cõuictus erit. Hos igitur teſtes teſtimonij dictione indignos ſignificat. Largo & liberali uiatico.] Calliſtratus Iuriſc. negat teſtes temere per longũ iter euocandos. Largo itaque uiatico teſtibus opus nõ eſt. Pſephiſmata.] Id eſt, teſtimonia, quæ ſcripta ad hoc iudicium allata ſunt. qua uoce etiam poſtea utitur. Declarata.] Id eſt, dicta & explicata. Conſtricta.] Id eſt, obligata. Porrigenda manu profundendoq; clamore.] Significat Græcorum morem fuiſſe, ut in concionibus rem, de qua ageretur, non ſuffragijs, ſed clamore, & manu iuberent, aut uetarent. Concionis.] Eius ſcilicet, quæ tota ſimul quid iuberet uetaret ue, manu & clamore ſignificaret. Quæ ſciſceret plebs, aut quæ pop. iub.] Sciſcere & iubere quid differant, ex hoc loco poteſt colligi. Plebs enim à patricijs ſeparata eſt, Populus autem plebem & patricios complectitur. Sciſcere itaque & iubere, ſunt, ſuffragio aliquid probare aut improbare. ſed ſcit plebs, (unde appellata ſunt plebiſcita) populus uero iubet. quamuis etiam plebs iubere dicatur. Inde ſcita & iuſſa appellata ſunt. ut pro Cornelio Balbo: Si tum ſit fundus, cum ſcita & iuſſa noſtra ſua ſententia comprobat. Summota.] Id eſt, remota. Diſtributis partibus.] Id eſt, populo Rom. in tribus & centurias diuiſo. Deſcriptis.] Id eſt, diuiſis & diſtributis. Auditis auctoribus.] Qui rem de qua ageretur, ſuaderent aut diſſuaderent. Re multos dies promulgata.] Quo tempore Romani etiam Senatores agriculturæ ſtudioſi erãt, in urbem ex agris nono quoque die ueniebant, uel ad emenda ea quibus ipſis opus eſſet, uel ad uẽdenda ea quibus ipſi abundarent, aut aliam ob cauſam, ut octauo quoque die licet uidere plebem ruſticam in urbem cõuenientem. À nono die nundinas appellabant. Si quid ſuffragijs pop. Rom. ferendũ erat, id per ternas nundinas recitabatur ac promulgabatur. id tempus trinundinum, & duobus uocabulis trinum nundinum dicitur. Iuberi uetariq; uoluerunt.] Pop. Ro. ſuffragio iubebat, quæ probabat: quæ cõtra, uetabat. A. Gellius libro 13. Cum populo agere, inquit, eſt rogare quid populum, quod ſuffragijs ſuis aut iubeat aut uetet. In theatro.] Athenis conciones in theatro haberi ſolitas, ut Romæ in foro, ſignificat. Optime meritos ciues.] Permultis in locis apud Plutarchum in Vitis inuenire licet, Athenienſes ſolitos eſſe quotannis exilio decennali mulctare ciuem eum, qui cæteris uideretur diuitijs gloria et potentia excellere. Idq; damnationis genus appellabatur Oſtraciſmus. nam ὄστρακον calculus erat, in quo inſcribebatur nomen eius, quem quis exilio mulctari iuberet. eoq; ſuffragij loco utebatur. Entrebant.] In codicibus alijs ſcriptum eſt, Eminebant. In Phrygia aut Miſia.] Aſiæ regionibus, ubi homines minus prudentes ſunt. Noſtras conciones.] Quæ in eorum prouincia à noſtris Prætoribus habentur. Eſt autem argumentum à minore ad maius. Cæſus eſt uirgis.]. Prætore Flacco ita imperante. Lælio.] Flacci uitia inquirenti. Data cõcio.] Vt ſæpe dicis, dare Senatum Legatis. Proceſſit ille.] Athenagoras. Non de culpa ſua dixit.] Id autem iniquum fuit. Culpam enim ſi audiſſet concio, pœnã indignam fortaſſe non exiſtimaſſet. Nuper epulati.] Illi teſtimonio credendũ non eſſe oſtendit. Quod Mithridates.] De hoc Mithridate Pergameno, eiuſq; teſtimonio, poſtea Cicero dicet. Zonarij.] Id eſt, qui Zonas conficiunt. Per ſutores autem & Zonarios omnis generis opifices, quos mechanicos appellant, intelligit. Cum autem cingulum eſt. à cingendo cingulũ à Latinis dicitur, quod à cingula Seruius diſtinguit: quod hæc iumentorum ſit, illud hominum. Corrigiam appellat Cicero in lib. de Diuinatione 2. Quæ, inquit, ſi ſuſcipiamus, pedis offenſio nobis, & abruptio corrigiæ, & ſternutamenta erunt obſeruanda. Teſtes à Sicilia duxi.] Contra C. Verrem. Publice.] Id eſt, quos Siculi publice mittebant. Adoleſcens bonus.] D. Lælius. Diſertus] Aduerſario ſuo eloquentiã Cicero more ſuo tribuit. Cum maximo comitatu.] Id contra legem eſſe, antea dixit. Ne ſibi aduerſarentur.] Id eſt, ne uerum teſtimonium dicerent: & inde teſtis locuples dicitur, de quo alio loco diximus. aut ne reuocarent tenuiores à dicendo falſo teſtimonio in L. Flaccum. Spe legationis.] In codicibus alijs melius ſcriptum eſt, Spe largitionis. Nam antea dixit: Qui domi ſtare non poterant, largo & liberali uiatico commoueret. Viatico publico.] Quod Aſiatici præſtarent. Benignitate.] Id eſt, liberalitate. ut in 1. de Officijs: Et huic eſt coniuncta beneficentia, quam eandem uel benignitatem uel liberalitatem appellare licet. Prolectat.] Id eſt, inuitat et allicit. In codicibus alijs quod legatur Perlectat, non itidem improbo. Opifices.] Qui in officinis opera faciunt. Tabernarios.] Qui opera in tabernis uenditant. Fecem ciuitatum.] Vt libro Epiſt. ad Quintum Fratrem 2. Apud illam

perditiſſimam atque infimam fecem populi propter Milonem ſuboffendit. Et libro Epiſt.primo: Noſter autem ſtatus eſt hic, apud bonos ijdem ſumus quos reliquiſti: apud ſordem urbis & fecem, multo melius quàm reliquiſti. Et in Piſonem: Innumerabilia quædam noua ex omni fece urbis ac ſeruitio concitata. Vnde facta ſit translatio, nemini ut arbitror ignotum eſt. Quid eſt negotij.] Id eſt, quanti laboris eſt, quàm facile eſt. Summo cum imperio,] Id eſt, cum imperio conſulari. Prætorum enim, ut Conſulum, in prouincijs imperium ſummum ſemper habitum eſt. Facit credibile, Flaccũ fuiſſe Græcis & Aſiaticis odioſum, propter ſummũ imperium quod in ea prouincia gerebat: itaque eorum teſtimonijs credendum non eſſe, qui ad id teſtimonium paulo negotio impelli potuerunt. Mirandũ uero eſt.] Ironia eſt. Scriptura decumæ.] Portorium. Vectigal apud Romanos ueteres, quod ex portu portoriũ, quod ex aratione decumas, quod ex paſtione ſcripturam appellari ſolitum, in Commentarijs pro Lege Manilia ſcripſimus latius. Morti.] Id eſt, inſtar mortis. quod dixit Cicero in libro de Officijs 2. Patrocinio uero ſe uſos, aut clientes appellari mortis inſtar putant. Mos autem ueterum erat, ut cum quid ſe maxime auerſari ſignificabant, id ut mortem fugere dicebant. Inde heroes illi Achilles & Vlyſſes apud Homerum, eos qui aliud in lingua promptum, aliud in pectore clauſum haberent, ſe perinde odiaſſe dicebant, ut portas inferorum. Præter ſpeciem.] In codicibus alijs melius ſcriptum eſt, præter ſpem. Nam paulo ante dixit: Egentes & leues ſpe largitionis & uiatico publico, priuata etiam benignitate perlectas. Præter terrorem & metum.] Nam locupletes homines & graues, ne ſibi aduerſarentur teſtimonij denunciatione Lælius deterruit. In ærario.] Proponit Cicero, ut refutet quod dixerat aduerſarius, ciuitates in ærario & in uectigalibus nihil habere, tanquam eas ciuitates Flaccus ſpoliauerit & exinaniuerit. In uectigalibus.] Id eſt, ex pecunia ea quæ ex uectigalibus colligatur. Duæ rationes.] Id eſt, duobus modis pecuniam conficiunt Prætores in prouincia, aut mutuando pecuniam ex ærario, uel priuatim, aut tributum imponendo. Neutrum feciſſe Flaccum oſtendit. Conficiendæ. Id eſt, colligendæ & accumulandæ. Vt contra Rullum ad Quirites: Permittitur infinita poteſtas innumerabilis pecuniæ conficiendæ, de ueſtris uectigalibus non fruẽdis, ſed alienandis. Verſura.] Id eſt, mutatione. De hac uoce ſcribimus pro M.Fonteio. Falſas rationes.] Id eſt, falſas ſupputationes, & ut uulgo loquuntur, falſos computos. In tabulas referre.] Id eſt, ſcribere in tabulis, & ut dicunt in regiſtro. Ad Hypſeum.] Is eſt, ut arbitror, P. Plautius Hypſeus, qui Milonis competitor conſulatus erat. Literæ Pompeij.] Tum præco Pompeij et Hypſei literas recitauit. His auctoribus.] Pompeio & Hypſeo. Diſſolutam.] Id eſt, malam & ſceleratam, quæ ueritatis & honeſtatis & religionis uinculo colligata non ſit. Licentiam impudentem.] Id eſt, licentiam mentiendi impudenter. Niſi forte.] Arguit à facilioribus. Facilius enim fuit, ut Græci inimicum Flaccum abſentem Lælio impulſore fallerent, quàm Pompeium amicum, præſentem, nullo impulſore. Et tamen Pompeium fefellerunt. Cn.Pompeium.] Cuius auctoritas in iſta prouincia excellebat, quam nuper & prædonum & Regum bello liberauit. In L.Flaccum.] Qui propter ipſum nomen imperij in amore eſſe non potuerit. Sed fuerint incorruptæ.] Poſtquam uiſus eſt Cicero ſatis oſtendiſſe, Græcorum literis credendum non eſſe, id donat aduerſario, ut ad ſequentia ſibi faciat tranſitum. Auctore Quintiliano libro 7. quaſdam quæſtiones exequi, donare ſolemus & cõcedere. Neque enim tranſire ad alias poſſimus, niſi omiſſis prioribus. Quod ipſum ita fieri oportet, non ut damnaſſe eas uideamur, uel omiſiſſe, quia poſſumus etiam ſine ijs uincere. Incorruptæ.] Id eſt, uera. Domi.] Id eſt, in Græcia, ubi ſcriptæ ſunt. Triduo lex ad Prætorẽ deferri.] Tabulas ab inquiſitore ſcelerum rei repetundarum Romã delatas, intra triduum ad Prætorem deferri oportere, lege cautum eſſe dicit. Hac quoque ætate fieri uidemus, ut in cauſis etiam priuatis, quæ appellari ſolet inquiſitio, ad iudices obſignata mittatur, nec ea petitori ante, aut defenſori committatur. At obſignantur corruptæ.] Tanquam aduerſarij obiectio ſit. non ſolum ueras, ſed etiam corruptas literas ſignis iudicum obſignari. Itaque has non eſſe corruptas, propterea quod uix triceſimo die, quàm Lælius ex Græcia redijt, hæ literæ ad Prætorem delatæ ſint. Si teſtium ſtudium.] Id eſt, uoluntas: id eſt, ſi teſtis eſt amicus accuſatori uel inimicus reo, ideóq; ut accuſator reum damnari cupiat. Calliſtratus iuriſconſ. lib. Digeſtorum uigeſimoſecundo de Teſtibus. Fidem teſtium non probat, qui uel ei inimici ſunt aduerſus quem teſtimonium dicũt, uel amici ei pro quo dant teſtimoniũ. Auctore Cicerone pro M.Fonteio, uoluerunt ij qui iudicabant, hanc petere inimicitijs uiam, quem quiſq; odiſſet, ut eum teſtimonio poſſet tollere. Expectatio.] Teſtium, qui loco tertio dicebant. Quid enim dicturi eſſent, audita accuſatione & defenſione expectabatur. Nam ſi eorum ſtudium cum accuſatore ſociatum eſt, quid dicturi ſint, ſcitur, non expectatur. Tertius ille erat.] Teſtes non ſemper loco tertio interrogari ſolitos accepimus. Modo enim ante actionem cauſæ, modo in ipſa actione, ſæpius poſt cauſæ actionem. Auctore Aſconio Pediano, in cauſa Milonis teſtes citati ſunt ſecundum legem. quæ iubebat, ut priuſquam cauſa ageretur, per triduum teſtes audirentur. Cicero Actione in Verrem ſecunda, dicit ſe daturum teſtes in ipſa actione, ut cum crimen explicauerit, ad id teſtes accommodet: Faciam, inquit, hoc non nouum, ſed ab alijs qui nũc principes noſtræ ciuitatis ſunt, ante factum, ut teſtibus utar ſtatim. Illud à me nouum iudices cognoſcetis, quòd ita teſtes conſtituam, ut crimen totum explicem. Vbi id interrogando, argumentis atque oratione firmauero, tũ teſtes ad crimen accommodem, ut nihil inter ullam uſitatam accuſationem atque hanc nouam interſit, niſi quòd in illa tum, cũ omnia dicta ſunt, teſtes dantur: hic in ſingulas res dabuntur, ut illis quoque eadem interrogandi facultas argumentandi dicendiq; ſit. Quibus uerbis ſatis oſtendi, in accuſatione uſitata teſtes dicere ſolitos eſſe loco tertio. Cupiditatis.] Lædendi ſcilicet. Ex accuſatorum ſubſellijs ſurgunt.] Auctore Cicerone pro Sex.Roſcio, nemo utitur teſte eo, qui de accuſatoris ſubſellio ſurgit. Non diſſimulant.] Cupiditatem. De ſubſellijs queror.] Id eſt, de teſtibus ex accuſatorum ſubſellijs ſurgentibus queror: cum illud grauius ſit, quòd teſtes ex domo accuſatoris prodeant. Paulus iuriſconſ. Digeſtis de Teſtibus: Teſtis, inquit, eos, quos accuſator de domo produxerit, interrogari non placuit. Si uerbo titubarint.] Quintil. libro 6. teſtes domi multum ante uerſandos, ac uarijs percontationibus, quales haberi ab aduerſario ſolent, explorandos eſſe præcipiens: Sic fit, inquit, ut aut conſtent ſibi, aut ſi quid titubauerint, opportuna rurſus eius, à quo producti ſunt, interrogatione uelut in gradũ reponantur. Quo reuertantur, &c.] Nam ſunt egentes. nec eos Lælius ullo uiatico adiuturus ſit, quo ipſi in Græciam reuertantur. Aut quò reuertantur.] Id eſt, in quam domũ. Quem accuſator ſine cura interroget.] Nam ſi ex domo accuſatoris teſtis prodeat, quid ipſe dicturus ſit, ſciet accuſator. Eum igitur accuſator ſecure interrogabit, nec metuet, ne ſibi reſpondeat contra atque uelit. Bene teſtem interrogauit.] Mimeſis eſt. Imitatur enim uerba ea, quæ dici ſolebant in accuſatoris aut patroni laudatione, qui diligenter teſtem interrogauerat. Quò noluit adduxit.] In codicibus alijs ſcriptum eſt, quò uoluit adduxit. Sed utroque modo eadem eſt ſententia, ut ſit, quò uoluit accuſator, aut quò noluit teſtis. Effundet.] Id eſt, temere loquetur. Oratio.] Id eſt, dictum & reſponſum

ſum. Vita lædi.] Id eſt, uita ante acta reprehendi, ut inde cognoſcatur, eos ad dicendum teſtimoniũ nó admittendos. Quibus autem dicere teſtimonium nó liceat, in lib. Digeſtorum 22. de teſtibus, abunde perſcriptum eſt. Dedimus.] Pecuniam Flacco. Nihil amplius in hominẽ.] Id eſt, ut in eius orationem nihil dici poteſt, ita nec in eius uitam, cum ignotus ſit. Argumentationem.] Id eſt, refutationem, quæ argumentatione fiat. Accuſationis.] Huius ſcilicet. Primum de communi genere.] Specialis concluſio eſt per enumerationem. Nam ſtrictim & per capita repetit quæ ante dicta ſunt. Primum ut auditores memoriæ mandent fidelius & tenacius, quæ audiuerunt: deinde ut ad audienda ſequentia præparentur: poſtremo ut ea ſimul collecta maiorem uim habeant, ut ſunt argumenta ea quæ turba ualent. Propius accedo.] Id eſt, ultra dico. Quæ tu ipſe pſephiſmata appellas.] Significat Ciceroà Lælio pſephiſmata ſæpius appellata, & eam ob rem à ſe hanc Græcam dictionem in oratione Latina uſurpatam. Intrabo etiam magis.] Id eſt, interius accedam: & ut uulgo dicunt, ego dicam adhuc ultra. Qui geſſit.] Id eſt, per quem geſtũ eſt, ut pecunia daretur. Retentæ ſunt.] Ad diem triceſimũ. Summa.] Id eſt, tota uis cauſæ. Vtrum hic tandem.] Sententia eſt: Vtrum putatis hos teſtes produci ad cognoſcẽdam ueritatem, an ad innocentem Flaccum opprimendum. In conditione.] In codicibus alijs melius ſcriptum eſt, in imitatione. ut poſtea dicit: Ne periculoſam imitationem exempli reliquis in poſterum proderitis. Si quem infimo loco natum.] Is eſſet homo, de quo ageretur. Eſt autem argumentum à fictione. A' ciuibus.] Id eſt, à nobis iudices. Cuius ex familia.] Is autem fuit Valerius Publicola. Prætor adamauerit.] Cum ad pontem Miluium Allobroges cum comitatu deprehendit, ſeq; adiutorẽ C. Antonio Cos. præbuit in opprimendo Catilinæ exercitu. Quod quidem ego nó poſtulo.] Vt in eo omnes boni conniueant. Nihil religione teſtatum.] Nam ante negauit, hæc pſephiſmata iureiurando conſtricta eſſe. Nihil dolore expreſſam.] Id eſt, nullus dicit teſtimonium, qui ſe à Flacco ſpoliatum doleret. Nam qui numeraſſe dicitur, non eſt deductus. Iam uniuerſa Iſiorum.] Ad alia ſe tranſire dicit, quo ſit oratio ipſa magis dilucida, & auditores magis attenti Claſſis nomine.] Id eſt, in claſſem ædificandam. Queruntur.] Accuſatores uel teſtes à Lælio producti. Aut in eo eſt quod non licuerit.] Argumentum à remotione eſt, quo docet Flacco Prætori crimen non eſſe, imperare pecuniã claſſis nomine. Cum quidem nihil.] Id eſt, cum Senatus decreuerit, ſecundum ea quæ ſuperioribus annis continuis decreuerat. Continuorum annorum.] Id eſt, ſe continentium. Senatuſconſultum.] Id eſt, Senatuſconſultum quod Cicerone Coſ. factum eſt, quod hoc loco præco recitauit. Id quod fuerit, ſciri non poteſt. Licet tamen conijcere eo aut mandatum, aut certe permiſſum Prætoribus, ut prouinciæ ciuitatibus imperarent in claſſem & remiges pecuniam. Portibus.] Id eſt contra Grammaticorum præceptũ eſt, quibus portubus, non portibus dici placet. Nauigandum fuiſſe.] Id eſt, claſſem habendam fuiſſe. Præſtare.] Id eſt, promittere, & uerum efficere: id eſt, ut uulgo dicunt, quis auderet dicere? Gloriam Pompeij.] Qui prædonibus mare purgauit. Tu auges moleſtiam.] Quam ei tu facias, ſi putes reprehendendum, ſi uſpiam prædonum nauicula apparuiſſet. Receptacula.] Receptaculum dicitur locus, in quem ſe improbi homines recipiunt. Vt in L. Piſonem: Arma in templo Caſtoris, ô proditor templorum omnium, uidente te cõſtituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit te Conſule arx ciuium perditorum, receptaculum ueterum Catilinæ militum, caſtellũ forenſis latrocinij, buſtum legum omnium ac religionum. Receptator locus dicitur pro Milone, Suſtinuiſſet hoc crimen primũ ipſe ille latronum occultator & receptator locus. Receptatores etiam homines dicuntur, apud quos fures et latrones ſe recipiũt. recelatores uulgo appellant. Marcianus Iuriſconſ. libro Digeſtorum 47. de Receptatoribus: Peſſimum, inquit, genus eſt receptatorum, ſine quibus latere nemo diu poteſt. Et præcipitur, ut perinde puniantur atque latrones. Pacem maritimam.] Id eſt, in mari pacem eiectis piratis confecit. Vt maritimum bellum dixit pro lege Manilia, Ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla ſumantur, qui quo die à uobis maritimo bello præpoſitus eſt Imperator, tanta repente uilitas annonæ ex ſumma inopia & caritate rei frumentariæ conſecuta eſt, unius ſpe & nomine, quantam uix ex ſumma ubertate agrorũ diuturna pax efficere potuiſſet. Pacem confecit.] Id eſt, fecit & abſoluit. Conficere bellum contra dicitur, pro eo quod eſt, belli finem facere. Incredibili celeritate.] Id eſt, quadraginta diebus. De piratis.] Quos Pompeius perſecutus, leges accipere coegit. Plura ſunt pro lege Manilia, & apud Plutarchum in uita Cn Pompeij. Ipſe in Aſia.] A' minori ad maius probat, opus fuiſſe claſſe, cum in Aſia Flaccus Prætor erat. Deceſſiſſet.] Ex Aſia. Hic.] Id eſt, Romæ & in Italia.] Syllano & Murena Coſ.] Qui poſt Ciceronem proximi fuerunt. Remiges imperabat.] Id eſt, pecuniam in claſſem & remiges. Superum.] Id eſt, Adriaticum: & inferum, id eſt, Tyrrhenum. Seſtertium ter & quadragies.] Id eſt, ex moneta noſtra ſcutatorum amplius centum millia. De hoc genere dicendi apud Budæum plura legere poſſis. Rogabamus.] Non imperabamus, ſed rogabamus. Nam deuictis bello imperatur, ciues uero rogantur. Poſtremo.] Id eſt, ſuperiore. M. Curio erogata.] Id eſt, à M. Curio rogata & impetrata. Rogare & erogare diſtant, quantum orare & exorare. Bellum maritimum.] Quod ei lege Gabinia aduerſus piratas mandatum eſt. Syriam eſſe noſtram.] Eam enim & Ciliciam Regi Tigrani Pompeius ademit, ut ait T. Liuius lib. 101. Syriam terrarum maximam quondam fuiſſe, Plinius capite duodecimo libri quinti auctor eſt, de qua ibidem plura ſcribit. Cyprum per Ptolemæum regem nihil audere.] Cyprus in Ptolemæorum ditionem Romanis fauentibus cóceſſit. Hic Ptolemæus Cleopatræ patruus, Cypri Rex ultimus fuit. Nam cum P. Clodius in piratas incidiſſet, ad Ptolemæum miſit, orans ut ſe redimeret. Rex autem pretium miſit ita exiguum, ut piratæ Regi id remiſerint, & Clodium ſine ullo pretio dimiſerint. Itaque Clodius factus Trib. pleb. cum populo Romano egit, ut Ptolemæus aduerſus Romanos bene de ſe meritos ingratus multaretur, eiusq; bona publicarentur. Eam ob cauſam Catonem miſſum eſſe in Cyprum, ubi Ptolemæus intellexit, ueneno ſibi mortem conſciuit. Regijs opibus diuenditis, Cyprus facta eſt populi Romani prouincia. auctor eſt Strabo libro quartodecimo. Quod Cyprus per Ptolemæum regem nihil auderet, cauſa erat, quod populi Romani aut Pópeij beneficio Ptolemæus Cypro potiretur. Metelli uirtute, &c.] Q. Metellus, ut dixi, deuictis Cretenſibus, Creticus cognominatus eſt, ut eſt apud T. Liuium libris 99. &c. Exiſtimarem non fuiſſe.] Prædones in mari, ſcilicet. Huius etiam clariſſimi uiri.] Significat Cn. Domitium fuiſſe ex iudicibus in hac cauſa. Is autem Cn. Domitius eſt, qui poſtea in cauſa Milonis quæſitor fuit. Tum legatus fuit.] Fuit autem, ut arbitror, legatus L. Flacco. Prætores enim cum in prouincia erant, Legatos habebant: ut M. Cicero Quinto fratri Prætori Aſiam adminiſtranti, qui Flacco ſucceſſit, tres fuiſſe legatos ſcribit libro Epiſtolarum primo ad eundem fratrem. Adramitenus.] Acinas ex Adramitteo Aſiæ oppido, qui Pedaſus antea dictus eſt, ut ait Plinius lib. 5. Olympionices.] Id eſt, Olympiorum uictor. ut in libro Tuſculanarũ quæſtionum primo: Cum Rhodius Diagoras Olympionices nobilis uno die duos filios ſuos uictores Olympiæ uidiſſe

ſet, propè maius & glorioſius. Idem in libro ſecundo dicit, Vel Olympiorũ uictoria Græcis Conſulatus ille antiquus uideatur. Lex illa apud Græcos ueteres fuit, ut eſt in libro de Inuentione ſecundo: Qui tyrannum occiderit, Olympionicarum præmiũ capito, & quam uolet ſibi rem à magiſtratu ſibi depoſcito, & magiſtratus ei conceditо. Idcirco Aratus nomen permultis auditum eſt. In capiendo.] Id eſt, ut qui oræ maritimæ præeſt, prædones capiat. Defendendi.] Id eſt, ut ſe prædo defendat, ne capiatur. Facilis eſt cautio.] Id eſt, facile eſt cauere. Latibulis occultorum.] Nam cũ in locis occultis prædo latet, non facile inuenitur. Tempeſtatum.] Tempeſtatem in partem utramque dici, aliàs admonuimus. Moderatione.] Id eſt, tranquillitate. Conuerſione.] Id eſt, ſæuitia & maris inclementia. Sumptu tantum & literis.] Id eſt, quod tantum expenſa & ſoluta pecunia Flacco ſit, nec ullam claſſem ædificandam curauerit. Bipertito.] Id eſt, in duas partes. ut Tripertito dixit libro Tuſculanarum quæſtionum 5. At diffidat neceſſe eſt, qui bona diuidit tripertito. Ab Aeno.] In codicibus alijs mihi uidetur ſcriptum melius, ab Hæmo, Eſt autem Hæmus Thraciæ promontorium. Sed Aenum ab Aenea profugo in Thracia conditum, Pomponius Mela libro ſecundo ſcribit. Prætoris diligentia requirenda.] Quod ſatis diligens Prætor Flaccus non fuerit, uel in cognoſcendo quanta claſſe opus fuerit, uel in æquabili ſumptus deſcriptione. In numero nauium.] Quod nimis multas naues ædificandas curauerit. In deſcriptione æquabili ſumptus.] Deſcribere ſumptum, & deſcribere pecuniam hoc in loco Cicero dicit, pro eo quod eſt, deſcribere quantum unaquæq; ciuitas debeat ſoluere, ut in exigendis tributis fieri ſolet. Aequabilis autẽ deſcriptio mihi uidetur dicta, quæ ſit ſecundum deſcriptiones ante factas, ut ſit deſcriptionum ſuperiorum æquabilis quædam ſecundum proportionem obſeruatio. Vt fortuna æquabilis, quæ non mutatur, à Cicerone dicitur in oratione Poſt reditum ad Quirites: Homini nihil eſt magis optandum, quàm proſpera, æquabilis, perpetuaq; fortuna. Dimidium eius.] Oſtendit primum diligentiam Flacci in nauium numero, deinde in æquabili ſumptus deſcriptione requirendam non eſſe. Quo Pompeius erat uſus. Nam Pompeius in Aſia, cum omnia iam bella terra mariq; confeciſſet, claſſem tamen iiſdem ciuitatibus imperauit: ut ante dictum eſt. Num potuit parcius?] Melius legatur, Non potuit parcius. Ad Pompeij rationem.] Id eſt, ſecundum Pompeij deſcriptionem. Qui cum omnes Aſiæ ciuitates.] Arbitror tum fuiſſe, cum Sylla poſt Præturam in Cappadociam cum exercitu miſſus eſt, ut Ariobarzanem in regnum reduceret. Inde enim redeuntem Syllam Cenſorinus repetundarum accuſauit, quod ex amicorum ſociorumq; regno magnam contra legem pecuniæ uim compilaſſet, ut in eius uita Plutarchus ſcribit. In prouincias.] Id eſt, in partes. Ea ſumma.] Quam Flaccus imperauit. Non refert.] In tabulas rationum. Eſt autem aduerſarij obiectio. Quid lucretur.] Id eſt, quantum pecuniæ confecta claſſe ſuperſit. Genus imperatæ pecuniæ.] Id eſt, pecuniam in generali imperatam. Qui igitur probari poteſt.] Argumentum à conſequentibus eſt, ad hanc ſententiam: Si referret quantum lucretur, crimen nullum eſſet: ſi igitur non referat, crimen ne ſit. Qui L. Flacco ſucceſſerit.] Q. Ciceronem fratrem in Aſia per triennium cum ſumma innocentia Prætorem fuiſſe, eſt in libro Epiſtolarum M. Tullij ad eundem Q. fratrem primo. Sed alijs magis.] Delector, inquit, hac laude Quinti fratris, ſed magis delector alijs eius laudibus, quæ ſunt grauiores. Quid feciſſent.] Prætores ij qui ante ſe Aſiam adminiſtrauerant. Citat præco.] Ad dicendum teſtimonium. Menstri.] Qui cum multos citaturus, Aſclepiades unus proderit. Vt ciuitatis nomen, &c.] Id eſt, uulgo loquuntur, ut ciuitatem ſuam repræſentet. Damnatus turpiſſimis iudicijs.] Lege Iulia de ui cauetur, ne in reum dicere teſtimonium liceat, ei qui teſtimonio publico damnatus ſit, ut ait Calliſtratus Iuriſconſultus libro Digeſtorum uigeſimoſecundo de Teſtibus. qui idem negat ad fidem teſtimonij admittendos homines, propter notam uitæ ſuæ & infamiam. Eodem in loco Papinianus non putat adulterij damnato licere, ut dicat teſtimonium. Literis publicis.] Id eſt, ſtygmatis. aut re uera literis Acmonenſium, quas extare Cicero dicit. Propter longitudinem.] Id eſt, quia longæ ſunt & prolixæ. Datum.] Quid ſi legas, Data? Drachmarum.] Drachmam ualere tres denarios turonicos & ſemiſſem, eſt apud Budæum. Eſt autem Græcorum pecunia. Nihil oſtendit. Ne tabulas quidem. Domeſticum. Id eſt, priuatum, & domo prolatum. Priuatim.] Id eſt, ut loquuntur pro parte ſua. Drachmarum.] Drachmas legendum eſſe arbitror. Impudentiſſimus.] Id eſt, mendaciſſimus. Ab A. Sextilio dicit ſe dediſſe.] Id eſt, collegiſſe & dediſſe. uel ſubauditur acceptum mutuo: ut ſit, dicit ſe dediſſe non de ſuo, ſed acceptum ab A. Sextilio. Cedo.] Id eſt, produc & exhibe. Legerit.] Collegerit & coegerit. Laudationem.] Quam in gratiam Flacci Acmonenſes publice miſerant. Iactura.] Quod Flacco nihil proſit, quod eam falſam Aſclepiades dicat. Id autem artificioſum eſt, ut quod ab aduerſario dictum ſit, id ad utilitatem ſuam orator conuertat. Signum.] Id per diminutionem ſigillum uulgatius appellant. Præclarus iſte auctor, &c.] Ironia eſt. Ex tempore, &c.] Id eſt, cauſa temporis, ſeruiendo tempori: ut uulgo dicunt, ſecundum exigentiam temporis. Niſi uero hacte nus, &c.] Ironia eſt, qua probat Acmonenſium laudationẽ Flacci credibilem eſſe, eorundem in Flaccum teſtimonio non eſſe credendum. Vt legis.] Qua Flacci iudiciũ conſtitutum eſt. Temporis cauſa.] Id ante dixit, Ex tempore. Hæc quæ eſt à nobis prolata.] Alia ratione oſtendit, Acmonenſium laudationem ueram eſſe, eorum literas quas in Flaccum Aſclepiades profert, falſas eſſe & corruptas, & Romæ apud D. Lælium ſcriptas. Creta illa Aſiatica.] Cera uiridi Pontifices, cera flaua Reges in obſignandis literis publicis uti ſolent. acceditq; literis auctoritas à ceræ qualitate: ut ſi literas regias publicas cera rubea aut uiridi obſignatas uideas, corruptas exiſtimes. Hæc laudatio Acmonenſium creta illa Aſiatica obſignata eſt, literæ de Flacci teſtimonio cera obſignatæ ſunt. Itaque fidem & auctoritatem amittunt. Creta illa Aſiatica.] Mos erat ut Aſiatici creta Aſiatica literas ſuas ſiue publicas ſiue priuatas conſignarent: quemadmodum apud maiores noſtros regiæ literæ publicæ farina macerata, quàm paſtam uulgo appellant, obſignabantur, quales multas ſignis integris in cœnobio Diui Germani de Pratis uidi. In quo eodem cœnobio uidi literas uetuſtiſſimas in cortice iuniperi ſcriptas. A publicanis.] Qui ſunt in Aſia. Neque enim teſtis ipſe.] Arbitror legendum eſſe, Neque enim ſolum teſtis ipſe, &c. ne pugnet cum eo quod ante dixit: Idem laudationem, quam nos ab Acmonenſibus Flacco datam proferebamus, falſam eſſe dicebat. Ceram eſſe uidemus.] Significat has literas in domo Lælij ſcriptas, & cera obſignatas, quia cretam Aſiaticam Lælius domi non habebat. Teſtarer.] Id eſt, teſtes uocarem. Negociatores.] Qui in Aſia tum erant. Veſtram etiam ſcientiam.] Id eſt, ueſtram cognitionem. In codicibus alijs ſcriptum inuenio, ueſtram etiam conſcientiam. quæ lectio etiam aſpernanda non eſt. Venio nunc ad Dorylenſium.] Ad alia teſtimonia refutanda uenire ſe dicit, quo fiat oratio magis dilucida, & magis attenti auditores. Dorylaum eſſe Phrygiæ oppidum, Plin. lib. 4. ſcribit. Inde Dorylenſes. O paſtores.] Teſtium mendacium irridet. Criminis nihil erat.] In illis tabulis Dorylenſium nihil erat, quod Flaccum læderet.

Hoc.]

*Hoc.* ] *Quod literas ſibi à paſtoribus ablatas dixerunt.* In lucro. ] *Id eſt, ad cauſæ meæ utilitatem.* Non ſinunt. ] *Me hoc in lucro ponere, & aliud agere.* Supplet. ] *Id eſt, deficientibus ijs qui ſe dediſſe dicerent, ſe dicit priuatim dediſſe. aut Supplet, id eſt, loco tabularum publicarũ ad ſpeluncas perditarũ alias tabulas profert.* Quæ in accuſatoris poteſtate fuerunt. ] *Nam triduo ad Pretorẽ eâs deferri oportebat, ut ante dictum eſt.* Sed tamen iudicium. ] *Obiectio aduerſarij eſt.* Tantũ dicit. ] *Id eſt, non probat.* Nobiliſſ. ciuem. ] *Id eſt, Flaccũ nobis notiſſimum. Nobilem pro noto dici, Nonius Marcellus multis probat.* In cauſa liberali. ] *In qua de alicuius libertate aut ſeruitute agebatur. Sed à meliore facta appellatio eſt.* Aſſerebatur. ] *Id eſt, in libertatem uindicabatur.* Non crediderunt. ] *Nam eum ſeruum iudicauerunt.* Locuples. ] *Id eſt, cui credi oporteat. De teſte locuplete alio in loco ſcripſimus.* Sanguinis ſui. ] *Id eſt, cognati ſui.* Auctor iniuriæ publicæ. ] *Id eſt, cui committatur, ut uindicet iniuriam publicam, querendo de L. Flacco. Vt poſtea: Si hunc habent auctorem Tralliani doloris ſui.* Efferretur. ] *Efferri proprie dicũtur cadauera mortuorum, ut ait Donatus in Andria Terentij.* Mortis illius inuidiam. ] *Quòd Flacci opera hunc necatum eſſe Lælius diceret.* Periculo noſtro. ] *Id eſt, ad noſtrũ periculum, ut nos ſuis teſtimonijs opprimant.* Tuos contubernales. ] *Hoc uerbo ſignificat eorum teſtimonijs credendum non eſſe, quòd de domo accuſatoris producti ſint.* Quod tua negligentia. ] *Lælij enim negligentia factum putat Cicero, ut Dorylenſis hic moreretur.* Arborem fici. ] *Ficus cuius generis atque declinationis ſit, ſiue pro fructu, ſiue pro arbore, inter Grammaticos diſceptatio eſt. Hoc in loco tam pro arbore quàm pro fructu Cicero dicit, in ſecunda declinatione.* Piſcinam ficorum. ] *Fiſcina & fiſcella, ſpartea eſſe utenſilia ad maioris ſummæ pecunias capiendas, Aſconius Pedianus ſcribit. Vtenſile ruſticum eſſe M. Varro ſignificat, libro de Re ruſtica primo: Quæ, inquit, naſci in fundo ac fieri à domeſticis poterunt, eorum ne quid ematur: ut ferè ſunt, quæ ex uiminibus & materia ruſtica fiunt, ut corbe, fiſcinæ, tribula; mallei, & raſtelli.* Valuit. ] *Id eſt, ſanus fuit. Oſtendit autem credibile non eſſe, Flacci opera hunc Dorylenſem occiſum eſſe.* Aculeo iam dimiſſo. ] *Id eſt, poſtquam dicendo teſtimonio tantum nocuit, quantum potuit. Eſt autem translatio ab apibus ſumpta.* Columen. ] *Id eſt, ſuſtentatio & decus, quaſi culmen: inde columnæ auctore Donato appellatæ ſunt. Terentius in Phormione: Oh bone cuſtos ſalue, columen uero familiæ, Cui commendaui filium hinc abiens meum. Cicero Actione in Verrem quinta: Timarchides autem columen familiæ noſtræ, premit fauces defenſionis tuæ. A' columna columellas ſeruos maiores domus apud ueteres appellatos fuiſſe, Donatus probat illo Lucilij dicto: Seruus neque infidus domino, neque inutilis cuiquam, Lucilij columella, hic ſitus eſt Tubero:* Bidnum retentus. ] *Cum interrogaretur.* Effudit. ] *Id eſt, temere & inconſiderate dixit.* Homo doctus. ] *Ironia eſt.* Se ſcelere alliget. ] *Id eſt, obliget ſe ſcelere, ipſum Mithridatem credendo.* Cum iam teſtem, etc. ] *Oſtendit Cicero non eſſe ueriſimile, Flaccum Mithridati feciſſe inſidias.* Effugere. ] *Iam enim effudit Mithridates quæ uoluit omnia.* Aliquid aſſequi poſſit. ] *Ne contra ſe teſtimonium diceret Mithridates. Potuiſſet quàm poſſit ſcriberetur cohærentius.* Auaritiæ. ] *Id eſt, repetundarum.* Maledicti. ] *Nam Mithridatis cædes, ſi eum Flaccus necaſſet, in hac cauſa maledictum eſſet. de ea enim quæſtio hæc conſtituta non eſſet. Maledictum quid ſit, alio loco docuimus.* Q. Hortenſius. ] *Qui cum Cicerone L. Flaccum defendit.* Tennites. ] *Tennis ex Aeolicis urbibus eſt, unde Hermagoras fuit, is qui de dicendi arte conſcripſit, ut auctor eſt Strabo lib. 13. Inde Tennites gentile nomen, primæ declinationis.* Ambitioſus. ] *Id eſt, gloriæ cupidus.* Perſalutet. ] *Vel ut multos amicos habere uideatur, uel ut à nobis inuicem ſalutetur.* Tenui uſque ad illam ætatem, &c. ] *In contemptum iudicibus & odium adducit Heraclidem. Eum enim ita ineptum & ſtultum & improbum fuiſſe dicit, ut tam grandi ætate, Senator adhuc factus non ſit. In Senatum uenire dicit, pro eo quod eſt Senatorem fieri: ut in ciuitatem uenire, pro ciuitate donari, ſæpe dicit pro L. Cornelio Balbo.* Omnibus turpiſſimis. ] *Id dicendi genus, quamuis contra Grammaticorum præceptionem ſit, Ciceroni tamen infrequens omnino non eſt.* Iudicijs conuictus eſt. ] *Id eſt, iudicatus eſt. qua ratione oſtendit eum bonũ rhetorem non eſſe. Cauſas enim oratores agebãt.* Et pro ſocio. ] *Cicero pro Sex. Roſcio de uiolata ſocietate à T. Roſcio dicens: Recte, inquit, maiores, eũ qui ſocium fefelliſſet, in uirorum bonorum numero non putarunt haberi oportere.* Cum Rempub. nimium amplecteretur. ] *Id eſt, nimium diligeret. Vt pro Milone: Occidi non Sp. Melium, qui annona leuanda, iacturaq́; rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in ſuſpicionem incidit regni appetendi. Sed ita Rempublicam Lyſanias amplectabatur, ut eam ſpoliaret.* Peculatus. ] *Peculatum definit Labeo, ut ſit pecuniæ publicæ aut ſacræ furtum: ut ait Paulus Iuriſconſultus libro Digeſtorum 48. ad legem Iuliam peculatus. Peculatus pœna, ut eodem in loco Vlpianus tradit, aquæ & ignis interdictionem continet, in quam hodie ſucceſſit deportatio. Porrò qui in eum ſtatum deducitur, ſicut omnia priſtina iura, ita & bona amittit. Ideo dicit Cicero damnatum Lyſaniam, & bona & Senatorium nomen amiſiſſe.* Hi tres. ] *Heraclides, Nicomedes, & Lyſanias.* Aerarij noſtri tabulas. ] *Apud ſcribas ærarij profeſſi ſunt, ſe Romam ad dicendum teſtimonium cum ſeruis nouem ueniſſe, quo ipſis maior pecunia pro itinere et uiatico numeraretur.* Decreto. ] *Quod Tennitæ miſerunt contra Flaccum.* Cuius fratris bona. ] *Lyſaniæ teſtimonio credendum non eſſe oſtendit, quod L. Flacco inimicus fuerit, inimico teſti credi non oportere, antea docuimus.* Pecuniæ publicæ. ] *Id eſt, peculatus: uel quod pecuniam publicam deberet, nec eam ſolueret.* Et ijs qui ſimul eſſent. ] *Vt legato & comitibus.* Res eſt. ] *Id eſt, negotium eſt.* Conficientiſſima literarum. ] *Id eſt, quæ literas facillime conficiat.* Moueri. ] *Id eſt, publice exigi, & ut uulgo dicunt, leuari.* Menſarij. ] *Id eſt, argentarij, nummularij, qui trapezitæ Græce dicuntur.* Ex hoc tanto numero. ] *Pretorum, Queſtorum, & Menſariorum, qui numero duodecim erant.* Deductus. ]. *Id eſt, ad dicendum teſtimonium huc adductus.* Referant. ] *In tabulas publicas.* Perſcripſiſſe. ] *Id eſt, publice ſcripſiſſe.* Nam aut omnia, etc. ] *Argumentum ex remotione eſt, quo probat nullam pecuniam à Tennitis Flaccum accepiſſe, nec nominatim, nec in ædem ſacram reficiendam.* In ædem ſacram. ] *Aedem ſacram in numero ſingulari dici, attendendum eſt.* In ædem ſacram reficiendam. ] *Id dictum eſt uſitatius, quàm ad ædem ſacram reficiendam. Reficere ædem dixit, ut reficere domum & porticum dixit lib. Epiſtolarum ad Atticum quarto: Forenſium, inquit, rerum hæc noſtra conſilia ſunt, domeſticarũ autem impedita: Domus ædificatur, ſcis quo ſumptu, qua moleſtia reficiatur Formianũ quod ego nec relinquere poſſum, nec uidere. Itemq́;: Diſturbata porticus Catuli, quæ ex S. C. Conſulum locatione reficiebatur, & ad tectum penè peruenerat.* Operi publico. ] *Id eſt; in ædem ſacram reficiendam.* Contempſerant. ] *Id eſt, non timuerant. Contemnere enim & timere contraria ſunt.*

A' Quæſtore numerauit. ] *Id eſt, à Quæſtore accepit, ut Flacco traderet. Vt antea, ob A. Sextilio dixit ſe dediſſe.*

A' menſa publica. ] *Id eſt, à menſarijs, aut ab ærario.* Aut

ex uectigali, aut ex tributo. ] Tributũ à uectigali diſtinguere uidetur, ut tributi certa ſumma ſit, uectigalis incerta. uectigal enim modo pluris, modo minoris locatur: tributum autem quia certæ ſummæ eſt, nunquam locatur. Id tributum uectigal ſtipendiarium Cicero appellat, Actione 5. in Verrem: Aut impoſitũ eſt uectigal certũ, quod ſtipendiariũ dicitur, ut Hiſpanis & pleriſque Pœnorum, quaſi uictoriæ præmiũ ac pœna belli: aut cenſoria locatio conſtituta eſt, ut in Aſia lege Sempronia. Perſonarum genera. ] Id eſt, nominando perſonas eas quæ Flacco pecuniã numerauerint. Literarum. ] Publicarum, in quibus de hac pecunia perſcriptũ ſit. In eodẽ decreto. ] Quod publice ſcriptum Legati attulerunt. Hoc prætore. ] Flacco. Cur hi. ] Clariſſimi uiri. Iſto loco. ] Quo in decreto ſcriptum eſt, homines clariſſimos ciuitatis ampliſſimis uſos honoribus, hoc Prætore circumuentos. Dixit Hermippus. ] Condemnatos. Heraclides Hermippo addictus ab eo ductus eſt, ut poſtea dicet. Vſque Tmolo. ] Id eſt, uſque à Tmolo. niſi abuſque Tmolo potius legendũ ſit, ut ſit uſque à Tmolo, quemadmodũ Vergilius dixit in libro Aeneidos ſeptimo: Siculo proſpexit abuſque Pachynno. Eſt autem Tmolus Lydiæ mons, unde Pactolus defluit. In eo monte caſtellum eſt eiuſdem nominis. auctor eſt Strabo libris decimo & decimotertio. Nullus honos habitus eſt. ] Id eſt, nullus magiſtratus datus eſt. Habere homini honorem, & habere hominem in honore dicimus. ut pro A. Cluentio: Per triennium maxime ex omnibus ſeruis Stratonem illum dilexerat, in honore habuerat, commodis omnibus affecerat. Tenuiſſimis. ] Id eſt, pauperrimis. A' P. Varino. ] Qui T. Aufidio ſucceſſit. Celauit ſuos ciues. ] Id eſt, negauit nllam ſe pro hac cuſtodia pecuniam accepiſſe. Iis ſumptum intulit. ] Id eſt, ab ijs pro mercede pecuniam accepit. Impudentiam. ] Id eſt, impudens mendacium, qua in re ſæpe dicitur. Fundum Cymænm. ] Narratio ſpecialis eſt. Mercatus eſt de pupillo. ] Vt pro A. Cluentio dixit: Emiſſe de ſectoribus, &c. Emit de A. Rupilio. Credidit Fuluij fidei. ] Id eſt, mutuum dedit Fuluio ſpondente. Fide fortaſſe, non fidei legendum eſt. uti paulo poſt dicit: Eius enim fide ſumpſit à Fuſijs. Is cum ſolueret. ] Cum Heraclides Sexto Scolæ, repetenti pecuniam ſuam, ſolueret, uerſuram fecit. Nam à Fuſijs Hermippi fide ſumpſit. Cornici oculum. ] Percuſſit: id eſt, Hermippo tam belle impoſuit, ut Hermippus ipſe excæcatus uiſus ſit, qui ita deceptus ſit ab eo qui ſibi notiſſimus eſſe debebat. De hoc prouerbio Cicero pro L. Murena. Eius fide. ] Id eſt, eo ſpondente. Securus. ] Id eſt, de hac ſponſione nihil curans, quod Heraclidem ſatisfacturum arbitraretur. Infatuare. ] Id eſt, fatuum facere. Vt in Philippica tertia: Cur magiſter eius ex oratore arator factus ſit, ut poſſideat in agro publico populi Romani campi Leontini duo millia iugerum immunia, ut hominem ſtultum magis etiam infatuet mercede publica? Crederet. ] Id eſt, mutuo daret. Inde credita pecunia, potius quàm debita dicitur. De nomine Fuſiano. ] Id eſt, de pecunia à Fuſijs mutuo accepta. Ita. ] Id eſt, ualde. Fidem ſuam liberat. ] Id eſt, quod promiſerat perſoluit. Aeſtuantem. ] Id eſt, iratum. Tergiuerſantem. ] Tergiuerſari, ut ait Nonius Marcellus, eſt dicta mutare, & quaſi tergum uertere. Iudicio perſequitur. ] Id eſt, in iudicium adducit. A' recuperatoribus. ] Recuperatores ſunt iudices, ideo conſtituti, ut ex eorum ſententia ſuum quiſque recuperet, ut qui ui ex poſſeſſione deiecti ſunt, aut qui mutuo pecuniam dederunt. de quibus alio loco. Fraudatorum. ] Id eſt, eorum qui ſuos creditores fallunt, nec ijs perſoluunt. Inficiatorum. ] Id eſt, pecuniam mutuo acceptam negantium. Verſuram feciſſe. ] Id eſt, pecuniam mutuo accepiſſe. Pudentiſſimum. ] Id eſt, ueraciſſimum. Nominibus. ] Id eſt, tabulis, in quibus accepiſſe ſe à Fuſijs pecuniam Heraclides confiteretur. Audaciſſimus pertimuit. ] Antitheton eſt. Actione prima. ] Id eſt, cauſa non ampliata: & quod uulgo dicunt, ſupra campum. Iudicatum non faceret. ] Auctore Gellio cap. 1. ultimi libri, ex lege tabularum 12. confeſſi æris, ac debiti iudicatis 30. dies ſunt dati conquirendæ pecuniæ cauſa, quam diſſoluerent. eoſq; dies Decemuiri iuſtos appellauerunt, uelut quoddam iuſtitium, id eſt, iuris inter eos quaſi interſtitionem quandam & ceſſationem: quibus diebus nihil cum his agi iure poſſet. Poſt deinde niſi diſſoluerant, ad Prætorem uocabantur, & ab eo, quibus erant iudicati addicebantur, neruo quoque aut cõpedibus uinciebantur. Verba ex lege tabularum 12. ſi quis requirat, ea ibidem inueniet. Iudicatum non facit is, qui damnatus non facit, quod iudices pronunciauerunt. Addictus Hermippo. ] Id eſt, à Flacco Prætore Hermippo datus eſt, ut ei ſeruiret, quoad pecunia credita ei diſſoluta eſſet. Addictus à ſeruo quid differat, Quintilianus libro 7. ſcribit: Seruus, inquit, cum manumittitur, fit libertinus: addictus recepta libertate eſt ingenuus. Seruus inuito domino libertatem non conſequetur, addictus ſoluendo citra uoluntatem domini conſequetur. Ad ſeruum nulla lex pertinet, addictus legem habet. Propria liberi, quæ nemo habet niſi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum: habet hæc addictus. Ab hoc ductus eſt. ] Neruo aut compedibus uinctus. Honeſtatem hominis. ] Ironia eſt. Simulatatis ] Id eſt, odij Heraclidæ aduerſus Flaccum. Miſſus. ] Id eſt, dimiſſus. Pauca mancipia. ] Vt ei aliqua ex parte ſatisfaceret. Falſum iudicauiſſe. ] Id eſt, falſam & iniuſtam ſententiam tuliſſe. Si iudicatum negaret. ] Id eſt, recuperatores falſum iudicauiſſe diceret. Falſum enim negamus. In duplum iret. ] Hoc ut arbitror illam habet ſententiam, ut Heraclides illam pecuniam de qua quæſtio eſt, & præter eã tantundem deponeret. quam ſi uinceret, reciperet: ſin contra, amitteret. Id aliqua ex parte ſacramento ſimile erat, de quo pro Milone ſcripſimus. Haberet eoſdem recuperatores. ] Qui Q. Cicerone Prætore ui & metu coacti non iudicarent. Legatus. ] Q. Ciceronis. Actionem. ] Id eſt, ut uulgo dicunt, commiſſionem in ius uocandi, aut agendi poteſtatem. Cui nullus eſſet uſquam conſiſtendi locus. ] Egentes enim ne domi quidem conſiſtere poſſunt. Itaque ante, cum teſtes egentes ſignificaret Cicero, dixit: Qui domi ſtare non poterant. Nunquam iſtius impudentiæ ceſſit. ] Id eſt, hunc mendacem iudicio perſecutus eſt. Qui legatus in Aſia fuerat. ] Fuerat autem legatus L. Flacci. Cum iudicatum eſſet. ] Id eſt, cum ſententia à recuperatoribus contra Heraclidem lata eſſet. Secundum Plotium. ] Id eſt, pro Plotio. Vt pro Roſcio Comœdo: Satis etiam iudici feciſſe uidear, cur ſecundum Roſcium iudicari debeat. Actione in Verrem quarta: Nec cogat ante horã decimam de abſente ſecundum præſentem iudicare. Et pro A. Cecina: Vt nobis iam recuperatores nulla dubitatio ſit, ſiue rem, ſiue uerba ſpectare uultis, quin ſecundum nos iudicetis. Sententiam ſe dicturum. ] Dicit ſententiam tam Senator, quàm Iudex. Iudex uero, non Senator fert ſententiam. ut alio loco præcepimus. Oſtenderet. ] Significaret, aut diceret. ut pro Cornelio Balbo: Iudices cũ ſæpe ferrent, palamq; loquerentur quid eſſent lege Papia de M. Craſſo Mamertinis repetentibus iudicaturi, Mamertini publice ſuſcepta cauſa deſtiterunt. Et ab eo iudice abiret ] Ita legendum eſſe arbitror, Et ab eo iudice abijs, & quod iudicium lege non erat, et cætera. Iudicium lege non erat. ] Id eſt, nulla lege hoc iudicium conſtitutum fuerat. Cum uniuerſo genere. ] Id eſt, cum omnibus in generali. Quoniam te nudus delectarat. ] Scomma eſt. Semper nudum. ] Id eſt, pauperem. Abduxiſti Temno Appollonidem. ] Si hic locus emendatus eſt, Appollonidem & Lyſaniam pro eodem dixit, ut oſtendas qua ratione Decia-

nus

nus Lyſaniam ſemper nudum eſſe noluerit. Fiducia tamen accepta. ] Auctore Boetio in Commentarijs in Topica Ciceronis, fiduciam accepit, cuicunque res aliqua mancipatur, ut eá mancipanti eemancipet. Velut ſi quis tempore dubio timens amico potentiori fundum mancipet, ut ei cum tempus, quod ſuſpectum eſt, præterierit, reddat. Hæc mancipatio fiduciaria nominatur, idcirco quod reſtituendi fides interponitur. hæc ille. Quod fidem præſtare debeat is qui fiduciam accepit idem Cicero in eodem libro teſtis eſt: Si tutor, inquit, fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Hoc tamen in loco fiduciam pro pignore Cicero dicere uidetur. Fundum enim Appollonidæ paternum pro pignore Decianus acceperat. Pecuniam grandi fœnore occupauiſti. ] Vt non multo poſt: Ac tum quidem Tralliani, cum ipſi graui fœnore iſtam pecuniam multos annos occupauiſſent, á Flacco tamen omnia quæ uoluerunt, impetrauerunt. Occupare pecuniam fœnore, eſt eam fœnore collocare, qua tum uti poteſt qui accepit, non qui dedit, tanquam eam occupauerit. Teſtimonium dixit. ] Quod in tabulis perſcriptum eſt. Quid'nā ſit dicturus. ] Præſens ſcilicet. Venio nunc ad eam ciuitatem. ] Meandrij Tralliani teſtimonium refutat. Eſt autem Trallis oppidū ab Argiuis & quibuſdam Thracibus in Aſia conditum, in promontorio natura munito, quæ urbs optime habitatur ab hominibus opulentis, ſi qua alia Aſiaticarum urbiū bene habitatur, ut ait Strabo lib. 14. Trallis autem, ut Alpis, Sardis, & Syrtis, in nominatiuo & accuſatiuo numeri pluralis dici, Priſcianus libro ſeptimo teſtis eſt. Colit atque diligit. ] Attende hoc loco diligere magis eſſe quá colere: ne id perpetuū putes quod Grammatici dicunt, diligimus leuiter, colimus cum ueneratione. de quo alio loco fuſius ſcripſimus. Colit etiam pro eo quod eſt habitat poſſis intelligere, quãuis incolere quá colere ſæpius dicat Cicero. Pythodorus & Lepiſon. ] Hi Tralliani fuerunt, uiri optimi. De Pythodoro ſcripſit Strabo libro 14. ad hanc ſententiam: Semper aliqui ex Trallianis principes ſunt in prouincia, quos Aſiarchas uocant, in quibus Pythodorus fuit, uir ab initio Niſſaenſis: poſtea propter claritatem eò cómigrauit, et ſingulari cum Pompeio amicitia iunctus fuit. In regales opes ſupra duo millia talentorum poſſidebat, quas à D. Ceſare uenundatas, propterea quod Pompeij amicus fuiſſet, poſtea redemit, & filijs minores non reliquit. Apud nos noti. ] Id eſt, noti nobis. Agerent. ] Tralliani ſcilicet. Subijciens. ] Id eſt, ſubminiſtrans. Auctorem. ] Id eſt, defenſorem & ultorem. Spiritus. ] Id eſt, ſuperbiam. In Meandrij perſona. ] Id eſt, Meandrium ciuitatis perſonam repræſentare. Proterendum. ] Non modo nullo honore afficiendum, ſed ut abiectum cóculcandum. Erat ei Caſtricio nomine. ] Caſtritio Tralliana ciuitas debebat pecuniam. Caſtritius ad Flacci iudicium Trallianam ciuitatem adduxit. Vt Tralliani Caſtritio creditam pecuniam ſoluerent, Flaccus iudicauit. Iam ob cauſam Flacco irati Tralliani facti ſunt. De quo toto reſpondit Hortenſius. ] Qui enim Hortenſius cum Cicerone hanc Flacci cauſam defendit. Inuita. ] Id eſt, Flacci iudicio coacta. Debitam. ] Participium eſt. alioqui creditam, non debitam dixiſſet. Offenſio. ] Id eſt, res propter quam Tralliani offenſi à Flacco, ei irati fuerunt. Offenſionem paſſiue, & offenſam actiue dici, in Catonem Maiorem Ciceronis ſcripſimus. Auctores. ] Id eſt, principes & participes. Orba ab optimatibus. ] Vt uacuus laude & à laude, liber metu & à metu, ita orba optimatibus, & ab optimatibus dicitur. Vt in lib. Tuſcul. Quæſt. tertio, ex neſcio quo poeta: Arce & urbe orba ſum, quo accedam? quo applicem? Vt autē probus & probatus, ita orbus & orbatus dicitur. Vt in eodem tertio: Corq; meū penitus turgeſcit triſtibus iris, Cum decore atque omni me orbatū laude recordor. Et in libro de Amicitia: Moueor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo unquam erit: & ut confirmare poſſum, nemo certe fuit. Quaſi flabello. ] Eſt autem flabellum inſtrumentū, quo fit uentilatio, ad calorem uel excitandum uel diminuendū. Terentius in Eunucho: Heus tu, inquit, Dore cape hoc flabellum, & uentulū huic ſic facito, dum lauamur. Ventilata. ] Ventis enim & tempeſtatibus huiuſmodi conciones comparari ſolent. Itaque ciuitatis. ] Aliam cauſam odij Trallianorum in Flaccum dicit, ut eorum teſtimonio credendum non eſſe oſtendat. Iuſtum dolorem. ] Ironia eſt. Apud ſe. ] Id eſt, Trallibus. Fuerit à ciuitatibus. ] Id eſt, quam ciuitates Trallis contulerint. Alio loco. ] In hac oratione, & paulo poſt. Requiro. ]. Id eſt, quæro. Eſt autem compoſitū pro ſimplici. Ad eius dies feſtos atque ludos. ] Qui prouinciam integre innocenterq; adminiſtrauerat, in eius laudem feſti dies atque ludi inſtituebantur, ad eosq; celebrandos pecuniam ciuitates cōferebant. Vt Marcella Syracuſani, & Mutia Aſiani, in honorem M. Marcelli & Mutij Scæuolæ inſtituerunt: in honorem Flacci patris ut Valeria inſtituerent, ciuitates Aſiæ pecuniā contulerunt, quá Trallianæ ciuitas accepit. Hanc te, inquit, capere non licuit. ] Licuit te capere, & licuit tibi capere dicimus. ut paulo poſt: At enim iſtam pecuniam huic capere non licuit. Deuorare ſpe lucrum. ] Id eſt, iam animo conceptum. Deuorare pecuniam Cicero dixit, Actione in Verrem 5. Commiſſa eſt pecunia tanta Prætori. Non reperietis hominem timide nec leuiter hæc improbiſſima lucra ligurientem: deuorare omnem pecuniā publicā non dubitauit. At queritur. ] Locus hic dialogo ſimilis eſt. Facite ut recordemini. ] Id eſt, recordemini. Vt in libro de Senectute; Inuitus quidem feci, ut L. Flaminiū è Senatu eijcerē. Et pro A. Cluentio: Facite ut non ſolum mores eius & arrogantiam, ſed etiam uultum atque amictum, atque illam uſque ad talos demiſſam purpurā recordemini. Ex cōparatione Romanarum concionū, quæ nonnunquam ſine ſeditione non ſunt, oſtendit quá ſeditioſæ ſint Græcorū conciones. Hic. ] Id eſt, Romæ. Plenū iudiciorum. ] Vt miniſteria pro miniſtris, & ſeruitia pro ſeruis, ita iudicia pro iudicibus dicimus. Curia. ] Quæ foro iudiciali proxima eſt. An id quod Pergami. ] An non id quod Pergami? Vna ſe epiſtola. ] Mithridates Aſiam occupauit, isq; ante bellum cum pop. Rom. ſuſceptū unas literas per Aſiam miſit, ut quidquid ibi ciuium Romanorū eſſet, unò & conſtituto die necaretur. Cuius patrem. ] L. Flaccum. Mithridate enim Aſiá occupante, L. Flacco Conſuli, huius patri, portas tota Aſia clauſit, ut paulo poſt dicet Cicero. Delicta uulgi. ] Id eſt, teſtimonia, quæ uulgi ſunt, non totius ciuitatis. At enim iſtam pecuniam. ] Proponit refutandum, quod modo pollicitus fuerat, licuiſſe Flacco hanc pecuniā accipere. Abſtuliſſe Mithridatem. ] Cum Aſiam occupauit. Vno puncto temporis. ] Mithridates, ut antea dixi, unas literas ſecreto miſit ad omnium Aſiæ urbium principes, ut triceſimum diem obſeruantes, Romanos omnes & Italos, qui apud eos eſſent, eorumq; uxores cum liberis interficerent, eosq; inſepultos abijcerent. auctor eſt Appianus in Mithridatico. Prætores noſtros deditos. ] Idem ſcribit Q. Oppium Prætorē à Laodicenſibus Mithridati deditum: & paulo poſt Manium Attilium legatū in aſino uinctum iuſſu Mithridatis præcedente tibicine traductum. Eodem auctore Epheſij Romanorū ſtatuas deiecerunt, quæ Epheſi erant. Ex ædibus Græcorum. ] Cum Romanos ciues necauerunt. Euhyum. ] In codicibus alijs Euchium lego: quo nomine Bacchus appellatus eſt, quòd illi uota nuncuparent. εὐχὴ enim uotum dicitur. His autem Bacchi nominibus Mithridatem Aſiatici appellabant: quòd Bacchus fuerit bellator egregius, & huius ope à populi Rom. ſeruitute liberati eſſe uidebantur. Cappadocem illum. ] Mithridatem, qui Cappadociam à maioribus acceptam poſſedit. quamuis

Romani hunc ea abire coegerint, ut eſt apud Appianum. Auctoritatem iſti habeant. ] Artificioſa prohibitio, quæ fit per cõceſſionem. Qualis illa apud Vergilium in lib. Aeneid. 4. I, ſequere Italiam uentis, pete regna per undas. Fruges. ] Cicero actione in Verrem 6. auctor eſt, fruges in Sicilia à Cerere primum inuentas, deinde ab eadem Athenas eſſe allatas. Eam ob rem Athenienſes Cererem colunt ſingulari religione. Iura, leges. ] Vel de Draconis & Solonis legibus intelligit, uel de legibus iis, quas Ceres inueniſſe dicitur, quæ ob id legifera dicitur à Verg. in lib. Aeneid. 4. Mactant lectas de more bidentes Legiferæ Cereri. Leges enim, ut ait Seruius, Ceres dicitur inueniſſe. unde eius ſacra Theſmophoria appellantur. Fingitur autẽ hoc, ut idem ait, quia ante inuentum à Cerere frumentum paſſim homines uagabantur, quæ feritas rupta eſt inuento frumento, propter quod ex diuiſione nata ſunt iura. De quorum urbis poſſeſſione. ] Cum in agro Attico hic apparuiſſet ſubito oliuæ arbor, illic aquæ magna uis erupiſſet, regem Cecropem prodigia iſta mouerunt. Itaque miſit ad Apollinem Delphicum, ſciſcitatum quid intelligendum, quidue faciendum eſſet. Ille reſpondit, quòd olea Mineruam ſignificaret, aqua Neptunum: & quòd eſſet in ciuium poteſtate, cuius ex nomine potius duorum deorum, quorum ſigna illa eſſent, ciuitas uocaretur. Hoc oraculo accepto, Cecrops ciues omnes utriuſque ſexus ad ferendũ ſuffragium cõuocauit. Is enim mos tum iiſdem in locis fuit, ut etiã fœminæ publicis conſultationibus intereſſent. Conſulta igitur multitudine, mares pro Neptuno, fœminæ pro Minerua tulerũt ſententias. Et quia plus una inuenta fœminarum eſt, Minerua uicit, ſuumq́; nomen urbi dedit. ea enim Græce Ἀθήνη dicitur. Iratus tum Neptunus, æſtuantibus marinis fluctibus Athenienſium agros populatus eſt. Eius iracundia ut placaretur, ab Athenienſibus mulieres ſupplicio triplici affectæ ſunt: ut nulla in poſterum ferret ſuffragia, ut nullus filiorum maternũ nomẽ acciperet, ut ne quis eas Athenas uocaret. Hæc D. Auguſtinus lib. de Ciuitate dei 18. ex M. Varronis ſententia tradit. Quid de hac contentione Mineruæ et Neptuni Seruius lib. Cõment. 1. in Georgica Virgilii ſcribat, prudens omitto, quia ignotum neminipaulo humaniori arbitror. Poſſeſſione autem melius legitur, quàm poſitione, ut in codicibus aliis ſcriptum eſt. Is enim urbem in tutela & poſſeſſione ſua habiturus erat, qui nomen impoſuiſſet. Laudat item Athenas Cicero, aliasq́; ciuitates, quarum teſtimonia pro Flacco producit, ut earũ teſtimoniis credatur facilius: quemadmodum teſtes contra Flaccum productos uituperat, ut iis fidem derogет. Vt ea ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicatur. ] Vetuſtatem urbis hac ratione probat. Vrbiũ enim non ita uetuſtarũ, qui primi ciues fuerint, & unde aduenerint, literis perſcriptum eſt. ut primos ciues Romæ fuiſſe paſtores, eos qui cum Romulo uenerint, deinde Sabinos, ignotum non eſt. Et eorum. ] Ciuium ſcilicet. In codicibus aliis ſcriptum eſt, & deorum. Diſciplina. ] Lycurgi. Septingentos iam annos amplius. ] Scribit T. Liuius lib. 38. Lycurgi diſciplinam, cui per octingentos annos Lacedæmonii aſſueuerant, ab Achæis ſublatam eſſe. Eandem à Romanis reſtitutam eſſe, Plutarchus ſcripſit in uita Philopœmenis. Septingentos iam annos amplius. ] Melius id dictum eſt, quàm quomodo uulgus loquitur, amplius quàm ſeptuaginta iam annos ut paulo poſt: Ante pedes Prætoris in foro expenſum eſt auri pondo centũ paulo minus. Et apud Terentiũ: Plus millies audiui. Septingentos iã annos uiuunt. ut paulo poſt: Annos iam triginta in foro uerſaris. Militem Quæſtoremq́; cognoſti. ] Intelligendum nõ eſt, Flaccum militẽ & Quæſtorem fuiſſe Maſſiliæ, tanquã in urbe ſubiecta pop. Rom. Ea enim ciuitas libera fuit. Maſſilia autem, regnante Romæ Seruio Tullio, cõdita fuit ab iis qui ex terra Phocide ab Harpalo regis Cyri præfecto fugati ſunt. ut eſt apud Gelliũ cap. 16. libri 10. De diſciplina & ſeueritate Maſſilienſium, aliquot exempla ſunt apud Val. Max. lib. 2. titulo de Inſtitutis antiquis. In ultimis terris. ] Id eſt, in ultima parte terrarum. Quæ gens Ionum habetur. ] Athenienſes & Iones pro eadem gente intelligit, quamuis Ionica lingua et Attica longe differant. Non ut minuta coloniis. ] Coloniæ enim magna ex parte in littoribus ædificari ſolebant, ut prædonũ & hoſtiũ incurſionibus improuiſis facilius reſiſteretur, qua ratione regio munitior eſſet. In Aſiæ autem maritima ora Græci colonias poſuerunt, ut in eã quoties uellent per colonias ſuas etiã cũ exercitu ingrederentur, qua ratione Aſiã uelut perpetuo obſeſſam tenerent. Phrygem plagis. ] Hoc prouerbiũ dicitur in homines barbaro & ſeruili ingenio, qui non monitis, nõ pudore non honeſtate ſed tantũ uerberibus fiunt meliores. de quo Eraſmus plura. In Caria id potiſſ. eſſe faciendum. ] Eraſmus de hoc prouerbio, In Care periculũ, docte cenſet hoc in loco in Care, non in Caria legendũ eſſe. Nam ſingula hæc de gente, non de regione Cicero dicit. Id autem prouerbium tum dici idem Eraſmus ſcribit, cum in homine uiliore periculũ faciendũ dicimus, in quo ſi parũ feliciter ceſſerit, nõ multũ diſpendii capiendum ſit. Cares enim barbaro ſeruiliq́; ingenio, ad quiduis malorũ mercede propoſita ferendũ parati fuerunt: iiq́; primi mortalium mercede militaſſe dicũtur, ut qui uitã ſuam uilem haberent. Primarũ partium. ] Auctore Aſconio Pediano comœdia quinque actus habet, hoc eſt, quinquies dicitur in ſcena. Eſt ergo perſona primarũ partiũ, quæ ſæpius actu regreditur: ſecundarum, quæ minus minuſq́; procedit. Terentius in Phormione: Quia primas partes qui aget, is erit Phormio. hæc ille. Hunc locum enarrans Donatus: Primas nunc, inquit, maximas. Ad actorẽ enim retulit Cic. in Diuinatione: In actoribus Græcis fieri uidemus ſæpe illũ, qui eſt ſecundarum aut tertiarum partium, cum poſſit aliquãdo clarius dicere, quã ipſe primarum, multũ ſubmittere, ut ille princeps quã maxime excellat. Inde primas pro principatu & excellentia ſæpe licet inuenire. Vt de Claris orat. Primas in cauſis agebat Hortenſius. Idem lib. de Orat. 3. de actione ſcribens: Huic primas dediſſe Demoſthenes dicitur, cum rogaretur quid in dicendo eſſet primum: huic ſecundas, huic tertias. Et lib. de Orat. ad Brutum: Vt iam non ſine cauſa Demoſthenes tribuerit & primas & ſecundas & tertias actioni. Et lib. de Orat. 2. Non poſſum equidem non ingenio primas concedere. Idem de Claris orat. Erat excellens iudicio uulgi, & facile primas tenebat adoleſcens. Idem de Oratore ad Brutum M. Antonius, cui uel primas eloquentiæ patrũ noſtrorum tribuebat ætas, uir natura peracutus & prudens. Itemq́;: Quis unquam dubitauit, quin in Repub. noſtra primas eloquentia tenuerit ſemper urbanis pacatiſq́; rebus. ſecundas iuris ſcientia? Non longe à gradibus Aureliis. ] Gradus Aurelii, forũ Aurelium, & tribunal Aurelium à Cicerone ſæpe dicitur. Eò improborum hominũ ad tumultum & cædem faciendam paratorũ multitudo conueniebat, ut ſcripſimus in primam Inuectiuarum Ciceronis. Ad hos gradus Aurelios magno tumultu actã fuiſſe cauſam C. Iunii, pro A. Cluentio ſcripſimus. Hunc locũ agendæ huius cauſæ non longe à gradibus Aureliis Lælius delegit, ut eos gradus Aurelios improbis hominibus & ſeditioſis compleret, qui in Flaccũ & Ciceronem inclamarentur, cũ Cicero inuidiã auri Hieroſolymitani à Flacco amoliretur. Concordia. ] Ironia eſt. Tantum ut iudices audiant. ] Non ii qui ad gradus Aurelios collocati ſunt. Non adiuuabo. ] Nam ſubmiſſa uoce agam. Hieroſolymam. ] Hieroſolyma Iudææ urbs, orientis urbiũ longe clariſſima fuit, ut ait Plinius cap. 14. lib. 5. Hieroſolyma quoque in numero plurali dici, paulo poſt inuenias. Barbaræ ſuperſtitioni. ] Iudæorum religionem, quæ à Deo immortali Moſi tradita eſt, ſuperſtitionem Romani ſæpe appellauerũt, cum eorũ ſuperſtitio reuera, non religio fuerit, cuius ne ueſtigiũ quidẽ relictum ſit. Flagrantem. ] Id eſt, æſtuantem & tumultuantem. Captis Hieroſolymis. ]

ſolymis. ] Cn. Pompeius antequã bellum Mithridaticũ confeciſſet, Iudæam ſubiugauit, & Hieroſolymam ui cepit. Ea urbs forſan habebat in lapide exciſam quadraginta pedes altam, cel. latam. Pompeius obſeruato ieiunij die, quo ab omni opere Iudæi abſtinerent, impleta foſſa, & admotis ſcalis in urbem ingreſſus, mœnia euerti iuſſit, & Iudæorum regem Ariſtobulum cepit, qui à Romanis deſciuerat. Auctores ſunt Strabo lib. 16. & Appianus in Mithridatico. Furtũ nuſquã reprehendis. ] Id eſt, nuſquam oſtendis Flaccum ex hac pecunia quidquã accepiſſe. Edictum probas. ] Quo Flaccus ſanxit, ne ex Aſia pecuniam exportari liceret. Licet iudicatũ fateris. ] Nam exportari aurum nõ oportere, cum ſæpe antea Senatus, tum Cicerone Cos. grauiſſime iudicauit. Prolatũ palàm. ] Nam ante pedes Prætoris expenſum eſt. Per uiros primarios. ] Cæſium, Peduceum, Domitiũ. Apamea. ] Apamea Aſiæ oppidum eſt, quod antea Celenas, deinde Ciboton appellauerunt. Expenſum eſt auri pondo centũ paulo minus. ] Vulgo ita loquerentur, Expenſum eſt paulo minus quam centum pondo auri. Caſtiſſimum hominem. ] Caſtus, auctore Nonio Marcello, dicitur aliquando à furtis & rapinis abſtinens. M. Varro: Nec manus uiſco tenaci tinxerat, uiri caſta. Caſtum quoque periuro contrarium eſſe, Cicero ſignificat pro Roſcio Comœdo: Quis, quem fraudaſſe dicatur? Roſcius Fanniũ? Quid eſt hoc, probus improbum? pudens impudentẽ? periurũ caſtus? callidũ imperitus? liberalis auidum? incredibile eſt. Laodiceæ. ] Laodicea urbs Aſiæ celeberrima fuit, Lyco flumini impoſita, primum Dioſpolis, deinde Rhoas appellata, ut ait Plinius libro 5. Per hunc C. L. Peduceum. ] Valerius Probus in libro de interpretandis Romanorum literis, ſcribit per C. L. ſignificari Caij libertũ, uel Caium libertum. C. Peduceum forte ſcribi oportet. C. cuiuſdam Peducei Cicero meminit in lib. Epiſtolarũ familiarium 12. Adrymeti. ] Adramyttij legendum eſſe arbitror. Nuſquã enim memini legere, Adrymetũ urbem eſſe Aſiæ. Adramyttiũ autẽ Pomponius Mela libro primo, & Strabo libro 13. inter Aſiæ urbes numerant. Per Cn. Domitium legatum. ] Hoc in loco arbitror deſiderari, quot pondo Adramyttij expenſa ſint. Non multum auri ratio conſtat. ] Id eſt, quod auri pondo expenſa ſint, non conſtat. Inuidia quæritur. ] In Flaccum. À iudicibus oratio auertitur. ] Nam ad turbam quæ in gradibus Aurelijs erat, orationem in hac quæſtione auri Hieroſolymitani Lælius aduertit. Stantibus Hieroſolymis. ] Antequam Pompeius cũ Iudæis bellum gereret. Tamen iſtorũ. ] Quid ſi Tum, non tamen legas. Oſtendit armis. ] Cum à Romanis deſciuit. Quam chara dijs immortalibus. ] Parũ charam dijs immortalibus hanc gentem fuiſſe oſtendit, quod eã dij ipſi non adiuuerint, ſed bello uinci paſſi ſint. Vt pro Q. Ligario: Cauſa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari poſſet. Nunc melior certe ea iudicanda eſt, quam etiam dij adiuuerint. Elocata. ] Id eſt, loco & dignitate mota, uel facta tributaria. Vt elocatum fundum, qui locatus ſit, Cicero Actione in Verrem quinta appellat: Xenon ad ſe pertinere negabat, fundum elocatum eſſe dicebat. Seruata. ] Id eſt, ſerua facta. Ad ciuium Romanorum querelas. ] In accuſatione Lælius dixerat ciues Romanos qui in Aſia negotiarentur, queri de Flacco, quod ab ijs pecuniã exegiſſet. Primum oſtendit querelæ Deciani credendum nõ eſſe, propterea quod is Flacco iratus erat, quia ab eo Prætore ob auaritiam & crudelitatem dãnatus fuerat. In libera ciuitate. ] Apolloniã, ut arbitror, intelligit. Libera ciuitas quæ ſit, ſcripſimus pro Cornelio Balbo. Quouſque negociabere? ] Mercaturam quæ ſatiata quæſtu, uel contenta portus ſit, Cicero in libro de Officijs primo laudat. Idcirco quæ nunquam cõtenta ſit, uituperanda eſt. Illo loco. ] Id eſt, illa generis dignitate. Faciem nouam. ] Id eſt mutatã. Annis enim triginta hominis facies multum mutatur. Nomen uetus. ] Nam nomen non mutatur. Purpuram Tyriam. ] Id eſt, ueſtem purpuream. Purpura Tyria cur appellata ſit, uidere licet apud Politianum in Miſcellaneis, cap. 12. Vnis ueſtimentis. ] Vrbanitas eſt, qua irridet ſordes Deciani, qui tanto tempore una ueſtimenta utatur. Vt in noſtra Gallia dici ſolet, cum quis unica ueſte longum tempus utatur, colorem ueſtis ei placere. Vna autem ueſtimenta plurali numero dixit, quod ueſtimentum etiã capitis, pedum, aliarumq; corporis partium indumentum ſit, quæ indumenta tam longo tempore Decianus non mutauit. Cur non Pergami? ] Id uidetur pugnare cum eo quod paulo ante dixit: Annos iam triginta in foro uerſaris, ſed Pergameno. Arbitror autem ita intelligi oportere, ut Apolloniæ Decianus negotiatus ſit & commoratus, ſed in foro Pergameno uerſatus. aut ita legendum eſſe: Cur Pergami, non Smyrnæ, aut Trallibus? Multi ciues Romani. ] Qui negotiantur. A noſtro magiſtratu. ] Id eſt, à Prætore Romano. Apollonienſes. ] Hos ſignificat ſocios populi Romani ac liberos fuiſſe. Habes. ] Id eſt facis. Tota Aſia frugaliſſimi. ] Dicendi genus attendendum eſt. Nam uſu ſermonis quotidiani dicerent: Totius Aſiæ frugaliſſimi. Quamuis autem frugalem dici Grammatici negent, frugalitas tamen, frugaliter & frugaliſſimus dicitur. ut libro Tuſculanarum quæſtionum tertio: Eas tres uirtutes, fortitudinem, iuſtitiã, prudentiam, frugalitas eſt cõplexa: & ſi hoc quidem commune eſt uirtutum. omnes enim inter ſe nexæ et iugatæ ſunt. Reliqua igitur & quarta uirtus, ut ipſa ſit frugalitas neceſſe eſt. Itemq; paulo poſt: Frugalitas, ut opinor, à fruge, qua nihil melius è terra oritur. Libro de Finib. 2. Quod bene, id recte, frugaliter, honeſte. In Verrem Actione 3. Homo autem ordinis ſui frugaliſſimus. Diligentia culturaq; meliores. ] Vt ingenia, ita agri qui boni ſunt, diligentia culturaq; fiunt meliores. Craſſi. ] Id eſt, boni & pingues. Hic alicubi. ] In Italia. In Cruſtumino. ] Cruſtuminum Italiæ oppidum erat propè Veios, non longe ab urbe Roma diſtans. Oppidi ueteris nomen retinet ager Cruſtuminus, in quo natum fœnum, ibidem noxium, extra ſalubre eſt. auctor eſt Plinius libro 2. & 3. In Capenati. ] Capena oppidum fuit haud procul ab urbe Roma. Inde Capenas gentile nomen. Verum eſto. ] Quod improbauit, donat Deciano, ut ad ſequentia tranſeat. Pedibus compenſari pecuniam. ] Librum, ubi id Cato dicat, nõ extare arbitror. Illã tamẽ eſſe puto ſententiã: Agros ita bonos emi, ut pro ſingulis pedibus detur pecunia. Agri enim ſteriles paruo emuntur, nec pro ſingulis pedibus datur pecunia. Cum fundi bonitatem ſignificant, id uulgo dicunt, Si fundus ſolidis nummis operiretur, non emi quanti ualeat. Longe omnino à Tyberi. ] Significat agros qui ad Tyberim ſunt, ſteriles eſſe: quales ſunt qui in Pupinia ſunt, de quibus eſt apud Valerium Max. lib. 4. titulo de Paupertate. Eos autem qui ad Caicum ſunt, eſſe admodum fœcundos. Eſt autem Caicus fluuius ex Myſia ueniens, ut ait Plinius libro 5. Myſum Caicum Virgilius appellat in libro Georg. 4. Etiam Agamemnon cum exercitu errasset. ] Hoc arbitror dici ad ſignificandam magnam ubertatem agrorum, qui ad Caicum ſunt. Niſi ducem Telephum inueniſſet. ] Telephus Herculis filius ex Augea Alcei Arcadiæ regis filia, Myſiæ rex fuit, ut fuſius licet uidere apud Diodorum Siculum libro quinto. Eum ducem Græcorum ad Troianum bellum proficiſcentium factum eſſe, Dictys Cretenſis libro ſecundo de bello Troiano ſcribit. ubi multa de hoc Telepho legere licet. Emiſſes. ] Id eſt, emere debuiſſes. Amyntas eſt genere. ] Narratio ſpecialis eſt. Illius ciuitatis. ] Apolloniæ. Imbecilli cõſilij. ] Cuiuſmodi ſolent eſſe mulieres probæ. Quid ageretur. ] Id eſt, quid Decianus agere uellet. Prædiorum eius. ] Mulieris. Collocauit. ] Decianus. Vxorem abduxit. ] Auctore Donato in Hecyram Terentij, ut acerſi uxor ad maritum,

ita abduci à marito dicitur. Membra quæ debilitauit. ] Membra filiæ Amyntæ intelligi arbitror. Deciani crudelitatem oſtendit. Hæc Flacco te non probaſſe. ] Id eſt, te ob hæc à Flacco damnatum. Circunſcriptione. ] Id eſt, deceptione & circunuentione. Id enim circunſcribere ſignificat. Vt libro Academicarum Quæſtionum quarto: Fallacibus & captioſis interrogationibus circunſcripti atque decepti quidam, cum eas diſſoluere non poſſunt, deſciſcunt à ueritate. Et libro de Officijs tertio: Iſte dolus malus legibus erat uindicatus, ut tutela 12. tabulis, & circunſcriptio adoleſcentiũ lege Lectoria. Græcorum legibus. ] Etiam Romanorum legibus. Nam, ut ait Cicero pro Muræna, mulieres omnes propter infirmitatem conſilij, maiores in tutorum poteſtatẽ eſſe uoluerunt. Itaque nihil ijs licet facere ſine tutorum auctoritate. Adſcribendus. ] Id eſt, interponendus: hoc eſt, tutoris auctoritas interponi debuit. Scripſiſti. ] Id eſt, ut tutorem aſcripſiſti. Adminiſtrum conſiliorum tuorum. ] Id eſt, qui conſilio tibi adminiſtrat, cuius conſilio uteris. Huius ipſius tutelæ nomine. ] Quia tu eum uelut tutorem aſcripſiſti, qui tamen tutor non erat. Qui concurſus ex oppidis finitimis undique. ] Celebritatem cauſa dicit, ut maiorem Deciani fraudem oſtendat. Sententijs omnibus. ] Iuſtum iudicium oſtendit. Irritæ proſcriptiones. ] Proſcribere eſt, libellum quendam rei uenali affigere, quo ea res uenalis eſſe cognoſcatur: ut hic ſæpe uidere licet, cum domus uenalis eſt. Vt in lib. de Offic. 3. Claudius proſcripſit inſulam, uendidit: emit P. Calphurnius Lanarius. Huic ab auguribus illud idem denunciatum eſt. Itaque Calphurnius cum demolitus eſſet, cognoſceretq; Claudium ædes poſtea proſcripſiſſe, quàm eſſet ab Auguribus demoliri iuſſus, ad arbitrium illum adegit. Et paulo poſt: Sic tu cum ædes proſcribas, tabulam tanquam plagam ponas. In ſuas literas publicas. ] Id eſt, ut uulgo dicunt, in ſua regiſtra. Præclaras. ] Ironia eſt. Ne ipſi quidem. ] Smyrnæi. In Caſtritium mortuum. ] Id contra Decianum eſſe ſignificat. Quod tamẽ breuitatis cauſa omittere ſe dicit, quæ breuitas iudicibus ipſis iucunda eſt. Vel quod ait Luceius. ] Multa hoc in loco deerant, ab eo uidelicet loco, In Caſtritium mortuum: uſque ad hunc, Vel quod ait Luceius. quæ in codice in Germania impreſſo repoſita ſunt. quamuis non ſatis emendata, ita tamen ut maxima ex parte intelligi poſſint. Ea autem quantum maxime potuimus, emendauimus. In oppidum. ] Id eſt, Pergamum. Quod alijs non conceditur. ] Ne Romæ quidem id concedebatur. Auctore Cicerone libro de Legibus 2. Hominem mortuũ, inquit lex in 12. tabulis, in urbe ne ſepelito ne'ue urito. Sed ante legem tabularum 12. & poſt, uiros claros in urbe ſepultos fuiſſe, ut Publicolam, Tuberonem, & Fabricium, idem dicit. P. Scipioni. ] Cum P. Scipio Naſica Pontifex Max. Tyberium Gracchum occidiſſet, eamq; ob rem plebi infenſus eſſet, & aduerſus eum pararetur accuſatio, legationem liberam ei Senatus, ut poſtea dicemus, in Aſiam decreuit. Isq; propè Pergamum mortuus eſt: ut ait Plutarchus in uita Gracchorum. Alia ornamenta. ] Id eſt, alias laudes. Pergamenitæ detulerunt. ] Superiorem ſe Decianus, quàm Lælium putabat, quod à Pergamena ciuitate laudatus eſſet. Ludi. ] Id eſt, derideri. Cum hæc uerba recitabant. Clariſſimum uirum. ] Id eſt, cum hæc uerba in literis de te recitabant, appellantes te clariſſimum uirum. Imponebant literis. ] Vt ea imponeretur Caſtritio mortuo. Quàm monedula. ] Cum Chonrado Peutingero ſentio, Monedula, non monedã hoc in loco ſcribi debere, quod monedulæ furacitas auri argentiq; præcipue mira ſit. Quod autem ſit locus is, cuius opportunitate Cicero Flaccum de manifeſtiſſimis criminibus exemerit, non puto: propterea quod Macrobius in libro Saturnaliũ 2. negat hunc locũ in Ciceronis oratione extare. Prius enim Cicero ſolebat orationes in foro pronũciare, quã ſcribere. Itaque nonnulla ſcribebat, quæ non dixerat: nonnulla dixerat, quæ non ſcribebat. Hunc locum ab eo de induſtria omiſſum arbitror, ne eius loci opportunitate potius quàm innocentia Flaccus abſolutus eſſe uideatur. nec uериſimile eſt hanc Ciceronis orationem Macrobij ætate integram non fuiſſe: quem locum ſibi notũ eſſe dicit ex Furij Bibaculi libro. Hominum. ] Pergamenorum. Perſcriptiones. ] Proſcriptiones ſcribi debere arbitror, ut ante dixit. Irritæ uenditiones, irritæ proſcriptiones. Itemq; : Deferri ad Pergamenos, ut illi reciperent in ſuas literas publicas præclaras proſcriptiones & emptiones tuas. Flaccum in curia decreuiſſent. ] Hic locus emendatus non eſt. Veridicas adiungis cauſas. ] Veras, non ueridicas, legi oportere arbitror. Inimicitiarum. ] Inter te & Flaccum, propter quas à Flacco ſe damnatum Decianus dixit. Aedili Curuli. ] Aedilium enim duo genera fuiſſe uulgatius eſt, quàm ut ignorari poſſit. Alij enim Curules erant, alij plebeij. Nec ipſi quidem patri. ] A maiore ad minus. Nam ſi patri, qui offenſus eſt, id ualde moleſtum eſſe non debuit, multo minus filio. Prætor poſtea. ] Nam poſt Aedilitatem primũ Prætura, deinde Conſulatus geri ſolebant. Cauſa eſt, cur id ualde moleſtũ patri non fuerit. Pater enim honoribus poſtea auctus eſt. Deciani pater ita miſer fuit, ut non potuerit priuatus in ciuitate conſiſtere, aut propter egeſtatem, aut aliquo iudicio cõdemnatus, propter quod exilio mulctatus ciuitatem amiſerit. Inimicum paternum. ] Id eſt, patrem tuum inimicum patris ſui. In conſilium. ] Iudicum: uel in conſilium Flacci Prætoris. Fauerunt. ] Id eſt, paruerunt. Aliud atque. ] Id eſt, aliud quã iuſtum fuit. In liberos. ] Id eſt, in te, cuius pater, ut dicis, inimicus fuit L. Flacci patri. In liberos. ] Id eſt, in te, qui auaritiã tuã & crudelitatẽ Flacco probare non potuiſti. Aliter. ] Quàm Flaccus decreuit. In abſentẽ decreuit. ] L. Flaccus. Fratris mei. ] Q. Ciceronis, qui Flacco in Aſia ſucceſſit. Apud te quiſiuit. ] Locum hunc emendatum nõ eſſe, nulli ignotum eſt. Si diuinare liceret mihi, lacunã ſic replerem: Apud tribunal ſic requiſiuit. Reſponſi literarumq; Ciceronis. uidelicet Quinti quid? ] Supple, allatũ eſt. Apollenidenſes. ] Scribendum arbitror Apollonienſes. de quibus antea mentionem habuit. Occaſione facta. ] Id eſt, data. Apud Orbium. ] Significat Publium Orbium Pretorem in Aſia ante P. Globulum, et Globulum ante Flaccũ fuiſſe. quare Globulum, non Globium, ante, & hic ſcribendũ arbitror, ut poſtea ſcriptum inuenire licet. Me conſule. ] Cum Flaccus Prætor urbanus erat. Incenſa. ] Id eſt, quæ Cenſores non cenſuerunt. Vt incenſum hominem pro A. Cecina appellat: Iam populus, cũ eum uendidit, qui miles factus nõ eſt, non adimit ei libertatẽ, ſed iudicat eum nõ eſſe liberum, qui ut liber ſit, adire periculũ noluit: cũ autem incenſum uendidit, hoc iudicat, cũ ij qui in ſeruitute iuſta fuerũt, cenſu liberentur, eum qui cũ liber eſſet, cenſeri noluerit, ipſum ſibi libertatem abiudicaſſe. Incenſa prædia intelligere uidetur, ea quæ libera non fuerint. Mittoq; aliena, &c. ] Legendum facile apparet, Mitto quod aliena: idq; in tota hac repetitione. Aliena poſſeſſa per uim. ] Hæc in cauſa fuerũt, cur à Deciano dedicari non licuerit. Conuicta. ] Id enim habet intellectum, ut arbitror, quòd Apollonienſes hæc ſua eſſe oſtenderint. In integrum. ] Vt dedicata non eſſent. Mitto quod nullo iu iure, neque re, neque poſſeſſione tua ] Legendũ puto: Mitto quod nullo iure, neque in re, neque in poſſeſſione tua. Sunt ne iſta prædia cenſui cenſendo. ] Totus hic locus ita deprauatus eſt, ut inde nulla elici ſententia poſſit. Videtur tamen Cicero uelle probare, prædia ea quæ Decianus dedicauit, incenſa eſſe, quod Deciani nõ fuerũt, ſed aliena et per uim poſſeſſa. Sunt'ne. ] Sint'ne legendum potius eſt. Cenſui cenſendo. ] Quid ſi legas, Sint'ne iſta prædia cenſore cenſenda? Habeant ius ciuile? ſint nec ne? ] Fortaſſe ſcribendum ſit: Habeãt ius ciuile

nec ne. Quamuis id durum uideatur, prædia ius ciuile habere. Cenſuiſti? ] Si hic locus emendatus eſt, prædia ſua cenſere dicitur etiam is qui ea Cenſori dat cenſenda & æſtimanda. Hoc autem dico, ſi hic locus emendatus eſt: nam totus hic locus mihi ſuſpectus eſt. Commiſiſti. ] Id eſt, feciſti. Romæ eſt imperatum eſſet tributum. ] Hunc locũ corruptum quis non uidet? Fortaſſe autẽ ſcribendum ſit, Romæ imperatũ eſſet. tributum. Verum eſto. ] Aduerſario concedit, quod erat in controuerſia, ut ad ſequentia tranſitũ faciat. Qui diuidi plebi Romanæ nõ poteſt. ] Id eſt, qui ius ciuile Romanũ nõ habet. Numeratæ pecuniæ. ] Id eſt, pecuniæ promptæ & præſentis. Non enim prædia ſolum, ſed etiã pecunia cenſebatur. Centum triginta. ] Seſtertiũ aut millia, aſcribendũ uidetur. Non eſſe abs te. ] Sed ab Amyntæ uxore, aut ab alio. Seruos ſuos eſſe cenſum. ] Fortaſſe legendũ: Seruos ſuos cenſuiſſe. ut [illegible] ante dixit: In qua tribu denique iſta prædia cenſuiſti? Aut legendum eſt, Cum à te audiſſet ſeruos ſuos eſſe cenſos. Niſi hic et paulo ante, Cenſus eſt præterea, &c. Cenſus præteritũ ſit uerbi cenſeo, deponentaliter accepti. Retulit ad iuriſconſultos. ] Id eſt, iuriſcõſultos conſuluit. Inter omnes. ] Iuriſconſultos. Cenſendo. ] Id eſt, Cenſori dando cenſenda. Habiturum eſſe. ] Prædia, aliud'ue quid hoc loco deeſt. Simul deeſſe arbitror, Flaccũ Prætorem de hac re iudicaſſe. Itaque adiungit Cicero: Habetis cauſam inimicitiarum, ut magis lucidam faciat orationem. Habetis. ] Id eſt, audiſtis. Opimum. ] Id eſt, uberem. Eſt autẽ Ironia. Quæſtus eſt Lælius. ] In Flacci accuſatione. Qui mihi auctor fuit. ] Mimeſis eſt. Imitatur enim uerba ea, quibus Lælius aut uſus eſt, aut certe uti potuit. Siccine tu auctor. ] Apoſtrophe ad Decianum eſt. Eum. ] L. Flaccum. Cui tu in conſilio fuiſſes. ] Nam antea dixit: Nunc accuſamur ab iis qui in conſilio nobis fuerunt? Scilicet defendam Decianũ. ] Oſtendit ueriſimile non eſſe, Decianum à Flacco corruptũ. Redimeretur. ] Id eſt, emeretur. Compoſitum pro ſimplici. Vt duceret. ] Id eſt, produceret & differret. Cui ſex horas omnino lex dedit. ] In publicis cauſis ſingulis lege conſtituebantur horæ accuſatori & patrono. Vt in cauſa Milonis duas horas accuſatori, & tres reo lege datas eſſe, Aſconius dicit. In cauſa Rabirii perduellionis reo tantum ſemihoram datam ſibi Cicero queritur. Inuidiſti ingenioſus ſcriptoris tui. ] Hic itidem locus multum corruptus eſt. Fortaſſe ita legendum eſſet: Inuidiſti ingenio ſcriptoris tui: quòd ornabat locum quem prehenderat, & acute teſtes interrogabat. Locum quem prehenderat. ] Cum multi erant in eadem cauſa accuſatores, ſua cuique cauſæ pars agenda tribuebatur. Aut fortaſſe feciſti. ] Hoc in loco aliquid deeſſe, eaq; quæ adſunt nullo ſenſu ſibi cohærere, ignotum non eſt. Applicaſti. ] Non applicuiſti, ex more Ciceronis potius eſt. Vel quod ait Luceius. ] Hic adhuc aliquid deeſt, aut corrupta lectio eſt, quæ ad hunc mihi modum magis integra uideretur: Nam quod ait Luceius. ut Nam particula ſit inceptiua. Hunc autem Luceium Flacci cum Lælio accuſatorem fuiſſe ſignificat. Vt fide ſe abduceret. ] Id eſt, ut ſe præuaricatorem faceret, nec fidelis accuſator eſſet. Fide enim quenquã abducere eſt, corrumpere ne ſeruet fidem. Et cum tu accuſas auaritiæ. ] Apoſtrophe ad Luceiũ eſt. Auaritiæ. ] Id eſt, repetundarum. Perdere. ] Id eſt, fruſtra tibi dare. Vt ad ſe tranſires? ] Et eũ defenderes? Quã partem cauſæ tibi daremus. ] Defendendã. Enunciares cõſilia. ] Id eſt, nobis reuelares ſecreta. Qui teſtes. ] Enunciares. Tabulas. ] Vbi ſcripta ſunt teſtimonia, ex Aſia allatas. Ne uehementer, ne copioſe accuſares. ] Id eſt, ut eſſes lenior & negligentior in accuſatione, nec nobis tantum noceres, quantũ poſſes. Vt neſcio quid à te impetratũ eſſe uideatur. ] Luceiũ irridet, qui nec uehementer, nec copioſe Flaccum accuſauit. At enim Androni. ] Hæc eſt ſecunda ciuium Romanorum querela. Valeria. ] Hæc eo nomine appellata eſt, quia L. Valerii Flacci filia erat. Quod falſum intenderit. ] Id eſt, quod falſo hæreditatem ad ſe pertinere dixerit. Qui doces? ] Id eſt, quomodo, aut qua ratione. Sed quæro uſu coemptione. ] Legendum eſſe arbitror, uſu an coemptione. Quamuis illud alio loco ſcripſerimus, hic tamen locus poſtulat ut repetatur. Auctore Boetio libro Cõmentariorum in Topica Ciceronis ſecundo, tribus modis uxor habebatur, uſu, farre, coemptione. Sed confarreatio ſolis Pontificibus conueniebat. Quæ autem in uiri manum coemptione conuenerant, hæ matresfamilias uocabantur: quæ uero uſu uel farre, minime. Coemptio uero certis ſolennitatibus peragebatur, et ſeſe in communicando inuicem interrogabant. Vir ita, An ſibi mulier materfamilias eſſe uellet. Illa reſpõdebat, Velle. Item mulier interrogabat, An uir ſibi paterfamilias eſſe uellet. Ille reſpondebat, Velle. Itaque mulier in uiri manum cõueniebat. Et uocabantur hæ nuptiæ per coemptionem. Et erat mulier materfamilias uiro loco filiæ. Quam ſolennitatem in ſuis Inſtitutis Vlpianus ponit. Hæc ille. Quibus uerbis ſignificat, uxorem quouis modo habeatur, in manum uiri conuenire. ut hoc in loco Cicero dicit uxorem, quæ uſu aut coemptione habita ſit, in manũ conueniſſe. A. quoque Gellius cap. 3. lib. 4. iuſtam legitimamq; uxorem in mariti manu eſſe dicit. Eius uerba ſunt ex Ser. Sulpitii ſententia: Pellicem, inquit, appellatam, probroſamq; habitam, quæ iuncta conſuetaq; eſſet cum eo, in cuius manu mancipioq; alia matrimonii cauſa foret. Quibus ex uerbis ſatis cognoſci poteſt, quid ſit in uiri manũ cõuenire. Cicero tamen in Topicis ſignificare uidetur, eas ſolũ in manũ uiri cõueniſſe, quæ per coemptionẽ habitæ ſint: Vxoris, inquit, duæ formæ. una matrumfamilias: hæ ſunt, quæ in manum conuenere. at altera earum, quæ tantũmodo uxores habentur. Vſu. ] Vſu qua ratione uxor haberi ſolita ſit, legere nõ memini, niſi quod ſcribit A. Gellius capite ſecundo libri 3. ex Q. Mutii ſententia, uxorem uſurpandi cauſa à uiro trinoctium totum abeſſe debere, ex duodecim tabulis. Vſurpari uxorem, pro eo quod eſt, uſu haberi, dici arbitror. De tutela legitima. ] Significat eã quæ uſu uxor habita ſit, deſinere eſſe ſub agnatorum tutela, aut certe eam diminuere, quæ legitima tutela dicitur. Vt in lib. inſtitutionũ Iuſtiniani primo, titulo de Legitima agnatorum tutela: Quibus teſtamento tutor datus non ſit, iis ex lege duodecim tabularum agnati ſunt tutores, qui uocantur legitimi. Sunt autem agnati, cognati, per uirilis ſexus cognationem coniuncti, quaſi à patre cognati. Erat igitur Flaccus Valeriæ ſorori agnatus. Conſulari imperio. ] In bello Mithridatico. Tu T. Vecti. ] Hunc T. Vectiũ ſignificat Prætorẽ huic cauſæ præfuiſſe, eumq; ſortitione Africã adminiſtraturum. Globulo Prætore. ] Huic Flaccum ſucceſſiſſe arbitror. Impreſſio. ] Id eſt, uis & impetus. ut in libro Epiſtolarum Famil. 5. Ad tertium nonas Ianuarias cũ agere cœpiſſet, tertio quoque uerbo orationis ſuæ me appellabat, mihi minabatur, neque illi quidquam deliberatius fuit quàm me quacunque ratione poſſet, non iudicio neque diſceptatione, ſed ui atque impreſſione euertere. Inde impreſſionem dare & facere, pro eo quod eſt, in hoſtes ſumma ui irruere & impetũ facere, T. Liuius dicit libro 2. Volſci curſu & clamore feſſi, cum ſe uelut ſtupentibus metu intuliſſent Romanis, poſteaquam impreſſionem ſenſere ex aduerſo factam, & ante oculos micare gladios, haud ſecus quàm ſi in inſidias incidiſſent, turbati uertunt terga. Libro tertio: Duo extra ordinem millia, quæ in ſiniſtrum cornu Romanorum in ipſo certamine impreſſionem facerent, tenuere. Libro quarto: Hæc locutum, exequentemq; dicta, redintegrato clamore ſecuti dant impreſſionem. Non occaſio. ] Quod eſſet Prætor Flaccus. M. Lurcho. ] De Lurchonis teſtimonio antea dixit. Non licere. ] Eſt enim aliquid quod non oporteat, etiam ſi liceat:

quidquid uero non licet, certe non oportet. ut ait Cicero pro Lucio Cornelio Balbo. Legationes ſumere liberas. ] Legationes liberas decernebat Senatus iis, qui propter egregium aliquod facinus populi inuidiam ſibi conflauerant, ut his honeſta cauſa ex urbe proficiſcendi eſſet ad declinandam inuidiam. Vt cum accuſatores à plebe pararentur Scipioni Naſicæ, qui Tib. Gracchum occiderat: Senatus de ſalute eius ſollicitus, liberam ei legationẽ in Aſiam decreuit. ut in Ciceronis Milonianam ſcripſimus. D. Brutus ſcripſit ad Ciceronem, quæ epiſtola eſt in libro Epiſt. Familiarium II. Eius uerba ſunt: Cum in his anguſtiis uerſarer, placitum eſt mihi, ut poſtularem legationem liberam mihi reliquiſq; noſtris, ut aliqua cauſa proficiſcendi honeſta quæreretur. Etiam exigendi cauſa huiuſmodi legationes decerni, hoc in loco teſtatur Cicero. Legationes liberas definitum tempus lege Iulia habere, Cicero ſcripſit ad Atticũ libro 15. Socios uideo queri. ] Id reprehendendum ſignificat. Doti pecuniam dixerat. ] Id eſt, dotis nomine promiſerat. Dicere enim, auctore Non. Marcello, promittere aliquando ſignificat. Pomponius: Numos certos dicas, dica quinquaginta millia. Salluſtius libro hiſtoriarum ſecũdo: Eodem anno in Macedonia C. Curio principio ueris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit pecunias dictas coegit. Afranius: Neſcio cui uicino pauperi, cui dicat dotis paululum. Explicari. ] Id eſt, expediri, & ad accuſationem utiliter proferri. Sine hoc auctore. ] Id eſt, non interueniente Flacci auctoritate. Apud Titum Liuium libro triceſimoquarto, M. Cato diſſuadens ne Oppia lex abrogetur: Maiores, inquit, noſtri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas ſine auctore uoluerunt, in manu eſſe parentum, fratrum, uirorum. Moderatus eſt religioni ſuæ. ] Moderatus participium eſt. Medicor illam rem & illi rei, modulor, moderor, & comitor: auctore Seruio libro Commentariorum in Æneidos Virgilii ſeptimum, dicimus. Inſidioſus. ] Id eſt, fallax & aſſentatorius. Venientes. ] In prouinciam. Expectant. ] Aduentum optãtes. In omittendis prouinciis. ] Cicero enim poſt Quæſturam conſtituit ab urbe non diſcedere, quòd ſenſiſſet populum Romanum aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere: ut amplius idem ait in oratione pro Cn. Plancio. Eam ob rem nec prætor, nec Conſul prouinciam ſortitus eſt. Literas miſit. ] Coniicere licet, P. Septimii libertum in Aſia cædem feciſſe, ac deinde Romam confugiſſe. Flaccum ea de re Romam ſcripſiſſe. Iudicium ex edicto dedit. ] Id eſt, tulit ſententiã ſecundum edictum. Id edictum quod fuerit ſciri non poteſt, quia ignotum eſt, quo crimine conuictus ſit is Lurchonis libertus, quem turpi iudicio condemnatum fuiſſe antea Cicero dixit. Tradenda libertis. ] Vt in eo quod uellent impune facerent. An ſimultates neſcio quas. ] Id credendum non eſt, Flaccum horum libertos pœna affeciſſe, quòd iis iratus eſſet. An in ueſtris. ] In codicibus aliis lego: An uobis in ueſtris, &c. Veſtrorum. ] Vt libertorum, aliorumq;. Seueritas. ] Quam Flaccus in horum libertorum iudicio ſecutus eſt. Deciſionis arbiter. ] Significat Flaccum pactionem cũ Androne de hæreditate Valeriæ feciſſe, eiuſq; C. Cæcilium arbitrum, & C. Sextilium obſignatorem: ut nullam uim, nullam fraudem in Flacco fuiſſe oſtendat. Deciſionis. ] Id eſt, pactionis. Deciſionem in re dici poſtea ſignificat, & decidere paciſci ſignificat. ut pro Sex. Roſcio Amerino: Si hanc ei rem priuatim Sex. Roſcius mandauiſſet, ut cum Chryſogono tranſigeret atque decideret. Et pro Q. Roſcio Comœdo: Panurgum, inquit, hunc ſeruũ communem Q. Flauius Tarquinienſis quidam interfecit. In hanc rem, inquit, me cognitorem dediſti, lite conteſtata, iudicio damni iniuria conſtituto, tu ſine me cum Flauio decidiſti. Si uis. ] Flacci, quia Prætor erat. Pactionem. ] Id eſt, deciſionem. Quis adeſſe iſtos ] Cæcilium & Sextilium. Adoleſcentulo L. Flacco. ] Huius Flacci propinquo. Redacta. ] In ſummam. Si per hunc. ] Arbitror legendum: Si numerata, aut ſi donata per hunc. Copiis. ] Quibus hic adoleſcens abundabat. Prolixe. ] Id eſt, abunde & magna copia. Prolixum enim quaſi porrò laxũ dictum eſt, inde prolixa oratio dicitur. Hac uoce uſus eſt etiã in oratione pro Domo ſua: Neque ille tot ſuſpicionibus certorum hominum & ſcelere exulceratus, quæ meum tempus poſtularet, ſatis prolixe mihi polliceretur. Et ad Trebatium libro Epiſt. famil. 7. Neque me hercule minus ei prolixe de tua uoluntate promiſi, quã erã ſolitus de mea polliceri. At Falcidianum crimen. ] Oſtendit falſum quod Falcidius dixerit, ſe dediſſe Flacco talenta quinquaginta. Falcidianũ crimen. ] Quod in Falcidiũ admiſſum à Flacco aduerſarii dixerunt, cũ ſe quinquaginta talentis ſpoliatũ dicit: Vt crimen Aſinianum, quod in Aſinium admiſſum eſt, quem Auilius necauit, pro A. Cluentio: At tum in Oppianici cauſa crimen hoc Aſinianũ cum teſtibus multis, tum uero iudicio Auilii probatur. Et pro Milone Clodianum crimen, quod in Clodium admiſſum uidebatur accuſatoribus, cũ eum Milo occidit: Nec uero me iudices Clodianũ crimen mouet, nec ſum tam demens, tamq; ueſtri ſenſus ignarus, ut neſciam quid de morte Clodii ſentiatis. Ingens. ] Ironia eſt. Si aram tenens iuraret. ] Morem fuiſſe Græcorũ ut aram tenentes iurarent, alibi ſcripſimus. Eſt autem argumentum à maiore ad minus. Conficere. ] Id eſt, decoquere, perdere, abſumere. ut paulo poſt: Vt eam pecuniam quã confecerat, non conſumpſiſſe, ſed Flacco dediſſe uideatur. Alioqui conficere pecuniam eſt, colligere, ut alio loco docuimus. ] Diſſipare. ] Id eſt, diſpergere. Diſſipare enim, diſpergere eſt ut pereat, uel ignominiæ cauſa. ut in lib. de Legib. 2. C. Marii ſitas reliquias apud Anienem diſſipari iuſſit Sylla uictor, acerbiore odio incitatus, quã ſi tam ſapiens fuiſſet, quã fuit uehemens. Diſſipatum ſermonem pro diſperſa fama, ante dixit Cic. Sermo eſt tota Aſia diſſipatus. Materculæ ſuæ feſtiuus filius. ] Falcidium eludit, hiſq; diminutiuis blandimenti deriſorii cauſa utitur. At fructus iſti. ] Hoc dictum aduerſarii Cicero proponit refutandum. Iſti autem hoc loco otioſa dictio uidetur: ut ea ſit ſententia, aduerſarios dixiſſe, Falcidiũ Globulo Prætore Trallianorũ fructus emiſſe. Vt rata ſit emptio. ] Probante Flacco Prætore, qui Globulo ſucceſſit. Multo pluris eſſet. ] Quam pecunia ea qua id emeret. Nihil detrahit de uino. ] Lucrum & uinũ in emptione ſunt ad hunc modum: Si quis rem ualentem triginta ſcutatos, uiginti ſcutatis emat, uinum eſt uiginti ſcutati, & decem lucrum. Cur Albanum uenire iubet. ] Oſtendit falſum eſſe, quod fructus Trallianos emerit, quod de lucro aliquid Flacco dederit. Nam ſi Trallianos fructus minoris quã eſſent emit, & ſi quid de lucro Flacco dedit, opus non fuit ut Albanum uenderet. Matris imbecillitatem aucupatur. ] Id eſt, matrem imbecillam captat, et uult decipere. Ab negotio abducere. ] Deridet Cicero Falcidium, eumq; in contemptum iudicibus adducit, quo minus Falcidianũ crimen eſſe credant. Magnitudine poculorum. ] Græcos in conuiuio primum minoribus poculis, deinde maioribus bibere ſolitos, et inde factum prouerbium, ut Græco more bibere dicatur, ſcripſimus latius in Commentariis in Gryphum Auſonii. An etiam ſcripſit oratu tuo. ] Id eſt, an eum oraſti ut ſcriberet, ut haberes quod in Flaccum diceres. Oratu autem eſt, ueluti iuſſu, permiſſu, hortatu, euentu, arbitratu, aliaq; eiuſdem generis multa, quæ in hoc caſu tãtum in quarta declinatione inueniuntur. Iudicium feceris. ] Id eſt, iudicaueris. ut paulo poſt: Grauia iudicia pro Reip. dignitate, multa de cõiuratorũ ſcelere feciſtis. Pro lege Manilia: De quo homine uos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta & tam præclara iudicia feciſtis. Id autem dictum eſt, ut facere pugnam, prælium, coniecturam, finem, conuiuium, furtũ, pactionem, aliaq; eiuſdem generis, de quibus alio

loco

loco ſcripſimus. Simulatum dolorem. ] Quod dolere ſe ſimulet de tanta pecunia Flacco data. De Deciani ſenſu. ] Qui non ſatis ingenioſe Falcidianum crimen finxit: aut Deciani ſenſu, qui Amyntæ uxori impoſuit. De ſalute omnium noſtrum. ] Tranſit ad concluſionem, quæ eſt partim per commiſerationem, partim per enumerationem. Quam nos uniuerſam. ] Id Cicero facit ſæpiſſime, ut oſtendat iudicium, quod laturi ſint iudices, ad Rempublicam uel ad ipſos iudices pertinere. Id paulo poſt facit amplius. In quo motu. ] Id eſt, in qua mutatione. Certi homines. ] Qui in coniuratis fuerũt, & coniurationi fauerunt. Conuerſam. ] Id eſt, uerſam & mutatam, ut ante dixit: Quanta in conuerſione rerum ac perturbatione uerſemur. Impiorum pœnam qua coniurati affecti ſunt. Oppreſſus eſt C. Antonius. ] Antonius Marci oratoris filius, Ciceronis Conſulis collega, ſuſpicione coniurationis laborauit. Itaque. L. Catilina petens Conſulatum, Antonium ſibi fore collegam ſperabat, hominem & familiarem, et omnibus neceſſitudinibus circumuẽtum, cum eoq; ſe Conſulem initium agendi belli ſe facturum. Itaque repulſo Catilina, Cicero hunc ſuum collegam pactione prouinciæ perpulerat, ne contra rempublicam diſſentiret. auctor eſt Salluſtius. De hac Antonij ſuſpicione Cicero pro P. Seſtio: Atque ego, inquit, de Antonio nihil dico, præter unum: nunquam illum in illo ſummo timore ac periculo ciuitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum de ipſo ſuſpicionem, aut inficiando tollere, aut diſſimulando ſedare noluiſſe. Hunc accuſauit M. Celius, ut eſt in oratione pro eo Celio: Accuſauit, inquit, C. Antonium collegam meũ, cui miſero præclari in rempublicam beneficij memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficij cogitati. Eum ſe Cicero defendiſſe dicit, pro Domo ſua: Hora, inquit, fortaſſe ſexta dici queſtus ſum in iudicio, cũ C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de Republica, quæ mihi uiſa ſunt ad illius miſeri cauſam pertinere. L. Catilinæ. ] Nam decreuit Senatus, ut Antonius cum exercitu Catilinã perſequi maturaret. Cum autem Antonius pedibus æger prælio adeſſe nequiret, M. Petreio Legato exercitum permiſit, à quo necatus Catilina eſt: ut eſt apud Salluſtium. Domeſticorum hoſtium. ] Id eſt, coniuratorum. Epulisq;. ] Romani enim ueteres propinquorum ſuorum aut amicorum mortuorũ nomine populo Rom. epulum dabant. Ut pro L. Murena Quint. Maximus Africani patrui ſui nomine epulum populo dedit, cui rei Q. Aelium Tuberonem præfecit. Iuſta. ] Iuſta numero tantum plurali appellantur ſacrificia ea, quæ in honorem mortuorum fiunt. Cicero in libro de Legibus 2. Siti dicuntur ij qui conditi ſunt, nec tamen eorum ante ſepulchrum eſt, quàm iuſta facta, & corpus incenſum eſt. Itemq;: Quid uero ex iis, qui horum ſcelerum principes fuerunt, & præter cæteros in omni religione impij, non ſolum uita cruciati atque dedecore, uerum & ſepultura & iuſtis exequijs caruerunt. A' Flacco Lentuli pœnæ expetuntur. ] Quod Flaccus Prætor ad pontem Miluium Allobroges cum comitatu & literis deprehenderit. In his ſuas literas agnoſcens Lẽtulus, impietatis pœnas dedit. Per uos. ] Veſtris ſententijs, ſi Flaccum condemnetis. Litemus igitur Lentulo. ] Artificioſa prohibitio eſt, quæ permiſſionis ſpeciem habet. Litemus. ] Id eſt, ſacrificemus & iuſta faciamus, aut Lentuli manes Flacco mactato placemus. Non enim Marcellus ſacrificare & litare diſtinguit, ut ſit ſacrificare ueniam petere: litare, propitiare & uotum impetrare. Parentemus. ] Id eſt, iuſta exequiarũ faciamus. Non ſolum parẽtibus parentalia fieri, locus hic documento eſt. Non igitur abſurda opinio eorum eſt, qui à parendo, parentare inclinatum eſſe putauerunt: quòd qui parentarent, mortuis parerent, qui uiui ita fieri iuſſerant. Electos. ] Id eſt, exules & damnatos. Si ita placet. ] In codicibus alijs ſcriptum eſt, Si ita dijs placet. Ab iudicibus. ] Qui ſperãt fore, ut Flaccus condemnetur: quod ſi fiat, omnes qui adiutores & auctores fuerunt opprimendæ coniurationis, in iudicium etiã fictis criminibus uocabunt. Itaque ſe ab iudicibus iam nominari dicit. Per Senatores & per Equites. ] Id eſt, per iudices qui ſunt ex Senatorio ordine & Equeſtri. Hæc omnia geſſerunt. ] In opprimenda coniuratione. Senatus enim & Equitum conſilio & auxilio tum uſus Cicero eſt. Horum rerum auctores. ] Ut me & Flaccum. Perſpiciunt eam mentẽ. ] Fortaſſe legendum ſit, Perſpiciunt mentem. ad eam ſententiam: Hi certi homines populi Romani mentem cognoſcunt, quam populus ipſe omnibus rebus, quibus poteſt, ſignificat. Quia igitur in populo nulla uarietas opinionis, in Senatoribus & Equitibus eam ſe inuenire poſſe putauerunt. Illuc. ] Id eſt, ad populi iudicium. Vis abſit. ] Id eſt, nullus ciuis improbus adſit, qui uim faciat. Ferrum. ] Id eſt, gladij. Operæ. ] Id eſt, operarij, quorum auxilio improbi utebantur ad uim faciẽdam. De iis alibi ſcripſimus: Operæ autem pro operarijs, ut ſeruitia pro ſeruis dicuntur. Faceſſant. ] Id eſt, recedant, abſint. Id enim faceſſere ſignificat, ut ait Non. Marcellus. Cicero in Hortenſio: Faceſſant igitur omnes, qui docere nihil poſſunt quo melius ſapientiusq; uiuamus. M. Aquilium. ] His exẽplis oſtendit, ſapientes iudices in rebus iudicandis cogitaſſe, quid Reipublicæ utilitas poſceret. M. Aquilium. ] M. Antonius orator excitauit M. Aquilium Conſularem reum in cauſa eius peroranda: eiusq; tunicam diloricauit, & iudicibus cicatrices aduerſas ſenis Imperatoris oſtendit: ut auctor eſt Cicero in lib. de Oratore 2. Quo eodem in libro facit eundem Antonium illa de eodem Aquilio dicentem: Nolite exiſtimare me ipſum, cũ mihi M. Aquilius in ciuitate retinendus eſſet, quæ in cauſa peroranda fecerim, ſine magno dolore feciſſe. Quem enim ego Conſulem fuiſſe Imperator ornatum à Senatu, ouantem in Capitolium aſcendiſſe meminiſſem: hunc cum afflictum, debilitatum, mœrentem, in ſummũ diſcrimen adductum uiderẽ; nõ prius ſum conatus miſericordiam alijs commouere, quàm miſericordia ſum ipſe captus. Senſi equidem tum magnopere moueri iudices, cum excitaui mœſtum ac ſordidatum ſenem, & cum feci magno animi motu ac dolore, ut diſcinderem tunicam, & cicatrices oſtenderem. Hunc de pecunijs repetundis reum fuiſſe, T. Liuius libro 70. auctor eſt. Cum fugitiuis fortiter bellum geſſerat. ] M. Aquillius Conſul in Sicilia bellum Seruile concitatum confecit, ut ait idem Liuius libro ſuperiore. de hoc bello Seruili L. Florus in Epitomatis ſcripſit. C. Piſonem. ] Quo crimine accuſatus Piſo ſit, quoq; A. Termus, legere non memini. Clariſſimis accuſantibus. ] M. Catoni, Ser. Sulpitio, & Cn. Poſthumio. Audiendum. ] Id eſt, obediendum. Calendis Ianuarijs. ] Eo enim die Conſules deſignati, Ciceronis ætate inibant magiſtratum. Pro L. Murena oſtendit Cicero, quantũ ſalutis communis intereſſet, duos Coſs. in Rep. Cal. Ianuarijs eſſe. Cum tabella uobis dabitur iudices. ] Tres tabellas dari iudicibus ab eo qui cauſæ præeſt, pro Milone diximus. unam abſolutionis, in qua litera A. alteram condemnationis, in qua litea C. tertiam ampliationis, in qua litera N L. ſcripta eſſent. Has autem tabellas in cauſa Milonis Pompeium iudicibus ante actionẽ cauſæ dediſſe Cicero ſignificat. Quocirca hunc locum ita intelligendum arbitror: Cum tabella uobis dabitur, id eſt, à uobis: id eſt, cum uos dabitis tabellam iudicij ueſtri in urnam. Aut aliquibus in cauſis tabella dabatur iudicibus poſt utriuſque actionem. ut pro A. Cluentio. Cum hæc ſunt uidenda, tum uero illud eſt hominis magni, iudices, atque ſapientis, cum illam iudicandi cauſa tabellã ſumpſerit, non ſe putare eſſe ſolũ, neque ſibi quodcunque concupierit licere: ſed habere in conſilio legem, religionem, æquitatem, fidem. Libidinem autem, odium, inuidiam, metum, cupiditateſq; omnes amouere. De exteris nationibus. ] De Græcis & Aſiaticis, quos à Flacco ſpoliatos accuſator dixit.

Opponemus Aſiæ. ] Per capita repetit, quæ ante dixit. Prouinciam Galliam. ] Eam intellige, in qua ſunt Allobroges. Arbitror autem Ciceronem dixiſſe loco primo, qui trūcatus eſt, Flaccum in Gallia fuiſſe. Niſi eò referatur, quod Maſſilia, quæ in Gallia eſt, militem eum Quæſtoremq́; cognouit. Ciliciá. ] In qua P. Seruilio Imperatore Tribunus militum fuit. Hiſpaniam. ] In qua M. Piſoni Quæſtor fuit. Cretam. ] Nam bellum Cretenſe magna ex parte geſſit, atque unà cum ſummo Imperatore ſuſtinuit. Rhodiorum ante non meminit, ſi codices emendati ſunt. Septimio & Cælio. ] Qui irati Flacco, contra eum teſtimonium dixerunt. P. Seruilius. ] Quo Imperatore in Cilicia Tribunus militum fuit. M. Metellus. ] Cui Imperatori legatus Flaccus Achaiæ, Bœotiæ, Theſſaliæ præfuit. Vrbana iuriſdictio. ] Nam Prætor urbanus fuit Flaccus, cuius iuriſdictio in ſummo & periculoſiſſimo Reipub. tēpore etiam ab inimicis laudatur. Annui temporis criminationē. ] Annum enim prouinciam Aſiam Flaccus adminiſtrauit. Omnis ætas. ] Nullum enim Flacci in priuatis rebus factum auarum, nulla in re pecuniaria contentio, nulla in re familiari ſordes ab aduerſario proferri poteſt. Hic. ] Id eſt, Romæ, in opprimenda coniuratione Catilinæ. À minore ad maius ſuadet. O' nox illa. ] Ad mouendos affectus accedit. O' nox illa. ] Qua Allobroges cum comitatu & literis ad Catilinam & Gallos à Flacco & Pontinio ad pontem Miluium deprehenſi ſunt. Aeternas tenebras. ] Id eſt, occaſum & interitum. Quæ ab ſenatu? ] L. enim Flaccus & C. Pontinius Prætores deprehenſis & confeſſis coniuratis, merito ac iure à Senatu in æde Concordiæ laudati ſunt, quod eorum opera forti fideliq́; Cicero uſus eſſet: ut ait Cicero in tertia Inuectiua. O' nonæ illæ Decembres. ] Nonis decembribus coniurati literas ſuas & ſigna agnoſcentes, de coniuratione confeſſi ſunt in Senatu, in æde Concordiæ. Quem ego diem uere natalem. ] De hac re plura Cicero dicit in proœmio tertiæ Inuectiuæ. Multò acriorem. ] Nam ut alibi dicit Cicero: Cui dolet meminit, cui placet obliuiſcitur. Improborum. ] Qui coniurationi fouebant. Quàm bonorum. ] Qui hæc in cœlum laudibus efferebant. Si quid grauius acciderit. ] Id eſt, ſi condemneris. Malum omen euitat, ut iudices magis commoueat. Munitum. ] Aduerſus improbos. Ornatum. ] Honoribus & magiſtratibus. Honos noſter. ] Conſulatus meus & prætura Flacci. Salutem. ] Veſtram. Nunquam tamen proſpexiſſe, &c. ] Viri magnanimi eſt, ut eum recte factorum nunquam pœniteat, quamuis eorum memoria parum grata ſit. At pro Milone illa proſopopœia: Valeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. ſtet hæc urbs præclara, mihiq́; patria chariſſima, quoquo modo merita de me erit. Tranquilla Repub. ciues mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſine me ipſi, ſed per me tamen perfruantur. ego cedam atque abibo.

Qui hanc in Republica ſectam ſequatur. ] Id eſt, qui magiſtratum gerere cupiat. Qui uobis. ] Senſus poſtulare uidetur, ut Quin, non qui legatur. & poſtea, Quin optimi. Expeditiorem. ] Id eſt, breuiorem, & faciliorem. Eorum. ] Qui hanc in Repub. ſectam ſequuntur. Liceat ijs, &c. ] Vt mihi & Flacco. Quibus integrum eſt. ] Id eſt, qui magiſtratus nec geſſerunt, nec petiuerunt. Calamitati fuerit. ] Vt condemnetur. Eſſe arbitretur. ] Eſſe non arbitretur mihi legendum eſſe uidetur. aut uiam uitæ præcipitem & lubricam appellat, quæ ſine magiſtratu agitur: & ſtabilem, quæ cum magiſtratu. Qui potuerint. ] Id eſt, qui magiſtratum nondū geſſerint. Hoc animo. ] Vt gerant magiſtratus. Huic miſero puero. Ad mouendos affectus Flacci filium puerum producit. Bonæ rationi. ] Id eſt, honeſtæ uitæ. Vt contra Metellus Numidicus dixit auctore Gellio cap. 6. lib. 1. Quid, inquit, nos à dijs immortalibus diutius expectemus, niſi malis rationibus finem facimus? Ne ſuum luctum. ] Inſtructum fuiſſe hunc puerum ſignificat, ut in peroratione lugeret. Id quàm circumſpecte faciendum ſit, Quintilianus lib. 6. ſcribit. Familiæ. ] Valeriæ.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO P. SYLLA

## FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

MARCO Lepido, & L. Tull. Volcatio Coſſ. P. Sylla & P. Antronius Cōſules deſignati, à L. Torquato competitore de ambitu accuſati, legibus pœnas dederunt. Eorum in locum facti ſunt Conſules, Ipſe Torquatus & L. Cotta. Hoc iudicium mox conſecuta prima Catilinæ coniuratio, qua Conſulibus & pleriſq; Senatoribus coniurati perniciem machinabantur. Altera coniuratio in Ciceronis Conſulatu emerſit. Hac oppreſſa factum eſt Senatuſconſultū, ut de coniuratis quæreretur. L. Torquati filius adoleſcens P. Syllā accuſauit, quod in utraque Catilinæ coniuratione fuiſſet. Eum de priore coniuratione Q. Hortenſius, qui tum præſens aderat, cum de ea quæreretur: de poſteriore Cicero, qui eam ipſe patefecit oppreſſitq́;, hac oratiōe defendit. Prius tamen quàm ad cauſam accedat, refellit quædam in ſe ab aduerſario in accuſatione dicta. In eum accuſator multū inuectus, eum primum leuem atque inconſtantem eſſe dixit, quòd cum patefecerit atque oppreſſerit coniurationem, quòd cum P. Antronium defendere noluerit, ſed in eum teſtimonium dixerit: P. Syllam coniurationis reum defendat. deinde eum regnare, quòd in quos teſtimonia dixiſſet, damnati eſſent: Sylla autem, quem defendit, ſperet ſe abſolutum iri. poſtremo peregrinum Regem eum appellauit. Negat Cicero Syllam in coniuratis fuiſſe. quem ſi Q. Hortenſius defendit, ſi omnes uiri boni defenſum uolunt, qui alium nullum ex coniuratis defenderunt, ſibi licere dicit, ut defendat. Antronium autem, quia coniurauerat, deſeruit. Se nec peregrinum, nec Regem eſſe oſtendit. Caſtigat Torquatum, quod coniuratorum pœnam mortemq́; lugeat: eumq́; hortatur ut maledicere deſinat, ne ſe cogat reſpondere. Nec iraſcendum eſſe ijs, qui amicos defendant, oſtendit. L. Caſſium Allobrogibus, quos in coniurationis ſocietatem ſollicitabat, cum alijs coniuratis P. Syllam nominaſſe Torquatus dixit. Id negat Cicero: ſed eum, cum Allobroges de Sylla quæſiſſent, reſpondiſſe ſe neſcire. Probat falſum Cicero, quod dixerat Torquatus, eum in tabulas publicas aliter retuliſſe atq; iudicatum ſit. C. Cornelij filius dixit, Syllam emiſſe gladiatores ad cædem & tumultum faciendum. Oſtendit Cicero Syllam eos emiſſe propterea quod ab eo Fauſtus Sylla ita petiuerit literis, ad munus gladiatorium debitum patri præſtandum. P. Cincium in Hiſpaniam ulteriorem à P. Sylla miſſum, ut eam turbaret: ab eodem Sylla impulſos Pompeianos, ut ad hanc coniurationem accederēt: L. Cæcilium Trib. pl. uoluiſſe legem ferre, qua P. Syllæ fratris iudicium de ambitu reſcinderet, Torquatus dixit. Hæc omnia Cicero refutat, negatq́; ſignificaſſe ſe in epiſtola ad Cn. Pompeium, Syllam in priore coniuratione fuiſſe, quod aduerſarius obiecerat.

Concludens

Concludens Cicero deos obteſtatur, Syllam ex coniuratione non fuiſſe. Affectus mirandum in modum mouet. Genus cauſæ iudiciale. Status coniecturalis. Hæc autem cauſa L. Murena & D. Iunio Syllano Coſſ. non multis menſibus poſt Conſulatum Ciceronis acta eſt. P. Syllam in priore coniuratione fuiſſe, Suetonius ſcribit in Cæſare Dictatore. Idem ſignificat T. Liuius libro centeſimo primo. Eum Salluſtius nominat cum ijs, qui fuerunt in poſteriore.

MAXIME uellem. ] P. Sylla & P. Autronius deſignati Conſules, ambitus damnati ſunt. P. Sylla, ut hanc calamitatem ferret modeſtius, Neapolim ſe contulit, ibiq; aliquantulum commoratus eſt: Autronius uero cum Catilina & Piſone coniurauit, de L. Torquato & L. Cotta deſignatis Conſulibus necandis, Cal. Ianuarijs, cum inirent magiſtratum, ut reſciſſa re iudicata, ipſe cum Catilina Conſul eſſet. Vt antea. ] Cum Conſul deſignatus erat. Obtinere. ] In codice antiquo Obtineret ſcriptum inuenio. quæ lectio nihil minus mihi placet. Et poſt calamitatem. ] Improba lectio non eſſet, ſi ſcriberetur, Aut poſt calamitatem. Poſt calamitatem acceptam. ] Id eſt, poſt condemnationẽ de ambitu. Accipere calamitatem dicit, ut accipere iniuriam, uulnus, plagam, dolorem. In Diuinatione: Si plurimas à tuo Prætore iniurias accepiſſes, tamen eas ferendo maiorem laudem, quàm ulciſcendo mererere. Seruius Sulpitius ad Ciceronem lib. Epiſtol. famil. 1. Mihi nunciauit, M. Marcellũ collegam noſtrum poſt cœnæ tẽpus à P. Magio Chilone familiari eius pugione percuſſum eſſe, & duo uulnera accepiſſe, unum in ſtomacho, alterum in capite ſecundum aurem: ſperare tamẽ, eum uiuere poſſe. Ci. lib. Epiſt. ad Atticũ 1. Ille locus inductus eſt à me diuinitus, ne una plaga accepta Patres Conſcripti conciderent. Et libro ſecundo: Si Protogenes Hialyſum illum ſuum cœno oblitum uideret, magnum credo acciperet dolorem. Modeſtiæ fructum. ] Quis modeſte calamitatem tulit, uellem maxime ut inimici eius contẽti eſſent, nec eum in iudiciũ uocaſſent. Ita tulit. ] Id eſt, ita uoluit. Caſus infeſtus. ] Id eſt, aduerſa fortuna quæ ei inſtabat urgebatq;. Ampliſſimo in honore. ] Id eſt, in Conſulatu. Conſul enim deſignatus erat Sylla, cum de ambitu damnatus eſt. Communi ambitionis inuidia. ] His enim qui magiſtratus facti ſunt, inuidere ſolent, ij præſertim ipſi qui magiſtratus petunt. Singulari Autronij odio. ] Multis enim Autronius ob improbitatem odioſus erat. Damnatus eſt igitur Sylla de ambitu ob communem ambitionis inuidiam, & ob Autronij odium ſingulare, qui Syllæ collega erat. Aequum enim uiſum non eſt, cum ambo eadem lege interrogarentur, ut altero damnato alter abſolueretur. Euerteretur. ] Id eſt, ſpoliaretur. ut Act. in Verrem 4. An huiuſmodi iudicium det, quo iudicio, in dicta cauſa fortunis omnibus euerti neceſſe ſit. De hoc uerbo plura ſcribimus pro Sex. Roſcio. Priſtinæ fortunæ. ] Cum eſſet Conſul. Haberet quoſdam. ] Vt C. Cornelium, & L. Torquatum. Moleſtiam capio. ] Id eſt, doleo. Capere detrimentum, dolorẽ, lætitiam, uoluptatem, idem dicit, inuectiua in Catilinam prima: Decreuit quondam Senatus, ut L. Opimius Coſ. uideret, ne quid Reſpub. detrimenti caperet. In lib. de Clar. oratoribus Cum è Cilicia decedens Rhodum ueniſſem, & eò mihi de Q. Hortenſij morte eſſet allatum, opinione omniũ maiorem animo cepi dolorem. Pro M. Cœlio: Minimum dolorem capiet, qui iſtam non uidebit. Libro Epiſt. famil. 3. Ego & ſi ipſe ita iudicabam, & fiebam crebro à meis per literas certior, tamen maximã lætitiam cepi ex tuis literis de ſpe minime dubia, & planè explorata triumphi tui. Item: Hoc uelim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis à te prouiſum eſſe intellexero, magnam te ex eo & perpetuam uoluptatem eſſe capturum. In cæteris malis. ] Id eſt, inter cætera mala. Lenitatem meam. ] Cicero enim lenis & miſericors natura fuit, ut etiã poſtea dicet. Quondam. ] Id eſt, ante Conſulatum meum, in quo fui ſeuerior in opprimenda coniuratione Catilinæ. Agnoſcerent. ] Id eſt, recognoſcerent. Noua enim cognoſcimus, agnoſcimus uero ta. Improbi. ] Ii præſertim qui in coniuratis fuerunt, aut cũ ijs ſenſerunt, aut eorum familiares fuerunt. Re domiti. ] Scribatur melius Edomiti, una uoce quã duab. re domiti. Præcipitante. ] Id eſt, ruente Vt. Nox humida cœlo Præcipitat, Et quoniam L. Torquatus. ] Propoſitio eſt, quam proœmio ſubiungit Ariſtoteles, ut ait Quintil. lib 3. Neceſſitatem. ] Neceſſitudinem hac in re Cicero dicit ſæpius. Quod tamen neceſſitas quoque dici poſſit, ut eſt apud A. Gell lib. 13. Neceſſitas, inquit, pro iure officioq; obſeruantiæ affinitatis'ue infrequens eſt. Quãquã qui ob hoc ipſum ius affinitatis familiaritatis'ue cõiuncti ſunt, neceſſarij dicuntur. reperi tamen in oratione C. Cæſaris, qua Plautiam rogationem ſuaſit, neceſſitatem dictam pro neceſſitudine, id eſt, iure affinitatis. Verba ſunt hæc: Equidem mihi uideor pro noſtra neceſſitate non laborare, non opera, non induſtria defuiſſe: Hæc ille. Cato maior, eiuſq; æmulus Salluſtius neceſſitudinem ſæpe dicunt, pro ui premente & cogente. Neceſſitudinis nomine continetur etiam ius & uinculum uicinitatis. ut in oratione pro Cn. Plancio: Mihi ad defendendum Plancium parum multæ, parum iuſtæ neceſſitudines erant familiaritatis, uicinitatis, patris amicitiæ? Familiaritatemq; uiolaſſe. ] Id eſt, Si in Sylla accuſando me uituperaſſet. De auctoritate, &c. ] Illud in agendis cauſis præcipuum eſt, ut orator ſit et habeatur uir bonus: proximũ, ut ſaltem habeatur. Cum igitur orator ab aduocato aduerſæ partis uituperatur, eius auctoritas diminuitur, nec iam habetur à iudicibus uir bonus. Itaque ſolet Cicero in defenſionibus, ſi quid ab accuſatore contra auctoritatem ſuam dictum ſit, id poſt proœmium, & ante cauſæ defenſionem refutare. Id ut hoc loco, ita pro L. Murena facit. Cum huius periculi propulſatione. ] Id eſt, cũ Syllæ defenſione. Coniungam defenſionẽ officij mei. ] Id eſt, officium meum defendã, quod L. Torquatus reprehendit. Ille. ] Torquatus: De huius præſidijs. ] Id eſt, de Syllæ defẽſione. Probauero. ] Id eſt, fecero ut approbetis. À cæteris clariſſimis uiris. ] Q. Hortenſio alijſq;, qui P. Syllam defendunt. Cum multis Cicero cauſam ſuam coniungit, ut oſtendat quòd illi multi non reprehenduntue, factum ſuum reprehenſione indignum eſſe. Ciceronẽ autẽ reprehendebat Torquatus, quod P. Syllã de coniuratione defenderet, cũ eius cõiurationis uindex fuiſſet. Q. Hortenſij factum. ] Id eſt, defenſio. Grauius. ] Id eſt, uerius et maioris momenti, & cui potius credendũ ſit. In his cauſis. ] Cõiurationis. Deſerendus, ] Id eſt, non defendendus. Patronus enim deſerit. Celebrari. ] Id eſt, frequentari. Vna. ] Id eſt, ſola. Hæc ornamenta ac lumina. ] Id eſt, hos uiros clariſſimos Apparere. Id eſt, eſſe & uideri. Illum in locum. ] Id eſt, ad Conſulatum. Celſiſſimam ſedem. ] Cello antiquum uerbum fuit, unde excello. Celſus inde dicitur, à quo celſiſſimus fit. In hanc celſiſſimam ſedem dignitatis. ] Id eſt in hanc ſummã dignitatẽ, qua ego nunc excello. Hoc genere quæſtionis. ] Id eſt, in ſimili cauſa, coniurationis ſcilicet. Non deſim P. Syllæ. ] Id eſt, P. Syllam defendam. Adeſſe pro defendere, abeſſe & deeſſe pro deſerere, id eſt, non defendere, in hoc loco ſæpe dici inuenias. L. Vargunteio. ] L. Varguntetus Senator ex coniuratione fuit. Is eſt qui cum C. Cornelio Ciceronem domi occidere ſuſceperat. Præſertim qui illum. ] Magnam apud ueteres fuiſſe clientis et patroni neceſſitudinem, neque clientes ſine ſumma infamia à patronis deſeri poſſe, eſt apud A. Gellium lib. 5. Cliens autem dicitur is, cuius cauſam patronus defendit. Solus. ] Maior neceſſitudo ſignificatur. Nonnullarum cauſarum multi aliquando patroni erant. ut L. Murenæ tres, L.

Cornelij Balbi totidem, Scauri ſex, ut ait Aſconius. Seruium Syllam.] Seruius Sylla Publij frater Senator ex coniuratis fuit, ut eſt apud Salluſtium. Quis Publium.] Legendum arbitror, quis P. Lentulum? P. enim Lentulus Sura cum alijs cõiurauit. M Leccam.] Per M. Porcium Leccam Senatorem coniurationis principes intempeſta nocte rurſus conuocatos, Salluſt. ſcribit. De conſilio coniurationis in domo eius habito, poſtea Cicero dicet. Quis Cornelium.] C. Cornelius ex equeſtri ordine. Cæteris in cauſis.] Negat Cicero in libro de Offic. 2. habendum eſſe religioni contrarium, nocentem aliquando & nefarium impiumq; defendere: Vult inquit hoc multitudo, patitur conſuetudo, fert etiam humanitas. Non defendend. &c.] Id eſt, defendendos putaui. Contagio quædam ſceleris.] Affinis enim ſuſpicioni eſt, qui alium coniurationis defendit. Obſtrictum eſſe patria. Quid ſi legas, Obſtrictum eſſe patriæ ſcelere? ut ſit patriæ ſcelus, quod in patriam excogitatum uel admiſſum ſit. Nam obſtringere ſcelere ſæpe dicit Cicero. Vt in lib. de Offic. 3. Num igitur ſe obſtrinxit ſcelere, ſi quis tyrannum occidit, quamuis familiarem? Act. in Verr. 3. Neque iſte mihi uidetur ſe ad damnationem offerre ſolum, neque hoc auaritiæ ſupplicio communi qui tot ſceleribus ſe obſtrinxerit, contentus eſſe. Et Act. 7. Nam omnes qui tanto ſe ſcelere obſtrinxerint, ut aut fidem ſuam corrumpi paterẽtur, aut iudicium corrumperent, in diſcrimen ac iudicium uocandi? Teſtimonio læſerunt.] Id eſt, contra eum teſtimonium dixerunt. Simplex officium.] Id eſt, unum ab omnibus obſeruatum, ut uidelicet nemo ciuis bonus quenquam ex coniuratis defenderit. P. Syllam & Hortenſius & multi uiri clariſſimi defendant, quod eum in coniuratione ſciant non fuiſſe. Cauſa mea propria.] Id eſt, quam ego ſolus ſuſcipiam. Tempus agendi.] In inueſtiganda coniuratione. Partiendæ inuidiæ.] Sententia eſt, Quod dicam in opprimenda coniuratione me fuiſſe principem, & omnes bonos ciues fuiſſe comites, id non dico, ut mecum inuidiam ſubeant, ſed ut cum his gloriam communicem. Teſtimonium dixiſti.] Id dicendi genus ut frequens eſt, ita ferre teſtimonium, niſi uulgo, non dicitur. Quãuis id dixerit Calliſtratus Iuriſc. lib. Digeſt. 22. de Teſtibus: An ei, inquit, inimicus ſit, aduerſus quem teſtimonium fert? Fidem tribui.] A` uobis ſcilicet. Vna quæ Lepido.] M. Lepido & L. Tullio Volcatio Coſſ. circiter Nonas Decembres P. Antronius, L. Catilina, & Cn. Piſo, ut ante dixi, coniurauerunt interficere in Capitolio Calendis Ian. L. Torquatum & L. Cottam, cum inirent Conſulatum, ut Antronius & Catilina per uim Cõſules eſſent. De ea coniuratione Salluſtius plura ſcribit. Anno eo quo Volcatius & Lepidus Coſſ. erãt, Cicero prætor fuit, ut ait Aſconius. Conſilij.] Cum de priore coniuratione quæreret. Vſus.] Id eſt, familiaritas. Ad propoſ. mihi finem ho.] Id eſt, ad Conſulatum, quem biennio poſt Præturam ſe dicit adeptum, in oratione in Rullum ad Quirites. Mea ambitio.] Id eſt, Conſulatus petitio. Forenſis labor.] Quem in amicis defendendis ſuſcipiebam. defendere enim quàm accuſare magis laborioſum eſt. Conflari.] Id eſt, fieri. de hoc uerbo plura ſcribimus in primam Inuectiuam Ciceronis. Creare periculum in re eadem dici, pro Corn. Balbo ſcribimus. Grauia.] Id eſt, uera, & quibus creditum eſt. Fortuito.] Id eſt, caſu, & ut uulgo dicunt, ex caſu fortunæ. ut libro de Legibus 1. Itaque ad hominum commoditates et uſus tantam rerum ubertatem natura largita eſt, ut ea quæ gignuntur, donata conſulto nobis, non fortuito nata uideantur. Et libro de Diuinatione ſecũdo: Quarum omnium cauſas ſi à Chryſippo quærerem, ipſe ille Diuinationis auctor nunquam illa dicet facta fortuito, naturalemq; rationem omnium reddet. Et lib. Epiſtolarum familiarium 5. Tibi perſuadeas uehementer uelim, non me repentina aliqua uoluntate, aut fortuito, ad tuam amplitudinem meis officijs amplectendam incidiſſe. Sed ut fortito & fortitu dici alio loco ſcripſimus, ita fortuitu quoque Cicero ſæpe dicit. ut in lib. de Offic. 1. Ne quid temere aut fortuitu, inconſulte negligenterúe agamus. Et libro de Diuinatione 2. Nihil eſt tam contrarium rationi & conſtantiæ, quàm fortuna: ut mihi ne in deum quidem cadere uideatur, ut ſciat quid caſu & fortuitu futurũ ſit. Nec temere.] Id eſt, nec ſine cauſa. Quæ enim Antronij.]

Oſtendit cauſam cur Syllæ adſit, cum Antronio defuerit.

Ambitus iudicium tollere.] Antronius de Ambitu damnatus, Conſulatu excidit. Idcirco cum Catilina coniurauit, ut deſignatos Coſſ. Cottam & Torquatum Cal. Ianuarijs interficerent, cum inirent magiſtratum, ut ipſi faſcibus correptis per uim Conſules eſſent, ut ante diximus. Itaq; Antronius, qui de ambitu damnatus erat, illam iudicum ſententiam tollere conatus eſt. Tollere.] Tollere, diſturbare, reſcindere iudicium, aut rem iudicatam, in eadem re dicimus, pro eo quod uulgo dicunt, quaſſare & annihilare ſententiam iudicis. Vt poſtea Cæcilius, qui id promulgarit, in quo res iudicatas uidebatur noluiſſe reſcindere. Infirmare quoq; iudicium in eadem re alibi dicit. Tumultu.] Id eſt, multitudine, tanquam ad bellum domeſticũ gerendum. Lapidatione.] Id eſt, lapidum iaculatione. Vt in lib. de Oratore 2. Habueras enim tu omnia in cauſa ſuperiora: uim, fugam, lapidationem, crudelitatem Tribunitiam, in Cæpionis graui miſerabiliq; caſu in iudicium uocabas. Eſt autem lapidare, lapidibus pugnare: quod etiam lapidationem facere Cicero dicit pro P. Seſtio: Iiſdem Conſulibus arma in templo Caſtoris palàm portabantur, gradus eiuſdem templi tollebantur, armati homines forum & conciones tenebant, cædes lapidationesq; fiebant. Quo in loco lapidationem pro trucidatione lapidibus facta dicere uidetur, ut in libro Epiſtolarum ad Quintũ Fratrem ſecundo. Is cum grauiter de Clodianis incendijs, trucidationibus, lapidationibus queſtus eſſet, ſententiam dixit. Facere lapidationem ſaxis, idem dixit pro Domo ſua: Inde ſaxis facta lapidatio eſt. Lapidare hominem, ut arbitror, non dicitur. T. Liuius lapidare pro eo quod eſt lapidibus pluere, ſæpe dicit. ut lib. 27. Nouendiale ſacrum fuit, quia Veijs de cœlo lapidauerat. Idẽ quoque lib. 29. lapidatum eſſet imperſonale dixit: Nouendiale ſacrum, quòd de cœlo lapidatum eſſet, factum. Idem quoq; dicit lapidibus pluere. Sed de hoc aliàs. Ampliſſimis ordinib.] Id eſt, Senatui & equeſtri ordini. Calamitate.] Id eſt, condemnatione. Noctem & ſolitudinem.] In quibus conſilia de coniuratione agitarent. Erecto, ſine emiſſo.] Correctio eſt, ad euitandam inuidiam. Falces.] Falces, ut ait Non. Marcellus armorum genera erãt, murorum oppugnationi apta. Siſenna: Falces iniectas comminuunt, pluteos propius collatis harpagis deijciunt, mittunt è turribus. Vegetius lib. 4. falcem eſſe dicit trabem, quæ adunco ferro præfigitur, ut de muro extrahat lapides. Ea in teſtudine muris applicari ſolet. Lentuli pœna.] Id eſt, cum de Lentulo ſumptum ſupplicium eſt. Conuertit ſe aliquando ad timorem.] Id eſt, ipſe audax tandem cœpit timere. Huius affines ſuſpicionis.] Id eſt, ad quos coniurationis ſuſpicio pertineret. Affinis ſuſpicionis & ſuſpicioni quod dicatur, alio loco probauimus. Calamitoſorũ.] Id eſt, damnatorum. Officia.] Id eſt, beneficia. In ſedibus meis.] Id eſt, in domo mea. Qua mollitie ſum animi.] Molle cum ad animum refertur, putant in malam partem accipi. Hoc tamen in loco Cicero mollitiem animi pro miſericordia & lenitate dicit. Sed tamen in Partionibus Oratorijs, mollitiem animi uitium eſſe, quod lenitatẽ imitetur, dicit. Eius uerba ſunt: Atque hæc quidem uirtutum, uitiorum autem ſunt genera contraria. Cernenda autem ſunt diligenter, ne fallant ea nos uitia, quæ uirtutem uidentur imitari. Nam & prudentiam malitia, et temperantiã immanitas in uoluptatibus aſpernandis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollẽdis,

&

& deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, et patientiam duricia immanis, & iuſtitiam acerbitas: & religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & uerecundiam timiditas, &c. Mollitudo quoq; dicitur, ut apud Ciceronem libro Tuſculanarum 5. quidam poeta: Lenitudo orationis, mollitudo corporis. Idem Cicero libro de Oratore tertio. Ordo urbanitatis, & mollitudo humanitatis, & murmur maris, & dulcedo orationis ſunt ducta à certis ſenſibus. Puerorum infantium.] Id dici alio loco docuimus. Pueritia enim durat uſque ad annum 17. completum, quo toto tempore pueri infantes non ſunt. Marcellis patri et filio.] Marcellum patrem arbitror eſſe eum, quem poſt ciuilem uictoriam, Senatu rogante, Caeſar reſtituit. M. Meſſalae.]

M. Meſſala Niger orator fuit, quem cum M. Marcello Aſconius numerat inter Scauri patronos. Vt ſpero.] Id eſt, ut puto. Sed non permiſſum.] Regnaſſet enim Catil. niſi conatus eius repreſſi eſſent. In tanto imperio id eſt, in Conſulatu. Eſt autem argumentum ex remotione. Nam ſi rex Cicero fuit, fuit Conſul, aut priuatus: Non fuit cum erat Conſul, nec tum etiam cum erat priuatus: Rex igitur non fuit. In quos teſtimonia dixiſti.] De coniuratis deprehenſis intelligit, in quos Ciceronem dixiſſe teſtimonia ex iudicio coniurationis licet conijcere. Si falſum dixerim.] Ex remotione argumentum eſt. Te in eos dixiſſe.] Artificioſum eſt, ut ab aduerſario factum reſpondeat, quod ei aduerſarius obiecerat. Iuratos.] Id eſt, iudices, qui uerum teſtimonium tum probauerunt, cum eos, in quos dictum teſtimonium eſt, damnauerunt. Praeter fidem defenſionis.] Quam clienti patronus praeſtare debet. Profugiſſet,] Id eſt, ut uulgo dicunt, aufugiſſet, & patriam reliquiſſet. inde profugus, qui uulgo dicitur fugitiuus. Cui innocentes homines.] In aduerſarium retorquet, quod is in ſe coniecerat. Deſerit.] Nam deſerit patronus. Tarquinium & Numam.] Numam Pompilium Sabinum, & Tarquinium Priſcum Etruſcum Corinthio patre natum, eſt apud T. Liuium lib. 1. Peregrinum.] Peregrinus is eſt qui in ciuitate eſt, cuius ipſe ciuis non eſt. Ciceronem autem peregrinum dixit, quòd Arpinas eſſet. Quàm Conſulem Romae fuiſſe peregrinum.] Nullus enim adhuc Conſul fuit, qui ciuis non eſſet. Nullus peregrinus ciuis eſt: Ego igitur primus & ſolus fui Conſul peregrinus. Vnde iterum iam ſalus, & caetera.] Primum per C. Marium, qui Cimbros & Teutones urbi Romae imminentes deleuit. quocirca principes ciuitatis alioqui ei inuidentes, quòd nouus homo eſſet, conſeruatam ab eo Rēpub. fatebantur: ut ait T. Liuius lib. 68. Deinde per Ciceronem, qui coniurationem inueſtigauit, patefecit & oppreſſit. Itaque Q. Catulus princeps Senatus eum frequentiſſimo Senatu parētem patriae nominauit, ut ait idem Cicero in L. Piſonem. Qui ex municipijs ueniant.] Cicero in lib. de Legibus 2. Ego mehercule, inquit, omnibus municipibus duas eſſe cenſeo patrias: unam naturae, alteram ciuitatis. Vt ille Cato cum eſſet Tuſculi natus, in pop. Romani ciuitatem ſuſceptus eſt. Itaque cum ortu Tuſculanus eſſet, ciuitate Rom. habuit alteram loci patriam, alteram iuris. Cum plurimos haberet inimicos.] Nam quater et quadeagies cauſam dixit, nec ſaepius quiſquam poſtulatus eſt, ut ait Plin. lib. 7. T. Coruncano.] Qui Tuſculanus fuit. de quo plura ſcripſimus in Catonem maiorem Ciceronis. Nemo Curioni.] In codicibus alijs ſcriptum eſt, Nemo Curio. M. Curius ubi natus ſit legere non memini. Cicero pro L. Murena, hunc nouum hominem eſſe dicit. Idem in lib. de Legibus 2. paruae cuiuſdam uillae Curianae in Sabinis meminit. Cum ei multi.] Praecipue nobiles, quia nouus homo erat. Eius inimici fuerunt L. Craſſus, M. Scaurus, omnes Metelli, ut ait Cicero in libro de Prouincijs conſularibus. ubi illa eius uerba ſunt: Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? Non poſſunt omnes eſſe patricij.] Auctore T. Liuio libro 1. centum Senatores qui à Romulo conſtituti ſunt, Patres ab honore, eorumq; progenies Patricij appellati ſunt. Quibus uerbis ſignificare uidetur, eos Patricios eſſe, qui ab illis primis ſenatoribus originem duxerint. Per adoptiones tamen fiebant, aut eſſe deſinebant Patricij. Antelri.] Gloria ſuperari. Inueterauit huic urbi. In hac urbe tanquā plantatus eſt, & altas egit radices, ut non facile euelli poſſit. Peregrinorum,] Id eſt, municipum, quos appellas peregrinos. Ne ſuffragijs obruare.] Id eſt, ut pauca habeas pro te ſuffragia, & ideo contra te plurima. Vt Act. in Verr. 4. Obruitur enim aratorum teſtimonijs. Te ex ſomno ſaepe exci.] Te diligentiorem in magiſtratus petitione facient, quia tibi metum inferent. Ne & uos.] Cum iudicum cauſa ſuā coniungit, ut Torquatum in odium adducat. Sileretur.] Id eſt, ſileri deberet. Eſt enim ipſe à mat. gen.] Propterea tamen municeps Torquatus non eſt. Municipem enim (ut ait Vlpianus lib. 50 Digeſt. ad Municipalem & de incolis) aut natiuitas facit, aut manumiſſio, aut adoptio. Patris autem, nō matris municipium liberi ſequūtur, niſi forte priuilegio aliquo materna origo cēſeatur. Tū enim maternae originis erit municeps. ut puta, Ilienſibus conceſſum eſt, ut qui matre Ilienſi eſt, ſit eorū municeps. Etiam Delphis hoc idem tributum & conſeruatum eſt. Celſus etiam refert, Ponticis ex beneficio Pompeij magni competere, ut qui Pontica matre natus eſſet, Ponticus eſſet. Sed tamen Aſculani.] Aſculum Piceni colonia eſt. Ea autem colonia pop. Rom. inuiſa erat, propterea quod initio belli Italici Q. Seruilius Proconſul cum omnibus Romanis ciuibus qui in eo oppido erant, occiſus eſt, ut eſt apud T. Liuium lib. 72. Me meum non anteponere.] Quod mihi iure liceret anteponere. Vt non modo homini nemini.] Haec magnanimi uiri officia eſſe, Cicero in lib. de Offic. 1. ſcribit. Sentire.] Id eſt, ſententiam dicere. Poſitis.] Id eſt, collocatis. Honeſtum ocium.] Id eſt, immunitatem, quae ſexagenarijs iure dabatur. Nondum autem ſenex Cicero erat. Sibi hab. hono.] Quid ſi legeretur, Sibi haberent alij honores. Rerum geſtarum uacatio.] Id eſt, immunitas ob res geſtas, uel à rebus gerendis. ut apud T. Liuium lib. 24. Nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpſerunt, qui quadriennio non militaſſent, quibus neque uacatio iuſtae militiae, neque morbus cauſa fuiſſet. Tamen hoc regnum appel.] Hoc enim à more uiuendi regum alieniſſimum eſt, qui otium quietemq; labori anteponūt. Vicarius.] Id eſt, ſucceſſor, & ut uulgo dicunt, locū tenens. Replices.] Id eſt, reuoluas, & ut uulgo dicunt, duplices. Nam ibi particula Re mutat ſignificationem dictionis cui apponitur. Tranſtulit autem ex more ueterum, qui cum in folijs arborum uel corticibus ſcribebant, folia aut cortices ordine diſpoſitos uoluebant aut plicabant: cum uero legere uolebant, euoluebant aut replicabant. Annalium memoriam.] Id eſt, libros annalium. Principio Romae non erant hiſtoriarum ſcriptores. ut enim ait Cicero. lib. de Orat. 2. erat hiſtoria nihil aliud, niſi annalium confectio: cum rei memoriaeq; publicae retinendae cauſa ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mutium Pont. Max. res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pont. Max. efferebatq; in album: & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi. Iiq; Annales maximi nominantur. Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſine ullis ornamētis monimenta ſuorum temporum, hominum, locorum, geſtarumq; rerum reliquerunt. Annalibus Pontificum Max. Cicero lib. de Legibus 2. negat quidquam eſſe iucundius. Idem illos nominat primos Romanae hiſtoriae ſcriptores Latinos, Fabium Pictorem, Catonem, Piſonem, Fannium, Venonium. Annalium memoriā.] Doli enim tum annales erant, cum M. Manlius affectati regni damnatus de ſaxo Tarpeio in Tyberim praecipitatus eſt, ut eſt apud Tit. Liu. lib. 6. Ex domeſticis imaginibus inuenies.]

Amarulentũ ſcomma eſt. Idq; artificioſum eſt, ut in aduerſarij familia dicat fuiſſe, quod ſibi ab aduerſario obiectum ſit. Spiritus.] Id eſt, ſuperbiam & animi elationem. Tam immortalibus.] Vt pro P. Seſtio: Tu hoc loco laudas Milonem, & iure laudas. quem enim unquam uirum tam immortali uirtute præditum uidimus? Adeptum fore.] Hoc dicendi genus Ciceroni non omnino infrequens, contra Grammaticorum præceptiones eſt. Nam adeptum eſſe dicendum præcipiunt. A' ueſtris ceruicibus.] Id eſt, ab interitu ueſtro. Niſi uero paucos.] Res enim tanta à paucis confici non potuiſſet. Suam ſalutem cum mea coniungunt.] Id eſt, nolunt uiuere & mori mecum, nec me mortuo ſe uiuere poſſe arbitrantur. Furorem conſceleratum.] Hoc dicitur antea, Voluntates conſceleratas. De hoc nomine alio loco ſcripſimus. Cum L. Torquatus.] A' minore ad maius oſtendit nihil mirandum eſſe, ſi de ſe improbi obloquantur, cum etiã L. Torquatus probus adoleſcens de eo improbe loquatur. Conſulis.] Vel Conſularis legendum eſt, uel Conſulis intelligendum eſt, eius qui Cõſul fuit. Suppreſſa uoce.] Id eſt, ſubmiſſa. Nam preſſo uoce, & ſuppreſſa, & preſſe, & leniter loqui dicimus: Submiſſa, aut parua, aut quod uulgus dicit baſſa uoce, non dicimus. uel contra, magna & clara uoce dicere, aut clare loqui dicimus, non alta uoce: de quo dicendi genere alio loco ſcripſimus. De ſcelere.] Id eſt, de coniuratione. Qui ea probaris.] Quæ de ſcelere diceret. De ſupplicio.] Quod in carcere, quod Tullianum appellatur, ſuſpenſus ſit. Abſurdum.] Id eſt, improbum. Leniter.] Legendum eſſe Leniter, ſatis doceri poteſt etiam illo Cic. ex libro de Offic. 1. In uoce duo ſequamur, ut clara ſit & ſuauis. Vtrunque omnino à natura petendum eſt. uerum alterũ exercitatio augebit, alterum imitatio preſſe loquentium & leniter. Audire nolebat.] Quod ſciret eos fauere coniurationi. hæc autem de coniuratorum ſcelere & audacia eſſe. Se uenditabat.] Id eſt, ut uulgo dicunt, complacere uolebat. Alterum iam oratoris uitium.] Vt cauendum oratori eſt, ne aduerſarij cauſam adiuuet: ita multo magis, ne quid dicat, quod cauſam ſuam lædat. Quod igitur coniuratorum pœnam mortemq; lugeat, coniurationem probare uidetur, quod accuſationi contrarium eſt. P. enim Syllam accuſat, quòd in coniuratione fuerit. Quod cum is Trib. pleb.] Arbitror eſſe legendum. Quod is Trib. pl. P. autem Clodium Trib. pl. deſignatum ſignificare uidetur. Clariſſimum uirum.] T. Manlium Torquatum, qui filium ſecuri percuſſit, quòd iniuſſu ſuo cum hoſte pugnaſſet. Cum enim cæſa ceruice fuſus eſt cruor, tum libero conqueſtu coortæ uoces ſunt, ut neque lamentis, neque execrationibus parceretur, ut ait T. Liu. lib. 8. Nec Torquato Romam reuertenti iuuentus obuiam profecta eſt. Vt igitur fuerunt qui præclarum hoc patris tui factum reprehenderent, ita tu reprehẽdis factum Reip. quæ hoſtes ſuos necauit, ne ab iis necaretur. De inuidioſis rebus.] Quibus me in inuidiam Torquatus adducere conatus eſt, quæ mihi improborum omnium odia conciliarunt. Ad occaſum.] Auctore Donato in commentarijs in librũ Aen. 1. Caſus paruæ rei eſt, uel perſonæ inferioris: occaſus magnæ rei, uel perſonæ ſuperioris. Nam ſolem lunamq; occidere, & uiros præclaros occidiſſe dicimus. Virg. Hoc equidem occaſum Troiæ, triſteſq; ruinas Solabar, fatis contraria fata rependens. Sine tumultu.] Bellum Gallicum, aut Italicum appellari tumultum, quòd in eo timor multus eſſet, ſcribit Cicero in Philip. 8. Quibus in bellis ne ſacerdotibus quidem aut ſexagenarijs uacatio erat. Cum igitur bellum huiuſmodi impendebat, tumultũ eſſe decernebat Senatus, ut uacationes tollerentur. Id ſignificat Cicero in Philip. 5. cum cenſet M. Antonium qui Brutum Mutinæ obſidebat, hoſtem patriæ iudicandum. Quamobrem, inquit, Patres conſcripti Legatorum mentionem nullam cenſeo faciendam. Rem adminiſtrandam arbitror, ſine ulla mora & teſtim gerendam cenſeo. Tumultum decerni, iuſtitium indici, ſaga ſumi dico oportere, delectum haberi, ſublatis uacationibus in urbe & in Italia præter Galliam totam. Sine tumultu igitur.] Id eſt, tumultu nõ decreto à Senatu. Sine delectu.] Id eſt, nullo militum delectu habito, id eſt, nullis militibus cõgregatis. Quinque hominibus comprehenſis.] Plures fuerunt comprehenſi, ſed de quinque ſolum in Tulliano carcere ſumptũ ſupplicium eſt: Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Cæpario. Confeſſis.] Quamuis confodere priore ſit uulneribus necare, hoc tamen in loco dicit, pro eo quod eſt laqueo gulam frangere. Hoc enim genere mortis hos quinque coniuratos interijſſe Salluſtius ſcribit. Incenſione.] Id eſt, incendio, ut inuectiua in Catilinam 3. Eundemq; dixiſſe fatalem hunc eſſe annum, ad interitum huius urbis atque imperij, qui eſſet decimus annus poſt uirginum abſolutionem: poſt Capitolij autem incenſionem, uiceſimus. Internitione.] Internetione legendum eſt. idq; nomen appoſitione uerbi factum eſt, quæ eſt interneco: ut ab occido occidio dicitur. Arcem regum & nationum.] Regum enim, populorum, & nationum portus erat & perfugium Senatus Rom. ut eſt apud Cic. lib. de Offic. 2. Iuratus.] Id eſt, teſtis. In coniuratos enim Ciceronem dixiſſe teſtimonium Torquatus obiecerat. In maxima concione.] Id eſt, in concione pop. Rom. Subito te amare.] Propterea quod inuehare, quod coniuratorum pœnam mortemq; lugere uideare. L. Ille Torquatus.] De hoc Torquato in perſona tertia loquitur. Cum eſſet meus contuber. &c.] Vt Romana iuuentus inſtitueretur melius, clariſſimorum uirorum filij adoleſcentes cum Conſulibus in prouinciam proficiſcebãtur, aut cum iiſdem Romæ manebant. Id ſignificat Cicero pro M. Celio. Cum, inquit, paulum iam roboris acceſſiſſet ætati, in Africam profectus eſt, Q. Pompeio proconſuli contubernalis, caſtiſſimo uiro atque omnis officij diligentiſſimo. Et pro Cn. Planco: Hic eſt enim qui adoleſcentulus cum A. Torquato profectus in Africam, ſic ab illo grauiſſimo & ſanctiſſimo uiro dilectus eſt, ut & contubernij neceſſitudo & adoleſcentuli modeſtiſſimi pudor poſtulabat. Signifer eſſet iuuentutis.] Signiferi, ut ait Vegetius lib. 2. ſunt qui ſigna portant, quos draconarios uocant. Vt autẽ legionis aquila, ita ſingularum cohortium ſigna dracones erant: quæ ſigna qui ferebant, ſigniferi appellabantur. Pro principe ſigniferum Cicero dicit pro domo ſua: Quis eſt Sergius? armiger Catilinæ, ſtipator tui corporis, ſignifer ſeditionis, &c. Iuuentutis.] Id eſt, militum. In Pretura.] Id eſt, biennio ante Cic. Prætore. Particeps extitit.] Princeps potius, quàm particeps legi debet. Animi uirtute.] Id eſt, ut uulgariter dicunt, animoſitate. Sed iam redeo ad cauſam.] Poſtquam purgauit quæ in ſe Torquatus dixerat, ad Syllæ defenſionem accedit. Dicenti mihi impoſita neceſſitas eſt.] Id eſt, dicere coactus ſum. Allobrogibus nominatum.] Cum L. Caſſius Longinus legatos Allobrogum ad communionem coniurationis impellere conaretur, multos nobiles uiros ex coniuratione nominauit. Autronium cum nominaſſet, Allobroges de P. Sylla quæſiuerunt. L. Caſſius neſcire ſe dixit. Nominatum Allobrogibus.] A' L. Caſſio ſcilicet. Quis negat Syllæ iudicium: Ita in alijs codicibus ſcriptum inuenio. Non deſunt tamen qui legant Quis negat? Secum facere.] Id eſt, ex coniuratione ſecum eſſe. Eſſe in eadem uoluntate.] Aſcribendum eſſe uerbum arbitrabantur, aliud'ue quod eiuſdem ſignificationis puto, ad hanc ſententiam. Videte diligentiã Gallorũ, qui Antronium & Syllam nunquam uiderant, de iis tantum audiuerant: eos autem arbitrabantur in eadem uoluntate eſſe, propterea quod fuerant pari calamitate, id eſt ſimul de ambitu damnati. Crimnoſum.] Criminoſum, non criminale dici alio loco ſcripſimus. Non debebat minuere illorum ſuſpicionem,] Salluſtius in bello Catilinario ſcribit, Allobroges per P. Vmbrenum

ſollicitatos,

ſollicitatos, eoſq; in domum D. Bruti perductos fuiſſe, quòd foro propinqua erat, neque aliena conſilij propter Semproniam. nam tum Brutus Roma aberat. Præterea Gabinium ab Vmbreno accerſitum, quo maior auctoritas ſermoni ineſſet. Quo præſente Allobrogibus coniurationem aperuiſſe, ſocios nominaſſe, præterea multos cuiuſque generis innoxios, quo Legatis animus amplior eſſet. Etenim eſſet abſurdum.] Si ex coniuratis Sylla eſſet, ſcilicet. Afflicta fortuna.] Id eſt, condemnatio. Non prius Antronium quàm Syllam.] Si Sylla ex coniuratis fuiſſet. Sylla enim Antronio nobilior erat. Illud probari minime poteſt.] Id eſt, illud uerisſimile non eſt. Propter calamitatis ſimilitudinem.] Id eſt, quia ſimul de ambitu uterque condẽnatus fuerat. Neſcire certum.] Certe ſcio, certo, & certum: itemq; certum habeo, & pro certo, in eadem re dici, ſcripſimus in librum Ciceronis de Senectute. Nõ purgetur aliquis, &c.] Purgare & arguere contraria ſunt. Cum quis cuiuſquã dicto uel facto aliquid feciſſe uel non feciſſe probari poteſt, is arguitur uel purgatur. Arguere hoc in loco eſt, quod dicunt onerare: & purgare, quod dicunt deonerare. Verum ſubleuat Syllam, an ſatis probat ſe neſcire.] Argumentum a remotione eſt. Subleuat.] Id eſt, ut uulgo loquuntur, ſupportat. Ne indicent.] Galli Syllam. Neſciuit.] Altera disiunctionis pars eſt. Ante enim quæſiuit, utrum ſubleuat Syllam, an ſatis probat ſe neſcire? Sed non Subleuat, igitur neſciuit. Sed ne hoc quidem. Celatum eſſe Caſſiũ.] Ab alijs coniuratis, aut à Catilina. Celare, ut ait Cicero in libro de Officijs. 3. eſt cum quid tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſa uelis eos, quorũ interſit id ſcire. Extra coniurationem.] Vt in lib. Inuectiuarum 1. Quid enim Catilina eſt, quod te iam in hac urbe delectare poſſit, in qua nemo eſt extra iſtam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo qui te non oderit. O dij immortales.] Quæ uix humano conſilio fieri potuiſſent, ea dijs fauentibus atque conſulentibus ſe dicit feciſſe, quo factis ſuis maior auctoritas tribuatur. Diſpexerim.] Id eſt, prouiderim & inuenerim. Conſeruandæ patriæ cupiditate. Cupiditatem in bonam partem accipi attende, quoniam in malam dicitur ſæpius. Ab omnibus cæteris. Nam pluribus intẽtus minor eſt ad ſingula ſenſus. Et ut ait Cicero pro L. Cornelio Balbo: Aſſiduus uſus uni rei deditus, & ingenium & artem ſæpe uincit. Et inſcientia.] Quamuis in alijs codicibus inſcitiæ legatur, legi tamen ab inſciente Inſcientiæ poſſe, pro Balbo ſcripſimus. Prætuliſtis menti meæ.] Vt in his tenebris mens mea ueſtro lumine illuſtraretur. Nam id me multũ fefellit.] Nunquam enim putaram fore, ut uiri boni, qualis Torquatus eſt, dicerent aliter iudicata hæc eſſe, quàm in literas publicas relata eſſent. Naufragus patrimonio.] Id eſt, patrimonij decoctor, cui ex toto patrimonio nihilo magis relictum eſt, quàm naufrago ex naufragio. Otij.] Id eſt, pacis. Vento aliquo excitato. Ventum in aliquem excitare, eſt alicui negotium faceſſere, periculum creare, aduerſam fortunã excitare. Portum.] Id eſt, requiem & finem. Sententia autem eſt: Vidi fore, ut improbi aliqui hæc iudicata aliter eſſe dicerent, quo facilius in malis reipublicæ optimum quenque ex cõiuratione eſſe poſſent dicere, ut malorum ſuorum aliquem portum inuenirẽt. Nam in ijs reipublicæ malis præmium aliquod iudicibus conſtitui poſſet, aut ſatis magnum ſibi præmium eſſe improbi homines putarent, ſi bonis ciuibus negotium exhiberent. Conſtitui Senatores. Id factum Plutarchus in uita Catonis ſcribit, cum in Senatu de coniuratorum comprehenſorum pœna ageretur: Conſul, inquit, Cicero uelociſſimos ſcriptores diſpoſuit, atq; docuit, ut per ſigna quædam & paruas breueſq; notas multarum literarũ uim habentes dicta colligerent. Nondum enim reperti erant ij qui notarij appellantur, ſed tum demum eius rei ueſtigium extitiſſe ferunt. Idem Catonis ſententiam tum excerptam atq; ſeruatam putat. Memoria, ſcientia.] Hæc quatuor quæ notarijs neceſſaria ſunt, ad faciendam fidem tabularum ab ijs Senatoribus excerptarum dicit. C. Coſconium.] Qui poſtea Proconſul Hiſpaniam adminiſtrauit. M. Meſſalam.] Huius & Appij Claudij ſæpe meminit Cicero in Epiſtolis. Priuata cuſtodia.] Id eſt, domi meæ. Conſules enim alijq; magiſtratus res in magiſtratu geſtas, in commentarios per ſcribas ſuos curabant referendas, eoſq; commentarios apud ſe retinebant. Deſcribi.] Id eſt, in exempla multa tranſcribi, & ut uulgo dicunt, duplicari & copiari. Vt in legem Agrariam Rulli: Aliquando tandem me deſignato lex in publicum proponitur. Concurrunt iuſſu meo plures uno tempore librarij, deſcriptam legẽ ad me afferunt. Tranſcribere in eadem re idẽ dixit pro A. Cluentio: Digito legata deleuit, & cum id multis locis feciſſet, poſt mortem eius (ne lituris coargui poſſet) teſtamentum in alias tabulas tranſcriptum ſignis adulterinis obſignauit. Ne quis poſſet tantum, &c.] Id eſt, ne quis plus aut minus de periculo reipublicæ aut alicuius cogitaret, quàm res fuiſſet. Temere.] Id eſt, ſine cauſa, & ut uulgo dicunt, leuiter, & re non bene examinata. Aut obliuio.] Si quid in meis commentarijs omiſiſſem. Aut memoria.] Si omnia ſcripſiſſem. Tuus inimicus.] P. Sylla. Summæ negligentiæ.] Quod de commutato iudicio tacueris. Tenuiſſima ſuſpicione perſtrinxit.] Id eſt, maledicto minimo me laceſſiuit, & in tenuiſſimam ſuſpicionem maledicto uocauit. Præuerterim.] Id eſt, reſpondendo ſuperauerim. Præuertere enim eſt tranſire & ſuperare. ut apud Virgilium: Volucremq; fuga præuertitur Hebrũ. Nam ut reuertere & reuerti, ita præuertere & præuerti in eadem re dicimus. Excuſſos arbitrari.] Ab hyſtricibus tranſlatio facta uidetur. Hyſtrici enim, ut ait Plin. lib. 8. longiores aculei, & cum intendit cutem, miſſiles, ora urgentium figit canum, & paulo longius iaculatur. Retuliſſe gratiam.] Id eſt, repoſuiſſe iniuriam. Non debes tamen quenquam.] Locus hic altercationi ſimilis eſt, ſed utranque perſonam ſuſtinet Cicero. Quæſtione.] Id eſt, cauſa. Coactus.] Periculo Reipublicæ. Creditum eſt.] Meo teſtimonio. At defendere.] Legi oportet, At non defendere. Modum.] Id eſt, finem. Cum honos agebatur, &c.] Id eſt, cum P. Sylla de ambitu cauſam dicebat, ut erepto ei Conſulatu pater tuus conſul eſſet. Familiariſſimis ſuis. Qui P. Syllam defendebant. Familiariſſimis ſuis non ſuccenſuit.] Particulam Non, expungendam arbitror. Ad propulſanda pericula.] Id eſt, ad reos defendendos. Illa contentio.] De conſulatu. Afflicto.] Id eſt, damnato. Honoris.] Id eſt, conſulatus. Ereptum.] Id eſt, conſulatum uobis ereptum Syllæ largitione. Victi in campo.] Martio ſcilicet, ſuffragiorum multitudine. Conſulatum uobis eripiebant. Id eſt, conabantur probare Syllam non admiſiſſe ambitum, & ita conſulem iure factum eſſe. Quẽ interemiſti.] Id eſt, quẽ afflixiſti, qui te accuſante de ambitu damnatus eſt. At accuſat C. Cornelij.] Duo Cornelij in coniuratione fuerunt, unus P. Cornelius Lentulus Senator, qui tum Prætor erat, de quo ſumptum ſupplicium eſt. alter C. Cornelius eques Romanus, de quo eiuſq; filio hoc loco Cicero. Quod præmij, &c.] In Catilinæ coniuratione Senatus iudicibus præmia decreuit, ſeruis ſuis libertatem & ſeſtertia centum, libero impunitatem eius rei, & ſeſtertiorum ducenta millia, ut eſt apud Salluſtium. Vel hæc præmia intelligit, uel honeſtatem. Honeſtum enim iudicare occulta conſilia, quæ contra rempublicam capiantur. Per iſtum puerum,] Hinc attendendum eſt, hunc Cornelij filium non fuiſſe P. Syllæ accuſatorem. Nam pueris poſtulare non licet, ut eſt in libro Digeſtorum 3. de Poſtulando. Cum Hortenſio communicata.] Id eſt, mihi cum Hortenſio communiter commiſſa. Illum comitatum,] Indicat per puerum Cornelius.

Conſularibus. ] Id eſt, quibus Conſules & Pretores faciendi erant. Hi enim auſpicijs iiſdem & comitijs fiebant. Quæ à me habita ſunt. ] Conſul enim qui in urbe erat, comitia conſularia habere ſolebat. Si autem uterque conſulum gerendis bellis ita occupati erant, ut neutri eorum Romam comitiorum habendorum cauſa uenire liceret, tum ipſi, alter'ue eorũ, Dictatorem comitiorum cauſa dicebat, qui Conſulibus & Pretoribus declaratis abibat magiſtratu, ut amplius ſcripſimus in Catonem Ciceronis. Cum Cicero haberet comitia conſularia, L. Catilina in campum Martium magno improborum hominum comitatu deſcendit, ut ipſe fieret Conſul. Cicero uero lata illa lorica armatus, de qua diximus in Inuectiuis, & pro Murena, magna iuuentutis Romanæ cateruaſtipatus, Catilinæ conatus repreſſit, fecitq; ut Conſulatu Catilina deijceretur. Præſidio firmo. ] Firmum præſidium à Cicerone dici, aliàs admonuimus. bonum præſidium ſolent dicere. Aſpiraſſe. ] Id eſt, ueniſſe. ut Actione in Verrem quarta: Quando autem homo tanta luxuria atque deſidia, niſi Februario menſe aſpirabat in Curiam? Verum ueniat ſanè, &c. Idem libro Epiſtol. 7. Subinuideo tibi, ultro te etiam accerſitum ab eo, ad quē cæteri, non propter eius ſuperbiam, ſed propter occupationem aſpirare non poſſunt. Et lib. Tuſculan. 5. Occupaui, inquit, te fortuna, atque cepi, omneſq; aditus tuos intercluſi, ut ad me aſpirare non poſſes. Si tum ſe cum Catilina. ] Argumentum eſt à conſequentibus. Informat. ] Id eſt, inſtruit. Ad hoc. ] Id eſt, ad hanc rē, ad hanc cauſam. Adumbratum. ] Id eſt, uериſimile, coloratum, & ut uulgo dicunt palliatum. Inter falcarios. ] Id eſt, coniuratos, qui ut falcarij totam ciuitatem meſſuri erant. Sunt enim ſalcarij, qui falce metunt. Vt in Inuectiua prima in Catilinam: Dico te priori nocte ueniſſe inter falcarios, non agam obſcure, in M. Leccæ domum, conueniſſe eodem complures eiuſdem amentiæ ſceleriſq; ſocios. Ad Marcum Leccam. ] Id eſt, ad domum M. Leccæ. quod dicendi genus Terentio familiare eſt. Catilinæ denunciatione. ] Catilina, ubi multa agitanti ſibi nihil procedit, rurſus intempeſta nocte coniurationis principes conuocat per M. Porcium Leccam. ibiq; multa de ignauia eorum queſtus, docet ſe Manlium præmiſiſſe ad eã multitudinem, quam ad capienda arma parauerat: item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent, ſeq; ad exercitum proficiſci cupere, ſi prius Ciceronem oppreſſiſſet, cum ſuis conſilijs multum officere: & cætera, quæ Salluſtius perſequitur. Officioſam. ] Ironia eſt. Conſulem. ] Id eſt, me Ciceronem. Prima luce. ] Cicero in Inuectiua prima, ubi hæc eadem ſcribit, paulo ante lucem dicit: Dixiſti paululũ tibi eſſe etiam nunc moræ, quod ego uiuerem. Reperti ſunt duo equites Romani, qui te iſta cura liberarent, & ſeſe illa ipſa nocte paulo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerẽtur. In ijs legionibus. ] Quas Cn. Manlius ad Fæſulas parauerat. Multo etiam longius. ] Hæ enim legiones in Etruria erant, P. uero Sylla Neapoli. Optimum autem argumentum, quo doceat Syllam ex coniuratione non fuiſſe, ſi nuſquam fuit cum coniuratis, ſed ab his abfuit longiſſime. Quas oras maxime. ] In Gallia ulteriore & citeriore, item in agro Piceno, Brutio, Apulia motum excitatum fuiſſe ab ijs, quos Catilina dimiſerat: exq; Senatuſconſulto Q. Metellum Celerem in agrum Picenum, Q. Metellum Creticum in Apuliam, cum in Gallia legatus C. Murena eſſet, miſſos, Salluſt. ſcribit. Quæ maxime ea ſuſpicione caruit. ] Capua tamen (quæ huic uicina eſt) non caruit. itaque Q. Pompeius Rufus à Senatu eò dimiſſus eſt. Fauſti ſimulatione. ] Id eſt, ſimulando Fauſtum Syllam Lucij filium ſcripſiſſe, ut gladiatores Pub. Sylla emeret, quos ipſe Fauſtus teſtamento patris deberet. Patris. ] L. Syllæ. Arrepta eſt. ] In alijs codicibus melius ſcriptum eſt, At empta eſt Familia. ] Gladiatorum. Prætermiſſa. ] Id eſt, non empta. Munus. ] Gladiatorium. Hæc ipſa. ] Familia gladiatorum empta. Non modo iniquorum inuidere. ] Significat hanc gladiatorum familiam eiuſmodi fuiſſe, ut ab ea nihil metuendum fuerit, cum ipſa uix credatur poſſe æquorum expectationi ſatiſfacere, cum depugnabit in ludis funebribus, quos Fauſtus in honorem patris faciet. Mos enim erat ut in honorem uirorum clariſſimorum funebres ludi celebrarentur, ijſq; gladiatores adhiberentur. Vt Scipionem ad uota dijs ſoluenda, munuſq; gladiatorium, quod mortis cauſa patris patrui parauerat, anno poſt eorum mortem ſexto rediſſe Carthaginem, Tit. Liuius libro 28. ſcribit. Properatum uehementer. ] Id tanquam ab aduerſario obiectum, ſibi proponit Cicero refutandum, eſtq; hic locus altercationi ſimilis. Nec opinante Fauſto. ] Obiectio eſt aduerſarij. At litera. ] Reſpondet Cicero. Familiæ. ] Gladiatorum. Ad ferramenta. ] Gladiatorum ferramenta quæ dicantur, in Inuectiuas ſcripſimus: quemadmodum pro A. Cluentio, quid ſit familia. L. Iulio, & C. Figulo Coſ. ] L. Iulius Cæſar & C. Martius Figulus Conſules fuerunt, anno proximo poſt L. Torquatum & L. Cottam. Iiſdem Conſulibus Ciceronem conſulem deſignatum fuiſſe, Aſconius ſignificat. Aliquanto ante furorem Catilinæ. ] L. enim Cæſare & C. Figulo Coſ. circiter Calendas Iunias cœpit coniuratio Catilinæ, ut Salluſtius ſcribit. Magna ratione. ] In codicibus alijs ſcriptum eſt, magna ratione pecuniæ. ] Cum Mauritaniæ rege. ] Mauritania Africæ regio eſt extrema, uerſus Gaditanum mare. Sylla procurante eius rem. ] Id eſt, cum P. Sylla eius procurator eſſet. Ad facinus. ] Id eſt, ad coniurationem. Diminutis. ] Id eſt, à P. Sylla uenditis. Remouet itaque cauſam Cicero, ut P. Cincium non fuiſſe ex coniuratione oſtendat. Mandare. ] Id eſt, mittere. In ultimas terras. ] Id eſt, in ulteriorem Hiſpaniam. At hæc ipſa. ] Obiectio eſt. Hæc ipſa. ] Quæ P. Sylla conabatur. Sine ulla coniunctione. ] Etiam Cincij. Tam amantiſſimum ſui. ] Non qui ſeipſum amabat, ſed ſi eum Catilinæ amantiſſimum ſui, hoc eſt, ipſius Catilinæ cenſuiſſet, quod nequaquam fecit. Reſpicit igitur reciprocatio ad principale ſuppoſitum, ſicut in Andria: Rogat hera, ſi ſe amas, ad ſe uenias. Non enim mihi, &c. ] Cincium ab huius rei ſuſpicione liberat, quo facilius eum ab Sylla dimiſſum non eſſe oſtendat. Deſerenda eſt cauſa. ] Deſerit enim patronus, ut bis ante dictum eſt: ut prodit parens, deficit ſocius. Cum cæteri deficerent. ] In bello Italico. Negotij gerendi. ] In Hiſpania enim & cum rege Mauritaniæ negotiatus eſt: uel Negotij gerendi, id eſt, mercaturæ exercendæ. Quidquam oneris ſuſtinerent. ] A creditoribus. Vllam moram. ] Vltra diem præſcriptum. Illud erat genus hominum. ] Cicero in ſecunda Inuectiuarum, coniuratorum primum genus eorum eſſe dicit, qui magno in ære alieno maiores etiam poſſeſſiones habent: quarum amore adducti, diſſolui nullo modo poſſunt. Sed hoſce homines minime putat pertimeſcendos, quod aut deduci de ſententia poſſunt: aut ſi permanebunt, magis ij uidẽtur uota facturi contra rempublicam quàm arma laturi. De his coniuratis ære alieno oppreſſis, illud Ciceronis eſt in libro de Officijs ſecundo: Nunquam, inquit, uehementius actum eſt, quàm me Conſule, ne ſolueretur. Armis & caſtris tentata res eſt ab omni genere hominum & ordine. Quibus ita reſtiti, ut hoc tantum malum de republica tolleretur. Nunquam nec maius æs alienum fuit: nec melius, nec facilius diſſolutum eſt. Fraudandi enim ſpe ſublata, ſoluendi neceſſitas cõſecuta eſt. Nunquam ſibi cognationem cum prædijs eſſe exiſtimauit. Id eſt, prædia ſua nunquam ita amauit, quin à ſe, ſi quando opus eſſet, alienaret. Prædiorum nullam gentem eſſe, in eadem ferè re Cicero dicit pro L. Cornelio Balbo. Pompeianos. ]

Pompeij

Pompeij oppidum fuit in Apulia, propè Neapolim. Ii à populo Romano deuicti, parte agri multati ſunt. Eò à Triumuiris, in quibus P. Sylla erat, colonia deducta eſt. Inter Pompeianos & Colonos exorta ſeditio eſt, quod nollent Pompeiani Colonis tantum ius ſuffragij ferendi ac magiſtratus gerendi eſſe, quantum ſibi. Hanc ſeditionem à Sylla excitatam dixit Torquatus, ut Pompeianos in ſua poteſtate haberet, ijſq; ad hanc coniurationem uteretur. Ad patronos.] Id eſt, ad Triumuiros, qui eam coloniam deduxerunt, ad eoſq; qui oppidum expugnauerunt, aut in deditionem acceperunt, qui more maiorum patroni erant. Cognita.] Id eſt, dijudicata. Cæterorum.] Patronorum. nam in his Sylla erat. Ex hac frequentia colonorum.] Colonos legatos publice miſſos ad hoc iudicium cum P. Syllæ laudatione ſignificat. Si in omni fortuna, &c.] Nam de ambitu condemnatus eſt. In hoc tamen caſu.] Cum de coniuratione accuſatur. Ab illis.] Colonis. De ambitione.] Id eſt, de magiſtratuum petitione. Populi Romani fortuna diuiſerit.] Nam populi Romani fortuna fecit, ut Romani uictores eſſent, ideoq; Pompeianos agri parte multarent. Alteros.] Id eſt, Pompeianos. Demouiſſe.] Id eſt, agri parte abire coegiſſe. At enim & gladiatores.] Lucius Cæcilius Tribunus plebis legem ferre conatus eſt, qua pœnam ambitus alijs legibus conſtitutam diminueret, in gratiam fratris Publij Syllæ de ambitu damnati. Lucius Torquatus dixit Cælium ea lege noluiſſe reſcindere iudicium, quo Sylla de ambitu condemnatus fuerat. Id Cicero refutat. Rogationis.] Id eſt. legis. Cæciliæ.] Quam Lucius Cæcilius Tribunus plebis ferre uolebat. Fratris ſui.] Publij Syllæ. Sylla Cæcilij frater fuit, uel quia ex eadem matre nati ſunt. Seruius in libro Commentariorum in Aeneida Virgilij, ex Varrone ſcribit, fratres germanos oppellari eos, qui ſint ex eadem matre, quamuis ex eodem patre non ſint: ut fuſius pro A. Cluentio ſcribimus. Vel quia alter alterius ſororem in matrimonium habuit. Vt Cicero pro Domo ſua, & de Reſponſis aruſpicum, Quintum Metellum Publij Clodij fratrem appellat, quòd ſororis eius maritus fuerit. Promulgarit.] Id eſt, aliquot dies propoſuerit, ne intelligas eum tuliſſe. Nam promulgare legem et ferre idem non eſſe, ex hoc loco facile cognoſcas. Fratris auctoritate.] Nam Publio Sylla mandauit, nolle ſe illam legem ferri. Deductus.] Id eſt, diſſuaſus. Voluiſſe reſcindere.] * Hic locus emendatus non eſt, ibiq; pauca deeſſe uidentur. Superioribus legibus.] Non multo ante lex Calphurnia lata fuerat, quæ damnatis de ambitu pœnam pecuniariam addebat. Eorum ordinum.] Id eſt, Senatus & equitum. Perpetuandam.] Id eſt, perpetuo ſeruandam. Perpetuare quamuis raro dicatur, eo tamen uerbo Cicero uſus eſt etiam in libro de Oratore tertio: Clauſulas, inquit, atque interpuncta uerborum, animæ interclusio, atque anguſtiæ ſpiritus attulerunt. Id inuentum eſt ita ſuaue, ut ſi cui eſt infinitus ſpiritus datus, tamen eum perpetuare uerba nolimus. Si paulo etiam longius, & cætera.] Id eſt, ſi Cæcilius fratris cauſa aliquantulum peccaſſet. Finis quotidiani officij.] Id eſt, honeſtas. Protuliſſet.] Id eſt, prouexiſſet. Senſus ueſtros. Id eſt, quid ſentiretis, ſi in loco Cæcilij eſſetis. Nos Senatum conuocaſſemus.] Significat Cicero, ſe Conſule Lucium Cæcilium hanc legem ferre noluiſſe. Senatum enim Cicero Conſul in Capitolium conuocauerat, ut ad eum de hac lege referret. Prius.] Quàm Senatum conuocaſſemus. Dixit.] In Senatu. De Republica egit.] E` Republica legendum arbitror. E` Republica dici ſuauius, quàm ex Republica Cicero auctor eſt in libro de Oratore ad Brutum. Id autem ſignificat, ad utilitatem Reipublicæ ut in libro Epiſtolarum ad Brutum: Cui cum eſſem aſſenſus, decreui hoc amplius, ut tu, ſi arbitrarere utile fore, & è Republica eſſe, perſequerere. Item: Quòd ſcribis poſtea ſtatuiſſe te ducere exercitum in Cherroneſum, nec pati ſceleratiſſimo hoſti ludibrio eſſe imperium populi Romani, facis ex tua dignitate, & è Republica. Et libro de Oratore ſecundo: Multas etiam è Republica ſeditiones ſæpe eſſe factas, ut cum reges eſſent exacti, ut cum Tribunitia poteſtas eſſet conſtituta. Agrariæ legi.] Quam Publius Seruilius Rullus ferre conatus eſt, quam Cicero Conſul diſſuaſit. Interceſſorem fore.] Id eſt, ut aliquis ex Tribunis plebis intercederet, quo minus ea lex ferretur. Vnius enim Tribuni plebis interceſſio ſufficiebat ad impediendam rem, quam reliqui Tribuni ferre conarentur. Onere depoſito domeſtici officij.] Relicta cura rei domeſticæ. Quis tamen ueſtrum.] Quis tandem ueſtrum, aptius uidetur ſcribendum. Ex Antronij improbitate.] Qui ſperabat huius legis beneficio, rem de ſe iudicatam labefactari, aut certe pœnã diminui. Honoris.] Id eſt, Conſulatus. Nam tum Antronio Sylla Conſul deſignatus eſt. Alleuamento.] Id eſt, diminutione, & ut uulgo dicunt, alleuiatione. Hic tu epiſtolam.] Cicero Catilinæ coniuratione oppreſſa, ad Cn. Pompeium in Aſia bellum Mithridaticum gerentem ſcripſit, de utraque coniuratione Catilinæ. Lucius Torquatus ex his literis collegit Publium Syllam fuiſſe ex coniuratione, idq; Ciceronem ſignificaſſe arguit, quamuis Syllam in ea epiſtola Cicero non nominauerit. Id negat Cicero. Biennio ante conceptum.] Amplius biennio concepta fuit hæc coniuratio. Lepido enim et Volcatio Conſul. circiter Nonas Decembres cœpit. Lucius Torquatus & Lucius Cotta poſt hos fuerũt Conſules, poſt hos Lucius Iulius & C. Figulus, poſt quos fuit Cicero cum C. Antonio. His Conſul. in menſe Octobri patefacta coniuratio eſt. Erupiſſe.] Id eſt, natum eſſe. ſed de mala re id uerbum dicitur. Demonſtraſſe.] Id eſt, ſignificaſſe. De quo etiam ſi quis dubitaſſet.] Oſtendit Lucium Torquatum dixiſſe quæ non conueniant. Nam ſi Publius Sylla coniurauit Lucij Torquati patrem Conſulem Calendis Ianuarijs interficere, ut conſulatum iudicio amiſſum per uim recuperaret: non eſt ueriſimile eum poſtquam damnatus eſt, operas & manum comparaſſe, ut Catilinæ contra Torquatum ſuffragaretur. Interfecto patre tuo Conſule.] In priore enim coniuratione Lucium Torquatum & Lucium Cottam cum inirent conſulatum Calend. Ianuarijs interficere, & conſulatum per uim arripere Catilina & Antronius coniurauerant. Cum lictoribus.] Id eſt, occupato & arrepto conſulatu. Vt Catilinam Conſulem efficeret.] Comitijs habitis poſt Syllæ damnationem. Operas.] Vt ſeruitia & miniſteria, in numero tantum plurali pro ſeruis et miniſtris dici, Valla libro quarto ſcribit. ita apud Ciceronem ſæpe inuenire licet operas dici pro operarijs, quos conducere ſolebant, qui uim aliquam moliebantur. Vt in Vatinium teſtem: An erit hæc optio & poteſtas tua, ut cum Clodianas operas & facinoroſorum hominum manum uideris, Milonem dicas gladiatoribus & beſtiarijs obſediſſe Rempublicam. Et pro Domo ſua: Conſulari homini Publius Clodius euerſa Republica ciuitatem adimere potuit, concilio aduocato, conductis operis non ſolum egentium, ſed etiam ſeruorum. Et pro Publio Seſtio: Qui adeſſe nobiliſſimos adoleſcentes, honeſtiſſimos equites Romanos deprecatores ſalutis meæ iuſſerit, eoſq; operarum ſuarum gladijs & lapidibus obiecerit. Neque enim iſtorum facinorum.] Probat Cicero ex uita ante acta crimen: de quo quæſtio eſt, coargui poſſe aut refutari. Diſſolutis.] Id eſt, refutatis. De principio.] Vt improuiſo & de improuiſo, ita principio & de principio in eadem ſignificatione dicimus. Sed de principio hoc loco dici aduotandum cenſeo, magis ut Latine dici intelligas, quàm ut imiteris. Studuit animus.]

ex uectigali, aut ex tributo. ] Tributũ à uectigali diſtinguere uidetur, ut tributi certa ſumma ſit, uectigalis incerta. uectigal enim modo pluris, modo minoris locatur: tributum autem quia certæ ſummæ eſt, nunquam locatur. Id tributum uectigal ſtipendiarium Cicero appellat, Actione 5. in Verrem: Aut impoſitũ eſt uectigal certũ, quod ſtipendiariũ dicitur, ut Hiſpanis & pleriſque Pœnorum, quaſi uictoriæ præmiũ ac pœna belli: aut cenſoria locatio conſtituta eſt, ut in Aſia lege Sempronia. Perſonarum genera. ] Id eſt, nominando perſonas eas quæ Flacco pecuniã numerauerint. Literarum. ] Publicarum, in quibus de hac pecunia perſcriptũ ſit. In eodẽ decreto. ] Quod publice ſcriptum Legati attulerunt. Hoc prætore. ] Flacco. Cur hi. ] Clariſſimi uiri. Iſto loco. ] Quo in decreto ſcriptum eſt, homines clariſſimos ciuitatis ampliſſimis uiſos honoribus, hoc Prætore circumuentos. Dixit Hermippus. ] Condemnatos. Heraclides Hermippo addictus ab eo ductus eſt, ut poſtea dicet. Vſque Tmolo. ] Id eſt, uſque à Tmolo. niſi abuſque Tmolo potius legendũ ſit, ut ſit uſque à Tmolo, quemadmodũ Vergilius dixit in libro Aeneidos ſeptimo: Siculo proſpexit abuſque Pachynno. Eſt autem Tmolus Lydiæ mons, unde Pactolus defluit. In eo monte caſtellum eſt eiuſdem nominis. auctor eſt Strabo libris decimo & decimotertio. Nullus honos habitus eſt. ] Id eſt, nullus magiſtratus datus eſt. Habere homini honorem, & habere hominem in honore dicimus. ut pro A. Cluentio: Per triennium maxime ex omnibus ſeruis Stratonem illum dilexerat, in honore habuerat, commodis omnibus affecerat. Tenuiſſimis. ] Id eſt, pauperrimis. A' P. Varino. ] Qui T. Aufidio ſucceſſit. Celauit ſuos ciues. ] Id eſt, negauit ullam ſe pro hac cuſtodia pecuniam accepiſſe. Iis ſumptum intulit. ] Id eſt, ab ijs pro mercede pecuniam accepit. Impudentiam. ] Id eſt, impudens mendacium, qua in re ſæpe dicitur. Fundum Cymæum. ] Narratio ſpecialis eſt. Mercatus eſt de pupillo. ] Vt pro A. Cluentio dixit: Emiſſe de ſectoribus, &c. Emit de A. Rupilio. Credidit Fuluij fidei. ] Id eſt, mutuum dedit Fuluio ſpondente. Fide fortaſſe, non fidei legendum eſt. uti paulo poſt dicit: Eius enim fide ſumpſit à Fuſijs. Is cum ſolueret. ] Cum Heraclides Sexto Scolæ, repetenti pecuniam ſuam, ſolueret, uerſuram fecit. Nam à Fuſijs Hermippi fide ſumpſit. Cornici oculum. ] Percuſſit: Id eſt, Hermippo tam belle impoſuit, ut Hermippus ipſe excæcatus uiſus ſit, qui ita deceptus ſit ab eo qui ſibi notiſſimus eſſe debebat. De hoc prouerbio Cicero pro L. Murena. Eius fide. ] Id eſt, eo ſpondente. Securus. ] Id eſt, de hac ſponſione nihil curans, quod Heraclidem ſatisfacturum arbitraretur. Infatuare. ] Id eſt, fatuum facere. Vt in Philippica tertia: Cur magiſter eius ex oratore arator factus ſit, ut poſſideat in agro publico populi Romani campi Leontini duo millia iugerum immunia, ut hominem ſtultum magis etiam infatuet mercede publica? Crederet. ] Id eſt, mutuo daret. Inde credita pecunia, potius quàm debita dicitur. De nomine Fuſiano. ] Id eſt, de pecunia à Fuſijs mutuo accepta. Ita. ] Id eſt, ualde. Fidem ſuam liberat. ] Id eſt, quod promiſerat perſoluit. Aeſtuantem. ] Id eſt, iratum. Tergiuerſantem. ] Tergiuerſari, ut ait Nonius Marcellus, eſt dicta mutare, & quaſi tergum uertere. Iudicio perſequitur. ] Id eſt, in iudicium adducit. A' recuperatoribus. ] Recuperatores ſunt iudices, ideo conſtituti, ut ex eorum ſententia ſuum quiſque recuperet, ut qui ui ex poſſeſſione deiecti ſunt, aut qui mutuo pecuniam dederunt. de quibus alio loco. Fraudatorum. ] Id eſt, eorum qui ſuos creditores fallunt, nec ijs perſoluunt. Inficiatorum. ] Id eſt, pecuniam mutuo acceptam negantium. Verſuram feciſſe. ] Id eſt, pecuniam mutuo accepiſſe. Pudentiſſimum. ] Id eſt, ueraciſſimum. Nominibus. ] Id eſt, tabulis, in quibus accepiſſe ſe à Fuſijs pecuniam Heraclides confiteretur. Audaciſſimus pertimuit. ] Antitheton eſt. Actione prima. ] Id eſt, cauſa non ampliata: & quod uulgo dicunt, ſupra campum. Iudicatum non faceret. ] Auctore Gellio cap. 1. ultimi libri, ex lege tabularum 12. confeſſi æris, ac debiti iudicatis 30. dies ſunt dati conquirendæ pecuniæ cauſa, quam diſſoluerent. eoſq; dies Decemuiri iuſtos appellauerunt, uelut quoddam iuſtitium, id eſt, iuris inter eos quaſi interſtitionem quandam & ceſſationem: quibus diebus nihil cum his agi iure poſſet. Poſt deinde niſi diſſoluerant, ad Prætorem uocabantur, & ab eo, quibus erant iudicati addicebantur, neruo quoque aut cõpedibus uinciebantur. Verba ex lege tabularum 12. ſi quis requirat, ea ibidem inueniet. Iudicatum non facit is, qui damnatus non facit, quod iudices pronunciauerunt. Addictus Hermippo. ] Id eſt, à Flacco Prætore Hermippo datus eſt, ut ei ſeruiret, quoad pecunia credita ei diſſoluta eſſet. Addictus à ſeruo quid differat, Quintilianus libro 7. ſcribit: Seruus, inquit, cum manumittitur, fit libertinus: addictus recepta libertate eſt ingenuus. Seruus inuito domino libertatem non conſequetur, addictus ſoluendo citra uoluntatem domini conſequetur. Ad ſeruum nulla lex pertinet, addictus legem habet. Propria liberi, quæ nemo habet niſi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum: habet hæc addictus. Ab hoc ductus eſt. ] Neruo aut compedibus uinctus. Honeſtatem hominis. ] Ironia eſt. Simultatis ] Id eſt, odij Heraclidæ aduerſus Flaccum. Miſſus. ] Id eſt, dimiſſus. Pauca mancipia. ] Vt ei aliqua ex parte ſatisfaceret. Falſum iudicauiſſe. ] Id eſt, falſam & iniuſtam ſententiam tuliſſe. Si iudicatum negaret. ] Id eſt, recuperatores falſum iudicauiſſe diceret. Falſum enim negamus. In duplum iret. ] Hoc ut arbitror illam habet ſententiam, ut Heraclides illam pecuniam de qua quæſtio eſt, & præter eã tantundem deponeret. quam ſi uinceret, reciperet: ſin contra, amitteret. Id aliqua ex parte ſacramento ſimile erat, de quo pro Milone ſcripſimus. Haberet eoſdem recuperatores. ] Qui Q. Cicerone Prætore ui & metu coacti non iudicarent. Legatus. ] Q. Ciceronis. Actionem. ] Id eſt, ut uulgo dicunt, commiſſionem in ius uocandi, aut agendi poteſtatem. Cui nullus eſſet uſquam conſiſtendi locus. ] Egentes enim ne domi quidem conſiſtere poſſunt. Itaque antè, cum teſtes egentes ſignificaret Cicero, dixit: Qui domi ſtare non poterant. Nunquam iſtius impudentiæ ceſſit. ] Id eſt, hunc mendacem iudicio perſecutus eſt. Qui legatus in Aſia fuerat. ] Fuerat autem legatus L. Flacci. Cum iudicatum eſſet. ] Id eſt, cum ſententia à recuperatoribus contra Heraclidem lata eſſet. Secundum Plotium. ] Id eſt, pro Plotio. Vt pro Roſcio Comœdo: Satis etiam iudici feciſſe uidear, cur ſecundum Roſcium iudicari debeat. Actione in Verrem quarta: Nec cogat ante horã decimam de abſente ſecundum præſentem iudicare. Et pro A. Cecina: Vt nobis iam recuperatores nulla dubitatio ſit, ſiue rem, ſiue uerba ſpectare uultis, quin ſecundum nos iudicetis. Sententiam ſe dicturum. ] Dicit ſententiam tam Senator, quàm Iudex. Iudex uero, non Senator fert ſententiam. ut alio loco præcepimus. Oſtenderet. ] Significaret, aut diceret. ut pro Cornelio Balbo: Iudices cũ ſæpe ferrent, palamq; loquerentur quid eſſent lege Papia de M. Craſſo Mamertinis repetentibus iudicaturi, Mamertini publice ſuſcepta cauſa deſtiterunt. Et ab eo iudice abiret ] Ita legendum eſſe arbitror, Et ab eo iudice abiſſe, & quod iudicium lege non erat, et cætera. Iudicium lege non erat. ] Id eſt, nulla lege hoc iudicium conſtitutum fuerat. Cum uniuerſo genere. ] Id eſt, cum omnibus in generali. Quoniam te nudus delectarat. ] Scomma eſt. Semper nudum. ] Id eſt, pauperem. Abduxiſti Temno Appollonidem. ] Si hic locus emendatus eſt, Appollonidem & Lyſaniam pro eodem dixit, ut oſtendat qua ratione Decianus

*nus Lyſaniam ſemper nudum eſſe uolueris.* Fiducia tamen accepta. ] *Auctore Boetio in Commentarijs in Topica Ciceronis, fiduciam accepit, cuicunque res aliqua mancipatur, ut eã mancipanti remãcipet. Velut ſi quis tempore dubio timens amico potentiori fundum mancipet, ut ei cum tempus, quod ſuſpectum eſt, præterierit, reddat. Hæc mancipatio fiduciaria nominatur, idcirco quod reſtituendi fides interponitur. hæc ille. Quod fidem præſtare debeat is qui fiduciam accepit idem Cicero in eodem libro teſtis eſt: Si tutor, inquit, fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Hoc tamen in loco fiduciam pro pignore Cicero dicere uidetur. Fundum enim Appollonidæ paternum pro pignore Decianus acceperat.* Pecuniam grandi fœnore occupauiſti. ] *Vt non multo poſt: Ac tum quidem Tralliani, cum ipſi graui fœnore iſtam pecuniam multos annos occupauiſſent, à Flacco tamen omnia quæ uoluerunt, impetrauerunt. Occupare pecuniam fœnore, eſt eam fœnore collocare, qua tum uti poteſt qui accepit, non qui dedit, tanquam eam occupauerit.* Teſtimonium dixit. ] *Quod in tabulis perſcriptum eſt.* Quid'nã ſit dicturus. ] *Præſens ſcilicet.* Venio nunc ad eam ciuitatem. ] *Meandrij Tralliani teſtimonium refutat. Eſt autem Trallis oppidũ ab Argiuis & quibuſdam Thracibus in Aſia conditum, in promontorio natura munito, quæ urbs optime habitatur ab hominibus opulentis, ſi qua alia Aſiaticarum urbiũ bene habitatur, ut ait Strabo lib. 14. Trallis autem, ut Alpis, Sardis, & Syrtis, in nominatiuo & accuſatiuo numeri pluralis dici, Priſcianus libro ſeptimo teſtis eſt.* Colit atque diligit. ] *Attende hoc loco diligere magis eſſe quã colere: ne id perpetuũ putes quod Grammatici dicunt, diligimus leuiter, colimus cum ueneratione. de quo alio loco fuſius ſcripſimus. Colit etiam pro eo quod eſt habitat poſſis intelligere, quãuis incolere quã colere ſæpius dicat Cicero.* Pythodorus & Lepiſon. ] *Hi Tralliani fuerunt, uiri optimi. De Pythodoro ſcripſit Strabo libro 14. ad hanc ſententiam: Semper aliqui ex Trallianis principes ſunt in prouincia, quos Aſiarchas uocant, in quibus Pythodorus fuit, uir ab initio Niſſaenſis: poſtea propter claritatem eò cõmigrauit, et ſingulari cum Pompeio amicitia iunctus fuit. In regales opes ſupra duo millia talentorum poſſidebat, quas à D. Cæſare uenundatas, propterea quod Pompeij amicus fuiſſet, poſtea redemit, & filijs minores non reliquit.* Apud nos noti. ] *Id eſt, noti nobis.* Agerent. ] *Tralliani ſcilicet.* Subijciens. ] *Id eſt, ſubminiſtrans.* Auctorem. ] *Id eſt, defenſorem & ultorem.* Spiritus. ] *Id eſt, ſuperbiam.* In Meandrij perſona. ] *Id eſt, Meandrium ciuitatis perſonam repræſentare.* Proterendum. ] *Non modo nullo honore afficiendum, ſed ut abiectum cõculcandum.* Erat ei Caſtritiano nomine. ] *Caſtritio Tralliana ciuitas debebat pecuniam. Caſtritius ad Flacci iudicium Trallianam ciuitatem adduxit. Vt Tralliani Caſtritio creditam pecuniam ſoluerent, Flaccus iudicauit. Eam ob cauſam Flacco irati Tralliani facti ſunt.* De quo tecũ reſpondit Hortenſius. ] *Q. enim Hortenſius cum Cicerone hanc Flacci cauſam defendit.* Inuita. ] *Id eſt, Flacci iudicio coacta.* Debitam. ] *Participium eſt. alioqui creditam, non debitam dixiſſet.* Offenſio. ] *Id eſt, res propter quam Tralliani offenſi à Flacco, et irati fuerunt. Offenſionem paſſiue, & offenſam actiue dici, in Catonem Maiorem Ciceronis ſcripſimus.* Auctores. ] *Id eſt, principes & participes.* Orba ab optimatibus. ] *Vt uacuus laude & à laude, liber metu & à metu, ita orba optimatibus, & ab optimatibus dicitur. Vt in lib. Tuſcul. Quæſt. tertio, ex neſcio quo poeta; Arce & urbe orba ſum, quo accedam? quo applicem? Vt autẽ probus & probatus, ita orbus & orbatus dicitur. Vt in eodem tertio: Corq; meũ penitus turgeſcit triſtibus iris, Cum decore atque omni me orbatũ laude recordor. Et in libro de Amicitia: Moueor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo unquam erit: & ut confirmare poſſum, nemo certe fuit.* Quaſi flabello. ] *Eſt autem flabellum inſtrumentũ, quo fit uentilatio, ad calorem uel excitandum uel diminuendũ. Terentius in Eunucho: Heus tu, inquit, Dore cape hoc flabellum, & uentulũ huic ſic facito, dum lauamur.* Ventilata. ] *Ventis enim & tempeſtatibus huiuſmodi conciones comparari ſolent.* Itaque ciuitatis. ] *Aliam cauſam odij Trallianorum in Flaccum dicit, ut eorum teſtimonio credendum non eſſe oſtendat.* Iuſtum dolorem. ] *Ironia eſt.* Apud ſe. ] *Id eſt, Trallibus.* Fuerit à ciuitatibus. ] *Id eſt, quam ciuitates Trallis contulerint.* Alio loco. ] *In hac oratione, & paulo poſt.* Requiro. ]. *Id eſt, quæro. Eſt autem compoſitũ pro ſimplici.* Ad eius dies feſtos atque ludos. ] *Qui prouinciam integre innocenterq; adminiſtrauerat, in eius laudem feſti dies atque ludi inſtituebantur, ad eosq; celebrandos pecuniam ciuitates cõferebant. Vt Marcella Syracuſani, & Mutia Aſiani, in honorem M. Marcelli & Mutij Scæuolæ inſtituerunt: in honorem Flacci patris ut Valeria inſtituerent, ciuitates Aſiæ pecuniã contulerunt, quã Tralliana ciuitas accepit.* Hanc te, inquit, capere non licuit. ] *Licuit te capere, & licuit tibi capere dicimus. ut paulo poſt: At enim iſtam pecuniam huic capere non licuit.* Deuorare ſpe lucrum. ] *Id eſt, iam animo conceptum. Deuorare pecuniam Cicero dixit, Actione in Verrem 5. Commiſſa eſt pecunia tanta Prætori. Non reperietis hominem timide nec leuiter hæc improbiſſima lucra ligurientem: deuorare omnem pecuniã publicã non dubitauit.* At queritur. ] *Locus hic dialogo ſimilis eſt.* Facite ut recordemini. ] *Id eſt, recordemini. Vt in libro de Senectute: Inuitus quidem feci, ut L. Flaminiũ è Senatu eijcerẽ. Et pro A. Cluentio: Facite ut non ſolum mores eius & arrogantiam, ſed etiam uultum atque amictum, atque illam uſque ad talos demiſſam purpurã recordemini. Ex cõparatione Romanarum concionũ, quæ nonnunquam ſine ſeditione non ſunt, oſtendit quã ſeditioſæ ſint Græcorũ conciones.* Hic. ] *Id eſt, Romæ.* Plenũ iudiciorum. ] *Vt miniſteria pro miniſtris, & ſeruitia pro ſeruis, ita iudicia pro iudicibus dicimus.* Curia. ] *Quæ foro iudiciali proxima eſt.* An id quod Pergami. ] *An non id quod Pergami?* Vna ſe epiſtola. ] *Mithridates Aſiam occupauit, isq; ante bellum cum pop. Rom. ſuſceptũ unas literas per Aſiam miſit, ut quidquid ibi ciuium Romanorũ eſſet, unò & conſtituto die necaretur.* Cuius patrem. ] *L. Flaccum. Mithridate enim Aſiã occupante, L. Flacco Conſuli, huius patri, portas tota Aſia clauſit, ut paulo poſt dicet Cicero.* Delicta uulgi. ] *Id eſt, teſtimonia, quæ uulgi ſunt, non totius ciuitatis.* At enim iſtam pecuniam. ] *Proponit refutandum, quod modo pollicitus fuerat, licuiſſe Flacco hanc pecuniã accipere.* Abſtuliſſe Mithridatem. ] *Cum Aſiam occupauit.* Vno puncto temporis. ] *Mithridates, ut antea dixi, unas literas ſecreto miſit ad omnium Aſiæ urbium principes, ut triceſimum diem obſeruantes, Romanos omnes & Italos, qui apud eos eſſent, eorumq; uxores cum liberis interficerent, eosq; inſepultos abijcerent. auctor eſt Appianus in Mithridatico.* Prætores noſtros deditos. ] *Idem ſcribit Q. Oppium Prætorẽ à Laodicenſibus Mithridati deditum: & paulo poſt Manium Attilium legatũ in aſino uinctum iuſſu Mithridatis præcedente tibicine traductum. Eodem auctore Epheſij Romanorũ ſtatuas deiecerunt, quæ Epheſi erant.* Ex ædibus Græcorum. ] *Cum Romanos ciues necauerunt.* Euhyum. ] *In codicibus alijs Euchium lego: quo nomine Bacchus appellatus eſt, quòd illi uota nuncuparent. εὐχὴ enim uotum dicitur. His autem Bacchi nominibus Mithridatem Aſiatici appellabant: quòd Bacchus fuerit bellator egregius, & huius ope à populi Rom. ſeruitute liberati eſſe uidebantur.* Cappadocem illum. ] *Mithridatem, qui Cappadociam à maioribus acceptam poſſedit. quamuis*

Romani hunc ea abire coegerint, ut eſt apud Appianum. Auctoritatem iſti habeant. ] Artificioſa prohibitio, quæ fit per cõceſſionem. Qualis illa apud Vergilium in lib. Aeneid. 4. I, ſequere Italiam uentis, pete regna per undas. Fruges. ] Cicero actione in Verrem 6. auctor eſt, fruges in Sicilia à Cerere primum inuentas, deinde ab eadem Athenas eſſe allatas. Eam ob rem Athenienſes Cererem colunt ſingulari religione. Iura, leges. ] Vel de Draconis & Solonis legibus intelligit, uel de legibus ijs, quas Ceres inueniſſe dicitur, quæ ob id legifera dicitur à Verg. in lib. Aeneid. 4. Mactant lectas de more bidentes Legiferæ Cereri. Leges enim, ut ait Seruius, Ceres dicitur inueniſſe. unde eius ſacra Theſmophoria appellantur. Fingitur autẽ hoc, ut idem ait, quia ante inuentum à Cerere frumentum paſſim homines uagabantur, quæ feritas rupta eſt inuento frumento, propter quod ex diuiſione nata ſunt iura. De quorum urbis poſſeſſione. ] Cum in agro Attico hic apparuiſſet ſubito oliuæ arbor, illic aquæ magna uis erupiſſet, regem Cecropem prodigia iſta mouerunt. Itaque miſit ad Apollinem Delphicum, ſciſcitatum quid intelligendum, quid'ue faciendum eſſet. Ille reſpondit, quòd olea Mineruam ſignificaret, aqua Neptunum: & quòd eſſet in ciuium poteſtate, cuius ex nomine potius duorum deorum, quorum ſigna illa eſſent, ciuitas uocaretur. Hoc oraculo accepto, Cecrops ciues omnes utriuſque ſexus ad ferendũ ſuffragium cõuocauit. Is enim mos tum iiſdem in locis fuit, ut etiã fœminæ publicis conſultationibus intereſſent. Conſulta igitur multitudine, mares pro Neptuno, fœminæ pro Minerua tulerũt ſententias. Et quia plus una inuenta fœminarum eſt, Minerua uicit, ſuumq; nomen urbi dedit. ea enim Græce Ἀθήνη dicitur. Iratus tum Neptunus, æſtuantibus marinis fluctibus Athenienſium agros populatus eſt. Eius iracundia ut placaretur, ab Athenienſibus mulieres ſupplicio triplici affectæ ſunt: ut nulla in poſterum ferret ſuffragia, ut nullus filiorum maternũ nomẽ acciperet, ut ne quis eas Athenas uocaret. Hæc D. Auguſtinus lib. de Ciuitate dei 18. ex M. Varronis ſententia tradit. Quid de hac contentione Mineruæ et Neptuni Seruius lib. Cõment. 1. in Georgica Virgilij ſcribat, prudens omitto, quia ignotum nemini paulo humaniori arbitror. Poſſeſſione autem melius legitur, quàm poſitione, ut in codicibus alijs ſcriptum eſt. Is enim urbem in tutela & poſſeſſione ſua habiturus erat, qui nomen impoſuiſſet. Laudat item Athenas Cicero, aliaſq; ciuitates, quarum teſtimonia pro Flacco producit, ut earũ teſtimonijs credatur facilius: quemadmodum teſtes contra Flaccum productos uituperat, ut ijs fidem deroget. Vt ea ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicatur. ] Vetuſtatem urbis hac ratione probat. Vrbiũ enim non ita uetuſtarũ, qui primi ciues fuerint, & unde aduenerint, literis perſcriptum eſt. ut primos ciues Romæ fuiſſe paſtores, eos qui cum Romulo uenerint, deinde Sabinos, ignotum non eſt. Et eorum. ] Ciuium ſcilicet. In codicibus alijs ſcriptum eſt, & deorum. Diſciplina. ] Lycurgi. Septingentos iam annos amplius. ] Scribit T. Liuius lib. 38. Lycurgi diſciplinam, cui per octingentos annos Lacedæmonij aſſueuerant, ab Achæis ſublatam eſſe. Tandem à Romanis reſtitutam eſſe, Plutarchus ſcripſit in uita Philopœmenis. Septingentos iam annos amplius. ] Melius id dictum eſt, quàm quomodo uulgus loquitur, amplius quàm ſeptuaginta iam annos ut paulo poſt: Ante pedes Prætoris in foro expenſum eſt auri pondo centũ paulo minus. Et apud Terentiũ: Plus millies audiui. Septingentos iã annos uiuunt. ut paulo poſt: Annos iam triginta in foro uerſaris. Militem Quæſtoremq; cognoſti. ] Intelligendum nõ eſt, Flaccum militẽ & Quæſtorem fuiſſe Maſſiliæ, tanquã in urbe ſubiecta pop. Rom. Ea enim ciuitas libera fuit. Maſſilia autem, regnante Romæ Seruio Tullio, cõdita fuit ab ijs qui ex terra Phocide ab Harpalo regis Cyri præfecto fugati ſunt. ut eſt apud Gelliũ cap. 16. libri 10. De diſciplina & ſeueritate Maſſilienſium, aliquot exempla ſunt apud Val. Max. lib. 2. titulo de Inſtitutis antiquis. In ultimis terris. ] Id eſt, in ultima parte terrarum. Qua gens Ionum habetur. ] Athenienſes & Iones pro eadem gente intelligit, quamuis Ionica linga et Attica longe differant. Non ut minueã colonijs. ] Coloniæ enim magna ex parte in littoribus ædificari ſolebant, ut prædonũ & hoſtiũ incurſionibus improuiſis facilius reſiſteretur, qua ratione regio munitior eſſet. In Aſia autem maritima ora Græci colonias poſuerunt, ut in eã quoties uellent per colonias ſuas etiã cũ exercitu ingrederentur, qua ratione Aſiã uelut perpetuo obſeſſam tenerent. Phrygem plagis. ] Hoc prouerbiũ dicitur in homines barbaro & ſeruili ingenio, qui non monitis, nõ pudore non honeſtate ſed tantũ uerberibus fiunt meliores. de quo Eraſmus plura. In Caria id periculũ eſſe faciendum. ] Eraſmus de hoc prouerbio, In Care periculũ, docte cenſet hoc in loco in Care, non in Caria legendũ eſſe. Nam ſingula hæc de gente, non de regione Cicero dicit. Id autem prouerbium tum dici idem Eraſmus ſcribit, cum in homine uiliore periculũ faciendũ dicimus, in quo ſi parũ feliciter ceſſerit, nõ multũ diſpendij capiendum ſit. Cares enim barbaro ſeruiliq; ingenio, ad quiduis malorũ mercede propoſita ferendũ parati fuerunt: ijq; primi mortalium mercede militaſſe dicũtur, ut qui uitã ſuam uilem haberent. Primarũ partium. ] Auctore Aſconio Pediano comœdia quinque actus habet, hoc eſt, quinquies dicitur in ſcena. Eſt ergo perſona primarũ partiũ, quæ ſæpius actu regreditur: ſecundarum, quæ minus minuſq; procedit. Terentius in Phormione: Quia primas partes qui aget, is erit Phormio. hæc ille. Hunc locum enarrans Donatus: Primas nunc, inquit, maximas. Ad actorẽ enim retulit Cic. In Diuinatione: In actoribus Græcis fieri uidemus ſæpe illũ, qui eſt ſecundarum aut tertiarum partium, cum poſſit aliquãdo clarius dicere, quã ipſe primarum, multũ ſubmittere, ut ille princeps quã maxime excellat. Inde primas pro principatu & excellentia ſæpe licet inuenire. Vt de Claris orat. Primas in cauſis agebat Hortenſius. Idem lib. de Orat. 3. de actione ſcribens: Huic primas dediſſe Demoſthenes dicitur, cum rogaretur quid in dicendo eſſet primum: huic ſecundas, huic tertias. Et lib. de Orat. ad Brutum: Vt iam non ſine cauſa Demoſthenes tribuerit & primas & ſecundas & tertias actioni. Et lib. de Orat. 2. Non poſſum equidem non ingenio primas concedere. Idem de Claris orat. Erat excellens iudicio uulgi, & facile primas tenebat adoleſcens. Idem de Oratore ad Brutum M. Antonius, cui uel primas eloquentiæ patrũ noſtrorum tribuebat ætas, uir natura peracutus & prudens. Itemq;: Quis unquam dubitauit, quin in Repub. noſtra primas eloquentia tenuerit ſemper urbanis pacatiſq; rebus. ſecundas iuris ſcientia? Non longe à gradibus Aurelijs ] Gradus Aurelij, forũ Aurelium, & tribunal Aurelium à Cicerone ſæpe dicitur. Eò improborum hominũ ad tumultum & cædem faciendam paratorũ multitudo conueniebat, ut ſcripſimus in primam Inuectiuarum Ciceronis. Ad hos gradus Aurelios magno tumultu actã fuiſſe cauſam C. Iunij, pro A. Cluentio ſcripſimus. Hunc locũ agendæ huius cauſæ non longe à gradibus Aurelijs Lælius delegit, ut eos gradus Aurelios improbis hominibus & ſeditioſis compleret, qui in Flaccũ & Ciceronem incitarentur, cũ Cicero inuidiã auri Hieroſolymitani à Flacco amoliretur. Concordia. ] Ironia eſt. Tantum ut iudices audiant. ] Non ij qui ad gradus Aurelios collocati ſunt. Non adiuuabo. ] Nam ſubmiſſa uoce agam. Hieroſolymam. ] Hieroſolyma Iudææ urbs, orientis urbiũ longe clariſſima fuit, ut ait Plinius cap. 14. lib. 5. Hieroſolyma quoque in numero plurali dici, paulo poſt inuenias. Barbaræ ſuperſtitioni. ] Iudæorum religionem, quæ à Deo immortali Moſi tradita eſt, ſuperſtitionem Romani ſæpe appellauerũt, cum eorũ ſuperſtitio reuera, non religio fuerit, cuius ne ueſtigiũ quidẽ relictum ſit. Flagrantem. ] Id eſt, æſtuantem & tumultuantem. Captis Hieroſolymis. ]

*ſolymis.* ] Cn. Pompeius anteq̃ bellum Mithridaticũ confeciſſet, Iudæam ſubiugauit, & Hieroſolymam ui cepit. Ea urbe forſan habebat in lapide exciſam quadraginta pedes altam. uel latam. Pompeius obſeruato ieiunij die, quo ab omni opere Iudæi abſtinerent, impleta foſſa, & admotis ſcalis in urbem ingreſſus, mœnia euerti iuſſit, & Iudæorum regem Ariſtobulum cepit, qui à Romanis deſciuerat. Auctores ſunt Strabo lib. 16. & Appianus in Mithridatico. *Furtũ nuſquã reprehendis.* ] Id eſt, nuſquam oſtendis Flaccum ex hac pecunia quidquã accepiſſe. *Edictum probas.* ] Quo Flaccus ſanxit, ne ex Aſia pecuniam exportari liceret. *Licet iudicatũ fateris.* ] Nam exportari aurum nõ oportere, cum ſæpe antea Senatus, tum Cicerone Coſ. grauiſſime iudicauit. *Prolatũ palàm.* ] Nam ante pedes Prætoris expenſum eſt. *Per uiros primarios.* ] Cæſium, Peduceum, Domitiũ. *Apamea.* ] Apamea Aſiæ oppidum eſt, quod antea Celenas, deinde Ciboton appellauerunt. Expenſum eſt auri ponde crutũ paulo minus. ] Vulgo ita loquerentur, Expenſum eſt paulo minus quam centum pondo auri. *Caſtiſſimum hominem.* ] Caſtus, auctore Nonio Marcello, dicitur aliquando à furtis & rapinis abſtinens. M. Varro: Nec manus uiſco tenaci tinxerat, uiri caſta. Caſtum quoque periuro contrarium eſſe, Cicero ſignificat pro Roſcio Comœdo: Quis, quem fraudeſſe dicatur? Roſcius Fanniũ? Quid eſt hoc, probus improbum? pudens impudentẽ? periurũ caſtus? callidũ imperitus? liberalis auidum? Incredibile eſt. *Laodiceæ.* ] Laodicea urbs Aſiæ celeberrima fuit, Lyco flumini impoſita, primum Dioſpolis, deinde Rhoas appellata, ut ait Plinius libro 5. *Per hunc C. L. Peduceum.* ] Valerius Probus in libro de interpretandis Romanorum literis, ſcribit per C. L. ſignificari Caij libertũ, uel Caium libertum. C. Peduceum forte ſcribi oportebat. C. cuiuſdam Peducei Cicero meminit in lib. Epiſtolarũ familiarium 12. *Adrymeti.* ] Adramyttij legendum eſſe arbitror. Nuſquã enim memini legere, Adrymetũ urbem eſſe Aſiæ. Adramyttiũ autẽ Pomponius Mela libro primo, & Strabo libro 13. inter Aſiæ urbes numerant. *Per Cn. Domitium legatum.* ] Hoc in loco arbitror deſiderari, quot pondo Adramyttij expenſa ſint. *Non multum auri ratio conſtat.* ] Id eſt, quod auri pondo expenſa ſint, non conſtat. *Inuidia quæritur.* ] In Flaccum. *A iudicibus oratio auertitur.* ] Nam ad turbam quæ in gradibus Aurelijs erat, orationem in hac quæſtione auri Hieroſolymitani Lælius aduertit. *Stantibus Hieroſolymis.* ] Antequam Pompeius cũ Iudæis bellum gereret. *Tamen iſtorũ.* ] Quid ſi Tum, non tamen legas. *Oſtendit armis.* ] Cum à Romanis deſciuit. *Quam chara dijs immortalibus.* ] Parũ charam dijs immortalibus hanc gentem fuiſſe oſtendit, quod eã dij ipſi non adiuuerint, ſed bello uinci paſſi ſint. Vt pro Q. Ligario: Cauſa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari poſſet. Nunc melior certa ea iudicanda eſt, quam etiam dij adiuuerint. *Elocata.* ] Id eſt, loco & dignitate mota, uel facta tributaria. Vt elocatum fundum, qui locatus ſit, Cicero Actione in Verrem quinta appellat: Xenon ad ſe pertinere negabat, fundum elocatum eſſe dicebat. *Seruata.* ] Id eſt, ſerua facta. *Ad ciuium Romanorum querelas.* ] In accuſatione Lælius dixerat ciues Romanos qui in Aſia negotiarentur, queri de Flacco, quod ab ijs pecuniã exegiſſet. Primum oſtendit querelæ Deciani credendum nõ eſſe, propterea quod is Flacco iratus erat, quia ab eo Prætore ob auaritiam & crudelitatem damnatus fuerat. *In libera ciuitate.* ] Apolloniã, ut arbitror, intelligit. Libera ciuitas quæ ſit, ſcripſimus pro Cornelio Balbo. *Quouſque negociabere?* ] Mercaturam quæ ſatiata quæſtu, uel contenta potius ſit, Cicero in libro de Officijs primo laudat. Idcirco quæ nunquam cõtenta ſit, uituperanda eſt. *Illo loco.* ] Id eſt, illa generis dignitate. *Faciem nouam.* ] Id eſt mutatã. Annis enim triginta hominis facies multum mutatur. *Nomen uetus.* ] Nam nomen non mutatur. *Purpuram Tyriam.* ] Id eſt, ueſtem purpuream. Purpura Tyria cur appellata ſit, uidere licet apud Politianum in Miſcellaneis, cap. 12. *Vnis ueſtimentis.* ] Vrbanitas eſt, qua irridet ſordes Deciani, qui tanto tempore uno ueſtimento utatur. Vt in noſtra Gallia dici ſolet, cum quis unica ueſte longum tempus utatur, colorem ueſtis ei placere. Vna autem ueſtimenta plurali numero dixit, quod ueſtimentum etiã capitis, pedum, aliarumq́; corporis partium indumentum ſit, quæ indumenta tam longo tempore Decianus non mutauit. *Cur non Pergami?* ] Id uidetur pugnare cum eo quod paulo ante dixit: Annos iam triginta in foro uerſaris, ſed Pergameno. Arbitror autem ita intelligi oportere, ut Apolloniæ Decianus negotiatus ſit & commoratus, ſed in foro Pergameno uerſatus. aut ita legendum eſſe: Cur Pergami, non Smyrnæ, aut Trallibus? *Multi ciues Romani.* ] Qui negotiantur. *A noſtro magiſtratu.* ] Id eſt, à Prætore Romano. *Apollonienſes.* ] Hos ſignificat ſocios populi Romani ac liberos fuiſſe. *Habes.* ] Id eſt facis. *Tota Aſia frugaliſſimi.* ] Dicendi genus attendendum eſt. Nam uſu ſermonis quotidiani dicerent: Totius Aſiæ frugaliſſimi. Quamuis autem frugalem dici Grammatici negent, frugalitas tamen, frugaliter & frugaliſſimus dicitur. ut libro Tuſculanarum quæſtionum tertio: Eas tres uirtutes, fortitudinem, iuſtitiã, prudentiam, frugalitas eſt cõplexa: & ſi hoc quidem commune eſt uirtutum. omnes enim inter ſe nexæ et iugatæ ſunt. Reliqua igitur & quarta uirtus, ut ipſa ſit frugalitas neceſſe eſt. Itemq́; paulo poſt: Frugalitas, ut opinor, à fruge, qua nihil melius è terra oritur. Libro de Finib. 2. Quod bene, id recte, frugaliter, honeſte. In Verrem Actione 3. Homo autem ordinis ſui frugaliſſimus. *Diligentia culturaq́; meliores.* ] Vt ingenia, ita agri qui boni ſunt, diligentia culturaq́; fiunt meliores. *Craſſi.* ] Id eſt, boni & pingues. *Hic alicubi.* ] In Italia. *In Cruſtumino.* ] Cruſtuminum Italiæ oppidum erat propè Veies, non longe ab urbe Roma diſtans. Oppidi ueteris nomen retinet ager Cruſtuminus, in quo natum fœnum, ibidem noxium, extra ſalubre eſt. auctor eſt Plinius libro 2. & 3. *In Capenati.* ] Capena oppidum fuit haud procul ab urbe Roma. inde Capenas gentile nomen. *Verum eſto.* ] Quod improbauit, donat Deciano, ut ad ſequentia tranſeat. *Pedibus compenſari pecuniam.* ] Librum, ubi id Cato dicat, nõ extare arbitror. Illã tamẽ eſſe puto ſententiã: Agros ita bonos emi, ut pro ſingulis pedibus detur pecunia. Agri enim ſteriles paruo emuntur, nec pro ſingulis pedibus datur pecunia. Cum fundi bonitatem ſignificant, id uulgo dicunt, Si fundus ſolidis nummis operiretur, non emi quantum ualeat. *Longe omnino à Tyberi.* ] Significat agros qui ad Tyberim ſunt, ſteriles eſſe: quales ſunt qui in Pupinia ſunt, de quibus eſt apud Valerium Max. lib. 4. titulo de Paupertate: Eos autem qui ad Caicum ſunt, eſſe admodum fœcundos. Eſt autem Caicus fluuius ex Myſia ueniens, ut ait Plinius libro 5. Myſum Caicum Virgilius appellat in libro Georg. 4. *Etiam Agamemnon cum exercitu errasſet.* ] Hoc arbitror dici ad ſignificandam magnam ubertatem agrorum, qui ad Caicum ſunt. *Niſi ducem Telephum inueniſſet.* ] Telephus Herculis filius ex Augea Alcei Arcadiæ regis filia, Myſiæ rex fuit, ut fuſius licet uidere apud Diodorum Siculum libro quinto. Eum ducem Græcorum ad Troianum bellum proficiſcentium factum eſſe, Dictys Cretenſis libro ſecundo de bello Troiano ſcribit. ubi multa de hoc Telepho legere licet. *Emiſſes.* ] Id eſt, emere debuiſſes. *Amyntas eſt genere.* ] Narratio ſpecialis eſt. *Illius ciuitatis.* ] Apollonia. *Imbecilli cõſilij.* ] Cuiuſmodi ſolent eſſe mulieres probæ. *Quid ageretur.* ] Id eſt, quid Decianus agere uellet. *Prædiorum eius.* ] Mulieris. *Collocauit.* ] Decianus. *Vxorem abduxit.* ] Auctore Donato in Hecyram Terentij, ut accerſi uxor ad maritum,

ita abduci à marito dicitur. Membra quæ debilitauit. ] Membra filiæ Amyntæ intelligi arbitror. Deciani crudelitatem oſtendit. Hæc Flacco te non probaſſe. ] Id eſt, te ob hæc à Flacco damnatum. Circunſcriptione. ] Id eſt, deceptione & circumuentione. Id enim circunſcribere ſignificat. Vt libro Academicarum Quæſtionum quarto: Fallacibus & captioſis interrogationibus circunſcripti atque decepti quidam, cum eas diſſoluere non poſſunt, deſciſcunt à ueritate. Et libro de Officijs tertio: Iſte dolus malus legibus erat uindicatus, ut tutela 12. tabulis, & circunſcriptio adoleſcentiũ lege Lectoria. Græcorum legibus. ] Etiam Romanorum legibus. Nam, ut ait Cicero pro Muræna, mulieres omnes propter infirmitatem conſilij, maiores in tutorum poteſtate eſſe uoluerunt. Itaque nihil ijs licet facere ſine tutorum auctoritate. Adſcribendus. ] Id eſt, interponendus: hoc eſt, tutaris auctoritas interponi debuit. Scripſiſti. ] Id eſt, ut tutorem aſcripſiſti. Adminiſtrum conſiliorum tuorum. ] Id eſt, qui conſilio tibi adminiſtrat, cuius conſilio uteris. Huius ipſius tutelæ nomine. ] Quia tu eum uelut tutorem aſcripſiſti, qui tamen tutor non erat. Qui concurſus ex oppidis finitimis undique. ] Celebritatem cauſæ dicit, ut maiorem Deciani fraudem oſtendat. Sententijs omnibus. ] Iuſtum iudicium oſtendit. Irritæ proſcriptiones. ] Proſcribere eſt, libellum quendam rei uenali affigere, quo ea res uenalis eſſe cognoſcatur: ut hic ſæpe uidere licet, cum domus uenalis eſt. Vt in lib. de Offic. 3. Claudius proſcripſit inſulam, uendidit: emit P. Calphurnius Lanarius. Huic ab auguribus illud idem denunciatum eſt. Itaque Calphurnius cum demolitus eſſet, cognoſceretq; Claudium ædes poſtea proſcripſiſſe, quàm eſſet ab Auguribus demoliri iuſſus, ad arbitrium illum adegit. Et paulo poſt: Sic tu cum ædes proſcribas, tabulam tanquam plagam ponas. In ſuas literas publicas. ] Id eſt, ut uulgo dicunt, in ſua regiſtra. Præclaras. ] Ironia eſt. Ne ipſi quidem. ] Smyrnæi. In Caſtritium mortuum. ] Id contra Decianum eſſe ſignificat. Quod tamẽ breuitatis cauſa omittere ſe dicit, quæ breuitas iudicibus ipſis iucunda eſt. Vel quod ait Lucceius. ] Multa hoc in loco deerant, ab eo uidelicet loco, In Caſtritium mortuum: uſque ad hunc, Vel quod ait Lucceius. quæ in codice in Germania impreſſo repoſita ſunt. quamuis non ſatis emendata, ita tamen ut maxima ex parte intelligi poſſint. Ea autem quantum maxime potuimus, emendauimus. In oppidum. ] Id eſt, Pergamum. Quod alijs non conceditur. ] Ne Romæ quidem id concedebatur. Auctore Cicerone libro de Legibus 2. Hominem mortuũ, inquit lex in 12. tabulis, in urbe ne ſepelito neue urito. Sed ante legem tabularum 12. & poſt, uiros claros in urbe ſepultos fuiſſe, ut Publicolam, Tuberonem, & Fabricium, idem dicit. P. Scipioni. ] Cum P. Scipio Naſica Pontifex Max. Tyberium Gracchum occidiſſet, eamq; ob rem plebi infenſus eſſet, & aduerſus eum pararetur accuſatio, legationem liberam ei Senatus, ut poſtea dicemus, in Aſiam decreuit. Isq; propè Pergamum mortuus eſt: ut ait Plutarchus in uita Gracchorum. Alia ornamenta. ] Id eſt, alias laudes. Pergamenitæ detulerunt. ] Superiorem ſe Decianus, quàm Lælium putabat, quod à Pergamena ciuitate laudatus eſſet. Ludi. ] Id eſt, derideri. Cum hæc uerba recitabant. Clariſſimum uirum. ] Id eſt, cum hæc uerba in literis de te recitabant, appellantes te clariſſimum uirum. Imponebant literis. ] Vt ea imponeretur Caſtritio mortuo. Quàm monedulam. ] Cum Chonrado Peutingero ſentio, Monedulæ, non monedulũ hoc in loco ſcribi debere, quod monedulæ furacitas auri argentiq; præcipue mira ſit. Quod autem ſit locus is, cuius opportunitate Cicero Flaccum de manifeſtiſſimis criminibus exemerit, non puto: propterea quod Macrobius in libro Saturnalium 2. negat hunc locũ in Ciceronis oratione extare. Prius enim Cicero ſolebat orationes in foro pronũciare, quã ſcribere. Itaque nonnulla ſcribebat, quæ non dixerat: nonnulla dixerat, quæ non ſcribebat. Hunc locum ab eo de induſtria omiſſum arbitror, ne eius loci opportunitate potius quàm innocentia Flaccus abſolutus eſſe uideatur. nec ueriſimile eſt hanc Ciceronis orationem Macrobij ætate integram non fuiſſe: quem locum ſibi notũ eſſe dicit ex Furij Bibaculi libro. Hominum. ] Pergamenorum. Perſcriptiones. ] Proſcriptiones ſcribi debere arbitror, ut ante dixit. Irritæ uenditiones, irritæ proſcriptiones. Itemq; Deferes ad Pergamenos, ut illi reciperent in ſuas literas publicas præclaras proſcriptiones & emptiones tuas. Flaccum in curia decreuiſſent. ] Hic locus emendatus non eſt. Veridicas adiungis cauſas. ] Veras, non ueridicas, legi oportere arbitror. Inimicitiarum. ] Inter te & Flaccum, propter quas à Flacco ſe damnatum Decianus dixit. Aedili Curuli. ] Aedilium enim duo genera fuiſſe uulgatius eſt, quàm ut ignorari poſſit. Alij enim Curules erant, alij plebeij. Nec ipſi quidem patri. ] A maiore ad minus. Nam ſi patri, qui offenſus eſt, id ualde moleſtum eſſe non debuit, multo minus filio. Prætor poſtea. ] Nam poſt Aedilitatem primũ Præturã, deinde Conſulatus geri ſolebant. Cauſa eſt, cur id ualde moleſtũ patri non fuerit. Pater enim honoribus poſtea auctus eſt. Deciani pater ita miſer fuit, ut non potuerit priuatus in ciuitate conſiſtere, aut propter egeſtatem, aut aliquo iudicio cõdemnatus, propter quod exilio mulctatus ciuitatem amiſerit. Inimicum paternum. ] Id eſt, patrem tuum inimicum patris ſui. In conſilium. ] Iudicum: uel in conſilium Flacci Prætoris. Fauerunt. ] Id eſt, paruerunt. Aliud atque. ] Id eſt, aliud quã iuſtum fuit. In liberos. ] Id eſt, in te, cuius pater, ut dicis, inimicus fuit L. Flacci patri. In liberos. ] Id eſt, in te, qui auaritiã tuã & crudelitatẽ Flacco probare non potuiſti. Aliter. ] Quem Flaccus decreuit. In abſentẽ decreuit. ] L. Flaccus. Fratris mei. ] Q. Ciceronis, qui Flacco in Aſia ſucceſſit. Apud te quiſiuit. ] Locum hunc emendatum nõ eſſe, nulli ignotum eſt. Si diuinare liceret mihi, lacunã ſic replerem: Apud tribunal ſic requiſiuit. Reſponſi literarumq; Ciceronis. uidelicet Quinti quid? ] Supple, allatũ eſt. Apollonidenſes. ] Scribendum arbitror Apollonienſes. de quibus antea mentionem habuit. Occaſione facta. ] Id eſt, data. Apud Orbium. ] Significat Publium Orbium Prætorem in Aſia ante P. Globulum, et Globulum ante Flaccũ fuiſſe. quare Globulum, non Globium, ante, & hic ſcribendũ arbitror, ut poſtea ſcriptum inuenire licet. Me conſule. ] Cum Flaccus Prætor urbanus erat. Incenſa. ] Id eſt, quæ Cenſores non cenſuerunt. Vt incenſum hominem pro A. Cæcina appellat: Iam populus, cũ eum uendidit, qui miles factus nõ eſt, non adimit ei libertatẽ, ſed iudicat eum nõ eſſe liberum, qui ut liber ſit, adire periculũ noluit: cũ autem incenſum uendidit, hoc iudicat, cũ ij qui in ſeruitute iuſta fuerũt, cenſu liberentur, eum qui cũ liber eſſet, cenſeri noluerit, ipſum ſibi libertatem abiudicaſſe. Incenſa prædia intelligere uidetur, ea quæ libera non fuerint. Mittoq; aliena, &c. ] Legendum facile apparet, Mitto quod aliena: idq; in tota hac repetitione. Aliena poſſeſſa per uim. ] Hæc in cauſa fuerũt, cur à Deciano dedicari non licuerit. Conuicta. ] Id enim habet intellectum, ut arbitror, quòd Apollonienſes hæc ſua eſſe oſtenderint. In integrum. ] Vt dedicata non eſſent. Mitto quod nullo in iure, neque re, neque poſſeſſione tua ] Legendũ puto: Mitto quod nullo iure, neque in re, neque in poſſeſſione tua. Sunt ne iſta prædia cenſui cenſendo. ] Totus hic locus ita deprauatus eſt, ut inde nulla elici ſententia poſſit. Videtur tamen Cicero uelle probare, prædia ea quæ Decianus dedicauit, incenſa eſſe, quod Deciani nõ fuerũt, ſed aliena et per uim poſſeſſa. Sunt'ne. ] Sint'ne legendum potius eſt. Cenſui cenſendo. ] Quid ſi legas, Sint'ne iſta prædia cenſore cenſenda? Habeant ius ciuile? ſint nec ne? ] Fortaſſe ſcribendum ſit: Habeãt ius ciuile

nec

nec ne. Quamuis id durum uideatur, prædia ius ciuile habere. Cenſuiſti? ] Si hic locus emendatus eſt, prædia ſua cenſere di citur etiam is qui ea Cenſori dat cenſenda & æſtimanda. Hoc autem dico, ſi hic locus emendatus eſt: nam totus hic locus mihi ſuſpectus eſt. Commiſiſti. ] Id eſt, feciſti. Romæ eſt imperatum eſſet tributum. ] Hunc locũ corruptum quis non uidet? Fortaſſe autẽ ſcribendum ſit, Romæ imperatũ eſſet. tributum. Verum eſto. ] Aduerſario concedit, quod erat in controuerſia, ut ad ſequentia tranſitũ faciat. Qui diuidi plebi Romanæ nõ poteſt. ] Id eſt, qui ius ciuile Romanũ nõ habet. Numeratæ pecuniæ. ] Id eſt, pecuniæ promptæ & præſentis. Non enim prædia ſolum, ſed etiã pecunia cenſebatur. Centum triginta. ] Seſtertiũ aut millia, aſcribendũ uidetur. Non eſſe abs te. ] Sed ab Amyntæ uxore, aut ab alio. Seruos ſuos eſſe cenſum. ] Fortaſſe legendũ: Seruos ſuos cenſuiſſe. ut ſuperius dixit: In qua tribu denique iſta peadia cenſuiſti? Aut legendum eſt, Cum à te audiſſet ſeruos ſuos eſſe cenſos. Niſi hic et paulo ante, Cenſus eſt præterea, &c. Cenſus præteritũ ſit uerbi cenſeo, deponentaliter accepti. Retulit ad iuriſconſultos. ] Id eſt, iuriſcõſultos conſuluit. Inter omnes. ] Iuriſconſultos. Cenſendo. ] Id eſt, Cenſori dando cenſenda. Habiturum eſſe. ] Prædia, aliud' ue quid hoc loco deeſt. Simul deeſſe arbitror, Flaccũ Prætorem de hac re iudicaſſe. Itaque adiungit Cicero: Habetis cauſam inimicitiarum, ut magis lucidam faciat orationem. Habetis. ] Id eſt, audiſtis. Opimum. ] Id eſt, uberem. Eſt autẽ Ironia. Quæſtus eſt Lælius. ] In Flacci accuſatione. Qui mihi auctor fuit. ] Mimeſis eſt. Imitatur enim uerba ea, quibus Lælius aut uſus eſt, aut certe uti potuit Siccine tu auctor. ] Apoſtrophe ad Decianum eſt. Eum. ] L. Flaccum. Cui tu in conſilio fuiſſes. ] Nam antea dixit: Nunc accuſamur ab ijs qui in conſilio nobis fuerunt? Scilicet defendam Decianũ. ] Oſtendit ueriſimile non eſſe, Decianum à Flacco corruptũ. Redimeretur. ] Id eſt, emeretur. Compoſitum pro ſimplici. Vt duceret. ] Id eſt, produceret & differret. Cui ſex horas omnino lex dedit. ] In publicis cauſis ſingulis lege conſtituebantur horæ accuſatori & patrono. Vt in cauſa Milonis duas horas accuſatori, & tres reo lege datas eſſe, Aſconius dicit. In cauſa Rabirij perduellionis reo tantum ſemihoram datam ſibi Cicero queritur. Inuidiſti ingenioſum ſcriptoris tui. ] Hic itidem locus multum corruptus eſt. Fortaſſe ita legendum eſſet: Inuidiſti ingenio ſcriptoris tui: quòd ornabat locum quem prehenderat, & acute teſtes interrogabat. Locum quem prehenderat. ] Cum multi erant in eadem cauſa accuſatores, ſua cuique cauſæ pars agenda tribuebatur. Aut fortaſſe feciſtis. ] Hoc in loco aliquid deeſſe, eáq; quæ adſunt nullo ſenſu ſibi cohærere, ignotum non eſt. Applicaſti. ] Non applicuiſti, ex more Ciceronis potius eſt. Vel quod ait Luceius. ] Hic adhuc aliquid deeſt, aut corrupta lectio eſt, quæ ad hunc mihi modum magis integra uideretur: Nam quod ait Luceius. ut Nam particula ſit inceptiua. Hunc autem Luceium Flacci cum Lælio accuſatorem fuiſſe ſignificat. Vt fide ſe abduceret. ] Id eſt, ut ſe præuaricatorem faceret, nec fidelis accuſator eſſet. Fide enim quenquã abducere eſt, corrumpere ne ſeruet fidem. Et eum tu accuſas auaritiæ. ] Apoſtrophe ad Luceiũ eſt. Auaritiæ. ] Id eſt, repetundarum. Perdere. ] Id eſt, fruſtra tibi dare. Vt ad ſe tranſires? ] Et eũ defenderes? Quã partem cauſæ tibi daremus. ] Defendendã. Enunciares cõſilia. ] Id eſt, nobis reuelares ſecreta. Qui teſtes. ] Enunciares. Tabulas. ] Vbi ſcripta ſunt teſtimonia, ex Aſia allatas. Ne uehementer, ne coploſe accuſares. ] Id eſt, ut eſſes lenior & negligentior in accuſatione, nec nobis tantum noceres, quantũ poſſes. Vt neſcio quid à te impetratũ eſſe uideatur. ] Luceiũ irridet, qui nec uehementer, nec copioſe Flaccum accuſauit. At enim Androni. ] Hæc eſt ſecunda ciuium Romanorum querela. Valeria. ] Hæc eo nomine appellata eſt, quia L. Valerij Flacci filia erat. Quod falſum intenderit. ] Id eſt, quod falſo hæreditatem ad ſe pertinere dixerit. Qui doces? ] Id eſt, quomodo, aut qua ratione. Sed quæro uſu coemptione. ] Legendum eſſe arbitror, uſu an coemptione. Quamuis illud alio loco ſcripſerimus, hic tamen locus poſtulat ut repetatur. Auctore Boetio libro Cõmentariorum in Topica Ciceronis ſecundo, tribus modis uxor habebatur, uſu, farre, coemptione. Sed confarreatio ſolis Pontificibus conueniebat. Quæ autem in uiri manum coemptione conuenerant, hæ matresfamilias uocabantur: quæ uero uſu uel farre, minime. Coemptio uero certis ſolennitatibus peragebatur, et ſeſe in coemendo inuicem interrogabant. Vir ita, An ſibi mulier materfamilias eſſe uellet. Illa reſpõdebat, Velle. Item mulier interrogabat, An uir ſibi paterfamilias eſſe uellet. Ille reſpondebat, Velle. Itaque mulier in uiri manum cõueniebat. Et uocabantur hæ nuptiæ per coemptionem. Et erat mulier materfamilias uiro loco filiæ. Quam ſolennitatem in ſuis inſtitutis Vlpianus ponit. Hæc ille. Quibus uerbis ſignificat, uxorem quouis modo habeatur, in manum uiri conuenire. ut hoc in loco Cicero dicit uxorem, quæ uſu aut coemptione habita ſit, in manũ conueniſſe. A. quoque Gellius cap. 3. lib. 4. iuſtam legitimamq; uxorem in mariti manu eſſe dicit. Eius uerba ſunt ex Ser. Sulpitij ſententia: Pellicem, inquit, appellatam, probroſamq; habitam, quæ iuncta conſuetaq; eſſet cum eo, in cuius manu mancipioq; alia matrimonij cauſa foret. Quibus ex uerbis ſatis cognoſci poteſt, quid ſit in uiri manũ cõuenire. Cicero tamen in Topicis ſignificare uidetur, eas ſolũ in manũ uiri cõueniſſe, quæ per coemptionẽ habitæ ſint: Vxoris, inquit, duæ formæ. una matrumfamilias: hæ ſunt, quæ in manum conuenere. at altera earum, quæ tantũmodo uxores habentur. Vſu. ] Vſu qua ratione uxor haberi ſolita ſit, legere nõ memini, niſi quod ſcribit A. Gellius capite ſecundo libri 3. ex Q. Mutij ſententia, uxorem uſurpandi cauſa à uiro trinoctium totum abeſſe debere, ex duodecim tabulis. Vſurpari uxorem, pro eo quod eſt, uſu haberi, dici arbitror. De tutela legitima. ] Significat eã quæ uſu uxor habita ſit, deſinere eſſe ſub agnatorum tutela, aut certe eam diminuere, quæ legitima tutela dicitur. Vt in lib. Inſtitutionũ Iuſtiniani primo, titulo de Legitima agnatorum tutela: Quibus teſtamento tutor datus non ſit, ijs ex lege duodecim tabularum agnati ſunt tutores, qui uocantur legitimi. Sunt autem agnati, cognati, per uirilis ſexus cognationem coniuncti, quaſi à patre cognati. Erat igitur Flaccus Valeriæ ſorori agnatus. Conſulari imperio. ] In bello Mithridatico. Tu T. Vecti. ] Hunc T. Vectiũ ſignificat Prætorẽ huic cauſæ præfuiſſe, eumq; ſortitione Africã adminiſtraturum. Globulo Prætore. ] Huic Flaccum ſucceſſiſſe arbitror. Impreſſio. ] Id eſt, uis & impetus. ut in libro Epiſtolarum Famil. 5. Ad tertium nonas Ianuarias cũ agere cœpiſſet, tertio quoque uerbo orationis ſuæ me appellabat, mihi minabatur, neque illi quidquam deliberatius fuit quàm me quacunque ratione poſſet, non iudicio neque diſceptatione, ſed ui atque impreſſione euertere. Inde impreſſionem dare & facere, pro eo quod eſt, in hoſtes ſumma ui irruere & impetũ facere, T. Liuius dicit libro 2. Volſci curſu & clamore feſſi, cum ſe uelut ſtupentibus metu intuliſſent Romanis, poſteaquam impreſſionem ſenſere ex aduerſo factam, & ante oculos micare gladios, haud ſecus quàm ſi in inſidias incidiſſent, turbati uertunt terga. Libro tertio: Duo extra ordinem millia, quæ in ſiniſtrum cornu Romanorum in ipſo certamine impreſſionem facerent, tenuere. Libro quarto: Hæc locutum, exequentemq; dicta, redintegrato clamore ſecuti dant impreſſionem. Non occaſio. ] Quod eſſet Prætor Flaccus. M. Lurcho. ] De Lurchonis teſtimonio antea dixit. Non licere. ] Eſt enim aliquid quod non oporteat, etiam ſi liceat:

quidquid uero non licet, certe non oportet. ut ait Cicero pro Lucio Cornelio Balbo. Legationes ſumere liberas. ] Legationes liberas decernebat Senatus ijs, qui propter egregium aliquod facinus populi inuidiam ſibi conflauerant, ut his honeſta cauſa ex urbe proficiſcendi eſſet ad declinandam inuidiam Vt cum accuſatores à plebe pararentur Scipioni Naſicæ, qui Tib. Gracchum occiderat: Senatus de ſalute eius ſollicitus, liberam ei legationē in Aſiam decreuit. ut in Ciceronis Milonianam ſcripſimus. D. Brutus ſcripſit ad Ciceronem, quæ epiſtola eſt in libro Epiſt. Familiarium II Eius uerba ſunt: Cum in his anguſtijs uerſarer, placitum eſt mihi, ut poſtularem legationem liberam mihi reliquisq; noſtris, ut aliqua cauſa proficiſcendi honeſta quæreretur. Etiam exigendi cauſa huiuſmodi legationes decerni, hoc in loco teſtatur Cicero. Legationes liberas definitum tempus lege Iulia habere, Cicero ſcripſit ad Atticū libro 15. Socios uideo queri. ] Id reprehendendum ſignificat. Doti pecuniam dixerat. ] Id eſt, dotis nomine promiſerat. Dicere enim, auctore Non. Marcello, promittere aliquando ſignificat. Pomponius: Numos certos dicas, dico quinquaginta millia. Salluſtius libro hiſtoriarum ſecūdo: Eodem anno in Macedonia C. Curio principio ueris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit pecunias dictas coegit. Afranius: Neſcio cui uicino perpauperi, cui dicat dotis paululum. Explicari. ] Id eſt, expediri, & ad accuſationem utiliter proferri. Sine hoc auctore. ] Id eſt, non interueniente Flacci auctoritate. Apud Titum Liuium libro triceſimoquarto, M. Cato diſſuadens ne Oppia lex abrogetur: Maiores, inquit, noſtri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas ſine auctore uoluerunt, in manu eſſe parentum, fratrum, uirorum. Moderatus eſt religioni ſuæ. ] Moderatus participium eſt. Medicor illam rem & illi rei, modulor, moderor, & comitor: auctore Seruio libro Commentariorum in Aeneidos Virgilij ſeptimum, dicimus. Inſidioſus. ] Id eſt, fallax & aſſentatorius. Venientes. ] In prouinciam. Expectans. ] Aduentum optātes. In omittendis prouincijs. ] Cicero enim poſt Quæſturam conſtituit ab urbe non diſcedere, quòd ſenſiſſet populum Romanum aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere: ut amplius idem ait in oratione pro Cn. Plancio. Eam ob rem nec prætor, nec Conſul prouinciam ſortitus eſt. Literas miſit. ] Conijcere licet, P. Septimij libertum in Aſia cædem feciſſe, ac deinde Romam confugiſſe. Flaccum ea de re Romam ſcripſiſſe. Iudicium ex edicto dedit. ] Id eſt, tulit ſententiā ſecundum edictum. Id edictum quod fuerit ſciri non poteſt, quia ignotum eſt, quo crimine conuictus ſit is Lurchonis libertus, quem turpi iudicio condemnatum fuiſſe antea Cicero dixit. Tradenda libertis. ] Vt in eo quod uellent impune facerent. An ſimultates neſcio quas. ] Id credendum non eſt, Flaccum horum libertos pœna affeciſſe, quòd ijs iratus eſſet. An in ueſtris. ] In codicibus alijs lego: An uobis in ueſtris, &c. Veſtrorum. ] Vt libertorum, aliorumq;. Seueritas. ] Quam Flaccus in horum libertorum iudicio ſecutus eſt. Deciſionis arbiter. ] Significat Flaccum pactionem cū Androne de hæreditate Valeriæ feciſſe, eiusq; C. Cæcilium arbitrum, & C. Sextilium obſignatorem: ut nullam uim, nullam fraudem in Flacco fuiſſe oſtendat. Deciſionis. ] Id eſt, pactionis. Deciſionem in re dici poſtea ſignificat, & decidere paciſci ſignificat. ut pro Sex. Roſcio Amerino: Si hanc ei rem priuatim Sex. Roſcius mandauiſſet, ut cum Chryſogono tranſigeret atque decideret. Et pro Q. Roſcio Comœdo: Panurgum, inquit, hunc ſeruū communem Q. Flauius Tarquinienſis quidam interfecit. In hanc rem, inquit, me cognitorem dediſti, lite conteſtata, iudicio damni iniuria conſtituto, tu ſine me cum Flauio decidiſti. Si uis. ] Flacci, quia Prætor erat. Pactionem. ] Id eſt, deciſionem. Quis adeſſe iſtos ] Cæcilium & Sextilium. Adoleſcentulo L. Flacco. ] Huius Flacci propinquo. Redacta. ] In ſummam. Si per hunc. ] Arbitror legendum: Si numerata, aut ſi donata per hunc. Copijs. ] Quibus hic adoleſcens abundabat. Prolixe. ] Id eſt, abunde & magna copia. Prolixum enim quaſi porro' laxū dictum eſt, inde prolixa oratio dicitur. Hac uoce uſus eſt etiā in oratione pro Domo ſua: Neque ille tot ſuſpicionibus certorum hominum & ſcelere exulceratus, quæ meum tempus poſtularet, ſatis prolixe mihi polliceretur. Et ad Trebatium libro Epiſt. famil 7. Neque me hercule minus ei prolixe de tua uoluntate promiſi, quā erā ſolitus de mea polliceri. At Falcidianum crimen. ] Oſtendit falſum quod Falcidius dixerit, ſe dediſſe Flacco talenta quinquaginta. Falcidianū crimen. ] Quod in Falcidiū admiſſum à Flacco aduerſarij dixerunt, cū ſe quinquaginta talentis ſpoliatū dicit: Vt crimen Aſinianum, quod in Aſinium admiſſum eſt, quem Auilius necauit, pro A. Cluentio: At, tum in Oppianici cauſa crimen hoc Aſinianū cum teſtibus multis, tum uero iudicio Auilij probatur. Et pro Milone Clodianum crimen, quod in Clodium admiſſum uidebatur accuſatoribus, cū eum Milo occidit: Nec uero me iudices Clodianū crimen mouet, nec ſum tam demens, tamq; ueſtri ſenſus ignarus, ut neſciam quid de morte Clodij ſentiatis. Ingens. ] Ironia eſt. Si aram tenens iuraret. ] Morem fuiſſe Græcorū ut aram tenentes iurarent, alibi ſcripſimus. Eſt autem argumentum à maiore ad minus. Conficere. ] Id eſt, decoquere, perdere, abſumere. ut paulo poſt: Vt eam pecuniam quā confecerat, non conſumpſiſſe, ſed Flacco dediſſe uideatur. Alioqui conficere pecuniam eſt, colligere, ut alio loco docuimus. ] Diſſipare. ] Id eſt, diſpergere. Diſſipare enim, diſpergere eſt ut pereat, uel ignominiæ cauſa. ut in lib de Legib. 2. C. Marij ſitas reliquias apud Anienem diſſipari iuſſit Sylla uictor, acerbiore odio incitatus, quā ſi tam ſapiens fuiſſet, quā fuit uehemens. Diſſipatum ſermonem pro diſperſa fama, ante dixit Cic. Sermo eſt tota Aſia diſſipatus. Materculæ ſuæ feſtiuus filius. ] Falcidium eludit, hisq; diminutiuis blandimenti deriſorij cauſa utitur. At fructus iſti. ] Hoc dictum aduerſarij Cicero proponit refutandum. Iſti autem hoc loco otioſa dictio uidetur: ut ea ſit ſententia, aduerſarios dixiſſe, Falcidiū Globulo Prætore Trallianorū fructus emiſſe. Vt rata ſit emptio. ] Probante Flacco Prætore, qui Globulo ſucceſſit. Multo pluris eſſet. ] Quam pecunia ea qua id emeret. Nihil detrahit de uino. ] Lucrum & uinū in emptione ſunt ad hunc modum: Si quis rem ualentem triginta ſcutatos, uiginti ſcutatis emat, ui num eſt uiginti ſcutati, & decem lucrum. Cur Albanum uenire iubet. ] Oſtendit falſum eſſe, quod fructus Trallianos emerit, quod de lucro aliquid Flacco dederit. Nam ſi Trallianos fructus minoris quā eſſent emit, & ſi quid de lucro Flacco dedit, opus non fuit ut Albanum uenderet. Matris imbecillitatem aucupatur. ] Iſt eſt, matrem imbecillam captat, et uult decipere. Ab negotio abducere. ] Deridet Cicero Falcidium, eumq; in contemptum iudicibus adducit, quo minus Falcidianū crimen eſſe credant. Magnitudine poculorum. ] Græcos in conuiuio primum minoribus poculis, deinde maioribus bibere ſolitos, et inde factum prouerbium, ut Græco more bibere dicatur, ſcripſimus latius in Commentarijs in Gryphum Auſonij. An etiam ſcripſit oratu tuo. ] Id eſt, an eum oraſti ut ſcriberet, ut haberes quod in Flaccum diceres Oratu autem eſt, ueluti iuſſu, permiſſu, hortatu, euentu, arbitratu, aliaq; eiuſdem generis multa, quæ in hoc caſu tātum in quarta declinatione inueniuntur. Iudicium feceris. ] Id eſt, iudicaueris. ut paulo poſt: Grauia iudicia pro Reip. dignitate, multa de cōiuratorū ſcelere feciſtis. Pro lege Manilia: De quo homine uos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta & tam præclara iudicia feciſtis. Id autem dictum eſt, ut facere pugnam, prælium, coniecturam, finem, conuicium, furtū, pactionem, aliaq; eiuſdem generis, de quibus alio

loco

loco ſcripſimus. Simulatum dolorem. ] Quod dolere ſe ſimulet de tanta pecunia Flacco data. De Deciani ſenſu. ] Qui non ſatis ingenioſe Falcidianum crimen finxit: aut Deciani ſenſu, qui Amyntæ uxori impoſuit. De ſalute omnium noſtrum. ] Tranſit ad concluſionem, quæ eſt partim per commiſerationem, partim per enumerationem. Quam nos uniuerſam. ] Id Cicero facit ſæpiſſime, ut oſtendat iudicium, quod laturi ſint iudices, ad Rempublicam uel ad ipſos iudices, pertinere. Id paulo poſt faciet amplius. In quo motu. ] Id eſt, in qua mutatione. Certi homines. ] Qui in coniuratis fuerũt, & coniurationi fauerunt. Conuerſam. ] Id eſt, uerſam & mutatam, ut ante dixit: Quanta in conuerſione rerum ac perturbatione uerſemur. Impiorum pœnam qua coniurati affecti ſunt. Oppreſſus eſt C. Antonius. ] Antonius Marci oratoris filius, Ciceronis Conſulis collega, ſuſpicione coniurationis laborauit. Itaque. L. Catilina petens Conſulatum, Antonium ſibi fore collegam ſperabat, hominem & familiarem, et omnibus neceſſitudinibus circumuentum, cum eoq; ſe Conſulem initium agendi belli ſe facturum. Itaque repulſo Catilina, Cicero hunc ſuum collegam pactione prouinciæ perpulerat, ne contra rempublicam diſſentiret. auctor eſt Salluſtius. De hac Antonij ſuſpicione Cicero pro P. Seſtio: Atque ego, inquit, de Antonio nihil dico, præter unum: nunquam illum in illo ſummo timore ac periculo ciuitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum de ipſo ſuſpicionem, aut inficiando tollere, aut diſſimulando ſedare uoluiſſe. Hunc accuſauit M. Celius, ut eſt in oratione pro eo Celio: Accuſauit, inquit, C. Antonium collegam meũ, cui miſero præclari in rempublicam beneficij memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficij cogitati. Eum ſe Cicero defendiſſe dicit, pro Domo ſua: Hora, inquit, fortaſſe ſexta diei queſtus ſum in iudicio, cũ C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de Republica, quæ mihi uiſa ſunt ad illius miſeri cauſam pertinere. L. Catilinæ. ] Nam decreuit Senatus, ut Antonius cum exercitu Catilinã perſequi maturaret. Cum autem Antonius pedibus æger prælio adeſſe nequiret, M. Petreio Legato exercitum permiſit, à quo necatus Catilina eſt: ut eſt apud Salluſtium. Domeſticorum hoſtium. ] Id eſt, coniuratorum. Epuliſq;. ] Romani enim ueteres propinquorum ſuorum aut amicorum mortuorũ nomine populo Rom. epulum dabant. Vt pro L. Murena Quint. Maximus Africani patrui ſui nomine epulum populo dedit, cui rei Q. Aelium Tuberorum præfecit. Iuſta. ] Iuſta numero tantum plurali appellantur ſacrificia ea, quæ in honorem mortuorum fiunt. Cicero in libro de Legibus 2. Siti dicuntur ij qui conditi ſunt, nec tamen eorum ante ſepulchrum eſt, quàm iuſta facta, & corpus incenſum eſt. Itemq;: Quid uero ex ijs, qui horum ſcelerum principes fuerunt, & præter cæteros in omni religione impij, non ſolum uita cruciati atque dedecore, uerum & ſepultura & iuſtis exequijs caruerunt. A Flacco Lentuli pœna expetuntur. ] Quod Flaccus Prætor ad pontem Miluium Allobroges cum comitatu & literis deprehenderit. In his ſuas literas agnoſcens Lẽtulus, impietatis pœnas dedit. Per uos. ] Veſtris ſententijs, ſi Flaccum condemnetis. Litemus igitur Lentulo. ] Artificioſa prohibitio eſt, quæ permiſſionis ſpeciem habet. Litemus. ] Id eſt, ſacrificemus & iuſta faciamus, aut Lentuli manes Flacco mactato placemus. Non enim Marcellus ſacrificare & litare diſtinguit, ut ſit ſacrificare ueniam petere: litare, propitiare & uotum impetrare. Parentemus. ] Id eſt, iuſta exequiarũ faciamus. Non ſolum parẽtibus parentalia fieri, locus hic documento eſt. Non igitur abſurda opinio eorum eſt, qui à parendo, parentare inclinatum eſſe putauerunt: quòd qui parentarent, mortuis parerent, qui uiui ita fieri iuſſerant. Electos. ] Id eſt, exules & damnatos. Si ita placet. ] In codicibus alijs ſcriptum eſt, Si ita dijs placet. Ab iudicibus. ] Qui ſperãt fore, ut Flaccus condemnetur: quod ſi fiat, omnes qui adiutores & auctores fuerunt opprimendæ coniurationis, in iudicium etiã fictis criminibus uocabunt. Itaque ſe ab iudicibus iam nominari dicit. Per Senatores & per Equites. ] Id eſt, per iudices qui ſunt ex Senatorio ordine & Equeſtri. Hæc omnia geſſerunt. ] In opprimenda coniuratione. Senatus enim & Equitum conſilio & auxilio tum uſus Cicero eſt. Horum rerum auctores. ] Vt me & Flaccum. Perſpiciunt eam mentẽ. ] Fortaſſe legendum ſit, Perſpiciunt mentem. ad eam ſententiam: Hi certi homines populi Romani mentem cognoſcunt, quam populus ipſe omnibus rebus, quibus poteſt, ſignificat. Quia igitur in populo nulla uarietas opinionis, in Senatoribus & Equitibus eam ſe inuenire poſſe putauerunt. Illuc. ] Id eſt, ad populi iudicium. Vis abſit. ] Id eſt, nullus ciuis improbus adſit, qui uim faciat. Ferrum. ] Id eſt, gladij. Operæ. ] Id eſt, operarij, quorum auxilio improbi utebantur ad uim faciẽdam. De ijs alibi ſcripſimus: Operæ autem pro operarijs, ut ſeruitia pro ſeruis dicuntur. Faceſſant. ] Id eſt, recedant, abſint. Id enim faceſſere ſignificat, ut ait Non. Marcellus. Cicero in Hortenſio: Faceſſant igitur omnes, qui docere nihil poſſunt quo melius ſapientiuſq; uiuamus. M. Aquilium. ] His exemplis oſtendit, ſapientes iudices in rebus iudicandis cogitaſſe, quid Reipublicæ utilitas poſceret. M. Aquilium. ] M. Antonius orator excitauit M. Aquilium Conſularem reum in cauſa eius peroranda: eiuſq; tunicam diloricauit, & iudicibus cicatrices aduerſas ſenis Imperatoris oſtendit: ut auctor eſt Cicero in lib. de Oratore 2. Quo eodem in libro facit eundem Antonium illa de eodem Aquilio dicentem: Nolite exiſtimare me ipſum, cũ mihi M. Aquilius in ciuitate retinendus eſſet, quæ in cauſa peroranda fecerim, ſine magno dolore feciſſe. Quem enim ego Conſulem fuiſſe imperatorem ornatum à Senatu, ouantẽ in Capitolium aſcendiſſe meminiſſem: hunc cum afflictum, debilitatum, mœrentem, in ſummũ diſcrimen adductum uiderẽ; nõ prius ſum conatus miſericordiam alijs commouere, quàm miſericordia ſum ipſe captus. Senſi equidem tum magnopere moueri iudices, cum excitaui mœſtum ac ſordidatum ſenem, & cum feci magno animi motu ac dolore, ut diſcinderem tunicam, & cicatrices oſtenderem. Hunc de pecunijs repetundis reum fuiſſe, T. Liuius libro 70. auctor eſt. Cum fugitiuis fortiter bellum geſſerat. ] M. Aquilius Conſul in Sicilia bellum Seruile concitatum confecit, ut ait idem Liuius libro ſuperiore. de hoc bello Seruili L. Florus in Epitomatis ſcripſit. C. Piſonem. ] Quo crimine accuſatus Piſo ſit, quoq; A. Termus, legere non memini. Clariſſimis accuſantibus. ] M. Catoni, Ser. Sulpitio, & Cn. Poſthumio. Audiendum. ] Id eſt, obediendum. Calendis Ianuarijs. ] Eo enim die Conſules deſignati, Ciceronis ætate inibant magiſtratum. Pro L. Murena oſtendit Cicero, quantũ ſalutis communis interſit, duos Coſſ. in Rep. Cal. Ianuarijs eſſe. Cum tabella uobis dabitur iudices. ] Tres tabellas dari iudicibus ab eo qui cauſæ præeſt, pro Milone diximus. unam abſolutionis, in qua litera A. alteram condemnationis, in qua litera C. tertiam ampliationis, in qua litera N L. ſcriptæ eſſent. Has autem tabellas in cauſa Milonis Pompeium iudicibus ante actionẽ cauſæ dediſſe Cicero ſignificat. Quocirca hunc locum ita intelligendum arbitror: Cum tabella uobis dabitur, id eſt, à uobis: id eſt, cum uos dabitis tabellam iudicij ueſtri in urnam. Aut aliquibus in cauſis tabella dabatur iudicibus poſt utriuſque actionem. ut pro A. Cluentio. Cum hæc ſunt uidenda, tum uero illud eſt hominis magni, iudices, atque ſapientis, cum illam iudicandi cauſa tabellã ſumpſerit, non ſe putare eſſe ſolũ, neque ſibi quodcunque concupierit licere: ſed habere in conſilio legem, religionem, æquitatem, fidem. Libidinem autem, odium, inuidiam, metum, cupiditateſq; omnes amouere. De exteris nationibus. ] De Græcis & Aſiaticis, quos à Flacco ſpoliatos accuſator dixit.

*Opponemus Aſiæ.* ] Per capita repetit, quæ ante dixit. *Prouinciam Galliam.* ] Eam intellige, in qua ſunt Allobroges. Arbitror autem Ciceronem dixiſſe loco primo, qui trũcatus eſt, Flaccum in Gallia fuiſſe. Niſi eò referatur, quod Maſſilia, quæ in Gallia eſt, militem eum Quæſtoremq́; cognouit. *Ciliciá.* ] In qua P. Seruilio Imperatore Tribunus militum fuit. *Hiſpaniam.* ] In qua M. Piſoni Quæſtor fuit. *Cretam.* ] Nam bellum Cretenſe magna ex parte geſſit, atque unà cum ſummo Imperatore ſuſtinuit. Rhodiorum ante non meminit, ſi codices emendati ſunt. *Septimio & Celio.* ] Qui irati Flacco, contra eum teſtimonium dixerunt. *P. Seruilius.* ] Quo Imperatore in Cilicia Tribunus militum fuit. *M. Metellus.* ] Cui Imperatori legatus Flaccus Achaiæ, Bœotiæ, Theſſaliæ præfuit. *Vrbana iuriſdictio.* ] Nam Prætor urbanus fuit Flaccus, cuius iuriſdictio in ſummo & periculoſiſſimo Reipub. tẽpore etiam ab inimicis laudatur. *Annui temporis criminationẽ.* ] Annuum enim prouinciam Aſiam Flaccus adminiſtrauit. *Omnis ætas.* ] Nullum enim Flacci in priuatis rebus factum auarum, nulla in re pecuniaria contentio, nulla in re familiari ſordes ab aduerſario proferri poteſt. *Hic.* ] Id eſt, Romæ, in opprimenda coniuratione Catilinæ. À minore ad maius ſuadet. *O' nox illa.* ] Ad mouendos affectus accedit. *O' nox illa.* ] Qua Allobroges cum comitatu & literis ad Catilinam & Gallos à Flacco & Pontinio ad pontem Miluium deprehenſi ſunt. *Aeternas tenebras.* ] Id eſt, occaſum & interitum. *Quæ ab ſenatu?* ] L. enim Flaccus & C. Pontinius Prætores deprehenſis & confeſſis coniuratis, merito ac iure à Senatu in æde Concordiæ laudati ſunt, quod eorum opera forti fideliq́; Cicero uſus eſſet: ut ait Cicero in tertia Inuectiua. *O' nonæ illæ Decembres.* ] Nonis decembribus coniurati literas ſuas & ſigna agnoſcentes, de coniuratione confeſſi ſunt in Senatu, in æde Concordiæ. *Quem ego diem uere natalem.* ] De hac re plura Cicero dicit in prooœmio tertiæ Inuectiuæ. *Multo acriorem.* ] Nam ut alibi dicit Cicero: Cui dolet meminit, cui placet obliuiſcitur. *Improborum.* ] Qui coniurationi fauebant. *Quàm bonorum.* ] Qui hæc in cœlum laudibus efferebant. *Si quid grauius acciderit.* ] Id eſt, ſi condemneris. Malum omen euitat, ut iudices magis commoueat. *Munitum.* ] Aduerſus improbos. *Ornatum.* ] Honoribus & magiſtratibus. *Honos noſter.* ] Conſulatus meus & prætura Flacci. *Salutem.* ] Veſtram. *Nunquam tamen proſpexiſſe, &c.* ] Viri magnanimi eſt, ut eum recte factorum unnquam pœniteat, quamuis eorum memoria parum grata ſit. At pro Milone illa proſopopœia: Valeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. ſtet hæc urbs præclara, mihiq́; patria chariſſima, quoquo modo merita de me erit. Tranquilla Repub. ciues mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſine me ipſi, ſed per me tamen perfruantur. Ego cedam atque abibo.

*Qui hanc in Republica ſectam ſequatur.* ] Id eſt, qui magiſtratum gerere cupiat. *Qui nobis.* ] Senſus poſtulare uidetur, ut Quin, non qui legatur. & poſtea, Quin optimi. *Expeditiorem.* ] Id eſt, breuiorem, & faciliorem. *Eorum.* ] Qui hanc in Repub. ſectam ſequuntur. *Liceat iis, &c.* ] Vt mihi & Flacco. *Quibus integrum eſt.* ] Id eſt, qui magiſtratus nec geſſerunt, nec petiuerunt. *Calamitati fuerit.* ] Vt condemnetur. *Eſſe arbitretur.* ] Eſſe non arbitretur mihi legendum eſſe uidetur. aut uiam uitæ præcipitem & lubricam appellat, quæ ſine magiſtratu agitur: & ſtabilem, quæ cum magiſtratu. *Qui potuerint.* ] Id eſt, qui magiſtratum needũ geſſerint. *Hoc animo.* ] Vt gerant magiſtratus. *Huic miſero puero.* Ad mouendos affectus Flacci filium puerum producit. *Bonæ rationi.* ] Id eſt, honeſtæ uitæ. Vt contra Metellus Numidicus dixit auctore Gellio cap. 6. lib. 1. Quid, inquit, nos à diis immortalibus diutius expectemus, niſi malis rationibus finem facimus? *Ne ſuum luctum.* ] Inſtructum fuiſſe hunc puerum ſignificat, ut in peroratione lugeret. Id quàm circumſpecte faciendum ſit, Quintilianus lib. 6. ſcribit. *Familiæ.* ] Valeriæ.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO P. SYLLA

## FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

M ARCO Lepido, & L. Tull. Volcatio Coſs. P. Sylla & P. Antronius Cõſules deſignati, à L. Torquato competitore de ambitu accuſati, legibus pœnas dederunt. Eorum in locum facti ſunt Conſules, Ipſe Torquatus & L. Cotta. Hoc iudicium mox conſecuta prima Catilinæ coniuratio, qua Conſulibus & pleriſq; Senatoribus coniurati perniciem machinabantur. Altera coniuratio in Ciceronis Conſulatu emerſit. Hac oppreſſa factum eſt Senatuſconſultũ, ut de coniuratis quæreretur. L. Torquati filius adoleſcens P. Syllã accuſauit, quod in utraque Catilinæ coniuratione fuiſſet. Eum de priore coniuratione Q. Hortenſius, qui tum præſens aderat, cum de ea quæreretur: de poſteriore Cicero, qui eam ipſe patefecit oppreſſitq́;, hac oratiõe defendit. Prius tamen quàm ad cauſam accedat, refellit quædam in ſe ab aduerſario in accuſatione dicta. In eum accuſator multũ inuectus, eum primum leuem atque inconſtantem eſſe dixit, quòd cum patefecerit atque oppreſſerit coniurationem, quòd cum P. Antronium defendere noluerit, ſed in eum teſtimonium dixerit: P. Syllam coniurationis reum defendat. deinde eum regnare, quòd in quos teſtimonia dixiſſet, damnati eſſent: Sylla autem, quem defendit, ſperet ſe abſolutum iri. poſtremo peregrinum Regem eum appellauit. Negat Cicero Syllam in coniuratis fuiſſe. quem ſi Q. Hortenſius defendit, ſi omnes uiri boni defenſum uolunt, qui alium nullum ex coniuratis defenderunt, ſibi licere dicit, ut defendat. Antronium autem, quia coniurauerat, deſeruit. Se nec peregrinum, nec Regem eſſe oſtendit. Caſtigat Torquatum, quod coniuratorum pœnam mortemq́; lugeat: eumq́; hortatur ut maledicere deſinat, ne ſe cogat reſpondere. Nec iraſcendum eſſe iis, qui amicos defendant, oſtendit. L. Caſſium Allobrogibus, quos in coniurationis ſocietatem ſollicitabat, cum aliis coniuratis P. Syllam nominaſſe Torquatus dixit. Id negat Cicero: ſed eum, cum Allobroges de Sylla quæſiſſent, reſpondiſſe ſe neſcire. Probat falſum Cicero, quod dixerat Torquatus, eum in tabulas publicas aliter retuliſſe atq; indicatum ſit. C. Cornelii filius dixit, Syllam emiſſe gladiatores ad cædem & tumultum faciendum. Oſtendit Cicero Syllam eos emiſſe propterea quod ab eo Fauſtus Sylla ita petiuerit literis, ad munus gladiatorium debitum patri præſtandum. P. Cincium in Hiſpaniam ulteriorem à P. Sylla miſſum, ut eam turbaret: ab eodem Sylla impulſos Pompeianos, ut ad hanc coniurationem accederẽt: L. Cecilium Trib. pl. uoluiſſe legem ferre, qua P. Syllæ fratris iudicium de ambitu reſcinderet, Torquatus dixit. Hæc omnia Cicero refutat, negatq́; ſignificaſſe ſe in epiſtola ad Cn. Pompeium, Syllam in priore coniuratione fuiſſe, quod aduerſarius obiecerat.

Concludens

Concludens Cicero deos obteſtatur, Syllam ex coniuratione non fuiſſe. Affectus mirandum in modum mouet. Genus cauſæ iudiciale. Status coniecturalis. Hæc autem cauſa L. Murena & D. Iunio Syllano Coſs. non multis menſibus poſt Conſulatum Ciceronis acta eſt. P. Syllam in priore coniuratione fuiſſe, Suetonius ſcribit in Cæſare Dictatore. Idem ſignificat T. Liuius libro centeſimo primo. Eum Salluſtius nominat cum ijs, qui fuerunt in poſteriore.

MAXIME uellem. ] P. Sylla & P. Antronius deſignati Conſules, ambitus damnati ſunt. P. Sylla, ut hanc calamitatem ferret modeſtius, Neapolim ſe contulit, ibiq; aliquantulum commoratus eſt: Antronius uero cum Catilina & Piſone coniurauit, de L. Torquato & L. Cotta deſignatis Conſulibus necandis, Cal. Ianuarijs, cum inirent magiſtratum, ut reſciſſa re iudicata, ipſe cum Catilina Conſul eſſet. Vt antea. ] Cum Conſul deſignatus erat. Obtinere. ] In codice antiquo Obtineret ſcriptum inuenio. quæ lectio nihil minus mihi placet. Et poſt calamitatem. ] Improba lectio non eſſet, ſi ſcriberetur, Aut poſt calamitatem. Poſt calamitatem acceptam. ] Id eſt, poſt condemnationẽ de ambitu. Accipere calamitatem dicit, uti accipere iniuriam, uulnus, plagam, dolorem. In Diuinatione: Si plurimas à tuo Prætore iniurias accepiſſes, tamen eas ferendo maiorem laudem, quàm ulciſcendo mereres. Seruius Sulpitius ad Ciceronem lib. Epiſtol. famil. 4. Mihi nunciauit, M. Marcellũ collegam noſtrum poſt cœnæ tẽpus à P. Magio Chilone familiari eius pugione percuſſum eſſe, & duo uulnera accepiſſe, unum in ſtomacho, alterum in capite ſecundum aurem: ſperare tamẽ, eum uiuere poſſe. Ci. lib. Epiſt. ad Atticũ 1. Ille locus inductus eſt à me diuinitus, ne una plaga accepta Patres Conſcripti concidetent. Et libro ſecundo: Si Protogenes Ialyſium illum ſuum cœno oblitum uideret, magnum credo acciperet dolorem. Modeſtiæ fructum. ] Quia modeſte calamitatem tulit, uellem maxime ut inimici eius contẽti eſſent, nec eum in iudiciũ uocaſſent. Ita tulit. ] Id eſt, ita uoluit. Caſus infeſtus. ] Id eſt, aduerſa fortuna quæ ei inſtabat urgebatq;. Ampliſſimo in honore. ] Id eſt, in Conſulatu. Conſul enim deſignatus erat Sylla, cum de ambitu damnatus eſt. Communi ambitionis inuidia. ] His enim qui magiſtratus facti ſunt, inuidere ſolent, ij præſertim ipſi qui magiſtratus petunt. Singulari Antronij odio. ] Multis enim Antronius ob improbitatem odioſus erat. Damnatus eſt igitur Sylla de ambitu ob communem ambitionis inuidiam, & ob Antronij odium ſingulare, qui Syllæ collega erat. Aequum enim uiſum non eſt, cum ambo eadem lege interrogarentur, ut altero damnato alter abſolueretur. Euerteretur. ] Id eſt, ſpoliaretur. ut Act. in Verrem 4. An huiuſmodi iudicium det, quo iudicio, in dicta cauſa fortunis omnibus euerti neceſſe ſit. De hoc uerbo plura ſcribimus pro Sex. Roſcio Priſtinæ fortunæ. ] Cum eſſet Conſul. Haberet quoſdam. ] Vt C. Cornelium, & L. Torquatum. Moleſtiam capio. ] Id eſt, doleo. Capere detrimentum, dolorẽ, lætitiam, uoluptatem, idem dicit, Inuectiua in Catilinam prima: Decreuit quondam Senatus, ut L. Opimius Coſ. uideret, ne quid Reſpub. detrimenti caperet. In lib. de Clar. oratoribus Cum è Cilicia decedens Rhodum ueniſſem, & eò mihi de Q. Hortenſij morte eſſet allatum, opinione omniũ maiorem animo cepi dolorem. Pro M. Cello: Minimum dolorem capiet, qui iſtam non uidebit. Libro Epiſt. famil. 3. Ego & ſi ipſe ita iudicabam, & fiebam crebro à meis per literas certior, tamen maximã lætitiam cepi ex tuis literis de ſpe minime dubia, & planè explorata triumphi tui. Item: Hoc uelim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis à te prouiſum eſſe intellexero, magnam te ex eo & perpetuam uoluptatem eſſe capturum. In cæteris malis. ] Id eſt, inter cætera mala. Lenitatem meam. ] Cicero enim lenis & miſericors natura fuit, ut etiã poſtea dicet. Quondam. ] Id eſt, ante Conſulatum meum, in quo fui ſeuerior in opprimenda coniuratione Catilinæ. Agnoſcerent. ] Id eſt, recognoſcerent. Noua enim cognoſcimus, agnoſcimus uete-

ra. Improbi. ] Ii præſertim qui in coniuratis fuerunt, aut cũ ijs ſenſerunt, aut eorum familiares fuerunt. Re domiti. ] Scribatur melius Edomiti, una uoce quã duab. re domiti. Præcipitante. ] Id eſt, ruente Vt: Nox humida cœlo Præcipitat. Et quoniam L. Torquatus. ] Propoſitio eſt, quam proœmio ſubiungit Ariſtoteles, ut ait Quintil. lib 3. Neceſſitatem. ] Neceſſitudinem hac in re Cicero dicit ſæpius. Quod tamen neceſſitas quoque dici poſſit, ut eſt apud A. Gell. lib. 13. Neceſſitas, inquit, pro iure officioq; obſeruantiæ affinitatis'ue infrequens eſt. Quiquã qui ob hoc ipſum ius affinitatis familiaritatis'ue cõiuncti ſunt, neceſſarij dicuntur. reperi tamen in oratione C. Cæſaris, qua Plautiam rogationem ſuaſit, neceſſitatem dictam pro neceſſitudine, id eſt, iure affinitatis. Verba ſunt hæc: Equidem mihi uideor pro noſtra neceſſitate non laborare, non opera, non induſtria defuiſſe. Hæc ille. Cato maior, eiuſq; æmulus Salluſtius neceſſitudinem ſæpe dicunt, pro ui premente & cogente. Neceſſitudinis nomine continetur etiam ius & uinculum uicinitatis. ut in oratione pro Cn. Planco: Mihi ad defendendum Plancum parum multæ, parum iuſtæ neceſſitudines erant familiaritatis, uicinitatis, patris amicitiæ? Familiaritatemq; uiolaſſe. ] Id eſt, Si in Syllæ accuſando me uituperaſſet. De auctoritate, &c. ] Illud in agendis cauſis præcipuum eſt, ut orator ſit et habeatur uir bonus: proximũ, ut ſaltem habeatur. Cum igitur orator ab aduocato aduerſæ partis uituperatur, eius auctoritas diminuitur, nec iam habetur à iudicibus uir bonus. Itaque ſolet Cicero in defenſionibus, ſi quid ab accuſatore contra auctoritatem ſuam dictum ſit, id poſt proœmium, & ante cauſæ defenſionem refutare. Id ut hoc loco, ita pro L. Murena facit. Cum huius periculi propulſatione. ] Id eſt, cũ Syllæ defenſione. Coniungam defenſionẽ officij mei. ] Id eſt, officium meum defendã, quod L. Torquatus reprehendit. Ille. ] Torquatus: De huius præſidijs. ] Id eſt, de Syllæ defẽſione. Probauero. ] Id eſt, fecero ut approbetis. A cæteris clariſſimis uiris. ] Q. Hortenſio alijſq;, qui P. Syllam defendunt. Cum multis Cicero cauſam ſuam coniungit, ut oſtendat quòd illi multi non reprehenduntur, factum ſuum reprehenſione indignum eſſe. Ciceronẽ autẽ reprehendebat Torquatus, quod P. Syllã de coniuratione defenderet, cũ eius cõiurationis uindex fuiſſet. Q. Hortenſij factum. ] Id eſt, defenſio. Grauius. ] Id eſt, uerius et maioris momenti, & cui potius credendũ ſit. In his cauſis. ] Cõiurationis. Deſerendus, ] Id eſt, non defendendus. Patronus enim deſerit. Celebrari. ] Id eſt, frequentari. Vna. ] Id eſt, ſola. Hæc ornamenta ac lumina. ] Id eſt, hos uiros clariſſimos Apparere. Id eſt, eſſe & uideri. Illum in locum. ] Id eſt, ad Conſulatum. Celſiſſimam ſedem. ] Cello antiquum uerbum fuit, unde excello. Celſus inde dicitur, à quo celſiſſimus fit. In hanc celſiſſimam ſedem dignitatis. ] Id eſt in hanc ſummã dignitatẽ, qua ego nunc excello. Hoc genere quæſtionis. ] Id eſt, in ſimili cauſa, coniurationis ſcilicet. Non deſim P. Syllæ. ] Id eſt, P. Syllam defendam. Adeſſe pro defendere, abeſſe & deeſſe pro deſerere, id eſt, non defendere, in hoc loco ſæpe dici inuenias. L. Vargunteio. ] L. Varguntelus Senator ex coniuratione fuit. Is eſt qui cum C. Cornelio Ciceronem domi occidere ſuſceperat. Præſertim qui illum. ] Magnam apud ueteres fuiſſe clientis et patroni neceſſitudinem, neque clientes ſine ſumma infamia à patronis deſeri poſſe, eſt apud A. Gellium lib. 5. Cliens autem dicitur is, cuius cauſam patronus defendit. Solus. ] Maior neceſſitudo ſignificatur. Nonnullarum cauſarum multi aliquando patroni erant. ut L. Murenæ tres, L.

Cornelij Balbi totidem, Scauri ſex, ut ait Aſconius. Seruium Syllam.] Seruius Sylla Publij frater Senator ex coniuratis fuit,ut eſt apud Salluſtium. Quis Publium.] Legendum arbitror,quis P.Lentulum? P.enim Lentulus Sura cum alijs cõiurauit. M Leccam.] Per M. Porcium Leccam Senatorem coniurationis principes intempeſta nocte rurſus conuocatos, Salluſt.ſcribit.De conſilio coniurationis in domo eius habito, poſtea Cicero dicet. Quis Cornelium.] C. Cornelius ex equeſtri ordine. Cæteris in cauſis.] Negat Cicero in libro de Offic. 2. habendum eſſe religioni contrarium, nocentem aliquando & nefarium impiumq́; defendere: Vult inquit hoc multitudo, patitur conſuetudo, fert etiam humanitas. Non defendend. &c.] Id eſt,defendendos putant. Contagio quædam ſceleris.] Affinis enim ſuſpicioni eſt, qui alium coniurationis defendit. Obſtrictum eſſe patria. Quid ſi legas, Obſtrictum eſſe patriæ ſcelere? ut ſit patriæ ſcelus, quod in patriam excogitatum uel admiſſum ſit. Nam obſtringere ſcelere ſæpe dicit Cicero. Vt in lib.de Offic.3. Num igitur ſe obſtrinxit ſcelere, ſi quis tyrannum occidit, quamuis familiarem? Act. in Verr.3.Neque iſte mihi uidetur ſe ad damnationem offerre ſolum,neque hoc auaritiæ ſupplicio communi qui tot ſceleribus ſe obſtrinxerit, contentus eſſe. Et Act. 7. Num omnes qui tanto ſe ſcelere obſtrinxerint,ut aut fidem ſuam corrumpi paterẽtur, aut iudicium corrumperent,in diſcrimen ac iudicium uocandi? Teſtimonio læſerunt.] Id eſt,contra eum teſtimonium dixerunt. Simplex officium.] Id eſt, unum ab omnibus obſeruatum, ut uidelicet nemo ciuis bonus quenquam ex coniuratis defenderit.P.Syllam & Hortenſius & multi uiri clariſſimi defendant, quod eum in coniuratione ſciant non fuiſſe. Cauſa mea propria.] Id eſt, quam ego ſolus ſuſcipiam. Tempus agendi.] In inueſtiganda coniuratione. Partiendæ inuidiæ.] Sententia eſt,Quod dicam in opprimenda coniuratione me fuiſſe principem, & omnes bonos ciues fuiſſe comites,id non dico,ut mecum inuidiam ſubeant, ſed ut cum his gloriam communicem. Teſtimonium dixiſti.] Id dicendi genus ut frequens eſt,ita ferre teſtimonium,niſi uulgo,non dicitur. Quãuis id dixerit Calliſtratus iuriſc.lib.Digeſt. 22. de Teſtibus: An ei,inquit,inimicus ſit,aduerſus quem teſtimonium fert? Fidem tribui.] A nobis ſcilicet. Vna quæ Lepido.] M. Lepido & L.Tullio Volcatio Coſſ.circiter Nonas Decembres P. Antronius,L.Catilina,& Cn.Piſo,ut ante dixi, coniurauerunt interficere in Capitolio Calendis Ian.L.Torquatum & L.Cottam, cum inirent Conſulatum, ut Antronius & Catilina per uim Cõſules eſſent. De ea coniuratione Salluſtius plura ſcribit. Anno eo quo Volcatius & Lepidus Coſſ.erãt,Cicero prætor fuit,ut ait Aſconius. Conſilijs.] Cum de priore coniuratione quæreret. Vſus.] Id eſt,familiaritas. Ad propoſ.mihi finem ho.] Id eſt,ad Conſulatum, quem biennio poſt Præturam ſe dicit adeptum,in oratione in Rullum ad Quirites. Mea ambitio.] Id eſt,Conſulatus petitio. Forenſis labor.] Quem in amicis defendendis ſuſcipiebam.defendere enim quàm accuſare magis laborioſum eſt. Conflari.] Id eſt, fieri. de hoc uerbo plura ſcribimus in primam Inuectiuam Ciceronis.Cetare periculum in re eadem dici,pro Corn.Balbo ſcribimus. Grauia.] Id eſt,uera, & quibus creditum eſt. Fortuito.] Id eſt, caſu, & ut uulgo dicunt,ex caſu fortunæ. ut libro de Legibus 1. Itaque ad hominum commoditates et uſus tantum rerum ubertatem natura largita eſt,ut ea quæ gignuntur,donata conſulto nobis,non fortuito nata uideantur.Et libro de Diuinatione ſecũdo: Quarum omnium cauſas ſi à Chryſippo quærerem, ipſe ille Diuinationis auctor nunquam illa diceret facta fortuito, naturalemq́; rationem omnium redderet. Et lib. Epiſtolarum familiarium 5. Tibi perſuadeas uehementer uelim, non me repentina aliqua uoluntate,aut fortuito,ad tuam amplitudinem meis officijs amplectendam incidiſſe. Sed ut fortito & fortitu dici alio loco ſcripſimus,ita fortuitu quoque Cicero ſæpe dicit.ut in lib.de Offic.1.Ne quid temere aut fortuitu, inconſulte negligenterq́; agamus. Et libro de Diuinatione 2. Nihil eſt tam contrarium rationi & conſtantiæ, quàm fortuna: ut mihi ne in deum quidem cadere uideatur,ut ſciat quid caſu & fortuitu futurũ ſit. Nec temere.] Id eſt,nec ſine cauſa. Quæ enim Antronij.]

Oſtendit cauſam cur Syllæ adſit, cum Antronio defuerit.

Ambitus iudicum tollere.] Antronius de Ambitu damnatus,Conſulatu excidit. Idcirco tum Catilina coniurauit,ut deſignatos Coſſ. Cottam & Torquatum Cal. Ianuarijs interficerent,cum inirent magiſtratum,ut ipſi faſcibus correptis per uim Conſules eſſent,ut ante diximus. Itaq; Antronius,qui de ambitu damnatus erat,illam iudicum ſententiam tollere conatus eſt. Tollere.] Tollere,diſturbare,reſcindere iudicium, aut rem iudicatam,in eadem re dicimus,pro eo quod uulgo dicunt, quaſſare & annihilare ſententiam iudicis. Vt poſtea Cæcilius, qui id promulgarit, in quo res iudicatas uidebatur noluiſſe reſcindere.Infirmare quoq; iudicium in eadem re alibi dicit. Tumultu.] Id eſt, multitudine, tanquam ad bellum domeſticũ gerendum. Lapidatione.] Id eſt,lapidum iaculatione. Vt in lib.de Oratore 2. Habueras enim tu omnia in cauſa ſuperiora: uim,fugam, lapidationem, crudelitatem Tribunitiam, in Cæpionis graui miſerabiliq́; caſu in iudicium uocabas. Eſt autem lapidare, lapidibus pugnare: quod etiam lapidationem facere Cicero dicit pro P. Seſtio: Iiſdem Conſulibus arma in templo Caſtoris palàm portabantur, gradus eiuſdem templi tollebantur, armati homines forum & conciones tenebant, cædes lapidationesq́; fiebant. Quo in loco lapidationem pro trucidatione lapidibus facta dicere uidetur,ut in libro Epiſtolarum ad Quintũ Fratrem ſecundo.It cum grauiter de Clodianis incendijs, trucidationibus,lapidationibus queſtus eſſet,ſententiam dixit.Facere lapidationem ſaxis, idem dixit pro Domo ſua: Inde ſaxis facta lapidatio eſt. Lapidare hominem, ut arbitror, non dicitur. T. Liuius lapidare pro eo quod eſt lapidibus pluere, ſæpe dicit.ut lib. 27.Nouendiale ſacrum fuit,quia Veijs de cœlo lapidauerat Idẽ quoque lib.29.lapidatum eſſet imperſonale dixit: Nouendiale ſacrum,quòd de cœlo lapidatum eſſet, factum. Idem quoq; dicit lapidibus pluere.Sed de hoc aliàs. Ampliſſimis ordinib.] Id eſt,Senatui & equeſtri ordini. Calamitate.] Id eſt,condemnatione. Noctem & ſolitudinem.] In quibus conſilia de coniuratione agitarent. Erecto, ſiue emiſſo.] Correctio eſt,ad euitandam inuidiam. Falces.] Falces, ut ait Non.Marcellus armorum genera erant, murorum oppugnationi apta. Siſenna: Falces iniectas comminuunt, pluteos propius collatis harpagis deijciunt,mittunt è turribus.Vegetius lib.4.falcem eſſe dicit trabem,quæ adunco ferro præfigitur, ut de muro extrahat lapides. Ea in teſtudine muris applicari ſolet. Lentuli pœna.] Id eſt,cum de Lentulo ſumptum ſupplicium eſt. Conuertit ſe aliquando ad timorem.] Id eſt,ipſe audax tandem cœpit timere. Huius affines ſuſpicionis.] Id eſt, ad quos coniurationis ſuſpicio pertineret. Affinis ſuſpicionis & ſuſpicioni quod dicatur, alio loco probauimus. Calamitoſorũ.] Id eſt,damnatorum. Officia.] Id eſt, beneficia. In ſedibus meis.] Id eſt, in domo mea. Qua mollitie ſum animi.] Molle cum ad animum refertur, putant in malam partem accipi.Hoc tamen in loco Cicero mollitiem animi pro miſericordia & lenitate dicit. Sed tamen in Partionibus Oratorijs, mollitiem animi uitium eſſe,quod lenitatẽ imitetur,dicit. Eius uerba ſunt: Atque hæc quidem uirtutum,uitiorum autem ſunt genera contraria. Cernenda autem ſunt diligenter, ne fallant ea nos uitia,quæ uirtutem uidentur imitari. Nam & prudentiam malitia,et temperantiã immanitas in uoluptatibus aſpernandis,& magnitudinem animi ſuperbia in animis extollẽdis,

&

& deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, et patientiam duritia immanis, & iuſtitiam acerbitas: & religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & uerecundiam timiditas, &c. Mollitudo quoq; dicitur, ut apud Ciceronem libro Tuſculanarum 5. quidam poeta: Lenitudo orationis, mollitudo corporis. Idem Cicero libro de Oratore tertio. Ordo urbanitatis, & mollitudo humanitatis, & murmur maris, & dulcedo orationis ſunt ducta à certis ſenſibus. Puerorum infantium.] Id dici alio loco docuimus. Pueritia enim durat uſque ad annum 17. completum, quo toto tempore pueri infantes non ſunt. Marcellis patri et filio.] Marcellum patrem arbitror eſſe eum, quem poſt ciuilem uictoriam, Senatu rogante, Cæſar reſtituit. M. Meſſalæ.]

M. Meſſala Niger orator fuit, quem cum M. Marcello Aſconius numerat inter Scauri patronos. Vt ſpero.] Id eſt, ut puto. Sed non permiſſum.] Regnaſſet enim Catil. niſi conatus eius repreſſi eſſent. In tanto imperio id eſt, in Conſulatu. Eſt autem argumentum ex remotione. Nam ſi rex Cicero fuit, fuit Conſul, aut priuatus: Non fuit cum erat Conſul, nec tum etiam cum erat priuatus: Rex igitur non fuit. In quos teſtimonia dixiſti.] De coniuratis deprehenſis intelligit, in quos Ciceronem dixiſſe teſtimonia ex indicio coniurationis licet conijcere. Si falſum dixerim.] Ex remotione argumentum eſt. Te in eos dixiſſe.] Artificioſum eſt, ut ab aduerſario factum reſpondeat, quod ei aduerſarius obiecerat. Iurati.] Id eſt, iudices, qui uerum teſtimonium tum probauerunt, cum eos, in quos dictum teſtimonium eſt, damnauerunt. Præter fidem defenſionis.] Quam clienti patronus præſtare debet. Profugiſſet,] Id eſt, ut uulgo dicunt, aufugiſſet, & patriam reliquiſſet. inde profugus, qui uulgo dicitur fugitiuus. Cui innocentes homines.] In aduerſarium retorquet, quod is in ſe coniecerat. Deſeris.] Nam deſeris patronus. Tarquinium & Numam.] Numam Pompilium Sabinum, & Tarquinium Priſcum Etruſcum Corinthio patre natum, eſt apud T. Liuium lib. 1. Peregrinum.] Peregrinus is eſt qui in ciuitate eſt, cuius ipſe ciuis non eſt. Ciceronem autem peregrinum dixit, quòd Arpinas eſſet. Quàm Conſulem Romæ fuiſſe peregrinum.] Nullus enim adhuc Conſul fuit, qui ciuis non eſſet. Nullus peregrinus ciuis eſt: Ego igitur primus & ſolus fui Conſul peregrinus. Vnde iterum iam ſalus, & cætera.] Primum per C. Marium, qui Cimbros & Teutones urbi Romæ imminentes deleuit. quocirca principes ciuitatis aliòqui ei inuidentes, quòd nouus homo eſſet, conſeruatam ab eo Rẽpub. fatebantur: ut ait T. Liuius lib. 68. Deinde per Ciceronem, qui coniurationem inueſtigauit, patefecit & oppreſſit. Itaque Q. Catulus princeps Senatus eum frequentiſſimo Senatu parẽtem patriæ nominauit, ut ait idem Cicero in L. Piſonem. Qui ex municipijs ueniant.] Cicero in lib. de Legibus 2. Ego me hercule, inquit, omnibus municipibus duas eſſe cenſeo patrias: unam naturæ, alteram ciuitatis. Vt ille Cato cum eſſet Tuſculi natus, in pop. Romani ciuitatem ſuſceptus eſt. Itaque cum ortu Tuſculanus eſſet, ciuitate Rom. habuit alteram loci patriam, alteram iuris. Cum plurimos haberet inimicos.] Nam quater et quadragies cauſam dixit, nec ſæpius quiſquam poſtulatus eſt, ut ait Plin. lib. 7. T. Coruncano.] Qui Tuſculanus fuit. de quo plura ſcripſimus in Catonem maiorem Ciceronis. Nemo Curioni.] In codicibus alijs ſcriptum eſt, Nemo Curio. M. Curius ubi natus ſit legere non memini. Cicero pro L. Murena, hunc nouum hominem eſſe dicit. Idem in lib. de Legibus 2. paruæ cuiuſdam uillæ Curianæ in Sabinis meminit. Cum ei multi.] Præcipue nobiles, quia nouus homo erat. Eius inimici fuerunt L. Craſſus, M. Scaurus, omnes Metelli, ut ait Cicero in libro de Prouincijs conſularibus. ubi illa eius uerba ſunt: Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? Non poſſunt omnes eſſe patricij.] Auctore T. Liuio libro 1. centum Senatores qui à Romulo conſtituti ſunt, Patres ab honore, eorumq; progenies Patricij appellati ſunt. Quibus uerbis ſignificare uidetur, eos Patricios eſſe, qui ab illis primis ſenatoribus originem duxerunt. Per adoptiones tamen fiebant, aut eſſe deſinebant Patricij. Ante illi.] Gloria ſuperari. Inueterauit huic urbi. In hac urbe tanquã plantatus eſt, & altas egit radices, ut non facile euelli poſſit. Peregrinorum.] Id eſt, municipum, quos appellas peregrinos. Ne ſuffragijs obruare.] Id eſt, ne pauca habeas pro te ſuffragia, & ideo contra te plurima. Vt Act. in Verr. 4. Obruitur enim aratorum teſtimonijs. Te ex ſomno ſæpe excit.] Te diligentiorem in magiſtratus petitione facient, quia tibi metum inferent. Ne & uos.] Cum iudicum cauſa ſuã coniungit, ut Torquatum in odium adducat. Sileretur.] Id eſt, ſileri deberet. Eſt enim ipſe à mat. gen.] Propterea tamen municeps Torquatus non eſt. Municipem enim (ut ait Vlpianus lib. 50 Digeſt. ad Municipalem & de incolis) aut natiuitas facit, aut manumiſſio, aut adoptio. Patris autem, nõ matris municipium liberi ſequũtur, niſi forte priuilegio aliquo materna origo cẽſeatur. Tũ enim maternæ originis erit municeps. ut puta, Ilienſibus conceſſum eſt, ut qui matre Ilienſi eſt, ſit eorũ municeps. Etiam Delphis hoc idem tributum & conſeruatum eſt. Celſus etiam refert, Ponticis ex beneficio Pompeij magni competere, ut qui Pontica matre natus eſſet, Ponticus eſſet. Sed tamen Aſculani.] Aſculum Piceni colonia eſt. Ea autem colonia pop. Rom. inuiſa erat, propterea quod initio belli Italici Q. Seruilius Proconſul cum omnibus Romanis ciuibus qui in eo oppido erant, occiſus eſt, ut eſt apud T. Liuium lib. 72. Me meum non anteponere.] Quod mihi iure liceret anteponere. Vt non modo homini nemini.] Hæc magnanimi uiri officia eſſe, Cicero in lib. de Offic. 1. ſcribit. Sentire.] Id eſt, ſententiam dicere. Poſitis.] Id eſt, collocatis. Honeſtum otium.] Id eſt, immunitatem, quæ ſexagenarijs iure dabatur. Nondum autem ſenex Cicero erat. Sibi hab. hono.] Quid ſi legeretur, Sibi haberent alij honores. Rerum geſtarum uacatio.] Id eſt, immunitas ob res geſtas, uel à rebus gerendis. ut apud T. Liuium lib. 24. Nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpſerunt, qui quadriennio non militaſſent, quibus neque uacatio iuſtæ militiæ, neque morbus cauſa fuiſſet. Tamen hoc regnum appel.] Hoc enim à more uiuendi regum alieniſſimum eſt, qui otium quietemq; labori anteponũt. Vicarius.] Id eſt, ſucceſſor, & ut uulgo dicunt, locũtenens. Replices.] Id eſt, reuoluas, & ut uulgo dicunt, duplices. Nam ibi particula Re mutat ſignificationem dictionis cui apponitur. Tranſtulit autem ex more ueterum, qui cum in folijs arborum uel corticibus ſcribebant, folia aut cortices ordine diſpoſitos uoluebant aut plicabant: cum uero legere uolebant, euoluebant aut replicabant. Annalium memoriam.] Id eſt, libros annalium. Principio Romæ non erant hiſtoriarum ſcriptores. ut enim ait Cicero lib. de Orat. 2. erat hiſtoria nihil aliud, niſi annalium confectio: cum rei memoriæq; publicæ retinendæ cauſa ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mutium Pont. Max. res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pont. Max. efferebatq; in album: & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi. Iiq; Annales maximi nominantur. Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſine ullis ornamẽtis monimenta ſuorum temporum, hominum, locorum, geſtarumq; rerum reliquerunt. Annalibus Pontificum Max. Cicero lib. de Legibus 1. negat quidquam eſſe iucundius. Idem illos nominat primos Romanæ hiſtoriæ ſcriptores Latinos, Fabium Pictorem, Catonem, Piſonem, Fannium, Venonium. Annalium memoriã.] Soli enim tum annales erant, cum M. Manlius affectati regni damnatus de ſaxo Tarpeio in Tyberim præcipitatus eſt, ut eſt apud Tit. Liu. lib. 6. Ex domeſticis imaginibus inuenies.]

Amarulentũ ſcomma eſt. Idq; artificioſum eſt, ut in aduerſarij familia dicas fuiſſe, quod ſibi ab aduerſario obiectum ſit. Spiritus.] Id eſt, ſuperbiam & animi elationem. Tam immortalibus.] Vt pro P. Seſtio: Tu hoc loco laudas Milonem, & iure laudas. quem enim unquam uirum tam immortali uirtute præditum uidimus? Adeptum fore.] Hoc dicendi genus Ciceroni non omnino infrequens, contra Grammaticorum præceptiones eſt. Nam adeptum eſſe dicendum præcipiunt. A' ueſtris ceruicibus.] Id eſt, ab interitu ueſtro. Niſi uero paucos.] Res enim tanta à paucis confici non potuiſſet. Suam ſalutem cum mea coniungunt.] Id eſt, uolunt uiuere & mori mecum, nec me mortuo ſe uiuere poſſe arbitrantur. Furorem conſceleratum.] Hoc dicitur antea, Voluntates conſceleratas. De hoc nomine alio loco ſcripſimus. Cum L. Torquatus.] A' minore ad maius oſtendit nihil mirandum eſſe, ſi de ſe improbi obloquantur, cum etiã L. Torquatus probus adoleſcens de eo improbe loquatur. Conſulis.] Vel Conſularis legendum eſt, uel Conſulis intelligendum eſt, eius qui Cõſul fuit. Suppreſſa uoce.] Id eſt, ſubmiſſa. Nam preſſa uoce, & ſuppreſſa, & preſſe, & leniter loqui dicimus: Submiſſa, aut parua, aut quod uulgus dicit baſſa uoce, non dicimus. uti contra, magna & clara uoce dicere, aut clare loqui dicimus, non alta uoce: de quo dicendi genere alio loco ſcripſimus. De ſcelere.] Id eſt, de coniuratione. Qui ea probatis.] Quæ de ſcelere diceret. De ſupplicio.] Quod in carcere, quod Tullianum appellatur, ſuſpenſus ſit. Abſurdum.] Id eſt, improbum. Leniter.] Legendum eſſe Leniter, ſatis doceri poteſt etiam illo Cic. ex libro de Offic. 1. In uoce duo ſequamur, ut clara ſit & ſuauis. Vtrunque omnino à natura petendum eſt. uerum alterũ exercitatio augebit, alterum imitatio preſſe loquentium & leniter. Audire nolebat.] Quod ſciret eos fauere coniurationi. hæc autem de coniuratorum ſcelere & audacia eſſe. Se uenditabat.] Id eſt, ut uulgo dicunt, complacere uolebat. Alterum iam oratoris uitium.] Vt cauendum oratori eſt, ne aduerſarij cauſam adiuuet: ita multo magis, ne quid dicat, quod cauſam ſuam lædat. Quod igitur coniuratorum pœnam mortemq; lugeat, coniurationem probare uidetur, quod accuſationi contrarium eſt. P. enim Syllam accuſat, quòd in coniuratione fuerit. Quod cum is Trib. pleb.] Arbitror eſſe legendum. Quod is Trib. pl. P. autem Clodium Trib. pl. deſignatum ſignificare uidetur. Clariſſimum uirum.] T. Manlium Torquatum, qui filium ſecuri percuſſit, quòd iniuſſu ſuo cum hoſte pugnaſſet. Cum enim cæſa ceruice fuſus eſt cruor, tum libero conqueſtu coortæ uoces ſunt, ut neque lamentis, neque execrationibus parceretur, ut ait T. Liu. lib. 8. Nec Torquato Romam reuertenti iuuentus obuiam profecta eſt. Vt igitur fuerunt qui præclarum hoc patris tui factum reprehenderent, ita tu reprehẽdis factum Reip. quæ hoſtes ſuos necauit, ne ab ijs necaretur. De inuidioſis rebus.] Quibus me in inuidiam Torquatus adducere conatus eſt, quæ mihi improborum omnium odia conciliarunt. Ad occaſum.] Auctore Donato in commentarijs in librũ Aen. 1. Caſus parua rei eſt, uel perſonæ inferioris: occaſus magnæ rei, uel perſonæ ſuperioris. Nam ſolem lunamq; occidere, & uiros præclaros occidiſſe dicimus. Virg. Hoc equidem occaſum Troiæ, triſteſq; ruinas Solabar, fatis contraria fata rependens. Sine tumultu.] Bellum Gallicum, aut Italicum appellari tumultum, quòd in eo timor multus eſſet, ſcribit Cicero in Philip. 8. Quibus in bellis ne ſacerdotibus quidem aut ſexagenarijs uacatio erat. Cum igitur bellum huiuſmodi impendebat, tumultũ eſſe decernebat Senatus, ne uacationes tollerentur. Id ſignificat Cicero in Philip. 5. cum cenſet M. Antonium qui Brutum Mutinæ obſidebat, hoſtem patriæ iudicandum. Quamobrem, inquit, Patres conſcripti Legatorum mentionem nullam cenſeo faciendam. Rem adminiſtrandam arbitror, ſine ulla mora & confeſtim gerendam cenſeo. Tumultum decerni, iuſtitium indici, ſaga ſumi dico oportere, delectum haberi, ſublatis uacationibus in urbe & in Italia præter Galliam totam. Sine tumultu igitur.] Id eſt, tumultu nõ decreto à Senatu. Sine delectu.] Id eſt, nullo militum delectu habito, id eſt, nullis militibus cõgregatis. Quinque hominibus comprehenſis.] Plures fuerunt comprehenſi, ſed de quinque ſolum in Tulliano carcere ſumptũ ſupplicium eſt: Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario. Confeſſis.] Quamuis confodere prius ſit uulneribus necare, hoc tamen in loco dicit, pro eo quod eſt laqueo gulam frangere. Hoc enim genere mortis hos quinque coniuratos interiiſſe Salluſtius ſcribit. Incenſione.] Id eſt, incendio, ut inuectiua in Catilinam 3. Eundemq; dixiſſe fatalem hunc eſſe annum, ad interitum huius urbis atque imperij, qui eſſet decimus annus poſt uirginum abſolutionem: poſt Capitolij autem incenſionem, uiceſimus. Internitione.] Internetione legendum eſt. idq; nomen appoſitione uerbi factum eſt, quæ eſt interneco: ut ab occido occidio dicitur. Arcem regum & nationum.] Regum enim, populorum, & nationum portus erat & perfugium Senatus Rom. ut eſt apud Cic. lib. de Offic. 2. Iuratus.] Id eſt, teſtis. In coniuratos enim Ciceronem dixiſſe teſtimonium Torquatus obiecerat. In maxima concione.] Id eſt, in concione pop. Rom. Subito te amare.] Propterea quod iuuenare, quod coniuratorum pœnam mortemq; lugere uideare. L. ille Torquatus.] De hoc Torquato in perſona tertia loquitur. Cum eſſet meus contuber. &c.] Vt Romana iuuentus inſtitueretur melius, clariſſimorum uirorum filij adoleſcentes cum Conſulibus in prouinciam proficiſcebãtur, aut cum ijſdem Romæ manebant. Id ſignificat Cicero pro M. Cælio. Cum, inquit, paulum iam roboris acceſſiſſet ætati, in Africam profectus eſt, Q. Pompeio proconſuli contubernalis, caſtiſſimo uiro atque omnis officij diligentiſſimo. Et pro Cn. Plancio: Hic eſt enim qui adoleſcentulus cum A. Torquato profectus in Africam, ſic ab illo grauiſſimo & ſanctiſſimo uiro dilectus eſt, ut & contubernij neceſſitudo & adoleſcentuli modeſtiſſimi pudor poſtulabat. Signifer eſſet iuuentutis.] Signiferi, ut ait Vegetius lib. 2. ſunt qui ſigna portant, quos draconarios uocant. Vt autẽ legionis aquila, ita ſingularum cohortium ſigna dracones erant: quæ ſigna qui ferebant, ſigniferi appellabantur. Pro principe ſigniferum Cicero dicit pro domo ſua: Quis eſt Sergius? armiger Catilinæ, ſtipator tui corporis, ſignifer ſeditionis, &c. Iuuentutis.] Id eſt, militum. In Prætura.] Id eſt, biennio ante Cic. Prætore. Particeps extitit.] Princeps potius, quàm particeps legi debet. Animi uirtute.] Id eſt, ut uulgariter dicunt, animoſitate. Sed iam redeo ad cauſam.] Poſtquam purgauit quæ in ſe Torquatus dixerat, ad Syllæ defenſionem accedit. Dicendi mihi impoſita neceſſitas eſt.] Id eſt, dicere coactus ſum. Allobrogibus nominatum.] Cum L. Caſſius Longinus legatos Allobrogum ad communionem coniurationis impellere conaretur, multos nobiles uiros ex coniuratione nominauit. Antronium cum nominaſſet, Allobroges de P. Sylla quæſiuerunt. L. Caſſius neſcire ſe dixit. Nominatum Allobrogibus.] A' L. Caſſio ſcilicet, Quis negat Syllæ indicium: Ita in alijs codicibus ſcriptum inuenio. Non deſunt tamen qui legant Quis negat? Secum facere.] Id eſt, ex coniuratione ſecum eſſe. Eſſe in eadem uoluntate.] Aſcribendum eſſe uerbum arbitrabantur, aliud'ue quod eiuſdem ſignificationis puto, ad hanc ſententiam. Videte diligentiã Gallorũ, qui Antronium & Syllam unquam uiderant, de ijs tantum audiuerant: eos autem arbitrabantur in eadem uoluntate eſſe, propterea quod fuerant pari calamitate, id eſt ſimul de ambitu damnati. Criminoſum.] Criminoſum, non criminale dici alio loco ſcripſimus. Non debebat minuere illorum ſuſpicionem,] Salluſtius in bello Catilinario ſcribit, Allobroges per P. Vmbrenum

ſollicitatos,

ſollicitatos, eoſq; in domum D. Bruti perductos fuiſſe, quòd foro propinquus erat, neque alienæ conſilij propter Semproniam. nam tum Brutus Romæ aberat. Præterea Gabinium ab Vmbreno accerſitum, quo maior auctoritas ſermoni ineſſet. Quo præſente Allobrogibus coniurationem aperuiſſe, ſocios nominaſſe, præterea multos cuiuſque generis innoxios, quo Legatis animus amplior eſſet. Etenim eſſet abſurdum.] Si ex coniuratis Sylla eſſet, ſcilicet. Afflicta fortuna.] Id eſt, condemnatio. Non prius Antronium quàm Syllam.] Si Sylla ex coniuratis fuiſſet. Sylla enim Antronio nobilior erat. Illud probari minime poteſt.] Id eſt, illud ueriſimile non eſt. Propter calamitatis ſimilitudinem.] Id eſt, quia ſimul de ambitu uterque condẽnatus fuerat. Neſcire certum.] Certe ſcio, certo, & certum: itemq; certum habeo, & pro certo, in eadem re dici, ſcripſimus in librum Ciceronis de Senectute. Nõ purgetur aliquis, &c.] Purgare & arguere contraria ſunt. Cum quis cuiuſquã dicto uel facto aliquid feciſſe uel non feciſſe probari poteſt, is arguitur uel purgatur. Arguere hoc in loco eſt, quod dicunt onerare: & purgare, quod dicunt deonerare. Verum ſubleuat Syllam, an ſatis probat ſe neſcire.] Argumentum a remotione eſt. Subleuat.] Id eſt, ut uulgo loquuntur, ſupportat. Ne indicent.] Galli Syllam. Neſciuit.] Altera diſtinctionis pars eſt. Ante enim quæſiuit, utrum ſubleuat Syllam, an ſatis probat ſe neſcire? Sed non ſubleuat, igitur neſciuit. Sed ne hoc quidem. Celatum eſſe Caſſiũ.] Ab alijs coniuratis, aut à Catilina. Celare, ut ait Cicero in libro de Officijs. 3. eſt cum quid tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſa uelis eos, quorũ intereſt id ſcire. Extra coniurationem.] Vt in lib. Inuectiuarum 1. Quid enim Catilina eſt, quod te iam in hac urbe delectare poſſit, in qua nemo eſt extra iſtam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo qui te non oderit. O dij immortales.] Quæ uix humano conſilio fieri potuiſſent, ea dijs fauentibus atque conſulentibus ſe dicit feciſſe, quo factis ſuis maior auctoritas tribuatur. Diſpexerim.] Id eſt, prouiderim & inuenerim. Conſeruandæ patriæ cupiditate. Cupiditatem in bonam partem accipi attende, quoniam in malam dicitur ſæpius. Ab omnibus cæteris. Nam pluribus intẽtus minor eſt ad ſingula ſenſus. Et ut ait Cicero pro L. Cornelio Balbo: Aſſiduus uſus uni rei deditus, & ingenium & artem ſæpe uincit. Et inſcientiæ.] Quamuis in alijs codicibus inſcitia legatur, legi tamen ab inſciente Inſcientia poſſe, pro Balbo ſcripſimus. Prætuliſtis menti meæ.] Vt in his tenebris mens mea ueſtro lumine illuſtraretur. Nam id me multũ fefellit.] Nunquam enim putaram fore, ut uiri boni, qualis Torquatus eſt, dicerent aliter indicata hæc eſſe, quàm in literas publicas relata eſſent. Naufragus patrimonio.] Id eſt, patrimonij decoctor, cui ex toto patrimonio nihilo magis relictum eſt, quàm naufrago ex naufragio. Otij.] Id eſt, pacis. Vento aliquo excitato. Ventum in aliquem excitare, eſt alicui negotium faceſſere, periculum creare, aduerſam fortunã excitare. Portum.] Id eſt, requiem & finem. Sententia autem eſt: Vidi fore, ut improbi aliqui hæc indicata aliter eſſe dicerent, quo facilius in malis reipublicæ optimum quenque ex cõiuratione eſſe poſſent dicere, ut malorum ſuorum aliquem portum inuenirẽt. Nam in ijs reipublicæ malis præmium aliquod indicibus conſtitui poſſet, aut ſatis magnum ſibi præmium eſſe improbi homines putarent, ſi bonis ciuibus negotium exhiberent. Conſtitui Senatores. Id factum Plutarchus in uita Catonis ſcribit, cum in Senatu de coniuratorum comprehenſorum pœna ageretur: Conſul, inquit, Cicero uelociſſimos ſcriptores diſpoſuit, atq; docuit, ut per ſigna quædam & paruas breueſq; notas multarum literarũ uim habentes dicta colligerent. Nondum enim reperti erant ij qui notarij appellantur, ſed tum demum eius rei ueſtigium extitiſſe ferunt. Idem Catonis ſententiam tum excerptam atq; ſeruatam putat. Memoria, ſcientia.] Hæc quatuor quæ notarijs neceſſaria ſunt, ad faciendam fidem tabularum ab ijs Senatoribus excerptarum dicit. C. Coſconium.] Qui poſtea Proconſul Hiſpaniam adminiſtrauit. M. Meſſalam.] Huius & Appij Claudij ſæpe meminit Cicero in Epiſtolis. Priuata cuſtodia.] Id eſt, domi meæ. Conſules enim alijq; magiſtratus res in magiſtratu geſtas, in commentarios per ſcribas ſuos curabant referendas, eoſq; commentarios apud ſe retinebant. Deſcribi.] Id eſt, in exempla multa tranſcribi, & ut uulgo dicunt, duplicari & copiari. Vt in legem Agrariam Rulli: Aliquando tandem me deſignato lex in publicum proponitur. Concurrunt iuſſu meo plures uno tempore librarij, deſcriptam legẽ ad me afferunt. Tranſcribere in eadem re idẽ dixit pro A. Cluentio: Digito legata deleuit, & cum id multis locis feciſſet, poſt mortem eius (ne lituris coargui poſſet) teſtamentum in alias tabulas tranſcriptum ſignis adulterinis obſignauit. Ne quis poſſet tantum, &c.] Id eſt, ne quis plus aut minus de periculo reipublicæ aut alicuius cogitaret, quàm res fuiſſet. Temere.] Id eſt, ſine cauſa, & ut uulgo dicunt, leuiter, & re non bene examinata. Aut obliuio.] Si quid in meis commentarijs omiſiſſem. Aut memoria.] Si omnia ſcripſiſſem. Tuus inimicus.] P. Sylla. Summæ negligentiæ.] Quod de commutato indicio tacueris. Tenuiſſima ſuſpicione perſtrinxit.] Id eſt, maledicto minimo me laceſſiuit, & in tenuiſſimam ſuſpicionem maledicto uocauit. Præuerterim.] Id eſt, reſpondendo ſuperauerim. Præuertere enim eſt tranſire & ſuperare. ut apud Virgilium: Volucremq; fuga præuertitur Hebrũ. Nam ut reuertere & reuerti, ita præuertere & præuerti in eadem re dicimus. Excuſſos arbitrari.] Ab hyſtricibus tranſlatio facta uidetur. Hyſtrici enim, ut ait Plin. lib. 8. longiores aculei, & cum intendit cutem, miſſiles, ora urgentium figit canum, & paulo longius iaculatur. Retuliſſe gratiam.] Id eſt, repoſuiſſe iniuriam. Non debes tamen quenquam.] Locus hic altercationi ſimilis eſt, ſed utranque perſonam ſuſtinet Cicero. Quæſtione.] Id eſt, cauſa. Coactus.] Periculo Reipublicæ. Creditum eſt.] Meo teſtimonio. Ac defendere.] Legi oportet, Ac non defendere. Modum.] Id eſt, finem. Cum honos agebatur, &c.] Id eſt, cum P. Sylla de ambitu cauſam dicebat, ut erepto ei Conſulatu pater tuus conſul eſſet. Familiariſſimis ſuis. Qui P. Syllam defendebant. Familiariſſimis ſuis non ſuccenſuit.] Particulam Non, expungendam arbitror. Ad propulſanda pericula.] Id eſt, ad reos defendendos. Illa contentio.] De conſulatu. Afflicto.] Id eſt, damnato. Honoris.] Id eſt, conſulatus. Ereptum.] Id eſt, conſulatum uobis ereptum Syllæ largitione. Victi in campo.] Martio ſcilicet, ſuffragiorum multitudine. Conſulatum uobis eripiebant. Id eſt, conabantur probare Syllam non admiſiſſe ambitum, & ita conſulem iure factum eſſe. Quẽ interemiſti.] Id eſt, quẽ afflixiſti, qui te accuſante de ambitu damnatus eſt. At accuſat C. Cornelij.] Duo Cornelij in coniuratione fuerunt, unus P. Cornelius Lentulus Senator, qui tum Prætor erat, de quo ſumptum ſupplicium eſt. alter C. Cornelius eques Romanus, de quo eiuſq; filio hoc loco Cicero. Quod præmij, &c.] In Catilinæ coniuratione Senatus indicibus præmia decreuit, ſeruis ſuis libertatem & ſeſtertia centum, libero impunitatem eius rei, & ſeſtertiorum ducenta millia, ut eſt apud Salluſtium. Vel hæc præmia intelligit, uel honeſtatem. Honeſtum enim indicare occulta conſilia, quæ contra rempublicam capiantur. Per iſtum puerum.] Hinc attendendum eſt, hunc Cornelij filium non fuiſſe P. Syllæ accuſatorem. Nam pueris poſtulare non licet, ut eſt in libro Digeſtorum 3. de Poſtulando. Cum Hortenſio communicata.] Id eſt, mihi cum Hortenſio communiter commiſſa. Illum comitatum.] Indicat per puerum Cornelius.

Pompeij oppidum fuit in Apulia, propè Neapolim. Ii à populo Romano deuicti, parte agri multati ſunt. Eò à Triumuiris, in quibus P. Sylla erat, colonia deducta eſt. Inter Pompeianos & Colonos exorta ſeditio eſt, quod nollent Pompeiani Colonis tantum ius ſuffragij ferendi ac magiſtratus gerendi eſſe, quantum ſibi. Hanc ſeditionem à Sylla excitatam dixit Torquatus, ut Pompeianos in ſua poteſtate haberet, iiſq; ad hanc coniurationem uteretur. Ad patronos.] Id eſt, ad Triumuiros, qui eam coloniam deduxerunt, ad eoſq; qui oppidum expugnauerunt, aut in deditionem acceperunt, qui more maiorum patroni erant. Cognita.] Id eſt, dijudicata. Cæterorum.] Patronorum. nam in his Sylla erat. Ex hac frequentia colonorum.] Colonos legatos publice miſſos ad hoc iudicium cum P. Syllæ laudatione ſignificat. Si in omni fortuna, &c.] Nam de ambitu condemnatus eſt. In hoc tamen caſu.] Cum de coniuratione accuſatur. Ab illis.] Colonis. De ambitione.] Id eſt, de magiſtratuum petitione. Populi Romani fortuna diuiſerit.] Nam populi Romani fortuna fecit, ut Romani uictores eſſent, ideoq; Pompeianos agri parte multarent. Alteros.] Id eſt, Pompeianos. Demouiſſe.] Id eſt, agri parte abire coegiſſe. At enim & gladiatores.] Lucius Cæcilius Tribunus plebis legem ferre conatus eſt, qua pœnam ambitus alijs legibus conſtitutam diminueret, in gratiam fratris Publij Syllæ de ambitu damnati. Lucius Torquatus dixit Cælium ea lege uoluiſſe reſcindere iudicium, quo Sylla de ambitu condemnatus fuerat. Id Cicero refutat. Rogationis.] Id eſt. legis. Cæcilia.] Quàm Lucius Cæcilius Tribunus plebis ferre uolebat. Fratris ſui.] Publij Syllæ. Sylla Cæcilij frater fuit, uel quia ex eadem matre nati ſunt. Seruius in libro Commentariorum in Aeneida Virgilij, ex Varrone ſcribit, fratres germanos appellari eos, qui ſint ex eadem matre, quamuis ex eodem patre non ſint: ut fuſius pro A. Cluentio ſcribimus. Vel quia alter alterius ſororem in matrimonium habuit. Vt Cicero pro Domo ſua, & de Reſponſis aruſpicum, Quintum Metellum Publij Clodij fratrem appellat, quòd ſororis eius maritus fuerit. Promulgarit.] Id eſt, aliquot dies propoſuerit, ne intelligas eum tuliſſe. Nam promulgare legem et ferre idem non eſſe, ex hoc loco facile cognoſcas. Fratris auctoritate.] Nam Publio Sylla mandauit, nolle ſe illam legem ferri. Deductus.] Id eſt, diſſuaſus. Voluiſſe reſcindere.] * Hic locus emendatus non eſt, ibiq; pauca deeſſe uidentur. Superioribus legibus.] Non multo ante lex Calphurnia lata fuerat, quæ damnatis de ambitu pœnam pecuniariam addebat. Eorum ordinum.] Id eſt, Senatus & equitum. Perpetuandam.] Id eſt, perpetuo ſeruandam. Perpetuare quamuis raro dicatur, eo tamen uerbo Cicero uſus eſt etiam in libro de Oratore tertio: Clauſulas, inquit, atque interpuncta uerborum, animæ interclusio, atque anguſtiæ ſpiritus attulerunt. Id inuentum eſt ita ſuaue, ut ſi cui eſt infinitus ſpiritus datus, tamen eum perpetuare uerba nolimus. Si paulo etiam longius, & cætera.] Id eſt, ſi Cæcilius fratris cauſa aliquantulum peccaſſet. Finis quotidiani officij.] Id eſt, honeſtas. Protuliſſet.] Id eſt, prouexiſſet. Senſus ueſtros. Id eſt, quid ſentiretis, ſi in loco Cæcilij eſſetis. Nos Senatum conuocaſſemus.] Significat Cicero, ſe Conſule Lucium Cæcilium hanc legem ferre uoluiſſe. Senatum enim Cicero Conſul in Capitolium conuocauerat, ut ad eum de hac lege referret. Prius.] Quàm Senatum conuocaſſemus. Dixit.] In Senatu. De Republica egit.] E' Republica legendum arbitror. E' Republica dici ſuauius, quàm ex Republica Cicero auctor eſt in libro de Oratore ad Brutum. Id autem ſignificat, ad utilitatem Reipublicæ ut in libro Epiſtolarum ad Brutum: Cui cum eſſem aſſenſus, decreui hoc amplius, ut tu, ſi arbitrarere utile fore, & è Republica eſſe, perſequerere. Item: Quòd ſcribis poſtea ſtatuiſſe te ducere exercitum in Cherroneſum, nec pati ſceleratiſſimo hoſti ludibrio eſſe Imperium populi Romani, facis ex tua dignitate, & è Republica. Et libro de Oratore ſecundo: Multas etiam è Republica ſeditiones ſæpe eſſe factas, ut cum reges eſſent exacti, ut cum Tribunitia poteſtas eſſet conſtituta. Agrariæ legi.] Quam Publius Seruilius Rullus ferre conatus eſt, quam Cicero Conſul diſſuaſit. Interceſſorem fore.] Id eſt, ut aliquis ex Tribunis plebis intercederet, quo minus ea lex ferretur. Vnius enim Tribuni plebis interceſſio ſufficiebat ad impediendam rem, quam reliqui Tribuni ferre conarentur. Onere depoſito domeſtici officij.] Relicta cura rei domeſticæ. Quis tamen ueſtrum.] Quis tandem ueſtrum, aptius uidetur ſcribendum. Ex Antronij improbitate.] Qui ſperabat huius legis beneficio, rem de ſe iudicatam labefactari, aut certe pœnā diminui. Honoris.] Id eſt, Conſulatus. Nam cum Antronio Sylla Conſul deſignatus eſt. Alleuamento.] Id eſt, diminutione, & ut uulgo dicunt, alleuiatione. Hic tu epiſtolam.] Cicero Catilina coniuratione oppreſſa, ad Cn. Pompeium in Aſia bellum Mithridaticum gerentem ſcripſit, de utraque coniuratione Catilinæ. Lucius Torquatus ex his literis colligit Publium Syllam fuiſſe ex coniuratione, idq; Ciceronem ſignificaſſe arguit, quamuis Syllam in ea epiſtola Cicero non nominauerit. Id negat Cicero. Biennio ante conceptum.] Amplius biennio concepta fuit hæc coniuratio. Lepido enim et Volcatio Conſul. circiter Nonas Decembres cœpit. Lucius Torquatus & Lucius Cotta poſt hos fuerūt Conſules, poſt hos Lucius Iulius & C. Figulus, poſt quos fuit Cicero cum C. Antonio. His Conſul. in menſe Octobri patefacta coniuratio eſt. Erupiſſe.] Id eſt, natum eſſe. ſed de mala re id uerbum dicitur. Demonſtraſſe.] Id eſt, ſignificaſſe. De quo etiam ſi quis dubitaſſet.] Oſtendit Lucium Torquatum dixiſſe quæ non conueniant. Nam ſi Publius Sylla coniurauit Lucij Torquati patrem Conſulem Calendis Ianuarijs interficere, ut conſulatum iudicio amiſſum per uim recuperaret: non eſt ueriſimile eum poſt quam damnatus eſt, operas & manum comparaſſe, ut Catilinæ contra Torquatum ſuffragaretur. Interfecto patre tuo Conſule.] In priore enim coniuratione Lucium Torquatum & Lucium Cottam cum inirent conſulatum Calend. Ianuarijs interficere, & conſulatum per uim arripere Catilina & Antronius coniurauerant. Cum lictoribus.] Id eſt, occupato & arrepto conſulatu. Vt Catilinam Conſulem efficeret.] Comitijs habitis poſt Syllæ damnationem. Operas.] Vt ſeruitia & miniſteria, in numero tantum plurali pro ſeruis et miniſtris dici, Valla libro quarto ſcribit. ita apud Ciceronem ſæpe inuenire licet operas dici pro operarijs, quos conducere ſolebant, qui uim aliquam moliebantur. Vt in Vatinium teſtem: An erit hæc optio & poteſtas tua, ut cum Clodianas operas & facinoroſorum hominum manum uideris, Milonem dicas gladiatoribus & beſtiarijs obſediſſe Rempublicam. Et pro Domo ſua: Conſulari homini Publius Clodius euerſa Republica ciuitatem adimere potuit, concilio aduocato, conductis operis non ſolum egentium, ſed etiam ſeruorum. Et pro Publio Seſtio: Qui adeſſe nobiliſſimos adoleſcentes, honeſtiſſimos equites Romanos deprecatores ſalutis meæ iuſſerit, eoſq; operarum ſuarum gladijs & lapidibus obiecerit. Neque enim iſtorum facinorum.] Probat Cicero ex uita ante acta crimen: de quo quæſtio eſt, coargui poſſe aut refutari. Diſſolutis.] Id eſt, refutatis. De principio.] Vt improuiſo & de improuiſo, ita principio & de principio in eadem ſignificatione dicimus. Sed de principio hoc loco dici adnotandum cenſeo, magis ut Latine dici intelligas, quàm ut imiteris. Studuit animus.]

nari. Huic.] P. Syllæ. Maius eſt beneficium.] Quod multis P. Sylla præſtitit, quorum uitam à L. Sylla deprecatus eſt, aut quorum pro ſalute ſe obligauit. Quam poſſe debet ei uis ciui dare.] Nimium enim apud tyrannum L. Syllam Publius ualuit, nec illam cũ ciuibus ſuis æquabilitatem habuit, quæ in ciuitate eſſe debet. Quod potuit.] Id eſt, quam poteſtatem habuit. Tempori.] Id eſt, temporis conditioni, quo ita L. Syllæ crudelitas in ciues Romanos debacchabatur. Quod fecit.] Id eſt, quod ciuibus præſtitit. Ipſi.] Id eſt, ipſius naturæ & bonitati. Conſtantiam.] Id eſt, honeſtatem, quam conſtanter retinuit. Moderationem in priuatis rebus.] Nam, ut ait pro Lucio Murena: Odit populus Romanus priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit, non amat profuſas epulas, ſordes & inhumanitatem multo minus. Splendorem.] Id eſt, magnificentiam, ut ſplendor ſordibus contrarius ſit. A' fortuna.] Quia Sylla de ambitu damnatus eſt. Iudicijs autem fortuna præeſt. Deformata ſunt.] Id eſt, turpificata ſunt, & formam ſuam perdiderunt. A' natura inchoata appareant.] Id eſt, naturæ ueſtigia quædam remaneant. Quæ celebratio.] Id eſt, frequentatio erat, priuſquam Sylla damnaretur. Familiaris.] Id eſt, non faſtuoſa, non ſuperba. Studia amicorum.] Id eſt, bona uoluntas & obſequium in amicos, Id eſt, quàm ſtudioſus amicorum fuit. Vna hora.] Qua damnatus eſt. Accipit uulnus.] Cum damnatus eſt. De hoc dicendi genere, & de uulnere pro damno, alibi ſcripſimus. Mortiferum.] Vulgo mortale appellarent. Sed mortale id eſt, quod aliquando moriturum eſt: mortiferum uero, quod mortem affert. unde etiam mortifera peccata, non mortalia appellari licet. Vita & natura, &c.] Nam accepto eo uulnere naturam retinuit. Quam ſi nemo alius] Minuit Syllæ ambitionem, quòd alij quoque eam conſulatus cupiditatem habuerint. ſed quòd damnatus ſit, alij incolumes, ea eius aduerſa fortuna fuit. Vrbis & fori.] Ne aſpectum hominum lucemq́; uitaret. Propter ſumma ſtudia amicorum.] Qui ipſi Syllæ ſtudioſi erant, & ueri amici. Nam ut ait Ennius: Amicus certus in re incerta cernitur. Reſtiterunt.] Id eſt, ſuperfuerunt & remanſerunt. Cum lege retineretur.] Lex enim Calphurnia, quæ paulo ante damnatum Syllam lata fuerat, pecunia, non exilio damnatum reum multabat. Non multo poſt eum damnatum ſecuta eſt lex Tullia, quæ de ambitu damnatos exilio multaret, ut pro L. Murena ſcripſimus. Se exilio penè multauit.] Vel cum hominum conſpectum euitauit, uel cum Neapolim profectus eſt. Tanto ſceleri.] Id eſt, coniurationi. Explicata.] A' me. Crimen.] Coniurationis. Quod alijs in codicibus ſcriptum ſit Cum crimine, non Tum crimen, id non placet. Mitto Rempub.] Occupatio eſt. Amor autem reipub. P. Syllam à coniuratione reuocaſſe. Cupidos.] Id eſt, ſtudioſos. Vt pro Cn. Plancio: Magnæ ſunt in te opes, late patet gratia, multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuæ. Eſt autem argumentum à repugnantibus. Turpiſſima mors te propoſita.] Si deprehenderetur. Turpis autem mors dicitur ea, quam improbi homines dant legibus. Alioqui turpis mors ea eſt, quæ luitur ſuſpendio. Id informe letum Virgilius appellat, lib. 12. de Amata uxore Latini, quæ ipſa ſe ſuſpendit, & nodum informis leti trabe nectit ab alta. Auctore Seruio in libris Pontificalibus cautum fuerat, ut qui laqueo finiuiſſet uitam, is inſepultus abijceretur. Vnde ait informis leti, quaſi mortis infamiſſimæ. Illam eſſe cauſam arbitror, quòd animam ſpiritum eſſe crederent, quem conſtrictis laqueo faucibus exhalari non poſſe, ſed in pectore ſuffocati putabant. Hoc etiam mortis genere, id eſt, ſuſpendio deprehenſi coniurati, in carcere ſtrangulati ſunt. Non inquam cadit.] Hoc in loco inquam uim habet maiorem, quàm dico. Significat enim ut affirmo, & pro certo dico. In hunc pudorem.] Quo hominum aſpectum lucemq́; uitauit. Ex multis ab adoleſcentia.] Hoc adoleſcentibus præceptum ſit, ne multis ſe flagitijs contaminent, ne quando mente diuinitus erepta in magnum aliquod ſcelus à furijs incitati incidant, ac pœnas legibus perſoluant. Nolite iudices arbitrari, &c.] Amplificat coniurationis atrocitatem, ut faciat credibilius in ea Syllam nõ fuiſſe. Quemadmodum pro Sexto Roſcio, ut ne ſit credibile ab eo Roſcio patrem occiſum, auget parricidij grauitatem. In qua non modo tot, &c.] Præter ea præmia quæ indicibus propoſita fuiſſe diximus, Senatus multitudini coniuratorum diem ſtatuit, antequam ſine fraude liceret ab armis diſcedere. Ea tempeſtate, inquit Salluſtius, mihi imperium populi Romani multo maxime miſerabile uiſum eſt, cui cum ad occaſum ab ortu ſolis omnia domita armis parerent, domi otium atque diuitiæ, quæ prima mortales putant, affluerent: fuere tamen ciues, qui ſe remq́; publicam obſtinatis animis perditum irent. Nanque duobus Senatus decretis ex tanta multitudine, neque præmio inductus coniurationem patefecerat, neque ex caſtris Catilinæ quiſquam omnium diſceſſerat. Tanta uis morbi, atque uti tabes pleroſque ciuium animos inuaſerat. Quibus uerbis magna coniuratorum multitudo, eorumq́; obſtinatus in patriam animus ſignificatur. Ex portentis immanes.] In prodigijs habentur animalia ea, quæ cæteris ſui generis ſimilia non ſunt. Vt T. Liuius libro 27. inter prodigia enumerat infantem quendam, ambiguo inter marem & fœminam ſexu natum: itemq́; alium, cum elephanti capite natum. Huiuſmodi animalia ex portentis immania ſunt. Forma hominum indutæ.] Admonuimus pro Sexto Roſcio, Ciceronem dicere ſolitum, perditos & profligatos homines eſſe belluas quaſdam in figura hominis: Cacodæmones forma hominis indutos uulgo appellant. Audacias.] In numero plurali dixit. ut Actione in Verrem quinta. Vultis autem iſtorum audacias ac libidines aliqua ex parte reſecare? Et libro Epiſtolarum ad Atticum nono: Noli putare tolerabiles horum inſanias, nec unius modi fore. Et ſi quid te horum fugit, legibus, iudicijs, Senatu ſublato, libidines, audacias, ſumptus, egeſtates tot egentiſſimorum hominum nec priuatas poſſe res, nec Rempub. ſuſtinere? Deſperatis morbis.] Id eſt, grauiſſimis. ut deſperatam Rempub. idem dicit in Diuinatione: Hoc remedium eſt ægrotæ & propè deſperatæ Reipub. Deſperatum hominem pro improbo dici, alio loco docebimus. Peſtibus.] In numero plurali dixit, ut de Reſponſis aruſpicum: Cum his furijs & facibus, cum his inquam exitioſis prodigijs, ac penè huius imperij peſtibus, bellum mihi inexpiabile dico eſſe ſuſceptum. Et pro P. Seſtio: Luce palàm à nefarijs peſtibus in deorum hominumq́; conſpectu eſſet occiſus. Hanc uocem apud Ciceronem ſæpe licet inuenire. Furiæ quædam incitauerunt.] Pœnas improborum hominum diuina uoluntate expendi, ſæpe Cicero ſignificat, Vt pro Milone: Vis, inquit, diuina Clodio mentem iniecit, ut ui irritare ferroq́; laceſſere fortiſſimum uirum auderet, uincereturq́; ab eo. In hunc gregem hominum.] Quos ad luendas reipublicæ pœnas furiæ incitauerunt. Quæſtiones nobis, &c.] De quæſtionibus pro Milone ſatis multa ſcripſimus. Moderatur natura cuiuſque, &c.] Vlpianus libro Digeſtorum 48. de quæſtionibus: Quæſtioni, inquit, fidem non ſemper, nec tamen nunquam habendam conſtitutionibus declaratur. Etenim res eſt fragilis & periculoſa, & quæ ueritatem fallat. Nam plerique patientia ſiue duritia tormentorum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab iis ueritas nullo modo poſſit. Alij tanta impatientia, ut in quoduis potius mentiri, quàm pati tormenta uelint. Itaque fit, ut uario modo mentiantur, & non tantum ſe, uerum etiam alios criminentur. Quintil. lib. 5. de tormentis ſcribens: Pars, inquit, altera quæſtionem, uera fa-

tendi neceſſitatem uocat, altera ſæpe etiam cauſam falſa dicendi, quod alijs patientia facile mendacium faciat, alijs infirmitas neceſſarium. Regit quæſitor.] Quæſitor is qui præeſt quæſtioni, ex quærendi ratione multum ualet, ut hoc uel illud extorqueat. Libido.] Id eſt, cupiditas eius qui quærit. Qui enim cruciatur, liberatum iri ſe putat, ſi reſpondeat quod quæſitor cupiat. Spes.] Libertatis. Metu.] Supplicij. ut pro Milone: Age uero, quæ erat, aut qualis quæſtio? Heus, ubi Ruſcio? ubi Caſca? Clodius inſidias fecit Miloni? Fecit: certa crux. Nullas fecit: ſperata libertas. Ruſcio enim & Caſca accuſatoris ſerui erant, qui ſpe & metu inducti, aliud atque aliud reſpõdent. Vita P. Syllæ torqueatur.] Id eſt, ex uita Syllæ anteacta ueritas exprimatur, eaq; uita ſit loco teſtimonij. Nũ quæ occultetur.] Ex præceptis Grammaticorum dicendum eſſet: Num qua occultetur libido, num qua crudelitas, num qua audacia. Nihil erroris.] Quia uita anteacta proferet quod uerum ſit. Vita perpetua.] Id eſt, totius uitæ anteacta. Veſtra moueat.] Ad iudices quoque pertinere huius cauſæ iudicium Cicero oſtendit, ſi teſtibus credant iudices. Armis ſuis ſpoliatam.] Id eſt, armis ſuis ſpoliare, nudare & dedere. Arma autem uitæ anteactæ appellat integritatem, qua muniri quiſque debeat aduerſus inuidorum uel improborum hominũ falſas accuſationes. Arcem.] Id eſt, uitam anteactam. Perfugia.] Nam teſtibus probaturos ſe ſperant crimina quæ finxerint. Hæc auctoritas.] Quam Torquatus diminuere conatus eſt. ut ante dixit Cicero. A cæteris coniurationis cauſis abſtinuimus.] Id eſt, qui ex coniuratis omnibus alium nullum defendimus. Graue.] Id eſt, efficax. Appetimus aliquid.] Id eſt, aliquid laudis ex noſtra auctoritate. Libertatem.] De nobis dicendi. Accuſati ſunt uno nomine.] L. Catilina bis cauſam dixit. Nam Cicero in L. Piſonem dicit Catilinam bis abſolutum, ſed iniuſte. Primum accuſatus eſt à P. Clodio repetundarum, ut paulo poſt dicemus: deinde à L. Lucullo perito eruditoq; inter ſicarios reus factus eſt, ut ait Aſconius in Commentarijs in orationem Ciceronis in Catilinã & Antonium competitores. Quòd autem inter ſicarios factus ſit reus, arbitror intelligendum, quòd fuerit in priore cõiuratione. Hunc enim alioſq; coniuratos in iudicium uocatos & conſulares uiros Catilinæ affuiſſe, cæteris defuiſſe, ab ijſq; Catilinam laudatum ſignificat Cicero. Id obiecit L. Torquatus, quo maiorem inuidiam Ciceroni faceret, qui ipſe quoque Conſularis P. Syllam defendat.] Honoris ampliſſimi.] Id eſt, Conſulatus. Defendebant.] Viri Conſulares. Amicum.] Catilinam. Vitæ eius turpitudinem.] Quæ flagitijs, ſtupris, cæde contaminata erat. Inſequebantur.] Id eſt, non reprehendebant, nõ oderant. Quinetiam parens tuus.] Si iure Conſulares reprehenduntur, qui Catilinæ in cauſa coniurationis affuerunt. L. Torquati patrem iure poſſe reprehendi oſtendit, qui ipſe Catilinæ repetundarum reo cum adeſſet, dixit ſe aliquid audiſſe, ſed non credidiſſe. Quod ſi reprehendi non debet, quamuis audiuerit: multo minus cõſulares reprehendendi ſunt, ſi nihil audiuerunt. L. Catilina Prætor Africam prouinciam obtinuit. Eam cum grauiter uexaſſet. Legati Afri in Senatu, iam tum abſente illo, queſti ſunt. Multæ grauesq; ſententiæ in Senatu de eo dictæ ſunt. Isq; L. Torquato & L. Cotta Coſſ. à P. Clodio repetundarum accuſatus eſt. Eum à Cicerone defenſum Feneſtella tradit, cuius ſententia Aſconio non placet. Hoc quoque in loco à Torquato Coſſ. defenſum enim fuiſſe, Cicero ſcribit. Reo de pecunijs repetundis.] Vt libro Epiſtolarum Ciceronis ad Quintum fratrem tertio, Gabinium de ambitu reum fecit P. Sylla, ſubſcribente priuigno Memmio Cæcilio Syllæ filio. Et ad Atticum libro tertio. Num: reus erat apud Craſſum diuitem Vectius de ui. Primam illam coniurationem.] Primum de duobus dici, attendendum eſt. Alio in iudicio.]

Id eſt, in cauſa coniurationis. Cæteri.] Conſulares, qui affuerant ei in cauſa de repetundis. Id autem proponit Cicero tanquam dictum à Torquato, ut Cicero ipſe conſulares purget. Si poſtea cognorat.] Sententia eſt: Si L. Torquatus poſtquam abiuit conſulatu, aliquid cognouit de priore coniuratione, & ideo Catilinæ adeſſe noluit. Ignoſcendum eſt conſularibus qui ei affuerunt, quia nihil de ea coniuratione audiuerunt. Sin illa res prima ualuit.] In codicibus alijs ſcriptum eſt: Sin illa res de pecunijs repetundis prima ualuit. Ea autem ſententia eſt: Si illa prima cauſa Catilinæ de pecunijs repetundis quamuis non recens, ſed tamen nec inueterata ualuit, ut ei Torquatus adeſſet, cauſa de coniuratione magis ualere debuit, ut eam utri conſulares ſuſciperent, quia recens erat, ideo ipſis minus cognita. Periculi ſui.] Nam Conſules interficere coniurauerant, ut ante dictum eſt. Sella curuli.] Nam Torquatus inſignibus conſulatus ornatus Catilinam defendit. Iidem conſulares.] Iis reliquis coniuratis. Cauſam de coniuratione dixerunt.] Vt ante: Conſul reo de pecunijs repetundis Catilinæ fuit aduocatus. Tanto ſcelere.] Id eſt, coniuratione. De eorum.] Conſularium, qui Catilinam defenderunt. De unoquoque.] Eorum. Cuiuſquam.] Oratoris. His temporibus.] Id eſt, in poſteriore coniuratione. Senſit.] Dicendo ſententiam in Senatu. Qui prætores fuerunt.] Vt L. Valerius Flaccus & C. Pontinius Prætores, conſilio Ciceronis in ponte Miluio per inſidias Allobrogum comitatus deprehenderunt. Poſt hominum memoriam.] Id ſignificat, quod uulgo dicerent à creatione mundi. Poſt homines natos, aut poſt hominum genus natum, ſæpe dicit Cicero, de quo dicendi genere alio in loco ſcripſimus. Sed nec minus ſæpe dicit, poſt hominum memoriam. ut pro C. Rabirio perduellionis reo: Sic enim exiſtimare debetis Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculoſam, magis ab omnibus uobis prouidendam, neque à Tribuno plebis ſuſceptam, neque à conſule defenſam, neque à populo Romano eſſe delatam. Cum ſuperlatiuo Cicero adiunxit in ſecunda Inuectiua: Atque hæc omnia ſic agentur Quirites, ut res maximæ minimo motu, pericula ſumma nullo tumultu, bellum inteſtinum ac domeſticum poſt hominum memoriam crudeliſſimum & maximum, me uno togato duce & Imperatore ſedetur. In tertia: In hoc autem uno poſt hominum memoriam maximo crudeliſſimoq; bello, quale bellum nunquam Barbaria cum ſua gente geſſit. Sunt deſcripti Conſulares.] Id eſt, oratione Torquati deſignati, denotati, reprehenſi. ut pro Milone: Scitis iudices fuiſſe, qui in hac rogatione ſuadenda dicerent, Milonis manu cædem eſſe factam, conſilio uero maioris alicuius: uidelicet, me latronem ac ſicarium abiecti homines & perditi deſcribebant. Ex illo honoris gradu.] Id eſt, ex conſularibus. Qui Catilinam non laudaui.] Vt illi conſulares. Qui reo Catilinæ Conſul non affui.] Vt Torquati pater. Rerum à me geſtarum.] Hoc dicendi genere Titus Liuius utitur ſæpius quàm Cicero. Meas res geſtas, ſolet Cicero dicere. Eorum ducem.] Pub. Syllam, qui eorum dux fuiſſet, ſi in coniuratione fuiſſet. In animum inducam.] Animam inducere etiam dicimus, ut alibi docuimus. Qui cum de uita fortunisq; contenderis.] Id eſt, qui te occidere conatus ſit. Id ſignificat ſerpens ille Aeſopicus, qui nullo munere potuit reconciliari agricolæ ei, qui eum occidere conatus, caudam ei tantum abſciderat. In hoc ſcelere.] Coniurationis. In ſcelere conuictus.] Rarum dicendi genus eſt. Sæpius enim dicitur conuictus ſceleris, uel ſcelere, uel de ſcelere. Caſu magis & felicitate.] Quæ fortuna aut felicitate fiunt, ea minore gloria digna ſunt, quàm quæ uirtute & conſilio. Itaque Timotheus Athenienſis Cononis filius ferebat grauiter ab obtrectatoribus dici, eo in

caſtris

caſtris dormiente fortunam circum urbes tendere retia, in quæ urbes ipſæ ultro incurrerent. Erat enim felix admodum in capiendis urbibus. Sed ea felicitate tandem deſtitutus, ex urbe eiectus eſt. Fortuna enim unde hæc felicitas eſt, mutabilis ẽ. Virtus uero immortalis eſt, quam à natura eſſe philoſophi dixerũt. Si igitur P. Sylla ex coniuratione fuiſſet, cum eum Cicero defendat, qui ipſe coniurationem oppreſſit, eam oppreſſiſſe magis caſu & felicitate uideretur quàm uirtute & cõſilio, propterea quod non ſeruaret conſtantiam. Hoc tibi ſumis.] Id eſt, arrogas, & ut uulgo dicunt, hec de te præſumis. Sumere & aſſumere hac in re ſæpe dicuntur. ut pro Planco: Mihi non ſumo tãtum iudices, neque arrogo, ut Cu. Plancum ſuis erga me meritis impunitatem conſecuturum putem. Graue.] Id eſt, efficax. Cui Senatus ſingularibus uerbis gratias egerit.] Id fecit Senatus in æde Concordiæ tum habitus, cum Allobroges, et Vmbrenus ad pontem Miluium deprehenſi, Romam ad Ciceronem reducti ſunt. Id dicit Cicero in tertia Inuectiua: Mihi, inquit, gratiæ uerbis ampliſſimis aguntur, quòd uirtute, conſilio prudentia mea Reſpub. periculis ſit maximis liberata. Ab eodem Senatu, ad omnia puluinaria ſupplicatio Ciceroni decreta eſt. Quirites hortatur Cicero, ut celebrent illos dies cum coniugibus ac liberis, ut idem in eadem Inuectiua ſcribit. Quamobrem uos dij patrij.] Concluſio eſt, in qua primum iureiurando P. Syllam à coniurationis ſcelere liberat. deinde affectum miſericordiæ iudicibus mouet. O dij patrij, ac Penates.] Seruius libro Commentariorum in Aeneidos Virgilij tertio ex Varronis ſententia eoſdem eſſe dicit Penates & magnos deos. Magnos autem Deos eſſe dicit, Iouem, Mineruam & Mercuriũ. Macrobius in libro Saturnal. tertio ex P. Nigidij, & Corn. Labeonis ſententia, Troianorum Penates eſſe dicit Apollinem & Neptunum, qui muros ijs feciſſe dicuntur, quos in Italiã Aeneas aduexit. Dionyſius Halicarnoſeus libro primo ſcribit Romæ fuiſſe paruum quoddam & obſcurum templum, in quo Deorum Troianorum imagines poſitæ erant, atque ita inſcriptæ, D. Penates. Erant autem adoleſcentes duo ſedentes, pila tenentes, habitu militari. Macrobius in eodem libro tertio. Penates eos eſſe dicit, per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos animi rationem poſſidemus. Eſſe autem medium æthera Iouem, Iunonem imum aera & terram, Mineruam ſummum ætheris regionem. Idem eoſdem eſſe putat Penates, Deos Romanos, & Deos patrios. Cicero in oratione pro Domo ſua, deos magnos & Penates eoſdem non eſſe ſignificat. Nam poſtquam Iouem Capitolinum, Iunonem reginam, & urbis cuſtodem Mineruam obteſtatus eſt: Vos, inquit, patrij Penates familiareſq;, qui huic urbi ac reipub præſides eſtis, uos obteſtor, &c. Integro me animo ac libero.] Id eſt, me non defendere Syllam, eumq; ex coniuratione fuiſſe negare, cauſa amoris. Amor enim animum integrum atque liberum eſſe plerunque non ſinit. Itaque Cæſar apud Salluſtium: Omnes homines, inquit, qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia uacuos eſſe decet. Haud facile animus uerum prouidet, ubi illa officiunt. Vehemens.] Id eſt, ſeuerus. Qua in re hic Cicero dicit ſæpius, Miſericordia ciuium adducti.] Cicero ut in cauſa Verris ſe potius Siculos defendere, quàm Verrem accuſare dicit, ita hoc loco ſe miſericordia ciuium adductum dicit, ut de coniuratis ſupplicium ſumeret, ut in hoc naturam, in illo morem ſuum retineret. Miſericordia digna multa.] Ea quæ ſuit, poſtea enumerat. Auctore Quintiliano libro ſexto, plurimum ualet miſeratio, quæ iudicem flecti non tantum cogit, ſed motum quoque animi ſui lachrymis confiteri. Hæc petentur aut ex ijs quæ paſſus eſt reus, aut ex ijs quæ tum maxime patitur, aut ex ijs quæ damnatum manent: quæ & ipſa duplicantur, cum dicimus, ex qua illi fortuna, & in quam recidendum ſit. His modis maiore ex parte miſericordiam hic Cicero mouet. Propulſandæ calamitatis ſuæ.] Id eſt, ut abſoluatur. Quæ habet ornamenta.] Si nulla ornamenta, nulla reliquæ uitæ ſolatia habet, quibus lætari & perfrui poſſit, ſi abſoluatur, nõ confugit Sylla ad iudices, ut propulſet calamitatem. Credo.] Ironia eſt. Aperientur maiorum imagines.] Morem Romanum fuiſſe ſignificare uidetur, ut cum quis reus damnatus eſſet, maiorum eius imagines clauderentur, tanquam rei calamitate deformatæ eſſent: ſicut ornatum ueſtitumq; reis & damnatis mutare mos erat. Vnius iudicij.] Quo de ambitu damnatus eſt. Id laborat.] Id eſt, id uehementer curat. Hic uos orat iudices paruus.] Liberos multum ualere ad mouendos affectus, ſcribit Quintil. libris 4. & 6. Et tantum ualent, ut Sergius Galba ad populum Romanum cauſa dicens cum periclitaretur, paruulos filios ſuos & Sulpitij Galli ſanguine coniunctũ filium populo Romano flens commendauerit. Quo concionem ita mitigauit, ut qui omnium conſenſu periturus erat, penè nullum triſte ſuffragium habuerit. auctor eſt Valerius libro octauo titulo, Infames rei quibus ex cauſis abſoluti aut dãnati ſint. Diſciplinarum.] Id eſt, ſcholarum. Vita erepta eſt.] Vita enim Syllæ tam miſera eſt, ut mors potius quàm uita uideatur. Ne corpus eijciatur.] Id eſt, ne damnatus Sylla exilio mulctetur. ubi enim exilio multabatur. Aut quid eſt quamobrem hæc uita cuiquam uideatur.] Ex inſtituto rhetorico miſerationem mouet, primo ex generali cuiuslibet exilij calamitate, quæ tanta eſt, ut uitam adimere uideatur. deinde ex pe[redacted] ſumma fortua ſic ad infamiã decidit, ut luctus ſpatium & locum imploret, non gaudij. Nuper is homo.] Ex fortuna in qua fuit Publius Sylla, maiorem fortunæ acerbitatem, quam fert, oſtendit. Ex hac itidem oſtendit fortunam grauiorem, in quam Publio Syllæ recidendum ſit, ſi condemnetur. Nuper.] Id eſt, antequam de ambitu Sylla damnatus eſſet. Erat autem plus triennium. Gratia.] Qua ualeret apud multos. Multis enim Sylla gratioſus erat.] Quod fortuna in malis, & cætera.] Ordo eſt, Sylla obteſtatur uos iudices, ne eripiatis ſibi id, quod reliqui fortuna fecit in malis. Id autem eſt, ut liceat lugere calamitatem ſuam, & cætera. Cum fratre.] L. Cæcilio. Te ipſum iam Torquate.] Accuſatoris odia mitigat, ſimul iudicum mouet miſericordiam ex Syllæ miſeria. Expletum.] Id eſt, ſaturum. De hoc uerbo alibi plura ſcripſimus. Honoris contentio.] Id eſt, ambitio. Vt in primo de Officijs: Miſerrima eſt omnino ambitio, honoriſq; contentio. Eodem auctore cum ciuiliter contendimus, aliter ſi inimicus, aliter ſi competitor. Cum altero certamen honoris & dignitatis, cum altero capitis & famæ. Cum honore.] Id eſt, cum Conſulatu. Lucis hanc uſuram.] Id eſt, hanc uitam, qua utitur. ut Actione in Verrem ſeptima. Cur ciuibus Romanis, quos piratæ ceperunt, ſecuri ſtatim percuſſis ipſis piratis lucis uſuram tam diuturnam dediſti? Et pro C. Rabirio Poſthumo: Vos obſecro iudices, & huic optimo uiro, quo nemo melior unquam fuit, nomen equitis Romani, & uſuram huius lucis, & ueſtrũ conſpectum ne eripiatis. Libenter reddiderit.] hanc lucis uſuram ſcilicet: id eſt, libenter morietur. Tanquam à deo uel à natura hanc uitã accipiamus, quam tum reddimus cum morimur. Fœdiſſimi criminis.] Id eſt, coniurationis. Expellas.] Id eſt, in exilium eijcias. O uolucrem fortunam.] Valla cap. 13: libri ſecundi hoc in loco legit, O uariã & uolucrem fortunam. O præpoſteram gratulationem.] Præpoſterum id dicitur, quod mutato & peruerſo ordine factum aut dictum eſt. Vt præpoſtera uerba Cicero dicit in oratione pro Domo ſua: Delatum eſt ad uos ò Pontifices, & poſt omnium ſermone celebratum, quemadmodum iſte præpoſteris uerbis omnibus obſcœnis, identidem ſe ipſe reuocando dubi-

quidquid uero non licet, certe non oportet. ut ait Cicero pro Lucio Cornelio Balbo. Legationes ſumere liberas. ] Legationes liberas decernebat Senatus ijs, qui propter egregium aliquod facinus populi inuidiam ſibi conflauerant, ut his honeſta cauſa ex urbe proficiſcendi eſſet ad declinandam inuidiam. Vt cum accuſatores à plebe pararentur Scipioni Naſicæ, qui Tib. Gracchum occiderat: Senatus de ſalute eius ſollicitus, liberam ei legationē in Aſiam decreuit. ut in Ciceronis Milonianam ſcripſimus. D. Brutus ſcripſit ad Ciceronem, quæ epiſtola eſt in libro Epiſt. Familiarium II. Eius uerba ſunt: Cum in his anguſtijs uerſarer, placitum eſt mihi, ut poſtularem legationem liberam mihi reliquiq; noſtris, ut aliqua cauſa proficiſcendi honeſta quæreretur. Etiam exigendi cauſa huiuſmodi legationes decerni, hoc in loco teſtatur Cicero. Legationes liberas definitum tempus lege Iulia habere, Cicero ſcripſit ad Atticū libro 15. Socios uideo queri. ] Id reprehendendum ſignificat. Doti pecuniam dixerat. ] Id eſt, dotis nomine promiſerat. Dicere enim, auctore Non. Marcello, promittere aliquando ſignificat. Pomponius: Numos certos dicas, dico quinquaginta millia. Salluſtius libro hiſtoriarum ſecūdo: Eodem anno in Macedonia C. Curio principio ueris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit pecunias dictas coegit. Afranius: Neſcio cui uicino perpauperi, cui dicat dotis paululum. Explicari. ] Id eſt, expediri, & ad accuſationem utiliter proferri. Sine hoc auctore. ] Id eſt, non interueniente Flacci auctoritate. Apud Titum Liuium libro triceſimoquarto, M. Cato diſſuadens ne Oppia lex abrogetur: Maiores, inquit, noſtri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas ſine auctore uoluerunt, in manu eſſe parentum, fratrum, uirorum. Moderatus eſt religioni ſuæ. ] Moderatus participium eſt. Medicor illam rem & illi rei, moduior, moderor, & comitor: auctore Seruio libro Commentariorum in Aeneidos Virgilij ſeptimum, dicimus. Inſidioſus. ] Id eſt, fallax & aſſentatorius. Venientes. ] In prouinciam. Expectant. ] Aduentum optātes. In omittendis prouincijs. ] Cicero enim poſt Quæſturam conſtituit ab urbe non diſcedere, quòd ſenſiſſet populum Romanum aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere: ut amplius idem ait in oratione pro Cn. Plancio. Eam ob rem nec prætor, nec Conſul prouinciam ſortitus eſt. Literas miſit. ] Conijcere licet, P. Septimij libertum in Aſia cædem feciſſe, ac deinde Romam confugiſſe. Flaccum ea de re Romam ſcripſiſſe. Iudicium ex edicto dedit. ] Id eſt, tulit ſententiā ſecundum edictum. Id edictum quod fuerit ſciri non poteſt, quia ignotum eſt, quo crimine conuictus ſit is Lurchonis libertus, quem turpi iudicio condemnatum fuiſſe antea Cicero dixit. Tradenda libertis. ] Vt in eo quod uellent impune facerent. An ſimultates neſcio quas. ] Id credendum non eſt, Flaccum horum libertos pœna affeciſſe, quòd ijs iratus eſſet. An in ueſtris. ] In codicibus alijs lego: An uobis in ueſtris, &c. Veſtrorum. ] Vt libertorum, aliorumq;. Seueritas. ] Quam Flaccus in horum libertorum iudicio ſecutus eſt. Deciſionis arbiter. ] Significat Flaccum pactionem cū Androne de hæreditate Valeriæ feciſſe, eiusq; C. Cæcilium arbitrum, & C. Sextilium obſignatorem: ut nullam uim, nullam fraudem in Flacco fuiſſe oſtendat. Deciſionis. ] Id eſt, pactionis. Deciſionem in re dici poſtea ſignificat, & decidere paciſci ſignificat. ut pro Sex. Roſcio Amerino: Si hanc ei rem priuatim Sex. Roſcius mandauiſſet, ut cum Chryſogono tranſigeret atque decideret. Et pro Q. Roſcio Comœdo: Panurgum, inquit, hunc ſeruū communem Q. Flauius Tarquinienſis quidam interfecit. In hanc rem, inquit, me cognitorem dediſti, lite conteſtata, iudicio damni iniuria conſtituto, tu ſine me cum Flauio decidiſti. Si uis. ] Flacci, quia Prætor erat. Pactionem. ] Id eſt, deciſionem. Quis adeſſe iſtos ] Cæcilium & Sextilium. Adoleſcentulo L. Flacco. ] Huius Flacci propinquo. Redacta. ] In ſummam. Si per hunc. ] Arbitror legendum: Si numerata, aut ſi donata per hunc. Copijs. ] Quibus hic adoleſcens abundabat. Prolixe. ] Id eſt, abunde & magna copia. Prolixum enim quaſi porrò laxū dictum eſt, inde prolixa oratio dicitur. Hac uoce uſus eſt etiā in oratione pro Domo ſua: Neque ille tot ſuſpicionibus certorum hominum & ſcelere exulceratus, quæ meum tempus poſtularet, ſatis prolixe mihi polliceretur. Et ad Trebatium libro Epiſt. famil. 7. Neque me hercule minus ei prolixe de tua uoluntate promiſi, quā erā ſolitus de mea polliceri. At Falcidianum crimen. ] Oſtendit falſum quod Falcidius dixerit, ſe dediſſe Flacco talenta quinquaginta. Falcidianū crimen. ] Quod in Falcidiū admiſſum à Flacco aduerſarij dixerunt, cū ſe quinquaginta talentis ſpoliatū dicit: Vt crimen Aſinianum, quod in Aſinium admiſſum eſt, quem Auilius necauit, pro A. Cluentio: Ac tum in Oppianici cauſa crimen hoc Aſiniaū cum teſtibus multis, tum uero iudicio Auilij probatur. Et pro Milone Clodianum crimen, quod in Clodium admiſſum uidebatur accuſatoribus, cū eum Milo occidit: Nec uero me iudices Clodianū crimen mouet, nec ſum tam demens, tamq; ueſtri ſenſus ignarus, ut neſciam quid de morte Clodij ſentiatis. Ingens. ] Ironia eſt. Si aram tenens iuraret. ] Morem fuiſſe Græcorū ut aram tenentes iurarent, alibi ſcripſimus. Eſt autem argumentum à maiore ad minus. Conficere. ] Id eſt, decoquere, perdere, abſumere. ut paulo poſt: Vt eam pecuniam quā confecerat, non conſumpſiſſe, ſed Flacco dediſſe uideatur. Alioqui conficere pecuniam eſt, colligere, ut alio loco docuimus. ] Diſſipare. ] Id eſt, diſpergere. Diſſipare enim, diſpergere eſt ut pereat, uel ignominiæ cauſa. ut in lib de Legib. 2. C. Marij ſitas reliquias apud Anienem diſſipari iuſſit Sylla uictor, acerbiore odio incitatus, quā ſi tam ſapiens fuiſſet, quā fuit uehemens. Diſſipatum ſermonem pro diſperſa fama, ante dixit Cic. Sermo eſt tota Aſia diſſipatus. Materculæ ſuæ feſtiuus filius. ] Falcidium eludit, hicq; diminutiuis blandimenti deriſorij cauſa utitur. At fructus iſti. ] Hoc dictum aduerſarij Cicero proponit refutandum. Iſti autem hoc loco otioſa dictio uidetur: ut ea ſit ſententia, aduerſarios dixiſſe, Falcidiū Globulo Prætore Trallianorū fructus emiſſe. Vt rata ſit emptio. ] Probante Flacco Prætore, qui Globulo ſucceſſit. Multo pluris eſſet. ] Quam pecunia ea qua id emeret. Nihil detrahit de uino. ] Lucrum & uinū in emptione ſunt ad hunc modum: Si quis rem ualentem triginta ſcutatos, uiginti ſcutatis emat, uinum eſt uiginti ſcutati, & decem lucrum. Cur Albanum uenire iubet. ] Oſtendit falſum eſſe, quod fructus Trallianos emerit, quod de lucro aliquid Flacco dederit. Nam ſi Trallianos fructus minoris quā eſſent emit, & ſi quid de lucro Flacco dedit, opus non fuit ut Albanum uenderet. Matris imbecillitatem aucupatur. ] Id eſt, matrem imbecillam captat, et uult decipere. Ab negotio abducere. ] Deridet Cicero Falcidium, eumq; in contemptum iudicibus adducit, quo minus Falcidianū crimen eſſe credant. Magnitudine poculorum. ] Græcos in conuiuio primum minoribus poculis, deinde maioribus bibere ſolitos, et inde factum prouerbium, ut Græco more bibere dicatur, ſcripſimus latius in Commentarijs in Gryphum Auſonij. An etiam ſcripſit oratu tuo. ] Id eſt, an eum oraſti ut ſcriberet, ut haberes quod in Flaccum diceres. Oratu autem eſt, ueluti iuſſu, permiſſu, hortatu, euentu, arbitratu, aliaq; eiuſdem generis multa, quæ in hoc caſu tātum in quarta declinatione inueniuntur. Iudicium feceris. ] Id eſt, iudicaueris. ut paulo poſt: Grauia iudicia pro Reip. dignitate, multa de cōiuratorū ſcelere feciſti. Pro lege Manilia: De quo homine uos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta & tam præclara iudicia feciſtis. Id autem dictum eſt, ut facere pugnam, prælium, coniecturam, finem, conuicium, furtū, pactionem, aliaq; eiuſdem generis, de quibus alio

loco

loco ſcripſimus. Simulatum dolorem. ] Quod dolere ſe ſimulet de tanta pecunia Flacco data. De Deciani ſenſu. ] Qui non ſatis ingenioſe Falcidianum crimen finxit: aut Deciani ſenſit, qui Amyntæ uxori impoſuit. De ſalute omnium noſtrum. ] Tranſit ad concluſionem, quæ eſt partim per commiſerationem, partim per enumerationem. Quam nos uniuerſam. ] Id Cicero facit ſæpiſſime, ut oſtendat iudicium, quod laturi ſint iudices, ad Rempublicam uel ad ipſos iudices, pertinere. Id paulo poſt faciet amplius. In quo motu. ] Id eſt, in qua mutatione. Certi homines. ] Qui in coniuratis fuerũt, & coniurationi fauerunt. Conuerſam. ] Id eſt, uerſam & mutatam, ut ante dixit: Quanta in conuerſione rerum ac perturbatione uerſemur. Impiorum pœnam qua coniurati affecti ſunt. Oppreſſus eſt C. Antonius. ] Antonius Marci oratoris filius, Ciceronis Conſulis collega, ſuſpicione coniurationis laborauit. Itaque. L. Catilina petens Conſulatum, Antonium ſibi fore collegam ſperabat, hominem & familiarem, et omnibus neceſſitudinibus circumuẽtum, cum eoq́; ſe Conſulem initium agendi belli ſe facturum. Itaque repulſo Catilina, Cicero hunc ſuum collegam pactione prouinciæ perpulerat, ne contra rempublicam diſſentiret. auctor eſt Salluſtius. De hac Antonij ſuſpicione Cicero pro P. Seſtio: Atque ego, inquit, de Antonio nihil dico, præter unum: nunquam illum in illo ſummo timore ac periculo ciuitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum de ipſo ſuſpicionem, aut inficiando tollere, aut diſſimulando ſedare uoluiſſe. Hunc accuſauit M. Celius, ut eſt in oratione pro eo Celio: Accuſauit, inquit, C. Antonium collegam meũ, cui miſero præclari in rempublicam beneficij memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficij cogitati. Eum ſe Cicero defendiſſe dicit, pro Domo ſua: Hora, inquit, fortaſſe ſexta diei queſtus ſum in iudicio, cũ C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de Republica, quæ mihi uiſa ſunt ad illius miſeri cauſam pertinere. L. Catilinæ. ] Nam decreuit Senatus, ut Antonius cum exercitu Catilinã perſequi maturaret. Cum autem Antonius pedibus æger prælio adeſſe nequiret, M. Petreio Legato exercitum permiſit, à quo necatus Catilina eſt: ut eſt apud Salluſtium. Domeſticorum hoſtium. ] Id eſt, coniuratorum. Epuliſq́;. ] Romani enim ueteres propinquorum ſuorum aut amicorum mortuorũ nomine populo Rom. epulum dabant. Vt pro L. Murena Quint. Maximus Africani patrui ſui nomine epulum populo dedit, cui uel Q. Aelium Tuberorum præfecit. Iuſta. ] Iuſta numero tantum plurali appellantur ſacrificia ea, quæ in honorem mortuorum fiunt. Cicero in libro de Legibus 2. Siti dicuntur ij qui conditi ſunt, nec tamen eorum ante ſepulchrum eſt, quàm iuſta facta, & corpus incenſum eſt. Itemq́;: Quid uero ex ijs, qui horum ſcelerum principes fuerunt, & præter cæteros in omni religione impij, non ſolum uita cruciati atque dedecore, uerum & ſepultura & iuſtis exequijs caruerunt. A' Flacco Lentuli pœnæ expetuntur. ] Quod Flaccus Prætor ad pontem Miluium Allobroges cum comitatu & literis deprehenderit. In his ſuas literas agnoſcens Lẽtulus, impietatis pœnas dedit. Per uos. ] Veſtris ſententijs, ſi Flaccum condemnetis. Litemus igitur Lentulo. ] Artificioſa prohibitio eſt, quæ permiſſionis ſpeciem habet. Litemus. ] Id eſt, ſacrificemus & iuſta faciamus, aut Lentuli manes Flacco mactato placemus. Non enim Marcellus ſacrificare & litare diſtinguit, ut ſit ſacrificare ueniam petere: litare, propitiare & uotum impetrare. Parentemus. ] Id eſt, iuſta exequiarũ faciamus. Non ſolum parẽtibus parentalia fieri, locus hic documento eſt. Non igitur abſurda opinio eorum eſt, qui à parendo, parentare inclinatum eſſe putauerunt: quòd qui parentarent, mortuis parerent, qui uiui ita fieri iuſſerant. Electos. ] Id eſt, exules & damnatos. Si ita placet. ] In codicibus alijs ſcriptum eſt, Si ita dijs placet. Ab Indicibus. ] Qui ſperãt fore, ut Flaccus condemnetur: quod ſi fiat, omnes qui adiutores & auctores fuerunt opprimendæ coniurationis, in iudicium etiã fictis criminibus uocabunt. Itaque ſe ab indicibus iam nominari dicit. Per Senatores & per Equites. ] Id eſt, per iudices qui ſunt ex Senatorio ordine & Equeſtri. Hæc omnia geſſerunt. ] In opprimenda coniuratione. Senatus enim & Equitum conſilio & auxilio tum uſus Cicero eſt. Harum rerum auctores. ] Vt me & Flaccum. Perſpiciunt eam mentẽ. ] Fortaſſe legendum ſit, Perſpiciunt mentem. ad eam ſententiam: Hi certi homines populi Romani mentem cognoſcunt, quam populus ipſe omnibus rebus, quibus poteſt, ſignificat. Quia igitur in populo nulla uarietas opinionis, in Senatoribus & Equitibus eam ſe inuenire poſſe putauerunt. Illuc. ] Id eſt, ad populi iudicium. Vis abſit. ] Id eſt, nullus ciuis improbus adſit, qui uim faciat. Ferrum. ] Id eſt, gladij. Operæ. ] Id eſt, operarij, quorum auxilio improbi utebantur ad uim faciẽdam. De ijs alibi ſcripſimus: Operæ autem pro operarijs, ut ſeruitia pro ſeruis dicuntur. Faceſſant. ] Id eſt, recedant, abſint. Id enim faceſſere ſignificat, ut ait Non. Marcellus. Cicero in Hortenſio: Faceſſant igitur omnes, qui docere nihil poſſunt quo melius ſapientiusq́; uiuamus. M. Aquilium. ] His exemplis oſtendit, ſapientes iudices in rebus iudicandis cogitaſſe, quid Reipublicæ utilitas poſceret. M. Aquilium. ] M. Antonius orator excitauit M. Aquilium Conſularem reum in cauſa eius peroranda: eiuſq́; tunicam diloricauit, & iudicibus cicatrices aduerſas ſenis Imperatoris oſtendit: ut auctor eſt Cicero in lib. de Oratore 2. Quo eodem in libro facit eundem Antonium illa de eodem Aquilio dicentem: Nolite exiſtimare me ipſum, cũ mihi M. Aquilius in ciuitate retinendus eſſet, quæ in cauſa peroranda fecerim, ſine magno dolore feciſſe. Quem enim ego Conſulem fuiſſe Imperatorem ornatum à Senatu, ouantẽ in Capitolium aſcendiſſe meminiſſem: hunc cum afflictum, debilitatum, mœrentem, in ſummũ diſcrimen adductum uiderẽ, nõ prius ſum conatus miſericordiam alijs commouere, quàm miſericordia ſum ipſe captus. Senſi equidem tum magnopere moueri iudices, cum excitaui mœſtum ac ſordidatum ſenem, & cum feci magno animi motu ac dolore, ut diſcinderem tunicam, & cicatrices oſtenderem. Hunc de pecunijs repetundis reum fuiſſe, T. Liuius libro 70. auctor eſt. Cum fugitiuis fortiter bellum geſſerat. ] M. Aquilius Conſul in Sicilia bellum Seruile concitatum confecit, ut ait idem Liuius libro ſuperiore. de hoc bello Seruili L. Florus in Epitomatis ſcripſit. C. Piſonem. ] Quo crimine accuſatus Piſo ſit, quoq́; A. Termus, legere non memini. Clariſſimis accuſantibus. ] M. Catoni, Ser. Sulpitio, & Cn. Poſthumio. Audiendum. ] Id eſt, obediendum. Calendis Ianuarijs. ] Eo enim die Conſules deſignati, Ciceronis ætate inibant magiſtratum. Pro L. Murena oſtendit Cicero, quantũ ſalutis communis interſit, duos Coſ. in Rep. Cal. Ianuarijs eſſe. Cum tabella uobis dabitur iudices. ] Tres tabellas dari iudicibus ab eo qui cauſæ præeſt, pro Milone diximus. unam abſolutionis, in qua litera A. alteram condemnationis, in qua litera C. tertiam ampliationis, in qua literæ N L. ſcriptæ eſſent. Has autem tabellas in cauſa Milonis Pompeium iudicibus ante actionẽ cauſæ dediſſe Cicero ſignificat. Quocirca hunc locum ita intelligendum arbitror: Cum tabella uobis dabitur, id eſt, à uobis: id eſt, cum uos dabitis tabellam iudicij ueſtri in urnam. Aut aliquibus in cauſis tabella dabatur iudicibus poſt utriuſque actionem. ut pro A. Cluentio: Cum hæc ſunt uidenda, tum uero illud eſt hominis magni, iudices, atque ſapientis, cum illam iudicandi cauſa tabellã ſumpſerit, non ſe putare eſſe ſolũ, neque ſibi quodcunque concupierit licere: ſed habere in conſilio legem, religionem, æquitatem, fidem. Libidinem autem, odium, inuidiam, metum, cupiditatesq́; omnes amouere. De exteris nationibus. ] De Græcis & Aſiaticis, quos à Flacco ſpoliatos accuſator dixit.

Opponemus Aſiæ. ] Per capita repetit, quæ ante dixit. Prouinciam Galliam. ] Eam intellige, in qua ſunt Allobroges. Arbitror autem Ciceronem dixiſſe loco primo, qui trũcatus eſt, Flaccum in Gallia fuiſſe. Niſi eò referatur, quod Maſſilia, quæ in Gallia eſt, militem eum Quæſtoremq́; cognouit. Ciliciá. ] In qua P. Seruilio Imperatore Tribunus militum fuit. Hiſpaniam. ] In qua M. Piſoni Quæſtor fuit. Cretam. ] Nam bellum Cretenſe magna ex parte geſſit, atque unà cum ſummo Imperatore ſuſtinuit. Rhodiorum ante non meminit, ſi codices emendati ſunt. Septimio & Celio. ] Qui irati Flacco, contra eum teſtimonium dixerunt. P. Seruilius. ] Quo Imperatore in Cilicia Tribunus militum fuit. M. Metellus. ] Cui Imperatori legatus Flaccus Achaiæ, Bœotiæ, Theſſaliæ præfuit. Vrbana iuriſdictio. ] Nam Prætor urbanus fuit Flaccus, cuius iuriſdictio in ſummo & periculoſiſſimo Reipub. tẽpore etiam ab inimicis laudatur. Annui temporis criminationẽ. ] Annum enim prouinciam Aſiam Flaccus adminiſtrauit. Omnis ætas. ] Nullum enim Flacci in priuatis rebus factum auarum, nulla in re pecuniaria contentio, nulla in re familiari ſordes ab aduerſario proferri poteſt. Hic. ] Id eſt, Romæ, in opprimenda coniuratione Catilinæ. À minore ad maius ſuadet. Ò nox illa. ] Ad mouendos affectus accedit. Ò nox illa. ] Qua Allobroges cum comitatu & literis ad Catilinam & Gallos à Flacco & Pontinio ad pontem Miluium deprehenſi ſunt. Aeternas tenebras. ] Id eſt, occaſum & interitum. Quæ ab ſenatu? ] L. enim Flaccus & C. Pontinius Prætores deprehenſis & confeſſis coniuratis, merito ac iure à Senatu in æde Concordiæ laudati ſunt, quod eorum opera forti fideliq́; Cicero uſus eſſet: ut ait Cicero in tertia Inuectiua. Ò nonæ illæ Decembres. ] Nonis decembribus coniurati literas ſuas & ſigna agnoſcentes, de coniuratione confeſſi ſunt in Senatu, in æde Concordiæ. Quem ego diem uere natalem. ] De hac re plura Cicero dicit in proœmio tertiæ Inuectiuæ. Multo acriorem. ] Nam ut alibi dicit Cicero: Cui dolet meminit, cui placet obliuiſcitur. Improborum. ] Qui coniurationi fauebant. Quàm bonorum. ] Qui hæc in cœlum laudibus efferebant. Si quid grauius acciderit. ] Id eſt, ſi condemnueris. Malum omen euitat, ut iudices magis commoueat. Munitum. ] Aduerſus improbos. Ornatum. ] Honoribus & magiſtratibus. Honos noſter. ] Conſulatus meus & præturа Flacci. Salutem. ] Veſtram. Nunquam tamen proſpexiſſe, &c. ] Viri magnanimi eſt, ut eum rectè factorum nunquam pœniteat, quamuis eorum memoria parum grata ſit. At pro Milone illa proſopopœia: Valeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. ſtet hæc urbs præclara, mihiq́; patria chariſſima, quoquo modo merita de me erit. Tranquilla Repub. ciues mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſine me ipſi, ſed per me tamen perfruantur. Ego cedam atque abibo.

Qui hanc in Republica ſectam ſequatur. ] Id eſt, qui magiſtratum gerere cupiat. Qui uobis. ] Senſus poſtulare uidetur, ut Quin, non qui legatur. & poſtea, Quin optimi. Expeditiorem. ] Id eſt, breuiorem, & faciliorem. Eorum. ] Qui hanc in Repub. ſectam ſequuntur. Liceat iis, &c. ] Vt mihi & Flacco. Quibus integrum eſt. ] Id eſt, qui magiſtratus nec geſſerunt, nec petiuerunt. Calamitati fuerit. ] Vt condemnetur. Eſſe arbitretur. ] Eſſe non arbitretur mihi legendum eſſe uidetur. aut uiam uitæ præcipitem & lubricam appellat, quæ ſine magiſtratu agitur: & ſtabilem, quæ cum magiſtratu. Qui potuerint. ] Id eſt, qui magiſtratum nondũ geſſerint. Hoc animo. ] Vt gerant magiſtratus. Huic miſero puero. Ad mouendos affectus Flacci filium puerum producit. Bonæ rationi. ] Id eſt, honeſtæ uitæ. Vt contra Metellus Numidicus dixit auctore Gellio cap. 6. lib. 1. Quid, inquit, nos à dijs immortalibus diutius expectemus, niſi malis rationibus finem facimus? Ne ſuum luctum. ] Inſtructum fuiſſe hunc puerum ſignificat, ut in peroratione lugeret. Id quàm circumſpectè faciendum ſit, Quintilianus lib. 6. ſcribit. Familiæ. ] Valeriæ.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO P. SYLLA

## FRANCISCI SYLVII AMBIANI

## COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

MARCO Lepido, & L. Tull. Volcatio Coſs. P. Sylla & P. Antronius Cõſules deſignati, à L. Torquato competitore de ambitu accuſati, legibus pœnas dederunt. Eorum in locum facti ſunt Conſules, ipſe Torquatus & L. Cotta. Hoc iudicium mox conſecuta prima Catilinæ coniuratio, qua Conſulibus & plerisq́; Senatoribus coniurati perniciem machinabantur. Altera coniuratio in Ciceronis Conſulatu emerſit. Hac oppreſſa factum eſt Senatuſconſultũ, ut de coniuratis quæreretur. L. Torquati filius adoleſcens P. Syllã accuſauit, quod in utraque Catilinæ coniuratione fuiſſet. Eum de priore coniuratione Q. Hortenſius, qui tum præſens aderat, cum de ea quæreretur: de poſteriore Cicero, qui eam ipſe patefecit oppreſſitq́; hac oratiõe defendit. Prius tamen quàm ad cauſam accedat, refellit quædam in ſe ab aduerſario in accuſatione dicta. In eum accuſator multũ inuectus, eum primum leuem atque inconſtantem eſſe dixit, quòd cum patefecerit atque oppreſſerit coniurationem, quòd cum P. Antronium defendere noluerit, ſed in eum teſtimonium dixerit: P. Syllam coniurationis reum defendat. deinde eum regnare, quòd in quos teſtimonia dixiſſet, damnati eſſent: Sylla autem, quem defendit, ſperet ſe abſolutum iri. poſtremo peregrinum Regem eum appellauit. Negat Cicero Syllam in coniuratis fuiſſe. quem ſi Q. Hortenſius defendit, ſi omnes uiri boni defenſum uolunt, qui alium nullum ex coniuratis defenderunt, ſibi licere dicit, ut defendat. Antronium autem, quia coniurauerat, deſeruit. Se nec peregrinum, nec Regem eſſe oſtendit. Caſtigat Torquatum, quod coniuratorum pœnam mortemq́; lugeat: eumq́; hortatur ut maledicere deſinat, ne ſe cogat reſpondere. Nec iraſcendum eſſe iis, qui amicos defendant, oſtendit. L. Caſſium Allobrogibus, quos in coniurationis ſocietatem ſollicitabat, cum alijs coniuratis P. Syllam nominaſſe Torquatus dixit. Id negat Cicero: ſed eum, cum Allobroges de Sylla quæſiſſent, reſpondiſſe ſe neſcire. Probat falſum Cicero, quod dixerat Torquatus, eum in tabulas publicas aliter retuliſſe atq́; indicatum ſit. C. Cornelij filius dixit, Syllam emiſſe gladiatores ad cædem & tumultum faciendum. Oſtendit Cicero Syllam eos emiſſe propterea quod ab eo Fauſtus Sylla ita petiuerit literis, ad munus gladiatorium debitum patri præſtandum. P. Cincium in Hiſpaniam ulteriorem à P. Sylla miſſum, ut eam turbaret: ab eodem Sylla impulſos Pompeianos, ut ad hanc coniurationem accederẽt: L. Cecilium Trib. pl. uoluiſſe legem ferre, qua P. Syllæ fratris iudicium de ambitu reſcinderet, Torquatus dixit. Hæc omnia Cicero refutat, negatq́; ſignificaſſe ſe in epiſtola ad Cn. Pompeium, Syllam in priore coniuratione fuiſſe, quod aduerſarius obiecerat.

Concludens

Concludens Cicero deos obteſtatur, Syllam ex coniuratione non fuiſſe. Affectus mirandum in modum mouet. Genus cauſæ iudiciale. Status coniecturalis. Hæc autem cauſa L. Murena & D. Iunio Syllano Coſs. non multis menſibus poſt Conſulatum Ciceronis acta eſt. P. Syllam in priore coniuratione fuiſſe, Suetonius ſcribit in Cæſare Dictatore. Idem ſignificat T. Liuius libro centeſimo primo. Eum Salluſtius nominat cum ijs, qui fuerunt in poſteriore.

MAXIME uellem. ] P. Sylla & P. Antronius deſignati Conſules, ambitus damnati ſunt. P. Sylla, ut hanc calamitatem ferret modeſtius, Neapolim ſe contulit, ibiq; aliquantulum commoratus eſt: Antronius uero cum Catilina & Piſone coniurauit, de L. Torquato & L. Cotta deſignatis Conſulibus necandis, Cal. Ianuarijs, cum inirent magiſtratum, ut reſciſſa re iudicata, ipſe cum Catilina Conſul eſſet. Vt antea. ] Cum Conſul deſignatus erat. Obtinere. ] In codice antiquo Obtineret ſcriptum inuenio. quæ lectio nihil minus mihi placet. Et poſt calamitatem. ] Improba lectio non eſſet, ſi ſcriberetur, Aut poſt calamitatem. Poſt calamitatem acceptam. ] Id eſt, poſt condemnationē de ambitu. Accipere calamitatem dicit, uti accipere iniuriam, uulnus, plagam, dolorem. In Diuinatione: Si plurimas à tuo Prætore iniurias accepiſſes, tamen eas ferendo maiorem laudem, quàm ulciſcendo mereree. Seruius Sulpitius ad Ciceronem lib. Epiſtol. famil. 1. Mihi nunciauit, M. Marcellū collegam noſtrum poſt cœnæ tēpus à P. Magio Chilone familiari eius pugione percuſſum eſſe, & duo uulnera accepiſſe, unum in ſtomacho, alterum in capite ſecundum aurem: ſperare tamē, eum uiuere poſſe. Ci. lib. Epiſt. ad Atticū I. Ille locus inductus eſt à me diuinitus, ne una plaga accepta Patres Conſcripti conciderent. Et libro ſecundo: Si Protogenes Ialyſium illum ſuum cœno oblitum uideret, magnum credo acciperet dolorem. Modeſtiæ fructum. ] Quia modeſte calamitatem tulit, nellem maxime ut inimici eius contēti eſſent, nec enim in iudiciū uocaſſent. Ita tulit. ] Id eſt, ita uoluit. Caſus infeſtus. ] Id eſt, aduerſa fortuna quæ ei inſtabat urgebatq; Ampliſſimo in honore. ] Id eſt, in Conſulatu. Conſul enim deſignatus erat Sylla, cum de ambitu damnatus eſt. Communi ambitionis inuidia. ] His enim qui magiſtratus facti ſunt, inuidere ſolent, ij præſertim ipſi qui magiſtratus petunt. Singulari Antronij odio. ] Multis enim Antronius ob improbitatem odioſus erat. Damnatus eſt igitur Sylla de ambitu ob communem ambitionis inuidiam, & ob Antronij odium ſingulare, qui Syllæ collega erat. Aequum enim uiſum non eſt, cum ambo eadem lege interrogarentur, ut altero damnato alter abſolueretur. Euerteretur. ] Id eſt, ſpoliaretne. ut Act. in Verrem 4. Au huiuſmodi iudicium det, quo iudicio, in dictis cauſæ fortunis omnibus euerti neceſſe ſit. De hoc uerbo plura ſcribimus pro Sex. Roſcio Priſtinæ fortunæ. ] Cum eſſet Conſul. Haberet quoſdam. ] Vt C. Cornelium, & L. Torquatum. Moleſtiam capio. ] Id eſt, doleo. Capere detrimentum, dolorē, lætitiam, uoluptatem, idem dicit, In orationes in Catilinam prima: Decreuit quondam Senatus, ut L. Opimius Coſ. uideret, ne quid Reſpub. detrimenti caperet. In lib. de Clar. oratoribus Cum è Cilicia decedens Rhodum ueniſſem, & eò mihi de Q. Hortenſij morte eſſet allatum, opinione omniū maiorem animo cepi dolorem. Pro M. Celio: Minimum dolorem capiet, qui iſtam non uidebit. Libro Epiſt. famil. 3. Ego & ſi ipſe ita iudicabam, & fiebam crebro à meis per literas certior, tamen maximā lætitiam cepi ex tuis literis de ſpe minime dubia, & planè explorata triumphi tui. Item: Hoc uelim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis à te prouiſum eſſe intellexero, magnam te ex eo & perpetuam uoluptatem eſſe capturum. In cæteris malis. ] Id eſt, inter cætera mala. Lenitatem meam. ] Cicero enim lenis & miſericors natura fuit, ut etiā poſtea dicet. Quondam. ] Id eſt, ante Conſulatum meum, in quo fui ſeuerior in opprimenda coniuratione Catilinæ. Agnoſcerent. ] Id eſt, recognoſcerent. Noua enim cognoſcimus, agnoſcimus uetera. Improbi. ] Ii præſertim qui in coniuratis fuerunt, aut cū ijs ſenſerunt, aut eorum familiares fuerunt. Re domiti. ] Scribatur melius Edomiti, una uoce quā duab. re domiti. Præcipitante. ] Id eſt, ruente Vt. Nox humida cœlo Præcipitat, Et quoniam L. Torquatus. ] Propoſitio eſt, quam proœmio ſubiungit Ariſtoteles, ut ait Quintil. lib 3. Neceſſitatem. ] Neceſſitudinem hac in re Cicero dicit ſæpius. Quod tamen neceſſitas quoque dici poſſit, ut eſt apud A. Gell lib. 13. Neceſſitas, inquit, pro iure officioq; obſeruantiæ affinitatis'ue infrequens eſt. Quiquā qui ob hoc ipſum ius affinitatis familiaritatis'ue cōiuncti ſunt, neceſſarij dicuntur. reperi tamen in oratione C. Cæſaris, qua Plautiam rogationem ſuaſit, neceſſitatem dictam pro neceſſitudine, id eſt, iure affinitatis. Verba ſunt hæc: Equidem mihi uideor pro noſtra neceſſitate non laborare, non opera, non induſtria defuiſſe. Hæc ille. Cato maior, eiuſq; æmulus Salluſtius neceſſitudinem ſæpe dicunt, pro ui premente & cogente. Neceſſitudinis nomine continetur etiam ius & uinculum uicinitatis. ut in oratione pro Cn. Plancio: Mihi ad defendendum Plancum parum multæ, parum iuſtæ neceſſitudines erant familiaritatis, uicinitatis, patris amicitiæ? Familiaritatemq; uiolaſſe. ] Id eſt, Si in Sylla accuſando me uituperaſſet. De auctoritate, &c. ] Illud in agendis cauſis præcipuum eſt, ut orator ſit et habeatur uir bonus: proximū, ut ſaltem habeatur. Cum igitur orator ab aduocato aduerſæ partis uituperatur, eius auctoritas diminuitur, nec iam habetur à iudicibus uir bonus. Itaque ſolet Cicero in defenſionibus, ſi quid ab accuſatore contra auctoritatem ſuam dictum ſit, id poſt proœmium, & ante cauſæ defenſionem refutare. Id ut hoc loco, ita pro L. Murena facit. Cum huius periculi propulſatione. ] Id eſt, cū Syllæ defenſione. Coniungam defenſionē officij mei. ] Id eſt, officium meum defendā, quod L. Torquatus reprehendit. Ille. ] Torquatus: De huius præſidijs. ] Id eſt, de Syllæ defēſione. Probauero. ] Id eſt, fecero ut approbetis. A' cæteris clariſſimis uiris. ] Q. Hortenſio alijſq;, qui P. Syllam defendunt. Cum multis Cicero cauſam ſuam coniungit, ut oſtendat quòd illi multi non reprehendunt ue, factum ſuum reprehenſione indignum eſſe. Ciceronē autē reprehendebat Torquatus, quod P. Syllā de coniuratione defenderet, cū eius cōiurationis uindex fuiſſet. Q. Hortenſij factum. ] Id eſt, defenſio. Grauius. ] Id eſt, uerius et maioris momenti, & cui potius credendū ſit. In his cauſis. ] Cōiurationis. Deſerendus, ] Id eſt, non defendendus. Patronus enim. deſerit. Celebrari. ] Id eſt, frequentari. Vna. ] Id eſt, ſola. Hæc ornamenta ac lumina. ] Id eſt, hos uiros clariſſimos Apparere. Id eſt, eſſe & uideri. Illum in locum. ] Id eſt, ad Conſulatum. Celſiſſimam ſedem. ] Cello antiquum uerbum fuit, unde excello. Celſus inde dicitur, à quo celſiſſimus fit. In hanc celſiſſimam ſedem dignitatis. ] Id eſt in hanc ſummā dignitatē, qua ego nunc excello. Hoc genere quæſtionis. ] Id eſt, in ſimili cauſa, coniurationis ſcilicet. Non deſim P. Syllæ. ] Id eſt, P. Syllam defendam. Adeſſe pro defendere, abeſſe & deeſſe pro deſerere, id eſt, non defendere, in hoc loco ſæpe dici inuenias. L. Varguntelo. ] L. Varguntelus Senator ex coniuratione fuit. Is eſt qui cum C. Cornelio Ciceronem domi occidere ſuſceperat. Præſertim qui illum. ] Magnam apud ueteres fuiſſe clientis et patroni neceſſitudinem, neque clientes ſine ſumma infamia à patronis deſeri poſſe, eſt apud A. Gellium lib. 5. Cliens autem dicitur is, cuius cauſam patronus defendit. Solus. ] Maior neceſſitudo ſignificatur. Nonnullarum cauſarum multi aliquando patroni erant. ut L. Murenæ tres, L.

Cornelij Balbi totidem, Scauri ſex, ut ait Aſconius. Seruium Syllam.] Seruius Sylla Publij frater Senator ex coniuratis fuit, ut eſt apud Salluſtium. Quis Publium.] Legendum arbitror, quis P. Lentulum? P. enim Lentulus Sura cum alijs cõiurauit. M Leccam.] Per M. Porcium Leccam Senatorem coniurationis principes intempeſta nocte rurſus conuocatos, Salluſt. ſcribit. De conſilio conuocationis in domo eius habito, poſtea Cicero dicet. Quis Cornelium.] C. Cornelius ex equeſtri ordine. Cæteris in cauſis.] Negat Cicero in libro de Offic. 2. habendum eſſe religioni contrarium, nocentem aliquando & nefarium impiumq; defendere: Vult inquit hoc multitudo, patitur conſuetudo, fert etiam humanitas. Non defendend. &c.] Id eſt, defendendos putant. Contagio quædam ſceleris.] Affinis enim ſuſpicioni eſt, qui alium coniurationis defendit. Obſtrictum eſſe patria. Quid ſi legas, Obſtrictum eſſe patriæ ſcelere? ut ſit patriæ ſcelus, quod in patriam excogitatum uel admiſſum ſit. Nam obſtringere ſcelere ſæpe dicit Cicero. Vt in lib. de Offic. 3. Num igitur ſe obſtrinxit ſcelere, ſi quis tyrannum occidit, quamuis familiarem? Act. in Verr. 3. Neque iſte mihi uidetur ſe ad damnationem offerre ſolum, neque hoc auaritiæ ſupplicio communi qui tot ſceleribus ſe obſtrinxerit, contentus eſſe. Et Act. 7. Num omnes qui tanto ſe ſcelere obſtrinxerint, ut aut fidem ſuam corrumpi paterẽtur, aut iudicium corrumperent, in diſcrimen ac iudicium uocandi? Teſtimonio læſerunt.] Id eſt, contra eum teſtimonium dixerunt. Simplex officium.] Id eſt, unum ab omnibus obſeruatum, ut uidelicet nemo ciuis bonus quenquam ex coniuratis defenderit. P. Syllam & Hortenſius & multi uiri clariſſimi defendant, quod eum in coniuratione ſciant non fuiſſe. Cauſa mea propria.] Id eſt, quam ego ſolus ſuſcipiam. Tempus agendi.] In inueſtiganda coniuratione. Partiendæ inuidiæ.] Sententia eſt, Quod dicam in opprimenda coniuratione me fuiſſe principem, & omnes bonos ciues fuiſſe comites, id non dico, ut mecum inuidiam ſubeant, ſed ut cum his gloriam communicem. Teſtimonium dixiſti.] Id dicendi genus ut frequens eſt, ita ferre teſtimonium, niſi uulgo, non dicitur. Quãuis id dixerit Calliſtratus Iuriſc. lib. Digeſt. 22. de Teſtibus: An ei, inquit, inimicus ſit, aduerſus quem teſtimonium fert? Fidem tribui.] A nobis ſcilicet. Vna quæ Lepido.] M. Lepido & L. Tullio Volcatio Coſſ. circiter Nonas Decembres P. Autronius, L. Catilina, & Cn. Piſo, ut ante dixi, coniurauerunt interficere in Capitolio Calendis Ian. L. Torquatum & L. Cottam, cum inirent Conſulatum, ut Autronius & Catilina per uim Cõſules eſſent. De ea coniuratione Salluſtius plura ſcribit. Anno eo quo Volcatius & Lepidus Coſſ. erãt, Cicero prætor fuit, ut ait Aſconius. Conſilijs.] Cum de priore coniuratione quæreret. Vſus.] Id eſt, familiaritas. Ad propoſ. mihi finem ho.] Id eſt, ad Conſulatum, quem biennio poſt Præturam ſe dicit adeptum, in oratione in Rullum ad Quirites. Mea ambitio.] Id eſt, Conſulatus petitio. Forenſis labor.] Quem in amicis defendendis ſuſcipiebam. defendere enim quàm accuſare magis laborioſum eſt. Conflari.] Id eſt, fieri. de hoc uerbo plura ſcribimus in primam Inuectiuam Ciceronis. Creare periculum in re eadem dici, pro Corn. Balbo ſcribimus. Grauia.] Id eſt, uera, & quibus creditum eſt. Fortuito.] Id eſt, caſu, & ut uulgo dicunt, ex caſu fortunæ. ut libro de Legibus. 1. Itaque ad hominum commoditates et uſus tantum rerum ubertatem natura largita eſt, ut ea quæ gignuntur, donata conſulto nobis, non fortuito nata uideantur. Et libro de Diuinatione ſecũdo: Quarum omnium cauſas ſi à Chryſippo quærerem, ipſe ille Diuinationis auctor nunquam illa dicet facta fortuito, naturalemq; rationem omnium reddet. Et lib. Epiſtolarum familiarium 5. Tibi perſuadeas uehementer uelim, non me repentina aliqua uoluntate, aut fortuito, ad tuam amplitudinem meis officijs amplectendam incidiſſe. Sed ut fortito & fortitu dici alio loco ſcripſimus, ita fortuitu quoque Cicero ſæpe dicit. ut in lib. de Offic. 1. Ne quid temere aut fortuitu, inconſiderate negligenterq; agamus. Et libro de Diuinatione 2. Nihil eſt tam contrarium rationi & conſtantiæ, quàm fortuna: ut mihi ne in deum quidem cadere uideatur, ut ſciat quid caſu & fortuitu futurũ ſit. Nec temere.] Id eſt, nec ſine cauſa. Quæ enim Autronij.]

Oſtendit cauſam cur Syllæ adſit, cum Autronio defuerit.

Ambitus iudicum tollere.] Autronius de Ambitu damnatus, Conſulatu excidit. Idcirco cum Catilina coniurauit, ut deſignatos Coſſ. Cottam & Torquatum Cal. Ianuarijs interficeret, cum inirent magiſtratum, ut ipſi faſcibus correptis per uim Conſules eſſent, ut ante diximus. Itaq; Autronius, qui de ambitu damnatus erat, illam iudicum ſententiam tollere conatus eſt. Tollere.] Tollere, diſturbare, reſcindere iudicium, aut rem iudicatam, in eadem re dicimus, pro eo quod uulgo dicunt, quaſſare & annihilare ſententiam iudicis. Vt poſtea Cæcilius, qui id promulgarit, in quo res iudicatas uidebatur noluiſſe reſcindere. Infirmare quoq; iudicium in eadem re alibi dicit. Tumultu.] Id eſt, multitudine, tanquam ad bellum domeſticũ gerendum. Lapidatione.] Id eſt, lapidum iaculatione. Vt in lib. de Oratore 2. Habueras enim tu omnia in cauſa ſuperiora: uim, fugam, lapidationem, crudelitatem Tribunitiam, in Cæpionis graui miſerabiliq; caſu in iudicium uocabas. Eſt autem lapidare, lapidibus pugnare: quod etiam lapidationem facere Cicero dicit pro P. Seſtio: Iiſdem Conſulibus arma in templo Caſtoris palàm portabantur, gradus eiuſdem templi tollebantur, armati homines forum & conciones tenebant, cædes lapidationesq; fiebant. Quo in loco lapidationem pro trucidatione lapidibus facta dicere uidetur, ut in libro Epiſtolarum ad Quintũ Fratrem ſecundo. Is cum grauiter de Clodianis incendijs, trucidationibus, lapidationibus queſtus eſſet, ſententiam dixit. Facere lapidationem ſaxis, idem dixit pro Domo ſua: Inde ſaxis facta lapidatio eſt. Lapidare hominem, ut arbitror, non dicitur. T. Liuius lapidare pro eo quod eſt lapidibus pluere, ſæpe dicit. ut lib. 27. Nouendiale ſacrum fuit, quia Veijs de cœlo lapidauerat. Idẽ quoque lib. 29. lapidatum eſſet impersonale dixit: Nouendiale ſacrum, quòd de cœlo lapidatum eſſet, factum. Idem quoq; dicit lapidibus pluere. Sed de hoc aliàs. Ampliſſimis ordinib.] Id eſt, Senatui & equeſtri ordini. Calamitate.] Id eſt, condemnatione. Noctem & ſolitudinem.] In quibus conſilia de coniuratione agitarent. Erecto, ſiue emiſſo.] Correctio eſt, ad euitandam inuidiam. Falces.] Falces, ut ait Non. Marcellus armorum genera erant, murorum oppugnationi apta. Siſenna: Falces iniectas comminuunt, pluteos propius collatis harpagis deijciunt, mittunt è turribus. Vegetius lib. 4. falcem eſſe dicit trabem, quæ adunco ferro præfigitur, ut de muro extrahat lapides. Ea in teſtudine muris applicari ſolet. Lentuli pœna.] Id eſt, cum de Lentulo ſumptum ſupplicium eſt. Conuertis ſe aliquando ad timorem.] Id eſt, ipſe audax tandem cœpit timere. Huius affines ſuſpicionis.] Id eſt, ad quos coniurationis ſuſpicio pertineret. Affinis ſuſpicionis & ſuſpicioni quod dicatur, alio loco probauimus. Calamitoſorũ.] Id eſt, damnatorum. Officia.] Id eſt, beneficia. In ſedibus meis.] Id eſt, in domo mea. Qua mollitie ſum animi.] Molle cum ad animum refertur, putant in malam partem accipi. Hoc tamen in loco Cicero mollitiem animi pro miſericordia & lenitate dicit. Sed tamen in Partitionibus Oratorijs, mollitiem animi uitium eſſe, quod lenitatẽ imitetur, dicit. Eius uerba ſunt: Atque hæc quidem uirtutum, uitiorum autem ſunt genera contraria. Cernenda autem ſunt diligenter, ne fallant ea nos uitia, quæ uirtutem uidentur imitari. Nam & prudentiam malitia, et temperantiã immanitas in uoluptatibus aſpernandis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollẽdis,

&

& deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, et patientiam duricia immanis, & iuſtitiam acerbitas: & religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & uerecundiam timiditas, &c. Mollitudo quoq; dicitur, ut apud Ciceronem libro Tuſculanarum 5. quidam poeta: Lenitudo orationis, mollitudo corporis. Idem Cicero libro de Oratore tertio: Ordo urbanitatis, & mollitudo humanitatis, & murmur maris, & dulcedo orationis ſunt ducta à certis ſenſibus. Puerorum infantium.] Id dici alio loco docuimus. Pueritia enim durat uſque ad annum 17. completum, quo toto tempore pueri infantes non ſunt. Marcellis patri et filio.] Marcellum patrem arbitror eſſe eum, quem poſt ciuilem uictoriam, Senatu rogante, Cæſar reſtituit. M. Meſſalæ.]

M. Meſſala Niger orator fuit, quem cum M. Marcello Aſconius numerat inter Scauri patronos. Vt ſpero.] Id eſt, ut puto. Sed non permiſſum.] Regnaſſet enim Catil. niſi conatus eius repreſſi eſſent. In tanto imperio id eſt, in Conſulatu. Eſt autem argumentum ex remotione. Nam ſi rex Cicero fuit, fuit Conſul, aut priuatus: Non fuit cum erat Conſul, nec tum etiam cum erat priuatus: Rex igitur non fuit. In quos teſtimonia dixiſti.] De coniuratis deprehenſis intelligit, in quos Ciceronem dixiſſe teſtimonia ex iudicio coniurationis licet conijcere. Si falſum dixerim.] Ex remotione argumentum eſt. Te in eos dixiſſe.] Artificioſum eſt, ut ab aduerſario factum reſpondeat, quod ei aduerſarius obiecerat. Iuratos.] Id eſt, iudices, qui uerum teſtimonium tum probauerunt, cum eos, in quos dictum teſtimonium eſt, damnauerunt. Præter fidem defenſionis.] Quam clienti patronus præſtare debet. Profugiſſet,] Id eſt, ut uulgo dicunt, aufugiſſet, & patriam reliquiſſet. Inde profugus, qui uulgo dicitur fugitiuus. Cui innocentes homines.] In aduerſarium retorquet, quod is in ſe coniecerat. Deſerit.] Nam deſerit patronus. Tarquinium & Numam.] Numam Pompilium Sabinum, & Tarquinium Priſcum Etruſcum Corinthio patre natum, eſt apud T. Liuium lib. 1. Peregrinum.] Peregrinus is eſt qui in ciuitate eſt, cuius ipſe ciuis non eſt. Ciceronem autem peregrinum dixit, quòd Arpinas eſſet. Quàm Conſulem Romæ fuiſſe peregrinum.] Nullus enim adhuc Conſul fuit, qui ciuis non eſſet. Nullus peregrinus ciuis eſt: Ego igitur primus & ſolus fui Conſul peregrinus. Vnde iterum iam ſalus, & cætera.] Primum per C. Marium, qui Cimbros & Teutones urbi Romæ imminentes deleuit. quocirca principes ciuitatis alioqui ei inuidentes, quòd nouus homo eſſet, conſeruatam ab eo Rēpub. fatebantur: ut ait T. Liuius lib. 68. Deinde per Ciceronem, qui coniurationem inueſtigauit, patefecit & oppreſſit. Itaque Q. Catulus princeps Senatus eum frequentiſſimo Senatu parētem patriæ nominauit, ut ait idem Cicero in L. Piſonem. Qui ex municipijs ueniant.] Cicero in lib. de Legibus 2. Ego me hercule, inquit, omnibus municipibus duas eſſe cenſeo patrias: unam naturæ, alteram ciuitatis. Vt ille Cato cum eſſet Tuſculi natus, in pop. Romani ciuitatem ſuſceptus eſt. Itaque cum ortu Tuſculanus eſſet, ciuitate Rom. habuit alteram loci patriam, alteram iuris. Cum plurimos haberet inimicos.] Nam quater et quadragies cauſam dixit, nec ſæpius quiſquam poſtulatus eſt, ut ait Plin. lib. 7. T. Coruncano.] Qui Tuſculanus fuit. de quo plura ſcripſimus in Catonem maiorem Ciceronis. Nemo Curioni.] In codicibus alijs ſcriptum eſt, Nemo Curio. M. Curius ubi natus ſit legere non memini. Cicero pro L. Murena, hunc nouum hominem eſſe dicit. Idem in lib. de Legibus 2. paruæ cuiuſdam uillæ Curianæ in Sabinis meminit. Cum ei multi.] Præcipue nobiles, quia nouus homo erat. Eius inimici fuerunt L. Craſſus, M. Scaurus, omnes Metelli, ut ait Cicero in libro de Prouincijs conſularibus. ubi illa eius uerba ſunt: Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? Non poſſunt omnes eſſe patricij.] Auctore T. Liuio libro 1. centum Senatores qui à Romulo conſtituti ſunt, Patres ab honore, eorumq; progenies Patricij appellati ſunt. Quibus uerbis ſignificare uidetur, eos Patricios eſſe, qui ab illis primis ſenatoribus originem duxerunt. Per adoptiones tamen fiebant, aut eſſe deſinebant Patricij. Antebri.] Gloria ſuperari. Inueterauit huic urbi. In hac urbe tanquā plantatus eſt, & altas egit radices, ut non facile euelli poſſit. Peregrinorum,] Id eſt, municipum, quos appellas peregrinos. Ne ſuffragijs obruare.] Id eſt, ne pauca habeas pro te ſuffragia, & ideo contra te plurima. Vt Act. in Verr. 4. Obruitur enim aratorum teſtimonijs. Te ex ſomno ſæpe exci.] Te diligentiorem in magiſtratus petitione facient, quia tibi metum inferent. Ne & uos.] Cum iudicum cauſa ſuā coniungit, ut Torquatum in odium adducat. Sileretur.] Id eſt, ſileri deberet. Eſt enim ipſe à mat. gen.] Propterea tamen municeps Torquatus non eſt. Municipem enim (ut ait Vlpianus lib. 50 Digeſt. ad Municipalem & de incolis) aut natiuitas facit, aut manumiſſio, aut adoptio. Patris autem, nō matris municipium liberi ſequūtur, niſi forte priuilegio aliquo materna origo cēſeatur. Tū enim maternæ originis erit municeps. ut puta, Ilienſibus conceſſum eſt, ut qui matre Ilienſi eſt, ſit eorū municeps. Etiam Delphis hoc idem tributum & conſeruatum eſt. Celſus etiam refert, Ponticis ex beneficio Pompeij magni competere, ut qui Pontica matre natus eſſet, Ponticus eſſet. Sed tamen Aſculani.] Aſculum Piceni colonia eſt. Ea autem colonia pop. Rom. inuiſa erat, propterea quod initio belli Italici Q. Seruilius Proconſul cum omnibus Romanis ciuibus qui in eo oppido erant, occiſus eſt, ut eſt apud T. Liuium lib. 72. Me meum non anteponere.] Quod mihi iure liceret anteponere. Vt non modo homini nemini.] Hæc magnanimi uiri officia eſſe, Cicero in lib. de Offic. 1. ſcribit. Sentire.] Id eſt, ſententiam dicere. Poſitis.] Id eſt, collocatis. Honeſtum otium.] Id eſt, immunitatem, quæ ſexagenarijs iure dabatur. Nondum autem ſenex Cicero erat. Sibi hab. hono.] Quid ſi legeretur, Sibi haberent alij honores. Rerum geſtarum uacatio.] Id eſt, immunitas ob res geſtas, uel à rebus gerendis. ut apud T. Liuium lib. 24. Nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpſerunt, qui quadriennio non militaſſent, quibus neque uacatio iuſta militiæ, neque morbus cauſa fuiſſet. Tamen hoc regnum appel.] Hoc enim à more uiuendi regum alieniſſimum eſt, qui otium quietemq; labori anteponūt. Vicarius.] Id eſt, ſucceſſor, & ut uulgo dicunt, locū tenens. Replices.] Id eſt, reuoluas, & ut uulgo dicunt, duplices. Nam ibi particula Re mutat ſignificationem dictionis cui apponitur. Tranſtulit autem ex more ueterum, qui cum in folijs arborum uel corticibus ſcribebant, folia aut cortices ordine diſpoſitos uoluebant aut plicabant: cum uero legere uolebant, euoluebant aut replicabant. Annalium memoriam.] Id eſt, libros annalium. Principio Romæ non erant hiſtoriarum ſcriptores. ut enim ait Cicero lib. de Orat. 2. erat hiſtoria nihil aliud, niſi annalium confectio: cum rei memoriæq; publicæ retinendæ cauſa ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mutium Pont. Max. res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pont. Max. efferebatq; in album: & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi. Iiq; Annales maximi nominantur. Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſine ullis ornamētis monimenta ſuorum temporum, hominum, locorum, geſtarumq; rerum reliquerunt. Annalibus Pontificum Max. Cicero lib. de Legibus 1. negat quidquam eſſe iucundius. Idem illos nominat primos Romanæ hiſtoriæ ſcriptores Latinos, Fabium Pictorem, Catonem, Piſonem, Fannium, Venonium. Annalium memoriā.] Soli enim tum annales erant, cum M. Manlius affectati regni damnatus de ſaxo Tarpeio in Tyberim præcipitatus eſt, ut eſt apud Tit. Liu. lib. 6. Ex domeſticis imaginibus inuenies.]

Amarulentū ſcomma eſt. Idq; artificioſum eſt, ut in aduerſarij familia dicat fuiſſe, quod ſibi ab aduerſario obiectum ſit. Spiritus.] Id eſt, ſuperbiam & animi elationem. Tam immortalibus.] Vt pro P. Seſtio: Tu hoc loco laudas Milonem, & iure laudas. quem enim unquam uirum tam immortali uirtute præditum uidimus? Adeptum fore.] Hoc dicendi genus Ciceroni non omnino infrequens, contra Grammaticorum præceptiones eſt. Nam adeptum eſſe dicendum præcipiunt. A' ueſtris ceruicibus.] Id eſt, ab interitu ueſtro. Niſi uero paucos.] Res enim tanta à paucis confici non potuiſſet. Suam ſalutem cum mea coniungunt.] Id eſt, uolunt uiuere & mori mecum, nec me mortuo ſe uiuere poſſe arbitrantur. Furorem conſceleratum.] Hoc dicitur antea, Voluntates conſceleratas. De hoc nomine alio loco ſcripſimus. Cum L. Torquatus.] A' minore ad maius oſtendit nihil mirandum eſſe, ſi de ſe improbi obloquantur, cum etiā L. Torquatus probus adoleſcens de eo improbe loquatur. Conſulis.] Vel Conſularis legendum eſt, uel Conſulis intelligendum eſt, eius qui Cōſul fuit. Suppreſſa uoce.] Id eſt, ſubmiſſa. Nam preſſa uoce, & ſuppreſſa, & preſſe, & leniter loqui dicimus: Submiſſa, aut parua, aut quod uulgus dicit baſſa uoce, non dicimus. uti contra, magna & clara uoce dicere, aut clare loqui dicimus, non alta uoce: de quo dicendi genere alio loco ſcripſimus. De ſcelere.] Id eſt, de coniuratione. Qui ea probatis.] Quæ de ſcelere diceret. De ſupplicio.] Quod in carcere, quod Tullianum appellatur, ſuſpenſus ſit. Abſurdum.] Id eſt, improbum. Leniter.] Legendum eſſe Leniter, ſatis doceri poteſt etiam illo Cic. ex libro de Offic. 1. In uoce duo ſequamur, ut clara ſit & ſuauis. Vtrunque omnino à natura petendum eſt. uerum alterū exercitatio augebit, alterum imitatio preſſe loquentium & leniter. Audire nolebat.] Quod ſciret eos fauere coniurationi. hæc autem de coniuratorum ſcelere & audacia eſſe. Se uenditabat.] Id eſt, ut uulgo dicunt, complacere uolebat. Alterum iam oratoris uitium.] Vt cauendum oratori eſt, ne aduerſarij cauſam adiuuet: ita multo magis, ne quid dicat, quod cauſam ſuam lædat. Quod igitur coniuratorum pœnam mortemq; lugeat, coniurationem probare uidetur, quod accuſationi contrarium eſt. P. enim Syllam accuſat, quòd in coniuratione fuerit. Quod cum is Trib. pleb.] Arbitror eſſe legendum. Quod is Trib. pl. P. autem Clodium Trib. pl. deſignatum ſignificare uidetur. Clariſſimum uirum.] T. Manlium Torquatum, qui filium ſecuri percuſſit, quòd iniuſſu ſuo cum hoſte pugnaſſet. Cum enim cæſa ceruice fuſus eſt cruor, tum libero conqueſtu coortæ uoces ſunt, ut neque lamentis, neque execrationibus parceretur, ut ait T. Liu. lib. 8. Nec Torquato Romam reuertenti iuuentus obuiam profecta eſt. Vt igitur fuerunt qui præclarum hoc patris tui factum reprehenderent, ita tu reprehēdis factum Reip. quæ hoſtes ſuos necauit, ne ab ijs necaretur. De inuidioſis rebus.] Quibus me in inuidiam Torquatus adducere conatus eſt, quæ mihi improborum omnium odia conciliarunt. Ad occaſum.] Auctore Donato in commentarijs in librū Aen. 1. Caſus paruæ rei eſt, uel perſonæ inferioris: occaſus magnæ rei, uel perſonæ ſuperioris. Nam ſolem lunamq; occidere, & uiros præclaros occidiſſe dicimus. Virg. Hoc equidem occaſum Troiæ, triſteſq; ruinas Solabar, fatis contraria fata rependens. Sine tumultu.] Bellum Gallicum, aut Italicum appellari tumultum, quòd in eo timor multus eſſet, ſcribit Cicero in Philip. 8. Quibus in bellis ne ſacerdotibus quidem aut ſexagenarijs uacatio erat. Cum igitur bellum huiuſmodi impendebat, tumultū eſſe decernebat Senatus, ut uacationes tollerentur. Id ſignificat Cicero in Philip. 5. cum cenſet M. Antonium qui Brutum Mutinæ obſidebat, hoſtem patriæ iudicandum. Quamobrem, inquit, Patres conſcripti Legatorum mentionem nullam cenſeo faciendam. Rem adminiſtrandam arbitror, ſine ulla mora & confeſtim gerendam cenſeo. Tumultum decerni, iuſtitium indici, ſaga ſumi dico oportere, delectum haberi, ſublatis uacationibus in urbe & in Italia præter Galliam totam. Sine tumultu igitur.] Id eſt, tumultu nō decreto à Senatu. Sine delectu.] Id eſt, nullo militum delectu habito, id eſt, nullis militibus cōgregatis. Quinque hominibus comprehenſis.] Plures fuerunt comprehenſi, ſed de quinque ſolum in Tulliano carcere ſumptū ſupplicium eſt: Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario. Confeſſis.] Quamuis confodere priore ſit uulneribus necare, hoc tamen in loco dicit, pro eo quod eſt laqueo gulam frangere. Hoc enim genere mortis hos quinque coniuratos interiiſſe Salluſtius ſcribit. Incenſione.] Id eſt, incendio, ut inuectiua in Catilinam 3. Eundemq; dixiſſe fatalem hunc eſſe annum, ad interitum huius urbis atque imperij, qui eſſet decimus annus poſt uirginum abſolutionem: poſt Capitolij autem incenſionem, uiceſimus. Interuitione.] Internetione legendum eſt. Idq; nomen appoſitione uerbi factum eſt, quæ eſt interneco: ut ab occido occidio dicitur. Arcem regum & nationum.] Regum enim, populorum, & nationum portus erat & perfugium Senatus Rom. ut eſt apud Cic. lib. de Offic. 2. Iuratus.] Id eſt, teſtis. In coniuratos enim Ciceronem dixiſſe teſtimonium Torquatus obiecerat. In maxima concione.] Id eſt, in concione pop. Rom. Subito te amare.] Propterea quod inuehare, quod coniuratorum pœnam mortemq; lugere uideare. L. ille Torquatus.] De hoc Torquato in perſona tertia loquitur. Cum eſſet meus contuber. &c.] Vt Romana iuuentus inſtitueretur melius, clariſſimorum uirorum filij adoleſcentes cum Conſulibus in prouinciam proficiſcebātur, aut cum iiſdem Romæ manebant. Id ſignificat Cicero pro M. Cælio: Cum, inquit, paulum iam roboris acceſſiſſet ætati, in Africam profectus eſt, Q. Pompeio proconſuli contubernalis, caſtiſſimo uiro atque omnis officij diligentiſſimo. Et pro Cn. Plancio: Hic eſt enim qui adoleſcentulus cum A. Torquato profectus in Africam, ſic ab illo grauiſſimo & ſanctiſſimo uiro dilectus eſt, ut & contubernij neceſſitudo & adoleſcentuli modeſtiſſimi pudor poſtulabat. Signifer eſſet iuuentutis.] Signiferi, ut ait Vegetius lib. 2. ſunt qui ſigna portant, quos draconarios uocant. Vt autē legionis aquila, ita ſingularum cohortium ſigna dracones erant: quæ ſigna qui ferebant, ſigniferi appellabantur. Pro principe ſigniferum Cicero dicit pro domo ſua: Quis eſt Sergius? armiger Catilinæ, ſtipator tui corporis, ſignifer ſeditionis, &c. Iuuentutis.] Id eſt, militum. In Prætura.] Id eſt, biennio ante Cic. Prætore. Particeps extitit.] Princeps potius, quàm particeps legi debet. Animi uirtute.] Id eſt, ut uulgariter dicunt, animoſitate. Sed iam redeo ad cauſam.] Poſtquam purgauit quæ in ſe Torquatus dixerat, ad Syllæ defenſionem accedit. Dicenti mihi impoſita neceſſitas eſt.] Id eſt, dicere coactus ſum. Allobrogibus nominatum.] Cum L. Caſſius Longinus legatos Allobrogum ad communionem coniurationis impellere conaretur, multos nobiles uiros ex coniuratione nominauit. Antronium cum nominaſſet, Allobroges de P. Sylla quæſiuerunt. L. Caſſius neſcire ſe dixit. Nominatum Allobrogibus.] A' L. Caſſio ſcilicet. Quis negat Syllæ indicium: Ita in alijs codicibus ſcriptum inuenio. Non deſunt tamen qui legant Quis negat? Secum facere.] Id eſt, ex coniuratione ſecum eſſe. Eſſe in eadem uoluntate.] Aſcribendum eſſe uerbum arbitrabantur, aliud'ue quod eiuſdem ſignificationis puto, ad hanc ſententiam. Videte diligentiā Gallorū, qui Antronium & Syllam nunquam uiderant, de ijs tantum audiuerant: eos autem arbitrabantur in eadem uoluntate eſſe, propterea quod fuerant pari calamitate, id eſt ſimul de ambitu damnati. Crimino ſum.] Crimino ſum, non criminale dici alio loco ſcripſimus. Non debebat minuere illorum ſuſpicionem,] Salluſtius in bello Catilinario ſcribit, Allobroges per P. Vmbrenum ſollicitatos,

ſollicitatos, eoſq; in domum D. Bruti perductos fuiſſe, quòd foro propinqua erat, neque aliena conſilij propter Semproniam. nam tum Brutus Roma aberat. Præterea Gabinium ab Vmbreno accerſitum, quo maior auctoritas ſermoni ineſſet. Quo præſente Allobrogibus coniurationem aperuiſſe, ſocios nominaſſe, præterea multos cuiuſque generis innoxios, quo Legatis animus amplior eſſet. Etenim eſſet abſurdum.] Si ex coniuratis Sylla eſſet, ſcilicet. Afflicta fortuna.] Id eſt, condemnatio. Non prius Antronium quàm Syllam.] Si Sylla ex coniuratis fuiſſet. Sylla enim Antronio nobilior erat. Illud probari minime poteſt.] Id eſt, illud uerisimile non eſt. Propter calamitatis ſimilitudinem.] Id eſt, quia ſimul de ambitu uterque condẽnatus fuerat. Neſcire certum.] Certe ſcio, certo, & certum: itemq; certum habeo, & pro certo, in eadem re dici, ſcripſimus in librum Ciceronis de Senectute. Nõ purgetur aliquis, &c.] Purgare & arguere contraria ſunt. Cum quis cuiuſquã dicto uel facto aliquid feciſſe uel non feciſſe probari poteſt, is arguitur uel purgatur. Arguere hoc in loco eſt, quod dicunt onerare: & purgare, quod dicunt deonerare. Verum ſubleuat Syllam, an ſatis probat ſe neſcire.] Argumentum a remotione eſt. Subleuat.] Id eſt, ut uulgo loquuntur, ſupportat. Ne indicent.] Galli Syllam. Neſciuit.] Altera diſiunctionis pars eſt. Ante enim quæſiuit, utrum ſubleuat Syllam, an ſatis probat ſe neſcire? Sed non ſubleuat, igitur neſciuit. Sed ne hoc quidem. Celatum eſſe Caſſiũ.] Ab alijs coniuratis, aut à Catilina. Celare, ut ait Cicero in libro de Officijs. 3. eſt cum quid tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſa uelis eos, quorũ intereſt id ſcire. Extra coniurationem.] Vt in lib. Inuectiuarum 1. Quid enim Catilina eſt, quod te iam in hac urbe delectare poſſit, in qua nemo eſt extra iſtam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo qui te non oderit. O dij immortales.] Quæ uix humano conſilio fieri potuiſſent, ea dijs fauentibus atque conſulentibus ſe dicit feciſſe, quo factis ſuis maior auctoritas tribuatur. Diſpexerim.] Id eſt, prouiderim & inuenerim. Conſeruandæ patriæ cupiditate. Cupiditatem in bonam partem accipi attende, quoniam in malam dicitur ſæpius. Ab omnibus cæteris. Nam pluribus intẽtus minor eſt ad ſingula ſenſus. Et ut ait Cicero pro L. Cornelio Balbo: Aſſiduus uſus uni rei deditus, & ingenium & artem ſæpe uincit. Et inſcientiæ.] Quamuis in alijs codicibus inſcitiæ legatur, legi tamen ab inſciente inſcientiæ poſſe, pro Balbo ſcripſimus. Prætuliſtis menti meæ.] Vt in his tenebris mens mea ueſtro lumine illuſtraretur. Nam id me multũ fefellit.] Nunquam enim putarã fore, ut uiri boni, qualis Torquatus eſt, dicerent aliter indicata hæc eſſe, quàm in literas publicas relata eſſent. Naufragus patrimonio.] Id eſt, patrimonij decoctor, cui ex toto patrimonio nihilo magis relictum eſt, quàm naufrago ex naufragio. Otij.] Id eſt, pacis. Vento aliquo excitato. Ventum in aliquem excitare, eſt alicui negotium faceſſere, periculum creare, aduerſam fortunã excitare. Portum.] Id eſt, requiem & finem. Sententia autem eſt: Vidi fore, ut improbi aliqui hæc indicata aliter eſſe dicerent, quo facilius in malis reipublicæ optimum quenque ex cõiuratione eſſe poſſent dicere, ut malorum ſuorum aliquem portum inuenirẽt. Nam in ijs reipublicæ malis præmium aliquod indicibus conſtitui poſſet, aut ſatis magnum ſibi præmium eſſe improbi homines putarent, ſi bonis ciuibus negotium exhiberent. Conſtitui Senatores. Id factum Plutarchus in uita Catonis ſcribit, cum in Senatu de coniuratorum comprehenſorum pœna ageretur: Conſul, inquit, Cicero uelociſſimos ſcriptores diſpoſuit, atq; docuit, ut per ſigna quædam & paruas breueſq; notas multarum literarũ uim habentes dicta colligerent. Nondum enim reperti erant ij qui notarij appellantur, ſed tum demum eius rei ueſtigium extitiſſe ferunt. Idem Catonis ſententiam tum exceptam atq; ſeruatam putat. Memoria, ſcientia.] Hæc quatuor quæ notarijs neceſſaria ſunt, ad faciendam fidem tabularum ab ijs Senatoribus exceptarum dicit. C. Coſconium.] Qui poſtea Proconſul Hiſpaniam adminiſtrauit. M. Meſſalam.] Huius & Appij Claudij ſæpe meminit Cicero in Epiſtolis. Priuata cuſtodia.] Id eſt, domi meæ. Conſules enim alijq; magiſtratus res in magiſtratu geſtas, in commentarios per ſcribas ſuos curabant referendas, eoſq; commentarios apud ſe retinebant. Deſcribi.] Id eſt, in exempla multa tranſcribi, & ut uulgo dicunt, duplicari & copiari. Vt in legem Agrariam Rulli: Aliquando tandem me deſignato lex in publicum proponitur. Concurrunt iuſſu meo plures uno tempore librarij, deſcriptam legẽ ad me afferunt. Tranſcribere in eadem re idẽ dixit pro A. Cluentio: Digito legata deleuit, & cum id multis locis feciſſet, poſt mortem eius (ne lituris coargui poſſet) teſtamentum in alias tabulas tranſcriptum ſignis adulterinis obſignauit. Ne quis poſſet tantum, &c.] Id eſt, ne quis plus aut minus de periculo reipublicæ aut alicuius cogitaret, quàm res fuiſſet. Temere.] Id eſt, ſine cauſa, & ut uulgo dicunt, leuiter, & re non bene examinata. Aut obliuio.] Si quid in meis commentarijs omiſiſſem. Aut memoria.] Si omnia ſcripſiſſem. Tuus inimicus.] P. Sylla. Summæ negligentiæ.] Quod de commutato indicio tacueris. Tenuiſſima ſuſpicione perſtrinxit.] Id eſt, maledicto minimo me laceſſiuit, & in tenuiſſimam ſuſpicionem maledicto uocauit. Præuerterim.] Id eſt, reſpondendo ſuperauerim. Præuertere enim eſt tranſire & ſuperare. ut apud Virgilium: Volucremq; fuga præuertitur Hebrũ. Nam ut reuertere & reuerti, ita præuertere & præuerti in eadem re dicimus. Excuſſos arbitrari.] Ab hyſtricibus tranſlatio facta uidetur. Hyſtrici enim, ut ait Plin. lib. 8. longiores aculei, & cum intendit cutem, miſſiles, ora urgentium figit canum, & paulo longius iaculatur. Retuliſſe gratiam.] Id eſt, repoſuiſſe iniuriam. Non debet tamen quenquam.] Locus hic altercationi ſimilis eſt, ſed utranque perſonam ſuſtinet Cicero. Quæſtione.] Id eſt, cauſa. Coactus.] Periculo Reipublicæ. Creditum eſt.] Meo teſtimonio. Ac defendere.] Legi oportet, Ac non defendere. Modum.] Id eſt, finem. Cum honos agebatur, &c.] Id eſt, cum P. Sylla de ambitu cauſam dicebat, ut erepto ei Conſulatu pater tuus conſul eſſet. Familiariſſimis ſuis. Qui P. Syllam defendebant. Familiariſſimis ſuis non ſuccenſuit.] Particulam Non, expungendam arbitror. Ad propulſanda pericula.] Id eſt, ad reos defendendos. Illa contentio.] De conſulatu. Afflicto.] Id eſt, damnato. Honoris.] Id eſt, conſulatus. Ereptum.] Id eſt, conſulatum uobis ereptum Syllæ largitione. Victi in campo.] Martio ſcilicet, ſuffragiorum multitudine. Conſulatum uobis eripiebant. Id eſt, conabantur probare Syllam non admiſiſſe ambitum, & ita conſulem iure factum eſſe. Quẽ interemiſti.] Id eſt, quẽ afflixiſti, qui te accuſante de ambitu damnatus eſt. At accuſat C. Cornelij.] Duo Cornelij in coniuratione fuerunt, unus P. Cornelius Lentulus Senator, qui tum Prætor erat, de quo ſumptum ſupplicium eſt. alter C. Cornelius eques Romanus, de quo eiuſq; filio hoc loco Cicero. Quod præmij, &c.] In Catilinæ coniuratione Senatus indicibus præmia decreuit, ſeruis ſuis libertatem & ſeſtertia centum, libero impunitatem eius rei, & ſeſtertiorum ducenta millia, ut eſt apud Salluſtium. Vel hæc præmia intelligit, uel honeſtatem. Honeſtum enim indicare occulta conſilia, quæ contra rempublicam capiantur. Per iſtum puerum.] Hinc attendendum eſt, hunc Cornelij filium non fuiſſe P. Syllæ accuſatorem. Nam pueris poſtulare non licet, ut eſt in libro Digeſtorum 3. de Poſtulando. Cum Hortenſio communicata.] Id eſt, mihi cum Hortenſio communiter commiſſa. Illum comitatum.] Indicat per puerum Cornelius.

Pompeij oppidum fuit in Apulia, propè Neapolim. Ii à populo Romano deuicti, parte agri mulctati ſunt. Eò à Triumuiris, in quibus P. Sylla erat, colonia deducta eſt. Inter Pompeianos & Colonos exorta ſeditio eſt, quod nollent Pompeiani Colonis tantum ius ſuffragij ferendi & magiſtratus gerendi eſſe, quantum ſibi. Hanc ſeditionem à Sylla excitatam dixit Torquatus, ut Pompeianos in ſua poteſtate haberet, ijsq; ad hanc coniurationem uteretur. Ad patronos.] Id eſt, ad Triumuiros, qui eam coloniam deduxerunt, ad eosq; qui oppidum expugnauerunt, aut in deditionem acceperunt, qui more maiorum patroni erant. Cognita.] Id eſt, dijudicata. Cæterorum.] Patronorum. nam in his Sylla erat. Ex hac frequentia colonorum.] Colonos legatos publice miſſos ad hoc iudicium cum P. Syllæ laudatione ſignificat. Si in omni fortuna, &c.] Nam de ambitu condemnatus eſt. In hoc tamen caſu.] Cum de coniuratione accuſatur. Ab illis.] Colonis. De ambitione.] Id eſt, de magiſtratuum petitione. Populi Romani fortuna diuiſerit.] Nam populi Romani fortuna fecit, ut Romani uictores eſſent, ideoq; Pompeianos agri parte multarent. Alteros.] Id eſt, Pompeianos. Demouiſſe.] Id eſt, agri parte abire coegiſſe. At enim & gladiatores.] Lucius Cæcilius Tribunus plebis legem ferre conatus eſt, qua pœnam ambitus alijs legibus conſtitutam diminueret, in gratiam fratris Publij Syllæ de ambitu damnati. Lucius Torquatus dixit Cælium ea lege uoluiſſe reſcindere iudicium, quo Sylla de ambitu condemnatus fuerat. Id Cicero refutat. Rogationis.] Id eſt, legis. Cæciliæ.] Quàm Lucius Cæcilius Tribunus plebis ferre uolebat. Fratris ſui.] Publij Syllæ. Sylla Cæcilij frater fuit, uel quia ex eadem matre nati ſunt. Seruius in libro Commentariorum in Aeneida Virgilij, ex Varrone ſcribit, fratres germanos appellari eos, qui ſint ex eadem matre, quamuis ex eodem patre non ſint: ut fuſius pro A. Cluentio ſcribimus. Vel quia alter alterius ſororem in matrimonium habuit. Vt Cicero pro Domo ſua, & de Reſponſis aruſpicum, Quintum Metellum Publij Clodij fratrem appellat, quòd ſororis eius maritus fuerit. Promulgarit.] Id eſt, aliquot dies propoſuerit, ne intelligas eum tuliſſe. Nam promulgare legem et ferre idem non eſſe, ex hoc loco facile cognoſcas. Fratris auctoritate] Nam Publio Sylla mandauit, nolle ſe illam legem ferri. Deductus.] Id eſt, diſſuaſus. Voluiſſe reſcindere.] * Hic locus emendatus non eſt, ibiq; pauca deeſſe uidentur. Superioribus legibus.] Non multo ante lex Calphurnia lata fuerat, quæ damnatis de ambitu pœnam pecuniariam addebat. Eorum ordinum.] Id eſt, Senatus & equitum. Perpetuandam.] Id eſt, perpetuo ſeruandam. Perpetuare quamuis raro dicatur, eo tamen uerbo Cicero uſus eſt etiam in libro de Oratore tertio: Clauſulas, inquit, atque interpuncta uerborum, animæ interclusio, atque anguſtiæ ſpiritus attulerunt. Id inuentum eſt ita ſuaue, ut ſi cui eſt infinitus ſpiritus datus, tamen eum perpetuare uerba nolimus. Si paulo etiam longius, & cætera.] Id eſt, ſi Cæcilius fratris cauſa aliquantulum peccaſſet. Finis quotidiani officij.] Id eſt, honeſtas. Protuliſſet.] Id eſt, prouexiſſet. Senſus ueſtros. Id eſt, quid ſentiretis, ſi in loco Cæcilij eſſetis. Nos Senatum conuocaſſemus.] Significat Cicero, ſe Conſule Lucium Cæcilium hanc legem ferre uoluiſſe. Senatum enim Cicero Conſul in Capitolium conuocauerat, ut ad eum de hac lege referret. Prius.] Quàm Senatum conuocaſſemus. Dixit.] In Senatu. De Republica egit.] E' Republica legendum arbitror. E' Republica dici ſuauius, quàm ex Republica Cicero auctor eſt in libro de Oratore ad Brutum. Id autem ſignificat, ad utilitatem Reipublicæ ut in libro Epiſtolarum ad Brutum: Cui cum eſſem aſſenſus, decreui hoc amplius, ut tu, ſi arbitrarere utile fore, & è Republica eſſe, perſequerere. Item: Quòd ſcribis poſtea ſtatuiſſe te ducere exercitum in Cherroneſum, nec pati ſceleratiſſimo hoſti ludibrio eſſe Imperium populi Romani, facis ex tua dignitate, & è Republica. Et libro de Oratore ſecundo: Multas etiam è Republica ſeditiones ſæpe eſſe factas, ut cum reges eſſent exacti, ut cum Tribunitia poteſtas eſſet conſtituta. Agrariæ legi.] Quam Publius Seruilius Rullus ferre conatus eſt, quam Cicero Conſul diſſuaſit. Interceſſorem fore.] Id eſt, ut aliquis ex Tribunis plebis intercederet, quo minus ea lex ferretur. Vnius enim Tribuni plebis interceſſio ſufficiebat ad impediendam rem, quam reliqui Tribuni ferre conarentur. Onere depoſito domeſtici officij.] Relicta cura rei domeſticæ. Quis tamen ueſtrum.] Quis tandem ueſtrum, aptius uidetur ſcribendum. Ex Antronij improbitate.] Qui ſperabat huius legis beneficio, rem de ſe iudicatam labefactari, aut certe pœnã diminui. Honoris.] Id eſt, Conſulatus. Nam cum Antronio Sylla Conſul deſignatus eſt. Alleuamento.] Id eſt, diminutione, & ut uulgo dicunt, alleuiatione. Hic tu epiſtolam.] Cicero Catilinæ coniuratione oppreſſa, ad Cn. Pompeium in Aſia bellum Mithridaticum gerentem ſcripſit, de utraque coniuratione Catilinæ. Lucius Torquatus ex his literis colligit Publium Syllam fuiſſe ex coniuratione, idq; Ciceronem ſignificaſſe arguit, quamuis Syllam in ea epiſtola Cicero non nominauerit. Id negat Cicero. Biennio ante conceptum.] Amplius biennio concepta fuit hæc coniuratio. Lepido enim et Volcatio Conſul. circiter Nonas Decembres cœpit. Lucius Torquatus & Lucius Cotta poſt hos fuerũt Conſules, poſt hos Lucius Iulius & C. Figulus, poſt quos fuit Cicero cum C. Antonio. His Conſul. in menſe Octobri patefacta coniuratio eſt. Erupiſſe.] Id eſt, natum eſſe. ſed de mala re id uerbum dicitur. Demonſtraſſe.] Id eſt, ſignificaſſe. De quo etiam ſi quis dubitaſſet.] Oſtendit Lucium Torquatum dixiſſe quæ non conueniant. Nam ſi Publius Sylla coniurauit Lucij Torquati patrem Conſulem Calendis Ianuarijs interficere, ut conſulatum iudicio amiſſum per uim recuperaret: non eſt ueriſimile eum poſtquam damnatus eſt, operas & manum comparaſſe, ut Catilinæ contra Torquatum ſuffragaretur. Interfecto patre tuo Conſule.] In priore enim coniuratione Lucium Torquatum & Lucium Cottam cum inirent conſulatum Calend. Ianuarijs interficere, & conſulatum per uim arripere Catilina & Antronius coniurauerant. Cum lictoribus.] Id eſt, occupato & arrepto conſulatu. Vt Catilinam Conſulem efficeret.] Comitijs habitis poſt Syllæ damnationem. Operas.] Vt ſeruitia & miniſteria, in numero tantum plurali pro ſeruis et miniſtris dici, Valla libro quarto ſcribit. ita apud Ciceronem ſæpe inuenire licet operas dici pro operarijs, quos conducere ſolebant, qui uim aliquam moliebantur. Vt in Vatinium teſtem: An erit hæc optio & poteſtas tua, ut cum Clodianas operas & facinoroſorum hominum manum uideris, Milonem dicas gladiatoribus & beſtiarijs obſediſſe Rempublicam. Et pro Domo ſua: Conſulari homini Publius Clodius euerſa Republica ciuitatem adimere potuit, concilio aduocato, conductis operis non ſolum egentium, ſed etiam ſeruorum. Et pro Publio Seſtio: Qui adeſſe nobiliſſimos adoleſcentes, honeſtiſſimos equites Romanos deprecatores ſalutis meæ iuſſerit, eosq; operarum ſuarum gladijs & lapidibus obiecerit. Neque enim iſtorum facinorum.] Probat Cicero ex uita ante acta crimen: de quo quæſtio eſt, coargui poſſe aut refutari. Diſſolutis.] Id eſt, refutatis. De principio.] Vt improuiſo & de improuiſo, ita principio & de principio in eadem ſignificatione dicimus. Sed de principio hoc loco dici aduotandum cenſeo, magis ut Latine dici intelligas, quàm ut imiteris. Studuit animus.]

*nari. Huic.] P. Syllæ. Malus eſt beneficium.] Quod multis P. Sylla præſtitit, quorum uitam à L. Sylla deprecatus eſt, aut quorum pro ſalute ſe obligauit. Quam poſſe debet ei uis ciui dare.] Nimium enim apud tyrannum L. Syllam Publius ualuit, nec illam cũ ciuibus ſuis æquabilitatem habuit, quæ in ciuitate eſſe debet. Quod potuit.] Id eſt, quam poteſtatem habuit. Tempori] Id eſt, temporis conditioni, quo ita L. Syllæ crudelitas in ciues Romanos debaccharetur. Quod fecit.] Id eſt, quod ciuibus præſtitit. Ipſi.] Id eſt, ipſius naturæ & bonitati. Conſtantiam.] Id eſt, honeſtatem, quam conſtanter retinuit. Moderationem in priuatis rebus.] Nam, ut ait pro Lucio Murena: Odit populus Romanus priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit, non amat profuſas epulas, ſordes & inhumanitatem multo minus. Splendorem.] Id eſt, magnificentiam, ut ſplendor ſordibus contrarius ſit. A' fortuna.] Quia Sylla de ambitu damnatus eſt. Iudicijs autem fortuna præeſt. Deformata ſunt.] Id eſt, turpificata ſunt, & formam ſuam perdiderunt. A' natura inchoata appareant.[ Id eſt, naturæ ueſtigia quædam remaneant. Quæ celebratio] Id eſt, frequentatio erat, priuſquam Sylla damnaretur. Familiaris.] Id eſt, non faſtuoſo, non ſuperba. Studia amicorum.] Id eſt, bona uoluntas & obſequium in amicos, id eſt, quàm ſtudioſus amicorum fuit. Vna hora.] Qua damnatus eſt. Accipit uulnus.] Cum damnatus eſt. De hoc dicendi genere, & de uulnere pro damno, alibi ſcripſimus. Mortiferum.] Vulgo mortale appellarent. Sed mortale id eſt, quod aliquando moriturum eſt: mortiferum uero, quod mortem offert. unde etiam mortifera peccata, non mortalia appellari licet. Vita & natura, &c.] Nam accepto eo uulnere naturam retinuit. Quam ſi nemo alius] Minuit Syllæ ambitionem, quòd alij quoque eam conſulatus cupiditatem habuerint. ſed quòd damnatus ſit, alij incolumes, eo eius aduerſa fortuna fuit. Vrbis & fori.] Ne aſpectum hominum lucemq́; uitaret. Propter ſumma ſtudia amicorum.] Qui ipſi Syllæ ſtudioſi erant, & ueri amici. Nam ut ait Ennius: Amicus certus in re incerta cernitur. Reſtiterunt.] Id eſt, ſuperfuerunt & remanſerunt. Cum lege retineretur.] Lex enim Calphurnia, quæ paulo ante damnatum Syllam lata fuerat pecunia, non exilio damnatum reum multabat. Non multo poſt eum damnatum ſecuta eſt lex Tullia, quæ de ambitu damnatos exilio multaret, ut pro L. Murena ſcripſimus. Se exilio penè multauit.] Vel cum hominum conſpectum euitauit, uel cum Neapolim profectus eſt. Tanto ſceleri.] Id eſt, coniurationi. Explicata.] A' me. Crimen.] Coniurationis. Quod alijs in codicibus ſcriptum ſit Cum crimine, non Tum crimen, id non placet. Mitto Rempub.] Occupatio eſt. Amor autem reipub. P. Syllam à coniuratione reuocaſſe. Cupidos.] Id eſt, ſtudioſos. Vt pro Cn. Plancio: Magnæ ſunt in te opes, late patet gratia, multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuæ. Eſt autem argumentum à repugnantibus. Turpiſſima mors te propoſita.] Si deprehenderetur. Turpis autem mors dicitur ea, quam improbi homines dant legibus. Alioqui turpis mors ea eſt, quæ luitur ſuſpendio. Id informe letum Virgilius appellat, lib. 12. de Amata uxore Latini, quæ ipſa ſe ſuſpendit, & modum informis leti trabe nectit ab alta. Auctore Seruio in libris Pontificalibus cautum fuerat, ut qui laqueo finiuiſſet uitam, is inſepultus abijceretur. Vnde ait informis leti, quaſi mortis infamiſſimæ. Illam eſſe cauſam arbitror, quòd animam ſpiritum eſſe crederent, quem conſtrictis laqueo faucibus exhalari non poſſe, ſed in pectore ſuffocari putabant. Hoc etiam mortis genere, id eſt, ſuſpendio deprehenſi coniurati, in carcere ſtrangulati ſunt. Non inquam cadit.] Hoc in loco inquam uim habet maiorem, quàm dico. Significat enim ue affirmo, & pro certo dico. In hunc pudorem.] Quo hominum aſpectum lucemq́; uitauit. Ex multis ab adoleſcentia.] Hoc adoleſcentibus præceptum ſit, ut multis ſe flagitijs contaminent, ne quando mente diuinitus erepta in magnum aliquod ſcelus à furijs incitati incidant, ac pœnas legibus perſoluant. Nolite iudices arbitrari, &c.] Amplificat coniurationis atrocitatem, ut faciat credibilius in ea Syllam nõ fuiſſe. Quemadmodum pro Sexto Roſcio, ut ne ſit credibile ab eo Roſcio patrem occiſum, auget parricidij grauitatem. In qua non modo tot, &c.] Præter ea præmia quæ indicibus propoſita fuiſſe diximus, Senatus multitudini coniuratorum diem ſtatuit, antequam ſine fraude liceret ab armis diſcedere. Ea tempeſtate, inquit Salluſtius, mihi imperium populi Romani multo maxime miſerabile uiſum eſt, cui cum ad occaſum ab ortu ſolis omnia domita armis parerent, domi otium atque diuitiæ, quæ prima mortales putant, affluerent: fuere tamen ciues, qui ſe remq́; publicam obſtinatis animis perditum irent. Nanque duobus Senatus decretis ex tanta multitudine, neque præmio inductus coniurationem patefecerat, neque ex caſtris Catilinæ quiſquam omnium diſceſſerat. Tanta uis morbi, atque uti tabes pleroſque ciuium animos inuaſerat. Quibus uerbis magna coniuratorum multitudo, eorumq́; obſtinatus in patriam animus ſignificatur. Ex portentis immanes.] In prodigijs habentur animalia ea, quæ cæteris ſui generis ſimilia non ſunt. Vt T. Liuius libro 27. inter prodigia enumerat infantem quendam, ambiguo inter marem & fœminam ſexu natum: itemq́; alium, cum elephanti capite natum. Huiuſmodi animalia ex portentis immania ſunt. Forma hominum indutæ.] Admonuimus pro Sexto Roſcio, Ciceronem dicere ſolitum, perditos & profligatos homines eſſe belluas quaſdam in figura hominis: Cacodæmones forma hominis indutos uulgo appellant. Audacias.] In numero plurali dixit. ut Actione in Verrem quinta. Vultis autem iſtorum audacias ac libidines aliqua ex parte reſecare? Et libro Epiſtolarum ad Atticum nono: Noli putare tolerabiles horum inſanias, nec unius modi fore. Et ſi quid te horum fugit, legibus, iudicijs, Senatu ſublato, libidines, audacias, ſumptus, egeſtates tot egentiſſimorum hominum nec priuatas poſſe res, nec Rempub. ſuſtinere? Deſperatis morbis.] Id eſt, grauiſſimis. ut deſperatam Rempub. idem dicit in Diuinatione: Hoc remedium eſt ægrotæ & propè deſperatæ Reipub. Deſperatum hominem pro improbo dici, alio loco docebimus. Peſtibus.] In numero plurali dixit, ut de Reſponſis aruſpicum: Cum his furijs & facibus, cum his inquam exitioſis prodigijs, ac penè huius imperij peſtibus, bellum mihi inexpiabile dico eſſe ſuſceptum. Et pro P. Seſtio: Luce palàm à nefarijs peſtibus in deorum hominumq́; conſpectu eſſet occiſus. Hanc uocem apud Ciceronem ſæpe licet inuenire. Furiæ quædam incitauerunt.] Pœnas improborum hominum diuina uoluntate expendi, ſæpe Cicero ſignificat, Vt pro Milone: Vis, inquit, diuina Clodio mentem iniecit, ut ui irritare ferroq́; laceſſere fortiſſimum uirum auderet, uincereturq́; ab eo. In hunc gregem hominum.] Quos ad luendas reipublicæ pœnas furiæ incitauerunt. Quæſtiones nobis, &c.] De quæſtionibus pro Milone ſatis multa ſcripſimus. Moderatur natura cuiuſque, &c.] Vlpianus libro Digeſtorum 48. de quæſtionibus: Quæſtioni, inquit, fidem non ſemper, nec tamen nunquam habendam conſtitutionibus declaratur. Etenim res eſt fragilis & periculoſa, & quæ ueritatem fallat. Nam plerique patientia ſiue duritia tormentorum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab ijs ueritas nullo modo poſſit. Alij tanta impatientia, ut in quouis potius mentiri, quàm pati tormenta uelint. Itaque fit, ut uario modo mentiantur, & non tantum ſe, uerum etiam alios criminentur. Quintil. lib. 5. de tormentis ſcribens: Pars, inquit, altera quæſtionem, uera fa*

caſtris dormiente fortunam circum urbes tendere retia, in quæ urbes ipſæ ultro incurrerent. Erat enim felix admodum in capiendis urbibus. Sed ea felicitate tandem deſtitutus, ex urbe eiectus eſt. Fortuna enim unde hæc felicitas eſt, mutabilis ẽ. Virtus uero immortalis eſt, quam à natura eſſe philoſophi dixerũt. Si igitur P. Sylla ex coniuratione fuiſſet, cum eum Cicero defendat, qui ipſe coniurationem oppreſſit, eam oppreſſiſſe magis caſu & felicitate uideretur quàm uirtute & cõſilio, propterea quod non ſeruaret conſtantiam. Hoc tibi ſumis.] Id eſt, arrogas. & ut uulgo dicunt, hoc de te præſumis. Sumere & aſſumere hac in re ſæpe dicuntur. ut pro Planco: Mihi non ſumo tãtum Iudices, neque arrogo, ut Cn. Plancum ſuis erga me meritis impunitatem conſecuturum putem. Graue.] Id eſt, efficax. Cui Senatus ſingularibus uerbis gratias egerit..] Id fecit Senatus in æde Concordiæ tum habitus, cum Allobroges, et Vmbrenus ad pontem Miluium deprehenſi, Romam ad Ciceronem reducti ſunt. Id dicit Cicero in tertia Inuectiua: Mihi, inquit, gratiæ uerbis ampliſſimis aguntur, quòd uirtute, conſilio prudentia mea Reſpub. periculis ſit maximis liberata. Ab eodem Senatu, ad omnia puluinaria ſupplicatio Ciceroni decreta eſt. Quirites hortatur Cicero, ut celebrent illos dies cum coniugibus ac liberis, ut idem in eadem Inuectiua ſcribit. Quamobrem uos dij patrij.] Concluſio eſt, in qua primum iureiurando P. Syllam à coniurationis ſcelere liberat. deinde affectum miſericordiæ Iudicibus mouet. O dij patrij, ac Penates.] Seruius libro Commentariorum in Aeneidos Virgilij tertio ex Varronis ſententia eoſdem eſſe dicit Penates & magnos deos. Magnos autem Deos eſſe dicit, Iouem, Mineruam & Mercuriũ. Macrobius in libro Saturnal. tertio ex P. Nigidij, & Corn. Labeonis ſententia, Troianorum Penates eſſe dicit Apollinem & Neptunum, qui muros ijs feciſſe dicuntur, quos in Italiã Aeneas aduexit. Dionyſius Halicarnaſſeus libro primo ſcribit Romæ fuiſſe paruum quoddam & obſcurum templum, in quo Deorum Troianorum imagines poſitæ erant, atque ita inſcriptæ, D. Penates. Erant autem adoleſcentes duo ſedentes, pila tenentes, habitu militari. Macrobius in eodem libro tertio. Penates eos eſſe dicit, per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos animi rationem poſſidemus. Eſſe autem medium æthera Iouem, Iunonem imum aera & terram, Mineruam ſummam ætheris regionem. Idem eoſdem eſſe putat Penates, Deos Romanos, & Deos patrios. Cicero in oratione pro Domo ſua, deos magnos & Penates eoſdem non eſſe ſignificat. Nam poſtquam Iouem Capitolinum, Iunonem reginam, & urbis cuſtodem Mineruam obteſtatus eſt: Vos, inquit, patrij Penates familiareſq́; qui huic urbi ac reipub. præſides eſtis, uos obteſtor, &c. Integro me animo ac libero.] Id eſt, me non defendere Syllam, eumq́; ex coniuratione fuiſſe negare, cauſa amoris. Amor enim animum integrum atque liberum eſſe plerunque non ſinit. Itaque Cæſar apud Salluſtium: Omnes homines, inquit, qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia uacuos eſſe decet. Haud facile animus uerum prouidet, ubi illa officiunt. Vehemens.] Id eſt, ſeuerus. Qua in re hic Cicero dicit ſæpius, Miſericordia eiuium adducti.] Cicero ut in cauſa Verris ſe potius Siculos defendere, quàm Verrem accuſare dicit, ita hoc loco ſe miſericordia ciuium adductum dicit, ut de coniuratis ſupplicium ſumeret, ut in hoc naturam, in illo morem ſuum retineret. Miſericordia digna multa.] Ea quæ fuit, poſtea enumerat. Auctore Quintiliano libro ſexto, plurimum ualet miſeratio, quæ iudicem flecti non tantum cogit, ſed motum quoque animi ſui lachrymis confiteri. Hæc petentur aut ex ijs quæ paſſus eſt reus, aut ex ijs quæ tum maxime patitur, aut ex ijs quæ damnatum manent: quæ & ipſa duplicantur, cum dicimus, ex qua ille fortuna, & in quam recidendum ſit. His modis maiore ex parte miſericordiam hic Cicero mouet. Propulſandæ calamitatis ſuæ.] Id eſt, ut abſoluatur. Quæ habet ornamenta.] Si nulla ornamenta, nulla reliquæ uitæ ſolatia habet, quibus lætari & perfrui poſſit, ſi abſoluatur, nõ confugit Sylla ad Iudices, ut propulſet calamitatem. Credo.] Ironia eſt. Aperientur maiorum imagines.] Morem Romanum fuiſſe ſignificare uidetur, ut cum quis reus damnatus eſſet, maiorum eius imagines clauderentur, tanquam rei calamitate deformatæ eſſent: ſicut ornatum ueſtitumq́; reis & damnatis mutare mos erat. Vnius iudicij.] Quo de ambitu damnatus eſt. Id laborat.] Id eſt, id uehementer curat. Hic uos orat Iudices paruus.] Liberos multum ualere ad mouendos affectus, ſcribit Quintil. libris 4. & 6. Et tantum ualent, ut Sergius Galba ad populum Romanum cauſa dicens cum periclitaretur, paruulos filios ſuos & Sulpitij Galli ſanguine coniunctũ filium populo Romano fletu commendauerit. Quo concionem ita mitigauit, ut qui omnium conſenſu periturus erat, penè nullum triſte ſuffragium habuerit. auctor eſt Valerius libro octauo titulo, Infames rei quibus ex cauſis abſoluti aut dãnati ſint. Diſciplinarum.] Id eſt, ſcholarum. Vita erepta eſt.] Vita enim Syllæ tam miſera eſt, ut mors potius quàm uita uideatur. Ne corpus eijciatur.] Id eſt, ne damnatus Sylla exilio multetur. uis enim exilio multabatur. Aut quid eſt quamobrem hæc uita cuiquam uideatur.] Ex inſtituto rhetorico miſerationem mouet, primo ex generali cuiuslibet exilij calamitate, quæ tanta eſt, ut uitam adimere uideatur. deinde ex pe[illegible] Syllæ depreſſione, qui ex ſumma fortuna ſic ad infamiã decidit, ut luctus ſpatium & locum imploret, non gaudij. Nuper is homo.] Ex fortuna in qua fuit Publius Sylla, maiorem fortunæ acerbitatem, quam fert, oſtendit. Ex hac itidem oſtendit fortunam grauiorem, in quam Publio Syllæ recidendum ſit, ſi condemnetur. Nuper.] Id eſt, antequam de ambitu Sylla damnatus eſſet. Erat autem plus triennium. Gratia.] Qua ualeret apud multos. Multis enim Sylla gratioſus erat.] Quod fortuna in malis, & cætera.] Ordo eſt, Sylla obteſtatur uos iudices, ne eripiatis ſibi id, quod reliqui fortuna fecit in malis. Id autem eſt, ut liceat lugere calamitatem ſuam, & cætera. Cum fratre.] L. Cæcilio. Te ipſum iam Torquate.] Accuſatoris odia mitigat, ſimul Iudicum mouet miſericordiam ex Syllæ miſeria. Expletum.] Id eſt, ſaturum. De hoc uerbo alibi plura ſcripſimus. Honoris contentio.] Id eſt, ambitio. Vt in primo de Officijs: Miſerrima eſt omnino ambitio, honoriſq́; contentio. Eodem auctore cum ciuiliter contendimus, aliter ſi inimicus, aliter ſi competitor. Cum altero certamen honoris & dignitatis, cum altero capitis & famæ. Cum honore.] Id eſt, cum Conſulatu. Lucis hanc uſuram.] Id eſt, hanc uitam, qua uiuitur. ut Actione in Verrem ſeptima. Cur ciuibus Romanis, quos piratæ ceperunt, ſecuri ſtatim percuſſis ipſis piratis lucis uſuram tam diuturnam dediſti? Et pro C. Rabirio Poſthumo: Vos obſecro Iudices, & huic optimo uiro, quo nemo melior unquam fuit, nomen equitis Romani, & uſuram huius lucis, & ueſtrũ conſpectum ne eripiatis. Libenter reddiderit.] hanc lucis uſuram ſcilicet: Id eſt, libenter morietur. Tanquam à deo uel à natura hanc uitã accipiamus, quam tum reddimus cum morimur. Fœdiſſimi criminis.] Id eſt, coniurationis. Expellas.] Id eſt, in exilium eijcias. O uolucrem fortunam.] Valla cap. 13: libri ſecundi hoc in loco legit, O uariã & uolucrem fortunam. O præpoſteram gratulationem.] Præpoſterum id dicitur, quod mutato & peruerſo ordine factum aut dictum eſt. Vt præpoſtera uerba Cicero dicit in oratione pro Domo ſua: Delatum eſt ad uos ò Pontifices, & poſt omnium ſermone celebratum, quemadmodum iſte præpoſteris uerbis omnibus obſcœnis, identidem ſe ipſe reuocando dubi-

tans, timens, hæſitãs, omnia aliter ac uos in monimentis habetis, & pronunciauerit & fecerit. Idem præpoſterũ Imperatorem, improbum ac peruerſum appellat, L. Piſonem in Oratione in ipſum: Hic cum ſimilem exitum ſpectaret in Macedoniã, trophæa poſuit. eáq; quæ bellicæ laudis uictoriæq; omnes gentes inſignia & monumenta eſſe uoluerunt, noſter hic præpoſterus Imperator amiſſorum oppidorum, & Cæſarum, legionũ, prouinciæ præſidio & reliquis militibus orbatæ, ad ſempiternum dedecus ſui generis & nominis indicia conſtituit. Idem pro A. Cluentio, de Staleno: itaque ut erat ſemper præpoſterus atque peruerſus, initium facit à Balbo. Præpoſtera igitur gratulatio, aut peruerſa eſt, ut quæ nimium cito facta ſit. Quid enim erat mali.] Amplificat miſeriam P. Syllæ, quæ eo de ambitu damnato ita magna erat, ut fieri maior non poſſe uideretur. Modo uero facta maior eſt, cum de coniuratione accuſatus eſt: quæ maxima erit, ſi damnabitur. Sed iam impedior egomet iudices dolore animi.] Simile eſt illud pro Milone: Sed finis ſit. neque enim præ lachrymis iam loqui poſſum. Oratorem uere affectum eſſe debere, qui alijs affectus mouere uelit, Quintilianus docet. Reiectione interpoſita.] Facta iudicum ſortitione, licebat accuſatori & reo ex eo numero reijcere, quos ſibi inimicos, aut aliqua ex re incõmodos fore putarent. Ex moribus autem ac fama iudicum eorum: quos aut reijciebant, aut retinebant. ſolebat populus Rom. coniecturam facere qui cauſæ ſuæ confideret, aut qui uellet iudices corrumpere: deinde fiebat ſubſortitio aliorum iudicum, in locum eorum qui reiecti fuerant. Vt ait Aſconius in 2. Actionem in Verrem: L. Torquatus multos ex iudicibus reiecit, quos ſibi commodos fore non putabat. Eorum in locum facta eſt ſubſortitio. Hos ſubſortitos iudices appellat repentinos. Reiectione.] Id eſt, ut uulgo dicunt, recuſatione iudicum. Nihil ſuſpicantibus nobis.] Nullos enim iudices reiecimus, quia cauſam noſtrã deſperabamus. Ab accuſatoribus.] Id eſt, à Torquato, Cornelio, alijſq; qui accuſationem adiuuerunt. Ad ſpem acerbitatis.] Sperabant enim uos fore acerbiores. Iudices in P. Syllam. A fortuna.] Sortitionem enim, & ſubſortitionem fortuna regit. Accuſatorum ſpem de iudicibus iniquam, Syllæ æquam eſſe ſignificat, ut Syllæ magis conciliati ſint. In improbos.] Coniuratos. Innocentes.] Syllæ. Quæ per hos menſes.] Id eſt, paucis his menſibus. Significat autem hanc Syllæ cauſam paucis menſibus poſt Ciceronis conſulatum actam fuiſſe. Lenitate.] In P. Syllam. Virtutis.] Id eſt, magnanimitatis. Non eos eſſe uos.] Vos non eſſe tales. Deuenire conuenerit.] Id eſt, ut uulgo dicunt, ad quos ſe dirigere debuerint. Eſt autem conuenerit imperſonale. In repub. coniuncti.] Id eſt, Senatores ſumus. Cum equitibus itidem coniunctus erat Cicero.

## IN EANDEM PRO P. SYLLA ORATIONEM SCHOLIA [redacted].

[redacted] PRAELEGENTE EXCEPTA.

### ARGVMENTVM.

ORATIO eſt generis iudicialis, ſtatus coniecturalis. quæritur enim, utrum Sylla fuerit coniuratus Catilinæ. Cicero defendit, non fuiſſe. & conſumitur oratio, ut fit in reſpondendo, magna ex parte in confutatione argumentorum, quæ aduerſarij obiecerant. Confirmationis loci duo tantum ſunt, ex teſtibus, & natura ſeu moribus Syllæ: & hic extremus locus ualde ornatus eſt uerbis & ſententijs. cum autem in cauſa facili & plana oratio perſpicua ſit, & habeat alicubi aſperſos locos communes, plurimum confert lectoribus ad iudicandum de ratione dicendi. Ac primum obſeruandũ eſt, quòd peculiaris in hac oratione perſpicuitas eſt. deinde obſeruabis, prudenter diſtributa ſingulas partes in tota oratione. tertio, additas eſſe locis communibus amplificationes. Porrò hic Publius Sylla fuerat antea in petitione conſulatus, in iudicio ambitus condemnatus, cum accuſaſſet eum pater Torquatus. Poſt annos aliquos filius Torquatus paternas inimicitias perſequitur. & Syllam olim conſulatu deiectum rurſum accuſat, & criminatur eum cum Catilina coniuraſſe, ut ille miſer exilio aut morte puniretur. Fuerunt autem coniurationes duæ, ut & Salluſtius ſcribit: quare Sylla accuſatur, in utraque coniuratione fuiſſe: & ita defenditur, ut Hortenſius de priore, Cicero de poſteriore coniuratione dicat. Exordium duos locos habet, prior eſt uotum, cui additur inſinuatio. quia enim dicendum eſt Ciceroni pro Sylla, cum erga alios coniuratos inclementior fuerit, initio purgat ſuſpicionem crudelitatis. ſignificat ſe antea per occaſionem fuiſſe ſeueriorem, nunc uero gaudere ſe, quòd ſit oblata occaſio declarandæ ſuæ erga ciues miſericordiæ atque lenitatis. Alter locus continet rationem, cur defendat Syllam. uidebatur enim inconſtanter facere, quòd nunc defenderet reum coniurationis, antea uero ſeueriſſime in eiuſmodi reos animaduertiſſet. & nulla futura erat fides defenſionis, ſi Cicero uideretur inconſtans. Itaque initio cogebatur rationem reddere officij ſui. Ac primum nihil allegat niſi exemplum aliorum qui una defendebant. Infra uero addet rationem firmiorem, quòd ideo defendat, quia iudicet innocentem eſſe.

IT antea.] Scilicet in iudicio ambitus, lege Calphurnia. Vtinam iſte meus amicus antea non fuiſſet condemnatus in iudicio ambitus. Et poſt calamitatem.] Id eſt, poſt condemnationem: quia fuit quietus hactenus, æquũ erat ſinere iſtum, & concedere illi otiũ. ſunt autem breuia enthymemata. Tum ſingulari Autronij.] Quaſi diceret, non fuiſſet condemnatus, niſi habuiſſet ſocium ambitus Autronium cui propter ſcelera erant infeſti iudices. Aliquid mali propter uitium malum. Haberet quoſdam.] Id eſt, Torquatum. Et quoniam L. Torquatus meus familiaris.] Secundus locus, qui continet rationem ſui officij. in quo exemplis aliorum ſe tuetur. Quo quidem genere.] Id eſt, de me non dicerem, niſi aduerſarius mihi imponeret hanc neceſſitatem. Meum denique grauius eſſe iudicium.] Scilicet quàm aliorum. id eſt, debeo'ne ego grauius & diligentius expendere, qui mihi ſit defendendus reus, quàm Hortenſius Lucullus, &c. Ita inquit.] Occupatio: diſſimile eſt, etiam ſi alijs licet defendere, illos tamen tibi non licet, qui patefeciſti coniurationem. Quæro illud etiam.] Redit ad exempla. Non enim una eſt ratio.] Id eſt, non tantum orator defendit, ſed etiam alij qui adſunt in iudicio, etiamſi tacent, tamen ſua actoritate uideatur tueri aliquem. Pro ſua parte.] Etiamſi non dicant, ipſi tamen taciti auctoritate ſua tuentur. An uero.] Excuſat locum. eſt enim hoc iudicium apud centum uiros factum. ſubſellia ſunt minorum magiſtratuum: ſellæ curules maiorum, aut honoratorum magiſtratuum. An uero in quibus.] Repetitio ſuperioris ſententiæ: Si illis licet, & mihi licet. At ut intelligas Torquate quem, & cætera.] Amplificatio per inuerſionem, quaſi dicat, Tu Torquate contendis quòd non liceat adeſſe coniuratis, id fatemur: non igitur affuimus alijs huic adſumus:

*Igitur ſentimus eum nó fuiſſe coniurationis ſocium.* Quis noſtrum ad fuit.] *Alijs non adfuerunt, huic adſunt.* Non enim iam ſe ulla.] *Illa breuis oratiuncula ſumpta eſt ex loco communi. Nulla debet nobis eſſe ſocietas cum illis qui pacem publicam conturbant.* Tanto ſcelere cómiſſo.] *Concitata ſeditione.* Si neceſſarij.] *Id eſt, propinqui. In alijs cauſis defendimus nocentes, in ſeditione non defendimus.* Hanc mihi tu ſi propter.] *Breuis purgatio crudelitatis.* Quare nihil eſt.] *Concluſio exordij, ſeu argumenti, ab exemplo: Ergo ſicut alijs licet defendere, ſic mihi licet.*

BREVIS RATIO RETEXENDI EXORDII.

*Ratio cur ſuſceperit defenſionem ex loco communi ſumitur, ut liberet ſe ſuſpicione crudelitatis, & ut oſtendat ſe iure uehementem fuiſſe erga improbos, & lenem erga bonos. Poſtquàm Sylla dignitate ſpoliatus eſt, nunc etiam de uita periclitatur. ſuſcepi eius defenſionem, ut oſtéderem me qui aduerſus improbos uehemens fui, erga bonos lenem & miſericordem eſſe. Excuſatio inconſtátiæ. Quòd autem Torquatus defenſioni meæ fidem detrahere conatur, propterea quod parum conſtans uidear, qui cum antea erga coniuratos acerrimus fuerim, nũc in ſimili cauſa hunc defendam: primum ratio facti mei exponenda eſt, ut et ſuſpicione inconſtantiæ liberer, & ad defenſionem plus auctoritatis adferam. Ac primum exemplum me tuetur, tum Hortenſij, tum aliorum qui huic in iudicio adſunt. quod ſi his licet defendere reum coniurationis, licebit idem mihi. nam reſpub. nó magis ad me pertinet, quàm ad iſtos. Nec ideo arceri ab hac defenſione debeo, quia patefeci coniurationem. nihil enim intereſt inter hunc quia patefacit, & alios qui reſiſtunt. ſed ſimiliter turpe eſt omnibus defendere coniuratos, ſi ſciant factam eſſe coniurationem. Inuerſio. At hi non defuerunt alijs in iudicio, quia cognouerant eos contra rempub. coniuraſſe: quare nunc cum Syllæ adſint, intelligi poteſt eos non male ſuſpicari de iſto. Quare nec mihi turpe eſt hunc defendere, niſi ego unus debeo inhumanior eſſe cæteris.* Duæ coniurationes.] *Propoſitio de duabus coniurationibus. Priorem reijcit ad Hortenſium: alteram planè inficiatur. negat enim Syllam fuiſſe coniuratum.* Patris tui.] *Reiectio.* Patris tui.] *Id eſt, qui inquiſitionem prioris coniurationis fecit.* In primis Q. Hortenſius.] *A' teſtibus, Craſſo, Lucullo, Hortenſio. Circunſtantiæ in hoc argumento notandæ, quæ ſit teſtium auctoritas, fides & dignitas.* Mei conſulatus.] *Tranſitio ad ſecundam propoſitionem.* Qui cum propter honorem.] *Hortenſius poteſt eſſe teſtis de prima coniuratione, non tãtum defenſor, quia ipſe interfuit omnibus actionibus.* Multa cum eſſem.] *Inficiatio, qua negat obiectum crimen.* Multum hæc uox.] *Admiſcet locum Cicero, qui ad ſuam perſonam & conſilia ſua pertinet.* Sylla ſi ſibi.] *Id eſt, Sylla æquo animo tulit ſe condemnari, nihil mouit.* Expectatus foris.] *Vt ſe cum exercitu adiungeret coniuratis. Colligit ſigna ἄτεχνα ex quibus probat diſſimilitudinem Syllæ & Antronij.* Vbi neque homines.] *Id eſt, Neapoli nulli ſunt turbulenti ciues.* Propter hanc.] *Concluſio ἐνθυμήματος. Sunt diſſimiles, ergo ego me diſſimilem præbeo.* Atque idem ego neque.] *ἀντίθεσις. Sicut ergo, non poſſum defendere Antronium, ſic non poſſum non defendere Syllam.* Hic ait ſe ille.] *Reſpondet per inuerſionem: Ego conſul. non regnaui, ſed prohibui regnum. Ad aliud argumentum reſpondit per cõmunicationem, qua culpam cum Torquato communicat, qui ipſe quoque narrationi iudicum interfuit, & poſtea de illis teſtis fuit.* Si uerum.] *Quia qui uerum dicit, non regnat, ſed legibus obtemperat.* Is'ne cui innocentes.] *Inuerſio. Imo tu Rex, hoc eſt, Tyrannus es, qui poſtulas homines innocentes tibi non reſiſtere: ego non ſum rex, quia innocentes defendo.*

etiam.] *Alia confutatio de peregrinitate.* Quàm conſulentis.] *Id eſt, ſi ſum peregrinus, etiam conſul eſſe non poſſum. Porrò municipiũ eſt, quod capit onera cũ urbe Roma, & non honores. Itaque ſoli Romani ciues, et illi qui in colonijs erãt, capiebant Romæ honores, & conſulatum ac prouincias. Tertium genus erat uectigalium, qui tantum parebant, & tributa dabant, & erant ſerui. Multi autem reuera ciues in municipijs habitabant.* Vnde iterum iam ſalus.] *Quia duos præſtantes ciues habuit Marium & Ciceroné, ego ſeruaui urbem extincto Catilina, Marius uero delectis Cymbris.* Nemo enim iſthuc.] *Tuetur ſe exemplis. nihil eſt noui, Romæ eſſe ciues ex municipijs.* Quorum iam & nomen.] *Id eſt, qui ſumus nati ex ciuibus, quanquam habitem in municipalibus locis.* Contendunt.] *Scilicet de prætura.* Niſi forte regium tibi.] *Amplificatio ex definitione rem aliter definit, quàm uulgo ſolet definiri. ſicut in alio loco definit popularem conſulem: ille eſt popularis, qui pacem imperij tuetur, &c.* Ego tantis ante.] *Opponit inuidioſæ appellationi regis tres locos. Primum ſuos labores: deinde à periculis ſuis, & maxime ab illis, quæ ab improbis impendent: tertio, ab illis quæ impendent ab alijs. Igitur liberat ſe ſuſpicione, opponens regno quæ ei ſunt contraria, uidelicet quod ultro ſuſcipiat maximos labores, & propemodum ſe in ſeruitutem conijciat.* Quis non concederet.] *Id eſt, ego ultro ſuſcipio labores, quia reſpub. concederet mihi otiũ ſi uellẽ ſi ultro facio, ergo non ſum rex.* Requirunt.] *Id eſt, ſi non deſum amicis.* Tamen hoc regium appellas.] *Cum rectius appellaretur ſeruitus.* Inueniri nemo poteſt.] *Cuiuſmodi regnum nemo petat.* Si quæris qui.] *ἀντικατηγορία, ſignificat Manlium affectaſſe regnum: ex illa enim gente erat Torquatus.* Res enim geſtæ credo.] *Secundus locus. opponit periculo regno: Ego ſum in magno periculo propter res meas geſtas: ergo nihil amplius periculi accerſere uolo.* Niſi uero paucos.] *Opponit pericula, quæ impendent ab improbis.* At uero quid ego.] *Opponit pericula, quæ impendent à bonis.* Qui cum ſuppreſſa uoce.] *Reprehendit aduerſarium, et quod oblitus decori cum contra coniuratos dicat, uideatur fauere coniuratis: & aſpergit eum obiter ſuſpicione, quaſi aſſentetur multitudini.* Qui ea probatis.] *Scilicet, quod uituperantur coniurati.* Et queribunda uoce.] *Vt uideretur deplorare interitum talium utrorum in gratiam uulgi.* Is tribunus pl.] *P. Clodius.* Sed reprehendo.] *Breuis obiurgatio.* Ecquem tu horum.] *Plurimi ciues cupiunt tranquillam eſſe rempub. illi te quoque uituperabunt, quòd uideris fauere coniuratis.* An uero clariſſ.] *Sumptum argumentum ab exemplo.* Vt in cæteris fir.] *Auctoritatem diſciplinæ militaris.* Adeſte omnes.] *παρέκβασις, qua commemorat & prædicat res geſtas ſui conſulatus, & orditur uelut in poemate.* An me exiſtimaſti.] *ἐπιφώνημα.* In maxima concione.] *Quando abdicabam me conſulatu.* Atque etiam illud.] *Communicatio ironica.* Signifer iuuentutis.] *De Bruto Germanico, & C. Cæſare legimus, quòd fuerint principes iuuenes: & dicuntur illi, quibus conſul aut ſummus magiſtratus ſignum tradit.* Vide ne.] *ἐπιφώνημα εἰρωνικόν.* Sed iam redeo.] *Tranſitio. tota hæc diſputatio propemodũ nihil pertinebat ad cauſam Syllæ. Hic reddit rationem, cur illis locis uſus ſit.* Allobrogibus.] *Confutatio. Refutat argumentum per diſtinctionem, quòd Allobroges interrogauerint de Sylla, non affirmauerint. aliud eſt interrogare, aliud affirmare: et in teſtimonio requiritur aſſeueratio.* Quis negat. Syllæ.] *Id eſt, cõcedo Syllæ indiciũ, quod de Sylla interrogauerit.* De quibus illi aliquid.] *Quod neque Caſſius aſſeueret.* Etiã ut arbitror.] *Id eſt, quàm maxime uelle iſtos nominare, quorũ mentione cómouere Gallos poſſet.* Sed ego in iudicijs.] *Id eſt, aſſeuerationem requiro in teſtimonio.* Verũ ſubleuat.] *Quod prodeſt Syllæ.* Quid ita ne indicentur.] *Id eſt, Caſſius ideo nó indicat Syllã, ne Galli pro*

dant Syllam. Si periculum eſſe.] Si Caſſius putaſſet pro diturum, quenquam nec ſe nec alios indicaſſet. Atque hoc perſpicuum eſt.] Inuerſio. Sumit enim argumentum pro Sylla, ex ipſo Caſſii reſponſo, quod obiecerat aduerſarius. In iudicio.] Id eſt, nihil eſſe aſſeuerat. Excluſus hac criminatione.] Confutatio ſecundi argumenti de fide publicarum tabularum. Et eſt inficiatio, cui facit fidem per teſtes. O dij immortales.] Tranſlatio, quòd ipſe non prouiderit, ſed deus potius, quæ neceſſaria fuerint. Vidi ego hoc.] Cauſa quare adhibuerit teſtes. Sed tamen abs te.] Reprehenſio ſumpta ex occaſione. quare tunc non reprehendiſti iudiciũ, cum eſſet perſcriptum. Nunc ſera eſt reprehenſio. Tuus inimicus.] Id eſt, Syllæ. Aliter fieri [] Id eſt, falſum ſcribi. Mihi cuiuſquam ſalus.] Veriſimile ex periculo Ciceronis. Fero ego te] ἀποδίωξε. Neque uero quid mihi.] Amplificatio à cauſa, quare Torquatus ſuccenſeat Ciceroni. Ac ſi conſiderare.] Collatio ſui facti, & Torquati inuerſiones adhibentur. An uero cum honos agebatur.] Ab exemplo, quod nõ debeat defendenti aduerſoriũ ſuccenſere. Honos ampliſſ.] Quis Sylla & Torquatus pater certabāt de conſulatu Sylla uictus, alter conſul factus eſt. Vt mollius.] Ratio ex ſententia. Et erat huic iudicio.] Amplificatio ex maiore. In iudicio patris tui periclitabatur honos patris. In tuo iudicio extremũ periculũ Syllæ uertitur: ergo tu minus debebas iraſci defendẽtibus Syllã. Veteri exẽplo.] Nemo reprehẽdit. Pater non eſt iratus iſtis qui defenderunt Syllam. Ego uero quibus.] Altera pars collationis. At accuſat C. Cornel.] Tertium argumentum, quòd Sylla cum Antronio uoluerit interficere Ciceronem. ad quod reſpondet Cicero per inficiationem, & locum ab impoſſibili. Porrò index dicitur honeſte, et proditor turpiter. ut ſi quis efferet improborum hominũ ſcelera, dicitur index. Ac ſi pater indica.] Id eſt, qui etiam indicauerat reliquos coniuratos. O patrem.] Qui confitetur ſuam turpitudinem, nec lædit aduerſarium. Qui quod præmij, &c.] Diffidens cauſæ. Comitatum Antronij.] Scilicet indicat. Sin ut ais illum.] Inficiatio ab impoſſibili, quia abfuerit Cornelius. Adumbratum.] Id eſt, ſimilatum. Quid tandem de illa.] Recriminatio aduerſus Cornelium. Quid ergo indicat.] Alia inficiatio, de emptis gladiatoribus. Arrepta eſt familia.] Iterum uerba Cornelij. Quæ ſi eſſet prætermiſſa.] Quaſi dicat, quid opus fuit nouos gladiatores comparare, & tam inſtructos, cum alij minus inſtructi poſſent in ludis ſatisfacere. Vtinam quidem hæc ipſa.] Id eſt, hæc familia uix poteſt ſatisfacere in ludo, tantum abeſt ut aliquem tumultum excitare poſſit. Properat uehementer.] Verba Cornelij. Profert.] Alij Præfuit legunt. At enim Cincius.] Confutatio quarti argumenti, de Cincio miſſo in Hiſpaniam. Magna ratione.] Scilicet pecuniaria id eſt, magno ære contracto, quod uidelicet rex Mauritaniæ debuerit ipſi Cincio. At hæc ipſa per ſe.] Id eſt, per ſingulos. uerba Cornelij. Ipſe autem Cincius.] Secundũ argumentum à perſona Cincij. Finitimi ac uicini.] In bello Indico. A quo quidem genere.] Maior huius probationis. Illud erat genus hominum.] Id eſt, qui ſimul grande æs alienum contrahebant, & tamen non diſſoluebant, ſed retinere ſuum ſplendorem & poſſeſſiones uolebant. ἀντίθεσις.

Iam uero quod ſubijcit.] Aliud crimen de Pompeianis ſollicitatis à Sylla cõtra rempub. Cõfutat à teſtibus & fauore utriuſque partis. Iam uero.] Confutatio quinti argumenti: quòd Pompeianorum coloniam impulerit in ſocietatem cõiurationis, diluit per inficiationem. Pompeianos eſſe.] Nouos colonos in oppido Pompeijs. A colonis.] Id eſt, à ueteribus ciuibus eius oppi. Colonorumq;] Id eſt, iſtorum qui nouis ciuibus tanquam dominis colebant agros. Pompeiani.] Id eſt, noui ciues eò deducti. Et de ſuffragijs ſuis.] Autea in petitione conſulatus Syllæ aduerſari ſunt à colonis, Põpeiani ſuffragati ſunt pro Sylla. At ne hæc quidem.] Quia Pompeiani in alienas poſſeſſiones ſeducti ſunt, propter uictoriam ciuilem Syllæ. At enim & gladiatores.] Sextũ argumentum, quòd Cæcilium adiuuerit, ferentem rogationem pro ambitu. At enim & glad.] Aliud crimen de promulgatione Cæcilij, contra legem Caſſiam, de qua Aſconius in Corneliana. Lex à C. Caſſio Tribuno pl. C. Mario & L. Flacco Conſulibus ad minuendam nobilitatis potentiam lata eſt, ut quem populus damnaſſet & cuius imperium abrogaſſet, is in ſenatu non eſſet. contra hanc legem. L. Cæcilius Trib. pl. poſtea interceſſit, quia contra C. Cæcilium fratrem ſuum ab infeſto Trib. plebis Caſſio lata erat. Q. enim Cæcilio re in Cimbros male geſta, imperium conſulare erat abrogatum. Arguebat ergo Syllam Torquatus, quaſi & ipſe damnatus de ambitu, una cum L. Cæcilio contra legem eam & contra Rempub. rogationem illam adiuuiſſet. ſed utrunque Cicero excuſat ab euentu, nihil pertinaciter neque Cæciliũ neque Syllam aut contra Rempub. interceſſiſſe, aut feciſſe tollenda lege. Vt ſtatueretur.] Id eſt, ne res iudicatæ & legibus ſancitæ ne irritæ fierent. Sed legi uitium.] Nam uoluit quoque Cæcilius ſeruari legem de ambitu, & legem Caſſiam: ſed tamen ſeueritatem legis non nihil mitigari. reprehendit promulgationem eã, ſi uideretur cõtra leges, & contra rempublicam. Comparabantur.] Id eſt, tu dicis eum gladiatores comparaſſe, ut adiuuaret Cæcilium in perferẽnda rogatione de tollenda pœna ambitus. eſtq; conceſſio, poſtea addit correctionem. Auctoritate deductus.] Id eſt, Sylla dehortante. Atque in ea re.] Inuerſio: tu accuſas eum quòd noluerit ferre legem: ego uero laudo. ſequuntur rationes. Primum.] Scilicet Sylla laudandus eſt, quòd dehortatus eſt fratrem, ne lex perferretur. Iudicatis rebus.] Id eſt, auctoritate iudicatarum rerum, ne ſententiæ reuocentur. Nihil de iudicio.] Excuſatio Cæcilij. tantum legem oppugnabat non accuſabat ſententiam latam ſecundum legem. Conſtituta.] Scilicet ante legem latam in conſulatu Ciceronis, cum aucta eſt pœna ambitus. Dicerem fortaſſe.] Confeſſio cum excuſatione. Ex humanitate communi.] Scilicet quia fratrem tuebatur. Prius.] Scilicet ſtatim ubi eſt abiectio mentio legis. Illam rogationem.] De pœna ambitus tollenda. Largitionibus.] Agrarijs. Domeſtici officij.] Id eſt, poſtquam fratrem aliquantulum defendiſſet. Socio.] Scilicet condemnationis de Ambitu.

Hic tu.] Confutatio ſeptimi argumenti, quod ex epiſtola uidebatur ſumptum eſſe, & eſt inficiatio. De quo.] Scilicet, Verum uoluiſſet tuum patrem Torquatum occidere. Neque enim iſtorum.] Scilicet occidendi conſulis, inflamandæ urbis, interficiendorum ciuium. Diſſolutis.] Id eſt, poſtquam reſpondi ad argumenta, quæ obiecta ſunt. Etenim de principio.] Confirmatio inficiationis, ducta ex ſignis, uidelicet, ex moribus P. Syllæ. & eſt rhetorica collatio immaniſſimi ſceleris, & modeſti ingenij. iuxta illud, Format enim natura nos prius ad omnem fortunæ habitum. Circunſpicite paulliſper.] Contraria exempla propter amplificandam maiorem. Agedum conferte.] Minor: ſed Sylla ſemper fuit moderatus. Quod fecit.] Deprecando, & non perdidit. Quod potuit.] Scilicet, perdere multos. Quæ ita à fortuna.] Id eſt, moribus et natura nullum improbitatis ſignum cernitur, ſed damnatio hanc fortunam corrumpere uoluit. Vna eripuit hora.] Scilicet condemnationis. Quod uidetur eius uis.] Quod potuit cadere in uirum bonum & moderatum, conueniebat cum eius moribus optimis & humaniſſimis. Cupidior iudicatus.] Quaſi dicat, non improbus. Poſtea uero quis P.] Signa moderationis in aduerſa fortuna. Niſi merentem.]

tem.] Quaſi dicat, nihil molientem contra rempublicam. Cum lege retineretne.] Id eſt, non fuit proſcriptus. Explicata.] Id eſt, conſpicua. Non inquam cadit.] Concluſio. Noua quædam.] Amplificatio & hyperbole: non fuerunt homines, ſed belluæ. Deſcriptio hominum ſeditioſorum. Locus communis. Reperietis.] Ergo non fuit humanus conatus, ſed potius immanitas quædã, quæ longe omnem barbariem uincit. Vbi erit igitur.] Amplificatio. ſi unquam prodeſt uita modeſte acta, maxime debet aduerſus talia crimina prodeſſe. Quæſtiones nobis.] Collatio tormentorũ & ipſius uitæ P. Syllæ. opponit indicio ſeruorum uitam Syllæ. Natura cuiuſque.] Vt quiſque eſt fidus uel infidus, uel fortis, uel imbecillis, ita reſpondet. Regit quæſitor.] Qui callida interrogatione decipit. Libido.] Id eſt, odium. Circunſtantiæ extenuant fidem quæſtionis. Sed tamen ſi nihil.] Amplificatio, quòd ad exemplum pertineat, ut ratio habeatur uitæ anteactæ. Sed in magnis.] Id eſt, prodeſt bonis uiris conſiderare anteactam uitam, quia ipſi quoque contra ſubita crimina & ſubitas ſuſpiciones tuentur ſe exiſtimatione anteactæ uitæ. Valeat.] Scilicet uita, exiſtimatio. Quid uero hæc auctoritas.] Opponit teſtimonium ſuum & aliorum conſularium. Coniurationis cauſis.] Id eſt, nullum ex coniuratis defendi, hunc defendo, ergo, &c. Graue ſit.] Correctio quædam. ſi tantũ ſumimus nobis ut illi habeantur innocentes, quos ego defendo, rurſus, ut iſti habeãtur rei, quos ego accuſo. Nulla tamen patebat.] Id eſt, tunc affuerunt Catilinæ, priuſquam patebat coniuratio. Sin illa res prima.] Si propter primum iudicium non affuit, nec in poſteriore adeſſe debuit. Communis eſt laus.] Scilicet quòd omnes fuerunt aſperi contra coniuratos. Sed quid ego.] Redit ad ſuum teſtimonium. Si medius fidius.] Facit ueriſimile teſtimonium, quia odiſſet Syllam, ſi inſidias feciſſet uitæ ſuæ. Quid ergo.] Occupatio, qua occurrit inuidiæ, & allegat neceſſariã cauſam, cur auctoritas ſua ualere debeat. Dicere in iudicio.] Quia eſſet præiudicium quoddam. Sed pudori meo.] Id eſt, propter conſtantiam meam hoc dico. Quamobrem.] Peroratio, repetitionibus & affectibus conſtans. Obteſtatio. Præcipitanti.] Id eſt, ruenti. Neque enim nunc propulſi.] Id eſt, ipſe ſatis calamitoſus eſt, propter priorem condemnationem. Vnius iudicij.] Scilicet prioris de ambitu. Pateat.] Id eſt, oſtendat te eſſe expletum. Nos & reiectione.] Cum Torquatus reieciſſet quoſdam iudices. Deuenire.] Ne ex pacto conſtituti & ſubornati uideamini, ad perdendum Syllam.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO A. LICINIO ARCHIA POETA FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

## ARGVMENTVM.

VLVS Licinius Archias Antiochiæ natus, poeta Græcus, ingenij gloria præſtabilis, in Italiam uenit, quæ tum Græcarum diſciplinarum plena erat. Itaque hunc Tarentini, Rhegini, Locrenſes & Neapolitani ciuitate donauerunt. Poſtea Romam C. Mario & Q. Catulo Coſſ. uenit. Eum Luculli domum ſuam receperunt, quem alij quoque uiri clariſſimi coluerunt. Satis longo interuallo cum L. Lucullo prætore in Siciliam profectus eſt: inde cum eodem Lucullo decedẽs uenit Heracleam, quæ ciuitas cum populo Romano fœderata erat. Aſcribi ſe in eam ciuitatem uoluit: Id cum per ſe, tum Luculli gratia ab Heracienſibus impetrauit. Poſtea Romana ciuitate Syllani & Carbonis lege donatus eſt: quæ erat, ut ciues Romani eſſent, qui ex fœderatis ciuitatibus aſcripti fuiſſent, ſi tum cum lex ferebatur in Italia domicilium habuiſſent, & ſi LX. diebus apud Prætorem profeſſi eſſent. Hunc Archiam iam ſenem, quidam nomine Gracchus accuſauit, quòd cum ciuis non eſſet, ſe pro ciue gereret. Eum ciuem non eſſe probauit, quòd Heracliæ aſcriptus non eſſet. Id enim in publicis Heracienſium tabulis ſcriptum eſſe negabat, quòd domiciliũ in Italia non habuerit, quòd apud Prætorẽ profeſſus nõ ſit, quòd à Cenſoribus cenſus non fuerit. Hũc autem Cicero hac oratione defendit, quia eo præceptore primo puer uſus fuerat. Oſtendit igitur, eum in ciuitatem ab Heracienſibus aſcitum fuiſſe, & credendum potius Lucullo & Heracienſibus id confirmantibus, quàm tabulis, ſi extarent: quæ tamen bello Italico exuſtæ fuerant. Domicilium Romæ eum habuiſſe, & profeſſum eſſe apud Prætorem Q. Metellum probat. Quòd à Cenſoribus cenſus non fuerit, id purgat. Cur tantopere Archia delectetur, quæ cum ex alijs ſtudijs, tum maxime ex poeticis & uoluptas & utilitas capiatur, abunde docet. Poſtremo concludit per enumerationem. Genus cauſæ iudiciale: Status coniecturalis eſt.

SI QVID eſt in me.] Solet Cicero in principio defenſionum, honeſtam aliquam cauſam afferre, cur ad defendendum deſcenderit: ne deſcendiſſe uideatur aut aduerſarij odio, aut gloriæ cupiditate, aut ſpe quæſtus. Idq; in accuſatione faciendum eſt diligentius. Quod ſentio quàm ſit exiguum.] Eloquentiæ iactatio turpiſſima oratori eſt. Itaque eam ab ſe Cicero amolitur. Auctore Quintil. lib. 11. Eloquentiam quidem cum pleniſſimam aduerſæ partis aduocatis Cicero concederet, ſibi nunquam in agendo immodice arrogauit. Illius ſunt enim: Si quid eſt in me ingenij iudices, quod ſentio quàm ſit exiguum, &c. Nam quo minus ingenio poſſum, ſubſidio mihi diligentiam comparaui. Negat quoque Cicero in lib. Tuſcul quæſt. 1. ſe ferre moleſte, quòd ingenioſus non ſit, nam melancholicus non eſt. Omnes enim melancholicos eſſe ingenioſos, Ariſtoteles tradit. Id autem eſt in Problematum Ariſtotelis libris. Si qua exercitatio dicendi.] Quæ ad dicendi facultatem ualet plurimum. Vſus enim dicendi magiſter optimus eſt, ut ait Cicero de Oratore. Huiuſce rei.] Id eſt, dicendi. Optimarum artium.] Et præcipue philoſophia, quæ rationi dicendi confert plurimum. Nullum ætatis meæ tempus. Cicero adoleſcens philoſophiæ operam dedit. Poſteaquam ad rempublicam acceſſit, quod otij ſuperat, id eiuſdem philoſophiæ ſtudijs impertiebat: ad extremum republica Cæſaris dominatione occupata, dum cauſæ forenſes & Senatoriæ conticuerunt, ad eandem philoſophiam totum ſe retulit. Mens mea.] Animus enim eſt quo ſapimus, mens qua meminimus. Vltimam.] Id eſt, primam: ut in lib Rhetor. ad Herennium 1. Si non ab ultimo initio repetere uolemus. Inde uſque.] Id eſt, uſque ab eo tempore. Principem.] Id eſt, auctorem. Ingrediendam.] Id eſt, aggrediendam & inchoandam. Hæc uox.] Mea hortatu præceptiſq;.] Diſcipulos enim præceptores rebus illis duabus potiſſimum inſtituunt, hortatu & præceptis. Conforma-

ta.] Id eſt, formata. ut deformatos fructus appellat Quintilianus, eos qui delapſis floribus iam formati exiſtunt. Inde uſus tranſlatione lib. 9. eſt: Sed iam decimum ætatis ingreſſus annum, certos atque deformatos fructus oſtenderat. Inde probari poteſt illud præceptum Quintil. lib. 1. A' ſermone Græco, inquit, puerum incipere malo, quia Latinus, qui pluribus in uſu eſt, uel nobis nolentibus ſe perhibet: ſimul quia diſciplinis quoque Græcis prius inſtituendus eſt, unde & noſtræ fluxerunt. Idem præcipit à poetis auſpicādum, et protinus utendum eſſe præceptore optimo. Hæc omnia à ſe ante facta Cicero hoc loco oſtendit, qui A. Licinio Archiæ Græco poetæ doctiſſimo primam operam dedit. Quo cæteris opitulari.] Nam uis eloquentiæ patet latiſſime. Hac enim, ut ait Cicero libro de Oratore ſecundo, cohortamur, hac perſuademus, hac cōſolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac geſtiētes comprimimus, hac cupiditates iracundiasq; reſtinguimus: hæc nos iuris, legū, urbium ſocietate deuinxit, hæc à uita immani & fera ſegregauit. Alios.] Id eſt, reos. Alia quædam facultas.] Id eſt, poetica. Nam poeta erat Archias, Cicero orator. In hoc.] Archia. Neque hæc dicendi ratio.] In Archia fuit, ſcilicet. Nec nos.] Oratores. Ad humanitatē pertinent.] Humanitatē Aul. Gellius libro tertiodecimo eſſe dicit, quā Græci παιδείαν uocant: nos eruditionem inſtitutionēq; in bonas artes dicimus, quòd huius ſcientiæ cura & diſciplina ex uniuerſis animantibus uni homini data ſit. Continētur.] Id eſt, coniunguntur: ut lib. de Orat. 3. Eſt etiam illa Platonis uera, & tibi Catule certe nō inaudita uox, Omnem doctrinam harum ingenuarū & humanarum artium uno quodam ſocietatis uinculo contineri. Hic eſt ille orbis doctrinæ, quē Græci ἐγκυκλοπαιδείαν uocāt: ut eſt apud Quintil. lib. 1. In quæſtione legitima.] Id eſt, in cauſa cōſtituta. Quæſtionem hoc loco pro cauſa habente controuerſiā dicit. Aliàs quæſtionem, legem, aut iudicium pro eadem re Cicero dicit, pro Milone. Inde conſtituere quæſtionem, legem, aut iudicium dicimus, pro eo quod eſt decernere, & ut ita dicam, commiſſionem dare uocandi quenquam in iudicium. In iudicio publico.] Quæ publica, quæ priuata ſint iudicia, alio loco ſcripſimus: uti etiam ſcripſimus de eligendis iudicibus, de eorum ſortitione, de quæſitore, de prætore, qui cauſæ præeſſet. Lectiſſimum uirum.] Id eſt, clariſſimum & nobiliſſimū: ut pro M. Fonteio, Num etiā de matris hunc complexu lectiſſimæ miſerrimæq; fœminæ uobis inſpectantibus auellet atque abſtrahet? Seueriſſimos.] Apud quos nullus ſit lenitatis, clementiæ, & miſericordiæ locus.] Hoc uti genere dicendi.] Quod eſt, quietū, æquabile, temperatum, & penè philoſophicum: quod à forenſi quantū diſtet, ſignificat Cicero in proœmio libri de Officijs primo. Veniam.] Id eſt, facultatem & poteſtatem: ut libro de Oratore primo: Dabis hanc ueniā mi frater, ut opinor, ut eorū quibus ſumma dicendi laus à noſtris hominibus cōceſſa eſt, auctoritatem Græcis anteponā. Dare quoque poteſtatem, idem dicit in Diuinatione: Neque L. Philoni in C. Seruilium nominis deferendi poteſtas eſt data. Facere poteſtatem dici, alibi ſcripſimus. Exercente iudiciū.] Exercere iudiciū, pro eo quod eſt, præeſſe iudicio, dici, alio loco docuimus. Liberius.] Quàm in cauſis iudicialibus fieri ſolitū ſit. In eiuſmodi.] Id eſt, in tali. Perſona.] Id eſt, A. Licinio. Minime in iudicijs periculiſq; uerſata eſt.] Id eſt, in iudiciū uocata non eſt, cauſam nunquam dixit. Nam ut primū.] Narratio eſt, qua docet eū ab Heracleinſibus aſcriptū in ciuitatē, ideoq; ciuem Romanum factū eſſe. Ex pueris exceſſit.] Vt in Andria Terentius: Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis Soſia. His artibus.] Vt grāmatica. Ad humanitatem.] Id eſt, ad artes humanas. Informari.] Id eſt, conformari & inſtitui: ut in libro de Officijs primo. Nemini parere animus bene informatus à natura uelit, niſi præcipienti aut docenti, aut utilitatis cauſa iuſte & legitime imperanti. Primum Antiochiæ.] Antiochia Syriæ urbs eſt, diuitijs, magnitudine, hominū frequentia inter omnes orientis urbes populo Rom. ſubiectas facile princeps: ut ait Procopius lib. 1. de bello Perſico. Loco.] Id eſt, genere. Celebri.] Id eſt, frequenti, & ut uulgo dicitur populoſa. Copioſa.] Id eſt, diuite. Et Tarentini, &c.] Duarū ciuitatū ciuis iure ciuili Romanorum nemo poteſt eſſe, ut ait Cicero pro L. Cornelio Balbo: ſed aliarum ciuitatum iure ciuili unuſquiſque multarum ciuitatum ciuis eſſe poteſt. Itaque A. Licinius multis ciuitatibus donatus eſt. Tarentini & Rhegini & Locrenſes legi debere uidetur ex his quæ poſtea dicet. Mario conſule & Catulo.] Hi autem Coſſ. fuerunt bello Cimbrico. Alter ad ſcribendum. &c.] C. enim Marius capto Iugurtha, & deuictis Cimbris, Teutonis & Ambronibus, res maximas ad ſcribendum adhibuit. Tum etiam ſtudium & aures.] Nam Q. Catulus fuit maxime eloquens: de quo Cicero in libro de Oratore tertio: Quid, inquit, iucundius auribus noſtris unquam accidit huius oratione Catuli? quæ eſt pura ſic, ut latine loqui penè ſolus uideatur: ſic autem grauis, ut in ſingulari dignitate omnis tamen adſit humanitas, ac lepos. Quid multa? iſtum audiens equidem ſic iudicare ſoleo, quidquid aut addideris aut mutaueris aut detraxeris, uitioſius et deterius futurū. Statim Luculli.] Hi ſi fuerunt L. & M. Luculli, tum erant admodum adoleſcentes. Cū prætextatus etiam tum Archias eſſet.] Id eſt, cum togam uirilem nondum ſumpſiſſet. Ea autem Romæ ſumebatur anno ætatis XVI. uel XVII. Sed cum ex pueris multo ante Archias exceſſiſſet, pueritia aūt ad annum XVIII duraret, morem Romanum non ſeruauit: ſed admodum adoleſcentem Cicero ſignificat, ut eū tantum propter ingenium & doctrinam in Lucullorum domum receptum eſſe oſtēderet. Iucundus.] Id eſt, gratus, & ut uulgo dicunt delectabilis & placens. ut paulo poſt: Et ipſi illi C. Mario, qui durior ad hæc ſtudia uidebatur, iucundus fuit. A' iuuando iucundum appellatum eſſe, Cicero ſcribit in lib. de Finibus 2. Iuuare autem, delectare eſt. Q. Metello illi Numidico.] Q. Cæcilius Metellus cognominatus eſt Numidicus, quod Cōſul duobus prælijs Iugurtham fuderit, uniuerſamq; Numidiam uaſtauerit. Hunc autem Lucullorum fuiſſe auunculum, Plutarch. in eorū uita ſcribit. Et eius Pio filio.] Q. Metellus Numidici filius cognominatus eſt Pius, quod precibus & lachrymis tandem impetrauerit, ut ab exilio pater reuocaretur. A. M. Aemilio.] Scauro. A L. Craſſo.] Oratore, quem Cicero in lib. de Oratore diſputare facit. Druſum.] Vel Liuiū Druſum intelligit, qui tempore belli Cimbrici Sardiſcos in Thracia Coſ. uicit, uel Druſum eū qui aliquanto poſt Trib. pl. in ueſtibulo domus ſuæ interemptus eſt: de quo in Milonianam ſcripſimus. niſi Druſos, ut in aliquibus codicibus eſt, ut Octauium, non Octauios legere malis. Fuit autem Cn. Octauius is qui Coſ. C. Cinnam collegā leges pernicioſas molientem ex urbe expulit, à quo in bello ciuili uictore cum omnibus ſuæ partis nobilibus occiſus eſt: ut eſt apud T. Liuium lib. 80. Catonem.] Hunc M. Catonis eius qui ſe poſtea Vticæ occidit, patrem fuiſſe arbitror. Interim.] Id eſt, poſtea: qua in re dicitur cariſſime. Satis longo interuallo.] Id eſt, ſatis longo tempore poſt. In Siciliam profectus.] L. Lucullus quæſtor Aſiam, prætor Siciliā, Coſ. Aſiam obtinuit, cum eo in has prouincias Archias profectus eſt. Heracleam.] Hoc nomine urbes multæ fuerunt. Hæc autem in Italia, ſinu Tarentino fuit. ea autem fuit primum Troia, ſed procedēte tempore inductis colonis Tarentinis, Heraclea appellata eſt. auctor eſt Strabo lib. 6. Aequiſſimo iure.] Id eſt, libero fœdere æquiſſimo. Aſcribi, &c.] Id eſt, huius ciuitatis ciuis fieri uoluit. Aſcribere ciuitati, in ciuitatē, & in ciuitate dici, ex his quæ proxime ſequuntur attende. Data eſt ciuitas.] Id eſt, cum in Heracleinſem ciuitatem aſcriptus eſt,

ptus eſt, factus eſt ciuis Rom. lege Syllani & Carbonis. Syllani lege & Carbonis.] Significat Syllanum & Carbonem Coſſ. ex ſenatuſconſulto hanc legem tuliſſe. Hi autem qui fuerint, mihi planè cognitum non eſt. Fuerunt quidem Papyrius Carbo & M. Iunius Syllanus Coſſ. in initio belli Cimbrici, quorum uterque cum Cimbris infeliciter pugnauit: ut eſt apud Liuium lib. 63. & 64. ſed Romam nondum uenerat Archias. poſtea alius Carbo bis Coſ. fuit. primum cum Cinna, iterum cum C. Marij filio. Fœderatis.] Fœderatos dicimus, non confœderatos: uti ciues, non conciues. Eſſent profeſſi.] Id eſt, nomina ſua inſcribi iuſſiſſent. Multos iam annos.] In codicibus alijs ſcriptū eſt, Multos iā ante annos: quæ lectio magis placet. Dicta.] Id eſt, defenſa, ut reū cauſam dicere dici ſolet. M. Lucullus.] L. Lucullus potius legi debeat: ut facile cognitu eſt. Tabulas publicas.] Id eſt, ut ita dicam, regiſtrum publicum, ubi aſcriptorum ciuium nomina ſcripta ſunt. Italico bello. De eo uide L. Florum, de quo eodem alio in loco ſcripſimus. Tabulario.] Id eſt, loco eo ubi tabulæ publicæ aſſeruabantur. ut ſcribit Plutarch. in Problematis, templum Saturni Romæ appellatū eſſe tabularium, quòd in eo non ſolum ærarium, ſed etiam tabulæ publicæ aſſeruarentur. Ampliſſimi uiri.] L. Luculli. Religionem.] Id eſt, iuſiurandum & teſtimonium. Iuratus enim teſtis dicebat teſtimonium. Integerrimi municipij. Heracleæ. At domicilium.] Quid ſi legas, An domicilium. Eſt autem domicilium, domus poſſeſſio in ea ciuitate, unde ciuis ſis, in qua domo ſæpius cōmorere: ut colligere licet ex lib. Digeſt. 50. ad municipalem, & de incolis. Sedem omnium rerum, &c.] Id eſt, conſtituit uiuere & mori Romæ, cumq; ſibi locum delegit, ubi uitam reliquam exigeret. Nam cum Appij tabulæ.] Appius & Gabinius tum prætores erant, cum Archias profeſſus eſt. Negligentius aſſeruatæ.] Et ideo multi clàm irrepſiſſent, id eſt, nomina ſua furtim inſcripſiſſent. Incolumis.] Id eſt, in iudicium non uocatus. Poſt damnationem calamitas.] Hæc cauſa quæ fuerit, legere non memini. Fuit quidem à P. Sylla Gabinius accuſatus ambitus, ſed abſolutus: poſtea eundem accuſatum, quòd Ptolomæū in regnum reduxiſſet, Cicero defendit. quod autem tum damnatus fuerit, id ad hanc cauſam nihil pertinet. Calamitatem rei damnati ſæpe appellat Cicero. Reſignaſſet.] Id eſt, euulgaſſet & ſuſtuliſſet, ne ijs tabulis ulla fides haberetur. Metellus.] Is eſt, ut arbitror, Q. Metellus, apud quem Prætorem Archias profeſſus eſt. Cuius tabulæ quamuis diligenter aſſeruatæ fuiſſent, in ijs tamen unius nominis litura inuenta eſt, qua ſe commotum eſſe dixit. ſed in Archiæ nomine nulla litura erat. Etenim cum mediocribus.] Argumento à minore ad maius docet, Archiam à Rheginis, Locrenſibus, Neapolitanis, Tarentinis in ciuitatem aſcriptum eſſe. In Græcia.] Id eſt, in magna Græcia, quæ in Italia eſt. In qua ſunt hæ ciuitates. Scenicis.] Id eſt, uilibus & abiectis. Quid cum cæteri.] Heracliensem ciuem Archiam ex eo probat, quod alijs ciuitatibus in quas aſcriptus fuerat, uti noluerit. Poſt ciuitatem datā.] Italicis populis, ut arbitror, quibus à Senatu data eſt: ut ait T. Liuius lib. 80. Poſt legem Papiam.] Lex Papia urbis uſu peregrinos prohibebat. de qua Cicero in lib. de Offic. 3. Male, inquit, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eoſq; exterminant: ut Petronius apud patres noſtros fecit, Papius nuper. Nam urbis uſu prohibere peregrinos, ſanè inhumanum eſt. In eorum municipiorum.] Rheginorum, &c. In tabulas irrepſerūt.] Id eſt, in eorū tabulis nomina ſua furtim inſcripſerūt, aut inſcribenda curauerūt. Cenſus noſtros requiris.[ Id eſt, à Cenſoribus Archiam cenſum eſſe negas. Solebant enim Cenſores quinto quoque anno ciues Rom. cenſere. Soli autem ciues cenſebantur. Itaque cenſu ſeruos fieri liberos, Cicero dicit in topicis. Si igitur cenſus non fuit Archias, inquit Gracchus, non eſt ciuis. Scilicet.] Ironia eſt. Eſt enim obſcurum.] In ironia perſiſtit, tanquam dicat, nemini ignotum eſt. Proximis.] Id eſt, nouiſſimis, qui proxime populum Rom. cenſuerunt. Apud exercitū.] In Aſia, in bello Mithridatico. Superioribus.] Id eſt, ijs qui ante proximos fuerunt. Hoc ex loco probari poteſt, Cenſuram ætate Ciceronis quinquennalem fuiſſe, quod alio loco diximus. Nam ſi quinto quoque anno cenſebatur populus Romanus & proximi Cenſores & ſuperiores & primi cenſuerunt, cenſura quinquennalis erat. uel ſæpius, quàm quinto quoque anno populus Romanus cenſebatur. In Aſia.] In bello Mithridatico. In eo enim bello cum Sylla Lucullum fuiſſe, Appianus ſcribit in Mithridatico. Primis.] Cenſoribus, qui fuerunt primi Cenſores poſt datam Archiæ ciuitatem. Nullam partem populi.] Id eſt, nullum populi Rom. cenſum factum eſſe. Geſſiſſe pro ciue.] Gerere ſe pro ciue dicitur is, qui iure ciuitatis utitur, ſiue ciuis ſit, ſiue non ſit. Quæ tu criminaris.] Sincera magis lectio uidetur, ſi Quibus, non Quæ, ſcribatur. Ipſius.] Archiæ. Teſtamentum fecit.] Illis tribus probat, Archiam in iure ciuium Rom. uerſatum eſſe, teſtamenti factione, legibus Rom. hæreditatum ciuiū Roman. aditione, & in beneficijs ad ærarium delatione, quæ ſolis ciuibus Rom. licebant. Noſtris legib.] Apud Romanos ueteres duo teſtamentorum genera erant, quorum altero in pace & otio utebantur, quod calatis comitijs appellabant: altero cum in prælium exituri eſſent, quod procinctū dicebatur, ut in lib. Inſtit. Iuſtiniani 2. tit. de Teſtamentis ordinandis. Lib. Digeſtor. 28. tit. eſt de Teſtamentis, & qui teſtamenta facere poſſunt, & quemadmodum teſtamenta fiant. Adijt hereditates. Tum enim teſtamentorum libertas erat, id eſt, licebat quemuis ſiue propinquū ſiue alienum, modo ciuis eſſet, hæredem facere. In beneficijs.] In beneficijs ad ærarium. delati dicuntur ij, qui ciues Rom. ex ærario publico beneficium aliquod accipiant, propterea quòd in bello rē fortiter geſſerunt, ut ex Imperatoris teſtimonio cognitum eſt. Quoties à nobis.] Hoc loco ingreditur, ut poeticam artem commendet. Conuicio.] Id eſt, maledicto petulantiore. Eſt enim maledictum, id quod ab accuſatore obijcitur reo, præter crimen, quod cauſæ proprium eſt, quod nihil habet propoſiti præter contumeliam. id ſi petulantius iactatur, conuicium: ſi facetius, urbanitas nominatur, ut ait Cicero pro Cælio. Cicero autem defendere ſolebat, nō accuſare, in quem etiam huiuſmodi conuicia conijciebantur. Ego uero fateor.] Quia conſularis uiri grauitate indignum uideatur nonnullis eſſe, poetica ſtudia repetere, eaq; ſtudia uidentur eſſe leuiora, ipſo quoque Ciceronis teſtimonio, cuius uerba ſunt ex libro de claris oratoribus: In leuiorum, inquit, artiū ſtudio memoriæ proditum eſt, poetas nobiles poetarum æqualiū morte doluiſſe. Id tamen ſibi turpe nō eſſe oſtendit Cicero, quod ex his fructum percipiat, quod ijs tempora negotij debita non accommodet. Literis abdiderunt.] Id eſt, literis in ſeceſſu ſe dediderunt. ut apud Horat. in Epiſtolis: Veianius armis Herculis ad poſtem fixis latet abditus agro. Seceſſus enim ſtudia amant. Itaque Demoſthenes, ut ait Quintil. lib. 10 in locum, ex quo exaudiri nulla uox, nihil proſpici poſſet, ſe cōdebat. Quid ſi legas, Ita ſe à literis abdiderunt; id eſt, remouerunt. Quæ lectio mihi cohærere magis uidetur cum eo, quod de ſe poſtea Cicero dicit. Vt à nullius me.] In codicibus alijs ſcriptum inuenio: ut ab illis nullo, &c. quæ lectio magis placet. Ad ſuas res obeundas.] Id eſt, ad ſua commoda. Negat enim Cicero ſe aut commodo ſuo, aut otio, aut uoluptate, aut ſomno à ſtudijs poeticis retractū aut retardatū. Itaque ſe non reprehendendum, ſi quod tempus alij aut commodis ſuis, aut otio, aut uoluptatibus, aut ſomno concedunt, id ipſe ſtudijs poeticis impertiatur. Ad ipſam requiem animi & corporis.] Id eſt, ad ſomnum. Requiem.] Dicimus etiam requietem ut in lib.

Tuſcul.quæſt.5.Somnum denique nobis niſi requietem corporis,& medicinam quandam laboris afferret,contra naturam putaremus datnm.Aufert enim ſenſus, actionemq́; tollit omnem. Tempeſtiuis. ] Tempeſtiua conuiuia quæ ſint, in Catonem Maiorem Ciceronis ſcripſimns. Hoc tamen loco ſunt qui legant Intempeſtiuis,quæ lectio mihi uidetur melior. Intẽpeſtiua enim conuiuia ſunt immoderata,quæ ad uoluptatem,non ad ualetudinem fiant,in quibus nimium temporis propter epularum luxuriam conſumitur. Recolenda.] Id eſt,repetenda & reſumenda & retractanda. Hæc quoque creſcit. ] In alijs codicibus Cenſetur,non Creſcit ſcriptum eſt. quo etiam modo legit Budæus in Annotat.in Pandectas,exponitq́; Cenſetur, id eſt, pretium & æſtimationem meretur,& in primis laudatur. Verũ uis ſequere lectionem. Facultas dicendi.] Quintil. lib. 1. ſcribens,quantum lectio poetarum proſit oratori futuro: Denique,inquit,credamus ſummis oratoribus,qui ueterum poemata uel ad fidem cauſarum, uel ad ornamentum eloquentiæ aſſumunt.Nam præcipue quidem apud Ciceronem,frequenter tamẽ apud Aſinium etiam,& cæteros qui ſunt proximi,uidimus Ennij,Actij,Pacuuij,Lucilij,Terentij,Cæcilij, & aliorum inſeri uerſus,ſumma non eruditionis modo gratia, ſed etiam iucunditatis,cum poeticis uoluptatibus aures à forenſi aſperitate reſpirẽt. quibus accedit non mediocris utilitas,cum ſententijs eorum uelut quibuſdam teſtimonijs quæ propoſuere confirment. Quæ ſi cui leuior uidetur. ] Ex poetarum aliorum'que auctorum lectione docet,homines excitari ad ea quæ ſint maxime expetenda, id eſt, ad laudem & honeſtatem. Itaque ſi cui dicendi facultas uideatur leuior, quæ ſtudijs poeticis creſcit:Ideoq́; ſtudia poetica parui ducat, neceſſe eſt ei laus & honeſtas,id eſt, gloria uideatur non grauior, ad quam ſtudijs literarum excitantur homines. Quæ. ] Dicendi facultas, non mea quidem, ſed ipſa in genere. Illa quæ ſumma ſunt. ] Id eſt laudem & honeſtatem. Multisq́; literis. ] Qn̄ uis de poeticis literis præcipue dicat, communem tamen locum de literarum utilitate tractat. Expetendum. ] Expetimus enim cum ratione, ſine qua appetimus. Itaque honeſta expetimus potius quàm appetimus. Perſequenda. ] Id eſt,inquirenda & inuenienda. Inter tot ac tantas dimicationes.] Cum Catilina & coniuratis. Profligatorum hominum. ] Id eſt, perditorum: ut Clodij, Piſonis, Gabinij. Sed pleni omnes ſunt libri. ] Id eſt, nihil aliud ferè in libris eſt, nihil aliud ſapientes loquuntur, innumerabilia ſunt ueterum exempla, gloriam præ cæteris rebus expetendam eſſe, in qua perſequenda omnes corporis cruciatús, id eſt, omnes labores doloresq́;, omnia pericula mortis atque exilij contemnenda ſunt. In tenebris. ] Id eſt, in hominum obliuione. Niſi literarum lumen accederet. ] Id eſt, niſi illuſtrata literis eſſent. Accenderet potius legendum puto,quàm accederet,quo modo in omnibus codicibus inuenio ſcriptum. Nam accendere lumen dicimus. Ennius, ut eſt apud Ciceronem lib. primo de Offic. 1. Homo qui erranti comiter monſtrat uiam, quaſi de ſuo lumine lumen accendat, facit ut nihilominus ſibi luceat,cum accenderit. Lumen accendere,pro illuſtrare, & quod uulgo dicunt, illuminari dici non arbitror. Imagines.] Id eſt, exempla. Non ſolum ad intuendum.] A' uulgi conſuetudine hac etiam in re abhorrere debemus. Exiſtimat enim uulgus expreſſas imagines ad intuendum poſitas eſſe. Nos autem eas quæ etiam à ſcriptoribus relictæ ſunt, non ſolum intueri ſed etiam imitari debemus. Isq́; ſtudiorum fructus eſſe debeat,ut quæ honeſte facta legimus,ea imitari ſtudeamus. Expreſſas.] Id eſt, ueras, & ut ita dicam, ad uiuum ſcribendas, tanquam pictas. ut paulo poſt: Mithridaticum uero bellum magnum atque difficile, & in multa uarietate terra mariq́; uerſatum,totum ab hoc expreſſum eſt. Et pro M. Cælio de Catilina: Habuit ille ſicuti meminiſſe uos arbitror, per multa maximarum non expreſſa ſigna,ſed adumbrata uirtutum. Ipſa cogitatione hominum excellentium.] Id eſt,cogitando de hominibus excellentibus. Virtutes.] Id eſt,res geſtæ & fortia facta. Virtus.n. proprie fortitudo eſt. Idem. ] Id eſt, ego idem. Exiſtere.] Id eſt,apparere,emergere,altius extolli. Africanum. ] Minorem Africanum & Lælium audiuiſſe Panætium Stoicum,Cicero dicit pro L.Murena.Hi non in philoſophia ſolum, ſed etiã in ratione dicendi ualuerunt.De Africani eloquentia, Cicero in primo de Officijs: Quidam,inquit,ad eas laudes, quas à patribus acceperunt,etiam ſuam addunt, ut hic idem Africanus eloquentia cumulauit bellicam gloriam. Quod idem fecit Timotheus Cononis filius,qui cum belli laude non inferior fuiſſet quã pater,ad eam laudem doctrinæ & ingenij gloriam adiecit. Idẽ in libro de Claris Oratoribus,dicendi laudem in Lælio quàm in Scipione dicit fuiſſe illuſtriorem. Hic C. Lælius Sapiens cognominatus eſt. L.Furium. ] L. Furius Philus perbene latine loqui putabatur, literatiusq́; quàm cæteri: ut idem Cicero ait de Claris oratoribus. Eum in libris de Republica diſputantem fecit Cicero,ut iuſtitiam accurata oratione uituperaret, ut eam Scipio laudaret.Quod idem antea feciſſe Glauconem,Plato in libro de Repub.ſecundo induxit,ut ad eam laudandam Socratem excitaret. Illis temporibus doctiſſimum. ] Cicero de Claris oratoribus,de Catone ſcribens: Quis,inquit, illo grauior in laudando, acerbior in uituperando, in ſententijs argutior, in docendo diſſerendoq́; ſubtilior? Refertæ ſunt orationes amplius centum quinquaginta,quas quidem adhuc inuenerim & legerim,& uerbis & rebus illuſtribus. Licet ex his eligant ea quæ notatione & laude digna ſint, omnes oratoriæ uirtutes in ijs reperientur. Iam uero Origines eius, quem florem, aut quod lumen eloquentiæ non habent? Idem paulo poſt de eodem: Antiquior eſt huius ſermo, & quædã horridiora uerba. ita enim tum loquebantur. Animaduerſionem. ] Id eſt,animi attentionem, & poetarum lectionem. Hæc ſtudia.] Hæc ſtudia poetica ſunt ætatum omnium. nam adoleſcentiam agunt,ſenectutem oblectant. Sunt temporum omnium: nam ſecundas res ornant,aduerſis profugium ac ſolatiũ præbent. Sunt locorum omnium: nam delectant domi, &c. Quintilianus libro primo, Grammaticam diuidit in duas partes: in recte loquendi ſcientiam, & poetarum enarrationem, quæ plus habet in receſſu quàm fronte promittat: Quo minus, inquit, ſunt ferendi, qui hanc artem ut tenuem ac ieiunam cauillantur: quæ niſi Oratoris futuri fundamenta fideliter iecerit,quidquid ſuperſtruxeris corruet: neceſſaria pueris,iucunda ſenibus,dulcis ſecretorum comes & quæ uel ſola omni ſtudiorum genere plus habet operis,quàm oſtentationis. Agunt.] Id eſt,ducunt & conformant. Quod ſi ipſi hæc. ] Argumento à minori ad maius probat, Archiam non negligendum. Hæc. ] Studia literarum. Senſu noſtro guſtare. ] Id eſt,percipere. Frequens enim tranſlatio à guſtatu ad animum. ut ſapere,cum proprie guſtatus ſit,ad animum transfertur. Cõmoueretur.] Id eſt,doleret. ut in libro de Amicitia, moueri dicit: Ego ſi Scipionis deſiderio me moueri negem, quàm id recte faciam, uiderint ſapientes: ſed certe mentiar. Moueor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo unquam erit, & ut confirmare poſſum, nemo certe fuit. Venuſtatem.] Artis ſcilicet, ne ad corporis ſpeciem referas. Hunc enim Roſcium oculis fuiſſe peruerſiſſimis, Cicero libro de Natura deorum primo ſcribit. Cuius uerba ſunt illa de artis uenuſtate ex libro de Oratore primo: Vt ad hanc ſimilitudinem huius hiſtrionis oratoriam laudem dirigamus, uidetis'ne quàm nihil ab eo niſi perfecte, nihil niſi cum ſumma uenuſtate fiat,uiſi ita ut deceat, & uti omnes moueat, atque delectet? Itaque hoc

que hoc

que hortandi eſt conſecutus, ut in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. C. Cæſar orator, ut idem libro ſecundo ait, ſe dicebat ſolere ſæpe mirari eorum impudentiam, qui agerent in ſcena geſtum ſpectante Roſcio. Quis enim, inquit, ſeſe commouere poteſt, cuius ille uitia non uideat? Amorem conciliarat.] Etiam conciliare odia dicimus. Quintilianus libro quinto: Sunt que utiles ad conciliandum ijs, quos inuiſos facere uolueris, odium. Vt amorem conciliarat à nobis Cicero, ita T. Liuius libro trigeſimo nono, inuidiam apud fratrem conciliare dicit: Omnis mentio Romanorum quoniam dignitatem ei apud cæteros Macedonas, et antam inuidiam, non apud fratrem modo, ſed etiam apud patrem conciliabat. Tam diligenter attenditis.] Cum attente auditores audiunt, idq; dicimus, eos quodammodo attentiores reddimus. Cum literam ſcripſiſſet nullam.] Id eſt, cum nihil omnino ſcripſiſſet ex ijs, quæ ex tempore dicebat. Archiam enim commendat, quod ex tempore uerſus faciat. Hanc dicendi ex tempore facultatem, ut ait Quintilianus libro decimo, non in proſa modo multi ſunt conſecuti, ſed etiam in carmine: ut Antipater Sydonius, & Licinius Archias. Credendum enim Ciceroni eſt, non quia noſtris quoque temporibus non & fecerint quidam hoc, & faciant: Hæc ille. Ouidij de ſe illud eſt libro Triſtium quarto: Sponte ſua carmen numeros ueniebat ad aptos, Et quod tentabam ſcribere, uerſus erat. Literam nullam.] Id ſæpe Cicero dicit, cum nihil omnino ſcriptum ſignificat. ut Actione in Verrem tertia: Vt Romam redije, nullam literam pupillo, nullam matri eius, nullam tutoribus reddidit. Et pro A. Cluentio: In quibus tabellis, de furto litera nulla inuenitur. Magnum numerum.] Commendatio Archiæ eſt à uerſuum multitudine & bonitate. Quæ tum agerentur.] Hoc dicit, ne antea facti & premeditati uerſus uiderentur. Reuocatum.] Id eſt, poſtulatum ut iterum diceret. Ea in re reuocare ſæpe dicitur. Sic Plinius Iunior Marco Minici quendam ex amicis, cum lector quartum pronunciaſſet perperam, reuocaſſe, & repetere egiſſe. Huic auunculum meum dixi, ſe, intellexeras? Nempe, cum ille annuiſſet: Cur ergo reuocabas? T. Liuius libro ſeptimo: Liuius poſt aliquot annos, qui à Satyris auſus eſt primus argumento fabulam facere, idem ſcilicet, id quod tum omnes erant, ſuorum carminum actor dicitur. Cum ſæpius reuocatus uocem obtudiſſet, uenia petita puerum ad canendum ante tibicinem ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis uigente motu, quia nihil uocis uſus impediebat. Cicero li. Tuſculanarum quæſt. 4. Itaque non ſine cauſa cum Oreſtem fabulam doceret Euripides, primos tres uerſus reuocaſſe dicitur Socrates. Commutatis uerbis.] Id eſt, non iiſdem uerbis, ut nihil ante ſcripſiſſe eum oſtendat. Cæterarum rerũ ſtudia.] Illud uulgo dici ſolet, poetam naſci, oratorem fieri. Idem ſignificat Cicero in libro de Finibus quarto: Si ingenijs magnis, inquit, præditi quidam dicendi copiam ſine ratione cõſequuntur, ars tamen eſt dux certior quàm natura. Aliud eſt enim poetarum more uerba fundere, aliud ea quæ dicas ratione & arte diſtinguere. Idem in libro Tuſculanarum quæſtionum primo, poetam graue plerunque carmẽ ſine cœleſti aliquo mentis inſtinctu fundere non putas, Plato in Ione, qui liber de furore poetico eſt: Omnes, inquit, poetæ inſignes, non arte, ſed diuino afflatu omnia iſta præclara poemata canunt. aliaq; multa in hanc ſcribit ſententiam. Idem in libro de Republica ſecundo, poetas deorum filios eſſe dicit. Sit ſanctum apud uos.] Id eſt, ſententijs ueſtris ne uioletis. Sanctum enim Martianus Iuriſconſultus libro Digeſtorum primo, de rerum diuiſione, id eſſe dicit, quod ab iniuria hominum defenſum atque munitum eſt. Inde ſanctas leges & ſanctos uiros dicimus. Nulla barbaria.] Id eſt, nulli barbari. Eſt autem intellectio. Solitudines.] Non quidem omnes ſed in quibus ſyluæ ſunt, aut ut ita dicã, cõcauitates aut aſperi montes. Cum enim uox in aliquod ſolidum uehementius impulſa eſt, non diſſipatur, ſed eodem repercutitur, noſtriſq; auribus redditur: ut ait Ariſtoteles libro Problematum undecimo. Ea uox Echo dicitur. Stoici dicunt uocem, cum in leues locos incidit, in modum pilæ in parietem adactæ repercuti, ut ait Plutarchus in libro de Placitis Philoſophorum quarto. Voce.] Scilicet per Echo. Beſtiæ ſæpe immanes.] Non ſolum, ſed etiam aues. Inde illud eſt: Fiſtula dulce canit, uolucrem dum decipit auceps. Homerum Colophonij.] De Homeri patria quæ fuerit, incertum fuiſſe, eſt apud A. Gell. cap. 11. lib. 3. ubi tamen in Græcis uerſibus Ἀθῆναι legitur, χῖον legi debeat, hic Ciceronis locus documento eſt. Plutarchus quoque in uita Sertorij, Homerũ in urbe Chio natum, & Smyrnæ mortuũ ſcribit. Auctor eſt Priſcianus libro ſecundo, uti Chius producitur primam ſyllabam breuem habeat. Euſebius lib. de Euangelica præparatione 5. ſcribit, Apollinem Delphicum ab Homero de morte ſua interrogatum reſpondiſſe. ut patriam quæreret Hũc enim mater, ei non pater dedit. Delubrum eius.] Homerũ enim fore deum Apollo putauit: ut eodem in loco ſcribit Euſebius. Permulti alij.] Vt Rhodij, Salaminij, Argiui, Athenienſes, & ut ait Plutarchus in eius uita, Cumæi. Alienum.] Omnes enim hæ urbes Homeri patria eſſe non potuerunt. Legibus.] Syllani & Carbonis. Qui durior ad hæc ſtudia uidebatur. Apud Salluſtium in bello Iugurthino, de ſe C. Marius: Non ſunt inquit, compoſita uerba mea, paruiid facio, ipſa ſe uirtus ſatis oſtendit. Illis artificio opus eſt, ut turpia facta oratione tegant. Neque literas Græcas didici: parũ placebat eas diſcere, quæ ad uirtutem doctoribus nihil profuerant. Ad hæc ſtudia.] Nam græce tantũ Archias ſcripſit. Quod acroama.] Id eſt, quod dictum, quam uocem. Cornelius Nepos in uita T. Pomponij Attici: Nemo in conuiuio eius aliud acroama audiuit, quàm anagnoſten, quod nos quidem iucundiſſimum arbitramur neque unquam ſine aliquo lectione apud eum cœnatum eſt, ut non minus animo quàm uentre conuiuæ delectarentur. Cicero in actione in Verrem ſexta: Hic quaſi feſtiuum acroama, ne ſine corolario de conuiuio diſcederet, ibidem conuiuis inſpectantibus emblemata auellenda curauit. Eximie dilexit.] Hoc loco oſtendit, diligere eſſe etiam uehementer amare: ne illud credas obſeruãdum perpetuo, quod Grammatici præcipiunt, Diligimus leuiter, amamus uehementer, colimus cum ueneratione. Alibi quoque huius uerbi uim Cicero expreſſit, ut pro P. Seſtio: Meipſum pro ſummo familiaritate, quæ cum fratre mihi, uel cum patre eius erat, unice diligebat. In primo de Officijs: Et plurimum tribuamus, à quo plurimum diligimur. Et libro ſecundo: Vxorem Thebeu admodum diligeret. Pro L. Flacco: Venio nunc ad eam ciuitatem, in quam ego multa & magna officia contuli, & quam meus frater in primis colit atque diligit. Libro Epiſtolarum familiarium decimo tertio: Me à te in primis cœptum eſſe obſeruari, coli, diligi. Itemq;: Meq; præ cæteris & colit, & obſeruat, & diligit. Verum his omnibus adiecta aduerbia, & cætera ſignificationẽ augent. Bellum magnum & difficile.] Id quoque tractat Cicero pro lege Manilia, & pro L. Murena. In multa uarietate.] Quamuis ſæpius uinceret Lucullus Mithridatem, nonnunquã tamen uincebatur: ut ad Cabiras equeſtri prælio, eiuſque legatus Triarius à Mithridate uictus eſt. Expreſſum.] Id eſt, carmine deſcriptum, & uelut ſub oculos ſubiectum. Pontum.] Mithridatis regnum. Non maxima manu.] Mithridates à Lucullo uictus, ad ſocerum Tigranem Armeniorum regem confugit. Eum Lucullus inſecutus eſt. Tigranes ingentibus copijs comparatis, Luculli paruum exercitum contemnebat. Paucitatem illudens dicebat: Eos ſi legati uenirẽt, ſatis multos quidem: ſi uero pugnaturi, paucos admodum eſſe auctor Plutarchus in Luculli uita. Noſter Ennius.] Id eſt, poeta La

tinus. In ſepulchro Scipionum.] Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres ſtatuæ ſunt, duæ P. & L. Scipionum dicuntur eſſe, tertia poetæ. Q. Ennij: auctor eſt T. Liuius lib. 38. Eam ob rem in Scipionum ſepulchro putatur Ennius eſſe conſtitutus. Marmoratis.] Id eſt, æternis, quarum ſcilicet memoria nunquam interitura ſit. In cœlū.] Q. Ennius in Annalibus de Scipionis Africani, de Catonis, de Fabij Maximi, de M. Marcelli, de M. Fuluij Nobilioris rebus geſtis ſcripſit. Huius proauus.] Catonem ex iudicibus in hac cauſa eſſe ſignificat. Tollitur.] Ab Ennio. Rudium hominem.] Id eſt, Ennium. Rudiæ enim uetuſtum oppidum in Calabria fuit, ubi natus fuit Ennius. Silius lib. 12. de Ennio ſcribens: Rudiæ genuere uetuſtæ, Nunc Rudiæ ſolo memorabile nomen alumno. Idem paulo poſt: Sacer hic, ac magna ſororū Aonidum cura eſt, & dignus Apolline uates: Hic canet illuſtri primus bella Itala uerſu, Attolletq; duces cœlo. Ergo illū qui hæc fecerat.] Argumentū à contrario eſt.] Nam ſi quis.] Nam ibi inceptiua particula eſt, pro Præterea poſita. In omnibus gentibus.] In Gallia quoque, Græca tū legi ſolita, auctores ſunt Diodorus Siculus, & C. Cæſar in Commentarijs. Tum enim Latina lingua Germanis, Britannis, Gallis, ignota erat. Itaque Romæ, in Græcia, & in Aſia legati latine orabant, ijsq; reſpōſa latine dabantur, quo ſcilicet Latinæ uocis honos uenerabilior per omnes gentes diffunderetur: ut ait Valerius Max. lib. 2. de Inſtitutis antiquis. Tum his.] Romanis præcipue. Atque is.] Videlicet Alexander Magnus. In Sigæo.] Sigæum Troiæ promontorium eſt: ſic dictum, quia Hercules hoſpitio prohibitus ſimulauit diſceſſum, et hinc contra Troiam uenit cum ſilentio, quod σιγῆ dicitur: auctor eſt Seruius lib. Commentariorum in Aeneid. 2. O fortunate.] Alexander Ilium profectus, ſacrificio perfecto Mineruæ ſemideisq; parentauit. Deinde ad Achillis ſtatuam una cum ſocijs unguento delibutus, nudusq; de more circumcurrens, eam coronis ornauit, felicem illum appellans, quod uiuo quidem tā fidum amicum, mortuo autem tam magnum contigit habuiſſe preconem. auctor eſt Plutarchus in uita Alexandri. Qui tuæ uirtutis Homerū preconē.] Cherilus poeta ex Alexādri ſectatoribus fuit, eiusq; res geſtas deſcripſit. Cui Alexander dixiſſe fertur: Male ſe Therſitem Homeri eſſe, quàm huius Achillem. auctor eſt Acron in Commentarijs in artem poeticā Horatij. Noſter hic Magnus.] Id eſt, Cn. Pompeius Magnus. Theophanem.] Theophanes hiſtoricus Cn. Pompeio familiaris admodum fuit, cuius res geſtas perſcripſit, ſeq; Græcorum omniū clariſſimum exhibuit: auctor eſt Strabo lib. 13. Sed ruſtici.] Vegetius lib. 1. negat unquam potuiſſe dubitari, aptiorē armis ruſticam plebem, quàm urbanam. Ea enim ſub dio & in labore nutritur, ſolis patiens, umbræ negligēs, balnearum neſcia deliciarum ignara, ſimplicis animi, paruo contenta cibo, duratis ad omnem tolerantiam mēbris, cui geſtare ferrum, foſſam fodere, onus ferre, conſuetudo de rure eſt. auctore Catone in libro de Re ruſtica, ex agricolis & uiri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur. Participes eiuſdem laudis.] Cn. Pompeij, quæ à Theophane perſcripta eſſet. Nam militum auxilio res illas geſſit Pompeius. Magno illud clamore approbauerunt.] Acclamatione, admurmuratione, ſtrepitu populi uel militum, res publice approbari, pro M. Marcello ſcripſimus. Ad illum morem Romanum alluſit Virgilius lib. Aeneid. 1. Cuncti ſimul ore fremebant Dardanidæ, id eſt, Ilionei dicta approbabāt. Itaque credo.] Credo in ironia & interrogatione dici, admonuimus. Ab aliquo imperatore.] Imperatori, id eſt, ei qui præeſſet exercitui, licebat donare ciuitate milites eos qui in bello fortes fuerant: ut eſt in oratione pro L. Cornelio Balbo. Hiſpanos & Gallos.] Quorū commilitio uſus fuerat. Eſtq; argumentum à minore ad maius. De populo.] Id eſt, uulgaris, plebeius. In eum.] Id eſt, in eius laudem. Feciſſet.] Proprie dixit: ut, Pollio & ipſe facit noua carmina. Poetæ enim facere proprie dicuntur. Alternis uerſibus longiuſculis.] Quales ſunt uerſus elegiaci, quales etiā multi ſunt in odis Horatianis. Ex his rebus quas tu uēdebas.] Id eſt, ex bonis ciuium Romanorum. L. enim Sylla, ut ait Cicero in lib. de Offic. 2. auſus eſt dicere, haſta poſita cū bona in foro uenderet & bonorum uirorum, et locupletum, et certe ciuium, prædam ſe ſuam uendere. Sub ea conditione.] Ea conditione, & ea lege etiam dicitur. Sedulitatē.] Id eſt, diligentiam in faciendis alternis uerſibus longiuſculis. Eſt argumentum à minore ad maius. Qui præſertim.] Q. Metellus ſcilicet. Pingue.] Id eſt, indoctum: quòd pingui, ut aiunt, Minerua factum fuerat. Pingue quiddam ſonantibus atque peregrinum. Iis enim non erat naturalis illa Romanæ linguæ puritas. Quemadmodum in T. Liuio miræ facundiæ uiro putat ineſſe Pollio Aſinius quandam Patauinitatem, ut ait Quintilianus lib. 8. Erat enim Liuius Patauinus. Quintiliani declamationes Hiſpanitatem quandam ſapere, Philelphus ſcripſit. Dederet.] Id eſt, accommodaret. Diſſimulandū.] Id eſt, tacendum. Trahimur.] Natura ſcilicet: ut in lib. de Offic. 1. Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis ſcientiæq; cupiditatem. Naturæ nos trahi & rapi, alio loco ſcripſimus. Illi ipſi philoſophi.] Idem Cicero dicit in lib. Tuſc. quæſt. 1. Quid, inquit, noſtri philoſophi? nonne ijs ipſis libris, quos ſcribunt de contemnenda gloria, ſua nomina inſcribunt? Nobilitatem.] Id eſt, ſui cognitionem & nominationem. Decimus quidem Brutus.] Quamuis Decimus prænomen ſit, eaq; prænomina ſæpe fiant à nominibus ſimplicem numerum ſignificantibus: tamen aliorum codicum lectio mihi uidetur emēdatior, in quibus ſcriptum eſt, Decius quidē Brutus. Decius enim Iunius Brutus conſul fuit tempore belli Numantini: isq; Luſitaniam urbibus expugnandis uſque ad Oceanum perdomuit, ut eſt apud T. Liuium lib. 18. Pacuuium fuiſſe non multo poſt ſecundum bellum Punicum, eoq; ſene Accium iuuenem fuiſſe, A. Gell. cap. 21. lib. 17. ſcribit. Auctore Cicerone de Claris oratoribus, Pacuuius Accio quinquaginta annis grandior fuit. Accij igitur familiaris Brutus, aut fuit is quem nominaui, aut nō multo poſtea fuit: ſed certe Decius, non Decimus appellatus eſt. de quo idem Cic. eodem in libro: Veſter, inquit, Decius Brutus Marci filius, ut ex familiari eius L. Accio poeta ſum audire ſolitus, & dicere nō inculte ſolebat, & erat cum literis latinis, tū etiā græcis, ut temporibus illis, ſatis eruditus. Quæ tribuerat idē Accius etiam Q. Maximo, L. Pauli nepoti. Ille qui cum Aetolis.] M. Fuluio Nobiliori uerſum fuiſſe uitio, quod in prouinciam duxiſſet Ennium: ſcribit Cicero in 1. lib. Tuſcul. quæſt. Is enim de Latinis poetis ſcribens, Honorem inquit, huic generi non fuiſſe declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrū M. Nobiliori, quòd in prouinciā poetas duxiſſet. duxerat autem cōſul ille in Aetoliam, ut ſcimus, Ennium. Bellante.] Id uerbum uſitatius eſt: Virgilius tamen in lib. 12. ut ait Priſcianus lib. 8. dixit, Pictis bellantur Amazones armis: pro bellant. Id Silius Italicus lib. 2. imitatus eſt, Et nudis bellantur equis. Fuluius.] M. Fuluius Nobilior cum Cn. Manlio Volſone Coſ. fuit, paulo poſt ſecundum bellum Punicum: ut eſt apud T. Liuium libro trigeſimo nono, de Aetolis triumphaſſe dicit. Martis manubias.] Vel Marti conſecratas: uel Martis, id eſt, belli: ut ſit hypallage. Manubiæ quæ ſint, alio loco ſcripſimus. Salute.] Id eſt, abſolutione. De meo amore confitebor.] Id genus dicendi uſitatum doctis eſt, non, quod uulgare eſt, Amorem meum confitebor: de quo alibi plura. In conſulatu noſtro.] Cum Catilinæ coniurationem inueſtigauimus et oppreſſimus. Vobiſcum ſimul.] Hoc dicit, ut iudices huius gloriæ faciat participes, quo eos Licinio magis beniuolos reddat. Attigit.] Vt ante dixit, Cimbricas res adoleſcens attigit.

rigit. Quibus auditis.] Id eſt,quos uerſus mihi cum recitaſſet. Nulla enim uirtus.] Vt finem bonorum in æterna beatitudine collocamus,ita Romani ueteres nihil magis expetendum eſſe quàm gloriam putabant : ad eam omnes labores, omnia pericula,etiam uitæ amiſſionem referebant, cuius beneficio nomen ſuum fieri immortale arbitrabantur,eaq; gloria animum uinculis corporis ſolutum delectari. Exerceamus.] Id eſt,fatigemus. Si nihil animus præſentiret in poſterum.] Id eſt,niſi præuideret animus,ſe ſolutum corpore manere,& immortalem eſſe aut præſagiret, ut pro Cn. Rabirio : Itaque cum multis alijs de cauſis uirorum bonorum mentes diuinæ mihi atque æternæ uidentur eſſe,tum maxime quòd optimi & ſapientiſſimi cuiuſque animus ita præſentit in poſterum, ut nihil niſi ſempiternum ſpectare uideatur. In poſterum.] Id dicitur uſitatius à doctis. In futurum,indocti dicunt ſæpius. Regionibus.] Id eſt,terminis. Cogitationes terminaret ſuas.] Id eſt,ſi animus interiret una cum corpore. Nec toties de uita ipſa dimicaret.] Animus ipſe non dimicat de uita, ſed homo. Animum autem Cicero ſæpe appellat hominem, ſed qui ſit in corpore. Qua de re fuſius ſcripſimus in Commentarijs in Cic.de Senectute. Nunc inſident quædam.] Diſputat de animæ immortalitate,quod multis in locis facit,ut de Amicitia, de Senectute,de Republica,in lib. Tuſcul.quæſt. 1. Tum enim multis Romanorum hæc res incerta erat. Dimittendam.] Ab animo noſtro ſcilicet. Nam ſi animus cum corpore interiret,commemorationem nominis dimitteret: id eſt, relinqueret. Summis ingenijs.] Poetarum ſcilicet. Quæ gerebam.] Cum in alijs magiſtratibus,tum maxime in conſulatu. A' meo ſenſu.] Id eſt,ſine animo meo mortuo non ſentiam. Vt ſapientiſſimi.] Vt Pythagoras reliquique magnæ Græciæ ſapientes,& etiam Socrates,qui non tum hoc,tum illud, ut in pleriſque,ſed idem dicebat ſemper : animos hominum eſſe diuinos, ijsq; cum è corpore exceſſiſſent,reditum in cælum patere, optimoq; & iuſtiſſimo cuique expeditiſſimum : ut ait Cic. de Amicitia. Ad aliquam animi mei partem.] Plato, ut ait Cice. in lib. Tuſcul.quæſt. 1. triplicem finxit animam, cuius principatum,id eſt,rationem in capite ſicut in arce poſuit, & duas partis ſuperare uoluit,iram & cupiditatem : quas locis ſuis diſcluſit,iram in pectore,cupiditatem ſubter præcordia locauit. Plato in lib.de Repub. 9. tres animi partes appellat : unam qua homo diſcit,alteram qua iraſcitur,tertiam in qua uehemens cupiditas epularum,poculorum,uenereorum,pecuniæ eſt. Duas autẽ poſteriores animæ partes interire cum corpore certum eſt : remanet autem illa qua homo diſcit,in qua ratio ineſt. Cogitatione quadam.] Quia cogito & ſpero animum eſſe immortalem,ad eumq; gloriam mearum rerum geſtarum pertinere. Quare conſeruate iudices.] Concluſio eſt per enumerationẽ, cui aliquid miſerationis admixtum eſt. Amicorum.] Lucullorum,Metelli,& meo. Tum etiam uenuſtate.] Si locus hic emendatus eſt,uenuſtatem artis poeticæ intelligas,ut ante de Roſcio dicebat : qui cum eſſet ſenex mortuus, tamen propter excellentem artem ac uenuſtatem uidebatur omnino mori non debuiſſe. Nec ad corpus uenuſtatem hoc loco referre licet. Venuſtas enim muliebris pulchritudo eſt, ut ait Cic. in lib. de Offic. 1. Senem autem Archiam defendit,quo circa nulla eius corporis uenuſtas eſſe poterat. Ingenio autem tanto.] Repete,uidetis eum comprobari,ut hominem: Tantum ingenium.] Id eſt tantam ad poeticam uim ingenitam,& quaſi naturalem. Quanto conuenit exiſtimari.] Legam libentius hoc loco quãtum : ut ſit, Quantum oportet id ingenium exiſtimari,&c. Nam ſi menſuræ aut pretij rationem hic haberet,dixiſſet quanti,non quanto: & ad hominem non reſpexiſſe patet per relatiuum Quod. Summorum hominum.] Marij,Luculli, Metelli,Ciceronis. Maximum autem exiſtimandum eſt ingeniũ id,quod his uiris expetitum ſit. Cauſa uero eiuſmodi.] Sup. eſt. Quæ beneficio legis.] Syllani & Carbonis. Municipij.] Heracleæ,unde legati huius iudicij cauſa cum mandatis & cum publico teſtimonio uenerunt,qui Archiam aſcriptum ciuem Heraclienſem dicunt. Luculli.] Qui ſe non opinari,ſed ſcire : non audiuiſſe,ſed uidiſſe:non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. Tabulis Metelli.] In quibus nullam lituram in nomen A. Licinij uidetis. De cauſa.] Archiæ,defendendo eam,& quæ ab accuſatore obiecta ſunt refutando, ut ſoleo alijs in cauſis facere. Quæ fermè à me.] Melius in alijs codicibus ſcriptum eſt,Quæ non fori. ut ea ſententia ſit,Quæ locutus ſum non fori iudicialiq; conſuetudine, &c. Poſtulauerat enim à iudicibus,paterentur eum uti propè nouo quodam & inuſitato genere dicendi. Communiter.] Locum enim cõmunem tractauit de ſtudio poetico. Ab eo qui iudicium exercet.] Id eſt,à Prætore,qui huic iudicio præeſt. Certe ſcio.] In bonam partem accepta.

# IN EANDEM PRO ARCHIA POETA ORATIONEM

## BARTHOLOMAEI LATOMI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

ARCVS [redacted] & Cn. Papyrius Carbo legem tulerant,ut ciuium in numero eſſent qui adſcripti fuiſſent fœderat[redacted] ferebatur domicilium habuiſſent in Italia, et LX. diebus apud Prætorem profeſſi fuiſſent. Aulus Licinius Archias poeta & homo eruditus, cum ob ingenium & doctrinam multis præclaris uiris Romæ charus eſſet,uerſareturq; in domo & familia Lucullorum,auctoritate & gratia L. Luculli,cum quo ex Sicilia decedens Heracleam uenerat,impetrauit,ut in eam ciuitatem adſcriberetur : lege Papyria præſente Lucullo adſcriptus eſt. Sed cum ipſe in contubernio Luculli aliquandiu cum eodem Roma abfuiſſet,nec nomen eius inueniretur in tabulis Cenſorum, delatus eſt à Graccho quodam. quod ſe falſo pro ciue gereret. Itaque cauſam apud Prætorem dixit. Defenſus eſt hac elegãti oratione à Tullio,magno doctorum hominum,& eorum qui literis fauebant concurſu. Nam & Ciceroni charus erat ob ingenium atque eruditionem,& idem adoleſcens quondam in ſtudijs Archia tanquam præceptore uſus fuerat. Oratio iudicialis eſt,in tenui & ſubtili figura: ſed altius alicubi aſcendit in commendatione perſonæ,ubi locos communes de gloria & animorum immortalitate attingit. Status eſt coniecturalis : An Archias in ciuitatem ſit adſcriptus. Probatio ſumitur à teſtimonijs & coniecturis: & obiecta interim diſſoluuntur. Demonſtratio perſonæ accedit extra cauſam,per quam ab artium humanitatis laudibus conficitur magna & præcipua pars Confirmationis: hunc hominem,qui & populi Romani nomen ſcriptis & ingenio illuſtrarit,non ſolum repudiandum nõ eſſe, ſed etiam ſi ciuis adſcriptus non eſſet,tamen in ciuitatem adſciſcendum fuiſſe. Habet exordium oratio,deinde narrationem & cõfirmationem,admixta paucis refutatione,& mox excurſu ad laudem perſonæ accommodato: poſtremo perorationem.

SI QVID eſt in me.] Exordium à beneuolentia, quam ducit à perſonæ ſuæ officio. Nam quo ad.] Ratio. Quod ſi hæc uox.] Concluſio. Ac ne quis à nobis.] Occurrit cogitationi, & cauſam dicti reddit. Etenim omnes artes.] Solutio occupationis. Sed ne cui ueſtrum.] Occupatione præmunit & excuſat nouum genus defenſionis, quis plura extra cauſam dicturus eſt de ſtudijs artium humanitatis. Quod ſi mihi à uobis.] Concludit, & hinc continuat narrationem. Complectitur autẽ ſcopum defenſionis, quod percommode facit ante narrationem. Narratio altius repetita eſt extra cauſam. nam tum ad coniecturam ex antecedentibus, tum ad commendationem perſonæ accommodatur. Vt famã ingenij.] Gradatio. Cognitione.] Obſerua cognitione pro notitia dici. Sed enim hoc.] Facto. Venit Heracleam.] Heraclea in magna Græcia fuit, ubi & Neapolis. Cum hic domicilium.] Colligit narrationem, & concludit. Si nihil aliud.] Confirmatio cauſæ, quam ſtatim à teſtimonijs conficit. Adeſt uir ſumma auctoritate.] Confirmatio à teſtibus. Hic tu tabulas.] Refutatio obiectionis. Eſt ridiculum ad ea.] Collatio fidei & tabularum. At domicilium.] Alia obiectio, quam ſimpliciter negando refellit: mox alia occupata, quã depellit cum amplificatione tabularum, quibus Archias apud Prætorem eſt profeſſus. His igitur tabulis.] Concludit, & argumenta coniecturæ ſubiungit ex comparatis, quibus uoluntatem Heracleinſium erga Archiam probat. Etenim cum mediocribus.] Amplificatio à ueriſimili ex minore. Poſt legem Papiam.] Quæ iuſsit urbe excedere omnes, qui nõ erãt ciues Romani. Eſt enim obſcurum.] Refutat cenſum obiectum, quod primum irridendo purgat, deinde remouet à cauſa, &, quod ad uim cenſus pertinet pro ſe confirmat. Quære argumenta.] Epiphonema. Quæres à nobis Gracche.] Occupatio, qua digreditur ad commendationem perſonæ, ex qua præcipuum in cauſa præſidium petit. Extenditur pluribus uerbis uſque ad perorationem. Illud uide, quomodo occaſionẽ eius petat à ſtudio ſuo erga Archiam, & ex eo ſenſim deducatur ad artium humanarum amplificationem. Me autem quid pudeat.] Correctio. Aut commodum.] Congeries. Quare quis tandem.] A' ſimili. Atque hoc ideo mihi.] Artes humanæ conferunt ad oratoriam facultatem, & ad ſapientiã, Eſt locus ex efficientibus. Sed pleni omnes ſunt libri.] Memoria antiquitatis humanis literis illuſtratur. Ex efficientibus docet exemplis. Quæret quiſpiam.] Occurrit obiectioni. Difficile eſt hoc.] Conceſſio. Ego multos homines.] Reſpondet naturam per ſe ſæpius ualere, quàm doctrinam: ſed doctrinam naturam perfici, confirmat exemplis. Atque idem ego cõtendo.] Correctio. Ex hoc eſſe hunc numero.] Exempla. Aphricanum.] Maiorem Aphricanum intelligit. Catonẽ illum.] Cenſorium ſcilicet. Quod ſi non hic tantus.] Continuat argumentationem, & commendat humanitatem, ab honeſta delectatione. Nam cæteræ res.] Locus eſt ex efficientibus. Quod ſi ipſi hæc.] Vide quomodo delabatur ad hypotheſin, ut ad Archiam perueniat. nam de ſtudio hactenus in uniuerſum eſt locutus. Ergo ille corporis motu.] Epiphonema à minori. Quoties ego hunc Archiam.] Laus Archiæ ab ingenio. Eſt ex adiacentibus. Quoties reuocatum.] Vt denuo diceret. Hunc ego non diligam?] Epiphonema. Atqui ſic à ſummis hominibus.] Amplificatio à dignitate poetices, per Contentionem. Locus eſt ab efficientibus. Quare ſuo iure.] Probat Ennij teſtimonio. Si igitur, iudices.] Concludit commendando, & ad cauſam reſpicit. Addit comparationem hyperbolicam à minori, & exempla ſubiungit. Præſertim cum omne olim ſtudium.] Commendatio à meritis, quod Archias populi Romani gloriam ſcriptis illuſtrauerit. Locus eſt à perſona ſiue ſubiecto, cuius uis ex antecedentibus colligitur. Exempla amplificationis ſubiungit. Itaque ille Marius.] Redit ad merita Archiæ. Mithridaticum uero bellum.] Mithridaticum bellum ab Archia deſcriptum. Qui libri nõ modo.] Amplificatio ſcriptorum Archiæ, à rebus geſtis Luculli. Noſtra ſunt trophæa.] Epiphonema. Charus fuit Aphricano.] Exemplis docet, ducum Romanorum laudem ad pop. Romæ pertinere. Ego illum.] Ducit concluſionem à minori. Nam ſi quis minorem.] Occupatio, qua negat latinas literas latius quàm græcas patere. Et hinc delabitur ad locum communem de gloria, quo amplificat merita Archiæ, eundemq; exemplis confirmat. Quod cum ipſis populis.] Amplificatio ab utilitate. Et noſtri illi fortes uiri.] Iterum reſpicit ad cauſam & argumentum ex comparatis ducit. Qui ſedulitatem mali.] Epiphonema. Cordubæ natis poetis.] Cordubenſes mali poetæ. Neque enim eſt.] Redit ad gloriæ cupiditatem. Ipſi philoſophi.] Exempla. Martis manubias.] Manubiæ, pecunia prædatitia, hoc eſt, ex præda redacta. Iam me uobis iudices.] Exemplum de ſeipſo. Nullam enim uirtus.] Relabitur ad locum communem de gloria, & ſtudium eius à natura confirmat. An uero tam par. an.] A' teſtimonio eorum, qui ſe periculis exponunt. An cum ſtat.] A' minori. Ego uero.] Epiphonema, quo redit ad ſeipſum. Quare conſeruate iud.] Peroratio, cum enumeratione capitum confirmationis, & obſecratione. Quæ cum ita.] Obſecratio. Quæ de cau.] Excuſat quòd multa extra cauſam dixerit.

## EIVSDEM ORATIONIS PRO ARCHIA POETA

DISPOSITIO PER [redacted]

INITIO οἰκονομίαν exordij trademus. de reliqua oratione, & de cauſa poſtea dicturi ſumus. Ac multas utilitates adfert hæc ratio diſtribuendarum ſententiarum, qua hic utemur. Primum enim uoluntatem uniuſcuiuſque auctoris is demum recte adſequi poterit, qui ſeriem omnium ſententiarum contemplabitur, & animaduertet quomodo inter ſe conſentiãt. Deinde cum in alienis ſcriptis rationem coniungendi ſententias animaduerterimus, ſcribemus et ipſi magis cohærentia. Plurimũ itaque prodeſt hæc diligentia conſiderandæ diſpoſitionis in oratione, tum ad imitationem, tum etiam ad iudicandum. Nam etiam ſi nihil ſcripturi ſumus, tamen hac ratione iudicandi de alienis ſcriptis carere non poſſumus. Locus exordij ſumptus eſt ex communi loco, ſcilicet ex officio referendæ gratiæ. Nulla eſt autem efficacior ratio conciliandæ beneuolentiæ, quàm quæ ab honeſto aut ab officio ducitur. Eſtq; hæc propoſitio, ex qua totũ exordium naſcitur, in prima periodo poſita: Ego debeo Archiam tueri, ut referam ei gratiam. In ſecunda periodo ſequitur αἰτιολογία, hoc eſt, probatio huius ſententiæ: Quia Archias adiuuit hoc meum ſtudium dicendi. Tertio eſt addita concluſio: Cũ beneficio Archiæ alijs opem ferre poſsim, conuenit ut ipſum quoque defendam. Cũ ſententiæ ad hunc modum detractis ornamẽtis digeruntur, facile poſtea eſt uidere quæ ornamenta accedãt. Prima periodus continet incrementũ. nã hæ cognatæ ſpecies, ad unã ſententiam amplificãdi cauſa referũtur, ingeniũ, exercitatio, ratio. Lare. In ſecunda periodo penè nullũ eſt ornamentum:

tantum

tantũ fecit mentionem circumſtantiæ, ne nimis breuis eſſet circũductio. Concluſio eſt facta Euthymematis modo, & eſt repetitio duarum periodorum ſuperiorum. Cum hæc uox ſit ab Archia ad ſalutem aliorum adſuefacta, ergò debet etiam Archiæ prodeſſe. nam omiſſa eſt Maior abſoluens Syllogiſmum: Aequum eſt, ut quiſque fructum ferat ſui beneficij. Tametſi hanc rationem ſubindicat, cum quædam uerba ab ea mutuatur. Deinde ſequuntur Occupationes duæ. Prima: Quo modo poteſt poeta adiuuare oratorem? Reſpondet breuiſſime, quia omnes artes cognatæ ſunt, & ſe mutuo adiuuant. Altera occupatio eſt: Videtur ineptum, in foro loqui de artium & literarũ ſtudijs id quod iam fecit Cic. et paulo poſt copioſius faciet. Hoc excuſat ſumpto argumẽto à perſona Archiæ, quia pro poeta ita cõueniat dicere: ne magis etiam perturbetur ille, qui nunquam uerſatus eſt in iudicijs, ſi res agatur uſitata contentione. Oratio eſt generis iudicialis. Status cauſæ eſt, quod Archias ſit ciuis Romanus. Et hæc eſt principalis propoſitio, ad quam referre argumenta oportet. Hæc in tota oratione ob [redacted] oblitus fuerit, non intelliget reliquam orationem. Nam in omnibus cauſis in primis oportet principalem propoſitionem meminiſſe. Eſt autem ſtatus iudicialis. Argumenta ducta ſunt à lege, & à teſtibus. Nam hi proprij loci ſunt quæſtionum iudicialium. Sed præter hæc longiſſimum argumentum à perſona Archiæ, et ab artium dignitate tractum eſt. Illæ laudes propriæ ad genus demonſtratiuum pertinent, ſed inde mutuamur ſæpe argumenta ad iudiciales cauſas: quia dignitas perſonarum conciliat fauorẽ iudicum, & reddit cauſam magis probabilem & ueriſimilem. Ita & hic argumentatur Cicero: Quia Archias magna facultate ingenij præditus eſt: ergo credibile eſt eum ciuitate donatum eſſe. Item: Quia tali eſt ingenio, meretur retineri in ciuitate. Genus dicendi in hac oratione initio ſummiſſum, & (ut uocant) Atticum eſt: neque enim longis circunductionibus, aut expolitionibus, aut figuris procul acceſitis uſus eſt. Multæ breues ſunt periodi, & propria oratio. Poſtea circa finem aliquanto floridior eſt oratio. Narratio continet propemodum hiſtoriã uitæ Archiæ, & peregrinationum, ex quibus peruenit eò, ut doceat quo modo ius ciuitatis conſecutus ſit ex lege. Et eſt ad finẽ narrationis Syllogiſmus additus, ubi primo loco ponitur Concluſio, Data eſt ciuitas. deinde Maior: Omnes qui in ſocijs ciuitatibus adſcripti ſunt, ſi in Italia cum lex ferretur domicilium habuerunt, & profeſſi ſunt intra dies L X. apud prætorem, &c. ſunt ciues: Archias adſcriptus eſt Heracleæ, & habuit domicilium Romæ, & profeſſus eſt, &c. Ita clauditur narratio, non repetita concluſione proprijs uerbis, ſed quadam generali adſeueratione. quia neceſſe intelligi concluſionẽ recitato ſyllogiſmo: Si nihil niſi de ciuitate hac lege dicimus, nihil dico amplius, cauſa dicta eſt. Deinde ſequitur Confirmatio, antequam non repetit propoſitionem ſupra poſitam ante narrationem: ſed tantùm de minore adſeuerat, quia minor eſt κρινόμενον, ideo habet opus probatione. Et ut cauſæ ſummã complecti animò poſſis, Syllogiſmum ſupra poſitum meminiſſe oportet: Omnes inſcripti in ſocijs ciuitatibus, &c. ſunt ciues: Archias eſt inſcriptus, ergo Archias eſt ciuis. Maior nihil habet ambigui, minor autem eſt incerta. Propterea tota confirmatio uerſatur in minore probanda: & habet locos à teſtibus & tabulis, quod ſit Heracleæ adſcriptus, quod ſit profeſſus. Poſtea addit ueriſimile ex minore: Multi alij leuiorũ artiũ periti, adſcripti ſunt in ſocijs ciuitatibus. ergo ueriſimile eſt et hũc adſcriptũ eſſe Poſtremo addit ſigna Romani ciuis: Adijt hæreditates, teſtamentũ fecit, in beneficijs ad ærariũ delatus eſt, id eſt, ærario pecuniam donauit ex teſtamẽtis. Quia cauſa per ſe tenuis & exigua eſt, reddit eã ſplẽdidiorẽ & illuſtriorem, addito loco communi de laude literarum. Et cum ſupra argumenta à re ſeu cauſa traxerit, hic à perſona ducit argumentum: Archias eſt homo literatus & poeta, ergo eſt dignus quem in ciuitate retineamus. Transfert igitur orationem ab Hypoteſi ad Theſin, id eſt, ad locum communem: ſcilicet, Omnes ſtudioſi ſunt colendi. Sed ut modeſte prædicet Archiam, ne immodicæ laudes noceant ei transfert rem in ſuam perſonam & dicit ſe plurimi facere Archiam. Eſt ergo propoſitio, Ego magni facio Archiam. Sequitur ratio Enthymematis forma, quia eius ſtudia proſunt mihi ad delectationem, deinde etiam ad utilitatẽ in hac forenſi facultate dicendi. & huic rationi eſt ſubiecta breuis uel comprobatio, uel repetitio. Sequitur occupatio: Tu'ne igitur fateris te uerſari in literis? Ad hoc reſpondet per conceſſionem, & ſubijcit tres cauſas finales. Prima eſt: Ita uerſor in literis creſcit mihi facultas dicendi. Tertia: Literæ etiam gubernant meos mores, & conſilia regendæ Reipublicæ & addit rationem: Quia literæ continent doctrinam bene uiuendi. & hãc ſententiã illuminat per interpretationem, nõ nihil mutatis uerbis. Sequitur obiectio: Num igitur nulli ſunt magni uiri ſine doctrina? Primum conceſſione utitur, quòd multi uiri magni ſine [redacted]onem. Quia magna naturæ uis eſt. Deinde ſubijcit Correctionem: Multum tamen conducit doctrina, & perfectum quiddam exiſtit, cum ad naturam bonam acceſſerit. Id probat exemplis. Poſtremo claudit hanc diſputationẽ repetitione cauſæ finalis leuioris, uidelicet quòd delectationis cauſa literæ nõ ſint aſpernandæ. Et amplificat hunc finem per Collationem: Nullæ aliæ uoluptates perinde ſunt perpetuæ. Porrò diſtributio fit temporum, Agunt ſenectutem, &c. Hactenus de ſua perſona tantum dixit Cicero. hic tranſitionem facit, & probat, debere iudices etiam admirari artem: & eſt argumentum à genere artis tractum. Ars eſt digna admiratione, ergo etiam Archias magni faciendus eſt. Et ſimilitudine reddit perſpicuum argumentum. Sicut celeres motus erant corporis Roſcij, qui magnopere delectabant, &c. ita ſunt ingenij Archiæ. Accedit probatio: Quia multos uerſus ex tempore fundit. Sequitur argumentũ à differentia poetices. Diſtinguit enim Anthitheſi poeticam ab alijs artibus & hæc eſt Enthimematis ſumma: Poetica eſt diuina, ergo poetæ ſunt tractandi humaniter, & colendi. Et adiecit Amplificationem ex laude muſices, ductam ex maiore: Saxa reſpondent uocibus, beſtiæ flectuntur cantu, ergo & nos amemus carmen. Hactenus recitauit argumenta, ſumpta à perſona Archiæ extra cauſam, Quòd in ciuitate retinendus ſit, quia ſit poeta. Nunc ſubijcit exempla eodem pertinentia: Sicut aliæ ciuitates honore adfecerunt poetas, ita & nos Archiam honore adficere debemus. Homerum multi ſibi uendicant, ergo & nos retineamus Archiam. Additus eſt adfectus: Nemo non fauet ſuis laudibus, Archias autem deſcripſit laudes pop. Rom. Recitat igitur argumenta quædam poematum Archiæ. deinde ſubijcit Scipionis exemplum. Scipio Ennium honore affecit, ergo & nos hunc honore adficite. Accedit amplificatio à græca lingua: Plures legunt græca quàm latina: at Archias Græce ſcribit, melius igitur ſcribit quàm Ennius. Addita eſt amplificatio ab utilitate ſcriptorum: Quia gloria ad uirtutem incitat, ſcripta autem gloriam pariunt, quia retinent memoriam rerum geſtarum: ergo ſcripta illa ad uirtutem incitant. Sequitur igitur, Scriptores eſſe dignos qui omni officij genere colantur. Adiectum eſt exemplum de Achille & Homero: Achillis memoriam retinuit Homerus, item Pompeius iudicauit hæc ſcripta gloriam adferre, & cætera. Accedunt & alia exempla Syllæ & Metelli, qui poetis delectati ſunt. & Schema ex minore interpoſitum eſt, quod facit ueriſimilem Archiæ cauſam: Si alios poetas ſtudioſe audierunt noſtri Imperatores, ergo ueriſimile eſt eos & hunc audiuiſſe, & facile conceſſiſſe ciuitatem. Poſtea additur αἰτιολογία, ex communi ſententia: Trahimur omnes cupiditate laudis. Hæc ſententia Bruti & Fuluij exemplis comprobata eſt. Sequitur breuis Concluſio, poſtquam ſuum exemo-

Id eſt, nolui. Occurrere magnitudini criminis.] Id eſt, probare P. Syllam ex coniuratione non fuiſſe, & quæ ab aduerſario dicta ſunt refutare. Reuocandi.] Animis eſtis. Voluerit, cogitarit, admiſerit.] Ordo bonus eſt. Primum .n. uolumus, deinde cogitamus qua ratione aſſequi poſſimus, poſtremo admittimus. Huic affines ſceleri.] Affinem ſceleri & ſceleris dici poſſe, alio loco docuimus. Cuius aures unquam reſpuerunt.] Id eſt, quis non audiuit & credidit. Conatum eſſe hominem.] In codicibus alijs melius mihi ſcriptum uidetur, Contaminatum, non Conatum. Studio.] Id eſt, peccandi cupiditate. Vt C. Cæſarem Cicero in lib. de Officijs. 2. uituperat, quod tanta in eo peccandi libido fuerit, ut hoc ipſum eũ delectaret peccare, etiam ſi cauſa nó eſſet. In omni flagitio, &c.] De Catilina illud dixit Cicero in accuſatione Catilinæ & Antonij competitorum, ut ait Aſconius: Stupris ſe omnibus ac flagitijs contaminauit, cæde nefaria cruentauit, diripuit ſocios, leges, quæſtiones, iudicia uiolauit. Adoleſcens Catilina, ut ait Salluſtius multa nefanda ſtupra fecerat cum uirgine nobili, cum ſacerdote Veſtæ, aliaq; huiuſmodi contra ius faſq;. Poſtremo captus amore Aureliæ Oreſtillæ, cuius præter formam nihil unquam bonus laudauit, quod ea nubere illi dubitabat, timens priuignum adultum ætate, pro certo creditur necato filio uacuam domum ſceleſtis nuptijs feciſſe. Hanc ſacerdotem Veſtæ, cui Catilinam ſtuprũ attuliſſe Salluſtius dixit, Aſconius appellat Fabiam, eamq; Terentiæ Ciceronis uxoris ſororem fuiſſe dicit, quæ tamen abſoluta eſt. Idem Aſconius dicit, Catilinam ex adulterio filiam genuiſſe, quam poſtea uxorem duxit. Auctore Plutarcho in uita Ciceronis, Catilina filiæ uirgini ſe commiſcuit, & fratrem necauit. Cuius rei iudicium metuens, egit cum Sylla, ut eum tanquam uiuum proſcriberet. Auctore Aſconio in Commentarijs in orationem Ciceronis in C. Antonium & L. Catilinam competitores: Catilina, cum eſſet in Syllanis partibus, multos crudeliter necauit, ut Q. Cæcilium & L. Tanuſium. Idem caput M. Marij Gratidiani abſciſſum, etiam tum plenum animæ & ſpiritus, ad L. Syllam uſque à Ianiculo ad ædem Apollinis, ſuis ipſe manibus detulit. Cogitaſſe.] In patriam. De eius in Hiſpaniam profectione.] Arbitror eum in Hiſpaniam profectum ad bellum Sertorianum, ibiq; ab eo Q. Metellum Pium uulneratum. Hunc autem Cethegum Plutarchus in Luculli uita ſcribit obſcœna uita libidinum, flagitiorum, uitiorum, ſcelerum plenum fuiſſe. Carcer ædificatus.] Quia in carcere, quod Tullianum appellatur, Cethegus ſtrangulatus eſt. Alia quoque carceris pœna eſt. Cicero enim in quarta Inuectiua dicit uincula, eaq; ſempiterna ad ſingularem pœnam nefarij ſceleris inuenta eſſe. Huius periculo & crimini.] Antronius enim in utraque coniuratione fuit, quo nomine in iudicium uocatus erat, tum cum hæc cauſa acta eſt. Sed cum neque ſodales, neque collegæ defenderunt, ut ante dixit Cicero. Non ſua hæc uita.] In codicibus alijs melius ſcriptum eſt, Non ſua conſuetudo ac uita. nam poſtea ſubiungit, Eum mores ipſius ac uita conuincerent. In ſtuprorum defenſionibus.] Id eſt, cum in foro ſtupra aliena, aut ſua defenderet, eum enim oratorem fuiſſe ſignificat. Verbis improbiſſimis.] Id eſt, maxime impudicis. Pugnis ac calcibus.] Id eſt, omni contumeliæ genere. de hoc prouerbio Eraſmus ſcripſit. Exturbare.] Id eſt, ui eijcere. Vt Actione in Verrem 4. Num etiam patrijs Heraclium bonis exturbare oportuit? Et pro A. Cluentio: Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ ſuæ nubenti ſtrauerat, in eadem domo ſibi ornari & ſterni, expulſa atque exturbata filia iubet. Et pro L. Murena, exturbare è ciuitate dixit, pro eo quod dicunt facere ciuem, mulctari exilio: Magnum eſt, inquit te comparare ea, quibus poſſis hominem è ciuitate, præſertim non inopem, neque infirmum exturbare. Spoliare fana ſociorum.] Significat Antronium in Prætura ſpoliaſſe templa. ſpoliaſſe templa prouinciæ eius cui præerat, ac repetundarum accuſatum Diſturbare iudicia.] Ne de ambitu condemnaretur: uel diſturbare, id eſt, reſcindere & labefactare. cum ipſe de ambitu damnatus Conſules Cal. Ianuarijs interficere, & Conſulatum per uim occupare coniurauit. Cedere.] Id eſt, obtemperare. Non fortunæ ipſi ſuccumbere.] Id eſt, de ambitu damnatum non quieſcere, ſed coniurare. Nam fortunæ ſuccumbit, qui uictus quieſcit, nec contra fortunam reluctatur. In libro de Officijs primo, ſuccumbere fortunæ dixit, pro eo quod eſt à fortuna uinci, & iacere, atque abiectum habere animum. Cum perſuaſum ſit, nihil hominem niſi quod honeſtum decorumq; ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere, nulli neque homini neq; perturbationi animi, neque fortunæ ſuccumbere. Rebus.] Id eſt, probationibus. Teneretur.] Id eſt, nota eſſet. Vt pro Milone: Fingi hæc putatiſque patent? quæ nota omnibus? quæ tenentur? Et pro L. Cornelio Balbo: Sed uos iudices animis & memoria tenetote. Et pro A. Cluentio: Cum manifeſto uenenum deprehendiſſet, quod uir matris Oppianicus ei parauiſſet, & res non coniectura, ſed oculis ac manibus teneretur. Cum illius.] Apud Vallam libro ſecundo, ubi præcipit de particula Agedum, hoc in loco Cum illis ſcriptum inueni: quæ lectio magis placet, ut Cum illis, Catilina, Lentulo, Cethego, Antronio, intelligatur. Nam ſi Cum illius legatur, ſententia ſit, cum uita Antronij uitam P. Syllæ conferte. Non dicam audacius.] Ordo eſt: Quæro ecquod factum aut commiſſum huius uideretur cuiquam factum non dicam audacius, ſed quod cuiquam paulo minus conſideratum uideretur. Vt conſideratum ſit participium, & factum nomen. Excidit.] Id eſt, imprudenter lapſum eſt. Vnde quiſquam poſſet offendi.] Verbis impudicis & contumelioſis boni homines offendi ſolent. Quis P. Syllæ mitior.] Hoc dicit Cicero, ut cauſa ſuæ ſubſeruiat. Aliter enim ſcribit in libro de Officijs ſecundo: nec, inquit, unquam bellorum ciuilium ſemen & cauſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam meminerint & ſperabunt, quam P. Syllæ cum uibraſſet Dictatore propinquo ſuo, idem 6. & 30. anno poſt à ſceleratiore haſta non receſſit. Multorum hic uitam.] A. Gellius cap. 16. libri ſexti, ſcribens de ſignificatione uerbi Deprecor, hoc in loco legit Quàm multorum. quæ lectio magis placet, ut continuetur interrogatio. Quàm multorum hic.] L. Sylla cum multos ciues Ro. proſcriberet & trucidaret, multis pro his deprecante P. Sylla ignouit. Vitam eſt à L. Sylla deprecatus.] Vt in oratione pro Scauro, Aſconio auctore, Cicero dixit: L. ipſe Metellus anus huius ſanctiſſimos deos illo cóſtituiſſe in templo uidetur, in ueſtro cóſpectu iudices, ut ſalutẽ à nobis nepotis ſui deprecaretur. Noſtri.] Id eſt, ſenatorij. Se hic Syllæ obligauit.] Quod ſcilicet ij pro quibus ſe obligaſſet inimicorũ Syllæ partes tutati non fuiſſent, aut quod in poſterũ Syllæ nunquá aduerſarentur. Solebant enim ueteres pro alijs ſe obligare. ut Cicero in Philippica quinta, fidem ſuá pro Octauio Cæſare Senatui populoq; Romano obligat, fore ut nihil ei Repub. charius ſit. Huius obligationis pœnitere ſe ſcripſit ad Brutum: Maximo, inquit, cum hæc ſcribebam afficiebar dolore, quod cum me pro adoleſcentulo ac penè puero Reſpub. accepiſſet uadem, uix uidebar quod promiſeram, præſtare poſſe. Eſt autem grauior & difficilior animi & ſententiæ, maximis præſertim in rebus, pro altero, quá pecuniæ obligatio. Hæc enim ſolui poteſt, & eſt rei familiaris iactura tolerabilis. Reipub. quod ſpoponderis, quemadmodum ſoluas, niſi is dependi facile patitur pro quo ſpoponderis! Hæc aſcripſi, ut P. Syllæ beneficium maius intelligas. Neque enim ipſi nolunt.] Hoc adiunxit Cicero. Nam, ut idem dicit pro Sex. Roſcio, homines notos ſumere odioſum eſt, cum illud incertum ſit, uelint'ne hi ſeſe nominari.

nácl. Huk.] P Syllæ. Maius eſt beneficium.] Quod multis P. Sylla præſtitit, quorum uitam à L. Sylla deprecatus eſt, aut quorum pro ſalute ſe obligauit. Quam poſſe debet ci uicini dare.] Nimium enim apud tyrannum L. Syllam Punblius ualuit, nec illam cũ ciuibus ſuis æquabilitatem habuit, quæ in ciuitate eſſe debet. Quod potuit.] Id eſt, quam poteſtatem habuit. Tempori.] Id eſt, temporis conditioni, quo ita L. Syllæ crudelitas in ciues Romanos debaccharetur. Quod fecit.] Id eſt, quod ciuibus præſtitit. Ipſi.] Id eſt, ipſius naturæ & bonitati. Conſtantiam.] Id eſt, honeſtatem, quam conſtanter retinuit. Moderationem in priuatis rebus.] Nam, ut ait pro Lucio Muræna: Odit populus Romanus priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit, non amat profuſas epulas, ſordes & inhumanitatem multo minus. Splendorem.] Id eſt, magnificentiam, ut ſplendor ſordibus contrarius ſit. A' fortuna.] Quia Sylla de ambitu damnatus eſt. Iudicijs autem fortuna præeſt. Deformata ſup.] Id eſt, turpificata ſunt, & formam ſuam perdiderunt. A' naturæ inchoata appareant.[ Id eſt, naturæ ueſtigia quædam remaneant. Quæ celebratio] Id eſt, frequentatio erat, priuſquam Sylla damnaretur. Familiaris.] Id eſt, non faſtuoſa, non ſuperba. Studia amicorum.] Id eſt, bona uoluntas & obſequium in amicos, id eſt, quàm ſtudioſus amicorum fuit. Vna hora.] Qua damnatus eſt. Accipit uulnus.] Cum damnatus eſt. De hoc dicendi genere, & de uulnere pro damno, alibi ſcripſimus. Mortiferum.] Vulgo mortale appellarent. Sed mortale id eſt, quod aliquando moriturum eſt: mortiferum uero, quod mortem affert. unde etiam mortifera peccata, non mortalia appellari licet. Vita & natura, &c.] Nam accepto eo uulnere naturam retinuit. Quam ſi nemo aliue] Minuit Syllæ ambitionem, quòd alij quoque eam conſulatus cupiditatem habuerint. ſed quòd damnatus ſit, alij incolumes, ea eius aduerſa fortuna fuit. Vrbis & fori.] Ne aſpectum hominum lucemq; uitaret. Propter ſumma ſtudia amicorum.] Qui ipſi Syllæ ſtudioſi erant, & ueri amici. Nam ut ait Ennius: Amicus certus in re incerta cernitur. Reſtiterunt.] Id eſt, ſuperfuerunt & remanſerunt. Cum lege retineretur.] Lex enim Calphurnia, quæ paulo ante damnatum Syllam lata fuerat, pecunia, non exilio damnatum reum multabat. Non multo poſt eum damnatum ſecuta eſt lex Tullia, quæ de ambitu damnatos exilio multaret, ut pro L. Muræna ſcripſimus. Se exilio penè multauit.] Vel cum hominum conſpectum euitauit, uel cum Neapolim profectus eſt. Tanto ſceleri.] Id eſt, coniurationi. Explicata.] A' me. Crimen.] Coniurationis. Quod alijs in codicibus ſcriptum ſit Cum crimine, non Tum crimen, id non placet. Mitto Rempub.] Occupatio eſt. Amor autem reipub. P. Syllam à coniuratione reuocaſſe. Cupidos.] Id eſt, ſtudioſos. Vt pro Cn. Plancio: Magnæ ſunt in te opes, late patet gratia, multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuæ. Eſt autem argumentum à repugnantibus. Turpiſſima mors te propoſita.] Si deprehenderetur. Turpis autem mors dicitur ea, quam improbi homines dant legibus. Alioqui turpis mors ea eſt, quæ luitur ſuſpendio. Id infame letum Virgilius appellat, lib. 12. de Amata uxore Latini, quæ ipſa ſe ſuſpendit, & modum informis leti trabe nectit ab alta. Auctore Seruio in libris Pontificalibus cautum fuerat, ut qui laqueo finiuiſſet uitam, is inſepultus abijceretur. Vnde ait informis leti, quaſi mortis infamiſſimæ. Illam eſſe cauſam arbitror, quòd animam ſpiritum eſſe crederent, quem conſtrictis laqueo faucibus exhalari non poſſe, ſed in pectore ſuffocari putabant. Hoc etiam mortis genere, id eſt, ſuſpendio deprehenſi coniurati, in carcere ſtrangulati ſunt. Non inquam cadit.] Hoc in loco inquam uim habet maiorem, quàm dico. Significat enim ut affirmo, & pro certo dico. In hunc pudorem.] Quo hominum aſpectum lucemq; uitauit. Ex multis ab adoleſcentia.] Hoc adoleſcentibus præceptum ſit, ne multis ſe flagitijs contaminent, ne quando mente diuinitus erepta in magnum aliquod ſcelus à furijs incitati incidant, ac pœnas legibus perſoluant. Nolite iudices arbitrari, &c.] Amplificat coniurationis atrocitatem, ut faciat credibilius in ea Syllam nõ fuiſſe. Quemadmodum pro Sexto Roſcio, ut ne ſit credibile ab eo Roſcio patrem occiſum, auget parricidij grauitatem. In qua non modo tot, &c.] Præter ea præmia quæ indicibus propoſita fuiſſe diximus, Senatus multitudini coniuratorum diem ſtatuit, antequam ſine fraude liceret ab armis diſcedere. Ea tempeſtate, inquit Salluſtius, mihi imperium populi Romani multo maxime miſerabile uiſum eſt, cui cum ad occaſum ab ortu ſolis omnia domita armis parerent, domi otium atque diuitiæ, quæ prima mortales putant, affluerent: fuere tamen ciues, qui ſe remq; publicam obſtinatis animis perditum irent. Nanque duobus Senatus decretis ex tanta multitudine, neque præmio inductus coniurationem patefecerat, neque ex caſtris Catilinæ quiſquam omnium diſceſſerat. Tanta uis morbi, atque uti tabes pleroſque ciuium animos inuaſerat. Quibus uerbis magna coniuratorum multitudo, eorumq; obſtinatus in patriam animus ſignificatur. Ex portentis immanes.] In prodigijs habentur animalia ea, quæ cæteris ſui generis ſimilia non ſunt. Vt T. Liuius libro 27. inter prodigia enumerat infantem quendam, ambiguo inter marem & fœminam ſexu natum: itemq; alium, cum elephanti capite natum. Huiuſmodi animalia ex portentis immania ſunt. Forma hominum indutæ.] Admonuimus pro Sexto Roſcio, Ciceronem dicere ſolitum, perditos & profligatos homines eſſe belluas quaſdam in figura hominis: Cacodæmones forma hominis indutos uulgo appellant. Audacias.] In numero plurali dixit. ut Actione in Verrem quinta. Vultis autem iſtorum audacias ac libidines aliqua ex parte reſecare? Et libro Epiſtolarum ad Atticum nono: Noli putare tolerabiles horum inſanias, nec unius modi fore. Et ſi quid te horum fugit, legibus, iudicijs, Senatu ſublato, libidines, audacias, ſumptus, egeſtates tot egentiſſimorum hominum nec priuatas poſſe res, nec Rempub. ſuſtinere? Deſperatis morbis.] Id eſt, grauiſſimis. ut deſperatam Rempub. idem dicit in Diuinatione: Hoc remedium eſt ægrotæ & propè deſperatæ Reipub. Deſperatum hominem pro improbo dici, alio loco docebimus. Peſtibus.] In numero plurali dixit, ut de Reſponſis aruſpicum: Cum his furijs & facibus, cum his inquam exitioſis prodigijs, ac penè huius imperij peſtibus, bellum mihi inexpiabile dico eſſe ſuſceptum. Et pro P. Seſtio: Luce palàm à nefarijs peſtibus in deorum hominumq; conſpectu eſſet occiſus. Hanc uocem apud Ciceronem ſæpe licet inuenire. Furiæ quædam incitauerunt.] Pœnas improborum hominum diuina uoluntate expendi, ſæpe Cicero ſignificat, Vt pro Milone: Vis, inquit, diuina Clodio mentem iniecit, ut illi irritare ferroq; laceſſere fortiſſimum uirum auderet, uincereturq; ab eo. In hunc gregem hominum.] Quos ad luendas reipublicæ pœnas furiæ incitauerunt. Quæſtiones nobis, &c.] De quæſtionibus pro Milone ſatis multa ſcripſimus. Moderatur natura cuiuſque, &c.] Vlpianus libro Digeſtorum 48. de quæſtionibus: Quæſtioni, inquit, fidem non ſemper, nec tamen nunquam habendam conſtitutionibus declaratur. Etenim res eſt fragilis & periculoſa, & quæ ueritatem fallat. Nam plerique patientia ſiue duritia tormentorum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab iis ueritas nullo modo poſſit. Alij tanta impatientia, ut in quoduis potius mentiri, quàm pati tormenta uelint. Itaque fit, ut uario modo mentiantur, & non tantum ſe, uerum etiam alios criminentur. Quintil. lib. 5. de tormentis ſcribens: Pars, inquit, altera quæſtionem, uera fa

caſtris dormiente fortunam circum urbes tendere retia, in qua urbes ipſæ ultro incurrerent. Erat enim fœlix admodum in capiendis urbibus. Sed ea felicitate tandem deſtituens, ex urbe eiectus eſt. Fortuna enim unde hæc felicitas eſt, mutabilis ē. Virtus uero immortalis eſt, quam à natura eſſe philoſophi dixerũt. Si igitur P. Sylla ex coniuratione fuiſſet, cum eum Cicero defendat, qui ipſe coniurationem oppreſſit, eam oppreſſiſſe magis caſu & felicitate uideretur quàm uirtute & cõſilio, propterea quod non ſeruaret conſtantiam. Hoc tibi ſumis.] Id eſt, arrogas, & ut uulgo dicunt, hoc de te præſumis. Sumere & aſſumere hac in re ſæpe dicuntur. ut pro Planco: Mihi non ſumo tã tum Iudices, neque arrogo, ut Cn. Plancum ſuis erga me meritis impunitatem conſecuturum putem. Graue.] Id eſt, efficax. Cui Senatus ſingularibus uerbis gratias egerit.] Id fecit Senatus in æde Concordiæ tum habitus, cum Allobroges, et Vmbrenus ad pontem Miluium deprehenſi, Romam ad Ciceronem reducti ſunt. Id dicit Cicero in tertia Inuectiua: Mihi, inquit, gratiæ uerbis ampliſſimis aguntur, quòd uirtute, conſilio prudentia mea Reſpub. periculis ſit maximis liberata. Ab eodem Senatu, ad omnia puluinaria ſupplicatio Ciceroni decreta eſt. Quirites hortatur Cicero, ut celebrent illos dies cum coniugibus ac liberis, ut idem in eadem Inuectiua ſcribit. Quam obrem uos dij patrij.] Concluſio eſt, in qua primum iureiurando P. Syllam à coniurationis ſcelere liberat. deinde affectum miſeri[redacted] iudicibus mouet. O dij patrij, ac Penates.] Seruius libro Commentariorum in Aeneidos Virgilij tertio ex Varronis ſententia eoſdem eſſe dicit Penates & magnos deos. Magnos autem Deos eſſe dicit, Iouem, Mineruam & Mercuriũ. Macrobius in libro Saturnal. tertio ex P. Nigidij, & Corn. Labeonis ſententia, Troianorum Penates eſſe dicit Apollinem & Neptunum, qui muros ijs feciſſe dicuntur, quos in Italiã Aeneas aduexit. Dionyſius Halicarnaſeus libro primo ſcribit Romæ fuiſſe paruum quoddam & obſcurum templum, in quo Deorum Troianorum imagines poſitæ erant, atque ita inſcriptæ, D. Penates. Erant autem adoleſcentes duo ſedentes, pila tenentes, habitu militari. Macrobius in eodem libro tertio. Penates eos eſſe dicit, per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos animi rationem poſſidemus. Eſſe autem medium æthero Iouem, Iunonem imum aera & terram, Mineruam ſummam ætheris regionem. Idem eoſdem eſſe putat Penates, Deos Romanos, & Deos patrios. Cicero in oratione pro Domo ſua, deos magnos & Penates eoſdem non eſſe ſignificat. Nam poſtquam Iouem Capitolinum, Iunonem reginam, & urbis cuſtodem Mineruam obteſtatus eſt: Vos, inquit, patrij Penates familiareſq; qui huic urbi ac reipub præſides eſtis, uos obteſtor, &c. Integro me animo ac libero.] Id eſt, me non defendere Syllam, eumq; ex coniuratione fuiſſe negare, cauſa amoris. Amor enim animum integrum atque liberum eſſe plerunque non ſinit. Itaque Cæſar apud Salluſtium: Omnes homines, inquit, qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia uacuos eſſe decet. Haud facile animus uerum prouidet, ubi illa officiunt. Vehemens.] Id eſt, ſeuerus. Qua in re hic Cicero dicit ſæpius, Miſericordia ciuium adductũ.] Cicero ut in cauſa Verris ſe potius Siculos defendere, quàm Verrem accuſare dicit, ita hoc loco ſe miſericordia ciuium adductum dicit, ut de coniuratis ſupplicium ſumeret, ut in hoc naturam, in illo morem ſuum retineret. Miſericordia digna multa.] Ea quæ fuit, poſtea enumerat. Auctore Quintiliano libro ſexto, plurimum ualet miſeratio, quæ iudicem flecti non tantum cogit, ſed motum quoque animi ſui lachrymis confiteri. Hæc petentur aut ex ijs quæ paſſus eſt reus, aut ex ijs quæ tum maxime patitur, aut ex ijs quæ damnatum manent: quæ & ipſa duplicantur, cum dicimus, ex qua illi fortuna, & in quam recidendum ſit. His modis maiore ex parte miſericordiam hic Cicero mouet. Propulſandæ calamitatis ſuæ] Id eſt, ut abſoluatur. Quæ habet ornamenta.] Si nullo ornamenta, nulla reliquæ uitæ ſolatia habet, quibus lætari & perfrui poſſit, ſi abſoluatur, nõ confugit Sylla ad Iudices, ut propulſet calamitatem. Credo.] Ironia eſt. Aperientur maiorum imagines.] Morem Romanum fuiſſe ſignificare uidetur, ut cum quis reus damnatus eſſet, maiorum eius imagines clauderentur, tanquam uel calamitate deformatæ eſſent: ſicut ornatum ueſtitumq; reis & damnatis mutare mos erat. Vnius iudicij.] Quo de ambitu damnatus eſt. Id laborat.] Id eſt, id uehementer curat. Hic uos orat Iudices paruus.] Liberos multum ualere ad mouendos affectus, ſcribit Quintil. libris 4. & 6. Et tantum ualent, ut Sergius Galba ad populum Romanum cauſa dicens cum periclitaretur, paruulos filios ſuos & Sulpitij Galli ſanguine coniunctũ filium populo Romano flens commendauerit. Quo concionem ita mitigauit, ut qui omnium conſenſu periturus erat, penè nullum triſte ſuffragium habuerit. auctor eſt Valerius libro octauo titulo, Infames rei quibus ex cauſis abſoluti aut dãnati ſint. Diſciplinarum.] Id eſt, ſcholarum. Vita erepta eſt.] Vita enim Syllæ tam miſera eſt, ut mors potius quàm uita uideatur. Ne corpus eijciatur.] Id eſt, ne damnatus Sylla exilio multetur. uis enim exilio multabatur. Aut quid eſt quamobrem hæc uita cuiquam uideatur.] Ex inſtituto rhetorico miſerationem mouet, primo ex generali cuiuslibet exilij calamitate, quæ tanta eſt, ut uitam adimere uideatur. deinde ex pro[redacted] ſumma fortuna ſic ad infamiã decidit, ut luctus ſpatium & locum imploret, non gaudij. Nuper is homo.] Ex fortuna in qua fuit Publius Sylla, maiorem fortunæ acerbitatem, quam fert, oſtendit. Ex hac itidem oſtendit fortunam grauiorem, in quam Publio Syllæ recidendum ſit, ſi condemnetur. Nuper.] Id eſt, antequam de ambitu Sylla damnatus eſſet. Erat autem plus triennium. Gratia.] Qua ualeret apud multos. Multis enim Sylla gratioſus erat.] Quod fortuna in malis, & cætera.] Ordo eſt, Sylla obteſtatur uos iudices, ne eripiatis ſibi id, quod reliqui fortuna fecit in malis. Id autem eſt, ut liceat lugere calamitatem ſuam, & cætera. Cum fratre.] L. Cæcilio. Te ipſum iam Torquate.] Accuſatoris odia mitigat, ſimul iudicum mouet miſericordiam ex Syllæ miſeria. Expletum.] Id eſt, ſaturum. De hoc uerbo alibi plura ſcripſimus. Honoris contentio.] Id eſt, ambitio. Vt in primo de Officijs: Miſerrima eſt omnino ambitio, honoriſq; contentio. Eodem auctore cum ciuiliter contendimus, aliter ſi inimicus, aliter ſi competitor. Cum altero certamen honoris & dignitatis, cum altero capitis & famæ. Cum honore.] Id eſt, cum Conſulatu. Lucis hanc uſuram.] Id eſt, hanc uitam, qua utitur. ut Actione in Verrem ſeptima. Cur ciuibus Romanis, quos piratæ ceperunt, ſecuri ſtatim percuſſis ipſis piratis lucis uſuram tam diuturnam dediſti? Et pro C. Rabirio Poſthumo: Vos obſecro iudices, & huic optimo uiro, quo nemo melior unquam fuit, nomen equitis Romani, & uſuram huius lucis, & ueſtrũ conſpectum ne eripiatis. Libenter reddiderit.] hanc lucis uſuram ſcilicet: Id eſt, libenter morietur. Tanquam à deo uel à natura hanc uitã accipiamus, quam tum reddimus cum morimur. Fœdiſſimi criminis.] Id eſt, coniurationis. Expellas.] Id eſt, in exilium eijcias. O uolucrem fortunam.] Valla cap. 13: libri ſecundi hoc in loco legit, O uariã & uolucrem fortunam. O præpoſteram gratulationem.] Præpoſterum id dicitur, quod mutato & peruerſo ordine factum aut dictum eſt. Vt præpoſtera uerba Cicero dicit in oratione pro Domo ſua: Delatum eſt ad uos ò Pontifices, & poſt omnium ſermone celebratum, quemadmodum iſte præpoſteris uerbis omnibus obſcœnis, identidem ſe ipſe reuocando dubi-

tans,timens,hæſitãs,omnia aliter ac uos in monimentis habetis, & pronunciauerit & fecerit. Idem præpoſterũ imperatorem, improbum ac peruerſum appellat, L. Piſonem in Oratione in ipſum: Hic cum ſimilem exitum ſpectaret in Macedonia, trophæa poſuit. eaq; quæ bellicæ laudis, uictoriæq; omnes gentes in ſignia & monumenta eſſe uoluerunt, noſter hic præpoſterus imperator amiſſorum oppidorum, & Cæſarum legionũ, prouinciæ præſidio & reliquis militibus orbatæ, ad ſempiternum dedecus ſui generis & nominis indicia conſtituit. Idem pro A. Cluentio, de Staleno: itaque ut erat ſemper præpoſterus atque peruerſus, initium facit à Balbo. Præpoſtera igitur gratulatio, aut peruerſa eſt, ut quæ nimium cito facta ſit. Quid enim erat mali.] Amplificat miſeriam P. Syllæ, quæ eo de ambitu damnato ita magna erat, ut fieri maior non poſſe uideretur. Modo uero facta maior eſt, cum de coniuratione accuſatus eſt: quæ maxima erit, ſi damnabitur. Sed iam impedior egomet iudices dolore animi.] Simile eſt illud pro Milone: Sed finis ſit. neque enim præ lachrymis iam loqui poſſum. Oratorem uere affectum eſſe debere, qui alijs affectus mouere uelit, Quintilianus docet. Reiectione interpoſita.] Facta iudicum ſortitione, licebat accuſatori & reo ex eo numero reijcere, quos ſibi inimicos, aut aliqua ex re incõmodos fore putarent. Ex moribus autem ac fama iudicum eorum: quos aut reijciebant, aut retinebant. ſolebat populus Rom. coniecturam facere qui cauſæ ſuæ confideret, aut qui uellet iudices corrumpere: deinde fiebat ſubſortitio aliorum iudicum, in locum eorum qui reiecti fuerant. Vt ait Aſconius in 2. Actionem in Verrem: L. Torquatus multos ex iudicibus reiecit, quos ſibi commodos fore non putabat. Eorum in locum facta eſt ſubſortitio. Hos ſubſortitos iudices appellat repentinos. Reiectione.] Id eſt, ut uulgo dicunt, recuſatione iudicum. Nihil ſuſpicantibus nobis.] Nullos enim iudices reiecimus, quia cauſam noſtrã deſperabamus. Ab accuſatoribus.] Id eſt, à Torquato, Cornelio, alijſq; qui accuſationem adiuuerunt. Ad ſpem acerbitatis.] Sperabant enim uos fore acerbiore. Iudices in P. Syllam. A fortuna.] Sortitionem enim, & ſubſortitionem fortuna regit. Accuſatorum ſpem de iudicibus iniquam, Syllæ æquam eſſe ſignificat, ut Syllæ magis conciliati ſint. In improbos.] Coniuratos. Innocentes.] Syllæ. Quæ per hos menſes.] Id eſt, paucis his menſibus. Significat autem hanc Syllæ cauſam paucis menſibus poſt Ciceronis conſulatum actam fuiſſe. Lenitate.] In P. Syllam. Virtutis.] Id eſt, magnanimitatis. Non eos eſſe uos.] Vos non eſſe tales. Deuenire conuenerit.] Id eſt, ut uulgo dicunt, ad quos ſe dirigere debuerint. Eſt autem conuenerit imperſonale. In repub. coniuncti.] Id eſt, Senatores ſumus. Cum equitibus itidem coniunctus erat Cicero.

## IN EANDEM PRO P. SYLLA ORATIONEM SCHOLIA [redacted].

[redacted] PRAELEGENTE EXCEPTA.

### ARGVMENTVM.

RATIO eſt generis iudicialis, ſtatus coniecturalis. quæritur enim, utrum Sylla fuerit coniuratus Catilinæ. Cicero defendit, non fuiſſe. & conſumitur oratio, ut fit in reſpondendo, magna ex parte in confutatione argumentorum, quæ aduerſarij obiecerant. Confirmationis loci duo tantum ſunt, ex teſtibus, & natura ſeu moribus Syllæ: & hic extremus locus ualde ornatus eſt uerbis & ſententijs. cum autem in cauſa facili & plana oratio perſpicua ſit, & habeat alicubi aſperſos locos communes, plurimum confert lectoribus ad iudicandum de ratione dicendi. Ac primum obſeruandũ eſt, quòd peculiaris in hac oratione perſpicuitas eſt. deinde obſeruabis, prudenter diſtributa ſingulas partes in tota oratione. tertio, additas eſſe locis communibus amplificationes. Porrò hic Publius Sylla fuerat antea in petitione conſulatus, in iudicio ambitus condemnatus, cum accuſaſſet eum pater Torquatus. Poſt annos aliquos filius Torquatus paternas inimicitias perſequitur. & Syllam olim conſulatu deiectum rurſum accuſat, & criminatur cum cum Catilina coniuraſſe, ut ille miſer exilio aut morte puniretur. Fuerunt autem coniurationes duæ, ut & Salluſtius ſcribit: quare Sylla accuſatur, in utraque coniuratione fuiſſe: & ita defenditur, ut Hortenſius de priore, Cicero de poſteriore coniuratione dicat. Exordium duos locos habet, prior eſt uotum, cui additur inſinuatio. quia enim dicendum eſt Ciceroni pro Sylla, cum erga alios coniuratos inclementior fuerit, initio purgat ſuſpicionem crudelitatis. ſignificat ſe antea per occaſionem fuiſſe ſeueriorem, nunc uero gaudere ſe, quòd ſit oblata occaſio declarandæ ſuæ erga ciues miſericordiæ atque lenitatis. Alter locus continet rationem, cur defendat Syllam. uidebatur enim inconſtanter facere, quòd nunc defenderet reum coniurationis, antea uero ſeueriſsime in eiuſmodi reos animaduertiſſet. & nulla futura erat fides defenſionis, ſi Cicero uideretur inconſtans. Itaque initio cogebatur rationem reddere officij ſui. Ac primum nihil allegat niſi exemplum aliorum qui una defendebant. Infra uero addet rationem firmiorem, quòd ideo defendat, quia iudicet innocentem eſſe.

ET antea.] Scilicet in iudicio ambitus, lege Calphurnia. Vtinam iſte meus amicus antea non fuiſſet condemnatus in iudicio ambitus Et poſt calamitatem.] Id eſt, poſt condemnationem: quia fuit quietus hactenus, æquũ erat ſinere iſtum, & concedere illi otiũ. ſunt autem breuia enthymemata. Tum ſingulari Antronij.] Quaſi diceret, non fuiſſet condemnatus, niſi habuiſſet ſocium ambitus Antronium cui propter ſcelera erant infeſti iudices. Aliquid mali propter uitium malum. Haberet quoſdam.] Id eſt, Torquatum. Et quoniam L. Torquatus meus familiaris.] Secundus locus, qui continet rationem ſui officij. in quo exemplis aliorum ſe tuetur. Quo quidem genere.] Id eſt, de me non dicerem, niſi aduerſarius mihi imponeret hanc neceſſitatem. Meum denique grauius eſſe iudicium.] Scilicet quàm aliorum. Id eſt, debeo'ne ego grauius & diligentius expendere, qui mihi ſit defendendus reus, quàm Hortenſius Lucullus, &c. Ita inquit.] Occupatio: diſſimile eſt, etiam ſi alijs licet defendere, illos tamen tibi non licet, qui patefeciſti coniurationem. Quæro illud etiam.] Redit ad exempla. Non enim una eſt ratio.] Id eſt, non tantum orator defendit, ſed etiam alij qui adſunt in iudicio, etiamſi tacent, tamen ſua auctoritate uidentur tueri aliquem. Pro ſua parte.] Etiamſi non dicant, ipſi tamen taciti auctoritate ſua tuentur. An uero.] Excuſat locum. eſt enim hoc iudicium apud centum uiros factum. ſubſellia ſunt minorum magiſtratuum: ſellæ curules maiorum, aut honoratorum magiſtratuum. An uero in quibus.] Repetitio ſuperioris ſententiæ: Si illis licet, & mihi licet. At ut intelligas Torquate quem, & cætera] Amplificatio per inuerſionem, quaſi dicat, Tu Torquate contendis quòd non liceat adeſſe coniuratis, id fatemur: non igitur affuimus alijs huic adſumus:

igitur

igitur ſentimus eum nō fuiſſe coniurationis ſocium. Quis noſtrum ad fuit.] Alijs non adfuerunt, huic adſunt. Non enim iam ſe ulla.] Illa breuis oratiuncula ſumpta eſt ex loco communi. Nulla debet nobis eſſe ſocietas cum illis qui pacem publicam conturbant. Tanto ſcelere cōmiſſo.] Concitata ſeditione. Si neceſſarij.] Id eſt, propinqui. In alijs cauſis defendimus nocentes, in ſeditione non defendimus. Hanc mihi tu ſi propter.] Breuis purgatio crudelitatis. Quare nihil eſt.] Concluſio exordij, ſeu argumenti, ab exemplo: Ergo ſicut alijs licet defendere, ſic mihi licet.

BREVIS RATIO RETEXENDI EXORDII.

Ratio cur ſuſceperit defenſionem ex loco communi ſumitur, ut liberet ſe ſuſpicione crudelitatis, & ut oſtendat ſe iure uehementem fuiſſe erga improbos, & lenem erga bonos. Poſtquàm Sylla dignitate ſpoliatus eſt, nunc etiam de uita periclitatur. ſuſcepi eius defenſionem, ut oſtēderem me qui aduerſus improbos uehemens fui, erga bonos lenem & miſericordem eſſe. Excuſatio inconſtātiæ. Quòd autem Torquatus defenſioni meæ fidem detrahere conatur, propterea quod parum conſtans uidear, qui cum antea erga coniuratos acerrimus fuerim, nūc in ſimili cauſa hunc defendam: primum ratio facti mei exponenda eſt, ut et ſuſpicione inconſtantiæ liberer, & ad defenſionem plus auctoritatis adferam. Ac primum exemplum me tuetur, tum Hortenſij, tum aliorum qui huic in iudicio adſunt. quod ſi his licet defendere reum coniurationis, licebit idem mihi. nam reſpub. nō magis ad me pertinet, quàm ad iſtos. Nec ideo arceri ab hac defenſione debeo, quia patefeci coniurationem. nihil enim intereſt inter hunc qui patefecit, & alios qui reſiſtunt. ſed ſimiliter turpe eſt omnibus defendere coniuratos, ſi ſciant factam eſſe coniurationem. Inuerſio. At hi non defuerunt alijs in iudicio, quia cognouerant eos contra rempub. coniuraſſe: quare nunc cum Syllæ adſint, intelligi poteſt eos non male ſuſpicari de iſto. Quare nec mihi turpe eſt hunc defendere, niſi ego unus debeo inhumanior eſſe cæteris. Duæ coniurationes.] Propoſitio de duabus coniurationibus. Priorem reijcit ad Hortenſium: alteram planè inficiatur. negat enim Syllam fuiſſe coniuratum. Patris tui.] Reiectio. Patris tui.] Id eſt, qui inquiſitionem prioris coniurationis fecit. In primis Q. Hortenſius.] A' teſtibus, Craſſo, Lucullo, Hortenſio. Circumſtantiæ in hoc argumento notandæ, quæ ſit teſtium auctoritas, fides & dignitas. Mei conſulatus.] Tranſitio ad ſecundam propoſitionem. Qui cum propter honorem.] Hortenſius poteſt eſſe teſtis de prima coniuratione, non tātum defenſor, quia ipſe interfuit omnibus actionibus. Multa cum eſſem.] Inficiatio, qua negat obiectum crimen. Multum hac nox.] Admiſcet locum Ciceroniſ, qui ad ſuam perſonam & conſilia ſua pertinet. Sylla ſi ſibi.] Id eſt, Sylla æquo animo tulit ſe condemnari, nihil mouit. Expectatus foris.] Vt ſe cum exercitu adiungeret coniuratis. Colligit ſigna ἄτεχνα ex quibus probat diſſimilitudinem Syllæ & Antronij. Vbi neque homines.] Id eſt, Neapoli nulli ſunt turbulenti ciues. Propter hanc.] Concluſio ἐνθυμήματος. Sunt diſſimiles, ergo ego me diſſimilem præbeo. Atque idem ego neque.] ἀντίθεσις. Sicut ergo, non poſſum defendere Antronium, ſic non poſſum non defendere Syllam. Hic ait ſe ille.] Reſpondet per inuerſionem: Ego conſul non regnaui, ſed prohibui regnum. Ad aliud argumentum reſpondit per cōmunicationem, qua culpam cum Torquato communicat, qui ipſe quoque narrationi iudicum interfuit, & poſtea de illis teſtis fuit. Si uerum.] Quia qui uerum dicit, non regnat, ſed legibus obtemperat. Is'ne cui innocentes.] Inuerſio. Imo tu Rex, hoc eſt, Tyrannus es, qui poſtulas homines innocentes tibi non reſiſtere: ego non ſum rex, quia innocentes defendo. etiam.] Alia confutatio de peregrinitate. Quàm

Ad hæc

conſulentis.] Id eſt, ſi ſum peregrinus, etiam conſul eſſe non poſſum. Porrò municipiū eſt, quod capit onera cū urbe Roma, & non honores. Itaque ſoli Romani ciues, et illi qui in colonijs erāt, capiebant Romæ honores, & conſulatum ac prouincias. Tertium genus erat uectigalium, qui tantum parebant, & tributa dabant, & erant ſerui. Multi autem reuera ciues in municipijs habitabant. Vnde iterum iam ſalus.] Quia duos præſtantes ciues habuit Marium & Ciceronē, ego ſeruaui urbem extincto Catilina, Marius uero delectis Cymbris. Nemo enim iſthuc. Tuetur ſe exemplis. nihil eſt noui, Romæ eſſe ciues ex municipijs. Quorum iam & nomen.] Id eſt, qui ſumus nati ex ciuibus, quanquam habitem in municipalibus locis. Contendunt.] Scilicet de pręture. Niſi forte regium tibi.] Amplificatio ex definitione rem aliter definit, quàm uulgo ſolet definiri. ſicut in alio loco definit popularem conſulem: ille eſt popularis, qui pacem imperij tuetur, &c. Ego tantis ante.] Opponit inuidioſe appellationi regis tres locos. Primum ſuos labores: deinde à periculis ſuis, & maxime ab illis, quæ ab improbis impendent: tertio, ab illis quæ impendent ab alijs. Igitur liberat ſe ſuſpicione, opponens regno quæ ei ſunt contraria, uidelicet quod ultro ſuſcipiat maximos labores, & propemodum ſe in ſeruitutem conijciat. Quis non concederet.] Id eſt, ego ultro ſuſcipio labores, quia reſpub. concederet mihi otiū ſi uellē ſi ultro facio, ergo non ſum rex. Requirunt.] Id eſt, ſi non deſum amicis. Tamen hoc regium appellas.] Cum rectius appellaretur ſeruitus. Inueniri nemo poteſt.] Cuiuſmodi regnum nemo petat. Si quæris qui.] ἀντικατηγορίαν, ſignificat Manlium affectaſſe regnum: ex illa enim gente erat Torquatus. Res enim geſta credo.] Secundus locus. opponit periculo regno: Ego ſum in magno periculo propter res meas geſtas: ergo nihil amplius periculi accerſere uolo. Niſi uero paucos.] Opponit pericula, quæ impendent ab improbis. At uero quid ego.] Opponit pericula, quæ impendent à bonis. Qui cum ſuppreſſa uoce.] Reprehendit aduerſarium, et quod oblitus decori cum contra coniuratos dicat, uideatur fauere coniuratis: & aſpergit eum obiter ſuſpicione, quaſi aſſentetur multitudini. Qui ea probatis.] Scilicet, quod uituperantur coniurati. Et queribunda uoce.] Vt uideretur deplorare interitum talium utrorum in gratiam uulgi. Is tribunus pl.] P. Clodius. Sed reprehendo.] Breuis obiurgatio. Ecquem tu horum. Plurimi ciues cupiunt tranquillam eſſe rempub. illi te quoque uituperabunt, quòd uideris fauere coniuratis. An uero clariſſ.] Sumptum argumentum ab exemplo. Vt in cæteris fit.] Auctoritatem diſciplinæ militaris. Adeſte omnes.] παῤῥησία, quâ commemorat & prædicat res geſtas ſui conſulatus, & orditur uelut in poemate.] An me exiſtimaſti.] ἐπιφώνημα. In maxima concione.] Quando abdicabam me conſulatu. Atque etiam illud.] Communicatio ironica. Signifer iuuentutis.] De Bruto Germanico, & C. Cæſare legimus, quòd fuerint principes iuuenes: & dicuntur illi, quibus conſul aut ſummus magiſtratus ſignum tradit. Vide ne.] ἐπιφώνημα εἰρωνικόν. Sed iam redeo.] Tranſitio. tota hæc diſputatio propemodū nihil pertinebat ad cauſam Syllæ. Hic reddit rationem, cur illis locis uſus ſit. Allobrogibus.] Confutatio. Refutat argumentum per diſtinctionem, quòd Allobroges interrogauerint de Sylla, non affirmauerint. aliud eſt interrogare, aliud affirmare: et in teſtimonio requiritur aſſeueratio. Quis negat. Sylla.] Id eſt, ſūcedo Syllæ indiciū, quod de Sylla interrogauerit. De quibus illi aliquid.] Quod neque Caſſius aſſeueret. Etiā ne arbitror.] Id eſt, quàm maxima uelle iſtos nominare, quorū mentione cōmouere Gallos poſſet. Sed ego in iudicijs.] Id eſt, aſſeuerationem requiro in teſtimonio. Verū ſubleuat.] Quod prodeſt Syllæ. Quid ita ne indicentur.] Id eſt, Caſſius ideo nō iudicat Syllā, ne Galli pro

dant Syllam. Si periculum eſſe.] Si Caſſius putaſſet proditureos, quenquam nec ſe nec alios indicaſſet. Atque hoc perſpicuum eſt.] Inuerſio. Sumit enim argumentum pro Sylla, ex ipſo Caſſii reſponſo, quod obiecerat aduerſarius. In iudicio.] Id eſt, nihil eſſe aſſeuerat. Excluſus hac criminatione.] Confutatio ſecundi argumenti de fide publicarum tabularum. Et eſt inficiatio, cui facit fidem per teſtes. O' dij immortales.] Tranſlatio, quòd ipſe non prouiderit, ſed deus potius, quæ neceſſaria fuerint. Vidi ego hoc.] Cauſa quare adhibuerit teſtes. Sed tamen abs te.] Reprehenſio ſumpta ex occaſione. quare tunc non reprehendiſti iudiciũ, cum eſſet perſcriptum. Nunc ſera eſt reprehenſio. Tuus inimicus.] Id eſt, Syllæ. Aliter fieri [] Id eſt, falſum ſcribi. Mihi cuiuſquam ſalus.] Veriſimile ex periculo Ciceronis. Fero ego te] ἀποδίωξις. Neque uero quid mihi.] Amplificatio à cauſa, quare Torquatus ſuccenſeat Ciceroni. Ac ſi conſiderare.] Collatio ſui facti, & Torquati inuerſiones adhibentur. An uero cum honos agebatur.] Ab exemplo, quod nõ debeat defendenti aduerſariũ ſuccenſere. Honos ampliſſ.] Quia Sylla & Torquatus pater certabãt de conſulatu Sylla uictus, alter conſul factus eſt. Vt mollius.] Ratio ex ſententia. Et erat huic iudicio.] Amplificatio ex maiore. In iudicio patris tui periclitabatur honos patris. In tuo iudicio extremũ periculũ Syllæ uertitur: ergo tu minus debebas iraſci defendẽtibus Syllã. Veteri exẽplo.] Nemo reprehẽdit. Pater non eſt iratus iſtis qui defenderunt Syllam. Ego uero quibus.] Altera pars collationis. At accuſat C. Cornel.] Tertium argumentum, quòd Sylla cum Autronio uoluerit interficere Ciceronem. ad quod reſpondet Cicero per inficiationem, & locum ab impoſſibili. Porrò index dicitur honeſte, et proditor turpiter. ut ſi quis efferet improborum hominũ ſcelera, dicitur index. Ac ſi pater indica.] Id eſt, qui etiam indicauerat reliquos coniuratos. O' patrem.] Qui confitetur ſuam turpitudinem, nec lædit aduerſarium. Qui quod præmij, &c.] Diffidens cauſæ. Comitatum Autronij.] Scilicet indicat. Sin ut ais illum.] Inficiatio ab impoſſibili, quia abfuerit Cornelius. Adumbratum.] Id eſt, ſimulatum. Quid tandem de illa.] Recriminatio aduerſus Cornelium. Quid ergo indicat.] Alia inficiatio, de emptis gladiatoribus. Arrepta eſt familia.] Iterum uerba Cornelij. Quæ ſi eſſet prætermiſſa.] Quaſi dicat, quid opus fuit nouos gladiatores comparare, & tam inſtructos, cum alij minus inſtructi poſſent in ludis ſatiſfacere. Vtinam quidem hæc ipſa.] Id eſt, hæc familia uix poteſt ſatiſfacere in ludo, tantum abeſt ut aliquem tumultum excitare poſſit. Properat uehementer.] Verba Cornelij. Profert.] Alij Præfuit legunt. At enim Cincius.] Confutatio quarti argumenti, de Cincio miſſo in Hiſpaniam. Magna ratione.] Scilicet pecuniaria id eſt, magno ære contracto, quod uidelicet ex Mauritaniæ debuerit ipſi Cincio. At hæc ipſa per ſe.] Id eſt, per ſingulos. uerba Cornelij. Ipſe autem Cincius.] Secundũ argumentum à perſona Cincij. Finitimi ac uicini.] In bello Indico. A' quo quidem genere.] Maior huius probationis. Illud erat genus hominum.] Id eſt, qui ſimul grande æs alienum contrahebant, & tamen non diſſoluebant, ſed retinere ſuum ſplendorem & poſſeſſiones uolebant. ἀντίθεσις.

Iam uero quod ſubijcit.] Aliud crimen de Pompeianis ſollicitatis à Sylla cõtra rempub. Cõfutat à teſtibus & fauore utriuſque partis. Iam uero.] Confutatio quinti argumenti: quòd Pompeianorum coloniam impulerit in ſocietatem cõiurationis, diluit per inficiationem. Pompeianos eſſe.] Nouos colonos in oppido Pompeijs. A' colonis.] Id eſt, à ueteribus ciuibus eius oppi. Colonorumq;] Id eſt, iſtorum qui nouis ciuibus tanquam dominis colebant agros. Pompeiani.] Id eſt, noui ciues eò deducti. Et de ſuffragijs ſuis.] Antea in petitione conſulatus Syllæ aduerſati ſunt à colonis, Põpeiani ſuffragati ſunt pro Sylla. At ne hæc quidem.] Quia Pompeiani in alienas poſſeſſiones deducti ſunt, propter uictoriam ciuilem Syllæ. At enim & gladiatores.] Sextũ argumentum, quòd Cæcilium adiuuerit, ferentem rogationem pro ambitu. At enim & glad.] Aliud crimen de promulgatione Cæcilij, contra legem Caſſiam, de qua Aſconius in Corneliana. Lex à C. Caſſio Tribuno pl. C. Mario & L. Flacco Conſulibus ad minuendam nobilitatis potentiam lata eſt, ut quem populus damnaſſet & cuius imperium abrogaſſet, is in ſenatu non eſſet. contra hanc legem. L. Cæcilius Trib. pl. poſtea interceſſit, quia contra C. Cæcilium fratrem ſuum ab infeſto Trib. plebis Caſſio lata erat. Q. enim Cæcilio re in Cimbros male geſta, imperium conſulare erat abrogatum. Arguebat ergo Syllam Torquatus, quaſi & ipſe damnatus de ambitu, una cum L. Cæcilio contra legem eam & contra Rempub. rogationem illam adiuuiſſet. ſed utrunque Cicero excuſat ab euentu, nihil pertinaciter neque Cæciliũ neque Syllam aut contra Rempub. interceſſiſſe, aut feciſſe tollenda lege. Vt ſtatueretur.] Id eſt, ne res iudicatæ & legibus ſancitæ ne irritæ fierent. Sed legi uitium.] Nam uoluit quoque Cæcilius ſeruari legem de ambitu, & legem Caſſiam: ſed tamen ſeueritatem legis non nihil mitigari. reprehendit promulgationem eã, ſi uideretur cõtra leges, & contra rempublicam. Comparabantur.] Id eſt, tu dicis eum gladiatores comparaſſe, ut adiuuaret Cæcilium in perferẽnda rogatione de tollenda pœna ambitus. eſtq; conceſſio, poſtea addit correctionem. Auctoritate deductus.] Id eſt, Sylla dehortante. Atque in ea re.] Inuerſio: tu accuſas eum quòd noluerit ferre legem: ego uero laudo. ſequuntur rationes. Primum.] Scilicet Sylla laudandus eſt, quòd dehortatus eſt fratrem, ne lex perferretur. Iudicatis rebus.] Id eſt, auctoritate iudicatarum rerum, ne ſententiæ reuocentur. Nihil de iudicio.] Excuſatio Cæcilij. tantum legem oppugnabat non accuſabat ſententiam latam ſecundum legem. Conſtitutæ.] Scilicet ante legem latam in conſulatu Ciceronis, cum aucta eſt pœna ambitus. Dicerem fortaſſe.] Confeſſio cum excuſatione. Ex humanitate communi.] Scilicet quia fratrem tuebatur. Prius.] Scilicet ſtatim ubi eſt abiecta mentio legis. Illam rogationem.] De pœna ambitus tollenda. Largitionibus.] Agrarijs. Domeſtici officij.] Id eſt, poſtquam fratrem aliquantulum defendiſſet. Socio.] Scilicet condemnationis de Ambitu.

Hic tu.] Confutatio ſeptimi argumenti, quod ex epiſtola uidebatur ſumptum eſſe, & eſt inficiatio. De quo.] Scilicet, Vtrum uoluiſſet tuum patrem Torquatum occidere. Neque enim iſtorum.] Scilicet occidendi conſulis, inflammandæ urbis, interficiendorum ciuium. Diſſolutis.] Id eſt, poſtquam reſpondi ad argumenta, quæ obiecta ſunt. Etenim de principio.] Confirmatio inficiationis, ducta ex ſignis, uidelicet, ex moribus P. Syllæ. & eſt rhetorica collatio immaniſſimi ſceleris, & modeſti ingenij. iuxta illud, Format enim natura nos prius ad omnem fortunæ habitum. Circumſpicite paulliſper.] Contraria exempla propter amplificandam maiorem. Agendum conferte.] Minor: ſed Sylla ſemper fuit moderatus. Quod fecit.] Deprecando, & non perdidit. Quod potuit.] Scilicet, perdere multos. Quæ ita à fortuna.] Id eſt, moribus et natura nullum improbitatis ſignum cernitur, ſed damnatio hanc fortunam corrumpere uoluit. Vna eripuit hora.] Scilicet condemnationis. Quod uidetur eius uis.] Quod potuit cadere in uirum bonum & moderatum, conueniebat cum eius moribus optimis & humaniſſimis. Cupidior iudicatus.] Quaſi dicat, non improbus. Poſtea uero quis P.] Signa moderationis in aduerſa fortuna. Niſi merentem.]

tem.] Quaſi dicat, nihil molientem contra rempublicam. Cum lege retineretur.] Id eſt, non fuit proſcriptus. Explicata.] Id eſt, conſpicua. Non inquam cadit.] Concluſio. Noua quædam.] Amplificatio & hyperbole: non fuerunt homines, ſed belluæ. Deſcriptio hominum ſeditioſorum. Locus communis. Reperietis.] Ergo non fuit humanus conatus, ſed potius immanitas quædã, quæ longe omnem barbariem uincit. Vbi erit igitur.] Amplificatio. ſi unquam prodeſt uita modeſte acta, maxime debet aduerſus talia crimina prodeſſe. Quæſtiones nobis.] Collatio tormentorũ & ipſius uitæ P. Syllæ. opponit indicio ſeruorum uitam Syllæ. Natura cuiuſque.] Vt quiſque eſt fidus uel infidus, uel fortis, uel imbecillis, ita reſpondet. Regit quæſitor.] Qui callida interrogatione decipit. Libido.] Id eſt, odium. Circunſtantiæ extenuant fidem quæſtionis. Sed tamen ſi nihil.] Amplificatio, quòd ad exemplum pertineat, ut ratio habeatur uitæ anteactæ. Sed in magnis.] Id eſt, prodeſt bonis uiris conſiderare anteactam uitam, quia ipſi quoque contra ſubita crimina & ſubitas ſuſpiciones tuentur ſe exiſtimatione anteactæ uitæ. Valeat.] Scilicet uita, exiſtimatio. Quid uero hæc auctoritas.] Opponit teſtimonium ſuum & aliorum conſularium. Coniurationis cauſis.] Id eſt, nullum ex coniuratis defendi, hunc defendo, ergo, &c. Graue ſi.] Correctio quædam. ſi tantũ ſumimus nobis ut illi habeantur innocentes, quos ego defendo, rurſus, ut iſti habeãtur rei, quos ego accuſo. Nulla tamen patebat.] Id eſt, tunc affuerunt Catilinæ, priuſquam patebat coniuratio. Sin illa res prima.] Si propter primum iudicium non affuit, nec in poſteriore adeſſe debuit. Communis eſt laus.] Scilicet quòd omnes fuerunt aſperi contra coniuratos. Sed quid ego.] Redit ad ſuum teſtimonium. Si medius fidius.] Facit uiriſimile teſtimonium, quia odiſſet Syllam, ſi inſidias feciſſet uitæ ſuæ. Quid ergo.] Occupatio, qua occurrit inuidiæ, & allegat neceſſariã cauſam, cur auctoritas ſua ualere debeat. Dicere in iudicio.] Quia eſſet præiudicium quoddam. Sed pudori meo.] Id eſt, propter conſtantiam meam hoc dico. Quamobrem.] Peroratio, repetitionibus & affectibus conſtans. Obteſtatio. Præcipitanti.] Id eſt, ruenti. Neque enim nunc propulſi.] Id eſt, ipſe ſatis calamitoſus eſt, propter priorem condemnationem. Vnius iudicij.] Scilicet prioris de ambitu. Pateat.] Id eſt, oſtendat te eſſe expletum. Nos & reiectione.] Cum Torquatus reieciſſet quoſdam iudices. De uenire.] Ne ex pacto conſtitui & ſubornati uideamini, ad perdendum Syllam.

## IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO A. LICINIO ARCHIA POETA FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

AVLVS Licinius Archias Antiochiæ natus, poeta Græcus, ingenij gloria præſtabilis, in Italiam uenit, quæ tum Græcarum diſciplinarum plena erat. Itaque hunc Tarentini, Rhegini, Locrenſes & Neapolitani ciuitate donauerunt. Poſtea Romam C. Mario & Q. Catulo Coſſ. uenit. Eum Luculli domum ſuam receperunt, quem alij quoque uiri clariſſimi coluerunt. Satis longo interuallo cum L. Lucullo prætore in Siciliam profectus eſt: inde cum eodem Lucullo decedẽs uenit Heracleam, quæ ciuitas cum populo Romano fœderata erat. Aſcribi ſe in eam ciuitatem uoluit: id cum per ſe, tum Luculli gratia ab Heracleenſibus impetrauit. Poſtea Romana ciuitate Syllani & Carbonis lege donatus eſt: quæ erat, ut ciues Romani eſſent, qui ex fœderatis ciuitatibus aſcripti fuiſſent, ſi tum cum lex ferebatur in Italia domicilium habuiſſent, & ſi LX. diebus apud Prætorem profeſſi eſſent. Hunc Archiam iam ſenem, quidam nomine Gracchus accuſauit, quòd cum ciuis non eſſet, ſe pro ciue gereret. Eum ciuem non eſſe probauit, quòd Heracleæ aſcriptus non eſſet: id enim in publicis Heracleenſium tabulis ſcriptum eſſe negabat, quòd domiciliũ in Italia non habuerit, quòd apud Prætorẽ profeſſus nõ ſit, quòd à Cenſoribus cenſus non fuerit. Hũc autem Cicero hac oratione defendit, quia eo præceptore primo puer uſus fuerat. Oſtendit igitur, eum in ciuitatem ab Heracleenſibus aſcitum fuiſſe, & credendum potius Lucullo & Heracleenſibus id confirmantibus, quàm tabulis, ſi extarent: quæ tamen bello Italico exuſtæ fuerant. Domicilium Romæ eum habuiſſe, & profeſſum eſſe apud Prætorem Q. Metellum probat. Quòd à Cenſoribus cenſus non fuerit, id purgat. Cur tantopere Archia delectetur, quæ cum ex alijs ſtudijs, tum maxime ex poeticis & uoluptas & utilitas capiatur, abunde docet. Poſtremo concludit per enumerationem. Genus cauſæ iudiciale: Status coniecturalis eſt.

SI QVID eſt in me.] Solet Cicero in principio defenſionum, honeſtam aliquam cauſam afferre, cur ad defendendum deſcenderit: ne deſcendiſſe uideatur aut aduerſarij odio, aut gloriæ cupiditate, aut ſpe quæſtus. Idq; in accuſatione faciendum eſt diligentius. Quod ſentio quàm ſit exiguum.] Eloquentiæ iactatio turpiſſima oratori eſt. Itaque eam a ſe Cicero amolitur. Auctore Quintil. lib. 11. Eloquentiam quidem cum pleniſſimam aduerſæ partis aduocatis Cicero concederet, ſibi nunquam in agendo immodice arrogauit. Illius ſunt enim: Si quid eſt in me ingenij iudices, quod ſentio quàm ſit exiguum, &c. Nam quo minus ingenio poſſum, ſubſidio mihi diligentiam comparaui. Negat quoque Cicero in lib. Tuſcul quæſt. 1. ſe ferre moleſte, quòd ingenioſus non ſit, nam melancholicus non eſt. Omnes enim melancholicos eſſe ingenioſos, Ariſtoteles tradit. Id autem eſt in Problematum Ariſtotelis libris. Si qua exercitatio dicendi.] Quæ ad dicendi facultatem ualet plurimum. Vſus enim dicendi magiſter optimus eſt, ut ait Cicero de Oratore. Huiuſce rei.] Id eſt, dicendi. Optimarum artium.] Et præcipue philoſophiæ, quæ rationi dicendi confert plurimum. Nullum ætatis meæ tempus. Cicero adoleſcens philoſophiæ operam dedit. Poſteaquam ad rempublicam acceſſit, quod otij ſupererat, id eiuſdem philoſophiæ ſtudijs impertiebat: ad extremum republica Cæſaris dominatione occupata, dum cauſæ forenſes & Senatoriæ conticuerunt, ad eandem philoſophiam totum ſe retulit. Mens mea.] Animus enim eſt quo ſapimus, mens qua meminimus. Vltimam.] Id eſt, primam: ut in lib Rhetor. ad Herennium 1. Si non ab ultimo initio repetere uolemus. Inde uſque.] Id eſt, uſque ab eo tempore. Principem.] Id eſt, auctorem. Ingrediendam.] Id eſt, aggrediendam & inchoandam. Hæc uox.] Mea Hortatu præceptiſq;.] Diſcipulos enim præceptores rebus illis duabus potiſſimum inſtituunt, hortatu & præceptis. Conforma

ta.] Id eſt, formata. ut deformatos fructus appellat Quinctilianus, eos qui delapſis floribus iam formati exiſtunt. Inde uſus tranſlatione lib. 9. eſt: Sed iam decimum ætatis ingreſſus annum, certos atque deformatos fructus oſtenderat. Inde probari poteſt illud præceptum Quintil. lib. 1. A' ſermone Græco, inquit, puerum incipere malo, quia Latinus, qui pluribus in uſu eſt, uel nobis nolentibus ſe perhibet: ſimul quia diſciplinis quoque Græcis prius inſtituendus eſt, unde & noſtræ fluxerunt. Idem præcipit à poetis auſpicãdum, et protinus utendum eſſe præceptore optimo. Hæc omnia à ſe ante facta Cicero hoc loco oſtendit, qui A. Licinio Archia Græco poeta doctiſſimo primam operam dedit. Quo cæteris opitulari.] Nam uis eloquentiæ patet latiſſime. Hac enim, ut ait Cicero libro de Oratore ſecundo, cohortamur, hac perſuademus, hac cõſolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac geſtiẽtes comprimimus, hac cupiditates iracundiaſq; reſtinguimus: hæc nos iuris, legũ, urbium ſocietate deuinxit, hæc à uita immani & fera ſegregauit. Alios.] Id eſt, reos. Alia quædam facultas.] Id eſt, poetica. Nam poeta erat Archias, Cicero orator. In hoc.] Archia. Neque hæc dicendi ratio.] In Archia fuit, ſcilicet. Nec nos.] Oratores. Ad humanitatẽ pertinent.] Humanitatẽ Aul. Gellius libro tertiodecimo eſſe dicit, quã Græci παιδείαν uocant: nos eruditionem inſtitutionẽq; in bonas artes dicimus, quòd huius ſcientiæ cura & diſciplina ex uniuerſis animantibus uni homini data ſit. Continẽtur.] Id eſt, coniunguntur: ut lib. de Orat. 3. Eſt etiam illa Platonis uera, & tibi Catule certe nõ inaudita uox, Omnem doctrinam harum ingenuarũ & humanarum artium uno quodam ſocietatis uinculo contineri. Hic eſt ille orbis doctrinæ, quẽ Græci ἐγκυκλοπαιδείαν uocãt: ut eſt apud Quintil. lib. 1. In quæſtione legitima.] Id eſt, in cauſa cõſtituta. Quæſtionem hoc loco pro cauſa habente controuerſiã dicit. Aliàs quæſtionem, legem, aut iudicium pro eadem re Cicero dicit, pro Milone. Inde conſtituere quæſtionem, legem, aut iudicium dicimus, pro eo quod eſt decernere, & ut ita dicam, commiſſionem dare uocandi quenquam in iudicium. In iudicio publico.] Quæ publica, quæ priuata ſint iudicia, alio loco ſcripſimus: uti etiam ſcripſimus de eligendis iudicibus, de eorum ſortitione, de quæſitore, de prætore, qui cauſæ præeſſet. Lectiſſimum uirum.] Id eſt, clariſſimum & nobiliſſimũ: ut pro M. Fonteio, Num etiã de matris hunc complexu lectiſſimæ miſerrimæq; fœminæ nobis inſpectantibus auellet atque abſtrahet? Seueriſſimos.] Apud quos nullus ſit lenitatis, clementiæ, & miſericordiæ locus.] Hoc uti genere dicendi.] Quod eſt, quietũ, æquabile, temperatum, & penè philoſophicum: quod à forenſi quantũ diſtet, ſignificat Cicero in procemio libri de Officijs primo. Veniam.] Id eſt, facultatem & poteſtatem: ut libro de Oratore primo: Dabis hanc uenia͂ mi frater, ut opinor, ut eorũ quibus ſumma dicendi laus à noſtris hominibus cõceſſa eſt, auctoritatem Græcis anteponã. Dare quoque poteſtatem, idem dicit in Diuinatione: Neque L. Philoni in C. Seruilium nominis deferendi poteſtas eſt data. Facere poteſtatem dici, alibi ſcripſimus. Exercente iudiciũ.] Exercere iudiciũ, pro eo quod eſt, præeſſe iudicio, dici, alio loco docuimus. Liberius.] Quàm in cauſis iudicialibus fieri ſolitũ ſit. In eiuſmodi.] Id eſt, in tali. Perſona.] Id eſt, A. Licinio. Minime in iudicijs periculiſq; uerſata eſt.] Id eſt, in iudiciũ uocata non eſt, cauſam nunquam dixit. Nam ut primũ.] Narratio eſt, quæ docet eũ ab Heraclienſibus aſcriptũ in ciuitatẽ, ideoq; ciuem Romanum factũ eſſe. Ex pueris exceſſit.] Vt in Andria Terentius: Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis Soſia. His artibus.] Vt grãmatica. Ad humanitatem.] Id eſt, ad artes humanas. Informari.] Id eſt, conformari & inſtitui: ut in libro de Officijs primo. Nemini parere animus bene informatus à natura uolt, niſi præcipienti aut docenti, aut utilitatis cauſa iuſte & legitime imperanti. Primum Antiochiæ.] Antiochia Syriæ urbs eſt, diuitijs, magnitudine, hominũ frequentia inter omnes orientis urbes populo Rom. ſubiectas facile princeps: ut ait Procopius lib. 1. de bello Perſico. Loco.] Id eſt, genere. Celebri.] Id eſt, frequenti, & ut uulgo dicũt populoſa. Copioſa.] Id eſt, diuite. Et Tarentini, &c.] Duarũ ciuitatũ ciuis iure ciuili Romanorum nemo poteſt eſſe, ut ait Cicero pro L. Cornelio Balbo: ſed aliarum ciuitatum iure ciuili unuſquiſque multarum ciuitatum ciuis eſſe poteſt. Itaque A. Licinius multis ciuitatibus donatus eſt. Tarentini & Rhegini & Locrenſes legi debere uidetur ex his quæ poſtea dicet. Mario conſule & Catulo.] Hi autem Coſſ. fuerunt bello Cimbrico. Alter ad ſcribendum. &c.] C. enim Marius capto Iugurtha, & deuictis Cimbris, Teutonis & Ambronibus, res maximas ad ſcribendum adhibuit. Tum etiam ſtudium & aures.] Nam Q. Catulus fuit maxime eloquens: de quo Cicero in libro de Oratore tertio: Quid, inquit, iucundius auribus noſtris unquam accidit huius oratione Catuli? quæ eſt pura ſic, ut latine loqui penè ſolus uideatur: ſic autem grauis, ut in ſingulari dignitate omnis tamen adſit humanitas, ac lepos. Quid multa? iſtum audiens equidem ſic iudicare ſoleo, quidquid aut addideris aut mutaueris aut detraxeris, uitioſius et deterius futurũ. Statim Luculli.] Hi ſi fuerunt L. & M. Luculli, tum erant admodum adoleſcentes. Cũ prætextatus etiam tum Archias eſſet.] Id eſt, cum togam uirilem nondum ſumpſiſſet. Ea autem Romæ ſumebatur anno ætatis X V I. uel X V I I. Sed cum ex pueris multo ante Archias exceſſiſſet, pueritia aũt ad annum X V I I I duraret, morem Romanum non ſeruauit: ſed admodum adoleſcentem Cicero ſignificat, ut eũ tantum propter ingenium & doctrinam in Lucullorum domum receptum eſſe oſtẽderet. Iucundus.] Id eſt, gratus, & ut uulgo dicunt delectabilis & placens. ut paulo poſt: Et ipſi illi C. Mario, qui durior ad hæc ſtudia uidebatur, iucundus fuit. A' iuuando iucundum appellatum eſſe, Cicero ſcribit in lib. de Finibus. 2. Iuuare autem, delectare eſt. Q. Metello illi Numidico.] Q. Cæcilius Metellus cognominatus eſt Numidicus, quod Cõſul duobus prælijs Iugurtham fuderit, uniuerſamq; Numidiam uaſtauerit. Hunc autem Lucullorum fuiſſe auunculum, Plutarch. in eorũ uita ſcribit. Et eius Pio filio.] Q. Metellus Numidici filius cognominatus eſt Pius, quod precibus & lachrymis tandem impetrauerit, ut ab exilio pater reuocaretur. A. M. Aemilio.] Scauro. A L. Craſſo.] Oratore, quem Cicero in lib. de Oratore diſputare facit. Druſum.] Vel Liuiũ Druſum intelligit, qui tempore belli Cimbrici Sardiſcos in Thracia Coſ. uicit, uel Druſum eũ qui aliquanto poſt Trib. pl. in ueſtibulo domus ſuæ interemptus eſt: de quo in Milonianam ſcripſimus. ui ſi Druſos, ut in aliquibus codicibus eſt, ut Octauium, non Octauios legere malis. Fuit autem Cn. Octauius is qui Coſ. C. Cinnam collegã leges pernicioſas molientem ex urbe expulit, à quo in bello ciuili uictore cum omnibus ſuæ partis nobilibus occiſus eſt: ut eſt apud T. Liuium lib. 80. Catonem.] Hunc M. Catonis eius qui ſe poſtea Vticæ occidit, patrem fuiſſe arbitror. Interim.] Id eſt, poſtea: quæ in re dicitur cariſſime. Satis longo interuallo.] Id eſt, ſatis longo tempore poſt. In Siciliam profectus.] L. Lucullus quæſtor Aſiam, prætor Siciliã, Coſ. Aſiam obtinuit, cum eo in has prouincias Archias profectus eſt. Heracleam.] Hoc nomine urbes multæ fuerunt. Hæc autem in Italia, ſinu Tarentino fuit. ea autem fuit primum Troia, ſed procedẽte tempore inductis colonis Tarentinis, Heraclea appellata eſt. auctor eſt Strabo lib. 6. Aequiſſimo iure.] Id eſt, libera fœdere æquiſſima. Aſcribi, &c.] Id eſt, huius ciuitatis ciuis fieri uoluit. Aſcribere ciuitati, in ciuitatẽ, & in ciuitate dici, ex his quæ proxime ſequuntur attende. Data eſt ciuitas.] Id eſt, cum in Heraclienſem ciuitatem aſcriptus eſt,

ptus eſt, factus eſt ciuis Rom. lege Syllani & Carbonis. Syllani lege & Carbonis.] Significat Syllanum & Carbonem Coſſ. ex ſenatuſconſulto hanc legem tuliſſe. Hi autem qui fuerint, mihi planè cognitum non eſt. Fuerunt quidem Papyrius Carbo & M. Iunius Syllanus Coſſ. in initio belli Cimbrici, quorum uterque cum Cimbris infeliciter pugnauit: ut eſt apud Liuium lib. 63. & 64. ſed Romam nondum uenerat Archias. poſtea alius Carbo bis Coſ. fuit. primum cum Cinna, iterum cum C. Marij filio. Fœderatis.] Fœderatos dicimus, non confœderatos: uti ciues, non conciues. Eſſent profeſſi.] Id eſt, nomina ſua inſcribi iuſſiſſent. Multos iam annos.] In codicibus alijs ſcriptũ eſt, Multos iã ante annos: quæ lectio magis placet. Dicta.] Id eſt, defenſa, ut enĩ cauſam dicere dici ſolet. M. Lucullus.] L. Lucullus potius legi debeat: ut facile cognitu eſt. Tabulas publicas.] Id eſt, ut ita dicam, regiſtrum publicum, ubi aſcriptorum ciuium nomina ſcripta ſunt. Italico bello. De eo uide L. Florum, de quo eodem alio in loco ſcripſimus. Tabulario.] Id eſt, loco eo ubi tabulæ publicæ aſſeruabantur. ut ſcribit Plutarch. in Problematis, templum Saturni Romæ appellatũ eſſe tabularium, quòd in eo non ſolum ærarium, ſed etiam tabulæ publicæ aſſeruarentur. Ampliſſimi uiri.] L. Luculli. Religionem.] Id eſt, iuſiurandum & teſtimonium. Iuratus enim teſtis dicebat teſtimonium. Integerrimi municipij. Heracleæ. At domicilium.] Quid ſi legas, An domicilium. Eſt autem domicilium, domus poſſeſſio in ea ciuitate, unde ciuis ſit, in qua domo ſæpius cõmoretur: ut colligere licet ex lib. Digeſt. 50. ad municipalem, & de incolis. Sedem omnium rerum, &c.] Id eſt, conſtituit uiuere & mori Romæ, eumq; ſibi locum delegit, ubi uitam reliquam exigeret. Nam cum Appij tabulæ.] Appius & Gabinius tum prætores erant, cum Archias profeſſus eſt. Negligentius aſſeruatæ.] Et ideo multi clàm irrepſiſſent, id eſt, nomina ſua furtim inſcripſiſſent. Incolumis.] Id eſt, in iudicium non uocatus. Poſt damnationem calamitas.] Hæc cauſa quæ fuerit, legere non memini. Fuit quidem à P. Sylla Gabinius accuſatus ambitus, ſed abſolutus: poſtea eundem accuſatum, quòd Ptolomæũ in regnum reduxiſſet, Cicero defendit. quod autem tum damnatus fuerit, id ad hanc cauſam nihil pertinet. Calamitatem rei damnati ſæpe appellat Cicero. Reſignaſſet.] Id eſt, euulgaſſet & ſuſtuliſſet, nec ijs tabulis ulla fides haberetur. Metellus.] Is eſt, ut arbitror, Q. Metellus, apud quem Prætorem Archias profeſſus eſt. Cuius tabulæ quamuis diligenter aſſeruatæ fuiſſent, in ijs tamen unius nominis litura inuenta eſt, qua ſe commotum eſſe dixit. ſed in Archiæ nomine nulla litura erat. Etenim cum mediocribus.] Argumento à minore ad maius docet, Archiam à Rheginis, Locrenſibus, Neapolitanis, Tarentinis in ciuitatem aſcriptum eſſe. In Græcia.] Id eſt, in magna Græcia, quæ in Italia eſt. In qua ſunt hæ ciuitates. Scenicis.] Id eſt, uilibus & abiectis. Quid cum cæteri.] Heracienſem ciuem Archiam ex eo probat, quod alijs ciuitatibus in quas aſcriptus fuerat, uti noluerit. Poſt ciuitatem datã.] Italicis populis, ut arbitror, quibus à Senatu data eſt: ut ait T. Liuius lib. 80. Poſt legem Papiam.] Lex Papia urbis uſu peregrinos prohibebat. de qua Cicero in lib. de Offic. 3. Male, inquit, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eoſq; exterminant: ut Petronius apud patres noſtros fecit, Papius nuper. Nam urbis uſu prohibere peregrinos, ſanè inhumanum eſt. In eorum municipiorum.] Rheginorum, &c. In tabulas irrepſerũt.] Id eſt, in eorũ tabulis nomina ſua furtim inſcripſerũt, aut inſcribenda curauerũt. Cenſus noſtros requiris.] Id eſt, à Cenſoribus Archiam cenſum eſſe negas. Solebant enim Cenſores quinto quoque anno ciues Rom. cenſere. Soli autem ciues cenſebantur. Itaque cenſu ſeruos fieri liberos, Cicero dicit in topicis. Si igitur cenſus non fuit Archias, inquit Gracchus, non eſt ciuis. Sciliçet.] Ironia eſt. Eſt enim obſcurum.] In ironia perſiſtit, tanquam dicat, nemini ignotum eſt. Proximis.] Id eſt, nouiſſimis, qui proxime populum Rom. cenſuerunt. Apud exercitũ.] In Aſia, in bello Mithridatico. Superioribus.] Id eſt, ijs qui ante proximos fuerunt. Hoc ex loco probari poteſt, Cenſuram ætate Ciceronis quinquennalem fuiſſe, quod alio loco diximus. Nam ſi quinto quoque anno cenſebatur populus Romanus & proximi Cenſores & ſuperiores & primi cenſuerunt, cenſura quinquennalis erat. uel ſæpius, quàm quinto quoque anno populus Romanus cenſebatur. In Aſia.] In bello Mithridatico. In eo enim bello cum Sylla Lucullum fuiſſe, Appianus ſcribit in Mithridatico. Primis.] Cenſoribus, qui fuerunt primi Cenſores poſt datam Archiæ ciuitatem. Nullam partem populi.] Id eſt, nullum populi Rom. cenſum factum eſſe. Geſſiſſe pro ciue.] Gerere ſe pro ciue dicitur is, qui iure ciuitatis utitur, ſiue ciuis ſit, ſiue non ſit. Quæ tu criminaris.] Sincera magis lectio uidetur, ſi Quibus, non Quæ, ſcribatur. Ipſius.] Archiæ. Teſtamentum fecit.] Illis tribus probat, Archiam in iure ciuium Rom. uerſatum eſſe, teſtamenti factione, legibus Rom. hæreditatum ciuiũ Roman. aditione, & in beneficijs ad ærarium delatione, quæ ſuis ciuibus Rom. licebant. Noſtris legib.] Apud Romanos ueteres duo teſtamentorum genera erant, quorum altero in pace & otio utebantur, quod calatis comitijs appellabant: altero cum in prælium exituri eſſent, quod procinctũ dicebatur, ut in lib. Inſtit. Iuſtiniani 2. tit. de Teſtamentis ordinandis. Lib. Digeſtor. 28. tit. eſt de Teſtamentis, & qui teſtamenta facere poſſunt, & quemadmodum teſtamenta fiant. Adijt hæreditates. Tum enim teſtamentorum libertas erat, id eſt, licebat quemuis ſiue propinquũ ſiue alienum, modo ciuis eſſet, hæredem facere. In beneficijs.] In beneficijs ad ærarium delati dicuntur ij, qui ciues Rom. ex ærario publico beneficium aliquod accipiant, propterea quòd in bello rẽ fortiter geſſerunt, ut ex Imperatoris teſtimonio cognitum eſt. Quoties à nobis.] Hoc loco ingreditur, ut poeticam artem commendet. Conuicio.] Id eſt, maledicto petulantiore. Eſt enim maledictum, id quod ab accuſatore obijcitur reo, præter crimen, quod cauſæ proprium eſt, quod nihil habet propoſiti præter contumeliam. id ſi petulantius iactatur, conuicium: ſi facetius, urbanitas nominatur, ut ait Cicero pro Cælio. Cicero autem defendere ſolebat, nõ accuſare, in quem etiam huiuſmodi conuicia conijciebantur. Ego uero fateor.] Quia conſularis uiri grauitate indignum uideatur nonnullis eſſe, poetica ſtudia repetere, eaq; ſtudia uidentur eſſe leuiora, ipſo quoque Ciceronis teſtimonio, cuius uerba ſunt ex libro de claris oratoribus: In leuiorum, inquit, artiũ ſtudio memoriæ proditum eſt, poetas nobiles poetarum æqualiũ morte doluiſſe. id tamen ſibi turpe nõ eſſe oſtendit Cicero, quod ex his fructum percipiat, quod ijs tempora negotij debita non accommodet. Literis abdiderunt.] Id eſt, literis in receſſu ſe dediderunt. ut apud Horat. in Epiſtolis: Veianius armis Herculis ad poſtem fixis latet abditus agro. Receſſus enim ſtudia amant. Itaque Demoſthenes, ut ait Quintil. lib. 10 in locum, ex quo exaudiri nulla uox, nihil proſpici poſſet, ſe cõdebat. Quid ſi legas, Ita ſe à literis abdiderunt: id eſt, remouerunt. Quæ lectio mihi cohærere magis uidetur cum eo, quod de ſe poſtea Cicero dicit. Vt à nullius me.] In codicibus alijs ſcriptum inuenio: ut ab illis nullo, &c. quæ lectio magis placet. Ad ſuas res obeundas.] Id eſt, ad ſua commoda. Negat enim Cicero ſe aut commodo ſuo, aut otio, aut uoluptate, aut ſomno à ſtudijs poeticis retractũ aut retardatũ. Itaque ſe non reprehendendum, ſi quod tempus alij aut commodis ſuis, aut otio, aut uoluptatibus, aut ſomno concedunt, id ipſe ſtudijs poeticis impertiatur. Ad ipſam requiem animi & corporis.] Id eſt, ad ſomnum. Requiem.] Dicimus etiam requietem ut in lib.

Tuſcul.quæſt.5.Somnum denique nobis niſi requietem corporis, & medicinam quandam laboris afferret, contra naturam putaremus datum. Auſert enim ſenſus, actionemq́; tollit omnem. Tempeſtiuis. ] Tempeſtiua conuiuia quæ ſint, in Catonem Maiorem Ciceronis ſcripſimus. Hoc tamen loco ſunt qui legant Intempeſtiuis, quæ lectio mihi uidetur melior. Intẽpeſtiua enim conuiuia ſunt immoderata, quæ ad uoluptatem, non ad ualetudinem fiant, in quibus nimium temporis propter epularum luxuriam conſumitur. Recolenda.] Id eſt, repetenda & reſumenda & retractanda. Hæc quoque creſcit. ] In alijs codicibus Cenſetur, non Creſcit ſcriptum eſt. quo etiam modo legit Budæus in Annotat. in Pandectas, exponitq́; Cenſetur, id eſt, pretium & æſtimationem meretur, & in primis laudatur. Vtrã uis ſequere lectionem. Facultas dicendi.] Quintil. lib. 1. ſcribens, quantum lectio poetarum proſit oratori futuro: Denique, inquit, credamus ſummis oratoribus, qui ueterum poemata uel ad fidem cauſarum, uel ad ornamentum eloquentiæ aſſumunt. Nam præcipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamẽ apud Aſinium etiam, & cæteros qui ſunt proximi, uidimus Ennij, Actij, Pacuuij, Lucilij, Terentij, Cæcilij, & aliorum inſeri uerſus, ſumma non eruditionis modo gratia, ſed etiam iucunditatis, cum poeticis uoluptatibus aures à forenſi aſperitate reſpirẽt. quibus accedit non mediocris utilitas, cum ſententijs eorum uelut quibuſdam teſtimonijs quæ propoſuere confirment. Quæ ſi cui leuior uidetur. ] Ex poetarum aliorum'que auctorum lectione docet, homines excitari ad ea quæ ſint maxime expetenda, id eſt, ad laudem & honeſtatem. Itaque ſi cui dicendi facultas uideatur leuior, quæ ſtudijs poeticis creſcit: Ideoq́; ſtudia poetica parui ducat, neceſſe eſt ei laus & honeſtas, id eſt, gloria uideatur non grauior, ad quam ſtudijs literarum excitantur homines. Quæ. ] Dicendi facultas, non mea quidem, ſed ipſa in genere. Illa quæ ſumma ſunt. ] Id eſt laudem & honeſtatem. Multisq́; literis. ] Quãuis de poeticis literis præcipue dicat, communem tamen locum de literarum utilitate tractat. Expetendum. ] Expetimus enim cum ratione, ſine qua appetimus. Itaque honeſta expetimus potius quàm appetimus. Perſequenda. ] Id eſt, inquirenda & inuenienda. Inter tot ac tantas dimicationes. ] Cum Catilina & coniuratis. Profligatorum hominum. ] Id eſt, perditorum: ut Clodij, Piſonis, Gabinij. Sed pleni omnes ſunt libri. ] Id eſt, nihil aliud ferè in libris eſt, nihil aliud ſapientes loquuntur, innumerabilia ſunt ueterum exempla, gloriam præ cæteris ebus expetendam eſſe, in qua perſequenda omnes corporis cruciatùs, id eſt, omnes labores doloresq́;, omnia pericula mortis atque exilij contemnenda ſunt. In tenebris. ] Id eſt, in hominum obliuione. Niſi literarum lumen accederet. ] Id eſt, niſi illuſtrata literis eſſent. Accenderet potius legendum puto, quàm accederet, quo modo in omnibus codicibus inuenio ſcriptum. Nam accendere lumen dicimus. Ennius, ut eſt apud Ciceronem lib. primo de Offic. 1. Homo qui erranti comiter monſtrat uiam, quaſi de ſuo lumine lumen accendat, facit ut nihilominus ſibi luceat, cum accenderit. Lumen accendere, pro illuſtrare, & quod uulgo dicunt, illuminari dici non arbitror. Imagines. ] Id eſt, exempla. Non ſolum ad intuendum. ] A' uulgi conſuetudine hac etiam in re abhorrere debemus. Exiſtimat enim uulgus expreſſas imagines ad intuendum poſitas eſſe. Nos autem eas quæ etiam à ſcriptoribus relictæ ſunt, non ſolum intueri ſed etiam imitari debemus. Isq́; ſtudiorum fructus eſſe debeat, ut quæ honeſte facta legimus, ea imitari ſtudeamus. Expreſſas. ] Id eſt, ueras, & ut ita dicam, ad uiuum ſcribendas, tanquam pictas. ut paulo poſt: Mithridaticum uero bellum magnum atque difficile, & in multa uarietate terra mariq́; uerſatum, totum ab hoc expreſſum eſt. Et pro M. Cælio de Catilina: Habuit ille ſicuti meminiſſe nos arbitror, per multa maximarum non expreſſa ſigna, ſed adumbrata uirtutum. Ipſa cogitatione hominum excellentium. ] Id eſt, cogitando de hominibus excellentibus. Virtutes. ] Id eſt, ees geſtæ & fortia facta. Virtus. n. proprie fortitudo eſt. Idem. ] Id eſt, ego idem. Exiſtere. ] Id eſt, apparere, emergere, altius extolli. Africanum. ] Minorem Africanum & Lælium audiuiſſe Panætium Stoicum, Ciceeo dicit pro L. Murena. Hi non in philoſophia ſolum, ſed etiã in ratione dicendi ualuerunt. De Africani eloquentia, Cicero in primo de Officijs: Quidam, inquit, ad eas laudes, quas à patribus acceperunt, etiam ſuam addunt, ut hic idem Africanus eloquentia cumulauit bellicam gloriam. Quod idem fecit Timotheus Cononis filius, qui cum belli laude non inferior fuiſſet quã pater, ad eam laudem doctrinæ & ingenij gloriam adiecit. Idẽ in libro de Claris Oeatoribus, dicendi laudem in Lælio quàm in Scipione dicit fuiſſe illuſtriorem. Hic C. Lælius Sapiens cognominatus eſt. L. Furium. ] L. Furius Philus perbene latine loqui putabatur, literatiusq́; quàm cæteri: ut idem Cicero ait de Claris oratoribus. Eum in libris de Republica diſputantem fecit Cicero, ut iuſtitiam accurata oratione uituperaret, ut eam Scipio laudaret. Quod idem antea feciſſe Glauconem, Plato in libro de Repub. ſecundo induxit, ut ad eam laudandam Socratem excitaret. Illis temporibus doctiſſimum. ] Cicero de Claris oratoribus, de Catone ſcribens: Quis, inquit, illo grauior in laudando, acerbior in uituperando, in ſententijs argutior, in docendo diſſerendoq́; ſubtilior? Refertæ ſunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc inuenerim & legerim, & uerbis & ebus illuſtribus. Licet ex his eligant ea quæ notatione & laude digna ſint, omnes oratoriæ uirtutes in ijs reperientur. Iam uero Origines eius, quem florem, aut quod lumen eloquentiæ non habent? Idem paulo poſt de eodem: Antiquior eſt huius ſermo, & quadã horridiora uerba. ita enim tum loquebantur. Animaduerſionem. ] Id eſt, animi attentionem, & poetarum lectionem. Hæc ſtudia. ] Hæc ſtudia poetica ſunt ætatum omnium. nam adoleſcentiam agunt, ſenectutem oblectant. Sunt temporum omnium: nam ſecundas res ornant, aduerſis profugium ac ſolatiũ præbent. Sunt locorum omnium: nam delectant domi, &c. Quintilianus libro primo, Grammaticam diuidit in duas partes: In recte loquendi ſcientiam, & poetarum enarrationem, quæ plus habet in receſſu quàm fronte promittat: Quo minus, inquit, ſunt ferendi, qui hanc artem ut tenuem ac ieiunam cauillantur: quæ niſi Oratoris futuri fundamenta fideliter iecerit, quidquid ſuperſtruxeris corruet: neceſſaria pueris, iucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes & quæ uel ſola omni ſtudiorum genere plus habet operis, quàm oſtentationis. Agunt. ] Id eſt, ducunt & conformant. Quod ſi ipſi hæc. ] Argumento à minori ad maius probat, Archiam non negligendum. Hæc. ] Studia literarum. Senſu noſtro guſtare. ] Id eſt, percipere. Frequens enim translatio à guſtatu ad animum. ut ſapere, cum proprie guſtatus ſit, ad animum transfertur. Cõmoueretur. ] Id eſt, doleret. ut in libro de Amicitia, moueri dicit: Ego ſi Scipionis deſiderio me moueri negem, quàm id recte faciam, uiderint ſapientes: ſed certe mentiar. Moueor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo unquam erit, & ut confirmare poſſum, nemo certe fuit. Venuſtatem. ] Artis ſcilicet, ne ad corporis ſpeciem referas. Hunc enim Roſcium oculis fuiſſe peruerſiſſimis, Cicero libro de Natura deorum primo ſcribit. Cuius uerba ſunt illa de artis uenuſtate ex libro de Oratore primo: Vt ad hanc ſimilitudinem huius hiſtrionis oratoriam laudem dirigamus, uidetis'ne quàm nihil ab eo niſi perfecte, nihil niſi cum ſumma uenuſtate fiat, niſi ita ut deceat, & uti omnes moueat, atque delectet? Itaque hoc

que hoc laudis eſt conſecutus, ut in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. C. Cæſar orator, ut idem libro ſecundo ait, ſe dicebat ſolere ſæpe mirari eorum impudentiam, qui agerent in ſcena geſtum ſpectante Roſcio. Quis enim, inquit, ſeſe commouere poteſt, cuius ille uitia non uideat? Amorem conciliarat.] Etiam conciliare odia dicimus. Quintilianus libro quinto: Sunt quæ utiles ad conciliandum iis, quos inuiſos facere uolueris, odium. Vt amorem conciliarat à nobis Cicero, ita T. Liuius libro trigeſimo nono, inuidiam apud fratrem conciliare dicit: Omnis mentio Romanorum quantam dignitatem ei apud cæteros Macedonas, tantam inuidiam, non apud fratrem modo, ſed etiam apud patrem conciliabat. Tam diligenter attenditis.] Cum attentæ auditores audiunt, idq; dicimus, eos quodammodo attentiores reddimus. Cum literam ſcripſiſſet nullam.] Id eſt, cum nihil omnino ſcripſiſſet ex iis, quæ ex tempore dicebat. Archiam enim commendat, quod ex tempore uerſus faciat. Hanc dicendi ex tempore facultatem, ut ait Quintilianus libro decimo, non in proſa modo multi ſunt conſecuti, ſed etiam in carmine: ut Antipater Sydonius, & Licinius Archias. Credendum enim Ciceroni eſt, non quia noſtris quoque temporibus non & fecerint quidam hoc, & faciant: Hæc illa. Ouidij de ſe illud eſt libro Triſtium quarto: Sponte ſua carmen numeros ueniebat ad aptos, Et quod tentabam ſcribere, uerſus erat. Literam nullam.] Id ſæpe Cicero dicit, cum nihil omnino ſcriptum ſignificat. ut Actione in Verrem tertia: Vt Romam rediit, nullam literam pupillo, nullam matri eius, nullam tutoribus reddidit. Et pro A. Cluentio: In quibus tabellis, de furto litera nulla inuenitur. Magnum numerum.] Commendatio Archiæ eſt à uerſuum multitudine & bonitate. Quæ tum agerentur.] Hoc dicit, ne antea facti & præmeditati uerſus uiderentur. Reuocatum.] Id eſt, poſtulatum ut iterum diceret. Ea in re reuocare ſæpe dicitur. Sic Plinius Iunior Mauro M. mini quendam ex amicis, cum lector quartum pronũciaſſet perperam, reuocaſſe, & repeti coegiſſe. Huic auunculum meum dixi, ſe, intellexeras? Nempe, cum ille annuiſſet: Cur ergo reuocabas? T. Liuius libro ſeptimo: Liuius poſt aliquot annos, qui à Satyris auſus eſt primus argumento fabulam facere, idem ſcilicet, id quod tum omnes erant, ſuorum carminum actor dicitur. Cum ſæpius reuocatus uocem obtudiſſet, uenia petita puerũ ad canendum ante tibicinem ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis uigente motu, quia nihil uocis uſus impediebat. Cicero li. Tuſculanarum quæſt. 4, Itaque non ſine cauſa cum Oreſtem fabulam doceret Euripides, primos tres uerſus reuocaſſe dicitur Socrates. Commutatis uerbis.] Id eſt, non iiſdem uerbis, ut nihil ante ſcripſiſſe eum oſtendat. Cæterarum rerũ ſtudia.] Illud uulgo dici ſolet, poetam naſci, oratorem fieri. Idem ſignificat Cicero in libro de Finibus quarto: Si ingenijs magnis, inquit, præditi quidam dicendi copiam ſine ratione cõſequuntur, ars tamen eſt dux certior quàm natura. Aliud eſt enim poetarum more uerba fundere, aliud ea quæ dicas ratione & arte diſtinguere. Idem in libro Tuſculanarum quæſtionum primo, poetam graue plerunque carmẽ ſine cœleſti aliquo mentis inſtinctu fundere non putat, Plato in Ione, qui liber de furore poetico eſt: Omnes, inquit, poetæ inſignes, non arte, ſed diuino afflatu omnia iſta præclara poemata canunt. aliaq; multa in hanc ſcribit ſententiam: Idem in libro de Republica ſecundo, poetas deorum filios eſſe dicit. Sit ſanctum apud uos.] Id eſt, ſententiis ueſtris ne uioletis. Sanctum enim Martianus Iuriſconſultus libro Digeſtorum primo, de rerum diuiſione, id eſſe dicit, quod ab iniuria hominum defenſum atque munitum eſt. Inde ſanctas leges & ſanctos uiros dicimus. Nulla barbaria.] Id eſt, nulli barbari. Eſt autem intellectio. Solitudines.] Non quidem omnes ſed in quibus ſyluæ ſunt, aut ut ita dicã, cõcauitates aut aſperi montes. Cum enim uox in aliquod ſolidum uehementius impulſa eſt, non diſſipatur, ſed eadem repercutitur, noſtriſq; auribus redditur: ut ait Ariſtoteles libro Problematum undecimo. Ea uox Echo dicitur. Stoici dicunt uocem, cum in leues locos incidit, in modum pilæ in parietem adactæ repercuti, ut ait Plutarchus in libro de Placitis Philoſophorum quarto. Voce.] Scilicet per Echo. Beſtiæ ſæpe immanes.] Non ſolum, ſed etiam aues. Inde illud eſt: Fiſtula dulce canit, uolucrem dum decipit auceps. Homerum Colophonii.] De Homeri patria quæ fuerit, incertum fuiſſe, eſt apud A. Gell. cap. 11. lib. 3. ubi tamen in Græcis uerſibus Ἴος legitur, Χῖος legi debeat, hic Ciceronis locus documento eſt. Plutarchus quoque in uita Sertorij, Homerũ in urbe Chio natum, & Smyrnæ mortuũ ſcribit. Auctor eſt Priſcianus libro ſecundo, uti Chius pe mitiuũ primam ſyllabam breuem habeat. Euſebius lib. de Euangelica præparatione 5. ſcribit, Apollinem Delphicum ab Homero de morte ſua interrogatum reſpondiſſe. ut patriam quæreret Hũc enim mater, ei non pater dedit. Delubrum eius.] Homerũ enim fore deum Apollo putauit: ut eodem in loco ſcribit Euſebius. Permulti alij.] Vt Rhodij, Salaminij, Argiui, Athenienſes, & ut ait Plutarchus in eius uita, Cumæi. Alienum.] Omnes enim hæ urbes Homeri patriæ eſſe non potuerunt. Legibus.] Syllani & Carbonis. Qui durior ad hæc ſtudia uidebatur. Apud Salluſtium in bello Iugurthino, de ſe C. Marius: Non ſunt inquit, compoſita uerba mea, parui id facio, ipſa ſe uirtus ſatis oſtendit. Illis artificio opus eſt, ut turpia facta oratione tegant. Neque literas Græcas didici: parũ placebat eas diſcere, quæ ad uirtutem doctoribus nihil profuerant. Ad hæc ſtudia.] Nam græce tantũ Archias ſcripſit. Quod acroama.] Id eſt, quod dictum, quam uocem. Cornelius Nepos in uita T. Pomponij Attici: Nemo in conuiuio eius aliud acroama audiuit, quàm anagnoſtẽ, quod nos quidem iucundiſſimum arbitramur neque unquam ſine aliqua lectione apud eum cœnatum eſt, ut non minus animo quàm uentre conuiuæ delectarentur. Cicero in actione in Verrem ſexta: Hic quaſi feſtiuum acroama, ne ſine corolario de conuiuio diſcederet, ibidem conuiuis inſpectantibus emblemata auellenda curauit. Eximie dilexit.] Hoc loco attende, diligere eſſe etiam uehementer amare: ne illud credas obſeruãdum perpetuo, quod Grammatici præcipiunt, Diligimus leuiter, amamus uehementer, colimus cum ueneratione. Alibi quoque huius uerbi uim Cicero expreſſit, ut pro P. Seſtio: Me ipſum pro ſumma familiaritate, quæ cum fratre mihi, uel cum patre eius erat, unice diligebat. In primo de Officijs: Et plurimum tribuamus, à quo plurimum diligimur. Et libro ſecundo: Vxorem Theben admodum diligeret. Pro L. Flacco: Venio nunc ad eam ciuitatem, in quam ego multa & magna officia contuli, & quam meus frater in primis colit atque diligit. Libro Epiſtolarum familiarium decimo tertio: Me à te in primis carpeum eſſe obſeruari, coli, diligi. Itemq;: Meq; præ cæteris & colit, & obſeruat, & diligit. Verum his omnibus adiecta aduerbia, & cætera ſignificationẽ augent. Bellum magnum & difficile.] Id quoque tractat Cicero pro lege Manilia, & pro L. Murena. In multa uarietate.] Quamuis ſæpius uinceret Lucullus Mithridatem, nonnunquã tamen uincebatur: ut ad Cabrias equeſtri prælio, eiuſque legatus Triarius à Mithridate uictus eſt. Expreſſum.] Id eſt, carmine deſcriptum, & uelut ſub oculos ſubiectum. Pontum.] Mithridatis regnum. Non maxima manu.] Mithridates à Lucullo uictus, ad ſocerum Tigranem Armeniorum regem confugit. Eum Lucullus inſecutus eſt. Tigranes ingentibus copijs comparatis, Luculli paruum exercitum contemnebat. Paucitatem illudens dicebat: Eos ſi legati uenirẽt, ſatis multos quidem: ſi uera pugnaturi, paucos admodum eſſe auctor Plutarchus in Luculli uita. Noſter Ennius.] Id eſt, poeta La

tinus. In ſepulchro Scipionum.] Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres ſtatuæ ſunt, duæ P. & L. Scipionum dicuntur eſſe, tertia poetæ. Q. Ennij: auctor eſt T. Liuius lib. 38. Eam ob rem in Scipionum ſepulchro putatur Ennius eſſe conſtitutus. Marmoreatis.] Id eſt, æternis, quarum ſcilicet memoria nunquam interitura ſit. In cœlū.] Q. Ennius in Annalibus de Scipionis Africani, de Catonis, de Fabij Maximi, de M. Marcelli, de M. Fuluij Nobilioris rebus geſtis ſcripſit. Huius proauus.] Catonem ex iudicibus in hac cauſa eſſe ſignificat. Tollitur.] Ab Ennio. Rudium hominem.] Id eſt, Ennium. Rudiæ enim uetuſtum oppidum in Calabria fuit, ubi natus fuit Ennius. Silius lib. 12. de Ennio ſcribens: Rudiæ genuere uetuſtæ, Nunc Rudiæ ſolo memorabile nomen alumno. Idem paulo poſt: Sacer hic, ac magna uirorū Aonidum cura eſt, & dignus Apolline uates: Hic canet illuſtri primus bella Itala uerſu, Attolletq́; duces cœlo. Ergo illū qui hæc fecerat.] Argumentū à contrario eſt.] Nam ſi quis.] Nam ibi inceptiua particula eſt, pro Prætereà poſita. In omnibus gentibus.] In Gallia quoque, Græca tñ legi ſolita, auctores ſunt Diodorus Siculus, & C. Cæſar in Commentarijs. Tum enim Latina lingua Germanis, Britannis, Gallis, ignota erat. Itaque Romæ, in Græcia, & in Aſia legati latine orabant, ijsq́; reſpōſa latine dabantur, quo ſcilicet Latinæ uocis honos uenerabilior per omnes gentes diffunderetur: ut ait Valerius Max. lib. 2. de Inſtitutis antiquis. Tum his.] Romanis præcipue. Atque is.] Videlicet Alexander Magnus. In Sigeo.] Sigeum Troiæ promontorium eſt: ſic dictum, quia Hercules hoſpitio prohibitus ſimulauit diſceſſum, et hinc contra Troiam uenit cum ſilentio, quod σιγὴ dicitur: auctor eſt Seruius lib. Commentariorum in Aeneid. 2. O fortunate.] Alexander illum profectus, ſacrificio perfecto Mineruæ ſemideiſq́; parentauit. Deinde ad Achillis ſtatuam una cum ſocijs unguento delibutus, nudusq́; de more circumcurrens, eam coronis ornauit, felicem illum appellans, quod uiuo quidem tā fidum amicum, mortuo autem tam magnum contigit habuiſſe preconem. auctor eſt Plutarchus in uita Alexandri. Qui tuæ uirtutis Homerū præconē.] Cherilus poeta ex Alexādri ſectatoribus fuit, eiusq́; res geſtas deſcripſit. Cui Alexander dixiſſe fertur: Male ſe Therſitem Homeri eſſe, quàm huius Achillem. auctor eſt Acron in Commentarijs in artem poeticā Horatij. Noſter hic Magnus.] Id eſt, Cn. Pompeius Magnus. Theophanem.] Theophanes hiſtoricus Cn. Pompeio familiaris admodum fuit, cuius res geſtas perſcripſit, ſeq́; Græcorum omniū clariſſimum exhibuit: auctor eſt Strabo lib. 13. Sed ruſtici.] Vegetius lib. 1. negat unquam potuiſſe dubitari, aptiorē armis ruſticam plebem, quàm urbanam. Ea enim ſub dio & in labore nutritur, ſolis patiens, umbræ negligēs, balnearum neſcia deliciarum ignara, ſimplicis animi, paruo contenta cibo, duratis ad omnem tolerantiam mēbris, cui geſtare ferrum, foſſam fodere, onus ferre, conſuetudo de rure eſt auctore Catone in libro de Re ruſtica, ex agricolis & uiri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur. Participes eiuſdem laudis.] Cn. Pompeij, quæ à Theophane perſcripta eſſet. Nam militum auxilio res illas geſſit Pompeius. Magno illud clamore approbauerunt.] Acclamatione, admurmuratione, ſtrepitu populi uel militum, res publice approbari, pro M. Marcello ſcripſimus. Ad illum morem Romanum alluſit Virgilius lib. Aeneid. 1. Cuncti ſimul ore fremebant Dardanidæ, id eſt, Ilionei dicta approbabāt. Itaque credo.] Credo in ironia & interrogatione dici, admonuimus. Ab aliquo imperatore.] Imperatori, id eſt, ei qui præeſſet exercitui, licebat donare ciuitate milites eos qui in bello fortes fuerant: ut eſt in oratione pro L. Cornelio Balbo. Hiſpanos & Gallos.] Quorū commilitio uſus fuerat. Eſtq́; argumentum à minore ad maius. De populo.] Id eſt, uulgaris, plebeius. In eum.] Id eſt, in eius laudem. Feciſſet.] Proprie dixit: ut, Pollio & ipſe facit noua carmina. Poetæ enim facere proprie dicuntur. Alternis uerſibus longiuſculis.] Quales ſunt uerſus elegiaci, quales etiā multi ſunt in odis Horatianis. Ex his rebus quas tū uēdebat.] Id eſt, ex bonis ciuium Romanorum. L. enim Sylla, ut ait Cicero in lib. de Offic. 2. auſus eſt dicere, haſta poſita cū bona in foro uenderet & bonorum uirorum, et locupletum, et certe ciuium, prædam ſe ſuam uendere. Sub ea conditione.] Ea conditione, & ea lege etiam dicitur. Sedulitatē.] Id eſt, diligentiam in faciendis alternis uerſibus longiuſculis. Eſt argumentum à minore ad maius. Qui præſertim.] Q. Metellus ſcilicet. Pingue.] Id eſt, indoctum: quòd pingui, ut aiunt, Minerua factum fuerat. Pingue quiddam ſonantibus atque peregrinum. Iis enim non erat naturalis illa Romanæ linguæ puritas. Quemadmodum in T. Liuio miræ facundiæ uiro putat ineſſe Pollio Aſinius quandam Patauinitatem, ut ait Quintilianus lib. 8. Erat enim Liuius Patauinus. Quintiliani declamationes Hiſpanitatem quandam ſapere, Philelphus ſcripſit. Dederet.] Id eſt, accommodaret. Diſſimulandū.] Id eſt, tacendum. Trahimur.] Natura ſcilicet: ut in lib. de Offic. 1. Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis ſcientiæq́; cupiditatem. Natura nos trahi & rapi, alio loco ſcripſimus. Illi ipſi philoſophi.] Idem Cicero dicit in lib. Tuſc. quæſt. 1. Quid, inquit, noſtri philoſophi? nonne iis ipſis libris, quos ſcribunt de contemnenda gloria, ſua nomina inſcribunt? Nobilitatem.] Id eſt, ſui cognitionem & nominationem. Decimus quidem Brutus.] Quamuis Decimus prænomen ſit, eaq́; prænomina ſæpe fiant à nominibus ſimplicem numerum ſignificantibus: tamen aliorum codicum lectio mihi uidetur emēdatior, in quibus ſcriptum eſt, Decius quidē Brutus. Decius enim Iunius Brutus conſul fuit tempore belli Numantini: isq́; Luſitaniam urbibus expugnandis uſque ad Oceanum perdomuit, ut eſt apud T. Liuium lib. 18. Pacuuium fuiſſe non multo poſt ſecundum bellum Punicum, eoq́; ſene Accium iuuenem fuiſſe, A. Gell. cap. 21. lib. 17. ſcribit. Auctore Cicerone de Claris oratoribus, Pacuuius Accio quinquaginta annis grandior fuit. Accij igitur familiaris Brutus, aut fuit is quem nominaui, aut nō multo poſtea fuit: ſed certe Decius, non Decimus appellatus eſt. de quo idem Cic. eodem in libro: Veſter, inquit, Decius Brutus Marci filius, ut ex familiari eius L. Accio poeta ſum audire ſolitus, & dicere nō inculte ſolebat, & erat cum literis latinis, tū etiā græcis, ut temporibus illis, ſatis eruditus. Quæ tribuerat idē Accius etiam Q. Maximo, L. Pauli nepoti. Ille qui cum Aetolis.] M. Fuluio Nobiliori uerſum fuiſſe uitio, quod in prouinciam duxiſſet Ennium: ſcribit Cicero in 1. lib. Tuſcul. quæſt. Is enim de Latinis poetis ſcribens, Honorem inquit, huic generi non fuiſſe declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrū M. Nobiliori, quòd in prouinciā poetas duxiſſet. duxerat autem cōſul ille in Aetoliam, ut ſcimus, Ennium. Bellauit.] Id uerbum uſitatius eſt: Virgilius tamen in lib. 12. ut ait Priſcianus lib. 8. dixit, Pictis bellantur Amazones armis: pro bellant. Id Silius Italicus lib. 2. imitatus eſt, Et nudis bellantur equis. Fuluius.] M. Fuluius Nobilior cum Cn. Manlio Valſone Coſ. fuit, paulo poſt ſecundum bellum Punicum: ut eſt apud T. Liuium libro trigeſimo nono, de Aetolis triumphaſſe dicit. Martis manubias.] Vel Marti conſecratas: uel Martis, id eſt, belli: ut ſit hypallage. Manubiæ quæ ſint, alio loco ſcripſimus. Salute.] Id eſt, abſolutione. De meo amore confitebor.] Id genus dicendi uſitatum doctis eſt, non, quod uulgare eſt, Amorem meum confitebor: de quo alibi plura. In conſulatu noſtro.] Cum Catilinæ coniurationem inueſtigauimus et oppreſſimus. Vobiſcum ſimul.] Hoc dicit, ut iudices huius gloriæ faciat participes, quo eos Licinio magis beniuolos reddat. Attigit.] Vt ante dixit, Cimbricas res adoleſcens attigit.

tigit. Quibus auditis.] Id eſt, quos uerſus mihi cum recitaſſet. Nulla enim uirtus.] Vt finem bonorum in æterna beatitudine collocamus, ita Romani ueteres nihil magis expetendum eſſe quàm gloriam putabant: ad eam omnes labores, omnia pericula, etiam uitæ amiſſionem referebant, cuius beneficio nomen ſuum fieri immortale arbitrabantur, eaq; gloria animum uinculis corporis ſolutum delectari. Exerceamus.] Id eſt, fatigemus. Si nihil animus præſentiret in poſterum.] Id eſt, niſi præuideret animus, ſe ſolutum corpore manere, & immortalem eſſe aut præſagiret, ut pro Cn. Rabirio: Itaque cum multis alijs de cauſis uirorum bonorum mentes diuinæ mihi atque æternæ uidentur eſſe, tum maxime quòd optimi & ſapientiſſimi cuiuſque animus ita præſentit in poſterum, ut nihil niſi ſempiternum ſpectare uideatur. In poſterum.] Id dicitur uſitatius à doctis. In futurum, indocti dicunt ſæpius. Regionibus.] Id eſt, terminis. Cogitationes terminaret ſuas.] Id eſt, ſi animus interiret una cum corpore. Nec toties de uita ipſa dimicaret.] Animus ipſe non dimicat de uita, ſed homo. Animum autem Cicero ſæpe appellat hominem, ſed qui ſit in corpore. Qua de re fuſius ſcripſimus in Commentarijs in Cic. de Senectute. Nunc inſident quædam.] Diſputat de animæ immortalitate, quod multis in locis facit, ut de Amicitia, de Senectute, de Republica, in lib. Tuſcul. quæſt. 1. Tum enim multis Romanorum hæc res incerta erat. Dimittendam.] Ab animo noſtro ſcilicet. Nam ſi animus cum corpore interiret, commemorationem nominis dimitteret: id eſt, relinqueret. Summis ingenijs.] Poetarum ſcilicet. Quæ gerebam.] Cum in alijs magiſtratibus, tum maxime in conſulatu. A' meo ſenſu.] Id eſt, ſiue animo meo mortuo non ſentiam. Vt ſapientiſſimi.] Vt Pythagoras reliquique magnæ Græciæ ſapientes, & etiam Socrates, qui non tum hoc, tum illud, ut in pleriſque, ſed idem dicebat ſemper: animos hominum eſſe diuinos, ijsq; cum è corpore exceſſiſſent, reditum in cœlum patere, optimoq; & iuſtiſſimo cuique expeditiſſimum: ut ait Cic. de Amicitia. Ad aliquam animi mei partem.] Plato, ut ait Cic. in lib. Tuſcul. quæſt. 1. triplicem finxit animam, cuius principatum, id eſt, rationem in capite ſicut in arce poſuit, & duas partis ſuperare uoluit, iram & cupiditatem: quas locis ſuis diſcluſit, iram in pectore, cupiditatem ſubter præcordia locauit. Plato in lib. de Repub. 9. tres animi partes appellat: unam qua homo diſcit, alteram qua iraſcitur, tertiam in qua uehemens cupiditas epularum, poculorum, uenereorum, pecuniæ eſt. Duas autẽ poſteriores animæ partes interire cum corpore certum eſt: remanet autem illa qua homo diſcit, in qua ratio ineſt. Cogitatione quadam.] Quia cogito & ſpero animum eſſe immortalem, ad eumq; gloriam mearum rerum geſtarum pertinere. Quare conſeruate iudices.] Concluſio eſt per enumerationẽ, cui aliquid miſerationis admixtum eſt. Amicorum.] Lucullorum, Metelli, & meo. Tum etiam uenuſtate.] Si locus hic emendatus eſt, uenuſtatem artis poeticæ intelligas, ut ante de Roſcio dicebat: qui cum eſſet ſenex mortuus, tamen propter excellentem artem ac uenuſtatem uidebatur omnino mori non debuiſſe. Nec ad corpus uenuſtatem hoc loco referre licet. Venuſtas enim muliebris pulchritudo eſt, ut ait Cic. in lib. de Offic. 1. Senem autem Archiam defendit, quo circa nulla eius corporis uenuſtas eſſe poterat. Ingenio autem tanto.] Repete, uideris eum comprobari, ut hominem: Tantum ingenium.] Id eſt tantam ad poeticam uim ingenitam, & quaſi naturalem. Quanto conuenit exiſtimari.] Legam libentius hoc loco quãtum: ut ſit, Quantum oportet id ingenium exiſtimari, &c. Nam ſi menſuræ aut pretij rationem hic haberet, dixiſſet quanti, non quanto: & ad hominem non reſpexiſſe patet per relatiuum Quod. Summorum hominum.] Marij, Luculli, Metelli, Ciceronis. Maximum autem exiſtimandum eſt ingeniũ id, quod his uiris expetitum ſit. Cauſa uero eiuſmodi.] Sup. eſt. Quæ beneficio legis.] Syllani & Carbonis. Municipij.] Heracleæ, unde legati huius iudicij cauſa cum mandatis & cum publico teſtimonio uenerunt, qui Archiam aſcriptum ciuem Heracleinſem dicunt. Luculli.] Qui ſe non opinari, ſed ſcire: non audiuiſſe, ſed uidiſſe: non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. Tabulis Metelli.] In quibus nullam lituram in nomen A. Licinij uidetis. De cauſa.] Archiæ, defendendo eam, & quæ ab accuſatore obiecta ſunt refutando, ut ſoleo alijs in cauſis facere. Quæ fermè à me.] Melius in alijs codicibus ſcriptum eſt, Quæ non fori. ut ea ſententia ſit, Quæ locutus ſum non fori iudicialiq; conſuetudine, &c. Poſtulaueras enim à iudicibus, paterentur eum uti propè nouo quodam & inuſitato genere dicendi. Communiter.] Locum enim cõmunem tractauit de ſtudio poetico. Ab eo qui iudicium exercet.] Id eſt, à Prætore, qui huic iudicio præeſt. Certe ſcio.] In bonam partem accepta.

# IN EANDEM PRO ARCHIA POETA ORATIONEM

## BARTHOLOMAEI LATOMI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

ARCVS [redacted] & Cn. Papyrius Carbo legem tulerant, ut ciuium in numero eſſent qui adſcripti fuiſſent fœdera[redacted] ferebatur domicilium habuiſſent in Italia, et LX. diebus apud Prætorem profeſſi fuiſſent. Aulus Licinius Archias poeta & homo eruditus, cum ob ingenium & doctrinam multis præclaris uiris Romæ charus eſſet, uerſareturq; in domo & familia Lucullorum, auctoritate & gratia L. Luculli, cum quo ex Sicilia decedens Heracleam uenerat, impetrauit, ut in eam ciuitatem adſcriberetur: lege Papyria præſente Lucullo adſcriptus eſt. Sed cum ipſe in contubernio Luculli aliquandiu cum eodem Roma abfuiſſet, nec nomen eius inueniretur in tabulis Cenſorum, delatus eſt à Graccho quodam, quod ſe falſo pro ciue gereret. Itaque cauſam apud Prætorem dixit. Defenſus eſt hac elegãti oratione à Tullio, magno doctorum hominum, & eorum qui literis fauebant concurſu. Nam & Ciceroni charus erat ob ingenium atque eruditionem, & idem adoleſcens quondam in ſtudijs Archia tanquam præceptore uſus fuerat. Oratio iudicialis eſt, in tenui & ſubtili figura: ſed altius alicubi aſcendit in commendatione perſonæ, ubi locos communes de gloria & animorum immortalitate attingit. Status eſt coniecturalis: An Archias in ciuitatem ſit adſcriptus. Probatio ſumitur à teſtimonijs & coniecturis: & obiecta interim diſſoluuntur. Demonſtratio perſonæ accedit extra cauſam, per quam ab artium humanitatis laudibus conficitur magna & præcipua pars Confirmationis: hunc hominem, qui & populi Romani nomen ſcriptis & ingenio illuſtrarit, non ſolum repudiandum nõ eſſe, ſed etiam ſi ciuis adſcriptus non eſſet, tamen in ciuitatem adſciſcendum fuiſſe. Habet exordium oratio, deinde narrationem & cõfirmationem, admixta paucis refutatione, & mox excurſu ad laudem perſonæ accommodato: poſtremo perorationem.

tantũ fecit mentionem circunſtantiæ, ne nimis breuis eſſet circũductio. Concluſio eſt facta Enthymematis modo, & eſt repetitio duarum periodorum ſuperiorum. Cum hæc uox ſit ab Archia ad ſalutem aliorum adſuefacta, ergò debet etiam Archiæ prodeſſe. nam omiſſa eſt Maior abſoluens Syllogiſmum: Aequum eſt, ut quiſque fructum ferat ſui beneficij. Tametſi hanc rationem ſubindicat, cum quædam uerba ab ea mutuatur. Deinde ſequuntur Occupationes duæ. Prima: Quo modo poteſt poeta adiuuare oratorem? Reſpondet breuiſſime, quia omnes artes cognatæ ſunt, & ſe mutuo adiuuant. Altera occupatio eſt: Videtur ineptum, in foro loqui de artium & literarũ ſtudijs id quod iam fecit Cic. et paulo poſt copioſius faciet. Hoc excuſat ſumpto argumẽto à perſona Archiæ, quia pro poeta ita cõueniat dicere: ne magis etiam perturbetur ille, qui unnquam uerſatus eſt in iudicijs, ſi res agatur uſitata contentione. Oratio eſt generis iudicialis. Status cauſæ eſt, quod Archias ſit ciuis Romanus. Et hæc eſt principalis propoſitio, ad quam referre argumenta oportet. Hæc in tota oratione ob [redacted] oblitus fuerit, non intelliget reliquam orationem. Nam in omnibus cauſis in primis oportet principalem propoſitionem meminiſſe. Eſt autem ſtatus iudicialis. Argumenta ducta ſunt à lege, & à teſtibus. Nam hi proprij loci ſunt quæſtionum iudicialium. Sed præter hæc longiſſimum argumentum à perſona Archiæ, et ab artium dignitate tractum eſt. Illæ laudes propriæ ad genus demonſtratiuum pertinent, ſed inde mutuamur ſæpe argumenta ad iudiciales cauſas: quia dignitas perſonarum conciliat fauorẽ iudicum, & reddit cauſam magis probabilem & ueriſimilem. Ita & hic argumentatur Cicero: Quia Archias magna facultate ingenij præditus eſt: ergo credibile eſt eum ciuitate donatum eſſe. Item: Quia tali eſt ingenio, meretur retineri in ciuitate. Genus dicendi in hac oratione initio ſummiſſum, & (ut uocant) Atticum eſt: neque enim longis circunductionibus, aut expolitionibus, aut figuris procul acceſſitis uſus eſt. Multæ breues ſunt periodi, & propria oratio. Poſtea circa finem aliquanto floridior eſt oratio. Narratio continet propemodum hiſtoriã uitæ Archiæ, & peregrinationum, ex quibus peruenit eò, ut doceat quo modo ius ciuitatis conſecutus ſit ex lege. Et eſt ad finẽ narrationis Syllogiſmus additus, ubi primo loco ponitur Concluſio, Data eſt ciuitas. deinde Maior: Omnes qui in ſocijs ciuitatibus adſcripti ſunt, ſi in Italia cum lex ferretur domicilium habuerunt, & profeſſi ſunt intra dies LX. apud prætorem, &c. ſunt ciues: Archias adſcriptus eſt Heracleæ, & habuit domicilium Romæ, & profeſſus eſt, &c. Ita clauditur narratio, non repetita concluſione proprijs uerbis, ſed quadam generali adſeueratione. quia neceſſe intelligi concluſionẽ recitato ſyllogiſmo: Si nihil niſi de ciuitate hac lege dicimus, nihil dico amplius, cauſa dicta eſt. Deinde ſequitur Confirmatio, antequam non repetit propoſitionem ſupra poſitam ante narrationem: ſed tantúm de minore adſeuerat, quia minor eſt κρινόμενον, ideo habet opus probatione. Et ut cauſæ ſummã complecti animo poſſis, Syllogiſmum ſupra poſitum meminiſſe oportet: Omnes inſcripti in ſocijs ciuitatibus, &c. ſunt ciues: Archias eſt inſcriptus, ergo Archias eſt ciuis. Maior nihil habet ambigui, minor autem eſt incerta. Propterea tota confirmatio uerſatur in minore probanda: & habet locos à teſtibus & tabulis, quod ſit Heracleæ adſcriptus, quod ſit profeſſus. Poſtea addit ueriſimile ex minore: Multi alij leuiorũ artiũ periti, adſcripti ſunt in ſocijs ciuitatibus. ergo ueriſimile eſt et hũc adſcriptũ eſſe Poſtremo addit ſigna Romani ciuis: Adijt hæreditates, teſtamentũ fecit, in beneficijs ad ærariũ delatus eſt, id eſt, ærario pecuniam donauit ex teſtamẽtis. Quia cauſa per ſe tenuis & exigua eſt, reddit eã ſplẽdidiorẽ & illuſtriorem, addito loco communi de laude literarum. Et cum ſupra argumenta à re ſeu cauſa traxerit, hic à perſona ducit argumentum: Archias eſt homo literatus & poeta, ergo eſt dignus quem in ciuitate retineamus. Transfert igitur orationem ab Hypoteſi ad Theſin, id eſt, ad locum communem: ſcilicet, Omnes ſtudioſi ſunt colendi. Sed ut modeſte prædicet Archiam, ne immodicæ laudes noceant ei transfert rem in ſuam perſonam & dicit ſe plurimi facere Archiam. Eſt ergo propoſitio, Ego magni facio Archiam. Sequitur ratio Enthymematis forma, quia eius ſtudia proſunt mihi ad delectationem, deinde etiam ad utilitatẽ in hac forenſi facultate dicendi. & huic rationi eſt ſubiecta breuis uel comprobatio, uel repetitio. Sequitur occupatio: Tu'ne igitur fateris te uerſari in literis? Ad hoc reſpondet per conceſſionem, & ſubijcit tres cauſas finales. Prima eſt: Ita uerſor in literis creſcit mihi facultas dicendi. Tertia: Literæ etiam gubernant meos mores, & conſilia regendæ Reipublicæ & addit rationem: Quia literæ continent doctrinam bene uiuendi. & hãc ſententiã illuminat per interpretationem, nõ nihil mutatis uerbis. Sequitur obiectio: Num igitur nulli ſunt magni uiri ſine doctrina? Primum conceſſione utitur, quòd multi uiri magni [redacted]onem. Quia magna naturæ uis eſt. Deinde ſubijcit Correctionem: Multum tamen conducit doctrina, & perfectum quiddam exiſtit, cum ad naturam bonam acceſſerit. Id probat exemplis. Poſtremo claudit hanc diſputationẽ repetitione cauſæ finalis leuioris, uidelicet quòd delectationis cauſa literæ nõ ſint aſpernandæ. Et amplificat hunc finem per Collationem: Nullæ aliæ uoluptates perinde ſunt perpetuæ. Porrò diſtributio fit temporum, Agunt ſenectutem, &c. Hactenus de ſua perſona tantum dixit Cicero. hic tranſitionem facit, & probat, debere iudices etiam admirari artem: & eſt argumentum à genere artis tractum. Ars eſt digna admiratione, ergo etiam Archias magni faciendus eſt. Et ſimilitudine reddit perſpicuum argumentum. Sicut celeres motus erant corporis Roſcij, qui magnopere delectabant, &c. ita ſunt ingenij Archiæ. Accedit probatio: Quia multos uerſus ex tempore fundit. Sequitur argumentũ à differentia poetices. Diſtinguit enim Anthitheſi poeticam ab alijs artibus & hæc eſt Enthimematis ſumma: Poetica eſt diuina, ergo poetæ ſunt tractandi humaniter, & colendi. Et adiecit Amplificationem ex laude muſices, ductam ex maiore: Saxa reſpondent uocibus, beſtiæ flectuntur cantu, ergo & nos amemus carmen. Hactenus recitauit argumenta, ſumpta à perſona Archiæ extra cauſam, Quòd in ciuitate retinendus ſit, quia ſit poeta. Nunc ſubijcit exempla eodem pertinentia: Sicut aliæ ciuitates honore adfecerunt poetas, ita & nos Archiam honore adficere debemus. Homerum multi ſibi uendicant, ergo & nos retineamus Archiam. Additus eſt adfectus: Nemo non fauet ſuis laudibus, Archias autem deſcripſit laudes pop. Rom. Recitat igitur argumenta quædam poematum Archiæ. deinde ſubijcit Scipionis exemplum. Scipio Ennium honore affecit, ergo & nos hunc honore adficite. Accedit amplificatio à græca lingua: Plures legunt græca quàm latina: at Archias Græce ſcribit, melius igitur ſcribit quàm Ennius. Addita eſt amplificatio ab utilitate ſcriptorum: Quia gloria ad uirtutem incitat, ſcripta autem gloriam pariunt, quia retinent memoriam rerum geſtarum: ergo ſcripta illa ad uirtutem incitant. Sequitur igitur, Scriptores eſſe dignos qui omni officij genere colantur. Adiectum eſt exemplum de Achille & Homero: Achillis memoriam retinuit Homerus, item Pompeius iudicauit hæc ſcripta gloriam adferre, & cætera. Accedunt & alia exempla Syllæ & Metelli, qui poetis delectati ſunt. & Schema ex minore interpoſitum eſt, quod facit ueriſimilem Archiæ cauſam: Si alios poetas ſtudioſe audierunt noſtri Imperatores, ergo ueriſimile eſt eos & hunc audiuiſſe, & facile conceſſiſſe ciuitatem. Poſtea additur αἰτιολογία, ex communi ſententia: Trahimur omnes cupiditate laudis. Hæc ſententia Bruti & Fuluij exemplis comprobata eſt. Sequitur breuis Concluſio, poſtquam ſuum exgna

plum commemorat. Et ego laude delector: Et cum res meas geſtas Archias deſcripſerit, bene uolo illi. Sequitur repetitio loci cõmunis: quod gloriæ et immortalitatis cupiditas hæreat in animis, quæ ad res magnas gerendas exuſcitat. eſtq; argumentum à cauſa finali ductum: Omnes gloriam appetimus tanquam finẽ laborum: quare ij, qui monumenta condunt, honore afficiendi ſunt. & hæc ſententia rhetorica expolitione eſt uariata, uerbis quater mutatis res eadem repetitur. Virtus appetit gloriam: Nemo tantos labores, tanta pericula ſuſciperet, niſi laudis amore duceretur: Illa gloriæ cupiditas hæret in animis, quæ ad agendum exuſcitat: Turpe eſſet magnis uiris, & in Republica uerſantibus, ſi ea eſſent opinione, ſimul cum ipſis morituram eſſe memoriam omnium quæ geſſerunt. Hic ſubinde uides eandem ſententiam paulum modo uariatam repeti. Multum accedit lucis, cum & locus argumenti notatus eſt. dixi enim, à cauſa finali ſumptũ eſſe, & elocutionis figuræ cenſæ ſunt. Nam hic ſententia ualde redditur perſpicua, ſi moneatur Lector, rem eandẽ dici, tantum uariato forma orationis. Amplificatio in fine addita eſt, uel à Simili, uel ex Minore: Si corporum ſtatuas relinquere cupimus, multo magis poemata relinquẽda erunt quia ſunt durabiliora, & ſunt imagines animorum & conſiliorum. Eſt autem ſumptus hic locus ex Iſocratis Euagora, ἐγὼ δὲ ὦ Νικόκλεις ἡγοῦμαι μὲν εἶναι καλὰ μνημεῖα καὶ τὰς τῶν σωμάτων εἰκόνας, πολὺ μέντοι πλείονος ἀξίας τὰς τῶν πράξεων καὶ τῆς διανοίας, ἃς ἐν τοῖς λόγοις ἄν τις μόνον τοῖς τεχνικῶς ἔχουσι θεωρήσειεν. Poſtea ſequitur Peroratio, quæ continet Deprecationem, in qua argumenta cauſæ breuiſſime repetuntur, ut fit in Epilogis.

## EIVSDEM PARAPHRASIS PER EVNDEM

[redacted]

EGO niſi parum gratus exiſtimari uelim, hanc meam dicendi facultatem, ſi qua eſt, ad ſalutem defenſionemq; Archiæ conferre debeo. Nam hic mihi inde uſque à prima ætate auctor adiutorq; ad hæc Eloquentiæ ſtudia ſuſcipienda atque colenda ſemper fuit. Quare cum alijs opem ferre ſoleam, multo æquius eſt, ut Archiam defendam, à quo plurimũ in hoc ſtudio adiutus ſum, ut aliquem beneficij ſui fructum ferat. Sed miretur quiſpiá, qui potuerit me in hac forenſi ratione dicendi adiuuare Archias, qui cum ſit poeta, in diſſimili genere artium uerſatur. Verum hac de re ita ſtatuetis, diſciplinas omnes tanquam fœdere quodam inter ſe copulatas atque coniunctas eſſe. Quare etiam hæc ratio dicendi multum à poetis ſumit. Eſt autẽ hoc loco uenia etiam mihi petenda, quòd in foro atque iudicio, præter conſuetudinem de ſtudijs literarum multa dicturus ſim. Nam id ſpero mihi uos propter hunc reum conceſſuros eſſe, quem uerebar animo debiliore futurum eſſe, ſi uſitata contentione cauſam agi uideret, cum antea nunquam in iudicijs uerſatus ſit. Quamobrem nouo genere orationis confirmandus mihi fuit. Proinde ſi me benigne audietis, efficiam, ut illum non modo ciuem eſſe ſtatuatis, ſed etiam ſi ciuis non eſſet, dignum eſſe cui ciuitas donetur intelligatis. Ego iudices, non adducor leuibus cauſis, cur Archiam plurimi faciam: quia magnum ex ſtudijs eius fructum capio, tum ad oblectationem, tum etiam ad hanc orationis copiam conſeruandam. Neque enim ſuſtinere poſſem hanc in foro contentionem, niſi mitioribus ſtudijs interdum relaxarem animum, atque recrearem. Et areſceret hæc facultas dicendi, niſi doctrina aleretur. Non enim diſſimulo, me in ſtudijs literarum uerſari, præſertim cum me neque à Reip. neque ab amicorum negotijs abducant. Nunquam enim me uel commoda mea, uel otij cupiditas, uel inertia, uel uoluptates remoratæ ſunt, quo minus aut Reip. aut amicis, neceſſario ipſorum tempore, operam dederim. Quare concedi mihi peto, ſi quantum temporis alij ponunt in alea, in conuiuijs, in ſpectandis ludis, tantũ ego in literis colloco. Idq; eã ob cauſam æquius eſt mihi permitti, quia ad alios inde non exigua utilitas redit. Hæc enim oratio fit uberior ex illis ſtudijs, quæ multorum ſalutem defendere ſolet. Præterea, maiorem etiam utilitatem ex illis literis capio. Nam auctoritate earum commotus, nihil antiquius uirtute duco. Nullum pro ſalute Reipub. diſcrimen adire unquam dubitaui, nec me à defenſione Reipub. uoluptas unquam, aut metus ullus retraxit. Video enim in literis honeſtiſſima præcepta propoſita, ut deo exempla à doctis hominibus mandata memoriæ, hác ob cauſam, ut ea exprimeremus, atque imitaremur in omni uita. In quæ ego intuens, ad uirtutem & ad decus expetendum accendi me ſentio. Sed quia uim harum artium tantopere prædicas, quæret aliquis fortaſſe, an nemo unquam extiterit uir magnus ſine doctrina: cum quidem in hac Rep. conſtet, ſine literis multos fortiſſimos & moderatiſſimos uiros, & peritiſſimos Reipub. regendæ fuiſſe? Ego uero non nego, multos naturæ beneficio ac penè diuinitus ad uirtutem factos, ſine doctrina præſtãtes uiros extitiſſe. Magna enim in omni genere naturæ uis, adeo ut plus ad uirtutem conſequendam felix natura ſine doctrina ualeat, quàm ſola doctrina repugnante ingenio & inuita Minerua, quod aiunt. Quanquam autem hoc ita ſit, tamen illud etiam affirmare auſim, perfectam ſapientiam ac uirtutem ita demum exiſtere, cum ad bonam naturam ratio doctrinaq; acceſſerit. Sunt enim impetus quoſdam à natura uirtus, quæ literis & doctrina perficienda eſt. Viderunt patres noſtri Aphricanum, Lælium, & Catonem, qui acerrimum ſtudium ad has artes contulerunt. Neque uero exiſtimari debet, tales uiros in tanta uarietate occupationum, hæc ſtudia attingere uoluiſſe, niſi ſenſiſſent ea magnum momentum ad colendam uirtutem adferre. Sed ut nulla maior utilitas inde percipi poſſet, tamen expetenda uidentur delectationis cauſa. Nã aliæ uoluptates non ſunt perpetuæ: at hæc ſtudia delectãt in omni ætate atq; fortuna. Exercẽt adoleſcentiã, exhilarant ſenectutem, ſecundas res ornant, in aduerſis leniunt animi curas. Hactenus de me dixi, cur Archiam plurimi faciam. Non dubito autem, quin & uos ei propter artis ſuauitatem bene cupiatis. Vt enim Roſciũ omnes admirabamur ac diligebamus, propter uenuſtatem, quã in corporis motu adhibebat: ita in hoc ingenij celeritas fauorẽ meretur. Sæpe enim uidi Archiam ex tempore magnum numerum uerſuum effundentem, cum literam nullam ſcripſiſſet, ac rurſus eandem ſententiã commutatis uerbis ornatiſſime explicantem. In his uero quæ maiore cura ſcribit ac cõponit. ne ueteribus quidẽ ulla ex parte cedit. Quis igitur eũ nõ amet? quis nõ defendat? quis nõ omni officij genere proſequi uelit? At reliquas artes ferũt præceptis cõſtare, poetas uero diuina quadã ui cõmoueri. Quáobrẽ Ennius eos appellat ſanctos, hoc eſt, religione quadã colẽdos. Proinde & nos reuerẽtia quadã poetici nominis tãgi cõuenit, præſertim cũ carmine moueãtur ſaxa etiã ac beſtiæ: quãto magis nos, ad humanitatẽ optima diſciplina inſtitutos, uoce poetarũ moueri decet? Homerũ multæ ciuitates mortuũ repetũt, tanquã ſuũ: nos uiuũ Archiam, qui iure in noſtrã ciuitatẽ peruenit, nõ retinebimus? cũ quidem de nobis præclare meritus ſit. Nemo ſuis laudibus non fauet. nos igitur Archiæ, qui res præclare geſtas pop. Roman. ui carmine complexus eſt, fauere debemus. Deſcripſit enim

Cimbrorum

Cimbrorum cladẽ in Italia acceptam.deſcripſit & Mithridaticum bellũ.Pertinent enim ad pop.Romani gloriam res geſtæ uoſtrorum Imperatorũ. Scipio honore affecit Ennium, & non modo uiuũ coluit,ſed mortuũ etiam in ſepulchro Scipionum collocauit.Hic celebrauerat Catonẽ et alios egregios ciues: quæ res cũ ad pop.Romani gloriam pertinere iudicaretur,ciuitate donatus eſt Ennius ignobili natus loco,in oppido Rhodijs. Quanto minus decet,uos hunc Archiam,in ſocia ciuitate Heraclea adſcriptum, ciuitate eijcere: præſertim cũ Græce res geſtas pop. Romani conſcripſerit. Maiorem enim gloriam pariunt Græce quàm Latine ſcripta,quia græca lingua plures gentes utuntur quàm noſtra. At cũ famam uirtutũ noſtrarum,ad eas etiam gentes peruenire cupiamus,quò nondũ arma noſtra penetrauerunt: ornare eas literas debemus,quæ nominis Romani notitiam eò perferunt.

Huc accedit,quod ſcriptores non uulgariter de Repub.merentur qui quia memoriam rerũ præclare geſtarum retinent, excitant homines ad uirtutis ſtudium .Nullũ enim efficacius incitamentũ eſt periculorum ac laborũ,quàm gloria. Atque ita iudicaſſe Alexandrũ apparet,uiros fortes ac magnos gloriæ dulcedine tangi. Nam cũ ad Achillis tumulũ aſtitiſſet,pronunciauit illum hoc nomine fortunatũ fuiſſe,quod Homerũ præconem nactus eſſet. quaſi ampliſſimũ uirtutis præmium illi contigiſſet Etenim quod abſque Homero fuiſſet,ipſum etiã nomen Achillis obliuione oblitum fuiſſet. Noſter Pompeius pro concione poetam quendam ciuitate donauit,idq; comprobauit exercitus . Delectabat enim eos,quod res geſtæ ipſorum mandata literis, non tantum in præſentia,ſed etiam ad poſteros gloriã ipſis paritura erant. cũ autẽ Imperatores noſtri hanc ob cauſam ſæpe ſcriptoribus honorem habuerint,uериſimile eſt & Archiam,ſi ciuis non eſſet,facile ius ciuitatis ab aliquo impetrare potuiſſe. Sylla.n.cũ etiã inepto poetæ præmium dari iuſſerit,hunc propter ſingularem ingenij uim atque copiã maxime admiratus eſſet. Q. Metellus Hiſpanicos poetas in ciuitatem aſſciuit: at ab hoc facile uel per ſe,uel per Lucullos idem impetrare Archias potuit. Neque enim diſſimulari hoc poteſt,gloriæ cupiditatem animis omnium innatam eſſe.

Hanc ipſi etiam philoſophi,cũ de contemnenda gloria præcipiũt, adfectant. Hanc propoſitam habuerunt noſtri Imperatores, qui in publicis monumẽtis carmina perſcribi curauerũt,in quibus nomina eorũ extarent.Ego ut ingenue fatear,incredibili uoluptate afficior cum huius poema recitari audio,quod de rebus in Conſulatu meo pro ſalute Reip.geſtis inchoauit. Nullum enim uirtus præmium copioſius deſiderat,quàm laudem atque gratam memoriam laborum. Hanc omnes expetunt, atque ambiunt.

Eſt enim inſita quædam gloriæ cupiditas omnibus,quæ extimulat ut memoriam nominis noſtri ad poſteros extendamus. Nemo enim tantos labores ſuſciperet, nemo tot pericula ſubiret , ſi nulla cura immortalitatis tangeretur,ſi arbitraretur ſecum memoriam omnium laborum interituram eſſe,ſi non ob oculos ſpes quædam immortalitatis obuerſaretur . Et cum uoluptas quædam ſit,ſtatuas & corporum ſimulacra relinquere: quanto magis optandũ eſt,ut extent animorum & conſiliorum noſtrorum imagines,arte ſumma factæ atque elaboratæ. Ego quidem in ijs rebus,quas geſſi,iam tum in uniuerſam poſteritatẽ intuebar, & illius calculis probari conſilia mea cupiebam. Et ſiue poſt mortem ſenſus aliquis eſt animorũ,ut ſapientiſſimi homines maluerunt : ſiue nullus eſt ſenſus , nunc tamen hæc me conſolatio ac ſpes delectat,reputantem famã rerum geſtarum à me ad poſteritatem peruenturam eſſe:Quæſo igitur uos Iudices,cum cauſa legis auctoritate defenſa ſit,in ipſo autem reo tanta ſit dignitas, ut eum in ciuitate retinendum eſſe ſtatuatis : erit humanitatis ueſtræ,talem uirum diuina quadam ui ingenij præditum, quod quidem totum ad ornandum populi Romani nomen contulit, liberare. Ego quæ de cauſa dixi , ita plena eſſe confido , ut nemini dubia uideri poſſint. Quæ extra cauſam de ſtudiorum laude dixi, exiſtimo uos boni conſulere.

# IN EANDEM PRO ARCHIA POETA ORATIONEM

## MARTINI BOLERI BRETTANI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

Vlus Licinius Archias poeta,natus Antiochæ,Romæ multis præclaris uiris charus fuit . Itaque cum aliquando und cum L. Lucullo Sicilia diſcederet,Heracleam peruenit : & ab Heracleinſibus cum ſua auctoritate,tum Luculli opera facile impetrauit,ut ciuis Heracleæ aſſcriberetur, lege Syllani & Carbonis : qua ius ciuitatis dabatur ijs , qui ſi confœderatis ciuitatibus aſſcripti, tum cum lex ferebatur , in Italia domicilium habuiſſent,& apud Prætorem eſſent profeſſi : iam qui in ſocia aliqua ciuitate aſſcriptus erat ciuis, is etiam pro Romano ciue habebatur. Poſtea autem eſt lis mota Archiæ à quodam Gracchо, qui illum accuſauit,quòd ciuis Romanus non eſſet . Cicero itaque eum coram Prætore defendit.

### GENVS CAVSAE.

Oratio eſt generis iudicialis. defenditur enim Archias apud Iudicem,quod ſit ciuis Romanus. Sed quia poſt cauſam abſolutam, magna orationis pars in laude Archiæ & ſtudiorũ humanitatis conſumitur,in genere quoque demonſtratiuo uerſatur. Nam ex locis generis demonſtratiui ducuntur argumenta,quibus & Archias & ipſa poetica ars laudantur.Solet autem fieri in iudiciali genere,ut demonſtratiuum coincidat. Nam commendatione perſonæ,Iudicum fauorem conciliat,& cauſam ipſam probabili reddit.

### DE STATV ORATIONIS.

In omni genre ſcripti, initio ſtatim principale quiddam quærendum eſt , in quo tota cauſa conſiſtit , & ex quo uniuerſa oratio naſcitur , & ad quod omnia argumenta referuntur . id ſtatus proprie dicitur . Debet autem omnis cauſa,ſiue ſcriptum, aliquo ſyllogiſmo comprehendi . eius ſyllogiſmi concluſio ſtatus erit & ſcopus totius orationis : Archias ciuis eſt. Conſiſtit autem tota oratio in hoc ſyllogiſmo : Ciuis eſt qui ſociæ ciuitati adſcriptus eſt, Archias ſocijs ciuitatibus adſcriptus eſt, igitur ciuis eſt. Hæc ſyllogiſmi concluſio, totius orationis ſtatus eſt . Sunt autem ſtatus tres : Coniecturalis , Finitiuus, Qualitatis. Horum quæſtiones ſunt : An ſit, quid ſit,quale ſit. At cum hic uideatur eſſe talis intentio, Non es ciuis : depulſio talis, Sum ciuis: & ex his naſcatur quæſtio,An ſit,quæ coniecturalem ſtatum conſtituit : ſequitur,orationis ſtatum coniecturalem eſſe,ſcilicet,An Archias ſit ciuis.

Si quid eſt. ] Exordium eſt, quod ab officio ſuæ perſonæ accepit M. Cicero. Nam, inquit ſe Archiæ officijs obſtrictum, ad defenſionem eius adduci: ſimul autem beneuolentiam auditorũ ſibi conciliat. uix enim efficacior aliqua conciliandæ beneuolentiæ ratio eſt, quàm quæ ab officio et honeſto ſumitur. Quod ſentio quàm ſit. ] Extenuatio. Quod ſi hæc uox. ] Epilogus eſt exordij. ſic enim ſingulis collectionibus ſubiecti Epilogi argumenta paucis uerbis repetunt. Hac'ne quis. ] Occupatio: reſpõdet enim tacitæ obiectioni, Qui potuiſti tu orator à poeta iuuari? Repõdet, Quia artes inter ſe ſocietatis quodã uinculo cõnexæ ſunt, & mutua ope indigent, quamobrẽ Cyclicæ dicuntur. infeliciter enim uerſabitur in Dialectica, Grãmaticæ ignarus. Rhetorica ita cum Dialecticis conuenit, ut neutra ſine altera poſſit conſiſtere. Aſtrologus Arithmeticæ & Geometricæ inſcius, nullus eſt. Ad cauſas ciuiles tractandas inſtrumenta Dialecticæ & Rhetoricæ qui non adfert, nihil efficit. Hinc eſt egregia illa Craſſi uox in tertio de Oratore: Eſt etiam illa Platonis uera, & tibi Catule certe non inaudita uox, omnẽ doctrinam harum ingenuarum & humanarum artium uno quodam ſocietatis uinculo cõtineri. Humanitas. ] Aul. Gellius lib. 13. cap. 15. oſtendit ueteres Latinos humanitatis uocabulo uſos eſſe, non pro eo quod Græci φιλανθρωπίαν, nos dexteritatem & beniuolentiã erga omnes dicimus: ſed pro eo quod Græci παιδείαν, nos inſtitutionem in bonas artes appellamus. propterea quod hi qui bonis literis exculti ſunt, ferè humaniores ſunt. quemadmodũ poeta quoque pulchre dixit: Scilicet ingenuas didiciſſe fideliter artes, Emollit mores, nec ſinit eſſe feros. Sed ne cui. ] Alia occupatio, qua & attentos auditores facit, & excuſat quòd dicendi genere à conſuetudine fori & iudiciorum alieno utatur. Nam de literarũ laudibus in foro dicere, uidetur abſurdum: uerũ cũ pro poeta dicebat, qui à forenſi ſtrepitu ſemper abhorruerat, conueniebat ut de literarũ dignitate diceret, ut oratio reo accõmodata eſſet: ne ſi illa conſueta fori cõtentione uſus eſſet, magis eũ perturbaſſet. Quod ſi mihi. ] Propoſitio eſt.

## EXORDII TOTIVS MEMBRA, SEV PARTES.

Vehementer conducit, ut ſcripturus uel lecturus aliquẽ ſcriptorem, totam aliquam partem orationis breuibus uerbis circumſcribat, & nuda ac principalia membra complectatur. ſic enim ſcripturus melius uidebit, quæ ornamenta accedere poſſint, & lecturus de ſcripto rectius iudicabit. Colligamus ergo huius exordij membra ſeu partes. Primum ſententia quædam propoſita eſt, ueluti exordij propoſitio, ex qua totum exordium naſcitur: Ego debeo hoc meo ingenio iuuare Archiam, ut illi gratiam referã. Hanc partem uide quo modo ornarit Cicero. Ipſe enim cum amplificatione quadam dixit: Si quid ingenij, ſi qua exercitatio, aut ſi huiuſce rei, &c. quæ omnia acceſſerunt amplificandi cauſa. atque hæc eſt prima Periodus. Secunda habet rationem ſeu cauſam ſuperioris: Nam adiuuit meum hoc dicendi ſtudium. & amplificat hanc quoque partem circumſtantijs. Tertia eſt, epilogus exordij. nam repetitæ tantũ ſunt ſuperiores ſententiæ: Si hæc mea uox ad aliorum ſalutem ab Archia adſuefacta eſt, debet etiam Archiæ prodeſſe, &c. In hunc modum nuda membra & partes in animo concipi debent. nam ita fiet, ut rectius de toto ſcripto iudicemus, & orationis ſeriem animaduertamus. Solet autem in exordijs ferè ſententia quædam proponi, poſtea ſententiæ eius ratio ſubijci, poſtremo concluſio: poſt quam ſequũtur alia quædam, quæ ad inſtitutum conueniunt, quemadmodũ hic uides duas occupationes ſtatim ſequi. Nam cum in exordio dixerat Cicero, ſe Archiæ ſtudijs adiutum: potuiſſet aliquis obijcere, Quid te oratorem iuuare potuit poeta? reſpondet, Quia artes ſunt cognatæ. Item cum de literarum laudibus in foro dicturus erat, quod ineptum uidebatur, ſtatim excuſat, cur id faciat. Nam ut primum. ] Hæc eſt narratio, quæ ſimilis hiſtoricæ expoſitioni eſt. nam Archiæ uitam & ſtudia deſcribit: præterea quo modo ius ciuitatis adeptus ſit. Itaque in hoc poſtremo totius orationis cardo uertitur. probandũ enim eſt, Archiam confœderatæ ciuitati adſcriptum eſſe. Proinde totã cauſam in ſyllogiſmũ, quem nos ſupra indicauimus cũ de ſtatu loqueremur, incluſit, & hic in narrationẽ poſuit. Complexus eſt autem Maiorẽ his uerbis: Si qui in fœderatis ciuitatibus adſcripti ſunt, & tum cũ lex ferretur, domiciliũ in Italia habuerunt, & ſexaginta dies apud prætorẽ profeſſi ſunt, illi pro ciuibus habentur. Minorẽ ſic: Archias Romæ domiciliũ multos ante annos habuit, et apud prætorem profeſſus Heracleæ inſcriptus eſt, &c. igitur ciuis eſt. Quanquã Cicero nõ ponat expreſſam concluſionem, quã neceſſario ſequi certũ eſt, ſed eius loco generalẽ quandã ſententiã adiecit. Si nihil niſi de ciuitate ac lege dicimus, nihil dico amplius, cauſa dicta eſt. Hic ſyllogiſmus totius narrationis ſummã continet, proinde ſemper ob oculos uerſari debet. Cum autẽ in omnem cõtrouerſiã incidat quiddã de quo dubitatur, et quod probandũ eſt, quærendũ eſt illud. Nam ex eo ueluti ex fonte, tota confirmatio naſci ſolet. Id uero apud Rhetores κρινόμενον dicitur: eſtq; uel maior uel minor ſyllogiſmi propoſitio. In hac autẽ cauſa maior, Qui fœderatis ciuitatib. aſcripti ſunt, ciues ſunt: certa eſt, et ſine cõtrouerſia uera. Minor aũt, Archias inſcriptus eſt fœderatis ciuitatibus, incerta: igitur probanda: quæ ſi probetur, cõcluſio quæ cauſæ ſtatũ facit, ſine dubio uera erit. Eſt igitur huius cauſæ κρινόμενον minor propoſitio: nã de illa dubitatur. probat aũt eã M. Cic. & uerã eſſe oſtẽdit his locis, à teſtibus, à tabulis, à ſignis, &c. Forma ingenij. ] Gradatio eſt. Antiochia urbs Syriæ eſt. Tarentũ Calabriæ urbs in Italiæ finib. oræ maritimæ adiacet. Rheginũ Italiæ oppidũ ad mare, cõtra Siciliã. Neapolis, Italiæ urbs inſignis in Campania ad mare, quæ et Parthenope dicta eſt. Quorum alter. ] Scilicet Marius. Alter. ] Scilicet Catulus. Nã is Orator fuit, et Romanã hiſtoriã ſcripſiſſe dicitur. Luculli duo fuerũt, ex quibus alter bellũ aduerſus regem Mithridatẽ geſſit. Iuſtinus lib. 37. Prætexta genus ueſtis oblõgæ, ſic dicta à purpura & gemmis quæ ei prætexebãtur. hac utebãtur nobiles unà cũ bulla, priuſquã ad decimũſeptimũ annũ perueniſſent. nã poſtea togã uirilẽ accipiebãt. Vide Macrob li. 1. c. 6. Heraclea urbs Italiæ in finib. Cãpaniæ fuit. hæc habebat ius Romanæ urbis, ideo cũ Archias in eã inſcriptus erat, habebat etiã ius Romanæ urbis. Nã fœderatis ciuitatibus idẽ erat ius cũ Romana urbe, et iiſdẽ priuilegijs utebãtur. Profiteri apud prætorẽ, eſt nomen et cenſum indicare coram prætore. Nã qui ſocijs ciuitatibus ſe aſcribebãt, cogebantur dare ſua nomina teſtimonij loco, quo et ciues eſſe, & alicuius ciuitatis ſociæ ius habere agnoſceretur. Fiebat etiã profeſſio quinto quoq; anno: id uero apud ſcriptores cenſum agere dicitur. Si qui fœderatis. ] Maior. Cũ hic domiciliũ. ] Minor. Si nihil aliud. ] Narrationis cõcluſio. Quid.n. horũ. ] Cõfutatio per locũ à teſtib. Nã Lucullũ et legatos Heracleẽſes teſtes adducit, Archiã eſſe Heracleæ aſcriptum. Obſerua autem quàm apte utatur interrogatione: qua non ſolum interrogat, ſed urget etiam aduerſariũ. Italico bello. ] De quo lege Florũ lib. 3. cap. 13. At domiciliũ. ] Cõfutatio obiectionis de domicilio. At nõ eſt profeſſus. ] Cõfutat tabulas, argumẽto à tabulis ſũpto. Etenim cũ mediocrib. ] Argumentũ ueriſimile à minori. Rheginos credo. ] Εἰρωνεία. Poſt legẽ Papiã. ] Lege Papia omnes qui Romani ciues nõ erãt, exire cogebãtur. Cẽſus noſtros. ] Confutat quod aduerſarius obiecerat, Archiã nõ eſſe adſcriptũ cẽſorib. Et ait ipſum bis cũ cẽſus actus eſt, in exercitu fuiſſe: ſemel cũ domi fuerit, populũ nõ eſſe cẽſitũ. Sed quoniã cẽſus. ] Alia confutatio ſententiæ aduerſarij. Dixerat.n. Archiã ipſũ cõfeſſũ eſſe, q inter ciues nõ ſit uerſatus: igitur ciuẽ nõ eſſe. Id cõfutat à ſignis, ſcilicet quod teſtamẽta fecerit, hereditates adierit, et in beneficijs ad ærariũ delatus ſit. Ad ærariũ delatus. ] Ad ærariũ defe-

rebantur

rebantur tabulis hi, qui de Republica bene meriti erant, quæ res magnam laudem merebatur. Quære argumenta. ] Quia uidet cauſam firmam eſſe, ideo urget aduerſarium. Quæ res à nobis. ] Abſoluta cauſa probationibus à re ipſa acceptis, excurrit in locum communem, quo ſtudia humanitatis & literas commendat, ſumptis argumentis ex locis generis demonſtratiui, ab ipſa perſona Archiæ, quo fieret oratio ſplendidior. Nam ipſa cauſa per ſe non habuit copioſam dicendi materiam. Proinde inſtituto loco communi ipſam illuſtrat, & dignitatem quandam addit. Eſtq; hic locus diligenter obſeruandus, ut nobis ſcripturis ſit exemplum tractandorum locorum communium. Et enim ſingularis artificis, poſſe locos cõmunes apte orationi inſerere. Animaduertendum autem quàm callide M. Cicero ad ſuam perſonam Archiæ laudes transferat. Nec enim iudici commendat Archiam ambitioſius, ſed dicit ſe magnificare Archiam: atque interim ab ipſis cauſis finalibus argumẽtatur, docens cur literæ ſint colendæ. Primum itaque, inquit, uoluptatis cauſa literas amandas & diſcendas eſſe, ideoq; inquit: Quantum tamen alij temporis in alea, in ſpectaculis, in conuiuijs abſumunt, tantũ ego in his literis. Secunda cauſa, literarum tractatione dicendi facultas augetur & conſeruatur. Tertia, mores etiam literis formantur, & conſilia regendæ Reipublicæ ex illis petuntur: atque hæc omnia ait ſe ab Archia accipere, ut Archiæ laudes ad ſe transferat, ne forte laudatio potuiſſet uideri ſuſpecta. Et quoniam mentionem locorum communium fecimus, libuit de illis aliquanto ἐμπίςερον καὶ σαφέςερον diſſerere. Video enim multis prauam opinionẽ inſediſſe, qui exiſtimant locorum communium cognitionẽ in eo conſiſtere, ſi multas in unum aliquem locum ſententias comportent: interim rationem planè tenent nullã, quo modo ſententijs aut exemplis utendum ſit. Habet autem quæque ars ſuos locos. Ideo ex philoſophia morali loci communes uitiorum ac uirtutũ petuntur. Nam hæc philoſophiæ pars, de uirtute, de officio, de honeſto, æquo & bono, & ignominia tractat, &c. Ex Phyſicis libris loci rerum naturalium petuntur. Sic ſuos locos habet Theologia, ſuos Scientia iuris, ſuos Medicina. Ex his cognitio perfecta uniuſcuiuſque loci diſcatur, impoſſibile eſt ut inſtitutum aliquem locum pro dignitate tractes. neque uidebis quid res, et ubi ſit: ſed temere congeſtis ſententijs, quas ad præſentem locum pertinere exiſtimabis, mancam & eneruem orationem efficies. Debet igitur uniuſcuiuſque loci natura & uis, cauſa et effectus cognoſci ex ipſis fontibus: præterea ratio tenenda, quo modo apte in orationem ſeri poſſint. illi enim, ut M. C. inquit, in ipſis cauſæ neruis hærent, & ex eis tanquam oratio naſcitur. Si cui dicendũ eſſet de bello Turcico, ſtatim ſe locus communis offeret: ſcilicet, charitatis officium. is locus in totã cauſam apte ſpargendus erit. Verum niſi ille qui dicet perfecte cognorit ex ſacris libris, quid magiſtratus ſit, quod eius officium: item, Num liceat Chriſtiano magiſtratui bellum gerere, & quid differat regnum ciuile à ſpiritnali: ineptiſſime tractabit totam cauſam. Nam offendent eũ alicubi ſententiæ ſcripturæ, quæ Chriſtiano non permittunt uim ui repellere: ideoq; ſtatim dubitabit, num recte faciat Chriſtianus magiſtratus, ſi bellum gerat. Verum qui ſciet, quãtopere prædicet hoc opus charitatis ipſa ſcriptura, ille præclare & ſplendide de eo dicet: & experietur quid illud ſit quod Horatius dixit: Verbaq; præuiſam rem nõ inuita ſequentur. Nam docebit, Principes gladiũ ideo à deo accepiſſe, in hoc eſſe præfectos eos qui arma gerunt uniuerſo mundo, ut depellant latrocinia, opprimant ſeditioſos, & turbantes publicam pacem. Turcam uero eſſe immaniſſimũ nominis Chriſtiani hoſtem, qui ſi uincat nos, nõ tantum de ſtatu Reipub. noſtræ, ſed de tota omnino religione actũ eſſe. Conſeruandam autem illam noſtram qualemcunque Reip. formam, in qua omnia ex certis legibus iudicentur & conſtituãtur. Turcam nullum tenere certũ Reip. ſtatum, ex nullis legibus dicere ius, apud eum licere unicuiq; quod libet, & perditiſſimos quoſque homines eũ habere maximo in pretio: propterea omnibus Chriſtianis, non tantum pro aris & focis, ſed pro ijs rebus eſſe dimicandũ, quibus in uniuerſo orbe nihil ſit neque ſanctius, neque præclarius: nempe pro doctrina Euangelica cœlo demiſſa, pro conſeruando Reip. bono ſtatu. Prætrea faciet collationem. Hoc opus ſi alijs charitatis operibus magnis quidem illis cõparetur, longe præſtare. Nam pauperum ſubleuare inopiam, largiri eleemoſynas, curare et conſolari infirmos, recreare adflictos, ædificare hoſpitalia, etiamſi præclara ſint, tamen multo leuiora eſſe quàm quæ cum hoc uno charitatis opere conferri debeant. Superioribus annis cum mota eſſet quæſtio de ſacerdotum cœlibatu, prodijt libellus quidam Fabri cuiuſdam, ea de re tractans. Is in eo toto ſcripto nihil aliud agit, quàm quod ſentẽtias cõſuit, de matrimonij calamitatibus, de mulierum uitijs, &c. Qua tractatione quid poteſt eſſe magis ridiculum? Hoc enim illi agendũ erat: Liceat ne ſacerdoti uxorem ducere: item de uoto, de cœlibatu & eius uitijs diſputare conueniebat: item an cœlibatus uicia potius ferenda ſint, quàm mutanda. Sic enim tractare locos, eſt uidere quid res, & ubi ſit, quæ eorum naturæ, quæ cauſæ. Hæc non maledicendi ſtudio, ſed docendæ iuuentutis cauſa ſcripſi. Maneat illi, quandoquidem habet qui eum admirantur, ſua gloria. inepti etiam & ſtupidi homines fuerunt illi, qui in ruſticorum ſeditione articulos de officio magiſtratus, de ſeruitute, & ſimiles euulgarũt. Quod ſi exactã horũ locorũ notitiã tenuiſſent, non ſcripſiſſent tam ſeditioſum dogma. Verũ illi ſententias quaſdam ex ſcripturæ conuerrebant, quibus Deus minatur malis principibus pœnam. Igitur colligebant eos tollendos eſſe, non eſſe illa ferenda onera quæ uidebantur grauiora. Rem ipſam penitus nõ introſpexerant, ſcilicet magiſtratum eſſe ordinationem diuinã, qualis qualis ille fuerit, aut quacunque occaſione regnum inuaſerit. præterea in omnibus illis eſſe obſequendum, præterquam in his quæ præcipiunt contra mandatum Dei. quod ſi non obtẽperantes occiderint uel punierint, tamen omnia ferenda potius, quàm arma aduerſus illos ſumenda. Forenſi ſtrepitu. ] Nam ingenia ſtudijs ſeuerioribus ac forenſi dicendi exercitatione Attica, his elegantioribus & blandioribus ſtudijs ueluti reficiuntur. Ego uero fateor. ] Occupatio eſt, ad quam reſpondens, tres cauſas adfert, cur in literis uerſetur. Prima, uoluptatis cauſa uerſor in literis, quemadmodũ alij in conuiuijs, alij in ſpectaculis uoluptatis cauſa uerſantur. Quare quis tandem reprehendat. ] Amplificatio à ſimili. Atq; hoc adeo. ] Secunda cauſa: Quia ſtudia augẽt eloquentiã, ideo colo ea. Quæ ſi cui leuior. ] Tertia cauſa: Literæ, inquit, proſunt ad uitam recte inſtituendam, & ſuppeditant conſilia ad Remp. gerendam neceſſaria. Nunquam me pro ſalute. ] Reſpicit ad coniurationem Catilinæ, quæ Cicerone conſule oppreſſa eſt.

## SEQVVNTVR PARTES SEV MEMBRA HVIVS LOCI.

Quæ res à nobis Gracche. ] Cauſas fortaſſe requiris Gracche, cur tanti faciam Archiam. Prima eſt: quod ſtudijs eius uehementer oblector & recreor: nam niſi iucundioribus interdum ſtudijs animum relaxarem meum, non poſſem tantas in foro contentiones ſuſtinere. Secunda, hæc meæ dicendi facultas his literis cõſeruatur: nam quotidie ſuppetunt quod dicamus, et ingenium meum excolunt. Neque nego me his ſtudijs eſſe deditum, in quibus ita uerſor ut ab illis nullo otio aut uoluptate auocer. Quare quantum alij temporis in alea, in publicis ſpectaculis abſumunt, tantum mihi concedi ad hæc ſtudia perſequendæ par eſt. Idq; eo magis, quod eloquentiã meã augent: quæ qualiſcunq; eſt, certe amicorũ ſaluti hactenus nõ defuit. Tertia non quidẽ leuis cauſa eſt, quòd ex literis didici nihil eſſe uirtute præclarius cuius cauſa omnes cruciatus perferẽdi, omnia pericula ſubeũda ſint.

Neque enim ego me ipſum in tantū diſcrimen pro ſalute Reipublicæ conſeruanda conieciſſem, niſi eam ex literis perſuaſionem induiſſem, uirtutem eſſe omnibus rebus præferendā. ſunt enim paſſim in multorum libris pulcherrima præcepta, & egregia exempla propoſita, non tantum ut ea inſpiciamus aut legamus, ſed ut imitemur. in quæ cum ego tota mentis acie, dum rempublicam adminiſtrarem, eſſem intentus, animum meum ex ſapientum uirorum præceptis inſtitui & formaui. Quæret quiſpiam. ] Obiectio eſt: Tamen multi excellentes uiri extiterunt ſine literarum cognitione. Marcus Cicero concedit, & rationem ſubijcit: quia in quibuſdam magna natura uis eſt, & propè diuina, quæ per ſe ad magnas res efficiendas ſufficit. & hanc ſententiam tamen poſtea corrigit: Quod ſi ad eximiā naturam eruditio acceſſerit, tum ſingulare quiddam fieri ſolere. ultimo concluſit locum hunc, & ſimul argumentum à cauſa finali adfert, quo ſuperius quoque uſus eſt. Et ſi nullus fructus ex literis prouenires, tamen propter uoluptatem eſſe expetendas: & amplificat uenuſta collatione, idq́; facta diſtributione temporum, ætatum, locorum, in hunc modum. Aliæ uoluptates non permanent omni tempore, ætate, & loco: literæ ſuas adoleſcentibus, ſuas etiam ſenibus uoluptates præbent. Item temporibus proſperis ſunt ornamento, aduerſis ſolatio: domi agentibus ſunt iucundæ, nec foris impediunt. Eſt autem hæc diſputatio ex communi loco ſumpta, qua quæri ſolet, naturá ne plus an eruditio poſſit. & meminit eius rei Quintilianus libro ſecundo cap. 20. Et Horatius in Arte poetica: Natura fieret laudabile carmen, an arte, Quæſitum eſt: ego nec ſtudium ſine diuite uena, Nec rude quid proſit uideo ingenium, alterius ſic Altera poſcit opem res, & coniurat amice. Ego multos homines. ] Conceſſio. Etiam illud adiungo. ] Ratio. Atque idem ego. ] Correctio. Quod ſi non. ] Epilogus huius loci à cauſa finali, Studia ſcilicet uel propter uoluptatem colēda eſſe, etiam ſi nullus ex illis fructus prouenires. Hæc ſtudia adoleſcentiam. ] Diſſolutum eſt. Quod ſi ipſi. ] M.C. hactenus Archiæ laudes ad ſuam tantum perſonā retulit. dixit enim, ſtudia eius profuiſſe, nec ſcilicet ſuſpecta fuiſſet laudatio. Hinc ut oſtēdat ab illis quoque magnifaciendū Archiā, nō proponit ſtatim, Vos quoque iudices Archiam magnificare debetis: ſed ſingulari quodam artificio, ab Hypotheſi ad Theſin ſe confert, argumento ab ipſa poetices arte & literarum ſtudijs ſumpto. Ars, inquit, laudem meretur, apud eos etiam qui eam ignorant, igitur & Archias laude & admiratione dignus eſt. & ſubijcit ſimilitudinem ab exemplo Roſcij ſumptam, quæ illuſtrat argumentum. Quales in Roſcio motuum celeritates fuerunt, quibus delectauit, & omnium amorem ſibi conciliauit, tales animorum & ingenij motus ſunt in Archia. Similitudinem probat ab eo, quod multos ſæpe uerſus ex tempore ſolet ſcribere, & eandem rem rurſus commutatis uerbis & ſententijs efferre. Poſtremo argumentum à differentia artis poeticæ ſumit, atque oſtendit poeticam omnibus alijs artibus eſſe præſtantiorem. Vtitur autem Enthymemate, Poetam ipſa natura effingit, & diuino adflatu fit, igitur poetæ diuini ſunt. id amplificat poſtea à maiori, Nulla unquam barbaria uiolauit nomen poetæ: Saxa reſpondent uocibus, beſtiæ cantu flectuntur: igitur & nos poetarum uoces mouere debent. Quoties ego. ] Conduplicatio. Atqui ſic. ] A' differentia artis, & hoc eſt antecedens. Sic igitur. ] Conſequens. Saxa & ſolitudines. ] Amplificatio à maiori. Homerum Colophonij. ] Argumentis exempla ſubijcit, quibus hoc ipſum probat, Archiam dignū eſſe qui in ciuitate retineatur. Homerum, inquit, multi uendicare uoluerunt: ergo & nos Archiam retinere debemus. Atque hoc exemplum pulchre amplificat ex minori, per Antitheſin: illi poſt mortem Homeri inter ſe cōtenderunt cuius eſſet, Nos uiuum Archiam negligemus? præſertim cum laudes Romanorum celebrarit. nam bellum Cimbricum & Mithridaticum deſcripſit. Deinde aliud exemplum ſubijcit de Ennio: Scipio Ennium in prætio habuit. Igitur & Archias à nobis honorandus. & illud etiam exemplum per Antitheſes amplificat. Atque illum Ennium ex oppido Rudijs natum, maiores noſtri ciuitate donarunt: quanto magis decet nos idem facere Archiæ? Item: Græca ſcripta apud plures quàm Latina leguntur: Archias autem Græce, Ennius Latine ſcripſit ideo Archias maiore laude dignus eſt. Poſtremo argumentum ab utilitate ſcriptorum adfert: Multum proſunt illi qui res geſtas ſcribunt: nam non ſolum memoria eorum qui res præclaras geſſerunt conſeruatur, ſed alij etiam his exemplis ad gloriam incitantur. Hoc amplificat Homeri exemplo, qui Achillis memoriam conſeruauit. Accedunt & alia exempla de Pompeio, Sylla, Metello, D. Bruto, & ipſo Cicerone: Illi omnes, inquit, delectati ſunt rerum ſuarum ſcriptoribus. atq; huius rationem ſubijcit ex loco communi. Quare ſunt his delectati? quia omnes trahimur amore gloriæ. Locum communem pulchra confirmat ratione: Nam animi, inquit, immortales ſunt, ideo gloriæ ſtimulis incitantur, & tot pericula ſubeunt. Homerum Colophonij. ] De Homeri patria eſt apud Gellium libro 3. cap. 11. Ciuitates quæ inter ſe pro eo contenderunt, ſunt his uerſiculis comprehenſi. Ε᾿πτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν ὁμήρου, Σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, σαλαμὶς, ἴος, ἄργος, ἀθῆναι. Cimbrorum. ] Qui à Mario in Italia cæſi ſunt. Vide Florum libro 3. Cap. 3. Mithridaticum bellum. ] Florus lib. 3. cap. 5 Cyzicus ciuitas Aſiæ nobilis, de qua eodem cap. Florus. Tenedos inſula in mari Aegeo. Rudiæ oppidum Calabriæ, patria Ennij. Noſtra ſunt trophæa. ] Repetitio. Corduba ciuitas Hiſpaniæ, patria Lucani & Senecæ: illic natos dicit pingue quiddam ſonare, ſed ex horum numero Lucanus merito eximitur. Neque enim eſt. ] Comprobatio à loco communi. Certe ſi nihil. ] Ratio loci communis: Quia animi ſunt immortales, ideo accenduntur gloriæ cupiditate. Manubiæ, pecunia eſt quæ ex præda obuenit: qualis eſt ea, quæ per deditionem ab hoſte acquiritur. An uero tam parui. ] Hæc eſt quædam repetitio ſententiæ ſuperioris: Niſi anima eſſet immortalis, non ſubiret tot labores gloriæ cauſa. Quare conſeruate. ] Epilogus orationis eſt, qui conſtat breui argumentorum repetitione & adfectu.

# IN M. TVL. CICERONIS ORATIONEM AD POP. ET EQVITES ROM. ANTEQVAM IRET IN EXILIVM, ANNOTATIO MYLIANDRI TIGVRINI AD MARTINVM PETER SCHAPHVSIANVM.

## ARGVMENTVM.

P

VB.Clodius Tribunus plebis flagitioſus & extremæ audaciæ homo, cum grauiſſimas inimicitias cum M.Cicerone exerceret, & à patribus ad plebem tranſiſſet legem tulit: qui damnatum ciuem Romanum interemiſſet, & aqua & igni interdiceretur. Quibus uerbis etiamſi non expreſſe nominabatur Cicero, tamẽ ſolus petebatur, ut qui Lentulum, Cethegum, & reliquos nefariæ cõiurationis ſocios in carcere occidi iuſſiſſet. Itaq; pro patria conſeruata præmium accepit huiuſmodi, ut in exiliũ mitteretur. Sed priuſquam urbe excederet, hanc orationem ad Populum & Equites habuiſſe creditur. Aduerſariorum obiectioni pauciſſima reſpondet de quibus poſtea uidebimus, ſi defenſio prius explicata fuerit. Quidquid uero diligentiæ & laboris impendero, tibi Martine omnium chariſſime dicatum eſſe uolo. Nam cum plurimos annos admodũ familiariter mecũ uixeris, animumq; beneuolentiſſimum multis & præclaris erga me beneficijs oſtenderis, omnino uiciſſim cupio quibus potero modis animi gratitudinẽ declarare. Et ſat ſcio, qui tuus eſt candor, æqui boniq; conſules hoc Leuidenſe munuſculum, etiamſi ualde ſit impar ampliſſimis benemeritis tuis. Sed cogitabis, in præſentia nihil aliud occurriſſe, quo mutuæ uoluntatis ſignificationem aliquam darem. Scopus huius orationis & principalis propoſitio eſt: Ciceronem in urbe retinendũ, nec in exilium (ut Clodius moliebatur) eijciendum eſſe. Id Cicero multis rationibus perſuadere conatur, maxime tamen innititur argumentis à iure deſumptis. Eſt igitur hic ſtatus ἀντίληψις, id eſt iuridicialis abſolutus. Ius ipſum, uel (quod idem eſt) δίκαιον apud Ariſtotelem in primo Rhetoricorũ, diuiditur in proprium & cõmune. In 5. Ethicorũ diuiditur in naturale & legitimum, uel (ut uulgo nominant) poſitiuũ. Vbi commune φυσικὸν, & proprium νόμιμον uocatur. Eſt enim commune τὸ κατὰ φύσιν, ut ipſe ait, ὃ μαντεύονταί τι πάντες φύσει κοινὸν δίκαιον καὶ ἄδικον, κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ μηδὲ συνθήκη. Tales ſunt communes animi conceptiones, diuinitus impreſſæ mentibus humanis, adeo clare lucentes, ut etiamſi ore negentur, animo tamen eas inficiari nemo queat. exempli cauſa, Deum eſſe colendum, parentes honorandos, magiſtratibus obediendum. Huiuſmodi ſententias à natura nobis inſcriptas. Cicero in ueteri Rhetorica his partibus comprehendit, religione, pietate, gratia, uindicatione, obſeruantia, ueritate. Quæ nunc ideo recitantur, quia ex communiſſimis & euidentiſſimis ſententijs huic orationi uires & robur accedunt. Cicero enim probat in urbe ſe retinendum, & quia benemeritus eſt de populo Romano, & quia ſemper honeſte uixit. Sic igitur hæc prima argumentatio: Benemeritis eſt gratia referenda: Cicero benemeritus eſt de populo Romano: Ergo Ciceroni uiciſſim, ubi res poſtulat, auxilium erit præſtandum. Hoc argumentũ Dialecticus à priori uocat, ex cauſa efficiente, cuius effectus (ſi cætera ſint paria) debebat eſſe, patrocinium, ſalus, dignitas, amplitudo. Rhetor appellat ab honeſto, à iure, eoq; naturali. Et ſi iubeat magis deſcẽdere, referimus hoc argumentum ad partem legis naturalis quam Cicero gratiam uocat. Eſt enim maior ſyllogiſmi, de officiorum & honorum memoria & remuneratione. Hæc propoſitio non opus habet ulla probatione, ſed ipſa per ſe fidem meretur ex pronunciato, ut Rodolphus Agricola uocat, ſeu auctoritate naturæ, qua nullum extat in uniuerſa uita humana locupletius teſtimonium, ſacris literis exceptis. Deinde nec minor huius ſyllogiſmi probatur. quia notiſſimum erat, à Conſule Cicerone Catilinarios oppreſſos, qui iam armis & incendio urbem uaſtare conabantur. Secunda argumentatio non minus principalis eſt: Improbos punire, probos tueri conuenit; Cicero ſemper honeſte uixit, non commeruit exilium, ſed ab inimicis opprimitur iniuſte: Ergo Ciceronem decet defendere, in urbe conſeruare. Argumentum eſt iterum ab efficiente, quemadmodum topicus appellat. Orator autem ait ab officio, uel honeſto, iure naturali deſumptũ eſſe: & quidem ex ea parte naturæ, quam Cicero uindicationem aut obſeruantiam uocat. Minoris confirmatio eſt à pronunciatis: apud uos, inquit Cicero, loquor de mea calamitate, quos habui ſemper innocentiæ & uirtutis meæ teſtes. In hæc duo argumenta principalia oratio tota recumbit. Hæc ipſius cauſæ baſis & fundamenta iaciuntur: hæc oſſa, hi nerui, hoc totius negotij robur exiſtit. Nam quæ poteſt efficacior aut euidentior argumentatio mente humana concipi uel excogitari, quàm ea qua legitime colligitur ex principijs indubitatis: An non ex his omnium diſciplinarum certitudo conſtat: eaq; ſubito peribit, ſi κοινὰς ἐννοίας ſi notitias omnium mentibus à natura inſculptas, è natura ſuſtuleris? Quare ſi Cicero perfectiſſimas ἀποδείξεις imitatus è principijs argumentatur practicis, quemadmodum illæ fiunt ex ſpeculatiuis, oro quid eruditius, quid illuſtrius hac oratione fingi poteſt? Nec enim minus compertum habemus naturæ beneficio, gratiam eſſe referendam honeſtatem conſeruandam, quamprimum ſimplicia uocabula cognouimus: quàm quod habemus perſpectum, ſi æqualibus æqualia addas, æqualia reſultare. Horum in primis peritus orator, quamuis & alijs pluribus argumentis minime deſtitutus fuerit, ſæpe tamen ad illas efficaces probationes recurrit, perpetuo inculcat, alijs atq; alijs modis amplificat ac ornat. Sed iam ad alias rationes ueniamus. Tertium argumentum, ut dialectici uocant, à poſteriori ſumitur, & ex effectu eius ſi Cicero conſeruetur aut eijciatur. Rhetor appellat ab utili & inutili, ex æquo & bono. Argumentatio talis eſt: Omniũ bonorum ſalus eſt coniuncta: iam ſi Cicero retineatur in urbe, nimirum reliqui boni uiri de ſua ſalute bene ſperabunt. è diuerſo, Cicerone laudatiſſimo ciue exulante, nemo ſe tutum arbitrabitur: quinimo Ciceronis unius incommodum, ſi initio non erit refutatum, impune ad omnium perniciem conualeſcet. At uero quis ignorat reipub. ſalutem & tranquillitatem oportere ſpectari? an non & hoc idem confirmat omnium conſenſus, utilitati publicæ quibus modis fieri poteſt conſulendum eſſe? Quare ſi cuius effectus malus eſt, ipſum quoque malum eſt: & Ciceronis exilium infinita mala ſequuntur: haud dubie ex uſu reipub. fuerit, Ciceronem ſeruari. Hoc igitur argumentum ab utili, ſicut duo priora ſumuntur ab honeſto. Quamuis autem neutra ratione commoti Romani dimiſerint à ſe Ciceronem, longe tamen efficacior utilitas quàm honeſtas fuit, ad eundem ab exilio reuocandum. Etenim Pompeius de reditu Ciceronis, quem abeuntem adeo turpiter deſeruerat, ut etiam à colloquio illius abſtineret, tum demum cogitare cœpit, cum & ſe & alios optimos ciues à Clodianis peri uideret. Id quod in hac tertia argumentatione Cicero uaticinatus eſt. Quartum argumentum eſt à poſſibili & facili: Dialecticus autem & uoluntatem & facultatem ad cauſam refert effectricem Cicero.on immoratur in oſtendẽda facultate: nihil enim facilius, quàm, unũ ab uniuerſis in urbe tantummo-

do ſeruari. eius tamen mentionem facit: ſed magis neceſſe erat adducere quæ perſuaderent, ut Romani uellent. Debent autem ea uelle, quæ reucea utilia ſunt & honeſta, de quibus antea ſatis. Quintum argumentum, eſt à maiori & minori. Imperatores qui militum uirtute hoſtem uicerunt, ſtatua digni putantur, imo æterna triumphi laude decorantur: Cicero ſua uirtute Catilinarios oppreſſit: ergo multo magis in ciuitate retineri debet. Maiorem huiuſmodi ſyllogiſmi ponit Ariſtoteles, ἃ τὸ ἢ πολὺ ὑπερέχει, καὶ τὸ μᾶλλον ὑπάρχει. Minus eſt aliena, maius uero propria uirtute uincere. Maius item in alicuius honorem erigere ſtatuam, & æterno triumphi laude decorare, quàm in urbe retinere. Adde bellicam uirtutem inferiorem eſſe togata, quemadmodum diſputatur in primo Officiorum. Imperatoribus autẽ qui militum fortitudine uincunt, & ſtatua conceditur & triumphus. Ergo multo magis Cicero conſul, & propria & togata prudentia ſuperior hoſte, retinendus in urbe: quod longe minus eſt præmium maioris uirtutis. Sextum argumentum, eſt rurſus à minori ad maius. Antea publicorum beneficiorum inter ſe collatio habebatur. nam & imperatorum uictoria, & Ciceronis conſulis uigilantia ad rempub. ſpectat. Iam priuata cum publicis conferuntur. Itaque talis inde naſcitur argumentatio: Singuli ciues officia repenſare, debitamq́; referre gratiã ijs ſolent, quorum benignitatem ſenſerunt: Ergo multo magis quod non in unum, ſed in totum populum Romanum contulit, debet auctori ſuo fructuoſum eſſe: præſertim quò facilius eſt uniuerſos alicui reſpondere, quàm unum. Septimum rurſus à comparatis: ſed alia ratione. Primum enim Cicero ſua beneficia conferebat cum alijs publicis, deinde cum priuatis. Iam petitionem ſuam cum gratia promerita confert, hoc modo: De repub. promeritus ſum adeo ut meam amplitudinem & gloriam laude & honoribus amplificare deberetis. Ergo multo minus incolumitatem & ſalutem deſerendam exiſtimetis. Antecedens probatur commendatione beneficiorum, quæ per totam orationem miris modis extolluntur. Conſequentia patet ex natura maioris ad minus. Poſtremum argumentum à pari: me ſæpenumero ueſtra laude cohoneſtatis: ergo nunc etiam in dubijs uitæ periculis ueſtra uirtute conſeruetis. Igitur octo argumenta recitaui, quibus Cicero probat in urbe ſe retinendum eſſe. E quibus omnibus tria priora maximam uim habent, ideoq́; ſæpiſſime repetuntur alijs atque alijs modis. Reliquis uero minus ineſt uirium, quia non à cauſa uel effectu, ſed à comparatis accipiuntur. Porrò monet Ariſtoteles in ſuis Rhetoricis, non ſolum argumentis fidem fieri, ſed etiam qualitate dicentis & audientis: hoc eſt, ſi ille qui orationem habet, uidetur eſſe uir bonus, prudens, beneuolus. deinde, ſi rapiat auditorem in aliquem affectum. Quod idem & apud Ciceronem legimus 2. de Oratore, cuius uerba hæc ſunt: Ita ratio omnis dicendi tribus ad perſuadendum rebus eſt nixa: ut probemus uera eſſe quæ defendimus, ut conciliemus nobis eos qui audiunt, ut animos eorum ad quencunque cauſa poſtulat motum uocemus. Nam ut Ariſtoteles initio 3. Rhetoricorum queritur, adeo corrupti ſunt homines, ut non ſolum argumento reſpiciant, & ea quæ dicuntur, ſed magis à quo dicantur, & ut in plurimum ex affectu iudicent. Itaque Cicero peritiſſimus orator, nihil iſtorum prorſus omittit. ſæpiſſime recurrit ad commemorationem ſuorum beneficiorum & honeſtæ uitæ peractæ: quibus non modo cauſam ſuam confirmat, ſed etiam induſtriam, beneuolentiam, pietatem erga patriam declarat, unde ſimul & cauſa conſiſteret apud integros iudices, & ſua perſona merito multum auctoritatis haberet. Hæc de argumentis & perſona oratoris. Tertio miſericordiam etiam mouere conatur, ut benigne reſpiciant eum Quirites, minimeq́; patiantur eiectum, ab uxore & à liberis abſtrahi: qui miſerrimus eſt mortalium caſus. Itaque dicendum reſtat, quibus rationibus illum affectum excitare uoluerit. Rodolphus Agricola libro 2. de Inuentione: Duo ſunt, inquit, in miſericordia mouenda, acerbus alicuius caſus, & eum qui perferat indignum illo uideri. Sed Ariſtoteles exactius omnia perpendens, adijcit, inſuper ita caſus acerbitatem oſtendendam, ut minime procul abeſſe uideatur, & illi quoque accidere poſſe, qui ad miſericordiam alliciendus eſt. Ac primum quidem explicat, quales nã ij ſint qui miſereantur: ſecundo, quæ miſericordiam moueant: ultimo, quorum miſereri ſoleamus. Iam igitur hæc tria quæramus in hac oratione. Facile miſericordia trahuntur (inquit Ariſtoteles) qui uel ſibi uel ſuis metuunt, ne calamitate eadem aliquando afficiantur. Hæc eſt illa cauſa, cur toties Cicero moneat eandem fortunam reliquis ciuibus expectandam, niſi tribunitius furor in tempore reprimatur. Neque diſcentium ingenia perturbare debet, quod idem ſupra numeraui inter argumenta. Nam ex iiſdem locis ſiue dialecticis, ſiue rhetoricis, argumenta ratioq́; mouendi ſumitur. Et eadem res ſæpenumero diuerſos habet uſus. Secundo ponuntur in miſerabilibus ea mala præcipue, quorum fortuna eſt cauſa, Τὸ ἀπεσπάσθαι ἀπὸ φίλων καὶ συνήθων, τὸ ὅθεν προσῆκεν τι πρᾶξαι, κακόν τι συμβῆναι, τὸ γενομένων ἀγαθῶν μὴ εἶναι ἀπόλαυσιν, & reliqua. Hinc illæ uoces Ciceronis: O miſera uitæ ratio, quæ tamdiu reſides in uoluptate, quàmdiu fortunæ poſcit libido. Et alibi: Siue hinc abiero, ſiue ero hic oppreſſus, ea maneat opinio & exiſtimatio, quæ uirtute parta, non quæ infelicitate illata eſt. Et alibi: Nec patiamini me à liberis meis abſtractum, à coniuge abreptum, ab aris focisq́; innocentem proiectum, uitam degere in exilio. Et alibi: Itaque quod putaui fore gaudium, id extitit exitium. Huc pertinent iterationes uerbi cedo, in tempore præſenti, ut iſta miſeria tamiam ſubeunda uideatur: Cedo, inquit, inuitus de republica, cedo oppreſſus de fortuna, diſcedo à republica, uictus audacia malorum. Eodem pertinet quod de ſolitudine & ſenectute ſua, & loquendi poteſtate, quam inimici denegabant, queritur ſupplex: Hoſtibus, inquit, in ipſa acie cum præliantur, loqui licet: mihi in pace loqui non licebit? & reliqua. Tertio miſeremur eorum, qui non commeruerunt iſtam calamitatem. Itaque non ſolum ad argumenta, ſed ad affectum pertinet, quòd ferè per totam orationem ſua benemerita recenſet & auget, omnem denique uitam à turpitudine alienam oſtendit. Item Ariſtotele teſte, τοὺς σπουδαίους ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς ὄντας ἐλεοῦσιν. Nam ut Cicero dicit in ueteri Rhetorica, ſæpe uirtus & magnificentia, in quo grauitas & auctoritas eſt, plus profuit ad miſericordiam commouendam, quàm humilitas & obſecratio. Hinc idem in Epilogo pro Milone, Milonem fortiſſimum affirmat eo ipſo tempore, quo reus homicidij peragebatur. Eandem ob cauſam in hac oratione Cicero ſe ualde ſtrenuum fingit: Ego, inquit, inimicorum amentiæ, cupiditatiq́; paucorum, omnium ſalutis cauſa decedam. Et iterum: Decretum eſt in his temporibus omnia perpeti, quæ uolet furor libidinoſus. Et iterum: neque enim mors miſeranda eſt, quæ ob rempublicam capitur. Nam uitam ſi eripiunt, non adiment gloriam immortalem, non animum à republica remouebunt. Idq́; probat multorum exemplis: Neque enim Q. Metellus quidquam de uirtute ſua detraxit, quod ceſſit L. Saturnino furenti: & reliqua. Quod uero facilius huiuſmodi fingantur quàm uſu comprobentur, legamus Plutarchum, ita de Cicerone dum erat in exilio ſcribentem: τὰ πολλὰ πρὸς τὴν Ἰταλίαν ὥσπερ οἱ δυσέρωτες ἀφορῶν, καὶ τῷ φρονήματι μικρὸς ἄγαν καὶ ταπεινὸς ὑπὸ τῆς συμφορᾶς γεγονώς, καὶ συνεσταλμένος, ὡς οὐκ ἄν τις ἄνδρα παιδείᾳ συμβεβιωκότα τοσαύτῃ προσεδόκησε. Sunt & alij modi captandi miſericordiam, ſupplicare ſordidatum incedere, & omnino ὑπόκρισιν idoneam ad talem affectum adhibere: quibus adeo immodice uſus eſt Cicero, ut (ſi credimus Appiano) riſum excitarit pro commiſeratione. Hactenus oſtendi triplicem uiam, qua Cicero declinare ſtudet inſidias aduerſariorum. Iam quibus de cauſis illi ſtruxerint eas, aperiendum eſt. Nam etſi ordo naturæ poſtulet antea machinarum

causas

*cauſas aperire, quam deuitandi rationem: facilius tamen aduerſariorum fraus & dolus iam intelligitur, eo quod prius æqua defenſio conſtat. Quæſtio eſt, utrum Cicero debeat in urbe retineri, an uero in exilium mitti. Defenſionem præmiſimus: ſed inimici conantur eum eijcere, nulla honeſta ratione adducti, ſed inuidia & indignatione, quã Ariſtoteles νέμεσιν uocat. Igitur his ſyllogiſmis expellitur. Talis eſt, Ariſtotele monente, & experientia comprobante, natura humana, ut grauiſſime indignetur τοῖς νεοπλούτοις, καὶ νεωστὶ δυναμένοις. At Cicero nouus homo nuper emerſit, ſummas opes & honores conſecutus. Id uidetur intolerabile νεμεσητόν. Item illi qui cupiditatibus indulgent, inuident ὧν κατηγοροῦσιν ἢ καταφρονοῦσιν αὐτοῖς. Ciceronis gloria non nihil obſcurabat aliorum famam, qui ſemper ad maiorem indignitatem aſpirabant. Ipſe patriæ pater à Catone grauiſſimo teſte ſæpius in concione uocabatur, poſtquam ſingulari uirtute Catilinariam coniurationem extinxerat: ipſi tales honores exhibiti à populo Romano, quales antea nulli contigerunt unquam, auctore Plutarcho. Omitto reliqua illis inuidioſa, qui ſibi expetebant maxima quæque deferri. Plura colligi poſſent ex natura & proprietate eorum qui, & quibus, & ob quæ ſolent inuidere & indignari: ſed nobis in præſentia ſat fuerit, Ariſtotelis admonere qui ſecundo Rhetoricorum ſingulos affectus copioſe tractat. Hæ ſunt igitur cauſæ periculorum, de quibus in hac oratione Cicero conqueritur. Aduerſarij tamen prætexebant, non alia de cauſa Ciceronem puniendum, quàm quod in carcere coniuratores indicta cauſa iuſſiſſet interfici. Quod quidem tum per ſe dicebãt indignum, tum uero in libera ciuitate. Hæ ſunt tres rationes aduerſariorum, ex quibus duæ priores non opus habent ulla refutatione: quia ſi recta uelimus omnia reputare, ſatis abunde conſtat, non appetitionibus inhoneſtis, ſed notitiæ mentis imperium eſſe concedendum. Etenim illæ uelut inobedientes filij, non quæ iuſta uel æqua ſint curant, ſed ad ea quæ adlubeſcunt, plenis (quod aiũt) uelis rapiuntur. E diuerſo uero mens uel intellectus, non abſimilis honeſto patri, ſecundum Ariſtotelem in Ethicis, ad optima quæque ſolet hortari. Quapropter omnium iudicio patet, huiuſmodi appetitus omnino refrenandos, ut nihil niſi quod ſuperior natura dictauit, exequantur. Magis itaque Cicero deplorat ſe perditorum inuidia premi, quàm ut anxie redarguat illius uenenum. Quis enim ignorat inuidiæ reſiſtendum eſſe, uirtutem uero præmijs ornandam? Quare potius in eo ſollicitus eſt, qui ſua præclare geſta commodiſſime proponat. ſemel tantum, & non amplius contra inuidiam argumentatur. Non'ne igitur indignum eſt, inquit, eos præmijs meis inuidere, qui uirtute certare noluerunt, &c. Quaſi dicat, uirtuti præmia debentur, ſed inuidia conatur eam ſpoliare. nimirum ergo reprimenda. Deinde generis humilitatem obijciebant aduerſarij, quã Cicero negare non poteſt, ſed aperte confitetur his uerbis: cum præſertim non generis antiquitate, ſed uirtutis ornamentis ſummã laudem ſim conſecutus. Potuiſſet autem egregie demonſtrare, non fortunæ bona, quæ cuiuis etiam malo contingere ſolent, eſſe reſpicienda: ſed omnia uirtute metienda, cui ſola gloria debetur & honor. Simulq; potuiſſet depingere nobilium mores turpiſſimos, qua excuſatione Macrinus utitur apud Herodi. lib. 4. Τί γοῦν, inquit, ὑμᾶς ὤνησεν ἡ κομμόδου εὐγένεια, ἢ Ἀντωνίνου πατρῴα διαδοχή; οἱ μὲν γὰρ ὥσπερ ὀφλήματα κληρονομίας λαβόντες, ἀποχρῶνται καὶ ἐνυβρίζουσιν ἃ παρὰ τῶν πατέρων, & reliqua. Sed huiuſmodi refutatio plurimorum animos offendiſſet, quia non habet locum niſi in ἀριστοκρατίᾳ, aut ubi Reſpub. uidetur optime conſtituta eſſe, qualis apud Lacedæmonios erat tempore Lycurgi. Prudens ergo Cicero nec humilitatem generis laudat, nec in nobilitatem inuehitur, ſed ferè totus eſt in aduerſariorum factis reprehendendis, & ſuis geſtis extollendis. Humilitatem, inquit, generis obijciunt nobis, qui nouam rationem ſuſcitant, ueteres maiorum obterunt laudes. Quod præterea Clodiani prætendebant, iniuſte Catilinarios in cuſtodia trucidatos, utpote ciues, fori ſolennitate neglecta, ſimiliter non deſiderat reſponſionem ſerìam. Nam quia Ciceroni ſumma rerum commiſſa fuerat, ne quid detrimenti Reſpublica caperet, atrocem autem & notoriam iniuriam coniuratores moliebantur, iure ſunt oppreſſi quocunque modo. Quoniam ergo nec admodum opus erat illa defenſione, nec ſpatium copioſe loquendi, paucis tantummodo Cicero deterret inimicos: ſuorum, inquit, ſcelerum conſcientia ſtimulati, mihi abſenti & populo Romano pœnas dabunt. Argumentum eſt à cauſa finali, id eſt à pœna grauiſſima ſceleratorum. Nec enim in hoc ſeculo magis dirum ſupplicium excogitari poteſt, impiorum carnificina. Hæ ſunt iſtæ furiæ infernales apud poetas, quarum & alibi Cicero meminit in oratione pro Roſtio. Paucis itaque reſpondet obiectionibus, & quia non habent obſcuram controuerſiam, & quia non erat locus omnia fuſe tractandi. Quare uehementer inſtantibus aduerſarijs alia prætermittens, aut ſaltem obiter perſtringens, ea copioſe proponit, quæ potiſſimum eo tempore ſuæ cauſæ profutura ſperabat. Hactenus de inuentione, ſeu de fide facienda, qua & reus & accuſator uſi uidentur. Hæc ſi fuerit oſtenſa in orationis contextu, de diſpoſitione dicemus, ultimo de elocutione.*

*SI quido inimicorum impetum propulſarem.] Prima periodus ad primum argumentũ eſt referenda. Hic enim ſenſus eſt: Gratia debetur ijs, qui beneficio nos afficiunt: Afficiunt autẽ, qui noſtrorum inimicorum impetũ propellunt. Ego populum Romanum ab incendio liberaui, quod Cornelius Lentulus Sura meditabatur: ego Catilinariam coniurationem extinxi, et immortalibus beneficijs totam Italiam mihi deuinxi: ergo uiciſſim ab imminenti exilio defendendus ſum. Ponitur autem integer ſyllogiſmus, cuius minor eſt: Inimicorum impetum propulſare cupiſtis. Concluſio ſequitur: Defendite nũc uniuerſi unum. deinde minor: Qui ne omnes concideretis, ardoreq; flammæ conflagraretis, mei capitis periculo non dubitaui prouidere. Niſi uelimus appellare ſyllogiſmũ hypotheticum, ubi poſitio antecedentis & conſequẽtis omiſſa ſit. Quaſi dicat ſi inimicos propulſare cupiſtis, uniuerſi me defendite, ſed nemo nõ propulſatos cupit inimicos: ergo nũc me defendite. Sequelæ probatio: Quia ne omnes concideretis, ardoreq; flammæ conflagraretis, mei capitis periculo non dubitaui prouidere. Sed etiam ſi dicamus Ciceronem uſum hypothetica forma, plurimum tamen prodeſt eam ad categoricam, utpote ſimpliciorem & perfectiorem reduci. E quibus autem locis benemerita ſoleant augeri & amplificari, nihil ad uim & naturam argumentorum, ſed ad magnitudinem facit, & expolitionem. Igitur de his poſtea nonnihil. Cæterum ſupra monui, hæc non ſolum ad argumentationem, ſed etiam ad perſonæ commendationem, & beneuolentiæ captationem ſpectare. Nam quem uirtutis gloria cum ſumma laude, &c.] Altera periodus, continet ſecundum argumentum. ſenſus eſt: Ego Cicero retinendus ſum in urbe, quia mea uirtute ſummam gloriam adeptus ſum, & ſola aduerſariorum inuidia detrudor in exilium. Satis autem conſtat inuidiam eſſe reprimendam, uirtutem uero propagandam. Hoc argumentum enthymematice proponitur, cuius antecedens eſt: Ego uirtutis gloria nobilitatus, aduerſariorum inuidia deprimor ad ſupplicium. Conſequens eſt repetendum ex præcedenti periodo: ſcilicet, ergo me nunc uniuerſi defendite. Probatione conſequentiæ nihil opus eſt: omnes enim norunt, idq; naturali iudicio, tuendos eſſe innocentes. Eam itaque Cicero prætermiſit. Neque enim patiuntur ea iudices doceri, quæ prius oportet ex officio tenere. Hoc argumentum ſuperiori connectitur, cõiunctione cauſali Nam. Eadem enim concluſio nunc aliter probatur, ut dictum eſt. Si liberum conceptam dulcedinem.] Iam orator ad*

*primum argumentum reuertitur, de gratia referenda. Maior ſyllogiſmi ponitur his uerbis: Eſt enim liberale officium, ſerere beneficium, ut metere poſſis fructum. Fidei conducit, in loco debitum retribuere. Sequitur utriuſque probatio, à laude quæ uirtutem conſequi ſolet. Illic enim animi uoluntas propenſa comprobatur, hic memoria collaudatur. ſed beneficium eſt liberos alicuius tueri & conſeruare, iugũ ſeruitutis à corpore repellere. Id Cicero ſine controuerſia fecit: ergo uiciſſim illi benefaciendum eſt. Et ſi maiores ueſtri eos imperatores, &c. ] Argumentatur à comparatis, quæ ſuperius quinto loco poſuimus. In comparatione paris, minoea, et maiora ſunt. Mixtim hic à maiori & minori ducitur argumentatio. Senſus enim eſt: Si pro minori uirtute maius premiũ ueſtri maiores perſoluerunt, quanto magis pro maiori uirtute minus dare uos conuenit? Similem argumentationem duplicatæ comparationis Agricola citat ex oratione Miloniaua, & Virgilio. Si quæ beneficia ſingulis ciuibus, &c. ] Argumentum à maiori, quod ſupra poſui ſextum. ſenſus eſt: Priuatum hominem ingratitudinis pudet: ergo multo magis populus Romanus accepta beneficia rependere debet. Verum ego minime repugnarim, ſi quis huiuſmodi comparationem, non argumentum, ſi argumenti primi confirmationẽ eſſe contendat. Et ſingulorum opes ſæpe ſunt tenues. ] Argumentum à facultate. ſupra poſuimus quartum. Hoc una cum argumento ſexto commiſcetur. Nam per ſe parum ualet, ſi dicas, Id potes, ergo facias. Itaque Cicero coniungit uoluntatem & facultatem his uerbis: Vos obteſtor, quos mihi & debere & poſſe intelligo opitulari. Ne cuius amplitudinem ac gloriã. ] Hæc uerba referuntur ad ſeptimum argumentum. Etenim errat ſi quis arbitrabatur. ] Pertinent hæc ad ſecundum argumentum, de uita Ciceronis honeſte tranſacta: ideoq; non eum eſſe ſpoliandum præmijs uirtutum. Nonne igitur indignum eſt. ] Contra inuidiam argumentatur, de qua ſupra nonnihil in refutatione. Liceat manere, ſi non Tullium. ] Hoc ad miſericordiam ſpectat. Ait enim ſe libenter exiliũ uelle ſubire, modo liberi, modo reliqui ciues incolumes ſeruentur. Num igitur poteſt fieri à clientibus. ] Tertium hoc eſt argumẽtum, ab effectu. Si Cicero mulctetur exilio, quid fiet? à clientibus ſuis non recipietur: ſocij & omnes exteri nullam amplius à Romanis opem ſperabunt. Probatur à maiori ad minus: ſi patriæ pater eijciatur, nimirum & ciues & omnes exteri de ſalute ſua deſperabunt. Probatur & aliter hoc modo: Cum optimi cuiuſque rebus aduerſis noſtram ſalutem, cum deterrimorum hominũ ſecundis noſtra pericula putamus coniuncta: Cicero ſine dubitatione uir optimus expellitur: ergo ſimul & reliqui Romani ciues uniuerſi periclitabuntur. Argumentatio uim habet ex generali ſententia: Si bona ſunt ὁμολογούμενα, ſicut Ariſtoteles uocat, ea quorum præſentia felix eſt hominum ſtatus: ſimiliter ὁμολογούμενα mala ſunt, quibus Reip. tranquillitas perturbatur. Nec eſt quod aliquis obijciat ſuam innocentiam, potentiam, & πολυφιλίαν. Nam his omnibus Cicero probe munitus ſuperatur. Quamobrem nolo me duce. ] Cicero ſe ἀναίτιον facit: quod non ſolum ad cauſæ firmamentum, ſed ad miſericordiam referri debere ſupra monui. Omnia ſunt immutata, manus ad demonſtranda. ] Inter alia quæ dixi ad commiſerationem pertinere, non minimum eſt, quod acerbitas & magnitudo calamitatis omnibus rationibus exaggerari debet. Quid uero crudelius eſt, præſertim in libera ciuitate, quàm ab iniuria deploranda prohiberi? ſine teſte, ſine accuſatore, indicta cauſa deprimi ad grauiſſimum ſupplicium. Humilitatem generis. ] Aduerſariorum obiectio ſecunda. Huic ſi opem non tuleritis. ] Argumentum tertiũ ab effectu. Nemo tam perdita auctoritate. ] À cõparatis exaggeratur iniuria, quod ad miſericordiæ affectum pertinet. Tacebo ſi neceſſe eſt. ] Facit ſe ἀναίτιον. ſed ad miſericordiam ſpectat etiam hoc. Etenim ſi à me Lentuli ſordes. ] Tertia aduerſariorũ obiectio, quod in carcere clàm interfecit coniuratores. Quas ob res ego inimicorum. ] Hæc ad Ariſtotelis locum περὶ τοῦ ἀναιτίου. Sed illud queror. ] Argumentum tertium ab effectu. Quamobrem ſtatutum eſt. ] Ad miſericordiam, ut ſupra delineatum eſt. Nunc ego te Iuppiter. ] Qui numinis auxilium implorant, & ſe periclitari ſupra modum, & religioſos eſſe oſtendunt: quorum alterum ad caſus acerbitatem, alterum ad indignitatem, utrunque ad miſericordiæ captationẽ pertinet. Interim & alia multa coaceruantur iſtiuſmodi affectui accommodata, de quibus ſupra. ut quòd Cicero ſupplicat, orat, obteſtatur, ſenectutem & ſolitudinem profert, addit bene ficia ſua, & honeſtiſſimam uitam. Cedam inermis armatis, etc. ] Quo Cicero ἀναίτιος eſſe credatur, adducit ſimilia exempla Metelli, Marij, Cottæ. Neque enim Q. Metellus. ] Numidicum intelligit. de quo Valer. Max. lib. 3. cap. 8. C. Cotta. ] Tres eodem tempore (ut teſtatur Aſconius Pedianus) fuere Cottæ, C. M. L. Primus autem, cuius hic meminit Cicero, orator fuit inſignis, ac Tribunatu primum per inuidiam depulſus: deinde non multis ab eo tempore menſibus electus eſt è ciuitate. Hæc Cicero lib. 3. de Oratore. Q. Varroni. ] Hic ad conſulatum ex macellaria patris taberna conſcendit. Valer. lib. 3. cap. 4. Neque C. Marius. ] Vide Valerium lib. 6. cap. 11. & Florũ cap. 3. lib. 3. Q. Cepioni. ] Valer. lib. 6. cap. 11. Mancino. ] Hic à Numantinis uictus, iiſdem ad expiandum præſentis flagitij dedecus redditur. Florus lib. 2. cap. 18. Statilio. ] De Statilio nihil inuenio: ſed fortaſſis Rutilio legendum eſt, de quo Valerius lib. 2. cap. 5. O miſera uitæ ratio. ] De fortuna ſupra dixi, quid ad miſericordiam faciat. Iam puto pro mea mediocritate ſatis oſtenſam eſſe eam dicendi partem, quæ uocatur inuentio.*

DISPOSITIO *plurimum eſt perturbata. Sic enim iſti loquuntur, qui ingenti mœrore afficiuntur. Non abſimilis eſt apud Ouidium oratio Medeæ. Etenim cum ars imitetur naturam, affectus autem omnis ſit inconſultus, omnino collocationis non erat exacta ratio habenda. Prudenter Cicero tamen exorditur à firmiſſimo ſuæ cauſæ adiumento: ſtatim & benemerita commendans, & uitæ innocentiam. Id in exordijs aliquando faciendum, auctor ad Herennium docet. Benemerita ponuntur omnium primo. Nam ex uniuerſis uirtutibus beneficẽtia maxime popularis eſt. qua de re Cicero in lib. 2. de Oratore, & in Officijs. Circa finem autem huius orationis ea potiſſimum coaceruantur, quæ miſericordiam excitare ſolent. In media oratione, ſicut in acie inſtruenda ponuntur debiliora, ſed ita ut perpetuo Ciceronis uirtutes commiſceantur, beneficentia, iuſtitia, pietas in patriam. Nam ut Rhetores monent, ſæpius oportet ad ea redire, quibus præcipue confidis. Τοῖς γὰρ ἰσχυροτάτοις (ſecundum Hermogenem) ἐφ᾽ ἂν ἰσχύομεν πραγμάτων χρώμεθα. quam ille ad Herennium commorationem uocat. Eſt igitur ordo perturbatus, quia nunc hoc nunc illud, idq; ſæpiſſime repetitur: nihilominus tamen omnium ſua ratio conſtat. Quia minus ἐσκεμμένος (ut Hermogenes ait) magis πιθανῶς καὶ ἀληθῶς dicere uidetur. Venio tandem ad difficillimam totius rhetoricæ partem, unde proprie nomen accipitur eloquentis et oratoris: ideoq; iam uel maxime cupiam lectoris animum benignũ. Nam quomodo legẽti ſatiſfacere poſſum, qui tum in ſuperioribus partibus, tum uero in elocutione plurima in me ipſe requiro? Sed tamen occaſio danda reliquis, omnia diligentius inquirendi. Eſt hæc oratio generis iudicialis, qua ſe Cicero defendit. Ob eã cauſam non ſolum rhetores, ſed magis rei natura poſcit humilem & preſſum ſtylum, minuſq; ſublimem. ἤθους τε γὰρ καὶ τοῦ καθ᾽ ἱκέτευσιν καὶ ἀφελείας πλεῖστον δικανικῷ λόγῳ μετεῖναι δεῖ. Sed addit Hermogenes, εἰ μὴ περὶ δημοσίων εἴη, καὶ μεγάλων πραγμάτων. Igitur tametſi ſuã cauſam agat Cicero, & eo nomine ſum-*

miſſius

*miſſius eum loqui decebat, nihilominus tamen quia nō erat priuata perſona, & optime de Rep. meritus, manifeſtis calumnijs onerabantur, et uiginti millia Romanorum ipſius cauſa ueſtem mutabant, omnino debuit orationem extollere, grauem et ſummam adhibere figuram. Ex tribus itaque dicendi formis, quæ communiter à plerisque rhetoribus ponuntur, grandis, extenuata, mediocris, ſupremam huic orationi tribuimus, ea qua dixi ratione. Habet autem orationis illa magnitudo plures adpellationes. In lib. 3. de Oratore Ciceronis, ornata: in Partitionibus eiuſdem, illuſtris: In Hermogene talis idea δεινὴ uocatur, ſeu ἀξιωματική. Nam ea δεινότης, quæ & eiuſmodi eſt, & eſſe uidetur, plurimum conſtat ex oratione magna, quæ & ἀξιωματικὴ ſolet adpellari. Huius quidem aliæ formæ ſex ab Hermogene numerantur, ex quibus ueluti partibus elocutionis magnitudo conſtat. uerum ut ipſemet ſæpiſſime monet, & hæ partes omnes, et reliquæ ideæ, uarie miſcentur, ita tamen ut pro diuerſitate rerū una quædam præ cæteris emineat ac extet. Porrò ſiue amplum & uehemens eloquendi genus in hac oratione, ſiue aliam formam aut ideam expendere uelimus, octo ſecundum Hermogenis traditionem ſpectanda ueniunt. ſ. ἔννοια, μέθοδος, λέξις, σχῆμα, κῶλον, συνθήκη, ἀνάπαυσις, ῥυθμός. Primum autē obiter oſtendemus, qualia ſingula reperiantur in hac oratione: deinde rurſus ab initio legentes eam, indicabimus omnia ſeorſim, & exactius in orationis contextu. I. Ἔννοιαι, ſiue res ipſæ de quibus hic agitur, eiuſmodi ſunt, quæ dicenti magnam pariunt autoritatem & dignitatem. In hanc enim ſententiam de ſe Cicero poſſim: Quem, inquit, uirtutis gloria cum ſumma laude ad cœlum extulit, eundem inimicorū inuidia indigniſſime oppreſſum deprimit ad ſupplicium. Item: Qui ne omnes concideretis, mei capitis periculo non dubitaui prouidere, &c. Tametſi uero iſtæc commemoratio, quaſi exprobratio eſt immemoris beneficij: nihilo ſecius tamen auditori non iniucunda eſt recordatio periculorum, quæ ſingulari Ciceronis induſtria ſubterfugit. Communiter enim affirmamus omnes, Ariſtotele citante, ἡδὺ τὸ σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων. Tales ſententias idoneas eſſe μεγέθει καὶ λαμπρότητι, non ſolum orator, ſed & ipſa ratio monet.*

*II. Methodus amplæ & ſplendidæ orationis eſt, ſine dubitatione proferre modo dictas ſententias. Hinc illa Ciceronis: Iure & merito poſſum ego uos ad defenſionem meæ ſalutis adhortari, quos conſeruaui uniuerſos. Et: Mihi credite, hoc in uno incommodum cōfirmatum, multorum infirmabit incolumitatem. Item περιβολῆς (quæ magnitudinis pars eſt) methodus requirit amplificationum modos. nam ita uel maxime dignitas orationi conciliatur. Et Cicero in 3. de Oratore, ſummam eſſe laudem eloquentiæ dicit, amplificare rem ornando. Quamuis autē orator nihil non uel minuere ſoleat, uel augere (id enim Cicerone ibidem teſtāte deſideratur omnibus ijs in locis, quos ad fidem orationis faciendam adhiberi dixit Antonius, uel cum explanamus aliquid, uel cum conciliamus animos, uel cum concitamus) ego tamen unius tantū amplificationes adducam, uidelicet quibus in hoc loco uſus eſt Cicero, beneficijs ſuis commendandis. Argumentum in hac oratione ſupra poſui. Primum, Ciceronem in urbe retinendum, quia de populo Romano benemeritus ſit, Catilinarijs oppreſſis. Verum orator nihil proponit ſimpliciter, ſed quibuſcunque rationibus poteſt, auget, amplificat, ornat, omnia maiora & ſplendidiora reddens. Sumuntur autem amplificationes è circunſtantijs, uel ex iiſdem locis, unde & argumenta, ut ab eo qui beneficium confert, ab eo qui accipit, à re ipſa collata, à deſtinatis, à tempore, à comparatis, & ab alijs pluribus locis. Sit igitur amplificatio prima, ut Rodolphus uocat, à ſubiecto circa quod, uel ab altero connexorum. Nam in benefaciendo relatio eſt dantis & accipientis: hoc eſt, amplificationē primam ponemus, quæ ducitur ab ijs qui beneficium acceperunt. ut non unum aliquem ciuem, ſed omnes à maximo liberaui periculo. Nam ut in Topicis ait Cicero, longe & late peruagata anguſtis anteponuntur. Hinc illæ uoces in hac oratione: Ne omnes concideretis, non dubitaui prouidere. Et iterum: Quos conſeruaui uniuerſos. Et iterum: M. Tullium cuſtodem urbis, defenſorem omnium, patrem patriæ. Et quamuis τὸ συντιθέναι καὶ ἐποικοδομεῖν ſuo pondere non careat, aliquando tamen hæc rurſus amplificatur amplificatio, partium enumeratione. Nam copioſus et ſplendidus orator, non ubique ſat habet uniuerſos dicere, niſi nominatim etiā adducat coniugem, liberos, arcem, templa deorum, & reliqua. Siquidem Ariſtotele monente διαιρούμενα εἰς τὰ μέρη, τὰ αὐτὰ μείζω φαίνεται. Hinc illæ uoces: Cum conſenſum extinxi coniurationis, arcemq́; urbis ab incendio ac flamma liberaui, liberosq́; ueſtros à gremio & complexu matrū ad cædem & cruorem non ſum paſſus abſtrahi. et alibi: Cæteriq́; dij deæq́; immortales, à quorum ego quondam altaribus impiam manum ciuium remoui, à quorum templis funeſtam facem repuli, &c. Secunda amplificatio ſumitur etiam à ſubiecto circa quod, ſed alia ratione, quàm prius: id eſt, ab ipſo beneficio collocato. Hanc & præcedentem circunſtantiā rhetores quid & cui uocant. Beneficij uero magnitudo facilius intelligitur, ſi conditio temporum illorum antea ſpectetur. ſed de circunſtantia Quando, paulo poſt. Quæ nam autem illa ſunt quæ Cicero toti populo Romano præſtitit? Non aurum, non argentū, non alia donauit, quæ tamen ipſa magno in pretio habentur: ſed hoſtibus deuictis, & uitam & libertatem excellentiſſima bona, reſtituit. Prius eſt enim ut uiuas, poſterius ut libere uiuas: id eſt, naturæ conuenienter. Vna cum uita quidquid eſt commodorum amittitur, è quibus libertas plurimum excellit: quia ſeruitutes naturali iuri contrariæ ſunt, teſte Iureconſulto. Gloriatur itaque Cicero, ſe libertatem reddidiſſe: & quod maius eſt, non Barbaris, qui ſeruire conſueuerunt, ſed in libertate educatis. Hic enim obiter amplificatio ab ijs, quibus benigne factū eſt, iterum incidit. Pertinent igitur huc illa: Itaque ſi omnibus graue ſeruitutis iugum eſſe debet in libertate educatis, ſit is ueſtris animis acceptiſſimus, qui à ueſtro corpore iugum acerbiſſimum repulit ſeruitutis. Et iterum: Ne omnes concideretis, ardoreq́; flammæ, conflagraretis, non dubitaui prouidere. Tertia ſumitur à ſubiecto, unde actio oritur: uel ab efficiēte, id eſt ab eo qui contulit. Hæc circunſtantia Quis adpellatur: Tanta beneficia profecta ſunt à Cicerone conſule, & ab eo ſolo. Conſpectius eſt publicæ perſonæ factum, unius præſertim. nam inter locos maioris & minoris Ariſtoteles ponit id inſignius eſſe, ὃ μηδεὶς ἢ οὐ ὀλίγοι μετέχουσι ἐπιφανέστερον γάρ. Hinc illa de ſe Cicero profert: Vos eum conſulem, qui non militum præſenti fortitudine, ſed ſua eximia animi uirtute hoſtilem ciuium mentem uindicauit. Quarta amplificatio eſt ab actibus, ſecundum Rodolphi nuncupationem: qui ſub actibus & ea quæ in prædicamento paſſionis ſunt, comprehendit. Q. d. Cicero, ego Reipub. cauſa non pauca perpeſſus ſum incommoda. Atque hæc ipſo ex adiacentibus amplificantur, id eſt, à multitudine: Rodolphus enim adiacentibus complectitur qualitatem & quantitatem. Ciceronis uerba ſunt: Hæc nobis intoleranda, quorum incommoda ob Rempub. frequentiſſima in familia uerſantur. Quinta ducitur à deſtinatis, ſicut Rodolphus adpellat. Q. d. Cicero, non dolo, ſed propria uirtute: non ſine paruo, ſed capitis mei periculo uos conſeruaui. Ciceronis uerba ſunt hæc: Qui ne omnes concideretis, mei capitis periculo non dubitaui prouidere. Et alibi: Qui illud impium incendium lachrymis potius meis, quàm ſanguine ueſtro reſtingui malui. Et rurſus: Mea pericula neglexi, dum timorem à patria propulſarem. Sextum ab efficiente ductum eſſe affirmamus, uel in προθυμίαις. laudat enim officia ſua Cicero, quod ea prompte fecerit, nihil cunctando. Atque in uoluntate uis quidem eſt tanta, ut etiamſi non reſpondeat euentus, mirifice tamen commendetur ipſa προθυμία. Hinc illæ uoces*

Ciceronis: Mei capitis periculo non dubitaui, non dubitaui prouidere. Et iterum: Non conuenit, cum ego ad promerendum officium tam fuerim expeditus, uos ad referendam gratiam eſſe tardiores. Septima quidem ducitur à re ipſa, ſed magis ab effectu. Q. d. Cicero, conatus mihi ſucceſſit. non ex parte uos iſta calamitate liberaui, quemadmodum aliquando medici de morbo deſperantes, ad narcotica confugiunt: ſed uere ſuſtuli totam, uolui, potui, præſtiti perfecte. Verba Ciceronis hæc ſunt: Animaduertiſtis illam conſpirationem conflatam, ita eſſe reſtinctam, ut nulla ſcintilla compareat incendij. Illuſtris eſt octaua amplificatio, à cauſa finali: cum Cicero dicit, ſe non gloriæ cauſa, ſed Reip. gratia, tanta fide in conſulatu uigilaſſe. Atque Ariſtoteles in beneficio tribuendo requirit, ut in accipientis gratiã collocetur. Verba Ciceronis ſunt: Nobis hæc intoleranda, quorum incommoda ob Rempub. frequentiſſima in familia uerſantur. Et iterum: Non magis me mea cauſa putarem eſſe natũ, quam Reipub. procreatum. Nono, beneficia ſua Cicero commendat à conditione temporum eorum, quibus conferebantur. Breuiter excidium urbi toti imminebat, audaciſſimis in eam & ualidiſſimis hoſtibus, ijſq; plurimis conſpirantibus, qui cuncta per uim occupare ſtatuerant armatam. Iam dies etiam à Cornelio Lentulo deſignata, qua uiri centum diſpoſiti totam incenderent urbem. ſed de his omnibus uide Salluſtium, et Plutarchum. Nam quo plures hoſtes, & quo crudeliora machinabantur, eo magis induſtria & uigilantia Ciceronis eluceſcit. Huius generalis ſententia talis ab Ariſtotele ponitur: Ea præſtantiora, quæ ἐν χρείᾳ μείζονι χρήσιμα. Cicero ſignificat illa his uerbis: Ne omnes concideretis, non dubitaui prouidere. Q. d. parum aberat quin uniuerſi periretis. Et iterum: Qui illud impium incendium perditorum hominum reſtingui malui, &c. Q. d. hoſtes erant perditi, quiduis audentes, iam iam urbem igne conſumpturi, & pro libidine nihil non acturi. Decimo rurſus à circũſtantia Quando Q. d. in tempore uobis opem tuli, non expectaui donec incideretis in calamitatem, ut deguſtata miſeria cupidius amplecteremini liberatorẽ. Gratiam ſanè debebat Cimon Pericli, à quo reuocatus erat ab exilio: ſed longe maiorem debuiſſet, ſi ab eodem ſeruatus fuiſſet ne mitteretur in exilium. Quemadmodum maius beneficium eſt componere litem, prius quam alter litigantium detrimento afficiatur: Et omnino medicina præſeruãs, ei quæ curat longiſſime præſtat. Hinc illa uerba Ciceronis: Non dubitaui prouidere. prouidere inquit. Vndecimo, beneficia maiora uidentur, non ita pridem collata. Nam cum præſentibus rebus maxime commoueatur animus humanus, & recentia non procul à præſentibus abſint: ita Cicero inquit, nobis hæc intoleranda, quorum et officia in Rempub. recentiſſima, & incommoda ob Remp. frequentiſſima in familia uerſantur. Nec temere ponitur hæc amplificatio: Turpior enim obliuio beneficentiæ recẽtis. Duodecima, à ſimilitudine uerba Ciceronis hæc ſunt: Aeque liberis ueſtris proſpexi, ac uos parentibus conſuetis. Huc pertinent etiam argumenta quæ ſuperius poſui, à comparatis ducta, à pari, maiori, minori. Si uero cui mirum uideatur, eadem aliquando & inter rationes & amplificationes numerari, diuerſas tamen ob cauſas: ille Craſſi diſputationem in tertio de Oratore cognoſcat, ubi multis oſtenditur, uenuſtatem unà cum utilitate coniunctam eſſe. Porrò, quamuis duodecim augendi modos adduxerim, non tamen auſim affirmare, nihil à me præteriri, quo beneficia ſaltem in hac oratione collaudẽtur. Adeo copioſus & uarius eſt bonus orator. Omitto iam quibus modis alias probationes amplificarit. nam ſatis eſt exempli gratia hac poſuiſſe, unde methodus uera grauitatis & ſplendoris nonnihil intelligi poteſt. III. Verba. Λέξις δὲ συμμένουσα μὲν ἡ πλατεῖα, καὶ διογκοῦσα κατὰ τὴν προφορὰν τὸ στόμα. Huiuſmodi dictiones ſunt, propulſare, ardore, flammæ, cõflagraretis, conſeruaui, in quibus o & a crebro repetuntur. Præterea ſyllabæ longæ competunt, & dictiones ὀνομαστικά. Hinc illa Ciceronis: Qui numen deorum conſecratum, ſartum tectum ab omni piaculo conſeruaui, & uos ut tutam tranquillamq; fortunam traheretis, &c. Item τροπικὴ λέξις, præſertim non ita procul accerſitæ. ut illa Ciceronis: Qui à ueſtro corpore iugũ acerbiſſimum repuli ſeruitutis. Et, Quam urbem ex parricidarum faucibus eripui. Et, Ore oppreſſo ceruices eſſe præbendas. Monet etiam auctor ad Herennium, eiuſdem uerbi aſſiduitatem fugiendam eſſe. Et Cicero de Claris oratoribus ait: nulla re una magis oratorem commendari, quàm uerborum ſplendore & copia. Noſtrum igitur eſt inquirere, ſi qua uarietas dictionum in hac oratione reperiatur. Exempli cauſa, uideamus quã locuples Cicero ſit in hac ſentẽtia mutãda, Ego ſum in urbe retinendus.

1 Defendite nunc uniuerſi unum, &c.
2 Nolite eo uelle carere, qui, &c.
3 Sit is ueſtris animis acceptiſſimus.
4 Exiſtimate me uobis retinendum in ciuitate eſſe.
5 Merito poſſum ego uos ad defenſionem meæ ſalutis adhortari.
6 Vos obteſtor, quos mihi & debere & poſſe intelligo opitulari.
7 Ne meã incolumitatẽ & ſalutẽ deſerendã exiſtimetis.
8 Liceat manere M. Tullium.
9 Liceat in conſpectu ciuium, in hac urbe remanere.
10 Cum à quibus debeam retineri, reijcere ſtudeant.
11 Debetis mihi quoque proſpicere.
12 Igitur ex ciuitate benemeritus de Repub. ciuis exturbatur? Innocens expellitur?
13 Si mihi opem non tuleritis.
14 In meo periculo ſalutem integrã præſtate cummunem.
15 Patria liberiſq; meis carebo?
16 Ferte opẽ pariter Reip. meiſq; fortunis, reſiſtite tribunitio furori, ſubuenite ſolitudini, miſeremini ſenectutis.
17 In meis calamitatibus aliquam ferte opem diuinam.
18 Nolite ſupplicem à uobis abſterrere, & excludere.
19 In meis miſerijs diuinum aliquod auxilium & numen oſtendite.
20 Me nunc uniuerſi conſeruatum uelitis.
21 Me exiſtimetis ex illo crudeliſſimo inimicorũ impetu ereptum, in antiquũ ſtatum dignitatis reſtitui cõuenire.
22 Nunc me uelitis ueſtris opibus defenſum, incolumem in hac ciuitate retinere.
23 Nec patiamini me à liberis meis abſtractum, à coniuge abreptum, ab aris fociſq; innocentem proiectum, uitã degere in exilio, miſerrimi mortalis caſum ſubire.
24 Me in dubijs ultæ periculis ueſtra uirtute conſeruetis.

Plures phraſes idem aut contrarium ſignificantes colligi poſſent: ſed ab orationis contextu ſeparatæ, uidentur aliud præ ſe ferre. ut,

Non conuenit uos ad referendam gratiam eſſe tardiores.
Decet retribuere quod debetis.
Frequentes profecto talibus conatibus obuiã ire uteremini.
Exeo indicta cauſa.
Iſti modo uideant, qua ratione hanc inuitam meam fugam ferre poſſint.
Omnium animos iure debeo commouere.
Omnium ſalutis cauſa decedam.
Exilio mulctabunt corpus.
Meq; uobis ereptum, non repudiatum exiſtimabo.
Crudeliſſime ciuitate priuari.
Proijcitur Tullius in exilium.

Et quoniam uehementer prodeſt eloquentiæ candidato, ut uerborum copiam habeat in promptu, non grauabor adhuc unum atque alterum exemplum proferre. Oſtendi locupletem oratio-

nem

ni principalem propoſitionem, ſcilicet Ciceronem eſſe defendendum. Iam uideamus quibus modis Orator uariarit primũ argumentum: uidelicet, Ego de populo Romano benemeritus ſum.

1 Ne omnes conideretis mei capitis periculo, nõ dubitaui prouidere.
2 Me, qui chariſſimã ueſtrã procreationem ſibi eſſe duxit.
3 Qui à ueſtro corpore iugum acerbiſſimum repuli ſeruitutis.
4 Qui hoſtilem ciuium mentum uindicaui.
5 Quos conſeruaui uniuerſos
6 Maior impenſa in patriam officij facta eſt.
7 Cum ego ad promerendum officium fuerim expeditus.
8 Vrbem ex parricidarum faucibus eripui.
9 Illud impium incendium perditorũ hominũ lachrymis potius meis, quã ſanguine ueſtro reſtingui malui.
10 Conſenſum extinxi cõiurationis, arcemq́; urbis ab incendio ac flamma liberaui, liberosq́; ueſtros à gremio & complexu matrum ad cædem & cruorum non ſum paſſus abſtrahi.
11 Ego cuſtos urbis, pater patriæ.
12 Nobis hæc intoleranda, quorum & officia in Rempublicam recentiſſima, & incommoda ob Remp. frequentiſſima in familia uerſantur.
13 Laborem pro cunctis ferre conſueui.
14 Qui numen deorum conſecratum, ſartum tectum ab omni piaculo conſeruaui.
15 Et uos ut tutam tranquillamq́; fortunam traheretis, mea perfeci uigilantia.
16 Animaduertiſtis illã conſpirationem ita eſſe reſtinctam, ut nulla ſcintilla compareat incendij.
17 Omnibus auxilio præſidioq́; eſſe conſueui.
18 Plurimos in hac ciuitate ſum tutatus.
19 A deorum ego quondam altaribus impiam manum ciuium remoui, funeſtam faciem repuli, ne illuſtriſſimũ orbis terrarum monimentum occideret.
20 Cuius in tẽplo hoſtilem impetũ Catilinæ repuli à muris.
21 Vt quiſque auxilium meum deſiderauit, opem ferre nõ dubitaui.
22 Neque uero M. Tullius ſuum animum à ueſtra abalienauit poteſtate, cum præcipuum uobis obſidem ſui animi, ueſtram reliquerit libertatem.
23 Erga uos omni tempore optime fui animatus, mea pericula neglexi, dum timorem à patria propulſarem.
24 Aeque liberis ueſtris proſpexi, ac uos parẽtibus cõſueſtis.
25 Ciuitas à ſcelerata coniuratione incenſa, meo ductu & labore reſtincta eſt.

Huc referri poſſunt ſequentes phraſes, ex eadem oratione.

Inimicorum impetum propulſare.
Hoſtium furorem frangere.
Iucundiſſimum fructum libertatis reconciliare.
Beneficia ſingulis ciuibus priuatimq́; dare.
A quibus beneficia ſunt profecta.
Plus præſidij & opis ad ſalutem afferre.
Pacem & concordiam extraneis gignere.
A ciuibus non interclusum præſidium.
Pro innocentiſſimo quoque propugnare.
Aduerſariorum uim ac factionem à nobis repellere.
Tribunitiam ſedare temeritatem.
Animum à Republica non remouere.
Aliquem in ſuam fidem recipere.

Adhuc uideamus quomodo ſecundum argumentũ Cicero uariarit: uidelicet, Ego ſemper honeſte uixi.

1 Me uirtutis gloria cũ ſumma laude ad cœlum extulit.
2 Errat, ſi quis arbitratur M. Tullium idcirco in capitis periculũ uocari, quòd deliquerit aliquid, quòd patriã læſerit, quòd improbe uixerit.
3 Tullius non citatur reus audaciæ, uirtutis reus citatur.
4 Non accuſatur quòd Rempub. ui oppugnarit.
5 Non obeſt mihi turpis & nocens, ſed honeſtiſſime laudatiſſimeq́; acta uita.
6 Tot & tam præclaris teſtimonijs monimentisq́; uirtutis comparatis.
7 Innocentiæ uirtute fretus ſum.
8 Cuius animus eſt religionis pietate defunctus.
9 Me uirtus extulit ad laudem.
10 Innocens expellitur conſularis homo.
11 Eijcior ſine crimine, ſine ſcelere.
12 Virtus mea me tacente agit cauſam meam.
13 Nemini iniuſte periculum creaui.
14 Nemini innocenti fui calamitati.
15 Maneat opinio uirtute parta.
16 Neminem unquam ueſtrum læſi.
17 Nihil de ſua uirtute detrahere.
18 Teſtor me non uitæ turpitudine, non pro magnitudine ſcelerum, non propter reliquam ætatis infamiam, pœnas iure & lege perſoluere, ſed propter uirtutis inuidiam, propter iucundiſſimam ingenij laudem, propter magnitudinem rerum geſtarum, crudeliſſime ciuitate priuari.
19 Virtutis ornamentis ſummam laudem ſum conſecutus.
20 Proijcitur Tullius in exiliũ, innocens ab inimico, religioſus à ſcelerato Et reliqua.

Similiter & aliarum rerum copia & uarietas eſt annotanda ei, qui felicitatem illam Ciceronianæ dictionis conſequi uelit. Verum de ſententijs, methodis, & uerbis abunde ſatis.

IIII. V. VI. Verbis accidit σωνθέσι, ἀνάπαυσι, ῥυθμός. quæ tametſi minus exacte ſoleant in oratione quàm uerſu conſiderari, minime tamen aſpernanda uidentur. Nec enim ſatis eſt bonorum uerborum habere delectum, niſi concinne pro uarietate rerum etiam committantur, hians & aſpera compoſitio uitetur, ac inſuper modulatio quædam efficiatur in principio, medio & fine: maxime uero in partibus extremis, ne ueluti in ueſtibulo delicatiores aures offendantur, et in fine periodi uelut audiendo fatigatæ recreentur. Igitur conſtituta forma dicendi, ueſtigare oportet quæ collocatio, clauſula, numerus ei potiſſimum cõueniant. In hac oratione præclare geſta Ciceronis extollũtur, ideoq́; ſonoritatem hexametri quodãmodo requirunt. Crebro uidemus & dactylos & ſpondæos adhiberi, minime tamen ubique: nam id in magno uitio eſſet. Sed ut in plurimum eiuſmodi compoſitionis amplitudo magis ad heroicam maieſtatem, quã ad aliam modulationem accedit. ut, Si quando inimicorum impetum propulſare cupiſtis. Sed de mixtura numerorum, & omnino de pedibus ubique ſeruandis, Cicero in ſuis rhetoricis multa, multa quoque Trapezuntius ex Hermogene de eadem re. Nobis iſta ſatis eſt admonere. Poſtea tamen ipſi quoque periodi cuiuſdam pedes examinabimus. VII. Ἐν συντόμοις, membra requirit Hermogenes breuia: ut, Eſt enim liberale officium, ſerere beneficium, ut metere poſſis fructum: Fidei conducit, in loco debitum retribuere. Breuium membrorum exemplis libri Ciceronis de Officijs referti ſunt, propter συντομίαν rerum quæ ibi tractantur. Sed ἐν λαμπρότητι, quæ ſimiliter eſt pars amplæ figuræ dicendi, μεγαλοπρεπῶς Hermogenes laudat: ut, Etſi maiores ueſtri eos imperatores, qui militum uirtute hoſtium fregerũt furorem, iucundiſſimo fructu libertatis reconciliato, non ſolum ſtatuis dignos putarunt: & reliqua. VIII. Schemata nunc aliquot enumeremus ex hac oratione, è quibus pleraque ad amplitudinẽ ideæ pertinent. Cicero enim abſtinet, ab ijs quæ à grauitate aliena eſſe uidentur, & τῇ ὀρθότητι ac pulchritu-

dini magis conuenire putantur, quales ſunt innouationes, traductiones, annominationes, inflectiones, ſimiliter deſinentia, etc. Sed ſequentia ſchemata ab eo uſurpātur. 1. Τὰ ἀσυνδέτως ἀναγόμενα, auctor ad Herennium articulum uel diſſolutionem uocat: ut, Eijcior non ſolum ſine teſte, ſine iudice, ſine crimine, ſed ſine accuſatore, ſine etiam ſcelere. Huiuſmodi ſchema τμητικὸν etiam ad γοργότητα facit, quam Trapezuntius mobilitatem & celeritatem uertit. 2. Τὰ καθ' ὑπόθεσιν, ut: Si neminem unquā ueſtrum læſi, ſi nemini innocenti obfui, ſi etiam è contrario, ut quiſque auxilium meum deſiderauit, opem ferre non dubitaui, ſi denique quæcunque adminiſtraui, et cætera. Nam admodum prolixe continuatur oratio, qualem eſſe conuenit in conqueſtione. 3. Τὸ κατὰ ἄρσιν καὶ θέσιν, quod ſchema Trapezuntio eſt ablatio inferens: ut, Non obeſt mihi turpis & nocens, ſed honeſtiſſime laudatiſſimeq; acta uita, non odio bonorum, ſed inuidia premor malorum. Cicero enim non ſolum ἀναίρεσιν ponit, ſed per ἀντίθεσιν ſeu contentionem ſubijcit θέσιν. 4. περισυνιστικόν, quod à Trapezuntio copulatio dirimens adpellatur: ut, Etſi maiores ueſtri Imperatores non ſolum ſtatuis dignos putarunt, ſed etiam æterna triumphi laude decorauerunt, tum uos, &c.

5. Conſecutio, quam apud Hermogenem πλαγιασμὸν dici puto: ut, Intelligunt homines tot & tam præclaris teſtimonijs monimentisq; uirtutis comparatis M. Tullio, dum ſit incolumis, fore uoluptati, idcirco uitam eripere cupiūt, ut cū ſpiritu ſenſum quoque adimāt iucunditatis. 6. Conduplicatio, quam alij ἐπαναδίπλωσιν uel ἐπανάληψιν uocare uidentur: ut, Non citatur reus audaciæ, uirtutis reus citatur. Hac iteratione auctor ad Herennium dicit uehementer auditorem commoueri, et uulnus maius effici in cōtrario cauſæ, quaſi aliquod telum ſæpius perueniat in eandem corporis partem. 7. Superlatio, ὑπερβολὴ, una cum ἀντιθέσει, ſeu ut ille uocat contentione: Quem uirtutis gloria cum ſumma laude ad cœlum extulit, eundem inimicorum inuidia indigniſſime oppreſſum deprimit ad ſupplicium. Contrapoſitum etiam et ἐναντιότης eſt in his: Proijcitur Tullius in exiliū: itaque nimirum innocens ab inimico, religioſus à ſcelerato, beneuolus huic ciuitati ab hoſte. 8. Sententia, γνώμη, ab auctore ad Herennium & alijs oratoribus quibuſdam inter ſchemata numeratur: quia non ſolum neruos orationi ſuppeditat, ſed etiam uehementer exornat. Eſt autem γνώμη ſecundum Ariſtotelem, ἀπόφανσις μὲν, οὐ μέντοι περὶ τῶν καθ' ἕκαστον, ἀλλὰ καθόλου, περὶ ὅσων αἱ πράξεις εἰσὶ, καὶ αἱρετὰ ἢ φευκτά ἐστι πρὸς τὸ πράττειν. Exemplum in hac oratione: Eſt enim liberale officium, ſerere beneficium, ut metere poſſis fructum. Fidei conducit, in loco debitum retribuere. Huiuſmodi ſententiæ dicuntur μετ᾽ ἐπιλόγου. Nam ſequitur αἰτιολογία. Illic enim animi uolūtas propenſa comprobatur, hic memoria collaudatur. 9. νόημα, id eſt, ſententia generalis ad præſentem cauſam accommodata: ut, Sic enim ab initio fui animatus, ut non magis me mea cauſa putarem eſſe natum, quàm Reip. procreatum. 10. Interpretatio, συναθροισμὸς, συνωνυμία, quam Fabius congeriem dicit uerborum & ſententiarum idem ſignificantium: ut, Etenim errat, ſi quis arbitratur, M. Tullium idcirco in capitis periculum uocari: quòd deliquerit aliquid, quòd patriam læſerit, quòd improbe uixerit, non citatur reus audaciæ, & reliqua. Vide ſupra uerborum copiam. 11. Subiectio uocatur ab auctore ad Herennium figura talis: Quo enim ſe ſatis tutum arbitrabitur præſidio? uirtutis & gloriæ? at ea nos ipſa hoc tempore oppugnant. Multitudine amicorum? aperuerunt, non fortes eſſe ſe amicos, ſi in eorū poteſtate noſtra ſita ſalus non eſt. Paucitate inimicorum? at id non in ipſius ſed in aliorum uoluntate poſitum eſt. 12. παράλειψις, quā auctor ad Herennium dicit occupationem: ut, Sed quid ego plura de illorum aut in me maledictis, aut in uos ſceleratè loquar factis? Poſſumus & ſignificationem adpellare, quia plus in ſuſpicione relinquitur, quàm expreſſe ponatur. Item: Tacebo animo æquo, quoniam uirtus mea me tacente agit cauſam meam. 13. παρομολογία, permiſſio, conceſſio: ut, Vim uolunt afferre, præſto ſum: Nolunt audire, cauſam non dico: Non illis uictus cedo, ſed incolumibus uobis me condono. Et iterum: Sint ſanè ſcelerati, ſuperet iſtorum uictoria, habeāt hanc palmam ex innocentis cruore. Hic ſimul inſeritur ἐπανόρθωσις, id eſt, emendatio: ut, Superet iſtorum uictoria, ſi modo uictoria appellāda eſt, in qua ciuitatis ineſt luctus. 14. παράδειγμα nunc iterum numeratur, quia & ad confirmationem & expolitionem pertinet: ut, Neque enim Q. Metellus quidquam de uirtute ſua detraxit, quòd ceſſit L. Saturnino furenti: & reliqua exempla. Et ſemel hoc dictum ſit, ex iiſdem locis dialecticis auditorem doceri, moueri, delectari. 15. Ratiocinatio iuxta illum ad Herenniū hæc eſt: Ego'ne inimicus huic ciuitati? quam obrem? quia inimicos necaui. Ego'ne hoſtis? quid ita? quia hoſtes interfeci. 16. ἀποστροφὴ, conformatio: Nunc ego te Iuppiter optime Maxime, teq; particeps connubij, teq; Tritonia, cæteriq; dij, deæq; immortales, &c. In fine orationis eſt alia conformatio cum erotemate: ut, O miſera uitæ ratio, quæ tamdiu retides in uoluptate, quamdiu fortunæ poſcit libido, &c. 17. ὁμοίωσις, παραβολή: ut, Si æque liberis ueſtris proſpexi, ac uos parentibus conſueſtis. 18. Demonſtrationem auctor ad Herennium, χαρακτηρισμὸν Rutilius Lupus, ſub oculos ſubiectionem Cicero, ἐνάργειαν καὶ ὑποτύπωσιν alij uocāt, quod hic dicitur: Omnia ſunt immutata, manus ad demonſtrandam colligātur iniuriam, lingua inciditur ad deplorandam calamitatem, animus præcluditur ad expenendam rei indignitatem. Nec tamen ignoro permutationem hic eſſe: id eſt, quod aliud dicatur & aliud ſignificetur. Et iterum: Liberosq; ueſtros à gremio & complexu matrum ad cædem & cruorem non ſum paſſus abſtrahi. Huc pertinent et huiuſmodi dicta, cedo inuitus de Repub. cedo oppreſſus de fortuna, de dignitate, diſcedo à Repub. uictus audacia malorum. ubi uerbū hoc Cedo, ſæpius repetitur, & quidem in præſenti tempore, quo calamitas uelut ante oculos ponatur. Nam cū animus moueatur ab ijs quæ ſenſus percipiūt, percipiūt autē neque præterita neque futura, nimirū ipſe quoque uehementius excitatur ipſo uelut conuictu rerum. Et quemadmodum oblectatur, aut quia nunc aliquo bono fruitur, aut quia fore ſperat ut fruatur, ac abſentem uoluptatem imaginatione & phantaſia quodammodo repræſentat: ita quoque dolore afficitur & præparatur ad commiſerandum, ſi non procul indigna calamitas abeſſe uidetur. Nam exempli cauſa, nihil æque moleſtum eſt, et inimicum uiuenti naturæ, quàm diſſolutio & mors ipſa. At uero quàm aliam ob cauſam adeo ſecure uiuimus, qui mortem ineuitabilem ſcimus, niſi propterea quòd à nobis eam adhuc longe remotam eſſe putamus? Animum itaque percellens orator, ingeminat iam iam miſerrimi mortalis caſum illi ſubeundum, qui Reipub. commoda ſaluti ſuæ prepoſuerit ſemper. Poetæ quoque dum aliquid deformant, rem quaſi præſentem efficiunt: ut, Stat ſonipes, ac frena ferox ſpumantia mandit. Et alibi: Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum. Verum de ſchematis, ſententijs, methodis, uerbis, membris, locatione, clauſula, numero, ſatis ut puto dictum eſt in genere: quæ ſimul omnia conſtituunt certam elocutionis ideam ac formam. Supereſt ut orationem à capite relegentes, ſingula iam diligentius excutiamus, præſertim ea quæ ad elocutionem pertinent. Id quia ualde prolixum eſt, & eo nomine lectori tædioſum, ſatis fortaſſe fuerit in prima periodo monere ſtudioſos adoleſcentes, qua uia deinde utātur in reliquis expendendis. Si quando inimicorum impetum propulſare cupiſtis, defendite nunc uniuerſi unū, qui ne omnes concideretis, ardoreq; flammæ conflagraretis, mei capitis periculo nō dubitaui prouidere. Expeditis ijs quæ grammatica docet, inquirendum eſt in primis quid orator, et per quæ id efficere conetur. Quorum prius intentio ſeu propoſitio, poſterius argumentatio

tatio

ratio uocatur: ſecundo cur illud præmittat, hoc uero ſubijciat, aliud alio loco ponat: tertio, quo habitu ueſtiat orationem, & qua figura pronunciet. De hac iam potiſſimum dicemus. ſed ut tractatio plenior habeatur, paucis & inuentionem & ſitum huius primæ periodi repetamus. Propoſitum primæ periodi, atque adeo totius orationis, hoc eſt, in urbe Ciceronem defendendum eſſe, ne Clodiano furori cedere cogatur. Confirmatio prima ſumitur à perſona Ciceronis: id eſt, ab ijs, quæ ipſe præclare geſſit in gratiam populi Rom. Et cum eadem dici poſſint exponendi & argumentandi forma, teſte Rodolpho: nunc tamen argumentatione mauult uti Cicero, uelut aperto Marte ſe defenſurus. Cæterum inter decem argumentandi formas, quas Trapezuntius enumerat, non eſt ulla perfectior aut præſtantior ſyllogiſmo, quo ſtatim initio ſuum argumentum Cicero quaſi circumuallat. Eius ſententia hac eſt:

Inimicos propulſantibus, eſt gratia referenda.
Ego propulſaui ueſtros inimicos:
Igitur mihi periclitanti uiciſſim debetur auxilium.

Cicero nec maiorem nec minorem probat: utpote per ſe manifeſtas. nam alioqui rationum confirmationes & proſyllogiſmos ſupra recitaſſem, quia pertinẽt ad inuentionem, quæ prima pars eſt huius facultatis. Maiorẽ tamen ita, ſi neceſſe ſit, probamus: Erga beneficos grati eſſe debemus. Qui hoſtem à nobis repellũt, beneficio ſummo nos afficiunt. Igitur hoſtium repulſores gratiã merentur. Maior eſt certiſſima, quia principium eſt practicũ, lex naturæ, conſenſio omnium gentium, notitia mentibus omniũ inſculpta. Minor quoque non obſcura: & ideo neque à Cicerone probatur, ſed ponitur tantum. Nam cum uniuerſa natura ſe quàm diutiſſime conſeruare ſtudeat, nimirũ omnibus modis abhorret ac auerſatur quidquid ſibi non conuenit, ſed aduerſum & contrarium exiſtit. id uero uocamus inimicum & hoſtile. Palàm ergo fit, gratiſſimum eſſe, quod inſidiatorem & hoſtem à nobis repellit. An non aqua ſi poſſit ignem extinguit, ut ſe tueatur? & uice uerſa. An non idem conſtat in brutis, in hominibus, in uniuerſa condita natura. Quare Cicero in hac propoſitione minime commoratur, ſed magis ad ſpecialia deſcendit, & in ijs extollendis eſt totus. Atque hæc de proſyllogiſmo. Porrò nec minor ſyllogiſmi principalis à Cicerone confirmatur, quia recens interfecti coniuratores, urbsq; tota à grauiſſimo diſcrimine liberata eſt. Non itaque plura teſtimonia proferuntur, ſed magis hæc beneficia commendantur, & omnibus modis amplificantur, ut ſupra docuimus. Itaque tria potiſſimum in inueniendo ſpectantur, intentio uel propoſitio, argumenta, eorumq; confirmationes, argumentatio, id eſt, argumentorũ forma. Quod autem & dignitas oratoris & affectus audientis, Ariſtotele teſte, nõnihil ad fidem faciant parandam, ſuo loco fuit oſtenſum. Deinde quanquam ſupra recitaui octo argumenta, merito tamẽ ab hac periodo ſumitur initium orationis: Quia plurimum ea commendari ſolent, unde fructus ad alios peruenit. Ariſtoteles uocat ἄλλοις ἐπαινετά. De quibus in Officijs Ciceronis diſputatur. Obiter & inuentione primæ periodi repetita, et cur initio collocetur, iam ad elocutionem eiuſdem ueniamus. Cum oratio tota conſcripta ſit in grandi genere dicendi, non diſſimilis eſt ab ea periodus prima. Quod ut clarius fiat, Hermogenem imitati, uideamus octo illa ex quibus uelut partibus omnis idea dicẽdi conſiſtit. Ἔννοια per ſe requirit illuſtrem et copioſum ſtylum. continet enim: inimicis pop. Ro. ſublatis, ſalutem et redditam eſſe. Methodus etiam amplitudini & dignitati conuenit. primũ quia χωρὶς ἐνδοιασμοῦ geſta proferuntur: Mei capitis periculo non dubitaui prouidere. deinde, quia Cicero non ſimpliciter argumentatur ab officijs collatis, ſed ea uarie ſtatim initio cõmendat. Supra duodecim commendationes, ſeu amplificandi recitaui modos, è quibus octo reperiuntur in hac prima periodo: uidelicet primus, 2. 3. 5. 6. 7. 9. 10. Atque hoc ita ſe habere mox oſtẽdemus, dum ſingulæ uoces examinabũtur. Tertio methodus aptà magnitudini uidetur, quia non κατ' ἐνδοιασμόν, ſed, περιβάλλοντως oratio profertur. Nec enim Ciceroni placuit ſeorſim ponere maiorem, ſeorſim minorem, ſeorſim concluſionem: quemadmodum fit in dialecticis diſputationibus, aut etiam in Oratoris oratione, cum confligendum eſt. Sed illas tres propoſitiones uno quaſi faſciculo comprehendit, adeo ut ex tribus orationibus una ſaltem emergat. Hanc Græci περίοδον, Latini circuitum, continuationem, aut circumſcriptionem adpellant. Eſt autem hæc circunducta comprehenſio τρίκωλος, niſi poſtremo diuiſo membro τετράκωλον uocare malis. Eius πρότασις ut Hermogenes, ſeu ἀρχὴ Ariſtoteles uocat, unum habet membrum, ἀπόδοσις uel τελευτὴ complectitur reliqua. Membrum primum in προτάσει non eſt ita longum. continet enim ſententiam grauem & generalem: inimicorum impetum propulſare cupiſtis. Secundum adhuc breuius. cõtinet enim petitionem, quæ orationis initio debet eſſe uerecundior. Reliqua longiora ſunt, quia magnitudo beneficiorum extare non poteſt, niſi circunſtantijs aſſumptis. Iam de collocatione, clauſula, numero. Dictionum concurſus eſt grauis, quemadmodum patet ei, qui mutauerit & tranſpoſuerit illas. Primũ membrum incipit à ſpondeo, deſinit in dactylum & ſpondæum: modo legamus ut Doletus, Si quando inimicorum impetum propulſare cupiſtis. alia exemplaria aliter habent. Secundum & tertium membrum etiam à longis incipiunt, ſed præcipue finis ſpectatur: Deſinit periodus in Dichoreum, de quo ita Cicero ſcribit in Oratore: inſiſtit autem ambitus modis pluribus, è quibus unum eſt ſecuta Aſia maxime, qui dichoreus uocatur, cum duo extremi chorei ſunt, id eſt, è ſingulis longis & breuibus. Ac ibidem adducit C. Carbonis egregium exemplum. Hic enim cum uſus eſſet iſto numero, clamorem admirabilem excitauit. Verum ego non anxie numerum in oratione ſoluta quæro, nec tamen à literarum ſtudioſis omnino negligi uelim. Etenim concentu, uel maxime naturam capi uidemus. Itaque paucis admoneo, nonnullam rationem & numerorum habendam, initio præſertim et fine. De medijs tamen ſyllabis & dictionibus curandum, ne numeros faciant ab extremitate alienos. Schema in prima periodo eſt ὑποτύπωσις, Ardoreq; flammæ conflagraretis. Nam futurum incendium uelut ob oculos ponitur huiuſmodi ſono uerborum. Dictiones etiam idoneæ ſunt orationi uehementi, quales ſunt, propulſare, ardore, flammæ, & reliquæ. Iam quia ſententiam, methodum, collocationem, clauſulam, numerum, membra, ſchemata uerba huius periodi primæ declarauimus, reliquũ eſt ordine uoces excutere, ne quid à nobis prætermittatur. Si. ] Coniunctio ponitur ab initio, qua plura membra connectantur, & quaſi circuitu comprehendantur. Hermogenes hoc ſchema numerat inter exornationes περιβολῆς, & adpellat τὸ κατ' ὑπόθεσιν. Trapezuntius uertit conditionem. Quando. ] Quando potius quàm Aliquando dicitur, ut prioribus duabus breuibus amputatis, idonea magis dictio reddatur ad grauitatẽ, & à longis ſyllabis oratio ſumat exordium. Inimicorum. ] Inimicus quod attinet ad uocem aut ſonum, eſt aliena à dignitatẽ. Nam uocalis I, propter exilitatem demittit ac deprimit uocem. ſed ſi pronuncies uocabulum iſtud in genitiuo plurali, plus habet dignitatis quàm in reliquis caſibus omnibus. Quia ut Trapezuntius ait, O in penultima magnũ aliquid pollicetur. Verum quod ad ſignificationem ſpectat, grandis & digna uox eſt. ſignificat enim id, quod cum ipſa natura ex diametro pugnat, eamq; funditus perdere conatur. Impetum. ] Non inimicorum uoluntatem, aut conſilia, aut κατασκευήν, ſed incurſionem et impetum dicit: quo prius ex poſteriori facile intelligitur. deinde, ut ſi non procul abfuiſſe uideatur exitium, eo maius etiam auxilium eſſe latum agnoſcatur. Hanc amplificationem ſupra poſui nonam, ex temporum conditione deſumptam. Propulſare. ] Multa uerba ſignificant idem, auertere, amouere, depellere, amoliri. ſed

nullum ex his omnibus ampliorem efficit ſonum. Ideoq; Cicero maluit hoc uti, quàm alio. Cupiſſis. ] Generalem ſententiã ad certas perſonas applicat, ut fit in noematis. Nam adeo natura deprauati ſumus, ut quæ per ſe & in genere omnibus dicuntur, minus ad animum penetrare poſſint, niſi ea ſeorſim etiam ad nos pertinere iudicentur. Defendite. ] Cicero petit ſe in urbe retineri, ne patria ſua ſpolietur. ſed orationis initio uerecundius loquitur, genus non ſpeciem ponendo. ſiquidem defenſionem petere communius eſt, quàm nominatim hoc uel illud petere. Poſteaquam magis incaluit oratio, loquitur apertius quid uelit. Nunc. ] Si cui pro beneficio debeat beneficium, non ſtatim ſequitur, De te benemeritus ſum, ergo nunc eſt gratia referenda. Nam ingratus eſt, qui nihil officij rependit: non autem is, qui iam te relinquit. Compenſationem differre poſſum in aliud tempus. Prudens itaque Cicero monet, iam in hoc periculo ſibi defenſionem deberi. Et huius confirmandi cauſa ſequitur altera periodus de uirtute & innocentia. Prima periodus enim oſtendit Ciceronem defendendum eſſe, uidelicet propter beneficia: ſecunda periodus oſtendit iam defendendum eſſe. Oportet autẽ utrumque concurrere in omni defenſione, & ut non commeruerls calamitatem, & ut aliqua ratione cõiunctus illi ſis, à quo defendi cupis. Coniunctionem dico, ſiue quia benefeceris illi, ſiue alio modo reſpectum habeas ad eum, qualem ſubditus erga magiſtratum. Nam etſi perieliteris iniuſtam ob cauſam, uitam uero uiuas in alterius iuriſdictione, non puto ſemper auxiliũ tibi praſtari contra dominum alienum. Ac uice uerſa, quamuis in meá tutelam receptus es, aut mihi ſumma quæque detuliſti, imo pater es et mater, nihilominus iure plecteris ob ſcelus admiſſum. Itaque Cicero dum beneficia ſua commemorat, adijcit etiam, Nunc fieri debere compenſationem: quia non ſolum benemeritus ſit de ciuitate, ſed etiam indigniſſime nunc deprimatur ad ſupplicium. Atque hæc duo coniuncta faciunt, ut po. Romanus uelle debeat Ciceronem ſeruare. Facultas alioqui ſatis conſtat.

Vniuerſi unum. ] Hæc ἀντίθεσις oſtendit nihil facilius eſſe, quàm Ciceronem defendi, ſcilicet unũ ab uniuerſis. Vnum. ] Hoc uocabulum pertinet etiam ad amplificationem beneficiorũ, quam ſupra poſui tertiam, ab auctore ſumptam, qui unus & ſolus Remp. è præſenti calamitate uindicarit. Patet igitur, in hoc ſecundo membro nihil omnino fruſtra dici. continetur enim argumentationis concluſio, & urgetur ne longius differatur: item facultas etiá obiter oſtenditur, & maiora beneficia redduntur. Qui. ] Coniunctio Si, & relatiuum Qui, tres ſyllogiſmi propoſitiones connectunt, et eadem ratione, quiuis ſyllogiſmus in unã orationem conijci poteſt. ut: Si Chriſtianos oportet affligi, non debes crucem ſubterfugere, qui nomen dederis Chriſto. Aliud exemplum: Quòd ſi ſecundum Ariſtotelis ſententiá in omni uirtute neceſſario requiritur, ut eam propter ſe, uel quemadmodũ ipſe dicit, τοῦ καλοῦ ἕνεκα & premeditate exerceamus, haud dubie alienus eſt à uera fortitudinis laude, qui ſaltem honoris cauſa, aut ſpe uictoria, aut ira commotus, aut neceſſitate impulſus ſtrenue pugnat. Ne omnes. ] Non uni, ſed omnibus periculum impendebat. Hanc amplificationem ſupra poſui primam. Concideretis. ] Periculum imminebat haud leue. Non opibus ſolum coniuratores inſidiabantur, ſed ciuitatem totam uolebant euerſam. Fortunas, liberos, caput, corpus, ipſum denique ſanguinem petebant. Amplificationem hanc ſuperius dixi ſecundam ab ipſo beneficio preſtito, & nonam à uiolentia inimicorum. Neque Cicero contentus eſt hac amplificatione, ſed inſuper eam expolit ὑποτυπώσει & conformatione. Potuiſſet enim ita dicere, ego prouidi, ne ſine ſenſu laceretis, & plane mortui. Sed oratoris induſtria qualitatem morientis ob oculos ponit, cum ait, Ne concideretis. Plus enim moriens quàm mortuus animum percellit: & in cadente magis horrenda mortis imago proponitur, quàm in eo qui iam cecidit. Poeta ſimiliter in obtutum rei deducit, ut ſpectandam proponat ea ratione qua plurimum illuſtris eſt. Exempli cauſa, Vergilius deſcripturus exeuntes uenatum, in porta uos collocat, nimirum quia nuſquam alibi tam commode ſingulos intueri licet: It portis iubare exorto delecta iuuentus. Eadem de cauſa non occiſum deſcribit, ſed qualitatem eius qui occiditur depingit, cum ait: Voluitur Euryalus leto, pulchrosq; per artus It cruor, inq; humeros ceruix collapſa recumbit. Purpureus ueluti cum flos ſucciſus aratro Langueſcit moriens, laſſóue papauera collo Demiſere caput, pluuia cum forte grauantur. Ardoreq; flammæ conflagraretis. ] Priori ſimilis eſt pictura. Non ſat habebat orator ita dicere, propemodum ciuitatẽ in cinerem eſſe conuerſam. Crudelius eſt, flammis correptam oculis intueri. Quare nó ſimpliciter in conſpectum rei deducit, ſed in eum conſpectum, unde plurimũ animus permouetur in hanc uel illam partem. Adde quòd eiuſmodi uerba nunc adhibentur, quæ non oculos, ſed & aures complent. Atque ipſo ſtrepitu uerborum incendium adumbratur, Ardoreq; flammæ conflagraretis. Id quod apud poetas crebrius fieri ſolet: ut, Procumbit humi bos. Et alibi: Bronteſq;, Steropeſq; & nudus membra Pyracmon. Mei capitis periculo. ] Amplificationem à deſtinatis quinto loco ſupra numeraui. Ciceronis uictoria magno conſtitit, ſed citra fraudem aliorum. Quod ut ſignificantius eſſet, non uitam, ſed caput in periculum ait uocatum. Nam caput, in quo uita conſiſtit, magis quàm ipſa uita ſenſibus exponitur. Vulgus autem ſi moueri debeat, per ſenſus oportet ad animum illius penetrare. Porrò non fruſtra ponitur initio amplificatio ſumma. Quid enim apud uulgus ethnicorum ipſa uita praſtabilius exiſtit? Nullam iſti ſolidam conſolationem habent de ſeculo futuro. Quinimo ne philoſophi quidem de immortalitate animorum diſputantes, admodum certi fuerunt. In phyſicæ nullæ ſunt ἀποδείξεις, intellectum ſine corporis organo functionem ſuam obire. In Tuſculanis quæſtionibus, & libello de Senectute, mortuos aut nihil ſenſuros, aut beatos fore, Cicero putat. Sed hoc dilemma uehemẽter à Chriſtiana ueritate abhorret. Quare ſi eius quod uere falſum eſt, indubitatam perſuaſionem, id eſt, ſcientiam habere nemo poteſt, gentiles haud dubie permagni fecerunt uiuendi facultatem, & ſummum beneficium interpretati ſunt. ſi quis in gratiam ipſorum morti ſe non dubitaret obijcere. Hoc eò facilius eſt creditu, quòd multi Chriſtianorum, adeo ut nihil ſupra mortem abominantur, quam et finem omnium miſeriarum eſſe norunt, & ingreſſum ad æternam felicitatem. Agnoſcant ergo Romani, à quanto liberati malo ſint, et quanto periculo Ciceronis. ὁ περὶ [illegible]. Non dubitaui. ] Eſt amplificatio ἐκ [illegible], et ſupra dicebatur ſexta. Prouidere. ] Quod attinet ad modulationem, aptiſſime ponitur in fine. Eſt enim dichoreus, ut antea diximus. Quod ad ſignificationẽ, rurſus aptiſſime locatur. Continet enim egregias amplificationes, ab effectu & à tempore, uide ſupra ſeptimum augendi modum, & decimum. Q. d. Cum ſtatuiſſem è tanto periculo uos eripere, feliciter etiam ſucceſſit, & quidem ita ſucceſſit, ut ne ſenſeritis quidem iſtam miſeriam quæ in foribus erat. Soli cõiuratores extincti ſunt, ac preterea nemine læſo. Et ipſe Plutarchus admiratur illam induſtriam Ciceronis ſingularem. Οὐ γὰρ inquit, τὸ κωλῦσαι τὰ πραττόμενα, καὶ κολάσαι τοὺς πράττοντας ἰδόντα θαυμαστὸν, ἀλλ᾽ ὅτι μέγιστον ὢν τῶν πώποτε νεωτερισμῶν, τοῦτον ἐλαχίστοις κακοῖς ἄνευ στάσεως καὶ ταραχῆς κατέσβεσε. Nam ſtruborum ſectores malum cuneum malo nodo quærunt: et medici πικρὰν χολὴν κλύζουσι φαρμάκῳ πικρῷ, non abſurdum fuerit ingens periculum ingenti periculo uinci, & medicatum incendium urbis & orbis multorum ſanguine reſtingui. Atque illa rerum omnium conditio naturalis eſt, nihil excellens abſque magno adparatu confici. Sumamus exemplum illuſtre. Quid in hoc inferiore mundo maius ac admirabilius extat hominis natura? qui (à Deo ſic inſtructus) utiliſſima generi humana redegit

in certam

*in certã uiam & methodum: qui medendi ſcientiam, & uitæ ciuilis inſtitutionem, & totius Reipublicæ adminiſtrationem inuenit: qui, ut reliqua omittam, minime contentus originem, uires & uſum herbarum, animalium, & reliquarum naturalium rerum quæ ſub luna ſunt animaduertiſſe, ad cœlos etiam aſcendit, eorum multiplices curſus inquirens. Nihil eum magnitudo & difficultas remorabatur, etiamſi erraticas illas ſtellas uidebat non una de cauſa propiores, alias remotiores à nobis, ac inſuper iam cito, iam tarde, iam nihil, iam retro moueri, ad auſtrum etiam, & ſeptentrionem. Deprehendit & trepidationem fixarum, atque adeo omnium cœlorum uiam & curſum. unde nequaquam ignorat defectus ſolis uarios, lunæq; labores quos in centena millia annorum, ſi tandiu mundus duraret, ſine ambiguitate prædicat. Tantum uero abeſt, ut æterna & procul diſiuncta corpora minus prædidicerit, ut eorum motus & numeris & inſtrumentis longe melius & euidentius demonſtrare poſſit quàm ea quæ de natura mutabilium & proximarum rerum adducit. Sed obſecro quanti labores, quanta naturæ requiritur, antequam ad diuinam illam ſcientiam homo perueniat? Non ego iam dico de eo propter quod omnes eruditi obſtupeſcunt, artificio inquam melioris naturæ, aut uerius Dei, quod in apta membrorum diſpoſitione & totius humani corporis œconomia ſpectatur. Neque de anima dico, ut quadã latente, quæ non ſolum uitam & ſenſum & motũ, ut reliquis animantibus, uerumetiam rationem miniſtrat diuinitatis portionem: ſed profero magis aperta. Primum homo in utero geri ſolet immenſo temporis interuallo, difficilimo prodit in lucem, adhuc difficilius educatur, informatur regitur. Multi uelut in herbis ſuffocantur: aut ſi ſuperſtites manent, raro tamen ingenij dexteritate ualent: aut quia parum felico ſidere nati ſunt aut cœlitus donatum acumen & induſtriam arte non excolũt, & abſoluũt. Vix poſt longa tempora, artificioſam inſtitutionẽ indefeſſam exercitationem, mille pericula, ad maximarum rerum notitiam uel adminiſtrationem uenire licet. Alia pleraque, ſimilia probant, abſque multorum diſcrimine nihil eximium fieri & conſumari. Quare cum illo tempore totum imperium Romanum periclitabatur, & per tyrannidem uniuerſa coniuratores occupare uidebantur, non fuiſſet mirandum, ſi tumultu facto boni quoque ciues aliquot unà periſſent. Sed ita Cicero cuncta prouidit diuina quadã felicitate, ut ſolis & paucis hoſtibus ſublatis citra iacturam aliorum, ſalus & libertas & reliqua bona Italiæ ac omni imperio reſtituta ſint. Id quod una uoce Prouidendi palàm expreſſit.*

*Hæc in præſentia habui, chariſſime Martine, de prima periodo. Diligentius & ea quæ reſtant expendere, & examinare, malus ocium requirit. Voluimus tamen hactenus occaſionem dare ſtudioſis literarum, qui ſimilem uiam ingreſſi reliqua perſequantur, ut imitatione uel umbram (ſi quid amplius denegetur) eloquentiæ Ciceronis conſequi poſſint. Quòd ſi minus reſponderit euentus, & parum utilitatis inde manarit, ueniam peto qui niſi res ita coegiſſet, abſque dubio nondum me ridẽdum expoſuiſſem. Nec enim eſt difficile uidere, quid ad huiuſmodi tractationem pertineat. Sed hoc in primis arduum eſt ac laborioſum, re ipſa præſtare quod uelut per caliginem (ut dici ſolet) præſtari debere proſpexiſti. Sed utcunque ceciderit, uoluntatem certe meam erga te & omnes literarum candidatos nemo reprehendet, Quoniam amo te ſi quiſquam alius, non ſolum propter multa, beneficia, quibus me ſemper affeciſti, dum una familiariſſimo conuerſaremur: ſed longe magis propterea, quod totius uitæ genus ſummopere tuum mihi probatur. Nam cum benignitate Dei minime deſit, unde ſplendide uiuas, tamen non ſolum diligenter bonarum artium ſtudia tractas, ſed (quod rarius eſt in humanis, & laudabilibus apud omnes honeſtos) religionem, utpote finem ſtudiorum, præ cæteris amplexus es. Atque utinam idem animus qui tibi, cunctis ineſſet, & cogitarent philoſophiam unà cum theologia coniungendam eſſe: non quòd hæc ex illa probari aut iudicari debeat, (id enim Diuus Paulus ad Coloſſenſes, & Ariſtoteles ipſe propter differentiam rerum diſerte prohibent) ſed quòd religio melius diſtingui, clarius doceri, & magis illuſtrari queat, ſi ſimul cognouerimus methodum dicendi, rationis humanæ quale quale eſt iudicium de ciuilibus officijs, & omnino quouſque in notitia rerum penetrare poſſit abſque regeneratione Non enim impedimentum, ſed ornamentum eſt ad Theologiam conſecrata, philoſophorum demonſtrationes auxilio Dei inuentas audire, & eas ad diuinam gloriam accommodare. Siquidem hoc eſt aurum Aegyptiacum ad templum domini transferre. Quare pietatem & ſtudia tua uehementer laudo, cupioq; meas has qualeſcunque primitias in honorem ſempiternæ amicitiæ tuæ oblatas, in bonam accipias partem. Poſtrema deum ſolicite precor, ut te patriæ, cui & magno uſui & ornamenta futurus es, diutiſſime reſeruare dignetur.*

## IN MARCI TVLLII CICERONIS ORATIONEM AD QVIRITES POST REDITVM SCHOLIA, BARTHOLOMEO LATOMO PRAELEGENTE EXCEPTA.

### ARGVMENTVM.

P OMPEIVS *ægre ferens quòd Ciceronem exulare paſſus eſſet, mutato conſilio, de illius reditu cum neceſſarijs ſuis agitat. ſed repugnante Clodio, placuit Senatui nihil ſancire nihil'ue publicum agere, donec Ciceronis reditus ſtatuatur. Cũ igitur Conſ. qui Lentuli atq; Cethegi ſociorumq; aſſerebant cauſam diuerſa molirentur, orta ſeditio adeo inualuit, ut tribuni de foro ſaucij abirent. et Q. Ciceronis frater extrema paſſus, inter cadauera fuſus latuiſſet. Hinc animi plebis cœpere flecti. & ad Pompeiũ nõ pauci plebeij, præterea è municipijs permulti confluxere: quibus circumſeptus ipſe, ſublato Clodio è foro, ad ferendam ſententiam de reditu Ciceronis ciues cõuocat: à quibus uniuerſali omniũ conſenſu ſtatutũ eſt, ut reuocaretur Cicero. Itaque 10. exilij ſui menſe, uel (ut Appiano placet) 16. poſt expulſionem rediit Cicero, cui ſingulorum tanta lætitia toto ciuium ſtudio itum eſt obuiam, ut ſe Romam Italiæ humeris reportatum dixerit. Vt erga animum gratum ijs oſtenderet, à quibus ſumma gloria admiſſus eſſet, hanc orationem ad Quirites poſt reditum habuit, qua gratulatur ſuo reditui, & gratias agit ciuibus Romanis, qui diem reditus penè totum in gratulationibus conſumpſerant.*

## DE GENERE, PARTIBVS, DISPOSITIONE, STATV ORATIONIS.

GENVS demonſtratiuum eſt factorum: non diſſimile huic quod ſecutus eſt, cum gratias egit Cæſari, de M Marcelli reſtitutione. Laudat enim beneficium, quod à Quiritibus ſe accepiſſe dicit. Diſpoſitio confuſa & arbitraria, ut non facile unam partem ab alia ſeiungas. Primũ exorditur à re ipſa, pro gratulatione de reditu ſuo, ſequitur gratiarũ actio, & beneficiorũ acceptorum honeſta cõmemoratio, conceſſæ gloriæ amplificatio, per collationem ſui reditus, cum Metelli, Popilij, Marij. Subiungitur laus eorum, quorum auxilio eſt ſubleuatus. Tandem concludit per enumerationem. Statum nullum habet ex conſtitutione, niſi quædam lateat coniectura. Genus dicendi in graui figura eſt, ſententiarum & uerborum ſplendidiſſimo ornatu illuſtratum.

Quod precatus.] A re incipit, & firmiſſimo dicto orationis & deuotionis, quam breuiſſime repetit. Deuoui.] A perſona ſua beneuolentia. Sempiternam.] Voluntarium exilium intellige, quod ſibi poſuit Cicero. Etſi homini.] Recordatione præteritorũ malorũ, exilij pœna ſibi gratioſam proponit. eſtq; γνώμη Aequalis fortuna.] Quæ in eodem curſu manet. Penè diuina] ὑπερβολή qua amplificat uoluptatem ex reditu ſuo conceptam. Qua nunc.] Beneuolentiam captat à perſona Rom. quibus acceptam uitam refert. Quid dulcius.] Confirmat ſuæ reſtitutionis uoluptatem, & certis gradibus cõparationis ea quæ poſt exilium contigerant, gratioſiora oſtendit, quàm quæ obuenerunt antequam iret in exilium. Vita ſunt.] ὑπερβολή Tamen non.] Primum argumentum à liberorum perſona. Nihil cuique.] Alterum argumentum à fratris perſona, ex iiſdẽ locis deductum. Res familiaris.] Tertium eiuſdem loci argumẽtum à cura rerum familiarium. Amicitiæ.] Quintum ab iiſdem fontibus, quo colligit per articulum, multa quæ ſolent adferre uoluptatem in urbe. de ludis loquitur Gellius: de diebus feſtis Feneſtella. Iam uero.] Sextum argumentum, quod ad eundem locum refertur, ſumptum à ratione rerũ multarum, quæ gratæ uidebantur Ciceroni. Ipſa autem.] Epiphonema, quo nihil gratius eſſe patria proponit: quod probat enumeratione earum rerum, quæ uoluptatis habent ſpeciem. Quæ ſpecies.] Acris repetitio per interrogationem, elata per congeriem. Sed tanquam.] Similitudine uenuſta probat aduerſæ calamitatis aleam. Iucundiora eſſe quæ accidunt, quàm quæ ſine miſerijs ſolent eſſe æquabilia & perpetua. Sic ea omnia.] Redditio ſimilitudinis. Quorſum igitur hæc diſputo.] Alia diſputatio. Quorſum ait.] Antipophora, & totius orationis propoſitio, ad beneficiorum amplificationem At parentibus.] Propoſitionis confirmatio, qua confert beneficia beneficijs per auxeſim: nullaq; maiora eſſe concludit, quàm quæ à Quiritibus accepit. Illi mihi.] Antitheta, ut beneficia exaggerare poſſit. Et incredibili.] Significat fratris amorẽ ardentiſſimum fuiſſe: cuius præcipua cura fuit, ut de illius cauſa eſſet ſollicitus, & ab exilio reuocaret. Veſtros denique.] Magiſtratus ſingulos intelligit, quos ſuffragatione Romanorum & ſua uirtute eſt conſecutus. Vt quantum.] Concluſio huius loci, per comparationem. Nam cum.] Confirmatio rationis, & auxeſis meritorum. Sed etiam.] Dirimens compulsatio. Non enim.] Reuocationem ſuam comparat cum reuocatione quorundam Romanorum: quam honeſtiorem facit, quod ipſe unius precibus, illi aſſiduis multorum ſupplicationibus ſunt reſtituti. P. Popilij.] Primum exemplum comparationis, ſumptum à Popilij perſona. Fuit autem hic Popilius Lenas Coſ. cum Manlio, qui de Gallis triumphauit. de quo Liuius libro ſeptimo ab Vrbe condita, & Plutarchus in uita M. Bruti. P. Q. Metello.] Alterum exemplum, ad expoſitionem reuocationis Metelli. de qua Plutarchus in uita Marij in hunc modum diſſerit: Cum latum eſſet, inquit, decretum de Metello ab exilio reuocando, poſtquam omni conſilio & cura inaniter repugnauit, Marius tandem abeundi conſiliũ cepit, cum populus alacriter legem ſanciret, ne Metellum in urbe uideret: cauſa alia adducta, finxit ſe ad peragẽda matri Deorum uota uelle proficiſci. Itaque in Cappadociam atque Galliam traiecit. Q. Metellus.] Numidicus fuit, auunculus Luculli. Seruilij.] Seruilius nepos ex ſorore illius Metelli, qui exulauit. Scipiones.] Metellus Scipio is fuit, qui Corneliam filiam habuit, quæ nupſit Pompeio. Luculli, Seruilij, Scipiones.] Articulus, ubi nomina propria in plurali numero ponuntur, ad ſignificandam dignitatem. Quod ſi ipſius.] Cumulus earum rerum, quibus auditorum animus maxime permouetur. Nam C. Marij.] Aliud exemplum à perſona Marij, diſſimile prioribus: de cuius reuocatione ſcribit Plutarchus in eius uita. Non enim.] Ratio cur diſſimilis fuerit reuocatio. Me autem.] Contentio, qua diſſimilem ab alijs reuocationem intendit. Cn. Piſonis.] Piſonis & fratris merita cum laude renouat, quos ſolos ſe habuiſſe dicit deprecatores. Si uos me.] Repetit fratris uerba, ut magis appareat amoris incendium fratris in fratrem. Pro me præſente.] Cum Cicerone & quàm plurimi, omniſq; ferè multitudo equeſtris ordinis, ueſtes mutarunt. Præterea uiginti penè millia iuuentutis Rom. non enim erat minor illorum numerus, qui illi aſſiſtebant. paſſiſq; capillis per urbem fletum effundebant. Senatus erat frequens, ut decerneret populum ueſtem uelut ex publica mœſtitia mutare: ſed Coſ. cum diuerſa ſentirent, & Clodius circa Curiam armatus ſatellitibus omnia terrore repleret, è ſenatu prorupere nonnulli ſenatorij ordinis, qui laceris indumentis tumultus ſpeciem dedere. de ea re plura in uita Ciceronis apud Plutarchum. Vnus hic.] Vnicum fratrem facit auctorem reditus ſui, patrem, filium, & fratrem appellat. Nam coniugis.] Præoccupatio, qua reddit rationem cur C. frater unus fuerit, qui potuerit officium præſtare ſibi, & domi & in foro. Quare hoc.] Epilogus propoſitæ ſententiæ, in comparationem reuocationis, per amplificationem. Sed quemadmodum.] Similitudine multiplicat dignitatem reſtitutionis. Nunquam de.] Expoſitio, & tractatio exemplorum: quæ ſuperius ſunt allata, de diſſimili reſtitutione. Et in eadem perſiſtit comparatione, ut & beneficium populi Rom. & ſuam reſtitutionem augeat. Marius uero.] Expoſitio dicti prioris. Non enim ille, inquit, deprecatione rediit: ſed in diſſenſu ciuium exercitu ſe armiſq; reuocauit. hac de re Cicero de Orat. 3. At de me.] Quænam fuerit reuocatio, proponit. Nullus in.] Antitheſis, qua probat multos morens à contrarijs factos fuiſſe in ſuo reditu: de qua re Plutarchus copioſe diſſerit. Ter ſuis.] Auxeſis à circumſtantia numeri Ego iis.] In antitheſi perſiſtit, qua facta ſua aliorum factis opponit. Inimico hoc.] Referente alio Coſ. ſe reuocatum dicit. Coſ. autem duo erant, cum exturbaretur Cicero, Gabinius & Piſo: quorum alter indefeſſo animo & pertinaci, ad ferenda ſingula Ciceronem hortabatur: Piſo contra, uti cœptis deſiſteret procurabat. Referre ad Senatum eſt uulgo, ponere in deliberationem ſenatus & curiæ. Tanquã legitimi.] Similitudo ſumpta ex iure. nam quemadmodum ſancta eſſe debet legitimi tutoris fides, in conſeruandis & augendis bonis pupillorum: ita firma debet eſſe fides conſulis, cui Reſp.

Reſpub. tanquam parenti traditur gubernanda. De legitimis tutoribus eſt apud Iuſtinianum in Imperialibus inſtitutionibus. Deum ſalutis ] Lentulum Deum ſalutis hyperbolice facit. Cauſa ad nos. ] Tacite inſectatur Clodium Tribunum plebis, qui cum ſenatores frequentiſſimos ad reuocandum Ciceronem paratos uideret, cauſam differri uolebat ad menſem Ianuariũ, quod ſcribit Plutarchus. Hic tantum. ] Longa circunductione controuerſias omnes aperit, & rationes diſſenſionis, quæ inter ſe & Clodianos fuerunt. Veteres ad. ] Catilina uiginti hominum millia in Galliam adducens, ab Antonio reuocatus, copijs altero conſule ſuperatis. Partim quod. ] Corruptelas Clodij tacite carpit, qui ut & pecunia ueteres copias corrupiſſet, multoſq; à Cicerone abalienaſſet. Cum duo Cos. ] Ab officio derelicto Cos. reprehendit. E dictis atque. ] Edixerant enim Tribu. pleb. ne quis aut de ſalute Ciceronis ſententiã diceret, aut illius res afflictas ſubleuaret, aut pro eo deprecaretur & ſupplicaret. Cum omnes. ] Ab animo ciuium amplificat cauſam exilij, & cur non putarit pro ſalute ſua decertandum eſſe, exponit. Quoniam &. ] Partitio, qua reddit rationem cur maluerit exulare & tribunitio furori cedere, quam rem tractare armis. nam non potuiſſet niſi inſolens eſſe uictoria. Flumen ſanguinis. ] Exaggerat turpiſſimum factum aduerſariorum, & præcipue Clodij, qui paludatus impedire uolebat Ciceronis reuocationem. Itaque cum. ] Concludit à coniunctis ex conditione Reipu. Ego autem. ] Conſilium ſui exilij à rebus perturbatis, certis circunſtantijs auget. Idem dicit libro 4. Epiſtol. famil. Conſulis faſces. ] Allegoria, qua auctoritas conſulis intelligitur. Itaque neque. ] Enumeratis cauſis quæ Reip. auctoritatem minuebant, iuſtam concludit ſui diſceſſus rationem. An ego cum. ] Iam tranſit ad gratias agendas ijs, quorum ope ab exilio eſt reuocatus: primumq; à Lentulo incipit. Aedilis curulis. ] De ædilitate multa Cicero pro Plancio. Conſularibus uulneribus. ] Illuſtris metaphora, qua auctoritate conſulũ ſe eiectum fuiſſe dicit, & reſtitutum. Reliqui magiſtratus. ] Tranſitio ad eandem gratiarum actionem, qua enumerat & nominatim colligit eos, à quibus auxilium & præſidium percepit. Excellenti animo. ] Congeries, & articulus. Eodemq; P. Lentulo. ] Amplificat beneficia, quæ à Lentulo accepit, quem paulo ante parentem & deum ſuæ ſalutis appellauit. Ita me. ] Ex antecedentibus ſe nulla ope amicorum fultum, ſed ab omnibus magiſtratibus defenſum, enumeratione colligit. Quorum princeps. ] Digreditur ad commemorationem beneficij, quod à Pompeio accepit, cuius ſummam ingratitudinem antea ſenſerat, cui gratias agit. Cn. Pompeius. ] Laus Pompeij, à uirtute, ſapientia & gloria, per collationem. Primum nos. ] Expoſitio tripartita orationis Pompeianæ, qua tacite inſinuat ſe Reipub. parentem: ita tamen ut non ex ſe dicere, ſed ex Pompeij oratione aſſumere uideatur. Hortatuſq; eſt. ] Secunda pars Tum in operando. ] Tertia pars Vos rogari. ] Repetitio uehemens, exprimens de Ciceronis reditu deſiderium. nam duos ordines digniſſimos rogaſſe oſtendit. Non rogauit ſolum. ] Infert quod maius eſt. Huic ego. ] Auxeſis beneficiorum, quæ à Pompeio accepit. Huius conſilia. ] Traductio ad expoſitionem cauſarum, quid inſtituerint Quirites, ut Ciceronem reſtituerent. nam populus diuiſus erat in centurias. Iiſdem centurijs. ] Ab euentis & multorum teſtimonijs, ſe protectoré Reip. proponit. Itaque cum. ] Confirmatio propoſitionis, à teſtimonijs Seruilij, qui pro Cicerone dixit: de quo Plutarchus in uita Pompeij. Sed audiſtis. ] Alia probatio, à teſtimonio Gellij: De eo autem intelligit Gellio, qui cum Lentulo conſule à Spartaco uictus eſt. Si ego conſul. ] Repetit uerba Gellij, ut maius beneficium appareat. En ego. ] Enumeratio dictorũ & factorum reuocatione per frequentationem, qua officium ſuum pollicetur Quiritibus. Dijs denique. ] Reditum diuinitus deſignatum latenter innuit, à ſignis, & omnium rerum copia. Primum qua. ] A pietate in Romanos, officij futuri commendatio. Deinde quoniam. ] Ab animo in Remp. Quod ſi. ] Præoccupatio ad maiorem uirtutis ſignificationem. Mihi quod. ] Sententia à laude fortitudinis, & rerum bonorum, quæ caduca non ſunt. Vidi ego. ] Confert ſe cum Mario, qui ſepties conſul fuit. Municipem. ] Municipes, qui in ciuitate Romana recepti, munerum & magiſtratuum participes fiebant. Municipes autem, ut Vulpianus ait, aut ciuitas, aut manumiſſio, aut adoptio facit. Non ſolum cum. ] Ablatio inferens, qua tacite inſimulat inconſtantiam C. Marij. Quem egomet. ] A proprio teſtimonio. Cum adoleſcentem. ] M. Filius C. Marij, ſeptimo & uigeſimo ætatis ſuæ anno conſulatum geſſit, quẽ intelligit hoc in loco Cicero. Cum in paludibus. ] C. Marius [redacted] Minturnis in paludibus delituit: cumq; concurſu & auxilio Minturnenſiu[redacted] accepta in Aphricam, quam alijs reſtituerat, tranauit. Sed hoc. ] Diſſimilitudo Ciceronis & Marij, per contentionem, de ulciſcenda iniuria. Denique Quirites. ] Diuiſio quadripartita, eorum qui Ciceronem oppreſſerunt, quibus ſe ſatisfacturum proponit. Vnum eorum qui. ] Clodianos omnes intelligit, & eiuſdem factionis homines, qui Rempub, à faucibus Catilinæ ereptam dolebant. Alterum qui. ] Ad honores ſummos peruenerat Cicero, contra uoluntatem Catilinæ, quem habuit competitorem in conſulatu. Per ſimulationem. ] Clodius cum Ciceronem ſuum tribunatũ ſubterfugere intelligeret, cum eodem beniuolentiam ſimulat, atque in Terentiam omnem huiuſce diſſidij cauſam reijcit. In illius memoriam incidens, non niſi pie ac clementer in eum loquebatur, ueluti ſecum non odio, ſed omni humanitate flagraret: à quo tamen turpiter poſtea accuſatus eſt. Quartum, qui. ] Piſonem & Gabiniũ notat, qui cum eſſent Cos. à tribuno pleb. Clodio prouincias acceperunt, ut Ciceroni nocerent. Itaque Piſoni Macedonia, non mediocris prouincia, deſignata eſt: Gabinio uero Cilicia. Malos ciues. ] Hypotypoſis, qua officium mirum in modum commendat. Mercatores prouinciæ. ] Hac periphraſi Gabinium & piſonem intelligit. Quanquã mihi. ] Quirites ſibi conciliat, cum de ferenda gratia, cum de proſequenda iniuria magis ſe ſollicitum eſſe dicat. Etenim. ] Ratio propoſitionis, de referenda gratia, ſententiarũ inſignibus illuſtrata. Propterea quod. ] Redditio rationis. Tum etiam. ] Alia rationis confirmatio. Odium uel. ] Commemoratio per expolitionem. Vel temporibus. ] Cauſas quibus odium deponamus, perſtringit à facili. Poſtremo. ] Vltima ratio, à contrarijs. Neque ſolum. ] Dirimens copulatio, qua maius infertur. Atqui in. ] Argumentum à diſſimili. diſcrimen enim ponit inter referendam gratiam debitam & pecuniam diſſoluendam. quod idem facit pro Plancio his uerbis: Diſſimilis eſt pecuniæ debitio & gratia. nam qui pecuniam diſſoluit, ſtatim non habet id quod reddit: qui autem debet in his, retinet alienam. gratiam autem & qui refert, habet & qui habet, in eo ipſo quod habet refert. Quapropter. ] Concluſio totius orationis. Mihi neque. ] Prius dicta repetit: & pollicetur, ut non ſolum dixiſſe, ſed confirmaſſe uideatur. Atque hæc. ] Se utilem fere Reipublicæ, & fuiſſe, ad extremum colligit.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS ORATIONEM, QVAM HABVIT POST REDITVM IN SENATV, IACOBI BVGELII SCHOLION.

### ARGVMENTVM.

M ARCVM Ciceronem per inuidiam à P. Clodio urbe eiectum, ſatis conſtat. Neque tamen ſuſpicione caruerunt oppreſſi ſapientiſſ. hominis, optimiq; ciuis, etiam Cæſar & Pompeius. Id quod inde contraxiſſe uidebatur Cicero, quòd inter uiginti uiros diuidendo agro Campano eſſe recuſaſſet. Intra biennium tamen eiuſdem Pompeij cura uotiſq; Italiæ & decretis Senatus, atque actione T. Annij Milonis trib. pleb. dignitati patriæq; reſtitutus eſt. Neque poſt exilium aut reditum Metelli, cui ex uirtute Numidici cognomen eſt inditum, quiſquam aut expulſus inuidioſius, aut receptus eſt lætius. Domus quoque eius quàm infeſte à Clodio fuerat diſiecta, tam ſpecioſe à Senatu eſt reſtituta. In urbem itaque reuerſus Cicero, luculentiſſimam hanc in Senatu orationem habuit. Ea generis eſt demõſtratiui, quia gratias agit: et in illos, quorum inuidia urbe fuerat pulſus, acriter inuehitur. Beneficium autem ampliſſimi ordinis pulcherrimo uerborum ſplendore mirifice ornat extollitq;. Proderit autem ea legere, quæ in præcedentem quoque orationem annotata ſunt, ut etiam huius artificium cognoſcatur. nam utraque continet gratiarum actionem.

SI Patres Conſcripti. ] D. [redacted], in libro de Conſcribendis epiſtolis gratias agere docens: Eſt, inquit, bonæ gratitudinis pars, & ſcire quantum debeas, & debere libenter. Itaque totus eſt Cicero in eo, qui magnitudinem beneficiorum oſtendat. Ac primum ait tanta eſſe collata, ut ne ab eloquentiſſimo quidem enumerari queant. Qui mihi fratrem, &c. ] Amplificatio, ab ijs qui acceperunt beneficia. quaſi dicat: ego & frater & liberi ſenſimus iſtam benignitatem. Qui ordinem, qui fortunas. ] A` re præſtita. q. d. Et dignitatem & fortunas mihi reſtituiſtis. Quod ſi parentes. ] A` comparatis. Interea obſeruanda eſt orationis quoque amplitudo, quæ decet in genere demonſtratiuo. Nam ut Quintil. ait lib. 7. Orator in laudando & uituperando omnes dicendi artes aperit, ornatumq; orationis exponit, ut qui nõ inſidietur, nec ad uictoriã, ſed ad ſolum finem laudis & gloriæ tendat. Quod tempus erit unquam. ] Beneficij magnitudo, ab effectu. Id tantum eſt, ut perpetuam gloriam inde Cicero conſequatur, cum non ſolum omnium bonorũ conſenſu reuocatus ſit, ſed & hoſtis ille Reipub. iudicatus ſit, qui Ciceronem non defenderit. Cum ui, ferro. ] A` tempore. Statim enim de Ciceronis reditu agebatur. Itaque illo ipſo anno. ] Quo beneficiũ maius appareat, Cicero crudelitatem & nequitiam hoſtium deſcribit, à quibus eiectus eſt. & poſtea ſigillatim commendat eos, quorum opera & fide reſtitutus eſt, Pompeium ſcilicet, Milonẽ. P. Seſtium, P. Lentulum, Patres conſcriptos. Quoniam in Rẽpub. &c. ] Remuneratio. Dicit Cicero, ſe gratum fore per omnẽ reliquam uitam: de ſua enim uirtute nihil deceſſiſſe, dum fuerit in exilio. Imo pollicetur ſe maiore cum libertate deinceps Rempub defendere uelle. Probatq; à minori. Patriæ ſeruator Cicero fuit ante exilium, cum à Repub. nondum accepiſſet tanta beneficia: Ergo diligentius eam poſthac propugnabit, à qua tã honorifice receptus eſt in urbem.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO DOMO SVA AD PONTIFICES, EIVSDEM IACOBI BVGELII SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

H AEC oratio tota contra Clodium habetur. Ac primum Cicero contendit, rei frumentariæ Pompeium merito præfectum eſſe. Deinde negat Clodium potuiſſe Tribunatum gerere ac etiamſi potuiſſet, tamen iniuſte ciuitate ab eo pulſum eſſe.
Poſtremo, domum ſibi reddendam eſſe, quam Clodius euerterat, ac rurſus ædificatam dijs conſecrarat. Ad has ergo propoſitiones omnia, quæ in hac oratione dicuntur, referre oportet.

CVm multa diuinitus. ] Initio beniuolentia capiatur, dum eos laudat ad quos oratio conuertitur. Fit autem hæc circunductio per infinitũ aſſumptũ. Infinitum eſt, quod ait, multa diuinitus à maioribus inſtituta. Finitum quod ait, Pontifices & Reip. à maioribus eſſe præfectos Atque ut comprehenſio longior reddatur, eoq; ſplendidior fiat, cauſam adijcit, nempe ut Reſp. conſeruetur. Quod ſi ullo tempore. ] Attentio à magnitudine rei, quæ iam in iudicium uenit. Item beniuolentia à perſona Clodij, qui dum eius inhumanitas deſcribitur, in odiũ adducitur. Nondum de mea ſententia. ] Primum Cicero contra Clodium argumentatur, quod merito, quamuis extra ordinem, Pompeius præfectus ſit frumento. Probat, quia prius etiam Cn. Pompeio plurima & periculoſiſſima terra mariq; bella extra ordinem commiſſa ſunt. Item quia Clodius ipſe detulerit alijs extra ordinem ſine ſorte prouincias cõſulares. Nos quod nominatim. ] A` perſona Pompeij. quæ quo magis cõmendatur, hoc minus Cicero reprehendendus eſt, qui eum annonæ præfecit. Vide Plutarchum in uita Pompeij. Scilicet tu helluoni. ] Aliud argumentum ab effectu, qui conſecutus eſt, cum Sex. Clodius haberet frumentarias prouincias à P. Clodio traditas. Qua ex re, inquit Cicero, primum caritas nata eſt, deinde inopia, fames, incẽdia, cædes. Deſinit homines ijſdem. ] Aduerſarij dicebãt Pompeiũ nõ debere à Cicerone ornari, qui paſſus ſit eũ in exiliũ ire. Cicero reſpõdet per inficiationẽ: & Põpeij ſtudia cõmendat, in ſe reuocando. Inſeritur autẽ locus egregius de ingenio calumniatorũ. Intelligo Põtifices. ] Quæſtio mox ſequitur, an hæc adoptio ualeat, qua Tribunatũ cõſecutus eſt Clodius. Cicero nihil ualere probat ex ætate, & cauſa propter quã adoptio inſtituta eſt. Ciceronis uerba ſunt hæc: Factus es eius filius cõtra fas, cuius per ætatem pater eſſe potuiſti. Huius Syllogiſmi maior ponitur his uerbis: Adoptio filij quam maxime ueritatem illam ſuſcipiendorum liberorũ imitari debet. Item adoptatus eſt Clodius, non ut filius inſtituatur, ſed ut è Patricijs exeat, & Trib. pleb. fieri poſſit. Quorum utrunque manifeſte cum Pontificio pugnat: & per conſequens totus Tribunatus concidit, quod erat probandum.

Venio ad augures.] Secundum argumentum, quo reprehenditur adoptio, quia facta ſit contra religionem auſpiciorum. An etiam apertius aliquod, &c.] Tertiũ argumentũ. Atque hæc tria argumenta mox uno faſciculo comprehenduntur, his uerbis: Iam intelligis omni genere iuris, quod in ſacris, quod in auſpicijs, quod in legibus ſit, te Trib pleb. non fuiſſe. Fueris ſanè Trib. pleb.] Alia quæſtio. Etiam ſi concedatur, iure potuiſſe Tribunum eſſe Clodium: tamẽ nullo iure, more, uel exemplo, legem nominatim de capite ciuis indemnati tulit. Hanc iniuriam ſibi illatam eſſe Cicero probat, ex ipſa fori ſolennitate, quæ à maioribus inſtituta & ſemper uſurpata eſt in ciuium cauſis, ſed à Clodio neglecta. Itaque ſtatus eſt iuridicialis. At ſi hoc de me potuit.] Iniuria & crudelitas amplificatur à perſona, quæ cum haberet magnam auctoritatem, hanc tamen iniuriam accepit. At quid tulit legum ſcriptor.] Amplificatio ab ipſa iniuria, quæ talis erat, ut M. Tullio aqua & igni interdiceretur. Itaque Cicero multis inuehitur in Clodij ſcelera. Quid enim uox uxor.] Vt iniuriæ magnitudo conſpiciatur, ſigillatim de uxore dicit miſere tractata, de filio de fratre, de ſe, denique de domo deſtructa. Quid eſt enim exul.] Clodius obiecerat exilium, uelut pœnam peccati. Cicero reſpondet, id nomen per ſe non peccati, ſed calamitatis eſſe. Quod autem nihil à Cicerone turpe geſtum ſit, probatur plurimorum auctoritate, ſenatus, equitum, publicanorũ, ſcribarum, omnium collegiorum denique quæ Romæ ſunt, paganorum municipiorum, totius Italiæ. Nam etſi optabilius.] Qui nunquam ægrotauit, non poteſt expendere quantum bonum ſit ſanitas. Ea de re multæ ſunt comparationes in oratione Poſt reditum ad Quirites. Fortis & conſtans.] Exilium Ciceroni non debet eſſe probro. Atque id probatur exemplis Popilij, Metelli, & aliorum. Sed uide ne tu Iouem.] Scomma acerbum, de Clodij inceſtu. Et quoniam reprehendis.] Clodius obijcit, Ciceronem plus æquo ſua facinora prædicare. Reſponſio: non niſi defendendi cauſa Cicero ſua geſta narrat, ut uidelicet aduerſariorum calumniæ prodantur. Obijcitur mihi meus ille.] Obiectio. Cicero non debuit Roma diſcedere in exilium. Nam etſi premebatur à Clodio, tamen ab eo exire iubebatur. Reſponſio & dilutio ex cauſa diſceſſus, & ab euentu niſi profugiſſet. Non diſceſſit conſcientia peccati, nec quod iudicium populi uereretur, aut mortem. ſed cum uideret ſibi uim efferri, manum conſerere fuiſſet remanendo coactus: & aut uiciſſet, aut uictus eſſet. ſed neutrum fieri poterat ſine ciuium cæde. Voluit ergo diſceſſu patriam conſeruare. Dilemma. Quid enim Pontif. debeo dicere.] Auctor ad Herennium uocat hoc ſchema Subiectionem. Accepi Pontifices.] Obiectio: Ciceronem animo fracto reliquiſſe patriam. Dilutio prior ex hominis natura ſumitur, ſeu ab ipſa humanitate. poſterior eſt per inuerſionem: Imo quo magis inuitus à cõiuge, à liberis diſceſſi, & omnẽ dignitatẽ in Rep. amiſi, eo laudabilius eſt, quod iſta chariſſima nihilominus patriæ ſaluti poſthabuerim. Sed hic meus reditus.] Quæſtio ſequitur, an Ciceroni domus à Clodio dijs dedicata reddenda ſit. Cicero probat, dedicationem nihil obſtare debere: quia neque is cui licuit, neque id quod fas fuit dedicauit. neque his inſtitutis ac uerbis, quibus cerimoniæ poſtulant, dedicaſſe ait. Argumenta ſunt ab auctore dedicationis, à re dedicata, à ritu & forma dedicandi, item à definitione reditus. Reditus & reſtitutio eſt etiam in domo & ſedibus recuperandis: Romani Ciceronem omnino reſtituere uolunt: Ergo domus quoque reddenda. Sin mea domus non modo.] Argumentum ab effectu, ſi domus non reddatur. Domus erit monimentum doloris Ciceronis, et publicæ calamitatis, &c. Item reditus Ciceronis fuerit pœna. Nam multorum exemplis conſtat, domos cũ alicuius ignominia euerſas eſſe. In conſpectu præterea.] Amplificatio à loco, ubi domus ciceronis extructa fuerat. Equidem ſic accepi.] In religionibus ſpectanda uoluntas deorum: Sed clodius in ſacro Bonæ deæ ſatis declarauit quã ſit religioſus, qui omniũ ſceleratiſſimus habetur. Ergo hæc non fuit uera dedicatio. Cum omnia tenebat.] Ab animo & fine Clodij. Aedes non dedicaſſet, ſi eas alteri potuiſſet donare, aut uendere. Deos immortales.] Dij non cupiunt dedicatam eſſe domum Ciceronis, quia per uim & contra omne ius occupata eſt. Argumentum à iure acquirendi dominium rei. Quid eſt ſanctius.] Non uiolatur religio, ſi domus reddatur. Nam omnium domus ſacræ ſunt. Probo, quia nefas eſt inde quenquam abripi. Aut quæ dea eſt.] Argumentum ob ipſa dea, cui domus erat dedicata. Libertatis hæc domus eſt: Sed Cicero libertate patriam donauit, quam Clodius ſuſtulit: Ergo dea libertas non debet Ciceronem à ſuis ædibus abarcere. O Q. Catule.] Apoſtrophe ad utrũque Catulum, & patrem & filium. Eaq; facit ad rei indignitatem exaggerandam. Pontifex inquit.] Obiectio: Dedicatio eſt auctoritate pontificis confirmata: Ergo non debet uiolari. Cicero negat ſequelam, quia totum collegium pontificũ oportet intereſſe dedicationi. Deinde reſpondet ad antecedens. Illum pontificem, qui ſolus adfuerit, eſſe Clodij affinem, adhuc religionis imperitum, unde impulſum approbaſſe dedicationem. Quid ſi quis ſimilis.] A' malo exemplo, ſi talis religio confirmetur. An tu eius ciuis diſceſſu.] A' iudicio totius Reipublicæ, quæ non ferret eiuſmodi dedicationem. Lex Papiria.] Aliud argumentum ex lege. Nota collationem Caſij & Clodij. An tu audere quærere.] A' uoluntate reliquorum Pontificum, qui non interfuerunt dedicationi. Procella patriæ.] Schema ſimilitudinis inſigne, quo crudelitas ob oculos ponitur. Dixi à principio.] Argumentum, è ritu dedicandi, requirit integram explicationem omnium ceremoniarũ. Sed quia nefas erat illa myſteria prodere, probat Cicero per famam & rumorem, quo ferebatur, Clodium male dedicaſſe. Item à minori argumentatur, dum barbarum prædonem cum Clodio confert. Qui contra fas, & inter uiros.] Αὐτίμειώσις(?) τάξεως. Quæ cum ita ſint.] Peroratio, in qua Cicero deorum & Pontificum, & omnium à quibus reuocatus eſt, auxilium implorat, ut ſibi domum reddere uelint: quam & conſecutus eſt, ære publico rurſus extructam, ut Plutarchus in eius uita teſtatur.

## IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM DE RESPONSIS

### ARVSPICVM IN SENATV, [redacted]

### ARGVMENTVM.

MVlto maxima pars conſiliorum P. Clodij fracta erat poſt Ciceronis in patriam reditum. Fuit enim perhonorificus: & ut in uoluntarium abijt exilium, ita etiam niſi cum ſummo optimi cuiuſque ſtudio eſt reuerſus. Quocirca Clodius eo æſtuabat magis inuidia, & imminuebatur rationibus, quo gratioſiorem ſenſerat eſſe omnibus Ciceronis reſtitutionem. Nec tamen deſiſtit ea de re nouas ſtruere inſidias, & aucupare boni ciuis gratiã. Inter multa igitur crimina, etiam calũniæ occaſionem præbuit agri Latinienſis portentum. Fuit hic nõ procul ab urbe, & continens ſuburbio: atque inde allatum eſt, exauditum à Latinienſibus horribilium armorum ſtrepitum, cumq; reconditum fuiſſe.

Relata hæc res eſt ad Aruſpices, quorum reſponſum ſex præcipua capita complectebatur.

1 Publicos ludos negligenter eſſe factos, & ea re pollutos.
2 Indicare ſacrorum & religioſorum locorum prophanationem.
3 Oratores contra ius faſq; eſſe interfectos.
4 Fidem & iuſiurandum neglectum.
5 Sacrificia uetuſta occultaq;, minus diligenter facta pollutaq;.
6 Periculum eſſe, ne optimatium diſcordia & cæde ſummam Reipub. unus aliquis occupet.

Hinc Clodius ſuam δείνωσιν, nam ita uocat in Rhetoricis Ariſtoteles, inſtituit: Pollutos eſſe ædilitios ludos propter impium erga Ciceronem ſtudium: Ciceronis domum ſacram eſſe, quoniam à ſe eſſet data & conſecrata Libertati: Oratores Alexandrinos interfectos: Violaſſe fidem, contaminaſſe iuſiurandum Ciceronem, ob eiuſq; & amicorũ facinora uitiata eſſe uetuſta occultaq; ſacra: Eũ diſcordiarũ auctorem eſſe, & regnũ non ſolum affectare, uerũ etiã occupare. Ad hunc modum perorauerat pro cõcione Clodius. Cicero omnia à ſe remouet, & diligenti interpretatione in Clodiũ torquet, quidquid mali etiã euenerit aut ſit euenturũ Reip. totũ illud Clodio tribui debere. Quare Ciceroni hoc Aruſpicũ reſponſum magnã occaſionem dedit, reprehendendi Clodium in ſenatu, ſeq; eodem in loco defendendi. Oratio igitur generis deliberatiui eſt, ſed mixta magna ex parte forma demonſtratiua. Partes tres habet: Principiũ, Contentionẽ, & Perorationem. Principio occaſionẽ dedit Senatus habitus pridie ante hunc, in quo mirabiliter contra aduerſarios Patres concitat. Contentio pulchram habet παρασκευὴν cum propoſitione. Nam ordo reſponſi Aruſpicum, non requirebat partitionem. Statum habet στοχαστικόν. negando enim Cicero ex uarijs circunſtantijs et ſuſpicionibus contra Clodiũ ἀντιμεταφοραῖς interpretatur ſcriptũ. Quare ſcripti & uoluntatis præcipuus ſtatus hic nõ eſt: non enim ſcriptum deprauatur, nec de ſententia controuerſia exiſtit, ſed quis auctor fuerit & ſit periculorum. Primum caput igitur Contentionis eſt de Ludis uiolatis: proximũ de Religioſis locis, qui loci quoniã de religione erant, copioſe & grauiter tractantur. proxima breuius Poſtremum ornatiſſime, atque ita ut appoſitiſſimum ſit ad perorationem. Figura dicendi ſi cum alijs Ciceronis orationibus, & earum locis conferat, nec grauiſſima eſt, nec remiſſa. Quare in modeſto genere ponimus, ſed quæ magis ad grauitatem aſſurgat.

## ARGVMENTVM ALIVD PER ERVDITVM QVENDAM.

Lentulo & L. Philippo Conſulibus, annos poſt reditum Ciceronis, noctu auditus fuit fremitus armorum in Latinienſi agro, qua de re conſulti Aruſpices reſponderant, Sacra & Religiones negligi & pollui, loca ſacra & religioſa prophana haberi, Oratores contra ius faſq; interfectos, Fidem & iuſiurandum neglectũ, CN. Sacrificia uetuſta occultaq; minus diligenter facta, pollutaq;: Itaque uidendum eſſe, ne per optimatium diſcordiam Patribus principibuſq; cædes periculaq; crearentur. Hæc reſponſa Clodius in concione apud populum in Ciceronem & domum eius interpretatus fuerat. Quamobrem Cicero poſtridie in Senatu, ut remoueret à ſe huiuſmodi religionem, & Senatum ex uera ſententia portenti ad concordiam cohortaretur, habuit hanc orationem: in qua & grauiter inuehitur in aduerſarium, & cuncta ferè à ſe remouendo in illum conuertit. Continetur oratio ſub deliberatiuo genere, ad quod finis eius ſpectat: ſed tractatur forma & locis iudicialibus. Statum enim habet ſcripti ex ambiguo: ſed tam multiplicem, quot ſunt reſponſorum capita. Ea interpretentur in diuerſam partem, contra ſententiam aduerſarij, & poſtremo ad cohortationem conferuntur. Partes habet, Exordium, Contentionem, & Concluſionem. In exordio reddit rationem ſententiæ ſuæ, pridie dictæ in Senatu in Clodium, & purgat quod commotior quibuſdam fuerit. negans ſe Clodium priuatum habere inimicum, ſed communem Reipublicæ totius hoſtem, eidemq; minatur. Valet igitur ad beneuolentiam, per purgationem ſui & aduerſarij. Deinde ad rem accedit, & refert concionem ab illo pridie in ſe habitam, in qua de religionibus concionatus fuerit: totamq; illius ſententiam, eundo per ſingula capita ita reprehendit, ut conuertat in ipſum, cum graui interim & acerba uitæ factorumq; inſectatione. Poſtremo concludit, cohortando Senatum ad concordiam: de qua reſponſis Aruſpicum ciuitas in id tempus moneatur.

Heſterno die] Reddit ratiõẽ, cur pridie uehementius in Clodiũ inuectus ſit. Quibus Senatus dabatur.] Apparet ſenatũ datũ fuiſſe Equitibus, qui Publicani erãt, ob cauſam Capani agri qui cũ uectigalis eſſet Reip. à C. Cæſare fuerat diuiſus. Cuius ego te.] Dubitatio rhetorica. A grauiſſimo uiro.] Seruiliũ dicit, qui collega in Cõſulatu fuit C. Clodij, qui P. Clodij fuit pater. Sed tamen mei facti.] Purgat affectionẽ, & hinc quoq; materiã beneuolentiæ et criminationis aduerſarij mutuatur. Ego enim P. C.] ἀντίθεσις. ſe duos priuatim odiſſe, nempe Gabiniũ & Piſonẽ: P. uero Clodium cũ tota ciuitate. Suo ductu & imp[redacted] Cõſulares prouinc.as obtinuerũt: Gabinius Syriã & Perſas, Piſo Macedoniã cũ Thracia & tota Græcia: de quo legẽ orationem de Prouincijs Conſularibus. In Clodiũ uero.] Altera pars ἀντιθέσεως, quia dicit ſe Clodio nõ priuatim inimicum eſſe, ſed publice cum bonis omnibus, & tota Repub. uitamq; illius & facta exaggerat. Subeſt argumẽtũ à cauſa. Nam cauſa odij eſt iniuria, qua ſublata uel cõmunicata cũ multis, & odiũ cõmunicatur. Vulnerati.] Μεταφορικῶς, pro in iudiciũ uocati, propter pollutas cerimonias. & ex hoc quidem iudicio Clodius corruptis iudicibus euaſerat, cũ in eũ Cicero teſtimoniũ dixiſſet: quare uulneratũ dicit, nõ damnatũ. Etenim illos.] αἰτιολογία, quæ dictum exponit. Itaque eum.] A ſigno ex conſequentibus cõfirmat, ſe nõ priuatim uiolatũ à Clodio, quia nõ accuſarit. nõ accuſaſſe autẽ, quia nec Piſonẽ accuſarit: quod eſt à Pari. Stipitem illũ.] Piſonẽ intelligit. Nã maternũ eius auũ Mediolanenſem & præconẽ fuiſſe, ipſe in oratione in Piſonẽ indicat. Lege & Aſconiũ in eandẽ orationem. Accedit etiã.] Alia ratio cur nõ accuſarit Clodiũ. et eſt cõminatio in eundẽ. Iſta beſtia.] Clodius reus futurus. Etenim ut P. ille Scipio.] Amplificat exẽpli collatione. Solus ille cognouit.] αἰτιολογία dicti præcedentis. Sed ſi etiam.] Correctio, qua denuo minatur & terret aduerſarium. Vt fecerat.] Cum Ciceronem pelleret in exiliũ. eſt autem εἰρωνεία. Arrepturũ arma.] μεταφορά. Atque pop &c.] Narratio, quã miſcet inſectatione Clodij, quarem extenuat atque irridet, ad eleuandã auctoritatẽ. P. tam quã Clodius.] Totam rem riſu ſoluit. Ductis.] Multis Quid enim intereſt.] αἰτιολογία ſeria. Reſpõſum Aruſp.] Continuat narrationẽ. Gaudeo mihi.] Præparatio ad ſequentia. Sed quæ tandem.] Contentio, quæ à propoſitione incipit, quæ uim habet partitionis. Nã ex primo membro poſito

alteri

alteri intelligitur. Proponit autem ſe primum demonſtraturum nullam religionem ad domum ſuam pertinere. Ex quo intelligetur, reſponſum Anſbicũ de eadem intelligi non poſſe. Argumentatione utitur ex lege Clodia, & ex pop. Ro. iudicio, Pontificum & Senatus, quæ domũ ſuã omni religione liberarint. Lentule & te Philip.] Ii Cõſules erãt. Poteſtis ur referre.] Ex lege Clodia. Sex. Clodius.] Scriba Clodij. Deinde eandẽ.] A` populi iudicio. Ad Pontifi.ũ collegiũ.] A` iudicio Pontificũ. & ducit argumentationẽ ex minori, augẽdi cauſa. De illo ipſo ſac.] Sacrificiũ Bonæ deæ intelligit. Caſti tutoris.] Clodij. εἰρωνεία. Nego inquã.] Amplificatio à maiori. Relig. explanatio.] Expiatio legendũ. Poſtero die.] A` iudicio Senatus. De hoc igitur.] Concludit intentionem per εἰρωνείαν. Huius ordinis] Senatorij. Verũ referre. Referte legendum eſt: et uidetur etiã aliquod uerbũ deeſſe. Eſt autẽ correctio, qua iubet referre de domo ſua Conſules: et tamẽ negat ſibi obſuturũ eſſe. Probat dein per diuiſionẽ. quo in loco uide tripartitũ δίλημμα. Aut ſenatus ipſe.] Argumẽtatio per Complexionẽ tripartitã. Vno illo ſolo antiſt.] εἰρωνεία in Clodium. Aut id quod.] Tertiũ membrũ. Intelligit autẽ Cõſules, ad quos ſupra ἀποστροφὴν inſtituit. Multæ ſunt do.] Locutus de iure religionis, profert etiã ius ciuile, quo docet domũ ſuã optimo cõtra omnẽ religionẽ eſſe munitã. Iure auctorit.] Id eſſe puto, cũ quis ipſe ædificauit, & auctor factus eſt. Ius mãcipi, ius dominij ac poſſeſſionis, ut ex præſcriptiõe. Ius nexi, ius emptionis, quod certa ſolennitate celebrabatur, quæ nexũ uocabatur. Iiſdem magiſt.] P. Lentulo & Q. Metello. Vobis uero.] Intelligit Lentulũ & Philippũ Conſules. P. Valerio.] Amplificat cõparatione exempli Intelligit autẽ P. Valeriũ Publicolam, qui poſt exactos reges Bruti collega fuit. Proinde in Via publica, nõ uilla legendũ eſt. Vide Liuiũ 2. ab Vrbe cond. Quæ quidem ego.] Vitat arrogantiã, & cauſam prædicationis ſuæ in populi beneficiũ confert. Sed cũ ſint.] ἀντίθετον. Cuius antea ma.] Repetitio cõcinna & grata auditoribus: licet diuerſis rebus accõmodetur. Vidi ego.] Reſpondet de eadẽ re inimico, & purgãs arrogãtiam illũ reprehendit. Ab hoc eodẽ.] Clodio. Parricida.] Sic eũ uocat, quòd exulare coactus ſit propter Clodiũ, cũ pater patriæ à Senatu & Catone prius appellatus ſit. Diſertũ neg.] Irriſio eſt in aduerſariũ, qua inſcitiæ & ineptitudinis arguit. Nam diſertus pro intelligens et callidus accipitur, ne dum eloquens: quod ferè tales ſint diſerti. unde apud Terent. At etiã diſertũ credebã hominem: Vbi ancilla exprobrat ſeruo tarditatẽ, quod fallaciã non intellexiſſet Ergo diſertũ negatiũ εἰρωνικῶς, pro inepto. Ego enim fateor.] Tranſitio ad reſponſum Aruſpicũ ſed ante amplificat præparãdi cauſa nempe ad amouendam abs ſe negligentiã religionum, & auctoritatem interpretandi conciliandam. Ego uero pr.] Ab auctoritate maiorum. Qui ſtatas ſolenn.] Diſtributio. Veteres prædicationes.] Prædictiones legendum. Hetruſcorum.] Aruſpicũ. Quæ quidem tanta eſt.] A` prædictione maiorũ. Eſt ab affectu. Coniurationem.] Catilinariam. Deinde etiã.] Confert philoſophos cũ maiorũ ſapientia, & eos inferiores facit. Eſt ex comparatione. Etenim quis eſt.] A diuino beneficio, & imperij magnitudine. quod iterũ eſt ab effectu religionũ. Quàm uolumus.] ἐπιφώνημα, quo pop. Ro. religionem ac ſapientiã cunctis gentibus anteponit. Quare ne plu.] Concludit amplificationem, et ad propoſitã quæſtionem accedit. Sed uide ordinẽ. Oſtendit domũ ſuã ab omni religione liberã eſſe, nũc docet reſponſum Aruſpicũ ad Clodiũ pertinere. Itaque quod à ſe remouit, in aduerſariũ conuertit Prior refutatio fuit. hæc eſt Confirmatio. Nititur autẽ ex uerbis & ſentẽtia. In quo ſtatus eſt cõtrouerſiæ. Itaque totũ per ſingula capita, tum coniectura maxime, tũ finitione tractatur. Mitto Aruſp.] Præteritio, qua oſtendit rem facilem & apertã. Exauditus in agro.] Repetit rem, & proponit recitando quid actum ſit. Bellum dijs.] θεομαχεῖν. Te appello.] ἀποστροφὴ ad Lentulũ, quem ut teſtem appellat. Tenſa.] Deorum uehicula erãt, ex argento: curricula uero, alia minora uehicula, quibus in pompa ſacrorũ utebantur. Præcentio fiebat à tibicinibus, qui et ipſi ſacris adhibebantur. Ludi erãt ipſa ſpectacula, quæ in honorem deorũ fiebant. Libationes, ſacrificia, epulæ, quæ in Capitolio adhibitis uiris Epularib. Lectiſternij ſacrificio celebrabantur. Reſpondebis.] Tu Lentule. Subeſt autẽ huic loco uis probationis ex remotione, ſiue ex diuerſis: Non hos & illos, ergo ludos Magnos pollutos eſſe. Atque illa mat. de] De magna matre deum, quæ ex Peſſinunte agro Phrygiæ quondã Romã aduecta fuit: et de miraculo Claudiæ ueſtalis uirginis, quã autẽ Lentuli nominat, lege Val. Maximũ. Vis enim innum.] Rem geſtam à Clodio refert, nẽpe, ſcenã ludorũ die perturbatam. ſed quando id actum ſit, obſcurũ uidetur: tametſi apparet hoc ipſo anno factum fuiſſe, Lentulo & Philippo Conſulib. Pernicibus.] Arcubus è ſaxo. Tuo proauo] Scipione Naſica, qui priuatus occidit. Ludorum.] Hiſtrionum. An ſi lud.] Probatio ex minori, quæ ad finitionẽ pertinet, ludos pollutos fuiſſe. nam ſubeſt quæſtio, quid ſit ludos pollui. Aut locum omiſit.] Forte Lorũ legendum, pro locum. Ac ſi uolumus.] Coniectura ex natura numinis & loco. Nam quid ego.] Loquitur de alijs ludis, qui eiſdem Megalenſibus in Palatio celebrabantur: in quibus nõ minus quã in ſuperioribus. Clodius ſeruos induxerat. Hos ludos Iunius Brutus inſtituiſſe traditur. Quò ſi quis.] Ad quos ludos. Ita ludos eos.] Concludit, & amplificat religionẽ ludorũ à nomine. Nomine.] Græco. Prò dij immort.] Exclamat obſtando, & confert rem cum ſcripto. Eſt argumentum ex uerbis reſponſi, quod ad ſigna pertinet. Permiſſu magiſtr.] Clodij Aedilis. Si examen apũ.] Amplificatio ex minori. Atque in apum.] Aliud ex minori, quod etiã ad confirmandum ualet. Diuerſoq; mõſtro] Examine apum. Significatum.] Seruitiũ nempe. Iſtiuſmodi Megaleſia.] Amplificatio ex contrarijs exemplis. Cum Athenionis aut Spart.] Athenio & Spartacus gladiatores fuerũt, qui effracto ludo bellũ ſeruile concitauerãt. De cauea.] Theatro. Sybillino ſacerd. εἰρωνεία. Ne hoc quidem.] A ſacrorũ genere, quod ad locũ ſubiecti refertur, nẽpe qua in re peccatũ ſit. Hac igitur uate.] Sibylla. Eſtq; Correctio ad uituperationẽ. Punico bello.] Secũdo. P. Scipio.] Naſica. Cuius priscã.] Amara εἰρωνεία. Nihil religi.] Cõcludit eũ graui obiurgatione. Quo minus caſtiſ.] Incrementũ. Sed quid ego.] Correctio per reprehenſionem. Tranſit autẽ ad aliud ſcelus Clodij, quo ille ſedem magnæ matris in Phrygia maculauit. Et Brogitaro.] Quæ hoc loco dicuntur, cõmiſſa ſunt à P. Clodio in tribunatu. Tuis operis.] Id eſt, hominibus tuis Clodianis. Quod.] Fanũ. Deiotarus.] Gallogræciæ rex Brogitaro.] Genero Deiotari Gallogræco. Atque hunc tamen.] Amplificat indignitatẽ facti perſonarũ collocatione. Sed ut ad hæc. Concludit quod ſupra inſtituerat. Sequitur de locis.] Secundũ caput, quod totum conuertit in domũ Clodij, docens eã religioſam eſſe. Quas tu Q. Seio.] Huius fit mentio in oratione pro Domo ſua. Memoria multorũ firmabo. Pollicetur ſe probaturũ, & minatur aduerſario & alijs nõnullis. Sed totus locus obſcurus eſt, propter hiſtoriã, et eorũ locorũ, quos nominat, rationẽ. Armamentarium.] Locũ aduerſandorũ armorũ. Multa me mouent.] Cur de alijs etiã dicturus ſit, profert rationẽ ab officio ſuo. Videtur autem ſignificare Q. Metellũ Clodij fratrem: nam ita appellat ſororis illius maritum. Vide in oratione pro Domo ſua. Curationis meæ.] Curatio erat, qua quis ædem ſacrã uel aliam locũ tuendũ habebat, hoc eſt, ſartũ tectum præſtandũ Id autem ueteribus integrum ſignificabat, & erat uerbũ iuris.

Poſtulatio.] Precatio. Tu meam do.] Poſtquam contulit religionem in alienas domos, ad ſuam redit. Vide autem reſpondendi figurã, quã ad aliud occurrit quã interrogatur, tum declinandæ intentionis, tum aduerſarij reprehendendi cauſa. Ex meretricis ſep.] Tanagreæ ſcilicet. de qua uide Cic. in oratione pro Domo ſua. Niſi quod imp.] Clodium intelligit, cũ quo domus ſua cõiuncta erat in Palatio. Sed iam Aruſp.] Tertiũ caput, quod tum in Clodium, tum in Piſonem conuertit. E carcere.] Id eſt, tanquã è carcere. in forum ad iudic. idos ſcilicet. Eſtq; metaphora. Sunt autẽ hæc ad Clodij tribunatũ referẽda. Nec confero.] Correctio, quæ ita cõfert hoc genus criminis in Clodium, ut etiã cæteros accuſet. Hoc tu.] Id eſt, propter hoc. Plures ſunt.] Piſonem proconſ. Macedoniæ ſignificat. Quales hunc carnifi.] ἐπιφώνημα ex minori. Sed recitemus.] Quartũ caput, quod itẽ retorquet in Clodiũ. Quare antè his.] A genere facti, quia inſigne fuit iudicium. Sacrificia uetuſta.] Quintum caput, quod in argumentũ prioris ſubiungit, & confirmat de Clodio. Obſcure dicitur.] Argumentatur ex uerbis, & Lentuli teſtimonio cõfirmat. Etenim quod.] Exponit & amplificat quod poſuit. Quod qui dem ſacrificiũ.] Amplificatio à raritate, & alijs circunſtãtijs. Quam iſte idcirco.] Occupatio, qua digreditur, & confirmat à Dijs punitum eſſe Clodium, ergo à dea irata. Niſi forte.] [illegible], qua quæ dici poſſunt auertit. Quis enim ante.] Occurrit ſoluendi cauſa, nõ hanc religionem eſſe: & teſtimoniũ requirit. An tibi lumi.] Contendit, ſi non oculis, certe mente cæcum eſſe, & cõtrario exemplo amplificat. Pluſquã libidinis.] Ludit παρονομασίᾳ, Conniuentis.] Cæcutientis. Abaui tui.] Significat Appium Claudium cæcũ, de quo ſunt uerſus Enniani in Catone Ciceronis: Quò uobis mentes, rectæq; ſtare ſolebant antehac, præcipiti ſeſe flexere ruina? Quam os frag. ſor.] Perſtringit Clodium, quod rem cũ ſororẽ habuerit. Homines te.] Exponit, Clodium adhuc impunitũ eſſe ab hominibus. Homines propter.] M. Piſonem Coſ. & Curionẽ intelligit. Vide epiſt. Ad Atticũ quæ incipit, Vereor ne putidum ſit ſcribere, lib. 1. & mox aliã ſequentem. Hominibus iniuria.] Hoc opinor pertinet ad Lucullum & C. Cæſarem. Poſt illum inuict. ciuem.] Pompeiũ intelligit. A dijs.] ἀντίθεσις. Niſi forte.] Exempla ex tragœdijs, quæ ad amplificationẽ conferuntur. Philoctetæ.] Hic ſocius fuit Herculis, cui ille ſagittas ſuas tradiderat: è quibus una cũ illapſa fuiſſet in pedem, Philoctetã uehementer excruciauit. quã de re Tragœdiæ fuerũt apud ueteres. Athamantis.] Athamas Inus maritus Learchum filium per inſaniã occidit, quã ob cauſam ſe Ino cũ Melicerta filio in mare proiecit. de qua item re ſcriptæ fuerũt Tragœdiæ. Quod in cæcubile.] Scilicet C. Cæſ. Pontif. Maximi. Nam corporis.] Approbatio ex ratione ſubiecti. Quare mi ſerior.] Concluſio. Sed quoniã.] Dictum eſt de delicto, nunc tranſit ad monita Aruſpicũ. Hoc enim etiam turp.] Amplificat in dignitatẽ à perſona, & paulũ ab inſtituto digreditur. T. Gracchus.] S. Gracchi & Corneliæ filiæ Aphricani maioris filius. Ergo auũ maternũ habuit Aphricanum. eſt autem cõparatio diſſimilium exemplorũ. Ipſe. L. Saturn.] Is Trib. pleb. cũ legem Agrariã ferret inuito Senatu, nec in ea iurare uellet Q. Metellus, die dicta illũ in exiliũ egit. ipſe poſtea cũ Glaucio Prætore à L. Opimio Coſ. eſt occiſus. Nam quid ego.] P. Sulpitius cũ pernicioſas leges ferret, ex quibus una erat, qua Clodius C. Mario bellũ Mithridaticũ decernebat, aduerſantibus L. Sylla cũ cæteris optimatibus. Sylla cũ exercitu in urbẽ uenit, & pulſis Marianis Sulpitium cum cæteris aduerſarijs in fuga occidit. de utroque Plutar. in Mario & Sylla. Atque ibi piratarum.] Bello piratico à P. Seruilio geſto. Cum propinquis ſuis dedit.] Decidit legendum. Vt turpiſſ. præuari.] Præuaricari eſt partem in iudicio quam tuendam ſuſcepiſti, prodere, atque adeo collidere cum aduerſario. μεταφορὰ ab obtortis uenis crurũ dicta, quæ uarices uocantur. Nam T. Grac.] Confert cauſam popularitatis Clodij cum Gracchis & alijs popularibus egregijs uiris. Illum fortem &c.] T. Gracchum. Eiuſq; rei.] Procurationi. Crocota.] Veſte muliebri. Faſciolis.] Faſcia pectoris muliebris. Pſalterio.] Organo Muſico. Arreptus eſt.] Clodius à Cæſare, qui Coſ. erat. Frater Metellus.] Affinis Pompeij. Excluſerat.] Vt diceret de transferendo ad plebem. Reſtiterat.] Etiam contra ſententiam Pompeij. Sed is Conſul.] Cæſar. Inimiciſſimus. Propter iniuriam in uxorem. Hæc enim certe.] Exponit, & de temporibus ſuis loquitur. Cognitorem.] Defenſorem. Sic tamen.] Amplificat digrediendo ad cauſam ſui temporis, & manet in metaphora. A quibus defendi.] Pompeium intelligit, à quo in periculo ſuo fuit deſertus. Sit diſcordis.] Conuertitur ad hortationem: & mox corrigit, accuſans Clodium auctorem diſcordiarum. Non ſinit.] Videtur At non, legendum. Vt modo.] Locus corruptus. Sed uide num legendum ita ſit: Vt modo ſe uendat his, modo illis. Atque ego.] Monet, & tacite obiurgat quoſdam è Senatu, C. Cæſarẽ opinor, Craſſum & Hortenſium, quibus ſe uenditabat Clodius, ut ab alijs alienaret, nempe à ſe & Pompeio. Volaticos.] Id eſt, inſtabiles. Et quibuſdam hærentis.] Et hoc corruptum eſt, quod in hanc ſententiam legendum uidetur: Et quibuſdam ſimultatibus neglecta ſunt hærentia tela in Repub. An iſte, niſi.] Probatio facultatis ex actis Clodij. Eſt à ſigno. Niſi Coſ.] Gabinium et Piſonem. Idem poſteaquam.] Continuat narrationem factorum Clodij. Curiata illa.] De adoptione Clodij. M. Bibulum.] Collegã Cæſaris. C. Cæſare leges.] C. Cæſare ferente leges, Bibulus collega eius obnunciauerat, hoc eſt, ne contra auſpicia ferrentur interceſſerat, quo tempore armis à Cæſare è foro expulſus fuit. Vide Plut. in uita Cæſaris. Quidam boni ui.] Intelligit eos, qui Pompeij & Cæſaris potentiam inuiſam habebant, ut Cato, Fauonius, Marcellus, Hortenſius, Domitius. Ferebant in oculi.] Id eſt, probabant aperte, & ſe amicos oſtendebant. Tum uero.] Amplificatio à perſona Pompeij et Clodiana audacia. In temp. Caſtor.] Vbi Senatus habebatur. Meq; nonnul.] Obiter defendit metum ſuum, quo Clodio ceſſerit, exemplo Pompeij. Minas eius.] Minabatur Clodius Pompeio idem in domum eius facturum, quod in Ciceronẽ feciſſet. nam domus Pompeij in Carinis erat. Diſſenſionibus eo.] Pompeij Craſſi, & Cæſaris. Præcipitãtis.] Ruentis ſub finẽ tribunatus. Ne cauſam dice.] Opinor hoc ad ædilitatem Clodij pertinere, quam poſt tribunatum geſſit. Etiam'ne.] Indignatio. Increpat autem eos qui Clodium defendant, & errorem eorum oſtendit. Ac peſtiferam.] Quia de ui accuſatus fuerat à Milone. Vir ſummus.] De Papyrio loquitur. & eſt παῤῥησία, ad præmunitionem durioris dicti. Verum tandem.] Confirmat exemplo, ab improbo laudari uituperationẽ eſſe. Sed ne id.] Probat ex ipſa concione Clodij, Pompeiũ magis uituperatum eſſe laudibus illius, quã ornatum. Quid enim.] αἰτιολογία. Videant ij.] Monet eos quibus placent facta Clodij, nempe quoſdam è Senatu, ut uideant ne recõciliata gratia Pompeij, ſe Clodius denuo in ipſos conuertat: & fretus Pompeij auctoritate, Senatum ſicut ante oppugnet. Quas ego alias.] Redit ad monita Aruſpicum, & rem ex uerbis confirmat: nempe diſcordias, quas expoſuerit, ab Aruſpicibus deſignari. Quare cum Dij.] Concludit hunc locum, & conuertitur ad hortationem. Diſſenſit cum M.] Confirmat exemplis. Iam omnes iſti.] Ἐπιφώνημα. Iſta ſerpens.] Clodius. Monent enim.] Aliud monitum Aruſpicum, quod item de Clodio interpretatur ex illius concionibus. Niſi forte exiſt.] ὑπόνοια, qua interpretatur argumentum.

Sequitur illud.] Aliud caput, quod ex finitione interpretatur. Sæpe opt. ciuibus.] Quemadmodum Catoni contigit, qui repulſam paſſus eſt, quando unà cum Vatinio præturam petijt atque ambiuit. Quod prædixẽt.] Aruſpices. Etenim ſi homi.] Clodium deterrimum eſſe oſtendit, amplificatione ex uita eius petita. Deformatum.] Id eſt, depictum. Fonteiano.] Plebeio. Non inuiſa ſol.] Inuiſa dixit, pro non uiſa. Eum ciuẽ.] Seipſum intelligit. Heliam & Fuſiã.] Leges Helia & Fuſia dabant obnunciationem contra pernicioſas leges, ſi quis per eos dies, quibus cũ populo agi licebat, de cœlo ſeruaſſet. Quibus legibus contrariam in tribunatu ſuo tulerat Clodius, ne quis per prædictos dies de cœlo ſeruaret, itaq; ita ſuſtulerat obnunciationem. Tulerat & aliam legem, ne quẽ Cenſores in legẽdo Senatu præterirent, uel ne qua ignominia afficerent, niſi accuſatum apud eos, & utriuſque ſententia condemnatũ. Vide Aſconiũ in Orationẽ contra Piſonem. Interceſſionem.] Collega, contra ſeditioſos ciues. Reges.] Ptolemæum & Deiotarum. Imperatorum mon.] Catuli porticum intelligit, qui fuerat in Palatio iuxta domum Ciceronis. In fin. ſunt ſiel.] ἱππότιμοι. Imperatores.] Vt Lucullum. Exercitus.] Luculli. Quæ mauis.] Aptiſſima & acerbiſſima ſimilitudo. Quare id quod.] Concludit, & ultimum caput amplectitur per adhortationem ad concordiam. Argumẽtatur à tẽpore & ſtatu Reip. Qui redem.] Id eſt, conduxerunt à populo. Publicanos intelligit, quibus fructus uectigalium imminutus erat, tum legibus Agrarijs, tum alijs incommodis. Ne optandum quidem.] Id eſt, ſperandum, ὀνειρώττειν. Atque ego hunc.] Excuſat quod hac oratione graui & longiori uſus ſit: & monet de religionibus eas eſſe diligenter procurãdas. Quod ſi cetera.] A minori. Quod eodẽ temp.] Aliud portentum. Sono.] Vt eſt armorum ſonitus.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO CN. PLANCO. FR. SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

## ARGVMENTVM.

Plancus Equeſtri loco natus, in ædilitatis petitione M. Iuuentio Laterenſi è familia Conſulari antepoſitus eſt. Id acerbe ferens Laterenſis, Plancum de ambitu accuſauit, quod largitione populum Rom. corrupiſſet. ut id probaret, oſtendit ſe Planco digniorem eſſe, uitia quædam uitæ Planci anteactæ enumerat, Planci patrem aſpere quædam locutum dicit: itaque populi fauorem à Planco auerſum, pecuniam ad corrumpendas tribus à Planco datam in circo Flaminio deprehenſam. L. quoque Caſſius Plancum accuſans, ut Laterenſem Aedilitate digniorem præteritum fuiſſe oſtendat, quod populum Rom. Plancus largitione corruperit, primũ dicit, Iuuentium quendam, à quo Laterenſis ortus ſit, primum de plebe Aedilem curulem factum eſſe: deinde Plancum Equeſtri loco natum non difficilius Aedilem factum, quàm ſi Conſularis filius fuiſſet. Poſtremo Laterenſem laudauit ijs rebus, quas extra Romam geſſit. In hac Planci defenſione primum oſtendit Cicero difficile ſibi eſſe amicum amico accuſante defendere, ſed difficilius Planci & Laterenſis dignitatem comparare. Laterenſem uero Planco digniorem quodammodo fatetur: ſed Plancum Aedilem factum probat, quod in ſalutandis ciuibus & rogandis fuerit diligentior, quàm Laterenſis: quòd Planco municipes omnes ſui Atinates & uicini ſtudioſe fauerint, Laterenſi Tuſculani pauci & uicini ſtuduerint: quòd publicanorum ordine multum adiutus ſit, quòd anteacta eius uita grauiſs. uiris probata fuerit. Itaque proniora in eũ populi Rom. ſuffragia, nec ullã ſuſpicionem ambitus eſſe docet. Maledicta in uitam Planci anteactam coniecta refutat: quæ Planci pater aſpere locutus ſit excuſat, nec id filio obeſſe debere oſtendit. Coarguit falſum eſſe, quod de pecunia in circo Flaminio deprehenſa accuſator obiecit, nec famæ credẽdum eſſe probat. Negat uerum eſſe quod Caſſius dixerat, Iuuentium quendam primum de plebe Aedilium curulem factum. Negat Planco nocere, quòd equeſtri loco natus non difficilius Aedilis factus ſit, quàm ſi conſularis filius eſſet. Triumphus, eloquentiam, iuris ciuilis ſcientiam in Planco non eſſe excuſat. Laterenſem propter res eas, quas extra Romam geſſit, Planco anteponendum non fuiſſe oſtendit, quòd eorum quæ Romæ geruntur maior ſit populo Romano memoria & gratia. Quòd Cicero Plancum contra amicum Laterenſem defendat, cum Caſſius negat plus Planco debere, quàm bonis omnibus, quibus ſalus eius curæ fuerit. Id fatetur Cicero, ſed quod Planco debeat: aut diſſoluendum docet, cum neceſſitas poſtulat. Præterea refutat maledicta quædam in ſe à Laterenſe coniecta, beneficij à Planco accepti magnitudinem factam: cum Ciceronem metu mortis noluiſſe uti auxilio ſibi oblato aduerſus P. Clodij Tribuni plebis furioſos conatus, quòd cum Laterenſis in Republica liberum fuiſſe negauerat, nullum ei periculum fuiſſe, itaq; nullo ex periculo à Planco ſeruatum. Concludit per commiſerationem. Genus cauſæ iudiciale. Status coniecturalis. Accuſatores M. Laterenſis & L. Caſſius. Quæſitor cauſæ C. Flauius. Quod autem Plancum hunc, non ut in uulgaris codicibus ſcriptum inuenio, Plancium, putem appellandum, non temere ſit. Nam in codicibus antiquis Plancus legitur. In epiſtolis Familiaribus Ciceronis, epiſtolæ ſunt ad Cn. Plancum, libris quarto & tertiodecimo, in duodecimo ipſius quoque Planci ad Ciceronem. In eodem libro duodecimo cuiuſdam T. Planci, & in libro nono Planci Burſæ meminit. & libro ad Atticum decimoſexto ad L. Plancum ſcribit. Vbique Plancum, non Plancium ſcriptum inuenio, quemadmodum apud Macrobium lib. 2. & apud A. Gellium capite quarto libri primi, & capite duodecimo libri 9. ſcriptum inuenio. licet apud Plinium multa Plancorum memoria eſt, qui idem capite 45. libri 11. à Pedibus Plancorum cognomen factum eſſe dicit. Sex. quoque Pompeius Plancos appellatos eſſe dicit, qui ſupra modum planis pedibus ſunt, propterea quod plancæ ſunt planæ tabellæ. Arbitror igitur Plancum, non Plancium hunc appellatum eſſe. Hæc autem oratio magna ex parte conferenda eſt cum L. Murenæ defenſione. In utraque reus de ambitu defenditur, amicus contra amicum. accuſatoris & rei comparatio dignitatis eſt difficilis: cur alter alteri prepoſitus ſit, oſtendit Cicero. Sed res in urbe geſtas Planco, extra urbem Murenæ profuiſſe dicit.

CVM propter egregiam.] Cn. Plancum Aedilem deſignatum, ambitus reum à M. Iuuentio Laterenſe factum, hac oratione Cicero defendit. In mea ſalute cuſtodienda.] Nam Plancus in Macedonia Quæſtor omnibus prouincialibus ornamentis commodiſq; depoſitis, totam ſuam Quæſturam in Cicerone exule ſuſtentando & conſeruando collocauit, ut teſtis eſt ipſe Cicero in oratione Poſt reditum in Senatu habita. In mea ſalute cuſtodienda.] Significat etiam honeſtam ſe habere cauſam Planci defendendi, quod in procemijs ſæpe facit. Eius honori.] Id eſt, Aedilitati. Capiebã animo uoluptatem.] Capere uoluptatem, lætitiam, dolorem, detri

mentum dici, alio loco docuimus. Meorũ temporum.] Quibus exagitarer P. Clodij Trib pl. furoribus. Suffragari.] Id eſt, auxilio eſſe Ad ædilitatem mandandam. Vt in libro de Offic. 1. Cn. Octauio, qui primus ex illa familia Conſul factus eſt, honori fuiſſe accepimus, quòd praeclaram ædificaſſet in Palatio, & plenam dignitatis domum: quæ cum à uulgo uiſeretur, ſuffragata domino ſuo homini ad conſulatum putabatur. Partim inimicos, partim inuidos.] Auctore Quintiliano lib. 6. commẽdat reum cauſa periculi, ſi ſuſcepiſſe inimicitias ob honeſtum aliquod factum uidetur. Huic accuſationi.] Planci. Eſſe futuros.] Alijs in codicibus Fautores ſcriptum eſt. Eandemq; rem.] Id eſt, fidem eius cuſtodienda mea ſalute. Si huius ſalus ob eam ipſam cauſam eſſet infeſtior.] Infeſtum actiue ſæpius, hoc autem in loco paſſiue dici, pro eo quod eſt, cuius de periculo exitioq; feſtinatur, eſt apud A. Gelliũ capite duodecimo, libri 9. Hunc locum in eadem re Non. Marcellus citat. Infeſtus actiue certe dicitur, ut infeſtum caſum, infeſtum ſcelus, infeſta ſigna Cicero dicit. ut pro P. Sylla: Tulit tacitus infeſtus, ut ampliſſimo in honore, tum communi ambitionis inuidia, tum ſingulari Antronij odio euerteretur. Pro A. Cluentio: Quod hoc portentum dij immortales? quod tantum monſtrum in ullis locis? quod tam infeſtum ſcelus & immane, aut unde natum eſſe dicamus? De Aruſpicum reſponſis: niſi eum inquam exercitum ſignis infeſtis in curiam ſe immiſſurum minitaretur. Vt autem infeſtam ſalutem hic Cicero dicit, ita uitam infeſtam dicit pro Sex. Roſcio: Pater occiſus nefarie, domus obſeſſa ab inimicis, bona adempta, poſſeſſio direpta, filij uita infeſta, ſæpe ferro atque inſidijs appetita. Veſter conſpectus.] Paſſiue conſpectus. Reficit & recreat.] Vt pro Milone: Sed me recreat & reficit Cn. Pompeij ſapientiſſimi & iuſtiſs. uiri conſilium. Sæpiusq;.] Ordo eſt: Sæpius uenit mihi in mentẽ, admirandũ eſſe, &c. quàm metuendum, &c. Reũ hunc potiſſimum ſibi delegiſſe.] Nam uetere inſtituto adoleſcẽtes induſtriam ſuam à populo Romano ex aliqua illuſtri accuſatione cognoſci uolebant: ut eſt in oratione pro M. Cælio, & in libro de Officijs 2. Sed minorem annis 25. adulterij accuſare Iulia lex prohibet, ut ait Vlpianus libro Digeſtorum 48. ad legẽ Iuliam de adulteris. Mihi non ſumo tantum.] Vulgo dicerent, de me tantum non præſumo. Impunitatem.] Id eſt, abſolutionem. Niſi eius integerrimam.] Propoſitio eſt. In ea autem ſolet Cicero promittere, ſe rem planè probaturũ, alioqui negat ſe recuſaturum quo minus reus condemnetur. De pœna.] Id eſt, de damnatione. A` bonis uiris expetenda.] Id eſt, quæ à bonis uiris expeti debent: id eſt, quæ in uiris bonis ineſſe debent. Cuius miſericordia.] Auctore Quintilian. libro 6. Iuſte petere ea quiſque uidetur à iudice, quæ alij ipſe præſtiterit. Quia igitur miſericordiam Ciceroni Plãcus præſtitit, ſe petiturum dicit, ut miſericordiam Planco iudices tribuant. Ad reliquos labores.] Qui in defendendo quàm accuſando maiores ſuſcipiuntur. Sed etiam pro me ipſo.] Solet Cicero, ſi quid in eum ab aduerſario dictum ſit, id prius refutare, quàm ad cauſam accedat: ut pro L. Murena, & pro P. Sylla feciſſe docuimus. Quoniam tamen in hac cauſa ei uiſum eſt Planci innocentiam prius oſtendere, quàm contra ſe dicta refutare: ideo in hac propoſitione ea ſe refutaturum promittit, ne interim auctoritas eius uacillet. De re.] Id eſt, de cauſa. Vt id ab hoc alienum ſit.] Id eſt, ut id Planco ne noceat. Crimino ſum.] A` crimine criminoſum, non criminale deflecti, alibi docuimus. Sed ut alia multa, quæ ſatis Latina non ſunt, alibi, ita criminaliter uſurpauit Vlpianus libro Digeſtorum 147. de Furtis: Meminiſſe, inquit, oportebit, nunc furti plerũq; criminaliter agi. Scæuola quoque libro quarto 49. de appellationibus recipiendis: Ante ſententiam appellari poteſt, ſi quæſtionem in ciuili negotio habendam iudex interlocutus ſit: uel in criminali, ſi contra leges iudex hoc faciat. Modice.] Id eſt, moderate & breuiter. In tanto uſu.] Id eſt, in tanta familiaritate. Amicum Plancum contra amicum Laterenſem defendere, ſibi moleſtum eſſe dicit. Huic penè ſimilis quæſtio eſt pro L. Murena, ubi amicum contra amicum defendit, ubi Murenæ & Sulpitij dignitatis facta comparatio eſt. Neque eſt illam.] Nam idem uelle, idem nolle, eam demum firmam eſſe amicitiam, Salluſtius dixit in bello Catilinario. Contentio.] Id eſt, comparatio. Qua ſe uirtute.] Laterenſis ut probet Plancum largitione factum Aedilem, oſtendit ſe dignitate Planco ſuperiorem: itaque fuiſſe Aedilitate digniorem quam aſſecutus fuiſſet, niſi populum largitione Plancus corrupiſſet. Superarit.] In comitijs. Quia Aedilis factus eſt Plancus, Laterenſis autem præteritus eſt. Si cedo illius ornamentis.] Id eſt, ſi dico Laterenſem Planco dignitate ſuperiorem eſſe. Illius.] Laterenſis. Huius.] Planci. Id quod ille me flagitat.] Si emendata lectio eſt, attendendum eſt uerbum Flagitare cum duobus accuſatiuis in ſoluta oratione contigi. Id quod ille à me flagitat, melius ſcribẽdum mihi uideretur. Flagitare autem magis eſt quàm poſtulare, ut adnotat Valla lib. Elegantiarũ 5. Id Cicero ſignificat in oratione pro P. Quintio: His, inquit, de rebus nõ neceſſe habeo dicere ea quæ me P. Quintius cupit cõmemorare, tametſi cauſa poſtulat, tamẽ quia poſtulat, nõ flagitat, præteribo. Cæcum me & præcipitem ferri.] Id eſt, non boni iudicij eſſe. Ad illam.] Cõtentionem. Quia diligẽtior fuit Plancus quàm tu, ut ſubmiſſe populo ſupplicaret. Itaque Aedilis factus eſt, tu uero præteritus es. Tu ne inanem.] Id dicit Cicero, tanquam ex ſe id quærat Laterenſis. Inanem.] Id eſt, iniquum. Semper eſſet.] Scribendũ eſſe uidetur, Vtinam uero ſemper non eſſet. Mandandis.] Id eſt, ſuffragio committendis. In his magiſtratibus mandãdis.] Vt in Pretura, in Cõſulatu, in Cenſura. His leuioribus comitijs.] Scribit A. Gell. cap. 14. libri 13. maiores magiſtratus eſſe Prætores, Conſules, Cenſores, quòd maioribus fiant auſpicijs: reliquos uero minores, quia auſpicijs minoribus creentur. Maiora autem auſpicia haberi, quia horum magiſtratuum auſpicia magis rata ſint, quam aliorum. Leuioribus.] Id eſt, minoribus. De Aedilium officio licet uidere in lib. de Legibus Ciceronis 3. Diligentia.] In ſalutando, rogando, & ſupplicãdo. Et gratia petitorum.] Id eſt, ſi petitores gratia ualeant apud pop. Romanum. Honos paritur.] Id eſt, magiſtratus quæritur. Quod ſit proprium laudis tuæ.] Id eſt, quod tu tibi ipſe tua induſtria & uirtute paraueris. Quod enim à maioribus tuis accepiſti, id tibi cum maioribus commune eſt. Præterire.] Id eſt, magiſtratus non facere. Patres.] Id eſt, Senatores. Tenere.] Non quidem habere, ſed retinere. Id enim patres habuerunt, ſed perpetuo non tenuerunt, quamuis ætate ſua Liuius teneri dicat, ut paulo poſt dicemus. ut ſecundo bello Punico, cum T. Octacilium & M. Aemilium Regulum iuniorum prærogatiua Conſules diceret, eos Coſſ. facere è Repub. non eſſe. ubi Q. Fabius Max. docuit, prærogatiua iuniorum in ſuffragiũ reuocata, Q. Fabium Max. IIII. & Marcellum III. Conſules dixit: ut eſt apud eundem Liuium lib 24. Eodem auctore lib. 1. cum mortuo Romulo de eius ſucceſſore ageretur, patres gratiã ineunt ſumma auctoritate populo permiſſa, ut non plus darent iuris, quàm detinerent. Decreuerunt enim, ut cum populus Regem iuſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi Patres auctores fierent. Hodieq;, inquit, in legibus magiſtratibusq; rogandis uſurpatur. Id enim ius, ut adempta, priuſquam populus ſuffragium ineat, in incertum comitiorum euentum Patres auctores fiunt. Sed poteſtas Senatui erepta eſt lege Gabinia, & biennio poſt, Caſſia, de ſuffragijs tabella, nõ uoce ferendis, ut eſt in lib. Cic. de Leg. 3. Reprehenſores.] Id eſt, ut uulgo dicunt, reformatores. Vel quod multo.] Aut particula Vel ſuperuacanea eſt, aut aliquid deeſt.

deeſt. Tum enim.] Cum patres comitiorum reprehenſores erant. Qui ceperat.] Id eſt, qui ſuffragio populi factus erat. Capere magiſtratum dici, alia loco docuimus. Si patres auctores non erant facti.] Id eſt, ſi auctoritatem ſuam Senatus non interpoſuerat, ratum habuerat, comprobauerat, & ut uulgo dicunt, ratificauerat. Auctor quid ſignificet, apud Vallā eſt lib. 4. Eius exilio.] Dānati enim de ambitu pœna lege Tullia exilium erat, ut pro L. Murena ſcripſimus. Qua nolui ianua.] Quo nolui introitu. Quia iam cœpi oſtendere, uerū non eſſe populi in mandandis magiſtratibus iudicium, & non nunquam præterire eum qui dignior ſit. Offenſionis tuæ.] Id eſt, ut tu oratione mea offendare. Si mediusfidius decem ſoli eſſent.] Paucorum enim ſapientium uerius meliusq; quàm totius imperitæ multitudinis iudicium eſt. Itaq; Socrates apud Platonem in Critone: uobis, inquit, curandum non eſt admodum, quid de uobis multi loquantur, ſed quid dicat unus, qui intelligit iuſta & iniuſta. Gratia.] Eius cui ſuffragio magiſtratum mandat. Precibus.] Petitoris, eorumq; qui petitori ſtudent. Ambitus.] Id eſt, ſalutatione & precibus rogatus. Eſt autem ambitus participium, habetq; accentum acutum in penultima ſyllaba. Non diſcrimen.] Id eſt, rerum aut perſonarum differentia ut apud Virgilium: Nullo diſcrimine agetur Tros Rutulusue fuat. Præſertim Aedilitijs.] Nam comitijs conſularibus, quibus Conſules & Prætores iiſdem auſpicijs fiunt, maius eſt populi iudicium. Studium eſſe populi.] Studere, pro eo quod eſt petitori fauere, aliquando dicit. Inde fauorem eum qui petitori tribuatur, alibi docuimus. Eblandita.] Id eſt, precibus & blanditijs aucupata. Non enucleata.] Id eſt, non ex animo exprompta atque explicata. Debeat.] Petitori. Conſiderare.] Ordo eſt: Illud debes putare, eos qui ſuffragium ferant, ſæpius conſiderare quid ipſi debeat, quàm quod cuique uideatur deberi à Rep. Quod cuique à Repub. uideatur deberi.] Id eſt, quod quiſque in Remp. contulerit beneficium. Itaque dignus ſit magiſtratu pro meritis. Male tu dicauit pop.] Altercationis imitatio eſt. Liberorum populorū.] Liberi populi qui ſint, docuimus pro L. Cornelio Balbo. Modice.] Id eſt, æquo & moderato animo. ut in lib. de Claris oratoribus Si id dolemus, quod eo iam frui nobis non licet, noſtrū eſt id malum, quod modice feramus, ne id ad amicitiam, ſed ad domeſticam utilitatem referre uideamur. Alienas.] A nobis, quæ competitoribus noſtris ſtudeant, aut eorum qui amici noſtri & neceſſarij non ſunt. Turbatas.] Id eſt, iratas nobis. Magni non putetis.] Vt in lib. Epiſtolarum familiarium prima: Neque denique in ijs ipſis rebus, quæ quanquam erant mihi propter rei familiaris naufragia neceſſaria, tamē à me minimi putabantur, in meis damnis ex auctoritate Senatus reſarciendis. Vt illius contra te oratione.] Proſopopœia eſt pop. Romani Laterenſem alloquentis. Quæ tamen ipſa interciſa eſt, non perpetua, quales eſſe ſolent. Beneficium.] Id eſt, ſuffragiū. Contenderat.] Id eſt, poſtulauerat. Ille.] Populus. Placuiſſe.] Rogari. M. Seium.] Exempla hæc apud alium auctorem non inueni, niſi de Q. Catulo in oratione pro L. Murena. In eandem enim rem exempla ſcribens: Quis, inquit, Q. Catulum humanitate, ſapientia, integritate antecellentem à Cn. Manilio ſuperari poſſe arbitratus eſt? A calamitate iudicij.] Id eſt, à condemnatione. Pratuliſſe.] Se dicet. Inquit.] Populus. Cyrenis.] Cyrene oppidum Libyæ eſt clariſſimum, de quo Plinius cap. 5. quinti libri, multa ſcribit. Socios.] Cyrenenſes. Aberat.] Legendum arbitror, A oberas. Sitientem me uirtutis tuæ.] Tuam enim uirtutem tum deſiderabam, cum P. Clodij Tribuni plebis furoribus Reſpublica uexabatur. Nam ſi eius collega fuiſſes, furioſis eius conatibus eloquentia tua & uirtute obſtitiſſes. Iſtam.] Id eſt, tuam. Eloquentiam.] Eloquentiam aduerſario ſuo tribuit Cicero, ut ſolet. Laterenſem autem fuiſſe eloquentem oportet, qui ipſe Plancum accuſauerit. Quam petitionem cū reliquiſſes.] Id eſt cum petere ceſſaſſes. De uirtute tua dubitaui.] Id eſt, te fortem non eſſe putaui. Eum magiſtratum.] Id eſt, Tribunatum pl. aut præturam, aut conſulatum. Aediles quicunque erunt idem mihi quod oſtenderas. Locus hic emendatus non eſt, ideo aſteriſco notatus eſt. Quid autem ſi legas: Aediles quicunque erunt, idem mihi facient quod oſtenderas. ut ea ſententia ſit: Alij quoque Aediles mihi tantum utilitati erunt, quantū te foro oſtendebas, ſi Aedilis factus eſſes. Itaque relicta Aedilitate pete eum magiſtratū, in quo mihi magnæ utilitati eſſe poſſis Si quod mea minus intereſt.] Id eſt, ſi quod mihi minus utile eſt. Ampliſſimas honores.] Præturam & Conſulatum. Paulo ante diligentius ſupplicare.] Ordo eſt: Supplicare ante paulo diligentius, quàm in ædilitatis petitione feciſti. Iudicem quærere.] Id eſt, competitorē tuum in iudicium uocare. modo ne.] Vſitatius eſt quàm modo non ut in libro de Offi. 5 Modo ne laudarent iracundiam. Et in lib. de Amicitia: Modo ne ſumma turpitudo ſequatur. Direptio.] Id eſt, ut arbitror, contentio & uarietas comitiorum, quæ uulgo briga dicitur. Supplicatio magiſtratuum.] Id eſt, ut magiſtratus ij qui comitijs præſunt commēdent populo eū cui faueant, aut qui dignus uideatur. Renunciatio ſuffragiorum.] Mos erat, ut Conſul qui comitia conſularia haberet, latis ſuffragijs populo renunciaret, qui maiore ſuffragiorū numero Conſules declarati eſſent. Id poſſis cognoſcere ex libro Valerij Maximi tertio de conſtantia ubi ſcribit, C. Piſonem Cos. noluiſſe renunciare Palicanum hominem ſeditioſiſſimum. Vt qui ſint profeſſi, &c.] Mos itidem erat, ut qui magiſtratum peterent, omnes ante profiterentur, quàm in ſuffragia populus mitteretur. Eſt autem profiteri hoc in loco, magiſtratum in comitijs petere, & nomen ſuum inſcribi iubere. Simul ut qui ſint profeſſi.] Imperfecta oratio eſt, quali ſæpe utitur Cicero, ne præparata oratio uideatur. Ille Prætoria.] Prætoria familia eſt, ex qua aliqui Prætores fuerunt, nullus tamen Cos. qualis L. Murenæ familia fuit, antequam is Cos. fuiſſet. Cuius proauus & auus Prætores fuerunt, & pater ex Prætura triumphauit, ut in eius defenſione auctor eſt Cic. Sine macula.] Id eſt, ſine nota, ſine infamia. Cedat conſulari generi Prætorium.] Nam ut ex Tuditani ſententia A. Gell. cap. 14. libri 13. ſcribit: Imperium minus Prætor, maius habet Conſul. Equeſter locus.] Qui genere Prætoria inferior dignitate eſt. Factos.] Magiſtratus. Vnde comitiorum.] In oratione pro L. Murena ad eandem ſcripſit ſententiam: Quod, inquit, fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam uarias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Dies intermiſſus aut nox interpoſita ſæpe perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris. Sæpe etiam ſine ulla aperta cauſa fit aliud atque exiſtimamus, ut nunquam ita factum eſſe etiam populus admiretur, quaſi uero non ipſe fecerit. Item paulo poſt: Vt tempeſtates ſæpe certo aliquo cœli ſigno cōmouentur, ſæpe improuiſo, nulla ex certa ratione, obſcura aliqua ex cauſa concitantur: ſic in hac comitiorum tempeſtate populari ſæpe intelligas, quo ſigno commota ſit, ſæpe ita obſcura eſt, ut caſu excitata eſſe uideatur. Vt mare profundum.] Fluctus maris profundi maiores eſſe, quàm minus profundi, ſcribit Ariſt. lib. Probl. 23. Si populo grata eſt tabella.] Suffragia primum uoce ferebātur, deinde Gabinia lege & Caſſia, quæ biennio poſt Gabiniam lata eſt, tabella ferri cœperunt tam in magiſtratum mandando, quàm de reo iudicando. Quæ leges tabellariæ auctoritatem Senatus abſtulerunt, ut eſt in lib. Ciceronis de Legib. 3. Has leges idem in Lælio quoque non probat. Videtis, inquit, in tabella iam ante quanta ſit facta labes. primo Gabinia lege, bien-

nio autem poſt Caſſia. Videre iam uideor populum Rom. à Senatu diſiunctum, multitudiniſq; arbitrio res maximas agi. De populo à Senatu diſiuncto, deq; ſublata Senatus auctoritate in mandandis magiſtratibus ante diximus. Ea autem tabella erat, in qua ſuffragiorum puncta fiebant. Quæ frontes aperit hominum, mentes tegit.] Id, ut arbitror, hunc habet intellectū, ut ad ferendum ſuffragium accedere coguoſcantur: cui autem ſuffragati ſint, ignotum ſit. Et Cicero lib. de Legibus 3. leges tabellarias reprehendens dicit, latebram populo his legibus dandā non fuiſſe, in qua bonis ignorātibus quid quiſque ſcribit, tabella uitioſum occultaret ſuffragium. Eam ob rem Oppianicus exiſtimans iudices X V I. à Staleno ſuo nomine corruptos eſſe, ut uideret à quibus abſolueretur, palàm, nō clàm, id eſt uoce, nō tabella iudiciū fieri uoluit, ut eſt in oratione pro A. Cluētio. Quod uelint faciant.] Siue ita promiſerint, ſiue contra. Exprimis.] Id eſt, extorques, & Plancum cogis confiteri. In campo.] Martio, id eſt, in ferendis ſuffragijs. Perquam graue eſt dictu.] Nam omnis cōparatio, ut dici ſolet, odioſa eſt. Si igitur eſt graue dictu, æquum non eſt. Quod igitur.] Id eſt, de quo quæſtio eſt, quod ſe dicat Laterenſis Planco eſſe digniorem. Grauiſſimum.] Id eſt, permoleſtum. Illa extrema defenſione.] Nam ſi aliud non haberem, quo Plancum defenderem illa eſſet extrema et potiſſima defenſio, ut dicerem populum quod uoluiſſet feciſſe, non quod debuiſſet. Populi factū defendo.] Id eſt, populum rectè feciſſe oſtendo. Non obrepſiſſe ad honorē.] Id eſt, clandeſtina uia & largitione ad Aedilitatem ueniſſe. Hoc noſtro equeſtri loco.] Id eſt, qui ſunt ex equeſtri ordine, ex quo ego & Plancus ſumus. Orationi tuæ.] Id eſt, ab oratione tua. Eſt autem locutio per datiuum elegantior. Omnes tecum, &c.] Id eſt, omnes tui competitores ex equeſtri ordine fuerunt. Oſtendit autem non fuiſſe, cur Planco Laterenſis iraſceretur. Iactor in turba.] Id eſt, huc & illuc pellor in turba populi. In ſumma ſacra uia.] Id eſt, in ſumma & ultima parte uiæ ſacræ. ut pro L. Murena: Qua in ciuitate cogati infimorum hominum filios, propè de nocte, ex ultimo ſæpe urbe deductum uenire ſoleamus: id eſt, ex ultima parte urbis. ut extremum librum et extremam epiſtolā, pro ultima parte libri aut epiſtolæ dici, in Catonem Maiorem Ciceronis ſcripſimus. Eſt autem ſacra uia Romæ uocata, quod in ea fœdus ictum ſit inter Romulum & Sabinos. In ea uia horum aliquod fuiſſe Ouidius ſignificat lib de Arte 2. Rure ſuburbano poteris tibi dicere miſſa illa, uel in ſacra ſint licet empta uia. Ad Fabium fornicem.] Legendum arbitror, Ad Fabij fornicem, uel ad Fabianum fornicem ut Actione in Verrem ſecunda: Vidi ad ipſum fornicem Fabianum in turba Verrem. Eſt autem fornix Fabianus, ut ait Aſconius Pedianus, arcus iuxta Regiam in ſacra uia, à Q. Fabio Allobrogico Cenſore cōſtructus, ibiq; ſcuta eius poſita ſunt. Impellor.] Id eſt, iactor. Qui me ipſum incurrit.] Id eſt, qui me impellit & trudit. Q. Pedio.] Q. Pedium & A. Plotium equeſtri loco natos, Laterenſis competitores fuiſſe ſignificat. Qui hos dimouit.] Videtur ſignificare Pedium et Plotium præteritos. Incubuerunt.] Id eſt, incurrerunt & inciderunt. id eſt, qui te Aedilitate deijcere uoluerunt, ut ipſi Aediles fierent. Eſt prima cum Planco, &c.] Laterenſis cum ſe dixit dignitate Planco ſuperiorem eſſe, id primū dixit, quod genere familiaq; dignior eſſet. Et alias.] Id eſt, in petitione Aedilitatis & Præturæ. Et in Conſulatus, &c.] Mihi ipſi accidit, inquit Cicero pro L. Murena, ut cum duobus Patricijs, altero improbiſſimo atque audaciſſimo, altero modeſtiſſimo atque optimo uiro peterem: ſuperaui tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Aſconius Pedianus Ciceroni dicit in petitione Conſulatus ſex fuiſſe competitores. duos Patricios, P. Sulpitium Galbam, L. Sergium Catilinam: quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles, C. Antonium, M. Antonij oratoris filium, L. Caſſium Longinum, duos qui tamen non primi ex familijs ſuis magiſtratum adepti erant, Q. Cornificium & C. Licinium Sacerdotem. Solus Cicero ex competitoribus equeſtri loco erat natus. Vtraque familia, &c.] Paterna & materna. Ad caput & ad fontem.] Id eſt, ad originem. ex municipio antiquiſſimo Tuſculano.] Tuſculum oppidum in Latio fuit conditum à Telegono Vlyſſis & Circes filio, de quo Silius Italicus lib. 7. At Cato tū prima ſparſus lanugine malas, Quod peperere decus Circæo Tuſcula dorſo Mœnia, Laertæ quondam regnata nepoti. In quibus eſt etiam iuuentia.] Ex qua erat Laterenſis, quem Velleius Paterculus appellat M. Iuuentium Laterenſem. Quod ex reliquis.] Quod refertur ad id, Plurimæ familiæ: ut ea ſententia ſit, Plurimæ familiæ, quot, id eſt, quàm multæ. Nec hic locus aſteriſco notari debuit. Hic eſt e Præfectura.] Vrbium Italiæ quæ ius ſuffragij Romæ haberent, aliæ erant municipia, aliæ coloniæ, aliæ præfecturæ. Id ſignificat Cicero pro P. Seſtio: Erat, inquit, in luctu Senatus, ſquallebat ciuitas publico conſilio mutata ueſte. Nullum erat municipium Italiæ, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Romæ ſocietas uectigalium, nullum collegium aut cōſilium, aut omnino aliquod commune conſilium, quod tum non honorificentiſſime decreuiſſet de mea ſalute. Idem pro Varrone dixit in præfectura Fulginate, ut ait Priſcianus lib. 7. Volteranus tamen lib. 6. ex Iulij Frontini coloniarum libro, tradit Atinam deductam coloniam à Claudio Nerone. Fuit autem Claudius Nero Coſ ſecundo bello Punico. Atina potens à Virgilio dicitur, lib. Aeneid. 7 Eam eſſe ciuitatem Seruius dicit iuxta Pontinas paludes, dictam à morbis, qui Græce ἄται dicuntur, quos paludis uicinitas creat. Eam eſſe uicinam Arpino, Cicero hoc in loco ſignificat. Non tam priſca.] Quàm Tuſculum. Non tam honorata.] Id eſt, ex qua non fuerunt tam multi uiri honorati. id eſt, magiſtratus. Non tam ſuburbana.] Id eſt, urbi propinqua. Intereſſe.] Inter te & Plancum, aut inter Tuſculum & Atinam. Alteri.] Id eſt, Atinates. Propter uicinitatem.] Quia Arpinum Atinæ uicinum eſt. Huius ornatiſſimi uiri.] Cn. Saturninum in Planci iudicibus eſſe, eiuſq; patrem Cn. Saturninum appellatum eſſe ſignificat. In eam familiam.] Plancorum. Sellam curulem attuliſſet.] Vel cum fuit Aedilis. Aediles enim curules duo erant. uel cum fuit prætor. Alteros.] Tuſculanos. Maleuolos.] Id eſt, inuidos. Maleuolentiam enim definiunt Stoici, ut ſit uoluptas ex malo alterius ſine emolumento ſuo. Auctor eſt Cicero lib. Tuſculanarum quæſt. 4. Hoſpitum ſuorum.] Aut municipes appellat hoſpites, qua in re dici non legi: aut Municipum, non hoſpitum, legi debet. Agri propè dicam, ipſi, &c.] Hyperbole eſt. Significat enim Arpinates omnes ſibi & fratri ita ſtudioſe fauiſſe ut etiam res inanimæ fauere uiſæ ſint. Eſt etiam metaphora. Rebus enim inanimis dat ſenſum. In omni uirtute principē.] Genus dicendi attendendum. De te Coruncano.] De hoc plura ſcripſimus in Catonem Maiorem Ciceronis. Municipe ſuo.] Vt conciuis non dicitur, ita nec cōmuniceps. ſed municeps meus, tuus, ſuus noſter, & ueſter. In quemcunque Arpinatem incideris.] Id eſt, quemcunque Arpinatem forte alloquaris. In ſquallore & luctu.] Reo amici & propinqui fauebant: erant in ſquallore & luctu, ut affectus iudicibus mouerent. Tribuni ærarij.] Eos fuiſſe Budæus arbitratur, qui ea munera obirent, quæ, nunc generales receptores obeūt, attributā pecuniam. Quæſtoribus prouincialibus annumerantes ex ærario promptam. Secundum Varronem, ut idem ait, ij erant qui militibus ipſis prouinus adnumerabant, qui nunc ſunt theſaurarij bellici. Hæc igitur diuerſis temporibus uarie conſtituta ſunt. Dimiſimus.] Vulgo dicerent, remiſimus. Tribum Terentinam.] Tribuū primum fuerunt tres, Tatienſis, Ramnes, Luceres. Poſt de nominibus Sabinarum plures factæ. quibus precantibus, bellum parentum

rentum maritorumq́; finitum eſt. ad poſtremum triginta quinque factæ. Obtinuerunt autem nomen aut à tributo dando, aut quia primo tres tantum fuerunt. unde etiam Tribuni dicti. auctor eſt Aſconius Pedianus in Commentarijs in Verris accuſationem. Idem alio loco ſcribit, tribus urbanas ruſticaſq́; eſſe 35. Hæ tribus etiam Curiæ appellantur, auctore T. Liuio lib. I. Cum Romulus pop Romanum in curias triginta diuideret, his curijs Sabinarum nomina impoſuit. Nec id uerũ eſt, quod imperitæ multitudini perſuaſum eſt, Tribum cognationis atque propinquitatis collectionem quandam ſignificare. Atque, ut quid ſit tribus intelligas facilius, exempli gratia rem non ignotam accipiam. Schola hæc Pariſienſis in nationes quatuor diuiſa eſt, Gallicã, Picardicam, Normanicam, & Germanicam, quæ tertio quoque mẽſe ſuffragio Rectorem faciunt. Eadem ratione pop. Romanus in 35. tribus diuiſus erat, quarum ſuffragio magiſtratus fiebant. Nec quiſquam ciuis Romanus erat, quin ex aliqua tribu eſſet. Nec ciues Romani tantum ſiunt, qui Romæ nati ſunt, ſed qui ſunt ex municipijs, ex colonis ex præfecturis. Hi enim omnes ius ſuffragij habent, quod ſoli ciues habent. Terentina tribus Cn. Planco ſuffragata eſt. Oculorum conlectum.] Id eſt, de ſe ad mirationem, ut in eos ciuium oculi conijcerentur. Solidam.] Id eſt, integram. Robuſtam.] Id eſt, firmam. Frequentiam.] Quia frequentes fuerunt, ut Planco ſtuderent. Sumus.] Nos Arpinates. Non infuſcata maleuolentia.] Id eſt, non liuida inuidia. Eſt autem fuſcus color, ſubniger & liuidus. Fucata.] Id eſt, fraudolenta. Donatus exponens illud Terentij in Eunuch. Per alienas tegulas ueniſſe, clanculum per impluuium fucum factum mulieri: Fucum factum, inquit, id eſt, ut fucum faceret, hoc eſt, inſidias & fraudem. Fucum, aſtutam fraudem. Hæc ille. Non erudita artificio ſimulationis.] Eruditus artificio ſimulationis dicitur is, qui callide & nouit diſſimulare, qui geminis ſellis ſcit (ut in prouerbio eſt) ſedere, & ut uulgo dicunt, qui ſcit natare inter duas aquas. Cuiuſmodi ſunt, qui ad competitores ſe accommodant, ijsq́; ſuffragiũ promittunt, cum uni tantum, aut nulli ſuffragaturi ſint. Eruditum in malam rem dici, hoc in loco adnotandum eſt. Nam ſæpius in bonam rem dicitur. Vel etiam urbano.] Id eſt, aſtuto. Vrbs enim, ut ait Aſconius, aſty dicitur. Teren. An in aſtu uenit. Vrbani autem quàm ruſtici ſunt callidiores. Nemo Soranus.] Significat illa municipia Atinæ uicina eſſe, Arpinum, Soram, Caſſium, Aquinum, Venuſium, Alliſam. Ea ut ſibi uicina, Plin. cap. 5. lib. 3. enumerat. Tractus.] Tractum dicit pro amplo ſpatio terræ quam regionem appellamus. Vulgo contreá, quaſi contractum appellant. In eadem re Virgilius dicit in lib. Georg. 2. Indicio eſt tractu ſurgens oleaſter eodem Plurimus. Celeberrimus.] Id eſt, frequentiſſimus, & ut uulgo loquuntur maxime populoſus. Et montoſa.] Montoſum à monte, non ut uulgus dicit montuoſum, dici attendas. Montanum locum qui planus non ſit, Quintil. lib. 5. appellat. Inde quid inter mõtoſum locum & montanum interſit, facile intelligas. Huius honore.] Planci ædilitate. Publice. Id eſt, qui publice miſſi ſunt. Tum.] Id eſt, in comitijs ædilitijs. Alia in te erant illuſtriora.] Vt nobilitas, ut Conſularis familiæ utriuſque dignitas. Hoc non ſolum municipij.] Id eſt, Atinæ, cuius plures multo quàm Tuſculi municipes ſunt ijq́; omnes Planco ſtudioſe fauerunt, cum Tuſculani pauci Laterenſi ſtuduerint. Municipium autem Atinam uocat, quam ante appellaui præfecturam. Niſi municipium ad Tuſculum uelis referre. Lauicana.] Labicana, non Lauicana legi debet: à Labico uetuſto ſane oppido, cæterum diſiecto, ut ait Strabo lib. 5. Id oppidum à Minoe ædificatum fuiſſe, Seruius ſignificat in lib. Aeneid. 7. Labicos in eodem 7. Virgilius appellat: Et picti ſcuta Labici. Significat autem Cicero Labicanos, Gabinos, Bouillanos, Sabinos, Tuſculanis uicinos eſſe. Latinis.] Id eſt, in Latinis ferijs. de

his pro Milone ſcripſimus amplius. Vix inueniuntur.] Significat ea municipia, cum tractum non eſſe celebrem. Publicanum.] Publicani ex ordine equeſtri erant, ijq́; populi Romani uectigalia conducebant, quæſtus ſui cauſa. Id autem eſt artificioſum, ut quod accuſator ſibi prodeſſe putauit, id patronus ad cauſæ ſuæ utilitatem conuertat. Laterenſis obiecerat, Plãci patrem eſſe publicanum, ut ei faceret inuidiam, tanquam ordo ille eſſet odioſus. Nam, ut ait Cicero in libro de Officijs. Improbantur ij quæſtus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, & fœneratorum. Portitores autem aut publicanos, aut à Publicanis conſtitutos eſſe, ignotum non eſt. Vel id obiecit, quo faciat magis ueriſimilem Planci largitionem, cuius pater egregie numatus ſit, ut Publicanus. In honore.] Id eſt, in magiſtratu adipiſcendo. Firmamentũ Reip.] Cic. pro lege Manilia: Si uectigalia neruos eſſe Reip. ſemper duximus: eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum recte eſſe dicemus. Idem paulo ante Publicanos appellat homines honeſtiſſimos atque ornatiſſimos. Qui eſt princeps tandiu publicanorum.] Publicanorum principes Aſconius dicit appellari mancipes. Ab ſocijs.] Id eſt, à reliquis publicanis. Rogabat.] Socios, aut ciues Romanos. Huius ipſius.] Planci. Summa officio.] Id eſt, beneficia maxima. Quæſtura Tribunatuq́;.] Hunc fuiſſe Quæſtorem, & Tribunum pl. poſtea Cicero dicet. Illi.] Publicani. Conſulere liberis ſuis.] Vt ipſi fieri poſſent magiſtratus. Aliquid præterea.] Oſtendit Cicero ſe Planco ſtuduiſſe, multosq́; ei ſua cauſa ſuffragatos. Timide dico.] Vt arrogantiam fugiat, ne nimia eius gratia uideatur. Sed tamen dicendum eſt.] Quia pertinet ad cauſæ utilitatem. Non enim opibus.] Conijcere licet hoc loco Laterenſem dixiſſe, opes Ciceronis, nimiam gratiam & potentiam iuuiſſe Plancum: itaque Ciceronem dixiſſe. ſed tamen dicẽdum eſt, ut ea ſe inuidia liberaret, quam ei aduerſarius fecerat. Beneficij.] Quod in me Plancus in Macedonia contulerat. Miſericordia.] Cum mei miſertus eſt. Precibus.] Quia populum rogaui. Pollicentes.] Suffragia Planco. Nec ſi uir etiam.] Sententia eſt: Non ſequitur, Aliquis uir ampliſſimus de aliquo, ut dicis non impetrauit: Ergo ego ſum arrogans, qui me ab omnibus quos rogaui, impetraſſe dico. Vir ampliſſimus.] Hic, ut arbitror, non de certo aliquo, ſed cõmuniter de omni uiro intelligit, qui ſit ampliſſimus. De aliquo.] Ciue, quem rogauit non impetrauit. aut De aliquo, id eſt, de aliqua re. Rogatio ipſa ſemper eſt gratioſiſſima.] Nam qui aliquid conferre poſſunt, uolunt rogari, ut hac ætate aulici & iudices. Populo etiam Romano grata erat rogatio. Gratioſiſſima.] Magis eſt quàm ſi dixiſſet gratiſſima. Quæ eſt officio neceſſitudinis coniuncta maxime.] Id eſt, quæ rogatio multo magis gratioſa eſt, cum adhibetur cauſa alicuius neceſſarij, id eſt, propinqui, uel affinis, uel amici. Cõiuncta.] Id eſt aucta, & ut dicunt duplicata. Vt petere uiderer.] Suffragium Planco. Quia uicinus.] Nam Atinæ Arpinũ, ut dictum eſt ante, uicinum eſt. Huius parente ſemper plurimum eſſe uſus.] Id eſt, Planci pater mihi ſemper familiaris plurimum fuiſſet. Cauſa rogationis.] Quia petebam ſuffragia populi Planco, quaſi parenti & cuſtodi meo. Parenti.] In oratione Poſt reditum in Senatu, de Planco ſcribens: Qui ſi mihi Quæſtor Imperatori fuiſſet, in filij loco fuiſſet. Nunc certe erit parentis, cũ fuerit Quæſtor non imperij, ſed doloris mei. Mea reſtitutione.] Ex præceptione Vallæ dicendum eſſe mei reſtitutione: & ante, cuſtodi mei. Id admoneo, ut noris illam Vallæ præceptionem perpetuam non eſſe. Etenim ſi ante reditum meum.] Argumentũ eſt à minore ad maius. Vulgo.] Id eſt, uniuerſi in ea re dici, eſt in oratione pro L. Murena. Cum hic Tribunatum peteret.] Cn. Plancus ex Macedonia ante Ciceronem rediijt, hiq́; Tribunatum plebis petiuit,

quem adeptus eſt. Nomen meum. ] Abſentis ſcilicet. Honori. ] Id eſt, ad Tribunatum adipiſcendum. Præſentes preces. ] Id eſt, à me præſente adhibitas. Minturnenſes coloni. ] A' maiore ad minus arguit. Minturnæ populi Roma.coloniæ eodem Senatuſconſulto deducta quo Caſſinum. Ea autem ad oſtium fluuij Liris deducta eſt, ut eſt apud T. Liuium libri 9. & 10. Coloni. ] Coloniarum incolæ, qui ciues Romani ſunt, coloni, ut municipiorum, municipes appellati ſunt. Quid autem coloniæ & municipia differant, eſt apud Aul. Gellium cap. 13. libri. 16. Quod C. Marium. ] L. Sylla Conſul aduerſus factionem P. Sulpitij, & C. Marij Romæ pugnauit, eamq; expulit. Ex quo. 12. à Senatu hoſtes iudicati ſunt: in quibus fuit C. Marius. Is cum in paludibus Minturnenſium lateret, extractus eſt ab oppidanis. Tum ſeruus quidam Cimber ad eum occidendum miſſus, tanti uiri dignitate perterritus, re infecta receſſit. Is igitur naui publice impoſitus, in Africam delatus eſt. Auctor eſt T. Liuius lib. 77. Rem fuſius ſcripſerunt Appianus libro bellorum Ciuilium. 1. & Plutarchus in eius uita. Errore. ] Id eſt, periculo. Errare enim perire ſignificat, ἀπὸ τοῦ ἔῤῥειν id eſt, à pereundo, ut ſcribit A. Gellius capite. 12. lib. 16. ex Colatij Verrij ſententia. In ciuili periculo uerſabatur Marius, quem equites Syllæ inquirebant, ut eum necarent. Et impijs manibus. ] Equitum Syllæ, qui C. Marium parentem Italiæ, qui Cimbros repreſſerat, necare cupiebant. Fluctibus. ] Nam in paludibus delituerat. Nauigium. ] Id pro naui dicit. Terram eam. ] Id eſt, Italiam. Ideo C. Marium conſeruatorem patriæ Cicero appellat pro P. Seſtio. Vi pulſum. ] A' P. Clodio. Vel ratione cedentem. ] Quamuis permulti hortarentur Ciceronem ut armis ſe defenderet contra P. Clodiũ, eiq; operam ſuam pollicerentur, id ſine magna cæde ciuium fieri non poſſe uidit. Qui igitur ciuium ſalutem in opprimẽda coniuratione tutatus fuerat, noluit cauſa eſſe, ut ciues necarentur. Maluit igitur furori & tempori cedere. Vt haberent quod reducerent. ] Id eſt, me. Vitia me hercule. ] Fidem, miſericordiam, & uirtutem Planci tãtas fuiſſe dicit, ut etiam uitia, ſi ulla in eo fuerunt, tegere potuerint. Sed eum ab ineunte ætate uiris grauiſſimis probatum fuiſſe oſtendit, ut mirum non ſit, plures ei ſuffragatos. Huic. ] Planco. Honori. ] Id eſt, ad ædilitatem adipiſcendam. Hic eſt enim, &c. ] Illum morem fuiſſe apud Romanos ueteres, alio loco diximus, ut clarorũ uirorum, eorumq; amicorum filios adoleſcentes, Imperatores in prouinciam proficiſcentes ſecum deducerent, ſuoq; tabernaculo acciperent, ut diſciplinæ militaris peritiam ab ineunte ætate diſcerent. Nobilium filios hac quoque ætate in bellum deduci ſolitos, nemo neſcit. A. Torquato. ] Is eſt, ad quem Ciceronis aliquot epiſtolæ ſunt libro 6. quem uirum optimum, ſibiq; amãtiſſimum, cuius inſigne in ſe ſtudium in diſceſſu idem dicit in libro de Finibus ſecundo. Profectus. ] Cum imperio. Frater patruelis: ] Sobrinos ex duabus ſororibus, conſobrinos ex fratre & ſorore, ex fratribus patrueles appellari, Donatus in Hecyram Terentij ſcripſit. Paulus Iuriſc. libro Digeſtorum. 32. de gradibus affinitatis: eos qui ex fratribus & ſororibus naſcantur, à nonnullis ita diſtingui dicit, ut eos qui ex fratribus nati ſunt, fratres patrueles, item eas quæ ex fratribus natæ ſunt, ſorores patrueles: ex fratre autem & ſorore amitinos, & amitinas: eos autẽ & eas, qui quæ'ue ex ſororibus nati natæ'ue ſunt, conſobrinos & conſobrinas appellarent, quaſi conſororinos. Et ſocer. ] A. Torquati patruelis filiam Titus uxorem duxit. Connubia inter propinquos ueteri iure Romanorũ fieri, & quibus in gradibus non liceret, pro A. Cluentio ſcripſimus. Propinquitatis. ] Quia frater patruelis eſt. Affinitatis. ] Nam eius gener eſt. Leues eſſe. ] Si cum amore conferantur. Q. Metelli. ] Qui à Creta deuicta Creticus cognominatus eſt. Significat eum Metellum fuiſſe in planci iudicibus. Legatus. ] Q. Metello. C. Sacerdos. ] Is eſt C. Licinius Sacerdos, cui Prætori Verres in Sicilia ſucceſſit. L. Flaccus. ] In ea prouincia legatus fuit eidem Metello. Is eſt L. Valerius Flaccus, quem repetundarum Cicero defendit. Macedonis. ] Id eſt, Macedones. Eſt autem intellectio. Miſſi ſunt. ] Legati. Huic aſſident. ] Qui reo fauebant, in eius ſubſellio et aſſidebant, cũ eius cauſa ageretur. Si preſto fuerint. ] Id eſt, ſi auxilio fuerint, ſi adiuuerint. pro L. Murena: Tu interea Romæ ſcilicet amicis præſto fuiſti. L. uero Apuleius. ] Cum Apuleio Prætore Cn. Plancus Quæſtor in Macedoniam profectus eſt. Vt morem illum maiorum. ] De hoc maiorum more Cice. in Diuinatione: A' maioribus noſtris, inquit, accepimus, Prætorem Quæſtori ſuo parentis loco eſſe oportere. Nullam neque iuſtiorem, neque grauiorem cauſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quã coniunctionem ſortis, quàm prouinciæ, quàm officij, quàm publicam muneris ſocietatem. Eadem neceſſitudo erat Quæſtoris cum Conſule. ut Actione tertia in Verrem, qui Quæſtor relicto Conſule Cn. Carbone cum pecunia fugerat: Tu, inquit, cum Quæſtor ad exercitum miſſus ſis cuſtos non ſolum pecuniæ, ſed etiam Conſulis, particeps omnium rerum conſiliorumq; fueris, habitus ſis in liberum loco, ſicut mos maiorũ ferebat, repente relinquas? deſeras? ad aduerſarios tranſeas? Officijs beneuolentiaq; ſuperaris. ] Oſtendit Cn. Planci probitatem ſummam, propter quam à ſuo Prætore unice dilectus ſit. Non fortaſſe tam uehemens. ] Trib. pl. quoniam magna ex parte populares & ſeditioſi erant, nec Senatui parebant, laudabantur ij qui Senatui parerent, qui ſeditioſi non eſſent, qui eſſent uehementes, id eſt, qui fortiter obſiſterent furioſis conatibus collegarum: qualẽ fuiſſe M. Catonem, pro L. Murena ſcripſimus. Nunquam deſideratus uehemens eſſet Tribunus. ] Nunquam enim uehemens Tribunus deſiderabatur, niſi cum alij erant ſeditioſi & Reipu. pernicioſi. Talis nunquam fuit Plancus. Igitur Tribuni omnes fuiſſent tales, uehemens Tribunus nunquam fuiſſet deſideratus. Quæ ſi minus in ſcena ſunt. ] Officia neceſſitudinis in comœdijs uel tragœdijs expreſſa, magnum Populi plauſum excitãt cum illæ fabulæ aguntur. Vt apud Ciceronem in libro de Amicitia: Si quãdo, inquit, aliquod, officium extitit, amici in periculis, aut adeũdis aut communicandis, quis eſt qui id non maximis efferat laudibus? Qui clamores tota cauea nuper in hoſpitis & amici mei M Pacuuij fuerunt noua fabula, cum ignorante Rege uter eorum Oreſtes eſſet, Pylades ſe eſſe Oreſtem diceret, ut pro illo necaretur. Oreſtes autem, ita ut erat, Oreſtem ſe eſſe perſeueraret? Stantes autem in re ficta complaudebant, quid arbitramur in re uerà fuiſſe facturos. Neque enim multo ſecus parens liberis. ] Eſt ſcilicet, quàm deus ſit hominibus. Parens enim liberis eſt tanquam terreſtris aliquis deus. Vt æqualem. ] Id eſt, coætaneum. Inter æquales amor firmior eſt, quippe cum inter eos maior ſit conſiliorum ſtudiorumq; ſimilitudo, quæ multum in amicitijs ualet. Amicorum atque ſodalium adoleſcentes maxime ſtudioſos eſſe, Ariſtoteles libro Rhet. ſecundo ſcribit. huius. ] Planci. Luctus ſocietatem. ] Cum reo amicis & propinquis ueſtem mutare mos fuit Romæ, ut ea ratione iudicibus miſericordia moueretur facilius, ut antea diximus. Solida. ] Id eſt, uera & firma. Expreſſa. ] Id eſt, tanquam ad uiuum exculpta. Non fucata forenſi ſpecie. ] Solent enim nonnulli ſimulare dolorem, quem de reo facto conceperint: itaq; cum reo ueſtem mutare. Id autem ſimulant, uel quia rogati ſunt, uel quia conducti. Domeſticis inuſta notis ueritatis. ] Id eſt, ueritatem domeſtico affectu indicantia. Inurere in malam partem dici, ut inurere notam, ignominiam, turpitudinem, aliaq; loco alio docuimus. Hoc in loco dici in bonam rem, attendendum eſt. Tranſlatio fortaſſe inde facta eſt, quod ueteres ceris pingebant, ac picturam inurebant, ut eſt apud Plin. cap. 11 lib. 55. Vt in ſignorum atque imaginum

tranſlatione

tranſlatione perſiſtat. Facilis eſt illa occurſatio & blanditia popularis. ] Id eſt, obuios ciues ſalutare, ijsq; populariter blandiri, facile eſt. Nec ea ratione ciuium ſtudia & uoluntates cognoſcuntur, qui quod uelint faciant: promittant autem quod rogentur, ut antea dixit. Aſpicitur, non attrectatur. ] Id eſt, plane non cognoſcitur. Rem enim quam attrectamus, quam excutimus, quam in manus ſumimus, qualis ſit facilius cognoſcimus, quàm eam quæ aſpicitur, quæ procul apparet. Omnibus igitur rebus. ] Concluſio ſpecialis eſt per enumerationem. Breuiter enim & per capita repetit ea, quibus oſtendit Plancum Laterenſe ſuperiorem fuiſſe. Quem externis. ] Ordo eſt, Quæ dico eſſe inferiorem nonnullis externis & domeſticis rebus generis & nominis. Quamuis res generis & nominis durius appellari uideantur. Quem externis. ] Externæ res dicuntur bonæ fortunæ. Hoc tamen in loco dicuntur res quæ domeſticæ non ſunt: quas Forenſes appellat Cicero in libro de Offic. 1. Nulla, inquit, uitæ pars neque publicis neque priuatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecū agas quid, neque ſi cum altero contrahas, uacare officio poteſt. Externis rebus. ] Vt generis, id eſt, patriæ. Tuſculum enim & antiquitate, & uirorum clarorum uirtute Atina fuit nobilius. Domeſticis nonnullis rebus. ] Vt nominis. Laterenſis enim nomen utraque familia conſulare erat. Societatum. ] Id eſt, publicanorum, qui Planci paterni ſocij erant. Temporum meorū. ] Cum me uel ui pulſum, uel ratione cedentem Plancus recepit, iuuit, cuſtodiuit. Integritate, modeſtia. ] Hic locus ita ſcribi debere uidetur: Integritate ſua & modeſtia. Planci enim uitam ante actam oſtendit, in qua multa ad ædilitatem adipiſcendam fuiſſe adiumenta dixit. Hanc tu uitæ ſplendorem. ] Maledicta à Laterenſe in Plancum coniecta Cicero refutat. Quamuis enim maledicta refutare ſolitus ſit Cicero, antequam ad cauſam accedat, ut pro L. Murena uidere licet, hoc tamen in loco, poſtquam cœpit cauſam defendere, ea commode refutat. Explicata enim uita Planci anteacta, facilius fuit perſuadere iudicibus, hæc maledicta conficta eſſe. Maculis aſpergis. ] Vt in Vatinium teſtem: Seiūgam te ab illo non ſolum Reipublicæ cauſa, uerum etiam Cæſaris, ne qua ex tua ſumma indignitate labes illius dignitati aſpergi uideatur. Macula autem pro ignominia, infamia, dedecore. ut paulo ante: Sunt omnes ſine macula, ſunt æque boni uiri atque integri. & pro P. Seſtio: Illa in Republica macula regni publicati maneret, quam nemo iam poſſet eluere. Pro A. Cluentio: Ita flagrare cœpit amentia: ſic inflammata ferri libidine, ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiæ, non hominum fama, non filij dolor, non filiæ mœror, à cupiditate reuocaret. Actione in Verrem. 5. Deſinant amici eius ea dictare, quæ detrimento, maculæ, inuidiæ, infamiæ nobis eſſe poſſint. Iacis adulteria. ] Id eſt, obijcis. ut pro P. Sylla: Equidem uehementer lætor, eum eſſe me, in quem tu cum cuperes, nullam contumeliam iacere potueris, quæ non ad maximam partem ciuium conueniret: Quæ nemo non modo. ] Id eſt, de quibus nemo audiuit, ſed ne ſuſpicatus quidem eſt. Vt uerba etiam fingas. ] Maritus enim ad mulierem refertur, ad uirum Laterenſis retulit. In prouinciam. ] Id eſt, in Macedoniam, quam Plancus quæſtor ſortitus eſt. Mimulam. ] Id eſt, adoleſcentulam mimam. Sunt autem mimi hiſtriones, hominum geſtus in ſcena effingentes: quod ſi feminæ ſunt, mimæ appellantur. A`iuuene. [Cn. Planco. Vetere quodam in ſcenicos iure. ] Tum quia ſcenici, id eſt, mimi uiles & abiecti habebantur: tū quia omniū conſenſu, ut ait Cic. pro M. Cælio, dicitur aliquis ludus adoleſcentia, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates. Quæ ſi ita erumpunt, ut nullius uitam labefactent, nullius domū euertant, faciles & tolerabiles haberi ſolent. Oppidano iure. O`adoleſcentiam. ] Cum obijcitur id quod crimen non eſt, id quę falſum eſſe oſtendimus, tum ſignificamus reliqua eſſe falſa. Eleganter. ] Id eſt, honeſte. Quòd licuerit. ] Nam uetere iure id licebat. Emiſſus aliquis è carcere. ] Id arbitror factum cum Plancus erat Tribu. pleb. nam tribuni pleb. ut ex Varrone A. Gellius capit. 12. lib. 13. ſcribit, habebant prehenſionem. Si igitur prehendendi, & in carcerem ducendi ius habebant, habebant etiam è carcere emittendi. Neceſſarij hominis. ] Si crimen eſt, id transfert, quod neceſſarij hominis optimi'que adoleſcentis rogatu id fecerit. Præ mandatis. ] Id eſt, propter mandata. Vt apud Terentium: Præ amore hunc excluſiſti foras. Apuleius: Præ luxuria cuncta profuderat. Præ mandatis. ] Cn. Planci. Atque hæc. ] Id eſt, hæc ſola maledicta, nec ulla alia ſunt in uitam Planci coniecta. Pater uero inquit. ] Cum iniuria quædam publicanis fieret, Plāci pater eorum princeps aſpere dixit aliquid in eos qui iniuriā facerent. Id Cn. Planco obeſſe debere, Laterenſis dixit. Primum oſtendit Cicero, filium non debere ferre iniquitatem patris. Deinde, loquendi libertatem equitibus eſſe debere. Poſtremo id ſi crimen eſt, transfert in dolorem patris. In iudicio capitis. ] De ambitu damnatus, exilio lege Tullia mulctabatur. Itaque caput è ciuitate eximebatur. Erat igitur capitis iudicium. In dimicatione fortunarum. ] Nam lege Calphurnia, qui de ambitu damnatus erat pecunia mulctabatur, poſtquam Tullia lata eſt, quæ pecuniæ exilium adiecit: ut pro Murena amplius ſcripſimus. Tales uiros. ] Quales ſunt iudices in hac cauſa. Qui eſſet turpiſſimus. ] Argumentum à fictione eſt. Communi conſenſu. ] Quid ſi legas communi ſenſu. Cn. Plancus. ] Pater. Inter ſuos. ] Atinates. Vel minus honeſtum. ] Filium. Vel alienum. ] Id eſt, non ſuum. Argumentum à minori ad maius eſt. Immo fortaſſis liberius. ] Illud artificioſum eſt, ut quod aduerſarius criminis nomine appellauit, id appellamus nomine uirtutis eius, quam id crimen æmulari uidetur. ut pro ſordido parcum, pro maledico liberum dicere licebit. ut ait Quintilianus libro 5. Libertatem equitis Romani. ] Equitum quàm reliquorum ordinum maior libertas eſt. Iudiciaria lege Sempronia, & poſtea Cornelia, & lege Iulia de repetūdis equeſtrem ordinem non teneri, Cicero ſcripſit pro A. Cluentio, & pro C. Rabirio. Aut libertatem loquendi intelligit, quæ equitibus permagna conceſſa eſt. Malis ciuilibus. ] Cum Syllæ & Marij reliquorumq; bella ciuilia erāt. Se erigere debebat. ] Id autem feciſſet, niſi fuiſſent qui quererentur libertatem equitis Rom. ferre ſe non poſſe. Equitum ego Rom. ] Quanta equitum libertas loquendi fuerit, ſignificat. Conſuli P. Naſicæ. ] Hoc Ciceronis exemplum alibi legere non memini. Itaque haud ſcio an is P. Scipio Naſica ſit, quo & Calphurnio Beſtia Cos. bellum Iugurthæ indictum ſit. ut eſt apud Salluſtium in Iugurtha. Eum Valerius Max. lib. 7. de Repulſis, exiſtimat fuiſſe, qui ſecundo bello Punico à Senatu uir optimus iudicatus, qui priuatus Tib. Gracchi conatus repreſſit. Mihi autem errare Valerius uidetur. nam Eutropius lib. 4. & Euſebius in Chronicis à cœpto Punico bello ſecundo ad bellum Iugurthæ, ſub cuius finem Cicero natus eſt, annos ad centū numerant. Idem quoque Valerius lib. 5. de ingratis, & Plutarch. in Gracchorum uita, tradunt Naſicam eum, qui Tib. Gracchum occidit, non ita longe poſt Gracchi mortem, ut populi inuidiæ cederet, accepta legatione libera in Aſiam profectum, nec inde in patriam reuertiſſe. Itaque arbitror hunc Naſicam fuiſſe filium aut nepotem eius qui Gracchum occidit. Iuſtitio. ] Iuſtitium à iure & ſtando dictum, quaſi iuris ſtatio: ut ſolſtitium, ſolis ſtatio: tum erat, cum propter aliquam neceſſitatem Reip. imminentem, ut propter bella, ius non dicebatur, ſed forū claudebatur. T. Liuius lib. 3. de L. Minutio Conſule ab Aequis obſeſſo ſcribens: L. inquit, Quintus Dictator cum magiſtro equitum in concionem uenit, iuſtitiū edicit, claudi tabernas tota

*urbe iubet: uetat quenquam priuatæ quidquam rel agere. Idem ſcribens lib. 4. de bello quod cum Aequis & Volſcis populus Ro. gerebat: Is Poſthumium Tudertum ſocerum ſuum ſeueriſſimum Imperij uirum Dictatorem dixit. Ab eo L. Iulius magiſter equitum eſt dictus. Simul edicitur et iuſtitiũ, neque aliud tota urbe agi, quàm bellum apparari. Idem in eodem lib. Caſtra locantur ante portam Collinam, & in muris armati diſpoſiti, & iuſtitiũ in foro, tabernæq; clauſæ, fiuntq; omnia caſtris quã urbi ſimiliora. Edicto iuſtitio.* ] *Quãuis Pontifices indicere, & magiſtratus edicere ſæpius dicatur, inuenire tamẽ licet indici iuſtitiũ dici. T. Liuius lib. 3. Præſidia portis impoſuit, uocato deinde Senatu cum ex auctoritate patrum, iuſtitio indicto, profectus ad fines tuendos eſſet. Cicero Philippica quinta: Quamobrem Patres conſcripti legatorum mentionem nullam cenſeo faciẽdam, rem adminiſtrandam arbitror ſine ulla mora, & confeſtim gerendã cenſeo. Tumultum decerni, iuſtitium indici, ſaga ſumi dico oportere. Ex his cognoſcere licet, iuſtitium à Cos. uel dictatore ex Senatus auctoritate indici ſolere. Cum eſt iuſtitium, tum ſeruari: rum eius finis ſit, remitti dicitur. T. Liuius libro tertio. Nihil remiſſum ab ulla parte curæ aut laboris, uigiliæ, in urbe, ſtationes ante portas, præſidia in muris diſpoſita, & quod neceſſe in tanto tumultu, iuſtitium per aliquot dies ſeruatum. Itemq;: Vt Romam reditum eſt, iuſtitium remiſſum eſt. Idem libro Decimo. Supplicationes ob rem bene geſtam Conſulis nomine decernunt, iuſtitium remittunt, quod fuerat dies decem & octo. Iuſtitio finẽ facere idem dixit lib. 3. Sic finem iuſtitio, quod quatriduũ fuit, reditus Quintij Cos. in urbem fecit. Cur autem iuſtitium P. Naſica Cos. edixerit, legere non memini. Fortaſſe tum fuit, cum bellorum ciuilium Sylla uictor bona ciuium haſta poſita per auctionem uenderet, & ſuam ſe prædam uẽdere diceret. Eo enim tempore Grantum quendam fuiſſe, qui Marium ſecutus ſit, eſt apud Appianum lib. bellorum ciuilium. 1. Actiones.* ] *Id eſt, publicæ uenditiones. Quod legiones.* ] *Quæ à Conſule deſcriptæ uidebantur ad uim in ciuitate faciendam. Multa in Rempub. molienti.* ] *Vel ut Senatui poteſtatem iudicandi reſtitueret, uel ut Italicos ciuitate donaret: unde poſtea Italicum bellum ortum eſt. Vel ut lege iudiciaria Equeſter ordo teneretur. de quo Cicero pro C. Rabirio: Potentiſſimo & nobiliſſimo Trib. pleb. M. Druſo unam in equeſtrem ordinem quæſtionem ferenti, ſi quis ob rem iudicatam pecuniam cepiſſet, aperte equites Romani reſtiterunt. De M. Liuio Druſo multa ſcripſit Appianus libro. 1. & nos aliquantum multa in Milonianam ſcripſimus. Quid agis.* ] *Id in congreſſu primo poſt ſalutationẽ dici ſolebat, ut auctore Teren. in Adelphis: Quid agitur, & Quid fit? Imo uero tu Druſe quid agis.* ] *Exprobrat Druſo, quod in Rempublicã moliebatur. Eſt autem annominatio. Prius Quid agis, alia in re quàm poſterius dicitur. Ille L. Craſſi.* ] *De L. Craſſo, & M. Antonio oratoribus, ſatis multa alio loco ſcripſimus. Facetijs aſperioribus.* ] *Eas Græce λοιδορίας appellari Macrobius libro Saturnalium ſeptimo ſcribit. Perſtrinxit.* ] *Id eſt, læſit & offendit. Quæ fuit olim præconi in ridendo.* ] *À minore ad maius arguit. Contumeliæ potius quàm doloris.* ] *Transfert crimen, ſi ullum eſt, quod doloris cauſa, non contumeliæ Plancus aſpere locutus ſit, ideoq; excuſandum oſtendit. Vt Tarentini iuuenes auctore Quintiliano lib. 6. multa de Pyrrho rege ſecurius inter cœnam locuti, cum rationem facti repoſcerentur, & neque negari ret, neque defendi poſſet, riſu & opportuno ioco elapſi ſunt. Namque unus ex ijs: Imo inquit, niſi lagena defeciſſet, occidiſſemus te. In uinum enim illam maledictionem conuertit. À ſocijs.* ] *Id eſt à publicanis. Quo minus reſponſum equitibus. Roman. redderetur.* ] *Vt quid aſpere Plancus dixerit, ita quod ſit hoc reſponſum, ignotum eſt. niſi forte tum Publicani poſtulabant, ut de pretio eo, quo uectigalia condixerant, aliquid ſibi remitteretur, quia tantum portoriũ aut tantas decimas uel propter piratas aut bella, uel propter cœli tempeſtatẽ non percẽperent, quãtas ſperauerãt. De his enim rebus in Senatu aliquando agi, Cicero ſignificat in lib. de Offi. 3. Ego, inquit, cum Catone ſæpe in eo diſſenſi. Nimis mihi Cato præfracte uidebatur ærarium uectigaliaq; defendere; omnia Publicanis negare, multa ſocijs: cum in hos benefici eſſe deberemus, cum illis ſic agere, ut cum colonis noſtris ſoleremus: eoq; magis, quòd illa ordinum cõiunctio ad ſalutem Reipublicæ pertinebat. Id quod hoſtibus ſemper erat tributum.* ] *Nam hoſtibus aut eorum legatis à Senatu aliquid poſtulantibus, Senatus reſpondere ſolet. À minori itaque ad maius oſtendit cauſam doloris. Omnibus illa iniuria dolori Publicanis fuit.* ] *Quod publicani omnes doluerint, leuius Planci delictum uidetur. Cum nimius ille ſenſus.* ] *In codicibus alijs ſcriptum eſt: Cõmunis ille ſenſus.* ] *Agnoſco. n. ex me.* ] *Agnoſcimus noſtra, cognoſcimus aliena. Quæ ab eo nunquam dicta ſunt. eleuat odium eorũ, quæ à Planco aſpere dicta eſſe dicuntur. Multa enim ex his nunquam dixit, quæ in eũ conferuntur. Sed contentione dicendi.* ] *Id eſt, cũ iam lingua contente dicendo quaſi concaluit. Vſu enim uenit, ut initio orationis tanquam frigeſcamus: cum uero longius progreſſi ſumus, tanquam dicendo lingua concaleſcat, expeditius loquamur, nobiſq; multa in mentẽ ueniant, de quibus nihil ante cogitaueramus. ut auctore Cicerone lib. de Oratore ſecundo: L. Philippus homo in primis eruditus atq; diſertus, ita ſolebat ad dicendum ſurgere, ut quod primum uerbum habiturus eſſet, neſciret: & idem dicebat, cum brachium concaleſeciſſet, tum ſe ſolere pugnare. Aut laceſſitus* ] *Cum enim quiſquam laceſſitur, eius animus excitatur. Itaque nonnulla in mentẽ obueniũt ſubito, quæ ſi faceta ſunt, eo gratioſa ſunt, cum dicuntur, quod ex tempore nata ſint. Vt auctore Macrobio libro Saturnalium ſeptimo, Octauius, qui natu nobilis uidebatur, Ciceroni recitanti ait: Non audio quæ dicis. Ille reſpondit: Certe ſolebas bene foratas habere aures. Hoc eo dictum eſt, quia Octauius è Lybia oriundus dicebatur, quibus mos eſt aurem forare. Cum Quintus Hortenſius, ut ait Plutarchus in Apophthegmatis, argenteam ſphingem à Verre, quem defendebat, accepiſſet, ac in Ciceronem obſcure neſcio quid locutum dixiſſet, ſe ænigmata hæc non intelligere: Mirum eſt, inquit Cicero, cum ſphingem domi habeas. Exit aliquando aliquid.* ] *Macrobius libro Saturnalium ſecundo auctor eſt, Plancum & Ciceronem ex Latinis ad iocorum uenuſtatem cæteris præſtitiſſe. Eundem non ſolum extra iudicia, ſed etiam in ipſis orationibus habitum eſſe nimis iocorum affectatorem, & miram quandam in eo fuiſſe urbanitatem, Quintilianus libro ſexto ſcribit. Plura enim quàm quiſquam, facete dixit in ſermone quotidiano, in altercationibus, & in teſtibus interrogandis. Si non perfacetum.* ] *Arrogantiam uitat. Quod quiſque dixit, me id dixiſſe dicunt.* ] *Quia tanta fuit in Cicerone urbanitas, ideo quæ ab alijs facete dicta erant, ea Ciceroni tribuebantur. Itaque Quintus Cicero eius frater, eiuſdemq; libertus Tyro Tullius, & alius quiſquis fuit, tres libros de Facete dictis à Cicerone ediderunt, quos quidam M. Ciceronis eſſe putauerunt. Hi multa ab alijs dicta in eos libros congeſſerunt, tanquam à Cicerone eſſent. Ex his multa, quia Ciceronis grauitate & auctoritate uiſa ſunt indigna, optat Quintilianus, ut hi facetorum dictorum numero induſiſſent, nec curaſſent tam multa conſcribi, & plus iudicij in eligendis quàm in congerendis ſtudij adhibuiſſent. Scitum.* ] *Id eſt, pulchrum & elegans. Terentius in Andria: Percaſtor ſcitus puer natus eſt Pamphilo. Nam quod primus ſciuit legem.* ] *Illud etiam erat, quare patrem filio abeſſe debere Laterenſis dixerat. Sciuit legem.* ] *Id eſt, tulit de lege ſuffragium. De uerbo ſciſcere alibi multa ſcripſimus. De publicanis.* ] *Aut primos*

de publicanis,

de publicanis, aut legem de publicanis. Vtroq; enim referri poteſt. Ea lex quæ fuerit, qui itidem Conſul id per populum publicanis dederit, ignotum eſt, propterea quòd Laterenſis accuſatio non extet. Per populum.] Id eſt, iubente populo. Quod per Senatum ſi licuiſſet.] Leges enim quas Conſules ferebant, eas ex auctoritate Senatus ferebant. Per Senatum autem non licuit Conſuli id dare publicanis, ut de ea lege ferrent ſuffragium. Nam impediebatur Senatus reſponſum publicanis reddere. Quis non tulit publicanus.] Transfert crimen, ſi ullum ſit, quod alij quoque publicani ſuffragium tulerint, ut leuis eſſe uideatur. Vt pro M. Cælio, Cælium ipſum fatetur ſecundum L. Catilinam, quod is, ut alij multi, ficta Catilinæ uirtute falſus ſit. Vtrum id fortis eſſe uis.] Argumentum à remotione eſt. An eius.] Conſulis. Significat autem prima ſuffragia ferri ſolita aut ſorte, aut eius qui præeſt uoluntate. in caſu.] Id eſt, in ſorte. A' ſummo uiro.] A' Conſule. Principem ordinis.] Publicanorum: quis iudicauit hunc dignum, qui primus ferret ſuffragium. Quales etiam erant tribus prærogatiuæ, quæ primæ rogabantur propter dignitatem, ut ferrent ſuffragium. Sed aliquando ueniamus ad cauſam.] Hæc cauſa defenſio magna ex parte ſimilis eſt ei, qua L. Murenam defendit. In utraque illa tria ſunt præcipua: contentio dignitatis accuſatoris & rei, maledicta in reum coniecta, & crimina ambitus. In hac oratione Cicero uſus partitione non eſt, in illa uſus eſt. In hac de dignitatis contentione prius egit, quàm maledicta refutauit: in illa contra. Ex quo intelligi licet, uix ullam dicendi rationem eſſe, quæ perpetuo ſeruanda ſit. Aliquando.] Id eſt, tandem. Ad cauſam.] Id eſt, ad crimina ambitus, in quibus cauſa uerſatur. Nomine legis Liciniæ.] Multæ leges Liciniæ fuerunt. Vna à C. Licinio Stolone lata, ne cui ciui Romano liceret ultra quingenta agri iugera poſſidere. de qua eſt apud T. Liuium libro ſexto. Altera, qua conuiuiorum luxuria comprimebatur, ante tempora L. Syllæ lata. de ea ſcripſit A. Gellius cap 28. lib. ſecundi, Tertia à P. Licinio Craſſo Conſule lata, ut in ſuæ quiſque ciuitatis ius redigeretur. Huius legis mentio eſt apud Ciceronem pro L. Cornelio Balbo, in libro de Offic. tertio, & apud Aſconium Pedianum. Hæc ante ciuilem uictoriam Syllæ lata eſt. Alia poſtremo fuit, quam recẽtem Cicero dicit in Philippica quinta. Meminit Cicero in libro de Amicitia legi: cuiuſdam de ſacerdotijs, quam C. Licinius Craſſus ferre conatus eſt, ut cooptatio collegiorum ad populi beneficium transferretur: quam legem C. Lælius Prætor diſſuaſit. Legem autem Liciniam de qua hoc loco Cicero loquitur, arbitror eſſe eam qua conuiuiorum luxuria comprimeretur. Hanc enim legem de ſodalitijs eſſe latam Cicero dicit. Sodalitates autem & ſodalitia pro conuiuarum cœtu, & pro ipſis conuiuijs dici, in Ciceronis Catonem Maiorem ſcripſimus. Vt et qui magiſtratum capturus erat, non licebat lege Cincia, ut ait Gellius, ad cænam niſi ad certas perſonas ire: ita nec licebat uulgo dare prandia. Erant etiam ſodalitiorum duo genera. alia enim cauſa religionis erant, quæ ſe Quæſtore conſtituta eſſe acceptis ſacris Cybeles, M. Cato dicit apud Ciceronem de Senectute. In quibus Principes ciuitatis mutua inter ſe conuiuia agebant. alia erãt collegia illicita, quæ legibus & Senatuſconſultis prohibita ſunt. Aut Licinia lex eſt à M. Licinio Craſſo lata, eo qui cum Parthis bellum gerens occiſus eſt, quæ lex conſularis ex Senatuſconſulto lata eſt. Cicero lib. Epiſtol. ad Quintum Fratrem 2. ſcripſit factum eſſe S. C. ut ſodalitates decuriatiq; diſcederent: lexq; de ijs ferretur, ut qui non diſceſſiſſent, ea pœna, quæ eſt de ui, tenerentur. Sodalitates enim & ſodalitia eadem re dicuntur. Idem in oratione in Salluſtium, ſodalitium ſacrilegij Nigidiani dicit Milonem in petitione Conſulatus de ſodalitijs damnatum fuiſſe, eſt apud Aſconium. Omnes ambitus legis.] Id eſt, omnes modos in lege ſcriptos, quibus ambitus committatur. Omnes ambitus legis complexus eſt.] Ironia eſſe uidetur. Multa hoc in loco obſcura ſunt, quæ ex cõiectura ſola cognoſci poſſunt, propterea quòd Licinia lex non extat. Edititios iudices es ſecutus.] Iudices editiij, ut pro L. Murena ſcripſimus, hi ſunt, qui in cauſa de ambitu ex editis tribubus teſtes ſunt & iudices. Quod genus iudiciorum.] Editionem tribuum in crimina de ambitu tantum fieri ſignificat. Tributaria.] Tribuaria, non tributaria legi debet: à tribu, ut poſtea tribuarium crimen appellat. Edi.] Id eſt, in iudiciũ produci. De ipſo denique ambitu.] Id eſt, in cauſa de ambitu. niſi legere mauis, In ipſo denique ambitu, aut De ipſo ambitu, id eſt, quantum pertinet ad crimen ambitus. De reiectione, &c.] Id eſt, uoluerit Senatus, ut ex edititijs iudicibus reus quos uellet reijceret, & ut uulgo dicunt, recuſaret quos haberet ſuſpectos. Alternos autem iudices appellat eos qui reijciuntur, quòd in eorum loco alij iudicent. Vt in Vatinium teſtem, alterna conſilia appellauit: Crebro: inquit, uſurpas legem te de alternis conſilijs reijciendis tuliſſe, ut omnes intelligant te ne recte quidem facere ſine ſcelere potuiſſe. Acerbitatis.] Id eſt, ſeueritatis, ut ambitus comprimeret. Hoc unum prætereundum.] Acerbum enim foret, non poſſe ſuſpectos iudices à reo reijci. Cum iſta in Senatu res agebatur.] Illud aliquando fiebat Romæ, ut prius in curia quàm in foro de criminibus ageretur, ut de Africa prouincia à L. Catilina prætore uexata, & de Clodij cæde à Milone facta, alio loco ſcripſimus. Heſterno die.] Id ſæpe Cicero pro heri, ut hodierno die pro hodie, & poſtremo die pro poſtridie dicit. Hoc igitur ſcripſim.] Id eſt, mea uel Senatus fuit ſententia. Tribus largitor.] Id eſt, tribus per largitionem corruptor. Per conſenſionem magiſtratuũ.] Id eſt, ex conſenſu magiſtratuum. Ne unuſquiſque petitor magiſtratus, aut iam deſignatus tribus largitor temere dicatur. Honeſtæq; ſodalitatis.] Nam eſt etiam illicita ſodalitas. Quam quiſque tribum turpi largitione corrumperet.] Repetitio eſt, idem ſignificans ac illud, Cuiuſcunque tribus largitor eſſet. Cum tribus reo ederentur.] Id eſt, contra reum. ut paulo poſt: Huic & ſuam, & ab hoc ſeruatas ederet. Largitione deuinctas haberet.] Id eſt, corrupiſſet. Acerbum omnino genus iudicij.] Id profecto genus iudicij acerbum eſt, ut ijdem ſint teſtes & iudices. Itaque Scipio Africanus minor, cum centurias Equitum Cenſor recognoſceret, poſtquam C. Licinium ſacerdotem citatum proceſſiſſe animaduertit, dixit illum ſe ſcire uerbis conceptis peieraſſe. Proinde ſi quis eum accuſare uellet, uſurum teſtimonio ſuo. Nullo ad accuſandum prodeunte, iuſſit equum traducere, ne teſtis & iudices partes egiſſe uideretur, ſi eum notaſſet. Auctor eſt Cicero pro A. Cluentio, & Valerius Maximus lib. 4. de Moderatione. Vel ſua.] Id eſt, tribus ex qua reus eſſet. Coniuncta.] Id eſt, amica. Venditorem.] Fortaſſe Emptorem, non uenditorem legi oportet. Quòd ſi uenditorem legere mauis, id ea cauſa dictum ſit, quòd aliena emamus, noſtra uendamus. Cn. autem Plancus ex tribu Terentina erat. cum igitur eam corrupit, ſibi quodammodo uendidit. Sequeſtrem.] Id eſt, ſuffragia largitione deuincta ſibi habentem, qua in ſignificatione etiam paulo poſt dici manifeſtum eſt. Scribit tamen Aſconius, ſequeſtres eſſe, apud quos pecunia deponitur. Quid Planco cum Lemonia.] Hæ enim tribus Planco coniunctæ non fuerunt, cui uicina fuit Voltinia. Ad ſuam ſpem aliquam.] Id eſt, ad Planci calamitatem, quem ſperauit fore ut damnaretur. De ciuitate.] Id eſt, de tribubus Obſeruatas.] Id eſt, cum quadam obſeruantia comparatas. Remota illa.] Ea autem erat: quam quiſque tribũ turpi largitione corrumperet, cum maxime his hominibus, qui eius tribus

eſſent, eſſe notum: Laterenſis non edit tribus Terentinam & Voltiniam, quas à Planco dicit corruptas. Tu deligas ex omni popul. ] Iniquum eſſe oſtendit Cicero, quod per Laterenſem Planco nõ licuerit reijcere editiios iudices eos, quos haberet ſuſpectos, præſertim cum Laterenſis iudices delegerit, partim amicos ſuos, partim Planci aut Ciceronis inimicos, inexorabiles atque inhumanos. Inhumanos.] Id eſt, odio quoſdam hominum affectos, qualis fuit ille Timon Athenienſis. Vel iniquos, uel meos.] In codicibus alijs melius ſcriptum eſt, Vel inimicos meos. Natura aſperos.] Id eſt, inhumanos et inexorabiles. Iniquos.] Id eſt, inimicos. Effundat.] Id eſt, tanquam ex occulto emittas. In proximo reo.] Is qui ſit, ignotum eſt. Is eſt autem quem, paulo poſt dicit 75. iudices reieciſſe. Conſilij.] Id eſt, iudicum. Non enim ſi aut Plancus ita uixit.] Sententia eſt: Non ſequitur, Plancus ita uixit, ut ſciens neminem ne in hac quidem petitione Aedilitatis offenderet: aut tu, cum hos iudices imprudens ederes, ita erraſti, ut nos inuito te ad iudices, non ad carnifices ueniremus: Igitur iſta editio per ſe acerba non eſt. Nuper.] Id eſt, in reo proximo. Referret.] In tabulas, aut retineret. Et legi conditioniq;.] Vt ex iudicibus nullos reijcere liceret. Neque ex delectis iudicibus.] Cauſis publicis qui præerat, ex Senatu, & ex Equeſtri ordine uiros deligebat optimos, inter quos fiebat ſortitio, ut legitimus iudicum numerus haberetur. Eſt igitur argumentũ à minore ad maius, quo probat licuiſſe magis Planco, quàm reo proximo iudices reijcere: quòd illi ex delectis iudicibus fuerint, hi ſint ex omni populo. Legis iniq. queror.] Vt in Act. in Verr. 5. Non ego inuideo tuis commodis, ſi quæ ad te lege uenerũt: iniuriam queror, improbitatem arguo, auaritiam in crimen & iudicium uoco. Populuſq; iuſſit.] Vel de hoc Senatuſconſconſulto ad populum latum eſt: uel hoc dicit Cicero, quia Trib. plebis in curiam introire non licebat, ſed ante ualuas poſitis ſubſellijs decreta patrum attentiſſima cura examinabant: ut ſi qua ex ijs improbaſſent, rata eſſe non ſinerent. Itaque ueteribus Senatuſconſultis T litera ſubſcribi ſolebat: eaq; nota ſignificabatur, illa Tribunos quoque cenſuiſſe. ut eſt apud Valer. Max lib. 2. de inſtitutis antiquis. Plebis autem magiſtratus Tribuni erant. Et ut Senatus cenſere, ita populus iubere dicitur. Huic.] Id eſt, contra hunc Plancum. Seruatas.] Id eſt, obſeruatas. Vt paulo ante: Iudicant officijs ab hoc obſeruatas, non largitione. Ederent.] Sententia poſtulat ut Ederes, non ederent ſcribatur. Iudicibus editis.] Id eſt, cum Planco editi eſſent iudices ex ſua tribu & ab eo obſeruatis. Voltinia tribus.] Hoc ab aduerſario dictum proponit refutandum. Habuerat uenalem.] Id eſt, uendiderat. nã paulo ante dixit: Cuius tu tribus uenditorem & corruptorem & ſequeſtrem Plancum fuiſſe clamitas. Habere uenale Salluſtius in eadem re dixit contra Ciceronem: Ita largitionibus corruptus eſt, ut ſeſe ac fortunas ſuas uenales habeat. Quid diceret.] Plancus, inquit Laterenſis, ſi Voltiniam tribum ederem? Tribules ſuos.] Id eſt, Terentinos. Excitares.] Id eſt, ſurgere faceres ad dicendum teſtimonium in Plancum. Quæſitor.] Qui cauſæ præfuiſſet. Ea mea ſimul uoluntas.] In codicibus alijs Mera, non mea ſcriptum eſt. Vt ſit mera uoluntas, quæ eſt ſincera & pura. Cupiditatis.] Id eſt, uti uulgo dicunt, affectionis. Non fuiſſe fugiendum, &c.] A' maiore ad minus probat, iudices tribules, Planco fugiendos non fuiſſe. Quæſitoris enim quàm iudicum ſeueritas reo magis formidanda eſt. L. Caſſium quæſitorem fugiebant atque horrebant hi, quibus periculum creabatur: ideo quòd, tametſi ueritatis erat amicus, tamen natura nõ tam propenſus ad miſericordiã, quàm implicatus ad ſeueritatẽ uidebatur, ut auctor eſt Cicero pro Sexto Roſcio. Eas tribus.] Terentinam & Voltiniã. Quis illorum.] Ex illis tribubus, quibus Plancus maxime notus erat.

Legibus iſtis.] Quarum auctorem fuiſſe Conſulem poſtea dicit. Noſter ordo.] Aut Equeſter, aut Senatorius. Neceſſarijs ſuis.] Id eſt, ſuis bonis, ſua liberalitate. Neceſſarium enim aliquando dicitur id, ſine quo bene uiui non poteſt, ut eſt apud Sex. Pompeium. Huius autem modi ſunt bona fortunæ. Aut neceſſarijs officijs, quæ idem eſſe dicit ea quæ in neceſſarios id eſt, cognatos uel affines conferuntur. Reſpectent.] Id eſt, ut uulgo dicunt re expectent. Plena antiquitatis.] Antiquitus enim hæc fieri ſolebant. Iſto in genere fuimus & ipſi.] Ab eo quod fecit in petitione magiſtratuum, licuiſſe Planco uti modica liberalitate in tribules ſuos, probat. Cũ ambitionis.] In alijs codicibus melius inuenio ſcriptum, Cum ambitiones. Decuriatio tribuum, &c.] Hoc ab accuſatore dictum Cicero proponit, ut refutet. Decuriatio tribuum.] Ea quæ ſit, legere non memini. Licet tamen conijcere, decuriare tribus eſſe in decurias diuidere, ut ijs uel prandia fierent, uel pecunia facilius quàm uiritim diuideretur. Deſcriptio populi.] Quæ fit in eandem rem. Seueritatem Senatus.] Ad faciendum Senatuſconſultum, ex quo Licinia lex facta eſſet. Diuiſiſſe.] Inde diuiſores tribuum dicũtur, qui pecuniam in uiros diuidũt. His armis.] Vt ederet tribus eas, quibus Plancus notus eſſet. Tribulibus iudicibus.] Id eſt, ſi Planci tribules eſſent editi iudices. Scientia certiſſima.] Sciſſent enim tribules, ſi Terẽtina tribus à Planco corrupta eſſet. Apud hos iudices.] Quos tu contra legis ſententiam edidiſti. Diuinare.] Quod neſciant, an Plancus tribus corruperit. Cupidos.] Id eſt, inuidioſos, de quo uocabulo in ea re dicto, alibi plura ſcripſimus. Quos tu ſi ſodales uocas.] Sodales hoc in loco in malam rem. Idem in bonam rem cum alias ſæpe, tum in libro de Oratore 2. dixit: Me pro meo ſodali, qui mihi in liberum loco more maiorum eſſe deberet, & pro mea omni fama propè fortuniſq; decernere. Officioſam.] Id eſt, beneficam. Quod multis benigne fecerit.] Id eſt, in multos liberalis fuerit. Pro multis ſpoponderit.] Vt pro Heraclida, Fuſijs, Hermippum Cicero, pro Cæſare M. Craſſum fœneratoribus ſpopondiſſe, Plutarchus in Cæſaris uita ſcribit. In operas.] Id eſt, ut arbitror, ad operandum. Liberalitatem.] Honeſto nomine appellat, quod crimінoſo Laterenſis dixerat. Quam enim largitionem Laterenſis uocauerat, hic appellat liberalitatem. Idem pro L. Murena ab eodem artificioſe factum, ibi docuimus. Sancire pœna.] Id eſt, decernere puniendum eſſe Plancum propter obſeruantiã. Hæſitantem.] Id eſt, nimium hærentem & uerſatum. Tribuario crimine.] Id eſt, de corruptis largitione tribubus. Ad communem ambitus cauſam.] Id eſt, tractando communem locum de ambitu, & omnes ambitus leges complectendo. Peruulgata declamatione.] Qua etiam in ſcholis declamatores uti ſolent. Per quem tulerit.] In alijs codicibus ſcriptũ eſt, Per quam tulerit: in alijs, Per quæ. ut ſit, per liberalitatem, gratiam, obſeruantiam. Magis pedem conferre.] Id eſt, propius contendere & pugnare. Inquam.] Id eſt, dico & confirmo tibi. Quam tulerit.] Id eſt, cuius ſuffragium acceperit. Ferre enim ſuffragiũ quamuis dicatur ſæpius, ut ſit dare, nonnunquam tamen accipere ſignificat. ut apud Horatiũ: Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci. De quo uerbo alibi plura ſcripſimus. Vitiũ.] Id eſt, largitionẽ à Planco factã. Nec erit alia ratio, &c.] Id eſt, eadẽ ratione utar pro Planco, qua pro te uti poſſem. In quas tribus tu tuliſti tuã.] Id eſt, cũ quibus tribubus tuã accepiſti: id eſt, quarũ tribuũ ſuffragia cum tua acceperis. Ex te requirã.] Artificioſum eſt, ſi quid aduerſarius habuerit, ferè tale, quale eſt id quod in cauſa eſt, ut quo modo id habuerit requiramus: ut quod in ſe probat, id in aduerſario crimіnoſum non uideatur. Non comitijs iam ſuperioribus.] Auctore Cicerone in diſſuaſione legis agrariæ Rulli ad populum, Romani ueteres pop. Romanum de omnibus magiſtratibus

giſtratibus

giſtratibus illi ſententiam ferre uoluerunt, primum lege centuriata deinde lege curiata. tum enim de iiſdem iterum iudicabatur, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum beneficij ſui pœniteret. Aſconius Pedianus in commentarijs in accuſationem Verris, morem fuiſſe Romæ dicit, quo facilius in comitijs concordia populi firmaretur, bina de iiſdem candidatis comitia fieri: quorum tribus primæ prærogatiuæ dicebãtur, quos uellēt Coſ. fieri ſecunda, iure uocatæ, quod in his ſequente populo, ut ſæpe conſulti, prærogatiuarum uoluntate iure omnia complerentur. De eo intelligere Cicero illud pro Milone uidetur: Vbi uidit hominem, ad omne facinus paratiſſimum, fortiſſimũ uirum, inimiciſſimum ſuum, certiſſimum Conſulem, idq; intellexit non ſolum ſermonibus, ſed etiam ſuffragijs pop. Rom. ſæpe eſſe declaratum, palàm agere cœperit, & aperte dicere, Milonem occidendum. Conſul.] Is qui ſit, mihi cognitum non eſt. opinor tamen eſſe M. Licinium Craſſum, à quo Licinia lex de Sodalitijs lata ſit & appellata, de qua hoc in loco agit Cicero. Habere cœpit Coſ. comitia ædilitia, ut Conſularia Conſul habebat. Ea autem ædilitia non multo poſt conſularia haberi ſolebant. Comparandi.] Quod largiretur. Deſcriptæ.] Id eſt enumeratæ, quæ quibus ſuffragium tuliſſent. Longe plurimũ ualuit Plancus.] Suffragiorum multitudine. An tandem una centuria prærogatiua.] Significare uidetur Laterenſem una centuria prærogatiua priorem Aedilem declaratum eſſe: ſed propterea factum non eſſe Aedilem, quod aliæ centuriæ eũ non fecerint. Populum Romanum comitijs centuriatis in 193. centurias diuidi ſolitum, pro L. Murena ſcripſimus. Prærogatiuam centuriam appellat, ut tribum prærogatiuam.. Comitia tota comitijs fuerunt prærogata.] Quanto omnium ſtudio Plancus ædilis factus ſit, oſtendit. Hoc autem ſimile uidetur illis: Victoriam ipſam uiciſſe uideris: &, Si tacent, ſatis dicunt: &, Cum tacent, clamant. De quibus eſt apud Aſconium. Minus ualuiſſent.] Comitijs ſuperioribus. Quàm putaſſent.]. Ciues enim promittunt quod rogantur, faciunt autem quod uolunt, ut antea dixit Cicero. Itaque petitores ſæpe minus habent ſuffragiorum quàm putarint. Prolatis.] Id eſt, dilatis comitijs poſterioribus. Fracto animo.] Id eſt, demiſſo, non alto, non erecto. Vt in oratione pro Domo ſua: Accepi Pontifices magnum atque incredibilem dolorem, non nego; neque iſtam mihi aſciſco ſapientiam, quam nonnulli in me requirebant, qui me animo nimis fracto eſſe atq; afflicto loquebantur. Inde frangere animos, pro eo quod eſt mutare & debilitare, dixit pro L. Cornelio Balbo: Vt omnium maleuolorũ, iniquorum, inuidorum animos frangeremus. Nobilitas.] Id eſt, nobiles.. Vt apud Salluſtium in Iugurthi: Commune nobilitatis malum ſuperbia eſt. Eſt autem intellectio. Populo Romano ſupplex.] Alibi ſupplex cum genitiuo ſæpius, aut pronomine poſſeſſiuo dicitur. Vt pro M. Cælio: Quem uos ſupplicem ueſtræ miſericordiæ, ſeruum poteſtatis, abiectum nõ tam ad pedes quàm ad mores ſenſusq; ueſtros, uel recordatione parẽtum ueſtrorum, uel liberorum iucunditate ſuſtentate. Et pro L. Flacco: Huic huic miſero puero ueſtro ac liberorum ueſtrorum ſupplici, iudices, hoc iudicio uiuendi præcepta dabitis. Et pro L. Murena: Nunc idem ſqualore ſordidus, confectus morbo, lachrymis ac mœrore perditus, ueſter eſt ſupplex iudices, ueſtram fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, ueſtram poteſtatem ac ueſtras opes intuetur. Equidem primum, &c.] Optima & Reipublicæ ſalutaris ad magiſtratus uia eſt. Eam uiam Laterenſi ſequendam fuiſſe ſignificat. Secundo.] In hac dicendi ratione Cicero, ut alij multi, ſæpius Deinde, rarius Secundo dicit. Quorum dignitati populus Romanus teſtimonium, &c.] Id eſt, quos populus Romanus fecit propter dignitatem, non propter ambitionem. Imaginibus tuis.] Id eſt, maioribus, quorum imagines in atrio tuo ſunt. Ab illis.] Qui ſequuntur, ut puta Ap. Claudio, L. Volcatio, alijsq;. hi enim præteriti in ædilitate Conſules facti ſunt. Metuit enim Laterenſis, ne hac ædilitatis repulſa ad conſulatum uia ſibi intercluſa ſit, Quem conſulatum ſi non adipiſcatur, à patre & maioribus degeneraſſe uidebitur. Vidit enim pater tuus.] Laterenſis patrem & auum multa uidiſſe exempla ſimilia dicit, atque non eſſe Laterenſi quærendum, quid illis reſpondeat. Ap. Claudius.] Is eſt cuius exercitum corruptum Lucius Cinna bello ciuili in poteſtatẽ ſuã redegit, ut eſt, apud Titum Liuiũ libro ſeptuageſimonono. Vel is quem poſtea miſſum ad bellum Macedonicum, Eutropius libro quinto ſcripſit. Lucium Volcatium.] Ab hoc arbitror originem duxiſſe Lucium Tullium Volcatium, quo Conſule cum Marco Lepido fuit prior Catilinæ coniuratio. Vidit Marcum Piſonem] Eum eſſe Marcum Piſonem conijcere licet, qui M. Seio populi Romani ſuffragijs poſtpoſitus eſt, ut antea dixit, eiusq; repulſam in ædilitate fuiſſe. Offenſiuncula.] Id eſt, repulſa. Eſt enim offenſio, qua quis offenditur. De quo uocabulo alio loco ſcripſimus. Offenſiuncula accepta.] Accipere offenſionem dicimus. Vt poſtea dicit accipere repulſam: & alibi, iniuriam dici docuimus. Auus uero tuus.] Nam Laterenſis quæſiuerat, quod imaginibus ſuis reſponderet. Et P. Naſica.] Is eſt de quo antea diximus. Is cum ædilitatem curulem adoleſcens peteret, manumq; cuiuſdã ruſtico opere duratam more candidatorum tenacius apprehendiſſet, ioci gratia interrogauit, num manibus ſolitus eſſet ambulare. Id dictum à circumſtantibus exceptum ad populum manauit, cauſamq; repulſæ Scipioni attulit. Omnes nanque ruſticæ tribus paupertatem ſibi ab eo exprobatam iudicantes, iram ſuam aduerſus contumelioſam eius urbanitatem diſtrinxerunt. auctor eſt Valerius Maximus lib. 7. de Repulſis. Prædicaret. Id eſt, palàm narraret. Duabus ædilitatis, &c.] Aedilium duo genera erant, alij curules, alij plebeij appellabantur. De utroque genere eodem die comitia habebantur. C. Marius curulis ædilis fieri poſtulans repulſam accepit. Statim aſſurgens, alteram ædilitatem petiuit. Ob arrogantiæ ſuſpicionẽ ab omnibus præteritus eſt. Itaque uno die, quod alteri nulli cõtigerat, bis repulſam paſſus eſt. auctor eſt Plutarchus in eius uita. L. Cæſaris.] Hunc fuiſſe Conſulem ante ciuilia Marij & Syllæ bella cognoſcere potes ex T. Liuij libro 73. De huius morte eſt apud Valerium Maximum lib. 5. de Ingratis. Cn. Octauij.] Cn. Octauius Conſul C. Cornelium Cinnam collegam pernicioſas leges molientem ex urbe eiecit in bello ciuili: deinde ab eodem collega in urbem recepto occiſus, ut eſt apud T. Liuium libris 79. & 80. & fuſius apud Plutarchum in uita C. Marij, & apud Appianum libro bellorum ciuil. primo. M. Tullij.] Is fortaſſe eſt, quo & Cn. Cornelio Coſs. facta eſſe Senatuſconſulta de uendendis rebus ad imperium pertinentibus, Cicero dicit contra legem agrariam Rulli. Eiuſmodi habitæ ſunt.] Id eſt, tales exiſtimatæ. Benigne à populo.] Aediles enim ſumptus immoderatos in ludis faciebant, ut uidere licet in libro Ciceronis de Officijs ſecundo. Qui igitur Aedilitiam repulſam accipiebat, is hos ſumptus nõ faciebat. Vitandam tamen eſſe ſuſpicionem auaritiæ idem Cicero admonet, ne quis uidelicet, ut hos ſumptus euitet, ædilitatem non petat. Nam Mamerco, inquit, homini ditiſſimo prætermiſſo ædilitatis Conſulatus repulſam attulit. Tribunus militum.] Magiſtratus illi, tribunatus militum, tribunatus plebis, & quæſtura, ab adoleſcentibus geri ſolebant. De Tribunatu militum alibi ſcripſimus. Auctor eſt Aſconius Pedianus, Tribunorum militarium eſſe duo genera. unum eorum qui Rufuli dicuntur, qui in exercitu creari ſolent: alterum eorum qui Romæ in comitijs deſignari ſolent, qui comitiati appellantur. L. Philippus.] L. Martius

Philippus cum Sexto Iulio Cæſare Conſul fuit bello ſociali, ante bellum ciuile Marianum, ut ait Eutropius libro 5. De hoc Cicero in lib. de Officijs ſecundo: L. inquit, Philippus Quinti filius, uir magno ingenio, in primisq; clarus, gloriari ſolebat, ſe ſine ullo munere adeptum eſſe omnia quæ haberētur ampliſſima. De hoc ſæpe mentionem habet Cicero. Ei quanta in dicendo ex tempore facultas fuerit, ſcribit in libro de Oratore 2. Quintus Cælius.] De hoc nihil memini legere apud alios ſcriptores. Rutilius Rufus.] Is fortaſſe eſt P. Rutilius, quem Conſulem parum proſpere cum Marſis pugnaſſe, inq; pugna cecidiſſe, T. Liu. ſcribit lib. 73. C. Fimbria.] C. Fimbriæ cuiuſdam uiri Conſularis meminit Cicero in oratione pro C. Rabirio, qui cum alijs arma ſumpſit in cædem L. Saturnini. Haud ſcio an is ſit, quem Marci Marij Gratidiani patrem fuiſſe idem ſcribit de claris oratoribus. Is eſt quem uirum Conſularem, M. Luctatio Pythiæ iudicem fuiſſe, idem ſcribit libro 20. de Officijs 3. C. Caſſius.] C. Caſſius Longinus & Sext. Domitius Caluinus, Conſules ſimul fuerunt. Hiq; Aruernis ad Rhodanum acie ſuperatis, eorum regem Bituitum ceperunt, idq; ante bellum Cimbricum factum eſt, ut eſt apud Eutropium lib. 4. Cn. Oreſtes.] Hunc fuiſſe arbitror patrem aut auum eius, quē prandia in ſemitis nomine decumæ magno honore feciſſe Cicero ſcripſit in lib. de Officijs 3. Vltro.] Id eſt, te etiam non quærente, quid illis reſpondeas. Quo te liberent aliqua culpa.] Id eſt, ut te excuſent, ut te culpam nullam admiſiſſe oſtendant. Suſcepta.] Id eſt, admiſſa. De hac uoce alio loco ſcripſimus. Ad curſum iſtum tenēd.] Id eſt, ad pergendum & perſeuerandum. Eſt autem ducta ratio à nautis, qui nauigantes tenere curſum dicuntur. Eſt aliquid.] Eſſe aliquid, legendum uidetur. Non magnum.] Id eſt, paruum. De qua deſtitiſti.] Comitijs poſterioribus. Hoc autem genus dicendi attendendum eſt, quod alibi dicat Cicero Deſiſtere ſententia, & à ſententia. ut libro Academicarum quæſtionum 4. Memini Antiochum ipſum cum annos multos talia ſenſiſſet, ſimul ac uiſum ſit, ſententia deſtitiſſe. Et lib. de Officijs 3. Itaque cum ſint docti à peritis, deſiſtunt facile à ſententia. Ne aliquid iurares.] Significat morem fuiſſe, ut ædilitatis petitores iurarent, quod ad Rempublicā pertineret. Erant enim ædiles curatores urbis, annonæ, ludorumq; ſolennium, ut eſt in libro Ciceronis de Legibus 1. Vel potius intelligit de Tribunatus plebis petitione, quam in magna Reipublicæ tempeſtate à Laterenſe relictam fuiſſe, antea Cicero dixit. Denunciaſti.] Id eſt, oſtendiſti. Defuncti honoribus.] Id eſt, qui magiſtratus geſſerunt. Vt enim fungi honoribus, id eſt magiſtratus gerere: ita defunctos honoribus dicimus eos, qui magiſtratu iam abiuerunt.] Defunctus periculis dicitur is, qui periculis liberatus eſt. Vt pro Sex. Roſcio: Iam defunctos ſeſe periculis arbitrarentur. Virgilius: O tandem magnis pelagi defuncte periclis. Nunc tuo loco.] Aut nuper tuo loco legendum eſt, aut nunc pro nuper poſuit, quod rariſſimum eſt. Illa.] Quæ ſequuntur. Duxerunt.] Id eſt, commouerunt & excitarunt ad Planci accuſationem. Perſiſtit autem in apoſtropha. Dubitatis, inquit.] Ad iudices conuertit ſermonem, proponitq; argumētum primum, quo Laterenſis ductus uidetur, ut id refutet. Coitio.] Id eſt, fraudulenta conuentio inter A. Plotium & Cn. Plancum. Cuius ferè modi ea in litibus fieri ſolet, quæ à iuriſperitis colluſio appellatur. Tribus pleraſque tuleris.] Id eſt, plerarumque tribuum ſuffragia acceperis. Vnà.] Id eſt, ſimul. Hunc Plotium Planci collegam in ædilitate fuiſſe ſignificat. De Plotio ante dixit Cicero. Fieri.] Aediles. At nonnullas.] Refutat Laterenſis argumentum. Punctis.] Id eſt, ſuffragijs. ut paulo poſt: Quot in ea tribu puncta tuleris. & libro Tuſculanarum quæſtionum 2. Quid de noſtris ambitionibus, quid de cupiditate honorum loquar. Quæ flamma eſt per quam non cucurrerint ij, qui hæc olim punctis ſingulis colligebant. Duobus enim modis ferebatur ſuffragium, aut uoce, aut tabella, ut antea diximus. Tabellas fuiſſe ceratas licet conijcere, in quibus ſuffragatores puncta facerent. Nonnullas punctis penè totidem.] Fatetur Cicero Plotium & Plancum nonnullas tribus punctis penè totidem tuliſſe. Pares ſuffragijs eſſent.] Si competitores erant ſuffragijs impares, qui ſuperior erat, is declarabatur. Si uero pares in ædilitatis petitione ſortiebantur, nec ad nouam, ut cum uulgo dicam electionem procedebant. Et ais prioribus comitijs.] Secundum Laterenſis argumentum eſt. Anienſem.] T. Liuius libro decimo auctor eſt, tribuum numerum auctum fuiſſe, additas Anienſem & Terentinam. A. Plotio.] Nam Plotius ex Anienſi erat, ut Plancus ex Terentina. Auulſas.] Id eſt, reuocatas & remotas. Ne in Anguſtum uenirent.] Id eſt, ne nimis pauca ſuffragia haberent. Quām conuenit.] Id eſt, quām ueriſimile eſt. Oſtendit ueriſimile non eſſe quod Laterenſis dixit. Nondum cognita populi uolūtate.] Id eſt, ante priora comitia. Coniunctos. Id eſt, feciſſe coitionem. Quo uos adiuuaremini.] Id eſt, ut uos adiuuaret. Eſſent experti.] Prioribus comitijs. Reſtrictos & tenaces fuiſſe.] Id eſt, reuocaſſe, quas tribus conceſſerant. Credo.] Ironia eſt. Eum te arripuiſſe.] Id eſt, ædilitate deieciſſe. Eum te arripuiſſe.] Amphibologia eſt. Illud uero crimen.] Credibile non eſſe probat, quod Laterenſis de numis in Circo Flaminio deprehenſis dixerat. In Circo Flaminio.] In pratis Flaminij Circum Flaminium fuiſſe, T. Liuius auctor eſt libro tertio. Circum Flaminium dictum eſſe Varro dicit libro de Lingua latina 4. quòd circum Flaminium campum ædificatus ſit, & quod ibi quoque ludis Tauricis equi circum metas currant. Caluit re recenti.] Id eſt, Principio fama diſperſa fuit de hac re, ſed ea fama diutius non conſtitit. Qua ratione id falſum eſſe oſtendit. Refrixit.] Præteritum uerbi frigere omnes docti uſurpant, ut ſit frixi: indocti uero frigui dicunt. Refrixit.] Id eſt, refrigeratum eſt, à refrigeſcendo. Qui illi numi fuerint.] Id eſt, qualis moneta. Nec quæ tribus.] Ad quam deferrentur. Qui tum in crimen uocabatur. Id eſt, qui deprehenſus dicebatur. Eius.] Planci. Quem tu habebas reum.] Id eſt, cui diem dixeras, quem tu accuſaturus eras. Cur non eius damnationes.] Nam ſi is qui deprehenſus dicitur, reus factus fuiſſet, isq; à Planco numos ad corrumpendas tribus accepiſſe ſe confeſſus fuiſſet, eius iudicatione præiudicium ad hoc iudicium comparatum fuiſſet. Vt pro A. Cluentio primum Scamandri, deinde Fabricij damnatio in cauſa Oppianici præiudicium fuit. Magnæ ſunt in te opes.] Laterenſem in inuidiam iudicibus adduxit. Late patet gratia.] Id eſt, tu es gratioſus. Cupidi.] Id eſt, ſtudioſi. Pater optimus.] Cnei Planci. cuius de ſeueritate antea Cicero dixit. Multi etiam communes inimici reorum omnium.] In alia ſententia eſt illud pro Lucio Murena: Omnes ad pericula propulſanda concurrimus, & qui non aperte inimici ſumus, etiam alieniſſimis in capitis periculis amiciſſimorum officia & ſtudia præſtamus. Moueant animos.] Iudicum. Ab eo.] pop. Romano. Quibuſcunque.] Teſtibus. Effugere.] Id eſt, non facere aut dicere. alioqui enim clientis proditor eſſet. Quod uos mente uideatis.] Id eſt, quod uos cognoſcatis. Veſtræ prudentiæ.] Datiuus caſus eſt. Illud unum uos magnopere oro.] Famā de Planci largitione uulgatam fuiſſe ſignificat. Ei famæ ne credant iudices orat, nec ei credendum oſtendit. Dum communis periculi cauſa.] Auctore Quintiliano lib. 5. qui famæ credendum non eſſe ſuadebit, eam eſſe dicet ſermonem ſine ullo certo auctore diſperſum, cui malignitas initiū dederit, incremētū

credulitas.

credulitas: quod nulli non etiam innocentiſſime poſſet accidere, fraude inimicorum falſa uulgantium. Quotus quiſque, inquit Cicero pro M. Cælio, famam effugere poteſt, in tam maledica ciuitate? Vicinum eius mulieris miraris male audiſſe, cuius frater germanus ſermones iniquorum effugere non potuit? Fictis auditionibus.] Id eſt, fama falſa, quæ auditionibus, non uiſis conſiſtit. Diſſeminato, diſperſoq; ſermoni.] Id eſt, fama peruulgata. Iniqui.] Id eſt inimici. Omnium inuidi.] Id eſt, inuidentes omnibus. Id dicendi genus adnotandum. Excipitur.] Id eſt, auditur, creditur, & ut uulgo dicunt recipitur. Si fontem maledicti.] Fontem & caput pro auctore Cicero ſæpe dicit, uulgo dicunt primam originem. Vt pro M. Cælio: Horum duorum criminum uideo fontem, uideo auctorem, uideo certum nomen & caput. Vt negligatis aut diſſimuletis.] Id eſt, quin Plancum damnetis. Non extet auctor qui audierit.] Id eſt, is qui ſe audiſſe dicat, non ſit auctor eius famæ. Sed uenio iam ad L. Caſſium.] Venit, Cicero, ut refutet ea quæ L. Caſſius in Planci accuſatione dixit. Ne illum quidem Iuuentium.] M. Laterenſem ex Iuuentia familia fuiſſe, ante diximus. Aediles plebeij ex plebe, Aediles curules ex patricijs tantum erant apud Rom. ueteres, ut ait T. Liuius lib. 6. & 7. Quendam Iuuentium primum de plebe factum Aedilem curulem, L. Caſſius dixerat: ut ea ratione Laterenſem ædilitate digniorem Planco oſtenderet, qua ratione Plancum largitione factum ædilem probaret. Id de Iuuentio falſum eſſe Cicero oſtendit. Ne illum quidem Iuuentiũ tecum expoſtulaui.] Id eſt, cum querela à te non requiſiui de illo Iuuentio. Quid ſi legas, A te poſtulaui, non tecum expoſtulaui. Si iſta tibi. In codicibus alijs eſt, Si illa. Neſciſſe id populum Rom.] Cum Plancum ædilem faceret. Itaque eo nomine largitionis ſuſpicio nulla eſſe debet. Mortuo Longino.] Aliquo Caſſio Longino. Is quis nam ſit, incertum eſt. Videtur autem ſignificare, eum Longinum antiquitatis peritũ fuiſſe. Non abhorrens à ſtudio antiquitatis.] Id eſt, antiquitatis non indoctus. Perelegans ac perſubtilis.] Eloquentiam aduerſario more ſuo tribuit. Humanitati.] Id eſt, doctrinæ. De ipſo fine.] Id eſt, de Conſulatu, quem paulo poſt finẽ honorum populi Romani appellat. Ipſi aculei.] Id eſt, ipſa dicta aſpera & maledicta, quibus me uituperaſti. Vt libro de Oratore ſecundo: Verborum ratio & genus orationis fuſum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine hac iudiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis proſequendum eſt. Aculeum teſtimonij idem dicit pro L. Flacco: Eodem etiam M. Lurcho uir optimus, meus familiaris, conuertit aculeum teſtimonij ſui. Itemq; Mortuus eſt aculeo iam dimiſſo, ac dicto teſtimonio. Aculeum iracundiæ dixit in libro Tuſculanarum quæſt. 4. Oratorẽ denique nõ modo accuſantem, ſed ne defendentem quidem probant ſine aculeis iracundiæ. Ab acu aculeum per diminutionem dictum eſſe, Priſcianus ſcribit in libro tertio. Familia Conſulari.] Id eſt, mea, qui Conſul fui. Quàm, mihi fuerunt.] Qui primum ut honore dignus eſſem, maxime ſemper laboraui: ſecundo, ut exiſtimarer: tertium mihi fuit illud, quod pleriſque primum eſt, ipſe honos. Adipiſcendorum.] Adipiſci honores dicit ſæpius, quàm aſſequi aut conſequi. quibus etiam uerbis utitur, ſed rarius. Ad præcepta ætas non eſt.] Ea enim ætas eſt tenerior, quàm ut præceptis inſtitui poſſit. Gnati.] Gnatum pro filio dici attende. Nam genitor, genitrix, gnatus, poetis maxime familiaria, oratoribus ferè ignota ſunt. Quæ ille à Ioue ortus.] Ortus Ioue eſt filius Iouis: ortus à Ioue, qui à Ioue ducit originem. ut pro L. Murena Cicero ad Catonem minorem de eius proauo Catone maiore uerba faciens: Eſt illud quidem exemplum tibi propoſitũ domi, ſed tamen natura ſimilitudo illius, ad te magis qui ab illo ortus es, quàm ad unumquenque noſtrum peruenire potuit. Ille igitur à Ioue ortus, id eſt, Atreus, qui Iouis pronepos fuit. Ex Ioue enim Tantalus, ex Tantalo Pelops, ex hoc Atreus natus eſt. Filijs.] Agamemnoni & Menelao: qui quamuis Pliſthenis filij fuerint, Atrei tamen, qui Pliſthenis pater fuit, filij crediti ſunt. auctor eſt Seruius libro Commentariorum primo in Aeneid. Virgilij. Cur ita crediti ſint, Dictys Cretenſis libro primo ſcripſit, quod uidelicet Pliſthenes iuuenis mortuus ſit, nec quidquam laude dignum fecerit. Eo igitur mortuo, Agamemnon & Menelaus in poteſtatem aui Atrei reciderunt. Vigilandum eſt, &c.] Verſus eſt Iambicus trimeter. Noſtis cæteraq;.] Legendum eſt, Noſtis cætera. Cum poetæ alicuius uerſus Cicero citat, ſi hi ſatis noti ſunt, non citat omnes: ſed loco reliquorum dicit, Noſtis cætera, aliud'ue eiuſdem generis. ut in libro de Senectute: Ad Appij Claudij ſenectutem accedebat etiam, ut cæcus eſſet: tamen is cum ſententia Senatus inclinaret ad pacem & fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitauit dicere illa, quæ uerſibus perſecutus eſt Ennius: Quò uobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant Antehac, dementi ſeſe flexere ruina? cæteraq; grauiſſime. Notum uobis enim carmen. Videant.] Id eſt, legant. Ingenioſus poeta.] Ennius. Nam, ut canit Ouidius libro Triſtium ſecundo: Ennius ingenio maximus, arte rudis. De hoc plura in Catonem Ciceronis ſcripſimus. Qui iam nuſquam erant.] Id eſt, qui iam mortui erant, cum hæc Ennius ſcripſit. Magis Aedilis.] Reſpondet Cicero. Minus inuideretur.] Quàm ijs qui nati ſunt obſcuris parentibus. qui ſi magiſtratum gerebant, eum magiſtratum polluí multi arbitrabantur. Honorum gradus, & cætera.] Sententia: Si infimus homo & ſummus gerãt aliquem magiſtratum is qui ſummus eſt, non magis magiſtratus quàm qui infimus eſt, ſed maiorem adipiſcitur gloriam. M. Curio.] Dentato, qui conſul Samnitibus cæſis, & Sabinis qui rebellauerant uictis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magiſtratu triumphauit: ut ait T. Liuius libro undecimo. C. Fabritio.] Qui Pyrrhi bello Conſul fuit. P. Duellio.] Qui Conſul primo bello Punico aduerſus claſſem Pœnorum proſpere pugnauit, primusq; omniũ Romanorum ducum naualis uictoriæ duxit triumphum. Ob quam cauſam ei perpetuus honos habitus eſt, ut reuertenti à cœna tibicines canerent, & funale præferretur. auctor eſt idem Liuius lib. 17. qui tamen Cn. Duellium uocat. De hoc plura ſcripſimus in Catonem Ciceronis. Attilio Calatino.] Is tempore primi belli Punici primum Conſul fuit, deinde Dictator. primus exercitum Romanum extra Italiam duxit, ut idem ait lib. 19. Cn. & P. Scipionibus.] Qui 8. anno ſecundi belli Punici in Hiſpania occubuerunt, quos Cicero in Paradoxis duo propugnacula belli, & in oratione pro L. Cornelio Balbo duo fulmina belli appellat. Marcello.] M. Marcellus quintum Conſul anno ſecundi belli Punici 11. ab Annibale occiſus eſt. Maximo.] Id eſt, Q. Fabio Maximo, qui cunctando reſtituit rem. In his autem nominandis Cicero more ſuo temporis ordinem ſeruauit. Eoſdem ſummus honorum gradus, quos illi aſſecuti.] Id eſt, fuimus ita bene Conſules, quemadmodum illi fuerint. Honorum populi finis eſt Conſulatus.] Eſt enim Conſulatus honos ampliſſimus. Vix decimam partem reperias.] Multis igitur ad eum aſcenſus eſt, ſed paucis ad gloriam. Cur iſte ſit Conſul.] L. Caſſii uerba repetit, ut refutet. Quid potuit amplius.] Quam poteſtatem maiorem habuit. Dominatu regio.] Id eſt, tyrannide Tarquiniorum. Dominatum & dominationem in eadem re dicimus. Honore nihil amplius.] Id eſt potuit quàm ſi L. Brutus eſſet. Profers triumphos T. Gracchi.] T. Sempronius Gracchus Gracchorum pater bis triumphauit, ut in Gracchorum uita Plutarchus ſcribit. C. Marij.] C. Marius bis triumphauit, primum de Iugurtha, deinde de Cimbris.

Et quia commiſſi ſunt ijs magiſtratus.] Niſi enim Conſulatus his dati fuiſſent, rem popul. Rom. non bene geſſiſſent. Itaque non triumphaſſent. Sequentia autem ex antecedentibus plerunq; exiſtimantur: itaque Cicero lib. Epiſt. ad Atticũ 9. Maiores, inquit, noſtri funeſtiorem diem eſſe noluerunt Allienſis pugnæ, quàm urbis captæ, quod hoc malum ex illo. Miles in Creta hoc imperatore.] Fuit enim Plancus, ut antea Cicero dixi, ut in Creta, contubernalis Saturnini propinqui ſui, miles huius Q. Metelli. Tribunus in Macedonia militum.] Hoc quoque antea dixit. Tantum ex re militari.] Cicero in oratione Poſt reditum in Senatu: Cuſtos capitis mei Cn. Plancus omnibus prouincialibus ornamentis commodiſq; depoſitis, totam ſuam quæſturam in me ſuſtentando & conſeruando collocauit. Diſertus.] A diſſerendo diſertus appellatus eſt. Auctore M. Varrone libro de lingua Latina ſecundo, ab agris translatio fit. Nam ut olitor diſſerit in areas ſui cuiuſque generis res, ſic in oratione qui facit diſertus eſt. Minus eſt diſertus quàm eloquens. Itaque M. Antonius orator apud Ciceronem libro de Oratore primo dixit, diſertos ſe cognoſſe nonnullos, eloquentẽ adhuc neminem. Id quod ſecundum eſt.] Id enim primum eſt, ut ſit homo diſertus: ſecundum, ut ſibi uideatur eſſe diſertus. Qui enim ſibi uidetur diſertus, & non eſt, improbe facit. Itaque Quint. libro primo perniciosam ignorationem eſſe dicit eorum, qui falſam ſcientiæ ſibi perſuaſionem induerunt. Falſum de iure reſpondiſſe.] Id eſt, malum dediſſe conſilium, cum de iure conſuleretur. In ijs reprehenduntur.] Auctore Cicerone libro Tuſculan. quæſtionum ſecundo, ut ſi Grammaticum ſe profeſſus quiſpiam barbare loquatur, aut ſi abſurde canat is qui ſe uelit haberi muſicum, hoc turpior ſit, quod in eo ipſo peccet, cuius profitetur ſcientiam: ſic philoſophus in ratione uitæ peccans, hoc turpior eſt, quod in officio cuius magiſter eſſe uult, labitur: artemq; uitæ profeſſus, delinquit in uita. Vt nos in mancipijs.] Similitudo eſt ab hominibus ſumpta. In mancipijs parandis.] Id eſt, in ſeruis emendis. M. Cato de Re ruſtica: Villici officia quæ ſunt, quæ dominus præcipit ea omnia quæ in fundo fieri oportet, quæq; emi parariq; oportet. Comparare uero pro emere, ſæpius quàm eius ſimplex parare dicitur. Quamuis.] Id eſt, quantumuis. Quas in emendo ſecuti ſumus.] Id eſt, quas eum habere putauimus, alioqui non emiſſemus. Sequi aliquam rem in emendo, eſt aliquid emere propter eam rem. ut ſi emo ueſtem, quia eius color mihi iucundus eſt, alioqui non emerem, in emendo ueſtem eius colorem ſequor. Vulgo dicerent, ego emo tantum propter colorem. Quem uillicum imponeremus.] Id eſt, præficeremus. Villicus, ut ait M. Varro libro de re Ruſtica primo, agri colendi cauſa conſtitutus eſt: atque appellatus à uilla, quod ab eo in eam conuehuntur fructus, & euehuntur, cum ueneunt. Quem pecori præficeremus.] Imponere, præponere, & præficere, in eadem re dicuntur. Columella libro primo: Proxima eſt cura de ſeruis, cui quenque officio præponere conueniat, quoſq; & qualibus operibus deſtinare. Et Cicero pro lege Manilia: Cum & bellum ita neceſſarium ſit, ut negligi non poſſit, ita magnum, ut accurate ſit adminiſtrandum, & cũ ei Imperatorẽ præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis uirtus, clariſſima auctoritas, egregia fortuna, &c. Qui uolunt eſſe.] Magiſtratus. Præterea.] Id eſt, præterea qui diſerti ſunt, & iuris periti. Eum.] Laterenſem. In ſe.] Laterenſem, uel potius Plancum. quamuis non eſſet bona reciprocatio ſecundum Vallam, quæ ſemper obſeruatur. Iracundum ab irato differre, Cicero ſcribit lib. Tuſculanarum quæſtionum quarto. quantum ebrioſum ab ebrio. Hoc tamen in loco pro irato iracundum dicit. Eſtq; illud adnotandum, à Cicerone dici in ſe iracundum. quamuis in ſe iratum, & in ſe iraſci non dicatur. Quod ad iudicium non pertineat.] Sæpe id facit Cicero, ut aduerſarium imperitum agendi oſtendat. ut pro Sex. Roſcio C. Erucium, pro A. Cluentio Cepaſios fratres. Cum oratio breuis eſſe debeat, L. Caſſium ſuperuacanea dixiſſe oſtendit. Auctore Quintiliano libro quinto, oratoris eſt interim efficere, ut aliquid ſuperuacaneum in aduerſarij oratione eſſe uideatur. Teſtes in Cornelium accuſator lecti à Tribuno codicis pollicetur. Facit hoc Cicero ſuperuacaneum quia ipſe fatetur. Eodem auctore nonnunquam quædam bene contemnuntur, uel tanquam leuia, uel tanquam ad cauſam nihil pertinentia. Multis hoc locis facit Cicero. Sed hæc ſimulatio interim hucuſque procedit, ut quæ dicendo refutare non poſſumus, quaſi faſtidiendo calcemus. In Laterenſe.] Scribit Priſcianus libro ſeptimo, uti ſi inueniantur propria nomina ſimilia appellatiuis in i tantum finientibus ablatiuum, illa per e proferant eum. ut Iuuenalis proprium à Iuuenale, Martialis proprium à Martiale, Annalis ab Annale. Cicero pro Fundanio: Non hoc modo à Iulio Annale, ſed uix me hercule à Qu. Murone factum probari poteſt. Idem pro Planco. Confiteor ſumma in Laterenſe ornamenta eſſe. Hæc ille. Alia quædam inania & leuia conquiras.] Eludit Caſſium, quod ſatis non laudarit Laterenſem: ut pro Milone eius accuſatores eludit, quod non uituperant Milonem, quod ſatis magnis præmijs ſeruos ſuos non affecerit. Præneſte feciſſe ludos.] Id eſt, efferrs Laterenſem laudibus, dicens eum Præneſte feciſſe ludos. In huiuſmodi autem ſermone Dicens aut Dicendo, aut etiam quod uulgo dicunt, Inquiens, cum ab alijs, tum uel maxime à T. Liuio omitti ſolet. Præneſte urbs eſt in Italia non longe ab urbe Roma, quam Cæculus Vulcani filius condidit, ut eſt apud Virgilium libro Aeneidos 7. Ea quondam Stephane appellata eſt, ut ait Plinius libro tertio. In ea L. Syllam fortunæ templum feciſſe, idem ſcribit libro 36. Vnde certa edi oracula, Strabo auctor eſt in libro quinto. De ſortibus Præneſtinis alio loco diximus. Auctore Seruio dicimus hoc Præneſte: ut, Quiq; altum Præneſte uiri. & hæc Præneſtis: unde eſt, Cum primam aciem Præneſte ſub ipſa Strauit. Feciſſe ludos.] Vt pro L. Murena: Ego qui trinos ludos Aedilis feceram, tamen Antonij ludis commouebar. Alij Quæſtores non'ue fecerunt.] Ludos non ſoli Aediles faciebant, ſed etiam Quæſtores, & L. Murenam Prætorem feciſſe Cicero in eius defenſione ſcripſit. Cyrenis liberalem.] Significat Cicero Laterenſem Quæſtorẽ cum Prætore Cyrenas in prouinciam profectum eſſe. Sunt autem Cyrenæ, ut diximus, in Libya. In ſocios.] Id eſt, in Cyrenæos. Ita multa Romæ geruntur.] In prouincia Laterenſis fuit, quo tempore Plancus fuit Romæ. Quæ Romæ geruntur, magis cognita ſunt populo Romano, quàm quæ in prouincia. Non igitur Laterenſem Plãco populus Romanus præponere debuit. Non uereor.] Exemplo ſuo probat, ea quæ in prouincia fiant, populo Romano ignota eſſe. In maximis rebus.] Id eſt, conſulatu. Probat autem ſe hæc non dicere, ut ſe laudet, cum de Conſulatu ſuo ſe magis poſſet laudare. Vlius in Sicilia Quæſturæ.] Quæſturam, non Quæſturæ ſcribi deberet, cui non pateat? Frumenti maximum numerum.] Id eſt, copiam. Vt in libro de Officijs tertio. Si uir bonus ab Alexandria profectus Rhodum magnum frumenti numerum aduexerit in Rhodiorum inopia, & fame, ſummaq; annonæ caritate. Et Actione in Verrem quinta: Cuius iudicij metu magnus à multis frumenti numerus ablatus, magnæq; pecuniæ coactæ ſunt. Vis pro copia itidem dicitur, ut uis lachrymarum, uis auri, uis marmoris à Cicerone dicitur. de quo alio loco dicemus. Mercatoribus iuſtus.] Iuſtus mercatoribus, & iuſtus in mercatores: liberalis municipibus, & liberalis in municipes dicitur. ut paulo ante: Cirenis liberalem in publicanos, iuſtum in ſocios. Socijs abſtinens.] Id eſt, Siculis nihil eripiens. Decedebam.]

De

De prouincia.] Decedere hac in re, non diſcedere dici ſolet. De hac re Plutarchus in uita Ciceronis. Vltro.] Id eſt, non petenti. Omnia.] Etiam Conſulatum. Puteolos.] Qui ſunt in Campania. Solent eſſe.] Soleant ut ſcribatur, ſenſus poſtulat. Plurimi autem & lautiſſimi ſolent eſſe Puteolis. Nam, ut ſcribit Sex. Pompeius, Puteolos minorem Delon eſſe dixerunt, quod Delos aliquando maximum emporium fuerit totius orbis terrarum: cui ſucceſſit poſtea Puteolanum, quod municipium Græcum antea Dicæarchia uocitatum eſt. unde Lucilius: Inde Dicæarchum populos, Deloný minorem. Stomachans faſtidioſe.] Id eſt, grauiter & cum quodam faſtu iraſcens. De hoc uerbo quod eſt ſtomachari, alio loco diximus. Hunc Syracuſis Quæſtorem fuiſſe.] Auctore Aſconio Pediano, bini Quæſtores in Sicilia quotannis fuerant ſingulis Prætoribus, Lilybitanus & Syracuſanus: Cicero autem Lilybitanus erat. Me unum ex his feci.] Id eſt, me cum his coniunxi, nec me digniorem ob Quæſturam habui. Ad aquas.] Id eſt, Puteolos. Ab aqua enim, id eſt, à puteis Puteolos fuiſſe appellatos, Plinius libro 31. ſignificat. Idem dicit Strabo libro quinto. Aquariam prouinciam Cicero appellat in oratione in Vatinium: In eo magiſtratu, cum tibi magno clamore Aquaria prouincia ſorte obtigiſſet, miſſuśne ſis à me Conſule Puteolos, ut inde aurum exportari, argentumq́; prohiberes? Mihi tum.] De prouincia decedenti. Aures hebetiores, oculos acres atque acutos habere.] Id eſt, quæ audiat, facile obliuiſci: quæ uideat, acrius meminiſſe. Habitaui in oculis.] Id eſt, in eorum conſpectu ſemper uerſatus ſum. Preſſi.] In codicibus alijs ſcriptum eſt, Repreſſi. A congreſſu meo.] Id eſt, à meo colloquio. Abſterruit.] In codicibus alijs Abſtruſit ſcriptum eſt. De occupatis meis temporibus.] Id eſt, de tēporibus ijs quibus occupatus eram in curia aut in foro. ut occupatam uitam dicit in libro Tuſculanarum quæſt. ſecundo: In uita tamen occupata, atq; ut Neoptolemi tum erat, militari, pauca ipſa multum proſunt. Cicero quantum occupata ſint ſua tempora, ad Q. Fratrem ſcribit lib. Epiſtol. 3. Occupationum, inquit, mearum ſignum tibi ſit librarij manus. Diem ſcito eſſe nullū, quo die non dicam pro reo. Ita quidquid conficio aut cogito, in ambulationis ferè tempus confero. Negotium quidem unquam otioſum.] In codicibus alijs melius ſcriptum mihi uidetur: Ne otium quidem unquam otioſum. ad eam ſententiam: ut cum ei otium fuerit per ludos aut ferias, id otioſum ei non fuerit. Quas tu commemoras Caſſi.] Ciceronis orationes editas legere ſe Caſſius in accuſatione dixit. Ludis et ferijs ſcribere ſe ſolitum illas orationes Cicero dicit. poſtquam eas in foro, aut in curia, aut in concione habuerat. Prius enim quā haberet orationes Cicero, commentarios (memoriale uulgo appellant) ſcribebat. in quib. quæſtiones præcipuas cōſcribebat, ſic commentariorum libri editi fuerunt. nam à Quintiliano et ab Aſconio Pediano citantur. Poſtea ludis & ferijs, ut modo dixi, orationes ſcribebat. Rudis & ferus.] Legendum ſi ludis & ferijs. Diebus feſtis ludisq́; publicis negotia forenſia omnia intermittebantur, ut ait Cicero in oratione pro Marco Cælio. Quod in principio ſcripſit Originum ſuarum.] Locum Auctoris citat Cicero præter morem ſuum. De Originibus Catonis ſcripſi in Ciceronis Catonem Maiorem. Semper magnificum, & cætera.] Aut ſunt uerba Catonis, aut Mimeſis eſt. Non minus ocij quàm negotij.] Id eſt, otij rationem illam habendam eſſe, ne in eo otioſi ſimus. Scipio Africanus maior, ut de eo Cato ſcripſit, dicere ſolebat: Nunquam ſe minus otioſum eſſe, quàm cum otioſus erat. nam in otio de negotijs cogitabat, nec unquam ceſſabat, eumq́; otium acuebat: ut eſt apud Ciceronem libro de Officijs tertio. Apud A. Gellium capite decimo libri deciminoni: pulchri uerſus Ennij ſunt de otio otioſo, & negotio. Publici quoque caſus.] Nam Catilinæ coniuratio forte emerſit in Ciceronis conſulatu. Domi.] Id eſt, in patria. Eadem igitur Caſſi uita munita.] Via, non uita ſcribi debet. Idem curſus.] Id eſt, idem compendium, eadem celerior uia. ut ante dixit: Ve te ad curſum iſtum tenendum, quem à prima ætate ſuſcepiſti, cohortentur. Huc.] Id eſt, ad Conſularem dignitatem. A me ortus.] Id eſt, nec parentum, nec maiorum, ſed mea uirtute illuſtratus. Niſi forte.] Legendum arbitror contra omnium exemplorum fidem, Sorte, non forte. Ter enim Plancus ab urbe abfuit, cum miles in Creta erat, cum Tribunus militum, & poſtea quæſtor in Macedonia fuit. Abfuit.] Quæſtor ſorte. Quæſtor enim cum Prætore prouinciam ſortiebatur. ut pro P. Seſtio, de eodem Seſtio: Quæſtor hic C. Antonij collegæ mei, iudices, fuit ſorte, ſed ſocietate conſiliorum meus. Et in Diuinat. de Quinti Cæcilij quæſtura: Nullam neq; iuſtiorem, neq; grauiorem cauſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quàm coniunctionem ſortis, quàm prouinciæ, quàm officij, quàm publicam muneris ſocietatem. Abfuit miles lege.] Lex enim iubebat, ut ciues Romani annis decem militarent inter annum ætatis 16. completum, & 66. Huius legis meminit Plutarchus in uita Gracchorū. Abfuit Tribunus militū neceſſitate.] Cū enim Tribunus militū eſſet, ſiue in comitijs ſiue in exercitu factus, eū in exercitu eſſe neceſſe fuit. Rebus ijſdē.] Vt eloquentia & iuris ciuilis ſcientia. At ualuit aſſiduitate.] Cum aliquem laudamus, ſi quid defuit, alia ei affuiſſe dicamus, quæ minoris facienda non ſint, quàm illa quæ deſunt. ut pro L. Flacco adempturus Græcis teſtimonij fidem, ne eos uituperare uideatur, ijs eloquentiam tribuit. Et in libro de Officijs primo, ſcribens de ijs, quibus non licet parentes imitari: Si, inquit, non poterit ſiue cauſas defenſitare, ſiue populū concionibus tenere, ſiue bella gerere: illa tamen præſtare debebit, quæ erunt in ipſius poteſtate, iuſtitiam, fidem, liberalitatem, modeſtiam, temperantiam, quo minus ab eo id quod deſit requiratur. Aſſiduitate.] Ea eſt, quam uulgo appellant reſidentiam. Seruandis amicis.] Non quidem in foro iudiciali: diſertus enim non erat. ſed amicis ſeruandis, ut me in Macedonia ſeruauit. Liberalitate.] Non largitione. Petiuit.] Aedilitatem. Eſt uſus ratione.] Romanos enim ciues ſalutauit, ijsq́; ſupplicauit. Nam quod ais Caſſi.] Dixerat Caſſius, Ciceronē nō plus debere Planco, quàm omnibus bonis ciuibus, quibus eius ſalus curæ fuerat. Et Planco & cæteris bonis ciuibus debere ſe plurimum fatetur: nunc autem Planco diſſoluendum eſſe, cum neceſſitas poſtulet. Aedilitijs comitijs.] Idem dicit Cicero in principio huius orationis. In ijs.] Id eſt, inter eos. Conturbare.] Id eſt, cōmiſcere & confundere ea, quæ bonis omnibus debeo, ut ea nō diſſoluam niſi uniuerſis, aut ne uniuerſis quidem. Hac ætate fit, ut qui creditoribus ſatiſfacere non poſſunt, id beneficij cum literis regijs impetrent, ut quinquennio toto à creditoribus appellari non poſſint. Id quinquennale uulgo appellant. Exacto quinquēnio, ſi ſoluendo non ſunt, tantundem temporis impetrant. Alijs, qui fortunæ tenuioris ſunt, conceditur, ut nunquam uocentur in iudicium, niſi fortunæ beneficio facti fuerint locupletiores. Conturbare huiuſmodi debitores dici poſſunt, quòd creditores omnes eodem numero habeant, & quaſi commiſceāt. Budæus in Annotationibus in Pandectas hunc Ciceronis locum citans, conturbare eſſe dicit decoquere, & pecuniam ſuam diſſipare: proprieq́; de ſeruis dici, qui cum dominorum rationibus paria non faciunt. Cuiuſq;.] Id eſt, uniuſcuiuſq;, cui ego debeo. Hoc nomen.] Id eſt, hoc debitum. Quanquam diſſimilis eſt pecuniæ debitio & gratiæ. Locus hic ab Antonio Iuliano explicatus, ut eſt apud A. Gellium cap. 4. libri primi. Eadem ſententia eſt in oratione Ciceronis poſt reditum ad Quirites: Atqui in officio perſoluendo diſſimilis ratio pecuniæ de

bitæ eſt, propterea quòd pecuniam qui retinet, non diſſoluit: qui reddidit, non habet. Gratiam & qui retulit habet, & qui habet, diſſoluit. Hoc ab alio ante dictum fuiſſe, idem Cicero ſignificat in lib. de Officijs 2. Commode, inquit, quicunque dixit pecuniam qui habet, non reddidiſſe, & qui reddiderit non habere: gratiam autem & qui reddiderit habere, & qui habeat retuliſſe. Pecuniæ debitio & gratiæ.] Vt debere pecuniam, ita debere gratiam ſæpe licet inuenire à Cicerone dici. Vt in Philippica ſecunda: Quo etiam maiorem Reſp. gratiam debet, qui libertatem populi Ro. unius amicitiæ præpoſuit. Et pro Milone: Huius beneficij gratiam iudices fortuna pop. Romani & ueſtra felicitas, & alij immortales ſibi deberi putant. Et pro L. Cornelio Balbo: Iuſtam & debitam gratiam refero. Debere quoque beneficium dici, alio loco docuimus. Is retinet alienum.] Aes, non is legendum eſt, uti apud Gelliū ſcriptum. Aes enim quod debetur, creditoris eſt, non debitoris. Itaq; Iabolenus lib. Digeſtorum 49. de iure fiſci, id bonorum cuiuſq; eſſe dicit, quod æri alieno ſupereſt. Si hoc moleſtiæ.] Id eſt, ſi hæc eius accuſatio, & ideo mea defenſio. Pro meis liberis.] Marco, & Tullia. Iſtorum ipſorum.] Liberorum. Huius.] Planci. Opimium damnatum eſſe commemoras.] L. Opimius Coſ. C. Gracchum oppreſſit. Is accuſatus primum apud populum à Qu. Decio Trib. pl. quòd indemnatos ciues in carcerem conieciſſet, liberatus eſt: ut ait T. Liuius lib. 61. Deinde miſſus legatus ad diuidendum inter Iugurtham & Adherbalem regnū, quod Micipſa obtinuerat, à Iugurtha corruptus eſt. Eo crimine accuſatus, condemnatus eſt: ut auctores ſunt Salluſtius in Iugurtha, & Plutarchus in uita Gracchorum. Seruatorem Reip.] Quia furioſos C. Gracchi conatus repreſſit. Qu. Metellus.] Numidicus, qui in exilium abire, quàm in L. Saturnini pernicioſas leges iurare maluit. Is lata lege Saturnino occiſo, in urbem reuocatus eſt. Plutarchus in uita C. Marij de hac re ſcribit fuſius. Liberatus ſit.] Id eſt, abſolutus. Qu. Metellum Pium.] Numidici filium. Hoc exemplum ſcribit Valerius Maximus lib. 5. de Gratis. Prætoris comitijs.] Quibus prætores fiebant. Supplicaſſe.] Ex more ſuo potius quàm ſupplicauiſſe Patronum illum eſſe ſuum.] Magna hæc fuit gratitudo. Nam auctore Cicerone libro de Officijs ſecundo, qui ſe locupletes, honoratos, beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio uolunt: qui etiam beneficium ſe dediſſe arbitrantur, cum ipſi quamuis aliquid magnum acceperint, æque etiam à ſe aut poſtulari aut expectari aliquid ſuſpicantur: patrocinio uero ſe eſſe uſos, aut clientes appellari, mortis inſtar putant. In iudicio.] Accuſatum Calidium repetundarum arbitror. Si Romæ eſſe potuiſſet.] Nam in Hiſpania imperator bellum gerebat cū Sertorio. Opimij quidem calamitas.] Significat Opimium iniuſte condemnatum. Calamitas.] Id eſt, condemnatio. Illi iudices.] Hi iudices erant ſoli Equites. Nam lege Sempronia ſoli Equites tum iudicabant. Eos annos propè quinquaginta iudicaſſe, ſine ulla ſuſpicione pecuniæ ob rem iudicandam acceptæ, Cicero dicit in Verris accuſatione. Si iudices, & non parricidæ patriæ.] Correctio eſt. Parricidæ patriæ.] Et in Vatinium: Es ne igitur patriæ certiſſimus parricida? Inde parricidium patriæ idem dixit in libro de Officijs tertio: Poteſt enim Dij immortales cuiquam eſſe utile fœdiſſimum & teterrimum parricidium patriæ? Grauiorem infligere ſecurim.] Id eſt, maius incommodum afferre. De hoc dicendi genere alibi plura ſcripſimus. E' ciuitate eiecerunt.] Id eſt, exilio mulctauerunt. Prætor finitimo bello.] L. enim Opimius Prætor Fregellanos qui defecerant in deditionem accepit, & Fregellas diruit, ut ait T. Liuius lib. 60. Domeſtico bello.] Quod C. Gracchus excitabat. At enim minus magnum, &c.] Hoc in loco aliquid deeſſe, itaq; legendum eſſe arbitror: At enim minus ego magnum beneficium Planco

debere me dico, & ut ais, id uerbis exaggero. Poſuit hoc idem Laterẽſis.] Id eſt, in accuſatione ſua affirmauit. De iſto.] Laterenſe. Requiro.] Id eſt, quæro. Inimicorum.] P. Clodij, A. Gabinij, L. Piſonis, eorumq; qui coniurationi fauerant, aut quorum neceſſarij pœnas dederant. Toto illo anno.] Quo P. Clodius fuit Tribunus plebis. Et quendam putas.] Probat uitæ ſuæ inimicos non peperciſſe. Et quenquam.] Id eſt, utrum quenquam ex inimicis. Tam excordem.] Id eſt, tam ſtultum. Viuis his.] Bonis ciuibus. Si uiuerem.] Id eſt, ſi me inimici non occidiſſent in exilio ut ſignificet ſalutem ſuā à Planco conſeruatam. Is homo.] Id eſt, talis homo qualis tu es Prædicare.] Id eſt, palàm dicere in foro. Temporis cauſa.] Id eſt, ut honeſtam defendendi cauſam uiderer habere. Illud enim à Cicerone fieri ſolitum alibi docuimus, ut in principio defenſionū, honeſtam ſe cauſam defendendi habere dicat, ne aut gloriæ cupiditate, aut accuſatoris odio, aut turpi quæſtu ad defenſionem acceſſiſſe uideatur. Sed licet homo ſapiens.] Ironia eſt. Obſtrictus.] Id eſt, obligatus. Cum liber eſſem & ſolutus.] Id eſt, cum obligatus non eſſem. Mihi ad defendendum.] Oſtendit Cicero id ſe cauſa temporis non finxiſſe, cum multas alias cauſas honeſtas Planci defendendi habuerit. Vicinitatis.] Atina enim Arpino uicina erat, ut ante dixit. Patris.] Planci. Quantæ neceſſitudines amicitiæ patris Planci Ciceroni fuerint, ipſe teſtatur libro Epiſt. decimo tertio ad Cn. Plancum: Non dubito, inquit, quin ſcias in ijs neceſſarijs qui tibi à patre relicti ſunt, me tibi eſſe uel coniunctiſſimum; non ijs modo cauſis, quæ ſpeciem habent magnæ coniunctionis, ſed ijs etiam quæ familiaritate et conſuetudine tenentur, quam ſcis mihi iucundiſſimam cum patre tuo & ſummam fuiſſe. Vereor credo.] Ironia eſt. At id etiam gregarij.] A' minore ad maius probas, ſe non finxiſſe beneficij à Planco accepti magnitudinem. Etiam gregarij.] Id eſt, non ſolum delecti, ſed etiam humiliores, quales multi ſunt in his qui tumultuarie colliguntur. Auctore Plinio capite quarto libri uigeſimi ſecundi: Ciuicæ coronæ honos, uno aliquo uel humillimo ciue ſeruato, præclarus ſacerq; habetur. Gregem dici pro hominum multitudine uel honeſtorum, uel humilium, alio loco docuimus. Inde gregarij milites dicuntur hi, qui humiles ſunt, & non delecti, quales eſſe ſolent cum tumultuarie colliguntur: A' Salluſtio quoque in eam rem dici in bello Catilinario, certum eſt: Multi inquit, memores Syllanæ uictoriæ, quod ex gregarijs militibus alios Senatores uidebāt, alios ita diuites, ut regio uictu atque cultu ætatem agerent, ſibi quiſq; ſi uictoria in armis foret, talia ſperabat. Gregales Cicero appellat ſocios uel homines humiliores. ut de Reſponſis aruſpicū: Hoc quidē uerbo neq; P. Clodius neq; quiſquã de gregalib. eius, aut de conſiliarijs deſignatur. Et libro de Oratore ſecundo: Vt in illum Titium, qui cum ſtudioſe pila luderet, & idem ſigna ſacra noctu frangere putaretur: gregaleſq;, cum in campum non ueniſſet, requirerent, excuſauit Veſpa Terentius, quòd eum brachium fregiſſe diceret. Vt coronam dent ciuicam.] Ciuica corona appellatur, quã ciuis ciui, à quo ſeruatus in prælio eſt, teſtem uitæ ſalutiſq; perceptæ dat. Ea fit ex fronde quercina, quoniam cibus uictusq; antiquiſſimus querceus capi ſolitus ſit. Fit etiam ex ilice, quod genus ſuperiori proximū eſt. Auctor eſt A. Gellius capite ſexto libri quinti, ubi de huiuſmodi coronæ iure multa ſcribit. Auctore tamen Plinio capite 5. libri decimiſexti ciuica corona primo fuit iligna, poſtea magis placuit ex æſculo Ioui ſacra. Ea donatur, ut idem ſcribit, qui ciuem ſeruare, quàm hoſtem occidere maluit. Quanta cura fuerit Romanis antiquis, ut ciues ſuos ſeruarent, in ſecundam Inuectiuarum ſcripſimus. Eadem donatur is qui patriæ muros primus ſcandens, audentem irrumpere occidit, ut idem Plinius ſcribit. L. Gellius ciuicam coronam Ciceroni à Repub. deberi ob eam

conſeruatam

*conſeruatam, in Senatu dixit, ut eſt in eius Ciceronis oratione in L. Piſonem. Auctore Plinio licet ut ei, qui eam acceperit, perpetuo ludis, Induenti ſemper aſſurgi, etiam ab Senatu in more eſt: ſedendi ius in proximo Senatui. Cum reliquas coronas auro ueteres illi Romani commendarent, ſalutem ciuis, ijs qui eum ſeruaſſent, in pretio eſſe noluerunt, clara profeſſione ſeruari quidem hominem nephas eſſe lucri cauſa. Non quo turpe ſit.] Legendum arbitror, Non quod turpe ſit. Niſi forti utro & cominus pugnanti.] Qui enim per ignauiam aut prælio non adeſt, aut eminus pugnat, in id periculum non incidit, ut ab hoſte uel capiatur, uel occidatur. Negat igitur eſſe turpe hoſtium manibus eripi, quia in eas incidere turpe non ſit. Onus beneficij reformidant.] Id eſt, tanta beneficij magnitudine obligari nolunt. Alieno.] Id eſt, non parenti. ut enim à parente uitam accepimus, ita uitam periclitantem nobi reſtituit is, qui nos hoſtium manibus eripuit. Quantum autem parentibus debeamus, Cicero ſcribit in libro de Officijs primo: Si contentio quædam, inquit, & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum ſit officij, principes ſunt patria & parentes, quorum beneficijs maxime obligati ſumus. Idem in oratione Poſt reditum in Senatu: Parentes chariſſimos habere debemus, quod ab his nobis uita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita eſt. Ego cum cæteri, & cætera.] Auctore Quintiliano libro quinto, Ariſtoteles argumentum putat potentiſſimum ex eo qui dicit, ſi ſit uir optimus: proximum, ſi optimus uideatur. Inde, inquit, nobilis illa Scauri defenſio: Q. Varius Sucronenſis ait Aemylium Scaurum Rempub. populi Rom. prodidiſſe: Aemylius Scaurus negat. Cui ſimile quiddam feciſſe Iphicrates dicitur. Is cum Ariſtophontem (quo accuſante ſimilis criminis reus erat) interrogaſſet, an is accepta pecunia Rempublicam proditurus eſſet, iſq; id negaſſet: Quod igitur, inquit, tu nõ feciſſes, ego feci. Huic non ita diſſimile eſt hoc exemplum. Ego cũ cæteri.] Oſtendit quæ de Planco dixiſſet, non finxiſſe cauſa temporis. Primum quod acceperit à Planco beneficium, cui gratia referri non poſſe uideatur: quod non fateretur, niſi uerũ eſſet, cum cæteri uera beneficia etiam minora diſſimulent. Deinde Laterenſis teſtimonio. Poſtremo oratione ea, quam poſt reditum habuit in Senatu, multo ante hanc cauſæ actionem. Cum cæteri uera beneficia.] Argumentum à contrario. Ne referri quidem gratia.] Id eſt, quod maximum eſt. Periculum uitæ tuæ mecum ſociare noluiſſes.] Id eſt, te periculo mecum exponere noluiſſes. Significat autem, Laterenſem fuiſſe ex ijs, qui ſuaſerint ipſi Ciceroni, ut ne abiret in exilium, ſed manu cũ inimicis decertaret, cui operã ſuã Laterenſis pollicitus ſit. Sic mecũ ſemper egiſti.] Poſt reditũ meum. Te mihi remittere atque concedere.] Id eſt, te contentum eſſe, ut gratiã tibi minorem referrem, dum Planco maiorem referam. Ea ratione ex Laterenſis ſententia oſtendit, beneficia, quæ à Planco accepit, maiora eſſe maximis ijs, quæ Laterenſis contulit. Studium.] Id eſt, fauorem in ſuffragijs. In honorem.] Id eſt, in Aedilitatem alium'ue magiſtratum. Vt cauſæ utile eſt, ſi quid ex accuſatione patronus ad cauſæ ſuæ utilitatem transferre poſſit, ita non minus utile eſt, ſi quid aliquando dixit aduerſarius quod nobis proſit. Prima habita in Senatu.] Non ſignificat Cicero ſe plures habuiſſe in Senatu orationes poſt reditum, quibus Senatui, alijſq;, quorum beneficio redierat, ageret gratias. Sed primam illam eſſe ex ijs, quas poſt reditum in Senatu habuerit. Perpaucis.] Hi qui ſint, legere licet in ea oratione. Et quaſi ſigniferi.] Id eſt, auctores & principes. Quia autem inuitis Clodianis Cicero reuocatus eſt, uſus eſt tranſlatione à re militari. Sunt autem ſigniferi, qui ſigna portant, qui non ſolum fideles eligebantur, ſed etiam literati: ut ait Vegetius libro ſecundo. Eos ætate ſua Draconarios appellari dicit. Alibi quoque Cicero hac uoce uſus eſt. ut pro P. Sylla: L. ille torquatus cum eſſet meus cõtubernalis in Conſulatu, cum ſignifer eſſet iuuentutis. Et libro Tuſculanarum quæſt. quarto: Et quidem illam ipſam iram Centurio habeat, aut ſignifer, uel cæteri. In his.] Id eſt, inter hos. Dicta de ſcripto eſt.] Id eſt, legendo, non memoriter pronunciata. Hoc autem Cicero dicit, quo maior auctoritas teſtimonio addatur. Ea enim oratio ut habita eſt, ita pronunciata. Si eam ſcripſiſſet, poſtquam habuiſſet, Laterenſis negare potuiſſet hanc tanti beneficij à Planco accepti mentionem ſum habitam fuiſſe. Ego homo aſtutus.] Ironia eſt. Teſtimonio ſempiterno. Quæ dicuntur, fluxa: quæ ſcribuntur, plerunq; uſu uenit ut ſempiterna ſint. Nolo.] Inter Sempiterno & Nolo, aſcribendum eſſe RECITA arbitror: ut Præconi dicat Cicero, ut illud recitet ex ſua oratione in Senatu habita. Cuius mei ſenſus certiſſimus teſtis eſt hic idem, qui cuſtos capitis fuit, Cn. Plancus. qui omnibus prouincialibus ornamentis commodiſq; depoſitis, totã ſuam quæſturam in me ſuſtentando & conſeruando collocauit. Qui ſi mihi Quæſtor imperatori fuiſſet, in filij loco fuiſſet. Nunc certe erit parentis, cũ fuerit Quæſtor non imperij, ſed doloris mei. Quæ à me mandata ſunt literis.] Id eſt, ſcripta alijs in locis, ut in Epiſtolis. Proferre uidear ad tempus.] Fortaſſe legendum ſit, proferre uidear tempus. Quam cõſuetudini iudiciorum.] Nam genus dicendi forenſe uehemens eſt. Atque etiam clamitas.] Obiecit Ciceroni Laterenſis, Cyprium ab eo defenſum, condemnatum fuiſſe. Itaque eius preces abſolutas eſſe: ut iudicibus Ciceronem quodammodo in odium adducat, qui fruſtra iudices precibus fatiget. ne etiam admoneat iudices, eos precibus Ciceronis pro Planci ſalute moueri non debere. Quouſque ita dicis.] Verbis aduerſarij proponit rem refutandam. Nihil in Cyprio profeciſti.] Id eſt, te defendente Cyprius damnatus eſt. Abſolutæ.] Id eſt, exhauſtæ, nihil amplius habent momenti apud iudices. Obijcies.] Melius obijcis: ut paulo poſt melius Dicis, quàm dices ſcribatur. Quia te teſte cognoram.] Laterenſis conſilio id ſe feciſſe dicit, quod nunc Laterenſis reprehendit. Contenderim.] Id eſt, precibus poſtulauerim. Verbi.] Id eſt, dictionis. Verbum pro dictione etiam indeclinabili dici attende. Auctore Quintiliano libro primo, uerbum duo ſignificat: primum ſignificat omnia, per quæ ſermo nectitur. ut apud Horatium, Verbaq; prouiſam rem nõ inuita ſequentur. deinde, in quo eſt una pars orationis, Lego, ſcribo. Quam uitantes ambiguitatem quidam dicere maluerunt, uoces, dictiones, locutiones. Datus eſt tibi ille.] Id eſt, ille te deprecante abſolutus eſt. Dare reum, dedere, tradere, & condonare, eadem in re dici, alio loco docuimus: pro eo uidelicet, quod eſt dare ad uoluntatem petitoris, uel ut abſoluatur, uel ut damnetur. Qui pro uno laborarit.] Vt ego pro Cyprio. Non obtinuerit.] Id eſt, non impetrauerit. Irridentis eſt magis quàm reprehendentis.] Reprehenſioni Laterenſis auctoritatem detrahit. Cum his.] Iudicibus. Et mihi lachrymulam.] Laterenſis, ut oſtenderet quãto animi affectu Cyprium Cicero defendiſſet, cũ Cicero peroraret, eius lachrymulam ſe uidiſſe dixit. Verbi.] Id eſt, quod lachrymulam dixeris. Cypriani iudicij.] Ad quod Cyprius uocatus erat. Aliter appellat Cicero pro A. Cluentio iudicium Iunianum, cuius uidelicet C. Iunius quæſitor erat. Non modo lachrymulam.] Lachrymula dicitur etiam à Terentio in Eunucho: Hæc uerba una me hercle falſa lachrymula, Quam oculos tergendo miſera uix ui expreſſerit, Reſtinguet. Sed multas lachrymas, &c.] Suadet Quintilianus libro 6. de Mouendis affectibus præcipiens, ut orator mouens affectus ſimilis ſit ijs, qui uere patiuntur affectibus: & à tali animo proficiſcatur oratio, qualem iudicem facere uolet. An, inquit, ille dolebit, qui audiet me, cum hoc dicam, non dolentem? iraſcetur, ſi nihil ipſe, qui in iram concitat, idq; exigit, ſimile*

patietur? Siccis agens oculis lachrymas dabit? Fieri non poteſt. Nec incendit niſi ignis, nec madeſcimus niſi humore, nec res ulla dat alteri colorem quem ipſa non habet. Primus eſt igitur, ut apud nos ualeát ea quæ ualere apud iudicem uolumus, afficiamurq; antequam afficere conemur. Alibi quoque Cicero in mouendis affectibus lachrymas ſuas oſtendit. ut Actione in Verrem ſeptima: Paulo ante iudices lachrymas in morte miſera atque indigniſſima Nauarchorum non tenebamus, & recte et merito ſociorum innocentium miſeria commouebamur. Et pro Milone: ſed finis ſit. neque enim præ lachrymis iam loqui poſſum, & hic lachrymis defendi uetat. Simultates, quas mecum habeat.] Vt pro A. Cluentio, qui cum matre habebat ſimultates. Habere et proſequi odio, doctis quàm cognita nó ſint, alio loco docuimus. Depoſuiſſet.] Vt libro Epiſtolarum familiarium ſecundo, Ego Appium, ut ſæpe tecum locutus ſum, ualde diligo, meq; ab eo diligi ſtatim cœptum eſſe, ut ſimultaté depoſuimus, ſenſi. Deponere inimicitias dici in eadem re, alio loco docuimus. In periculo.] Id eſt, in cauſæ dictione. Negas Tribunatum Planci.] Duo à Laterenſe dicta proponit, ut ea ſimul refutet. Auctore Quintiliano libro quinto: plura ſimul refutamus, ſi tam infirma ſunt, ut pariter impelli poſſint: aut tam moleſta, ut pedem conferre cum ſingulis non expediat. Fit tamen ferè ut ſingula refutentur. Negas Tribunatũ Planci.] Laterenſis ut oſtenderet Ciceronem temporis cauſa hæc de beneficijs à Planco acceptis finxiſſe, dixit Plancum, cũ eſſet Tribunus plebis, Ciceronis dignitati nihil attuliſſe adiumenti: quod tamen feciſſet, ſi Quæſtor tantum adiuuaſſet, propterea quòd Tribuni plebis quàm Quæſtoris maior ſit adiuuandi amicos facultas. dixitq; Lucium Racilium à Cicerone defenſum non eſſe, à quo maxima ipſe beneficia acceperat. Vt id ſignificaret: Si Planci cauſam ob tanta beneficia ſuſcepit, cur Lucium Racilium deſeruit? Ad utrunque reſpondet. Diuina.] Id eſt, maxima. Homines enim hominibus beneficia conferre poſſunt, ſed non tanta quanta dij ipſi. Itaque auctore Cicerone in libro de Officijs ſecundo, proxime & ſecundum deos homines hominibus maxime utiles eſſe poſſunt. Sicut in Planco.] Sicut Planco ſcribi oportet. Præ me feram.] Id eſt, oſtendam, nec diſſimulabo. ut pro Milone: Hunc præ ſe tuliſſe illo die Roma exiturum, illum eo die ſe diſſimulaſſe rediturum. Tam licuiſſet per hominum uim.] Dicit cauſam, cur Racilium non defenderit, quia per hominum uim & populi Romani iniuriam non licuit. Ea autem Racilij cauſa quæ fuerit, cognitum non eſt. Marci Racilij beneficijs.] Hunc in Tribunatu Planci collegam fuiſſe ſignificat. Fuiſſe cõtentum.] More debitorum, qui creditores magis onerare nolunt. Minus facturos.] Id eſt, Plancum non abſoluturos. Quod in monumento Marij.] Hoc Marij monumentum quod fuerit, mihi cognitum non eſt. Templum tamen arbitror fuiſſe, in quo factum ſit hoc Senatuſconſultum, Senatum enim haberi non licebat in loco, qui augurio conſecratus non eſſet, ut alio loco docuimus. Quo mea ſalus.] Factum eſt Senatuſconſultum, quo literis Conſularibus Ciceronis ſalus exteris nationibus, legatis, & magiſtratibus populi Romani commendata eſt, ut idem Cicero ſcripſit pro P. Seſtio, & in L. Piſonem. Atqui reum cum uides.] Cui ego tantum obligatus ſum, ob maxima ab eo accepta beneficia. Tantam contentionem.] Id eſt, tantas inimicitias. Natura quidem abhorret à uirtute uerbi.] Miſeria enim contra naturam eſt, quam Erebo & Nocte natá eſſe ferunt, ut ait Cicero in libro de Natura deorum tertio. Donatus in Commentarijs in Hecyram Terentij, miſerum eſſe negat, niſi qui innocens ſit. Vt apud Salluſtium, Atque ea cogentes, non coactos, ſceleſtos magis quàm miſeros diſtringi. Cicero Actione in Verrem tertia: Ille miſer cum eſſet, tum proditione iſtius nefaria, tum improbo & falſo eiuſdem teſtimonio, tum multo, ex maxima parte iſtius furtorum ac flagitiorum inuidia conflagrauit. Hunc locum exponens Aſconius: Miſerum, inquit, pro innocente Tullius ponit. Sic alibi: Et erunt, qui illum, ſi hoc fecerit, nó improbum, ſed miſerum, &c. Exercitum.] Id eſt, ſatis exagitatus. ut apud Virg. lib. Aeneid. 5. Nate Iliacis exercite fatis. Leue enim onus.] Ordo eſt: Gratia beneficij eſt onus leue. Concurrit.] Id eſt, cõtingit. Hoc meis ponderibus examinabo.] Id eſt, hoc apud me ponderabo. Meis ponderibus.] Id eſt, certo & iuſto examine. Vſu ſæpe uenit, ut improbi mercatores leuioribus ponderibus uenditá rem tradát, emptá accipiant grauioribus. Qui autem his tradunt, aut ab his accipiũt, quo ſint æquiores, & minus fallantur, ſuis ponderibus rem examinát, id eſt, ponderát. Agitur ſtudium tuũ.] Suis tanquá ponderibus examinat, quid Laterenſis et Planci interſit, & quid à ſe tempus utriuſque poſcat. Salus, patria, fortunæ.] Quæ amittet Plancus, ſi damnetur. Hæc ſunt grauiora, quá Laterenſis exiſtimatio. Laus.] Aedilitas. Diſtineor & diuellor dolore.] Id eſt, doleo maxime. In cauſa diſpari.] Id eſt, in Planci defenſione, quem tu accuſas. Te adidero contentioni tuæ.] Id eſt, deſeruero, & indefenſum reliquero. Etenim iudi.] Communem locũ tractat de gratitudine, ut ſuũ officium probet iudicibus, ut etiá oſtendat nimis ſe gratũ eſſe nó poſſe, ut aduerſarij dixerant. Mater uirtutum omniũ.] Vt gratitudo mater eſt uirtutũ omnium, ita ingratitudo mater uitiorũ eſt. Itaque illud Menandri eſt, quod Latine Auſonius uertit: Ingrato homine terra nil peius creat. Dixeris maledicta cuncta, inquit Publius Syrus, cum ingratũ dixeris. De gratitudine multa ſunt apud Ciceronem in lib. de Offic. 1. ubi negat ullum officium referenda gratia magis eſſe neceſſarium. Belli.] Id eſt, in bello. Domi.] Id eſt, in pace Remp. bene adminiſtrando. Memori mente.] Id eſt, grata. Memori tantũ in ablatiuo dici, Priſcianus libro 7. hunc locum citans dicit: Quia ueteres dixerunt, hic & hæc memoris & hoc memore. Gratum perſoluunt.] Vt officium perſoluere dixit in oratione Poſt reditum ad Quirites: In officio perſoluendo diſſimilis ratio pecuniæ debitæ eſt. Sublatis amicitijs.] Cicero in libro de Amicitia: Solem, inquit, è mundo tollere uidentur, qui amicitiam è uita tollũt, qua à dijs immortalibus nihil habemus melius, nihil iucundius. Epicurus, ut idem ait lib. de Finibus primo, Omniũ rerum, quas ad beate uiuendum ſapientia cõparauerit, nihil eſſe maius amicitia dixit, nihil uberius, nihil iucundius. Liberaliter.] Id eſt, honeſte. Cuius opes tantæ eſſe poſſunt.] Potenti & beato homini multorum amicitiam inutilẽ eſſe nõnulli putauerunt, illud dicentes: Fortuna cum bona eſt, amicis cur opus? Abſurdum autem eſſe beato homini cum omnia tribuas, amicos ipſi non tribuere, quod externorum bonorum maximũ eſſe uidetur, Ariſtoteles dicit in libro Ethicorum nono. Vbi ipſe altus.] Priſcianus libro decimo ſcribens, ut alo habeat ſupinum altum & alitum, hunc locum citat. Quæ.] Officia amicorum. Non dicam indignus.] Refertur ad hoc, Non modo beneficio. Sed uictus.] Ingratus homo beneficio uictus eſt. Succumbam orationi tuæ.] Id eſt, orationi tuæ parebo, tanquam ab ea uictus, id eſt, quod dicis fatebor. In eo ipſo.] Id eſt, in gratitudine. In eo ipſo in quo nihil poteſt eſſe nimiũ. Nonnulla per ſe honeſta ſunt, quibus adhibendus eſt modus quidá neceſſarius, extra quem honeſta eſſe deſinũt. Alia autẽ ſunt, quæ nullis finibus cohibentur, ſed quanto maiora auctioraq; ſunt, tãto ſunt laudatiora. Hinc uinoſum, mulieroſum, uerboſum, moroſum, famoſum, in malam rem: ingenioſum, formoſum, ſpecioſum, officioſum, in bonam dici, A. Gellius cap. 9. libri 4. exiſtimat. Eum beneficio cõplectamini.] Id eſt, me beneficio afficiatis. Id autem facietis, ſi Plancum abſolueritis. Ad negligendam meá gratiam.] Id eſt, ad reuocandum uos, quo minus beneficio me complectamini. Vos nec nocentes,

nec litigioſos eſſe. ] Illud ſignificabat Laterenſis, eos qui patrocinio indigerent, Ciceronis gratiam optare debere, ut ab eo defenderentur. Huius autem modi ſunt nocentes & litigioſi, quales non ſunt iudices. Itaque Ciceronis gratiam iudicibus negligendã Laterenſis dixerat. Neque nocentes, neque litigioſos. ] Iudiciorum enim duo genera ſunt, in quibus oratoris induſtria uerſatur: unum publicum, in quo nocentium cauſæ: alterũ priuatum, in quo litigioſorum controuerſiæ aguntur. Hoc autẽ loco litigioſus dicitur is, qui in priuato iudicio litem habet: unde petitur, qui reus dicitur. Alioqui dicitur litigioſus, qui frequens in litibus uerſatur, ſiue petat, ſiue defendat. Proceſſiuus homo uulgo dicitur. Cicero lib. de Oratore 1. Quod ſi tũ hoc facere nõ poteris, aut noles, uereris ne tua domus talis & uiri & ciuis, ſi à litigioſis hominibus non colatur, à cæteris deſeratur? Defenſorem litigioſum idem appellat in oratione pro A. Cecina: Quã perſonam iam ex quotidiana cognoſcitis uita recuperatores, mulierum aſſentatoris, cognitoris uiduarum, defenſoris nimium litigioſi. Quo minus. ] Quia nec nocentes, nec litigioſi eſſetis. Præſidia. ] Id eſt patrocinia. Parata ſemper amicis, etc. ] Ciceronis patrocinia amicis parata erant, quamuis non indigerent, iis autem qui rei facti, erãt neceſſaria. Malebat igitur amicos ſuo non indigere patrocinio, quàm reos eſſe factos. Præſidio. ] Id eſt, patrocinio: id eſt, plures me habuiſſe amicos, qui cauſam non dixerint, quàm quos ego defenderim. Congeſſiſti. ] A congerendo: uel Conieciſti, à coniiciendo. Creber. ] Id eſt, frequens & prolixus. In locos. ] Aut communes locos intelligit, aut locos expatiandi cauſa uoluptatis, quorũ naturalis quædam ubertas eſt, ut eſt apud Quintilianũ libro quarto. Mea conſuetudine. ] Vel quod in aliis ædilibus antea feciſſem. uel quod expatiari ſolitus ſim, cum reſpõdeo iis, in quibus aduerſarius expatiatus eſt. Aliquid de thenſis. ] Thenſas eſſe ſacra uehicula, Aſconius tradit, quas alii à diuinitate dictas putãt, alii quod ante ipſas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere & tangere qui ea deducunt. Vt de equo ligneo Virg. libro Aeneid. 2. Funemq; manu contingere gaudent. Seruius exponens illud ex libro Virgilii 1. Aeneid. Hic illius arma, hic currus fuit: Currus, inquit, aut uere currus, quo ipſa in cœlo uehitur: uel thenſa, quæ dicitur à θεῖος, id eſt, à re diuina: & eſt, qua deorũ ſimulachra portantur. Miſericordiæ cauſa. ] Id eſt, ad mouendam iudicibus miſericordiam. Quod in aliis Aedilibus. ] Alios ædiles à ſe de ambitu defenſos ſignificat. Nonnihil legiſti hoc loco. ] Id eſt, aliquid profeciſti. Ironia eſt. Auctore Quintiliano lib. 5. quidam contradictione non contenti, totos etiam locos explicant, ſcire ſe hoc dicturos aduerſarios, & ita perſecuturos. Quod factum Bibius Criſpus uir ingenii iucundi & elegãtis uenuſte eluſit: Ego uero, inquit, iſta non dico. Quid enim attinet illa bis dici? Simile eſt illud pro A. Cluentio: Exiſtimaſti me cauſam A. Cluentii non facto eius, ſed lege defenſurum. Nã hoc perſæpe dixiſti, tibi ſic renunciari, me habere in animo cauſam hãc præſidio legis defendere. Ita'ne eſt? Ab amicis uidelicet imprudentes prodimur? Et neſcio quis de his, quos amicos nobis arbitramur, qui noſtra cõſilia ad aduerſarios deferat? Quis'nam tibi hoc renunciauit? Quis tam improbus fuit? Cui ego autem narraui? Nemo, ut opinor, in culpa eſt, ſed nimirũ tibi iſtuc lex ipſa renũciauit. Huiuſmodi igitur occupationes accuſatori ſunt uitandæ. Ornamentum. ] Quod hæc egreſſio et thenſarũ tractatio mea orationi allatura erat. Quid potero dicere. ] In Ironia perſiſtit. Me idcirco mea lege. ] Hoc illũ, ut arbitror habet intellectũ, ut dixerit Laterenſis, Ciceronem traduxiſſe materiam de ambitu ad animi gratitudinem, ut maius argumẽtũ mouendi affectus haberet. Mea lege. ] Id eſt, meo more, quẽ obſeruo perpetuo. Id ne ita intelligatur uidetur melius, quàm ut referatur ad legẽ Ciceronis de ambitu. de qua pro L. Murena plura. Traxiſſe. ] Id eſt, corripuiſſe, uel traxiſſe. Non quod Cicero ante traxerit, quàm Laterenſis diceret: ſed quod iam Cicero traxerit, cum id propoſuit. Epilogos. ] Concluſiones apud Græcos ἐπίλογοι nominantur, ut eſt in libro Rhetoricorũ ad Herenniũ 2. In cõcluſionibus autem magis quã in ulla parte orationis mouentur affectus. Nõ nobis uideor. ] Refutat quod Laterenſis obiecerat. Cum aliquo declamatore. ] Auctore Quintiliano multis in locis declamatores ad auditorum uoluptatem cauſas agunt, nec ſpectant declamationes ueras eſſe orationum forenſium imagines, quarum orationum utilitas maxime ſpectanda ſit. Se igitur ſecum ſignificat, quod cauſæ utile eſſet. Cauſa laboris et fori. ] Non cauſa Placi. Rhodi enim, inquit, non fui. ] Vt Murenæ Sulpitius, quod in Aſia fuerit: ita Ciceroni obiecit Laterenſis, quòd fuerit Rhodi. Cicero enim poſtquam Sex. Roſcium defendit, Athenas uenit, inde Aſiam totã peragrauit: poſtremo Rhodum uenit, ſeq; ad eundem quẽ Romæ audiuerat, Molonem applicauit. ut idem ſcribit fuſius de Claris oratorib. et Plutarchus in eius uita. Enim, particula inceptiua eſt, pro præterea: in qua, re Nam, ſæpe dicitur. In Vaceis. ] In aliis codicibus Niceis ſcriptũ eſt. Quid autem ſi Niceæ legas? Eſt autem Nicea urbs in Bithynia. Si locus habet reprehenſionis anſam aliquam. ] Id eſt ſi quis ob locũ in quo fuit, reprehẽdi debet. Seueriorẽ. ] Quod in ea ſeuerius uiuatur, et minus uoluptati indulgeatur. Qui poſſes. ] Multos defendere. Qui defugiunt. ] Multos defendere. Ponderandis. ] Id eſt examinãdis, ut ſolum aut ſcelus, aut uobis utiles ſuſcipiatis. Me id perdidiſſe. ] Id eſt, nõ dixiſſe. Id autẽ quod fuerit, ignotũ eſt. De tuis rebus geſtis. ] Vſitatius id dicitur, quàm de rebus à te geſtis. Quas ad aliquẽ miſiſſe. ] Id fortaſſe fuit, cum Cicero in Sicilia quæſtor erat. Nunc. ] Id eſt, modo. quod rarius dicitur, cũ ſit nunc præſentis temporis. Quaſi reprehendere. ] Laterenſem parũ conſtantẽ eſſe oſtendit. Auxilio peperciſſe. ] Id eſt, auxilio mihi oblato uti noluiſſe. Cicero P. Clodio fuit amiciſſimus. quæ cauſa odii inter eos fuerit, eſt apud Plutarchum in uita Ciceronis. quo in loco ſcribit, P. Clodium Tribunum plebis fuiſſe admodũ popularem: ab eo Ciceronem uocatum in iudicium, contra quẽ Cæſar teſtatus ſit, contra fas atque maiorum leges Lentulum, Cethegum, cæterosq; abſque iudicio damnatos, cæſos eſſe, Ciceronem reum ueſtem mutaſſe, eoq; adductum eſſe, ut aut exulem eum fieri, aut ferro decernere oporteret. Lucullum hortatũ ut maneret, & ferro decerneret: alios, ut furori cederet. De hac Ciceronis cauſa, de P. Clodii Tribuni plebis, de A. Gabinii, & L. Piſonis Conſulum odio in Ciceronem & uitiis, multa legere licet in Ciceronis orationibus pro P. Seſtio, pro Domo ſua, de Prouinciis Conſularibus, & in L. Piſonem. Quis enim ſtatus. ] Probat Cicero ſe auxilio uti noluiſſe ut ferro decerneret, non quod Clodium, aut Gabinium, aut Piſonem metueret, ſed quod Reip. ſtatus in diſcrimen uerſaretur. Itaque timuerit, ne ipſe qui in opprimenda coniuratione Catilinæ bonos ciues, remq; publicam ſeruauerat, alicuius incommodi cauſam afferret. Tribunitius. ] Id eſt, Publii Clodii Tribuni plebis. Conſularis furor. ] Auli Gabinii & Lucii Piſonis. Mouit. ] Id eſt, terruit. Decertare mihi ferro. ] Argumẽtum eſt à facilioribus. Eorum. ] Coniuratorum. Conſules poſt hominũ memoriam. ] Primo oſtendit. Poſt hominum memoriam teterrimi. ] Poſt hominum memoriam, & poſt homines natos, poſt natum genus hominum, ſæpe dici ad augmentum ſuperlatiui: idq; ſignificare, quod uulgo dicunt à creatione mundi, alio loco docuimus. ut in oratione pro Domo ſua Cicero dicit de Aulo Gabinio: Quis homini poſt homines natos turpiſſimo, ſceleratiſſimo, contaminatiſſimo illam opimam fertilemq; Syriam dedit? Paulo poſt ſine ſuperlatiuo ponit, qui inimici ſui. deinde qui amici: ut probet ferro decernendum non fuiſſe, & ſe iuſta de cauſa auxilio peperciſſe. Illa principia. ] Conſu-

latus eorum. Alter exercitum perdidit.] Cicero in oratione de Prouincijs conſularibus, de L. Piſone uerba faciens: Iam uero, inquit, exercitus ille noſter ſuperbiſſimo delectu, et duriſſima conquiſitione collectus, omnis interijt. Fuit autem in Macedonia Piſonis prouincia à Thracibus interemptus. Alter uēdit.] Idem in eadem Oratione de A. Gabinio: An uero, inquit, in Syria diutius eſt Semiramis illa retunda? cuius iter in prouinciā fuit eiuſmodi, ut Rex Ariobarzanes Conſulem ueſtrum ad cædem faciendam, tanquam aliquem Thracum conduceret. Deinde aduentus in Syriā primus, equitatus habuit interitum. Poſt conciſæ ſunt optimæ cohortes. Igitur in Syria imperatore illo nihil aliud actum eſt, niſi pactiones pecuniarum cū tyrannis, deciſiones, direptiones, latrocinia, cædes: cum palàm pop. Rom. imperator inſtructo exercitu dextram tendens, nō ad laudem milites hortaretur, ſed omnia ſibi & empta & emenda eſſe clamaret. Emptis prouincijs.] A' P. Clodio, quas tamen Senatus decernere ſolebat, quæ prætoriæ, quæ Conſulares eſſent, poſtea fiebat ſortitio. Qui exercitibus, &c.] Cn. Pompeiū, C. Cæſarem, M. Craſſum intelligit. Id planius dicit pro P. Seſtio: Me, inquit, illa mouerunt. Omnibus in concionibus illa furia clamabat, ſe quæ faceret contra ſalutem meam, facere auctore Cn. Pompeio clariſſimo uiro, mihiq́; & nunc & quoad licuit amiciſſimo. M. Craſſus, quo cū mihi erant omnes amicitiæ neceſſitudines, uir fortiſſimus, ab eadē illa peſte infeſtiſſimus eſſe meis fortunis prædicabatur. C. Cæſar, qui à nullo meo merito alienus eſſe debebatur, inimiciſſimus eſſe meæ ſaluti ab eodem quotidianis cōcionibus dicebatur. His ſe tribus auctoribus in cōſilijs capiendis, adiutoribus in re gerenda, eſſe uſurum dicebat: ex quibus unum habere exercitum maximum in Italia: duos, qui priuati eſſent, & præeſſent. & pararēt ſi uellent exercitum, idq́; facturos eſſe dicebat. Cum quid ſentirent.] Sentirem, non ſentirent, ut in codicibus alijs ſcriptū, legendū eſſe ignotum non eſt. Furialis illa nox.] P. Clodij. Nefarijs ſtupris.] Nā cum tribus ſororibus P. Clodius cōcubuit, ut eſt apud Plutarchū in uita Ciceronis. Religioſis altaribus effœm.] Nam in ſacris Bonæ deæ P. Clodius habitu muliebri deprehenſus eſt, ad quæ uiris accedere omnino non licebat. Secum facere.] Id eſt, eſſe pro ſe, eorumq́; auxilio & conſilio uti. Vt pro P. Sylla: L. Caſſium dixerunt commemoraſſe, cum cæteris Antronium ſecum facere. Pro A. Cecina: Rem & ſententiam interdicti mecū facere fatebantur. Item: Verba ipſa ſponſionis facerent mecum. Itemq́; Auctoritatem ſapientiſſimorū hominū facere nobiſcum. Publico conſilio.] Id eſt, ex Senatus ſententia. In oratione pro P. Seſtio: vir, inquit, incredibili fide magnitudine animi, L. Mūmius ad Senatum de Rep. retulit: Senatuſq́; frequens ueſtem pro mea ſalute mutandam cenſuit. Et paulo poſt: Quid quiſquā poteſt ex omni memoria ſumere illuſtrius, quā pro me uno cine, & bonos omnes priuato conſenſu, & uniuerſum Senatum publico conſilio mutaſſe ueſtem? Quæ quidem tum mutatio nō deprecationis cauſa eſt facta, ſed luctus. Quem enim deprecaretur, cum omnes eſſent ſordidati? cumq́; hoc ſatis eſſet ſigni, eſſe improbum, qui mutata ueſte non eſſet. Et in oratione Poſt reditum ad Quirites: Pro me præſente Senatus, hominumq́; præterea uiginti millia ueſtem mutauerunt. Conſulum nomine.] Id eſt, quia Conſules erant. Senatui.] Id eſt, Senatuſconſulto. Vt in Lucium Piſonem de A. Gabinio: Omitto, inquit, illud Conſulem edicere, ut Senatus ſenatuſconſulto ne obtemperet, quo fœdius nec fieri, nec cogitari quidquā poteſt. Et paulo poſt de eodem: Edicere eſt auſus cum illo ſuo pari, quem tamen omnibus uitijs ſuperare cupiebant, ut Senatus contra quàm ipſe cenſuiſſe, ad ueſtitū rediret. Quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos quos luctu afficeret, lugere non ſineret? Mœrorē relinquis, mœroris aufers inſignia. Eripis lachrymas, non conſolando, ſed minando. Luctus indicia.] Id eſt, ueſtis mutationem. In concionibus.] Ad pop. Romanū. Saltator.] Saltare Romæ fuiſſe turpe, pro L. Murena ſcripſimus. Gabiniū ſaltatricem tonſam appellat in oratione in L. Piſonem. Catilinæ.] Quod Catilinam ſaltando delectauerat. Proſcriptionis denunciatione.] Id eſt, minatione. In oratione pro P. Seſtio de hac Gabinij concione loquens: Equites, inquit, Romanos dicebat daturos illius diei pœnas, qui me Conſulem cū gladijs in Capitolium duci feciſſent. Veniſſet tempus ijs, qui in timore fuiſſent, cōiuratis uidelicet dicebat ulciſcendi. Inferebatur.] oratione Gabinij. Auxilijs.] Id eſt, auxiliaribus: ut iudicia pro iudicibus, ſeruitia pro ſeruis, miniſteria pro miniſtris ſæpe dicimus. Studentibus.] Id eſt, mihi fauentibus. Incitatis.] Vt ſalutem meam tutarentur. Non diſceptando.] Id eſt, non uerbis. Auctore Cicerone libro de Offic. 1. duo ſunt genera decertādi, unū per diſceptationem, alterū per uim: cūq; illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore. Defuiſſet.] Si diſceptādo decertandum fuiſſet. Quibus.] Armis. Si finem eū uincendi uiderem.] Id eſt, ſi uiderem fore ut improbi à nobis uincerentur. Quam L. Opimius.] In atroci negotio Senatus mandabat Conſulibus, ut uiderent ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Tum Conſules populum ad arma conuocabant, & cū improbis ciuibus & ſeditioſis decertabatur. L. Opimū cū C. Graccho Plutarchus in uita Gracchorum, & C. Marium cū L. Saturnino Cicero pro C. Rabirio, ſic depugnaſſe ſcribunt. Tale quid poſt hos L. Flaccum Conſulem feciſſe, legere non memini. Quæ priuatus P. Scipio.] P. Scipio Naſica priuatus Tyberium Gracchū ſeditioſum Tribunū plebis interfecit, ut amplius ſcripſit Plutarchus in uita Gracchorum. Graues aduerſarios.] Qui me uocaſſent in iudicium imminutæ maieſtatis, quod cum Conſulibus pugnaſſem. Interitus.] Id eſt, ſi in ea pugna interiſſem. Quod Q. Metello.] Q. Metellus Numidicus in leges L. Saturnini ſeditioſi Tribuni plebis iurare noluit. Idcirco ei Saturninus aqua, igni, atque tecto interdixit. Metellus optimis uiris ad ſe concurrentibus, non permiſit ſua cauſa ſeditionem exoriri. Itaque in uoluntarium exilium abiens, Rhodum profectus eſt. De eo plura legere licet apud Appianum libro bellorum ciuilium primo, & apud Plutarchum in uita C. Marij. Cum ſuum, non cum Senatus factum defenderet.] Omnes enim Senatores præter Metellum in Saturnini leges coacti iurauerunt. A' minore ad maius oſtendit Cicero, ſe aſſecutum maiorem gloriam quàm Metellum. Ob illam quod illud uoluntarium.] In codicibus alijs melius ſcriptum eſt: Ob illam conſtantiam, qua uoluntarium, &c. Vulnus.] Id eſt, exilium. Accipere uulnus dici, alio loco docuimus. Clariſſimos triumphos.] Multi Metelli non modo triumphauerunt, ſed etiam ex deuictis nationibus cognomina reportauerunt. ut Macedonicus, Numidicus, Dalmaticus, Balearicus, Creticus. Interitu Reipub.] Nam mecum omnes boni uicti eſſent, itaque in Repub. improbi dominarentur. Committerem.] Id eſt, facerem. Qua in re dici ſolet in negatione, & in interrogatione. In perpetuum Reſpub. &c.] Id eſt, nullus in poſterum unquam meo exemplo doctus Rempublicā in periculis domeſticis & inteſtinis adiuuare uoluiſſet. Qualis futurus in me retinendo.] Nam ſi aliqua ui morbi, aut natura interiſſem, ante has P. Clodij excitatas in me tēpeſtates, nec Senatus ueſtes mea cauſa mutandas cenſuiſſet, nec populus ipſe Romanus mutaſſet. Menſe Decembri.] Quo menſe Catilinæ coniuratio emerſit. Nonis enim decembribus coniurati agnouerunt literas ſuas in Senatu, quæ nocte ſuperiore à C. Pontinio & L. Flacco ad Pontem Miluium deprehenſæ fuerunt: ut pro L. Flacco ſcripſimus. Eodem die de coniuratione confeſſi ſunt. Parricidarum.] Id eſt, coniuratorū. In aliorum uigiliam.] In codicibus alijs lego, In aliorum iugulum: quæ lectio mihi uidetur

mellor

meliter. In alterũ iugulum Conſulum.] Calendis enim Ianuarij D. Syllanus & L. Murena conſulatum inituri erant. Mortis cupiditas mea.] Quæ fuiſſet, ſi cum Clodianis depugnare uoluiſſem. Nam quod te in Reip. liberum.] Negauit Laterenſis Ciceronem in Rep. liberum eſſe, quod ſententiam mutaſſet, quod cum Pompeio & Cæſare ſentiret, à quibus antea diſſenſiſſet. Liberum ſe eſſe probat Cicero, docetq; uiri ſapiẽtis eſſe aliquando mutare conſilium. Idem obiecit Salluſtius Ciceroni: Quos, inquit, tyrannos appellabas, eorũ nunc potentiæ faues: qui tibi ante optimates uidebantur, eoſdem nunc dementes ac furioſos uocas: Vatinij cauſam agis, de Seſtio male exiſtimas: Bibulũ petulantiſſimis uerbis lædis, laudas Cæſarem, quem maxime odiſti, ei maxime obſequeris: aliud ſtans, aliud ſedens de Repub. ſentis: his maledicis, illos odiſti: leuiſſime transfuga, neque in hac, neque in illa parte fidem habens. Diutius patiar errare.] Iam enim id refutabo. Gratum me præbeo.] Et ideo ab ijs non diſſentio. Nimium memoris, nimiumq; grati.] Vt paulo poſt: Hæc priuatim fortaſſe officiorum memoriam & gratiam quærunt, ut Terentius in Adelphis: Memorẽ me dices eſſe & gratum. Non enim continuo, ut ait Donatus, qui memor eſt, etiã gratus eſt. Memor enim eſt, qui apud ſe meminit: gratus, qui uicẽ reddit. Res uero ipſa publica.] Proſopopœia eſt. Tuliſſem.] Id eſt, accepiſſem. Iam.] Id eſt, in poſterũ. Requires.] Id eſt, deſiderabis, meq; liberum eſſe negabis. Requiro libertatem tuã, et requiro in te libertatem dicimus. ut paulo poſt: Libertatemq;, quã in me requiris. Non dico auctorem, ducem, &c.] Plura de hac re legere licet in orationibus Ciceronis Poſt reditum ad Quirites, & in Senatu. Quærunt.] Id eſt, poſtulant. Ego C. Cæſaris laudibus deſim?] Id eſt ego non laudem C. Cæſarem? C. Cæſarem Ciceroni inimicũ fuiſſe ob coniurationem Catilinæ: inimiciorem, quia legationem in Galliam antea poſtulatã abnegauit, Plutarchus in uita Ciceronis ſcripſit. Et poſtea Ciceronem Reipublicæ cauſa recõciliatũ fuiſſe, Cicero ipſe ampliter ſcripſit in oratione de Prouincijs Cõſularibus. Primũ pop. Romani.] Primũ enim Cæſar fuit popularis, eiusq; de coniuratis ſententia popularis uiſa eſt. Idẽ Conſul legem Agrariã tulit, quæ ut populo R. iucunda, ita Senatui ingrata fuit: ut amplius ſcripſit Suetonius in eius uita. Plurimis atque ampliſſimis iudicijs.] Cæſari enim in Gallia bellum gerenti, Senatus ſupplicationem dierũ quindecim ſtipendia, & Legatos decem mitti oportere decreuit, ut de Prouincijs Conſularibus amplius ſcriptũ eſt. Tum Hercules.] Si Cæſaris laudibus deſim. Si non ea enim petat portum.] Exorta tempeſtate. Hæc didici.] A Præceptoribus. Inclinatio temporum.] Id eſt, conditio & mutatio. ut pro L. Cornelio Balbo: Fuit hoc ſiue meum, ſiue Reip. fatũ, ut in me unũ omnis inclinatio communium temporũ incumberet. Non in pertinacia.] Quæ uitioſa eſt. Me arcem facere ex cloaca.] Id eſt, rem depreſſam erigere, & quod uulgo etiã dici ſolet, ex muſca facere elephantem. Eſt autem Cloaca, ut in libro Digeſtorum 43. de cloacis Vlpianus ait, locus concauus, per quem colluuies quædã fluat. Lapidem è ſepulchro uenerari pro deo, in eadem re dicit. Exiſtimauit enim antiquitas, eum qui uidiſſet hominem mortuum, aut quod eum attigiſſet, pollutũ eſſe. Itaque auctore Seruio libro Commentariorũ in Aeneid. 3. ramum cupreſſi Romæ ante domum funeſtam ponebãt, ne quiſquam pontifex per ignorantiam ingreſſus pollueretur. Ex libro Aeneid. 6. eos qui Miſeni exequijs affuerunt, Chorineus ter pura circuntulit unda Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ, Luſtrauitq; uiros. Eam ob rem cum muri urbium ſacri erant, portas ſacras eſſe non putabant, quia per eas mortui ad ſepulturam efferebantur. Mortuos enim ſepeliri in urbe non licebat. Nefas ergo arbitrabãtur lapidem è ſepulchro pro deo uenerari, cum nihil à deo alienum magis ſit, quàm quod pollutum eſt.

Ex meis temporibus.] Quibus uexatus ſum. Ex illo incendio legum, &c.] Id eſt, ex urbe Roma, in qua nullus eſſet locus legibus, iuri, Senatui, bonis ciuibus, propter pernicioſum Clodij Tribunatum. Mea domus.] Id eſt, mea præſentia, niſi ceſſiſſem. Niſi quieuiſſem.] Id eſt, ſi in urbe Clodio et Conſulibus reſtitiſſem. Siciliã petiui animo.] Narratio ſpecialis eſt, per quã facit ſibi tranſitum ad cõcluſionem. Certum autem huius concluſionis initium nõ eſt, ut iã aliquantũ affecti iudices reliqua audiãt libentius. Poſſent enim reluctari, ne affectus ſibi mouerentur, ſi concluſionis initium noſſent. Affectus autem ad uerum iudicium tollendum adhiberi exiſtimant. A C. Virgilio.] Prætore Auctore Plutarcho in uita Ciceronis, cum Cicero Vibone eſſet, Vibius uir Siculus Ciceronis beneficio factus ædilis eũ hoſpitio prohibuit, ſeq; eũ illico delaturũ minatus eſt. C. item Virgilius Prætor, Ciceronis opera ante non mediocriter uſus, eũ inſula aditu prohiberi iuſſit. Mei fratris collegia.] Hunc C. Virgilium Q. Ciceronis collegã in Prætura fuiſſe ſignificat. Quamuis enim Prætura annua eſſet, Prætores tamen prouinciã triennium adminiſtrabant cum imperio prætorio. Ipſa penè inſula.] Metaphora eſt. Rebus enim inanimis dat ſenſum. Priſcianus libro 7. docens nomina in uis exeuntia; facere ablatiuum in i, & in e, hunc locum citans legit: Quid dicã de Virgilio tali ciui & uiro? Et paulo poſt, In naui tuta & fideli. Vibone Brundiſium.] Eſt autẽ Vibo oppidum in Brutijs, quod prius Hippo dicebatur, ut ait Pomponius Mela libro 2. Vibonem Valentiam appellari Plinius lib. 3. ſcribit. Strabo lib. 6. appellat Hipponium, idq; à Locris ædificatum, & mutato deinde uocabulo Vibonam Valentiã appellatam dicit. Ad hunc locum, ut ait idem, Proſerpinam è Sicilia aduentaſſe ad legendos flores, credidere ueteres quoniam florentiſſimæ regionis amœniſſima prata eſſe conſtat. Hinc matronis uſus inualuit, ut ex lectis floribus coronas texant, cum per dies feſtos empta ſerta geſtare his uitio detur. Significat Strabo, Vibonem Siciliæ proximum eſſe. Hoc in loco ſignificat Cicero, ibidem portum eſſe, unde ſoluant nautæ in Siciliam. Vt autem Narbonem, ita & Vibonem docti ſæpius dicunt. nonnunquam tamen Vibonam, ut Narbonam. Brundiſium oppidum in Calabria eſt, nobilitatum portu, quo ex Italia in Epirum nauigatur. Is autem portus ceruino capiti ſimilis eſt, unde nomen urbi inditum. Nam Meſapiorum lingua Brundiſium cerui caput nominatur. auctor eſt idem Strabo eodem libro. Terra.] Id eſt, terreſtri itinere. mari enim petere poteras. At petere cõtendi.] Id eſt, ire maturaui, nec me ullus locus remoratus eſt. Maritimos curſus.] Id eſt, nauigationem. Vel potius ad mœn.] Correctio eſt. Declinaui.] Id eſt, ingreſſus non ſum, & tanquã uitaui. ut ſit metaphora à gladiatoribus facta, qui declinãdo uitant uulnera. Publicatio.] Id eſt, confiſcatio. Metu publicationis, &c.] Ordinem ſeruauit, quo rei augmentũ fieret. Dyrrachium.] Auctore Strabone lib. 7. Epidamnus, quã Corcyrei condiderunt, poſtea dicta eſt Dyrrachium. Auctore Mela libro ſecundo, Dyrrachium Epidamnos ante erat: Romani nomen mutauere, quia uelut in domum ituris omen id uiſum eſt. Rex quidam Barbarorũ Epidamnus, ut ait Appianus libro 2. urbem in littore maris cõdidit, quæ ab eo nomen accepiſſe creditur. Huius ex filia nepos Dyrrachus Neptuno genitus, ut quidam perhibent, portũ urbi adiecit, qui appellatus eſt Dyrrachium. Eſt autem Dyrrachium in Epiro. Sceleratiſſimorum hominum.] Qui erant ex coniuratione. Hi enim cum uicto Catilina de coniuratis quæreretur, ſupplicij metu exilio uoluntario ſeſe multauerunt. Igneiq; peſtiferos.] Quibus Romam incendere coniurauerant. Aliquorum dierum.] Vſitatius dictum eſſet, Aliquot dierum. In Macedoniam.] Quæ à meridie habet Epirum. Viam perrexit.] Vt ire uiam dicimus. certe.] Id eſt, ſaltem. Acerbam.] Vulgo dicerent doloroſam. In me incidit.]

Id eſt, ad me acceſſit. Cum auditu crudelem.] Minus enim mouent quæ audimus, quàm quæ uidemus. Reliquas dies.] Hoc dictum contra Grammaticorũ ſententiã, qui dies in numero plurali nó exiſtimant dici niſi in maſculino genere. Theſſalonicam.] Theſſalonica urbs eſt metropolis Macedoniæ. de ea Raphael Volaterranus plura. In quæſtorium] Id eſt, in ſuum, ut ita dicam, hoſpitium. Vt enim prætorium eſt Conſulis uel Prætoris in caſtris tabernaculũ, in prouincia hoſpitium, ut locus in quo ius dicit: ita quæſtoriũ Quæſtoris eſt tabernaculum uel hoſpitium. De Prætore Macedone.] Qui tum Macedoniam obtinebat, cui Quæſtor Plancus erat. Non qui minus timeret. Ne audax uideretur. Ea quæ timerentur.] Vt publicatio bonorum, exilium, mors. Meus neceſſarius.] Id eſt, meus propinquus. ut pro Q. Ligario, Q. Tuberonem propinquũ ſuum appellat. Qui fratri meo legatus fuiſſet.] Cicero libro Epiſtolarũ ad Quintum fratrem primo hortans eũ, Aſiam prouinciam adminiſtrantem: Legatos, inquit, habes eos qui ipſi per ſe habituri ſint rationẽ dignitatis ſuæ, de quibus honore & dignitate & ætate præſtat Tubero, quem ego arbitror, præſertim cum ſcribit hiſtoriam, multos ex ſuis Annalibus poſſe deligere quos uelit, & poſſit imitari. Decedens ex Aſia.] Q. enim Cicero Aſiam L. Flacco ſuccedens etiam tum adminiſtrabat, cum Cicero in exilium abijt: ut in libro Epiſtolarũ primo ad eum ſcribit Cicero. Neceſſitudinem comparátem.] In codicibus alijs ſcriptum inuenio, Necis inſidias comparatas. Sed neutro modo emendata lectio eſt, nec mihi cognitum eſt quomodo reponi & caſtigari poſſit. Abiecta quæſtoria perſona.] Nam lictores dimiſit, inſignia quæſtoria abiecit. O excubias tuas.] Mouet affectus ex ijs quæ Ciceronis cauſa Plancus fecit, & ex ijs quæ ei Cicero promiſit, quæ præſtare non poteſt. O cuſtodiam enim mei capitis.] In codicibus alijs melius legitur, O cuſtodiam mei capitis. Vnus non poſſim.] Si me defendente tu damneris. Mortuus profuiſſem.] Mei enim deſiderio hi iudices beneficij quod in me contuliſti memores, te fortaſſe abſoluiſſent. Præſentem tibi gratiam relaturum.] Id illico beneficium redituram. Præſens enim gratia dicitur, ut præſens pecunia. Aut uis aliqua maior.] Vt cædes. Animo intuebar.] Id eſt, cogitabam, intelligebam. Mea promiſſa repetis.] Id eſt, petis ut ſeruem promiſſa. Meam fidem imploras.] Id eſt, ut maneã promiſſis imploras. Eſt enim fides, quæ uulgo dicitur adimpletio promiſſi, quòd fiat quod dictum eſt, id eſt, promiſſum, auctore Cicerone appellata. Alioqui fides pro auxilio accipitur, ut cum dicimus, Dij ueſtram fidem, & implorare fidem alicuius. Vel uitæ periculo] Id eſt, propoſito etiam uitæ periculo. Nunc timeo, &c.] Mala eſt aduocati fiducia, quæ iudicibus quaſi præſcribere uidetur quã ipſi laturi ſententiam ſint. Itaque odit ferè iudex litigatoris ſecuritatẽ. Eã ob rem in defenſionibus ſæpe Cicero dicit, ſe metuere. Ideo paulo poſt dicit: Nolite animũ meũ debilitare metu commutatæ ueſtræ uoluntatis erga me. Plurimas effudiſti] Effundere lachrymas, pro eo quod eſt abunde flere, dicit, ut poſtea profundere. A ſuis autem & Planci lachrymis iudicibus mouet affectus. Cum mea ſalute.] Quam tutatus es. Huc exurge.] Id eſt, iſtuc ſurge, & ueni huc. Hinc attende, reos in iudicibus publicis, cum eorum cauſæ agerentur, ſedere ſolitos. Sedebant autem in ſubſellijs ad dextrã iudicum. Deprecatorẽ fortunarũ tuarũ.] Id eſt, deprecatorẽ ne fortunæ tibi tuæ adimantur: hoc eſt, ne cõdemneris, & bonis publicatis in exiliũ eas. Vt pro P. Sylla: Multorũ hic uitã eſt à L. Sylla deprecatus, id eſt, precibus impetrauit, ut multis L. Sylla ignoſceret. De hoc uerbo apud A. Gellium legere licet. Obteſtatur parens.] A paternis precibus mouet affectus. Duo patres.] Id eſt, pater Planci et ego. Cauſa beneficij Plancũ parentem alibi appellauit: hic ſe eius patrem dicit, cauſa officij & ætatis. Quos ego pro ueſtra ſalute ſuſcepi, &c.] Sibi iuſtã eſſe inimicitiarũ cauſam, ſimul beneficium ſuũ in iudices commemorat, ut eos ad Planci miſericordiam flectat facilius. Inimicis meis dare lætitiam.] Id eſt, inimicos meos facere lætos. Illud autẽ acerbum eſt, inimicos noſtra calamitate lætari. Eoq; grauior nobis calamitas eſt, quo magis lætatur noſtri inimici. Salutisq; eius.] Cn. Planci. Hoſtes extitiſſe.] Nam ſi Plancũ damnetis, exiſtimabunt uos eius ſalutis hoſtes eſſe. Animũ meum debilitare.] Id eſt, triſtiorem facere. A uobis.] Id eſt, per uos. Teq; C. Flaui.] Hunc Flauium quæſitorem huius cauſæ ſignificat. Nõ ſolum mea.] Oratorẽ eũ qui uelit affectus mouere iudicibus, neceſſe eſſe, ut is eos affectus habeat, Quintilianus li. 6. præcipit, ut ante dixi. Nemo enim, ut ait, ſiccis oculis lachrymas dabit alijs. Idem præcipit, orationis finem tum faciendum eſſe, cũ auditorum lachrymæ uidentur. Auctore Cicerone libro de inuentione primo, commotis iudicum animis in conqueſtione morari nõ oportebit. Quemadmodum enim dixit Rhetor Apollonius, Lachryma nihil citius areſcit. Non ſolum mea.] Lachrymæ nos noſtræ impediunt, ne loquamur. Vt paulo ante: Conſperſit me lachrymis, nec loqui præ mœrore potuit. Et pro Milone: Sed finis ſit, ne enim præ lachrymis iam loqui poſſum. De illis recordor. Hoc dicendi genus adnotandum eſt, quia rarum: ſolet enim dici, Huius rei, uel hanc rem recordor. ut in libro Aeneidos octauo: ut uerba parentis, Et uocem Anchiſæ magni, uultumq; recordor.

## IN EANDEM PRO CN. PLANCIO ORATIONEM, BARTHOLOMAEI LATOMI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

HAEC oratio habita fuit, quantum ex hiſtorijs & temporum ſupputatione colligitur, L. Domitio Aenobarbo, & App. Claudio Pulchro Coſſ. triennio poſtquam Cicero redierat ab exilio. Quo quidem tempore ambitus maximus erat in ciuitate, & comitia effuſiſſimis largitionibus gubernabantur. Itaq; Cn. Plancius H ciuis equeſtri loco & patre publicano ortus, ædilitatem in eundem annũ petebat cũ M. Laterenſe, iuuene patritia familia oriundo. In qua petitione cum Laterenſis primi prærogatiuã tuliſſet, Plancius autẽ cæteris ferè cunctis ſuffragijs ſuperior, ædilis fuiſſet renunciatus, offenſus ea re Laterenſis, adductuſq; ſuſpicionibus, quæ nõnullæ fortaſſe extabant de corruptis ſuffragijs, poſtulauit de ambitu Plancũ lege Licinia de ſodalitijs: cuius legis nomine quam propter ædilitios iudices potiſſimum elegiſſe uidebatur, cæteras, quæ nominatim de ambitu erant, complectebatur. Cæterum cum mos eſſet de eiſdem candidatis bina haberi comitia, iudicium in proximum comitiorũ diem dilatum eſt, ac pridie eius diei ſenatuſconſultum ſecundum legem factum, ut accuſator eum eas tribus edidiſſet, quas largitione deuinctas haberet reus, hæ teſtes eſſent in eum & iudices. Quo quidem ſenatuſconſulto facto, cum renouatis comitijs Plancius non minus quàm ante ædilis fuiſſet declaratus, habito iudicio Laterenſis tribus edidit, non ſecundum legis ſententiam, quæ ſenatuſconſulto præſcripta fuerat, ſed omnes ignotas ferè & alienas a Plancio. hiſq; editis, ac uix legitima reiectione conceſſa, accuſauit ipſum

cum

*cum Caſſio adoleſcente quodam, acriter & crimino ſe : eaq; in accuſatione uterque multa extra cauſam dixit tum in reum, tum in Ciceronem ipſum. Nam cum percharus eſſet Ciceroni Plancius, cum ob alias neceſſitudines, tum uero maxime, quòd eum pulſum à P. Clodio & profugum ab urbe, cum eſſet Quæſtor Macedoniæ, Plancius receperat in tutelam ſuam, & multis diebus fideliter contra inimicos cuſtodierat, defenſionem eius ſuſceperat Cicero magno ſtudio & diligentia: & cum Laterenſem pariter amicum haberet, cauſam egit erga utrunque tanta moderatione & æquitate, ut reſpondendo criminibus, & obiecta aduerſariorum reprehendendo, nulla in parte neque dignitatem Laterenſis offenderet, in qua tamen ille fundamentum accuſationis poſuerat: neque uiciſſim lædi ab illo Plancium, aut conditione cauſæ inferiorem eſſe pateretur.*

## DE GENERE, ET STATV, ET PARTIBVS ORATIONIS.

*Genus orationis medium & temperatum eſt, quod communibus ſententijs conſtat, & ab uſu ciuili non abhorrentibus, & tum uerborum ornatu, tum compoſitione haud multum excedit uulgarem loquendi conſuetudinem. Affectus niſi in peroratione nullos ferè habet, præſertim grauiores. quamuis acrius interim & contentioſius feratur in aduerſarium. In peroratione autem & excitatur uehementius in poſtulanda miſericordia iudicum, & in crimine deprecando ardentius aſſurgit. Statum habet iuridicialem, abſolutum: An Plancius ambitu, hoc eſt, contra leges adſecutus ſit ædilitatem. Quæ quæſtio tum qualitate tum coniectura explicatur: uidelicet, Quibus rebus poſſit & ſoleat moueri populus in comitijs: &, An Plancius his rebus in petitione ſuperior fuerit. Nam his duobus capitibus tota confirmatio cauſæ continetur. Sed, ut iſta intelligantur exactius, paucis dicendum eſt quid ſit ſtatus, & quæ iudicatio, & unde oriatur utrunq; & quomodo comprehendendum. Status igitur eſt, ut docet Fabius, certum quæſtionis genus, quod ex prima cauſarum conflictione naſcitur: idq; uel coniectura, uel finitione, uel qualitate continetur. Iudicatio potentiſſima quæſtio, quæ naſcitur ex firmiſſimarum rationum diſceptatione. Rationes uocantur, & quidem ex parte accuſatoris, continens firmamentum, firmiſſima argumentatio: ex parte defenſoris, tum ratio proprie, tum continens, tum cauſa facti, quæ à Græcis αἰτία appellatur. Ex his igitur iudicatio, ex cauſarum conflictione ſtatus naſcitur, hunc in modum: Ambitu ædilitatem adſecutus es Planci. Non ſum adſecutus. Quæſtio (quam ζήτημα uocant) & ſtatus qualitatis: An ambitu adſecutus ſit. Rationem addit Plancus, & dicit Gratia enim, inquit, & diligentia petendi ualui apud populum. Reſpondet Laterenſis: At ego te, inquit, dignitate ſuperabam, cuius non eſt inanis iudex populus. Hoc quia non ſatis firmum eſt, non negat Plancius, ſed ſoluit, & docet non effici quod intendat Laterenſis. Non enim, inquit, ſi dignitate à te ſuperabar, idcirco ambitu honorem ſum adſecutus. Et addit rationem: Quia alijs etiam, inquit, rebus mouetur populus, nempè gratia & petitione candidatorum. hisq; ego te rebus ſuperaui in honoris contentione. Iudicatio ex rationum diſceptatione: An alijs etiã rebus moueatur populus, hisq; Plancius Laterenſem ſuperauerit in petitione. Iudicatio igitur ex ratione propria defenſionis, ſiue αἰτίᾳ facti, & ex firmamenti accuſatoris infirmatione orta eſt: ſtatus de genere qualitatis, & (ut prædixi) iuridicialis abſolutus, ex prima cauſarum conflictione. Iuridicialis dico, quia de iure eſt quæſtio: An ſine ambitu, hoc eſt legitime ædilis ſit factus. Abſolutus, quia quod proponitur, non extranea re adſumpta (ut loquuntur rhetores) ſed per ſe, & abſolute defenditur. Probatur enim iure populi, & poſſe fieri, & ſolere ut quo curſu multi præclari ciues ad honores peruenerint, eodem & Plancius: quamuis ceſſerit dignitati Laterenſis, tamen ædilitatem ſine crimine ſit adſecutus. Cæterum iudicatio ad ſtatum refertur, & quamuis diuerſa quæſtione (ſiue ea ſimplex fuerit, ſiue ex pluribus partibus conſtituta) proponatur, tamen nunquam diuellitur ab eo, ſed coniuncta cum eodem unã eandemq; quæſtionem generalem efficit, quæ & ſummam totius defenſionis complectitur, & ad quam probandam (cum ipſa interim in minora diducatur capita, & hæc porrò in alios ſubiectos locos & minores quæſtiones) cuncta argumenta cauſæ & probationes conferuntur. Vt in hac cauſa hæc generalis eſt quæſtio: An cum populus poſſit & ſoleat præterire dignos, Plancius, qui ceſſerit dignitati Laterenſis, gratia autem & diligentia petendi ſuperior fuerit, ædilitatem ſit legitime conſecutus. Ea primum in hæc capita diuiditur: An poſſit & ſoleat populus interdum præterire dignos: hoc eſt, An alijs etiam rebus quàm dignitate moueatur in honoribus mandandis. Item, An Plancius his rebus ſuperior fuerit. Quibus duobus ſupra iudicationem contineri demonſtrauimus. Nam tertium quod his adiungitur, ſtatus eſt, & cauſæ principalis quæſtio: An Plancius legitime ædilis ſit factus. Hæc porrò ſparguntur in alios minores tum locos, tum quæſtiones, & explicantur uarie, & tractantur ordine confirmationis, quem pariter ſuo loco indicabimus. Iudicatio igitur & ſtatus, & principalis cauſæ quæſtio non ſeparantur inter ſe, ſed conditione probandi coniuncta ſunt, & unam efficiunt generalem quæſtionem, qua ſumma probationis proponitur, & de qua proprie iudicari eſt neceſſe. Cæterum partes orationis ſunt quinque, Exordiũ, Propoſitio, Confirmatio, Refutatio, & Peroratio. Exordio captatur beneuolentia, & præparantur iudices ad cauſæ cognitionem. Propoſitione id, in quo controuerſia eſt, conſtituitur. Confirmatione probatur id, quod eſt conſtitutum. Refutatione reprehenduntur tum crimina coniecta in reum, tum aliæ extra cauſam obiectiones. Peroratione commemorantur merita Plancij, & iudices ad miſericordiam cum deprecatione commouentur.*

*EXordium huius orationis totum ad beneuolentiam accommodatum eſt, quam captat à perſona ſua Cicero, & interim Plancij & iudicũ in ſe merita complectitur. Commemorat enim primo, quã uoluptatem ceperit ex honore Plancij, quem dolorem ex oppugnatione eius, & qua nunc ſpe confirmetur & iudicum conſpectu, quorũ fidem in ſe ac beneuolẽtiam in ſuo caſu perſpexerit. Deinde remouet arrogantiæ ſuſpicionem: & ne auctoritate & gratia potius, quã iure niti uideatur, legitimã defenſionem promittit. Cumq; pleraque extra cauſam dicturus ſit cõtra obiecta aduerſariorũ, hæc quoq;, ne quid offendat, ita temperat, ut certum eorũ modum & ordinem polliceatur. Cum propter egregiam.] Hic totus locus exordij uſque, Quanquam mihi non ſummo, hanc ſummam ſententiæ continet: Cepiſſe ſe ante tum uoluptatem, tum dolorem ex cauſa Plancij, nunc ex iudicũ conſpectu recreari. Explicatur ordo eius tribus periodis, quæ circunſcribũtur latius, & per contentionem inter ſe cõmiſcentur. In mea ſalute cuſtodienda fidem.] Significat eadem & officiũ Plancij, quo ab illo retentus fuerat in Macedonia, cũ ceſſiſſet P. Clodij uiolentiæ, & multis diebus fideliter ab eo cuſtoditus. Fauturos.] Alij legunt, Fautores. Ego opinor hic Fauturos, in ſuperiori loco Fautores recte legi: cum hic de futuro, illic de præſenti tempore loquatur. Salus infeſtior.] Id eſt, inquietior: Paſſiue, & cõparatiuo pro abſoluto. Nã infeſtus, & qui infeſtat, et qui infeſtatur, dicitur. Itaque appeti Plancij ſalutẽ, & inimicorũ inuidia infe-*

ſtari ſignificat. De quo genere uerboȓ Gellius libro 9 Nunc autem ueſter.] Recreari ſe dicit iudicũ conſpectu, quorũ erga ſe fidẽ & beneuolẽtiam perſpexerit. Qui locus temetſi per ſe gratioſus eſt, ualet tamen ad beneuolentiã hac potiſſimum ratione: q cũ accuſator iudices ediderit contra legis ſententiã, quos iniquiores fore ſperauit in reum (ſicut in argumẽto indicauimus) eos hoc loco orator ita gratos ſibi eſſe oſtendit, ut optaſſe etiam uideatur. Quare nimirum & fiduciam cauſæ præ ſe fert, & honeſtam oſtendit de iudicibus opinionem. Cui mea ſalus.] Loquitur de exilij ſui tempore. Nam ſtudio optimatium reductus fuerat in patriam, magna cum inimicis cõtentione. Itaque non extimeſco:] Concluſio huius loci, quæ & claudit ſententiam, & accuſationis auctoritatem eleuat. Quanquam mihi non ſumo:] Correctio eſt, qua remouet arrogantiæ ſuſpicionem, ne beneuolentia in ſe iudicũ potius quàm cauſa fretus, hanc defenſionẽ ſuſcepiſſe uideatur. Niſi eius integerrimã.] Promit certam rationem defenſionis. Qui locus uehementer & concitate profertur. Ornatur enim ſpecie contentionis, quã oppoſitionem rhetoricam uocant: quæ ampla & uehemens exornatio eſt tum ad augendam orationem, tum ad probandum plurimum accommodata. Sin omnia præſtitero.] Altera pars oppoſitionis, quæ ad id, quod inſtitutũ fuit, reuertitur. Proponimus enim aliquid in hac figura, & per oppoſitum eius digredimur. deinde reuertimur ad id, quod propoſitum fuit. Equidem ad reliquos.] Excuſatio, quòd plura extra cauſam dicturus ſit. cuius rei culpam in aduerſarios refert. Quanquam iudices.] Correctio eſt, qua, quod in ſe dictum eſt, obiter defendit: quæ uero coniuncta cum Plancij cauſa, in ijs ſe certum modum & ordinem ſeruaturum eſſe promittit. Quæ uero ita ſunt. Altera pars correctionis. Nam bipartita eſt, & adiunctis rationibus approbatur. Hæc mihi ſunt.] Reſumptio, idonea figura ad perſpicuitatẽ orationis, quoties pluribus uerbis ſententia ſuſpenſa fuit. Sed mihi in cauſa.] Hactenus exordium. hinc ſequitur propoſitio, ſecunda pars orationis, qua iudicationem cauſæ conſtituit, ac proinde ſtatum: idq; pluribus uerbis, & per diuiſionem. Quid, & qui ſit ſtatus, quæ iudicatio, ſupra explicatum eſt ante initium orationis. Hic proponitur certa utriuſque ſententia in confirmationem, cuius hæc ſumma eſt: Non ſi Plancius ceſſit dignitati Laterenſis, idcirco ambitu ædilitatem adſecutus eſt. ſed alijs etiam rebus, quã dignitate mouetur populus: hiſq; Plancius ſuperior fuit in petitione. Quæ ſanè propoſitio eſt totius defenſionis, & hunc in modum tractatur. Primo uiam ſternit ad eam Cicero, excuſando officiũ ſuum, & oſtendendo hanc defenſionem ſibi moleſtam eſſe, propter Laterenſis neceſſitudinem. Deinde diuidit cauſam, de qua agitur. & indicat, quid in ea concedat aduerſario, & quid ex uera contentione in controuerſia relinquatur. eſtq; hæc diuiſio à rhethoribus nuncupata. Poſtremo confirmat, quod ex diuiſione inſtitutum eſt, à iure & more ciuitatis. Lubrica defenſionis ratio.] Lubrica, id eſt, anceps & incerta. quippe quæ aut contra Plancium futura ſit, ſi cederetur dignitati Laterenſis: aut contumelioſa in Laterenſem, ſi illi Plancius æquiparetur. Eſt itaque apta metaphora. In tanto uſu noſtro.] In tanta familiaritate & conſuetudine. Vetus eſt enim lex.] Ratio ab honeſto, moleſtam ſibi eſſe hãc defenſionem, propter amicitiã Laterenſis. Mihi autem non id eſt.] Altera pars inſtitutæ ſententiæ. Et eſt antitheſis, quæ ex interuallo ſuperiori parti redditur, inducta per reſumptionem. de qua ſupra eſt dictum. Contentio.] Pro comparatione. nam ita ſæpe utitur Cicero. Quæris etiã Laterenſis.] Confirmatio ab officio, qua oſtendit ſibi collationẽ dignitatis difficilem ac moleſtã eſſe, propter utriuſque perſonæ neceſſitudinem. Colligit rationem argumentatione rhetorica, quã Græci ἐνθύμημα, ipſe in rhetoricis cõplexionem uocat. cuius ea uis eſt, ut duabus rebus propoſitis, ut earum utra conceſſerit, reprehendatur, hoc modo: Aut Plancius in conferendo præferendus erit, aut Laterenſis. Si Plancius anteponetur, contemnetur Laterenſis: ſin Laterenſis, Plancij crimen erit excipiendum. non eſt igitur collatio facienda. Et eſt hæc prior pars diuiſionis cauſæ, qua oſtendit ſe contra Laterenſem nihil dicturum eſſe. Ita aut amiciſſimi.] Concluſio ἐνθυμήματος, cũ utriuſque partis repetitione, quæ adhibetur ad ſententiæ circunductionem. Sed ego Laterenſis. Correctio. Et eſt altera pars diuiſionis: ſe, relicta dignitate, quæ ad cauſam nihil faciat, ad uerã contentionem, hoc eſt, ad iudicationem ueram deſcenſurum. Ad quam cauſa ipſa me deducit.] Hoc recte. Quia non noſtrum arbitriũ ſequendum eſt, ſed cauſæ conditio: & ex uerarum rationum diſceptatione, uera iudicatio comprehendenda. Quid? tu'ne inanem.] Profert obiectionem Laterenſis, quam per proſopopœiam inducit, ad excitandum iudicem. Obiecerat enim ille dignitatem patricij ordinis, in qua fundamẽtum accuſationis poſuerat. Itaque non temere profertur à Cicerone, ut ex eo certa iudicatio cõprehendatur. Vtinã uero ſemper eſſet.] Verus, haud dubie legendum eſt. Nam uerus & inanis opponuntur. Et ſignificat hic populum, non uerum, ſed inanem dignitatis iudicem eſſe. Nam quod ad populum pertinet.] Antilogia à perſona populi. Quanquam nihil potes.] Correctio mitigans id, quod durius dictum eſſe uidebatur. Nam ita concedit gradum dignitatis Laterenſi, ut Plancio quoque ſuffragatũ fuiſſe uelit. Nec ſi à populo.] Excuſſam iudicationem cõiungit cũ ſtatu, ut ſolidam propoſitionem efficiat: confirmatq; eandem (ut prædictum eſt) à iure ciuitatis. Illud notãdum eſt; quod alteram partẽ propoſitionis, quæ ad Plancium pertinet, hic non adhibet: ſed differt eã in ordinem confirmationis, ſola theſi defenſionis, ſub qua illa comprehenditur, hoc in loco contentus. Nam ſi eſſet.] Confirmatio, quæ ius ciuile colligit à maiori: Partibus apud maiores cõceſſum non fuiſſe, ut comitia reprehenderent. Ergo id multo minus iudicibus concedendum eſſe. Differt hæc confirmatio à generali, quæ mox ſequetur: quòd quãuis utraque ad propoſitionem pertineat, tamen hæc ad totã, illa ad partes, quæ mox ordine explicabũtur, refertur. Probat enim iſta, non ius, non morem populi, non Plancij gratiam, quæ partes ſunt generalis propoſitionis, ut ſtatim apparebit: ſed, quia hic ſit mos & hoc ius ſit populi in ciuitate, non eſſe damnandum Plancium: etiã ſi dignitate inferior, ac præterito Laterenſe ædilis ſit factus. Itaque probatur hoc in loco non ſtatus, nec iudicatio ſeparate accepta, ſed tota conditionalis propoſitio, & (ut certius dicam) uinculum ipſum ſeu copula (ut uocant Dialectici) conditionalis propoſitionis: Idcirco non eſſe damnandum Plancium, quia beneficio populi ædilis ſit factus. Vel quod multo etiã minus eſt ferendum.] Hic deeſt aliquid. Nam correctiua clauſula eſt ad exaggerationem, qua indignius aliquid ſubijcitur antegreſſæ ſententiæ, nempe accuſatores, uel aliquid ſimile, quòd longe inferius ſit iudicum auctoritate. Tum enim magiſtratum.] Subiecta expolitio per contentionem, quæ eſt ultra confirmationis. Si patres auctores non erant facti.] Patres dicebantur auctores fieri, ſi eam rem, quam acturus erat populus, agendam cenſuiſſent. Vt in creandis magiſtratibus & legibus ferendis. Nam in his patres (ut inquit Liuius) in certum comitiorum euentũ auctores fiebant: auctor Liuius 1. ab Vrbe condita. Itaque quanquam, qua nolui, ianua.] Concluſio totius huius loci, quo propoſitio cauſæ explicata eſt. Hunc uocat ianuam, eleganti metaphora: quod propoſitio uel cauſam aperiat, uel quòd per eam ueluti ianuã quandã, in diſputationem cauſæ ingrediamur. Sed dicit ſe hac ianua ingredi noluiſſe, quòd hac quoque mentio indignitatis ingrata fuerit, qua in diuidẽda cauſa, conſtituendaq; defenſione Plancij, coactus fuerit fateri illum dignitate à Laterenſe ſuperatum fuiſſe, & populũ nõ ſemper uerum dignitatis eſſe iudicem. Sequitur hinc confirmatio,

tertia

tertia pars orationis: quam tamen alij, ut Quintilianus, non ſeparant à propoſitione. Sed parum refert: modo ſciamus hanc propoſitionem eſſe, quæ præceſſit: ſuccedere confirmationẽ, qua illud quod propoſitum eſt, deinceps confirmatur. Tu continentiam. ] Hic eſt initium confirmationis, quæ tota duobus capitibus continetur: An alijs etiam rebus, quàm dignitate, moneatur populus. & An eiſdem rebus Plãcius ſuperior fuerit. Prius transfertur in hanc quæſtionem, An poſſit nonnunquam & ſoleat dignos præterire populus: quod perinde ualet. Id diuiditur in tres partes, ſiue ſubiectas quæſtiones: quæ inter explicãdum inducuntur: An iudicet de candidatis populus: An poſſit quẽquam præterire: & An Laterenſem recte præterierit. Prima coniectura explicatur, reliquæ duæ locis qualitatis: & una eſt theſis, altera hypotheſis. Explicantur eodem ordine, quo enumeratæ ſunt: & poſtremo in unum reuocatæ, iunguntur cum ſtatu diſputationis, ut hac parte probationis, quæ uelut baſim ſuſtinet, certa & firma iudicatio oſtendatur. Poſterius caput de petitione Plancij, quinque locis continetur: qui tum proxime accedunt propoſito confirmando, tum in alias explicantur minores quæſtiones. de quibus ſuo loco & ordine indicauimus. Nunc prioris capitis partes exequamur. Prima pars eſt de affectione populi, quam duobus gradibus complectitur: Populum non ſemper iudicare de candidatis: nec ſi iudicet, uere iudicare, ſed ſemper affectu aliquo & motu duci. Probat tum à natura eius: qui locus ad cauſam efficientem, ſiue impulſionem coniecturalem pertinet: tum à genere comitiorum, qui locus ad circunſtãtiam temporis refertur. Tu continentiam, tu induſtriam. ] Interrogatio eſt per congeriem & repetitionem, ad uehementiã orationis: & forma probationis inducitur poſt antegreſſam ſententiam. Nam quaſi rationem additurus, cur Laterenſem obiurget, prorumpit in interrogationem: & reprehendendo errorem illius, inducit initium generalis confirmationis. Vide tandem Laterenſis. ] Eſt parrheſia, & præparatiuncula ad ſequẽtem ſententiam. Facit eos. ] Facit, procreat, abſolute. Subauditur enim magiſtratus. A quibus eſt maxime ambitus. ] Ambitus hoc loco, id eſt, rogatus. Nam participium eſt ab ambio, hoc eſt, rogo. & in bonã partem accipitur. Sic Virgil. in. 4. Quo nunc reginam ambire furentem Audeat affatu. Ortũ uidetur ab hoc ipſo candidatorum more, qui ambire, id eſt, circuire populũ ſolebant, & rogare. Vnde & ambitio, pro honoris affectatione, in utranque partem: & ambitus nomen, pro crimine parti honoris contra leges. Quo modo & in hac oratione, & alibi ferè apud bonos auctores uſurpatur. Et quadam etiam temeritate. ] Id eſt, inconſulto animi motu, cuius ratio probabilis reddi non poteſt. Nam propriæ prudentiæ opponitur. Non eſt enim conſilium in uulgo. ] Probatio à natura uulgi. Confirmat enim præcedentem ſententiã, quæ propoſitionem huius loci cõplectitur, & ad uim cauſæ efficientis refertur. Semperq; ſapientes. ] Adiungit confirmationem à teſtimonio. Quære cum te ædilem. ] Concluſio. At fueris dignior. ] Inducit obiectionem, contra quam proprie pugnat hic locus. Et eſt occupatio. Sed ut fueris dignior. ] Reſumptio eſt, poſt interpellatam ſententiam. Nam parentheſis interceſſit, quæ continet præteritionem. Non competitor. ] Confert culpam in populum, & Plancium liberat. Et eſt ſolutio obiectionis, quam deinceps coniungit cum inſtituto loco, & pluribus confirmat. Comitijs præſertim ædilitijs. ] Argumentum eſt à genere comitiorum, quod ad circunſtantiam temporis, & cauſam efficientem refertur. Intelligit autem curiata ſiue tributa comitia: nam utroque nomine appellantur, dicta à curijs, ſiue tribubus, in quas diuiſus erat populus. nam his quæſtores & ædiles creabantur. Centuriatis autem comitijs, quod diuerſum genus erat, maiores creabantur magiſtratus, eiſdemq; leges ferebantur. Cæterum inter hæc duo genera hoc intererat: quòd curiatis comitijs populus tributim ſine ordine cenſus et ætatis ferebat ſuffragium, eratq; optimus quiſque cum uiliſſimo quoque pari conditione: ac proinde gratiæ ſæpe, quàm dignitati, plus loci. Centuriatis autem comitijs per claſſes inibatur ſuffragium. In quibus deſcripto ex ætate et cenſu populo, prima claſſis, quæ maximi erat cenſus, et optimates ferè continebat, primo ferebat ſuffragium, uocatis ordine ſeniorum ac iuniorum centurijs: deinde ſecunda claſſis, eodem ordine: deinde tertia: poſt quam, ſi adhuc ſententia uariaſſet, quarta: donec ad quintã, quæ ultima erat, peruentum fuiſſet, quæ iam minimi erat cenſus, ac proinde uilioris turbæ ac ſuffragationis. Itaque obſeruato hoc diſcrimine cẽturiata comitia grauiora erant, propter hunc ordinem & delectũ populi: curiata autem leuiora, & magis popularia, quod in his plebei ferè cum nobilibus pares eſſent, tum numero etiam et multitudine ſuperiores. Vnde nec temere eueniebat, ut qui uulgo gratiſſimus eſſet, optimum ac nobiliſſimum quenque in honoribus petendis ſuperaret. Eblandita illa. ] Eblandita ſuffragia uocat curiata, de quibus modo diximus: quaſi gratia & precibus, ac ueluti blanditijs quibuſdam impetrata à populo. Enucleata uero, centuriata: quæ exquiſitiora erant, & excuſſa ratione & conſilio, & exactius ponderata. Vtrunque ſanè apta & eleganti metaphora. Quid ipſi debeant. ] Senſus eſt: Eos, qui ædilitijs comitijs ferant ſuffragium, ſæpius conſiderare in promouendo candidato, quid ipſi cuique debeãt, hoc eſt, quid de ſe quiſque candidatus meritus ſit: quàm attendere, quid debeatur reipub. atque adeo quos expediat ciuitati, aut quos dignum ſit, creari magiſtratus. Sin autem mauis eſſe iudicium. ] Inducit alteram partem huius capitis, & eo ipſo auget ordinem probationis ex abundanti: Populum, & ſi uere iudicet, tamen poſſe præterire quem uelit. Probat à iure & conditione eius. Locus connectitur cum ſuperiori, forma διλήμματος, hunc in modum: Aut ſtudio mouetur populus erga candidatos, aut iudicat: Si ſtudio mouetur, hoc ipſo ſuperior fuit Plancius: Sin iudicat, nihil ad Laterenſem, cum iure populi Plancius ædilis ſit factus. Siue igitur iudicet, ſiue non iudicet populus, non eſt crimen Plancio imputandũ: quæ iam eſt principalis quæſtio, ad quam hæ ſubiectæ partes referuntur. Male iudicauit populus. ] Expolitio huius loci, per contentionem. Inducit enim ſchema altercationis per interrogandi & reſpondendi uices, ad urgendum aduerſarium, & iudicem excitandum. Eſt enim conditio liberorum populorum. ] Ratio expolitionis, quæ eſt à iure populi. Noſtrũ autem eſt. ] Contentio ad amplificationem. Venio nunc ad ipſius populi partes. ] Tranſit ad tertiam partem huius capitis, An populus Laterenſem præterire debuerit. Quæ cũ ſit hypotheſis, reſpectu præcedentis quæſtiunculæ, optimo ordine & firmiſſimo ad probandum illi ſuccedit. Nam probatum eſt hactenus, populum poſſe præterire dignos. Quod ſi uerum eſt, nec ullum obſtat priuilegium Laterenſis: quid reſtat, niſi ut ipſe quoque præteriri potuerit? Iam ſi potuit præteriri, quid culpam refert in competitorem? Quæ iam rurſus eſt generalis quæſtio, quæ ſubiectis his partibus explicatur. Cæterum tractatur hic locus proſopopœia populi, defendentis factum ſuum contra Laterenſem, & querelam illius reprehendentis. Quod quidem aptiſſime factum eſt hoc loco, ut ſubtracta ſua perſona orator, in eo quod durius erat, populum ipſum loquentem induceret, ad offenſionem deuitandam. Ego tibi Laterenſis. ] Propoſitio huius loci ex populi perſona. Tractatur per contentionem, & rationem à perſona coniunctam habet: Laterenſem merito præteritum eſſe à populo, quia negligentius petiuerit. Pertinet ad ſtatum qualitatis. Reſpondebis credo. ] Occupat obiectionem, ut ad confirmandam propoſitionem acrius accedat. At uero te ille. ] Reſponſio ad obiectionem. Et eſt confirmatio propoſitionis, quæ ducitur ab exemplis à pari, uel etiam maiori. M.

Scium, qui, ne equeſtrem. ] Refert exempla, & à perſonis amplificat. Non dico C. Serenum. ] Pulchrum ſchema contentionis, et quidem geminarum, tum ad uehementiam, tum ad amplificationem orationis. Græci ἐπεμβολὴν uocant, Trapezuntius ablationem inferentem, & dirimentem copulationem, interpretatur. Deſiderarunt te, inquit, oculi mei. ] Relabitur in proſopopœiam, & amplificat propoſitum locum à tempore. Cum tu eſſes Cyrenis. ] Cyrenæ in Lybia eſt Aphricæ, urbs nobilis & Romanorum prouincia: in qua ſuſpicor Laterenſem quæſtorem fuiſſe, et quidem eo tempore, aut nó multo ſecus, quo Cicero coniurationem Catilinæ oppreſſerat. Nam periculum aliquod reipublicæ ſignificare uidetur, cum dicit. Et me quàm ſocios tua uirtute frui malebā: & quo plus intererat, hoc eſt, quo magis adeſſe te expediebat, eo plus aberas à me. Nam Aberas legendum eſt, non aberat, ut cæteri habent codices. Deinde ſi tientem me. ] Aliud tempus, quod mox ſubſecutū fuit, C. Cæſare & M. Bibulo Coſſ. quod deinceps commemoratur. Cœperas enim petere tribunatum. ] Tribunatum ſignificat, quem prædictis Cos. cum peteret Laterenſis, ne in legem agrariam iuraret, quam inuito collega & optimatibus ferebat Cæſar, à petitione deſtiterat malueratq; nó fieri tribunus, quàm adepta poteſtate, qua reſiſtere potuiſſet, popularibus legibus aduerſari. Mentionem facit huius rei Cicero, quamuis in diuerſam partem, in epiſtola quadam ad Atticum lib. 2. quæ incipit, Accepi aliquot epiſtolas tuas. Quam petitionem cum reliquiſſes. ] Occurrit defenſioni, & quod contra dici poteſt, triplici dilemmate ita diluit, ut nihil relinquatur Laterenſi, quod non ſit cum repreheſione coniunctum. Id dilemma ordine triplex eſt: ſed ad duo membra redigitur, prioribus duabus partibus in unum contractis. Colligitur enim à tempore: Aut nunc noluiſſe petere Laterenſem, aut in aliud ſe tempus reſeruaſſe. Deinde prius membrum rurſus diuiditur: Aut iudicaſſe illum de uirtute ſua, aut deſperaſſe. quæ ſingula reprehenduntur. Pete igitur eum magiſtratum. ] Concluſio huius loci, quæ conuertitur ad benigniorem hortationem. Infertur autem ex contrario: quod genus & frequens eſt apud Oratores, & tantundem ualet. Nam ſicut probauit in præcedenti loco, Laterenſem merito repulſum eſſe, quia negligenter petiuerit: ita hic monet, diligentius petendū eſſe, ut honores adſequatur. Aediles quicunque erunt idem mihi. ] Hic deeſt aliquid. Si tamen & hoc recte legitur, mihi uidetur ſignificari, non multum intereſſe reipublicæ, quicunque ædiles ſint: ſed grauiores magiſtratus egregijs ciuibus petendos eſſe, in quibus uirtutem ſuam declarent erga rempublicam. Id quod oſtenderit quidem Laterenſis in tribunatu petendo, ſed ab ea petitione deſtiterit. In quo attende, quàm callide & moderate reprehendat, coniungendo quæ infenſiora ſunt, cum laude quadam Laterenſis. Hæc populi oratio eſt. ] Reuertitur ad ſuam perſonam, & explicatum hactenus caput quæſtionis cum ſtatu coniungit, ad oſtendendam certam & firmam iudicationem. Nam ſi quotieſcunque præteritus erit. ] Propoſitio eſt, qua iudicationis theſis continetur: An, cū populus dignos præterire poſſit, is qui præterito digniore ædilis factus ſit, ambitus ſit damnádus. Probatur in negatiuam partem à iure & inſtitutis ciuitatis, argumentatione per oppoſitionem rhetoricam figurata. Populo ſupplicetur. ] Hoc de more comitiorum. Nam candidati & pro ſe ipſi, & pro eiſdem propinqui ſupplicare ſolebant. Quam rem cómemorat Plinius iunior in epiſtola quadam ad Meſium Maximum. Et Suetonius in Auguſto, refert illum, quoties comitijs intereſſet, tribus circuire ſolitum cum candidatis ſuis, & ſupplicare more ſolenni. Nihil quod diremptio. ] Diremptio, id eſt, populi diſtributio. Nam ſepta erant in campo, quibus pro genere comitiorum populus in tribus uel claſſes, deinde in centurias dirimebatur, priuſquam iniret ſuffragiū. Vnde & diremptores dicti, quibus id negotij publice commiſſum erat. Cæteri codices, quos uidi, Direptio habent: ſed Diremptio haud dubie legendū eſt. Supplicatio magiſtratuū. ] Preces pro candidatis. Nam & magiſtratus ſupplicabant, ſicut modo indicauimus. Renunciatio ſuffragiorum. ] Ea fiebat per præconem iuſſu magiſtratus. Nam is clara uoce renunciabat ad populum, quem quæque centuria declaraſſet. Colligebant aūt magiſtratus ſuffragium ad pontem ſedentes, qui locus in cápo tabulatis extructus erat, cumq; proceſſiſſent ordine tribus, dimiſſæ per pontem in alteram partem tranſibant, qui Mons citatorum dicebatur. Simul ut qui ſint profeſſi. ] Eſt expolitio inſtituti loci. Profeſſos appellat candidatos, qui petituri honorem, nomen ſuum dabát magiſtratui, qui comitijs præerat, eaq; re ſe petituros profitebantur. Sin hoc perſæpe accidit. ] Redditio oppoſitionis, qua ad propoſitam intentionem reuertitur. Nam hoc ſchemate tractari argumentationem, paulo ante indicauimus. Admiſcet autem metaphoram ad ornatum & ὑποτύπωσιν orationis: quæ eiſdem ferè uerbis, ſed explicatius tractatur in oratione pro Murena. Quare noli me. ] Concluſio generalis huius loci, quam accommodat ad caput principalis quæſtionis, quæ hactenus explicata eſt. Eandemq; illuſtrat à diſſimili, & explanat ſchemate ratiocinationis ad contentionem, inducta interim principalis ac firmiſſimi loci repetitione. Etenim ſi grata eſt tabella. ] Explanatio eſt à diſſimili. nam per tabellam intelligit ſuffragia: quæ lege Gabinia inſtitutum erat, ut in creandis magiſtratibus per tabellam ferrentur. deinde lege Caſſia, ut idem obſeruaretur in iudicijs. poſtremo lege Papyria (quam Cn. Papyrius Carbo tulit) ut in legibus quoque ferendis populo tabella daretur. auctor Cicero 2. de Legibus. Datq; eam libertatem. ] Senſus eſt: Tabella dat eam libertatem, ut promittat populus quod rogatur à candidatis: hoc eſt, ut quod petunt candidati, id promittat ſe daturum eſſe: ſed faciat tamen, hoc eſt, præſtet quod uelit. Quid ſi populi. ] Confirmata priori parte iudicationis, & quaſi iacto probationis fundamento, ex quo nititur tota defenſio, tranſit ad alterum caput de petitione Plancij, & oſtendit illum in petitione honoris apud populum ſuperiorem fuiſſe. Et prior quidem pars theſis fuit, hoc eſt, infinita quæſtio: hæc hypotheſis eſt, hoc eſt, finita, qua adiūgitur cauſa ad id, quod tanquam firmiſſimum poſitum eſt, & uelut firmamentum defenſionis. Probatum eſt enim, populum dignos præterire poſſe, hoc eſt, alijs etiam rebus, quàm dignitate moueri erga candidatos. Quod cum hactenus planum factum ſit, nihil reſtat amplius, niſi ut oſtendatur, Plancium ualuiſſe his rebus apud populum, ijſdemq; Laterenſem ab eo ſuperatum eſſe. Vt ſit hic ueluti ſyllogiſmus probationis: Populus alijs etiam rebus, quàm dignitate mouetur erga candidatos: at his rebus Plancius ſuperior fuit Laterenſe in petitione: eſt igitur Plancius ſine ambitu ædilitatem adeptus. Maior propoſitio confirmata eſt. Succedit minor, quæ collationem perſonarum continet, Vter gratioſior fuerit: ac proinde coniectura rei, collatiſq; inter ſe argumentis explicatur. Loci eius ſunt, Genus utriuſque perſonæ, Tribus, Vicinitas, Pater publicanus, Ciceronis preces, & uita ipſius Plancij. Quibus tum abſolute, tum comparate tractatis, uoluntas ac ſtudium populi in ſuffragatione Plancij confirmatur. Quid ſi populi quoque. ] Vehementior tranſitus, quo ex abundanti auget ordinem probationis. Et eſt generalis propoſitio huius loci: Plancium ualuiſſe honeſtis rationibus apud populum, hincq; ab eodem ædilem factum eſſe. Poſſum'ne eripere. ] Repetit diuiſionem cauſæ, & reprehendit obiectam generis indignitatem Plancio: quòd & contumelioſa & iniqua ſit in eundem, & ad cauſam parum pertineat. Eſt igitur præparatio ad inſtitutum locum, ad renouandam iudicum intentionem. Si quod equitis Rom. filius eſt. ] Argumentum eſt à pari: Omnes fuiſſe equitum Romanorū filios. Ergo non magis Plancium, quàm cæteros, inferiorem habendum

dum eſſe. Nihil dico amplius. ] Præciſio eſt ad ſignificationem. Significat enim non ſolum Plancium, ſed cæteros etiam contemni equites, atque adeo cõtumelia affici totum equeſtrem ordinem. Hoc tamen minor. ] Alia reprehenſio, Laterenſem iniquiorem eſſe in Planciũ, quod hũc ſolum accuſet, cũ alios etiam cõpetitores habuerit. Equidẽ ſi quando. ] Similitudo ad rei explanationẽ. Ad Fabiũ fornicem. ] Arcus fuit Romæ (teſte Aſconio) quem Fabius cenſor deuictis Allobrogibus conſtruxerat. Dictus Fabius fornix eadem figura, qua Fabiá legem, uiam Appiam, lacum Curtium, & alia id genus multa ueteres dicebant. Tu neque Q. Pedio, neque A. Plancio. ] Hi Plácij competitores fuerunt, & ipſi equites Romani. Et eſt redditio ſimilitudinis. Sed tamen hæc tibi eſt prima. ] Correctio, qua remouet à cauſa reprehenſam obiectionem, & probat à pari: nihil nouum eſſe, ſi uictus ſit à digniore Plancius: cum & ipſe inferior ſuis competitoribus, tamen honores ſit adeptus. Sed uide ne hæc ipſa. ] Propoſitio probationis, quæ ſuperiori, quæ generalis fuit, ſubſtituitur. Eoq; differt, quod hæc loci argumentationis eſt, illa quæſtionis. Proponitur autem locus confirmationis à genere perſonarum, idq; per inuerſionem, qua ex eo, quod obiectum fuit Plancio, oſtenditur, petitionem illius quàm Laterenſis gratioſiorem fuiſſe. Sed hic locus breuiter abſoluitur. Eſt tuum nomen. ] Eſt comparationis explicatio, qua putat Laterenſi apud multos etiam communem nobilitatis inuidiam obfuiſſe. Etenim ut ad caput. ] Tranſit ad collationem tribuum utriuſque partis, ex qua probat ardentiora ſtudia fuiſſe erga Plancium, quàm erga Laterenſem: & poſtremo eodem frequentiam adiungit. Probat exemplis. Ex municipio Tuſculano. ] Id municipium ſtatim poſt exactos reges (ut teſtis eſt Liuius) uenit in Romanorum ciuitatem, multoſq; præclaros uiros edidit. Oppium fuiſſe tradunt in Tyburtinis montibus, et propè in conſpectu urbis ſitum. Quo iure fuerint municipia, quo coloniæ, notatur à Gellio lib. 6. Iuuentia. ] Ex hac familia fuit Laterenſis, ex municipio Tuſculano. E præfectura Atinati. ] Præfecturæ definitæ regiones erant, & in his plura oppida, quæ præfecto impoſito adminiſtrabãtur. Erant enim & municipia, & ſociæ ciuitates, & præfecturæ in Italia, quæ ciuium numero cum eſſent, ſuffragij ius Romæ habebant. Atina autem urbs peruetuſta fuit (ut traditur) in Samnio 12. regione Italiæ. Cuius mentionem facit inter cæteras urbes, quæ arma fabricarant Aeneæ, Virgilius in 7. Quinque adeo magnæ poſitis incudibus urbes Tela nouãt, Atinaq; potens, Tyburq; ſuperbum. Non tam priſca. ] Priſca ad nobilitatem: honorata, ad geſtos honores: ſuburbana, ad uicinitatẽ urbanamq; originem refertur. Vnde Ciceroni ſæpe obiectũ fuit, quòd Arpinas eſſet, hoc eſt, nouus homo, & longinquo ab urbe oriundus. Sellam curulem. ] Hoc inſigni prætores, conſules, & ædiles qui ius dicebant, utebantur. Vnde & Curules magiſtratus dicti. Sella erat qua inſidentes magiſtratus & in ſenatum, & in diuerſas urbis partes, ubi ius dicendum erat, uehebantur: curulis, à currus ſimilitudine appellata. Hoſpitũ ſuorum. ] Hoſpitum, pro tribulium ſiue popularium, per κατάχρησιν. Agri propè monteiq; fauerunt. ] Hyperbole ad extollendam ſententiam. Arpinatem. ] Arpinum, & ipſa urbs quondam in Samnio, C. Marij (qui ſepties Conſul fuit, & de Iugurtha Cimbriſq; triumphauit) & Ciceronis origine clara. Inde Arpinates dicti, ſicut noſtrates, ueſtrates: quæ gentilia nomina uocant Grammatici. Primum igitur hic habuit. ] Concluſio huius loci. Deinde tui municipes. ] Addit frequentiæ collationẽ, & hac quoque parte Planciũ longe ſuperiorem fuiſſe oſtendit. Hi tot equites, tot tribuni ærarij. ] Demonſtrat iudices. Nam ex omni populo hi tres ordines iudicabant, ſenatus, equites, et tribuni ærarij: quod (teſte Aſconio) lege Aurelia conſtitutum fuerat. Oculorum conie ctum. ] Proſpectum ſignificat, quantum oculis conſequi poſſis. Iam municipia etiam. ] Aliud argumentum à uicinitatis genere: ex quo eadem, quæ ex tribuũ collatione, colligit: hoc etiam genere ſuffragationis Planciũ fuiſſe ſuperiorem. Non infuſcata maleuolentia. ] Infuſcata, apta & elegans metaphora, pro corrupta & deprauata. Reſpicere enim uidetur ad contrariã metaphoram, qua candidos, ſinceros & incorruptos appellamus, cãdoremq; inuidiæ ac maleuolentiæ opponimus. Non fucata. ] Id eſt, non tecta, nec ſimulata. unde prouerbiũ, Fucum facere. Vel ſuburbano, uel etiã urbano. ] Hoc eſt, callido & aſtuto. unde prouerbium, In aſtu uenit. Refertur autem contra id, quod Laterenſis ſe, ut apparet, ex Tuſculo ſuburbano oppido ortum cõmemorauerat. Nemo Arpinas, Soranus, Caſſinas. ] Hæc oppida, Arpinum, Sora, Caſſinum, Aquinum, Venafrum, Allifæ, uicina fuerunt, &, ut paulo ante indicaui, in Samnio. Ergo ut alia in te. ] Cõcluſio huius loci. Niſi forte te Lauicana. ] Occupatio, qua eludit quod contra dici poteſt. Nã Lauici, Gabij, Bouillæ, Tuſculo propinqua fuere, in Latina regione. Vix iam qui carnem Latinis petant. ] ὑπερβολικῶς dictum, pro pauciſſimis. Eſt enim periphraſis ſumpta de more priſcorum Latinorũ, quo ſinguli populi ex Latio, ferijs Latinis (nam id ſolennitati nomen erat) ex Albano monte carnẽ petebant. Latinis igitur abſolute, pro ferijs Latinis, accipiendũ. Adiungam, ſi uis, id quod tu. ] Eſt quartus locus, à perſona patris Plancij, quòd is ſit publicanus. Nam eam quoque rem putat ſuffragatã fuiſſe Plancio, nõ obfuiſſe: quemadmodũ Laterenſis obiecerat. Eſt igitur inuerſio, qua quod obiectum fuit in contrarium uertitur. Cæterum publicani erãt, qui conducta à populo uectigalia magnis rationibus exercebant per prouincias. Flos enim equitum Romanorum. ] Explanatio ad argumenti amplificationem. Quis eſt ergo. ] Concluſio. Neque iniuria. ] Subijcit approbationem concluſioni, & plura colligit, quæ uidentur promouiſſe petitionem Plancij. Vel qui huius ipſius. ] Hic Plancium filium ſignificat, qui & quæſtor, & tribunus plebis fuerat ante ædilitatis petitionẽ. Aliud præterea timide dico. ] Venit ad ſuam etiam perſonam, ſed adiuncta quadã præmunitione, ne arrogans uideatur: Se quoque aliud contuliſſe ad Plancij petitionem, non opibus & potentia, ſed precibus & beneficij in ſe Plancij cõmemoratione apud populum. Eſtq; hic quintus locus probationis. Nec, ſi uir ampliſſimus. ] Occurrit obiectioni, ad arrogantiæ declinationem. In quo de patre Plancij loqui uidetur. Quid aũt ille, aut à quo rogarit, non conſtat. Nam, ut omittam illud. ] Probatio à genere rogationis: ſe arrogantem non eſſe, ſed precibus & ſupplici rogatione ualuiſſe apud populũ. Etenim ſi ante reditum meũ. ] Eſt confirmatio huius loci per exempla, quæ conferũtur à minori. An Minturnenſes coloni. ] Cũ bello ciuili pulſus à Sylla Marius ad cædem quæreretur, elapſus fuga, latuit apud Minturnas paluſtri in loco. Sed cũ prorepſiſſet tandẽ, receptus à Minturnenſibus, & in naui collocatus in Aphricam euaſit. Vitia me hercules. ] Epiphonema, quo tranſit ad uitam Plancij. Et eſt ſextus locus huius capitis confirmationis, qui paulo fuſius tractatur. Laudat primo uitam Plancij cum publice tum priuatim actam, & quidem per gradus ætatis. Quibus cum hominibus ille fuerit in adoleſcentia, cũ quibus militauerit, quomodo ſe geſſerit in quæſtura & in tribunatu plebis, quomodo cum patre uiuat in priuata uita, item cũ amicis & neceſſarijs. Deinde purgat quæ obiecta fuerant, nõ in illũ modo, ſed etiã in patrem Planciũ. Eſtq; ea refutatio extra cauſam, ad quã principalis deinde ac propria cauſæ continuatur. Hic eſt enim qui adoleſcentulus. ] Cõmendatio adoleſcentiæ ex A. Torquati contubernio, cuius amorem declarat erga Plancium ex ſtudio. T. Torquati, quòd is adſit ei in iudicio. Miles huius Q. Metelli. ] Apparet Metellum uel inter iudices, uel inter aduocatos fuiſſe, cum dicat. huius Metelli. Et fuit hic Metellus Creticus cogno-

minatus, à deuicta Creta inſula. Legatus fuit C. Sacerdos L. Flaccus. ] Addit alias etiam perſonas, ad augendum militiæ teſtimonium. Hic C. Licinius Sacerdos prætor fuit ante Verrem in Sicilia. L. Flaccus Prætor Romæ, Cicerone Conſule, & ab eodem poſtea repetundarum defenſus. In Macedonia Tribunus militum. ] Locus à geſtis honoribus in prouincia, quem confirmat teſtimonio Legatorum, et L. Apuleij Prætoris eiuſdem prouinciæ. Vt morem illum maiorum. ] Eiuſdem rei facit mentionem prima actione in Verrem, et tertia. Tribunus plebis fuit, non fortaſſe. ] Huic loco coniungit defenſionem: quia aduerſarius, ut apparet, aliquid in tribunatum Plancij obiecerat uel deſignauerat ſaltem in laudādo alios tribunos, quos in adſerenda populi libertate, & in reprimendis ſeditioſis conatibus collegarum, fortes ac uehemētes fuiſſe cōmemorauerat. Hoc igitur ita reprehendit, ut conferendo utrunque, putet iuſtum ac ſedatū tribunum, qualis fuerit Plancius, uehemente ac ſeditioſo meliorē eſſe. Omitto illa quæ ſi. ] Eſt præteritio, qua inducit ultimum locum commendationis à uita priuata, & interiore Plancij conſuetudine. Hanc profert apta & uenuſta ſimilitudine de ſcenicis argumentis: quæ cum latent adhuc, & ornantur in ſcena, ignorantur ferè à populo, & nihil mouent animos: at ubi prolata fuerint & exhibita in proſcenio, tum demum afficiunt mentes hominum, & communi plauſu excipiuntur Sic uita Plancij interior ignoratur ferè à populo. at ſi omnes, qua pietate & coniunctione uiuat cum ſuis, ſpectare poſſent, tum multo maiora erga illum ſtudia accenderentur. Atqui hæc ſunt indicia. ] Addit maiorem propoſitionem antegreſſo loco, & ratiocinationem conficit. Nam minor anteceſſit, Plancium uiuere pie & coniuncte cum ſuis. ſuccedit maior: Eum probum eſſe, qui ita uiuat. deinde concluſio: Plancium igitur probum eſſe, quia ita uiuat. Sed hæc concluſio in generalem conuertitur, quæ per enumerationem argumentorum, ut ſtatim ſubijcitur, hunc totum locum concludit. Argumentatio igitur eſt permutato partium ordine, in qua more oratorio, ut fit ſæpe, adſumptio ante propoſitionem, hoc eſt, minor ante maiorem locatur. Etenim hic rectus ordo erat: Probus eſt qui pie & coniuncte cū ſuis uiuit. at ita uiuit Plancius: eſt igitur Plancius probus.

Omnibus igitur rebus. ] Generalis concluſio totius huius loci, cum argumentorum enumeratione. Hunc tu uitæ ſplendorem. ] Confirmauit uitam Plancij haud parum contuliſſe ad illius petitionem: hic defendit quæ in eandem obiecta fuerant, & ea paucis tum falſa, tum minime crimino ſa eſſe oſtendit. Ingreditur acri & uehementi obiurgatione per interrogationem: Hunc tu uitæ ſplendorem maculis aſpergis iſtis? &c. Maritum appellas. ] Hoc quid ſit, ipſe ſtatim explanat, cum dicit, ductum eſſe ab eo in prouinciam aliquem libidinis cauſa.

Quod non crimen eſt. ] Sola contradictione refellit hanc obiectionem, negans crimen eſſe: hoc eſt, probari poſſe in Plancium, ſed dicit impunitum eſſe mendacium. Raptam eſſe mimulam. ] Hoc crimen ita negat, ut tamen confiteri ſine periculo poſſe uideatur. Mimulam uocat mulierculam ſcenicam. & eſt diminutiuum à mimo. Mimus enim & hiſtrionum & fabularum genus erat, & Mimographi poetæ, ſicut comici, qui mimos ſcriptitabant. È quorum numero eodem tempore celebres erant Publius & Laberius Roman. eques ſub C. Cæſaris principatu. de quibus Gellius & Macrobius meminerunt. Et Suetonius de Laberio in Iulio: Decimus Laberius eques Rom. mimum ſuum egit, donatuſq; eſt quingētis ſeſtertijs, & annulo aureo. O adoleſcentiam traductam eleganter. ] Exclamatio admirantis, & quaſi liberato iam Plancio. Emiſſus aliquis. ] Hanc obiectionem non refellit, ſed ad humanitatis laudem pertinere arbitratur. Atque idem poſtea præ mandatis requiſitus. Præ mandatis. ] Id eſt, propter mandata. Sic Terent. Miſera præ amore excluſit hūc foras. Atque hæc nulla alia ] Cōmonitio uice concluſionis huius loci. Pater uero, inquit. ] Tranſit ad aliam obiectionem, & eſt occupatio. Negat autem uel nocentis patris perſonam filio obeſſe debere in iudicio, arguens & inhumanitatē Laterenſis, & uerbis exaggerans indignitatem. Pater ut in iudicio capitis. ] Exaggeratio à perſona parentis, quam profert uehementi & repetita interrogatione ad obiurgationem. Sed cum ſit Cn. Plancius. ] Defenſio à perſona: & eſt ſecundus gradus reprehenſionis.

Nam prior fuit ex ui tranſlationis, quo negauit in iudicio patrē obijciendum eſſe filio. Hic defendit etiam ſi obijciatur. Colligit attributa perſonæ à genere, à ſtudijs & factis. Maximarum ſocietatum auctor. ] Hæ ſocietates inter publicanos erant in exercendis uectigalibus, & longe maximis inter eos & ampliſſimis rationibus conſtabant. Tamen is oberit. ] Redditio periodi cum reſumptione, quia pluribus ſuſpenſa fuit ſententia. Aſperius, inquit, locutus eſt. ] Occurrit obiectioni, quam ita reprehendit, ut ſimul defendat Plancium patrem. Idq; recte, quia in confirmanda petitione filij, hunc quoque ſupra adhibuit. Defendit autem, & negat id quod obiectum ſit crimino ſum eſſe: & nititur ex abſoluta qualitate, non eſſe crimen equiti Romano, quæ ſentiat libere eloqui in libera ciuitate. Probat ex circunſtantijs perſonæ & loci: exemplis confirmat. Cæterum, quòd fuerit hoc dictum Plancij, & quando id locutus ſit, non planè conſtat: niſi quantum ex hiſtorijs & monumentis illorum temporum colligitur. Etenim C. Cæſare & M. Bibulo Coſſ. cum agrum Campanum inuitis optimatibus in plebem diuiſiſſet Cæſar, ut Appianus auctor eſt, publicani petebant à ſenatu, ut propter multiplicia onera parte aliqua uectigalium leuarentur.

Sed cum eam rem grauaretur ſenatus, & propter contentiones partium, reſponſum dari non poſſet, indignati publicani, liberius quædam conqueſti ſunt: & in his potiſſimum Plancius, quod is eſſet princeps, ut dicit Cicero, ex ordine publicanorum. Hanc igitur rem, ut ego opinor, obiecerat inter accuſandum Laterenſis, & inuidiam Plancio fecerat: Quam tamen hic ita defendit Cicero, ut licuiſſe equiti Rom. contendat. Quòd autem huiuſmodi quædam contentio fuerit in cauſa publicanorū, & hæc quam dixi modo cauſa fuerit, tum locus ipſe orationis, tum Cicero in epiſtola quadam ad Atticum indicare uidetur, quæ libro ſecundo ſic incipit: Cœnato mihi, & iam dormitanti, paulo ante finem. Vbi nam ille mos? ] Acrior obiurgatio ad inuidiam & indignitatem. Equitū ego Romanorū. ]

Profert exempla, quibus confirmat antiquam libertatem.

Conſuli P. Naſicæ. ] Hic uir optimus à ſenatu iudicatus, tertium bellum Punicum contra Catonem diſſuaſit: & poſtea priuatus occidit Tyb. Gracchum, pernicioſis legibus rempublicam perturbantē. Ille L. Craſſi, ille M. Antonij. ] Hi excellentes oratores fuerunt, Ciceronis ætatem paulum antegreſſi: quos in libris de Oratore diſputantes inducit. Cum impediretur ſenatus. ] Intellige per eos, qui legi de publicanis, tanquam grauatorio, reſiſtebant. Hi erant optimates contra C. Cæſaris & Cn. Pompeij potentiam, qui mutuo inter ſe conſenſu rempublicā ſibi uendicabant, ac popularibus largitionibus ſummam reipub. ſibi arrogabant. Quod hoſtibus ſemper erat tributum. ]

Hoc idem ſentit in tertio libro Officiorum, & quidem contra Catonis ſentētiam, qui nimis præfracte ærarium uectigaliaq; tuebatur. Complectitur autem argumentum à maiori: hoſtibus ſolere reſponſum dari, ergo multo magis equitibus Romanis dandum eſſe. Potentiſſimo homini M. Druſo. ] De hoc Druſo homine nobiliſſimo ac potentiſſimo, eſt apud Appianum de Bellis ciuilibus libro primo. Quanquā iudices. ] Correctio, qua eleuat, quam hactenus reprehendit obiectionem, & falſo putat conferri in Plancium. Probat exemplo de ſe ſumpto, & uerisimile facit. Nam quod primus ſciuit legem. ] Alia obiectio eſt, qua de eadem re, quæ hactenus defenſa eſt, loquitur.

Nam

*Nam cum ante lex de publicanis apud ſenatũ fruſtra tentata fuiſſet, C. Cæſar eandem ad populum tulit: eodemq; ſucceſſu, quo ante legem agrariam inuito collega pertulerat, perfecit, ut publicanis tertia pars uectigalium remitteretur. auctor Appianus. Sciuit autem dicit, pro ſuffragium tulit, hoc eſt, ſuffragio legem comprobauit. Quod autem Plancium primum ſciuiſſe dicit, id, opinor, hunc ſenſum habet, ut cum centuriata fuerint comitia, uel in prærogatiuam inciderit Plancius, uel in iure uocatis primus ob honorem à Cæſare ſententiam fuerit rogatus. Si in eo crimẽ eſt. ] Soluit, et negat criminoſum eſſe, ſiue quòd ſciuit legem, ſiue quòd primus ſciuit. Alterum probat à pari, alterum à caſu & perſona Cæſaris. Sed aliquando. ] Confirmatio iure populi ac Plancij petitione, quibus capitibus tota probatio cauſæ conſtat: tranſit ad refutationem principalem, in qua primũ refellit crimen & ſuſpiciones: deinde reſpondet ad ea, quæ tum in Plancium, tum in ſe potiſſimum obiecta fuerant. Criminis ac ſuſpicionum hæc ferè ſunt capita: Laterenſem contra legem ad ſpem falſi criminis iudices edidiſſe: Sodalitium, niſi probetur, pro ficto habendum eſſe: Non quiſquis prærogatiuam prior ferat, eundem & honorem adipiſci: Non quæcunque tribus ferant eaſdem in ſuffragio, eoſdem & ſodalitij damnandos eſſe: Fictum eſſe, quòd ulli fuerint in campo nũmi deprehenſi. Poſterioris partis capita & multa & uaria ſunt, & ſuo loco & ordine pariter indicabuntur. Primo igitur loco oſtendit editionem iudicum cõtra ſenatuſconſultum factam eſſe, uehementerq; arguit ex eo calumniã Laterenſis, & probat falſi criminis ſuſpicionem. Sed ueniamus aliquando ad cauſam. ] Tranſitus eſt, quo relicta antegreſſa refutatione, quæ extra cauſam fuit, nempe de patre Plancio, uenit ad hãc, quæ propriè ad cauſam crimenq; pertinet. In qua tu nomine legis Liciniæ. ] Incipit ſtatim à lege, & oſtendit Laterenſem Liciniæ legis nomine omnes ambitus leges comprehendiſſe. Leges enim hoc in loco, non legis, legendum eſt, ut cæteri habent codices. Nam & Calphurnia erat nominatim de Ambitu, et Fabia de Sectatoribus: quarum mentionem ipſe facit in oratione pro L. Murena. & præter has ſenatuſconſulta, tum in ſuo conſulatu, tum alijs temporibus facta. Quis autem legis Liciniæ auctor fuerit, incertum eſt: nec quidquam hic refert. niſi quòd iſta de ſodalitijs conſtituta fuit, hoc eſt, de collegijs & conuentibus illicitis, quæ hodie conuenticula appellantur: unáq; omnium accuſatoris edititios dabat iudices in reum, ex his tribubus, quas ab eo corruptas eſſe conſtabat. Dicit igitur Laterenſem hac lege cæteras de Ambitu leges complexum eſſe, hoc eſt, complectendo cæteras, hac, quàm alijs agere maluiſſe. Subijcit rationem à proprio, Quòd nihil aliud in hac lege quàm edicitios iudices ſecutus ſit. Quod genus iudiciorum. ] Negat hanc legem, ac proinde hoc genus iudiciorum in alia cauſa, quàm in ſodalitij crimine locum habere. Probat ex ſententia ſenatus, qui ſenatuſconſulto ſecundum legem Liciniam, huic tantum cauſæ edititios iudices dederit, nec idem trãſtulerit in cæteras cauſas. Deinde, quod de ambitu & relectione, quæ diuerſæ ſint cauſæ, iudiciũ fieri uoluerit, nõ editorum iudicum, ſed alternorum potius: hoc eſt, tam editorum quàm non editorum ex omni populo. Et eſt locus à teſtimonio, ſiue ab auctoritate. Niſi hac tribuaria. ] Tribuaria, id eſt, tribuum coitione, ſiue ſodalitij crimine. Nam tribuarium à tribu, tributarium à tributo dicitur. De ipſo denique ambitu, de relectione. ] Voluerat ſenatus in cauſa Plancij, ut cum iudices editi fuiſſent in ſodalitij crimen, tamen de ambitu & relectione alterni iudicarent. Alternos uocat ſumptos partim ex corruptis tribubus, partim ex reliqua multitudine. Relectio erat, quæ ſuſpecti iudicis mutatio reo concedebatur. Ea, quantum colligitur tum ex oratione ipſa, tum ex Aſconij commentarijs, fiebat hunc in modum. Accuſator tribus edebat, quæ de ſodalitio iudicarent. Ex his certum numerum reijciebat reus. Sumebantur deinde ex cæteris, & quæ remanſerant, & quæ non fuerant editæ, delecti iudices: hoc eſt, ex ſenatorio & equeſtri ordine, & tribunis ærarijs, penes quos lege Aurelia iudicia erant: hiq; in urnam mittebantur. Confecto certo numero, quem præfinitum eſſe oportebat, iterum permittebatur reo, ut inimicos ſibi, aut ex aliqua re incommodos, reijceret. Ex quo fiebat ſubſortitio. Facta ſubſortitione, priuſquam ſententia ferretur, iterum quini reijciebantur ex ſingulis ordinibus. Hisq; relectis, & congruente legitimo numero ſententia ferebatur. Erat igitur relectio, repudiatio ſuſpecti iudicis, conceſſa reo, ut incorruptius iudicaretur. In qua cum ſæpe lis incideret, ſtatuerat ſenatus, ut cum iudices ab accuſatore de ſodalitio editi fuiſſent, tum alterni ſumerentur ex editis & non editis tribubus, qui & de relectione & de ambitu iudicarent. Cumq; nullum genus acerbitatis. ] Acerbitatem uocat editionem iudicis, accuſatori in reum conceſſam. Hoc tamen unum prætereundum putaris. ] Hoc eſt, ut non editi tantum iudices, ſed alterni de Ambitu & de Relectione iudicarent. Nam ſenatus cum decreuiſſet, ut accuſator iudices in reum ederet, propter ſodalitij crimen: tamen quia actione Laterenſis & ambitus cauſa coniuncta erat, illud quoque ſtatuerat, ut cum accuſator iudices edidiſſet ſecundum legem Liciniam, ut non hi ſoli iudicarent de cauſa, ſed alterni ex omni populo, hoc eſt, pari numero ex editis & non editis ſumerentur. Quid? huius rei obſcura cauſa eſt? ] Comprobatio præcedentis loci, qua reddit cauſam, cur ita cenſuerit Senatus. Et eſt locus à prudentia. Refert primum Quinti Hortenſij ſententiam, quam ſecutus ſit Senatus: deinde ſenatuſconſultum recitat. Acerbum omnino iudicij genus. ] Epiphonema. Terentianam credo? ] Eſt ironia. Tu autem Laterenſis. ] Demonſtrauit toto præcedente loco & legem, & ſenatuſconſulti ſententiam: hic confert etiam editionem Laterenſis, & oſtendit eãdem cum ſenatuſconſulto non cõuenire. Itaque porrò colligit, ſpe aliqua & conſilio calumniæ id factum eſſe. Venditorem & corruptorem & ſequeſtrẽ. ] Cur uenditorem Plancium appellarit Laterenſis, non planè intelligo. Sed tamen ſuſpicor iſta eodem pertinere. Nam ſequeſtres, ut inquit Aſconius, erant interpretes largitionum: hoc eſt, qui conducti à candidatis, nomine eorum cum tribubus paciſcebantur. Deponebatur enim pecunia apud ſequeſtres, quæ per diuiſores, quantum promiſſum erat, in tribules diuidebatur. unde & ſequeſtres appellati. Videtur igitur ſequeſtrem & uenditorem appellaſſe, quod non ſibi tantum Terentianam tribum (quæ illi nota erat) ſed competitoribus etiam conciliaſſet, eandemq; conceſſiſſet alijs & uenalem habuiſſet. Quid Plancio cum Lemonia, cum Velentina, &c. ] Eſt locus à partium enumeratione, per inductionem. Neque Voltiniam, neque Lemoniam, neque Velentinam, &c. edidiſti: ergo nullam tribum notam Plancio edidiſti. relinquitur ergo, ut omnes ignotas edideris, & quæ de crimine iudicare non poſſint. Nã tres etiam quæ reijcerentur. ] Ex hoc loco intelligitur, id quod ſupra indicauimus, tribuum relectionem in hac cauſa ante ſortitionem indictũ fuiſſe. Dubitatis igitur iudices. ] Concluſio, qua infert quod toto hoc loco propoſitũ fuit. Nempe hanc ob cauſam Laterenſem relicta legis ſentẽtia ignotos edidiſſe iudices, quod illis falſum ſe crimen facilius probaturum ſperarit. Eſt igitur argumentum ex facto Laterenſis, ex quo uehementi ſuſpicione conſilium eius colligitur. Quid enim poteſt dicere. ] Ratio concluſionis, quæ toto antegreſſo loco, de ſenatuſconſulto, & iudicum editione explicata fuit. Sed deinceps ad exaggerationem tractatur. Locus uehemens & concitatus eſt. Tu deligas ex omni populo. ] Exaggeratio eſt à perſonis, nempe ab his tribubus, quas legitimis præteritis contra legem edidit Laterenſis: plena obiurgationis & acrimoniæ, & uehementer cõcitata. Ne quinque quidẽ relectis. ] Videtur notari id, quod refert Aſconius,*

quinos ex delectis iudicibus reijci ſolitos fuiſſe. Sed negat hoc Cicero Plancio fuiſſe permiſſum. De conſilij ſententia. ] Id eſt, ſenatuſconſulto. Quis autem fuerit hic reus, non conſtat. Non enim ſi aut Plancius. ] Occupatio, qua repetit præcedentem ſententiam, et exemplo ſubiecto amplificat. An uero nuper. ] Exemplum à minori: Nuper ſeptuaginta iudices reiecti fuerunt: ergo licebat & Plancio aliquot reijcere. Exaggerat collationem ex circunſtantijs, cum 125 confert cum toto populo & eum dicit, magna contentione id factum fuiſſe. Neque ego nūc legis iniquitatem queror. ] Occupatio, quo repetit propoſitam intentionem, & clarius urget. Voltinia tribus ab hoc corrupta. ] Eſt obiectio aduerſarij [illegible] inducta, ad confirmationem eius quod propoſuit. Quam hunc C. Alfium. ] Eſt locus beneuolentiæ in parte probationis, quam captat à Prætoris perſona. Huius Alfij fit mentio in Epiſt. Cic. ad Q. fratrem lib. 3. Decuriatio trib. ] Toto præcedenti loco oſtendit æditionem iudicum à Laterenſe in ſpem criminis factā eſſe, quia inique & contra legem facta eſſet. Acerbitatem eius probauit & auxit à perſonis, exaggerauit comparatione: & ut certius urgeret, redegit interim ad propoſitā intentionem, uſque ad uerſum, Neque nunc multo ſecus exiſtimo. Deinde correxit ſententiam, & pro ſe etiā putauit quod contra fecerat aduerſarius, & quæſitoris beneuolantiā eadem opera cōciliauit, uſque, Neque ego nunc conſiliū reprehendo tuum. Ex quo deinde loco repetiuit principalem intentionem, & calumniæ conſilium arguit, & ex diuerſa interim contentione declarauit certam de ambitu ſenatus & legum uoluntatem. Quibus ordine explicatis, inuadit eodem nunc impetu obiectum crimen, & refellit ex hoc ipſo loco qui tractatus eſt, & alijs ferè hoc ordine argumentis: Nihil ſatis cōſtans & probabile eſſe eorū quæ conijciātur in Plancium. quia ignotas & alienas tribus Laterenſis ediderit: quia gratioſum fuiſſe Planciū minime ſit obſcurū: quia quod obijciat, non probet Laterenſis: quia ſuperioribus comitijs Plancius renunciatus fuerit: & poſterioribus, ſi largiri uoluiſſet, minime facultatem habuiſſet. Decuriatio tribuum deſcriptio populi. ] Obiectio ex perſona Laterenſis, Planciū coiuiſſe cū tribubus & ſuffragia corrupiſſe. Nā decuriare & deſcribere hoc in loco, conuocare plebem & cōuentus habere ſignificant. Et accipiuntur in malam partem, pro coitione, quæ in fraudē legum & reipub. facta eſſet. Populi aūt, non pro tota ciuitate, ſed pro parte multitudinis hoc in loco per ſynecdochen uſurpantur. Tribulibus enim iudicibus. ] Probatio à facto Laterenſis, quod ignotas tribus ediderit. Eſt enim cōiectura animi ex adiuncto, qua ſcilicet ſpe & fiducia criminis Laterenſis ad accuſationē acceſſerit, cum eos ediderit iudices, qui, niſi teſtimonijs res confirmetur, de ea cognoſcere non poſſint: eos autem fugerit, & quidem contra legis ſententiam, qui uel citra probationē ipſi teſtes eſſe potuerint. Eſt igitur argumentum à ſigno. Hanc tu rationem cum fugeris. ] Reſumit argumentū, & concludit uehementiore periodo ad amplificationē. Ego Planciū Laterenſis. ] Facit contentionem ex diuerſo, & confirmat Plancium gratioſum fuiſſe apud tribus. Qui locus ducitur à perſona, & ad remouendam uoluntatem criminis à ſuperuacuo refertur. Nam ſi gratioſus fuit apud tribus ſuas Plancius, nihil opus fuit largitione. Ergo crimen ſine cauſa ſuſcipere uoluit. Quos tu ſi ſodales uocas. ] Occupatio eſt, quā complectitur dilemmate, & reprehendit. Iā ut ego doceo. ] Sicut ipſe docet cauſas legitimas & minime criminoſas ſuffragationis Plancij, ita poſcit uiciſſim probationem criminis ab aduerſario: cōtenditq; falſam eſſe illius criminationem, quia nihil probetur. Nō enim uidetur diſſimulaturus fuiſſe Laterenſis, ſi quid certi haberet, aut etiā ſi quid cōparare potuiſſet. nunc ubi res poſtulat, prætermiſſurus. Eſt igitur locus à ſigno, pari conditione, qua prius à facto Laterenſis. Niſi quòd ille à re geſta procedit, hic è contrario ex inopia, & , ut uocant, ex rei priuatione. Comprehenditur longiore periodo, qua enumerātur ea ferè quæ in confirmatione cauſæ pluribus tractata ſunt, & obiectio aduerſarij ediuerſo ad contentionem opponitur. Itaque haſitantem te. ] Concluſio, uim parem inferens intentioni. In qua deſinamus aliquando. ] Accingitur ueluti ad nouam contentionem, & ut fortius pugnet, eundem locum repetit. Eſt igitur expolitio præcedentis loci, mutata tantū orationis figura. Quo diuiſore. ] Is erat, qui pecuniam diuidebat in tribus, quæ apud ſequeſtrem deponebatur. Aſconius dubitat, criminis, an legitimi officij nomen fuerit. Sed ſuſpicatur ex Ciceronis uerbis Act. in Verr. 2. officij nomen fuiſſe. Pedem conferre. ] Prouerbialis metaphora, à pugnantibus, dum cominus & propè accedentes pugnant. Significat enim, ut ipſemet interpretatur, propius ad rem accedere. Quid taces? quid diſſimulas? ] Hæc tota ueluti pugnantis oratio eſt, urgens & concitata. Nam quas tribus tu tuliſti. ] Explanat utrinſque parem rationē fore. Tuliſti dicit, id eſt, declaratus fuiſti. Nam ferre ſuffragium, ferre punctum dicimus: ut Horat. Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci: hoc eſt, omniū ſuffragio approbatus eſt, qui ſcribendo & profuit & delectauit. Sed cur ego ſic ago. ] Figura, quam dicti pœnitentiam appellat Fabius. nam reprehendit ſe ipſe, & reuocat tanquam longius euectum, & aliorſum etiam quàm uoluerit. Aptum ſchema eſt ad tranſitum, & ad oſtendendam ſimplicem ac minime præparatā orationem. Trāſit autem ad alia argumenta coniecturæ, quibus et uoluntatem criminis, & facultatē firmius remouet. Voluntatem à ſuperuacuo: nempe ſuperioribus comitijs iam fuiſſe renunciatum Plancium: Ergo largitione in tribus nihil opus fuiſſe. Facultatem à tempore: Comitia ſubito, & præter expectationem fuiſſe habita à Coſ. Ergo nec ſpatium fuiſſe coeundi aut comparandi quidquam ad largitionem, etiamſi corrumpere uoluiſſet. Habere cœpit Conſul. ] Conſules fuiſſe conijcimus L. Domitium Aenobarbum, & Ap. Claudium Pulchrum, ſicut in argumento indicauimus. Sed uter comitia habuerit, eſt incertum. Quod autem Primum dicit, ad tempus referendum arbitror: quod cum plura haberentur, & minorum & maiorum magiſtratuū comitia, hæc primum fuerint habita. Harū ipſarum legum ambitus auctor. ] Leges, ſenatuſconſulta intelligit, quæ propter immoderatam ambitionis licentiam, ſub id tempus, ut opinor, plura ſunt facta. Teſtis Cic. in Epiſt. Et Appianus Bell. ciuil. libro 2. Vocatæ tribus, latum ſuffragium. ] Breuiſſime ſummam rei cōplectitur, ad exprimendam celeritatem. Nam initium tantum & exitum colligit, omni medio tempore & interuallo ſublato. Deſcriptæ, renunciatæ. ] Hoc à præcedenti membro dirimendum eſt, & ſeparate pronunciandum. Eſt enim prioris dicti interpretatio, & idem ſignificat: nempe deſcriptas, hoc eſt, digeſtas fuiſſe tribus, & mox ſuffragium renunciatum. Nulla largitionis. ] Epiphonema. An tandem una centuria. ] Inuadit aliam obiectionem de prærogatiua Laterenſis, quam illi obiecerat ſe priorem tuliſſe, ac proinde ſe futurū fuiſſe ædilem, niſi Plancius ſuffragia corrupiſſet. Hanc refutat exemplis, & oſtendit non eſſe neceſſariam rationem criminis: hoc eſt, non effici, quod intendat Laterenſis: cum ſæpe contra euenerit, ut is, qui prior renunciatus fuerit, tamen reliquis ſuffragijs nō fuerit factus. Exemplorum uim ponit tantum, & quidem generali ſignificatione, quā eadem periodo interrogationis coniungit cum obiectione. Deinde tempus conſularium comitiorum, & Plancij perſonam adiungit, ad confirmationē. Quæ hæc cōſularia comitia fuerint, aut qui deſignati conſules, inuenire non potui. Videtur tamē comitia ſignificare, quæ ſemel habita fuerint ab illius anni Coſſ. mox iterum habenda, ſi non conueniſſet inter ciues, & iteranda poſt creatos ædiles. Nam bina habebantur comitia, ſicut in argumento indicauimus, quod propter concordiam ciuium, ut teſtatur Aſconius, inſtitutum fuerat. Cæterū prærogatiuam

gatiuam

gatiuam dicit, quòd hæc centuria prima iniceret ſuffragiũ, & maioris eſſet auctoritatis: in cuius ſententiam cæteræ ferè deinceps inclinabantur. Nam aliæ prærogatiuæ erant, ut refert Aſconius, aliæ iure uocatæ: ordoq́; earum, quo quæque præcederet ad ſuffragium, ſorte ducebatur. In quo non exigua pars populi. ] Eſt circunſtantia ad probationem à perſona: Plancium ſuperioribus comitijs ab uniuerſo populo declaratũ fuiſſe. nõ eſſe igitur mirum, ſi tam gratioſus & acceptus ciuis denuo à populo ſit declaratus. Sed comitia tota comitijs fuerint prærogata. ] Hoc eſt, priora comitia poſterioribus, quã ſententiã ſequerentur, præſcripſerint. Alludit enim ad centuriarũ morẽ, de quo modò diximus, & eundem ad comitia transfert. Quo quidem tempore. ] Per occaſionem prærogatiuæ digreditur ad reprehendendam Laterenſis conſtantiam, quam obfuiſſe illi contendit. Non enim Plancium illi obſtitiſſe, ſed ipſum defuiſſe ſibi, quod non rogarit populum, non diligenter ſatis ac ſummiſſe ſupplicauerit. Qua quidem re ita auertit culpam à Plancio, ut in Laterenſem ipſum referat: nec tamen id faciat contumelioſe, ſed cum laude potius aliqua, & uirtutis commendatione. Idem locus in confirmatione tractatus eſt: ſed illic ad confirmandum ius populi, hic ad liberandum crimine Plancium, & ad cauſam repulſæ Laterenſis in ipſum cõferendum. Prolatis comitijs. ] Hoc eſt, extractis, dilatis. Nam ſi non conueniſſet, ut modo diximus, habebantur denuo comitia, & in aliud tempus proferebantur. Nunquam enim nobilitas. ] Aetiologia, ab obſeruantia nobilitatis. Sed ſi tibi grauitas tua. ] Contentio per oppoſitionem, qua ad inſtitutum reuertitur. Eſt enim ampla & ornata periodus, per oppoſitionem rhetoricam, quã uocant, ad uehementiam & amplificationem orationis. Equidem primũ ut honore dignus eſſem. ] Probat ſuo exemplo & ſententia, uirtutem & grauitatem honori anteponendam eſſe: facitq́; tres gradus, quorũ in ultimo honorem locat. Vult tamen hoc ipſum uirtutis eſſe præmiũ: nec alijs debere iucundũ eſſe, quàm quibus ob dignitatem à populo ſit delatus. Quæris etiam Laterenſis. ] Obiectio, quæ apte coniungitur huic loco digreſſionis, & tota reprehenditur exemplis. Noli ita meditari. ] Reprehenſio obiectionis. Et eſt propoſitio, cui ſubtexũtur exempla. Ap. Claudium nobiliſſ. ] Fit mentio Ap. Claudij, cuius correptũ exercitum C. Cornel. Cinna in poteſtatẽ redegit, apud Florũ Epit. 79. Sed hic fuerit, an alius eiuſdem gentis, compertum non habeo. M. Piſonem. ] Videtne eundem ſignificare, cui ſupra M. Seiũ indigne præpoſitum fuiſſe commemorauit. P. Naſica. ] Hic repulſam tulerat ex offenſione intempeſtiuæ dicacitatis, cum in adoleſcentem quendam ruſticum, cuius calloſam manum apprehenderat, intemperantius fuiſſet iocatus. auctor Valer. lib. 7. de Repulſis. P. Marij. ] Qui duas ædilitias repulſas eodem die tulit, ex curuliũ ædilium comitijs in minora, quo plebei creabantur, tranſgreſſus. auctor eodem quo ſupra loco Valerius, & Plutarch. in uita Marij. L. Cæſaris, Cn. Octauij. ] Vixerunt ambo Cinnanis temporibus, quorum Octauius Cinnam urbe expulit, L. Cæſar uir eloquentiſſimus cum M. Antonio oratore à Cinna fuit interfectus. Sed quid ego. ] Figura correctionis, ut paulo ante indicauimus: qua tranſit ad maiora, & auget ordinem probationis. L. Philippus. ] Hic bello ſociali Coſ. fuit cum Sex. Iulio Cæſare, cuius mentionem facit Cic. in 2. Offic. & de Oratore. Cæteri qui commemorantur omnes eodem tempore uixerunt, paulo ante ætatem Ciceronis. Quæ tibi ultro pater. ] Reſumptio, quæ ex longo interuallo refertur ad initiũ huius loci, & cõcludit exemplorũ commemorationem. dixerat enim, Vidit enim pater tuus Appium Claudium. Nunc reſumit uim eiuſdem ſententiæ, poſtquam multa interpoſuit, & continuat, ad abſoluendam propoſitam intentionem. Eſt ergo concluſio huius loci. Nihil eſt enim, mihi crede Laterenſis. ] Rurſus confirmatio, qua probat non eſſe dolendum Laterenſi, quòd præteritus ſit, nec animum remouẽdum à petendis honoribus: ſed curſum quem inſtituerit, retinendum. Nã hoc eſt, quod ex ſuperiori loco concluditur. Dicitur probatio ex facto eius in comitijs: & eſt locus deliberatiuæ qualitatis, quo facultas rei cõſequendæ à ſigno confirmatur: poſſe eum peruenire ad honores, quia ſingularem uirtutis ſignificationem ediderit. De quo ne aliquid iurares. ] Hoc factum fuerat C. Cæſare & M. Bibulo Coſſ. cum Cæſar legem agrariam, de diuidendo Campano agro, inuitis optimatibus & reſiſtente collega ferret. Cum enim Laterenſis tribunatum plebis peteret, & cæteri candidati coram populo in legem iurarent, ipſe ne iuraret, à petitione deſtitit: fuitq́; id factum eius à multis laudatum. Indicat hanc rem Cicero in epiſtola quadam ad Atticum lib. 2. cuius initium eſt: Accepi aliquot epiſtolas tuas. Qua in epiſtola deplorat ſtatum reipub. ſuntq́; hæc inter cætera eius de Laterenſe uerba: Habet etiam Campana lex execrationem in concione candidatorũ, ſi mentionem fecerint, quo aliter ager poſſideatur: ad quæ, ut ex legibus Iulijs, non dubitant iurare cæteri. Laterenſis exiſtimatur rectè feciſſe, quòd tribunatum plebis petere deſtitit, ne iuraret. Sed de Republica nõ libet plura ſcribere. Fortius tu quidẽ. ] Laudat conſtantiam, ſed tamen ad cauſam refert, & negat ad petendum honorem profuiſſe. Subijcit enim, quod contrarium eſt per ἀντιπαρογὴν. & infert: Sed apertius quàm uel ambitionis uel ætatis tuæ ratio poſtulabat. Quamobrem in diſſentiente populo. ] Concludit hunc locum, quem ex contrario induxit, & infert, offenſos fuiſſe pleroſque liberiore eius animo, eamq́; rem in petitione ædilitatis nunc obfuiſſe. An te illa argumenta duxerunt. ] Obiurgat, & inuadit aliã obiectionem aduerſæ ſuſpicionis, quam acriter refellit. Negat enim ex ſuffragiorũ æqualitate, hoc eſt, quia pleraſque tribus eaſdem cum Plotio tulerit Plancius, ob id coitionis crimen admiſſum uideri, cũ hoc citra crimen accidere poſſit. Probat teſtimonio maiorũ, qui eam rem ædilitiã ſortitionem conſtituerint: ut cũ æqualitas inter candidatos incidiſſet, res ſorte definiretur. Quod certe nunquam feciſſent, niſi iudicauiſſent ſine crimine id poſſe euenire. Et ais prioribus comitijs. ] Occupatio alterius ſuſpicionis, quæ cognata eſt ſuperiori, & refellitur à tempore. Non uerìſimile eſſe, Plancium cũ Plotio ſecuriorem fuiſſe prioribus comitijs, poſterioribus timidiorem: Quod iam ſuperioribus uterque ædilis declaratus fuerit. Profertur locus acriter, & cum obiurgatione. Equidem uerebantur credo anguſtias. ] Ironia, qua ſubijcit aliud etiam argumentum, & negat rem potuiſſe in diſcrimen uenire. Sed hoc ponit tantum, non explicat. Sed tamen tu an Plotium. ] Hic locus, ut uidetur, per correctionem incipit, ſed imperfectus & corruptus eſt. Quare certa ſententia haberi non poteſt. Nam quos queſtus es. ] Ita obiter reprehendit hanc obiectionem, ut doceat nihil pertinere ad Plancium ſed ad uitiũ ſuffragatorũ. Illud uero crimen de nummis. ] Hoc crimen fictũ eſſe arguit, quia nulla certa re probetur. Addit circunſtantiam temporis: Ante iudiciũ iactatũ fuiſſe: nunc in iudicio, ubi prolatu opus ſit, taceri. Neque enim qui illi nũmi fuerint. ] Colligit partes argumentationis per inductionem, Nã ut hæc ſingula per ſe uim probandi habent ex re ſubiecta quæ intenditur, ita cuncti inter ſe & in unum collata firmiorem probationem efficiunt. Tollit enim inductio aut cõfirmat ſummam rei, propoſita partium eius aut ſpecierum enumeratione. Verũ dicit accuſator, nummos deprehenſos fuiſſe: ſi neque nummus ullus, neque diuiſor, neque tribus in quam diuideretur extitit, facile conuincitur id deprehenſum nõ fuiſſe, cuius nulla pars extitit. Atque is quidem adductus. ] Probat diuiſorem nullum extitiſſe, idq́; à ſigno, quod is nõ ſit à Laterenſe reus factus. Sed neque tu habes hæc. ] Facit cõtentionem ex diuerſo, & ſternit uiam ad teſtimoniorum refutationem. Nam enumerando plures occaſiones, quibus adductus ſit Laterenſis ad accuſandũ Planciũ, genus

quoque hominum commemorat reis omnibus inimicum: contra quos ſe pugnaturum eſſe negat. ſed orat iudices, ne moueantur dictis illorum, quæ à leuitate rumoris potius, quàm à certo auctore ſint profecta. Eſt itaque eleuatio teſtimoniorum, quã talem, opinor, in hac cauſa fieri conueniebat: uel quòd certiora erant quæ obijciebantur, quàm ut tuto reprehendi poſſent; uel quòd leuiora, quàm ut expediret cum ſingulis cõflictari. Illud unũ uos magnopere oro. ] Orat iudices, & locum communem inducit contra rumores, ad eleuandam eorum fidem. Vult enim non alia extare teſtimonia, quàm quæ uulgo & incerto rumore in Plancium ſint conficta. Nihil autem eſt tam uolucre. ] Eſt locus communis, qualis apud Virgilium: Fama malum, quo non aliud uelocius ullum. nota ſunt cætera. Eſt enim rumoris deſcriptio, per proſopopœiam elegãter tractata. Sed uenio. ] Hæc eſt altera pars refutationis principalis, quam extra cauſam, & à perſona ſua adiungit Cicero. Quod cum multa in accuſatione in ſe dicta ſint ab aduerſarijs, eaq; fere coniuncta cum cauſa, putat hæc quoque diluenda eſſe, & poſt reprehenſionem criminum, quæ hactenus perfecta eſt, ad ſingula ordine reſpondendum. Itaque priori loco conuertitur ad Caſſium, quem leuiter interim & humaniter perſtringit. Deinde tranſit ad Laterenſem, & contra eum in pluribus agit, uſque ad perorationem. Sed uenio ad L. Caſſium. ] Quis fuerit hic Caſſius, incertum. Videtur tamen accuſaſſe Plancium, uel quia propinquus fuerit Laterenſis: uel more illo maiorum, quo adoleſcentes accuſandis improbis ciuibus nobilitabantur: ut teſtis eſt Cicero 2. lib. Offic. Ne illum quidem iuuentium tecum expoſtulaui. ] Hunc Iuuentium fuiſſe apparet ex familia Laterenſis, quem Caſſius obiecerat, opinor ad augendã repulſæ eius indignitatem. In quo Caſſi ſi iſta tibi. ] Irridet, ut uidetur, hãc obiectionem, ſed ſuauiter & benigne: dicens ſe ſtudioſum antiquitatis iſtud primũ audiſſe ex Caſſio. Sed manifeſtius apparet ironia in eo, quod dicit de Longino. qui tamen Longinus quis fuerit, & ludat'ne omnino, an ſerio loquatur, pro certo affirmare non poſſum. Et quoniam tua fuit perelegans. ] Eſt præparatio & aditus quidam ad ſequentem refutationem. Et humanitati tuæ. ] Humanitatem hoc loco pro παιδείαν uſurpare uidetur. de quo uerbo Gell. lib. 13. De ipſo ſine fuerunt. ] Non eſt hæc uera lectio, quamuis omnes ſic habeant codices. Quare uide num De ipſo filio meo in me fuerunt, legendum ſit. Nam ita & numerus membri, & ſententia auctoris poſtulare uidentur. ſed ſuum cæteris quoque iudicium eſto. Quæſiſti, utrum mihi putarem. ] Propoſitio obiectionis. Fuit argumentum à ſimili, ſiue à pari, quo Caſſius confirmauerat Plancium non ſuperaturum fuiſſe Laterenſem, hoc eſt, equitem patricium, niſi ſuffragia corrupiſſet. id per interrogationem & inſtanter à Caſſio prolatum fuit, ad urgendum crimen. Vnde eadem figura hic repetitur. Ego uero quanquam illi omnia malo. ] Reſponſio ad obiectionem, ſe non ſolum iter demonſtraſſe filio ad honores, ſed præcipere etiam ſolere, uigilandum eſſe: hoc eſt, laborem & induſtriam ad honores parandos adhibenda eſſe, non ſolum nitendum maiorum dignitate. Quæ ille à Ioue ortus. ] Atreum ſignificare uidetur, cuius filij Agamemnon et Menelaus fuerũt. Nam ipſe ex Pelope, Pelops ex Tantalo, Tantalus ex Ioue ortus traditur. Vigilandum eſt ſemper, multæ inſidiæ ſunt bonis. ] Eſt ſenarius Iambicus. Non'ne id, quod multi uideãt. ] Eſt concluſio. Grauis ille & ingenioſus poeta. ] Incertum quem ſignificet. Videtur tamen Ennium indicare. Quæris quid potueris amplius. ] Proponit aliam obiectionem, quæ eodem pertinet, quo ſuperior: Plancium Laterenſi indigne prælatum eſſe. Magis ædilis fieri non potuiſſet. ] Reſpondet gradus honorum ſummis & infimis pares eſſe, ſed gloriæ & dignitatis diſpares. Declarat exemplis. Sed nemo unquã ſic egit. ] Contentio, quæ acrius obiectionem reprehendit. Vult enim, quæ ſumma huius loci eſt, dignitatis & gloriæ diſcrimen inter ciues eſſe, quo alij alijs ſint nobiliores: honores certe omnibus communes eſſe, eoſq; non dignitate ſolum, ſed uirtute etiam & laude parari. Tyberij Gracchi, & C. Marij. ] Gracchus, ut Plutarch. auctor eſt, Tyb. & C. Gracchorum pater, bis triumphauit. Marius primum de Iugurtha, deinde de Cimbris & quanuis ei geminum triumphum ſenatus decreuiſſet, tamen uno contentus fuit. Quaſi uero iſti. ] Eſt irriſio, qua negat triumphum, ſed cauſam triumphi laudandam eſſe. Rogas, quæ caſtra uiderit. ] Docet hanc obiectionem falſam eſſe. Hoc imperator. ] Metellum ſignificat, qui erat in iudicio, uel iudex in numero, uel Plancio aduocatus. Hunc ſupra etiam nominauit. Imo id, quod ſecundum eſt. ] Schema reſponſionis, quæ ad aliud occurrens, plus etiam quàm obiectum ſit, confitetur. Quaſi quiſquam ſit. ] Eadem reſpondendi figura, ſed acrior per ironiam. Omnes enim iſtiuſmodi artes. ] Subiungit rationem à perſona: Artium inſcitiam non in quouis, ſed in eo duntaxat reprehendendam eſſe, qui cum profitetur, ſatisfacere non poteſt. Declarat ſimilitudine. Idem effert Laterenſem laudibus. ] Hunc locum, ne quid offendat, ita eleuat Cicero, ut fauere etiam gloriæ Laterenſis uideatur. Nam primo remouet à cauſa, quæ dicta ſunt: deinde obiurgat Caſſium, quòd non maiora potius proferat. Atqui non modo confiteor. ] Reprehenſio in Caſſium, quod maiores laudes prætereat. Præneſte feciſſe ludos. ] Mimos eſt adludendum. Quid? alij quæſtores non'ne fecerunt. ] Reſponſio acrior per interrogationem. Negat enim nouũ eſſe, quod prædicetur, ſed alios idem feciſſe quæſtores. Qui locus eſt à pari. Sed ita multa Romæ geruntur. ] Alia extenuatio à loco: Tantam eſſe magnitudinem urbis, ut quæ foris gerantur, non audiantur. Idq; probat exemplo de ſe ſumpto. Non uereor ne mihi iudices. ] Occupatio contra arrogantiæ ſuſpicionem, quia de ſe eſt dicturus. Et eſt præmunitio. Quamuis enim illa floruerit. ] Ratio à ſuperuacuo: Nõ neceſſe ſibi eſſe de quæſtura ſua dicere, quia maiores habeat laudes. Sed tamen nõ uereor. ] Correctio, quia nihilominus fatetur quod dicendum eſt, ſed remota arrogantiæ ſuſpicione. Sic tum exiſtimabam. ] Narratio quæſturæ ſuæ, quæ tribus partibus continetur: quomodo ſe geſſerit in prouincia, qua ſpe deceſſerit, & quid ſibi acciderit in itinere. Quaſi qui omnia ſciret. ] Quempiam ineptum ſignificare uidetur. Et me unum ex his feci. ] Id eſt, me horum numero duxi, qui ad aquas, hoc eſt, puteolos (ut opinor) ueniſſent. Nam ad id oppidum, ut Strabo & Plinius tradunt, ab aquis calidis, quæ circa ſunt, appellatum fuit. Situm in amœniſſima ora Campaniæ, in Baiano ſinu. Dubito tamen, an alium potius ſenſum habeat hic locus, & an prouerbiali figura dicatur. Sed ea res. ] Eſt digreſſio poſt præcedentem locum, qua confitetur ſibi hanc rem quæ acciderit, ualde utilem fuiſſe. Idq; pluribus exponit. Nam quas tu commemoras. ] Amplificat, quæ dixit, temporũ ſuorum occupationes. Etenim M. Catonis illud. ] Citat Catonis teſtimonium, qui fuit cognominatus Cenſorius, & auctor Porciæ familiæ. de quo eſt apud Gellium lib. 13. Eadem igitur Caſſi uia. ] Concluſio digreſſionis, quam reuocat ad principalem intentionem, & totum hunc locum abſoluit. Sed redeo ad Plancium. ] Quæ de ſe dixit, ea ipſa attribuit Plancio: & indicat quibus ille ſe rebus populo cõmendatum reddiderit. Nam quod ais. ] Quæ ſuperiori parte tractata ſunt, ad perſonarum dignitatem pertinuerunt. Hinc quæ ſequuntur, pertinent ad merita Plancij erga Ciceronem, & huius ſtudium erga illum defendundum, & debitam beneficio gratiæ relationem. Vterque locus non inutilis cauſæ: tum ad confirmanda ea quæ ſupra probata ſunt, de iure populi & Plancij petitione: tum ad commendandam Ciceronis nomine apud iudices Plancij perſonam. Nam quod ais Caſſi. ] Dicit ſe multum debere bonis omnibus,

omnibus, & in his Plancio: ſed ſuo cuique tempore gratiam referendã eſſe, quando omnibus eodem tempore reddi non poſſit. Declarat apta & uenuſta ſimilitudine. Verum fac me multis debere. ] A'νθυποφορά, qua conceditur quod obiectum eſt, & nihilominus tenetur quod propoſitum fuit. Et eſt forma cõtentionis. Conturbare. ] Id eſt, omnibus ſimul ſoluere, ac proinde parum quod cuique debetur præſtare. Translatum à decoctoribus, uel aliàs ære alieno obrutis: qui urgentibus ſimul creditoribus, coguntur uendere quæ habent, & conturbare, hoc eſt permiſcere & in unum conferre rationes, ut non unius magis quàm omnium rationem habeant. Ac ne ſic quidem proficiunt: cum & ſæpe non ſatis ſit, quod hoc pacto confectum eſt, & ipſi inanes ſeſe & egentes deſtituant. Notatur hoc uerbum ex iure ciuili à Budæo in Pand. Hoc nomen. ] Id eſt, debitum. Quanquam diſſimilis eſt debitio. ] Correctio ſimilitudinis, qua, quamuis ferè ſimilia ſint pecuniæ & gratiæ debitio, tamen quid propriè interſit oſtenditur. Figuratur locus apto & uenuſto ſchemate, ex frequenti & mutua inter ſe uerborum repetitione: quam Græci πλοκὴν uocant. Quæris à me Caſsi, quid pro fratre meo. ] Eò pertinuerat Caſsij obiectio, ut argueret Plancij nimis ſtudioſum eſſe Ciceronem: idq; comparatione propinquarũ perſonarũ exaggerauerat. Itaque ſumit has ipſas perſonas Cicero, et inuertendo obiectionem retorquet uim argumenti in aduerſarium. Ideo defendendum ſibi eſſe Planciũ, qui ſuos charos habeat: nimirum cum illius beneficio, horũ conſuetudine perfruatur. Eſt igitur refutatio à meritis Plancij, quæ a perſonis confirmatur. Opimium damnatum eſſe commemoras. ] Exempla iſta fuerant obiecta à Caſsio, ne quid Ciceronis perſona prodeſſet Plãcio, ut pote receptori et cuſtodi ſuo: cũ nec Opimio reſpublica ſeruata, nec Calidio Metellus reſtitutus profuiſſent. L. Opimius Coſ. C. Gracchũ pernicioſas leges ferentem occiderat: ut auctor eſt Plutarchus in uita Gracchorum. Sed ipſe poſtea miſſus legatus in Africam, ut regnũ inter Iugurtham & Adherbalem diuideret, cum ſe corrumpi à Iugurtha paſſus fuiſſet, accuſatus ad populum et damnatus fuit. Q. Metellus. ] Pius, & cognomento Numidicus, cũ urbe excedere, quàm in L. Saturnini tribuni pleb. leges iurare maluiſſet, poſtea interfecto Saturnino, lege Q. Calidij reſtitutus fuit. Refertur hiſtoria à Plutarcho in C. Mario. In iudicio Calidij. ] De cauſa, & iudicio Calidij non inueni. Opimij quidem calamitas. ] Indicat Cicero, Opimium iniuſte damnatum fuiſſe, & queritur, & rem exaggerat ad indignitatem. At enim nimis ego magnum. ] Hanc obiectionem indicando tantum eludit, An fuiſſe in ijs aliquem. ] Argumentum crudelitatis à ſigno: Nam propoſitio præceſſit, & quidem duplici gradu: & magnum in ſe odium fuiſſe aduerſariorum, et crudelius etiam barbarorum odio. Niſi exiſtimas. ] Ironia, qua obiectionem eludit. Quamobrem non debes. ] Concluſio. Reſpondebo tibi nunc Laterenſis. ] Præparatiuncula eſt ad ſequentem refutationem. Nam primum illud fuit. ] Eſt propoſitio. Scilicet homo ſapiens. ] Refutatio per ironiam, quæ nititur à cauſa. Se non mentiri, quia cauſam mentiendi non habeat. Et eſt locus coniecturalis per ratiocinationem uoluntatis, quem nõnulli A' ſuperuacuo uocant. Quid enim mihi ad defendendũ. ] Oſtendit ſe multas honeſtas cauſas defendendi habuiſſe, Ergo non fingendam fuiſſe cauſam: Et eſt expolitio propoſiti argumenti. Fingenda fuit mihi cauſa. ] Concluſio ſubiecta per ironiam. Et id etiam gregarij milites. ] Eſt confirmatio probationis à minori. Gregarij milites inuiti fatentur ſe ab aliquo ſeruatos in acie, ne obnoxij fiant beneficio. ergo non eſt uериſimile Ciceronem fingere cauſam, qua tanto beneficio obnoxius efficiatur. Vt coronam dent ciuicam. ] Hanc ciuis ciui dabat, à quo in acie ſeruatus fuerat. Eratq; ex fronde tum querna, tum iliginea, quòd harum fructu ante inuentas fruges antiquitas uictitaſſet. Eſt apud Gellium de militaribus coronis lib. 5. Ego cum cæteri minora etiam. ] Redditio comparationis, & ſimul concluſio. An hoc tu Laterenſis ignoras. ] Aliud argumentum ab ipſius Laterenſis teſtimonio. Verum, non fictũ eſſe Plancij meritum erga Ciceronẽ. Nihil autem me nouit. ] Aliud argumentum, à temporis circunſtantia, quod confirmatur ſcripto Ciceronis, quæ eſt probatio inartificialis. In qua ego homo aſtutus. ] Ironia, qua concludit hunc locum. Atque etiam calamitas Laterenſis. ] Inducit aliam obiectionem, quam et falſis uerbis in ſe exaggeratam, et iniquè obiectã, arguit. Quis fuerit hic Cyprius, non conſtat: niſi quòd eum defenſum à Cicerone, & damnatum fuiſſe hoc loco indicatur. Et ei dices, quouſque. ] Apta figura indignanti. Quale illud: Et quiſquam numen Iunonis adoret. Negat enim ei, qui fruſtra contenderit, uerbum Quouſque in reprehendendo obijciendum fuiſſe. Declarat ſubiecta interpretatione. Niſi forte ego. ] Ironia, augens indignitatem à communi patronorum conditione, et à ſua perſona: uidelicet, quòd de ſe iniquius Laterenſis, quàm de cæteris patronis ſtatuat. Et mihi lachrymulam. ] Infert aliã obiectionem eadem indignatione, quã à meritis in ſe Cyprij defendit. Tu autem Laterenſis. ] Notat inconſtantiam aduerſarij, & ſimul aliam reprehenſionem inducit. Negas tribunatum Plancij. ] Propoſitio eſt, cui et alteram de Racilio adiungit, quam priori loco abſoluit. Cui quidem ego, ſicut in Plancio. ] Agnoſcit in ſe merita Racilij, & ratione ſubiecta amplificat. Sed quod ſe patrono nihilominus damnatus ſit, id uero dolet, & crimen populo imputat. Sed ſi non eadem in tribus. ] Redit ad Plancium: quem cum aduerſarius obiecerit, parum ei contuliſſe adiumenti, ita defendit, ut tunc eius beneficio ſibi non opus fuiſſe dicat, qui eſt locus à tempore. & ut gratum id ſibi quod fecerit, et populi Romani teſtimonio probatum fuiſſe confirmet. An cum populus Romanus. ] Argumentum à maiori, populus Rom. Plancio gratias agere non dubitauit, Ergo multo minus Cicero id dubitat. Atqui eum cum uides. ] Eſt occupatio: ſe non ſolum erga Plãcium tam grato animo eſſe, ſed etiam erga Laterenſem: qui eadem cauſa de ſe bene ſit meritus. Quo quidem magis ſum miſer. ] Inducit querelam ad amplificationem præcedentis dicti, et ad beneuolentiam conciliandam. Non quia multis debeo. ] Ratio cur ſit miſer. Nam declarat querelam, & cauſam infert à tempore. Etenim incidit ſæpe tempus, quo cõtendunt inter ſe amici: quo qui tertius inter eos eſt, ita diſtringitur, ut ambobus ſatisfacere non poſſit. Sed ego hæc meis ponderibus examinabo. ] Correctio. Et eſt elegans metaphora. Agitur ſtudium tuum. ] Expolitio huius loci, qua declarat, quid ſibi ſit moleſtum: & transfert quod generaliter dixit, ad Plancij & Laterenſis contentionem. Sed medius fidius. ] Antitheſis huius loci. Eſtq; illud, quod modo dixit, ſe quid cuique debeatur, ſuis ponderibus examinaturũ eſſe. Atenim iudices cum omnibus. ] Ratio, cur Plancium deſerere nolit, & hoc ipſum amplificat. Hæc eſt enim una uirtus. ] Propoſitio amplificationis. Quid eſt pietas? ] Inductione oſtendit gratitudinẽ eſſe matrem omnium uirtutum. Et quidem nil tam proprium hominis. ] Subijcit ultimi dicti approbationem, à natura hominis: idq; contrarij contentione amplificat, Propriam hominis naturæ beneuolentiam eſſe & gratitudinem. Ergo nullam quantumuis magnam potentiam, ſine gratia et beneuolentia inter homines conſtare poſſe. Quæ cum ita ſint. ] Concluſio generalis huius loci. Quod dixit idem. ] Occupat obiectionem, & paucis refellit. Quaſi uero in amicitia mea. ] Ironia, qua negat ſolis litigioſis amicitiam ſuam iucundam eſſe. Quæ ſequitur pars refutationis, uſque ad uerſum, Sed ſunt alia grauiora: pertinet ad eas obiectiones, quibus Laterenſis inuidiam fecerat eloquentiæ Ciceronis, & morem illius in deprecandis criminibus notauerat. Præmunit igitur adi-

tum ad perorationem, & inuidiam futuræ deprecationis anteuertit. Sed neſcio quomodo. ] Obiecerat Laterenſis, ſe noluiſſe communibus uti locis, ne idem faceret Cicero: hoc eſt, ne ille extra cauſam dicendo, animos iudicum ad miſericordiam cõmoueret. In locos. ] Id eſt, In ſententias communes, ut de iuſtitia, magnificentia, liberalitate, & cæteris infinitis rebus: de quibus in communem & probabilem ſententiam dici poteſt. De thenſis. ] Thenſa, ut notatur ab Aſconio, ſacra uehicula erant, quibus in ſpectaculis ſacrorũ pompa uehebatur. Quod in alijs ædilibus. ] Qui fuerint iſti, incertum eſt. Nonnihil egiſti. ] Ironia eſt. Mea lege. ] Id eſt, Meo more & conſuetudine. Ex illo ambitu reaxiſſe. ] Nec quis ambitus, aut quæ cauſa hæc fuerit, intelligitur. Epilogos. ] Id eſt, concluſiones, in quibus ad miſericordiam iudices commoueri ſolent. Num nobis uideor. ] Remouet hoc genus obiectionis à cauſa. Cæteri codices, Non nobis uideor, habent. & ſtatim poſt, Non cauſa laboris. Sed mihi, Num nobis uideor: &, Non in cauſa laboris, legendum uidebatur. Rhodi enim non fui. ] Hoc ex antitheto hanc uim habet, ut arguat Ciceronem fuiſſe. Pertinet autem, ut mihi uidetur, ad inuidiam faciendam eloquentiæ ſtudio. Et ad illud, ni fallor, tempus refertur, quo Sylla tenentẽ rempublicam, ut refert Plutarchus, priuſquam ad eã accederet Cicero, apud Græcos aliquandiu, & in Aſia, poſtremo Rhodi apud Apollonium Molonem uerſatus fuerat, non ſine dicẽdi ſtudio & admiratione. Putabam in uaceis dicturum. ] Irriſio eſt. Sed incertum an hæc uera ſit lectio. Si locus habet. ] Reprehenſio ex locorum comparatione. Nam quòd in eo me reprehendis. ] Hoc ita defendit, ut confiteatur bonitatem ſuã, & cæteros inſimulet. Admonuiſti etiam. ] Hanc obiectionem pariter retorquet in aduerſarium. Sed ſunt hæc leuiora. ] Correctio, qua tranſit ad aliam obiectionem de diſceſſu ſuo. Nam cum in conſulatu ſuo ſocios Catilinæ inconſulto populo ultimo ſupplicio affeciſſet, eaq́; de re conniuentibus A. Gabinio & L. Piſone Coſſ. Clodius trib. pleb. diem ei dixiſſet ad populum: ueritus ut uim ſuſtinere poſſet inimicorũ, ac ſi armis certaret, ne ciuitatem ſecum in diſcrimen adduceret, ſponte ſua abijt in uoluntarium exilium, et ab urbe tandiu manſit, donec finito tribunatu Clodij, & nouis Coſſ. in rep. magno ſtudio bonorum & totius populi conſenſu fuit reuocatus. Itaque defendit hunc diſceſſum ſuum ex utilitatis comparatione: Vtilius fuiſſe cedere iniuriæ, quàm repugnando ciuitatem in periculum cõijcere. Probat à tempore, cuius acerbitatem à perſonis auget: confirmat exemplo Metelli. Dixiſti enim non auxilium mihi. ] Eſt propoſitio. Tribunitius me terror. ] Initium refutationis acre & uehemens. Nam tota ſententia pluribus uerbis ad odium & indignationem contra inimicos, & ad oſtendendam conſilij ſui rationem exaggeratur. Significat enim, ſibi non defuturum fuiſſe auxilium, ſi pugnare uoluiſſet: ſed reipub. potius, quàm ſuæ iniuriæ rationem fuiſſe habendam. Conſules poſt hominum memoriam. ] Gabinium et Piſonem ſignificat, quorum Gabinius accepta pecunia à Ptolemæo rege, ducto exercitu è Syria in Aegyptum, eundem iuſſu ſenatus in regnum reſtituit. Piſo, cũ Macedoniam prouinciã obtineret, conciſum à Thracibus exercitum perdidit. Vtriuſque fit mentio in oratione de Prouincijs conſularibus. Furialis illa uox. ] Publium Clodiũ ſignificat, qui uiolauerat ſacra Bonæ deæ ancillæ habitu ingreſſus ad pontificis maximi uxorem, & tres ſorores ſuas conſtuprauerat. Saltator ille Catilinæ. ] Gabinium dicit, qui conſueuerat cum Catilina, priuſquàm ille in patriam coniuraret. Vinci autem improbos à bo. ] Eſt occupatio obiectionis, quam ſoluit ex tuti & honeſti comparatione: Tutum conſilium honeſto præferendum fuiſſe tali in tempore. Confirmat exemplorum fictione, quam καθ᾽ ὑπόθεσιν uocant. Eſſet igitur pugnandum cum Coſſ. ] Concluſio occupationis. Nihil amplius dico. ]

Præciſio ad ſignificationem. Hiſce ego auxilijs. Concluſio principalis, quæ colligitur dilemmate, & deinde exemplo confirmatur.. Quem, ut potes ex multis audire. ] Exponit exemplum Metelli. Ergo ille cum ſuum. ] Concluſio per comparationem, à pari, uel etiam minori: Metellum gratioſum fuiſſe, quod ceſſerit iniuriæ. Ergo nec ſibi turpe eſſe, ſi patriam ſua cauſa noluerit perturbari. Augentur hinc inde partes ex cauſarum collatione. Mortem me timuiſſe dicis. ] Inuadit aliam obiectionem, affinem ſuperiori, quam refellit ex honeſti comparatione. Honeſtum fuiſſe mori: ſed honeſtius uitare periculum, & patriæ conſulere. Ego uero ſi tum. ] Dicit interfuiſſe reipub. ut ipſe uiueret, tum ad ſalutem illius, tum ad poſteritatis exemplum. An ſi unquam in me. ] Loquitur de Catilina. Et eſt exemplum quo probat ſe, cũ diſcederet, mortem non timuiſſe. Nam quod in rep. ] Hæc obiectio ad arguendam Ciceronis inconſtantiam pertinebat, qualis ei & à Salluſtio & ab alijs nonnullis exprobrata fuit. Defenditur ab officij ratione: & duobus præcipuis locis, à perſonis et à tempore colligitur. Nam ſi quis idcirco. ] Eſt expoſitio rationis, cur non diſſentiat ab omnibus, à quibus ante ſolitus fuerit diſſentire. Etenim putat ſibi et eorum, qui de ſe benemeriti ſint, & ſalutis ſuæ, & ſuorum rationem habendam eſſe. Res uero publica. ] Confirmat à meritis ſuis erga rempublicam: id ſibi licere, ut ſui rationem habeat. Quid ſi horum ego nihil cogito. ] Auget ordinem probationis, & quaſi remiſſo priori loco firmiorem inducit: Etiam ſi tollatur priuatum obſequium è republica, tamẽ propter uarietatem temporum ſæpe diſſentiendum eſſe, ut quod ante damnaueris, poſtea iure merito approbare uidearis. Declarat pulcherrima ſimilitudine. Stare enim debemus. ] Monet ſimilitudo, tempori ſe accommodandum, et reipublicæ ſeruiendum eſſe, quæcunque alea ceciderit. Ego autem Cn. Pompeium. ] Eſt redditio ſimilitudinis. Tum hercule. ] Acclamatio. An cum uideam nauem. ] Alia ſimilitudo. Nunc uenio ad illud extremũ. ] Hic eſt initium perorationis, ex quo paulatim ad deprecationem progreditur. Reſpondet enim obiectioni Laterenſis, & iter ſuum in exilium explicat. In quo cum præ cæteris ſingularem Plancij erga ſe fidem ac beneuolentiam cognouerit, prorumpit in affectum, et miſericordiam poſtulat à iudicibus, et ſupplici obteſtatione ac lachrymis pro illo deprecatur. Cuius ego temporis rationem. ] Eſt breuis præparatiuncula ante narrationem, ut habeat attentos iudices. Ex illo incendio legum. ] Incendium metaphoricos, tempus Clodianum ſignificat, alludens interim ad domũ ſuam, quæ ſtatim poſt diſceſſum ſuum Clodij manu deflagrauerat. Incendium, id eſt, legum omniũ ac iuris uaſtitatem & oppreſſionem. Nimirum Clodio Tribuno, & Gabinio & Piſone Coſſ. Vide nunc caliginem. ] Admonitio ad animaduerſionem. Cum ipſa penè inſula. ] Hyperbole eſt ad amplificationem. Nihil amplius dico. ] Præciſio iſta quid ſignificet, incertum eſt. Niſi forte ad motum & inconſtantiam Virgilij referetur. Quid dicam? ] Occupatio ad excuſationem, quæ dicitur à tempore, quod ad neceſſitatem refertur. Brunduſium. ] Eſt urbs uetuſta ac maritima Calabriæ, ex cuius portu traiectus breuiſſimus eſt in Epirũ. In fide mea eſſent. ] Id eſt, fide mihi coniuncta eſſent. Eadem figura, opinor, qua in epiſtola quadam dicit, Totus in ære meo eſt, pro, in numero meorum eſt. Sed hoc poſterius metaphoram habet, prius illud ſimpliciter effertur. Dyrrachium. ] Eſt in Epiro contra Calabriam: Epidamnus quondam appellata. Quorum impium ferrum ignesq́;. ] Significat Catilinarios, quos in Conſulatu ſuo oppreſſerat. Aliquorum dierum uiam. ] Vide num Aliquot legendum ſit. Viam certe pro itinere dixit. Perrexi. ] Abſolute, pro cõtendi. Nã alijs ferè uerbis additur, ut pergo ire, pergo dicere. Audi atque attende Laterenſis. ] Interponit cõmonitionem aduerſarij, ad renouandã attentionẽ,

quaſi

quaſi nunc demum ad rem accedat. Nam tota præcedens narratio extra propoſitum fuit, & altius repetita. Vim tamen habet ad amplificationem eiuſdem, & tacita comparatione ad ipſum refertur. Nam ſimulac me Dyrrachium. ] Continuat ordinem quem inceperat. Lictoribus, ] Cum his enim magiſtratus in prouincias mittebantur. Sed hi ſenos tantum habebant lictores, Coſſ. in urbe duodenos. O acerbam mihi. ] Exclamatio dolentis ad augendum meritum erga ſe Plancij, & commouendos iudices. In quo attende quomodo paulatim huc proceſſerit, & præparatis antegreſſa narratione animis, & exclamet nunc liberius, et in quē intendit affectum, apertius erūpat. Theſſalonica. ] Oppidum Macedoniæ. Quæſtorium. ] Sicut Prætorium. Non qui minus timeret. ] Attende amplificationem ex comparatione. Nam cæteri, quoque, à quibus præteritus fuit, iuuare cupiuerant: ſed metu deterriti fuerunt. Hic periculum omne, & quidquid accidere poterat, contempſit. Vi me, inquam, Plancius. ] Interpretatio eſt ad amplificationem, in qua alias etiam circunſtantias ediungit. Addit enim: Multoſq; menſes à capite meo non diſceſſit, abiecta quæſtoria perſona, comitiiſq; ſumpta. O excubias tuas. ] Cōcludit rem exclamatione, & ad præſens tempus accommodat. Locus eſt ardens et uehemens, qui eodem habitu continuatur uſq; ad finem. Si quidem ego tibi. ] Subiecta clauſula ex contrarijs, ad reddendam dicti rationem. Nam uelut tacitæ cogitationi occurrit, quia dixit, Cuſtodiam infelicem. Cum tibi, uigilanti, adſidenti, mærenti. ] ἀσύνδετον eſt. Me ſi eſſem in patriam reſtitutus. ] μίμησις eſt, qua uerba ſua recenſet.

Hos hos. ] Exclamatio cum geminatione ad affirmationem. Quos enim ego tum alios, &c. ] Parentheſis eſt, & habet uim negationis. Negat enim ſe alios, quàm hos cogitaſſe, qui Plancio ſuo nomine referrent gratiam. Significat autem iudices, qui ex tribus ordinibus ſenatu, equitibus, & tribunis ærarijs ſedebant. Quare illa geminatio, quæ præceſſit, δεικτικῶς eſt pronunciāda. Quid me aſpectas? quid mea promiſſa repetis? ] Hoc uehemens & concitatum eſt. Nam flagitari ſe, & urgeri fingit, à Plancio, ad ſoluendum id quod promiſerit. Et eſt forma proſopœiæ. Hos pro me lugere, hos gemere. ] Totus locus uehemens & concitatus eſt. Huc exurge tamen quæſo. ] Hic apparet ſediſſe reum in iudicio, dum ſtans patronus cum aduocatis peroraret. Deprecatorem fortunarum tuarum. ] Deprecari eſt precibus auertere, & depellere malum quod impendet. Atque, ut ſpero, nemo erit. ] Hic iam eſt aperta deprecatio, ad quam commemoratis erga ſe meritis, & commotis animis iudicum artificioſe uiam præmuniuit. Hoc idem præcedenti loco actum eſt, ſed tacite, & obliquo ductu: nimirum fingendo ſe urgeri à Plancio, & promiſſum ſuum repeti. Hic aperta fronte poſtulat, neque id opibus & gratia, ſicut obiecerat Laterenſis, ſed precibus, & lachrymis, et miſericordia fretus. Duo patres, &c. ] Se & Plancium patrem ſignificat. Dare lætitiam. ] Noue dixiſſe uidetur, pro afficere lætitia. Teq; C. Flaui. ] C. Alfi legendum opinor. Nam quæſtorem appellat, quem ſupra eodem nomine appellauit. Plura ne dicam. ] Abrumpit orationem, ne affectus langueſcat: Sic pro Milone: Sed iam finis ſit, neque enim præ lachrymis iam loqui poſſum.

# IN M. T. CICERONIS ORATIONEM PRO P. SESTIO,

## IACOBI BVGELLII SCHOLIA.

Si quis antea iudices mirabatur. ] Exordium tres habet præcipuos locos, unde beneuolentia captatur, ſcilicet à reo, accuſatore, & officio dicentis. Primum enim Cicero laudat reum, omneſq; illius cauſa ſordidatos cū ait in periculū capitis eos adduci, qui cum ſenatu, cum bonis omnibus rempub. afflictam excitarint, & latrocinio domeſtico liberarint. Secundo, aduerſarios in odium rapere conatur utpote qui iam non ut antea per patronos ſuos, ſed iudices, optimos inquam uiros optimo uiro Seſtio periculum inferant, et eorum ſententijs opprimere uelint. Tertio, probat ſe defenſionem Seſtij officio ſaluo prætermittere nō poſſe, quia per eum ipſe quoque defenſus ſit. Hinc illa uerba: Atque ego ſic ſtatuo iudices, à me in hac cauſa, atque hoc extremo dicendi loco, pietatis potius quàm defenſionis, querelæ quàm eloquentiæ partes eſſe ſuſceptas. Pietatis potius quàm defenſionis, &c. ] Trapezuntius hanc figuram electionem uocant, et inter ſchemata circunductionis recenſet. Sed quoniam ſingulis criminibus. ] Propoſitio eſt totius orationis. Ait Cicero, crimina quæ Seſtio fuerant obiecta, iam ab alijs eſſe refutata: ſe uero de omni ſtatu P. Seſtij, de genere uitæ, de ſtudio conſeruandæ ſalutis cōmunis eſſe dicturū. Itaque loci petuntur ex genere demonſtratiuo. Laudatur Seſtius à parente, à domeſticis uirtutibus: deinde quod ſe præclare geſſerit in quæſtura, in tribunatu. Finis autem huius demonſtrationis eſt iudiciale genus uidelicet ut iniuſte uideatur accuſatus. Parente P. Seſtius. ] Præcipua pars orationis eſt, quod in tribunatu Seſtius nihil per uim commiſerit, ſed cum maxima laude in eo uerſatus ſit. Nihilominus autem altius exorditur Cicero, initium à parentibus ſumens, ut etiam fundamenta illius ſummæ uirtutis intelligantur. Horatius enim in Odis alicubi: Fortes, inquit, creātur fortibus et bonis, Eſt in iumentis, eſt in equis patrum Virtus, nec imbellem feroces Progenerāt aquilæ columbā. Duxit uxorem. ] Commendatur Seſtius à pietate in ſocerum ſuum. Poſſum multa dicere. ] Paralepſis eſt, quam auctor ad Herēnium occupationem uocat. Obiter autem hic Cicero Seſtium laudat à moderatione & liberalitate, & alijs priuatis officijs. Sed ſtatim ad maiora tranſit. Nam prudens orator non ſolet in minutis diu detineri, ſed ea quæ magis inſignia ſunt, copioſe tractare. Quæſtor his C. Antonij. ] Oratio Ciceronis haud immerito feſtinat ad eorum commendationem, quæ à Seſtio publice geſta erant, uidelicet quanta fide & diligentia quæſturam adminiſtrarit. Nam eo maiorem laudem uirtus & beneficentia meretur quo ſe ad plures extenderit. Verum hæc ita prætereamus. ] Iam de Seſtij tribunatu, in cuius laude ferè tota cō ſumitur oratio. Primum autem copioſe Cicero deſcribit illorum temporum, quibus fuerat Seſtius tribunus, miſerrimum & calamitoſiſſimum ſtatum, ut eo magis fortitudo tribuni et ſtudium erga rempub. eniteſcat. Similiter Plutarchus, antequam alicuius conſilia & geſta declaret, materiam, id eſt, conditionem illorum temporum exponit. Id enim ordo naturæ uidetur expoſcere. Hinc illa uerba Ciceronis: Sed neceſſe eſt antequam de tribunatu P. Seſtij dicere incipiam, me totum ſuperioris anni reipub. naufragium exponere. In quo colligendo, ac reficienda ſalute communi, omnia reperientur P. Seſtij dicta, facta, conſilia uerſata. Quid dicam conſules. ] ἐπανόρθωσις eſt, & διορισμός. Euerſores huius imperij, proditores noſtræ dignitatis, &c. ] Schema diſſolutum, & ὁμοιόπτωτον. Alter unguentis affluens, &c. ] Εἰκὼν & effictio eſt. Porro nō ſolū hic uituperatur à corporis habitu, ſed animi quoque uitijs, & peruerſa opinione de uoluptatibus tanquam ſummo bono. Sed ita eſt iudices ut ſi gladium. ] ὁμοίωσις illa ſatis eſt illuſtris. Eadem proportione ſe puer ad gladium habet, qua mollis homo ad conſulatum. Mihi autem propoſitum eſt. ] Explicatis temporibus quaſi materia tribunatus, conſilia Seſtij ſubijciuntur. quæ

non alia erant, niſi ut afflictæ & perditæ reipub. quantum poſſet mederetur. Horum expoſitio ualde prolixa eſt. quoties enim occaſio Ciceroni datur, omnino fuſiſſime prædicare ſua facinora ſolet. Iam uero Seſtij cauſa non poterat ſeparatim explicari, ut Cicero ſuam non adiungeret. Ait enim, P. Seſtius eſt reus non ſuo, ſed meo nomine, qui, cũ omnem uim ſui tribunatus in mea ſalute conſumpſerit, neceſſe eſt meam cauſam præteriti temporis cum huius præſenti defenſione eſſe coniunctam. Itaque prudens orator, ut Seſtij cauſam reddat illuſtrem, integram hiſtoriam inſerit de coniuratoribus extinctis, urbe ſeruata deq́; exilio & reditu ſuo. Scio enim tum, non mihi. ] Ἀνάκλασίς eſt, & ἀντιμεταβολή. Quæ mihi ſemper fuit mea uita charior. ] Noema eſt. Alij uetere adeo. ] Diſtributio, διαίρεσις. Vi cti eſſent improbi. ] Probat Cicero, ſibi non pugnandum fuiſſe, cum à Clodianis peteretur, & in exilium abigeretur. aut enim improbi uiciſſent, aut probi. Si probi, reſpub. ueniſſet ad ſeruos: Si improbi, at ciues, at ab eo priuato, qui ſine armis rẽpub. etiam conſul conſeruaret. A` maiori ad minus. Hanc figuram auctor ad Herennium diuiſionem uocat, alij complexionem, alij dilemma. Porro Cicero dicit ſe urbe ceſſiſſe, non ut mortem fugeret: nam mortui, inquit, aut nullum ſenſum habent, aut felices ſunt. quorum alterum non eſt fugiendum, alterum etiam optandum. Eadem diſputatio reperitur in libello de Senectute. Chriſtianis non deeſt quod reſpondeant. Item probat exemplo Mutij, Decij, & aliorum, ſe non ita mortem horrere. urbe autem profugiſſe, ne cædes ſua cauſa fieret inter ciues. Verba eius ſunt: Vnus rempub. bis ſeruaui, ſemel gloria, iterum, ærumna mea. Quare moneo uos. ] Hortatur adoleſcentes ad fortitudinem, ne quia ſemel ipſe reipub. cauſa diſceſſit, illi quoq; temere fugiant imminente periculo: ſed potius, ut decet, ſtrenue pugnent. Non illi ornandum, &c. ] Huiuſmodi ἀντίθεσιν Hermogenes uocat κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν. Ingredior iam in Seſtij trib. ] Ex iis quæ iam ſequuntur, facile totam Seſtij cauſam licet cognoſcere. Nam proprie pertinent ad præſens negotium, ubi conſilia & facta Seſtij proponuntur, & quòd ab aduerſarijs iniuſte reus de ui peragatur. Eius igitur uitá. ] A` maiori argumentum. Si in iſto tumultu ſuccubuiſſet Seſtius, haud dubie fuiſſet æterno monimento uirtutis ornandus. Ergo multo minus cum uix euaſerit iuſtiſſime pugnans, erit mulctandus. Et tu hoc loco laudas. ] Argumentum à pari. Idem fecerunt & Seſtius et Milo: ſed Milonem aduerſarij laudant ob iſtud facinus, & merito laudant: Cur igitur Seſtium accuſant? Vnde Cicero dicit: Eademq́; ratio fuit P. Seſtij in neceſſitate defenſionis ſuæ præſidioq́; contra uim & manum comparato. Hoc ſenti re prudentiæ. ] Elegans diſtributio. Duo genera ſemper. ] Locus communis de differentia popularium & optimatium. Vt autẽ populares intelligantur, ait tribus locis ſignificari maxime pop. Rom. iudicium ac uoluntatem, concione, comitijs, ludorum gladiatorumq́; conſeſſu. de quibus ſigillatim ordine dicit. Deinde deſcribit optimates: Hæc eſt una uia, inquit, mihi credite, & laudis & honoris & dignitatis, à bonis uiris & ſapientibus bene à natura conſtitutis laudari & diligi, noſſe deſcriptionem ciuitatis, à maioribus noſtris ſapientiſſimis conſtitutam, &c. Et paulo poſt: Hæc qui pro uirili parte defendunt, optimates ſunt. Et mox: Quare imitemur noſtros Brutos, Camillos, Halas, Decios, &c. Sed ne repente iudi. ] In fine orationis Cicero miſericordiam mouere conatur, quo uel affectu iudices commoti, Seſtium abſoluant. Nec, inquit, me ab iis, quos meo nomine ſordidatos uidetis, unquam ulla fortuna diuellet, &c. Sed de ratione commiſerationem excitandi, nemo copioſius ſcripſit ipſo Ariſtotele lib. 2. Rhetoric. Illinc petendum erit, & qui, & quorum, & ob quæ miſereri ſoleamus. Sic enim & hoc Ciceronis exemplum facilius cum intelligere, tum imitari licebit.

# IN M. T. CICERONIS ORATIONEM PRO M. CAELIO,

## BARTHOLOMEI LATOMI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

CAELIVS equeſtri loco natus, ingenio ac forma liberali, cum adoleſcentiam in domo ac familiaritate Ciceronis egiſſet, poſtea uixit liberius: & illatus in familiaritatem Catilinæ, eidem iam iterum petenti conſulatum, cum cæteris æqualibus ſtuduit. Deinde aliquot annis interiectis, uenit in familiaritatem Clo-
M. diæ, uxoris Q. Metelli, quæ ſoror erat P. Clodij, & mulier parum pudica habebatur. Cumq́; illa familiarius uteretur, & forte auri certum numerum ab ea mutuo accepiſſet, poſtea indicatum eſt Clodiæ, uenenum ſibi parari à Cælio, per Licinium quendam familiarem illius, qui etiam pecunia ſeruum eius ad perficiendam rem aggreſſus eſſet. Itaque accuſatur à Clodiæ amicis Cælius, ac potiſſ. à L. Atracino adoleſcente, cuius patrem Cælius, & antea & eodem tempore de ambitu accuſabat. in qua accuſatione præter auri & ueneni crimen, quod proprium erat iudicij, multa alia obiecta fuerant in reum, de adoleſcentia & luxuria uitæ antractæ: quæ omnia in defenſione priore loco diluuntur à Cicerone, ut propitiores ad cauſam habeat iudices. Deinde uenit ad crimen, & uarijs argumentis refellit: uultq́; totam cauſam amantium iras & querelas potius, quàm crimen uideri. Status eſt coniecturalis, An uenenum pararit Clodiæ Cælius. Exordium ducitur à tempore, quia feſto die habebatur iudicium: & expectationem criminis atrocioris minuit, ad remittendam iudicum intentionem. Hinc ſequitur refutatio obiectorum extra cauſam: deinde cauſæ explicatio: Poſtremo peroratio, ad ſpem futuræ induſtriæ & affectum accommodata.

SI QVIS iudices. ] Occupatione remouet opinionem atrocioris cauſæ, & remittit iudicũ intentionem. Periodus eſt κατ' ἀντιπαραφοράς mi cari. aliquem, cur iudicium feſto die habeatur: ſed id fieri aduerſariorum odio & improbitate. Idem cum audiat. ] Altera pars ἀνθυποφορᾶς. Cum audiat nullum. ] Explanatio dicti per ἀντίθεσιν. Induſtria eſt officij exequendi diligentia. Opibus meretricis. ] Inſeruntur hæc obiter, ad inuidiam augendam aduerſariorum. Etenim ſi attendere. ] Subiecta αἰτιολογία, cauſam huius iudicij in aduerſarios confert. Cui utrum uellet. ] uel accuſare, uel non accuſare. Et ſignificat Atracinum coactum fuiſſe Cælium accuſare, opibus meretricis. Ac mihi quidem uidetur. ] Refutatio, qua ante diluit obiecta crimina extra cauſam, quàm ad propriá quæſtionẽ ueniat, ut in ea propitiores habeat iudices. Obiectus eſt pater. ] Proponit, & quidem plura ſimul, quæ deinceps ordine ſoluit. Pater. ] Quod per ſe inhumanum eſt, eo ipſo quod proponit, inuidiá conciliat aduerſario: & ita faciẽdũ docent Rhetores. Equitis aũt Rom. ] Hoc uertit in inuidiam aduerſarij. Nam quod eſt obiecti. ] Refellit iniuriam in parentes, & teſtimonijs comprobat. Idem facit de Puteolanis: Puteolani maiores. ] Refellit et hanc obiectionem, Cælium non

fuiſſe

fuiſſe probatũ Puteolanis. Latet argumentũ ex maiori: Si abſenti attulerũt honores, quanto magis præſenti. Idemq; nunc lectiſſ. ] Aliud teſtimoniũ. ſic teſtimonia colliguntur ex ſignis et factis. Videor mihi ieciſſe. ] Simulat fiduciã, & amplificat anteactam probationem, ſuo exemplo. Equidẽ ut ad me. ] Addit ſuum exemplũ ad rei confirmationem. Nam quod obiectum eſt. ] Hanc obiectionem primo contemnit, deinde leuiter reprehendit in perſona Atracini, poſtremo purgat. Ergo continuet trifariam hic obiectionem. Sunt enim iſta. ] ἀπολογία. cur enim pœniteat ſpecioſum eſſe. Rem ut definiat. ] Id eſt, certum crimen intendat, uel furtum, uel ſacrilegium, &c. Quod & pudor. ] Cauſa ab officio. Moderatur ] Vtilitatem adfert. Illud tamen te eſſe. ] Monet uel modeſtiam ſeruet: atque ita oratorie immodeſtiam exprobrat. Qualis es. ] Scilicet, modeſtus, uerecundus. Porro decorum non tantum in factis, ſed & in oratione ſpectatur. Vis iſta. ] Iſte locus maledicendi, & conuicia impudicitiæ iactandi in adoleſcentem. Petulanter. ] Procaciter, intemperanter. Sed iſtarum partium. ] Metaphora à ſcenicis actoribus ſumpta, hoc eſt, iſtius muneris. Etiam ſi ſine ulla. ] Suſpicio facti eſt, & ſignis colligitur. Argumentum ex re, perſona, ætate, tempore, loco ducitur: non ſenſu, ſed ingenio dicentis, & ratiocinatione. Laus pudoris. ] ἔντεχνος coniuncta cum laude adoleſcentis, & utilitate cauſæ ſuæ. Laudat autem à pudore. Verum ad iſtam. ] Sequitur purgatio à diſciplina M. Cælij. Nihil dicam. ] Poteris Cicero eum commendare à ſua laude: at ut arrogantiæ inuidiam uitet, omittit, idq; oratorie. Nam quod Catilinæ. ] Hac obiectione ſuperior cõfirmabatur ab accuſatoribus, quare eã recte ſubiungit Orator, et reprehendit ab ætate Cælij, quod iam robuſtior fuerit, cum ſtuduerit Catilinæ, potueritq; tam ſibi ipſe moderari. eſt autem argumentum ex efficientibus. At enim poſtea ſcimus. ] Occupatio qua definit tempus ætatis, quod corruptioni obnoxium eſt, & ab altero ſeparat. Occurrit autem obiectioni aduerſariorum. De pecunijs repetundis. ] Catilina à P. Clodio repetundarum accuſatus fuerat, defenſuſq; à Cicerone & abſolutus. quo quidem tempore, Cicero adhuc amicus erat Catilinæ. Aduocatus. ] Quicunque adeſt alteri in cauſa, officij gratia, Aduocatus appellatur, etiam ſi nihil dicat agatue, modo paratus ſit defendere. Tot igitur annos. ] Concludit de imbecilliori ætate, & reliquum tempus extra periculum fuiſſe oſtendit. Confirmat exemplis ex moribus & inſtitutis ciuitatis, quæ uim teſtimonij obtinent. & argumentationem ex minori ducit. Ergo ad pronunciata referuntur. Petenti. ] Scilicet, conſulatum: in qua petitione repulſus fuit. Iratus itaque cœpit conſilium coniurandi in patriam. Toga. ] Septimus caſus eſt. Tunicati. ] Sine toga, ut eſſent expeditiores. Adumbrata. ] Id eſt, non uera, ſed falſa & ficta. metaph. à pictoribus. Studuit Catilinæ. ] Accommodat argumentationem ad rem, & excuſat imprudentiam Cælij, exemplis multorum: & à moribus Catilinæ, quos deſcribendo amplificat: eſt autem hic locus ex efficientibus. Quare iſta cõditio. ] Concludit, & ſuum quoque exemplum profert. Hæreat. ] Imputetur Cælio criminoſum. Me. ] ἔμφασιν habet in altera parte, & additur ad confirmationem. Fidelis. ] Antequam peteret conſulatũ. Erraſſe. ] Deceptum eſſe. Itaque à maledictis. ] Continuat reprehenſionem obiectæ coniurationis ex ſuperiori crimine, & ordinem accuſatoris ſeruat. Profert crimẽ cum eleuatione, & reprehendit infirmitatem, & argumenta in contrariũ congregat. Sumptus unius generis. ] Hoc ita refellit, ut arguat in gratiam P. Clodij fictum eſſe, quo ille ædes, in quibus habitabat Cælius, pluris uenderet, ſi tanti locarentur. Simul perſtringit facete Clodium, eius ædes uenales eſſe, et apprehendit hanc obiectionem eſſe falſam. In ædiculis. ] Sic uocat, rei minuendæ cauſa. Reprehendiſtis. ] Alia obiectio.

Glor. uictoriam. ] De Antonio intelligit. Obire. ] Frequentare, eadẽ figura, qua dicimus obire prouinciam, &c. Coli. ] Frequentari, conueniri, & honoris et officij cauſa. Quo loco poſſum dicere. ] Ptolemæus regno à ſuis pulſus, Romam uenerat, ut à Senatu reſtitueretur. Reliqua hiſtoria incerta eſt, niſi quod ea res occaſionem criminum præbuerat in Cælium. Itaque Craſſus hunc defendens, orata cauſa ante Ciceronẽ optarat, ut Ptolemæus nunquam ueniſſet Romã citatis ex Medea Ennij uerſibus, quibus ancilla queritur, Argo nauem fabricatã fuiſſe, qua Iaſone in Colchida delato, Medea amore eius capta fuerit. Quos uerſus ille cum ad Ptolemæum ἀλληγορικῶς accommodaſſet, Cicero eodem modo urbane ad Cælium et Clodiam accommodat, dolens Cælium in Palatiũ, ubi habitabat Clodia, cõmigraſſe, quod illud initium ei malorum fuit. Nam nunquam. ] Hic uerſus etiam à Cicerone in Rhetoricis ad Herenniũ citatur. Siue malorum. ] Rhetorica dubitatio, ad eleuandum crimen. Quamobrem illa quæ. ] Admiſcet teſtimoniorum reprehenſionem, & eis detrahit fidem, ad præformandos iudices. quia perorata cauſa teſtes interrogabantur. Quintilianus libro 5. de Teſtibus præcipit, in perpetua accuſatione fidẽ eſſe detrahendã. Aiebant enim fore. ] Minatur teſtibus, & calumniam ſe probaturum oſtendit. Comitijs ] Quibus à populo creabãtur. Cur tanto. ] Hæc omnia ſunt argumenta coniecturalia, ad arguendam uanitatem. Attrectatas. ] Parum honeſte habitas, adulteratas, ſeductas. Grauet erunt. ] Loquitur εἰρωνικῶς & reprehendit. ſignificat autem leuiſſimos eſſe & mentituros. Confutatio à ſigno. Congreſſu. ] In colloquio notorum & familiarium. & utrunque aduerb. ponitur conſtitutum, conſilium inter amicos. Sed totum genus. ] Correctione concludit, & præmonet iudices, potentia aduerſariorũ grauari Cæliũ. atque inde teſtes comparatos eſſe ſignificat. Oppugnationis. ] Scilicet per teſtes. Tela iaciuntur. ] Apta metaphora, de bello ſumpta. Neque id ego dico. ] Declinat offenſionem, et interpretatur quod dixit. Quæ ſit multitudo. ] R. petit potentiam, & iniuriam ex eo oſtendit. & eſt confirmatio præcedẽtis dicti. Quæ uarietas. ] Scilicet, alios nobiles, alios ignobiles. Proiecerim. ] Verbũ temeritatis. Sapientia ueſtra. ] Addit cauſam. Equidem uos abducam. ] Repudiat teſtimonia, & argumenta pollicetur. atque ita concludit locum de teſtibus, & rationem facti ſui reddit. Fingi. ] In mendaciũ in hanc uel illam partem. Itaque illam partem. ] Continuat reprehenſionem obiectorũ. Neapolitanis. ] Qui obiecti fuerant Cælio. De Alexandrinorum. ] Hoc uidetur pertinere ad illud, de quo paulo ante dictũ eſt, de aduentu Ptolemæi. De bonis Pallæ. ] Hoc quid ſit, non conſtat. Quod is qui. ] Refellit hoc crimen coniectum in Cæliũ. Quod igitur eſt. ] Videtur eſſe firma defenſio, ſed tamen non eſt: uerum ἀποπλάνησις & fucus quidã: potuit enim particeps eſſe eiuſdem criminis Cælius. Similis eſt confirmatio in oratione pro Cluentio, ubi de Oppianici ueneno diſputat. Quod igitur. ] Cõcludit ex cõparatione, ex maiori, liberandũ eſſe Cælium. Et ſi Aſcitio. ] Iterata cõparatio. Cauſa. ] Innocentia, quæ ex ipſa cauſa perſpicitur et intelligitur. At præuaricatione. ] Occurrit obiectioni, & refellit ſuo teſtimonio. Eſt aũt præuaricari, colludere cũ aduerſario, & cauſam eius, adiuuare, prodita ſua, dictũ à uaricãdo, hoc eſt, deflectendo in modũ uaricũ, quæ ſunt obtortæ uenæ in cruribus. Ergo præuaricari eſt, à recto atque adeo præſcripto ſui officij diſcedere. Sed etiã adoleſc. ] Exemplis cõfirmat cauſam Cælij. Titus Catiuſq;. ] Hi quoque aduocati erant in crimen, ſed falſo. Habitabat is. ] Declarat rem. Lucceius hic ſcriptor quoque hiſtoriæ fuit, ad quem alicubi in Epiſtolis famil. ſcribit Cicero. Ergo hæc remoueantur. ] Concludit, & tranſit ad alia, in quibus Herennij actionem eludit, ad remittendos iudices, quos ille mouiſſe uidebatur. Nititur. ] Nondum

hac in loco,ſed poſterius,de crimine auri & ueneficij. Audiri. ] Nam mouerat attentionem iudicum. Accenderet. ] Id ſanè factum fuerat, cum de Cælij luxuria & libidine locutus eſt. Eſt & qui in reliqua. ] Vide apertam eluſionem. Fuit in hac cauſa. ] Obiter à moribus & uita Herennium deſcribit,ut oſtendat orationem talem nõ conueniſſe Herennio. Veteres Romani grauiter,& magna abſtinentia frugalitateq; uiuebant,deinde mores in liberius uiuendi genus delapſi ſunt. Leuius igitur uitium eſt hoc tempore,licentius uiuere.quæ utiliter ab Oratore dicuntur,quo minus utique inuertatur,quòd liberius uixerit. Patruus ] Prouerbiale eſt,in aſperos & ſeueros reprehenſores. Quid quæritis. ] Correctio. Hac autem forma ſæpe utitur Cicero,cum quid abſoluere uult & finire. Excitat uero hæc particula. Mouebat. ] Etiam hoc contemnit. Beſtiæ. ] Hic de ambitu accuſatus fuit,& à Cicerone defenſus cuius meminit Cicero Epiſtol. 7. ad Q. Fratrem.Ita per ſe ſingula referuntur,ut nihil crimino ſum uideatur. Studuiſſe. ] Adiuuiſſe Beſtiam in petitione præturæ. Etenim eos. ] Refellit à perſonis & tempore,breuiter. Neque uero. ] Aliud obiectum,quod pertinebat ad confirmandũ priorem obiectionẽ. In lupercis ſodalem. ] Hoc negat crimino ſum eſſe , et defendit ex genere ipſo & uetuſtate ac conſuetudine lupercorum . Luperci autem dicti à Pane Lycæo,cuius ſacra uetuſtiſſima, ante urbem conditam ſunt conſtituta ab Euandro. Paſtori. ] Nam inter paſtores hæc ſacra inſtituerat Euander. Sub ſpecie autem lupercalium conuentum fuit de corrumpendis ſuffragijs. Sic aduerſarij. Sodalis. ] Addit conſuetudinẽ. mutuo enim ſodales ſe nominant,qui ſunt ex numero lupercorum. Sodalitatem. ] Vox eſt ambigua. in malam enim & bonam partem æque accipitur. Sed hæc omittam. ] Tranſit ad luxuriæ defenſionem. Omittam. ] De crimine ſodalitatis,& coitione Beſtiæ, qui ambitus fuit reus. Nam P. Clodius. ] Contemnit Clodij perſonam, et in hoc criminationis genere negligẽdam putat,quia ipſe luxu ſit perditus. Iactaret. ] Voce & geſtu. Tametſi. ] ἀρανία. Aliquot in cauſis. ] Figurate ſignificat Clodium in inſectanda luxuria hominum animos mouere non poſſe,quia ipſe ſit luxurioſus. Plurimum enim in dicendo ualet perſonæ auctoritas : & quorum uita cum oratione pugnat, non mouent auditores. Tibi autem Balbe. ] Reſpondet Balbo præmollita defenſione, ne præfracte agere uideatur : & excuſat ab ætate,& exemplis confirmat. ſiquidem ætas in purgando habet cauſam neceſſitatis à natura.Porrò ſtatus conceſſionis in purgationem & neceſſitatem diuiditur. Si fas eſt. ] Præmollit ne pertinax uideatur in excuſando. Precario. ] Deprecando culpam , per preces. Eum ſcilicet, Cælium. Qui Balas. ] Ipſa res uerbis ſuis deſcripta , nihil criminis habet. Sed tu mihi uidebare. ] Corrigit, & actionem aduerſarij reprehendit, negans quæ ad communem infamiam pertinent priuatim in Cæliũ conferenda fuiſſe.Reprehenſio eſt ex eo,quod ſeparatum uocant,quod efficit id quod intenditur,non permittit. Itaque omne. ] Explanat quod dixit. Silentium. ] Intentio iudicum. Vno reo. ] M. Cælio. Sed ueſtræ. ] Monet iudices,quid eorum ſit officij in eiuſmodi genere orationis. Ne quos aculeos. ] Metaphora uidetur ab apibus,uel certe hiſtricibus ſumpta, quæ concitatæ ſpicula, quibus obſitæ ſunt,in aduerſarium eiaculantur. Itaque ſeueritati tuæ. ] Concludit , & hac ſe firmiori defenſione uti oſtendit. Vocationem. ] Id eſt, remiſſionem atque immunitatem, & oratoriè dicit pro libertate. Atque ego idem. ] Apte tranſit ad ipſam cauſam. Sunt autem duo crimina. ] Venit ad cauſam,& ab ea cætera crimina remouet. eſtq; hæc propria defenſionis pars,in qua primum collecta breuiter narratione aduerſarij,& crimine propoſito,grauiter obiurgat Clodium,quod Cælium in familiaritatem aſciuerit. deinde Cælium excuſat ab adoleſcentia, uitaq; liberiori ſpem futuræ induſtriæ opponit. quæ ſanè eò ſpectant,ut ſolum crimen auri et ueneni,nõ aliud uideatur quàm ira quædam muliebris, quòd ab amante ſpreta & deſerta ſit.Itaque cum in hac ipſa conſuetudine Clodiæ ineſſet crimen petulantiæ,orator id rectè cõcedendum ſibi putauit, ad refellendum crimen,quod grauius erat ac proprium iudicij, & tamen purgandum ab ætate,ut dixi, & futura induſtria. Eſt igitur hoc loco propria cauſæ confirmatio ducta à familiaritate Clodiæ,negans uera eſſe quæ obiecta ſunt, ſed iras & amãtium querelas. quo fundamento locato, deinceps argumentorum,quæ obiecta fuerant ab aduerſarijs,confutationem ſubiungit. Fundamentum. ] Certa probatio. Sunt autem. ] Proponit. Aurum. ] Declarat. Quæſtionis. ] Iudicij. Sequeſter ] Corruptor ſuffragiorum. Video. ] Nempe Clodiam. Quæſiuit uenenum. ] Breuiter perſtringit capita aduerſariorum, & hinc conſtituit controuerſiam. Horum duorum criminum. ] Conſtituit propoſitionem confirmationis, quam ex cauſa ipſa colligit,repetitis capitibus accuſationis:nempe Clodiam auctorem eſſe totius criminis,ac perinde totum eſſe confictum ex diſſidio & odio illius in Cælium. Probationis loco grauem mulieris obiurgationem inducit,quia tota uis criminis ex perſona illius naſcitur. Criminum. ] Auri. ſ. & ueneni. Auro. ] Colligit , & oſtendit fictum eſſe crimen. Res eſt omnis. ] Repetit propoſitionem collectam & ex narratione accuſatorum,& capitibus cauſæ remouet inuidiam maledicentiæ, qua inuecturus eſt in Clodiam. eſt ergo præmunitio ad ſequentem obiurgationem,in qua omnis uis confirmationis ſita eſt, ut iam antea diximus. Nobili. ] Ad claritatem. Nota. ] Ad rumorem. & hoc ad infamiam,in malam partem. De qua. ] Remouet maledicentiam. Sed intellig. ] Alloquitur quæſitorem,quem & prætorem fuiſſe arbitror,quod ſi uerũ eſt,intelligitur hanc orationem L. Domitio,App. Claudio Coſſ. aut non multo ſecus habitam,cum hi conſulatum Cn. Domitij, quem poſt præturam geſſit, uno anno præceſſerint. Fuit autem hic L. Domitius Cn. Domitij frater. Quæ. ] Confirmat rẽ. Si. ] ὑποθετικῶς loquitur , ex antecedentibus. Sanctitas. ] Honeſtas,reuerentia,integritas. ita autem ſanctæ eſſe matronæ debent, ut in iudicio ne nominentur quidẽ Sin iſta. ] Continuat argumentationem, & explet. eſtq; aſſumptio. magis autem ornandi cauſa adhibetur hæc argumentatio quàm probandi. Viro. ] αἰτιολογία in uerbo ſolum, in ſententia tota non item. Niſi. ] Odioſum eſt, ex affectatione aliquid dicere, remouet igitur orator. Fratre. ] Correctio ironica, ad notandũ P. Clodiũ. eſtq; urbanus hic lapſus. habebat aũt hic rem cũ ſorore. Nec long. ] Profitetur ſe moderate acturũ. Fides. ] Defenſoris. Neque. ] αἰτιολογία ab honeſto. Præſertim. ] Quaſi augeat cauſam,cur nolit acerbius inuehi in mulierem,perſtringit Clodiam urbane. Amicã omnium. ] Vrbana paronomaſia,qua perſtringit Clodiæ impudicitiam. nam urbanitas in eo eſt,quod cum laudare uideatur,uituperat. Amicam,inimicam. ] Verba inter ſe colludunt. eſt autem totus hic locus amaræ urbanitatis. Sed tamen ex ipſa. ] Parat fictam perſonam introducere , quo grauior ſit obiurgatio:quia propter inimicitias ſua perſona grauius illa dicere non poterat.ergo προσωποποιΐᾳ & uariat orationem, & obiurgationem aſperiorem efficit. Barbula. ] Pub. Clodium ſignificat. Obiurget. ] Meo loco. Succenſeat. ] Quia inimica eſt. Exiſtat igitur. ] Appium Cæcum inducit, obiurgantem Clodiam,ob familiaritatem, quam cum Cælio habuerit. Cæcus. ] App. Claudius Cæcus. Nam uidebit. ] Acute & feſtiue alludit. Iſtam. ] Tam infamem & ſceleſtam. Exititerit. ] Scilicet ab inferis,emerſerit ſiue prodierit. Patrem. ] Vituperatio à genere. Non denique. ] Ex his uerbis apparet,Q. Metellum nuper mortuum fuiſſe,qui Conſul

ſul una cum P. Lentulo fuerat, cum Cicero ab exilio reuocaretur. Itaque alibi eum Cicero fratrem Clodij, appellat, nempe Clodiæ ſororis maritum, in oratione pro Domo ſua. Clariſſ. ] Vituperatio à matrimonio alijs quidem in locis inſectatur, cum adhuc diſſideret à Cicerone. nam ut conſtat, Cicero conatibus eius reſiſtit, cum legem promulgare uellet de Pompeio cum exercitu in urbem reuocando. Omneis pro. ] Amplius eum laudat, quam uiuum. atque id gratioſum eſt. Genere. ] Gente Clodia. Familiam. ] Metellorum. Cognatus. ] Occupat quæ dici non poſſunt. Niſi. ] Remotis illis aliud quiddam infert. Non'ne. ] Et mulieribus illuſtribus ex eadem gente. Q. Cla. ] Vide Valerium Maximum de Religione. Progenies. ] Neptis. Aemulam. ] Quanto præclarius eſt ſequi maiorum egregia ac præclara facta, tanto turpius eſt ab iiſdem deſciſcere & degenerare. Curru. ] Scilicet triumphali. Frater. ] Vocat ſimul & P. Clodium in crimen.
Et nobis. ] Vult hos quaſi primos eſſe, qui degenerent ex gente Clodia. Ideo. ] Acrior & inſtantior obiurgatio. & eſt enthymema Rhetoricum. pendent autem hæc omnia ex hiſtoria. Pyrrhi. ] Refert uerba Ennij, quæ citantur etiam in libro de Senectute. Ideo. ] Aliud factum Appij Cæci. Sed quid ego. ] Quaſi dictorum pœnitentia abrumpit proſopœiam, ut concludat intentionem, & ad aliud tranſeat. Sed uidete. ] Hoc differt in poſterius, et reponit quaſi in memoriam iudicum. Diſceptatoribus. ] Iudicibus, & cauſæ cognitoribus. Tu modo. ] Concludit, & quid ex familiaritate, quã inſectatus eſt, in cauſa efficiatur, oſtendit, nempe crimen cum perſona Clodiæ nõ cohærere. Facis. ] In hoc iudicio. nam ipſe accuſatores ſubornarat. Molitis. ] Obijcis crimen auri & ueneni.
Baijs. ] In balneis, loco amœniſſimo in Campania. Significant. ] Scilicet accuſatores. Tu. ] Clodia. Effrenata. ] Impotenti quadam iracundia. Siu autem urbanius. ] Tranſit ad aliam proſopopœiam, qua diſſidium & odium in Cœlium exagitat, inducta Clodij perſona. Ergo hæc duo uelut certa capita et argumenta, Orator in Clodij perſona conſtituit. Illum. ] Appium Cæcum. Minimum frat. ] P. Clodium. Vrbaniſſimus. ] Feſtiuiſſimus. Ironicos. Puſio. ] Id eſt, puerulus, blandimento uerbi ad irriſionem accommodato. Iuuenalis pro ſcorto maſculo poſuit: Non'ne putas melius ſi tecum puſio dormit, Puſio qui noctu non litigat, &c. In iſto genere. ] Reprehendendi. Quid tu. ] Ad dignitatem accommodata oratio. Clamore. ] Non quod mulier in iudicio fuerit, ſed per accuſatores. Vicinum. ] M. Cœlium. Oculi. ] In quibus eſt ſedes amorum. Dona eſſe tanti. ] Vt, te amet. Eo loco. ] Ad Tyberim. Quo. ] Ad quem locum. nam iuuenes in campo Martio conueniebant. ſingula autem pondus habent. Conditiones. ] Optatos amatores, hac lege, ut ſi unus non placeat, alium eligas. Redeo nunc ad te. ] Sicut Clodium, ita & Cœlium obiurgat, quo magis hoc habitu actionis exprimat faciem & conditionem amoris. Inducit autem primo ſeueriorem perſonam, deinde leniorem, & Cœlij defenſionem ſubiungit. Cæcilianum. ] Ex Cæcilij comœdia, cuius fit mentio apud Gellium, & alios. Ego'ne. ] Verba ſunt obiurgantis. Diceret. ] Exaggerat crimen Cœlij. Dedere. ] Scilicet amicæ. ſumptum ex hoſtibus. Si egebis. ] Etiam futura exprobrat. Mihi ſat eſt. ] ἀντίθεσις. Seni. ] Cæciliano. Reſponderet. ] Defenderet ſe. Huic triſti ac. ] Inducit Cœlij defenſionem, quia primum rem extenuat, deinde purgat ab ætate, & anteacti temporis luxuriæ ſpem futuræ induſtriæ opponit. Se nulla. ] Extenuatio ſecit non cupiditate, ſed imprudentia: igitur uenia eſt danda imprudentiæ. Cupiditate. ] Intemperantia, luxuria. Nulli ſumptus. ] Argumenta ex adiunctis. Iactura. ] Patrimonij. Verſura. ] Aes alienum. eſt autem uerſura, cum æs alienum ære alieno diſſoluitur. At fuit fama. ] Occupatio, qua remota obiectione confirmat quod propoſuit. Ciuitati. ] Soluit à loco. Germanus. ] Alia ſolutio ex maiori. Leni uero & clementi. ] Mutat quaſi genus actionis, & faciliorem defenſionem apprehẽdit apud æquiorem patrem. Subeſt igitur uis ſtatus tranſlatiui, &c. Fores effregit. ] Verba ſunt Mitionis in Adelphis Terentij, de Aeſchino, qui puellam lenoni rapuerat. Expeditiſſima. ] Scilicet defenſio. Reſtituentur. ] Contra opponit ſuam defenſionem, Græci uocãt ἀντιπαραφοράν. Nihil iam. ] ἀφορμή. Extenuat autem culpam conſuetudinis cum Clodia, à petulantia & moribus Clodiæ & ſubeſt finitionis uis non adulterium, ſed liberam uenerem putandam eſſe. Et tranſit à certa perſona, ad incertam & generalem, ſed ἀφορμῆς. Suo iure. ] Sicut ad meretricem, & mulierem omnibus proſtitutam. Si uidua. ] Qualis Clodia, iam defuncto Metello. Si quis hanc. ] μανιώσ eſt. Adulterium. ] Differunt meretricius amor & adulterium. Separat igitur & diſcrimen facit à moribus Clodiæ & intemperantia. Hæc igitur eſt tua. ] Prolepſis, qua inducit defenſionem ab ætate. Ego ſi quis iudices ] Reſpondet κατ' ἀντιπαραφοράν pulchrum eſſe adoleſcentem caſte & incorrupte uiuere, ſed rarum eſſe & perdifficile. Indole. ] Hoc ingenio, & uelut natiua uirtute. Reſpueret. ] Contemneret. Contentione. ] Exercitatione. Studia adoleſc. ] Vt potare, amare, uenari, & cætera. Ex hoc genere. ] Addit exempla ad declarandam rem. Verum hæc genera. ] ἀντιπαραφορά. quam uide quomodo muniat ex ui comparatorum, exemplis, & doctorum hominum auctoritate. & erat hic locus ualde lubricus Ciceroni, quippe homini magna grauitate prædito. Chartæ. ] Libri. Obſoluerunt. ] Deletæ ſunt. Neque ſolum. ] Addit exemplum Græcorum. Verbis. ] Ad Græcos refertur. Facere. ] Præſtare, uiuere ad illam ueram diſciplinam. Sapientes. ] Stoicos intelligit, quos poſt ſecuti ſunt Epicurei. Alij. ] Epicurei, qui uirtutes omnes faciebant uoluptatis ancillas. Illud. ] ἀντίθεσις in ſcholis. ] Diſputant ſolum, cum docti omnes receſſerint. eſt autem argumentũ doctrinæ non admodum probabilis, cum ita deſeruntur: & facete dictum eſt per ὀνομαδοξίαν. Multa enim. ] αἰτιολογία à natura ducta. Sopita. ] Quaſi ſopore cõdita, ceſſans, quieſcens. Cõnueret. ] Aſſentiret. Lubricas. ] Incertas, periculoſas, ancipites, difficiles. Illa inſiſtere. ] Facit quandam adoleſcentiæ μετωνυμίαν Inſiſtere aũt quieſcentis eſt, et ingredi mouentis. Corroborata. ] A maiori. Quãobrem ſi quem. ] Cõcludit & repetit ſententiã argumentationis: & eſt repetita ἀντιπαραφορά ut ſupra indicatũ eſt. Plerique. ] Vulgus, maior hominũ pars, qui nõ ſunt remoti à uoluptatibus. Ergo hæc. ] Vertit elocutionẽ in iubentis ſpeciem. Expoſuit enim antea, nũc iubet. Hæc uia. ] Viuendi ratio. Deſerta. ] Pauci enim illam ingrediuntur, propter inſolentiam. Intercluſa. ] Impedita: elegans metaphora. Detur aliquid. ] αἰτίαςις. Dum modo illa. ] Temperat quam concedit adoleſcentiæ libertatem. & eſt ſane modus in rebus, ſunt certi denique fines, &c. ut eleganter ab Horat. dictum eſt. Parcat. ] Explanat. Alienam. ] Pudicitiam. Ne fœnore. ] Aptum uerbum ad hanc rem. Trucidetur. ] Perdatur. αὔξησις. Labem. ] Corruptelam. Reuocet ſe aliquando. ] Vide quomodo ſenſim delabatur ad futuræ induſtriæ commendationem. Forenſis. ] Reipubli. & eſt bona diſtributio. Antea. ] Propter imbecillitatem ætatis. Ac multi & ueſtra. ] Profert exempla, & confert ſe ad frugem libertatis adoleſcentiæ. Deferbuiſſet. ] Refrixiſſet elegans uerbum, & proprium: metaphoricos ſumptum à re ſimili. Extiterunt. ] Ortæ ſunt. Voſmet. ] Reuocat iudices ad memoriam. Nominare. ] Profert ita exempla, ut tamen neminem nominet, ſicq; offen-

ſionẽ uitat. Oblecta. ] Obſcurata. At uero in Marco. ] Ex antitheſi inducit perſonam Cælij, et commendatis ſtudijs adoleſcentiæ eius, effuſiorem luxuriam ab eo remouet. Dicam enim. ] παρρησία eſt, qua aſſentationem à Cælio remouet. Luſtrorum. ] Lupanarium, in quibus ſcorta, quemadmodum in luſtris feræ latent. Defloreſcunt. ] Metaph. ab arboribus. Occupatum. ] Mitigat rem: Nunquam ita amauit, ut ſit ab honeſtis ſtudijs reuocatus. Audiſtis cum pro ſe. ] Confirmatio ex adiunctis, quæ mox in ſyllogiſmum cõuertetur, addita maiori propoſitione. nam hæc aſſumptio eſt, quam præceſſit intentio, id eſt, concluſio: fitq; more oratorio inuerſus ordo ratiocinationis. Accuſaret. ] Scilicet, patrem Atracinum. Ingenium. ] Id obiter laudat. Niſi forte. ] Temperat orationem, ne pertinaciter aſſeuerare uideatur. habet autem hæc dubitatio uim, ut fidẽ conciliet. Atque ſcitote. ] Maior propoſitio ratiocinationis, cuius reliquæ partes prænotatæ ſunt. huic mox approbationem ſubiungit quæ ducitur à natura. Annos. ] Confirmatio à ſigno: & per interrogationem inſtantius loquitur. Omittendæ ſunt omnes. ] ἐπιφώνημα, quo claudit maioris propoſitionis ſententiam. Ac hic, ſi ſeſe. ] Specie exempli relabitur ad uim aſſumptionis, et cum intentione coniũgit. ſubeſt igitur uis concluſionis. tractatur ergo hæc argumentatio tripliciter, nempe intentione, aſſumptione, et propoſitione. Adoleſcens. ] Ab ætate amplificat. Conſularem. ] Antonium intelligit, qui collega fuit Ciceronis. Vocauiſſet. ] Vocare auſus fuiſſet. In hac acie. ] Forenſi, iudiciorum. Inimicitias. ] Potentium hominum. Inſpectante. ] Nam in foro habebatur hoc iudicium. De ſalute. ] Se defendendo. De gloria. ] Alios accuſando. Multi igitur. ] Prolepſis, quæ inducit meretricij amoris defenſionem. & eſt contradictio aduerſarij. Redolet. ] Multam infamiam Cælio infert. Baiæ loquuntur. ] Metonymia eſt. Illæ uero nõ loquuntur. ] Reſpondet, & contradictionem aduerſarij, qua unus illi nocet exaggerat, atque inde Cælium defendit. eſt ergo ἀνθυποφορά. Illæ. ] Baiæ, in quibus conſueuerunt Cælius et Clodius. Prolapſam. ] Proprie loquitur. Integumenta. ] Occultationes. Luce. ] Vult amorem ſuum palàm eſſe. Verum ſi quis eſt. ] Defendit à cõmunibus moribus, & ſuperiorũ temporũ conſuetudine. Similis eſt defenſio Ctiſiphonis apud Terentium, Omnes id faciunt. eſtq; altera pars ἀνθυποφορᾶς. & mire temperat orationem, atque ita ſeruit cauſæ. Seuerus. ] Demea, non Mitio. Sed abhorret. ] Propoſitio. Conceſſis. ] Quæ conceduntur. Quando enim. ] Declarat. Non liceret. ] Significat licere uel amore meretricio, modo ne incurras in domum alienam. Verum id in religione noſtra locum non habet. Hic ego rem. ] Relabitur ad finitionem, quam ſupra poſuit, meretriciam conſuetudinem cũ Clodia, non adulterium fuiſſe. Definiam. ] Vtar definitione. Nominabo. ] ὁρισμόν. habens autem ſingula quæ ſequuntur, ſuum pondus. Fuerit. ] Mitigat. non enim dicit Cubuerit. Obliuiſcor iam. ] Concludit auerſus ad Clodiam, & ironicos negat ſe in illam dicere, quæ maxime dicit. Græci ἀπόφασιν uocant. Quid eſt quod. ] Complectitur rem diuiſione, & quod dicendum eſt, efficit. Rhetores complexionem uocant. Quare nobis da. ] Colligit concluſionem, & ſententiam diuiſionis repetit. Huic. ] M. Cælio. Cæteris. ] Scilicet amatoribus tuis, quicunque ſint.

Sed quoniam. ] Venit nunc ad refutationem criminum, quæ primo proponit, deinde reprehendit argumentis & teſtimonijs. Pertinent autem hæc ex loco præcedenti ad ſequentem per tranſitionem. Ex uadis. ] Metaph. à nauigantibus. Reliquus curſus. ] Manet in metaph. & loquitur cum fiducia. Duo ſunt. ] Proponit utrunque crimen. L. Luceius. ] Hiſtoriarum hic ſcriptor fuit, ad quem extat Ciceronis epiſtola. Magnum crimen. ] Oratorie amplificat crimen, priuſquam diſſoluat. Amplificat autem, ne quid in defenſione ſubterfugere uelle uideatur, uel declinare. Requirat. ] Requiratur legendum. Quo quidem in crim. ] Argumentatur ex adiunctis per diuiſionem, & quod ſumit aut cõtrarium facit aduerſario, aut incredibile. Adiuncta, quia ſumuntur per diuiſionem, in uim ſpecierum abeunt: ut ſit genus, necem Dioni moliri: ſpecies, dicentem tacentem moliri. Tune aurum. ] Quod contrarium fecit Clodia, exaggerat tum à re, tum à perſonis: idq; grauiter, per increpationem. Græci ἐπίπληξιν uocant. Aurum. ] Scilicet, detractum Veneri. Venus autem præſidet amoribus. Clodia igitur impudiciſſima mulier recte Venerem colebat, ut ſibi faueret. Labem. ] Contagionem. Popularis. ] Quæ à populo frequentatur. Populare uocatur, quod commune eſt populo: deinde etiam, quod illi gratum & iucundum eſt. Vidit hoc Balbus. ] Occupatione confirmat quod dixit, & quod in ea contrarium eſt, diſſoluit. Confirmat autem à ſigno ex actione Balbi, & diſſoluit per diuiſionem rurſus ex adiunctis. Vidit. ] Animaduertit. Celatum. ] Clàm habitum. Attuliſſe. ] Dixiſſe, finxiſſe. Quò. ] In quem uſum, uel finẽ. ut, Quò mihi fortuna, ſi nõ conceditur uti. Ita ſi uerũ. ] Concludit per cõplexionem. Quid ego nunc. ] Oratorie præterit argumenta, quæ tamen obiter perſtringit. Sunt ea partim à perſona Cælij, partim ex facti circunſtantijs, quæ in cõiectura ſpectantur. eſt ergo ſimulata præteritio, Græci ἀπόλειψιν uocant. Mores. ] Argumentum à moribus. Require. ] Scilicet probationes ſiue argumenta. non ſolum enim proponuntur argumenta, ſed etiam ab aduerſario requiruntur. Aditus. ] Facultas adeũdi. Latebras. ] Omnes angulos, omnes ſuſpiciones in ipſa re inſitas. Sed hæc quæ ſunt. ] Tranſit ad firmiorem probationem ex Luceij teſtimonio. Fructum. ] Laudem exercitationis & ingenij hoc modeſtiæ cauſa addit. Relinquo. ] Scilicet, ut ocyus teſtimoniũ Luceij proferam, quod firmius eſt. Religionis. ] Integritatis. Qui tantum facinus. ] Priuſquam proferat teſtimonium, confirmat, & amplificat auctoritatem perſonæ, Luceium, ſcire innocentiam Cælij, & ſi ſecus ſciret, laturum non fuiſſe. Confirmat argumentatione ex minori. Neque non. ] Certe. Illorum. ] Scilicet, cõmiſſum eſſet. An ille. ] Hæc ad perſonæ laudem & commendationem pertinent. Periculum. ] Scilicet tentatum à Cælio. Quem propter. ] Colligit plura argumenta per comparationẽ perſonarũ. In hoſpite. ] Ex minori. Actũ. ] Commiſſum in malam partem. Quid in agris. ] Per comparationem à loco. Id homo. ] Iterum à perſona. Sed cur diutius. ] Correctione abrumpit argumentationem, & teſtimonium profert. Teneo. ] Scilicet ſuſpenſos. Iurati. ] Iurabant enim teſtes, ſe uere omnia dicturos. Recita. ] Alloquitur præconẽ, qui ſemper præſto erat in iudicio. Quid expectatis. ] Amplificat teſtimonium per locum communem, & breuiter comprehenſis argumentis cauſæ concludit. Defenſio. ] Per teſtes ſcilicet, non per coniecturam. Deuincta. ] Obſtricta iureiurando. Contentione. ] Comparatione perſonæ. Reliquum eſt igitur. ] Venit ad alterum crimen de ueneno. & eſt altera pars confirmationis. Quæ fuit enim. ] Argumentatur à cauſa, Cælio dandi ueneni cauſam nullã fuiſſe, & loquitur per altercationem, reſpondendo & interrogando, ad excitandum animos iudicum. Nomen. ] Pro debito. Quin etiam. ] Confirmatio ex aduerſarij teſtimonio. Familiari. ] Atracino. Credibile. ] Concludit, & confirmat contrario aduerſariorũ exemplo. Cui denique commiſit. ] Argumentatio à facultate perficiendi, quam negat adfuiſſe Cælio. probatq; à perſonis, ſcilicet Cælij et ſeruorũ Clodiæ. Serui. ] Occupat interrogando. Ingentium. ] ἀντίθεσις. Quis enim. ] Confirmat à familia Clodiæ. Id igitur. ] Concludit per complexionẽ. Ipſius autem ueneni. ] Congregat alia

argumenta

*argumenta difficultatis, & occupat obiectionem, & in perſona Clodiæ reprehẽdit, digrediẽdo à propoſito, & iudices in mortem Metelli abducendo. eſtq́; artificioſa diſſolutio per digreſſionem. de quo elabendi modo uide Rodolphum.* Vbi quæſitum.] *Hæc ſimul & uim argumentorum obtinent, & ea proponunt quæ ſunt refutanda.* Pro dij.] Per exclamationem digreditur in mortem Metelli. *Exclamatio autem eſt admirantis et indignantis.* Conniuetis.] Diſſimulatis: *ab oculis ad animum deflexio.* Vidi uidi.] Geminatio, ad uehementiam. Qu. Metellus.] Forte intelligit Metellum Celerem, maritũ Clodiæ, *qui fuit ſecundo anno conſul cum* L. Affranio. Abſtraheretur.] Violentiæ uerbum. Egregio.] Oſtendit quàm *charus fuerit patriæ. ſingula autem pondus habent.* Tertio.] Vide celeritatem mortis. Eriperent.] Verbum rurſus uiolentiæ. Oppreſſa.] Penè extincta: *faciunt autem hæc omnia ad cõmendationem perſonæ erga patriã.* Cum me intuens.] Hypotypoſis. Interruptis.] Ob debilitatem. Procella.] Scilicet à P. Clodio. Feruens.] Scilicet manu Metellus. Qu. Catulo.] *Qui iam obierat. Vixerat aũt in conſpiratione Catilinæ.* Me.] *Qui periclitaturus eſſem propter patriã.* Conſulari.] *Cõſularis forte legendũ.* Fratri ſuo.] Qu. Metello Nepoti. Conſulẽ.] *Qui Cõſul ille fuerit, nõ conſtat.* Domũ.] *Conſciam ſceleris domeſtici.* Fletu.] *Dicit ſe cõmotum eſſe morte illius clariſſimi uiri, ut cõmoueat etiam iudices.* Sed reuertar.] *Redit ad inſtitutũ, & cætera aduerſariorum argumenta diſſoluit.* Pudenti.] *Verecundo. atq; ita rem facit incredibilẽ.* Hic primũ.] *Reprehẽdit à loco, nempe locũ ad hanc rem minime fuiſſe idoneũ.* Cur illi ſerui.] *Inducit cõplexionem argumentandi.* Sin autem.] *Altera pars cõplexionis.* Hinc illæ lachrymæ.] *Prouerbiũ ſumptũ ex Andria Terentij, re deprehenſo inopinato malo. hoc eſt, hinc totum illud malũ & diſſidium manauit.* Imo, inquit, cum.] *Occupat ſolutionem aduerſarij, & eandem quoque ex loco balnearum deprehendit.* Quæ quidem omnia.] *Reſpõdet, & docet locum balnearum ad occultandos teſtes idoneũ fuiſſe.* Togatis.] *Romanis, non Græcis.* In ueſtibulo.] *In ipſo aditu. Veſtibulũ uocat, quemuis locũ ante ianuã.* In intimũ.] *In ipſa balneas.* Reciperentur.] *A` lauantibus.* Niſi forte mulier.] *Ironica exceptio eſt in Clodiã, quæ quondam (ut Plutarchus auctor eſt) quadrantaria fuit appellata, à quadrante exiguo numiſmate (Veniunt quadrante lauatũ, inquit poeta) quòd adoleſcens quidam, qui eam amabat pro aureis numis in loculos eius coniecerat.* Atque equidem.] *Ab argumentis tranſit ad teſtes, quos primũ contemnit, deinde falſos arguit, poſtremo deterret.* Dicerentur.] *Nominarentur.* Qui primum.] *A` perſona Clodiæ.* Deinde eam.] *A` facto.* Quod illa. Ἀντίθεσις. Sed quid ego.] *Colligit, ut ad reprehendendam uanitatem tranſeat.* Dignitatem.] Εἰρωνικῶς. Temere.] *Ante tempus.* Homines grauiſſi.] *Iterum ironia, pro homines leuiſſimos.* Tradere.] *Seruis Clodiæ.* Repente.] *Inconſulte.* O magna uis.] *Reprehenſurus exclamat, & in locũ communẽ prorumpit.* Fabella.] *Contemptim.* Tot uiri.] *Teſtes futuri in Cælium.* Nam neceſſe eſt.] *Confirmat ex deſtinatis.* Cur Licinium.] *Arguit ab eo quod factum non eſt, & fieri oportuit. & eſt argumentum ex euentis. Probat oportuiſſe fieri, ex cauſis. Tolle euentũ, & cauſam tuleris.* Erant enim.] *Confirmat à cauſa.* Poſiti.] *A` Clodia.* Teneretur.] *Argueretur.* Tradidiſſet.] *Seruis Clodiæ.* Hoc fuit.] *Exaggerat cauſam finalem.* Reperio.] *Intelligo.* Euaſiſſent.] *Teſtes illi.* Imploraret.] *Licinius.* Pernegaret.] *Scilicet ſero tandem.* Quem quomodo illi.] *Occupat cõditionem extra perſonã aduerſariorũ, & mox irridet.* Quẽ quomodo.] *Verba ſunt quaſi aduerſariorũ. et interrogatio uim habet negatiuã.*

Mimi ergo eſt.] *Reſpondet, & quod cõmemoratũ eſt, ſimilitudine eludit. Mimus erat fabulæ genus, cõpoſitũ ad imitationem perſonarũ, refertũ ſententijs, ad carpẽda uitia introductum, in quo genere quondã ſub C. Cæſare Publius et Laberius floruerũt, quorũ ſententiæ nõnullæ à Gellio referuntur in Noctibus Att.* Clauſula.] *Aliàs in Comœdijs uocatur* καταστροφή. Fugit.] *Elabitur.* Aliquis.] *Hiſtrio.* Scabella.] *In quibus conſident ſpectatores.* Aulæũ.] *Tapeta ſunt, quibus ſcena quondam ornabatur.* Quæro enim cur.] *Redit ad argumenta, & rurſus inſtãdo quod fieri oportuit, requirit.* Expreſſerint.] *Confeſſionẽ.* An timebant.] *Occupatione occurrit, ne rem euertat.* Perterritum.] *Conſcientia ſceleris.* Itaque hæc.] *Epiphonema, quo totã argumentationẽ concludit.* Illuſtrari.] *Declarari, explanari.* Vllo tempore.] *Timore legendum.* Ad teſtes.] *Vanos.* Quos quidem ego.] *Minatur teſtibus, & eos deterret, oſtendens quibus rebus & leuitatẽ eorũ, et uanitatem reprehenſurus ſit.* Prægeſtit.] *Declarat quomodo ſit eorũ uanitatem reprehenſurus. eſtq́; elegans uerbum Prægeſtit, quaſi præcupit.* Lautas.] *Delicatas, à lauando.* Deinde fortes.] *Ironia alludit ad rem bellicam.* Alueus.] *Scilicet aquarũ in balneis.* Equus Teoianus.] *Alludit ad hiſtoriam Teoianorum, utiturq́; eleganti ſimilitudine.* Tulerit.] *Ediderit.* Texerit.] *Occultauerit.* Hunc.] *Licinium. eſtq́; hic commoratio, ut planius infigat in animos auditorum.* Qui.] *Teſtes.* Quod uolent.] *Concedit unum: ſed quod firmius, opponit per* ἀνθυποφοράν. Et unũ.] *Vinũ legendum. Horat. Fœcundi calices quem non fecere diſertum.* Fori.] *In iudicijs.* Triclinij] *In conuiuijs.* Subſelliorum.] *Vbi ſedent iudices. Iteratis oĩe uerbis rem declarat.* Lychnorum.] *Luminum nocturnorum. Græcum eſt.* Solis.] *Diei.* Excutient.] *Excutiemus legendum.* Quamobrem.] *Concludit.* Sed ſi me.] *Iam monet, & blandius loquitur.* Venuſtate.] *Gratia & comitate.* Dominentur.] *Sumptuoſi ſint.* Capiti.] Ἀντίθεσις. *& intelligit Cælium.* Tandem.] *Minatur ſe probaturum ex ſeruis Clodiæ.* Sed ſcire cupio.] *Obiter uenit ad manumiſſionem ſeruorum Clodiæ, quam conuertens in aduerſarios, contra eos ſuſpectam facit.* Argumenti.] *Quid cauſæ, quid rationis habeat.* In qua.] *Breuiter rem complectitur.* At propinq.] *Occurrit defenſioni, & propinquos erraſſe dicit, & ſic reprehendit qualitatem.* At placuit.] *Inquit Clodia.* Cur non.] *Reſpondet orator.* Hic etiam miramur.] *Occurrit rumori de pixide, qui per urbem uulgatus fuerat: eumq́; conuertit in uituperationem Clodiæ, et à Cælio remouet. Quæ fuerit autẽ fabula, nõ cõſtat, niſi quod intelligitur obſcœna fuiſſe: quare nec ipſe eã refert, ſed tantummodo ſignificat.* Nolim dicere.] *Propter obſcœnitatẽ.* Inſulſo.] *Sic uocamus, quod ſale cõditum nõ eſt. trandate uero, inurbanũ, infacetũ.* Niſi omnia.] *Vehemens uituperatio Clodiæ.* Dicta eſt.] *Trãſit ad perorationẽ, quam priuſquã ingrediatur, eleuat atrocitatẽ iudicij, ad remittendam iudicũ intentionem: & actionem aduerſarij reprehendit, quod non propria lege agat.* L. *enim* Domitio & App. Claudio Coſſ. *quo anno hoc iudiciũ habitũ eſt, Senatuſconſultũ factũ fuerat (ut Cicero ad Q. Fratrẽ auctor eſt, Epiſt. 7.) ut ſodalitates decuriatiq́; diſcederẽt, lexq́; de ijs ferretur, ut qui nõ diſceſſiſſent, ea pœna qua eſſet de ui tenerentur. Itaq; cum præter auri & ueneni crimen, quod propriũ erat huius iudicij, etiã ambitus obijcerent Cælio, accuſatores quo grauior eſſet quæſtio in reũ, lege de ui poſtulauerant: quæ lex primum à Q. Catulo, ſicut Cicero indicat, lata fuit: deinde, ut opinor, renouata à L. Plotio, unde et Plotia appellata. quæ lex nullã dilationem dabat reo, ſed quemadmodum indicatur in exordio huius orationis, quotidie iudicium fieri iubebat. Qua de cauſa factũ fuit, ut hoc etiã iudiciũ feſto die haberetur. Hanc igitur actionem primo reprehendit*

orator, ad remittendos iudices: deinde tractat perorationem, cõmendando induſtriã Cælij: poſtremo mouet cõmiſerationem. Iam intelligitis. ] Εἰρωνικῶς hæc dicuntur. Omnium. ] Scilicet ciuiũ. Quã legem. ] Exaggerat. Diſſenſione. ] Inter Marianos & Syllanos. Sedata. ] Poſt oppreſſum Catilinam. Ad pœnas. ] Tanquam ſi patriam prodidiſſet. Atque hoc etiam. ] Refutat exẽplum prolatum ab aduerſarijs, cuius hiſtoria ignota eſt. Apparet tamẽ iſtos, quos nominat, lege de ui ſicut Cælium poſtulatos fuiſſe: ſed alio crimine dãnatos, quod ad Clodiæ probrum pertinuerit. Itaque hoc nomine reprehenditur ab oratore, & mox diſſimile eſſe oſtenditur. Atque. ] Vim habet præiudicij. Prædicatur. ] Ab accuſatoribus. Flagitij. ] Quod fuerit hoc flagitiũ, ignotũ eſt. Repreſſam. ] Sopitam. Quo enim. ] Interrogat declarãdi cauſa. Ergo ut. ] Hoc totum obſcurum eſt. pẽdet enim ex hiſtoria. M. uero Cælius. ] Oſtendit diſſimilẽ eſſe cauſam Cælij, atque ea occaſione delabitur ad cõmemorationẽ uitæ eius: qui eſt propeius locus perorationis, ad deprecationẽ ſpectãs. Incipit autem à ſtudijs adoleſcentiæ, & contubernio Pompeij. Quod ſi à lege. ] Forſan quod nõ ſit, legendum. A lege. ] De ui. Cuius prima. ] Delabitur iam ad cõmemorationẽ uitæ Cælianæ. Aetas. ] Adoleſcentiæ. Artibus. ] Humanitatis. Maiorũ natu. ] Vt Ciceronis et aliorũ. Induſtriam. ] Virtutẽ. Imitari. ] Quod imprimis cõmendabile eſt in adoleſcentia. In qua. ] Obiter addit cauſam, cur profectus ſit cõtubernalis in Aſiam cũ Pompeio. Vſus. ] Conſuetudo, ad noſcendã prouinciã et homines. Probatiſſ. ] Commendatiſſimus. Ipſius. ] Pompeij. Vellem aliò potius. ] Hoc dicit, quia collega eius fuerat in cõſulatu Antonius, et ipſe eundẽ in eodẽ iudicio defenderat. Detuliſſet aliò. ] In aliũ quã Antonium. Tempus querelæ. ] Quod tẽpus ſignificet, aut quam cauſam accuſandi Antonij habuerit Cælius, nõ cõſtat. Miſero. ] Damnato: ſicut in orationibus in Verrem, miſerũ uocat Dolabellam. Præclari in Remp. ] Intelligit negotiũ coniurationis, in quo Antonius debellarat quidem Catilinã, ſed ante cum illo ſenſiſſe ſuſpicio fuerat, unde addit, ſed nocuit opinio maleficij cogitati. Aequalium. ] Eiuſdem ætatis. In negotijs. ] In amicitijs colendis. Quæ niſi uigilantes. ] Reſpicit ad purgationem adoleſcentiæ, quam ſupra fecit. Sobrij. ] Minime luxui deditis. In hoc flexu. ] Μεταφορικῶς alludit ad curulia certamina, in quibus metas circumagi oportebat, priuſquam uinceretur. idq; erat periculoſum, ne quis impingeret. unde Horatius: Metaq; feruidis Euitata rotis: loquens de aurigarum certaminibus. Nihil enim. ] Conciliat ſibi auctoritatem. Hæſit ad. ] Periclitata eſt, labefactata eſt, impegit, offendit. Inſolentia. ] Inſuetudo, ut ita dicam. Quæ cum inclinſa. ] Vide qua arte extenuet, quod negari non poteſt. Vel dicã. ] Correctione extenuat rem, & mitigat. Propulſet. ] In hoc iudicio. Interpoſitus. ] Vita Cælij. Amici. ] Atracini patris, cuius mentio in exordio facta eſt. Detulit nomen. ] Accuſauit. Quam nollem. ] Ipſe quoque improbat perſecutionem, ne perſonæ magis quàm ueritati fauere uideatur: & tamen id ipſum mox corrigit, & in laudem conuertit. Quæ ſtudia. ] Qui ardores ad gloriam. Contractiora. ] Remiſſiora. Etiam ſemper. ] Τρόπος, ornandi cauſa. Refrenandi. ] Metaphora ab equis ſumpta. Amputanda. ] Id eſt, coercenda. metaph. ſumpta ab arborum ſatione. Inſerenda. ] Quaſi noui ſurculi. Quare ſi cui nimium. ] Concludit, opponẽdo liberiori uitæ ſpem futuræ induſtriæ, atq; inde deſcendit in deprecationem. Deſeruerit. ] Pro Deſeret. Conſeruate igitur. ] Deſcendit ad deprecationem. Bonarum artium, bonarum partium. ] Facit παρονομασίαν. Si modo. ] Dicit modeſtiæ cauſa, ne arroganter loqui uideatur. Duriſſimus. ] Duriſſimis legendũ eſt. Rationibus. ] Conſilijs. Neque enim. ] Declarat. Hominẽ conſ. ] M. Antonium. Violatã ] In cõiuratione Catilinæ. Quare oro. ] Deprecatur ab exemplo contrario: & indignitatem Sex. Clodij abſoluti, ad inuidiam aduerſariorum exaggerat. Seditionis. ] Concitatæ à Clodio. Qui ædes. ] Vtitur plurali pro ſingulari, augendi cauſa. Hominem ſine. ] Exaggerat à perſona ad indignitatem rei. Monimentũ ] Porticũ in Palatio, cuius rei fit mentio in oratione pro Domo ſua. Cõdonatum. ] Condemnatũ. Suo coniuge. ] P. Clodio. uocat coniugem, quia rem cum ſorore habebat. Oppreſſiſſe uideatur. ] Αἰτιολογία ſubiecta in fine periodi. Quod cũ huius. ] Mouet cõmiſerationem à perſona patris & filij. Seruum. ] Obnoxium poteſtati iudicũ, ſupplicem. Vt in alterius. ] αἰτιολογία. Vulnere. ] Actiue, pro animaduerſione, plaga, pœna inflicta. Iam ſtirpe. ] Apta cõparatio à uentis & tempeſtate: & ſimul metaphoram dicit ab arboribus teneribus. Parenti filium. ] Paronomaſia ſimul cũ metaphora, ad orationis concinnitatem. Quem ſi uobis. ] Concludit perorationem, & remouet id quod potentiſſimum poſuit in tota defenſione. Neruorum. ] Hoc eſt, contentionum, certaminum, uirium, &c.

## IN EANDEM PRO M. CAELIO ORATIONEM, IOANNIS TISLINI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

MARCVS Cælius adoleſcens ab Atracino, Lucio Herennio, & Balbo, P. Lentulo & Qu. Metello conſulibus accuſatus eſt, quòd Clodiæ, P. Clodij ſorori, & Qu. Metelli uxori, ne mutuo ſumptum aurum redderet, uenenum per Licinium dare ſtatuiſſet. In cuius rei argumentum ſumebatur, male conſeruata Cælij pudicitia, & familiaritas Catilinæ, quæ prima fronte ob conflatam coniurationis inuidiam, Cælio adoleſcenti non minore ingenio quã induſtria, plurimum nocere uidebatur. Huc accedebat, quòd à patris domo seceſſiſſet, Senatorem uerberaſſet, uxores aliquot ciuium nocturnis horis à cœna reuertentium rapuiſſet, ad Clodiæ domũ habitaret, & inde familiaritatem atque conſuetudinem contraxiſſet. Huic autem accuſationi præbuerat occaſionem, primum uehemens Atracini odium in Cælium: nam hic Polam Seruium illius patrem ambitus accuſarat. deinde conſuetudo, quæ Cælio cum Clodia interceſſerat. refrigerato ſiquidem amore, crimen illa hoc in Cæliũ cõmenta, obtinuit ut diebus feſtis, quibus forenſia Romæ intermittebantur, hoc iudiciũ exerceretur, ſecundum legem à Qu. Catulo latam. Hic autem à Lepido collega diſſentiens, propter decreta Syllæ reſciſſa, tulerat, ut quouis die de ſeditioſis ciuibus ac ſceleratis iudicium conſtitueretur. Dicebãt igitur accuſatores, uenenum Clodiæ paratum fuiſſe à Licinio: qui cum Clodiæ ſeruos corrũpere uoluiſſet, & illi ad Clodiã rem detuliſſent, ea tum ordinaſſe dicebatur, ut Licinio locum ad balneas Xenias conſtituerent: deinde miſiſſe, qui Liciniũ, cum ueneni pyxidem traderet, caperent in manifeſto ſcelere. Licinius uero, ut accuſatores dicebant, intellectis inſidijs, omiſſaq; pyxide, ſeſe in pedes coniecerat. Orator artificioſe primum hæc coniecturis confutat, probans Clodiæ, matronæ alioqui nobili, turpe non parum eſſe, muliebres agere inimicitias. mox App. Cæcum ab inferis excitatum fingit, non ſolum Cælij cauſam protegere, ſed etiam obiurgare

Clodiam

*Clodiam. Iuniorem inducit etiam Clodiæ fratrem, qui quærat, cur Cælium uoluerit accuſare. Hinc quæ ſunt in adoleſcente ferenda, commemorantur: deinde uenenum paratum fuiſſe confutat, contemnendo pleraque, ac ueluti eleuando: ut magis iræ & iurgia diſſidentium in amore, querelæq́; amãtium quàm uera crimina uideantur. Poſtremo narrat præteritam adoleſcentis uitam, & ea breuiter confirmata perorat.*

## DE GENERIBVS CAVSAE.

*Genus huius orationis eſt iudiciale: cui comperies ſæpius admixtum eſſe demonſtratiuum. Nam præter id quod defenditur Cælius ubiq́;, quod citra eius laudem fieri nõ poteſt, etiam Atracinus, atq́; Clodia interdũ accuſantur, quod ſine uituperatione ipſorum fieri quis aſſereret? Et eſt hæc oratio tota in conuitijs petulantiæ & ueneficij poſita, ut Fabius cap. 2. lib. 4. teſtatur. Tum propter partem turpitudinis ac honeſtatis amphidoxũ, hoc eſt, anceps cauſæ genus, in quo beneuolum iudicem facere ſolemus, cõtinet. Nam ut ueneni ac auri ſuſpicio turpem cauſam reddit, ita Cælij adoleſcentis humanitate, melioribus ſtudijs & artibus liberali homine dignis, perſona non parum adfert honeſtatis. Atque ut adoleſcentes, in quorum gratiam hæc ſcribimus, quo pacto illud cauſæ genus ab hoc differat, nouerint: cauſarum genera quæ deliberatione, iudicio, aut demonſtratione abſoluũtur, ad cauſæ materiam ſpectare aduertant: hæc uero quæ turpitudinem, honeſtatẽ, humilitatem rerum, aut partem honeſtatis & turpitudinis habent, ad qualitatem cauſæ, & rationem proœmiorum. Aliter enim in uno, aliter in alio decet exordiri.*

## DE STATV ET QVAESTIONE.

*Cauſæ huius conſtitutio, quam alij ſtatum malunt appellare, coniecturalis eſt, & eadem cum iudicatione: An Cælius à Clodia aurum ſumpſerit mutuo, & ne illud reddere cogeretur, eidem uenenum pararit? Ex quo manifeſtum eſt, duplicem conflari quæſtionem: unam, An aurum mutuo ſumptum ſit? alteram, An uenenum paratum?*

## DE PARTIBVS ORATIONIS, ET COMPOSITIONIS FORMA.

*Orationis porrò huius quinque ſunt partes. Proœmium à tempore: confutatio eorum, quæ Lucius Herennius, Balbus & Atracinus accuſatores obiecerant. Ea rectè, ut in Miloniana, præcedit narrationem ad remouenda crimina, quibus cauſa onerabatur. Narratio criminis, de quo quæritur, nulla eſt, ſed anteacta Cælij uita. His accedit confirmatio, à locis coniecturalibus petita: cui mox peroratio poſtremum locum ſortita ſubnectitur. ea tractatur amplificatione cũ affectibus. Cæterum orationis character medius eſt & temperatus, quandoquidem communibus ſententijs utitur, & ad uſum ciuilem accommodatis. ornatus etiam uerborum uulgarem imitatur loquendi conſuetudinem.*

*Si quis.] Protheſis exordij à tempore per rectum principium, quo beneuolentiã et attentionem conciliat: hoc potiſſimum, ut arbitror, cõſilio, cũ ut Cælij facinus minus omniũ expectatione appareat, tum ut intentionẽ iudices relaxent. In ea dici non poteſt, quàm ingenioſe in cauſa Cælij ſimulat, plus uideri poſſe ignorantibus, quàm ſit in re, ut paulatim iudices conciliare & attentos facere poſſit. Cuius rei auctorem habet Fabium in 9. Inſtitut. de Apoſtrophe loquentem. Eſtq́; cum circunductione elegans prolepſis, occupandi ſchema: nempè non propter crimẽ ſed propter meretricias opes Cælium in iudicium uocari. Porrò huiuſmodi circunductiones et enthymemata, ſunt exordijs admodum conuenientia. Ignarus.] Inſcius & imperitus. nam ſcium & peritum Gnarus ſignificat: cui dictioni euphoniæ cauſa præpoſita eſt g. Nam ut eſt apud Ciceronem, Noti erant & Naui & Nari, quibus g debet in præpoſitione adiungi: dulcius uiſum eſt, ignoti, ignaui, ignari dicere, quàm ut ueritas poſtulabat. Ludiśq; publicis.] Ludi in plurali dicũtur hæc ſpectacula publica. Cic. in Oratione de Aruſpicũ reſponſis: Si examẽ apũ ludis in ſcenã ueniſſet, Aruſpices ex Etruria acciendos putaremus. Hinc committere ludos, pro incipere dicimus. Cicero Q. Fratri: Scripſi ad 8. Calend. Nouemb. quo die ludi committebantur. In ſingulari ludus de priuatis dicitur, & exercitatione gymnaſtica, cum præceptor ſolus multos docet. Nam omnem ſcholã, auctore Pediano, ludum dixere Romani. De hoc nomine alia non prorſus contemnenda L. Valla lib. 4. cap. 16. Exerceatur.] Agatur & fiat. Arguatur.] Accuſetur. Eſt enim arguere interdũ et criminari. Plinius de uiris illuſtr. Cum interuerſæ pecuniæ arguerunt, cadum ligneum, quo uti ad ſacrificia ſolebant, in mediũ protulit. Quod ideo notaui, quia non minus elegãter quam feſtiue, interuerſam pecuniã furto ſubreptam appellauit. Ego neglecto.] Facinore poſthabito. Ciuitas ſtare non poſſit.] Stare ciuitas dicitur, cum in priſtino ſtatu & dignitate remanet. Vergil. in 2. Aeneid. Troiaq́; nunc ſtares, Priamiq́; arx alta maneret. Idem tum audiat legem eſſe.] Quintus Catulus à Lepido collega diſſentiens, quòd is ciuile bellum reuocaret abſcindẽdo decreto Syllæ, proſcriptos reuocando, aduerſus ſeditioſos et ſceleratos ciues legem tulit, qua permittebatur quotidie iudiciũ exercere, & nouam quæſtionem conſtituere de eiſdem. Hac Clodia mulier nobilis curauit Cæliũ ab Atracino, Balbo, & quibuſdam alijs, diebus feſtis accuſari. ut in argumento diximus. Seditioſis ſceleratiśq;.] Catilinariam intelligit conuocationem. Seditioſis.] Turbas mouentibus. Vocamus autẽ ſeditionem proprie, cum populo diſcordante itur ad manus. Talem Verg. Aeneid. lib. 1. refert his uerbis: Ac ueluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt Seditio, ſæuitq́; animis ignobile uulgus, Iamq́; faces & ſaxa uolant, furor arma miniſtrat. Seditionem dictam eſſe à diſſenſione omnium, quod ſeorſum eunt alij in aliud, Cicero ſcribit libro de Repub. 6. Qui armati ſenatum.] Amplificatio per incrementum. minus eſt obſidere ſenatum, quàm magiſtratibus uim adferre: & minus magiſtratibus uim adferre, quã Remp. oppugnare. Nullam audaciam.] Temeritatem. Eſt autem proprie audacia, uitium, cum quis circa res formidoloſas modum excedit confidẽdo, pluſq́; habet fiduciæ quã oportet, ubi magna ſunt pericula, quæ paruifaciens imprudenter aggreditur. et ferè in malam partẽ audacia ſumitur. Saluſtius tamen uidetur in bonam protuliſſe, cum dixit: Audacia pro muro habetur. Sed adoleſcens.] Conciliatio beneuolentiæ à perſona Cælij, quem laudat, retorquens cauſam accuſationis in aduerſarium, nempè quòd Polam Seruium Atracini patrem Cælius accuſarat. Opibus meretricijs.] Clodiæ. nam cum ea Cælius habuerat quid rationis. Pietatem non reprehendat.] Id eſt, ut pie factum approbet. erat enim pium filio, ulciſci patris*

accuſationē, & à Cælio ambitus Pola fuerat accuſatus. Muliebrem.] Clodianā. Comprimendā.] Coercendam et refrenandā. Comprimendā.] Quod interdum eſt nō amoris, ſed iniuriæ, ut hic: nam inuidioſe libidinē Clodiæ cōmemorat, ut ab eius perſona fauorem ſumat. Vos laborioſos.] Perſonā iudicū tractat ad beneuolentiā. Laborioſum uero appellatur, quod laborem ſumit, ut hic. Plinius in epiſtolis: Cauſam per hos dies dixit Iulius Baſſus, homo laborioſus, & aduerſis ſuis clarus. Laborioſum dicitur etiam id, in quo magnus labor ſumendus eſt. Terentius in prologo Heauton. de fabulis loquens: Si qua laborioſa eſt, ad me curritur. Et laborioſus tam actiue quàm paſſiue ſumi poteſt: quā ſententiā multorum auctoritate tuetur Valla lib. 1. cap. 21. Vbi nominatim huius loci mentionē facit. Quibus otioſis.] Senſus eſt, qui cum cæteri otioſi ſunt, & à negotijs ceſſant, tum maxime eſtis impediti. Dicimus autē, Licet eſſe otioſos, & licet eſſe otioſis: et de hoc loquendi genere Valla ſatis lib. 3. cap. 23. & Budæus in Commentarijs. Illic enim hunc locum pulchre exprimit duobus in locis. Etenim.] Ratio exordij à perſona iudicum, ſiue à re, hoc modo: Nemo niſi aduerſarij odio, ad hanc accuſationem deſcendere uoluit. Exiſtimare. Iudicare.] Vt enim Aeſtimare conſiderare eſt: ita & Exiſtimare, iudicare. Prius ſiquidem conſideramus ea quæ iudicanda ſunt. Teren. Nam ea res dedit tum exiſtimandi copiam. Poſterius tamen pro priore capitur. Salluſtius. Si quirites pacem exiſtimaretis, pro æſtimaretis. Conſtituetis.] Decernetis. alioqui conſtituere proprie dicitur, de huiuſmodi rebus conuenire, cuiuſmodi meretrices apud extraneos agūt. Terētius in Hecyra: Nam conſtitui cum quodā hoſpite, me eſſe illū conuenturū. Deſcenſurū ad accuſationem.] Venturū ad accuſationem. Vt deſcendere in campū & in certamen dicimus, ita deſcendere ad cauſam & in cauſam. Cic. Attico, lib. 8. Epiſt. Quo minus miſere, ſi inultus in eā cauſam deſcendo, in qua neque pacis, neq; uictoriæ ratio quæſita ſit unquā. Eſt autē deſcēdere in cauſam, adiungere ſe cauſæ. Vſitatū eſt & accedere uel adduci ad cauſam, ac demittere ſe in cauſam. Odio niteretur.] Legitur & Vteretur. ſed Niteretur mihi magis arridet. Eſt autē niti, fulciri & ſuſtentari. Cic. in primo Offic. dixit, Niti cōſilio et auctoritate. Eſt igitur, inquit, adoleſcētis, maiores natu uereri, ex hiſq; deligere optimos atq; probatiſſimos, quorum conſilio & auctoritate nitatur. Sed ego Atracino.] Particula aduerſatiua quæ frequenter Ciceroni eſt tertia exordij pars. Ea habet beneuolentiā à perſona dicētis, et remotionē omnis odij in aduerſariū. Sic uoluit accuſare.] Reſumptio eſt, cum diſtributione. Poteſt etiam eſſe Epanodos per prolepſim. Pietati.] Quia ſic patrem defendit. Neceſſitati.] Nam parendū eſt iubentibus. Puerilia.] Quæ uana ſpe ſæpius deludi ſolet. Ac mihi.] Exordij finis, ac diuiſio cauſæ per expoſitionem. Eſt etiā trāſitus ad refutationem cum attentione. Deformandi.] Contaminandi & deſtruendi. Deformare, deſtruere eſt, & quaſi de forma deijcere. Cicero: Qui ſunt qui Italiā deformarunt? Carthaginenſes. Obiectus eſt pater.] Confutatio eſt criminum ab aduerſarijs obiectorū, quæ enim cauſæ poſſe uidebantur obſtare, amouet diluendo, ut iudices expoſitionem ipſius negotij, cuius propria quæſtio erat, audiant libentius. Ea recte præcedit narrationem, ut Fabius lib. 4 ſcribit. Sunt enim, inquit, quædam cauſæ, neq; id raro, criminis quidē de quo cognitum eſt, faciles diluendo: ſed multis anteactæ uitæ flagitijs, et grauibus oneratæ: quæ prius amouenda ſunt, ut propitius iudex defenſionē, cuius propria quæſtio eſt, audiat. ut ſi defendendus eſt M. Cælius, optime patronus occurrat prius conuitijs luxuriæ, petulantiæ, impudicitiæ, quā ueneficij, in quib. ſolis omnis Ciceronis uerſatur oratio: Deinde tū narret de bonis, paulatimq; explicet cauſam, quæ eſt ipſius actione defenſa. Hæc Fabius. Porrò accuſatores in quæſtionibus ciuilibus ea proponunt, quæ magis ad inuidiam reo cōparandam, quā ad ſummā iudicij pertinēt. Siquidem ab his cauſa magis confirmari, nō hæ cōfirmari à cauſa uidebūtur. Patroni eaſdem prius confutare ſolent: quod in hoc loco Ciceronē feciſſe uides. Obiectus.] Propoſitio aduerſarij. Solet ſubinde Cicero ſibi proponere dicta aduerſarij, ut ille refutet. Hunc locum tractat per exornationem propoſitionum. Illic enim, Obiectus eſt, protheſin facturus, mox ad illum locum, Quod parum ſplendidus, ὑποφορὰν, hoc eſt, ſublationem. Deinde omiſſa anthypophora, ſequitur ſolutio, illic, De dignitate. Parum ſplendidus.] Indignus. Aut parū pie.] Accuſabatur enim Cælius, quòd à patre ſeceſſiſſet. De dignitate.] Solutio prioris particulæ, à natalibus Cælij De dignitate.] Patris ſplendore. Dignitatem, exiſtimationem quæſitā claris rebus geſtis, magnificamq; opinionem appellant Latini. A. Gellius: Cuius dignitas nec augeri laudibus, nec minui detractionibus poteſt. Notis.] Nota interdū ad laudē refertur, ut hic, & apud Ouidiū: Ille Numantina traxit ab urbe notam: aliàs dicitur infamia. ut Cicero tertio Officiorum: O turpem notam illorum temporum. Maiores natu.] Natu in quarta declinatione ſolum in auferendi cauſa inuenitur, dicimuſq; Grandis natu, maior natu, uel maximus natu. De primo ſic Cicero in Catilinam: Quanquam eum colere cœpi nō admodū grandem natu, ſed tamen iam ætate prouectū. reliqua duo paſſim obuia ſunt legentibus. Reſpondet.] Fidem facit. Sic habetote.] Sic intelligātote. Quæcunque in equite.] Per aſſeuerationē amplificat cōmendationem, à minore ad maius. Equitis Rom.] Propoſitio, quæ aliā obiectionē cū ſolutione cōtinet. Porrò retorquet obiectionē in aduerſariū, et eā à ſua & iudicū perſona ſoluit. Eſt in hac propoſitione ἀνοδίωξις, uel ἀποπλάνησις, de quorū natura ſchematū lege Iulium Rufinianum, apud quem et hic locus literis proditus eſt. Nam quod.] Alia obiectio. Sunt qui hic legant. Non quòd de pietate dixi.] Vt ſit ſenſus, Non oportuit criminis loco poni quod de pietate dixiſtis, hoc eſt, quod obieciſtis patrē à Cælio male tractatum fuiſſe. quòd ſi, Nam, legere malueris, Nam, erit particula continuatiua. Eſt quidem noſtra.] Dilutio à ſignis probitatis. Sed iudicium.] Teſtimoniū. Squallor patris.] In corporibus incultis, auctore Gellio, ſquamoſaq; alta congerie ſordiū, ſquallor appellatur. Nā quidquid nimis incultum obſitumq; aliqua re erat, ut uiſentibus incuteret horrorem facie noua, id ſquallere ueteres dicebāt. Verum ſic cōtaminauit uſus uocabulum, ut de ſolis inquinamētis ſquallor dici cœperit. Nam quod.] Ruſus alia obiectio: quam per locum à teſtibus refellit, gratum fuiſſe Cælium probans. Municipibus eſſe.] Municipes erant, qui in ciuitatem Romanam recepti, munerum participes fiebant. nō licebat his magiſtratum capere: ſed tātum muneris participes erant. Nunc per κατάχρησιν municipes dicuntur, ſuæ cuiuſq; ciuitatis ciues: quo nomine non ſolum poetæ, ſed oratores etiā utuntur. Iuuenalis: Iam princeps equitū magna qui uoce ſolebat Vendere municipes facta de merce ſiluros. Hic igitur municipes pro ciuibus poſuit. & Cicero in Bruto, Municipes Arpinates tueri dixit, hoc eſt ciues. Non fuiſſe probatum.] Hoc eſt, gratum. Puteolanis.] Puteoli oppidum Campaniæ, propter aquas calidas à puteorum multitudine denominatum. Puteoli à iuſtiſſima Reipub. adminiſtratione, Dicæarchia dicta: & eius coloni à Silio lib. 8. ſunt Proles dicæarchea uocati. Hi alias noti ſunt, propter memorabilē amorē delphini in puerū, quem dorſo acceptū per ingens mare Puteolos in ludum prouexit. auctor in cap. 8. lib. 9. Plinius. Quem abſentem in ampliſſ.] Probatio à ſignis. Ampliſſimus ordo eſt ſenatorius, maior equeſtris, & minor plebeius. Ergo ſignificat Cælium à Puteolanis in ſenatoriū ordinem cooptatum fuiſſe. Detulerunt. Obtulerunt atque tradiderunt eos honores. & eſt enthymema à contrarijs. Lectiſſimos uiros.] Solebant olim Romanorum ſocij legatos Romam mittere, qui uel teſtimonium

pro

pro reis dicerent, qui laudabiliter uerſati fuerant in prouincia: uel ſi opus eſſet, deprecarentur. Videor mihi.] Cõmonitio conueniens confutationi, qua in memoriã iudicũ, quod dictum eſt, reuocatur. Nitantur iud.] Vt ſupra Niti odio dixit, ita hic Niti iudicio. Suorũ.] Non mẽdoſa eſt hæc reciprocatio, ſed imitatione Græcorum dicta, Suus enim, ut Budæus ait, non modo, τὸν ἴδιον ἑαυτοῦ, ſed etiã τὸν ἴδιον ſignificat: ut pluribus exẽplis cõtra Vallã, idem Budæus in Cõment. probat, hũc locum citans. Neque enim nobis.] Ratio à repugnãtibus. Municipio.] Puteolorum. Equidem.] Confirmatio à ſua perſona. Ab his profluxi fontib.] Ab his uiris natus ſum. Profluxi ab his fontibus, unde uitæ ratio dimanauit: inſignes ab aquis metaphoræ, quæ illuſtrent orationem. Ad exiſtimationem hominum.] A cõmuni maledicendi cõſuetudine diluit obiectionem læſæ pudicitiæ. & particula Nam, hic præterea ſignificat: eſt enim cõtinuatiua dictio. Acerbe.] Hoc eſt iniquo animo. Sunt etenim.] Aetiologia per locũ cõmunem, quo alludere uidetur ad illud Menandri: Lis eſt cum forma magna pudicitiæ. Species.] Facies. Sed aliud.] Quid inter accuſare, et maledicere, et argumentũ à differẽtibus: in quo uenuſte definit accuſationem per conſequentiũ enumerationem. Maledictio autem.] Pluribus uerbis in iuriſcõſultos Valla conatur oſtẽdere, conuiciũ nec uociferatione fieri, nec aliud eſſe quã maledictũ: proindeq; citat hunc locum, lib. 6. cap. 50. Hominẽ ut notet.] Similiter deſinens. Neq; enim.] Ratio ab inſectatione aduerſarij, quã ab inhoneſto & ætate petit. Neque ætas illa.] Nam bonos mores corrũpunt colloquia praua: et ut ſcribit Hieronymus, uitæ innocẽtia tota cõtaminari ſolet obſcœnis ſtudijs. Tecum Atracine.] Apoſtrophe ad aduerſarium, ut iucundior ſit oratio, & tædium leuet. Eſt item propoſitio, qua refutationis petulantiam mitigat ab honeſto. Moderatur orationi.] Hoc eſt, reprimit orationem. Moderari cum datiuo extulit, ut Saluſtius: Fortuna, cuius libido gentibus moderatur. Illud tamen te admonitum.] Notãdum loquendi genus, Admoneo te hanc rem: dicimus etiã, Admoneo te huius rei. Plinius in Epiſt. Recitauit capita legum, admonuit ſenatuſconſultorũ. et Saluſt. in Iugur. Sed quoniam tanti uiri tempus admonuit. Primum qualis es.] Ordinatio. Falſo.] Datiuus eſt, non aduerbiũ. Reſponsa.] Refutata. Quis enim.] Amplificatione, & à facili probat, iuuenilem ætatem obnoxiã eſſe maledictis. Id prodeſt ad criminis refutationem. Sed iſtarũ partium.] Tranſlatio criminis in impulſores, ut iudicibus probare poſſit cauſæ indignitatem. Eſt iſtarum partium.] Ad hanc actionem pertinet. Ad iſtam omnem orationem.] Ad has omnes obiectiones. Nam quod.] Probat Caſtimoniã Cœlij pulchre honeſteq; conſeruatã fuiſſe, & aduerſariorum obiectionem reijcit. Virilem togam.] Poſita prætexta Romani togam uirilem ſumebant, decimoſexto ætatis anno, ut coniectura cõſequi poſſum ex Suetonio, qui ſic in Auguſto ſcribit: Duodecimum annum agens, auiã Iuliam defunctam pro concione laudauit, quadriennio poſt ſumpta uirili toga. Idem etiam: Auguſtus permiſit liberis Senatorum, quo Reipub. celerius aſſueſcerent, protinus uirilem togam, latum clauum induere. Hæc Suetonius. Nihil dicam hoc loco.] Præoccupatio. Hoc dicam, hunc.] Præparatio cum attentione ad ſubſequentia, et locus ab anteacta Cœlij uita. ſubeſt etiam locus ab honeſto. Quid enim, ut Quintilianus in 12. Inſtit. ſcribit, honeſtius, quã docere quod optime ſcias? Sic ad ſe Cœlium deductum Cicero profitetur, ſic Panſam, &c. In illo ætatis flore.] In primo ætatis rudimento. Nam quod Catilinæ.] Confutat ea quæ de familiaritate Catilinæ obijciebantur, à uita anteacta Cœlij: quæ à probabili ſumitur, & ueriſimilibus. Familiaritas.] Conſuetudo & amicitia. Adoleſcente.] Cœlio. Catilinam conſulatum mecum petiſſe.] Catilina contra Ciceronem petiuit conſulatum, ſed eum eligi ſe cito ſperaſſet, propter ambitionis ſuſpicionem reiectus eſt, et eius loco Cicero conſul creatus eſt cum Antonio. auctor Appianus libro ſecundo Ciuilium bellorum. Ad quem.] Catilinam. Si acceſſit. Cœlius. In uerbis Acceſſit & Diſceſſit, eſt agnominatio elegans. Illi homini.] Catilinæ. Nequam.] Peiori quàm creditur eſſe: ſic enim Feſtus exponit. Varro putat in libro de lingua Latina, Nequam ex ne & quidquam, media ſyllaba extrita, componi. Apud ueteres Nequam propriũ hominem denotabat nullius pretij, quia ne tanti quidem ſit quanti quod habetur minimi. At enim poſtea.] Obiectio aduerſariorum, quæ partim illis conceditur, partim obruitur & excuſatur ab ætate. Quis negat.] Conceſſio eſt interrogatione figurata. Sed ego illud tempus.] Querela à tempore, per locum cõmunem. talis eſt ferè querele in principio belli Catilinarij apud Saluſtium. Aliorum libidine.] Maiorũ aliorũ ſtudijs. Infeſtum.] Infeſtum, quod alicui malum infert, & eſt plusquam inimicum. Infeſtum à feſtinando dictum ſcribit Nigidius, apud Gellium lib. 9. cap. 12. Qui enim inſtat, inquit, alicui, eumq; properans urget, et opprimere eũ ſtudet atq; feſtinat, aut contra de cuius periculo et exitio feſtinatur: is uterque infeſtus dicitur, ab inſtantia fraudis, quam uel facturus culpã, uel paſſurus eſt. Præterea infeſtum aliquando, ſed minus uulgare, id dicitur, cui uis infertur, & malum impendet. Ille.] Catilina. Obtinebat.] Obtinere prouinciam, eſt habere prouinciã ad tempus regendam, ut quæſtor, proconſul uel prætor. Liuius: Galliam prouinciam obtinere. & Cicero in Verrem: Iam aurea in ſella ſedens prætor cum prouinciam Siciliã obtineret. Cauſam de pecunijs repetundis.] Catilinam repetũdarum à P. Clodio accuſatum & abſolutum, Pedianus in orationem Ciceronis in Piſonem ſcribit. Tot igitur.] Antitheſis elegans, magnopereq; aduerſariũ urgens, concluſionis loco poſita. Nobis quidem.] Epicherema uenuſtum, quod protenditur uſq; ad illum locum. Eſt enim commune cum multis. Sic autem ratiocinatur. Nunquam de his apud maiores querebatur, qui ætatis rudimẽta inuiolata præſtitiſſent: Verum Cœlius, qui poſt annos in foro uerſatus, Catilinæ ſtuduit, ætatem purã integramq; præſtitit: Non igitur fama familiaritatis Catilinæ, debet Cœlio nocere. In hoc itaque loco, Nobis quidẽ propoſitio eſt prima epicherematis pars, ab antiqua conſuetudine. Cohibendum.] Moderandum. Exercitatione.] Pugna. Tunicati.] Solebant ueteres pueris inhibere cum luderẽt, et ſeſe exercerent, ne ueſtis exueretur, ne detectis uirilibus pudicitiam uiolarent: ad hunc morem hic alludit. Tunicati ergo utebantur ludo campeſtri, hoc eſt, in campis tunica induti ſe exercebant. Eſt autem tunica, ueſtis apud Romanos breuior, & ſine manicis, quæ proprie uiris cõueniebat, & ſub longiore ueſte induebatur: quod prouerbium, Tunica pallio propior, uidetur indicare. nam ut pallium apud Græcos extrema ueſtis erat, ita toga apud Romanos, qua tunica tegebatur. Hinc apud Homerum χλαῖναι καὶ χιτῶνες nominantur ſæpius. Si ſtatim mereri ſtipendia.] Si ſtatim militem agere. Stipendium dicitur æs militare, ſeu præmium quod militibus datur. Vlpianus putat à ſtipe dictum eſſe, quòd per ſtipes modica æra colligantur. alij à ſtipe & pendo dictum malunt, quaſi ſtips ponderata ſit. Caſtrenſis ratio.] Diſciplina militaris. Caſtrenſe dicitur, quod ad caſtra pertinet. hinc Caſtrenſe ſtipendium: & Caſtrenſe uerbum, hoc eſt, durum, & quo milites utuntur. Plinius in principio Naturalis hiſtoriæ: Agnoſcis caſtrenſe uerbum. Caſtimonia.] Innocentia dicitur & caſtitas, caſtitudo, & caſtus, in quarta inflexione. Accius: Ibi fas, ibi cunctam antiquã caſtitudinem. Varro. Et religiones & caſtus id poſſunt, ut ex periculo eripiant noſtro. Naturali quodam bono.] Probitate, à natura proueniente. Initia ætatis.] Pueritiam & adoleſcentiam. Inuiolata præſtitiſſet.] Illæſum & pudicum conſeruaſſet ſe. Se corroboraſſet.] Grãdior factus eſſet.

ac uir. Vir.] Habet emphaſim. Studuit Catilinæ.] Aſſumptio, ſecunda huius argumentationis pars. nam ratio propoſitionis quæ erat aperta, omiſſa eſt. In hac factum Cælij excuſatur, ab exẽplo multorũ. Habuit enim.] Reuertitur ad perſonã Catilinæ, probatq; ſenſum præcedentem à perſona: atq; Catilinæ mores & ingeniũ cũ digreſſione exprimit. Talẽ uidebis proſopopœiam in principio Salluſtij. Non expreſſa.] Nõ declarata, nõ aperta omnibus Plinius Traiano, Epiſt. lib. 10. Illud tamen parũ expreſſiſti, an ædes in periſtylio facta eſſet. Sed adumbrata.] Ficta, & ad homines decipiendos prona. Vtebatur hominibus improbis multis.] Verſabatur cum pleriſque hominibus ſceleratis. Illecebra ] Illectamẽta, blãditiæ, quibus alios ad ſe attrahebat. Architas apud Ciceronem in Catone dicebat: Stupra & adulteria, & omne tale flagitiũ, nullis alijs illecebris excitari, niſi uoluptate. Induſtriæ.] Prouidẽtia & ſciẽtia. nam Donatus induſtriam interpretatur, ſcientiam & prouidentiam. Eſt autem induſtria, quaſi ingenium ſine uis, qua ad aliquid ſtruendum ſimus idonei. Flagrabant. ] Ardebant, & magna erant. tractum à flamma uel flatu alente incendium, cũ id flatu excitatur. Vigebant.] Florebant. Monſtrum.] Cicero in lib. de Natura deorum, uult monſtrũ dici à monſtrando. Monſtra, inquit, prædictiones & præſenſiones rerum futurarũ, quid aliud declarant, niſi hominibus ea quæ futura ſunt portendi, prædici? ex quo illa oſtenta, monſtra, portenta, prodigia dicuntur & proprie monſtrum, ut Donatus ait, eſt omne contra naturam, hoc eſt, quod præter naturam aut deficit, aut excedit Conflatum ] Compoſitum. tranſlatio eſt à fabris, qui diuerſas metallorum ſpecies flando cõmiſcere ſolent: uel à uẽtis, ut poſt dicemus. Quis clarioribus.] Amplificatio inuidioſa, per contentionem, cum digreſſione ad inſectationem Catilinæ: ut oſtendat Cælium à Catilina fuiſſe deceptum: Quis ciuis meliorum partiũ.] Quis plures fautores habuit? Quis tetrior.] Peior & crudelior. Teter pertinet tum ad mentem, tum ad cæteros ſenſus: ut teterrima mens, bellua, teterrimus hoſtis. Inquinatior.] Fœdior prodigijs magnis. Illa uero iudices.] Attentionem excitat à periculo rei. In illo homine.] In Catilina. Comprehendere.] Complecti, & ad ſe attrahere. dicimus etiã comprehendere humanitate. Cicero in epiſtolis: Gratum uehementer mihi feceris, ſi hunc adoleſcentem humanitate tua, quæ eſt ſingularis, comprehenderis. Sunt qui iſtud infinitum uerbum cum ſequentibus per indicatiui præteritũ interpretantur, ut ſit enallage modorum, hoc pacto: Comprehẽdere, hoc eſt, comprehẽdebat: tueri, tuebatur: uerſare, uerſabat, &c quod non prorſus reiecerim. Seruire temporibus.] Subuenire periculis omnium. & Tempora in plurali pro periculis, & Reip. calamitatibus dici, notius eſt, quam ut ſit pluribus comprobandum. Verſare.] Mutare frequenter naturam ſuam: ut frequentatiuum ſit à uerto. Atq; huc & illuc torquere.] Gubernare. Vt Virgilius: Cœlum & terras qui numine torquet. Et eſt epexeſis. nam declarat quid ſit ad tempus regere. Cum triſtibus ſeuere, cum remiſſis, & cætera.] Catilinam omnium horarum hominem fuiſſe docet. Atq; hic apparet quãtum uulgus fallatur, qui putat huiuſmodi diſſimulatores eſſe ſapiẽtes, cum his nihil magis ſit alienum à ſapientia, & id proficiſcatur à ſingulari malitia. Hæc tamen ſunt uera uirtutis indicia, et officij, ſi modo fiant ex animo, & non ficte. Omnes omnibus.] Polyptoton. ut: Littora littoribus contraria, fluctibus undas, apud Virgilium libro quarto. Aſſimulata.] Quam præ ſe ferre uidebatur, cum nulla eſſet. Radicibus niteretur.] Stabilita eſſet. ſumptum ab arboribus. Quare.] Concluſio epicherematis. Conditio.] Cõditio, ut Donatus ait, eſt pactio certam legem continens. Eſt etiam inter plura eligenda ſortis oblata electio. Igitur cum dicit, Conditio reſpuatur: ſenſus erit, iſta obiectio obijciatur. Reſpuere autem ſignificat repudiare, et quaſi cum ſputo per contemptum reijcere. Hæreat.] Non adiungatur, uel infixum ſit. Eſt enim. ] Ex abundanti concluſionem probat, à conſuetudine, & ſuo exemplo. Etiam cum quibuſdã.] Parrheſia, loquendi libertas. Meipſum, meinquã.] Conduplicatio ad emphaſim. Deprehendi.] Percepi. Cæteruis.] Coronis & multitudinibus. Proinde ut phalanx propria Macedonũ eſt, ita caterua Gallorum. nam ut Vegetius docet, in caterua erant ſena militum millia. Erroris mei pœnitet.] Hoc eſt, familiaritatis Catilinæ pœnitet. Itaque à maledictis.] Tranſitus à maledictis ad coniurationis inuidiã delatam, quã non eſſe M. Cælio accommodandam probat. In hoc uero tranſitu primũ repetit accuſatorũ actionem, deinde eãdem taxat. Strictim.] Singula ſtringendo. Strictim referre, eſt ea quæ ſparſa ſunt ac fuſa, ſummatim & breuiter colligere. Dilecti adoleſcentis. ] Atracini. Qui enim tantus furor.] Amplificatio cũ epiphonemate ad indignitatem accuſationis patefaciendam. Qui tantus furor. ] Vt coniurationis uoluerit eſſe particeps. Quod tantum uulnus? ] Quæ tanta peſtis? Nimiũ multa.] Obiurgat ſeipſum, ut maiorem fidem faciat. Quod haud ſcio.] Dubitatione figurata obiter aduerſariorum obiectiones eleuat, & proponit refellendas. Iſtius. ] Catilinæ. Sequeſtrum.] Sequeſtres hic, auctore Budæo, appellauit interpretes ambitus, & corrumpendorum tribuũ conductores. Sic Cicero pro Plancio: Cuius tu tribus uenditorem & corruptorem & ſequeſtrem feciſſe Plancium clamitas, id eſt, διαλλακτὴν, & μεσίγγυον, ut Budæus interpretatur. quinetiam ἐγγυολάβος dicitur & μεσεγγυωμένος. Cicero ſolet eos uocare ſequeſtres, qui rem perficiendam ſuſcipiunt, & inde lucrum faciunt, ut redemptores: aliàs Sequeſtres ſunt hi, apud quos plures eandem rem de qua controuerſia eſt, diſpoſuerunt. hos P. Licinius ſcribit uulgo Sculnas appellatos. Dictus Sequeſter, auctore Gellio libro 20. cap. 10. quòd eius qui electus ſit utraque pars ſequatur fidem. flectitur hic Sequeſter, hæc ſequeſtris, & hoc Sequeſtre: uel hic et hæc ſequeſter, & hoc ſequeſtre: uel ſequeſter, ſtra, ſtrum. Virgilius eleganter pacem ſequeſtram uocauit, quòd media ſit inter præteritum & futurum bellum, hoc carmine: Biſſenos pepigere dies, & pace ſequeſtra Per ſyluas Teucri miſtiq; impune Latini, Errauere iugis. Nunquam enim.] Confutatio, à prudentia Cælij & factis. Ambitu.] Corruptela & numerum largitione, ad aſſequendos magiſtratus. Arceſſeret.] Accuſaret. Quod quanquam. ] Suam interponit ſententiam, & Pollam immerito fuiſſe accuſatum dicit: ne quid iudicibus, qui fortaſſe Pollam charum habebant, ingratum dicat, id quod per omnem cauendum orationẽ Rhetores præcipiunt. Eiuſmodi cupidus.] Hoc modo cupidus. Eiuſmodi nomen indeclinabile. Terentius in Andria: Nam qui cum ingenijs conflictatur eiuſmodi. & Plautus in Milite: Ille eiuſmodi eſt, cupiet eſſe miſer. Nam quod æs alienum.] Aduerſarij altera obiectio cum attentione. Apud Romanos grauiſſima fuiſſe irrogata ſupplicia his, qui aut maximos ſumptus facerent, aut ingrati eſſent, aut æs alienum contraherent, Valerius atteſtatur. Tabulas.] Solutio, à iure. Verſuram nullam unquam fecit. ] Pecuniam fœneratitiam non accepit. Verſuram facere, eſt mutare creditorem peiore conditione, fœnoreq; duriore, ut antiquo creditore liberemur. Verſura uero Græcis dicitur μεταγραφὴ τοῦ δανείου, id eſt, nominis tranſcriptio. Terentius in Phormione, Verſuram ſoluere dixit honeſta locutione. Vide Budæum in Annotationibus. Sumptus unius generis obiectus eſt.] Quòd magno cõduxeris ædes. Triginta millibus.] Triginta millia numũ, uel triginta millia ſeſtertium, quod idem eſt, opinor intelligendum. ea in Gallia ferè ualebant ſeptingentos & quinquaginta coronatos. Singulis autem coronatis quinque & triginta ſolidos intelligo. Nam id olim legitimum coronatorum erat pretium. Hæc etiam triginta ſeſtertia dicuntur, cum ſingula ſeſtertia ſingula millia

denotent

*denoteut. Inſulam.] Id eſt, domum. Feſtus inſulas propriè uocat eas domos, quæ non coniunguntur communibus parietibus cũ uicinis, circuituq́; aut publico aut priuato cinguntur, à Græcis συνοικίαι περιαμφόδοι uocantur. Porrò P. Clodius, qui poſtea à Milone occiſus eſt, ſeſtertijs 147. millibus domo empta habitauit. auctor Plinius cap. 15. lib. 35. Naturalis hiſtoriæ: qui locus Plinij Budæo in tertio libro de Aſſe corruptus uidetur. Aediculis.] Parua domo. Plautus in Epid. In ædiculam ſeorſum iſthæc eas iube. aliàs Aedicula locus eſt, ubi deorum ſimulacra ſeruantur. Plinius Auunculus: Aedicula eius tota aperitur, ut cõſpici poſſit undique effigies deæ. Reprehendiſtis.] Obiectio. Quod quidẽ.] Solutio ab ætate & cauſis. Qui ẽn ex Reip.] Antitheſis, contentio. Et per ætatem.] Non impediente ætate, cauſa ætatis. Terent. in Eunucho: Patriam & ſigna cætera neque ſciebat, neque per ætatem etiam poterat. Noſtras obire domos.] Adire. nam Ob pro ad ueteribus poſitũ fuiſſe, ſæpe inuenias. Vtinam ne in nemore Pelio.] Alluſum eſt ad carmen Ennij, quod libro ad Herennium ſecũdo latius poſitum eſt. & ad hiſtoriã Medeæ, quæ cum propter Glaucam Creontis regis filiam, ſe à Iaſone contemptam cerneret, noctu regiã ingreſſa, radice à Circe inuẽta, ea uirtute, ut ignis extingui nõ poſſet, eandem incendit. Aiũt autem Iaſonẽ protinus regia incenſa exiliuiſſe, Creontem uero & Glaucam igne conſumptos. Hiſtoriã apud Diodorũ in 5. & Florũ lib. 42. inuenies. In nemore Pelio.] Pelion mõs eſt Theſſaliæ, de quo ſic Ouidius: Pelion Hæmoniæ mons eſt, obuerſus in auſtros, Summa uirent pinu, cætera quercus habet. Hic mons, ut multis placet, habet in altitudine 1250. paſſus. Nunquam hera errans.] Clodia offenſa. Moleſtiam nobis exhiberet.] Negotiũ faceſſeret. Medea.] Clodia. Saucia.] Vulnerata Hic enim iudices.] Accommodat cauſæ fabulã à ſimili, indicans per Clodiã Cælio malorũ apertam fuiſſe feneſtrã. Quod, cũ ad id loci uenero, oſtendã.] Parentheſis cum relectione. Palatinã Medeam.] Clodiã, quæ in Palatino monte habitabat. Conſultus Chirius Fortunatianus fecit quoddã tranſlationis genus, cum tranſlationes non uerbis, ſed nominibus tranſlatis immutantur: quem locum obiter reſtitues. nam illic ſic male legitur: Vt cũ Atracinus Cælium pulchellũm Iaſonem appellat, & Cicero Clodiũ Palatinam Medeam. eſt enim legendũ: Vt cũ Atracinus Cæliũ pulchellum Iaſonẽ appellat, & Cicero Clodiã Palatinã Medeã. Huic adoleſcenti.] Cælio. Siue potius ſermonũ.] Epanorthoſis. Illud quoque hic aduerte, per ſermones calũnias intelligi. Quamobrem.] Concludit cum fiducia. Oratione.] Inuidia. Præmuniri.] Comprobari. Fretus.] Cõfiſus. Participium pleriq; eſſe uolunt. alij nomẽ eſſe cõtendunt. Aiebãt enim.] Confutatio teſtiũ, & prolepſis, qua primũ à tẽpore & modo aduerſariorum conatus diminuit, deinde terrorem illis incutit, ne quidquam aduerſus Cæliũ obſtinate pertentent. Obijciebatur autem Cælio, quòd Senatorem percuſſiſſet in pontificum comitijs. Sunt aũt Põtificia comitia, quæ alio nomine Calata nũcupãtur. Nam cum ſacerdotiũ eſſet maximæ auctoritatis, religionis ergo decuit ſacerdotes comitia habere propria, in quibus ad ſacerdotium aſſumerentur. His comitijs, quæ arbitris põtificibus celebrabantur, horum fiebant arrogationes, qui cum ſui iuris eſſent, in alterius tranſibant poteſtatem. Sunt enim Comitia calata, quæ pro collegio pontificum, aut regis ſacrorum, augurisúe aut flaminis inaugurandorũ cauſa fiunt. nam ut hi crearentur, & in collegium admitterentur, ſacriſq; præfici poſſent, in his decernebatur. Sacrorũ deteſtationem, & teſtamenta in his fieri ſolita, compertum eſt. Gellius libro 15. cap. 27. comitiorũ rationem pulchre exprimit. Statim.] Vbi percuſſus fuit. Cur tanto poſt.] Attendenda eſt locutio, pro, Cur tã ſero potius quam tempeſtiue? Ex quo fonte.] Quo loco emanet. Exit.] Egreditur, ſumptũ ab aquæductibus. ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ὑδραγωγῶν Græci dicunt. Caput eſt enim è quo riuuli manant. Inde, Sine certo capite manare, Cicero pro Plancio dixit: uide Budæum in Commentarijs. Nam ſi ipſe.] Dilemmatis forma ad probabilitatem. Si ipſe orietur ex ſeſe.] Si uilioris ſit auctoritatis. Vt riuulus arceſſitus.] Subornatus. & eſt uidendũ, quã uenuſte metaphorã ab aquis ſumptã continuet, & quo pacto aduerſariorũ irrideat obiectionẽ. Ab ipſo capite.] Ab auctore accuſationis ueſtræ. Nec tamen.] Refutatio teſtiũ per relectionem. Nocturnos.] Feſtiue uocat nocturnos teſtes, ad eorum obſcuritatẽ alludens. Graues erunt.] Fides, ut in 5. ſcribit Fabius, detrahitur teſtibus, ſi graues nõ ſunt. Sed totũ.] Ex arte culpã à reo in aduerſariorũ maleuolentiã remouet, docetq́; iudices quid facto ſit opus. et eſt elegans cõmunicatio. Profligatis animis.] Intelligitis: metaphora per deflexionem, ab uno ſenſu ad alium. Propulſare.] Propellere. ſunt qui Propulſare putent eſſe frequentatiuũ à propello. Palàm in eũ tela iaciuntur.] Tractum à militibus, quorum alij ſagittas eiubrãt, alij ſuppeditãt. Neque id ego.] Occupatio, ne ſe purget, & accuſantiũ pellat inuidiã, qui ſeditioſi erant. & cõmunis eſt conciliandæ beneuolentiæ locus. Factũ quod.] Commode exprimit fortiũ uirorũ mores, et naturam, ab Adiunctis. Læſi.] dolent.] Epexeſis, hoc eſt, expoſitio cum amplificatione & diſſolutione. Laceſſiti.] Prouocati iniuria. Sed ueſtræ.] Iterum relabitur ad commonitionem eius rei, quam facere iudices debent. Fidei.] Fides hoc in loco, ut in Cõmẽtarijs Budæus teſtatur, religionem atq; innocentiam, quam uulgo conſcientiam dicimus, ſignificat. Quæ ſit.] Præparantur iudicum animi ad remouendã teſtium fidẽ. Debet enim, ut Fab. auctor eſt in quinto, uel fieri, uel detrahi teſtib. fides oratione perpetua. nam ſic dictis quiſq; mouetur, ut eſt ad credendũ, uel non credendũ ante formatus. Quæ genera hom.] Quæ ſtudia, quis fauor. Gratioſis.] Modo qui amicis abundãt, aliàs qui adhibent gratias, & qui admittunt: apud Gellium 9. cap. 12. Qui hominibus potentibus gratioſis.] Locus communis cõtra teſtes. Nauare operam.] Obſequium præſtare, & adiumento eſſe. Cicero ſecundo de Oratore: Iam mihi uideor nauaſſe operam, quò'd huc uenerim. Excluditote.] Reijcite. Equidem nos.] Confutatione teſtium reiecta ad locum magis idoneum, proponit obiectionũ confutationem, ab argumẽtis, ſignis, cæteriſq; circumſtantijs: qui locus cõmunis eſt ab Approbatione. Quæ faciliime fingi.] Contra teſtes, ab inconſtantia. Signis omni luce clarioribus.] Hyperbole, amplificãdi ſchema. Res cum re, cauſa cum cauſa.] Epexeſis, id eſt, expoſitio ſuperlationis. Itaque illam partem.] Minores expectatione facit obiectiones aduerſariorum, maxime Craſſi: eo ſchemate quod Græcis ἀποδίωξις, Latinis relectio nuncupatur. De ſeditionibus Neapoli.] Fuerãt fortaſſe inter Neapolitanos turbæ, quibus interfuiſſe Cælius falſo dicebatur. Eſt autem Neapolis ciuitas Italiæ, aliquãdo Parthenope: Vergilij, nũc Pontani manibus clara. eam nõ longe à Puteolis eſſe uériſimile fit. Eſt etiã Aphricæ minoris propè Syrtim oppidũ. Item & Cariæ, ut hiſtoriographi tradunt, ſed hic Italicam intellige Neapolim. De Alexandrinorũ pulſatione.] Percuſſione & cæde: & eſt extenuatio amplificationi contraria. dixerat etiã Craſſus, Alexandrinos legatos à Cælio Puteolis fuiſſe uerberatos: quod Cicero tanquam falſum contemnit. De Dione. Hic Dion Alexandrinorũ fuit legatus, quem P. Aſcitius interfecit, ut paulo poſt dicet orator. De bonis Pallæ.] Apparet à M. Craſſo dictum, bona Pallæ à Cælio erepta. Fortaſſe hic Pollæ nõ male legi poſſet. Is qui fecit.] Aſcitius. Quod igitur.] Epilogus à conſequentibus. Qui cõmiſit, non negat, qui negauit.] Climax, hoc eſt, gradatio cum repetitione. Qui non modo à facto.] Amplificat à minori ad maius, per dirimentẽ copulationem. Et ſi Aſcitio.] Aliam addit ſimplicem concluſionem à re, quàm Apoſtrophe*

ad Craſſum, ut iucundior ſit oratio, tractat, & eleganti uerborum topis orationem illuſtriorē reddit. Sed ut infamia quidem eſt aſperſus.] Notatus. & eſt tranſlatio ab aquis. At præuaricatione.] Obiectione euthymematica ſic obijci poterat: Atratinus præuaricatione, nō innocentia liberatus eſt. Quid igitur Cælio illius impunitas prodeſſe poteſt? Hanc Cicero, ut quæ facile diſſolui poſſit, reijcit, cōciliāns fidem à ſua perſona: quòd illam cauſam defenderit. Porrò præuaricatio eſt, tranſlatitiū accuſandi munus, cū quis prodita cauſa aduerſarij partem tuetur. Nam præuaricatorem eſſe, qui aduerſam partē iuuat prodita cauſa ſua, Vlpianus in Pandectis ſcribit: allegatq; Labeonem, qui hoc nomen à uaria certatione tractum ſentit. Alioqui præuaricatio eſt, tranſire dicēda. Præuaricatio etiā eſt, curſim breuiterq; attingere quæ ſunt inculcanda, infigenda, repetenda. Sed Cælius.] A teſtimonio litigatoris. Neque ſolum.] Cōfirmatio à teſtibus. Qui ex omnibus.] Significat Dionem fuiſſe amicū bonorum adoleſcentiū. Id autem artificioſum eſt, ut eum cōtra quem teſtimoniū dicimus, fuiſſe nobis amicum dicamus, ut teſtimonio noſtro adhibeatur maior fides, & ne iudices credāt nos odio cōmotos ad teſtimonium dicendum ueniſſe. Tenebantur hoſpitio.] Delectabantur, & uoluptatem capiebant. Sic et ludo teneri ac ſpectaculo dicimus. Plinius in Epiſtolis: Quo genere ſpectaculi ne leuiſſime quidem teneor. Ergo.] Epilogus reiectæ obiectionis cum tranſitione ad Herennij accuſationem refutandam. Animaduerti enim.] Antequam Herennij obiectiones diluat, ab eloquentia ſuſpectam facit orationem eius, et inuidiæ ac criminationis plenā fuiſſe docet. In qua re attendēdum, quā uenuſte initiū facit ab anapæſto. Ad criminandū inducta.] Ad accuſandum infirmata. Accenderet.] Incitaret nos cōtra Cælij cauſam. Dixit enim.] Ratio præcedentium, figurata repetitione Rhetorica. Fuit.] Idem Herennius. Pertriſtis.] Moroſus. Patruus.] Alludit ad patruorum erga genuinā in nepotes ſeueritatē, quæ in prouerbiū abijt, cuiuſmodi eſt: Ne ſis mihi patruus, aut Sapere patruos: Horat. Siue ego prauè, ſeu rectè hoc uolui, ne ſis mihi patruus: hoc eſt, ne me caſtiges. Huc accedit illud Perſianū, Cum ſapimus patruos, id eſt, poſtquā abiectis puerilibus nugamētis ſeueros mores induimus. Citatur hic locus ab Eraſmo in Chiliadibus. Obiurgauit.] Probatio ſenſus præcedentis à facto. Quid quæritis iudi.] Quid uerbis opus eſt? quid multis amplius? Cicero Attico lib. 10. Quid quæris? eſt enim ſuſpicio illa domeſtici mali, & ſermonis Hirciani. Tā aſperum.] Inuidioſum. Ac prima pars fuit.] Reſpondet obiectionibus L. Herennij: quas partim negat, partim obruit: in qua pulchra orationis breuitas diligenter attendēda eſt. Neceſſario.] Amico. Beſtiæ.] 4. Idus Febr. Cicero dixit pro Beſtia de ambitu, apud prætorem Domitium, in medio foro, maximo conuentu: incidit q; in eum locum in dicēdo, cum Seſtius multis in templo Caſtoris uulneribus acceptis, ſubſidio Beſtiæ ſeruatus eſt. ut idem Cicero lib. 2. Epiſtol. ad Q. F. Fratrem ſcribit, epiſtola 3. Cælius ergo dicebatur in his omnibus Beſtiæ fuiſſe ſocius. Non me hæc mouent.] Apodioxi, id eſt, reiectione confutat à repugnantibus, & indignū rem eſſe ſignificat, de qua multis agatur. Neque uero illud.] Alia apodioxis & obiectio. In lupercis.] In ſacrificijs, quæ Pani Lycæo, ſeu Faunum, ſeu Syluanum potius uocari placet, exhibebantur. Lupercal enim ludicrum fuit ſolenne, per Euandrum inſtitutum: in quo nudi iuuenes Pana Lycæum uenerabantur, per luxum atque laſciuiam currentes. Mos fuit his Lupercis lora pro manibus ferre, quibus quoſque caderent, & laruis tectas facies portare. De nomine unde dicti fuerint Luperci, non ſatis conuenit inter auctores. Plura de his inuenies apud Feneſtellā, cap. 1. de Sacerdotijs Rom. apud Liuium libro ſecundo, Ouidium in Faſtis lib. 2. & Iuſtinū lib. 43. Hæc ſolennia celebrabantur 15. Calendas Febr. ut in Faſtis ſcribit Ouid. Nomina deferunt.] Crimen denunciant. propriè enim Deferre nomen non eſt accuſare, ſed aliquem denūciare de aliquo crimine apud iudicē uel magiſtratū aliquem. Cicero in Verrem: Serui cuiuſdam nomen defertur, is accuſatur, ficti teſtes in eum dantur. et rurſus in eundem ait: Si liceret, nomen abſentis deferre uelle. & pro Muræna: Dixi in ſenatu, me nomen cōſularis candidati delaturum. Sed hæc omittā.] Tranſitio ad alias obiectiones, cum apodioxi. Deliciarū.] Solutio ab accuſatoris prolixitate in dicēdo, et taxatione. Eſtq; hæc ſolutio ueluti per cōparationem introducta. Nam P. Clodius.] Cōfirmatio ſolutionis ab actione Clodij, qui non glorioſe ſolum, ſed iracunde quoque in Publica cōcione ſe habuerat. P. Clodius in principio ſummus erat Ciceronis amicus. Cicero enim prope Clodiū in palatio habitabat, & cū Clodia ſorore P. Clodij familiaritate magna coniunctus erat: ſed Terentia Ciceronis uxor metuens, ne ſe repudiata Clodiam Cicero duceret uxorem, maritum impulit, ut aduerſus Clodium, quòd ſacra Bonæ deæ uiolaſſet, teſtaretur: auctor Plutarchus. Iactaret.] Gloriaretur ambitioſius, & laudaret temere. Id enim Se iactare ſignificat. Inflammatus ageret.] Iratus criminaretur. Aliquot enim in.] Probatio ab antefactis Clodij. Tibi autē Balbe.] Apoſtrophe ad Balbum, qui unus fuit, ut in argumento diximus, ex accuſatoribus. Ab eo poſtulat accuſandi ueniā, per cōceſſionem. Precario.] Pro aduerbio ponitur, & re uera nomē eſt, ipſa terminatione datiui uel ablatiui caſus. Terentius in Eunucho: Hanc tu mihi uel ui, uel clàm, uel precario fac tradas. Si licet, ſi fas eſt.] Recte. quod enim licet, non ſemper fas eſt. Seneca in Octauia: Id facere laus eſt, quod decet, non quod licet. Et eſt maxima in uerbo licet elegantia, ut apud Teren. in Adelph. Dum per ætatē licet, id eſt, dum ætas permittit. Eum.] Cæliū. Renuerit.] Vitauerit. Qui unguenta.] Delicioſos homines unguēto uti ſolitos fuiſſe, mihi ueriſimile facit his uerbis in Adelph. apud Terent. Mitio de Aeſchino loquens: Obſonat, potat, olet unguenta de meo. amat, dabitur à me argentum, dum erit commodū. Hic mos à Græcia Romā delatus eſt, cuius tāta fuiſſe memoratur luxuries, ut ceroma, quo corpora palæſtræ ſtudijs exercēda illini ſolebant, poſt uendiderint octingentis ſeſtertijs. Porrò ut in uitio eſt, qui nullā ſui curā corporis habet, ita et qui mundicias plus iuſto affectat: et tam uitio dandum eſt ſi quis unguēta olet, quàm ſi quis hircū olet uituperandum. hoc enim ſpurci eſt, illud mollis. Qui Baias.] Baiæ ciuitas, cuius in agris aquæ natura calidæ ſunt, opportunæ tum uoluptatibus corporis, tum morbis profligandis: cuiuſmodi ſunt balneæ apud noſtrates in Lotharingia iuxta Rhomaricum montem, quæ magna Germanorum, Burgūdorum ac Gallorum conuentu celebres ita ſunt, ut miraculum potius quàm naturā eſſe diceres. Equidem multos.] Comprobat apoſtrophen à teſtimonio ſuo, & orationem prouerbijs & metaphoris illuſtrat. Eſtq; hic locus diligenter notandus aduerſus eos, qui nephas eſſe putant, in oratione iudiciali prouerbijs uti. Primoribus labris guſtaſſent.] Breuiter attigiſſent. nam id prouerbium, Guſtare primoribus labris, ſignificat. Sumitur autem prouerbium ab his, qui cibum uel potum tenuiter deguſtant, nihil inde trāſmittentes in ſtomachum. Fabius libro 10. Sed hoc tranſeo, de quo neminem qui literas uel primis, ut aiunt, labris guſtarit, dubitaturum puto. Citatur hic locus Ciceronis ab Eraſmo, Chiliade prima. Cæterum quàm eleganter dixeris Guſtare genus uitæ, nemo non uidet. Et extremis, ut dicitur, digitis attigiſſent. Aliud prouerbium eiuſdem ſignificationis cum ſuperiore, ſumptum à luctantibus ſic uſurpant Græci τῷ ἄκρῳ ἅψασθαι δακτύλῳ, ſummo attingere digito. Adoleſcentiā uoluptatibus dediſſent.] Libidinoſam egiſſent adoleſcentiā. Emerſiſſe aliquando.] Voluptatibus renūciaſſe. & ſumptum uideri poteſt à lignis ſordidis, quæ ſubito in aquis apparent. Propriè autem dixit Emerſiſſe, ut ex luſtris & inhoneſtis locis, cum emergere de

turpibus

turpibus ſæpius ditatur. Cicero alibi: Ac ne tum quidem emerſiſti luculente Caſo ex natura tuæ ſordibus. Et Emergo dicitur, non emergor: licet Teren. dixerit in Adelphis: Vnde emergi non poteſt. nam id nouè poſitum Donatus teſtatur: ſed ideo eſt uſus, quia extra compoſitionem Mergo & Mergor dicitur. Et ad frugem bonam ſe, ut dicitur, recepiſſe.] Pro eo quod uulgaris ſermo dicit, ex nihili homine fieri hominē de bono, id eſt, frugi: auctor Budæus in Annotationibus, qui hunc locū citat. Arbitror formam dicendi ſumptam ab Athenienſium moribus, apud quos nemo in caupona eſſe aut potare audebat, ne ſeruus quidē duntaxat frugi bonæ. Dicimus etiā euadere ad frugē bonā, & redire ad frugē bonam. Datur enim.] Mitigat cōmunem adoleſcētiæ errorem ab ipſa natura, & orationē translationibus illuſtrē reddit. Profundit.] Exercet, et ſupra modū ponit. tractum ab aquis, quæ large funduntur. Quæ ſi erumpunt.] Exeunt, emittuntur. Erūpere eſt, cum impetu extra ire. Labefactent.] Contaminent & deſtruant frequentatiuū à labefacio. Domum.] Familiam. Euertant.] Perdant: ut ciuitates & gentes Euerti dicuntur, cum uincuntur & deſtruuntur. Cicero 1. Off. De euertendis diripiendisq; urbibus ualde illud conſiderandum eſt. & apud Virgilium: Priamiq; euertere gentem immeritam uiſum ſuperis. Sed tu.] Reprehendit Balbum, quòd nulus Cælij accuſatione in uitiorū omnium naturam ſit progreſſus oratione. Conflare.] Cōcilare, parare & adornare: à uentis ſumpta locutione. nam proprie Cōflare dicuntur uēti, cum flant diuerſi. hinc Cōflare æs alienum, inuidiam, exercitum, familiaritatem, mēdacium, accuſationem, iudicium, ſeditionem, periculum & pecuniam, dicimus. Exempla paſſim obuia ſunt. niſi malis eſſe deductam translationem à fabris, diuerſa metalla confundentibus, ut à nobis in præcedentibus dictum eſt. Quod uno reo.] M. Cælio. In eam ſententiam.] Contra luxuriæ deteſtationem. De proteruitate.] Importunitate, ſuperbia, uel petulantia, à proterendo. Terent. in Heaut. Quam penè tua me perdidit proteruitas. Proteruitas, inquit Donatus, leuior eſt quædam contumelia, procacitas maior, petulantia maxima. Budæus in Commentarijs hūc locum exponens, arbitratur Proteruum proprie eſſe ἀκόλαστον, qui ſibi circa libidines temperare non poteſt. cui ſententiæ ſuffragari putat id, quod in hac eadem oratione paulo poſt Cicero poſuit: Si uidua libere, proterua petulanter, diues effuſe, libidinoſa meretricio more uiueret. Vt tibi.] Quamuis tibi. Reum neminem.] Non hunc M. Cælium. Sed ueſtræ.] A` iudicū perſona beneuolentiam captat, & adhortatur, nō eſſe in unum M. Cæliū referendū, quod de ſingulis uitijs per locum cōmunem dici poſſet. Confirmat etiā, Cæliū non ſuo crimine, ſed accuſatorū inuidia in iudicium eſſe raptum: quod unum mihi uidetur eſſe purgatio ab innocentia. Nec quos aculeos.] Quā cenſuram. Erexerit.] Defixerit. Itaq; ſeueritati.] Clauſula cum apoſtrophe ad aduerſarium. Deprecari.] Veniam orare, amoliri, uel prece adhibita, uel quouis alio modo. Vacationem.] Valerius libro primo, Vacationem pro exemptione, & ueluti quadam impunitate uidetur accepiſſe, his uerbis: Et cuſtodia liberatus, & inſuper agro, uacatione donatus. Cicero pro Sylla: Si me non modo non rerum geſtarum uacatio, ſed neq; honoris, neque ætatis excuſatio uendicat à labore. Plinius in Panegyrico: Qui petentibus uacationem inuitus, ſed tamen tribuas. Non inquam audeo. Reſumptio ad fidē cum deprecatione. Quam.] Inuidiam ſubintellige. Atque idem ego.] Præparatio à perſona Ciceronis ſumpta, ad criminis beneficij diluenda. Poſtulo.] Volo at peto. alioqui proprie iure petimus. Conferuntur.] Dicuntur. Non recuſo.] Subterfugio. Sunt autem duo.] Diuiſio cum docilitate ad ſubſequentia. Vna atque eadem perſona.] Cælius. Vrgetur.] Premitur. Sic Plautus in Penulo: At urget onus.

Sunt qui hic legant Verſatur, non Vrgetur: ſed quàm proprie id faciant, uiderint ipſi, cum ea lectio contra Cælium, quem Cicero defendendum ſuſcepit, eſſe dignoſcatur. Quid enim abſurdius eſſe poſſet, quàm à Cælio nō modo aurum mutuatum eſſe, ſed etiam uenenum paratum confiteri? Quare noſtram lectionem potius quàm illam approbamus. Aurum ſumptum.] Confutatio ueneficij, in qua omnem uerſari orationem Fabius in quarto inſtitutionum confirmaſſe creditur. Hanc uero partem pulchre orator ad hunc locum reſeruauit, ut propitius iudex defenſionem ipſius negocij, cuius propria quæſtio eſt, audiat. nam, ut idem Quintilianus ait, ſi defendendus eſt M. Cælius, non'ne optime patronus occurrat prius cōuicijs luxuriæ, petulantiæ, imprudentiæ, quàm ueneficij? in quibus ſolis omnis uerſatur Ciceronis oratio. deinde tum narret de bonis, paulatimq; dein explicet cauſam, quæ eſt ipſius oratione defenſa. Hæc Fabius de hoc loco. Aurū ſumptum.] Obiectio. Omnia.] Solutio. Iurgij petulantis.] Conuicij inuidia pleni. Conuicium, maledictio quæ petulantius iactatur, dici ſolet. de huius uocabuli deductione altercantur Grammatici, & adhuc ſub iudice lis eſt. Videto Vallam libro 6. capite 52. Nullum eſt enim.] His omnibus fidem detrahere accuſatori conatur, à maleuolentia, quæ ſub probabili continetur. Fundamentum.] Sumpta probatione ab omnibus circunſtantijs crimina refutat. eaq; interpretatur ad utilitatem cauſæ, fidem detrahens accuſatori à maleuolētia. Voces ſunt cōtumelioſæ.] Improba conuitia. Fontem.] Originem. Metaphora à fluentibus. intelligit autem omnia hæc crimina à Clodia fuiſſe profecta. Video certum nomen.] Hoc eſt, certum debitorem. Nomina Ciceroni dicuntur ſæpenumero cauſæ, negotia, & perſonæ, quibus in conficiendis rationibus expenſæ pecuniæ feruntur. Nomen enim caput eſt breuiarij, hoc eſt, rationis argentariæ. uulgo nunc Articulos uocamus. hinc Expedire nomen eſt, ſoluere quod debetur. Cinna de Catone: Vnum difficile, expedire nomen. & Nomina facere, comparare debitores ſignificat, ut Cic. in Offic. Hortos emit inſtructos, nomina facit, negotium cōficit. Vide Budæum in Pandectis. Caput.] An caput hic pro homine poſitum eſt, ut apud Plautum in Muſtel. Vel rationem; puta, 30 mnas pro capite tuo dedi. & in Pſeud. Atque ipſe egreditur, penitus periurum caput. An pro origine, ut cum Teren. dixit: Idem ſenſit quod ego, te eſſe huius rei caput. At prior ſententia mihi magis conuenire ſenſui uidetur. Egregiæ cuiuſdam.] Figuratè innuit fuiſſe Clodiæ cum Cælio ſtupri commercium. Negare eidem.] A` ſignis, & repugnantibus, quòd egregia fuerit familiaritas et crudeliſſimum diſſidium inter Cælium & Clodiam: quod adeo pulchra & rotunda orationis breuitate effert, ut uix oratoris ingenium ſatis poſſim admirari. Rurſum.] Poſt magnam familiaritatem. Res eſt omnis.] Extenuat criminis inuidiam, & amoris meretricij inconſtantiam narrat, quòd quemadmodum Clodia prius Cælium uehementer amabat, ita nunc contēpta, in illius pernicie omnia moliatur. Sed etiam nota.] Cognita corporis commercio. De qua nihil dicam.] Excuſat ſe, ad futuram Clodiæ inſectationem. Depellendi criminis.] Reijciendi à Cælio criminis. Inuenitur etiam ſæpius Depellere criminationē, ut apud Ciceronem in Lælio: Aperte enim uel odiſſe alium, magis ingenuum eſt, quàm fronte occultare ſententiam. deinde nō ſolum ab aliquo oblatas criminationes depellere, ſed ne ipſum quidem eſſe ſuſpicioſum. Sed intelligis.] Apoſtrophe ad Domitium, qui huic iudicio præerat. Commutat dicendi genus ad delectationem, & commemoratione laudum ipſius fauorem conciliat. Rem eſſe nobis.] Hoc eſt, contentionem & controuerſiam. Quæ ſi ſe aurum.] Inducit dilemma probabile potius quàm uerum, cum repetitione: ut cum Domitius perſpiciat neceſſe eſſe concedi à Clodia alterum eorum, quæ proponūtur, facile hac

ex re conuictã eam ſuſpicetur. Si matrẽfamilias.] Mater familias ex ſentẽtia Gellij appellata eſt ea quæ in mariti manu mancipioq́; ,aut in eius in cuius manu maritus mãcipioq́; eſſet, quando nõ in matrimoniũ tantum ,ſed in familiã quoq; mariti, & in ſui heredis locum ueniſſet. At aliter de matrefamilias Vlpianus ſentire uidetur:Nam neque,inquit,nuptiæ,neque natales matremfamilias faciunt ,ſed boni mores. Matronarũ.] Matrona proprie dicta eſt,quæ in matrimonium cum uiro conueniſſet,quoad in eo matrimonio maneret,etiã ſi ſibi liberi nondum nati forent. dictaq́; eſt non à matris nomine adepto iam, ſed cum ſpe & omine mox adipiſcendo : unde ipſum quoque Matrimonium dicitur. Illis.] Aduerſarijs. Quid eſt aliud.] Interrogatione acriorem facit ἀνάμματος concluſionem. Quod facerem. .] Sarcaſmum eſſe auctor eſt Iulius Rufinianus. Hoc ſchemate peculiariter ſignificantur fœdiora, non tamen citra dicacitatem concinnam. Illud poetis etiam in uſu eſſe ſolet. Maro in tertio eidyllio:Nouimus,& qui te tranſuerſa tuentibus hircis, Et quo ( ſed faciles Nymphæ riſere ) ſacello. Niſi intercederent.] Mediæ eſſent,quæ me ab illo diſiungerent. Iſtius mulieris.] Clodiæ. Viro.] Clodio. Vir hic idem quod maritus ſignificat. Sic Terent. in Andria: Tibi generum firmum, & filiæ inuenies uirum. Et eſt locus acerbior in Clodiam,quæ rem habuiſſe cum fratre dicebatur, ut aperte Cicero pro Milone teſtatur , hiſce uerbis:Eum quem cum ſorore germana nefarium ſtuprum feciſſe L.Lucullus iuratus,ſe quæſtionibus habitis dixit comperiſſe.Feſtiuius multo de hoc ſtupro iocatur Cicero pro Domo ſua : Vide ( inquit , de Clodio loquens ) ne tu te debeas Iouem dicere, quòd tu iure eandem ſororem & uxorem appellare poſſis . Fratre dicere uolui:ſemper hic erro.] Ironica correctio, ut non de induſtria in hoc ſtuprũ cauillari uideatur, ſed per imprudentiam. Nunc agam modice.] Attentionem parat ad excipiendam confutandi rationem, & eſt exordij forma breuis : in cuius propoſitione captat beneuolentiam à perſona ſua, ut depellat inſectandi criminandiq́; inuidiam. Nec longius progrediar.] Nõ plura dicam. Mea fides.] Quam debeo Cælio. Neque enim.] Ratio ex eodem loco. Inimicitias gerendas.] Controuerſias habẽdas. Cum ea.] Clodia. Quam omnes ſemper amicam omniũ.] Ironice id dictum putarim , & cum alluſione ad meretriciam familiaritatem. Sed tamen ex ipſa.] Paraſceue ad proſopopœiam, qua uult introducere Appium Cæcum ab inferis reuocatum,qui Cælium defendat,ut aliena perſona Clodiã uehementius urgeat. Sin illo auſtero .] Seuero. & eſt ad mores antiquorum alluſio. Excitandus ] Reuocandus. Non hac barbula qua iſta. Scomma eſt in Clodiam, quæ barbatulo amatore, fortaſſe fratre, tenebatur. Exiſtat igitur.] Præparationis epilogus. Ex hac ipſa familia.] Clodiana. Cæcus.] Appium Claudium intelligit , quem Clodiam obiurgantem, ut in argumento diximus,facit,ut ſub aliena perſona liberius in Clodiam euomat quæ uelit. Minimum enim .] Ratio cur cæcum potius quàm uidentem introducat. Eſtq́; ſcomma in Clodiam nimium luxurioſam. Mulier.] Proſopopœia, qua à parentum dignitate Clodiam obiurgat , cum execratione uehementi. Oratoribus autem atq; philoſophis conceſſum eſt, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur: aut aliquid,quod fieri nullo modo poſſit, dicatur, augendæ rei gratia, aut minuendæ , quæ hyperbole dicitur : & multa alia mirabilia.quod nequaquam iureconſultis permiſſum eſt. Aquilæ Romano placet in libro de Figurarum nominibus & exemplis, proſopopœiam continere plurimum dignitatis, cum Remp. ipſam loquentem inducimus , uel defunctos aliquos quaſi ab inferis excitamus,& in conſpectu iudicis collocantes hos oratione circũdamus,quam rem ut improbet,in exemplum hũc locum aduocat,moxq́; adiungit hanc rationem : Sæpe quæ nos ex noſtra perſona dicentes uix iudices laturi ſunt,& liberius dici,& conuenientius ſuppoſita perſonæ dignitate. Quid tibi cum Cælio.] πύσμα,quo multa interrogat inſtandi & urgendi cauſa,per amplificationem ab accidentibus perſonæ , & re ipſa. Quid tibi cum Cælio.] A' nomine. Quid cum homine adoleſcẽtulo.] Ab ætate. Quid tam familiaris fuiſti,aut tam.] A' contrarijs, & repugnantibus. Non patrem.] Appium. Nam Cicero ad Atticum libro 2. de Clodio fratre ſic ait : P. Clodium Appij filium te credo audiſſe, cum ueſte muliebri deprehenſum in domo C.Cæſaris, cum ſacrificium populo fieret. Qu. Metel.matrimo.te.] Fuiſſe uxorem Qu. Metelli. Pedem limine extulerat.] Ciuitate egreſſus fuerat. Limen dicitur quod ex tranſuerſo in ianua eſt,uel ſuperior oſtij pars.Frequens eſt etiam Efferre pedem domo. Ennius : Nam nunquam hera mea errans Medea pedem efferret domo,ægra,& amore ſaucia. Hic autem Qu. Metellus etiam à Valerio Maximo libro 2. cap. 2.haud parum laudatus eſt,tum quòd militiam priſtinæ diſciplinæ reſtituerit,tum quia quam corruptã acceperat,multa uirtute emendarit. Qui cum.] Ab indecenti. In familiam cla.] Helleniſmos,hoc eſt,Græca locutio,Nubere in familiam. Xenophõ in ἑλληνικ. καὶ ὁ κορυτάδης ἐν πειραιεῖ ἑλλησιν ἀποδράς, καὶ ἀποδέδρα εἰς λακωνικ. & Greg. εἰς τὸ ὄρος ἀποδιδράσκω. Nihil horum.] Fingit Clodiam reſpondere. Quid igitur.] Interpretationem aptam obiurgationi ſubinfert. Imag. uirilis.] Stemmata generoſiſſima. Quod illa.] Clodia. Veſtalis Clodia.] Hanc ueſtalem Clodiam,quod nimis eleganti ornatu uteretur, impudicam maiores credebant: ſed deæ Cybeles teſtimonio id falſum eſſe deprehenſum eſt , cum Clodiæ opera Cybeles ſimulachrum inductũ eſt in urbem. Cur te frat. uitia.] Libido, & mala fratris Clodij uita: Quam bo.paterna.] Patris Appij uirtutes. Mouerunt.] Pellexerunt. Ideo ne pacem.] Amplificatio à meritis. Poſt deuictam à ſe Italiam,4 annos cum Tarentinis bella acerbiſſima Romani geſſerunt, & Pyrrhum regem Epirotarum in auxiliũ euocarunt, & pacem cum Tarentinis inire deliberarunt : niſi lectica delatus in ſenatum Appius,magna uoce,& firmis lateribus diſſuaſiſſet . cuius rei ſic in Catone meminit Cicero : Ad Appij Clodij ſenectutem accedebat etiam ut cæcus eſſet:tamen is cum ſententia ſenatus inclinaret ad pacem & fœdus faciendum , non dubitauit dicere illa quæ uerſibus proſequutus eſt Ennius: Quò uobis mentes, rectè quæ ſtare ſolebant Antea , dementi ſeſe flexere ruina ? cæteraq́; grauiſſime . notum enim nobis carmẽ eſt. & tamen ipſius Appij extat oratio : atque hanc ille egit ſeptem & decem annis poſt alterum conſulatum,cum inter duos conſulatus anni 10.interfluxiſſent,cenſorq́; ante ſuperiorem conſulatum fuiſſet.ex quo intelligitur Pyrrhi bello grandem ſanè fuiſſe.& tamen ſic à patribus accepimus. Hæc Cicero. Ideo aquam adduxi.] Hoc ipſum his uerbis Liuius teſtatur,lib.9.Et cenſura clara eo anno Ap. Claudij & C. Plancij fuit. Memoriæ tamen,inquit,felicioris ad poſteros nomen Appij : quòd & uiam muniuit, & aquam in urbem duxit, &c. Sed cenſor Appius memori deum ira poſt aliquot annos luminibus captus. Inceſte.] Impure. Celebrares.] Frequentares, aſſidua eſſes. Hac enim forma dicere uidetur Varro:Cui non inquit,tam curæ erat , ut templa deorum , quàm ut popinas celebraret. Sed quid ego.] Relinquit perſonam Appij,et rurſus propriam reſumit cũ excuſatione inſectationis. Induxi.] Loqui feci. Sic 3.Off. Hinc ille Gyges inducitur à Platone. & de Amicitia : Quaſi enim ipſos induxi loquentes, ne inquam & inquit ſæpe interponeretur. Grauitatem.] Seueritatem. Cenſoria.] Qualis Cẽſores uti conſueuerunt. Sed uidero hoc poſterius.] Apodioxis eludit argumentum, quod agitatũ poſſet ſuſpectam cauſam reddere. Atque iudices.] Subaudi Videro. Vel.] Etiam. Diſceptatoribus.] Diſceptatorem

appellat

appellat in Partitionibus Cicero, vel ſententiaq́; moderatorem. Tu modo.] Hactenus loqui Appium Cæcum finxit. Nunc de tracta Appij perſona, aperte cauſam agit. Tu modo mulier.] Contemptus à ſexu. Nulla introducta perſo.] Sine perſonæ fictione. Perſona facies conficta dicitur: unde in Comœdijs perſonæ dicuntur. Iuniores larvam appellant, & Græci πρόσωπον. Si ea quæ facis.] Clodiam uidetur uelle ab accuſatione deterrere, hac præcipue cauſa, quòd non poſſit accuſationem probare ſine ſummo ſuo dedecore & infamia. Et eſt, inquit Fabius libro 5. cap. de Refutat. artificis, inuenire in actione aduerſarij, quæ in ſemetipſa pugnent, aut pugnare uideantur, quæ aliquando ex rebus ipſis manifeſta ſunt: ut in cauſa Cæliana, Clodia aurum ſe Cælio commodaſſe dicit, quod ſignum magnæ familiaritatis eſt: uenenum paratum, quod ſummi odij argumentum eſt. Si ea quæ facis.] Tractat hunc locum dilemmate, cum amplificatione eorum quæ pro ſe faciũt. Quæ inſimulas.] Accuſas. Inſimulare eſt, crimen ingerere, uel (ut Feſtus ait) crimen in aliquem confingere. Terent. in Phormione: Si herum inſimulabis auaritiæ, male audies. aliàs Inſimulare eſt, fingere rem quampiam fieri quæ non fit, ut in 3. Offic. apud Ciceronem: Solus neglexit fidem, furere inſimulauit, ne quo iret inſtituit. Quæ molitis.] Facis. Accuſatores.] Eleganter poſt priorem dilemmatis particulam argumentum hypotheticum adducit, ad improbandam accuſationẽ, aut turpitudinem confitendam, commemoratis prius quæ ab accuſatoribus dicta fuiſſent. Cõmeſſationes.] Conuiuia, quæ poſt cœnam fieri ſolent, & compotationes ſerotinas. Suetonius in Vitellio: Epulas, inquit, trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat, in ientacula, prandia, cœnas, & comeſſationes. Feſtus à uicis comeſſationem, quos Græci κώμας uocant, appellatam ſcribit. In his enim ueteres antequam oppida condita fuiſſent, habitabant, & his locis alij alios inuitabant conuictus cauſa. Symphonias.] Conſonantias, & muſicos concentus. Iactant.] Cælio uitio uertunt. Effrenata.] Immodeſta. Præcipiti.] Iracunda. Crimini tuo.] Accuſationi tuæ. Sin autem urbanius.] Altera dilemmatis particula. Vrbanius.] Clementius. Illum ſenem.] Appium Cæcum. Ex hiſq;.] Clodianis. Qui propter neſcio quam credo.] Ironica dubitatio. Inanes.] Ineptos. Puſio cum ſorore.] Inceſti Clodiam arguit. cæterum Puſio paruus puer dicitur, frequentius tamen maſculum ſcortum. Antiqui enim Puſium & Puſam, pro puero & puella dicebant. Quid tumultuaris.] Proſopopœia iunioris fratris, mire tum varians orationem, tum excitans. Lib. 4. Fabius teſtatur, non ad credulitatem modo, ſed fidem quoque plurimum facere. Idem lib. 9. ait: Proſopopœijs etiam aduerſariorum cogitatione uelut ſecum loquentium protrahimus, quæ tamen ita demum à fide non abhorrent, ſi ea locutos finxerimus, quæ cogitaſſe eos non ſit abſurdum. Quid tumultuaris ſoror.] Quid impetis? Cælium uenuſta fuiſſe adoleſcentem forma ſignificat, et proinde eius pulchritudine Clodiam fuiſſe captam. Proceritas.] Longitudo corporis. ſic in Panegyrico Plinius: Tu ſola corporis proceritate elatior alijs. dicitur etiam Proceritas de inanimatis. Cicero in Catone: Cum autem miraretur Lyſander proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines. Perpulerunt.] Allexerunt, induxerunt. Terent. in Adelph. Nũquam deſtitit inſtare, ut dicerem eſſe ducturum: patrẽ ſuadere, orare uſque adeo donec perpulit. Illum filium familiarem.] Cælium. Tenaci.] Auaro. Copijs.] Luxui & opibus. Calcitrat.] Rebellis eſt: ab equis, qui pedibus feriunt, cum repugnant, ſumptum. Ad Tyb.] Iuxta Tyberim, uel prope. Sic Liuius: Habet hortos ad Tyberim. & idem: Ad Capuam caſtra locant. Quò omnis iuuentus natandi cauſa.] Iuuenes antiquitus ſtudioſiſſimi erant, ut ſaltem natare ſcirent, ut ſi quando neceſſitas ingrueret in bello hac quoque natandi arte uterentur. Nam literas atque natare ſtatim Athenis pueri diſcebant, ut prouerbium, μήτε νεῖν μήτε γράμματα, uidetur indicare. Hinc licet conditiones.] Electionem, & quandam ueluti conuentionem. Ita enim Terent. in Andr. Accepit conditionem, deinde quæſtum occipit. Legas.] Eligas. Cur huic.] Cælio. Cur huic qui te ſpernit, moleſta es. Cur eum qui te contemnit, ad amorem ſollicitas? Redeo nunc ad te cœli.] Apoſtrophe ad Cælium litigatorem. Viciſſim.] Sicut pro Clodia feci. Sed dubito.] ἀνθυποφορὰ oratoria. Ardet.] Feruet. Cumulatur ira.] Impletur furore & iracundia. eſt enim Cumulare, implere, congregare, uel aceruum maiorem reddere. hinc dicimus aliquem Cumulare laudibus. Plinius in Epiſtolis: Quæ mihi recordanti, eſt quidem iucundum quod me cum apud alios, tum apud ſe tacitis laudibus cumulat. Aut illum.] Subaudi, Potiſſimum ſumam. Infelix.] Proſopopœiam duri & moroſi patris fingit, qui Cælium reprehendat, & increpet eius temeritatem: cuiuſmodi in Adelphis apud Terentium eſt Demea. Videtur enim in hoc loco ſic alludere ad eam Comœdiam, ut uerba ex eadem etiam ſumat. Exorditur ab exclamatione per pathos tragicum. Ferrei ſunt iſti patres.] Verba Ciceronis, non patris. Intermiſcet interim ſententiam ſuam, ne increpatio moroſi patris Cælio noceat. Ego'ne quid dicam, ego'ne quid.] Venuſta repetitio ad amplificationem per reticentiam, quæ irati ſermonẽ pulchre exprimit. Ego'ne quid dicam ſubaudi Reperire potero, aut aliquid eiuſmodi. Ego'ne quid ue.] f. ſcio. Ego'ne tu o. t. f.f.f.] Reſarcire potero, & in integrum reſtituere, uel ulciſcar? Talis eſt reticentia irati apud Terentium in Eunucho: Ego'ne illam? quæ illum? quæ me? quæ non? Sine me, mori me malim: ſentiet qui uir ſiem. Apparet autem hac litera f, quam in principio dictionum de induſtria repetit. fœditatẽ rei exprimere uoluiſſe. Vix ferenda diceret talis pater.] Rurſus uerba ſunt Ciceronis interpoſita. Cur te in iſtam.] Redit ad proſopopœiam, & aperte meretricij ſub aliena perſona inſimulat Clodiam. Cur te in iſtam ciuitatem meretriciã contuliſti? cur huic meretricis uicinæ commigraſti? Vicinitatem.] Propriè uicinorũ propinquitas dicitur Vicinitas, & aliquando uicinorum multitudo. Vicinia uero, locus uicinus, uel ipſa uicinitas: quod mihi indicare uidetur Donatus in Heauton. hiſce uerbis: Vicinia non tam homines qui eundem incolunt uicum ſignificat, quàm qui prope domum tuam habitant: Vicinitas non homines, ſed propinquitatem uicinorum. hactenus Donatus. Teren. in And. Interea mulier quædam ab hinc triennium ex Andro commigrauit huc uiciniæ, inopia & cognatorum negligentia coacta. Et in Heauton. Tamen uel uirtus tua me, uel uicinitas (Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto) facit, ut te audacter moneam, & familiariter. Cur illecebris cognitis non refugiſti.] Cur doloſis Clodiæ blanditijs intellectis, non diſceſſiſti? Dede te ac diſyce, per me licebit.] Conceſſio irati hominis. Tibi dolebit.] Paupertatem lugebis. Mihi ſat eſt.] Subaudi Diuitiarum. Qui.] Videtur Qui pro unde accipi, ut apud Teren. Multa concurrũt, qui coniecturam hanc facio. Huic triſti.] Moroſo. Hactenus proſopopœiam induxit moroſi ſenis: nunc ad eam reſpondet. Reſponderet.] Reſpondere poſſet. potentialis modus eſt per imperfectum, ut in illo Terent. in Andria: Diceret, quid feci? quid commerui? aut quid peccaui pater? pro, Dicere poſſet. Cupiditate.] Libidine. De uia diſceſſiſſe.] Metaphora à uiatoribus, ſignificans à uirtute aberrare. Quid ſigni.] Dialogiſmos, hoc eſt, ſermocinatio. Nulla verſura.] De hac ante à nobis dictum eſt. At fuit fama.] Obiectio rumorum, quos communi loco diluit. In tam maledica ciuitate.] A` loco. Vicinum.] Cælium. & eſt exemplum per comparationem maioris. Summi artificij Rhetores eſſe docent,

aliquam aut fictam fabulam in aduerſarios adferre, quam dicamus in ore omnibus eſſe, aut uerũ rumorem proferre, qui illis aliquid turpitudinis afferat, neq; tamen ei rumori nos fidẽ habere, ſi probabiliter contra rumores dicere uolumus. Iam huius inceſti ſupra mentionem fecimus. Frater germanus.] Clodius. ut Sororem germanam pro Milone dixit, ita hic fratrem germanum. & In Verr. Act. tertia dixit: Caius Fannius eques Romanus, frater germanus Qu. Titinij iudicis tui, tibi ſe pecuniã dediſſe. Terẽt. in Andria. Si te in germani fratris loco dilexi. Quod ideo adduxi, ne quis putet minus latine alterum præponi poſſe: ut ſit cum dicitur, Gemini fratres, pro fratribus geminis. Cuiuſmodi ille.] Alludit ad Mitionem, quẽ Teren in Adelph. fingit lenem eſſe patrem, & uere ciuilem. Licet oratoribus, ut delectent ac moueant iudices, multa huiuſmodi ſimulare. Nihil iam.] Paralipſis. Si eſſet aliquando.] Argumentum à ſimili cum diſſimulatione callida, per quam ſupprimit perſonam Clodiæ, miroq; arte extenuat crimen Calij. Diſſimilis iſtius.] Clodiæ: & eſt Ironia. Quæ ſe omnibus peruulgaret.] Quæ omnibus ſui copiam faceret. Decretum.] Sibi certum. Commearent.] Congrederentur. Suſtẽtaret.] Recompenſaret. Proteruã.] Nunc ſuperba, aliàs importuna, quæ alteri eſt impedimento: ut ſi quæ per impotentiã mentis obuium cubito ferias, aut cõtumelia ſibi cedere cogat. Adulterum.] Ethopœia, ſuauem orationem reddens, ſignificando iudicio oratoris. Si quis hanc paulo liberius ſalutaſſet.] Amplificatio, & extenuatio criminis, qua rem fœdam ornat uerbi elegantia: ut Fabius libro octauo, capite de amplificatione docet.. Nam & impudicam meretricem uocauit, & eum cui longior cum illa fuerat uſus liberius ſalutaſſe dicit. Hæc igitur eſt Prolepſis obiectionis, quæ ab aduerſario fieri potuit. Ita enim Fabius uocat præoccupationem & præſumptionem. Alij Procatalipſim malunt appellare. Collocaret.] Conſumeret. Dicet aliquis: Hæc.] Interrogatio ficta, inſtandi urgendiq; cauſa. Interrogant autẽ ſemetipſos frequenter Oratores, ut pro Ligario: Apud quem ipſe hæc dico? nempe apud eum, qui cum hæc ſciret tamen me antequam uidit, Reipub. reddidit. Ego ſi quis.] Epicheremate rhetorico & quinquepartito (quod finitur illo loco, Ergo hæc deſerta uia) excuſat Calij errorem: & docet neminem culpa uacare poſſe, niſi qui diuini numinis gratia ſit afflatus. Ergo ſi quis.] Propoſitio, prima epicheremaatis pars. Ac indole.] Indolem eſſe tam in pueris quàm adoleſcẽtibus, ſignificationẽ futuræ uirtutis, refertur apud Vallam libro 4. cap. 46. ubi hunc locum in teſtimonium adducit. Reſpueret.] Contemneret. Animi contentione.] Prudentia. Conficeret.] Contereret. Non æqualium.] Sociorum. Aequalis ad ætatem refertur. Nihil in uita expetendum.] Deſiderandũ. Hoc Stoicorum dogma fuit. Hunc.] Talem hominem, qui nihil niſi cum laude coniunctum expetat. Ex hoc genere.] Ratio, ſecunda epicheremaatis pars, ab exemplis maiorum. Camillos.] Camillus ingratæ patriæ opem ferre cum exul eſſet, quàm aliquid turpiter committere maluit, ut Plutarchus in eius uita meminit. Fabricius aurum à Samnitibus oblatum repudiauit.] Gellius hiſtoriam lib. 1. cap. 14. recitat. Cicero in Piſonem, & in 3. Offic. Silius in 6. & Valer. in 1. lib. Curius Dentatus patricius, auctore Plinio, de Samnitibus triumphauit. Iterum de Sabinis, tertio de Lucanis ouãs urbem introiuit. Pyrrhum ab Italia expulit: quaterna agri iugera populo uiritim diſtribuit, totidẽ ſibi deinde conſtituit, neminem eſſe exiſtimans debere, cui non tantum ſufficeret. Idem Curius etiam legatis Samnitum aurum offerentibus, rapas in foco torrens fertur reſpondiſſe: Illis auro minime opus eſſe, quibus cœna huiuſmodi ſatis eſſet, quiq; aurum habentes uincere lõgè pulchrius quàm aurum habere iudicarent. hæc ex Plutarcho in uita Catonis. plura Val. lib. 4. cap. de Abſtinentia. Verum hæc genera.] Aſſumptio, tertia pars epicheremaatis. Obſoleuerunt.] Deſciuerunt, ab uſu receſſerunt. Obſoleſcere autem eſt deficere, inueteraſcere, uel deſueſcere. Cicero pro lege Manilia. Obſoleuit iã iſta oratio, re multo magis quàm uerbis refutata. Compoſitum ex Ob, hoc eſt, contra: & Oleſco, addita præpoſitione, quæ aduerſatur oleſco. Qui hanc ſectam.] Subaudi philoſophicam. Secta à ſector, aris: Græci hæreſim uocant. & ea proprie eſt inter philoſophos aut philoſophis ſimiles. Prioris ſententiæ exemplum in litera habes, poſterioris ad Brutum: Reliquias hoſtium Brutus perſequitur, & Cæſar. Hoſtes autem omnes iudicati, qui Antonij ſectam ſecuti ſunt. Præcepta.] Colendæ uirtutis. Itaque alij uoluptatis cauſa omnia ſapientes facere dixerunt.] Videtur alludere ad opinionem Epicuri: quam ſic libro primo de Finibus bonorum & malorum Cicero probat: Quod ſi uitam omnem perturbari uidemus errore & inſcitia, ſapientiamq; eſſe ſolam, quæ nos à libidinum impetu, & formidinum terrore uindicet, et ipſius fortunæ modeſte ferre doceat iniurias, & omnes doceat uias quæ ad quietem & tranquillitatem ferant: quid eſt cur dubitemus dicere, & ſapientiam propter uoluptatem expetendã, & inſipientiam propter moleſtias eſſe fugiendam? Alij cum uoluptate.] Stoici arbitrati ſunt, uoluptati coniungendam eſſe dignitatem. Directum iter, Verum præceptum. Qui probauerunt.] Opinor Stoicos eſſe intelligendos, apud quos eſt huiuſmodi inſtitutũ, eoq; Cicero in Offic. illos imitatur. Multa enim.] Probatio aſſumptionis, quarta pars epicheremaatis. Sopita.] Obruta. Conniueret.] Modo minus enitеſceret. aliàs Conniuere prouerbiali locutione dicũtur, qui prudẽtes culpã quam intelligunt, indulgentia ac ſtudio diſſimulant, quaſiq; nõ uidẽt id quod uident, ut uulgo loquimur. Hallucinamur imprudentes, inquit Eraſmus, cæcutimus uolentes, cõniuemus data opera. Multas uias publicas.] Multos errores. Oſtendit.] Natura. Quibus uijs.] Illa adoleſcentia. Prolapſione.] Deturbatione. Corroborata.] Adulta. Apud hiſtoricos multa paſſim ſunt eorum exempla, qui à uirtutis aberrauerũt uia: id quod factum à Marco imperatore ſcribit Herodianus, qui ſedulo timebat, ne malis artibus ſeſe dederet filius. Nam facile ingenia adoleſcentum, ut idem ait, a recta honeſtaq; diſciplina ad luxum uoluptatesq; dilabuntur. Quamobrem.] Cõplexio, epicheremaatum ultima pars. Budæus in Commentarijs ſuis, faciens mentionem earum figurarum quæ à cõpendio ſermonis natæ ſunt, hunc locũ citat paulo aliter quàm in uulgatis exemplaribus habeamus: uerum librariorum culpa, quantum iudicare poſſum, id accidit, qui literam incuria quadam addiderunt. Porrò ſic ille habet: Huic homini ego & pauci deos propitios, pleriſque autem iratos putabunt. Si quem.] Adoleſcentem. Aſpernetur.] Contemnat. Capiatur.] Alliciatur. Et pauci.] Philoſophos intelligit, qui nullis moueri rerum mundanarum illecebris aut uoluptatibus, non ſolum fortis eſſe animi putant, ſed etiam magni ac fortunati. Nam ut Cicero in primo Officiorum docet, ea quæ eximia plerisq; & præclara uidentur, parua ducere, eaq; ratione ſtabili firmaq; contemnere, fortis animi magniq; dicendum eſt. At uulgus infelices, et immortalibus dijs male gratos eos eſſe putat, qui uoluptates cõtemnũt. Ergo hæc deſerta.] Venuſtus ſuperiorum epilogus, quo aduerſariorum in uitam Calij obiectiones & cauilla nõ reijcit modo, ſed etiam docet ad quem nam finem ſit uoluptatibus utendum. Pertinet autem hæc pars ad moralem diſciplinam. nam totus hic locus ſumma cum auctoritate quid fieri debeat docet. Verſatur hæc orationis pars in dignitate, quæ σεμνότης appellatur. utitur ſchematibus aſperis, & quæ imperent. Ergo hæc deſerta uia & inculta.] Innocentiſſima uitæ ratio. Frondibus & uirgultis.] Adoleſcentiæ errore. Eſt allegoria admodum pulchra. Liberior.] Minus ſubdita, effuſior. Non omnia

uoluptatibus

uoluptatibus denegentur.] Pars temporis tribuatur uoluptati. Superet.] Vincat. Parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ.] Præſcribit officia iuuentutis, ita tamen, ut ea cauſæ accommodet: quod oratoris eſt. Alienam.] Intellige Pudicitiam. Ne effundat.] Conſumat, diſſipet. metaphora à liquidis, quæ tum effunduntur, cum ea quis è uaſculo caſu aut alio quouis pacto eijcit. Fœnore obruatur.] Trucidetur uſura. Fœnus à fœtu dictum eſt, auctore Gellio, & quaſi à fœtura quadam pecuniæ parientis atque increſcentis. Alij malunt à fundo, adduntq; rationem hanc, prouētum eſſe à naturali terræ fructu. Poſtea uero ad uſuram translatum, non aliter ac ſi pecunia ex ſe fructum, quemadmodum terra producat. Ne incurrat in alterius domum atq; famam.] Ne alterius laudem uel honorem labefactet. Ne probrum caſtis.] Stuprum uirginibus. Ne quem interimat.] Aliquem occidat. Paruerit.] Inſeruierit. Reuocet ſe ad curam rei domeſticæ.] Nam ut ipſe in Offic. 1. ſcribit: Ludendi eſt etiam quidam modus, ut ne nimis omnia profundamus, elatiq; uoluptate in aliquā turpitudinem dilabamur. Cui in primo Inſtitut. cap. 3. Fabius aſtipulatur: Modus, inquit, tamen ſit remiſſionibus, ne aut odiū ſtudiorum faciant negatæ, aut otij conſuetudinem nimiæ. Sacietate.] Tædio. Abieciſſe.] Subaudi, Voluptates. Ac multis.] Exaggerat exemplis, & conſuetudine uirorum illuſtrium, quorum nomina ſupprimit, ut calumniam fugere poſſit: eos tamen poſt primos adoleſcentiæ errores ad bonam frugem oſtendit rediſſe. Cupiditates.] Libidines. Deferbuiſſent.] Refrigeratæ fuiſſent, à uerbo deferueo. Terent. in Adelph. Sperabā deferbuiſſe adoleſcentiam, gaudebam, ecce autem de integro. Firmata.] Corroborata. Quod.] Erratum cū laude coniungere. Profuſa luxuries.] Immodici ſumptus. Magnitudo æris alieni.] Magnitudo debitorum. At in Marco.] Syllogiſmo rhetorico ſic colligit in ſecunda figura: Nemo uoluptariorum eſt ſtudioſus literarum: at Cælius eſt ſtudioſus literarum, Cælius igitur non eſt uoluptarius. Si quis hoc argumētandi genus, perpendat, hic facile intelliget, qua copia dicēdiq; facultate Cicero utatur hoc loco. Atque ut ſtudioſi intelligant, quo pacto huiuſmodi ſyllogiſmi tractentur à Rhetoribus, libet rem paulo altius repetere. nō enim difficilius fuerit ſequi hoc Ciceronis exemplū in expoliendis ornādiſq; ſyllogiſmis. Atq; primū id intelligant adoleſcentes, propoſitionis loco id uſurpari à Rhetoribus quod dialectici pro cōcluſione ponerēt: deinde id uno aut pluribus argumentis comprobari, imo frequenter integris argumentationibus. Poſtea minorem producunt, quam Rhetores aſſumptionem appellant: cui probatio plerunque adiungitur, maxime ſi neceſſario uera non ſit. ſic rurſum huic aut amplificationem, aut exornationem non raro ſubiungunt. Ac poſtremo concluſio ponitur, quæ uel in unum concludit propoſitionē, aſſumptionem & complexionem: uel ex contrario ſententiā conficit, uel id quod ſolum conficitur infert. At uero.] Thema ſeu propoſitio, qua Cælium nō eſſe uoluptarium proponit copioſiſſime. deinde aſſumptionem, Cælium ſtudioſum eſſe, producit: Inſtructiſſimā illam quidem, ut omnia, hoc modo: Audiſtis cum pro ſe diceret, &c. uſque ad illum locum: Atque ſcitote iudices &c. Atque hactenus Cicero argumenti minorem duxit, quam illuſtrat munitq; adiecta maiore. Omnis ſiquidem maior in duabus primis ſyllogiſmorum figuris (ſic enim Dialectici uocant) confirmatio quædam gnomica eſt. hoc eſt, moralis ſententia, quam Cicero hic affert. Atque ſcitote iudices, &c. & paulo poſt probatio ab impoſſibili, illic: Fieri enim non poteſt. Hinc ſequitur amplificatio à cauſis & à factis Cælij, his uerbis: An uos, &c. & deinde obiectiones proponit & confutat. Poſtremo concludit id quod confectum eſt hac argumentatione, inferens hoc pacto: Quare nobis da uiam, &c. Atque hæc de argumentationis forma dicta ſint. Nunc à fronte ad calcem cætera perſequemur, ſi prius te Lectorem amicum cōmonuerimus, hic argumentationem à minore inchoari. nam illic ſequitur maior: Atque ſcitote. & concluſio iam in proponendo recitata fuerat: In Cælio nulla reperietur luxuries. At in Marco Cælio.] Parrheſia, ſibi de Cælij innocentia dicturo fidem conciliat. At luſtrorum.] Luſtra popinæ & lupanaria ſunt, ubi habitāt meretrices. Qui turpiter uentri atque uoluptatibus cæteris indulgent, et in popinis locisq; ſordidiſſimis deſides uiuūt, hi in luſtris more belluarum uitam agere dicuntur, Cicero in 2. Philipp. Cum omnes impuritates impudica in domo ſuſceperis, uino luſtriſq; confertus. Porrò illud cognoſcās adoleſcētes oportet, ferè totam hanc argumentationem in genere demonſtratiuo uerſari. laudatur enim Cælius à ſtudijs, & continentia. Amores.] Meretricij. Firmiore.] Fortiore. Diutius moleſtæ non eſſe ſolent.] Statim abeunt, illico relinquuntur. Mature.] Tempeſtiue, cum prima ætate. Audiſtis.] Tertia pars argumētationis, in qua ſynathriſmo Cælium laudat. Defendendi.] Præcaſtigatione laudis affectionem extenuat. Elucere.] Florere. & eſt commendatio Cælij ab ingenij uiribus. Quod ſæpe etiam.] Gnome, & locus communis. Niſi me.] Alludit ad communem ſententiam: Amicorum ſtudio ſæpe fallitur iudicium. Atque ſcitote.] Falſam eſſe aduerſariorum obiectionem oſtendit: id quod ſummi eſt artificis, ut Cicero 2. de Oratore tradit. Eas cupiditates.] Voluptates, libidines. Hæc ſtudia.] Rhetorices. Amore.] Meretricis. Deſiderio & cupiditate.] Incrementum eſt, & aſyndeton. An uos.] Communicatione amplificat, à cauſis & adiunctis ſtudiorum. Cur in tantis.] Interrogatio acris propter repetitionem. Studia delectationis, ludus.] Diſtributio. An hic.] A factis, & uita anteacta amplificationē probat. An hic.] Cælius. Si ſeſe iſti uitæ dediſſet.] Si uoluptatibus & luxuriæ immerſiſſet ſeſe. Conſularem hominem.] C. Antonium collegam ſuum, ut paulo poſt uidebitur, intelligit quem Cælius ambitus accuſauit. Conſularis autē dicitur qui in conſulatus dignitate conſtitutus aliquando fuit. Obſtrictus.] Impeditus. In hac acie.] In hoc forenſi ſtudio. Appeteret.] Deſideraret. Capitis.] Vitæ. Nihil igitur.] Obiectio eſt aduerſariorū, quā ſtatim obruit. Nihil igitur.] Budæus in Cōmentarijs citans illud ex auctore quopiam Græco. ὧν δ' ἓν καὶ φωνὴν ἀφεῖσαν τις ἀγγελικῆς ἀξίαν, καὶ πάντα πεφωνοῦσιν τὰ πέτρα. Hoc, inquit, imitatus pro Cælio ſcripſit: Nihil igitur illa uicinitas redolet? nihil hominum fama? nihil Baiæ denique ipſæ loquuntur? illæ uero nō loquuntur ſolū, uerumetiam perſonant, &c. Illæ uere.] Definitio, qua retorquet obiectionem in Clodiā. Perſonāt.] Magna uoce clamant. Flagitiorū.] Peccatorum. Integumenta.] Excuſationem. Verum ſi quis.] Procatalepſis præoccupat, quod in aduerſariorum animos irrepere poſſit. Amoribus interdictum iuuentuti.] Meretricios amores eſſe prohibitos iuuenibus. Ab huius ſeculi licentia.] Ab huius temporis impunitate. Licentia in malam accipitur partem, & denotat impunitam quandā facultatem agendi quidquid uelis. Terent. in Heauton. Nam deteriores omnes ſumus licentia. Conceſſis.] Permiſſis. Quando enim.] Ratio occupationis cum interrogatione & repetitione ad amplificationem. ea ſumpta eſt à conſuetudine maiorū, qui id nunquam reprehenderunt. In qua attende acrem contentionem cum repetitione & interrogatione. Hic ego.] Præparatio ad definitionem, cum attentione à re. Oratoribus uſitatiſſimum eſſe ſolet, præparare auditorū animos, cū ab una quæſtione tranſeundum eſt ad aliam, uel cum noua quæſtio aggredienda eſt. Iſtuc qui non hoc in loco uidet à Cicerone factum, is iudicio carere merito dicendus eſt. Tantum in medio relinquam.] Subaudi Alijs penſitandum. Si qua non.] Definitione oſtendit Cælium nō adulterum, ſed amatorem fuiſſe,

quòd cum Clodia rem habuerit. Idq́; cum apoſtrophe ad Herennium, & amplificatione à circunſtantijs petita. Locus tractatur ratiocinatione, quem locum non uideo quo quiſquam pacto melius interpretari poſſit, quàm uerbis Rodolphi agricolæ libro 3. cap. 14. & proinde cur ea non aſcribemus? Vbi uero loqueretur diligens ille rerum æſtimator de argumentationũ diſpoſitione, ita inter cætera intulit: Vertendæ igitur, inquit, ſunt formæ argumentationũ, & partes earum uaria collocatione diſponendæ. Et paulo poſt ſic de hoc loco diſſerit: Sic & Cicero cum multis in locis, tum pro M. Cælio: Si qua non nupta mulier, inquit, domum patefaceret omnium cupiditati, et reliqua multa, quæ ſubijcit in eam ſententiam, quorum omnium hæc uis eſt: Nemo poterit dici adulter, qui cum muliere omniũ cupiditati expoſita coire conſueuit. hoc apertum eſt, maiorem propoſitionem eſſe ratiocinationis. addere deinde debeat minorem: Clodia autem talis mulier eſt. uariauit id dicendi figura, & in eius locum interrogat eam: Fateatur'ne talem eſſe ſe, an neget poteſt ad utranq; partem concludi: Si neget ſe talem eſſe, ne debere quidem uideri à M. Cælio petulantius quidquam cum ea factũ: ſin fateatur, non id uideri ex præcedentium propoſitionum probatione adulterium. Hæc Agricola: quem utinam in manibus potius quàm ſophiſtarum nugas ſemper habeant adoleſcentes, philoſophiæ candidati. Patefaceret.] Aperiret, nam Patefacere quaſi patentē faceret, hoc eſt, apertum, ut Grãmatici putant, denotat. Vnde perinde uenuſte atque ſignanter, feneſtram ad nequitiam patefacere Comicus in Heautótimorumeno dixit: Nam, inquit, ſi ſemel animum tuum intellexeris, Prius te proditurum tuam uitam, & prius Pecuniam omnem, quàm abs te amittas filiũ: hui Quantã feneſtrã ad nequitiam patefeceris? Et Plinius in epiſtolis, ianuam famæ patefacere quoque dixit, pulchra loquutione. Palamq́; ſeſe in meretricia uita collocaret.] Vt meretrix publice, & ante omnium oculos uiuere inſtitueret. Vſurpatur etiam hoc uerbum citra præpoſitionem. Plautus in Muſtellaria: Bene res noſtra collocata eſt iſtoc mercimonio. Alieniſſimorum.] Maxime extraneorũ. Alienus extraneus dicitur, & qui ex noſtris non eſt. Teren. Alienus non ſum. Alieniſſimorum.] A' perſona. Si hoc in urbe.] A' loco. Non ſolum inceſſu.] A' modo, cum diſſoluto. Procax.] Diſpoliatrix & petax, petulans, impudens, & inuerecunda. Mulierem procacem uocauit, rei molliſſimæ appetentem, & in petendo nimium petulcam. hinc in Hecyra Parmeno ait: Sed ut fit, poſtquam hunc alienum abeſſe uidet, maligna multo, & magis procax facta illico eſt. Verum hic tibi L. Herenni.] Apoſtrophe ad L. Herenniũ, quem unum ex ſubſcriptoribus et accuſatoribus fuiſſe apparet ex argumēto. Eam non naturali, ſed uerſo atque mutato effert dicendi genere: nimirum per interrogationem, quo maiorem acrimoniam habeat oratio. Expugnate pudicitiam.] Adulterium committere, uel potius luxuriæ operam dare. Obliuiſcor.] Redit ad Clodiam, & cum apoſtrophe ac occupatione ſe præterire dicit maledicta, quæ ipſe cum ſuis paſſus eſt permulta à Clodia, atq; eius fratre. Hæc.] Comitia. Quoniam & crimē.] Vtitur ratione, quam ab accuſatorũ obiectionibus ſumit. Tui diſſimilis.] Ironia. nam intelligit Clodiam eſſe talem, qualem paulo ante deſcripſit. Adoleſcentem hominem.] Ab ætate motum animis adfert. Aliquid rationis.] Commercij. à fœneratoribus tractũ, qui cum debitoribus rationem habere ſolēt. Ea ſi ert.] Ironia: infert dilemma, quo aut in crimē Clodiam uenire oportet, aut liberari Cælium. Quare nobis.] Clauſula cum ratione, per quam in has anguſtias adducit Clodiam, ut uel turpitudinem confiteatur, uel Cælium abſoluat. Impudentia tua.] O' Clodia. Huic.] Cælio. Sed quoniam emerſiſſe.] Tranſit à principalibus conuitijs ad refutationem auri ſumpti & ueneficij. Hunc autem locum mire Fabius commendat libro quarto, capite ſecundo: quod eam Orator poſtremo reſeruarit loco. Emerſiſſe è uadis.] Metaphora ab his, qui aquas tranſeunt cum magna difficultate. poteſt etiã ſumpta eſſe à nauigantibus. Duo ſunt.] Poſt tranſitum diuiſione proponit, quod confutandum ſupererat. Quod ſumptum à Clodia.] Quod Cælius à Clodia ſumpſit. & quod inuidioſum eſſe poterat, fugit. Aurum ſumpſit.] Eludit quod aduerſarij de auro ſumpto dixerunt, argumentatione quam dilemma uocant. Aurum ſumpſit.] Aduerſarij propoſitio. L. Lucceij.] Lucius Lucceius Quinti fuit filius, non ſolum nobilitate inſignis, ſed in ſcribenda hiſtoria maxime peritus, ut lib. quinto familiarium Epiſtolarum Cicero docet, in quo tres Ciceronis epiſtolas ad Lucceium, & unam ipſius ad Ciceronem comperies. Eſt etiam commendatio L. Lucceij Famil. Epiſtolarum lib. 13. ad Culeolum, mire uenuſta. Dio.] Legatus Alexandrinorum, de quo ſupra à nobis dictum eſt. Magnum.] Epiphonema cum ironia, ut fides detrahatur obiectioni. Vel in legatis inſidi.] Dione Alexandrino. Budæus in Comment. Inſidiandis hic paſſiue dictum, annotat. Quo quidem in.] Præparatio ad dilemma, cum attentione. Dixerit.] M. Cælius. Si non dixit.] Dilemma, hoc eſt, complexio. Tu'ne aurum. Apoſtrophe ad Clodiam, cum repetitione, quæ ualet ad exaggerationem. Ex armario.] Armariũ locus, ubi cibus, ſuppellex, aut aurum reponitur. Sic alibi: Cum eſſet in ædibus armariũ, in quo ſciret eſſe nummorum aliquantum, & auri, noctu duos cõſeruos dormiẽtes occidit. Venerem illam tuam ſpoliatricē.] Quæ te auro ſpoliauit. Spoliare.] Intellige, Auſa eſt. Cæterum eum.] In Clodiam omnem culpam transfert. Ad necem ſcilicet lega.] Dionis Alexandrini. Porrò particula Scilicet plerunque ponitur, cum ea quæ confuſe dicta ſunt, poſtea declaramus. Terentius in Eunucho: Ph. Non uides? P. uideam? obſecro; quem Ph. Hunc ſcilicet. Hic locus pertinet ad amplificationem ex circunſtantijs petitam. Huic facinori tanto.] Vrget Clodiam, ut in eam iure culpam tranſtuliſſe uideatur. Vidit hoc Balbus.] Adduxerant aduerſarij Balbi teſtimonium: id nunc Cicero uanum facit & irritum, complexione, quæ Græcis dilemma uocatur. Erat.] Cælius. Quid uellet.] In quem uſum. O' immoderata.] Epiphonema ad uehementiam, & turpitudinis deteſtationem. Quid ego.] Apodioxis, qua diſſimulat argumentis eſſe opus, cum tamē his utatur nunc ad obiecta crimina refellenda. Eſtq́; locus hic à natura Cælij, & ex antrio prudenti, quo rei cauſam quærere uideatur. Diſiunctos.] Alienos. Homini.] Cælio. Non ueniſſe in mentem tanti ſcel.] In huiuſmodi locutionibus eſſe eclipſim putat Linacer, & ait intelligendũ Recordationē: ut ſit ſenſus, Recordationem tanti ſceleris non ueniſſe in mentem. Teren. Vbi eius aduenti uenit in mentem. Vbi ſit congreſſus.] Excutit omnes circunſtantias, & præcipue à loco & facultate, qui loci coniecturales ſunt falſaq́; eſſe obiecta monſtrat. Cum ſeruis Lucceij.] Vt ueneno Dionem necaret. Si per ſe.] Crimen commiſit, ſubaudi. & eſt breue dilemma. Peragrare.] Commemorare, à uiatoribus ſumptum. Non cauſa.] Complexio uim concluſionis obtinens. Sed hæc quæ.] Suſpicionem exagitatæ orationis artificioſe uitat, et locus, qui proprij ſunt oratoris ſe præterire ſignificat. Habeo enim.] A' teſtimonio L. Lucceij primũ crimen refellit, aduerſanti Clodiæ fidem auferens: deinde amplificat per collocationem à circunſtantijs ſumptam. Iurisq́; iurandi.] Tmeſis eſt. Iuſiurandũ autem uulgus minus uſitate iuramẽtum uocat. Et eſt iuſiurandum, ut in 3. Offic. idem ait affirmatio religioſa. hoc (ut in Rud. Plautus ſcribit) ſeruandæ rei, non perdundæ traditum eſt. An ille uir.] Exaggerat à perſona Lucceij, cuius laudes ſuæ cauſæ accommodat, ad fidem teſtimonio comparandam. In qua re uix dici poteſt, quàm ſuauis & rotundus ſit bimembris circuitus, qui

ſic

ſic diſſolui poteſt, ſed gratiam non retribuit: Luceius magnæ humanitate, ſtudijs, artibus, atque doctrina præditus eſt. quo'nam igitur pacto ipſius periculum, quē propter hæc ſtudia diligebat negligere potuiſſet? Georgius Cretenſis, qui ſe Trapezuntium dici maluit, lib. 5. Rhet. uidetur hic legiſſe non humanitate, ſed Humilitate. quod mihi parum arridet. Studia.] Humanitatis. Et quod facinus.] Collatio à minori ad maius, per circunſtantias. Et rurſum uides alium circuitum bimembrem, hoc modo: Nam id facinus in alienum hominem illatum ſeuere acciperet, quare id non, omiſiſſet curare in hoſpite. Eſt autem Accipere facinus in alienū hominem, obſeruare propius alterius factum. Acciperet ſeuere.] Luceius atrociter animaduerteret. In hoſpite.] Dione, & hoc à perſona ſumitur. A' ſuis.] Seruis. Quod in agris.] A' loco. Quod in alicuius.] Rurſus redit ad perſonam Dionis. Nō poſtmitteret.] Non poſthaberet, non negligeret. legitur & Non prætermitteret: uerum non tam mihi id placet, quàm ſi legatur Poſtmitteret, tum quòd emendatiores libri habēt Poſtmitteret, tum quod docti cum hunc locum citant, ita legunt. Sed cur diutius.] Præcaſtigatio ad fidem. Iurati.] Luceij.] Teſtes ut Fab. lib. 5. cap. 7. docet, uel ſunt quibus index publicis iudicijs lege denunciare ſolet, uel uoluntarij. Recita.] Alloquitur ſcribam, ut frequenter facit Demoſthenes contra Aeſchinem, quādo citat decreta, & antequā inciperet id quod illic ſequitur. Quid expectatis.] Tacuit, donec teſtimonium Luceij ſcriba recitaſſet. Quid expectatis.] Concluſio refutationis auri ſumpti per enumerationem, & ab omnibus circunſtantijs ad amplificationem. Innocentia.] Cælij. Domus illa quæ tentata di.] Luceij domum intelligit. Iſto ſcelere.] Cæde Alexandrini Dionis. Reliquum.] Tranſit à refutatione auri ſumpti ad ueneni præparati improbationē, ut ſupra in diuiſione erat propoſitum. Neque principium inuenire, neque euoluere exitum.] Metaphora à rebus, quarum finis propter inuolutionem difficilius inuenitur. Quæ fuit enim. Primum ſubiectione Rhetorica refutat à cauſa. Si hic nemini nomen detuliſſet.] Si Cælius neminem accuſaſſet. Deferre nomen proprie non eſt accuſare, ſed apud magiſtratum uel iudicem de aliquo crimine ante accuſationem denunciare, & aliam capitis diſcrimen rapere, ut ante à nobis dictum eſt. Cicero pro Roſcio: Qui Sexti Roſcij nomen deferre curauit. Significat igitur hic Orator non crimen Cælij huius iudicij cauſam fuiſſe, ſed quòd Cælius Antonium Ciceronis collegam, Atracini patrem Pollam, & aliquot iuuenes nobiles accuſauerit. Quid etiam Herennium.] A' teſtimonio L. Herennij, aduerſæ partis cauſidici. Credibile igitur.] Concluſio cum epiphonemate. Cui deniq;.] Tractat eos locos, quos ſuperius Oratori eſſe proprios dixit, & quos ſe omiſſurum ſignificarat. Nititur itaque probare ab omnibus circunſtantijs, à Cælio tantum facinus non admiſſum eſſe, & interim figuratis interrogationibus Clodiam urget. Serui'ne mulieris.] Nam accuſatores dixerant, Clodiæ ſeruos à Licinio tentatos, ut in argumento diximus. Et erat tam demens.] Id eſt, ſine ratione. & eſt apoſtrophe ad accuſatores, in quorum obiectione repugnans inuenit. Vos.] Accuſatores. Cum domina.] Clodia. Licentius.] Maiore cum auctoritate. Quis enim hoc.] Reuertitur ad iudices, & à loco probat falſam obiectionem eſſe. Hic.] In illa domo Clodiæ. Seruos non eſſe ſeruos.] Copulatio, quæ Græcis uocatur πλοκὴ, hoc eſt repetitionis genus, in qua prius uerbū perſonam, poſterius qualitatem ſignificat, & poſterius eſt deſcriptio prioris. Redundet.] Perueniat. Id igitur Cælius.] Dilemma, quo falſum oſtendit paratum per ſeruos uenenum uoluiſſe dare Cælium. Non erat.] Ordo eſt, Non erat tanta familiaritas, quæ cum ſeruis eſſe potuit. Ipſius autem.] A' circunſtantijs omnibus fidem detrahit: quem unum modum refutandi plurimum ualere, in 5 Fabius ſcribit. Habuiſſe otium.] Veriſimile facit ſuam confutationem ex aduerſariorum dictis. Cuius.] Serui. Percelleri interitu.] Subita morte. Ab hoc.] Cælio. Proh dij immortales.] Exclamatio acris non tantum cū indignatione, ſed etiā cum miſeratione. Aut præſentis fraudis.] Præſentis doli & deceptionis, quā Cælio ſtruxit Clodia. aliàs Fraus pœnā ſignificat, & eſt iuris uocabulū. Vlpianus de Aedilitio edicto. l. Cū aūt: Veteres, inquit fraudē pro pœna ſumere ſolebant. & Cicero in Philip. Cenſeo ut his, qui in exercitu Antonij ſunt, ne ſit ea res fraudi, ſi ante Calendas Februarij ab eo diſceſſerint. Vidi enim, uidi.] Aetiologia commiſerationis, per conduplicationem. Cum Qu. Metellus.] Parecbaſis, hoc eſt, excurſus ad hiſtoriam Qu. Metelli, ſanctiſſimi uiri, ex cuius familia alioqui caſtiſſima, Clodia, quæ impudice ſemper uiuebat, fuit: hanc Clodiæ impudicitiam cōparatione innocentiſſimi uiri Quinti Metelli hic amplificat. Huiuſmodi digreſſionibus apud Oratores locus eſſe ſolet, cum digreſſu aduerſarij laqueos uitare uolunt. Cicero igitur ſuſpicionem facit, Metellum Clodij ſcelere ueneno ſublatum, et mortem gemitu ac lachrymis proſequitur, aduerſarios opprimit perinde atque ſi eodem crimine eſſent obnoxij, pariterq; impetu dictionis & affectibus mentem iudicum ad huius criminis cogitationem diuertit. Atque huic loco non alienum illud eſſe cenſeo, quod adoleſcentes ingenui cognoſcant oportet, Metellos fuiſſe plures, qui de Rep. bene meruerunt. Nam quis Metello Cæco, Metello Macedonico, Metello Baleari, Metel. Vitato, Metel. Pio, & multis alijs, utilior Reip. fuit? Cum abſtraheretur è ſinu gremioq; patriæ.] Hoc eſt, cum in exilium mitteretur. maluit enim patria carere, quàm ſententia: paratus omnia potius moleſta ferre, ut Plutarchus in uita Marij ait, quàm in aliquam turpitudinem labi. Natum huic imperio.] Ad hoc imperium defendendū genitum. In roſtris.] Roſtra, ut apud Liuium legimus, dictum eſt templum ſeu forum ante Curiam Hoſtiliam, in quo erat pulpitum ornatum ex roſtris nauium Antiarum. Ex eo loco concionari mos erat, & illic nauium capta ab hoſtibus roſtra fixa fuerant. Indigniſſime.] Præter meritum. Cæteris ex partibus oppreſſa mens eſſet.] Vndique dolore eſſet ſuffocata ac uicta. Interruptis atque morientibus uocibus.] Verbis non uno ſpiritu perfectis, ſed diuiſis, cuiuſmodi morientes uti ſolēt. Procella.] Calamitas. locutio ſumpta à mari, in quo uis uēti cum pluuia, nec durans, procella uocatur: ab eo ſic appellata, quòd omnia procellat, hoc eſt, dimoueat, & percutiat. hinc Vergilius, crebrum procellis Africum appellauit. Crebro Catulum, ſæpe me, ſæpiſſime.] Elegans auxeſis, per comparationem. Quem.] Metellum. Nulla uis. Nulla calamitas. Repentini ſceleris.] Repentinæ mortis, quæ uelut ſcelus eſſe uidebatur, cum ciuem Reipublicæ auferret, quantus erat Qu. Metellus. Furenti fratri.] An P. Clodio? ut fratri referatur ad Clodiæ genus: an alteri? nempe Qu. Metelli Patrui filio: quod ſanius eſſe crederem. Suo patrueli. Patrueles dicuntur patruorum filij. nam qui pater alteri eſt, alteri eſt filius. Sorores etiam patrueles uocantur, ex duobus & ipſæ genitæ fratribus. ita Paulus lib. 38. Pandectarum. Ergo patrueles ſunt duorum uel plurium fratrum filij, quos Græci ἀνεψιοὺς uel ἐξαδέλφους appellant. Ex hac igitur.] Altera pars comparationis, quæ tractat perſonam Clodiæ. Sed reuertar.] Redit à digreſſione ad refutationem ueneni dati per Licinium. Sed enim.] Expletiua dictio pro Sed. Venenum unde.] Vnde, intellige Sumptum, uel paratū. Datum eſſe.] A' dicto aduerſariorum, & Licinij perſona. Ad balneas Xenias.] Balneas Xenias eaſdem eſſe cum Balanis uidetur ſignificare Xichonis Polentoni argumentum in hanc orationem: ſed an uerum ſit, nec ne, aliorum cenſuræ relinquo. certe fateor ingenue, apud probatum auctorem alium de his à me nihil eſſe compertū, niſi fortaſſe Baias

ab hoſpitibus, qui ibidem recipiebantur, Xenias, hoc eſt hoſpitales fuiſſe cognominatas ſuſpicemur. Pyxidem.] πύξις Graeca eſt dictio, ſed à Latinis recepta, ſignificans uaſculum, in quo unguenta, atque huiuſmodi res ponuntur: ſic, ut conijcio, appellata ἀπὸ τοῦ πύξου, hoc eſt, buxo: quoniam ex hac arbore primum fieri cœpit. quanquam & ex alia materia pyxis cõficiatur. nam auctore in 8. Fabio: pyxides cuiuſcunque materia, cuius uſus uarijs rebus eſt accommodatus. Hic primũ.] Refutat per dilemma. ſumpto primum à loco argumento. Illud.] Venenum. Si manebat.] Si erat. Suberat ſimultas.] Odium Clodiæ animum inuaſerat. Simultas antiphraſis eſt. nam Simultas, ut Feſtus ſcribit, odium eſt: dicta ex contrario, quia minime ſunt odientes ſe ſimul: & quia ſimulata loquuntur ad inuicem, poteſt & à ſimulatione dicta uideri. Extincta erat conſuetudo.] Ceſſarat amor. Eleganter ab igne ad amorem non minus, quàm proprie ſumuntur translationes. Hinc illæ lachrymæ.) Hoc eſt quod illam male habet. Alluſio eſt prouerbialis, ex Andria Terentij ſumpta: quæ de rei cauſa aliquandiu diſſimulata, quæ uere tandem deprehẽditur, dici ſolet. Hac uſus eſt & Horatius. Sic Simo in Andria loquitur: Atat hoc illud eſt, hinc illæ lachrymæ, hæc illa eſt miſericordia. Inquit.] Herennius. Et eſt conſilium, quo uſa dicebatur Clodia, ut Licinium deprehenderent ſerui. Delitescerent.] Abſconderentur alicubi. Quæ quidem.] Ex oratorio more hoc dicit, qui confirmationem aut refutationem facilẽ iudicibus polliceri ſolent. Cur enim.] Iterũ à loco refutat. Togatis.] Toga indutis. Nam ſi eſſent in ueſtibulo.] Ingreſſu. Gellius Cecilium Gallum in libro de Verborum ſignificatione tradidiſſe affirmat, ueſtibulum nõ in ipſis ædibus eſſe, nec partem ædium, ſed locum eſſe ante ianuam domus uacuum, areamq; per quam à uia publica acceſſus eſt ad ædes. Nam olim quibus ampliores domos habere licebat, hi ante ianuã locum relinquebant, qui medius inter uiam et fores domus eſſet, qui locus erat ſtatio ſalutatorum. Nam ſi.] Ratio à re, per dilemma. Non reciperentur.] Admitterentur à balneatore. Niſi forte.] Correctio cum dubitatione. Quadrantaria.] Apud ueteres qui balneas ingrediebantur, quadrantẽ balneatori ſoluebant, ut hoc carmine ſignificat aperte Satyricus Aquinas: Cædere Syluano porcum, quadrante lauari. Similiter Horat. Satyra 3. Dum quadrante lauatum Rex ibis. Eſt autem quadrãs numulus, ualens aſſis quartam partem, ut triens tertiã. Ad hoc alluſiſſe Oratorem mihi uériſimile fit: niſi malis fœdius quoddam familiaritatis commercium denotari, per factam commutationem. Quadrantariam igitur Clodiam per contemptũ uocauit: hoc eſt, quæ accepto quadrante à balneatore familiaris facta eſt, more meretricum. Eſt autem balneator, balnearum magiſter. Atque equidem.] Exponit quam de his teſtibus ſemper habuerit expectationem. Iſti boni uiri.] Aperta eſt ironia. Sed non dubito.] Rurſus ironicos dignitatem teſtibus & auctoritatem adimit, per ordinationem. ea eſt cum ex eo quod dicimus, alterum quoque ſequi demonſtramus, ſine totius per certum numerum collectione. ut pro C. Rabirio: Sed iſta laus primum eſt maiorũ noſtrorum, Quirites, qui expulſis regibus nullũ in libero populo ueſtigiũ crudelitatis retinuerũt, deinde multorũ uirorum fortium, qui ueſtram libertatem non acerbitate ſuppliciorum infeſtam, ſed lenitate legum munitam eſſe uoluerunt. Hæc facit, ut cum unum dictum ſit, illico alterum animus auditoris dicendũ expectet. Valet ad elegantiam, & præparat ad id quod ſequitur. Eam prouinciam ſuſceperint.] Suſcipere prouinciam locutio eſt, quæ metaphoram redolet ſignificantem rei curam omni in re recipere. ea eſt translata à conſuetudine Romanorum, apud quos magiſtratũ gerentes prouincias alias alij ſortiebantur. Contruderentur.] Conijcerentur. Honeſtiſſimis.] Impudentiſſimis. nam perſeuerat in ironia. Sed quid ego.] Relectio ad beneuolentiam, quam ſequitur attentio à re, illic: Virtutem eorum diligentiamq; cognoſcite. Delituerunt.] Latuerunt abſconditi. Teſtes egregios.] Exclamatio per eclipſim. deeſt enim particula, o quæ frequenter ſubintelligitur. ut paulo poſt: Homines grauitati deditos, pro, O homines grauitati deditos. De huius particulæ o elegantia, uide Budæum in Commentarijs, qui ne hunc locum quidem præterijt. Proſiluerunt.] Prodierunt in apertum, ut Licinium caperent. Cum Licinius.] Repetit aduerſariorum narrationem, ut eam rideat. Euolaſſe.] Ex inſidijs apparuiſſe. Vbi notanda dignitas orationis, & narrationum ac hiſtoriarum proprietas: in quibus infinita plura ex unico uerbo dependent, quod dignitatis eſt & breuitatis. Euolare autem hic per translationem dixit, quẽadmodum in Epiſtol. ad Lentulum: Qui altius me, inquit euolare noluerunt. Præclaros teſtes.] Ironia. In fugam ſe conie.] Fugiſſe. dicitur & Conijcere ſe in pedes. Terent. in Phormione: Aliquid conuaſaſſem, atque hinc me conijcerem in pedes. O magna uis.] Ironia ad ſuauitatem orationis. nam alia dici uidentur ab Oratore, alia æſtimari. Ad hæc eſt epiphonema cum admiratione, et loco communi. Facile ſe ipſam defen.] Nam ut in Phœniſſis Euripides, ait: ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ, κοὐ ποικίλων δεῖ τ' ἄνδιχ' ἑρμηνευμάτων. ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρόν, ὁ δ' ἄδικος, νοσῶν ἐν αὑτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν. Hoc eſt, Eraſmo interprete: Nam ueritatis ſueuit eſſe oratio Simplex, uafris nec eſt egens ambagibus Interpretum: ſi quidem ipſa per ſe congruit. At ſermo iniquus, quia per ſe ſit morbidus, Medicamina exquiſita depoſcit ſibi. Verum hæc.] Proponit ridiculam eſſe accuſationem Calij, idq; argumentatione quadripartita, quæ abſoluitur illic: Itaque hæc cauſa, niſi forte obiectionem et confutationem, quæ interſeritur loco exornationis eſſe malis. Poetria.] Poetria, et poetris poetridis, pro poeſi dicitur, per modũ patronomicorũ fœmininorũ. Perſius ſic de poſteriore: Poetridas picas cãtare credas Pegaſeiũ melos. Licet nõ ignorẽ quoſdã legere, et fortaſſe rectius, Poetidas picas, ſine litera canina: tanquam ſi à maſculo Poetes, fiat fœmininũ Poetis poetidis, ut à prophetes prophetis propheti dis. Quid enim tot iſti uiri.] Subaudi Facerent. Ratio à perſona, quam ſecundam partem argumentationis facies. Nam neceſſe.] An obiectio eſt aduerſariorũ, an potius ironia defenſoris? Res.] Veneficium. Teſtatior.] Magis comprobata teſtibus. Cur Licinium.] His interrogatiunculis urget aduerſarios, & fictas eſſe aduerſariorum obiectiones probat. Videtur eſſe præcedentis rationis comprobatio. Erant enim illi.] Hypotypoſis eſt rei geſtæ. eam cauſæ mirum eſt quàm accommodet. Poſiti.] Collocati. Mulieris.] Clodiæ. Prouincia.] Munus & officium. Rogati.] À Clodia. Quos quidem.] Hæc apoſtrophe referenda eſt ad Herennium. Temere.] Sine conſilio. Fuerant aduerſ.] À cauſis finalibus urget aduerſarium. Imploraret.] Obiectio eſt. nam uerba ſunt aduerſarij, quem fingit ad ſuperiora reſpondere. Quomodo illi.] Solutio obiectionis per confutationem coniecturæ: quam primum à perſonis ſumit, deinde à tempore. Reuocarent maximi facinoris crimen.] Obſiſterent maximi facinoris falſæ ſuſpicioni. quid enim aliud proprie crimen ſignificat, quàm id quod falſum eſt? Sic Virgilius: Formidine crimen acerbat. Facinus eſt nepharium alicuius hominis factum. ſic pro P. Sylla: Neque enim iſtorum facinorum tantorum, tam atrocium crimen iudices P. Syllæ perſona ſuſcipit. Et hic rurſus ordinatio eſt, ſchema Rhetoricorum, de quo ſuperius. Semper igitur.] À parte ſigni, quæ tempus uocatur, refutat. Expediret.] Præpararet, uel uinculis liberaret. nam Expedire, ut Donatus ait, dicitur, qui pedem retentum liberat. unde hic per metaphoram Expedire pyxidem di-

cere

cere potuit. Mimi ergo.] Concludit quod propoſitum fuerat, & ex abundanti probat, à re & à perſonis. Mimos Latine appellamus effictores, qui intra aut extra ſcenam geſticulationes exercent, & imitantur dicta facta, uel mores hominum & naturas, ἀπὸ τοῦ μιμεῖσθαι, id eſt, imitari, quaſi ſoli imitentur ut eſt apud Grammaticos. Mimi autem hic uocantur poemata, quæ laſciuiam imitantur citra uerecundiam. quæ fabularum ſpecies à Latinis uocatur Planipedia. de his Ouidius ſic ait: Scribere ſi fas eſt imitantes turpia mimos. Laberius præcipuum quiddam in his iure ſuo ſibi uendicaſſe uidetur. In quo.] Simile quiddam eſt & huic ad locum non impertinens, apud Ciceronem primo de Natura deorum; ubi dicit poetas tragicos cum explicare argumenti exitum non poſſunt, confugere ad deos. Cum clauſula.] Clauſula non eſt id quod uulgus in ſcholis putat, ſed eſt finis ac concluſio alicuius materiæ, ut in decimatertia Philipp. Cicero indicat his uerbis: Veniamus aliquando ad clauſulam. Concrepant.] Crepitum & ſonitum emittunt. Aulæum.] Aulæa dicuntur tapetes, quibus ornamus aulas, primum inuenti ab Attalo rege Aſiæ: Græcis appellantur περιπετάσματα uel παραπετάσματα. Hinc Attalica nuncupantur. Silius libro decimoquarto: Queis Attalicis uariata per artem Auleis ſcribuntur acu, & Memphitide tela. Cui ſuccinit libro ſecundo Propertius, cum dicit: Porticus auleis nobilis attalicis. Heſitantem.] Conſcientiæ ſigna exprimit, in quibus cum non deterritus fuerit Licinius, aduerſarios falſæ accuſationis inſimulat. Aſyndeton ualet ad amplificationem. Mulieraria manus.] Hæc mollis amicorum Clodiæ turba: Sunt qui hic legant Muliebris iſta manus, de manibus iſte emi ſerit, non mulieraria manus. Sed quamobrem locum immutent, non uideo, præſertim in tanto exemplarium emendatiorum conſenſu: cum hæc dictio Mulierarius Latina ſit, & ſignificat nimium mulieris amantem. Iulius Capitolinus: Mulierarius fuit inter primos amatores. Vel, ſi mauis, quod mulieris eſt, aut molle, ut hoc in loco: Vrget autem nimiopere hac repetitione figurata aduerſarios. Expreſſerint.] Extorſerint. nam Exprimere Budæo interprete, eſt extorquere: Græci ἐκβιάζεσθαι dicunt. Liuius: Expreſſit hoc neceſſitas patribus. Vnde in principio Partitionum, Expreſſam Cicero uocat orationem, ad quam ui quadam compellimur atque coactione: cuiuſmodi eſt oratio eorum qui quæſtionibus teſtimonium dicere coguntur, Ea eſt libera contraria. Ne tot unum, uel imbe.] Eſt antitheton, quod Latinis Contrapoſitum uocatur. nam Antitheton figura eſt, qua contraria inter ſe opponuntur, ut lux tenebris, tot uni, &c. Ea ad delectationem ualet plurimum. Nullum argumentum. In re nulla.] Repetitio, in qua uenuſte genus uariat. Itaque.] Tranſitus à confutatione ſignorum ad locum contra teſtes. Quos quidem ego.] Præparat iudices à ſua teſtium perſona, ad futuram teſtium refutationem, eoſdem in inuidiam rapiendo. Prægeſtit.] Totus hic locus ſuauitatem orationis amœniſſimam habet. nam inuiſum, atque antea inauditum refert. Citatur à Georg. Valla in Partitionibus Ciceronis: & eſt διαβολή, quæ eſt Ruffiniano Criminatio, & quaſi denunciatio eorum quæ futura ſunt. Prægeſtit.] Valde geſtit. Geſtire eſt, geſtus animi affectus indicantes facere, Transfertur interdum ad inanimata, ut pro Marcello Cicero: Parietes medius fidius (ut mihi uidetur) huius Curiæ gratias agere geſtiunt. Lautos.] Elegantes. Sic alibi: Comites illius atque amici, homines lauti atque urbani. Beatæ.] Diuitis. ut contra Salluſtium: Quibus rationibus repente factus es tam affluens, & tam beatus. Deinde forteis uiros.] Alludit ad morem militantium, & à perſonis atque loco deridet teſtes. Forteis.] Ironia. Imperatrice.] Clodia. Alueus ne ille.] Alueus locus eſt concauus, per quem riui & flumina profluunt. Lucanus in 4. Pharſal. Tam largas alueus omnis A rupis accepit aquas. Equus Troianus.] Epeus coquus, cum Græci aliter Troiam capere non poſſent, equum fabricauit ingenti magnitudine, qui fraude Sinonis in Troiam inuectus eſt. eo incluſi Græcorum principes cum armis, urbem ceperunt. Lege ſecundum Aeneidos à principio ad finem, hiſtoriam cognoſces. Ea res poſtea in prouerbium abijt, ut Troianus equus pro ſocietate, non in perniciem ſolum cuiuſpiam inita, ſed ad bonam quoque frugem aliquam diceretur. Cicero in Philippicis: In huius me, inquit, conſilij ſocietatem, tanquam in equum Troianum includi cum principibus non recuſo. & alio in loco: Ex Iſocratis ludo, uelut ex equo Troiano innumeros principes exiuiſſe teſtatur. Conſule libro. 16. capit. 25. Lud. Cœlium. Illud uero.] Ab eo quod fieri oportuit, & ex perſonarum collatione falſam eſſe accuſatoris inſimulationem probat: perterrefacit etiam teſtes, ne ad teſtimonium dicendum prodeant. Hunc unum.] Licinium. Imbecillum.] Debilem. dicimus & Imbecillem per tertiam inflexionem. Plinius in Panegyrico: Quis enim eſt tam imbecilli ingenio, qui non tanto meliorem conſulem ſperet, quanto ſæpius fuerit? Explicabunt.] Expedient. Quam uolent.] Conceſſio inſectatione teſtium plena, ad eleuandam eorum fidem. Alia fori.] Conceſſionem probat à differentibus. Fori.] Loci in quo iudicia publica exercebantur. Triclinij.] Triclinium Græcum eſt, ſed latinitate donatum, à τρεῖς & κλίνη. à tribus lectis, qui ſternebantur, nuncupatum. Veteres enim qui iacendo cœnabant (ut à Turcis, qui ad Imperatorem ſuperioribus annis legati uenerant, fieri in Germania uidimus.) tres menſis conuiuio adhibebant. Latine diſcubitorium non male fortaſſe uerti poſſet. Erat autem Triclinium apud ueteres locus, in quo conuiuio accepti diſcumbebant cœnando. Subſelliorum.] Subſellia ſedes erant minora iudicia exercentium, ut quæſtorum, triumuirorum, & tribunorum. non enim, ut Aſconius tradit, in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed ſubſellijs conſedebant. Erant etiam ſubſellia, ubi ſenatores, rei & teſtes, uel auditores cum lectio poetica recitaretur ſedebant, uel ſedes in quibus ludos ſpectabant equites. Hinc Perſius. Satyr. prima: Troſſulus exultat tibi per ſubſellia leuis. & Iuuenalis: Sed cum fregit ſubſellia uerſu. Lectorum.] In quibus cœnabant ueteres. Comeſſatorum.] Eorum qui uentris & ingluuiei uitio dediti ſunt. Lychnorum.] Lucernarum. Lychnus Græcum eſt, & à Latinis receptum. Plautus: Lychnum emunge paruumper, ut uideat anus ubi pedes ponat. Mirum, Seruium uirum alioqui doctrina ingenti, contendere lychnium dicendum eſſe, & non lychnum: hac ratione, quod lychnos in primo corripiatur: quod quam falſum ſit, pueris etiam, imo cæcis conſtat. Quis enim non intelligit primam in lychno poſitione protrahi? cum apud Latinos c & n poſt y uocalem habeat, apud Græcos autem χ & ν, quæ duo elementa tam apud nos quam Græcos conſonantibus adnumerantur. Quamobrem ſic illud Virgilij legemus: Dependent lychni laquearibus aureis: non, ut Seruio placet, Lychnij, duplici ij, ut triſyllabum fiat. Quamobrem excutiemus.] Epilogus confutationis teſtium, in quo primum quid ſit facturus contra illos præmonet: deinde conſulit ut non prodeant, ſed taciti cum Clodia ſuis uoluptatibus potiantur. Excutiemus.] Scrutabimur & diligenter inquiremus. Nauent aliam operam.] Aliud ſtudioſe adimpleant potius quam prodeant. ſumpta eſt translatio à nautis, qui mutua indigent opera in nauibus gubernandis, & à portu deducendis ad mare, quod fieri minime poteſt ſine magno hominum adiumento. Ineant gratiam.] Aliam mereantur amicitiam. Inire gratiam eſt dare beneficium, interprete Donato: ac per hoc alicuius inire gratiam, hoc eſt, amicitiam. Cic. in Off. Sin

erunt merita, ut non ineunda, ſed referenda ſit gratia, maior quadam cura adhibenda eſt. & T. Liuius de bello Maced. Vt dum liceret, gratiam inirent. Vigeant apud iſtam mul. ] Potentes ſint apud Clodiam. & eſt hoc loco attendenda non inuenuſta breuitas orationis. Innocentis. ] Cælij. Adſunt ſerui. ] Factum Clodiæ in ſeruis manumittendis commemorat ad inuidiam, & illud deridet. De ſententia. ] Secundum ſententiam. ut alibi: Quid ſentis igitur? nihil niſi de tua ſententia. & ad Atticum: Id ego ita fieri uolui de Caij Duronij ſententia, quem & amiciſſimum Miloni perſpexerim. & Vergilius, De more pro ſecundũ morem uſurpauit, hoc carmine: Nãq; humeris de more habilem ſuſpenderat arcum. Sed ſcire cupio, ] À non neceſſario deridet manumiſſionem, & manumiſſionis cauſas profert. Quæſitum. ] Acquiſitum. Aut quæſtio ſubleuata. Tormenta ſeruis adempta. Nam de libero homine pro teſtimonio, niſi uacillet quæſtionem non haberi oportere, lib. Digeſt. 48. tit. de Quæſt. Calliſtratus memoriæ prodidit. Multorum rerum. ] Multorum à Clodia cõmiſſorum criminũ. Cum cauſa. ] Cum ratione. Aut propinqui. ] Obiectio. Cur non. ] Solutio à cauſa. Tute. ] Tu ipſe. Hic. ] Nunc, aduerbium loci pro aduerbio temporis. His enim. ] Epiphonema, indignatione plenum. Obſcœniſſimæ fabulæ. ] Turpiſſimum mendacium. Nihil eſt. ] Cum aſſeueratione apertius in Clodiam inuehitur. Audita & per. ] À rumoribus probat præcedentem ſenſum. Percipitis. ] Communicatio cum iudicibus, cũ epanorthoſi, hoc eſt, correctione. Quod etiam ſi eſt factum. ] Culpam à Cælio remouet, & factum negat cum aſſeueratione. Eſt enim. ] Transfert crimen in alium. Inſulſo. ] Fatuo. nam inſulſus eſt Donato, ſine ſale & ſapientia, aut ſale & facilitate. Quod profecto. ] Redit iterum ad inſectationem Clodiæ. Dicta eſt à me. ] Epilogus confutationis cum admonitione eius rei, quæ in diſceptationem cadit. Dicta eſt à me cauſa. ] Defenſa eſt à me cauſa Cælij. De ui quæritis. ] À legis interpretatione, tempore quo lata eſt & his quæ per eam facta ſunt, demonſtrat Clodiam Cælio nocere non poſſe. Q. Catulus. ] De hac Catuli lege dictũ eſt in argumento. Cõiurationis. ] Catilinæ, quam oppreſſit, in ſuo cõſulatu Cicero. Mulieris. ] Clodiæ. eſt à ſexu contemptus. Depoſcitur. ] Fortiter petitur. M. Camurti & Ceſerni. ] Irridet M. Camurti & Ceſerni dãnationem, tanquã diſſimilẽ Cælij cauſæ. quare apparet aduerſarium à iudicatis probaſſe Cæliũ hac lege Q. Catuli damnandũ: quoniã eadẽ non ſolũ Camurtius, ſed Ceſernus etiam damnatus fuiſſet. O ſtultitiam. ] Exclamatio acris propter dubitationis amplificationem. Audetis ne. ] Indignatione à circunſtantijs petita cum aduerſariorũ increpatione diſſimilitudinem iudicati patefacit. Quo enim illi. ] Aetiologia indignationis, uerſa atque mutata ſubiectionis ſchemate. Ergo. ] Concludit cum interrogatione, ut acriore dicendi forma urgeat aduerſarios. Vectij. ] Vectius apud Craſſum Diuitem de ui reus fuit: & cum eſſet damnatus, erat iudicium poſtulaturus: quod ſi impetraſſet, iudicia fore uidebãtur. uide Ciceronem ad Atticum libro. 2. Epiſtola penultima. Hunc eſſe opinor, quem C. Gracchus defendit, ut Plutarchus in uita Gracchorum ait: nam ei erat amicus. In qua una defenſione ſic excelluit, ut cæteri Oratores nihil à pueris differre uiderentur, populuſq; Graccho dicente, mirabili lætitia plauſuq; exultaret. Refert idem Plutarch. paulopoſt: M. Vectium, quòd tranſeunti Tribuno plebis de uia nõ receſſiſſet, ultimo ſupplicio fuiſſe affectum. De M. Camurtio & Ceſerno, apud alium auctorem idoneum nihil à me repertum fuiſſe, fateor ingenue. quamobrem id amplius quærendum alijs relinquimus. Refricaretur. ] Leuiter renouaretur. Hoc uerbo ſæpius in malam partem utimur, ut cum dicimus Refricare uulnera, memoriam, dolorem, cicatricem. Cicero ad Atticum: Appij uulnera non refrico. & pro Seſtio: Sin autem omnia quæ ſeptio, præſcripſerim, ne refricem meis literis deſiderium ac dolorem tuum. & pro lege Agraria: Aut refricare obductam iam Reip. cicatricem uideretur. Metaphora hæc ſumpta eſt à corporali uulnere, quod iam coijt, cicatrice obductum: hoc eſt, à uulneribus, quæ identidem fricãdo innouantur. Qui quanquam lege. ] Confutat aduerſariorum ſententiam, qui exemplo Camurti & Ceſerni uolebant damnare Cælium. Implicati. ] Obnoxij, irretiti. Legis laqueis emittendi. ] Abſoluendi & liberandi à uinculis ullius legis. Neque minori uenuſtate hic legis laqueis emittere dixit, quàm pro Cecina, Capi uerbi laqueo: Id quærendum inquit, eſſe dicis, neque æquitatem rei, uerbi laqueo capi putas oportere. Marcus uero. ] Paulatim labitur ad narrationem, quæ prudenti Oratoris conſilio ad hunc locum dilata eſt. Ea non eſt propria cauſæ, ſed à uita anteacta petitur. Quod ſit à lege ſeiunctũ. ] Quod per legem non liceat. Cuius prima ætas. ] Ficta narratio, quæ orationis pars eſt. In ea primum de bonis Cælij, deinde quidquid ſupereſt in cauſa declarat, eius meminit Fabius libro quarto, ut ante ſcripſimus. mirus eſt ubique in ea rerum & temporum ordo. Dedita. ] Conſecrata. Inſtruimur. ] Informamur. Capeſcendam. ] Gubernandam. Optimi ac nobiliſſimi. ] Subaudi Petebant. Cum autem. ] Spargere occipit argumenta & ſemina innocentiæ adoleſcentiæ, ut in narrationibus faciendum eſſe à Rhetoribus præceptum uidemus. Proconſuli. ] Proconſules appellati ſunt, quòd pro conſulibus & eorum uice functuri mitterentur. de horum poteſtate capite undecimo, libelli de magiſtratibus Romanorum Feneſtella, & Alexander Genialium dierum libro ſecundo, capit. 27. ſcripſerunt. In qua. ] Africa. Res erant. ] Facultates Cælij erant. Tum etiam uſus quidam prouincialis. ] Veteres ſolebant adoleſcentes ad prouincias cum præſidibus mittere, ut paratiores ad Rempub. accederent. unde hic Cicero uſum prouincialem dixit. Vetere exemplo. ] Apud ueteres conceſſum adoleſcentibus erat, in accuſationibus eorum qui magiſtratum geſſerant, populo præbere ingeniorum ſuorum ſpecimen. Vellem potius. ] Quòd inuito Cicerone Pollam Seruiũ accuſarit Cælius, hic ſignificatur ab oratore: id quod iam ante apparuit. Accuſaui C. Antonium. ] M. Cælius C. Antonium ambitus reum fecit, defendẽte eundem Cicerone, ut in oratione pro Domo ſua tradit orator: Hora, inquit, fortaſſe ſexta diei queſtus ſum in iudicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de Repub. quæ mihi uiſa ſunt ad illius miſeri cauſam pertinere. Poſtea nemini. ] Hæc ſigna ſunt paruum aut nullum tempus Clodiæ amori & libidini datum fuiſſe à M. Cælio. Vigilantes. ] Studioſi. & attende repetitionem, quæ ad amplificationem facit. In hoc flexu. ] Nonnulla de Clodiæ amore fatetur, quod ad probabilitatem narrationis ualet. Certe flexum ætatis uocamus, cum ætas urgere incipit & inclinari. Ergo flexus, quaſi ætatis hæſit ad metas, hoc eſt, cum iam curriculum adoleſcentiæ ſtudiorum permenſus eſſet, ibi in uoluptatis licentiam delapſus eſt, & aliquantiſper immoratus: perinde ac ſolent, qui in meta non flectentes curſum inſiſtunt, nec finem præmiumq; aſſequuntur laboris. Sic in prologo librorum de Oratore: Si infinitus forenſium rerum labor, & ambitionis occupatio decurſu annorum & ætatis flexu conſtitiſſet. Nihil enim. ] Aetiologia cum parentheſi ad fidem. Quæ cum incluſa. ] Retentæ. Occaſionem amoris, quo Clodiam meretricem Cælius complexus eſt, exprimit. Dicam quo ex ſermone. ] Correctio eſt ad extenuationem. Nequaquam enim. ] Correctionis ratio. Ex eo. ] Sermone. Emerſit. ] His uoluptatibus ſeſe liberauit. & ita Emergere ex ſermone dixit, ut Terent. in Andria, Ex malis emergere: Vxorem, inquit, demus: ſpero conſuetudine & coniugio liberali deuinctum Chreme,

dehinc

debinc facile ex illis ſeſe emerſurum malit. Sumptum ab his, qui à periculis aquarum liberantur. Illius.] Clodiæ. Moreretur.] Auferretur. tranſlatio ab animalibus. Me hercule,] Pro ita me hercules: ſubaudi, iuuet, uel amet. Impetratum eſt (quemadmodum Cicero ait in Oratore ad Brutum) à conſuetudine, ut peccare ſuauitatis cauſa liceret & pomeridianas quadrigas, quàm poſtmeridianas libentius dixerim: & me hercule, quàm me hercules. Sed tamen fecit.] Conduplicatio ad commiſerationem. alij malunt ἐπάνοδον appellari. Nomen amici mei.] Pollam Seruium Atracini patrem intellige, quem Cælius accuſauit de ambitu, ut populo ſuam induſtriã comprobaret. Cæterum quòd Pollam amicum ſuum uocat Cicero, id ad cauſæ utilitatem magis facit, quàm rei ueritatem, Sic enim ſcribit de eodem, & Cælio libro 2. ad Q. Fratrem: Cognoſce nunc idus, decimus erat cælio dies, Domitius ad numerum iudices non habuit. uereor ne homo teter & ferus Polla Seruius ad accuſationem ueniat: nam noſter Cælius ualde oppugnatur à gente Clodia. Certi nihil eſt adhuc, ſed ueremur. Abſolutum inſequitur.] Secunda actione uexat. Reuocat.] In iudicium, ſubintelligamus. Sed ego non loquor,] Confirmationis initium apte per correctionem coniunctum fuit narrationis præcedentis. ea ab adoleſcentiæ moribus & natura ſumitur: quod ad deprecationem pertinere uidetur, ad quam ſenſim labitur. Tractatur hæc confirmatio mediocri argumẽtatione, quæ propoſitionem, rationem, & complexionẽ ſolum habet. Sed non loquor.] Correctio præcedentium per interpretationem. In his ætatibus noſtris.] Hoc eſt, ſenilibus. Contractio.] Non adeo ardentia. Tanquam in herbis.] Similitudine oſtendit, adoleſcentiam Cælij plenam eſſe in iudicijs & argumentis ſummæ probitatis. Ad hunc locum accedit, ut intelligas doctioribus, In herba eſſe, prouerbio dici, ubi ſpem immaturã indicamus, ac adhuc abeſſe ut cõſequaris. Sumpta eſt metaphora, interprete Eraſmo, a ſegetibus teneris adhuc & herbeſcentibus, de quibus nihil adhuc certi ſibi poſſit agricola polliceri: propterea ꝙ plurimi caſus ſolent incidere, qui non ſinant cultorem optato potiri. Verum ubi iam demeſſam ſegetem in horrea conuexit, tum demum utcunq; tutum eſt bene ſperare. Perſius Satyr. 6 Meſſe tenus propria uiue, granaria (fas eſt) Emole. quid metuas? occa, en [redacted] ſemper.] Probatio cum ſententia. Amputanda.] Apte ab arboribus ad adoleſcentiam metaphoras ſumit. Effloreſcit.] Luxuriatur. Inſerenda.] Concedenda.] Quare ſi.] Complexio confirmationis. Efferbuiſſe.] Flagraſſe. In ſuſcipiendis aliorum cauſis.] Defendendis. Ferocitas.] Vt ferocitas ad ſuſcipiendas, ita pertinacia ad gerẽdas inimicitias referenda eſt. Purpuræ genus.] Ornatus elegantia. Iam iſta deferuerit.] Deferere potuit, aut debuit. Sic paulo poſt Mitigarit, pro mitigare potuit, uel debuit. ea duo uerba ſunt præteriti imperfecti modi potentialis: de quo ingenioſe in primo de Latini ſermonis ſtructura Linacer, auctor (ita me bene Muſæ diligant.) oppido quàm utilis, quem utinã pueri præ manibus haberent aſſidue. dici enim non poteſt, quantum fructus ad linguæ Latinæ cognitionẽ eſſet allaturus. Et hic quoque locus paulo aliter quàm in uulgo impreſſis codicibus habeatur, à Budæo legi uidetur in Commentarijs. Sic enim ille habet loquens de particula ἄν: Latini ſic, inquit, quodammodo loqui uidẽtur, cũ per futurum ſubiunctiui efferunt quod dicunt: quod ipſum à præterito formatur. Cicero pro: Cælio Quare ſi quem etiam horum minorũ aliquid offendit, iam iſta deferuerit ætas, iam dies mitigarit. Quem locum ſi cum exemplaribus conferas, uidebis quantum diſſideat. Iam res, iam dies.] Locus communis: Res et dies noſtros mutat mores. Alluſũ eẽ putarim ad illud Homeri Iliados κ'. ἀλλ' ὅτε δὴ πολιόντε κάρη πολιόντε γένειον hoc eſt: ſed poſtq uam canumq; caput, incanaq; menta. nempe quòd aliam ætatem alia deceant. Vel illud: ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα: Alia dies, alia dieta. Conſeruate igitur.] Generalis ſuperiorum omnium epilogus, per enumerationem, qua iudicibus Cælium atque eius ſtudia Reipublicæ nunquam defutura promittit. Quod ad deprecationem ſpectat, eam partim ab animo Cælij, partim enumeratione ſuperiorum argumẽtorum adprobat. Quem.] Cælium. Si modo.] Correctio ad beneuolentiam. Hunc.] Cælium. per hoc enim pronomen ſuum litigatorem ſignificare ſolet Cicero. Rationibus ſeiunctum.] Conſilij alienum. Neque enim.] Ratio per enthymema à repugnantibus, & impoſſibili. Hominem conſularem.] Antoniũ: de quo paulo ante. De ambitu abſolutũ.] Pollam Seruium. Eſſe largitor.] Ambitioſus. Duas accuſationes.] Pollæ, & C. Antonij. Quæ re oro obteſtorq;.] Hic initium eſt perorationis, in quo aperte deprecationem profert, affectus & commiſerationem mouens: & à Clodij exemplo, & turpitudine Clodiæ æquiorem Cælij cauſam facit, ne propter Clodiæ inuidiam condemnetur. Præcipium eum de deprecatione loquũtur oratores, ut alij tali uel maiori de cauſa ignotum fuiſſe oſtendamus: quod in hoc loco facit orator. Obteſtari porrò hic orare ſine adiuratione ſignificat. ut pro Flacco: Flens flentem obteſtabar. Sex Clodius.] In hoc loco non Sex. Clodius, ſed publius Clodius multi eſſe legendum audent affirmare. Nam cum ea quæ ſubſequuntur, tam quæ de Publio Clodio in orationibus pro Milone & in Piſonem ſcripta ſunt, id apertiſſime indicant: quibus ne id quidem obſtare, ut illi aiunt, debet, quòd Sex. Clodius admodum ſceleratus fuerit. Is enim, ut pro Domo ſua ſcribit Cicero, fuit helluo ſpurciſſimus, praguſtator libidinum P. Clodij, homo egentiſſimus & facinoroſiſſimus, ſocius ſanguinis, qui ſua lingua ſororem à Clodio alienauit. & paſſim, ut illi dicunt, licet intueri, Pub. Clodium adulterij reum, quòd ſacra Bonæ deæ uiolaſſet, fuiſſe abſolutum. de qua re plenitiſſime uidebis in Epiſtolis ad Atticum, & orationibus ſupra dictis. Verum quoniam Sextum Clodium fuiſſe P. Clodij ſcribam conſtat, & ueriſimile eſt eius operâ P. Clodium uſum, & proinde illum in iudicium raptum, ſed P. Clodio procurante liberatum, nihil immutabo. Opinor omnia, quæ hic referuntur ſcelera nomine Pub. Clodij per [redacted] miſſa? ut nobiles noſtro tempore facere ſolent, qui per ſeruos grauiſſima quæque admittunt, ne fortunis ſuis priuentur. Aedes ſacras.] Templum Nympharum intelligit. Romani cum uarijs incendijs urbem obnoxiam cernerent, Nympharum ope, quæ à poetis aquis præeſſe finguntur, ſubuenïri poſſe putarunt. eã ob rem his urbe ædem conſecrarunt. hanc Pub. Clodius incendit, ut Cicero in oratione de Aruſp. reſpon. tradit: Idem, inquit, earum inflammauit templum dearum, quarum ope etiam alijs incẽdijs ſubuenitur. hic ad amplificationem Aedes in plurali dixit: ut Terentius, In has meretricum contumelias. Cenſum popu. Romani.] In eadem Nympharum æde ſeruabantur tabulæ cenſorum. Solebant cenſores olim quinto quoque anno iudicare de populi Romani moribus, & non ſolum improbos Senatu mouere, ſed etiam Senatus principem eligere: tum acta ſua tabulis publicis deſcribere, quæ in æde Nympharum ſeruabantur. unde Cicero pro Milone de Clodio loquens ait: Eum qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicam recenſionis tabulis publicis impreſſam extingueret. Qui cenſum populi Romani. &c.] Qui, repetitio cum amplificatione ad inſectationem Sex. Clodij: ut oſtendat abſolutione dignum eſſe Cælium. Qui Catuli monumentum.] De hoc Clodij ſacrilegio, & monumento Q. Catuli, Cicero in oratione pro Domo ſua, ad hanc ſententiam ſcribit: M. Flaccus, inquit, quia cum C. Gracho contra ſalutem Reipublicæ fecerat, & ſenatus ſententia eſt interfectus, & eius domus euerſa & pu-

*bilicata eſt: in qua porticum poſt aliquanto Q. Catulus de manubijs Cimbricis fecit. Iſta autem fax ac furia patriæ cum urbem Piſone & Gabinio ducibus cepiſſet, occupaſſet, teneret, uno eodemq; tẽpore & clariſſimi uiri mortui monumenta delebat & meam domum cum M. Flacci domo coniungebat.* Domũ meam.] *De hac re uide Ciceronis orationẽ ad Aruſpices, pro Domo ſua. Cum exul eſſet Cicero, Clodius eius domum Libertati conſecrauit: ſed Cicerone reuocato, Popu. Rom. & Pontifices religione illam liberarunt.* Domum fratris.] *Hoc Clodianorum factum lib. 4. ad Atticum ſic narrat Cicero: Armatis hominibus, inquit, ante diem tertium Non. Nouemb. expulſi ſunt fabri de area noſtra, diſturbata porticus Catuli, quæ S. C. & Coſſ. locatione reficiebatur, & ad tectum penè peruenerat. Q. e fratris domus primo fracta cõiectu lapidum ex area noſtra, deinde inflammata iuſſu Clodij, inſpectante urbe, coniectis ignibus, magna querela & gemitu non dicam bonorũ, qui neſcio an ulli ſint, ſed planè omnium hominum.* Qui in palatio.] *Verum loquitur de ea ui, quam facto Cicerone reo, P. Clodius paludatus circa curiam ſenatoribus intulit, cum decreturi eſſent, ut Pop. Romanus, ueluti ex publico mœrore ueſtem mutaret, cui uni decreto. L. Piſo & A. Gabinius repugnarunt, ut Plutarchus in Ciceronis uita auctor eſt? An de ui, quam Sex. Clodius poſtero die quàm cæſi Clodij cadauer Romam relatum eſt, concitauit? nam Pedianus in eo conflictu ad Clodij domum confluxiſſe ingentem ſeruorum multitudinem, & pleroſque nobiles eliſos fuiſſe ſcribit. Sed de priore ſermonem fieri uериſimile eſt, illo Ciceronis pro Milone loco: Vidi enim, uidi, inquit, hunc ipſum Q. Hortenſium lumen & ornamentum Reipublicæ pene interfici ſeruorum manu cũ mihi adeſſet, &c.* Ad cædem, & inflammandam urbem.] *Attende, qua uenuſtate exaggerat Sex. Clodij crimen, ne maius Cælij factum appareat.* Illum.] *Sex. Clodium.* Mulieбri.] *Clodiæ cauſa.* Condonatum.] *Ad damnationem & ſupplicium traditum.* Ne cadem.] *Rationem à cauſa amplificationis adiungit, per collationem perſonarum Sexti Clodij & Cælij.* Turpiſſimum latronem.] *Sex. Clodium.* Adoleſcentem.] *Cælium.* Quod cum uobis.] *Miſericordiam commouet ab ætate Cælij, & eius parentibus. id enim ad commiſerationem facit, ut aperiamus quid parẽtibus, liberis, cæteriſq; neceſſarij caſurum ſit, ſi reus condemnetur.* Huius etiam miſeri.] *Cælij patris, infelicis. & eſt miſericordia à perſona patris Cælij.* Vnico filio.] *Cælio.* In huius ſpe requieſcit, huius unius caſum pertimeſcit.] *Repetitio eſt, et ſimiliter deſinẽs in uerbis Requieſcit, & pertimeſcit: utrunq; ſchema facit illuſtrem orationẽ.* Supplicẽ.] *Imperatorẽ.* Seruũ poteſtatis.] *Per hunc totum locum mira ſermonis proprietas eſt.* Ad mores ſenſuſq;.] *Ad beneuolentiam. Vel recordatione.* ] *Pathos, à charitate parentum & liberorum.* In alterius.] *Patris Cælij.* Nolite.] *Diſſuadet ab honeſto, ne Cælium cõdemnent, quòd turpe ſit patri ſeni filium expectationis bonæ condemnare. Illuſtris fit oratio metaphoris ab igni & mari. ut enim Extingui ab igne tractum eſt, ita Tempeſtate prouecti, à mari tranſlatum eſſe cenſemus.* Hunc.] *Patrem Cælij.* Occidentem.] *Morientem.* Extingui.] *Mori.* Vulnere.] *Quod in filium infligetis, ſi condemnabitur.* Suo fato.] *Matura morte.* Hunc.] *Cælium.* Firmata iam ſtirpe uirtutis.] *Iacto fideliter adoleſcentiæ fundamẽto.* Turbine.] *Turbinem uentum appellamus, cum frigore maximo obiecta quæque deturbãtem, proſternentemq; ex depreſſæ nubis ſpecie.* Præuertere.] *Damnare. perſtat in ſimilitudine turbinis & tẽpeſtatis, quæ naues & omnia obiecta præuertunt.* Conſeruate.] *Acriores affectus conſumit, et officioſiſſime iudicibus Cælij conſeruationem commendat, à ſpe futuræ uirtutis.* Parenti filium, & parentem filio.] *Antitheton & commutatio elegans, ubi dignitatis ordinem pulchre ſeruauit.* Prope deſperatam.] *Pene mortuam.* Perculiſſe.] *Euertiſſe.* Afflixiſſe.] *Damnaſſe. Extenuatio eſt.* Addictum.] *Deuotum.* Neruorum.] *Roboris & uirium. in neruis enim peculiariter robur eſſe ſolet.*

## IN EANDEM PRO M. CAELIO ORATIONEM SCHOLIA [redacted]

### PRAELEGENTE EXCEPTA

### ARGVMENTVM.

*CAELIVS cum quadam muliere conſueuerat Clodiæ familiæ, quæ cum ipſum odiſſe cœpiſſet, ut eſt ingenium mulierum (nam uel amant, uel oderunt nihil eſt tertium) dixit illi diem: & accuſauit, qui uenenum ſibi neſcio quo in loco dare pararit. deinde, quòd neſcio cui cædi interfuiſſet, eiuſq; conſcius eſſet. Eam cauſam agitabat Atractnus quidã adoleſcens, cuius patrem Cælius paulo ante in ius uocauerat. Cicero uero negat ſimpliciter factũ utrunque. Et oratio ipſa in genere iudiciali eſt, & conſtitutio coniecturalis. nã quæritur factum'ne ſit, an non. Illa nomina artifices indiderunt actionibus, ut cauſarum ſumma facile poſſit percipi. Fuit ipſe quoque Cælius Orator inſignis. Nam ex illius orationibus etiam Fabius loca illuſtria citat. Egit Romæ multas & magnas cauſas.*

### EXORDIVM.

*Exordium hoc, ita ut & alia exordia ſolent, poteſt propemodum auelli à reliqua oratione. Sunt autem exordiorum loci. Beneuolentia, attentio, & docilitas: quorum uno pluribus'ue uti licebit, ut commodum erit, utq; cauſa ipſa requirere uidetur. Nõ enim omnibus ubique utimur, ſed illis tantum quæ commoda uidentur. In hac uero cauſa eſt attentionis locus tractatus. extenuat enim rem ſtatim initio. Attentio autem rem uel auget, uel extenuat, prout commodum uidebitur cauſæ. Locus igitur beneuolentiæ non adeſt, quanquam qui attentos reddit, idem reddit & beneuolos. Eſt autem hoc exordium ualde ſimplex: & illæ orationes optimæ ſunt, quæ ſunt ſimpliciſſimæ, qualis Apellis eſt color in tabulis. Sanam eſſe decet orationem, non fucatam, non peregrinis ornamentis luxuriantem, & quæ in hunc modum compoſita eſt, illa demum grata eſt.*

LOCI

## LOCI EXORDII.

*Principio extenuat cauſam, atque à re ipſa orditur. Res, inquit, tanta non eſt, quam oportuerat tempore alieno tanta cum contentione agere. Secundus locus eſt translatio criminis, quæ eſt, cum culpa uel præmiũ transfertur aliò: ut quod priuatũ eſt, ad Rempub. transfertur, uel contra. Culpa uero in hunc modum propè transferri ſolet, cum nos alterius ſuaſu aut impulſu id feciſſe cauſamur. Translationis uero hæc eſt ſententia: Atracinus, inquit, uel ætate peccat, uel errore quodam. at illa meretrix, cuius ille impulſu hoc facit, eſt cóprimenda. Cicero hoc in loco aduerſarium ſuum Atracinũ non tractat grauiter, ſed omnino ciuiliter & molliter, eo quod ſibi familiaritate coniunctus erat. Transfert ergo rem omnem in Clodiam meretricẽ, qui eſt tertius locus, ſcilicet excuſatio rei Atracini. Primũ crimen, obiectus eſt pater: Cicero reſpondet per inficiationem. Secundum crimen de municipibus. Tranſitio, continens argumentũ, quo probatur ꝙ mores Cælij ſint probabiles, quia ſcilicet ipſius pater & municipes probent. Tertium crimen, de pudicicia. Reſpondet per iuſtificationem. Locus communis de Conuitijs, quæ ſine teſtimonio dicuntur. Alius locus communis de Pudore adoleſcentiæ. Quartum crimen de familiaritate Catilinæ. Confutat à ſigno: Non fuit familiaris Catilina cum eſſet adoleſcens, quia fuit familiaris inimico Catilinæ, ſcilicet mihi. Conceſſio: fuit familiaris Catilinæ, ſed cũ moribus non erat periculũ. Defendit ab exemplis, & additur cauſa à Catilinæ induſtria, & deſcribuntur cõtrariæ res in Catilina. Poſtea pauca quedã dicuntur ad excuſandã ſocietatem coniurationis. Vtitur coniectura, quia accuſauit coniuratos, & reos ambitus. Quintũ crimen, de ære alieno, uel ſumptibus. Sextũ crimen, de habitatione uicina Clodiæ. Septimum, præiudicia de teſtibus. Tranſitio longior, donec peruenit ad obiurgationem deliciarum refellendã. Et quia ad multorum orationes reſpõdet, obiter diluit quædam, quæ illi obiecerant, uidelicet Herennius & Clodius. Et cũ breuiter accuſauit mulierem Clodiã, ſigna colligens falſæ et odio confictæ accuſationis, poſtea tranſit ad excuſationẽ delitiarum Cælij. Sequitur obiectio de ſeueritate. Reſpondet autem, ſeueritati opponens mediocritatem, et naturã adoleſcentiæ. Primũ laudat ſeueritatẽ, ſi cui natura contigit. Deinde à conditione tẽporum, mediocritatem laudandam eſſe dicit. Ratio à natura locorũ, quæ inuitant ad uoluptates. Secunda ratio ab exẽplis: multi in hac ciuitate acta adoleſcentia in uoluptatibus, tamen poſtea emerſerunt ad frugem. Alia propoſitio: ſcilicet inficiatio, in qua omnino Cælium excuſat, & negat eum deditum eſſe uoluptatibus. Ratio, argumentũ ſumitur ex ſtudijs: nullus deditus uoluptatibus, põt eſſe deditus ſtudijs tolerare laborem dicendi, ſcribendi, &c. Cælius eſt ſtudioſus: ergo non eſt deditus uoluptatibus. Cicero incipit Syllogiſmum à minori, ſicut ferè ſolet. Obiectio: Nihil igitur illa uicinitas redolet. Quaſi dicat: At fama publica teſtatur eum habuiſſe conſuetudinem cum Clodia. Reſpondet per Conceſſionẽ, & excuſat quod liceat. Secundũ crimen, de auro ſumpto mutuo. Tertium crimen, de ueneno Clodiæ dando Propoſitio: Cælius non accepit aurum dandum ſeruis, ut interficerent Dionẽ. Primum argumentum, Translatio criminis in ipſam Clodiam: ſi ſciebat Clodia, igitur eſt rea cædis. Secundũ argumẽtum: ſi non erat familiaris, non dedit. ex cauſa impulſiua. Tertiũ de cæde Dionis: Quod Cælius non curauerit interfici Dionẽ. Ex cauſa finali: Cælius non curauit interfici Dionem: igitur falſo criminatur, pecuniam ad eam rem ſumptã eſſe: Argumenta percurrit à ſignis, & teſtibus. Concluſio: In crimine nulla ſuſpicio. Reliquum eſt igitur crimen de Veneno, &c. Inficiatio: argumẽta ſumpta ex cauſis & circunſtantijs. Hucuſq; à nobis de inuentionis locis actum eſt: iam de dictionis ſchemate dicemus. Eſt autem primũ ſchema παράδοξον à tempore, cum rem mirandam dicimus. & in hunc modum hic cœpit Cicero: Mirum eſt, inquit, tantas tragœdias in nugis agere, ac cauſam iſtam tam leuem in diebus ludorum inq; ferijs agi, quaſi Hannibal ſit ante portas, ut alibi dicit Cicero. Eſt & aliud ſchema in principio, Circunductio ſcilicet. nam cum binæ ſententiæ in unam Periodũ concluduntur, Circunductio eſt. Periodus autem eſt, quæ habet commata, & colon. Illæ uero ſententiæ, quæ per Si, Etſi, Quàmuis, Cum, &c. conficiuntur, ſunt Circunductiones, & ab illis frequenter ordiri Cicero ſolet.*

*I quis iudices.] Extenuatio criminis. ſchema eſt παράδοξον, à tempore: ſcilicet alieno tempore rem tam leuem agi. Vnum hoc iudiciũ exerceatur.] Nota, orationem pleno & longiore uerbo rem finitam. Idem cũ audiat.] Interpretatio. Vos laborioſos exiſtimet.] Diſtributio. partitur negotium in plures perſonas hic tibi uidendum eſt, quam commode, & quàm concinne ad hunc uſque locum omnia ex prima illa periodo deriuentur, omniaq; eò tendant. Nullam audaciam.] Id eſt, incompertum eſſe crimen. eſt etiam Interpretatio. Quem ipſe in iudicium.] Abdiam, quem Cælius ambitus accuſauit. Atracini illius.] Translatio. Etenim ſi attendere diligenter.] Aetiologia, quare ſit Atracino ignoſcendum. Vel pietatis.] Diſtributio. Id eſt, ſi uoluit perſequi paternas amicitias. Ac mihi quidem uidetur.] Propoſitio. In cauſarum generibus aliud ex alio nonnunquam mutuatur, Nam in demonſtratiuum nonnunquam excuſatio incidit, ut in Camilli cauſam, cum fœdus ſine dictatore ſancitum erat: ita hæc in cauſa quadam mutuatus eſt ex genere demonſtratiuo. multa enim de perſona dicit. Præponit autem excuſationes quaſdam principali negotio. nam aduerſarij atrociter erant in Cælium inuecti, multa in illum congeſſerant crimina, quæ ad perſonã illius pertinebãt, nihil ad cauſam ueneficij. Illa cõfutat & tollit anteq nam ad cauſæ caput accedat. Hæc oratio caret narratione, quia in reſpondendo raro integris utimur narrationibus. Nam ordinẽ in confutando plerunque aduerſarij tenemus. & certe hic erat ex re cauſæ, leuia illa crimina principio diluere. Ergo hæc pars orationis, confutatio eſt. Ac mihi quidem.] Tranſitio hic primus locus continet duo crimina: primum, patrem non eſſe nobilem: ſecundum, ꝙ eum non officioſe coluerit. Ad primũ reſpondit, patrem eſſe nobilẽ, equitem Romanum: & illorum ordinem non eſſe contemnendũ. probat ſuo & iudicũ exemplo. Dicit non eſſe turpe, Equitis Romani filium eſſe. Sunt autem omnes illi loci ἄτεχνοι. ad ſecũdum locum dicit, debere ea de re patri credi, qui hic adſit ſordidatus, ſollicitus pro filij ſalute. Argumentum hoc eſt à ſigno. Pater deprecatur pro filio, & pro eo adeſt ſordidatus: ergo in eum eſt paterna uoluntate. Et hæc ſunt adhuc anguſta, inferius demum pandet uela. Squallor patris.] Illuſtre uerbum. Squallor ſordide ueſtiri ſignificat: inde ſordidati dicuntur. Nam quod eſt obiectum.] Secundus locus, de municipibus. Municipia, urbes in Italia erant, quibus beneficij loco cõceſſum eſt à populo Romano ius militandi. factum eſt hoc, ut gentes in tranquillitate poſſint contineri, ſi non arma ubiq; & paſſim in poteſtate haberẽtur: ſed ut ut quiq; erant honeſtiſſimi, ita arma merebantur à populo Romano. Beneficij ergo loco ius militandi dabatur. Nam à cæteris publicis oneribus, qui militabant, liberi erant. Quibus ergo illud ius dabatur, municipes dicebantur, quaſi ſimul onera cũ populo Romano accipientes. Municipes non ferebant honores Romæ, tantum una militabant, & liberi erant à uectigalibus & oneribus realibus. Plerique ciues Romani poſſeſſiones & ſedes ſuas in municipijs habebant: ſic erat Cælius, nempe ciuis Romanus, tamen bona ſua Puteolis habebat. Confutat id etiam.*

argumēto ἀπὸ χρόνου. nam teſtes allegat. In ampliſſimum ordinem.] Scilicet decurionum. nam in oppidis paruis decuriones erant, id quod ſenatores Romæ: & duumuiri, id quod conſules Romæ. Videor mihi.] Epiphonema. aſſurgit nonnihil, quanquam parce & modice. eſt autem Epiphonema accommodatio cauſæ ad communem ſententiam, quæ ualde orationē adiuuat, multumq; lucis & grauitatis addit. Dicit autem hic, multum referre, Cælium eſſe probatum ſuis. nam quem ſui nō probant, multo minus poteſt eſſe probatus alijs. Equidem ut ad me reuertar.] Adiecit ſuum exemplum, id eſt, commendatione meorum innotui, & cœpi inclareſcere. nam Arpini municipij erat Cicero. Et meus hic forenſis.] συνωνυμία. idem dicit, ſed alijs uerbis. Nam quod eſt obiectum.] Quarta propoſitio, ſeu quartum crimen, de adoleſcentia impure acta. Fuerat egregia forma, ergo ueriſimile eſt fuiſſe luxurioſum. forma bona eſt obnoxia criminationi. Sunt etenim iſta maledicta.] Loco communi detrahit fidem maledictis. Locus cōſiſtit in κατὰ μεταβολῇ; id eſt, commutatione, quæ fit, quando contraria explicamus. diſcernit enim inter accuſatorem & conuiciatorē: accuſator ſecum crimen adfert, conuiciator calumnias tātum. Non, inquit, iudicia conſtituta ſunt, ut ibi debacchentur conuicijs, &c. Ita etiam Demoſthenes in Aeſchinem dixit, & Cicero uidetur illum locum inde mutuatus. Eſt autem hic aliquanto uberior, ſed tamen nō tam copioſus quàm inferiores. Quā quidem partem accuſationis.] À perſona. nam adoleſcentem mirabiliter decet uerecundia. Atracinus eſt adoleſcens: ergo illum non decet impudica oratio. Locus de decore adoleſcentis. Et meum erga te, &c.] Id eſt, ego de te benemeritus ſum: ergo meam gratiam apud te repoſitam nolo mihi perire. Talem te eſſe exiſtimes.] Id eſt, des operam, ut talis uidearis, qualis es. Falſo reſponſa ſint.] Id eſt, regeſta in te, poſſet ille ſumpto exemplo à te, tibi ſimiliter maledicere. At non ſine argumento.] Quia hæc ætas obnoxia eſt calumnijs. Sed iſtarum partium.] Tranſlatio criminis. Verum ad iſtam omnem.] Argumentum à circunſtantijs, quod in coniecturis fieri ſolet. Tantum ſit, quātum, &c.] Nihil, inquit, de meis moribus loquor. Nam quod Catilinæ.] Scilicet crimen de familiaritate Catilinæ. Diluit hoc crimen ſignis, loco, & tempore. Fuit apud me tum, cum mihi fuit acerrimū certamen cū Catilina: ergo non eſt uerisimile, huic illum fauiſſe. Locus infeſtus.] Id eſt, non feſtus. Quem ergo ad finem.] Cœpit diluere à ſimilitudine, qua ad ætatem tranſit, potuiſſe eum eſſe apud Catilinā ſine ſuſpicione. At enim poſtea.] Conceſſione utitur, deinde excuſat hoc ſimilitudine. Adoleſcentibus ſumpta toga conſtituuntur magiſtri, qui curent ut rite ueſtē ſumant, ne brachium alterum nudetur: quemadmodum & hodie apud nos nihil turpius eſt, quàm cum adoleſcentes non tecto pectore incedunt. Poſt uero liberū eſt illis incedere quo modo uelint, quippe cū tam adultiores ipſi ſe emendare poſſint. Studuit Catilinæ.] Secundo excluſit Catilinæ conſuetudinem purgationē. purgat uero illum contentione uitiorum & uirtutum. Locus ille conſtat multis antitheſibus, quibus umbræ uirtutum Catilinæ deſcribuntur: quas ita fuiſſe dicit, ut caute imponere potuerint. ille locus eſt ualde illuſtris, et habet figuras quàm plurimas ut prope poemati ſit ſimilis. In magnis uiris magnæ uirtutes et magna uitia naſcuntur. Ein weiſer mann thut kein kleine thorheit. In mediocribus ingenijs nō ſunt ueræ uirtutes, inquit Cicero in Officijs, ſed ſimulachra tantum. multo minus in malis ingenijs. Habuit enim ille.] Deſcriptio Catilinæ. Nō expreſſa ſigna.] Id eſt, erat in eo induſtria, reiq; militaris ſtētia; ſed adumbrata tantum utraque. Et hic eſt contentio, quia illis contraria inter ſe conferuntur: & eſt congeries, quia multa conferuntur. Omnino orationem hic obſerua, quia pulchre aſſurgit. ſemper in uitijs uſus eſt uerbis plenioribus, & ſignificantioribus. Neque ego unquam.] Epiphonema. Quodam tempore.] Id eſt, Syllanis temporibus fuit ſemper gratus Syllæ, qui optimates in Republica defendit. Tribuit ubiq; Catilinæ contraria ſtudia. Verſare ſuam naturam.] Id eſt, potuit eſſe ſui diſſimilis. Oportet in Amicitia polypum agere. Me ipſum.] Allegat ſuum exemplum. Oculis prius.] ἀναστροφή. Itaque à maledictis pudicitiæ.] Tranſitio ad Sextum crimen, Non fuiſſe inter coniuratos. Aduerſarij hanc partem breuiter attigerant, quamobrem etiā breuiter diluit. Primum argumentum accepit à natura Cælij, & iſtud in Rhetoricis probabile dicitur. Eſt adoleſcens moderati ingenij, quare non eſt uerisimile eum tantum ſcelus potuiſſe concipere. Naturaq; uulnus.] Graue eſt hoc. mens ſibi male conſcia, ſolet eiuſmodi deſignare. Hoc tamen dico.] Secundum argumentum à ſimili, & ambiguo. Accuſauit coniuratos, ergo non eſt uerisimile eum cum coniuratis ſenſiſſe. Quod haud ſcio.] Alius locus de ambitu. Eſt mihi etiam de illo, inquit, dicendum, quod obiectum eſt de ambitu. nam ædilis factus fuerat Cælius, ut eſt apud Ciceronem de Claris oratoribus: Accuſat ergo eum, emiſſe pecunia & largitione ſuffragia, atque ita ad eum perueniſſe magiſtratum, letaliq; ambitus urbi dixit ille elegāter. Hæc crimina obiecerant ei ſodales, & ſequeſtres, id eſt, ſocij Atracini. Sequeſtres hic dicuntur, qui aſſiſtunt alicui in petendis magiſtratibus, & in cauſis agendis. Ambitus alterum accuſaſſet.] Scilicet patrem Atracini. Accuſat alium, ergo ſibi non eſt male conſcius. Argumentum eſt à ſigno. Accerſiret.] Sic in uno atque altero Ciceronis loco legitur, cum tamen ſecundum analogiam accerſere eſſet legēdum tertiæ coniugationis, ſed nolo quidquam mutare. Quod quanquam nec ſapienter.] Scilicet, quòd accuſat Atracinum. Illum ſuperiorem locum correctione mitigat, ne offendat aduerſarium. nam Atracinus eo iudicio abſolutus fuit. Nam quod æs alienum.] Septimus locus, de ære alieno. ſimpliciter negat factum. Totus locus eſt ἄτεχνος. Argumentum ſumptum à lege. nam tabulas conficere non potuit, qui adhuc in patris poteſtate fuit. P. Clodij inſulam eſſe uenalem.] Ironia. Locus eſt acerbus in Clodium, quia ſequeſtres & ſodales in hac cauſa aderant. de illa inſula Clodij eſt in Milonianā oratione, ubi dicit per uim Clodium eum locum occupaſſe, exturbatis dominis. Puto eſſe illā ſententiam; quod obiter obijciat ſcelus Clodiā, quod exturbet ſuis poſſeſſionibus ueteres dominos. Si paruæ ædiculæ tanti locari poſſunt, tum certe uellet aliquis uendere inſulā, & emere hic ædiculas. Decem millibus.] 250. coronatis. Reprehendiſtis à patre.] Octauus locus quod migrauit à patre. In forum commigrauit, ut iſtic obiret negotia, id quoque flagitiū putarunt. diluit hoc crimen à cauſa. Quo loco poſſum dicere.] μῦθος, & occaſio totius huius negotij. Utinam ne in nemore.] Illi uerſiculi extant in libris ad Herennium de uitioſis argumentis. nam hoc eſt longius petitum argumentum. Detorquet enim uerſiculos illos Craſſus ex ueteri poemate, ad cauſam Ptolomæi regis. Uult hic dicere, illas ædes eſſe occaſiones omnium malorum Cælio. nam hæc domus omnium malorum occaſio fuit, quia non procul erat à Clodia, & per eam cœpit innoteſcere Clodiæ, &c. Porrò quæ ſequuntur, ſunt ex eodē poemate petita, ſeu Ennij ſiue Pacuuij. Palatinam Medeā.] Id eſt, Clodiam, quæ in Palatio habitabat. Quamobrem illa.] Nonum crimen, quod diluit dilemmate. Ex quo iſte fonte.] Id eſt, an commenticius ſit, an ſubornatus. Nec tamen.] Decimum crimen. Conſtituto.] Scilicet tuo re. Sed totum genus.] Epilogus. Non enim ab eo dem. Nam accuſatur ab Atracino, & oppugnatur à Clodianis. Quæ ſit multitudo.] Facit uerisimile quod dixerat, illos conductitios eſſe à Clodianis. Equidem uos abducam.] Tranſitio. De Dione.] Obiter perſtringit cauſam

de decæ

de cæde Dionis. Legati.] Siculi. At præuaricatione.] Id eſt, corrupto iudicio. In quo etſi.] Eleuat auctoritatem Herennij. Sed hæc omittam.] Tranſitio, qua reſpondet Clodianæ contentioni. Equidem multos.] Excurſus in locum communem de Adoleſcentium licentia, quo ſibi uiam parat ad reliquam defenſionem. Et eſt κρινόμενον, ſi eſt aliquid indulgẽdum adoleſcentibus, non uitio uerti debet Cælio, ſi aliquando liberius uixit. Sunt autem duo.] Principalis propoſitio, ſyllogiſmus hypoteticus: Si Cælius familiaris fuit Clodiæ, aurũ recepit, uenenum non dedit: ſi uero familiaris non fuit, aurum non recepit. Auro opus fuit.] Signa, quibus confutat locum de auro. Non hæc barbula.] Scilicet fratris. Mulier quid tibi.] Sermocinatio, qua Cic. probat ſuũ dilẽma. Ergo hæc deſerta uia.] Concluſio. Ac multi & noſtra.] Subijcit exempla. Sed quoniam.] Tranſitio. L. Lucij.] Id eſt, ut nota inureretur Lucio, qui hoſpitem non defendiſſet. Quid expectatis.] Amplificatio teſtimonij. In crimine ipſo nulla ſuſpicio.] Epilogus ſignorum, quibus aduerſarij uti poterant. Domus autem illa.] Scilicet Lucei. Reliquũ eſt.] Traſitio. Quæ fuit enim cauſa.] A' cauſa. Si hic.] Scilicet Cælius. Proh dij immortales. Exclamatione inſectatur impudentiam Clodiæ. Amplificat à dignitate mariti eius, atq; oblique in ſuſpicionem adducit, Clodiam maritum ueneno ſuſtuliſſe. Datum eſſe hoc aiunt.] Commentitia narratio, de exhibendo ueneno. Adſunt ſerui.] Eleuat auctoritatem ſeruorum, qui in hoc manumiſſi erant, ut teſtificarentur. Dicta eſt à me cauſa.] Peroratio, qua docet Cælianum crimẽ non contineri de ui. Atque etiam hoc loco.] Exempli aduerſariorum refutatio. Cuius prima ætas.] Repetitio argumentorum ſuorum, & commemoratio anteactæ uitæ Celij. Vellem alio potius.] πάθος, quo accuſationem extenuat. Præclari in Remp. beneficij.] Quod unà cũ Cicerone Catilinam oppreſſit. In hoc flexu.] Confeſſio liberior placat iudices. Conſeruate igitur.] Adortatio. παθητικῶς.

# IN M. T. CICERONIS ORATIONEM PRO L. CORNELIO BALBO FRAN. SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

## ARGVMENTVM.

LVCIVS Cornelius Balbus Gaditanus in bello Sertoriano, quod in Hiſpania geſtum eſt cum Q. Metello Pio & C. Memmio, & in claſſe, & in exercitu fuit. Vt Pompeius in Hiſpaniam ad bellum uenit, Memmiumq; habere Quæſtorem cœpit, nunquã à Memmio diſceſſit: Acerrimis illis prælijs & maximis, Sucronenſi & Durienſi interfuit: Cum Pompeio ad extremum belli tempus fuit. Itaque Sertoriano bello confecto, eum Pompeius Romana ciuitate donauit, ex ea lege quam L. Gellius & Cn. Cornelius Coſſ. ex Senatus ſententia tulerunt: qua lege cauebatur, uti ciues Romani eſſent ij, quos Cn. Pompeius de conſilij ſententia ſingillatim ciuitate donaſſet. Poſtea Balbus in intima C. Cæſaris familiaritate uerſatus eſt. Eam ob rem quidam Cæſaris inimicus, Balbum in iudicium de ciuitate uocauit, quem Cicero hac oratione defendit. Negat accuſator licuiſſe Pompeio donare Cornelium ciuitate. Nefas eſſe dubitare Cicero probat, quin Pompeio licuerit, quòd eum feciſſe conſtet, præſertim cum in eo inſint omnia, cur id ei concedi oporteat, uſus rerum, pudor, integritas, religio, diligentia, auctoritas. Idq; Gellia lege & Cornelia Pompeio licuiſſe docet. Licuiſſe negat accuſator, quod populus Gaditanus, ex quo Cornelius erat, fundus factus non ſit. Ratiocinatur Cicero, licere omnes donari ciuitate, ſiue ſint ex populo qui factus ſit fundus, ſiue non ſint: niſi in fœdere, quod cum eo populo factum ſit, nominatim exceptum ſit, ne ex eo quiſquam ciuis Romanus fiat. Exceptum eſſe fœdus Gaditanum lege Gellia & Cornelia accuſator dicit, quia ſacroſanctum eſt. Id ſacroſanctum non eſſe probat Cicero, docetq; Gaditanos populi Rom. dignitatem comiter conſeruare non poſſe, ut in eorum fœdere cum populo Rom. icto ſcriptum erat, ſi Romana ciuitate excluderentur. Ex Gaditanorum uoluntate Balbum ciuem Romanum factum eſſe oſtendit: C. Marium, P. Craſſum, L. Syllam, Q. Metellum, M. Craſſum, ſuum quoque patrem Cn. Pompeium fuiſſe imitatum probat. ex iudicum, ex populi Romani, ex Senatus iudicio id Pompeio licuiſſe oſtendit. Tam multa in cauſa minime dubia ſe dixiſſe dicit, ut animos inimicorum frangeret, qui Cornelij inimici quidem non ſunt, ſed C. Cæſaris, cuius Balbus maxime amicus erat. Amicis inimicorum nocendũ nõ eſſe, & ſuſceptas inimicitias Reip. cauſa deponendas eſſe, ſuo exemplo oſtendit. Concludit per commiſerationem & enumerationem. Cauſa iudicialis eſt: Status coniecturalis: Accuſatorem Cicero non nominat. Cornelium M. Craſſus & Cn. Pompeius, antequàm Cicero, defenderunt. Fuit autem abſolutus. nam, auctore Plinio cap. 43. lib. 7. hic primus externorum atque etiam in Oceano genitorum uſus illo honore, quem maiores Latio quoque negauerunt, eumq; factum Conſulem dicit. Idem cap. 5. lib. quinti, auctor eſt, Cornelium Balbum unum omnium externorum curru & Quiritium iure donatum, de Garamantibus triumphaſſe: Quippe, inquit, Gadibus nato Ciuitas Romana cum Balbo maiore patruo data eſt. Hunc in theatro ſuo pro inſigni miraculo columnas quatuor modicas ex Onyce marmore poſuiſſe, idem capite ſeptimo lib. triceſimi ſexti ſcribit. Cum Gaditani in oppido habitarent admodum paruo, Cornelius Balbus uir triumphalis his aliud ædificauit, quod Neapolim uocant, ut auctor eſt Strabo lib. tertio.

VALERENT.] Ad eos abſoluendos. Ab ampliſſimis uiris.] Cn. Pompeio, & M. Craſſo. Si uſus.] Multarum cauſarum actione quæſitus. A' peritiſſimis.] Nam uſus magiſter dicendi optimus eſt. Si ſtudia.] Id eſt, ſi amor & bonus zelus. Hæc autẽ quatuor in iudicijs ualent plurimũ, auctoritas, uſus ingeniũ & ſtudiũ patronorũ, quæ in Põpeio & Craſſo, L. Cornelij patronis maxima fuerunt. Cũ aũt patronis tertius accedat Cicero, quæ ſint partes ſuæ quærit. Auctoritate, uſu, ut ingenio inferiorẽ ſe eſſe oſtẽdit. etiã ut uitet arrogantiã, quæ oratori fugienda eſt maxime. ſtudio uero ſuperiorem. Cn. enim Põpeio & M. Craſſo plurimũ debet Cornelius, ipſi aũt Cornelio Cicero. Maius autẽ eius qui debet, quàm cui debetur ſtudiũ eſſe debet. Hoc autẽ Cicero dicit, ut honeſtã cauſam oſtẽdat, cur hanc cauſam ſuſceperit defendendã cui aliã ſubiungit, ut Cn. Põpeij uoluntati morẽ gereret. In exordio aũt honeſtã agẽdi cauſam oſtendi ſolere, pro Archia ſcripſimus. Auctoritatis tantæ.] Sũ ſcilicet. Quantã nos.] Qui me Quæſtorẽ, Aedilẽ, Prætorẽ, Conſulem feciſtis. Paris.] Id eſt, ex æquo reſpondentis. Negat enim Cicero ſe ingenioſum eſſe, ut pro Archia ſcripſimus. Nam.] Id eſt, præterea. Cæteris.] Pompeio & Craſſo. Alio loco oſtendam.]

Ad extremam orationem id Cicero dicit: Non modo, inquit, non exultauit in ruinis noſtris, ueſtriſq; diſcordijs Cornelius: ſed omni officio, lachrymis, opera, conſolatione omnes, me abſente, meos ſubleuauit. Quorum ego teſtimonio ac precibus munus hoc meritum huic, & , ut à principio dixi, iuſtam & debitam gratiam refero. Oppono.] Id eſt, appono & propono. Saluti meæ.] Cum alias tum præcipue, cum turbulentis et furioſis conatibus P. Clodij ceſſi. Quæ fuerit heſterno die.] Hic attende morē non fuiſſe, ut cum multi eſſent accuſatores aut patroni, eodem die omnes dicerent. Cn. Pompeij grauitas in dicendo.] Cicero in libro de Claris oratoribus de Cn. Pompeio ad hanc ſcribit ſententiam: Meus, inquit, æqualis Cn. Pompeius, uir ad omnia ſumma natus, maiorem dicendi gloriam habuiſſet, niſi eum maioris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abſtraxiſſet. Erat oratione ſatis amplus, rem prudenter uidebat. Actio uero eius habebat & in uoce magnum ſplendorem, & in motu ſummā dignitatem. Opinione tacita.] Id eſt, tacito ſilentio, & quietis corporibus. Nihil de iure, de memoria, de more, de exemplis, &c.] De his intelligas, quæ ad cauſæ huius defenſionem pertinebant. De ipſo.] Id eſt, de ſeipſo. Ipſum enim hoc loco reciprocum eſt. Nonnulli literati.] Id eſt, Stoici. Quæ enim in L. Craſſo.] Magna Pompeij laus eſt, quem cum L. Craſſo comparat, qui orator fuit eloquentiſſimus, quem in libris de Oratore diſputantē Cicero fecit, per cuius ſententiam ipſe Cicero ſuā intelligit, auctore Quintiliano, ut per Socratem Plato in dialogis ſententiam ſuam expromit. Negat Cicero in lib. de Oratore 2. huic quenquam fuiſſe parem ingenio. quo dicente nemo tam arrogans, qui ſimiliter ſe unquam dicturum eſſe cōſideret. Eidem, ut ait idem Cicero lib. 3. cum aliquid accuratius dixiſſet, ſemper ferè contigit, ut nunquam quis dixiſſe melius putaretur. In eo.] Pompeio. Huic ſtudio.] Id eſt, facultati dicendi. Quantum ipſe à pueritia.] Pompeius extremum pueritiæ tempus principium habuit bellorum atque imperiorum maximorū, ut paulo poſt dicet Cic. nec à cōtinuis bellis uictorijſq; multū conquieuit. Itaq; nō multū tēporis dicēdi facultati impertire potuit, ad quā nō minus quàm Craſſus natus eſſe uidebatur. Quo mihi difficilior.] In cauſis ijs, in quibus multi erant accuſatores aut patroni, nōnunquā ſua cuiq; dabatur quæſtio, ut in accuſatione M. Cælij, & L. Murenæ, in P. Syllæ defenſione: nonnunquā ſinguli totam cauſam agebant, ut in Murenæ defenſione, & in hac cauſa. Tum autem extremo loco orare difficile eſt, præcipue ſi ij, qui ante orauerunt, eloquentes ſint. Eadē enim denuo audire iudicibus odioſum eſt. Id Cicero ſignificat pro L. Murena: Atq;, inquit, ex omnibus illa plaga eſt iniecta petitioni tuæ, nō tacente me, maxima, de qua ab homine ingenioſiſſimo et copioſiſſimo Hortenſio multa grauiſſime dicta ſunt. Quo etiā mihi durior locus eſt dicēdi datus. ut cū ante me et ille dixiſſet, & uir ſumma dignitate & diligentia & facultate dicendi M. Craſſus, ego in extremo non partem aliquam agerē cauſæ, ſed de tota re dicerem, quod mihi uideretur. Perorandi.] Id eſt, ultimo loco orandi. Quæ non præteruecta ſit aures ueſtras.] Id eſt, quæ à uobis otioſe & negligenter audita non ſit: id eſt, quam attente audiuiſtis. Inſederit.] Id eſt, ut uulgo dicunt, ſe arreſtauerit. Ab auibus facta translatio uidetur, quæ uolantes in arbore inſidunt. Ex recordatione.] Multa enim Cicero ex Pompeij oratione repetet. Sui iudicij.] Nam ex animi ſententia iudicauit, Cornelium ciuitate donandum. In alia cauſa.] Ea quæ fuerit, mihi cognitum non eſt. Huius excellentis uiri.] Cn. Pompeij. Et licuiſſe.] Ei licuiſſe, potius legendum eſt. De fortunis omnibus dimicare.] Id eſt, in iudiciū uocatum eſſe. Dānatus enim bona & ciuitatem amittebat. Furatus eſſe ciuitatem.] Furatus eſſe ciuitatē dicitur is, qui cū ciuis non ſit, ſe tamen pro ciue gerit, ut qui furtim nomen ſuum in tabulas publicas retulit. Furari ciuitatem, crimen eſſe ſignificat. Non genus ſuum ementitus.] Vt L. Equitius, qui ex Gracchorum genere ſe eſſe dixit. Nonnulli itaque genus ſuum diſſimulantes, ex aliqua ciuium Romanorum familia ſe eſſe dicebant, ut ciues Romani haberentur. Non aliquo impudenti mendacio delituiſſe.] Qui in aliquas ciuium Romanorū familias furtim ſe inſerūt, cur delituerint, cur in his familijs antea uiſi non fuerit, impudenter mentiuntur. Andriſcum ultimæ ſortis hominem, qui ſe Perſei regis Macedoniæ filium mētitus eſt, ubi puer delituerit, impudenti mendacio dixiſſe oportuit: alioqui eum Macedones regem nunquam recepiſſent. Apud Valer. Maximum lib. nono titulus eſt, De ijs qui infimo loco nati, mendacio ſe clariſſimis familijs inſerere conati ſunt. Non irrepſiſſe in cenſum.] Irrepere in cenſum dicitur is, qui cum ciuis non ſit, ſe pro ciue gerit, & à Cenſoribus cenſetur: uel qui in Cenſorum tabulis nomen ſuum furtim ſcribit. Vt pro Archia. Cæteri non modo poſt ciuitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepſerunt. In cenſum.] Cenſebantur enim antiquitus ſoli ciues Romani. Et ſi quis ſeruus conſentiente uel iubente domino nomen detuliſſet in cenſum, ciuis Romanus fiebat, ut ait Boetius libro Commentariorum in Topica Ciceronis primo. Cum Q. Metellus Cenſor à L. Equitio tanquam T. Gracchi filio, quem ſe eſſe ſimulabat, cenſum recipere nollet, populus Romanus lapidibus proſternere conatus eſt, ut ait Valerius Maximus lib. 9. titulo de ui & ſeditione. Cenſus indicat, eum qui ſit cenſus, ita ſe iam tum geſſiſſe pro ciue. Hunc in Hiſpania.] L. Cornelij beneficia in populum Romanum enumerat, ut eum ciuitate dignum oſtendat. Duriſſimo bello.] Quod cum Sertorio geſtum eſt, de quo Titus Liuius in multis libris, L. Florus in Epitomatis, & Plutarchus in uitis Sertorij & Pompeij multa ſcripſerunt. Cum Q. Metello.] Pio, qui tum ſenex erat. Cum C. Memmio.] Hic omnium qui apud Pompeium erant præſtātiſſimus fuit, ut ait Plutarchus. Acerrimis illis prælijs.] Apud Sucronem fluuium Pompeius à Sertorio uictus fuit. Cum enim Pompeius cum Sertorio manum conſerere properaret ne adueniens Metellus particeps uictoriæ eſſet, & ipſe quidem Sertorius antequam Metellus coniungeretur, cū Pompeio pugnare cuperet, utriuſque acie inſtructa, fortiter utrinq; pugnatum eſt; ut Pompeius ipſe ex equo proſtratus uulneratuſq; penè interfectus fuerit. Victor euaſit Sertorius, ut ré fuſius Plutarchus ſcribit. Eſt autem Sucro fluuius in Hiſpania citeriore, & quondam oppidum, ut ait Plinius capitu. tertio tertij libri. Dureſi.] Alijs in codicibus Durieſi ſcriptum eſt. Eſt enim Durias fluuius in Hiſpania citeriore, ut eodé in loco Plinius ſcribit. Hunc Durium nonnulli appellant, alij Turiam uocant. Plutarchus in uita Sertorij Turiam, apud quem Sertorium cum Pompeio & Metello pugnaſſe ſcribit. Virtus.] Fortitudo Cornelij. Summo Imperatore.] Cn. Pompeio. Spes pro periculis præmiorum.] Ordo eſt: Spes præmiorum pro periculis. Sed eius qui dedit.] Si igitur præmium iniuſte datum eſt, qui accepit reprehendi non debet. Cauſa ipſius probetur.] Id eſt, meritus ciuitatem dicatur. Cauſa lædatur.] Nam ei licuiſſe donare Cornelium ciuitate, accuſator negat. Condemnari uolunt.] Id dicit, quamuis unus ſolus accuſator ſit. Loco.] Id eſt, genere. Obſeſſionis.] Obſeſſionem dici attende, quod ſæpius obſidio dicatur. Qui ſi adductus gratia.] Argumentum à fictione eſt. Præmio affeciſſet.] Id eſt, ciuitate donaſſet. Non contra ea: liceret, & cætera.] Id eſt, non modo quòd non liceret, ſed etiam quòd non oporteret. Licere enim & oportere quantum differant, paulo poſt dicit. Eſt enim aliquid.] Licet & oportet ſunt ueluti genus & ſpecies, ut

ſit Licet

ſit licet genus, et Oportet ſpecies. Hoc autem eſt ueluti ſi dicas: Eſt aliquid quod non eſt homo, etiam ſi animal: quidquid uero non eſt animal, certe non eſt homo. Nõ oportuit gerere bellum cum Rhodijs, quamuis liceret. hi enim Legatos Romã miſerant, ſe adiuturos Regem Macedoniæ Perſen, niſi eum oppugnari Romani ceſſarent. Non licuit euertere Corinthum, ideo nec oportuit. belli enim Corinthiaci cauſa perexigua fuit, ideoq; urbis euertendi magis exigua. Immeritum donare ciuitate Põpeio licet, quamuis ut donet non oporteat. Si quem non licet, certe nõ oportet. Quod autem non licuerit aduerſarius dixerit, id poſtea Cicero exponit, quod fuerit nefas, et cõtra fœdus, id eſt religionem populi Romani, & fidẽ. Ideo grauius eſt, quàm ſi dixiſſet, id à Pompeio factum, quod non oportuiſſet. Quid abeſt huic homini.] Id eſt, quid Põpeius non habet. Iure hoc tribui.] Pompeio: ut quod eum feciſſe conſtaret, id non ſolum decuiſſe, ſed etiam debuiſſe fateamur. Ei uero affuit uſus rerũ, ingeniũ, pudor, integritas, religio, diligẽtia, auctoritas: quæ id præſtant, ut hoc ei iure tribuatur. Vſus'ne rerum.] Id eſt, experientia & ſcientia rei militaris. Pueritiæ tempus extremum.] Quod eſt anno ſeptimodecimo completo, ut pro L. Murena ſcripſimus. Principium habuit bellorum.] Cicero pro lege Manilia, ſcientiam rei militaris in Pompeio ineſſe oſtendens: Quis, inquit, hoc homine ſciẽtior unquam aut fuit, aut eſſe debuit? qui è ludo atq; pueritiæ diſciplina bello maximo atque acerrimis hoſtibus, ad patris exercitũ atq; in militiæ diſciplinã profectus eſt, qui extrema pueritia miles fuit ſummi Imperatoris, ineunte adoleſcentia maximi, ipſe exercitus Imperator, qui ſæpius cum hoſte conflixit quàm quiſquam cum inimico cõcertauit: plura bella geſſit, quàm cæteri legerunt: plures prouincias confecit, quàm alij concupiuerunt: cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis imperijs: non offenſionibus belli, ſed uictorijs: non ſtipendijs, ſed triumphis eſt tradita. Qui tot habet triumphos.] Maximum & ſplendidiſſimum Pompeio fuit, quod nemini Romanorum contigit, quòd tres è tribus orbis terræ partibus triumphos habuerit. primum enim ex Africa, Cn. Domitio proſcripto, Hierica) quem Hiarbam (alij uocant) rege Numidiæ uictis & occiſis: ſecundum ex Europa, Sertorio occiſo: tertium ex Aſia, Mithridate & Tigrane ſuperatis: ut eſt apud Plutarchum in uita eius. Quot ſunt in rerũ natura.] Cicero pro lege Manilia, de Pompeio: Quod, inquit, genus belli eſſe poteſt, in quo illũ non exercuerit fortuna Reipublicæ? Ciuile, Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanienſe, mixtum ex ciuitatibus atque ex bellicoſiſſimis nationibus Seruile, Nauale bellum: uaria & diuerſa genera & bellorum & hoſtium, non ſolum geſta ab hoc uno, ſed etiam cõfecta, nullam rem eſſe declarãt in uſu militari poſitam, quæ huius uiri ſcientiam fugere poſſit. Cn. Pompeij titulos omnes et triumphos Plinius enumerat capitu. 26. libri ſeptimi. Cum etiam ipſi caſus.] Caſus & euentus conſiliorum duces ſunt. Si enim bene eueniat, bene conſultum dicunt: ſin aliter, male. Itaque Cicero ad Lentulum libro Epiſtol. famil. 1. Hæc, inquit, ſententia ſic & illi & nobis probabatur, ut ex euentu homines de tuo conſilio exiſtimaturos uideremus. Si cecidiſſet, ut uolumus & optamus, oẽs te & ſapienter & fortiter: ſin aliquid eſſet offenſum, eoſdem illos & cupide & temere feciſſe dicturos. Idẽ paulo poſt: Redeo ad illud, quod initio ſcripſi, totius facti tui iudicium, non tam ex conſilio tuo, quàm ex euentu homines eſſe facturos. Idem pro C. Rabirio Poſthumo: Hoc plerunque facimus, ut conſilia euentis ponderemus, & cui bene quid proceſſerit, multũ illum prouidiſſe: cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicamus. Cum autem ſecundum Pompeij cõſilium res ſemper euenerit, caſus & euentus conſiliorum eius comites fuerunt. Summa fortuna cum ſumma uirtute certauit.] Id eſt, ita magnum utrunq; fuit, ut alterum altero ſe maius eſſe cõtenderet. Hunc Pompeium cum uirtute fortunã adæquaſſe, Cicero pro Archia dicit. Tribueretur.] Non à fortuna. ſed eò referri debet, iure hæc tribui & concedi putaremus. Requiſita.] Id eſt, deſiderata. Requirimus in homine quod eſſe debet, & non eſt. Liberi populi.] Id eſt, ut uulgo dicunt, communitates nullius imperio ſubiectæ, ſed ſuis legibus atq; moribus uiuentes. Liber populus, ut ait Proculus Iuriſconſ. libro Digeſtorum quadrageſimo nono, de Captiuis & poſtliminio reuerſis, eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati ſubiectus eſt, ſiue is fœderatus eſt, ſiue nõ fœderatus eſt. itẽ ſiue æquo fœdere uenit in amicitiam, ſiue fœdere comprehẽſum eſt, ut is populus alterius populi maieſtatem conſeruet. Caſtiorem.] Eò refertur, An pudor. Pudor enim caſtitas eſt. Moderatio ad integritatem, Sanctior ad religionem referuntur. S.P.Q.R.] Senatus more maiorum prouincias decernebat, Imperatores deligebat, ærarium diſpenſabat, quæ nunquam ſibi populus Rom. appetiuit, qui nunquã hæc à ſummi cõſilij gubernatione auferre conatus eſt, ut ait Cicero in Vatinium. Cum uero imperium extraordinarium erat, id lata lege Tribunitia, quæ populi Romani ſuffragio probabatur, decerni ſolebat. Vt Cn. Pompeio lege Gabinia bellum Piraticum, eidem lege Manilia Mithridaticum decretum eſt. Ampliſſimæ dignitatis præmia.] Id eſt, imperia & triumphos. Huius de facto ita quæri.] Ordo eſt: Num turpe populo Romano'ne uobis eſt? huius de facto ita quæri &c. An uero nõ dicam non licuerit, ſed nefas fuerit.] Correctio eſt. Contra fœdus enim.] Si non licuit Pompeio donare Cornelium ciuitate, hoc fuit, quia contra fœdus Gaditanũ erat: ſi contra fœdus erat, contra fidem & religionem erat. Q. Metellus Numidicus L. Metelli Dalmatici filius fuit. Alius fuit L. Metellus Pontifex Maximus, Q. Metelli Macedonici auus; qui primo bello Punico de Pœnis triumphauit, de quo eſt apud Plinium lib. 7. De pecunijs repetundis.] Id eſt, quòd prouinciã ſincere nõ adminiſtraſſet. Quæ autem ea prouincia fuerit, & à quo accuſatus fuerit, legere non memini. Hoc exemplum eſt apud Valeriũ Maximum libro. 2. titulo de Maieſtate. Quo eodem in loco eſt etiam proximũ exemplum de Xenocrate. Q. Metellus L. F.] Hæc oratio perfecta non eſt. Id Cicero aliquando de induſtria facit, ut orationes impfectas relinquat, ut ea ratione uideatur ex tempore dicere. Nam premeditata oratio iudicibus ſuſpecta eſt. Cui patriæ ſalus dulcior.] L. Saturninus Trib. pleb. legem agrariã, uel ut ait Plutarchus legem de regione (Vt nemini in regione eſſe liceret, niſi quem populus Romanus decerneret) per uim tulit. Senatum ad eã confirmandam acerſiuit, ac iure coegit eũ fautorem fore, ſi quis impedire uellet. In hanc legẽ Metellus iurare noluit. Ei Saturninus aqua igni & tecto per Conſules interdicendum curauit. Metellus cum à bonis ciuibus defenderetur, ne cauſa malorum certaminũ eſſet, in uoluntarium exilium Rhodum profectus eſt, ibiq; legendo & audiendo magnos uiros aduocabat. Auctores ſunt Titus Liuius libro ſexageſimo nono, & Plutarchus in uita C. Marij, ubi rem ſcribit fuſius. Patriæ ſalus.] Nã patriæ lex Saturnini erat pernicioſa. Ex illis equitibus Romanis.] Soli enim equites tum iudicabant lege Sempronia. Recognoſcemus.] Id eſt, repetemus & retractabimus. Acerbiſſima.] Id eſt, exquiſitiſſima & acerrima. Pertendemus.] Id eſt, comparabimus. Cum quidam apud eos.] Xenocratem intelligit, cuius uitam Laertius ſcripſit. Is libro quarto Xenocratis uerbis tantã fidem haberi ſolitam dicit, ut cum iniuratus nemo teſtimonium diceret, hunc ſolũ iurare Athenienſes paſſi non ſint. Teſtimonium dixiſſet.] Nam dicere teſtimonium, non ferre dicimus. Hinc attende Græcorum morem fuiſſe, ut prius dicerent teſtimonium, poſtea iurarent. A' noſtris contra fieri ſolet. Vt mos Græcorum eſt.] Vt Pericles Athenienſis, cum eum amicus rogaret, ut pro re cauſaq; eius falſum deieraret, reſpondit opus

eſſe ſe amicis opitulari, ſed uſq; ad aras: id eſt, ad iuſiurandum. Spectati uiri.] Prudentiſſima ciuitas Athenienſium, dum ea rerum potita eſt, fuiſſe traditur, ut ait Cicero pro Sex. Roſcio. Hic tamen ſpectati uiri potius eſt ſingularis numeri, ut ſit, Cũ Græci homines noluerint fidem ſpectati uiri, etc. Religione.] Id eſt, iureiurando. In ipſa religione.] Quæ in fœderibus conſiſtit. Verum enim inſcientem.] Argumento ex remotione probat Cicero, licuiſſe Pompeio ut donaret ciuitate L. Cornelium. Quia ſi nõ licebat, nõ licere ſibi Pompeius aut ſciebat, aut neſciebat. Vtrunque tollit Cicero: igitur ei hoc licebat. Inſcientem.] Id eſt, neſcientem. Alibi quoq; ea uoce uſus Cicero eſt. ut in Philippica ſecunda: Quid ego de Commentarijs infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? Sunt ea quidem innumerabilia, quæ à diuerſis emebantur, non inſciente te. Inde inſcientia ab eodẽ dicta eſt, libro de Oratore primo. Hanc uim ſi quis exiſtimat aut ab ijs qui de dicẽdi ratione ſcripſerunt, expoſitã eſſe, aut à me poſſe exponi tã breui, uehementer errat: neque ſolum inſcientiã meã, ſed ne rerum quidẽ magnitudinem perſpicit. Et pro P. Sylla: Vos deniq; in tantis tenebris erroris et inſcientiæ clariſſimũ lumẽ prætuliſtis mẽti meæ. In codicibus alijs Inſcitiæ, propter uocis inſolẽtiam repoſitũ eſt. O nomẽ noſtri imperij.] Hæc teſtimonij loco inuocat, ut oſtendat credibile non eſſe, Cn. Pompeiũ ſcientem quidquã cõtra fœdera feciſſe. Eius gloriæ domiciliũ.] Id eſt, locus in quo gloria eius habitat. Communis imperij.] Id eſt, orbis terrarum. Romanorum enim, Macedonum, Athenienſium, Lacedæmoniorum imperia propria fuerunt. Igitur commune imperiũ eſt orbis terrarum. Inde Socrates cum rogaretur, cuiatem ſe eſſe diceret: Mundanum, inquit, totius enim mundi ſe incolam & ciuem arbitrabatur. Auctor eſt Cicero libro Tuſculanarũ diſputationũ quinto. Tetrarchæ.] Regna aliqua in partes quatuor diuiſa erant: eorũ quartæ parti qui præerant, Tetrarchæ dicebantur. Strabo libro duodecimo ſcribit, Galatas in tres gentes diuiſos fuiſſe, & unamquanque gentem in partes quatuor, quas Tetrarchias uocauerunt. Tyranni.] Plato & Ariſtoteles appellant tyrannos, eos qui Rempublicam ad ſuam, non ad eorum, qui ipſis commiſſi ſunt, utilitatem adminiſtrãt. Latini uero appellant eos, qui in libera ciuitate dominationem per uim occupauerunt. Quo nomine Piſyſtratus Athenienſium, Dionyſius Syracuſanorum, Nabis Lacedæmoniorum, Sylla & Cæſar Romanorum tyranni fuerunt. Cum huiuſmodi tyrãnis fœdera aut bella fiebant legitima. Religionis.] Quæ, ut dixi, in fœderibus eſt. Mutæ regiones.] Id eſt, inauditæ antea. Vt ante bellum Cæſaris Britannia Romanis inaudita erat, nobis inſulæ à Luſitanis nõ multo ante repertæ, quas inde nouas inſulas appellamus. Vt enim cæcus homo, qui non uidit, et cæcum factum, quod occultum eſt, tanquã uiſum non ſit (ut in libro Aeneid. 1. Traiectaq; pectora ferro Nudauit, cæcumq; domus ſcelus omne retexit) ita homo mutus, qui nõ loquitur, unde mutæ beſtiæ appellatæ ſunt. ſed muta regio, quæ nobis inaudita eſt. Sola terrarum.] Vt in oratione Antequam iret in exilium: Nunc ego te Iupiter Optime Maxime, cuius nutu ac ditione ſola terræ ſeũ gubernãtur, etc. Ea uoce uſos fuiſſe ueteres, Sex. Pompeius docet, qui illa ex Næuio citat, Tarquinio dedit imperiũ ſimul & ſola regni. Itemq;: Sed ſola terrarum poſt quã permenſa parumper. Tum animi.] Legendũ arbitror, Cum animi: ut animus ad fortitudinem, & conſiliũ ad humanitatem referatur. Neglexiſſe, uiolaſſe, rupiſſe.] Ordinem ſeruauit, ut creſceret oratio. Quaſi uero leuius ſit.] Significat Cicero eum qui Reip. præſit, minus peccare ſi neſciat quid liceat, quàm ſi ſciat quod non licere ſciat. Verſere.] Verſatur in Rep. qui eam adminiſtrat. An omnino.] Quàm, nõ An, legendum eſſe arbitror. Bellum acerrimum.] Cum Sertorio. Acerrimum bellum appellat, ut ante duriſſimũ bellum, & acerrima prælia, Sucronenſe & Durienſe. Geſſerat.] Significat Cornelium ciuitate ante donatũ non eſſe, quàm occiſo Sertorio pacatas Hiſpanias in populi Romani ditionẽ reduxerit. Quòd mediocres homines.] A minori ad maius arguit. Quòd mediocres homines, quod nullo uſu, nullo ſtudio militari præditi, quod librarioli denique ſcire profiteãtur, cũ Cn. Pompeius ſummus uir, uſu et ſtudio militari maxime præditus, in omni genere & uarietate artiũ excellens ſit. Librarioli.] Id eſt, librorum exſcriptores. Eos autem ut indoctores ſignificet, diminutiuo uſus eſt. Otio.] Id eſt, ſtudio. Excellat in omni genere artium.] De hoc dicendi genere alibi ſcripſimus. Præſtabilem.] Id eſt præſtantem. Hac uoce perſæpe uſus Cicero eſt. In umbra.] Id eſt, in ſcholis. In libris enim multa perſcripta ſunt fœdera, quæ lectores facile intelligant. ut in Polybij libris de primo bello Punico, fœdera Punica: hæc aliaque permulta apud Liuium inuenias. Eſt autem argumentũ à minore ad maius: Si libri docent nos qualia ſunt fœdera, ijdem Cn. Põpeium, cũ à bellis requieſceret, & in bello res ipſæ docere potuerunt. Rem gereret.] Id eſt, bellum: ut uſum rerum ante dixit. Cauſa dicta eſt temporis magis.] Locus hic emendatus nõ eſt. In Codicibus alijs Temporum, non temporis, ſcriptũ inuenio. Arbitror Ciceronem ad hanc ferè ſententiã ſcripſiſſe: Cauſa dicta eſt temporum labe magis, quàm ullius delicti crimine. Quæ ſit ea temporum labes, paulo poſt ſcribit. Ego nõ huius inquã, etc. Aliquid deeſſe, ut ſententia, ita uerbum Inquam ſignificat. Hoc tamen ita legi poſſit: Ego de huius genere iudicij plura non dicam. Florem dignitatis infringere.] Vt pro Milone: Nunquam exiſtimaui ſpem ullam eſſe habituros Milonis inimicos, ad eius non ſalutem modo extinguendam, ſed etiã gloriã per tales uiros infringendam. Si Cn. Pompeius.] Argumentum à fictione eſt. Quod is feciſſet.] Ab hinc annos quingẽtos ſcilicet. Mors enim cum extinxiſſet inuidiam.] Inuidia tanquam ignis ſumma petit, ut ait T. Liuius lib. 8. Itaque Pompeio inuidebatur, eiusq; factum accuſator reprehendebat. Sed inuidiam mors extinguit. Itaque canit Ouidius lib. de Arte 1. Paſcitur in uiuis liuor, poſt fata quieſcit: Tunc ſuus ex merito quenque tuetur honos. Audita uirtus.] Si annos ab hinc quingentos fuiſſet Pompeius. Obtrectatorũ.] Id eſt, inuidorum. Tenetote.] Pompeiũ ſcilicet. Vel aliquid deeſt. nã intelligi non poteſt, Tenetote quæ dixit Pompeius, cũ eius oratio iudicum aures prætervecta nõ ſit: nec Tenetote quæ dicturus ſim. ita enim Cicero auditores rogare nõ ſolet, ut eos attentos faciat. De lege, de fœdere, &c.] Partitio eſt. De lege.] Cn. Cornelij, & L. Gellij. De fœdere.] Gaditano. De exemplis.] Imperatorum eorum qui uiros fortiſſimos donauerunt ciuitate. cuiuſmodi fuerunt C. Marius, P. Craſſus, L. Sylla, Q. Metellus. Perpetua.] Id eſt, ſemper obſeruata. Qui totam cauſam.] Quando in eadem cauſa multi ſunt accuſatores, ut ante dixi, aliquando cauſam inter ſe diuidunt, ut ſuã quiſque partem agat, ut in M. Celij accuſatione, & in P. Syllæ defenſione. Aliquando ſinguli totam cauſam agebãt, ut in hac Cornelij defenſione. Pro facultate.] Dicẽdi ſcilicet. M. enim Craſſus Hortenſij æqualis in principibus patronis aliquot ãnos fuit. Cuius in oratione ſermo Latinus erat, uerba non abiecta, res cõpoſitæ diligenter, ut ait Cicero de Claris oratoribus. Explicauit.] Vſitatius à Cicerone dicitur, quàm Explicuit. Omnium noſtrum.] Qui labore & induſtria in lucem emerſimus. Deprecandæ.] Id eſt, precando auertendæ. Iis enim qui ex humili loco emerſerũt, inuideri ſolet. Id Cornelio in hac cauſa ne noceat, Cicero à Iudicibus poſtulat. Ea autem egreſſio eſt, qua ſe uſurũ Cicero iudices admonet, ut iudices habeat attẽtiores et magis beneuolos, utq; res magis dilucida ſit. Loco.] Id eſt, genere. In qua fortuna.] Id eſt, in generis obſcuritate, aut fortunæ tenuitate. Obtinere.] Id eſt, retinere & ſeruare,

uare, nec ſplendorem nominis labore, induſtria et uirtute quærere. Eſt autem argumentũ à fictione. Non grauior L. Cornelio.] Id eſt, L. Cornelius grauiore pœna afficiendus non eſt, quàm multi uiri boni & fortes, quos aut fortuna extulit, aut labor et induſtria illuſtrauit. Quòd ſi dinetur Cornelius, ei grauior lex uita & conditio conſtituta uidetur. Rei familiaris copias.] Id eſt, diuitias. Inuidia.] Id eſt, inuidi. Eſt autem intellectio. Violatur.] Id eſt, excitatur, aut offenditur. Eſt autem hoc petendum.] Occupatio eſt. Id enim dicit, quod dicere ſe nolle ſignificat. Videritis.] Id eſt, Pompeij, Craſſi, & mea defenſione cognoueritis. Ornamenta.] Id eſt, uirtutes & laudes. Quam impedimento.] Ea enim futura ſint impedimento, ſi dinetur. Naſcitur iudices cauſa.] Id eſt primũ, quod ſe dicturum pollicitus eſt: hoc eſt, de lege. Quam L. Gellius.] Vt Cicero Conſul ex S.C. legẽ tulit de Ambitu, ita conijcere licet L. Gelliũ & Cn. Corneliũ Lentulũ Conſules ex S.C. legem tuliſſe, uti ciues Rom. ſint ij, quos Cn. Pompeius de conſilij ſententia ſingillatim ciuitate donauerit. Iidem Gellius & Lentulus poſtea cenſores fuerũt, duo clariſſimi uiri, ſapientiſſimiq́; homines, ut ait Cicero pro A. Cluentio. Hos aſperam egiſſe cẽſurã, ab hiſq́; ſexaginta tres ſenatores Senatu motos eẽ, T. Liuius lib. 98. ſcribit. Idem ſcribit libro 96. hos Conſules fuiſſe tẽpore belli Sertoriani. L. Gellius homo candidi ingenij, in concione populi Romani dixit, ſi Cicero Conſul cũ fuit, non fuiſſet, Remp. funditus interiturã fuiſſe: ut ait Cicero in oratione Poſt rediſũ ad Quirites. Item, ciuicam coronam eidẽ à Republica deberi, idem Cicero ſcribit in Piſonem. Satis eſſe ſancti.] Sanctum, id eſt, conſtitutum: non ſancti, legi oportet. De conſilij ſententia.] Id eſt, certo propoſito, certa deliberatione. Singillatim.] Id eſt, unumquenque ſeparatim: A ſingulis enim fit aduerbium ſingulatim. ut in Diuinatione Ciceronis: Quibus ego non ſum tantum honorem habiturus, ut ad ea quæ dixerũt certo loco aut ſingillatim unicuique reſpondeam. Itemq́; Si tantulum offenſum titubatumq́; ſit, ut ea quæ ſingulatim ac diu collecta ſunt, uno tempore uniuerſa perdamus. Inde uelut per diminutionem ſingillatim dicimus. ut lib. Tuſculanarum diſputationũ quinto: Hoc loco multa ab Epicureis diſputantur, hæq́; uoluptates ſingillatim extenuãtur: quarũ genera nõ cõtemnũt, quærunt tamen copiam. Tabulæ.] Quas conſcripſit Pompeius. Accuſator fatetur, ſed negat.] Quid ſibi cum aduerſario cõueniat, & in quo ſit controuerſia, iudices admonet, quo magis dilucida cauſa ſit, quo etiam iudices cognoſcẽtes de quo pronunciaturi ſint, audiant attentius. Ex fœderato.] Confœderatum non dici Latine, alio loco docuimus: ſed fœderatũ: quam uocem hîc in loco ſæpe inuenias. Fundus factus eſſet.] Is qui ſit, paulo poſt oſtendet. In hãc ciuitatem uenire.] Id eſt, Rom. ciuitate donari. O præclarũ interpretem.] Ironia eſt. Omnium præmiorum, &c.] Id eſt, ciuitatis noſtræ, cuius donatione premiũ atque beneficiũ æſtimatur maximum. Hac enim ratione fit poteſtas ferẽdi ſuffragij, magiſtratus gerẽdi, & triumphandi, quæ munera ſunt ampliſſima. Non magis proprium eſt fœderatorum, quàm omniũ liberorum.] Paulo poſt dicit Cicero: Sed quàm eſt illud imperitiſſimè dictũ de populis fundis, quod commune eſt liberorũ populorũ, non proprium fœderatorum. Liberorum.] Populorum ſcilicet. Totum hoc iudices.] De populo, qui factus eſſet fundus. Is autem qui ſit, explicat ad hanc fermè ſententiam. Edicta Prætorũ aut leges populi Romani, cũ ſocij, aut liberi populi, aut fœderati aſciſcere uolebant, ut ijs uterẽtur, id ſi erat eiuſmodi, ut permittendũ eſſe uideretur, tum ſtatuebant ipſi qui aſciſcebãt, nõ de populi Romani, ſed de ſuis rebus, quo iure uti uellẽt. Iſq́; populus dicebatur factus fundus, quod in eo tanquã in fundo aliquo hæc edicta et leges reſiderent. Itaque hoc fœderatorũ proprium nõ erat, quod commune erat cum ſocijs populi Romani,

& liberis populis. Quod autem Sex. Pompeius ſcribat populum fundum, qui ſit auctor rei quã alienat, id cum hoc loco non cohæret. Iuſſiſſet Prætor.] Id eſt, edictum conſtituiſſet. Edicere Prætor ſæpius quã iubere dicitur. Populus enim Rom. iubet ut Senatus cenſet. Aſciuiſſent.] Id eſt, aduocaſſent, ut ijs uterentur. ut paulo poſt: Quas Latini uoluerunt, aſciuerunt. Ac Latini.] Aut Latini legendũ uidetur. Latinos autẽ pro fœderatis omnibus poſuit, aut intellige ſocij populi Rom. ac Latini. ut per ſocios intelligas reliquos, qui in bello Italico cõtra Romanos ſteterunt. Ea lex quam nos habemus.] Id eſt, lex pop. Romani. Eadem.] Abundans oratio eſt. nam aut Ea aut Eadem ſuperfluit. Id eandem ob cauſam à Cicerone factum arbitror, ob quã orationes imperfectas ab eo nõnunquam relinqui diximus. Non, ut de noſtro iure.] Id enim populus Ro. non permittebat, niſi eſſet eiuſmodi, ut permittendũ eſſe uideretur. Iiq́; qui aſciſcebant, id de rebus ſuis ſtatuebant, ut poſtea dicit. Cõmodo.] Eius iuris ſcilicet. Tulit legem C. Furius.] Huius legis meminit Cicero actione in Verrem 3. Is enim ſcribens legem nullam in præteritũ ferri, niſi ea de re, quæ ſua ſponte ſcelerata ac nefaria eſt, ut etiã ſi lex non eſſet, magnopere uitãda fuerit. De iure uero ciuili ſi quid noui quis inſtituit, omnia quæ ante acta ſunt, rata eſſe patitur. Cedo mihi, inquit, leges Atinias, Furias, Fuſias, ipſam (ut dixi) Voconiã, oẽs præterea de iure ciuili, hoc reperies in omnibus ſtatui ius, quo poſt eã legem populus uteretur. De hac lege Furia apud alium ſcriptorẽ legere nõ memini. Niſi ea lex Fuſia ſit, qua certus modus conſtitutus erat in ſeruis teſtamento manumittẽdis, ut eſt in libro Inſtitut. Iuſtiani primo, titulo de lege Fuſia tollenda. Latinos enim ueteres pro r poſuiſſe s, ac dixiſſe pignoſa, Auſelios, Valeſios, Fuſios, Papiſios, Sex. Pompeius ſcribit. Cicero lib. Epiſtol. 9. tradit, L. Papiriũ Craſſum fuiſſe eũ, qui primus Papiſius eſt uocari deſitus. Tulit Q. Voconius.] Q. Voconius legem tulit, ne quis heredem filiã uirginem mulieremue faceret: ut idem ait, in eadem Actione. Hanc legem M. Cato maior ſuaſit, ut eſt in libro Ciceronis de Senectute. Ibi de hac re plura ſcribimus. De ciuili iure.] Leges de ciuili iure latas intelligi eas, quæ nihil criminũ capitaliũ publiciq́; iudicij continent, ſatis cognoſces ex eo loco Ciceronis in Actione 3. quem modo citauimus, & ex Aſconio Pediano. Cuiuſmodi has leges eſſe dicit, Furiam & Voconiam. Ipſa denique Iulia.] Hanc legem Iuliam à Sex. Iulio Cæſare, quem L. Iuliũ Cæſarem alij uocant, latã arbitror, qui primo anno belli Italici Conſul cum L. Martio Philippo fuit, ut eſt apud Eutropium. Sed Italicis populis à ſenatu datã ciuitatem, T. Liuius ſcribit lib. 80. Id autem bellum appellatum eſt ab alijs Sociale, ab alijs Latinũ, ab alijs Italicũ. In eo omne Latiũ atque Picenũ, Etruria, Campania, omnis denique Italia cõtra Romanos coniurauit: qui omnes populi permultis iam annis populo Rom. paruerant. Anno quinto quã cœptum erat bellũ deſijt: ſuntq́; donati ciuitate, qui cõtra pugnauerant. De hoc bello plura licet legere apud L. Florum & Eutropiũ. Argumẽto à cõtrario probat, non oportere ex populo qui fundus factus ſit, eſſe eos, qui ciuitate donẽtur. Ex his enim populis aliqui fundi facti nõ ſunt & tamen ciues habentur. Qui.] Ex his ſocijs & Latinis. Heraclienſium.] Heraclienſes qui ſint, pro Archia diximus. Ciuitati.] Id eſt, donationi ciuitatis. Beneficio noſtro.] Noſtro permiſſu. Non iure ſuo.] Id eſt, non ratione fœderis, ex quo id ius habeant. Cum aliquid populus Ro. iuſſit.] Id eſt, cum aliquam legem, aliud'ue quid populus Romanus ſuo ſuffragio probant. Noluerunt.] Romani ſcilicet, aut noſtri. Quod enim de his rebus populus R. iuſſiſſet, id ut ſtatuãt ſocij aut fœderati, permittendum eſſe non uidetur. Atqui ſi Imperatoribus.] Ab utilitate arguit. Si Imperatoribus.] Imperatoribus & Senatui, ſi populus Romanus ſuis id ſuffragijs probabat, donare ciuitate licebat. Propoſitis præmijs.]

Ciuitatis ſcilicet. Sociorum atque amicorum.] Legendum eſſe arbitror, Sociorum, fœderatorum, atque amicorũ. nã poſtea dicit: Quæ eſt iſta ſocietas? quæ amicitia? quod fœdus? Aſperis temporibus.] Id eſt, quibus bella nobis periculoſa gerebamus, ut in primo Aeneid. Aſpera tum poſitis miteſcent ſecula bellis. Dura tempora poſtea appellat: Duris, inquit, quondã temporibus Reip. noſtræ, cũ præpotens terra mariq; Carthago, nixa duabus Hiſpanijs, huic imperio immineret: inde duriſſima bella ante appellauit. Cæterum accuſator fatetur hunc in Hiſpania duriſſimo bello cum Q. Metello, cũ C. Memmio et in claſſe & in exercitu fuiſſe. Maſſilienſi.] Maſſiliã fortiſſimorum fideliſſimorumq; ſociorũ urbem eſſe dicit Cicero pro M. Fõteio. Idẽ, ſine ea Romanos Imperatores ex bellis Gallicis unquã triũphaſſe, in lib. de Offic. 2. negat. Propugnatore.] Id eſt, milite. Aut ſi quis ex illis.] Ab honeſtate arguit, quod alioqui populi Rom. ingratitudo ſit. Noſtros duces auxilio laboris iuuerit.] Huic diſſimile, ſed & antiquũ eſt illud Terentianũ in Hecyra: Tu pueris curre Parmeno obuiã, atq; ijs onera adiuta. Laboris cõmeatu.] Aut aliã uocẽ eiuſdẽ generis, aut particulam copulatiuam deeſſe arbitror. Siquidem Cicero duas ſolas huiuſmodi uoces ſine cõiũctione dicere nõ ſolet, quod ſæpius facit Liuius. Commeatus nomine intelliguntur præcipue cibaria, quæ ad alimoniã exercitus pertinent, uictualia uulgo appellat: quæ in re hoc loco dicitur. Præterea cõmeatus dari dicitur, ut ait Sex. Põpeius: id eſt, tẽpus, quo ire quis redireq; poſſit. à cõmeando, quod ultro citroq; ire ſignificat. Id uerbum eſt in libro Rhetor. ad Heren. I. Vt ille qui ad diem cõmeatus non uenit, quum aqua intercluſiſſent. Huius ciuitatis præmijs affici.] Id eſt, hac ciuitate donari. In populum Ro. graue.] Rarum dicendi genus. Cum periculis noſtris ſua cõmunicare.] Id eſt, nobiſcũ aduerſus hoſtes fortiter pugnare, et pro re noſtra tã fortiter ſe periculis obijcere, quã nos ipſi obijceremus. In ſocios uero ipſos, &c.] Si non liceret ſocios amicos, fœderatos donari ciuitate, id non ſolum populo Romano inutile eſſet atq; turpe, ſed etiã ſocijs, amicis, et fœderatis iniurioſum et cõtumelioſum. His honoribus excluſus.] Id eſt, ut uulgo dicunt, horum honorum non capaces. Qui pareant ſtipendiarijs.] Id eſt, qui à populo Rom. domiti ſtipendia ſoluunt. In hac ſignificatione Cicero alias quoque dixit. ut in diuinatione: Populatæ, uexatæ, funditus euerſæ prouinciæ, ſocij, ſtipendiarijq; populi Rom. afflicti, miſeri iam non ſalutis ſpem, ſed exitij ſolatiũ quærunt. De Prouincijs conſularibus: Vectigales multos ac ſtipendiarios liberauit. In Piſonem: Te indemnatũ uideri putas? quem ſocij, quẽ fœderati, quẽ liberi populi, quẽ ſtipendiarij, quẽ negotiatores, quẽ publicani, quẽ uniuerſa ciuitas omni cruciatu digniſſimũ putãt. Stipẽdiarios uulgus indocte appellat, eos qui à rege ſtipẽdia accipiũt. Mercenariũ militẽ T. Liuius lib. 24. appellat externũ, qui mercedis cauſa militat: Id, inquit, modo eius anni in Hiſpania ad memoriã inſigne eſt, q mercenarium militem in caſtris neminẽ ante quã tum Celtiberos Romani habuere. De hac uoce plura ſcripſimus pro M. Fonteio. Perfugiſſent.] Haud ſcio an Confugiſſent legi oporteat. Confugere enim, non perfugere ſolet Cicero dicere: quãuis perfugiũ, nõ refugiũ ſæpe dicat, Vt in I. de Offic: Cum ijs quos ui deuiceris, cõſulendum eſt, tum ij qui armis poſitis ad imperatorũ fidem confugiunt: quamuis murum aries percuſſerit, recipiendi ſunt. Conditio infima.] Vt in primo de Officijs libro. Eſt autem infima conditio & fortuna ſeruorum. Bene de Repub.] Qualis fuit Vindicius ille Iunij Bruti ſeruus, qui filiorũ domini coniurationem de Tarquinijs noctu in urbem recipiendis aperuit. Libertate.] Id eſt, ciuitate. Inde attẽde, ciuium Romanorũ ſeruos tum ciues fieri, cũ libertate à Prætore publice donarentur. Publice.] Cum uindicta à Prætore percuterentur. Cicero in Topicis, ſeruum libertate donari dicit teſtamento, aut cenſu, aut uindicta. teſtamento, ut inquit Boetius, ſi quis ſuprema uoluntate in teſtamẽti ſerie ſeruum ſuũ liberũ ſcripſerit: cenſu, ſi quis cõſentiente domino, uel iubẽte, nomen in cenſum detuliſſet, ſoli enim ciues Romani antiquitus cenſebantur: uindicta, id eſt uirgula quadã quã Prætor capiti ſerui manumittendi imponens, eũ in libertatẽ uindicabat, dicẽdo quædam uerba ſolennia. atq; ideo illa uirgula uindicta appellabatur. T. tamen Liuius lib. 3. à Vindicio Bruti ſeruo, cuius modo feci mẽtionem, appellatã eſſe uindictã putat, cui præmiũ pecunia ex ærario, libertas, & ciuitas data. Ille dicitur primum uindicta liberatus. Quidam, inquit, uindictæ quoq; nomen tractum ab illo putant, poſt illũ ſeruatũ, ut qui ita (id eſt, bene de Repub. merendo) liberati eſſent, in ciuitatẽ accepti uiderentur. Ad hũc morem alludit Perſius Satyra. 5. Vindicta poſtquã meus à Prætore receſſi, Cur mihi non liceat iuſſit quodcunque uoluntas? Hoc modo tertio publice donabantur, ijq; (ut arbitror) ſoli, qui de Repub. bene meriti eſſent, cum libertate ciuitatem ſimul aſſequebantur. Patronẽ fœderũ.] Ironia eſt. Tuis ciuibus.] Id eſt, Romanis ciuibus. Niſi enim Romanus ciuis fuiſſet, ei accuſare non licuiſſet. Quod liceat.] Id eſt, donari ciuitate. His.] Hoſtibus ſcilicet. Permiſerit.] Id eſt, ſuffragio ſuo probauerit. Ne liceat ipſis.] Gaditanis ſcilicet. Priuatus.] Hic locus emendatus non eſt. In codicibus alijs lego æque mendoſe Priuatis. Priuatim legi debere arbitror, ad eam ſentẽtiam: Qui ſi ſuis decretis legibus'ue, id eſt publice ſanxiſſent, ne quis ſuorũ ciuium, etc. Priuatim uero ſi ſanxiſſent, id eſt, ſi ſibi quiſq; uir & animo & uirtute præcellens tuliſſet legem, &c. Debilitari animos.] Qui ſe præmijs uiderent priuari. Alienigenarum.] Id eſt externorũ. ut pro L. Flacco: Nec quid alienigenæ de uobis loqui ſoleant, ſed quid uoſmetipſi de genere ueſtro ſtatuatis, memineritis. & pro M. Fonteio: Poteſtis igitur ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domeſticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religioſis, inimiciſſimos huic imperio ac nomini bonis ac fidelibus et ſocijs & ciuibus anteferre. Inuectiua 4. Ineſt in uno locu conditio melior externæ uictoriæ quã domeſticæ. quod hoſtes alienigenæ aut oppreſſi ſeruiunt, aut recepti beneficio ſe obligatos putant. Externas res, externas nationes aut gentes, alienigenas homines ſæpe dici à Cicerone inuenias. Virtute.] Id eſt, animi magnitudine, quæ propria uirtutis ſignificatio eſt. In quã ſignificatione, ut à Virgilio, ita à Liuio & Cicerone ſæpiſſime dictã, licet inuenire. Ea rata eſſe nõ poſſint.] Vt ſi damnetur L. Cornelius, ciuitas quæ ei data fuerat, rata non erit. Poſt genus hominũ natum.] Id eſt, ut uulgo dicũt, à creatione mũdi. Poſt natos homines, & poſt hominũ memoriã in eadem re dici, atq; etiã cum ſuperlatiuo adiungi, alio loco ſcribimus. Quã imperitiſſime.] Hoc dicendi genus Valla lib. Elegantiarũ primo nõ probaret. Quod cõmune, etc.] Liberi enim populi et fœderati fundi fieri poſſunt, ut ante dictũ eſt. Aut neminẽ ex ſocijs.] Argumentũ à ſimili eſt. Tum uero, &c.] Ex iure mutandæ ciuitatis probat, licere Gaditanũ donari Ro. ciuitate, cum etiã liceat ciui Romano donari à Gaditana ciuitate, Deq; iure ciuitatis mutandæ diſputat. Noſter iſte magiſter.] Ironia eſt. Sciuerint.] Id eſt, populi ſuffragio probauerint, & legem tulerint, à ſciſcendo, unde plebiſcitum appellatũ eſt. Neque ſi uelit, mutare non poteſt.] Id eſt, ſi uelit mutare, poteſt. Quiſquam inuitus.] Vt in oratione pro Domo ſua: Hoc iuris à maioribus proditũ eſt, ut nemo ciuis Romanus aut libertatem aut ciuitatẽ poſſit amittere, niſi ipſe auctor factus ſit. Idem paulo poſt: Maiores noſtri de ciuitate & libertate ea iura ſanxerunt, quæ nec uis temporũ, nec potẽtia magiſtratuũ, nec res iudicata, nec deniq; uniuerſi populi Rom. poteſtas, quæ cæteris in rebus eſt maxima, labefactare poſſit. Nec fœdere impediatur.] Quãuis Gaditani fundi facti nõ ſint. Duarum ciuitatũ.] Cum Athenienſes T. Pomponiũ Atticum, ut

in tius

In eius uita Cornelius Nepos ſcribit, ciuem ſuũ facere ſtuderẽt, eo beneficio ille uti noluit: quod nonnulli ita interpretantur, amitti ciuitatem Rom. alia aſcita. Dicarit.] Id eſt, deſtinarit: id eſt, qui in aliam ciuitatem uoluntate aſcitus ſit. Id autẽ ſit, aut cum ciuitas cuius ciuis ſit non placet, aut alia magis placet. Neq; enim ſolum.] Ciuitatis mutationem fieri tribus modis ſignificat, dicatione, calamitate, & poſtliminio. Calamitate.] Id eſt, dãnatione: qua in re ſæpe à Cicerone dicitur. ut in oratione pro Domo ſua: Damnatis non modo non imminuit calamitas clariſſimi nominis gloriã, ſed etiam honeſtauit. Idem incolumes appellat eos, qui nõdum damnati aut abſoluti ſunt. Q. Maximo, &c.] Significat Q. Fabiũ Maximum, C. Lenatem, Q. Philippum, exilio dãnatos, factos eſſe ciues Nucerianos: C. Catonem, Taraconenſem, Q. Seruiliũ Cæpionem, et P. Rutiliũ, Smyrneos De his quòd cauſam dixerint, quòd exilio multati ſint, nihil legere memini: niſi de P. Rutilio, quem uirũ non ſui modo ſeculi, ſed omnis etiam æui optimũ repetundarũ lege accuſatum, Equites Rom. (qui tum ſoli Sempronia lege iudicabant) cum ſummo ciuitatis gemitu dãnauerunt, ut ait Velleius Paterculus. Is enim C. Marij Proconſulis legatus, à Publicanorum iniurijs Aſiam defenderat. Itaq; inuiſus Equitibus Rom. quorũ ex ordine publicani erãt, ab ijs damnatus, in exiliũ miſſus eſt, ut ait Tit. Liuius libro. 70. Q. Cæpio. Haud ſcio, an ſit Q. Seruilius Cæpio, is cuius Proconſulis temeritate uicti Romani à Cimbri,, binis caſtris exuti, octoginta millia militũ, lixarum uero & calonum millia 40. cæſa ſunt. Quamobrem abrogato ei imperio damnatus eſt, eiuſq; bona publicata, ut ait T. Liuius lib. 67. Nuceriæ.] Nuceria in Italia, Taraco in Hiſpania, Smyrna in Aſia minore eſt. Qui autem exilio damnabantur, aut certus ijs locus à iudicibus deſtinabatur, quo exularẽt: in eum locũ cum ueniebant, fiebant eius ciuitatis ciues, et tum demũ Romanã ciuitatem amittebant. aut locorũ omniũ, præter certã quendam, aditus permittebatur, quæ lata fuga à iuriſperitis dicitur. Hi itidem Ro. ciuitatem amittebant, cũ in aliã aſciti fuerant. Aut in inſulam relegabãtur, quæ pœna ciuitatẽ adimebat, ut ait Vlpianus lib. Digeſtorum 48. de interdictis & relegatis & deportatis. Quo eodem in loco tria exilij genera, quæ diximus, Marcellus Iuriſconſultus tradit. Earum ciuitatũ.] Nuceriæ, Taraconis, aut Smyrnæ. Hanc.] Id eſt, Romanam. Solum uertiſſent.] Solũ uertere quid ſit, & de hoc iure ciuitatis mutandæ, Cicero explicat in oratione pro A. Cecina: Exilium, inquit, non ſupplicitũ eſt, ſed perfugiũ portuſq; ſupplicij. Nam qui uolunt pœnam aliquã ſubterfugere, aut calamitatẽ, eò ſolum uertunt, hoc eſt, ſedem & locũ mutant. Itaq; nulla in lege noſtra reperietur, ut apud cæteras ciuitates, maleficiũ ullũ exilio eſſe multatum. Sed cum homines uincula, neces, ignominiaſq; uitant, quæ ſunt legibus conſtitutæ, cõfugiunt quaſi ad arã in exiliũ. Qui ſi in ciuitate legis uim ſubire uellẽt, nõ prius ciuitatem, quàm uitam amitterẽt: quia nolunt, nõ adimitur ijs ciuitas, ſed ab his relinquitur. Hæc ille. Tũ autẽ ab ijs ciuitas relinquitur, cũ in aliã aſciti ſunt. Itaque ſubiungit Cicero: Cum ex noſtro iure duarũ ciuitatũ nemo eſſe poſſit, tum amittitur hæc ciuitas: denique cum is qui profugit, receptus eſt in exiliũ, hoc eſt, in aliam ciuitatem. Idem quoq; in oratione pro Domo ſua: Ciuitatem nemo unquã ullo populi iuſſu amittet inuitus. Qui ciues Rom. in colonias Latinas proficiſcebantur, fieri nõ poterant Latini, qui non erant auctores facti: nomenq; dederant. Qui erant uerũ capitalium condemnati, non prius hanc ciuitatem amittebant, quàm erãt in eã recepti, quò uertendi, hoc eſt, mutandi ſoli cauſa uenerant. Id autem ut eſſet faciendum, nõ ademptione ciuitatis, ſed tecti & aquæ & ignis interdictione faciebant. Poſtliminio.] Poſtliminium, ut ait Paulus Iuriſcõſultus lib. Digeſtorum 49. de Captiuis et poſtliminio reuerſis, eſt ius amiſſæ rei recuperandæ ab extraneo, & in ſtatũ priſtinum reſtituẽdæ, inter Romanos ac liberos omnes populos regeſq; moribus ac legibus conſtitutũ. Nam quod bello amiſimus, aut etiã circa bellum, hoc ſi rurſus recipiamus, dicimur poſtliminio recipere. Idq; naturali æqtate introductũ eſt, ut qui per iniuriã ab extraneis detinebatur, is ubi in fines ſuos rediſſet, priſtinum ius ſuum reciperet, Cui, ut ait Põponius, omnia iura ſua reſtituuntur, perinde ac ſi captus ab hoſtibus non eſſet. Nec refert, ut ait Florentinus, quomodo captiuus reuerſus ſit, utrũ dimiſſus, an ui fallaciáue poteſtatem hoſtium euaſerit. Ita tamen, ſi ea mente uenerit, ut illò nõ recurſurus. Poſtliminium dictionem eſſe ſimplicem, idq; liminium eſſe uerbi productionẽ, Ser. Sulpitius putat, ut in finitimo, legitimo, æditimo. Nõ plus enim ineſſe timũ, quam in meditullio tullium. Scæuola autem P. F. iunctum eſſe putauit uerbum, ut ſit in eo poſt & limen. ut quæ à nobis alienata ſunt, cum ad hoſtem peruenerint, ex ſuo tanquam limine exierint. Hinc cum redierint poſt ad idem limen, poſtliminio uideantur rediſſe. auctor eſt Cicero in Topicis, de Cn. Publicio Menandro. Hac de re ſcripſit Põponius Iuriſconſultus lib. Digeſtorum 49. de Captiuis & poſtliminio reuerſis. Id quod planius intelligatur, uerba eius paulo altius repetam: Captiuus, inquit, ſi à nobis manumiſſus fuerit, & peruenerit ad ſuos, ita demum poſtliminio reuerſus intelligitur, ſi malit eos ſequi, quàm in ciuitate noſtra manere. & ideo M. Atilium Regulũ, quem Carthaginẽſes Romam miſerunt, reſponſum eſt poſtliminio nõ eſſe reuerſum. Quia iurauerat Carthaginem ſe reuerſurum, & nõ habebat animum Romæ remanendi. Et ideo in quodam interprete Menãdro, qui poſteaquã apud nos manumiſſus erat, miſſus eſt ad ſuos, non eſt uiſa neceſſaria lex, qua lata eſt de illo, ut maneret ciuis Rom. Nã ſiue ei animus fuiſſet remanendi apud ſuos, deſineret eſſe ciuis Rom. ſiue animus ei fuiſſet reuertendi, maneret ciuis. Et ideo lex eſſet ſuperuacua. Publicij libertini cuiuſdam Val. Max. lib. 9. titu. de Similitudine formæ meminit. qui Cn. Pompeio ita ſimilis erat, ut permutato ſtatu et Põpeius in eo, et is in Pompeio ſalutari poſſet. Sed hunc Cn. Publiciũ ante fuiſſe, Cicero ſignificat. In Greciam proficiſcentes.] Tum enim Latina ſuis finibus, exiguis ſanè cõtinebantur: Græca aũt in omnibus ferè gentibus legebantur, ut ait Cicero pro Archia. Græcæ linguæ adeo nullus ſplẽdor erat, ut quã Cato antea contẽpſerat, ſenex didicerit. Vt autẽ linguæ Latinæ honos per oẽs gentes diffunderetur, illud poſtea obſeruatũ eſt, ut Romani magiſtratus Græcis nũquam niſi Latine reſponſa darent, eoſq; per interpretem loqui cogerent, non Romæ tantũ, ſed etiã in Græcia & in Aſia: ut eſt apud Valer. Max. lib. 2. de Inſtitut. antiqs. Priuſquam igitur Græca lingua Romæ cognita, aut Latina in Græcia diffuſa eſſet, legati Rom. in Græciã proficiſcentes, Publiciũ interpretem ſecũ habere noluerũt, quod is Græce bene loqueretur, qui genere Græcus, ut conijcere licet, erat. Ad populum latum.] Id eſt, lex lata eſt. Ferre ad populũ, id eſt, in deliberationẽ populi, & ut populus ſententiã ſuã ſuffragij latione oſtẽdat: & referre ad Senatũ, id eſt, in deliberationem Senatus ponere, dicimus. Populi autẽ Romani ſuffragio leges probari oportebat, quæ ferrentur. Si domũ reuertiſſet.] Id eſt, ſi Roma ubi manumiſſus fuerat, in patriã rediſſet. Et inde.] Id eſt, ſi domo, ex patria. Ne minus ciuis eſſet.] Id eſt, ut ciuis permaneret. Quia uidebatur domũ reuertiſſe animo redeundi Romam, & non remanendi in patria. Superiori memoria.] Id eſt, tempore præterito. Indemnati.] Indemnati dicuntur ij qui cauſam non dixerunt, id eſt, qui in iudicium uocati non ſunt, etiam ſi pœnas iniuſte dederunt. ut in oratione pro Domo ſua: Quo iure, quo more, quo exemplo legem nominatim de capite ciuis indemnati tuliſti? Itemq;: Quis me unquã ulla lege interrogauit, quis poſtulauit, quis diem dixit? Poteſt igitur damnati pœnam ſuſtinere indemnatus. Eadem in re incolumis dicitur ab eodem, eodem in loco: Nihil erat latũ de me, nõ adeſſe

eram iuſſus,nō citarus aſſueram, erā etiā tuo iudicio ciuis incolumis. Hic rebus relictis.] Id eſt,relicta Romana ciuitate. Quod ſi ciui Gaditano.] Argumentū ex conſequentibus eſt, Ciui Romano. Licet eſſe Gaditanum.] Vt lib.Epiſtol.ad Atticum 9. Impetrabis,inquit, à Cæſare,ut tibi abeſſe liceat, & eſſe otioſum.Aliter pro C.Rabirio Poſthumo : Aut pallium ſumendum Alexandriæ,ut & Romæ togato eſſe liceret, aut omnes fortunæ abijciendæ, ſi togā retinuiſſet.& pro L.Flacco:Liceat ijs,qui hæc ſalua eſſe uoluerūt,ipſis eſſe ſaluis. Reiectione huius ciuitatis.] Id eſt,dicatione in aliā ciuitatem. tum enim Romana reijcitur & relinquitur. Vt iā ad fœdera ueniā.] Hæc eſt ſecunda pars in partitione propoſita. Lōge ſecus ſentio.] Quàm accuſator. Sentio enim,licere ciui Gaditano in hanc ciuitatem uenire. Via ſit in noſtram.] Id eſt, ciues Romani fieri poſſint. Sponſione.] Hæc ſponſio quæ ſit,legere non memini:Niſi ea ſit,qua ſocietatem & amicitiam ſpondent ciuitates hæ, quæ nullo antea uinculo coniunctæ erant. Cuiuſuis.] Id eſt,alterius quæcunque ſit. Certa tribu.] Cum quis ciuitate Rom.donabatur,ei certa tribus aſſignabatur.Eum morem Athenis fuiſſe ſignificat. Certo numero.] Id eſt,certo ordine,aut certo ordinis numero.Nōnulli enim ordines ſunt in quibus certus eſt hominū numerus. ut in lib. Digeſtorū 50. de decurionibus Vlpianus : Si numerus ordinis plenus ſit, expectare eum oportet,donec alius locus uacet. Hanc.] Id eſt, Romam. Poſtliminio.] Aut poſtliminium ex quadam ſimilitudine dicit.Vt enim captus ab hoſte, in eiuſq; præſidia deductus,amittit ciuitatem : ſi uero ad ſuos redeat, ciuitatem recuperat:ita ciuis Romanus in aliam ciuitatem aſcitus Romanam amittit. ſi uero ea relicta Romam redeat , Romam ciuitatem recuperat Aut re uera poſtliminium eſt redeuntis Romam ut ex caſtris hoſtium,ita ex aliena ciuitate. In aliam ciuitatem ſe dicauit.] Antea dixit: Qui ſe alij ciuitati dicarit. Inde attende dici,in ciuitatem ſe, & ciuitati dicare . Ad commune ius.] Non Romanorum ſolum, ſed etiam aliarum ciuitatū. Religionis.] Id eſt,iuriſiurandi , quod in ſanciendo fœdere interponi ſolet. O mira, præclara.] In codicibus alijs , O iura præclara ſcriptum eſt,nec poſtea ibi ratio ſcribitur.A maioribus noſtris ratio comparata. Fœdere Sabino.] Id quod fuerit,uulgatius eſt, quam ut hoc loco ſcribi poſtulet. Etiam hoſtibus.] Id eſt,non ſolum ſocijs, amicis, fœderatis , ſed etiā hoſtibus. Ex Latio.] Id eſt, Latini. Tuſculani.] Vt T.Coruncanus & Cato maior. Lanuuini.] Vt Milo. Generibus.] Id eſt,nationibus. ut cum Romanorum genus dicimus.A` genere autem gentem appellatā eſſe nonnulli putant. Sabinorum.] Gens Scilicet. Iapidum.] Iapidia regio in Venetia eſt ad fluuiū Timauum,ut eſt apud Pliniū lib.3. Inde Iapides appellati ſunt. Neceſſe eſt licere.] Vt non liceat,uel ut nō donetur ciuitate.Quid ſi legas,Non licere? Sed malim ſic legere & diſtinguere,ut ſit ſenſus:Quod ſi exceptio facit, ne liceat,ibi,ubi per exceptionem cautū eſt,ne liceat quenquā ciuiū illorum recipere in ciuitatem Romanam:neceſſe eſt licere , ſcilicet Romanis,recipere ciuem ex ciuitatibus alienis, à quibus id exceptum in fœdere & pactionibus non eſt.quia ſi nō liceret, etiā ſi non caueretur, fruſtra fieret talis exceptio. et ideo ſubdit:Vbi eſt igitur exceptū fœdere Gaditano , ne quem populus Ro.Gaditanum recipiat?Reſpondet negatiue,ut figurata interrogatio expoſtulat:Nuſquā, ſcilicet exceptū eſt:& ita ſine controuerſia licet populo R.recipere ciuem Gaditanū in ciuitatem ſuam ſicut Pompeius Corn.Balbum recepit. Ac,quod multo fortius eſt, ſicubi ſup.eſſet exceptū,lex id Gellia & Cornelia, quæ definitā poteſtatem Pompeio ciuitatem donandi dederat, ſuſtuliſſet,&c. Id.] Quod exceptū eſſet, ſicubi eſſet. Definitā.] Id eſt,præſcriptam,et ut uulgo dicunt,limitatā,Ea enim lege definitū erat,ut nemo donatus ciuitate à Pōpeio,ciuis eēt, niſi de conſilij ſententia & ſingillatim Pompeius donaſſet. Neq; Pœnorū iura calles.] Significat hunc accuſatorē genere Pœnum fuiſſe, ſed relicta ciuitate ciuem Romanū factū eſſe. Ipſe enim te à cognitione ſua.] Hunc accuſatorē iudicio publico damnatū fuiſſe,at poſtea reſtitutū ſignificat.Alioqui enim ei accuſare nō liceret.ad exulē enim lex nulla pertinet , ut ait Quintil.lib.7. Sacroſanctum nihil eſſe poteſt.] Sacroſanctū dicebatur,quod iureiurando interpoſito erat inſtitutū,ut ſi quis id uiolaſſet,morte pœnas penderet,cuius generis ſunt Tribunus plebis,et Aediles plebeij. Auctor eſt Sex.Pōpeius:T.Liuius lib.3.datam fuiſſe legē dicit,ut qui Tribunis pleb. Aedilibus,Iudicibus,Decemuiris nocuiſſet,eius caput Ioui ſacrū eſſet, familia in ædē Cereris Liberi Liberæq; uenū irent. Populus.] Id eſt,patricij & plebs. Sanctiones.] Legum aut fœderū. Aut genere ipſo.] Leges enim ſanctione quadam cōfirmatæ ſunt, inde leges ſanctæ dicuntur.Sanctū aūt eſt , quod ab hominum iniuria defenſum atq; munitū eſt.auctores ſunt Martianus & Vlpianus lib.Digeſt.1.de Rerū diuiſ. Obteſtatione.] Obteſtatio eſt,cū deus teſtis in meliorē partem uocatur:deteſtatio,cum in deteriorem.ut ait Sex.Pōpeius. Aut pœnæ.] Arbitror legendū eſſe Aut pœna:ut ſint tria genera ſanctionum ſacrandarū,unū fiat genere ipſo,alterū obteſtatione & cōſecratione legis,tertiū pœna,cū caput eius qui cōtra facit,cōſecratur. Auctore Vlpiano de Rerū diuiſ.In ſanctionibus interdū adijcitur, ut qui ibi aliquid commiſerit, capite puniatur.Sacratas leges eſſe Sex.Pō.dicit quibus ſanctū erat,ut ſi quis aduerſus eas feciſſet ſacer alicui deorū eſſet. Habes dicere.] Hoc dicēdi genere aliàs uſum fuiſſe Ciceronē,alio loco ſcripſimus. Quod pop.Romanus poſtea.] Legibus enim poſterioribus ſuperiores aliquando tolluntur. ut ſi excepiſſet populus Rom. fœdere Gaditano, ne quis Gaditanus fieret ciuis Romanus: id poſtea ratū nō eſſet lege Gellia,& Cornelia:qua populus Rom.iuſſit,ut ciues Rom. eſſent hi,quos Cn.Pompeius de conſilij ſentētia ſingillatim ciuitate donauerit. Iuſſiſſet.] Id eſt, ſuffragio ſuo probaſſet. Inde poſtea iniuſſu dicit,pro eo quod eſt,nullo lato ſuffragio.Iubere enim populus Rom.dicitur,ut Senatus cenſere : ut alibi diximus. Illis uerbis.] Legis Gelliæ. Si quid ſacroſanctum eſſet.] In fœdere ſcilicet. De his.] Gaditanis. Nec uero oratio mea. Cum neget populi Romani iuſſu Gaditanum fœdus ſancitū fuiſſe,ne quis exiſtimet id Ciceronem dicere,ad hoc fœdus infirmandum,ipſe purgat.Et ſpeciali narratione eaq; breui oſtendit,id fœdus iniuſſu populi Romani factū eſſe, ideoq; ſacroſanctum non eſſe. Duris temporibus.] Nam anno ſecundi belli Punici octauo id factū eſt, de quo T.Liuius lib.25 ſcribit fuſius. Duabus Hiſpanijs.] Vlteriore & citeriore. Duo flumina.] Vt in Paradoxis : Quid duo propugnacula belli Punici Cn.& P.Scipiones, qui Carthaginenſium aduentū corporibus ſuis intercludendum putauerunt ? Virgilius in lib. Aeneid.6.Aut geminos duo fulmina belli Scipiadas,cladem Lybiæ.Quo in loco ſunt,qui uelint intelligi duos Africanos.ut Scipionem Maiorem Lucretius lib.3.appellat Scipiaden:Scipiades belli fulmen,Carthaginis horror Oſſa dedit terræ perin ac famul improbus eſſet. Primipili Centurio.] Cēturia peditū eſt. Centum pedites qui ſub uno uexillo gubernat, Centurio appellatur:Sed aliud erat primipili Centurio.uetus enim conſuetudo tenuit,ut ex primo principe legionis promoueretur Centurio primipili,qui nō ſolum Aquilæ præerat, uerū etiā quatuor centurias,hoc eſt,quadringentos milites in prima acie gubernabat.Hic tanquā caput totius legionis merita conſequebatur et præmia,ut eſt apud Vegetiū de Re militari lib.2. In acie unuſquiſque ordo tres partes habebat. earū unamquāque primūpilum uocabant,ut ait Tit.Liuius lib.8. Eſt igitur primipili Centurio,qui eſt primæ legionis.Idem ſcribit libro 7.uti primus Cēturio ſit, quē ætate ſua primipilū appellabant. Religionis.]

Id eſt

*Id eſt, Iuriſiurandi, quod in ſanciendo fœdere interponi ſolet. M. Lepido, Q. Catulo Coſſ.] His Coſſ. bellum Sertorianum in Hiſpania cœpiſſe, Eutropius lib. 6. ſcribit: Id bellum cauſa fortaſſe fuit à ſenatu de fœdere poſtulandi. Mortuo Sylla inter hos Coſſ. excitatum fuiſſe bellũ ciuile, T. Liuius ſcribit lib. 90. Renouatũ.] Si fœdus erat, quod L. Martius fecerat: uel ictum, ſi id non erat. Sententiam non tulit.] Hic attende populum Rom. dici ferre ſententiam, & ſententiam pro ſuffragio dici. Ita Gaditana ciuitas.] Ordo eſt: Gaditana ciuitas conſecuta eſt, quod beneficijs ſuis erga Remp. noſtram, quod Imperatorum teſtimonijs, &c. conſequi potuit. Quod uetuſtate.] A fœdere L. Martij uũ Gaditanis ad Coſſ. Catulum & Lepidum anni plus centum fuerũt. Iſti diſputationi.] Vt oſtendam Gaditanorum cauſam grauiſſimis & pluribus rebus fultam. Adiunctum illud etiã eſt.] In fœderibus nonnullis adiungit aliquando, ut is populus alterius populi maieſtatem comiter cõſeruet, teſtis eſt Proculus Iuriſconſultus lib. Digeſt. 49. de Captiuis et poſtliminio reuerſis. Liber populus, inquit, eſt is qui nullius alterius populi poteſtati ſubiectus eſt, ſiue is fœderatus eſt, ſiue nõ fœderatus eſt. Itẽ ſiue æquo fœdere in amicitiã obuenit, ſiue fœdere cõprehenſum eſt, ut is populus alterius populi maieſtatem comiter conſeruet. Hoc enim adijcitur, ut intelligatur alterũ populum ſuperiorem eſſe, non ut intelligatur alterũ non eſſe liberũ. Et quẽadmodum clientes noſtros intelligimus liberos eſſe, etiã ſi neque auctoritate, neq; dignitate, neque iure omni nobis pares ſunt, ſic & eos qui maieſtatem noſtram comiter conſeruare debent, liberos eſſe intelligendum eſt. Quod non in omnibus.] Id enim non adiungitur, cum æquo fœdere aliquis populus in amicitiam obuenit. Hanc uim.] Id eſt, hanc ſententiam, hunc intellectum. Ille.] Populus, qui maieſtatem populi Rom. conſeruet. Verbi genus hoc conſeruandi.] Id eſt, hoc uerbum conſeruare. De altero ſiletur.] Id eſt, in fœdere non adiungitur, ut populus Romanus alterius populi maieſtatem conſeruet. Priſcum uerbum.] Id eſt, antiquiſſimum, & ab ultimis iam repetitum temporibus, qualia ſunt apud Quintilianum lib. 1. tòpei, antigerio, & procapis: & Saliorum carmina uix ſacerdotibus ſuis ſatis intellecta. Qualia item multa ſunt apud Sex. Pompeium, qui idem ſcribit: Latinos priſcos proprie appellatos eſſe eos, qui priuſquam conderetur Roma, fuerunt. Comes benigni.] Ordo eſt: Homines benigni faciles, ſuaues dicuntur eſſe comes. Qui erranti comiter mõſtrat uiam.] Ennianum eſt. In primo de Officijs, illos uerſus Ennij inuenire licet: Homo qui erranti comiter monſtrat uiam, Quaſi de ſuo lumine lumen accendat, facit ut nihilominus ſibi luceat, cum accenderit, auctore M. Varrone de lingua Latina apud Enniũ eſt. Si uoles aduertere animũ, comiter mõſtrabitur. Comiter, inquit Varro, hilare ac libenter, cuius origo Græce κῶμος. Id eſt, ut populus Rom.] Nam ſi comiter pro communiter dictum eſſet in eo, maieſtatem populo Romano comiter conſeruent, ea eſſet ſententia: ut Gaditani cum Romanis populi Rom. maieſtatem communiter conſeruent, & ita fœdere cautum eſſet, ut maieſtatem ſuam populo Romano conſeruaret. Si iam ita eſſet.] Id eſt, ſi comiter pro communiter diceretur. Poteſt ne igitur.] Probat Cicero Gaditanos populo Rom. dignitatem comiter conſeruare nõ poſſe, ſi Ro. ciuitate excludantur. Gaditanos conſeruari.] Id eſt, à Gaditanis. Benigne.] Id eſt, comiter. Præmijs.] Id eſt, donatione ciuitatis. Poteſt eſſe ulla denique maieſtas.] Eſt autem maieſtas quædam magnitudo populi Romani in eius poteſtate ac iure retinendo: ut ait Cicero in Partitionibus oratorijs. Si impedimur.] Iam poteſtas non retinetur, itaque maieſtas nõ eſt. Per popu. Rom.] Cuius ex ſententia lex Gellia & Cornelia lata eſt. Beneficiorum tribuendorum.] Id eſt, donandæ ciuitatis. Si Gaditani contra me dicerent.] Id eſt, ſi in foro Cornelium ciuem ſuũ Gaditani repeterent, ego contra dicerẽ, cum ciuem noſtrum eſſe. Eſt autem argumentũ à fictione, in quo Cicero per capita repetit artificioſe quæ dicta ſunt. Legẽ pop. Ro. iuſſiſſe.] De lege Gellia & Cornelia intelligit. In codice antiquius impreſſo lege, non legem ſcriptum eſt. Hoc genere legum.] Antea enim dixit Cicero: maiores noſtri de noſtra Rep. de noſtro imperio, de noſtris bellis, de uictoria, de ſalute fundos populos fieri noluerunt. Legatione ipſa.] Significat Legatos à Gaditanis publice miſſos, qui pro Cornelij ſalute deprecarẽtur Iudices. A principio ſui generis ac Reipub. Id eſt, à fundatione urbis. Senſit quæ Pœnarum.] Nunquam enim cum Pœnis ſentire noluerunt. Maxima bella.] Punica. Mœnibus excluſerunt.] Id eſt, in urbem ſuam non receperunt. Itinerum.] Hercules peragrata maiori parte Africæ ad Oceanum, qui eſt ad Gades, peruenit: ibiq; ab utraque continentis parte columnis poſitis in Hiſpaniam cũ exercitu trãſijt. Auctor eſt Diodorus Siculus in libro quinto, ubi de his columnis plura legere licet. Pomponius Mela libro primo montes eſſe prealtos dicit, eum qui in Africa eſt, Abylam: qui in Hiſpania Calpen appellat. Seruius libro Commentariorum in Aeneidos 11. Herculem in Hiſpania & in Ponto columnas poſuiſſe dicit. Teſtantur.] Id eſt, teſtes uocant. ut pro Lucio Flacco: Hic ego iudices, ſi uos Aemonenſium decretis, ſi cæterorum Phrygum literis permoueri putarem, uociferarer, & quantum maxime poſſem contenderem, teſtarer publicanos, excitarẽ negotiatores, etc. Scipiones, Brutos.] Significat hos in Hiſpania imperium habuiſſe. Scipio maior natus annos 24. cum imperio Conſulari in Hiſpaniam miſſus eſt. Scipio minor Conſul cum Numantinis bellum geſſit. Brutos.] Iunius Brutus Coſ. in Hiſpania iis qui ſub Viriato militauerunt, agros oppidumq; dedit, quod Valentia uocatum eſt, ut ait T. Liuius libro. 55. Horatium & Caſſium ibi habuiſſe imperium non legi, Metellus Pius cũ Sertorio in Hiſpania pugnauit. Acre & magnum bellum gerentem.] Cum Sertorio. Acre bellum, ut acerrima prælia ante dixit. Commeatu pecuniaq;.] Cn. Pompeius à Gaditanis commeatu pecuniaq; tum adiutus eſt, ut conijcere licet, cum ad Senatum ſcripſit, niſi pecuniã mitteret, relicta Hiſpania & Sertorio omnes in Italiam copias ſe reducturũ. Lucullus, ut quãprimũ ei mitteretur, effecit, ne ulla penitus occaſione Pompeius ſe Conſule Romã rediret, ne ad bellum Mithridaticum mitteretur. ut eſt apud Plutarchum in Luculli uita. Se hoc ius eſſe uelle.] Ordo eſt: Teſtantur Imperatores noſtros ſe hoc ius eſſe uelle, ut ſibi & liberis, &c. Aſcenſus eſſet ad ciuitatẽ.] Eſt autem longiuſcula oratio, quali non ſæpe utitur Cicero. De hoc ius eſſe uelle.] Hic uelle cupientis eſt non imperantis. ut oſtendat Gaditanos cupere aditum ſibi petere ad Romanam ciuitatem, cum res fortiter geſſiſſent. Fuerint.] Ibi futuri temporis eſt. In Imperatorum præt.] Prætorium eſſe Imperatoris tabernaculum, & Prætoriam cohortem ex uiris fortiſſimis delectam, quæ ab Imperatore non diſcedat ſcripſimus in Inuectiuam 3. In Imperatorũ pretorijs, id eſt, in cohorte Imperatoria. Inter ſigna.] Signorum tria apud Romanos genera erant, Aquila, dracones & uexilla: aquila legionis, dracones cohortiũ, & uexilla centuriarum, ut apud Vegetiũ latius legere poſſis. Locus.] Id eſt, dignitas. Agris ſtipendioq; mulctatis.] Id eſt, à nobis deuictis. Virtute.] Id eſt, fortitudine, & ut ita dicam ſtrenuitate. Iniquiſſ. leges.] Leges & conditiones ſæpe appellari inuenias, quos articulo pacis uulgo appellant. Iudicarint.] Id eſt uoluerint & decreuerint. Hoſpitium.] Gaditani cum L. Cornelio hoſpitium publice fecerunt. Id nõ feciſſent, niſi eum ciuem Romanum eſſe iudicaſſent. Laudatores.] Id eſt, Legatos à Gaditanis publice miſſos cũ Cornelij laudatione. Id fieri ſolitum alibi ſcripſimus. Sed poſtea Cn. Pompeius in tertio Conſulatu huiuſmodi laudationes & earũ commendationes in iudicijs lata lege fieri uetuit. Contra quã legem idem poſtea Munaciũ Plancũ*

*commendauit.* Deprecatores huius pericu.] *Id eſt, qui deprecentur periculum huius Cornelij. id eſt, qui deprecentur ne Cornelius dánetur.* Re denique.] *Hanc Cornelij accuſationem populo Gaditano ingratam fuiſſe dicit, ut inde probet ex Gaditanorum uoluntate Cornelium factum eſſe ciuem Romanum.* Multo ante.] *Multo ante quã Cornelius in iudiciũ uocaretur.* Hinc ut ab illo periculũ crearetur.] *Id eſt, ut Cornelius ab hoc accuſatore in iudiciũ uocaretur, uel, ut Cornelij accuſator ab eo qui iam accuſat, pararetur & inſtrueretur. Creare periculum alijs quoque locis à Cicerone dictum fuiſſe, pro Sex. Roſcio ſcripſimus.* In iſtum.] *Accuſatorem, qui tum ciuis Gaditanus erat.* Gaditani Senatus conſultis.] *Legendum eſt aut, Gaditanus Senatus conſultis, aut, Gaditani Senatus cõſulta fecerunt: quæ lectio mihi uidetur melior.* Scita ac iuſſa noſtra.] *Id eſt noſtras leges, quas populus Rom. ſuff ragio ſciſcit ac iubet. Sciſcit autem plebs, populus uero iubet, ut pro L. Flacco ſcribimus.* Interponere.] *Id eſt, immittere & oſtendere.* Interſeptum.] *Id eſt, interclusum.* Omitto quantis ornamentis.] *Occupatio eſt.* Cum eſſet in Hiſpania Prætor.] *C. Cæſarem Prætorem obtinuiſſe prouinciam Hiſpaniam, eſt apud Plutarchum in eius uita. Gaditanos C. Cæſari L. Cornelij rogatu fuiſſe commendatos oſtendit.* Controuerſias.] *Quæ inter Gaditanos erant.* Statuerit.] *Id eſt, conſtituerit.* Barbariam.] *Id eſt, barbaros mores.* Rogatu.] *Id eſt, rogatione, tuentu, iuſſu, permiſſu, arbitratu, rogatu, aliaq; eiuſdẽ generis plurima hunc ſolum caſum habent in quarta declinatione.* Ac ne ipſi.] *Accedit, ut teneant quæ de exemplis à Pompeio & Craſſo dicta ſunt. Id autem tertiũ eſt, quod ſe dicturũ promiſerat.* Inferius eſſe ſuũ fœdus, quàm cæter. *Nam ex alijs quoque fœderatis populis ciuibus licet in noſtram ciuitatẽ uenire.* Conſolabor.] *Cum ſcilicet oſtendam, ex alijs fœderatis populis ciues in noſtrã ciuitatem ueniſſe.* Non ignorantes admonebo.] *Ferunt grauiter Iudices, ſi tanquã ignorantes ab oratoribus admoneantur. Itaque in oratione pro M. Fonteio illud dicit: Quare ſi etiã monendi eſtis à me, qd non eſtis Iudices, uideor hoc leuiter pro mea auctoritate uobis præcidere poſſe, etc.* De iure prædiatorio.] *Ius prædiatoriũ eſt, ius quod ad prædia ptinet. Prædiatores ſunt rerum prædialium, ſeu iuris prædiatorij periti. De prædiorũ urbanorũ & ruſticorũ ſeruitutibus tituli ſunt libro Pandectarũ 8.* Homo iurisperitiſſimus.] *De hoc Scæuola L. Craſſus apud Ciceronem lib. de Oratore 1. Q. inquit, Scæuola æqualis & collega meus, homo omniũ & diſciplina iuris ciuilis eruditiſſimus, & ingenio prudentiaq; acutiſſimus, & oratione maxime limatus atque ſubtilis, atq;, ut ego ſoleo dicere, iuriſperitorũ eloquentiſſimus, & eloquentiũ iuriſperitiſſimus.* Conſultores ſuos.] *Id eſt, eos à quibus conſulebatur. Conſultorem & pro eo qui conſulit, & pro eo qui conſulitur dici, alibi ſcripſimus.* Ad Furium.] *Ad P. Furium Philum. Hunc Furium & Caſellium iuris prædiatorij peritiores Scæuola fuiſſe, quod huic uni rei maxime intenti fuiſſent: Scæuolam autem iuris ciuilis peritiorem ſignificat. Hoc exemplum eſt apud Valerium Maximum lib. 8. titulo, Suæ quenque artis optimum & auctorem eſſe & diſputatorem.* Reijciebat.] *Id eſt, remittebat. Ea fermè ratione negotium in aliud tẽpus reijcere, id eſt, remittere & differre dicimus. Vt libro Epiſtol. Cic. 5. Omnino res tota in mẽſem Ianuarium reiecta erat. Et ad Q. Fratrem libro ſecundo. Habes acta unius diei, reliqua, ut arbitror, in menſem Ianuariũ reijcientur. Reijcere iudices, pro eo quod uulgo dicunt recuſare, alia, ratione dicitur, de quo plura loco alio ſcribemus.* De aqua noſtra Tuſculanos.] *In aqua Tuſculana aliquid fuiſſe turp Cic. etiam contra Rullum ad Quirites ſignificat: Ego, inquit, Tuſculanis pro aqua crebra uectigal pendam, quia à municipio fundũ accepi: ſi à Sylla mihi datus eſſet, Rulli lege non penderem.* C. Aquiliũ.] *C. Aquilius Gallus Q. Mutij Scæuola Pontificis maximi auditor fuit, ut ait Põponius iuriſconſultus libro Digeſt. 1. de Origine iuris. Hic acutus & exercitatus promptæ & paratæ in agendo & in reſpondendo celeritate. fuit: ut ait Cicero de claris oratoribus. M. autem Tugio et Caſellius ita rerum alterũ indocti fuerunt, ut eorum nominã alibi reperire non ſit facile.* Omnibus iuriſperitiſſimus.] *Hoc dicendi genus quãuis ſit contra Grammaticorũ præcepta, Ciceroni tamen inſolitũ non eſt. de quo in progymnaſmatis plura.* Probare.] *Id eſt, facere ut approbet.* Camertinum.] *Id eſt, cum Camertibus Piceni agri populis ictum.* Sanctiſſimum.] *Id eſt, ſacroſanctum.* Aequiſſimum.] *Id eſt, in quo additum non erat, ut maieſtatem populi Rom. comiter conſeruarent.* Poteſt igitur ind.] *Argumentũ à ſimili eſt.* Exiſtat.] *Id eſt, ſit præſens, appareat. Eſt autem ſub oculos ſubiectio, quæ ab alijs euidentia, ab alijs repreſentatio dicitur.* Cogitatione ueſtra.] *Id eſt, imaginatione, id eſt, imaginamini eum hic præſentẽ eſſe.* Quoniam re.] *Id eſt, reipſa. nam tum Marius mortuus erat.* Fœderis.] *Camertini.* Non rudem exemplorũ.] *Id eſt, non ignorare exẽpla, aliosq; Imperatores idem feciſſe. Rudem exemplorum: ut in libro Tuſculanarum quæſtionum: Docet enim quemuis qui omniũ rerum rudis eſſe uideatur, bene interroganti reſpondentẽ, declarare ſe, non tũ illa diſcere, ſed reminiſcendo recognoſcere. Et in primo de Offic. Vt non modo Græcarum literarũ rudes, ſed etiam docti aliquantũ ſe arbitrentur adeptos, & ad dicendum, & ad iudicandum. Aliter dixit in libro Epiſtolarum ad Brutum: Quod ab tuis familiaribus optimis illis quidem uiris, ſed in Repub. rudibus non probatur.* P. Africani diſcipulum ac militem.] *Id eſt, ſub Scipione minore militaſſe.* Legationibus publicis.] *In bello Iugurthino Q. Metelli, et poſteã in bello Italico P. Rutilij Legatus fuit.* Bellicis.] *Nam aliæ legationes ſunt, ut cum pacis, aut repetundarum rerum gratia Legati mittuntur. Legatus autem bellicus is eſt, quem locumtenentẽ eius qui præeſt exercitui uulgo appellant.* Legiſſet.] *Alij egiſſet legunt. Quæ lectio aſpernenda non eſt, ut miles agat bellum, gerat uero Imperator, aut is cui datũ imperiũ eſt. Nam militarem exercitationem non lectionem cũ imperatorijs rebus geſtis comparat.* Quoties ipſe Conſul.] *Septies enim Conſul fuit.* Sibi non fuiſſe dubium.] *Dicat.* Nullo fœdere.] *Etiam æquiſſimo & ſanctiſſimo.* Ciuitate.] *Non certa aliqua, ſed quauis.* Neque Ignatium.] *Si emendata lectio eſt, Ignates populi ſunt cum pop. Rom. æquiſſimo fœderé coniuncti, quemadmodum & Camertes. Sed Ignates populos dici nuſquã cũ inueniam, uide an malis legere etiam contra fidem exemplariũ, Egnatiorum. Nam Egnatium pro Egnatiorum dici non placet. Eſt autem Egnatia urbs Apuliæ.* Poſt hanc ciuitatis donationem.] *Id eſt, ut arbitror, poſtquam M. Annius Appius Camertinus à C. Mario ciuitate donatus eſt.* Licinia & Mutia lege.] *Huius legis meminit Cicero in lib. de Offic. 3. Nam eſſe ciuis, pro ciue, qui ciuis non ſit, rectum eſt non licere: quam legem tulerunt ſapientiſſimi Conſules Craſſus & Scæuola. Idem quoque in oratione pro Cornelio de maieſtate: Legem, inquit, Liciniam & Mutiã de ciuibus regundis uideo cõſtare inter omnes (quã duo Conſules omniũ quos uidimus ſapientiſſimi tuliſſent.) non modo inutilem, ſed pernicioſam Reip. fuiſſe. Hunc locum enarrans Aſcenius: P. inquit, Licinium Craſſum oratorem, & Q. Mutium Scæuolam Pont. Max. eundemq; & oratorem & iuriſconſultum ſignificat. hi enim legem eam, de qua loquitur, de regendis in ſua ciuitate ſocijs in ſuo conſulatu tulerunt, cum ſũma cupiditate ciuitatis Romanæ Italici populi tenerentur: & ob id magna pars eorũ pro ciuibus Romanis ſe gereret; neceſſaria lex uiſa eſt, ut in ſuæ quiſq; ciuitatis ius redigeretur. Verum ea lege ita alienati animi ſunt principũ Italicorum populorum, ut ea uel maxima cauſa belli Italici, quod poſt triennium excitatum eſt, fuerit.* Spoletinus.] *A Spoleto Spoletinus dicitur.*

Eſt

*Eſt autem Spoletum colonia populi Rom. quam poſt primum bellum Punicum deductam fuiſſe T. Liuius libro 20. ſcribit.* Dixit cauſam ex colonia Latina. ] *Id eſt, ex Spoleto. Id eſt, T. Macrinus Spoletinus cauſam dixit.* L. Antiſtius. ] *P. Antiſtium appellat in lib. de Claris oratoribus, ad quem poſt Tribunatum primũ cauſæ multæ, deinde omnes, maximæ quæcunque erant, deferebantur. Rem uidebat acute, componebat diligenter, memoria ualebat: uerbis non ille quidem ornatis utebatur, ſed tamen non abiectis.* Videbat enim. ] *T. Macrinus idem quod Cicero non ſentiebat. Antea enim dixit Cicero, uim eſſe iſtius & iuris & uerbi, ut fundi populi beneficio noſtro, nõ ſuo iure fiant.* Lege Apuleia. ] *L. Apuleius Saturninus Trib. pleb. legem tulit, ut coloniæ deducerentur, utq́; in ſingulas colonias ternos ciues Romanos C. Marius facere poſſet.* C. Mario tulerat. ] *Id eſt, cauerat, & priuilegium dederat.* Vt in ſingulas colonias. ] *Non ras ſolum, quæ Apuleia lege deducerentur, ſed etiam in alias. Nam T. Macrinus hac lege ciuis Romanus factus eſt.* Negabat. ] *Antiſtius.* Re ipſa ſublata. ] *Quia coloniæ Apuleia lege non eſſent deductæ.* Nihil habet ſimilitudinis. ] *Cum hac cauſa Cornelij.* Hominem incredibili eloquentia. ] *L. Craſſi quanta fuerit eloquentia, alio loco ſcripſimus.* Imperatorius ardor oculorum. ] *Quales fuerint oculi C. Marij, tum indicatum eſt, cũ ad eum obſcura quadam in domo quieſcentem Minturnenſes Cimbrium miſerunt, qui eum occideret. Hunc enim ferunt, cum per tenebras Mariũ inquirendo graderetur, oculis eius ignis in modum ardentibus territum infecta re diſceſſiſſe: ut eſt apud Appianum libro de Bellis ciuilibus primo. Tales oculos Auguſto Cæſari fuiſſe, Sex. Aurelius Victor ſcribit. cuius à uultu cum quidam miles oculos auerteret, eumq́; cur id faceret Cæſar interrogaret: Quia, inquit, fulmen oculorũ tuorum ferre non poſſum.* Valuit. ] *Ad T. Macrinum abſoluendum.* Fruantur opibus ſuis. ] *Id eſt, fructum capiant gratiæ eius, qua ualent apud plurimos.* Virum bonum qui uiuit Rauennæ. ] *In codice alio ſcriptum inuenio, Virum bonum, Q. Vibium Rauennatem.* Ex ea ciuitate. ] *Heraclea.* Heros nouum. ] *Viros, non heros legendum eſſe arbitror, niſi coniungatur ſuperiori, & ſit, Idem heros uidelicet Sylla.* Aletrienſem. ] *Aletrinenſem legendum eſt, ut ex Aletrino aliquem intelligas. Eſt enim Aletrinum municipium Italiæ Arpino uicinum, ut pro A. Cluentio ſcribimus. Auernienſem, non Aletrinenſem in codice antiquo, mendoſe, ut opinor, ſcriptum inuenio.* Qui fecit quod C. Marium. ] *Per enumerationem repetit exempla Imperatorum, qui ex fœderatis populis homines ciuitate donauerunt, quos Cn. Pompeius in faciendo ciue Cornelio imitatus ſit.* Quod Q. Metellũ, quod denique. ] *Ita ſcribendum cenſeo, Quod Q. Metellum, quod M. Craſſum, quod denique, &c.* Ex bello illo Africano. ] *Quod Cn. Pompeius in Africa geſſit, cum Cn. Domitio & cum Hierica, uel ut alij dicunt, Hiarba rege Numidiæ.* Mamertinos obulos. ] *Mamertini Siciliæ populi ſunt, quorũ urbs Meſſana appellatur. de his Volaterranus libro 6. plura.* Propugnatores. ] *Id eſt, defenſores.* Ille ſummus poeta noſter. ] *Id eſt, Ennius. À poetarum teſtimonio arguit, licere Imperatori donare ciuitate eum qui pro Repub. tela atque pericula ſubierit, & cum hoſte fortiter pugnauerit.* Annibalis. ] *Ennius ſecundum bellum Punicum complexus carmine eſt, in quo libro eſt uerſus ille quem hoc loco Cicero citat, quem etiam aduocat Politianus in Epiſtolis, ut doceat Carthaginienſem, non Carthaginenſem dici oportere. Id tamen alijs neceſſitate carminis hexametri faciendũ, non in proſa, uidetur.* Mihi erit Carthaginenſis. ] *Id eſt, ciuitate Carthaginenſi donabo.* Quiſquis erit ciuitatis. ] *Locum hunc emendatũ non eſſe, nemini dubiũ eſt.* Vndique. ] *Ex omnibus populis, etiam fœderatis.* Hominum ignobilium, &c. ] *Id eſt, ignobiles uiros, qui fortes eſſent, nobilibus ignauis prætulerũt.* Nobilitatis inertia. ] *Intellectio eſt.* Habetis, &c. ] *Admonet quæ dixit, & proponit quæ dicturus ſit, ut auditores magis attentos reddat. Renouauit quæ de exemplis Pompeius dixit, renouat quæ de conſuetudine idem dixit.* Iudicum. ] *Iudicium ſcilicet.* Huic quæſtioni. ] *Id eſt, ſimili cauſæ.* Lege Papia. ] *Qua peregrini ab urbe arcebantur. de qua alio loco ſcripſimus.* De M. Craſſo. ] *Qui Mamertinum aliquem ciuitate donarat.* Repetentibus. ] *Iudicio, ut ciuem ſuum.* Quid eſſent iudicaturi. ] *Quod ſcilicet eũ abſoluturi eſſent.* Fœdere impediretur. ] *Quia eſſet fœdus ſacroſanctum.* In columna ænea. ] *In columnis æneis Rom. ueteres ſcribere ſolitos leges & fœdera, apud Dionyſium Halicarnaſſeum ſæpe licet legere. Ardente Capitolio tria millia tabularum ærariarum conflagraſſe, eaq́; reſtituendas Veſpaſianũ ſuſcepiſſe, inueſtigatis undique exemplaribus, Suetonius ſcribit. Aera legũ in Capitolio de cœlo tacta & liquefacta fuiſſe, Cicero in Inuectiuis in Catilinam dicit.* Tybur. ] *Tyburs legendum eſt. Tybur enim oppidum eſt in Italia, non longe ab urbe Roma. unde Tyburs, huius Tyburtis, gentile nomen eſt.* Damnato Cælio. ] *Cælium, & paulo poſt C. Maſſonem, ſe pro ciuibus geſſiſſe, ideoq́; damnatos fuiſſe, ſignificat.* An lingua & ingenio. ] *L. enim Cominius & T. Coponius oratores fuerunt.* De nobis trahere ſpolia. ] *Id eſt, ut arbitror, nos accuſare, & cauſa uincere. ut ea ſententia ſit, An licebit oratoribus ex populis fœderatis in ciuitatem noſtram uenire, & nobiſcum accuſatione contendere: uiris autem fortibus ex fœderatis populis non licebit cum hoſte pugnare, quis nullum præmium ſperabunt?* Acerbiſſima lege Seruilia. ] *Hæc lex Seruilia quæ fuerit, legere non memini. Eam tamen eſſe opinor, quam à Q. Seruilio Cæpione latam L. Craſſus ſuaſit. In qua ſuaſione ſummis laudibus Senatum ornauit, ut eſt apud Ciceronem de Claris oratoribus, & pro A. Cluentio. C. Coſconium Valerius libro 8. reum dicit factum lege Seruilia. Legem quoque Seruiliam repetundarum eſſe, eſt apud Aſconium in Piſonem. Hac tamen lege quid cautum ſit, ignoro.* Populi iuſſu. ] *Id eſt, populo approbante legem ſuffragio.* Calamitate. ] *Id eſt, condemnatione.* Aut Seruilia lege. ] *Id eſt, quod eam Seruiliam legem aſciuerint, quod non licebat. nam de repub. Rom. ea lex erat. Ex qua fundos fieri populos maiores, ut dixi, noluerunt.* De Grecia. ] *Magna, quæ in Italia eſt.* Vellenſibus. ] *Vellia oppidum eſt in agro Lucano, à Phocenſibus Seruio Tullio regnante Romæ conditum. Phocenſes enim ab Harpalo regis Cyri præfecto fugati, alij Velliam, partim Maſſiliam condiderunt, ut ex Higino A. Gellius libro 10. ſcribit.* De Calliphana. ] *Valerius Maximus lib. 1. titulo de Cultu deorum ſcribens, hanc ab alijs Chalcitanam dicit appellatam eſſe.* Vellienſe. ] *Pro Vellienſi dixit, quod poſterius ex grammaticorum præceptionibus dicendum eſſet.* Intelligo iudices. ] *C. Cæſari L. Cornelius amicus fuit, ut ante dictum eſt. Cæſaris inimici Cornelium inſectati ſunt. Cicero Pompeiũ, Craſſum, & ſe tam multa in hac cauſa dixiſſe teſtatur, ut inuidorum animos frangerent.* À pluribus peritiſſimis. ] *Pompeio, Craſſo, & Cicerone.* Frangeremus. ] *Id eſt, molliremus & mutaremus.* Quos aut accuſator incenderet. ] *In codice alio ſcriptum inuenio: Quos ut accuſator incẽderet. quæ lectio magis placet.* Alienis bo. mœrentiũ. ] *Id eſt, inuidorum. Nam inuidus alterius macreſcit rebus opimis.* Illa. ] *Maledicta, quæ conſequuntur. Ea aũt poſtremo loco hic refutat Cicero, quæ ante cauſæ defenſionẽ refutare alibi ſolet.* Pecuniá L. Cornelij. ] *Quæ tanta fuit, ut apud Gades, auctore Strabone lib. 3. urbem ædificauerit, nomine Neapolim.* Inuidioſa. ] *Id eſt, nimis magna.* Communi maledicto. ] *Quo accuſatores uti ſolent.* Nullã eſſe gentẽ. ] *Id eſt, nullum eſſe poſſeſſorem perpetuum. ut in natione aliqua gens genti ſuccedit, nec eius nomen mutatur: ita nõ eſt in fundi*

alicuius poſſeſſione, quæ ſæpe mutatur. Ad alienos ] Id eſt, non propinquos. Ad infirmos. ] Id eſt, à nobilibus ad ignobiles. Tanquam tutelas. ] Quibus teſtamento tutor datus non ſit, iis ex lege tabularum XII. agnati ſunt tutores, qui uocantur legitimi, ut eſt in 1. libro Inſtitutionum Iuſtiniani, de Legitima agnatorum tutela. Non igitur ut tutela, ita & prædiorum poſſeſſio ad agnatos legibus peruenit. Quod in tribum Cruſtuminam peruenerit. ] Qui Romana ciuitate donabantur, eos in aliquam tribum uenire oportebat. Cur autem id Cornelio obiectũ ſit, & quo legis de ambitu præmio id aſſecutus ſit neſcio. Prætoriam ſententiam, ] Id, ut arbitror, illum habet intellectum: In cauſa priuatis Prætores ex legibus ferunt ſententiam, ex præmiis legum conſequuntur ii, ſecundum quos iudicatum ſit. Prætextam togam. ] Quam ex Prætoris ſententia ſumi, morem fuiſſe ſignificat. Theophanis. ] Is Theophanes non eſt, qui Pompeii Magni res geſtas ſcripſit: de quo eſt in oratione pro Archia. Amicis L. Cornelii. ] Præcipue C. Cæſari. Docet autem Cicero, magis metuendum Cornelio ab amicorum inimicis, quàm à ſuis, cum nullos ipſe iure habeat. nam bonos coluit, improbos nec re, nec uerbo, nec uultu offendit, omnium fortunæ dignitatiq; ceſſit. Hominis potentiſſimi. ] C. Cæſaris. In maximis noſtris malis atque diſcordiis. ] Id eſt, in turbulento illo P. Clodii Tribunatu, & Ciceronis exilio. Alterius rationis ac partis. ] Id eſt, Clodianis. Communium temporum. ] Id eſt, malorum, quæ cõmuniter eodem tempore omnibus impenderent. Omnes meos. ] Id eſt, uxorem & liberos. Me abſente. ] Id eſt, exulante: quamuis exilium ſuum nuſquam appellet Cicero. Vt à principio dixi. ] Nam in huius orationis exordio Cicero dixit: Ego quantum ei debeam, alio loco oſtendam. Munus meritum. ] Iuſtam & debitam gratiam referre in eadem re dicit. Debere gratiã dixit Cicero in oratione in Rullum ad Quirites: Maioribus noſtris præcipuam laudem gratiamq; debemus, quod eorum labore eſt factum, ut impune in otio eſſe poſſemus. Idem quoque debere beneficium dixit in lib. de Oratore primo: Adoleſcentulus, inquit, ſic in initio accuſationis exanimatus ſum, ut hoc ſummum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo conſilium dimiſerit, ſimul ac me fractum ac debilitatum metu uiderit. Speroq;. ] Id eſt, exiſtimo. Eam in rẽ hoc uerbum dici, ſæpe attendere potes. Charos habetis. ] Id eſt, amatis. De hoc dicendi genere alio loco præcepimus. Pro facultate huius. ] Quid ſi legas, Pro facultate eius? Id eſt, ſua. Pro loco. ] Id eſt, pro tempore, cum eius animi tempeſtas in me incumberet. Ab hoc improbo certamine. ] Cum L. Cornelio. Qui noſtris familiaritatibus implicantur. ] Id eſt, qui noſtri amici ſunt. Rerum uarietate. ] Etiam aduerſa fortuna, qui cum Clodio conflictatus ſum. Vſu ipſo. ] Id eſt, experientia. Sapiens. ] Id eſt, uiri ſapientis. Volumus quædam. ] In repub. uolumus quædam fieri, ea ut fiant contendimus, an fieri poſſint experti ſumus, quia Senatus aut populi Romani iudicium petiuimus hæc obtenta non ſunt, quia contra noſtram uoluntatem latum iudicium eſt. ea ex re uehementer doluimus. Quia igitur ea per Senatus aut populi Romani ſententiam mutari nõ poſſunt, ea uelle tueri potius quàm tollere debemus, nec odia ſuſcipere cum his qui contra ſentiant. C. Cæſarem. ] Exemplo ſuo uult C. Cæſaris inimicos ab odiis & diſcordiis auocare. Cæſar enim & Cicero inimicitias inter ſe geſſerunt. Nam cum P. Clodius deſignatus eſſet Trib. pleb. eiusq; minas Cicero pertimeſceret, quamuis Cæſarem infenſum ſibi eſſe ob Catilinæ coniurationem exiſtimaret, ab eo tamen impetrauit, ut ei Legatus in Galliam iret. Id ſi fieret, P. Clodius ereptum iri ſibi Ciceronem exiſtimans, conciliationem amicitiæ cum Cicerone ſimulat. Itaque Cicero legatus ire Cæſari renuit: id grauiter ferens Cæſar, in Ciceronem Clodium incitat, Pompeium ab eiuſdem amore remouet. Idem in Ciceronem teſtimonium dicis, cõtra ius ac maiorum leges Lentulum, Cethegum, aliosq; indicta cauſa damnatos necatosq; eſſe. auctor eſt Plutarchus in uita Ciceronis. Sed has inimicitias Cicero reipub. cauſa depoſuit. Hoc odium cauſa reipub. ut ſuſceptum, ita depoſitum Cicero dicit in oratione de Prouinciis conſularibus: Vos, inquit, ſequor P. C. uobis obtempero, uobis aſſentior. qui quandiu C. Cæſaris conſilia in repub. non maxime diligebatis, me quoque cum illo minus coniunctum uidebatis. Poſtea quàm rebus geſtis mentes ueſtras uoluntatemq; mutaſtis, me non ſolum comitem eſſe ſententiæ ueſtræ, ſed etiam laudatorem uidiſtis. Et paulo ante: Hic me meus in rempub. animus priſtinus ac perennis cum C. Cæſare reducit, reconciliat, reſtituit in gratiam. Quid uolent denique homines exiſtiment, nemini ego eſſe poſſum bene de repub. merenti non amicus. Genere ſupplicationum. ] Mos erat Romanorum, ut ex Senatus decreto, Imperatorum nomine, qui bella proſpere gererent, ſupplicationes cum coniugibus & liberis ad templa Deorum gratulationis cauſa aliquot dies celebrarent: ut in Inuectiuas Ciceronis ſcribimus amplius. Et numero dierum nouem. ] Quindecim, non nouem ſcribi oportere, illa uerba Ciceronis de Prouinciis conſularibus indicant: Supplicationẽ quindecim dierum decreui ſententia mea. loquitur enim de hac eadem ſupplicatione, de qua plura dicis. In anguſtiis ærarii. ] In eadem oratione: Relatum eſt, inquit, ad nos nuper de ſtipendio exercitus. Non decreui ſolum, ſed etiam ut uos decerneretis laboraui, &c. In anguſtiis ærarii. ] Id eſt, in tenuitate & penuria, cum parua eſſet in ærario pecunia. ut Act. in Verrem 5. Si poteſt iſta pecunia ſine aratorum iniuria detrahi, populus Rom. habeat, præſertim in tantis ærarii anguſtiis. Et in lib. Epiſt. 13. De ſumptu, quem te in rem militarem facere & feciſſe dicis, nihil ſanè poſſum tibi opitulari, propterea quod et orbus Senatus cõſulibus amiſſis, & incredibiles anguſtiæ pecuniæ publicæ, quæ cõquiritur undique, ut optime meritis militibus promiſſa ſoluãtur. Decem legatos decreuit. ] In eadem oratione de Prouinciis: Actũ eſt, inquit, de decem Legatis, quos alii omnino nõ dabant, alii exempla quærebant, alii tempus differebant, alii ſine ullis uerborũ ornamentis dabant. In ea quoque re ſic ſum locutus, ut omnes intelligerent, me id quod reipub. cauſa ſentirẽ, facere uberius propter ipſius Cæſaris dignitatem. Imperatoribus autem Legatos ex Senatus ſententia dari ſolitos, pro lege Manilia ſcribimus. Lege Sempronia. ] Cum C. Cæſar Gallicum bellum per quinquennium geſſiſſet, isq; imperium prorogari ſibi in aliud quinquennium poſtularet, nonnullis in curia aduerſantibus, cenſuit Cicero Cæſarem ex Gallia prius reuocandum non eſſe, quàm Gallicum bellum confectum ſit. Eius ſententia perſcripta eſt in oratione de Prouinciis conſularibus. Lege Sempronia. ] C. Sempronius Gracchus legem tulit, ut neceſſe eſſet Prouincias conſulares quotannis per Senatum conſtitui, ut ait Cicero in oratione pro Domo ſua. Cenſuit itaque Senatus, ut non ſuccederetur Cæſari lege Sempronia. Cicero libro Epiſtolarum primo huius legis meminit: Perpaucis, inquit, aduerſantibus omnia, quæ ne per populum quidem ſine ſeditione ſe aſſequi arbitrabantur, per Senatum conſequuti ſunt. Nam & ſtipendium Cæſari decretum eſt, & decem legati: & ne lege Sempronia ſuccederetur, facile perfectum eſt. Tanquam aliquod nauigium. ] Vt in libro Epiſtolarum prima: Nunquam præſtantibus in republica gubernanda uiris laudata eſt in una ſententia perpetua permanſio: ſed ut in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiam ſi portum tenere non queas: cum uero id poſſis mutata uelificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem cœperis, potius quàm eo commutato, quò uelis tandem peruenire. Eadem quoque ſententia eſt in oratione pro Cn. Plãco: Ego, inquit, hæc didici,

didici, hæc uidi, hæc ſcripta legi, hæc de ſapientiſſimis & clariſſimis uiris, & in hac repub. & in alijs ciuitatibus monimenta nobis literæ prodiderunt, non ſemper eaſdem ſententias ab iſdem, ſed quaſcunque reipub. ſtatus, inclinatio temporum, ratio concordantiæ poſtularet, eſſe defendendas. Infinitum odium. ] Id eſt, maximum & perpetuum, ut in libro Tuſculanarũ quæſtionum quarto. De L. Bruto fortaſſe dubitarim, an propter infinitum odium tyranni effrenatius in Aruntem inuaſerit. Infinitum mœrorem, laborem, ambitum, idem dixit libro Epiſtolarum ad Atticum tertio: Sane ſum in meo infinito mœrore ſollicitus. Libro de Oratore primo: Si infinitus rerum forenſium labor, & ambitionis occupatio decurſu honorum, etiam ætatis flexu conſtitiſſet. & pro M. Cælio: Nunquàm tam Cælius amens fuiſſet, ut ſi ſe iſto infinito ambitu commaculeſſet, alterum ambitus accuſaret. Illam. ] Id eſt, illud odium cum ducibus. Virtutem. ] Id eſt, magnanimitatem. Hinc uero. ] Id eſt, hoc odium cum comitatu & ſectatoribus. Fraudem. ] Id eſt, uitium & damnum. Adoleſcens. ] Cornelius. Detulit. ] Id eſt, fecit. Præfectus fabrum qui ſit, pro L. Murena ſcripſimus. Eſt complexus. ] Id eſt, adamauit: id eſt, eum fidelem probauit. Sed quoniam. ] Concluſio eſt partim per commiſerationem, partim per enumerationem. In his lo. ] Id eſt, in Gallia. Definiunt. ] Id eſt, terminant. Huius ſummi uiri. ] Pompeij. Si qui de re ſimili iudicarunt. ] Id eſt, ſi iudices qui de cauſa ſimili iudicauerunt. Illis ducibus err. ] Error honeſtus eſt magnos duces ſequentibus, ut ait Quintilianus libro primo. Cicero in libro Tuſculanarum quæſtionum primo, facit adoleſcentem cum quo diſputat dicentem, malle ſe cum Platone errare, quàm cum alijs uera ſentire. Ita Duris Samius, homo in hiſtoria diligens, quod cum multis errauerit, irriſus non eſt: ut ait idem Cicero libro Epiſtolarum ad Atticum ſexto. Poſt mortem reos. ] Si Cornelium damnetis. Omnium peccatorum quæſtiones. ] Legendum mihi uidetur, Omnes peccatorum quæſtiones. Cauſæ enim publicæ omnes criminum ſunt.

# IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM

## DE PROVINCIIS CONSVLARIBVS, IACOBI

## BVGELII SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

CLODIVS Trib. plebis utrique conſulum inſignes prouincias, L. Piſoni Macedoniam, Gabinio Syriam decreuit,
c quos è Prouincijs hac oratione Cicero retrahere, Cæſarem uero diutius in Gallia retinere conatur. Itaque loci petuntur ex genere deliberatiuo, ab utili & honeſto: & ex demonſtratiuo aſſumuntur, ad illos uituperandos, & Cæſaris geſta commendanda.

Si quis ueſtrum. ] In exordio beneuolentiam captat Orator, à ſua perſona, & eorum quibus prouinciam adimendam eſſe ſuadet. Quatuor ſunt prouinciæ. ] Propoſitio principalis totius orationis. ] Mitto quod eas. ] Argumentum ab ijs perſonis, quæ nunc prouincias habent. Hoc per ſchema præteritionis uel occupationis explicatur. Ad ipſas uenio. ] Propoſitio eſt: Piſonem è Macedonia deuocandum eſſe. Igitur cum antea ſit argumentatus à perſona, quæ habet hanc prouinciam, nunc argumentum ducit ex ipſa re, id eſt ex prouincia Macedonia, quam miſere dicit affligi. An uero in Syria. ] Probatio, à prouincia Gabinij, & Gabinio ipſo, cuius ſcelera merentur, ut prouincia ſpolietur. Retinere igitur. ] Concluſio per ſarcaſmon. At qui duas Gallias. ] Altera pars orationis, de Cæſare in Gallijs retinendo: quia is optime bellum Gallicum ad finem perducet, qui inchoauit. Ab utili. Ergo ego Senator. ] Obiectio: Cicero non eſt Cæſaris amicus, ergo non debet illi Galliam decernere. Reſponſio. Cicero reipub. cauſa inimicitias deponit, quod probatur multorum clariſſimorum, qui recenſentur exemplo. Item, Patres Conſcripti ſummos honores Cæſari antea quoque exhibuerunt, imo & Cicero ipſe decreuit illi plures ſupplicationum dies quàm oportebat: Ergo non eſt tanta inimicitia inter eos. Argumenta ſunt ab exemplis, ab auctoritate aliorum, ab ijs quæ anteceſſerunt. Nam ipſe Cæſar quid eſt. ] Cæſari utilius eſſet, & iucundius, prouinciam relinquere: Ergo non debet ſuſpectum eſſe, quod cupit diutius abeſſe. Argumentum à Cæſaris perſona. Bellum Gallicum. ] Ratio ſumitur ab ipſa prouincia. À Gallia Romanis periculum imminet, niſi tantum Romano imperio ſubijciatur. Quo minus ex ea Cæſar deuocandus eſt, cuius uirtute propediem expugnabitur. Quare ſit in eius tutela. ] Concluſio huius loci, qua breuiter repetuntur argumenta. Nam illæ ſententiæ. ] Hactenus Cicero ſuam ſententiam confirmauit, iam aliorum confutat. Quam ego plagam. ] Ab inutili, ſi Cæſar Gallia priuetur. Sed non alienum. ] Digreſſio de Cæſaris & Ciceronis inimicitia. Conſtat autem ex hiſtorijs, quod contra Ciceronem Iulius Cæſar prohibuerit Catilinarios occidi. Traduxit ad plebem. ] Id eſt, Clodium fecit Tribunum plebis. Nam poſtea me ut ibi eſſem. ] Cicero iam promiſerat ſe legatum fore Cæſari Galliam petenti: ſed recuſauit mox, cum putaret Clodium ſibi reconciliatum eſſe. uide Plutarchum in uita Ciceronis. Extremum illud eſt. ] Epilogus: Cæſari prouinciam diutius eſſe concedendam, nec obſtare debere, ſi qua fuit inimicitia inter ipſum & Ciceronem. Quid uero pop. Rom. profuerit, quod ultra præſcriptum tempus in Gallia Cæſar manſit, uireſq; ſuas confirmauit, ſatis teſtantur hiſtoriæ multæ. Deſcribit uitam eius Suetonius & Plutarchus. Certe totius imperij mutatio conſecuta eſt bellum illud inteſtinũ Cæſaris & Pompeij: quod forſitan non ita exarſiſſet, niſi diuturno adeo tempore ſuas opes & potentiam in Gallia Cæſar auxiſſet.

# IN M. T. CICERONIS ORATIONEM PRO T. ANNIO MILONE FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

## De arte dicendi in genere iudiciali compendium.

ARTES orationis iudicialis quinque eſſe, qui de dicendi ratione ſcripſerunt, maiore ex parte tradiderunt: procemium, narrationem, confirmationem, refutationem, concluſionem. Vt has omnes partes in unā orationem ingredi neceſſe non eſt, ita ab accuſatore & à patrono diuerſo modo tractari ſolent. In primis uidendus eſt utriſque ſtatus cauſæ, quò omnia tanquam telum ad ſcopum dirigi ſolent. Vterque procemio utitur, ſed in eo patroni quàm accuſatoris maior eſſe diligentia debet: quia ſenſim placandi iudicum animi ſunt, qui aduerſus reum accuſatoris oratione commoti ſunt. Si quam opinionem domo attuliſſe iudices ipſi uidentur, eam ſi pro nobis ſit, augeri: ſi contra nos, mutari, aut certe extenuari oportet. Si ē re præſenti naſcatur procemium, id multo ſit utilius. hac enim ratione oratio præmeditata præparataq; non uidebitur: ideoq; nec artificioſa. Huius enim modi præparatæ orationes & artificioſæ, iudicibus nonparum ſuſpectæ ſunt: quippe quas putent iudices ad fallendum iudicium ſuum compoſitas. Ideoq; illud in præceptis eſt, ſummam illam dicendi artem eſſe, ut cum artificioſa oratio ſit, ars ipſa ne appareat. Commode igitur Cicero pro Milone exorſus eſt ab armatis præſidijs, quæ à Cn. Pompeio Cos. circum forum diſpoſita erant, quod in cauſis alijs fieri non ſolebat. Narrabit accuſator tantum, ſi ſtatus cauſæ coniecturalis ſit. Nam qui negat factum, quid narrabit? de generali narratione dico. nam ſpeciali uterque uti poteſt. ſuntq; nonnunquam multæ ſpeciales narrationes in oratione: ut pro A. Cluentio. Si ſtatus cauſæ, aut finitionis aut qualitatis, ut accuſatori, ita patrono licet narrare. Sed ea uterque commode quantum ad cauſam ſuam pertinebit utetur: ſed eo modo, ut quidquid dicatur, eò tendat, ubi controuerſia ſit. In Milonis cauſa Cicero docere contendit, P. Clodium Miloni feciſſe inſidias, eum Clodium ciuem reipub. pernicioſum fuiſſe: ideoq; quamuis inſidias non feciſſet, occidi eum è republica fuiſſe. Ad hæc duo tendunt omnia, quæ in narratione dicuntur à Cicerone. ubi amplificat quæ ad ſe pertinent, extenuatq; ea quæ alioqui pro aduerſario ſtare niderentur. Hæc autem rerum noſtrarum amplificatio, & aduerſarij extenuatio, etiam in reliquis partibus orationis facienda eſt. Cum in reliquis partibus orationis, tum uel maxime in narratione cauendum eſt, ne quid dicamus quod aduerſario noſtro proſit, ne quid quod cauſæ noſtræ noceat. Inde igitur narrare incipias, unde res ad cauſam pertinere uidebitur: ubi deſinas, ubi quod in controuerſia ſit dixeris: ibiq; admoneas iudices, id eſſe de quo ſententia pronuncianda ſit, quo ipſi fiant ad audienda reliqua attentiores. In cauſa Milonis illud præcipuum eſt, ut Cicero doceat Clodium inſidiatorem eſſe, ideoq; iure occiſum. Ibi narrationis finis eſt: Fecerunt id ſerui Milonis, quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere uoluiſſet. Id eſt, quia Milonem Clodius per inſidias adortus eſt, Milonis ſerui domini caput defendentes inſidiatorem necauerunt. Paulo poſt, & ante confirmationem: Illud, inquit, in iudicium uenit, non occiſuſ'ne ſit, quod fatemur: ſed iure an iniuria, id eſt, an fuerit inſidiator nec ne. nam ſi inſidiator, iure: ſi non, iniuria. Sed quia illud quoque uult docere Cicero, reipub. utile fuiſſe, Clodium ciuem pernicioſum interfici: in principio narrationis oſtendit, quantum rempublicam dilacerare Clodius propoſuerat, ſi anno proximo Prætor eſſet. Ex quo etiam ſibi gradum Cicero facit, ut credibilius faciat, Clodium Miloni inſidiatum. Nam illæ tres ſunt, auctore Quintiliano, uirtutes narrationis, ut ſit breuis, ut ſit dilucida, ut ſit credibilis. Breuitatem re quam tractes, non uerborum aut uerſiculorum numero metiare. Quantum res expoſtulabit, prolixa narratio ſit. Cauendum eſt enim, ne dum breuitati ſtudes, narrationem nimium circuncidas. Ea igitur breuitas ſit, ubi nihil deſit: ſed ita, ut nihil ſit ſuperuacaneum. Id medium iter tenere ſi neſcis, minus periculoſum eſt, ſi in hoc quàm in illud incidas. Nam, ut ait Quintilianus, ſuperflua cum tædio audiuntur, ſed neceſſaria ſine periculo non ſubtrahuntur. Quoniam igitur narratio breuis eſſe debet, ſolet Cicero ubi narraturus eſt, polliceri fore, ut rem breuiter exponat. Narrationem dilucidam facias, ſi uerbis neque nouis neque antiquis ſed uſitatis, & quotidianis utare. Sed magis erit dilucida, ſi ita narres, ut nihil implicatum ſit, nihil inuerſum, nihil præpoſterum. Permultos tam indocte, tam peruerſe, tam ruſtice, etiam domeſtico ſermone narrare audias, ut ne ſe ipſi quidem intelligere uideātur. Credibilis narratio, quæ eadē probabilis & uerisſimilis appellatur, hac ratione fiet, ſi perſonæ mores cū facto conuenient, ſi cauſam & rationem quæ ad faciendū impulit aut retraxit, ſi tempus, ſi locū, ſi modū, quo res ipſa geſtā ſit ita narrabimus, ut ad rem noſtrā pertineat. Has tres uirtutes in narratione pro Milone facile inuenias. Confirmatio eſt rei eius, in qua præcipua litis controuerſia eſt, probatio. ut in cauſa Milonis Cicero probare nititur, Clodium Miloni feciſſe inſidias. Hæc fit partim ex his quæ in narratione dicta ſunt, partim ex alijs extrinſecus adductis. ut Clodiū feciſſe inſidias Cicero probat ex Clodij & Milonis comitatu, & ex Clodij dicto, qui Fauonio negauit Milonem triduū, ad ſummum quatriduū eſſe uicturum, quæ ante in narratione dixerat. Probat præterea, quòd Clodio Milonis mors utilis fuiſſet, Clodij cædes Miloni nocuerit: quòd aliàs ſæpe Clodius, nunquā Milo uim fecerit: quòd impunitatem Clodius ſperauerit. quòd nihil ſibi conſcius Milo poſtridie quàm Clodius cæſus eſt, Romā redierit: aliaq; multa ratione utitur quæ in narratione dicta non eſt. Oportet ea faciamus probabilia, quibus confirmamus ea quæ incerta ſunt. Qua ratione probabilia facere poſſimus, antea diximus. Confirmationis ille uſus ſit, ut quæ potentia ſunt, in principio: quæ infirma & imbecilla, in medio: quæ potentiſſima, in fine collocemus. Vt pro Milone potētia illa ſunt, cui bono fuerit, & Clodiū uim ſæpe, nunquā Milonem feciſſe, ſpes impunitatis: illa leuiora, quòd turbulentas cōciones Clodius reliquerit, quòd ante fundum ſuum inſidias collocarit, quòd Clodio Milonem appropera re nunciatum ſit: illud potentiſſimum, quod poſtridie quàm cæſus Clodius eſt, Milo bona conſcientia ſubnixus Romam redierit, quòd ſe pop. Rom. Senatui, præſidijs armatis, Cnæoq; Pompeio, cui rempublicam Senatus commiſerat, tradidit: quod fictum de ſe Clodianorum & uulgi rumorem contempſerit. Confirmatione generali patronus non utitur, ſi ſtatus coniecturalis ſit. Nā qui nihil narrat, nihil confirmare neceſſe habet. Speciales nonnunquā ſunt confirmationes, ſed hæ orationis partes non ſunt. Refutatio eſt eorū, quæ ab accuſatore in confirmatione dicta ſunt, improbatio. Ideoq; refutatio patroni eſt, non accuſatoris illud ridiculum eſſe Quintilianus dicit, ut accuſator proponat ſibi quæ patronus poſſit dicere, ut ea refutet. In refutatione illud optimum eſt, ſi in aduerſarium retorquere poſſimus, id quod in nos ipſe dixerit. ut Milonis accuſatores eum feciſſe inſidias dixerant: id in Clodium Cicero reijcit. à Cluentio corruptū iudicium accuſatores dixerūt: id ab

Oppianico

Oppianico Cluentij aduerſario factum Cicero probat. Idem ab accuſatoribus. Sex. Roſcij patrem occiſum probat: quem accuſatores à Roſcio filio occiſum probare conati ſunt. Nihilominus utile eſt, ſi quod nobis obiecit aduerſarius, poſtquam diluerimus, idem aut ſimile ab aduerſario factum probauerimus. Id in omni orationis genere utile eſt. In oratione Ciceronis in Salluſtium, quæ demonſtratiua eſt, permulta huius generis exempla inuenias. In refutatione, quemadmodum in confirmatione, magnã uim habet uitæ anteactæ aut noſtræ, aut noſtri litigatoris, aut aduerſarij cõmemoratio. Vt enim credibile eſt, qui uitã ſuperiorem turpiter egerit, eum proniorem ad ſimile aliquod flagitium ſuſcipiendum eſſe: ita uix credi poſſit, integræ uitæ hominem ulla ratione ad improbum facinus impelli potuiſſe. Hoc genus creberrimum eſt in Ciceronis orationibus: P. Clodius aliàs ſæpe uim fecit: credibile eſt eũ Miloni feciſſe inſidias, ut uim faceret. Milo nunquã uim fecit, quis eum Clodio uim facere uoluiſſe credat? Quoniam igitur accuſator Iudices, quantum maxime potuit, in reũ concitauit, eos reus habere beneuolos non poteſt, niſi prius hanc affectionem ex animis Iudicum euellat. Eam ob rem, cum defendit quenquã Cicero, ſolet poſt procœmiũ & ante narrationẽ, ſi narratione utatur, refutare ea quæ in accuſationis cõfirmatione fuerũt potentiſſima. Quæ uero reliqua ſunt, inter confirmandũ ſæpius, nonnunquã tamen poſt confirmationem diluit, eo tamen modo, ut in leuiſſimis quibuſque deſinat. Nã quæ contra reum eſſe putarant Iudices potẽtiſſima, ubi ea refutari uiderint, reliqua paulo quoq; negotio refutari poſſe arbitrantur. Itaq; quod odij aduerſus reum conceperant, id fauore mutant. Naturalis enim fauor pro laborantibus eſt, niſi erunt digni calamitate. Cum uero leuiſſima in fine refutationis ponuntur, refrigeſcit omnino Iudicum animus, quem ira tanta accuſator inflammauerat. Tria erant potentiſſima à Milonis accuſatoribus dicta. Vnum: Negabant intueri fas eſſe lucem ei, qui à ſe hominem occiſum fateretur. Alterum: Cædem quæ in uia Appia facta ſit, in qua P. Clodius occiſus eſt, contra Rempublicã factam eſſe Senatus decreuit. Tertium: Cn. Pompeius Coſ. legem tulit, ut de cæde P. Clodij quæreretur. Adijciebant accuſatores, ut maiorem facerent Miloni inuidiam, Clodij cædem eo indigniorem eſſe, quòd in Appia uia, quæ ab Appio Claudio ſtrata fuerat, cuius ex genere P. Clodius originem ducebat, facta ſit. Hæc omnia poſt procœmium ante narrationem Cicero refutat. Refutationem reliquam admiſcet confirmationi. Nam poſtquam Clodium feciſſe inſidias cõfirmauit, quòd ei Milonis mors bono fuiſſet, quòd aliàs ſæpe uim fecerit, quòd impunitatem ſperauerit, leuiora alia quædam dicit, quibus partim confirmat ſua, partim refutat aliena. Poſtea refutat ea quæ aduerſarij dixerant, Milonem manumiſiſſe ſeruos, quòd metueret, ne ſerui tormentis quod uerum eſſet indicare cogerentur. Seruiſq; P. Clodij ab accuſatoribus contra Milonem productis, credendum non eſſe oſtendit. His rebus refutatis, ad confirmationem regreditur. Nam docet Milonem integritate conſciẽtiæ ſubnixum, poſtridie quàm Clodius occiſus eſt, Romã rediſſe. Poſtea eleuat diluitq; teſtimoniũ Licinij Popæ, qui Milonis ſeruos de Pompeio interficiendo coniuraſſe dixerat, adimitq; Pompeio malam de Milone ſuſpicionem. In hac uero cauſa Milonis alia confirmatio eſt, cui refutatio nulla admixta eſt. Non enim ſolum Miloni Clodiũ feciſſe inſidias, ſed P. quoq; Clodiũ necari è Repub. fuiſſe, oſtendere Cicero contendit. Id autem confirmat, enumerando uitia, quæ Clodius inceſte nefarieq; in deos, in propinquos, in alienos commiſerat: ſub oculos ſubijciendo, quæ cõmiſſurus fuiſſet in Prætura, niſi occiſus fuiſſet. Additq; (id quod potentiſſimum eſt) deorum uoluntate hanc cædem factam eſſe, qui tantorum ſcelerũ pœnam tandem repetentes, furioſam iſtam Clodio mentem iniecerunt, ut inſidias fortiſſimo uiro Miloni faceret, à quo necaretur. ut hac ratione dijs quoque gratiam debere ſe Iudices putarent, ne Milonem ingrati damnarent. Igitur ſi Clodiũ Milo occidiſſet, non id ſolum fateretur, ſed prædicaret, ſed præmia ſibi peteret, quod tyrannum occidiſſet. Nihil hic refutat, quia parte priore omnia refutauit, quæ in Milonem ab aduerſarijs dicta fuerant. Concluſionis tria genera ſcriptores artiũ tradiderunt: per enumerationem, per amplificationem, per commiſerationem. Enumeratio eſt breuis quædam, & uelut per capita eorum quæ dicta ſunt, repetitio. Hæc in cauſa iudiciali rara eſt, niſi in partibus. Id enim plerunq; facit Cicero, ut in ipſis partibus orationis, quæ dicta ſint breuiter repetat: ut in Iudicum memoriam reuocet, ſi quid oſcitanter audiuerint. Solet etiã proponere quid dicturus ſit non ſolũ in tota oratione, ſed etiã in partibus. In cauſa Milonis poſt procœmiũ proponit Cicero, planum ſe facturũ, inſidias à Clodio Miloni factas: dicturũ, quid in Tribunatu Milo pro ſalute Reipub. geſſerit: deprecaturũ, ut crimen hoc ſibi propter multa in Rempub. merita condonetur: poſtulaturũ, ut Clodij cædes pop. Rom. felicitati potius quàm Milonis fortitudini aſſignetur. Qui quàm, inquit, in hac cauſa Iudices, &c. Hæc autem exequitur ordine alio ac propoſuerat. Hæc uero orationis totius propoſitio eſt. Sed partibus quoque ſua propoſitio non deeſt. Idem non multo poſt, priuſquam refutet ea quæ ab aduerſarijs dicta, uiſa erant potentiſſima, ita propoſuit: Sed antequam, inquit, ad eam orationem ueniã, quæ eſt propria noſtræ quæſtionis, uidentur ea eſſe refutanda, quæ in Senatu ſæpe ab inimicis, ab improbis ſæpe iactata ſunt, & in concione etiam paulo ante ab accuſatoribus: ut omni errore ſublato, rem planè quæ uenit in iudicium, uidere poſſitis. Hæc poſtquam Cicero refutauit, dixitq; pauca quædam de electis Iudicibus, & de L. Domitio cauſæ præpoſito, antequàm narret, eadem repetit, proponitq; quæ ſit narraturus, & in confirmatione & refutatione dicturus. Quamobrem, inquit, Iudices ut aliquando ad cauſam crimeq; ueniamus, ſi neq; omnis confeſſio facti eſt inuſitata (hoc primum eſt quod refutauit) neq; de cauſa quidquã noſtra aliter ac nos uellemus à Senatu iudicatum eſt (hoc eſt ſecundũ) & lator ipſe legis, cum eſſet controuerſia nulla facti, iuris tamen diſceptationem eſſe uoluit (hoc tertiũ eſt) & electi Iudices, & iſti præpoſitus quæſtioni, qui hæc iuſte ſapienterq; diſceptet: reliquum eſt Iudices, ut nihil iam aliud quærere debeatis, niſi uter uteri inſidias fecerit. Quod quo facilius argumentis perſpicere poſſitis, rem geſtam uobis dum breuiter expono, quæſo diligenter attendite. Idem in media ipſa confirmatione, antequàm ex loco, ubi factæ inſidiæ ſunt, utri ad ſubſiſtendum aptior fuerit, dicat per capita repetit ea quibus confirmauit: Video, inquit, adhuc conſtare omnia Iudices, &c. Huiuſmodi rerum antedictarũ complexio crebra eſſe ſolet in oratione, quemadmodum eorum quæ dicenda ſunt propoſitio. Ideo de utraque ſimul dicendum putauimus. Amplificatio per orationem totam diffundi debet, ſed in concluſione præcipue uires expromere ſolet. Noſtræ enim cauſæ quod utile eſt, id amplificari. quod aduerſum eſt, extenuari debet. Id in concluſione cum ſit, diligenter ipſorum Iudicum fauorem nobis quodammodo concitamus. Poſtrema commiſeratio, quæ à parte meliore appellata eſt, incredibile quantum poſſit, præcipuè in concluſione. Nam alijs quoque partibus admiſcetur, ſed nuſquam tam acres uires oſtendit. Accuſator ex commiſeratione eius qui læſus eſt, iratũ reo facit iudicem. Patronus ex rei, aut propinquorum eius calamitate, Iudicem ad miſericordiam flectit. Cũ hac commiſeratione amplificatio commiſceri ſolet. De utriuſq; uſu ſatis multa Quintil. Igitur accuſator & patronus in concluſione affectus Iudicum mouere debent maxime, ille incitando, hic placando. Omnia, ut ait Cic. concludenda plerunque rebus augendis, uel inflãmando Iudice uel mitigando. Omniaq; cum ſuperioribus orationis plerunq; locis, tum maxime extremo, ad mentes Iudicum quam maxime permouendas, & ad utilitatem noſtram uocandas conferenda ſunt. Hic oratoris finis eſt. Nam ſatis uidetur perſuaſiſſe, qui iudicem aduerſario ſuo iratum, uel reo propitium & miſericordem reddiderit. Nihil enim reſtabit quo minus aut hunc abſoluat, aut illum damnet. Quocirca orator cum in reliquis partibus tractandis eſſe debet diligens, tum hac in parte diligentiſſimus.

## DE P. CLODII CUM MILONE INIMICITIIS DEQUE CAEDE, ET HUIUS EXILIO.

B RE *noſtra mihi alienum uiſum non eſt, ſi priuſquam hanc defenſionem Milonis enarrem, breuiter exponam quæ inimicitiarum Clodij & Milonis et Ciceronis cauſa fuerit, quid de Clodij cæde & Milonis exilio in memorijs*
A *inuenerim. P. Clodius pulcher ex nobiliſſima illa & antiquiſſima Claudiorum familia C. Iulij Cæſaris uxorem (quam alij Pompeiam, alij Calphurniam uocant) non iniuſtam amabat. Hanc Cæſaris mater Aurelia, mulier pudiciſſima, ita obſeruabat, ut non congredi ſolum, ſed ne colloqui quidem cũ Clodio poſſet. Erat autem mos Romæ, ut quotannis ſacra Bonæ deæ à matronis atq; à Veſtalibus in domo Conſulis fierent, in quæ ingredi uiris omnino nefas eſſet. P. Clodius Cæſaris uxorem non obſeruari tum, cum in domo eius hæc ſacra fierent exiſtimans, latendi ſpe, quod adoleſcens imberbis eſſet, muliebri ueſte indutus, in hæc ſacra furtim obſcura nocte ingreſſus eſt. Deprehenſus tandẽ, eiectus eſt. Hoc impio Clodij facinore poſtero die omnium ſermone uulgato, de pollutis ſacris quæſtionem Senatus decreuit. Clodius cum id factũ negaret, ea ipſa hora, qua id cõmiſſum eſt, C. Caſſinij ſcholæ teſtimonio probauit Interamnæ ſe fuiſſe, quæ urbs ab Roma longe non diſtat. Terentia autem Ciceronis uxor moroſa admodum, metuens ne ſe repudiata Cicero Clodiam Clodij ſororem haberet uxorem, cum qua ei familiaritas intercedere uidebatur: (nam propè Ciceronem Clodius in Palatio habitabat). Id metuens, inquam, Terentia Ciceronem impulit, ut in Clodium teſtaretur. Is igitur teſtatus eſt, ſe cum P. Clodio fuiſſe, & de re ſeria egiſſe, eo ipſo die quo deprehenſus dicebatur. Corruptis iudicibus, P. Clodius abſolutus eſt. Hoc fuit initium grauiſſimi illius & crudeliſſimi, quo Cicero & Clodius (qui ante amici fuerant) inflammati ſunt, odij. auctor eſt Plutarchus in uitis Cæſaris & Ciceronis. Ciceronem Clodius ut ulciſceretur, eumq; licentia maiore uexaret, Fonteio adoleſcenti, qui plebeius erat, Senatorem ſe contra ius adoptandum dedit, ut ei Trib. pl. eſſe liceret. Nemo enim non plebeius Trib. pleb. fieri poterat. Factus igitur Tribunus plebis Clodius, Ciceronem accuſauit, quod indemnatos ciues necaſſet: nam de coniuratis iniuſſu populi Romani extremum ſupplicium contra Semproniam legem ſumpſerat. Pro Cicerone Senatus, hominumq; uiginti millia ueſtem mutauerunt. Eò res adducta eſt, ut uel depugnandum, uel Ciceroni abeundum fuerit. Ciceroni ut rem manu tentaret amici nonnulli, ijdemq; uiri fortes ſuadebant. Ipſe uero, qui opprimenda coniuratione Catilinæ ciues ſuos ſeruauerat, non ſuſtinuit, ut cauſa ſua ijdem ciues cæderentur. Volens igitur in exilium abijt. Ciceronis exulis domum Clodius, & Conſules L. Piſo & A. Gabinus deprædati ſunt, atque demoliti. Ibi Libertatis templum Clodius conſecrauit. Cicero menſe exilij decimo, cum aliorum multorum, tum Milonis Tribuni plebis, cum Clodius abiſſet magiſtratu, incredibili totius Italiæ lætitia reuocatus eſt. Quia igitur inſano P. Clodij in Ciceronem odio Milo reſtitit, eumq;, quem Clodius eiecerat, in urbem honorifice Milo reuocarat, hæc præcipua Milonis & Clodij inimicitiarum cauſa fuit. auctor eſt Cicero in orationibus Poſt reditum ad Quirites, & in Senatu, pro Domo ſua, de Reſponſis aruſpicum, pro P. Sextio. Fuit autem T. Annius Milo è Lanuuio municipio, familia Papia, à T. Annio auo materno adoptatus, ut ait Aſconius. Id autem odium ita progreſſum eſt, ut ſaxorum lapidatione gladijsq; ſæpe concertatum ſit. Cumq; improbis multi & nefarijs facinoribus Rempublicam, Milonianosq; P. Clodius uexaret, Milo emit gladiatores: quod ei fuiſſe honori Cicero ſcribit in libro. de Offic. 2. Miloni Lanuuium proficiſcenti, Clodius Aricia rediens, circa Bouillas in uia Appia fit obuius. Hi quamuis inimici forent, ſibi tamen in uia ceſſere. Suũ quiſq; iter cum progreditur, quidam Milonis ſeruus Clodiũ in ceruice uulnerat, ſiue quòd ita dominus iuſſerat, ſiue quòd à domino inire gratiam ſperabat. Cruentatus Clodius, in tabernam proximam à ſuis defertur. Ad eum animam trahentem Milo cum ſeruis propere uenit. Diſſimulans profitetur neque ſe eius cædem appetiſſe, neque cuiquam ut faceret imperaſſe. Morientem Clodium Milo reliquit. Auctor eſt Appianus lib. 2. Verum Aſconius ſcribit, Milonem iuſſiſſe tabernam exturbari: Clodiumq; latentem extractum, multisq; uulneribus confoſſum eſſe, eiusq; cadauer in uia relictum. quòd intelligeret Milo, rem ſibi minus eo mortuo negotij facturam, eamq; cædem ſibi fore uoluptati, etiãſi pœna ſubeũda eſſet. Circa centeſimũ, quàm cædes facta eſt, diem, Milo de ui accuſatus eſt, quod Clodiũ occidiſſet. Eum in foro Cicero defendit: qui Clodianorũ clamore exceptus, non obtinuit. Huic de ſe iudicio Milo affuit magno animo: isq; nec comã, nec ueſtẽ de reorũ more mutauit. Quam ob cauſam iudices in ſe non parum cõmouit, ut ait Plutarchus in uita Ciceronis. Hunc reum non magis inuidia facti, quàm Pompeij uoluntas damnauit: quem quidem M. Cato lata palàm ſententia abſoluit. Is ſi maturibus tuliſſet, non defuiſſent, qui ſecuti ipſius exemplum, probaſſent eum ciuem occiſum, quo nemo pernicioſior reipublicæ, neque bonis inimicior uixerat. auctor eſt Velleius Paterculus. In exilio fuit perpetuo. De ui enim damnati non reſtituebantur, ut ait Cicero in oratione pro P. Sextio. De Milone à M. Cælio Ruffo in Italiam euocato, tempore ciuilis belli Cæſaris & Pompeij: deq; eius cæde, quæ à Qu. Pedio Prætore facta eſt, Coſam in agro Turino defenſante, quam Milo ipſe obſidebat, C. Cæſar. lib. Comment. de bello ciuili tertio ſcribit.*

## ARGUMENTUM.

CLODIUS, & *T. Annius Milo grauiſſimas inter ſe geſſerunt inimicitias. Clodius reuertens Romam, factus obuius Miloni eſt, Lanuuium proficiſcenti. Fortuita inter eos pugna exoritur: Clodius à ſeruis Milonis necatur.*
P. *Centeſimo & altero die poſt Clodij cædem, Milo ab Appio Clodio adoleſcente accuſatur, quòd Clodio inſidias fecerit. Cicero Milonem defendens, à Clodio factas inſidias, non à Milone: fuiſſeq; utile Reipub. ut Clodius homo pernicioſus necaretur, oſtendit hac oratione. Cuius argumentum eſt. P. Clodius petebat Præturam anno eo, quo Milo conſulatum. Is non poſſe ſe Rempublicam Milone Cos. ut ſtatuerat uexare uidebat: itaque omnem operam dabat, ne Milo Cos. eo anno eſſet. cum nihil proficere ſe ſentiret, necare Milonem conſtituit. Ei igitur Lanuuium proficiſcenti, quò iter ei neceſſarium erat, in uia Appia Clodius ad prædium ſuum Albanum inſidias fecit: Milonem uenientem aggreſſus, ab eius ſeruis occiſus eſt. à Clodio Miloni, non contra à Milone Clodio factas inſidias probat: primum, quòd Milonis mors Clodio fuiſſet permagno emolumento. Is enim Prætor conſulem non habuiſſet, qui furioſis eius in Rempublicam conatibus obſtitiſſet. Clodij mors Miloni incommodum attulit maximum. nam is de certiſſima ſpe conſulatus cæde Clodij decidit. Deinde quod Milonis odio Clodius flagrauerit, Clodium Milo non oderit, niſi odio ciuili, quo improbos omnes odimus. Tum quòd nihil unquam per uim Milo fecerit, cum ei ſæpe oblata eſſet iuſta occaſio. Clodius autem per uim plurima iniuſte fecerit. Tum quod impunitatẽ ſibi Clodius propoſuerit, quam in maleficijs alijs innumerabilibus aſſecutus fuerat: nullam autem Milo ſperauerit, qui etiã præclari huius & neceſſarij facti reus factus eſt. Tum quod Clodius Milonem triduo, ad ſummũ quatriduo periturum dixit: is enim tum in uia fore Milonem*

*ſciuit,*

ſciuit,quamuis in uia Clodium eſſe Milo neſciret Pręterea C· Caſſinij & C·Clodij dicentium Clodium in Albano manſurum fuiſſe,niſi de Cyri morte audiſſet,teſtimonia pro Milone probat eſſe : quamuis is qui dicitur Cyri mortem nunciaſſe, non id nunciarit, ſed Milonem appropinquare. Oſtendit nullam cauſam Clodio fuiſſe,ut Romam properaret,ut ſe in noctem conijceret,niſi de inſidijs cogitaſſet. Si facere inſidias Milo uoluiſſet,opportuniore loco,id eſt,ad Baſilij monumentũ feciſſet : quo in loco ſi Clodius occiſus fuiſſet, ad Milonem cædis nulla ſuſpicio perueniſſet. Oſtendit,locum inſidiarum Clodio quàm Miloni commodiorem fuiſſe : & expeditum Clodium,Milonem impeditum fuiſſe. Addit cauſam,cur inſidiator Clodius occiſus ſit. Seruos à Milone iure manumiſſos eſſe docet,quòd ſalutẽ domini tutati fuerant·Seruis Clodij,de quibus habita quæſtio eſt, fidem derogat. Nulla conſcientia Milo territus,occiſo Clodio Romam reuerſus eſt, ſeq́; populo Romano,Senatui,publicis præſidijs, & Pompeio Cos. tradidit. quod nunquam feciſſet,niſi cauſæ ſuæ confideret. Idem neglexit,quæ de ſe uulgo circunferebantur : arma diuerſis in locis diſpoſita,ad patriæ euerſionem. Eludit Cicero,quòd Licinius Popa dixerat : ſeruos Milonis apud ſe confeſſos eſſe, ſe de interficiendo Pompeio coniuraſſe : adimitq́; Pompeio metum,cum eum Milo præter cæteros diligat. Inſidias à Clodio factas, ſi non diluiſſet Cicero, Miloni tamen liceret glorioſe prædicare, hominem nefarium à ſe occiſum, qui nefarie multa publice priuatimq́; feciſſet : & plura facturus erat, niſi è medio ſublatus eſſet. Et certe glorioſe confiteretur Milo, ſi Clodium occidiſſet. Itaque de præmio eius,non de pœna cogitandum eſſet,niſi ingrata ciuitas eſſet. Deorum immortalium uoluntate factum dicit,ut fortiſſimum uirum Milonem Clodius ferro laceſſeret:cuius à ſeruis necatus,nefariæ ſuæ impietatis pœnas expenderet. In concluſione orat iudices,Milone repugnante, ut Miloni miſericordiam tribuant. Affectus mouet,quòd Milonem præclari facti non pœniteat,etiam ſi ingratam ciuitatem habiturus ſit. Id autem ſi accidet,æquo animo exilium toleraturus eſt. Mouet etiam à dolore ſuo, ſi Milo damnatus è patria eijciatur, in quam per Milonem ipſe reuocatus ſit. In procœmio dicit, præſidia armata à Cn. Pompeio Cos. pro templis omnibus propè forum diſpoſita, non eſſe contra Milonem, ſed ad reprimendos Clodianorum furores : quo defenſio , & iudicum pronunciatio liberior ſit. Qua ratione iudicibus metum adimit. Ante narrationem refutat tria,quæ uiſa ſunt in accuſatione potentiſſima. Vnum,non licere hominem occidi : quod qui fecerit,uita indignum eſſe : Alterum, cædem Clodij contra Rempublicam factam,eſſe à Senatu iudicatam: Tertium,Cn.Pompeiũ lata lege,& de re,& de cauſa iudicaſſe. Oratio hæc iudicialis eſt. Status eſt qualitatis.nam Clodium iure occiſum eſſe,Cicero contendit : primum,quòd inſidiatus Miloni ſit : deinde quòd ciuis pernicioſus fuerit, reiq́; publicæ eum è medio tolli conduxerit. Hæc Ciceronis oratio ea non eſt,qua in foro Milonem defendit. Clodio enim occiſo, T. Munatius Plancus, Q. Pom.Rufus,& C. Salluſt.multis concionibus Ciceroni,ſed Miloni præcipue, inuidiam fecerunt. Pridie autem quàm hæc ageretur cauſa,Munatius pro concione,ut Aſconius ait, populum adhortatus eſt,uti Milonem abſolui ne pateretur. Poſtridie igitur tabernis in urbe tota clauſis, populus frequentia permagna ad forum contendit. Cum Cicero Milonem defendere cœpiſſet , Clodianorum acclamatione exceptus turbatusq́;, ea conſtantia Milonem, qua alios,non defendit. Tantum enim odium ante conceptum ualet, ut,auctore Laertio in uita Socratis,iudices quoque Platonem audire noluerint,cum Socratem defenſurus in ſuggeſtum aſcendiſſet. Exceptam tamen Ciceronis orationem, Aſconius tradit. Nam aliquot annis ante Clodij cædem Marcus Cicero conſul , cum de coniuratorum pœna,qui in cuſtodia erant,in curia deliberaretur,uelociſſimos ſcriptores diſpoſuit : eosq́; docuit,ut per ſigna quædam, & paruas breuesq́; notas multarum literarum uim habentes,dicta colligerent. Nondum enim reperti erant hi qui notarij & graphiarij appellantur, ſed tunc primum huius rei ferunt extitiſſe ueſtigium : qua ratione ſeruatam ferunt M. Catonis orationem. auctor eſt Plutar. in eiuſdem Catonis uita. Eadem ratione excepta eſt Ciceronis defenſio. Hanc, de qua loquimur, Ciceronis orationem Quintiliani tempore extitiſſe conſtat. eam enim lib.4.appellat oratiunculam,fuiſſeq́; Ciceroni neceſſe dicit,ut in ea uteretur digreſſione. Poſtea uero hanc ſcripſit. Solebat enim ſcribere orationes poſtquam orauerat, ſed hanc ita perfecte ſcripſit, ut iure prima,auctore Aſconio haberi poſſit. Laudem orationum Ciceronis pulcherrimam Quintilianus libro 4. & libro 11. nobiliſſimam appellat. Annio Miloni Maſſiliæ exulanti hanc Ciceronis orationem cum quidam recitaſſet, tum ille : Si ſic egiſſes, inquit, M. Tulli, Milo non eſitaret Maſſiliæ barbatos piſces. Auctor eſt Hermolaus Barbarus.

ET SI uereor. ] Cum agenda Milonis cauſa eſſet die centeſimo poſt Clodij mortem, Cn. Pompeius Coſ. cui Senatuſconſulto mandatum erat,ut uideret,ne quid Reſpub.detrimenti caperet,habito militum delectu ex tota Italia in foro,& circa omnes fori aditus præſidia diſpoſuit : ipſe ad ærarium,quod foro proximum erat,delecta manu militum ſtipatus conſedit. Hæc autem præſidia uulgo putabantur comparata contra Milonem,quòd eum Cn. Pompeius metuere putabatur. eum enim Cn.Põpeio ualde ſuſpectum Munatius fecerat, quem ſe metuere Pompeius multis modis ſignificabat. Hoc igitur prooemio M. Cicero,& ſe,& iudices metu liberat,quòd diſpoſita ibi præſidia ſint,ut cauſam liberius agat,& iudices ſententiam ferant. Iudicum beneuolentiam conciliat,quòd de ciue optimo & bene de Rep. merito contra perditiſſimorum hominum audaciam iudicaturi ſint. Hoc autem exordium è re,quæ ablata eſt artificioſe ſumitur,ne uideatur oratio præmeditata. Præmeditatæ enim orationes iudicibus admodũ ſuſpectæ ſunt,quòd eas putent ad circumueniendum ſuum iudicium præparatas. Idem fecit in oratione pro M. Cælio, quod ſola ea cauſa feſtis diebus & ludis publicis,cum reliquæ cauſæ intermiſſæ eſſent ageretur. Harum etiã duarum orationum exordijs adimit Cicero iudicibus opinionem, quam contra reos domo attuliſſe uidebantur. Quintil.lib.4.de exordio ſcribens : Detrahenda inquit , uel confirmanda opinio, ſi quam præcipue domo uidebitur iudex attuliſſe. Metus etiam nõnunquam amouendus,ut Cicero pro Milone,ne arma Pompeij diſpoſita cõtra ſe putarent, laborauit. Hæc autem præſidia diſponi in foro & circa forum, M. Cælius & Milo à Domitio Quæſitore petiuerũt. Pompeius Domitio promiſit ſe poſtero die cum præſidio deſcenſurum. Idq́; fecit,ut ſcribit Aſconius. L.tamen Cornelius Balbus id Ciceronem à Põpeio petiſſe,ſcribit in epiſtola quadam ad Ciceronem, quæ & in libro nono Epiſtolarum ad Atticum. Et ſi uereor. ] Hoc eſt,quamuis turpe mihi eſſe putarem, ſi timerem, cum incipio dicere pro uiro fortiſſimo,qui ipſe ſibi nihil timeat,tamen non poſſum nõ timere, cum nouam hanc fori præſidio muniti formam uideo. Vt hoc exemplo uideas quo ſint modo reliqua quoque pronunciãda,id quod tradit Quintil.lib.11.de ratione pronunciandi ſcribens,huc aſcripſiſſe ne pœniteat. Illud in pronunciando eſſe maximum docet,ut ſecundũ rationem rerum,de quibus dicimus animorumq́; habitus,uox ipſa cõformetur,ne ab oratione diſcrepet,ut in principio orationis pro Milone: Et ſi uereor iudices, ne turpe ſit pro uiro fortiſſimo dicere incipientem timere. Hoc contracta uoce & ſubmiſſa dicitur, quia exordium eſt, & ſolliciti Ciceronis exordium. Neceſſe tamen fuerit pleniore uoce & rectiore pronunciare illud, Pro fortiſſimo uiro,quàm illa reliqua Et ſi uereor,& turpe ſit,& timere. Secunda hæc reſpiratio eſt, Minimeq́; deceat,cũ T. Annius ipſe magis de Reip.ſalute,quam.

de ſua perturbetur. Hæc reſpiratio (clauſulam uulgus appellaret) temperato quodam & naturali conatu increſcat oportet: quo conatu minus paulò dicimus quæ ſequuntur, & quo Milonis magnitudo animi oſtenditur. Tertio quaſi obiurgatio ſui eſt: Me ad eius cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe. Quarto illud ut inuidioſius dicendum: Tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos. Quinto illa iam penè à peritis, ut aiunt, tibijs pronuncianda: Qui quocunque inciderint, ueterem conſuetudinem fori & priſtinum morem iudiciorum requirunt. Quod uero ſequitur latum atque effuſum eſt: Non enim corona conſeſſus ueſter cinctus eſt, ut ſolebat. Vides igitur ſecundum materiam, de qua dicimus & animi affectum, uocem eſſe conformandam. Turpe eſſet enim ſi uox à materia, & ab animo diſcreparet. Oportet igitur concordia ſit inter rem, animum, & uocem. Pro fortiſſimo uiro. ] Id eſt, Milone. Fortem in laude, audacem in uitio dicere ſolet. Is enim fortis eſt qui pericula nulla pro Reipub. utilitate recuſat. Animi magnitudinem & animi altitudinem pro fortitudine ſolet dicere, magnanimitatem ab eo dictam uix inuenias. Noui iudicij. ] Id eſt, inſolentis. Alias enim præſidia in foro collocata fuiſſe accepimus, ut cum P. Clodius accuſaretur, quòd ſacra Bonæ deæ uiolaſſet. Is liberatus non caruit ſuſpicione iudicij corrupti. auctore Plutarcho in uita Ciceronis: Catulus factus obuiá iudicibus: Rectiſſime, inquit, Iudices præſidium poſtulaſtis, metuentes ſcilicet, ne quis nobis argentum abriperet. Minime uident. ] Sic quidam legunt. In alijs codicibus eſt ſcriptum, Requirunt, non Minime uident, & ita legit Quintil. lib. 11. in loco eo, quem nuper citauimus. Id ſi magis probas, expone Requirunt, id eſt, deſiderant, id eſt, minime uident, ſed uidere cupiũt. Non enim corona. ] Id eſt, inermium ciuiũ multitudine, quãuis armatorũ quoque multitudo circunſtans corona dicitur à T. Liuio lib. 28 Exercitus, inquit, qui corona concionẽ circundederat, gladijs ad ſcuta concrepuit. Pro templis. ] Id eſt, in templis. nam Pro ſignificat in: ut pro roſtris, pro æde, pro tribunali. auctor eſt Sex. Pompeius. Illa præſidia. ] Sententia eſt, Quamuis hæc præſidia nobis ſint ſalutaria, et neceſſaria, utpote contra uim Clodianorum comparata, tamen non poſſum ita audere, quin aliquantulum metuam, ut Cicero quod ſibi à natura ineſſe ſolebat, id ad armatorum præſidia transferat. Cum enim orare Cicero inciperet, ita timidus erat, auctore Plutarcho, ut penè tremeret horreretq;: ideo metuens Milo ne Cicero armatorũ militum forum cingentium nouitate perculſus parum forti oratione ſe defenderet, et ſuaſit, ut in lectica delatus in forum, in ea cubans quieſceret, quoad iudices conueniſſent: uiſis autem armis quæ undique fulgebant, ita perculſus Cicero eſt, ut trepide admodum orare cœperit. Pro templis omnibus. ] Quæ foro iudiciali proxima erant, ut in templo Caſtoris, in quo P. Clodius armatos homines ſæpe diſpoſuit. Contra uim. ] Id eſt, ad prohibendũ ne qua uis fiat à Clodianis. Vt, ] Pro eo quod eſt, ita ut. M. enim Cicero ſæpe particulam Vt ſolam ponit, ubi uulgo, Ita ut dicitur: tamen hic ponitur bis. Id aliquando facit Cicero, ut in longiuſcula oratione aliquam dictionem bis ponat, non ad augendam quidem uim orationis, ſed ut diſſimulet compoſitam orationem & præmeditatam, ut ars occultetur, ut in oratione pro Deiotaro bis ponit, Inquit: Bleſamius, inquit: eius enim nomine optimi hominis, nec tibi ignoti maledicebat, tibi, ad regem, inquit, ſcribere ſolebat, &c. Non timere. ] Id eſt, audere: id eſt, ne audere quidem poſſimus ſine aliquo timore. Recreat & reficit. ] In oratione pro Cn. Planco: Nunc, inquit, ueſter iudices cõſpectus & conſeſſus iſte reficit et recreat mentem meam. Temeritatem concitatæ multitudinis. ] Id eſt, audacem multitudinem iratam. Auctoritate publica. ] Nam Cos. Pompeius erat. Quieto ] Id eſt ſedato, tranquillo, non timido. Silentium. ] Scilicet ne Clodiani obſtrepant & acclament. Quæ quidem eſt ciuium. ] Nam in armatis militibus permulti erant non ciues. ex tota enim Italia delectum Pompeius habuerat. Tota noſtra eſt. ] Id eſt, nobis fauet. Intuentes. ] Id eſt, attente audientes. quem enim attente audimus, eum intuemur. ut, Narrantis cõiunx pendet ab ore uiri. Neque eorum quiſquam non fauet. ] Id eſt, nullus non fauet, id eſt, omnes fauent. Illud autem ad commendationem rei apud iudices ualebat ſi reo fauebat populus, qui iudices circunſtabat. magna enim ſignificatio eſt omnino non eſſe improbum, qui multis charus ſit. Virtuti. ] Id eſt, animi magnitudini & fortitudini, quæ ſola proprie uirtus appellatur. nam à uiro uirtus, ut ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἀνδρεία. uiri enim propria maxime fortitudo eſt. Ab hac autem uirtute quæ cæteris excellit, reliquæ affectiones animi recte uirtutes appellãtur, ut ſcribit Cicero in libro Tuſculanarum quæſtionum ſecundo: Virtus igitur ſit proprie quæ animi uirilitas uulgo dicitur. De fortunis. ] Id eſt, bonis fortunæ. In hac ſignificatione fortunas in numero plurali à Cicerone ſæpe dici attendimus. Hodierno die. ] Ciceroni ſic dicitur, quàm hodie uſitatius. De ſe etiam. ] In rei ſignificatione ſolet Cicero partes ponere, ubi alioqui genus ſufficeret. uulgo enim diceremus in genere, de rebus ſuis omnibus certari putat: ubi dicit Cicero De ſe, de liberis ſuis, de patria, de fortunis certari putot. Mos etiam Ciceronis in his iudicialibus cauſis, ut iudices admoneat, quorſum res ſit caſura, ſi damnent uel abſoluant. hoc eſt, quid commodi uel incommodi, quid laudis uel dedecoris, quid animi uel audaciæ reſpub. uel iudices, uel probi homines aut improbi ex eo iudicio habituri ſint. hac enim ratione iudicũ animos ad ſe flectit facilius: qui quod utile, honeſtum, magnanimum ſit, defendere ſe, aut contraria accuſare ſignificat. Certari. ] Id eſt, contendi & cauſam haberi putat. eſt autem certari imperſonale. P. Clodij furor. ] P. Clodium facem & furiam patriæ Cicero appellat in oratione pro Domo ſua. Idem in oratione de Reſponſis aruſpicum, ratione contendit, nullam à dijs immortalibus homini maiorem eſſe pœnam furore atque dementia: quam Clodium ſuſtinere dicit, cum furiales in cõcionibus uoces mittit, cum domos ciuium euertit, cum lapidibus optimos uiros foro pellit, cum ardentes faces in uicinorum tecta iactat, cum ædes ſacras inflammat, aliaq; committit, quibus furioſam mentis inſaniam oſtendit. Furioſi quoque Trib. pleb. appellari ſolent hi, qui nimium populares, Senatui non parent, qui ſuis concionibus plebem cõtra patritios concitant: cuiuſmodi Clodius fuit. Rapinis. ] Auctore Cicerone in oratione pro Domo ſua, P. Clodius pecuniam adimendis agris conſtitutam ui ereptam dedit. Idem cum L. Piſone Cos. ærarium partitus eſt, eidem Piſoni Macedoniam & A. Gabinio, eius collegæ Syriam prouincias uendidit: Ptolomæi Cypri regnum publicauit: Brogitaro Gallogræco, ut poſtea dicemus, Peſſinuntem uendidit. Idem Q. Ciceronis domum, Marci Ciceronis etiam prædia ruſtica, & Nympharum templum incendit, permultaq; exitia publica fecit: quæ paſſim collegit Cicero in orationibus de Reditu, pro Domo ſua, de Reſponſis aruſpicum, de Prouincijs conſularibus, pro P. Sextio. Quos P. Clodij furor. ] In odium iudicum adducit Clodianos, quod rapinis, incẽdijs, & omnibus exitijs à Clodio furioſo Trib. pleb. paſti ſint, ſed in odium grauius eos adducit, quòd iurati iudices uiri ſint optimi et electiſſimi, quibus maxime odioſum ſit contra iuſiurãdum ſententiam dicere. Hi autem Clodiani à Munatio incitati ſunt, ut iudicibus præſcriberent, quã ipſi ſententiam dici uellent. Heſterna etiam concione. ] Quam Munatius habuit. Vt uobis uoce præirent. ] Clodianos in odium iudicibus adducit, & iudicum fauorem Miloni conciliat. Præire uoce, eſt uoce præcedere, præloqui, &, ut ita dicam, prænominare, quod alius per uerba ſingula ſequitur. Id ethnici in ſacris rebus facere ſolebãt. Dicimus etiam ſimpliciter præire uerba, præire carmen, præire

de ſcripto,

de ſcripto, M. Cicero in oratione pro Domo ſua: Quid diceres ò nefaria & pernicioſa labes ciuitatis? ades Luculle, ades Seruili, dum dedico domum Ciceronis, ut mihi præatis, poſtemq; teneatis. Plinius in Panegyrico: Neſcio, pulchrius'ne ſit iſtud, quod præeunte nullo, an hoc quod alio præeunte iuraſti in roſtris quoque ſimili religione te legibus ſubieciſti. Idem: Tu nobis ſanctiſſimum illud carmen præire dignatus es. T. Liuius libro octauo. Decius Cos. M. Valerium magna uoce inclamat: Deorum, inquit, ope Valeri opus eſt. Agedū pontifex publicus pop. Rom. præi uerba. quibus me pro legionibus deuoueam. Plinius auunculus cap. 9. lib. 28. Vidimus certis precationibus obſecraſſe ſummos magiſtratus, & ne quid uerborum prætereatue, aut præpoſterum dicatur, de ſcripto præire aliquem. Vt nobis uoce præirent quid iudicaretis.] Id eſt, ut ipſi præloquerentur, quid iuratis nobis iudicādum eſſet, eos enim Munatius, ut dixi, incitauerat, ne Milonem abſolui paterentur. Retineatis.] Id eſt, abſoluatis. ei enim damnato pœna exilium eſſet. Adeſte animis.] Id eſt, forti & præſenti animo ſitis. timidis enim animus abeſſe uidetur: ideo exanimati dicuntur. Auditores attentos facit. Deponite timorem.] Vt in oratione pro P. Sextio: Si non omnem, at aliquam partem mœroris ſui deponeret. ut deponere odia dicit in oratione Poſt reditum in Senatu: Q. Metellus & inimicus, & frater inimici, perſpecta ueſtra uoluntate, omnia priuata odia depoſuit. Mœſtumq; timorem mittite: dicit Virg. lib. Aeneid. 1. Locus, &c.] Ordo eſt. Si unquam locus datus eſt uiris ampliſſimorum ordinum delectis. Locus, id eſt, occaſio. in qua ſignificatione loco dici, apud Ciceronem eſt libro de Offi. 1. Iudices Miloni conciliat ab ipſius uirtute. Ampliſſimus ordo ſenatus eſt: Ampliſſimi uero ordines in plurali numero ſunt ſenatorius et equeſter, ex quibus ſortito fiebant iudices. In hac uero cauſa Pompeius, ut ait Aſconius, tales propoſuit iudices, ut nunquam neque clariores uiros, neque ſanctiores propoſitos eſſe conſtaret. Sua ſtudia.] Id eſt, ſuū fauorem & zelum, quæ uultu & uerbis ſæpe ſignificaſſent, cū de bonis ciuibus iniuſte iudicari audirent. Quanta iudicum auaritia atque in iudicando iniquitas eſt: in principio actionis in Verrem ſecūda dicit. Statuatis ueſtra ſententia.] In hac Milonis cauſa. Semper ueſtræ auctoritati dediti fuimus.] Hoc dicit, ut Clodio faciat inuidiam, qui iudicia ſuſtulit. Semper.] Id eſt, etiam cum Tribuni pleb. eramus. Boni enim Trib. pleb. auctoritatem ſenatus ſequebantur, ut cōtra furioſi ei auctoritati aduerſabantur. Loquitur autem in Milonis perſona Cicero: id cum fit, auditorum animi mouētur magis. Miſeri lugeamus.] Id eſt, damnati exulemus. Perditiſſimis ciuibus.] Clodianis. Quid enim nobis duobus laborioſius.] Captat iudicum beneuolentiam à Milonis calamitate, quæ iniuſte contra ſpem euenit. Sollicitum.] Id eſt, inquietum. Exercitum.] Fatigatum et exagitatum. Ampliſſimorum præmiorum.] Id eſt, magiſtratuum, & præcipue conſulatus qui honor ampliſſimus eſt. Honos autem magiſtratus eſt: Honor uero eſt præmium uirtutis. Crudeliſſimorum exitiorum.] Quæ nobis antea Clodius, nunc Clodiani minantur. Et quidem.] Hic allegoriam commixtam eſſe Quintilianus lib. 8. ſcribit. Niſi adiecisset fluctibus concionum, eſſet allegoria, ſed eam miſcuit. Tempeſtates.] Populi furorem tempeſtati ſæpe comparat. Subeundas.] Id eſt, quod eas ſubiturus ſemper Milo eſſet. eſt autem participium. Contra improbos.] Improbos ciues & perditos uſitatius dicit quam malos. Conſilio.] Id eſt, cœtu iudicum. Ex cunctis ordinibus.] Id eſt, ex Senatorio & equeſtri ordinibus, qui ſoli ordines ſunt. Sunt qui ordinē plebeiū etiā dicant, hūc tamen à Cicerone dici nō attendi. Infirmandā.] Id eſt, debilitandā et diminuendā. Quanquam in hac cauſa iudices.] Propoſuit ſe probaturum clariſſime inſidias Miloni à Clodio factas, nec uſurum in concluſione rebus geſtis Milonis in Tribunatu ad huius criminis defenſionem, &c. niſi prius inſidias à Clodio factas oſtēderit clariſſime. Id autem in propoſitione probationis fieri ſolet, ut ea luce clariora fore polliceamur. Geſtis.] Tribunatu T. Annij. T. Annius Milo fuit Trib. plebis anno poſt Clodium proximo, qui ſuo Tribunatu Clodij uim compeſcuit, Marcumq; Ciceronem ab exilio reuocandum curauit. Non abutemur.] Id eſt, non utemur: compoſitum pro ſimplici. quamuis uti & abuti Boetius lib. Comment. in Topica Cic. 2. diſtinguat: ut ſit Vti his quæ nobis utentibus permaneant, Abuti uero, quæ pereant. ut prædio, domo, ueſte utimur: oleo, uino, pane abutimur. Oculis uideritis.] Id eſt, maxime planum uobis fecero. Nec pleonaſmos eſt. nam de mentis oculis dicitur. ut ea ſententia ſit: niſi rem ita intelligatis, ut oculis cernere uideamini inſidias Miloni à Clodio factas Cælius Trib. pleb. alijq; Miloniani inuulgauerunt, Clodium Miloni feciſſe inſidias. Accuſatores ea in re occupati fuerunt maxime, ut docerent Milonē Clodio feciſſe inſidias. Cicero contradicere contendit, Miloni Clodium ſtruxiſſe inſidias. Hoc ſaltem nobis relinquatur, &c.] Id autem relinquetur: ſi Milonem liberaueritis, qui P. Clodium uitæ ſuæ inſidiantem interfecit. Sed antequam.] Quamuis partes orationis debeant tanquam filum aliæ ex alijs duci, illud tamen facere ſolet Cicero, ut oſtendat ſe alia parte tractata, ad aliam uenire. hac enim ratione auditores fiunt magis dociles & attenti. Tracto igitur exordio, accedit ut refutet ea, quæ in accuſatorum oratione fuerant contra Milonem potentiſſima. Hāc refutationem quæ ante narrationem fit, Quintil. lib. 4. dicit uim procemij obtinere, quòd iudicem præparet. Sed non cōtinuo uim procemij obtinet, quidquid præparat iudicem. Hic autem partitio. Ad eam orationem ueniam.] Id eſt, ad narrationem inſidiarum à Clodio Miloni factarum. Noſtræ quæſtioni.] Id eſt, noſtræ cauſæ auctore Quintil. lib. 3. Quæſtionem in iudiciali materia dupliciter accipimus: Altero modo quo dicimus multas quæſtiones habere controuerſiam qui etiam minores omnes complectimur: (puncta minus principalia, uel incidentia uulgus appellat.) Altero quo ſignificamus ſummam illam, in qua cauſa uertitur, (Punctum principale uulgus dicit.) Refutanda.] Refutare & refutationē, quàm cōfutare et cōfutationē Quintilianus & Cicero dicūt multo ſæpius. Omni errore ſublato, &c.] Id eſt, cognita tota ueritate. errat enim qui pro ueris falſa credit. Negās intueri lucē.] Tria fuerūt potētiſſima quæ in Milonē aduerſarij iactauerunt. Vnū, uita dignū eſſe negabant eū qui à ſe hominē occiſum eſſe fateretur. Alterū, cædem, qua P. Clodius occiſus eſt, ſenatum iudicaſſe contra Remp. eſſe factam dicebant: Tertium de lege Pompeij erat, qua tulit: ut de cæde quæ in uia Appia facta erat, in qua P. Clodius occiſus fuit, quæreretur. Has tres quæſtiones Cicero refutat. Negant intueri.] Ciuis Rom. qui à ſe hominem occiſum fateretur, pœna exilium erat: auctore Marcello Iuriſc. lib. Pandect. 48. ad legem Corneliam de ſicarijs. Legis Corneliæ de ſicarijs & ueneficijs, pœna in inſulam deportatio eſt, & omnium bonorū ademptio: ſed leges ueteres occidi iubebant eum, qui hominem occidiſſet indemnatum. Negant intueri.] Auctore Quintiliano lib. 5. hoc argumentum ab exemplo eſt, à maiore ad minus. M. Horatij.] Si M. Horatius ſororem ſuam impune occidit, cur Milo alienum impune occidiſſe non poteſt? M. Horatius occiſis tribus Curiatijs, cum ſpolijs onuſtus Romam rediret, ſororē ſuam Horatiam querentem de cæde (uiri uni enim ex Curiatijs deſponſata erat) interfecit. It cædis ad regem Tullū Hoſtiliū accuſatus eſt. Ingratū eſſe et indignū rex putauit, dānare eum qui patriæ uictoriam peperiſſet: rurſus nō eſſe iuſtum, liberare eum qui ſororem indicta cauſa necaſſet. Igitur Duūuiros conſtituit, qui ea de re cognoſcerent. Horatius à Duumuiris damnatus, ad populum prouocauit. cuius ipſe iudicio abſolutus eſt. Rem ſcribunt amplius T. Liuius lib. 1. & Dionyſius Ha-

licarnaſſeus lib. 3. Primum iudicium. ] Hanc primam capitalis iudicij ſententiam pop. Rom. tuliſſe, idem Dionyſius ſcribit. Nondum libera ciuitate. ] Id eſt, cum per reges ciuitas regeretur. Tum enim demum ciuitas Romana uiſa eſt libera, cum electis regibus per Coſs. adminiſtrari cœpit. Comitijs. ] Id eſt, iudicio. Comitia enim erant pop. Ro. conuentus, qui in urbe propè forum & curiam fieri ſolebant, qui locus inde Comitium appellatus eſt. ibi conciones ad populum fiebant. Comitia uero magiſtratuum creandorum cauſa erant, in campo Martio. Quæratur ] Id eſt, quæſtio & cauſa fiat. A' Carbone Trib. pleb. ] Cn. Papyrius Carbo Trib. pleb. legem tulit, ut eundem Tribunum pleb. quoties quidem uellet, refici & continuari liceret. Legem eius P. Africanus minor grauiſſima oratione diſſuaſit: in qua dixit T. Gracchum iure cæſum uideri. auctor eſt T. Liuius lib. 59. Valerius lib. 6. titulo de Libere dictis & factis, à Cic. et à Liuio diſſentit. dicit enim, Scipionem à deuicta Numantia redeuntem, interrogatum à Carbone, quid de Gracchi morte ſentiret: ac reſpondiſſe, iure cæſum eum uideri. aliter enim reſponſurum eum ſperabat, quòd Semproniam Gracchi ſororem in matrimonio haberet. Neque enim poſſet. ] Cum Romæ ea fames eſſet, ut multi ex plebe ſpe amiſſa, capitibus obuolutis, ſe in Tyberim præcipitarent, tum Sp. Melius ex equeſtri ordine homo prædiues, frumentum ex Etruria pecunia priuata coemendum curauit. gratuita frumenti largitione plebis animos ſibi deuinxit, in regni cupiditatem incidit: eam ob rem L. Quintius factus Dictator, Seruilium Halam dixit Magiſtrum equitum, Sp. Melium Dictator per Magiſtratum equitum accerſit. Melium dicto non parentem, ſed plebis animos commouentem, Hala occidit. Aduocata concione, Dictator Melium iure cæſum pronunciauit, etiamſi regni crimine inſons fuerit: quòd uocatus à Magiſtro equitum, ad Dictatorem non ueniſſet. Res amplius à T. Liuio lib. 4. perſcripta eſt. Aut P. Naſica, aut L. Opimius. ] De Tyb. Graccho à P. Scipione Naſica, & C. Graccho à P. Opimio Conſule occiſis, Plutarchus in uita Gracchorum, & Appianus lib. Bellorum ciuilium primo, Velleius Paterculus, & T. Liuius lib. 58. 60. 61. multa ſcripſerunt. Cum accuſatores contra Naſicam à plebe pararentur, Senatus de eius ſalute ſollicitus, liberam ei legationem in Aſiam decreuit. L. Opimius accuſatus apud populum, à Q. Decio Trib. plebis liberatus eſt. Aut L. Opimius, aut C. Marius. ] Hic, aut C. Marius, ſuperuacaneum eſſe doceri poteſt ex Quintiliano, qui lib. 5. hæc Ciceronis uerba aduocat, ubi de exemplorum uſu præcipit. Quædã, inquit, ex his quæ geſta ſunt, tota narrabimus, ut Cicero pro Milone: Pudicitiam cum eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marij, propinquus eius imperatoris ab eo interfectus eſt, cui uim afferebat. facere enim probus adoleſcens periculoſe, quàm perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille ſummus uir ſcelere ſolutum periculo liberauit. Quædam ſignificare ſatis erit, ut idẽ, ac pro eodẽ: Neque enim poſſet, aut Hala ille Seruilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut me conſule Senatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos interfici nefas eſſet. Hæc ille. Vides uti ſibi non conſtaret. Quintil. ſi hic Aut C. Marius legeretur, niſi de L. Saturnini Trib. pleb. cæde à C. Mario Coſ. facta, de qua eſt in oratione Ciceronis pro C. Rabirio, intelligas. Aut me conſule Senatus. ] Cicerone conſule coniuratio Catilinæ deprehenſa eſt. M. Cato in ſenatu cenſuit ultimum ſupplicium de coniuratis ijs qui in cuſtodia erant ſumendum eſſe: eius ſententiã conſulares omnes, itemq; Senatus magna pars ſecuti ſunt: igitur de his ſumptum ſupplicium eſt. auctor eſt Salluſtius. Fictis fab. ] Fictis fabulis orator uti poſſit, ſed poſtquam exemplis multis uſus ſit. Hæ quoque fabulæ uel totæ dicentur, uel tantum memorabũtur, prout notæ erunt, ut cauſæ utilitas uel decor poſtulabit. Quintilianus libro quinto, poſtquam de uſu exemplorum præcepit: Eadem, inquit, ratio eſt eorum quæ ex poeticis fabulis dicũtur, niſi quòd ijs minus affirmationis adhibetur. Cuius uſus qualis eſſe deberet, idem optimus auctor ac magiſter eloquẽtiæ oſtendit. Nam huius quoque generis eadem in oratione reperietur exemplum. Itaque hoc iudice non ſine cauſa etiam fictis fabulis doctiſſimi homines memoriæ prodiderunt, eũ qui patris ulciſcendi cauſa matrem necauiſſet, uariatis hominũ ſententijs, non ſolum diuina, ſed etiam ſapientiſſimæ deæ ſententia liberatum. Doctiſſimi homines. ] Id eſt, poetæ, quorum genus apud Græcos è doctis antiquiſſimum fuiſſe, Cicero in lib. Tuſculanarum quæſtionum primo ſcribit. Eum qui patris ulciſcendi cauſa. ] Oreſtem intelligit. qui anno ſeptimo poſt cædem patris Agamemnonis, matrem Clytemnæſtram, & Aegiſthum adulterum, ſocia conſiliorum omnium ſorore Electra, uirilis animi fœmina, occidit. Factum eius à dijs comprobatum, & ſpatio uitæ, & imperij felicitate apparuit. nam uixit annos nonaginta, regnauit ſeptuaginta. Oraculo diuino adductũ, ut matrem interficeret, nec furijs grauibus agitatũ. Iuuenalis Satyra octaua ſcribit: Ille deis auctoribus ultor Patris erat cæſi media inter pocula, ſed nec Electræ iugulo ſe polluit, aut Spartani Sãguine coniugij, nullis aconita propinquis Miſcuit, in ſcena nunquã cantauit Oreſtes. Quos poetæ tradiderunt patris ulciſcendi cauſa ſupplicium de matre ſumpſiſſe. ] Præſertim deorum immortalium iuſſis atque oraculis id feciſſe dicuntur, ut ait Cicero pro Roſcio Amerino. Euripidem feciſſe tragœdiam de Oreſte, eſt apud Ciceronem lib. Tuſcul. diſputationum quarto. Quod ſi duodecim tabulæ. ] Illa ſunt uerba 12. tabularum, apud Macrob. lib. Satur. 1. Si nox furtum factum ſit, ſi im aliquis occiſit, iure cæſus eſto. Vbi nox, im, occiſit priſce poſita ſunt, pro nocte, eum, occidit. Lex tabularum 12. ut A. Gellius ſcribit, cap. primo, libri 20. furem manifeſtum, ei cui furtum factum eſt, in ſeruitutem tradit. Nocturnum autem furem ius occidendi tribuit, Plato in lib. de Legibus nono Qui noctu, inquit, furẽ domum ſuam ingreſſum interfecerit, mundus eſto: Et qui ſpoliatorem in defenſionem ſui, ſimiliter. Exodi cap. 22. eadem lex ante ſcripta fuit: Si effringens fur domum aut ſuffodiens inuentus fuerit, et accepto uulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis. Quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur. Vlpianus libro Pandectarum 48. Ad legem Corneliam de ſicarijs: Furem, inquit, nocturnum ſi quis occiderit, ita demum impune feret, ſi parcere uel ſine ſuo periculo non potuit. Idem libro nono ad Aquiliam: Si quis, inquit, metu mortis furem occiderit, non dubitatur, quin lege Aquilia non teneatur: Si autem cum poſſit apprehendere maluit occidere, magis eſt, ut iniuria feciſſe uideatur, ergo lege Cornelia tenebitur. Quoquo modo. ] Id eſt, ſiue ſe telo defendat, ſiue non defendat. Quis eſt qui puniendum putet interfectorem, ſi quoquo modo, id eſt, etiam iure. Si ſe telo. ] Caius Iuriſc. lib. Digeſtorum 50. de Verborum & rerum ſignificatione: Telum eſſe ait, non modo quod arcu mittitur, ſed etiam quod manu, ut lapis, lignum, ferrum: dictum ab eo quod in longinquum mittitur, à Græca uoce τηλοῦ figuratum. Hoc tamen in loco telum pro pugione, aut paruo aliquo gladio accipi uidetur, quamuis etiam lapidationem facerent. In qua ſignificatione dicitur à Plinio capite 14. lib. 24. Magni, inquit. Pompeij tertio conſulatu extat edictum, in tumultu necis Clodianæ prohibentis ullum telum eſſe in urbe. Ad occidendum hominem. ] Vt furem nocturnum. Quod enim id legibus permiſſum ſit, leges nobis gladium porrigere uidentur. Cum ui uis illata defenditur. ] Auctore C. Iuriſconſulto libro Digeſtorum nono ad legem Aquiliam: Si ſeruum tuum latronem inſidiantem mihi occidero, ſecurus ero. Nam aduerſus periculum, naturalis ratio permittitur ſe defendere. Pudicitiam cum eriperet. ] Plutarchus in uita C. Marij hanc rem enarrat amplius. De hac re Quintiliani declamatio eſt. Hunc adoleſcentem Trebonium, et

Tribunum

Tribunum militum, C. Lucium appellat Valer. libro 6. titulo de Pudicitia, Cluſium: niſi Cluſium pro C. Luſio librarius male ſcripſerit. nam Quintil. libro 3. hunc appellat Luſium. Propinquus eius imperatoris.] Id eſt, filius ſororis C. Marij. Facere enim probus.] Epiphonema eſt, rei narratæ uel probatæ ſumma acclamatio: Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Facere enim probus adoleſcens periculoſe, quàm perpeti turpiter maluit.] Auctor eſt Quintil. lib. 8. Periculoſe.] Impendebat enim periculum, ne ab imperatore damnaretur. quòd eius propinquũ, quòd indemnatum, quòd Tribunum ſuus miles necaſſet. Scelere ſolutum etiam.] Id eſt, ſoluit ſcelere & periculo liberauit: id eſt, abſoluit. Platonis lib. de Legibus 9. lex illa eſt: Qui mulierem liberam, aut puerum ad rem ueneream ui adigit, impune non ab eo ſolum, cui uis illata eſt, ſed à patre, marito, fratribus, filijſq; uita priuetur. D. Hadrianus, ut ait Metian. Iuriſc. lib. Pandectarum 48. ad legem Corneliam de ſicarijs, reſcripſit eum qui ſtuprum ſibi, uel ſuis per uim inferentem occidit dimittendum. Quod ſi XII. tabulæ.] Enthymema eſt, ſyllogiſmus rhetoricus. ita enim ab Ariſtotele appellatur lib. Rhetoricorum ad Theodectem 1. Enthymematum duo genera tradit Quintilianus libro quinto: Vnum ex repugnantibus, de quo alibi dicendum eſt: alterum ex conſequentibus, quod à nonnullis epicherema dicitur. Id autem habet propoſitionem cum ratione. Ideo ex cõſequentibus appellatur, quòd ex propoſitione ratio conſequatur. Id autẽ fieri quattuor modis idem docet, hiſq; exemplis ex Cicerone utitur. Primum enim anteponitur propoſitio, ſequitur ratio. ut, Silent leges inter arma, nec ſe expectari iubent, cum ei qui expectare uelit, ante iniuſta pœna luẽda ſit, quàm iuſta repetẽda. Deinde contra, rationem propoſitio ſequitur ut: Quod ſi 12. tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum aũt, ſi ſe telo defenderit interfici impune uoluerunt, quis eſt, qui quoquo modo quis interfectus ſit, puniendum putet? Tum propoſitionem rationi poſtpoſitam, ſequitur alia ratio, ut: Quod ſi duodecim tabulæ, &c. Sequitur alia ratio: Cum uideat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus. Poſtremo ex propoſitione & ratione fit aliqua complexio, id eſt, concluſio. ut, Inſidiatori uero & latroni quæ poteſt afferri iniuſta nex? propoſitio eſt. Quid comitatus noſtri? quid gladij uolunt? ratio. Inde fit illa complexio: Quod habere certe non liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret. Idem in eodem libro docet, quod natura aſperum ſit dicendi uoluptate, & nimis ſuſpectam argumentationem diſſimulatione condiendam eſſe, multumq; ad fidem ualere audientis uoluptatem. ut cum dixit Cicero: Silere leges inter arma, & gladium, nobis interim ab ipſis porrigi legibus. Leges enim proprie non ſilent, nec nobis gladios porrigunt. Eſt autem metaphora, quam tum quoq; eſſe Quintilianus libro octauo ſcribit, cum rebus inanimis datur aliquis ſenſus. ut, Pontẽ indignatus Araxes. &, Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? &c. Eſt enim hæc iudices nõ ſcripta.] Ius non ſcriptum, quæ æquitas appellatur, à lege quæ ſcripta eſt hoc differt. quòd ius permaneat ſemper, nec unquam mutetur, quam ſecundum naturam ſit. lex uero ſcripta ſæpius mutetur de qua illud: Summum ius, ſumma iniuria. De iure non ſcripto illud dictum eſt in Antigone Sophoclis: feciſſe ſe præter Creontis legem, ſed non præter illam non ſcriptam. Non enim nunc aut nudius tertius, ſed ſemper fuit. Auctor eſt Ariſtoteles lib. Rhetoricorum ad Theodectem primo. Eſt enim.] Hic ſe concinnitatem uerborũ Cicero conſectatũ ſcribit de Oratore ad Brutum: quòd ibi uerba caſus habeant in exitu, ſimiles, quòd paribus paria reddãtur, quod opponãtur cõtraria: Hæc inquit, ſuapte natura numeroſa ſunt: etiã ſi nihil eſt factũ de induſtria. In huius cõcinnitatis inſectatione Gorgiã fuiſſe principem accepimus. quo de genere illa noſtra ſunt in Miloniana: Eſt enim iudices hæc nõ ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus legimus, uerũ ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti ſed facti, non inſtituti ſed imbuti ſumus: Hic attende legi, Eſt enim iudices: non, eſt ergo iudices, &, Verũ ex natura: nõ, Verũ etiã ex natura. Omnis honeſta ratio eſſet.] Apud A. Gellium cap. 5. lib. 14. philoſophus Taurus hac de re ad hanc ſententiam diſſerit. Natura, inquit, omnium rerũ, quæ nos genuit, induit nobis, inoleuitq; in ipſis ſtatim principijs quibus nati ſumus, amorem noſtri & charitatem, ita prorſus, ut nihil quidquam eſſet charius penſiusq; nobis, quàm noſmetipſi. Atque hoc eſſe fundamentum rata eſt conſeruandæ hominũ perpetuitatis, ſi unuſquiſq; noſtrum, ſimulatq; editus in lucem foret, harum prius rerum ſenſum affectionemq; caperet, quæ à ueteribus philoſophis τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν appellata ſunt, ut omnibus ſcilicet corporis ſui cõmodis gauderet, ab incõmodis omnibus abhorreret. M. quoq; Cic. lib. de Offic. 1. Principio, inquit, generi animantiũ omni à natura tributum eſt, ut ſe, uitã, corpuſq; tueatur, declinetq; ea quæ ei nocitura uideantur. Expeditẽdæ.] Id eſt, liberandæ, ut apud Virgilium libro Aeneid. 2. Flammam inter & hoſtes Expedior. Silent leges inter arma.] Exempli gratia: Prohibent leges cuiquam fieri iniuriam. Si quis latro me aggrediatur, ſi non reſiſtam, ſed uelim expectare, ut cum eo lege agam, ante iniuſta pœna mihi luenda ſit, quàm iuſta repetenda. Etſi perſapienter.] Legendum putem, ſui perſapienter, uel ergo ſui perſapienter, ut ſit ſui defendendi. Sed eſſe cũ telo.] Qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulauerit, eum teneri lege Cornelia de ſicarijs, Metianus libro Digeſtorum 48. auctor eſt. Claudianus Iuriſc. eodem libro, titulo de Pœnis: Non minus, inquit, lex eum qui occidendi hominis cauſa cum telo fuerit, quàm eum qui occiderit, punit. Telo eſſet uſus.] Id eſt, hominem occidiſſet. Maneat.] Id eſt, menti ueſtræ inhæreat & infixum ſit. ut, Manet alta mẽte repoſtum Iudicium Paridis. Probaturus ſim uobis.] Id eſt, facturus ut approbetis. Sequitur illud.] Id eſt, ſecundum eſt. Illud præcipit Quintilianus libro quarto, ut ſi quam opinionem contra nos iudices domo attuliſſe uideãtur, eam ut in principio tollamus. Quod a Ciceronis nimis ſæpiſſime dictum eſt, id uerum eſſe ne credant iudices facit Cicero, ut ijs opinionem tollat. Cædem.] Cædem à Cicerone ſolitam dici attendimus, pro homicidio. Auctore Quintiliano libro decimo: Per abuſionem ſicarios etiam omnes uocamus, qui cædem telo quocunq; commiſerint. homicidas alij appellant. Inde lex Cornelia de ſicarijs eſt. Homicidium & homicidam non damno. Illam uero ſenatus.] Aliquando id uſu ueniebat, ut de inſigni crimine ſenatus prius decerneret, quàm de eo in foro ageretur. Vt auctore Aſconio Pediano, cum L. Catilina Prætor Africam prouinciã, quam obtinuerat, grauiter uexaſſet, legati Afri in ſenatu iam tũ abſente illo queſti ſunt, multæq; graues ſententiæ in ſenatu de eo dictæ ſunt. Poſtea uocatus in iudiciũ eſt. Ita de cæde Clodij prius in curia quàm in foro actum eſſe ſignificat, ſed oſtẽdit eãdem Clodij à ſenatu ſententijs & uoluntatibus probatam eſſe, quamuis is Senatuſconſultum fecerit, hanc ipſam cædem contra Remp. eſſe. Intermortuæ.] Id eſt, uanæ, futiles, nullius efficaciæ. Inuidioſe.] Inuidia perſæpe dicitur pro ea re, quæ mala gratia uulgo dicitur. In ea ſignificatione tum intelligitur, cum ſcriptores artiũ præcipiunt, aduerſarius, qua ratione in inuidiam auditorũ adduci debeat. Inuidioſe igitur, id eſt, in inuidiam me adducendo. Quod ego uellem re decernere.] A dicto aduerſariorũ approbat, Clodij cædẽ à ſenatu ſententijs cõprobatam. Hanc uero quæſtionem.] De admiſſis criminibus quæri ſolebat legibus de his conſtitutis. Si uero inſigne aliquod crimen admiſſum erat, Senatus nouam quæſtionem conſtituebat, qua ſuam de commiſſo crimine ſententiam quodammodo ſignificabat. Ideoq; cauſa rei magis premebatur, ſi noua quæſtione

conſtituta agebatur: Vt ſi de Clodij cæde lege Cornelia de ſicarijs, aut lege Qu. Catuli de ui quæſitum fuiſſet, Milonem cauſa minus læſiſſet. Itaque in cauſa Clodij de inceſtu Qu. Fuſius interceſſit, ne ſenatus nouam quæſtionem conſtitueret. Idem in hac Milonis cauſa, cum ſenatus decerneret, ut ueteribus legibus de cæde Clodij quæreretur, interceſſit. Eam ob rem de Clodij inceſtu legibus ueteribus, de eiuſdem cæde noua quæſtione conſtitutum eſt. Conſtituendam putauit.] Conſtituere et decernere quæſtionem & iudicium, in eadem ſignificatione dicimus. Conſtituit quæſtionem Senatus, cũ decernit, ut de commiſſo aliquo inſigni crimine quæratur, id eſt, cauſa & iudicium fiat. Ferre quæſtionem in hac ſignificatione, infra Cicero dicit: Quis, inquit, de interitu meo quæſtionem tuliſſet? Idem: Nõ igitur ulla quæſtio de Africani morte lata eſt? In alia ſignificatione conſtituere quæſtionem Cicero dicit in Partitionibus oratorijs. Cuius enim Senatui.] Sententia eſt: Erepta eſt Qu. Fuſij interceſſione ſenatui poteſtas decernendi quæſtionem nouam de ſtupro inceſto Clodij: quis credat ſenatũ de eius interitu iudicium nouum conſtituendum putaſſe? Inceſto ſtupro.] Quo ſacra Bonæ deæ uiolauit. de quo poſtea dicemus latius. Poteſtas decernendi iudicium.] Quia iudicia legibus cõſtituta erãt, ideo ſenatus raro quæſtionem de aliquo crimine decernere ſolebat, ſi qua alia lex, aut quæſtio de eo lata ante fuerat. Igitur noua quæſtio dicebatur, ſi quã Senatus decernebat. Per Qu. Fuſiũ ſenatorem, cum de inceſtu P. Clodij agebatur, factum eſt ne à ſenatu aſperius decerneretur. ut ait Aſconius. ſed de hac re poſtea. Inceſto ſtupro.] Id eſt, facinoroſo & flagitioſo. ut in oratione pro Domo ſua de eodem Clodio dicit: Iſtius, inquit, qui non ſolum aſpectu, ſed etiam inceſto flagitio & ſtupro polluit cerimonias, pœna omnis oculorum ad cæcitatem mentis eſt cõuerſa. Inceſtum à Græco tractum, Sextus Pompeius ſcribit. nam illi facinus dicunt anceſtum. Inceſtum uſu dicitur flagitium in affines admiſſum, ut ait Nonius Marcellus. ibi tamẽ adiectiuum eſt: & quod hic appellat ſtuprum, poſtea dicit adulterium. Cur igitur incendium curiæ, &c.] Hæc tria uno Senatuſconſulto comprehenſa erãt, quia non licebat uno die duo Senatuſconſulta fieri. Cur igitur, &c.] Ratiocinatio eſt. nam interrogationi à ſe factæ reſpondet. Nulla uis inquam, &c. Romano more in ciuili diſſenſione quamuis præclaras res, reiq; publicæ maxime utiles aliquis geſſiſſet, nunquam tamen eo nomine imperator appellatus eſt: nec ei ullæ ſupplicationes decretæ ſunt: nec ouans, aut curru triumphauit. nec laureã cuiquam Senatus dedit, nec quiſquam ſibi dari poſtulauit, ciuitatis parte lachrymante. quia ut neceſſariæ iſtæ, ita lugubres ſemper exiſtimatæ uictoriæ ſunt: utpote non externo, ſed domeſtico partæ cruore. Id Valerius libro 2. titulo De iure triumphandi, Naſicæ, Opimij, Qu. Catuli, C. Antonij exemplis probat. Niſi uero.] Gracchorum & Saturnini cædes è republica fuit, rem tamen publicam uulnerauit: L. Apuleius Saturninus Tribunus Plebis, ut ſeditioſus, ita crudelis C. Marij V I. Cos. & Senatus, & bonorum ciuiũ armis in curia Hoſtilia oppreſſus eſt. ut ſcribũt Velleius Paterculus, & T. Liuius lib. 69. De eo amplius Cicero in oratione pro C. Rabirio. de eodem eſt in libro Rhetoricorum ad Herennium primo. Ego ipſe decreui.] Nam Cicero Senator erat. Rem.] Id eſt, uim & inſidias. Si licuiſſet per Tribunum.] Id eſt, ſi non impediuiſſet Tribunus. hoc eſt: Si Munatius Trib. pleb. Qu. Fuſium Senatorem pecunia non corrupiſſet, ut poſtularet ſententiam diuidi, itaq; intercederet. ut enim unius Trib. pleb. interceſſio impedimẽto eſt, quo minus lex feratur à reliquis, ita intercedente aliquo uno Senatore, Senatuſconſultũ fieri non licet. nec idem ualẽt intercedere, & diuerſa ſentire, ut in conſultatione de pœna coniuratorum apud Saluſtium, non ſentiebat Cæſar idem quod Cato, tamen non interceſſit. Eſt autem intercedere, quod uulgo dicunt ſe opponere.

Furioſum.] Id eſt, Munatium. Cicero furioſos Tribunos pleb. appellare ſolet eos, qui nimium populares ſenatui non parent, ſeditionemq; concitant, ut paulo ante furorem P. Clodij dixit. Extra ord.] Extra ordinem quærere, eſt non obſeruata forma procedendi cauſam aliquam tractare. Decernebat.] Qu. Hortenſij ea erat ſententia. Poſtulante neſcio quo.] Id eſt, Qu. Fuſio Senatore. Empta interceſſione.] Budæus in Annotationibus in Pandectas, ſcribens quid ſit Diuidere ſententiam, hunc locum Ciceronis citat: Empta interceſſione. Senator qui intercedere uolebat, quo minus fieret Senatuſconſultum, ut ait Sex. Pompeius, Cos. dicebat: Numera Senatum: poſtulabatq; ut aut res quæ afferuntur, diuiderentur, aut ſimul cõſuleretur: aut ſi tot Senatores non eſſent, quot numero oporteret fieri Senatuſconſultũ, expectarentur. Is aũt Senator qui in cauſa interceſſit, pecunia corruptus fuit: ideoq; empta interceſſione hic Cicero dixit. ut in oratione in Senatu poſt reditum, emptus interceſſor dicitur: Qui in colonia nuper cõſtituta, cum ipſe gereret magiſtratum, in qua nemo erat emptus interceſſorum, uim & crudelitatem priuilegij auctoritate honeſtiſſimorum hominum & publicis literis conſignauit. Diuidere ſententiã hoc loco quid ſit, ut ingenue fatear, neſcio: nec mihi cum Plinij ſentẽtia, quam Budæus concitat, conuenire uidetur. Interceſſione.] Munatij & Salluſtij. At enim Cn. Pompeius.] Id eſt tertium quod Cicero refutat, idq; proponit refutandum, quia tãquam ab aduerſario obiectum ſit. Hanc autem legem Pompeius ſua ſponte tulit. Rogatione.] Id eſt, lege quod etiam priuilegium eſſe, A. Gellius docet, capite uigeſimo, libri decimi. Tam ſalutarem literam.] Mos erat Romanorum in iudicijs, ut qui cauſæ quæ agebatur præerat, daret iudicibus treis notas, unam abſolutionis A, alteram condemnationis C, tertiam ampliationis N L, tanquam ſi non liqueret. In hac Milonis cauſa Cn. Pompeius dedit etiam abſolutionis notam iudicibus: quod non feciſſet, niſi ſperaſſet eum poſſe abſolui. Hanc autem abſolutionis literam appellat ſalutarem. Peroratione utriuſq; partis peracta, quæſitor ab reo quærebat ex lege Cornelia, clàm an palàm de ſe ſententiam ferri uellet. ſi palàm, uoce: ſi clàm, nota ferebatur ſententia. Quam cuique iudici uiſum erat, notam in ciſtam mittebat, poſtea Quæſtor ex notarũ ſimilium numero maiore colligebat, abſoluendus ne an damnãdus eſſet reus, an cauſa ampliãda. Has autem notas, ut dixi, dabat iudicibus is qui cauſæ præerat: quemadmodum calculos ſuffragiorum cauſa à magiſtratibus populo accipere morem fuiſſe, Dionyſius Halicarnaſſeus libro quinto ſcribit. Quod autem Θ damnationis litera dicatur, ut, Nigrum præfigere thita: id ex Græcorum more eſt, apud quos θάνατος mors dicitur. Ipſe.] Pompeius. Sua ſponte.] Id eſt, nec Senatu, nec populo poſtulante. P.'ne Clodio &c.] Vtrũ hanc legem tulerit, quòd de Clodij morte doleret, an ut ſeruiret tempori, ne ſcilicet in lætitia publica uideretur parum fideliter Clodio reconciliatus, ſi etiam ipſe gauderet domi ſuæ. Quod de cæde uirorum optimorum Druſi & Scipionis lex nulla, ut quæreretur, lata ſit, quæ cædes admodum triſtes fuerunt: de Clodij autem cæde Pompeius tulerit, quæ omnibus iucunda fuit, ſignificat Cicero Pompeium id tuliſſe, ut tempori, non ut dolori ſuo ſeruiret. Nobiliſſimus uir.] M. Liuius Druſus nobiliſſimus, potentiſſimus, eloquentiſſimus, ſanctiſſimus, non multis poſt occiſum Saturninũ annis factus Tribunus plebis, meliore animo quàm fortuna uſus eſt. cum enim C. Gracchi lege iudicandi poteſtas ad equeſtrem ordinem ſolum tranſlata eſſet, eam Senatui reſtituere ita conatus eſt, ut æqua parte iudicia penes Senatum & ſequeſtrem ordinem eſſent. et tamẽ ſenatus ita aduerſatus eſt, ut collegarũ eius malefacta potius, quàm huius bene cogitata probaret. Cõuerſus Druſi animus, ſocios Italicosq; ciuitate donare conſtituit. Id moliens cum è foro reuertiſſet, immenſa illa et incognita, quæ eum ſemper comitabatur,

cinctus

e inctus multitudine, in atrio domus ſuæ cultello percuſſus, qui affixus lateri eius relictus eſt, intra paucas horas mortuus eſt. auctor eſt Velleius Paterculus. Idem ferè Titus Liuius ſcribit libro 71. Auunculus huius noſtri iudicis. ] In domo M. Druſi auunculi M. Catonem educatum fuiſſe, Valerius Maximus libro ſecundo, titulo de indole ſcribit. Decreta. ] Id eſt, conſtituta. Quantum luctum in hac urbe. ] Fuluio Flacco, Cn. Carbone, C. Graccho Triumuiris agros diuidere conantibus, cum P. Scipio Africanus minor aduerſaretur, fortiſq; ac ualidus pridie domum ſe recepiſſet, mortuus in cubiculo inuentus eſt. Suſpecta fuit, tanquam uenenũ dediſſet, Sempronia uxor: hinc maxime, quòd Gracchorum ſoror eſſet, quibus cum Africano ſimultas fuerat. De morte huius quæſtio nulla conſtituta eſt. auctor eſt T. Liuius libro 59 De hac cæde alibi plura ſcribimus. Ne neceſſariam quidem. ] Id eſt, quis non indoluit, Scipionis mortem naturalem expectatam non eſſe, ſed acceleratam? Ne neceſſariam quidem, id eſt, naturalem, quam affert naturæ neceſſitas. occiſus eſt enim Scipio anno ætatis 56. ut in Somnio Scipionis Cicero dicit. Mortis autem naturalis conſtitutio certa non eſt. Ideoq; quæ uitæ humanæ meta ſit, inter ſcriptores non conuenit. eam Plato in anno 81. quo anno mortuus ipſe eſt. Staſeas 84. Aegyptij centeſimo. Epigenes 112. annis conſtituerunt, ut ſcribimus in Comment. in Griphum Auſonij? Quod autem Lactantius ex libro Geneſeos conſtituat 120. annos, D. Auguſt. de Ciuitate Dei, illos 120. annos non ad uitam hominis, ſed ad tempus quod præceſſit diluuium refert. Niſi forte magis erit pars. ] Ex Stoicorum dogmate peccata dicit paria. nec enim peccata rerum euentu, ſed uitijs hominum metienda eſſe, Cic. in Paradox. tradit. At eo mors atrocior. ] Aduerſariorum obiectio eſt. Quæ ab aduerſario dicta ſunt, Cic. proponere ſolet ut refutet: eaq; proponit aliquando ſuis, aliquando aduerſarij uerbis. In huiuſmodi propoſitionibus particulam At, uel At enim ponere ſolet. In monimentis maiorum. ] Id eſt, in uia Appia, quam à porta Capena uſque ad urbem Capuam Appius Claudius Craſſus Cenſor, cui poſtea Cæco fuit cognomen, muniendam curauit. ut ait Iulius Frontinus in libro de Aquaductibus. Ex Claudiorum familia P. Clodium fuiſſe, ipſum quoque nomen ſignificat: Claudius enim & Clodius, ut Plautus & Plotus dicitur. In monimentis maiorum. ] Auctore Quintiliano libro quinto, loci commemoratio ad commendationem, et ad inuidiam ualet: nam & Aiax apud Ouidiũ libro Metamor. 13. inquit: Ante rates agimus cauſam, & mecum confertur Vlyſſes: Et Miloni inter cætera obiectum eſt, quòd Clodius in monimentis maiorũ ſuorũ ab eo eſſet occiſus. M. Papyrium. ] M. Papyrij cædem Aſconius ſcribit. Quantas tragœdias excitat. ] Id eſt, quàm inuidioſe commemoratur, quantam ſceleris atrocitatem commouere uidetur. Parricida. ] Inuidioſe dicit, quemadmodum in oratione pro Domo ſua, eundem Clodium appellat patricidam, fratricidam, ſororicidam. Comprehenſus eſt in templo Caſtoris. ] In alijs orationibus harum inſidiarum ſæpe meminit Cicero. Id autem Caſtoris templum foro & curiæ proximum erat. Collocarat. ] Id eſt, in inſidijs poſuerat. ut in oratione in L. Piſonem: Deprehenſus cum ferro ad Senatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuiſſe conſtabat. Ad Cn. Pompeium interficiendum. ] Clodius facere conatus eſt, ut in Tribunatu rempublicã pro libidine gubernaret: idcirco ſubmoueri omnes uoluit, quos ſibi obſiſtere poſſe arbitraretur. M. Ciceronem urbe eiecit: M. Catonem in Cyprum legationis nomine miſit, ut ſcilicet pecuniam regis Ptolemæi aduehendam Romam curaret. Cæſar in Galliam uenerat, Plebis animos ſibi deuinxerat: neminem eſſe, qui conſilijs ſuis aduerſari poſſet, niſi Pompeium eſſe putabat. ad hunc ſubmouendum adiecit animum. Eius itaque acta reſcindit: Tigranem, quem in uinculis Pompeius habebat, dimittit: Pompeij amicos accuſat, ut eos Pompeio defendenti ſe liberius obijciat. Cum amicorum quendam Pompeius defendit, Clodius impudicorum hominum multitudine ſeptus, in loco edito ſe collocat, deinde ſic rogat: Quis imperator impudicitia laborat? Quis uir uirum quærit? Quis uno digito caput ſcalpit? Ad quæ circunfuſa illa multitudo ſigillatim in Pompeium reſpondet. Hæc ingenti mœſtitia Pompeium afficiunt, male de ſe audire inſolitum: ſed magis mœrebat, quòd Senatum hac contumelia lætari uiderat. Exinde quidam è domeſticis Clodij cum ſica in Pompeium intenta deprehenſus eſt. Has ob cauſas quo ad P. Clodius Tribunatum geſſit, Cn. Pompeius foro caruit. auctor eſt Plutarchus in uita Pompeij. Ianua ſe & parietibus. ] In oratione pro P. Sextio, de ſuo fratre Cicero: Vitam, inquit, ſuã tũ noctis & fugæ præſidio, nõ iuris iudiciorumq; defendit. Dignum fuit. ] Vt quæſtio decerneretur. Hæc omnia. ] Tria: id eſt, res, uir, tempus. Inſidiator. ] Clodij ſeruus. In foro. ] Antea dixit in tẽplo Caſtoris. In foro collocatus. ] À loco auget rei atrocitatem. nam neque in foro, neque in curia, neque in comitio licebat cum telo eſſe, multo minus cum ſica. Ei uiro. ] Pompeio. Cuius in uita nitebatur ſalus ciuitatis. ] Id eſt, quo uiuo Reipub. ſalus nunquam interiret, quæ eo mortuo periclitaretur. Hinc Scipioni in eius Somnio, Publius auus apud M. Ciceronem: Tu eris, inquit, quo nitatur ciuitatis ſalus. Sed omnes gentes concidiſſent. ] Id eſt, de Romano imperio actum fuiſſet. nam perditiſſimi erant Coſſ. L. Piſo & A. Gabinius: furioſiſſimus Trib. plebis, P. Clodius. Perinde quaſi exitus rerum. ] Auctore Martiano Iuriſc. ad legem Corneliam de ſicarijs, D. Hadrianus reſcripſit, eum qui hominẽ occiderit, ſi non occidendi animo hoc admiſerit, abſolui poſſe. Qui uero non occiderit, ſed uulnerauerit, ut occidat, pro homicida damnandum. Plato uero in libro de Legibus 9. aliter ad hanc ferè ſententiam ſancit: Qui uoluerit, inquit, cogitaueritque amicũ hominẽ ex his, quod prohibet lex, interficere, uulnerauerit autem, nec interficere potuerit, hunc omni remota miſericordia non aliter quàm ſi uita priuaſſet, dare cædis pœnam cogeremus, niſi fortunam eius, non omnino proteruam, atque dæmonem coleremus: qui eam uulneratum quàm uulnerantem miſericordia proſecutus, infelicitati utriuſque obſtitit, fecitq; ne uulnus huic letiferum, illi fortuna calamitaſq; execranda infligeretur. Huic igitur dæmoni habebimus gratiam, atque eius beneficio minime aduerſati, ab eo qui uulnerauit ſupplicium mortis auferemus, & in propinquam urbem per uitam reliquam exulare ſtatuemus, nullo rerum ſuarum omnino fructu priuatum, damno tamen prius reſtituto, ſi quod obfuit uulnerato, quod à iudice rei huius fuerit conſtitutum. Cenſet hic autem Cicero, conſilia perinde ut exitum rerum habenda: id eſt, uoluntatem reputari pro facto. Quoties ipſe. ] Id eſt quoties P. Clodius me interficere conatus eſt. Tolerabilia fuerunt illa, P. Clodij mortem, &c. ] A. Milonis aduerſarijs hæc dicta fuerunt, quæ tanquam falſa Cicero irridet. Agri deſiderant. ] Metaphora eſt. inanimis enim rebus datur ſenſus. Senio. ] Id eſt, ægritudine & triſtitia. Squallent municipia. ] Municipia quid à colonijs diſtent, ſcribit A. Gellius cap. 13. lib. 16. Ne uideretur infirmior fides recõciliatæ gratiæ. ] Id eſt, ne illa gratiæ reconciliatio ſimulata, ideoq; infida uideretur. Florentiſſimis ordinibus. ] Senatorio & equeſtri. Non enim mea gratia familiaritatibus continetur. ] Id eſt, tam parua non eſt mea gratia, ut apud eos ſolum ualeam, qui ipſi mihi ſint familiares. Vel gratiam ponit pro amicorum copia. in qua ſignificatione dici, teſtis eſt Aſconius. Si quid poſſumus. ] Id eſt, ſi quam poteſtatem habeo ex amicorum multitudine. Optimos uiros legeret. ] Nam prius delegit Põpeius Senatores uiros optimos, qui poſtea ſortiti ſunt, ut eorum

legitimus eſſet numerus. Quod uero te L. Domitij. ] Cn. Pompeium Aenobarbum Aſconius appellat: dicitq; Pompeium legem tuliſſe, ut Quæſitor qui huic cauſæ præeſſet, crearetur populi ſuffragio ex Conſularibus uiris: quo populi ſuffragio habitis comitijs, hunc Domitium Quæſitorem factum. Munus. ] Id eſt, officium. Populares inſanias. ] Id eſt, populi furorem, uel potius furorem Tribunitium, ut Cn. Manilij Trib. ple. de quo Aſconius: Multi enim ex Trib. pleb. nimium populares erant, turbulentas & ſeditioſas leges ferebant, furioſis concionibus populū excitabāt: ideo furioſi, turbulenti, ſeditioſi ſæpe appellantur. Ab adoleſcentia. ] Cum Prætor eſſet. Adoleſcentē enim appellari etiam eum qui ſit annorum 30. ſcribimus in Commentarijs in Ciceronem de Senectute. Quamobrem iudices. ] Venit Cicero ad narrationem: ideoq; ſtrictim, & capita repetit, quæ iam refutauit. Id enim plerunque facit Cicero, ut breuis ea repetitio ſit, uelut eius partis cōcluſio per enumerationem. Vt enim totius orationis, ita ſingularum partium ſua concluſio eſt, quæ in mentem auditorum reuocat quæ dicta ſunt, eoq; iudices facit, ut quæ reliqua ſunt audiant attentius. Si neque omnis confeſſio facti eſt inuſitata. ] Id eſt, ſi aliquando liceat fateri ſe feciſſe, quod iure factum defendatur: Id eſt, ſi refutaui quod aduerſarij iactabant, fas eſſe iuueni lucem, &c. Neque de cauſa noſtra. ] Nam id erat ſecundū, quod aduerſarij iactabant, cædem qua P. Clodius occiſus eſt, Senatum iudicaſſe contra rempublicam eſſe factam. Et lator ipſe legis. ] Id eſt, Pompeius. Id erat tertium. Cum eſſet controuerſia nulla facti. ] Id eſt, cum Milo fateretur. Præpoſitus quæſtioni. ] L. Domitius Quæſitor. Quæſtionis. ] Id eſt, cauſæ, ut iam ſæpe. Vter utri inſidias fecerit. ] Ibi ſtatus quæſtionis eſt. Nam ſi Milo fecit inſidias, damnandus eſt: ſi Clodius, Milo liberandus. Illud præcipue uult probare Cicero, Clodium feciſſe inſidias: qua ex re naſcitur iudicium. Ideo iudices admonet, ut ſint audienda attentiores. Argumentis. ] Id eſt, probationibus. Breuiter expono. ] Narrationis illæ uirtutes ſunt apud Quint. lib. 4. ut ſit aperta, ſit credibilis. Breuitas autem uerſiculorum numero metienda non eſt: Breuis narratio eſt, in qua nihil ſuperuacaneum eſt. eſtq; tolerabilius, aliquid eſſe ſuperuacaneū, quàm eam nimis conciſam. nam (ut ait Quintil.) ſuperuacua cum tædio dicuntur, neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. Hæc autem breuitas reliquarū quoque orationis partium uirtus eſt. ideoq; Cicero & alij ſolent polliceri, fore ut breuiter dicant. P. Clodius. ] Narratio eſt, quā fieri apertam magis Sulpitius Victor ait, ſi à recto caſu incipiat: cuiuſmodi multæ ſunt Tulliana P. Clodius aliquot annis poſtquā fuerat Trib. pl. adiecit animum ad Præturā. Ea anno relicto, in annū proximū cœpit petere. in quo anno comitia itidē tracta ſunt. nam in eum annum Milo, Metellus, Scipio, & Hypſeus conſulatū petebant. Hi largitione multa populum corrūpebant, & inter ſe armis ſæpe contendebant, ut ait Plutarchus in uita Catonis. eam ob cauſam dies comitiorum differebatur. Iiſdem autem auſpicijs & comitijs Prætores & Conſules fiebant. Tracta. ] Id eſt, dilata: ut extrahere tempus ſæpe T. Liuius, quod Salluſtius proferre & prolata te dicit. Cōtractiores noctes, ut arbitror, M. Cicero appellat in proœmio in Paradoxa, longiores & hybernas. Non honoris grad. ] Magiſtratuum ille ordo Romæ erat, prima Aedilitas, deinde Prætura, tum Conſulatus. Eſt igitur prætura gradus ad conſulatum, qui honos amplißimus eſt. L. Paulus. ] Vt ait Cicero in oratione in Vatiniū teſtem, ſingularis uir fuit, & ciuis, homo ad rempub. cōſeruandam natus, qui duos nefarios patriæ proditores domeſticos hoſtes legibus exterminauit. Is eſt, qui Cos. Marcellum collegam habuit, quem M. Lepidus frater Triumuir proſcripſit. Annum ſuum. ] Id eſt, quo ætatem legitimam ad gerendam præturam ageret. Hoc eſt ad euertendam rempublicam. ] Illud ſæpius dicendum, quia ſemper in iuridiciali oratione aduertendū, ut quæ pro nobis ſunt amplificemus, quæ ſunt contra nos extenuemus. Fieri conſulem. ] Facere Quæſtorē, Trib. pleb. Prætorem, Conſulem, Cenſorem, Cicero ſæpe dicit: alij non inuſitate dicunt Creare. Competitores. ] Hypſeum et Scipionē. Petitionem gubernaret. ] Diceret uulgus, Totam brigam duceret. Illis. ] Competitoribus. Tota comitia ſuis humeris ſuſtineret. ] Id eſt, omnes ut ipſe uellet ſuffragium daturi eſſent. Coloniam nouam ſcribebat. ] Quo plures ſuffragatori eſſent. Scipioni & Hypſeo. Coloni enim ſuffragij ius habebant. Delectum perditiſſimorum ſcribebat ciuium. ] Ad uim potius faciendam, quàm ad ferendum ſuffragium. Miſcebat. ] Id eſt, perturbabat. Hic. ] Milo. Magis conualeſcebat. ] Id eſt, certior Conſul fiebat. Certiſſimum. ] Id eſt, indubitatum, non quòd adhuc eſſet, ſed erat certiſſimum fore ut fieret. Sermonibus. ] Id eſt, fama. Deduxerat. ] Romam. Fauonio. ] M. Fauonium, M. Catonis amicum & æmulum fuiſſe, Plutarchus in eius uita ſcribit. Ad ſummum. ] Vulgus diceret, aut ad ſummum. hæc particula Aut doctis omitti ſolet. T. tamen Liuius libro 34. eam adiunxit; Satis, inquit, compertum habemus duorum, aut ad ſummū triū in ea re nouitatis culpam eſſe. Quos uidebatis. ] Narrationem falſam fieri credibilem Quintilianus ait, lib. 4. ſi ueræ alicui rei cohæreat. ut Sinon Virgilianus in lib. Aeneid. 2. falſis immiſcet uera de Palamedis interitu, quem Troianis ignotū non eſſe ſciebat: Ideo ait, Haud ignota loquor. ut cum Milonis & Clodij pugna fortuita fuerit, Cicero fecit uериſimile à Clodio factas inſidias. Solenne iter. ] Id eſt, quod certo anni tempore fieri ſolebat. auctore Sex. Pompeio, Solennia ſacra ſunt, quæ certis anni temporibus fiunt. Virgilius in Bucolicis dicit ſolennia uota. & in lib. Aeneidos 3. ſolennes dapes: quas Seruius eſſe dicit legitimas & anniuerſarias. Cicero in Piſonē: Feſtos dies & ſolennes. & in Oratione de Reſponſis aruſpicum ſolennes menſas & cerimonias dicit. Legitimum. ] Id eſt, quod lege faciendum erat, ut proderet Flaminem, ideo neceſſarium. Lanuuium. ] Lanuuium, ut ait Appianus lib. Bellorum ciuilium 2. à Diomede poſt euerſam Troiam in Italiam aduecto conditum eſt, diſtatq; ab urbe Roma ſtadia 160. & ſ. indigena Milo erat. Flaminem prodendū: prodere Flaminem, ut capere ueſtalem, dicere Dictatorem & Magiſtrum equitum, facere conſulem, dicere ſolemus. Prodere interregem, Aſconius & Cicero in Oratione pro Domo ſua dixerunt. Concionem turbulentam reliquerent. ] Quo die P. Clodius occiſus eſt, C. Saluſtius, & Q. Pompeius Trib. pleb. & inimici Milonis, & ſatis inquieti concionati ſunt, ut ait Aſconius. Sed Q. Pompeiū potius intelligi putat, quod eius ſeditioſior cōcio fuerit. Quoad Senatus dimiſſus eſt. ] Quoad in ſenatu, ut dicit uulgus, factum eſt. quod genus dicendi, ut ornatum, ita frequens eſt. Quintil. lib. 4. docens qua ratione narratio fiat credibilis (hæc enim tertia narrationis, ut dixit, uirtus eſt, ut ſit credibilis) locum hunc commendat maxime: Optimæ, inquit, præparationes erunt, quæ latuerint iudices: ut à Cicerone ſunt quidem utiliſſime omnia prædicta, per quæ Miloni Clodius, nō Clodio Milo inſidiatus eſſe uideatur. Plurimū tamen facit illa calidiſſima ſimplicitatis imitatio. Milo autem cum in ſenatu fuiſſet, eo die quoad Senatus eſt dimiſſus, domum uenit, calceos et ueſtimenta mutauit. pauliſper dum ſe uxor, ut fit, comparat, commoratus eſt. quod nihil præparato, nihil feſtinato feciſſe uidetur Milo. Quia non ſolum rebus ipſis uir eloquentiſſimus Cicero, quibus moras et lentum profectionis ordinē ducit, ſed uerbis etiam uulgaribus & quotidianis, & arte occulta conſecutus eſt: quæ aliter ſi dicta eſſent, ſtrepitu ipſum iudicem, deinde patronum excitaſſet. Frigida uidentur iſta pleriſque, ſed hoc ipſum manifeſtum, quomodo iudicem fefellerint: quod uix à lectore deprehēditur.

ditur. Hactenus ille. Cuius ex uerbis cognoſci poſſit, in ea parte narrationis in qua cauſæ noſtræ momentum præcipuum ſit, etiam ſimpliciter loquendum, & uerbis quotidianis utendum. Diatypoſim, id eſt, deſcriptionem aut deformationem eſſe Romanus Aquila dicit, quòd res ita deſcribatur & deformetur, ut penè ſub oculos ſubijci uideatur: Cicero, inquit, deformat Milonem in rheda ſedentem, penulatum cum uxore: item Clodium cum equo & expeditis è uilla egredientem. Ante fundum eius.] Albanum dictum, qui uiam Appiam tangebat. Rheda.] Nomen Gallicum eſt, currum ſignificans, quo nomine uſum eſſe Ciceronem Quintilianus libro primo tradit. Vxor.] Fauſta, L. Syllæ filia. Commoratus eſt.] Id eſt, aliquam moram fecit. Id temporis.] Id eſt, eo tempore, quæ dicendi forma Ciceroni familiaris eſt. Redire potuiſſet.] Romam. In equo.] Vulgus diceret, ſuper equum. Facultatem an potuerit, ad coniecturam pertinere, Quintil. libro 7. tradit. Nam quæritur ſi potuit, an ſperauerit. ideoq́; ſpectari debent etiam inſtrumenta, ut Clodij & Milonis comitatus: Clodij & Milonis habitus deſcriptus eſt ad faciendam fidem, Clodium Miloni feciſſe inſidias. Impedimenta.] Impedimenta dicuntur ſarcinæ, quæ neceſſariæ ad uſum uiæ feruntur, ueluti quæ arcis muli aut hippoperis equi uehunt. Hippoperas Seneca appellat culeum ſeorteum, quo ueſtes aliaq́; eiuſdem generis in equo uehuntur. Hic inſidiator.] Id eſt, Milo. Eſt ironia aut, quē aduerſarij inſidiatorem dicunt. Puerorum.] Id eſt, ſeruorum iuniorum, quales famulos habere ſolent diuites. In hac ſignificatione perè uſitate dicitur. Terent. in And. Et puerum inde abiens conueni Chremis. Hora ferè undecima.] Ab oriente ſole ad occidentem Romani ueteres horas 12. numerabant. diebus breuioribus horæ breuiores, longioribus longiores erant. Hunc morem in Iudæa quoq; obſeruari ſolitum, libri ſacri multis in locis teſtantur. Nam hora undecima 13. Cal. Febr. erat circa horam tertiam pomeridianam cum dimidia, more noſtro numerando. In hunc.] Milonem. De loco ſuperiore.] Inæquale iter ibi fuiſſe ſignificat, ubi pugna commiſſa eſt. Aduerſi.] Id eſt, ex parte aduerſa & anteriore. Rhedarium.] Qui rhedam ducebat, id eſt, aurigam. Præſentes.] Id eſt, præſenti et acri animo fuerunt, non exanimati. Deriuandi.] Deriuare crimen, eſt deflectere ab eo ad quem, ad eum ad quem nō pertineat. Cicero lib. Epiſt. ad Attic. 4. Id poterat inficiari, poterat in alios deriuare, poterat etiam aliquid iure factum defendere. Terentius in Phormione, In me deriuem iram ſenis, dicit. Aut deriuare, pro eo quod eſt deuitare poſuit. Quod ſuos quiſque ſeruos.] Deuitauit Cicero inuidiam uerbi. Non enim dicit, occidit. Id enim uerbum, re nondum probata, grauius fuiſſet, & aſperius. Quintil. libro ſeptimo auctore, ipſa rerum neceſſitas nos deducit ad defenſionem: ut, Accuſatur Milo quòd Clodium occiderit. aut fecit, aut non: optimum erat negare. ſi non poteſt, fatetur. Occidit ergo iure, aut iniuria. Iure: ergo aut uoluntate, aut neceſſitate. uoluntate, ut id pro Repub. fuerit: neceſſitate, ſubita igitur pugna, non præparata. Alter igitur inſidiatus eſt. uter? Clodius, præterea, aut uoluit occidere inſidiatorem Clodium, aut non. tutius, ſi noluit. Fecerunt ergo ſerui Milonis, neque iubente, neque ſciente Milone. At hæc tā timida defenſio detrahit auctoritatē illi, qua rectè dicebamus occiſum. Adijcietur quod ſuos quiſque ſeruos facere uoluiſſet.] Quintiliano placet in libro quarto, breui quadam ſententia non nunquam reficiendum iudicis uelut ſtomachum, audiendi attentione fatigatum. Qualis, inquit, eſt illa: Fecerunt ſerui Milonis, quod ſuos quiſque ſeruos in re tali facere uoluiſſet. Hæc ſicut expoſui.] Finis narrationis eſt. Finita narratione, uenit ad confirmationem. Sunt qui uelint narrationē eò uſque perduci oportere quoad ueniatur ad quæſtionē, id eſt, ad id de quo principalis controuerſia eſt, ut apud Ciceronem in oratione pro A. Cecinna: His rebus ita geſtis P. Dolobella prætor interdixit, ut eſt conſuetudo, de ui hominibus armatis ſine ulla exceptione tantum, ut unde deieciſſet reſtitueret. Reſtituiſſe ſe dixit. Sponſio facta eſt. Hac de ſponſione uobis iudicandum eſt. Aliquando poſt narrationem ſubiungitur cōcluſio, quæ ſolet in argumentis ſumma eſſe? Hæc ſicut expoſui, ita geſta ſunt iudices. Inſidiator ſuperatus eſt, ut uicta uis, uel potius oppreſſa uirtute audacia eſt. auctor eſt Quintil. lib. 4. Alia profectò poſt argumenta, id eſt, poſt confirmationem & refutationem concluſio non ſit. Ideo poſtquam docuerit Cicero Clodium inſidiatorem iure occiſum, ſine ulla concluſione incipit docere, Clodij mortem reipublicæ ſalutarem eſſe. Hoc enim uice concluſionis eſt: Non potuit ſe ſeruare in his Clodij inſidijs. Quin una rempublicam, &c.] Id eſt, quin P. Clodiū interficeret, cuius interitus reipublicæ, ueſtraq́; ſalus eſt. Si id iure non poſſet.] Scilicet ſeruare ſe. Dare iugulum.] Id eſt, ſe iugulandum. Illud in iudicium uenit.] Quid ſit in quo uerſetur quæſtio, qui ſit ſtatus cauſæ docet, ut eò attendentes animum iudices, de quo pronunciaturi ſint, audiāt diligētius. Quod multis.] Repetit ſtrictim ea, quæ ante narrationem refutauit. Latum eſt.] Pompeij lege. Rem.] Id eſt, inſidias. Non hominem.] Milonem. De iure.] Id eſt, iure'ne an iniuria Clodius occiſus fuerit. Quæſtionē tulit.] Id eſt, legem, ut quæreretur. Quoniam igitur.] Confirmatio eſt. Ad hoc enim narrauit, ut Clodium feciſſe inſidias doceret. Id multa hic ratione confirmat. Belua.] Id eſt, P. Clodio. Magnam ei cauſam.] Primum argumentum quod id probat, id eſt: P. Clodius ſi Milonem occidiſſet, magnam inde utilitatem percepiſſet. Quòd Milo Clodiū occiderit, magnū habet detrimentum. fuit igitur utile Clodio, ut Milo interiret. Miloni inutilis mors Clodij eſt. quo circa ſentiendum eſt, Miloni Clodium feciſſe inſidias. Itaque illud Caſſianum.] Hoc quoque argumento utitur Cicero in oratione qua Sex. Roſcium Amerinum reum parricidij defendit, quòd ex cæde patris eius ei incommodi plurimū obtigerit, accuſatoribus uero plurimū utilitatis: ideoq́; ab accuſatoribus, non à filio eum occiſum cōtendit. L. inquit, Caſſius ille, quem populus Romanus uerisſimū & ſapientiſſimum iudicem putabat, identidem in cauſis quærere ſolebat, cui bono fuiſſet. Sic uita hominum eſt, ut ad maleficiū nemo conetur ſine ſpe atque emolumento accedere. Hunc quæſitorem ac iudicem fugiebant atq; horrebant hi, quibus periculum creabatur, ideoq́; tametſi ueritatis erat amicus, tamen natura nō tā propenſus ad miſericordiā, quàm implicatus ad ſeueritatem uidebatur. Bono.] Id eſt, utilitati. In fraudem.] Id eſt, in uitium. In oratione de Reſponſis aruſpicum: Miſerior es cū in omnē fraudē raperis oculis, quam ſi omnino oculos non haberes. In qua ſignificatione fraus ſæpe dicitur. Clodius hoc aſſequebatur.] Clodij perſonam prius tractat, ut eius odio ſenſim iudices imbuantur. Non eo.] Milone. Quo.] Milone conſule. His.] Conſulibus Hypſeo & Scipione. Conniuentibus.] Id eſt, permittentibus, aut certe nihil obſiſtentibus Rēp. eludere, id eſt, fallere. nā ſi prætor factus fuiſſet, eius fidei Reſp. ſe cōmiſiſſet, eam aūt omni ſcelere uexaſſet. Suis cogitatis furoribus.] Cogitarat enim Rēp. in prætura dilacerare & euertere. Illi.] Conſules. Tantū beneficiū ei.] Id eſt, cum ei Clodio ſe obligatos eſſe maxime ſentirent, quòd eius beneficio Cōſules eſſent. Veſtræ peregrinātur aures.] Id eſt, uelut hoſpites, et peregrini nō audiuiſtis quæ in urbe fama peruagata ſit. Peregrini enim & incolæ, ut ait Cicero in lib. de Offic. nihil præter ſuum negotiū agere, nihil de alieno inquirere, minimeq́; in aliena Rep. eſſe curioſum Hoſpitis idem officium eſt. Eadem ſententia eſt in Ciceronis orationes pro C. Rabirio, cum neget fidem publicam à Conſule ſine auctoritate Senatus dari potuiſſe: Quæ fides, inquit, Labiene, qui potuit ſine Senatuſconſulto dari? Adeò'ne hoſpes huiuſce urbis, adeò'ne ignarus es diſciplinæ conſuetu-

Hypſeo, qui eius Queſtor fuerat, ſumma ope ſtudebat, ut ait Aſconius. At is uiuit odium. ] Obiectio eſt. Defenſorem ſalutis meæ. ] Id eſt, Milonem. Is enim Tribunus plebis curauit, ut Cicero ab exilio rediret. Reus enim Milonis lege Plotia. ] M. Plotius Syllanus Trib. plebis, Cn. Pompeio Strabone & L. Porcio Catone Coſſ. ſecũdo anno belli Italici, tres leges tulit: Vnã, ut tribus ſingulæ, ex ſuo numero quinoſdenos ſuffragio crearent, qui eo anno iudicarent. auctor eſt Aſconius in orationẽ Ciceronis pro Cornelio de Maieſtate. Hac lege factum eſt, ut Senatores quoque iudicarent. nam ad Equites ſolos iudicia lege Sempronia tranſlata erant. Alteram, agrariam. cuius meminit Cicero in libro Epiſtolarum ad Atticum primo: Agraria, inquit, à Flauio promulgata eſt, ſanè leuis, eadem ferè, quæ fuit Plotia: Tertiam, de ui, quæ eſt in eos qui Rempublicã oppugnent. Hac lege Sauſeium, quòd loca quædam occupaſſet, & cum telo fuiſſet, accuſatum Aſconius tradit. Cum Ciceronis domum ex ærario publico ædificandam poſt eius reditum Senatus cenſuiſſet, eam P. Clodius ſaxis, ignibus, ferro uaſtauit. decreuit Senatus, eos qui id feciſſent, lege de ui teneri: ut ait Cicero de Reſponſis aruſpicum. Hæc lex de ui, lex Plotia eſt. Cum Senatus habendus eſſet, ubi de Ciceronis reditu ageretur, octauo Calend. Februarij, P. Sextius & Q. Fabricius noctu armatos homines in templo Caſtoris collocauerunt, ut Clodianorum conatibus obſiſterent. commiſſa pugna, Clodiani occidunt nonnullos, uulnerant multos: Q. Ciceronis ſalus periclitata eſt: P. Sextius 20. uulneribus confoſſus eſt: ciuium corporibus Tyberis repletus, cloacæ refertæ ſunt. Hæc Cicero amplius ſcribit in oratione pro P. Seſtio. Auſum eſſe Annium Milonem Tribunum plebis ad iudicium de ui Clodium trahere, Plutarchus in uita Ciceronis tradit. Idem quoque Cicero ſcribit in oratione Poſt reditum in Senatu habita: Quid ego, inquit, de præſtantiſſimo T. Annio Milone dicam? aut quis de tali ciue ſatis digne unquam loquetur? Qui cum uideret ſceleratum ciuem, aut domeſticum potius hoſtem, ſi legibus uti liceret, iudicio eſſe frangendum: ſin ipſa iudicia uis impediret ac tolleret, audaciam uirtute, furorem fortitudine, temeritatem conſilio, manum manu, uim ui eſſe ſuperandam, primo de ui poſtulauit: poſteaquam ab eo iudicia ſublata eſſe uidit, ne ille omnia ui poſſet efficere, curauit. Fuit igitur Clodius Milonis reus de ui, lege Plotia. Quoad uixit. ] Id fortaſſe dixit, propterea quòd iudicia Clodius ſuſtulerit, poſtquam de ui poſtulatus eſt, & ita cauſam Clodius non dixit.

Hunc Clodium paulo antequam occiſus ſit, Cicero reum appellat, libro Epiſtolarum ad Atticum quarto: Comitia, inquit, fore non arbitror. Publium reum, niſi ante occiſus erit à Milone, fore puto. nam ſi ſe ituro Lanuuium in uia obtulerit, occiſum iri iam ab ipſo Milone uideo tyrannum Clodium. Reliquum eſt. ] Probat Cicero, alia ratione Clodium feciſſe inſidias: quia P. Clodius ſæpe uim fecit, nunquam Milo. In inſidiatore uim ineſſe oportet. ] A' uita anteacta Cicero ſæpe confirmat aut refutat: quia conſentaneum eſt, præteritæ uitæ ſequentem eſſe ſimilem. Illum. ] Clodium. Eſt enim ironia. Mœrentibus uobis. ] De diſceſſu ſuo M. Cicero permulta ſcribit in oratione pro P. Seſtio. In oratione Poſt reditum ſuum in Senatu: Me, inquit, laborantem mutatione ueſtis, & propè luctu ueſtro, quoad licuit defendiſtis. Noſtra memoria Senatores, ne in ſuis quidem periculis mutare ueſtem ſolebant: in meo periculo Senatus ueſte mutata fuit. Idem in oratione Poſt reditum ad Quirites, præter Senatum uiginti millia ueſtem mutaſſe dicit. Vrbe ceſſi. ] Diſceſſum ſuũ, non exilium Cicero appellare ſolet. Cum ſeruos, arma, uim Ciceroni P. Clodius intentaret, maluit Cicero abire in exilium, quã cum P. Clodio depugnare. Intentauit. ] Id eſt, contra me intendit. Quæ fuiſſet igitur cauſa. ] Enthymema ex repugnãtibus eſt. Diem mihi, credo, dixerat. ] Ironia eſt, ad eã ſententiam. Vocauit me Clodius in ius: ſed quia cauſa ueſtra, aut mea bona nõ erat, ego metuens iudicium exiui in exilium uoluntariũ. Re uera Clodius Ciceronẽ in ius uocauit, quòd de Lentulo, Cethego, alijſq; coniuratis indemnatis ſupplicium ſumpſiſſet. quãuis Senatus eos extremo ſupplicio afficiẽdos cenſuerit, ut eſt apud Salluſtium: eos tamen Clodius indemnatos, ut arbitror, dicebat, quòd à populo Rom. damnati non fuiſſent. Lege enim Sempronia, iniuſſu populi Rom. de capite ciuis ſupplicium ſumi non licebat. Multam irrogarat. ] Id eſt, inflixerat. Plautus in Captiuis: Qui conſilium iniere, quo nos uictu & uita prohibeãt, ijs diem dicam, irrogabo multam, ut mihi cœnas decem meo arbitratu dent, cum cara annona ſit. Intendere actionem. ] Id eſt, accuſare. Perduellionis. ] Id eſt, læſæ maieſtatis uel Reip. uiolatæ. Seruorum & egentiũ ciuium. ] Hæc cauſa exilij Ciceronis fuit. Conſulebant ei nonnulli rem armis gerere cum Clodio, ſed quia id ſine ingenti ciuium ſtrage fieri negabat, qui ſeruaſſet ciues opprimenda Catilinæ coniuratione, eos hac contentione, perdere nolebat. maluit igitur abire. In oratione pro P. Sextio rem dicit amplius. Seruorum & egentium. ] Id eſt, Catilinariorum. Vidi hunc ipſum Q. Hortenſium. ] Cicerone facto reo, decernere Senatus uolebat, ut pop. Rom. ueſtem mutaret, ueluti ex mœſtitia publica. L. Piſo, & Gabinius Coſſ. contra ſentiebant. P. Clodius paludatus circa curiam cum ſatellitibus omnia terrore replebat. E' Senatu prorupere nonnulli Senatores, qui laceris ueſtibus ſpeciem tumultus dedere. auctor eſt Plutarchus in uita Ciceronis. In eo tumultu Hortenſium & Vibienum hæc paſſos fuiſſe arbitror. nam quod Aſconius ait, poſtero die quàm Clodij cæſi corpus Romã perlatum eſt, ingentem ſeruorum multitudinem ad eius domũ confluxiſſe, compluresq; notos homines eliſos eſſe, inter quos C. Vibienũ Senatorem: mihi cum hac re cohærere non uidetur. hic enim uim quam Clodius fecit, enumerat. Cum mihi adeſſet. ] Id eſt, patrocinaretur. Cum hoc. ] Hortenſio. Multatus. ] Legendũ putem Mutilatus. nam Senatorum aliquorum ueſtimenta fuerunt lacerata. Præterea in forum, & curiam gladios ferre non licebat. Ideo P. Sextius fragmentis et fuſtibus uulneratus eſt. Tyb. Gracchus ſubſelliorum pedibus cæſus eſt. Vitam amiſerit. ] Amittere uitam Cicero, ut Salluſtius animam amittere dicit. Quam à Catilina acceperat. ] Clodio ſæpe obijcit Cicero, ſocium eum coniurationis Catilinæ fuiſſe. In oratione de Reſponſis aruſpicũ eum appellat familiarem Catilinæ. Intentata nobis eſt. ] Quo tempore ex urbe exceſſi. Appiã uiã Papyrij nece cruentauit. ] Id eſt, in Appia uia Papyrium necauit. Cruentare templum Cicero dicit in oratione pro P. Seſtio, pro eo quod eſt, in templo uulnerari: Trib. pleb. templum cruentauit. Id autem de P. Seſtio dixit, qui in templo Caſtoris 20. uulnera è Clodianis accepit. Idem Remp. cruentari dicit in oratione Poſt reditum in Senatu: Ego meam ſalutem deſerui, ne propter me ciuium uulneribus Reſpub. cruentaretur. Idem de Reſponſis aruſpicum: Secures ſuas cruentari ſcelere noluit. Quod in eandem ferè rem dicitur. Nuper quidem ut ſcitis. ] Id Cicero ſcribit in libro Epiſt. ad Atticum 4. eius uerba ſunt: Ante diem tertium Idus Nouemb. cum ſacra uia diſcederem, inſecutus eſt me Clodius cũ ſuis. clamor, lapides, fuſtes, gladij: & hæc improuiſa omnia. diſceſſimus in ueſtibulum M. Tetij Damionis. qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerunt. Ipſe occidi potuit. Regiam. ] In ſacra uia Regiam eſſe Aſconius tradit. Qua domum ac deos penates. ] Ciceronis ex eadem epiſtola illa uerba ſunt de Clodio: Ille, inquit, omnium uocibus cum ſe non ad iudicium, ſed ad ſupplicium præſens duci uideret, omnes Catilinas Sicinioſq; poſtea reddidit. nam Milonis domum meamq; in Ceramio pridie Idus Nouemb. expugnare & incendere ita conatus eſt, ut palàm hora 5. cum ſcutis homines eductis gladijs, alios cum accenſis facibus adduxerit: ipſe domum P. Syllæ

pro caſtris ſibi ad eam impugnationem ſumpſerat, tum ex Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit uiros acres, occidiſq; homines ex omni latrocinio Clodiano notiſſimos. ipſum cupiuit, ſed ille ſe in interiorem partem ædium abdidit. P. Seſtio. ] De eo ante dixi. Collega ſuo. ] Milo enim & Sextius Trib. plebis fuerunt anno proximo poſt P. Clodium. Fabritio. ] Is eſt Quintus Fabritius, qui Trib. pleb. cum P. Sextio octauo Calendas Februarij, armatos homines in templum Caſtoris deduxit, ut ante dixi. Cum de reditu meo. ] Cicero in oratione Poſt reditum in Senatu: Quintus, inquit, Fabritius, ſi quæ de me agere conatus eſt, ea contra uim & ferrum perficere potuiſſet: menſe Ianuario noſtrum ſtatum recuperaſſem, quem ad ſalutẽ meã uoluntas impulit, uis retardauit, auctoritas ueſtra reuocauit. Crudeliſſima in foro. ] Ante diximus ex hac cæde Tyberim oppletum, & cloacas refertas. Potuit'ne. ] Iure ſe ulciſci. Oppugnata domo. ] Id cum Aſconio illi tempori propinquo neſcire me fateor. ſcribit tamen Cicero in oratione Poſt reditum in Senatu, quantum ſibi L. Cæcilius Prætor fauerit. Totius Italiæ. ] Id eſt, omnium Italorum. quæ dicendi figura frequens eſt. Cum eſt lata lex de me. ] Pridie Non. Sextil. mirifico ſtudio omnium ætatum atque ordinum, incredibili cõcurſu Italiæ, comitijs centuriatis lex de Ciceronis reditu lata eſt, ut ipſe ſcribit libro Epiſtolarum ad Atticum quarto. Quem mea ſalus concitarat. ] Cicero in oratione Poſt reditum in Senatu, reditus ſui auctores præcipuos enumerat, Cn. Pompeium, P. Lentulum, & L. Mummium: octo Tribunos plebis, & ſeptem Prætores, quos ille nominat. Ad iudicium bis uocauit. ] Dixi antea Clodium à Milone lege Plotia de ui poſtulatum: quando iterum accuſatus fuerit, legere non memini. Priuato Milone. ] Id eſt, poſtquàm abiuit Tribunatu. Nam ſi quis in honore miniſterio'ue publico ſit, reus quidem poſtulatur: ſed differtur eius accuſatio, & cautione data in iudicio ſiſtendi cauſa promittitur in finem honoris. & hoc Tyberius Cæſar reſcripſit, ut ait Vlpianus libro Pandectarum quadrageſimo octauo, ad legem Iuliam de Adulterijs. Et reo ad populum. ] Milonem de ui ad populum Clodius accuſauit, cum Cn. Pompeius defendit. In Cn. Pompeium impetus factus eſt. ] Ad 4. Idus Februarij Pompeius ubi ſurrexit ut pro Milone diceret, Clodiani clamorem ſuſtulerunt. Id ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, ſed etiam ut conuitio & maledictis impediretur. Qui ut perorauit, nam in eo ſanè fortis fuit, deterritus non eſt, dixit omnia. Clodius ſurrexit, ſed tantus Milonianorum clamor fuit, ut neque mente, neque lingua, neq; oratione conſiſteret. Pompeius hora ſexta uix perorauerat. Milonianorum clamor & maledicta in Clodium uſque ad horam octauam fuerant: hora ferè nona quaſi ſigno dato Milonianos Clodiani conſputare cœperunt. exarſit dolor, urgebant Clodiani ut Milonianos loco mouerent. factus eſt à Milonianis impetus, fuga Clodianorum eiectus è roſtris Clodius. fugerũt etiã Miloniani, ne quid in turba paterentur. Pompeius domum diſceſſit. auctor eſt Cicero libro Epiſtolarum ad Q. fratrem 2. Nuper uero cum M. Antonius. ] Clodium M. Antonius ut interficeret inſecutus eſt. M. Cicero in Philippica 2. P. inquit, Clodium meo conſilio interfectum eſſe dixiſti. Quid'nam homines putarent, ſi tum occiſus eſſet, cum tu illum in foro, ſpectante populo Romano gladio ſtricto inſecutus es? negotiumq; tranſegiſſes, niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ cõieciſſet, hiſq; oppilatis impetum tuum compreſſiſſet? Huius M. Antonij adoleſcentis P. Clodium fuiſſe amicum, eam tamen amicitiam non multum duraſſe, Plutarchus in uita Antonij ſcribit. Adoleſcens nobiliſſimus. ] M. Ciceronem, et Antonium multa deuinctos fuiſſe amicitia, doceri poſſit ex lib. Epiſtolarum ad Atticum 14. ubi utrinſque ad alterum epiſtolæ ſunt. Iudicij laqueos. ] Id eſt, periculum uel pœnã. ut in oratione de Reſponſis aruſpicum de Clodio: Sed ſi etiã nunc illaqueatus iam omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium, expectatione ſupplicij iam non diuturna implicatus. Idem in Vatinium: Hominesq; negotia gerentes iudicijs iniquiſſimis irretiees. Fugeret ad Tyberim. ] De hac Clodij fuga nihil memini legere, niſi illud eſt, quod paulo aliter, ſcribit in libro Epiſtolarum ad Atticũ quarto. Milo, cum ſibi conſulatum petenti Clodius obſeruaretur XII. Calend. Decemb. media nocte cum magna manu in campum Martium uenit: Clodius cum haberet fugitiuorum delectas copias, in cãpũ ire non eſt auſus. Milo permanſit ad meridiem, mirifica hominũ cum lætitia, ſumma cum gloria XI. Calend. & VIII. itidem Milo nocte in comitium uenit. In ſepta. ] Id eſt, in comitia. Septa enim loca ſunt in campo Martio, incluſa tabulatis, in quibus ſtans pop. Rom. ſuffragia ferre ſolebat. Eadem comitia dicebantur. Virtute. ] Id eſt, fortitudine. Quem igitur omnium. ] Enthymema eſt ex repugnãtibus, quod aliquãdo multiplicari poſſe docẽs Quintil. libro tertio hoc exemplo utitur. Idem libro ſeptimo tradit, coniecturas peti ſolere alio tempore, et aliter facere, uel facilius, uel ſecurius potuerit. ut dicit Cicero pro Milone, enumerans plurimas occaſiones, quibus ab eo Clodius impune occidi potuerit. Præterea cur potiſſimum illo loco, illo tempore, illo modo ſit aggreſſus, & ipſe diligentiſſime tractatur pro eodem locus. Peti enim ex coniectura oportet inſidias à Clodio factas. Præſertim ſi dices. ] Alia probatio inſidiarum à Clodio Miloni factarum, quòd Milo, occiſo Clodio, amiſiſſet ſpem conſulatus: Clodius, interfecto Milone, regnaturum ſe putaret. Contentio. ] Id eſt, aſſidua & inſtans petitio, ut in libro de Officijs 2. Miſerrima eſt omnino ambitio, honorumq; cõtentio. Cõtendere enim, urgenter petere eſt. Honores ampliſſimi. ] Id eſt, Conſulatus. Maior magiſtratus Conſul dicitur, ut ait Sextus Pompeius. auctore Tullio libro Tuſcul. Quæſtion. 2. Conſulatus ille antiquus Romæ perinde habebatur, ut Olympiorum uictoria in Græcia. Quàm timida ſit ambitio. ] Id eſt, quã timidi ſint qui ambiunt. Improbitati candidatorum. ] Id eſt, improbis candidatis. Candidatorum, id eſt, petentium magiſtratum. qui enim magiſtratum petebat, candida ueſte expectorata, ſine toga in comitio ueniebat. Faſtidiunt. ] Id eſt, cum faſtu quodam iraſcuntur & ſtomachantur. Recte factis. ] Id eſt, his qui recte faciunt. Ad illa auguſta Centuriarum auſpicia. ] Id eſt, ad comitia centuriata, quibus conſules fiebant. Auguſtum, quod augurio conſecratum eſt dicitur: ut Vergilius in libro Aeneid. ſeptimo, auguſta mœnia, & auguſtum tectum dicit. Cicero in oratione pro Domo ſua: Poſt autem Senatus in loco auguſto conſecratam eam aram tollendam ex auctoritate pontificum cenſuit. Auſpicia uero auguſta, intelligit maxima. Aulus enim Gellius cap. 14. libri decimi tertij, ex Meſſalæ ſententia auſpiciorum duo genera dicit. Alia ſunt maxima, quæ Conſulum, Prætorum, Cenſorum ſunt: Ideoq; hi maiores magiſtratus dicuntur. Alia ſunt minora, quæ reliquorum magiſtratuum ſunt, qui magiſtratus minores dicuntur. Magiſtratus maiores fiunt comitijs Centuriatis, quæ magna Cicero in libro 3. de Legibus, & iuſta comitia in oratione Poſt reditũ in Senatu appellat. Minores uero magiſtratus fiunt comitijs curiatis. Quid? quod caput audaciæ eſt. ] Alia probatio inſidiarũ à Clodio factarum. Impunitatis ſpem. ] Spes impunitatis ad maleficium allicit. Hanc ſpem Clodio fuiſſe, non Miloni, oſtendit. Caput. ] Id eſt, fons & origo. Iudicia pœnamq; contempſerat. ] Id eſt, impunitatem ſibi prepoſuerat. Per naturã fas eſſet. ] Quia ſororem uiolauit impune. Aut per leges liceret. ] Quia ſacra Bonæ deæ polluit. Q. Petili. ] Q. Petilij cuiuſdam meminit Valerius maximus libro primo de Ominibus, & ſecundo de Diſciplina militari, qui Cos. fortiſſime pugnans aduerſus Ligures, à militibus relictus occubuit. is'ne ſit, cuius hic meminit

Cicero

Cicero,compertum non habeo. Poſt diem tertium quàm. ] Id eſt,aut diem tertiũ poſtquàm, aut diem tertium quã. Non dubitaret. ] Propoſita ſpe impunitatis. Stata. ] Non ſtatuta fortaſſe legendum eſt.Nam auctore Sex. Pompeio,ſtata ſacrificia ſunt,quæ certis diebus fieri debent.Cato in oratione quã ſcribit de L.Vecturio,de ſacrilegio commiſſo,cum ei equum ademit : Quod tu,quod in te fuit, ſacra ſtata ſolennia capite ſancta deſeruiſti. Statum enim pro certo & conſtituto ueteres dixerunt,ut apud Plautum in Curculione: Si ſtatus condictus cũ hoſte intercedit dies. Et ſtatus dies cum hoſte in tabulis XII. ſcriptum eſt,ut ait Cicero in primo de Offic. lib. Stata igitur ſacrificia ſunt,quæ certo quodam anni die fieri ſolita ſunt.

Quemadmodum igitur. ] Ex his quæ narrauit,docet Clodium feciſſe inſidias. Negotij nihil erat. ] Id eſt, erat facile. ut paulo negotio, uel nullo negotio ſæpe dicit Cicero, pro eo quod eſt facile. Anteuertit. ] Id eſt, præuenit. Inſaniſſima concio. ] Id Aſconius enarrat. Approperaret. ] Id eſt, ualde properaret. ut in libro Epiſtolarum ad Atticum quarto. Quid cõſilij de omni noſtro ſtatu capiamus,te abſente neſcimus: quare appropera,& uale. Illi. ] Cicero ſæpe pronomina Hoc & Illud ita diſtinguit,ut Hoc ſuum litigatorem,Illo aduerſarium ſignificet. Seruum. ] Clodij, qui Miloni indicaret, quãdo Clodius reuerteretur. Quæſierit ſanè. ] Videte quid uobis largiar. ] Id ex arte dicendi eſſe docet Quintilianus libro tertio,ut leuiſſima quæque quæſtio primo loco fungatur.Nã illud frequens eſt,ut ea quibus minus confidimus,cum tractata ſint,omittamus : aliquando ſponte noſtra uelut donantes, aliquando ad ea,quæ ſunt potentiora,gradum ex his feciſſe cõtenti. Hoc genus in hac oratione obſeruari ſæpe inuenias. Arrius meus amicus. ] Duo fuerunt Arrij .Ciceronis amici. unus C. Arrius, de quo Cicero lib. Epiſt. ad Atticum ſecundo. C. Inquit, Arrius proximus eſt uicinus,imo ille quidem iam contubernalis, qui idcirco ſe Romam ire negat, ut hic mecum totos dies philoſophetur. alter, Q. Arrius,de quo in oratione in Vatinium teſtem : Atque,inquit,illud ſcire ex te cupio, quo conſilio aut mente feceris,ut in epulo Q. Arrij familiaris noſtri cum toga pulla accumberes. Legite teſtimonia. ] Aduerſariorũ teſtimonia pro ſe eſſe oſtendit. Dixit C. Caſſinius. ] Hic Caſſinius teſtis dixit, ſe cum Clodio tum fuiſſe,cum occiſus eſt. Facta rei atrocitatem auxit maxime. Et credendum non eſſe Cicero ſignificat, quòd aliàs falſum dixerit teſtimonium . nam qua hora Clodius habitu muliebri in ſacris Bonæ deæ deprehenſus eſt,eum fuiſſe Interamnæ dixit : ſed cum Romæ fuerit , Interamnæ eſſe non potuit. Quintilianus libro quarto eſſe dicit falſas narrationes,quæ nonnunquam inſtrumentis adiuuantur, ut P.Clodius fiducia teſtium qua nocte inceſtum Romæ commiſerat,Interamnæ ſe fuiſſe dicebat. Interamnis gentile nomen eſt,ab Interamna. eſt autem Interamna urbs in Vmbria : ubi prata quater in anno ſecantur, etiam non rigua. ut ait Plinius cap.28.lib.28. Comes. ] P. Clodij. Significat Calliſtratus Iuriſc.lib.Digeſt.22.in examinanda fide teſtiũ, uidendum ei ne amicus ſit,pro quo dat teſtimonium,an ei inimicus,contra quem dicit. nam in hanc uel illam partem,gratia uel odium plurimũ habet momenti.Ideo Modeſtinus ibidem ſcribit,in teſtibus fidem, dignitatem,mores,grauitatem,examinanda eſſe. Ideo qui teſtes aduerſus fidem teſtationis ſuæ uacillent,audiendos non eſſe. Arcadius teſtimonium ab ijs præcipue dicit exigendum,quorum fides non uacillat: nec tamen eos teſtes reijcit Cicero, quòd eorum teſtationes Miloni proſint. De Cyro. ] Cyri architecti Cicero meminit in libro Epiſtolarum ſecundo ad Q. fratrem : De ædificatione tua Cyrum urgere non ceſſo. C.Clodium P. Clodij fratrem fuiſſe,cuius filij duo Appij Clodij adoleſcentuli Milonis accuſatores fuerunt, Aſconius tradit. An hic C. Clodius Publij comes is fuerit, haud ſatis compertum habeo. In hac rogatione. ] Id eſt , lege Pompeij. Iacent ſuis teſtibus. ] Id eſt,uincuntur ſuis teſtimonijs. Nam Romam ea nocte uenturus non erat,niſi de Cyri morte audiſſet, ſed in Albano manſurus : qui ſcire potuit Milo,ut ei faceret inſidias : ego quoque, inquit Cicero,qui ſcire quiuiſſem,ut meo conſilio ex urbe Milo ad cædem Clodij egreſſus eſſet? Ne ſuſpicari quidem. ] De Clodij reditu potui. Occurrit illud. ] Refutat quod aduerſarij dixerãt,Clodiũ nihil de inſidijs cogitaſſe. Si quidẽ,etc. ] Id eſt,Id arbitror uerum quod dicis,Clodium in Albano manſurum,ſi exiturus ad cædem è uilla non fuiſſet. Hæredem ſcripſerat. ] Scribere hæredem,& facere uſitate dicimus. Animam efflantem. ] Id eſt,iam morientem. Age. ] Id eſt, eſto. Hic enim donantis eſt,non hortantis. Cur in noctem ſe conijceret. ] Id eſt,ea hora diſcederet,ut ei noctu iter faciendum eſſet. Afferebat. ] Id eſt, proderat. Properato opus eſſe. ] Properato opus eſt,ea forma dicitur,qua facto opus eſt. Subſiſtendum. ] Id eſt,in aliquo loco furtim manendum & expectandũ,quoad Clodius ueniret. Nemo ei neganti,etc. ] Enthymema eſt ex repugnãtibus. Suſtinuiſſet,&c. ] Quia ille locus in uia Appia,qui ad monumentum Baſilij eſt, periculi plenus,& latrocinijs multis nobilitatus eſt,ſi in eo Milo ſubſediſſet,& Clodium tranſeuntem interfeciſſet,crimen in locum coniectum fuiſſet. Receptator locus. ] Receptatorem locum dicit,quò ſe latrones recipere ſoleant ad latrocinandum. Receptatores à Iuriſperitis dicuntur hi,qui fures, aut latrones, eorumq́; furta aut rapinas recipiunt occultantq́. Recelatores uulgus appellat. Martianus Iuriſconſultus libro Pandectarum 47. titulo De receptatoribus : Peſſimum, inquit, genus eſt receptatorum, ſine quibus latere nemo diu poteſt. Et præcipitur,ut perinde puniantur atque latrones. Muta ſolitudo. ] Muta ſolitudo dicitur,quod facinus taceat. ut cæca nox,quæ id occultet : tanquam hæc non uideat, illa non loquatur. Vbi. ] Id eſt, quia. Ab illo. ] Clodio. Hæc timentes. ] Ne uiolarentur,ſpoliarentur bonis, expellerentur. Tota denique Etruria. ] Id eſt,cuncti Etruſci. Etruſcos enim poſſeſſionibus pellere armis caſtriſq; Clodius conatus eſt,ut Cicero poſtea dicit.

At qui illo die. ] Obiectio eſt Aricia rediens. ] P. Clodius cum Miloni factus eſt obuius, redibat Aricia. erat autem allocutus Decuriones Aricinorum . Eſt autem Aricia urbs propè Albam , ut ait Seruius libro Commentariorum in Aeneid. Virgilij 7. Diuertit. ] Id eſt, uia deflexit. Tangeret uiam. ] Id eſt,uiæ proxima eſſet. Tangit & contingit uiam, & continet uiæ, Latine dicitur. Viæ contiguum à contingendo uulgus dicit. Cur neque. ] Obiectionem diluit. Ne in uilla reſideret. ] Id eſt,ut eũ interciperet interficeretq́;, antequam in Albanum ueniſſet : aut cur non ſubſedit ad Baſilij monumentum,quò ipſe noctu uenturus erat. Miloni enim commodius fuiſſet aggredi Clodiũ procul ab Albano. Subſedit. ] Id eſt,furtim ſedit in inſidijs. Inſidere locũ. ] Id eſt , in loco eſſe,in inſidijs dicitur. T.Liuius lib.35.Nocte prætergreſſi caſtra Romana,ſaltũ,quà tranſeundũ Romanis erat,inſederunt. Idem libro primo : Iuuentus omnis armata ſyluas & itinera inſedit. Inſideri paſſiuum idem dixit libro 25. Viæ omnes hoſtium præſidijs inſiderentur. Ab inſedendo inſidiæ factæ ſunt. Video adhuc conſtare omnia Iud. ] Enumeratio, & per capita repetitio eſt eorum quibus docuit Cicero, Miloni à Clodio, non contra factas eſſe inſidias. Id autem utiliſſimum eſt. hac enim ratione auditorum memoria firmatur,& ſi quid oſcitanter auditum eſt, diligentius reuocatur. Præparantur etiam auditores ad reliqua,quæ audire ſe eo attentius deliberant,quòd quæ ante dicta ſunt,ignorare ſe nõ putãt. Denunciatã. ] Per M. Fauonium. Prædictam. ] Prædictam fortaſſe,nõ prædicatã legi oporteat. Alienũ. ] Id eſt,nihil neceſſariũ. Alioqui n. potius in urbe manendũ erat,ut adeſſet cõcionibus turbulẽtiſſimis.

Præ ſe tuliſſe. ] Id eſt, oſtendiſſe ex habitu, ex comitatu, ex impedimentis. Diſſimulaſſe rediturũ. ] Quia in Albano manſurũ ſe ſimulabat. Finxiſſe cauſam. ] Quòd ſibi Cyri mortui cauſa redeundũ eſſet. Videamus nunc. ] Perſeuerat Cicero ut doceat Clodiũ feciſſe inſidias. A` loco id probat, quòd is locus, in quo pugna facta eſt, Clodio quã Miloni uiſus fuerit opportunior. Ante fundũ Clodij. ] Albanũ. auctore Quint. lib. 5. argumenta à loco aliquando ducũtur. Id enim ad probationis fidem ſpectatur: montanus an planus, maritimus an mediterraneus, conſitus an incultus, frequens an deſertus, propinquus an remotus, opportunus cõſilijs an aduerſus. quã partem, inquit, uidemus uehementiſſime pro Milone tractaſſe Ciceronem. Locus ubi Milo facere potuiſſet inſidias, erat deſertus, occultatus et receptator latronũ. Vbi Clodius fecit, erat montanus: (nam de loco ſuperiore in Milonem tela cõiecta ſunt) propinquus, ante fundum Clodij, opportunus conſilijs. nam in inſanis ſubſtructionibus mille hominũ uerſabantur. Hoc quoque dictum eſſe intelligi poteſt, ut inſidiarũ ſuſpitionem à Milone tollat, qui inſidias nunquam feciſſet in loco eo ubi mille hominum aduerſari poſſet. Mille hominum. ] De hoc dicendi genere eſt apud A. Gelliũ. Milliare hominum, ut milliare tegularũ uulgus diceret. Propter inſanas illas ſubſtructiones. ] Vt poſtea: Subſtructionũ inſanis molibus oppreſſeras. Inſanas ſubſtructiones appellat, magna ædificia. Inſanum pro magno dici, Sex. Pompeius tradit. Inſanum laborem Virgilius dicit lib. Aeneid. 2. Inſano iuuat indulgere labori. Titus Liuius libro 32. Ita turrim inclinauit, ut ſpeciem ruentis hoſtibus, trepidationemq; inſanã ſuperſtantibus armatis præbuerit. Virgilius lib. Aeneid. 2. Inſanum amorem dicit: Illis qui ad Troiam forte diebus Venerat inſano Caſſandræ incenſus amore. Inſano, id eſt, magno, uel inſanũ faciente. Idem libro 3. Inſanam uatem aſpicies: id eſt, magnã, uel diuino furore correptã. Idem in Bucol. Inſani feriant ſine, littora fluctus: id eſt, magni, uel furẽtes. ut furentes auſtros appellat lib. Aeneid. 1. Atqui excelſo loco. ] Obiectio eſt. Prope Albanũ in uia Appia locus quidam ſuperior erat, Milo ſperabat eũ ſe locũ præoccupaturum: Reſpondet Cicero, Clodium ibi potius expectaſſe, qui loci opportunitate impetum facere cogitarat. Excelſo loco. ] De loco ſuperiore Clodianos in Milonem impetum feciſſe, dixit Cicero cum narraret. Si hæc non geſta audiretis, ſed picta uideretis. ] Diatypoſim, id eſt, deſcriptionem hic eſſe, Aquila Romanus ſcribit, quam enargiam Cicero ſub oculos ſubiectionem uocat. ut in oratione pro Roſcio Amerino: Non' ne uobis hæc quæ uidiſtis, oculis cernere uidemini iudices? num poſita? num impetũ repentinum? num uerſatur ante oculos ipſe Glaucia? Cum alter ueheretur in Rheda. ] Argumentum à facultatibus, quo ſcilicet oſtendimus fuiſſe cuique uel faciendæ uel non faciendæ facultatem, in coniecturis ualere Quintil. libro quinto docet. In qua ſpectandum eſſe, an uoluerit. nam & uoluntatem ſpes facit. Inſidiatus eſt Clodius Miloni, non Milo Clodio. ille cum ſeruis robuſtis, hic cum mulierum comitatu: ille in equis, hic in rheda: ille expeditus, hic penula irretitus. Veheretur in rheda, & ueheretur rheda dici poteſt. ut in libro Aeneid. 1. Et qua uectus Abas, & qua grandæuus Aletes. Videte nunc illum. ] A` tempore egreſſionis, & à mora ante Pompeianum quoad Milo ueniret, arguit Clodij inſidias. E` uilla. ] Ex Albano. Tarde. ] Hora ferè 11. Diuertit ad uillam. ] Orationis uarietas delectat. ideo nonnunquam dialogo affinis eſt. Hic enim poſſis intelligere, ut ſit tanquã ſermo Ciceronis & aduerſariorum, uel ut Cicero ipſe quærat et reſpondeat, qua in re itidem uarietas eſt. In uillam Pompeij. ] Hæc Pompeij uilla Albano proxima erat. Alſienſis uilla dicta eſt, quòd in agro Alſienſi ædificata ſit. quo in agro uillam nimis ſublime extruxit M. Emylius Porcina: quo crimine à L. Caſſio ad populum accuſatus, mulcta affectus eſt, ut ait Valerius Maximus libro octauo. Inſanas Albani ſubſtructiones inuidioſe ante Cicero hanc ob cauſam dixit. Dum hic ueniret. ] Id eſt, quoad Milo ueniret. Argumentum ex remotione eſt, ad hanc ſententiam, Clodius diuertit ad uillam Pompeij, uel ut Pompeium uideret, uel ut uillam perſpiceret, uel ut dum ueniret Milo expectaret. ſed non ut Pompeium uideret, quem in Alſienſi uilla eſſe ſciebat: non ut uillam perſpiceret, in qua millies fuerat: igitur ut quoad ueniret Milo, expectaret, ut eum ex loco ſuperiore aggrederetur. Age comparate. ] Attende particulam age coniungi cũ uerbo numeri pluralis. Cum uxore. ] Fuluia. Nunquam non. ] Id eſt, ſemper. Ex arte illud eſt, ut in cauſæ probatione aliquid reum contra morem ſuum feciſſe dicamus. In caſtra Etruſca. ] Id eſt, in caſtra L. Catilinæ, quæ C. Manlius Feſulis, quæ in Etruria ſunt, comparabat, ut eſt apud Salluſtium. Quòd coniurationis ſocius fuerit Clodius, Cicero, ut ante dixi, ſignificat. Plutarchus tamen in uita Ciceronis, Ciceronem dicit P. Clodij præſidio uſum eſſe in opprimenda coniuratione. Nugarum. ] Nugas pro impedimentis dicit. Symphoniacos. ] Id eſt, muſicos uxoris Fauſtæ, quæ L. Syllæ Dictatoris filia erat. Greges. ] Greges potius quàm gregem dixit, ut amplificet. Exoletos. ] Qui adoleſcere, id eſt, creſcere deſierunt, appellari dixit Sex. Pompeius. Lupas. ] Id eſt, meretrices. Nec repetitio eſt, quòd ante dixerit ſcorta. nam ſcorta ſunt utriuſuis ſexus. Lupas pro meretricibus dici, Seruius ſcribit. inde lupari pro ſcortari, auctore Nonio Marcello ueteres dixerunt. Turpilius, cum meretrice è noſtro ornatu per uias lupantur. Niſi ut uirum à uiro. ] Id eſt, robuſtum & fortem à Clodio. Clodius, ut Aſconius ait, uehebatur equo, ſerui X X X ferè expediti (ut id tẽporis mos erat iter facientibus) gladijs accincti ſequebantur. Niſi ut uirum à uiro. ] Niſi ſupernacanea uox eſſe uidetur. Cur igitur uictus. ] Id quærere poſſit aduerſarius. Mulier. ] Id eſt, mollis & effœminatus. Nec uero ſic erat unquã. ] Id eſt, nunquã ita imparatus erat Milo, quin ſatis ferè cõtra Clodium paratus eſſet. Quantũ intereſſet P. Clodij ſe perire. ] Id eſt, quantum utile eſſet Clodio ſi Milo periret. Se. ] Milonem. Propoſitam à Clodio, et penè addictam. ] Id eſt, deſtinatã. Maximis præmijs. ] Quia præmia maxima ſibi Clodius proponebat, ſi Milonem occidere poſſet. Nunquã in periculum. ] Id eſt, in locũ eum, ubi aliquid ineſſe periculi poſſet. Martemq; cõmunem. ] Tam ſæpe uſu comprobatũ eſt, ut multos milites pauci, ut robuſtos imbecilli, ut exercitatos rudes, ut alioqui uictores uicti ſuperarent, ut communem Martem ueteres appellauerint, quòd non ſtet ſemper pro multis, robuſtis, exercitatis, uictoribus, ſed hi contra nonnunquam uincantur. Fortunam belli recte appellamus. T. Liuius lib. 37. Cum Mars communis et incertus belli euentus eſſet. Idem lib. 28. In acie Mars communis, & uictum ſæpe erigeret, & affligeret uictoem. Apud eundem lib. 30. Annibal ad Scipionem in Africa uictorem de pace: Melior, inquit, tutiorq; eſt certa pax, quàm ſperata uictoria: hæc in tua, illa in deorum manu eſt, ne tot annorũ felicitatem, in unius horæ dederis diſcrimen: quin tuas uires, tum uim fortunæ, Martemq; belli cõmunem propone animo. Ducis. ] Clodij. Hæſit in his pœnis. ] Id eſt, has pœnas dedit. Expetiuerunt. ] Petere et accipere pœnas, dicimus. Cur igitur eos manumiſit? ] Obiectio eſt. Milonem ſeruos manumiſiſſe, ne in equuleo torti ueritatem dicere cogerentur. Id diluit Cicero, poſtero die quàm occiſus erat Clodius, Milo ex ſeruis ſuis X I I. manumiſit, quòd caput ſuum ulti eſſent. Appius accuſator, cum apud Domitium huius cauſæ Quæſitorem, Milonis ſeruos L I I I I. exhiberi poſtularet: Reſpondit Q. Hortenſius, eos liberos eſſe, qui pro ſeruis poſtularentur, ideoq; eos in poteſtate Milonis non eſſe. pronunciauit Domitius ex iudicum ſententia: ut ex eorum ſeruorum numero, quot accuſator uellet, Milo exhiberet.

Tortore

Tortore. ] Tortor ex uſu dicitur is, qui torquet in equuleo, magis quã qui extremo ſupplicio afficit. Cicero in oratione pro A. Cluentio: Cum iam tortor, atque eſſent tormenta ipſa defeſſa. inde tormenta, que & queſtiones appellantur: que qua ratione tractari debeant, Quintilianus in lib. 10 ſcribit. ſunt enim probationes inartificiales. Quid queris. ] Tu tortor. Hoc quod tormentis inuenire uis. ] Sententia ſuſpenſa, et ferè imperfecta pronunciari debet: ne uni relatiuo ſint duo antecedentia, hoc & id. Manu uero cur miſerit. ] Paulus Iuriſconſultus libro Digeſt. 48. titulo, de Queſtionibus, ſcribit, quibus ex cauſis ſeruos in equuleo torqueri oporteat: Queſtiones, inquit, neque ſemper in omni cauſa & perſona deſiderari debere arbitror. ſed cum capitalia & atrociora maleficia non aliter explorari & inueſtigari poſſunt, quã per queſtiones ſeruorum: tum eas eſſe ad inquirendam ueritatem efficaciſſimas exiſtimo, & habendas eſſe cenſeo. De ſeruis ſolis hec haberi queſtio ſolebat. nam, ut in eodem libro Calliſtratus ait: Ex libero homine pro teſtimonio niſi uacillet, queſtionem haberi non oportet. Hac etate queſtio haberi ſolet de liberis hominibus, nõ de alieni peccati teſtimonio, ſed de proprij confeſſione, in maleficio etiam minus atroci. Quàm perum humanum ſit, uiderint ipſi iudices. Neſcis inimici factum reprehendere. ] Id eſt: Tu aduerſarie, ſi uelis reprehendere Milonis factum, debes quærere potius, cur non maioribus præmijs ſeruos affecerit, quàm cur eos manumiſerit. nihil enim peccauit, quòd eos manumiſerit, qui uitam ſuam tutati ſunt, ſed eos maioribus pramijs afficere debebat. Igitur ſi queris cur manumiſerit, reprehendis quod et honeſtum ſit. Viuit dominus, & cetera. ] Et ſi id equidem non tanti eſt. Tanti faciendum non eſt, quòd ſerui defendant ſalutem domini aduerſus latronem, uel ignotum hominem, uel etiã amicum, ſi repentino aliquo animi motu contentio exorta eſt: quanti, ſi defendant aduerſus inimiciſſimum, que ex morte eius (niſi defenſus fuiſſet) uoluptatem capturus erat maximam. indignius eſt enim ab inimico, quàm ab alio occidi. Ideo finxerunt poete animas ipſas retinere odia, poſtquam è corporibus uelut electe fuerint. unde illud Aeneid. 12. de Turno, Vitaq; cum gemitu fugit indignata ſub umbras. Gratius igitur eſt, contra inimicos defendi. Propter eoſdem. ] Seruos. Crudeliſſimi inimici. ] P. Clodij. Mentem oculoſq;. ] Sanguinem & uulnera Milonis cupientes. Satiare mentem oculoſq;, eſt rem quam multũ cupiuimus uſque ad ſatietatem uidere. ut de Aenea Virgilius dixit citra ſatietatẽ: Animũ pictura paſcit inani. Cicero poſtquã ab exilio redijt, in oratione pro Domo ſua: Equidem, inquit, perfunctus ſum: nullam uim, nullum impetũ me tuo, expleui animos inuidorum, placaui odium improborum, ſaturaui etiam perfidiam & ſcelus improborum. Idem in eadem: Cum eorum omnium crudelitati ceſſiſſem, ne abſens quidem luctu meo mentes illorum ſatiare potui. Itemq;: Neque porrò illæ manus copieq; Catiline cementis ac tegulis meorum tectorũ ſe famem ſuam expleturas putauerunt. Virgilius libro Aeneidos ſeptimo: Odijs haud exaturata quieui. Ex his attende, illud utrunque eadẽ in re dici, ſatiaui oculos tuos ſanguine meo, & tu oculos tuos meo ſanguine ſatiaſti. Sed prius habet plus elegantie. Hic. ] Milo. In his malis. ] Id eſt, in præſentibus, id eſt, in hac accuſatione. Si quid ipſi accidat. ] Id eſt, ipſe damnetur. Sed queſtiones. ] Obiectio aduerſariorum alia eſt. ſeruos Clodij per queſtiones, id eſt, tormenta interrogatos, contra Milonem teſtatos eſſe. Huiuſmodi queſtionibus credendum non eſſe, contendit Cicero. In atrio libertatis. ] Romanos ueteres coluiſſe deam Libertatem, Cicero ſcribit in libro de Natura deorum ſecundo. auctore Tito Liuio libro uiceſimo quarto, Sempronius Gracchorum pater in Auentino ex mulctatitia pecunia, edem Libertatis faciendam curauit, dedicauitq;. Templorum quoque atria fuiſſe etiam Seruius dicit, cum libro Commentariorum in Aeneid. Virgil. ſeptimo ſcribit: Veſtæ atrium à templo remotum fuiſſe, ut in eo Senatus haberi poſſet. Senatus enim haberi non poterat, niſi in loco auguſto, & ne illuc conueniret Senatus, ubi erant uirgines, Veſtæ templũ auguſtum non erat. Quibuſnam de ſeruis? ] Dialogi imitatio eſt. Ab Appio. ] Auctore Paulo Iuriſc. libro Digeſtorum 22. de Teſtibus. Teſtes eos quos accuſator de domo produxerit, interrogari non placuit. Poſtulauit. ] Vt teſtarentur. Appij Clodij duo fuerunt, filij C. Clodij, qui P. Clodij frater erat. Hi duo adoleſcentes patrui ſui mortem, auctore patre, perſequentes, Milonis accuſatores fuerunt: P. Clodius paruulum quendam filium P. Clodium reliquit. is patre ceſo, cum familia ad patruum tranſijt. De ſeruis nulla queſtio eſt. ] Auctore Vlpiano libro Digeſtorum 48. queſtio de ſeruis cõtra dominos neque haberi debeat, neque ſi facta ſit, dicturi ſententiam, id eſt, iudicis conſilium inſtruit. Multo minus indicia ſeruorum contra dominos admittenda ſunt: Ideoq; D. Antonius, & D. Hadrianus eodem auctore reſcripſerunt: cum ſerui pariter cum domino aurum & argentum exportaſſe dicerentur, non eſſe de domino interrogandos: nec quidem ſi ultro aliquid dixerint, obeſſe hoc domino. Seruo qui ultro aliquid de domino confitetur, ut ibidem Paulus Iuriſconſultus ait, fides non accommodatur. Neque enim oportet ſalutem dominorum, ſeruorũ arbitrio committi. De inceſtu. ] Non, De interitu legendum eſt. Inceſtum dici etiam in quarta declinatione, Aulius ſcribit cap. 20. libro decimotertio. Inceſtus ita definitur cauſa 36. queſtione prima, ut ſit conſanguineorum uel affinium abuſus. Is autem fit aliàs extra matrimonium, aliàs per matrimonium illicitum. Adulterium in nuptam admittitur, ſtuprum in uiduam uel uirginem uel puerum committitur, ut ait Modeſtinus libro Digeſtorum 48. ad legem Iuliam de Adulteris. Hoc uerbo. ] Id eſt, ſtupro indifferenter uti. Idem ſcribit lib. 50. de Verborum & rerum ſignificationibus. Adulterium & inceſtum, M. Cicero ſtuprum ſæpe appellat. Ea de re ante dixi. ] Vlpianus ad legem Iuliam de adulterijs, queſtionem de ſeruis in dominos inceſti poſtulatos ita demum habendam dicit, ſi per adulterium inceſtum eſſe contractum dicatur, ut auctore Marcello Iuriſconſulto de queſtionibus: Si quis cognatam, cum qua nuptias contrahere non poteſt, uiduam, uel alij nuptam corruperit, hoc ſolo caſu ſerui in perſonam domini torquentur. Sed poſtquam lex Iulia de adulterijs ceſſauit, ceſſant etiam, ut Vlpianus ait, ſeruorum in dominos de inceſtu tormenta. Sed quia inceſtum itidem appellamus, quod in mulieres religione conſecratas admiſſum ſit, ut Veſtales inceſti damnatas ſæpe legimus, hic locus Ciceronis intelligi poſſit tam de inceſtu eo, quem P. Clodius cum ſorore commiſit, que Lucullo nupſerat, quàm de adulterio cum uxore Ceſaris in ſacris Bonæ deæ commiſſo. Ideo de utroque nobis dicere conſilium eſt, quamuis de poſteriore potius intelligi uideatur. Bonam deam Romane mulieres colebant: eam Graci Gynæciam, Romani Dryada uocant, puellæ Fauni uxorem exiſtimant. Sacra ei à Romulo pro ſalute populi Romani inſtituta, urbi Romæ equalia ſunt. Hæc ſacra in domo conſulis per eius uxorem & Veſtales uirgines quot annis fiebant. Mulieres que ſacra factura erant, coma, mitra, muliebribus ſoleis, purpureis faſciolis, ſtrophio, pſalterio ornatæ erant. Ad ea ſacra ne imprudenti quidem uiro intrare licet, ſuntq; à uiris tam aliena, ut eius dee nomen Latinũ ſcire uiris nephas exiſtimatum ſit. Hæc ſacra omni memoria nemo niſi Clodius uiolauit. nam Ceſaris uxorem Clodius non inuitam adamabat. hanc mater Ceſaris Aurelia tanta cura obſeruabat, ut ne colloqui quidem cũ Clodio poſſet. Qua nocte ſacra fiebant, P. Clodius latere ſperans, quòd eius genas lanugo prima nondum ueſtiret, habitu muliebri à conſcia uerũ ancilla intromiſſus eſt. ea ad uxorem Ceſaris ut eam operiret accurrens,

moratur. Clodius moræ impatiens, per atria ſpatioſa, lumen deuitans inambulat. cum pediſſequa quadam Aureliæ, quæ ſit (fœminam enim putabat) rogat. Loqui tandem coactus, ancillam quandam præſtolari ſe reſpondet. Eo uoce prodito, ancilla clamore ſublato ad lumina turbaſq; proſilijt, uirũ comperiſſe ſe uociferans. Trepidantibus paſſim mulieribus, Aurelia, ſacris interruptis occultatiſq;, fores claudit: accenſis cereis, uirum diſquirit. is in ancillæ cubiculo, quò profugerat, inuentus eſt, quem è domo proturbarunt. Clodiũ Lentulus accuſauit, quòd ſacra Bonæ deæ uiolaſſet. Is conſtanter negauit eo die ſe Romæ fuiſſe, inuenitq; teſtem Caſſinium Scholam Equitem Romanum, qui eum eadem hora, qua ſtuprum admiſſum dicebatur, Interamnæ fuiſſe diceret. Contra eum teſtes multi producti ſunt. Cicero Clodium ad ſe tunc domum ueniſſe, ſecumq; ſerio collocutum aſſeruit. Alia eius impudica flagitia uiri graues detulerunt, ut hoc in eo flagitium credibile eſſet. L. Lucullus iuratus dixit ſe comperiſſe habitis ancillarum quæſtionibus, cum Clodium cum ſorore germana, quæ Luculli ipſius uxor erat, ſtuprum feciſſe. Rumor etiam increbuit, eundem reliquis duabus ſororibus ſe coniunxiſſe, quarum alteram Martius rex, alteram Metellus Celer in matrimonium haberent. A' Clodio noctes matronarum & adoleſcentiũ nobilium magna ſumma emptæ, mercedis loco iudicibus erogatæ ſunt. Corrupto iudicio factum eſt, ut à triginta iudicibus abſolueretur, cum à uiginti quinque damnaretur. auctores ſunt M. Cicero de Reſponſis aruſpicum. Plutarchus in Vitis Luculli, Cæſaris, & Ciceronis, & Valerius Maximus libro nono, titulo de Luxuria & Libidine. Cum ea matrona admiſſum in his ſacris adulterium Cicero perſæpe dixit. De hac matrona, eiuſq; uiro inter ſcriptores non conſtat. Appianus enim libro bellorum ciuilium ſecundo, Calphurniam L. Piſonis filiam uxorem Cæſaris: Plutarchus Pompeiam, itidem Cæſaris uxorem appellant. Vxorem Metelli Pontif in his ſacris P. Clodium ſtupraſſe, Titius Liuius lib. 103. ſcribit. Vnde. ] Id eſt, à quo, uel à cuius domo. Proxime ad deos. ] Acceſſit Clodius, cum ſcilicet occiſus eſt. Proxime deos, non proxime ad deos hoc loco Priſcianus legit lib. 18. cum docet, proxime uti propè iungi cum accuſatiuo. Ad ipſos penetrat. ] In ſacris Bonæ deæ. Quæritur. ] Id eſt, ſeruorum quæſtio poſtulatur. Maiores enim noſtri in dominum. ] Eadem ſententia eſt in oratione pro rege Deiotaro: More, inquit, maiorum de ſeruo in dominũ ne tormentis quidem quæri licet. Id etiam iure ciuili cautum eſſe diximus. Cuius ſcriptores (quorum uerba ad conſuendas Pandectas ueluti centones quidam adiecta ſunt) maxima ex parte poſt Ciceronem fuerunt, ut in commentarijs in Epiſtolas uirorum illuſtrium ſcribimus. Quæ tamen ſcripſerunt, aliena omnino nõ eſſe arbitror ab his quæ priſci illi auctores tradiderunt. quos enumerat Pomponius Iuriſc. lib. Digeſt. 1. titul. de Origine iuris

Non quia nõ poſſet uerum inueniri. ] Nonnulli enim ſeruorũ ita fideles erant, ut quæſtione nulla cogi potuerint, ut dominum proderent. qualis auctore Valerio Maximo lib. 8. tit. de Quæſtionibus, Philippus fuit Fuluij Flacci ſeruus, in quo tota domini quæſtio nitebatur. is enim octies tortus, nullum omnino uerbum quo domini ſalus periclitaretur emiſit. Domini morte ipſa triſtius. ] Si enim è ſeruis ueritas extorqueretur, id ea cauſa eſſet, ut dominus damnaretur: ſed ſeruorum quæſtio domini damnatione triſtior eſſet. Auctore Quint. lib. 8. nõ augenda ſemper oratio, ſed ſubmittenda nonnunquã eſt. uim rebus aliquando affert ipſa humilitas. Poſtquã multa in hanc rem poſuit exempla: Et pro Milone, inquit, illud, Heus ubi Ruſcio? ubi Caſca? ſunt uerba Appij, P. Clodij ſeruos prius interrogantis, quã ad quæſtionem mittat. Fecit. ] Reſpondet ſeruus. Certa crux. ] Minatur Appius. Nullas fecit. Seruus metu crucis nullas feciſſe reſpondet. Sperata libertas. ] Id Appius dicit, ne ſeruus uacillet. Quid hac quæſtione certius? ] Ironia eſt. Arrepti. ] A' tortore. A' cæteris. ] Seruis. In arcas coniijciũtur. ] Arcas robuſteas in carcere fuiſſe, quibus malefici homines includerentur, Sex. Pompeius teſtis eſt. Hi centũ dies. ] Nam à Clodij cæde uſque ad hanc defenſionem, dies circa centũ interfuerunt. Hi. ] Serui. Penes accuſatorẽ. ] Appium. Quod ſi ſatis nondum cernitis. ] Ex Milonis ob integræ conſciẽtiæ fiduciã in urbẽ reditu poſtridie quã Clodius occiſus fuit, docet Milonem non feciſſe inſidias. Tum claris argumentis ſignisq;. ] Auctore Quint. lib. 5. Omnis probatio artificialis conſtat aut ſignis, aut argumentis, aut exemplis. Signa ſunt (ut cũ reliquis nunc nihil dicamus) cuiuſmodi ſunt, cruenta ueſtis, clamor, liuor, tumor. Sed latius id nomen patet. ut ſignum adulteræ eſt, lauari cum uiris, ſignum inſidiarum à Clodio factarũ, quòd in equo, quòd ſine uxore, quòd cũ ſeruis expeditis fuerit, ut in Milone cõtraria ſigna ſunt, nihil eum de inſidijs cogitaſſe. Quæ fuerit celeritas reditus eius. ] Milo, quem opinio fuerat propter aduerſariorum inuidiam abijſſe in exilium, Romam redijt nocte ea, qua incenſa curia eſt, ut ait Aſconius. Quæ oratio. ] In Milonem in foro ad populũ uerba facientem impetum factum eſſe, Appianus ſcribit. Neque uero ſe populo, et cætera. ] Figura eſt quæ Græcis climax, ab Aquila Romano aſcenſus dicitur. ea enim ueluti quibuſdam gradibus cõnectitur oratio. Hanc figurã decorã à Demoſthene illuſtratã, idem Aquila dicit: hic autem figuræ parte Ciceronem uſum. nam in tertio gradu cõtentus dicere, neque ijs tantũ, ne rurſum totũ illud repeteret, neque ſolum publicis præſidijs et armis: uidelicet quia & nimis longum & inſuaue futurum erat. Neque uero ſe populo ſolum. ] Iudicium capitis habebant pop. Rom. & in atrociore negotio Senatus, ut in Catilinæ coniuratione apud Salluſtium: & Conſules, ſi ijs Senatuſconſulto mandatum erat, ut uiderent ne quid Reſpub. detrimenti caperet. His omnibus Milo bona cõſcientia ſubnixus ſe tradidit. Eius poteſtati. ] Id eſt, poteſtati Cn. Pompeij, cui Senatuſconſultoq; mandatum erat, ut uideret ne quid Reſpub. detrimenti caperet, utq; delectus ex Italia tota haberet. Omnem Italiæ pubem. ] Id eſt, iuuentutem, militum delectum. Cui. ] Pompeio. Magna metuenti. ] In codicibus alijs eſt intuenti: quæ lectio improba mihi uiſa non eſt. magna enim Pompeius intuebatur, ut incendium curiæ, multas ſeditiones, etiam in foro: quare id armatis præſidijs munire cogebatur. Quãuis enim Milonem Pompeius timuiſſe dicatur, inepta eſſet ſententiæ connexio, ſi magna metuenti, & poſtea, multa ſuſpicanti diceretur. Rationem. ] Id eſt, modum quo cædes facta eſt. Præſentiam animi. ] Quia Milo nihil turbatus erat. Imperitorum. ] Id eſt, ſimplicium. ita enim Cicero appellare ſolet eos quos uulgo appellant ſimplices. Percito. ] Id eſt, commoto. Vt æquo animo patria careret. ] Id eſt, patria carere contentus eſſet. Cederet legibus. ] Id eſt, iudicia declinaret exilio uoluntario. Vel legibus pareret, quæ exilio mulctant eum qui cædem fecerit. Multi etiam Catilinam loquebantur. ] Dicebant enim eum imitaturum Catilinam, & congregaturum exercitum, ut bellum patriæ faceret. Illa portenta. ] Id eſt, eos qui patria pulſi patriæ bellum fecerunt. Miſeros interdum ciues. ] Id eſt, qui de Republica bene meriti ſunt, nonnunquã miſeri ſunt, quòd homines non ſolum obliuiſcantur beneficij, ſed etiam de his nonnunquam male ſuſpicentur. Miſeros. ] Id eſt, ò miſeros. Vera extitiſſent. ] Id eſt, credita & defenſa uera fuiſſent. Quæ quamuis mediocrium delictorum, et cætera. ] Id eſt, ſi Milo etiam mediocrium delictorum ſibi conſcius fuiſſet, horum conſcientia perculſus & exagitatus ex urbe abijſſet, ut fecit Catilina: qui coniurationis conſcius, Ciceronis orationem ferre non potuit, ideoq; noctu Roma abijt. Quamuis. ] Id eſt, quantumuis. Gladiorum. ] Gladios, nõ enſes, ſæpe dici à Cicerone attendimus. Freni aut armorũ

genus

*genus eſt, aut hic locus emendatus nõ eſt. Sparũ genus teli agreſtis eſſe, Non. Marcellus ſcribit. Angiportus et angiportũ dicitur. In urbe uiarũ tria ſunt genera. ſunt uici, qui ſunt latiores, et habent exitũ: ſunt fundulæ, à fundo, quæ exitu carent: ſunt angiportus, qui ita anguſti ſunt, ut per eos nihil agi poſſit in portus. Veteres enim uocabãt domos partim inſulas, partim portus inde porticus appellata. Pro fundula angiportũ Terẽtius in Adelphis dixiſſe uidetur: Id quidem angiportũ non eſt peruiũ. Sed rurſus ibi Demea reprehendit Syrũ, qui dixerat: Eſt ad hanc manũ ſacellũ, ubi angiportũ propter eſt. Angiportũ enim pro uia peruia Syrus dixerat: ſed Demea peruium angiportũ negat, tanquam angiportũ non ſit. Malleoli, ut ait Nonius Marcellus, ſunt manipuli ſpartei, pice contecti: qui incenſi, aut in muros, aut in teſtudines iaciuntur. In alia ſignificatione dici, ſcribimus in Commentarijs in Tullium de Senectute. Repudiata. ] Id eſt, reiecta, & non credita. Quæſita. ] Id eſt, inquiſitione facta non inuenta. Laudabam equidem. ] Cn. Pompeius Milonem timere putabatur. Hanc ſuſpicionem metus Cicero iudicibus & Pompeio adimit. De circo maximo. ] Id eſt, de plebe ſacrificorum, qui ſolitus eſſet familias purgare. Ita enim exponere uidetur Aſconius, qui de Licinio Popa rem narrat fuſius. Pollutã enim familiã Romani putabant, cũ ex ea aliquis mortuus erat. Inde funeſta domus, in qua quis mortuus erat, appellabatur: ante quam cupreſſi ramũ præfigi morem fuiſſe, Seruius Commentario tertio ſcribit, quo pontifex admonebatur ibi mortuum eſſe, ne per imprudentiam ingreſſus pollueretur. nam eos etiam pollui putabant, qui mortuum uidiſſent, quamuis è familia nõ eſſent. Aeneas Virgilianus lib. 7. luſtrat ſocios qui affuerunt Miſeni funeri. Eſt igitur quòd coniectem, funeſtas familias à uulgo quodam ſacrificorum luſtrari in circo maximo: quem appellatum eſſe armiluſtrum, M. Varro libro de Linga Latina primo dicit, de ambitu luſtri. In hortos nunciauit. ] Sic Cicero pro Sex. Roſcio: Occiſo Sex. Roſcio, primus Ameriam nunciat Manlius Glaucia quidam. Idem: Ad Volaterras in caſtra L. Sylla mors Sex. Roſcij quatriduo, quo is occiſus eſt, Chryſogono nunciatur. T. Liuius libro 5. Et ſi negetur ager, coram iiſdem Romanis dimicaturos, ut nunciare domũ poſſint, quantũ Galli uirtute cæteros mortales præſtarent. Quod. ] Latus. Pro ictu gladiatoris. ] Id eſt, pro magno uulnere, quòd gladiatores inermes inter ſe dimicantes, permagnis ſe conciderant uulneribus. Oppugnata domus Cæſaris. ] Vel Milonem ex pugnatoribus fuiſſe ab aduerſarijs dici ſignificat: uel arguit à ſimili. ut nunciabatur domus Cæſaris per multas noctis horas oppugnata, idq; falſum erat: ita credendum non eſt uera eſſe ea, quæ de Milone in Pompeium circumferantur. Tam celebri. ] Id eſt, frequenti, ubi tam multi proxime habitarent. Tamen audiebatur. ] Id eſt, fama uulgata erat. Frequentiſſimo Senatu. ] P. Cornificius Senator Milonem ſub tunica telum femori alligatum habere dixit. Poſtulauit Pompeius ut fœmur uideret Milo, ſine mora tunicam leuauit. Hic itaque M. Cicero exclamat, crimina omnia quæ in Milonem dicerentur, huic eſſe ſimilia. Nudauit ſe in ſanctiſſimo templo. ] Attendendum eſt, ueteres uſos nõ fuiſſe his crurum tibiarumq; indumentis, quas appellant uulgo caligas, ideoq; nullum his nomen Latinum eſſe. aliud enim caliga eſt. Toga ad calceos uſque demiſſa uſum Ciceronem eſſe, ut uarices tibiarum uelarentur, Plinius ſcribit. Siue ea cauſa fuerit, ſiue id temporis mos fuerit, ut libro undecimo contendit Quintilianus, nudæ tibiæ toga longa uelabantur. Idem eodem libro: Crura ualetudinis cauſa faſcijs aliquando ueſtiri dicit, idq; excuſari poſſe, tanquam id indecorum habitum ſit. Catonem minorem, etiam cum Prætor eſſet, pedibus nudis incedere ſolitum, Plutarchus in eius uita ſcribit. Auctore Cicerone in primo de Officijs, ſcenicorum nemo in ſcenam prodibat ſine ſubligaculo. uerebantur enim, ne ſi quo caſu eueniret, ut corporis pudendæ partes aperirentur, non decore aperirentur. Scenicos autem ueſtibus in ſcena uſos fuiſſe, Donatus in Commentarijs in Terentium ſcribit. Supparum, ut ait M. Marcellus, eſt linteum fœmorale, uſque ad talos pendens, dictum quòd ſubtus appareat. eo ſupparo uiros uſos fuiſſe arbitror loco earum, quas caligas appellant. Cum C. Cæſar necaretur, ut in eius uita Suetonius ſcribit, ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit, quo honeſtius caderet, etiam inferiore corporis parte uelata. Significat igitur Cicero, Milonem Pompeio poſtulante ut fœmur uideret, ſi telum alligatum eſſet, pudenda membra, aut certe pudendis proxima nudaſſe, quod Romæ & in templo deforme admodum haberi debebat. nam apud Lydos cæteroſq; barbaros, ut Herodotus libro primo ſcribit, magno probro erat etiam uirum conſpici nudum: id Romæ turpius eſſe debebat. Auctore Valerio Maximo lib. 2. tit. de Inſtitutis antiquis, in ſacrato aliquo loco nudare ſe nephas eſſe credebatur. Ideo flamen Dialis, ut ait A. Gellius cap. 15. libri decimi, tunicam intimam niſi in locis tectis exuit, ne ſub cœlo tanquam ſub oculis Iouis nudus ſit. In ſanctiſſimo tẽplo. ] Vbi Senatus habebatur. ante enim dixi, Senatum haberi non ſolitum, niſi in loco auguſto: ideoq; templum pro Senatu ſæpe dici, ſcribimus in Commentarijs in Ciceronem de Senectute. Quod tamen ſi metuitur. ] Adimit Cicero metum Milonis Pompeio. Sententia eſt: Si adhuc metuitur Milo, non metuo ne ei cædes Clodiana noceat, ſed tuas Põpeij de Milone ſuſpiciones perhorreſcimus. Ea uoce. ] Nam ad ærarium non procul à foro, Pompeius ſedebat. Conquiſitores dicuntur hi qui cogunt, id eſt, colligunt milites. T. Liuius libro 21. Qui duo populi delectus acerbitate conſternati, retentis conquiſitoribus, metum defectionis quam præbuiſſent, etc. Idem conquiſitionem habere, ut habere delectum, dicit lib. 25. Ex hoc ſic creati Triumuiri bini, conquiſitionem ingenuorum per agros habuerunt. Proximorum. ] Id eſt, propinquorum. Terentius in Phormione: Lex, inquit, eſt ut orbæ, qui ſunt genere proximi, ijs nubant, & illos ducere eadem hæc lex iubet. Itemq;: Vt, ne quid turpe ciuis in ſe admitteret propter egeſtatem, proximo iuſſa eſt dari. Quæ tuum corpus domumq; cuſtodit. ] Pompeius Milonem metuens, in hortis ſuperioribus ſe continebat, eoſq; præſidio munierat. Quo uero die hæc cauſa acta eſt, Pompeius pro ærario ſedens, delecta militum manu ſeptus eſt. In hoc. ] Milone. Vnius uiri. ] Id eſt, Milonis ſolius. Si Miloni locus datus eſſet. ] Pompeius Milonem ſæpe ad ſe uenientem non admiſit, ut latius ſcribit Aſconius. Teterrima peſte. ] Clodio. Ad ſalutem meam. ] Id eſt, ad me reuocandum. Alte poſtea defenſum. ] Id eſt, poſtquam Tribunatu abijt, à Clodio de ui accuſatus eſt. Si non probaret. ] Id eſt, ſi non faceret, ut approbaret. Ita penitus. ] Id eſt, ita intrinſecus, & in imo pectore. Inſediſſet. ] Id eſt, infixa fuiſſet. Te atteſtaretur. ] Id eſt, uirtutis & innocentiæ ſuæ teſtem adduceret. Ad tempus apta. ] Id eſt, perpetua. Quantæ in periculis fuga proximorũ. ] Quod etiã fecit C. Lucullus. is enim Milonis amicus propter familiaritatem Ciceronis egiſſe dicitur, ne ſe hac de re cõſulendo inuidia oneraret. Motu aliquo communium temporum. ] Id eſt, excitata ſeditione & diſcordia ciuili. Qui. ] Motus temporum. Experti debemus ſcire. ] Vt Syllanis & Cinnanis temporibus, ut in Catilinæ coniuratione, ut in furioſo Clodij Tribunatu. Amiciſſimi. ] Milonis. Verſiculo. ] Id eſt, breui dicto. ut in oratione pro Domo ſua: Hoc uos pati poteſtis? hoc ferre ciuitas? ut ſinguli ciues ſingulis uerſiculis è ciuitate tollantur? Ibi enim uerſiculum appellat illam legem Clodiam: Velitis, iubeatis, ut M. Tullius in ciuitate ne ſit, bonaq; eius ut mea ſint. In ſcriptis uerſiculos dicimus, quas uulgo dicunt lineas. Satis armati ſemper Conſules fuerunt. ] Nam in atroci negotio Senatuſconſultum fiebat, ut darent operã Conſules, ne quid Reſpublica*

detrimenti caperet, ut in bello Catilinario Salluſtius ſcribit. Conſulibus in maximis periculis uniuerſam Rempub. commendari ſolere, Cicero auctor eſt in oratione de Aruſpicũ reſpõſis. L. Opimio in C. Gracchi ſeditione, Cincinnato Dictatori in Sp. Melij regni affectatione, aliaſq; ſæpe id Conſulibus mandatum eſt. Huic. ] Cn. Pompeium. Hunc delectu dato. ] Pompeio à Senatu mandatum eſt, ut in Italia haberet delectum, quantũ opus eſſet: quod alijs Coſ. mandari non ſolebat. Iudiciũ. ] Id eſt, damnationem. abſolutionẽ enim potius ſperabat. Vindicandis iudicijs eius ] Clodij. Satis iudicatum eſt. ] Colligit Cicero legem Pompeij non eſſe contra Clodium: & demta præſidia eſſe, ut Senatores ſententiã ferrent liberius. More maiorum. ] Vt Seruilij Halæ, & L. Opimij, aliorumq́; quibus Senatus mandauit, caueretur ne quid Reſpublica detrimenti caperet. Suo iure. ] Id eſt, poteſtate à Senatu accepta. auctore Salluſtio in bello Catilinario, cum decernebat Senatus, ut uiderent Coſ. ne quid Reſpublica detrimenti caperet, poteſtas permittebatur maxima, utpote exercitum parandi, bellum gerendi, exercendiq́; omnibus modis ſocios atque ciues, domi militiæq́; imperium atque iudicium habendi. aliter populi iniuſſu nulli earum rerum Conſuli ius eſt. Libere. ] Id eſt, fortiter & audacter. Nec uero me iudices. ] Docuit antea Cicero Clodium Miloni feciſſe inſidias, ideoq́; iure occiſum Hic docebit, quãuis non feciſſet Clodius inſidias, è Republica tamen fuiſſe, ut pernicioſus ciuis necaretur. idcirco eſſe debere Miloni glorioſum, non calamitoſum. Hoc autem poſterius adeo potens eſt, ut cum M. Brutus exercitationis cauſa, ut ait Quintil. libro tertio. Milonis defenſionem componeret, in oratione gloriatus ſit, occiſo ciue perdito. Maluit tamen Cicero prius oſtendere inſidias à Clodio factas, quòd dixerant aduerſarij Milonem inſidiarum auctorem eſſe Quintil. libro quarto de Partitione ſcribens de eo genere defendendi tractat: Si occidi, iure occidi: ſed non occidi. Poſteriore, ut inquit, ſolum utendum eſſet, modo eſſet indubitabile, ſed ſi quid in eo quod fortius eſt timebimus, utraq; probatione nitemur. Alius enim alio moueri ſolet, & qui factũ putauit, iuſtum credere poteſt. Qui tanquam iuſto non mouebitur, factum fortaſſe non credet. Egregie, inquit, Cicero pro Milone inſidiatorem primo Clodium oſtendit: tum addit ex abundanti: etiam ſi id non fuiſſet, talem tamen ciuem cum ſumma uirtute interfectoris & gloria necari potuiſſe. Paralepſim, id eſt, prætermiſſionem hic eſſe Aquila Romanus ſcribit, ubi quaſi prætermittentes quædam, nihilominus dicimus: ut pro Milone, inquit, illa quæſtio inducta eſt, qua docet è Republica fuiſſe Clodium occidi. Quod ſi non poſſem, inquit Cicero, diluere, ut dilui, tamen glorioſè hæc prædicare Miloni liceret. Vtemur tamen hoc adiumento in his quæ infirma, uel nobis inuidioſa forent, ſi directo dicerentur. Clodianum crimen. ] Id eſt, Clodij cædes, ut paulo ante: Nam iam Clodianum crimen timemus. Et pro A. Cluentio: In Oppianici cauſa crimen hoc Aſinianum cum teſtibus multis, tum uero iudicio Auilij probabatur. Aſianũ crimen, id eſt, Aſinij cædes, de qua in iudicio agebatur. Veſtri ſenſus. ] Veſtra mentis aſſenſionibus enim uniuerſi Senatus Clodij mors probata eſt: iudicum autem multi Senatores erant: ex Senatorio ordine Cicero erat. Tamen impune Miloni. ] Legit Aquila: Tamen glorioſe hæc prædicare Miloni liceret. Quæ lectio mihi uidetur melior, non improbo tamen lectionem eã quæ uulgatior eſt. Mentiri glorioſe. ] Nam ſi Milo Clodium à ſe occiſum prædicaret, id ei glorioſum eſſet: tamen ipſe mentiretur. nam in hac cauſa Milonis uoluntatem à Clodij cæde remouet. nam neque imperante, neque ſciente, neq; præſente Milone Clodius occiſus eſt. Occidi, non Sp. Melium, &c. ] Argumentũ à minore ad maius hic eſſe Quint. lib. 5. docet. Maiore enim ſe gloria dignum Milo oſtendit, quàm Seruilius Hala & L. Opimius fuerint, qui orbem terrarum nominis ſui gloria impleuerunt. Sp. enim Melius & Tib. Gracchus Reip. aliquantulum prodeſſe uidebantur. Melius enim rei familiaris iactura annonã leuabat, & Tib. Gracchus abrogando magiſtratum collegæ, ſeditionem aliquantum placabat. Qui annona leuanda. ] Extenuat Halæ & Opimij facta, ut Milonis facinus amplificet. Nam priuata pecunia frumentum Melius emit, idq́; in populũ largitus eſt. Leuauit igitur annonam. ] Id eſt, fecit ne tanta eſſet annonæ caritas. Qui collegæ. ] M. Octauius Trib. pleb. precibus locupletum uictus interceſſit legi Agrariæ, quã collega eius Tiberius Gracchus ferre uolebat. Aliã mitiorem Tiberius tulit, qui nullis precibus ab Octauio impetrare potuit, ne intercederet. Cum fieri non poſſe uideret Gracchus, quin ex hac magiſtratuum diſcordia ciuitatis ſeditio fieret, ab Octauio impetrare fruſtra conatus eſt, ut ad populum referretur, de Tribunatu alterutri abrogando. Poſtera die aduocata concione, Gracchus ad populum tulit de Octauij abrogatione. populi R. iuſſu Tribunatus ei abrogatus eſt. Latius hiſtoriam à Plutarcho in Gracchorum uita explicatam inuenies. Adulterium. ] Adulterium nunc appellat, quod ante dixit inceſtum ſtuprum. In puluinaribus ſanctiſſimis. ] Bonæ deæ. Solemnes religiones. ] Id eſt, ſolẽnia ſacra. Cuius ſupplicio. ] De hoc adulterio quid Senatus cenſuerit, ſcribit M. Cicero libro Epiſt. ad Atticum 1. Credo, inquit, te audiſſe, cum apud Cæſarem pro populo fieret ſacrificium, ueniſſe eò muliebri indutũ ueſtitu uirum. idq́; ſacrificium, cum uirgines inſtauraſſent, mentionem à Q. Cornificio principe Senatus in Senatu factam, poſtea rem ex S. C. ad uirgines & pontifices relatam. idq́; ab ijs nephas eſſe decretum: deinde ex S. C. Conſules rogationem promulgaſſe, uxori Cæſarem nuntium remiſiſſe. In hac cauſa Piſo amicitia P. Clodij ductus, operã dat, ut ea rogatio, quã ipſe fert ex S. C. & de religione, antiquetur. Meſſala uehementer adhuc agit ſeuere. boni uiri precibus Clodij remouentur à cauſa, operæ comparantur: noſmetipſi, qui Lycurgei à principio fuiſſemus, quotidie demitigamur. Inſtat et urget Cato. Quid multa? uereor ne hæc neglecta à bonis, defenſa ab improbis, magnorum Reip. malorum cauſa ſit. P. Clodius, ut ipſe etiam gloriari ſolebat, ducentis Senatuſconſultis confixus eſt, quæ ſunt omnia contra illum pro religionibus facta: ut idem ait de Reſponſis aruſpicũ. Sororem germanam & fratrem germanum Cicero non ſemel dicit. Nefarium ſtuprum. ] Stuprum, quod cum ſorore admiſſum eſt, appellat. Cicero pro Domo ſua in nefarium hoc ſtuprũ cauillatur: Vide, inquit, ne tu te debeas Iouem dicere, quòd tu iure eandem ſororem & uxorem appellare poſſis. Sororium adulterium, in oratione in L. Piſonem appellat. Quæſtionibus habitis. ] L. Lucullus ancillas in medium duxit, quæ affirmarunt Clodium, cum apud ſe domi habitarent, iuniori ſorori ſe cõmiſcuiſſe, ut ait Plutarchus in uita Ciceronis. quo eodem auctore in uita L. Luculli, Clodius ſororem ſuam Luculli uxorem, intemperatiſſimam mulierem, libidini ſuæ allexit. Qui ciuem. ] Id eſt, me Ciceronem. Regna dedit. ] P. Clodius Tribun. pleb. Peſſinuntem ſedem domiciliumq́; Cybeles Brogitaro Gallogræco, impuro & nefario homini uendidit, eumq́; iuſſit regem appellari: ut amplius tradit Cicero in oratione de Aruſpicum reſponſis, et pro P. Seſtio. Ademit regna. ] Ptolemæum regem Cypri eodẽ iure quo frater Ptolemæus Aegypti rex regnantem, cuius cum patre & auo Romanis ſocietas amicitiaq́; fuiſſet, P. Clodius Trib. pleb. nefaria lege, cauſa incognita publicauit. Huius pecuniæ deportandæ, & ſi quis ſuum ius defenderet, bello gerendo, M. Catonem præfecit: auctor eſt Cicero pro Domo ſua, & amplius pro P. Seſtio. Orbem terrarum quibuſcũ uoluit partitus eſt. ] P. Clodius Trib. pleb. L. Piſoni & Aulo Gabinio prouincias ita partitus eſt, ut ille totam Achaiam, Theſſaliam, Bœotiam, Græciam, Macedoniam, omnemq́; Barbariam; Gabinius uero Syriam, Babylonem, Perſas acciperet.

ut in oratione pro Domo ſua Cicero ſcribit. Pluribus cædibus factis. ] Id eſt, pluribus hominibus occiſis. In foro. ] Id eſt, templo Caſtoris, ut ante dictum eſt. Singulari uirtute & gloria ciuem. ] Id eſt, Cn Pompeium. Nam poſtquam ſeruus is, cui ſica in templo Caſtoris extorta erat, & ad Gabinium conſulem delata, dixit à P. Clodio imperatum ſibi, ut Pompeium occideret: Pompeius ſtatim domum rediit, ex eodem tempore obſeſſus à liberto Clodij Damione eſt, ut ait Aſconius. Qui ædem Nympharum. ] Nympharum templum fuit Romæ. Cum enim uaſtis incendijs urbs obnoxia foret, Nympharũ, quæ aquis præſunt ope, incendio ſubuentri putabant. Id templum P. Clodius incendit. Cicero in oratione de Reſponſis aruſpicum, de Clodio: Idem, inquit, earum templum inflammauit dearũ, quarum ope etiam alijs incendijs ſubuenitur. Vt memoriam publicam recenſionis. ] Solebant Cenſores quinto quoque anno de moribus pop. Rom. iudicare, Senatu improbos mouere, Senatus principem legere, aliaq; eiuſdem generis facere, quæ multa ſcribimus in Comment. in Ciceronem de Senectute. Quæ Cenſores fecerant, ea in tabulas referebant. ut Cicero de Aruſpicum reſponſis probaturum ſe dicit, Cenſorum tabulis Clodij domum ſacellum fuiſſe. A Clodio in ſtupris inauditis nefarijsq; uerſato, uetus illa magiſtra pudoris & modeſtiæ ſeueritas Cenſoria ſublata eſt, quæ annos quadringentos durauit: ut ſcribit Cicero in oratione in L. Piſonem. Quia igitur Cenſoria ſeueritas P. Clodij nefarijs moribus inimica erat, non modo eam ſubſtulit, ſed Cenſorum tabulas, id eſt, libros ut perderet, Nympharum templum, in quo aſſeruabantur, exuſſit. Cicero in oratione pro M. Celio de P. Clodio: Qui, inquit, ædes ſacras, qui cenſum pop. Rom. qui memoriam publicam ſuis manibus incendit. Recenſionis. ] Id eſt, cenſus. Recenſere enim pro ſimplici dicitur. Virgilius lib. Aeneid. 6. Omnemq; ſuorum Forte recenſebat numerum. Impreſſam. ] Id eſt, ſcriptam. Eum denique. ] Verbum Occidi hic ſemper repetendum. Non calumnia litium, etc. ] Id eſt, qui non aliquo iuris prætextu, quamuis iniuſto, poſſeſſiones petebat. Nõ calumnia litium. ] Calumnia à caluendo, id eſt, decipiendo (ut Priſcianus ait) dicta, à Cicerone lib. de Offic. primo deſcribitur, ut ſit callida et malitioſa iuris interpretatio. Lib. Digeſtorum 2. titulus eſt de Calumniatoribus. Non iniuſtis uindicijs. ] Vindiciæ quæ ſint, Aſconius Pedianus ſcribit in commentarijs in orationem Ciceronis in Verrem de Pretura urbana: Lis, inquit, uindiciarum eſt, cum litigatur de ea re apud prætorem, cuius incertum eſt quis debeat eſſe poſſeſſor. Et ideo qui eam tenet, ſatiſdat aduerſario ſuo pro præde litis uindiciarum, quo illi ſatiſfiat, nihil ſe deterius in poſſeſſione facturũ, de qua iurgium eſſet. Rurſus ipſe ſponſione certæ pecuniæ aut æſtimationis prouocatur, quam amittat, niſi ſua ſit hæreditas de qua contendit. Ac ſacramentis. ] Sacramentum erat pecunia ab utroque litigatorum depoſita. uterque enim litigatorum certam aliquam pecuniam ad ſacrum deponebat. uictor pecuniam ſuam recipiebat, uicti pecunia in ærarium referebatur. M. Varro lib. de Lingua Latina 1. Ea pecunia, inquit, quæ in iudicium uenit in litibus, ſacramentum à ſacro dicta eſt. Nã qui petebat, & qui inficiabatur de alijs rebus, uterque quingentos æris ad pontem deponebant: de alijs rebus item certum alium legitimum numerum aſſium. Qui iudicio uicerat, ſuum ſacramentum à ſacro auferebat, uicti ſacramentum ad ærarium redibat. Hæc interciſa apud Varronem ſunt. Signis inferendis. ] Id eſt, tanquam hoſtili prælio. Contempſerat. ] Id eſt, contemptos uexauerat. Etruſcos enim à Clodio inſigni quadam iniuria affectos, ante ſignificauit Cicero, ubi dixit: Si Clodium Milo occidiſſet, ad Baſilij monimentum (qui locus latronum occultator & receptator erat) multi ab illo uiolati, ſpoliati bonis, expulſi, multi etiã hæc timentes in ſuſpicionẽ caderent, tota denique rea citaretur Etruria. Decempedis. ] Decempeda proprie dicitur pertica decem pedes longa, qua architecti fabri, menſores agri uti ſolent. ab accuſatiuo Græco δεκάποδα, ut alia multa Latina, cuiuſmodi ſunt caſſida, cratera, lampada, deriuari Priſcianus libro ſexto ſcribit. Hic decempedas pro agrimenſoribus dixit quemadmodum in Philippica XIIII. Si, inquit, coloniarum et municipiorum ſine ulla dubitatione hoſtis eſt, quid tandem huius cenſetis urbis? quam ille ad explendas egeſtates latrocinij ſui concupiuit, quã iam peritus metator & callidus decempeda ſuus Saxa diuiſerat. erat enim Saxa Antonij ſectator. Decempedatorem idem appellat Philippica XIII. Cauebat L. Antonio, qui fuerat æquiſſimus agri priuati & publici decempedator. Spem poſſeſſionum, &c. ] Id eſt, ſperabat fore, ut à Ianiculo ad Alpes Etruriam & reliqua poſſideret. Huic T. Furfanio. ] Hunc Furfanium ex iudicibus unum fuiſſe ſignificat. Is autem Ciceronis amicus fuit, ad quem Prætorem ſcribit libro Epiſtolarum familiariũ ſexto. Quid enim de muliercula. ] Si T. Furfanio minatus eſt, nihil mulierculæ & adoleſcenti minarum eſſe mirandum eſt. Hic autem Apronius non eſt is, in quem multa dicit Cicero Actione in Verrem 5. Mortuum ſe in domum eius illaturum. ] Auctore Caio Iuriſc. libro Pandectarum 11. titulo de Religioſis locis & ſumptibus funerum: Si quis intulit mortuum in locum alienum, aut eum tollere, aut pretium domino ſoluere actione in factum cogitur. Negat ibidem Vlpianus, loci domino licere huiuſmodi mortuum effodere ſine decreto pontificum, uel iniuſſu principis, alioqui iniuriarum fore actionem aduerſus eum qui eiecerit. Hæc autem mortui illatio locum facit religioſum, ut in libro 1. de Rerum diuiſione traditum eſt. Cur autem religioſus locus appelletur, Sextus Pompeius ex Aelij Galli ſententia ſignificat, quod iam ſit locus ille aliquid, quod ibi homini facere non liceat, quod ſi faciat, aduerſus deorum uoluntatem facere uideatur. Appiũ fratrem. ] Is eſt Appius Pulcher, ad quem Ciceronis Epiſtolæ familiares libri tertij ſunt. Ducere. ] Id eſt, ædificare, & erigere, ut in lib. Aeneid. 1. Pars ducere muros, Moliriq; arcem. In longinquos. ] Id eſt, eos qui longe habitarent, & propinquos, id eſt, qui prope. Quamuis propinquos pro conſanguineis dicere ſolitus Cicero ſit. In alienos. ] Id eſt, neque cognatos, neque affines. In ſuos. ] Id eſt, in fratrem & ſororem. Iam uſu obduruerat. ] Id eſt, ciuitas iam uſu & conſuetudine patiebatur. Ideoq; magis tolerabilia uidebantur. Quæ uero aderant. ] Hæc ſub oculos ſubiectio, quæ à Cornelio Celſo euidentia appellata eſt, mirum quantum afficiat et moueat auditores. Hac non modo quæ facta ſunt, aut fiant, ſed etiam quæ futura ſunt, aut futura fuerint, imaginamur. Mire tractat hoc Cicero pro Milone, quæ facturus fuerit Clodius, ſi præturam inuaſiſſet. auctor eſt Quintil. lib. 5. Aderant iã. ] Id eſt, inſtabant, & fere præſentia erant. Nam comitia iam longius extracta fuerant, quibus Prætor futurus erat Clodius, qui factis Conſulibus Hypſeo & Scipione, ſperabat ſe poſſe Rẽp. eludere in illis ſuis cogitatis furoribus. Si id imperium. ] Id eſt, Prætor factus eſſet: Prætori enim imperium conſulare erat. Iiſdem auſpicijs & comitijs Prætores & Conſules creabantur. Omitto, &c. ] Sententia eſt: Non dico P. Clodium effrenatas ſuas libidines nunquam cohibiturum, ſi uixiſſet à ſocijs exteris nationibus, & cætera ſed nego unquam cohibiturum à liberis, & cætera. Eius igitur Prætura cum alijs exteris pernicioſa, tum nobis pernicioſiſſima fuiſſet. Socios pop. Rom. ] Perſæpe à Cicerone appellari attendimus eos, qui Romanis, à quibus deuicti ſunt, tributa ſoluant. Hac ratione Siculos in Verrem ſocios ſæpe dicit. Cruentum. ] Cæſi Clodij ſanguine. Si cruentum gladium tenens clamaret. ] Argumentum à fictione eſt. In ciuitate manerent. ] Ea enim Clodius eiecerat. Poſt hominum memoriam. ] Id eſt poſtquam hiſtoriæ ſcribi cœperunt: hiſtorijs enim hominum memoria conſerua-

tur. Id autem poſt hominum memoriam, poſt natos homines, poſt natum genus humanum, cum ſuperlatiuo adiungi ſolet. Aetas noſtra uidit. ] Id eſt, tempore noſtro uidimus. Nihil horum uos uiſuros fore. ] Id eſt, cum uidebitis hæc bona, exiſtimabitis, ſi uiueret P. Clodius, uos hæc bona uiſuros non eſſe. Viſuros fore contra Grammaticorum præcepta dictum eſt. Hoc ut non ſemel, ita non ſæpe dicitur. Quemadmodum confido. ] Vt in lib. de Amicitia: Moueor tali amico orbatus, qualis (ut arbitror) nemo unquam erit: & ut confirmare poſſum, nemo certe fuit. Præterita enim à nobis certa ſunt, futura incerta. Hunc ipſum annũ. ] Id eſt, præſentẽ. Hoc ſummo uiro. ] Milone. Concuſſa. ] Id eſt, depreſſa. Tenetis. ] Id eſt, poſſidetis. ut in 1. de Offic. Quod cuique obtigit, id iure teneat. Homine furioſo. ] P. Clodio. Inimicitiarum mearum. ] Cũ Clodio. Libentius quàm uerius. ] Vt amici laus, ita inimici uituperatio ab affectu magis quàm à ueritate profecta, fide uacillare ſolet. Libẽtius quàm uerius. ] De hoc dicendi genere in noſtris Progymnaſmatis ſcribimus. Eiomere. ] Id eſt, debacchari, & per iracundiam dicere. Terentius in Adelphis: Vt iram hanc in eos euomam, dum ægritudo hæc eſt recens. Hæc eſt quæſtio. ] Id eſt, cauſa. Liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ. ] Auctore Quintil. lib. 6. quas phantaſias Græci uocant, nos ſane uiſiones appellemus, per quas imagines rerum abſentium ita repreſentantur animo, ut eas cernere oculis, ac præſentes habere uideamur. Ea quæ uolunt ſic intuentur. ] Vt cernimus quæ uidemus, ita intuetur animus quæ cogitat. Reuixerit. ] A reuiuiſcendo. nam reuiuere nõ dicitur. Perculit potius quàm Percuſſit legendum mihi uidetur, quòd percellere tam ad corpus quàm ad animum, percutere ferè ad corpus referatur. Potuiſſet. ] Id eſt, poteſtatem habuiſſet. Quæſtionem ferre. ] Id eſt, iudicium conſtituere. Eius igitur mortis ſedetis ultores. ] Enthymema hoc eſſe ex repugnantibus, quæ fortior multo probatio eſt, Quintil. lib. 5. teſtis eſt. Qui tyrannos necauerunt. ] Summam tyrannicidæ gloriam eſſe Cicero docet in Philippica 1. Beatus, inquit, nemo qui ex lege uiuit, ut non modo impune, ſed etiam cum ſumma interfectoris gloria interfici poſſit. Idem in ſecunda: Hæc, inquit, nõ cogitas, nec intelligis, ſatis eſſe uiris fortibus didiciſſe, quã ſit pulchrum, beneficio gratum, fama glorioſum, tyrannum occidere. Legem apud Græcos fuiſſe, ut tyrannicidæ imago in gymnaſio poneretur, Quintil. lib. 7. ſignificat. Valerius lib. 2. titulo de Maieſtate, dicit Harmodio & Ariſtogitoni, qui Athenas liberare tyrannide conati ſunt, poſitas effigies æreas, à Xerxe urbe potito aſportatas, longo interuallo Seleucum in priſtinam ſedem curaſſe reportandas, eaſq; Rhodios urbi ſuæ appulſas in hoſpitium publicũ inuitaſſe, atque in ſacris puluinaribus collocaſſe. Tam glorioſum in Græcia fuit tyrannum occidere, ut eodem Quint. lib. 10. auctore, Alcæus in parte operis aureo plectro donatus ſit, quia ſit tyrannum inſectatus. Cantus & carmina diſtinguere uidetur, ut ſit cantus actio ipſa, carmen quod compoſitum ſit. Ad immortalitatem. ] Id eſt, tyrannicidæ ipſi tanquam dij noui conſtituuntur. Confiteretur. ] Nam in narratione dixit, Clodium à Milonis ſeruis occiſum. Nam Milonis uoluntatem à cæde Clodij Cicero remouet, ut probet magis eum non feciſſe inſidias. Probaretur uobis. ] Id eſt, approbaretur à uobis. Fortiſſimi uiri. ] Milonis. Cecidiſſet. ] Eueniſſet, fuiſſet. Cederet ex ingrata ciuitate. ] Id eſt, abiret in exiliũ uoluntariũ. Periculum & inuidiam. ] Nam ubi plus eſt periculi, ibi plus gloriæ eſt. Auſus eſſem. ] In opprimenda Catilinæ coniuratione. Sine maximis meis dimicationibus. ] Id eſt, ſine periculo & inuidia. Qui nihilo ſegnius. ] Quàm ſi hæc propoſita non eſſent. Vir uere. ] Id eſt uere fortis. Vir fortis ne ſupplicijs. ] Fortitudo à Cicerone in Tuſc. Quæſt. deſcribitur, ut ſit mortis doloriſq; contemptio. ea enim, ut lib. 3. idem ait, tanto nos animo eſſe cogit, ut omnia quæ poſſent homini euenire contemnamus, et pro nihilo ducamus. Ne ſupplicijs quidem moueri. ] Si ingrata ciuitas ſit, idq; beneficium ſupplicio compenſatura ſit, nunquam tamen uirum fortem bene feciſſe pœniteat. Qua Hala. ] Qui Sp. Melium. Qua Scipio Naſica. ] Qui Tyberium Gracchum. Qua L. Opimius. ] Qui C. Gracchum. Qua C. Marius. ] Qui L. Saturninum occiderunt. Sed huius beneficij gratiam. ] Hanc gratiam Clodij occiſi debetis habere fortunæ pop. Rom. & felicitati ueſtræ, & dijs immortalibus. hunc enim pro ſalute ueſtra interfici uoluerunt. Clodij mortem diuina quadam uoluntate Miloni deuotam eſſe, M. Cicero ſcribit de Reſponſis aruſpicum: quam orationem multo ante habuit, quàm Clodius interficeretur. Accedit, inquit, quòd expectatione omnium fortiſſimo ac clariſſimo uiro T. Annio deuota & conſtituta iſta hoſtia eſſe uidetur: cui me præripere deſponſam iam & deſtinatam laudem, cum ipſe eius opera & dignitatem & ſalutem recuperarim, ualde eſſet iniquum. Etenim ut P. ille Scipio natus mihi uidetur ad interitum exitiumq; Carthaginis, qui illam à multis imperatoribus obſeſſam, oppugnatam, labefactatã, penè captam, aliquando quaſi fatali euentu ſolus euertit: ſic T. Annius ad illam peſtem comprimendam, extinguendam, funditus delendam natus eſſe uidetur, & quaſi diuino munere donatus Reipublicæ. Quòd autem Clodium appellat hoſtiam, dijs inuiſum ſignificat. nõnullis enim deorum mactabantur animalia, quæ ipſis inuiſa eſſent. Fortuna populi Romani, &c. ] Argumentum à rebus diuinis eſt, de quo Quintilianus lib. 5. Fortuna populi Romani. ] Contẽdit Plutarchus in libro de Fortuna Romanorũ, imperij Romani initium & incrementa ui Fortunæ facta fuiſſe: ideoq; multa Fortunæ templa in urbe ædificata. Qui nullam uim cœleſtem. ] Nonnulli philoſophorum fuerunt, qui deos omnino eſſe negarent: ut Diagoras Mileſius, Theodorus Cyreneus, Euhemerus Tegeates, ut ait Plutarchus in libro primo de Placitis philoſophorum. Epicurus deos quidem eſſe dixit, eos tamen curare hæc mortalia negauit. Hac igitur ſententia ſit: qui diuinam aliquã uim eſſe credit, qua inferiora hæc regantur, hanc cædem Clodij numine diuino factam eſſe fateatur neceſſe eſt. Quem neque imperij ueſtri magnitudo. ] Qui nullam uim cœleſtem exiſtimat, is imperij ueſtri magnitudine, ſole, cœli & ſignorum motu, cæteriſq; rebus non mouetur. his enim ſi attendat, doceri poſſit, aliquam uim eſſe diuinam. Sol, cœli & ſignorum motus. ] Hac ratione Cicero in libro de Natura deorum, deos eſſe oſtendit. Idem in libro Tuſculanarũ diſputationum primo etiam docet. cuius uerba aliquanto plura, ſed huic loco aliquantum lucis afferentia aſcribimus: Cum, inquit, uidemus ſpeciem primum, candoremq; cœli: deinde, conuerſionis celeritatem tantam, quã tam cogitare non poſſumus: tum uiciſſitudines dierum ac noctium, commutationeſq; temporum quadripertitas ad maturitatem frugum, & ad temperationem corporum aptas, eorumq; omnium moderatorem & ducem Solem, Lunamq; accretione & diminutione luminis quaſi faſtorum notantem & ſignificãtem dies: tum in eodem orbe in partes XII. diſtributo quinq; ſtellas ferri, eoſdem curſus conſtantiſſime ſeruantes, diſparibus inter ſe motibus, nocturnamq; cœli formam undique ſideribus ornatam: tum globum terræ eminentem è mari, fixum in medio mundi uniuerſi loco, duabus oris diſtãtibus habitabilem & cultum: quarum altera (quam nos incolimus) ſub axe poſita ad ſtellas ſeptem, unde horrifer Aquilonis ſtridor gelidas molitur niues: altera auſtralis, ignota nobis, quam uocant Græci antœcona: cæteras partes incultas, quòd aut frigore rigeant, aut urantur calore: hic autem ubi habitamus, non intermittit ſuo tempore cœlum niteſcere, arbores frondeſcere, ſegetes largiri fruges, florere omnia, fontes ſcatere, herbis prata conueſtirier: tum multitudinem pecorum, partim ad ueſcendum, partim ad cultus

agrorum,

agrorum,partim ad uehendum,partim ad corpora ueſtienda: hominemq; ipſum quaſi contemplatorem cœli ac deorum, ipſorumq; cultorem,atque hominis utilitati agros omnes & maria patentia. Hæc igitur & alia innumerabilia cum cernimus, poſſumus'ne dubitare,quin his præſit aliquis conditor uel effector, ſi hæc nata ſunt, ut Platoni uidetur, uel ſi ſemper fuerunt,ut Ariſtoteli placet,moderator tanti operis atque muneris? hæc ille. ubi poeta alicuius aliquot uerſus admiſcet. Viciſſitudines rerum. ] Vt ueris,æſtatis,autumni,hyemis,frugum fructuum. Maiorum ſapientia. ] Id eſt,quem maiorum ſapientia non mouet. Qui. ] Maiores. Hac ferè ratione utitur Cicero in libris Tuſc. quæſt. 1. de Amicitia, Senectute, ut doceat animos eſſe immortales. Illa uis. ] Diuina. In his. ] Noſtris corporibus. Neque in his corporibus. ] Argumentum à minori ad maius. Hæc diſputatio de dijs fortaſſe otioſa non ſit. Vt enim de animorum immortalite,ita de deorum ratione tum dubitatum putem. Niſi enim de animorum immortalitate dubitatum eſſet,cur de ea tam multis in locis diſputaſſet Cicero? cur ſibi mortem Cato allaturus,librum Platonis tam diligenter legiſſet,qui eſt de animorum immortalitate,niſi ut cunctantem animam ut egrederetur,ſpe immortalitatis inuitaret? Perinde quaſi noſtram ipſam mentem. ] Ratione contraria utitur Cicero libro Tuſc. Quæſt. primo,ut animam eſſe doceat: Mentem, inquit,hominis,quamuis eam non uideas,ut deum non uides,tamen ut deum agnoſcis ex operibus eius: ſic ex memoria rerum, & inuentione & celeritate motus,omniq; pulchritudine uirtutis uim diuinæ mentis agnoſcito. De animo idem paulo ante illud dicit: Non ualet tantum animus, ut ſe ipſe uideat: ac ut oculos, ſic animus ſeſe non uidens, alia cernit. Incredibiles fel. ] Incredibiles felicitates cum aliàs ſæpe,tum in ſecundo bello Punico,cum ab urbe Roma mouere caſtra Hannibal coactus eſt. Illam perniciem. ] Id eſt, Clodium. Vos Albani tumuli. ] Apoſtrophen,id eſt, ſermonis à iudice auerſionem hic eſſe Quintil. libro nono docet. Quamuis ad iudices ſæpe dirigatur oratio,plerunque tamen ad aduerſarios,ad litigatorem noſtrum,ad nos ipſos,ad multitudinem circunfuſam, ad abſentes, ad mortuos,ad deos dirigimus. Hæc enim uarietas iudicem reficit. Vos enim Albani. ] Quintil. lib. 11. ſcribens aliud alios eloquentiæ genus decere,illa eſſe dicit plena ſanguinis: Vos enim iam Albani tumuli, &c. eaq; negat conuenire barbæ philoſophicæ atque triſtitiæ. Sacrorum populo Romano ſociæ. ] Albanæ aræ,ut arbitror,ſunt,in quibus fiebant Latinæ feriæ. Nam Latinis populis ex Albano monte ex ſacris carnem petere fuit ius cum Romanis,à quibus Latinis Latinæ dictæ, ut ſcribit M. Varro libro de lingua Latina 1. Quo pax inter Latinos,Volſcos, Hernicos, & Romanos magis diuturna eſſet, Tarquinius Superbus conſtituit,ut certo quodam anni die Ioui Latiali ſacrificaret in excelſo monte, qui Albæ longæ ſupereminet, qui ferè ab his populis æqualiter diſtat,ut taurus ab his ciuitatibus communiter mactaretur,deinde ſingulæ aliud afferrent,aliæ agnos, aliæ caſeos,aliæ certam lactis menſuram,aliæ aliud: quæ Latinæ feriæ appellatæ ſunt. Latius ſcribit rem Dionyſius Halicarnaſ. libro 4 qui ad ſuam ætatem has ferias duraſſe dicit. fuit autem tempore Auguſti Cæſaris. Idem ſub finem ſexti libri ſcribit,electo Tarquinio ſecundam diem adiectam, non multo poſt plebe reconciliata tertiam. Itaque tres dies feriarum erant. Ideo ſocias & æquales pop. Rom. dicit. Seræ, ſed iuſtæ tamen. ] Nam ut ait Valer. lib. 1. Lento gradu ad uindictam ſui diuina procedit ira,tarditatemq; ſupplicij grauitate compenſat. Eam ob rem finxit antiquitas deos habere pedes laneos,quòd improuiſi & tardi ad pœnam accederent. Pulcher admodum Plutarchi in hanc rem liber eſt,qui inſcribitur de Sera numinis uindicta. Quint. libro. 6 de amphibologia ſcribens, præclarum dicit,cum obijceret Miloni accuſator in argumentum factarum Clodio inſidiarum,quòd Bouillas ante horam nonam diuertiſſet ut expectaret dum Clodius à uilla ſua exiret,& identidem interrogaret, quo tempore Clodius occiſus eſſet: reſpondet, Sero. Sacrarium Bonæ deæ. ] Miloni Lanuuium proficiſcenti circa horam nonam paulo ultra Bouillas rediens ab Aricia Clodius, prope eum locum in quo Bonæ deæ ſacellum eſt, obuius factus eſt,ut ait Aſconius. Id autem certo dei numine, non caſu factum eſſe uidetur,quod ipſa Bona dea uiolatæ religionis pœnas à P. Clodio repetiuerit. Non. Marcellus id religioſum eſſe dicit, quod homini ita facere non liceat, ut ſi id facit,contra deorum uoluntatem uideatur facere: Quo in genere,inquit, ſunt,hæc, in ædem Bonæ deæ uirum introire,aduerſus myſtica. Vt non abſolutus. ] M. Cicero in oratione de Reſponſis aruſpicum, de his ſacris uiolatis, deq; abſoluto Clodio ſcribens: Fit, inquit, ei deæ,cuius ne nomen quidem uiros ſcire fas eſt, quam iſte idcirco Bonam ducit,quòd in tanto ſibi ſcelere ignouerit. Non ignouit, mihi crede,non niſi forte tibi ignotū putas, quòd te iudices dimiſerunt excuſſum & exhauſtum,ſuo iudicio abſolutum, omniū condemnatum. Simile eſt in oratione Ciceronis in L. Catilinam & C. Antonium competitores,de Catilina repetundarum abſoluto: O miſer,inquit,qui non ſentias illo iudicio te non abſolutum,uerum ad aliquod ſeuerius iudicium,ac maius ſupplicium reſeruatū. Iudicio nefario. ] Id eſt,quo nefaria libidinis mercede abſolutus eſt. Vel potius, quod de re nefaria conſtitutum eſt: id eſt, de ſacris Bonæ deæ uiolatis. Sine imaginibus. ] De his ante diximus, quæ in funeris pompa fiebant. Mortuos ad ſepulturam proſequi oportere cum cantu,plurimarum gentium uel regionum inſtituta ſanxerunt,perſuaſione hac, quòd poſt corpus animæ ad originem dulcedinis muſicæ,id eſt,ad cœlum redire credantur: auctor eſt Macrobius libro de Somnio Scipionis 2. Sine ludis. ] Ludos in funere fieri ſolitos, Homeri teſtimonio de Patroclo,& Virgilij de Anchiſa docemur. In funere clarorum uirorum pugnas gladiatorias apud Romanos fieri ſolitas,in Auſonij Griphum ſcribimus. Exequias dicere uidetur pro multitudine ea,quæ funus exequatur: id eſt, comitetur. priſcus enim ille mos etiam nunc obſeruatur, ut præcedat funus,ſequatur multitudo. ut hac ratione admoneatur, ſe ad mortem mortuum ſequi. Donatus in Commentarijs in Andriā Terentij: Funus,inquit,eſt pompa exequiarum. Et bene funus procedit,nos ſequimur,dixit: quaſi poſt ipſum morituri. unde exequiæ dicuntur. Vel exequias pro conuiuio eo,quod fit,in funere,dicit: ut funerum fercula,Plinius capite 10. libri 10 appellat. inde exequiari,pro conuiuari & epulari M. Varro dicit: Ipſum propter uix liberti ſemiatrati exequiantur: auctor Nonius Marcellus. Exequias etiam in nota ſignificatione intelligere poſſis. Sine lamentis. ] Id eſt, præficarum lamentationibus. Præfica enim mulier erat, in funere planctuum princeps. cum enim cuiuſquam cadauer cremabatur, turbæ circunſtantis corona erat: quæ tandiu ſtabat reſpondens fletibus præficæ, quandiu conſumpto cadauere & collectis cineribus dicebatur nouiſſimū uerbum,Licet,quod ire licet ſignificet: auctor eſt Seruius libro Commentariorum in Aeneid. Vergilij 6. Idem libro 9. à funera præficam diſtinguit: quòd funera mulier ea ſit,ad quam funus pertinet: præfica uero, planctuum princeps. Oblitus cruore. ] Id eſt, cruentatus. Etiam inimici. ] Vt Annibal M. Marcello, Cæſar capiti Cn. Pompeij. Ambureretur. ] Id eſt, ſemiuſtularetur. Formas. ] Id eſt,imagines uirorum clariſſimorum,qui fuerunt in Clodiorū familia. Mortem lacerari. ] Id eſt,cadauer ſemiuſtulatum à nocturnis canibus lacerari. Vita eſſet damnata. ] Ducentis Senatuſconſultis Clodium fuiſſe confixum diximus. A iudicibus redemerat. ] In Clodij cauſa de inceſtu, Plutarchus à Valerio diſſidens,iudices fuiſſe corruptos pecunia dicit. Contra Clodium Cicero dixerat teſtimonium. Cum abſolutus Clodius

Ciceroni exprobraret eius teſtimonium, cui iudices non crediderent, illud reſpondit Cicero: Mihi, inquit, quinque & uiginti iudices fidem adhibuerunt, tibi uero XXX non crediderunt. te enim prius nõ abſoluerunt, quàm pecuniam acceperunt. Omnium ordinum conſenſu. ] Decreta & acta de opprimenda coniuratione Catilinæ à Pub. Clodio Tribuno plebis reſciſſa fuiſſe, ſignificare uidetur. Geſta. ] Id eſt, quæ geſta erant. ne geſta pro rebus geſtis, ut uulgus dicit, intelligas. Bona diripuerat. ] Clodia illa lex erat: Velitis, iubeatis, ut Marcus Tullius in ciuitate ne ſit, bonaq́; eius ut mea ſint. Electo Cicerone bona eius ita direpta fuerunt, ut argentum & ſuppellectilem P. Clodius, Piſo & Gabinius Coſſ. ualuas, limina, columnas: eorum ſatellites cementa & tecta aſportauerint: columnæ marmoreæ ad Coſſ. alterius ſocerum ex Tuſculano aulæ, ornamenta, arbores cum uilla ipſa translata ſint, non eorum quidem bonorum cupiditate, ſed nefario quodam & crudeli Ciceronis odio.
Domum incenderat. ] P. Clodius Ciceronis, cum in exilio eſſet, domum deæ Libertati conſecrauerat: Cicerone reuocato, pop. Rom. Senatus, Pontificum ſententia, domus eius religione liberata eſt. Hæc domus primum ædificata eſt pecunia publica, auctoritate Senatus: deinde contra uim nefariam P. Clodij S.C. mandatum. Conſulibus eſt, ut curarent, ut ſine ui Ciceroni ædificare liceret. Cum Clodius ſaxis, & ignibus & ferro uaſtitatem intuliſſet, decreuit Senatus eos qui id feciſſent, lege de ui teneri. Decreuit tertio Senatus frequentiſſimus, qui Ciceronis domum uiolaſſet, contra Rempublicam eſſe facturum. Id ſcribit Cicero de Reſponſis aruſpicum. Liberos, coniugem. ] Cicero in oratione pro Domo ſua, ad Coſſ. & Clodium uerba faciens: Quid, inquit, uos uxor mea miſera uiolarat? quam uexauiſtis, raptauiſtis, omni crudelitate lacerauiſtis. quid filia? cuius fletus aſſiduus, ſordes lugubres uobis erant iucundæ, cæterorum omnium mentes oculosq́; flectebant. quid paruus filius? quem quandiu abfui, nemo niſi lachrymantem confectumq́; uidit. quid fecerat, quòd eum toties per inſidias interficere uoluiſtis? Domum mei fratris incenderat. ] Illa ſunt uerba Ciceronis ex libro Epiſtolarum ad Atticum quarto: Armatis, inquit, hominibus ante diem tertium Non. Nouemb. expulſi ſunt fabri de area noſtra: diſturbata porticus Catuli, quæ ex S.C. Conſulum locatione reficiebatur, & ad tectum peruenerat: Q. fratris domus primo fracta coniectu lapidum ex area noſtra, deinde inflammata iuſſu Clodij, inſpectante urbe coniectis ignibus, magna omnium hominum querela. Sedibus. ] Id eſt, poſſeſſionibus. Incidebantur. ] Id eſt, ſcribebantur, quos ipſe Prætor occiſo Milone tuliſſet. Hoc anno. ] Quo Prætore eſſet. Reditu in gratiam. ] Clodium Pompeio fuiſſe reconciliatum, antea Cicero ſignificauit, cum quod de lege Pompeij aduerſarij dixerant, Cicero diluit: Timuit, inquit ne uideretur infirmior fides reconciliatæ gratiæ, Idẽ ſcribit Plutarchus in uita Catonis minoris. Circunſcripſiſſet. ] Id eſt, potentiã eius circuncidiſſet, aut cohibuiſſet. Ne cum ſolebat quidem. ] Sententia eſt: Cum priuatum Clodium Senatus circunſcribebat, nihil proficiebat: quantum igitur proficere poterit, cum erit Prætor? Eſt autem argumẽtum à minore ad maius. Deinde quis eo Prætore. ] Id eſt, ſi alij Coſſ. quàm Scipio et Hypſeus fuiſſent, quis auſus fuiſſet eũ Prætorem coercere, cum ab eo Tribunitio uirum Conſularẽ Milonem necatum crudeliſſime meminiſſet? Eſt autem argumentum à minore ad maius. Conſules. ] Hypſeus & Scipio. Tribunum. ] P. Clodium, qui Tribunus plebis fuerit. uiſi Tribunitium legere mauis. Conſularem. ] Milonem, Conſulatus candidatum, quem antea dixit Conſulem certiſſimum. Sex. Clodio duce. ] Qui Clodij corpus ex roſtris in curiam tulit: quod cum cremaret, arſit curia. Hoc curiæ incendio magis, quàm Clodij morte pop. Rom. commotus fuit. Et conſulatum eius expectaui. ] Id eſt, ſi Prætore Clodio non periſſent, non multum fuiſſet expectandum. nam paulo poſt Præturam Conſul fuiſſet: ut Cicero dicit in Rullum, & pro M. Celio, ſe Conſulem factum biennio poſt Præturam. Portum omnium gentium. ] Auctore Cicerone in libro de Offic. 2. Regum, populorum, nationũ portus erat & perfugium Senatus. Templũ. ] Id eſt, curiam. Aram. ] Id eſt, perfugium. Spirante. ] Id eſt, uiuo. Forum potuiſſet defendi. ] Id eſt, ſe defendere. Ad Caſtoris. ] Vſitata eſt locutio hæc, quemadmodum ſi dicas, ad Caſtoris templum. de ea in Progymnaſmatis ſcribimus. Cum facibus ad Caſtoris. ] De ea ui intelligit, quæ M. Celio Trib. pl. concionante facta eſt, de de qua iam diximus. Cum audiretur ſilentio. ] Milo redijt Romam, ut dixi, nocte ea qua curia incenſa eſt. M. Celius Trib. pl. in forum aduocauit concionem, eorum præcipue, quos Miloni fauere putabat, ut his cauſam Milonis probaret. ibiq́; Milo præſens aderat. Loquente eo reliqui Trib. pl. cum armata multitudine in forum irrumpunt: Celius & Milo ſeruorum ueſtimentis propere induti, fugam capeſſunt. ſtrages immenſa exoritur: obuij omnes, qui in ea concione fuerant, hiq́; præcipue, qui habitu annuliſq́; aureis ab alijs diſtare uidebantur, paſſim necantur. Hi armati homines ſpe prædæ, Milonis uero quærendi prætextu, in alias domos ui irruunt, alias igni lapidibusq́; oppugnant. Hæc intercise multum apud Appianum leguntur: ubi M. Cecilius, non M. Celius legitur. quamuis eo anno Cecilius Trib. pl. fuerit: quia tamen M. Celium Miloni fauiſſe maxime & Aſconius, & Cicero dicunt, Celium potius quàm Cecilium legendum putem. In ſuſcepta cauſa firmiſſimus. ] M. Celius pertinaciter obſiſtebat legibus Cn. Pompeij, quibus ferebat, ut in hac cauſa eodem die actor & reus orarent, ut actori horæ duæ, reo tres eſſent. In Milonem enim priuilegium ferri, & iudicia præcipitari dicebat. Idem cum in rogandis teſtibus Clodiani tumultuarentur, cum Milone à Domitio quæſitore præſidium implorauit: ut ait Aſconius. Sed iam ſatis multa. Concluſio eſt ex commiſeratione. Iudices enim afficere conatur, ut Milonis miſerti eũ abſoluant. Extra cauſam. ] Vt quæ de uitijs Clodij, ut quæ de corrupto iudicio Clodiano, de inceſtu, de Sex. Clodio. An multo ſit adiuuandus magis. ] Hic fortem & conſtantem uirum quòd dicat Cicero, id eius cauſæ prodeſt plurimum. Nam, ut ait idem libro Rhetoric. 1. Sæpe uirtus & magnificentia, in qua grauitas & auctoritas eſt, plus proficit ad miſericordiam commouendam, quàm humilitas & obſecratio. Hominum infimi generis. ] Id eſt, ſeruorum. Seruare cupimus. ] M. Tul. lib. Tuſcul. quæſt. 2. qua ratione gladiatores ſeruari poſſint, oſtendit: Gladiatores, inquit, aut perditi homines, aut barbari quas plagas perferunt? quo modo illi qui bene inſtituti ſunt, accipere plagam malunt, quàm turpiter uitare? quàm ſæpe apparet, nihil eos malle quàm uel domino ſatiſfacere, uel populo? mittunt enim uulneribus cõfecti ad dominos, qui quærant quid uelint: ſi ſatiſfactum his nõ ſit, ſe uelle decumbere. Hæc ille: Cum ſibi ſatiſfactum domini reſpondent, eo ſeruant. Quoquo modo. ] Id eſt, ſiue me damnabit, ſiue liberabit. O frustra, inquit. ] In oratione iudiciali affectus auditorum cum in alijs partibus, tum uel maxime in concluſione mouendi ſunt. totis enim uiribus concitandi ſunt uel ad odium eius, quem accuſamus, uel miſerationẽ eius, quem defendimus. Quintil. lib. 5. his rebus perutiles eſſe dicit proſopopœias, id eſt, aliarum perſonarum fictas orationes, cum uidelicet orator litigatoris ſui perſona loquitur. Id enim magis multo afficit. Cicero, inquit Quintil. quanquam preces non dat Miloni, eumq́; animi præſentia potius commendat, accommodauit ei tamen & uerba & conuenientes etiam forti uiro conqueſtiones: O fruſtra, inquit, mei ſuſcepti labores, ô ſpes fallaces, ô cogitationes meæ inanes. Idem lib. 11. In proſopopœijs, inquit, cum uelut alieno ore loquimur, dandi ſunt ijs quibus uocem accommodamus, ſui mores. Quàm digna Milonis in peroratione ipſa uoces

ce uiro,

eo uiro, qui pro Repub. ſeditioſum ciuem toties compeſcuiſſet? quiq; inſidias uirtute ſuperaſſet? Reſpublica oppreſſa. ] A' Clodio & Conſulibus. Me Senatui dediſſem. ] Vſu ſæpe ueniebat, ut Tribuni pleb. Senatui aduerſi eſſent. Abiecerant. ] Id eſt, perdiderant. Illi tui. ] Quia equeſtri loco natus Cicero fuit. Nec uero hæc iudices. ] Quintil. lib. 6. de Affectibus mouendis ſcribens, circa affectus mouendos ſummũ eſſe dicit, ut moueamur ipſi: Nam luctus, inquit, & ira & indignationis aliquãdo ridicula fuerit imitatio, ſi uerba uultumq; tantum, non etiam animum accommodauerimus. Iratum enim aut miſericordem iudicem facere ſi nitamur, oportet ut eadem ex cauſa iratos nos aut miſericordes iudex ipſe nouerit. An ille dolebit, cum audiet me, cum hoc dicam, non dolentem? Iraſcetur, ſi nihil ipſe, qui in iram concitat, ſimile patietur? an ſiccis agent oculis, lachrymas dabit? fieri non poteſt. Veræ igitur Ciceronis lachrymæ tum erant, cum illud dicebat: Vt ego nunc flens. ut ueras iudicum lachrymas arbitror, cum dixit Cicero: Nolite, ſi in ueſtro omnium fletu, &c. Cicunſpicientibus. ] Id eſt, prouidentibus. Timidis & omnia circunſpicientibus. ] Si hic locus emendatus eſt, timidos intelligi puto eos, qui Clodianorũ uim & impetum metuerent, qui Clodio occiſo ingrati non ſunt, quippe cum agnoſcant periculi quo liberati ſunt, magnitudinẽ. Plebem & infirmam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis ueſtris imminebat. ] Id ſuſpenſiua ſententia pronunciandum eſt, quale illud Virgilianum eſt: Vrbem quam ſtatuo ueſtra eſt. Item illud Plauti ex Amphitryone: Naucratem, quem conuenire nolui, in naui non erat. Sententia igitur eſt, Milo plebem quæ P. Clodio duce imminebat fortunis ueſtris, flexiſſe ſe nõ modo uirtute ſua, ſed etiam liberalitate commemorat. Feciſſe ut flecteret. ] Id eſt, flexiſſe. Cicero in lib. de Senectute: Inuitus quidem feci, ut fortiſſimi T. Flaminij fratrem L. Flaminium e Senatu eijcerem: id eſt, inuitus eieci. Hoc dicendi genus ut rarum, ita elegans eſt. Nec placet quòd Sabellicus legat Flexiſſe, non Feciſſe. Virtute. ] Id eſt, fortitudine & animi magnitudine, furioſis Clodij conatibus reſiſtendo etiam Clodium ipſum interficiendo. Sed etiam tribus ſuis patrimonijs. ] P. enim Clodio uiuo, Annius Milo conſulatum petens multa in plebem largiebatur, ut conſulatui eius plebs ſuffragaretur. Clodio occiſo, magna quoque largitione uſus eſt ad animos populi ſedandos. Hac ſe uſum liberalitate pro Republica & ciuium ſalute Milo dicit: Idq; artificioſum eſt, ut quod factum criminari poſſit aduerſarius, aut quod improbe factum ſuſpicentur iudices, id ita coloremus, ut honeſte factum uideatur. Occurſationes. ] Id eſt, obuias ſalutationes. Sermones. ] Id eſt, famam. Vocem præconis. ] In comitijs Centuriatis, cum magiſtratus fierent, adhiberi ſolitam dicit, qua ut arbitror candidati laudarentur. Comitia Centuriata, quibus fierent Coſſ. & Prætores, ante Clodij cædem ſæpe habita: ſed quia obnunciatum ſit, nihil eſſe perfectum, Cicero ſcribit in libro Epiſtolarum ad Atticum 4. In quibus comitijs certiſſimum Conſulem populi ſuffragijs Milonẽ ſæpe eſſe declaratum etiam antea, Cicero tum dixit, cum narrauit: Quem comitijs Centuriatis magiſtratũ populi Rom. ſuffragio ſuo fecerat, eundẽ niſi ſuffragij pœnitebat, comitijs Curiatis confirmabat, ut ait Cicero in Rullum. Qui beneficio, &c. ] Id eſt, qui ciues parum gratos habuerit. Quæ breuitatem uitæ. ] In hanc ſententiam illud Vergilij ex libro Aeneidos 10. eſt: Breue & irreparabile tempus Omnibus eſt uitæ, ſed famã extendere factis, Hoc uirtutis opus. Mortui uiueremus. ] Gloria quæ ex uirtute parta eſt, ipſa ut uirtus immortalis eſt. Homineſq; facit immortales. ] De Scipione Lælius ſub finem libri de Amicitia: Mihi, inquit, Scipio quanquam eſt ſubito ereptus, uiuit tamen, ſemperq; uiuet. Virtutem enim ſemper amaui illius uiri quæ extincta non eſt, nec mihi ſoli uerſatur ante oculos, qui illam ſemper in manibus habui, ſed etiam poſteris erit clara & inſignis. Nemo unquam animo aut ſpe maiora ſuſcipiet, qui ſibi nõ illius memoriam atque imaginem proponendã putet. Idem paulo poſt: Quarum rerum recordatio & memoria, ſi una cũ illo occidiſſet, deſiderium cõiunctiſſimi uiri atque amantiſſimi ferre nullo modo poſſem, ſed nec illa extincta ſunt, alunturq; potius & augentur cogitatione & memoria. Idem multo ante: Cum plurimas, inquit, & maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum præſtat omnibus, quòd bona ſpe prælucet in poſterum, nec debilitari animos aut cadere patitur. Verumetiam iam amicũ qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur ſui. Quocirca & abſentes adſunt, & egentes abundant, et imbecilles ualent: quod difficilius dictu eſt, mortui uiuunt. Tantus eos honor, memoria, deſiderium proſequitur amicorum. Hæc tam multa mihi uiſa ſunt dicenda, quo facilius intelligeres, mortuos gloria uiuere. Cuius gradibus. ] Gloria ea quæ tuenda hominum ſalute parta eſt, faciliorem in cœlum aditum præbere uidetur. M. Cicero in libro de Repub. 6. Omnibus, inquit, qui patriam conſeruauerint, adiuuerint, auxerint, certus eſt in cœlo & definitus locus, ubi beati æuo ſempiterno fruuntur. Ciuitatum rectores & conſeruatores ex cœlo profecti, eodem reuertuntur. Eodem auctore in oratione pro Q. Ligario, homines ad deos nulla re propius accedunt, quàm ſalutem hominibus dando. Vt ait Plinius cap. 6. libri ſecundi. Deus eſt mortali iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam uia: hac proceres iere Romani: hic eſt uetuſtiſſimus referendi benemerẽtibus gratiam mos, ut tales numinibus adſcribant. quod in primo quoque libro Tuſculanarum diſputationum Cicero teſtatur. Semper. ] Id eſt, etiam poſt uitam, & ita mortuus uiuet. Subijciant. ] Non ſubijciantur legendum uidetur, ut ea ſententia ſit: Qui Clodianos habebant inimicos, occiſo Clodio, nullos ex his inimicos habuerunt: ego tamen ſolus inuidiam ſuſtineo, propter hoc facinus quod omnium inimicitias ſedauit. Vel ſi Subijciantur legere mauis, erit ſententia: Cum omnes faces inimicitiarum in inuidiam meã conijciantur. Etruriæ feſtos dies. ] Etruriam, ut ante dixit, P. Clodius uexarat. Occiſo Clodio, feſtos dies Etruria inſtituit, in ſempiternam facti memoriam. Mos enim ueterum fuit, ut b.ne de ſe meritos diuina aliqua religione conſecrarent, ut Syracuſani feſtum diem beneficijs M. Marcelli debitum reddiderunt, eumq; Marcellea appellauerunt, ut ait Cicero Actione in C. Verrem quarta. Ob ſingularem Q. Mutij innocentiam, qui Aſiam adminiſtrauerat, in eius honorem Græci feſtum diem conſtituerũt, eumq; Mutia dixerunt, ut ait Aſconius in Commentarijs in Actionem quartam in Verrem. Sacra Herculi in Italia ob cæſum Cacum inſtituta, Virgilius lib. octauo ſcribit. Significat igitur Milo, feſtum diem iam actum ſibi & inſtitutum in Etruria, propter cædem Clodij. Tamen ad conſolandum. ] Tamen uel otioſa particula hic eſſe uidetur. fortaſſe Tantum legendum eſt. Accepero. ] A. Gellius cap. 2. libri decimi octaui, ſignificat dubiũ eſſe, ſcripſerim, uenerim, legerim, cuius temporis uerba ſint, præteriti an futuri, an utriuſque. hic certe Accepero præteriti temporis eſſe uidetur, contra Grammaticorum ſententiam, ut Acceperim futuri ſit temporis. Corpus hoc. ] Id eſt, meum. Vbi corpus hoc ſit. ] Siue in uita, ſiue poſt mortem. Nam, ut ait Virgilius, Facilis iactura ſepulchri eſt. Vtq; inquit ille: Nec tumulum quæro, ſepelit natura relicta. Theodorus Cyrenæus nihil ſua intereſſe dicebat, humi ne an ſublime putreſceret. Diogenes Cynicus inhumatum ſe proijci iuſſit. Anaxagoras moriens in patriam poſt mortem referri noluit, quòd undique ad inferos tantundem uia ſit. De ſepultura uiro forti negligẽda, multa Cicero in libro Tuſculan. quæſtionum. 1. Vbi. ] Id eſt, ſiue in patria, ſiue extra. Hæc tu Milo mecum ſæpe. ] Dixiſti. Tu quidem. ] Proſopopœiæ imitatio eſt. Diuellor. ] Id eſt, ſeparor, ſi abis in exilium. Nam quo maior uirtus eſt inter amicos, eo maior ac

micitia eſt: quo autem maior amicitia, eo abſentia grauior eſt hæc. Sed amiciſſimi. ] Cum dicerent Milonis accuſatores, à Pompeio electos eſſe iudices, qui Ciceronis amici eſſent: reſpondit Cic. ut paulo ante narrationē uiſum eſt, cū uiros optimos legeret Pompeius, non potuiſſe facere, quin legeret amicos eius: ſe enim à Republica cum multis coniunctum eſſe dixit. Inurere. ] Inurere dolorem alibi ſæpe dicit Cicero. In Verrem Actione tertia: Cur hunc dolorem cineri eius atque oſſibus inuſſiſti? Actione quarta: Videte iudices quantum & quàm acerbum dolorem ſociorum atque amicorum animis inuſſerint iſtius iniuriæ. Libro Tuſcul. ſecundo. Proprium eſt irati, cupere, à quo læſus uideatur, ei quàm maximum dolorem inurere. Idem pro P. Seſtio: Vulnera inuſta Reipublicæ, pro magnis Reipublicæ incommodis. De Reſponſis aruſpicum, inuſtum odium, pro inuſito & infixo. In L. Catilinam oratione prima, notam turpitudinis inuſtam dicit. Quis poteſt eſſe tantus. ] Quantus meus erit, ſi Milo damnetur. Si in me aliquid offendiſtis. ] Id dicere uidetur, propterea quòd magni alicuius uiri, id eſt, Ciceronis conſilio, P. Clodium necatum fuiſſe aduerſarij dixerunt, ut ante dixit Cicero. Si quid mihi acciderit. ] Id eſt, ſi damner aut moriar. ut in Philippica prima: Si quid mihi humanitus accidiſſet. Dimicatio capitis. ] Id eſt, exilij periculum. nam pœna capitali exilium quoque contineri, ſcribimus in Commentarijs in Ciceronem de Senectute. Depoſco. ] Id tu me conuerti poſtulo. ] His. ] Id eſt, meis lachrymis. Qua natus eſt. ] Id eſt, quæ ei à natura data eſt. Memoriā Milonis. ] Id eſt, præclari facinoris à Milone peracti. Vos appello fortiſſimi uiri. ] Ad armatos milites, qui forum ſepiebant, uerba dirigit. Hæc tanta uirtus. ] Id eſt, uir tam fortis. O' me miſerum. ] Quintilianus libro 6. miſerationem iudicum aliquando moueri à patrono ex perſona litigatoris: Nonnunquā, inquit, & ipſe patronus has partes ſubit, ut Cicero pro Milone: O' me miſerum, ó me infelicem. Reuocare me tu in patriam Milo potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere nō potero? Maxime ſi, ut tunc accidit, non conuenient ei qui accuſatur preces. nam quis ferret Milonem pro capite ſuo ſupplicantem, qui à ſe uirum nobilem interfectū, quia id fieri oportuiſſet, fateretur? Ergo & illi Cicero captauit ex illa præſentia animi fauorem, & in locum lachrymarum eius, ſcilicet Milonis, ipſe ſucceſſit. O' me infelicem. ] In Quintiliani codicibus legitur: O' te infelicem. ſed in libro undecimo, O' me infelicē, inuenias. Illic ſcribit illud, O' me miſerum, & flexa & circunducta uoce pronunciandum, non tanquam inclamaret Cicero, aut deteſtaretur. Reuocare tu me in patriam. ] A' maiori ad minus argumentum. Per hos iudices. ] Qui ſunt Senatores. Liberis meis. ] Id eſt, filiæ Tulliæ, & filio Marco. Quid tibi reſpondebo Quinte frater. ] Q. Ciceronis mœror & ſquallor incredibilis et inauditus propter fratris exilium, omnibus mortalibus miſerabilis uidebatur, ut pro Domo ſua Cicero dicit. Acquieuerunt. ] Id eſt, metu & curis omnino liberati ſunt. Concepi. ] Id eſt, commiſi, feci, peperi. Cum illa iudicia. ] Coniurationis Catilinæ. Redundant ex illo fonte dolores. ] Nam ob coniuratorum ſupplicium in carcere ſumptum, in exilium Cicero abije. Studium reuocandi Ciceronis, cauſa fuit odij inter Clodium & Milonem. Ex hoc odio cædes hæc orta eſt, de qua eſt hæc cauſa Milonis. Diſceſſus. ] Meus, in exilium. Minime. ] Viueret: Prætor, Cōſul, Dictator eſſet. Inquit. ] Milo. Ille. ] Clodius. Nos. ] Id eſt, ego & Milo. Animi monimenta. ] Id eſt, patriæ liberationem, quæ ab eius animi magnitudine facta eſt. Sed finis ſit. ] Quintilianus libro 11. de epilogi pronunciatione ſcribens, hunc locum commēdat: Illa, inquit, mire facit, in peroratione uelut deficientis dolore & fatigatione confeſſio, ut pro Milone: Sed finis ſit, neque enim præ lachrymis iam loqui poſſum. quæ ſimilem uerbis habere debent etiam pronunciationem. Idem libro ſexto de modo deſinendi, cum mouentur affectus, ſcribit: Nunquam, inquit, debet eſſe longa miſeratio. nec ſine cauſa dictum eſt: Nihil facilius quàm lachrymas inareſcere. Nam cum etiam ueros dolores mitiget tempus, citius euaneſcat neceſſe eſt illa, quam in dicendo effinximus, imago. In qua ſi moramur, fatigatus lachrymis auditor & requieſcit, & ab illo quem ceperat impetu, ad rationem redit. Non patiamur igitur frigeſcere hoc opus: & affectum, cum ad ſummum perduxerimus, relinquamus. nec ſperemus fore, ut aliena quiſquam diu ploret: Hæc ille. Auctore M. Cicerone in libro Rhetoricorum primo: Commotis animis, diutius in conqueſtione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit Rhetor Apollonius, Lachryma nihil citius areſcit. Idem in Partitionibus oratorijs hanc commiſerationem breuē eſſe oportere dicit: Cito enim areſcit lachryma, præſertim in alienis malis. Is. ] Cneus Pompeius. Huius orationis diſpoſitionem iudicio Ciceronis atque cōſilio ſummo factam eſſe, Quintilianus in lib. ſexto docet. Primum, quod non ante narrauit, quàm præiudicijs tribus Milonem liberauit: deinde, quòd inſidias à Clodio, nō à Milone factas oſtenderit, ideoq; earum inuidiam in Clodium uerterit: quanquam reuera pugna fortuita fuerit. tum & cædem Clodij laudarit, & tamen uoluntatem Milonis remouerit. Poſtremo, quòd illi preces non dederit, & in earum locum ipſe ſucceſſerit.

## IN EANDEM PRO MILONE ORATIONEM, [redacted]

### [illegible] DISPOSITIO.

RATIO pro Milone eſt generis iudicialis., Status eſt iuridicialis. quæritur enim de iure. Eſt igitur hæc propoſitio principalis huius orationis, & ſtatus totius negotij, Milo iure interfecit Clodium. Principalis ſyllogiſmus huius cauſæ eſt, Vim ui depellere licet: Milo uim à Clodio illatam ui depulit: Igitur Milo iure interfecit Clodium. Maior cum ſit manifeſta, præſertim ſi auditor ſit admonitus de genere, uidelicet quòd ſit lex naturæ, non habet opus probatione. Itaque Cicero non tam probat quàm ornat eam, ſéq; ad locum communem refert de lege naturæ. Minor eſt κρινόμενον in hac tota diſputatione. Ideo maxima pars orationis in ea conſumitur. & pertinet minor ad ſtatum coniecturalem, quia eſt facti quæſtio, uter alteri inſidiatus ſit. Cum autem duo ſint in ſumma loci ſtatus coniecturalis, uoluntas & facultas, ſumit Cicero argumenta primum à uoluntate utriuſque, deinde à facultate: quibus fidem facit, Clodium inſidias feciſſe Miloni. Longum fuerit hic recenſere ſingula argumenta, ſed monſtrabimus ea, & diſtribuemus ſuis locis. Tantum memineris, id quod in ſingulis cauſis facere neceſſe eſt, ſtatū principalem, ſeu propoſitionem principalem negotij, Milo iure occidit Clodium: deinde κρινόμενον, Clodius inſidiatus eſt Miloni. nam hæc duo in qualibet diſputatione, ſtatus & κρινόμενον, præcipue requiri debent. Cauſa acta eſt magno tumultu, quia Clodij factio potens erat, & Milonem atrociter depoſcebat ad pœnam. Quare & Senatuſconſultum factum eſt, quod ualde prægrauabat Milonem. nam eiuſmodi Senatuſconſultum non fiebat, niſi in periculoſiſſimis ſeditionibus. De his præiudicijs quæritur Cicero, quæ ſuo loco exponemus.

Exordium

# EXORDIVM.

Onſtat tribus locis, querela adhortatione, & correctione. In qua breuiter indicat, quo argumento defenſurus ſit Milo-
c nem: propterea quòd id cum eſſet æquiſſimum, in primis uoluit, ut æquo animo audirent eum iudices. Querela autem iuſta fuit: quia Pompeius tanquam in re atrociſſima delectus habuerat, cohortes armatas depoſuerat in foro, cum exerceretur iudicium. Itaque amici Milonis metu armorum deterriti, minus libere pro eo niti aut ſuffragari poterant. Ideo Cicero ab hac querela orditur: ſed prudenter tamen addit inuerſionem, quo conſilio forum ſeptum ſit armatis, & ut iudices confirmet, & ne Pompeium nimium offendat.

E T S I uereor iudices, &c. ] Querela, quòd forum ſeptum ſit armatis. Sed me recreat, &c. ] Inuerſio, quod arma depoſita ſint non contra Milonem, ſed pro ſalute Milonis. Reliqua uero multitudo, &c. ] Addit ex uicino de populi ſtudijs. Armati non aduerſantur, nec populus, etſi ſeditioſi quidam contra Milonẽ uociferantur. Eſtq; hæc occupatio neceſſaria, quia amici Milonis deterrebantur concionibus tribunitijs, in quibus ſeditioſa multitudo cõtra Milonem incitabatur. Quare opus fuit hac extenuatione Clodianæ factionis. Quia-obrem adeſte, &c. ] Secunda pars exordij, quæ eſt adhortatio ad iudices, ut fortiter iudicent. Et quidem cæteras, &c. ] Indignitatem exaggerat ex collatione meritorum et periculorũ quòd Milo ſemper extra iudicia cum ſeditioſis depugnauerit & pericula ſuſceperit, nunc certe in ipſo iudicio nihil debebat habere periculi. Quanquam in hac cauſa, &c. ] Tertia pars exordij. & eſt relectio: Non defendam Milonem à meritis publicis, ſed eo argumento, quod eſt æquiſſimum. Sed antequam, &c. ] Tranſitio. Negant intueri, &c. ] Priuſquam ad cauſam accedit, præiudicia quædam diluit, quibus magnopere prægrauabatur cauſa Milonis. Primum autem, quia generale eſt, minus lædebat Milonem, ſcilicet, quòd uociferabantur aduerſarij, non eſſe concedendum in Repub. iure & legibus conſtituta, ut quiſquam indemnatus interficeretur, ut priuati arma caperent, &c. Cicero contra opponit exempla, quæ teſtantur aliquando iure interfici etiam indemnatos. Deinde addit rationem & caſum, in quo ius palàm concedit, indemnatum interficere: ſcilicet, cum uis ui depellenda eſt. & uenuſte amplificatur hic locus communis, translatus ad genus. admonet enim Cicero, quod ſit ius naturæ. Itaque inſerit ornatiſſimam deſcriptionem iuris naturæ: non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum etiam ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, &c. Ideo autem profuit amplificare hanc ſententiam, quia erit fons præcipuæ probationis in hac cauſa: eſt enim maior ſyllogyſmi principalis huius controuerſiæ. Latina exempla nemini ſunt ignota. Sed fit mentio Oreſtis etiam, quem dicit abſolutum eſſe deæ ſapientiſſimæ ſententia. id plerique de Diana interpretantur, ſed falluntur: Cicero enim Palladem intelligit. nam Palladis iudicio Athenis in Areopago abſolutus eſt Oreſtes, priuſquam ad Dianam profectus eſt, ut teſtatur Euripides, ordine commemorans iudicium in Tragœdia Iphigenia in Tauris.

Euripidis uerſus hi ſunt.

Ὡς δ' εἰς ἄρειον ὄχθον ἧκον, ἐς δίκην
Τ' ἔστην ἐγὼ μὲν θάτερον λαβὼν βάθρον,
Τὸ δ' ἄλλο πρέσβειρ' ἥπερ ἦν Ἐριννύων
Εἰπὼν, ἀκούσας θ' αἵματος μητρὸς πέρι,
Φοῖβός μ' ἔσωσε μαρτυρῶν, ἴσας δέ μοι
Ψήφους διηρίθμησε Παλλὰς ὠλένῃ,
Νικῶν δ' ἀπῆρα φόνια πειρατήρια. Id eſt,

Vt in iudicium ueni in uico Martio,
Egoq; in altero ſubſellio ſteti,
In altero quædam dicens pro Erynnibus:
Hic Phœbus cædis audiens cauſam piam,
Defendit ipſe teſtis: at Pallas mihi
Effecit ut ferrentur calculi pares,
Victor remoui ſigna parricidij.

Facit huius iudicij mentionem & Demoſthenes in oratione κατὰ Ἀριστοκράτους. ubi, inquit, Iudicia capitis duo à dijs facta eſſe in Areopago. in altero Martem abſolutum eſſe, qui ſtupratorẽ filiæ interfecerat: in altero Oreſtem abſolutum eſſe, quòd ultus eſſet patris necem. Idem eſt apud Pauſaniam in Atticis. Hæc uidentur homines ſapientiſſimi finxiſſe, ut ſignificarent, iudices debere diſcernere inter cædem dolo factam, & factam ex aliquo iuſto dolore, uel probabili cauſa, & interdum in aliquo caſu legum ſeueritatem in pœna mitigandam eſſe. Itaque huius moderationis, ſeu ἐπιεικείας, deos auctores fecerunt, ne uidelicet ipſi iudices uiderentur temere à legibus diſcedere. Eſt ergo hæc iudices non, &c. ] Concluſio, in qua transfertur ratio ad locum communem, ſeu genus, ſcilicet ad legem naturæ. Sequitur illud, &c. ] Duo præiudicia ſequentia ſubobſcura uidẽtur ijs, qui non ſatis norunt formam Romanæ Reip. Ideo ſciendum eſt, quando Senatuſconſultum fiebat in hæc uerba, uideri illud eſſe contra Remp. Item, ut uiderent Conſules, ne quid Reſpub. detrimenti caperet: hoc Senatuſconſulto dabatur ſumma poteſtas Conſulibus habendi delectus, armis opprimendi, etiã ſine iudicio eos, aduerſus quos factum erat Senatuſconſultũ. In ſumma, ſimile quiddã erat proſcriptioni, qualis nũc eſt, cũ Imperator aliquem principem proſcribit. Cum autem tale Senatuſconſultum iam factum eſſet, certe prægrauabatur Milo propemodum enim habebatur pro proſcripto, ac reo læſæ maieſtatis. Ideoq; Põpeius conſcripſit exercitum contra Milonem. & tamen acerbitatem huius Senatuſconſulti ipſe quoq; nouo exemplo leniji, ſcilicet quod tulit, ut res cognoſceretur ac iudicaretur. Sed tamen in hoc iudicio plus periculi fuit, quã ſi ordinaria uia res fuiſſet cognita: ſicut principibus hoc tempore minus periculi eſt in iudicijs ordinarijs, ubi ualent multæ exceptiones, negotij prorogationes, ſtudia amicorum. Ita Milo in iudicio uſitato multa habiturus erat commoda, quæ nõ habuit in hoc inuſitato iudicio: nã & ſpecies illa proſcriptionis prægrauabat eum. Item, quia præſidium contra eum conſcriptum erat, amici eius minus audebant pro eo niti. Hæ ſunt cauſæ, quare Cicero toties reprehendit hãc nouam quæſtionem conſtitutam. Nam noua quæſtio complectitur hæc duo, uidelicet, & Senatuſconſultum illud atrox, quo Milo habebatur propemodum læſæ maieſtatis reus: & hoc extraordinarium iudicium, quo & ſi leniebatur Senatuſconſulti atrocitas, tamen plurimum habuit periculi. & probabile eſt, Milonem in iudicio ordinario ſeruari potuiſſe. Reprehendit autem iure Cicero Pompeium collectis multis exemplis, quibus oſtendit nihil ſimile fuiſſe decretum, interfectis clariſſimis uiris Scipione, Druſo, & alijs: ſed Senatum reieciſſe ea negotia ad ordinaria & uſitata iudicia. & commemorat Cicero, ſenatum principio in cauſa Milonis nihil noui uoluiſſe decernere: & tamen poſtea aliquanto durius Senatuſconſultum factum eſt, opera factionis Clodianæ. Quanquam id quoque mitigat Cicero, ut poſtea dicam: & oſtendit mollius fuiſſe ea lege quam poſtea tulit Pompeius. Ideo duo ſunt præiudicia, alterum Senatus, alterum Pompeij durius. Cur igitur incendium, &c. ] Senatuſconſultũ mitigatur tripliciter. Primum quòd fuerit generale, complectens utranque partem, quare non poterat uideri Milo proprie dam-

*natus. ſecundo, quòd diſerte addiderit de uſitatis iudicijs. (multa autem commoda habiturus erat Milo in iudicijs ordinarijs.) tertio, quòd ad extremum nihil cõmuni conſenſu Senatus decretum ſit: propterea quòd cum Tribunus interceſſiſſet, Senatui erepta eſt facultas aliquid decernendi.* Nulla uis unquam. ] *Generalis reſponſio eſt, quæ interpretatur & mitigat Senatuſcõſultũ: Sẽper, inquit, exẽplũ eſt malũ, etiã ſi interdũ in aliquo caſu habet auctor cædis excuſationẽ: ut cũ Naſica priuatus occidit Tiberium, exemplũ certe minime erat probabile, & tamen aliquam excuſationem Naſica habuit. Recte igitur Senatus facit, quòd in exẽplo periculoſo quæſtionem conſtituit, quia periculoſa exempla nõ ſunt negligenda. Et tamen conſtituta quæſtione, prudenter reliquit Senatus Miloni legitimam defenſionẽ.* Diuidere ſententias. ] *Diuidere ſententiã eſt, cum in ſententia multæ partes ſunt, nominatim ac diſerte de ſingulis decernere. Cũ igitur aliquis poſtulaſſet, ut Senatores dicerent, quid proprie de Milonis facto iudicarent, & alij condẽnarent Milonem, alij dicerẽt ſententias mitiores: cũ non conuenitet, Tribunus Fuſius interceſſit. Sic interpretatur Aſconius hanc figurã, diuidere ſententias. Alij putant eſſe idẽ quod numerare ſuffragia, cũ uidelicet multa ac diuerſæ ſententiæ dictæ ſunt. Id nihil facit ad hunc Ciceronis locũ.* At enim Cn. Pomp. ] *Cũ magni in urbe tumultus eſſent, & de cæde Clodij, & de comitijs, creatus eſt conſul Põpeius ſine collega. Et quia in Senatu nõ cõuenerat de cauſa Milonis, Conſul rem ad ſe reuocauit, & legẽ tulit, in qua nominatim propoſuit, ſe quæſiturum eſſe de cæde Clodij. Hæc uero lex magis prægrauabat Milonem, quia talis inquiſitio ſolebat eſſe executio quædã re iam damnata: ac propemodũ ſimilis erat proſcriptioni, qualis eſt noſtris temporibus. Sed Cicero mitigat legẽ, dicit hanc inquiſitionem nõ ſtatim executionẽ eſſe, præſertim cũ ipſe Põpeius nouo exemplo poteſtatem faciat Miloni dicẽdæ cauſæ. Hæc & ſi deflectit ita Cicero ad ſuam partem, tamen reipſa ſentit prægrauari Milonem, & ſuccenſet Pompeio, quaſi hoc præiudicio damnet Milonẽ, & certe uſitata iudicia ei ademit. Ideo ſequitur longa in eã ſententiã querela, in qua colligit multa exẽpla, quibus probat hoc negotiũ ad uſitata iudicia reijciendũ fuiſſe: in quibus (ut dixit) multo minus periculi habiturus erat Milo, quàm in hac noua forma iudicij.* Iam illud dicet, &c. ] *Querela de noua quæſtione conſtituta.* Domi ſuæ nobiliſſimus. ] *Exẽpla, quibus probat non fuiſſe nouã quæſtionem conſtituendã de facto, ſed eam reijciendã fuiſſe ad uſitata iudicia.* Non fuit ea cauſa, &c. ] *Excuſat Pompeiũ.* Quamobrẽ iudices, &c. ] *Tranſitio eſt, in qua refutatis præiudicijs Cicero defenſionem incipit, et proponit quæſtionem propriã huius iudicij, uidelicet quærẽdum eſſe, uter fecerit inſidias: Id enim erit κρινόμενον. Propoſita hac quæſtione principali, inſtituit facti narrationem, in qua prudentiſſime ſpargit ſemina totius defenſionis, uidelicet conſilia utriuſque perſonæ, & occaſiones eorũ quæ acciderunt.* Inſidiator ſuperatus, &c. ] *Minor principalis, continẽs ſummã controuerſiæ, et totius ſtatus.* Sin hoc ratio, etc. ] *Ex narratione collegit in epiphonemate ſummam facti, de qua præcipue dimicatur in hac controuerſia, & quæ eſt minor principalis ſyllogiſmi. Ideo nunc inchoat confirmationem, attexens maiorem, atque ita complectitur ſummã probationem. Verum quia minor ſyllogiſmi fit κρινόμενον, Ideo repetitur illa propoſitio, Milo non fecit inſidias, ſed Clodius. Hæc propoſitio cum ad ſtatum cõiecturalem pertineat, argumenta ducuntur ex locis eius ſtatus, uidelicet à uoluntate & facultate. Locus uoluntatis uocatur impulſio, cum à ſpe, commodis, item alijs affectibus impellẽtibus et hortantibus ad facinus argumentamur. Ac primũ argumentũ, ducitur à ſpe, quod includemus in ſyllogiſmum, et ſi Cicero ipſe non admodum à forma ſyllogiſmi diſcedit: & quanquam paulo liberior eſt oratio, tamen agnoſci membra facile poſſunt. Veriſimile eſt feciſſe inſidias eum, cui præcipue bono fuit: Clodio magis opus fuit Milonem è medio tolli, quàm Miloni perire Clodiũ: Ideo ueriſimilius eſt, Clodium feciſſe inſidias. Minorem probat collatione, quia Clodius ea parabat, quæ uiuo Milone uidit nullo modo perfici poſſe. Econtra Miloni ſtudebant boni, ob hanc cauſam præcipue, ut Clodium reprimeret: ergo extincto Clodio metuendum ei fuit, ne ſuffragatores minus firmos habiturus eſſet.* Satis eſt quidem, &c. ] *Primum argumentũ à loco uoluntatis, ſcilicet à ſpe commodorum.* Magnam ei cauſam, &c. ] *Minor.* Et ſi boni nullo, &c. ] *Maior.* Atqui Milone interfecto, &c. ] *Probatio minoris, conſtans collatione.* At non P. Clodio. ] *Altera pars collationis.* At ualuit odium, &c. ] *Secundũ argumentum, Clodius magis odit Milonem, igitur credibile eſt Clodium Miloni feciſſe inſidias.* Reliquum eſt ut iam illum. ] *Tertium argumentum à natura & perpetuis moribus Clodij: Credibile eſt eum potius conſilium cædis faciendæ habuiſſe, qui ſemper multa ſeditioſe et crudeliter fecit: Clodius ſemper fuit & crudelis, & ſeditioſus: Milo Clodium ne quidem cũ glorioſe poſſet, occidre noluit: Igitur ueriſimilius eſt, Clodium feciſſe inſidias. Longa eſt narratio factorum utriuſque, quæ ad minorem pertinet. Addita eſt amplificatio ex minore: Si Milo tũc non uoluit, cum poſſet ſine periculo: quanto minus nunc uoluit cum periculo occidere? & præcipue exaggeratur tempus comitiorum.* Quid ergo iudices. ] *Narratio utriuſque factorum.* Quem igitur cum omniũ. ] *Amplificatio à minore.* Et dies comitiorum. *Exaggerat tempus comitiorum.* Quid quod caput. ] *Quartum argumentum: Credibilius eſt hunc feciſſe inſidias, qui ſperauit impunitatem. Milo non potuit hanc ſperare, Igitur non eſt credibile Milonem feciſſe inſidias. Ponuntur autẽ ad uerbum maior & minor ſyllogiſmi.* Quid quod, &c. ] *Maior.* In utro igitur. ] *Minor.* Sed quid ego argu. &c. ] *Sequuntur argumenta facultatis, ſumpta ab occaſionibus. ac primum à tempore itineris ducit: Clodius ſciebat iter Milonis, ergo potuit ſtruere inſidias: Milo neſciebat iter Clodij, ergo ne potuit quidem moliri inſidias. Probatio eſt antecedentis, Clodius habuit cauſam manendi in urbe, ergo ne quidem fuit exiturus niſi ad cogitatum facinus. Aditum autem facit ad argumenta facultatis, commemoratione minarum Clodij, in quibus ille tempus conſtituerat.* Pub. Clodium illo die in Albano. ] *Quidã teſtis dixerat, Clodium fuiſſe in Albano pernoctaturum: ſed nunciata Cyri morte, repente eum mutaſſe conſilium, & Romã properaſſe. Huius teſtimonij alteram partem detorquet Cicero ad Milonis excuſationem: Si enim Clodius in Albano manſurus erat, ergo neque egreſſus eſt Milo, ut ei occurreret: neque ſcire potuit, eum eſſe rediturum. alteram partem callide inuertit: Si Clodius ſubito mutauit conſilium, ergo non de Cyri morte nũciatum eſt, ſed de aduentu Milonis. Ita diluit teſtimonium, & addit rationes de Cyro, non fuiſſe cauſam cur properaret propter Cyri mortem. Deinde ſequuntur rationes ſumptæ à loco. Prima: Si Milo ſciebat aduenire Clodium, debuit non procul ab urbe prouehi, quia facilius occultari facinus potuit in uicinia urbis. Secunda de loco: Milo debuit Clodio occurrere priuſquam in uillam diuerteret, ne elaberetur. ne id quidem fecit Milo, ergo non habuit conſilium faciendi inſidias. Hic addit epilogum, in quo repetit ſuperiora argumẽta, ut uidelicet ad id quod ualere plurimum uidebatur, aditum ſibi faceret. Eſt autem ſumptum à loco pugnæ, item ab apparatu. Clodius reſtitit in loco commodiore, item fuit eques, habuit præter morem ſecum tantum gladiatorum: item contatus eſt, ut ſolent qui expectant & moliuntur aliquid. Milo contra pugnauit iniquo loco, duxit ſecum uxorem & cætera impedimenta: ergo non eſt ueriſimile, Milonem cogitaſſe de inſidijs faciendis. Additur confutatio de ſeruis. nam aduerſarij argumentabantur, Milonem ideo ſeruos manumiſiſſe, ne rapti ad cruciatus faterentur, & proderent Milonis conſilia. Cicero aliam cauſam manumiſſionis allegat,*

ſcilicet

ſcilicet meritos eſſe libertatem, quia dominũ defendiſſent. Cóſtat & teſtimonia ſeruorum Clodij: facile enim intelligi poteſt, leue teſtimonium eſſe ſeruorũ Clodij pro Clodio. Video enim illũ qui dicitur.] Inuerſio. Imo non de Cyro nunciauit, ſed de Milonis aduentu, ut Clodius haberet ſpatiũ occupandi loci inſidiarum. Atque ut illi nocturnus.] Sextum argumentum, & primum de loco. Atque illo die certe Aricia.] Septimũ argumentum, ſecundum de loco. Videamus nunc id.] Octauum argumentũ, & tertium de loco. Quod ſi ſatis nondum, &c.] Nonum argumentum ſumitur à ſignis conſequentibus, ſcilicet à cóſcientia. Bene conſcij ſunt erecto & intrepido animo: Milo adeo fuit intrepido animo, ut redire auſus ſit, et ſe committere iratis & armatis magiſtratibus: Ergo ſibi bene conſcius fuit. Probatio minoris eſt, longa illa narratio de reditu Milonis, de cótemptis ſuſpicionibus & falſis rumoribus, ex quibus plurimum ei fuit periculi. ac per hanc occaſionem additur purgatio, qua Miloné purgat Pompeio, ut eximat Pompeio ſuſpiciones, qbus maxime prægrauabatur Milo. Ratio purgationis ſumpta eſt ex Pompeij beneficij. Huic loco in fine addit grauiſſimá admonitionem, qua cómonefacit Põpeium, ne tales amicos abijciat, quorũ ei fides aliquando præſidio eſſe poſſit in ſuis periculis. Fortunam enim, cum ſit mutabilis, etiam ipſi Pompeio metuendam eſſe. Correctio additur prudentiſſime cogitata. argumentatur enim ex ipſo facto Pompeij, quòd Milonem ſaluum eſſe uelit. Pompeius enim habebat ius interficiendi Milonis ſine iudicio: quia facto ſenatuſconſulto, ut uideret, ne quid Reſpub. detrimenti acciperet, iam tacite Milo fuit hoſtis iudicatus, et Põpeio datum ius interficiendi Miloné. Debuit igitur ſine iudicio interficere, ſi Milonem pœna dignum eſſe ſtatuebat: ſed non interfecit, igitur ſignificat eum non eſſe dignum pœna. Hic locus ſubobſcurus eſt, ſi quis Romanum morem & uim Senatuſconſulti nó nouit, quo magiſtratus ſummis periculis armari ſolebant. Facto enim hoc Senatuſconſulto, ut uiderẽt conſules, ne quid Reſpublica detrimenti caperet, dabatur poteſtas Cóſulibus conſcribendi exercitus, eoſq; interficiendi, contra quos tale ſenatuſconſultũ fiebat. ſicut Cæſar teſtatur in principio belli ciuilis, cum inquit, quotieſcũque decretum ſit, darent magiſtratus operam, nequid Reſpub. detrimẽti caperet, qua uoce & quo Senatuſconſulto, populus Romanus ad arma uocatus ſit, factum in pernicioſis legibus, in ui tribunitia, etc. Atque hic finis eſt defenſionis principalis. Sequitur noua defenſio, in qua tuetur Miloné alio quodá argumento, uidelicet fuiſſe è Republica Clodium interfici, tanquam tyránnum aut ciuem ſeditioſum. Quare Milo recte fecerit, & pœna liberandus ſit. Quod ſi ſatis nondum, &c.] Nonum argumentum, & ultimum, de conſcientia. Orditur autem à minore. Magna uis eſt, &c.] Maior. An uero obliti eſtis.] Declaratio & probatio minoris, de ſuſpicionibus ac falſis rumoribus. Miſeros interdũ ciues.] πάθος. Sed dicam ut ſentio, &c.] Leuiter reprehendit Pompeij ſuſpiciones & timiditatem. Cum tamen ſi metuitur, etc.] Purgatio Milonis. Te Magne tamen, &c.] Admonitio de conſeruandis fidis et firmis amicis. Quanquá quis credat, etc.] Correctio, qua probat ex facto Pompeij, quòd uelit ſaluum Milonem. Nec uero me iudices.] Hæc noua defenſio & ſi per ſeſe non ſatis firma erat, tamé addita ſuperiori ualet, propterea quòd commemoratio flagitiorum Clodij inflammat odia aduerſus eum, et Miloni iudices reddit æquiores. ac planè in tá graui cauſa ſuperior diſputatio minus haberet ponderis, detracto hoc loco: qui poſtquá accedit, ſonum maiorem addit, et impetu quodam iudicum animos commouet. Eſt autem ſyllogiſmi ſumma: Seditioſos ciues licet impune interficere, Clodius fuit ſeditioſus, igitur Clodium impune licuit interfici. Maiorem Cic. proponit transformatá in exempla, quæ uidelicet eam confirmant: deinde ſubijcit longam enumerationem ſcelerum Clodij, quæ eſt minor, et probatio minoris & minor eſt ornata antitheſi, quantũ profit ciuitati Clodij interitus. Deinde adduntur tres amplificationes. Prima à contrarijs: nemo cuperet Clodium in uitam reſtituere, ergo mortem ulciſci iniuſtum eſt. Secunda ab exemplo in Græcis ciuitatibus præmia conſtituta ſunt tyránicidis. Hic addit occupationé: etiá ſi fortibus uiris non contingunt iuſta præmia, tamen uirtutis laude contenti ſunt, etc. Concluſio ſyllogiſmi: Quáobrem uteretur eadem confeſſione.] Tertia amplificatio eſt, grauiſſima & ſplendidiſſima. Eſt autem tranſlatio: cauſam enim mortis Clodij transfert in deos: atque ita admonet, hanc gratiá dijs pro hoc beneficio deberi, ut iudices Milonem ſeruẽt. In his locis conſumitur reliqua pars tota uſque ad perorationé. Sed huius beneficij, &c.] In tranſlatione primum proponit, Dij ſunt auctores cædis Clodij. Rationes ſumptæ ſunt á ſignis, quia religiones uiolarat, aras demolitus fuerat, ergo dij ſumpſerunt de eo pœnas. Secundũ ſignum à loco ſumptũ eſt: ad ipſum ſacellum Bonæ deæ interfectus eſt, ergo tunc Bona dea ulta eſt pollutas ceremonias, cũ antea ulciſci in iudicio non potuiſſet. Sequitur amplificatio, in qua eſt longa querela, ꝙ nemo unquam eum reprimere potuerit, ergo nunc dij repreſſerunt ad ſalutem Reipublicæ. Initio uero breuiter inſerit locũ cómunem, quo probat eſſe deos, & dijs humana curæ eſſe. argumentum ad uerbũ ſumptum eſt ex Xenophonte: Sicut in nobis eſt mens, quæ etſi non cernitur, tamen ex effectibus intelligitur: ita deus intelligitur ex effectibus, etſi aliter non cernitur. Cicero autem uſus eſt figura orationis non ualde uſitata, ſed extant eius exempla in Topicis Ciceronis. Non eſt in hoc noſtro imbecilli corpore mens, & non eſt in illo æterno & pulcherrimo corpore mens aliqua. Hæc duæ negationes habent uim affirmationis, et enthymema efficiunt ex maiore, hoc modo: Si noſtrum corpus mente gubernatur, multo magis totum mundi corpus. quaſi dicat: Non eſt, conſentaneum, cũ noſtrum corpus mente regatur, non regi mẽte totum mundi corpus. & ſi dicas, nó eſt opus imitatione in leuioribus artibus, ut in pingendo: & non eſt opus imitatione in arte multo difficillima dicendi. & hoc modo ſæpe loquitur Iſocrates, interdum etiá Demoſthenes. Nec uero quiſquá, etc.] Locus communis, & eſt antecedens. Quæ illũ perniciem extin.] Conſequens. Religiones me hercule, &c.] Signum, probatio antecedentis. Niſi forte hoc etiam caſu.] Secũdũ ſignum. Dura mihi mediuſfidius.] Amplificatio: Nemo potuit eum reprimere, ergo dij aliquádo repreſſerunt ad ſalutem Reipublicæ. Sed iam ſatis, &c.] Peroratio tantum habet affectus, uidelicet deprecationem: quam tamé transfert in ſuá perſonam, ne Milo uideatur aut imbecillior animo, aut parum cauſæ confidere. Ac prima ratio deprecationis ſumpta eſt ex meritis Milonis: & apte fingit Milonem commemorantem merita & leuiter querentem de ingratitudine ciuium: deinde conſolátem ſe ex loco communi, uidelicet ex officio uiri fortis, ſatis magnum premium auferre gloriam huius facti. Reliqua pars habet querelam Ciceronis, quanto cum dolore amiſſurus ſit Milonem: poſtea argumentatur à Milonis meritis erga ipſum. Tertio allegat ſua merita, & ſibi Milonem cóndonari petit. Extrema clauſula eſt, dignum eſſe Milonem, qui propter uirtuté retineatur. Niſi ut orem, etc.] Deprecatio, quam transfert in ſuam perſonam. Valeant, inquit, &c.] Querela Milonis de ingratitudine ciuium. Ego cum Trib. pl. &c.] Commemoratio meritorum. Addit hæc quæ certe, &c.] Conſolatio ex loco cómuni. Nec uero ſi mihi eripueris, &c.] Querela Ciceronis propria, quanto cum dolore amittat Milonem. Reuocare tu me iu, &c.] A' meritis Milonis. Quod nam concedi, &c.] A' ſuis meritis. Imo uero pæ.] Correctio ex loco honeſtatis. Hiccine uir, &c.] Clauſula: Milo dignus eſt propter uirtutem, ut retineatur.

## BARTHOLOMEI LATOMI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

ANNIVS Milo & P. Clodius acerrimi inimici erant, ſtudebatq; Milo optimatibus, Clodius autem princeps popularium factionum cum expuliſſet in Tribunatu ſuo Ciceronem, multa in Republica per uim & cōtra uoluntatem bonorū moliebatur. Cæterum in eundem annū conſulatum petebat Milo, & præturam T. Clodius, qui ut liberum annum ad gerendam præturam haberet, non conſule Milone, ſtudebat competitoribus eius ſummo conatu: qua contentione factum eſt, ut comitia ante finem eius anni perfici non poſſent. Interim forte Miloni iter erat Lanuuium, ad ſolēnem et neceſſarium diem obeundum. Obuiam fit ei in uia ante fundum ſuum Clodius, cum delecta ſeruorum manu, armatus & expeditus in equo: Milo autem cū uxore & familia rheda uehebatur, ſequente ſeruorum agmine. Inter hos forte cum pugna cōmiſſa eſſet, ſeq; temere intuliſſet Clodius, uulneratus eſt ab uno gladiatorum Milonis, & grauiter ſaucius à ſuis exceptus eſt, & in proximam tabernam delatus. Milonis iuſſu taberna expugnatur, & latens extractus Clodius multis uulneribus conficitur. Cadauer in uia relictum cum Senator quidam rure reuertens in urbem peruexiſſet, ibi magna lamentatione Clodianorum exceptum eſt: ac primo in atrio domus poſitū, deinde prolatum in forum & in curiam, duce S. Clodio ſcriba, atque inibi crematum: ex quo igne curia quoque conflagrauit. Milo interim cū ad declinandam inuidiā extra urbem moraretur, eſſetq; fama eum iturum in uoluntarium exilium, recreatus poſtero die in urbem redijt: petebatq; nihilominus conſulatum, aperta etiam largitione in plebem facta. Itaque ſenatus cum uideret finem nullum certaminum fore, iamq; antea mandaſſet Remp. Cn. Pompeio Procos. & interregibus, qui finito iam anno alij ex alijs creabantur, ratus id optimum fore ad ſedandos tumultus, Pompeium ſine Collega Cos. creandum cenſet: factūq; S. C. ut primo quoq; tempore comitia habeantur: & ut quæratur extra ordinē, de cæde in Appia facta contra Rempublicam, et in iudicium noui iudices eligantur. Quo S. C. propoſito Cos. creatus Pompeius, iudicium decernit ex ſenatus ſententia, quæſitorem ex ueteribus Coſs. iudices extra ordinem eligit, dieq; iudicij conſtituta diſponit in foro armatos milites, ipſe cum præſidio ad ærarium præſidet: quæ res ſanè & inuidiam Miloni, & terrorem iudicibus afferebat. Cæterum cauſam egit Cicero, ſed timide, exceptus clamore aduerſariorū: idq; breuiore oratione, quàm à ſe uiſam teſtatur Fabius, & oratiunculam appellat. Hanc autem quam legimus, ſcripſit ita perfecte (ut Aſconius inquit) ut iure prima habeatur. Damnatus fuit reus, & Maſſiliam in exilium abijt. Ad quam rem hoc ei etiam contuliſſe Plutarchus eſt auctor, quod præter morem reorum nec habitum in iudicio, nec uultum mutauerit. Status orationis iuridicialis eſt: Occidiſti, Iure occidi, An iure occiderit. Ratio, Inſidiator enim fuit. Infirmatio non ille, ſed tu fuiſti. Coniectura, Vter fuerit. Sunt & aliæ infirmationes ex legis, ſenatus & Pompeij præiudicijs. Vnde & totidem iudicationes. ſed hæc principalis: An cum inſidiator fuerit Clodius, ſit iure occiſus. Deinde acceſſoriæ: An lex uetet ullo tempore hominem indemnatum interfici. Item quid ſenatus, quid Pompeius ſtatuerint. Prima iuridicialis eſt ex relatione criminis, & coniecturam continet: Reliquæ tres ex ſcripto & ſententia. Tractantur priore loco præiudicia. deinde coniectura inducitur poſt narrationem. Poſt hanc comparatio criminis ad firmandā defenſionem, è Repub. fuiſſe occidi Clodium. Poſtremo deprecatio in peroratione, quæ magno affectu, ac uehementia tractatur. Partes orationis ſunt, exordium, refutatio, narratio, confirmatio, peroratio. Nam propoſitio ſubiuncta exordio, aditum facit ad refutationem.

ET ſi uereor.] Exordium accommodatum eſt ad confirmandos iudices in cauſa Milonis, de qua metu armorum & Pompeij: imbecillius ſentire uidebantur. Ergo primo queritur Cic. & fatetur ſeipſum timere, ut illorum timorem honeſtius arguat. Deinde ſe confirmando, pariter ab illis metum amouet, interpretando Pompeij conſilium, cur armatum præſidium in foro diſpoſuerit: idq; totum & pro Milone factum eſſe oſtendit, et cauſam inuidioſe conuertit in aduerſarios. Minimeq; deceat.] Id eſt, decorum ſit. Tamen hæc.] Purgatio ex neceſſitate. Non enim.] Aetiologia, qua ſubiungit rationem, & explanat quod dixit. Corona.] Id eſt, multitudine. Non uſitata.] Iteratio eiuſdem uerbi & ſententiæ. idq; oratorie. Eandem enim rem ſæpe commutatis efferunt ad amplificationem. Pro templis.] Ante templa. Tamen ne non.] Repetit particulam Tamen, cum ſenſu præcedentis mēbri, propter παρένθεσιν ut ſit dilucidior oratio, ſitq; plenus ordo: Quanquam præſidijs ſalutaribus ſepti ſumus, tamen non afferunt Oratori aliquid, ne non timere quidē ſine aliquo timore poſſimus. Quæ ſi oppoſita.] πρόληψις, qua amouet metum à iudicibus. Negat enim armata præſidia contra Milonem eſſe diſpoſita, & facit antitheſin. Sed me recreat.] Correctio, et obiter laudat Pompeiū. Dedere.] Id eſt, obijcere armatis hominibus. Temeritatem.] Intemperātiam, audaciam, impetum. Armare.] Confirmare. Quā obrem.] Concludit enumerando qui pro ſe, qui contra ſint, cum aduerſæ partis extenuatione. Non periculum.] Hæ collationes uerborum ad amplificationem pertinent. Præſidium.] Auxilium et defenſionem. Noſtra eſt.] Id eſt, noſtræ cauſæ fauet, pro nobis eſt. Neque eorum.] Suſpendit ſententiam. Vndique.] Ex omni parte. Exitum.] Exitum. Vnum genus.] Contemnit Clodianos, ſicut cæteros laudauit. Exitijs.] Damnis, iniurijs, quibus multos affecerat Clodius. Qui heſterna etiam.] Hanc concionem habuit Munatius Plancus pro Milone. Voce præirent.] Præſcriberent uobis. Quorum clamor.] Bona inuerſio, qua ita Clodianorum metum remonet, ut commendet, Milonem. Quā obrem adeſte.] Inſtaurat concluſionem, & ſubiecta ratione confirmat, quam ducit ex tempore. Ampliſſ. ordinum.] Senatorij & equeſtris. Vt ſtatuatis.] Sententijs ueſtris. Delabitur autem ad querelam, & miſericordiam captat à fortuna ſua ac Milonis, et mouet affectus. Quid enim uobis.] Declarat id quod dixit. Præmiorum.] Honorum & dignitatum. Et quidem.] Adiungit fiduciam Milonis in cauſa & iudicio, ad conciliationem animorum iudicum, utiturq; ornatis metaphoris. Tempeſtates & procellas.] Intelligit certamina & contentiones, quæ ſolent oriri in Senatu & concionibus. Quod ſemper.] Cauſa, cur tot tempeſtates ſubierit. Quanquam in hac cauſa.] Correctio. Acceſſurus autem ad rem pollicetur firmam rationem defenſionis, in quo ſtatum eiuſdem oſtendit: & format ſententiam hypothetica circunductione, ſe niſi probauerit inſidias Clodij, nihil de meritis Milonis,

Milonis, neque de Clodij morte dicturum eſſe. quibus uerbis & oſtendit fiduciam in cauſa, & capita defenſionis complectitur, & certum ordinem legemq; in agendo præſcribit. Nec deprecaturi.] Repetit quod ante dixit, ad exemplum numerũ orationis. Salus ueſtra.] Significat diuino quodam conſilio hanc peſtem è Rep. eſſe ſublatam, & ſalutare id fore Reip. Sed ſi illius inſidiæ.] ἀντίθεσις, qua pollicetur ſe probaturum cauſam, & obiter tangit capita defenſionis, ſimulq; ſternit uiã ad refutationem. Sed antequam.] Refutatio præiudiciorum, ad conſtituendam firmam cauſæ probationẽ, nihil neque lege, neque à Senatu & Pompeio præiudicatũ eſſe, quin hominem indemnatum aliquando interfici ius ſit, & maxime inſidiatorem. & uerſatur tota ἀντίθεσις, quã antea probari oportet quàm ad cauſam ueniatur. Nam ſi hominem indemnatum occidi nullo modo fas eſſet, nõ poſſet probari Clodius iure occiſus, & ſublata eſſet defenſio. Itaque rectè locatur hæc quæſtio ante cauſæ defenſionem, qua ſoluuntur obiecta aduerſariorum, & fundamentũ defenſionis conſtituitur. nam ſumma eius hoc ſyllogiſmo continetur: Inſidiatorem indemnatum occidere fas eſt, Clodius inſidias fecit Miloni, Ergo iure occiſus eſt. Prima propoſitio hac refutatione confirmatur. Secunda deinde (quæ minor uocatur) in narratione & confirmatione cauſæ probabitur, quibus confirmatis neceſſe erit concluſionem firmã eſſe. Noſtræ quæſtionis.] Id eſt, iudicij. Iactata ſunt.] Id eſt, ſermonibus inimicorũ ante iudicium ſparſa inuidioſe. In cõcione.] Vbi inſtigabant populum contra Milonem. Rem planè.] Scilicet iure'ne Clodius occiſus ſit, an non. Negant intueri.] Propoſitio, & obiectio aduerſarij. In qua tandem.] Vehementer cum interrogatione obiurgatoria ingreditur refutationem. M. Horatij.] Argumentum ab exemplo. Primum iudicium.] Sub Tullo Hoſtilio. Vide Liuium lib. 1. ab urbe cõdita. An eſt quidquam. A`more iudiciali argumentum. ſubeſt uis ab auctoritate. et de facti qualitate quæritur: eſtq; locus à pronunciatis. Niſi uero.] A` iudicio ſeu auctoritate aliud exemplũ adiungit, & eſt εἰρωνεία. T. Gracchi.] Hic à P. Scipione Naſica interfectus eſt, ob latas ſeditioſas leges agrarias. Neque enim.] Ab exemplis ſubiungit αἰτιολογίας, et plura colligit exempla. Itaque hoc.] Ab exẽplo fabuloſo Oreſtis, quod rectè tamen hic accommodatur. Liberatum.] Abſolutum. Deæ ſapientiſſ.] Vel Iphigenia in Taurica regione, uel ipſius Dianæ oracula. utroque ergo modo exponi poteſt. Quod ſi.] A`lege, per ſimilitudinem uel ratiocinationem. Quis eſt qui.] Exponit & concludit argumentationẽ eadem periodo. Puniendum putet.] ſ. indicta cauſa, quaſi iam lege prædamnatum. Cum uideat.] Repetit argumentum per αἰτιολογίας. Porrigi.] Poteſtatem fieri, permitti ut occidamus: elegãs metaphora. Atqui.] Aſſumptio argumentationis. Tempus.] Cauſa quæ ex tempore naſcitur. Pudicitiam.] Priuſquam concludat argumentationem, confirmat aſſumptionem, & addit exemplum ex auctoritate C. Marij. Facere enim.] αἰτιολογία per ἐπιφώνημα. Atque hunc.] Accommodat exemplum. Inſidiatori uero.] Complexio è minori. dupliciter autem tractatur argumentatio, abſolutiue & confirmatiue. Quid comitatus.] Confirmatio ex deſtinatis, ſeu ex fine, ut alij uocant. Ex deſtinatis ad finem, ſi finis tollitur, tollitur & deſtinatum. Eſt enim.] Confirmat à natura. eſtq; firma argumentatio. Accepimus.] A` legiſlatoribus. Expreſſimus.] Ipſi, ſcilicet factis noſtris. ſuntq; ornata ἀντίθετα. Imbuti.] Natura ipſa. Silent enim.] αἰτιολογία eſt, & approbatio ſententiæ eius, quam de natura propoſuit. Silent.] Quieſcunt, uim nullam habent inter arma, ſiue negliguntur: audax metaphora. Etſi perſapienter.] Ab interpretatione legis. redit enim ad leges duodecim tabularum. Etſi.] Per correctionem. Cum telo.] Feſtina repetitione in uerbis, & ἀντίθεσις legem interpretatur. Quapropter.] Concluſio generalis. Maneat.] Tanquam fundamẽtum defenſionis. Si id.] Nempe legis Corneliæ. Sequitur illud.] Tranſit ad S.C. idq; erat ſecundum præiudiciũ aduerſariorum, quod interpretatione auertit à cauſa, & in contrarium torquet. Oſtendit enim & ab inuito Senatu factum eſſe, & quamuis factum ſit, tamẽ nihil obeſſe Miloni. Illam uero.] Argumentum à ſuo & iudicum teſtimonio, de uoluntate & ſtudijs Senatus pro Milone. Quoties enim.] Confirmat, & teſtes facit ipſos iudices. Quoties.] Nempe poſt interfectum Clodium. nam 100. dies penè interceſſerunt. Quatuor.] Inter quos etiam erat Q. Fuſius, de quo in Philippicis. Milonis cauſam.] Ab aduerſarij teſtimonio. Declarant.] A` ſigno probat. Ambuſti tribuni.] T. Munacium Plancum intelligit. Is autem, & C. Salluſtius, & Q. Pompeius Ruffus, eodem die quo corpus Clodij crematum fuit in Curia, item pridie quàm iudicium haberetur de Milone, atque interim ſæpe concionati fuerant, et incitarant populum in Milonẽ. Ambuſtum appellat ridicule, & per contumeliam, quod incenſa curia ex rogo Clodiano uix incendiũ effugerit. Inter mortuæ.] Id eſt, inanes: quod tunc uiguerint recenti morte P. Clodij, ſed prorſus iam exoleuerint & abolitæ ſint. Quæ quidem.] Obiter hic remouet inuidiam, breui interpoſita defenſione, quam fecit per conceſſionem. Mediocris.] Nam inde auctoritas cõciliatur. & eſt à proprio ex efficientibus argumentum. Aut propter.] Ad remouendam offenſionem pertinaciæ utitur dubitatione. Officioſos lab.] Multis enim ſuam operam Cicero præſtabat & defendebat, tum priuatim conſilijs dandis, tum etiam publice. Appelletur.] Ironica conceſſio. Dummodo.] Ex abundanti adiungit, quod permittat eſſe potentiam, quam & ipſe uult probare, cum honeſta ſit. Perditorum.] Clodianorum. Hanc uero.] ἐπιφώνημα, quo & criminationem à ſe remouet, & ſimul obiectioni occurrit, et ad inſtitutum reuertitur. Quæſtionem.] Iudicium. Fuerũt autem iudices extraordinarij electi. Erant enim leges.] Subiungit confirmationem à ſuperuacuo, & Clodij perſona. locus à cauſa finali. Quæſtiones.] Iudicia. Cuius n.] αἰτιολογία præcedentis dicti. & iudicium intelligit, quod factum fuit in P. Clodium, ob pollutas cerimonias Bonæ deæ: ex quo pecunia corruptis iudicibus reus euaſerat. Id iudicium Senatus ne corrũpi poſſet decernere conabatur, ſed fuit ab amicis Clodij impeditus. Erepta.] Per Q. Fuſium. Ordo eſt: De cuius enim inceſto ſtupro Senatui poteſtas eſſet erepta decernẽdi iudicium. Cur igitur.] Occurrit obiectioni, & profert cauſam Senatuſconſulti, ſententiamq; eius interpretatur. Lepidi.] Scilicet interregis. Quia nulla.] Reddit cauſam, cur ſenatus hoc decretum fecerit, quamuis inuitus: & Senatuſconſultum probat. Niſi uero.] Confirmat exemplis, docetq; nunquam certamen inter ciues ſuſceptum eſſe, quin Reſpub. ſemper ſit læſa. & eſt εἰρωνεία. Oppreſſa.] A` C. Mario. Itaque ego.] A` ſua ſententia. In re.] In ipſo congreſſu & certamine. Notaui.] Condemnaui. Quod ſi.] Occupatio. Redit autem ad uoluntatem Senatus, & docet per interceſſionem tribunorũ auctoritatem eius ſublatam fuiſſe. Furioſum.] Munacium Plancum intelligit. Extra ordinem.] Extra cauſam, in qua ordo ſortis ducebatur. Diuiſa ſententia.] Diuiſionem ſententiæ Q. Fuſius ſenator poſtulauerat, Munacius & Salluſtius Tribuni plebis interceſſerant Senatui, ne aliud ageretur quàm erat poſtulatum. nam hic mos erat in ſententijs diuidendis. Diuidere ſententiam erat, de ſingulis rebus quæ in ea continebantur referre, ut una abſque alia probari uel improbari poſſet, ut quæri de ueteribus legibus, & extra ordinem quæri. Qui mos fuerit diuidendæ ſententiæ, refertur ab Aſconio: qui tamen locus corruptus eſt, ut certi aliquid inde peti nequeat. Neſcio

quo.] Contemptim hoc. neque enim ignorabat Orator, & Fuſium ſenatorem intelligit. Empta.] Id eſt, corrupta. & ſignificat Salluſtium & illum fuiſſe comparatos pecunia, ut intercederent. alij legunt Inempta, itéq; alij Inepta. At enim.] Tertia pars contra rogationem Pompeij, quã ipſam quoque interpretatur. De re.] De cæde. res enim genus eſt, cauſa ſpecies. Id eſt, & de cæde, & nominatim de cæde Clodij. Quid ergo.] Reſpondet Cicero: eſtq; ueluti imago altercationis, qua & inſtantius refert, & ipſo ſtrepitu excitat auditorẽ. Quæreretur.] Id eſt, ut iudicium haberetur. Quid porrò.] Subeſt uis repugnantiæ. ſignificat enim, nondum Milonem condemnatum eſſe. Factum'ne.] Subeſt argumentatio ex diuiſione ſeu remotione, qua latius patet quàm appareat. Vidit etiam.] Interpretatur rogationem Pompeij ex ipſis uerbis: & argumenta uoluntatis tum ex facto ipſo, tum ex Clodij perſona colligit. In confeſſione.] Cum reus fateretur ſe feciſſe. Quod niſi uidiſſet.] Confirmat ſententiam & uoluntatem Pompeij rogationis à ſigno, ſiue ex adiunctis. Tam ſalutarem.] Tabulam abſolutoriam ſignificat. nam erant tres tabulæ iudiciariæ, ſiue una potius, quæ qualibet una trium literarum notabatur, nempe A, C, & N L. quarum prima Abſolutionem, ſecunda Condemnationem, tertia Non liquere ſignificat: ut cum ampliabatur reus, hoc eſt, cauſa proferebatur in aliud iudicium, quo melius cognoſceretur. Mihi uero.] Epiphonema, quo altius inſurgendo ſententiam concludit. Nam qui.] αἰτιολογία ex conſequentibus, ſecundum Fabium: ſed reuera tum ex adiunctis, tum ex remotione. declarat autẽ quid ſpectandum ſit, enthymemate. uide Rodolph. Agricolam. Iam illud.] Occupatio, cur Pompeius rogationem tulerit, ut inde & perſpiciatur uoluntas rogationis, & ſuſpicio offenſionis Pompeij, propter mortem Clodij detrahatur. Domi ſuæ.] Exempla à maiori. M. Druſus.] M. Liuius Druſus cũ legem ferret quá ſocijs atque Italicis populis ciuitatẽ dabat, reuerſus domum, circũfuſa multitudine in atrio domus ſuæ, ab incerto auctore interfectus fuit, cultro ſutorio in fœmore eius relicto. Vide Appianum lib. 1. de Bello ciuili. Quantum luctũ.] Amplificatio ab Africani minoris perſona. Is autem cum aduerſaretur C. Graccho, Cn. Fuluio, Cn. Carboni, triumuiris agros diuidere conantibus, ſeq; domum fortis & ualidus pridie è Senatu recepiſſet, mane in cubiculo mortuus inuentus eſt. idem Appianus. Quæſtio.] Iudicium. Nec interſit.] Occupationem declarat, et loquitur ex Stoicorũ ſententia. Niſi forte.] Confirmat exemplo, eandem culpam eſſe cædis, ſiue à claro ſiue obſcuro homine ſit facta: eſtq; ironica antitheſis. Aut eo mortis.] Contra aduerſariorum obiectionem exaggeratio, quam obiter refutat per digreſſionem. Hoc enim ſæpe.] Inuidiã cædis in Appia, indignitate Papirianæ necis diſſoluit, affectum contrario affectu diſcutiens: at proinde commode perſequitur inſectationem uitæ Clodij, ut probet quod inſtitutum eſt, Pompeium Clodij cauſa rogationem non tuliſſe. Perinde quaſi.] Irridet obiectionẽ. Munierit.] Strauerit ſaxo. Itaque.] Perpetua ironia eſt. Nunc eiuſdem.] Hactenus uſus eſt ironia, nunc uero recta utitur oratione. habet autem locus hic indignationẽ cum contentione. Sed quid.] Correctione cõtinuat ordinem exemplorum, et periculum Pompeij profert cum amplificatione. Sica.] Occultũ telum. amplificatio. Caruit.] Antitheſis. Atqui ſi res.] Exaggerat à tempore. Si uir.] Congeries. Inſidiator.] Expolitio. Cuius in uita.] Explanat amplificando ab indignitate & inſidijs Clodianorum. pendet autem locus ex hiſtoria. Collocatus.] In templo Caſtoris. Niſi forte.] Occurrit defenſioni, & irridet. Vindicentur.] Puniantur. Minus dolendum.] Epiphonema, quo concludit, et quid faciendum illis temporibus fuerit cũ Clodio oſtẽdit. Quoties ipſe.] A ſui exemplo. Sed ſtulti.]

Correctio, quaſi ex prædictorum pœnitentia, per ἐπανόρθωσιν. Noſmetipſos.] Seipſum intelligit. Tollerabilis.] Explanat quod dixit. & omnia in contrarium intelligenda ſunt. Senio.] Mœrore, triſtia. Squallent.] Lugent. Agri denique.] Metonymia. Non fuit.] Exclamatione concludit, & reddit ad ueram cauſam rogationis Pompeij: nempe illum non P. Clodij gratia, quod hactenus probatum eſt, ſed temporis cauſa rogationem tuliſſe. idq; confirmat ex prudentia Pompeij, & metu exiſtimationis de illo erga Clodium. item à tuto, quod à ſigno confirmat. Sed homo.] ἀντίθεσις, à Pompeij ſapientia. Quæſtionem.] Rogationem de iudicio faciendo, & de cæde Clodij. Multa etiam.] Hæc altera cauſa, cur rogationem tulerit. Atrociter.] Seuere. Fortiter.] Cõſtanter. Itaque delegit.] Rem ueriſimilem facit à ſigno. Ipſa lumina.] Id eſt, omnium clariſſimos & præſtantiſſimos uiros. Neque uero.] Occupat ac reprehendit obiter, quod inuidioſè aduerſarij obijciebant de Pompeio, à difficili: & à ſua perſona remouet. Non enim.] Declarat. Familiaritatibus.] Quæ ſunt interiores amicitiæ, & tanquã domeſticæ. Sed ſi.] ἀντίθεσις. Poſſumus.] Gratia. Non potuit.] Argumentum ex toto. Quod uero.] Bona occaſione infert laudem quæſitoris, ad beneuolentiæ conciliationem. Conſularem.] Scilicet eſſe quæſitorem, hoc eſt, qui conſulatũ geſſiſſet. Credo.] Subiungit cauſam. Perditorum.] Clodianos intelligit. Dederos.] Cn. Manlius Trib. pleb. legem per ſeditionem ferebat, ut libertini in omnibus tribubus ſuffragiũ ferrent: cumq; Capitolium per uim occupaſſet, à Cn. Domitio prætore deiectus fuit, multis Manlianorũ interfectis. Quãobrẽ iudices.] Concluſio generalis, cum repetitione capitum totius actionis. Diſceptet.] Iudicium exerceat. P. Clodius.] Hæc tertia orationis pars eſt, quæ proprie ad cauſam pertinet, et continet rei narrationem, ac conſilij Confirmat autem tanta cõmoditate orationis, ut palàm oſtendat, Clodium inſidiatorẽ fuiſſe, non Milonem. In prætura uexare.] M. Craſſo & Cn. Pompeio Coſs. qui fuit proximus annus poſt ædilitatem P. Clodij, quo iam petendæ præturæ ius habebat. Tracta.] Dilata. Poſſet.] Scilicet anno priore. Cæteri.] Boni ciues. ad odium autem & inuidiam Clodij hæc pertinent. Ad dilacerandam Remp.] Vexandam. Annum ſuum.] Annus ſuus uocabatur, quo quis honorẽ petere ex lege poterat: ut præturam poſt ædilitatem, poſt præturam conſulatum. Oſtendit autem ſtudium Clodij ad integrum annum obtinendum, item conatus ad impediendum conſulatum Milonis. Non religione.] Rurſus hoc ad inuidiam accommodat. Religione.] Numinis metu. Conſule Milone.] Quia maius eſt conſulis imperium, quàm prætoris. Competitores.] Scipionem & Hipſeum. Petitionem.] Petendi rationem. Humeris.] Vt Atlas cœlum. eò enim alludit. Scribebat.] Colligebat, nempe ad ſuffragandum competitoribus Milonis, ſpe Coloniæ promiſſæ. tam quippe coloniam nouam ſignificare uidetur, quam Clodius deducturus fuerat, ſi prætor factus fuiſſet. Ille.] Clodius. Hic.] Milo. Conualeſcebat.] Plus ualebat ſtudio bonorum. Suffragijs.] Quia ſæpe comitia erãt tentata, ſed nunquam perfici potuerant. Seruos agreſtes.] Hactenus cauſam explicauit. iam addit ſuſpicionem: & obiter uituperat, argumento ex dictis & factis Clodij ad inſidias ſpectantibus, & ex deſtinatis. Reſerat.] Breuiter argumentatur interiecta narratione. Quam uocem.] Et hæc argumentatio eſt ex teſtimonio Catonis. Interim.] Venis ad locum & occaſionem pugnæ. Cum ſciret.] Suſpiciones à præſentia & tempore profectionis Clodianæ. Legitimum.] Lege conſtitutum. Vt ante.] Hoc ſuſpicionem auget. Re.] Euentu pugnæ. Atque ita.] Argumentum uoluntatis à tempore. Concionem.]

*Quam habuit Q. Pompeius.* Milo autẽ.] *Mire exprimit ſimplicitatẽ Milonis, otioſe agentis omnia, nec quidquam ſollicite cogitantis. Quintilianus locum hunc præcipue commendat: Remouet enim omnem ſuſpicionẽ à perſona Milonis.* Quod Senatus.] *Extenuatio apparatus, & tempus itineris Milonis.* Comparat.] *Dum comuntur & moliuntur, annus eſt.* Redire potuiſſet.] *Ex repugnantibus.* Obuiam fit.] *Habitus itineris, & comitatus Clodij. Facit autem omnia ſuſpicioſa in Clodio, in Milone ſimplicia. eſtq; hic totus orationis ſcopus.* Cum hic.] *Ironia: & confert ſingula.* In rheda.] *Iter & comitatus Milonis.* Fit obuiam.] *Locus inſidiarum, & tempus.* Rhedarium.] *Aurigam. eſt autem elegans ἀπὸ τοῦ τόπου ois commiſſe pugnæ.* Milonemq;.] *Factum confeſſurus, rem temperat & præmollit.* Hæc ſicut.] *Tranſiturus ad confirmationem, conſtituit ſtatum cauſæ. & ſimul renouat capita refutationis, ut plenum & firmum defenſionis ordinem cõnectat. Eſt autem ſumma collectio narrationis, argumentis & affectibus inflammata. Delibat enim partem defenſionis, quam adiuncturus eſt coniecturæ, idq; κατ᾽ ἀπόφασιν, & rhetoricã exceptionem, qua fiduciam oſtendit in cauſa. deinde repetit Δικαίως ex lege, quam ſupra in refutatione probauit, inſidiatorẽ iure interfici poſſe: ut eam coniungat cum ſequenti confirmatione, qua crimẽ inſidiarum probaturus eſt in Clodio. nã his duobus capitibus, ut ſupra notatum eſt, ſumma defenſionis continetur. atque hoc aditu facto qui perutilis eſt ad demonſtrãdã hoc loco ſummam defenſionis, deinceps eodẽ contextu ſubiũgit propoſitionem cauſæ, & mox confirmationem ſubnectit. Comparatio criminis ex abũdanti additur coniecturæ inſidiarum: Etiãſi non fuiſſet inſidiator Clodius, tamẽ utile erat tolli è medio ciuẽ pernicioſum. Iam cõſideratur, fuerit'ne utilius eum tolli, an perpetuo uexari Remp.* Vi.] *Virtute Milonis.* Vel potius.] *Colligit: & facit contrariũ aduerſarijs, correctione.* Nihil.] *Pergit conſtituere fundamentum & ſtatum defenſionis. eſtq; ἀπόφασις oratoria.* Qui hoc facto.] *Hoc ad cõmiſerationem Milonis attinet, ſimul & laudem.* Si id iure.] *Renouat capita refutationis.* Nihil habeo.] *Apertior exceptio.* Sin hoc.] *Δικαίως ex lege. Primam autem partem refutationis ob id repetit, ut ſequenti cõfirmationi cõiũgat.* A corpore.] *Amplificatio ex uerborum cõmutatione. alioqui ſatis erat uno uerbo dicere, A uita.* Quin ſimul.] *Mire figurat ſententiã, ut pondus addat orationi. & eſt ex conſequentibus.* Quod ſi.] *πάθος, à iudicum perſona. Format autem hypoteticam ſententiam.* Quia ſe illi.] *Eleganter cauſam addit.* Sin hoc.] *Adiungit Aduerſatiuam ſententiam, et ſimul uenit ad propoſitionem ex ἀντιθέσει. eſt igitur aſſumptio, ſiue propoſitio iudicationis per diuiſionem, ſeu diſiunctionem, ut alij uocant.* Inſidias factas.] *Declaratio propoſitionis, in qua duo reliqua præiudicia repetit, & uim eorum ad diuiſionem accommodat.* Notauit.] *Damnauit.* Quæſtionem tulit.] *Id eſt, legem de quæſtione habenda: id eſt, de iudicio.* Nunquid igitur.] *Colligit ſummã propoſitionis, qua continetur controuerſia: & iterum utitur exceptionis ſchemate, ad oſtendendam fiduciã in cauſa.* Hic.] *Milo.* Ille.] *Clodius.* Quonĩ igitur.] *Confirmatio coniecturalis, à ſpe commodorum, quã mox uertit in ratiocinationem.* Satis eſt.] *Ratio.* Bellua.] *Odioſis uerbis indignitatem mouet, & rem amplificat.* Itaque illud.] *Confirmat rationẽ ex ſententia & auctoritate L. Caſſij, iudicis ſeueriſſimi, quẽadmodum tradit Aſconius: unde eius etiam dictum citat.* Eſſe boni.] *Ratio ſententiæ Caſſij.* Atqui Milone.] *Aſſumptio cũ amplificatione.* Eo cõſule.] *Milone. Duo cõmoda: unum, ut Milo non eſſet conſul: alterũ, ut Coſ. eſſent quos ipſe uolebat.* Eludere.] *Verbo grauiore utitur ad inuidiam: ut mox Furoribus, pro conſilijs.* Conatus.] *Rem facit credibilem.* Cum tantum.] *Subeſt hic cõplexio, qua, de ſpe P. Clodij confirmat quod dixit.* Corroboratam.] *In ſingulis penè uerbis pondus argumenti ac uis eſt.* An uero.] *Exaggeratio à legibus Clodianis.* Peregrinantur aures?] *Id eſt, ignari eſtis. Peregrinari enim dicitur, qui non eſt domi: & peregrini plerunque rerũ ignari ſunt, quæ eo in loco, ubi ſunt, geruntur.* Verſanturi?] *Ad maiorem expolitionẽ ἀντίθεσιν etiam adiũgit. Vult enim rẽ certiſſimã eſſe, & omnibus notã.* Si leges.] *Correctio ad augendã rei atrocitatem, & ſimul facit paranomaſiam inter leges & faces.* Impoſiturus.] *Odioſum uerbum, tanquã ad ſeruitutẽ.* Inuſturus?] *Ad faces referendũ.* Exhibe.] *Apoſtrophe ad Sex. Clodium ſcribam, qui P. Clodij aſſecla fuerat.* Librarium.] *Id eſt, ſcrinium librorum, aliud eſt tablinum, nempe affixum parietibus.* Palladium.] *Simulacrũ Palladis. alludit autem ad hiſtoriã uel Aeneæ, uel Q. Metelli Pont. Max qui id ſignũ ex incendio ædis Veſtæ ſuſtulerat.* Præclarum.] *εἰρωνεία.* Ad aliquem.] *Id eſt, malũ, ac ſeditioſum.* Ex aſpexit.] *Digreſſiuncula ad inſectationẽ Sex. Clodij: quæ eo amarior eſt, quia per εἰρωνείαν figurata.* Mouet.] *Irriſio.* Lumẽ curiæ.] *Reſpicit ad incendiũ curiæ, cuius hic Sex. Clodius auctor fuerat.* Punitus es.] *Id eſt, puniuiſti. ſicut enim aſſentio & aſſentior, ita punio & punior ueteres dicebant.* Tu P. Clodij.] *Nunc ſerio loquitur.* Cruentũ.] *Ex cæde.* Tu in publicũ.] *Congeries.* Eiecisti.] *Habet uim incluſam. eijcimus enim inuitos, expellimus contumelioſe & cũ iniuria.* Laudatione.] *ſ. funebri.* Infeliciſſimis.] *ſ. quia nõ totũ cremarũt.* Lignis.] *Fragmentis ſubſelliorũ.* Semiuſtulatũ.] *Ad maiorem contemptũ ita loquitur.* Nocturnis canibus.] *Id eſt, qui noctu uagãtur, certãq; domus nõ habent.* Neceſſario.] *Id eſt, fato quodã, & diuina ultione.* P. Clodij præturã.] *Redit ad argumentationem, quã conductã concludit:* Is conſul.] *Milonem intelligit.* Confringere.] *Id eſt, obſiſtere conatibus.* Eũ Milonẽ.] *Quaſi Aſſumptio eſt, aut ratiocinatio noua, ſed breuis.* At non P. Clodio.] *Occupatio per ironiam, qua remouet ſpem cõmodi à Milone. nam argumenta inter ſe cõparãtur, quia duplex eſt cõiectura, uter utri inſidias fecerit.* Obnitendum eſt.] *Id eſt, certandũ, laborandũ. eſtq; εἰρωνεία.* Singularis illa.] *Inuerſio. recte enim reſpondet, nõ figurate.* Adepti eſtis.] *ſ. morte Clodij, et eſt explanatio prædictorũ per ἀντίθεσιν.* Ciuẽ.] *Improbũ & ſeditioſum.* Exercitationem.] *Id eſt, facultatem & materiam uirtutis exercendæ & propagandæ.* Itaque Milonis.] *Explanat certius, ex conſequentibus. eſtq; ſignũ ex contrario ductum.* Tentari.] *Moueri, ut alio deferatur.* Non modo.] *Clauſula per acclamationem.* At ualuit odiũ.] *Alia occupatio, qua liberat impulſione Milonẽ.* Quid uultis amplius?] *Cõfidẽter loquitur, et aſſeuerãter.* Segetẽ ac materiã.] *Ἀπόδειξις, qua indignũ fuiſſe Clodiũ oſtendit, in quo uirtutẽ ſuã exerceret Milo.* Ille erat.] *Confert odiũ Clodij, & maximũ fuiſſe oſtẽdit.* Lege Plotia.] *M. Plotius Syllanus legẽ tulerat de Vi, ſi quis Rẽp. oppugnaſſet. Clodius autẽ poſt reditũ Ciceronis, domũ eius, quæ ex publico ædificabatur, uaſtauerat: quã rem cenſuerat ſenatus qui feciſſent, de ui teneri. hinc eadẽ etiã lege Milo Clodium poſtulauerat.* Tyrãnum.] *Clodium.* Reliquũ eſt.] *Amarulenta ironia. ab utriuſque peccãdi conſuetudine, ad aliud argumentum tranſit.* Quæ fuiſſet. *Enthymema ex cõtrarijs & repugnantibus.* Diẽ mihi credo.] *Occupatio ironica ad ſui defenſionem.* Perduellionis.] *Id eſt, læſæ maieſtatis crimen.* Seruorum.] *Cum irriſione hactenus locutus eſt, nunc ſerio agit.* Vidi enim.] *Continuat & exponit, ſimulq; amplificat.* Cũ mihi adeſſet.] *Vt defenderet me cõtra conatus Catilinæ, una cũ reliquis optimatibus.* Qua in turba.] *Ante curiã.* Vna.] *Cũ Q. Hortẽſio.* Vt uitã amiſerit.] *Vt ex eo uulnere obierit.* Itaq; quãdo.] *Cõcludit. et crimina Clodij*

congregat. Sica illa.] Vis,arma. oratoriè autã ſignificat ſocium fuiſſe coniurationis: neque intelligendum eſt,reuera ſicã à Catilina accepiſſe, ſed animũ,quo Remp. perdere conabatur. ita μεταφορικῶς dixit Sica illa. Nobis.] Vobis legendũ. Huic.] Sicæ, id eſt, uiolentiæ & furori Clodij. Nominis.] Clodiani. Papirij.] Equitis Ro. Ad regiam.] In uia ſacra,ubi Numa Pomp. olim habitauerat. Quid ſimile.] Confert innocentiã Milonis, & docet quoties ille peccãdi occaſionẽ prætermiſerit. Cuius uis.] Argumenta ex uita ante acta. Quàm præclare.] De hoc extat epiſt lib.4. ad Atticũ. Collega ſuo.] In tribunatu. uide orationem pro P.Seſtio. Vulnerato.] Acceptis ſupra 30. uulneribus. Agnouiſſet.] Id eſt,in ſe recepiſſet. Cũcta ciuitas.] Tota Reſpub. Romana. Atqui erat.] Amplificatio occaſionis à perſonis. Reſtitutor.] Auctor mei reditus. Signum dedit.] Id eſt, excitauit Italiã,adhortatus eſt. metaphora bellica. Omnia.] Omniũ tum denique,legendũ: & cauſam obiter addit. Ardebant.] Id eſt,inuiſus erat omnibus. Ad uim.] Ad arma. Quid.] Alia occaſio. atque hoc factum fuit ante tribunatũ Milonis. uide Plutar. in Pompeio. Addit autẽ uehementiã orationi,& connectit per incremẽtum. Priuato Milone.] Id eſt, poſt tribunatũ. M Antonius.] Hic denique factus eſt triũuir,unà cũ Octauio Auguſto. Belluã.] Clodium. In ſcalarũ tenebris.] De hoc in 2. Philippica. Magnũ.] Potuit impune facere. Quid comitijs.] Item alia occaſio. Colligit autẽ omnia tẽpora. In ſepta.] Quibus includebatur populus,in cãpo Martio. Quẽ igitur.] Epilogus per enumerationem, & contentionẽ argumentorũ ex maiori. Alieno tẽpore.] Tẽpus conſulatus intelligit. Non dubitauit.] Contẽtio ex minori. Præſertim.] Aliud argumentũ ex tempore. Subeſſet.] Inſtaret. Quo quidem.] Amplificatio ex adiũctis, ut probet Milonem Seruire huic tempori noluiſſe. Scio enim.] Parentheſis,ad fidem faciendã. Intuemur.] Obſeruamus,quo animo ſint affecti. Nihil enim eſt.] Aetiologia. Campi.] In campo enim Martio comitia habebantur. Auguſta.] Sacra,ab augurio. Quàm hoc.] Expolitio ſententiæ p epiphonema. Qui ſe.] Facit ueriſimile. Quid?] À ſpe impunitatis, quæ in utro fuerit oſtẽditur. Præclari.] Quia pernicioſum ciuẽ ſuſtulit. Neceſſarij.] Quia ſuã uitam defendit. Sed quid.] À dicto Clodij. Q. Petili.] Hic unus erat ex iudicibus. Diuina quædam ſors.] q.d. nõ potuiſſet ipſa ſors mihi optatiores iudices dare,quàm uos. Cũ ille.] Cõplexio ex maiori. quia cogitationes obſcuriores ſunt factis. Quemadmodũ.] À præſentia itineris Milonis, quã cõmode ſubiungit præcedenti argumento. et pertinet ad ſpẽ perficiendi. Stata.] Id eſt, ſolennia. At quo.] Conſilium à tempore. Trib.pl.] Q. Pompeio. Ergo illi.] Concludit breuiter. Quid? ſi.] Confert imprudentiã Milonis,quã probat à perſonis et itinere Clodij,& ex dictis teſtiũ cõfirmat. Subeſt autem uis argumenti ex remotione, ut Fab.lib.5. uocat. Rodolph. uero,ex partibus. Omnes ſcilicet.] Vrget remotionem. Legite.] Ex teſtimonijs Clodianis probat,Milonẽ ſcire nõ potuiſſe. Cuius iam pridẽ.] Obiter perſtringit teſtẽ. In Albano.] Villa ipſius Clodij. Cyrum architectũ.] Huius alibi facit mentionẽ Cicero in epiſtolis. Videte iudices.] Concluſio,qua docet quid efficiatur pro Milone, & contra aduerſarios. Deinde.] Inducit ſui purgationẽ ex eodem teſtimonio. Deſcribebant.] Deſignabant. Iacent.] Epiphonema,claudens intẽtionem. Reſpiraui.] Exclamatio quaſi ſecuri & fidentis. Nunc.] Perſequitur inductũ teſtimonij locum,quem fictum arguendo,oſtendit criminis facultatem ex nunciato aduentu Milonis,& conſiliũ eiuſdem arguit ex diſſimulatione Clodij,& temporis obſeruatione. Video.] Teſtimonium hoc irridet,tanquã fictum. Nam quid.] Ex ſuper uacuo,uel ex cauſa finali. Vnà fui.] Confirmat ſuo teſtimonio. Age, ſit ita factum.] ἐιρωνικῶς relinquit argumẽtationem,& alia reprehendit,nempe firmiora: nunciatum eſſe non de Cyro,ſed de Milone. ac proinde conſilium inſidiarũ probat in Clodio. Cur Romam.] Argumenta ex Clodij feſtinatione, ſiue ex adiunctis,ut alij. Quòd hæres erat.] Remouet quod obijci poterat. Eſſet.] Scilicet opus. Atque.] Remouet conſilium criminis à Milone,quia nec locum, nec tẽpus obſeruauerit: et occaſionẽ amplificat. Quem eſſe.] Format enthymema ex cõtrarijs. Suſtinuiſſet.] Id eſt,celaſſet. Deinde.] Vide cõmoditatẽ Milonis, ſi illa uti uoluiſſet,ex occaſione loci & temporis. Atque illo.] Aliud argumentum neglectæ occaſionis in Milone,quod ducitur ex tarditate itineris eius. Cur neque.] Profert argumentum,inſtãdo per interrogationẽ. Video.] Epilogus totius diſputationis de uoluntate & conſilio inſidiarum per argumentorũ enumerationem. Alienum.] Alieno tempore. Hunc.] Milonem. Illum.] Clodium. Prope urbem.] Nam hic locus erat aptiſſimus. Videamus nũc.] Tranſit ad ſecundũ caput cõiecturæ,quod ad facultatem à loco pertinet. Subſtructiones.] Quibus ſuſtinebantur margines fundi, quæ Appiam contingebant. Mille.] Subſtantiue. Atqui.] Ab ipſo habitu loci. eſt autem occupatio ironica,ad conferendũ Milonem. Res loquitur.] ὑποτύπωσις. Rẽ enim ſubijcit ante oculos, deſcripto habitu et comitatu utriuſque ad locũ,in quo cõgreſſi ſunt. Videte nunc illum.] Confert iter Clodij, & tempus egreſſionis eius è uilla oſtendit. Diuertit.] Argumentum ex remotione. Pompeiũ.] Occupat quod dici poteſt,et reprehendit à ſuperuacuo. Age nunc.] Redit ad collationem itineris utriuſque. Græculi.] Ad contemptũ,id eſt homines leues. Etiam cum.] Hoc ad inuidiam coniurationis Catilinæ, qui caſtra ad Feſulas in Hetruria habuerat. unde obiter notat Clodiũ, tanquam ſocium coniurationis. Exoletos.] Pueros adultos, & duriores ad Venerem. Vt uirum à uiro.] Hoc ſingulare genus delectus erat,quo non ab Imperatore miles ex lege & cenſu ſcribebatur,ut ſolebat,ſed uir à uiro legebatur. de quo ſit mentio apud Liuiũ. Cur igitur.] Occupatio,qua infert cõfutationem ſuſpicionum,quam confirmat hoc loco à uirtute et prouidentia Milonis,& incerta pugnæ fortuna, itẽ à temeritate Clodij. Quia non.] Sententia generalis per locum communem. Quantum intereſſet.] Id eſt,quàm hoc cõmodũ eſſet Clodio, ſi Milo periret. Præmijs.] Quæ darentur ijs, qui Milonem occidiſſent. Addictam.] μεταφορικῶς. uerbum enim eſt iuriſciuilis,quo prætor emptorem alloquitur,æſtimationẽ illius ratã habens, Do,dico,addico. Communem.] Modo ab hac,modo ab illa parte ſtantẽ unde Græcis ἀλλοπρόσαλλος dicitur. Oſcitantis.] Negligentis. Cæterũ oſcitatio cernitur tantum,ſingultus auditur. Intercluſum.] À ſuis ſeruis: hoc eſt,disiũctum & ſeparatum à ſe. Hæſit in his pœnis.] Vtitur περιφράσει, ut rẽ duriorem molliat: id eſt, pœnas dedit. Cur igitur.] Alia occupatio, qua anteuertit id quod dici poteſt: eoq; dimoto,id quod reſpondendum eſt infert. Pertinet locus ad purgandam conſcientiã Milonis,propter manumiſſos ſeruos. id enim non metu conſcientiæ,ſed merito factum eſſe oſtendit. Metuebat.] Ironia. In eculeo.] Tormentis. Quod igitur.] Cõcludit. Manu uero cur miſerit.] Profert uerã cauſam manumiſſionis: & recte factum defendit,à teſtimonio Catonis,& merito ſeruorũ. Dixitq;.] À loco et tẽpore amplificat. Quod.n.] εἰπολογία Amplificatio à genere beneficij,et odio Clodij. Propter quos.] Per quos. Et ſi id.] Oratorie extenuat, ut alterũ magis exaggeret. Corrigit autẽ,et altius attollit meritũ ſeruorũ erga Milonẽ. Quos niſi.] Occupatio indignantis, & cõcludit ex abũdanti. Hic uero.] ἐπιφώνημα. Cum aſſeueratione autẽ hoc dicis,&

ſententiam

*ſententiam abſoluit.* Si quid ipſi accidat.] *Id eſt, ſi condẽnetur.* Sed quæſtiones.] *Tertia occupatio contra quæſtiones, quas refellit à perſona Appij, à quo poſtulauit & produci ſerui fuerant: item ex lege, & à modo quærendi.* Vrgent Milonem.] *εἰρωνικῶς, ex perſona aduerſarij.* Rogat de P. Clodij.] *Inuerſionis ſchema.* Appius.] *Frater P. Clodij.* Appius.] *Non ſolum feſtiua eſt hæc repetitio, ſed etiam excitat ab Appio.]* Igitur domi prius inſtruxit. Dij boni.] *Concludit exclamando, ſed εἰρωνικῶς.* De ſeruis nulla.] *Negat legitimã fuiſſe quæſtionem.* Vt fuit in Clodiũ.] *Inuidioſe hoc.* Proxime ad deos.] *Irridet, ad rei abſurditatẽ.* Ad deos acceſſit.] *Deus factus eſt, uel εἰρωνικῶς ſacra Bonæ deæ intelligit.* Propius quàm.] *Ironia urbana, cum inuidioſa cõparatione.* Sed tamen.] *Comprobatio legis à maiorum auctoritate. Corrigit autem, & negat ne de inceſtu quidẽ apud maiores de ſeruis quæſitum fuiſſe, atque inde cõcludit argumentationem ex minori, de proprijs ſeruis iniquam eſſe quæſtionem in dominum. ergo multo iniquiorẽ eſſe de ſeruis inimici.* In dominum.] *Id eſt, contra dominum, uel de domino.* Non quia.] *Occurrit cogitationi, & addit cauſam, cur ſeruos torquere noluerint maiores.* Morte.] *Damnatione.* Age uero.] *Nunc reprehendit à modo quærendi. & inducit προσωποποιΐαν.* Quæſtio.] *Tormẽtum.* Certæ crux.] *Id eſt, certum ſupplicium. & eſt quaſi ſummiſſe pronunciandum.* Certa.] *ſ. propoſita eſt tibi.* Libertas.] *Donaris libertate.* Quid hac.] *Irridet hanc quæſtionem. & colligit ſummam reprehenſionis.* Subitò arrepti.] *Hoc εἰρωνικῶς dicitur. arguit enim oportuiſſe fieri, quod factũ nõ ſit.* Arcas.] *Loca diſiuncta & anguſtiora, in quibus uincti tenebantur. & rectè ab arcẽdo, ne cũ aliquo loqui poſſent.* Hi centũ.] *Hoc rurſus ſerio, & repetit à perſona.* Quod ſi nondum.] *Integritas conſcientiæ Milonis à reditu in urbem, & conſtantia. et eſt tertia coniecturæ pars.* Celeritas.] *Plus eſt celeriter reuerti, quàm ſolum reuerti. adferunt autem pondus argumento hæ circũſtantiæ.* Neque uero.] *Amplificatio per gradationem. & facit ad orationis uenuſtatem.* Præſidijs.] *Quæ Pompeius comparauerat.* Eius.] *Pompeij. amplificat autẽ perſonã à poteſtate.* Cui Senatus.] *Concludit, & ſimul alia ponit ad exaggerationem.* Pubem.] *Militarem. Eſt autem gradatio.* Magna uis.] *Locus communis, quem confirmat auctoritate ſenatus. & amplificat reditum Milonis ex atrocitate rumorum de ipſo, poſt recentem Clodij cædem.* Vt neque.] *Explanat.* Et pœnam.] *Ardentes illas furiarum tædas.* An uero obliti.] *Amplificatio cõſtantiæ à rumoribus.* Siue enim illud.] *Refert opiniones hominum de abſente Milone: eaſq; cõmemorando delabitur in proſopopœiam, ſed obliquam, per dubitationẽ rhetoricam.* Siue et illius.] *Hic quoq; ad cauſam reſpicit, & admiſcet affectum commiſerationis.* Patriã liberare.] *Non odio ſuo indulgere.* Fortem uirum.] *Milonem.* Nobis.] *In patria manentibus.* Multi etiã.] *ſcilicet qui atrociſſimi erant in Milonem. et hoc cum deteſtatione dicit. & mox labitur in conqueſtionẽ, ut affectu rem adiuuet.* Erumpet.] *Fingit ſermonẽ aduerſariorũ, ut opinor.* Miſeros.] *Delabitur ad cõmiſerationẽ.* Ergo illa.] *Claudit ſententiam epiphonemate.* Quid?] *Auget ordinem exaggerationis grauiora enim ſubiungit.* Quæ?] *ſ. eá atrocia.* Quamuis.] *Quantumuis.* Perculiſſent.] *Permouiſſent.* Suſtinuit.] *Corrigit, ut grauius inferat.* Vt contempſit.] *Magnum argumentum nullius conſciẽtiæ in Milone.* Fortiſſimus.] *Sicut Milo erat.* Scutorum, gladiorum.] *Sonus ipſe orationis rem ampliorem facit, præſertim in genitiuo. potuiſſet enim dicere, ſcuta, gladij, &c.* Conducta domus.] *ſ. ad urbem capiendam.* Otriculanam.] *Villam Milonis.* Malleolorum.] *Manipulorũ pice contectorum, qui è ſtipula ſiunt, apti ad incendium. à forma autem nomen habent. uide apud Vegetium.* Hæc non.] *Epiphonema.* Laudabã.] *Occurrit obiectioni, & excuſat metum Pompeij, et falſam delationem reprehendit.* Sed dicam.] *παρρησία.* Aliter.] *ſ. quàm fecit Pompeius.* Commiſſa eſt.] *Significat Pompeium inuitum feciſſe.* Neſcio quis.] *Ad contemptum pertinet.* Circo maximo.] *De genere quodam ſacrificulorũ, qui ſolebant familias purgare quibuſdã ſacris.* Seruos Milonis.] *Extenuat narrationem delatoris. Nunquam autẽ dicta aduerſariorũ abſque infirmatione proferenda eſſe præcipiunt Rhetores.* Indicaret.] *ſ. hanc confeſſionẽ.* In hortos.] *Quos habebat in urbe.* Non poteram.] *Non poteram nõ timere uitæ Pompeij, qui & me & patriã ſeruauit.* Sed mirabar.] *Rem fictam oſtendit à perſona & ſigno, eſtq; correctio.* Acu punctum.] *Hyperbolica diminutio.* Verum etiam.] *Refert ſentẽtiam Pompeij, quæ factum eius probat, cur arma quæſiuerit. et oratoriè non metum, ſed cautionem interpretatur: & à tempore cõfirmat.* Oppugnata.] *In tempus cauſam refert.* Diligentiam.] *Epiphonema cum ſubiecta ratione.* Frequentiſſimo.] *Ratia epiphonematis.* Senator.] *P. Cornificius.* Quondam.] *Ironia.* Omnia.] *Epiphonema.* Sed tuas.] *Digreditur ad placandum Pompeiũ. eſt ergo ἀποστροφὴ ad abſentem, qua armorũ inuidiã diſſoluit, quæ diſpoſita erant in foro, & circa Pompeium. commiſerationẽ mouet ex commutata fortuna Milonis. Rectè autẽ ſubiungitur hæc digreſſio reprehenſioni ſuperiori, & ingreditur hunc locũ per correctionẽ. Porrò hæc periodus quamuis ſit, affirmatiua, negatiuum tamen ſenſum habet.* Si Milonem.] *Quod propoſuit explanat, & rem ad improbationem exaggerat: quã, ſ. etſi obtineri nequeat, cõuertit in laudẽ Milonis.* Cõquiſitores.] *Sic dicuntur, qui milites conquirunt ac cogunt: quos duces & capitaneos minores uocant.* Cohortes.] *Quæ in Capitolio erant collocatæ à Pompeio.* Magna.] *Redditio.* Sed quis non.] *Colligit ſententiam, & in contrarium uertit armorum opinionem, Milonisq; animũ erga Põpeiũ declarat.* Locus.] *Id eſt, facultas, occaſio. & cõmemoratione ueteris neceſſitudinis Pompeij & Milonis, uel placat Pompeium apud iudices, uel in inuidiam adducit.* Probaſſet.] *Fidẽ tibi feciſſet.* Peſte.] *P. Clodio.* Se à te.] *P. Clodius Milonẽ de ui accuſauerat poſt tribunatum, quem Pompeius defendit. Huius rei et ſupra facta eſt mentio* Te tuo.] *Quia tu ipſum defenderas.* Me ſuo.] *Quia me in urbem reuocauit.* Quæ ſi non probaret.] *Delabitur in cõmiſerationẽ, ex æquanimitate Milonis, et charitate fortunæq; erga patriã.* Suſpitio.] *Quia ſuſpicabatur Pompeius ſibi inſidias fieri.* Clade.] *Dãnatione, interitu.* Haud dubitans.] *Id eſt, libenter: Miſerum eſt, patriam ſaluam eſſe nõ poſſe ſine interitu et clade Milonis. eſt igitur miſeratione digna hæc Milonis fortuna.* Atteſtaretur.] *Teſtem citaret.* Vide quàm ſit.] *Amplificatio per locũ communem à fortuna & amicorũ inconſtantia, in caſu Milonis: Locus eſt totus patheticus.* Ratio.] *Id eſt conditio. & quãuis in genere hæc dicantur, ad Milonem, tamen referũtur, ad cõmonendũ Pompeium, quod ei ſimile euenire poſſet infortuniũ.* Erit, erit.] *Ominatur & Pompeio futurarum rerum cõmutationẽ, qua ille Milonis fidem & uirtutem deſideraturus ſit: quod equidem haud ita multo poſt euenit, cũ Milo Cæſaris partes eſt ſecutus. Sunt ergò dolenter et cum grauitate pronunciãda hæc.* Erit, erit.] *Geminatio ad confirmationem.* Vt ſpero.] *Non uult grauius dicere.* Quanquã quis.] *correctio, qua reuertitur ad armorũ interpretationem, & uoluntatem Pompeij ex facto eius oſtendit.* Verſiculo.] *Commendatione.* Satis.] *Epiphonema, quo concludit collectam ſententiam.* Qui legem.] *De hac rogatione locutus eſt in refutatione, ante narrationem. Breuiter repetit præiu-*

*dicium de Pompeio.* Quòd uero.] *Occupatio, quam ſoluit eodem argumento, & in contrarium uertit. renouat enim locũ exordij, quo curſus amouet metũ à iudicibus, cauſam armorum in contrarium uertendo.* In illo loco.] *Ad ærariũ.* Praſidiorum.] *Armatorum hominum.* Sedet.] *Neque enim præſens erat in Milonis iudicio.* Suo iure.] *Vt Conſul: locus ex deſtinatis.* Heſternam concionem.] *Quam Numatius Trib. plebis habebat contra Milonem.* Nec uero.] *Altera pars confirmationis, qua extra cauſam inducit comparationem criminis, eandẽq; grauiter tractat cũ acerbiſſima Clodianæ uitæ inſectatione. eſtq; hic ſtatus aſſumptiuus.* Clodianũ crimẽ.] *Id eſt, Clodij cædes.* Ignarus atque expers.] *Catapophaſis, Ironiæ ſpecies.* De qua ſi.] *ἐκ περιουσίας ex abũdãti ſe oſtendit altera parte defenſionis uti.* Vt dilui.] *Per coniecturã & translationem ſ. in aduerſarium ipſum.* Atque mentiri.] *Confiteri data opera interfectum, ut inſidiatorem.* Occidi, occidi.] *Extenuat crimen Melij, ut Clodij amplificet. idq; per* [illegible] Non Spur. Melio.] *Collatio exẽpli à minori.* Annona.] *Caritate.* Collega.] *M. Octauio Trib. pl.* Quorum.] *Melij & Gracchi.* Auderet enim.] *Inſerta parentheſi mollit ſententiam, quæ alioqui durior fuiſſet.* In puluinaribus.] *Sub operto Bonæ deæ. Eſt autem ampla & criminoſa exaggeratio in uitã Clodij.* Qui ciuem.] *Id eſt, me Ciceronem,* Ademit.] *Scilicet Ptolemæo regi & Deiotaro.* Voluit.] *Scilicet cum Gabinio & Piſone.* Cædibus in foro.] *De hoc in oratione pro Seſtio.* Ciuem.] *Pompeium.* Nec in facinore.] *Facinus hic ad malitiam, libido ad intemperãtiam refertur.* Memoriam.] *Flagitioſũ ſuorũ.* Tabulis publicis.] *Quibus acta cenſorum continebantur.* Eum denique.] *Attende uehementiam orationis.* Calũnia litium.] *Fraude & calliditate litigandi, ſiue callida & malitioſa iuris interpretatione.* Vindicijs.] *Litibus uindiciarũ. Vindiciarum autem actione de rei poſſeſſione apud Prætorem certabatur.* Sacramentis.] *Deſcriptionibus pecuniarum ad ſacrũ. quod genus actionis ſponſio uocabatur, quia ex ſponſione naſcebatur: nempe cum certa pecunia interpoſita litigabatur, uter rem, qua de lis erat, obtineret. ea pecunia deponebatur ad ſacrum, & finito iudicio, is qui uicerat, ſuam pecuniam recipiebat, uicti autem relegebantur in ærarium, unde & ſacramẽta appellata.* Cn. Pompeium.] *uide num Q. Pompeiũ legendum ſit, quia Pompeij nomen conuenire non poteſt.* Decẽpedis.] *Agri menſoribus.* Ianiculo & Alpibus.] *Id eſt, urbẽ Romam ad alpes uſque.* Lintribus.] *Nauiculis minoribus.* Atque arma.] *Ad prohibendum dominum, ſiue poſſeſſorem.* Cui uiro.] *Amplificat à perſona, antequã ſententiã finiat.* In domum.] *Ac proinde religioſam domũ facturũ, ut ius domus periret. Res enim religioſæ nullius iuri ſunt ſubiectæ.* Quæ inuidia.] *Videtur aliquid deeſſe.* Quanquã hæc quidem *Correctio ad augendam contentionem eorum quæ ſequũtur. adiungit enim etiam quæ facturus fuerit Clodius, ſi ſuperuixiſſet.* Neſcio quo modo.] *Ad amplificationem pertinet.* Percalluerat.] *Callum duxerat.* Quæ.] *κατ' ὑπόθεσιν effert ea, quæ impendebãt Reip. ſi ſuperuixiſſet Clodius.* Imperium.] *Si prætor factus fuiſſet.* Omitto.] *Præteritio, amplificandi cauſa.* Tetrarchas.] *Sic dicebantur, qui regnis in quatuor partes diuiſis præerant.* Mitteret.] *Tanquã fera & bellua. habet enim emphaſim.* Pecunias.] *Pecunias bis legendũ eſt, ut ſequatur, Pecunias dico: ut ſcilicet repetatur uerbum per correctionem.* Fingi hæc.] *Adſeueratio eorũ quæ dicta ſunt, ad confirmationem, per αἰτιολογίας.* Seruorũ.] *Declarat.* Quamobrem.] *Concludit, per proſopopœiam inducta Milonis perſona.* A ceruicibus.] *Id eſt, à uita noſtra.* Vt ius, æquitas.] *Quæ ſcilicet omnia Clodius unus uiolarat.* Eminere.] *Ironia, ut acrior ſit ſententia.* Nunc enim.] *ἀντίθεσις recta, non figurata. habet autem uim teſtimonij.* Nunc enim.] *Confirmatio ex approbatione & lætitia populi Romani, quã breuiter comparatione amplificat.* Profuiſſe.] *Sublato pernicioſo ciue Clodio.* Nequeo uetera.] *Auget lætitiam populi Rom. per cõparationem.* Victorias.] *Vt Pompeij & cæterorum.* Mãdate hoc.] *Concludit.* Spero multa.] *Excitat attentionem, & confirmat melius fore Reip. Interfecto Clodio.* Viſuros.] *Clodio interfecto percepturos. metonymia, ab oculis ad animum.* Hunc ipſum annum.] *A tempore.* Conſule.] *Pompeio.* Concuſſa.] *Debilitata. Metaphora ab ædificijs, quæ concuſſionibus deijciuntur.* Conſtitutis.] *Id eſt, ordinatis & confirmatis.* Num quis igitur.] *Subiungit adſeuerationem.* Arbitretur?] *Quaſi dicat, Nemo.* Quid? ea.] *Auget ordinem, & inducit aliud membrum amplificationis, nempe de priuatis periculis & commodis.* Non timeo iudices.] *Occupat, & remouet priuatæ affectionis obiectionem.* Etenim.] *Interpretatur odium, à perſona Clodij.* Non poteſt dici.] *Epiphonema.* Quin ſic attendite.] *Efficax ὑπόθεσις ex contrarijs, quam tractat euidenter per imaginationem, colligendo metum Clodij in ipſis iudicibus.* Huius conditionis.] *Id eſt, fingite me poſſe efficere, ut abſoluatis Milonem.* Quid uultu extimuiſtis?] *Fingit ſe animaduertere pallorem iudicum Enthymema ex minori: Si mortuus horrori eſt Clodius, quãto magis ſi uiuus eſſet.* Quid? ſi ipſe.] *Auget idem argumentum à perſona Pompeij.* Etiã ſi propter.] *Reſpondet per correctionem.* Non feciſſet.] *Non reuocaſſet.* Eius igitur.] *Concluſio ex contrarijs.* Lata quæſtio eſt.] *Id eſt, rogatio lata de quæſtione, de iudicio, metonymicῶs.* Huius ergo.] *Accommodat argumentationem ad cauſam, & à diſſimili exemplo amplificat ad indignitatem.* Imperaturus.] *Scilicet impunitatem. uehemens aſſeueratio.* Græci homines.] *Ab exemplo Græcorum. Eſt autem ex minori ſeu diſſimili: Græci hæc faciunt, igitur & uos debetis facere. uel, Si Græci, &c. Igitur uos inique facitis, ſi idem non facitis, &c.* Deorum.] *Id eſt, diuinos.* Quæ.] *Explanat per admirationem.* Religionem.] *Diuinum numẽ.* Ad ſuppliciũ.] *Quod indigniſſimũ eſt.* Cõfiteretur, cõfiteretur.] *Exclamatio hypothetica ex cõſequẽtibus, qua occurrens obiectioni, ad inſidiarũ defenſionẽ reuertitur.* Quod certe ei.] *Obruit argumentatione rerum, & uerborũ copia.* Etenim.] *Argumentatio à maiori.* Ex quo etiã præmia.] *Quia minus eſt uenia quàm præmium, ex minori uel comparatis per interrogationem format enthymema.* Niſi uero gratius.] *Occupatio per ironiã.* Veſtri ordinis.] *Senatorij et optimatium.* Si factũ uobis.] *Altera pars cõplexionis. Oſtẽdit autẽ, reum cauſam mentiendi non habere, ſiue erga confitentẽ grati eſſe uelint, ſiue ingrati.* Quanquã qui poterat.] *Hoc quia durius eſt, mollit interpoſita parẽtheſi.* Sed tamẽ.] *Reſumptio.* Cecidiſſet.] *Eueniſſet.* Nam quid eſſet.] *Ex ui finitionis probat, ciuitatẽ ingratam fore, niſi meritũ præmium Miloni perſoluat.* Lugere.] *ἀντίθεσις, qua res ſit acrior.* Quanquã hoc animo.] *Correctio, qua redit ad animum Milonis, & docet eũ magno & conſtanti animo confeſſurum eſſe, ſi inſidiator eſſet.* Semper omnes.] *Facit cauſam communem in opprimenda coniuratione.* Nam quæ mihi.] *Profert exemplum ſuum, ad confirmationẽ: ut probet, fortes uiros æquo animo ſubire pericula.* Laus eſſet.] *Scilicet in opprimenda coniuratione Catilinæ.* Dimicationibus.] *Periculis, inuidia, etc.* Quæ mulier.] *Alia probatio ex differentibus.* Propoſita inuidia.] *Epiphonema, cũ definitione fortis uiri.* Populi grati eſt.] *Eandẽ ſententiã iterat, & hoc diſtributiue.* Quamobrem uteretur.] *Concludit per exempla.* Et ſi grata.] *Repetit argumentationem.* Conſcientia.] *Præclari facinoris.* Sed huius beneficij.] *Probauit hactenus*

à uita

à uita Clodij: item à contrario, mortem eius puniendam non eſſe. Probat deinceps à deorum uoluntate, quorum nutu ſit interfectus: nempe quòd & Rempublicarum curam habeant, idq; contra Epicureos: & quod illius ſceleribus offenſi, pœnam de ipſo ſumere tandem uoluerint. quibus argumentis quanquã coniecturalibus probat, iure occiſum Clodium. Et pertinet hic locus ad remotionem criminis, quo culpa remouetur à Milone, et facti cauſa confertur in deos. Sibi deberi.] Non Miloni, quamuis manũ adhibuerit. Nec uero quiſquã.] Propoſuit rem, deinceps explanat & confirmat. Magnitudo.] Quæ eſt ex diuino beneficio. Quod maximum eſt.] Amplificatio. Qui ſacra.] Ratio à pietate: & dicuntur hæc omnia in Epicureos. Auſpicia.] Tanquam conſolationes diuinæ uoluntatis erga nos. Et eſt profecto.] Confirmatio ex minore. Et eſt.] Aſſeueratiua particula. Atque in hæc.] A natura humana. Niſi forte.] Occurrit imperitis hominibus, qui non credunt, niſi uideant: & irridet. Perinde quaſi.] Ex ſimili refutat errorem iſtum. Ea uis.] Concluſio. Quæ illam perniciem.] Argumentum ex cauſa finali. Si ea uis diuina eſt, ergo uoluit Clodium perire: & deſcribit quomodo perijt. Non eſt humano conſilio.] Exclamatio ad amplificationem præcedentis argumentationis, quam tractat ex eodem loco & inſectatione uitæ Clodianæ. Religiones.] Addit alia argumenta coniecturæ: & citat teſtes ipſas aras & tumulos, per inuocationem. Vos enim.] Erumpit iam liberius. Albani tumuli.] Qui iminebant Appiæ uiæ, in qua Clodius occiſus fuit. Obrutæ aræ.] Ex hiſtoria hoc pendet. Alba enim diruta, hæc omnia Romam translata ſunt, hinc Vergil. illud, Albaniq; patres, &c. Latialis.] Quod Latio præeſſet. Erat autem in monte Albano, cui quotannis Latinis ferijs populus Rom. ſacrificabat. Aperuiſti.] Subiungit cauſam. Vobis ueſtro.] Geminatio adfert uehementiã orationi. Niſi forte hoc etiam.] Ironica occupatio, qua admiſcet argumenta à loco cædis & funere Clodiano. In fundo.] Argumentum coniecturæ à loco. Vulnus.] A gladiatore uno Milonis inflictũ. Iudicio illo.] Quod ſubierat propter pollutas ceremonias, abſolutus à corruptis iudicibus, quos in quadam epiſtola Cicero conſtupratos uocat. Nec uero non.] Aliud argumentum ex funere Clodij. Cantu.] Scilicet funebri. Funere.] Id eſt, pompa funeris. Oblitus.] Fœdatus: à lino. Non fuiſſe credo.] Exclamatio, qua dictorũ cauſam adfert, cur his ornamentis priuatus fuerit. Formas.] Imagines, quæ præferebãtur. Lacerari.] Odioſum uerbum, pro comburi, ſiue cremari. In foro autem crematus eſt, ubi ob uitia ſua etiã ſæpe condemnatus eſt. Dura mihi.] Redit ad uitam Clodij, quam denuo graui criminatione exaggerat, ut dijs illum fuiſſe inuiſum oſtendat. Inſultare.] Velut uictorem in uictos, cum quadam exprobatione. odioſum uerbum. Polluerat ſtupro.] Breui enumeratione inſectatur Clodij ſcelera. multum autem ponderis adfert, occiſum eſſe hominem talem, tamq; pernicioſum. Reſciderat.] Pulſo Cicerone, & in tentandis actis Pompeij. Nefarium bellum.] Id eſt, inimicitias, inſidias. oratoria auxeſis. Magiſtratuum priuatorumq;.] Scilicet in foro, cum rogatio ferretur de Cicerone reuocando. Fratris.] Quinti. Eiecerat.] Vt coloniam nouam conderet. Ciuitas, Italia.] Incrementum. Incidebantur.] In æs, antequàm à populo probarentur: id quod arrogantiæ erat. Domi.] P. Clodij. Intelligit autem legem Clodij, qua libertini in ruſticis etiã tribubus ſuffragia ferrent, non minus quàm in urbanis. erant autem tribus ruſticæ propriè ingenuorũ, & alijs multo digniores. Noſtris ſeruis.] Pro libertinis. omnia odioſe. Hoc anno.] Sequenti, quo futurus erat prætor. Obſtabat eius.] Concludit argumentationem, & interim ad coniecturam inſidiarum reſpicit. Habet enim hic locus uim epilogi, uſque ad perorationem. Cogitationibus.] Conſilijs. Cn. Pompeium.] Probat enumeratione, quod de Milone dixit. Suam potentiam eſſe.] Id eſt, ſecum ſentire Cæſarem. Meo caſu.] Id eſt, exilio. Hic dij immortales.] Redit ad argumentationem exclamando, & locum amplificationis concludit omnia autem ſpectant ad probandum diuinum conſilium. Nunquam illum.] Adiungit coniecturam, Clodium aliter perire non potuiſſe. Credo.] Εἰρωνεία. Circumſcripſiſſet.] Id eſt, coercuiſſet, poteſtatem minuiſſet: quanquam paulo mitius eſt uerbum hoc. Circumſcribimus enim decretis & edictis, coercemus ui. Intelligit autẽ diminutionem poteſtatis prætoriæ. In priuato.] Ex minori: Si priuatus coerceri non potuit à Senatu, minus igitur cum poteſtate coercebitur. Conſules.] Scipio & Hypſeus. Priuum Milone.] Facit argumentorum partitionem. Tribunum.] Intelligit forte Vibienum ſenatorẽ, qui in turba interfectus eſt, cum Cicero abiret. niſi malis legere Tribunitium, ut Clodium intelligat: ſicut per Conſularem, Milonem. aut potius intelligit Ciceronem, hoc eſt, ſeipſum: ſed tunc pro Necatũ legendum erit Electum. atque ita magis hiſtoriæ quadrabit, & recte Tribunum legeris. Virum conſularem.] Scilicet Ciceronem. Omnia poſſideret.] Epiphonemate concludit, & mox addit futura etiam ſcelera Clodij, niſi numine deorum oppreſſus eſſet. itaque amplificat per contentionem, ex minori. Lege noua.] Quæ lex fuerit, non conſtat: niſi forte eandem intelligit, qua de antea dixit. Effœminatus.] Impar uirtuti Milonibus. An ille Prætor.] Confirmatio ex morte Clodij per cõparationem à minori. cæterum interrogationibus grauius inſtat. Si modo.] Corrigẽdo exaggerat. Quo quid miſerius?] Delabitur ad indignationem, quam uehementer tractat & auget ex circunſtantijs. Mire autem confert inuidiã in Clodium, quamuis defunctum, & amplificat ex incendio curiæ. Templum ſanctitatis.] A templo, & loci dignitate. Amplitudinis.] Ampliſſimi ordinis Senatorij. Aram ſociorum.] Id eſt, profugium: nam ſocij affecti iniuria Romã confugiebant ad Senatum, & inde petebant præſidium ſuarũ calamitatum. Inflammari, excindi.] Auxeſis. Funeſtari.] Hoc dicit propter cadauer Clodij. Neque.] Auget indignitatem à perſona. Ab uno.] Clodio, qui dux funeris erat, & concitauerat multitudinem contra Senatum & Milonem. Quid ſignifer.] Ex maiori. Abiecit.] Odioſe, pro intulit. Et ſunt qui de uia.] Amara indignatio, qua occurrit obiectioni accuſatorum. Forum.] Id eſt, iudicia et leges, per metonymiam: id eſt, quæ in foro tractantur. eſt autem enthymema ex repugnantibus, non re, ſed uerbis. Excitate, excitate eum.] Conceſſio inſultantis per exclamationem, εἰρωνικῶς. Furias inſepulti.] Significanter dictum, quaſi furiæ adhuc uexent Remp. quamuis defuncto Clodio. eſtq; argumentum ex minori. Inſepultum autẽ uocat, quia non totus fuit crematus. Niſi uero.] Occupatio. Qui cum facibus.] Hæc facta ſunt, cum ardente curia Milo rediiſſet in urbem, & à M. Cælio Tribu. pleb. in concionem productus fuiſſet. nam concionem Clodiana turba, magna cæde facta, diſturbauit. Cum falcibus.] Scilicet, neceſſarijs, cum arma deeſſent: qua de re etiam Aſconius. Volitarunt.] Diſcurrerunt ad perſequendum Milonianos. Vir fortiſſimus.] Obiter laudat Cælium. Singulari.] Ad fidem refertur, non ad fortunam. Sed iam ſatis.] Peroratio, quæ conſtat deprecatione, cum magno affectu & uehementia. De cauſa.] Id eſt, crimine inſidiarum. Cauſam.] De uita Clodij. Propria enim cauſa eſt, crimen inſidiarum. extra cauſam uero, comparatio criminis: Satius eſſe occiſum Clodium ciuem pernicioſum, &c. Nolite ſi in noſtro.] Propoſitio. Quia autẽ præfracto Milonis animo uidebantur offendi iudi-

cet, mire inuidiã contumaciæ conuertit in laudem fortitudinis, atque inde alijs quoque argumentis additis mouet cõmiſerationem, magna ui & cõmoditate orationis. Nam primo agit placatius pro habitu animi paulatim moueri incipientis. deinde liberius erumpit, atque ardet uehementius, donec ſumus doloris affectus occuparit. Etenim.] Probatio ex minore. Eorumq́;.] Repetit eandem ſententiam. Quanto.] Redditio. Me quidem.] Erumpit liberius in affectum, & inducit Milonem æquo animo fortunam ſuam ferentem: quo ſcilicet uirtutem eius & conſtantiam exprimat. In quibus primo æquanimitatem in caſu ſuo oſtendit Milo, cum ſingulari charitate patriæ coniunctam: dum optat, ut illa ſit ſalua, quamuis ipſe expellatur. mox merita ſua commemorando, fortunam accuſat. Tranquilla.] Ob mortem P.Clodij. Liberam ciuitatem.] Maſſiliam intelligit. in ea enim exulauit. O fruſtra, inquit.] Exclamat liberius etiam; & fertur in dolorem plenis, ut aiũt, uelis, ad mouendum cõmiſerationem, merita ſua erga Rempub. commemorans. O ſpes.] Exclamatio fortunam accuſantis.] Ego cũ Tribunus.] Dicit ſe grauia paſſum in tribunatu, ut defenderet Remp. contra furorem P.Clodij. Oppreſſa.] A` P.Clodio. Ego cum.] Enthymema: Si ille locum habet in urbe qui reſtitutus eſt, quanto magis habere debet qui reſtituit. Vbi nunc.] Obiter conqueritur, ſe deſertum à Senatu. Illi, illi.] Obliqua exprobatio beneficij. & non ſolum amplificat, ſed confirmat etiam rem illa geminatio. Voces.] Sermones. Mihi'ne ea.] Cum commiſeratione pronunciandum eſt, & dolore. Nec uero hæc.] Occurrit inuidiæ flebilioris querelæ, ne nimis impotenter dolendo ingratitudinẽ exprobare uideatur. Vultu.] Scilicet immutato. Negat enim ſe.] Explanatio eſt præcedentis. & redit ad perſonam ſuam, & tum animum Milonis, tum beneficia in Remp. commemorat. Plebem & infimam.] Obiter reſpicit ad cauſam, & remouet inuidiam largitionis in plebem factæ. Hanc autem largitionem fecerat ſtatim poſt interfectum Clodium, quæ res magnam inuidiam Miloni afferebat. Commemorat.] Apud me. Patrimonijs.] Paterno, materno, et eo quod à C. Annio auo materno acceperat, à quo fuerat adoptatus. Deliniret.] Mulceret, placaret, ſedaret. Senatum erga ſe.] Refert conſolationẽ Milonis. Veſtras.] A` ſtudijs ordinum. Argumentum ex iudicio & exiſtimatione populi de Milone. Occurſationes.] Quæ fiunt honoris cauſa: id eſt, beneuolentiæ ac ſtudiorum ſignificationes. Occurſamus enim illis quos amamus, quorumq́; uitã ac mores cõprobamus. Secum ſe ablaturum.] Id eſt, ſe expertum eſſe: Synecdoche: ex conſequentibus præcedens intelligitur. Meminit etiam.] A` ſuffragio conſulatus. Vocem præconis.] In renunciatione conſulatus. Suſpicionem.] Largitionis: & ſimul inuidiam eius purgat. Addit hæc que.] Ex habitu animi ad uirtutem omnia reuocãtis. Largitiones autem factas intelligit, quaſi eas Milo feciſſet ad corrumpendum populum. nam eius quoque rei inuidia premebatur. Premia.] Honores et magiſtratus. Ea res.] Quod patriam liberarit à periculo. Vicerint.] Qui nulla beneficia acceperint honorum. Sed tamen.] Ex gloriæ amplitudine, quam amplificat in Milone, per locum communem. De me, inquit.] Relabitur in προσωποποιΐας, & opinionem Milonis de gloria oſtẽdit: Quia fortes uiri ſicut contenti ſunt gloria, ita honeſte prædicare eam ſolent. Qui in hoc tempore.] A` circunſtantia temporis etiam auget. Faces inuidiæ.] Significanter & ornate dictum ad amplificationem. Metaphora ab incendio. eſt autem inuidiæ datiuus. Omitto.] Commemorat, quam gloriam habeat apud exteros. Inſtitutos dies.] Ob interfectum Clodium. Laboro.] Curo. Hæc tu mecum.] Ad ſuam perſonã nũc redit, ne quid intentatum relinquat. Te quidem.] Conuertit ſe ad Milonem. & initio placatius loquitur, deinceps uero erumpit uehementius, & querelam inducit ad cõmiſerationẽ. Eriperis.] Condemnaris, in exilium ieris. Vulnus.] Condemnationẽ. Non enim.] Declarat quod dixit. Amiciſſimi.] Ad miſericordiam pertinet. Nullum.] Erumpit liberius in affectum. Inureſti.] Metaphora à ſtigmatibus, quæ ſeruis fugitiuis inurebantur. Obliuio.] Scilicet noſtrorum in me beneficiorum, maxime reditus mei. Præclare.] Epiphonematicῶs cauſam ſubdit, cur ipſe ſe puniri quàm Milonem malit. Nunc me.] Conſolatio. Commemorat autem charitatẽ Milonis, propter ſumma in ſe beneficia, ut dolorẽ amplificet. Milo enim auctor fuerat reditus Ciceronis. Defuit.] Significat ſe omnia illi exhibuiſſe, in hoc præſertim iudicio. Potentium.] Pompeium in primis intelligit. Supplicem.] Id eſt, plurimos pro te ſupplex oraui. Vite eſt parata.] A` Clodianis. Depoſco.] Id eſt, paratus ſum. Quid iam reſtat?] Dubitatio pathetica, quaſi deficientis, & uelut conſumptis iã omnibus, quæ animi ſui amplificationem faciũt. Non recuſo.] Exclamatio. Erumpit autem ex impetu doloris, & uiolentius deprecatur. Non abnuo.] Scilicet ut peream cũ Milone. Augeatis.] Id eſt, ampliora faciatis. Occaſura.] Hæc eſt ueluti uiolenta deprecatio. His lachrymis.] Occurrit inuidiæ Milonis, cuius conſtantiã miratur, quòd ita parum cõmoueatur. Septus.] Firmatus, munitus. Locus.] Omne ſolum forti uiro patria. Quid uos iudices?] Appellat clementiam iudicum, & auxilium circunſtantis coronæ implorat. In quo uide, quomodo in affectu etiam ad cauſam reſpiciat. nam idcirco mouet iudices, ut eripiat Milonem: & indignitatem damnationis oſtendit. Hanc uirtutem.] Milonem fortiſſimũ uirum. Vos, uos appello.] Imploratio uehemens ad circunſtantem coronam. Præſentibus.] Id eſt, iudicium defendentibus, præſentibus ad auxilium. O` me miſerum.] Relabitur ad conqueſtionem. Rurſus enim exæſtuat dolor, dum ſubit meritorum Milonis recordatio. nam uario motu erumpit oratio pro habitu animi perturbati, & tãquam fluctibus modo in hanc, modo in illam partem iactatur. Per hos.] Scilicet iudices. Quid tibi Q. frater.] Apoſtrophe ad abſentem. erat enim in Gallia cum C. Cæſare. Conſorti.] Socio. Me.] Ἐμφατικῶς, id eſt, Ciceronem, qui ſæpe Rempub. ſeruauit. At in qua cauſa.] Indignitas ex circunſtantijs. Quod nam.] Iterum exclamat, renouat dolorem, dum ſe cauſam eſſe cogitat periculi Milonis propter reditum ſuum, & inimicitias Clodianas. Indicia.] Catilinæ coniurationis. Omnes in me.] Ἐπιφώνημα. Quid me reducẽ.] Amplificat à ſuo reditu. Nolite.] Ratio ex repugnantibus. Nẽ qui.] Explanat. Ex repugnantibus ratio. Vtinam.] Optat quod ſibi acerbiſſimum foret. ex quo doloris uehemẽtiã oſtendit. Pace tua.] Παρενθέσεις mitigat. O` dij immortales.] Iterũ admiratur Milonem, quo iudices flectat. Minime, minime.] Inducit loquentem. Hiccine uir.] Ex perſona ſua. Monimenta.] Memoriã Milonis. Corporis.] Ex minori. Hunc ſua.] Ex contrarijs. O` terrã illam.] Præ dolore abrumpit orationem, quem ſuſtinere amplius nõ poteſt. Sed finis ſit.] Lachrymæ uocem intercludunt, ut loqui amplius nequeat. Vos oro obteſtorq́;.] Extrema admonitio ad iudices, qua cohortatur ut libere pronunciant. & eſt abrupta concluſio.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO C. RABIRIO POSTHVMO. IO. TISLINI COMMENTARIVS.

## ARGVMENTVM.

P TOLEMAEVS Auletes Aegypti rex à ciuibus ſuis regno propter exactiones nimias, & uitam quaſi muliebrem pulſus, Alexandria relicta, Romam nauigauit. Sic enim ſperabat regnũ armis Cæſaris & Pompeij poſſe recuperare. Itaque primum Romæ Pompeio ſe ſic inſinuauit, ut cum eo per Pompeium Senatoribus multum commendato, benigneq́; ſuſcepto, Romani fœdus in Capitolio percuſſerint. Interea uero Aegyptij Ptolemæum, qui clàm aufugerat, mortuum credentes, regnũ Beronicæ filiæ natu maximæ, et Cybioſati Syro eius marito detulere. Hocq́; paulo poſt, ob morum ingenijq́; illiberalitatem electo, Beronice nubit Archelao, & Aegyptij Romam centum mittunt oratores: quos ne qua de ſe perueniret ad Senatum querela, Ptolemæus partim occidi iuſſit in itinere, partim pecunia corruptos domum remiſit. Inde agitur in Senatu de reductione, & legatorum cæde. Sed cum id à Senatu impetrari poſſe deſperaret Ptolemæus, relicto Hammonio legato, & aliquot collegis, in Cyprum profectus eſt. Hammonius autem et collegæ, uarijs Senatũ corrumpentes largitionibus, impetrant, ut in regnum per Imperatorem Romanũ reduceretur. Atque interea dum hæc aguntur, Rabirius Poſthumus ad hæc regi inopi & roganti rurſus pecunias à prouincia receptas credit, ne quas iam antea crediderat amitteret. Ptolemæus ſubinde Gabinium, qui legationes in Syriam traduxerat, rogauit, ut ductis in Aegyptum copijs, regnum ſibi reſtitueret. Quod licet, cæteri, qui ducebant exercitũ, minime eſſe ſuſcipiendum cenſerent, Gabinius tamen tũ decem millibus talentũ quæ rex pollicebatur, per auaritiam captus, tum à M. Antonio ſuaſus perfecit, regnũq́; interfecta Beronice ac Archelao eius uiro recepit. Inde C. Memmius tunc Gabinio infenſus, C. Rabirio Poſthumo huius amico dictat actionem repetundarum. Atque Cicero hanc orationem pro Rabirij defenſione habet. Cuius confirmatio in duas partes diuiſa eſt. priore in hoc intendit, ut actionem competere in Equitem Romanum neget: altera, nullam ad Rabiriũ pecuniam publicam perueniſſe confirmet. Statum tamen principalem dico in eo, quod eſt potentius, Nullam pecuniam perueniſſe ad Rabirium. Neque ignoro, ante triennium me aliter exiſtimaſſe. Sed puderet uiuere, ſi non quotidie inuenirem meliora. Ergo ſtatus huius orationis & quæſtio coniecturalis eſt, An publica pecunia peruenerit ad Rabirium?

## DE GENERE, CHARACTERE, ET PARTIBVS ORATIONIS.

O RATIO iudicialis eſt, in ſublimi charactere compoſita Nam habet defenſionem Equitis Romani, & magnifica ſchemata: & eſt de rebus regijs & ad Rempublicam pertinentibus, partes uero ſunt, Exordium, Narratio, Confirmatio, Refutatio, & Peroratio. Cæterum hoc loco percommodum eſt, ut intelligatur, quo'nam ordine confirmationem perficiat, Igitur in ea primum occupatione defendit Senatum, deinde Gabinium. Poſtremo ad cauſam Rabirij gradum facit, & locis conuenientibus refutationem intermiſcet confirmationi.

F Acturus operæ pretium uideor, ſi quandam initio diſpoſitionem, ac quaſi primas huius exordij lineas deſignaro: poſtea tum ad inuentionem & elocutionem, tum ad reliqua quæ indigent expoſitione uenturus. nam hic ordo magnam adferet utilitatem. Primum quod ſic expoſita cognoſcentur facilius, cum ſita ſuis locis, et qualia ſit præſeferentia, cõmodiorem imitandi uiam præbebunt. quæ præcipua debet eſſe cura, quamobrem auctores legantur. Deinde iudicium lectoris minus præpedietur. rerũ multitudine, quæ cõfuſionem potius parit, quã intelligẽtiã. Multas igitur habet utilitates hoc interpretandi genus. nam præter id, quod certius nobis iudicium reddit, etiam iuuat ad ſcribendum. Exordium ergo, quod prolepſim habet ſtatim in fronte, diſtributũ eſt iu propoſitionem, rationẽ propoſitionis, aduerſatiuã particulã, quæ amplificatur exemplis: et petitionem. quæ profecto ſingula in hoc propemodum Syllogiſmo uerſantur. His ignoſcẽdum puto, qui parentũ ueſtigijs inhærentes lapſi ſunt imprudentia: Rabirius paternam ſequens profeſſionem, cõmodando regi Ptolemæo pecunias, lapſus eſt: Igitur Rabirio parcendum. Sed ad expoſitionem ueniamus. Si quis eſt iudices.] Propoſitio eſt exordij per prolepſim, ducta ab auditorũ, litigatoris, & ſua perſona. Nam quando ſuũ & Rabirij iudiciũ conuenire dicit auditorũ opinioni, quid aliud facit, quã beneuolentiam ab his perſonis captare? Quod quò faceret commodius, à Trochæo pulchre exorſus eſt, pede duplicatis ſententijs conueniente. Cæterum oportet rudiores, in quorum gratiam hæc ſcribimus, hic aduertere animũ, quomodo iudices, ſine ullo appoſito, quod uulgus epitheton uocat, dictum eſt. quod ideo dico, quoniam hoc tẽpore, quo aſſentationibus plena ſunt omnia, multi in exordijs perperam utuntur epitheto: quod cum apud iudices dicimus, facere non oportet. Nam ſecus eſſet, ſi uel apud Imperatorem, uel apud regem haberetur oratio, propterea quòd hoc hominum genus libenter huiuſmodi blãditias audire ſolet. Quod ex principio declamationis Fabij pro Milite contra Tribunum facile datur intelligi, cum ait: Etſi nihil minus cõuenire uidetur partibus aduocati, Summe Imperator, quàm reo capite periclitanti ſubſidiũ miſerationis auferre, memor tamen pro quo, & apud quem loquar, audacter, atque (ut ſpero) tuto profiteor, morem tuum quidquid afferat caſus ſub ipſo fortunæ minãtis ictu ſtare ſecurum. Summe, inquit, Imperator. Ergo tantũ apud principes locus erit epitheto, non apud iudices. Quod ſuæ.] Inſerit rationem, ut ſtatim in principio plena et circunducta uideatur oratio. Suæ fortunæ.] Verũ diuitiarum: ut in Lælio: Sæpe enim, inquit, in quibuſdã aut animus abiectior eſt, aut ſpes amplificandæ fortunæ fractior. An incertæ rei? nam ut Donatus ait, fortuna dicta eſt incerta res. An fortunã ſimpliciter pro eo qđ Græci τύχην dicunt, poſuit? Fundatas.] Bene collocatas, ut ſit à ſubſtructionibus & ædificijs translatio: nam fundare, propriũ fundamentũ iacere ſignificat. Atque optime conſtitutas.] Optime diſpoſitas, & ſimul bene ordinatas. Neque uero ineleganter, imo recte diſtinguit hæc duo: cũ illud ſit initij, hoc ordinis. Sic Plautus in Milite: Nam mi patrone hoc cogito, ubi probus eſt architectus, bene lineatam ſi ſemel carinã collocauit, facile eſſe nauẽ facere, ubi fundata et conſtituta eſt. Huc etiam illud addidiſſe fortaſſis nõ fuerit alienum, Ciceroni Tuſc. quæſt. lib. 2. corpus bene conſtitutũ dici, quod nunc à medicis neſcio an ſatis latine, bene complexionatum uocari audio: Metrodorus, inquit ille, eũ perfecte putat beatũ, cui corpus bene conſtitutũ ſit, & exploratũ id ita ſemper fore. Opes.] Cicero alibi diuitias eſſe putat ad uſum neceſſarium, opes autem ad

magnificentiam: ut cũ quis plures equos, aut canes uenaticos habet. Libidini.] Voluntati regis Ptolemæi. Sic Terentius in Phor. dum libido eadem hæc manet. Libidinem protulit in bonã partẽ in Catil. Salluſtius. Magiſq; in decoris armis & militaribus equis, quàm in ſcortis libidinem habebãt. Et ad Cæſa. Quod ſi tibi bona libido fuerit patriæ Ergo libido μέσος eſt uocabulũ, ut gloria. Commiſeris.] Seruandas dederit. Committimus autẽ proprie, quæ magno uolumus eſſe periculo ſeruata. Reprehendendũ.] Mirum ꝙ non accuſandum dicat, ſed ſimpliciter, & per extenuationẽ reprehendendũ. Adſcribat.] Addat, adiũgat. Atque hic manifeſte uides à perſona dicentis beneuolentiam, ꝙ opinionem et iudicium ſuũ aliorũ iudicio conuenire non deneget. Ad iudiciũ.] Latini frequenter repetunt præpoſitionem uerbo per cõpoſitionem additã: ut hic, adſcribat ad iudiciũ ſuum, dictum eſſe uides. Non modo.] Dirimens copulatio ad orationis amplitudinẽ: & eſt beneuolentiæ locus à perſona dicentis. Huius.] C. Rabirij. Et eſt alter fauoris locus à perſona defenſoris. Hæc igitur exordij propoſitio pulchre continet beneuolentiã, & ob circũductionem, quæ erigit orationem, ac non ſinit eſſe languidã firmiorem: quod in exordijs fieri par eſt. Neque enim.] Ratio exordij plena beneuolentiæ, quã à perſona Poſthumi capta, dũ illi eius errorẽ diſplicere ait. Hanc multũ iuuat addita cõparatio. Quanquã hoc.] Epanorthoſis per ſententiã & locũ cõmunem. Euentis] In ſecũda flectendi forma et neutro genere Euẽtũ dici poteſt, quodcunque erit actum. Euentus autẽ in quarta, dicitur alicuius rei finis. uide cap. 7. lib. 1. apud Vallã. Ponderemus.] μεταφορικῶς à ſtatera, pro cõſideremus, examinemus. Proceſſerit.] Proſpere ceſſerit, & euenerit feliciter. Adijciẽda quoque illa ſignificatio, qua dicimus procedere idem eſſe quod progredi. nã hæc ad uerbi pertinent intelligentiã. Prouidiſſe.] Quæ uẽtura eſſent priuſquã fierẽt præcogitaſſe, & percepiſſe cogitatione futura. Iam uero illud expendendũ eſt, non modo bonũ, ſed etiã malum prouideri frequẽter: ut inſidias Imp. prouidet, medicus ingraueſcentẽ morbũ, & nauis gubernator futuras tẽpeſtates. Cui ſecus.] Hoc eſt, aliter quã bene proceſſerit. Si extitiſſet.] Cõfirmat correctionẽ, et per antitheſim ex ficto ſpargit purgationis ſemina. Nihil ſapientius Poſthumo.] Deeſt, eſſet, aut diceretur: & eſt ὑποβολή, quẽadmodũ in eo qđ ſequitur, nihil hoc amentius dicitur. quo loco iam primũ omniũ conſtat, quod in neutro genere potius, quã maſculino uel fœminino, & plenius & ſuauius quidpiã proferri ſolet tam in laude, quã uituperatione. Quare nõ dixit orator prudens, nemo ſapientior Poſthumo, uel amentior: ſed nihil ſapientius Poſthumo, & amẽtius. Vt iã nihil.] Ὑπέρβατον, cuius ordo debet eſſe: ut nihil ſapientis eſſe uideatur, niſi diuinare. Sed tamẽ.] Aduerſatiua particula, quæ à nõnullis uocatur Redditio ex aduerſo. eam tractat per deprecationẽ. Siue inanem.] Vanam, et eſt honeſta repetitio. Rationem.] Faciendi modũ. Ego eius opinioni non repugno.] Aſtipulor illi. Illud tamen.] Hic ne q's id ignoret aduertendũ, iſtic ſpargi ab oratore deprecatiõis futuræ ſemina. Mulctata.] Punita. Ne quid ad.] Hic quoque hyperbatõ eſt, cuius ordo ſic ſe habet, ne quid acerbitatis addẽdũ putet ad eas ruinas, quibus hic oppreſſus eſt. Ruinas porrò uocat dãna, quibus ad extremã paupertatẽ penè fuit redactus Poſthumus: quod mihi ſumptũ uidetur ab ædificijs ueteribus, quæ labũtur ob antiquitatẽ nimiã. Satis eſt.] Sententia & locus cõmunis cum affectu ad amplificandã deprecationis cauſam. Lapſos nõ erigere.] His, qui per imprudentiam errarũt, non ſubuenire. Vrgere uero iacentes] Intulit tandem malus. his autem uerbis exprimitur illa ſentẽtia, afflictis afflictionẽ dare ab omni humanitate prorſus eſſe alienũ: quinimo belluarũ potius eſt, quã hominis. Præſertim iudices.] Πρότασις, argumentationis mediocris, quæ ab hominum ſtudio naturáq; iuſtam demonſtrat eſſe deprecationẽ. Propè natura datum.] Quaſi natura comparatum. Stirpis.] Progeniei. Ad memoriam.] Hunc locum ſic putamus eſſe diſtinguendum, ut hominum ſermo, & patrũ uirtus intelligatur celebrari, ne tradatur obliuioni. Siquidem.] Probatio propoſitionis ab exemplo ueterũ. Quin hic illud adijciam, quod generatim ſummis ne digitis attigiſſe ſufficiet, Paulum hic Aemyliũ intelligi, qui rebus in bello clare geſtis percelebris fuit. Vrbes enim 270. in deditionem recepit. hic Scipionem glorioſiſſimũ eũ, qui patrem militari gloria uicit, ex Papyria Maſonis uiri cõſularis filia ſuſcepit. Filium etiam Aemylius habuit Max. Fabium, qui Romanis cunctando reſtituit rem. Huius filius etiam Fabius uocatus eſt, uir patre nulla in re uiſus inferior unquam. Et quoniam his gradibus huc uentum eſt, addamus etiã de P. Decio. Nam ad huius expoſitionem loci pertinet. Decius igitur pater cum ſe deuouiſſet, equo admiſſo in mediã aciem Latinorũ irruit: quod factum cum eſſet iure laudatum, imitatus eſt quarto conſulatu ſuo filius. Sint igitur.] Προδιόρθωσις, & exordij concluſio, quæ petitionẽ continet, & exemplorũ accõmodationem. Parua magnis.] Antitheton, σχῆμα rhetoricum. Fuit enim] Peruenimus nunc ad narrationem, ſecundã huius orationis partẽ. Nam ea hic principiũ habet, atque hic iuuenes intellexiſſe proderit, diuinũ oratoris ingeniũ, qui ſic ingenioſe eã, quaſi unũ corpus eſſet, adiũxit exordio, ut ab eo ducta uideatur, cum eius principiũ, quaſi petitionis rationem eſſe fingit. Itaque hæc narratio, ſi quis propius inſpiciat, non eſt tam cauſæ propria, quã rebus ad cauſam pertinentibus. Quod narrationis genus tum ab oratoribus adhiberi ſolet, cum uera rei geſtæ narratio magis ei noceret pro quo dicimus, quã prodeſſet. Nihil igitur de crimine exponit Cicero, ſed ad anteactam Poſthumi uitã recurrit, & principiũ narrandi ducit ex cauſis, quibus ad hanc uiuendi rationem adductus eſt Rabirius. Vide Fabiũ lib. 4. cap. de Narratione. Et maximus Publicanus.] Circa Publicanos, ut de hac re nũc agamus, illud habendum eſt, eos dici Publicanos, qui uectigalia & alios P. R. reditus, certo pretio cõſtituto redimebant. Inde uero Iuriſconſultus nomẽ tractũ putat, quod publico fruũtur. Apparet præterea ex hoc loco, publicanos equeſtris fuiſſe ordinis. Benignitas incredibilis.] Benignitatem hic accipit pro liberalitate. atque non dubiũ eſt, quin huius farinæ ſit illud Terentij in Eunucho. Num ſolus ille dona dat? Nũcubi ſenſiſti meam benignitatem in te claudier? Quid quod incredibilem pro magna dixit, per amplificationem. Ergo benignitas, hoc eſt, liberalitas: & incredibilis, magna. Vt in augenda re.] Ablatio inferens ad amplificandas laudes parẽtis. Bonitati] Generaliter in rebus ferè cunctis hominis eſſe bonitatem Latini putant. Hoc ille natus.] Hoc patrẽ, C. Curio: ille, Poſthumus. Quãuis patrem ſuũ nunquã uiderat.] Hoc ex agnomine manifeſtũ eſt Nam Poſthumi ſunt ὀψίγονοι, hoc eſt, qui poſt mortẽ parentis nati ſunt. Quæ plurimũ ualet.] Quis, ut ait ille, Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ. Domeſticorum.] Familiarium. nam domeſtici dicũtur qui ex eadem domo ſunt. Sermonibus.] Adhortationibus. Et hic oratorie uides probos Poſthumi mores narrari, ut uenia dignus eſſe uideatur. In paterna culpa.] Culpa eſt eius qui aliquẽ læſit, ſed inſciens. Ergo utrũ excuſauit patrem & filium! an & id quod ſequitur defenſione caret: Deductus eſt, inquit, nõ lapſus: quaſi nolens & reluctans pertractus. Multa geſſit.] Probatio ab antefactis per congeriem. Multa contraxit.] Articulus & repetitio. Sed cum uerborũ uis in primis cognoſcenda ſit, dicamus qui dicatur cõtrahere. Contrahit ergo, qui paciſcitur & cõuentionẽ facit. Quia et illud recẽſeamus, delẽdũ eſſe ex omni cõtractu & cõuentione omne mendaciũ. Huic ipſi.] Ptolemæo Alexãdriæ regi. Nec interea.] Boni uiri enumerat officia, ut uenia dignus uideatur Poſthumus. Locus ſpectat ad ultra

præterita

*præteritæ merita. In quo cõmemorãtur officia probi uiri, et qui ſecundũ uirtutẽ cuncta fecerit.* Quid multa?] *Interrogatio ecliptica. Deeſt enim quippiã, cuiuſmodi eſſe poteſt, refero. ut ſit, Quid multa refero? Hac uti ſolemus, cũ nos breuiter dicturos polliceri uolumus. Simile quiddã habet illud Terentij, Quid uerbis opus eſt? niſi quod Terent. ſine eclipſi locutus eſt.* Cum mag.] *Elatione animi. qua ne quiſq; maxime excellit, ita uult princeps omniũ, uel potius ſolus eſſe. Hac qui præditi ſunt, uirtutes maiorũ plerunque ſequi ſoliti ſunt. Cæterũ particula cũ, hic redditiua eſt ad tum, ne quis eſſe præpoſitionẽ credat, quòd habeat ablatiuum.* Expreſſerat.] *Repræſentarat, quemadmodũ in cera ex annulo ſolemus alicuius mores exprimere.* Pulſus interea.] *Quæ præceſſerunt magnũ adferebant adiumentum, tam ad beneuolentiã, quàm ut cõmoda fieret rei expoſitio, quæ hic initiũ habet. Nã cætera prima facie uidẽtur eſſe quaſi extra cauſam, cum tamen ad eam maxime pertineant: ſed ſic ingenioſe poſita ſunt ab oratore, ut ex illis naſci, tanquã fluuius è fonte uideantur.* Ptolemæus.] *Auletes, Aegypti rex, exactus regno tum propter uitam muliebrem, tum propter nimias exactiones, ut in argumẽto diximus.* Vt dixit Sibylla.] *A teſtimonio fidem narrationi cõparat. Spem uero Ptolemæi fuiſſe ait Plutarchus in uita Catonis, ut armis Pompeij & Cæſaris in regnum reſtitueretur. Sed cum libri Sibyllæ cõſulti fuiſſent, carmina uetuerunt regem cum exercitu in regnum reducere. Atque ne quis hac de re dubitet, carmina Sibyllæ fuerunt huiuſmodi: Si rex Aegypti auxilio quõdam indigens uenerit, eius amicitiã ne abnueritis. Quod ſi aliter factum fuerit, labores & pericula habebitis. Ad quam rem apertius adludit Lucanus lib. Pharſal. 8. his uerſibus: Noxia ciuili tellus Aegyptia fato, Haud equidem immerito Cumanæ carmine uatis Cautum, ne Nili Peluſia tangeret ora Heſperius miles, ripaſq; æſtate tumẽtes. Quid autem Senatus cenſuerit de his carminibus, Orator declarat 1. Epiſtol. famil.* Huic.] *Ptolemæo.* Egenti & roganti.] *Πάθος à regis fortuna: ut illud, Tot quondam populis terriſq; ſuperbum Regnatorem Aſiæ.* Se.] *Poſthumum.* In dando.] *Repetit cõceſſionem. hoc ergo ad illud referendũ, Si quis eſt iudices.* Stulte.] *Hoc quaſi per obiectionẽ dici uidetur à quopiam, qui Poſthumi cauſam improbaret. Quare ſic per interrogationem reſpondet, Quis negat? & proinde confeſſionis eã uim habet.* Putares.] *Quilibet putare poſſet. Planè hic uides figurate ſecundam perſonam pro quauis tertia poſitam.* Id eſt difficile.] *Res ipſa monet, ut diſpiciamus, quãobrem narrationibus adiungantur ſententiæ ab oratoribus. Quod ſanè ideo fieri uidetur, ut narratio plus grauitatis habeat, & ut ſentẽtiarum pondere delectentur iudices, atque ſtomachũ intentione fatigatũ reficiant. In hoc tamẽ ante omnia curandum eſt, ut modus ſeruetur.* Cum ſpe.] *Spes tamen fallax eſt, quòd, quæ magna ſunt, ut Cato Senior dicebat, puſilla facit: et quæ puſilla, nulla. Spes autem extenuat omnia, quæ ſolent ab incepto deterrere.* Ingreſſus.] *Ingredi ut hic, ſæpius incipere denotat, & ut Græci dicũt εἰσπορεύεσθαι. Lact. Firmianus: Iuſtus ergo, quoniam durum aſperumq; iter ingreſſus eſt.* Supplex erat.] *Commemorat cauſas, quibus Rabirius regi pecunias credidit, ut id bonitate potius quã malitia factum uideatur. & eſt ἠθοποιΐα & articulus: ubi poſtulantis quidpiam mores ad unguem exprimit.* Pollicebatur.] *Pollicemur ſpõte, promittimus rogati.* Metuere.] *Recte. metuimus enim illum, qui nobis aliquid mali facturus eſt: timemus ab illo, cuius cauſa poſſumus aliquid mali pati, etiã ſi nihil in nos mali cõſulat.* Conſtituiſſet modũ.] *Finem feciſſet.* Nihil autem.] *Veriſimile facit à diſſimilitudine modũ utriuſque per hyperbolen.* Illo.] *Ptolemæo.* Hoc.] *Poſthumo. Pœniteret autẽ & liceret, faciunt ſimiliter deſinens. Cæterũ hic libet mirari potius, quam uere laudare Ciceronis ingeniũ, qui tam cõmode ibi finiat narrationem, unde naſci uidebatur quod in controuerſiam ueniebat & diſceptationem.* Hinc primũ exoritur crimen.] *Hic narrationis eſt finis, & confirmationis initiũ cum propoſitione, quæ cõtinet intentionem aduerſarij. Cæterũ uniuerſa confirmatio, tria præcipue continet capita. In primo defendit Senatum, in ſecundo Gabinium, & in tertio Rabirij cauſam.* Senatũ corruptũ.] *Memmij accuſatoris intentio. Ergo hic locus tractatur per exornationem propoſitionis. Nam illud hinc primum exoritur crimen, uicem habet propoſitionis. Quod uero ſequitur illic, Senatum correptum eſſe dicunt, oppoſita eſt propoſitio, quã mox ſubſequitur ſublatio per epiphonema ad eleuandã intentionẽ Mẽmij. Poſtremo autem ſolutio ad hunc modum, Corruptores noſtri cauſam dicũt, nos qui corrupti ſumus nõ dicimus. quæ ſanè uerba ſenatorũ eſſe uidentur, pro eo quod eſt ac ſi dixerint: Si nos, qui corrupti ſumus cauſam non dicimus, quare corruptores noſtri dicunt? Cauſam uero dicit, qui iudiciũ ſubit, & culpam fraudeſq; iudiciorum uel actorum ſuorum præſtat. Græci [illegible] uel [illegible] dicunt.* Quid ego Senatum.] *Apodioxis cum beniuolentia, quã captat per agnitionem magnitudinis beneficiorũ ſibi à Senatu collatorũ.* Sed id nec agitur.] *Defenſio per trãſlationẽ à tempore ac re ſumptã.* Quãquã ad ſumptum.] *Correctio cũ criminis confeſſione, quã à iure & perſona defendit. Perueniamus nũc ad expoſitionẽ eius quod ſeqtur.* Factæq; ſyngraphæ ſunt.] *Ibi attendẽdũ, ſyngraphas dici ſcripturas, uel ſchedulas, quæ fiunt propria manu eorũ, qui paciſcũtur in alicuius rei fidẽ. ἀπὸ τοῦ σὺν καὶ γράφειν, quod pro eo eſt ac ſi dixeris, à ſimul ſcribendo. Porrò autẽ, ne in hoc erretis, ad quod diligẽter hic animũ debetis aduertere, dicimus ſyngraphã in fœminino genere, & ſyngraphũ in maſc. atque neut. Quid ſignũ? certe quod ait Plautus in Capt. Eadem opera à prætore ſumes ſyngraphum, T. quem ſyngraphum?* In Albano Cn.] *Apparet Albanũ uillæ fuiſſe nomen prope Albam. Cæterum hic orator ueriſimilem facit cauſam ſuã à loco.* Is qui.] *Poſthumus.* Ille.] *Ptolemæus.* Non enim.] *Cõprobatio à perſona regis, per amplificationẽ, quæ exornatur per ablationẽ inferentẽ. Hæc autẽ faciunt orationẽ & pulchrã, et circunductã.* Alienus ab hoc imperio.] *Hoc eſt, inimicus huius imperij. Sic plerunque loquuntur eruditi. Nam Plin. in Epiſt. ait: Alienus nunquã fui à poetice.* Quicũ.] *Cũ quo, ἀναστροφή.* Creditor.] *Nomen creditoris ex his eſt dictionibus, quæ tã actiuã quã paſſiuã habent ſignificationẽ. hic actiue capitur. Quid. n. aliud intelligit quã Poſthumũ, qui pecuniã Ptolemæo regi credidit?* Dãnetur is.] *[illegible], qua per fabricatorẽ & uenditorẽ gladij, uidetur intelligere Poſthumũ: per eum uero qui ciuem gladio interemit, Ptolemæũ.* Quãobrẽ neque.] *Claudit per ἀποστροφὴν ad Memmiũ aduerſariũ Poſthumi. Eſt enim hic συμπέρασμα defenſionis Senatus.* Poſthumi enim.] *Aetiologia cõcluſionis à re.* Quod ſi item.] *Præparatio ad diluendũ quod Gabinio Mẽmius obiecerat. Sunt qui uelint eſſe Tranſitionẽ ad aliã quæſtionem, quod eſt uitioſiſſimum. Quæſo uero hic quid dictum ſit repetat, & non tantũ quid dicendum ſit proponat. Adde quòd Gabinius accuſabatur, quia decẽ millium talẽtorũ, quæ Rex Ptolemæus pollicitus fuerat, auaritia captus, in regnũ reduxiſſet Ptolemæum.* Certe non.] *Hic mirã cauſæ fiduciam præ ſe fert.* Iſt enim hæc.] *Ratio, cur quid dicat nõ habiturus ſit Memmius. Appendicula uero diminutiuum eſt ab appendice, quaſi parua res quæ ab altera dependet.* Iudicatæ atque damnatæ.] *Quod maius erat ſubiunxit. Multa namque iudicantur, quæ nõ damnantur. At nihil damnari poteſt citra iudicium.* Aeſtimatæ lites.] *Aeſtimare lites eſt, quod uulgo dici audio, taxare litis expenſas hæc orationis forma frequens eſt apud hunc auctorem. Sic enim alio loco, Relatum eſt de litibus æſtimatis Cn. Dolabellæ pecuniæ redactæ.* Nec prædes dati.] *Prædes dicũtur Feſto, qui populo ſe*

obligent interrogati à magiſtratu.hodie poſſent nũcupari prædes,qui ſponſores Reipub.uel principi facti ſunt pro his, qui publicæ pecuniæ habent adminiſtrationem,uulgus uocat Receptores.μεταφορικῶς etiam pro quolibet ſponſore capi ſolet. Nec ex eius bonis,quanta ſumma litium fuiſſet à populo recipi lex æqua eſt.] Sic in multis legitur libris, ſanior tamen uidetur illa lectio,quæ in quibuſdã cõperitur,Nec ex bonis populi ſeruari lex æqua eſt.hic tamẽ potius admonere, quàm immutare uiſum eſt. Iubet lex Iulia.] Interpretatur legem,et ab ea trahit argumentum.Iam uero expendendum eſt illud,quod cũ legem Iuliam dicit,hic intelligit eam,quæ eſt lex Iulia repetundarum : quam Marcellus ſcribit pertinere ad eas pecunias, quas quis in magiſtratu,poteſtate,curatione,legatiõe,uel quouis alio officio,munere,miniſterio'ne publico acceperit,uel eũ,qui ex cohorte cuius eorum eſt.Hæc etiam erat pecuniarũ,quas à prouincialibus quiſpiam nequiter extorſiſſet.Hanc L.Calphurnius Piſo Frugi de pecunijs repetundis primus tulit in eos, qui ærariũ, uel prouinciarũ pecunias aut dona depeculati ſunt. In lege Cornelia.] A.Cornelius Conſul legem tulit , qua cauebatur, ne quis exterarũ nationum pecuniam expenſam ferret,quoniã ea mutua data,uſuræ,turpiaq; lucra fierẽt. Lege Seruilia.] Q. Seruilius Cepio cõſul legem tulit,quã L.Craſſus annos 34. natus ſuaſit . ut in libro de Claris orat.Cicero teſtatur. Per deos.] Vehemens cõmonitio per obteſtationem ad amplificandam rei atrocitatem. Inducimus.] Inſtituimus . Aliàs inducere proprie ſignificat ducto per ceras ſtylo interlinere,ac memoriam ſcriptorum obliterare. Erat enim.] Ratio cõmunicationis à conſuetudine. Vſus magiſter eſt optimus.] Vſus enim frequẽs omniũ magiſtrorum præcepta ſuperat,ut in 1.de Orat. teſtatur Cicero. Accuſaui de pecunijs.] Ab antefactis ſuis conſuetudinẽ adprobat. Prætor quæſiui.] Non deſunt qui Prætorem quærere dicant,dum informationẽ facit,& legibus uindicat. Ita contendo.] Comprobatio præcedentis capitis à conſuetudine.Quin etiã illud hic attende,præſentẽ locum per enumerationẽ tractari. In litibus uero.] Κλῖμαξ hoc eſt,gradatio ad amplificationem.per teſtiũ uero dicta quid aliud,quàm teſtimonia intelligit? Certe nihil ſicut per tabulas nihil aliud quã literas publicas. Rationibus.] Supputationibus ciuitatũ.Quòd autem ueteres rationes ſuas referrẽt ad ærariũ, indicat Cicero in Piſonem.Idipſum faciebant imperatores è prouincia diſcedentes,cum,ut nunc loquimur,cõputos reddebant. In inferendis litibus.] In imponendis litibus, aut criminibus alicui obijciendis.Porrò ne quis mihi diffidat,ſic & in Lælio locutus eſt:Addendum eodem eſt,ut ne criminibus aut inferendis delectetur amicus,aut credat oblatis. Verebantur.] Timebant:& eſt ueteri proprie liberorũ.Hic aũt μεταφορικῶς uſus eſt. Pertimuerãt.] À uerbo pertimeſco. non enim dicimus pertimeo. Reſpondebant.] Conueniebant. Hoc uero nouum.] Ἀπόδοσις enumerationis,qua reuertitur ad res expoſitas,& ſingulas infirmat. Et ante.] Αὔξησις. Sic enim ad amplificandũ diuerſo uerbo,re tamen eadẽ,quod nouũ eſt,inauditũ maiores noſtri,ut uideo,nominarũt. In litibus Poſthumi nomen.] Vtrũ in litibus Poſthumi? an Poſthumi nomen ? incerta eſt diſtinctio,malo tamẽ poſterius. Et ſunt qui nomẽ nuſquã eſſe in litibus intelligãt pro eo quod eſt nuſquam in litibus nominari,aut nomẽ eius audiri. In litibus dico.] Correctio figurata,quæ à iudicũ teſtimonio probatur. Nũ quis teſtis.] Excutiẽdũ eſt,ut ſciatur quid interrogationes hæ faciãt,ne quid incognitũ locus habeat. Itaque hæ ſpectant ad contentionẽ: & ideo hic adhibentur,ne langueſcat oratio,ſed uim contineat. Teſtis antẽ?] Et hæc interrogatio uim correctionis habet cum indignatione. Nõ igitur.] Epilogus, addita probatione per ſubiectionem. Vnus Eques.] Poſthumus. et eſt argumentũ à cognatione ac natura. Hic iam iudices.] Communicatio cum iudicibus, quæ eſt quaſi procataſceue ad ſequentia. Veſtræ ſapientiæ.] Repetitio,iudicũ laudes augens ingenioſe.Totus autem hic locus ex officio iudicũ deſumptus eſt. Quid deceat,nõ quantũ liceat.] Παροιμία eſt in uerbis deceat & liceat . amabant autem ueteres ſimilia de proximis dicere. Si enim.] Aetiologia adaugens poteſtatẽ iudicũ,ob beneuolẽtiã captandã.Tabella dicitur parua tabula . nã tabulæ uel tabellæ erant teſtamenta,uel aliæ quæuis ſcripturæ,ex quacunque materia eſſent. Hic per Metonymiã pro lege poſuit. Cuius conſcientia.] Legitur etiã conſcientiã.at conſcientia ut legamus, magis ſenſu conuenit.et eſt γνώμη moralis. Vbi eſt.] Συμπαρακείμενον ab officio iudicis,illuſtratũ ſubiectione. Vt nõ ſolum.] Eleganter ad auxeſim utitur duplici dirimente copulatione.Illud etiã mirũ,quod in dictionibus permiſſum & cõmiſſum pulchra eſt annominatio. Datur tibi.] Illud in cõfeſſo eſt,hic eſſe ſermocinationẽ,in qua litigãtes uidentur quaſi ad hunc modũ loqui. A. Datur tibi tabella iudicij R. qua lege? A. Iulia de pecunijs repetũdis.R.Quo de reo? A. de Equite Romano. R. At iſte ordo lege ea nõ tenetur. A. Illo,inquit,capite,etc. At uero illud hic non omittendũ eſt,hunc locũ habere amplificationẽ à circũſtantijs,quæ tractatur iterũ per Subiectionẽ et Communicationẽ cum aduerſario.Nam cũ ait,tabella Iudici,exaggerat à re: & quæ de reo à perſona. Illo,inquit,capite.] Alia propoſitio Memmij. Audio.] Intelligo. Reus eſt igitur.] Cõcluſio,quæ ferè ex Repugnãtibus ducta uideri poteſt. Hic ego.] Apoſtrophe ad Equites & Senatores,à quorum perſona beneuolẽtiã captat,breui commemoratione fidei, quæ maxime neceſſaria eſt in hac cauſa. Iudicio tentatur.] Diligenter inquiritur.Tentatur enim ius,cum non intellectum ac incertũ aggreditur, hoc eſt, experitur. Cum ſæpe ante.] Oratorie fidem Iudicum exaggerat. Nam cum optimo.] Comprobatio ab iudicato. Iudicaſtis ordinem Equeſtrem lege Iulia de repetundis non teneri. De hac ipſa quæſt.ref.] Hoc eſt,hãc ipſam cauſam,ut nunc loquimur,in medium ponente. Nam pari ſchemate dixit Vatinius Ciceroni:Cæſar, inquit, adhuc mihi iniuriã facit,de me ſupplicationibus,& rebus geſtis Dalmaticis adhuuc non refert. Vt Tribuni,ut Præf.] Eleganti ſimilitudine & Repetitione cũ diſſoluto hic utitur,ut iniquitas rei, & Iudicum fides appareat maior. Vos,uos, inquam.] Conduplicatio. Exhauſerat.] Metaphora ab igne, qui tanto ſolet impetu identidem graſſari,ut modo careat. Non extinguetis.] Pulchre metaphoram continuat,tũ hic,tum in ſequentibus. Hoc animo.] Comprobationis concluſiuncula,cũ interrogatione ac repetitione. Glaucia ſoleb.] Confirmatio ab auctoritate C.Glauciæ, turpiſſimi hominis atque leuiſſimi, quem per tranſlationem curiæ ſtercus dici poſſe non negaret, niſi ad turpitudinem,unde tranſlatio eſt,animos eorum qui audirent traheret ſimilitudo . Quinetiam in oratione de Reſponaruſp.Cicero ſcribit Marium fuiſſe ſplendidiorem,cum ab irato Glaucia uituperaretur, quã cũ laudaretur. Homo impurus.] Haudquaquam licet prætermittere,impurũ pro improbo,uitio notato, ſordido, & contaminato poſitum eſſe.ut à Terentio in Adelph.Perſuaſit ille impurus. Verſum.] Hic uerſus intelligitur,quod uulgus lineam nominaret.Atque forma ſermonis nemini debet eſſe admirationi,cũ ſic & Plinius locutus ſit:Nõ, inquit,paginas tantũ epiſtolæ,ſed etiã uerſus ſyllabaſq; numerabo. Laboraret.] Angeretur,et ſollicitus eſſet. Noua quæſtio.] Noua cõtrouerſia. Nam quæſtionẽ pro controuerſia frequenter capiunt oratores. Nunc uos Equites.] Cõmonitio ad attentionẽ. Scitis me.] Digreditur ad quædam de ſe cõmemoranda,quibus captat beneuolentiã à perſona ſua è nobis antẽ,et pro nobis,Repetitionem faciunt. Alius alios.] Comparat factum aliorũ facto ſuo,& proinde Collatio eſt.Iam uero expendendũ eſt,illud hic eſſe πολύπτωτον et ζεῦγμα Nam

ſermo

ſermo perinde ſonat, quaſi dixerit, alius cõplexus eſt alios homines et ordines, ego uos ſempee cõplexus ſum. Moneo ac præd.] Admonitio inſtantis periculi, futuriq; incõmodi, ut iudices et ordinem totũ ſibi conciliet. & eſt ἔκπληξις, hoc eſt ſtupor: figura, cum metum incutit orator. Serpet.] Dilatabitur, & prolongabitur. Potentiſſimo.] Argumentatur ab exemplo, et iterũ redit ad iudicata, hisq; maiorum diſputationẽ ſubiungit. In Equeſtrem ordi. quæſt. ferent.] M. Liuius Druſus nobiliſſimus ac potentiſſimus, poſt Saturninũ non ita multis annis factus eſt Trib. pleb. meliore animo quã fortuna uſus. Nã cũ iudicãdi poteſtas ad equeſtrẽ ordinẽ lege C. Gracchi tranſlata eſſet, eam Senatui reſtituere ita eſt conatus, ut æqua parte iudicia penes Senatum & Equeſtrem ordinem eſſent. Druſo tamen ita Senatus eſt aduerſatus, ut Collegarũ eius malefacta potius, quã huius benecogitata probaret. Conuerſus itaque Druſi animus, ſocios Italicosq; ciuitate donare ſtatuit. Id autem moliens cum è foro ſe domũ reciperet, immenſa illa & incognita, quæ ſemper ipſum ſequebatur multitudine cinctus, in limine domus ſuæ percuſſus cultello, qui lateri relictus eſt infixus, intra paucas horas mortuus eſt. Auctores Paterculus, & Liuius. Quæſtionẽ ferenti.] Quæſtionem ferre ſunt qui putent eſſe, facinus uindicandum iudicibus dare & mandare: uel potius ad Senatum referre, ut de uindicando ſcelere extra ordinem Senatuſconſultum fiat, & in iudicium res deducatur. Quid? hoc licere uolo.] Ἀπόδειξις facti Equitum cum occupatione, quam ornat Subiectione. Quid?] Deeſt uerbum dicis, aut aliud tale. Hoc.] Subintellige, ut pecunia caperetur ob rem iudicãdam. Eos teneri legib.] Obligari legibus. Delectat ampliſſimus.] Verba ſunt Equitum. Ampliſſimum porrò ciuitatis gradum appellat Conſulatũ. Sella curulis.] Sella quaſi ſena. Senatores enim ueterũ ætate, qui curuli magiſtratu functi fuiſſent, honoris gratia in Curiã uehebantur curru, in quo ſella erat ſuper quam conſidebant, quæ ob eã rem curulis uocabatur. Illud quoque ex hoc fonte promanat, faſces inſignia fuiſſe magiſtratuũ. Nam Conſulem duodecim faſces & totidem lictores præibant: Proconſulem uero ſex tantummodo faſcium inſignia præibant. Denique magno.] Veteres in atrijs domorum ſingulis cereas diſponebant imagines armarijs, quas ita celebrabãt colebantq;, ac ſi illi quorũ uultus referebãt uiuerent. Has feſtis diebus atq; ſumma gratulatione, floribus & ſertis ornabant, & illorũ natales dies feſta luce celebrare conſueuerant. In luctu uero familiæ, tanquam ſi doloris conſcij fuiſſent, deformabant. Quin & illud diligenter oportet expendere, morẽ ueteribus fuiſſe, ut hæ defunctorum exequias, & una funus comitarẽtur. Iudiciorum maiorum.] Opinor iudicia hic maiora dici ea, quæ de uiris fierent facinoroſis, & qui magnis obnoxij forẽt criminibus, ut de parricidis, reis maieſtatis, peculatus, uel ſacrilegij. Horum uero iudiciorũ pœna uocabatur Animaduerſio. Nam cũ alij philoſophi non ignobiles, tũ Plato in Gorgia facit duplicem puniendis peccatis cauſam. unã animaduerſionis, alterã cõmonitionis. Animaduerſionem porrò dicit eſſe, cũ pœna non ipſius, qui afficitur, ſed reliquorũ qui ſuperſunt gratia, adhibetur. ut metu ſupplicij, ne ſimili exemplo fiant reliqui, eadem noxa deterreãtur. At commonitio delinquentis cauſa fit, & ut arbitror, in minoribus iudicijs, cum ei qui peccauit, uel pecunia, uel leui coerctione multa dicta eſt. Quod eò fit, ut poſtea qui deliquit, ad bene honeſteq; uiuendum ſit promptior, & fiat emendatior. Ita enim diſput.] Parentheſis, qua demonſtrat, cuius ſermonẽ per μίμησιν referat. Quietã & otioſam.] Sollicitudine carentem & laboribus. ut Quietus referatur ad animi curas & ſollicitudines, tum etiã corporis trãquillitatẽ: otioſus uero, ad uacationem à labore tantum. Quæ quoniam.] Recte. nam par eſt, ut qui nõ habet honorem & cõmodum, is nec onus, nec moleſtiã ſentiat. Tam es tu iudex.] Dialogiſmus, et altera Occupatio. Sed tu iſtud.] Ἀ differentibus. Quare aut iudici mihi.] Ἐλλειπισμός et Enallage datiui pro ſimplici accuſatiuo, ut ſit aut iudicẽ eſſe nõ liceat mihi. quale eſt illud Bruti ad Ciceronem, Et quis ſupplicat, ut optime meritis de Rep. liceat eſſe ſaluis. uel id Martialis, Nobis nõ licet eſſe tam deſertis, Qui muſas colimus ſeueriores. Latine ſiquidem dicendum erat meritos, ſaluos, et deſertos. Ceterũ Græcos ſic eſſe loqui ſolitos, cõprobat illud Ariſtophanis, ὅτῳ γὰρ ἔξεστι πλουσίοις ἅπασιν ἡμῖν εἶναι. Legẽ lege.] Πολύπτωτον. Hoc uos Equites.] Acris contentio, qua reuertitur ad expoſitionem iudiciorũ, & per locum ab euentis incõmoda commemorat. omnis ferè locus habet Apoſtrophen ad Equites Romanos. Ius à patribus acceptum amittetis?] Indignum eſt eas res perdere negligẽtia, quas maiores nobis ſua diligentia reliquerunt. et, Non minor eſt uirtus, quã quærere, parta tueri. Eſt ergo hic πάθος ab indignitate rei. Rapientur.] Ratio ab incommodis. Si iam nobis.] Confirmatio à fictione, ſiue ut Græci loquuntur, τὸ πλαστὸν, ἢ ἐκ τῆς ὑποθέσεως. Cõuolaretis ad roſtra.] Celeriter ad tribunalia curreretis. Et eſt ab auibus tranſlatio. Vos Senatus.] Ornat Antitheto ſuã orationem in his dictionibus, liberos & alligauit, ſoluti & diſiecti, conueniſtis & diſcedatis. Nam ſi.] Probatio ex minore ad hunc ſenſum: Hæc lex fraudi fuit Rabirio Equiti priuato: Ergo poterit eſſe Equitibus, qui magiſtratu funguntur. Animaduertes obiter, fraudẽ eſſe uerbum iuris antiquũ et pro damno capi. Hinc de nuce canit Ouidius, At mihi nec grando duris inuiſa colonis, Nec uẽtus fraudi, ſol ue gelu ue fuit. Alias dolum ſignificat. Comes ex Italia.] Comites ex Italia erant, qui ex lege quã C. Gracchus de ſuffragijs ſociorũ tulit, paria cum Romanis ciuibus habebant ſuffragia, & eodẽ iure cenſebantur. Quonam ſe modo.] Pulchre periodũ exhibebat in fine membri, idq; per interrogationem. Implicati.] Inuoluti, impediti. & hoc per metaphorã, ab his qui pedes inuolutos habent. Implicati uero pulchre periodũ finit Dichoreo, qui per ſe cadit præclare, quo ſatietas formidanda eſt magis. Tu, inquit, Gabiniũ.] Aduerſarij Propoſitio, quã tractat exornatione propoſitionis. Non patitur.] Paraſceue ad ſolutionẽ, cũ beneuolentia à perſona ſua. Quem enim.] Solutio, qua reſpondet obiectioni cũ excuſatione, cur nõ de Gabinio grauius agat. Hoc quoque hic notandum eſt, ſolutionem petitã eſſe à decenti & honeſto. Ex tantis inimicitijs.] Cicero propter Q. fratrẽ ingens fuit inimicus Gabinij: ſed Põpeius eoſdem reconciliauit, ut poſtea dicemus. Poſthumi impulſu Gabiniũ, &c.] Propoſitio Mẽmij, eleganter per fictionẽ inducta. Si defenſ. fidem nõ habes.] Nõ credis. et eſt refutatio primũ à relationibus, et loco quẽ Græci πρός τι nominãt. deinde à cõfeſſione Gabinij, & iudicato. Archelai.] Hic fuit Beronicæ maritus. Nam repudiato Cybioſatte Syro priore uiro, Beronice huic nupſit. Refertũ.] Plenũ. Prædonũ.] Piratarum. Lege etiam.] Alia Gabinij defenſio à legitimo. Tu inimicus negas.] Ἀ cauſa inducente, quæ ſpectat ad probabile. Inimicus autem priuatus eſt: hoſtis uero publicus. Ignoſco.] Ironia, demonſtrans iniquitatẽ negationis ab aduerſario factæ. Redeo igitur.] Hactenus per Prolepſin reſpondit his, quæ cauſæ uidebãtur obſtare. nũc accedit ad cauſam. Quid uociferabare.] Clamitando dicebas. & eſt deriſio ab indecenti actione Mẽmij, continens ipſius propoſitionẽ. Decem mil. talentum.] Pro talentorum. In huiuſmodi numiſmatum uocabulis frequẽter genitiuus pluralis ſyncopam habet. Ad hæc, decem millia talentũ ſunt, ſupputatore Budæo, quinquagies centena millia aureorum coronatorũ. Huic uidelicet.] Ironia, & aptum ridiculum loco negationis. & hic ſciendum eſt, particulã uidelicet omnimodo percommodã eſſe Ironiæ. Hominem.] Gabiniũ. Seſtertium bis millies.] Quinquagies cẽtena millia aureorũ. Tanti fuiſſe ferũt cenſum Lentuli Auguris ſub Auguſto. Seſter-

tia ſanè numero plurali & genere neutro ideo dicuntur, quòd ſingulas duas libras & ſelibram argenti ualerent, id eſt, ducentos & quinquaginta denarios, aut mille ſeſtertios, quod idē eſt. Quòd autem quingentos addit ſeſtertios, hi ſeptemdecim libras turonicas cum duodecim caroleis efficiunt. Seſtertius enim Romanis, et numus ijdē erāt. Seſtertiusq; ualuit æſtimatione Gallica decem Turonicis numis, & ſemiſſe denarioli. Cur ita dictus eſt? nēpe quoniā duos aſſes & ſemiſſem ualeret. Siue, ut ipſe dicebat.] A` cauſa finali purgat Poſthumum. Num Gabinij.] Alia à cōtingentibus cōfutatio, per ſubiectionē. Non ad Gabinij.] Ablatio inferens ad amplificationem. Atque ne quis in hoc addubitet, illud adijciamus, hic cauſam reddi, cur ſe Gabinij comitē uel ſectatorē fuiſſe neget Poſthumus. Romā cōtenderet.] Romā proficiſceretur. Alij hic Roma contenderet legūt, alij Romā: quarum lectionum utra ſit emendatior, penes aliū ſit huius rei iudiciū. mihi certe magis arridet illud Romam contenderet, quā Roma. At Dioecetes.] Alia Memmij obiectio per Mimeſim. Dioecetes autē eſt gubernator, diſpēſator, aut procurator, ἀπὸ τοῦ διοικεῖν. In cuſto. fuit regia.] In regio carcere. Vita eius obl. pœnæ eſt.] Supplicio expoſita eſt. Multa præterea.] Solutio per confeſſionem criminis, & purgationē ab imprudētia: quā tractat Epicheremate quinquepartito. quod illic perfectū eſt, Itaque abijcias. Quare omniū.] Propoſitio epicheramatis, ex purgatione ab imprudentia. Quæ pars eſt ſtatus qualitatis. Verū ſi quærimus.] Conceſſio cum ſummiſſione cauſæ. Quid enim ſtultius.] Ratio à circunſtantijs cū hyperbole. Plurima dixit ad amplificationē. Equitē.] Ex perſona fortuna. Ex hac urbe.] A` loco. Huius inquā Reip.] Reſumptio, in qua uim facit in hoc quòd Poſthumus ciuis eſſet Romanus: & huius per demonſtrationē accipere potes. Quæ uana eſt.] Hæc cum ſequentibus uidētur ſpectare ad relatiue oppoſita. Sed ego.] Redditio conceſſionis per Ironiā: eſt etiā cōfirmatio ab exemplis, quæ tertiæ partis in Epicheremate locū obtinet. Qui.] Cum pronocabulū qui pro quia ponitur, idē plerūque ſubiunctiuū habet, ut hoc loco. Facile doctiſſimum.] Facile pro haud dubie dixit. Atque hic attende loquēdi formam hanc apud ſinceriores linguæ Latinæ auctores eſſe frequētem, ut aduerbia quæ ad intentionē referūtur, ſuperlatiuis iūgātur: ut egregie, eximie, facile. Columel. Stagnum cenſemus eximie optimū. Vide Linacrū lib. 5. de ſtruct. Lat. ſerm. Iniquitate Dionyſij.] Nam hic tyrannus Platonem migrare in arcem fecit, & honorificā illi ſub humaniſſimæ hoſpitalitatis prætextu, ne cū Dione nauigās Plato iniuriarum ei factarū teſtis eſſet, cuſtodiā excogitauit. Et tandem cum Platonē rurſus ob artiū liberaliū diſciplinas honorifice accepiſſet tyrannus, inſidias parauit, quas aliter nō potuit effugere Plato, quā ſi è Sicilia diſcederet. Lege Plutarchum in uita Dionis. Periculis inſidijsq;.] Pericula caſu cōtingunt, Inſidiæ conſilio deditaq; opera. Calliſthenem doctum.] Calliſthenes philoſophus propter adorationis Perſicæ morem, truncatis crudeliter membris, abſciſſis auribus ac naſo labijsq;, deforme ſpectaculum reddidit: & deinde cū ad cæterorū metum cum cane in cauea iuſſu Alexandri ferretur, Lyſimachus diſcipulus præceptoris miſertus, nō culpæ, ſed libertatis pœnas pendentis, uenenū ei in remedium dedit. Auctor Iuſtinus lib. 15. Plutarchus autē in Alexandro paulo ſcribit aliter: ſed Iuſtinus Ciceroni magis aſtipulatur. Comitem magni Alex.] Hunc enim habuit Alexander in exercitu, ad prodendas memoriæ res præclare geſtas. Iuſtinus lib. 12. Demetriū.] Hic Demetrius Phalerius auditor fuit Theophraſti, & præfuit Athenien. Reip. annos decem ſtatuisq; æreis ab Athenien. decoratus eſt plurimis. Inde poſt mortē Caſſandri, cuius gratia tantā potentiā fuerat aſſecutus, ob inuidiam accuſatus, & abſens condemnatus. Statuæ poſtmodū eius CCC diſiectæ atque conflatæ. Cum ergo patria pulſus eſſet iniuria ſe ad Ptolemæū Soterem Alexandriā contulit. Ad hæc in illo calamitoſo otio multa ſcripſit de philoſophia ad animi cultū non ad uſum, ut auctor eſt. 5. de Finib. Cicero. Ibi uſque à Ptolemæo regiæ bibliothecæ fuerat præfectus. Obijt ab aſpide morſus in manu: ſepultus in Buſyride, regione iuxta Dioſpolim. De huius porrò eruditione ſic in Oratore ſcribit Cicero: Phalereus ſucceſſit eruditiſſimus quidem horū omnium, ſed non tā armis inſtitutus quā palæſtra. Itaq; delectabat magis Athenienſes, quā inflāmabat. proceſſerat enim in ſolem & puluerem, non ut ex militari tabernaculo, ſed ex Theophraſti doctiſſimi hominis umbraculis. hic primus inflexit orationē, & eā mollem teneramq; reddidit: & ſuauis maluit uideri quā grauis, &c. Fabius etiam lib. 10. meminit eiuſdē. Aſpide.] Serpente ueneno ſo. Aſpidas generari cubitorū quinq;, in literis obſeruatū eſt. coloris itē aut atri, aut cinerei, uiſam etiā unum aliquando et fuluā aſpida. Atque quod magis mirandum, ab aſpidis morſu horis uix quatuor quis ſupereſt. Præfocatio ſiquidē mox ſequitur, ac ſpaſmus cū ſingultu. Planè confiteor.] Altera confeſſio et expolitio à ſententia. Sed huius iſtius fa.] Scilicet quòd uenerit eò, ubi libertatē erat perditurus. Superior ſtultitia.] Præcedens factum, ſcilicet quod regi pecunias crediderat. Tria ſunt comparatiua, quæ legūtur ſæpe pro ſuis abſolutis, hoc eſt poſitiuis, Plures pro multis: Superior pro præcedenti, etiā ſi proxime præceſſit: Poſterior pro ſequēti, etiā ſi proxime ſuccedit. Quòd in regnū uenerit, &c.] Homœoteleuton ex membris paribus, quod ἰσόκωλον uocatur. Et hoc quoque aduertendū eſt in uerbis ſtultiſſimum & ſapientior, factum eſſe Antitheton. Sapienter fac. eſſe uideatur.] Quia hoc modo pecuniā creditā uideretur poſſe recuperare. Siquidem eam.] Veriſimilis probatio à ſententia. Semper ſtulti.] Verū ſemper ſtulti. ut ſit ὑφ᾽ ἕν, ut in illo Lucretij, Semper florentis honoris: an potius diuiſæ ſunt dictiones? Impeditus.] Proprie dicitur Impeditus, qui ſic pedes ligatos habet, ut progredi nequeat, uerū hic ad negotium metaphoricôs retulit. Et bene expedire ſubiunxit, quia ſe expedit, qui pedē retentū liberat. cōtinuauit ergo metaphorā. Quàobrem illud.] Cōplexio huius argumētationis cum repetitione ſuperiorū, ad memoriā iudicibus renouandā. Ea fit ergo per enumerationem. Aequi.] Boni. Inſaniſſe.] Fuiſſe dementē, ac rationis expertem. Nam, ut ait Cicero, inſipientia quaſi inſanitas eademq; dementia eſt. Et eſt quaſi excuſatio ab ætate. Vt enim deliratio ſenū eſt, ſic inſania iuuenum. Fortunarum.] Bonorum. Hoc quidem ſemel ſuſcepto, &c.] Vbi ſemel hoc fuiſſet inceptum & promiſſum, oportuit illa perpeti. Vindicaret.] Pro traheret, & in libertatem aſſereret. Itaque obijcias.] Apoſtrophe ad Memmiū. Et hic cōceſſionē eſſe planum eſt, quā Rhetores partem faciūt aſſumptiui ſtatus. Nam crimen in imprudētiā reijcitur. Cæterū hic locus tractatur collectione, cuius hic propoſitionem aduertes, ductam ex prædicto ſtatu. Palliatum.] Pallio indutum. Iam primum omnium conſtat, ut togam Romanorū, ſic & palliū Græcorum fuiſſe. Hoc uero genus ueſtis tunicæ ſuperponebatur. quod planum fieri poteſt prouerbio Plautino, Tunica pallio propior. Hoc autem ueſtimenti genus uiris & fœminis erat promiſcuum. Pallijs autem etiamnum in lecto ueteres fuiſſe uſos, obſeruatū eſt apud Ouidiū in amoribus: Nec in lecto, inquit, pallia noſtra ſedent. Inſignia.] Vtrū ornamenta? an ſigna, quibus non eſſe Romanus dignoſceretur? Veruntamen proprie inſignia ſunt armorum. Quoties eorū quidpiā dices, toties unū.] Annominatio uocū, ſimilitudine aures excitans: quod facile percipiet, qui uoculas toties & quoties ponderabit. Hunc.] Poſthumum. Fecerat temere.] Ratio ſecunda collectionis pars, à confeſſione & purgatione, quam per neceſſitatem excuſauit. Neceſſitas porrò ſub aſſumptiuo ſtatu cōtinetur. Togato.] Vtrū ut toga Romæ liceret uti? an togatū dicit eum, qui poſſet Romæ principes

ciuitates

ciuitatis in forum deduceretnam id togatus etiamnum dicitur. Vtrū togatus pro pacis amatore poſuit? ut in lib. ad Atticū. 4. Ergo erimus ὁ πολῖται, qui togati eſſe nolumus? Verū enimuero primus magis huic loco ſenſus conuenit. Ad hæc toga ueſtis erat omniū Romanorū communis. nō enim ſolum uiri, ſed fœminæ quoq; hac utebantur. Et ne quis in hoc hæreat, illud etiam adijcimus, togā à tegēdo, quod corpus tegeret, uideri nominatā. Ea deniq; laxa erat, & multis in ſinum criſpulis ſubſtracta ſuccingebatur. Deliciarum cauſa.] Cōfirmatio ab exemplis. Ciues Romanos adoleſcentes uidemus in hortis ſuis, et Neapoli habitu peregrino. ut hæc ab exēplis probatio inducta eſt, ut immiſceret abſolutā qualitatem. Suburbanis.] Villa uel prædiū ſub urbe nominatur ſuburbanū. Sed Neapoli.] An in Italia? cū Neapolis ſit etiā Africæ propè Syrtim oppidū, ſimiliter & Cariæ. Mitella.] Ornamento capitis. Erat enim mitella recuruus barbarorū pileolus: primum apud Mæonios, deinde Aegyptios, Syrios, Phrygios, & Lydios maxime uſitatus. Chlamydatū.] Nunc opera pretiū fuerit intelligere, chlamydē ueſtimentū fuiſſe ob leuitatem & breuitatem militibus aptū: ob idq; chlamydatū dici L. Syllam, quod eo ueſtis genere ornatus eſſet. L. uero Scipionis.] Hic L. Scipio Conſul erat cū C. Lælio. Cum ergo uterque cuperet mirandū in modū Aſiam ſibi prouinciam decerni, ea res dubios reddidit Senatores, & illorū animos erexit: ſed cū maior Lælij gratia uideretur, & exiſtimatio plus pōderis haberet apud patres, ſurgēs P. Africanus frater maior L. Scipionis, legatū ſe fratris futurū promiſit. Et res maxime fuit Senatoribus grata: & proinde decretū fuit frequēti Senatu, ut L. Scipio proficiſceretur in Græciā aduerſus Aetolos, & poſtea in Aſiā, ut Antiocho Syriæ regi bellū inferret, & P. Africanum ſecū duceret. Factis itaque ſex menſium inducijs cum Aetolis, in Aſiam uenerunt & cū ad magneſiam ſediſſet L. Scipio, ſic laceſſiuit atque irritauit Antiochū, ut ad pugnā excitauerit: in qua uictus profligatusq; Antiochus, cæſis 50. hominū millibus, captis 11. cū perditis rebus nullū eſſe remediū cenſeret, ad Africanū, qui nō ita multum poſt belli conflictū factus ex agro ſanus in caſtra uenerat, confugit, ac per Africanū obtinuit à Scipione cōſule, ut de pace liceret agi. Lege Plutarch. in uita Scipionis, & Iuſtinū lib. 31. Non ſolū cum chlamyde.] Dirimens copulatio ad ſuæ probationis amplificationem. Crepidæ uero calciamenta erant Thuſca, quæ corrigijs ligabantur. Crepidas antea Senatores, mox Equites, & poſtremo milites habuerunt proprias, ſicut mulleos primū Albanorum reges, deinde Patricij, demū his adempti & mulieribus traditi. Crepida primā corripit & ſecundā apud Latinos: licet Græcis prima producatur. illi ſiquidem κρήπιδας ſcribunt per η, quod uerti ſolet in e longū. Sed Latini uocem deduxerunt à crepitu, quem faciūt huiuſmodi calceamenta. Neq; credas piaculū eſſe, eandem uocem habere diuerſam quātitatem in diuerſis linguis, cū aliunde in una & altera deducatur. In iudicio.] Quia hi propter talem habitū nunquā iudicia ſubierunt. À ſermone.] Quia nullius unquā ſermone propter id uituperati ſunt. Facilius certe.] Aliud exemplū, quod uehementius eſt, et oratoris propoſitū melius quàm præcedētia comprobat. quippe quod ueſtis mutationem interdum eſſe neceſſariam innuit. P. Rutilius.] Hic Rutilius Ruffus à Cicerone 1. de Oratore homo doctus & philoſophiæ deditus uocatur, & exemplū innocentiæ: & paulo poſt ſubiungit, neminē in ciuitate P. R. Ruffo neq; integriorem, neque ſanctiorē fuiſſe. & in oratione pro Fonteio, ſanctiſſimus ac tēperatiſſimus uocatur. Has uirtutes Panætio, præceptori ſerebat acceptas. À Mithridate.] Regi Ponti. Id in eo factū bello fuiſſe ueriſimile eſt, in quo Mithridates ſcriptis ad Aſiæ ciuitatū præfectos epiſtolis impetrauit, intra triceſimum diē Romanos oēs Italosq; cū liberis et uxoribus inhumaniter beſtijs obijci dilaniandos. Quo in conflictu 150. millia ciuium Romanorum trucidata ſunt. Mitylenis.] Hoc oppidum eſt in Leſbo, & de eadem plura ſcribuntur à Strabone lib. 13. Ergo ille.] Collatio exempli. uim habens exornationis. illud autem hic uidere oportet, quomodo exempla ad cauſam accomodet, ut altius infigat, magisq; permoueat. Virtutis, antiquitatis, prudentiæ.] Hæc referenda ſunt ad dictionem Documentum. & hic uides aſyndeton mire ad laudes accommodatum. Conſularis.] Docte Ruffi dignitatem commemorat, ut indicet, ſi ueſtis mutatio non illicita fuit P. Rut. Ruffo conſulari uiro, multominus dedecere C. Rabirium equitem Romanum. Soccos habuit.] Soccus calciamenti genus fuit, facti ad ſimilitudinem ſacci, à quo appellationem traxit. Græci uocant ἐμβάδα. Soleatos tamen P. Romani Senatores per urbis uias ingredi nequaquā fuiſſe decorum, teſtatur Gel. lib. 13. cap. 20. Sunt autē ſoleæ calceamenta, plantarum calces in fine tegentia, habentis uincta, cæteris propemodum nudis. Quinetiam pallium extrema ueſtis erat Græcorum, qua etiamnum in lectis utebantur.

Nec uero.] Ablatio inferens, in qua per hominem, Poſthumum intelligit. Poſthumo crimen.] Accommodatio exemplorū, et poſterior pars collationis, locis probata cōiecturalibus, & primum à ſpe commodorū. Ad fortunas.] Bona, & pecunias, quas cōmodato dederat Ptolomæo regi. Nam ut uentum Alexandriā.] Probatio à præcedētibus factis. Recte porrò nō addidit præpoſitionem, cū uentū eſt Alexandriā dixit, & nō ad Alexādriam: quod Alexandria nomen eſt urbis, quæ uertex eſt omniū (ut Marcellinus ſcribit) in Aegyptio ciuitatum, quam multa nobilitauit & magnifica conditoris altiſſimi & architecti ſolertia Dinocratis. In ea ferunt eſſe ſalubriter ſpirātes auras, aerem tranquillum & clementem. atque ut periculum docuit per uarias collectum ætates, omni penè die incolentes hanc ciuitatem ſerenum ſolem conſpiciunt. Commendatur apud ſcriptores ab ædificijs, quæ ſine contignatione & materia fuerunt. cuiuſmodi ſunt, quæ hodie uiſuntur ſtructuris et fornicibus contenta, tectaq; rudere ac pauimentis. De hac plura Plin. libro quinto. Egeſippus libro decimo ac Diodorus 17.

Ad Auletem.] Ptolemæum regem. Nam Auletes cognomen eſt Ptolemæi. Ratio.] Conditio. Curationem.] Ἐπισκοπὴν, hoc eſt, muneris iniunctionem. ut apud Plautum: Quæ mea curatio eſt. Nam curatio quando θεραπείαν denotat, medicorum eſt. Cæterum, quia dictione uſus erat ambigua, protinus ſubtexit per ἐπεξήγησιν, & quaſi diſpenſationem regiam ſuſcepiſſet. Diœcetes.] Diſpenſatorem aut procuratorem uertere poſſumus, ἀπὸ τοῦ διοικεῖν, unde διοίκησις diſpenſatio & diſpoſitio. Hos diœcetes huiuſmodi fuiſſe crediderim, cuiuſmodi ſunt principum noſtrorum argentarij, aut quæſtores. Hoc enim nomine utitur.] Sic appellatur hic magiſtratus. Atque ratio hæc ideo addita eſt, quòd non Latino, ſed peregrino fuerat uſus uerbo. Odioſum negotium.] Triplex παρομολογία κατ' ἐπιμονήν, hoc eſt per inſiſtentiam & aſſiduitatem, quod unum ualet, ut magis animis iudicum quod utile uidebatur inhæreat. Porrò tales dicendi formæ, quæ obiectionem continent, & ſolutionem, oppido quàm uehemens ſunt ad perſuadendum. Sed nulla erat.] À neceſſario ſoluit conceſſionem, aut ſi mauis obiectionem. Et attende, quomodo mire dixit, erat nulla omnino recuſatio: non autem, ſed non poterat recuſare. quod non tantæ fuiſſet energiæ. Moleſtum etiam.] Pulchre & cum diuina quadam copia, quod ante odioſum dixerat, nunc moleſtum nominauit. Et eſt ſecunda paromologia, hoc eſt confeſſio. Ipſum nomen.] Diœcetes. Impoſuerat.] Dederat. Imponi uero proprie nomen dicitur. Oderat ueſtitum.] Tertia paromologia, quæ ad ſuperiorem ueſtitus obiectionem referenda eſt. Ergo aderat uis.] Epilogus trium paromologiarum, per locum ab auctoritate

cuiuſdam poetæ, quem eſſe Ennium potius diuinare libet, quàm affirmare: cuiuſcunque tamen ſit, locus continet pulchrã de ui ſententiam. Moreretur. ] Hoc eſt, mori deberet, ſubeundi potius quàm hunc ueſtitum ſuſcipere. Atque hic moreretur, potentialis eſt modus. Et eſt obiectio per antypophoram. Nam id ſequitur. ] Præparatio ad ſolutionem. Sunt autem qui talem præparationem uocẽt paraſceuen. Feciſſet certe. ] Solutio per conceſſionem. Tam impeditis ſuis rebus. ] Cum tantopere forent eius obligatæ fortunæ Nolite igitur. ] Generalis huius argumentationis concluſio, ἐν τῇς ὑποδιαστολῇ hoc eſt, ſubdiſtinctione. Fortunam. ] Quòd regi Ptolemæo pecunias credidit, hiſq; non potuit alio quoquam pacto reſarcire. In culpam. ] Crimen mutati ueſtitus. Regis. ] Ptolemæi. Iniuriam. ] Quòd pecunias non reddidit Poſtulanti Rabirio. Niſi forte. ] Epanorthoſis per conceſſionem ironicam, atque approbationem à ſimili. Inciderint. ] Περιπέσωσι, hoc eſt, quaſi uenerint quodam caſu & ex improuiſo. Vim autem non ſolum ab hoſtibus, ſed etiam à prædonibus illatam, tam diuina quàm humana iura poſſe propelli teſtantur. Nemo noſtrum. ] Probat ex abundanti, concluſionem per locum à conſuetudine regum & proprijs. Etiam ſi experti non ſumus. ] Romani enim reges non habebant, ſed annuos conſules, & proinde conſuetudinis inexpertes erant. Animaduertе. ] Puni, κόλαζε. Dicto pare. ] Obtempera uerbis meis. Si queraтe. ] Lamenteris. Si te ſecundo lumine. ] Secũdo die. Offendero. ] Inuenero. Atque hæc omnia per μίμησιν. ex perſona regum dicta ſunt. Poſtea addit rationem à ſua ſententia, & cauſis. Quæ non, inquit, ut delectemur ſolum legere & ſpectare debemus, ſed ut cauere etiã et effugere diſcamus. ubi dirimens eſt copulatio ad amplificationem. At ex hoc ipſo. ] Alia Memmij obiectio, quæ ſoluitur per locũ à repugnantibus. Cogeret. ] Congregaret. ſicut cogere milites, & armatos homines dicimus. Non intelligo. ] λύσις per διλημματικόν. Acceſſionem. ] Incrementum ſummæ decimarũ. Vt noſtri face. coact. ſolent. ] Notat coactorum auaritiã, qui, ut hodie magno fieri plebis & reipub. damno uidemus, ſupra quàm à principibus decretum eſt, uectigalium, canonũ, oblationũ, collectarum, & indictionum acceſſionem facere ſolent. Itaque tales coactores, canonarij, indictionales, fiſcarij, et ærarij adeo miſere plebeculam uexant ubique, ut multo grauiore pœna, quàm Prometheus à caucaſeis uolucribus ſuſtineat, digni eſſe uideantur. Quare uideant principes, quorũ intereſt ſeruare plebem, non ſolũ quibus cõmittant hæc munera, ſed etiã ut ſi qui in his errent, puniatur. Sed ut ad uiam redeamus: Coactores ſunt, qui nunc particulares receptores uulgo dicuntur. & quos Græci uocãt ἐκδίκτας. nã generales receptores anti qui nominabant Tribunos ærarios. Deceſſionem. ] Diminutionem. Vndecim millia. ] Sexagies centena & ſexcentena millia aureorum. Quanquam enim multiplex talentum fuit, Atticum tamẽ, quod plurimum celebratur ab hiſtoricis, ualuit 60. libras, ſiue minas id eſt, ſex millia denarium uel dragmarum, quæ ſexagies denos coronatos ualent, hoc eſt, ſexcentos. Quod non mihi credi poſtulo, niſi manifeſtis auctorum teſtimonijs à Budæo homine doctiſſimo probetur in libris de Aſſe. Decem millia. ] Sexagies centena millia aureorũ. Ab his. ] Coactoribus. Addo etiam illud. ] Alia probatio, petita ex repugnantium loco, quæ hic ex abundanti ponitur. Qui. ] Quomodo. Hominis. ] Gabinij. Neque enim. ] Duplex probatio repugnãtiũ à perſonis ducta. una, Gabinius nõ potuit tantũ remittere de ſuo: altera, Ptolemæus ſuis iniungere non potuit, ut tantũ oneris ſuſtinerẽt. Et aduerte ἰδιωτισμὸν eſſe, cũ dicit imponere pati, pro eo quod eſt, imponere ut ſui paterẽtur. Aderant teſtes. ] Propoſitio aduerſarij μιμητικῶς poſita. Hi nihil. ] Solutio, & locus contra teſtes tractatus per Violentiã.

Vbi ergo. ] Reprehenſio à contrario & conſuetudine. Atque hic aduerte incrementũ eſſe cũ repetitione, cũ ait, Vbi ergo ille mos? ubi conſuetudo? Niſi maius eſſe diſcrimen inter morem & conſuetudinem. Mos enim eſt uitæ inſtitutũ conſuetudine firmatũ. uel ut Feſtus de Verborum ſignifi. lib. 13. definit: Mos eſt inſtitutum patrium, pertinens ad religionem, ceremoniaſq; maiorum. Et ſic mos conſuetudinem præcedere ſolet. Quod ſatis indicat Virg. 7. Aeneid. cum ait, Mos erat Heſperio in Latio, quem protinus urbes Albanæ coluere ſacrũ, nunc maxima rerum Roma colit. Recte igitur, & ordine naturali dixit. Vbi ergo ille mos? ubi conſuetudo: Obiter etiã notabis uim interrogationis breuibus membris confectæ. Solet is dicere in eum. ] Alia probatio ἄτεχνος, ab actione aduerſarij, quòd præter cõſuetudinẽ agat, hoc modo: Non eſt accuſandus coactor pecuniarũ, niſi prius is, cuius nomine cogitur, fuerit accuſatus: hoc eſt, non debes accuſare Poſthumũ, niſi prius Gabiniũ accuſaris cuius nomine pecuniam redegit Poſthumus. Sũt qui uelint eſſe occupationẽ μιμητικῶς poſitã. Age ſi is qui. ] Cõmunicatio cum aduerſario: ea continet deriſionem ſuperioris abiectionis. & Age, pro dic uſurpauit. ut Teren. in And. Age igitur, ubi nunc eſt ipſus? Et ait etiam. ] Epiphonema plenum indignitate. Particula Et, principijs indignationis mire cõuenit, et etiam adhuc ſignificat. Ait uero, tanquam de re uana & futili dixit. Meus familiaris. ] Memmius. Et uenuſte à ſecũda perſona trãſiuit ad tertiã, propter orationis uarietatẽ, quæ tædiũ leuat auditoribus. Mihi C. Memmi. ] Digreſſio ad cauſas reconciliatæ cũ Gabinio gratiæ, ut illam cauſam iure fuiſſe ſuſceptam comprobet. Reconciliationem uero gratiæ uocat amicitiæ redintegrationem, & (ut ſic dicam) reſtitutionem in gratiam. Neque uero. ] Prudens & laudabile reſponſum. Quid enim mali, ut Cæcias nubes, ſecũ nõ attrahũt inimicitiæ? Rurſus quãtũ bonorũ agmen ab amicitia prouenit? Sanè merito laudatur Craſſus, qui magiſtratu diſceſſurus, ultro Pompeio in Cõſulatu collegæ dextram porrigens, gratiam reconciliauit, cum magnæ eſſent alioqui inter ipſos inimicitiæ. Itidem & Ariſtippus, qui læſus ab Aeſchine, prior ad ipſum uenit ad amicitiã reintegrãdam. & proinde hoc ab Aeſchine audiuit elogium: Næ tu, inquit, profecto uir me lõge melior es. ſiquidem ut à me ſimultatis, ſic à te faciendæ gratiæ fuit initium. Vſque adeo laudabilem iudicauit amicitiæ recõciliationem. Quare uideant, quicunque gerunt inimicitias, ne ſempiternæ potius quàm mortales ſint. Quinetiã, ut ad Ciceronẽ redeamus, attende, quo pacto particulã Vero tertio loco poſuit, & ut dictionibus cõtrarijs per Antitheton ornet orationẽ. Nã ut mortales inimicias dixit, ſic & ſempiternas amicitias: & mortale finem habet, ſempiternum uero fine caret. Nam ſi me. ] Αἰτιολογία. Ne Cn. Põpeij animũ offenderem. ] Ne mihi Pompeiũ redderẽ inimicum, & alienarem à me. Neque enim. ] Cõfirmatio à perſonis, & περιστάσεσι, qua ſuũ cõmendat officiũ ad beneuolẽtiam, quã ducit à perſona Põpeij, & ſua. Sua cauſa. ] Suo nomine, propter ſe. Meam proieciſſem. ] Hoc eſt, libertatem meã non neglexiſſem, cũ omniũ ciuiũ libertatẽ ſemper eximie dilexerim. Quandiu inimiciſſimus. ] Probatio prioris particulæ confirmationis à tempore. Porrò autẽ magnæ fuerũt inter Ciceronem & Gabinium, propter Q. Fratrem Ciceronis, inimicitiæ: atque ita magnæ, ut Ciceronem Gabinius exulem uocare non erubuerit. Proinde Cicero uix ab accuſando Gabinio ſuperſedit: ſed tamen ſuperſedit, quòd nollet cum Pompeio pugnare. unde apparet, Pompeiũ Gabinio fuiſſe amiciſſimũ. Id uidebis libro. 3. Epiſt. ad Quintum Fratrem, epiſtola 2. Cui beneficiũ dediſſem. ] Quòd eius gratia Gabiniũ nõ accuſaſſem. Nã non redeundo. ] Probatio alterius particulæ confirmationis, ab eo quod non fiebat. Inimico ] Gabinio. Scilicet. ] Certe. Sed proxime. ] Pronomen illũ ad uerbũ fefelliſſem

referendum

referendum eſt, non ad particulam proxime. Licet Salluſtius dixerit, Proxime Hiſpaniã Mauri ſunt. At de me omittamus.] Apta tranſitio à digreſſione ad criminationẽ teſtium aduerſarij, quos refutat. Sequitur ergo locus contra teſtes. Quod habent os?] Quam habent impudentiam? Quod autẽ ſubtexit Modo, amplificatio eſt à tempore: ac nobis inſpectantibus, à perſonis: & in Iudicio Gabinij, à loco: Circunſtantias igitur poſuit, ad amplificandam teſtimonij indignitatem. Identidem.] Sæpius. Regem.] Ptolmæum regem Alexandrinorum. Non eſt, inquit.] Sermocinatio, & altercatio, uel commentatio. Sic autem illam diſtingues, ut Memmium & Ciceronem ita colloqui intelligas. M. Non tum Alexandrinis teſtibus creditum. C. Quid? poſtea creditum? M. Non. C. Quamobrem? M. Quia nũc aiunt, quod tũ negabant. C. Quid ergo iſta, &c. Quia nunc aiunt, quod tum negabãt.] Fidem teſtibus eſſe detrahendam cũ mutant ſententiam, tum paſſim Iuriſperiti, tum oratores affirmant. Quid ergo? iſta cond.] Euthymema à conſequentibus, aut potius ex contrarijs. Conditio, inquit, teſtiũ non eſt, ut quibus creditum non eſt, cum negarent, iiſdem credatur cum affirment. dicentibus, inquit: hoc eſt, affirmantibus. At ſi uerum.] Dilemma. Veriſſima fronte.] Vtrum ueritatem maxime demonſtrant? Quippe ueritatis index frons eſſe ſolet, ſimul & falſitatis. Sunt enim nonnulli ad omnem formam, uelut Proteus, frontem tranſmutantes: ut etiam recte dixerit Iuuenalis, Fronti nulla fides. Nunc mentiuntur.] Nã quæ quaſi ex diametro pugnant, ſimul eſſe uera non poſſunt, qualia ſunt uerũ dicere, & mentiri. Quid multis?] Elegans interrogatio ad attentionem, iuuens breuitatem. cui ſimilis eſt illa, Quid uerbis opus eſt? Quid multis? ſileant.] Subiectio, σχῆμα διασυρμὸς. Alexandriam.] Περιστατικῶς à regione & natione, qui locus eſt perſonarum. Præſtigiæ uero ſunt incantationes et deluſiones, quæ dexteritate apparent alia, quàm re uera ſunt. γοητείας Græci ſolent appellare. Porrò præſtigiæ uidentur ab eo dictæ, quod ita perſtringant oculorum aciem, ut res aliter quàm ſit uideatur. Dicimus enim in ſingulari numero præſtigium, & præſtigia in plurali. Cuius rei teſtimoniũ erit illud Ciceronis Act. in Verr. 7. Lectica igitur depoſita, non per præſtigias, ſed palàm per poteſtatem. Illinc inquam.] Particula hæc Inquã hic poſita eſt, ut magis affirmare uideretur orator: alioqui ſolet habere maximã uim ad dehortationẽ. Fallacias autem accipit, uerba ad decipiendum compoſita, quæ Græcis σοφίσματα dicuntur. Numorum argumenta nata ſunt.] Pecuniæ ex decumis coactæ, coniecturæ orta eſt. Argumentum quandoque ſolet coniecturam, ut hic, denotare. Nec mihi.] À ſuo deſiderio per ὑπερβολήν, quæ admirabile quoddã oratoris deſiderium innuit. Hoc autem cum facit orator, amabiles ſuos mores declarat. ſicq; beneuolentiam à perſona ſua renouat. Hominum.] Teſtium Alexandrinorum. Vultus.] Habitus oris. Vultus autem, qui mobilis eſt, ueri, ut ante diximus, falſiq; certiſſimus index eſſe ſolet, quanquam illic frontẽ pro uultu ponebat. Dixerunt hic.] À priori teſtimonio, & ab arrogantia teſtium refutat, & ad amplificationem per circunſtantias pondus facto teſtium adiungit. Nam cum hic dicit, loci circunſtantiam uides. Nobiſcum uero referri poteſt ad perſonam, quam rurſus euidentior locus ſequitur. ait enim, Ad hæc ſubſellia. Nihil autem aliud ſignificat Ad hæc ſubſellia, quàm ante hoc tribunal. quanquam proprie ſubſellia minorum ſunt ſedes iudicum, uel auditorum lectionis poeticæ. ſic enim innuere uidetur Perſius: Troſulus, inquit, exultat tibi per ſubſellia leuis. Erant enim ſubſellia ſedes, in quibus ludi ab equitibus ſpectabantur. Ergo ut circunſtantias intelligere poſſis, modo, à tempore: nobiſcum, à perſonis: ad hæc ſubſellia, à loco: quibus ſupercilijs renuentes, à modo dixit. et quibus ſupercilijs, pro qua arrogantia. Renuentes.] Reſpuentes, & quaſi ſigno quopiam oſtendentes ſibi diſplicere. Locus ſpectat ad turpem teſtium geſtum. Iam.] Præterea. & locus eſt à regione teſtium. Hoc autem genus argumentandi incredibilem ſolet adferre ueriſimilitudinem. Cæterum particula Iam, mire connectendis ſententijs eſt accommodata. quemadmodum & illa, Iam uero, huic haud multum diſſimilis. Inſulſitatem.] Stultitiam, fatuitatem. Humeris geſtum agebant.] Quod turpiſſimum eſſe, cum omnes alij ſcriptores, tum Rhetores aſſerunt maxime. nam humerorum, ut Fabius ait, raro decens alleuatio atque contractio eſt. Breuiatur enim ceruix, & geſtum quendam humilem atque ſeruilem, & quaſi fraudulentum facit, cum ſe in habitum adulationis, admirationis, metus fingunt. Agere uero geſtum quàm Latine dicatur, quis, niſi talpa cæcior ſit, non uidet? Ne illud quidem omittendum eſt, hic eſſe à factis turpibus argumẽtum, quæ ad perſonam referri ſolent. Tum temporis.] Videtur illos defendere: ſed deridet. nam ironia eſt, quod indicat uerbum Credo, quod Græcorũ eſt Ironicum μάλιστα, ut alibi docuimus. Sic autem intelligẽdus eſt locus, ut uerbum Erat ſubaudiatur, hoc modo: Tum temporis, credo, cauſa erat, nunc ſcilicet nullum eſt. Vbi ſemel.] Sententia perelegans epiphonematis loco poſita. Atque hic attendendum, quàm ingens uitium ſit periurium: quod ſi ſemel in aliquo reperiatur, is præſumitur ſemper uelle peierare. quandoquidem non poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo Optim. Maxim. fuit infidelis: & nec ei credendum eſt, qui ſemel fidem ueritatis abiecit à ſe. Præſertim Iudices.] Amplificatio, et incrementum probationis ſuæ à iudiciorũ conſuetudine. Itaque ſi aut.] Conſecutio per fictionem. Prædes.] Sponſores. Nam prædes ſunt mãcipes, & qui tam debent populo uel principi quod promiſerunt præſtare, quàm is pro quo prædes facti ſunt. Hodie prædes dicuntur, qui ſponſores Reip. facti ſunt, uel principi, pro his qui publicam pecuniã adminiſtrant. Olim huiuſmodi prædes à magiſtratu interrogabãtur publice, an præſtarent: atque ſimul ac reſponderant, prædes dicebantur. Ab eo.] Gabinio. Non redigeretur.] Vtrum ui & induſtria reduceretur, an ſimpliciter repeteretur? Planum factũ.] Probatum. Metaphora ab inæquali loco, qui adhibito rutro uel opera planus effici ſolet. Nunc uero.] Redditio per locum ab indecenti ἀγανακτικῶς, hoc eſt, cũ indignatione, quã adauget à circunſtantijs. Cum ita ſit ſanè, quia (quid agitur) circunſtantia eſt rei. Quid poſtea? ubi terrarum ſumus? ad locum referri poteſt. Quid tum? An nõ eſt rurſus circunſtãtia rei quod ſubiungit? quid tã inſolens? hoc eſt, præter conſuetudinẽ. Nã aliàs arrogans dicitur inſolens. Sic enim pro Marcello: In uictoria, quæ natura inſolens & arrogans eſt. Sequitur, quid tam peruerſum præpoſterum'ue? hoc eſt, iniquũ & malignũ. quod itidem ad rem pertinet. Accuſatur is.] Accuſationis indignitas per locũ à perſona Poſthumi. Ergo is.] Ἐπιφώνημα. Iam cedo.] Cõmunicatio cum aduerſario. Porrò ut Iam pro præterea, ſic cedo pro dic debes exponere. Is qui pecuniam Poſthumo.] Ptolemæũ regem intelligit. At habet & celat.] Obiectio στοχαστικῶς, per coniecturã. Sunt enim.] Obiectionis ratio per locũ à rumore. Quod genus.] Solutio à cõiectura locis petita. Oſtentationis.] Iactantiæ. Habuiſſet.] Rabirius. Si quæſiſſet.] Ptolemæus. Cur is.] Poſthumus, et eſt ἀνακόλουθον. nã poſtea ſequitur cauſa. Qui uero duo lauta.] An unum à patre, alterum à matre? An potius unum tantum à parentibus, & alterum à conſanguineis? Sit aũt hoc cognitũ, lauta dici opulenta & nitida. Sed quid ita? An quia lautus proprie dicitur diues, & nitidus, non in ueſte modo, ſed in uictu quoque delicato? Quid eſſet.] Mirum quod erexit in fine periodum per interrogationẽ, tum ut uehementius feriret aduerſarium, tum ut ambitus eſſet iucundior. An cũ credebat.] Cõtentio ad amplificationẽ. Neque uero hic

omittendũ, credebat exponendũ eſſe, pecuniam mutuã dabat. Exegit.] Ad diſſolutionem coegit. Hinc Cicero Verrẽ, ut reperiretur pecunias ſumpſiſſe mutuas, nomina ſua exegiſſe ſcribit. Dominatus eſt enim.] Alia obiectio à preterita Poſthumi uita, ad quã per ulolationem reſpõdet illic, Imo uero ubi per carceres miſerationẽ commouet. Pertulit cuſtodiam.] Tolerauit animo patienti uincula, carcereſq;. ſiquidem cuſtodia ſedes eſt interdũ ac locus, quo uincti malefactoreſq; obſeruari ſolent, ubi plerunq; neruos, catenas, nummulas, pedicas, boias, miſeri perferunt. & eſt hoc loco à calamitatibus & malis commiſeratio. Vidit in uinculis famil.] πάθος à rebus quæ uſu magnæ uidẽtur. Ob amorem, & ob oculos, pro ante oculos dixit per commiſerationẽ à periculo, in quo fuit Poſthumus. Ad extremũ, tandem ſignificat. As permutata aliquãdo pecunia eſt.] Propoſitio aduerſarij à ſigno, quæ illic finitur, Quid amplius? & per locũ cõtra rumores diſſoluitur. Puteoli oppidũ eſt Campaniæ, de quo alio loco diximus, nempe in orationẽ pro Cælio. Cõſiderandũ etiã, merces fallaces dici deceptorias, et, quæ plenæ fallacijs eſſent. Quid præterea? fucoſas aliud uocat quàm fraudulẽtas? Fucus enim nonnunquã fraudẽ & inſidias denotat, in quibus occultatur ueritas. Vnde fucũ facere dicũtur, qui decipiunt quẽpiã. Chartis.] Papyris: aliàs figurate librum charta denotat. ut apud Ouidiũ lib. Triſt. tertio, Nullus in hac charta uerſus amare docet. Linteis.] Pannis lineis. Nam linteum, quod à lino deducitur, pannus uocari ſolet. cuius in balneis, lectis, menſis, tergendis manibus, aut ad merces tegendas uſus eſt. Atqui quomodo id probari poteſt? Nempe quod ſic habet Plautus: Linteum cape, tumq; exterge tibi manus. Vitro.] Recte: nam ſunt, merces, quæ uitro incluſæ circunferri ſolent. Quid amplius.] Solutio, qua ſolũ cauſas διαβολῆς recenſet, loco cõfutationis. Iſtuc etiã ad locũ contra rumores referri poteſt. Quid amplius.] Quid multa? & huiuſmodi interrogatiuncula & ἔλλειψιν habet, et attentionẽ. Vectorũ.] Vector dicitur tã qui uehit in naui, uel plauſtro, quàm qui uehitur pretio. Tũ ſubinuiſum.] Parũ gratũ. Oratorie à maleuolis & inimicis ſparſum rumorem fuiſſe demõſtrat. Adde quod particula, ſub, diminuit ſignificationem: ut ſubiratus, hoc eſt iratus parum. Opinionem.] Probe. Opinio ſiquidem dicitur ſuſpicio. Nam ſic apud Terent. in Heaut. Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animũ exaugeant. Neſcio quã.] Dubitatio, ad contemptũ & extenuationem. Referſit.] Repleuit. Hoc uerbum iungitur etiã patrio caſui. Cicero pro Plancio: Quo cũ ueniſſem, cognoui id q̃d audierã, refertã eſſe Græciã ſceleratiſſimorũ hominum ac nefariorum. Verũ autem] Amplificatio à iudicio & fauore Cæſaris erga Poſthumum. Age uero num uides hunc locũ de Cæſare amplificationi cõuenientem, ſummi oratoris iudicio fuiſſe ad perorationem reſeruatũ? Quod quãtũ adferat mometi cauſæ, hic ſubtexerẽ, ſi nõ à rhetoribus præmoneretur ſæpius. Verũ.] Pro ueritate poſuit, ne putes eſſe cõiunctionem. Summam in omnes.] Laus Cæſaris à liberalitate, quã mere amplificauit, cũ in omnes ſummã, in Poſthumũ uero fuiſſe incredibilem dixit. Adhæc orationem facit illuſtrem contrapoſitis, cũ multorũ & unius meminit. ſuſtinuerũt, & ſuſtinet, ſpectant ad continuationẽ tranſlationis ab his ſumptæ, qui iuuant onuſtos. Deſcripta.] Hoc eſt, inter ſe partita & diuiſa. Adflictis fortunis.] Bonis eius profligatis, proſtratis, et in periculo poſitis, ac quaſi perditis. Vmbrã Equitis.] Peroratio cũ affectibus, quos tractat copioſiſſime, ut iudices commoueat ad miſericordiã. In hac facilius q̃ in ſpeculo uidere licet eorum exempla præceptorum, quæ de miſericordia cõmouenda tradũtur à Rhetoribus. Atque idcirco tota hæc exacte perpendenda eſt. Eam uero ut dilucide, ſic diligenter tractabimus, ne quid ingenui adoleſcentes in ea deſiderare poſſint. Ergo primũ miſericordiæ locum ſumit à uaria fortunæ commutatione: quæ quanto ab altiori dignitatis gradu quempiam deiecit, tanto magis ad miſericordiam allicit auditores. Itaque cũ eo deiectũ eſſe inquit Poſthumũ Ro. equitem ex ſummis diuitijs opibuſq;, ut nihil præter umbrã & fidẽ reliqui ſit, nihil aliud ait, quàm ab alto in humilem locũ & miſerum eundem fuiſſe deiectum. Quid quod hic mire ſingula extenuat, quo magis poſſit mouere. An porro rõne putas carere, quod umbrã quæ uana & inanis eſt, dixit? An quod imaginem, quæ ſic iuuare non poteſt? Vnius amici.] Cæſarem intelligit. Ad hæc attende copiã uerborũ, ubi umbram, & imaginem dixit nunc ſimulacrũ addit, quod pulchre ad rem incorpoream & inanimatam tranſtulit. Quod Cæſar ſolus.] À iudicio Cæſaris cõfirmat miſericordiã. Quæ.] Dignitas. Niſi uero.] Correctio per conceſſionem ironicã, quæ loco probationis ueriſimilis poſita eſt. Tanti ducat.] Tanti æſtimet. Hunc et adflictum.] Rabirium intelligit, cuius perſonam tractat ad miſericordiam. Quas gerit, atque geſſit.] À factis præſentibus atque præteritis. Vel ſi memineris.] Correctio, & antitheton ad ornatum. Multas equidem.] Digreſſio & amplificatio aliarum rerum à Cæſare geſtarum, ut hoc factũ, quo tuetur Poſthumum, maius eſſe uideatur. locus pertinet ad comparata. Theatris.] Spectaculis. Theatrũ ædificium eſt factũ in hemicycli forma, ad uidenda ſpectacula idoneum, ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, hoc eſt à uidendo. Populares.] Cũ populo communes. Caſtris locum capere.] Ad caſtra facienda locum eligere. Caſtra uero plurali tantum numero dicuntur, id quod Græci τὸ στρατόπεδον uocant. Exercitum inſtruere.] Ordinare copias. Tam de bonis autem, quàm de malis inſtruere dici ſolet. Virgilius de Sinone, Dolis inſtructus & arte Pelaſga. & Cicero in Catone, An ne eas quidẽ res ſenectuti relinquemus, ut adoleſcẽtulos doceat, inſtituat, ad omne officij munus inſtruat? Profligare.] Deijcere, deperdere, et ad perniciem deducere. Et totus hic locus ſpectat ad amplificationẽ à bonis animi Cæſaris petitã. Quã nox uix.] Amplificat hyemis iniurias, ut fortior & melior uideatur Cæſar. His ipſis diebus.] Amplificatio et pathos à tempore proximo, ſpectans ad Cæſaris laudem, qua nititur commouere iudices. Latibulis.] Hæc ſunt loca in quibus latent feræ, à lateo lates nominata. Iure gentiũ.] Quaſi quo iure omnes gentes utũtur. Siquidem Iuriſc. ius gentium deſcribũt, quod naturalis æquitas inter omnes gentes conſtituit, & quod peræque apud oẽs homines cuſtoditur. Hæc uero cuncta proinde dicũtur, ut à Cæſaris laude cõmoueantur iudices. Sunt ea quidem.] Conceſſio cũ interrogatione, dicendi rationem exhilarante. Quo minus admir.] Redditio cõparationis illic inceptæ, multas equidem C. Cæſar. Hæc mira laus.] Epiphonema cũ amplificatione per ἐπεξεργασίαν. Nam poetarũ.] Qui ſæpius fingere ſolent, quàm uerũ dicere. Non annaliũ.] Annales omnino id ſunt, quod hiſtoriæ ſunt: Hiſtoriæ non prorſus id ſunt, quod annales. Nam ſicut prudentia neceſſario eſt uirtus atque quod eſt uirtus, non neceſſe eſt eſſe prudentiam. ita annales neceſſario ſunt hiſtoriæ; at hiſtorias nõ neceſſe eſt eſſe annales. Annales nempe dicũtur plurium annorũ res geſtæ, obſeruato cuiuſq; anni tempore. Hiſtoriæ uero ſunt rerum geſtarũ expoſitiones. Equitem Romanum.] C. Rabirium. Et eſt πάθος à qualitate perſonæ Rabirij. Studioſum.] Bonum, et uirtutibus plenum, & ut Græci loquuntur σπουδαῖον. Eſtq; auxeſis. Nam plus eſt amans, quàm ſtudioſus: & obſeruans, quàm amans. propterea q̃ amans plerunque non obſeruat, hoc eſt non admiratur, ac ueneratur cultu dignitatis. Non libidine, nõ turpi.] Laus Poſthumi à uitijs, quibus caret: quod laudandi genus frequentius apud poetas, quàm oratores comperies. Non turpibus imp. cup.] Amplificat per correctionem. Experientia.] Propter cognitionem, quod patrimonium ſciret amplificare Rabirius. Hæc loquendi forma ſatis rara eſt, neque ſcio an alibi poſſit inueniri.

uenire. Lubentem excepit.] Quod unum erat, oratorie diuiſit in multa, ut Cæſaris laus maior uideatur. Sic unum in duo diuidit Pamphilus apud Terent. in And. Vis me uxorem ducere? Hanc uis amittere? ut potero, feram. Siuit.] Permiſit, à uerbo ſino. Illud uidendum, quod quemadmodum fulſit ad lubentem referendum eſt, ita & ſuſtinuit ad corruere. Re.] Facto, non uerbis. atque hoc refertur ad illud, Corruere non ſiuit. Is porrò uerus eſt amicus, qui cum incerta res eſt, re iuuat, ubi re opus eſt potius quàm uerbis. Fortuna.] Diuitijs & bonis ſuis. nam fortunam ſic uſurpari poſſe in ſingulari numero, teſtatur illud Ciceronis de Amicit. Sæpe enim in quibuſdam aut animus abiectior eſt, aut ſpes amplificandæ fortunæ fractior. Cæterum hoc referendum eſt ad uerbum fulſit. Pudentem.] Verecundum, ut pudentem in bonam capias partem, quod tamen non magnopere uſitatum eſt. Aciem perſtringit.] Valde ſtringit, hoc eſt, claudit & obtenebrat, & ut Græci dicunt [illegible]. Cicero alibi, Aciem animorum uirtutis ſplendore perſtringitis. Aciem uero animi dixit per metaphoram, ab oculorum acie. Sint ſanè illa magna.] Conceſſio cum aſſeueratione ad fidem. Re vera.] Certe, ut ſit affirmantis: quemadmodum eſt, profecto, & hercule. Ego enim hanc.] Aetiologia à ſuo iudicio. Liberalitatem.] Benignitatem in amicos. Quam quidem.] Commonitio cum aſſeueratione, in qua quid iudices facere debeant præſcribit, cõmendando Cæſaris liberalitatem, quam bonitatem nominat. Et eò magis.] Cauſam aſſeuerationis ponit, ut affectum ab ipſa & tempore moueat. Labefactandum.] Deſtruendum. Nam labefactare, quod eſt frequentatiuum à labefacio, denotat conuellere, ac deſtruere, hoc eſt, λυμαίνεσθαι καὶ [illegible]. Ex qua illi nihil.] Alius miſericordiæ locus: cum oſtendimus animum noſtrum, uel eius pro quo dicimus, patientem incommodorum. Fortiter ferat.] Cæſar æquo patiatur animo. Ad hanc utique farinam ſpectat illud in Catone, Quem ego meum caſum fortiter ferre uiſus ſum, non quod æquo animo ferré, ſed me ipſe conſolabar, exiſtimans nõ longinquum inter nos digreſſum & diſceſſum fore. Aut facile reſtituat.] Reſarciat, non grauate cum ſuis opibus damna poſthumi reparabit. Amiciſſimum hominem.] Poſthumum, quem maximopere diligit. Et ab euentu locus miſericordiæ deſumptus eſt. Satis multa.] Complexio amplificationis, quæ à Cæſaris perſona deſumebatur. Huic ad beneuolentiam à perſona iudicum ſumptam, eorundem laudes adglutinatæ ſunt. Non iniquis.] Bonis. Sic autem laudamus per negationem ea, in quibus non facile quod laudetur inuenimus. Nimis etiam nobis.] À confidentia, quam de cauſa habet. hoc propemodum ad uictoriam facit, ſi bene de cauſa ſua ſperet orator. Nam ſi diffideret, quomodo alij ſperare poſſent? Sed ut omnium.] Vltima conceſſio ironica, & per modum obiectionis. Non deſunt, qui faciant iſtic perorationẽ: ſed multæ ſunt rationes, quæ me faciant aliter opinari. Atque ut alias omittam, quis non, ſi modo rhetorum præcepta de miſericordia & affectibus legerit, uidet perorationem illic eſſe faciendam ubi fecimus? Quare qui aliter opinantur, à uero diſcedere uidentur. Quinimo et ſe, & ſua quantumuis ſine riuali diligant, per me non ſtabit, cum doctiores mecum potius quàm cum illis faciant. Illud tantum hic repetam, hunc locum habere uim occupationis. Ecquis ex tanto.] Solutio, qua totum negat, quaſi abſurdum. Commemorat Poſthumi tãtam eſſe paupertatem, ut nemo ſit, qui uel exiguo quidem pretio bona ipſius emere uelit: quod ad miſericordiam quoque commouendam pertinet. Addici.] Vendi. Huc uero ſpectat prouerbium, Addicere numo: pro eo quod uulgus dicere ſolet, uendere fragmento panis. quod eſt inſtar donationis, ſed tamen uenditionis prætextu uitatur donationis inuidia. Sed me miſerũ.] Epiphonema & correctio pathetica, qua rumpit in affectus, quibus iudicũ animos à ſua miſericordia mouet, & dolore. Hem Poſthume.] Apoſtrophe ad Poſthumũ, quaſi cũ tragico affectu. Curij filius.] À patre, & his quorum amore mouentur homines. Tunc ille in omnes.] À uirtutib. quæ ſunt in litigatore ſuo, miſericordiã exaggerat. Bonitas] Liberalitas, quæ nimia nõ debet eſſe, ſed modũ ſeruare. ſubiungit inde, qui nihil profudiſti: quod eſt per prodigalitatẽ dilapidaſti. & eſt à uaſculis trãslatio. Quid tandẽ? Nunquid eũ ait, nihil in ullã libidinẽ contuliſti: à temperãtia, quod nõ propter uoluptatẽ fœdã amiſerit bona, pathos manifeſtũ eſt eſſe ſumptum? Tua poſthume nũmo.] Artificioſe quod admodum miſerabile uidebatur eſſe, repetit. Inde uehemẽs infert epiphonema per commiſerationem dicens, O me miſerum: & poſtremo, ne quid intactum reliquiſſe uideatur, cõmemorat bonam eius uoluntatem, & deſiderium. ſed, inquit, hoc præterea cupit, ut ſic bona uendantur ſua, ut cuique debitũ perſoluatur. Solidum nanque uocat integrum, & unicuique creditori debitum. Aliud niſi.] Non ignorandum per enallagem, niſi pro quàm ſæpius uſurpari, præſertim poſt particulam aliud, Terentius hoc liquide probat in Andria: Nihil aliud uolo, niſi Philomenam. Et Cicero de Senectute: Quid eſt aliud gigantum more bellare cũ dijs, niſi naturæ repugnare? Manſuetudinis.] Clementiæ: ut illud in Offic. indicat. Et tamen ita probanda manſuetudo atque clementia, ut adhibeatur Reip. cauſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas nõ poteſt. Quod iudices.] Deprecatio cũ expoſitione iniuriæ ab iniuſto. Siquidẽ iniuſtũ eſt petere pecuniã aduẽtitiã ab eo, cui ſua, hoc eſt, credita nõ redditur. Atque eo mag.] Ζεῦγμα à ſuperiori. quãdoquidem ſubdendũ eſt, quod præceſſerat, Oro obteſtorq; uos. hoc modo, atque eo magis oro obteſtorq; uos. Illud uero Si, qđ ſequitur, pro quia accipimus. itẽ pecuniã aduentitiã non fortuitã, ſed quæ aliũde quàm à parentibus, puta ex decimis aduenerat. Ab eo.] Poſthumo. eſt πάθος ab iniuria Rabirio facta. Nã in eum.] Alius affectus à cauſa, & rei indignitate. Miſericordia.] Quia illi ſua nõ redditur pecunia. Inuidia.] Quoniã Memmius Gabinio infenſus, C. Rabiriũ eius amicum magis per inuidiã, quàm ob culpã accuſat repetundarum. Quæſita.] Cõmiſerationis locus à querela cõflati criminis. Sed iam quoniã.] Suo more ex perſona ſua cõmiſerationem mouet, & mire fiduciã cauſæ præ ſe fert. Itaq; eſt obliqua cõmendatio liberalitatis Poſthumi, ab Oratoris perſona. Fidem.] Quæ maxime requiritur in patrono. Verſatur ante oculos.] À Poſthumi meritis in Cic. quæ, quoniã pietatem magnã in Poſthumo fuiſſe mõſtrabant, cum tam ſtudioſe leuaret aduerſitates amici, plurimũ ualent ad mouendos iudices. Te totã.] Magnũ eſt bona fortunasq; offerre, ſed lõge maius ſeipſum præſertim ſi quis diues fuerit, cũ raro diuites ſoleãt ſe amicis exhibere. Copijs.] Vtrũ bona per copias intelligit, an milites? propterea quod ſequitur. Tu præſidio. Tu comitibus.] Amplificatio meritorum cũ repetitione. Diſceſſum.] Exilium. Sic enim Cic. paſſim per extenuationẽ uocat, exiliũ ſuum. Tu nunquàm meis.] Mirus et uehemens affectuũ locus à rebus, quæ cunctis magnæ uidentur ob uſum & charitatẽ, quæ plurimũ mortales mouere ſolent. Quid qđ repetitio dictionis Nunquàm, quæ ἀντιβολικῶς poſita eſt, magnopere mouet. mẽtio liberorũ atq; coniugis πάθος habet. Poſſum excitare.] Hoc dictũ apparet, quaſi per præciſionem. Atq; hic etiã ſcire debemus, teſtes reductos appellari qui ab exilio cũ Cic. redierunt in patriã. Quod.] Intellige teſtes liberalitatis excitare. & eſt argumentũ à teſtimonio, uel rumoribus. Adiumento.] Auxilio. Adiutoriũ nuſquã, ut opinor, legitur: ſed adiumentũ ſæpiſſime. In iudicio cap.] Iudicium capitis uocat illud, quod de uita rei ſuſceptum eſt. Bonitat ipſius inuidiam.] Attendito eam inuidiam dici, quæ de ipſius bonitate habetur. Iam indicat.] Circunſtans

*aduocatio magnũ reis adfert adiumentũ. Quare cũ id prudẽs orator non ignoret, eam hic iudicibus ob oculos poſuit diligenter. Eſt hic igitur miſericordiæ locus, ab aduocatione præſenti.* Et me dolor debilitat.] *πάθος à ſuo dolore. Interim porrò meminiſſe oportebit, plurimum in peroratione ualere, motum quoque animi noſtri lachrymis confiteri: qui ubi uehemens eſt, abrumpenda eſt oratio ne affectus langueſcat. Cuius rei exemplum erit illud pro Milone, Sed ſit finis, neque enim præ lachrymis loqui poſſum. Simile quiddam, ne uideamur extra terminos rei propoſitæ diſcedere, habet & illud pro Plancio: Plura ne dicam, tuæ me lachrymæ impediunt, ueſtræq; iudices, non ſolum meæ.* Includitq; uocem.] *κωλύει τὴν φωνήν, hoc eſt, uocem impedit & ſermonem. Illud fortaſſe hic operæpretium fuerit adijcere, quoniã eſt includendi facta mentio, Latinis dici includo in carcere, & includo in carcerem. Quod quorſum pluribus attinet probare, cum uel illo Cic. in Verrem teſtimonio planum fieri poſſit? Includuntur, inquit, in carcerem condemnati. Et in Catone, Non dum ſumus incluſi in his compagibus corporis.* Vos obſecro.] *Iterum redit ad deprecationem, in qua Poſthumum laudat, & affectus mouet his, quæ futura ſunt, ſi condemnetur Poſthumus. Locus ergo pertinet ad euenta.* Quo nemo melior unquàm fuit.] *τ' ὑποβολή, apta laudationi & mouendis affectibus.* Et uſuram huius lucis.] *Hoc inuidioſe dictum eſt. nam qui alijs inuident, ne uſuram quidem rerum, quæ nullo pacto deteriores fiunt, etiam ſi multi habeant uſum, concedunt. Hæc autem dicendi forma frequens eſt apud Ciceronem. Nam cum ſæpius ita, tum Act. 7. in Verrem locutus eſt. Cur inquam (idem auctor ait) ciuibus Rom. quos piratæ ceperant, ſecuri ſtatim percuſſis, ipſis piratis uſuram tam diuturnam dedi?* Et ueſtrum conſpectum.] *Et hoc quoque inuidioſe.* Hic uos aliud nihil.] *A' iuſta Poſthumi petitione, quam extenuat, ut facilius poſſit à iudicibus conſequi, quod poſtulat.* Rectis oculis hanc urbem ſibi intueri.] *Pleonaſmos uideri poterat: ſed quod rectis addidit, neceſſariam potius, quàm uitioſam reddidit loquendi formam. Hanc autem dixit urbem ἀπολύτως & cum affectu, à re quæ cunctis debet ob uſum & utilitatem eſſe chariſſima.* Atque in hoc foro.] *Rurſus hic altum à loco uides affectum. Facere porrò ueſtigium hic accipiendum eſt, quemadmodum peritiores utuntur, quibus dicitur facere ueſtigiũ qui ambulat.* Fortuna.] *Calamitas ſubita & inopinata. quod uero ſubtexit Vnius amici, hoc ad Cæſarem referes, qui, ut non procul à principio perorationis dictum eſt, Poſthumum labentem excepit, exceptum fouit, & ſuſtinuit opibus.*

# IN M. T. CICERONIS ORATIONEM PRO M. MARCELLO

## FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

*VICTO Cn. Pompeio in acie Pharſalica, ex ijs qui eum ſecuti erant, alij in Africam ad Iubæ Actijq; exercitus, ad renouandum bellum ſe contulerunt, ut Scipio & Cato: alij ſe uictos credentes, ab armis omnino deſtiterunt, ut M. Cicero: alij medium tenuerunt, ut M Marcellus uir cõſularis, ac ſingulari prudentia præditus, qui de uictoria Pompeij ſemper ſumme diffidebat. Hunc magna multitudo pro maximis eius clariſſimisq; uirtutibus diligebat, quocirca reſtitui eum maxime cupiebat. Is autẽ forti & inuicto animo reſtitui à Cæſare in patriam nolebat, ne ea quæ nollet, Romæ uideret. Eum Cicero, cum quo à pueritia cœpit familiaritas & amicitia, ſæpe hortabatur, ut cederet tempori, & neceſſitati pareret, quod ſemper ſapientis habitum eſt. Eundem C. Marcellus frater ſummis precibus obſecrabat, ut redire uellet, qui idem Cæſarem pro ſalute fratris aſſidue deprecabatur. In Senatu præſente Cæſare, cum à L. Piſone mentio eſſet facta de M. Marcello, cumq; C. Marcellus ſe ad Cæſaris pedes abieciſſet, Senatus cunctus conſurrexit, & ad Cæſarem ſupplex acceſſit, ut M Marcello ignoſceret. Tum Cæſar in Senatu habuit orationem, qua M. Marcelli acerbitatem accuſauit, quod cum in Gallia bellum gereret, à M Marcello Cos. prædo appellatus ſit: quòd cum Senatu agere conatus ſit, ut Cæſar ipſe hoſtis patriæ, niſi poneret arma, iudicaretur: quòd Decurionem Nouicomi, quam coloniam Cæſar deduxerat, uirgis ceciderit, ut ciuem eum non eſſe oſtenderet, & ita Cæſaris factum improbaret. ciues enim Romanos uirgis cædere lege Porcia non licebat. ciues autem Romani etiam coloni & municipes erant. Alias quoq; Marcelli offenſiones Cæſar commemorauit. Adiecit quoque, eſſe qui uitæ ſuæ inſidiarentur, ſed ſe naturæ & gloriæ ſatis uixiſſe. Tum repente præter omnium ſpem dixit, ſe Senatui de Marcello ne hominis quidem cauſa negaturum. Eum itaque Senatui Reiq; publicæ conceſſit. Senatores rogati ſententiam, Cæſari gratias egerunt. Cicero qui ſtatuerat priſtinæ dignitatis deſiderio tacere, Cæſaris magnitudine animi & clementia, & Senatus officio commotus, mutauit conſilium. Itaque pluribus uerbis hac oratione egit gratias Cæſari: cuius argumentum eſt. Principio cauſam dicit, cur ſilere in Senatu perpetuo decreuiſſet: idq; feciſſe clementiam Cæſaris in Marcello inimico reſtituẽdo, ut mutaret conſilium. Tum enim Cæſar omnibus ſignum dedit, ut bene de Repub. ſperarent. Res geſtas Cæſaris anteponit omnibus Imperatorum pop. Rom. exterarum gentium, potentiſſimorum populorum, regum clariſſimorum rebus geſtis. Sed multo eum maiorem dicit conſecutum gloriam, quòd animum ſuum uicerit, quòd iracundiam cohibuerit, quòd uictoriam (quæ natura inſolens & ſuperba eſt) temperauerit, quod inimicum ſuum priſtinæ dignitati reſtituerit. In hac uictoria tanta fuit Cæſaris modeſtia, ut maluiſſe ſe non dimicare, quàm uincere oſtenderit: quod pacis auctores & dilexerit & reſtituerit, in quibus fuit Cicero. Si uiciſſet Pompeius, eius uictoria crudelis fuiſſet: in Cæſaris uictoria nulla fuit crudelitas, nullus occiſus eſt, niſi in prælio armatus. Itaque uidentur Dij immortales omnem ſpem ſalutis pop. Rom. Reiq; publicæ ad Cæſaris clementiam & ſapientiam tum contuliſſe, cum eius uictoriam adiunxerunt. Cæſaris ſuſpicionem, ne quis eius uitæ inſidietur, tollit: ſed cauendum ſuadet. Negat ſe tale quid Cæſari timuiſſe: ſed humanos caſus, & incertos ualetudinis euentus, & naturæ communis fragilitatem metuendam eſſe. Cæſarem hortatur, ut Rempub. conſtituat, quam ipſius belli impetu iacere neceſſe fuit. Quis Cæſar dixerat, ſe naturæ & gloriæ ſatis uixiſſe: eum patriæ, cui natus eſt, parum uixiſſe Cicero dicit, quam ſi conſtituerit, diuinæ eius uirtutis gloria futura eſt immortalis: cui ut inſeruiat, hortatur. Obſecrat Cæſarem, ut uitæ & ſaluti ſuæ conſulat. Pollicetur & ſuo & Senatorum reliquorum nomine, non ſolum excubias & cuſtodias, ſed laterum ſuorum & corporum oppoſitus ad uitam eius ſalutemq; tutandam. Poſtremo Cæſari gratias agit maximas, quod Marcellum Reipub. reſtituerit. Genus cauſæ quod ſit, facile dictu non eſt, ſi tantum tria dicendi genera eſſe dicamus. Nam ſi demonſtratiuum eſſe dicas, quod Cæſaris laudes contineat: primum ad hoc ſuſcepta oratio non eſt, ut Cæſarem Cicero laudet, ſed ut ei gratias agat de Marcello reſtituto. Vt enim qui confert munus, ita qui accipit, id uerbis ornare atque*

amplificare

amplificare debet. Illud igitur in agendis de accepto beneficio gratijs fieri ſolet, ut ipſum beneficium quantum maxime fieri pōt primum uerbis amplificemus: deinde gratias agamus. ut facile poſſis cognoſcere etiam ex oratione legatorum Saguntinorum, habita Romæ in Senatu, quæ eſt apud T. Liuium lib. 28. hac enim ratione maior animi gratitudo exiſtit. Cicero igitur: quo ampliores Cæſari gratias ageret, res eius geſtas extulit maxime: ſed ijs omnibus antepoſuit hoc beneficium, quòd Marcellū inimicum dignitati priſtinæ reddiderit. Hæ igitur Cæſaris laudes ad maiorem gratiarum amplitudinem pertinēt. Deinde nec ibi Cæſaris laudatio perſcripta eſt, ſecundum præcepta artium. Laudatur enim hic ferè à clementia. Tum, ſi propterea demonſtratiua oratio eſſet, quod Cæſaris laudes contineat, multæ ſunt deliberatiuæ & iudiciales, quæ itidem demonſtratiuæ appellandæ eſſent: propterea q in his laus aut uituperatio contineatur. Poſtremo, ut in oratione deliberatiua ferè fit, ut in fine pro concluſione ſententiam ſuam dicat is, qui orationem habet: ita in huius orationis parte extrema pro concluſione eſt actio gratiarum. Id in demonſtratiua oratione fit. Si deliberatiuā orationem eſſe dicas, primū omnis deliberatio de re dubia eſt: hæc oratio de re certa eſt. Deinde deliberamus de re futura: Cicero agit gratias de re anteacta. Non igitur ab re Quintil. lib. 3. dubitari poſſe dicit, ſi tantū genera cauſarum tria ſint, & laudandi ac uituperandi officiū in parte tertia ponamus: in quo genere uerſari uideamur, cū querimur, conſolamur, mitigamus, cōcitamus, terremus, cōfirmamus, præcipimus, obſcure dicta interpretamur, narramus, deprecamur, gratias agimus gratulamur, obiurgamus, maledicimus, deſcribimus, mandamus, renunciamus, optamus, opinamur, et plura alia. Vt mihi, inquit, in illa uetere perſuaſione permanenti, uelut petenda ſit uenia, quærēdumq; quo moti priores rem tam late fuſam tā breuiter aſtrinxerint. Sed idem poſtea ſcribit, cæteras ſpecies in hac tria incidere. Vt ad Marcellum reuertar: Cæſaris beneficio uti Marcello minime licuit. Nam à P. Magio Chilone cliente ſuo Athenis occiſus eſt, ut ait T. Liuius lib. 95. de huius cæde amplius ſcribit Seruius ad Ciceronem: M. Marcellum 9. Calend. Iunij poſt cœnæ tempus à P. Magio Chilone familiari ſuo pugione percuſſum eſſe, & duo uulnera accepiſſe, unum in ſtomacho, alterum in capite ſecundum aurem. Magium ſeipſum interfeciſſe. paulo ante lucem Marcellum diem ſuum obijſſe. Itaque uirum clariſſimum ab homine deterrimo acerbiſſima morte affectum: & cui inimici propter dignitatem pepercerant, inuentum amicum, qui ei mortem afferret. In gymnaſio Academiæ combuſtum, eiq; eodem in loco factū monimentum marmoreum, ut Athenienſes locarent faciendum idem ſe dicit curaſſe. Epiſtola eius eſt in lib. Epiſt. famil. Ciceronis 4. Ne huius cædis ſuſpicio ad cæſarem pertineret, Brutus ad Ciceronem ſcripſit literas, quibus eum purgat de huius interitu: in quem ne ſi inſidijs quidem ille interfectus eſſet, caderet ulla ſuſpicio. Cum uero de Magio conſtat, non ne furor eius omnem cauſam ſuſtinet? Auctor eſt Cicero lib. Epiſt. ad Attic. 13.

IVTVRNI ſilentij.] Cicero ex quo tempore à C. Cæſare dignitati priſtinæ reſtitutus
D erat, in Senatum non uenerat, aut certe in eo ſententiam non dixerat. Partim dolore.] Dolebat, ut poſtea dicit, cum uideret Marcellū in eadem cauſa eſſe, in qua ipſe Cicero fuiſſet, nec iam in eadē fortuna eſſe. Partim uerecundia.] Quòd nefas eſſe putaret, diſtracto M. Marcello, in Senatu uerſari. De hoc ſuo ſilentio idem lib. Epiſtolarum familiarium ad Seruium Sulpitium ſcribit. Statueram, inquit, nō me hercule inertia, ſed deſiderio priſtinæ dignitatis in perpetuum tacere. Fregit hoc meum conſiliū & Cæſaris magnitudo animi, & Senatus officium. Tantum modum.] Id eſt, tantam rationem & mediocritatem cū uirtute coniunctam. ut apud Horatium: Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, Quos ultra citraq; nequit cōſiſtere rectum. In ſumma poteſtate.] Contra uſu uenire ſolet in hominibus improbis, ut quanto maior poteſtas ſit, tanto ſit maior rerum omnium licentia. Illius.] Marcelli. Talem uirum.] Marcellū. In eadem cauſa, in qua ego, fuiſſet.] Id eſt, qui Pompeium contra Cæſarem, ut feceram, ſecutus fuiſſet. Non in eadem eſſe fortuna.] Id eſt, nō reſtitutum. In noſtro ueteri curriculo.] Id eſt Senatu. Priſcianus libro 6. Adeo, inquit, cognatio eſt currus ad curſum, ut diminutiuū currus Curriculus pro curſu accipiatur. Cicero pro Marcello: Ne fas eſſe ducebam uerſari me in uetere noſtro curriculo. Aemulo atque imitatore ſtudiorū.] M. Marcellus cæteris omiſſis ſtudijs unū id egit, ſeſe quotidianis commentationibus acerrime exercuit. Itaque & lecti’s uſus eſt uerbis, & frequentibus, & ſplendore uocis, & dignitate motus. Specioſum erat & illuſtre quod dicebat. Omnia ſic ei ſuppetebant, ut nulla deeſſe uirtus Oratoris uideretur, quem ſimillimum ſui habiturus Cicero erat. Hæc ex Ciceronis libro de Claris oratoribus: quo in libro de omnibus ætatis ſuæ oratoribus, quibuſcum uiuebat, exceptis Cæſare atq; Marcello, ſilentium egit, ut etiam Quintilianus ſcribit libro decimo. Signum aliquod ſuſtuliſti.] Ad morem Romanum alludi puto. Cum enim ex belli Gallici aut Italici uicinitate Romæ tumultus erat, id eſt, timor multus, qui exercitum ducturus erat, ex Capitolio uexilla duo proferebat: unū purpureum, qui color militaris maxime eſt, quo pedites: alterum cæruleum, quo equites conuocabat. Nam cæruleus color maris eſt, à cuius deo equum eſſe inuentum ferunt. auctor eſt Seruius, enarrans uerſum illum ex libro Aeneidos octauo. Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arce Extulit, et rauco ſtrepuerunt cornua cantu. Politianus in libro Epiſtolarum octauo, ad Innocentium Pontificem Maximum ſcribens, ad hunc morem alludens, hæc Ciceronis uerba ferè uſurpat: tu, inquit, quando nobis aliquod ceu ſignum ex arce iſta tui pontificatus ad bene ſperandum ſuſtuliſti, perge obſecro ſanctiſſime Pater, perge inquam fouere atque illuſtrare bonas artes. Is enim timor multus magna ex parte leuatur, ubi ſublatum ſignum eſt ad euocandos milites, qui hoſtium conatibus occurrant. Paulo ante in omnibus.] Nam Marcelli offenſio tam grauis tibi uidebatur, ut reliquis omnibus potius quàm ei ignoſcere uidereris. Quàm ei igitur ignoueris, in omnibus intellectum eſt, &c. Cicero ad Seruium Sulpitium libro Epiſtolarum quarto ſcribit, diem eum quo reſtitutus Marcellus eſt, uiſum eſſe ſibi ita pulchrum, ut ſpeciem aliquam uideretur uidere quaſi reuiuiſcentis Reipub. Cōmemoratis præſertim offenſionibus.] Offenſiones quæ fuerint, ſcripſimus in argumento. Ad hunc locum illud pertinet, quod idem Cicero in eadem Epiſtola ſcribit, de Marcelli reſtitutione: Cæſar accuſata acerbitate Marcelli (ſic enim appellabat) laudataq; honorificentiſſime & æquitate tua & prudentia, repente præter ſpem dixit, ſe Senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem cauſa negaturum. Tuis doloribus.] Id eſt, tuæ iræ. Suſpicionibus.] Quod ſuſpiceris, ne quis uitæ tuæ inſidietur, de quo poſtea dicit. Fructum omnis anteactæ uitæ.] Fructum uitæ anteactæ, gloriam intelligit: quod cum uita hæc breuis ſit, gloria uirtute ſit cōparanda, qua nos uixiſſe teſtemur. Ideoq; negat Cicero in quarta in Catilinam inuectiua, Conſulari uiro mortem immaturam accidere poſſe. Summo cōſenſu Senatus.] Qui ſimul à Cæſare poſtulauit, ut Marcello ignoſceret. Iudicio tuo grauiſſimo.] Id eſt, certiſſimo & ſapientiſſimo. In dato beneficio.] Id eſt, in te qui dediſti. Argumentum à minore ad maius. Liberalitas duplex eſt: altera in dando, altera in accipiendo eſt. Ea quæ in dando eſt, magis eſt laudabilis. nā eſt difficilior, quod liberalitatis rationes

retinendæ ſint diligentius, ut pro facultate tribuatur, ut proſit cui tribuitur, ut pro dignitate eius qui accipit tribuatur. Quo autem difficilius, hoc præclarius. Quoniam igitur tanta ſit gloria in Marcello qui accipit, quãta in te ſit qui dediſti, intelligis. Et.] Marcello. Quis enim eſt.] Cauſa eſt, cur lætitia non maior penè ad Marcellum ex eius ſalute, quàm ad omnes perueniat. Nobilitate.] Ex antiqua Marcellorum familia natus eſt, quæ exigua fuit tempore ſecundi belli Punici. Marcellus is eſt, qui populi Romani enſis, ut Fabius ſcutum, appellatus eſt, ut ex Poſſidonio Plutarchus in uita Fabij ſcribit. Probitate.] Auctore Cicerone in libro de Claris Orat. laudandus maxime Marcellus eſt, quòd in cõmuni & quaſi fatali malo conſoletur ſe, cum cõſcientia optimæ mentis, tum etiam uſurpatione et renouatione doctrinæ. Optimarũ artium ſtudio.] Et præcipue artis dicendi. Nullam enim Marcello deeſſe uirtutem oratoris putat. Innocentia.] Quæ eſt affectio talis animi, quæ noceat nemini: ut ait Cicero in libro Tuſculanarum quæſt. 3. Flumen ingenij.] Vnde facta ſit translatio, dubium non eſt: ea autem ornatus gratia eſt. Soleo ſæpe ante oculos ponere.] Id eſt cogitare. Ex comparatione rerum geſtarum Cæſaris, oſtendit quanta eius ſit gloria, quod animi ſui iracundiam uicerit, cum Marcello ignouit. Hanc animi uictoriam per amplificationẽ reliquis uictorijs Cæſaris anteponit, quæ quo maior inſurgat, anteponit Cæſarem rerum geſtarum magnitudine omnibus Ro. Imperatoribus, omnibus exteris nationibus, potẽtiſſimis populis, & regibus clariſſimis. Crebris uſurpare ſermonibus.] Id eſt, ſæpe dicere. Contentionum.] Id eſt, expeditionum, quas cõficere contendiſti. Nec numero præliorum.] Nam ſignis collatis cum hoſte quinquagies pugnauit. Et præter ciuiles uictorias undecies centũ & nonaginta duo millia hominũ prælijs ab eo occiſa ſunt, ut ait Plin. lib. 7. Varietate regionum.] Cæſar uarijs in locis bella geſſit in Gallia, in Germania, in Britannia, deinde Põpeium uicit in Pharſalia. Ptolomæũ in Aegypto, Pharnacem Mithridatis filium in Põto, Scipionem et Iubam in Africa, Pompeij filios in Hiſpania. Celeritate conficiendi.] Celeritate maxima uſus eſt C. Cæſar in bellis omnibus, quæ tam multorum eius ſucceſſuum cauſa fuit. De aliorum bellorũ ab eo geſtorum gloria ut nihil dicam, in Põtico triumpho inter põpæ fercula trium uerborum Cæſar prætulit titulum: Veni, Vidi, Vici: non acta belli ſignificantem, ſed belli celeriter cõfecti notã, ut Suetonius auctor eſt. Disiunctiſſimas.] Id eſt, inter ſe remotiſſimas. Ne propria ſint Imperatorum.] Id eſt, ne ab imperatoribus ſolis partæ ſint. In armis militum uirtus.] Nullus eſt, ut ait Cicero libro de Offic. ſecundo, cui non perſpicua ſint illa, quæ pluribus uerbis à Panætio commemorantur, neminem neque ducem belli, neque principẽ domi magnas res et ſalutares ſine ſtudijs hominum gerere potuiſſe. Cõmemorantur ab eo Themiſtocles, Pericles, Cyrus, Ageſilaus, Alexãder, quos negat ſine adiumentis hominum tantas res efficere potuiſſe. Locorum opportunitas.] Quæ ualet plurimum in pariẽda uictoria. Commeatus.] Id eſt, ſuppeditatio eorum quæ exercitui neceſſaria ſunt, cum ad reliquas res, tum ad uictum. Fortuna ſibi uendicat.] Quantum ſibi ex rebus humanis fortuna uendicet, illud documento ſit, quod ſcribit Plut. in uita L. Syllæ. Res geſtas Timothei, qui Cononis filius fuit, inimici obtrectantes fortunæ aſcribebant, inq; tabulis eo dormiẽte fortunam retia urbibus circumponentem pingebant. Acrius irritatus, hæc fingentibus ſuccenſebat grauius, quod ſuarum rerum geſtarũ gloria priuaretur. Aliquanto poſtea re bene geſta ex bello rediens concione aduocata: Viri Athenienſes, inquit, huius bellicæ uel nullam ſibi partem fortuna uendicat. Iuueniliter & ſuperbe & ingrate exultãs Timotheus, ita ſibi infeſtã fecit fortunã, ut nullum deinceps præclarũ facinus ipſe fecerit, ſed iniquis ſæpius auſpicijs pugnãs, à populo eiectus profugerit. Fortuna, belli domina eſt. Pugnarum exitus incerti ſunt. Hinc Mars communis dictus eſt, qui ſæpe ſpoliantem iam & exultantem euertit, ut ait Cicero pro Milone. De fortuna plura ſcribit Plinius capite ſeptimo libri ſecundi. Huius gloriæ.] Qua animi tui iracundiam uiciſti. Turma.] Quæ erat triginta duorum equitum, ut ait Vegetius. Temeritas.] Quæ fortunæ eſt. Immanitate barbaras, &c.] Cæſaris uictorias amplificat, ut animi uictoriã faciat maiorem. Maior enim Cæſaris gloria eſt, ſi uicerit gẽtes, quas uinci erat difficillimum, quod immanitate eſſent barbaræ, multitudine innumerabiles, locis infinitæ, et omni copiarum genere abundantes. Non ego ſummis.] Lactantius lib. Diuinarum Inſtit. primo, hunc Ciceronis locum citans legit, Non modo ego eũ cũ ſummis uiris cõparo. Nec ulla ætas.] Id eſt, nullum tempus. nam pro tempore, ætatem ſæpe dicit Cicero. Eiuſmodi res.] Bellicæ, etiam ab alijs geſtæ. Etiã dum leguntur.] Alij legunt, Etiã dum audiuntur, dũ leguntur: quæ lectio magis placet. uti poſtea dicit, Aut audimus, aut legimus. Etiam dum audiuntur, dum leguntur.] Id eſt, non modo cum uidentur, ſed etiã dum narrari audiuntur uel leguntur. Obſtrepi clamore.] Id eſt, acclamatione probari. Solebant enim ueteres urbanas res aut bellicas, quæ publice placerent, aut contra acclamatione et ſono tubarũ approbare, aut improbare. Strepere Oratoribus frequens, admurmurare ijſdẽ non minus uſitatum eſt. Cic. in Verrem Act. 2. Ipſe, inquit, Cn. Pompeius cum primum concionem ad urbem Cos. deſignatus habuit, ubi quod maxime expectari uidebatur, oſtendit ſe tribunitiam poteſtatem reſtituturum, factus eſt in eo ſtrepitus, et grata concionis admurmuratio. Idem in Piſonem: Quo quidẽ tempore cepi P. C. fructum immortalem ueſtri in me & amoris & iudicij, qui nõ admurmuratione, ſed uoce & clamore abiecti hominis & ſemiuiui furorẽ petulantiamq; fregiſtis. Idem lib. Epiſtolarum ad Quintum fratrem ſecundo. Multa feci uerba de toto furore latrociniоq; P. Clodij. eum tanquam reum accuſaui, multis & ſecũdis admurmurationibus Senatus. Idem in libro de Orat. 2. Vitanda eſt acclamatio aduerſa populi. Obſtrepi.] Paſſiue, noue dixit. Videntur.] Verbum uideri dicitur in re quæ appareat, ſiue uera ſit, ſiue falſa. Aut uero.] Significat nos maiore ſtudio incendi, cum audimus uel legimus aliquid in iracundia & uictoria factum clemẽter, iuſte, & ſapienter, quàm cum bellicas res audimus uel legimus. Quo ſtudio.] Qua uoluntate, qua animi affectione. Amplificatio eſt. Quæ uidemus mouent magis, quàm quæ audimus aut legimus. Honeſta, quæ raro contingunt, laudabilia magis ſunt, quàm quæ ſæpe. Bellicæ C. Cæſaris res geſtæ cum audiuntur, aut legũtur, acclamatione militũ & ſono tubarum probari uidentur. Maiore igitur afficiuntur ſtudio qui Cæſarem uictorem & iratum, inimico ſuo manſuete, clementer, moderate, ſapienter ignoſcere uident. Victoriæ, quæ natura eſt inſolens.] Cicero ad M. Marcellum ſcribens libro Epiſtolarum familiariũ quarto. Omnia in bellis ciuilibus miſera eſſe dicit: ſed nihil miſerius, quàm ipſam uictoriã, quæ etiamſi ad meliores uenit, tamẽ eos ipſos ferociores impotẽtioreſq; reddit, ut etiã ſi natura tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur. Multa enim uictori eorum arbitrio per quos uicit, etiam inuito, facienda ſunt. L. Sylla, ut ait Liuius lib. 88. Repub. recuperata pulcherrimã uictoriam, quanta in ullo homine nunquã fuit, inquinauit. ideo præſagiebat Cicero lib. Epiſtolarum 7. ad Attic. ex belli ciuilis uictoria fore: ut cum multa mala, tum certe tyrannis exiſteret. Quidquid belli fortuna reliquum fecerit.] Id eſt, quorum uirtuti belli fortuna pepercit, ut ait Ennius: id eſt, qui in bello nõ interierunt. Parietes, &c.] Translatio eſt. rebus enim inanimis datur ſenſus. Geſtiunt.] Geſtire, ut ait Donatus in Comment. in Eunuchum Terentij, eſt motu corporis monſtrare quid ſentias. Conſtat autem à pecudibus ad homines

mines eſſe tranſlatum. Geſtire proprie eſt, ſenſum corporis geſtu iudicare, quod magis brutorum eſt animalium. Virg. Et ſtudio incaſſum uideas geſtire lauandi. In his parietibus equidem cum M. Marcelli.] C. Marcelli legendum puto, non M. Marcelli. M. enim Marcellus tum non aderat, cum ei Cæſar ignouit. C. autem Marcellus cū ſe ad pedes Cæſaris abiecit, tum cunctus Senatus conſurrexit, & ad Cæſarem ſupplex acceſſit, ut M. Marcello ignoſceret. Commemorabili.] Id eſt, perpetua, & memoria ſemper digna. Pietate in fratrem.] M. Marcellum. Effodit pectus meum.] Id eſt, ſtimulauit: &, ut ait Plautus, pectus peracuit, uulnerauit, ſauciauit. ut Cicero in lib. Tuſc. quæſt. 2. Pungat, inquit, dolor uel fodiat, ſanè ſi nudus es, da iugulum: ſin tectus Vulcanijs armis, id eſt, fortitudine reſiſte. uel effodit pectus meum, id eſt, ſollicitauit me. Vt in illo Ennij, Curam'ue leuaſſo, Quæ te nunc coquit, & uerſat ſub pectore fixa. Ad paucos redactam.] Ad M. Marcellos fratres. Aelius Spartianus in uita Seueri Imperatoris, negat quenquam magnorum uirorum bonum & utilem filium reliquiſſe, quod aut ſine liberis interierint, aut tales habuerint, ut melius fuerit humanis rebus ſine liberis decedere. Nihil Romulus, nihil Numa Pōpilius, quod Reipub. utile eſſe poſſet: nihil Camillus, Scipiones, Catones, qui magni fuerunt: nihil Homerus, Demoſthenes, Virgilius, Salluſtius, Terentius, Plautus. quid de Cæſare? quid de Tullio? cui ſoli melius fuerat liberos non habere. Quid de Auguſto, qui ne adoptiuum quidem bonum filium habuit, cū illi eligendi poteſtas fuiſſet ex omnibus? Vindicaſti.] Id eſt, liberaſti. In qua ſignificatione Cicero dicit libro de Senectute: Eſt, inquit, ſenectus natura loquacior, ne ab omnibus eam uitijs uidear uindicare. Gratulationibus.] Id eſt, geſtis rebus & laudibus. Id quod ſequitur, pro eo quod præcedit. Vnius.] Id eſt, ſolius. Comitatu.] Militum & ſociorum. Vt nulla ſicut trophæis.] Legendū arbitror, Vt ei nulla ætas: ut ſententia ſit, huic rei uetuſtas finem allatura non eſt, quemadmodum trophæis tuis & monumētis allatura eſt. Trophæis monimentiſq; tuis.] Tibi ob uictorias & triumphos poſitis. Non conficiat & conſumat uetuſtas.] Auctore Lucretio, Minui rem quanque uidemus, Et quaſi longinquo fluere omnia cernimus æuo, Ex oculiſq; uetuſtatē ſubducere noſtris. Auſonius in Epigrammate ad eandē ferè ſcribit ſententiam: Miremur periiſſe homines, monimenta fatiſcūt: Mors etiam ſaxis, nominibuſq; uenit. Operibus tuis.] Id eſt, trophæis & monimentis tuis, quæ opere & manu facta ſunt. Victores bellorum ciuilium.] Syllam, Marium, Octauium, Cinnam, Catilinam, quorum uictorijs innumerabiles ciues occiſi ſunt, nec poſt uictorias à ciuili ſanguine temperatū eſt. De his eſt in Ciceronis inuectiua in Catilinam tertia. Pietate.] In ciuitatem & rempublicam. Ipſam uictoriam uiciſſe uideris.] Ex genere orationum earum eſt, quæ ſimul ueræ aut falſæ eſſe non poſſunt. Nam ſi uictoria eſt, eam non uiciſti, ſi uiciſti, uictoria non eſt. Similia illa ſunt Terentij in Eunucho: Omnia habeo, neque quidquam habeo. nihil cum eſt, nihil deſit tamen. Et Ciceronis in Diuinatione: Si tacent, ſatis dicunt. Aſconius Pedianus: Tale eſt, inquit, illud in primo Inuectiuarum in Catilinam libro: Cum tacent, clamant. Et pro Marcello, Victoriam ipſam uiciſſe uideris: &, Philoſophandum eſt, etiam ſi non philoſophandum. Hæc hoc loco nec oxymora, nec cacozela iudicanda ſunt. Aut enim inferioribus aut ſupra poſitis leuiuntur. Vt eſt illud: Vereor, ut hoc quod dicam, perinde intelligi poſſit auditu, atque ego ipſe cogitans ſentio. Hæc ille. At illa arma.] Pompeij. A' ſcelere certe liberati ſumus.] Nos enim Cæſar quos reſtituit, hoſtes non iudicauit, nec crudelitate bellum à nobis ſuſceptū eſſe putauit. quod ſi feciſſemus, ſcelus fuiſſet. Semper de pace agendum.] Credibile facit Cicero, animum Cæſaris à bellis ciuilibus ſemper alienum fuiſſe, quòd poſt uictoriam continuo Ciceronem priſtinæ dignitati ultro reſtituerit, q cum pacis auctorem ſemper cognouerit. Quàm ſtudioſus pacis fuerit Cicero, ſcribimus amplius pro Q. Ligario. is ad Attic. lib. Epiſt. 7. Pacem, inquit, hortari non deſiſto, quæ uel iniuſta utilior eſt, quàm iuſtiſſimum bellū in ciuibus. Repudiari.] A' Cn. Pompeio Cæſar pacis cupidus erat, & Cicero ſuaſor: eam tamen Pompeius aſpernabatur, ut in libro Epiſt. famil. 7. ad Marium ſcribit Cicero. Illud diuina quadā uoluntate euenire arbitror, ut qui à pace abhorret, qui non iniuſtas pacis conditiones ſuperbe aſpernatur, is tandem uincatur. Id innumerabilibus & Ethnicorum & Chriſtianorum exemplis comprobari poteſt. Concordia rerum Deo iucundiſſima eſt, qua & mundus uniuerſus, & omnis regio, omnis ciuitas, & uniuſcuiuſque ſalus continetur. Ad hæc diuina præcepta huiuſmodi pacis & cōcordiæ uincula maxima ex parte complectuntur. Quorum bellorum indignitas, quorum pars altera pacis cupida, altera ſuperba eſt, in hunc locū cœptū meum curſum diuertit, quorum exitum nobis propitiū ſpero. Hominem.] Pompeium. Grati animi.] Pro Cicerone reuocando ab exilio Cn. Pompeius concionem habuit, cuius oratio tripartita fuit. Primo docuit populum Rom. Ciceronis conſilijs Rempub. eſſe ſeruatam, eiuſq; Ciceronis cauſam cum ſalute communi coniunxit. hortatuſq; eſt populum, ut auctoritatē Senatus, ſtatū ciuitatis, fortunas Ciceronis ciuis bene meriti defenderent. Deinde perorando poſuit populum rogari à Senatu, rogari ab Italia cuncta. Poſtremo ipſe pro Ciceronis ſalute populum Rom. non rogauit ſolum uerum etiam obſecrauit. auctor eſt Cicero in oratione quam habuit ad Quirites poſt reditum. In qua oratione dicit, quantum Pompeio debere ſe intelligat. Huic ego ego, inquit, homini Quirites tantum debeo, quantū hominē homini debere uix fas eſt. Prudens et ſciens.] Auctore Donato in Eunuchum Terentij diſtinguuntur. Prudēs eſt, qui intelligentia ſua aliquid ſentit: Sciens, qui alicuius indicio rem cognoſcit. Ergo prudens per ſeſe, Sciens per alios. Tanquam ad interitum ruerem uoluntarium.] De Pompeij uictoria nunquam bene ſperauit Cicero, uti diximus pro Q. Ligario: maluit tamen pudori famæq; cedere, quàm ſalutis ſuæ rationem ducere. Itaque Pompeium ſecutus eſt, cuius eum facti pœnituit, non tam propter periculum ſuū, quàm propter uitia multa quæ ibi offendit. Primum neque magnas copias, neque bellicoſas, deinde, excepto duce pauciſq; principibus reliquos, in bello rapaces, & in oratione crudeles, deinde ampliſſimorū uirorum æs alienum, nihil denique boni præter cauſam ipſam Pōpeij inuenit. Pompeius ſigna tyrone & collectitio exercitu cum Cæſaris legionibus robuſtiſſimis cōtulit. Victus turpiſſime, amiſſis etiam caſtris ſolus fugit. Hæc ſcribit Cicero ad M. Marium libro Epiſt. famil. 7. Integra re.] Id eſt, ante cœptum bellū ciuile. In ipſo bello.] Id eſt, tempore ipſius belli. Capitis.] Id eſt, uitæ. Senſi.] Id eſt, ſententiam dixi. Tam iniuſtus rerum æſtimator.] Id eſt, tam malignus laudator. Iniuſtus rerum æſtimator eſt is, qui rei pretiū multo minus uel maius dicit. Pacis auctores.] Vt Ciceronem. Statim.] Id eſt, illico poſt uictoriā Pharſalicam. Cæteris.] Id eſt, pacis inimicis & belli fautoribus. Maluiſſe ſe non dimicare quàm uincere.] Credibile facit. Nam ſi poſt uictoriam auctoribus pacis ultro ignouit; declarat ſe paci uictoriam poſtponere. Noſtri ſenſus.] Id eſt, noſtri animi, noſtræ ſententiæ, noſtra cōſilia. Quanto cum dolore.] Id eſt, quantum dolorem. Certorum hominum.] Qui Pompeium ſecuti erant. Ipſius uictoriæ.] Si Pompeius uiciſſet. Nobis quia illa uidimus.] Id eſt, qui uictoriæ Pompeij ferocitatem prauidimus à te autē, contra quem arma tulimus, tanta beneficia conſecuti ſumus. Cauſæ.] Tua & Pompeij. Vidimus tuam uictoriam.] Cæſaris uictoriam comparat cum Pōpeij uictoria, ſi ea potius

fuiſſet. Præliorum exitu terminatam.] Id eſt, finitam cũ prælijs, nec ullum ciuem poſt prælia iuſſu tuo necatum, ut fecit Sylla, qui poſt uictoriam ciues innumerabiles iuſſit occidi. Exitu præliorum.] Id fuit Cæſaris in ciuibus Rom. conſeruandis ſtudiũ, ut in pugna Pharſalica, cum res Pompeij inclinatiores eſſent, ſeruari ciues eos qui Pompeium ſecuti fuerant, imperauerit. Vagina uacuum.] Id eſt, ſtrictum, & ut uulgo dicunt, euaginatum: id eſt, nullum in urbe interfici iuſſiſti. Eos Martis uis perculit.] Id eſt, ſecũdo in prælio armati occiſi fuerũt. In Cæſaris enim uictoria interijt nema niſi armatus, ut ait Cicero pro Ligario. Multos ex ciuibus qui interierunt ab inferis excitaret.] Id eſt, ad uitã reuocaret, & ut uulgo dicunt, reſuſcitari faceret. Multos ab inferis excitaret.] Enthymema eſt ex conſequentibus, ubi ſententia eatia ſubiuncta eſt. Alterius partis.] Id eſt, Gn. Pompeij. Id eſt, nihil ex altera parte dicam, niſi alterius partis uictoriam malis coniungere. Omnes.] Nos qui Pompeium ſequebamur. Iracundiam.] Id eſt, ferocem futuram fuiſſe, ſi Pompeius uiciſſet. Otioſis.] Id eſt, ab armis quieſcentibus, nec ullo ſe belli negotio implicari uolẽtibus. Põpeiani enim aduerſarios ſuos putabant omnes, niſi qui ſecum eſſent. Cæſar uero aduerſarios eos ſolos, qui contra eſſent. Qui igitur otioſi fuiſſent, eos ſibi aduerſarios Pompeiani putabant, Cæſariani non putabant: ut eſt pro Q. Ligario. Vt mihi quidem uidebantur.] A' religione noſtra hoc prorſus alienũ nõ eſt. Nã populi peccato Deus paulo offenſior ab eo pœnas expetit. Luctuoſum enim bellum aliud ue quid ſimile excitari patitur, quo populus ipſe pœnas expẽdat. Poſtrema placatus meliore uiuendi ratione, quod triſte & luctuoſum erat, iucundiore exitu cõmutat. Vt.] Id eſt, ita ut. Pœnas à populo Romano expetiuerint.] Id eſt, populum Rom. puniuerint uictores Cæſoris. Cauſam Cæſaris à dijs probatam & adiutam Cicero ſignificat, ut dicit in oratione pro Q. Ligario. Natura & moribus tuis.] Vnde clementia hæc & ſapientia ingenita eſt. Maximus fructus eſt iucunditasq; ſapienti.] Eſt enim ſapientis ſecundum naturam uiuere: quam ſi ſequemur ducem, nunquam aberrabimus. Cato maior ſapiens ideo cognominatus eſt, quod natuam ducem ſequeretur: de qua re alio loca plura. De nobis etiam.] Hic liberalitatis & clementiæ fructus eſt, quem Cæſar quoties uolet, percipiet. Non modo ſumma bona.] Sũmum bonum à ſolo bono differt. Summum enim bonum in comparatione dicitur eorũ quæ minora ſunt: Solum bonum ſine ulla comparatione dicitur. Ideo Academici & Peripatetici ſummum bonum in uirtute collocabãt, quod etiam corporis & fortunæ bona exiſtimarent, ſed uirtute multo leuiora. Stoici nullum bonum præter uirtutem exiſtimãtes, uirtutem ſolum bonum eſſe dixerunt. Quæ liberalitatẽ & ſapientiam.] In magnitudine animi & conſilij, quæ à ſapientia proficiſcitur. Commodata.] Commodamus ad tempus, donamus perpetuo. Virtus perpetua eſt & immortalis, Fortuna mutabilis. Virtus igitur donat, fortuna commodat. Cupiditate.] Id eſt, ira uel odio tui. Odij ſuſpicionem adimit ijs qui Pompeium ſecuti ſunt, quo facilius inducat animum Cæſaris, ut reliquos bonos uiros conſeruet. Opinione officij.] Nam opinabãtur id ſe facere, quod è Republica eſſet. Rei enim publicæ partes Cn. Pompeius tutari putabatur. Aliqui.] Ii ſcilicet, qui Pompeium ſecuti ſunt. Senſerunt.] Poſt uictoriam cognita incredibili tua liberalitate, clementia, et bonitate. Nunc uenio.] Cæſar in oratione, quam habuit priuſquã Marcello ignoſceret, ſuſpicari ſe dixit, eſſe qui ſibi inſidiarentur. Nihil eſſe ſuſpicandum Cicero oſtendit. Prouidenda.] Id eſt, uitanda & cauenda. Terent. in Andria: Quæ ſi non aſtu prouidentur, me aut herum peſſundabunt. Auctore Donato, prouidemus nobis tam bonũ quàm malum: ut ſi quis eminus ueniens telũ prouiderit atque cauerit. Vel ſuſpicio prouidenda eſt, id eſt, præbendum ſuſpicioni remedium eſt. Spero.] Id eſt, arbitror. Tua enim cautio noſtra cautio eſt.] Id eſt, ſi cauemus uitæ tuæ, noſtræ itidem cauemus. ex te enim uita noſtra pendet. Nimis timidus.] Id eſt, quod uitæ tuæ nimis timeam, ideoq; nimis caueam. Quàm parũ prudens.] Quod nihil timeam, nihil contra te tentari ſuſpicer. Iſte tam demens? de tuis'ne?] In codicibus alijs ita legitur: Iſte tam demens, qui ſcilicet tibi inſidiaretur? de tuis'ne? Argumentum ex remotione. Hoc modo aliquis tibi ut ais inſidiatur. Is ergo eſt ex ijs, uel qui in ciuili bello fuerunt pro te, uel contra te. Nihil metuendum ab ijs, qui pro te fuerunt: nam te duce omnia ſumma adepti ſunt. Relinquitur ergo, ab ijs qui contra te fuerunt. Sed ex his qui pertinaces fuerunt, ibi in acie occiderunt; qui uero non fuerunt, miſericordia tua ſeruati, facti ſunt tibi amiciſſimi. Ex quo nullum eſſe qui tibi inſidietur, colligitur. De tuis'ne?] Id eſt, an ex eo numero qui una tecum fuerunt? Quàm quibus etiam.] Id eſt, quàm illi qui Pompeium ſecuti ſunt, quibus tu ignouiſti. Nihil cogitant ſcel.] Id eſt, inſidiarum. Vitam amiſerunt.] Id eſt, armati in acie occubuerunt. In animis hominum tantæ latebræ ſunt.] Id eſt, tanta eſt hominum diſſimulatio. Hominem à Vulcano compoſitũ, cum Momus inſpiceret, artificem reprehendit, quod in pectore feneſtras aut oſtiola quædam non addidiſſet, quo perſpici poſſet, quid in corde lateret, quod illi ſpacioſum alioqui, multiſq; receſſibus ſinuoſum finxiſſet. In animis hominum.] Si ad cor hominis referatur, id fit ſecundum eorum ſententiã, qui cor hominis animum eſſe dicant: ut eſt in libro Tuſculanarum quæſtionum primo. Quem dum, etiam ſi cupiat.] Significat nullum eſſe qui Cæſaris uitæ inſidietur, nec deum ullum eſſe paſſurum: quod eius cauſam Dij adiuuerint, qui placati & ſatiati omnem ſpem ſalutis popu. Rom. ad clementiam uictoris atque ſapientiam contulerunt. Dijs igitur Cæſaris uita chara eſt, quam ſi quis per inſidias adimeret, ipſum Dij tutari non poſſe uiderentur. Omnia ſunt excitanda.] Ciuili bello ciuitatis ſtatus mutatus eſt, iudicia ſublata ſunt, legum uis oppreſſa, improbitas atque audacia dominabatur. Cæſarem hic hortatur Cicero, ut Rempub. conſtituat, ordinetq;. Excitanda quæ iacere ſentis.] Excitari quæ iacent, ex uſu à doctis dicũtur: ut excitare feras, excitare ab inferis. Perculſa iudicia.] Nã perculſi iudices iudicare non audebant. Fides.] Id eſt, creditæ pecuniæ ſolutio. Libidines.] Id eſt, improbitates, quæ in urbe graſſantur: ut ſpoliationes, bonorũ direptiones, rapinæ, cædes, adulteria, aliaq; generis eiuſdem, quæ in ciuitate fiũt, cũ proſtrata ſunt iudicia. Propaganda ſoboles.] Nam in bellis ciuilibus permulti ciues interiere in Macedonia, in Hiſpania, in Africa. Propagandæ ſobolis tanta Romæ curã fuit, ut Cenſores prohiberent, ne qui ciues uiuerent cœlibes. Vincienda.] Id eſt, firmanda. Non fuit recuſandum.] Id eſt, reuneundum, quia aliter fieri non potuiſſet. Quicunque belli euentus fuiſſet.] Id eſt, ſiue Cæſar, ſiue Pompeius uictor fuiſſet, ſiue inter eos de pace tandem conueniſſet. Itaq; illam tuam etiã.] Cæſar cum de inſidijs, quas ſibi putabat fieri, quereretur, ſe dixit ſatis naturæ et gloriæ uixiſſe. Id ſatis nõ eſſe Cicero oſtẽdit, quod patriæ itidem uiuere debeat, cui etiam natus ſit. Auctore Suetonio, Cæſarẽ ferunt dicere ſolitum, nõ tam ſua quàm Reipub. intereſſe, uti ſaluus eſſet, ſe iampridem potentiæ gloriæq; abunde adeptum. Rempub. ſi quid ſibi eueniret, neque quietam fore, & aliquando deteriore conditione ciuilia bella ſubituram. Satis uixit naturæ, is, qui ſatis longam à natura uitam accepit. Satis uixit gloriæ, qui in uita gloriam ſatis magnam ſibi comparauit. Doctorum hominum.] Id eſt, Stoicorum, qui mortem contemnendam eſſe diſputant, de qua diſputatio eſt libro Tuſc. quæſt. I. Audirem.] Id eſt, crederem: ut in primo de Offic. Nec audiendi ſunt, qui grauiter inimicis iraſcendum

ſcendum putant. Modum.] Id eſt, finem. Aequitate animi.] Quod ſcilicet mortem æquo animo laturus ſit. Cuius te eſſe auidiſſimum.] C. Cæſarem incredibili gloriæ cupiditate inflammatum ſemper fuiſſe, multis in locis Cicero ſcribit. Quamuis ſit ſapiens.] Viri ſapientis eſt, non expetere gloriã: quæ tamen ita uirtutem, ut corpus umbram ſequitur. Quamuis multis.] Id eſt, quantumuis multis. Satis.] Magnam. Parum.] Magnam, quia tibi maiorem parare poſſis. Plus admirationis.] Propter res geſtas, quàm gloriæ, propter ſtatum reipub. bellis ciuilibus quaſſatũ, non reſtitutum. Illuſtris ac peruagata fama multorũ meritorum.] Id eſt, beneficiorũ. Reliqua pars eſt.] Id eſt, reſtat. Hic reſtat actus.] Id eſt, hoc opus agendum tibi reſtat. Cum patriæ quod debes ſolueris.] Id eſt, cum patriæ ſatisfeceris, cui tu natus es. Ei autem tum ſatisfeceris, cum eam conſtitueris. Pro nihilo eſt.] In alijs codicibus melius legitur, Pro nihilo eſt habenda. Immortalitatis amore.] Quæ gloria uera comparari ſolet, quæ ſola breuitatem uitæ conſolatur: quæ efficit, ut abſentes adſint, mortui uiuant: cuius gradibus etiam homines in cœlũ aſcendiſſe uidentur, ut ait Cicero pro Milone. Illa uita eſt tua.] Quam tibi immortalem gloria peperiſti. Huic tu inſeruias.] Seruire & inſeruire præter uulgatam ſignificationem, eſt obſequendo et curando rem aliquam facere ampliorem aut meliorem: ut ſeruire corpori ægroti dicuntur, cum curant, ut depulſo morbo uires reuocent. Cicero in lib. Epiſt. famil. 16. Omnia depone, corpori ſerui, quantam diligentiam in ualetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à te iudicabo. Alijsq; multis rebus hoc uerbum à Cicerone accommodatur, ut in eodem libro: Spero ex tuis literis tibi melius eſſe, cupio certe, cui quidem uel omni ratione cura ut inſeruias. Libro 14. Vt id quod ſperas, et quod agis conſequamur, ſerui ualetudini. De Officijs libro. 3. Cuiq; ſuæ utilitati, quod ſine alterius iniuria fiat ſeruiendum eſt. Pro Sex. Roſcio: Patresfamiliæ qui liberos habent, præſertim homines illius ordinis ex municipijs ruſticanis'ue optatiſſimum ſibi putant eſſe, filios ſuos rei familiari maxime ſeruire, & in prædijs colendis operæ plurimum ſtudijq; conſumere: De Oratore lib. 2. Si ærarij copijs & ad belli [illegible]ta, & ad ornamenta, pacis utimur, uectigalibus ſeruiamus. Libro Epiſt. famil. 4. Cum de tuis rebus geſtis agebatur, inſeruiebam honori tuo. In oratione Poſt reditum ad Quirites: Sic ulciſcar facinora ſingula, quemadmodũ à quibusq; ſum prouocatus: malos ciues, Rempub. bene gerendo: perfides amicos nihil credendo, atque omnia cauendo: inuidos, uirtuti & gloriæ ſeruiendo. Dolori ſuo ſeruire idem dicit in diuinatione, pro Dolorem ſuum ſatiare. Qui, inquit, iniurias ſuas perſequi uolunt, dolori ſuo, non Reip. commodis ſeruiunt. Huic igitur tuæ uitæ, quæ uigebit memoria ſeculorum omniũ, inſeruias.] Id eſt, Rempublicam conſtituendo, hanc efficias illuſtriorem. Vel, huic æternitati inſeruias, & ſeruientis more obſequare. Quæ miretur.] Tuas res geſtas ſcilicet. Quæ laudet.] Si conſilio tuo Reſpub. fuerit ordinata. Imperia.] Id eſt, quoties & quibus in bellis fueris Imperator. Prouincias.] Quæ tibi decretæ ſunt, ut Pretori Hiſpania, & Cõſuli Gallia. Rhenum.] Fluuium, quem latiſſimum & rapidiſſimum Cæſar ponte iunxit, ut exercitum ex Gallia in Germaniam traijceret. Oceanum.] Per quem occiduum primus Romanorũ tranſportauit exercitum, ut in Britannia bellũ gereret, quam extra orbẽ terrarum creditam Romano imperio adiunxit. Pugnas innumerabiles.] Nã auctore Plinio libro 17. quinquagies ſignis collatis cum hoſte pugnauit. Incredibiles uictorias.] Nam præter ciuiles uictorias undecies centum et nonaginta duo millia hominum in prælijs ab eo occiſa ſunt, ut ait Plinius. Monimenta.] Vt ſtatuas. C. Cæſar poſt ciuiles uictorias omnibus ſe formidabilem atque placabilem, qualem ante ſe nemo, præſtitit. Eam ob rem omne genus honorum, qui dijs, non hominibus præſtari ſolent, in ſacris, in ludis, in monimentis, in templis, in locis publicis, per tribus, per uniuerſas nationes, per Reges nomini Romano amicos, in eum ſine modo certatim collatum eſt: figuræ multiformes ſtatuis eius inſcriptæ, quarum nõnullæ tanquam ſeruatoris patriæ coronis quernis ornatæ ſunt, quibus olim ciuem Romanum ſeruantes donabantur. Appellatus eſt pater patriæ, factus eſt Dictator perpetuus, & Cõſul in decenniũ proximũ. Corpus eius ſacroſanctum habitum eſt. Templa et plurima uelut Deo publicis decretis conſtituta ſunt. Hæc aliaq; multa apud Appianum libro de bellis Ciuilibus ſecundo. Munera.] Quæ Militibus ob fortitudinem dari ſolent. Triumphos.] Quos egit quinq;. Primum & excellentiſſimum Gallicum, alterum Alexandrinum, deinde Ponticum, hinc proximũ Africanum, poſtremum Hiſpanienſem: ut auctor eſt Suetonius. Orationes duæ extant à C. Cæſare de Repub. ordinanda exſcriptæ, ut arbitror, ex libris hiſtoriarum Salluſtij. In poſteriore illa uerba ſunt ab hac Ciceronis ſententia nihil aliena: Hac tempeſtate tametſi domi militiæq; præclara facinora egiſti, tamen gloria tua cũ multis uiris fortibus æqualis eſt. Si uero urbem ampliſſimo nomine & maximo imperio propè iam ab occaſu reſtitueris, quis te clarior, quis maior in terris fuerit? Modo.] Id eſt, tantummodo. Requirant.] Id eſt, quod non fueris, & eſſe debueris, deſiderabunt. Illud bellum ciuile.] Hoc ciuile bellum ſalute patriæ reſtinctum. Iis etiam iudicibus.] Id eſt, poſteris. Haud ſcio an incorruptius quàm nos.] Id eſt, neſcio certe, ſed tamẽ puto incorruptius. In qua re Cicero ſolet dicere Haud ſcio, nõ omnino pro neſcio, in qua re dicit plerũq; Quintilianus. Et ſine amore & ſine cupiditate, &c.] Omnes homines, ut ait Cæſar apud Salluſtiũ, qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira, atq; miſericordia uacuos eſſe decet. Nam haud facile animus uerũ prouidet. ubi illa officiunt etc. Sine cupiditate delectandi.] Id eſt, ſine adulatione. Rurſus.] Id eſt, contra. In qua ſignificatione à Quintil. ſæpius quàm à Cicerone dicitur. Sine odio et ſine inuidia.] Salluſtius in oratione poſteriore ad C. Cæſarem de ordinanda Republica. Sed ſi tibi, inquit, bona libido fuerit patriæ, parentibus gratificandi, poſtero tẽpore, Repub. reſtituta, ſuper omnes mortales gloria agnita, tua unius mors uita clarior erit. nam uiuos interdũ fortuna ſæpe inuidia fatigat. Vbi anima naturæ ceſſit, demptis obtrectatoribus ipſa ſe uirtus magis magisq; extollit. Etiamſi tunc ad te non pertinebit.] Apud Ethnicos ueteres erant qui animum mortalem eſſe crederẽt, eumq; ſimul cum corpore extingui. In ea ſententia fuit C. Cæſar. Is apud Salluſtium: De pœna, inquit, poſſum æqualem dicere, id quod res habet. In luctu atq; miſerijs mortem ærumnarum requiem, non cruciatũ eſſe, eam cuncta mortalium mala diſſoluere: ultra neque curæ neque gaudio locum eſſe. Tunc ad te non pertinebit.] Id eſt, mortuo animo & corpore non ſenties. Res ad mortuos pertinere dicimus eas, quarum ſenſum animi mortuorum habeãt. Cicero in libro Tuſc. quæſt. 1. Serit, inquit, arbores, quæ ſeculo alteri proſint: ut ait Statius in Synephebis: quid ſpectans niſi etiam poſtera ſecula ad ſe pertinere. Idem: Quod ſi omnium conſenſus naturæ uox eſt, omnesq; qui undiq; ſunt, conſentiũt eſſe aliquid, quod ad eos pertineat, qui è uita exceſſerint, nobis quoque idem exiſtimandum eſt. Idem paulo infra: Maxime ueriſimile eſt, cum optimus quiſque maxime poſteritati ſeruiat eſſe aliquid, cuius is poſt mortem ſenſum ſit habiturus. Vt quidam falſo putant.] Cæſarem idem ſenſiſſe dicit Cic. lib. Inuect. in Catilinam 4. ſed nomini Cæſaris hic parcit, ne eius à ſe animum alienet. Diuerſæ uoluntates.] In bello ciuili. Non enim conſilijs ſolum & ſtudijs, ut perſæpe factũ eſt inter uiros clariſſimos, qui ſuo ſtudio tueri Rempub. uoluerunt. Qualis fuit auctore Cicerone lib. de Offi. 1. inter P. Africanum & Q.

Marcellum ſuit dubitate diſſenſio. Fortunæ.] Id eſt,uictoria,quæ natura inſolens & ſuperba eſt.Quod alij Furore, non fortuna legunt,non ſatis recte. Bonitate] Id eſt,humanitate & miſericordia. Arma ab alijs poſita.] Nam,uicto Pompeio,alij omnino quieuerunt,alij pertinaciter arma retinẽtes, Scipionem et Catonem in Africã ſecuti ſunt,quibus uictis, arma detracta ſunt. Ponere arma,pro deponere. ut in 1. de Officijs.Cum ijs quos ui deuiceris cõſulendum eſt,tum ij qui armis poſitis ad imperatorum fidem cõfugiunt, quamuis murũ aries percuſſerit,recipiendi ſunt Vt ponere ueſtem,pro deponere idẽ dicit in lib.Tuſc.quæſt.1.tum iuuenes ij, quos modo nominaui, ueſte poſita, corpora oleo perunxerunt. Item lib.5.Is cum pila ludere uellet, ſtudioſe enim id factitabat, tunicamq́; poneret,adoleſcentulo quẽ amabat tradidiſſe gladiũ dicitur. Idem lib.3.Ponere curam, & ponere dolorem, pro deponere dicit: Armorum periculo liberantur ij,quibus ignoſcit uictor, quãuis contra ſe armati fuerint.Arma enim uictis periculum uitæ afferunt. Animum armatũ.] Id eſt,hoſtilem. Qui in acie cecidit.] Id eſt,qui pertinaciter arma retinent in prælio occubuit. In cauſa.] Cum poſt uictoriam res agitatur, & ſontes puniuntur. Cicero enim lib. de Offic. 1. magni eſſe uiri dicit, parta uictoria rebus agitatis punire ſontes,& multitudinẽ conſeruare. Idem lib.Epiſt. famil.6. ad Q. Ligarium ſcribit, Cæſarem Africanæ cauſæ iratiorem eſſe. Animam profudit.] Id eſt,occiſus eſt.quod animum armatum retineret. Profundere animã dicitur ex ſententia Empedoclis,qui, ut ait Cic.in lib. Tuſc.quæſt.1.animam eſſe putauit cordi ſuffuſum ſanguinem. ex hac ſententia dixit Virg. lib. Aeneid. 9 Purpuream uomit ille animam. Alijs conſtantia.] Vt ijs qui in cauſa animam profuderunt,retinere armatum animum cõſtantia uidetur,cũ pertinacia ſit. Vitia enim pmulta ſunt,quæ uirtutes eſſe uideãtur:ut audacia, fortitudo:malitia, prudentia: pertinacia,conſtantia. Diſſenſio pertinacium,armis fracta eſt.] Aliorum, Cæſaris uictoris æquitate extincta eſt. Omnes unũ uelint.] Id eſt,conſentiant. Sanitatis.] Id eſt,ſani animi & conſilij. Tum hodie.] Cum Marcello ignouiſti. Aliquid ſubeſſe.] Id eſt, aliquid inſidiarum latere. Laterum noſtrorum oppoſitus & corporum pollicemur.] Id eſt, pollicemur nos ita fortiter ſalutem tuam tutaturos,ut latera noſtra et corpora inimicis tuis prius obijciamus quàm ipſi te petant,ut Xenocratem dixiſſe Laertius tradit. Cum enim Platoni Dionyſius diceret, fore,ut ei caput aliquis ſecaret: Nullus, inquit Xenocrates,qui Platonis auditor erat,caput ei prius abſcindet,quàm mihi abſciſſum fuerit. Non ita diſſimile illud Ciceronis in Parad.dictum de P. & Cn. Scipionibus, quod Carthaginenſium aduentum corporibus ſuis intercludendum putauerunt. Auctore Plutarcho in uita Cæſaris,Obſecrabant Cæſarẽ amici, ut præſidio corpus muniret. Ad id operam ſuam cum multi pollicerentur, facere noluit: ſatius eſſe dicens,mori ſemel,quàm aſſidua expectatione pẽdere. Maiores etiam habemus. Quamuis habere et referre gratiam,habendam & referendam dicere ſolitus Cicero ſit:hic tamen ne gratiam repeteret, maiores dixit. Habere & referre gratiam apud ueteres quoque ſæpius dici inuenies, ſed nonnunquam habere & referre gratias inuenire licet. Sentire.] Id eſt,percipere & uidere. De ſuis.] Marcelli. Quæ mea.] Beneuolentia. Erga illum.] Marcellum. Vt uix M. Marcello.] C.Marcello legi debet, qui Marci frater fuit, ut ante dictum eſt. Ea ſententia eſt. M. Marcellum tantum amo,ut uix fratri eius cedam,et certe præter eum cedam nemini. Cum id ſollicitudine.] Ordo eſt, cum tandiu præſtiterim ſollicitudine,cura,labore,quãdiu eſt de illius ſalute dubitatum: præſtiterim, inquam, id quod ſummæ beneuolentiæ eſt, &c. Quãdiu eſt de illius ſalute dubitatũ.] Id eſt,antequam ignouiſſet Cæſar Marcello. Sed etiam ornato.] Ciceroni enim dignitatem priſtinam reſtituit. Hoc tuo facto.] Quod Marcellum reſtitueris.

## IN EANDEM PRO M. MARCELLO ORATIONEM,

### [redacted] DISPOSITIO.

ORATIO pro M. Marcello habet duas cauſas.Prior eſt gratiarum actio,pro reſtituto Marcello: altera eſt purgatio quarundam ſuſpicionum Cæſaris, cuius uitæ inſidiari quidam dicebantur.Itaque non ad unum genus pertinet oratio, ſed prior pars eſt generis demonſtratiui. laudatur enim Cæſaris factum: & finis eſt cognitio,uidelicet ut Cæſar intelligat ſuum beneficium Marcello gratum eſſe, & ut alij dignitatẽ pulcherrimi & humaniſſimi facti intelligant.Quibus autem argumẽtis conſtat ea pars,qui communes loci de moderatione adhibenda in magna poteſtate rerum, aſperſi ſunt, poſtea dicam. Altera pars orationis pertinet ad genus iudiciale,ad ſtatum coniecturalem. Probat enim ſuſpiciones illas inanes eſſe.Deinde addit conceſſionem, fieri poſſe ut ſint uera: ideo opponit conſilium contra inſidias taliturũ, hortatur ut muniat ſe præſidijs, & addit rationes ſumptas ex locis communibus,ex reipublicæ neceſſitate,& principis officio.Eſt autem tota oratio plena grauiſſimarum ſententiarum,quæ ex omnibus doctrinis,de mutationibus rerum publicarũ ſumptæ ſunt. Et genus orationis molliſſimũ eſt, & aliquando minus ambitioſum in compoſitione,quàm in alijs orationibus longioribus.Exordium inſtituitur à cauſa dicendi ſeu agendi,& initio auctum eſt occupatione. diu enim nihil egerat Cicero,propterea quòd propter ruinam partium decebat eum lugere amicos. ad hæc minus gratiæ atque auctoritatis tum habebat.Nunc igitur addet ad cauſam,quare contra ſuum morem cœperit iam dicere. Et hinc ſumitur exordij propoſitio, ut poſtea cauſa dicendi exponatur. Propoſitio. Cum hactenus cauſas nullas dixerim,hodie primum reuoco ueterem meam dicendi conſuetudinem. Ratio ſumitur ex loco cõmuni.Quia egregias uirtutes naturaliter ſequitur laus & prædicatio,ideo dicit: Non poſſum facere,quin prædicem Cæſaris uirtutem & moderationem. Deinde ſequitur expoſitio proximæ rationis, ſcilicet,qua in re Cæſar fuerit moderatus,uidelicet in reſtituẽdo Marcello,idq́; beneficiũ exaggerat,& transfert primum ad ſe, deinde ad rempublicam: ita fit duplex tranſlatio. Transfert enim Cicero exemplum ad ſe, & ad Rempub.Quia Cæſar hoc exemplo oſtendit, ſe tales uiros in republica retinere uelle, & eorum auctoritatem rurſus excitare. Sequitur igitur concluſio,primum de ſe, deinde de Repub.Primum ait,ad ſe pertinere beneficiũ,quia reſtituto ſocio iterũ ad dicendum redeat.Nam reſtituto oratore addidit Ciceroni animum, quod oratoribus iterum conceſſurus eſſet locum in Repub. Deinde addit de Repub.quòd beneficium ad totam pertineat Rempub.quia Cæſar cum priuatas iniurias condonet Senatui,declarat ſe Senatum & Rempub.incolumem uelle ſeruare. Atque hæc pars exordij propemodum in hoc ſyllogiſmo uerſatur. Magna uirtus non poteſt diſſimulari: Cæſar inſigni clementia & moderatione utitur erga Marcellum,me,& Rempublicam: Ergo redeo ad dicendum. Poſtea fit amplificatio beneficij ex perſona Marcelli. Honorificum eſt Marcello, quòd à Senatu tanti fit,ut pro eo deprecetur. Item, quòd tu eum dignum iudicas reſtitutione. Ergo ex natura correlatiuorum: Si glorioſum illi eſt accipere hoc beneficium,

neficium, tibi hæc glorioſius eſt. ἐπιφώνημα. Marcellus eſt fortunatus,cum ipſius lætitia pariat publicam lætitiā. Amplificatio
à dignitate Marcelli,dignus eſt hac fortuna,quia eſt nobilis & uirtute præſtans. Hæc oratio non habet narrationem facti,quia
res nota erat. Incipit igitur cauſam à propoſitione,& propoſitio facta eſt per comparationem:Quanquam multa geſſiſti,& cum
ſumma laude,tamen ex reſtitutione Marcelli multo maiorem laudem es adeptus,quàm ex alijs rebus bello geſtis. Primum ar- 1.
gumentum ex cauſis ſumptum eſt. eſtq; Enthymema. Res bellicæ non ſunt proprie noſtræ, & magna ex parte ne conſilio quidem
reguntur. at clementer facta ſunt proprie noſtra,& ratione tantum fiunt. igitur ſunt honeſtiora. Sed concluſio differtur, & ra-
tio conſequentiæ omiſſa eſt. Nam ſenſus communis eam offert, quia neque aliena laudem nobis pariunt, neque illa quæ non re-
guntur conſilio. Præponit autem Enthymemati conceſſionem, in qua res bellicas Cæſaris amplificat. quia enim præfert hanc do-
meſticam laudem,ne nimium uideretur extenuare res bellicas, prodерat eas prius ornari atque laudari. Secundum argumen- 2.
tum à difficultate ſumitur. Difficilius & glorioſius eſt iram uincere,præſertim in uictoria,quàm bello hoſtes atq; urbes capere.
Alibi hoſtes bello ſuperaſti, hic uiciſti iracundiam:igitur hoc factum difficilius & glorioſius eſt. Sed hæc concluſio paulo poſt ſe-
quetur. Hæc eſt ſententia duorum argumentorum. Cicero,& ſi non aſtrinxit formis dialecticis,tamen ita recitat,ut membra dia-
lecticæ formæ agnoſci poſſint, & tamen ſermo liberior eſt. Cæterum addit ornamenta, ſententias ex locis communibus ſumptas,
& compoſitionem: quæ agnoſci facile poſſunt cognitis principalibus membris. Concluſio eſt duorum argumentorū, quæ ſupra
recenſuit. Ergo hæc moderate facta ſunt laudabiliora, Sed Cicero auxit concluſionem, repetita conceſſione de bellicis laudibus:
his poſtea opponit moderate facta. Et tota res eſt ſumpta ex loco communi,ex collatione uirtutum caſtrenſium, & aliarum uir-
tutum: quæ quia ſunt mitiores, naturaliter blandiuntur magis hominibus quàm alteræ. ualent enim tantum ad bonitatē, ſeu
ad benefaciendum,non ad nocendum, quare ſuauiores & amabiliores ſunt. Amplificat concluſionem ex minore. Hæc bonitas
delectat etiam in abſentibus,& in perſonis fictis,quanto magis in te præſente. Quia uirtus eſt quidem ipſa amabilis,etiā ſi mor-
tuis aut fictis perſonis tribuatur: Sed tamen efficacius mouet animos,cum ipſi præſentes ea fruimur. Sequitur πάθου πω ποιλα.
Curia ſentit hanc noſtram lætitiam,& gaudet te reſtituere Rempub. reſtitutis ſenatoribus. Aliud πάθος, Mortui gaudent conſer-
uari familias. Deinde repetit concluſionem breuiter, & mox attexit tertium argumentum. Durabilis laus eſt amplior. Hæc 3.
laus,quam conſecutus es hac bonitate, non eſt quidem ornata trophæis & ſtatuis, ſed eſt in animis poſita,& perpetua: quia inſi-
gnem uirtutem ſemper amant, ſemper admirantur homines. Ideo hæc laus eſt amplior quàm ulla trophæa. Quartum argumen- 4.
tum habet collationem ciuilium uictoriarum,quæ plurimum ualet, & ex ipſis officijs,& exemplis ſummorum principū ſumpta
eſt. Amplificat quartum argumentum: Primum poſita propoſitione,quòd mitigaueris crudelitatem uictoriæ,quod uidelicet ne-
mo præter Cæſarem ante fecit unquam in iſta republica. Et commoratur in hoc loco, commemorans quàm multos conſeruaue-
rit Cæſar, quibus iure iraſci potuit. Et amplificat hunc locum dupliciter. Primum ait ipſum Cæſarem, cum cōſeruet aduerſarios
& priſtinæ dignitati reſtituat,ſignificare quòd non ſint improbi ciues,quod errore lapſi ſint. deinde ipſi Cæſari tribuit ſtudium pa-
cis. Ratiocinatur eum pacem uoluiſſe,quia nunc ſtudeat conſeruare pacis auctores. Hæc coniectura ex effectu prudentiſſime co-
gitata, mirifice hic ualet. Amplificatio à tempore,quod parcere auctoribus pacis poſt uictoriam plus ſit,quàm cū exitus adhuc
incertus eſt. Addit de Marcello,quod is quoque fuerit auctor pacis(id exemplum pertinet ad Enthymema ſupra poſitum) Deinde
confert Cæſarem cum aduerſarijs, qui non fuerant tam moderati in uictoria futuri. Epiphonema à cauſa,quòd diuinitus accide-
rit. alioqui enim funditus perituram fuiſſe rempublicam, niſi tam moderatus uictor contigiſſet. Sequitur concluſio principalis
totius primi negotij, continens laudem huius clementiæ & adhortationem,ut pergat ſeruare ciues. Deinde accedit ad alterum ne-
gotium huius orationis, uidelicet ad purgationem ſuſpicionum Cæſaris: ubi primum eſt inficiatio. Non eſt credibile quenquam
1. inſidiari uitæ Cæſaris. Ratio habet δίλημμα: Nec tui, nec hoſtes poſſunt inſidiari. Poſtea addit conceſſionem. Sed ſint tamen
aliqui tam improbi qui te ſaluum eſſe nolint. Huic conceſſioni opponit locum firmiorem, ſcilicet adhortationem de cauendo.
Addit rationes ex neceſſitate Reipub. non poteſt reſtitui Reſpub. niſi à te uno. Igitur debes te Reipublicæ ſeruare. Amplificat
inſtitutam adhortationem confutatione cuiuſdam dicti,quod primum reprehendit ex cauſis finalibus: Satis uixiſti naturæ & glo-
riæ, ſed non patriæ, quia Reipub. adhuc opus eſt tua incolumitate. Secundo ſequitur inuerſio de gloria: Imo nec gloriæ ſatis
uixiſti.& ratio ſumitur ex definitione: Perfecta eſt gloria, quam pariunt inſignia merita erga homines, illa non eſt uera gloria,
ſi quis quamlibet magnas res geſſerit,& relinquat rempublicam in periculo. Tu ita demum bene mereberis de toto genere hu-
mano,cum hanc Rempub. conſtitueris: igitur tum demum dicito te ſatis diu uixiſſe gloriæ,cum rempublicam conſtitueris.
Tertio reprehendit particulam Diu,ex collocatione uitæ perituræ. Eſtq; propoſitio: Non debes tempus uitæ deſiturum
reſpicere, ſed æternitatem. Poſtremo non laudabit te poſteritas,ſi nullam aut diſſipatam Rempub. reliqueь
ris: tunc enim nulla erit poſteritas. Ergo da operam, ut eam conſtituas. Concluſio orationis, in qua
primum eſt commemoratio beneficij Cæſaris, quod bellum maximū ſua bonitate tantū finierit,
ac nunc inſtauret reliquias imperij. Deinde accedit conſequens: Vituperatio ingratitu-
dinis inſidiatorum. Hac uituperatione præcipue ſuſpicionem Cæſaris minuit. Po-
ſtea ſequitur adhortatio, ut Cæſar uitam tueatur.& addit πάθος, quod
principes ipſi promittant ſe futuros corporis eius cuſtodes. Ad extre-
mum redit ad Marcelli cauſam, & cum ſupra beneficium
Cæſaris laudauerit, nunc in fine gratias agit: pri-
mum publice nomine omnium,
deinde priuatim ſuo.

# IN EANDEM ORATIONEM, [redacted]

## [redacted] PARAPHRASIS.

CVM hactenus in Senatu nihil egerim, quadam impetitus mœſtitia temporum, nunc libere priſtino meo more rurſus dicere incipio. Nõ enim poſſum facere, quin Cæſaris moderationem, qua in ſumma poteſtate rerũ utitur, digniſſimam ſummo principe planeq; diuinam prædicem. Reſtituit enim nobis admirabili clementia M. Marcellum, qua in re primũ meam auctoritatem excitauit. nam abſente Marcello uidebatur auctoritas omnis oratorum iacere: nunc eo reſtituto, recreari illa uidetur. Itaque C. Cæſar & mihi ueterem conſuetudinem dicendi aperit, & uniuerſam Rempub. bene ſperare iubet. Cum enim priuatas iniurias Senatui condonat, ſatis declarat, ſe ſenatum atque uniuerſam Rempub. incolumem eſſe uelle. Ac Marcello quidem honorificum eſt, quod & Senatus dignum cenſuit, ut pro eo deprecaretur. & tu cum reſtituis, iudicare uideris eum Reipub. atque tibi ornamento futurũ eſſe. Cum autem illi glorioſum ſit hoc tuum beneficium accipere, quãto tibi glorioſius eſt dediſſe? Profecto fortunatus eſt Marcellus, cum ipſius ſalus ac lætitia ingentem uniuerſæ Reip. lætitiã parit. Atque hanc ei felicitatẽ gratulor. eſt enim ea propter nobilitatẽ et excellentẽ uirtutem digniſſimus. Etſi aũt tot tamq; uarijs bellis res geſſiſti maximas, tamẽ ueriorem laudem nulla res habet quã hæc tua moderatio, qua hodie in reſtituẽdo Marcello uſus es. Neminem enim tecum conferre poſſumus uel exterorum regum, uel noſtrorum imperatorum. totũ orbem terrarũ peruagata ſunt arma tua, ſuperatis belliroſiſſimis nationibus, & deuictis fortiſſimis ac maximis exercitibus harũ rerũ magnitudinem cogitatione conſequi uix quiſquam poteſt, tantum abeſt ut prædicare pro dignitate poſſit. Quanquam igitur hæc eſſe maxima, ut ſunt, fateor: tamen ſunt alia in te maiora, nam illa iure præferuntur, quæ & tua ſunt propria, & in quæ nihil habet iuris fortuna. At rerum bello geſtarum laus ad milites etiam pertinet; & propemodum eis fortuna dominatur. Hæc autem moderatio, tua eſt propria: neque hic milites, nec fortuna ſibi quidquam arrogare poteſt, quæ cũ ſit expers conſilij, nihil ad ſapienter facta pertinet. Deinde difficilius & glorioſius eſt magnis uiris in uictoria cohibere, et moderari iracundiam, quàm ferro ac uiribus hoſtes frangere. Tu uero in uictoria ciuili, quæ ſolet eſſe crudelior, non ſolũ parcis aduerſario nobili ac præſtanti, ſed etiam eum in priſtinam dignitatẽ reſtituis. Quanquam igitur conſilij magnitudinem, uirtutem, ac felicitatem tuá, in gerendis bellis perpetuo celebrabit uniuerſa poſteritas, te principem inter Heroes omnes ponet atq; prædicabit: tamen hæc moderate facta mirabiliter animos hominum afficiunt, & in amorem tui rapiunt. Nulla enim uirtus aut admirabilior, aut hominibus gratior eſt, quàm modeſtia in ſumma poteſtate rerũ; iracundiæ moderatio, præſertim in uictoria. Hæc cum in fabulis leguntur ficta, tamen ita commouent nos, ut illos qui nunquã extiterũt, præditos his uirtutibus non ſolũ admiremur, ſed etiam amemus: quanto magis te præſentẽ ſuſpicere atque amare cogimur, cuius uidemus tantã animi magnitudinem, ut uictoriam non ad priuatam libidinẽ, aut crudelitatem exercendam, ſed ad ſalutem publicam omnium gentiũ conferre ſtudeas: cuius bonitate fruimur ipſi, & ſalutem & dignitatem recuperauimus. Hæc ipſa curia communem omnium lætitiam ſentit, & gaudet una nobiſcum, auctoritatem huius cõſilij in his ædibus reſtitui. Deniq, illi ipſi maiores noſtri, quorũ excellenti ſapientia et uirtute hoc imperium partũ atq; conſtitutum eſt, cum in illa æterna ſede nihil perinde optent, atq; ne hæc reſpublica perpetua ſit, maximam uoluptatem ex tua humanitate capient, cum uiderint te hanc urbem reſtituere, & familias nobiliſſimas ab interitu uindicare. Mihi quidem nunc ſubijt omnium Marcellorum recordatio, totã familiã penè extinctam uideris in lucem reuocare. Hanc igitur bonitatis laudem, omnibus triũphis tuis, omnibus monumẽtis ac trophæis anteponet. Quæ quidem & perpetua eſt, neq; ulli temporis iniuriæ obnoxia. nam alia monumenta uetuſtas conſumit omnia, hæc uero laus bonitatis in animis atq; memoria uniuerſæ poſteritatis cõdita, extingui aut obliterari nũquam poteſt. Nunquã enim poteſt animis hominum excuti admiratio eximiæ uirtutis. Atque antea quidem alios uictores bellorum ciuilium humanitate uiceras, hodie uero teipſum uiciſti. Et quod difficillimũ eſt, uictoriæ uim atq; crudelitatẽ moderatione tua mitigaſti, cũ his peperciſti, quibus uictor iure iraſci poteras. Iſta uero clementia, latiſſime patet. Primum enim ad nos omnes pertinet exemplum. Declaras enim te uelle totũ hunc ordinem conſeruare, cum non inducis in curiam barbaros atque exterarum nationũ homines, ſed noſtri ordinis uiros reuocas, ac ſignificas nos à te non iudicari ſceleratos ſed magis errore lapſos, cum arma aduerſus te cepimus. Deinde ad te pertinet exemplum, cum me & alios pacis auctores conſeruas, oſtendis te ſemper pacem quàm bellum maluiſſe. Conſtat enim, quæ mea de pace ſententia fuerit. uerum quod hoſtes tuos ſecutus ſum, nõ probaui belli conſilium unquam: ſed priuato officio adductus, deeſſe Pompeio nolui. neque enim obſcurum eſt, hos qui in republica uerſantur, implicitos amicorũ ſtudijs, minime in ſua poteſtate eſſe. Fuit in eadem ſentẽtia de pace mecum & Marcellus, quẽ uidi non ſolum belli calamitates deplorantem, ſed etiã pertimeſcentem uictoriæ crudelitatem. Quare tua bonitas nobis gratiſſima eſt, qua uictoriam mitigas. Nemo in urbe interfectus eſt, nemo unquam niſi in acie perijt. hæc in uictoria ciuili diuina quædã uirtus eſt, Alterius uero partis uictoria uidebatur futura plena crudelitatis. Minabantur enim non ſolũ aduerſarijs, ſed etiã otioſis. At uidetur ſingulari bonitate Dei accidiſſe, ut poſtquam nos hoc miſero luctuoſoq; bello plecti uoluit, tamẽ uictoria tibi contingeret: cuius moderatione exitus mitigaretur, ne Reſpub. periret funditus. Quare, quod facis, perge conſeruare ciues, & hanc tuã clementiã in ſummis bonis ducito: quæ quidẽ non ſolũ lõge omnibus ijs antecellit, quæ tibi beneficio fortunæ cõtigerũt, ſed etiã inter uirtutes, in tanta fortunæ indulgentia, nulla magis, quã hæc animi moderatio lucet. Nunc uenio ad atrociſſimam ſuſpicionẽ tuam, in qua ſignificas quoſdam uitæ tuæ inſidiari. hanc uero non duxi purgandam eſſe, ſed te potius adhortandum, ut uitam tuam ſumma diligentia tuearis. Quanquã ſpero neminem eſſe tam dementẽ, qui nõ optet te ſaluũ et incolumem eſſe. Primum enim nõ eſt credibile, quenquam ex tuis eſſe, cui ſalus tua non ſit chariſſima: nã te duce, maximas opes conſecuti ſunt, Deinde inimici aut in acie perierũt, aut dimiſſi incolumes, non ſolum hoſtilem animum exuerunt, ſed etiã ſentiunt ſe tibi uitã et omnia pro immortali beneficio tuo debere. Sed non utar purgatione: nã ingrati atq; improbi multi ſunt. Quare potius augenda eſt ſuſpicio, ut ſalutem tuã cuſtodias diligentius. nam ſalute tua continetur uniuerſæ reipublicæ atq; omnium noſtrum ſalus. Bellum, ut fit, audaciſſimo cuiq; licentiam omnium rerum conceſſit, iudicia perturbauit, leges oppreſſit. nunc iterum auctoritas legum excitanda eſt, iudicia conſtituenda, pœnis coercendi improbi, frenanda licentia, mores regendi ſunt. hæc cũ præter te nemo poſſet efficere, facile intelligi poteſt, niſi te ſaluo rempublicam ſaluam eſſe non poſſe. Itaq; uehementer conſternatus ſum, cum diceres te ſatis diu uel na-

turæ

*tura uel gloriæ uixiſſe. Quanquam eſt quædā laus fortitudinis non formidare mortem, tamen reipublicæ cauſa uitam tueri te oportet: propterea quòd de tua incolumitate ſalus reipublicæ pēdet. Deinde ſi rectè æſtimes, nondum gloriæ tuæ ſatis uixiſti. Etſi enim ea, quæ geſſiſti hactenus, maximam apud omnes gentes admirationem habitura ſunt, tamen perfecta gloria ea demum eſt, quam pariunt egregia merita, quæ inſignem utilitatem uniuerſo generi humano afferunt. Quare ita demū ad omnē poſteritatem relinques perfectam gloriam, ſi hoc imperium in tranquillum reſtitueris: ac legibus & præſidijs ita munîueris, ne diſſipetur, ac penitus cōcidat. nam ea res ad ſalutē totius humani generis pertinet, ut ſit certū aliquod imperiū, quo gentes omnes contineantur. hoc à te beneficium orbis terrarū expetit. Atque alijs fama rerum ſuarum geſtarum ſufficit, qui res tantas perficere non potuerunt. Tu uero ad cæteras res geſtas, debes addere hoc opus ſummo principe dignum: quod cum perfeceris, tum demū ſatis diu uixiſſe te dicito. Quanquam illud etiam in te non competit, uitæ tempus atq; ætatem metiri: æternitatem animo intueri debes, & illam uere uitam tuā exiſtimare, quæ uigebit apud uniuerſam poſteritatem: apud quā ita uiues, ſi rempublicam à te cōſtitutā ei reliqueris. tūc enim, & ſi cæteras res admirabuntur, tamen ita iudicabunt, hoc diuinæ cuiuſdam ſapientiæ fuiſſe, quod Rempub. ex tāto bello reſtitueris in tranquillum, & quia tuo maximo beneficio fruētur, nomen tuum ſummis honoribus & diuinis grati proſequētur. Neq; uero ſenſus nullus eſt exutis hoc corpore: quare illa poſteritatis iudicia ad te pertinebūt. aut ſi tunc ſenſus nullus erit, certe iam ad te pertinet, quo animo ſis, & qualem de te opinionem relinquere cupias. Quantum autem tibi debeamus, omnes pro tua eximia ac penè diuina bonitate, nemo conſequi uerbis poteſt. Bellum horribile fuit inter ciues, quod hanc rempublicā haud dubie funditus euertiſſet, ac deleſſet, niſi nūc uictoris moderatione clementiaq; conſeruaretur atque inſtauraretur: qui nō explet iracundiam ſuam in delēdis reliquijs huius urbis, ſed oblitus priuati doloris, redit in gratiam cū hoſtibus, eosq; ut imperij auctoritatem conſeruet, in patriam reuocat: quī legibus, iure, denique omni ratione munit atque ornat. In tanta bonitate, ſi quis adhuc uictori iraſcitur, is profecto ingratus, & in patriam impius eſt: quæ niſi incolumi Cæſare, ſalua eſſe nō poteſt. Quare neceſſe eſt omnibus: qui quidem non oderunt patriam, uitam Cæſaris præcipue curæ eſſe, optareq;, ut quàm maxime diuturna ſit. Te quoq; adhortamur, atque obſecramus omnes, qui hanc rempublicam interire nolumus, ut uitam tuam tueari: eamq; ad rem pollicemur nos ipſos corporis tui cuſtodes fore. Sed ut redeat oratio ad eā cauſam, à qua ſumpſit exordium, gratias tibi Cæſar agimus maximas omnes, quòd Marcellum reſtitueris, quodq; eo reſtituto, ſignificaueris te reliquis nobis etiam placatum eſſe, & priuatas offenſiones reipublicæ condonare. Poſtremo quoniam Marcellum ita amo, ut nemini præter fratrem concedā in amore eius, meo nomine priuatim tibi ago gratias. nam ad cætera tua erga me ingētia beneficia, quod fieri uix poſſe arbitrabar, cumulus hodie maximus acceſſit.*

## IN EANDEM PRO M. MARCELLO ORATIONEM,

### BARTHOLOMAEI LATOMI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

CLAVDIVS *Marcellus Coſ. confecto Gallico bello, quod C. Cæſar nouem continuis annis magna uirtute & felicitatē geſſerat, cum illius potentiā Reipub. periculoſam eſſe uideret, edicto propoſito, ſe de ſumma Reipub. acturum, ad Senatum tulerat, ut finito iam bello, C. Cæſari ante tempus ſuccederetur. Item,*
M. *ne qua ratio eius abſentis haberetur in petitione conſulatus: & ut nouis colonis eius Nouocomenſibus ciuitas adimeretur, quæ ultra præſcriptū data fuiſſet. Quibus rebus offenſus Cæſar, cū ſe in ordinem redigi uideret, fruſtra primum per amicos reluctatus eſt. deinde ciuili bello ſuſcepto, non ſolū armis depulit iniuriam, ſed uicto Pompeio, cui Reſpub. mandata fuerat, ſumma quoque rerum eſt potitus. Cæterum cum toto belli tempore, & poſt uictoriam ſingulari moderatione fuiſſet uſus, & omnes aduerſæ partis ciues, & in his totum ferè Senatum in priſtinam reſtituiſſet dignitatem: Marcello adhuc offenſior erat, propter ueteres ſimultates: ac ſimul timebat, ne ſi is reſtitutus fuiſſet, aliquid contra ſe moliretur. Itaque Senatus motus cum dignitate Marcelli, tum quod ſingulari uirtute ac fide uerſatus fuiſſet in Repub. cauſam eius ſuſcepit apud Cæſarem: & cum ſummo ſtudio pro illo deprecaretur, facile impetrauit, ut ſicut cæteri, ita & ille in priſtinum dignitatis gradum reſtitueretur. Gratiæ priuatim à multis actæ ſunt Cæſari: ſed Ciceroni ab uniuerſo Senatu partes demandatæ. Itaque cum Cæſar præfatus fuiſſet, ſe propter iniurias ac ſuſpitiones, quibus ne in futurum quidem carere poſſet, ſuo iure aduerſus illum uti potuiſſe: ſed hunc honorem habere patrum auctoritati, dignitatemq; Reipub. ſuo ſe priuato dolori anteferre: gratias ei egit nomine Senatus hac ornatiſſima oratione Cicero. In qua tam clemens & liberale factū cunctis illius bellicis laudibus anteponit, ſimulq; confirmat illius animū contra falſas ſuſpiciones, ne quid ab ullo in Rep. ſibi metuendum eſſe putet. Oratio ampla eſt, in demonſtratiuo genere, magna tum uerborū, tum ſententiarum exornatione. Statum ex conflictione cauſarum non habet, ſicut in iudiciali genere: ſed extra contentionem ſtatum qualitatis, reſtitutionem Marcelli omni laude clementiæ prædicandam eſſe. Adiungitur coniectura futuri temporis, an quid Cæſari ab reſtitutis metuendū ſit. Amplificatur clementia Cæſaris ex bellicarum eius rerum comparatione, & ex beneficij magnitudine quod ad multos pertineat. Comparatio ex circunſtantijs ducitur. Coniectura argumentis uoluntatis explicatur, ex meritis Cæſaris, & ſtatu Reip. habetq; adiunctam querelæ reprehenſionem ad amplificationem. Partes habet oratio, exordium, confirmationem, purgationem ſuſpicionis extra cauſam, & perorationem: totaq; in gratiarum actione eſt poſita, quæ ad demonſtratiuum genus refertur.*

IVTVRNI. *ſilentij.* ] *Orditur ab officio ſuo, debere ſe Cæſaris clementiam laudare. Et*
D *eſt* πρόληψις *cur cum hactenus tacuerit, nūc dicere incipiat. Tacuerat autem propter calamitatem reipublicæ. Primo rem proponit, deinde ſubiungit rationem, poſtremo explanat.* *Veteri curriculo.* ] *Id eſt, adminiſtratione Reipub. ducta metaphora à ludorum certaminibus.* *Ergo.* ] *Concluſio, quam explicat cum amplificatione, à perſona Marcelli.* *Signum aliquod ſuſtuliſti.* ] *Translatū à more bellico, quo in tumultu ſigna ex Capitulio proferebantur, ut ciuitas in armis eſſet. Significat Cæſarem Marcello reſtituto Rempub. ad bene ſperandū confirmaſſe.* *Eſt uere.* ] *Epiphonema, quo prædicat felicitatem Marcelli, & perſonam extollit.* *Nullius tantum eſt flumen.* ] *Propoſitio*

Cæſaris clementiam omnibus bellicis laudibus maiorem eſſe. Soleo ſæpe ante ocul.] Confirmatio, quæ tota amplificatione conſtat. & primum ducitur ex bellicarum laudum comparatione qui locus principalis eſt ex rebus geſtis, & per comparationem ſumitur. Comparatio trifariam tractatur, ex efficientibus, ex materia fortitudinis, & ex gloria. Sed tamen ſunt alia.] Subiungit clemētiæ laudem, ſed cum eorum quæ modo dicta fuerunt extenuatione: nempe ut illis depreſſis, altius attollatur clementiæ magnitudo. Comparatio ſumitur ex efficientium collatione, bellicas res communes eſſe cum multis, clementiam ſolius Cæſaris propriam eſſe. Domuiſti gentes.] Comparatio materiæ fortitudinis & clementiæ, qua difficultas oſtenditur: Maius eſſe animum, quàm hoſtes uincere, ac proinde laudabilius. nam quæ difficilia, pulchra. Itaque C. Cæſar.] Comparatio bellicæ gloriæ cum laude moderationis: laudem clementiæ apud homines, quàm bellicarum rerum gloriam, maiorem ac plauſibiliorem eſſe. Obſtrepi.] Id eſt, obſcurari. Te uero, quem.] Infert ſententiam ex minori, ut altius attollat argumentationem, altero etiā adiecto gradu. Parietes mediusfidius.] Epiphonema hyperbolycum, quo ſententiam conludit. Equidem cum.] Aetiologia. Hunc tu igitur.] Concluſio huius loci cum capitum repetitione. Vereor ut hoc.] Vide amplificationem, quæ ſemel occupat, quo maius dici non poteſt: Itaque præponit præparatiunculam. Atque hoc C. Cæſaris.] Alter locus amplificationis, ex beneficij magnitudine: Marcello reſtituto omnes pariter à crimine belli liberatos eſſe. Et eſt locus à ſubiecto, ſecundum Rodolphum. Non ille hoſtes.] Quid Cæſar iudicauerit, & quid ſecutus ſit in reſtituendis aduerſarijs: qui locus ad amplicationem beneficij pertinet, ab animo auctoris. Nam & hoc.] A' ſuo teſtimonio. Ex quo nemo.] Concluſio à ſigno, ſiue ex conſequentibus. Atque id minus.] Confirmatio ex tempore. Qui uero uictor.] Inducit adſumptionem, Marcellum pacem quàm bellum maluiſſe. Quoties ego.] Concludit cum amplificatione, ex contentione uictoriarum. In quo uide, quomodo eò euadat, ut putet optabiliorem eſſe Cæſaris quàm Pompeij uictoriam. Nihil amplius dicam.] Præciſio eſt ad ſignificationem. Nec quid quiſque.] Epiphonema. Quare gaude.] Iterata concluſio, quam mox uertit in hortationem. Nunc uenio,] Purgatio ſuſpicionis. Quam & ſi ſpero.] Conciliat ſibi fidem in hac parte orationis. Sed quis'nam eſt.] Incipit argumentationem à diuiſione, ad remouendam criminis uoluntatem, ex perſonarum qualitate. At ſi tui.] Alterum mēbrum diuiſionis, quod colligitur enumeratione. Sed tamen cum.] Conceſſione tranſit ad firmius argumentum, quod ducitur ex metu incommodi, ſi Cæſaris uita periclitetur. Equidem dies noctesq;.] Amplificatio periculi ex præſenti ſtatu Reipub. Omnia ſunt Excitanda.] Declarat, quæ præſtanda ſint Cæſari. & eſt ratio præcedentis ſententiæ. Quæ quidem tibi nunc.] Redit ad intentionem, & ad reprehenſionem delabitur. Quare omitte.] Concludit & reprehendit querelam Cæſaris, totamq; liberiori colore orationis. Nunc cum omnium ſalutem.] In ſalute Reipub. amplificanda gloria Cæſaris. Parum'ne igitur.] Occupatio, qua gloriam amplificandam eſſe docet à perſona Cæſaris: nempe alijs ſatis magnam gloriā fore, quæ à Cæſare parta ſit, ipſi Cæſari non ſatis, quòd Reſpub. concuſſa bello ordinanda ſit. Hæc igitur tibi.] Hic reſtat actus. Metaphora ſumpta à fabulis ſcenicis, quæ in actus diuiduntur. Quanquam iſte tuus animus.] Corrigit reprehenſionem ſuam, & dicit Cæſarem ſua ſponte ad gloriam propenſum eſſe, eoq; ex loco inducit uarium iudicium poſteritatis, cui cenſet à Cæſare ſeruiendum eſſe. Serui igitur.] Concludit hortando. Diuerſæ uoluntates.] Redit ad excuſationem culpæ belli ciuilis. Sed ut unde eſt orſa.] Peroratio, quia redit ad inſtitutum, & cauſam reddit, cur ipſe unus pro omnibus loquatur.

# IN M. CICERONIS ORATIONEM PRO Q. LICARIO

## AD CAESAREM, FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

VINTVS Ligarius cum Coſ. C. Conſidio legatus in Africam profectus eſt. Decedens enim Conſidius recuſantem eum & inuitum prouinciæ præfecit. Quo tempore huic prouinciæ præerat Ligarius, ciuile bellum inter Pompeium & Cæſarem exarſit. Afri tumultuantes aliquem ducem bello quærebāt. Interim P. Actius Varus, qui antea Prætor Africam obtinuerat, Vticam uenit, ad eum concurſum eſt. Is non mediocri cupiditate arripuit imperium. Sibi adiunxit regem Numidiæ Iubam cum exercitu. In Africa tum remanſit Q. Ligarius. L. Tuberonem Senatus Pompeio fauens miſit Africam, ad eam prouinciam obtinendam. Eam à Varo occupatam inuenit, quia ex morbo recens releuatus tardius iter fecerat. Ea prohibitus cum filio Q. Tuberone, ad Cn. Pompeium uenit in Macedoniam in caſtra. In Pharſalica pugna Tuberones contra Cæſarem pugnauerunt. Victo Pompeio multi in Africam ad exercitum ibi paratum tranſiuerunt, quos Cæſar perſecutus uicit. Multis Cæſar ignouit. eosq; priſtinæ dignitati reſtituit. Q. Ligarius metuens, ne quid iratum ſibi haberet Cæſarem, in exilio manſit. Cicero, duo Ligarij fratres, T. Brocchus eius auunculus, C. Panſa, alijq; multi Cæſarē ſæpe domi deprecati ſunt, ut Ligario ignoſceret. Q. Tubero L. F. adoleſcens, cuius patri Cæſar ignouerat, Ligarium apud Cæſarem pro tribunali ſedentem in foro accuſauit, ne is ei ignoſceret. Eum Cicero hac oratione defendit. Et quia Tuberoni Cicero neceſſarius erat, ne quid eam neceſſitudinem uiolare uideatur, multis in locis ſollicitum agit. Itaque cauſam quoque ſuam perſæpe admiſcet, cum cauſa Tuberonis. Re igitur & Tuberonem contra Cæſarem ſumpſiſſe arma confitetur, quæ Ligarius non ſumpſit. Tuberonis quàm Ligarij cauſam dicit fuiſſe deteriorem. Cum enim miſſus eſt Ligarius in Africam, tum parere Senatui neceſſe fuit: cum miſſus eſt Tubero, Senatui paruit nemo, niſi qui uoluit. Exorto bello ciuili, neceſſe Ligario fuit in Africa remanere: Tuberonibus in Africam uenire neceſſe non fuit. In Africa Ligarius, uti Romæ eius fratres, Cæſaris ſtudioſus fuit: Tuberones contra Cæſarem in Africam ueniebant: quam Pompeio tradituri erant, niſi à Varro excluſi fuiſſent. Cum igitur Tuberonis quàm Ligarij cauſa deterior ſit, Tuberonē crudelem oſtendit, ſi Ligarij ciuis Romani ſanguinem petat: crudeliorem, ſi petat ei ne Cæſar ignoſcat. Deprecatur etiam Cæſarem, tanquam parentem, non iudicem, ut innata ſua clementia Ligario ignoſcat: ut amicorum, Sabinorum, T. Brocchi, utriusq; fratrum, populiq; Romani precibus eum condonet. Genus cauſæ iudicialis eſt: habet enim accuſationem Tuberonis, & defenſio

nem

nem Ciceronis. Huic defenſioni adiuncta deprecatio eſt. Defenſio autem in Ligarij innocentia, deprecatio in Cæſaris clementia fiduciam habet maximã, quam Cicero in hac oratione commendat ampliſſimè. Status cauſæ coniecturalis eſt. Nam, ut ait Quintilianus libro ſeptimo, in coniecturam cadit, qua mente Ligarius in Africa fuerit. Idem libro undecimo illud de Tuberonis actione dicit, quod aliquantum ualet ad cognoſcendam cauſæ quæſtionem, quæ ex defenſione ſola cognoſci tota non poteſt: Tubero, inquit, iuuenem ſe patri hæſiſſe, illum à Senatu miſſum non ad bellum: ſed ad frumentum coemendum ait, ut primum licuerit à partibus receſſiſſe Ligarium, & perſeueraſſe. & non pro Cn. Pompeio, inter quem & Cæſarem dignitatis fuerit contentio, cum ſaluam uterque Rempublicam uellet: ſed pro Iuba atque Afris inimiciſſimis populo Rom. ſtetiſſe. Hæc ille C. Cæſar libro Commentariorum de Bello ciuili primo ſcribit L. Tuberonem cum nauibus Vticam uenientem, ab Actio Varo, qui Africam occupauerat, portu atque oppido prohibitum: nec paſſum eſſe Varum, ut filium ualetudine affectum in terram Tubero exponeret. Cicero libro Epiſtol. familiarium ſexto, ad Q. Ligarium ſcribit, Cæſarem Africanæ cauſæ iratiorem eſſe, diutiuſq; uelle eos haberi ſollicitos, à quibus ſe putat diuturnioribus eſſe moleſtijs conflictatum. Sed hoc, inquit, ipſum intelligimus eum quotidie remiſſius & placatius ferre. Quàm iratus Ligario Cæſar fuerit, quantaq; fuerit uis huius orationis, Plutarchus in uita Ciceronis ad hanc ferè ſcribit ſententiam: Fertur, inquit, in cauſa Q. Ligarij, qui & ipſe unus ex aduerſarijs Cæſaris habebatur, Cicerone patrono ipſum Cæſarem ad amicos ſuos dixiſſe: Homo ille diutius nobis moleſtus fuit, eumq; damnare certiſſimum eſt, nihil tamen prohibet audire Ciceronem. At cum orare Cicero cœpiſſet, tanta orationis uarietate, tanta gratia admirabilis fuit, ut Cæſar uarie colores uultumq; mutauerit, manifeſtumq; fuerit uarias animi eius mutationes poſſe cognoſci. Vbi uero ad commemorationem pugnæ Pharſalicæ deuenit, eum in accuſatorem acriter conuerſus illa uerba dixit, Quid enim tuus ille Tubero gladius in acie Pharſalica agebat? ille uelut amens & extra ſe poſitus exiluit, libellos quos manibus tenebat abiecit. denique ui orationis coactus, contra animi ſui propoſitum reum abſoluit. De hac Ligarij cauſa illud ſcripſit Pomponius Iuriſconſ. libro Pandectarum primo, titulo de Origine iuris, poſtquam multos iuris ciuilis conditores tractauit: Poſt hos, inquit, Tubero fuit, qui Offilio operam dedit. Fuit autem patricius, & tranſijt à cauſis agendis ad ius ciuile, maxime poſtquam Q. Ligarium accuſauit, nec obtinuit apud C. Cæſarem. Is eſt Q. Ligarius, qui cum Africæ oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permiſit, nec aquam haurire. Quo nomine eum accuſauit & Cicero defendit. Et eius extat oratio ſanè pulcherrima, quæ inſcribitur, pro Q. Ligario. Et Tubero doctiſſimus quidem habitus eſt iuris publici & priuati, & complures utriuſque operis libros reliquit. Sermone etiam antiquo uſus affectauit ſcribere, & ideo parum eius libri grati habentur. Pluſcula hæc Pomponij uerba ideo aſcripſi, quod cauſam declarent, & hanc orationem Ciceronis multum commendent. De hac oratione Cicero ad Atticum libro Epiſtolarum 13. Ligarianam, inquit, ut uideo, præclare auctoritas tua commendauit. Scripſit enim ad me Balbus ac Oppius, mirifice ſe probare, ob eamq; cauſam ad Cæſarem meam ſe oratiunculam miſiſſe.

Nouum crimen C. Cæſar.] Auctore Quintiliano libro quarto, cum aduerſarius dixit & perſuaſit, tum quædam ex his quæ fortaſſe dixit aduerſarius, imminuenda ſunt & leuanda, & quaſi contemnenda, ad remittendam Iudicis attentam auditionem, quàm aduerſario præſtat: ut fecit, inquit, pro Ligario Cicero. Quid enim agebat aliud, ironia illa, quàm ut Cæſar minus ſe in rem tanquam non nouam intenderet? Aquila quoque Romanus ironiam eſſe dicit. Totum hoc pro Ligario proœmium ironiam eſſe, Quintilianus dicit libro nono, Aeliorum Tuberonum familia Romæ clariſſima, paupertatis ſtudioſa fuit. Q. Tubero Catelius Cos. Samijs uaſis utens, argentea uaſa magni ponderis, & exquiſita arte fabricata, ab Aetolis dono ad ſe miſſa repudiauit, ut ait Valerius Max. libro quarto, titulo de Abſtinentia & continentia. Sex & decem uiri ex Tuberonum familia omnes ſimul in unis ædibus, ijſq; modicis cum coniugibus & liberis habitarunt, ut ait Plutarchus in uita Pauli Aemilij. De Q. Aelio Tuberone Pauli nepote, qui lectulos Punicanos hœdinis pellibus ſtrauit, uaſaq; Samia expoſuit in epulo, quod Africani auunculi ſui nomine populo Romano dabatur: Valerius lib. 7. titulo de Repulſa, & Cicero pro L. Muræna ſcripſerunt. Ex hac familia iuriſperiti & hiſtorici Tuberones fuerunt. Huius Tuberonis accuſatio edita fuit. Quintilianus libro decimo, cenſet eam cum hac Ciceronis defenſione, quamuis minus par uideatur, legendam, quæ ad cognoſcendam quoque litis quæſtionem ualeant. Sed ea deſiderantur. C. Panſa.] Is qui poſtea Conſul cum Hircio fuit, apud Cæſarem auctoritate & gratia ualuit plurimum. Eo deprecatore uſi ſunt plurimi, poſt Pharſalicam pugnam, qui Pompeium ſecuti fuerunt. Huic ſe amiciſſimum eſſe Cicero ſcribit in libro Epiſtolarum familiarium ſexto. C. Iulij Panſæ Tribuni plebis meminit M. Cælius in epiſtola ad Ciceronem libro Epiſtolarum familiarium octauo. Hic autem cum Ligarij fratribus orauit Cæſarem, ut ei ignoſceret. Quò me uertam neſcio.] Aporia, id eſt dubitationis ſimulatio eſt. Neque per te ſcires, etc.] id eſt, cum imprudens ignaruſq; eſſes. Imprudens enim per ſe eſt, Ignarus per alios: ut ait Donatus, enarrans illud Terentij ex Eunucho: Dono mihi dedit imprudens harum rerum, ignaruſq; omnium. Abuti ignoratione alicuius, eſt rem ab aliquo petere, nec uere planeq; cauſam oſtendere cur id petatur, ſed diſſimulare. & ut uulgo loquuntur, dare falſum ad intelligendum. Hominis miſeri.] Ligarij, miſeria indigni. Neceſſarius.] Id eſt, neceſſitudine mecum iunctus. Integrum nobis eſſe dicimus, id quod nobis iure licet hoc uel illo modo facere uel dicere. Vt hunc librum nec tibi nec alij pollicitus ſum, eum itaque tibi dare mihi integrum eſt: quod ſi alij iam promiſiſſem, ut darem tibi, mihi integrum non eſſet. C. Panſa tibi Cæſar iam confeſſus eſt, Ligarium in Africa fuiſſe: id negare mihi integrum non eſt. Omnis controuerſia, cum mihi integrũ non ſit negare Ligarium in Africa fuiſſe, quod Tubero aduerſarius intendit. Qua plurimi ſunt conſeruati.] A Cæſaris clementia captat beneuolentiam. Liberationẽ, culpæ impetrat, cui culpæ conceditur impunitas. Errati ueniam.] Qui in ſtatum priſtinum reſtituitur, perinde ac ſi nunquam deliquiſſet. Habes igitur Tubero.] Quamuis in alijs partibus orationis illud gratiæ plenum ſit, ut dirigatur ſermo tam ad alios, quàm ad auditores illud tamen naturale eſt, ut in exordio ad auditores dirigamus, ut alloquamur eos quos nobis cõciliare uelimus: Idq; ferè fit. Sed in oratione iudiciali aliud nonnunquã poſtulat cauſæ utilitas, ut hoc loco: de quo Quintilianus lib. 4. Si ad iudices, inquit, ſermo directus eſſet, erat multo futura oratio languidior. quod facilius cognoſcet, ſi quis illam totam partem uehementiſſimã (cuius hæc forma eſt, Habes igitur Tubero quod accuſatori maxime optandum, &c.) conuertat ad iudicem. Tum enim uere euerſa uideatur oratio, & langueſcat uis omnis dicẽtibus nobis. Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maxime optãdũ. Illo enim modo preſſit atque inſtitit, hoc autẽ indicaſſet. Habes igitur Tub.] Specialis quædã cõcluſio eſt, quales multæ in oratione eſſe ſolẽt. Itaque prius.] Quintil. lib. 8. de ſententia ſcribens, hanc eſſe dicit clauſulam,

quã concluſionem dicimus:ſed loco illius, Itaque prius de ueſtro delicto cõfiteamini: legit, Quare prius de facto ueſtro fateamini. Confiteri autẽ de peccato dicere ſolent uiri docti, nõ cõfiteri peccatũ. Q. igitur Ligarius.] Hæc narratio à perſona incipit, quã ſæpe fieri Quint. lib. 4. ſcribit, qui uis à re quoque itidẽ fiat. Cum eſſet adhuc, &c.] Oratori narrandũ non eſt eo modo, quo teſti. Hic enim rem narrat ſimpliciter, ille argumenta admiſcet, extenuat, amplificat, prout res expoſtulat: ut idem Quint. lib. 4. auctor eſt. Socijs.] Id eſt, Afris. Socios enim appellare ſolet Cicero eos, qui aliquando uicti ſub imperio ſunt: prouinciales alij uocant. Ciuibus.] Romanis, qui in Africa negotiabantur. Probauit.] Probum uirũ præſtitit. in qua ſignificatione ſæpe uerbũ hoc probare dicitur. Decedens prouincia exacto tẽpore magiſtratus uſitatius dicitur, quã abiens uel diſcedens. Integritas.] Id eſt, abſtinentia, quæ cõmendatur multũ in eo qui prouinciæ præſit. Bellum exarſit.] Id eſt, conflatũ eſt. Bellum ardere, & bello regionem ardere dicimus. T. Liu. lib. 35. Quoniam bellum ingens in prouincia exarſiſſet. Idem lib. 26. Cum hoſtis alienigena in Italia eſſet, & Annibal hoſtis, & cuncta bello arderent. Idem 28. Sub cuius uulgatam iam famã non dubitabant totã Hiſpaniam arſuram bello. Ardet bellũ dicitur, quemadmodũ ardet odiũ. Cicero pro Milone: Omnia tum denique in illum odia ciuiũ ardebant. Inconſiderata.] Id eſt, ſtulta & temeraria. Cæco quodã timore.] Ne in Africã transferretũr, ut Syllanis temporibus. Domitium Cn. Pompeius in Africã perſecutus eſt. Domum ſpectans.] Hæc & alia multa in hac narratione dicũtur, ut oſtendat Cicero Ligariũ in Africa inuitũ remanſiſſe, & ita nõ remanſiſſe contra Cæſarẽ. P. Actius Varus amiſſis in Italia ad Auximũ cohortibus, ex fuga in Africam uenit, eamq; uacuã occupauit, quã paucis ante annis eã in Prætura obtinuerat. Ibi delectu habito duas legiones effecit. auctor eſt C. Cæſar lib. Cõment. de Bello ciuili 1. P. Varus.] Plutarchus in uita Catonis appellat hunc Appium Varum. Obtinuerat antea.] Nam tũ priuatus erat. Vtica urbs Africæ eſt, à Phœnicibus condita, M. Catonis fato inſignis: ut ait Põponius Mela in lib. 1. Nullo publico conſil.] Afrorum ſcilicet, aut Romanorũ. Adhuc C. Cæſar.] In breuis huius narrationis parte extrema hac cõmonitione uſus eſt Cic. quo quid narratum ſit, fit planius. Huiuſmodi commonitionem poſt longã quoque narrationem utilem eſſe, Quintil. lib. 4. præcipit. Ergo hæc duo tempora.] Argumentum ex remotione eſt, quo per disiunctiuã particulam enumeramus partes, poſtea ſingulas remouemus. hoc modo: Q. Ligarius offendit Cæſarem, ergo in profectione, uel in remanſione ante aduentũ Vari, uel in remãſione poſt eius aduentum, profectus eſt ad nullam belli ſuſpicionẽ, remanſit inuitus ante Vari aduentũ, poſt aduentũ coactus. Et cũ alio nullo tempore offenderet, relinquitur ut non offenderit, cũ his temporibus non offenderit. A prouincia.] Id eſt, à ſocijs, qui ex prouincia ſunt. Neceſſitatis crimen eſt.] Si quod crimen ſit, id in neceſſitatẽ transfert, quæ ab auctore Rhetoric. ad Herennium ſub iuridiciali conſtitutione ponitur. Si eſt criminoſum.] Criminale imperiti dicunt. Criminoſum in hunc, Cicero dicit pro P. Sylla: Mihi non uideretur in hunc id criminoſum eſſe debere. Pro contentioſo et ſeditioſo dicit pro A. Cluentio: Ille autẽ acerbus, criminoſus, popularis homo ac turbulentus. Criminoſum pro infami, idem in C. Ver. dicit actione 4. Ille hoc putabat Verri criminoſum fore, ſi eius ſtatuæ eſſent deiectæ. Euadere.] Euadere in re difficili dicimus. Vticæ potius quàm Romæ.] Puto legendum, Vticæ quã Romæ: ut ad uerbum maluiſſet referatur. Eſt autem probatio naturalis. Concordiſſimis fratribus.] Concordiſſimum dicit, ut in oratione pro C. Rabirio: Tibi acerbior eius patrui mors eſt, quem nunquam uidiſti, quàm illi eius fratris, qui cũ concordiſſime uixerat? Cum alienis.] Id eſt, non ſuis. Deſiderij.] Fratrũ ſcilicet, & ſolicitudinis, quam ex fratrum deſiderio capiebat. Qua fide defendam.] Patronus ſumma fide ſuceptã cauſam debet defendere. Eam ſi fideliter non defendat, ut ſi arcana eius conſilia, quæ celari utile eſt, iudici uel aduerſario patefacit, prodere dicitur. Quintil. lib. 4. Si nec defenderint, nec narrauerint, tota cauſa prodetur. Cicero pro A. Cluentio: Hoc perſæpe dixiſti tibi hoc renunciari, me habere in animo cauſam hanc præſidio legis defendere. Ita'ne eſt? Ab amicis uidelicet imprudentes prodimur? & eſt neſcio quis de his, quos amicos nobis arbitramur, qui noſtra conſilia ad aduerſarios deferat? Hæc clementiæ commendatio Cæſarem inclinat magis, ut ignoſcat Ligario. Monimentis.] Id eſt, ſtatuis. M. Cicero in perſona tertia de ſe loquitur, ut eo maiore fide aduerſarij cauſam defendat, quo ſuã magis prodat. A ſe enim magis alienare Cæſarẽ uidetur poſſe, quã ſi in perſona prima de ſe loquatur. Nec tuas tacitas cogitationes.] Id eſt, quid de eo tecũ poſſis cogitare. Nec reformidas quid occurrat ti.] Cum audies de alio. Vide quã non reformidem.] Ad primã ſuam perſonam redit. Oboriatur.] Id eſt, ex inſperato oriatur. Suſcepto bello Cæſar.] Effecit Cicero omni obſequio, ut neque Cæſari neque Pompeio quiſquã ſe eſſet charior, quem uterque ſuũ numerabat, cũ ciuilium bellorum ortæ eſſent contentiones, ab utroque literas eadẽ de re eodẽ tempore idem accepit. Sequi Pompeium propoſuit, quãuis ei animus de Pompeij exitu male præſagiret. Id ſe facturũ dicebat, quod pecudes, quæ depulſæ, ſui generis ſequũtur greges, ut bos armenta: ſic bonos uiros, aut eos quicunque boni uiri dicerentur, ſecuturum ſe dixit, etiã ſi ruerent: ut ſcribit ad Att. lib. 7. Idem lib. Epiſt. famil. 6. ad A. Cecinam de hoc Cæſaris & Pompeij bello ſcribẽs, ſecutũ ſe Pompeium dicit, ne ingratus eſſet, quippe cum eũ ab exilio reuocandũ Pompeius curaſſet. Suſceptum eſt, inquit, bellũ quieſcente me, depulſum ex Italia manente me quoad potui. Sed ualuit apud me plus pudor meus, quã timor. Veritus ſum deeſſe Pompeij ſaluti, cũ ille aliquando non defuiſſet meæ. Itaque uel officio & fama bonorum, uel pudore uictus, ut in fabulis Amphiaraus, ſic ego prudens, et ſciens ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus. Quo in bello nihil aduerſi accidit, non prædicente me. Suſcepto bello.] Auctore Quintil lib. 9. libera oratio eſt, quã Cornificius licentiam uocat, Græci παῤῥησίαν. Vera dicendi libertas, quãuis figurata nõ ſit, ſub hac tamen ſpecie latet frequenter adulatio. Nam Cicero, inquit, cum dicit pro Ligario, Suſcepto bello Cæſar, geſto iã ex parte magna, nulla ui coactus, conſilio ac uoluntate mea ad ea arma profectus ſum, quæ erant contra te ſumpta: nõ ſolum ad utilitatem Ligarij reſpicit, ſed magis laudari uictoris clementiã non poteſt. In illa uero ſententia: Quid autem aliud egimus Tubero, niſi ut quod hic poteſt, nos poſſemus? admirabiliter utriuſque partis facit bonã cauſam. Sed hoc eũ demeretur, cuius mala fuerat. Hæc ille. Suſcepto bello.] Magis igitur Cæſaris clementia laudari non poteſt. Nam quo quis grauius eſt offenſus, eo ſe præſtat, ſi ignoſcit, clementiorem. Hæc autem uerba ſingula Ciceronis animum, cum ſecutus Pompeiũ eſt, à Cæſare tum fuiſſe alienum oſtendunt. Iudicio meo ac uolun.] Apud Quintilianum lego, Conſilio ac uoluntate magna. Nempe apud eum.] Interrogandi ſeipſos & reſpondendi ſibi, ut idem ait, ſolent eſſe non ingratæ uires. ut Cicero pro Ligario: Apud quem igitur hæc dico? Nempe apud eũ, qui cũ hæc ſciret, tamen me antequã uidit Reip. reddidit. Cum hæc ſciret, antequã uidit, clementiam oſtendunt maiorem. Ex Aegypto.] Cn. Pompeio deuicto, M. Cicero ab armis quieuit, redijtq; in Italiam: C. Cæſar in Aegyptum profectus eſt, quem Ciceroni iratiorem facere multi conabantur. Atticum Cicero per literas orat, ut ad Oppium, Balbum, Hircium, Panſam ſcribat, ut eorum deprecatione, quorũ familiaritate utebatur, Cæſar ſibi ignoſceret. Literas miſit.] Vel literas, quales mitti ſolent ab amicis:

uel

uel diploma, quo dare ſe ueniam Cæſar teſtaretur. Vt in libro Epiſtol.famil.6.ſcribit Cicero, Appio Balbo miſſum non eſſe diploma, quãuis data uenia eſſet: propter quorundam improbitatem, qui ferebant acerbius ueniã dari ei, quem belli ciuilis tubã appellabant. Vt eſſem idem qui fui.] Id eſt, ut retinerem dignitatem eam, quã ante bellum ciuile habuiſſem. Paulo ante bellum ciuile Cicero Proconſul prouinciã Ciliciã obtinuerat, decedenti ei triumphum Senatus decreuit. Is ſibi fore gratius reſpondit, inter Cæſarẽ & Pompeiũ pace compoſita ſe triumphantis Cæſaris currum ſequi. Quam pacem fruſtra tentauit. In lib. Epiſt. ad Atticũ 9. tempore belli ciuilis ſcriptæ ad Ciceronem epiſtolæ ſalutatio eſt: L. Cornelius Balbus M. Tullio Ciceroni Imperatori ſalutem. Itemq; lib.10. Cæſar Imperator M. Tullio Ciceroni Imperatori ſalutem. Quibus ex uerbis conſtat, Ciceronẽ imperium proconſulare retinuiſſe. Faſces laureatos.] Id eſt, triumphales. Lictores etiam deuicto Pompeio ſe retinuiſſe Cicero dicit, negatq; eos incolumi ſibi adimi poſſe, in lib. Epiſt. ad Atticum 9. Quoad tenendos putaui.] Quoad, id eſt, donec, tantiſper, dum. non eſt ergo barbara uox in ſua ſignificatione, in qua à Cicerone ſæpe capitur: ſed barbare capitur ab illis, qui ponunt quoad pro quantũ ad: ut, Quo ad reſcriptum principis, pro quantũ eſt ad, &c. Qui de meo facto nõ dubitem.] Quintil. lib.5. ſcribit, hic argumentum à difficiliori eſſe. Nam quod difficilius eſt confitetur, quia uerum: quod facilius eſt negat, quia falſum. Eſt etiam enthymema ex repugnantibus.
Vt mihi Tubero.] Pater ſcilicet adoleſcentis Tuberonis filij, qui Ligarij accuſator eſt. Eſt congreſſus armatus.] In acie Pharſalica. Quid enim Tubero.] Apoſtrophe, ut lib.9. adnotat Quintilianus. Hoc cum diceret Cicero, Cæſar uelut amens corpore exiluit, libelli, quos manibus tenebat, effluxerũt: ut in argumento diximus. Interrogatio autem eſt, non ſciſcitandi cauſa, ſed inſtandi. ut in Catilinam: Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? Auctor eſt Quintil. lib.9. quo eodem auctore lib.8. ubi multas metaphoræ ſpecies enumerat, Metaphora quoque eſt, ubi pro rebus animalibus inanima ponuntur. præcipueq; ex his oritur mira ſublimitas, quæ audaciæ proxima, periculo tranſlationis attollitur, cum rebus ſenſu carentibus actum quendã & animos damus. qualis eſt: Pontem indignatus Araxes. & illa Ciceronis: Quid enim tuus ille Tubero, &c. Vt idem eodẽ libro ſcribit, poteſt adſcribi amplificationi congeries quoque uerborũ, ac ſententiarũ idem ſignificantium: Quid enim tuus ille Tubero, &c. In acie Pharſalica.] Significat Tuberonẽ in acie Pharſalica pugnaſſe aduerſus Cæſarem. Cuius latus ille mucro petebat?] Nam punctim, nõ cæſim Romani hoſtes feriebant. Hæc autem ſub oculos ſubiectio eſt, quaſi fortiſſimo & penè furibundo animo hoſtẽ ſtricto gladio Tubero perſecutus ſit. Commoueri uidetur adoleſcens.] Cum Cæſar ipſe commoueretur, id diſſimulat Cicero. Tuberonis igitur cauſa, orationis uim remittere ſe ſignificat. Ad me reuertar.] Vt de facto meo confitear. Quid aliud egim. in acie.] Pharſalica ſcilicet. Quod hic poteſt, nos poſſemus?] Sententia eſt: Nos id in acie Pharſalica egimus, ut Cæſarem poſſemus interficere: hic autem nunc nos poteſt. Hoc dictum eſſe fortiſſime, Quintilianus lib.5. ſcribit. Paulo ante diximus, liberam eſſe orationem. Prodigijs ſimilia quæ dicam.] Attentum facit Cæſarem noua promittendo. Vſque ad ſanguinẽ.] Id eſt, uſque ad necem. Leuitum Grecorum.] Leuitatẽ Græcorum propriam eſſe, Cicero dicit in oratione pro L. Flacco. Græcorum mos erat, ut uerberibus animaduerterent in ciues. de cõdemnatis ſummum ſupplicium ſumerent. Hunc morem ueteres Romani ſecuti ſunt: ſed poſtea lex Porcia aliæq; leges perlatæ ſunt, quibus legibus damnatis exilium permiſſum eſt: ut eſt in in oratione Cæſaris apud Salluſtium. Conſobrino ſuo.] Hic attende, Conſobrinos eſſe qui ſunt ex fratre & ſorore: quãuis præcipiant Grammatici, Conſobrinos eſſe ſororum filios, quaſi conſororinos. At iſtud ne apud me quidem.] Ex comparatione oſtendit, nimiã Tuberonis immanitatem. Nam crudeliſſima L. Syllæ Dictatoris proſcriptione, nemo ad cuiuſquam cædẽ Syllam incitauit, in clementiſſima uictoria Cæſaris ad ciuis eundem Tubero incitat Cæſarem, qui Syllanorum crudelitatẽ uindicauit: Tubero uult eſſe crudelem, quod naturæ eius contrarium eſt. Omnes quos oderat.] De ſæuiſſima & importuniſſima Syllæ proſcriptione, apud Plutarchum in eius uita eſt. Præmijs etiam inuitabat.] Nam qui proſcriptum necaſſet, ei Sylla duo talenta pro præmio cõſtituit, ſiue dominũ ſeruus, ſiue patrẽ filius interemiſſet. Qui uero proſcriptũ occultaſſet, eiuſq; ſaluti conſuluiſſet, huic humanitati mortẽ propoſuit, non patrẽ non filium, non fratres excepit. Quæ tamen crudelitas.] C. Cæſar ædilis, in exercenda quæſtione de ſicarijs, eos quoque ſicariorũ numero habuit, qui in Syllæ proſcriptione proſcriptos necauerant: ob quæ relata ciuium cæſorũ capita, pecunias ex ærario acceperant, quamuis Cornelijs legibus excepti eſſent. Auctor eſt Suetonius in uita C. Cæſaris. Aliquot annis poſt.] Cæſar adoleſcens infenſus fuit Syllæ, ægreq; ei reconciliatus. Aedilitas autem primus erat magiſtratus, qui gereretur. Plurimarum artium, &c.] Ex Tuberonum familia alij hiſtorici, alij oratores, alij iuriſperiti, alij philoſophi fuerũt. An ne ignoſcatur.] Quã crudele ſit, Ligarij mortem petere, Cicero oſtendit: ut quã graue ſit oſtendat, petere ei ne ignoſcatur: quod eſſe grauius probat, quã ſi ſanguinem eius peteret. Domi petimus.] Id eſt, in domo Cæſaris, nõ hac quidem oratione, quæ in foro habita eſt, ſed diebus ſuperioribus. Irrumpet.] Id eſt, importunus irruet, quid fletus noſter Ligario proſit. Supplicum uoce prohibebis.] Id eſt, non patieris nos ſupplicare? Domi.] Cæſaris ſcilicet. Vt ſpero.] Id eſt, ut arbitror. Non fruſtra fecimus.] Quia Cæſarem aliquantũ commouimus, ut Ligario ignoſceret. Hoc ualet ad miſericordiã Cæſaris impetrandam. Sibi enim turpe eſſe Cæſar putaret, ſi flexã tam miſericordiã in hominem miſerũ adhibita deprecatione cõmutaret, præcipue quod habeatur clementiſſimus. Si cũ hoc domi fece.] Argumentũ à fictione eſt, quod multis modis fieri poſſe Quintil. lib.5. ſcribit. Hic autem fit, cum augendæ rei gratia aliquid fingit Cicero: quod ſi ita eſſet, graue & acerbum eſſet. Id autem quod tractat, cũ eo comparatũ quod fingit, oſtendit multo grauius & acerbius. Illic ſimile eſt, Si in hac tãta tua fortuna, &c. Itemq;, Quod ſi probare Cæſari poſſemus. Hoc argumenti genere utitur Cicero ſæpiſſime. De repente.] Ab antiquis ſæpe dictũ, documenta ſunt multa eorũ exempla à Nonio Marcello citata. C. Cæſar.] Proſopopœia eſt. hanc figuram Mimeſim Donatus appellat ſæpe in Commentarijs in Terent. In hac autẽ dicendi ratione, ſi quis uocatiuus eſt, is in orationis principio collocari ſolet. Miſereatur.] Non miſereat, legit Priſc. lib.8. Is enim enumerans uerba, quibus in o pro in or exeuntibus uſi ſunt ueteres: Miſereo, inquit, pro miſereor, unde miſeret et miſeretur imperſonalia. Cicero pro Ligario: Caue te fratrũ pro fratris ſalute precantiũ miſereatur. Hæc enim imperſonalia in r, à uerbis in o exeuntibus tãtũ fiunt. In tali miſeria multorũ.] Multi enim Pompeium ſecuti erant, quibus Cæſar nondũ ignouerat, quorum ſpes magna in Cæſaris clementia erat. Lenitas.] Id eſt, clementia & facilitas ad ignoſcendum. Intelligo quid loquar.] Sic legit Quintil. lib.8. Hic enim emphaſin eſſe dicit, quia intelligitur etiã quod nõ dicitur. Tacuit enim illud, quod nihilominus intelligimus, non deeſſe homines, qui ad crudelitatẽ eũ impellerẽt. Per te.] Id eſt, naturali tua inclinatione. Acerbiſſimo luctu redundaret.] Id eſt, crudeliſſima eſſet. Cum etiã de uictis.] Argumentũ eſt à minori ad maius. Errare.] Id eſt, decipi: id eſt, falſum pro uero credere. ut in 1. de Offic. Labi & errare, neſcire et decipi, et malũ &

turpe ducimus. Primus aditus & poſtulatio.] Factum Ligarij, ſcelus Tubero appellauit: id ſcelus nō eſſe cōtendit. Ab alijs alio nomine hæc armorū contra Cæſarem ſumptio appellata eſt, quo nomine appellari Ligarij facinus nō negaret, ſi arma ſumpſiſſet: ſed omnino ſcelus appellari debere negat. Itaq; finitiuus ſtatus eſt ſpecialis. Nam ex ſceleris definitione petendū eſſet, an ſcelus eſſet. Eſt enim ſcelus, cōtra ius improbe admiſſum facinus. Quare nō eſſe Ligarij factum probat etiā ex Cæſaris ſententia, qui cū Pompeio reconciliari conatus eſt. Poſtulatio] Poſtulationem dicit pro propoſitione: aut propoſitio, non poſtulatio legi debet. Non dubito quin admir. ſis.] Sceleris nomē amplificat, quod Cæſarem admiratū putet, ut facti leuitatem oſtendat. Alij errorem] In his fuit Cicero. Eum enim (auctore Macrobio. lib. Saturnal. 2.) cum quidā poſt Cæſaris uictoriam interrogaſſet, cur in electione partis erraſſet: reſpondit, Præcinctura me decepit. Iocatus in Cæſarem eſt, qui ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniā, uelut mollis incederet: adeo ut Sylla prouidus dixerit Pompeio, caue tibi illū puerū male præcinctū. Hæc ille. Mollem igitur Cæſarem Cicero putabat: ideo Pōpeium ſecutus eſt potius, quāuis aliæ quoque grauiores cauſæ fuerint. Alij timorem.] Quod timerent, ne Cæſar uictor Reip. libertatem opprimeret. Spem.] Quod ſperarent Pompeiū uirum innumerabilibus uictoriarū ornamētis decoratū, & incredibili quadam felicitate præditum, fore uictorem. Cupiditatem.] Iuuandi Pompeiū, ut ab eo ſtaret uictoria. Odium] Cæſaris. Pertinaciā.] Iuuandi partes Pōpeij. Temeritatē.] Id eſt, inconſultā & improuidam uoluntatem. Fatalis.] Id eſt, diuina & neceſſaria. fatalem calamitatem, diuinā punitionē uulgo appellant. Improuidas homi. mentes occupauiſſe.] Id eſt, mentes hominum excæcauiſſe, ne quid è re ſua cōſultare potuerint. Humana conſilia.] Eorum qui Pompeium ſecuti ſunt diuina neceſſitate, quæ fatalis eſt. Fata autem uitari poſſe negabāt. Quanquā hoc uictore.] Cum quod dicimus aliorſum ac dicamus intelligi poſſit, tum in quam ſentētiā intelligamus dici oportet. Occiderunt.] Id eſt, occubuerunt. Cupidi.] Id eſt, auari, uel potius ambitioſi. Irati.] Cæſari. Pertinaces.] Quod de ſententia decedere noluerint. Cum pacem eſſe cupiebat.] C. Cæſar facere conſtituit, ut ſe quā leniſſimū præberet, daretq; operā ut Cn. Pompeiū ſibi recōciliaret. Cn. Magiū Pompeij præfectum cepit, eū illico miſſum fecit. duo ibidem præfecti fabrū Pompeij, qui in eius poteſtatem uenerūt, continuo ab eodem dimiſſi ſunt. Ut hi ſi grati eſſe uellent, Pompeiū adhortarētur, ut mallet amicus Cæſari eſſe, quā ijs qui utrique ſemper fuerūt inimiciſſimi: quorū artificijs effectum eſt, ut ciuilia bella uterque gereret. Id ſcripſit C. Cæſar, C. Oppio, & L. Cornel. Balbo. Ea epiſtola apud Ciceronem eſt lib. Epiſto. ad Att. 9. Cicero lib. Epiſt. famil. 6. ad A. Cecinam de Cæſaris & Pompeij bello: Admirari, inquit, ſoleo grauitatem & iuſtitiam & ſapientiam Cæſaris, qui nunquā niſi honorificentiſſime Pompeiū appellat. At in eius perſonā multa fecit aſperius. Armorū iſta & uictoriæ ſunt facta, non Cæſaris. Tanta certe, etc.] Innocenti pœna æquiore animo quā nocenti ferenda eſt. Itaque Socrates uxori querenti, quòd iniuſte moreretur: An tu, inquit, iuſte malles? Ideoq; uiri grauiſſimi nolebant ſibi ignoſci, ſi quod ſcelus admiſiſſent. M. Cato Maior auctore Plutarcho in Apophthegmatis, malle ſe dicebat pro collato beneficio gratiā non accipere, quā pro illata iniuria pœnam non ſubire: ijſq; qui peccaſſent omnibus, prætterquā ſibi, ueniam dare. Hac de re alibi quoque ſcribimus. Tantam igitur Cæſari Cicero non haberet gratiam, ſi ſceleratus, quantā ſi non ſceleratus ab eo cōſeruatus eſſet. Seceſſionem tu illam, &c.] Id dicit, quia Cæſar Pompeio ſæpe reconciliari uoluit. Belli ciuilis impietatē à Cæſare remouet, ut eum ad miſericordiā magis inclinet. Non bellū.] Bella ciuilia, ut ait Cicero lib. de Offic. 1. grauis et fortis ciuis in Rep. dignus principatu fugiet atque aderit. Partim cōſilijs.] Idem in eodē libro ſimiliter eos facere dicit, qui inter ſe contenderent, uter potius Remp. adminiſtraret: ut ſi nautæ inter ſe certarent, quis eorū potiſſimū gubernaret. Principum.] Cæſaris & Pompeij. Eorū qui ſequebantur.] Quorum artificijs factū diximus, ut hæc bella gererentur, qui Cæſaris & Pompeij inimicitias augebant. Cauſa dubia.] Ut artium ſcriptores genus cauſæ dubiū uocant, quod honeſtam ut accuſationem ita defenſionem habet. Cum enim Cæſar ſuperiorem, Pompeius parem habere nollet, negauit Cæſar ſe dimiſſurū exercitum, quē in Gallia habebat, niſi à Pompeio itidem dimitteretur. Cn. Pompeius conſtituit non pati C. Cæſarem conſulem aliter fieri, niſi exercitū & prouincias tradiderit. Cæſari autem perſuaſum eſt, ſe ſaluum eſſe non poſſe, ſi ab exercitu receſſerit. Fert illam tamen conditionem, ut ambo exercitus tradant. Auctor eſt M. Cælius libro Epiſtol. Ciceronis famil. 8. Aliæq; inter eos fuerunt contentiones, quæ ex alterutra parte honeſtatis ſpeciem habebant. Cauſa.] Tum dubia. Enthymema ex conſequentibus eſt, ut ait Quintil. lib. 5. Habet enim propoſitionem, cui protinus coniuncta probatio eſt. Eſt autē duplex enthymema ex conſequentibus. Unum, cauſa tū dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari poſſet. Alterum, nunc melior certe ea iudicanda eſt, quā etiā Dij adiuuerūt. Hic quoque idem in eodem libro ex deorū auctoritate ſumptū eſſe dicit argumētum, cū cauſam C. Cæſaris meliorē, quia dij hoc iudicauerint, confitetur. Niſi armatus.] Clementiam Cæſaris commendat, ut Ligario facilius ignoſcat, qui contra eum nunquā armatus fuerit. Utrū tandem, etc.] Ligarij cauſam fuiſſe meliorem cauſa Tuberonis oſtendit, quod Ligario neceſſe fuit parere Senatui, eū in Africam leganti: eidem in Africa remanere neceſſe fuit, Tuberoni uero neceſſe non fuit parere Senatui. Tum enim paruit Tubero, cū paruit nemo qui noluit. Uoluntaria igitur profectio eius in Africam fuit. Cum Senatus cenſuiſſet.] Primū Conſules profecturi in prouinciā, legatū ſibi eligebāt: deinde Conſulū aliter ad Senatum referebat, quid ſibi eâ de re placeret, Senatus conſtituebat: ut eſt apud Ciceronem in oratione pro lege Manilia. Eodem auctore in Uatinium teſtem, Legati ex Senatus auctoritate more maiorū legebantur, nec ſine S. C. ante Uatinium quiſquā legatus eſt. Idem legatos appellat nuncios pacis ac belli, curatores, interpretes, bellici cōſilij auctores, muneris prouincialis miniſtros. Si me conſulis, nullo modo.] Nunquam enim cenſuiſſem tum Senatui non eſſe parendum. Tuberonis ſors coniuncta eſt.] Quoddā genus diuinationis apud ueteres fuit per ſortes. Sortium autē inuentio illa fuit, ut eſt apud Ciceronē lib. de Diuinat. 2. Præneſte honeſtus uir & nobilis, Numerius Suffuſius ſomnijs crebris et ad extremum minacibus iubebatur certo in loco ſilicem cædere. Id cum ageret, perfracto ſaxo ſortes eruperūt, in robore inſculptæ priſcarum literarum notis. Eodem tempore mel ex olea fluxit. Reſponderunt Aruſpices, ſumma nobilitate ſortes illas futuras. Eorumq; iuſſu ex illa olea arca facta eſt, ubi ſortes conderentur: quæ hodie, inquit Cicero, Fortunæ monitu, pueri manu miſcentur atque ducuntur. Manu autem pueri ſortes mouebantur, poſtea ducebantur, quo maior Fortunæ locus eſſet. Sortes ductas ut in rem aptè cadant fieri poſſe diuinitus, T. Cicero credit in lib. de Diuinat. 1. Dicta autē quæ malum bonum'ue portendi ſignificarent, erāt illarum ſortium ſcripta. T. Li. lib. 22. inter prodigia, quæ pugnam ad Thraſimenum lacum præceſſiſſe enumerat, nunciatū eſſe dicit, ſortes attenuatas ſua ſponte, unamq; excidiſſe ita ſcriptā, Mauors telum ſuum concutit. Alias ſortes additas eſſe, aut nouas poſtea factas colligi poteſt ex Aelio Lampridio, qui Alexandro genero imperatori Romano, cuius uitæ Heliogabalus inſidiabatur, illam ſortem in tēplo Præneſtinæ Ueſtæ dicit obueniſſe: Si qua fata aſpera rumpas, Tu Marcellus eris. Quæ uerba ſunt ex lib. Aen. 6.

Arbitror

*Arbitror itaque fuiſſe morẽ, ut legati ſors ex Senatuſconſulto duceretur, fortunæ tentandæ cauſa, priuſquã in prouinciã proficiſceretur, quemadmodũ auſpicijs in prouinciã proficiſci Conſules ſolebant. Nec obſtat, quod Cic. in. 2. de Diuinatione tollat ſortes, cum etiã tollat auſpicia, cæteraq; diuinationis genera. Nec ſortem pro ſortitione hic intelligi putem, quemadmodum Athenis Prætores, Theſmothetæ et Imperatores inſtituto uetere ſortito fieri ſolebãt, ut ait Plutarchus in uita Periclis.* Cum L. Tuberone.] *Is eſt accuſatoris pater. Eum Cicero in oratione pro Cn. Planco neceſſarium ſuum appellat, eumq; Q. Ciceroni fratri legatũ fuiſſe dicit.* Domi unà eruditi.] *Auctore Quintiliano lib. 1. condiſcipulorum amicitiæ uſque ad ſenectutẽ firmiſſime durant, religioſa quadã neceſſitudine imbutæ. Neque enim eſt ſanctius ſacris iiſdem quã ſtudijs imitari.* Domi.] *Id eſt, in patria, uel tempore pacis: ne in priuatis parietibus intelligas.* Militiæ cõtubernales.] *Ne cõmiſſo prælio acies facile turbaretur atque confunderetur, Romanis mos erat, ut legionẽ in cohortes, cohortes in centurias, centurias in contubernia diuiderent. Sunt autem contubernia ex decẽ militibus, ſub uno tentorio degentibus. Manipulus autẽ cõtuberniũ uocabatur, ab eo quod cõiunctis manibus pariter dimicarent. auctor eſt Vegetius in libro de re militari. 2. Hæc contubernij ſocietas nó habet uim paruã ad uinculũ amicitiæ arctius colligãdũ.* Poſt affines.] *Principio huius orationis, Q. Tuberonẽ propinquũ ſuum appellauit. Ea propinquitas nata eſt ex affinitate Ciceronis cũ L. Tuberone.* Magnum etiã uincu.] *Apud Ciceronem in lib. de Amicitia, Lælius: Recordatione, inquit, noſtræ amicitiæ ſic furor, ut beate uixiſſe uidear, quia cũ Scipione uixerim, quo cũ mihi coniuncta cura de Rep. & de priuata fuit, quo cũ domus fuit & militia cõmunis, et in quo eſt omnis uis amicitiæ, uoluntatũ, ſtudiorũ ſummo conſenſio. Idem Cic. in lib. de Off. 1. Nihil amabilius, nec copulatius, quã morũ ſimilitudo bonorũ. In quib. enim eadem ſtudia ſunt, eædẽ uoluntates, in his fit, ut æque quiſq; altero delectetur ac ſeipſo, efficiturq; in quod Pythagoras ultimũ in amicitia putauit, ut unus fiat ex pluribus. Hæ autẽ neceſſitudines ſunt cõmunes eorũ utrique, quibus uterq; cũ altero æque deuincitur.* Scio Tuberonẽ domi, &c.] *Hoc dicit, ut oſtendat licuiſſe Tuberoni Senatui nó parere, eumq; nauigaturũ nó fuiſſe, niſi ab aliquibus impulſus fuiſſet. Fuit igitur profectio eius uoluntaria.* Opponebant.] *Ad euincendũ eius animũ.* Etiã ſi aliter ſentirent.] *Id eſt, quã uis proficiſci nollet.* Verborũ tamen ipſorũ, etc.] *Id eſt, uerborũ grauitati cederet, & perſuaderetur.* Ampliſſimi uiri.] *Cn. Pompeij, cuius partes Senatus ſequebatur.* Ceſſit, uel potius paruit.] *Correctio eſt. Tollit enim quod dictum eſt, id eſt, Ceſſit: et pro eo id quod magis idoneũ uidetur repoſuit, id eſt, paruit. ut paulo poſt: Vide quid licẽtiæ Cæſar nobis tua liberalitas det, uel potius audaciæ.* Vna cauſa.] *Id eſt, eadem.* Iam occupatã.] *A' Varo.* Hinc in Ligariũ.] *Ex arte admonet Cicero, quæ irarũ cauſa Tuberonis cũ Ligario fuerit, ut oſtẽdat Ligariũ accuſari à Tuberone nó cauſa Cæſaris, ſed odij.* Vos.] *Id eſt te Tubero, & patrẽ tuũ. Apoſtrophe utitur ſæpius.* Natũ ad bellũ.] *Propter bella Punica dicit. ſed ad cõciliandã Cæſaris beneuolentiã uidetur intelligere etiã bellũ illud, quod deuicto Põpeio in Africa Cæſar cõfecit. Ibi enim cũ ingentes copiæ coactæ à Varo eſſent, & Numidarũ rex Iuba opem auxiliumq; ferret, eodem uenerunt poſt cædem Pompeij, primũ Scipio, deinde Cato cũ magnis exercitus Pompeiani reliquijs. Ibi Cæſar eodem die ingẽti ſtrage facta, trinis caſtris hoſtiũ potitus eſt: ut eſt apud Plutarchũ in uitis Cæſaris & Catonis.* Non minus magnum eſt.] *Cum quis quid improbe facere conatus eſt, id perinde habendũ eſt, atque ſi perfeciſſet. Non enim modo exitus rerũ, ut ait Cicero pro Milone: ſed hominũ conſilia legibus uindicãtur. Idem pro C. Rabirio, nihil putat intereſſe inter eũ qui hominẽ occidit, & eum qui cũ telo occidendi hominis cauſa fuit. Eſt igitur ſententia: Vos uoluiſtis obtinere imperiũ in Africa contra Cæſarem. Varus itẽ contra eundem occupauerat. crimen ueſtrũ quàm Vari minus eſt, ſe eſſe maluiſſe quã uos, qui propterea uos prohibuit.* Atque is tamẽ aliquis.] *Qui imperatorẽ ſe eſſe maluit.* Varus imperiũ, etc.] *Id non fuiſſe imperiũ ſignificat, niſi illud imperiũ eſſe potuit, quod ad priuatũ clamore multitudinis imperitæ, nullo publico conſilio delatum ſit, ut antea dixit.* Faſces.] *Id eſt, lictores, quos habebant, qui cum imperio in prouincia erãt.* Recepti in prouinciam, &c.] *Auctore Quintiliano libro 5. artificis eſt inuenire in actione aduerſarij, quæ inter ſemetipſa pugnent, aut pugnare uideãtur, quæ aliquãdo ex rebus ipſis manifeſta ſunt: ut in cauſa Cæliana, Clodia aurũ ſe Cælio commodaſſe dicit, quod ſignũ magnæ familiaritatis eſt: uenenũ ſibi paratum, quod ſummi odij argumẽtũ eſt. Tubero Ligarium accuſat, quòd is in Africa fuerit: & queritur, q ab eo ipſo in Africam non ſit admiſſus. Hæc ille. Ibi autem pugnantia eſt: Voluit Tubero ire in Africam contra Cæſarem: Ideo in Africa contra Cæſarem eſſe probat. Accuſat Ligarium quòd in Africa contra Cæſarem fuerit: Id igitur improbat.* Traditurũ melius quàm redditurum legatur.] *Redditur enim quis ei, à quo prius datus fuit. Traditur autem ab eo, in cuius poteſtate eſt, ei in cuius poteſtate non eſt.* Cuius.] *Nam Cæſari expediuiſſet, ſi admiſſus Tubero Africã ei tradidiſſet.* Eius conſiliũ.] *Quod Africam à Senatu acceptã Cæſari prodiderit.* Patientiſſimas aures.] *Id eſt, attentiſſime & patientiſſime audientes. Vt Horatius in Epiſtol. Nemo adeo ferus eſt, ut nó miteſcere poſſit, Si modo culturæ patientem accõmodet aurem.* Quod nunquã cogitauit.] *Vt Africã tibi traderet.* Facturus fuiſſe uideatur.] *Si in eo diutius mea uerſetur oratio. Hoc autem ideo dicit, ut oſtendat Tuberonem in eadem culpa eſſe, qua Ligariũ accuſat.* Huic uictoriæ.] *Cæſaris.* Rex potẽtiſſimus.] *Iuba. de quo cũ Cæſar triũpharet, eius filius Iuba infans admodũ in triumpho ductus eſt, ſeruitutem nactus fortunatã, ſiquidẽ ex barbaro ac Numida inter doctiſſimos ſcriptores connumeratus eſt: ut ait Plutarchus in uita Cæſaris.* Pedem ponere.] *Maiorem inuidiã Tubero uoluit facere Ligario, quàm ſi dixiſſet, in prouinciã ingredi. Hoc autem uerbum, quod inuidioſum uoluit uideri Tubero, ideo repetit Cicero, ut rem eleuet. alioqui uerbis extenuandũ erat, quod aduerſarius amplificauerat. Quod enim ab aduerſario dictum eſt, id prius repeti quã refutari ſolet, ut intelligat iudex, qua de re dicamus.* Nempe ad eũ.] *Probat Tuberonem uoluiſſe obtinere Africam, pro Pompeio contra Cæſarem.* Ad eum.] *Pompeium.* Excluſi.] *Id eſt, non admiſſi.* Atque in hoc quidem, &c.] *Si uultis, inquit, mentiri, ut dicatis uos tradituros fuiſſe Africã Cæſari, inuitis Varo et alijs quibuſdã, ſi in eam admiſſi fuiſſetis, id cõcedam uobis: ſed tam pertinaciter conſtantiam ueſtrã retinetis, ut omnino confiteri nolitis id quod conſtantiæ ueſtræ contrariũ ſit. Conſtantiam Tuberonũ inde probat, quod iniuria affecti ab ijs qui pro Pompeio Africã tenerent, turpiter & cum crudelitate eiecti ad hoſtẽ non defecerint: ſed ad Pompeiũ uenerint, cuius animũ nihil de tanta iniuriæ querela cõmouerunt. Hoc autem dicere ſe ad Tuberonũ gloriã ſimulat: ſed ideo dicit, ut Ligarij quã Tuberonũ cauſam oſtendat leuiorẽ, ut pro Ligario Cæſaris clemẽtiã impetret facilius.* Prohibiti eſſetis.] *Tradere.* Conſtantiam dico, etc.] *Correctio eſt.* Quæ nequaquã fuerunt.] *Poria ſcilicet. His enim Varum Tubero ſuperabat. Hæc res Tuberonis animum permouere magis debebat, ut à Pompeio deficeret, ſed obſiſtebat cõſtantia.* Hoc certe præcipuum Tuberonis fuit.] *Quod in Varo non erat. Nam imperium occupauerat.* Ne iratus.] *Iuſta enim ira impulſi multi ad hoſtem deficiunt.* Ne iners.] *Id eſt, militiam fugitans, aut timidus.* Eius animum.] *Pompeij.* Languidiore credo, & cætera.]

In interrogatione cuius reſpódetur contrarium, Credo ponitur. Tantummodo in præſid.] Ne in acie pugnaretis. A' cauſa.] Scilicet Pompeij. Pacis equidem ſemper auctor fui.] Maiorem Tuberonis cupiditatẽ uincendi, ex ſe Cicero oſtendit, argumento à minore ad maius. Cum enim Cicero pacis auctor ſemper fuerit, is tamen uincere cupiebat quãto magis idem cupiebat Tubero, qui tam ſtudioſe Pópeij partes ſemper adiuuerit? Cicero priuatim cõſilij: diligentẽ operã dedit, partim ad Cæſarẽ ſcribendo, partim Pompeiũ obſecrando, ut utrũque pacaret. Sed irritatis utriuſque animis id fruſtra tẽtauit, ut ait Plut. in uita Ciceronis. Cic. in lib. Epiſt famil. 7. ſcribit ad M Marium, ſe ſemper auctorem pacis fuiſſe. Idem lib. 16. ad Tironẽ ſcribit, ut uenit ad urbẽ, ſe nõ deſtitiſſe omnia & ſentire et dicere et facere, quæ ad concordiã pertinerẽt. Nam mirus inuaſerat furor, nõ ſolũ improbos, ſed etiã hos qui boni habebãtur. Vbi tibi eſſet.] Quia Pópeij partes pro uiribus adiuueras. Vt nunc ſe res.] Victore Cæſare, qui tibi ignouit. Hanc tuam ſalutem.] A' Cæſare acceptam. Beneficij ſui.] Quod uobis ignouerit. Perſequamini.] In Ligario accuſando. De ueſtra in ea, & cætera.] Id eſt, quod perſeueraueritis in cauſa Pompeij uſque ad Cæſaris uictoriã. In quo ſi Ligariũ peccaſſe contra Remp. dicitis, uos quoque peccaſſe fateamini neceſſe eſt. Cum ignouerit ſuis inimi.] A' difficiliori argumentatur. Difficilius enim iraſci eſt inimicis alienis, quàm ſuis. Suis autem ignouit Cæſar. alienis itaque eũ facere iratũ difficillimũ eſt. Itaque uum tibi uideor, etc.] Concluſio eſt per commiſerationem. Extenuat autem Cicero ſuam in Ligario defendendo diligentiã, ut maiorem Cæſaris faciat clementiã, ad quam tota hæc Ligarij cauſa refertur. Occupatus eſſe.] Id eſt, laborare. Et quidẽ tecum.] C. Cæſar poſt accuſationem Dolabellæ repetundarũ principibus patronis annumeratus eſt. Negat Cicero de Claris orat. uidere ſe cui Cæſar debeat cedere: aitq; eum elegantem, ſplendidam, magnificam, ac generoſam rationem dicendi tenere. Auctor eſt Suetonius in uita Cæſaris. Apud Ciceronem plura legere licet. Auctore Plutarcho Cæſari elegantiſſima quædã ciuilis eloquentiæ uis à natura inſita fuit, in qua locũ ſecundum ſine cõtrouerſia conſecutus eſt, priorem minime conſecutus. Nam cum rei militaris urbanorumq; magiſtratuũ curam ſuſcepit, tum dicẽdi rationem omiſit. Idem cũ Cicerone Apollonium Molonẽ Rhodi audiuit. Honorum.] Id eſt, magiſtratuũ. Certe nunquã hoc modo, etc.] Hoc Ciceronis loco probat Quintil. lib. 7. deprecationem in iudicium nõ uenire: quam habere locũ dicit apud populum, apud principẽ, in Senatu, & ubicunque iuris clementia eſt. Ad iudices ſic agi ſolet ſcilicet: Ne hæc quidẽ colligo quæ ſequuntur ad Ligarij defenſionem, ſi dicas te iudicem eſſe de facto Ligarij. Hoc totũ pertinet ad maiorem clementiæ Cæſaris cõmendationem, qui Ligariũ in patriam reſtituerit: id non ob ullã facti defenſionem, ſed ob innatam ei clementiã fecerit. Legatus ante bellum profectus.] Simulat nolle ſe dicere pro Ligarij defenſione, quæ tamen dicit. Ad parentem.] Id eſt, ad te Cæſar parentem patriæ. Erraui, temere feci, &c.] Patronus litigatoris perſona ſæpe utitur. Id in mouẽdis affectibus uim habet multo maiorẽ, quàm ſi de eo loqueretur in perſona tertia. Quintil. lib. 6. de his quæ ad rei miſericordiã flectant iudices præcipiens: His, inquit, præcipue locis utiles ſunt proſopopœiæ, id eſt, fictæ alienarũ perſonarũ orationes, quales litigatorem decent uel patronum. Idem paulo poſt: Ex perſonis quoque trahitur affectus. non enim audire Iudex uidetur aliena mala deflentes, ſed ſenſum ac uocẽ auribus percipere miſerorũ, quorũ etiam mutus aſpectus lachrymas mouet. Quantoq; eſſent miſerabiliora, ſi ea dicerent ipſi: tanto ſunt quadam portione ad afficiendum potentiora, cum uelut ipſorum ore dicuntur, &c. Qui ſpem dediſti.] Ignoſcendo multis. An ſperandi Ligario.] Argumentum à difficiliori eſſe, Quintil. lib. 5. ſcribit. Difficilius enim uidetur, ut Cicero apud Cæſarem deprecandi locum pro altero habeat, quã ut ille alter ſperet. Quanquam neque in hac oratione.] Cæſaris ea eſt in amicos beneuolẽtia, ut eum quid amici precantur ab eo pro aliorũ ſalute, non tam ſpectet quid precentur, quã quæ precandi cauſa fuerit: hoc eſt, qua deuincti ſint neceſſitudine cum eo, cuius cauſa precentur. Hac enim ratione beneficium fore ſperat, ut iucundius habeatur, & gratius. Quòd igitur Cicero Cæſarẽ deprecetur, ut Ligario ignoſcat, quæ rogãdi cauſa, quã quæ preces ſint, potius Cæſar ſpectabit. Itaque ſpes cauſæ Ligarij in hac oratione poſita nõ eſt. ſed in cauſa cur Cicero aliiq; neceſſarij Cæſaris ipſum precẽtur. ut Ligario ignoſcat. In eorũ ſtud.] In Cæſarem ſcilicet, ne de ſtudijs in Ligarium intelligas. Laborarent.] Id eſt, ſolliciti eſſent, et te precarentur. Cauſas rogantiũ.] Pro aliorũ ſalute. Iuſtiſſimũ dolorem.] De calamitate eius, pro quo laborent. Gratũ facies.] Sic dicendum eſt, nõ ut quidã præcipiũt, gratam rẽ facies, quod à Latinis dici nõ arbitror. Quod ſoles.] Id eſt, rogantium cauſas. Sabinos.] Ligariũ genere Sabinum fuiſſe ſignificat. quod de ſalute eius Sabini uniuerſi laborarent. Totumq; agrum Sabinum.] Id eſt, omnes ex agro Sabino. Mæſtitiam.] Affectus mouet Cicero à Sabinorum mœſtitia & dolore, à T. Brocchi eiusq; filij lachrymis et ſquallore: à fratrum deſiderio, qui in exilio cum fratre, quàm in patria ſine fratre malint uiuere: ex his quæ cum Ligario patientur fratres, niſi reſtituatur: ex meritis, quæ in Cæſarem T. Ligarius quæſtor contulit. Squalloremq;.] Non reus tantum ſquallidus erat, ſed etiã eius neceſſarij, et qui eius cauſæ fauebant, præter patronum. ut Cicero in oratione Poſt reditũ ad Quirites dicit, pro ſe 20. hominum millia cum Senatu ueſtem mutaſſe, cum à P. Clodio reus factus eſt. Fraterne.] Id eſt ex officio fratrum, ut fratres facere decet. Fraterne amare, pro eo quod eſt, tanquã fratrem amare, dicit in lib. Epiſt ad Att. 1. Cura, inquit, ut ualeas, & nos ames, & tibi perſuadeas te à me fraterne amari. ut germaniſſimum, pro ſimillimo, idem dicit in lib. Academicarum quæſt. 4. Antiochus, inquit, qui appellabatur Academicus, erat quidẽ ſi perpauca mutauiſſet germaniſſimus Stoicis. Germanitas.] Id eſt, fraternitas. Moueat te.] Huiuſmodi uocum repetitio quantam uim afferat orationi, hoc exemplo cognoſci poteſt. Nos omnes aduerſarios.] Quod omnes eſſent aut pro nobis, aut cõtra nos, nullum autẽ eſſet tertium. Hinc L. Martiũ, C. Cæſetinum, &c.] Hunc locũ eſſe arbitror, ubi Cicero L. Curſidium, errore memoriæ aſcripſerat, quod Curſidius Ligariorũ pernceeſſarius fuerit: ſed cũ mortuus, cũ Ligarij cauſa ageretur. cuius rei Cicero à Bruto T. Ligarij uerbis admonitus, id nomen ex omnibus libris tollendũ poſtulauit: ut lib. ad Att. 13. ſcribit. Adſunt.] Id eſt, taciti patrocinantur à Ligario, quod ueſtẽ mutauerint. Iraſcebamur.] Nos qui Pópeiũ ſecuti eramus, quod nobiſcũ non eſſent. Ex his.] Qui Pompeiũ ſecuti ſunt, quidã non ſolum armatis, ſed interdũ etiã otioſis minabantur. nec quid quiſque ſenſiſſet, ſed ubi fuiſſet, cogitandum eſſe dicebant: ut ait Cicero pro M. Marcello. Requirebamus.] Id eſt, deſiderabamus. Hoc ueriſſimum.] Quod dixiſti, te putare tuos eſſe omnes, qui contra te nõ eſſent: cuiuſmodi Ligarius fuit. Omnes fratres tecum.] Credibile facit Cicero, Ligarium contra Cæſarem non fuiſſe. Tres enim fratres Ligarij erant concordiſſimi. Credendum non eſt, Q. Ligarium ſecutũ Pompeium, cum duo Cæſarem ſecuti fuerint. Si potuiſſet Romæ eſſe Ligarius, is in eadem cum fratribus ſententia fuiſſet. Tempeſtate abreptus.] Vnde ſumpta ſit trãslatio, ſatis patet. Abreptus.] Id eſt, ui tempeſtatis ſeparatus. Virgil. in 1. Aeneid. Tres notus abreptas in ſaxa latentia torquet. Conſilio.] Id eſt, non neceſſitate, ſed dedita opera. Quos ſal. eſſe uoluiſti.] Id eſt, quibus ignouiſti. Sed ierat ad bellum.] Ignoſcendũ Ligario dixit, quod ſtudio et uolũtate cũ

fratribus

fratribus Cæſarem ſecutus ſit. Quod ſi contra Cæſarẽ & fratrẽ arma cepiſſet, eum tamen fratrũ precibus condonari debere dicit, cum T. Ligarius quæſtor urbanus animo tã prompto fuerit erga Cæſarem, eiuſq; dignitatem. Id artificioſum eſt, ut cum aliquid refutauimus, id aliquando aduerſario cõdonemus, ut fiat quaſi gradus ad proxima, quæ potentiora ſunt. Quæſtor Vrbanus.] Quæſtorum alij Imperatores ad bellum proficiſcentes ſequebantur, quos filiorum loco Imperatores habebant, ut eſt in oratione Cic. Poſt reditũ in Senatu. Horum erat officium, ut rẽ pecuniariã adminiſtrarent, prædamq; è manibus in rationẽ referrent. Alij erant urbani, qui ærarium Romæ curabant, eiuſq; acceptas & expenſas pecunias in tabulas publicas referebant. Hi Imperatori ad Bellum proficiſcenti, ſigna ex ærario promebant. Plura de Quæſtoribus ſcripſit Budæus in annotationibus in Pandectas. Qui obliuiſci, etc.] Vrbanitas eſt honorifica, ut Marſus dicit: auctore Quintil. lib. 6. Maxima profecto laus eſt, & clementiæ & memoriæ. Quam prompta & expedita Cæſaris memoria fuerit, apud Plinium eſt lib. 7. Hoc eſt animi tui.] Id eſt, ita uis, ut nihil obliuiſcare, niſi iniurias. Animus enim eſt, quo uolumus. Ingenij tui.] Id eſt, ingenitæ tuæ naturæ. Spero enim te, te aliquid de huius.] Hic alterum Te ſupernacaneũ eſt. De huius Quæſtoris officio cogitantem.] Suadet à gratitudine, quod aliquid officij in Cæſarem T. Ligarius, alijq; Quæſtores contulerint: aut in ærario diripiendo, quod ſe moleſtos Cæſari non præbuerint, aut certe in re nummaria. Eius memoriam Cæſari reuocat, quem oblitum non eſſe ſimulat. Qui tum.] Cum talis fuit in Cæſarem. Neque enim hæc diuinabat de fratris calamitate, ut hanc repeteret à Cæſare gratiam. Leuius enim habetur beneficium, quod ſpe accipiendi alterius beneficij collocatur. Studioſum.] Tui ſcilicet. Huius.] T. Ligarij. Officio.] Beneficio. Virg. in lib. Aeneid. 1. Officio nec te certaſſe priorem Pœniteat. Cuius uoluntatem clariſſimã ſemper.] Cæſar enim uere popularis fuit: ut ait Cic. in Inuect. in Catil. 3. ideoq; Chariſſimã, potius quam clariſſimam puto legendũ: ut in oratione in Senatu habita Poſt reditũ: Parentes chariſſimos habere deberemus, quod ab his nobis uita, patrimoniũ, libertas, ciuitas tradita eſt. In oratione pro L. Cornelio Balbo: Eos qui principes fuerunt conſeruandæ ſalutis aut dignitatis meæ, diligitis, et charos habetis. Si ille dies.] Quo Marcellum reſtituiſti. Noli dubitare.] Nam ut in 1. de Offic. præcipit Cic. bene monent, qui uetant quidquam agendum, quod dubites æquum ſit an iniquũ. Aequitas enim ducet ipſa per ſe: dubitatio autem ſignificat cogitationem iniuriæ. Noli igitur dubitare id æquũ eſſe, tibiq; maxime glorioſum exiſtimes. Seruio auctore, illam Iunonis ad Aeolũ orationem enarrante: Aeole, namque tibi, &c. rhetoricum eſt, ut in omni petitione illa obſeruentur, ut poſſit præſtari quod petitur, ut ſit res iuſta, ut habeat modum petitio, ut ſequatur remuneratio. Quæ quatuor ſeruata ſunt in ea Virg. oratione. hic quoque neglecta non ſunt. Poteſt præſtare Cæſar, quod petitur, idq; iuſtum eſt. is enim Marcellum inimicum ſi ſupplicanti Senatui reſtituit, reſtituere poteſt Q. Ligariũ eius ſtudioſum, deprecantibus fratribus amicis Cæſaris & pop. Rom. Modus eſt, ut patriæ eum reſtituat. Remuneratio eſt, gloria maxima, quam ſibi hoc nomine Cæſar quæret. Tam pop.] Id eſt, quo tam facile influas in populi animos. Bonitas.] Id eſt, clementia & miſericordia, quæ iuſtitiæ ſpecies ſunt. Ex iuſtitia autẽ boni uiri nominantur, ut ait Cic. in lib. de Offic. 1. Ad deos.] Deos hominibus nocere non putant, ut idem ait lib. 2. Offic. quin potius plurimũ prodeſſe credidit Ethnicorum antiquitas. Inde à iuuando, Iouẽ appellauit. Fortuna tua.] Cuius beneficio uictor factus es. Natura tua.] Qui clemens es & miſericors. Tua certe natura breuiorem.] Magna eſt clementiæ Cæſaris amplificatio, quæ ita prompta eſt, ut oratione excitanda non ſit. Præſentibus.] Amplificatio beneficij: quod ſi in abſentem unum cõferatur, ad præſentes omnes peruenturum ſit.

# IN EANDEM PRO Q. LIGARIO ORATIONEM.

## BARTHOLOMAEI LATOMI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

A NTE bellum ciuile, quod fuit inter Pompeium & Cæſarem, Q. Ligarius cum C. Conſidio Coſ. legatus in Africã profectus fuerat. decedens inde Conſidius, illum prouinciæ præfecit. Ortum eſt mox bellum, inter Pompeiũ & Cæſarem. & P. Actius Varus miſſus cum imperio, ut Ligario ſuccederet, nõ ſtatim deceſſit ex prouincia Ligarius: ſed cum aliquandiu poſt aduentum Actij ibidem moratus eſſet, Q. Tuberonem forte cum patre illuc aduenientem, ut eam prouinciam traderet Cæſari, ab ingreſſu prohibuit. Qua de re accuſatus poſt finitum bellum apud Cæſarem, hac oratione à Cicerone defenſus eſt. Status eſt conceſſionis per deprecationem, cui defenſio adiungitur, partim ex qualitate abſoluta, Non eſſe crimen in Africa fuiſſe: partim ex coniectura uoluntatis Tuberonum, An fuerint prouinciam tradituri Cæſari. ſed ſtatus principalis eſt deprecationis, cui iſta ex abundanti adiunguntur.

NOuum crimen.] Incipit ab Ironia, ad eleuandam criminis delationem, & queritur auctoritate teſtimonij Panſæ, defendendi facultatem ſibi ereptam eſſe. locus totus Ironicus eſt, & pertinet ad remittendam attentionem Cæſaris. Facit mentionem Fab. lib. 4. Trapezuntius putat Ironiam non eſſe, ſed errat. Itaque quo me.] Irónica dubitatio. Sed quoniã diligentia.] Antitheſis. Habes igitur Tubero.] Conceſſio, nihil noctura. Itaque prius de ueſtro.] Clauſula epiphonematica. Q. igitur Ligar.] Narratio eſt. Domũ ſpectans.] Facit credibile quod dicit, & ſimul affectũ tangit. Adhuc C. Cæſar.] Mouet, & diſtinguit narrationem, ut intelligatur in quo ſit crimen. Nam igitur remanſio.] Breuis argumentatio. Tertium eſt tempus.] Profert tempus crimiuoſum, ſed cum defenſione. An ille.] Confirmatio à loco & tempore, admixto affectu. Nullum igitur.] Concludit narrationem, & genus defenſionis conſtituit, cum amplificatione clementiæ Cæſaris, ad quã ſumma defenſionis refertur. Amplificat à ſua perſona, & ab ipſa defenſione: quæ referuntur ad locum ſubiecti ſiue materiæ, collata ad clementiam Cæſaris. Vide quàm non reformidem.] παῤῥησία, qua explanat quod dixit. Eſt liberior oratio, quæ hic proxime ad adulationem accedit. nam & reſpicit ad utilitatem Ligarij (ut Fabius inquit) & magis uictoris clementiam laudare non poteſt. Quid ad me.] Fuerat tunc Cicero cum proconſulari imperio in Cilicia, & uicto Pompeio in Italiam redierat. miſit autem ad illum Cæſar ex Aegypto, uicto Pompeio, & fraude Ptolemæi regis interfecto. Vide quæſo.] Epiphonema, cum quadam inſultatione in aduerſariũ. Atque hæc propterea.] Ex maiori. Sed hoc quæro quis.] Loco præceden-

ri conſtituit defenſionem, per amplificationem clementiæ Cæſaris: cuius uis huc ſpectat, ut Cæſar pro ſua ſingulari clementia ſicut ignouit inimicis & hoſtibus, ita Ligario innocẽti ignoſcat. Nunc probationẽ exequitur, et primo oſtendit, in Africa fuiſſe, criminoſum non eſſe. Confirmat ex pari, aduerſarium inſimulando eiuſdem criminis, ſi ſit criminoſum, quem tamen Cæſar culpa liberarit: qui locus eſt ab exemplo, & uim iudicati obtinet. Status abſolutæ qualitatis: quia quod obijcitur, per ſe & ex natura ſua defenditur, nulla extranea re aſſumpta. Quid enim Tubero.] Explanatio dicti acris & uehementis, per interrogationem: in qua uide metaphoras. Pharſalica autem, à Pharſalo Theſſaliæ campo, in quo conflixerunt. Nimis urgeo.] Corrigit quod uehementius dixit in aduerſarium, & rurſus παῤῥησίᾳ mitigat, & mire probat cauſam utriuſque partis. Quorũ igitur impunitas.] Epiphonema, quo claudit hanc ſententiam. enthymema ex repugnantibus. Atque in hac cauſa.] Digreditur, & reprehendit actionem aduerſarij, eam inhumaná & crudelem demóſtrando. Digreſſio autem locũ præcedentem adiuuat, & conficit aliquid confirmationis. Hæc nó modo.] Extollit epiphonemate. Hoc egit ciuis Rom.] Amplificat à nouitate, quod ad locũ tẽporis refertur. Nam quid aliud agis.] Interpretatur uim actionis ex remotione, quod ad repugnãtia refertur. Non tu ergo hũc.] Claudit ſententiam, & amplificat exemplo contrario, ex maiori. Syllam autem dictatorem ſignificat, poſt uictos Marianos. Ergo uero iſtud non.] Occupatio, qua remouet malitiam, & imprudentiam arguit, ad uitandam offenſionem. Confirmat autem à perſona, familia, fama, ſtudio, &c. Quæ eſt igitur alia.] Repetit interpretationem actionis. An ne ignoſcatur.] Occupat quod dici poteſt, & grauius eſſe demonſtrat. Quod uos domi.] Confirmat contrario exemplo. Si cum hoc domi.] Illuſtrat proſopopœia. C. Cæſar.] Fingit uerba importune interpellantis. Dicam plane C. Cæſar.] Depellitur ui orationis ad laudem Cæſaris, & rurſus utitur παῤῥησίᾳ. Intelligo quid loquar.] Præciſio orationis, quæ grauiorem ſuſpicionem efficit. Quàm multi enim eſſent de uictoribus, &c.] Ex minori. Sed tamen aliud eſt errare Cæſarem, & cætera.] Altius attollit argumentationem. eiq; quod graue eſſe oſtendit, aliud ſupra ponit. quæ eſt amplificatio per comparationem. Tum diceres.] Tractat locũ proſopopœia. Hæc nec hominis, nec.] Epiphonemate extollit ſententiam, cũ laude Cæſaris. Ac primus aditus.] Reprehendit quod aduerſarius cauſam Ligarij ſcelus appellarit. Non dubito.] Alloquitur Cæſarem. Scelus tu illud.] Inuadit acrius aduerſarium, & amplificat contrarijs exemplis. Ac mihi quidem.] Sententia in utranque partem æquabilior. Liceat eſſe miſeros.] Mouet affectum à fortuna. & eſt ſchema permiſſionis. Quando hoc quidquam.] Exaggerat contrario exemplo Cæſaris. Mihi uero Cæſar.] Epiphonema. Seceſſionem tu illam.] Quid Cæſar de bello exiſtimauerit. & uide quomodo utramque partem culpa liberet. Principum dignitas.] Exponit rem. Nunc melior certe.] Antitheſis per exclamationem. Sed ut omittam.] Redit ad inſtitutum, & docet maiorem neceſſitatem Ligario in Africa manendi fuiſſe, quàm Tuberoni illuc ueniendi. & interim excuſat Tuberonem, probans quòd Senatui paruerit: quod & ipſum oſtendit in Ligario. Eſt locus defenſionis ex neceſſario, quod Ligarius ex Africa exire nó potuerit. & tractatur per aduerſarij inſimulationem, ſicut locus præcedens. Reprehendo igitur?] Occupatio, qua ita excuſat Tuberonem, ut à culpando Ligario remoueat. Neque enim liquit.] Ratio. Hæc ego noui. Cõfirmat ſuo teſtimonio, quod ex conſuetudine cum Tuberonibus credibile facit. Scio igitur.] Concludit, & cauſam profectionis repetit. Ampliſ. uiri.] Opinor Catonis Vticenſis, qui hoc ipſo bello periit. Hinc in Ligarium.] Concludit totum hunc locum, & cauſam profectionis repetit. Nam ſi crimen eſt.] Aetiologia ad defenſionem, ex pari. Sed quoquo modo.] Negat Tuberones ſi recepti fuiſſent, Africam tradituros fuiſſe Cæſari. Et eſt ſecunda pars defenſionis, quæ tractatur per Coniecturá. Primus locus uoluntatis eſt, ab honeſto. Vide quid licentiæ Cæſar.] Vtitur rurſus παῤῥησίᾳ, ad laudem clementiæ & ſapientiæ Cæſaris. Nam enim ſi tibi.] Aetiologia. Sed iam hoc totum.] Locũ hunc abrumpit, ne offendat Cæſarem. Veniebatis igitur, &c.] Tranſit ad aliud argumentum à ſigno ex conſequentibus, quod repulſus Tubero ad Pompeium ſe cótulerit. Rex potentiſſimus.] Rex Mauritaniæ Iuba, qui uicto Pompeio cum Catone & Scipione periit in Africa, morte ſua manu ſibi illata. Quanquá quid facturi.] Correctione uitat offenſionem. Quod ſi Cæſaris cauſa.] Enthymema ex repugnantibus. Atque in hoc quidem.] Conceſſio ironica, & mox reprehenſio, cui ſubiungitur amplificatio loci præcedentis, ex conſtantia Tuberonis, quod repulſus ad Pompeium tamen profectus ſit. Color orationis laudantis eſt uerius, quàm arguentis ad excludendam offenſionem. Sed uide quæſo.] Subiungit amplificationem à ſigno. Conſtantiam dico.] Correctio. Magni cuiuſdam animi.] Locus communis per exclamationem. Vt enim cætera.] Auget à perſona. Non ad Cæſarem.] Diſtributio. Quid? cum iſta res.] Aliud ſignum ex uincendi ſtudio. quem locum mire temperat ſuo & cæterorum exemplo, ne offenſum reddere Cæſarem uelle uideatur. Eſt tertium argumentum per coniecturá: Particula Quid, uehementiam adfert. Languidiore credo.] Ironia. An, ut ſit in ciuilibus.] Antitheſis. Nunc quæro, utrum ueſtras.] Colligit rem complexione, et concludit. Itaque num tibi uideor.] Concludit, & tranſit ad deprecationem. Cauſas Cæſar egi.] Deprecatio, in quá ingreditur renouata ſumma defenſionis. Ignoſcite iudices.] Verba ſunt deprecantium apud iudices. Si nemo impetrauit.] Ab exemplo. An ſperandi Ligario.] Αἰτιολογία ex maiori. Quanquam neque.] Correctio, qua ad potiora ſe transfert. Vidi enim & cognoui.] À cauſa rogantium, quá ex Cæſaris dicto amplificat. In Q. Ligario.] Accommodat quod dixit de cauſis rogantium ad Ligarium, & ex perſonis amplificat. habet autem uim aſſumptionis, reſpectu præcedentis loci. Quod uis exilium.] Ἐπιφώνημα. Si fraterne, ſi pie.] Concludit & confirmat dicto Cæſaris de aduerſarijs, adhuc ardente bello. Germanitas porrò, coniunctio ſanguinis fraterni, quaſi ex eodem germine, &c. Quod ſi penitus.] À concordia Ligarianorum, & Q. Ligarij uoluntate, ſi exorto bello in Italia fuiſſet. Voluntate igitur omnes.] Concludit. Eſſet eorũ ſimilis.] Ex minori. Sed iuris ad bellum.] Conceſſio ex fiducia cauſæ, & profert merita T. Ligarij. Hi te orant.] Ex abundanti. Equidem cum tuis.] Profert ſuum teſtimonium de meritis T. Ligarij. Sed parum eſt.] Correctio. His igitur T. Ligarius.] Concludit ex meritis T. Ligarij. Fac igitur quod.] Ab exemplo Marcelli reſtituti. Nihil eſt enim tam.] Aetiologia, per locum communem. Homines enim ad deos.] Singularis amplificatio. Nihil habes nec fortuna.] Ἐπιφώνημα. Longiorem orationem.] Abrumpit actionem et concludit. Tantum teipſum admonebo, ſi.] In fine huius orationis omnium potentiſſimum ponit, ut Cæſari ueluti aculeum relinquit.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO Q. LIGARIO GEORGII TRAPEZVNTII AD VICTORIVM FELTRENSEM COMMENTARIVS.

## ARGVMENTVM.

A VINTVS Ligarius cum eſſet adhuc nulla belli ciuilis ſuſpicio, Legatus in Africam profectus, à Conſidio conſule inde decedente, propter uirtutem ſuam prouinciæ inuitus præficitur. interim bellum exarſit: quod cum in Africa eſſet auditum, quærebant aliquem ducem bello qui ibi erant. Cum Ligarius domum aſpectans, atque ad ſuos properaus, nullo ſe implicari negotio paſſus eſt. P. dehinc Actius Varus prætor interuenit, qui cupiditate arripuit imperium. itaque Ligarius, qui omne tale negotiũ cuperet effugere, eius aduentu acquieuit. Interea Tubero à Senatu in prouinciam miſſus, & à Ligario prohibitus accedere, in Theſſaliam ad Pompeium rediјt. Et poſt bella ciuilia, ad Ceſarem, qui tunc Remp. tenebat, Ligarium accuſat, commotus, quòd nonnullos de ipſo deprecari ſenſiſſet. Defendit Cicero. Genus iudiciale eſt. Status qui ſint, apertius patebit, ſi, quoniam figura orationi ineſt, de ductu eius prius dicamus. Nam quoniam figuratus eſt ductus, niſi figuram intelligamus, fruſtra ſtatũ quærimus, qui ex figuræ qualitate conſurgit. Ad hæc duplex ductus uno ſtatu agi non poteſt: hic uero duplex eſt, rectus, & per diſſimulationem ſubiectionis. placet enim diſſimulationem, quæ propter figuram ſuſcipitur, figuram appellare. Rectum appellamus ductum ſimplicem, cum id agimus, quod uolumus, abſque ſimulatione: per ſubiectionem uero ductum figuratum dicimus, cum ex eo quod dicitur, quod uolumus ſubapparet, & tamen eius cauſa dicere non uidemur. quem Tuberoni in illa oratione adhibitum, nemo unquam, qui quo modo hic agat Cicero recte intelligit, dubitabit. nam & ſi plerunque alterius aduerſariorum orationem non habeamus, ab altera tamen, ſi non ſumus neſcij quibus rebus in unaquaque cauſa tam accuſatio quàm defenſio peragitur, id ſubintelligere poſſumus. Verum hæc cauſa nec potuiſſet quidem agi, ſi quod multi putant, In Africa fuiſſe Ligarium tantummodo accuſator intendiſſet. Quòd ſi aduerſus Cæſarem addas, quamuis aliquid afferre uidearis, non tamen omnino uulneraſti: quoniam omnes ferè Pompeianos, etiam illos principes gerendi belli, ſaluos Cæſar uoluit: & Ligarium ſeruare uoluiſſet, cuius duo fratres Cæſarem ſequebantur. & quod maximum eſt, Tuberoni cauſa non conſiſtit. Aequale nanque ſit, & æquale atrox nimium atque uehemens in Tuberonem. Neque uero credendum eſt, aut Tuberones ſic amantes fuiſſe, ac omnium rerum inexpertos, ut tanquã infantes ſine cauſa orarent. Nec ſi ibi feciſſent, Cæſar eos audire potuiſſet, cui tamẽ Tuberones perſuaſiſſe fertur, adeo ut Ligarius defendi poſſe non uideretur: Ciceronem tamen uoluiſſe audire, quoniam magno temporum interuallo tantam orationem non audiuit. Quare patet, non recte totam cauſam egiſſe Tuberonem, ſed recto ductui figuratum ſubieciſſe. Verum quoniam, ut in quarto nobis dictũ eſt, quinque ſunt ductus, rectus, ſimulatus, contrarius, obliquus, & per ſubiectionẽ: breuiter hic tangendum cenſeo, unde ipſos uenamur. Accuſatoris igitur ductum ex intentione cognoſces. nam ſi recte quod intendit, id ſolum agit, ſimplex eſt. Rectus quidem, ſi quod agit, ita uelit, ut nihil alterius exoptet. Simulatus, ſi quidquã etiam aliud uelit, quod aperire non iuuat. Cõtrarius oppoſitam intentionem habet ei quod uolumus. Et ſi ad contrariũ aliquid affertur, quod uoluntatem noſtram non denudet, ſed ei conueniat, & intentionem infringat, obliquus appellatur. Per ſubiectionem uero ductus tunc fit, cum aut parum tutũ eſt, aut turpe, aperte intendere. Quare neceſſe eſt, quoniam nulla cõſiſtit cauſa, niſi quod intenditur ab accuſatore expreſſius quàm figura patitur, proponatur: inuenire aliquid, quod tuto ac honeſte intendi poſſit, cui quod uere intendimus ſubijciatur. At accuſatoris quidẽ ductus ſic ab ipſa intentione diuidatur. Defenſoris uero à depulſione ſi rectus eſt: ſin minus, à ratione depulſionis emergit. Verum huius rationis ductus accuſatoris ductum ſecutus eſt: quod non ſemper neceſſe eſt. plerũque enim defenſor non eodem modo dicit, quo accuſator egit. Quoniam ergo Ciceronem accuſatoris ductum per diſſimulationem ſequi, eumq; duplicem fuiſſe opinamur, ut quo modo agat hic Cicero facilius habeatur, accuſatoris intentiones ponamus: quas tot eſſe numero neceſſe eſt, quot ſunt quæſtiones uel ductus. Nam intentionum numerus, non ſtatum, ſed quæſtionum ac ductuum numerum ſequitur. Simulata ergo intentio Tuberonis in recto ductu, ut à defenſoris oratione poſſumus elicere, hæc fuit, In Africa Cæſar aduerſus te Ligarius fuit. quæ (ut diximus) & apud Cæſarem parum firma intentio, & ipſi Tuberoni conſiſtere non poterat, qui uel in eodem, uel in maiore fuiſſet crimine. Vera in figura per ſubiectionem hæc, Repulit nos tradituros tibi Africam ex ea prouincia Ligarius, Cæſar. Hac igitur cauſa fratri Tuberones, accuſabant apud eum qui ſi eorum beneficio Africam habuiſſet, multo citius atque facilius abſque ullo diſcrimine uictoriam conſecutus fuiſſet. Verum quoniam id agi aperte non poterat, opus erat auditori, eam rem fortaſſis iampridem tenenti ſubijcere. Hæc cũ ita ſe habeant, ut omnibus qui artis rhetoricæ principia teneant, uel luce clarius ex oratione patebit, ſtatus in recto ductu, conceſſio eſt per deprecationem, ut ignoſcatur. ad imperatorem enim dicitur cauſa, ubi per deprecationem conſiſtere nullus ambigit. Recriminatione quoque nititur, leuiter quidẽ ad id quod eſt, In Africa fuit: acerrime ad id quod eſt, Aduerſus. Quare recto intentioni hæc duo, conceſſionẽ per deprecationem & miſericordiam Cæſaris, & recriminationẽ opponit. In figura hanc fuiſſe accuſatoris intentionem diximus: Repulit nos tradituros tibi Africam ex ea prouincia Ligarius, Cæſar. quam coniectura oppugnat, non ad id quod eſt Repulit, ſed ad id quod eſt Tradituros. ut enim ad unicam intentionem accuſatoris una pluresq; poſſunt afferri depulſiones, quibus ſtatus origine principales oriuntur, ut in primo Rhetoricorũ, & quarto, cum de diſpoſitione ageremus, docuimus: ſic, ut hac oratione percipi poteſt, duas pluresue depulſiones non toti, ſed diuerſis intentionis partibus opponere poſſumus. quod tũc prius dupliciter principalem dici ſtatum monuerimus. Principalis igitur ſtatus, ut cum de diſpoſitione loqueremur explanatũ eſt, aut origine, aut uiribus dicitur. Origine principalis eſt, qui ſtatim è prima depulſione naſcitur. Viribus principalis eſt, quo tota, uel ex maiore parte agitur cauſa hoc modo: Occidiſti Cæſarẽ Brute. Occidi, ſed iure. Iuridicialis eſt origine principalis: Tyrannus enim fuit, non fuit. Coniecturalis, uiribus actionis principalis. In hac igitur cauſa deprecatio tam origine, quàm uiribus principalior eſt. nam coniectura, & ſi natura ſui non conceſſionem ſolum, uerum omnes ſtatus excepta tranſlatione præcedat, tamen quidquid ex figura naſcitur, recto infirmius eſt: cum niſi figura ſolum non ſit, recto ſuſtentetur. Poſt deprecationem recriminatio ſecunda eſt. nam coniectura quoniam è figura erumpit, poſtrema ſit neceſſe eſt. Colligamus igitur hæc tria ordine, quo fortaſſis tunc conſiderata fuerunt. Quatuor ſunt, ut primo diximus: Intentio, depulſio, ratio, firmamentum: quibus & ſtatus, & diſpoſitio ſtatuum,

& iudicatio tã principalis quàm ſecundaria inueniri ſolet. quæ niſi pro ea facultate excogitauerimus, quæ uobis oratione defenſoris affertur, radicibus ac truncis, qui totam cauſam ſuſtinent, non perceptis, ramos tanquam inſani quæramus. Fuit in Africa Ligarius Cæſar aduerſus te · fuit, petit ueniam. Conceſſio per deprecationem. Ratio huius depulſionis: dignus eſt cui Cæſar ignoſcas, is qui cum fratribus fuiſſet, ſi ei licuiſſet ex Africa diſcedere: præſertim cum his uiris truculentis ignoueris, qui te multo magis inſecuti ſunt. Hæc ratio. & deprecationem continet: Fratres eius tecũ fuerunt. et recriminationem affert, & purgationem de animo Ligarij, per coniecturam. Accuſationis firmamentum: Indignus, qui nos repulit, tradituros tibi Africam. quod quoniam Tuberonibus turpe erat, per ſubiectionem agebatur, tradituros negat capitales hoſtes Cæſaris. ita recriminatio locum habet, & de animo coniectura & figura erumpit, Eraně ne traditurí? In quibus omnibus illa principalis iudicatio eſt, quæ ex principaliori ſtatu emergit: Cum tibi tradituri Africam non fuerint Tuberones, qui te multo magis quàm Ligarius inſecuti ſunt, ſit'ne dignus uenia Ligarius, qui eos ex Africa repulit, & aduerſus te ibi fuerit: cum, ſi inde effugere potuiſſet, unà cum fratribus te ſecutus fuiſſet? Hæc iudicatio in hac oratione eſt: quæ cum perplexa multis ſit, per omnes partes ſuas diligenter agitur. In peroratione principalius ſolũ concluditur, ut Ligario ignoſcatur. Illud apprime tenendum cenſeo, ſingulorum ſtatuum iudicationes utriuſque aduerſariorũ conſideratione, tam in ſimplicibus, quàm in coniunctis cauſis eaſdem ſemper eſſe: compoſitas uero diuerſas. Quæ ſit unius ſtatus iudicatio, planum eſt, & expoſitione non eget: ea ſimplex appellatur. Compoſita uero eſt, quæ ex multorum ſtatuum iudicationibus componitur. hæc in principali ſtatu fundatur, & alia iudicatione integra ex una parte impellit auditorẽ, ut contra quàm putauerat, confiteri defenſorem, & multum mira confidere credat. Tria igitur ut diximus eſſe genera, honeſtum, turpe, admirabile, primum deprecationi, ultimum (quod hic ab honeſto non ſeparamus) recriminationi, turpe at admirabile ſimul coniecturæ conueniunt. nam admirabile, tam hoc quod inauditum ſit ac nouum id accuſare quod ſecutus ſis: quàm hoc quod latebat, reſpicere poteſt. Quare ut coniecturam reſpicit exordium, inſinuatio eſt; ut deprecationem & recriminationem, principium.

QVVM crimen C. Cæſar, &c.] Inſinuatur, ſi ad coniecturã referas: cõfiteri enim uidetur auditori, quod negat. ſin ad reliqua, principium eſt. Beneuolẽtia è perſona cõfitentis trahitur. Confeſſio, Q. Ligarium in Africa fuiſſe: quoniã in particula intẽtionis ſit, additur: Idq; C. Panſa præſtanti uir ingenio, etc.] Fretus ait familiaritate, & Auſus eſt, ut oſtendat rem paruã non eſſe, ſed eius naturæ, ſicq; occultam, ut nec audere cõfiteri, nec fortaſſis intelligere poſſit, niſi qui ſit præſtanti ut Panſa ingenio, & familiaris iudici. fortaſſe Fretus adiunxit, ne quare totã rem confirmaret Panſa ſcire uideretur. ita & Panſa cõmendatur, & fides ei occultius detrahitur. quẽ enim amamus, eius incõmodis ita mouemur, ut & parua magna, & quæ incõmoda non ſunt, periculoſa plerunque exiſtimemus. Ad hæc teſti iure non debet fidei attribui, qui ei amicus ſit, in quẽ iniuria collata eſt: aliter accuſatoris propinqui in reum admitterentur. ita id ſe inſinuat, ut et fidem detrahat (quod ad coniecturam peruttile eſt) & familiarem Cæſaris cõmendet. nec quæ ſequuntur, quibus quod latebat confitentur, illi dat: tum quoniam breuiſſime tangitur, & uere dicebatur: tum quoniam ita dicitur, ut prudens auditor id potius ſubintelligere quàm dicere orator uideatur. Itaque quò me uertã neſcio.] Mirabilis eſt hæc quò ſe uertat dubitatio, & confeſſionẽ ſimpliciter atque integre fieri ſuggerit, et præmeditationis ſuſpicionẽ tollit. Quare neſcio ſi quid melius, in difficilibus præſertim cauſis inueniri poteſt. nec enim non præmeditati bene ac copioſe agimus, niſi cauſa præclare iuuemur. quod ut efficacius ſit, infert. Paratus enim ueneram, ut ignoratione tua ad hominis miſeri, &c.] Quod ad illud potiſſimum criminationis fertur. Placet enim mihi, uel ad cauſam uniuerſam, uel ad principales partes ſuas, earumq; nonnunquam particulas ſingulas, quæ in exordio ſunt ſemper accommodare (niſi cum quæ obſtant diluimus) & ad recriminationem, in quam & illud fertur: Si honeſto & miſericordi mendacio ciui calamitoſo prodeſſe uellemus, tamẽ hominis non eſſet, in tanto diſcrimine & periculo eius refellere. A facto ſuo igitur auditorem conciliat, quod miſeris ſuccurreat ciuibus & occultis: ab aduerſarij facto, quòd contra calamitoſos. Inſequitur: Confitendum eſt, ut opinor.] Crebro ad confeſſionem redit, neque tã cito ab ea receſſit, ut iure poſſit inferre: Omiſſaq; controuerſia, &c.] Quæ res eos cæcos eſſe demonſtrat, qui ironiam eam confeſſionem putant, quæ ad iudicis refugit miſericordiam. Qui plurimi ſunt conſeruati.] A facto ipſius Cæſaris acquiritur beneuolentia. Cũ à te non ſolum liberationem culpæ, ſed errati ueniam impetraſſent.] Confiteris ergo Cicero culpam? at ea nõ parua erat. quippe quæ Cæſarem impulit. quid dicis? errati'ne ueniam petis? an derides? errati ueniam, inquit: intelligo hanc ipſam culpam. ergo nouũ & inauditum crimen in ipſo ingreſſu dicebas, ut cũ integre te te confiteri, atque ſimpliciter Cæſar diceret, placaretur magis, et attentior cætera audiret. et quod figuratũ erat accuſatori, cum abs te negaretur, eum non turbet, qui confeſſionem non uerbis tuis acceptam, ſed inde à ſe elicitam integram expreſſamq; credidit, quam tu nõ expreſſiſti. Habes igitur Tubero (quod eſt accuſatori maxime optandum) confitentem reum: ſed tamen hoc ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te, qua uirum omni laude dignum patrem tuũ.] Confitetur, & recriminatur: tum uero ab accuſatore eiuſdem criminis reo beneuolentiã contrahit. magno enim odio in eum incitamur, qui quod ipſe fecerit, id in alijs reprehendit. Patrem quoque addit, ut maioris eũ arguat criminis. Omni laude dignum inquit, ne quoniam recriminatur Pom. ſecutos contumelia uideatur afficere. Id uero & Ligario opitulatur, & Pompeianorum excuſationi conuenit, quam ibi tangit: At mihi quidem ſi proprium & uerũ nomen mali noſtri quæritur, fatalis quædam calamitas incidiſſe uidetur, ea parte inquit, Pompeianorum ſcilicet: ut illico ab exordio ſubijciat Cæſari, non fuiſſe illos tradituros ſibi Africam, qui poſtea ipſum totis uiribus inſecuti ſunt. opus enim erat prius ſic confiteri, ut auditor hac cauſa fieret attentior, quod totam rem etiam quam ipſe ſubijcientibus aduerſarijs eliciebat, quãuis clare concedi non uideret, crederet tamen, cum ad id crebro ipſius defenſoris uerba penè deuenirent: deinde ſic mitigato animo eius, & erecto, ad expectationem reliquorum propter confeſſionis uim, quam non integre dici ſentiebat, & tamen integram poterat ſuſpicari, accuſatoris factum ſubijcere: ut Cæſar etiam poſtquam repulſi ex Africa fuerint à Ligario, inimiciſſimos ſibi fuiſſe Tuberones meminerit, & ſic parum fidei uel figuris eorum, uel pollicitationibus, ſi quæ inter eos latebant, attribuat. Diuine igitur perſuaſum animum cito medium efficit, & rerum ac perſonarum ſuſpicionibus implicuit, ut non attentior ſolum eſſet, ſed auderet audire, ut quid de ea re ſentiendum eſſet, rectius poſſet dijudicare. Hæc pars exordij illic redditur, Quid enim Tubero tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Hæc de diſpoſitione inuentioneq; huius principij ſufficiant, in quo (ut diximus) etiam inſinuationis occultius latent uires, quod breuiſſimum à breuiſſima oratione tractũ eſt. Nunc de elocutione dicamus: quam & ſi ſeorſum ponere potuiſſemus, tamen ut ipſa quoque uarietate oblectemus, per ſingulas partes coniunctim de ea re tractare uolumus.

## DE ELOCVTIONE EXORDII.

Elocutio maior pars rhetoricæ eſt, quàm hi putãt, qui omnes eius uires in exornationibus locãt: cuius uim præter Homerũ et Virgilium in Carmine, Demoſthenem & Ciceronem in ſoluta oratione, nemo dicendo expreſſiſſe mihi uidetur. Longo nãque omnes adeo abſunt, ut iſtos uiros, cæteros pueros, aut hos oratores, cæteros aliud quidnis merito exiſtimes. Quare nunc ſentio, imo iãpridem ſciebam, ac ideo recuſabam, quantum onus mihi Victorine impoſueris, qui ſummi oratoris mirabilem uim exponere me impuleris. Cæterum, quoniam ſemel recepi rem, pro uiribus proſequar. Elocutionis genus cum forenſe ſit, iudiciale eſt: & quoniã defendit Cicero, defenſorium eſt: quãuis ubi recriminatur, accuſatorium ſit. Duplex ergo dicendi genus eſt, accuſatorium & defenſorium: alterum ab altero ſeparatum. in diuerſis enim orationis particulis, non coniunctim, accuſat & defendit, id eſt, defenſorio et accuſatorio genere utitur. quibus de formis dicendi, quoniam quæ in genere dici poſſunt, in quinto Rhetoricorum dicta ſunt: nunc ne longiores ſimus, prætermittantur. Illud planè ſciendum, opuſculum hoc nec abſque Rhetoricis noſtris intelligi recte poſſe: & nihil ferè hic præcipi, quod ibi explicatum non ſit. quod accidit, quia in Rhetoricis rem ipſam in ſuo genere: hic non quæ in genere fieri debent, ſed quæ in hac cauſa facta ſunt, conſiderauimus. Deprecationis confeſſionisq; genus purum ac ſimplicius adhibet, in recriminatione acer eſt & uehemens: aſper quoque adeo, ut nullibi ferè acrior uehementiorq; eſſe uideatur. Coniecturam quoque accuſatorio genere agit. ea enim huius coniecturæ natura eſt, ut qui neget, is accuſet. quod ei quoque cauſæ accidit, quam pro Archia dixit.

## DE GENERE EXORDII.

His de tota oratione dictis, nunc de genere exordij agẽdum uidetur. Cum exordio circunductio maxime conueniat, natura ipſius cauſæ factum eſt, ne circunducat. nihil enim circũductione à confeſſione alienius: quæ nunquam ſimpliciter efferri, ſed multa ſecum contrahere, ac aliud alij connectere ſolet. quare ſi repugnat circunductio confeſſioni, purus ſermo (quem claritatis partem in quinto eſſe diximus, qui circũductioni opponitur) deprecationis exordium occupabit. itaque ſententijs, methodo, ſchematis, uerbis, numero, purus ſermo eſt. recta enim omnia per explanationem, id eſt, expoſitionem (hoc enim nomine, cũ ſeiuncta eſt à circunducentibus oratio, in rhetoricis nobis appellata eſt:) per explanationem inquã dicta ſunt, præter illud breuiter uarietatis cauſa circunductum: Sed quoniam diligentia inimici.] Membrorum longiore ambitu (comma enim præter illud, Itaque quò me uertã neſcio, quod dubitationis natura flagitat nullum inuenies:) longis inquam membris ac clauſula ſplendoris genus exequitur. dactilis enim, epitritisq;, atque diſpondeis plerunque utitur: ut eſt, Tubero detulit, confiteri, per te ſcire, tam neſcio crimẽ culpæ, impetraſſent, prehendatis. Quod cũ ita ſit, numerum tamen, qui locatione ac clauſula conficitur, ſermonis eſſe magis putamus. nam & clauſulæ nonnullæ ſermonis ſunt. quaſcunque enim clauſulas dignitatem ac ſplendorem efficere non uides, eas omnes ſermoni conuenire exiſtima. quare di trochæus, dijambus, choriambus, anapæſtus, tribrachus, ionicus, à minore, maxime à cõmuniore orationis genere non ſunt alieni. tales uero ſunt, ea fuiſſe, & fuiſſe neceſſe eſt. trochæo enim & iambo conſtat, qui eius generis proprij ſunt. Præterea ditrochæus quanquam orationem ualde efferat, tamen quoniã u & e breues uocales nihil dignitatis habẽt, ut hic humilis, ita ibi gratiſſimus eſt, quod latebat. Ad hæc membrorum principia, etſi minus quàm clauſula, maximam tamen poſt eam ad rapiendum ad ſe numerum poſſident, & cuncta ferè humilium ſunt pedum. uã & à iambo ſtatim incepit: & idq; iãbus eſt, itaque tribrachus. Sed quoniam coriambus, Omiſſaq; diambus: Habes igitur, iambus cum anapæſto. quare fit, ut ex illuſtri oratione ac puro ſermone duobus his dicendi generibus ita in unum confuſis, ut parum ſplendoris inſit, multum ſermonis, huius exordij genus compoſitum ſit. ſermone opus erat propter confeſſionem, ſplendore propter auctoritatem Ciceronis: & ne confeſſio in genus admodum tenue orationem deduceret, conuerſione in aduerſarium propter recriminationem acri ſchemate utitur. Habes igitur Tubero.] Vnde uides & inuentionem è uiſceribus cauſæ tractam eſſe, et genus exordij à toto orationis genere non abhorrere. Sed de exordio ſatis. nec enim omnia dicere poſſumus: & quæ dicta ſunt, ſufficere arbitramur. Illud mirũ eſt, quod multis ac difficilibus cauſis accommodatum exordium, & ut rerum maxime uariũ, tam orationis compoſitione, q̃ rebus ipſis ſic ſimpliciſſimum reddit, ut multi & docti uiri, q profunditatẽ eius inſpicere nequiuerint, in aduerſariũ ab ipſo illudi putauerint.

## DE ELOCVTIONE NARRATIONIS.

Narrationis uero elocutio purum ſermonẽ mirifice retinet. Res communis, oratio ſimplex atque ſummiſſa eſt, adeo ut ordinatio, & partitio. quæ elegãtiæ maxime ſunt, & cum his redditio, non ad effugiendam confeſſionem, ſed ad demittendam orationem adhibeantur: membra breuiſſima, imo commata, quæ Latine cæſa poſſunt dici, penè omnia recte cuncta offeruntur. Circũductio uel nulla, uel minima: & quæ eſt rectitudine ſubiecta, breuitate etiam frangitur. uerba uſitatiſſima, numero ſolũ ſermonis & dignitatis ita utitur, ut hac re narratio his duobus generibus conſtare uideatur. Quãuis repetitionibus quoq; utatur, quod ſchema illuſtrem reddit orationem: ſicut & rectitudini breuiter circunducentia ſubijcere. quod ita factum arbitramur, ne nimia tenuitate in cõtemnendum atque ignauum genus ſermo excideret: utq; dignitate atque ſplendore aliquo elegantis orationis pars, nõ uſitatiſſimus ſermo extimari poſſit. His rationibus ſibi dilucida facta narratio eſt: præſertim cũ ſit & breuiſſima. quam ut & uериſimilem eſſe uideas, per partes exequamur. Memoria tamen tenendum arbitror, quod in primo Rhetoricorum explanauimus, uеriſimilem narrationem à circunſtantijs fieri. Quintus igitur Ligarius.] Recte incoepit: & rectitudini ſubcontinuationem breuem adiunxit, quod ſplendoris eſt. Cum eſſet adhuc nulla.] Breuis rurſum eſt, ne rectitudinis uim frangat, & grandis oratio fiat à circunductione, quæ res à ſimplici narratione alieniſſima eſt. à tempore autem ad nullam uim profectum oſtendit Ligarium, qui ante bella ciuilia Africam petierit, quod uеriſimilem facit narrationem. Et ciuibus, & ſocijs ita ſe probauit, ut decedens.] Partitio hic, & redditio, non circunducunt ſingula, nec elegantiæ cauſa adhibentur. nec enim à ſermone recedunt, quoniam breuiſſime ſunt, ac ferè per ſingula uerba cadunt: uelocitatem potius faciunt, quæ huic parti congruit, ut uelocius exprimat, quare coactus eſt remanere in Africa Ligarius. quod à probitate ipſius trahitur: ita & res agitur, & Ligarius commendatur mirifice. tamen breuitate ſchematum grandem orationem effugit, & crebritate plene imaginem conſequitur. Ad partitionem enim duplex redditio apponitur, quæ res pleniſſimã faceret orationem, ſi longius ſchemata protenderentur: ita uelocitatis ſpecie, ac plenitudinis imagine, hæc ſe extollit oratio. Cui ſic præfui.] Redditioni coniuncta partitio. Commendatur rurſus à factis Ligarius. plurimum enim ad deprecationem facit uirtus eius pro quo deprecamur, maxime ſi quid dicitur inuitus feciſſe. Bellum ſubito exarſit.] Separatio eſt, proprium ſplendoris ſchema: quod tamen non nimis extollit, partim quoniam unicum (ſũe namque ſeparationis fulgor apparet,

quando quod ſequitur, ſimiliter ſeparatur: ) partim quoniam commate abſolutum eſt. Subite addit, ut nulla ratione futurum bellū Ligarius uideretur potuiſſe ſuſpicari. Exarſit. ] Trāſlatio eſt commodiſſima, quæ cum ſubitam ex igne flammā erupiſſe ante oculos ponat, ardoris etiā ac magnitudinis plena eſt, & propter rem è qua uerbum trahitur, & propter aſperam nimium ſyllabarum locationem. Huius cæſi numerus, etiam aſperitatis eſt. conſtat enim ſpondæo, bacchio, & palimbacchio. Quòd qui erant in Africa. ] Ab eo q ante audiſſent geri bellum, quàm parari, ueriſimile fit, quòd ſubito exarſerit. Quo audito, partim. ] Oſtendit Ligariū in maximo motu omniū nullo ſe implicari negotio paſſum. id ueriſimile facit affectu ipſius, quoniam domū ſpectabat, & ad ſuos redire cupiebat. Hic illud non omittā, ueriſimilem narrationem fieri rationibus, quæ à circunſtantijs fluunt. rationes tamen ita exponi, ut rationes eſſe non uideantur: ita enim tanguntur, ut & uis ſua ueriſimiliora faciat quæ dicimus, & orator non argumentetur, quod à narrationis tum genere, tum breuitate alienum eſt. nec enim aut propter breuitatem committendum, ut parum ueriſimilis uidearis: aut propter ueriſimilitudinem in infirmationis genus incidendum: quod tamen in cauſa difficile adhibetur, ut in diuina pro Milone oratione, et hic in ipſa orationis cōcluſione uidemus. Partim cupiditate inconſiderata. ] Partitio hic & ordinatio ad augendum poſitæ ſunt: ut ex hoc ipſo appareat, quantum Ligarij fuerit deſiderium domū redire, qui ne dux quidem fieri paſſus ſit. Interim P. Actius Varus. ] Hunc arripuiſſe dicit imperium, ut iſtius cupiditate Ligarij animus melius diſcernatur. Arripuit. ] Dixit, ut expreſſius uerbo cupiditatem oſtendat. Breuiſſima hic ſunt, commata, & ſeparata, quæ res breuitatis eſt: quamuis primum uelocitati, alterū illuſtri orationi conueniat. Si tamen illud imperium. ] Correctio cum ueritatis ſit, ad ueriſimilitudinem pertinet. Nullo publico conſilio. ] Nunc cupiditatē Vari auget, ut ex hac contentione probitas Ligarij magis emineat. Adhuc C. Cæſar. ] Hæc eſt illa quam in Rhetoricis commonitionem appellauimus, breuis quædam eorum quæ dicta ſunt, repetitio, ad longam orationem accommodatiſſima: quam hic non ea de cauſa, ſed attentionis criminū adhibuit, quāuis & ad ſeiunctionē pertineat. In tria enim tempora totam rem Ligarij diuidit, quorū tertiū in confirmatione proſequitur. Commonitionem in duo tempora profectionis & remanſionis diſtribuit. hic enim ordo rerum eſt, quem & narrando ſeruauit: ita tamen quæ narrauit, repetit, ut dicendi genus immutet. Confirmare enim uidetur, cum adhuc in confirmatione non ſit ea, quam in ſex partibus orationis connumerant. Placet ergo nobis, breuem quandam orationis hanc appellare repetitionem: quamuis & diuiſionis uires poſſideat, non illius, qua quibus de rebus dicturi ſumus oſtendimus, quam diſtributionem appellamus: ſed illius, qua quid in controuerſia remaneat aperimus, quæ ſeiunctio a nobis appellata eſt. Cum enim profectio uoluntatem habuerit non turpem, remanſio ēt neceſſitatem honeſtam. ] Concludit ex hoc, duo hæc tempora carere crimine. quare relinquitur, tertium criminoſum uideri, in quo quidem controuerſia conſiſtit: quam non exprimit, ſed auditorem hac diuiſione temporum admonuit, ut ex ſe cōſideret quod facit, quoniam difficile erat eam dicere, quam multiplex erat ac uaria & figuris plena ut latius iam expoſuimus. Nam ſi ſeiunctionis eſt ſecūdum narrationem aperire quod conueniat, idq; ex his ipſis, quæ narrata ſunt, comprobare, quod relinquitur in controuerſia perſpiciatur: hic locus, cum duo prima tempora ne accuſatores quidem recriminari poſſent, in quo conueniāt cum defenſore oſtendit. itaque relinquitur tertium tempus controuerſiam continere, quam tamen, ut diximus, exprimere clarius orator non poterat. Tertium eſt tempus. ] Hinc incipit infirmatio, in qua tertium tēpus, quod criminoſum fuiſſe è ſeiunctione apparuit, proponitur. Sane ſciendum, oratores nonnunquam ita omnia coniungere, ut unum idemq;, & ijs quæ dicta ſunt, & ijs quæ dicentur queat accommodari, quod ad celandam artem continuandamq; orationem, & præparationem diſſimulandam plurimum ualet. Huic dicendi generi tranſitio eſt oppoſita, quæ cum de quibus dictum ſit cōmoneat, & de quibus dicendū oſtendat, attentiores magis quàm dociles facit auditores, & artem aperit. Quare in præcipiendo ſæpius adhibenda: in dicendo, ut facili cauſa nonnunquam, ita in difficili ferè nunquam. Quod ſi eſt criminoſum. ] Attenuat. Neceſſitatis crimen eſt. ] Non negat, ergo ex neceſſitate per conceſſionem, non tamen crimen. nam cum uel in Africa fuiſſe aduerſus Cæſarē, uel inde Tuberones expuliſſe tradituros Cæſari prouinciam, uel utrunque ſimul crimen eſſet, quid ad hoc crimen, ſiue ſponte, ſiue inuitus, quod hic confirmat, remanſerit in Africa Ligarius, profecto nihil. nec enim ſi neceſſitate remanſit, idcirco neceſſitate aduerſus Cæſarem quoque, uel ad repellēdos Tuberones uidebatur impelli. Non ergo putat crimen, nec fruſtra dicitur: ſed inde quod agit, neceſſitate crimen purgare uidetur, & Cæſari mirabili artificio purgationis ſpeciē ſubijcit, Ligarium, ſi potuiſſet ex Africa effugere, cum fratribus Cæſarē ſecuturum fuiſſe: quod ita dicit, ut apertius penè mihi quàm ſi gura patitur, expreſſum eſſe uideatur. Nemo ergo contentionis non cupidus, ſi uim uerborum conſiderat, negabit per figuram, & quidem apertam, ſubijci à Cicerone, Cæſarianum uoluntate fuiſſe Ligarium, Pompeianum uiſum. quoniam temporibus, id eſt neceſſitati paruiſſet. Hæc dicendi uis Demoſthenica eſt. hos enim duos uiros ego ſolum inuenio conari totis uiribus, ſummā cauſæ in oppoſitum retorquere: ac ſi quid aduerſarijs conſiſtit, id conſiſtens facere: quod ſibi ipſis non conſiſtit, conſiſtens ui orationis reddere. quod totum aut apertius aggrediuntur, ſi cauſa patitur: aut ſi clarum fieri non poteſt auditori, per figuras ſubijciunt. Id hic factum per ſeipſum unuſquiſque intelliget, ſi ſingula oratoris uerba diligenter examinet. Illud notandum, nō eſſe hunc locum deprecationis, quem uoluntatem in Rhetoricis nominamus: ſed conceſſionis modum, ex neceſſitate conjecturali loco firmatum. nam in deprecatione conſulto factum non negamus: uerum non odio, ſed recto quodam officio commotos dicimus. hic conſulto eum remanſiſſe præclare negat, quod cōceſſionis eſt. An ille ſi potuiſſet illinc ullo modo effugere. ] Cōiecturali loco neceſſitate, non uoluntate remanſiſſe eū oſtendit. nam cum neceſſitatem abfuiſſe, non uoluntatem, propoſitū dupliciter ſit, idq; in coniectura duplici uerſari uideatur, coniecturali loco ad utranque partem accommodate abſoluitur, & affectus ex cōtentione maior erūpit. Vticæ potius, inquit, quàm Romæ cum alienis quàm cum ſuis. ] Quod ait Romæ, & cū ſuis, id eſt, quod uoluiſſet quoniā cōſecutus non eſt, relinquitur Vticæ, ac cum alienis neceſſitate fuiſſe. Nullus tamen credat, coniecturalem ſtatū hic eſſe nos arbitrari, ſed cōiecturale quid. ſiue coniecturæ locum. Nam ſtatum incidere tunc putamus, cū huiuſcemodi eſt quod proponitur, ut uires nō paruas habeat, & locis pluribus tractetur. ſi uero unico loco expeditur, nec originē cauſæ reſpicit, locum id dicimus, eumq; eius ſtatus nomine nuncupamus in quo uerſari uidetur: & eius eſſe ſtatus locum non dubitamus, ex quo quod probatur emanat. nec id ſine cauſa. nam & ſi unicuique ſtatuum ſuos locos attribuimus, coincidere tamen tam ſtatus quàm ſtatuum locos, tātoq; magis, quāto magis cōueniunt, in ſecundo nobis Rhetoricorum dictum eſt. Quare is locus coniecturalis eſt, & locus conceſſionis. nam ſi uniuerſa coniectura conceſſioni plerunque accōmodatur, cum ab aduerſarijs id quod purgatur negatur, fitq; tunc coniectura quaſi conceſſionis locus: cur & coniecturalis locus conceſſionis locus non erit? Sed hæc in Rhetoricis latius dicta ſunt, & per totum ferè librum ſparſa: ubi præceptum eſt, ut ſi quod indicet breuius

quid

quid ſit, ac unico loco tractetur, locus appelletur: ſi maiores uires afferat, multoſq́; locos amplectatur, niſi à principijs erumpat cauſæ, ſtatus incidens, quo tanquã locus principalis firmatur. Eſt igitur is locus ab affectione, quæ res una eſt ex ijs quæ perſonis attribuuntur: quibus uoluntatem arguimus, coniecturæ locus. quẽ affectum ut augeat, expoliendo ter repetit: idem enim ferè ſenſus omnium eſt. Et cum expolitio pulchra uenuſtaq́; orationis ſit, non huius gratia, ſed ut immoratione magis moueat, hic adhibita eſt. quod tunc maxime facit, cum alijs exornationibus coniungitur. nam nec ipſa uenuſtatem amittit, et quod ei annexum eſt, immoratione, quam ab ipſa ſuſcipit, magis mouet. Eſt autẽ hic repetitioni coniuncta, & ea duplici, ueloci et acri: quæ tamen non ita eminet, quia non à primo membro expolitionis incipit, ſed duo poſtrema occupauit. duplicitas quoque ſua ſuppreſſa eſt, partim quoniam non ſyllabis conſtat, partim quoniã interualla minima commatum propter uelocitatẽ fieri neceſſe eſt. Verum cum repetitio cæteras omnes exornatione ut ui etiã gratia ſuperet, omnibuſq́; penè dicendi generibus conueniat, quod facit, ut ea crebrius oratores utantur, nõ grauabor plura hic de ea dicere, latiuſq́; quàm propoſitũ fortaſſis poſtulat euagari. Repetitionem in ſimplicem & duplicẽ partimur. ſimplex, per ſingula membra uel commata uerbum in initio repetit: duplex, tertium primo reddit, quartum ſecundo: & cum pura eſt, id eſt, alijs exornationibus uel ſchematis non permixta, grauiſſima ſimul & iucundiſſima eſt: dignitatis et pulcritudinis plena, ſi longioribus membris cõponitur. nam ſi ſimplex, & longiorem ambitum, & multorum membrorum ac commatum in eodem repetitionis mẽbro cumulum, illuſtriſſima ſimul atque pulcherrima eſt. quod illa Ciceronis pro præficiendo Pompeio, quam omnes penè uſurpare conantur, aptiſſime oſtendit: Teſtis eſt Italia, etc. Si ergo ſimplex huiuſmodi eſt, duplex omnem hanc gratiam, & dignitatem multo maiorem poſſidebit. Quòd ſi membra repetitionis ſimpliciter, id eſt, non mẽbris multis efferuntur, ſi longiora ſunt, illuſtrant orationem, ut illa Pogij in epiſtola ad Carolum trimembris: Illi ignarum rerum omnium genuerunt, hic reddidit ſua opera doctiorem: illi tantum ut eſſem fecerũt, hic ut eſſem cũ honore & dignitate: illi alimenta corporis præbuerunt, hic animum moribus formauit, & recte uiuendi inſtituit. Cæſis compoſita omnis repetitio uelocitatem facit, & gratiam non amittit: quòd illa bimembris clariſſimi uiri L. inſtiniani de laudibus Caroli confirmat, qui non diſcere, ſed reminiſci: non apprehendere, ſed tenuiſſe prius omnia uiſus eſt. At ſi dubitationis, uel interrogationis ſpiritus ei adiũgitur, acris fit. Quòd ſi ad hæc continuatio quædam adijcitur, acrior. qualis iſta eſt: An ille ſi potuiſſet illic ullo modo euadere, Vticæ potius quã Romæ: cum P. Actio, quàm cum concordiſſimis fratribus: cum alienis eſſe, quàm cum ſuis maluiſſet? Continuationẽ hic nominamus, cum omnia membra unico uerbo concluduntur. Dubitationis ergo ſpiritus cum continuatione duplici repetitioni infuſus, mirabilem hic fecit acrimoniã, quæ etiã uelocitate quàm breuiſſima cõmata faciunt, adaucta eſt. Velox enim oratio nonnullam acrimoniæ, aſperitatis, ac uehementiæ ſpeciem præbet. Verum quoniam in Rhetoricis diximus, ſi quid ſplendoris acrimoniæ immiſcetur, uehementiam fieri non errabis, ſi affectũ Ligarij uehementer expreſſo, hic auditorem agitari dixeris. Clauſulæ nanque omnes ſplendoris ſunt, præter penultimam, quam meo iudicio illuſtrem non poſuit, quoniã ſplendor eximius acrẽ orationem, qua hic præcipue opus erat, non parum infringit. In penultimo uero loco collocauit, non caſu ſed quoniam in continuatis ſchematis, quæ in fine uel prope finem ſunt, totam ad ſe arripere orationem uidentur, in fine non poſuit, quoniam ut acrior oratio eſt quæ aſcendit, ſic deiectior quæ deſcendit, quod ſola tranſpoſitione unius uerbi perſpicitur. Nec illud prætermittam, quod Concordiſſimis ait, ut ſplendor clauſularum inſit, nõ extet, utq́; uerbo aſperitatis uehementiam iuuet. Eſt enim uehementia, ſplendore, aſperitate, acrimonia, compoſita orationis forma. Sed cum nunquam orator inuentionem eloquutioni ſubijcere debeat (inſani enim omnino eſt hominis, propter elocutionẽ aut pluribus paucioribuſ'ue uel uerbis, aut alienis quàm res poſtulet) quantũ re faciat quis non uiderit? nam ſi cum concordiſſimis erat fratribus Ligarius, hi autem ſemper Cæſarem ſequuti ſunt, & ipſe Cæſarem ſequutus fuiſſet, ſi ex Africa euadere potuiſſet. tantam uim unicum habet, ut uides, uerbum. Sed ad repetitionem redeamus. Repetitio tam ſimplex quàm duplex, ſi ſolum repetitio eſt, longioribus ac ſingulis & abſolutis membris pulchram ac uenuſtam facit orationem: breuioribus ac commatis iucundam magis, non abſque uelocitate. quod ſi ſingula eius membra pluribus conſtant, ſiquidẽ longioribus ac abſolutis, grauem grandemq́; multo magis: ſin autem commatis, uelocitatem non abſque ſuauitate. ſi tota pendet, hæc omnia maiora reddit: ſi interrogationis uel dubitationis ſpiritus additur, ad acrimoniam rapit maiorẽ, ſi conuerſio quoque ineſt. quæ tamen mobilior ac uelocior eſt, ſi commatis cõponitur: illuſtrior, ſi membris. quod ſi omnia concurrant, duplicitas, cõmata plura, in imo conuerſio, excitatio ſpiritus, eius ui etiam continuari uidetur duplicitas, iam iam nihil hoc ita cõpoſito ſchemate uelocius, acrius, excitatius inueniri poterit: cui etiam pulchritudo inerit, & uenuſtas maxima propter duplicitatẽ: quæ ſimul ſuauiſſima eſt, maxime ſi trimembrem excedat. qualis ferè illa eſt Ciceronis: Maiores noſtri ſæpe mercatoribus atque nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt: uos ciui. Roman. tot milli. uno nuncio atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati quòd erant appellati ſuperbius, Corinthum patres noſtri totius Græciæ lumen extinctam eſſe uoluerunt: uos eum regem inultum ineſſe patiemini, qui legatum populi Rom. conſularem uirum, uinculis ac uerberibus omniq́; ſupplicio cruciatum necauit? Illi libertatem ciuium Rom. imminutam non tulerunt: uos uitam ereptam negligetis? ius legationis uerbo uiolatum illi perſecuti ſunt: uos legatum pop. Rom. omni ſupplicio affectum relinquetis? Auxit tamen longioribus membris hic ſplendorem, et pulchritudinem Cicero: quæ finiens corripuit, ut ad maiorem uim præcipitaretur oratio, et duplicationis ſuauitas acrimoniæ obeſſet, uim eius retinuit, iucunditatẽ mutatione depreſſit. Hæc diximus, ut ex his paucis plura qui legunt inueniant. Hæc cæteris etiam exornationibus accommodanda ſunt. nam omnia ſchemata cum connectuntur, ita cõmutantur, ut nec ſuam penitus uim aut gratiam retineant, nec in alienam omnino tranſeant, ſed compoſitum quid conficiant: ad quod & membrorũ quantitas, & uerborum uis & numeri ſonoritas conſideranda eſt, ut quod ex his omnibus reſultat dicendi genus capere poſſis. Quæ orationis compoſitio tribus modis fit. Primo membris, ſchematis, numero. nam hic ut in numero locationem ad clauſulam, ſic uerba in mẽbris includimus, quibus e multis forma dicendi ſimplex conſtituitur. Item cum ex integris dicendi formis una redditur forma. Tertio cum huius generis membra, illius ſchema, alterius numerus: & minutim hinc clauſula, illinc locatio, inde uerba ad unã componendam formam concurrunt, quam ab ijs quæ magis extant appellare ſolemus. Horum trium non minore cura (ut arbitror) quàm oporteat, primum in Rhetoricis expoſuimus. de reliquis nihil, aut parum diximus, quoniam ad grauitatem ęá pertinerent, de qua in alio tempore, ſi dabitur otiũ, dicere maluimus. ſed ad Ciceronem redeamus. Cum ipſa legatio.] Confirmatio rationis eſt, à contrario: dupliciter, à legatione ac dignitate ad priuatum habitum, à pace ad bellum: quã quidem rationem potuit ita exprimere, cũ ipſa legatio, quã geſſit in pace, plena deſiderij fuiſſet, æquo animo priuatus eſſe potuit, belli diſſidio diſtractus à fratribus. Sed maiorẽ locis acrimoniam, quàm explanationẽ poſtulabat: et cũ explanationi a-

cuties opponatur, acrimoniæ fauet, artificio eã adhibens. methodus enim hæc acuti generis eſt, ut cum pauciora dicantur plura ipſius orationis ui atque contextu intelligantur: ut hic legationem primum plenam deſiderij dixit. erat autẽ conſequẽs, ad legationis contrarium orationem deducere: non autem id, ſed belli diſſidium intulit. ſic & pluribus breuius contractis acrimoniam auget, & acute nimis oppoſitum ſuggerit. Alterum enim altero trahitur, diſſidio ſ. belli æquo animo à fratribus diſtrahi eum non poſſe, qui uel in pace fratrum amore ſollicitus erat: & qui in legatione ac dignitate ſuos deſiderauit, is priuatus magis deſiderauit. ita oratio breuior, ſenſus amplior, uis maior. Adde quòd acutum genus figuræ per ſubiectionem aptiſſimum eſt. Schemate uero hac oratio circunducit, & ſpiritus excitatione aſperior eſt. Sicq́; tria in unum confudit, ex ſubcontinuatione circunductionem, ex ſpiritus commotione aſperitatẽ, ex membrorũ ambitu ſplendorem: cui cætera conueniunt, quæ omnia cum acuto per methodon genere grandem orationẽ, uehementem, & figura idoneam conficiunt. Nullum igitur habes.] Concluſio hæc magis aperit figuram. licet enim poſtquã iudicis animũ rationibus attraximus, apertius concludere. Non tamen perdit quod figura ſit. quamuis id quoque fieri poſſit, ut quod figura tectũ propoſuimus, id rationibus cautius & cõprobatum pedetentim exponamus: ac demum ſic aperte concludimus, ut nullo modo tegi uideatur. Quadrimẽbris ergo collectio eſt. conſtat enim propoſitione, ratione, confirmatione, concluſione. Id apprime notandum arbitror, quòd cum propoſitum ſit, ſi eſt criminoſum, neceſſitatis crimen eſt, non uoluntatis, in concluſione criminis uocabulo ac neceſſitatis omiſſo. Nullũ habes.] Intulit alienæ uoluntatis argumentum, ut cũ rationibus impulſus auditoris animus bonam in ſe fuiſſe Ligarij uoluntatem credat, uel non peccatum exiſtimet: uel ſi ad hoc adductus nõ eſt, neceſſitate exiſtimet. quamuis & ſtatim proponens, non omnino dedit crimen, ſed quaſi ſubdubitans: Si criminoſum eſt, inquit. O clementiam admirabilem.] Hic locus & ad miſericordiam rapit auditoris animũ, quæ huius orationis radix eſt: & ad recriminationem optime præcedit, ut ipſe paulopoſt oſtendit, ubi dicit: Atque hæc propterea de me. Et quoniam intulit, Nullum igitur habes Cæſar adhuc in Q. Ligario ſignũ alienæ à te uoluntatis: nunc à rebus maioribus, quæ Cæſari gloriæ fuerant, ad miſericordiam impellit. Ita ergo locos uel argumentationes diſpoſuit, ut ratio rebus creſcat, & uehementiora demonſtratiuis præponantur, quod tam in partibus argumentationũ, quàm inter ipſas argumentationes in quarto, cũ de Diſpoſitione argumentationis ageremus, fieri debere docuimus. nam ſiue nihil, ſiue aduerſus ſe feciſſe Ligariũ, Cæſarianumq́; uoluntate credidit, quod in ſuperioribus ſubijciebat, ac ideo neque proponens omnino crimen dedit, & concludens duo uerba propoſitionis præterijt, quæ tamen omiſſa nõ uitioſam fecerunt concluſionem, quæ ad eũdem ſenſum etiã abſque illis accedere uidetur. ſiue igitur illud credidit, ſiue neceſſitate crimen cõmiſſum ſuſpicatus ſit, multo maius eſt, uel ſponte ſua ijs ignouiſſe, qui eũ conſilio inſecuti ſunt. Præterea hæc admiratio fauorẽ ex perſona iudicis cõciliat, non quod ſententia exordij uſus ſit. tunc.n. ſententiam exordij interpoſitã putamus, quando quod dicitur, ad eius partis quæ agitur parũ, ad exordij finẽ plurimũ ualet. Itaque adhibetur magis, ut auditorẽ conciliet, q̃ ad aliud. Hic uero locus miſericordiæ initium eſt, quã quidem præcipue tanquã firmiſſimã hic in ingreſſu fere cauſæ uoluntate prius uel cõprobata, & in poſtremis collocauit. Clementiã enim Cæſaris in manifeſtos hoſtes prædicat, ut clementiorem ipſum in Ligariũ reddat, qui uel nihil, uel coactus peccauit. Eſt ergo hic locus deprecationis, qui attributio nobis in Rhetoricis appellatus eſt. M. Cicero apud te.] A ſe incipit, ut in Tuberones commodius labatur, & ex utriuſque quaſi à proprijs exemplis clemẽtia Cæſaris augeatur.

nam ſi domeſticis magis quàm externis exemplis mouemur, ſic multo magis Cæſarem cõmoueri neceſſe eſt, qui in hac ipſa cauſa eos aduerſarios ac defenſores audiat, quibus ignouit. Nec tuas tacitas cogitationes.] Aperit quantũ confidat, qui uel de animo ipſius Cæſaris certiorẽ ſe eſſe oſtendit. Apud quẽ igitur hoc dico.] Nempe dixit quod fecit. nunc quo modo in eũ Cæſar ſe habuit, oſtendit: ita ipſius Cæſaris exemplo Cæſarẽ mitigat. Vide quæſo Tubero.] Conuerſio ad aduerſarium acris eſt, et à maiore infert minus. magis enim quiſque celari ſua crimina cupit, quàm aliena. hæc uerbis quoque auxit. ſignificantius enim dicere eſt, quàm confiteri. Præterea cõuerſione hac utitur, qua in prioris exempli concluſione, quæ etiam ad confeſſionẽ pertineat. Viderat enim Tuberones in dicendo ueritos fuiſſe, ne defenſor negaret, nẽpe qui teſtes etiã adduxerant. Quare Cicero, ut grauis orator, cum manifeſtam intentionem accuſatoris negare integrum non eſſet, miſericordia Cæſaris magis fretus, ad confeſſionẽ refugit. Forma huius particulæ dignitas eſt, idq́; ex omnibus penè partibus. nam res, cum ipſis gloriamur tanquam bene geſtis, ſplendori ſunt: cum ijs non gloriamur, nec tamen formidinem nobis inducũt, à dignitate alienæ non ſunt, quã cæteris penè omnibus non in miſericordia proſequitur. neceſſe eſt enim, ſi te nihil formidare oſtendere uelis, illa methodo uti, qua ſine omni dubitatione clare breuiterq́; omnia efferuntur. Vide quàm non reformidẽ.] Bimembris repetitio cum primũ membrum breuius habeat, neceſſitatis eſt, feſtinãte quaſi oratore ad quod dicturus eſt, nec pulchritudinẽ ullam facit: nõ tantũ quoniam ad tertium membrum peruentũ non eſt, quantum quoniam conuerſio et imperium ubique frangere pulchritudinem ſolet. Lux liberalitatis.] Translatio dignitatis eſt: et ut augeat, hic poſita eſt. Suſcepto bello.] Solo mẽbro mutauit formam ex dignitate in ſplendorẽ, ut quaſi hac re gloriari uideatur. Sumpta contra te.] Clauſula ſplendoris eſt. monoſyllaba tamẽ dictione in fine poſita exaſperatur: ut quod re aſperum eſt, in animum per aures uerbo aſperius illabatur. Apud quem igitur.] Interrogantis ſpiritus hic dignitatis eſt, quoniam fiduciam audet. Qui, cum hoc ſciret.] Repetitio trimembris, non tam pulchra & uelox, quàm dignitatis plena. Duo tantum à dignitate aliena ſunt ſchemata. Articulus, Laude, prædicatione, literis. ueloci enim & cæſa per ſingula uerba oratione demonſtrationem adaugere opus erat. & Conuerſio, Vide quæſo Tubero. nã conuerſio dignitati inimica eſt. Atque hæc propterea de me.] Præparatio ad recriminationẽ. & ne uideatur odio aut ira commotus recriminari, commemorat de ſe prius dixiſſe, & cur gloriæ faueat Tuberonis oſtendit. Vel propter propinquam.] Correctio uenuſtatis, abſolutis mẽbris edita, & ſinguli. Sed hoc, quæro quis putet.] Recriminatur artificioſiſſime. nam ne aduerſariorum peccatis reo impunitatem comparare uelle uideatur, poſtquam de ſeipſo dixit, ſũ demum in aduerſarios conuertitur: & tam ſuum quàm illorum crimen, quoniam utriſque ignotum ſit, ut quaſi exẽplis mirabilem clementiam Cæſaris confirmaret, in medium adduxit, ſed ſuũ dignitate orationis ac ſplendore decorauit, aduerſariorum acri et uehementi inſecutus eſt. quamobrẽ ne orationis impetu, ut in odiũ Cæſaris Tuberonis impelleret, in ipſos ferri acriter uideretur, paulopoſt, Ad me reuertar, inquit, iiſdem in armis fui. poſtremo ſimul ambo coniungit: Quid autem aliud egimus Tub. et ſic demum concludit hunc deprecationis primũ locum, in quo Cæſaris clementiã ample propoſuit, quam ratione à perſona ipſius Cæſaris tracta occultius firmauit: quippe qui tanta eſſet manſuetudine, ut Ciceronem audiret, alios defendentẽ in ea uoluntate non fuiſſe, in qua ipſe fuiſſet. quod in ea ipſa uolũtate fuiſſet, alia ratione à conſulto factis à perſona ibi probat. Suſcepto bello Cæſar.] Exemplo deinde confirmat clementem eſſe Cæſarem, cum dicit: Nempe apud eum.] Cui interrogationem

gationem

gationem præpoſuit: Apud quem igitur?] Vt exſuſcitaret auditorem, & attentiorem faceret, quo totam hanc rem attentius arriperet: Tuberonis quoque facto ingenioſiſſime ſic allato, ut & ad miſericordiam animum auditoris trahat, & aduerſarium recriminetur, locum concludit per collationem quadrimembrem. habet enim Propoſitionem clementiæ, rationem à perſona Cæſaris, id eſt, ab eo quod tunc faceret: nam facta perſonis attribuuntur. Confirmationem ab exemplis duobus: quæ quoniam ad clementiam Cæſaris, qua uſus iam fuerat, reducuntur, nõ repugnabimus, ſi quis ſecundo loco argumentationis adiungat, et trimembrem putet collectionem. Concluſionem denique habet per conuerſionem ad auditorẽ, Quorum igitur impunitas: quoniam & exempla cõmemorat, & recriminationis uim retinet. His ita dictis, alterã elocutionis partem huius loci quàm breuiſſime aperiamus. duobus enim dicendi generibus uſus eſt, dignitate & uehementia: illud factum ſuũ poſtulabat, hoc aduerſarij factum flagitabat, inter utrunque tamẽ aſperius poſuit illud breuiſſimũ. Quis putet eſſe crimen.] Quod locatione aſperum eſt, et ultima clauſula: quæ duobus bacchijs conſtat, qui cæteris eiuſdem per membrum exornationis clauſulis non conueniunt, quiq́; duas dictiones aſperas retinent. exaſperantur. nec uelocitate ſolum non caret oratio, ſed curſu quodã incitari uidetur, primo clauſulis, quæ præter ultimã in breues exeunt pedes: membris deinde parum longis: demum exornatione, quam membrum appellamus. quæ & ſi pulchritudini magis attribuatur, tamen quoniam præter membrorum inter ſe connexionem breuiſſime quoque redditionis uis ineſt, curſu nõ caret. Quid enim Tubero.] Vehementia mirabilis. connexorum enim uelocitas, & breuitate membrorum, & cæſa orationis propter articulum, ſplendor & clauſulis acrimonia, & aſperitas ex conuerſione ac exſuſcitatione ſpiritus, quæ omnia ne nimis exaſperent agnominatione dicta ſunt, cuius ingreſſu ex exitu paululum arridet ſimiliter deſinens. ad hæc ipſa agnominatio cum longior ſit, abſolutione auxit omnia, ſine qua fieri nõ poteſt. abſoluta enim oratio, quoniam diſtinctioribus conſtat mẽbris, inſignitiorem uim omnẽ orationis facit. Illud memoria tenẽdum eſt, quandocunque nimiũ excitata, & ardoris plena oratio conficitur, obſeruandum eſſe, ut prima eius membra, quaſi quietiore adhuc animo, integrioreq́; ſpiritu efferantur, lõgiora ſint quæ prope finem ſunt, breuiora quæ proxime: breuiſſima, imo per articulum cæſa, feruente iam oratore, ac fatigato ſpiritu plura cõnectere uolenti: ultima longiuſcula, ut quaſi deſinens ardor, animi omnes uires effundere conetur. Quæ res maxime facit, ut cũ naturam ipſam ſequamur, ipſarum rerum ui, non dedita opera concitari uideamur: quod tamen abſolutioni, non comprehenſioni conuenire uidetur. Nam circuitus hoc maxime proprium eſt, ut uehementior breuius exeat, illuſtrior prolixius: quod accidit, quia colligit ſpiritum circuitus, & ui præcedentium rerũ, quod ſequitur infert. quare quanto breuius habet ultimũ, tanto magis ſe cogit oratio. At ubi per abſolutionem multa uehementius dicuntur, eo quietior eſt ſpiritus, quod diſtinctiora ſunt ſpatia, et maiora interualla: quæ niſi eo pacto, quo dicimus, ipſum exagites, non nimis mouebis. nã ſi non mouet, niſi motus concitata uox, uexatuſq́; uarie ſpiritus, cum penetret animam, non poteſt non exagitare auditorem. Ad hæc illud obſeruandum, duplex compar ineſſe, primum bimembre, alterũ quinquemembre. quã uis ego primum articulo attribuerim, tum quia impetu ſpiritus ſuperioribus coniungitur, tum quia à repetitione à ſequentibus ſeparatur. Vltimũ quoque tum repetitione bimembri interpoſita, tum quietiore ſpiritu diſtrahitur, quæ diſtractio comparis ſuauitatẽ frangit. etenim omnes exornationes, quæ multitudine membrorũ iucundæ ſunt, cum huc atque illuc ſchematis ſpiritu membra diripiuntur, quantũ iucunditatis amittunt, tantũ grauitatis aſſumunt. Sed illud conſideremus. Nimis urgeo.] Latentis grauitatis eſt. nam cum dicat nolle amplius adoleſcentem urgere, ſic ad ſe reuertitur, ut eum non dimittat, et ab acrimonia non recedat: nẽpe qui etiam ipſam concluſionem acrius intulit, circuitu bimembri et illuſtri: Comparitas enim membrorum, ut per ſe iucunda eſt, ſic creditioni connexa, & circuitu confuſa illuſtris redditur: ſed ſplendor minuitur, paucitate mẽbrorum circuitus uis creſcit. qui ſi primo mẽbro longiore profe ratur, uehementior: ſin breuiore, ſplendidior fiet. Atque in cauſa hac.] Præparatio ad alteram recriminationis partem. Qui homo tũ ingenio.] Laudat aduerſarios ab attributis perſonæ, ut uideatur rerũ ueritate, nõ odio, in eos inuehi. Nam ſi uidiſſet.] Antequam crimẽ crudelitatis inferat, auxit iudicio patris. Arguis fatentem.] Secũda recriminationis pars. quanquã enim eam maxime recriminationem appellare ſoleamus, quæ in idem crimen rapit, ut in præcedenti factum eſt: latius tamẽ hic recriminationis capto uocabulo, cũcta, quæ aduerſario crimini dãtur, recriminationi attribuimus. cuius ſunt partes duæ, una quæ in idem rapit, de qua iam dictum eſt: altera, qua crudelitatis aduerſarium nimiæ arguit. Huius ſunt particulæ quatuor. prima, quod contra mores Rom. ſanguinem tuũ petat. altera, quòd irrũpat in fletum ſupplicia. tertia, de primo aditu ipſius ad iudicem: qui locus & à deprecatione alienus nõ eſt. ultima, comparatio criminum. Primam ergo particulam collectione tractat, quæ in iuridiciali abſoluta perſonæ cõiecturaq́; conſtituta eſt. Arguis.] Hoc totũ uſque ad illud, Condemnetur ſed ut necetur, et quaſi propoſitionem poſuerit, habet cauſam, ut fateatur accuſare. Hæc non modo mirabilia.] Interponit breuiſſimam exordij ſententiam. de mirabili enim prodigioq́; ſimili re dicturum pollicetur, & attentiorem facit auditorem. Non habet eam uim accuſationis.] Propoſitio in iuridiciali abſoluta, & coniecturali duplici ſimul, ita tamen ut maiorem coniecturalis uim habeat, iuridiciale magis ſe oſtentet, id ideo fit, quod poſt propoſitionem ratio iuridicialis ſtatim ſubijcitur, quæ oſtendit ne necem exulis hominis nullum unquã petiſſe, quoniam crudeliſſimum ſit. quare qualitate propoſitionis roborata, quod coniecturale eſt, confirmationis loco repetitur. Nam quid aliud agis, quàm ut occidatur.] Abſoluitur quàm breuiſſime, loco à factis, enumeratione bimembri, & neceſſaria: accuſas non ut damnetur, ſed ut occidatur damnatio exilij eſt: ipſe exulat: non ergo ut damnetur. reſtat ergo alterum, idipſum coniecturale paululum poſt eo uehementius, quo breuius eadem enumerationis ui repetit, iuridiciale tamen etiam interſerit. At iſtud ne apud eum quidem.] Ita hic recriminationis locus duobus teſtibus compoſitus eſt. Hoc egit ciuis Romanus ante te.] À conſuetudine, ſicut in eadem oppoſitorum doctrina eſt, ſic negationem ad affirmationis ſedem reducimus. Hæc ſi modo rationis dicta non ſunt, eius tamen locum tenent. nec enim omnia oportet uehementius colligere, ſed ſolutioribus in ipſis quoque argumentationibus uti membris. quod tunc maxime faciundũ eſt, cum ipſa rerum uis tanta eſt, ut orationis ui parum egeat: quod huic loco accidit. Satis enim erat, ſolum commemorare, barbarorum hoc, non Romanorum moris eſſe. Nam quid aliud agis?] Confirmatio. nam & ſi à maiore, minore, ſimili, contrario, æquali, exemplo trahi confirmationem in Rhetoricis diximus: tamen illud quoque addidimus, confirmationem ſic ferri ad rationem, quemadmodum ad ipſam propoſitionem ratio fertur. quod ita proprium eſt confirmationis, ut cum id perſpiciamus, ambigendũ non ſit confirmationem eſſe, quod dicitur. nec mirari debemus, ſi nonnunquam circunſtantijs confirmamus, cum confirmationis locis rationem quoque adducamus. Nam ſi quod propoſitum ſtatim confirmationis locis comprobatur, ac deinde concluditur, niſi ſubintelligi quidquã poſſit abſque confirmatione, contexti rationẽ neceſſario dicemus: cum uero ratio præcedit, quidquid confirmationi

ſpecies in ſimilibus. nec enim poſſunt non uideri ſimilia, quæ ſola expolitione fiunt diuerſa: quæ breui repetione complexus eſt, ut nec à uelocitate abeat oratio, & multitudo ui eius ſchematis expreſſior uideatur, quod in eadem re penitus fieri non põt. confingitur aũt minus: quoniã ab iis, quæ unum & idem ferè ſignificant, in maius illud irrupit. Quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id, &c.] Illud iam in rhetoricis diximus, qui dubitet maius & minus ut oppoſita ſunt, ſic oppoſitã uim poſſidere: ac ubi ab affirmatione in affirmationẽ procedimus, ſi in perſonis locus eſt, ibi ab negatione ad negationem, ſi in negotijs, & ubi econuerſo in perſonis. In negotijs quoq; econuerſo, quam diuerſitatem in his rebus eſſe intelleximus, quæ minus cõplectuntur & cõtinent. nam in cæteris perſonarum ratio adhibenda eſt, cui rei hoc fictoriũ teſtimonium præbet, cum à minore maius acriter aſſerat. Et ut ſpero nõ fruſtra.] Hic auditorẽ iniectione breui conciliat, ibi, Et in tali miſericordia multorum: & hoc ipſum facit, ut in aduerſarium circunfuſi populi accumulet inuidiã. Eſt autem totus hic locus uel loci genere conſcriptus, ijs ferè rationibus quas modo expoſuimus. cui etiã acrimonia ineſt propter interrogationes, exuſcitationes, aduerſiones: quãuis & alioquin uelocitas acrimoniæ finitima ſit. quæ genera iuncta ſi pura ſunt, in aſperitatem incidunt: quã tum repetitionis uenuſtas, tum traductionis ſuauitas, tum nõnullorum membrorum pulchritudo & ſplendor facile confringit. traductionẽ bis ponit: Quæ eſt igitur alia præter mortẽ? &, ſi cũ hoc domi faceremus, quod etiam fecimus: ut membra hæc. Quod nos domi petimus, Et iacentes, & in tali miſeria: hæc inquam mẽbra pulchra atq; illuſtria ſunt, ita uelocitatis nimiæ ac acrimoniæ præcipitationem repetitionis ac traductionis, tam uenuſtate quàm iucunditate, & trium membrorum interiecto ſplendore cõdiuit: quæ formæ cum in unũ conflantur, uehementiã reddũt. Dicam planè C. Cæſar quod ſentio.] Cõuerſio ad auditorem, genus quoq; dicendi á uehementia in ſplendorem uertit. quare oratio longioribus membris, faciliore locatione, illuſtrioribus clauſulis ſibi compoſita eſt. Nec conuerſio quenquã turbet, quod ab hoc genere alienior ſit. nullus.n. niſi earum rerum imperitus dubitabit, cũcta quæ ſponte ſua diuerſa ſunt, ſi quis naturã ſuã & formam animo ſeparet atq; cõplectatur, cum rebus uim addunt, id genus cõficere, quod res, id eſt, ſententiæ poſtulant. Ea uero hic res affertur, qua iure auditor exultet, eamq; magis extollit conuerſio. Auget igitur cõuerſio ſplendorẽ, non minuit. Eſt autem locus ab attributis perſonæ, ab humanitate natura inſita Cæſari, unde ſibi eũ conciliat, imo ut ignoſcat, cogit. Redũdaret iſta uictoria.] Illuſtriſſima clauſula, quæ anapeſti, trochæi, Ionici à maiore numero ſonat, ſuntq; omnes ferè nobiles. nanque Quod ſentio, Ionicus á maiore eſt: Alijs miſericordiam, pæon tertius duplicatus: Ligariũ non fuiſſe, diiambus cum ditrochæo: Eſſe uellemus, fermè heroica: Mendacium, Ionica: Tum affuiſſent, heroica nec deinceps ſimiles conſequuntur, quoniam ad cæſum atq; minutum genus deſcendit, quod nobiles clauſulas non patitur. Quàm multi.n. eſſent de uictoribus.] Hæc ratio et contrarij, & minoris, uim habet contrarij. ſi.n. uicti ne ſis miſericors petunt, quid facient uictores? minoris, Quòd ſi etiam quibus ignouiſti ne aliorũ miſerearis poſtulant, multos qui tecum uicerunt idẽ petituros credendum eſt. Hos locos ſua etiam ſponte finitimos ut magis confirmet, arte complexus eſt. cum.n. Quàm multi, de uictoribus dixerit: conſequens erat, ſi ſolam contrarij uim retinere uoluiſſet, illud inferre, Cũ & ij qui uicti ſunt nolint te eſſe miſericordem. Verum quoniam illis ipſis uictis ueniã dedit, Quibus ignouiſti, inquit: ita parua mutatione & clementiam Cæſaris extulit, cum dicat, Ignouiſti: & odium in aduerſarios concitat, quod nolint alijs quam ipſi impetrarunt ueniam dari. Et contrarij, ac minoris uiribus ſimul impellit. Nec enim auſcultandi ſunt, qui non magis ignorantia quàm hebetudine, cũ è diuerſis locis fluere argumenta quædam audiant, locos nõ eſſe aſſignãdos aſſerant: quoniam dubium ſit, unde trahatur argumentũ. imo potius contra faciẽdum, altiusq; perſpiciendum, ſi quæ ab uno loco manare uidẽtur, in pluribus radices eo altius quo occultius iaciant: maxime cum robuſtiores truncos, ualidiores ramos, generoſioresq; fructus oſtendunt. grauis enim oratoris eſt, paucis uerbis plura complecti, & undiq; communire orationem, quod facere non poterit, niſi multorum ſimul argumentorum ui animum auditoris aggrediatur. Verum uero, ut genera formæq; dicendi cum in unum confluunt, unum ex ſe compoſitum reddunt genus, quod patris uocabulo, ſi ei nomen inditum nõ ſit, appellamus: ſic & in inuentione, tam in ſtatibus, quàm in locis ſiue principalibus, ſiue ſecundarijs, cum ad idem plerunque concurrant, unam uim ex diuerſis compoſitam auditorem occupare credendum ſit, an ipſa multitudo rerum audientem inuadat, & ſi eius cognitio tam ad ſpeculandum quàm ad dicendũ non ſit inutilis, tamen in præſentiarũ relinquatur, uel quoniã ad grauitatem pertinet, de qua nihil aut parum diximus, quod putabamus, niſi de ea præcepta edantur, non nimium nos legẽtibus profuturos: uel quoniam ueriti ſumus, ne nonnullis oſtentationem ſcribere uideremur, ſi latius eam rem hic explanaremus, quæ ſine naturæ rerum diſciplina explicari nõ poteſt. Verum orator ubique uidebit, quid facto opus ſit. multitudine potius incumbendum: aut quanto paucioribus, tanto robuſtioribus irruendum: & numerum ne rerum oratio per ſe ferre debeat, aut inciſione plura, uel iunctione pauciora oſtẽtare argumenta, credatq; non perſpicaciorem eſſe ſenſum aurium quàm oculorum, quibus quodcunque obijcitur. quare ne dicendi quidem peritus cum audiat ſtatim, ſed cum acrius conſideret animo percipit. Quod ſi probare Cæſari poſſemus.] Confingit minus ex partitione ſimilium, per expolitionẽ. Et ſi eſſet alicuius, eius certe non eſſet.] Dat quod abſtulit, ut augeat. nam ſi nõ eſt hominis quicquam arguere, multo minus eius eſt qui in eodem crimine fuit. Itaque locus hic duo ad idem trahit argumenta, quæ numero ſuo ſe offerunt, quoniã & oratione diſtincta ſunt. multitudo enim tam ad amplificationem, quàm ad probationem commodior: uis ad ultimum ſolum. quare tum maxime uno ex pluribus agendum, cũ diſtincta argumentorũ uis, quaſi diſperſa perit. Sed his duobus uno à minori argumento, maioris eſſe crudelitatis oſtenditur, confitentes ac ueniam petentes quàm negantes oppugnare: quod non proximum poſuit, ſed ita repetijt. Sed tamẽ aliud eſt, errare Cæſarẽ nolle, aliud nolle miſereri. tũ dicere, &c.] Cæſari ponit utrunq; ante oculos breuiter per diſſolutum: & quod ex fictorio eſt, & quod Tubero dicit, ut contentione alterũ altero crudelius uideatur, & illud inferatur. Hæc nec hominis, nec ad hominem.] Et quoniam collocatione fictorij, uel accommodatione ad id, quod uolumus commentationẽ eſſe placet, erit illud epenthymema. Et ſi eſſet alicuius, eius certe non eſſet.] Quod ut obſiſtentia ad inficiationem, ſic ad commẽtationem fertur, & tanquam minus dependet. nam ſi hominis non eſt quenquam arguere, multo minus eius qui in eodem crimine fuiſſet, nũc totã collationem confuſius tractatam, certiore ordine conſideremus.

Hoc uero multo acerbius.] Propoſitio longior. Si cum hoc domi.] Ratio ex fictorio, quo minus confingitur. nam ut etiam in ſuperioribus tactum eſt, quemadmodũ confirmationis loci rationis ſedem nonnunquam occupare uidentur: ſic fictorium cum expolitionis modus plerunq; ſit, tamen uel uniuerſam nonnunquã cauſam amplectitur, ut in tertio Rhetoricorum etiam exemplo monſtrauimus. quod cum fit, principalis loci, quo tota cauſa ſuſtinetur, uim & copiam ſuſtinet. cum uero in confirmationis locis fundatur, eoſq; adauget, ad expolitionẽ argumentationis accommodatur: cum in circunſtantijs funda-

tur, ut in factis, id eſt, in attributis perſonæ hic, ut ratio propoſitionem firmat. Dicam planè.] Ut ad ſe uertat, ac attentiorem ad id, quod ſequitur faciat iudicem, hoc interponit, et ideo ſpondaico numero & dactilica clauſula etiam orationem extollit. Sentio.] Inquit, ut breuiſſima hæc præparatio non perturbatione ſubita, ſed certo iudicio efferri uideatur. Itaque & ſplendore uſus eſt, quaſi rebus exultaret, & ueritatis methodo quòd confidat, & demonſtrationis ſchemate. Si in hac tua fortuna.] Poſt præparationẽ demonſtrationis ſchemate, alia ratio ponitur ex perſona Cæſaris, & hæc per fictoriũ, quod oppoſitam negationem cõſtringit, ut cõtrariũ inferat, quam multi non confirmant, iuncta ui minoris & contrarij: quorum alterum expreſſius, occultius alterum. Tamen hominis non eſſet.] Per inficiationem hæc eſt expolitio, ratione antepoſita ex fictorio, Quorũ ſaluti ciuis conſuluerimus: &c. Si eſſet alicuius, tamen tuum non eſſet.] Obſiſtentia huius oratio, quoniam in eadem fortuna fuiſſes. inficiationis & obſiſtentiæ modus in locis principalibus plerunq; fit, ſed uniuerſam quãdoq; conſtituit cauſam, & locos ſecundarios occupat, ut hic: et fictorio iungitur. à quo differt, quod fictorij uis multitudine aut uera, aut quæ uera uideatur conſtat, et rationis uim huius inficiatio & obſiſtentia propoſitionis. Sed tamen aliud eſt.] Ante oculos utraq; re poſita, ut collatione quod maius eſt expreſſius erumpat, quod propoſuerat. Hæc uero multo acerbius cõmutatis uerbis infert. Hæc nec hominis, nec ad hominẽ uox eſt.] Inquit ut auditoris odium in eum concitet, qui adeo inhumana uoce ad iudicẽ uteretur, ut credere uideretur eũ non eſſe hominem. Qua qui apud te.] Inflammat animum iudicis, & exponit ambiguũ, ne ita poſſit accipi, hæc uox crudelis hominis eſt, & ad crudelem: ſed hoc aditu, & ſibi eum cõciliat, & aduerſario infeſtum facit. Ac primus aditus & poſtulatio.] Venit ad reprehenſionem ipſius primi aditus, & poſtulationis aduerſarij, qua de ſcelere ſe Ligarij dicturũ pollicitus fuit, quod ille ad coniecturam figura latentem retulerat. nec enim uériſimile mihi uidetur, ita mẽte captos fuiſſe Tuberones, ut quod illi ipſi qui Cæſarem ſequebantur, ſcelus nec putarent, nec appellarent, id qui in eodem fuiſſe crimine putarentur, ſcelus in altero prædicarent. non ergo ad cõmune Pompeianorum factum id referebant. Niſi forte credamus demẽtes fuiſſe Ciceronis aduerſarios: quod quoniam faciendum non eſt, conſiderandũ diligenter quid cauſa flagitet, quomodo Cicero defendat. Quod ergo ad hanc partem attinet, nec figuris contecta, nec aperta Tuberonis intentio, mea quidem ſententia, in cõmune Põpeianorũ crimen ferebatur, ſed figurata in latentem coniecturã aperta, quod miſſum eum à ſenatu, ad prouinciam obtinendã ui expulerit, ac orator grauis cum recte ſingula perſpiceret, ne cõſcius uideatur, nihil dixit, quo figuram ſubintellexiſſe uideatur. Nec expulſos inde Tuberones, nec Ligarium Põpeianum fuiſſe negat, quoniam non erat integrum: uerum, quoniam quod fecit Ligarius, ut Pompeianus fecit, ſcelus in cõmune Pompeianorũ partiũ crimen adducit grauiſſime. tunc enim crimina deriuanda ex partibus, in communiora reducenda, uel è cõmunioribus in partes deducenda, cum id facere tutius eſt. Eſt autem deriuatio, reductio, ac deductio criminis, tũ maxime nobis integra, cũ non poteſt id facientes nos reprehendere aduerſarius, & rem quam agit reuocare: quod huic parti accidit. Nec. n. ad latentem intentionem reſpondere aduerſarium quiſquã urgebit, niſi ſeipſum prodat. nec apta Tuberoni ſtabilis erat, cum nequaquam ad Cæſarem in eos Pompeianos animaduertere pertineret, qui tempore belli ciuilis ſenatui nõ paruiſſent. Quare nõ ut Ligario infeſtior fieret Cæſar, id dicebatur à Tuberone, ſed ut ſibi Põpeianas partes ſemper profeſſo honeſtũ aliquid diceretur, cuius turpitudo aperte in Ligariũ illata, ad id quoq; poſſet referri, quod per figuram ſubijciebat. Illud quoq; uehementer aduertendum, quod cũ diceret Tubero ſcelus Ligarij eſſe, quod ſe in Africã ſenatus auctoritate uenientem expulerit, idq; aduerſus Cæſarẽ cõmiſſum ſubijceret: ſeparauit hæc Cicero: ac huic ultimo quod occultum erat, quodq; intellexiſſe diſſimulat, cõiecturã ibi reſpõdit, Si eſſetis recepti, Cæſari ne eã tradituri fuiſſetis? ante coniecturã, factũ facto cõparat, ut recriminari uideatur, ſuſpicionem debilitet, & ad coniecturã aditũ ſibi præparet. In hac parte, nomen ſceleris ad cõmune, ut diximus, reducit, & definitione utitur. factum. n. tam Ligarij quàm Pompeianorum cõueniebat, nomen facti in controuerſia erat, id nomen facto Ligarij, ꝙ expulerit, à Tuberone attribuebatur: & ut facilius negari poſſit, ad Pompeianorũ cõmunem cauſam à Cicerone reducitur. Sed iam ſatis de his, ipſius Ciceronis uerba conſideremus. Ac primus aditus & poſtulatio.] Attentiorem facit auditorẽ, ac docilẽ, ſummã huius particulæ breuiter præponendo. Non dubito quin admiratus ſis.] Captat beneuolentiam à perſona Cæſaris, cum ſtatim oſtendebat ab ea immanitate ſic longe ipſum abeſſe, ut putet Pompeianos ſceleratos, ut hoc audito admiretur: & ò perſona aduerſarij, qui id diceret cum in eadem cauſa fuiſſet, & inuenit falſum eſſe, quod Tubero dixit, quoniam nouum, & ò nemine unquam dictum. Treis ergo cauſas dixit, quæ cũ inter ſe copulari poſſent, diſiunxit tamen, uel ut ad mouendam admirationem Cæſari unamquãq; ſufficere oſtenderet, uel quoniam de motione animi non ſua, ſed alterius dicit. Tunc. n. maxime diſiungimus, cum uel res ipſæ ſimul eſſe non poſſunt, uel de altero dicimus: ut cum in cõiecturali tranſponimus, ſi ab ijs quæ alij fecerunt, in iudicium trahimur: uel cum oratione oſtendimus, ſufficere ſingula ad inducendum quod uolumus. uſus uero eſt uelocitate breuioribus in repetitione membris, & trochaica clauſula, ut breuiter exponeret, quare non dubitaret. Vel quidnam noui ſa.] Subijcit hic. nouum. n. quod dicit, ad figuram aduerſarij poteſt referri. Item in figuram figuris illudit. Scelus tu illud uocas Tubero? cur?] Proponit nomen acriter per aduerſionem, & interrogationem. Iſto. n. nomine illa adhuc.] Negat idem, & defenſoris propoſitio in definitione. Illa cauſa caruit.] Reducit ad communius. Alij errorem appellant.] A' conſuetudine loquendi, uel opinione cõmuni, probat eã cauſam caruiſſe hoc nomine. quam loquendi tamen cõſuetudinem opinione cõmuni ortam, non ad definitionem, ſed ad nomen refert. nam in definitiuo ſtatu proſpiciendum eſt, ut ſi quod rarius propter multitudinis naturam fieri poteſt, de re quid ſit cõmunis opinio habeatur ad definitionem. ſin id fieri non poteſt, cõmunem loquendi conſuetudinem, & opinionẽ ad ipſum nomen referamus. quod ideo firmum eſt, quia, quæ ab omnibus eodem modo dicuntur, & ſi plerique nominis rationem ignorant, non tamẽ abſque ratione ita dictitata ſunt. Qui durius.] Inquit, ut crudelis uideatur, qui ſcelus nominat, articulo hoc explicuit uelociter, & non dubius animo intulit. Scelus præter te adhuc nemo.] Quod ueritatis eſt, ne quæ uulgo nota omnibus erãt, dubitare uideretur, & ut ſcelus eam cauſam appellatam non eſſe, ueritatis methodo aſſereret. Ac mihi quidem, ſi propriũ & uerũ nomen.] Pronominat, primo ut ipſe opinatur. deinde ut Cæſar exiſtimauit. Nomẽ ergo nomini opponit, quod pronominãtis eſt: ſceleri fatalem neceſſitatem. pronominationis definitio hæc eſt. Fatalis neceſſitas eſt, cum res non humanis conſilijs, ſed diuina neceſſitate geruntur: Sed hæc res humanis cõſilijs diuina neceſſitate ſuperatis geſta eſt: Fatalis ergo hæc neceſſitas fuit. Ponitur autẽ hic accommodatio ſola, quam & expoſitionem appellamus. Sed accõmodatio uel dictã, uel ſubauditã definitionem ſubſequitur, expoſitio præcedit. quare ordine, non re differunt: nec inter accõmodationem et definitionẽ aliud intereſt, niſi ꝙ illa ſimpliciter profertur, hæc rẽ, de qua dicitur, aſſumit. quare plerunque accommodatio ſola dicitur, quoniam

ex ea facilior cognitu definitio eſt definitionem ſine accommodatione uel expoſitione adhibere, uitioſiſſimum, & propter id, quod dictum eſt, quoniam quæ ſeparata ſunt non mouent.

Liceat eſſe miſeros: quanquam hoc uictore, &c.] Poſt definitionem pronominationis, quaſi quodã impetu animi & indignatione in cõmiſerationem incidit, communiter plus de omnibus dicit, ut poſſit à perſona Cæſaris non beneuolentiã ſolum captare, ſed ad miſericordiam compellere, qua maxime iſta cauſa defendi uidetur. Illud.n. potiſſimum exiſtimandum ſemper eſt, quod cum per totam ferè orationem ſparſum eſt, locũ quoq; ſuum ſeorſum obtinet. nam quod cum alijs coniunctum mouet, & ſeiunctum non agitur, infirmum eſt. Non loquor de illo, qui remouet uiuos. De illis qui occiderunt loqui ſolum dicit, ut magis moueat. Fuerint cupidi, fuerint, &c.] Ita repetitio inciſa, non uelox: numero enim impeditur. nam commiſerationis genus alienum à uelocitate eſt, mẽbris tamen breuioribus contexitur. nec.n. hæc animi perturbatio in longius producere ſpiritum poteſt, & orationem ſemper tardiorem facit. quare niſi coniuncta ſint membra breuia, numerum conſtantem habebit: quod fiet, ſi his pedibus abundat, qui pluribus ſyllabis productis conſtãt, quod ad conqueſtionem penitus referri nolumus. Nam & ſi locis conueniant, genere tamen dicendi eſt in quo differant. cõmiſeratio.n. cum omnia ad perſonã dicentis conferat, nec quantum in ſe eſt ad perſonã aduerſarij reſpiciat, genus orationis poſtulat tardum & inciſum, ut pronominantis ſpiritus non prolixitate membrorum, ſed ſyllabarũ productione aſſumatur, & uox altius efferatur. In conqueſtione cum perſonam quoque aduerſarij reſpiciamus, acris ac uelocis orationis non nihil ſubappareat oportet, ita tamen ut cõmiſerationis genus etiam hic eluceat. ad hæc cõmiſerationi, & omni affectui nimio exornationes, quibus uerba eadem ſæpius ponũtur, quoniam immoratione affectus emergunt, maxime conueniunt. quare cõmodiſſime repetitione uſus eſt. Locus autem cõmiſerationis huius eſt, à deploratione ſingulorũ. nec enim poſſumus non miſereri, cum clari uiri cupiditate quadam uel ira, uel pertinacia in miſeriam deuenerint: ſed ei cõiungitur locus à diſtributiõne temporum. redit enim à præterito ad præſens oratio. In futurum etiam pro natura temporis protenditur, cum dicitur. Liceat ſceleris crimine, furoris, parricidij carere.] Quæ omnia forte in Ligarij factum Tubero congerebat. Liceat Cn. Pomp. mortuo.] Splendore perſonæ magis in miſericordiam impellit, ſi tantus uir, quoniam ad aliquid etiam ipſe ut homo errauerit, aut cupidius quid fecerit, idcirco in ſceleris et furoris crimen indigne trahatur: præcipue poſt mortẽ, cum etiã ipſis qui uere ſcelerati fuerant, natura ipſa duce ignoſcere ſoleamus. Illud loco dixerim, quod & ſi ad grauitatẽ pertineat, breuiter tamen tactum eloquentiæ ſtudioſis non parũ fructus afferet: eaſdem fermè res orationis ui ad diuerſa rapi poſſe.

Iam hic ea ipſa, quibus opinione communi, ac loquendi conſuetudine nomen negatur, cõmiſerationem faciunt, genere dicendi commutato ſimul cum loci tractatione: quæ quantum poſſit, tametſi etiam in Rhetoricis tractatum eſt, tamen id latius oſtendere ad præcepta grauitatis pertinet. fit autem id perſonarum mutatione. quod enim alijs tributum opinione communi confirmabat, qui cõmunis locus definitiui ſtatus eſt: id ipſum in eos qui occiderunt relatum, cõmiſerationis locus factus eſt. His illud addatur, quod niſi quis in quo loci differant, in quo cõueniant, & quomodo alius ad alium tranſeat, & cũ his omnibus tractationem tam locorum quàm affectuũ, & genera orationis formis idonea: niſi quis inquam, hæc teneat & facere poſſit, nũquam oratoris nomine dignus erit. De quibus omnibus latius dicemus, ſi dabitur otium de grauitate ſcribere. dabitur autem, ſi ut cæteri omnes, uel qui eas uiles artes, quas mechanicas uulgo dicimus, profitentur, ſic nos quoq; uictum nobis poterimus profeſſione noſtra comparare. Quando hoc quiſquam ex te.] Pronominauit opinione ſua, pronominaturus opinione Cæſaris, ibi, Seceſſionem tu illam. quoniam tutum non eſt, quod alter exiſtimauerit abſq; præparatiõe proponere, rationes quaſi cõiecturæ anteponit ab attributis perſonæ: id eſt, ab eo quod Cæſari aliquid huius unquã dixit, quoniam nullus audiuit: & à factis mirifice, & auditoris animũ impellit quò uult, & aduerſarium in odium occultius rapit. illud quoniam cum Pompeianis pacẽ cuperet, quod cũ ſceleratis optare improbum eſt, ex quo ſequitur, quòd nõ ſcelus, ſed ſeceſſionẽ exiſtimauit, qui pace coniungi cupiebat: hoc, quoniam qui ſceleratos Pompeianos putat, eum quoq; à ſcelere non uidetur liberare, qui cum illis pacẽ concupiuit. Mihi uero Cæſar tua in me maxime merita.] A' perſona eorum quibus benefecerat, et à beneficijs ipſis. habet autem is locus duplicem orationem: unã, partim quia tam in rempub. quàm in ſingulos benignitatem ſuam amiſiſſe monſtrat, ſi multos ut ſceleratos cõſeruauit: alterã partim, quia ſceleratos ſaluos, incolumi dignitate & uult, & facit, ipſum quoque in ſcelere teneri ſubijcit. Seceſſionem tu illã.] Poſt rationes: pronominationem infert, oratione ſeiũctã. ne ſi acriter id fecerit, eum offenderet, quem ita exiſtimaſſe à cõiecturæ argumentis comprobauit. nec.n. aliter poſſumus, niſi coniectura, quid alter exiſtimet intelligere. Pronominationis deinde huius definitionem à factis, ut ſuperioris apponit diſperſius, quàm ut facile poſſit capi: quod facit, ne ars lateat, uis emineat: quæ plerunq; tanto magis inſurgit, quanto artificium minus perſpicitur. Eam igitur diſperſam colligamus. Seceſſio ſiue ciuile diſſidium eſt, cum duo ciues dignitate penè pares, rempublicam ſaluam eſſe cupientes, partim conſilij, partim ſtudijs à communi utilitate aberrant. Verum ne aberratio hæc ad principes relata, ad Cæſarem quoque referri uideretur. Vtriſque cupientibus.] Ad ciuile diſſidiũ ſtatim ſubiungit, ut tam hoc quàm illud, ſcilicet Aberrantibus, ad ciuilis diſſidij partes referatur. De principibus orationis ita ſeiunxit, ut ad ſubſequẽtia potius ꝙ ad antecedẽtia accõmodari uideatur: cũ tamẽ uis terũ definitionis pars ſit. Nec enim uulgus, niſi quos ſequatur principes habeat, diſſidere ac ſcindi ſolet: quamuis erroris ad principes propter naturam rerum relatio, cum re ipſa lenior ſit (quoniã hominis ſit errare) oratione quoq; penitus leniatur. Nã quod dicit, Partim cõſilijs, ad Põpeianos: Partim ſtudijs, ad Cæſarianos referendum eſt: ut non rectis Pompeij cõſilijs Cæſar coactus ad propulſandam à ſe contumeliam, & ad tuendum ius ac dignitatem ſuam inſurrexiſſe uideatur. quod cũ uim accõmodationis habeat, expoſitum tamen prius eſt, & alijs ſtipatũ latet, ne ſi accõmodatum loco extaret, ad excuſationem ſuã hæc dici Cæſar ſuſpicaretur: quæ res & Ligarij cauſam euertebat, & in Ciceronem auditorem ſubincendebat. Alteram uero partem accõmodationis, quæ Põpeianorum erat, omiſit: uel quoniã à definitione ipſa facilius colligi poteſt: uel quoniam cũ neceſſe eſſet utroſque accuſare, Cæſaris partes extare maluit. Cauſam tum dubia.] Excuſat utroſq;, Põpeianos et Cæſarianos. Nunc melior.] Ab effectu felici. Cognita uero.] Quod initio dubiũ fuerat, poſtea clementia Cæſaris omnibus certũ ac probatũ eſſe aſſerit. Sed ut omittã.] Trãſitio breuis, ut abſq; mora collaturus pedẽ uideatur. Vtrũ tandẽ exiſtimas facilius fuiſſe Tubero.] Propoſitio cõparationis abſolutæ. nã cũ in agenda cauſa ſeparatus aliquis locus incidit, qui quantum in ſe diuerſorũ ſtatuũ ſit, diligẽter radix quærẽda eſt, ac ex eo ſtatu maxime loci huiuſcemodi uis ducẽda, qui rebus cõuenit. cõuenit aũt huic abſolutus iuridicialis, ut ſuperiori cõparationi definitiuus. nã ibi prohibere ſupplices ad pedes iacẽtes et flẽtes, et poſtulare ne ignoſcatur, tanquam ab aduerſario tandem datum orator accepit. factũ ergo conuenit, de nomine nõ conuenit. Itaque factũ acerbum atque graue, imo etiam petitione ipſa acerbius atque gra

*uius aſſerunt. Comparatio ergo definitiuis eſt, quam ſi quis iuridicialem putet, quoniam factũ ſibi licere poteſt aduerſarius contendere, uehementer errat. Eſt enim iuridicialis proprium, nullum factis nomẽ attribuere. at huic facto acerbius attribuitur: eſt ergo locus ſimplicis definitiui ſtatus. Nec erat opus acerbitatem definire: nam acerbum atque crudele ſanguinem petere eſt. quod diſputando ab aduerſario accepit, cum dicat: Ego uero illud non poſtulo, inquies, ſed ne ignoſcatur. Hoc ſi grauius illo apparebit, illud profecto ſequitur, hoc quoq; crudele eſſe. quare cum his, quæ ab initio ad finem ſunt, ampliatio & comparatio approbentur, & is locus maxime fictorium ſoleat ſuſcipere, fictorijs abſolutus eſt. Hæc autem comparatio (ut diximus) iuridicialis abſoluta eſt. factum enim Tuberonũ Ligarij facto comparat, non illi quod ſubijciebant (nam illud ne intellexiſſe quidem ſimulat, ut ſæpius iam dictum eſt) nec communi crimini, q Pompeianus eſſet, uel quoniam commune ſibi eſſet cum aduerſarijs, uel quoniam & ſi ad recriminationem comparatio hæc pertinere uideatur, ad coniecturam tamẽ preparatio quædam eſt: nec ergo iſtis, ſed huius profectioni profectionem illorum comparat. conſtabat autem, utroſq; à Senatu miſſos. Licuiſſe uero, imo honeſtiſſimũ id ſibi. Tuberones fuiſſe non poterant non aſſerere. quare idipſum Ligario ſimiliter concedi oportere ab aduerſarijs, orator arbitratur. Verum & ſi quæ ad grauitatem pertinẽt, breuius perſtringere, mihi cũ incideret propoſitum fuit, latius tamen atq; altius huius loci rationem atque tractationem mihi exponendã intelligo. Subijciebat aduerſarius: Niſi à Ligario ex Africa pulſus fuiſſet, traditurum ſe eam prouinciam Cæſari fuiſſe. quod Cicero coniectura diluit: ad quam magni intererat, ne cogitaſſe quidem id Tuberones oſtendere, quoniam excuſare ſe conſtituiſſent: ſed impellentium amicorum orationem ferre nõ potuiſſe. ceſſiſſe igitur, & quaſi coactos fuiſſe. Hæc omnia, quod ſubijciebantur, coniecturæ argumentis debilitant, imo infringunt. quare non erãt negligenda: ſed nec apertius in coniectura dicenda, ne diſſimulationem aperirent. Nam quibus uoluntatẽ fuiſſe, uel non fuiſſe probamus, ſi manifeſtius ut coniecturæ loci ponuntur, oẽm figuram & ſimulationem facile detegere ſolent. quod cũ accidit, neceſſe eſt aliquid inuenire, quod in cauſa ſit: quod & ſi ſuapte natura ita leuiſſimum atq; inutile ſit, ut prætereundũ uideatur, tamen cum ei coniungere commode poſſimus, quod cauſam noſtram iuuat, adhibendum eſt. Iam profectionis ad profectionem comparatio, ad Ligarij cauſam nihil affert: nec ita dementes Tuberones credendum fuiſſe, ut profectionem accuſarent: nec ſi feciſſent, Cæſar aures eis præbuiſſet. quare relinquitur, ut aut tantus orator nugetur, aut aliud moliatur occultius. Primum inſani eſt credere. uerum eſt ergo alterum. Quare is locus per ſubiectionem tractatur, cuius aperta intentio profectionum comparatio figuris obtenta coniectura, per locum à uoluntate refutatio. Virum tãdem exiſtimas.] Vt comparationis ui duplex propoſitio hoc loco eſt: ſic quæ ei redduntur rationes ſeiunctim, quoniam inciſo genere opus eſt, utrique parti accommodantur. Poteramus ne inquam?] Cum ſenatus auctoritate Tubero rem ſuã tutari poterat, eadẽ auctoritate ſenatus Ligarium defendit, exuſcitatione utitur, et uelocitate, & inciſo genere. Atque illo tempore cõparationem æqualitatis, quantum ad rem et cauſam attinet, tempore imparem oſtendit, ubi neceſſitate honeſtior Ligarij cauſa uideatur. Et eſt amplificationis locus, à minori per collationẽ. Reprehendo igitur? minime uero.] Hoc idem illi. Poteramus ne inquies? cũ ſe nullo modo, etc.] Reſumpſit ergo quod propoſuit ex parte, ut omiſſam à perſona rationẽ diceret per cõgeriem. rationes non contulit, ut quæ coniecturalia nõ ſunt, inciſa oratione cõmodius inſerere poſſet: utq; ita diſtincta, facilius animũ auditoris ingrederentur. Nec.n. tantum ut moueat hic oportet oratio, quantũ ut interſecet orationem, quo id quod ſubijcitur, auditor percipiat. Tuberonis ſors.] Remota à traditione uoluntatis cauſas tangit, q iturum ſe in Africam neſciſſet, ſed coniecta ſorte præpoſitus, quòd abeſſet, q morbo impeditus decreuiſſet, remanere ſtatuit, inquit, ut conſilium eius certum oſtẽdat.*

*Hæc ego noui propter hominis neceſſitudines.] Multis rationibus aſſeuerat ſe nouiſſe. Sed ita quidam aiebant.] Relo. publica amicorum oratione ac auctoritate impulſum ceſſiſſe, ac Africã petiſſe ait, ut nihil de traditione cogitaſſe uideretur: quippe qui profectus non eſſet, niſi amicorũ auctoritate uictus ceſſiſſet. & ſimul cum illis profectus eſt, qui eaſdem Pompeij partes ſequebantur: quæ argumenta ſunt, non fuiſſe traditurum. Ex his iam patet, conſtitutionũ locos inter ſe ita diffundi atque coniungi ſolere, ut alij uel ipſa natura rerũ ad alios concurrant, uel propter figuras, ut hic. coniectura enim in comparatione latet, & ui obtegitur ac ſuſtentatur. Hinc in Ligariũ crimẽ oritur, uel, &c.] Correctione uſus eſt, ut auditor acrius aduertat, ita turbari Tuberones. Nam ſi crimen.] Redit ad criminandum, ut aut etiam Ligarium innocentem putent, aut non minore crimine ſe quoque teneri credant. & eſt ratio ab eodẽ facto, qua probatur, ira, non Ligarij crimine cõmotos.*

*Quàm aliquem ſe imperatorem eſſe maluiſſe, atq; is tamen aliquis Lig.] Profectionem profectioni comparauit. nunc breuius atque cautius id Ligarij factum, quod aperte crimini dabatur, aduerſariorum facto comparat. nã ſi crimen eſt quòd expulit, non minus, uoluiſſe, quàm maluiſſe obtinere, uoluiſtis autẽ nos, maluit Ligarius, non minus ergo ueſtrum q̃ ſuum. ita tota hæc cõparatio ad hoc ultimũ redire uidetur. ut enim quæ poſtremo in orationibus cõtinentur, ab auditoribus magis retinentur: ſic quæ in ultima locorum parte ponuntur, notantur magis. idcirco uel firmiora in extremis quoq; principaliũ locorũ partibus collocanda, uel repetenda, uel amplificanda ſunt: uel ut hic fit, ſi breuius atque tenuius aliquid, & ad rem magis pertinens, etiã quæ iam dicta ſunt, ad ſeipſum quodãmodo flectat, loci totius exitum poſſideat. quod cum opus facto eſt, ſummopere cauẽdum, ne diſtinguatur oratione, ſed quaſi cõſequens antecedẽtibus innectatur. Varus imperiũ ſe hab. etc.] Transferre uidetur, cum non transferat. Nõ erat (inquit) is aliquis Ligarius, ſed Varus tenebat imperium. ita locus uim trãſlationis in Varum habet. Illud manifeſtius ſubijcit ex natura prouinciæ, Tuberones, quoniã Pompeiani eſſent, auctoritate ſenatus miſſos ut peterent Africam, omnium prouinciarũ arcem, nõ pro Cæſare, ſed contra Cæſarẽ profectos fuiſſe. Natam, inquit, ad bellum cõtra hanc urbem gerendũ.] Quã iam Cæſar tenebat. Quare ſubijcitur Contra te. Nunc ad cõiecturam, quæ ab aduerſarijs ſubijciebatur, ueniemus: ſi prius de ordine iſtorũ, quæ ad recriminationẽ pertinent, altius pauca repetamus. Quinque quædam recriminatur, q & ipſe Tubero pro eadem cauſa pugnauerit, q ſanguinem ciuis calamitoſi petat, quòd ne ignoſcatur postulet, quòd de ſcelere ac furore Ligarij dicturũ ſe profeſſus ſit, q non honeſtior ipſius cauſa quàm Ligarij eſſet. Et quoniam à firmiſſimis incipiendũ eſt, firmius aũt è tribus fundamẽtis huius cauſæ miſericordia eſt, ab eo erat incipiẽdũ. nã coniecturã aperte ingredi tutũ nõ erat, quoniã res ſubijciebatur inuoluta figuris. Sed ne aperte quidẽ illatã tutũ fuiſſet. poterant n. aliqua in animo auditoris ſuſpiciones relinqui. Recriminatio ut aduerſoriũ uexat, & territat, ſic ad defenſionẽ parum adfert. quare à miſericordia erat incipiendũ, quam conceſſio anteceſſit breuiſſime, ut res poſtulabat, facta: uel quoniã natura firmior deprecatione eſt: uel quoniam cũ præcedit, ad miſericordiam aptiſſima. non poſſumus.n. nõ miſereri, cum uoluntatẽ integrã neceſſitate impulſam intelligimus. Miſericordiæ uero omnis deprecationis loci conueniunt. Secundũ cõceſſionem attributio deprecatiua locum obtinuit, cui aliquam recriminationem*

minationem

minationem coniungere opus erat, & propter breuitatem: & quoniam quando cauſa difficilior eſt, oportet ſequẽtis locos ſtatus, maxime ſi rerum quoq; cõmutationem faciunt, antecedentibus ſic accommodare, ut cohæreant. nam & res acrius hoc pacto agitur, et ars magis latet: attributioni nihil præter illud aduerſus Cæſarẽ, Tu quoque Tubero pro eiſdem partibus pugnaſti, poterat accommodari. Erat igitur ſolum hoc è quinque miſericordiæ locis inſerendum, quod exẽpli loco adhibitum eſt, ut iã diximus, & confirmationi attributionis attributũ. Ante id, q̃d ſubijciebatur, quodq; cõiectura propellitur, cõiecturales loci q̃ ſuſpicionem debilitarent, & faciliorem aditum ad ipſam coniecturam facerent, erant occultius collocandi. huiuſcemodi uero coniecturales loci, niſi in comparatione abſoluta latere nõ poterant. definitioni enim coniectura ſic coniungi, ut unum uideatur, fiatq; tanquam unũ ex diuerſis, non facile poteſt. Sed nec coniectura coniecturæ, quæ ſubijcitur ei, quæ ſubiectioni opponitur. confuſio enim fit, & auditoris animum ita diuerſarum coniecturarum cõnexa ſimul argumenta non parum diſtrahũt: quas ob res abſoluta comparatio ante cõiecturam collocata eſt. reliquis tribus definitiua coniecturalem recriminationem ſequitur: quoniam ſi præceſſiſſet, acerbum eſſe poſtulare ne ignoſcatur, non potuiſſet confirmari, niſi ad ea quæ dicta ſunt definitione quoq; acerbitatis uſus eſſet. coniectura propoſita, ſola comparatio ſufficiebat. adde q̃ ciuis calamitoſi ſanguinem petere, in hac tota recriminatiõe acrius eſt: quare ut firmius, primo collocandum. nam quòd earundem eſſet partium Tubero, & ſi recriminationis uim non perdat, locũ tamen non habuerit ſeparatum: cum attributionis confirmatio ſit, & in eius locũ trãſeat. Etenim ſtatus uel loci, qui coniunguntur, atque ad unum cõfluunt, ſemper quidem naturam ſuam perito rhetori, ſi hæc uelit inueſtigare, facile oſtẽtant. unus autem alterius, aut ita pars ſit, ut ei non ui rerum, ſed ſola orationis cõpoſitione inhæreat, ut hic coniecturæ locus abſolute comparationi: aut trãſit, & re ipſa pars ſit, non oratione, cum & alius atq; is cui coniungitur, locus principalis dicendus non eſt. qui tamen ſi diſiungeretur, principalis eſſe poſſet, ut recriminatio hæc quæ attributionis facta cõfirmatio eſt, ſeparari poſſet. Hoc pacto accuſas Ligarium, qui in eadem cauſa fuiſti. Argumentum à factis, locus coniecturalis: Quid enim Tubero tuus ille diſtrictus, &c. qui locus oratione diſiũgitur, ut recriminatio recriminatior fiat. Aut igitur oratione ſolum iungitur, aut rebus ſolum, aut re utraq;, ut illi loci. Nam quod in ſecundarijs fit, id itidem & in principalibus & in radicibus fieri poſſe, facile intellectu eſt. quàm multi enim de uictoribus, qui te crudelem eſſe uellent, cũ et his quibus ignouiſti, nolũt te eſſe in alios miſericordem. Item cum ipſa legatio plena deſiderij ac ſollicitudinis fuiſſet, incredibili quodã fratrũ amore, hic æquo animo eſſe potuit, belli diſſidio diſtractus à fratribus. Quod ergo pro Põpeio etiam Tubero pugnauerat, recriminationis uires non perdidit, loci principalis ſedẽ perdidit: Recriminatio tam re q̃ oratione ſeparatur, inde incœpit: Hæc uero non modo mirabilia ſunt, ſed prodigij ſimilia quæ dicam. Hæc quaſi acrior prima locata eſt, ad quam ſequitur, Nõ ſanguinem poſtulo, ſed ne ignoſcatur. hoc uero multo acerbius nã hac præpoſita, nulla pacto nulla poterat adhiberi: quare neceſſe fuerat, ſi nihil ex omnibus, quæ recriminationi dãtur, attributioni accõmodari facile poterat, præterquã quod etiam ipſe pro eiſdem partibus pugnauerat, ſi deinde quod ſanguinem petebat tanquã, acrius ſequebatur, ſi poſteaquam acerbius ſic poſtulare ne ignoſcatur, & flentes è pedibus deturbare erat adhibendum, ſi poſtremo comparatio profectionum coniecturæ principali præponenda, neceſſe inquam fuerat pro nominationem definitiuã aut omittere, aut inter cõparationes collocare. Ad hæc ut uideas nihil eſſe Ciceronis, quod cõmutatum aut tranſpoſitum melius fieri poſſit, id non omittã, recriminationem omnem cõmodiſſime coniecturæ, quam accuſator aperte agit, poſſe cõiungi, imo debere. ut ſi hoc modo dicas: Tu Cæſari traditurus prouinciã eras, qui armatus in eum irruiſti? & ab hoc aliud: Tu qui ipſius Cæſaris latus mucrone petiſti, traditurũ te ei prouinciã dicere audes? Coniectura igitur, quã aperte accuſatoris intentioni opponimus, recriminatio recte coniungitur, in quã nos ipſi per nos delati uidemur, ei cõiungi non poteſt. quare nullus recriminationi locus relictus, niſi inter deprecationem primam & abſolutam comparationem. Sed quoquo modo ſe iſtud habet.] Mirabilis ad coniecturã tranſitus. tantum enim confidere oratorem futura oſtẽdit coniectura, ut quoquo modo ſe habeant, quæ dicta ſunt, non ualde ſolicitari uideatur. Quo, inquit, quaſi propter errorẽ quæ ſequuntur firmitatem concedere, uelut repugnari quæ dicta ſunt, ita & obſiſtentiæ uim retinuit, & quæ dicta ſunt, non omnino dedit. Recepti in prouinciam non ſumus.] Hæc eſt intentio, quam aperte Tuberones inferebant. Vnde miror aliquos, qui rhetoricam profitentur, quod Pompeianus fuiſſet Ligarius, accuſationis caput potuiſſe opinari. Nã id uel bubulci & agaſones falſum eſſe poſſent intelligere, cum ipſe dicat: Hic querela noſtra quid ualet, recepti in prouinciam non ſumus. mutauit uerba in mitius: Non enim dubito illo intendiſſe, Ligarij ſe ſcelere fuiſſe expulſos. Quid ſi eſſetis? Cæſari ne eam tradituri fuiſſetis? an contra eum retenturi?] Propoſitio coniecturalis: quam nõ alia ratione ita dupliciter protulit, niſi ut diſſimularet figuras ſe aduerſarij intellexiſſe. ac ideo grauiſſime utranque partem proſequitur, ut cum ſimulat dubitare, quam partem duplicis coniecturæ capiãt aduerſarij, ui rerum ad hæc deductus, nõ ex aduerſarijs impulſus uidetur. Vide quid licentiæ Cæſar.] Conciliat ſibi iudicem. Si reſponderit, inquit, quaſi id ille non ſubiecerit, Non dubitabo. Proponit reprehendendum eſſe conſilium eius, ſi dicet uoluiſſe. Non enim ſi tibi.] Ratio à natura rerum, quæ ex eo quod alicui gratæ & ingratæ ſunt, imitari minime poſſunt. Sed iam hoc totum omitto, non tam ut ne offendam.] Hanc de reprehendendo cõſilio partem, partim ut aduerſariũ terreret, attulit, qui ſe proditorem patefacere nolebat: partim ut tutius diſſimularet, ac ideo ſolum tactam aliata cauſa omiſit. nam qui multis rationibus cum quidquam reprehendit orationẽ uallat, credere uidetur factum id aut cogitatum quod reprehendit. Veniebatis igitur in Africam prouinciam.] Locus coniecturalis, qui cum perficiendi ſpem adimeret, eos ne cogitaſſe quidem oſtendit. nam niſi poſſe quid credamus, id conſulto nunquam ſuſcipiemus. eſt autem à cõditione prouinciæ, à potentia regis, inimici Cæſarianæ cauſæ, et à cõuentibus firmis ac magnis. In qua Rex potentiſſimus.] Diſſolutum re bimembre, uerbis trimembre. nam ut multitudinẽ rerum augeat, & cæſa oratione in animo auditoris interſerat. Aliena uolũtas inquit, quod ei idem eſt, inimicus huic cauſæ, is locus. illud quoque ſubijcit, Etiam ſi tradere Tuberones Cæſari prouinciã uoluiſſent, nõ obfuiſſe tamen Cæſari eũ qui eos expulit: cũ quod cogitarent, facere nullo modo potuiſſent. Ita hæc oratio, ut apertius ferit, ſic occultius exulcerat. Quæro quid facturi fuiſſetis.] Reſumpſit duplicẽ cõiecturæ propoſitionẽ, ut & confidere magis uideatur, & illud poſſit addere. Quãquam quod id facturi fueritis, non dubitem: cum uideam quid feceritis. prohibiti eſtis.] Ponit rẽ ante oculos breuiſſime. utitur. n. genere inciſo & ueloci, aptiſſimo ad diſceptationẽ, quo rẽ ita exponit, ut interſerat & immoretur. quod facit, ut argumentum, quod infert, maiore ui erũpat. Quod ſi Cæſaris cauſa.] Victoriũ, quo id ponitur quod ſubijciebatur: ad eũ profecto id ſequitur, ſi uera erat ſubiectio. et eſt cõcluſio ſimplex. Veniſtis ad Põpeiũ.] Negat eos feciſſe, q̃d feciſſent, ſi uera ſubijcerent. acrius uero atq; cõmodius ueniſtis ad Põp. intulit, et nõ negationẽ eius, quod ex ſubiectione ſecutũ eſt: tũ ne in dialecticã aſperi

tatem incideret:tum ut eo robuſtius,quo breuius,locũ abſolueret. nam eius quod ſequitur negatio, ſuſpenſam reddit orationem, niſi uſq; ad negationem eius quod antecedit deducatur. qui oppoſitionis modus tanto aſperior, incultior, atq; deiectior eſt,quãto alter eius modus iucũdior, ornatior, atque ſublimior.

Quæ eſt ergo apud Cæſarem querela?] Concludit nullam eſſe querelam ſuam, qua ut à ſpe perficiendi et argumẽto è factis conſequitur,prohibitos ſe è Ligario contra Cæſarem bellum gerere conquerebantur. Tria ergo poteſtas in hac coniectura offert auditori,duo quæ dicta ſunt, & tertium ad bellum cõtra Cæſarem gerendum Africam petiſſe,quo & ab honeſto, & à ſpe perficiendi quod hoc & potuiſſent & debuiſſent.Illud contra,& à facto Tuberonis communiter erumpit.nam ſi Africa prouinciarum omnium munitiſſima Cæſari infeſta erat, ſi ipſi Tuberones Pompeianas partes complectebantur, ſi deniq; à Senatu miſſi in Africam:& inde expulſi ad Pompeium,cuius auctoritatem ſequebãtur,uenerũt: ex his omnibus profecto emergit, niſi Ligarius eos repuliſſet,contra Cæſarem bellum geſturos fuiſſe.Hoc ipſum timidius atque diffidẽtius ſubijciebatur,cum dicebat: Vos Africam arcem omnium prouinciarum,natam ad bellum contra hanc urbem gerendum obtinere uoluiſſe.ſæpe.n. in difficilibus cauſis,quod prius ſubiecimus,id poſtea cum rationibus magis corroborauimus,expreſſius diximus:In quibus etiã ita orationem componere,locos tractare, ac aut disiungere aut coniungere ſolemus,ut multa ſimul ac uaria moliamur. Diſiuncta itaq; magis ac ſparſa ſunt, quæ hic à Cicerone dicuntur: quod nunc maxime faciundũ cenſeo,cum aut perſuaſus iudex eſt,aut aduerſarijs fauet, aut ſingula per ſe ualida ſunt, quæ omnia huic obtigiſſe loco non facile negauerim. Atque in hoc quidem uel cum mẽdacio.] Hinc manifeſtiſſime intentio aduerſariorum figuris relata uideri poteſt.quare qui nec per ſe id intelligere poſſunt,nec alijs dicentibus credere uolunt,quaſi tertij apud Heſiodũ ordinis homines relinquẽdi eſſent:niſi eorũ doctrina ne dicam,an ignorantia & temeritate, tenera et inexperta multorum ingenia imbui uideremus. non aperit hic tamen omnino figuram,quoniam omnia hæc inde fluunt,Cæſari ne eam tradituri fuiſſetis, an contra Cæſarem retenturi? Et ſi è Varo & quibuſdam alijs.] Subijcit remotionem. Ego bene confiteor.] Ill·d. Sed uide quæſo Cæſar conſtantiã.] Redit ad corroborandum amplificandumq; argumentum ··. Quam ego,quamuis ipſe.] Ampliſſime dicturus de conſtãtia Tuberonis,conciliat tam ſibi quàm ipſi iudicem, ne ad inflãmãdum eum hæc dicere uideatur. Commemorare.] Modeſtius inquit,cũ rem quoad eius fa·ere poteſt, accumulet. Quæ fuit igitur unquam.] Proponere uidetur locum de conſtantia Tuberonis,cum re locũ ab initio exaugeat.nec enim alius eſt locus hic principalis, atq; Prohibiti à prouincia eum ſumma iniuria ad Pompeium ueniſtis.Verum cum re unus ſit, oratione disiungitur:uel ne uehementia,quæ crebritate ac collectione uirium inuentionis fit, fauentem aduerſario iudicem exaſperet:uel ut multitudinis ſpem facilius ſuperſedeat:uel ut maiore mora,inq; loco alienum à cauſa Ligarij animum iudicis iam forte lenitũ, tandem penitus flectat ac labefactet. Vt enim unita ac coacta magis impellunt,ſic diffuſiora facilius animos cõquaſſant.Porrò ſi quis perſuaſum,aut fauẽtem aduerſario iudicem pleniore oratione abſtrahere conatur,quaſi aridius ſubito flectere lignũ cupiat, franget,priuſquam quò uelit ducere poſſit. Conſtantiam dico? neſcio an melius.] Correctio amplior, ut auditor magis aduertat. Quotus enim quiſque.] Iſtud magnam patientiam oſtendit, eo quod nullus ferè alius ita repulſus & cũ crudelitate eiectus,ad eas partes rediiſſet, unde expulſus eſſet.Quotus, inquit:ut oſtendat uix in eo caſu alterũ ita patientem eſſe potuiſſe.Quare ratio in hoc eſt ſumma, eſſe rata omnia,locus à communiter accidentibus.Illud notandum,cũ quibus è circunſtantijs rationes emanant,apparet, quos differẽtiarum maximarum locos appellare ſolemus,inquirendos nõ eſſe. nec enim ad ſciendum,nec ad inueniendum quidquam conferunt:niſi quis in infinitionem ſemotis circunſtantijs cauſam abſtrahat,cum illæ nõ facile occurrunt.quod accidit,cum res magis in formam ſuam abducitur, maximarum differentias conſiderare debemus. Magni cuiuſdam animi.] Magnitudine animi ſingulari,ac unica. & eſt ab attributis perſonæ habitu, uel naturaliter. Nulla cõtumelia,nulla uis,nullũ periculũ.] Repetitio inciſionis, non ut breuis aut uelox oratio ſit, ſed ut mora & numero exaugeat. Vt enim cætera paria.] Ratio, quia contumelia & uis ſibi illata ſit. Honos,nobilitas, ſplendor.] Articulus,& ſi nũquam uelocitatis ſpem perdat,eſt tamen quoniam ut hic non eius cauſa adhibetur, ſed ut inciſione ac numero rerũ magis immoremur,& extollamus: quod cũ facere uolemus, ſemper in altius progreditur oratio,ut hic nobilitas honorem, ſplendor nobilitatẽ tam re,quàm uoce ſuperat.

Hoc certe præcipuum.] Hoc à rebus ipſu uim & contumeliam ſimul oſtendit illatam. Illud enim Cætera paria, Contumeliamq;, quoniam in maiores proprie fit, fuiſſent paria,cum dubitatione protulit,imperium ad uim magis,ingenium ad contumeliam probandam referendum. Hinc prohibitus non ad Cæſarem,ne iratus.] Duplex repetitio in caſu,imo ferè in ſingulis uerbis,ut cadat,augeat,immoretur in re,uelox in mẽbris ſit: quod facimus,cum rerum copiam oſtentare opus eſt. In macedoniam,in Cn.Pompeij caſtra. Illud ipſum à factis poſt eran factum negotium,ſignum, & locus ab initio eſt. Quid? cum res iſta nihil commouiſſet.] Maius argumentum cõſtantiæ ac patientiæ,ab eodem iniuriæ loco· quæ tametſi multiplicabatur, Tuberones tamen eundem contra Cæſarem animũ habuerunt.

Pacis equidem ſemper.] Probat illud,omnes ſtudio uincendi tenebamur:quoniam et hic ipſe qui ſemper auctor pacis fuerat,tum uincere cupiebat.quod ne aſperum uideatur,interpoſita re quæ cõmuniter amẽtibus accidere ſolet,lenitur. erat enim argumentis opus. Cum hoc à propria perſona ratio uitioſa non eſt, ſi pacis eũ auctorem ſemper fuiſſe, uel ipſe iudex nõ ignorabat. Tu certe præcipue, qui.] È loco,tempore,perſona, quæ parem alteri non pateretur, ſummouere Pompeianorũ uictoriam Tuberonem cupiuiſſe oſtendit:quamuis ab innata hominum cupiditate eſſe poſſit,qui ad imperandũ cupidiſſimi, à parendo alieniſſimi ſumus. Hæc ego non dicerem.] Mira totius loci ab initio diſpoſitio,breuis oratione,maxima uiribus. nã & ſe q dixerit excuſat, & aduerſarios laudando terret,ne ſi cõſtantes fuiſſe negare audeant,in ipſum Cæſarem,qui eis ut etiam alijs Pompeianis ignouit,ingrati uiderẽtur: & auditoris in benefaciendo ac ignoſcendo uoluntatem excitat. Quid? cum iſta res non commouiſſet eius animum] Simplex concluſio à factis, quæ tamen oppoſitionis uires retinet: Cum res iſta non cõmouiſſet animum eius od quem ueneratis,niſi conſtantes ac patientes fuiſſetis, quòd cõmuniter accidit omnibus qui eius animi non ſunt,languidiore ſtudio in cauſa fuiſſetis: nõ fuiſtis aũt languidiores: magna ergo conſtantia & patientia in ea cauſa fuiſtis. Sed ut ſolet, oppoſitionis ex negatione aſperitatem, ac puerilem garrulitatem uitauit: factũ intulit, quod maiorẽ uim quàm negatio habet.& ne acris nimiũ eſſet oratio,ſi in aduerſarios ſolum conuerteretur, ſe quoq; ipſum complexa eſt: Omnes,inquit, ſtudio uincendi tenebamur. ac rurſus ne eius animi ſemper fuiſſe in Cæſarẽ uideretur.his uerbis lenijt: Pacis equidem ſemper auctor fui. deinde ut uis extaret,reſumpſit: Omnes inquam uincere uolebamus,tu præcipue. Ita & acrimonia nimia uitata eſt in ea re, cuius ipſe quoque reus erat: & recriminationem etiam cogitationis effugit, & omnem uim orationis retinuit.

## CONIECTVRA DE ANIMO AC SENTENTIA TVBERONVM.

Vnc pauca de tota hac cõiectura repetamus, deinde ad reliqua tranſibimus. Coniecturam hanc de animo & ſentẽtia Tuberonum, ut duplicẽ proponit, ita ſimplicem agit: quoniam cum ad unicam perſonam factũ ita refertur, ut alterutrum eſſe neceſſe ſit, dummodo una pars confirmetur, neceſſario altera refutatur. negatur itaq;, eos uoluiſſe quod ſubijciebant. primo honeſtate, ꝙ rem eis turpem ne cogitaſſent quidem: quem locum cautiſſime tãgit, ne Cæſarẽ offendat. deinde à poteſtate, ꝙ ſpes perficiendi non dabatur; poſtremo ab his quæ fecerant, tanquam à ſigno. quibus omnibus cũ intuliſſet, petijſſe eos Africam, ut bellum contra Cæſarem gererent, pauciſſimis interpoſitis magis ut diſiungeret, quàm alia ratione, redit ad eius loci ampliorem expoſitionẽ, conſtantiã patientiãq; proponit, ut & redeat, & reditus lateat: & perſeuerantiam oſtendat, quæ res uoluntatem optime declarat. & ad aliud quoque argumentum ab eodem loco deſcẽdit, quod quanquam Pompeius querelis ſuis non mouebatur, tamẽ acriter contra Cæſarem pugnauerãt. quare uim eius loci qui à factis eſt, latius aperit, & amplificat, nunc negotiorum conſequentiã incidendo: Nulla contumelia, nulla uis, nullum periculũ. nunc locum cum diſtributione: Non ad Cæſarem, ne iratus, non domũ, ne iners, non in aliquem, &c. nunc factum ipſum: Languidiore credo ſtudio in cauſa fuiſtis, tantummodo in præſidio eratis, animi uero à cauſa abhorrebant. nunc orationẽ ſolam: An, ut fit in ciuilibus bellis, nec in uobis magis, quàm in reliquis, omnes uincẽdi ſtudio tenebamur. Hac huius loci ampla expoſitione patet, cũ uim loci ab initio amplius offerre uolumus, ſiue id coniũctim, ſiue diſiunctim agamus, cæſa oratione nobis opus eſſe, nõ uelocitatis magis cauſa, ꝗ ut mora & numero inſiſtamus, ac tandem labefactemus auditoris animũ, & impellamus quò uolumus: quamuis motus & uelocitas, & nonnunquam curſus & præcipitatio orationis, cum coniungimus prout res poſtulat, adhibeatur: cum diſiungimus, non ut multitudine rerũ confuſior oratio reddatur, ſed ne iudicẽ impetu offendamus, multo minus extare debet. quod facile faciemus, ſi ſolutior erit oratio, ſi membris ſolum uel etiam clauſula ueloces erimus: cæterũ aduerſionibus, interrogationibus, admirationibus, ac omnibus quæ exuſcitant, maximeq; cõcurſu multorũ carebimus. quare hic ſi quid horũ eſt, ne omnino languida & iners oratio ſit, qđ loco qui eſt, ab initio alieniſſimũ eſt, id ſimplex eſt, aduerſio cũ interrogantis ſpiritu bis ſolũ accepta eſt: Acceptæ iniuriæ querelam ad quem detuliſtis? & ibi: Quid cum res iſta non commouiſſet eius animum, ad quẽ ueneratis, languidiore credo ſtudio in cauſa fuiſtis? tantummodo in præſidijs eratis? animi uero à cauſa abhorrebant? Sed utrobiq; rebus in ultimo, non etiã methodo impetum declinauit. Illud autem, Non ad Cæſarem ne iratus, non domũ ne iners, non in aliquem: cum rebus preceps ſit, & cæſis compoſitum: tamen quoniam quietũ eſt, & diſtributioni coniunctum, ita tardiuſculum eſt. Et quoniã de inciſione dicimus, illud quoq; apprime tenẽdum, triplicem eam eſſe: quæ tam rebus quàm oratione inciſa eſt, ut partitio & diſtributio: quæ rebus, nõ oratione, ut cõſecutio & ſubcõtinuatio: quæ oratione, non rebus, ut expolitio. Illa, Languidiore credo ſtudio in cauſa fuiſtis, tãtũmodo in præſidijs eratis, animi à cauſa abhorrebant: quam mirifice compoſuit? uix enim etiam cũ diu conſideraueris, res integra uidetur: quæ adeo una eſt, ut duo quæ ſequuntur membra ad primum, tertiũ ad ſecundum interpretationis modo referatur. hos inciſionis modos non caſu dicet, niſi temerarius orator: grauis, quem & prudentem licet dicere, cauſæ accommodabit. Sed de his ſatis. nec enim cuncta dicere poſſemus, cum nulla ferè ſyllaba ſit, quæ non certa rõne, atq; adeo diuina eſſe uideatur. Illud tamen non prætermiſerim, conſiderandum, quod & uelocitate opus ſimul & mora ſit: quod hic locus oſtendit, illud breuitate, hoc diſtractione membrorũ fieri poſſe. Nunc quæro utrum ueſtras iniurias.] Duplex concluſio, qua oſtendit ſuas eos, non reip. iniurias perſequi. quod etiã cum diceret ad Põpeium eos querelam detuliſſe, & eius animũ non mouiſſe, ſubijciebatur. Videre ne erretis.] Contrarium eſt. nam qui inimicis ignoſcit ſuis, non perſequitur alienos. hinc etiam palàm eſt, quod expulſos ſe cum iniuria reipub. cũ à Senatu miſſi eſſent, aperte accuſatores cõtendebant: quod nõ eius cauſa, quoniã inconſiſtens apud Cæſarem erat, auſi ſunt deferre, ſed propter ſubiectionem. Itaque num tibi uideor.] Conuerſio ad iudicem, qua ſibi beneuolentiam interpoſita ſentẽtia exordij comparat, ut & repetat, & ad parẽtem agi cauſam demonſtret, quæ etiam apud iudicem agi poſſet. Cauſas Cæſar egi multas: & quidem tecũ.] Cæſaris ipſius teſtimonio utitur, quod ad iudicem aliter agitur, aliter ad parẽtem. quomodo ad iudicem, quomodo ad parentem, collatione breuiter exponit. Dic te Cæſar.] Poſt collationem parentis & iudicis, aptiſſime ad Cæſarem breui per occupationẽ utitur epilogo, ac enumeratione eorum quæ dicta ſunt, quæ etiam apud iudicem ualerẽt: ita ut in omni iudicio poſſe abſolui Ligariũ oſtẽdat, multo magis à parente ignoſcendum contendit. Sed ego ad parentem, inquit, loquor.] Huic loco & cõtrarij et minoris uis ineſt. abſoluere enim iudex, ignoſcere parens ſolet: ac rurſum iudex ſeuerus, parens miſericors eſſe debet. Verum quæ ad iudicem referuntur, acria eſſe non debent. quare nõ impetu, ut natura rerũ petit, irrũpunt: ſed auditori accõmodata, eius animum illabuntur. carent ergo acrimonia, partim quia abſoluere & ignoſcere miſericordia & ſeueritas non aperte, ut iudex & parens inter ſe referuntur, & commutatis uerbis, & occultius: neq; connectuntur breuiter, ſed ſparſa latius etiam, diſiuncta etiam retẽta ſunt. quod factũ eſt, ut quoniam ad ipſum auditorẽ feruntur, abſq; ui ulla illabantur: quorum uis ut facilius appareat, nos ipſa colligemus. Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppreſſus, in eo non acerbus fuit: ſed totus animo et ſtudio tuus.] Quæ omnia uel apud iudicẽ ad abſoluendũ ualerent. tu qui parens es, apud quem etiam cum dicimus, errauit, fecit temere, fecit timore, ad clementiam tuam cõfugit, ueniam petit, ut ignoſcas orat: condemnabis? ſit per oppoſitionem ſic: Si dicerem Cæſar, errauit Ligarius, fecit temere, fecit timore, ad clementiã tuam cõfugio, delicti ueniam peto, ut ignoſcas oro: ſi ſola hæc dicerem, ſi nihil aliud offerrem, tu, quoniã non ad iudicem, ſed ad parentem hæc dicerem, opem ferre nõ dubitares. nunc cum & illa uere afferantur, Legatus ante bellũ profectus eſt, relictus in pace, bello oppreſſus, & in eo nõ acerbus, ſed totus animo ac ſtudio tuus: hæc cũ apud iudicẽ ad abſoluendũ ualerent, apud te parentem nõ efficient ut ignoſcas? Ex his patet, ꝙ uniuſcuiuſque loci tractationem rebus idoneã orator tenere debet. ea utetur, ſi cætera quoq; circũſtantiæ patiũtur: ſi minus, cauſæ orationẽ, nõ orationi cauſam accõmodabit. ita & uis rerũ inerit, & cauſa agetur, nõ euertetur: et quæ natura ſimilia sũt, in uarijs cauſis et diuerſis locis tractationẽ uariã habebũt: & ſicut cauſa poſtulat agemus, & auditorẽ uarietate delectabimus. Si nemo impetrauit.] Diſtributio. Tu idẽ fer opẽ, qui.] Attributio, deprecationis locus. An ſperãdi Ligario.] A` minore eſt, & habet tractationẽ loco cõſentaneã. nam cũ ad extollendã clementiã Cæſaris ſumptum, ad Ligarij ſpem ac animũ fertur, nõ ad auditorẽ, ut ſuperiora ferretur antẽ, ſi ſic dixiſſet, an ſolius Ligarij ſpem falles? Cũ mihi apud te locus ſit etiam pro altero deprecandi.] Sed cum uim rerũ retinendam cenſet, ſi durior res ipſa eſt, tractationẽ mutat: ſin tractationem retinet, rem in mitius uertit. Quãquam nec in hac oratione.] Præparat, & exorditur ultimam hanc depre-

cationis partem, quam non ut primam, ſed latius dicturus eſt. totius enim cauſæ fundamentum ut ingreſſu tangendū eſt, ſic in exitu ampliſſime pertractādum uidetur. captat igitur beneuolentiam à perſona Cæſaris, ex uiſceribus ipſius deprecationis. Cauſas apud te rogantium. ] Expolitio uel interpretatio eſt, ſiue utrunque. nam inter eas id intereſſe arbitramur, ut cum utriſque eadem res ſit, & aliud atq; aliud dici uideatur, in interpretatione, ut nomen ipſum oſtēdit, ad clarius deuenire plerunque ſoleamus, & duorum membrorū numerum excedere non debemus. Expolitionem non interpretandi cauſa adhibemus, ſed ut immoratione locupletius atque politius quod dictum, reddamus, ac ideo certum membrorum numerū obſeruamus. id rogantium cauſa nihil aliud eſt, niſi neceſſitudo eius, pro quo laborant, uel potius erga eum officium. grati uultus Cæſari eorum ſunt, qui ſui neceſſarij ſunt. Sed uis quoque correctionis ſubeſt. cauſas enim neceſſitudines rogantiū, quas habent cum his, pro quibus laborant, gratiores eſſe dixit, quàm uultus: id eſt, quàm neceſſitudinem, quā ſecum habeant. in altero membro, alterū omnino negauit: nec ſpectare quàm tuus eſſet neceſſarius is, qui te oraret, ſed quàm illius pro quo laboret. Itaque tribuis tu. ] Magna laus Cæſaris abſque adulatione, quoniam ex ipſa re commodiſſime oritur. Sed uideo tamen apud te. ] Redit ad illam ſententiam, ut iam abſoluat. accōmodatiſſimum ad ea quæ ſequuntur exordiolum. Non enim argumenta ſolū & locos, quibus probamus, ad cauſam, non cauſam ad locos oratores debent accōmodare, uerumetiam ea: quibus conciliamus. nam hic Cicero, ſi qui pro Ligario laborabant, ſumma neceſſitudine coniuncti cum Cæſare fuiſſent, non ita: ſed cum cauſas rogātium ipſum ſpectare oportere non negaſſet, tū multo magis, quòd ſumma ſecū coniunctis neceſſitudine eē gratiſſimā faceret. nunc quoniam id dici non pōt, id quod dici poteſt ita tractat, ut fieri debere uideatur, et factitatum iam ab eo ſit. neceſſitudine magna coniunctos dicit, & iuſtiſſimo eos dolore cō moueri, ut è uiſceribus cauſæ trahatur exordium, ex illa parte maxime, quæ de fratribus eſt, qui cū Ligario potius exules mallent, quàm ſine Ligario Romæ uiuere. Poſſum fortiſſimos uiros. ] Poſt breuiſſimū exordium (ita enim fieri neceſſe eſt inter agendum, ubi uel nullum, uel breuiſſimū, & plerunque ſolutum exordiū eſſe debet) locū deprecationis aggreditur, à magnitudine animi eorum qui rogant: qui nonus cōmiſerationis in Rhetoricis poſitus eſt. Et dolorem huius T. Brochi. ] Multum mouemus, cum fortes & nobiles uiros in ſqualore eſſe oſtēdimus. Quid de fratribus dicam? ] A' disiunctione, ſexto cōmiſerationis loco: ut quoniā fratres diſtracti uiuere non poſſunt, aut Ligariū reſtituat, aut intelligat fratres eius, qui ſecū ſemper fuerunt, id ipſum exilium optare, ut cum fratre uitam agant. Quàm patria, quam domus, quàm dij penates. ] Amplificat diſiunctionis dolorem, repetitio cōmiſerationi accommodata. Si fraterne, ſi pie, ſi cum dolore. ] Mouetur dolus ab eadem dicendi formula, ad quæ adeo ſchemate cito recedendū, nec omnino ideo adhibendum. nam qui ad dolorem impellere uult, & inſtare debet, et mouere nimium. moram in affectu requirit affectus. idem eandem dicendi formam poſtulat, alterū commutationem flagitat. quare ni uaria ſchemata idipſum efficere poſſunt, eodē ſchemate inſiſtendū, numero ac tractatione cōmutādum. iam hic ſchema unum uidemus, repetitiones tres, tractationē uariam. nam in prima præintellecto uerbo cuncta redduntur, in ſecunda poſtpoſito, in tertia abſolutiſſima ſingula ſunt, quā nō ſine cauſa ab M litera incœpit. eſt enim id elementum flenti potiſſimum accommodatum. Illa uno exiſtente, mirifice mouet poſtpoſitum accōmodatū: nam & ſequētia excitat, & præcedentia diſtrahit, & hiatu ploratum imitatur. ex quo facile uideri poteſt, quantū in dicendo poſſit tam tractatio quàm compoſitio. Si quis enim ita dicat: nam Ligario exulante, quod ei exiliū his optatius eſt, quàm uel patria, uel domus, uel dij penates: & ſi dignitatem orationis detineat, non multū tamen cōmiſerationem commouebit. Valeat illa tua uox. ] Seruauit uerbi modū in quarto mēbro, ut in uocis curriculo impetu ferri uideatur: uitauit repetitionē, ne multitudo faſtidiū pariat, & ut ui rerum ferri, non præmeditatione putetur. Ad hæc eum non moueat, niſi mota oratio, quadrimembris repetitio ab huiuſcemodi affectibus quaſi firmior, alienior ē, bimēbris uix affectum ſignificat, quas ob res eum numerū in mēbris retinuit, quem & in repetitionibus obſeruauit. Te enim dicere audiebamus. ] Attributio, qua ex comparatione Pōpeianorū benignitatem Cæſaris, ab eo quod ſolitus eſſet dicere, oſtēdit: Dicere, inquit, te audiebamus, quod nos Pōpeiani ſcilicet aduerſarios omnes putabamus, qui nobiſcum non eſſent: cum tu omnes tuos putares qui contra te non eſſent. ex quo ſequitur, quaſi à cōtrario, multo magis putando ſuos, qui ſemp ſecū fuerant. nā ſi qui ſecum fuerat, et oppoſitus qui ſecū non fuerat, etiam ſi contra ſe non fuerat: & eū, qui contra ſe non fuerat, ſuū ducit, multo magis eum, qui pro ſe fuerat, ſuū ducet. Vides'ne igitur hūc ſplendorē. ] Attributio, comparationi deprecatiuæ confuſa. attributio, quoniam ſplendorem ac nobilitatē: comparatio, quoniam merita rogantium in Cæſarem commemorat. Splendorē. ] Tranſlatio, augendi cauſa. Hanc Brochorū. ] Appellauit propter nobilitatem gentis: idq; ferè dixit, nō exornandi, ſed amplificādi cauſa, quod interpretationis: & ut euitaret ſatietatem, quantū repetitionis uim minuit, tantū ex iucunditate agnominationis mutuatus eſt. Hunc L. Martium. ] Deſcendit ad ſingulos per articulū potuiſſet & ſingulos enumerare, deinde referre uniuerſam Brochorum domum, oēm ſplendorem, quo tractatio his locis conuenientior eſſet nec enim pōt commoueri auditor, cū è ſingulis ac minutioribus ad multitudinem & ad maiora procedit oratio. uerum quoniā hoſce omnes equites Romanos dicturus erat, quod poſtpoſuit propter maiorē multitudinem equitū, qui Ligario fauebant, ne cōfuſio fiat, et ut uarie diceret, ab uniuerſo incœpit, in ſingulos cedēdo deuenit, & tādem Hoſce oēs equites Romanos adiunxit, quod ad totum hunc attributionis locū collectio quædam eſt. ſic & idonea loco tractatio reddita eſt. uarietas atq; diſtinctio orationis facilius animū auditoris illabi affectum facit atque his maxime comparatione deprecationis oſtendit, quātus amor Cæſaris partium, & auget rogantiū merita. Conſerua igitur tuis. ] Cōcludit comparationem, quam præceſſit attributio in eodem orationis contextu: quoniam coniuncti loci maiorem uim habens, & in demonſtratiua iudicialibusq;, niſi quid impediat, cū diſpoſitionis præcepta conſcriberemus, præponi oportere demonſtrauimus. Deprecatiuæ aūt cōparationis propriū eſt, ut noſtris aut noſtrorū enumeratis ac adauctis oratione meritis, maiora aut plura beneficia dicamus, quàm delicta ſint quæ cōmiſimus. Qua ex re illud quodāmodo auditori ſubijcitur, debere, ſi gratus eſſe uelit, ignoſcere: ſed plerunq; ne moleſti ſimus, acrimonia loci tractatione minuitur, ut hic Cicero, ad alterā cōparationis partē, quæ ex attenuatione delicti conſtat, occultius trāſit: imo ita trāſit, ut rē nullo pacto pertinentē ad ſuperiora, dicere uideatur. nam his uerbis omnino orationem ſeiunxit, Quod ſi penitus proſpicere poſſes: nec tamē attētionē occupat, ſed quod maius eſt, cōceſſionis uim per purgationē ex neceſſitate, cōiectura ex fraterno affectu, animo ac uoluntate Ligarij cōprobata, ita auditor ad ignoſcendū impellitur ei, qui neceſſitate peccauit: cui etiā ſi conſulto feciſſet, ignoſceret, propter ſuorū merita. quare is omnibus ea uis, quæ à maiore eſt, cautius intruſa latet. Qui ſi conſilio id feciſſet. ] Subiecit uim à maiore, nō expreſſit oratiōe, ne aſperior uideretur: retinuit tamē tractationē loco aptiſſimā, ut eius ui quod dicitur ex ſe ipſo iudex perſpiciat. Eſſet eorū ſimilis. ] Mirifice et uim à maiore, ſubiecit, &

cit, & orationem ad benignitatem & clementiam Cæſaris retorſit, ut quaſi ab exemplo proprio, quòd & alijs ignouerit, Ligario quoque ignoſcere impellatur. Sed ierit ad bellum.] Diſceſſerit. minus dicit, ut attenuet. Verumetiam à fratribus.] Non uerſimile eſt, affectũ fraternũ ſic ab eo contemptũ. Ita quod dat, cũ amplificare uideatur, tunc potiſſimum eripit. Ac etiam memoria teneo.] Comparatio, per cõmemorationẽ meritorum Titi Ligarij, cui etiam uis attributionis ineſt. Etiã de alijs quibuſdam quæſtoribus.] Extollit merita collatione. Qui cũ nihil egit aliud.] Extollit magnopere ex animo ipſius. nulla enim res eſt adeo parua, quã ſi ſtudio in amicũ facimus, uel ab eo ut boni uiri iudicemur, plurimi exiſtimari nõ debeat is, cuius cauſa facimus. admonitus huius euitauit, ut ſolet, cõparationis acrimoniam. Fratres optimos & integerrimos.] Ab euẽtu tenuiſſime. maiorem. n. copiam res nõ ſuppeditabat. Nũc quod in Rhetoricis de ratione diximus, exẽplo demõſtrabimus, deinde deprecationis huius genus conſiderabimus. Ratiocinatio igitur cum trium partium ſit, bipartita plerunq; inuenitur. nõ enim quemadmodũ Dialectici, ſemper orator cõplectetur quæcunq; ipſa in argumentatione continentur: uerum id ſolum, de quo dubitare auditor poſſet, diligenter plerunq; exponet. quod in uniuerſum uerum eſt, aut ueriſimile, poterit præterire, ut auditor cũ ex ſe afferat, quod facile aut ferè ſine cogitatione animo ſtatim oboritur, mollior ad conſentiendũ ſit: & orator una re tantũ occupatus, copioſius eam explicet, firmiusq; ſtabiliat: et oratio grauior ſit ac expeditior, cũ ea relinquũtur, quæ ſuapte natura occurrunt. his de cauſis crebrius hũc modũ oratores ſuſcipiunt, de quo nihil adhuc diximus, quoniam putauimus, uno uel altero poſito exẽplo, cætera omnibus apertiora futura. Vt igitur qd dictũ, quid relictũ ſit perſpiciatur, ratiocinationẽ de quæſtura Ligarij qualis in re ſit conſcribamus. Omnibus Cæſar qui ſtudio in nos ſuo, quiq; ut boni uiri à nobis iudicentur, nos et dignitatẽ noſtram quantũ in eis eſt, tuentur, ſiquid honeſtum ſupplices à nobis petunt, cõcedere debemus. Sed Tit. Ligarius ſtudio in te ſuo, ac ut bonus uir à te iudicari poſſet, mirificus erga te & dignitatẽ tuã fuerat quæſtor: cuius ratio, quòd nõ ego ſolũ memoria id teneo, ſed te quoq; ipſum ſpero nõ eſſe oblitum, qui nihil obliuiſci ſoleas niſi iniurias: debes ergo huic cũ ſupplex petat fratris ſalutẽ cõdonare. Huius ratiocinationis prima pars relicta eſt, et oratio excitatior, grauior, nec minus dilucida: lõgior uero facta eſt, et propter rõnis interiectionẽ, et propter cõparationẽ ex collatione, ad expolitionẽ locupletationẽq; argumẽtationis pertinentẽ. Huius et illud cõiecturale eſt, quod nõ ut repetat, ſed ut ad miſericordiã impellat, interiecit. nam omnis enumeratio ſiue tenuis, ſiue ampla ſit, id habet propriũ, ut ea quæ probata ſunt afferat, nõ probet: hic qd affertur in minuta ratiocinatione probatur, quã in integram ſic reducimus. Oẽs homines, Cæſar, qui cõſpirationẽ ac penè conflatũ inter ſe cõſenſum retinẽt, niſi ui diſtracti, diuerſas ſententias fortunasq; nõ ſequuntur: ſed Ligarij fratres tres conſpirantẽ ac penè cõflatum inter ſe conſenſum retinent: uoluntate igitur tecum oẽs fuerunt, tẽpeſtate abruptus eſt unus. q Ligarij huiuſcemodi eſſent, etiam ratione interſperſa probauit: q nullus ſit qui hoc non nouerit, nullus qui nõ ſentiat. ſed de his hactenus. Genus autẽ & forma dicendi deprecationis, cõmiſerationis genus eſt, quod cõſtat breuioribus mẽbris, clauſulis magnificis, firmis. atq; conſtantibus: niſi ubi coniecturam in conceſſione de animo & uoluntate Ligarij adhibuit: quæ quoniam plurimũ mouere poteſt, in cõfirmationis frõte poſita, etiam in ſubſidijs collocata eſt. præterea quod maximum eſt, tota oratio diſiuncta uaria cõpoſitione eſt: quæ uarietas tamen habet quaſdam moras & quaſi ſtatus commiſerationis accõmodatiſſimos. ad hæc circunductionis nulla ferè, aut non magna uis: aſperitatem uero omnem, & acrimoniam rebus ipſis intercurrentem, conſilio atq; copia declinauit. ita genus cõmiſerationi ad unguem quadrat, res acriores inſunt, quas nec omittere poterat, ne totam cauſam amitteret: nec eis genus ſuum accõmodare, ne auditorem concitaret, quod contra præcepta eſt. nam cum dicimus, rebus orationem, non orationi res accõmodari oportet, rei uocabulum toti cauſæ uſurpatione attribuimus. Fac igitur quod de.] Concluſio totius orationis. nam deprecatio, etſi in extremis collata ſit, & à commiſeratione non aliena, non eſt tamen commiſerationis pars, ſed totius orationis huius, qd ſæpius dictũ eſt, ſtatus principalior & radix. qui autem cõcluſionem putant ad hoc quod dictum eſt, etiam ignorant nihil alienius eſſe ab omni cõcluſione, quàm exordium. Hæc igitur cõcluſio breuiſſima eſt. nã quæ à ſuperioribus repetenda erant, ante deprecationem repetit. ita concluſa parte omni orationis, quæ deprecationẽ præcedit, trãſit ad deprecationem: qua breuiter tractata, reliquũ erat idipſum inferre, propter quod deprecabitur, ignoſcendũ eſſe Ligario, ut cæteris. quamobrẽ ſtatim & à gloria, quam conſecutus fuerat reſtituto M. Marcello, Cæſarem ad ignoſcendum impellit. Nihil eſt enim tã populare quàm bonitas: nulla de uirtutibus tuis.] Attributio ſingularis ad miſericordiam accommodata. ut enim cõmiſeratio deprecationi congruit, ſic deprecationis loci à miſericordia non alieni. Eſt autem poſtrema hæc orationis particula grauiſſimis ſententijs quatuor conſtipata, quarum primã & tertiam uniuerſalius protulit, ſecundam & quartam perſonæ accommodauit. genus dicendi membris illuſtribus, & diſiunctis, ac abſolutis, clauſulis amplis, locatione & numero dignitatis compoſitum eſt, pulchritudinis quoq; ac uenuſtatis dignitas non penitus emiſſa. Sed & iucunditas ſubſtantiæ nõ extat, ne ſententiarum deijciat grauitatem. Repetitio enim cum quieta eſt, & uaria, uenuſtatem ac pulchritudinem facit tanto maiorem, quanto nonnihil etiam iucunditatis accedit, ſi duplicatur. At hic ſi negationem in tertia ſentẽtia propoſitionis parua mẽbrorum commutatione duplicabitur. Quare cum utilius.] Magna laus Cæſaris, qua ſeipſum conſulere, non alios impellitur. Tantum teipſum admonebo.] Ab euentu, optimus orationis exitus, à magnitudine beneficij, ſi unius ſalute plures cõſeruentur: & à magnitudine calamitatis, ſi unius damnatione plures condemnentur. Nunc quæ de tota cauſa incipientes diximus, latius repetantur. nam quoniam iam ſingula expoſita ſunt, melius atque facilius quæ communius cõſiderata ſunt, percipientur. Fuit in Africa Cæſar, Ligarius, aduerſus te fuit, ueniam petit: dignus enim eſt, ut ei ignoſcas, is qui cum fratribus fuiſſet, ſi ei licuiſſet ex Africa diſcedere: præſertim cũ ijs ignoueris, qui te ut crudeliſſimi uiri multo magis inſecuti ſunt. indignus, qui nos tradituros tibi Africã ex prouincia repulit. quod & ſi pro firmamento poſuimus, ut uis totius cauſæ uideatur, tamen intentionem etiam alterã appellauimus. Nec enim Tuberonem firmaſſe cauſam credendum eſt ea re, quæ ſibi dictu turpiſſima erat: ſed ſic potius indignus, qui nos ex ſenatus auctoritate uenientes in Africam, repulit. Verum quoniam hoc nõ conſiſtit (nec enim Cæſar ſenatus partium, ſed Senatui hoſtis erat) ſubijciebatur, Tradituri eramus Africam: quod quia ipſi accuſatores aperte pro firmamento non afferebant, nec ei, quo pro firmamẽto aperto utebantur, Expulit nos in Africã ex ſenatus auctoritate uenientes, connectebatur. idcirco ſeparauimus, et ſi gueatam intentionem appellauimus. nullus enim niſi mente captus nõ uidebit, hoc ipſum Tuberones in accuſationẽ attuliſſe, quod tradituros expulerit. nam cætera non conſiſtunt. Sed turpitudine rei deterriti, ad aliam ut honeſtam, ſic incõſiſtentẽ intentionem ſimulatã refugiebãt: quam rurſus his ipſis de cauſis firmamẽto, quo ſuſtentabantur, nõ confirmabãt, ſed auctoritate ſenatus obiecta ſubijciebãt, quod uere intẽdebant, quoq; ſibi cauſa conſiſtebat, quod Cicero coniectura oppugnabat. quare, ut quo modo agebant intelligi poſſit, quaſi per duas intẽtiones ſe-

*parauimus: rurſus, ut qua ſibi re cauſa conſiſtebat planum fieret, idipſum pro firmamento aſſumpſimus ex quibus omnibus cõpoſita defenſoris hæc eſt ex altera parte iudicatio: cũ tibi tradituri Tuberones Africam nõ fuerint, qui te multo magis ꝙ Ligarius inſecuti ſunt, dignus eſt uenia Ligarius, qui eos ex Africa repulit, et aduerſus te ibi fuerit: cum ſi inde euadere potuiſſet, unà cũ fratribus te ſecutus fuiſſet. Hæc compoſita iudicatio ſimplices complectitur: coniecturalem, non fuiſtis tradituri: cõceſſionis, ex purgatione uoluntatis per coniecturam, primũ ex eo quod eſt, Aduerſus te fuit: alterum ex eo, Quod ſi inde euadere potuiſſet, unà cum fratribus tecum fuiſſet. deprecationis, ex eo ipſo quod in conceſſione facit. Neceſſe namq; fuit, quoniã purgatio non tantum uirium habet, ut per ſe ac ſola cõſiſtat, ex eodem fundamento ad deprecationem tranſiret. hi omnes ſtatus ſic ad unum deprecationis concurrunt, ut & iudicationes ad iudicationem. Quare ut ſi quis de compoſita iudicatione quærat, una ſit an multæ? nullus unam reſpondere dubitet. ſic ſi quis interroget, quo in ſtatu uerſetur uniuerſa oratio, in deprecatione abſq; ulla titubatione reſpondendum eſt. ut enim rõnes & firmamẽta quibus iudicationes cõponuntur, principalis iudicationis partes ſunt: ita ſtatus è quibus illa fluunt, principalis ſtatus partis eſſe neceſſe eſt. Hic ſtatuũ & iudicationũ concurſus ac compoſitio, cum ad inueniendum accõmodate, tum etiã ad diſponendum plurimũ ualet, ſi recte percipitur: ad grauitatẽ uero omninò neceſſaria. quam qui non quærit, orator nunquã appellabitur, niſi forte à rudibus atque indoctis. Confert autem maxime non ad copiam, ſed ad iudicium. hac enim uia penitus cognoſci poteſt, cui inſiſtendum, in quo immorandũ ſit, quid acrius, quid remiſſius dicendum, quid per totã cauſam ſpargendum, quid cautius adhibendũ aut tangendũ: & ſemel ne, an multoties, & in quibus locis obtegendum. quæcunque.n. extra has radices ſunt, perſtringenda & occultanda uidentur: ut cũ locũ poſſidere non poſſint, quaſi è latebris ſubmordeant. qualo hoc eſt quod in Varum remouere uidetur. His recte cognitis; ſi dicendi copia ex elocutionis ui rite acceſſerit, orator iã erit qui hæc uidet, & eloquitur: ſiquidem pronunciationem quoq; idoneam ſingulis attribuit. ſin minus, attamen in ſcribẽdo priſcis oratoribus conferendis. Hæc igitur cauſa ita iudicatione ac ſtatu coniuncta & multiplex, deprecationem & ſeorſum actam (conſiſtit enim apud imperatorem) & ſparſam per totã orationem habet, ut debet, principalem ac fundamentũ, & ut ita dicam ſuſtentaculum omniũ. At eam conceſſio antecedit: natura enim ſtatuum ſic poſtulat, ut in 4. Rhetoric. inuuimus. Præterea conceſſio ad deprecationem & miſericordiam ut plurimũ affert, ſi admiſcetur, ſicut antecedit earum fundamentum eſt, deprecationi recriminationem cõiunxit eam, quæ eſt eiuſdẽ criminis: & cũ recriminari cœpiſſet, neceſſe erat impetu orationis cætera huius coniungere, ut re incitatus dicere, nõ ſtudio ad ea deſcendere uideretur. Coniecturam poſtea commodiſſime interſerit, quã ab alijs ſeparauit, quoniã ſimulatione ſibi, nõ ſubiectione agenda erat accuſatio. Sparſit per totam orationem. Ita enim figurata, quæ cauſam ſuſtinent, diſponi debent. His hoc pacto diſtributis, tandem repetitis quæ uel ad iudicẽ ualere poſſent, ad deprecationem labitur, cui etiam coniecturalẽ cõceſſionem iniecit: ita ſummus orator cunctis ingenio mirabili, artificio ſingulari inuentis, diſpoſitis, dictis, diuinam hanc orationem reddidit, exordio uniuerſæ cauſæ penitus accommodato, narratione luculenta, uera, breuiſſima ſeiunctione, cõfirmatione, concluſione abſoluta, exordij genere morato: affecto uero narrationis delectu uerborũ, & numero penè illuſtri ſchematis, recto ac puro, confirmatione, uarietate, ac uaria concluſione, illuſtri, pulchro, iucundo, quæ omnia ſic cõſecutus eſt, ut nihil addi aut minui, nihil transferri, nihil cõmutari, nihil aliter dici poſſet, ꝙ dictum eſt, quin illico uel mediocriter perito homi labefactari ac ſordeſcere uideatur oratio. & quod admirabilius eſt, nullũ ferè uerbum poſitum eſt, quod cæteris omnibus non conueniat: nullum uanum aut inane, nullum quod uel antecedentia non reſpiciat, uel ſequentia non proſpiciat: quæ res maxime declarat, artificio, non natura ſola, quod multi falſo arbitrãtur, præclaros oratores ſcripſiſſe. Nõ dico hæc temere, nec ſuperlatione utor: uerum ex ijs quæ uideo, tanta diuini illius tam ingenij quàm artis admiratione afficior, ut facile credã plura me atq; maiora fugiſſe. Nec tamen quæcunq; uidi ſcripta ſunt. multa, ne oſtentatione ſcriberem: multa quæ cõmuniſſima ſunt, nõ nulla põdere ac multitudine rerũ oppreſſi reliquimus. nulla enim fermè oratio eſt, quæ uniuerſam artis doctrinam non flagitet. Quare ſi quid addi poſſe quiſpiam arbitrabitur, ſi grati animi eſſe uoluerit, non magis detrahet quòd quidquam aut neglexi mus, aut non uidimus: quàm probabit, ꝙ non ſolum præcipiendo hæc ſtudia illuſtrauimus, uerumetiam rem aggreſſi ſumus, quã nemo uel è priſcis illis atq; doctiſſimis uiris, cum eo multi otio abundarent. ut inutiles etiã fabulas conſcriberẽt, uel Latine uel Græce adoriri auſus ſit. Sequãtur igitur omnes qui his humanitatis ſtudijs dediti ſunt, quiq; maiorem dicendi copiã ſimul ad gloriã adipiſci cupiunt, hanc certam exquiſitamq; dicendi uiam, nec aut multitudine aut magnitudine rerũ deterreantur. nec enim difficile eſt, immortalitate dignum opus componere, ſi quis cũ natura ualeat (quæ tamen benigniſſime omnibus ferè ſe tradit) artẽ ita ſibi habitu facit innatam, ut à natura ipſa parum diſtare uideatur. Quod ſi cui arduum uideatur, noſtro commonitus exemplo incumbat diligentius: qui etſi multis aduerſæ fortunæ caſibus oppreſſi, huic rei non tantum laborauimus quantum uoluimus, & nunc ſi daretur otiũ, alijs quoque doctrinis non nihil conferre poſſemus: tamen quoniam artificium ſequimur, quod ad communem utilitatẽ cunctis edidimus, & quidquid unquam ſcripſimus, etſi non penitus accedere, attamen non longe fortaſſis ab oratoris ui, ſi quis ſincere examinat, fideq; abeſſe uidebitur: quod ita eſſe, ut facilius ad hanc noſtram præceptionẽ oẽs inducãtur, unico exemplo demõſtrabo. Ex agaſone igitur noſtro illud ſumatur, quo in aduerſarium cum dedignatione fertur oratio: Verum hic loci factus non poſſum non dolere, quod in Græciam omnium bonarũ artium inuentricem, in Græciam deorum olim domicilium, nõ Iouis dico & Iunonis, non ad fabulas refugio, ſed multorum heroum & ſanctorum uirorũ, ſiue uetuſtiſſimos à noſtra ætate conſideres, ſiue noſtræ, id eſt, ueræ religionis cultores, quos numero plures, doctrinis ſubtiliores, religione ſanctiores, quàm ex reliquo terrarum orbe inuenies: in Græciam inquam ſolus tu, omnium quo te inſcribis nomine digniſſimus, in Græciam inueheris. Productio hæc ſpiritus uaria nimium oratione nobis compoſita eſt. uarij enim affectus iræ præcipue, & doloris & indignationis concurrunt. Turbationem igitur animi magnam quidẽ, ſed quæ rationem deijceret, oſtendimus. itaque ſubito irruimus, quod ueritatis & repentinæ motionis eſt, quod in Græciam tu homo omnium. nam illud, Verum hic loci factus: non eſt præparatio, ſed tranſitus in affectum, & auditoris exuſcitatio. Præciſio uero ſtatim in ingreſſu iræ ac dedignationis ineſt, nõ ſuſpicionis. hoc enim cum ab oratore uerbis notatur, illud cũ abſque annotatione eſt, ſolet efficere. Repetitiones tres inſunt, breues atq; occultiores: bimembres enim ferè omnes ſunt. nam & mora in eodem omnino ſchemate, & ſi cõmotum, non tamen turbatum animum oſtendit: & uelox ab eodem omnino ad aliud tranſitus, affectum qui moram flagitat, nõ exprimit. quare numero tres, forma una repetitio adhibita eſt. Præterea magna ineſt uarietas, cum prima trimẽbris ſit, ut ſtatim in aditu mora in affectu exprimatur. mẽbra dignitatis propter affectum in prima clauſula clauſulæ oppoſitæ, ꝗppe primas duas pæon & epitritus poſſident: quod facit, ut mobilitate uiuere oratio uideatur*

*deatur. altera duæ quæ ſequuntur, minimo numero membrorum conſtāt, ut cum maiore indignatione proferantur, & occultiores ſint. nam ſi quis dixiſſet,* Non Iouis dico, non Iunonis, *non ad fabulas: acrior quidem eſſet, ſed tantam indignationē oratio non oſtenderet. nec pulchre illud cōſequeretur,* Sed *multorum heroum & ſanctorum uirorū. quod cum dignitatis ſit, indignationem auget, ad acrimoniam uix accommodatur.* Sed *uarietas ac mobilitas, etiam membris obſeruatur. tres nanque repetitiones inæquales membris ſunt, ita indignatio et dolor ac turbatio animi nō conquieſcit primo: deinde ut iam exagitatus animus uarijs cogitationibus, quæ uariam orationem faciebant: tandem ut affectum ſuum confirmet ac ſtabiliat, quinquemembrem diſtributionē adiunximus, quæ multitudine membrorum indignationi, breuitati, dolori accommodatur: & ne nimium exaſperet auditoris animum, ſimiles caſus & ſimiles exitus leniunt.* Reduplicatio *in exitu ponitur, quæ creditur & propter turbationem animi, & ut breuius cæſum ultimum relinquatur,* In Græciam *inueheris, deficiente iam ſpiritu. Illud uero quo cæditur, mirabile eſt:* Solus *tu omnium quo te inſcribis nomine digniſſimus. nam & dementiam aduerſarij oſtendit, ſe ita inſcripſiſſe: & impetu quodam iræ ruit, cum tres primæ dictiones, ut auribus melius percipitur, uehementius exagitent. Illud apprime conſiderandum, quòd ita compoſita oratio eſt, ut plures ineſſe uideantur exornationes quàm inſint, quod factum nobis eſt, quia in paucis re plura inijcere nō potuimus. quare ut elegantia conſeruetur, & uarietas inſit, & ſpiritus pronunciantis undiq; cogatur, ut cōmoueri uideatur, audientē cōmoueat, plura quàm re ſint ſubijciuntur auribus ſchemata. Id ita laudamus, ut rectè quis tam hoc, quàm illud fieri, cū ſæpe multumq; cogitauerit, iudicare poſſit. Iam quod præciſionis ſpeciem ſtatim afferet,* Quod in Græciam *homo tu omnium: in exitu tandem abſoluitur,* in Græciam *inquam, ſolus tu omnium, quo te inſcribis nomine digniſſimus.* Cum *uero è duobus maxime ſoleat in his cōmotionibus inuentio emanare, ex perſona eius in quem inuehitur, et eius in quem peccatum eſt: & ſi utranque nos tetigimus, in altera tamen morā fecimus: ad illud enim magis flectenda oratio eſt, quod magis monet. & ſi magnam copiam afferre poteſt, non omnia dicēda, ſed potiora. nec enim minoris artificij putandū, ſi uideas quid ſit relinquendum, quàm ſi inuenias quid ſit dicendum.* Verum *de his hactenus. non enim ut omnia diceremus, hæc adiungere uoluimus, ſed ut præceptione noſtra poſſe recta ratione ad ueterū dicendi copiam peruenire, ſtudioſos admoneremus. & ne quis eorū nos ſimiles putaret, qui dicunt,* Sumite à me *(ſed eorum exemplum aliunde petam) quiq; cum aceruos ſe habere quos uendāt tritici prædicēt, non poſſunt pugno habere exemplū, quod oſtendant: quod turpiſſimum eſſe dicenti* Cicero ad Herennium *teſtatur.* Hæc mi pater, G. Trapezuntius *alumnus tuus tibi ad utilitatem communem petenti conſcripſi.* Quare *ut, quod cupis, multi hinc proficere poſſint, ſi utile opus iudicabis, tuū erit in lucem quamprimum edere.* Ego *etſi* Rhetoricis *noſtris, & hoc opuſculo ſatis præſentibus ac poſteris te auctore feciſſe me arbitror, tamen & alia cōſcribere nō grauabor: niſi obtrectatorum inuidia omni fructu laboris priuatus, infœcundum hunc mihi agrum, ut ſteriles atque aſperos montes agricola, deſeram.* Verum *illud non omnino negligam, quod adoleſcentuli maxime quærunt, orationem hanc in graui figura uerſari. multa nanq; ſunt acerrima, nihil deiectum, nihil humile, grandia ferè omnia, elata rebus, uerbis, clauſulis: & quod ſemper maximum iudicauimus, cōpoſitione.* Exordium *tamen & narratio ita mediocria ſunt, ut ſermoni propinquiora ſint, quàm ſublimi figuræ. ſed ex maiore parte denominandum.* Grauiſſima *uero eſſe cuncta, quæ* Cic. *compoſuit, nullus meo conſilio negabit.* Nam *etiam ſi ſermonem occupes, modo hoc, loco, ac ut oportet, facias, grauiſſimus eris orator. Illud præterea non prætermittēdum, omnia dicendi genera late patere. Ideoq; in omni genere infimum, mediocre, grande inueniri: multumq; intereſſe inter eos dicendi characteres, quas figuras appellamus: & cæteras orationis formas.* Sic *enim late figuræ patēt, ut omnia complectantur, ut ſingulæ ſingula ſuſcipiant. Itaque in mediocri figura (uerbi cauſa) acre genus, acrius atque acerrimum inueniri poteſt: accommodatiora tamen alijs alia eſſe, non negamus.*

# IN EANDEM PRO Q. LIGARIO ORATIONEM GEORGII MERVLAE ALEXANDRINI AD BERNARDVM BEMBVM SCHOLIA.

## ARGVMENTVM.

*HAEC oratio dicta eſt, dictatore Cæſare, poſt confecta bella ciuilia, II. Calend. intercalares, cum fratres & propinqui* Q. Ligarij *ſupplices ante pedes Cæſaris iacerent.* Quam *eem cognoſcere licet ex quadam ipſius Ciceronis ad Ligariū epiſtola. Defendit aūt* Q. Ligarium, *quem duo ſub Tuberones pater & filius accuſauerant. exulabat. n. Ligarius, quamuis illi in Africa capto Cæſar uitam conceſſiſſet. Argumentum hoc eſt. Conſidius conſul in Africam profectus, Q. Ligarium Legatum habuit: cumq; is in ea legatione & à ciuibus Rom. & à ſocijs probatus fuiſſet, diſcedens ex Africa Conſidius, ut petentibus prouincialibus ſatisfaceret, Ligarium uel recuſantem prouinciæ præfecit. Interim bellū ciuile inter Cæſarē & Pompeium oboritur. atq; in urbe ipſa trepidatū eſt uehementer, multaq; decreta fuere à Senatu: & illud in primis, ut Iuba rex ſocius atq; amicus appellaretur. Cæſare uero Rubicone cum cohortibus tranſgreſſo, relicta Roma Pompeius Capuam conceſſit: mox uero Brundusium petijt, in Macedoniam poſtea transfretaturus. Dimiſit aūt in prouincias prætores, & præfectos, ex decreto Senatus. unde cū Africa ſorte Tuberoni obueniſſet, in eam præcipue rei frumentariæ cauſa nauigauit: quam iam occupauerat Actius Varus, quem paulo ante Cæſar cū præſidio Auximo depulerat. Sed is fugiens in Africam peruenerat, quam facillime occupauit, quòd antea Prætor in prouincia fuiſſet. Hic uenientem Vticam cum nauibus Tuberonem, portu atque oppido prohibet: neq; affectū ualetudine filiū exponere in terram paſſurus, ſed ſublatis ancoris excedere eo loco cogit. Pulſus igitur inhumaniter ab Africa Tubero, in macedoniam ad Cn. Pompeium et acceſſit, ubi arma aduerſus Cæſarem tulit. Sed in campis Philippis, deuicto Pompeio, cum multi relictis partibus ad Cæſarem concederent, Tubero relicto Pompeio Cæſarē ſecutus eſt. In Africa uero dum Cæſar in bello aduerſus Pharnacem Mithridatis filium occupatus eſt, atque Alexandriam debellat, Scipio, Cato, & Cn. Pompeij filius, reliquias Pompeianarum partium cum Labieno fouentes, aſſumpto Iuba, & reparato exercitu, bellū aduerſus Cæſarem inſtaurarunt. Quare Cæſar tum quòd Africa Italiæ uicina foret, tum q regiæ copiæ magnæ eſſent, duceſq; Romani iuncti, quanquam ad nauigandum idoneas tempeſtates non haberet, per brumam exercitum in Africam tranſportauit, deui-*

etiſq; hoſtibus pluribus uitam conceſſit: Tuberones uero acceptæ grauiſſimæ contumeliæ memores, Ligarium, pro quo fratres deprecabantur, apud Cæſarem accuſarunt. Quòd cum Iuba ſenſiſſet, in perniciem Romani populi *. Sed ne quiſpiam dubitet, cur cũ à Varo (ut in Commentarijs belli ciuilis legimus) eiecti fuerint Tuberones, Ligarium accuſent: hoc ſubiungimus, à Ligario pulſos eos fuiſſe, quanquam prouinciam obtineret Varus: quam rem Pomponius de Origine iuris ſcribens, tradit his uerbis Q. Ligarius cũ Africæ orã teneret, infirmũ Tuberonem applicare non permiſit, nec aquam haurire: quo nomine eum accuſauit, & Cicero defendit, & extat eius oratio pulcherrima, quæ inſcribitur pro Q. Ligario. Hæc Pomponius.

## QVA RATIONE TVBERO SE EXCVSANS DECENTER LIGARIVM ACCVSAVERIT: ATQVE INIBI EA REFELLVNTVR, QVAE GEOR. TRAPEZVNTIVS SVPER HOC EXCOGITAVIT.

D intelligendas huius litis quæſtiones, Quintilianus Tuberonis in Ligarium orationem requirendam cenſet quæ res cum
a nostris temporibus uix fieri poſſit, miror Georgium Trapezuntium ſcribere, ex reſpõſione Ciceronis elici poſſe, qualis fuerit Tuberonis accuſatio. Nam hic noſtra memoria rhetor non incelebris, commentarios in hanc orationem ad Victorinum Feltrenſem conſcripſit, qui tunc Mantuæ græcas & latinas literas liberaliter docebat. In his igitur quædam paulo ſolertius atq; ſubtilius indagare tentauit: quippe ijs non contentus, quæ plerique Rhetores in exponendis Ciceronis orationibus longe repetere & late conquirere ſolent. Quærit enim non de ſtatu aut de genere cauſæ, nec de argumentatione, elocutioné ue, ceu hæc in ſcholis peruulgata habeantur: ſed illud abditum atq; reconditum eruiſſe ſe iactat, de quo pauci admodum præcipere auſi fuerint, Latinos omnes, qui tunc in Italia oratoriam facultatem docebant, grauiter inſectatus: hoc eſt, quo ductu atque conſilio Tuberonibus orator reſpondeat. ac poſt multa in huiuſmodi genere tractata, niſi quo pacto crimen in reum aduerſarij intenderint cognitum fuerit, cauſam hanc aſſerit uideri inconſiſtenté, uel ut Græci dicunt ἀσύστατον, & eo teneri uitio, quod Græce ἰσάζον uel ἴσον, Latine uero par dixerimus. & eſt, cum eodem colore actor & reus uti poſſunt, aut cum eadem ex utraq; parte dicuntur, ut nihil ſit proprium partis alterius. ut illud: Adoleſcentes duo uicini ſpecioſas uxores habentes, noctu inuicẽ ſe conuenerunt: accuſant ſe adulterij quidquid enim altera pars dixerit, idem & altera eſt dictura: quod uitium in hanc litem incideret, ſi hoc modo tantum Tubero Ligarium accuſaſſet, quòd arma contra Cæſarem tuliſſet. Nam quid dicere poſſet Tubero, quod non itidem Ligarius cõtra eum regeret? cum utriq; pro Pompeio in armis fuerint. Præterea quicunque in diuerſa parte fuiſſent, huius criminis inſimulari poſſent. Ergo qua uia ad accuſandum uenerint, quærendum primum eſt. Ait igitur Trapezuntius, ſimulatam in recto ductu intentionem fuiſſe, ut à defenſoris oratione poſſumus elicere. hoc modo: In Africa Cæſar aduerſus te Ligarius fuit: quæ & apud Cæſarem parum firma intentio, & ipſi Tuberoni conſiſtere non poterat, qui uel in eodem uel in maiore fuiſſet crimine. At uera in figura per ſubiectionem, hæc: Repulit nos tradituros tibi Africam ex ea prouincia Ligarius ò Cæſar. Hac igitur cauſa freti Tuberones, accuſabant apud eum, qui ſi eorum beneficio Africam habuiſſet, multo citius atq; facilius abſq; ullo diſcrimine uictoriam conſequutus fuiſſet. Verum quoniam id agi aperte non poterat, opus erat auditori eam rem fortaſſis iam pridem tenenti ſubijcere. Næ rhetor egregie, dum nimis perſpicaciter ex ingenio tuo huiuſmodi quæſtionem & intelligere & explicare conaris, nihil, nõ de hiſtoria ſolum tenere te oſtendis, ſed planè rerum & uitæ uſum omnem ignoraſſe tuo iſto tam fatuo cõmento arguis. Dic quæſo, ſi repulſus contumelioſe & crudeliter ab Africa Tubero, ad Pompeium in Macedoniam conceſſit, atque in pugna Pharſalica in Cæſarem gladiũ ſtrinxit, quo animo, qua fronte, aut quibus uerbis Cæſarẽ uel in occulto ſic allocutus eſſet, Niſi me repuliſſet Ligarius, Africam tibi tradidiſſem. hoc ſermone Cæſarem ipſum uel eludere uiſus fuiſſet, uel magis irritaſſet. Hoc prætextu ne pueri quidẽ, aut inſulſa quæuis muliercula ſe unquam excuſaſſet. Porrò ſi etiã admiſſus foret, nunquid prouinciam Tubero tradere potuiſſet, quam occupatam cum imperio & duabus legionibus Varus tenebat? alioquin (ut orator ipſe dicit, & Dion ſcribit) maxime Cæſari infeſtam, in qua Iuba rex potentiſſimus (ut ſupra demonſtratum eſt) cum elephantis & exercitu ingenti reliquias Pompeianarũ partium ſuſtentabat. Sed te decepit, quòd Cicero illud diluens, Recepti in prouincia non ſumus: ſtatim retorquens in aduerſarium ſubiunxit, Quid ſi eſſetis? ſubaudi recepti, Cæſari ne eam tradituri fuiſſetis? Nec reſpexiſti id quod ſequitur, An contra Cæſarẽ retenturi? quod non dixit reſponſurus Tuberonibus, qui hoc modo accuſaſſent: Tradidiſſemus tibi Africam ò Cæſar, ſi nos recepiſſet Ligarius. Sed altiore conſilio excogitatum atq; dictum à Cicerone fuit, ut Quintilianus ſentit, ubi de refutatione loquitur: Inuenire enim in aduerſariorũ actione, quæ inter ſemetipſa pugnent, aut pugnare uideantur, quæq; aliquando ex rebus ipſis manifeſta ſunt: quã rem diligenti artificio & in cauſa Cæliana inuenit. Nam Clodia dicebat, aurum ſe Cælio commodaſſe, quod ſignum magnæ familiaritatis eſt: Venenum ſibi paratum à Cælio, quod ſummi odij argumentum eſt. Et Tubero Ligarium accuſat, quòd is in Africa fuerit: & queritur, quòd ab eo ipſe in Africam non ſit admiſſus. Hæc Quintiliani ſententia non multum abeſt ab eo quod in primo rhetoricorum à Cicerone præcipitur, ut contra firmam aduerſariorum argumentationẽ alia æque firma, aut firmior ponatur: Id quod prudentiſſimus orator hic fecit. Nam arreptum ab aduerſarijs telum, quo grauiter hoſtem confodiebant, propterea quòd Cæſar erat rei Africanæ perquam iratus, illud in aduerſarios & prudenter & artificioſe retorſit: quippe ſignificans, ſi accepta contumelia non Cæſarem, ſed Pompeium ſecuti fuiſtis ò Tuberones, ſi Africam accepiſſetis, maius nempe, magisq; periculoſum bellum per uos ſuſcitatum foret: quæ res ex eo quod feciſtis, poſteaquam uos Ligarius expulit, manifeſtiſſime apparet. Iam copioſe ſatis, quæ iactabundus & parum prudens rhetor excogitauit, refutata per nos ſunt. Reſtat ut tradamus, quibus rationibus maxime freti Tuberones, ad accuſandum Ligarium uenerint. Hoc ſanè pacto pulcherrime aliena confutauerimus, ſi latenti alioquin ueritate explicata, ſententiam noſtram aperuerimus. Priſci rhetores, ut diſcipulos docerent qua ratione & uia huiuſmodi cauſæ, quotieſcunque obtigiſſent, in iudicijs tractari deberent, in ſcholis ſæpe (ut apud Senecam & Quintilianum legimus) hãc controuerſiã declamarũt: Luxuriantem patrẽ luxurioſus ipſe iuuenis accuſat. Similiter obijcit Tubero Ligario, quòd in Africa aduerſus Cæſarem fuerit, cum ipſe arma in Cæſarẽ tulerit. Non. n. decẽter hoc fieri poteſt, niſi aliud repertum fuerit, quod interſit: ut perſona, ætas, tempus, cauſa, locus, animus. Dicet enim iuuenis, per ætatẽ ſibi concedẽdum id eſſe, quod patri nequaquam condonandum ſit. Ergo (ut Quintiliani uerbis accuſantium intẽtionem aperiamus) Tubero accuſans Ligarium, ne quod et ipſe feciſſet, reprehendi itidem poſſet: atque ut aliquid, imo non parum intereſſet inter ſe & Ligariũ, dum crimen intenderet, hæc dixit: Iuuenem ſe

patri

patri heſiſſe,illum à Senatu miſſum,nõ ad bellum,ſed ad frumentum coemendũ.atque ut primum licuerit,à partibus receſiſſe. Ligarium contra & perſeueraſſe,& non pro Cn.Pompeio,inter quem & Cæſarem dignitatis fuerit contentio, cũ ſaluam uterq; rempublicam uellet, ſed pro Iuba atque Afris inimiciſſimis populi Romani ſtetiſſe. his rationibus multum interfuiſſe inter actorẽ et reum,liquido apparet.Quibus omnibus ſi paulo accuratius hanc orationem perſcrutari uoluerimus,diligenter & artificioſe reſpondere Ciceronem deprehendemus.Nam & Iubæ regis meminit,& perſeuerantiam (qua maxime urgebant Ligarium ) in eos conuertit,ut ſuo loco docebimus.Quòd autem maxime Cæſar infeſtus eſſet huic cauſæ , tum q̃ in partibus perſeueraſſet Ligarius, tum etiam q̃ pro Afris atq; Iuba ſtetiſſet,ſignificare mihi uidetur ipſe Cicero in quadam ad eundem Ligarium epiſtola, hæc ſcribens : Etſi tardius fit quàm uolumus,magnis occupationibus eius à quo omnia petuntur,aditus ad eum difficiliores fuerunt & ſemul Africanæ cauſæ iratior,diutius uelle uidetur eos habere ſolicitos, à quibus ſe putat diuturnioribus eſſe moleſtijs cõflictatũ.

## QVO CONSILIO VSVS ORATOR.

In agendis cauſis primus locus conſilio datur. per ipſum enim intelligimus,quid in quaque re ſequendũ cauendumq; ſit . Nec multum à iudicio conſiliũ diſtat,niſi q̃ iudicium rebus quæ ſe oſtendunt adhibetur,ut Quintilianus ſentit : Conſilium uero latentibus,& aut omnino nondum repertis,aut dubijs. Et iudicium quidem frequentiſſime certum eſt : Conſilium uero eſt ratio quædam alte petita,& plerunq; plura perpendens & comparans, habensq; in ſe & inuentionem & iudicationem : ſumiturq; ex re ipſa,cuius locus ante actionem eſt frequenter,& in ipſis actionibus primum ac potiſſimũ obtinet locum:laudanturq; tam Demoſthenes quàm Cicero,q̃ ſummo conſilio ſiue accuſauerint ſiue defenderint reos,uſi ſint.Nec alienum uidetur hic ſubijcere exempla de orationibus Ciceronis,à Quintiliano notata. In oratione igitur pro Cluentio hoc conſilio mirando uſus eſt.nam in prima expoſitione,matri Saſſiæ fidem abſtulit, cuius auctoritas filium Cluentium ualde premebat : tum corrupti iudicij crimen maluit trãſferre in Oppianicum, quàm negare . Præterea in re inuidioſa auxilio legis iudiciariæ nouiſſime uſus eſt , quo genere defenſionis offenſæ forent,nondum præmollitæ iudicum mentes,& quod ſeipſum inuito Cluentio facere teſtatus eſt.Pro Milone uero non ante narrauit,quàm præiudicijs omnibus reum liberaret, q̃ inſidiarum inuidiam in Clodium uertit : quanquam reuera fuerat pugna fortuita. factum item ſeruorum,hoc eſt,quæ ſerui Milonis fecerunt, qui Clodium interfecere,laudauit : & tamen uoluntatẽ Milonis remouit,q̃ illi preces non dederit, & in earum locum ipſe ſucceſſerit. Pro Ligario uero ipſe ſe oppoſuit . Sed cum laudetur Cicero, quòd ſe pro Ligario oppoſuerit, quærendum uidetur , cur hoc fecerit : nempe cum cognoſceret cauſæ infenſum Cæſarem,& quammaxime motum accuſatione Tuberonum,qui factum ſuum hoc modo eleuabant, quòd non perſeueraſſent in partibus Pompeianis,contra Ligarius perſtitiſſet in Africa:ubi primum Curionem à Iuba & Varo circumuentum amiſiſſet cum exercitu,mox uero difficili tempore anni illuc exercitum traieciſſet,atq; cum periculo pugnam cõmiſiſſet,non potuit magis ex uſu Ligarij uerba facere,& cõmodius ueniam crimini impetrare,quàm in ipſo probationis ingreſſu clementiſſimum Cæſarem hoc modo oſtendere.Inquit enim:Nullum habes adhuc ſignum Cæſar alienæ à te uoluntatis,cuius ego cauſam,animaduerte quæſo,qua fide defendam,prodo meam,& reliqua. Extulit enim ſupra modum humanitatem , & mitem Cæſaris animum , quòd ſibi qui iudicio ac uoluntate ad arma Pompeij profectus fuerat,ignouerit,ac tantum fiduciæ dederit,ut audeat alterũ defendere , qui & ipſe iiſdem partibus aduerſus Cæſarem fuerit.Præſtruit præterea ad ea , quæ in peroratione ad implorandam miſericordiam uſus eſt. Sed cum omnia prudenter in hac oratione egerit,tum illud prudentiſſime fecit.Nam ubi conſtantiam,uel potius patientiã Tuberonis, q̃ deiectus à cauſa Pompeiana cum iniuria in Macedoniam in Cn. Pompeij caſtra uenerit, uelut per ironiam laudat : ita repercuſſit ſuomet telo aduerſarium,ut iam planè uictor, ceu nihil ultra ad refutandam aduerſariorum accuſationem quærendũ eſſet,ad miſericordiam deſcenderit.

## DE DVCTV.

Hinc naſcitur ductus,qui noſtro iudicio ſimplex & rectus in hac oratione habetur . Aperte enim clementiam Cæſaris laudat, demonſtratq; Ligarium dignum uenia.nec ad aliud reſpicit,niſi ut confeſſione criminis (quod tamen neceſſitate excuſat) miſericordiam impetret,& ueniam.Sed nec fuit aduerſariorum ductus per ſubiectionem figuratus , ut homo Græcus dictitat:hoc eſt, quòd dicerent Tuberones ſe repulſos à Ligario ab Africa. occulte tamen ſubijcerent, ſe fuiſſe tradituros eam Cæſari. Et Ciceronem contra id dicentem,hoc eſt,q̃ non fuiſſent traditurì : coniecturis uti,quando (ut ſupra demonſtratum eſt) alio modo egerint aduerſus Ligarium. Sed illud addam:Cum uideret Cicero cauſæ Ligarij obfuturum, ſi commemoraſſet,quæ aduerſarij dixiſſent de perſeuerantia Ligarij,& de Iuba rege,hæc reticuiſſe in defenſione:quaſi intelligi poſſent,cum dixit,in Africa fuiſſe Ligariũ . His ſanè uerbis bellum Africanum intelligitur poſt Pharſalicum,Ponticũ,& Alexandrinum,à Cæſare geſtum : & qui in eo fuerunt , cum Iuba ſenſiſſe ſignificantur.Quæ omnia innuere uoluit,non aperte dicere, q̃ eſſent Cæſari notiſſima.Et hinc credo Quintilianum maxime motum,ut ſcriberet requirendam eſſe diuerſæ partis orationem,ab ijs qui hanc litem ſcire uelint. Si quiſpiam uero de ductibus præcepta cognoſcere uoluerit,& quoties, atque quomodo in cauſis habendi ſint,intelligere, is nonum Quintiliani librũ diligenter reuoluat:nec aſpernetur itẽ,quæ recentiores duo,hoc eſt,Martianus & Conſultus de ratione dicendi conſcripſerint. ex quibus impudens Plagiarius ferè omnia ſurripuit,quæ de ductibus præcepit,præter pauca ex Hermogene ſumpta.

## DE STATV CAVSAE.

Idem rhetor duos contendit eſſe ſtatus in ſuo recto ductu:conceſſionem per deprecationem,& recriminationem.In ſua uero figura,quia dixerant,Repulit ex ea prouincia nos tradituros tibi Africam ò Cæſar : coniecturalem, ſed non ad id coniecturæ quod eſt,Repulit: ſed ad id quod eſt Tradituros.Nos deprecationem dicimus eſſe:Coniecturam non recipimus eam,quam hic dicit , ſed aliam,ut infra docebimus. Verum cum dicat recriminatione uti Ciceronem,aliquando dubitaui,quem ſtatũ hic appellet recriminationem.exiſtimabam enim noui uerbi auctorem,etiam nouum ſtatum excogitaſſe. Duæ Græcæ dictiones, quæ in ſtatuũ generibus à Græcis uſurpantur, ſub recriminationis appellatione exprimi poſſe uidebantur.hoc eſt, ἀντέγκλημα καὶ ἀντικατηγορία. Sed illã Cicero & Quintilianus relationem criminis dicunt:hanc uero quidam è noſtris concertatiuam,Quintilianus uero mutuã accuſationem appellauit.& eſt, cum litigatores idem crimen inuicem intentant:& fieri in foro non poſſe,Cornelius Celſus dixit. Apollodorus quoque in anticategoria duas eſſe controuerſias ſenſit : & reuera ſunt , ſecundum forenſe ius , duæ lites. Verum

*dum commentarius noui rhetoris reuolno, inueni de quo dubitabam apertiſſime declaratũ. Nam de generibus coniecturalis ſtatus præcipiens, hoc exemplũ de duplici coniecturali poſuit. Medicus unà cum alijs duobus uiuebat, alter eorum ſignis ueneni mortuus fuit: alter cum medico recriminationem habet, quam nos anticategoriam appellamus. Non diſſentit ab antiquis ſcriptoribus hic præceptor, qui inter ſpecies coniecturalium quæſtionum concertatiuam ſiue recriminationem poſuit, quando in 7. oratoriarũ Inſtitutionum Quint. hunc ſtatũ coniecturæ ſubijciat. Quòd ſi coniecturæ pars eſt recriminatio, non uideo quomodo poſſit in hac oratione inueniri: quando obiectũ crimen neuter neget. Ergo principalis ſtatus, ut diximus, erit deprecatio per purgationem. Incidunt præterea quæſtiones aliæ, quæ ad ſtatus referri poſſunt. Nam & coniecturis quæri poteſt, qua mente Ligarius in Africa mãſerit. Erit etiam remotio criminis, cum factum transferre uidetur in Varum: qui priuato imperio Africam tenebat. Erit & finis, cũ uelut per definitionem nititur probare, non fuiſſe ſcelus ſenſiſſe Ligariũ cum Pompeio, ut obijciebant aduerſarij. Quòd autem deprecatio ſit potentiſſima in hac cauſa, & quòd circa eam ſit omnis cõflictio cauſæ, & ad eam maxime ſpectet orator: uerba quæ in ultima parte orationis leguntur, ſine dubio confirmant: Cauſas Cæſar egi multas, & quidem tecũ, dum te in foro tenuit ratio tuorum honorum. Certe nunquam hoc modo erraui, & reliqua. Status uero ipſe hoc pacto conſtituetur. Intentio aduerſariorum hæc fuit, In Africa Ligarius aduerſus te cum Iuba & Afris ò Cæſar ſtetit. Depulſio, conceſſio criminis, Poſtulatq; ut ignoſcatur. Ratio, quia neceſſario fuit in Africa. Infirmatio rationis, Tamen quia cum Iuba ſenſit contra te ò Cæſar, puniendus eſt. Iudicatio: cum Ligarius per neceſſitatem fuerit in Africa, atque ſenſerit cũ Iuba aduerſus Cæſarem, ignoſci illi oporteat nec ne. Non tamen diſſimulauerim, quam nos infirmationem diximus, à Trapezuntio Firmamentũ dici. Sed malui ex præceptis prioris rhetorici loqui, & infirmationem appellare quàm firmamẽtum: quando in hac re, & huiuſmodi nominibus, ut Quintil. auctor eſt, & legenti ea quæ Cicero de arte conſcripſit, à ſemetipſo is diſſentiat.*

## DE DISPOSITIONE.

*Diſpoſitio eadem ferè eſt, quæ in præceptis de arte habetur. Nam primum exorditur, narrat, argumentatur, atq; concludit per locos deprecationis. Cætera uero quæ prudentiſſime excogitauit, & inſeruit, ad conſilium atque ductum referri poſſunt.*

## GENVS CAVSAE, IN QVO LOCVM HABET EXORDIVM.

*In exordienda cauſa, genus cauſæ diligenter ante cognoſcere oportet. In eo enim ſedem habet exordiũ. Sunt igitur genera cauſarum, ut Cicero tradit, honeſtum, admirabile, humile, anceps, obſcurum. Eſt autem admirabile genus cauſæ, quod Græci παράδοξον dicunt: cui ſubijci poteſt turpe. ita ut ſub appellatione paradoxi turpe intelligamus. Admirabile autem uocant, quod præter opinionem hominum conſtitutum, uel (ut Cicero) à quo eſt alienatus animus eorum qui audituri ſunt. eſt enim præter omnium opinionem. Et uelut admirandum fuit, audere Ciceronem eũ defendere, qui feras gentes in patriam concitaſſet, dum bellum in Cæſarem parat: atque adeo magis, eo cognoſcente cauſam, in quem arma reus tuliſſet, & cuius animus non modo alienatus, ſed iratiſſimus foret. quare inſinuatione utendum fuit, tum rei qualitate, quæ turpis prima facie erat: tum etiam, quia fidem factam ab aduerſarijs conſpiciebat ex attentione Cæſaris, quam illis præſtitiſſet. Seruat autem in exordiendo ea, quæ de inſinuatione faciẽda in Rhetoricis præcipit. Nam quod duriſſimum erat, & cui uelut firmiſſimo argumento Cæſar animum intendebat, per ironiam eleuauit: hoc eſt, quod ſcelus & nouum & inauditum Ligario obijciebant. & aliter ſe dicturũ dicit, quàm ipſe parauerat, ſignificans exordium natum ex actione aduerſarij, non autem domo allatum: & ut cohæreat cum cauſa, quæ ferè in deprecatione uerſatur, in ipſo exordio iam ad miſericordiam et clementiam Cæſaris confugit: tum uero ex confeſſione criminis apte aduerſarios criminando, minus odioſas Ligarij partes facit.*

## QVOD IRONIA HABEATVR IN EXORDIO.

NOVVM *crimen C. Cæſar, & ante hunc diẽ inaud.*] *Quintilianus hanc diuinã Ironiam appellat. Nam in exordijs quoties utilitas cauſæ poſtulabit, figuris utemur: quemadmodũ in hac parte fecit Cicero. laborat ſiquidem, ut remittatur cognoſcentis intentio, atque minus ſe Cæſar in rem tanquam non nouam intenderet: quod & pro Cælio fecit. Nam ut res expectatione minor uideretur, dicit hominẽ ignarum legum, iudiciorum, & conſuetudinis Romanæ, mirari profecto quæ ſit tanta atrocitas cauſæ, quòd diebus feſtis, ludiſq; publicis, omnibus negotijs forẽſibus intermiſſis, unũ hoc iudiciũ exerceatur, nec dubitet quin tãti facinoris reus arguatur, ut eo neglecto ciuitas ſtare non poſſit: & reliqua. Idem Trapezuntius cen elatius quòd ſolus præter alios noſtri temporis rhetoras inueniſſet, quo pacto crimen intentum foret, audacter nimis à Quintil. diſſentit, atque conatur ſummo nixu probare, ironiã hic non eſſe. cuius rationes audire mi Bernarde, operæpretium eſſet, niſi meræ ſomnia & cõtemnendæ nugæ forent. ait enim: Non eſt Ironia, ut Quintil. ſentit, ſed uera confeſſio criminis: partim ut miſericordiam captet, partim ut cum eiuſdẽ rei, quã poſtea maiorem oſtendit, aduerſarium reũ hac humanitate Cæſaris abſolutum oſtendat, ſummæ crudelitatis arguat: quod quam ipſe facile cõſecutus erat, eandem miſericordiam cæteris abnegatum iri cenſeat. Nec ſi eſſet Ironia, poſſet illud recte dici, quod poſt confeſſionem ſubiungitur: Omiſſaq; controuerſia, omnis oratio ad miſericordiam tuam conferenda eſt, qua plurimi ſunt cõſeruati. cum à te non ſolum liberationem culpæ, ſed errati ueniam impetrauiſſent. Sicut enim ſimplex confeſſio miſericordiam captat, ſic ironice dicta ab omni miſericordia aliena eſt. Hæc in Commentarijs de arte Rhetorica leguntur. eandem quoque in hanc ſententiã repetit in expoſitione orationis. Nos uero non tam pro Quintiliano, quàm pro aſſerenda ueritate cum ad ſcribendum uenerimus, dicimus hanc Ironiam potius in aduerſarios, quàm in Cæſarem uerti. Non enim crimen inficiatur, ſed nouum & inauditum diffitetur: utpote eleuans qualitatem facti, non factũ ipſum negans. qua ratione potiſſimum errato uenia impetrari ſolet. Quis enim eſt, qui cũ peccauerit, aliqua ratione uel prætextu quandoque falſo peccatũ ipſum non extenuet? præſertim prementibus aduerſarijs, et factum ipſum prægrauantibus. An nõ fuit auertenda intentio ab accuſatoribus, ut ex hoc mitiorem haberent Cæſarem, aditusq; ad miſericordiam pateret? Quòd autem dicit, ideo Ciceronem amplificaſſe crimen, ut ſummã crudelitatem argueret, non hac uia crudelitatẽ auget, ut infra docebimus, ſed quia exilio Li-*

garij contenti non eſſent, mortemq́; expeterent. Poſt confeſſionẽ etiam recte ſubiunxit: Omiſſa controuerſia, omnis oratio ad miſericordiam tuam conferenda eſt. quippe ſignificans, ſe non tã ueniſſe ut crimen defenderet, quàm ut ad miſericordiam cõfugeret: quando non ſcelus eſſet, ut clamabant aduerſarij, ſed error uenia dignus. Sed uide quæſo ſapientiſſime Senator, quàm contentioſe et cupide rhetori ſubtiliſſimo reſiſtat hic homuncio: quem ego uiuere optarẽ, ut à nobis aliquando diſceret, ſibi ipſi Ciceronem non conſentire, ſi ſimpliciter & uere nouũ crimen & inauditum uoluiſſet à ſe intelligi. Nam eam partẽ refutãs, qua aduerſarij in aditu ſuæ accuſationis de ſcelere Q. Ligarij ſe dicturos promiſerunt, tam Ligarij quàm reliquorum Pompeianorum factum mitius appellans, non ſcelus, non crimen, ſed errorem, timorem, cupiditatem ab alijs dixit appellari: qui uero grauiſſime, temeritatem dixerunt: ſcelus, præter Tuberonẽ nemo uocauit. Ipſe Cicero fatalem calamitatem dicit: ſceleris uero crimine, furoris & parricidij, quæ noua & inaudita crimina forent, immunes omnes Pompeianos fuiſſe contendit. Quare ſecum pugnantia orator proferret, ſi quod nouum crimẽ & inauditum in exordio poſuit, poſtea leuiſſimum erratum & tãtum atq; pertinaciam fuiſſe, affirmare niteretur. Ergo quod aduerſarij ſcelus & parricidium, utpote noua & inaudita uerba de ijs, qui ſe bello ciuili implicuiſſent, in principio orationis per ironiam extenuauit. Cætera uero rationes, quas de recriminatione & coniectura oſcitabundus homo ſomniauit, ſtare non poſſunt: cum oſtenderimus accuſationem aduerſariorum longe diuerſam fuiſſe ab ea, quam præceptor finxit. Illud hic addẽdum uidetur ad ironiæ declarationem, duplicẽ eſſe hanc figuram. Eſt enim ironia in uerbis, quæ tropus dicitur: eſt & figura totius uoluntatis fictio, apparens magis quàm confeſſa. ut in tropo ſint uerba diuerſa uerbis: in figura, ſenſus, ſermones & loci, & tota interim cauſæ cõformatio, tum etiam uita uniuerſa ironiam habere uideatur. Hæc Quintilianus in nono Oratoriarum Inſtitutionum, apud quem pluribus uerbis quæ ſit huius tropi atque figuræ differentia, cum exemplis copioſe inuenies. Nouum crimen C. Cæſar.] Quis factum Ligarij ſcelus dixerunt, quod de nouo & inaudito facinore ſolet dici, eleuat per figuram. Detulit.] Accuſauit. In hac parte Fab. Quintil. de pronunciatione præcepta tradens, ait eſſe quaſdam latentis ſermonis percuſſiones, & quaſi pedes aliquos, ad quos plurimorũ geſtus cadit. ut ſit unus motus, Nouum crimen: alter, C. Cæſar: tertius, Et ante hanc diem: quartus, Non auditum. deinde, propinquus meus & ad te, & Q. Tubero detulit. Sunt enim hæc cum interuallo pronuncianda: quamuis & hinc ultiũ fluxerit. Nam iuuenes cum ſcribũt, geſtu præmodulati, cogitationem ſic componunt, quomodo caſura ſit manus. ad componendam autem pronunciationẽ huius principij, pauca quædã ſcribit, quæ ſtudioſi iuuenes diligentius & legere et ſeruare debẽt. In Africa fuiſſe Ligarium.] Clauſit in iambicum. Hic præfamur de Compoſitione paucula nos eſſe dicturos, quando ex præceptis rhetorum eam percipere per ſe ſtudioſi poſſint. In Africa fuiſſe.] Hæc fuit ſentẽtia criminis. Subticuit de Iuba & Afris, ne magis Cæſarem irritaret. Idq́; C. Panſ.] Aperta certe ironia, quando res manifeſtiſſima magno teſte confirmaretur. an omnibus notiſſimum non erat, in Africa fuiſſe Ligarium, cum reliquijs Pompeianarum partium? quo plus autẽ auctoritatis teſti attribuit, eo magis uis ironiæ intẽditur. Itaq́; quò me uertã neſcio.] Sapit aliquid hic locus eius inſinuationis, quæ ſolet fieri, quoties fidem factã uidemus, ut dubitatione utamur in reſpondendo: ſimul etiam maiorem fidem exordio quæſiuit, cum illud à propoſitione aduerſariorum ſumptũ oſtẽdit. Ignoratione.] Inter ignorantiam & ignorationem hoc differre arbitror, quod hæc ſit actus, & (ut grammatici dixerũt) rem uerbi ſignificet: illa uero, res ipſa ſit. Integrum eſſet.] Integra res dicitur, intacta, & nondum tractata. ſed hic uelle ſignificare uidetur, ex priore ſignificatione. Omiſſa controuerſia.] In exordio delibat ſummum & potẽtiſſimum illud, ex quo naſcitur ſtatus: quod fieri debere omnes ſcriptores artis tradiderunt. Omnis oratio ad miſericordiam tuam conferenda eſt, qua plurimi ſunt liberati.] A cõmemoratione clementiæ, qua Cæſar omnes ſuperauit, illum ſibi beneuolum facit. Liberationem culpæ.] Quia inimici tui culpa non carent. Sed ueniam errati.] Vtrunque enim ignouit Cæſar. nam qui per imprudentiam, uel per caſum et neceſſitatem, uel alio cogẽte peccant, culpa carere uidentur: ſolentq́; hi errato ueniã, non culpæ poſtulare: quod illa penes alios ſit, & hoc uidetur in genere dictum de ijs omnibus, qui in parte diuerſa fuerũt. Quòd autẽ Trapezuntius culpã ad nouũ et inauditũ crimen referat, puerile uidetur. Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori max. optandum, confitentẽ reum.] Hæc confeſſio, quæ nihil noceat, non multũ abeſt ab ironia, auctore Quintiliano: quemadmodum & illa confeſſio, cũ aliquid etiam uidemur iniquũ cauſæ fiducia pati. ut illud, Metu uirgarum nauarchus nobiliſſimæ ciuitatis pretio ſe redemit: humanum eſt. In hoc uis ironiæ conſtat. nam ſi eſt humanum: nauarchum redimi pretio, cur accuſas? & pro Cluentio: De inuidia dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs. Tertia conſenſio, ut pro eodẽ Cluentio: iudicium eſſe corruptum aſſentitur, ut poſſit cõmodius probare coniecturis, ab Oppianico quàm à Cluentio corruptos iudices: Quare aſſenſus ei rei quæ futura erat pro ſe. Sed conuertens Cicero ſermonẽ ad Tuberonẽ, uehemẽtiã dedit orationi hac figura: quæ erat multo futura languidior, ſi aliter figuraſſet. Nam ſi ad iudicẽ conuerſus, hoc modo per tertiã perſonam dixiſſet, Habet igitur Tubero: rem tantũ indicaſſet. Sed ſermone à iudicis perſona auerſo, aduerſarium alloquens, preſſit atq; inſtitit. Itaq; prius de ueſtro facto fateamini neceſſe eſt, quàm Ligarij ullam culpam reprehendatis.] Hanc particulam, quæ ſententiæ loco prolata exordium claudit, Quintil. de generibus ſententiarum ſcribens, clauſulam appellat: quòd hac breui ſententia claudatur exordium, & per eam quodãmodo ſignificet, quod alibi dixit: Carere omni uitio debet, qui eſt in alium dicere paratus. Hic non prætereundum uidetur, quod apud Demetrium Phalerea legimus: Ab hoc. n. ſcriptore Quintilianus, quæ de hac exornatione præcipiat, ſumpſiſſe mihi uidetur. Epiphonema appellatur à Græcis hæc figura, et habet in omni ſermone magnificentiſſimum quiddam, & plerunque ſubſeruit orationi. Interim uero exornat eam, & habet ſimile quiddã oſtentationibus diuitum, qui aurum & purpuram latiorẽ oſtentare ſolent. Sed cum paulo infra repetenda multa ſint, de hac figura illud hic tantum dicam: huiuſmodi ſententias tunc nomẽ epiphonematis habere, cũ claudunt, hoc eſt cõcluſionis uice funguntur, & ſint uelut aſſumptæ extra: ita tamen, ut cohæreant cauſæ. Dicuntur propterea epiphonemata, quoniã poſt rem factam acclamant: non autem, quod factum per ea dicatur. Nam quonſq; aliqs rem narrat, ſiue deſcribit, illud negotiũ dicitur. ſed quoties quieſcẽs infert aliquid extra, uelut præter opinionẽ, dictum illud epiphonema appellatur, quaſi poſt dictum, hoc eſt Græce ἐπιλεγόμενον. Quare ut exprimã quod nobiliſſimi Scriptores ſenſerunt, hæc præpoſitio Ad, in hac compoſitione additionem quandam uelut ultimo loco poſitam ſignificat. Cõmode igitur Cicero in fine exordij aliquid poſuit, quod aurẽ uelut paradoxon, nec alienum à negotio de quo agitur, feriret: & reo mordendo aduerſarios, fauorem apud Cæſarem quæſiuit. Quintus igitur Ligarius.] Exordio iã præparato iudice, narrationem ſubiunxit. Incepit autem narrare unde neceſſe fuit. nec unde rem ipſam expoſuit, quod fuiſſet teſtis, nõ oratoris. Et quamuis expoſitio breuis ſit, argumentũ tamen ponit, ut ſuo loco dicemus. Commonet & iudicem, ut recordetur. Partitur etiã

tempore, ut dilucidius res exponatur. Incipiens itaq; à perſona, dixit, Q. igitur Ligarius: nihil exponens eorũ, quæ quidam exponere ſolent, cũ initium narrandi à perſona ſumunt. quæ tũc adhibenda ſunt, cum id eſt profuturum cauſæ, quod fecit idem orator pro Cluentio. Nam A. Cluentiũ Habitum A. Cluētij patrem laudat. Nulla belli ſuſpicio.] Iam præſtruit ad ueniã, oſtendens caſu factũ eſſe, q̃ in Africam profectus foret, & expoſitioni breuẽ defenſionẽ atque cauſationem factorũ quare id res poſcebat, inſeruit. Etenim ordo per ſe talis fuiſſet: Q. Ligarius legatus in Africam cum C. Conſidio profectus eſt. Sed M. Tullius, qui rem narrabat nõ tanquã teſtis, ſed tanquã patronus, ſimplici ordine nõ cõtentus: Q. inquit, Ligarius cũ eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, legatus in Africam cũ C. Conſidio profectus eſt. Et alibi: Non modo ad bellũ, ſed ne ad minimam quidem belli ſuſpicionẽ. Et cum eſſet iudicãti ſatis, Nullo ſe implicari negotio paſſus eſt: adiecit, Domũ ſpectans, ad ſuos redire cupiens. Ita quod exponebat, et rõne fecit credibile, et affectus impleuit. Eſt. n. locus affectuũ, domũ ſpectare, & ſuos cupere. Prouincia decedēs Cõſidius.] Africã intellige, quæ et procõſularis prouincia quandoq; dicta fuit. Videtur hæc pars expoſitionis ſpectare ad quæſtionem: quæ eſt, qua mẽte in Africa remãſerit Ligarius. Prudenter itaque incipit oſtẽdere mentẽ Ligarij, & à præfectura Africæ, & à bello ſemper abfuiſſe. Integritas & fides.] Quæ duo maxime in præfectis prouinciarũ et exigi & cõmendari ſolent. Bellũ ſubito exarſit.] Tráſlatio. non. n. potuiſſet proprio uerbo melius impetũ belli exprimere. Tũ Ligarius domũ ſpectans, &c.] Nõ ſolũ affectus delibauit, ſed & ſecundũ Quintilianũ, per cõqueſtionem quodãmodo impleuit. Eſt. n. cõqueſtionis locus, quoties iniquo animo diſiunctionẽ ab aliquo ferimus: præſertim cũ ducti ſumus & diſiũcti à domo, aut ab iis quibuſcũ libentiſſime uixerimus, ut à parẽtibus, filijs, fratribus, atq; familiaribus. P. Actius Varus.] Hic Actius Varus, qui ad Auximũ (ut in argumẽto diximus, et in Cõmẽtarijs legitur) amiſſis cohortibus, protinus ex fuga in Africã peruenerat, atq; eã ſua ſponte uacuã occupauerat, delectuq; habito, duas legiones effecerat, hominũ et locorũ notitia et uſu eius prouinciæ uadus aditus ad ea conanda: quòd paucis ante annis ex prætura eã prouinciã obtinuerat. Si illud imperiũ eſſe potuit.] Correctio, color. Probat aũt, non potuiſſe eſſe imperiũ, quod ad priuatũ hominẽ ſine publico cõſilio deferretur. Adhuc C. Cæſar Q. Ligar. &c.] Hãc narrationis particulã Quintilianus cõmonitionem appellat, quæ maxime eſt utilis in extrema parte, cũ ordo rerum in longũ exit. quanquã in hac breui narratione hoc Cicero fecerit. uidetur. n. hac uelut deuterologia in animũ Cæſaris infigere, quod ſupra expoſuit. Quare miror, rhetorem noſtrũ ſe auctorẽ huius obſeruationis atq; præcepti facere. Ita ſe geſſit, &c.] Argumentũ poſuit: ſed argumẽtatus nõ eſt Cice. ut rhetores notauerũt, qui à narratione argumẽtationẽ in totũ excludũt. Differt uero argumẽtum ab argumentatione: quòd illud uis ſit probationis, hæc uero explicatio et enarratio argumẽti, ſiue per inductionẽ, ſiue per ratiocinationẽ id fiat, & eſt argumẽtũ probabile ex cõtrarijs et repugnãtibus ductũ. Nã ſi expediebat Ligario pacẽ eſſe in prouincia, bellum ſuſcitare nõ debuit. Ergo hæc duo tẽp. etc.] Hæc tripartita tẽporũ diuiſio uidetur quodãmodo ſpeciẽ habere partitionis, & cauſam cõſtituere. Excludit aũt duo prima, hoc eſt cũ legatus eſt profectus, et cũ efflagitãte prouincia præpoſitus illi fuit. quibus tẽporũ ſpatijs nihil in Cæſarẽ cõmiſit Ligarius. Sed quòd poſt aduentũ Vari in Africa ſteterit, id eſt criminoſum: quod tamẽ purgat per neceſſitatẽ, & eſt cõſtitutionis deprecatiuæ locus, Nititur aũt perſuadere Cæſari orator maximus, dignũ uenia Ligariũ, & culpa carere, q̃ uoluntas eius nõ abeſſet à fratribus, qui Cæſarẽ ſequebãtur: quoniam cũ eis cõcordiſſime uiueret. atq; ſi potuiſſet ullo modo euadere, ad illos conceſſiſſet. Et eſt hic cõfirmationis principium & cõtentio quædam pro ratione contrariorũ. Opponit Vticæ Romã, Actio Varo cõcordiſſimos fratres: quã contentionẽ interrogando acriorem facit. Incidit in hunc locum coniecturalis quæſtio. O clementiã admirabil.] Hac exclamatione uſũ facit ad id conſiliũ, quod in primis laudatur à Quintiliano. Nã pro Ligario ſe opponit. oſtendit aũt ſpauditã Cæſaris humanitatem & clementiã, apud quem defendat aliũ in ea uolunte nõ fuiſſe, in qua cõfitetur ſeipſum fuiſſe. Nulla ui coactus, etc.] quod non fecit Ligarius, qui neceſſitate in Africa remanſit. Latetq; ſub hac facie tantæ licentiæ adulatio: etſi nil minus figuratum uidetur, quàm uera libertas. nec ſolum ad utilitatem reſpexit orator: ſed certe magis laudare uictoris clementiam non potuit. Apud quem igitur, &c.] Hæ ſunt illæ non ingratæ uices interrogandi ſeipſos, & reddendi ſibi: quod ſchema, ſunt quidam qui per ſubiectionem uocant. Conceſſos faſces laureatos.] Ciceroni ob res feliciter ad Amanum montem geſtas, & expugnatum Pindiniſum urbem, ſupplicationem Roma decreuit. Triumphus quoq; redeunti oblatus: quem etſi ab initio concupiſſet, tamen quòd alienũ à conditione temporum exiſtimabat, proſequi deſtitit, feruescentibus iam initijs belli ciuilis. Cumq; ad eũ Pompeius & Cæſar ſcriberent, ad Põpeium proficiſci maluit: quamuis eũ moneret atq; rogaret Cæſar per literas, ne quò progrederetur: ſuaderetq;, ut procul à bellorum undis aliquo in loco cõquieſceret. Sed cũ Põpeij exercitu in Italiam reuerſus, reditum Cæſaris circa Aegyptũ Aſiamq; diutius cõmorantis expectauit: ubi faſces tamẽ laureatos, ac turbã lictorum, quos ab initio urbe extulerat, etiã Brundusij retinuit, per literas Cæſare ex Aegypto ad illum miſſas hoc concedẽte. Sed quæro, quis putat eſſe crimẽ, &c.] Admirãda Ciceronis ſolertia, per quam inuenit in actione aduerſarij, ut ſupra diximus, quæ inter ſemetipſa pugnant, aut pugnare uideantur: quæ aliquando ex rebus ipſis manifeſta ſunt, ut id eſt qđ nunc dicit: Nã quis crimẽ putat fuiſſe in Africa Ligariũ? nẽpe is Tubero, qui et ipſe in Africa eadẽ uoluit eſſe, ut maius bellũ in illã excitaret. qđ ex hoc manifeſtiſſimũ eſt, q̃ poſteaq̃ repulſus fuit ab Africa cũ iniuria: in caſtra Põpeij profectus eſt, cõtra Cæſarẽ cõgreſſus, armatus. Laborat in hoc loco Trapezuntius, ut oſtẽdat recriminationẽ eſſe, quã Græci ἀντικατηγορίαν uocitẽt. Sed cũ ea ſit duplex cõlectualis, ut Hermogenes & Martianus noſter ſenſerũt: profecto ſi uiueret rhetor, rogarẽ ut me doceret, qua rõne potiſſimũ inductus ſcripſerit hũc ſtatũ in hac cauſa uerſari. Quid. n. Tubero tuus ille in acie, etc.] Amplificat Tuberonis factũ, per congeriẽ uerborũ ad ſentẽtiarũ idẽ ſignificantiũ. Quatuor. n. ſunt amplificationis genera, ut Quintil. tradit. Incrementũ, quod fit, quoties per gradus quæ inferiora ſunt, magna uidentur: tamen gradu quodam aut pluribus per id uenitur nõ modo ad ſummũ, ſed interim quodãmodo ſupra ſũmũ. quale eſt illud Ciceronis in Verr. Facinus eſt uincire ciuẽ Romanũ, ſcelus uerberare, parricidiũ necare, quid dicã in crucẽ tollere? Comparatio, cũ ex minoribus incrementũ petitur. augendo enim quod eſt infra, neceſſe eſt extollat id quod ſupra poſitum eſt. ut in Catilinam: Serui me hercle mei, ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes ciues tui, domum meã relinquendam putarem. Ratiocinatio, quæ alibi poſita, alibi ualet: ut aliud creſcat, aliud augeatur. quale illud Virgilianũ: At uenti uelut agmine facto Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant. Apparet enim quãta ſit futura in mari tempeſtas, ſi in terra ut data eſt primum porta ruũt. Eſt et congeries, per quam ſi non per gradus aſcendant, tamen uelut aceruo quodã quæ dicũtur allevantur. Inſiſtit aũt maxime interrogãdo, atque exardeſcit oratio, quæ alioquin langueſcere uideretur, ſi ſic dixiſſet: Tuus ille Tubero diſtrictus gladius, in acie Pharſalica hoc agebat. Et cũ orator rebus ſenſu carẽtibus actũ quẽdã dederit, ſublimem fecit ſermonẽ audaci trãſlatione: & cũ nimis pre

meret

meret aduerſarium, acrimoniam ipſam moderatus eſt, cum dixit: Nimis urgeo, cõmoueri uidetur adoleſcens. Quid autem aliud egimus Tub. etc.] Hæc ſententia pareſiſtaticõs, hoc eſt licẽtius prolata admirabiliter, ut Quintil. ait, utriuſque partis fecit bonã cauſam. Sed & hoc eum quoque demeretur, cuius mala fuerat: quando & ipſe Cicero cum Tuberone aduerſus Cæſarem ſe pugnaſſe dixit, ut id ſcilicet poſſent Pompeiani quod poteſt Cæſar: quomodo.n. id damnaret uelut malum, in quo & ipſe ſummis uiribus laborauit. Ergo tam Cæſaris ꝙ̃ Pompeij bonã fecit cauſam: quando ab utriuſque ſumpta ſunt arma, ut idem poſſent. Quorũ igitur impunitas tuæ, etc.] Hæc ſententia, quæ rectè ex loco in quo poſita eſt, epiphonema appellari poteſt: eſt.n. adhibita ad ornatũ poteſtq; appellari contrarium, ſiue contentio ſententiarũ. Nam ea quæ ex contrarijs ſententia conſtat, eminere inter cæteras uidetur, ſunt.n. contraria, clementia atq; crudelitas. Et non tam probauit his uerbis Cicero, quàm uidetur inſultare in hoſtes. Demetrius Phalereus de epiphonemate ſcribens, ut ſupra diximus, tradit hoc ſchema, ꝙ interdum ad probationem, interdum ad ornatũ apponitur, poſtremo ſemper inferẽdũ eſſe, ſenſiſſe autẽ quoſdã, enthymema eſſe ſpeciem acclamationis. quãquã enthymema nunquã ornatus gratia, ſed demonſtrationis aſſumatur, præterquam ſi in concluſione epiphonematicos proferatur. Fuerunt etiam qui ſentẽtiam quoties poſt quædam prædicta ea locaretur, epiphonematis uicẽ habere dicerent. Sed neque ſententia erit: quoniã ſæpe præponatur epiphonema. et quãquã ſedem quandoque habeat ſententia epiphonematis, tamen nunquã erit epiphonema, quoniam nec in clauſula dicatur, nec ornet, nec ſit ſimilis epiphonemati: ſed potius proſphonemati, uel irriſioni cuidã. quale illud: Sed non augurio potuit depellere peſtem. Quidam Hermogenis cõmentator, uelut exponẽs definitionẽ epiphonematis, quæ à Demetrio datur, ut ſit epiphonema dictio exornans: hoc amplius tradit. Non enim pars eſt omnium dictionum uſus, ſed hæ quidem ſubſeruiunt negotijs, et per ſeipſas ſicut in imagine negotia ipſa oſtendunt. aſt aliæ ornãtes prouocant auditum, propter ſuauitatem quippe inducentes aliud, plus ꝙ̃ ſint ante dicta, ornatũ ſermoni adijciunt, in fine dũtaxat poſitæ: quemadmodũ limbus in extremitate ueſtibus ſubſuitur. Nã ſi acclamationes in medio locatæ fuerint, cum breues ſint, præ multitudine earũ rerũ quæ dicuntur. obrui atq; occultari quodãmodo uidentur. ſed qui dicũt ſententiã eſſe epiphonema, facile ex hoc redarguuntur. Nã cũ oporteat ſemper in clauſula & fine locari epiphonema, è diuerſo ſentẽtia ſæpe ſtatuatur in principio, nõ erit ſententia, neque epiphonema, nec ſimilis illi. Hæc ex Græcis ſcriptoribus ſumpta ſubiũgere uolui: ut ſi collata fuerint cũ ijs quæ Quintil. de ſentẽ. & epiphonemate ſcribit, lucidius et planius intelligatur, quare de illis cõiũctim, ceu paruo fine inter ſe differant, præcepta dederit. Cõmode igitur Cicero tã in fine exordij ſententiã locauit, ꝙ̃ rectè hac in parte addidit: cũ iã probauiſſet, imo id effeciſſet, ut iniuſtũ appareret quod aduerſarij detuliſſent. Tranſiturus enim eſt orator poſt eã, ad probandam inhumanitatẽ aduerſariorũ. Ingenio tũ etiam.] Doctrinã accipe, ſcientiã iuris ciuilis. Nã Tubero doctiſſimus habitus eſt iuris publici & priuati, et cõplures utriuſq; operis libros reliquit. Offilio operã dedit. Fuit autẽ Patritius, et trãſijt à cauſis agẽdis ad ius ciuile, maxime poſtquã Q. Ligariũ accuſauit, nec obtinuit apud C. Cæſarem. ſermone etiã antiquo uſus, affectauit ſcribere, & ideo parũ eius libri grati habentur: Hæc Põponius in Orig. Iuris. Nõ habet tã uim iſta accuſatio, etc.] Inhumanam probat Tuberonis in Ligarium actionem, quippe exulẽ accuſantis, atque id agentis, ne ei Cæſar ignoſcat. & hinc ſummã crudelitatẽ illorum probat, qui non aliud quærant hac accuſatione, ꝙ̃ mortem exulis quãquam id parum attendere uideantur. Vtitur autẽ eo argumento, quod per enumerationem tractari ſolet, & eſt ferè neceſſarium. Nã ſi patria pulſus domo, etc.] Exaggerat inhumanitatem, ꝙ contra Romanorum mores tantum illorum odium exarſerit, ut ex Græcorũ aut Barbarorum natura ſanguinem petant: & eo magis, cum apud Dictatorem Syllam nullus exulem ſic accuſauerit: quod item ſupplices & petentes ueniam, quodãmodo uoce ſupplici uti prohibeant ad eum Cæſarem, qui omnium clemẽtiſſimus, ipſis etiam Tuberonib. ignouerit, qui eodem crimine tenerentur. Aut leuium Græcorum.] Hinc traxit Lucanus, quod dixit de Maſſilienſibus: Phocais in dubijs auſa eſt ſeruare iuuentus, Non Graia leuitate fidem. Apud eũ Dictatorem.] Syllam intellige, qui propoſitis præmijs delatores inuitabat. Nullus tamen unquã apud eũ tam crudeliter accuſauit. Fuit Sylla crudeliſs. Romanorũ, ut hiſtoriæ tradunt. Ego uero non poſtulo.] Nimiã cupiditatem et irã grauem accuſantiũ oſtendit, qui cõtra morẽ gentis & ſtudia familiæ, nõ intelligant, quid petãt ex accuſatione. Sed eũ domi hoc faceremus.] Plaſis hæc oratoria, ſecũdũ Aſconiũ: quæ fit, quoties orator aliquid fingit, quod cauſæ conducat. Quæ tamen crudelitas.] Tãgere mihi uidetur id Cicero, quod Cæſar in quæſtura fecit. qui (ut Sueton. tradit) in exercenda de ſicarijs quæſtione, eos quoque ſicariorũ numero habuit, ꝙ in Syllæ proſcriptione ob relata ciuiũ Romanorũ capita, pecunias ex ærario acceperant, quãquã excepti Cornelijs legibus. Ergo et tũc humanitatem præ ſe tulit Cæſar, crudelitatem adeo peroſus, ut eos quos Cornel. Sylla cũ legem Corneliã de Sicarijs ferret excepiſſet, uelut ſicarios ulciſci uoluit. Conſtituit aũt Cornelius Sylla quæſtiones (ut Pomp. tradit.) de falſo, de parricidio, de ſicarijs: quæ Corneliæ leges appellatæ fuerunt. hanc partẽ de inhumanitate accuſantiũ per expolitionẽ uarie tractat Orator. Dicam plane C. Cæſar quod ſentio.] Emphaſim hic eſſe Quintilianus tradit, præbetq; altiorẽ intellectũ quàm quem uerba per ſeipſa declarãt. ſuppreſſaq; uoce tacuit illud, quod nihilominus accipimus: non deeſſe homines, qui ad crudelitatẽ illum impellerent. Tamen hominis non eſſet, etc.] Hac plaſi argumentatus Cicero inhumanos ualde Tuberones probat, ſi mendaciũ pro ſalute ciuis dictũ coarguere auderent. Genus hoc argumentationis nouus noſter rhetor obſiſtentiam appellat, conatus in linguam noſtram traducere quod Græce ἀντιπερίστασις dicitur, quã argumentationem Quintilianus ſemper diuiſionem nominat. Nam de coniecturali ſtatu loquens, ſic ſcribit: Frequens eſt illa diuiſio: Non eſt factum, & ſi eſt factum, ego nõ feci. Et rurſum deprecatione: Nã & diuiſio frequens eſt, etiam ſi feciſſet ignoſcendum fuiſſe. Et alio loco: Itaque uideas & diuiſionẽ pro ſententia poni. Et argumentũ, ſi tantũ in clauſulæ calce pronuncietur: Occidiſti uxorem, ipſe adulter. Non ferrem te, etiã ſi repudiaſſes: diuiſio eſt. Vis ſcire uenenũ eſſe amatorium? uiueret homo niſi illud bibiſſet: argumentũ eſt. Significare uidetur his uerbis Quintilianus, huiuſmodi diuiſionẽ probationibus atque ſolutionibus cõuenire. Ac primus aditus, etc.] Hic Trapezuntius ſua illa uerborũ copia inuentũ ſuum extollit: imo ſanè geſtire mihi uidetur, quãdo ſolus præter cæteros qualis fuerit Tuberonũ accuſatio, cognouerit. Inquit enim, Non ueriſimile uideri, ita mente captos fuiſſe Tuberones, ut quod illi ipſi, qui Cæſarẽ ſequebantur, ſcelus nec putarent nec appellarẽt: id qui in eodem crimine fuiſſe putarentur, ſcelus in altero prædicarent. Non ergo ad cõmune Pompeianorũ factũ id referebant, niſi credamus demẽtes fuiſſe Ciceronis aduerſarios: quod quoniã faciundũ non eſt, conſiderandũ diligẽter quid cauſa flagitet, quo modo Cicero defendat. Quod ergo ad hanc partẽ attinet, nec figuris contecta, nec aperta Tuberonis intentio, mea quidẽ ſententia, in cõmune Põpeianorũ crimen ferebatur: ſed figurata, in latentẽ cõiecturam aperta: ꝙ miſſum eũ à ſenatu ad prouinciã obtinendam ui expulerit. At orator grauis cũ rectè ſingula proſpiceret, ne cõſcius uideatur, nihil dixit quo figurã ſubintellexiſſe uideatur. nec expulſos inde Tuberones, nec Ligarium Pompeianum fuiſſe ne-

ſat : quoniam non erat integrum. uerum quoniam quod fecit Ligarius,ut Pompeianus fecit:ſcelus in cõmune Pompeianarum partium crimen adducit grauiſſime.et paulo poſt illud quoque uehementer animaduertendum,quod cum diceret Tubero,ſcelus Ligarij, ꝙ ſe in Africam ſenatus auctoritate uenientẽ expulerit,atque aduerſus Cæſarem cõmiſſum ſubijceret,ſeparauit hæc Cicero:ac huic ultimo quod occultũ erat,quodq́; intellexiſſe diſſimulat,coniectura ibi reſpondit:ſi fuiſſetis recepti,Cæſari ne eũ tradituri fuiſſetis?Ante cõiecturam factum facto comparat,ut recriminari uideatur,ſuſpicionem debilitet,& ad coniecturam aditum ſibi præparet. in hac parte ad commune(ut diximus)reducitur,& definitione utitur.factum enim tam Ligarij quàm Pompeianorum,conueniebat:nomen facti in controuerſia erat, id nomen facto Ligarij,quod ui expulerit,à Tuberone attribuebatur:et ut facilius negari poſſit,ad Pompeianorum cõmunem cauſam à Cicerone reducitur. Hic præceptor quo plura repetit.& rem magis explicare nititur,eo magis ſe implicat,& Ciceronis mentem odioſis ambagibus quodammodo obtenebrat:atque ſi paulo licentius loqui licet,nuſquam magis ægroti ueteris ſomnia, quàm in hac expoſitione contẽplare poſſumus:quando nec ſenſum,nec uim aliquam Ciceronianæ eloquentiæ tanta uerba oſtendant,ſed cũ rationibus quibuſdam cõmẽtitijs utatur,opus illi fuit,ad tuenda quæ commẽtus eſt,his uerborum inuolucris, tanquam præſtigijs uti.Vix ego quid ſentiat,uel potius quid exponat,intelligere poſſum:ut magis mihi uideatur figurate loqui interpres,quã Cicero niſi forte magis ſuis exquiſitis figuris,omnem orationis ſenſum atq; uim peruertit.Hoc ſolum elicere ex uerbis interpretis poſſum, Tuberones ſcelus appellaſſe factũ Ligarij,ꝙ prouinciã nõ tradiderat eis,qui illã Cæſari tradituri fuerãt,eosq́; repuliſſet:nec retuliſſe accuſatores ſceleris nomẽ ad cõmune Pompeianorum factum,ſed priuatim ad id quod feciſſet Ligarius.Ciceronem uero re aliter diſtincta,& conuerſo criminationis ordine, ſceleris nomen ad Pompeianos referre : deinde per diſſimulationem oſtendere,eos non fuiſſe tradituros prouinciam : & ſic reum ſceleris non fuiſſe Ligarium,qui Tuberones eieciſſet. Interpretatio iſta egregij rhetoris, hoc ſignificare mihi uidetur.Hic ergo id repetam,quod in principio dixi:concuſſo atque euerſo primo(ut aiunt)fundamento,quod uitioſum ſit, omnia facile corruere quæ ſuperſtruxeris . Nam cũ aliter aduerſarij accuſauerint,ut ſupra demonſtratũ eſt,quod hic dicit, per ſe labaſcit atque decidit,utpote nitens falſo & impudenti mendacio et qui alios uelut mente captos inceſſit,hic certe nec mẽtem nec cor habebat,cum iſta cõmentaretur. Et niſi indiligẽtiſſimus omnium fuiſſet,cauſam,& hunc diuerſæ partis aditum accuratius perſcrutari debebat ſed dum pertinacius tueri errorẽ ſuum uult,atque in eo laborat,ut oſtẽdat in principio ironiã nõ eſſe, ſed ſimpliciter & ſerio prolatũ eſſe Nouũ crimen inauditũ:non potuit aliter ſententiã ſuam, uel leui atque falſa aliqua ratione defendere,niſi hunc locum in peruerſum aliquẽ ſenſum traxiſſet:quando orator factũ extenuat,quod ſcelus alij dixerunt, id mitiore appellatione nominat : uultq́; eos qui bellum ciuile geſſerunt,crimine ſceleris furoris & parricidij immunes fuiſſe. quod longe diuerſiſſimũ eſt ab eo,quod in principio exordij poſitum eſt,niſi per ironiam dictũ intelligatur , Quare qui cupit ironiam,quemadmodũ diuina ſit intelligere,is conferat quæ in hac parte Cicero tractet,cum exodij propoſitione . At dicet aliquis:Quæro à te ò Merula,quid ſit quod in facto Ligarij Tuberones ſcelus dixerunt? Nam ꝙ is fuiſſet in parte aduerſa armatus,& item ꝙ cum iniuria Tuberonem repuliſſet,ſceleris nomine prægrauari non debuit.Quid igitur ſcelus appellarunt? Hic fremant licet,ſi qui ſunt Trapezuntij ſectatores,hic quæcunque ſolertia ceſſet, hic fateantur omnes cum Quintiliano, neceſſarium eſſe, diuerſæ partis accuſationem aliqua ex parte, ut ea fuit,ad hæc intelligenda nouiſſe. Quid tãdem ſcelus uocãt? Hoc uidelicet, quod in principio diximus:Ligarium nõ pro Cn. Pompeio, inter quem & Cæſarem dignitatis fuerit contentio, cum ſaluam uterque Remp.uellet: ſed pro Iuba atque Afris inimiciſſimis populi Rom.ſtetiſſe . quod ſanè ſceleſtiſſimum fuit,in perniciem patriæ cum immani hoſte ſenſiſſe.Sed ſapientiſſimus orator,cum exploratum haberet(ut alibi ſcribit)Cæſarem admodum iratum Africanæ rei fuiſſe,de Iuba & Afris in totum reticuit:& quaſi diſſimulans rem præterit,contendens arte ſumma probare , pro Cn. Pompeio Ligarium ſtetiſſe,qui cum Cæſare de dignitate certarit, ſalua tamen rep.quod factum Cæſar ipſe ſeceſſionem iudicauit,non odium, nec bellum hoſtile. Præterea in Africa non fuiſſe certatum,niſi de dignitate: quũuis iam cæſus fuiſſet in Aegypto Põpeius : quando in ipſa Africa Cato,Scipio, Varus,Labienus,et Petreius,reliquias Põpeianarum partiũ fouerent: quorũ opera atque conſilijs Afri non minus quam Ligarij incitati fuiſſent.Incidit autem hoc in loco quæſtio de nomine facti,quod nulli præter Tuberones ſcelus appellauerunt . Et ex locis Definitiui ſtatus cauſam agit. Primũ profert ex opinione hominum,quæ fuerit appellatio huiuſmodi facti:tũ quid ipſe Cicero ſentiat de nomine . Atque ex eo quod Cæſar fecerit , qui aduerſarijs ignouerit,et multos ſeruauerit,ſceleris nomen lõge abeſſe docet. per locum item cõmunem,ubi ait,Liceat eſſe miſeros: indignatur,tantum ſibi arrogare aduerſarios,ut quo nomine uelint,rem ipſam appellent.Poſtremo,quid nominis Cæſar dederit. intulit:nam ſeceſſionem uocauit. Fatalis quædã calamitas.] cui reſiſti nõ poterat.ergo ſi hoc erat in fatis,conſilia hominũ facile uicta fuerũt. Liceat eſſe miſeros.] Nã mortui,ut in Tuſculanis quæſtion.lectũ eſt,miſeri à quibuſdã exiſtimati ſunt. Parricidij.] Quia contra patriã arma ferre,parricidium quodãmodo eſt. A`te contumeliã propulſare.] Quia uolebant æmuli Cæſaris,ut illi ſuccederetur ante tẽpus:utq; dimiſſo exercitu,rationem redderet de ijs quæ geſſiſſet : triumphus quoque negabatur.quas iniurias armis ulciſci uoluit. Seceſſionem tu illam exiſtimaſti.] Per appellationẽ Cæſaris,probat non fuiſſe ſceleratos qui in bello ciuili certarunt.Erat autem ſeceſſio, cũ plebs à patribus diſcedebat . Quinetiam ſenatuſconſulta ſæpe per diſceſſionem fiebant. Secedentes enim de loco ad locũ, quid ſentirent diſceſſione ſignificabant. Partim conſilijs , partim ſtudijs.] Conſilia ad Pompeianos , ſtudia ad Cæſarianos referenda,tradit Trapezuntius:ut non reiectis Pompeij conſilijs Cæſar à ſe propulſandam contumeliam, & ad tuendum ius ac dignitatem ſuam inſurrexiſſe uideatur : quæ diſtinctio hominis imperitiſſimi ſanè exiſtimanda eſt:quando in utraque parte et conſilia & ſtudia fuerint . quam rem in oratione pro M.Marcello idem Cicero confirmat,hæc dicens: Diuerſæ uoluntates ciuium fuerunt, diſtractæq; ſententiæ . non enim conſilijs ſolum & ſtudijs,ſed armis etiam & caſtris diſſidebamus . Vt uero in primo rhetorico legitur , ſtudium atque conſilium in omni re gerenda concurrunt. Cauſa tunc quidem dubia erat, ꝙ erat aliquid in utraque parte quod probari poſſet : nunc melior eſt iudicanda,quam dij adiuuerũt. Enthymema hoc Quintilianus ex conſequentibus factum notat:ut habeat propoſitionem, coniunctamq́; protinus probationem:ut ſit propoſitio cauſa, tamẽ dubia probatio , quòd erat aliquid in utraque parte quod probari poſſit.& item propoſitio altera.nunc melior ea iudicanda eſt Probatio,quam dij adiuuerunt.hinc traxit Lucanus,ut diceret:Victrix cauſa deis placuit. Ex deorum uero auctoritate iuſtiorem Cæſaris partem probauit.Fecit autem imperfectum ſylgiſmum. Communem cauſam.] Omnium Pompeianorum. Veniamus ad noſtrum. ] Hoc eſt , Ligarij & Tuberonis . Vtrum tamen tu exiſtimas facilius fuiſſe Tubero,Ligarium ex Africa ueniſſe,an nos in Africam non uenire ? ] Hic diluere uidetur,uel infirmare, quod Tubero dixerat in ſe excuſando, quòd iuuenis patri hæſiſſet,illum à ſenatu miſſum. Ergo cũ di

cerent

cerent Tuberones, ſenatu iubente ſe in Africã fuiſſe profectos, non ad bellum, cuius rei cauſa remanſiſſet in eadem prouincia Ligarius, ſed ad frumentum coemendum docet ab eodem ſenatu Orator miſſum fuiſſe Ligarium, ante ſuſpicionem belli, & tunc cum Senatui parere oportebat. Contra Tuberones eo tempore nauigaſſe in Africam, cũ nemo cogeretur ſenatui parere: uel potius urbi appropinquante Cæſare, nulla ſenatus auctoritas foret. Hoc in loco idem expoſitor hæc ingerit nimis impudenter: iam profectionis ad profectionem comparatio, ad Ligarij cauſam nihil adfert: nec ita dementes Tuberones credendum fuiſſe, ut profectionem accuſarent: nec ſi feciſſent, Cæſar aures eis præbuiſſet. Quare relinquitur, ut tantum Orator nugetur, aut aliquid moliatur occultius. Primum inſani eſt credere, uerum eſt alterum. quare is locus per ſubiectioné tractatur: cuius aperta intentio, profectionum comparatio figuris obtenta, coniecturæ per locum ex uoluntate refutatio. Nugatur nimis ridicule interpres: & utinam dum iſta componeret, paululum ſubiectione & ſuis figuris relictis, ad hiſtoriam et negotium ipſum perſcrutandum ſe conuertiſſet. hoc ſi feciſſet, conficti ab illo ſenſus, qui per ſeipſos labant atque exploduntur, forſitan & ſtarent & placerent. Ad rem ergo ueniamus.] Facis hoc ad cauſam Ligarij, quem inſtantes aduerſarij acrius præmebant, cũ dicerent iuſſu Senatus in Africam non ad bellum, ſed rei frumentariæ cauſa miſſos. Sed Cicero quãta poteſtate oſtendere cõtendit, eos non tam ut reipub ſatisfacerẽt petiſſe Africã, quàm ut bellum aduerſus Cæſarem pararent. Cum uero dixit, Recepti in prouincia non ſumus: quid ſi eſſetis? Cæſari'ne eam tradituri fuiſſetis? an contra Cæſarem retenturi? non ideo hoc ſubiunxit, quòd Tuberones clàm dixiſſent ſe tradituros prouinciã Cæſari: ſed magis ut oſtendat, inter ſe pugnare accuſationem & querelam aduerſariorum, ut ſupra diximus: eoſq; ſenſuros fuiſſe cum Barbaris & reliquis Pompeianis contra Cæſarem. Quòd autem hic ſit huius loci ſenſus, paulo diligentiores deprehendere poterunt. Sed nec eos proditionis inſimulat: imo uero probat, eos hoc unquam ſenſiſſe: nec ſi ſenſiſſent, efficere ullo pacto potuiſſent. Ad bellum contra hanc urbem gerendũ.] Hic paulo manifeſtius Cicero ſignificat, obiectum fuiſſe Ligario, quod bellum in patriam geſſiſſet, quod ideo hic potius quam in alia parte dixit, quia commode & aptiſſime conuertit aduerſariorum telum in ipſos. Quod autem Cæſar exiſtimarit eos qui cum rege Iuba, Scipione, Catone, & reliquis fuiſſent, hoſtes patriæ, aperte cognoſcitur ex eo quod legitur in fine Commentarij Africani. Nam Cæſar Zamæ auctione regis Iubæ bona uendidit, ſimulq; eorum qui ciues Romani contra populum Romanũ arma tulerant. Atque tamen is Ligarius non fuit, Varus ſe imperium habere dicebat.] Hic transferre uidetur in Actium Varum crimen, quod is Tuberones repulerit, & cum iniuria: quod ſic fuiſſe, ut ſupra dictum eſt, in Commentarijs belli ciuilis legitur. Veniebatis igitur in Africam prouinciam, unam ex omnibus huic uictoriæ maxime infeſtam, in qua rex erat potentiſſimus, inimicus huic cauſæ.] Quis eſſet hic rex potentiſſimus, quid eſt quod Trapezuntius non exponat? an quia hoc nũquam didicit? an magis, quia negligentiſſimus omnium ſui temporis habitus eſt: tantummodo contentus Tomis Hermogenis, nõ docere Latinos homines, ſed offucias ob eorum oculos immittere tentauit. Nam ſi diligentius de hoc rege quæſiuiſſet, & cur hæc à Cicerone dicantur, nomenq; regis ſupprimat: in turpiſſima errata non incidiſſet. Hic igitur rex, Iuba fuit, Mauritaniæ dominus: cui, ut in Cõmentarijs belli Africani traditur, malebãt eſſe uectigales quidam Romani, quàm cum ciuibus in patria in ſuis fortunis eſſe incolumes: tanta erat hominum dementia. Potentiſſimus autem, quia pro concione dixerit, tantam ſe auxiliorum multitudinem aduerſarijs ſumminiſtraturum, ut etiam cedendo fatigati in ipſa uictoria uincerentur, atque à ſuis ſuperarentur. Hic idem rex ex prælio fugiens una cum Petreio, cum à Zamenſibus excluſus foret, nec ei liberos & coniuges reddere uellent, deſperata ſalute, cum iam conatus eſſet cum Petreio, ut per uirtutem interfecti eſſe uiderentur, ferro inter ſe depugnarunt. Sed Iuba iunior imbecilliorem Petreium facile ferro conſumpſit. deinde ſibi cũ conaretur gladio traijcere pectus, neque poſſet, precibus à ſeruo ſuo impetrauit, ut ſe interficeret: idq; obtinuit. huius filius fuit Iuba ille, qui in hiſtorijs Græcos & Latinos fermè ſuperauit, & quem Plutarchus ἱστορικώτατον, hoc eſt hiſtoriarum ſcientiſſimum appellat: atque noſter Plinius in rebus naturalibus ſummum auctorem habuit. Conuentus firmi.] Conuentus hic intellige, in quibus conſul, proconſul, aut prætor iura in prouincijs dicebant. Vnde Cæſarem ſæpe legimus, in Italiam ex Gallis ad conuentus peragendos eſſe profectum. Præterea prouincias quaſdam in conuentus partitas fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Igitur & infeſta prouincia, et rex potens, & conuentus firmi atque maximi reſtitiſſent, ne Cæſari tradita foret. quod cum ita ſit, receptus in prouinciam Tubero, Iubæ quemadmodum reliqui adhæſiſſet, aduerſus Cæſarem pugnaturus. Etiam prohibiti ſumma.] Hac ſumma fuit iniuria, quod infirmum Tuberonem portu & aqua prohibuerit. Non autẽ ut fatuus expoſitor dictat, cum ſumma iniuria Reip. non ſibi temperat hac in parte ab inſectandis Latinis. lacerat enim intẽperanter eos, qui tunc Rhetoricam profitebantur: quos etiam bubulcis & agaſonibus comparat, quippe qui opinati fuerint, caput hoc accuſationis eſſe, quod Pompeianus fuiſſet Ligarius. Vellem profecto, ut is homo qui tam petulanter noſtros inſectetur, aliquid priſcorum auctoritate nixus edidiſſet, quod uerum foret: ut cum tam audacter à Quintiliano diſſentiat, ſua ita confirmaret, ut non meras nugas effutiret, ſed firmiſſimas quaſdam rationes, quibus freti ſtudioſi homines ſibi perſuadere poſſent, aliquid didiciſſe: & partes præceptoris non armati nugis, ſed fortiſſimis rationibus tuerentur. qui poſt multa de coniectura ſua, quam ex hoc loco trahit, diſputata, hæc ſubdit, Latinorum ignauiam exagitans: Hinc manifeſtiſſime intentio aduerſariorum figuris relata uidere poteſt. Quare qui nec per ſe id intelligere poſſunt, nec alijs dicentibus credere uolunt, quaſi tertij apud Heſiodum ordinis homines relinquendi eſſent, niſi eorum doctrina, ne dicam ignorantia & temeritate, tenera & inexperta multorum ingenia imbui uideremus. En quem cenſorem, ſi dijs placet, latinæ literæ, & quem monitorem noſtri iuuenes abuerunt, homo, quem neſcias utrum loquatiorem dixeris, an indiligentiorem: quiq; ſuis uanis & interim falſis præceptis ſuum ſeculum contaminauit, tam arroganter de ſe loquitur in dedecus & ignominiam præceptorum noſtrorum: qui uel ex hoc agaſonum & bubulcorum nomine digniſſimi fuerunt, quod temerariam iſtam petulantiam non repreſſerint, tam latinæ rei quàm bonis ingenijs opem laturi. Iam ſatis in hunc declamauimus, cætera perſequamur. Sed uide quæſo conſtantiam.] Non deſerit corroborandum amplificandumq; Cicero argumentum, ſed illud in ipſos aduerſarios reijcit, quo potiſſimum Ligarium urgebant, Cæſarem inflammantes. Nam quod Ligarius in partibus perſtitiſſet, cum ipſi ut primum licuit Pompeium reliquiſſent, & Cæſarem iratum reddebat, ut diximus, & Ligarium grauiſſime premebat. Sed egregius orator callide & artificioſe probat, eos magis perſeueraſſe in partibus, qui inhumana & graui contumelia à prouincia ſua repulſi non ad Cæſarem, ſed in Macedoniam in Cn. Pompeij caſtra uenerint, & armati in acie dimicauerint aduerſus Cæſarem. Conſtantiam dicam neſcio.] Correctio, color. patientiam uero dixit, ad acceptam contumeliam ac longiorem perſeuerantiam reſpiciens. Eſt enim patientia (ut idem orator tradit) honeſtatis aut utilitatis cauſa rerum arduarum ac difficilium uoluntaria ac diuturna perpeſſio: Perſeuerantia uero,

*in ratione bene conſiderata ſtabilis ac perpetua permanſio. Cum crudelitate reiectus.] Non exprimit Cicero, quia non erat è re Ligarij, quæ crudelitas fuerit. nos dicimus crudelitatẽ fuiſſe, quod portu & aqua prohibitus Tubero, ne filium quidẽ ægrotantem in terra exponere potuerit. quanquam hoc Varo adſcribere uidetur, iterum crimen in illum transferens: comparatq; Varum ipſi Tuberoni, cuius conditionem & cauſam multo inferiorem cauſa Ligarij docet: exaugetq; perſeuerantiã Tuberonum, quod Pompeio iniuriam illorum negligentia ferũtiores, & magis pertinaces in bello fuerint: miroq; artificio ac uarijs figuris aduerſarios exagitat, extollendo autem humanitatẽ Cæſaris, qui ſalutem inimicis dedit, beneuolentiam ab illo cauſæ ſuæ conciliauit. Nunc quæro utrum.] Complexio, neceſſarij argumenti genus: etenim ſi peobabilis eſt, uincitur: ſi neceſſaria, ſolui non poteſt. Reipub. iniurias uidetur hic appellare, quod ciuili diſſidio atque bello Rempub. læſerint. Sed cum ita perſeuerauerint in bello Tuberones, quemadmodum docuit, ut ipſe Ligarius: ſi illis ignouit Cæſar, debet etiam Ligario ignoſcere. Sin autem proprias iniurias ulciſci uolunt, hoc eſt quod Cæſar non ignoſcat Ligario, qui eos expulerit ab Africa: iniuſtum eſt exigere à Cæſare, ut uindicet iniurias eorum, cũ ipſe ſuis inimicis & grauibus ueniam liberaliſſime dederit. Sumptus eſt autẽ huius argumenti locus à contrario. Nam ſunt contraria: alienis inimicis iratum eſſe, ſuis uero ignoſcere. opponuntur alienis, & ſuis, & item iratum eſſe, atque ignoſcere. Quidquid dixi, ad unã ſummam referri uolo.] Deprecatio hic incipit, quæ eadem & concluſio eſt, non tamen ſine ſpecie defenſionis. adhibet autem preces, quæ multũ patrocinantur cauſæ. Vtitur item potius forma deliberatiuæ materiæ, quàm iudicialis: uelut ſuadẽs Cæſari, ut magis laudem humani & clementis, quàm uoluptatẽ ultionis concupiſcat. Cauſas egi Cæſar multas.] Hac in parte Cicero ab ijs non diſſentit, qui negauerũt hoc genus cauſæ poſſe in iudicium uenire. Habet aũt locum tunc deprecatio, cũ in Senatu & apud populum, & apud principẽ, & ubi locus eſt gratiæ atque clementiæ iuris. Nam in iudicijs raro tractatur hic locus, quod uidelicet iudices ipſi forma quadam pronunciandi teneãtur. Sed quoties deprecari oportebit, tria in primis diligentius cõſideranda ſunt: perſona rei, eius qui cognoſcit, & ea quæ extra ueniunt. ut nobilitas, dignitas, propinqui, amici. ex quibus tribus uelut locis Cic. captare miſericordiam ſtuduit. Sed in reo maxime conſiderantur hæc: ſi in uita præcedenti innocens uixerit, ſi bene meritus, ſi ſpes in futurũ innocenter uicturi, & in aliquo uſu futuri. præterea, ſi uel alijs incõmodis, uel præſenti periculo, uel pœnitentia uideatur ſatis pœnarũ dediſſe. In eo tamen qui cognoſcit, plurimũ ponendum: ſi laus eum miſericordis potius, quàm reprehenſio diſſoluti conſecutura ſit. Dic te Cæſar.] Callide agit Cicero, ut oſtendat etiã apud iudices, qui ex præſcripto et formulis pronũciant, defendi poſſe Ligarium. Verũ hanc defenſionem libenter omittit apud Cæſarem, qui magis paratus eſt ignoſcere quàm cognoſcere. Ante bellũ profectus, relictus in pace.] Innuit eñ innocentem uixiſſe, & coactum in bella: ideo ueniam mereri, ſi ageretur hæc cauſa apud iudicem, apud quem hoc defenſionis modo plerunque reus liberatur. Temere feci, pœnitet.] Quãuis ſub ſua perſona loquatur, tamẽ Ligario hæc aſcribi poſſunt: & cum dixit pœnitet, ſignificat pœnitentia ſatis pœnarum dediſſe. An ſperandi Ligario cauſa non ſit, etc.] Argumentum ex difficiliori tractũ. Etenim difficilius eſt Ciceroni, cui uenia data ſit, audere pro altero deprecari, quàm Ligario ueniã ſperare. quibus uerbis late patere clementiam Cæſaris demonſtrauit. Sed hoc quæſo, &c.] Hæc ſunt quæ extra ſpectari ſolent. oſtendit.n. amplitudinẽ & nobilitatẽ eorum, qui ſaluũ Ligarium eſſe uelint. Horũ omnium, etc.] Mos erat, ut quoties de capite & fortunis magni uiri ageretur, ut propinqui & familiares atque amici, mœſti et ſqualidi, dum cauſa ageretur aſtarent. Aut tres Ligarij tibi, &c.] Quia non poteſt ex aliquo facto uel officio Q. Ligarij illum bene meritum de Cæſare oſtendere, perſonas fratrũ, qui optime de Cæſare promeriti fuerant, pro ipſo Ligario ponit. Nã et hi, & in primis T. Ligarius, cum quæſtor urbanus foret, dignitatẽ Cæſaris tutatus: ſimiliter & alter Ligarius ſtudioſus Cæſaris fuit. horum itaque lachrymis fratrem donare debet. Inſtatq; maxime, ut ex pietate fraterna & germanitate Cæſar moueatur. Valeat uox illa tua.] Scribit Sueton. denunciante Põpeio pro hoſtibus ſe habiturũ qui Reip. defuiſſent: Cæſar medios & neutrius partis, ſuorum ſibi numero futuros pronunciauit. Quod ſi penitus, etc.] Immoratur in eo ualde, ut doceat Ligariũ ſenſurum fuiſſe pro Cæſare, niſi uelut tempeſtate quadam in Africã abreptus fuiſſet: hincq; uenia dignũ, qui uolũtate Cæſarianus fuit. Nuper in curia reſtituto, etc.] Exemplo Marcelli, in quo reſtituendo maximã laudem conſecutus eſt, rogat Cæſarẽ ut Ligariũ reſtituat. In curia.] Curiam accipit pro ſenatu. ſic & apud Liuium & Plin. curiam pro ſenatu accipi uidemus: & Tertulli. in Apologetico, quæ proprie curia dicatur, his uerbis declarat: Cum probi, cum boni coeunt, cũ pij, cum caſti congregãtur, nõ eſt factio dicenda curia. Noli dubitare Cæſar, etc.] Mouet ex eo quod ſupra diximus, Cæſarẽ, ut appetat eam laudem, quã de miſericordia clementiſſ. princeps conſequi ſolet. Nihil tã populare.] Populare accipe pro eo quod ſit gratũ populo. Inde popularitas, gratia in populo. apud hunc & Liuium popularis tyrãnico opponitur, et tyrãnidi popularitas. Sed ne à Pediani more in his Annotarionibus diſcedamus, Tubero non obtinuit, ut Pomponius tradit. ſed poſt accuſationẽ ab agendis cauſis ad ius ciuile ſcribẽdum tranſijt. Cæterũ Leonardus Aretinus in ſui Ciceronis uita, tradit Cæſarẽ Dictatorẽ, ita animatũ fuiſſe in Ligarium, ut eum pro condẽnato haberet. quẽ cum Cic. defenſurus ueniſſet, ita ad amicos Cæſar dixit: Reũ quidem dãnare certiſſimũ eſt, nihil tamen prohibet Ciceronẽ audire. Sed mox agente cauſam Oratore, propoſitũ illud dãnandi tenere non potuit. & ubi Cicero dixit cõuerſus in accuſatorẽ. Quid enim Tubero ille tuus diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus mucro petebat? quis erat ſenſus armorũ tuorum? quæ tua mens, oculi, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? hac orationis acrimonia Cæſarẽ extra ſe ita poſitum, & quaſi mẽte alienatũ ferunt, ut toto corpore excuſſo, libellos quos manu tenebat abijceret. Denique ui coactus, contra propoſitũ animi reũ abſoluit. Hæc Leonardus: quæ ut ego uix credã faciunt, ea quæ in Ciceronis epiſtola leguntur, quã menſes fermè x. poſteaquam dicta fuit oratio, Ligario ſcripſerit Cicero, et ſunt hæc: Ego idem tamen cũ ad v. Calend. intercalares priores rogatu fratrum tuorum ueniſſem mane ad Cæſarem, atque omnẽ adeundi et conueniendi illius indignitatem & moleſtiã pertuliſſem: cum fratres et propinqui tui iacerẽt ad pedes, & ego eſſem locutus, quæ cauſa, quæ tempus tuũ poſtulabat, non ſolum ex oratione Cæſaris, quæ ſanè mollis et liberalis fuit, ſed etiã ex oculis & uultu, ex multis præterea ſignis (quæ facilius potui perſpicere q̃ ſcribere) hanc in opinionẽ diſceſſi, ut mihi tua ſalus dubia non eſſet: quamobrem fac animo magno fortiq; ſis: & ſi turbidiſſima ſapienter ferebas, tranquilliora læte feras. Ego tamẽ tuis rebus ſic adero, ut difficillimis: neque Cæſari ſolum, ſed etiam amicis eius omnibus, quos mihi amiciſſimos eſſe cognoui, pro te ſicut adhuc feci, libentiſſime ſupplicabo. Per hæc Cic. ſignificat tamẽ, orationem Cæſaris mollem & liberalem fuiſſe, præterea ſe opinari, ſalutem Ligarij non dubiam: & tamẽ ad animi fortitudinẽ eum hortatur: ſeq; pollicetur non ſolum Cæſari, ſed etiã amicis eius libentiſſime pro Ligario ſupplicaturũ. quæ non ſcriberet, ſi poſt dictam orationem reum ſtatim abſoluiſſet. Sed cũ dixerimus decem menſes poſtea quàm pro cauſa Ligarij Orator locutus fuit, ſupra dictam epiſtolam ſcripſiſſe Ciceronẽ, ne ſit qui putet in*

hæc

hæc confinxiſſe, declarandum eſt cur ſcribat. Ad II. Calen. intercalares priores cum ueniſſem: ſimul etiam quædam altius repetenda, & diligentius explicanda, de intercalatione dierum, quanquam de ea Plutarch. Solinus, atque Macrobius accurate multa ſcripſerint. De conſtitutione & ordine annorum ſcribentĩ illud, in primis præfandum eſſe arbitror, duplicẽ eſſe anni obſeruationẽ. ane enim naturalis dicitur annus ad curſum lunæ, & prout ſolſtitialis orbis circumagitur in menſes deſcriptus: aut prout ciuitas quæque & gens annũ ſuum ſtatuit. Ergo ut prior uertens & ſolſtitialis, ita ſecundus ciuilis appellatus eſt. Sed & magnus annus à priſcis dictus fuit, de cuius magnitudine nõ minus gentes et populi uarie ſtatuerunt quàm auctores ipſi inter ſe diſſident: de quo diuerſa legimus. Fuerunt enim qui ex duobus uertentibus annis ſimul iunctis annũ magnũ uocarent, idq; tempus Trieterida appellabant, quod tertio quoque anno intercalabatur, quãuis biennij circuitus eſſet: & reuera dieteris eſt, hoc eſt tempus duorũ annorũ unde myſteria quæ alternis fiunt annis, trieterica à poetis dicũtur. Fuere qui penteterida magnũ annum nominarent, & cõmodius: nam tunc confectũ eſt quadriennium, die perfecta ex quatuor quadrãtibus, quã rem Græci obſeruantes, quinto quoque anno redeunte Ioui Olympio in Elide agonem celebrabant: & Romani certamen Capitolinum quinto quoque anno faciebant. Eudoxus quoque Gnidius annũ magnũ octo annorũ inſtituit, & octoeterida appellauit. ad quã Eudoxi inſtitutionem Cæſar dixit apud Lucanum: Nec meus Eudoxi uincetur faſtibus annus. Proxime hanc magnitudinem eſt dodecateris, ex annis uertentibus duodecim. huic anno Chaldaico nomen eſt, quem Genethliaci non ad ſolis lunæq; curſus, ſed ad obſeruationes alias habent accommodatum (quod in eo dicunt tempeſtates, frugumq; prouentus, ac ſterilitates morboſq; circuire. Præterea eſt annus magnus, qui Metonicus dicitur: quẽ Meton Athenienſis, uel ut alij Laconicus, ex annis undeuiginti cõſtituit, eoq; enneateteris appellatur. et intercalabatur ſepties: eoq; eo anno ſunt dierum ſex milia DCCCCLX. huius Metonis, & anni meminit Ariſtophanes in fabula, quæ inſcribitur ὄρνιθες, hoc eſt Aues. & noſter Cicero ad Atticum hæc ſcribens: Dic quis erit cui credam: aut quando ipſe Metonis annus ueniet? Columella quoque tam Eudoxi quàm Metonis mentionem facit, his uerbis: Verum in hac ruris diſciplina ſequor nunc Eudoxi & Metonis antiquorumq; faſtos aſtrologorum, qui ſunt aptati publicis ſacrificijs. Sed ne Græci maxime notandis tẽporibus, ut Euſebius Pãphili et Cenſorinus auctores ſunt, pẽteteridas obſeruarũt, id eſt, quaternũ annorũ circuitus, quas uocant olympiadas: ita idem tempus anni magni Romanis fuit, quod luſtrũ appellabant, id quidẽ à Seruio Tullio inſtitutũ, ut quinto quoq; anno cenſu ciuium habito luſtrũ conderetur. et hactenus de magnis annis. Iam de uertentibus aliquid dicendũ eſt. Annus uertens eſt natura, dũ ſol percurrens XII. ſigna, eodem unde profectus eſt redijt: de quo itẽ ex Victruuij ſententia quædam diximus in illud Iuuenalis, Et cum ſe uerterit annus. Sed hic annus quot dierum eſſet, ad certũ nondum Aſtrologi inuenire potuerunt quorum opiniones recenſere ſuperſedeo, cum de his copioſe tractent Macrobius & Cenſorinus, quo auctore potiſſimũ in hac diſputatione utimur. Gentes uero et populi quamuis multũ inter ſe diſcreparent in ciuili anno ſtatuendo, tamen hoc propoſitum omnibus fuit, ſuos ciuiles annos uarie intercalandis mẽſibus ad unum illum uerum naturalemq; corrigere. Omiſſis autem aliarum gentium annis, de Romanorum anno dicendũ uidetur. Annum uertentem ex Romuli inſtitutione primum decẽ menſium fuiſſe, inter omnes conuenit. Poſtea Numa Pompilius XII. menſium annum fecit: quanquã hoc alij Tarquinio aſcribebant: qui contineret dies CCCLV. quamuis luna XII ſuis menſibus CCCLIIII dies uidebatur explere. Sed dies unus abundauit, ut multi putant, per imprudentiam: aut ea ſuperſtitione, qua impar numerus plenus & magis fauſtus habetur. Sed ut ciuilis annus ad naturalem exæquaretur, intercalarium menſem XXII, uel XXIII dierũ alternis annis addi placuit, & potiſſimum in menſe Februario, inter terminalia & regifugium intercalatum eſt. negotium uero intercalãdi pontificibus datum fuit, eorumq; arbitrio intercalandi ratio permiſſa. Sed et pontifices, uel per odium, ne quis magiſtratu citius abiret, diutiusq; alius fungeretur: aut publici redemptores anni magnitudine in lucro damnóue eſſent, ex libidine intercalãtes, maxime aberrarunt. C. uero Cæſar Pontifex Maximus, ſuo tertio & M. Aemilij Lepidi conſulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menſes intercalares dierum LXIII. in menſem Nouembrem & Decembrem interpoſuit, cum iam menſe Februario dies tres et XX intercalaſſet: fecitq; eum annũ dierum CCCCXLV. ſimul prouidens in futurum, ne iterum erraretur. nam intercalario menſe ſublato, annum ciuilem ad ſolis curſum formauit: atque diebus CCCLV, addidit X. quos per ſeptem menſes diſtribuit: inſtituitq;, ut peracto quadriennij circuitu, dies unus, ubi menſis quondam ſolebat, poſt terminalia intercalaretur, quod biſſextum uocatur: quam Cæſaris inſtitutionem etiam apud Suetonium legimus. Ex his igitur longius forſan repetitis, & copioſe tractatis, colligimus Romanos primũ ſolitos fuiſſe alternis annis menſem intercalare poſt terminalia: qui menſis modo ex XXII, modo ex XXIII diebus conſtabat: cui menſi ſubiungebantur dies, qui erant quinque Februarij menſis, ante calendas Martias. eo igitur anno, quo bis ut ſupra diximus, ex conſtitutione Cæſaris intercalatum fuit, Cicero Ligarium defendit. Quare calendas intercalares priores, intelligere debemus calendas intercalaris menſis, quem Cæſar ex conſuetudine menſe Februario inter terminalia & regifugium intercalaſſet, dixitq; priores, ad differentiam calendarũ duorum menſium, qui poſtea intercalati fuerunt. Niſi forte priores calendas accipere uoluerimus eius menſis, qui è duobus prior intercalatus fuit. quòd ſi ſic accipimus, epiſtola illa per menſem ſaltẽ Ligario miſſa fuit, poſteaquam Cicero pro eo orauit. Sed utrum libet priores calendas intercalares intellexerimus, ſtatim Cæſar Ligario non ignouit: nec oratio Ciceronis adeo efficax fuit, ut Cæſar attonito & in ſtuporem conuerſo, ſalutẽ reo impetrarit. Et quia intercalarẽ menſem, & itẽ diem ſæpe nominamus, hoc addimus, Latinos intercalares dies & menſes appellare quos Græci ἐμβολίμους appellant, uelut alij, ἐμβολισμούς. et latine poteſt interpretari interiectus. Biſſextus uero dicitur, quia quinto quoque anno Februarius habet duos dies, qui uno nomine appellatur ſexto calendas Martias. quam rem Celſus in uerborum ſignificatione is uerbis notat: Cum Biſſextus calendis eſt, nihil refert utrũ priore die an poſteriore die quis natus ſit, & ſic deinceps ſexto calẽdas eius natalis dies eſt. nam id biduũ pro uno die habetur. ſed poſterior dies intercalatur, non prior: ideo quo anno intercalatum non eſt, Sexto calendas natus cum Biſſextus calendis eſt priorem diem natalem habet. Cato putat menſem intercalarem additicium eſſe, omneiq; dies eius pro momento temporis obſeruat, extremoq; diei menſis Februarij tribuit Q. Mutius. Menſis autẽ intercalaris conſtat ex diebus XXXIX. Hæc prudentiſſimi atque eruditiſſim Iuriſconſulti uerba, inerudite & nimis ridicule interpretatur Accurtius: adeo enim impudenter & temere de calendis, idibus, nonis, & intercalatione loquitur, ut reſelli non mereatur. Sed quia Catonem & Q. Mutium duo ſtulta dixiſſe is interpretatur, de intercalari menſe exponenda ſunt Iuriſconſulti uerba, ut oſtendamus Catonem & Mutium recte ſenſiſſe, & Celſum adduxiſſe Catonis & Mutij ſententiam in confirmationẽ eius quod dixit, biduum id pro uno die haberi. Eſt enim quæſtio talis: utrum is qui ſexto calendas Martias eo menſe natus ſit, quo intercalatur dies, ſiue priore die, ſiue poſteriore die natus ſit, deinceps, hoc eſt in ſequentibus an-

nis, habeat diem natalem VI calendas Martias. & ſentit, VI calendas Martias diem natalem cenſeri: quòd ſcilicet id biduum pro uno die habeatur. Aſt hoc paulo durius uidetur, ut qui XXV die Februarij, quoties intercalatur, natus ſit, ſequentibus annis diem natalem habeat XXIIII. Sed hoc recipi poteſt: quoniam biduum illud pro uno die habetur. Qui uero anno, quo intercalatum non eſt, naſcitur, priorem diē habet natalem: hoc eſt, XXIIII. At dicet quiſpiam: Ergo nulla uis eſt intercalari dici? nempe nulla. Nam & Cato orator ſummus, priuſquam Cæſar intercalares, quarto quoque anno diem unum, menſem illum, de quo ſupra diximus, quē alternis annis Romani intercalabant, addititium et pro momento tēporis obſeruabat, quia erat in arbitrio pontificum. Sed Q. Mutius Scæuola iuriſconſultiſſimus, hoc amplius: qui XXII diem intercalaris menſis Februario attribuebat, hac ratione: quia poſt intercalarum menſem quinque dies reſtabant ante calendas Martias, qui Februarij dicebantur. Puto mendum eſſe, cum ſubdit Celſus, Menſis autem intercalaris conſtat ex diebus trigintanouem: quando ut ſupra demonſtrauimus, Menſis ille intercalaris nunc eſſet, XXII, nunc XXIII dierum.

# IN M. T. CICERONIS ORATIONEM PRO REGE DEIOTARO, FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

## ARGVMENTVM.

VM Cæſar, ut Phidippus accuſator dixit, in caſtellum Luceium ueniſſet, atque Deiotari hoſpitis domū diuertiſſet, eum Deiotarus interficere conatus eſt. Ibi enim quidam locus erat, ubi compoſita erant munera, quæ hoſpiti Cæſari Deiotarus dare conſtituerat. Eo Cæſarem, priuſquā accumberet, ducere uolebat. Ibi enim
C collocati erant homines armati, qui Cæſarē interficerent. Sua uero fortuna, ut aliàs ſemper, Cæſar ſeruatus eſt. negauit enim ſe uelle inſpicere. In poſterum diem diſtulit Deiotarus, ut eodem in caſtello cogitata perficeret. Tum autem, cum poſt cœnam uomere ſe uelle Cæſar dixiſſet, eum in balneum, ubi collocatæ erant inſidiæ, cœperunt ducere. Sua eadem fortuna ſeruatus Cæſar, in cubiculum ſe ire malle dixit. Horū omnium ſe fuiſſe conſcium Phidippus, ſuosq; fratres in uincula coniectos, propterea quod conſcij eſſent, dixit. Hoc crimen huius cauſæ proprium eſt. Id autem quo magis credibile Phidippus faciat, Deiotari animum à Cæſare alienum fuiſſe oſtendere contendit: quòd contra Cæſarem exercitum parauerit, quòd Cæſarem ad Pharnacis bellum proficiſcentem equitatu optimo non adiuuerit. ex quo equitatu, quidam ſeruus eſſe iudicatus ſit. quòd ad Cælium milites contra Cæſarem mittere uoluerit: eoſq; in carcerem coniecerit, qui parere noluiſſent. quòd tempore belli Africani (quod cum Pompeij reliquijs & Iuba, Cæſar gerebat) Niceam Epheſumq; nuncios miſerit, qui rumores Africanos exciperent, & celeriter ad ſe referrent: Itaque cum ei nunciatum eſſet, Cn. Domitium naufragio perijſſe, & Cæſarem in Caſtello quodam obſideri, hac lætitia elatus uino ſe obruerit, & in conuiuio nudus ſaltauerit, quòd ad eum Bleſamius, qui Romæ erat, ſcripſerit, Cæſarem tyrannum inuidioſe Romæ exiſtimari, animos omnium uehementer offenſos, ꝙ ſtatua Cæſari inter regum ſtatuas poſita eſſet, nec Cæſari ſolere plaudi. In huius cauſæ defenſione Cicero principio ſe dicit perturbari: primum, quòd inauditum ſit, Regem capitis cauſam dicere: deinde, quòd Regem, qui de populo Romano meritus optime ſit, contra crimen atrociſſimum defendat: deinde, quòd accuſatorum alter crudelis. alter indignus ſit. Caſtorem enim & Phidippum accuſatores dicit. tum quod Cæſar in cauſa propria iudex ſit. poſtremo, quod in domo Cæſaris, non in foro dicat. Accuſatores ea ſpe ad accuſandum ueniſſe dicit, quod ſcirent Cæſarem Deiotaro iratum, quia Pompeium ſecutus, eum ſibi in amicitia prætuliſſet. quod ſcirent Cæſarem in cauſa propria iudicem eſſe, ita animum eius ſibi facile conciliari poſſe. Vt iracundiæ ſuſpicionem Cæſar deponat, Cicero deprecatur: oſtenditq; eum non debere iraſci Deiotaro, quia ſecutus Pompeium ſit. Nam Cæſar, dixerat, ſe daturum ueniam Deiotaro, ſi auxilio Pompeio, uel ſi etiam filium miſiſſet: ipſe autem ætatis excuſatione uſus, non ueniſſet. Deiotarum itidem Cæſar, cùm duceret contra Pharnacem exercitum, & hoſpitem agnouit, & regem reliquit. Quod Pompeium ſecutus ſit, eum communi errore lapſum eſſe Cicero dicit. Senatus enim conſentientis auctoritate arma ſumpta eſſe audiuerat: uarij rumores etiam falſi ad eū afferebantur, ſibi tamen quieſcendum eſſe arbitrabatur. À Cn. Pompeio ad eum legati, literæq; uenerunt. Ad Pompeium igitur uenit, uel rogatus ut amicus, uel accerſitus ut ſocius, uel euocatus ut qui Senatui parere didiciſſet. Poſtremo uenit ut ad fugientem, nō ut ad inſequentem: ad periculi, non ad uictoriæ ſocietatem. Pharſalico prælio facto, domum ſe contulit Deiotarus. Cn. Domitij (quem in Aſia legatum Cæſar reliquerat) exercitum ſuis tectis copijſq; ſuſtentauit. Imperatam pecuniam ſoluit. Credendum non eſſe, Deiotarum uitæ Cæſaris inſidiatum, dicit: niſi Cæſar credat eum eſſe furioſiſſimum, qui ſit prudentiſſimus. Ideoq; oſtendit Cicero, credibilia non eſſe, quæ de inſidijs in Caſtello Luceio factis Phidippus dixit. Negat Deiotarum unquam habuiſſe milites, niſi ad tuendum fines ſuos, & ut Imperatores pop. Romani adiuuaret. oſtendit falſum, quod accuſator dixit de equitatu non optimo, quo Cæſar adiutus ſit, deq; literis Bleſamij Oſtendit non eſſe ueriſimile, quod de militibus ad Cælium miſſis, quodq; de Deiotari ebrietate & ſaltatione obiectum eſt. Intendit Caſtori contumeliam, quod ipſe inimiciore animo, quàm Deiotarus, in caſtris Pompeij contra Cæſarem fuerit: quod impie atque ingrate auum, à quo pater eius illuſtratus ſit, per corruptum ſeruum accuſet. Poſtquam uiſus eſt ſibi Cicero omnia ab aduerſarijs dicta refutaſſe, ideoq; ut iracundiam Cæſar deponeret perſuaſiſſe, oſtendit (quo facilius Deiotaro Cæſar reconcilietur) non eſſe metuendum Cæſari, ut ſibi Deiotarus iraſcatur, propterea quod ab eo multatus ſit: eumq; laudat & ab animi magnitudine, & à gratitudine: ut quod amiſerit, oblitus ſit: quod ſibi relictum ſit, meminerit. Erectiore animo factum eſſe Deiotarum dicit, literis à Cæſare ad ſe miſſis, quibus eum bene ſperare & bono eſſe animo iubebat. De cauſa Deiotari Cicero laborat, partim quia hoſpes, familiaris, neceſſarius eius eſt: præcipue autem, quia ſi damnaretur Deiotarus, multi; quibus Cæſar ignouit, ſolliciti eſſent, metuentes ne accuſarentur. Commouet Cæſaris miſericordiam in duos Deiotaros, patrem & filium. Hanc cauſam tam bonam eſſe dicit, ut legati Deiotari patris, ſua corpora Cæſari tradant: ut Hieras (qui ex legatis eſt) omnem cauſam ſuſcipiat, ſeq; criminibus illis reum pro rege ſupponat. Oratio iudicialis eſt. Status cauſæ coniecturalis. Quid ex oratione conſecutus Cicero ſit, nec unquam Deiotarum Cæſari fuiſſe reconciliatum, ex ſecunda Ciceronis Philippica poſſis cognoſcere. Negat enim Cicero, cuiquam Cæſarem, quam Deiotaro fuiſſe inimiciorem: à quo uiuo nec præſens nec abſens Deiotarus quidquam æqui boni ue unquam impetrauit cui abſenti Cicero ſemper adfuit. nihil tamen unquam æquum ſibi uideri Cæſar dicit, quod pro illo Cicero poſtularat. Is ſimul atque Cæſaris interitum audiuit, ſuas ſuo marte res recuperauit.

Ea fortaſſe

*Ea fortaſſe cauſa eſt,cur Cicero lib.epiſt.Fam.9.ad Dolabellam ſcribat,hanc Deiotari cauſam tenuem ac inopem eſſe,nec ſcriptione magnopere dignam:q ſcilicet Cicero non obtinuerit. Deiotari cauſam à M.Bruto copioſiſſime atque ornatiſſime fuiſſe defenſam Cicero ſcrib in lib.de Claris Orat. Vtrum fuerit hæc inſidiarum cauſa,an q Pompeium ſecutus ſit.quo nomine multatus eſt,ignoro. Sed M.hunc Brutum Cæſari fuiſſe chariſſimum conſtat,quem filium quoque tum appellauerit,cum ab eo necaretur.*

CVM in omnibus cauſis grauioribus.] Natura ſibi timorem quendam, pudoremq; attributum Cicero ſcribit, in oratione pro Sex.Roſcio. Qui in oratione pro A.Cluentio: Semper, inquit, magno cum metu incipio dicere, quotieſcunque dico,toties mihi uideor in iudicium uenire,non ingenij ſolum,ſed etiã uirtutis atque officij: ne aut id profiteri uidear,quod non poſſum implere,quod eſt impudentiæ: aut id nõ efficere quod poſſim, quod eſt aut perfidiæ,aut negligentiæ. Vſus.] Id eſt,conſuetudo,& exercitatio. Qui enim ſæpius dicunt,ij minus perturbari debent. Aetas mea.] Id eſt, ſenectus. Nam minor ſenũ uerecundia eſt,ideoq; dicendo minus timent. Quantum ſtudij.] Id eſt, animi & uoluntatis. Mea fides.] Quam clienti patronus præſtare debet integram. Tantum facultatis timor detrahat.] Metus animum perturbat. Animi autem perturbatio tantum de dicendi facultate detrahit,ut Theophraſtus omnium ætatis ſuæ philoſophorum doctiſſimus, uerba pauca ad populum Athenienſium facturus, deturbatus uerecundia obticuerit. Idem Demoſtheni ad regẽ Philippũ uerba facienti eueniſſe, A.Gellius ſcribit. Pro capite.] Id eſt,pro ſalute & incolumitate: ſcilicet, ne damnatus regno reliquiſq; bonis externis eijciatur. Quod ipſum.] De capite, fortuniſq; Deiotarũ uocari in iudicium. Cuncto cum Senatu.] Deiotarum populo Romano amiciſſimum atque fideliſſimum, Senatus quantum ullum Regem alium ornauit, eiq; Armeniam dedit: ut ait Cicero in Philippica 2. & in libro de Diuinatione 2. Perpetuis meritis.] Id eſt,continuis beneficijs. Nam à pueritia amicitiam cum populo Romano coluit. Is autem amplius ſexagenarius fuit, cum in bello ciuili Cn.Pompeium ſecutus eſt. M.enim Craſſus,paulo ante bellũ ciuile apud Parthos cæſus eſt. Craſſo autem in Parthicam expeditionem proficiſcente, Deiotarus extrema ſenectute cõfectus erat: ut ait Plutarchus in uita Craſſi. Contra atrociſſimũ crimen.] Quod Cæſaris uitæ inſidiatus ſit. Ne dicam ſceleratum,&c.] De hoc dicendi genere apud Vallam eſt lib.3. Adoleſcentiæ terrorẽ ideo appellat,quòd adoleſcentes Romæ magnam ſibi cõmendationem uitæ parabãt,ex accuſatione clari alicuius uiri: ut eſt in lib. de Offic.2. Fugitiui.] Alterius accuſatoris indignitatẽ oſtendit. Et dominum.] Hæc repetitio accuſationis indignitatem amplificat. Quod de fortunis.] Illud Ciceroni familiare eſt,ut cauſarum, quas agit,futurum iudicium ad Rempublicam pertinere oſtendat: ſi hoc uel illo modo iudicetur, illud damni uel emolumenti eueniat ciuitati. More maiorum.] Idem pro Milone: Maiores noſtri dominum de ſeruo quæri noluerunt,non quia non poſſet uerum inueniri ſed quia uidebatur indignum eſſe, & domini morte ipſa triſtius. Equuleus dicitur machina ea,qua torquentur ij, de quibus quæſtio habetur. ut etiam pro Milone: Facti enim in equuleo quæſtio eſt, iuris in iudicio. Quẽ in equuleo appellare non poſſet.] Indignitatem accuſationis probat,argumento à minore ad maius. Si non licet de ſeruo quæri in dominum,multo minus licet à ſeruo dominum accuſari. Si haberetur quæſtio,extorqueretur in dominum confeſſio: in accuſatione affertur lædẽdi uoluntas. Indignior igitur eſt qui dominum uolens, quam qui inuitus lædit. Sed ne inuito quidem lædere licet. Cũ te penitus recognoui.] id eſt,cum animi tui lenitatem,manſuetudinem,atque clementiã ualde cognoui. Re iniquum eſt.] Vt apud te defendam eum,qui uitæ tuæ inſidiatus accuſetur. Quid de te cæteros nolis iudicare.] Nam de ſua clementia cæteros uult iudicare:cui nullus tum locus eſſet,ſi à Deiotaro alienum animum haberet, eumq; damnaret, cuius in cauſa eſt pars aduerſa & iudex. Moueor etiam loci ipſius inſolentia.] Quintilianus in lib.4. præcipiens auditorum beneuolentiam captari aliquando ab adiunctis cauſæ, ut à loco: hunc Ciceronis locum citat. Loci inſolentia quantam uim perturbandi habeat, Portius Latro, qui primus clari nominis profeſſor fuit,declarauit. ei enim ſummã in ſcholis opinionem obtinenti, cum cauſa in foro eſſet oranda, impenſe petiuit, uti ſubſellia in baſilicam transferrẽtur: ut ſcribit Quintil.lib.10. Extra conuentum.] In cauſis publicis, quæ in foro aguntur, conuenire ſolent primum multi Iudices, deinde magna populi multitudo. Multos autem quàm unum moueri facilius eſt,quod alius alio afficiatur. Affecti autem Iudices, multitudinis quoque animos in ferendis ſentẽtijs ſpectare ſolent. In hac igitur iudicum et multitudinis frequentia,oratorum ſtudia niti ſolent. Eorum enim ſtudium præcipuum eſt,ut auditores afficiant. Acquieſco.] Id eſt,ualde quieſco,oblector: & ut uulgo loquuntur,fruitionem capio. In qua re non ſemel à Cic. dicitur. in lib.de Finibus bonorum & malorum 3. Facillime in nomine tuo acquieſco. Lib.epiſt.ad Atticum 9. Cum me ægritudo non ſolum ſomno priuaret, uerũ ne uigilare quidem ſine ſummo dolore pateretur, tecum ut quaſi loquerer,in quo uno acquieſco, hoc neſcio quid nullo argumento propoſito ſcribere inſtitui. Non diſſimile illud eſt in oratione pro Milone: Qui maxime P.Clodij morte acquierũt. Grauiſſime ſunt.] Iudicibus cum mouentur affectus,tum eorum animi uel ira,uel miſericordia perturbantur. Hac autem ratione à ueritate depelluntur: ut eſt apud Quintilianum in proœmio lib.5. Ideoq; Athenis affectus moueri nõ licebat,ut in Rhetoricis ſcribit Ariſtoteles. Cæſari ſoli moueri affectus difficillimũ eſt,ideo facile obtinebitur ueritas oratione ea, quæ ad Cæſarem ſolum pertinet. Alacritatem.] Id eſt,uiuendi ſpem & ingenij uigorẽ. Spectarem curiam.] Quæ foro proxima eſt. Intuerer forũ.] In quo hæc cauſa ageretur. Cœlum denique teſtarer.] Forum iudiciale ſub dio fuiſſe,aut certe ex eo cœlum facile perſpici poſſe ſignificat. ut pro M.Cælio: Alia fori uis eſt,alia triclinij, alia ſubſelliorũ ratio,alia lectorum. Non idem iudicum comeſſatorumq; conſpectus. Lux denique lõge alia eſt ſolis et lychnorũ. Deorum immortalium.] Teſtando cœlum. Pop.Romani.] Intuendo forũ. Et Senatus.] Spectãdo curiam. Qui pro multis ſæpe dixiſti.] Idẽ etiã dicit Cic.in oratione pro Q.Ligario: Cauſas Cæſar,inquit,egi multas,& quidem tecum. dum te in foro tenuit ratio honorũ tuorũ. Ad te ipſum referre.] Ad flectendum nobiſq; conciliandum iudicis animũ illud ualet plurimũ,ut animi noſtri affectionem ipſe ſuſcipiat. Antequã de accuſatione ipſa.] Admonẽdo qua de re dicturus ſit, auditorem facit docilem & attentum. Id autẽ tum faciendum eſt, cum ad aliam rẽ tranſimus,quã attente audiri noſtra intereſt. Neque ingenia,etc.] Omnem cũ aliarum rerũ, tum maxime ingenij & eloquentiæ iactationẽ oratori fugiendam eſſe, Quintil.lib.11.præcipit. Eam ob cauſam ingeniũ ſuum,et eloquentiã Cicero ſubmittit extenuatq;,aduerſarij autem amplificat. Nam cum omnis arrogantia odioſa eſt,tum illa ingenij atque eloquẽtiæ multo moleſtiſſima eſt: ut ait Cic.in Diuinatione. Hic uero contrà Cicero aduerſariorum eloquentiam, & exercitationem dicendi,ingeniumq; maxime extenuat,ut eorum confidentiam maiorem oſtendat,qui ſolo Cæſaris in Deiotarũ odio ſubnixi,Regis ipſius innocẽtiam in periculum capitis adducere nihil ueriti ſunt. Vt pro Sex. Roſcio, C.Erutium in accuſando Roſcio di-

cit fuiſſe negligentem, quod contra Chryſogoni potentiã neminẽ fore putauerit, qui Roſcium defendere auderet. Idem in Diuinatione. Q. Cæciliũ petentem Verris accuſationẽ, ad accuſandum ineptum eſſe oſtendit, quẽ cõſtitui accuſatorem Verres uolebat: ut facilius Q. Hortenſij defendentis ingenio ſuccũberet. Idem pro A. Cluentio, Cepaſij C. Fabricium defendentis actionẽ facit ridiculam, ut oſtendat malæ cauſæ bonum patronũ inueniri non potuiſſe. Iratũ te Regi.] Quod Pompeium in bello ciuili ſecutus eſſet. Negat Cicero in 2. Philippica, Cæſarem cuiquã fuiſſe inimiciorem quàm Deiotaro, cui pecuniam imperarat, Mediæ tetrachiã uni ex Græcis comitibus ſuis collocarat, Armeniã à Senatu datam abſtulerat. Ideo affectũ illum quibuſdam incommodis dicit. Propter offenſionem animi ſui.] Id eſt, propter irã, quæ à Stoicis definitur apud Ciceronẽ lib. Tuſculanarũ quæſtionũ 4. ut ſit libido puniendi eius, qui uideatur læſiſſe iniuria. Exulcerato.] Id eſt, ira graui percito. Inſideret.] Id eſt, infixum eſſet, & inhæreret. ut pro Milone. Si tibi ita penitus inſediſſet iſta ſuſpicio, nullo ut euelli modo poſſet. Ne reſidere in te ullam partem.] Illud ex arte eſt, ut ſi quam opinionem contra nos iudex domo attulerit, uel aduerſarij noſtri actione perſuaſus conceperit, ut eam tollamus. Perrexiſti.] Cum poſt bellum Alexandrinũ ad bellũ Ponticum proficiſcebare. Firmiorem.] Id eſt, multum firmam. Vel, ut ait Priſcianus lib. 3. firmiorem bis intelligitur: Tã, inquit, & quàm aduerbia tum comparatiuo uel ſuperlatiuo adijciuntur, cum duo uel plures cõparatiui uel ſuperlatiui diuerſæ ſignificationis poſiti inter ſe æquantur, uel ijdem geminãtur, ut tam iuſtior quàm felicior Aeneas Hectore. Cicero pro Deiotaro: Iſtã, inquam, dexteram non tam in bellis & in prælijs, quàm in promiſſis et fide firmiorem. bis enim firmiorem intelligendũ eſt. Renouare.] Poſt Põpeium uictum, quem ſecutus Deiotarus, hoſpitiũ uetus uiolare uiſus eſt. Semel exorari ſoles.] Id eſt, cũ ſemel placatus es, nihil ſimultatis in te reſidet. Semel.] Id eſt, ſolide, integre. Inauditæ.] Id eſt, non auditæ. Querelæ tuæ.] Id eſt, tuæ expoſtulationes. Etiam filium miſiſſet.] Deiotaro filius fuit, in quo ſumma ſpes, ſumma indoles, ſumma uirtus fuit: ut ait Cicero in Philippica 11. Excuſatione ætatis.] Quod ſexagenarius eſſet. Sexagenarios autem leges otio reddunt, ut amplius ſcribimus in cõmẽtarijs in Ciceronem de Senectute. Maior Deiotari in Cæſarem odij ſignificatio fuit, quod ætatis excuſatione uti noluerit. Regem reliquiſti.] Regnum enim auitum ei Cæſar reliquit. Progreſſus.] Ad bellum ſecutus Pompeiũ. Errore cõmuni lapſus eſt.] Venia dignum oſtendit Deiotarum, aut certe eius culpam habendam leuiorem, quòd cum multis errauerit. Hanc autem culpã alij errorem uocant, alij timorẽ, alij ſpẽ, cupiditatem, odium, pertinaciã, alij temeritatẽ: ut ait Cicero pro Q. Ligario. Eum illum ordinẽ.] Senatoriũ. Homo longinquus.] Argumentũ à faciliori. Si his rebus perturbati ſunt, qui in media Republica nati ſunt, in eáq; uerſati, facilius multo perturbari potuit alienigena et longinquus. Nati ſunt.] Refertur ad id Alienigena. Verſati.] Ad id, Lõginquus. Hic aũt longinquus dicitur is qui longinqua regione habitat, ſiue inde oriundus ſit, ſiue aliũde. Vt pro Milone cõtra dixit propinquos, qui prope habitant, quamuis ſæpius propinquos dicat cõſanguineos: Hæc, inquit, iã tolerabilia uideantur, & ſi æqualiter in Rẽpub. in priuatos, in lõginquos, in propinquos, in alienos, in ſuos irruebat. Inde longinquitas, pro locorũ diſtãtia. Idem in oratione pro lege Manilia: Noſter autem exercitus, & ſi urbẽ ex Tigranis regno ceperat, & prælijs uſus erat ſecũdis, tamen nimia longinquitate locorũ ac deſiderio ſuorum cõmouebatur. Idem longinquitatem dicit pro diuturnitate, in lib. Tuſcula. quæſt. 3. Eſt, inquit, tarda illa quidem medicina, ſed tamen magna, quam affert longinquitas & dies. & Seru. Sulpitius in epiſtola ad Ciceronem: Nullus dolor eſt, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat. Senatus conſentientis.] Deiotari leuior culpa eſt, quod conſenſu cuncti Senatus arma ſumpta ſint contra Cæſarem. Hic autem Cicero non dicit contra Cæſarem ſumpta arma, ne eius rei aſperitate animum Cæſaris commoueret, quem placare ſtudet. Oratoris eſt enim non ſolum, quæ cauſæ proſint dicere, ſed etiam quæ obſint tacere.

Nouis Imperatoribus.] Maxime autem Pompeio. cui Arimino à Cæſare occupato, in Senatu Cato cenſuit mandandum, ut uideret ne quid Reſpublica detrimenti caperet: ut in uita Catonis Plutarch. ſcribit. Niſi nouos Imperatores intelligi mauis eos, qui imperium antea nunquam geſſerunt. Quieſcẽdum.] Ab armis. Ad orientem.] Id eſt, ad Aſiam, ubi Deiotari regnum erat. Nec ulli ueri.] Rumores ſcilicet. De conditionibus tuis.] M. Cælius ad Ciceronem lib. Epiſt. familiarium Ciceronis 8. de Cæſaris conditione oblata Pompeio: Cn. inquit, Pompeius conſtituit, non pati C. Cæſarem Conſulem aliter fieri, niſi exercitum & prouincias tradiderit: Cæſari autem perſuaſum eſt, ſe ſaluum eſſe non poſſe, ſi ab exercitu receſſerit. Fert illam tamen conditionem, ut ambo exercitus tradant. Quantum ſtudioſus pacis fuerit Cæſar, Cicero dicit pro Marcello. Id ſi nouiſſet Deiotarus, Cæſarem offendiſſet grauius, quod Pompeiũ ſecutus ſit: Conſpirationem hic in malam rem dicit. Certorũ hominum.] Marcellum & Lentulum ſignificare uidetur, qui Cæſaris dignitati aduerſati ſunt maxime. Ignoſce.]

Iracundiã Cæſaris Deiotari cauſæ maxime aduerſam Cicero exiſtimat, quã ſcit inde natã, quòd in bello ciuili in Pompeium, quàm in Cæſarẽ Deiotarus propenſior fuerit. Poſt quã purgauit aut certe excuſauit Deiotarũ Cicero, orat Cæſarem, ut Deiotaro ignoſcat, ne illa iracũdia in eius animo reſideat, oſtenditq́; in auctoritate Põpeij aliquam dignitatis ſpeciem non contemnendã fuiſſe. Ceſſit auctoritati.] Id eſt, locũ dedit, id eſt, obtẽperauit. Quẽ nos oẽs ſecuti ſumus.] Errorem Deiotari facit leuiorem, quòd Põpeium omnes quoq; Senatores ſecuti itidem errauerint. Quantæ opes.] Id eſt, quanta potentia. In omni genere bellorũ.] Et terreſtrium & maritimorum. Fatali.] Cicero pro Q. Ligario appellat hoc bellum ciuile, fatalem calamitatẽ, quæ improuidas hominum mentes occupauerit. Iuſtis, hoſtilibusq;.] Remouet ſuſpicionem, ne Deiotari animus à Cæſare in bello ciuili alienatus fuiſſe uideatur. Nam ſi ante in iuſtis bellis & hoſtilibus Pompeiũ Deiotarus adiuuit, ut in bello Mithridatico: credibile eſt officij cauſa, nõ Cæſaris odio, eum in hoc miſero & fatali bello Pompeium adiuuiſſe. Vt ad fugientẽ.] Amore Põpeij, non odio Cæſaris ueniſſe probat. Venit. n. ut fugientem amicum in periculo adiuuaret. Iam enim Pompeius ex Italia fugerat, cum ad eũ uenit Deiotarus. Inſequentem hoſtem.] Victũ perſequentem. A Pompeio diſceſſit.] Deiotarus fugit è prælio cum Pompeio, ab eoq́; poſtea diſceſſit: ut ait Cicero libro de Diuinatione 2. Infinitam.] Id eſt, incertam. Qui uicti fuerunt, inſtaurato prælio uictoriam ſperabant. ut Scipio, Cato, alijq́;, qui poſt pugnam Pharſalicam nõ quieuerunt. Vtilitatibus tuis paruit.] Id eſt, quod è re tua eſſe uidebatur fecit. Exercitum Cn. Domitij.] Cæſare bellum Alexandrinum in Aegypto gerente, rex Deiotarus ad Domitium Caluinum, cui Cæſar Aſiam finitimasq́; prouincias adminiſtrandas tradiderat, uenit oratum, ne Armeniam minorem regnum ſuum, néue Cappadociam regnum Ariobarzanis occupari uaſtariq́; pateretur à Pharnace. Quo malo niſi liberaretur, imperata ſe facere, pecuniamq́; promiſſam Cæſari non poſſe perſoluere. Domitius ſibi gloriæ ducens, dignitatem populi Romani defendere, & ſociorum regna recuperare aduerſus Pharnacem, in Armeniam agmen ducit: cui duas legiones Deiotarus adiungit, quas diſciplina atq; armatura Romana complures annos conſtitutas habebat, & equites centum: Ad Nicopolim pugnatum eſt. Domitius multis ex ſuis amicis, & magna

parte

*parte militum Deiotari interfecta, reliquias diſſipati exercitus collegit, itineribusq; tutis per Cappadociam, in Aſiã ſe recepit: auctor eſt A. Hircius in libro de bello Alexandrino. Et copijs.] Id eſt, diuitijs, uel duabus legionibus & centum equitibus. Auctionibus factis.] Auctionatus Deiotarus Cæſari ad bellum Africanum pecuniam ſubminiſtrauit: ut infra ait Cicero. Eſt autem ab augendo, auctio, publica rei uenditio, quæ adducitur ei, qui poſtremus augeat pretium. Inde auctionari uerbum factum eſt. Deiotarus igitur bonorum ſuorum auctionẽ fecit, ut pecuniam conficeret, quam Cæſari ſubminiſtraret. In acie contra Pharnacem fuit. De bello Cæſaris cum Pharnace, A. Hircius is qui adiecit libros ad Cæſaris Commentarios, de Ciuili bello, ſcripſit fuſius. Cæſari contra Pharnacem proficiſcenti Deiotarus tradidit unam legionem, & electum quem habebat equitatum. Ampliſſimo Regis honore.] Cum Cæſar aduerſus Pharnacem proficiſceretur, tum Deiotarus depoſitis regijs inſignibus non ſolum priuato ueſtitu, ſed etiam reorum habitu ad eum ſupplex uenit, oratum, ut ſibi ignoſceret, quòd Pompeiũ ſecutus eſſet. Cæſar commemoratis in eum à ſe beneficijs, ignoſcere ſe ſe reſpondit propter uetus hoſpitium, & amicitiam, & dignitatem, & ætatem eius, eorumq; preces, qui multi Deiotari hoſpites & amici concurriſſent ad deprecandum: eiq; regium ueſtitum reſtituit. auctor eſt A. Hircius. Quod igitur reſtituit, dare uiſus eſt. niſi Armeniæ regnum à Cæſare Conſule decreto Senatus datum intelligi poſſit. Nam Deiotaro ſupplici commemorauit Cæſar plurima beneficia, quæ ei Conſul decretis publicis tribuiſſet. Inter hæc autem id conijcere licet. Honore ampliſſimo ornatus arguitur.] Argumentum à repugnantibus eſt. Nam ſi honore ampliſſimo à te ornatus eſt, non conſequitur, ut te domi ſuæ interficere uoluerit. Importunitatis.] Id eſt, improbitatis. Clariſſimum lumen.] C. Cæſarem. Cuius tanti furoris.] Oſtendit Deiotarum fuiſſe furioſiſſimum, ſi Cæſarem interficere domi ſuæ uoluiſſet. Cum clariſſimo filio.] Chariſſimo, non clariſſimo legendum putem. Diſtractus eſſet.] A regibus, à liberis populis, à ſocijs, &c. At credo.] Obiectio eſt, quam aduerſarius poſſit facere. Quod igitur facinus.] A repugnantibus argumentum eſt. Repugnat enim, uirum optimum & minime ſtultum id facere uoluiſſe, quod improbus & imprudens homo minime facere auderet. Cum, inquit, in caſtellum Luceium.] Hæc ſunt uerba accuſatoris, quæ Cicero repetit, ut ea refutet. Munerare.] Id eſt, donare, uel tanquam hoſpitem, uel tanquam imperatorem. Solebãt.n. populi Romani Imperatores à ſocijs, uel regibus, uel populis liberis, cum per eorum regionem iter facerent, aliquo munere ornari, ut eorum cum pop. Romano amicitia ſignificaretur. Munerare actiuum, & munerari deponens, in eadẽ re dicimus. Cicero lib. epiſtolarum ad Atticum 6. Alexion me opipare muneratus eſt. Huc te è balneo priuſquam accumberes.] Mos erat ueterum, ut priuſquam pranderent, uel cœnarent, ſe aqua frigida aut calida lauarent. En crimen.] Illud ex arte eſt, ut id oſtendamus, quod in cauſa præcipuum ſit, de quo ſit iudicandũ. Qua ratione magis dilucida fit oratio, & iudices fiunt attentiores, ut planius cognoſcant id de quo pronũciaturi ſunt. Cur.] Id eſt, propter quæ: ut exponit Priſcianus lib. 17. ut ſit aduerbium pro nomine. quale illud eſt, Genus unde Latinum. Regem fugitiuus, dominum ſeruus.] Hanc Deiotari accuſationẽ ab indignitate accuſatoris oſtendit contemnendam eſſe. Cum eſt ad me iſta cauſa delata.] Vt Deiotarum defenderem, ſcilicet. Artificioſum illud eſt in refutando, ut alio loco, tempore, uel modo crimen quod obijcit aduerſarius, facilius tutiusq; confici potuiſſe demonſtremus. Hoc enim modo ueriſimile non eſſe oſtenditur, quod obiectum eſt. ut à Milone Clodio factas inſidias accuſator dixit in uia Appia, ante fundũ Clodij, hora undecima. Id Cicero cum refutat, dicit Milonẽ ſi inſidias Clodio facere uoluiſſet, id facilius tutiusq; & magis opportune facere potuiſſe ad Baſilij monumentum, quà noctu Clodio Romam reuertenti tranſeundum fuerat, quod ille locus latronum ſit receptator, ad quos cædis ſuſpicio perueniſſet: aut ad alios multos præter Milonem, qui à Clodio uiolati uexatiq; fuerant: Nec muta ſolitudo indicaſſet, nec cæca nox oſtendiſſet, à Milone Clodium cæſum fuiſſe. Hoc igitur crimen fictum probat Cicero. Quia ſi Cæſarẽ Deiotarus necare uoluiſſet, occultius impunitusq; ueneno ꝑ Phidippum medicum ſuum quàm per milites gladijs necaſſet. Illo enim modo factum negari poterat, hoc non poterat. Adoleſcente.] Caſtore. In potionem.] Potionẽ à potu diſtinguit Valla. Cicero tamen ſanorum potionem, non potum: Salluſtius potum quàm potionem uſitatius appellat. Impunius.] Vt in Actione in Verrem 6. Ille ciuis Romanus quod erat, impunius id ſe facturum putauit. Si palàm.] Per armatos homines. Iouis illius quidẽ hoſpitalis.] Iouem hoſpitalẽ coluit antiquitas, qui Lycaonem, quia hoſpites mactauerat, in lupũ conuertit. Virgilius in lib. Aeneidos primo: Iupiter, hoſpitibus nam te dare iura loquuntur. Nũquã celare potuiſſet.] Non ſolum dicta noſtra aut facta, ſed ne cogitata quidem Deo ignota eſſe poſſunt. Quod igitur & occultius.] Si Deiotarus Cæſarẽ necare uoluiſſet, ueneno potius necaturum fuiſſe, probat argumento à faciliori. Id tibi.] Apoſtrophe ad Phidippum eſt. Non credidit.] Id eſt, non commiſit. Celare te noluit.] Argumentum à repugnantibus eſt. Repugnat.n. id Deiotarum ſeruo committere noluiſſe, quod facilius tutiusq; fuiſſet: id autem non celaſſe, quod difficilius eſſet atque periculoſius. Contexitur.] Id eſt, cõponitur, & fictum tegitur & coloratur. nam à contegendo contexere factum eſt. Eadẽ quæ ſemper fortuna.] Incredibilis Cæſaris felicitas multis in rebus perſpecta eſt, qua non ſolum honores & uictorias adeptus, ſed periculis uel maximis liberatus eſt. Illud tamen quod Appianus lib. 2. ſcribit, aſcripſiſſe non pœniteat. Cum Cæſar exercitum paruis ratibus Helleſpontum trãſportaret, ei obuius fit Caſſius cum octoginta triremibus: quem facile deuiciſſet, ſi cum eo congreſſus fuiſſet. Cæſaris felicitate conterritus è triremi in ſcapham deſilijt: uenia ab eo impetrata, triremes omnes tradidit. Id ſolum felicitati Cæſaris Appianus tribuit, quod uir bellicoſus multo potentior, per ignauiam dediderit ſe ei, quem poſtea imperantem occiderit. Itaque feciſti.] Cœnatus Cæſar munera inſpexit, nec ulla uis ei illata eſt, nullæ paruerunt inſidiæ: quas ſi feciſſet Deiotarus, nõ dimiſiſſet exercitum, qui facile horam unam aut duas, quoad cœnatum eſſet, expectaſſet. Comiter.] Id eſt, benigne. Nã comes, ut ait Cicero pro L. Cornelio Balbo, benigni, faciles, ſuaues homines eſſe dicuntur. Illuc.] Vbi erant munera. In P. Africanum.] Minorem. A Cicero diſſentit Liuius lib. 57. Scipio, inquit, cum obſideret Numantiam, ampliſſima munera ſibi ab Antiocho Rege Syriæ miſſa, cum celare alijs Imperatoribus Regum munera mos eſſet, pro tribunali ea accepturum ſe eſſe dixit: eaq; omnia referre Quæſtori in publicas tabulas iuſſit, ex ijsq; uiris fortibus munera ſe daturum. Ex Aſia.] Vbi regnabat. nam Pergami rex Attalus fuit. More.] Romanos enim Imperatores, Reges, populi Romani ſocij, aut amici muneribus ornare ſoliti erant, ut diximus, ſi per eorum regna iter facerent. Hominis grauiſſimi.] Deiotari. Diſciplina.] Qua gentẽ ſuam bene inſtituerat. Lautum.] Id eſt, cum è balneo ante cœnam exiſſet. Lauare ſupinum habet lautum, uetuſtiſſimi etiam lauatum ſolebant dicere. Terentius in Eunucho: Abeunt lauatum, perſtrepunt. auctor eſt Priſcianus lib. 9. Vt cum in caſtellum Luceium.] Aut hic locus emendate non legitur, aut Deiotari domus, in quam pridie Cæſar diuertit, prope caſtellum non in caſtello fuit. Sed tamen acta.] Id uelut ab aduerſario dicitur. Vomere te.] Auctore Plinio li. 11. homini cibus*

*utiliſſimus ſimplex, aceruatio ſaporum peſtifera, & cōdimenta perniciosiora. In cibis non facile coquuntur acria, nimia, auide hauſta: & æſtate, quàm hyeme difficilius, & in ſenecta quā in iuuēta. Vomitiones homini ad hæc in remediū excogitatæ ſunt: auctore Cornelio Celſo lib. 1. Solet etiam prodeſſe poſt uarium cibum, frequenteſq; dilutas potiones uomitus, & poſtero die lōga quies, deinde modica exercitatio. Cæſar igitur cōuiuio regio magnifice acceptus, uomitione cruditatem euitare uoluit.* Dij te perdāt fugitiue.] *Imprecatio comica eſt.* Ille ſigna ænea.] *Credibile non eſſe, quod dicit aduerſarius, oſtendit. Nā ſi inſidiæ in balneo fuiſſent, in cubiculum facile transferri potuiſſent, cū Cæſarem ire in cubiculum uelle cognitū eſſet.* Signa ænea.] *Id eſt, exercitum, cuius ſigna eſſent ænea: ut C. Marius argentea aquila uſus eſt in bello Cimbrico, cum eſſet Coſ. iterū. Vel ſigna ænea, intelligit æneas imagines, quæ in balneo poſitæ erant, præter quas in balneo nihil fuerit: ut ridiculū faciat, id quod obiecit aduerſarius.* Habes.] *Id eſt, audiuiſti.* A' ſe dimitteret.] *Confictū illud quoque probat, quod harū inſidiarum conſcium ſe Phidippus dixit.* Cū igitur eos uinceret.] *Argumētum à repugnantibus.* In ſpeculis fuiſſe.] *Id eſt, quid aduerſi tibi acciderat, per nuncios & ſpeculatores exploraſſe. Eſt. n. ſpecula editior locus, unde late deſpici poſſit. Virgilius lib. Aeneidos 10. Atque leo ſpecula cū uidit ab alta Stare procul campis meditātem prælia taurum. inde ſpeculator appellatus eſt.* Nunquā eas copias.] *Nunquā ètiam ante bellum ciuile, quo tēpore potentior erat.* Antea.] *Id eſt, antequam uictus cum Pompeio à Cæſare mulctatus eſt Media, Armenia minore, & grandi pecunia.* Celiū neſcio quem.] *Id eſt, turpē & flagitioſum, uel ignotum hominem. Is Cælius qui fuerit, legere nō memini. Nam M. Cælius Rufus Prætor, ſeditioſus homo et furioſus, à Cæſaris militibus ante pugnā Pharſalicam interfectus eſt: ut eſt in lib. Commētariorum Cæſaris de bello ciuili 3. De furioſo quodā Trib. plebis C. Cælio, Cicero ſcribit ad M. Cælium lib. Epiſt. familiarium 8.* Cauſam illam.] *Id eſt, exercitum Cælij: ut lib. Epiſtolarum 6. ad Q. Ligarium, Africanæ cauſæ iratior: id eſt, ijs qui contra ſe in Africa cū Varo, Scipione & Iuba fuerunt.* Quis nō noſſet.] *Quod ignobilis eſſet.* Vel ſi noſſet.] *Quia turpis et flagitioſus eſſet, cōtēnere.* Veteres equites.] *Diſciplina et armatura Romana iāpridē inſtitutos.* Nihil ad tuū equitatum.] *Id eſt, ad comparationem tui equitatus, ita enim Valla libro tertio hunc locum exponit. ut in libro de Oratore ſecūdo: Quem cognouimus uirum bonum & nō illiteratū, ſed nihil ad Perſium: id eſt, ad Perſij cōparationem.* At neſcio quē.] *Addidit, ſcilicet.* Non audiui.] *Fictum crimen ſignificat.* Alieno autem à te animo fuit.] *Hoc ab aduerſario dictū eſt.* Alexandriæ.] *Id eſt, belli Alexandrini. de quo, & Cæſaris periculo, eſt in libro Cōmentariorum Cæſaris de bello ciuili tertio, & in libro A. Hircij 4.* Fluminis.] *Nili.* Pecuniam dedit.] *Id eſt quod ante dixit Cicero: Te, inquit, Alexādrinum bellum gerente utilitatibus tuis paruit. Ille exercitum Cn. Domitij ampliſſimi uiri ſuis tectis & copijs ſuſtentauit: & reliqua.* Exercitum.] *Cnæi: Domitij.* Victori.] *In acie Pharſalica, & in bello Alexandrino.* Ad hoſpitium.] *Cum te hoſpitio accepit. Deiotarus enim Cæſaris hoſpes erat.* Ad periculum.] *In bello Pontico, quod cum Pharnace geſtum eſt.* Bellum Africanum, etc.] *Quod cū Varo, Iuba, & reliquijs Pompeiani exercitus C. Cæſar in Africa geſſit.* Graues rumores.] *Id eſt, magni, firmi, conſtantes, quibus etiā uiri graues auctoritatem dabant.* Auctionatus ſit.] *Id eſt, res ſuas uendiderit, ut pecuniam tibi conficeret. Si Alieno à Cæſare Deiotarus animo fuiſſet, cum graues illi de Cæſare rumores ſparſi eſſent, tū pecuniam non confeciſſet, ſed potius rumorum exitum expectaſſet.* Expoliare.] *Facta rerum ſuarum auctione.* At eo, inquit, tēpore.] *Id eſt quod ante dixit, Regē in ſpeculis ſemper fuiſſe.* Niceā, Epheſumq;.] *Quæ urbes in Aſia celeberrimæ ſunt.* Exciperent rumores.] *Id eſt, obſeruarent, ſi qui rumores afferentur ex bello Africano et ex C. Cæſare.* Circunſideri.] *Id eſt, obſideri.* Intercidant.] *Id eſt, pereant. Particula Inter, uim habet cōplendi. Donatus exponēs illū uerſum Ter. ex Eunucho, Quod nos capere oportet, hæc intercipit: Intercipit proprie, inquit, quaſi totū capit. Plautus in Aulul. Quæ ſola interbibere Corinthienſem fontem & Pireneū poteſt. Ex hoc genere ſunt interficere, intermori, interire, interminari, aliaq; eiuſdem generis plurima.* Ipſe. n. manſuetus.] *Ab animi natura arguit. Id enim fidē detrahit, ab homine manſueto immanē uerſum fuiſſe pronunciatū.* Qui tibi eſſe inimicus.] *cui Domitius erat amicus.* Belli lege.] *Qua licet uictoribus uictos interficere.* Quæ crux.] *Seruorū, non ciuium, crucis erat ſupplicium. Vnde ſerui fugitiui, quia crucē meruerunt, cruciferi dicti ſunt: & in ſignū ignominiæ, crucis ſignum in ueſte ferebant. Iuxta quod ſcriptum eſt, Morte turpiſſima condemnemus eum.* Deiotarū ſaltantem.] *De ſaltatione, quàm inhoneſta fuerit apud ueteres, ſcribimus in Inuectiuas Ciceronis in Catilinam.* Frugalitas.] *Hæc prudentiam, iuſtitiam, fortitudinē, ſed præcipue tēperantiam continet. ut eſt in lib. Tuſculanarum quæſtionū tertio.* A' cūcta Aſia.] *Id eſt, ab omnibus Aſiaticis.* A' magiſtratibus legatiſq; noſtris.] *Qui in Aſia bella geſſerūt, quorum in caſtris Deiotarus uerſatus eſt, cum per ætatem licuit.* Officiorum.] *Id eſt, beneficiorum.* Pecuarius.] *A' pecore, uel à pecudibus dictus is eſt, qui utilitatis gratia pecudes alit. Qua in ſignificatione hic dicitur. Rei familiari expedire maxime non ſolum bene arare, ſed etiā bene paſcere, M. Cato dixit: ut eſt apud Ciceronem libro de Officijs 2. Pecuariæ, dicūtur prata ea, quæ paſcendis pecudibus relicta ſunt, M. Varro libro rerū Ruſt. 2. Ipſe pecuarias habuit grandes in Apulia ouiarias, in Reatino equarias. Itēq;: Qui pecuarias habuerunt in Epiro magnas. Dicuntur itē pecuarij, qui pecoris paſcendi cauſa, publica prata ex populo R. conducunt. Cicero actione in Verrem quarta: Poſtulo mihi reſpōdeat, qui ſit iſte Verrucius mercator, an arator, an pecuarius. Idem pro M. Fonteio. Vnum ex toto negociatorū, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero teſtem producant. Pecuarius canis à Columella lib. 8. dicitur is qui pecoris cuſtos eſt. Pecuarius canis, inquit, neque tā ſtrigoſus aut pernix debet eſſe, quàm qui damas ceruoſq; & velociſſima ſectatur animalia: nec tam obeſus aut grauis, quàm uillæ horreiq; cuſtos. Eundem canem idem appellat paſtoralem.* Qui igitur adoleſcens.] *A' uita anteacta oſtendit credibile non eſſe, Deiotarum ebrium factum ſaltaſſe. Ex præteritis enim (ut ait Quintilianus libro 5.) æſtimari ſolent præſentia. Si igitur adoleſcens Deiotarus, ſi nondum tanta gloria præditus nihil egit, niſi ſeueriſſime & grauiſſime, an credibile eſt eum in extrema ſenectute, in eaq; exiſtimatione ſaltauiſſe?* Eaq; ætate.] *Deiotarum extrema ſenectute tum fuiſſe, cū Craſſus in Parthos exercitum duxit, ante ſcripſimus. Id autē paulo ante bellum ciuile fuit.* Clariſſimo uiro malediceret.] *Id eſt, in Deiotarū maledicta conijceret. Id autem maledictum eſt, quod ultra crimē, quod cauſæ proprium eſt, reo obijcitur, quod id crimē fiat magis probabile. Quid maledicere & accuſare differāt, eſt in oratione Ciceronis pro M. Cælio.* Exacta.] *Id eſt, extrema ſenectute: ut in 1. Aeneidos Virgil. Omnes ut tecum meritis pro talibus annos Exigat.* Defecerant.] *Id eſt, deſtituerant.* Hic uero adoleſcēs.] *Caſtor ſcilicet.* Meus miles.] *Id eſt, ſub me Proconſule Ciliciam obtiniente militans.* In Græcia.] *In bello ciuili & pugna Pharſalica.* Cōmilito.] *Id eſt, militans mecū ſub eodem imperatore Pompeio. Oſtendit autem Cic. in Pompeij exercitu contra Cæſarem fuiſſe Caſtorem multo inimiciore animo atque ferociore, ꝗ̄ fuerit Deiotarus.* Pater.] *Qui erat Deiotari gener.* In illa cauſa.] *Id eſt, in exercitu Pompeij.*

Exercitu

*Exercitu amiſſo.] Id eſt, uicto Pompeio. Sed abijciendorũ.] Vt celeritatẽ ſignificet, hoc dicit. Felix iſta domus.] Ex diſſimilitudine quærit Deiotaro miſericordiã. In iiſdem caſtris.] contra Cæſarem Caſtor & Deiotarus fuerunt. Caſtor felix eſt, Deiotarus calamitoſus: quæ calamitas ab eo proficiſcitur, qui ipſe felicitatis auctor eſſe deberet. Non modo apud te.] Locus hic emendate non legitur. ita autẽ legendum. Non modo ab alienis apud te. Alienos. n. appellamus, qui amici aut affines, aut propinqui nõ ſunt. Extraneos uulgo appellãt. Vitæ ſalutiſq;.] Illud perſæpe Cicero facit, ut oſtendat eam cauſam quæ agatur, trahi in exemplum. Ideoq; eius iudicium in utramuis partẽ ſic pertinere uel ad iudices, uel ad ciues omnes, uel ad Rempublicã: ut ſi damnetur Deiotarus à corrupto ſeruo accuſatus, liceat cuiuis inimici ſeruum ad domini accuſationem ſolicitare & corrũpere. qua ratione à ſeruis nullus erit tutus. Adducere domum.] Legendum eſſe arbitror, Abducere domo. Ita magis cohæret ſententia: & paulo poſt Caſtori Cicero de hoc ſeruo dicit, Tu ab auo abduxiſti. Corruptela potius quàm corruptio in hac re dicitur. A' tanta auctoritate.] Id eſt, à Cæſare uictore. Approbata.] Nam ſi damnetur à Cæſare Deiotarus, hæc ſerui corruptela à Cæſare approbata fuerit. Quod intus eſt atque noſtrũ.] Id eſt, quod domi fecimus aut diximus, nullis præter ſeruos cõſcijs. Fit in dominatu ſeruitus.] Id eſt, dominis ſerui conſcij dominantur, et ſeruis domini ſeruiunt. Auctore Iuuenale Satyra tertia: Quis nunc diligitur niſi conſcius? & cui feruens Aeſtuat occultis animus, ſemperq; tacendis? Nil tibi ſe debere putat, nil conferet unquã, Participem qui te ſecreti fecit honeſti. Charus erit Verri, qui Verrem tempore quo uult Accuſare poteſt. O' tempora, ò mores.] De hac exclamatione, quæ fit ad augendam rei indignitatẽ, ſcribimus in Commentarijs in primam Ciceronis Inuectiuam in Catilinam. Quem nos pueri Conſul.] Populus Romanus Cn. Domitium, cum propter alias uirtutes, tum ob ſingularem iuſtitiam, qua comprehenſum ſeruum Tribunus plebis ad dominum Scaurũ remiſit, fecit Conſulem, Cenſorem, & Pontificem Maximũ, ut ait Valerius libro 6. ubi rem paulo amplius ſcribit. Cum Tribunũ plebis.] Cum Tribunus plebis legendum eſſe, ex Valerio facile intelligas. Clàm.] Id eſt, noctu. At ſemel.] An ſemel legendũ puto: ut dicat Cic. ſeruũ ſæpius à Caſtore corruptum, ut fictum crimen clarius oſtendat. niſi ſit per ironiam dictum: at dicis, ſemel dũtaxat corruptus eſt? Non ne, etc.] Ad legatos Deiotari. Ad hunc Cn. Domitium.] Non eſt Domitius is, de quo paulo ante dicebat. Seruio Sulpitio.] Is eſt, qui L. Murenam accuſauit ambitus, cuius epiſtolæ ad Ciceronem extant. In fraudem.] Id eſt, in uitium, ut ficto crimine dominum accuſaret. Fraudem pro uitio ſæpe dicit Cicero, ut pro Milone: Boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpe paruo. pro Sex. Roſcio: Sua quemque fraus & ſuus terror maxime uexat, ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaq; afficit, ſuæ malæ cogitationes cõſcientiæq; animi terrent. Et pro M. Cælio: Proh Dij immortales, cur interdum in hominum ſceleribus maximis aut cõniuetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſeruatis? Et pro C. Rabirio. Si C. Rabirius fraudem admiſit capitalem, quod arma contra L. Saturninum tulit. In fraudem impulſum eſſe confeſſus eſt?] Impellere in re mala dicitur ſæpius, ut ait Donatus. Tam immoderata inhumanitas,] Id eſt, ſine modo & infinita. Domeſticaq; tua inhumanitate.] Id eſt, barbara. At quàm acute collecta crimina?] Id eſt, conficta & cõpoſita, ut omnia inter ſe congruant, nihilq; ſit quod pugnet. Nam auctore Quintiliano libro quarto, curandum eſt præcipue (quod fingẽtibus frequenter accidit) ne qua inter ſe pugnẽt. Collecta crimina.] ut paulo ante, At quàm feſtiue crimen contexitur. Bleſamius inquit.] Hic Bleſamius Gallogræcus Deiotaro Familiaris erat. Maledicebat tibi.] Nã quæ Bleſamij nomine de te maledicta confingebat, ea perinde accipiẽda erãt, ac ſi ipſe diceret. Optimi hominis.] Virum ſemper in laude, hominẽ modo in laude, modo in uituperatione à Cicerone ſemper dici attendimus. Priſcianus libro decimo octauo docens latine dici, maledico tibi & maledico te, ut Græci κακῶς ἀγορεύω σοὶ, καὶ σέ, hunc locũ citat, legitq; nomine optimi uiri. Ad regem inquit.] Hic bis ponitur, ut minus præmeditata uideatur oratio, quo Cæſaris ſit minus ſuſpicioſa. Te inuidioſe Tyrãnum exiſtimari.] His tribus maledictis crimen, quod cauſæ propriũ eſt, uteriſimile magis fieri Caſtor putabat. Singula ordine falſa eſſe oſtendit Cicero. Statua inter reges poſita.] Reges Romanos ut arbitror intelligit, inter quorũ ſtatuas ſtatua Cæſari poſita eſt, quo animos hominum uehementer offenſos dicit, quod occupati regni ea ſignificatio eſſet. Regium autem nomen populo Rom. poſt eiectos reges ſemper odioſum fuit, regnãdi cupiditas manifeſtum odium & capitalem inuidiam in Cæſarem conflauit. Eius autem cupiditatis ſuſpicionem diligenter euitauit: ut cum ex alba Romã ueniens ab adulatoribus rex ſalutatus eſſet, perturbata plebe indoluit, ſeq; Cæſarem, non Regem uocari dixit. Lupercalia, Cæſar triumphali habitu aurea in ſella ſedens, cum è roſtris ſpectaret, Marcus Antonius Conſul faciens Lupercalia eius capiti diadema impoſuit: modicus plauſus ſubſecutus eſt. Cæſare id repudiãte. uniuerſus applauſit populus. Idem rurſus cum fieret, Cæſar plebis animum ſentiens, diadema in Capitolium deferri iuſſit. Auctores ſunt Plutarchus in uita Cæſaris, & Appianus libro 2. qui in hanc rẽ multa ſcribunt amplius. Ex urbanis maleuolorum ſermunculis.] Id eſt, rumuſculis: pro fama enim ſermo ſæpe dicitur. à ſermone ſermũculus dicitur, qua forma à tyrone tyrunculus, à latrone latrunculus, à carbone carbunculus, ab homine homunculus, à uirgine uirguncula, à ratione ratiuncula, et ab offenſione offenſiuncula, aliaq;, quæ in libro 3. Priſcianus enumerat. Maleuolorum et improborum hominum rumuſculis hæc de Cæſare circũferebãtur, unde colligit aduerſarius. Multorum enim ciuium capita uiderat?] Iuſſu Cæſaris necatorũ, ſcilicet, Tyrannorum mores deſcribit. à quibus alienum Cæſarẽ ſignificat. Quæ ſemper in ciuili uictoria.] Marij, Syllæ, aliorumq;, qui ciuilibus uictorijs potiti ſunt. Solus inquam es C. Cæſar.] Inquam ſæpe dicitur, pro iterũ dico: ſæpe ut magis ſignificet ꝙ dico, ut hoc loco. Solus inquã.] Id eſt, ut ego dico et affirmo. Cuius in uictoria ceciderit nemo, niſi armatus.] Idem dicit pro Q. Ligario: Quis, inquit, non eã uictoriam probet, in qua occiderit nemo, niſi armatus? Et quẽ nos liberi in ſumma Reipublicæ libertate nati, non modo nõ Tyrannũ etc.] Popularis gubernatio, qualis Romana fuit, magis libera quàm regia erat. Nos igitur, inquit Cicero, in ſumma libertate nati, Cæſarem uidemus clementiſſimũ: cuius ſi ulla tyrannidis ſuſpicio eſſet, facile agnoſceremus: an igitur is Tyrãnus Bleſamio uideretur, qui in regno Deiotari uiuit, ideoq; non tam facile Tyrãnum agnoſcat? Eſt aũt argumentum à maiori ad minus. Ex hoc autem loco & ſimilibus ad Cæſarem habitis, adnotare licet, oratoris eſſe, uerba auditorio accommodare. Nã ad Cæſarem orans, eum clementem uictorem compellat, quem poſtea cæſum Tyrãnum manifeſte pronunciauit. Nam de ſtatua.] Nã, id eſt, deinde. Eſt autem hic particula continuationem ſignificans. Vna præſertim.] Quæ inter reges poſita eſt. Cum tã multas uideat.] Cæſari ſtatuas, quæ partim ante bellũ ciuile, partim poſt ciuilem uictoriam ei poſitæ ſunt. Valde. n. inuidendum eſt eius ſtatuæ, cuius trophæis, etc.] Si trophæis Cæſaris Romæ non inuidetur, minus multo credibile eſt, eius ſtatuæ inuideri. Quod ſi dicas, loco afferri inuidiã, ꝙ inter reges hæc ſtatua poſita ſit, ſtatuæ aliæ eidem in roſtris poſitæ maiorem inuidiam afferrent. Nullus locus ad ſtatuã quidẽ roſtris eſt clarior.] Multas multis in locis Romæ, & extra urbem in foro plurimas legimus poſitas eſſe ſtatuas. Legatis, qui Fidenis cæſi erãt, ſtatua*

*In foro poſitæ ſunt: ut ait Titus Liuius libro quarto. Auctore Plinio lib. triceſimo quarto, ibidem erectæ ſunt ſtatuæ Camillo, P. Iunio, T. Coruncano, Cn. Octauio: qui idem ſcribit, ſtatuas fori ornamentum eſſe.* Quia nihil uulgare te dignum uideri poteſt.] *Eſt enim plauſus leuis quædam res, et popularis, hominis grauitate indigna: quem uentum popularem Cicero appellat, in oratione pro Aulo Cluentio. Idem in libro Tuſculanarum quæſtionum ſecundo, ſcribit pulcherrimam animi magnitudinē fieri pulchriorem, ſi uacet populo, neque plauſum captans ſe tātum ipſa delectet.* Nihil à me arbitror prætermiſſum.] *Cōcluſio eſt, in qua Cæſarem Deiotaro reconciliare contendit: in primiſq; oſtendit Deiotarum Cæſari non ſuccenſere, quo ei facilius Cæſar poſſit reconciliari.* Nihil à me arbitror prætermiſſum, etc.] *Id eſt, arbitror me reſpondiſſe ad omnia, quæ in Deiotarum ab aduerſarijs dicta ſunt. Aduocatus negligentiæ reprehenſionem ſubit, ſi quid ab aduerſario dictum prætermittit, cui ipſe non reſpondeat, ut ait Quintil. lib. 5. Quam aduocato turpē eſſe negat, modo ſit breuis & proſit reo. Id autem eiuſmodi eſt, ſi quid ab aduerſario dictum defendi non poſſit: id enim ſilentio diſſimulandum eſt, dummodo extra cauſam ſit. Nam ſi cauſæ proprium eſſet, hæc obliuionis ſimulatio reo pernicioſa eſſet.* Id autem aliquid.] *Quod reſeruatum eſt.* Quid enim retineat per te, meminit, non quid amiſerit.] *Id eſt, regnum & uitā beneficio tuo ſe retinere meminit, quæ tu ei iure belli adimere poteras.* Non quid amiſerit.] *Magnanimi uiri eſt, acceptorum beneficiorum meminiſſe, iniuriarum, uero obliuiſci. Ideo Cæſarē nihil obliuiſci ſolitum, niſi iniurias, Cicero dicit pro Q. Ligario. Idem Cicero in oratione poſt Reditum in Senatu habita, in eandem ferè de ſe ſcribit ſententiam: Nonnullorum, inquit, in me nefarie commiſſa prætereo. Non eſt mei temporis iniurias meminiſſe, quas ego etiam ſi ulciſci poſſem, tamen obliuiſci mallem. Oblitus eſt igitur Deiotarus ſe mulctatum à te, regnum ſe et uitā beneficio tuo retinere meminit. Quocirca nihil eſt quod tibi ſuccenſeat, ſed potius quod amet, habeatq; gratiā.* Sed cū exiſtimaret multis tibi multa eſſe tribuenda.] *Amphibologia eſt. Vel multis, quorum opera in bello uſus es, multa tribuere debes: uel Multi, qui Pompeium ſecuti ſunt, & cum eo uicti, uictori tibi multa tribuere debent. In hoc aūt poſteriore ſenſu intelligitur.* Quæ minus aſſequi in altera parte potuiſſent, ea ſumeres ab illo non recuſauit.] *Sententia eſt, Si uiciſſet Pōpeius, multa Deiotarus aſſequi potuiſſet, quod autem uictus ſit, multa ſibi à uictore ſumi non recuſat. Nā, ut ex neſcio quo poeta ſcribit Cicero in libro Tuſculanarum quæſtionum ſecundo. qui alteri exitium parat, eum ſcire oportet ſibi paratā peſtem, ut participet parem.* In altera parte.] *Pompeij ſcilicet, ſi uiciſſet.* Ab illo.] *Id eſt, ab ſe. Inuſitata reciprocatio eſt.* Etenim ſi Antiochus Magnus ille rex Aſiæ.] *Multos Antiochos fuiſſe, hunc uero à rerum geſtarum magnitudine Magnū fuiſſe cognominatum, Raphael Volaterranus ſcribit, quod Babyloniam, Aegyptum, Iudæam, aliaſq; nationes imperio patrio adiecerit.* Cum poſteaquam à Scipione deuictus, &c.] *Lucium Scipionem intelligit, qui à deuicta Aſia Aſiaticus, ut paucis ante annis eius frater Publius Scipio deuicta Africa Africanus cognominatus eſt.* Tauro tenus regnare iuſſus eſſet.] *Accepta ea pacis conditione à Lucio Scipione, quam Senatus populuſq; R. cōprobauit, ut eſt apud Titum Liuium lib. 37.* Quod nimis magna procuratione.] *Id eſt, adminiſtrandi regni cura & ſolicitudine.* Poteſt multo facilius ſe Deiotarus conſolari.] *Multis perſuaſum eſt, merita pœna immeritam iniquiore animo ferendam eſſe. In qua ſententia eſt uerſus ille Ouidianus: Quæ uenit indigne pœna, dolenda uenit. Ab hac ſententia uiri ſapientes alieni ſunt. Hi enim pœnam meritam iniquo animo immeritam æquo ferendam cenſent ipſa enim bona conſcientia pœnam facit leniorem, Ideoq; Socrates cum ad ſupplicium duceretur, querenti uxori & lamentanti q iniuſte occideretur: Quid tu, inquit, faceres, ſi iuſte?* Ille enim furoris mulctā ſuſtinuerat, hic erroris.] *Id eſt, Antiochus ita mulctatus eſt, quia cum populo Romano primū Thoantis Aetoliæ principis, deinde Annibalis ad eum profugi impulſu bellum temere ſuſceperat, de quo L. Florus libro Epitomatum ſecūdo, Pompeius Trogus libro triceſimo primo, Titus Liuius libro triceſimo tertio & triceſimo quarto, & triceſimo ſeptimo, ubi ſcribit, uti cum Antiochus conſilium de bello Romano haberet, tum alius alio ferocius ſententiam diceret, quia quo quiſque aſperius aduerſus Romanos locutus eſſet, eo ſpes apud Regem gratiæ maior eſſet.* Mulctam ſuſtinuerat.] *Mulctam ſuſtinere dicit, ut in oratione ad Quirites poſt reditum, ſuſtinere pœnam: Si meas, inquit, rationes unquam ueſtræ ſaluti antepoſuiſſem, ſempiternam pœnam ſuſtinerem.* Multa ſe arbitratur & peperiſſe antea factis, &c.] *Præcipue ueram gloriam, decretis Senatus iudicijs publicis, populi Romani literis monimentiſq; cōſignatam atque firmatam. Tanti gloriā faciebat Deiotarus, ut eam regno ſuiſq; poſſeſſionibus anteponeret. Ideo nihil eum pœnituit quod in ciuili diſcordia Pompeium ſecutus ſit. Nam fidem amicitiāq; populi Romani ſecutus, officio functus eſt, ut ait Cicero in libro de Diuinatione ſecūdo.* Ab omnibus enim eſt ornatus, qui poſtquam in caſtris eſſe potuit per ætatem, etc.] *De hac re Cicero in undecima Philippica: Quid, inquit, dicam de patre Deiotaro, cuius beneuolentia in populo Romano eſt ipſius æqualis ætati? qui non ſolum ſocius Imperatorum noſtrorum fuit in bellis, ſed etiam dux copiarum ſuarum. Quæ de illo uiro Sylla? quæ Murena? quæ Seruilius? quæ Lucullus? quàm honorate? quàm honorifice? quàm grauiter ſæpe in Senatu prædicauerunt? Quid de Cn. Pompeio loquar? qui unum Deiotaro in toto orbe terrarum ex animo amicum, uereq; beneuolum, unum fidelem populo Romano iudicauit.* Senatus uero iudicia de illo tā multa, tamq; honorifica, etc.] *Deiotarus ſæpe à ſenatu regali nomine dignus exiſtimatus eſt, clariſſimorumq; Imperatorum teſtimonijs ornatus eſt, ut ait Cicero de Aruſpicum Reſponſis.* Quæ omnes docti atque ſapientes ſumma, quidam etiam ſola bona eſſe dixerunt.] *Stoici ſolum bonum uirtutem eſſe dixerunt, Academici uero & Peripatetici fortunæ et corporis bona quidem eſſe, ſed uirtutem ſummum bonū dixerunt. Extra hos Epicurei fuerūt, ſed eos fuiſſe ſapientes negat Cicero.* Hiſq;.] *Bonis, quæ ſola ſunt. Illa Ciceronis diſputatio eſt libro Tuſcula. quæſtionum quinto, uirtutem ad beate uiuendum ſatis poſſe. Id adeo uerum eſt, ut Epicurus, qui ſummum bonum in uoluptate poſuit, neget quenquam beate poſſe uiuere, niſi idem honeſte, ſapienter, iuſteq; uiuat.* Non modo ad bene, ſed etiam ad beate uiuendum.] *Bene uiuere, eſt uiuere honeſte & cū uirtute. Beate uero, iucunde et feliciter.* Hæc ille reputans.] *Id eſt, dies & noctes cogitans. eſt enim reputare, repetere & reuoluere animo: non æſtimare, ut uulgus abutitur.* Quo quidem animo cum antea fuerit.] *Magno, graui, conſtanti.* Quarum exemplum legi.] *Exemplum literarū à doctis ſæpius dicitur, quàm exemplar, quamuis hoc quoque uſitatum ſit, ut ſcribimus in Commentarijs in Epiſtolas Politiani.* Quas ad eum Tarracone huic Bleſamio dediſti.] *In Hiſpania, cuius inſignis urbs Tarraco eſt, cum Cnæi Pompeij liberis bellum gerens.* Se magis etiam erexerit.] *Id eſt, erectiore & maiore animo fuerit.* Iubes enim.] *Tuis literis. Memini ſcribere, & poetis & oratoribus uſitatius eſt, quàm memini ſcripſiſſe: quamuis inimici odium Vallam ut ſcriberet aliter impulerit.* Memini enim iiſdem ferè uerbis ad me te ſcribere.] *Cæſar ex Aegypto ad Ciceronem miſit literas, in quibus ſcriptum erat, ut Cic. idem eſſet, qui fuiſſet: ut eſt in oratione pro Q. Ligario.* Quo cū mihi amicitiam Reſpublica conciliauit.] *Id eſt, quē habeo amicū, quia eū noſtra ciuitas amat.* Hoſpitiū uoluntas utriuſque coniunxit.]

coniunxit.] Coniungendi hoſpitij mos ille fuit,ut cũ quis peregre proficiſceretur, è ſeruis aliquot præmitteret ad urbem eam ubi diuerſurus eſſet,qui inquirerent,an domini hoſpes, amicus paternus ibi quiſquam eſſet. Si nullus erat,quærebant diuerſorium: ſi nullum erat,magiſtratum adeuntes hoſpitalitatem poſtulabant,ſibi uero quamque à magiſtratibus traditam cupiebant. Nonnunquam tamen uſu ueniebat,ut utriuſque hoſpitũ uoluntate hoſpitalitas iungeretur, cum uterque alterius uirtute illectus hanc hoſpitalitatem poſtulat. Illud etiam contingit, aliquem in una ciuitate multos habere hoſpites: ut Cnæus Pompeius. C.Cæſar, M.Cicero Deiotari hoſpites fuerunt. Has autem hoſpitalitates in Gallogræcia potius quàm Romæ initas fuiſſe arbitror,cum Pompeio aduerſus Mithridatem,Cum Cæſare aduerſus Pharnacẽ,cum Cicerone in Ciliciam proficiſcente. Voluntas utrinſque.] Magis officioſa eſt hoſpitalitas,quæ,utrinſq; hoſpitum uoluntate, quàm quæ iuſſu magiſtratus iuncta eſt. hæc enim cum amicitia coniunctiſſima eſt. Magna enim officia eius in me,& in exercitum meum,etc.] Id eſt,beneficia quæ in me meumq; exercitum contulit, cum ego Proconſul irẽ in Ciliciam,aut illic cũ exercitu eſſem. Cicero in Philippica undecima,de Deiotaro ſcribens: Fuimus,inquit,nuper ego & M. Bibulus in propinquis finitimisq; prouincijs,ab eodem Rege adiuti ſumus & equitatu & pedeſtribus copijs. Cum Parthi cum omnibus ferè copijs ſuis Euphratem tranſiſſent,Deiotarus ad Ciceronem legatos miſit, ſe cum omnibus ſuis copijs in eius caſtra uenturum eſſe: ut ait idem Cicero lib. Epiſtolarum famil. 15. Tum de multis ampliſſimis uiris,quibus ſemel ignotum à te eſſe oportet.] Id eſt,quibus cum ſemel ignoueris, non oportet in diſcrimen uocari,ut aliquo defendente uel poſtulante,tu ijs iterum ignoſcas. Non debeo C.Cæſar, quod fieri ſolet in tantis periculis,tentare.] In cauſa capitali iudicum irã accuſator,eorum miſericordiam patronus commouet. Propone tibi duos reges.] Id eſt,duos Deiotaros,patrem & filium. Dabis profecto miſericordiæ,quod iracundiæ negauiſti.]: Hæc contrarij exornatio uim habet maiorem. Ea autem ſententia eſt: Tu iratus Deiotarum regno non priuaſti,nec tu eum miſericors priuabis. Quæ ſi in priuatis glorioſa ſunt.] Id eſt,in hominibus magiſtratum nullum gerentibus. Semper regium nomen in hac ciuitate ſanctum fuit,ſociorum uero, etc.] Alibi quoque quàm Romæ regium nomen ſanctum fuiſſe, eorumq; afflictæ fortunæ ab alijs ſuccurri ſolitum,Cicero ſcribit in ſuaſione legis Maniliæ: Hoc, inquit, iam ferè ſic fieri ſolere accipimus,ut regum afflictæ fortunæ facile multorum opes alliciant ad miſericordiam,maximeq; eorum qui aut Reges ſunt,aut uiuunt in regno,ut regale ijs nomen regum et ſanctum eſſe uideatur. Regium nomen poſt eiectos Tarquinios Romæ odioſum fuit, cum ſcilicet ciuium aliquis rex fieri Romæ affectabat. Aliorum uero regum,qui populi Romani nec ſocij nec amici erant,nomen Romæ ſanctum fuit: ſociorum uero & amicorum,ſanctiſſimum. Quod nomen hi reges ne amitterent.] Duo Deiotari. Retentum uero,& à te confirmatum poſteris etiam ſuis traditurос eſſe confido.] Aliter ac Cicero confidebat,euenit. Nam Deiotaro patri in Gallogræcia ſucceſſit Amyntas. Eam poſtea Romani in prouinciam redegerunt, ut ait Strabo libro. 12. Corpora uero ſua,pro ſalute regum ſuorum hi Legati tibi regij tradunt.] Hi Legati ſunt,quibuſcum uenit Phidippus. Hi autem cum alia de cauſa Romam à Deiotaro miſſi eſſent,accuſationis indignitate, commoti, ſe obſides Cæſari pro Deiotaro offerunt.

Vt ſpero.] Id eſt, ut arbitror. In qua ſignificatione dictum adiungi cum tribus uerborum temporibus,ſcribimus in Cõmentarijs in Ciceronem de Senectute. Exquire de Bleſamio.] Id eſt,diligenter & acute inquire: uel quæſtionibus,id eſt,tormentis extorque. Nunquid ad Regem contra dignitatem tuam ſcripſerit.] Te Tyrannum inuidioſe exiſtimari, &c. quæ ante Cicero ficta oſtendit. Et criminibus illis, &c.] id eſt, ſe offert reum pro Deiotaro. Particula Sub in compoſitione aliquando ſignificat pro alio, uel pro alijs. ut ſupplere, pro alijs replere. Vt cum paterfamilias ex pecudibus alias uendidit,alias amiſit,eiq; tam multi naſcuntur agni,quàm multas uendidit uel amiſit, cum fœtura gregem ſupplet. Virgilius in Bucolicis: Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto. Supplementum militum Liuius ſæpe dicit eos,qui mittuntur eorum loco qui aut occiſi aut dimiſſi ſunt. Subſortiri iudices, eſt in locũ eorum qui reiecti ſunt alios ſortiri. Suppoſitam perſonam Cicero pro A.Cluentio appellat,quæ pro alia poſita ſit: Qui,inquit, ſuppoſita perſona falſum teſtamentum obſignandum curarit. De Aulio id dicit,qui ſe Aſinium eſſe ſimulans, Aſinij nomine teſtamentum fecit. Qua uales plurimum.] De ea apud Plinium eſt libro ſeptimo. Negat unquam ſe à te in Deiotari Tetrarchia pedem diſceſſiſſe.] Id eſt,per ſpatium unius pedis. Nomina hæc menſuram ſignificantia,in accuſatiuo multo uſitatius quàm in ablatiuo ponenda eſſe,præcipimus in Progymnaſmatis. In primis finibus tibi ſe præſto fuiſſe dicit.] Id eſt,in primis Tetrarchiæ limitibus. Cũ è balneo exiſſet,etc.] Id eſt,in his locis,in quibus Phidippus factas tibi inſidias dixit. Eandemq; aſſiduitatem tibi ſe præbuiſſe.] Vt tecum ſemper eſſet. Poſtridie.] In caſtello Luceio,& in cubiculo tum uomere uoluiſſes. Cogitatum ſit.] A' Deiotaro. Non recuſat.] Hierat. Quin id facinus ſuum iudices.] Id eſt, de eo id ſupplicium ſumas,quod ſumeres ſi id ipſe molitus fuiſſet. Aut cum ſummo dedecore.] Summum enim fuerit dedecus hoſpiti feciſſe inſidias. Miſerrimam peſtem importaturam eſſe.] Nam ſi feciſſe tibi inſidias iudicatus ſit,omnes reges, omnes liberos populos,omnes ſocios,omnes prouincias,omnia denique omnium arma contra ſe unum excitauerit. Importaturam.]: Importare, pro afferre dicimus in re mala: ut importare incommodum,detrimentum,calamitatem. Cicero in libro de Officijs ſecundo: Per eoſdemq; ſi quid importetur nobis incõmodi, propulſemus. Idem in libro de Oratore primo: Plura proferre poſſum detrimenta publicis rebus, quàm adiumenta per homines eloquentiſſimos importata. Idem in Verrem Actione quinta: Plus Verres cum Apronio prouinciæ Siciliæ calamitatis importauit, Idem in oratione pro P.Seſtio: Multo inquam iudices præſtat,in eandem illam recidere fortunam, quàm tantam importare meis defenſoribus & conſeruatoribus calamitatem. Regibus.] Deiotaris. Significantius tamen abſolute dicit Regibus,quàm ſi nominatim dicat Deiotaris. innuit enim,quam ſententiam de illis tulerit, eandem eſſe omnibus expectandam. Illorum crudelitatis.] Accuſatorum. Conſeruare alterũ.] Id eſt,famam cum ſalute. Clementiæ tuæ.] Bene id,in quo ſpem uictoriæ repoſuit: id eſt,clementiam Cæſaris (fuit enim Cæſar uſque ad pœnitudinem clemens) in concluſione orationis ponit. Oratoris enim eſt, grauiſſima quæque,& quæ maximi ſunt momenti, aut in exordio ponere, ut attentum faciat auditorem: aut in fine,ut memorem.

# IN EANDEM PRO REGE DEIOTARO ORATIONEM, IACOBI BVGELLII SCHOLION.

q VAESTIO *principalis eſt, an Cæſari Deiotarus inſidiatus ſit, quæ locis coniecturæ diſputatur. Quæſtiones minus principales ſunt, an Deiotarus, dum Cæſar afflictus erat, ſaltarit: Item, an Cæſarem uocarit Tyrannum. Quæ dum Cicero negat, plurimum immoratur in oſtendenda uoluntate erga Cæſarem Deiotari. In primis autem ut eò benignius audiatur, beneuolentiam captat à ſua perſona, cum ait ſe ualde perturbari hac cauſa agenda. Argumentationem integram ſi uelis, ita ſe habet. Humanitate quadam eos tractamus, quos uidemus affligi: Ciceroni Deiotarum defendenti maximum onus incumbit, adeoq; periculoſum: Ergo benigne debet audiri, quod in exordio proponitur. Maiorem ipſa rei natura probat, eáq; ratione Cicero non ponit, ſed minorem uarie confirmat. Ab reo, quia non eſt priuatus homo Deiotarus, ſed rex in iudicium uenit, id quod hactenus eſt inauditum. Itaque magna difficultas oritur à rei connexo deinde talis rex accuſatur, in quem utpote benemeritum de nobis, multa beneficia Romani contulerunt. A` re, quia non ſolum illius fortunæ, ſed & caput in ſummum diſcrimen uocatur. Ab aduerſarij quoque beneuolentia conciliatur. nam ex his Caſtor Deiotarum accuſat, auum inquam & ſenem, & amicum populi Romani, quod eſt crudeliſſimum factum. A` iudicis perſona: Cæſar enim iudex eſt in propria cauſa, quod grauiſſimum eſt oratori. A` loco. nam intra priuatos parietes hæc cauſa dicebatur, non in foro: unde minori cum alacritate Cicero loquebatur. Itaque laborantem oratorem adiuuare decet, audireq; benigne.     Sed antequam de accuſatione.] Perſtringuntur aduerſarij, qui neque uſu neque ingenio ualeant, & ſola cupiditate adducti Deiotarum accuſent. Ita fides aduerſario derogatur.     Tu illius domum.] Defenditur Deiotarus ab ijs quæ Cæſar illi promiſit ac præſtitit. Hæc ut plus uirium habeant, laudes Cæſaris inſperguntur. Deinde defenditur ab ijs quæ Deiotarus beneficia collocauit in Cæſarem Pompeio deuicto.     Is igitur non modo à te periculo.] Propoſitio principalis. Ea tametſi & hactenus tractata ſit, magis tamen occulte, nunc apertius confirmatur, hoc modo: Deiotarus non inſidias fecit Cæſari, quia bene affectus eſt ab eo. Homines grati beneficia rependunt: Deiotarus eſt gratus: ergo non inſidias ei ſtruxit, à quo conſecutus eſt ampliſſimos honores. Item quia Cæſar illius hoſpes erat, quia Cæſar omnibus uirtutibus inſignis eſt, quia potentiſſimus imperator, quia Deiotarus minime crudelis eſt, ſed religioſus: quia non licuiſſet impune Cæſarem occidere: quia dimiſſus exercitus erat ante id tempus, quo aduerſarius ait inſidias factas: quia Deiotarus eſt animo beneuolo in Cæſarem, & talem animum multis officijs declarauit, & quidem eo tempore, quo Cæſar periclitabatur. Atque hæc argumenta referuntur ad uoluntatem & facultatem Deiotari, ſicut fit in ſtatu coniecturali.     Quid deinde furcifer?] Confutatio reliquorum criminum. Deiotarus nec uino ſe obruit, nec nudus ſaltauit: probatur ex efficiente, non erat efficiens, ergo nec effectus. Nam cum in Deiotaro ſint regiæ uirtutes, haud dubie in tanta uitia minime lapſus eſt. Antecedens probatur ex ante acta uita. Et ut Caſtori fides detrahatur, acerrime uituperatur, utpote qui ſeruum corruperit, & iura uiolarit.     At quàm acute collecta.] Obijcitur etiã Deiotaro, quòd Cæſarem appellarit Tyrannum, Reſpondet Cicero per inficiationem, & falſum eſſe rumorem probat ex uirtutibus Cæſaris, & præcipue clementia ipſius, quæ procul abeſt ab omni crudelitate. Item probat à uoluntate Deiotari, qui de Cæſare nihil mali ſuſpicatur, & quia ſe totum honeſtati tradidit, & quia ſenſit Cæſaris liberalitatem. Nam quod imperij parte priuatus eſt, ſimul & magna procuratione liberatus eſt. Idq; Antiochi exemplo confirmat.     Non debeo C. Cæſar.] In epilogo non aperte miſericordiam mouet, ſed tamen laudibus extollit Cæſaris geſta, quo placatiorem reddat. Sic enim affecti ſunt homines, ut ſe benignos & humanos exhibeant illis, à quibus magni fieri putant. Quemadmodum uice uerſa bilis mouetur, ubi nos contemni arbitramur.     Occurrere ipſa ſolet.] Tua ſponte, inquit Cicero, miſericordiam exhibes calamitoſis: Ergo ſuperuacuum eſſet, eam orationẽ, ſicut aliàs in Epilogo fieri ſolet, euocare. Sunt enim tria potiſſima in omni oratione diligenter obſeruanda. Primum eſt, ut quas rei propoſitæ natura patitur, apodixibus eam ſtabilias atque confirmes. Secundo, quia dicentis auctoritas fidem orationis conciliat minime uulgarem, efficere debet orator, ut aliqua uirtute præſtare uideatur: prudens, amicus, bonus & honeſtus ciuis & reuera ſit, & ab omnibus habeatur, ijs præſertim apud quos aliquem inſtituit ſermonem. Poſtremo per omnem orationem pathetica ſunt inſerenda, ſed maxime circa finem orationis. Atque ea quidem non ut res ipſa melius doceatur & explicetur: quinimo potius obruitur affectu, & magis obſcuratur: ſed quia deterior animi pars, quam in officijs ὁρμὴν Cicero uocat, ut in plurimum ſuperat nobiliorem & excellentiorem animi partem, notitiam dico, mentem, & intellectum & in homine toto neſcio quam tyrannidem exercet: qui ſanè fons eſt omnium uitiorum in uniuerſo mundo. Quapropter & in huius oratiotionis calce miſericordiam Cicero captat: & quidem eo magis, quo occultius & diſſimulantius. Nam ut in principio & inſinuatione, ſicut auctor ad Herennium uocat, idem efficimus, diuerſo tamen modo, latenter hic, illic aperte: ita nũc haud minus in animum irrepit, offenſumq; Cæſarem placat, dum illius uirtutes enarrat, clementiam in omnes commendat, Deiotari patris & filij calamitatem inſignem ob oculos ponit, gloriam ſempiternam abſque dubio ſecuturam prædicit: haud minus inquam animum illius occupat ac mutat, quàm ſi palàm profiteretur, Cæſarem ad affectum rapiendum eſſe. Igitur hoc uere rhetoricum, artificioſum ac naturale Ciceronis inſtitutum eſt. Sic enim habet natura, ut facilius expugnetur cuniculis, dolo, & fraude, quàm apertis uiribus & uiolento Marte. Hanc igitur ars imitatur, dum maxime diſſimulat, quod maxime conatur. Reliqua in hanc orationem legantur apud Sylulum, Latomum, & Bucoldianum, quorum omnium in hanc orationem enarrationes extant.*

# BARTHOLOMAEI LATOMI SCHOLIA.

## ARGVMENTVM.

DEIOTARVS Rex Gallogræciæ bello ciuili Pompeij partes ſecutus fuerat. Sed uicto Pompeio cum diſceſſiſſet ab armis, iuuit pecunia & equitatu Cæſarem, bellum gerentem Alexandriæ: & Pontico etiã bello contra Pharnacem Mithridatis filium, ei in exercitu ipſe adfuit. Quamobrem confecto bello Cæſar, cum ei regni partem adimiſſet, quia Pompeium ſecutus fuerat, tamen regem eum appellauit: & cum in partes illas ueniſſet, uſus eſt hoſpitio eius, & donis etiam hoſpitalibus ab eodem regio more donatus eſt. Cæterum nepos erat Deiotaro ex filia, Caſtor nomine, qui ſiue fraude aliqua abductus, ſiue motus uero crimine, auum detulit inſidiarum apud Cæſarem, quod is eum cum domi eius uerſaretur, occidere uoluiſſet. Addebat etiam, quod ſemper alieno animo fuiſſet a Cæſare: & quod tempus oppugnandi eius captaſſet, exercitu in id contra eum comparato. Quibus criminibus delatis per ſeruum Diotari, qui cum legatis Romam miſſus fuerat, cum illi Cæſar uehementer offenſus eſſet, delata eſt defenſio ad Ciceronem: qui præſentibus legatis regijs, cum & ipſe Caſtor adeſſet, hanc orationem priuatim apud Cæſarem habuit, Oratio eſt in iudiciali genere. Status coniecturalis, an inſidias Cæſari fecerit Deiotarus, & quo animo erga illum fuerit, & habuerit ne exercitum contra eum. In exordio oſtendit, ſe uehementius commoueri in hac defenſione, & cauſas enumerat. Deinde docet accuſatores ſpem criminis habere in priori offenſione Cæſaris, quia Deiotarus Pompeij partes ſecutus fuiſſet. Itaque deprecatur hanc incommoditatem in hac cauſa, & purgat factum Deiotari, & beneficia eius commemorat in Cæſarem, quæ poſtea delata ſint. Poſt hæc uenit ad inſidiarum crimen, quod proprium eſt cauſæ: idq; uarie diluit, & argumenta aduerſariorum ſoluit. Idem facit de uoluntate Deiotari erga Cæſarem, & exercitu comparato. Eodemq; addit, futuram eius uoluntatem, quod multis magniſq; beneficijs Cæſaris ac populi R. tum ſua ipſius animi uirtute & æquitate ei in perpetuum conciliatus ſit. Poſtremo breuiter poſtulat miſericordiam pro eodem: & legatos, qui eius nomine ſupplices aderant, commendat.

CVM in omnibus cauſis grauioribus C. Cæſar initio dicendi commoueri ſoleam uehementius, &c.] Orditur à perturbatione ſua, cuius cauſas enumerat, ad fauorẽ conciliandum. Primum dico pro capite fortuniſq; regis, etc.] À perſona regis. Crudelis Caſtor eſt, ne dicam ſceleratum.] À perſona accuſatorum. Perturbat me C. Cæſar etiam illud interdum.] À perſona Cæſaris. Mouet etiam loci ipſius inſolentia.] À loco. Sed antequam de accuſatione ipſa dico, de accuſatorum ſpe pauca dicam.] Remouet offenſionem Pompeianarum partium, priuſquam ad cauſam accedat. Is rex, quem Senatus hoc nomine ſæpe honorificentiſſimis decretis appellauiſſet.] Purgat errorem, & imprudentiam Deiotari. In ſummo tamen timore quieſcendum ſibi eſſe arbitrabatur.] À communi metu, & perturbatione orientis belli ciuilis. Tamen uſque eò ſe tenuit, quoad à Cnæo Pompeio, &c.] À Pompeij auctoritate. Itaque Pharſalico prælio facto.] À meritis erga Cæſarem poſt Pharſalicam pugnam. Igitur nõ modo à te periculo liberatus, ſed etiam honore ampliſſimo ornatus, &c.] Venit ad crimen inſidiarum, & uoluntatem eius remouet à Deiotaro pluribus argumentis, quæ primo congregat, deinde quædam etiam particulatim perſequitur. Quis conſideratior illo? quis tectior?] À perſona Deiotari. At quàm non modo, non credibiliter, ſed ne ſuſpicioſe quidem, &c.] Infirmat criminationem aduerſarij, quam ut fictã uerbis ipſius ponit. Fictam autem oſtendit, quod id quod arguatur, tutius alio modo fieri potuerit. Itaque cum reus ſpem celandi & impunitatis ſecutus non ſit, non eſſe credibile, inſidias ab eo eſſe factas. At quam feſtiue crimen contexitur? Tu a te, inquit, eadem, &c.] Alia reprehenſio calumniæ ex euentu rei. nam ſi inſidiæ paratæ erant, quomodo euaſit Cæſar: Euaſit autem: Falſum igitur crimen. quod eſt argumentum ex euentis. Nam his ceſſantibus, & cauſæ defuiſſe intelliguntur. Quo in loco Deiotarum talem erga te cognouiſti, qualis rex Attalus in P. Africanum fuit, etc.] Inſerit locum beneuolentiæ, quem exemplo amplificat, & ex eodem profert ſigna innocentiæ. Quid igitur cauſæ excogitari, &c.] Perſequitur reliquum ordinem criminationis, quem ſicut ante reprehendit: negans euadere potuiſſe Cæſarem, ſi fuiſſent inſidiæ collocatæ.

Ille ſigna ænea in inſidijs poſuerat.] Id eſt, homines armatos ſine ſenſu. Horum, inquit, eram conſcius. quid tum?] Et hoc refellit, & facit incredibile ex perſona Deiotari. Reliqua pars accuſationis duplex fuit, &c.] Reſpondet ad alterã partem accuſationis, de animo Deiotari erga Cæſarem, & de exercitu, quem negat comparatum fuiſſe contra Cæſarem. At miſit ad Cælium.] Refellit obiectionem. Cælium autem intelligit Pompeianum quendam inimicum Cæſaris: quem contẽnit, ut rem parum ueriſimilem faciat. Alieno autem.] Negat animo alieno fuiſſe à Cæſare, idq; probat ex meritis Deiotari. Pereant amici.] Vide Chiliad. [illegible] Quid deinde.] Refellit aliam calumniam à moribus Deiotari, quos modeſtos & frugales commemorat. Imitari potius Caſtor.] Inuehitur in Caſtorem, quòd hanc contumeliam obijciat auo. Itaq; Deiotarum cum plures.] Facit inuidiam, & in eadem cauſa, qua arguitur Deiotarus, Caſtorẽ quoque offenſioni Cæſaris obijcit. Sint ſanè inimicitiæ.] Inſectatur ingratitudinis uitiũ & amplificat accuſationis indignitatem à propinquitate. Nã iſta corruptela.] À cõmuni periculo, quod res exemplo malo futura ſit. Cn. Domitius.] à diſſimili Domitij exemplo. Vide quid interſit] Auget exempli uim contentione. At ſemel iſte eſt corruptus.] Auget inuidiam corrupti ſerui, à corruptoris pertinacia. Quæ eſt iſta tam impudens.] Aſpera obiurgatio. At quàm acute.] Inuertit inuidiam criminationis in delatorem: & ut augeat offenſionem, clementiam Cæſaris commemorat. Is Bleſamio.] Facit incredibilem criminationem in Bleſamio. Nonnunquam obſtupefactis.] Vide miram interpretationem eius, quod diſſolui uix poteſt. Nihil a me arbitror prætermiſſum.] Extrema pars defenſionis, qua ne quid metuat Cæſar, confirmat, ab eo Deiotarum propter hanc criminationem minime alienatum eſſe: ſed cum beneficiorum magnitudine, tum ipſius propria uirtute ac moderatione perpetuo eſſe deuinctum. Laboro equidem. Profert officium ſuum in hac defenſione, & ſic eam abſoluit. Non debeo C. Cæſar.] Peroratio, in qua breuiter poſtulat miſericordiam pro rege, & legationem eius commendat. Hi reges.] Pater & filius. Exquire de Bleſamio. Reſpicit ad cauſam, & obiter teſtimonium conficit. Quo circa C. Cæſar.] Concludit a clementia Cæſaris, quam tribuendam eſſe regibus monet.

# IN EANDEM PRO REGE DEIOTARO ORATIONEM

## GERARDI BVCOLDIANI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

EX Deiotarus Galatiæ tetrarcha, exorto bello ciuili inter Cæſarem & Pompeium, ſenex iam Pompeianas partes ſecutus: quo uicto incampis Pharſalicis, in regnum ſe recepit ſuum: poſtiâq; ſtatim armis, Cæſarem, bellum in r Aegypto cum Alexandrinis alijsq; uicinis gentibus gerentem, pecunia militibusq; reconciliandi eius cauſa adiuuit. Hinc Cæſar deuictis hoſtibus, rebusq; compoſitis, cum uictor Romam per Galatiam rediret, occurrenti Deiotaro ſupplicum habitu, crimenq; erroris deprecanti, adempta regni parte ignoſcit. Cæſare ita recõciliato, non multo poſt à ſuo ex ſorore nepote Caſtore, ſuoq; ſeruo ab eo corrupto Phidippo medico, in multo maius diſcrimẽ conijcitur. Romæ apud Cæſarem criminantur Deiotarum, poſtquam ad illum in Luceum regiam eius diuertiſſet, de ipſius uita cogitaſſe. collocaſſe ibi in inſidijs milites, qui Cæſarem eò ex compoſito ad inſpicienda regia dona deductum inuaderent. Aliaq; leuiora ficta in eum crimina: quæ ordine hic confutantur. Quare Cicero grandem iam natu regem, ut eum qui nihil tale in animum unquam induxiſſet, defendendum hic ſuſcepit.

### DE GENERE ET STATV ORATIONIS.

c CVM igitur in defendendo capitis reo occupatus ſit Cicero, genus orationis iudiciale eſſe certum eſt: ſtatum autem, quia factum negatur, coniecturalem. Siquidem accuſatore inſidias factas eſſe criminante, reo contra negante, coniectura naſcitur, an factæ ſint inſidiæ.

### DE ORATIONIS PARTIBVS, ET DISPOSITIONE.

CVM in omnibus cauſis grauioribus, &c.] Exordium, quo ſternitur ad cauſam uia, emerendi fauoris cauſa adhibetur. Trium nanque rerum cauſa potiſſimum ducitur: ut beneuole, attente, intelligenterq; audiamur. Quibus aũt ex locis id præſtatur, cum in hoc dialogo, tum apud Fabium ſatis uides. Beneuolentia porrò ex noſtris perſonis, reorum, aduerſariorum, iudicum, cauſaq; cum & aliunde poteſt, captatur. Defenſurus igitur Deiotarum Cicero, exordium duxit ab animi ſui perturbatione: nempe, cum in omnibus grauioribus cauſis uehemẽter commoueri ſoleat, tum in hac potiſſimum multis ſe perturbari. Hanc animi ſui perturbationem, atque adeo exordij propoſitionem, dum aliter atque aliter confirmat, uarie beneuolentiam captat. Primum à perſona regis rei confirmat. deinde à meritis rei in rempublicam. Tum à perſonis accuſatorum: atque hic dum alterius crudelitatem, alterius indignitatem inſectatur, ambos in odium trahit. Tum à perſona Cæſaris: cum id quod in alijs iniquiſſimum eſſet, in ipſo æquiſſimum oſtendit. Poſtremo, à loci inſolentia, quòd tantam cauſam, quanta nulla unquam in diſceptationem uerſata ſit, intra priuatos parietes dicat.

### DE NARRATIONE.

Sed antequam de accuſatione ipſa dico, &c.] Exordium naturaliter narratio ſequitur. Verum cum reus hic factum neget, nulla hic, ut ferè fit, narratio eſt. Mira tamen arte Cicero ante propoſitionem de accuſatorum ſpe, qua inducti ad accuſandum deſcenderit, dicit: nempe eo conſilio, ut data occaſione precetur Cæſarem, ne, quia ſemel ignouiſſet Deiotaro, netus in animo odium reſidere ſignificet: transferatq; culpam in communem errorem. quo ductum regem armatum ad Pompeium ueniſſe: quem non Senatus modo ſemper, ſed & Cæſar ipſe feciſſet plurimi. Victo autem pompeio, domum rediſſe, Cæſarisq; ſubinde partes omnibus quibus potuiſſet modis iuuiſſe. Incidit interim hic narratiuncula non cauſæ, cum, auctore Fabio, duæ ſint narrationum ſpecies, ſed rerum ad cauſam pertinẽtium: nempe quo pacto communi errore ductus, ad Pompeium armatus ueniſſet, illoq; uicto in ſuum rediſſet regnum, Cæſaremq; deinde bello iuuiſſet. Adhibita autem excuſandi Deiotari gratia: cui quia ignouiſſet, quod communi errore lapſum arma cepiſſe ſciret, iniquum foret ullam iracundiæ partem reſediſſe in animo ſignificare.

### DE PROPOSITIONE.

Is igitur non modo à te periculo liberatus, &c.] Hic uide, cur ſuperiora illa de accuſatorum ſpe, de regis errore, beneficijsq; in Cæſarem, illiusq; uiciſſim in regem inſeruerit: nempe excuſandi Deiotari, ſuamq; hanc propoſitionem facilius confirmandi cauſa: uidelicet, ne ſuſpicari quidem Cæſarem poſſe, Deiotarum, quem periculo liberaſſet, honoreq; ampliſſimo ornaſſet, inſidias ſibi ſtruxiſſe.

### DE CONFIRMATIONE.

Vt enim omittam cuius tanti ſceleris fuerit, &c.] Confirmat hic propoſitionem, nullas à rege inſidias eſſe factas: idq; potiſſimum argumentis ἀτέχνοις. Poſita nãque tota hæc cõfirmatio eſt in ſignis. Criminari etiã Deiotarum, ex quo à Cæſare alienatus fuiſſet, ſemper in ſpeculis fuiſſe, exercitũq; aluiſſe, aliaq; id genus leuiora, quæ omnia item cõfutat. His refutatis, ἀντικατηγορίᾳ in Caſtorẽ inuehitur, in eiſdem quidem cũ caſtris, quibus Deiotarus, ardentiſſimum eius belli ſtudia fuiſſe. Crudelitatem item ipſius, crimen in bene de ſe meritũ auum fingendi, ſeruumq; in dominũ corrũpendi pluribus inſectatur. Poſtremo Bleſamium grauius de Cæſare ad Deiotarum ſcripſiſſe confutat.

### DE EPILOGO.

Nihil à me arbitror prætermiſſum, etc.] Epilogo capita argumẽtorum repeti ſolent, affectusq; moueri. Verum quod huc ea non numeret, inde eſt, quod turpius omnia ficta, clariusq; refutata ſint, quàm ut opus ſit repeti: uereaturq; ne Cæſar, quia regni parte eum mulctaſſet, Deiotarum potius ſibi ſuccenſere arbitretur. Quod autem affectus ferè non moueat, in cauſa eſſe uel ipſe dicit, quod ea Cæſaris ſit miſericordia, quæ nullius oratione euocari, ſed ultro calamitoſis occurrere ſoleat. Primum igitur ſuſpicionem Cæſaris de alieniore Deiotari in ſe animo tollit, quod regni eum parte mulctaſſet. Deinde Cæſarem à ſuis ad regem literis, ueniaq; data admonet, ne quod ſemel ignouiſſet, rurſum in dubium reuocet. Poſtremo, à legatorum teſtimonio, tradentium ſe in eius poteſtatem, pro ſalute regum ſuorum, Cæſarem reconciliat.

CVM

CVM in omnibus cauſis grauioribus.] Propoſitio exordij, quā pluribus cōfirmando, uarie beneuolētiā captat. Primum dico pro cap. fort. q; regis.] A' perſona regis rei confirmat. Deinde eum regem.] A' rei in remp. meritis. Accedit ut accuſatorum.] A' perſona accuſatorum. Nam cum more.] A' maiori. Perturbat me C. Cæſar.] A' perſona Cæſaris. Nemo enim ferè eſt.] Γνώμη. Moueor etiam loci.] A' loci inſolentia. Hanc enim C. Cæſar.] Aetiologia. Sic cum & deorum.] Affectus. Quæ quoniam.] Clauſula exordij. Sed antequam de accu.] Ab accuſatorum ſpe dicit: quo id autem conſilio, diximus. Tu illius domum.] Incrementum. Quanquam cui ſint inaudita.] Ab ipſius dicto. Itaque cum maximis.] Ab ipſius facto. Is rex cum ſenatus, &c.] Narratio non huius cauſæ propria, ſed rerum ad cauſam pertinentium: quo pacto errore ductus, ad Pompeium uenerit, &c. Ignoſce, ignoſce Cæſar.] Ab auctoritate factum excuſat. Quantum nomen eius fuerit, &c.] Anaphora. Quo cum erat non hoſp. ſolum.] Ab officio. Ille exercitum.] A' meritis in Cæſarem. Arguitur domi tuæ.] Propoſitio.

Vt enim omittam.] Confirmatio ab impietate. Vt hæc omittam.] A' conſequentibus. At credo.] Anthypophora. Nota tibi eſt, &c.] A' Cæſaris conſcientia, de morum regis integritate. Cum inquit in caſtellum.] Mimeſis. En crimen.] Ab accuſatorum ſtoliditate in fingendo crimine.

Quid ait medicus.]. A' faciliori. Si palàm te interemiſſet.] A' conſequentibus. Quod igitur & occultius.] Clauſula à faciliori. An Deiotarus rex illo temp.] Confutatio, à temporis lociq; natura. Qualis rex Attalus.] Ab exēplo. Num quæ trepidatio?] Confutatio à ſignis antecedentibus. Dij te perdant.] Imprecatio. Quid? ille ſigna.] Confutatio. Romam etiam mitteret?] A' regis facto confutat.

Altera exercitum, &c.] Confutatio reliquæ partis accuſationis. Nunquam eas copias.] A' numero militum. At miſit ad Cælium.] Confutatio. Addidit etiam illud.] Aliæ confutatiunculæ. At eo ipſo tempore.] A' regis facto confutat. At eo, inquit, tempore.] Purgat de ſpeculis. Qui autem domitio.] A' repugnantibus. Quid deinde fur eſſet.] Ab accepto beneficio confutat. Deiotarum ſaltantem.] Confutatio à regis morū integritate. Frugi hominem dici.] Regiæ laudes. Ego tamen frugalitatem. A' ſuo iudicio. Tum ab equitibus Rom.] A' teſtimonio equitum Romanorum. Eaq. ætate ſaltauit?] Ab ætate confutat. Hic uero adoleſcens.] Ἀντικατηγορία in Caſtorem inuehitur. Vos ueſtra ſecunda.] Γνώμη. Rex enim Deiotarus.] A' regis meritis ſcelus exaggerat. Adeo ne, ut etiam.] Πάθος à crudeli Caſtoris facto. O' tempora.] Exclamatio.

Cn. Domitius ille.] Ab exemplo exaggerat. Ille incorruptum, &c.] A' contrarijs amplificat. Tuis promiſſis.] Ab ipſius confeſſione. Bleſamius, inquit.] Confutatio de Bleſamij ad Deiotarum literis. Multos iuſſu Cæſ.] Εἰρωνεία.

Et quem nos liberi.] A' clementia Cæſaris. Nam de ſtatua.] Confutatio de ſtatua & plauſu. Nihil à me arbitror.] Epilogus. Etenim ſi Antiochus.] Ab exemplo ducto à me maiori. Ille enim furoris.] Aetiologia. Hoc nomine retento.] A' regis iudicio. Quo quidem animo.] A' datis ad regem literis reconciliat. Laboro equidem.] A' ſtudio & cura. Summam uero neceſ.] Incrementum.

Non debeo C. Cæſar.] Cur affectus non moueat. Corpora uero ſua.] A' teſtimonijs legatorum, tradentium ſe Cæſari pro ſalute regum ſuorum. Quocirca C. Cæſar.] Clauſula.

# ACTIONIS IN VERREM PRIMAE, QVAE DIVINATIO DICITVR, PER ASCONIVM PAEDIANVM

## ARGVMENTVM.

CN. POMPEIO primum, & M. Craſſo Coſſ. C. Verres perfunctus quæſtura, legatione, prætura urbana, patre C. Verre, & prætextato filio, & filia nupta, uxorem habens, cum ſucceſſiſſet in Sicilia C. Sacerdoti prætori, eamq;, non ſibi ſuccedente Arrio, per triennium tenuiſſet, atq; in ea fuiſſet libidinoſe, auare, crudeliterq; uerſatus, ſuccedente tandem in eādem prouinciam Metello, repetundarum reus ab Siculis poſtulatus eſt, qui omnes, præter Syracuſanos ac Mamertinos, Marcum Tullium illo tempore florentē defenſionibus amicorum, ad accuſandum deſcendere compulerunt, iampridem illis neceſſitudine copulatum, q Quæſtor in Sicilia fuiſſet prætore Sex. Peduceo: & quòd cum decederet, in illa oratione, quam Lilibæi habuit, multa his benigne promiſiſſet. Acceſſit his non ignobilis futura de Verre uictoria, qui à Metellis, Scipionibus, & multis alijs nobiliſius uiris, et præcipue ab Hortenſio ipſo defenderetur, facile et principe in ſenatu propter nobilitatem, et in foro ob eloquentiam rege cauſarū, & eodem Coſ. deſignato cum Q. Metello fratre Metellorum, alterius Prætoris Siculi, alterius prætoris Vrbani. His ita cōſtitutis, extitit Q. Cæcilius Niger, domo Siculus, & quæſtor Verris, & eiuſdem (ut ipſe dicebat) inimicus, qui ſe potius accuſatorem contenderet conſtitui oportere, has adferens cauſas. Vnam, q ab eo læſus, & ob hoc iure illi eſſet inimicus, quare præuaricator eſſe non poſſet: Alteram, q cum quæſtor ei tum fuerit, etiam ipſe in quæſtione crimina nouerit Verris: Tertiam, q Siculus pro Siculis ageret. Huiuſcemodi propoſitionibus Cicero deſignatus ædilis, his capitibus reſpondet. Accuſatorem eum eſſe oportere, qui inuitus cogatur religionis officio rogatus ab omnibus Siculis: qui pro P. R. agat, quem nelint qui accuſant, quem metuat qui accuſatur, qui idoneus ſit facundia eloquētiæ, qui hoc faciat imitatione maiorum. Diuiſio principalis, una de ſeipſo, altera de contentione ſui & Cæcilij. Diuinatio dicitur hæc oratio, quia non de facto quæritur hac coniectura, ſed de futuro: quæ eſt diuinatio, uter debeat accuſare. Alij ideo putant diuinationem dici, quòd iniurati iudices in hac cauſa ſedeant, & quod uelint præſentire, de utroque poſſint. Alij quòd res agatur ſine teſtibus & ſine tabulis, & his remotis argumenta ſola ſequantur iudices, & quaſi diuinent. Agitur enim cauſa ſenatorijs iudicijs in inuidia apud populum conſtitutis, de corruptione multorum, uexatis prouincijs omnibus, ac ſocijs populi Romani infeſtatis toto orbe terrarum: accuſatoribus præuaricatione infamibus, flagitante plebe iudicia equeſtris ordinis, quæ ferè ante annos decem uictor Sylla ſuſtulerat: cognoſcente de pecunijs repetundis M. Glabrione prætore, & ampliſſimis quibuſque ſenatorij ordinis iudicantibus, ſumma expectatione cunctorum. Genus cauſæ honeſtū. Status qualitas negotialis, comparatiua, de conſtituendo accuſatore, quis potiſſimum de duobus, aut quis ſolus accuſet. Dicit enim Cæcilius, aut à ſe accuſandum eſſe Verrem, aut à ſe quoque.

# IN EANDEM ACTIONEM BARTHOLOMAEI LATOMI PARTITIO.

ORATIO in media figura eſt, cauſa iudicialis de accuſatore conſtituendo. Cur diuinatio dicatur, tradit Aſconius. Item qui ſtatus, & quæ diuiſio principalis. Status negotialis comparatiuus, Vtrum à Cicerone, an à Cæcilio accuſandus ſit Verres, uel an à Cæcilio quoque? Diuiſio capitum orationis duplex: una, qua de ſeipſo diſputat: altera, qua ſe confert cum Cæcilio. Exordium inducitur κρίσει περὶ λαλ[illegible], ad euertendam inuidiam accuſationis: Reddit enim rationem facti ſui, cur cum antea defendere ſolitus fuerit, nunc deſcenderit ad accuſandum. Oſtenditq; id recte ſe facere: quòd & rogatus ſit à Siculis: & quòd hæc ipſa non accuſatio, ſed defenſio appellanda ſit: & quòd reipublicæ tempus hoc poſtulet. Deinde accedit ad rem, & hæc duo proponit inter ſe et Cæcilium ſpectanda eſſe, quem maxime uelint Siculi hanc cauſam agere, & quem minime uelit reus: quæ propoſitio bipartita eſt, ad confirmationem cauſæ, et iudicationẽ principalem continet. Priorem eius partem confirmat à teſtimonijs, ſe rogatum eſſe à Siculis. Itẽ ualere hoc oportere apud iudices, ſecundum legis uoluntatem, quæ eſt de repetundis. Poſteriorem partem colligit coniectura uoluntatis ex metu incommodi, Verrem ſe nolle actorẽ, optare Cæcilium. Idq; totum probat comparatione perſonarum, ſui, Cæcilij, & Hortenſij, uter inter ſe & Cæcilium Verrem grauius accuſaturus ſit, & uter cum Hortenſio acrius pugnaturus. Se timeri & fugi non à Verre ſolum, ſed etiam ab Hortenſio: Cæcilium ſuſpectum eſſe Siculis, & multorum criminum Verris participem, cum quæſtor eius in Sicilia fuerit. Deinde ſe ſtudium & exercitationem adhibuiſſe, ut paratior in foro verſaretur: Cæcilium ne intelligere quidem quantum onus affectet. Iam cum Hortenſio eloquentiſſimo patrono pugnandum eſſe, cui nulla in re par eſſe poſſit Cæcilius. Quinetiam eluſum iri ab inferioribus patronis, quò excellentior in eum feratur Hortenſius. Inducit deinde breuiter, & perſtringit alteram partem cauſæ, Cæcilium ſolum anteponendũ ſibi non eſſe, ſed nec adiungendum ſubſcriptorem: quippe cum fides illius ſuſpecta ſit, ſua autẽ & fides & diligentia in ſuſcepta cauſa non defutura. Atque hinc ſubiungit refutationem rationũ aduerſarij, quibus ille cõtendebat ſe potiſſimum accuſare debere: nempe quia & inimicus eſſet Verri ob acceptas iniurias: & quòd præuaricari non poſſet: & quòd noſſet crimina Verris, quæ in quæſtura cognouiſſet: Contra quæ ita contendit Cicero, ut doceat Siculos grauioribus iniurijs affectos eſſe: & Cæcilij iniuriam leuiorem fuiſſe, & poſtea rediſſe in gratiam cum Verre, imo ne iniuriam quidẽ fuiſſe. Poſtrema ſi qua fuerit, tamen obſeruatione ac more maiorum prohiberi Cæcilium, ne eum accuſet in iudicio, cuius ipſe quæſtor fuiſſet. Quo confirmato exemplis, redit ad diſputationem de uoluntate Siculorum, & eius nim exemplis confirmat, illud adiungens, uiros fortes & probos ad iudicia publica eligendos eſſe, quorum induſtria ac fide, legum auctoritas, et ſeueritas iudiciorum conſeruetur. Poſtrema concludit totam orationem perſonarum contentione, & quid in tanta cauſa agendum ſit iudicibus, admonet.

# IN EANDEM ACTIONEM PRIMAM IN VERREM

## FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

Quis ueſtrum Iudices.] Hæc oratio appellatur diuinatio. Auctore Quintiliano libro ſeptima. Iudicia quæ ſunt de accuſatore conſtituendo, diuinationes uocantur. Cur ita uocentur, Aſconius Pædianus, & A. Gellius capitula quarta libri 2. ſcripſerunt. Legibus cautum erat, ut in publicis cauſis ante, ſi reo commodum ſit, iudicium de accuſatore fiat, utrum illi accuſare liceat, nec ne, ut eſt in libro Rhetoricorum ad Herenniũ primo. Quintiliano uero auctore libro ſepsimo in accuſatore conſtituendo ſpectandum eſt, à quo maxime uelint ij, de quorum ultione quæritur, & à quo minime uelit is, qui accuſatur. Frequentiſſime tamen hæ ſunt quæſtiones, uter maiores cauſas habeat, uter plus induſtriæ aut uirium ſit allaturus ad accuſandum, uter id meliore fide ſit facturus. Ea Cicero in hac oratione fecit diligenter. Si quis ueſtrum iudices.] Quintilianus libro quarta de exordio præcipiens, Non inutilis inquit, eſt ratio occupandi quæ uidentur obſtare: ut Cicera dicit ſcire ſe mirari quoſdam, quòd is qui per tot annos defenderit multos, læſerit neminem, ad accuſandum Verrem deſcenderit. Deinde oſtendit hanc ipſam accuſationem Verris, eſſe ſociorum defenſionem. Quod ſchema prolepſis dicitur. Id cum ſit utile aliquando, nunc à declamatoribus quibuſdam penè ſemper aſſumitur, qui fas nõ putant niſi à contrario incipere: hæc ille. Solet etiam Cicero in defenſionum exordijs honeſtam aliquam cauſam dicere, cur ad defendendum accedat, ne id aut gloriæ, aut pecuniæ cupiditate, aut aduerſarij odio factum credatur. Si quis ueſtrum Iudices, aut eorum qui adſunt, forte miratur.] Auctore Priſciano libro decimo octauo, Virgilius de rebus, quas ſine dubio factas eſſe oſtẽdere uult, indicatiuis cum coniunctione ſi, uſus eſt: quando uero dubia res oſtenditur, utrum fieri poſſit nec ne, per induct ionem ſubiunctiuis Latini magis utuntur. Cicero tamen hoc in loco, ut idem ait, additione forte, cum indicatiuo uſus eſt, loco ſubiunctiui cum dubitatione poſiti. Eodem auctore paulo poſt, Ita ſim Cicero dixit, non dubitans, ſed approbans. Quod poſſe intelligi pro ita inueniar, uel cognoſcar, idem paulo poſt ſcribit. Ex ea prouincia deceſſiſſem.] Decedere ex prouincia, non diſcedere, magiſtratum, cum legitimo tempore confecto, qui ei ſuccedat, miſſus eſt, Cicero dicere ſolet. In ueteribus patronis multis.] Marcellos, Scipiones, Metellos hos patronos Aſconius nominat. Metellos uero affuiſſe Verri, in Actione ſecunda Cicero dicit. Cum ſummum in ueteribus patronis multis.] Particulam cum, poni cum eo quod eſt plus: & tum, cum eo quod eſt minus, idq; per adiectiua ſummũ & nonnullum ſignificari. has etiam particulas cum uerbo modi ſubiunctiui coniungi, hoc ex loco adnotandum eſt, quod ſit rarius, ut eſt apud Vallam libro ſecunda. Publice.] Id eſt publico conſilio. Si quod tempus.] Id eſt, ſi qua temporis conditio. Ne deos quidem.] Ad quos ultimum perfugium eſſe ſolet. Per triennium.] Vſu ſæpe ueniebat apud Romanos ueteres, ut prætores prouincias triennium adminiſtrarent. Tot annos Galliam M. Fonteius, tot annos Aſiam Q. Cicero adminiſtrauit. Prouinciæ enim prætoriæ annuæ erant. ut Aſiam L. Flaccus annum adminiſtrauit. Sed ſi non mitteretur, qui prætori anno primo uel ſecundo ſuccederet, triennium prætor adminiſtrabat: ut Cicero ad Q. Fratrem ſcribit feciſſe ſe, ne ei anno priore, itemq; altero ſuccederetur. C. Verrem Siciliam

triennium

triennium tenuiſſe, q ei Arrius non ſucceſſiſſet, Aſconius tradit. C.Cæſar legem tulit, ut prætoriæ prouinciæ pluſquam annũ, Cõſulares pluſquã biennium non obtinerentur, ut ait Cic. in Phil. 1. Sed hanc legem latã eſſe arbitror eũ, deuicto Pompeio, rerũ potitus eſt. Rogare & orare.] Hæc duo uerba Aſconius diſtinguit: Rogare, inquit, ut hominem, orare ut deos: Iam.n. quibus id facerent, non habebant. Nonius uero Marcellus in eadẽ propè re dici putat. Rogare, inquit, eſt deprecari et poſcere: orare eſt precibus poſcere. In utroque uerbo hunc Ciceronis locum citat. In eũ locũ.] Id eſt, in eam moleſtiam aut neceſſitatem. Officio.] Quòd in Sicilia quæſtor fuiſſem. In eadem prouincia poſt me.] Ne intelligas Cæciliũ poſt Ciceronem proximũ in Sicilia quæſtorẽ fuiſſe. Nã Sex. Peduceo prætore Cicero fuit quæſtor, & Cæcilius, Verre. Inter Peduceũ et Verrẽ C. Sacerdos prætor Siciliam adminiſtrauit. Quæſtor in eadem prouincia.] Hac ratione Cæciliũ prouinciã fideliùs defendere poſſe ſignificat, q recentior prouinciæ eius aut beneficiorum memoria ſit. Adiumento.] Id eſt, excuſatione. Sed excuſatio eſt, cur quid factũ aut faciendũ nõ ſit: adiumentũ uero, cur aliquid ſit faciendũ. Adiumẽto ſibi fore putabat, ſi Cæcilio cõmiſſa accuſatio fuiſſet. Aduerſariũ.] Id eſt, cõtrariũ: ut pro Cn. Plãco. Cum autem audirem meos partim inimicos, partim inuidos huic accuſationi eſſe fautores, eandemq; ſẽ aduerſariã eſſe in iudicio Cn. Plãco, quæ in petitione fuiſſet adiutrix, dolebã iudices, & acerbe ferebã. Remiſiſſent.] Id eſt, cõceſſiſſent, ut Actione 5. Multi magnas pecunias ab inuitis ciuitatibus, atq; ab inuitis aratoribus, iſta ratione cellæ nomine coegerunt (omnino ego neminem uideo, præter iſtum, Sed do hoc uobis & concedo eſſe multos) in hoc homine rem adductam in iudicium uidetis. Quid facere poteſtis? Verum cum iudices ſitis de pecunia capta, conciliata, tantam pecuniam captam negligere? an cum lex ſociorum cauſa rogata ſit, ſociorum querimonias nõ audire? Verum hoc quoq; uobis remitto. Inde remittere eſt, aliquid ex iure ſuo benigne & liberaliter aut accepta pecunia concedere, ut cũ dicimus remittere uectigalia. ut pro P. Seſtio: Remiſſis ſemiſſibus & trientibus, quinta propè pars uectigaliũ tolleretur. Inde remiſſi homines dicuntur, qui triſtes & ſeueri nõ ſunt, qui aliorum facta aut dicta ſine ulla offenſione tolerant, quos iucũdos appellant. ut pro M. Cælio: Cum triſtibus ſeuere, cum remiſſis iucunde, cum ſenibus grauiter, cum iuuentute comiter, cum facinoroſis audacter, cũ libidinoſis luxurioſe uiuere. Idem in eadẽ oratione remiſſe dixit, pro eo quod eſt nõ ſeuere: Ex ipſa quærã prius, utrũ me ſecum ſeuere & grauiter & priſce agere malit, an remiſſe & leniter & urbane. Si iſtum non noſſent.] Quem domo Siculum fuiſſe Aſconius dicit. Officio.] Quia quæſtor in Sicilia fui. Fide.] Quia promiſi cõmodis eorum me non defuturum. Multorum bonorum exemplo.] Qui improbos ciues accuſauerunt. Auctore Quintil. lib. 12. principes in republica uiri non detractauerunt hanc officij partẽ, creditiq; ſunt etiam clari iuuenes obſidiũ Reipublicæ dare malorum ciuium accuſationẽ, quia nec odiſſe improbos, nec ſimultates prouocare, niſi ex fiducia bonæ mentis uidebantur. Idq; cũ ab Hortenſio, Lucullis, Sulpitio, Cicerone, Cæſare, plurimis alijs, tum ab utroque Catone factum eſt. Veteri conſuetudine.] Cum homines ætatis conſtantis, non adoleſcentes accuſarent. Poſtea tamen factũ eſt, ut adoleſcentes gloriam ſibi ex eloquentia quærerẽt, cuius maxima eſt admiratio in iudicijs, ut ait Cic. lib. de Off 2. Quorum, inquit, ratio duplex eſt. nã ex accuſatione & defenſione conſtat. Quarum etſi laudabilior eſt defenſio, tamen etiam accuſatio probata perſæpe eſt. L. Craſſus, & M. Antonius cum eſſent admodum adoleſcentes, ex accuſatione nobili & glorioſa maximam ſibi ipſi gloriam pepererunt. Et P. Sulpitij eloquentiam accuſatio illuſtrauit, cũ ſeditioſum & inutilem ciuem C. Norbanum in iudicium uocauit. Laboris.]

Laborem accuſationis dicit, quãuis ſæpius defenſionũ laborem dicat. Defendere enim quàm accuſare facilius eſt, quẽadmodũ uulnus curare, quàm facere, ut eſt apud Quintil. lib. 5. Neceſſariorum.] Siculorum, quibuſcum neceſſitudo mihi intercedit. Conſolatur.] Accuſatoris.n. nomen odioſum eſt. In inſtituto meo.] Id eſt, in ratione defendendi. Hanc cauſam.] Quòd rogauerunt me & orauerunt Siculi, ne ſe ſupplices aſpernarer. Tam grauem.] Id eſt, tanti momenti. Hoc quod facio.] Verris enim accuſationem poſtulat. Ne reipublicæ cauſa facere profiterer.] Auctore Quintiliano, uir bonus accuſatoris nomen ita horrere non debet, ut nullo neque publico neque priuato duci poſſit officio, ut aliquem ad reddendam rationem uitæ uocet Nam & leges ipſæ nihil ualent, niſi actoris idonea uoce munitæ. Et ſi pœnas ſcelerum expetere fas non eſt, propè eſt ut ſcelera ipſa permiſſa ſint: & licentiã malis dari, certe contra bonos eſt. Quare neque ſociorum querelas, nec amici uel propinqui necẽ, nec erupturas in rempublicã conſpirationes inultas patietur orator, non pœnæ nocentium cupidus, ſed emendandi uitia, corrigendiq; mores. Nã qui ratione traduci ad meliora non poſſunt, ſolo metu continentur. Cic. in lib. de Offi. 2. de adoleſcentium induſtria accuſandi ſcribens: Hoc, inquit, non eſt ſæpe faciẽdum, nec unquam niſi aut reipublicæ cauſa, ut duo Luculli: aut patrocinio, ut nos pro Siculis, pro Sardis. pro M. Albutio Iulius Cæſar. In accuſando etiã M. Aquilio L. Fuſij cognita induſtria eſt. Semel igitur, aut non ſæpe certe. Sin erit cur faciendum ſit ſæpius, reipublicæ tribuatur hoc muneris, cuius inimicos ulciſci ſæpe, non eſt reprehẽdendũ. Modus tamẽ adſit. Duri enim hominis, uel potius uix hominis uidetur, periculum capitis inferre multis. Stipendiarij.] Id eſt, qui ſtipendia populo Ro. quotãnis ſoluunt. de qua uoce alio loco plura ſcripſimus. Exitij ſolatium.] Se enim ſolabuntur, ſi Verres damnetur, à quo ipſi exitium acceperint. Qui iudicia manere.] Probat Cicero hanc Verris accuſationem reipub. ſalutarem eſſe. Manere apud ordinem Senatorium.] C. Sempronius Gracchus Tribunus plebis legem tulit, ut ſoli equites iudicarent. Hiq; annos propè quinquaginta continuos iudicauerunt. Quibus iudicibus ne tenuiſſima quidẽ iudicij corrupti ſuſpicio fuit. Ab equitibus ad ſenatores L. Sylla tranſtulit iudicia, quòd L. Cinnam contra ſe equites adiuuiſſent. Quibus iudicibus inueterauit opinio etiam apud exteras nationes, pecunioſum hominẽ, quantumuis ſit nocens, neminẽ poſſe damnari: ut eſt in actione in Verrem ſecunda. Accuſatores ſe idoneos non habere.] Quos in ciuitate eſſe utile eſt, ut metu contineatur audacia: ut eſt in oratione pro Sex. Roſcio. Idoneos.] Nam pecunia corrupti præuaricantur. Iudiciorum ſeueritatem.] Vt nocentes damnentur, & innocentes abſoluantur. Tribunitia poteſtas.] Quam L. Sylla uictor plebis inimicus ſuſtulerat: quam poſtea Cn. Pompeius, & M. Craſſus Coſſ. reſtituerunt. Iudiciorum.] Id eſt iudicum: ut miniſteria & ſeruitia pro miniſtris & ſeruis ſæpe dicuntur. Leuitatem.] Quòd pecunia facile corrumpantur. Ordo quoque alius.] Id eſt, non ſenatorius ſolum, qui tum iudicabat, ſed etiam equeſter. Quod aſperius antea.] De cenſorum inſtitutione & poteſtate ſatis multa ſcripſimus in Catonem Maiorem Ciceronis. Quia moribus populi Romani regendis hic magiſtratus præerat, factus eſt odioſus. Itaque anno circiter octauo quàm inſtitutus fuerat, eſſetq; annorum quinque, Aemilius Mamercus ingenti conſenſu populi legem tulit, ne amplius quàm annua & ſemeſtris cenſura eſſet. Poſtea factum arbitror, ut tacito populi conſenſu potius quàm ulla lege lata ſublata fuerit. Quoniam tamen ante hanc actionem ſenatores ſoli lege Cornelia iudicabant, hiq; pecunia ſæpe corrumpebantur, & improbi ſenatores à cenſoribus ſenatu mouebantur, ideo cenſorium nomen

populus Rom. poſcebat. Tamen Cicero dicit in oratione in L. Piſonem, cenſuram quadringentos annos dureaſſe, cuius poteſtatem minuere, quo minus quinto quoq; anno de ciuium Romanorum moribus iudicaretur, nemo conatus eſt. Eã tamen P. Clodius trib. pl. ſuſtulit. Populare atque plauſibile.] Id eſt, gratũ popu. Rom. & iucundum. Hominum nocentiſſimorum.] Quorum nemo pecunioſus cõdemnatur, quòd iudices facile corrumperet. Integri.] Qui pecunia non corrumperentur. Nunc quoniã quibus rebus adductus.] Oſtendit quæ dixerit, quæ dicturus ſit propoſuit. qua rõne oratio fit magis dilucida: auditores quæ audiuerunt, continet fidelius, & ad reliqua audienda fiunt attentiores. Intelligo iudices.] Se præponẽdũ Cæcilio oſtendit, quæ pars diuiſionis ſecunda erat. Cum de pecunijs repetundis.] In cauſa repetundarum tantum hanc cõtrouerſiam de accuſatore conſtituendo fieri ſolitam ſignificat.

Delatio.] Id eſt, accuſatio. Hæc duo in primis.] Ex Quintiliani ſententia hæc duo ſpectari ante docuimus. Hanc partem ſecundam in duas partes diuidit. Iudicium de pecunijs repetundis eſt conſtitutum.] Erat conſtitutum à ſenatu, aut à Coſſ. ut C. Verres actione repetundarum uocaretur in iudicium. Hoc ex loco attende iudicium ante accuſatorẽ cõſtitui. Vaſtaſſe.] Vaſtare ciuitatem aut agros dicitur is, qui ciues aut colonos occidit, aut per ſuperbiam, auaritiã, aut crudelitatẽ profugere cogit. Domos exinaniſſe.] Id eſt, bonis ſpoliaſſe. Exinanire hominem, eſt fortunis ſpoliare. ut Actione 5. Imacharenſes iam omni frumẽto ablato, iam omnibus iniurijs tuis exinanitos, tributum ferre miſeros ac perditos coegiſti: Exinanire agros idem in eadem actione dicit: Eiectos aratores eſſe dico, agros uectigales uexatos atque exinanitos à Verre, populatã uexatamq; prouinciam. Exinanire nanim pro eo quod euacuare dicunt. idem Actione 7. dixit: Nox illa tota exinaniendа naui conſumitur. Cognitorem.] Cognitor qui ſit, diximus in Cõmentarijs pro Q. Roſcio. Virũ Q. Cæcili.] Hanc primam partem diuiſionis rurſus in duas partes diuidit. Rogatu.] Rogatu, & paulo poſt arbitratu, in ablatiuo tantum in quarta declinatione inueniũtur: ut iuſſu, euentu, permiſſu, hortatu, reſponſu, aliaq; eiuſdem generis permulta. Grauem.] Id eſt, ut uulgo dicunt, efficacem. Non præiudicium.] Præiudicium quàm multis modis dicatur, eſt apud Quintil. lib. 5. Eſt autem præiudicium minus graue quàm iudicium. Sed planè iudicium.] Nam, ut alio loco Cicero dicit, reus in iudiciũ adductus eſt Verres, homo uita atque factis omniũ iam opinione dãnatus. Quod ita percrebuit.] Cauſa eſt, cur planè iudicium iam factum putetur. eſt autem percrebuit, imperſonale. Inimicitias exercere.] Vt pro L. Flacco: An ſimultates neſcio quas cum liberis ueſtris Flaccus exercet? Viri Clariſſimi.] Eos laudat, quo grauius eorum teſtimonium ſit. Impudentia mea.] Id eſt, mei mendacij. Impudens enim mendaciũ ſæpe dicitur, & impudentia pro mendacio. Scit.] Id eſt, uidit, & tũ præſens fuit, cũ id à me Siculi petierunt. Pluris enim, ut ait Plautus, teſtis eſt oculatus unus, quàm auriti decem. Nã qui audierunt, audita dicũt: qui uiderũt, planè ſciunt. In cõſilio.] Id eſt, in cœtu iudicum. Cõſilium per ſ pro cœtu iudicum, & in hac oratione & alibi ſæpe à Cicerone dici inuenias. Quem adeſſe uideo.] In corona populi circũ ſubſellia iudicum ſtantem, Marcellus iudex erat, Marcellinus non erat. Marcellos & Marcellinos gentiles fuiſſe Cic. ſignificat in lib. Epiſt. famil. 15. ad C. Marcellum cõſulem deſignatũ ſcribens: Quãdo, inquit, ita accidit, quod maxime mihi fuit optatũ, ut omniũ Marcellorũ, Marcellinorũ etiã (mirificus. n. nominis ac generis ueſtri fuit erga me ſemper animus) quãdo ergo ita accidit, &c. Ex tota prouincia nobiliſſimi.] Nobiliſſimi ex tota prouincia, et totius prouinciæ, dicitur. Præter duas ciuitates.] Syracuſanã et Mamertinam. C. Verri.] Id eſt, à C. Verre. At enim.] Obiectio eſt. A me potiſſimum.] Cum Marcellos & Marcellinos Siculi patronos habeãt. Id mihi non ſumo.] Vulgo diceremt, id de me nõ præſumo. Sumere. n. et aſſumere in hac re à Cicerone dici, loco alio docuimus. In oratione mea nõ pono.] Vt poſtea: Malo in aliorũ ſpe relinquere, quàm in oratione mea ponere. Patronis] Marcellis. Ducta.] Id eſt, habita.

Quemuis, ut hoc mallent.] Ordo eſt, ut Siculi mallent quẽuis de ijs qui eſſent idonei, ſuſcipere hoc, id eſt Verris accuſationem. Hãc rem.] Hãc Siculorũ petitionem. Supplices noſtri.] Id eſt, qui nobis ſupplicãt. De hoc dicẽdi genere aliàs diximus. Tota lex de pecunijs repetũdis.] L. Piſo is qui Frugi cognominatus eſt, cũ eſſet trib. pl. legem primus de pecunijs repetundis Cenſorino & Manilio Coſſ. tulit, ut ait Cic. de claris oratoribus. Idẽ in lib. de Offi. 2. ad centũ & decem annos ante latã dicit, ꝗ eos libros ſcriberet. Poſtea M. Acilius Glabrio de pecunijs repetũdis legẽ tulit ſeueriſſimã, ut ait Aſconius. Sociorũ cauſa.] Vt actione 2. Iudicia de pecunijs repetũdis à maioribus noſtris ſociorũ cauſa cõparata ſunt. Socialis. Id eſt, ad tuendas ſociorũ fortunas. Nationũ exterarum.] Repetundarum iudiciũ conſtitutũ eſt etiam in eos, qui exteras nationes populati eſſent. Hanc arcem.] Id eſt, hoc perfugiũ. Seueri cuſtodes.] Legũ cuſtodes iudices ſunt. Lege agi.] Id eſt, Verrem in iudiciũ lege repetũdarum uocari & accuſatorem conſtitui. Sicilia tota.] Proſopopœia eſt, & argumentũ à fictione. Sedibus.] Id eſt, domibus: ut, Sedes ubi fata quietas Oſtendunt. Beneficio Senatus.] Victis. n. leges nouæ imponi ſolent, quod ſi ijs permittãt uictores, ut ijſdem utantur, quibus antea uſi ſint, id uictorũ beneficio fit. Senatus populuſq; Romanus Siculis permiſit, ut legibus Hieronicis & Rupilijs uterẽtur, quibus antequã uicti eſſent, uſi fuerant. Seſtertiũ millies.] Id eſt, uicies quinquies centena millia coronatorũ. Ex lege.] Quòd lex tantum reſtitui iubeat, quantũ ablatũ ſit. Si tibi Q. Cæcili.] Argumentum à fictione eſt. Quod cuiuis probare deberent.] Id eſt, facere deberent, ut unuſquiſq; probare deberet. Quid ſi legas, quod cuiuis probari deberet? Deſertos.] Nam deficit ſocius, parens prodit: ita patronus deſerit. Suam cauſam.] Iulius Rufinianus in lib. de figuris, hic enthymema eſſe dicit ex cõtrarijs ſententijs: apud quẽ ſcriptũ inuenio, ſua cauſa: ut ea ſententia ſit: te neque uelle ſua cauſa operã tuã præſtare. Quod ſi ſuã cauſam legere mauis, uerbũ defendere, aliud'ne quod generis eiuſdẽ aſcribendũ eſt. ut legatur, ſuã cauſam defendere. At enim ſolidũ.] Probat Verrẽ qui iniurias fecit, minime uelle ab ipſo Cicerone accuſari. Solidũ.] Id eſt, firmũ & certũ. Alterum illud credo.] Ironia eſt. Delatio.] Id eſt, accuſatio. Paulo poſt cõmemorabo.] Cũ dicet multa eſſe oportere in eo qui alterũ accuſet. Cõtẽnat.] Id eſt, nõ metuat. Magnus ille defenſor.] Nõ Verris tantũ, ſed aliorũ multorũ Multos enim Hortenſius defendit, qui cõtra caput dicere, id eſt, accuſare, nõ didicit, ut ait Cicero pro P. Quintio: At neque C. Aquilius (inquit) de capite alterius libẽter iudicat, & Q. Hortenſio cõtra caput non didicit dicere. Tibi ſuffragatur.] Vt tu accuſator cõſtituare. Me oppugnat.] Ne conſtituar. Offenſione.] Id eſt, infamia. Cõtendere.] Id eſt, à iudicibus poſtulare. Nõ. n. inquit, illud peto.] Ethopœia eſt, ad Hortẽſij in iudicijs corrũpẽdis improbitatẽ demonſtrandã. Da mihi.] Hoc, ſingulis iudicibus corruptis. Hortenſiũ dicere Cicero fingit. Vt aliquis metus adiunctus ſit ad gratiam.] Qui iudices corrupti Hortenſio polliciti ſunt, anteponẽdo Cæciliũ Ciceroni. Certos eſſe in conſilio.] Id eſt, aliquos eſſe ex iudicibus à ſe conſtitutos. Oſtendi.] A corruptis iudicibus, ne ſimulent ſe Hortenſij cauſa Cæcilio ſuffragari, cũ id non faciant. Itaque uoluit Hortenſius, ut hi tabellas prius oſtenderent, quàm in urnam mitterent. Non enim ſingulos.] Iudices ſententiam ferre ſolebant aut clam, aut palàm, id eſt,

aut

aut tabellas in urnam mittendo, aut ſententias dicendo. Cũ tabellas in urnam mittebant, ſi leuior cauſa erat, ſinguli mittebãt: ſi grauior, uniuerſi. Ceratam unicuique, &c.] Senſus eſt, Hortenſium ait unicuique iudicũ dari tabellã ceratã cera legitima, qualis dari lege ſolet, quæ ſit unius coloris. Significare autẽ uidetur notas iudicij, id eſt, A uel C, uel N L, à iudicibus ipſis in ijs tabellis inſcribi ſolitas: quamuis in defenſione Milonis Cicero dicat, ternas tabellas à Pompeio conſule ſingulis iudicibus datas, ut quam uellent, in urnã mitterent. Is mos mutari potuit, cũ Aurelia lege iudicia etiam ad equites & ad Tribunos ærarios tranſlata ſunt, ne tam facile iudices corrũperẽtur. Non illa infami ac nefaria.] Id eſt, diſcolore, quali cera ceratæ tabellæ ab Hortẽſio iudicibus corruptis datæ ſunt in cauſa Varronis rei repetundarũ: quæ tabellæ facile internoſci poterant. Laborat.] Vt Cæcilius accuſator confirmatur. Si à pueris nobilibus.] Vt Appio Claudio, qui Varronẽ: Cæſare, qui Dolabellã: Scauro, qui alterũ Dolabellã accuſauerũt, ut ait Aſconius.

A` pueris nobilibus.] Pueros pro adoleſcẽtulis poni arbitror. Prætoris enim edicto pueri poſtulare prohibentur. Pueri autem ſunt qui annum 17. in totum nõ compleuerũt, ut ait Vlpianus lib. Digeſtorum 3. Tit. De poſtulando: Pueritiam, inquit, dum minorem decem & ſeptem annis, qui eos non in totum compleuit, prohibet poſtulare. Adoleſcentes autem gloriam ſibi ex accuſatione quærere, eſt apud Ciceronem in lib. de Officijs 2. Adhuc.] Id eſt, huc uſq; in qua re Cicero dicere ſolet. Eludit.] Eludere proprie gladiatorũ eſt, cum uicerint, ut ait Donatus. Cicero, Quàm diu etiam furor iſte tuus eludet? Eludere etiam eſt, finem ludo imponere: Donatus in Eunuchum Terentij.

Si à quadruplatoribus.] Quadruplatores qui ſint, Aſconius ſcribit. Sex. Põpeius auctor eſt, quadruplatores dici eos, qui eo ſe quæſtu tuebantur, ut eas res perſequerẽtur, quarum ex legibus quadrupli actio erat. Huius generis eſt furis manifeſti, & fœneratoris actio, M. Cato de re Ruſtica: Maiores noſtri, inquit, hoc ſic habuere, & ita in legibus poſuere, furem dupli condẽnari, fœneratorẽ quadrupli. Id de fure nõ manifeſto intelligit. In iudicijs dominari non poſſe.] Hortenſium fori regem Aſconius antea appellauit. Quos ipſe uidit.] Cicero ad Atticũ lib. 4. ſcribit, in ſuis Dialogis Oratorijs mentionem cuiuſquã fieri non potuiſſe ab ijs, qui diſputant, niſi eius, qui illis notus aut auditus eſſet. In extremo autem libro de Oratore L. Craſſus de Q. Hortenſij adoleſcentis natura, doctrina, ingenio & memoria honorificam mentionẽ facit, quem ſe cõſule in Senatu Africæ cauſam defendiſſe, & poſtea pro Bithynia rege dixiſſe affirmat. Præter fidem & ingeniũ.] M. Antonium illa dicẽtem Cicero in libro de Oratore 2. facit: Mea ratio in dicendo hæc eſſe ſolet, ut boni quod habeat, id amplectar, exornem, exaggerẽ: ibi cõmorer, ibi habitẽ, ibi hæream: à malo aũt uitioq; cauſæ ita recedam, non ut id me defugere appareat, ſed ut totum bono illo ornando & augendo diſſimulatũ obruatur. Multorũ.] Eorũ qui iudices corruperint. Omnis improbitas.] Id eſt, omnes improbi: ut corrupti iudices, eorumq; corruptores.

In aliorum ſpe relinquere.] Arrogantiam uitat. Quo tempore.] Etiã eo, quo iudices corrũpi facile eſſet, aut potius cum facile non corrumperentur: quo tempore orare minoris eſſet negotij. Qua in re.] Id eſt, qua in cauſa. Specimen dediſti.] Specimen à ſpeciendo uerbo antiquo factũ, eſt paruũ illud, quod mercatores merces maiores uendituri, emptoribus oſtendere ſolent, ut ex eo aſpicere poſſint quales ſint merces. Id in frumento uendẽdo fieri ſolet. probam uulgus appellat. Inde ſpecimen pro exemplo & probatione uſurpatur: ut Cic. lib. de natura Deorum 3. Q. Scæuolam temperantiæ prudentiæq; ſpecimen appellat. Idẽ lib. de Leg. 3. de Senatu ſcribens: Is ordo, inquit, uitio uacato, cæteris ſpecimẽ eſto. Specimẽ dediſti.] Vt Virg. lib. Georg. 2. Salſa aũt tellus, & quæ perhibetur amara, Tale dabit ſpecimen. Specimen, dignam probationẽ Seruius exponit. Quid negotij.] Id eſt, quàm laborioſum. Concedam.] Aduerſarium cauſæ ſuæ iudicem facit per conditionem, ut aduerſarij cauſam magis eleuet. Nihil eſt enim quod minus ferendum.] Nam qui ſibi hoc ſumpſit, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehẽdat: quis huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe ab religione officij declinarit? Ita poſtulatur ab omnibus ut ab ijs ſe abſtineant maxime uitijs, in quibus alterũ reprehẽderunt. Furem aliquem aut rapacem accuſaris, uitãda tibi ſemper erit omnis auaritiæ ſuſpicio. Maleficũ quempiam adduxeris, aut crudelem: cauendum erit ſemper, ne qua in re aſperior aut inhumanior fuiſſe uideare. Corruptorem, adulterum: prouidendũ diligenter, ne quod in uita ueſtigiũ libidinis appareat. Omnia poſtremo quæ uindicaris, tibi ipſi uehementer fugiẽda ſunt. Etenim non modo accuſator, ſed ne obiurgator quidẽ ferendus eſt, qui quod in altero uitiũ reprehẽdit, in eo ipſe deprehenditur. Auctor eſt Cicero in principio actionis quintæ, ubi in hanc rem multa inuenire licet. Te adhuc ab nullis.] Legendum arbitror eſſe, Eum adhuc ab nullis, &c. ut ea ſententia ſit, Credo illud unum omnes animaduertere, Cæcilium ab nullis niſi à Siculis qualis eſſet, adhuc potuiſſe cognoſci. Itaque Siculos hoc dicere, &c. A` Siculis autem ideo cognitus eſt, quia fuit Siculus, &, q̃ in Sicilia Quæſtor fuit. Ex me non aud.] Quæ ſignificamus nos dicere nolle, ea plerunq; auditores maiora eſſe ſuſpicantur, quàm ſi diceremus. Vt eſt hominum genus.] Id eſt, ut Siculorum ingenium & natura eſt. Nimis acutũ.] Id eſt, ualde acutum. Hinc Siculos multũ eſſe facetos Cicero dicit in lib. de Oratore 2. & actione in Verrem 6. Literas.] Id eſt inſtrumenta, quæ in Verrem conſcripta tibi darentur, ſi eius accuſator conſtitutus, in Sicilia eius crimina inquireres. Illius prætura, & tua quæſtura.] Id eſt, crimina, quæ Verres Prætor, & quæ tu Quæſtor in Sicilia admiſiſſetis, [illegible] conſcripta eſſent. Aſportare.] Vt perirent, id eſt, lacerare aut urere. Deinde accuſatorem firmum.] Hoc ſecundum eſt quod in eo eſſe oportet, qui alterum accuſet. Firmum.] Id eſt, conſtantem, qui præuaricator non ſit. Eum.] Id eſt, talem. Nec ea dico.] Auditorum ſuſpicioni rem cõmittit.

Infirmare.] Id eſt, negare aut refutare. Te.] Dico.

Scribam & familiarem tuum.] Vt reditionem in gratiam cum Verre probet, ne odio Cæcilij cum Verre in prouincia retẽtus uideatur. Scribas autem Quæſtores etiam in prouincia habebant. Eos uulgo nunc appellant clericos theſaurariorum. Retentum eſſe.] Quamuis Quæſtor ſimul cũ Prætore prouinciã ſortiatur, eatq; cum eo in prouinciam, nonnunquam tamen Quæſtori exacto anno aut biennio mittebatur ſucceſſor, cum Prætori nõ mitteretur: itaq; è prouincia Quæſtor ante prætorem nonnunquam decedebat. Lectiſſimum atque ornatiſſimum.] Quamuis fratrum rara gratia ſit, M. Cæciliũ laudat, ne uideatur fratris odio cum Verre remanſiſſe: ſed ea de cauſa, quòd Q. Cæcilius Verri eſſet reconciliatus. Non adeſſe.] Propinquos enim & amicos aduocare ſolebant, qui in foro aliquid acturi erant. Tuas iniurias.] Quas tibi Verres fecit.

Ab aratoribus.] Romani cum nationem aliquam bello ſubiugauerãt, eam agri parte multabant. Is ager ſi aratorius erat, qui eum à Cenſoribus conducebant, aratores: ſi paſcuarius, pecuarij dicebantur. In cellam.] Cella appellata eſt, quòd ibi celemus quæ occulta eſſe uolumus, ut ait Sext. Pompeius: ut cella penaria, ubi penus: uinaria, ubi uinum reconditur.

HS. V.] Seſtertijs duobus legit Aſconius. Nonius quoque Marcellus eandem ſecutus lectionem eſt. Exigere, inquit, ut extorquere eſt. M. Tullius in Diuinatione: Et cum eſſet tritici modius ſeſtertijs duobus, pro frumento in modios ſingulos duodenos ſeſtertios exegiſſe. Condemnem.] Id eſt, condemnari faciam: ut probare pro eo quod eſt facere ut appro-

bes, ſæpe Cicero dicit. Qualis.] Id eſt, quàm improba, quantum præuaricationi obnoxia. Domeſtici.] Id eſt, proprij & tui. Criminis.] A' Verre admiſſi. Emptum eſt, &c.] Decumanũ frumentũ, id eſt, frumentũ quod aratores pop. Ro. ſoluebant. partem enim decimã ſoluebãt, inde appellatũ decumanũ eſt Decumanũ, inquam, frumentum non emebatur: q̃d præter id emebatur, ſoluebatur. Soluta non eſt.] Siculis.

Te accuſante, nullum.] Nam ſi accuſator conſtitutus eſſes, huius criminis mentionem nullam faceres. Quemadmodum defenſurus eſſet.] Amplificatio eſt. In medio poſita ſunt.] Id eſt, uulgaria ſunt, & cognita omnibus. Vt iſtius credo animos.] Id eſt, ut inſultantẽ minus & inimicũ Cæciliũ haberet. Nam, ut eſt apud Iuuenalem,

Quis nunc diligitur, niſi conſcius & cui feruens
Aeſtuat occultis animus, ſemperq́; tacendis?
Nil tibi ſe debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te ſecreti fecit honeſti.
Charus erit Verri, qui Verrem tempore quo uult,
Accuſare poteſt.

Animos.] Animos in numero plurali pro magnanimitate, &, ut ita dicam, animoſitate, cũ de uno homine ſermo eſt, dici nonnunq̃, alio quoq; loco inuenias: ut lib. Epiſt. ad Att. 7. Sed hæc, opinor, ſunt in his libris, quos tu laudãdo, animos mihi addidiſti. Et libro Aeneid. Vergil. 12. de Turno: Vltro implacabilis ardet, Attollitq́; animos. Fecerit.] Id eſt, commiſerit. Si id lege permittitur.] Id tamen nõ permittitur, quia repetundarũ cauſa eſt, & quia es ſenator. Concedas.] Id eſt, locũ des. Cõmiſiſti.] Id eſt, feciſti. Ita.n. exponit hũc locum Nonius Marcellus. ut paulo poſt, daturus crimini, id eſt aſcripturus. Quid illa Cæcili.] Hoc tertiũ eſt, quod in accuſatore eſſe oportet. Scopuloſo.] Arduo. Cum omnis arrogantia.] Auctore Quintil. lib. 11. Omnis ſui uitioſa iactatio eſt, eloquentiæ tamen in oratore præcipue, affertq́; audientibus nõ faſtidiũ modo, ſed plerunq; etiã odiũ. Neq; eſt quod poſſim dicere.] Sæpe.n. Cicero ingenioſum ſe eſſe negat, ut alio loco docuimus. Extra hanc contentionẽ.] Ne in hac cõtentione de cõſtituendo accuſatore, iactare ſe uideatur. Tu te collige.] Id eſt, ad te redi, & tanq̃ diſperſum animũ tuũ collige, ut in cogitãdo firmior ſis atque fortior. In quæſtura.] Cõſularem prouinciã Cn. Carbonis Verres quæſtor ſorte obtinuit. Cn. Dolabellæ prætoris legatus in Aſia fuit. Idem fuit poſtea prætor Vrbanus, & poſtremo Siciliam obtinuit, ut Actione tertia amplius ſcriptũ eſt. Romæ.] In prætura urbana. In Italia.] In quæſtura.

In Achaia, Aſia, Pamphylia.] In legatione. Non ſolum audiant.] Auctore Quintiliano lib. 3. orator illa tria præſtare debet, ut doceat, ut moueat, ut delectet. Non Lilybæi.] Lilybæus eſt unũ ex tribus Siciliæ promõtorijs, in Libyã ſpectans, ut ait Polybius lib. 1. de primo bello Punico. Cum in eas ingrederis.] Id eſt, cũ ad eas accedis. Eiuſdẽ ætatis.] Cuius ego ſum. Laboribus.] Id eſt, defenſionibus. Cũ illius temporis mihi uenit in mentem.] Priſcianus libris 17. & 18. exiſtimat genitiuũ pro nominatiuo poſitũ eſſe. Valla lib. 1. placet ſubintelligi cõditio, ſtatus, qualitas. Exiſtimo autẽ integrã locutionẽ eſſe, ut uerbũ uenit, imperſonale ſit. Id eſſe uerũ, uerbi ſignificatio ſatis oſtendit. Citato reo.] Id eſt, Verre uocato, ut eius cauſa agatur. Nõ ſolũ cõmoueor animo.] Boni oratoris eſſe, timere in orationis principio, idq́; Ciceroni ſæpe cõtigiſſe, alio loco docuimus. Significat etiam Cicero actionis difficultatem. Audientiã factura.] De hoc dicendi genere ſcripſimus in Catonẽ Maiorem Ciceronis. Offenſione hominũ.] Qui à Verre offenſi fuerũt. Offenſio.n. paſſiue dicitur. Qui.n. ab aliquo offenſi ſunt, ij in eũ qui offendit, ſatis grauiter dici poſſe nõ putãt. Tu horũ nihil metuis.] Cæciliũ oratorem bonũ non eſſe oſtendit. Ex uetere aliqua oratione.] Seruius enarrãs illud Virgilij ex lib. Aeneid. 11. de oratione regis Latini ad ſuos, Præfatus diuos ſolio rex infit ab alto, Ante equidẽ ſumma de re ſtatuiſſe, Latini, Et uellem, & fuerat melius: More, inquit, antiquo. Nam maiores nullam orationẽ niſi inuocatis numinibus inchoabant, ſicut ſunt omnes orationes Catonis & Gracchi. Nã generale caput in omnibus legimus. Vnde Cicero per irriſionẽ ait, Si quid ex uetere aliqua oratione, Iouẽ ego Opt. Max. Et Demoſthenes in oratione cõtra Aeſchinem, πρῶτον γὰρ ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις. Hæc ille. Eſt aũt exordiũ uulgare. Nam in plures cauſas accõmodari poteſt. Si nemo tibi reſponſurus.] Argumentum à fictione eſt. Qui cũ.] Id eſt, cũ quo. Petitiones.] Multa petunt oratores à iudicibus. Hortenſius cũ uehemẽter cõtenderat, impetrare ſolebat, ut reus abſolueretur. Vt nonnullũ etiã de ſuo ingenio, &c.] Id eſt, nonnunquã dicet ad oſtentandũ ſuum ingenium. Eluſurus.] Vt, Pueros nobiles eluſit. Qui tibi æſtus.] Id eſt, quæ animi fluctuatio, & incerta ratio. Homini minime malo.] Ironia eſt. Quid cũ accuſationis tuæ membra.] Sæpius defenſor diuiſione utitur, raro accuſator. Nã defenſor ex accuſatione colligit quæ cõtra ſe præcipua ſunt. Diuidere cœperit.] Hortenſium ſæpe uſum fuiſſe diuiſione, eſt in oratione pro P. Quintio, auctore Quintiliano lib. 4. multũ laudis ex diligentia partiendi Q. Hortẽſius tulit, cuius tamen diuiſionem in digitos diductã nonnunquam Cicero leuiter eludit. In digitis ſuis.] Haud ſcio an de hac uulgari in digitos diuiſione, an de illa, quæ apud doctos fuit, locũ hũc intelligi liceat: de qua q̃d uenerabilis Beda ſcripſerit, eſt apud Iodocũ Clichthouæum in libro de myſtica numerorum ſignificatione. Tranſigere, expedire, abſoluere.] Hæc tria uerba ad tres ſtatus Aſconius refert: primũ ad ſtatum coniecturæ ſecundum ad finitionis, tertiũ ad qualitatis. Poſſunt enim in eadem cauſa incidere quæſtiones ſpeciales, quorũ ij ſtatus ſunt. Ne innocẽti periculũ faceſſeris.] Id eſt, ne innocentẽ in iudiciũ uocaueris. Tibi.n. ne Verres innocens uideatur, Hortenſius ui orationis efficiet: quẽadmodũ Pericles cũ luctãdo uictus erat, dicendo cecidiſſe negabat. Itaq; rẽ ſe habere ſpectatoribus perſuadebat: ut in Politicis Plutarchus auctor eſt. Faceſſeris.] Verba capeſſo, faceſſo, uiſo, habere præterita capeſſi, faceſſi, uiſi, Priſc. lib. 10. tradit. hunc locũ citat. Inueniri tamen in quibuſdã codicibus faceſſieris dicit. Cõmiſerari.] Id eſt, iudicũ miſericordiã in Verrem cõmouere. Deonerare.] Id eſt, detrahere, diminuere. quod uerbũ frequens uſu non eſt. Traijcere.] Id eſt, traducere. Quæſtoris cũ Prætore neceſſitudinem. Ea quæ ſit, poſtea dicet. Morem maiorũ.] Quo prætor quæſtori loco parentis erat. Sortis religionem.] Sorte quæſtores, prætores, & cõſules obtinebant prouincias. Eã autem ſortẽ fieri diuinitus putabãt. Poteris ne eius orationis ſubire inuidiã.] Aſconius legẽdũ putat, Poteris ne eius orationi ſubire. q̃d Cicero Latine dixit, ut magno põderi ſubire. In eadẽ ſentẽtia No. Marcellus eſt: Subire, inq̃t, reſiſtere et reſpõdere eſt M. Tullius in Verrẽ Diui. Poteris ne eius orationi ſubire. Ita in codice antiquo manuſcripto inuenio, quãuis in uulgaris exẽplis orationem ſcriptũ ſit. Geſtu ipſo ac motu corporis.] Geſtu quãtũ ualuerit Hortẽſius, ſcripſimus pro P. Quintio. Huiuſce rei.] Id eſt, huius cõtrouerſiæ de accuſatore conſtituẽdo. Si ab iſto libro.] Significat Q. Cæcilium habere ſcriptã orationẽ, qua Ciceroni reſpõſurus ſit: nec eam ab eodem ſcriptam, ſed ab aliquo ludi magiſtro indocto: extra quam orationem nihil dicturus Cæcilius ſit, ne uerbo quidem uno diſceſſurus. Librũ autem pro oratione dicit. Solet enim Cicero iudiciales ſuas orationes, libros appellare: in quo eũ, ut in alijs multis, Quintilianus imitatus eſt.

Illi quoque iudicio.] De Verre, quemadmodum huic controuerſiæ nõ defueris. In hac præluſione.] Id eſt, in hac contentione de cõſtituendo accuſatore, quæ eſt ueluti quædã præluſio præ contentione illa, quæ in accuſando Verre fuerit. Iſt

autem

autem proluſio, id quod uulgo appellant præludium: ut qui ſerio luſuri ſunt, præmeditatione quadã ante ſe exercent, ut luſione concaleſcant. Id uulgo dicũt, nondũ ludere pro bono. Seruius exponens illud Virgilij ex lib. Aeneid. duodecimo, de tauro ad pugnam ſe præparante, Sparſa ad pugnam proludit arena: Ad pugnam proludit, inquit, id eſt præmeditatur. Cicero: Si mecum in hac proluſione nihil fueris. id eſt, præmeditatione certaminis. Cum acerrimo aduerſario.] Q. Hortenſio. Non ætate.] Non ætate. nam iam grandis ætate eſt. Oratores eos, qui in agẽdis cauſis ab adoleſcentia exercitati nõ ſunt, tanquam imperitos Cicero in contemptum adducit: ut de L. Quintio Oppianici patrono Cicero pro A. Cluentio: Nã Quintius quidem quam cauſam unquam antea dixerat? Cum annos ad quinquaginta natus eſſet, quis eum unquam nõ modo in patroni, ſed in laudatoris aut aduocati loco uiderat? A' ſubſellijs.] Hac quoq; ætate uaria ſunt fori genera tam in ciuili re, quàm in eccleſiaſtica, quorum alia alijs præſtantiores atq; ornatiores cauſidicos habent, nec alijs alio in foro cauſas agere licet. Inclamando quidem uideo.] Vſu uenit ut indoctiores clament robuſtius, ut quod ratione adipiſci nõ queunt, id clamore conẽtur obtinere, utq; uulgo doctiores eſſe uideantur. Itaq; Cic. lib. de Orat. 1. ſcribens quod Oratori neceſſarium ſit: Non, inquit, cauſidicum neſcio quem, neq; proclamatorẽ aut rabulam hoc ſermone noſtro cõquirimus, ſed eum uirum qui primus ſit eius artis antiſtes, cuius cum ipſa natura magnã homini facultatem daret. Idem de Oratore ad Brutum: Non, inquit, declamatorem de ludo, aut rabulã de foro, ſed doctiſſimũ & perfectiſſimum quærimus. Sæpe illum qui eſt ſecundarũ.] Donatus exponens illud ex prologo Terentij in Phormionem, Primas partes qui agit, is erit Phormio: Primas, inquit, partes qui agit, primas nunc maximas. ad actorem enim retulit. Cicero, Sæpe illum qui eſt ſecundarum aut tertiarum partium. Clarius.] Vulgo dicerent altius. Claram uocem & magnam, non altam à Latinis dici, alio loco docuimus. Se aliquid facturum.] Futurum, non facturum legendum eſt, ut antea: Si mecum in hac proluſione nihil fueris. Itemq; 2. Iſto, ipſe nihil eſt, nihil poteſt. itemq; Vt tu tandem aliquid eſſe uideare. Ex illo grege oratorum.] Gregem oratorum in contemptũ dicit, ut M. Varro auctore Non. Marcello dixit gregem rabularum. Nonnunquam tamen grex in bonam partem dicitur, ut gregẽ amicorum, & gregem Philoſophorum à Cicerone dici, alio loco docuimus. Honorem habiturus.] Id eſt, facturus. de quo dicendi genere alibi plura. Quaſi præteriens.] Id eſt, in tranſitu. De populo.] Id eſt, uulgaris, & indoctus. ut pro Archia: Cum ei libellum malus poeta de populo ſubieciſſet. A' columna Menia.] Ea quæ ſit, Aſconius planè. Eius columnæ meminit Cicero pro A. Cluentio: Ex petulanti atque improbo ſcurra in diſcordijs ciuitatis ad eam columnam, ad quam multorum ſæpe conuitijs perductus erat, tum ſuffragijs populi peruenerat. Significat autẽ iudices ad hanc columnam ſuffragijs populi eligi ſolitos. Quid ſi legas, à columna Meniana? Nam ut ab Aemilio Aemilianus, ab Octauio Octauianus, ita à Menio Menianus inclinari debet. Sex. quoq; Põpeius Meniana appellata eſſe dicit à Menio cenſore, qui primus in foro ultra columnas tigna proiecit, quò ampliarentur ſuperiora ſpectacula. Cuſtodem, inquit, Tullio me apponite.] Accuſatoribus cuſtodes apponi morẽ fuiſſe ſignificat, ne ipſi corrupti præuaricarentur. Reo quoq; lege datũ eſſe, ut cuſtodẽ accuſatori apponeret, qui cuncta noſſet quæ accuſator attentaret, ut nihil clàm neq; præter opinionem in iudiciũ afferre poſſet, Plutarchus in uita Catonis Vticenſis ſcribit. Capſas.] Id eſt armaria, arcas, hippoperas, quas mallas uulgo dicũt, in quas ego repoſuerim inſtrumẽta ea quæ cõtra Verrem in Sicilia cõquiſiuerim. Nã ſi mihi cuſtos appoſitus eſſes, teq; ad meas capſas admitterẽ, multis cuſtodibus mihi opus eſſet, ne quid ex his capſis ad Verris cauſam pertinens ſublegeres. Ne quid enuncies.] Ex conſilijs & ſecretis meis in Verrem. Auferas.] Id eſt, aſportes, & fureris ne pereat. Non eſſe hos tales uiros.] Aſconius legit, Nunquam tales uiros. Creditam.] A' Siculis. Quàm multa.] Quæ Oratorem habere oportet. Reus nocens.] Non modo C. Verres, ſed quiuis alius. Nunc librum.] Id eſt, orationem ſcriptam. Monitor tuus.] Qui ſecundum te eſt, ut uoce præeũs te in gradum reſtituat, ſi quando deijciare: aut quid dicturus ſis moneat, ſi quid oblitus ſis, aut niſi memoriæ fideliter mãdaueris. Eum prothocollam uulgus appellat. Tenet.] In manibus. Tenet, Marcellus hoc in loco exponit pro eo quod eſt comprehendit & detinet. Neque eſſet uériſimile.] Verris crimen amplificat. Eximium.] Id eſt, electum. Ab eximendo eximium dictum eſt. Id autem eximiũ dicitur, quod ex magno aliquo numero, & tanquam optimum & maxime cõueniens eligitur. Auctore Macrobio libro Saturnalium tertio, eximiũ in ſacrificijs ſacerdotale uocabulũ eſt. Hinc eximiæ hoſtiæ, quæ ad ſacrificium deſtinatæ eximũtur è grege, uel quòd eximia ſpecie quaſi offerendæ numinibus eligãtur. Vtrũq;.] Id eſt, ut debeat, & poſſit. Superiorem eſſe.] Id eſt, accuſatorem cõſtituẽdũ eſſe. Alterũ.] Vel ut debeat, uel ut poſſit. Adoptauit.] Id eſt, omnino elegit. Optare. n. eligere eſt. Inde optio appellata eſt. Niſi planè nihil ſapit.] Stultus. n. eſt, qui quod ſibi nociturum ſit, dicit. Liberta Veneris Erycinæ.] Eryx Veneris & Butæ filius fuit. Is occiſus ab Hercule, monti ex ſepultura ſua nomen impoſuit, in quo matri fecerat templũ. Auctor eſt Seruius libro Cõmentariorum 1. in Aeneid. Virgilij. Polybius tamen in libro de primo bello Punico ſcribit, Erycem & Segeſtã urbes in Sicilia à profugis quibuſdã Troianis euerſa patria cõditas fuiſſe. In Eryce quondam fuiſſe Veneris templum religioſum maxime, magna mulierum illius miniſterio dicatarũ celebritate ornatum, quæ non ex Sicilia tantum, ſed etiã ex nationibus exteris aduocarentur, Strabo libro 6. auctor eſt. Quòd autem Agonis Veneris liberta fuerit, conijcere licet certum quoddam miniſterij tempus fuiſſe, extra quod ſacerdotes in libertatem uindicarentur: ut de Veſtalibus in Auſonij Gryphũ ſcripſimus. Copioſa.] Id eſt, locuples: à copijs, id eſt, à diuitijs. de qua uoce à Cicerone ſæpe uſurpata alibi ſcripſimus. Præfectus Antonij.] Is M. Antonius fuit, cui infinitũ illud imperiũ, id eſt, totius oræ maritimæ poteſtatẽ Senatus decreuerat, ut prædones perſequeretur, ac mare omne pacaret, ut ait Lactãtius lib. de Falſa religione 1. Idem bellũ aduerſus Cretenſes parũ proſpere geſtũ, morte ſua finiuit: ut ait T. Liuius lib. 97. Hic iunior fuit M. Antonio oratore, & grandior M. Antonio triũuiro. Hunc Volaterranus ſcripſit filiũ fuiſſe M. Antonij oratoris, quem & Siciliã & prouincias oẽs populatum fuiſſe dicit. Eius præfectus qui fuerit, ne Aſconio quidẽ cognitũ fuit. Symphoniacos ſeruos.] Quos in delicijs habebat, ut pro Milone: Milo, qui nunquã, tũ caſu pueros ſymphoniacos uxoris ducebat, et ancillarũ greges. Quibus ſe in claſſe.] Budæus quoq; in annotationibus in Pãdectas hũc locũ explicat. Omnium Venereorũ.] Quãuis ſacerdotes Veneris Erycinæ fuerint fœminæ, Venereos tamen appellat: ut pro A. Cluentio, Martiales quidã Larini appellabãtur miniſtri publici Martis, atq; ei deo ueteribus inſtitutis religionibusq; Larinatiũ cõſecrati. quorũ cũ ſatis magnus numerus eſſet, cumq; itẽ ut in Sicilia permulti Venerei ſunt, ſic illi Larini in Martis familia numerarentur. Quocirca cõijcere licet, uiros quoq; Veneri Erycinæ cõſecratos fuiſſe. Qui ſe à Venere liberauerũt.] Id eſt, q Veneris miniſterio ſubducti ſũt, eiuſq; Veneris liberti ſũt. Religionẽ Veneris.] Eadẽ fermè rõne multi faciũt hac ætate, q ſe ſuaq; omnia diui Anto. eẽ dicũt, quò ab improborũ hominũ iniuria tutiores ſint. Viro optimo.] Ironia eſt. Iudiciũ dat.] Id eſt, iudiciũ cõſtituit, aut præiudiciũ fert, ut Milonis accuſa-

tores Cn. Pompeium Coſ. tuliſſe dicebant de cæde, quæ in Appia uia facta eſſet, in qua P. Clodius occiſus fuit. Si pateret.] Id eſt, ſe conſtaret. Iudicant recuperatores.] Recuperatores iudices erant in cauſis priuatis, ex equitum aut publicanorum ordine. De quibus alibi ſcripſimus. In poſſeſſionem bonorum mulieris mittit.] Id eſt, mulierem bonorũ poſſeſſione priuat, alio in eius bonorum poſſeſſionem miſſo. Redigit.] Id eſt, cogit, cumulat, ut paulo poſt. Cogit quæſtorem ſuum, pecuniã quam ex Agonidis bonis redegiſſet, eam mulieri omnem adnumerare. Pauca mancipia.] Id eſt, paucos ſeruos ſymphoniacos. Lilybæum Verres uenit.] Significat Agonidem cum Veneris liberta facta eſſet, Lilybæum rediſſe. Non Verres.] Id eſt, non populator prouinciæ, qualis fuit: ſed Q. Mutius, id eſt, optimus atque innocentiſſimus prouinciæ: aliquis fuit Q. Mutius Scæuola, is qui Aſiam conſul ita bene adminiſtrauit, ut ſolennem diem feſtum in eius honorem Aſiani conſecrauerint, eumq́; Mutia appellauerint: qui auctore Valerio Maximo lib. 8. Tit. Quæ cuique magnifica contigerunt, Aſiam tam ſancte & tam fortiter obtinuit, ut Senatus deinceps in eã prouinciã ituris magiſtratibus exẽplum ac formam officij Scæuolam decreto ſuo proponeret. Ad hominũ exiſtimationem.] Id eſt, ad bonam famam apud homines quærendam. Libidinem.] Id eſt, auaritiam. E neſtigio.] Auctore Priſciano libro 18. Romani è ueſtigio dixerunt, uel quòd ſtans aliquis in eodẽ ueſtigio facit (unde à ſtando ſtatim quoq; dicitur) uel quantum tempus eſt in uno ueſtigio faciendo, quod eſt breuiſſimum. Id ut probet, citat hũc locum: apud quem ſcriptum lego, redijt ad ſe, nõ redit ad ſe. Tanq̃ aliquo Circio poculo.] Circe caſeũ, farinã, mel nouũ uino Thaſio admiſcebat. Id poculũ hoſpitibus ubi dederat, uirga percuſſos in ſues mutabat. Eos alio medicamẽto cũ ungebat, in humanam formã reſtituebat: ut eſt apud Homerum libro Odyſſeæ decimo. Poculo.] Id eſt, potione: continens pro contento. Factus eſt Verres.] Ad Verrem ſuem alludit. Cum antea Mutius eſſet, Verres factus eſt. Quantulum.] Diminutiuo uſus eſt, ut eum Agonidi paruam reddidiſſe pecuniam oſtendat. Viſum eſt.] Vulgo dicerent, uiſum eſt ſibi bonum. Defendam.] Id eſt, iure factum oſtendam.

Grauiorem iudicem.] In codicibus alijs uindicem, non iudicem inuenire licet. Perfidioſum.] Quòd eum petas accuſandum, cum quo amicitiam ſimulas. An præuaricatorẽ.] Quòd eum petas accuſandum, cui te inimicũ eſſe ſimulas. Nã tu es Verris uel amicus, uel inimicus. Si es inimicus, tu es perfidioſus, ſin amicus, tu es præuaricator. Eſt enim præuaricator, qui diuerſam partem adiuuat prodita ſua cauſa, ut ait Vlpianus libro Digeſtorum 47. de præuaricatoribus. Itaque eris præuaricator, ſi cum Verre in amicitiã rediſti, eumq́; ſimulatis inimicitijs adiuues. Nam prodita Siculorum cauſa, eum adiuuabis, quem accuſandum ſuſceperis. Quæſtorem illius fuiſſe.] Q. Cæcilius ſatis grauem cauſam ad accuſandum Verrem putat, quod eius quæſtor fuerit, quamuis nullam ab eo iniuriã acceperit. Eius enim crimina melius noſſe ſe, quàm quemlibet putat. Hanc cauſam, quòd Verris quæſtor Cæcilius fuerit, ſatis grauem ad defendendum Verrem, non ad accuſandum, Cicero dicit. Illud enim artificioſum eſt, ut quod in rem ſuam aduerſarius cõuertit, id in rem diuerſam deflectamus. Auctore Quintiliano libro quinto, oratoris eſt efficere, ut aliquid ab aduerſario dictum, noſtræ potius cauſæ uideatur eſſe coniunctum: ut petit accuſationem in Verrem Q. Cæcilius, quòd fuerit quæſtor eius. Idipſum Cicero ut pro ſe uideretur effecit. Amicior.] Et ideo potius defenſor. Suſcipiendarum in.] Id eſt, ſuſcipiendæ accuſationis. Cauſam neceſſitudinis.] Qualis inter prætorem & quæſtorẽ eſt. Ad inferendũ periculum.] Id eſt, ad accuſandum. Si plurimas à tuo prætore.] Argumentum à fictione eſt. Eas ferendo, maiorem laudem.] Cum à ſuperiore inferior, ut à præceptore diſcipulus, à domino ſeruus, à marito uxor, à patre filius acceptã iniuriam fert æquo animo, laudem maiorem adipiſcitur, quàm ſi ulciſceretur. Illud M. Cato ſenex ſcripſit, ut eſt apud A. Gelliũ libro decimo. In adulterio uxorem tuam ſi deprehẽdiſſes, ſine iudicio impune necares. Illa te, ſi adulterares, digito non auderet contingere, neque ius eſt. Auctore Platone in Apologia, neque in dominũ, neque in patrem, ſi quid ab illis patiare, quidquam referre ius eſt: neque ſi iurgio hi te laceſſant, cõtra iurgare: neq; ſi te uerberent, uiciſſim uerberare liceat. Statuent hanc cauſam.] Id autem efficient iudices, ſi te accuſatorem cõſtituent. Cum incertum ſit de iniuria.] Id eſt, cũ certum ſit nullam tibi à Verre factam iniuriam. Sine uituperatione.] Id eſt, ut Verrem non accuſes. Quid differat.] Id eſt, quid diſtet. Ita enim locum hunc Marcellus explicat. Inferior ſit.] Cauſa inferior eſt, qui ius habet, ut uulgo dicunt, minus euidens: ut contra ſuperior dicitur. ut pro P. Quintio: at ſi cauſa pari Quintius diſcedere inferior uideretur, tamen eſſet non mediocriter conquerendum. Nũc in cauſa ſuperiore ne ut par quidem ſit poſtulat, inferiorem eſſe patitur, duntaxat uſq; eo, ne cũ bonis fama fortuniſq́; omnibus Næuij cupiditati crudelitatiq; dedatur. Muneris.] Id eſt, officij. Numero.] Id eſt, loco: ut actione 2. Socij fideliſſimi in hoſtium numero exiſtimati. T. Liuius lib. uigeſimoſecũdo: Nec hoſpitum numero habuit captiuos. Periculum crees.] Id eſt, periculum faceſſas: id eſt accuſes. ut pro L. Corn. Balbo. Fore huic ut ab illo periculum crearetur. Et in oratione Antequam exiret in exilium: Nemini iniuſte periculum creaui. Qui enim accuſatur, in periculo eſt ut condemnetur. In ratione reddenda.] Id eſt, ut rationem & cauſam reddas. Repudiaretur.] Sententijs iudicũ. Neque Philoni.] Hæc exempla apud auctorem alium non legi. Poteſtas eſt data.] Dare poteſtatem dicit, quemadmodum Actione ſeptima, facere poteſtatem. Poteſtas aſpiciendi nemini facta eſt. Propter indignitatem.] Id eſt, quia indignus & non idoneus accuſator eſſet. Repudiatus eſt.] A iudicibus, à prætorũ ſuorum accuſatione. Libido.] Id eſt, cupiditas. Cum C. Iulio.] Is eſt C. Cæſar: qui apud Ciceronem de Oratore diſputat. Ad periculum.] Quod reo creatur. Vel ad periculum laudis, honoris, & famæ, quod ſubit is qui accuſat. Hæc enim, niſi uincat, amittit. Si probabilis.] Argumentum à minore ad maius. Dolori ſuo ſeruiunt.] Id eſt, dolorem ſuum lenire & mitigare tentant. Hominis enim affecti iniuria dolor mitigatur ſupplicio eius qui fecit iniuriam. In P. Gabinium.] Hoc quoque exemplum alibi non legi. In P. Vatinium delationẽ nominis poſtularet.] Poſtulare delationem nominis in aliquem, eſt alicuius accuſationem poſtulare. Q. Cæcilius.] Hic alius erat ab eo qui Verris accuſationem poſtulabat. Achai.] Achaiam à P. Gabinio populatam ſignificat. Adoptarant.] Id eſt, elegerãt: ut ponitur ante, Actorem totius cauſæ adoptauit. Ad probandũ.] Id eſt, ut approbetur. Accuſaui eũ.] Per ethopœiam facit Q. Cæciliũ cõmemorantem cauſam accuſationis, ſed utiliter ad cauſam Ciceronis: deinde cõparat cõmemorationẽ ſuæ accuſationis, cuius cauſam ſplẽdidiorẽ atque illuſtriorẽ facit. Apud quos quæſtor fueris.] Vt ego Siculorũ fui quæſtor, quorũ cauſa accuſationẽ poſtulo. Clariſſimi uiri.] Quoniã Ciceronis ætate ferè adoleſcẽtes accuſabant, Cicero uero iã maior natu Verris accuſationẽ poſtulabat, ne qui mirarẽtur, id facere ſe in Procemio dixit, adductũ multorũ bonorũ exẽplo, ueteri cõſuetudini inſtitutoq́; maiorũ. Hoc in loco id à maioribus factũ, idq́; reipublicæ utile fuiſſe oſtẽdit. Tpibus optimis.] Cum lex repetũdarũ nulla erat. Eſt autem argumentũ à minore ad maius. Ducebant.] Id eſt, exiſtimabãt & iudicabant. Ita hũc locũ Marcellus exponit. Iniurias propulſare.] Nã accuſabant eos qui iniurias fecerant. Illum ſapientem.] Sapiens enim

enim Cato cognominatus eſt, quòd naturã ducem ſecutus fuerit. ut eſt in Catone Maiore Ciceronis. Cũ multis.] Vt cum Sergio Galba, quem nonagenarius accuſauit: ut in Catonis uita Plutarchus ſcribit, apud quem de Catonis conſulatu et triũpho de Hiſpania multa legere licet. Iniurias nuper.] Cicero Actione quarta: Fecit, inquit, nuper homo clariſſimus Cn. Domitius, qui M. Syllanum conſularem uirum accuſauit propter Egritomari tranſalpini hoſpitis iniurias ibi M. Syllanũ appellat, quem hic Decimum Syllanum. Hominum nocentium.] Qui à patronis ſuis adoleſcẽtulos accuſatores eludi facile ſperant. Longo interuallo repetita.] Id eſt, longo tempore retrorſum petita. Non inertiſſimũ.] Id eſt, non imperitiſſimum, non omnino ſine arte. Eſt autem liptote. Minus enim dicitur, & plus intelligitur. Fide diligentiaq́.] Hæc duo in patrono plurimum habent momenti. Prodire.] Id eſt, progredi. Illiuſmodi.] Id eſt, imperitos. Leges & iudicia.] Quæ magna ex parte muniuntur, cum uiri graues nocentium hominum accuſatione ſuſcipiunt. M. Aquilium.] Quem M. Antonius defendit, ut eſt in actione ſeptima. P. Africanus homo uirtute, &c.] Minor. L. Cottam iudicium.] Huius cauſa grauiſſimis criminibus confeſſa, ſepties ampliata, ad ultimum octauo iudicio abſoluta eſt: ut ait Valerius Maximus libro 8. Titulo, Infames rei quibus de cauſis damnati, aut abſoluti ſunt. Quid ſibi iſte uult? accuſatorem ne.] Imitatio eſt orationis eorũ qui moleſte ferunt Ciceronem poſtulare accuſationem Verris, aut qui metuunt ne accuſandi cõſuetudo ad homines honeſtiſſimos uiroſq́; grauiſſimos referatur. Iſte.] Cicero. Cum ædilitatem petat.] Illum ordinem gerendorum magiſtratuum, ut primum quæſtura, deinde ædilitas, deinde prætura, deinde conſulatus, poſtremo cenſura gereretur, fuſius docemus in Cõmentarijs in Ciceronem de Senectute. Ciceronem fuiſſe annis trigintaquinque maiorem, cũ hanc orationem habuit, & ædilitatem petiuit, conijcere licet. Anno enim uigeſimoſeptimo Sex. Roſcium defendit, ut eſt apud A. Gelliũ libro decimoquinto. ea fuit prima cauſa publica quã egerit. Cum in cauſis biennium uerſatus eſſet, primum Athenas ſe contulit, deinde Aſiam totam peragrauit: quo tempore biennium abfuit. Poſtquam ex Aſia rediſt, unum annum cauſas nobiles egit. Poſtea quæſtor annum in Sicilia fuit. Triennio poſt cum in cauſis plurimis, & in principibus patronis uerſatus eſſet, deſignatus ædilis Verrem accuſauit: ut eſt in libro de Claris oratoribus. Cum tamen hanc accuſationem poſtulabat, ædilitatem petebat. Superioris.] Id eſt, maioris: quamuis ſuperior ætas dicatur ſæpius, quæ preceſſit. Honoris ampliſſimi.] Id eſt, conſulatus. Miſeros, &c.] Qui miſeria premuntur, qua indigni ſunt. Deſperata reipublicæ, iudicijſq́; corruptis ac cõtaminatis.] Vnde tranſlatio ducta ſit, in promptu eſt. ut pro P. Sylla: Ex magnis & diuturnis, & iam deſperatis reipublicæ morbis iſta repente uis erupit, ut ea confecta & eiecta conualeſcere aliquando ciuitas poſſit. Non minus de laude.] Accuſator ſi innocẽti negotium faceſſat, ac propterea non uincat, ea pœna eſt, ut laudem, honorem, famam, exiſtimationem amittat. Diligentiſſime & laborioſiſſime.] Diligentiam in oratore ualere plurimum, alio loco docuimus. Cum diligentia laborem oratori coniungendũ eſſe, ſæpe in hac oratione Cicero ſignificauit. Quamobrem.] Concluſio eſt. Expectatio.] Ad præteritum opinio, ad futurum expectatio pertinet. Collectam.] Id eſt acquiſitam, ut paulo poſt: Habet exiſtimationem multo ſudore, labore, uigilijſq́; collectam. In offenſione.] Id eſt, ſi cauſam amittat. Multos obſides habet.] Eos obſides paulo poſt enumerat, hoc eſt, ædilitatem quã petit, ſpem propoſitam, exiſtimationem multo ſudore, labore, uigilijſq́; collectam. Ac recuperare.] Obſides enim recuperare, uiri boni eſt. Habet ſpem.] Nõ ædilitatis ſolum, ſed præturæ & conſulatus. Probauerimus.] Id eſt, ut iudices approbent fecerimus. Per populum Romanum.] Qui ipſe ſuis ſuffragijs mandat magiſtratus. Tantulum.] Id eſt, aliquantulũ. Vt ea quæ ſingulatim.] Vſu ſæpe uenit, ut quæ ſingulatim longo tempore collecta ſunt, ea uniuerſa uno tempore perdantur: ut quæ incendio, alluuione, hoſtium incurſione pereunt. Auctoritate.] Ea, auctore Quintiliano libro tertio, uita ante acta, ſi illuſtris fuit, generis nobilitate, ætate, fortuna comparari ſolet. Ordini ueſtro.] Id eſt, Senatui.

## IN EANDEM ACTIONEM IN VERREM PRIMAM [redacted] SCHOLIA.

### QVO ORATIONIS GENERE CICERO IN VERRINIS VSVS SIT.

VSVS eſt Cicero in ſcribendis Inuectiuis partim demonſtratiuo genere orationis, partim iudiciali. Demonſtratiuo quidem, quòd in Verrem adeo inuehitur: ubi mirũ eſt, quàm crebris & perſpicuis notationibus, quas & hoc orationis genus expoſcit, utatur. Cæterum cum Verrem iam huius, iam illius criminis accuſat, crimina Verri obiecta confirmet, obiecta à patronis Verris diluat, iudiciale quoque orationis genus interſerit. Nec uero ſatis dici poteſt, quàm ferueat totus Cicero in his orationibus. Nemo oratione conſequi queat, quantis ſcommatis, ſalibus, dicterijs, Verrem inceſſat, & Verrem non hominem, ſed uere Verrem eſſe totius Siciliæ oſtendat.

### QVIS STATVS ORATIONVM VNIVERSARVM.

Status generalis orationum uniuerſarum eſt, Verrem reum Repetundarum eſſe. Quid repetundæ ſint, docet Valla libro Elegantiarum primo, cap. 37. Ille ſtatus in omnes orationes ſpargitur. Alioqui tot ſunt ſtatus, quot crimina Verri obijcit Orator. Porrò illud ſtudioſum iuuenem admonere uolo: Ciceronem, mea quidem ſententia, in Verre criminando, non parum ſecutum eſſe Demoſthenem, qui Ariſtogitonem Athenienſem, Verris perſimilem, oratione ut longa, ita uehementiſſima inſectatur, quod damnatus ob æs alienum, contra omnes leges rempublicam attingat. Deinde obſeruabit iuuenis quanta orbis peſtis ſit, ſi in hominem ſceleratum, qualis Verres eſt, magiſtratus incidat. Poſtremo, iucundam orationis compoſitionem, miram tam uerborũ quàm ſententiarum copiam, gratam ſchematum uarietatem, & lucidas ac copioſas narrationes, aptiſſimos orationum tranſitus, & ſi quæ alia ſunt, iuuenis uel me tacente annotabit.

### CVR ORATIO PRIMA, DIVINATIO DICATVR.

Q. Cæcilius Niger, homo Siculus, quæſtor Verris, & eius, ut ipſe affirmabat, inimicus, contendebat ſe potius quàm Ciceronem, accuſatorem Verris conſtitui oportere: at Siculi Ciceronem conſtituerant. Iam in oratione iſta prima quæritur de futuro, quæ eſt diuinatio, uter, an Cicero, an Cæcilius, Verrem accuſare deberet. Proinde Diuinatio hæc oratio inſcripta eſt. Porrò genus cauſæ eſt honeſtum. Status orationis primæ eſt negotialis, comparatiuus de conſtituẽdo accuſatore, quis potiſſimum de duobus, aut quis ſolus accuſet.

I Quis ueſtrũ iudices, &c.] Exorditur à ſua perſona, nimirũ quibus rebus adductus ſit ad accuſandum Verrem. Iudicijsq; publicis.] Iudicia publica dicta ſunt, quòd cuiuis ex populo executio eorum plerunque daretur uide in Inſtitutis, in Titulo de iudicijs publicis. Is ſi mei conſilij.] Diuiſio huius cauſæ, utrum Cicero rectè accuſet, & utrum Cæcilio anteponẽdus ſit. Vnà & id quod facio.] Auctore Valla libro ſecundo, unà pro ſimul hoc in loco Cicero dixit: quod apud eum raro inuenire licet. Ex hoc loco emendabis Vallæ codicem. Cum quæſtor.] Narratio admodum argumentoſa. Factum eſt, uti.] Argumentum, quare Cicero in Siculorum memoria hæſerit. Patronis multis.] Marcello ſcilicet, Scipionibus, & duobus Metellis, ut annotauit Aſconius. Qui nunc populati.] Argumentum ab iniurijs, quibus Siculi à Verre affecti ſunt. Defenſionemq; ſuſcipere.] Extenuatio eſt. nam accuſationem dicere debuerat. Sæpe eſſe pollicitum.] Argumentum ab honeſto. Nam honeſtum eſt ſtare dictis. Seſe iam ne deos.] Argumentum à rei magnitudine. Quòd eorũ ſimulachra.] Verrem impietatis & ſacrilegij notat. Luxuries in flagitijs.] Obſerua diligenter quàm apte tribuat uitijs ſingulis ſuos effectus. & eſt aſyndeton. Per triennium pertuliſſe.] Per quod Siculi Arrium quendã Verri ſucceſſurum expectabant, ut Aſconius annotauit. Hoc uno Prætore.] Exaggeratio iniuriarum. Dicebam eos habere.] Oſtendit quòd munus accuſandi Verrem à ſe reiecerit. Multorum bonorum exemplo: ueteri conſuetudine, &c.] Sic P. Sulpitius C. Norbanum ciuem ſeditioſum in ius uocauit. Sic L. Fuſius Manilium accuſauit. Auctor Cicero libro Officiorum ſecundo. Quo in negotio.] Secunda exordij pars, in quã iſtã accuſationem in Verrem, non tam accuſationem, quàm defenſionem eſſe docet. Non potius accuſatio.] Propoſitio eſt. Defendo enim.] Confirmatio propoſitionis eſt. Et hoc quod facio.] Argumentum ab honeſto. Non in Sicilia ſolum.] Exaggeratio ſcelerum Verris. Sed in Achaia, Aſia.] Achaia regio Græciæ undiq; mari circunſepta, præterquam à Septẽtrione: cuius metropolis eſt Corinthus. auctor Plinius libro quarto, capite quarto. Cilicia.] Regio minoris Aſiæ, Syriæ proxima: auctore Plin. lib. 5. cap. 26. Porrò Verres in his regionibus legatus fuit. Prò deum.] Comica exclamatio. Populatæ, uexatæ.] Exaggerat iniurias Verris, per diſtributionem. Populatæ, uexatæ, funditus euerſæ.] Articulus, cum incremento uocum. Populus Romanus.] À querimonia populi Romani ob corrupta iudicia. Tametſi multis incommodis.] Nam cum plebs Romana ruſtica à Mario ſtaret aduerſus Syllam, Sylla uictore, plebs Romana & agros & ius ciuitatis amiſit, & proſcripta eſt. Vide Florum epitome LXXVII. Iudiciorum infa.] Apud Romanos iudicia apud uarios erant. Gracchus legem tulit, ut penes Romanos equites iudicia eſſent: qui per annos uiginti ſine infamia iudicũ munere functi ſunt. Deinde uictor Sylla legem fert, ut iudicium ad ſenatorium ordinem reijciatur: qui decem annis cum ſummo dedecore iudicauit. Poſtremo Aurelius Cotta legem fert, ut & ſenatores, & equites Romani, & tribuni ærarij iudicandi munere fungerentur. uide Ciceronem in prima Philip. & Aſconium Pædianum. Totius ordinis offenſione.] Id dicit propter ærarios tribunos, quibus cum quoq; iudicandi unà cum alijs ordinibus poteſtas delegata eſſet, ſenatus grauiter offenſus eſt. Ego ſic intelligo.] Vtrum Cicero Cæcilio anteponẽdus ſit, diſſerit. Hoc eſt de uoluntate.] ἐπεξήγησίς eſt. Siciliam prouinciam.] Amplificatio eſt iniuriarũ per diſtributionem. Me cognitorem.] Cognitorẽ, id eſt, eum qui præſentis cauſam norit, & ſic tueatur ut ſuam. Adſunt, queruntur.] Confirmatio à teſtibus. Auxilium ſibi per me.] Argumentũ à uoluntate Siculorum. Vtrum Q. Cæcili.] Apoſtrophe ad Cæcilium. De quo non præiudicium.] Præiudicium dicitur res, quæ cum ſtatuta fuerit, adfert iudicaturis exemplum quod ſequantur: iudicium autem, res quæ cauſam litemq; terminat. auctor Aſconius Pædianus. Cauſam inimici.] Ironia eſt. Deinde ſunt teſtes.] À teſtibus probat, Siculos à ſe petiuiſſe defenſionem ſui. Cn. Lentulus.] De quo Cic. in lib. de Claris orato. ita ſcribit: Cn. Lentulus Marcellinus nec unquã indiſertus, & in conſulatu pereloquens uiſus eſt, non tardus ſententijs, non inops uerbis, uoce canora, facetus ſatis. Marcellorum nomini.] Propter Marcellum, qui Syracuſas expugnatas, eas intactas reliquerat. Et ita uehementer eſſe.] Argumentum à neceſſitate. Sed quid ego.] Correctio eſt. Præter duas ciuitates.] Intelligit Syracuſas & Mamertinã quarum ciuitatum una permiſit ut Verres furta committeret, per alterã furta exportauit, ut poſterius in quarta Verrina dicetur. Tacite quoque perſtringit ciuitates iſtas. Etenim cur à me.] Obiectio eſt. Verum id mihi non.] Præoccupatio cuiuſdã obiectionis. Sed uniuſcuiuſq; temporis.] Hoc propter Marcellum dicit, qui id temporis iudicem agebat. Valetudinis.] Propter Marcellinum hoc dicit, qui id tẽporis infirmiore ualetudine erat. Facultates.] Hoc propter alterũ Marcellum dicit, qui ſtudioſus magis quàm eloquens fuit. Reliquum eſt.] Tranſitio eſt. Ecquid auctoritatis.] Quantum apud iudices ualere debeat, quòd Siculi à ſe Cicerone patrociniũ ſui petierint, docet. De quo quid ego.] Exorditur confirmationẽ ab occupatione. Quin tota lex.] Legis repetundarum expoſitio. Quis igitur eſt.] ἐνθύμημα eſt. Lege agi.] Lege agere, eſt uerbum iuris, & ſignificat intentare actionem. Sicilia tota.] προσωποποιΐα. Quod auri, quod.] Diſtributio. Abs te ſeſtertium.] Seſtertius eſt dictus ex eo quòd duos aſſes & ſemiſſem haberet: qua ratione quaterni ſeſtertij, denarium Romanum ualebant. et ſeſtertius dictus, quia tertius ſemis eſt: duo ſunt ſolidi aſſes et ſemis. Noſtra æſtimatione ſeſtertius ualet decem Teutonicos denariolos, ad monetam groſſum Marchionicũ: Deinde mille huiuſmodi ſeſtertij faciunt ſeſtertiũ in neutro genere, & conficiunt plus minus uigintiquinque coronas. Porrò quod hic dicit Cicero millies ſeſtertiũ Verrem abſtuliſſe, & infra tamen dicit quadringenties ſeſtertium: Aſconius reſpondet, Oratorem [illegible] id eſt, amplificatione uſum. uide quoque Budæum, qui hunc locum tractat lib. 1. de aſſe. Tamen his inuitiſſimis.] Argumentum à turpi. Tamen in aliena cauſa.] Pyſma eſt, cum repetitione. Cur eorum ſpem.] Acriter in Cæcilium inuehitur. Eos nunc planè.] Argumentum ab indigno. Non optime es meritus.] Modeſta reprehenſio per liptotem. At enim ſolidum.] Tranſitio eſt. Obſcurũ eſt.] Ironia eſt. À quo Verres minime.] Argumentum à uoluntate Verris. Sunt multa quæ.] Diſtributio eſt. Paulo poſt commemorabo.] Reiectio eſt. Nullam rem.] Collatiuncula perſonarum. Et ait hoc ſe honeſte.] Fictione utitur. Nam Hortenſium alloquentem iudices introducit, ut et Cæcilium Ciceroni anteponant, & ſe corrumpi patiantur. Id peto.] Iucunda mutatio orationis eſt. Nam antea Hortẽſium numero plurali uſum introduxit, mox ſingulari utentem facit. Et ait idem.] Iudicia eſſe corrupta probat. Ceratam unicuique tabellam.] Annotauit Aſconius Pædianus, in Diuinationibus, & alijs cauſis maioribus uniuerſos iudices in ciſtam tabulas ſimul cõieciſſe, eaſdemq; inſculptas literas habuiſſe, uel abſolutionis, ut A. uel damnationis, ut C. uel ampliationis, ut N. L. cum ſcilicet parum liqueret, uel denuo cauſam agi òportere ſignificabant. À pueris nobilibus.] Scilicet Appio Claudio nobili adoleſcente, qui cum accuſaret Terentium Varronem repetundarum ex Aſia, uictus ab Hortenſio eſt, in quo iudicio diſcoloribus ceris ſigna ſententiarum notata ſunt. Significat

cat

cat & Cæſarem adoleſcentem, qui defendebat Dolabellam reũ repetundarũ ex Sicilia. Ceterum in eo iudicio Dolabella in gratiam Hortenſij condemnatus fertur. Quadruplatoribus. ] Id eſt, delatoribus publicorum criminum: in qua re quartã partem de proſcriptorum bonis, quos detulerant, conſequebantur. ita Aſconius. Rationem illi defendendi. ] Acerbe hoc dicit, perinde ac ſi Hortenſius prorſus nullam bonam defendendi rationem habeat. Nihil erat. ] Comminatur iudicibus, & Siculis acrimoniã ſuam in accuſando oſtendit. In mentem tibi non uenit. ] A` cauſæ magnitudine argumentũ. Cognoſce ex me. ] Quæ in uero accuſatore eſſe debeant. Siculos hoc dicere. ] Acerba dicturus, in Siculorum perſonam dicta confert. Ex me non audies. ] Callida occupatio. Aſportare te uelle. ] Hoc eſt, uelle accuſando Verrem, & illius & tua ipſius flagitia abſcondere. Antequam de Sicilia. ] A` ſignis colligit, Cæcilium falſum accuſatorem fore. Quæritur Sicilia. ] Crimen Verris. In cellam imperauiſſet. ] Annonam prætoris intelligit, quæ in frumẽti certo numero præbebatur à Siculis, in quibus Verres & pecuniam pro frumento exegit, et eo pretio, ut pro duobus ſeſtertijs, duodenos per ſingulos modios exigeret, ſexies plus quàm emebatur. Furtum impudens. ] Amplificatio criminis. Id ne alteri criminis. ] Dilemma eſt.

Emptum eſt ex S.C. ] Aliud criminen Verris. Mihi crede Cæcili. ] Tertium crimen Verris, cum Cæcilio commune. Mancipes à ciuitatibus. ] Manceps eſt, inquit Feſtus, quiſquis à populo aliquid emit, conducitq́; quia manus ſublata ſignificat ſe auctorem emptionis eſſe. Verum, Pedianus inquit, mancipes erant publicanorũ principes, Romani homines, qui decimas quæſtus ſui cauſa redimebant, aut publica paſcua: quorum ratio, ſcriptura dicebatur. hi enim exigenda à ſocijs, ſuo periculo redimebant, & populo repræſentabant, proſpicientes commodis ſuis. Atque hæc quæ in medio. ] Facetum admiſcet. Si id lege permittitur. ] Lege repetundarum, quæ nõ uult, ut cauſa repetundarum per iudices agatur, neque, ut Senatorius homo iudicium profiteatur. Ac uide quantum. ] Epilogus eſt. Ego etiam que tu. ] Collatione utitur. Intelligo quàm ſcopuloſo. ] Deprecatur arrogantiam. Quamobrem nihil dico. ] Occupatio eſt per diſtributionem. De te Cæcili. ] Iracundiam amolitur. Tu ipſe quemadmodũ. ] In Cæcilio non eſſe facultatem agendi iſtam cauſam, probat. Qua C. Verres in quæſtura. ] Argumentum à criminũ Verris multitudine.

Non Lilybæi. ] Id eſt, urbe Siciliæ, de qua Strabo lib. 17. Porrò Cicero dicit Cæcilium literas tam græcas quam latinas in Sicilia didiciſſe, quæ natura lingua bene utatur. Sic enim Plautus in Perſa ait: Dabuntur tibi ſexcenti logi, atque attici, nullum Siculum acceperis. Non in Sicilia. ] A` loco, quo literis ſtuduit Cæcilius, dicendi facultatem ei adimit. Fortaſſe dices. ] Subiectio eſt. Ergo hæc in te. ] Modeſte de ſe dicit, & ita quidem, ut tamen in ſe plus uirium dicendi eſſe quàm in Cæcilio doceat. In foro iudicijsq́;. ] Super hunc locũ Ciceronis uide Quintilianum libro 11. cap. 1. Et cogitatione proſpicio. ] Argumentum à cauſæ magnitudine, & illis, quæ cauſæ difficultatem pariant. Tu horum nihil metuis. ] Hoc dicit propter hominum offenſionem. Nihil cogitas. ] Hoc propter hominum expectationẽ. Nihil laboras. ] Hoc dicit propter rerum magnitudinem. Iouem ego optimum. ] Perſtringit ridicula quorũdam cauſidicorum exordia, quæ uel à precatione, uel reprehenſione ſuperioris ſeculi ducunt. Tibi cum homine. ] A` perſona aduerſarij Hortenſij, Cæcilium huic cauſæ imparem eſſe oſtẽdit. Diſertiſſimo. ] Diſertus eſt, qui ſatis acute atque dilucide apud mediocres homines ex cõmuni hominũ opinione dicere poteſt. Auctor Cicero de perfecto Oratore lib. 1. Nõ pertimeſcam. ] Ideo dicit hoc, ne Siculi laude aduerſarij terreantur. Me opprimet conſilio ] Id eſt, ratione quadam alte petita, & plerunque plura perpendente, & comparante et habente in ſe & inuentionem, & iudicationem. Vide Fab. lib. 6. cap. ulti. Te uero Cæcili. ] Oſtendit quomodo Cæcilius impar huic cauſæ futurus ſit, aduerſario Hortenſio exiſtente. Quoties ille tibi. ] Explicat rationem dicendi ipſius Hortẽſij. Vt eligas. ] Dilemma intelligit, argumenti genus, quo Hortenſius, crebro uſus eſt. Deonerare. ] Eſt uero αὔξησις. Nam plus eſt quàm ſoctum criminis reddere. Ne innocenti periculum. ] Mire deſcribit imperitum patronũ, cui perſuaderi poſſit, aduerſariũ uera dicere. Quæſtoris cum prætore. ] Quæſtores cum imperatoribus pop. Rom. id eſt, cõſulibus & prætoribus ibant ad adminiſtrandam rem pecuniarum, & prædam ac manubias in rationes publicas referendas, ut uidere eſt apud Liuium. Pro his hodie habemus theſaurarios bellicos. Propterea magna neceſſitudo putabatur, inſtituto maiorum, quæſtori cũ prætore ſuo eſſe, cum quo communem prouinciã ſortitus erat, & diſcrimina bellica obibat. Cum ſubſcriptoribus. ] Subſcriptores dicuntur cauſidici, qui adiuuare accuſatorem ſolent. Hunc tamen à ſubſellijs. ] Id eſt, qui minoribus tantum iudicijs interfuit. Nonius: Subſellia ſunt tribunorum, quæſtorum, & huiuſmodi minora iudicia exercẽtium, qui non in ſellis curulibus, ſed ſubſellijs conſidebant. Vt in auctoribus. ] Expolitio eſt à ſimili. Verũtamen L. Apuleium. ] De hoc Apuleio ita dicit Cicero de oratoribus claris: Lucius Apuleius Saturninus eloquẽtiſſimus uiſus eſt, magis ſpecie tamen & uictu atq; amictu ipſo capiebat homines, quàm aut dicẽdi copia, aut mediocritate prudẽtiæ. Iam hoc conſiderate. ] Apoſtrophe ad iudices. Si quam habet. ] Correctio eſt. Niſi forte quem ex illo grege. ] Intelligit obturbatores quoſdam, ſordidosq́; cauſidicos, quia adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores aduocati recrearentur, & ſe denuo ad dicendum præpararent. Ex quibus hominibus. ] Facetum admiſcet. Ex quibus allienissimis. ] Ex hoc loco contendit Aſconius, ſupra pro Allienum, legendum eſſe alienum, id eſt, iudicij alieni hominem. Tanta ne uobis. ] Reſpondet obiter ad ea, quæ ſubſcriptores dixerant. De populo. ] Amarulente hoc dicit, quaſi iſti ſubſcriptores in uulgo numerandi ſint. A` columna Menia. ] Menius cum domum ſuam uenderet Catoni & Flacco cenſoribus, ut ibi Baſilica ædificaretur, excepit ius ſibi unius columnæ, unde ipſe et poſteri eius ſpectare munus gladiatorium poſſent, quod etiã tum in foro dabatur. Deinde ad Meniam columnã, in leuiſſimos quoſque reos animaduertebatur. uide Aſconium. Inquit Tullio. ] Cæcilio omnem ſpem ſe ſubſcribẽdi in hac cauſa aufert. Cuſtodem, inquit. ] Aſtute cuſtodem, & non ſubſcriptorẽ dixit Cicero, ut qui acerbe reſponſurus erat, proinde ſe laceſſitum, conuitium facere uideri uult. Ad meas capſas. ] Nam ſuſcriptores, Aſconio auctore, adhibebantur partim chartarum cauſa, partim iuuandi accuſatoris gratia, partim ne accuſatores facile corrumperentur. et eſt ſcomma atrox in Cæcilium. Diligentia ſpeculatorem. ] Sic colligit Cicero: Fidelis & diligens ſum, ideo nec cuſtode opus habeo, nec ſpeculatorem inter ſecreta mea patior. Verum ut ad te. ] Clauſula argumentorum, Cæcilium non idoneum accuſatorem Verris eſſe. Quem monitor tuus. ] Facetum eſt in uoce monitor. Iniuriam tibi feciſſe. ] Subiectio eſt. Arbitror. ] Conceſſio eſt. Quod ſi ei potiſſimum. ] Cicero Cæcilium ſuis ipſius uerbis conuincit. Te ab illo eſſe læſum. ] Extenuatio iniuriarum Verris aduerſus Cæcilium. An prouinciam. ] Amplificatio eſt. Concedo igitur. ] Argumentum ab antecedente ad conſequens. Nam prouincia. ] Confirmat prouinciã accuſare Verrem. Vltorem iniuriarum. ] Incrementum. At eam tibi. ] Subiectio alia. Minime. ] Confutatio ſubiectionis à circunſtantijs. Cognoſcite ex me. ] Cæcilium nulla iniuria inimicitijs digna à Verre affectum eſſe probat. Agonis

*eſt quædam.*] Narratio eſt. *Veneris Erycinæ.*] Eryx collis Siciliæ excelſus, in quo Veneris templum locatum eſt, quod ſingulari ueneratione colitur, antiquitus mulierum frequẽtia refertum, illius miniſterio dicatarum, quas & è Sicilia & externis è regionibus multi locarãt. Inde Erycina Venus dicta eſt. Hæc Strabo libro ſexto Geographiæ. *In claſſe.*] Vt uel remigibus κέλευσμα canerẽt, ut ſcilicet remiges pro modulorũ et harmoniæ ratione uel concitarent, uel inhiberẽt remos: uel qui in claſſe pugnantibus claſſicum cócinerent. Vnde ipſi tubæ claſſis, eſt nomen poſitum claſſicum. Vide Aſconium, & Budæum in annotationibus Pandectarum iuris ciuilis. *Iudicant Recuperatores.*] Id eſt, qui recuperationes, hoc eſt, receptionem rerum ablatarum faciunt. Vide Feſtum Pompeium. *Quid enim facere potuit elegantius &c.*] Amplificat factum Verris. *Factus eſt Verres.*] Nomen Verris ambiguũ ſuggillat. ſignificat Verres quoque porcum non caſtratum. *Nam ex illa pecunia.*] Exemplum iniuſtitiæ Verris. *Hic tu ſi læſum.*] Apoſtrophe ad Cæcilium. *Deinde de iniuria.*] A' ſignis colligit, Cæcilio à Verre iniuriam factam non eſſe. *An præuaricatorem.*] Hoc eſt, tu uis conſtitui accuſator Verris, ut deinde eum defendas. *Quid ſine iniuria.*] Clauſula eſt. *Niſi forte.*] Obiectio alia Cæcilij. *Quæ cauſa grauis eſſet.*] Confutatio obiectionis. *Ridiculum eſt putare.*] Hoc eſt, ridiculum eſt putare illum iuſte inferre alicui periculũ oportere, qui aliquando amicus, mox inimicus factus eſt. *Cum ne in alio quidem.*] Hoc eſt, iudices cum illam cauſam iniuriæ in nullo alio iuſtã eſſe decreuerint, ob quã neceſſitudo uiolari deberet, ergo nec in te iuſtam eſſe decernent. *Non potes eum ſine.*] Dilemma eſt. *At uide quid.*] Repetit ſuperiorem Cæcilij obiectionem. *Ego ſi ſuperior.*] Confutat obiectionem per ἔκστασιν id eſt, per uiolationem. *Sic à maioribus noſtris accepimus.*] Confirmatio. *Quamobrem.*] Clauſula. *Etenim iſta quæſtura.*] Reprehenſio dilemmatis Cæcilij, falſo concludentis. *Neque ferè unquam.*] Exemplis confirmat, quod quæſtores nó permiſſi ſint ſuos prætores accuſare. *Atque ille C Pompeius.*] Exemplum recentius adfert. *Semper hæc cauſa.*] Redit ad argumentum ſupra tractatum, nimirum illum accuſare debere, qui ab illis, qui iniurias ab aliquo pperſſi ſunt, rogentur. *Operam, ſtudium.*] Congeries eſt. *Nulla priuatim iniuria.*] Ab exemplo. *Innocentiſſimus L. Piſo.*] De hoc L. Piſone Cicero de Oratoribus claris ita ſcribit: L. Piſo, Tribunus plebis, legem tulit primus de pecunijs repetundis, Cenſorino & Manilio Conſulib. Ipſe etiam Piſo egit cauſas, &c. *Etenim cum lex ipſa.*] A' fine legis repetundarum, argumentum. *Quem actorem.*] Argumentum à turpi. *An quod ad commemorandum.*] Argumentum à conſequentibus. *Vtra illuſtrior cómemoratio.*] Oſtendit turpe eſſe, ſi Cæcilius Verrem accuſet. *Conſuetudo maiorum.*] Statuentiũ inter prætorem & quæſtorem arctiſſimam differentiæ eſſe familiaritatẽ. *Delectus ab uniuerſa.*] Oſtendit honeſtum eſſe, ut ipſe Verrem accuſet. *Clariſſimi uiri.*] Repetit quædam de ſuo officio, ne uideretur leuis, quòd ex defenſore ſubito accuſator prodiret. *Defendere M. Catonem.*] M. Cato accuſauit Sergium Galbã pro direptis Luſitanis, et P. Furium proijſdem, propter æſtimationẽ iniquam frumẽti, ut annotauit Aſconius.

*Neque enim magis animos.*] Argumentum ab utili. *Inſtitutum referri.*] Correctio. *Cum Pub. Lentulus.*] Lentuli Suræ pater, in carcere ſtrangulati propter coniurationem Catilinæ. *L. Cottam.*] Quem P. Aphricanus ante ſecundum Conſulatum & ſecundam cenſuram accuſaſſe dicitur, ut annotauit Aſconius. *Nemo mirabitur.*] Collatio exempli. *Quid ſibi iſte uult?*] Obiectio aduerſariorum Ciceronis. *Ego uero & ætatis.*] Reſponſio ad obiectionem. *Hoc remedium eſt ægrotæ.*] Argumentũ ab utili. *Nulla ſalus reipublicæ.*] Argumentum à rebus, quas amiſſurus ſit, niſi iſtã cauſam ſumma fide & diligentia agat. Et eſt proloquium maius. *Itaque ſemper.*] Confirmatio. *Q. Cæcilium.*] Minor propoſitio, Cæcilium nihil amittere poſſe, etiam ſi iſtam cauſam indiligẽtiſſime agat. *A' nobis multos obſides.*] Secunda pars minoris, in qua oſtẽdit quæ ipſe amiſſurus ſit, niſi in hac cauſa officio fungatur. *Habet exiſtimationẽ.*] Diſtributione, res, quas amittere poſſit, niſi cauſam diligenter agat, oſtendit. *Quapropter iudices.*] Peroratio ab hortatione.

# ACTIONIS IN VERREM SECVNDAE
## PER ASCONIVM PAEDIANVM.

### ARGVMENTVM.

*VICTO Cæcilio, & accuſatione ad ſe delata, Cicero cum inquiſitionis tempus in Siciliam poſtulaſſet dies, CX. & cum filio patrui ſui Tullij totam prouinciam colligendis literis in Verrem & denunciãdis teſtimonijs peragraſſet, diebus L. quia pedeſtre iter ex Sicilia, & propter fugitiuos, & propter Verris inſidias dubitabat, à Vibone tranſijt. Tam repente adueniens, cum uideret id agi ut à Gabrione prætore, & ab ijs iudicibus, qui tunc erant, ad alium annum aliumq́; prætorem res tota transferet, eripeṙeturq́; ſibi reus patrocinio Hortenſij ac Metelli, qui tũc Coſſ. futuri erant (per quos omnes Verres eludendi iudicij fiduciam ſumpſerat) hoc commentus eſt rationis, ut orationem longam prætermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus abſumeret, ſed tantummodo citaret teſtes ad unumquodq; crimen expoſitum, & eos Hortenſio interrogandos daret. qua arte ita eſt fatigatus Hortenſius, ut nihil contra quod diceret, inueniret: ipſe etiam Verres deſperato patrocinio, ſua ſponte diſcederet, in exilium. Hoc igitur laborat in oratione hac tota Tullius, ut oſtendat non dolo, nec aſtutia, ſed neceſſitate facere id quod facit, ut magis aduerſariorum fraudibus occurrat, quàm his ipſe ſit captioſus. Vult enim, ut diximus, omne hoc tempus, quod eſt ante Calend. Ianuar. diſpenſare in totius cauſæ actionem, ne ad alium prætorem alioſq; iudices, nouis conſulibus, ueniendum ſit. Toto igitur hoc libro exhortatio iudicũ continetur ad uere iudicandũ. Minæ in aduerſarium diriguntur, omnia tentantem ad corrumpendum iudicium, & ut expoſitione Ciceronis conſilij ſui iudicibus exhiberentur. Quas tractans cómuniter breuiterq́;, obijciendorum criminum mirã artem conficit. Status, quantum ad crimina cauſæ repetundarum pertinet, coniectura multiplex eſt omnibus libris. Quantum ad ſpecialem intentionem libri huius refertur, qualitas negotialis extra ſcriptum in particula iuris eſt conſtituta. Inducitur enim poſtulatio de agendi nouo genere. Siquidẽ petit permitti ſibi non uti oratione perpetua, ſed breuiter crimina proponere, & ad ſingula teſtes dare. Sunt autẽ capita orationis hæc: An talis reus, cuius damnatio proſit R.P. An talia eius conſilia ad corrumpendum iudicium. An talia, & tam manifeſta crimina ad patrocinium deſperandum, An huiuſmodi ab eo, & eius ſuffragatoribus, & dicta, & facta ad eludendum accuſationem, ut nouo genere ſit agendum Tullio. Quarum rerum quaſi per narrationem facit demonſtrationem, expoſitione conſilij ſui: & cum iudicibus deliberatio uidetur inducta, in qua oſtenditur certandum cum Hortenſio aſtutia, non utendo horis omnibus*

bus

*bus ad dicendum : tollendam, ſi fieri poterit, comperendinationem : per teſtes crimina comprobanda. Facit hoc Cicero, ut hæc res non ſolum è compendio moram, ac breuitatem temporis tollat, ſed etiam circa artificium dicendi breuiter, etiam in hac parte uim oratoris oſtendat.*

## IN EANDEM ACTIONEM BARTHOLOMAEI LATOMI PARTITIO.

HAEC *oratio poſtulationem de nouo genere agendi continet, quemadmodũ indicat Aſconius. Petit enim orator ut propter fraudem aduerſariorum ſibi perpetua oratione abſtinere liceat, ne tempus dicendo extrahatur : & crimina ſingulatim exponere & confirmare teſtibus, ut totum iudicium intra certum tẽpus peragatur. Eſt igitur oratio iudicialis, & ſtatum habet negotialem ex qualitate iuris, An iuſtum petet Cicero: hoc eſt, an ei permittendũ ſit, ut hoc modo agat. atque hic ſcopus eſt principalis. Interim deterret aduerſarios, ne quid fraudis moliantur : & iudices cohortatur, ut uere & incorrupte iudicent. Quæ quamuis capita adiuncta ſunt extra poſtulationem, ad eundẽ tamen finẽ referuntur, nimirum ad prohibendã iudicij ludificationem. Partes orationis ſunt, Exordium, Contentio, Peroratio. Exordio mouet attentionem, et captat beneuolentiam ab officio ſuo: amouendam eſſe à ſenatorio ordine iudiciorum infamiam. Contentio tria capita cõtinet: Nouæ actionis poſtulationẽ, quod eſt principale : Cõminationẽ in aduerſarios, Et iudicum exhortationem. Actionis poſtulatio tractatur hoc ordine. Primo proponit & confirmat conatum Verris ad eludendum iudicium, docens quam ſpem habeat ille in pecunia ſua, & quomodo iudicium peruertere conetur. Eſtq; hoc caput eius loci coniecturale ; Conetur ne Verres, ſperetq; ſe poſſe iudicium pecunia corrũpere. Quod quidẽ ex dictis eius & factis cõfirmatur. Deinde id illi neceſſariũ eſſe demõſtrat, propter tãta & tam manifeſta crimina, quæ atrociter & criminoſe cõmemorat cõmiſſa ab eo in quæſtura. in legatione, in prætura urbana & Siciliẽſi, in Aſia, in Pamphylia. Quod & ipſum caput coniectura continetur, Sit ne hoc Verri neceſſariũ conſilium, cum aliter damnationem euadere non poſſit. Idq; ex metu damnationis, propter criminum magnitudinem & perſpicuitatem confirmatur. Poſt hæc inducit conſilij eius narrationem, quid nunc ille cogitet. & rem paulo altius repetit, quid ante conſtituerit, et quid nũc moliatur Hortenij & Metellorum auxilio ad iudicium eludendum. Quam totam rem ita narrat, ut non ipſam modo, ſed & præcedentia probet, & inuidiam faciat Hortenſio ac Metellis, & magnam interim curam inijciat iudicibus, ne quid eius fraudis quæ concepta ſit, cum ſumma iudiciorum infamia perficiatur. Cæterum his explicatis (nam cauſam poſtulationis continet) mox ipſam poſtulationem inducit, demonſtrando, quid facturus ſit, & quo modo, hoc eſt nouo genere actionis huic fraudi et aſtutiæ aduerſariorum occurſurus. Comprehenditur igitur ſumma huius capitis hac propoſitione generali, quæ iudicationẽ continet, Quia talia conetur & moliatur Verres ad iudicium eludendum, ſibi nouo genere agendum eſſe. Altero capite, quod continet comminationem in aduerſarios, ſe prolaturum minatur (ſi quid fraudis cõmittant) non ſolum quæ nunc improbe facturi ſint huic iudicio peruertendo, ſed quæcunq; ante etiam ab illis in iudicijs tractandis flagitioſe ſint cõmiſſa. Poſtremo exhortatur iudices, ut cõſtanter & incorrupte iudicando, ueterem iudiciorum maculam diluant. nullum enim unquam tempus magis idoneum fuiſſe, quàm in hoc reo: nullum magis neceſſarium, propter iudiciorum infamiam: nullam unquam fuiſſe populo Romano maiorẽ ullius iudicij expectationem. In concluſione minas renouat in aduerſarios, & conuertit exhortationem ad prætorem, & ad principalem intentionem reuertitur: repetens conſilij ſui ſummam, & oſtendens quomodo hanc cauſam expeditiſſime ſit acturus.*

## IN EANDEM ACTIONEM IN VERREM SECVNDAM
### FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

PRINCIPIO *hortatur iudices, ut infamiam ordini ſenatorio inuſtam ob corrupta iudicia, eluant. Eluent autem, ſi C. Verrem hominem pecunioſum, & iam omnium opinione damnatũ condemnent : qui in pecunia præſidium ſe firmũ habere prædicat. Id ut probet Cicero, Verris crimina ſtrictim ennumerat, quæ ullius ingenio aut eloquentia defendi poſſe negat. Verri ſpes maior facta eſt, quod Q. Hortenſius & Q. Metellus Coſſ. Q. & M. Metellus prætores deſignati ſint, qui omnes Verri fauebant. Ex quibus Marco prætura urbana, & Q. Sicilia ſorte obtigit. Verres omnium tribuum diuiſores noctu ad ſe uocauit, cum ijs promiſſa grandi pecunia agere conatus eſt, ut Ciceronẽ ædilitate deijcerent. Hortenſius & Metelli tres conſilium conſtituerunt, ut cauſa differretur in Calend. Ianuarias, quo die inirent magiſtratus, Hortenſius & Q. Metellus conſulatum, M. Metellus præturam urbanam, & Q. Metellus Sicilienſem.*

QVOD erat optandum. ] *Cum magna ſit infamia iudicum, qui pecunia facile corrumpantur, ut huius infamiæ maculam eluát, principio ſuadet Cicero. Auctore Quintiliano libro tertio, ſi turpibus honeſta ſuadeamus, laus & uulgi opinio proponẽda eſt: & poſtremo motus, niſi ita fiat ut ſuademus, adhibendus. ea hoc in loco facit Cicero.* Veſtri ordinis. ] *Senatorij. Soli. n. Senatores tũ iudicabant.* Sũmo reipublicæ tempore. ] *Id eſt, ultimo, & rep. ægrota, & propè deplorata.* Inueterauit. ] *Vt pertimeſcere & extimeſcere, non pertimere & extimere dicimus : ita inueteraſcere, non inueterare Latine dici arbitror. ut lib. Tuſculanarum diſputationum 5. Nihil inueteraſcere, nihil extingui, nihil cadere debet eorũ, quæ in uita beata conſiſtunt. Et Inuectiua in Catilinã tertia : Memoria ueſtra Quirites noſtræ res alentur, ſermonibus creſcent, literarum monumentis inueteraſcent & corroborabuntur. Vt autem pertimeſco pertimui, ita inueteraſco inueteraui habet præteritũ.* Quamuis. ] *Id eſt, quantumuis.* Neminem poſſe damnari. ] *quia corrumpit iudices.* Qui concionibus. ] *L. Quintius (ex primis illis tribunis plebis, qui facti ſunt tribunitia poteſtate reſtituta.) Oppianicũ ueneficij reum à Cluentio factũ defendit. Victus, damnato Oppianico, iudices à Cluẽtio corruptos eſſe putauit, multis concionibus populum Romanum concitauit. C. Iunium eius cauſæ quæſitorem in iudicium uocauit: qui inuidiã, quam Quintius excitauerat, nondum ſedata condemnatus eſt: ut eſt fuſius ſcriptum in oratione pro A. Cluentio.* Ex legibus. ] *Significat legem Aureliam, quam M. Aurelius Cotta*

*ferre parabat, de iudicandi poteſtate Equeſtri ordini reſtituenda. Reus in iudic. adductus eſt C. Verres.] Oblatam eſſe diuinitus occaſionem ſedandæ inuidiæ Senatus oſtendit. Verrem enim nocentem eſſe omnes opinantur: ſe abſolutū iri pecuniæ magnitudine ſperat, & dictitat. Eū ſi iudices condēnabunt, oēs iure condemnatū eſſe, nec pecuniæ magnitudine iudices corrūpi potuiſſe exiſtimabunt. quocirca inueterata iudiciorū inuidia atque infamia ſedabitur. Prædicatione.] Id eſt, ut palàm dictitat Verres. Cōmuni.] Id eſt, totius ordinis ſenatorij. Ad omnes enim ſenatores ea infamia pertinet. Reconciliare.] Id eſt, recuperare: ut recōciliata gratia dicitur ea, quæ amiſſa aut immutata recuperatur, ut libro Epiſtolarum familiariū 5. Quod ſcribit de reconciliata noſtra gratia, non intelligo cur reconciliatam eſſe dicas, quæ nunquam immutata eſt. De peculatorem ærorij.] Depeculator eſt, qui ſacram rem aut publicā furatur. Inde peculatus appellatus eſt. Auctore Vlpiano libro Digeſtorum 48. Lege Iulia peculatus cauetur, ne quis ex pecunia ſacra, religioſa publicáue auferat, aut intercipiat, néue in rem ſuam uertat, niſi cui utique lege licebit: néue quis in aurum, argentū, æs publicum aliquid indat, néue immiſceat néue quo quid indatur, immiſceatur, faciat ſciens dolo malo, quo id peius fiat. Labeo, ut eodem titulo Paulus ſcribit, peculatum definit, ut ſit pecuniæ publicæ aut ſacræ furtum. Cur peculatus appellatus ſit, apud Sext. Pompeium legere licet. De peculatorem ærorij.] In his actionibus Verrē Cicero criminari ſolet à quatuor rebus, à quæſtura, à legatione, à prætura urbana, & à præfectura Sicilienſi. Seuere.] Secundum leges. Religioſe.] Secundum iuſiurandum ueſtrum. Auctoritas hærebit.] Id eſt, fixa manebit. Hoc uerbum in re etiam mala dicitur. ut pro Q. Roſcio: Poteſt hoc homini huic hærere peccatum? Et pro P. Seſtio: Hæreret illa nihilominus in republica turpitudo. Vt autem turpitudo hærere, ita res hærere turpitudini dicitur. ut Inuectiua in Catilinam prima: Quod priuatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? Hærere in mente, in uiſceribus, in medullis, Cicero dixit. Veritatem.] Id eſt, æquitatem. Verum enim pro iuſto ſæpe dici, alio loco docuimus.*

*Reus iudicijs.] Cum enim Verrem Cicero accuſat, facit, ut neque reo accuſator, neque iudicio reus deſit. Neque tantū me expectatio.] Quantum cōmoueatur, in diuinatione prædixit. Ita deos, inquit, mihi uelim propitios, ut cum illius temporis mihi uenit in mentem, quo die citato reo mihi dicendum ſit non ſolum commoueor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco &c. M. Glabrioni prætori.] M. Glabrio prætor urbanus huic iudicio præerat. Iis eſſe metuendum.] Qui repetundarum rei facti ſint. Surripuiſſent.] In prouincia. Multis.] Vt ſibi patrono, iudicibus, Metellis, alijsq; fautoribus. Nihil tam ſanctum.] Sanctum eſt, quod ab iniuria hominum defenſum atq; munitum eſt, ut ait Metianus iuriſconſultus libro Digeſtorū primo, de rerum diuiſione. Quod non expugnari pecunia poſſit.] Philippus Alexandri pater negabat ullū caſtellū inexpugnabile eſſe, ad quod Aſinus Auro onuſtus poſſet aſcendere. Iugurtha Vrbe Roma cedens, cum Vrbē reſpexiſſet, dixiſſe fertur, O Vrbem uenalem, & cito periturā, ſi emptorē inuenerit. ut ait Titus Liuius libro ſexageſimoquarto. Ad conandum.] Id eſt, ad turpiter audendum, & ad corrumpendos iudices. Tam eſſet obſcurus in agendo.] Id eſt, conſilia ſua diſſimularet atque occultaret. Stultitia.] Quòd conſilia ſua prædicet. Corripiendis.] Id eſt, iniuſte rapiendis. Corrumpendi.] Adnominatio eſt. Conſilia.] Id eſt, ſecreta. Cum è prouincia recens eſſet.] Id eſt, nō multo ante è prouincia deceſſiſſet: ut recens ab alicuius ætate eſſe dicitur is, qui non multo poſt eum fuit. Cicero libro de Natura deorum tertio: Quos igitur ut Tyndaridas appellabas, id eſt, homines homine natos, & quos Homerus, qui recens ab illorum ætate fuit, ſepultos dicit Lacedæmone. Vetere.] Vſque à quæſtura, quam geſſerat, quo tempore ea cœperat, & in præſens negotium creuerat. Tempus alienum.] Id eſt, non aptum, non conueniens. Nam apud inflāmatos homines negotio adhuc recenti, nullus eſt rationi, aut precibus, aut etiam corruptelæ locus: ut in oratione pro A. Cluentio, populo Romano L. Quintij concionibus commoto, C. Iunius, qui in Oppianici cauſa Quæſitor fuerat, condemnatus eſt. Fidiculanum idē Quinctius accuſare nolebat poſt ea, quòd hominum ſtudia deferbuiſſe intelligebat. Inquirendi.] Budæus in Annotationibus in Pādectas, quærere iudicum eſſe & magiſtratuum dicit, inquirere aliorum. Eſt autem inquirere, quod uulgo dicunt informationem facere. Ne Brunduſium quidem peruenit.] Id eſt, ex Italia non diſceſſit. Eſt enim Brunduſium nobilis portus Italiæ, unde in Græciam tranſitus eſt. Eſt autem Achaia Græciæ regio. Hominem.] Achaicum inquiſitorem. Meum tempus.] Id eſt, mihi datum poſt 110. dies ad Verrem accuſandū.*

*Obſideret.] Id eſt, oppugnaret & auferret. Iniurias feceris.] Legatus, prætor urbanus, & Siciliæ præfectus. Tot graues legationes.] Cum reus cauſam dicebat, ſi in prouincia bene & abſtinētur uerſatus fuerat, à ciuitatibus legati publice mittebantur cum laudatione: ſi uero improbe, itidē legati mittebantur, qui reum oppugnarent. Hæ autem legationes multū ualebant ad rei ſalutem, aut periculum. Profligata.] Profligere, ut ait Aul. Gellius cap. decimoquinto libri decimiquinti, eſt prodigere & deperdere: profligataq; res quaſi proflictas & perditas appellamus. Præterea profligata dicimus ea quæ propè abſoluta & effecta ſunt: ut profligata ædificia, templa, aliaq; ferè multa. Cicero in libro Tuſculanarum quæſtionum quinto: Atqui ſi ita eſt, profligata iam hæc & penè ad exitum adducta quæſtio eſt. Id eſt contra A. Gellij ſententiam. Senatoria iudicia perdita profligataq;.] Nam ſenatores ſoli iudicabant.*

*Procellam temporis.] Quæ ex inuidia recent nata erat. In cauſa.] Id eſt, in cauſæ ueritate. Dum hic.] Cicero. Quæ opus eſſent.] Id eſt, quibus opus eſſet. Hoc conſilio.] Id eſt, uobis iudicibus. In reiectione iudicum iudicauit.] Facta à me & à Verre. reieci enim quos metuebā ne Verres corrumperet, reiecit Verres quos à ſe corrumpi poſſe non ſperaret. Reijcere autē iudices, eſt quod uulgo dicunt recuſare eos quos habeas ſuſpectos. De reijciendi ratione paulo poſt Aſconius. Quod eſt ingenium tantum, quæ tanta facultas dicendi & copia.] Nullius patroni ingenio & eloquētia Verris crimina defendi poſſe ut oſtendat, ea breui cōmemorat, quæ poſtea in alijs actionibus tractat fuſius. Hac ratione oſtēdit Verrē exiſtimare, in pecunia ſola ſalutis præſidium collocatum eſſe. Vt adoleſcentiæ.] Occupatio eſt. Maculas.] Id eſt, turpitudines. Sic enim locum hunc Nonius Marcellus explicat. Quæſtura, primus gradus honoris, quid aliud.] Vlpianus libro Digeſtorum primo, de officio quæſtoris, quæſturam dicit initium eſſe & quaſi primordium gerendorum magiſtratuū, ſententiæq; in ſenatu dicendæ. Cn. Carbonem ſpoliatum à quæſtore ſuo pecunia publica?] Id in libro tertio fuſius ſcriptum eſt. Proditum conſulem.] Prodit propinquus: Conſul autem quæſtori ſuo loco parentis, eſt. Cuius legatio exitium fuit Aſiæ totius, & Pamphyliæ.] Cn. Dolabellæ prætoris legatus Verres fuit in Aſia, & Pamphylia, quæ minoris Aſiæ regio eſt. Scelus illud priſtinum renouauit & inſtaurauit.] Quod quæſtor Verres commiſerat. Proquæſtor fuiſſet.] Vt libro 3. Idem iſte quem Cn. Dolabella poſtea C. Malleolo occiſo pro quæſtore habuit (haud ſcio an maior etiā hæc neceſſitudo fuerit, quàm illa Carbonis, ac plus iudiciū uoluntatis ualere quàm ſortis debeat) idem in Cn. Dolabellam, qui in Cn. Carbonem fuit. Nam quæ in ipſum ualebant crimina, contulit in iſtum, cauſamq; illius omnē ad inimicos accuſatoresq; detulit. Ipſe in eum cui legatus*

pro

pro quæſtore fuerat, inimiciſſimum atque improbiſſimum teſtimoniū dixit. Aliaq; ibidem Cicero uerbis perſequitur. Proquæſtorem fieri non ſorte, ſed prætoris uoluntate Cicero ſignificat. Cuius prætura urbana ædium ſacrarum fuit, publicorumq; operū.] De ea quoq; libro tertio. Addictio & cōdonatio.] Id eſt, adiudicatio, & ut uulgo dicunt, in manus deliberatio. In prouincia Sicilia, quam iſte per trienniū ita uexauit ac perdidit.] de his in reliquis libris Cicero dicit. Neque ſuas leges, neque noſtra ſenatuſconſulta, neque communia iura tenuerūt.] Vt in Diuinatione per proſopopœiā Siciliæ: Quod, inquit, in unaquaque re beneficio Senatus populiq; Romani iuris habui, id mihi tu C. Verres eripuiſti, atque abſtuliſti. Imprudentiam ſubterfugit.] Hominis auariſſimi. Satietati.] Hominis libidinoſiſſimi. Tam patria atq; auita.] Id eſt, tam æquo iure poſſeſſa, qualia ſunt quæ ab auis ad parentes, atq; inde ad nos hæreditario iure ueniunt. Abiudicaretur.] Id eſt, iudicio tolleretur. ut in diſſuaſione legis Rulli: Iudicabit Alexandriam eſſe, à populo Romano abiudicabit. Et pro A. Cæcina: Qui cum liber eſſe, cenſeri noluerit, ipſum ſibi libertatem abiudicaſſe. His exemplis attende, dici poſſe abiudico tibi, & à te. Ex aratorum bonis nouo nefarioq; inſtituto coacta.] Vt in Diuinatione: Queritur Sicilia tota C. Verrem ab aratoribus cum frumentum ſibi in cellam imperauiſſet, & cum eſſet tritici modius HS II. pro frumento in modios ſingulos duodenos ſeſtertios exegiſſe. In quam ſententiam Aſconius exponat, uidere licet. Seruilem in modum cruciati, & necati.] Vt P. Gauius Conſanus à Verre in Sicilia in crucem actus eſt, quod ſeruorum ſupplicium erat. De hoc in libro ſeptimo plura. Monumenta antiquiſſima partim &c.] Id eſt, ſtatuas, aliaq; ornamenta. Reddiderunt.] Ab alijs ablata. Affabre.] Id eſt, pulchre & artificioſe. Petulantia.] Id eſt, libidine. Recognoſcere.] Id eſt, in mentem reuocare, ut in libro Tuſculanarū quæſtionū primo: Declarare ſe nō tum illa diſcere, ſed reminiſcēdo recognoſcere. Alicuius eloquentiā.] Patroni. Habeat in manibus.] Id eſt, certam. Redemptio eſt huius iudicij facta.] Vt antea, palàm dictitat non ſine cauſa ſe pecuniæ cupidum fuiſſe, quoniam tantum in pecunia præſidium experiatur eſſe: ſeſe, id quod difficillimum fuerit, tempus ipſum emiſſe iudicij ſui, quò cætera facilius emere poſſit. Vel intelligit Verrem cum quibuſdam ſequeſtribus pactum fuiſſe grandi pecunia, ut ipſi iudices corrumperent. Manſit in conditione.] Cum ſequeſtribus. Manere conditione etiam dicimus, ut apud Virgilium: At tu dictis Albane maneres. Quod uſitatius dici arbitror, ut ſtare dictis & conuentis. De quo dicendi genere alio loco plura.

Reiecti ſunt.] A me, & à Verre. Fortuna populi Romani.] Sortitio fortunæ eſt. Id fecit fortuna populi Romani, ut ſortitione fierent iudices, qui facile corrumpi non poſſent. quos autem pecuniæ cupidos Cicero ſenſit, eos reiecit, ne corrumperentur ab ijs, quibuſcum Verres pactus fuerat. Conditio.] Vt ita legatur, placet magis quàm conductio, quo modo in alijs codicibus ſcriptum inuenio, ut cōditionem pro pacto intelligas. Nulla nota, nullus color, nullæ ſordes.] Id eſt, nullæ tabulæ diſcolores, quales in cauſa Terentij Varronis iudicibus corruptis Hortenſiū dediſſe, Aſconius in Diuinatione ſcripſit. His ſententijs.] Id eſt, horum iudicum tabulis. Allini.] Id eſt, appingi & induci. Inde litura, & interlitæ tabulæ dicuntur. Comitijs conſularibus.] Quibus non modo conſules, ſed etiam prætores fiebant. Conſilia.] Corrumpendorū iudicum. Argumēto iudicioq; patefacta eſt.] Id eſt, ſuſpicione, & ut uulgo dicunt, probabilitate. Pedetentim, cauteq; dicentur.] Pedetentim, ut ait Nonius Marcellus, dictum eſt caute, quaſi lenta & tarda itione. Id ut probet, hunc locum citat. Ad ipſum fornicem Fabianum.] Seruius enarrans illud ex libro Aeneidos ſexto, Cyclopum educta caminis Mœnia cōſpicio, atq; aduerſo fornice portas. Fornice, inquit, id eſt, arcu. Cicero: Videt ad ipſum fornicem Fabianum. Voce maxima.] Id eſt, clariſſima. Vulgo dicerent, altiſſima uoce. De hoc genere dicēdi alio loco plura ſcripſimus. Ei uictoriam gratulatur.] Vſitatior ſermo eſt, gratulor uictoriæ tuæ, quàm gratulor tibi uictoriā. Donatus enarrās illud ex Eunucho Terentij, Aduentū gratulantur: accuſatiuum pro quo datiuo poſitum eſſe dicit. Eſt aūt gratulari, ſignificare uerbis aut ſcriptis lætū ſe eſſe de aliena felicitate: quamuis noſtris quoque rebus aliquando gratulemur, ut in oratione pro Q. Ligario: Et ſi perſæpe uirtuti, tamen plerunq; felicitati tuæ gratulabere. Dijs uero gratulari, eſt ijs gratias agere. Afranius: Quòd ſaluus uenis, melius eſt, gratulor dijs. Victoriam autem dicit pro litis obtentu. Lucrationem proceſſus uulgo dicunt. Ea in re ſæpius dici inuenias, quàm ut teſtimonijs probādum ſit. Ideo autem uictoria appellata eſt, q uincere cauſa dicimus, ut loco alio docuimus. Tibi eripietur.] Id eſt, te accuſante liberabitur. Iudicia diutius.] Id eſt, iudicandi poteſtatem Senatus amittat, ſi in hac cauſa iudices corrumpantur. Transferendi.] E Senatu ad Equeſtrem ordinem. Obtigiſſet.] Id eſt, ſorte eueniſſet. Poſtquam enim Senatus decreuerat, quæ prouinciæ conſulares eſſent, quæq; prætoriæ, conſ[illegible]torū ſortitio fiebat. De pecunijs repetundis] Id eſt, de cauſa C. Verris. Quæreret.] Id eſt, in repetundarum quæſtione & cauſa prætor eſſet. Nam M. Metello obtigit, ut prætor urbanus eſſet uel quæreret, id eſt, quæſitor eſſet. Accuſatoris enim officium eſt inferre crimina, defenſoris diluere aut propulſare: teſtis eſt dicere quæ ſcierit, uel audiuerit: quæſitoris eſt unumquenq; eorum in officio ſuo continere, ut eſt in libro Rhetoricorum ad Herennium quarto. Paulo poſt Aſconius quæſitorem appellat prætorem, de pecunijs repetundis iudicia exercentem. Pueros.] Id eſt, ſeruos. Fiſcos cōplures.] De fiſcis, præter ea, quæ ſcripſit Aſconius, licet multa legere apud Budæū in Annotationibus prioribus in Pandectas. Ad ſenatorem.] Id eſt, apud ſenatorem, in domo ſenatoris. Seruius enarrans illud Virgilij ex libro Aeneidos primo, Prima quod ad Troiam pro charis geſſerat Argis: Ad, inquit, & apud accuſatiuæ ſunt præpoſitiones: ſed Apud ſemper in loco ſignificat, Ad & in loco, & ad locū. In loco, ut Ad quem tum Iuno ſupplex his uocibus uſa eſt. Et Cicero, Decem fiſcos ad ſenatorem quendam relictos. Item, Ad M. Leccam te habitare uelle dixiſti. Quaſi decem fiſcos.] Id eſt, ad decem fiſcos. Quaſi enim incertum numerum, non ſimilitudinem hoc loco ſignificare uidetur. Comitiorum meorum nomine.] Quibus ego petiturus ſum ædilitatem. Nam poſt comitia conſularia & prætoria haberi ſolita eſſe ædilitia, cognoſci pōt ex multis T. Liuij locis. Ad iſtum.] C. Verrem. Demonſtrat.] Id eſt, docet, indicat. Quàm liberaliter eos tractaſſet.] C. Verris ambitum in præturæ petitione ſignificat. Proximis conſularibus prætorijſq; comitijs.] Vt Q. Hortenſium & Q. Metellū Coſs. & M. Q. Metellos prætores facerent. Quamuis autem conſules & prætores iiſdem auſpicijs et comitijs fierent, comitia tamen conſularia & prætoria Cicero dicit, ut maiorem Verris largitionē oſtendat, qua effecerit, ut Conſules, & prætores faceret eos, quos ſibi fauturos ſciret. Si me ædilitate deieciſſent.] Id eſt, feciſſent ut in ædilitatis petitione repulſā paterer. Deieciſſent pro præcipitaſſent hoc loco dici, Non. Marcellus ſcribit. Fortem amicum.] Id eſt, audacem. Ironia eſt. Nam fortis in bonam partem dici ſolet. Ex eadem familia.] C. Verris Romilia.] Tribu. Auctore Seruio libro Commentariorum in Aeneida Virgilij tertio, figura nonnunquam pulchra eſt, ſi elocutio impfecta ſit, ut Cicero in Verrinis, Q. Verrem Romilia. Et non addidit tribu. Romiliam tribum ruſticam fuiſſe, Cicero ſignificat in oratione contra Rullum ad Quirites:

Quæſiui, inquit, ex eo Calend. Ianuarij, quibus hominibus, & quemadmodum illum agrum eſſet diſtributurus. Reſpondit, à Romilia tribu ſe initium eſſe facturum. Primũ quæ eſt iſta ſuperbia & contumelia, ut populi pars amputetur, ordo tribuum negligatur? ante ruſticis detur ager, qui habēt, quàm urbanis, quibus iſta agri ſpes & iucunditas oſtenditur? Romilia tribus, ut ait Sext. Pompeius, dicta eſt, quòd ex eo agro cenſebantur, quem Romulus ceperat ex ueientibus. Seſtertium quingenetis millibus.] Id eſt, aureorum coronatorum duodecim millibus et quingētis. Præmonebat.] Is qui ſe omnia mea cauſa facere debere arbitrabatur. Rebus maximis.] Id eſt, petitione ædilitatis, & accuſationis C. Verris meditatione, ut in oratione pro L. Murena fieri poſſe negat, ut quis magiſtratum petat, & accuſationem meditetur. Vtrunque Seruius Sulpitius facere conatus, conſulatus repulſam paſſus eſt. Deſtrictum atque obligatum.] Itaque eos à me accuſari non poſſe. Primum ab Hortenſio.] Nam poſtea à Q. Metello accerſiti fuerunt. Liberos fuiſſe.] Id eſt, libere feciſſe. Iſte.] C. Verres. Dominum.] Quia conſulibus deſignatis amicus erat. Cum filio.] C. Verrem cũ cauſam diceret, habuiſſe filium prætextatum, Aſconius in Diuinationem ſcripſit. De fide.] Patrocinij. De honore.] Id eſt, de ædilitate. De honore deijceret.] Dicendi genus adnotandum, propterea q ante dixit, ſi me ædilitate deieciſſent. Poſteaq̃ illa petitionis, &c.] Id eſt, poſteaq̃ ædilis factus ſum. Magis uacuo ac ſoluto.] Id eſt, minus ſollicito. Duceretur.] Id eſt: differretur, et ut uulgo dicũt prolōgaretur. Dedit. n. prærogatiuā.] De prærogatiua ſcripſimus in orationē pro L. Murena. Pro prærogatiuis.] Nā antea cōmemorauit C. Verres, q̃ liberaliter tractaſſet diuiſores proximis conſularibus prætorijsq́; comitijs. Itaq; aut ad tribum prærogatiuam, aut ad beneficia in Verrē à Q. Metello Coſ. collata referre poſſit, de quibus paulo poſt Aſconius. Exiſtimationiſq; meæ.] Exiſtimationem hic ſæpe dici attēdas, pro ea quæ uulgo dicitur bona reputatio. Eſſet prætor in Sicilia, cum ijs ita loquitur.] Id eſt, in prouinciarum ſortitione ei Sicilia obueniſſet. Præſertim Siculos timidos homines & afflictos.] Siculi timidi erant, nō tam natura, quàm quia afflicti erant. Cũ propter hominem perditiſſimum.] Hominem perditiſſimum innocenti, ut alieniſſimum propinquo opponit. Sed opera ſua Conſ.] Quod diuiſores tribuum liberaliter tractaſſet.

## IN EANDEM ACTIONEM IN VERREM SECVNDAM [redacted] SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

IN ſecunda Verrina Cicero petit ſibi copiam fieri, non uti perpetua oratione, ſed breuiter crimina Verris proponere ad ſingula teſtes producere. Porrò, capita orationis hæc ſunt: An talis reus, cuius damnatio proſit populo Romano: an talia & cōſilia, ad corrumpendum iudicium: an talia & tam manifeſta crimina: an huiuſmodi ab reo, & eius ſuffragatoribus, & dicta & facta ad eludendam accuſationem efficere debeant, ut nouo genere ſit agendum Tullio. Quarum rerum quaſi per narrationem facit demonſtrationem, expoſitione conſilij ſui. & cum iudicibus deliberatione utitur, in qua oſtendit, certandum cum Hortenſio aſtutia, non licere uti iuſtis horis ad dicendum, &c.

QVOD erat optandum.] Exorditur ab opinione hominum, dicens homines opinari iudicia eſſe corrupta: pecunioſum hominē, quàmuis ſit nocens, neminem poſſe damnari. Id non humano.] Attentionem parat. Cum ſint parati.] Hæc ad inuidiam aduerſariorũ ſuorum faciunt. Qui cōcionibus.] Quintium intelligit, tribunum plebis, qui ueneficij reum Oppianicũ Cluentio accuſatore defendens, uictus erat, illo damnato. Et legibus.] L. Aurelium Cottam intelligit, qui legem promulgarat de reuocandis iudicijs ad Equeſtrem ordinem. Huic ego cauſæ.] Beneuolentiam captat. Depeculatorem ærarij.] Obiter congerit crimina uerris, quæ poſtea explicaturus eſt. Labem atque perniciem.] Incrementum. Prædonem iuris.] Qui in munere urbani iudicis multa prædatus eſt. Equidem ut de me.] Oſtendit Cicero Verrē ſibi præuaricationis præmia oſtendiſſe. Exteris nationibus, &c.] Senatoribus, quos pecunia Verres corrumpere conatus eſt. Nomini.] Id eſt, uolens nomen ſenatorium ignominioſum & inuidioſum facere. Qui ita dictitat.] Inuidioſa Mimeſis. Quod ſi quàm audax eſt.] Corrumpi à Verre iudicia poſſe, dicit. Reus à me factus.] Reum fieri, uerbum iuris eſt, & ſignificat apud prætorem legibus interrogari. cum enim in ius uentum eſſet, dicebat accuſator apud prætorem reo: Aio te ſiculos ſpoliaſſe: ſi tacuiſſet, lis ei æſtimabatur, ut uicto: ſi negaſſet, petebatur à magiſtratu dies inquirendorum eius criminum, et ita inſtituebatur actio. Hæc Aſconius. Biduo breuiorem.] Poſtulauit uero Cicero decem dies ad perquirenda crimina Verris. Achaicus inquiſitor.] Plerique Ruſilium, plerique Oppium putant eſſe, annotatore Aſconio. Brunduſiũ uenit.] Oppidũ Italiæ, ex quo in Græciam tranſitus eſt, in primis Italiæ portu nobile, auctore Plinio lib. 3. cap. 11. Meum tempus obſederat.] Hic mos erat, ut agendi dies priori prior deſtinaretur. Itaque ſi omni tempore poſtulatio ad inquiſitionem criminum Verris Cicero uſus eſſet, futurum erat, ut illi qui biduo breuiorem diē poſtularat, priori agendi locus daretur ſicq́; illo agente, cauſa Verris ad alios cōſules trālata eſſet. Nunc homo audaciſſimus.] πίϑανϑῦ ad fidem criminibus Verris patiendam, et fraudem Verris aperit. Iudicia perdita, profligataq́;.] Malignitas Verris. In pecunia præſidium.] Conſilium Verris in corrumpendis iudicibus oſtendit. Quod ſi non modo in cauſa.] Adimit Verri omnia honeſta defenſionis præſidia. In alicuius eloquentia.] Acerbe in Hortenſium hoc dicit, ut quem non eloquētia, ſed corruptione iudicij cōfiſum uideri uult. Contemneretq́; ordinem.] Technam Verris oſtendit. Quid iſte ſperet.] Aufert Verri ſpem corrumpendi iudicia. In reiectione iudicum.] In reijciendis iudicib. quos Verres habere uoluit, & quos corrumpere potuiſſet. Etenim quod eſt ingenium.] Propoſitio per interrogationem. Cuius ut adoleſcentiæ.] Narratio aliquorum ſcelerum Verris. Quæſtura primus gradus.] Quid in quæſtura Verres fecerit. Cũ in Cn. Carbonem.] Hic Marianæ partis dux, idemq́; Conſul, deſertus Arimini eſt à quæſtore ſuo Verre, ſpoliatus pecunia publica, quam quæſtor in exercitu de ærario ſumpſerat. Hæc Aſconius. Vide quoque Appianum lib. 1. bellorum ciuilium. Nudatum & proditum. Amplificatio à comitantibus & conſequentibus rem. Sortis neceſſitudinem.] Hoc eſt, q Verres prætor præter ius familiaritatis intercedentis inter quæſtorem & prætorem, Carbonem pecunia ſpoliauit. Cuius legatio.] Crimen legationis. Cum in Cn. Dolabellam.] Cum ſcilicet Dolabellæ in iudicio accuſati proditor eſſet. uide Velleium Paterculũ. Addictio & condonatio.] Eſt uero addicere ſæpe auctionem

facere,

facere, & bona proſcribere, & licitantibus obijcere. Iam uero omnium.] Scelus quæſture in Sicilia geſtæ à Verre. Hoc prætore.] Per συναθροισμὸν, ſiue, ut Latini uocant, congeriem, uniuerſa ſcelera à Verre in Sicilia perpetrata, cõgerit. Ex aratorũ bonis.] Aratores frumenti decimam populo R. dare ſolebant. hos non una atque altera, ſed tribus amplis decimis per mancipes à ſe ſubornatos, id eſt publicanos, qui Decumani uocãtur, Verres exhauſit. Regum locupletiſſimorum.] Maxime Agathoclis & Hieronis Siciliæ regũ: de quibus Liuius lib. 5. belli Punici. Spoliauit, nudauitq́;.] Gradatim ad ſummum per incrementum aſcendit. In ſtupris uero.] Elegans præteritio. At enim hæc ita.] Subiectio eſt. Hominẽ eſſe arbitror.] Argumentũ à rumore. Vt alicuius eloquen.] Hoc ad inuidiam Hortenſij dicit. Proponit inania nobilitatis.] Intelligit Curionẽ, & Metellos tres, Hortenſium & Scipionem. hi. n. Verri palàm ſuffragabantur. Simulat ſe eorum.] Παρασκευὴ eſt ad ſequentem narrationẽ. Quam ſpem nunc.] Diuiſio eſt. Breuiter iam iudices.] Attentionem captat. Vt primum è prouincia.] Narrat ut Verres corrumpendi iudicij rationem ceperit. Redemptio eſt huius iudicij.] Hoc eſt, quidam artifices corrumpendorum iudicum, pacti ſunt cum Verre, et redemerũt, ſe omnem procurationem iudicij corrumpendi ſuo periculo ſubituros, & abſolutionẽ Verri impetraturos. Libelli nominum uoſtrorum.] Cum. n. iuraſſent electi iudices, nomina eorũ in libellis continebantur, & ubiq; habebantur, ne corrupti aliqui iudices pro electis iudicibus ſeſe ingererent. Hæc Aſconius. Quæ res primo.] Cõfirmatio eſt. Nulla nota.] Hoc eſt, non uidebantur iudices poſſe corrumpi, ut falſum decerneret. Poſuit aũt ſententias pro tabulis, figurate. Iudices. n. in tabulas ſententias ſuas redigebant. A' me pedetentim.] Præmonitione utitur. Videt ad ipſum.] Locus eſt coniecturalis, à Curionis gratulatione ipſi Verri facta. Fornicem Fabianum.] Fornix, locus arcuoſus, iuxta Regiã, in ſacra uia, à Fabio Cenſore cõſtructus, auctore Aſconio. Quod cũ tam multi.] Argumentum à teſtibus, ex quib. Cic. Curionis gratulationem audierit. Renuncio.] Sermocinatio eſt. Alijs ridiculum.] Regreſſio eſt. Aperte iam.] Ex ſua perſona hoc dicit Cicero, ut annotauit Aſconius, quanquam & ad alios non incõmode referri poſſe uideatur. Sed nos non tenebimus.] Mollius eſt, quàm ſi dixiſſet, auferemus è Senatu iudiciorum poteſtatẽ, & eſt χαριεντισμός. Quis poterit Verre abſoluto.] Iudices territat his uerbis. Ecce aũt illis.] Locus à gratulatione Verris ob creatum prætorem M. Metellum. Ad equitem Romanum.] Fictione utitur Cicero. N. ĩ fingit hoc ad inuidiam aduerſariorũ, & ſui defenſionem, quòd cogatur breuioribus horis cauſam dicere, quàm mos accuſatoribus ſit. Diuiſores omnium.] Diuiſores, id eſt, homines qui ſuſcipiebant munus corrũpendi pretio ſuffragia plebis, quos Plautus in Aulularia magiſtros curiarum uocat. Commemoraſſe iſtum.] Oblique narrat orationem Verris ad diuiſores habitam. Cum ipſe præturã petiſſet.] Inuidioſum eſt hoc: oſtendit. n. Verrem non gratis eſſe factũ prætorem urbanum. Sollicitabat reb.] A' rerum turba amplificatio. Dominũ eſſe arbitrabatur.] Inuidioſum eſt. Curſare iſte homo.] Effectio eſt. Vt apud M. Metellum.] Cur Verres cauſam ſuã apud M. Metellum dici uelit, oſtendit. Dedit prærogatiuam.] Eſt amphibologia in uoce prærogatiua. Nã eſt ſenſus Ciceronis: Q. Metellus dedit præiudicium ſuum Verri pro pretio à Verre dato, ad redimenda prærogatiuarũ tribuum ſuffragia, quibus Cõſul Metellus erat factus. Ita uidet prærogatiuam in ſuperiori loco ſignificare præiudicium ſuffragatorũ, at in poſteriori eſſe adiectiuum, & ſignificare prærogatiuas centurias: quæ inde dicebãtur, ꝙ primæ ſorte adductæ ſuffragia ferrent. auctor Cicero li. de Legib. 3. An me taciturũ.] Ἐπιθεράπευσις eſt. Nam non ſolum non corrigit atrox dictum, ſed etiam cõfirmat: quod dixit, ſubiecta quadam eã. Acceſſit alter.] Explicat hoc, quod modo de Metello dixit. Se Conſulem.] Sermocinatio eſt. Quid eſt Metelle.] Apoſtrophe ad Metellum uehementiſſima.

Teſtes præſertim Siculi.] A' teſtium conditione argumentũ. Quid faceres pro homine.] A' minori argumentum. Te non fato.] Alludit ad uerſus Næuij, Fato Metelli Romæ fiunt Conſules. Cui Metellus iratus uerſu reſponderat ſenario hypercatalectico, Dabunt malum Metelli Næuio poetæ. Hæc Aſconius. Non ſolum effugiemus.] Recenſet Cicero quæ & Verres & eius patroni cauſæ ſuæ profutura ſperauerant. Iudex eſt M. Ceſonius collega noſtri accuſatoris.] Is M. Ceſonius ædilis cũ Cicerone fuit, & proinde non iudicãdi munere fungi poterat: quia & ædilis & iudicis partes ſuſtinere uno tẽpore nemo quibat. In Iuniano cõſilio fuiſſet.] Iunius quæſtor, fuit in Cluẽtij cauſa iudex, Verre prætore, in qua, cum Oppianicus damnatus eſſet, defenſor Oppianici Tribunus plebis, cum diceret pecuniã in iudicio fuiſſe uerſatam, Ceſonius, dãnatis alijs iudicibus, non ſolum innocens pronũciatus eſt: ſed ẽt ex ijs fuit, qui crimina aliorũ iudicum detexerant. Seueriſſimos atque integerrimos iudices.] Figurate ſingulis addit laudẽ, ex ore aduerſarij, oſtendentis cur ſibi iuſti iudices omnes diſpliceant. Illa equeſtri familia, & diſciplina.] Laudat equitẽ, quia dum equites iudicabant, ſine infamia ſe geſſerant. L. Caſſius ex familia, tũ ad cæteras res, tum ad iudicandã.] Ille Caſſius eſt, qui legem de ſuffragijs libere ferendis, non uoce, ſed tabula, tulit. uide Cicer. lib. 3. de Leg. Tribuni militares ſunt deſignati.] Tribunorum militarium duo genera ſunt. Primum illorum, qui Ruffuli dicuntur: hi in exercitu creari ſolent. Alij ſunt comitiati, qui Romæ in comitijs deſignãtur, de quibus Liuius in multis locis. Subſortiemur etiam.] Mire oſtendit ſecuritatem rei, quaſi ipſe Verres comitia habiturus ſit. Decem dies ſunt.] Hæc eò ſpectãt, Ciceronem ſi pro more accuſatorũ ſe gerere uelit, hoc eſt, uiginti dies accuſare, bis accuſare non poſſe. Ludos uotiuos.] Quos Põpeius uouerat, ſi Sertoriũ ſuperaſſet. uide Plutarchum in Põpeio. Ludi Romani.] Ludi, qui ſub regibus inſtituti ſunt, auctore Liuio primo lib. ab Vrbe cond. magni appellati, tum ꝙ magnis impenſis dati ſunt: impenſa enim ſunt in eos Ludos ducenta millia nummum: tum etiam magni dicti ſunt, ꝙ Dijs magnis, id eſt, Laribus Romæ urbis dabantur. uide Liuium in primo. Excuſationes.] Admittebantur enim excuſationes pro reo, aut occupationis, aut incommodæ ualetudinis. Ludos plebeios.] Quos exactis regibus pro libertate plebis fecerunt, uide Liuium libro undecimo ab urbe. Nunc iudices uos conſulo.] Communicatio eſt. Si utar ad dicẽdum meo legitimo tempore.] Cicero legitimo ad dicendum tempore uti non uult. Perpetua oratione percipi potuit.] Id eſt, non interrupta, ita ꝙ interrogẽtur teſtes, quos accuſatores aliòqui interrogare ſolebant. Tecum erit Hortenſi, dicam aperte.] Apoſtrophe ad Hortenſium. Nunc quoniam pugnare.] Acerbe in Hortenſium dicit. Ante primos ludos comperendinem.] Comperendinare, eſt mutuo denunciare litem in comperendinum, id eſt, tertium diem, ne alter litigatorum fugitans litium fortaſſe cauſari poſſit, cum in rem præſentem, id eſt, cauſam ipſam uentum eſt, ſe imparatum ueniſſe. uide Aſconium & Budæum. Vnde hic inquit Cicero, ut comperendinem, id eſt, ut denuncietur utrique noſtrum in cõperendinum, id eſt, tertium diem, lis. Verum quod inſtitueram dicere, mihi rem, &c.] Ad ſupra inſtitutum orationis curſum redit, nempe ſibi cum Hortenſio rem eſſe.

Ego eum hanc cauſam Siculorum rogatu.] Repetit locum ſupra ſæpe tractatum, cur iſtam cauſam ſusceperit, quid ſibi in iſta cauſa propoſitum ſit. Nam illud mihi nequaquam.] Præoccupatio eſt. Qua per hoſce annos.]

Inuidioſe hæc in Hortenſium dicuntur. intelligit uero corru-

ptionem iudicum. Quos libidinis infamiæq;.] Tacite reprehendit iudices corruptionis cupidos. Quoniam totus.] Hunc locum etiam ſupra tractauit. Profiteor huic generi.]

Παῤῥησία eſt. Moneo, prædico.] Ἀσύνδετον eſt. Hoc munus ædilitatis.] Minatur corruptoribus iudiciorum. Aut ſequeſtres.] Id eſt, illos apud quos pecunia deponitur. Aut interpretes.] Id eſt, per quos inducitur pactio. Aut potentiam, aut imp.] Πολυσύνδετον eſt. Erit tum Conſul.] Subiectio eſt. Ego autem ædilis.] Ἀνθυποφορά eſt, & reſponſio ad obiectionem. Vt ipſe Conſul.] Eximit animis Siculorum metum Conſulis Hortenſij. Omnia non modo commemorabuntur.] Quæ in accuſatione Verris dicturus ſit, præmemorat, auditores attentos faciens. Cum equeſter ordo.] Laudat iudicia equeſtris ordinis. Ad ſenatorium ordinem.] Exempla corruptorum iudiciorum, ſenatoribus iudicibus. Sublataq; populi R.] Prouocationem ad populum intelligit: de qua Liuius in ſecundo ab urbe, & lib. 8. Q. Calidius damnatus.] Calidius ille M. Calidij oratoris pater, ex prætura Hiſpanienſi accuſatus à Gallio, atque damnatus, cum ſenſiſſet iudicibus pecuniam contra ſe datam, in eos iudices qui paruo pretio corrupti eum damnauerat, exclamuit: Idoneam pro meo capite mercedē paciſci debuiſtis, nec minoris ſeſtertijs triginta prætorium hominem condemnare. Lis æſtimata,] Id eſt, pecunia de qua lis fuit, & propter quam damnatus eſt, in ſummam redacta, quæ de eius rebus exigeretur. Quod in C. Herennio.]

Criminoſe hoc dicit. Qui de maieſtate damnatus.] Læſa ſeu imminuta populi R. eſt uero maieſtas, amplitudo & dignitas populi R. quam minuit is, qui exercitum hoſtibus populi R. tradidit. Ita Cic. lib. 2. de Oratore. Qui cum iudex eſſet.] Intelligit Fidiculanum Falculam, qui ad complendam Oppianici condemnationem dicebatur eſſe ſuppoſitus iudex. uide orationem Ciceronis pro Cluentio. Vt reum damnaret.] Intelligit Staleuum ab utraque parte corruptum in cauſa Oppianici, de quo Cicero in oratione pro Cluentio. Vt diſcoloribus ſignis.] Plerique ſigna, ceratas diuerſo colore tabulas fuiſſe dicunt. Plerique à iudicibus appoſitas tabulas ceratas diuerſi coloris aiunt, ut hoc ſignum eſſet iudicatum pro uoluntate rei.

Hoc ipſo iudicio.] Amplificatio à loco. Cum præter otium.] À dicto Verris probat eum omnem ſpem in iudiciorū corruptione ponere. Me arbitrari fore.] Repetit dictum ſuum quod apud M. Glabrionem dixerit, atque illo uult iudices à pecunijs accipendis deterrere. Aduocatis. Id eſt, qui aut ius ſuggerunt, aut præſentiam ſuam alicui accommodant. O commemoranda.] Exclamatio cum indignatione. À maioribus.] Indignatio à maiorū inſtituto. Apud uos odio.]

Verrem in odium iudicum trahit. Cui loco per Deos immortales.] Peroratio orationis, ab hortatione ad iudices, ut infamiam iudiciorum extinguant. Tempus opportuniſſimum.]

Ab opportuno argumentum. Nulla in iudicijs ſeueritas.]

Ab opinione hominum argumentum. Neque.n. ullam aliā ob cauſam.] Confirmat argumentum appoſite ad ſuam cauſam relatis, populum R. ob corrupta iudicia ſenatores contemptui habere. Neque hoc Q. Catulum hominem ſapientiſſimum.] Argumentum ſecundum, de quo uide Ciceronem pro lege Manilia. Ipſe denique Cn. Pompeium.] Argumentum ductum à concione Cn. Pompeij. Nunc homines in ſpeculis.]

Argumentum ab obſeruatione populi R. Vident adhuc poſt legem.] Hoc eſt, latam de tribunitia poteſtate reſtituenda ſub Conſulatu Pompeij, auctore Plutarcho in uita eius. Nulla.n. lex.] Dolabellam intelligit, accuſatum ambitus. Hoc eſt iudicium.] À genere iudicij argumentum. Eſt huiuſmodi reus.] Argumentum à perſona rei. Non gratia.] Hoc ad Hortenſium referri poteſt, quem Cicero Verri amicum uideri uult. Non cognatione, &c.] Hoc ad Metellū refer, qui Verrem non aliter defendebant, atque ſi cognatus ei eſſet. Poſtremo ego.] À ſua perſona, q poſſint infamiam in hoc iudicio effugere, confirmat. Vt in eorum conſilijs.] Hoc eſt, ego ita agam, ut homines non ſolum audiant, ſed etiam uideāt conſilia eorum qui à Verre ſtant. Vos aliquot iam.] Clauſula eſt. Conſtat inter omnes.] Argumentum à genere iudicij. Si quid erit offenſum.] Argumentum à metu. Quare propter primum.] Precatio, ad orationis uehementiam faciēs.

Deinde ſi plures.] Metum iudicibus incutit. Diligentia M. Glabrionis.] Apoſtrophe ad M. Glabrionem prætorem: pathetica, & eſt adhortatiuncula. Suſcipe cauſam ſeueritatis.]

Argumentum à rebus quibus debeat prouidere. Vt is hoc iudicio.] Argumentum ab utili. Quid dare populo R.]

Argumentum ab officio. Quid reddi maioribus.] À maiorum exēplo argumentum. Quare ſi Glabrionis.] Intelligit Manilium Glabrionem, fortiſſimum uirum, qui legem de pecunijs repetundis ſeueriſſimam tulit, in qua nec comperendinare reo licebat. Et eſt argumentum hortatorium, à lege patris. Nocenti reo magnitudinē.] Hoc eſt, ſi te ut æquū eſt, geſſeris, populus R. intelliget immenſam pecuniam plus obfuiſſe reo quàm profuiſſe. Mihi certum eſt non cōmittere, &c.]

Non uult Cicero iſtam cauſam uſque ad Conſulatum Hortenſij & Metelli extrahi, propterea q eos Verri palàm ſuffragari certū habebat. Conſiliumq; mutetur.] Conſilium, id eſt, quo nolo perpetua uti oratione, nec differri eám ad Conſulatū Hortenſij & Metelli. Nouo exemplo.] Repetit mentionem rei illius, quam ſupra recenſuit, q Metellus Siculos domum accerſitos conterruerit. Vt homines miſeri.] Obſerua incommoda quæ conſecutura ſint, ſi hæc cauſa in Conſulatum Hortenſij & Metelli prorogetur. Hæc frequentia totius.] Frequentiam dicit plebis ruſticæ, quæ accuſante Cicerone undique ex municipijs Romam conuenerat, aut propter comitia ſuffragiorum cauſa, aut gratia ludorum uotiuorum. Huius iudicij.] Hoc ad iudices. Faciam hoc non nouum.] Ab exēplis tuetur, quod in accuſando non perpetua accuſatione utatur. Principes ciuitatis.] Vt L. Lucillus, & M. Licinius, ambo Conſulares, qui cum accuſarent L. Cottam, non uſi ſunt perpetua oratione, ſed interrogatione teſtium cauſam peregerunt. Tum teſtes ad crimen.] Ex hoc loco liquet, accuſatorem quoq; ipſum à ſuis teſtibus accuſatum eſſe. Nihil inter uſitatam.] Collatio uſitatæ & ſuæ accuſationis. Hæc primæ accuſationis.] Sūma primæ accuſationis in Verrem inſtitutæ. Præterea CCCC. HS.] Id eſt, quadringenties millia ſeſtertiorum. ita interpretatur Budæus in lib. 1. de Aſſe, & in ſecundo ſupputat ad quantā pecuniarum ſummā illa ſeſtertio excreſcant. Et legit Budæus, quadringenties HS. quæ ſumma apud nos decies cētenis millib. aureorum æſtimari debet, dun taxat coronatorū. Ita Budæus in poſterioribus Annotationibus Pandectarum iuris ciuilis.

ACTIONIS

# ACTIONIS IN VERREM TERTIAE PER ASCONIVM PAEDIANVM

## ARGVMENTVM.

D EINCEPS *hec omnia non dicta, ſed ſcripta ſunt cōtra eum quod ita factum eſt. Fingit Cicero adeſſe in iudicio Verrem comperendinatum : reſpōdere citatum, & defendi. In cæteris uero orationibus defenſor futurus, accuſationis officium his libris, qui Verrinarum nomine nūcupantur, compēſare decreuit: & quoniam accuſare multos indecorū M. Tullio uidebatur, in una cauſa uim huius artis & eloquētiæ demōſtrare. Nā & bene intelligentes oēs uirtutem oratoriam quęcunq; in criminationibus cōſtituta eſt, hic expreſſam uident: & contra ex hoc defenſionum uim in cæteris orationibus, & neruos eius ex hac uirtute cognoſcunt, quę in opprimendo exprimitur reo. Igitur rerum ſcena ſic facta eſt, ut dicit Tullius, non ut acta res eſt. Ad eſt, inquit, Verres, reſpondet, defenditur. Ergo cum prima Actione accuſatus ſit ac defenſus Verres, nunc uelut defenſus iterum (ſic enim mos erat) in altera actione accuſatur. ad ultimum rurſus oratione perpetua crimina repetundarū, & alia pleraq; anteactę uitæ ſerie firmantur. Sumitur etiam hinc ſæpe defenſio. Omnis enim confirmatio ab attributis perſonæ aut negotio ſumi ſolet. Ergo attributa perſonæ maxime in anteacta uita queri ſolent: negotio, in ipſo crimine. Libros igitur pro qualitate criminū Tullius diuidens, anteactis unum dedit, hunc ſcilicet ſolū : crimini ipſi repetundarum, quatuor. Vnum de iure dicendo, alterum de re frumentaria, tertium de ſignis, quartum de ſupplicijs. Ad hanc ſimilitudinem poeta Virg. Minoem iudicem apud inferos, tanquam ſi prætor ſit rerum capitalium, quæſitorem appellat. Dat ibi ſortitionem, ubi urnam nominat : dat electionem iudicum, cum dicit, Conſilium uocat. dat cognitionem facinorum, cum dicit, Vitaſq; & crimina diſcit. Ergo hic liber, qui de anteacta uita eſt. ſtatum neceſſe eſt coniecturalem habeat. Capita autem quę ipſe Tullius fecit diuidendo totam hanc accuſationem, in legatione, uice quæſturæ, tertio in prætura urbana. Nam cum omnes eius actus quæſturæ nomine, legationis, præturæ urbanæ, præturæ Sicilienſis ueniant, quæ quadripartita librorum diuiſione cognoſcantur, anteacta omnia hoc libro comprehenſa ſunt, ad eorū fidē quæ poſt dicuntur. Proœmio ſanè huius libri inſinuatione conſtituta ſunt, quaſi uera accuſatione in Verrem, audentem adeſſe, atq; defenſum exhortatione iudicum ad recte iudicandum, tum in minis contra aduerſarios, & in exhibenda ratione officij ſui cur ita maluerit accuſare, ut prima Actione tātum teſtibus uteretur. Quæ omnia eiuſmodi ſunt, ut non tam noua dicere, quàm dicta libri ſuperioris inſtaurare uideatur. Poſt hæc omnia ipſius Ciceronis per honores Verris cum criminibus iunctos diuiſio per ordinem temporum currit.*

# IN EANDEM ACTIONEM BARTHOLOMAEI LATHOMI PARTITIO.

H AEC *actio cum ſequentibus non uera, ſed ficta eſt, ut indicat Aſconius. Continet autem crimina Verris, que ab eo cōmiſſa ſunt ante præturam Sicilienſem, ſcilicet in quæſtura, legatione, & prætura urbana. Nam cum Cicero totā accuſationem ſequentem, quæ nunc perpetua oratione tractabitur (nam ante teſtibus tantū & tabulis cauſa probata eſt) in quatuor partes diſtribuat, tres prædictas hac una Actione perſequitur: quartā, quæ eſt de prætura Sicilienſi, & propria huius iudicij repetundarum, in quatuor ſequentes libros digerit. Itaq; hic crimina explicantur, quæ Verres cōmiſit in quæſtura & in legatione, partim in Aſia, Achaia & Pamphylia, partim quæ Romæ deinde ab eo patrata ſunt cū Prætor Vrbanus eſſet. Status orationis & ſequentiū actionum coniecturalis eſt: ſed tam multiplex, quot ſunt crimina : De uno quoque enim controuerſia eſt, & unumquodque per ſe & ſeparatè explicatur. Partes habet Exordiū, Propoſitionem, & poſt hanc perpetuam criminum explicationem, interpoſitis interim argumētis, cum amplificationibus, uſque ad finem. Exordiū conſtare inſinuatione tradit Aſconius. Criminatur enim primo reum, & impudentiam eius, uel potius amentiam admiratur orator, quòd conuictus ſuperiori actione, in iudicium redire auſus ſit. Eamq; rem conuertit in commoditatem iudicum: & ſimul officium ſuum oſtendit. Deinde terret aduerſarios, & exhortatur iudices, ne eripi ſibi hunc reum patiantur, & ad alios iudices transferri, propter diſcrimen exiſtimationis ordinis ſenatorij, ſi minus attenti & conſtantes fuerint in tam nocente reo iudicando. Quo loco demonſtrat officium & diligentiam ſuā in cauſa, & ordinē actionis recenſet, oſtendens ſe nihil pretermiſiſſe. hoc reſtare tantum, ut iudices ſuo quoque officio fungantur. Poſtremo reddit rationem ſuperioris actionis, cur ibi teſtibus, nūc perpetua oratione rem agat: & contendit contra Hortenſium, & ita tranſit ad propoſitionem. Facit igitur exordio attentos & beneuolos iudices, & dicta ſuperioris libri inſtaurat. Propoſitione indicat orator quid prætermiſſurus ſit, et quibus de rebus dicturus. Facitq; diſtributionem totius accuſationis quadripartitā, criminum quæſturæ, legationis, præturæ urbanæ, & præturæ Sicilienſis. Narratione priora tria capita exequitur, quartū reſeruat, ut prædictū eſt, ad actiones ſequentes. Sed interponit interim argumenta, ut dixi, & teſtimonia renouat, & inſerit amplificationes à locis, rebus, & perſonis, ad atrocitatem iniuriæ & criminū indignitatem demonſtrādā.*

# IN EANDEM ACTIONEM IN VERREM TERTIAM FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

## ARGVMENTVM.

P OST *Verris accuſationem dies multi conſumpti ſunt in teſtibus interrogandis, & literis tā publicis quàm priuatis recitādis. Quibus rebus Q. Hortēſius conſternatus, C. Verrem deſeruit. Ipſe aūt Verres in exiliū abijt. Fingit tamen Cicero Verrem adeſſe in hac actione, quam in foro non habuit, ſed tantū ſcripſit. Quòd adſit, id ualere ad probandam ſuam accuſandi diligentiam, & augēdam iudicum in eo condemnādo gloriam. Quòd adſit, mirandū nō eſſe oſtendit propter magnā eius audaciam atq; amentiam, quæ ira Deorū in eum iniecta ſit. Quòd ſi crimine repetundarū ab ijs iudicibus abſolutus ſit, inuenientur alij iudices, qui eū alijs criminibus cōdemnent. Quòd ſi eū hi quoq; abſoluēt, ad populi R. iudicium uocabitur, q libertatis & ciuitatis iura uiolauerit, qua de re populi R. iudicium eſt.*

POST *accuſationem Verris, quam in extrema oratione ſuperiore Cicero fecit, teſtes cõtra Verrem Cicero produxit, tabulas tam publicas quàm priuatas ex Sicilia aduectas cõtra eundem recitari iuſſit. Quibus rebus Hortenſius ſtupefactus defenſionem deſeruit, & Verres in exilium abijt. Fingit tamen Cicero Verrem ab Hortenſio defenſum, eumq; huic actioni adeſſe.* Altera actione.] *Prior enim actio fuit Verris accuſatio, teſtium interrogatio, & tabularum recitatio.* Statuerat ac deliberauerat.] *Hinc attende, maius eſſe deliberare quàm ſtatuere.* Tam nefarijs criminibus.] *Inde Verrem adducit in odium.* Proiectus ad audendum.] *Id eſt, effuſus, uel eminens. ut proiectam audaciam pro A. Cluentio appellat: Illi, quorum eminet audacia, atque proiecta eſt, à conſilijs malicia deſerũtur.* Vt ad audendũ proiectus, &c.] *Aunominatio eſt.* Manifeſto.] *Manifeſto à Cicerone ſæpius quàm manifeſte dicitur.* Teneatur.] *Id eſt, conuictus ſit.* Si reticeat.] *Id eſt, ſi non reſpondeat.* Pudentem exitum.] *Cauſa enim pudoris abeſſet.* Veſtra uero.] *Nam ſi Verres non cõdemnatus in exiliũ abiſſet, iudicum laus magna non fuiſſet. Eorum enim integritas in homine locupletiſſimo cõdemnando cognita non fuiſſet.* Mea diligentia.] *In Verre accuſando.* Illorum.] *Hominum potentiſſimorum.* Tum demum.] *Id eſt, tunc primum.* Illa uicta.] *Hominum potentiſſimorum cupiditas, Verris pecunia, & patronorũ minæ ac potentia.* Inuidiſſe ueſt. laudi.] *Vt M. Cato cum ſe ipſe occidit, Cæſaris laudi inuidiſſe dicitur.* Senatorio conſilio.] *Id eſt, Senatu iudicante.* Veritatis.] *Id eſt, æquitatis & iuſtitiæ.* Ab hoc ordine.] *Senatorio.* Abiudicari.] *Id eſt, ſententia ſua à ſe auferri.* Aegram.] *In diuinatione ægrotam dixit: Hoc remedium eſt ægrotæ ac propè deſperatæ Reip.*

Depoſitam.] *Id eſt, deſperatam. Sic enim Aſconius & Non. Marcellus exponunt. Seru. lib. cõmen. in Aeneid. Ver. 12. locum illum exponens, Vt depoſiti proferret fata parentis: Depoſiti, inquit, id eſt deſperati. Nam cõſuetudo erat, ut deſperati ante ianuas ſuas collocarẽtur, uel ut extremum ſpiritũ redderent terræ, uel ut poſſent à tranſeuntibus forte curari, qui aliquãdo ſimili morbo laborauerant. Cicero: Aegrã & propè depoſitam Reip. partem. Hæc ille.* Pro uoluntate populi Ro.] *Erit autem iudicata pro uoluntate populi R. ſi C. Verres condemnetur.* Conſtituta.] *Id eſt, firmata. alioqui n. iudicia à Senatu ad alium ordinem transferrentur.* Poſtremo.] *Verbum acceſſi, ut ait Aſconius, repetendum eſt. Itaque ita intelligi oportet, Acceſſi ad inuidiam iudiciorum leuandam, acceſſi ad uituperationẽ tollendã, acceſſi poſtremo, &c.* Deſinẽt.] *Quod ſæpe dictarunt.* Neque ipſe.] *Aut C. Verres, ait Q. Hortenſius.* Impie nefarieq;.] *Impie ad Deos, nefarie ad homines refertur. Nec placet Aſconij inter nefandum & nefariũ differentia. Quamuis n. nefandum Latina uox ſit, eam tamen à Cicerone uſurpari uix inuenias. Is n. nefarium, non nefandũ dicere ſolet.* À mente conſilioq; deducitur.] *Verris amentiam probare incipit, quo minus mirãdum ſit, ſi ad hoc iudiciũ adſit.* À mente conſilioq; deducitur.] *Id eſt, à mente conſilioq; ad inſaniam deflectitur. ut Actione ſuperiore: Cuius diuitiæ me de fide deducere non potuiſſent, ne eiuſdẽ pecunijs de honore deijcerer.* Agunt.] *Id eſt, urgent & impellunt, ut hunc locũ explicat Non. Marcellus.* Præcipitem.] *In amentiam ſcilicet. Præceps eſt is qui in caput ruit.* Quos partim ſecuri percuſſit.] *Vt Herennium, aliosq;. De his ſupplicijs Ro. ciuium in Act. 7. Cicero dicit fuſius. Ciuem Ro. cædi uirgis, & ſecuri percuti, olim fuit mos: ſed poſtea lege Porcia uirgæ à corpore ciuis R. remotæ ſunt. poſtea C. Gracchus legem tulit, ne quis ciuis R. iniuſſu populi R. morte multaretur. Exilium pœna capitis erat.* In uinculis.] *Id eſt, in carcere, & Syracuſis in Latumijs.* Iura libertatis.] *Quia ciues R. erant, ut Romana libertate & ciuitate uterentur.* In crucem ſuſtulit.] *Id autem ſupplicium ſeruorum erat, non ciuium R.* Dij patrij.] *Seru. lib. cõment. in Georg. Virg. 1. Deos eſſe patrios dicit, qui præſunt ſingulis ciuitatibus, ut Minerua Athenis, Iuno Carthagini. Hoc tamen loco uidetur Cicero ſignificare Deos penates, qui parentum, liberorum, totiusq; familiæ curã & quaſi tutelam ſuſceperint. Macrob. lib. Satu. 3. in illo uerſu Virgilia. Dij patrij ſeruate domum, ſeruate nepotem: Deos penates intelligi putat.* Quod iſte.] *Priſc. lib. 7. ſcribit hoc in loco liberũ pro liberorum dict. apud quem ſcriptum eſt, quod iſte unus inuentus eſt, &c. Liberum autem ut liberorũ uſitate dici, Cic. in lib. de Orat. teſtis eſt: ut cum cupidos liberũ, aut in liberum locum dicimus.* In tenebris.] *Id eſt, in atrio, aut in loco penitiore, quò ſuas copias condidit.* Auaritiæ ſupplicio cõmuni.] *Id eſt, repetundarum. Nam per auaritiam populatus Siciliam eſt.* Vt iſto dãnato bona reſtituãtur ijs, quibus erepta ſunt.] *Significat illud pœnæ in lege de repetundis conſtitutum fuiſſe, ut qui dãnatus eſſet, bona reſtituerentur ijs quibus ablata fuerãt.* Iſtius ſupplicio luendus eſt.] *Id eſt, purgandus & lauandus.* Sed expugnatorem pudicitiæ.] *Id eſt, uiolatorem.* Non ſicarium.] *Id eſt, homicidam. Sicarius proprie dicitur is, qui ſica hominem occidit. auctore tamen Quint. lib. 10. per abuſionem ſicarios etiam omnes uocamus, qui cædem telo quocũq; commiſerint.* Sed crudeliſſimum carnificem ciuium ſociorumq;.] *Carnificem appellat eum qui nouo quodam & crudeli ſupplicio necat homines, quales apud ueteres fuiſſe multos accepimus, quos tyrãnos uocauerunt, ut Phalarim, Procuſtem, Buſirim. Sic autem dicti ſunt, quòd carnem facerent. Auctore Donato in Hecyram, raro proprie dicitur mortuorum, quòd careat anima.* Cui damnari expediret.] *Nam ſi damnetur à uobis, morte nõ multabitur: ſi uero abſoluatur, ad populi iudicium adducetur, cui ſoli poteſtas eſt, ut reũ morti adiudicet.* Iſtum abſolutum Dijs hominibuſq; inuitis.] *His enim inuitis abſoluetur, ſi uos eum abſoluatis.* Tamen ex manibus populi R. eripi nullo modo poſſe.] *Quia libertatis Romanæ & ciuitatis ius C. Verres uiolauit, cũ ciues alios in Sicilia ſecuri percuti, alios in crucem tolli iuſſit. Hoc autem ad iudicium populi Romani pertinet. Itaque, ſi à nobis repetundarum abſoluatur, ad populi Romani iudicium perduellionis reus adducetur.* Conſilium.] *Id eſt, cœtus iudicum.* Apud tales uiros.] *Id ſæpe à Cicerone dicitur. Vulgo dicerent, apud tantos uiros.* Ne actor quidem.] *Id eſt accuſator. quia id de ſe dicit, uitat arrogantiam.* Victus.] *Id eſt, conuictus.* Occulte.] *Id eſt, per calumniam.* Suſtinebunt tales uiri.] *Id eſt, patientur.* Se tot Senatoribus.] *Teſtibus in Verrem ſcilicet.* Prouincia.] *Sicilia.* Suſtineant.] *Permiſſio eſt, cum quadam prohibitione.* Quibus probemus iſtum in quæſtura pecuniam, &c.] *Rem paulo poſt dicet fuſius.* Auertiſſe.] *À Cn. Carbone ad L. Syllam.* Quod priore actione didiciſtis.] *Quod ego teſtes produxi, & tabulas recitari iuſſit.* De capite.] *Id eſt, de ſumma.* Frumenti decumani detraxerit.] *Quod decumarum nomine decumani ſoluerent populo Romano.* Qui illum eius peculatum.] *Eſt enim peculatus, uel uel ſacræ uel publicæ furtum.* Emerſerit ex peculatus iudicio.] *Permiſſio eſt, ut gradũ faciat ad ſequentia, quæ ſunt grauiora.*

De ducibus hoſtium.] *Hæc in libro de ſupplicijs tractantur fuſius.* Noſtro crimini.] *Quod in eum nos intendimus.*

Hoc in illo maieſtatis iudicio ſi licuiſſe ſibi oſtenderit.] *Populi enim Romani maieſtatem imminuit, qui priuatus domi ſuæ captiuos retinet.* Si licuiſſe ſibi oſtenderit, ego oportuiſſe concedam.] *Argumentum à genere ad ſpeciem in affirmatione non ualet. In negatione uero optimum eſt. Licere genus eſt, oportere ſpecies. Itaque Cicero pro L. Cornelio Balbo:*

Eſt,

Eſt, inquit, aliquid quod non oporteat, etiamſi licet. quidquid uero non licet, certe nó oportet. Tam difficile eſſe probare genus, hoc eſt, licuiſſe, Cicero ſignificat, ut id ſi probet Verres Cic. promittat ſe cócedere in affirmatióe ſpecié, hoc eſt, oportuiſſe. Ex hoc quoq; euaſerit.] Id eſt, abſoluatur. Permiſſio eſt. Proficiſcar eò.] Id eſt, ad iudicium po.R. Verré adduci. De iure.n. libertatis & ciuitatis.] Id eſt, de iure p[redacted] Ro. libertatem & ciuitatem. De iure ciuitatis.] Id eſt, ciuilẽ ne intelligas, ſi quis ſe gerat pro ciue qui ciuis non ſit: aut ſi quæſtio eſt de aliquo, iure, ne an iniuria ciuis factus ſit, qualis de Archia & Balbo fuit cótrouerſia, quæ apud iudices tractata fuit. De iure libertatis & ciuitatis fuit cauſa C. Rabirij perduellionis rei, quæ ipſa apud pop. R. acta eſt. Conſilis ſenatoris] Id eſt, iudices qui ſunt ex ordine ſenatorio. Quæſtiões.] Id eſt, equuleos, quibus cruciantur ij, de quibus habentur quæſtiones. Euolet ex ueſtra ſeueritate.] Id eſt, celeriter euadat. Ex ueſtra ſeueritate.] Id eſt, ex ſeuero ueſtro iudicio. Credet.] po.R. Antea.] Id eſt, actione priore. Qui cognitores.] Id eſt, cognoſcentes ſtatũ eius. Homines honeſtos.] Quibus credendum fuit. Sublatum.] À tollendo. Credant omnes quinque & triginta tribus.] Tot.n. Romanæ Tribus erãt, tam urbanæ quàm ruſticæ. Eas quoq; curias appellatas eſſe, Sex. Pópeius tradit. Hæ autem Tribus in iudicio pop. Ro. reum ſuffragijs ſuis uel damnabant, uel abſoluebant. Amplius centum.] Hoc dicẽdi genus doctis familiare eſt. Vulgus diceret, Amplius quàm centum. Et religionem ſuam.] Nam teſtis iuratus dicebat teſtimonium. Multos ciues Romanos in Latumis.] Latumia & Græco & maxime à Syracuſanis dictas eſſe putat Sex. Pompeius, quòd latomias & appellãt & habent inſtar carceris, ex quibus locis exciſi ſunt lapides ad extruendam urbem. De Latumijs Syracuſanis Cicero in lib. de ſupplicijs fuſius. Sunt igitur Latumiæ generali uocabulo loca ea unde lapides in uſum noſtrũ exciſi ſunt. Lapidicinas latine uulgo appellant. Cenſet Budæus in adnotationibus in Padectas, melius appellari lapidicinas, quo nomine Plautũ uſum fuiſſe dicit. Eius in ſententiam ut alias ſæpe, ita hoc loco cócedo, ut ſit lapidicina compoſitũ à lapi & cædendo: ut aurifodina dicitur. auctore Priſc. lib. 6. Latini uenuſtiſſimi huius lapis protulerũt. Ennius in. 12. Annaliũ: Occũbunt multi letũ ferroq; lapiq;. À latomijs latomi appellati ſunt, nó qui parietes et domos lapidibus ædificant, ſed qui in lapidicidinis lapides excidũt. Magna.n fuit cognatio literarũ o & u: ut polchrũ & colpã, pro pulchro & culpa ueteres, auctore Priſc. dixerint, Pulyxena pro Polyxena, ut ait Quintilianus: & ſacerdus & epiſtula, ut ait Politianus, ab ijſdem dicta fuere. Beneficio po. Ro] Cuius ſuffragio Aedilis factus ſum. In reliquis.] Quæ in Verrem poſtea agentur. Explorata.] Id eſt, probata, ut hunc locum Non. Marcellus explicat. Cum lógo interuallo ueterem conſuetudinem retuli.] Ná, ut in Diuinatione dixit, homines honeſtiſſimi et uiri fortiſſimi antea accuſabant, ut P. Lentulus M. Aquiliũ, Africanus minor bis cóſul et cenſor L. Cottã in iudicium uocauit. tum florebat po. R. nomẽ, ciuitatis maieſtas grauis habebatur. Poſtea imperiti adoleſcẽtuli accuſare cœperũt. Hác ætatẽ Cicero præteruectus cũ Verrẽ accuſat, ueterem illam conſuetudinẽ refert, quæ longo interuallo fuerat intermiſſa. Vt ei qui iſtius quæſtor fuiſſet.] Id eſt, Q. Cæcilio, qui Verris quæſtor in Sicilia fuerat. Inimicitias iuſta.] Hoc dicit Cicero, ut cauſæ ſuæ ſeruiat. Has enim Cæcilij cũ Verre inimicitias fuiſſe ſimulatas, Cice. dixit in Diuinatione. Inquirendi.] Id eſt, faciendæ inquiſitionis uitiorum Verris; Celeritas reditionis.] Nam quamuis Ciceroni dati eſſẽt dies 100 et 10. die quinquageſimo redijt. Lauti.] Id eſt, elegantes & ſuaues. Ita.n huc locũ exponit Non. Marcellus: apud quem locum hunc ita ſcriptum inuenio: Romam ut ex Sicilia redij, comites iſtius atq; amici lauti & urbani. Quæ lectio ſi probaretur, diſſipaſrant, nó diſſipaſſent legendũ eſſet. Diſſipaſſent.] Id eſt, diuulgaſſent. Hinc.] Id eſt, ex parte Verris. Memoria noſtra.] Id eſt, tempore meo. Pactionis ſuſpicionem.] Id eſt, quod pacti eſſent cũ reo, & haberentur præuaricatores. Poſt hunc ſtatum pop. Ro.] Id [redacted]nt. Simili ſplendore & dignitate.] Iudices breuiter laudat, ut laus oblata, nó quæſita uideatur: quod etiam poſtea ſæpe facit. Quintil. lib. 4. ſcribit, hac ratione iudices conciliari poſſe. Quam laudẽ.] In reijciendis iudicibus.] Qui cum P. Galbam.] Probat Cicero hanc laudem ſibi cum Verre cómunem non eſſe, quòd Verres bonos iudices reiecerit, improbos retinuerit. Eius patronus.] Hortenſius. Suos.] C. Verris. Nimium ſui iuris ſententiæq;.] Eſſe ſcilicet: id eſt, quòd eſſent nimium ſeueri, & ſuũ ius atque ſententiam nimium ſeuere tutarentur, itaq; Verrẽ códemnarent, quamuis eſſet familiariſſimus. Comitijs meis.] Quibus ego ædilis factus ſum. Quo die primum.] Nonis.n. ſextilibus hora nona iudices in C. Verrem conſederunt. Contra me.] Vt ædilitate me deijceret. Fructum diligentiæ.] Quòd diligẽs fuerim in bonis iudicibus retinẽdis, et improbis reijciendis. Primo die.] Cicero propoſita accuſatione, ut eſt in actione ſuperiore, multos dies producendis teſtibus, et tabulis recitandis conſumpſit. Quæ omnia ex actione prima eſſe dicit. Victoriæ.] Id eſt, uincendi cauſa. Quemadmodum nó reſponderet.] Id eſt, profugiens exilio uolũtario ſe multaret.

Comperendinatum.] Id eſt, iſtius cauſam in longũ tempus dilatam. De cóperendinatione paulo poſt Aſconius plura ſcribit. In adnotationibus Budæi in Pandectas nó pauca inuenies. Ludorum.] Votiuorum, & Romanorum. Exiſtimationem populi Ro.] Quam populus Romanus de me haberet. Cum cauſa.] Id eſt, ut honeſtam cauſam accuſandi Verris haberem. Cum ad agendum Cicero accedit, honeſtam cauſam ſolet oſtendere, ne aut quæſtus, aut gloriæ, aut odij cauſa acceſſiſſe uideatur. Reipublicæ conſulere.] Meum fuit, cum hoc & proximis repetatur. Ex priore actione abſtulerit.] Legit Aſconius non abſtulerit, ſed ſuſtulerit, pro eo quod eſt, perſuaſum habuerit. Vix cum huius pœna.] Magna criminum Verris amplificatio eſt. De toto ordine.] Senatorio. Hoc ſi uobis leuius uidetur.] Quòd ad alium ordinem iudicandi poteſtas transferatur. Quòd putatis onus eſſe graue.] Nam Cincia lege cauebatur, ne quis orator aut iudex ob orandam cauſam aut iudicandam donum munus'ue acciperet: ut in Ciceronis Catonem Maiorem ſcripſimus. Primum intereſſe, &c. Cum quis ob aliquam turpitudinem mouetur dignitate, id ad famam ſordidum maxime eſt. Reieceritis.] Id eſt, depoſueritis. An quòd probare, &c.] Id eſt, non potueritis efficere, ut populus Romanus approbaret fidem & religionem ueſtram, quia corruptos uos cognouerit. Cum Verrem à porta.] Perſiſtit in fictione. Non ſine cauſa illius conſilium tam repente, &c.] Quòd in corruptis iudicijs ſpem aliquam haberet. Nunc ne nouo querimoniæ genere uti poſſit, &c.] In Actione priore Cicero oratione perpetua uſus non eſt. Teſtes & Tabulas per multos dies contra Verrem, ut diximus, produxit. quocirca Hortenſio defendendi Verris poteſtatem eripuit. Cum enim nihil dixerit accuſator, quid patronus refutabit? Reliquit tantum Hortenſio. ut teſtes interrogaret. Ea de re quæ poſſit Hortenſius: cui Cicero hoc loco reſpondet. Opprimi reum de quo nihil dicat accuſator.] Id eſt, iniuſte condemnari. Aduerſarios.] Id eſt, accuſatores. Subleuaturum fuiſſe eum, quem contra dicerem.] quia patrono

*defenſionis materiam præbuiſſem. Hic tu fortaſſe eris diligens.] Apoſtrophe eſt ad Hortenſium. Abuſus.] Id eſt omnino uſus. Ab enim in compoſitione complet nonnunquã ſignificationem dictionis cum qua cõponitur, ut abnumero abſolue. Comperendinatum.] Id eſt, comperendinationem, ut ſit quartæ declinationis.*

# IN EANDEM ACTIONEM IN VERREM TERTIAM [redacted] SCHOLIA.

## ARGVMENTVM.

FINGIT *Cicero adeſſe in iudicio Verrem comperendinatum, reſpondere citatum. & cum prima actione accuſatus ſit, & defenſus Verres, nunc uelut defenſus iterum (ſic enim mos erat) altera accuſatione accuſatur perpetua quandam oratione. Cæterum in hac accuſatione Cicero in primis crimina repetundarum, ſummis eloquentiæ uiribus inuadit, & alia pleraque antedicta uitæ ſcelera iterum in medium producit.*

NEMINEM *neſtrum.] Exorditur ab inſinuatione, Verrem præter omniũ expectationem audentem adeſſe, atque defenſum eſſe dicit. Statuerat.] Amplificatio à circunſtãtijs. Eſt idem Verres.] Copulatio eſt. Me laboris mei, uos uir.] Ex re ſua & iudicum eſſe oſtẽdit, quod Verres iterum iudicio adſit. Nam ſi iſte id feciſſet.] Confirmatio propoſitæ propoſitionis. Imo uero adſit] Conceſſio. Veſtra integritas cum.] Aduerſarios in inuidiam adducit. Neque ſalus ulla maior.] Repetit quæ in prima actione dicta ſunt, è republica eſſe Verrem damnari Socios leges.] Congeries eſt. Itaque mihi uideor.] Reddit officij ſui rationem, cur Verrem accuſet. Reipublicæ partem ſuſcepiſſe.] Argumentum à publico commodo. Etenim ſine dubio.] Confirmat in hoc iudicio iudiciorum infamiam tolli poſſe. Tametſi de abſolutione.] Præoccupatio eſt. Multa enim & in deos.] Imprudentiæ Verris cauſas Cicero recenſet. Quos partim ſecuri percuſſit.] Amplificatio, qua id, quod primo anguſte propoſitum eſt, deinde per quandam diſtributionẽ explicatur. Porrò aſpergit quoque dinoſin: id eſt orationem rebus inuidioſis, aſperis, duris, impijs uim addente. Iura libertatis.] Hoc eſt, cum eſſent liberi homines debere eſſe immunes à pœnis, ſupplicijs tam horridis. Religiones uero.] Impietas Verris in deos. Simulacra deorũ.] Sacrilegia Verris. Non id ſolum quæritur.] Quid in hoc iudicio Verris quæratur, oſtẽdit. Non enim furem, ſed.] Amplificatio eſt per correctionẽ, uel quia uerba ampliora cũ minoribus comparantur. Vide Fabiũ lib. 8. de amplificatione. Nam quis hoc non intelligit.] Argute Cicero non modo reum terret, ſed etiam iudicibus cõminatur. Præclare nobiſcũ actum iri.] Terret iudices, & hortatur eos tacite, ne Verrem abſoluant, Cum fana ſpoliaret.] Articulus cum incremento uocum. Non eſt, non eſt.] Conduplicatio cum præoccupatione. Metuo ne quid arrogãtius.] Præmollit id, quod de ſe dicturus ſit. His ego iudicibus.] Verrem non impune eripi poſſe probat. Se tot ſenatoribus.] A ſceleribus Verris probat non metuẽdum eſſe iudicibus, ne aut Verres occulte ſurripiatur, aut impune eripi poſſit. Reperiemus ſi iſtum uiuum.] Terret iterum iudices. Quod iſte M. Marcelli.] Quæ M. Marcellus expugnatis Syracuſis Romã è Sicilia deportari curauit, uide Liuiũ lib. 5. ſecundi belli Punici. Non dubitauerit auferre.] Nam Marcellus multa monumenta deprecantibus Syracuſanis reliquit. Meditetur de iudicibus.] Argumentũ à ſua ipſius confeſſione. Fateatur id quod.] Conceſſio Ironica. Se priuatum hominem.] Amplificatio à conditione hominis. De iure enim libertatis.] Verres accuſatur uiolatæ libertatis Romanæ. Credet ijs æquitibus.] Primum exemplum uiolati iuris libertatis à Verre. Credent omnes.] Secundum exemplũ uiolatæ libertatis, iuris Romani. Vir primarius] Tertium exemplum. Probabit fidem.] Quartum exemplũ uiolatæ libertatis. Morte eſſe multatos.] Amplificatio ab indignitate. Hãc ego cauſam.] A' ſua perſona colligit. Quapropter omnes.] Clauſula argumentorũ, ne Verres impune abeat. Mea quidẽ ratio.] De ſuo in agẽda cauſa Verris ſtudio dicit. Meorũ autẽ neceſ.] Cur cauſam iſtã ſuſceperit. Quod meũ factũ.] Simpliciter fatetur cõmentitiã ſimultatẽ Cæcilij cũ Verre, Cæcilio non fuiſſe idoneã cauſam accuſandi Verris. In Siciliã ſum inquirẽdi.] Suũ in hac cauſa ſtudiũ cõmemorat. Pudorẽ uero ac religionẽ.] Deprecatur & ſuſpicionnẽ corruptionis, & fauorẽ Siculorũ. Romã ut ex Sicilia.] Narratiũcula. Homines lauti.] Hoc propter Hortenſiũ dicit, qui elegantiore & cõptiore amictu uti ſolitus erat, auctore Gel. lib. 1. Sciebam in reijciẽdis.] Hoc eſt, in hoc quod reieci aliquos iudices, ſatis ſcio pleroſq; ſuſpectos factos initæ pactionis cũ Verre ad corrũpẽda iudicia. Ac diligentia probaretur.] Id eſt, cũ fideles alioqui actores uiderẽtur eſſe. Porrò hoc in Hortenſiũ & cæteros Verris amicos dicit. Putabã non ſolũ notis.] Fidẽ et diligentiã ſuam in hac cauſa cognitã eſſe dicit. Q. Iuniũ reijci.] Παράδοξον. Nã comitijs meis.] Argumẽtũ à ſigno. Quis tã nouarũ rerũ.] Tacite indicat de iudicibus malã ortã eſſe opinionem, quòd accepta pecunia falſum decernerẽt. Id ſum aſſecutus.] Quid in prima actione cõtra Verrẽ & dixerit & egerit, narrat. Deinde reliquis diebus.] Apparet Verrẽ prima actione, productis contra eũ teſtibus, multis diebus accuſatũ eſſe. Quæ res primo.] Confirmatio eſt. Nulla nota.] Hoc eſt, non uidebantur iudices poſſe corrũpi, ut falſum decernerẽt. Poſuit autem ſentẽtias pro tabulis, figurate. Iudices enim in tabulas ſententias ſuas redigebant. A' me pedetentim.] Præmonitione utitur. Videt ad ipſum.] Locus eſt coniecturalis, à Curionis gratulatione ipſi Verri facta. Fornicem Fabianũ.] Fornix, locus arcuoſus iuxta Regiã in ſacra uia à Fabio Cenſore conſtructus, auctore Aſconio. Hoc ſi uobis leuius.] Occupatio eſt. Deinde illud cogitare.] A' periculo futuro, ſi ſenatoribus iudicandi poteſtas eripiatur. Quos propter odiũ.] Ab expectatione inimicorũ ſenatus. Hæc me iudices.] Mitigat hortationis prolixitatẽ. Nõnulli ſuſpicari.] Argumẽtũ à ſpe inimicorũ. & fingit hoc Cic. ut credatur uera fuiſſe ſecũda actio, quæ ſecũdũ uerã geſtorũ fidẽ non dicta, ſed ſcripta eſt. Nunc ne nouo.] Cicero proponit querelã Hortenſij, conquerentis Ciceronẽ nõ iuſto tẽpore accuſaſſe reũ Verrem. Porrò Cic. iſtã querelã Hortenſij ideo proponit, ut ridicula & iniuſta uideatur. Hic tu fortaſſe eris.] Apoſtrophe ad Hortẽſiũ, qua oſtendit ſe nõ cogi poſſe ne utatur oratione perpetua & omnibus horis ſuis, ſi nolit. Cauſam cognoſci oportet.] Propoſitio Hortenſij. Ea re quidẽ.] Cauſa propoſitionis. Id igitur tu moleſte tuliſti.] Ironia Ciceronis. Adimo. n. comperendinatum.] Ab ea n. ſignificatione, qua comperendinare procraſtinare eſt, & eſt diem de die ducere, cõperẽdinati rei dici*

poſſunt

poſſunt in cauſis criminalibus, quos curia dimiſſos fide eſſe ſua uoluit: hoc eſt, quos ſua ipſorum cuſtodiæ cõmiſit, ut aut urbẽ carceris loco habeant, aut priuatam aliquam domum. Cõperendinati ideo dici poſſunt, quia non planè abſoluti ſunt, ſed ueluti uadimonio quodã obſtricti, uel quia nondũ comperta ſatis crimina ſunt, uel quia nondũ ſatis innocentes ſe approbauerũt. Vide Aſconium Pædianum, & Budeũ in prioribus annotationibus Pãdectarum. Si eum qui poſterius dixit.] Senſus eſt: Comperendinatio propter me magis quàm propter te eſt cõſtituta, aut nõ magis propter te quàm propter me. Si enim numerũ dicendi expendas, ex æquo res eſt. ſi ordinẽ, ego ſum prior. Nã ſi accuſator dixerit, reſpondet primæ actioni defenſor. Rurſum, iudicio cõperendinato, prior defenſor dicit, & defenſionẽ tanquã duplicem in medio poſitã accuſator ultimo dicens obruit. Vel amplius pronũciari.] Ampliare, uerbũ iuris eſt, & eſt damnationem rei differre, aut quia corã ſiſtendi teſtes ſunt, aut quia nondũ planè liquet aut de crimine, aut de pœnæ modo. Ex quibus colligere potes, ampliationem parũ differre à cõperendinatione. Ampliatio numerum certum actionum nõ habebat, Comperendinatio uero iterata erat actio. Nequaquam tam manifeſtis.] Non fuiſſe in hac cauſa comperendinatione opus, docet. Verum ſi cauſam.] Repetit Hortẽſij obiectionẽ.

Nóne aut in tabulis.] Ex priore actione, qua teſtibus tantum uſus ſit, cauſam Verris cognitam probat. Dio quidã fuit Haleſi.] Narratiuncula. Quo tempore igitur.] Obiectio eſt. Cum Dio ipſe prodiret.] Argumẽta, quibus Verres pecuniam à Dione accepiſſe conuictus eſt. Sic à me ſunt acta.] Non fuiſſe in priore actione perpetua oratione opus, dicit. Nego eſſe quidquam.] Cauſam Verris in priore actione cognitã docet. Etenim ſic me egiſſe.] Quomodo priorem actionem egerit, narrat. Interpoſuiſtis accuſatorem.] Alij Rupiliũ ſiue Oppium à Verre ſuppoſitum intelligunt: alij Rupilium accuſatorem, & Oppium reum: alij Q. Metellum Nepotem accuſatorem, & Curionem reum. C V I I I. ſibi in Achaiam.] Sic enim erat à Prætoribus legibus conſtitutum, ut ſi intra centum & octo dies ille inquiſitor Achaicus rediſſet, priore loco ageret, & ita factum eſt, ut propè mẽſes tres, Ciceroni eriperentur. Vt cum horis noſtris.] Cur Cicero ſuis horis ad accuſandũ conceſſis à lege, uti noluerit. Deinde ita tẽpus duceretur.] À dolo aduerſariorum. Ne quem nemo prima.] Nam cum Cicero in priore actione, explicatis criminibus, ſemper teſtes interrogaret, Hortenſius Verris defenſor adeo perturbatus eſt, ut reum indefenſum relinqueret, & reus ultroneũ exilium ſibi conſciſceret. In cautione uiderunt,] Fingit Cicero ſe reſciuiſſe pactionem Vereis amicorum, qui in ſe ſuſceperant procurationẽ corrumpendorũ iudiciorũ, liberandiq́; Verris, ſi poſt Calendas Ianuarias de Verre iudicaretur. Eſt ergo Ciceronis ſenſus: Quàm ego eſſem ſtultus, ſi quod tempus illi in promittẽdo elegerant, ego in accuſando non effugiſſem, præſertim cũ poſſem effugere. Itaque primum.] Occupatione quadam & attentos animos iudicum facit, & Verri inuidiam maximam conflat. Queſtor Cn. Papirio.] Vnius criminis Verris propoſitio. Queſtor ex S.C.] Accuſat Verrem male geſtæ queſturæ: & eſt narratio ſplendida. Cognoſcite hominis.] Parentheſis ad motum animi facit. Erat tum diſſenſio ciuium.] Subindicat primum bellum ciuile Romæ cõmotũm inter Syllã & Marium, anno urbis conditæ ſexcenteſimo ſexageſimo ſecũdo. De quo uide Appianum libro primo Bellorum ciuilium, & Eutropium lib. 5. Hiſtoriarum Romanorum. Quibus illam relectionem.] Quo animo Verres pecuniam auerterit. Hoc eſt rationes referre.] Vituperat rationem Verris. & eſt Pyſma. Sibi elegit Ariminum.] Hoc oppidũ erat quod Albinouanus dux ipſe Marianus Syllæ prodiderat: uide Plutarchum in Sylla, & eſt argumentum à loco. Recita denuo P. Lentulo.] Hoc eſt caput relatarum rationũ à Verre totius quæſturæ eius.

Malus ciuis.] Obiectio Verris. Fuerit alijs.] Confutatio obiectionis. Marcus Piſo quæſtor.] Exemplo urget Verrem, ut oſtendat quid facere potuiſſet, niſi furtum pararet. Nec morem maiorum.] Qui inſtituerant quæſtorẽ ſumma reuerentia, ſumma neceſſitudine erga ſuum prætorem affectum eſſe debere, ut ſupra in Diuinatione habitum eſt. Etenim ſi hæc perturbare.] Argumentũ à malis futuris, ſi quæſtor prætori fidem non ſeruat. Ipſe Sylla.] Ab exemplo. Vbi iſte ſummæ rei.] Argumentũ eſt, Verrem proditorem eſſe. Nunc quamuis ſint.] Redit ad ſuperiorẽ Verris obiectionem. Nullæ occultiores.] Probat cõmune eſſe malum. Itane uero?] Exaggerat hoc, quod Verres conſulem Carbonem deſeruerit. Itaque idem iſte.] Accuſat Verrem male geſtæ legationis pro quæſtura apud Dolabellam. C. Malleolo occiſo.] Suſpicioſo uerbo uſus eſt. Nam non urget Malleolũ à Verre occiſum eſſe, ſed ita uult uideri, quia Verri mors eius lucro fuerit. Nam quæ in ipſum.] Intelligit C. Cæſarem, qui Cn. Dolabellam, ſeodata ſeditione ciuili inter Marium & Syllam, repetundarũ poſtulauit, in quo iudicio Verres cõtra Dolabellam improbiſſima teſtimonia dixit. uide Suetonium in Cæſare. Quid hoc homine factatis.] Exaggeratio. Nolite quæſo iudices.] Occupatio eſt. Mihi properãdũ.] Tranſitio eſt. Syllanarum proſcriptionum.] Nam Sylla prima die octoginta proſcripſit, ſecunda ducentos & uiginti, auctore Plutarcho in uita Syllæ.

Ac rapinarum prætermittam.] Nam Sylla proſcriptorum liberis ius petendorum bonorum eripuit, & bona eorum uendidit, ex quibus primo multa rapuit. Ita Florus Epit. 98. Poſteaquam Cn. Dolabellæ.] Inſimulat Verrem male geſtæ legationis apud Dolabellam. Sed non inauditum.] Nam & Alexander Seuerus Verconiũ Thurinum quendam nebulonẽ fumo necari iuſſit, ut ſcribit Helius Lampridius in uita Alexãdri. Prætermittam minora.] Occupatio, attentionẽ faciẽs. Ibi hominem ingenuum.] Amplificatio à conditione hominis.

Eſt enim tanta fani religio.] Vt etiam teſtatur Strabo in decimo, & Macrob. in 1. Saturnal. Non dubito quin.] Apoſtrophe ad Verrem. Latonam ex longo errore.] Fabula hæc partim ad amplificationem, partim ad ornatũ orationis facit.

Cum bellum toti Græciæ.] De quo uide Iuſtin. in 11. In Aſiam uero.] Crimina Verris in Aſia commiſſa. Illa uero expugnatio.] Nam ædiles in ludorũ apparatu ſigna nobilia ex urbibus ſociorũ pop. R. Romã deportare poterãt, ita ut ſocijs ea deinde reportarẽt, auctore Aſconio. Cum obſignandi gratia.] Mos fuit, ut accuſator obſignaret domũ rei repetũdarũ, & clauſa omnia eius bona ſeruaret, ne qua furtorũ indicia aut in uaſis, aut in ſignis, aut literis conſtituta, à reo amouerentur. Contra quæſtorem.] Alij quæſitorẽ legunt, & tum intellige Glabrionem prætorem iudicij repetundarũ in cauſa Verris, ad quẽ redigebantur proſcriptorum bona, & à quo ſocijs rapta reddebantur. Sectoremq́; pugnate.] Sectorẽ, id eſt, æſtimatorẽ redẽptoremq́; bonorũ dãnati atq; proſcripti ob crimẽ repetundarũ, qui ſpẽ ſectãs lucri, bona omnia rei auctione uẽdebat, & ſemel inferebat pecuniã, uel ærario, uel ſocijs, ut ita fieret ſatis illis, quibus proſcriptus aliqd ſurripuerat, auctore Aſconio. Aſpẽdum uetus oppidũ.] Quid in Pamphylia Verres fecit. Omnia ex fanis.] Exaggeratio eſt. Aſpendiũ citharíſtã.] Facetũ admiſcet de Aſpendio citharœdo. Aſconius Pædianus ad hãc ferè ſentẽtiã narrat: Vulgares citharœdi cũ canũt, utriuſq; manus officio funguntur: ita ut dextera plectrũ teneant, id qđ foris canere appellãt: ſiniſtræ digitis chordas carpant, quod quidã intus canere uocant. Difficile uiſum eſt quod Aſpendius citharœdus faciebat, qui nequaquã utraq; uteretur manu, ſed omnia, id eſt, totã cantionẽ, intus, et ſiniſtra tantũ manu cõplecteretur, atq; ita tacito leniq́; modulamine ſiniſtra cõtractis chordis citã

*lena peragebatur, ut uox ad citharœdum duntaxat, aut proximè adſiſtentem perueniret. Hinc fluxiſſe prouerbium, ut furaces homines, Aſpendij citharistæ Græcis uulgo dicerentur, ideo quòd ut hic carminis, ita illi furtorum eſſent occultatores. Proinde Cicero facetiſſimè rapacitatem Verris taxare uolens, dicit eum Aſpendium citharœdum ſuſtuliſſe, & in medijs ædibus ſuis poſuiſſe: hoc eſt, plus quàm furem eſſe Verrem.* Pergæ fanum antiquiſſimum.] *Pomponius Mela lib. 1. Perga, inquit, Pamphyliæ oppidum eſt, Dianæ, quam ab oppido Pergæam uocant, templum.* Id à te nudatum.] *Exaggeratio criminum in legatione à Verre commiſſorum.* Cum imperio.] *Id eſt, à populo Ro. nominatim imperiũ ſortitus. Ita interpretatur Feſtus.* Quid ego de M. Marcello.] *Ab exẽplis uetuſtis Verrem urget, à maiori ad minus.* Antiochumq; regem.] *Scilicet ad montem Sypilum, auctore Liuio lib. 5. & 6. belli Aſiatici.* Ornatiſſimam Corinthũ.] *Scilicet metropolim Achaiæ, auctore Plinio lib. 4 cap. 4.* Vereor ne hoc forte.] *Præoccupatio eſt.* Ita æquabiliter omnes.] *Laus priſcorum Romanorum iuxta ſeriem temporum.* Olynthum ui, copijs.] *Vrbem Thraciæ, auctore Pomponio lib. 2.* Et omnibus rebus auctam.] *Vide Eutropium lib. 6. cap. 1.* Nam poſtea Seruilius.] *A' recenti exemplo Verrẽ urget Cicero.* Diripenda ac uexanda.] *Nam ædili atque prætori Hortenſio, & item Metellis, rapta ex prouincijs ſigna ad ornandum & forum & comitium Verres commodauerat.* Tu quæ ex fanis.] *Collatio facti Seruilij cum facto Verris.* Cognoſcite ex literis.] *A' ratione Seruilij eum omnia ſigna per triumphũ uecta, ærario ſcripta intuliſſe probat.* Dices tua quoque.] *Oratoriè obijcit obiectionẽ, quæ confeſſionem in ſe habet.* Vidi collucere omnia furtis.] *Inuidioſa narratio.* Vidit enim eos qui iudiciorum.] *Tacitè perſtringit Hortẽſium, & cæteros ædiles, qui à Verre ſigna accommodatò acceperant.* Socij uero, nationesq;.] *Veriſimile facit, illa ſigna à Verre ædilibus accommodata, furto ſublata fuiſſe.* Alio in loco lachrymantes.] *Argumentum à lachrymis legatorum.* Quorum omnium hunc ſermonem. *Διαλογισμὸς eſt ad inuidiam Verris comparatus.* Sed, ut opinor, ſolet hæc.] *Facetum eſt, & eſt obiectio Verris.* Habeo & iſtius tabulas.] *Cõfirmatio eſt. Mos olim fuit Romæ, ut unusquiſq; domeſticam rationem totius uitæ ſuæ per ſingulos dies traducenda conſcriberet: in qua apparebat quid quiſque, de redditibus ſuis, quid de fœnore lucroq; ſecernere poſſet quoque die, & quid item ſumptus damni ue feciſſet. Dicit igitur Cicero ſe habere & patris eius tabulas, & ipſius Verris: ex quibus prodit quàm multæ tabulæ pictæ, quàm multa ſigna apud Verrem furto ſublata occultentur.* Patris, quoad uixit, tuas.] *Accuſat domeſticam Verris rationem, ut quam ad tempus aliquod fecerit.* Hoc uero nouum.] *A' ratione domeſtica Verris, eum multa ſigna furatum eſſe probat.* Quæ ſectorem expectant.] *Repetundarum cauſa ſic ſe habet, ut ſi cõuictus reus ſit atque damnatus, pecuniam reddat æſtimata lite, hoc eſt, in pretium redactis omnibus furtis: quam ſummã pecuniæ, proſcriptis eius bonis, ſectores curabant.* Ad impluuium.] *Locum ſcilicet, quò aqua impluit in domum, collecta de cœlo.* Quam multis ingenuis.] *Accuſat Verrem ſtuprorum in legatione commiſſorum.* Sed ego omnia.] *Occupatio.* Oppidum eſt in Helleſponto.] *Narratio ut ſplendida, ita copioſa; ſtupri à Verre uirgini cuidam Lampſacenæ per uim illati.* Maxime ſedati.] *Hæc narrat, ut crimen Verris deteſtabilius faciat.* Ad ianitorem.] *Proprium nomen eſſe, Aſconius auctor eſt.* Erat comes eius Rubrius.] *Noua narratiuncula.* Laborabat.] *Rectè laborabat, quia inuitus Rubrium ſuſcipiebat.* Vt Græco more biberetur.] *Quem Plautus in Muſtellaria indicat, dum inquit: Noctes dieſq; bibite, pergræcamini, amicas emite, paſcite paraſitos, obſonate plauſibiliter. Vel alludit ad morem quem Auſonius indicat: Ter bibe, uel toties ter, ſic myſtica lex eſt. uide Athenæum lib. Dipnoſophiſtarum 2.*

Hic tum alius.] *Protheſis eſt.* Seruos ad ſe uocat.] *Pietas patris erga liberos oſtenditur.* Clamor interea.] *Epitaſis eſt.* Iactatur domi ſuæ.] *Amplificatio iniuriarum.* Hæc ubi filio.] *Proceſſus conſilij Rubrij.* Omnes eodem animo.] *Semina argumentorum narrationi aſpergit.* Ad populum loquebatur.] *Amoliuntur metum animaduerſionis.* Vt grauius apud eos.] *Oratoriè hoc, quia parcendum non tam Verri q̃ legato populi R. dixerunt.* Sic iſte multo ſceleratior.] *Exaggeratio ſceleris Verris ab exẽplo.* Quàm ille Adrianus.] *Aut legatus, ut aliqui uolunt: aut prætor Africæ, ut alij. Porrò Adrianus temporibus Cinnæ uixit.* Viuus exuſtus eſt.] *Quòd corrupto ſeruitio ciuitatis illius, de principum nece cõſpiraſſet. ita Aſconius.* Neque adhuc cauſam.] *Exaggeratio, quòd nulla cauſa motus Verres tantum facinus cõmiſerit.* Nunc cũ ipſe.] *A' teſte facinus Verris cõprobat.* Qui tũ accenſus.] *Accenſi dicebantur, qui in locũ mortuorũ militũ ſubrogabantur, & ad legionum cenſum adſcripti erant, auctore Feſto Pompeio.* Poteſtis dubitare.] *Ad damnandum Verrem hortatur iudices.* Niſi uero illud.] *Præoccupatio eſt.* De quo ne multa diſſeram.] *Cõfutatio obiectionis.* In quo uideo Neronis.] *Vt Nero Philodamum & filiũ cædis damnarit, narrat.* Rogat & orat Dolabel.] *Inuidioſè narrat. nam Verrem corrupiſſe nonnihil iudices, argumentis multis oſtendit.* Erant nonnulli togati creditores.] *Non dicit equites Rom. ſed legatos, & creditores Græcorum, ut cauſis gratificationis in Verrem coijciat.* Accuſator apponitur.] *Non dicit accedit, ſed apponitur: hoc eſt, à Verre ſubornatur.* Qui ſi dixiſſet.] *Facetum admiſcet.*

Cn. Dolabellæ ſpiritus.] *Amplificatio eſt. nam plus ſignificauit dicendo ſpiritus, quàm ſi dixiſſet animoſitatem, uel contẽtionem.* Non per Neronem.] *Excuſat Neronẽ.* Tum uero quod.] *Quid in altera actione actum ſit cum Philodamo, narrat.* Condemnatur perpaucis.] *Vt damnatũ Philodamũ oſtendit.* Vt quamprimum.] *Sententia de Philodamo lata.* Grandis natu.] *Affectus mouet.* Sed pater de filij.] *Cõmutatio.* Hominis innocẽtes.] *Exaggeratio eſt.* Iã iã Dolabella.] *Affectũ mouet ab apoſtrophe ad Dolabellã.* Quod.u. eũ quæſtoris.] *Nã Verres apud Dolabellã agebat legatũ proquæſtorẽ, ut ſupra habitũ eſt.* Cuius re uera quæſtor.] *Renouat ſupra dicta Verris ſcelera.* Cœperũt ne domũ.] *Tumultũ Lampſaci ad domũ Verris ortũ probat.* Tu neq; in literis.] *Cõmoratio eſt.* Nã ſi quã Rubrius.] *Per occupationẽ et iniuriã Verris, Lampſaci tumultũ concitũ eſſe contendit.* Tum illorũ teſtimonia.] *Argumenta coniecturalia.* Cuius tanta peccata.] *Exaggerat Verris peccata.* Porrò añt populi R.] *Locus à populorũ conditione & fortuna.* Nolite per deos immortales.] *Obſecrat iudices.* Tu mihi cum circunſeſſus.] *Exaggerat iniuriam à Verre factam.* His tibi perfugium.] *παράδοξον.* Quid ſi hanc rem.] *Locus reprehenſionis contra iudicatũ, ne proſit Verri Philodamum condemnatum eſſe.* Themiſtagoras, &c.] *Probat quòd Verres nõ Philodamũ, ſed alios, & quidẽ falſo cõcitati tumultus accuſauit.* Qui te niuũ comburere.] *Affectus mouet.* Ab accuſatore.] *Verba ex teſtimonio Verris deprompta.* Quod fuit id.] *Congeries argumentorũ, quibus probat Cicero alios falſa à Verre accuſatos concitati tumultus.*

Cur iniurias tuas. *Crebris interrogationibus pathos mouet.*

Nuper M. Aurelio.] *Ab exemplo Verrem urget.* E' fano Dianæ.] *Quod Amazones Aſia potitæ conſecraſſe traduntur, auctore Pomponio Mela.* Magnum hoc Lampſacenum.] *Tranſlatio.* Illud quod neq; taceri.] *Auaritiæ Verrem accuſat.* Quid Mileſijs lanæ.] *Quæ optima apud Mileſios erat. Plin. lib. 8. cap. 47. Lana laudatiſſima, inquit, Appula, & quæ in Italia Græci pecoris appellatur. tertium locum Mileſiæ oues obtinent.*

obtinent. Vide quoque Virgilium in 3. Georgicorum. Hi ſunt homines.] Exaggeratio criminis à Verre cõmiſſi. Ad Sinopẽ.] Quas Chalybes habitãt, patria Diogenis auctore Mela, lib. 1. O dij immortales.] Exclamatio pathetica. Nanẽ tu de claſſe.] Amplificatio, Verris facti abuſu. An quia tum Cn. Dolabella.] Obiectio Verris. Multum te iſta feſellit.] Confutatio obiectionis per uiolationem. Quamobrem unam.] Amplificatio à contentione & uocum, & rationũ.

Tametſi menſem Febeuarium.] In quo frequens ſenatus Rom. Poſtulatis prouinciarum, item audiendis legationibus dabatur, auctore Aſconio. Porrò de menſe Februario uide Ouid. 2. Faſt. Alteram tutelæ.] Accuſat Verrem & per uim occupatæ tutelæ, & male geſtæ. Et ſyngraphas feceret.] Inter chirographa & ſyngraphas hoc diſcriminis eſt, ꝗ chirographa tantum in ijs quæ geſta ſunt, ſcribi ſoleant. In ſyngraphis autem, etiã cõtra ueritatis pactionem, & non numerata pecunia, aut nõ integra numerata, perſcribi ſolet. Hæc Aſconius. Dixit HS. decies.] Hac forma loquendi centum ſupplebis eſtq; ſeſtertium decies, decies centena ſeſtertia, ſeu mille ſeſtertia, uiginti quinq; millia coronarum. uide Plutar. in Antonio. In hunc modum quidocunq; aduerbium additur uoci ſeſtertium, centum ſupplebis. nam obtinuit conſuetudo ut centũ omittatur. DC. eodem modo quadrarint.] Tunc aũt quadrant rationes, cum ſolidæ ſint, adeo ut neque plus quidquam neq; minus inueniatur in ſumma. ita Aſconius. Hæc eſt iſtius preclara.] Exaggeratio criminum Verris. Iam te non Siculi.] Confirmatio à teſtibus. Flentes.] Affectus mouet. Pro quæſtore uero quomodo.] Accuſat Verrem male geſtæ quæſturæ ſub Cn. Dolabella quæſtore. Aeſtimando.] Licebat. n. magiſtratibus in uſus ſuos frumẽtum accipere, ſi uellent, aut pro frumento pecuniã. Cilicia.] Texta de pilis in uſum caſtrorum & nautarum, auctore Aſconio. Itaque M. Scaurus.] Ab exemplo oſtendit, quàm ipſe ſyncere Verrem accuſet. Non modo proditori.] Allegoria eſt. Rationes ad ærarium.] Accuſat Verrem relatarum rationum. Non audet referre.] More quæſtorum. ſic enim fiebat, antequam ex prouincijs quæſtores Romã rediſſent. Excribendi poteſtatem.] Nam accuſatores reorum repetundarum cogebantur facere copiam amicis rei excribẽdi tabulas rationum. Trib. uerſiculis.] Scilicet, accepi, dedi, reliqui. ita Aſconius. Quæſtorẽ ſe in ſenatu.] Bini. n. quæſtores quotannis in Sicilia fuerãt, ſingulis pretoribus, Lilybætanus & Syracuſanus. Quàm Verres illi expenſum tul.] Accuſat falſitatem rationum Verris, nimirum ſummas Dolabellæ nõ conueniſſe cum ſummis ipſius Verris. Q. & Cn. Poſthumijs.] Hi ſunt, qui extraordinarias pecunias Verris tractabant, quæ in tabulis Verris nunquã ſcriptæ ſunt. Extraordinariæ pecuniæ.] Id eſt, ſordida lucra & furta. nam ea ſunt, quæ neque de reditibus, neq; de annonis, neque de aliqua legitima ceſſione aut donationis, aut hæreditatis, Verri acceſſerũt. P. Tadio numerata.] Et hic extraordinariarũ pecuniarum acceptor fuit, auctore Aſconio. Hinc empta apertiſſ.] Accuſat Verrem ob turpiter emptam præturam. Homo ſcilicet.] Enumeratio. Alia porrò pecunia.] Oratorie quæ probari nõ poſſunt, fingit uoluntate ſe negligere. & eſt eiectio. Homo ſtultiſſime.] Apoſtrophe ad Verrem uehementiſſima. Verum ad illam ueniamus.] De prætura urbana Verris dicturus, nouo exordio utitur. In quibus nõ dubito.] Præoccupatio eſt. Quibus ego in reb.] Beneuolentiam captat ab excuſatione. Fateboe etiã illud.] Attentionem facit à ſcelerũ Verris magnitudine. Quapropter ita me.] Diuiſio criminũ Verris in prætura urbana cõmiſſorũ. & parat docilitatẽ. Et ſartorum tectorum.] Sarte, inquit Feſtus Põpeius, ponebant ueteres pro integre: ob quã cauſam opera publica, quæ locantur ut integra præſtẽtur, ſarta tecta uocantur. Sartire. n. integrum facere. hactenus ille. Porrò cura exigendi ſarcta tecta à redemptoribus, ad cenſores ſpectabat: interdum etiã ad ædiles, raro ad peatores, nec niſi dum ſenatus decerneret. Qui principio.] Propoſitio qualis in edicto.] De iure à Verre in pretura dicto narrat. P. Annius Aſel.] Narratiuncula. Neq; cenſus eſſet.] Nam cẽſus dicebatur is, qui centũ millia ſeſtertium in profeſſione deferebat, auctore Aſconio: & aſpergit narrationi argumenta. Lex nulla prohibebat.] Voconius legem tulerat, ne quis cẽſus, id eſt, pecunioſus, unicam filiã hæredem relinqueret: auctore Põponio Læto, de Legibus Romanorum. Conſuetudo iuris.] De quibus uide inſtitutiones in titulo de naturali iure, gentium & ciuili. Appellat hæredem.] Intelligit pupillarem inſtitutionẽ, de qua in Inſtitutionibus in titulo de Pupillari inſtitutione, primo par. Totum edictum ad Chelidonis arbitrium.] Verris libidinẽ taxat. Delectat. n. me.] Ironia eſt. Non inofficioſum. Inofficioſum teſtamentum appellatur, quãdo in teſtamẽto liberi exhæredantur præter meritum, aut omittũtur pæter cauſam à parentibus. In lege Voconia.] Interpretatio legis Voconiæ. Neq; in ulla præteritum tẽpus.] Locus cõmunis eſt: Lex ad futura negotia, nõ ad præterita referttur. Inde Imperator in l. leges. C. de legibus, inquit, Leges & conſtitutiones futuris certum eſt dare formam negotijs, non ad facta præterita reuocari. In quibus non ius nouum.] Locus cõmunis eſt, Ante facta in iudiciorũ non uocantur. Cornelia.] Cornelius legem tulit, ut homines qui parricidij cauſa telo, accincti ſint, gladio pſequãtur. Tulit & alias leges, quas uide apud Põponium Lætum de Leg. Rom. & Aymarum lib. 2. Hiſtoriæ iuris ciuilis. Numaria.] Ne quis ſcilicet priuatam pecuniam faceret. Leges Atinias.] Lege Atinia cautum fuit, ut eius rei quæ ſurrepta erat, æterna eſſet auctoritas, niſi in poteſtatem eius cui ſurrepta eſſet, reuerteretur. uide Aymarũ lib. 2. Scribis ſi quis hæredem.] Verba ex edicto Verris repetit. Quia non generis, ſed hominis.] Sic colligit Cicero: hominis cauſa edictum à Verre conſtitutum eſt, ergo iniquum. Atq; ſi in poſterum.] Sic colligit: Edictũ Verris ad præterita reſpicit, ergo iniquum. Ecquis eſt inuentus pretor. Sic colligit Cicero: Tale edictum nullus unquam prætor edixit, ergo iniquum eſt. Ne quis ediceret.] Sic argumentatur: Non obſeruatur Verris edictum, ergo iniquum fuit. Corrigere nouitates.] Cum ſcilicet ultima uoluntas mortuorũ rata eſſe debeat, l. 1. C. de ſacroſãn. eccl. Tu ipſe ex Sicilienſi.] Senſus uerborum eſt: Edicto urbano eleuaſti auctoritatem tuam, quam quondam edicto Sicilienſi comparaſti. Atque ego non dubito.] Exaggerat factũ Verris, ꝗ filiam P. Annij ab hæreditate excludere conatus ſit. Acerba atque indigna.] Ab acerbitate iuxta & indignitate exaggerat. Quid. n. natura nobis.] Locus cõmunis eſt, Nihil charius eſt liberis. Miramur iſtum.] Exaggeratio facti Verris ab inopinato. Prohibes.] Exaggeratio à contentione factorũ. At ego concedo.] Conceſſio amarulenta. Poſteaꝗ̃ ius prætorium.] Recenſet uetuſtum edictum pretorium, quòd Verres nouo quodã edicto correxit. Uti quenquam proximum potiſſimum.] Intelligit agnatos, de quorũ ſucceſſione uide Inſtitutiones in titulo de Legitima agnatorum ſucceſſione. Si is inteſtato.] Quis aũt inteſtato mori dicatur, uide Inſtitutione de hæreditatibus quæ ab inteſtato deferuntur. Et hoc uetus edictũ.] Hoc eſt, ita olim ſtatutum fuit à prætoribus ueteribus, quod ſi quis etiã teſtamẽtum feciſſet, et teſtamentũ eius nõ proferretur, haberetur perinde ac ſi inteſtatus mortuus eſſet, & bonorum poſſeſſio dabatur proximis agnatis mortui. Tralatitium eſſe.] Id eſt, nõ nuper inuentum, non nouum, à multis autem pretoribus uſurparũ, in ueteribus pretorũ albis repertum. Si quis teſtamẽto.] Narrat quoddam aliud edictum uetus, à Verre nouo edicto correctum eſſe. Lege ageret.] Id eſt, experiretur iure quemadmodum probaret ſe hæredem ſcriptum eſſe, & poſſeſſionem à

*Pretore peteret. Aut pro prede litis.*] Lis uindiciarum eſt, cũ litigatur apud Pretorem de ea re, cuius incertũ eſt quis debeat eſſe poſſeſſor: & ideo qui eã tenet, ſatisdat pro præde litis uindiciarum aduerſario ſuo, quo illi ſatisfaciat, nihil ſe deterius in poſſeſſione facturũ, de qua iurgium eſſet. Rurſus ſponſione ipſe prouocatus ab aduerſario, certæ pecuniæ aut æſtimationis, quã amittat, ni ſua ſit hæreditas, de qua contendit. Porrò prædes dicũtur ſatisdatores locupletes, pro re, de qua apud iudicem lis eſt, ne interim qui rem tenet, cauſæ diffidens, poſſeſſionẽ deteriorẽ faciat, tecta diſſipet, excindat arbores, culta deſerat. Ita Aſconius. *Ergo quia poſſeſſor.*] A contrario colligit, ut improbitatem prætoris Verris oſtendat. *Pro qua pecuniam acceperas.*] Apparet Verrem contra Minutiam gentem fuiſſe corruptũ ab eo, quem ante poſſeſſorem appellat in edicto, cui poſſeſſionem paratus eſt dare. *Et tabulæ teſtamenti.*] Nempe ſeptem, ut indicat Imperator in Inſtit. tit. de Teſtamen. ordinand. *Quid ait.*] Communicatio eſt. *Ipſe in Sicilienſi.*] Accuſat Verrem, quòd aliter in prouincia, aliter in urbe prætor edixerit. *Ex edicto Sicilienſi.*] πρόληψις: nõdum enim ad Siciliã prouinciam peruenimus. *Verũ digniores.*] Abſurda quærit, ut improbitatem Verris declarat. *Pretio accepto.*] Accuſat Verrẽ, quòd aliter decreuerit atque edixerit. *Quem iſte collegam.*] Laus Piſonis. *Quæ uarietas decretorũ.*] Accuſat Verrem, quòd decreta ſua ſæpe reuocauit. *Decretũq; mutabat.*] Accuſat Verrem, quòd cõtraria decreuerit. *Hinc illi homines.*] Facetũ admiſcet. *In plebem uero Ro.*] Propoſitio à dubitatione. *Virgis plebem Rom.*] Obiter Verrem crudelitatis accuſat. *Quis ignorat?*] Superbiam Verris inſectatur. *P. Trebonius.*] Narratio cuiuſdam facti. *Ne minus dimidium.*] Eſt, quod nõ ipſum dimidiatũ eſt, ſed quæ ex dimidiato altera pars eſt. ita Gellius lib. 3. cap. 14. *Impetrent.*] Inſectatur hoc factum Verris. *Das poſſeſſionem.*] Excutit factum Verris. & eſt apoſtrophe. *Quid ad eum.*] Ea quærit, quæ æquiſſima ſunt, ut iniquitatem Verris oſtendat. *Equiti Romano.*] Verba Verris ad libertum petentem hæreditatem P. Trebonij. *Verum ut ex uno.*] Narratione alia ſuperbiam Verris declarat. *L. Gellius cauſam.*] De quo Cicero de Oratorib. claris ita inquit: Nõ tam uendibilis orator, ꝗ ut neſcires quid ei deeſſet. nec. n. erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec rerum Ro. immemor, & uerbis ſolutus ſatis. *Debere eum aiebat.*] Dialogiſmo ornat orationem. *Quid. n. Verres?*] Exaggeratio facti Verris. *Multa canibus ſuis.*] Videtur allegoria eſſe, & per canes accipiendos adulatores. Nam canis animal eſt adulatiſſimũ, Plinio auctore. *An uero dubitamus.*] Clauſula eſt argumentorum, quibus ſuperbiam Verris probauit. *Quos unquam liberos.*] A maiori argumentum. *In ſartis tectis.*] Accuſat Verris auaritiam, iuxta furta, quæ in ſartis tectis exigẽdis exercuerit. *Nam quid ego.*] Occupatio. *Seu potius.*] Correctio. *In æde Caſtoris.*] Exemplum amplificationis à loco. *Quotidiano aſpectu.*] Nam hoc templũ in foro Romano erat, auctore Dionyſio Halicarnaſſeo lib. 6. Antiquit. De quo templo uide & Valerium lib. 1. de Miraculis. Plin. lib. 34. cap. 6. *Aedem Caſtoris.*] Narratio. *Sine ullo intertrimento.*] Varro lib. 1. de Lingua latina: Detrimentum, inquit, à detritu dicitur, quòd ea quæ trita ſunt, nullius pretij ſunt. ab eadem mente intertrimentum, ab eo ꝗ quæ inter ſe trita ſunt, etiam diminuta ſunt. Porrò Aſconius: Detrimentum, inquit, unius partis eſſe poteſt: intertrimentum uero, dantis & accipientis eſt. Secundũ quod Cicero intertrimentum pro communi conficiendi alicuius negotij iactura poſuit, quam uulgus perditam utrinque appellat.

*Cum ille id, quod erat.*] Dialogiſmo narationem expolit. *Vis ad perpendiculum.*] Perpendiculũ eſt linea laterũ æqualitatem, ſummi ad imum proportionẽ probans, uulgo plumbũ uocatur. Vitruu. lib. 7. de tectorio opere loquens, inquit, Longitudines ad regulam & lineam, altitudines ad perpendiculũ, anguli ad normã reſpondentes exigantur. uide Pli. li. 36. cap. 22. *Cum ſibi omnes.*] Cõſilium tutorũ iuxta cognatorum pupilli. *Non æquitas.*] Indignitas rei. *Petere auxilium à Chelid.*] Odioſum eſt quod narrat. *Dominata eſt.*] Verbum inuidioſum eſt. *O multis acerbam.*] Exclamatio pathetica eſt. *Vt mittã cætera.*] Occupatio eſt. *Domũ ueniſſe arbitramini?*] Communicatio. *Qui nulla cõditione.*] Exaggeratio indignitatis. *Domus erat plena.*] Fictitia. mimeſis. *Noua iura.*] Ad inuidiam Verri conflandam hæc faciunt. *Simul ac poteſtas.*] Mira & rotunda narrationis breuitas eſt. *Reſpondit illa.*] Dialogiſmus eſt. *Dixit iuratus P. Potit.*] A teſtibus, quæ dixit, confirmat. *Tãtus in adoleſcent.*] Acclamatio eſt. *Non te pudet.*] Apoſtrophe ad Verrem ſtomachãbunda. *Relicti ò Chelidone.*] Continuat ſupra inſtitutam narrationem. *Ne multa.*] ἔλλειψις eſt. *Ludis ipſis Rom.*] A circunſtantijs exaggerat rei indignitatem. *Ab illo mancipe.*] Manceps dicitur, qui aliquid à populo emit, conducitq;. Dictus manceps, quia manu ſublata ſignificat ſe auctorem emptionis eſſe. ita Feſtus Pompeius. *Vbi illa conſuetudo.*] Accuſat Verrem, quòd obſtiterit ne pupillo ædem Caſtoris redimere liceret. *In bonis prædijs.*] Bona prædia dicũtur bona ſatiſdationibus obnoxia, ſiue ſint in mancipijs, ſiue in pecunia numerata, id eſt, credita. Prædia uero, domus, agri dicuntur: quæ omnia uenduntur, ſi rationi publicæ locator ſartorum tectorum non reſponderit ad hoc autem hæc omnia ſunt obnoxia, ut pro ſua uoluntate agat redemptor operis, quidquid ſuo periculo facit. Hæc Aſconius. *Optima conditione.*] Id eſt, quod uult de ſua redẽptione agat.

*Excludit eum ſolum.*] Senſus uerborum Ciceronis eſt hic: Quandoquidem pater pupilli ædem Caſtoris cõductã habuit, et omnia pericula eius operis in ſe recepit: æquum eſt, ut uel ſoli pupillo poteſtas redimẽdi hoc templum, fiat. *Ex opere faciundo.*] Verba quædã ex lege Verris ſunt. *Qui de L. Marcio.*] Leges Verris recenſet. *Quid ita?*] Subiectio. *At erat probatio.*] Confutatio. *Ne parum locuples.*] Præoccupat Verris obiectiones. *Subierũt periculum.*] Porrò periculũ dicit, quia ſi redemptor operis publici, publicæ rationi non reſpõdeat, bona fideiuſſorum redemptoris uendebantur. *HS DLX. millib.*] Accuſat Verrem, quòd tanti ædem Caſtoris addixerit. *Machina appoſita.*] Machina inſtrumentum dicitur, quo moles aliqua facile quocunq; uolueris, impelli poteſt. *Nunquã ædilitatem.*] Hoc ideo dicit, quia cura ædium tam priuatarũ, quàm publicarum ad ædiles, unde etiam nomen habent, pertinebat. *Damni infecti.*] Damnum infectum, eſt damnum non factum, ſed quod futurum, timetur. L. ij. ff. de Damno infecto.

*Quibus de bonis.*] Exaggeratio iniuriæ, qua Verres pupillum affecit. *Hoc opus bonum.*] Verbum eſt res diuerſas ſimul comprehẽdens. hoc eſt, bono latere, integris menſuris, apta harena utili calce, machinis idoneis, proba materia. *Manus pretium.*] Manus pretium machinæ dicitur, ubi nõ tam materiæ ratio, quàm manus atque artis ducitur. *Sed ineptum.*] Reiectio eſt. *At enim ſi pupillo.*] Senſus eſt: Eſto non licuit hoc templum pupillo redimi, certe alius quiſpiam de populo illud redimere potuit. *Codicẽ obſignaſſem.*] Scilicet more accuſatoris, qui rei repetũdarum codicem obſignare poteſtatem habebat, ne reus aliquid aut negare, aut expungere poſſet. *Non ne argumentamur.*] Ad Verrem pecuniã nomine pupilli à tutore Rabonio datam, perueniſſe confirmat. *Quod iam iſte.*] Locus ab iudicio Verris. *Hic etiam priore actione.*] Renouat querelam Hortenſij, quòd in priore actione Cicero pupillum Iunium prætextatũ in iudiciũ produxiſſet. *Quid erat Hortenſi.*] Reſpõſio Ciceronis ad querelã Hortẽſij. *Quem pater moriens.*] Pathos inuidioſum. *Nefario latrocinio.*] Amplificatio in uocibus. *Multos ãnos in ſordib.*] Sordes ſæpenumero reorũ ſta-

tum conditionemq́; ſignificat, dum inter reos relati ſunt, ante quàm abſoluantur aut damnentur, qui etiam ſtatus hominum reatus appellatur. uide Pandectas ad [redacted] Quod argumentum pueritiæ.] Pathos mouet. Ideo quòd cõmunis eſt.] Hortatur iudices, ut & Verris improbitatem, & ſimilem tollere omnes neruos intendant. Perfacile uero.] Ironia eſt. Apollo M Marcelli.] Amplificat auaritiã Verris, quàm in ſartis tectis exigẽdis exercuit. Qui in foro populi Rom.] A' minori argumentum. Qui manubias.] Manubiæ appellantur pecuniæ à quæſtore ex uenditione prædæ redactæ auctor Gel. li. 13. cap. 23. Ex L. Metelli manubijs.] Id eſt, ex æde Caſtoris, quam ex manubijs L. Metellus extruxerat, qui ſubactis Dalmatis, Dalmaticus dictus eſt. ita Aſconius A' ſigno Vertumni.] Vertumnus, deus eſt uertendarũ rerum, id eſt, mercaturæ, cuius ſignum erat in ultimo uico Thurario ſub angulo baſilicæ. ita Aſconius. Quam tu uiam.] Exigere uiam dicuntur magiſtratus, cum uiciniam cogũt munire uiam diligentiſſime. Petita mulcta.] Quòdq; inique mulctam exegerit, narrat. Contra legem Cornel.] De legibus Cornelijs, uide in oratione pro Cornelio de Maieſtate. Hominis nobilis.] Catulum ſignificat, qui tunc princeps fuit Syllanæ factionis. ita Aſconius. Homines arrogantes.] Catulũ, Hortenſium, Curionem ſignificat, auctore Aſconio. Iam qui ex calamitate.] A' minori. Manubias detrahere.] Aſconius ita exponit: id eſt, ſpolia quæſita à uiuo hoſte nobili per deditionem, ſed ego malo Gellij ſententiæ ſtare. Sed etiam [redacted]bus [redacted]dices prætor Verres in iudicio, quo Oppianicus accuſatus eſt à Cluentio: at damnato Oppianico, cum inuidiæ res eſſet, quòd pecunia reus uideretur oppreſſus, & princeps illorum iudicum Iunius damnatus eſſet, quòd diceretur alios iudices ſuppoſuiſſe qui reũ damnarent, nõ eos quos prætor fuerat ſubſortitus, etiam Verres ipſe, ut Iunius uere cõdemnatus uideretur, ſuſtulit iudices, ſi quos in ſuis tabulis habebat, & alios ſcripſit, & obſignauit annulo non ſolũ ſuo, ſed etiã ſcribæ, quem furtorũ ſuorũ participẽ, diuitem fecerat, et aureo annulo donauerat. Vt ne defenſionem.] Id eſt, putauit Verres eodem modo potuiſſe ſupponi iudices, qui ſe corrupti abſoluerent, quemadmodum ſuppoſiti erant, qui Oppianicum condemnauerant. Iudicem quæſtionis.] Id eſt, prætorem urbanũ, qui inquirendo crimini præeſt, deq; eo iudicium exercet. Ex hac decuria.] Apparet iſtum Curtium poſt hoc factum reiectum eſſe à populo, qui in corona adfuerit. Quos iſte annuerat.] Senſus eſt: Niſi Q. Curtius à populo de ſuo munere deiectus eſſet, nũquam obtinuiſſem iudices quos uolebã. Cæterum cũ ille Curtius munere priuatus fuerit, nihil metuendũ mihi erit, ne ſubſortirentur alij iudices, qui accepta pecunia Verrem abſoluerent.

# ACTIONIS IN VERREM QVARTAE PER ASCONIVM PAEDIANVM

## ARGVMENTVM.

HAEC ſine dubio ad accuſationem propoſiti criminis ſpectat oratio. Nam ſuperiores ante actis rebus expoſitæ, quæ quia magis adiuuant accuſationem quàm ipſæ principales, in unũ librũ coactæ ſunt iudicio Ciceronis curſim enumerantis quæ Verres quæſtor, quæ pro quæſtore, quæ legatus, denique prætor urbanus admiſerit. ubi uentum eſt ad cauſam ipſam, & Sicilienſia crimina, quatuor libros edidit. unum de iuriſditione: alterum de frumento: tertium de ſignis: quartum de ſupplicijs. In qua diſtributione non ordo temporis, ſed facinorũ genera & momenta ſeruata ſunt. Incipit autem à laude Siciliæ, & egreditur ad crimen Dionis. Deinde Soſippi & Philocratis. Si de iure Siculorum euerſo. Fruſtra quidam Ciceronem reprehendunt: quod non inde cœperit, cũ ſuperiora crimina non egeãt eiuſmodi tractatu, qui ad ſequentia pertinet, oratoris conſilio à magnis, iiſdemq́; clarioribus ſumendum eſſet exordium. itaque poſt hoc de Merodio expreſſis honoribus ab inuitis, de Epicrate Bideno, deq́; rebus capitalibus, de Sopatro, de Sthenio, de iure dicundo. alterum de ſenatoribus, de ſacerdotibus, de cenſoribus pretio à Verre factis, de collatione in ſtatuas, de publicanorum cũ Verre conuenientia in furtis, de tabulis Carpinatij pecunias Verris extraordinarias cõtinentibus. Genus cauſæ in omnibus Verrinarum libris admirabile. Status principaliter coniectura.

# IN EANDEM ACTIONEM BARTHOLOMAEI LATHOMI PARTITIO.

QVATVOR ſequentes actiones propriè ad cauſam Siculorum pertinent, ſicut in partitione præcedenti dictum eſt: & continent crimina commiſſa à Verre in prætura Sicilienſi. Diuiduntur ſecundum quatuor genera criminum, quibus ſingulæ orationes attribuuntur, ut de iure dicendo, de re frumentaria, de ſignis ablatis, & de ſupplicijs. Status omnium coniecturales ſunt, ſicut prædixi, & totidem quot ſunt crimina. In prima explicantur crimina, quæ in iure dicendo commiſit Verres, eaq; exordium habẽt cum digreſſione. deinde & criminum explicationem, quæ perpetua narratione interpoſitis confirmationibus tractatur. Exordio reddit attentos iudices, indicans ſe multa prætermittere, ut maturius ad cauſam ueniat. Sed prius quàm accedat, digreditur ad Siciliæ laudationem, ut & eo ipſo excitet iudices, & præparet animos ad futuram criminationem. Subnectit digreſſioni ſtudium Siciliæ in hac cauſa perſequenda. & Mamertinos Syracuſanoſq; excuſat, quòd laudant Verrem. Explicatio criminum tractatur ſicut in ſuperiori oratione, interpoſitis, ut dixi, tum probationibus ad fidem, tum amplificationibus ad indignationem, poſt ſingulas ferè narrationis partes. Amplificationes inducuntur crebris excurſibus, & à perſonis, locis, rebus, cauſis, temporibus ſumuntur. Crimina omnia quæ recenſentur, partim ſunt in rebus cognitis & iudicatis, iudicijsq; datis ob pecuniam: partim in uẽditis honoribus & ſacerdotijs: partim in coactis pecunijs ſtatuarum nomine: partim in ablatis rebus, quaſi pro his portorium datum non eſſet. Eaq; omnia in Dionem Haleſinum, Heraclium Syracuſanum, Epicratem Bidinum, Sopatrum Halicienſem, Sthenium Thermitanum, et in ciuitates plurimas, publicanos, aratores, & negotiatores commiſſa demonſtrantur.

# IN EANDEM ACTIONEM IN VERREM QVARTAM

## [redacted] SCHOLIA.

MVLTA mihi.] Occupatio eſt. Ego tamen hoc.] Cur de anteactis ſcelerib. Verris dixerit. Atque adeo. Exorditur à laudes Siciliæ. Nam cum omnium.] Conſilium Ciceronis aſtutiſſimũ obſerua. Itaque maioribus.] Fidem Siculorum erga pop.Ro.beneficijs imperatorũ aliquorum probat. Quare P.Africanus.] Prætor 24. annos natus, Auctore Plin.de illuſtrib.uiris. Carthagine deleta.] 70.anno poſt quàm condita eſt, auctore Eutropio li.4. Hiſtor.Ro. Vrbem pulcherrimam.] Laus Syracuſarum.

Quæ cum minutiſſima.] Nã fuit ſita ſub monte Pachyno, auctore Plin.lib.3.cap.8. Victoriæ manſuet.] Aſyndeton eſt. Tantum ille.] Epiphonema. Itaque.] Laus ab utilitate. Quando illa frumentum.] Genera penſitationum complectitur, nimirum canonem, oblationẽ, indictionẽ.

Italico maximo diffic.] Sociale ſcilicet, quod in Italia geſtũ eſt, cum picentes, Marſi, Peligni, antea po.Rom.morigeri, libertatem ſibi æquam aſſerere cœpiſſent. De quo bello uide Eutropiũ lib. 5.rerũ Ro. Quid illa.] Interrogatio ad orationis motum facit. Quod cõmodum.] Amplificatio cõmodi à circunſtantijs. Iam uero hominum.] A` uarijs uirtutibus Siculos laudat. Magiſtratuum autem noſtrorum.] A` patientia iniuriarum Siculos laudat. Tametſi & illum unum.] Exemplis probat patientiam illorum, Vt bis ex eadem.] Bis dicit, quòd ſemel auus Marcelli uictor cõſeruauit Syracuſas: deinde pronepos magiſtratu ſuo Syracuſanos incolumes reliquit. uide Liu.lib. 5.ſecundi belli Punici. In neminem ciuitates. Παρασκευὴ ad cauſam Sicilienſem. Hunc denique ipſum.] Occupatio. Sed cũ perferre non.] Ab iniuriarũ Verris magnitudine locus. Vnius ſcelere.] Excuſat Siculos, quòd in Verrẽ publice teſtimonia dixerint. Fecerũt etiam.] Cur Verrem præter morem accuſet. Poſt quàm M. Antonij.] Hic eſt M.Antonius, qui gratia Cottæ Cõſulis, & Cethegi factione, in ſenatu curationẽ infinitã nactus totius oræ maritimæ, & Siciliã & oẽs prouincias depopulatus eſt: ad extremũ Cretenſibus bellum inferens, morbo interijt. hæc Aſconius. Quanquam in hac cauſa.] Correctio cum extenuatione. At quemadmodum.] Subiectio eſt. Videor mihi liberius.] Quia contra Metellum dicturus eſt, Siciliæ tunc prætorem. Ecquẽ exiſtimatis.] Docet quoties Siculi deterriti, et per quos, & quibus minis, uoluntatem accuſandi Verrẽ nunquã depoſuerint. Ex iſtius cibarijs.] Scomma eſt. Videte quid potuerit. Communicatio. Prætorem uero.] In Metellum dicit, ſucceſſorem Verris. Grauiſſimus.] Ironia eſt. C. Heium iuratum.] Teſtimonium C. Heij in Verrem. Cum duabus in rebus.] Aut ſcilicet quòd Romam legati uenerint, aut quòd in conſpectum iudicum proceſſerunt. Dicetur certo loco.] Reiectio eſt, Reperietis enim.] Indicat qui nam factũ ſit, quòd Verres ab aliquibus ſit laudatus. Deſertiſſimisq; oppidis.] Extenuat hoc, quòd Verres ab aliquibus eſt laudatus. Tam graues ciuitates.] Obſerua amplificatiunculas. At enim iſtum,] Subiectio. Primum ſi ita eſſet.] Confutatio ſubiectionis à conceſſione rhetorica. Priore actione.] Eſt cõfutatio à falſo. Ego hoc.] Dicturus de cauſa Sicilienſi, beneuolentiam captat. Quapropter de iſtius.] Propoſitio eſt, qua docilitatem iuxta attentionẽ parat. Qui ſimul atque.] Verrem meditatum ad euertendã Siciliã ueniſſe narrare incipit. Tametſi prouinciæ.] Correctio. Cum ex nomine iſtius.] Cauillatur nomen Verris: eſt autẽ locus ab etymologia. Etenim quis dubitare.] Ab anteactis in magiſtratibus flagitijs, quomodo Verres in Sicilia geſturus eſſet auguratũ probat. Quo die. Verrem meditatũ ad Siciliã peſſundandam profectum, narratione exẽpli confirmat. A` propinquo homine.] Proſopographia narrationem ornat. Quid? hæc hæred.] Subiectionibus uariat orationẽ, et improbitatẽ Verris oſtendit. Audiuit, Dioni cuidã.] Narrat uerrem à Dione quodã Siculo pergrandem pecuniam iniuſte extorſiſſe. Itaque opponit.] Intelligit Lilybætanum quæſtorẽ. Nam Sicilia ſemper duos quæſtores habebat. Erat eiuſmodi cauſa.] Cur Verres Næuium Turpionem ad petendam hæreditatem ſubornarit, indicat. Malint uidelicet.] Ironia amarulenta eſt. Quid ego nunc hic Sex.] Teſtibus quod narrauit cõfirmat, per occupationẽ. Non ne te mihi teſtem.] Hoc eſt: nõ ne ego te Hortenſio teſte poſſem Verrẽ huius criminis cõuincere, niſi lex obſtaret, quæ uetat ne defenſor teſtimoniũ accuſatori det. Venerius homo.] Facetum eſt in uoce amphibola Venerius. Accipite aliam.] Narrat aliã Verris calũniã, qua pecuniã quo iure quaq; iniuria extorſerit. Vicerũt Agyrinẽſes.] Παράδοξον.

Verres calũniatores.] Argumentũ à coniecturis. Pecuniæ maxime dabãtur.] Incrementũ. Adiuuo te.] Cõceſſio eſt.

Quæ uis erat Volcatio.] Argumentũ à perſona Volcatij. Vnã libellã.] Id eſt, unũ aſſem, ut interpretatur Budæus in I. de Aſſe citãs hunc locũ Ciceronis. HS quadringenties.] Id eſt, quadringenties centena milia ſeſtertium. & hæc fuit ſumma furtorũ Verris in Sicilia, quæ apud nos decies cẽtenis millibus aureorũ æſtimari debet, dũtaxat coronatorũ. uide 2. Verrinam in fine. Ob tua decreta.] A` cõſequentibus. Cohors tota illa tua.] Hoc propter Athenionẽ dicit, qui dux fugitiuorũ per Siciliã fuit. Nam ſi hanc defenſionem probatis.] Hortatur iudices, ne Verrẽ tã friuole ſe defenderet patiãtur. Qui nõ ad Q. Mutij.] Q. Mutius Aſiã diligẽter rexerat, ut dies feſtus à Græcis in honorẽ eius cõſtitueretur, qui dicebatur Mutius dies. Nõ ſolum nos abſtinentes.] Dogma præſcribit. nam docet ut in prouincia prætoribus uiuẽdũ ſit. Africani eſt hoc hominis.] Obiectio. Cũ ab eo uetus.] Exemplum Chreias. quod & Chreiarũ tractandarũ rationẽ indicare poteſt. Etenim reuera.] Confirmatio Chreias. Sed tu, cũ.] Inſectatur Verrẽ, quòd amicos ſuos in prouinciã quaſi in prædã uocarit. Cũ hos ſibi quæſtus.] Μεταβολή. Hoc eſt cum ſua cohorte.] ἐπίξενον. Det quẽ uelit.] A` facili. Homo & iuris & officij.] Formula dãdi iudicis. Aut cõdemnare eũ.] Hoc eſt, iudex à Verre cõſtitutus, nolẽs uolens cogetur condẽnare eum quem nõ oportet, ſi modo Verri gratificari uelit. Decreta eiuſmodi, ſi non.] Profert unũ decretũ Verris: ex quo alia, qualia fuerũt, cognoſcere poſſimus. C.Fuſiciũ duci.] Recẽſet aliquos quos Verres ob æs alienũ in uincula duci iuſſerit. Qui ciues Ro.] Hoc eſt, ita Verres iudicauit, ut ſi ciues R. eſſent rei, Siculi iudices eſſent. Sin uero Siculi rei eſſẽt, ciues Ro. iudicia exercerẽt. Siculi hoc iure ſunt.] Iura Siculorũ recẽſet. Ex P.Rupilij decreto.] Hic eſt Rupilius, qui quondã ex publicano creatus cõſul, poſtea decẽ legatorũ ſentẽtia leges Siculis cõſcripſit. Hæc Aſconius. Quod priuatus à populo.] Apud ueteres. n. nõ Ro. tantũ more, ſed & ſua cuiuſque ciuitatis legib. agebatur.

Hæc omnia iſto prætore.] Narrat Verrẽ iura Siculorũ corrupiſſe, labefactaſſe, pdidiſſe. Si quis perperã iudicaſſet.] Edictũ Verris. Lege Hieronica.] Hoc eſt, Verres & legẽ Hieronicã, & omnia alia iudicia de cõuentu ſuſtulit. Quantã poteſtatẽ habuerit.] Trãſitio. Heraclius eſt Hieronis filius.] Narrat quomodo Verres cũ Heraclio quodã Syracuſano egerit. Audit hæc etiã Ver.] Cõſiliũ Verris. Quorũ uxores iſtæ.[ Verris libidinem

dinem notat. Hi ut dico hominem.] Monita amicorũ Verris recenſet. Faciemus ut paleſtritæ.] Conſilium amicorum Verris. Tum eñ docet Heraclius.] Exceptio contra ſortitionem. Poſtea ꝗ ea dies uenit.] Quæ in iudicio facta ſunt, narrat. Aduerſarij poſtulant.] Contentioſo dialogiſmo exornat narrationem. Quid ego iſtius.] Correctio ſtomachabunda.

Chelidone inuita.] Ad inuidiam Verris hoc facit. Quod ſupplicium dignum.] Cum magno ſtomacho hæc loquitur Cicero. Præſcriptum tibi cum eſſet.] Digreſſiuncula eſt in apoſtrophen ad Verrem, in qua crimen Verris exaggerat, quòd contempta lege Rupilia iudices elegerit. Tibi nulla lex fuit.] Incrementum. Verũ ut inſtitui.] Ad inſtitutam narrationem redit. Capit conſil.] Obſerua proprietatem orationis.

Vt abſentem Heraclium.] Heraclius abſens condemnatur.

Præſertim tantæ pecuniæ.] A` circunſtantijs damnatio exaggeratur. Itaque hoc dum corrigere.] Cupiditas, iuxta improbitas Verris oſtenditur. Educit ex urna.] Scilicet in quã iniecit nomina iudicũ futurorũ. Quæ, malum, iſta.] Acerrime facta quodámodo digreſſiuncula, in Verrem calamũ ſtringit. Ecquando his de rebus.] Δείνωσις eſt. nã multus eſt Cicero in exaggeranda indignitate rei, hoc eſt, damnationis abſentis Heraclij. Profecto enim negare non.] Sic ratiocinatur Cicero: debuiſti ex lege Rupilia ſortiri iudices, quia Heraclius id poſtulauit. quòd ſi dicis legem Rupiliam à te non obſeruatã uoluntate Heraclij, ipſe te mendacem facis, cũ Heraclius adeſſe noluerit hac gratia, quòd non ex lege Rupilia iudices haberet. Ergo inquiet.] Subiectio. Primum ſi id.] Confirmatio. Verũ ex iſta.] A` falſo. Paucos Syracuſanos.] A` teſtimonio. Poſtea ꝗ damnatus.] Quid Verres damnato abſente Heraclio fecerit. Eripis hæreditatem.] Iniquitatem Verris, oſtẽdit in eripienda Heraclio hæreditate. Verũ eſto.] Eſt elegãs concedendi genus, quando ita aliquid cõcedimus, ut etiam ſi iuſtum ſit, tamen aliud priori annexum, iniuſtũ exiſtere dicimus.

Quàm impudenter.] Exaggeratio facti. Quam illa res calamitoſa.] Affectus narrationi aſpergit. Vt quidquid celati.] Per diſtributionẽ quæ res ex bonis paternis Heraclij ad Verrem peruenerit, narrat. Dicebant ſcyphorum.] A` teſtibus Syracuſanis prædationẽ Verris in bonis paternis Heraclijs, probat. Fit maximus clamor.] A` conſequentibus cognitam prædã Verris ex bonis Heraclijs, probat. Verũtamen fuit.] Verrem conuictum eſſe furti, probat. Sed proximũ.] Trãslatio furti. Vnũ annum tecum fuit.] Fugam bonorũ hominũ à Verre oſtendit. Tamen ſumma cura.] Hoc eſt, nihil unquã cõmiſiſſet, q̃ uel tuæ uel ſuæ famæ officere potuiſſet.

Quid eſt quod tu.] Apoſtrophe ad Verrem: qua oſtendit, uanum eſſe quod Verres queratur ſe ſuorum comitum peccatis premi. Numerantur illa.] Repetit id quod ſupra dixit, per commorationẽ. Ex hac iniquitate.] Verrem multis ad multa facinora auctorem fuiſſe probat. Vt omnia ſigna.] In tranſcurſu hæc attingit. Deinde ut in curia.] Accuſat Verrem, quòd feſta Marcellorum ſuſtulit. Mithridates in Aſia.] Ab exemplo per collationem tracto, factum Verris exaggerat. Verrea ut agerent.] Verrea à Verre inſtituta ſunt. Iam in tanta iſtius.] Rhetorum more occupatione utitur. Nam me dies.] Δείνωσιν adhibet orationi. O` Verrea præclara.] Exagitat Verrem, quòd Verrea inſtituerat. Quàm facile ſerpat.] Apta præparatio ad ſequentem narrationem. Bidis oppidum eſt.] Narrat Verrem Epicratem quendam hæreditate ſpoliaſſe. Nunquam uos.] Irridet Verrem. Vnctior diſcederet.] Paleſtritæ quando uolebant decertare, ungebant corpora, partim ut eſſent agiliores, partim ne alius ab alio facile apprehendi capiq; poſſet. Homines Rhegyum.] Paleſtritæ Bidẽſes Rhegyũ ad Epicratẽ proficiſcũtur. Volcatius animo.] Volcatius paleſtritis numos reddit. Dicet aliquis.] Obiectio. Attẽdite.] Cõfutatio obiectionis. Tu qui inſtitueras.] Apoſtrophe ad Verrẽ uehementiſſima. Aut dandi.] Reſpectu Bidenſium ciuiũ hoc dicit. Aut accipiendi.] Reſpectu Volcatij hoc dicit. Iam intelligetis.] Cõiecturis colligit, pecuniam à Bidinis inſcio Verre Volcatio datam. Argumentũ primũ eſt, quia Verres non in Volcatiũ animaduertit. Argumentũ ſecundum, quia non puniuit Bidinos. Argumentũ tertium, quia Volcatius Verri non ſuccenſuit, cũ pecuniam acceptã reddere coactus eſt. An hoc ſolũ.] Epilogus argumẽtorũ coniecturalium. Verum illud.] Quartũ argumentũ, quia Verres hæreditatem & bona paterna Epicratis Bidinis tradidit. Oſtendit nono modo.] Iniquum Verris inſtitutũ. Petũt hæreditatem.] Vt ſit actũ iudicium de Epicrate, narrat. Iudicatum ſolui.] Hoc eſt, ſe uelle promittere iudicatũ ſolui, hoc eſt, ut daretur hoc quod lite finita à iudice pronũciaretur. §. 1. Inſtit. de Satiſd. Inſimulare cœperunt.] Calũnia Bididorũ. Iſte amplam.] Calũnia Verris in Epicratem. Qui per ſimulationem.] Hoc eſt, cognoſcebatur pecuniã redditã à Volcatio Bidinis ciuibus ad Verrem rediiſſe. Iſte Epicratis bona. Edictũ Verris iniquum. Verum res eſt.] Crebris interrogationibus indignitatẽ rei exaggerat. Hic nũc de miſeria.] Attentionem conciliat. Et Heraclius.] Digreſſio eſt ab inſtituto. Cum L. Metell.] Metellus Verri in Sicilia ſucceſſit. In utriuſque bonis.] Et iniquitatem in dicẽdo iure, & rapacitatẽ Verris oſtendit. Alia Lilybæi, Alia Agrigenti.] Vrbes Siciliæ ſunt, de quibus Pomponius Mela lib. 2. Nõ ſeruaturum.] Narrat Metellũ omnia à Verre inſtituta reſcidiſſe, ut iniquitatem Verris planam faciat. Simul atq; ego.] Narratiuncula. Verũ quod inſtitui.] Ad inſtitutũ redit, ac de Siculorũ miſerijs dicere incipit. Heraclius ille.] Narratiuncula. et accuſatur Verres, quòd teſtes ui retinuerit. Iam Heraclij Centuripini.] Accuſatur Verres pecuniæ per calumniã extortæ. Quod ciuis Centur.] Accuſatur Verres iniuriæ maxime, qua ciuem Centuripinũ affecit. Quæ iſtius auctoritas.] Nullã fuiſſe Verris auctoritatem oſtẽdit. Ignominia autem illa.] Peroratio eſt iniuriarũ Verris, quibus in rebus pecuniarijs Siculos onerauerit. Iã uero in rerũ.] Narrat ut Verres ſe apud Siculos in cauſis capitalibus geſſerit. Ex multis ſimilibus.] Hæc ad attentionẽ captandã faciunt. Sopater quidã.] Narratiuncula. Cauſam Sopatr.] Laus Q. Minutij. Ad Timarchidẽ.] Accipit Timarchides pecuniã à Sopatro. Homo quanquam.] Exaggeratio partim à natione, partim à fortuna. M. Petiliũ.] Quẽ Sopatri fuiſſe accuſatorẽ intelligere poſſumus. Iſte homo liberalis eſt.] Ironia eſt. Minutius qui.] Excuſat Minutiũ. Quid ageret.] Dilẽma eſt. Ita properãs de ſella.] Amplificatio à circũſtãtijs. Tametſi minus id quid.] Per correctionem, non laborandũ eſſe populo R. qualẽ Verris in iudicio ſententiã ferat, oſtendit. Illud, illud eſt capitale.] Proſpiciendũ eſſe monet, ne Verres ex hoc iudicio repetundarũ elabatur. Hoc populus R. recuſat.] Indicat iudicibus Cicero, populũ R. nolle Verrẽ iudicem habere. De ſe homines.] Populũ poſſe Verrem iudicẽ reijcere probat. Etenim ſi illud eſt.] Exaggerat hoc, quòd Verres à Sopatro pecuniam acceperit ob abſoluendũ, & tamẽ tandem eũ cõdemnauerit. Vt ne prædonũ quidem.] Hoc eſt, turpe eſt prædones in fide ſeruãda prætore prouinciali fideliores eſſe. Quem tu mihi Bulbũ.] Præoccupatio eſt. nam præoccupat obiectionẽ Verris, obijcientis ſe in hac re Bulbũ & Stalenũ imitari. Hũc hominẽ.] Exaggeratio indignitatis. Q. Minutius iuratus.] Teſtib. cõfirmat, Verrẽ à Sopatro pecuniã accepiſſe. Patre innocentiſſimo.] Pathos eſt cũ antitheto. Remoto conſilio.] Exaggeratio eſt ex cõtẽtione ſentẽtiarũ. Accipite nũc.] Attentũ lectorem facit. Sthenius eſt is.] Noua narratio facinoris Verris in re quadam capitali cuiuſdam ciuis Thermitani. Huius hoſpitio.] Pathos mouet. Et cũ apud eũ.] Semina argumẽtorũ ſunt, quibus indignitatẽ rei declarat. Studioſe, ut di=

xi.] Excuſat adoleſcentem, quòd illam ſupellectilem emerit. Etenim ut ſimul.] Nouam narrationem inchoatæ narrationi interſerit. Erãt ſigna ex ære.] Recẽſet ſigna, quæ Verres Sthenio auferre uoluerit. Etiam quod.] Laus ſtatuæ ab artifice. Verres auferre.] Obſerua aptam cõiunctionem harum uocũ.

Hæc cum iſte.] Ad ſupra inſtitutam narrationem redit. Sthenius uehemen.] Argumenta Sthenij, quibus probabit, nõ licere, neque honeſtum eſſe, ſi Verres illa ſigna ſecum tolleret. Habebat in.] Carpit Verris libidinẽ. Vna nox interceſſerat.] Facetum admiſcet. Aiunt ab eo.] Calũniantur inimici Sthenij, eum literas publ. corrupiſſe. Sthenius po.] Obſerua æquitatem, qua Sthenius nixus eſt. Omnium æquis.] Ironia eſt. Ac ſine teſte.] Exaggeratio ab indignitate. Profugit.] Pathos mouet. Itaque tantũ.] Accuſatio Sthenij eſt. Cum iſte pronun.] Sententia Verris in Sthenium dicta. Homo Veneris.] Exaggeratio ſentẽtiæ iniquæ. Vt eum rei capitalis.] Hæc narrat ad augendam inuidiam Verris, quòd cui inimicus pepercerit, Prætor parcere noluerit. Ait ſi liceret.] Dialogiſmus. Veniunt domeſtici nuncij.] Hæc narrat, ut Verris improbitatem oſtendat, ut qui nec patris, nec amicorũ literis ab incepto depelli potuerit. Neque pietatis.] Exaggeratio. Sed abs te.] Apoſtrophe ad Verrem & eſt ἐπιπλήξις. Citat accuſatorẽ.] Pergit in narratione ſecũdæ calũniæ Sthenio intẽtatæ. Si præſens Sthenius.] Locus cõmunis, non oportere reum condemnare abſente accuſatore. Etenim ſi poſſet.] Ab exemplo confirmat. Nunciabatur illi.] Per diſtributionem narrat quæ Verri & à patre, et ab amicis præſcripta ſint in cauſa Sthenij. Vertit ſtylum.] Παροιμιακῶς dixit, id eſt, mutat quod ſcripſit. Inde ſumptum, quòd antiquitus in tabellis ceratis ſcriptitabant ſtylo graphiario, cuius altera parte, nimirũ acuta, literas exarabant, altera latiore rurſus obliterabant quod exaraſſent. unde Horat. in Sermonibus. Sæpe ſtylum uertas, &c. Primum ipſe in Sicul.] Verrem dictitaſſe licere nomẽ abſentis recipere, teſtibus probat. Et Poſſides Macro.] Locus à teſtib. peregrinis. Dicit præterea.] Gradatio à teſtib. Quæ cũ ita eſſent.] Apoſtrophe ad Verrẽ, cum obiurgatione. Videtis ne.] Pyſma patheticũ. Is mihi etiã.] Pathos eſt ab indignitate rei. Videte porrò.] Adhortatio ad iudices. Ciuem R.] Inſectatur Cicero Verrem, q Sthenio ciuem R. præter morem in ſua cauſa adſcripſerit. At credo Sthenius.] Subiectio ironica. Quis in tabulis.] Occupatio. Fortaſſe enim.] Subiectio. Quid ſi omnium.] Confutatio ſubiectionis. Quàm hic C. Claudius.] Claudium fuiſſe inimicũ Sthenij probat. Videtis illum.] Adhortatio ad iudices. Subſcriſpo capillo.] Notatio eſt. Is eſt C. Clodius.] Iuuenis alioqui nobilis et eloquens, ut teſtatur Cic. in lib. de Oratorib. claris: & uide Plutarchum quoq; in uita Ciceronis. Sequeſter.] Id eſt, apud quem & pecunia, & res de qua controuerſia erat deponebatur. Propè collega Timar.] C. Clodiũ oratione perſtringit. Hic uos dubitatis.] Hortatur iudices, ut audaciam & iniuriam Verris puniãt. Quod illi in dices.] À Minori ad maius. In grauiſſima cauſa.] Nã Sthenius accuſabatur rei capitalis. Affeciſti? cuius abſentis.] Ὁμοιοτέλευτον. Non dicam amicum.] Exaggerat iniuriam a Verre Sthenio illatam, a circũſtantijs. Nihil enim minus libenter.] À perſona Sthenij exaggerat. Domũ ſuam inuitauit.] Exaggerat iniuriam Verris, hoſpiti Sthenio illatam. Quare de hoſpitio.] Clauſula. Nemo.n. ignorat.] À dignitate Sthenij apud ſuos exaggerat. Eſt ne Sthenius is.] Ab honorib. Sthenij iniuriã exaggerat. Maximis ex pecunia.] À meritis in rẽp. Thermitanorũ exaggerat. Eſt ne hic.] Quòd Sthenius accuſatus à Pompeio abſolutus ſit, exaggerat. Quòd propter C. Marij.] Bellũ ſcilicet gerentis aduerſus L. Syllam, ut ſcribit Eutropius lib. 5. Hiſt. R. Ita porrò laudatus.] À laude omnis Siciliæ exaggerat. Poſtremo eſt ne.] À memorabili facto Sthenij exaggerat iniuriam. Attingeres.] Μείωσις eſt. Deniq; nunc uidete.] Cõtentio perſonarũ. Vide inq.] Repetitio propter uehementiam orationis. Hoc de nomine.] Verrem in Erycomõte argenteũ cupidinem poſuiſſe cauillatur. Faciunt hoc homines.] Omnia ad inuidiã Verris trahit. À Chelidone ueniſſet.] Inuidioſum eſt quod hic narrat. nã uult libidinẽ Verris oſtendere. Hic ego ſi hãc cauſam.] Cur hanc cauſam Siculorũ aduerſus Verrem agere cœperit, narrat. Exiſtimatioq; offenſa.] Nã Senatores iudices male audiebant in iudicijs, q ſe corrumpi paterentur, et ſæpe iniquas ſententias ferrent. hãc offenſam, exiſtimationemq; labefactatã, Cic. in accuſando Verre recuperare conatus eſt, ut ſupra ſæpe habitũ eſt. Quid amicum atq;.] Cur Sthenij cauſam tanta fide agat, recenſet. Atq; ut aliquãdo.] Epilogus criminũ Verris, quæ in reb. iudicatis, & iudicijs datis, cõmiſit. Audiſtis ob ius.] Accuſat Verrem, q ob ius dicendũ pecuniã acceperit. Meminiſtis Q. Varij.] À teſtibus cõfirmat. Quod.n. præterea.] Propoſitio generalis eſt: Verres oẽs honores, poteſtates, procurationes, pecunia uendidit. Legati Centuripini.] Propoſitionem generalem inductione cõfirmat. Tota Sicilia.] À ſenatoria dignitate probat. Quãuis puer.] Quia apud Romanos ante annũ 25. nemini licebat Conſulatum petere. Ab iſto & præco.] À numero præconũ, propoſitionem generalem probat. Nam cum eſſet ex ueterũ.] Verres Agrigenti ſenatoriam dignitatem uendidit. Idem fecit Heracleæ.] Verres Heracleæ quoque ſenatoriã dignitatẽ proſtituit. Nolite expectare.] Trãſitione utitur. Syracuſis lex eſt.] Accuſat Verrem, quòd religionem pecunia uendiderit. Homo ingenioſus.] Ironia eſt. Reſpõſum, tres.] Dialogiſmus. Cephaledi menſis eſt.] Iterũ accuſat Verrem uenditi ſacerdotij. Nõ eſt homo acutior.] Ironica hyperbole. Eſt cõſuetudo Siculorũ.] Ita ſcilicet, ut in trecẽtos quinquaginta quatuor dies quibus duodecim lunæ curſus cõfici credebãt, annus extẽderetur. Quos ille ἐξαιρεσίμους.] Intelligit intercalationẽ, de qua Macrob. ita ſcribit: Cũ ergo R. ex hac diſtributione Põpilij, ad lunæ curſum, ſicut Græci, annũ propriũ cõputarent, neceſſario et intercalare menſem inſtituerunt, more Græcorũ. Nam & Græci cũ animaduerterent temere ſe trecentis quinquaginta duobus dieb. ordinaſſe annũ: quoniã apparet de Solis curſu, qui trecentis ſexaginta quinque diebus, & quadrãte zodiacũ cõficit, deeſſe anno ſuo 11. dies, & quadrantẽ, intercalares ſtatuta ratione cõmenti ſunt: ita ut octauo quoq; anno nonaginta dies, ex quibus tres menſes tricenũ dierum cõpoſuerũt, intercalarẽt. Vide quoque hac de re Libanium Sophiſtã in argumẽto orationis Demoſthenis contra Androtionem. Qui nõ tam.] Eſt feſtiua agnominatio in etymologia cæli. n. cælũ à cælatura ſiderũ & ſtellarum dictum eſt, ut ſcribit Plin. lib. 2. cap. 3. Iam uero Cenſores.] Accuſat Verrem, quòd Cenſuram accepta pecunia uendiderit. In Sicilia iſto Prætore creati ſunt.] Cur Siculi Cẽſuram accurate gerendã mandent. In cenſu habendo.] Officia Cenſorũ indicat. Flagrabat domus tota.] Amplificatio eſt inſignis. Sed ne miremini.] Præoccupatio. Exponam uobis breuiter.] Captat attentionẽ. In mulierũ corruptelis.] Προσωπογραφία eſt. & ſimul cur Timarchides Verri tã unice charus fuerit, oſtendit. Eundẽ mira quædã.] Digreſſione utitur in deſcribendo Timarchide. Hæc uero eius erat ars.] Studia Timarchidis exponit, & cur Verres eum tã plurimi fecerit, narrat. In Timarchidis poteſtate.] Amplificatio ab indignitate rei. Is igitur, ut dico.] Ad inſtitutam narrationem redit. Denarij trecenti.] Denarius Rom. ualebat duos groſſos & ſeptem & dimidiatũ nummos, qualibus Miſnenſes utuntur, auctore Budæo. Primũ quo tantã pec.] Expoſtulat cum Verre Cic. ob pecuniam à Cẽſoribus ad ſtatuam acceptã. Nam aut publice.] Probat nõ licere Cẽſoribus ad ſtatuã Prætoris pecuniã conferre. Quiſquam dubitabit.] Infirmat quòd Verres dixerat,

beneficijs

beneficij cauſa Cenſuram Cenſoribus permiſiſſe. Extenuarūt, anxerant.] Contentio uocum. Itaq; in tributis.] Cenſum iniquum Cenſorum Verris inſectatur. Nam L. Metellus.] Iniquitatem cenſus Cenſorum Verris probat inde, q eum Metellus reſciderit. Te autem Pretore.] A' conſequentib. Teneat iā ſanè.] Conteſſio ſimulata & incipit exaggerare hoc, q Metellus cenſum Verris reſciderit. Fecit amicus recens.] Exaggeratio rei à perſona quæ fecit. Sed antequam.] Præoccupatio. Tantum conficitur ex.] Confirmatio à teſtib. Quære cuiuſmodi.] A' minori ad maius. Verum ubi tandem.] Exaggerat factum Verris, q pecuniam iſtam non ad ſtatuas conſumpſerit. Si hoc interuallo.] Dilemma. Si à uobis.] A' malo exemplo Verris factum exaggerat. Sed cum genera.] A' facto manifeſto odioſo, factum illud Verris exaggerat. Etenim ſi C. Ver.] Eſt locus à pari. nam ita uult argumentari: par delictum eſt, populum poſcere pecuniam, & eam auferre: & poſcere populum pecuniam ſtatuarum nomine, & eam auferre: ergo ex utroque delicto condemnandus eſt. Quod ſi quem ſtatuæ.] Enumeratione utitur, qua docet quid in ſtatuis ponendis faciendum ſit. Deſine quæſo.] Modū in ſtatuis Verrem non ſeruaſſe probat. Bella hæc pietatis.] Ironia eſt. Verum quoties.] Interpretatio eſt. Vna ciuitas cum.] Probat ab inuitis ciuitatib. pecuniam ad ſtatuas à Verre extortam. Quin etiam ſi quis.] Amplificatio à circumſtantia. Primum igitur.] A' teſtib probat, Siciliam coactam Verri ad ſtatuas pecuniam contuliſſe. Nam cætera quæ.] Collatio eſt aliorum poſtulatorū, cū hoc nouo poſtulandi genere. Rogant & orāt.] Exemplum collationis rerum. Propter tuos ternos denarios.] Quos in ſingulos modios frumenti, qui tibi in tuam cellam dabantur, imperaueras. Poſtulant.n.] Poſtulatū de ſtatuis, quod & quale ſit commemorat, & utitur cōmoratione. Petis à me quod.] Hoc eſt, cum in Siculorum poteſtate ſit ſtatuas ponere, uel non ponere, cur petunt ne id liceat? Mihi impone iſtā.] Summa eſt: uult probare Cicero Siculos propterea tam nouo modo poſtulare de ſtatuis, q à Verre ſæpe coacti ſint per uim ſtatuam ei ponere. ob id dicit: Mihi impone iſtam uim, &c. quaſi diceret, non mirum eſt Siculos poſtulare, ne liceat eis inuitis polliceri ſtatuam, cum antea ſæpe à Verre ui ad ſtatuas promittēdas adducti ſint: & ſi ego Cicero ita ui cogerer ad ſtatuas promittendas, exemplo Siculorum idem peterem. Mihi.n. renunciatur.] Exceptio Verris contra teſtes contra ſe productoꝝ, ut quos inimicos eſſe dicere ſolitus fuerit, proinde illorum teſtimoniū nihil ponderis habere. Te ſtatim hoc.] Enthymema falſo cōcludens. Ergo aratores.] Ex perſona Verris hæc dicit. Omnino præclare te.] Reſpondet Cicero ad exceptionem Verris. Atque id genus hominum.] Laus aratorum. Id accipio, eos tibi.] Repetit Verris exceptionem contra teſtes aratores, per cōmorationem. Quid ergo illæ.] A' facto aratorum Verri nō inimicos eſſe probat. Verum tibi cōmodum.] Nempe q uel honoris gratia ſtatuam tibi erexerunt, uel q tu per uim ac metū pecuniam ad ſtatuas extorſeris. O' cauſam ſingularem.] Exclamatio uehementiſſima. Eum reum, qui.] Exaggeratio à perſona rei. Certe ita nobis iudicandum.] Explicat tandē hoc, quod hactenus adeo inuoluit, oſtendens. cur nam aratores Verri ſtatuam ſtatuerint. Atque ut hoc tamen.] A' teſtib probat. Quē uoles eorum teſtium.] Id eſt, cū adeo iniurius fueris aratoribus: proinde non credibile eſt, ut ſua uoluntate pecunias ad ſtatuas dederint. Etenim oēs ded.] Subiectio Verris eſt. Vi atque imperio adductus.] Reiectio eſt. Et huius ego.] Peroratio criminis de ſtatuis. Venio nunc ad ciuitates.] Verrem à Siculis quoq; inuitis pecuniam ad ſtatuas exegiſſe, confirmare incipit. Itaq; eum non ſolum.] Præoccupat ea quæ obſtare poterant, ne crederetur Siculos inuitos pecuniam ad ſtatuas contuliſſe. Pulchra illa Verrea.] Ironia. Pofuiſſe, abſtuliſſe.] Antitheton uerborū. Vtrū tibi Siculos.] Dilemma. Qui, q nullo.] Cur Siculi inimici Verris ſint, probat. Etenim cū propter uirtutē.] Cur Andrō legatus à Siculis electus ſit, narrat. Si in iſtū animaduerſum non.] Metū iudicibus inijcit. Qui te in tua ciuitate.] A' minori. Verū noluerint.] Siculi ſtatuas Verri erectas deiecerunt, ergo inuiti pecuniam ad ſtatuas dederūt. Tot homines in Aſia.] Exaggerat factū à nouitate. Apud oēs Græcos.] Exaggeratio facti Siculorū à more Græcorū. Itaq; cū Rhodij.] Ab exēplo cōfirmat morē Græcorum. A' mœnib. littorib.] Diſtributio. Videtis igitur.] Clauſula argumenti eſt à more Græcorum ducti. Quæ monumenta hoſtiū.] Argumentū ab exēplo contrario. Tauromenitani, quorū.] Inductione quadā colligit. Nā quid ego.] Occupatio. Quanta illa multitudo.] Exaggerat factū Siculorū, q Verris ſtatuas euerterint. At quo loco?] Exaggeratio à loco. Atq; ego hoc.] Cauſam deiectionis ſtatuarū Verris deprecatur Cic. Centuripinorū ſenatus.] Narratiuncula eſt. Videte grauitatem.] Exaggeratio facti Centuripinorū. Cū hoc cōſilio.] Ad narratiunculā redit. Statuæ, quæ iſtius.] Extenuatio. Metello homini.] Modeſte reprehendit Metellū. Nō erat in hoc.] Enthymematiō. Ego, ſi Metellus.] Occupatio. Videte iudices.] Exaggeratio iniuriarū Verris & eſt locus à cauſa. Hæc tum diceré.] Occupatio eſt. Velim quærere nūc.] In Metellū libere dicit, & eſt παῤῥησία. Sed ego Metello nō.] Mitigat orationē ſuā. Iam igitur.] Clauſula eſt argumentorū, quibus firmauit, nullā ſtatuam Siculorū uoluntate Verri datā. Quo quidem in crimine.] Quantū odiū Verres ex pecunia ad ſtatuas exacta adeptus ſit, narrat. Quæ ueſtra defenſio.] Hæc ad patronos Verris referenda. Cur oderunt? cur Haleſini.] Inductione quadā utitur Quem omnes mortales.] Ab æquo. An hoc dicere audebit.] Præoccupatio Verrina. Quis.n. tibi moleſtius.] Præoccupat quadā etiam ſupra acta. Ab negotiatoribus.] A' partib. ad totū. Poteſ igitur dicere.] Non contemnendos Siculos, & oratores docet. An quorū auctoritate.] A' pari. Niſi forte.] Alia ſubiectio Verris eſt. En tua ſapientia.] Id eſt, ſtultitia. Nā Verres cuidam magiſtro publicanorū ſcripſeras, ut diligenter caueret, atque proſpiceret, ne quid eſſet in literis publicanorū, quod cōtra ſuū caput atque exiſtimationem ualere poſſet, atque ita ſua ſtultitia Verres pene ſe perdidiſſet. Etenim rē.] Narratio eſt, qua narrat cur nam Verres publicanis gratioſus fuerit. Quæ ſine portorio.] Portoriū dicitur, pecunia quæ datur pro traiectione trās aquā. Itaque ſocij fecerunt.] Hic uides cur publicani de Verre tā bene ſenſerint. Carpinatiū ſæpe ad ſe.] Dialogiſmus. Itaq; ille multitudine.] Narrat decumanos decreuiſſe, ut hæ literæ, quib. exiſtimatio Verris læderetur, tollerētur. Quid expectatis amplius.] Pyſma eſt. At quorū iudicio.] Subiectio. Arbitrentur reos iudicari.] Exaggeratio à iudicibus. Non noſtri generis.] Ironia in Verrē eſt. Decumani, hoc eſt.] Decumani qui fuerint. Habeo ex his qui.] A' teſtib. confirmat, literas remotas eſſe. Vos nūc utrū.] Id eſt, etſi decumani non uerbis te cōdēnarunt, tamen uoluntate condēnarunt. Et hic eſt contentio de ſcripto, nēpe de iudicio decumanorū. Dico te maximum.] Multa Verrē abſq; portorio Syracuſis exportaſſe commemorat. Quid defendet Hortenſius.] Diluit Hortenſij defenſoris Verris obiectiones. Quod cum ita ſit.] Nihil ſe fingere uelle proponit, & hoc attētionē facit. Meminero me nō.] De ſuo in accuſando Verre officio obiter diſſerit. Quapropter nihil eſt.] Ad inſtitutū redit, nō metuēdū Verri, ne quid fingat. Multa quæ ſcio.] Callida occupatio. Tātū agā.] Proponit quedā, q ordine tractaturus eſt. Ac ne forte.] Præoccupatio Nā quod in publicanorū.] Cic. literas ſocietatis remotas eſſe cōfirmat. Itaq; hoc ut cōperi.] Quo pacto literas remotas intellexerit, oſtēdit. Itaq; ad L. Vibiū.] A' teſte. Tā nō quæro unde.] Furta

Verris exaggerat. Quaſi etiam amicorũ.] Subiectionib. utitur. Cũ hæc paucorum.] A minori ad maius. Cuiuſmodi prædo.] Amplificatio. Nunc hoc attendite.] Adhortatio iudices. Furta prætoris.] Furta Verris ex portorio. Cogitate nunc.] Amplificatio eſt per diſtributionem. Nunc ad ſociorũ.] De tabulis accepti & expenſi publicanorũ, & de Carpinatio, cõmemorat. Inſpiciebamus.] Narratio. Erit uobis luce clarius.] Digreſſiuncula à narratione. Cũ hic maxime.] Ad inſtitutam narrationem redit. Repente aſpicimus.] De litura tabularum diſſerit. Verſuram feciſſe.] Donatus in Phormionem Terentij ſcribit, Verſuram facere, eſſe æs alienum ære alieno ſoluere, aut minore fœnore maiorẽ acceptam pecuniam occupare. Hinc ducta uoce, ut auctor eſt Feſtus Põpeius, q uertatur creditum. Atque hæc poſtulabã.] Mitigat factum ſuũ Cicero. Videtis Verrutium.] Alloquitur circunſtantes. Sic habent ſe tabulæ.] Peroratio uehementiſſima, in qua & Verrem & defenſorem eius Hortenſium inſectatur. Tu ipſe Verres.] Fingit Verrem præſentem, qui abfuerit. Craſſi & Antonij.] De quib. Cic. in lib de Oratorib. claris. Nimirum illi.] Collatio ueterum oratorum, & ſui ſeculi. Nemo ita uiuebat.] Explicat cur nam ueteres oratores iſtis patronis ſui ſeculi fortunatiores fuerũt. Nũc uero quid.] Subiectionib. uarijs utitur.

An ob hæc infamia.] Hoc eſt, an infamiam & nequitiam Verris poterit egregijs factis Verres obſcurare.

## ACTIONIS IN VERREM QVINTAE PARTITIO,

### PER BARTHOLOMAEVM LATHOMVM.

H AEC actio rem frumentariam continet, & in tres partes diuiditur: frumentũ decumanum, emptum & æſtimatum. Exordio beneuolentiam captat ab accuſandi periculo, quã legem ſibi præſcribat, non præſentis modo exiſtimationis, ſed etiam in futuram uitam, qui ad alios accuſandũ deſcenderit. Deinde reſpondet obiectioni Hortenſij, & reddit rationem accuſationis huius, non quã in Diuinatione poſuit, ſed à communi bonorum uirorum officio ſumptam: eandemq; exaggerat indignando contra aduerſariorũ improbitatem. Poſtremo poſtulat attentionem, eoq; ipſo accedit ad propoſitionẽ. Propoſitio tripartita conſtituitur, de frumento decumano, de empto, de æſtimato: quem ordinem in confirmatione perſequitur. Cõtentio, ſiue criminum explicatio tractatur ſicut in præcedentibus actionib. narratione uniuſcuiuſq; criminis, ac ſubiecta cõfirmatione, interpoſitis interim amplificationibus. De frumento decumano initiũ ſumit à narratione generali, exponens breuiter iura & uectigalia agri Sicilienſis, ad intelligendam criminum rationem: quæ multa & uaria deinde perſequitur cõmiſſa in ciuitates & aratores, partim in exigendis decumis ad arbitriũ decumanorũ, ſublata lege Hieronica: partim in pecunia frumentario nomine exigenda. Eumq; locum grauiter amplificat, à perdita & uaſtata prouincia: coniecturisq; ac teſtimonijs oſtendit, Verrem ſociũ decumanorum fuiſſe. In empto frumento oſtendit pecuniam publicã ad emendum frumentum interuerſam fuiſſe à Verre, & ad cõmoda ipſius redactam. Idq; triplici furtorum genere, fœnerando apud ſocietates, à quibus pecunia attributa fuerit: non ſoluendo aratorib. & detrahendo quantum collibuiſſet. Item totam pecuniã & datam ex publico frumenti nomine, & acceptam ab Haleſinis, ab eodem ablatam fuiſſe. Tum deductiones factas ſcribæ & collybi & ærarij nomine, cum pecunias aratoribus pro frumento numeraret. Eoq; in loco inuehitur tam in ſcribam quàm in Verrẽ pluribus uerbis, & cõmouet indignationem. Circa æſtimatum frumentũ ita improbe & inique actum eſſe demonſtrat, ut doceat dimidio pluris Verrem, quàm Senatũ in cellam æſtimaſſe. Quo in loco occurrit ad oẽm aditum defenſionis, ad confirmandam improbitatem, & indignitatẽ iniuriæ oſtendit in aratores: & indicat quanta licentia peccandi futura ſit, ſi huic crimini ignoſcatur: & profert diſſimilium exemplorum collationẽ. Concluſio habet indignationem ab iniuriæ magnitudine, & ab incerto ruſtici laboris euentu: admiſcetq; criminum explicatorum enumerationem.

## IN EANDEM ACTIONEM IN VERREM

### QVINTAM, EVBVLI DYNATERI SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

VERRES Siciliæ prætor, cum multa nefanda, impia & crudeliſſima in Siculos facinora perpetraſſet, prætura defunctus, à Siculis repetundarum reus in iudicium uocatus eſt. Siculorum.n. opes multis fraudibus, dolo, ui in priuatum uſum tranſtulerat. Conſcium facinorum ſuorũ, auaritiæ atque rapacitatis habuit
C Apronium, uix liberum (ut Cicero inquit) hominem, cui ſumma rerum commiſſa erat, ut decumas uẽdere, frumentum emere, æſtimare, & lucrum ſibi placitum hinc ſumere liceret. Accuſabatur & multis alijs nominibus Verres, quorum ſcelerũ capita in prioribus orationibus habentur. Quarũ prima tantum et ſecunda in iudicio habitæ ſunt, reliquas poſteriores domi ſcripſit Cicero, in iudicio Verrẽ adeſſe, & à ſe accuſari fingens. Summa autem totius quintæ actionis, Res frumentaria eſt. Diuidit hanc in tria capita. primum.n. de decumano, hinc de empto, poſtremo de æſtimato frumento diſſerit. Vehemens in his omnibus Cicero eſt. multis.n. uarijsq; argumentis eum iniuſte egiſſe conuincit. Quare ſtatus orationis huius eſt iudicialis, omnia penè eius conſtitutionis capita continens. ipſum.n. contra naturam, legem, conſuetudinem, iudicatum, æquum & bonum, pactumq; feciſſe indicat. Comparatione interdum utitur: Num penes ipſum fuerit, immutare antiquas leges Siculorum, & conſuetudines. Criminis tranſlationem nullam hic eſſe docet: quia Aproniũ Verris conſilio, Verris imperio, & Verris auctoritate omnia egiſſe oſtendit. Conceſſionem (quæ tertia Aſſumptiuæ Iuridicialis cõſtitutionis pars eſt) omnino proſternit, cum eum non neceſſitudine, non imprudentia, non fortuna aut caſu in horum ſcelerũ colluuiem incidiſſe conuincit. Reliquum ergo eſt, omnia hæc conſilio ſano & auaritiæ ſtimulis facta eſſe. Quæ purgationis confutatio tam uehemens, nullum etiam Deprecationi locum relinquit. Coniecturæ uero hic plurimæ coinc dunt, utpote cum auaritia & lucro ſuo permotum fuiſſe ad hæc oſtendit. Affert ibi ſigna rei euidentiſſima, quæ cum eò uentum fuerit, exponemus. Reliqua abũde in Partitionibus ſuis Lathomus.

OMNES qui alterum iudices.] Exordium orationis huius mirifice tractatur. Incipit à generali ſententia, quam Pronunciatorum loco quaſi teſtimonium proponit. Cum etenim beneuolentiæ, attentionis & docilitatis ratio in omni oratione in primis habenda ſit, & nihil perinde beneuolentiã apud honeſtos iuſtoſq; iudices quàm honeſtatis rationes pariant, rectiſſime Cicero iiſdem quam uult iudicũ beneuolentiã ſibi cõciliare parat. Γνώμην ergo, ut dixi, præmittit, qua oſtendit quid nam is qui accuſatoris partes ſuſcipere inſtituit, obſeruare debeat. hunc enim ſibi omnium actionum liberam poteſtatem præſcindere, & uiuendi exactiſſimum moleſtiſſimumq; modũ ſibimet iniungere docet. Hoc quàm periculoſum ſit, exẽplo Craſſi elegãter indicat. Exponit deniq; ſe omnium grauiſſimũ onus ſuſcepiſſe, quoniam nullius criminis defenſionem ſibi in poſterũ reſeruare poſſit, qui talẽ reum peragat, qui omnibus criminibus obrutus, & cunctorũ ſcelerũ mancipium ſit. In eo ergo omnia ſcelera accuſare cogitur. Qua ratione itaque beneuolentiam iudices huic negarent, quem honeſtis rationibus permotũ, & uirtute impulſum, tam graue & moleſtũ ſuis humeris onus imponere uident? Secunda beneuolentiæ captandæ ratio à Repub. deſumpta eſt, cum eum ſe accuſare dicit, quem omnes odio & inuidia perſequantur: Romanæ ſcilicet reipub. peſtem, ſummamq; infamiam. Attentionem parat, cum quid antehac Verres egerit oſtẽdit, & grauia eſſe hæc, de quibus nũc dicturus ſit. Docilitas hic multis inculcatur. oſtendit enim plurimis, quæ Verris crimina, & quæ nam in hoc accuſanda ſint. Eſt etiam Exordij pars, obiectionis confutatio contra Hortenſium. Se etenim iuſte accuſare conuincit, argumentans ab officio, & enumeratione Verrinorũ facinorũ, quam pulchra αὐξήσει exornat. Hæc exordij ſumma. nunc ſingula diligentius excutiamus. Omnes qui alterum iudices, &c.] Quoniã nihil in perfecta oratione mutilum, & ſuo deſtitutum præſidio proponi debet, uideamus quomodo primam illam exordij ſentẽtiam Cicero & probet et exornet. Omnis argumentatio, ut auctor ad Herennium docet, quæ abſolutiſſima eſt, quinq; conſtat partibus: Propoſitione, ratione, eationis confirmatione, exornatione, & cõplexione. Propoſitio hic eſt: Omnis accuſator, quid negotij in omnem uitam ſuſcipiat, conſiderare debet. Ratio breui ſubiectione hoc uerũ eſſe demonſtrat: Legem enim ſibi indicunt omniũ uirtutũ, qui ab alio rationem uitæ repoſcunt. Satis nunc hoc uehement uidebatur. Quàm enim hoc moleſtum & graue ſit, nemo eſt qui nõ intelligat. Sed mox rationis confirmationem ſubiungit, qua cauſam ponit, ob quam accuſator omnium uirtutũ legem ſibi indicat. Si quis enim hoc ſibi ſumpſit, ut corrigat mores aliorũ, quis huic, ſi quãdo ipſe ab religione officij diſceſſerit, ignoſcat. Hinc deinde concludit, id quod ad beneuolẽtiam ſpectare uidebatur: hũc ſcilicet ciuem utiliſſimũ eſſe, qui ſeipſum neceſſitate quadam ad bene agendum cogat. Sed mox ſuperiorum rationum Exornatio ſequitur, quæ in Craſſi & iuuenum oratorum exẽplis conſiſtit, & in qua partiũ enumeratione probat, quàm exactam uiuendi normam is ſibi præſcribat, qui aliorum morum Cenſor haberi uult. Cõplexio omnium horum breuis eſt, & generalis ſententia: Turpe eſt doctori, cũ culpa redarguit ipſum.

Nullis impulſi inimicitijs.] Repetitio hic eſt, & Exornatio uerborum, quam Membrum uocant, quæ cũ triplex eſt, (ut hoc loco) eſt perfectiſſima. Appellatur autem mẽbrum, res breuiter abſoluta, ſine totius ſententiæ demonſtratione: quæ alio membro orationis deinde excipitur. In omnem uitam negotij.] Oneri hic negotium, utpote maius opponitur. hoc enim magis diuturnum, illud minus uidetur. Et onus præſentium, negotium plerunque futurorum temporum eſt. & pro cura, moleſtia & ſollicitudine ponit, ut apud Terentium: Poeta cum primum animum ad ſcribendum appulit, id ſibi negotij credidit ſolum dari, &c. Quapropter hoc etiam.] Argumentum ab effectis eius, qui aliquem Reipub. cauſa accuſat. Vtilitas enim, quæ à plurimis ſpectatur duplex eſt. Nam ciuem improbum à Repub. remouet, & ſeipſum bonum fore profitetur, & præſtare cogitur. Communi uoluntate uirtutis.] Eſt in hominibus aliquod adhuc à natura uirtutis ſtudium. nam (ut Cicero libro primo de Natura Deorum ait) uirtute nihil amabilius. & primo de Finibus bonorum & malorum oſtendit, uirtutes propter uoluptatem expeti. Sed Cum corrupta in homine natura plus quàm latens illa in nobis uirtutis ſcintillula ualeat, non modo communi illa, qua omnes afficimur erga uirtutem, uoluntate, ſed neceſſitate quadam opus eſt. quã qui habuerit, eum Cicero aliquid in uirtute præſtanda poſſe exiſtimat. Hæc autem utraque parantur tum, ſi aliorum morum ueri correctores eſſe uoluerimus. Ex homine clariſſ.] In exemplis adducendis commendatione opus eſt, quàm & hic obſeruat: ſed breuibus abſoluit, qui erat notiſſimus. nam (ut Valerius Max. ait) tantus erat apud iudices L. Craſſus, quantus apud P. C. Aemilius Scaurus. ſiquidem eorum ſuffragia robuſtiſſimis & fœliciſſimis eloquentiæ ſtipendijs regebat: eratq; ſic fori, ut ille curiæ princeps. Quo minus etiam perſpicitur.] Secundum exemplum oratorũ iuuenum, quod latentem habet obiectionem. Ardua res accuſare nõ eſt, quia hoc tritum & uulgare eſt. Diluit hoc, dicẽs ab his fieri, qui non curarum & periculorum rationem tantam, quantam gloriæ & laudis habeant. Atque hoc ego plus.] Tranſit ad ſuam perſonam. hactenus enim de omnibus accuſatoribus in genere dixit: nunc ſuam hanc actionem oſtendit omniũ eſſe periculoſiſſimam. Argumenti uis eſt in comparatione minoris ad maius, ſiue unius partis ad totum. ut, Si onus hic ſuſcipit, qui unius criminis reum peragit: An non ego maximum onus ſubeo, qui in uno homine omnia ſcelera accuſo? Minus autem illud comparationis membrum, accuerata commoratione & expolitione tractat, partes nonnullas ſcelerum enumerans. Nam ſi ea cum quibus noſtra comparamus, humiliora fuerint, exornationibus expolienda erunt. Vnde & Cicero hac minoris expolitione, ſuam actionem (quod maxime oſtendere conatur) periculoſiſſimam eſſe conuincit. Ego in uno homine omnia.] Emphaſim hoc habet, quod has quaſi contrarias particulas coniungit, Vnum ſcilicet & omne. facit hoc ad clariorem rei ſenſum, & argumenti uehementiam. Sed etiam oris.] In odium Verrem rapit. cum enim in iudicio quoque, & aduerſæ fortunæ caſibus contumacem et ſuperbum eſſe demonſtrat. Eſt autem effictio, ſeu notatio quædam: quæ utilitatem magnam habet, ſi quid oſtendere uelis: & uetuſtatem, ſi breuis ſit, & dilucida. Patior non moleſte.] Item quod ante dixit, per expolitionem, in qua iucundum & neceſſariũ inter ſe confert, quod huius actionis grauitas magis eluceſcat. Et in hoc homine.] Hæc illa exordij pars eſt, cuius ſupra meminimus, qua Hortenſij obiectioni reſpondet, cauſam adducens, ob quam hanc accuſationem intendat. Mitto iam rationem.] Occupatio, qua ſummas huius accuſationis cauſas ſe præteriturũ dicit, non tamen ſine ratione harũ mentionẽ faciens. Has autem cauſas nunc omittit, quia de his in prima oratione (quæ Diuinatio inſcribitur) abũde diſſeruit. Inimicitiæ cauſam iam declaraturus eſt. An tu maiores ullas.] Obijcit Hortenſius: Indignum eſt, Ciceronem tam acriter in Verrem inuehi, nulla priuata adductum inimicitia. Diluit Cicero, per definitionem inimicitiarum, & enumerationem facinorum Verris: quæ ſingula cum ſua uoluntate, ſed animi affectu & uirtute cõfert: ut hinc pateat, iuſtiſſimas ei cum Verre inimicitias eſſe. Argumenti forma hæc eſt: Inimicitiæ maiores non ſunt, quàm contrariæ hominum ſententiæ, ſtudiorum & uoluntatum diſſimilitudines: Mihi cum Verre contrariæ ſententiæ, & nulo

læ ſtudiorum ſimilitudines ſunt: Ergo inimicitia mihi cum eo iuſta & maxima eſt. Maiorem non probat: per ſe enim clara eſt. Si enim amicitia bonorum conſenſio eſt in diuinis & humanis, & ſi ſine uirtute nulla amicitia conſtat, (quemadmodũ multis locis diſputat Cicero) manifeſtum eſt, bonis cũ malis amicitiã ne minimam quidem poſſe exiſtere. Minorem, quia ad cauſæ ſuæ confirmationem & odium Verri conciliandum plurimum ualebat, copioſe tractat: pulchrè cõparans ἀντιθέσει Verris facinora, ſuumq́; ſtudium. Et hiſce rite inter ſe collatis, colligitur iuſtas contra Verrem inimicitias Ciceronem exercere, quod erat probandum. Cauet autem Cicero, ne inſolentior uideri poſſit: & ob hoc in comparatione illa tam ſuum quàm Verris nomen reticuit. Propria enim laus ſordet: & Verris facinora erãt notiſſima, celato licet auctoris nomine. Obſeruanda autem hic mira uerborum copia, qua orationem & auget & intendit. Primum enim poſuit, Non inimicum eſſe: deinde, Animo æquo uidere, non infeſtiſſimũ eſſe, nõ concitari non plus etiam quàm inimicum eſſe, & alia hiſce ſimilia. Videmus quantum ornatus, elegantiæ, acrimoniæ & uehementiæ, hæc copiæ uarietas parit: quæ & in aliorum ſcriptis examinandis, & in noſtris maxime obſeruanda erit. Ex thenſarum orbitis.] Thenſæ, ut Aſconius tradit, ſunt ſacra uehicula, pompa ordinum & officiorum. Notat autem hic ſacrilegia Verris, quibus ne minimis quidem leuiſſimisq́; rebus, unde lucrum ſperabat, pepercit.

An ſi qua in re.] Aliud argumentum à minori ad maius. Si una tantum in re me priuatim læſiſſet, iure ei inimicus eſſem: Cum omnes in omnibus rebus læſerit, me inimicum iure eſſe negabis? Probat etiam ab exẽplo, ſe merito odiſſe, cum totus hunc populus & omnes boni oderint. Adiungit hiſce in eadem periodo & tertium argumentum, ab officio ſuo deſumptum.

Quid illa, quæ.] Recriminatio ponitur. Non enim Ciceroni ſufficit, oſtendiſſe ſe hunc merito accuſare, niſi etiam conuincat Hortenſium & reliquos Verris fautores iniquiſſime agere, ꝙ tam impuram belluam amplectantur. Nam ut (Aſconius tradit) defendebatur Verres à Metellis, Scipionibus, & multis alijs uiris nobilibus. In primis autem Hortenſio, qui tunc princeps curiæ ob nobilitatem, & rex fori ob eloquentiam uidebatur. Hos ergo cum nulla alia ratione liceat refuſare, iniquiſſime agere oſtendendum eſt, & in contemptum, inuidiam, odiumq́; rapere oportet. quod hic uehementiſſime Cicero facit, cum nouos homines contemni, induſtriam proculcari, frugalitatem deſpici, ingenium & uirtutem deprimi ab illis clamitat: cumq́; auaritiam illorum detegit, ꝙ non uirtute & honeſtis ſtudijs ipſius Verris, ſed muneribus adducti, eum in fidem ſuam receperint. Nã (ut Plutarchus teſtatur) inter alia & ſphynga eburneam à Verre Hortenſius accepit. Hæc aũt cum à bonis æquo animo audiri nõ poſſint, quin ſummam hiſce indignationem concitent, copioſius exponuntur, non enim minimus ad uictoriam gradus hic eſt, ſi nos gratos, aduerſarios autem inuiſos reddere poſſimus.

Quid hoc cuiquam.] Deplorat temporum illorum miſeram conditionem, ubi non uirtute, ſed auro honores cõpenſabantur. Poſſunt hæc non inepte de noſtris quoque temporibus dici. nã: Aurea nunc planè ſunt ſecula, plurimus auro Venit honos. Ridiculam autem et inuiſam facit Verris cauſam, iocoſa illa eiuſdem cum L. Mummio comparatio. Verum hæc dicentur.] Cõminatio, quæ plurimũ ualet in indignationibus. terret enim male ſibi conſcios. Superiore omni.] Sequitur alia Exordij pars, attentio ſcilicet. Rogat ab anteactis, & rei ipſius magnitudine. Addit poſtremo honeſti rationem, quam uelut aculeum ultimo loco ponit, ut hoc cõmoti non dedignẽtur grauiſſimam accuſationis partem audire, qui antea in leuioribus attenti fuerint. Nunc tractare.] Docilitas hiſce paratur, quæ non plurimum ab attentione differt, niſi quod orationis ſcopũ paucis adumbeat. Dociles enim auditores habebimus, ſi attẽti fuerint. Obſeruantur autem hic attentionis præcepta ferè omnia. De magnis enim, grauibusq́;, de nouis & ad rempublicam pertinentibus ſe dicturum promittit. Obſeruãdum porrò eſt, quod in enumeratione eorum quæ hic obſeruanda eſſe ais, hoc quod maximum & ad perſuadendum uehementiſſimum eſt, poſtremo loco poſuit, uitam ſcilicet uictumq́;: ut hoc non modo ſuaderet, ſed & cogeret iudices attentos eſſe, cum ſe uitam uictũq́; aliter retenturos non eſſe audirent. Neminem ueſtrum præterit.] Narrationis loco pauca in Siciliæ encomium præmittit, quod hæc ſcilicet re frumentaria Romanam rempublicam ſubleuet. Teſtantur hoc inter alios hiſtoricos multis in locis Liuius, & Appianus. Ea cauſa tripertita.] Secunda huius orationis pars eſt, Partitio, qua breuiter proponit, qua uã de re dicturus ſit. Et diſtributa eſt expoſitio eorum quæ hic tractantur. Tria in hac ſunt capita, frumentum emptum, decumanum, et æſtimatum: quæ ſingula eo quo propoſuit ordine perſequitur. Nã ut Cicero de Inuentione lib. primo inquit, meminiſſe oportet, ut & prima quæq; pars, ut expoſita eſt in partitione, ſic ordine tranſigatur, & omnibus explicatis peroratũ ſit hoc modo, ut ne quid poſterius præter concluſionem inferatur. Facit hæc dilucida partiendi ratio plurimum ad auditoris iudicium: certas enim res auditor animo percipit, & quando peroratum ſit intelligit. Inter Siciliam.] Initium hic ſumit tertia orationis pars, quæ contentio ſiue criminum explicatio uocatur. Tractatur in hac tota res frumentaria perperam & iniquiſſime à C. Verre adminiſtrata, quam (ut modo diximus) eo ordine, quem ſupra propoſuit, perſequitur & primum de decumis diſſerit: oſtendit grauiſſimas C. Verris iniurias, quibus ciuitates Siciliæ, ciues Romanos & aratores afflixit. Quo autem clarior iniuriarum expoſitio eſſet, priſtinum Siciliæ ſtatum, antiqua iura & maiorum leges exponit: ut hinc intelligi poſſit, quomodo ante ſub regibus, poſtea ſub Romanis, quibus legibus moribusq́; & qua conſuetudine uixerint, deinde in quã miſeriam à Verre Prætore redacti ſint. Faciunt hæc ad miſericordiam Siculis, Verri inuidiam odiumq; concitandum. Stipendiarium.] Vectigal hoc erat, quod Romani ijs quos bello deuicerant, mulctæ loco imponebant, ut belli præteriti pœnam & ſeditionis rebellioniſ'ue terrorem illis incuterent: quale Carthaginenſium tributum fuit apud Appianum, in libro, qui Libycus inſcribitur. Siciliæ ciuitatis.] Potentiſſimi olim fuerunt Siculi, maxime cum prima Africani belli origo contra Romanos exoriretur. Regem tum habuerunt Hieronem uirtutibus inſignem, qui Carthaginenſium ſocius cum multis aduerſis cum Romanis prælijs conſeruiſſet, pacem petens in Romanorum amicitiam receptus eſt. Rege autem hoc mortuo, & Hieronymo regnante, defecere ad Hannibalem, & à Marcello rurſum Romanorum imperio ſubiecti ſunt. Vide Liuium libro quinto Decadis tertiæ & Flori epitomen Decadis ſecundæ, & libro ſecundo, capite ſexto de Bello punico. Notandæ autem hic dictiones ſunt, quibus Cicero utitur. Siculos enim in amicitiam fidemq́; receptos eſſe dicit, ut eodem quo antea iure eſſent. Latet in hoc quædam argumenti uis, quæ Verrem iniquiſſimum fuiſſe oſtendit, quod Romanæ fidei creditos tam male tractauerit. Perpaucæ Siciliæ ciuitates.] Inter quas & eius regni metropolis Syracuſa fuit, uetuſtate & diuitijs conſpicua, quæ Archimede Mathematico aliquandiu defenſa, tandem capta eſt, ad cuius captiuitatem Marcellum illachrymauiſſe tradit Liuius. Videte nunc.] Applicatio ſuperiorum ad actionem ipſam, qua oſtendit Verris iniquitatem, qui tam antiqua inſtituta immutare auſus fuit. Facit autem hoc amplificatione quadam, qua Siciliam laudat, & Romani magiſtratus diligentiam fidemq́; in Siculos depingit. Subſidium belli.] Vnde & Flo

rus

rus lib. 4. cap. 2. Siciliam Sardiniamq; annonæ pignora uocat.

His primus inſtitues.] Hæc in ipſum Verrem diriguntur magna emphaſi, & enumeratione eorum quæ Verres ſubuerterit: quæ fit per ἀσυνδετον cuius magna in oratione uehemētia eſt. celeri. n. ictu corpus aduerſarij quaſi ſauciari uidetur. Sed & incrementum hic animaduertendum eſt: nam ueluti gradatione quadam ſingula ſeſe conſequuntur. Inſtituta. n. omnium, maiorum conſuetudo uincit, hanc amicitiæ conditio ſuperat ſed his omnibus ius ſocietatis tanquam ſacroſanctum anteponendum eſt. Verris uero crudelitatem & furentem immutandi libidinem, Conuellendi uerbo graphice deſcribit, quo eabdem crudelem, non tamen imprudentia commiſſam oſtendit. Qua in re primum.] Duo in hoc facto reprehendit, primum, quod noui aliquid in re tam uetuſta excogitarit: ſecundum, quod excogitatam rem nouam ſine magiſtratus conſilio iuſſuq; promulgauerit. In omnibus n. factis, non modo ipſum factum per ſe, ſed & modum quo aliquid factum eſt, inſpicere oportet. unde ſæpe colligemus, factum per ſe bonum, peſſimo modo adminiſtratum, pernicioſiſſimum fuiſſe. Primum autem illud eludit magis Cicero quàm confutat. facit. n. hoc ad inuidiam, & contemptum Verri conciliandum. Σκρυγωμὸς autem eſt, quo autractam eius uitam mire irridet & uituperat ingenioſum eū appellans per ironiam, qui in bonis legibus peruertendis, & nouis ſanciendis peſtilentiſſimus fuit. Sed in ſecundo illo crimine hæret diutius. In edictis prætorijs.] Edicta prætoria & cenſorias leges ſupra quoque poſuerat: nunc uero emphaſis cauſa repetit, quo eius impudentiam plenius demonſtret. Prudentem uero & exercitatum, ut ſupra, per ironiā uocat. Sed quod tua ſponte.] Intentio criminis uehemens. duplici. n. interpretatione exponit, quid ſit ſua ſponte aliquid agere. Deinde cum reprehendo dixit, mox accuſo ſubiungit. Hoc auctor ad Herennium interpretationem uocat, & efficacem eſſe ait. Neceſſe. n. eſt auditoris animum commoueri, cum grauitas prioris dicti renouatur interpretatione uerborum. L. Octauio & C. Cottæ.] Secūdæ reprehenſionis pars eſt, cur ſua ſponte iura Siciliæ immutariti Hoc quā inique fecerit, exemplo declarat Conſulum, qui cum à Senatu permiſſam poteſtatem haberent, legem tamen Hieronicam immutare noluerunt. Tractatur hoc exemplum comparatione pulcherrima minoris ad maius. Opponuntur autem hic & comparantur inter ſe, omnes utriuſque partis circunſtantiæ, Conſules. ſ. & Verres hoc modo: Prudentiſſimi uiri, & homo minimi conſilij: ſumma auctoritate prædicti, & nullius auctoritatis exiſtens: hi quibus Senatus & populus permiſerat, & is qui iniuſſu populi & Senatus fecit: Siculus unus recuſans, & tota recuſans Sicilia. amplificatio & detrimentum uectigalium, nomen Hieronicæ legis & lex tota. Poſtremum uero illud de lege Hieronica caput, quia plurimum ad huius cauſæ confirmationē faciebat, fuſius tractat. Non. n. ſatis ualidum argumentum eſt: Hæc res tot ſeculis & inter tot eximios uiros immutabilis ſemper fuit, ergo ne nūc quidem mutari debebat. Deplorandum. n. eſt magis quā exultandū, ſi res aliqua pernicioſa tanto tēporis ſpatio incolumis perſtitit. Quare niſi rē pernicioſam fuiſſe oſtenderimus, malā eius rei cōmutationē fuiſſe non apparet. Diuturnæ. n. & bonæ conſuetudinis abrogatio damnanda eſt: ne ergo idem Verres obijcere poſſet, legem hanc Hieronicam mire comendat, auctorem eius iuſtitiam & æquitatē prædicans. Summa itaque argumenti in hoc eſt: Quæ multis ſeculis immutata non ſunt, et ad reipublicæ ſalutem faciunt, immutare iniquum eſt: Lex Hieronica reipublicæ ſalutaris, et multis ſeculis immutata perſtitit: Ergo legem Hieronicam immutare iniquū fuit. Maior manifeſta eſt. nec ulla probatione indiget. Minorem mire amplificat & probat: Quia nec arator decumanū fraudare, nec decumanus aratorē iniuria afficere per hanc legē poterat: Colligitur ergo, Verrē in legis ſublatione iniquiſſimum fuiſſe, quod erat probandum. Vt neque in ſegetibus.] Probat legem Hieronicam talem fuiſſe, ut arator decumanum fraudare non potuerit. Argumentum à partibus ſumptum eſt: Obſeruandum autem eſt, tribus modis ex partium cōſideratione argumenta duci: nam ex remotione ſingularum et omnium refellimus, aut uniuerſale ex unius reiectione refutatur, aut idem ex coacervatione omnium aut magnæ partis aſfirmatur. Primus modus ex negatione eſt, quo & hic Cicero utitur: omnes. n. negat partes fraudis & doli, quibus decumanus ab aratore decipi poſſet. Qui. n. ex partium remotione argumētari uoluerit, cautus ſit oportet, ut omnes partes enumeret: ſi etenim una tātum neglecta ab eo fuerit, uniuerſale eius unius partis negatione infringi poterit. Cum hæc eſſent.] Adaptatio ſuperiorum ad Verris cauſam, qua iniquitatem eius mire amplificat. Vehementiam habet hæc correctio, quod eum non commutaſſe, ſed euertiſſe dicit. Odium quoque parit Verri comparatio hæc, quæ eū ad publicam ſalutem comparata, in priuatos & turpiſſimos uſus conuertiſſe ait. Poſtremo à decumanorum perſona oſtendit, quā inique egerit: quoniam non decumanos, ſed cupiditatum miniſtros inſtituiſſe demonſtrat. Per quos oſtendam.] Promiſſio hæc attentionem parit. Solent. n. rhetores, ſi ad arduum aliquod actionis caput peruenerint, attentionem pauci ſibi conciliare. Eorum omnium qui.] Copioſe deſcribit per προσωποποιίαν, uel notationem (ut auctor ad Herennium uocat) perſonam Apronij, cui ſummam rerum in decumis Verres crediderat. Hæc autē ſic inter ſe miſcet, ut ex Verris perſona Apronius, & ex Apronij Verres cognoſci poſſit. Apronium uero ſceleſtiſſimum eſſe, argumento à pronunciatis probat: quia grauiſſimæ legationes de eo conqueſtæ ſunt. Secundo ab adiacentibus eum deſcribit: quia impudens & ſalax, contumax & ſuperbus. Hoc autem probat argumento à comparatis: An non eum in Siciliæ præfectura ſceleſtiſſimum fuiſſe iudicabitis, qui nunc in aduerſa fortuna tātam oris proteruiam præ ſe fert? Spiritus.] Id eſt, ſuperbiam & arrogantiam: ut & Homerus Græcos μέγα πνείοντας appellat. Sui ſimiles.] Graculus. n. aſſidet graculo, & ἀεὶ ϑεὸς ὅμοιον ἄγει πρὸς ὅμοιον, neque parum ad animorum coniunctionem morum ſimilitudo facit. Si poteſtis.] Magna in hiſce duabus dictionibus energia latet. his etenim oſtendit, Verrem, Aproniumq; tā profligatæ uitæ fuiſſe, ut nullus hiſce alius ſimilis conferri potuerit. Immenſa aliqua uorago.] Rem ipſam, quam hic tractat oſtenſurus Cicero, uerbis rei conuenientibus utitur. Faciunt hæc orationem grauem, & uehementiorem. Ille erat.] Complexio breuis eorum quæ hactenus deſcripſit. Res etenim non proponenda modo, exponenda & expolienda eſt, uerumetiam in ſummam per complexionem eſt redigenda: ut ea quæ hactenus fuſe auditor audiens minus intellexit, poſtremo in unum locum conſtipata, quaſi ob oculos poſita uideat. Cum accubāte.] Rem turpem commodis uerbis proponit, quibus Verri odium conciliat. Sed & Plutarchus teſtatur, Verris filium pudicitiæ minus liberaliter proſtitutæ infamiam tuliſſe. Vnde & Cicero alicubi à Verre molliciei damnatus, reſpondit: Intus cum filijs hæc tranſigenda ſunt. Hunc, uti dicere.] Perſonam ſuis notis deſcriptam, nunc ipſi cauſæ accommodat. Hac, inquit, perſona non modo ad libidinis ſeruitium uſus eſt priuatim, ſed & huic publicæ ſocios Romani populi Siculos uexandos præbuit. Oſtendit ergo Cicero, hactenus cauſam ipſam efficientem horum ſcelerum, Verrem ſcilicet, turpiſſimum fuiſſe: cauſam præterea adiuuantem (quam Rodolphus Agricola miniſtrantem uocat) fuiſſe pernicioſiſſimam. Nunc qui finis harum cauſarum fuerit docet. Per ſe autem manifeſtum eſt, malarum cauſarum malos eſſe fines. Quorumcunque enim efficiētia bona fuerint, eorum etiam effecta bona ſunt, & contra. Huius audaciæ] Amplificationem

ſingulorum adhibet, cum Apronium noñ audacem, ſed audaciam: non nequam, ſed nequitiam: non crudelem, ſed ipſam crudelitatem uocat. Opponuntur autem hiſce atrociſſimis dictionibus non ſine miſericordiæ cõmotione fideliſſimi ſocij & optimi ciues. Traditos iudices atque addictos.] Modũ facti amplificat: non ſubdidit modo aut tradidit Apronio Siculos; ſed addixit, quod grauiſſimũ eſt. Addicere enim, aliquid certo alicui deſtinare ſignificat: & addicere Prætor dicebatur, ſi debitorem creditori tradebat, ut in ipſum & uitæ & necis haberet poteſtatẽ. Præterea autẽ egregie & breuiter quæ hactenus dixit repetuntur. Addixit, inquiẽs, Apronij audaciæ, nequitiæ, & crudelitati, nouis inſtitutis & edictis, tota Hieronyca lege ſublata. Quę cũ ſingula per ſe pondus habeant, in unũ condenſata plurimum ualent. Primum edictum.] Hactenus uniuerſalia, nunc ipſa ſingularia tractat. hucuſq; enim non aliud quàm Verris iniquitatẽ & flagitia oſtendit, quibus legem optimam (Hieronicam ſcilicet) ſuſtulerit, & iniquiſſimam ſua libidine conſtituerit nunc uero ſingula huius Decumanæ legis capita examinat, quid'ue iniquitatis in his reconditũ ſit diſcutit. Primum itaq; proponit legis caput, quo tantum orator dare cogebatur, quantũ imperaſſet Apronius. In cuius ſententia exponenda, pulchra uerborum exornatione utitur, quam auctor ad Herennium ratiocinationem uocat. ſæpius enim ſe interrogat, & uniuſcuiuſque propoſitionis rationem petit. Hæc autem exornatio ad ſermonem uehementem accõmodata eſt, & animũ auditoris retinet attentum, tũ uetuſtate ſermonis, tum rationũ expectatione. Hoc uero caput confutat, quia tyrãnicũ, & quia contra Siculos ſocios conſtitutum eſt. Per deos immortales.] Exclamatio propter rei indignitatem: hæc etenim ſi in loco adhibeatur, plurimum in indignationibus ualet. Ad amplificationẽ autem hoc plurimum facit, quod ſe, licet inimicus ſit, hoc nõ crediturum ait, niſi tota Sicilia & ipſius Verris edictum approbaret. Vnde ad huius probationem argumento à pronunciatis utitur, & ſuo hunc gladio iugulat. Obſeruãdus autem hic ueterũ mos eſt, quo edicta & chirographa, non oratores, ſed ſcribæ illis aſtantes recenſere ſolebant, quemadmodum et apud Demoſthenem uidere licet. Iudicio ut arator.] Octupli iudicium decumano iniquo Verres conſtituerat, non quod eos punire in animo haberet, ſed prætextũ iniquitati ſuæ obducere conabatur. Poterat autem hoc Ciceroni obijci. Verum & hoc diluit argumentis, ex omnibus iuridicialis ſtatus capitibus deductis. Primo enim oſtendit, hoc eſſe contra conſuetudinem & pactum: quod exemplis aliarum prouinciarum probat. Secundo, contra legem eſſe dicit: iniquum enim, aratorem petere, cũ id decumani ſit officium. Tertio, contra naturæ leges, & cõmunes animis hominũ inſcriptas ſententias, hoc eſt, ut quis de re perdita iudicium inſtituat, quod re integra facillime præcaueri poterat. Quarto, id æquo & bono contrarium eſt, ut is poſſideat, qui eripuit, & non is qui manu ſua acquiſiuit. Deinde quintã rationem ex deliberatiuo genere deſumptam addit: Quia plurimi ſunt, qui ſine maximo incõmodo labores ſuos et familiam relinquere non poſſunt. Sexta eiuſdem generis eſt: quia periculoſum foret, Apronium tuas delicias, imo & uitam tuam coràm te accuſare. Verum & alia reſtabat obiectio: aliquem ſcilicet fortem exiturum aratorem, qui bona erepta repeteret, et octupli litem intenderet. Cõcedit hoc, ſed ita ut iniquitatẽ huius iudicij plenius oſtendat. Aratorem enim plus damni quàm cõmodi hinc accepturum docet ab ipſa iudicij forma, iudicũ & rei ipſius, Apronij ſcilicet perſona: iudicium enim Syracuſis in Verris cõſpectu erit, iudices erunt ex Verris cohorte electi, Reus erit is, quem ob potentiam & libidinẽ Verrem ipſum, & Siculorum tyrannum appellare poſſet. Ex his omnibus ergo cõcluditur ſic: iudicia uera ſunt, quæ liberam iudicandi poteſtatem et ſceleratorũ pœnam habent: iudicium illud octupli à Verre inſtitutum hoc non habet: Ergo iudicium hoc nec uerum nec iuſtum eſt. Maiorem probare uel ponere opus non eſt. eſt enim notiſſima, & ex iudiciorum fine & officio deſumpta. Ad minoris probationem omnia ea faciunt, quæ ſupra enumerauimus: & illud quod poſtea dicit, neminem hoc edicto aut in iudiciũ uocatum, aut pœna mulctatum eſſe, cũ tamen non defuerint, qui aratores per uim ſpoliarint, & fraudibus defraudauerint. Atque hæc eſt de iudicij illius iniquitate tractatio. Tu de optimo.] Odium hoc concitat. illos enim maxime odiſſe ſolent omnes boni, qui uiros bonos, iuſtos & ſimplices affligunt: quibus titulis apud ueteres, agricolæ inſignes erant. Verum eſt æquius.] Reliqua argumẽta, quæ ſupra recenſuimus, interrogatione eloquitur. hæc enim uerborum exornatio, ad rei indignitatem indicandam confert. Iubet recuperatores.] Deſcriptio iudicij, qua oſtendit nihil hinc utilitatis aratores manſurũ: Recuperatores autem erant iudices, qui de bonorum iniq; ablatorũ recuperatione iudicabant. Reijcere pro eligere dixit: unde & reiecti iudices pro electis ponuntur, ut docet Aſconius. Viles autem et contemptos facit iudices, quòd canes eos nominat, concinna ſanè metaphora, utpote qui Verri nõ alia de cauſa quàm gulæ gratia adulabantur. O præclarum.] Ironia, qua iudicij illius iniquitatem proſequitur. Damnatus? immo.] Correctio eſt, quæ plus intendit orationis uehementiam, quàm ſi primo loco uehementior illa dictio poſita fuiſſet. Etenim q̃ eſſet.] Pulchra iudicij corrupti deſcriptio per ὑποτύπωσιν, quã alij ὑπογραφὴν uel διάθεσιν uocãt: quæ deſcriptio eſt Rhetorica, et oratio exprimẽs rem, perſonã, affectũ &c. Scripſit de hac multis Eraſmus lib. 2. de Copia rerum. Ineſt autẽ hic & Perſonæ deſcriptio, Apronij ſcilicet, quæ non minimas uires ad iudicij illius iniuſtitiam arguendam habet. Colluſio.] Ὀνοματοποιΐα hæc eſt. Hactenus enim facti, id eſt iudicij deſcriptionẽ poſuit. nunc genus eius exponit, & rei nomen dat, non tamen ſine incremento. Erit tamen in.] Alia eſt obiectio, quã ſe Verres agricolis non infenſum fuiſſe dicere poterat, q minorem aratoribus quàm decumanis pœnam conſtituiſſet, Falſo hoc inſtitutum fuiſſe Cicero docet, quia magiſtratus officiũ erat, ea ab aratoribus, quæ decumanus edixiſſet, exigere. Illa uero præclara.] Alium iniquitatis prætextum Verris habebat, permittendo, ut uter uellet, Recuperatores ſe daturum, ſi controuerſia incidiſſet. Duo hic reprehendit. Primo controuerſiam, id eſt, actionem, aut cauſam ciuilem nullam hic eſſe. Secundo, & ſi ſit actio ciuilis, hanc tamen optionem decumanorum propriam eſſe. Primum probat ex definitione actionis ciuilis, quamuis eam ipſam non ponit, partes tamen eius aliquas recenſet: quibus oſtendit cõtrouerſiam ciuilem, quæ in iudicium iuſtum uenire poſſit, nullam eſſe. Eius definitionem ex Hermogene petas licet. Cum autẽ in hac actione nec is qui debebat reus ſit, nec iuſtitiæ locus ſit, nec leges & conſuetudinis ratio ualeat, non immerito ciuilis actio hæc eſſe negabitur, & ἀσύστατον μονομερές eſt. Secunda partis reprehenſio à periculo probatur. nemo enim aratorum periculi adeo eſt amans, ut Recuperatores à te poſtulet. Huc autem ea faciunt, quæ ſupra de Recuperatorum iniquitate dixit. Et ſic primum illud Verrinæ legis caput confutatum eſt. Quid illos?] Tranſitio ad aliam legem, per interrogationem. Coniunguntur autem hic duæ leges, & utraque iniuſtæ eſſe conuincuntur, quia ſibi inuicem repugnent. hæc etenim uetat, illa iubet, imo cogit: ut huic legum contrarietati nõ alia ratione, quàm ſummo aratorum damno ſubueniri poſſit. Sed ad huius amplificationem eorum deſcriptio facit, contra quos maxime lata eſt, contra Equites ſcilicet Romanos, qui ſuo iure Apronij iniquitatem fugituros ſeſe ſperabant. Ex tempore.] Prima huius legis circunſtantia, quæ iniquitatem eius arguit, quia ſine ulla præmeditatione tulit, propria impulſus libidine,

quod cõtra legiſlationum rationẽ cõmunem eſt, αἱ γὰρ νομοθεσίαι (ut Ariſtoteles inqt) ἐκ πολλοῦ χρόνου σκεψαμένοι γίνονται. Q. Septitio.] Secũda circunſtãtia, ꝙ ob certas quaſdã perſonas legem hanc tulit: non (ut reuera eſſe debebat) uniuerſalem, ſed ſingularem. Vtraque ergo hæc contra legiſlatorũ ſolemnem conſuetudinem inſtituta ſunt, quæ deinde duobus nominibus egregie cõprehẽdit, dicens: Exoritur PECVLIARE edictũ REPENTINVM. Iam uero illud.] Alia lex, quæ non minus iniqua eſſe quàm ſuperiores, conuincitur argumentis ex pronunciatorum loco deductis. Lex. n. Hieronica, conſuetudo & iura inter pronunciata numerantur. Oſtendit, quæ nã aratores uexandi ratio inuenta à Verre fuerit: & certo exemplo rem incertam oſtendit, cum ex Leontino Lilybium uſque aliquem uocari poſſe docet, quæ loca cum inter ſe maximo interuallo diſtent, (Lilybæũ. n. promontorium uerſus Africam tẽdit, ſicut Leontini Italiam uerſus habitãt) manifeſtũ eſt, ſine aratorum ſummo damno hæc perfici non poſſe. Argumenti forma hæc eſt: Quæ contra leges, cõſuetudinem, iura & priuilegia Siculorum ſunt, non ſunt ſtatuenda: Lex Verris de uadimonijs promittendis, & legibus, & priuilegijs, cõſuetudiniq; Siculorũ repugnabat: Ergo non erat ferenda. Maiorem, ut & in alijs ferè ſemper, non ponit, quia notiſſimam. Minorem ponit, et amplificat. Aliud deinde ſubiungit iniquum, quo ſationum iugera profiteri aratores cogebat. Quid igitur eſt.] Concludit ea quæ hactenus dixit, uehementi uerborũ exornatione, quã ſubiectionem uocant. Seipſum. n. interrogat, deinde quid factũ ſit per reſponſionem exponit. Sed cum maximum aduerſarij argumentum aggreſſurus eſſet, attentionẽ parare neceſſe erat, quã pulchra circunductione cõſequitur, ſed de his dicturum promittens, quæ magis ad rem facere uidebãtur, ſi prius hanc partem explicauiſſet. Magno inquit, decumas.] Obijcit Verres: Quæ feci, Reipublicæ cauſa feci. uolui magno uẽdere decumas, ut maius hinc Reipublicæ emolumentũ maneret. Iniuſte eum feciſſe ſic demonſtrat Cicero. Primo, inique egiſti, quia non decumas, ſed bona et fortunas oĩs aratorum uendidiſti. Eſt hoc contra iuſtitiæ regulam: iuſtitiæ enim eſt, ſuum cuiq; tribuere. Probat hoc, quod cum plus quàm dimidias, non decumas uendidiſſe ait. Secundo, iniquum eſt, pluris uendere id, quod non licebat, quàm cæteri id quod oportebat. Tertio, oſtendit eũ nec innocentia, nec diligentia, nec ingenio ut hoc faceret conſecutũ eſſe. Innocentiam & ingenium argumẽtato ab anteactis ſumpto refutat: diligentiam per pronunciata diluit. Quarto, docet hoc eſſe cõtra conſuetudinem, quia nemo antehac fecerit. Quinto, exemplum Metelli adducit. Sexto, euentu & fine probat ꝙ inique, aſtute & pernicioſe Verres egerit. Quibus rebus.] Subiectio. Vide inter importunitatem.] Argumentum ab exemplo ſenatus, quod tractat cõparatione minoris ad maius. Iungit his quoque exempla Hortenſij, Pompeij & Marcelli. Quid effeciſti?] Ab euentu & fine docet, iniquiſſimã hanc legem fuiſſe, nec utilem quoq;: quia dum minus cõmodũ adipiſci conatur, maius perdidit. Succeſſit tibi L. In Metelli exemplo diutius immoratur, tum propter uiri huius dignitatem, tum quia à Metellis Verres defendi uidebatur. Hoc autem exemplo id probat quod ſupra dixit, Verrem agris ſuis aratores pepuliſſe. Verris etiã iniurias amplificat, quod contra omnem conſuetudinem & morem abſens accuſatus ſit à Siculis, quibus imperitabat. Non me Hercle.] Obteſtatio, ne affectibus commotus hæc dicere uideatur. Teſtimonium autẽ propriũ Cicero ponit, & oculatus teſtis eſt. Nã (ut Aſconius tradit) inquiſitionis tempus in Siciliam Cicero poſtulauit, & totam prouinciam colligẽdis in Verrem literis & teſtimonijs peragrauit. Quadriennio. Amplificatio à circunſtantia temporis. Ager ipſe.] Emphaſis & hyperbole rhetorica. Deſiderare ac lugere.] Metaphora ab animato ad inanimatum. Herbitenſis ager. Species eius nunc enumerat, cuius genus antea poſuit ſatis dictum eſſe uideri poterat, ſi Siciliam aratoribus deſtitutam per huius iniquitatẽ dixiſſet. Sed ut & ueritas rei, & huius negotij grauitas conſtaret plenius, recenſet primarios agros, qui huius iniuria ſuis aratoribus ſpoliati erant. Tu in tanta.] Popularem illũ non fuiſſe oſtẽdit, partium earũ enumeratione, quæ popularitati maxime repugnant. Addit poſtea argumentum à pronũciatis, cũ dicit ſe hac ratione uoluiſſe popularem eſſe, quam nec pop. Rom. nec Senatus mandauerit. Atque hæc perinde loquar.] Aliud diluit, quod obijci poterat: quod licet iniuſtum eſſet, leuius tamen eſt quàm hoc quod Cicero intendit. Dicerent. n. Gloriæ cupiditate cõmotus decumarum pretio omnes prætores priſtinos uincere uoluit. Hoc Cicero negat, hac ratione interim ad id à quo ſupra digreſſus erat rediens. Promiſerat. n. ſupra ſe oſtenſurum, lucri cauſa hæc à Verre inſtituta eſſe: id nunc exequitur. Quid ſi doceo.] Propoſitio hic eſt: Tu tui lucri cauſa tantum nefas, tantas iniurias & rapinas inſtituiſti. Cõiecturalis ferè hic actio inſtituitur coniecturis. n. probandum eſt, quo animo Verres fuerit: probatur principali ratione factorum, quia plus ipſe frumẽti reſeruauit, quàm pop. R. miſerit. Facultatem autem (quæ non minimum in coniectura caput eſt) probare non eſt neceſſe. per ſe etenim liquebat, Verrem in Sicilia fuiſſe potentiſſimũ. In uoluntate ergo probanda omnis actio conſiſtit. Primũ in hac demonſtrãda argumentum uel ſignum eſt, uox ipſa Verris, qui uno decumarũ quæſtu ſe omnia pericula redempturũ promiſit. Secũdum, è cõmuni hominum ſenſu deſumptum eſt: Nemo omnia iura et conſuetudinem omnium cum uituperatione ſine quæſtu mutare conatur. Tertium, à temporis circunſtantia & edictorum qualitate deducitur: Quia tum noua naſcebantur edicta, anno uidelicet tertio, quibus ad decumarum ſummã nihil, ad quæſtum autem eius multum accedere poterat. Quartum ſimile eſt ſecũdo: Nemo ſine quæſtu tantam infamiam, capitis & fortunarum periculum ſuſcipit. quæ propoſitio maior eſt. Minor: Tu tantam infamiam, capitis & fortunarum periculum ſuſcepiſti: Ergo tui quæſtus gratia feciſti. Maior licet non neceſſaria, probabilis tamen eſt. Rhetores enim non tam neceſſarijs quàm probabilibus rationibus utuntur. Nam & Ariſtoteles Rhetoricam facultatem eſſe ait, uidendi id quod in ſingulis actionibus probabile incidit. Et Hermogenes in tractatu de Statibus: Quod enim reuera (inquit) & uniuerſaliter honeſtum aut utile eſt, aut alia huiuſmodi inquirere, Rhetoricæ officium non eſt. Minorem uero Cicero probat, per Siculorum querimonias, & ipſius Verris teſtimonium, qui ipſe dixerat ſe reum fore. Concluditur ergo, hæc tanta pericula, infamiam & turpitudinem, illum nunquam ſuſcepturum fuiſſe, niſi maximum hinc quæſtum habuiſſet. Atqui hoc erat, quod ſupra ſe declaraturum eſſe promiſerat. Etenim quoniam ſummam.] Hactenus quid innouauerit, quas iniquas tulerit leges, & quod ſui lucri gratia hæc fecerit, oſtenſum eſt. Nunc ſingillatim iniurias Siculis & Romanis ciuibus illatas recenſet, in quibus circunſtantiarum rationes & amplificationum modi diligenter conſiderandi ſunt. Exempla Siculorum quinque, Romanorum duo adfert: quorum poſtremum mira narrationis uenuſtate, circunſtantiarum amplificatione, & uerborum exornatione commendatur. Hæc omnia autem ad hunc ſcopum referuntur, ut eum ne Romanis quidem æquiorem quàm Siculis fuiſſe oſtendat. Iſte ciues Romanos?] Interrogatio cum indignatione, cui per ſubiectionem ipſe reſpondet. Mitto uincla.] Occupatione Verris facinora & crudelitatem in Romanos recenſet. Facit autem hic enumerandi modus plurimum ad indignitatem rei demonſtrandam. plus enim in ſuſpicione relinquit, quàm uerbis dictum ſit. Clara res eſt.] Quoniam exem-

*plum hoc illuſtre & horrendum etiam erat, iudicum animos breui attentionis formula conciliat, ut rem tantam, tam atrocem, diligentius perciperent. Nam (ut Rhetores tradunt) non modo in exordijs, ſed in tota oratione, beneuolentiæ, attentionis & docilitatis ratio habenda eſt.* Iam ne intelligitis.] *Concluſio exemplorum. Opponuntur hic non ſine maxima ἐνεργείᾳ, peſtis & immanitas. atque antiquiſſima, fideliſſima proximaq; prouincia. Antiquiſſima autem prouincia dupliciter dici poteſt, uel pro nobiliſſima: ut uirtute nihil antiquius dicere ſolemus, pro eo quod eſt nobilius, quod & apud Græcos inuenitur, apud Platonem enim πρεσβεύειν pro honorare dicitur: & οὐδὲν ἐστι πρεσβύτερον, pro eo quod οὐδὲν τιμιώτερον. Vel etiam ad tempus referri poteſt. nam ut Cicero in initio quartæ Verrinæ teſtatur, Sicilia prima omniũ prouincia appellata eſt.* Tot hominum antea.] *Quot tyrannis Sicilia olim afflicta fuerit, multi hiſtorici tradunt, in primis autem Valerius Max. lib. 6. cap. 2. in exemplo mulieris cuiuſdam Syracuſanæ, quæ cum omnes Dionyſij tyranni Syracuſani exitium expeterent, ſola ut incolumis eſſet orabat. Et à Dionyſio hanc non debitam ſibi beneuolentiam admirante, arcerſita & rogata, ſemper peiorem malo, & peiori peſſimũ tyrannum ſuccedere, ſe iam olim animaduertiſſe dicebat. cupere ergo, cum hoc præſenti infortunio quàm diutiſſime cõflictari, ne crudelius forte experiatur. Vnde apparet fatale quodammodo fuiſſe, Siculos tyrannorum libidini ſuccumbere.* Tot homines.] *Impudentiam Apronij ſingularem ipſorum iudicum exemplo comprobare nititur, cum ait nullũ ante hac huic ſimilem à quoquam uiſum eſſe.* Hæc tu omnium.] *Vehemens apoſtrophe ad C. Verrem. in qua idem argumẽtum quod ſupra poſitũ eſt repetitur. Sine quæſtu ſuo hæc nunquam Verrem admiſiſſe.* Et tantum.] *Inuidiam, odium & contemptũ Verri hæc pariunt, ne iudices de hoc ualde ſoliciti ſint, qui ipſe Apronij turpiſſimũ cõmercium ſalutis ſuæ ſtudio prætulerit.* Quæ ſi Athenio.] *Exemplo amplificat Verris crudelitatem. Fuit autem Athenio dux ſeruilis belli, quod Siciliam plus quàm Punicum bellum uaſtauit. uide Florũ lib. 3. cap. 19. meminit huius obiter App. lib. 1. de bellis ciuilibus.* Priuatim hoc modo.] *Quid in priuatos homines cõmiſerit Verres, hactenus multis oſtenſum eſt. grauiora nunc ſequuntur, qualis ſcilicet in publicis inferẽdis iniurijs ipſe fuerit: ut hinc manifeſte pateat, eum nõ minus Reip. Siculæ, quàm priuatis quibuſdã infenſum fuiſſe. Ponuntur autem huius rei exempla uel teſtimonia decẽ & nouem, quæ nunc ordine recenſebimus. Primum exemplũ Agyrinenſium eſt, quos non minus crudeliter quàm iniq; Verres tractauit. Probatur hoc, ut & ſequentia ferè omnia teſtimonijs legatorum & publicis Agyrinenſium literis. Additur & teſtimoniorũ cõmendatio. Secundũ, Herbitenſes citantur, quos ſcortorum cauſa iniquiſſime afflixerat. Scorta erant, Pippa, & Tertia Iſidori Mimi filia. Pippæ maritus Aeſchrio, Tertiæ tutor Docimus fuit. Hiſce duabus Herbitenſium agrum miſere uexandum propoſuit, non alia cauſa quàm fœda impulſus libidine. Odium aũt Verri conciliat, quod Perſarum reges & Barbarorum ipſum imitatum fuiſſe tradit. Sed in ipſo exẽpli initio docet, quàm iniquum hoc fuerit, à perſona Herbitenſium & Verris officio. Concludit exẽplo L. Syllæ, quod mire amplificat cõparatione maioris ad minus. Tertio, Segeſtenſes ponuntur, quas Tertiæ meretricis cauſa afflixit. Publicas mutauit tabulas, de uectigalium neruis detraxit & donauit Tertiæ. Probatur hoc teſtimonio publico. Quarto, minorũ urbium exẽpla ponũtur, ut eum ne minimis quidem pepercisse conſtet. Liparẽſes per A. Valentiũ afflixit, quod idem publico teſtimonio probatur. Quinto, Tiſſenſium numerantur iniuriæ, qui plus quàm arauerint, dare coacti ſunt à Diogneto decumano. Probatur & hoc ut ſuperiora. Concludit per apoſtrophen ad Verrem, quæ eius iniquitatem & rerum confuſionem oſtendit. Sexto, Ameſtratini duobus annis ad maximas decumas etiam pecuniam addere coacti ſunt. Concludit non ad decumanos, ſed ad ipſum prætorem prædam hanc deueniſſe. Septimo, Petrini quoque pecunias dare coacti ſunt Turpioni homini turpiſſimo, antea iniuriarũ dãnato. Octauo, Halycienſium iniuriæ recenſentur. quibus oſtendit, licet nihil ad ſe huius præda perueniſſet, Verrem tamen ſupplicio dignum, qui tantũ ſeruis permiſerit. Nonum, Segeſtenſium eſt, qui extra forum uadimoniũ dare coacti ſunt. Hoc iniquum eſſe, ipſius iuridicialis ſtatus capitibus probatur, quia cõtra iura & leges. Sed aratorũ uexationes exponit exẽplis duobus, Dioclis ſcilicet, et Annei Brochi Senatoris. Poſtremũ autem hoc mire amplificat exemplis aliorum. Sententia generali indicat, quàm minime ferenda ſit cõtumelia Senatorio ordini illata. Commonitionem poſtea ponit, qua Senatores terret, ne tantum ſui contemptum ſibiipſis concilient. Cauſam ponit, quia per ſe inuidia uentis ordo ueſter expoſitus eſt. Decimum Thermitanorum exemplũ docet, quantum prædæ ex horum agris ablatum ſit, cũ Venuleio, qui decumas emerat eas nõ permiſerunt. Probatur & hoc publicis Thermitanorum tabulis. Vndecimum Imacharæenſium eſt, qui omni frumento ablato tributum ferre coacti ſunt. Probat ipſo decreto tributi, & teſtimonio publico. Duodecimũ Ennenſiũ eſt, qui plus dare ſunt coacti, quàm decuma uendita ſunt. Sed in huius exempli tractatione attentionem ſibi parat, & docilitatẽ, ne in una orationis forma diutius inhærentem moleſtius ferrent, ne ue ignorarent ad quẽ ſcopum hæc deberent referri. Decimotertio Calatinorũ exẽplo docet, Verrem contra morem publicum, cõtra iura, contra ſua ipſius deniq; inſtituta egiſſe. Decimumquartũ, quod Muticẽſium eſt, indicat, hos à Theomaſto ſic uexatos, ut ad decumas omnes perſoluendas triticũ emere coacti ſint. Decimoquinto Hyblẽſium, oſtendit ſexies tantum ablatum eſſe, quàm quantum ſatum ſit. Probat hoc literis publicis. Decimumſextum, quod Menenorum eſt, huic ſimili modo cõnectitur. Probatur literis publicis. Subiungit pulchram à Romanorum officio & Siculorum perſona commotionem. Addit deinde aliam beneuolentiæ & attentionis formulã. In decimoſeptimo plurimorum agrorum uexationes coniunguntur, ut uehementius iudicum animos tot agrorum catalogo commoueat. Proponit quid poſtea dicturus ſit, de duorum ſcilicet agrorum miſerrimis afflictionibus. Et primũ quidẽ illud, quod in hoc ordine decimũoctauum eſt, Aetnenſium exponit iniurias mira uerborũ amplificatione. Probantur hæc omnia Aetnenſiũ teſtimonio, & Centuripinorum teſtibus, quorum commendatio ſubiungitur. Decimumnonum exemplũ Leontinorum eſt, in quo cũ & publico Leontinorum teſtimonio, & literis tabulisq; Apronij deſtitueretur, ne ea res ſibi fraudi eſſet, cauſam præmittit, quæ, quo minus teſtimonia hic nanciſci potuerit, obſtitit. Deinde ex iugerum cum decumis comparatione docet, quantũ à Leontinis ablatum ſit per fraudem et iniquitatem, cum tamen ſummo affecti beneficio uiderentur. Subiungit breuem de numerorũ additione diſputationem, quam iniquam eſſe docet argumẽtis ex Pronunciatorum loco ductis, quia neque exemplo cuiuſquam, nec iure fecit. Deinde & finem huius exactionis iniquũ eſſe docet, quoniã hanc pecuniã nõ in ærariũ retulit. Hæc itaque ſunt exẽpla, quibus Verris iniquitatem, auaritiam crudelem, et effrenẽ libidinem taxat. Timens autẽ Cicero, ne iudices utilitatis rationibus perſuaſi, has honeſti rationes negligerent: ut omniũ ſatiſfaceret obiectionibus, Verrẽ non modo iniq;, ſed pernicioſe Præturã ſuã adminiſtrauiſſe docet. Abſtulit quidẽ frumẽti plurimũ, Romã miſit, urbẽ impleuit, populo res gratiſſima fuit: hoc tamen egit interim, ut Sicilia aratoribus deſtituta, in poſteros annos omnem ferè frumenti copiam negaret. Exemplum ponit factum, quo oſtẽdit quàm iniquum ſit hoc modo agere. Secundo docet*

*dũ docet hoc ſic actum eſſe, & id exemplis nonnullorum agrorũ probat, qui maxima aratorũ parte deſtituti erant. Habemus ergo hoc exemplorum catalogo, hanc Verris adminiſtrationem & iniquam & pernicioſam fuiſſe.* Priuatim hoc modo.] *Tranſitio per interrogationem, ad publicas iniurias.* Populo fideli.] *Ad iudicum animos cõmouẽdum, hoc Agyrinenſium encomium facit.* Breuiter.] *Attentionem parat.* Agyrinenſis.] *Horum laudes celebrat, quibus iniurias illatas eſſe oſtendit. Vehementiam autem habet tacita illa & occulta ſignificatio, qua dicit, Hominum ante hũc prætorem locupletiũ. Hæc enim oſtendũt, ipſos à Verre eſſe ſpoliatos.* Minis ac ui.] *Vehemens Apronianæ libidinis expoſitio, quæ docet, quales nã eius apparitores fuerint. Odioſum hoc facit Verrẽ. Omnis enim poteſtas, nedum uis, odioſa eſt.* Iſtum.] *Scilicet Verrem. huius enim agebatur negotiũ.* Hac lege.] *Interponuntur hæc Agyrinenſium exemplo, ut Verris iniquitas & aratorum miſeria clarius eluceſcat.* Et diſſimulat.] *Conceſſio ſeu permiſſio quædam, huic loco maxime idonea. quia ſecuritatem animi noſtri, confidentiam accuſatoris, & cauſam rei iniquam ex hac iudices intelligunt, cum nos non rationibus magis, quam ipſorũ ſententijs, omniumq; cõmuni conſenſu inniti uidẽt.* Imperat Agyrinenſibus.] *Verrem iniquis rationibus ui, et imperio pecunias ab Agyrinenſibus corraſiſſe docet. Argumentatur à definitione hoc modo: Vi & imperio cogere inuitos ut lucrũ dent alteri, eſt pecunias contra legem capere: Verres ui & imperio Agyrinenſes inuitos Apronio lucrum dare coegit: Ergo Verres contra legem Agyrinenſium pecunias abſtulit. Maiorem per interrogationem effert. Minor per ſe manifeſta eſt: nam hactenus hoc exemplo non aliud, quàm huius minoris comprobationem ponere conatus eſt.* Magna prædia.] *Attentionem renouat.* An hæc obſcura.] *Teſtimonia, quibus quæ hactenus dicta ſunt, probantur. Concludit hoc exemplum minis, hoc modo: Vnica hæc Agyrinenſibus illata iniuria te condemnare poſſet: Sed etiam aliarum urbium incommoda recenſebo.* At quorum hominum?] *Encomiũ Herbitenſium, quo Verris iniquitatem magis amplificat. Argumentum ſumitur ab Herbitenſium perſona, uel (ut Dialectici uocant) à ſubiecto. Herbitenſes.n. ſunt quaſi ſubiectum iniuriarũ earum, quas ipſi pertulerunt.* Quibus parcere.] *Ab officio Verris, ſeu cauſa finali prætoris.* Primo anno.] *Duorum annorum iniquam exactionem decumarũ eſſe oſtẽdit, quod plus lucri dare coacti ſint, quàm decumæ uenierint. Tertij anni iniurias, quia magis iniuſtæ et grauiores ſunt, copioſius tractat.* Vnus adhuc fuit.] *Exemplo Syllæ docet, iniquã illã de capite remiſſionẽ eſſe. Tractatur comparatione maioris ad minus. Comparantur autem inter ſe, uiri fortiſſimi & mulieris deterrimæ: Sylla, cuius uoluntas pro lege erat, & Verris libido, quæ omnibus legibus implicata tenebatur: pecunia acquiſita, et populi Romani uectigalia. De Syllæ porrò monarchia, præter Plutarchũ multa quoq; ſcribit Appianus lib. 1. de Crudelitate eius Valerius Max. lib. 9. cap. 2. Florus multis in locis, & cap. 5. libri quarti.* Ad peculatus iudicium.] *Peculatus, rerũ publicarum furtum eſt. Sed Verres cum ea quæ publica erãt ui rapuiſſet, peculatus iudiciũ ſuſtinere cogebatur.* Qui cum.] *Hactenus celebrium agrorũ exactiones expoſuit, nunc minores perſequitur. Lipara autẽ inſula eſt iuxta Siciliã, una ex ſeptem Aeoli inſulis, aut (ut alij uocant) Vulcanijs uide Melam lib. 2. cap. 7. Solinum cap. 12. Defenſionem huius facti nullam eſſe, dilemmate cõuincit. Si. n. eo minoris ſe decumas uendidiſſe inquit, ut eo magis lucrũ reciperet: peculatus reus fit, quia publica bona imminuit, ut priuatum lucrum augeret. Sin maximo ſe decumas uẽdidiſſe ait, inſignis iniuſtitiæ arguitur, qui per ſe magno uẽditis decumis tãtum lucrum addidit.* Etiam ne hæc.] *Vehemens concluſio, à circunſtantijs ipſius inſulæ Liparæ amplificata.* Quæ eſt iſta præda?] *Repetitio, ſeu ἀναφορὰ. quæ ſi interrogatione commixta fuerit, plurimum habet uirium. Notãdum etiam hoc loco orationis incrementum, quo ſemper lenius uocabulum hoc quod grauius eſt ſubſequitur: ut præda, uis, direptio. Inſuper tota huius exẽpli expoſitio ſermocinatione, uel διαλογισμῷ uariatur.* Venerio ne ſeruo.] *Amplificat exemplum Annei Brochi per cõparationem, & inſtituta maiorum, qui equeſtrem ordinem, nedum Senatorium, maioris dignitatis eſſe uoluerunt. Addit huic aliud exemplum C. Caſij, ut appareat ſe nõ in uno ſaltem Anneo Senatorium ordinem uiolauiſſe.* Attendite iudices.] *Breuis attentionis formula à circunſtantijs loci, temporis & perſonæ ipſius Apronij.* Nihil de luxuria.] *Occupatio per ὑποφορὰν.* Per deos.] *Exclamatio uehemens, rei indignitatem demonſtrans.* Quæſtum ſiue adeo.] *Correctio, quam Græci ἐπανόρθωσιν uocant.* Proh dij immortales.] *Comparatio à minori ad maius.* Iam uero ſi Siculorum.] *Cõmunem facit Siculorum cauſam cum cauſa Reip. Facit hoc multum ad perſuadendum. non enim utile modo, ſed & honeſtum uidetur, Rempub defendere. Obijci autem poterat: fruſtra hæc & falſo clamitas Cicero. Siciliam exinanitam eſſe ais: quod nõ tui, ſed Metelli, qui huic prouinciæ ſucceſſit, officij eſt. Falſa itaq; hæc uidentur, cum is nihil conqueratur, qui hoc maxime debebat. Reſpõdet Cicero per παράλειψιν, & permiſſionem. Primo enim hanc obiectionem ceu leuem & inanem, nihilq; ad rem pertinentem repellere conatur, argumento à Metelli perſona ſic ducto: Amici contra amicos teſtimoniũ non ferunt: Metellus Verris amicus eſt: Ergo Metellus contra Verrem teſtimonium non fert. Maior patet per ſe. ueræ. n. amicitiæ fructus non niſi in capitis periculo percipiuntur. Minor probatur ex factis ipſius Metelli: quia multos ne contra hunc teſtarentur prohibuit. Secundo concedit hoc quod aduerſarij obijciebãt, & παράλειψιν hanc omittit. Sed hanc ipſam obiectionem in Verris iugulum reflectit, oſtendens Metellum ſuis literis ad Coſſ. datis contra Verrem teſtimonium tuliſſe. Literarum ſenſum interpretatur. Argumentatione ducente ad abſurdum aut impoſſibile (ut uocant) utitur ſic: Si Metelli non creditis epiſtolæ, aut Metellum falſa ſcribere, aut amicum lædendi cupidum eſſe, aut prætorẽ qualis prouincia ſit ignorare putabitis. Si horum nullum in Metellũ competit, quia integer, amicus, et prouinciæ ſtudioſus: Ergo literis eius credendum eſt. Et hoc modo totũ ferè negotiũ peractũ eſſe uidetur. Si enim illi nõ aliud q̃ Metelli teſtimonium quærebant, hoc præſente aliud quod cauſarentur nõ erat. Notandũ autem eſt, quanta uerborũ uarietate per ſermocinationem Metelli teſtimoniũ citet, quo auditorũ animos ad hoc audiendũ, et quaſi ad caput cauſæ cognoſcendũ attentiores redderet. Eos etiam nominat, ad quos literæ ſcriptæ ſunt, ut certior illis fides haberi poſſit. Non enim ſcriptorem modo & rei ſcriptæ materiam, ſed etiam eum ad quem ſcriptum aliquid eſt, in epiſtolis conſiderare oportet.* Qui reliqui?] *Breuitas hic mira, ſed magna latens ἔμφασις ineſt. Synecdoche eſt. ex conſequentibus enim intelliguntur præcedentia. Reliquos enim aliquos eſſe dicere non poſſumus, niſi aliquos ſublatos eſſe intelligamus. Licet autem non eo fortaſſe animo hæc Metellus, ut Verri detrimẽto eſſent, ſcripſerit: hinc tamen quod res ipſa eſt Cicero colligit. Si reliqui quidam ſunt, alios aut fame, aut bello perijſſe aut aufugiſſe neceſſe eſt: Sed nec fame nec bello pulſi ſunt, nec interierunt: Tua ergo iniquitate pulſi ſunt. Et hoc modo unica hac dictione omnem Siciliæ uaſtitatem, urbium deſolationes, agrorum deſerta, aratorumq; luctus comprehendit. Sicut Vergilius uniuerſam Troiæ ruinam abſoluit dicens, Et campos ubi Troia fuit. Per exempla autem hoſtium Verris crudelitatem amplificat, qui Siculis plus quàm crudeliſſimi hoſtes nocuerit.* Peſtis.] *Amplificatio. Adiectiui loco ſubſtantiam ponit, peſtem ſcilicet pro peſtilenti.*

Aratorum, inquit, penuria.] Alind nunc æque uehemens nactus, ſimili modo tractat. Sed quo fortius feriret ad·erſariū, præcedentia repetens, per συναθροισμὸν omnia huc colligit, nō ſine magno uerborū incremento. Addit deinde argumentationē à minori ad maius, quæ ab utili, et reip. cōmodo deducta eſt. Ac ne miremini.] Ne hyperbolice nimis de Verris facinoribus dicere uideretur, comparatione maiorū facinorum hæc minora, quæ hactenus poſuit, uera eſſe demonſtrat. Mirū ne ſi tot profugerunt, cum multi ſibi mortem conſciuerint? Hoc exēplis probat. Concludit recepta & certa ſententia, quam & ſupra poſuit, hæc Verrem ſine maximo quæſtu unquam inſtituiſſet. Quid illud perpeterere.] Rem grauem, quam & ſuperius attigerat, nūc abſoluere aggreditur. Attentionis igitur captationē præmittit. Propoſitio eſt. Verres decumanorum fuit ſocius, & ad hunc omne ex decumanorum uenditione lucrum peruenit. Primo hoc probat teſtimonijs decumanorum, et in primis Apronij, quem tamen certum erat nihil niſi coactū dicturum fuiſſe contra Verris ſalutem. Concludit hinc: Niſi uera dixiſſent, tu tam atrocem non tuliſſes iniuriam. Obiectio autem eſt: Hæc clàm me fecerūt, non audiui hæc, nec quiſquam ad me retulit. Falſam hanc obiectionē eſſe docet exemplis Siculorum, Romanorū, & altero Apronij teſtimonio, quod palàm corā ipſo prætore & ante tribunal eius dictum eſt. Subiungit huic Imperatorū exemplū, qui Collegas ſuos magiſtratu pepulere, ſi auctoritatem ſuam horum uitijs aut incuria obfuſcari uidebāt. Secundum quod huic obiectioni reſpōdet, exemplum Scādilij eſt, quod pulchra uerborum uarietate Cicero tractat: Scandilij integritatem & fortitudinem, Verris contra tergiuerſationem et iudicij metum, quem abſurdum fuiſſe mercatorū exemplo oſtēdit. Poſtremo Verris iniquitatem & commercium, quod cū decumanis habuit, cōuincit inde, quod Apronium, qui omni cruce dignus erat, muneribus honorauerit Concludit deinde, Verrem decumanorum ſocium fuiſſe: nec hoc crimen à ſe aut alio inimicorum excogitatum, ſed iam olim dum Prætor erat uulgatū fuiſſe. Pecunia redimere.] Nam, ut ſupra ex Plutarcho docuimus, pecunia & iudices & alios quoq; Verres oppugnabat, quoniam ſolēni & iuſto iudicij proceſſu ſe abſolui nō poſſe intelligebat. Quærebant cum luctu.] Subiectio iucunda, quæ oſtendit Verrem hæc ignorare non potuiſſe. Hæc te uox nō.] Ἀσύνδετον ſeu diſſolutio, ut auctor ad Herennium uocat. Habet autem hoc ſchema & acrimoniæ multum & ad breuitatē ualde accōmodatum eſt. Cum enim iratos nos eſſe & cōmotos oſtendimus, inciſis maxime utimur. Hæc autem magis intendūtur exclamatione, quæ ſequitur. Quid eſt hoc?] Expolitio exempli ſuperioris, per uerborum & tractandi uarietatem. Quæſtores.] Multa de his Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. Spectata autem apud oēs nationes fuit diſciplina militaris Romanorū, qua quandiu floruerunt, tandiu imperij ſui caput extulerunt. Hæc enim efficiebāt, ut nō modo miles, ſed ne collegæ quidem Tribuni, Quæſtores, & Præfecti, Imperatoris edictum contemnere conarentur. Nam, ut Valerius tradit, Q. Fuluius Flaccus Fuluium fratrem Tribunum militum, quòd cohortem ſuā domum mittere iniuſſu Conſulis auſus erat, magiſtratu mouit. Papirius quoq; dictator, cum Fabius Rutilianus equitum magiſter Samnites proſpero prælio fugaſſet, ſecures tamen expediri et ipſum denudari iuſſit, q contra ſuum edictum cū hoſte eſſet congreſſus, de quo uide Liuium lib. 8. Decadis primæ, &c. Hinc autē Verris diſſoluta diſciplina colligitur, qui plus ſuis decumanis cōceſſit, quàm collegis ſuis Imperatores promittere ſolebant.

Verum ut iſtos.] Hortatur iudices, & officij ſui admonet. nō.u. ignorabat, aliquot eorum muneribus corruptos eſſe. Verū ne auaritiæ libido plus uiriū q æquitatis et iuſtitiæ obſeruantia haberet, breui repetitione omnia quæ hactenus dicta ſunt adducit, ut omnia ea in unū locum coacta, uehemētius cōmouerēt iudicum animos. Argumenta habet ab honeſto ducta. Poſtremo Albæ teſtimonium profert: quem cum Verris amicus eſſet, non recuſat iudicem habere Cicero, ut animi ſui in hac cauſa ſecuritatem & Verris immenſam iniquitatem oſtenderet. Verum hoc, ut opinor.] Summum defenſionis caput cōuincere aggreditur. Obijciebat Verres, ſe populi Romani cauſa magno decumas uendidiſſe. Et in hoc ſummam ſalutis ſuæ conſtituebat: è re enim populi erat Quod unico tantum exemplo falſum eſſe Cicero oſtendit. Syllogiſmus eſt: Qui pluris uēdere poteſt, nec uendit, is magno uendere non ſtudet: Tu Leontini agri decumas pluris uendere potuiſti, nec uendidiſti tamen: Ergo ut magno uenderes, non ſtuduiſti. Maior nota eſt, & è cōmuni hominum conſenſu ſumpta. Minorem pronunciatis teſtium probat. Concludit hinc non modo id quod intendit, ſed & alia, quæ antea quoq; tractauit. Primo, Verris hoc fuiſſe negotium conſtat, quia Apronio minori uēdidit pretio, quoniam totum ſe ab illo auferre poſſe non ignorabat, à Minutio præter decumas nihil recepiſſet. Secundo, ingentis prædæ ſpes & ſtudiū hic fuit apud eum, qui tantū præſens lucrum tam facile neglexit. Tertio, non Hieronica lege, nec decumas tantū, ſed aratorum fortunas uendidiſti. Minutius enim tanti non emiſſet decumas, niſi tuis legibus plus inde ſe auferre poſſe cognouiſſet. Et huic poſtremo ſecundum illud denuo iunectit comparatione quadam, quæ oſtēdit quantum hinc lucri habuiſſet: cui quiduis permiſſum erat, ſi is qui minus poterat, tantum lucrum inde ſperabat. Concluſio eſt uehemens, qua ceu uictor Verri inſultat. Quid ſi hæc.] Actionem decumarū ualidiſſimis teſtimonijs cōcludere nititur. Validiora autem ſunt nulla ijs, quæ ab amicis contra amicos dicūtur. In his enim nulla inuidiæ, odij, aut ſimultatis ſuſpicio eſt & nemo quin ueriſſima ſint dubitat. His ergo Cicero utitur. Ne autem nimia uerborum copia obtunderet, duobus cōtentus reliqua omittit: quorum alterum L. Metelli grauiſſimi uiri eſt, qui tamen Verri beneuolus erat: alterum Timarchidis eſt, qui Verris accenſus erat. Primum quidem non è uerbis, ſed ex Metelli factis petitur. Is enim dū Apronium condemnare nō uult, ne præiudicium contra Verrē ferat, teſtatur hoc facto Apronij cauſam eandem eſſe cum Verre. Secundum uero ex Timarchidis literis profertur, quibus Apronio Verris negotia commēdat, monet, hortatur et inſtruit, quæ ſingula ipſe interpretatur. Nō paruam autem ſpem de Metelli filio Verres conceperat, hunc ſcilicet pecunia corrumpi poſſe, ut cauſam ſuam apud patrē defenderet. Hoc Cicero uanum eſſe oſtendit, ab ipſa filij perſona. Occaſione etiam tam idonea data, de Verris filio quædam adijcit, quibus Verris iniquitatem et perniciem docet, qui nō modo ipſe pernicioſus ciuis ſit, ſed etiam pernicioſum filium relinquat. Et hæc eſt concluſio eorum, quæ de decumano frumento in hac oratione diſputantur, quæ prima contentionis pars eſt. Sequitur empri frumenti tractatio. Sequitur ut de.] Secunda orationis huius pars, de frumento, quod à Siculis emi oportebat, diſputat. Iniunxerat autem Senatus Verri, ut è publica pecunia frumentum emeret, & Romam mitteret. Hoc quanta cum fraude adminiſtrarit, ſatis copioſe explicat. Attentionem præmittit, cum ſe de magnis rebus & breuiter dicturum eſſe promittit. Narrationem ſubiungit, quæ Senatuſconſulti ſententiā & emendi modum continet. Propoſitio principalis eſt: Tu pecuniam publicam ad domum tuam auertiſti. Tria furtorum genera fuiſſe docet: Binis centeſimis fœneratus es, pro frumento multis nihil ſoluiſti & multa ijs quibus ſoluebas detraxiſti. Primum genus teſtimonio Vectij equitis Romani probat. Concludit dilemmate: Aut negabis, aut licitum eſſe docebis: Sed neutrum potes facere: Iure ergo damnaberis. Secundum genus, quod non ſoluerit, probat Haleſinorum teſtimonio: Frumentum improbauit, ut pecuniam poſſes exigere. Inique improbatum eſſe docet,

communi

communi axiomate: Nihil ſimul bonum & malum eſſe poteſt: Frumentum Siculum cum decumanæ, darentur, bonum erat et iuſtum: Bonum ergo erat cum emeretur. frumentum enim idẽ eſt. Secundum, quo iniquitatem oſtendit, eſt, quod non modo non dedit quod debebat, ſed quod non debebat abſtulit. Probatur id literis publicis. Obijcere Verres poterat, nõ ſe, ſed mancipes ſuo feciſſe. Sed cum ſtultum magis hoc ſit, quàm ualidũ, à Cicerone eluditur. Subijcitur generalis ſententia de peccandi conſuetudine, & anteacta uita Verris, ut eius improbitas magis pateat. Tertium iniquitatis argumentum eſt, quod ex uno eodemq; frumẽto multiplicem fructum habuit. Probatur, quia ab Apronio ſuo proprium frumentum emit. non enim aratores multi, quod ei uenderent, habebant. Deinde tertium furtorum genus ſequitur, de pretij detractione. Dilemma ponit: Detrahere licitum eſt, aut licitum uon eſt: ſi licitum eſt, ad populum hoc quod redundabat referendum erat, præſertim in tãta ærarij anguſtia: Sin licitũ non eſt, nemo uon uidet quàm iniq; hoc à tuis ſcribis factum ſit. Inuehitur in ſcribam, & de his copioſius diſſerit: & quàm iniquum ſit, ſi hoc concedatur, Catonis exemplo demonſtrat. Poſtremo quàm iniquis muneribus ſcribam honorauerit, argumentis ex conſuetudine ſeu pronunciatis (ut Dialectici uocant) deductis docet. Et hæc omnium eorum ſumma eſt, quæ de empto frumento hic tractantur. Dictum iudices eſt.] Vltima cõtentionis pars, frumentũ æſtimatum continet, cuius principales partes hæ ſunt. Vſitatum Romanis fuit, ut à Siculis aratoribus frumentum, quod in cellam recõderetur, per pretorem exigerent. Cum autem (ut fieri ſolet) multi aratorum frumentum aut commode dare, aut facile aduehere uon poſſent, nonnulli pretorum tantum pecuniæ, quanti frumentũ tum uendebatur, ab aratoribus, quibus hoc beneficij loco erat, accipiebant. Proceſſit tandem auaritia pretorũ longius, ut cellam frumentariam in remotiſſima queq; loca trãſponerent, quo maiorem æſtimationem poſſent iniungere. Quos Verres ſecutus, ſingulari ſua auaritia incitatus, pluris æſtimauit frumentum quàm uſquam uenderetur, preterea plus multo quàm oportebat abſtulit. Tractatur hoc factum à Cicerone grauiter, quoniã etiam alij in hanc cauſam trahi uidebantur. Verres enim quod negaret non habebat: Iniuriam hanc nõ eſſe, dicere nõ poterat. Refugium itaque huius unicum erat hoc, quod & alij idem feciſſent. Concedit Cicero, multos id feciſſe, uiros bonos, ſed tanti quanti uẽdebatur æſtimauiſſe: Verrem autem omnes iuſtæ æſtimationis limites tranſilijſſe. Magnam præterea defendendi copiam facit, ut uel hinc huius ſceleris improbitas pateret. Hiſce pulchra ſermocinatione modum æſtimandi enarrat: cuius concluſio eſt, aratorum fortunas euerſas, & horum inſtrumenta quoq; dilapidata eſſe, quoniã prioribus iniurijs exinaniti nou habuerint, ut hanc æſtimationẽ perſoluere poſſint. Hoc immerito factũ eſſe, tribus iudicialis generis argumẽtis oſtendit, mira breuitate, ſingulis uerbis ſingula argumenta abſoluens hoc modo. QVOMODO? QVO IVRE? QVO EXEMPLO? Quæ tria nec conſuetudinem obſeruatam, nec legibus ſatisfactum, nec exemplis hoc probatũ eſſe conuincunt. Poſſunt autem hoc loco exempla inter iuris caput numerari, quod auctor ad Herennium iudicatum uocat. Deinde quàm incommodum ſit, aratorem numos dare, ab effectis aratorum oſtendit: quoniam non numi, ſed frumenta aratoribus quæruntur. Præterea tantam hanc iniquitatem, tantum incommodum fuiſſe docet, ut frumentum gratis in cellam dare aratoribus utilius fuiſſe: quod teſtimonio Soſiteni Entellini probat. Secundo, ut concedat hanc æſtimationem licitam fuiſſe, non tamen Verris hanc ſed populi fuiſſe docet. cui Verres quod obijceret non habebat, præter quàm quod prouinciæ hoc intolerandum eſſe aiebat. Hunc ſuo gladio Cicero iugulans, etiam ſuum factum intolerandum fuiſſe docet, cum non grauitate iniuriæ, ſed pecuniæ magnitudine à publico illo facto differat. His Sophoclis teſtimonium ſubijcitur. Hac interim æſtimationis tractatione, cũ à propoſito ſuo digreſſus aliquantum eſſe, commoda electione (quã Hortenſio concedit) ad inſtitutum reuertitur, exemplorum ſcilicet aliorũ multitudine Verrem non poſſe abſolui. Primum quo diluit obiectionem eſt, q multa in Verre ſint ſingularia facinora, & ob id aliorum exẽplis illum non liberari. Secundo, peccantium multitudo non abſoluit. Tertio, hunc damnare utile erit. ſic enim improbi minus poterunt. Quarto, miſerum hoc eſt, ſi prætorum iniquorum multitudo eorũ iniquitatem impunem reddit. Quinto periculoſum erit. Sexto, iniquum eſt, nec ipſi hoc probare poteſtis. Septimo, duo proponit, ut utrum melius ſit eligat: An propter multos uni parcẽdum, aut unius damnatione multorũ iniquitas coercenda ſit. Quid ſit eligendum, iudicis officiũ docet, quod iniuſtitiæ pœnam, iuſtitiæ præmium conſtitui uult. Octauo, exempla hæc ad defendendum inutilia ſunt: non enim auctoritatem habent. Quæcunq; enim damnantur per ſe, alia approbare non poſſunt: Hæc exempla damnantur, Ergo ipſa nõ probant. Exemplis enim huiuſmodi utendum eſt, quæ & recepta ſint, & auctoritate ſua ad noſtri facti defenſionem faciãt. Quemadmodum enim in comparatione (ut Ariſtoteles ait) oportet πρὸς ἐνδόξους συγκρίνειν, ſic etiam exempla clara, manifeſta & approbata, ad probationem adhibenda ſunt. Nono, ab ipſo ſubiecto deſumptum eſt: iniquiſſimum eſt, quia in Sicilia factũ, quæ uetuſtate, fidelitate & propinquitate inclyta eſt. Sequitur Verris obiectio: qua ſuam iniquitatem Antonij & Sacerdotis exemplo defendere conabatur. Vbi primũ ad Antonij exemplum reſpondet, oſtendens Antonij facta nec à Senatu nec populo probata, non imitãda fuiſſe. Sacerdotem uero recte feciſſe docet. hoc.n. ut faceret, aratores petierunt: & ipſe remiſſior fuit, cum plus exigere poſſet: quare Verris factum cũ hoc minime conferri poterit. Generalis deinde ſolutio ponitur: non nuda exempla, ſed & temporum illorum ſtatum conſiderandum eſſe, quoniam (ut ſupra quoq; dixit) æſtimatio nõ per ſe, ſed aratorum commodo & uoluntate perpenditur. Id et Antonij & Hortenſij exemplo probat. Præterea ut commune hoc eſſe facinus concedat, etiam hoc ipſi concedant neceſſe eſt, omnes illos peccauiſſe, & eſſe mulctandos, patronumq; omnium prouinciarum ſe profitetur. Subiungit his argumentum à fine ſeu iudicum officio ductum. Omnis inique agens ſi in iudiciũ uenit, à nobis damnandus eſt: Verres iniquum in iudicium uenit: Ergo hic damnandus eſt. Vnde & hoc colligitur: Quod ſi & alij Prætores Verri ſimiles rei fuerint, ſimili iudicio damnandos eſſe. Ponuntur poſtea quædam, quæ quàm periculoſum hoc ſit oſtendũt, ſi Verrem abſoluerint. Non enim furem modo abſoluent, ſed & alios ut furari pergant incitabunt. Poſtremo hoc quod ualidiſſimum eſt collocat, quo uno breui, ſed acerrimo dicto, omnem eius iniquitatem nou ſine magna indignationis commotione proponit. Quinquies enim plus eum abſtuliſſe inquit, quàm imperatum aut licitum ſit. Cum enim accuſatoris iudicis ira et commotio tanquam ſcopus propoſita ſit, curandum eſt, ut poſtremo argumento ceu acerrimo telo iudicis animũ penetremus: quoniam ea quæ ultimo dicuntur, firmius memoriæ inhærent, & aculeũ fortem in auditorũ animo relinquunt. Vnde hoc in omnibus Ciceronis orationibus obſeruari uidemus, ut extremum locum ualidiſſima quæque argumenta, & ad commouendum idonea, occupent. Hæc ad huius loci expoſitionem nunc ſufficiant. Quapropter cognita tota.] Concluſio ſequitur, quæ breuem & luculentam facinorum enumerationem complectitur. Immiſcet denuo rationes à periculo ſumptas. Oſtendit, ad quos hæ pertineant: ad aratores ſcilicet, quibus ut miſericordiæ affectum conciliaret, paucis ruſtici laboris euentum dubium eſſe oſtendit, argumento à Cauſa

efficiente deducto: quoniam cum uentis & tempeſtatibus, qui bus inco uſtantius nihil eſt, conflictatur. Commiſerationem au tem (quæ tertia concluſionum pars eſt) breuem facit. nam (ut Cicero de Inuentione inquit) commotis animis, diutius in con= queſtione morari non oportet. nihil enim lachryma citius are ſcit. Concludit deinde totam orationem argumento, quo hone= ſtum eſſe oſtendit, ut ſocijs ſuccurratur.

## ACTIONIS IN VERREM SEEXAE PARTITIO

### PER BARTHOLOMAEVM LATOMVM.

H AE C actio ſignorum & rerum pretioſarum furta rapinaſq; continet. Exordium nullum habet, nec peroratio= nem: ſed ſtatim à re ipſa incipit. Explicantur crimina, ſicut in ſuperioribus actionibus, & interpoſitis amplifica= tionibus confirmantur. Digreſſiones crebræ ubiq;, ſed duobus in locis inſignes: De raptu Proſerpinæ, ad augendum Ennenſe crimen: & Syracuſarum deſcriptio, qua furta in eandem urbem & rapinæ amplificantur. Inter cætera improbiſſimum crimen eſt in Antiochum regem Syriæ, quem hoſpitem in Sicilia ac ſpoliatũ rebus pretioſiſſimi, Verres prouincia excedere iuſſit. Item incredibilia in deorum ædes, è quibus ſpreto omni numine antiquiſſima quæq; ac religioſiſſi ma abſtulit. Maxima uero & innumerabilia in ciuitates, notos, amicos, & alienos commemorantur, à quibus non modo argẽtum & aurum, ſignaq; & tabulas, & ueſtes uaſaq; pretioſa per ſummam iniuriam abſtulit: ſed quidquid omnino concupiuiſſet ex quouis genere ſuppellectilis, ita improbe & imprudenter eripuit, ut monſtri inſtar eſſe uideatur.

## IN EANDEM ACTIONEM IN VERREM SEXTAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LA= TOMO PRAELEGENTE EXCEPTA.

V ENIO nunc.] A re ipſa incipit, quam in= cremento nummum amplificat. Penditote.] Aeſtimate. Deliacũ.] Aereum, à Delo inſula. Textilem.] Vt in ueſte ſtragula, quam & Pictam uocamus. Magnam uideor.] Negat ſe quicquam affingere, & obiectionem ſuã ex= planat. Vnde igitur.] Incipit à Mamertina ciuitate, & ſi= gna ab Heio ablata commemorat. Nimirum didici.] Hoc dicit, ne & ipſe harum rerum ſtudioſus eſſe uideatur. Theſpijs.] In Græcia. Canephoræ.] Virgines nubiles Athe= nis ſacra in caniſtris ferre ſolebant. Sed eorum artificem.] Et id diſſimulat, ſe harum rerum ſtudioſum eſſe. fingit enim ſibi nomẽ excidiſſe, ne ante ſciſſe uideatur, & ſimul orationem minime præmeditatam eſſe oſtendit. Q. Claudius.] Ampli ficat contrarij exemplis. Commodis.] Rebus commodato ac= ceptis ab hoſpitibus. Pro deum hominumq;.] Inuehitur, et commouet indignationem. Meretriciam.] Propter Chelido nem libertum Verris, cuius mentio facta eſt in 3. Actione. Sed quid ego tam.] Occurrit defenſioni, quã primo reprehen dit, deinde argumentis & teſtimonio Heij confutat. Repella tur.] A defenſione. Videte maiorũ.] Oſtendit eũ contra legem feciſſe, quam interpretatur & amplificat. Dicet ali= quis.] Negat Heiũ eas res uendidiſſe, idq; argumẽtis colligit. Religionis.] Diſciplinæ. Aes alienum habuerit.] Id eſt, debuerit pecuniam. Patrios.] Quos à maioribus ſuis acce perat. Præter fructus] Scilicet prædiorum. HS. VI. mil.] Id eſt, centum quinquaginta coronatorum. HS. M D C.] Id eſt, quadraginta coronatis. Malo emere quàm ro gare.] Prouerbium de re uili. Dicet aliquis.] Occurrit infirmationi, & ſe à ſuſpicione cupiditatis liberans, à perſona Verris quæ dicta ſunt confirmat. HS. CXX.] Id eſt, tribus millibus coronatorum. Quid mihi tam optandum.] Profert teſtimonium Heij, priore actione dictum. Quid ſedes Verres.] Agitat amicitiam Mamertinæ ciuitatis, & teſtimonij pondus amplificat. Cybea.] Nomen nauis, quam Mamertini Ver= ri ædificauerant. Quæ quis dixit.] Adiungit aliud crimen in Heium, & eius occaſione digreditur in Mamertinam ciuita tem, à qua laudabatur Verres, & grauiſſime in eam inuehi= tur. Tempore dato.] Opportune. Quia religioni ſuæ.] Sicut affinis crimini, pro religionis obſeruans: cui contrarium eſt à religione, à crimine abeſſe, uel alienũ eſſe. Homo amen tiſſime.] Increpat ſtultitiã hominis, quod hac animaduerſione in Heiũ laudationi ſuæ incitatus fuerit. Quæ neceſſe erit.] Scilicet dicere. Integra.] Intacta. Hæc tibi laudatio.] Negat laudationem Mamertinorum omnino ualere oportere, quia ſocij criminum fuerint. Commodaſti.] Commode feci= ſti. At publice commodaſti.] Occurrit defenſioni, & ipſam in crimen uertit. Phaſelis illa.] Amplificat ſimili exemplo. Mamertinam.] Dicit Mamertinam ciuitatem degeneraſſe à maioribus ſuis, quæ in C. Catonem ſeuera, in Verrem indulgẽs fuerit. HS XVIII.] Id eſt, quadringentis quinquaginta coronatis. Lis æſtimata eſt.]. Certæ ſummæ condemnare, eſt litẽ æſtimare. Timarchidis.] Aſſecla Verris. Vocatio.] Immunitas. Munere.] Officio. Verrea.] Feſta ſolen= nia. Sextum Cominium.] De Cominio, item de cruce ci= uis Romani, dicitur ſequenti actione. Laudarum etiam.] Acriter inuehitur in Mamertinos, & aliud etiam delictũ eorũ in Senatorium ordinem commemorat. Nec prius illam cru= cem.] Redit ad crucem, & uehementer exaggerat. Verum hæc emiſſe.] Obijcit aliud crimen in eundẽ Heium, de peripe taſmatis ablatis. Peripetaſmata.] Puta ueſtis, quæ circunten ditur parietibus, Attalica appellata: quod eam auro intertextã Attalus inſtituerit. Eadem ante & tapetia dicta. Refer= ret.] In tabulis ſcriberet. HS. D.] Centum uigintiquinque coronatis. HS. CC.] Id eſt, quinque millibus coronatorum. Expedias.] Defendas. Quid? à Philarcho.] Alia & alia eiuſdem generis crimina. Gratis.] Sine pretio. Excurrit in Cybiratas fratres, per quos Verres omnia inueſtigare ſoli= tus fuerit, eoq; ipſe hominem odioſiorem facit. Re.] Vſu. Verre me Hercules.] Subtexit criminis narrationem. Hy= driam.] Vas aquarium. Venereus.] Vnus ex miniſtris Verris. Sigillatos.] Signis ornatos. At ita ſtudioſus eſt.] Inſerit Narrationem de impotenti cupiditate Verris, quam in coniecturam criminum conuertit. Comperendinatus.] Id eſt, ad ſecundam actionem citatus, quod fiebat, cum mala cau= ſa uidebatur iudicibus, ne ſtatim damnarent reum, ſed quanſũ poſſent parcerent. Inſimularetur.] Argueretur. Verum uti Lilybæum.] Aliud crimen, in Lilybætanos commiſſum. Abaci.] Abacus menſa, in qua uaſa in triclinia exponeban= tur. Erat etiam mathematicorum tabula, in qua deſcriptis li= neis calculorum ratio ducebatur. Dicat ſe emiſſe.] Occupat defenſionem, quam tanquam uanam exagitat, requirendo ta= bulas Verris, quas ille metu furtorum non confecerat. In do= natione hiſtrionum.] Hiſtriones leuius donari ſolent. unde &

donationes

donationes eorum leuius æſtimantur. Transfigere.] Euertere. Collum in laqueum inſerenti.] Scilicet uitæ tædio, bonis conſumptis. Gaudeo etiam ſi quid.] Ironia approbatio. Primo homine.] Primario. HS.M] Viginti quinque coronatis. Scaphia.] Vaſa, à ſcapharum ſimilitudine. Cum emblematis.] Ornamenta intelligit extrinſecus addita: ut ſigna, & cælaturæ, quæ eximi poſſunt, ab ἐμβάλλω. Toreumata.] Sunt opera cælata, à τορεύω. Eriphylam.] Eriphyla accepto monili Amphiaraum maritum bello Thebano latentem prodidit, qui profectus hiatu terræ abſorptus eſt. Vaſa collegerat.] Vaſa colligere militare uerbum eſt cum caſtra mouentur, ad quod facete alludit, ſignificans Diodorum toreumata ſecum aſportaſſe. Apponit.] Inſtituit, adornat. Nomen deferri.] Reum fieri. Primum.] Quia etiam Sthenenii abſentis nomen poſtea recepit, ut actione tertia ſignificatum eſt. Imprudens huc.] Confutat defenſionem, & ridet falſam. Cn.Calidio.] Amplificat crimen comparatione aliorum Prætorum. Tu dignior.] Auget inuidiam à ſuperbia. Thuribulum.] Thuribulum eſt uas, in quo thus accenditur. Emblemate.] Signis, quibus ornatum erat. Credo tum.] Amplificat à copia prouinciæ. Peræque.] Pereque legendum puto. Proportione.] Pro comparationis æqualitate, incerta certis conferendo. Fortuna.] S.belli. Hoc crimen, &c.] Id eſt, dum per ſingulas familias crimen confirmem. Argentum illi.] Aliquid deeſſe uidetur. Argentum purum.] Sine cruſtis & emblematis. Acroama.] Res auditu digna, uel ſententia, uel feſtiua narratio, etiam homo feſtiuus: ſed hic pro re ponitur. Sine corollario.] Corollarium, additamentum, quod præter debitū addi ſolet: ut quæ in conuiuijs apophoreta uocabãtur, Saturnalibus dari ſolita, qualia deſcribit Martialis. De loco ſuperiore.] De tribunali. Thecis.] Repoſitorijs. Cruſtæ.] Cruſta tectorium durius, quo res ornandi ſeu tegendi cauſa operitur. Euerriculum.] Alludit ad nomen Verris. Per magiſtratū.] Per poteſtatem. Quem in luto uolutatum.] Et hic alludit ex ambiguitate nominis, ad ſuem. Poſteaquam.] Officina Syracuſis inſtituta. Nata.] Facta. Cum faceret.] Id eſt, cum curaret ſibi fieri. Non laborauit.] Non metuit, nō ſollicitus fuit. Genera.] Hoc ſchemate oſtendit minime præparatam eſſe orationē, ſed tanquā extemporalē. In cretula.] Terra argilloſa & candida, qua ueteres in epiſtolis ſignādis uti ſolebant, ſicut & cera. Textrinũ.] Textrinæ ad ueſtē ſtragulam inſtitutæ. Comparare.] Emere. Venio nunc.] Candelabrum ab Antiocho rege ablatum, quòd in Capitoliū ponendum erat. Temporibus.] Difficultatibus. Exponit.] In abacis. Trulla.] Nomen uaſis. Quæ uox.] Amplificat crimen, & inſtigat iudices in reum. Interuerſo.] Intercepto. Hoc loco.] Appellat & Catulum, qui Capitolium dedicauerat. More omniū.] Veteres patroni, ab inuocatione Deorū incipere ſolebant, quod negat licere Verri. Concepto.] Commiſſo, perpetrato. Segeſta eſt oppidum.] Signum Dianæ à Segeſtanis ablatum. Facem præferebat.] Quia luna in cœlo eſt, & noctem illuſtrat. Hanc tu tantum.] Inuehitur, & audaciam increpat. Te nunc P.Scipio.] Obiurgat Scipionem, quod Verrem defendat, qui Africani monimentum ſuſtulerit. Depeculatus eſt.] Suſtulit. Obſtruxit.] Obſcurauit. Potes domeſtica.] Occurrit tacitæ defenſioni. Non præcerpo.] Non anteuerto, non obſto, quo minus tibi integrū ſit accuſare ſi uelis. Si iſtius amicitia.] Inuidioſe taxat aduerſariorum querelam, & ſuas partes defendit, ſe merito etiā inuito Scipione & cæteris Verris defenſoribus, nomen Africani tueri. Sit apud alios.] Hoc dicit ex perſona aduerſariorum, & mox reprehendit. Audiſtis nuper.] Aliud crimen eiuſdē generis, & aliud multo grauius adiunctū. Anniuerſarijs.] Solennibus. Stipatum.] Circundatum. Obduruiſſet.] Obriguiſſet. Non poſſum diſpoſite.] Amplificatio à criminū multitudine, & nomine Marcellorum. Quid Agrigento.] Signum Apollinis Agrigento ablatum, & idem tentatum in Herculem, qui tandem defenſus fuit. Victoriæ.] Contra Carthaginenſes. Vectibus.] Palis ferreis, quibus utuntur operarij in ſaxis & grauioribus oneribus moliendis. Nutabat.] Vacillabat. Facta manu.] Comparata. Deſideratum.] Amiſſum. Ire in conſilium.] Dimittere patres cauſa perorata, ad ſententiam ferendā. Inſula eſt.] Templum Iunonis in Melita ſpoliatum. Prædonum.] Quos uicit, & mari expulit Pompeius. Nimium mihi diu.] Tranſit ad aliud crimen, cum præparatione, commemorans fabulam de raptu Proſerpinæ. Liberæ.] Proſerpinæ. Inflammaſſe.] Accendiſſe. Propter.] Iuxta. Myoparoni.] Myoparo nomen nauigij. Gramineas haſtas.] Puto legendum fraxineas. Ad deferenda.] Id eſt, ad deportanda, quod eſt operariorum, qui operam ſuam mercede locant. Nimio opere.] Immodice. Licet iſte dicat.] Adimit defenſionem. Stipendiarios.] Stipendiarij erant, qui ſtipendia militibus nomine Romano dabant. Viſenda.] Spectatu digna, inſignia. Atque ut cæteri.] Narrat de Syracuſanis, quomodo teſtimonia furtorum perſcripta, & de laudatione Verris ex illis cognouerit. Appellatur.] Appellatur pro Verre, ad prohibendum ne Senatuſcōſultum perficiatur. Laudēt te ſanè.] Redit ad laudationem Mamertinam, & unà cum Syracuſana confutat. Verrea.] Sacra. Diem feſtum ludorum.] Marcelliorum.

## ACTIONIS IN VERREM SEPTIMAE PARTITIO

### PER BARTHOLOMEVM LATOMVM.

CONTINET hæc actio rem bellicam flagitioſe adminiſtratam, & ſupplicia in Siculos & Romanos ciues. Exordium ironia conſtat in reum, ad commouendum odium & indignationem. Deinde ad rem accedit, & accuſat negligentiam in cuſtodienda prouincia, & crimina improbitatis, luxuriæ, & crudelitatis commemorat, interpoſitis probationibus & amplificationibus crebris, ſicut in præcedentibus actionibus. Primo enim docet, prouinciam Siciliam nulla opera Verris, ſed natura loci & inſtitutis ſuis ſatis tutam fuiſſe ab omni contagione ſeditionum ac bellorum. Deinde illum non ſolum non defendiſſe prouinciam, ſed etiam pecunia accepta coniuratis comprehenſis & prædonibus peperciſſe. Poſt hæc partitur in capita reliquam criminationem, & demonſtrat itinera luxurioſi imperatoris in obeunda prouincia, & quod pecuniam auare ex claſſe quæſiuerit, & quod crudelitatem immanem exercuerit in Nauarchos & ciues Romanos: quorum alios uirgis ad necem conciderit, alios necauerit in carcere, alios contra ius & libertatem Romanæ ciuitatis in crucem ſuſtulerit. Ex quibus omnibus Nauarchorum caſum & ciuis Romani ſupplicium magna cōmiſeratione deplorat. Peroratio habet commendationem totius cauſæ ad iudices, comminationem in aduerſarios, & poſtremo inuocationem ad deos: in qua renouationem omnium criminum inducit, atque ita concludit.

# IN EANDEM ACTIONEM IN VERREM

## SEPTIMAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATOMO PRAELEGENTE, EXCERPTA.

*Nemini uideo dubium eſſe, iudices.*] Orditur κατὰ πρόληψιν, occurrens defenſioni, quam irridet. *Conſtituitur.*] Ab Hortenſio. *Fugitiuis.*] Seruis,qui Spartaco duce ad bellum cócitati fuerãt. *Quid agam.*] Dubitatio Ironica. *Impetus.*] Accuſationis. *Iactaturus.*] Amplificando,& uerbis exornando. *Talem.*] Ἔμφασιν habet. *Obteri.*] Opprimi,obrui. *In iudicio M.Aquilij.*] Defenſio Aquilij commemoratur in ſecũdo de Oratore. *Sed ita quæram.*] Negat ullam operã Verris fuiſſe,in prouincia tuẽda:quoniam ipſa per ſe,& ſitu ab hoſtibus, & diſciplina aliorum pręetorum, ſatis tuta fuerit. *Cum M.Craſſo.*] Craſſus & Pompeius ſeruile bellum confecerunt in Italia. *Nam poſtea quàm.*] Seueritatem diſciplinæ exemplo confirmat. *Quid igitur, nulli ne.*] docet Verrem peperciſſe facinoroſis accepta à dominis pecunia, eaq́; re cauſas etiam motuũ & coniurationum in prouincia aluiſſe. *Seruitium.*] Seruos. *Tricalino.*] Regione Siciliæ. *Dicta.*] Cognita & iudicata. *Quid deinde? quid cenſetis?*] Suſpendit expectationẽ, quo rei indignitatem amplificet. Nam acrius feriunt animos, quæ inopinata accidunt Celſus,ut Fabius tradit,uocat ſuſtentationem. *Nundinatio.*] Pactio pecuniaria. *Quid hoc loco.*] Inuehitur in improbitatem, & rem amplificat. *Indemnatis ciuibus.*] Illum intelligit,quem Meſſanæ crucifixerat, de quo poſterius dicetur. *Res iudicatæ.*] Id eſt, ſententiæ latæ. *Hoc uero nouum.*] Facit Verris factum grauius. *O præclarum.*] Ironica exclamatio. *Feciſſe uideri.*] Quæ forma erat pronunciandi. *Quid? hoc in Apollonienſe.*] Colligit alia plura eiuſdem generis facinora. *HS.LX.*] Seſtertia ſexaginta,hoc eſt mille quingentos coronatos. *HS.cẽties*] Id eſt,duo millia quingentos coronatos. *Integer.*] Sine iniuria. *Excogitauit.*] Sermo hominum de Verre. *Exanimatus.*] Conſternatus. *Magiſtrũ pecoris.*] Id eſt paſtorem. *Exhiberi.*] Produci. *Videte conſtantiam.*] Amplificat rem,quam narrauit. deinde ad probationem criminis accedit. *Quid? ſi ab Apollonio.*] Εἰρωνικῶς ſe corrigit:& quaſi remittens ſeueritatem accuſatoriam,multa prætermittit, quæ in re ſunt,ut acrius ad unum perueniat,quo ex iudicio ipſius Verris crimen conuincit, propter pecuniam Apolloniam in carcerẽ coniectũ fuiſſe,ac dimiſſum. *Diſſolute.*] Improbe. *Omnia igitur.*] Colligit in ſummam quæ enumerauit,& proponit.Hortenſij actionem,ut quod cõtra deſtinauit, acrius inferat. *Nam quæ iſte.*] Oſtendit quantum hac ratione prædatus ſit Verres,& coniecturã ex Apollonij cauſa facit. *Vnum hæſiſſe Apollonium.*] *Qui pecuniam in tempore non dederat.* *Cupio mihi iudices.*] Abſoluit hunc locũ de pacata prouincia,& ad aliũ tranſit. *Subijci.*] Suggeri,in memoriam redigi. *Itinerum primũ.*] Cõmemorat ignauiam & luxum hominis in prouincia obeunda. *Octophoro.*] Quã octo homines ferebant. *Fartus.*] Impletus. *Reticulũ.*] Id eſt, folliculum lineũ,rariore textura. *Fuſi.*] Proſtrati. *Nequitiæ.*] Luxuriæ. *In areis.*] Area locus planus in Agro,in quem fruges demeſſæ comportantur ad trituram faciendã. *Carbaſeis.*] Lineis. *Hunc igitur tu Imperatorem.*] Increpat. Hortenſium,& à defenſione deterret, obiter percurrẽdo uitam anteactam Verris. *Aera illa.*] Id eſt, flagitia.Nam ad ſtipendia alludit,in quibus æs militare ſoluebatur, *Abduci.*] Sponte ſua. *Perduci.*] Inuito.unde productores,qui inuitas perſonas ad libidinem alicuius ducũt. *Aleatoris Placẽtini.*] Quem intelligat, incertum eſt. Significat ſtupratorem Verris adoleſcẽtis. *Aere dirutus eſt.*] Id eſt,ad inopiam redactus,ita ut ſoluendo non eſſet.nam æs alienum intelligitur. *In ſtipẽdijs damna.*] Aes Alienum flagitioſæ adoleſcentiæ. *Aetatis fructu.*] Stuprum intelligit, quo unà cum æs alienum flagitioſe contractũ diſſoluiſſe. *Obduruiſſe.*] Exoletus factus fuiſſe. *Quot præſidia.*] Id eſt,honeſtas matronas expugnauerit. *L.Lucullo,M.Cotta Coſ.*] Quo anno prætor urbanus fuit Verres. *Vadimonij.*] Id eſt, ſiſtendi in iudicio,ut promiſerat, *Paludatus.*] Paludamẽto indutus,de more Romano, *In urbem introferri.*] Magiſtratui ex urbe egreſſo, nõ licebat in urbem redire, niſi confecta prouincia:quod ſi contra feciſſet,cẽſebatur contra auſpicia facere. *O Dij immortales.*] Amplificat neglectam religionem à Verre,diſſimili exemplo,quod de ſe ſumit. *Datum.*] Ad dignitatem. *Creditum ac commiſſum.*] Ad fidem & induſtriam. *Habeo rationem.*] Aeſtimo. *Libero.*] Apollini,ut opinor.ut Virgilius: Liber & alma Ceres. *Liberæ.*] Proſerpinæ. *Floram.*] Flora dea florum,cui celebrantur floralia, ritu parum uerecundo. *Ius, imagines.*] Cuiuſmodi in atrijs nobilium diſponebantur, & præferebãtur in funere ijs,qui ex ea familia mortui fuiſſent. Hodie arma uocãt,nempe inſignia familiarũ,ut picti in ſcutis leones,lupi, urſi,gryphes,etc. *Prodendã.*] Propagandã. *Alicui,*] Id eſt, ſibi ex cæteris:non quod,neceſſe fuerit ſibi dari, ſed quod oportuerit eam alicui dare ex candidatis. *In loco.*] Cõmodo ſcilicet,& idoneo: id eſt,in idonea perſona. *Mitto enim & prætereo.*] Significat,quomodo ſuffragia pecunia corruperit. *Illud rationis habuiſti.*] Reputaſti. *Itaq; non modo.*] Prætexit cætera,& ordinem temporis ſeruat. *Thempſanum.*] Tempſa oppidum in Brutijs,quod apparet à fugitiuis captum fuiſſe, diſcedente Verre ex prouincia. *O diuina Senatus.*] Profert tacitum iudicium Senatus. *Iſto,nihil ex.*] Venit ad bellum Piraticum.in quo docet maxima auaritiæ & crudelitatis crimina commiſſa fuiſſe. *Rem naualem.*] Proponit nauale crimen, & obijcit nauem à Mamertinis ſumptu publico ædificatam fuiſſe. *Quid mihi hoc loco.*] Occupat defenſionẽ,& ab omni parte excludit. *Senatori.*] Mamertino,qui naui ædificãdæ præfuerat. *Publice.*] Publico nomine. *Nauiculariam facere.*] Sicut argentariam,& Medicinam facere. *At Mamertini.*] Occurrit argumento,& docet nõ efficí quod intendatur. *At enim idcirco.*] Remouet aliam defenſionẽ,& maieſtatem commiſſam eſſe docet in naue Mamertinis remittendã. *Deniq; cùm.*] Addit & aliud crimen,de frumento remiſſo Mamertinis,& alijs imperato. *R.C.*] Id eſt,Rerum Commentarijs. *Ac de conſilij ſententia.*] Verba ſunt decreti in Commentarijs perſcripti. *Nomina.*] Iudicũ. *Nam ſtatim L.*] Contrarium exemplum loco præiudicij. *Iſtam à Netinis.*] Iſti legendum. *Hic mihi etiam.*] Repetit mentionẽ Mamertinæ laudationis,& cõſpirationem exagitat. *Vulnera.*] Vitia. *Verũ ut ad claſſem.*] Redit ad inſtitutum,& crimen nauis remiſſæ amplificat. *Precario.*] Precibus,Aduerb. *Cognoſcite nunc nouã.*] Trãſit ad aliud crimen in re nauali cõmiſſum. *Nauarcho.*] Nauarchus,qui præeſt naui. *Qui poteſt eſſe.*] Verrem alloquitur. *Lucrari.*] Lucrabatur. *Hunccine hominem,&c.*] Subaudi ferretis. *Sexcentenos nũmos.*] Tantum dabatur à nautis pro miſſione,ex inſtituto prætoris. *Quos qui dederat.*] Locus eſt correptus. *Cum propter iſtius.*] Docet prædam ex hoſtibus captam, ſibi ſeruaſſe,et ducẽ hoſtium cũ cæteris captiuis pecu

nia

*nia accepta dimiſiſſe.* Facti. ] In operibus pretioſis. Signati. ] In pecunijs. Archipiratam. ] *Vult Archipiratã dimiſſum fuiſſe, idq́; coniectura credibile facit.* Iudex eſſe bonus. ] *Monet iudices, ne eiuſmodi coniecturæ genus negligãt.* Vnus plures. ] *Diſſimili exemplo Seruilij coniecturam amplificat.* Auctorem tui facti. ] *Auctorem, qui idem fecerit, et quem Verres ſit imitatus.* Age porrò. ] *Quaſi priore inſectatione remiſſa, ac recepta defenſione nihilominus inſtat, et docet alium captiuũ in locum Archipiratæ ſuppoſitũ fuiſſe. idq́; probat ex cuſtodiæ ratione.* Cum maximis. ] *Admiſcet aliud crimen interfectorum ciuium Romanorum.* Myoparone. ] *Naue ſcilicet.* At quemadmodũ. ] *Confirmat obiectũ crimen ex ipſius Verris cõfeſſione, & uehemẽter amplificat.* Induit. ] *Illaqueauit.* Fit. ] *Id eſt, factus eſt.* Aliquam manum contra populum Romanum facere. ] *Aliquem numerum hoſtiũ contra populum Romanum legere.* At etiã qui triumphãt. ] *Amplificat diſſimili exemplo.* Et nunc credo eſſe dubium. ] *Hoc per ironiam dicitur. Probat enim expediſſe Verri, ut ſuppoſitum Archipiratam ſeruaret, neq; aliter facere potuiſſe, ſiquidem fidem in iudicio ſuo facere conaretur.* Virum. ] *Vult Verrem inter mulieres potius quàm uiros habendũ eſſe, uel propter mores, uel quia muliebria adoleſcens paſſus ſit.* Erat Nice. ] *Incipit narrare aliud crimen de claſſe amiſſa, libidine et auaritia prætoris.* Quid primum. ] *Amplificat Cleomenem præfectum fuiſſe claſſi.* Sagum ] *Veſtem militarem.* Lampſaceni periculi. ] *De Lampſaceno periculo uide tertiã Actionem.* De Adriano. ] *Hic Adrianus cum auare imperaret Vticæ, uiuus in prætorio exuſtus fuit.* Imperium. ] *Prætoriũ.*

Crepidines. ] *Crepido ora ripæ uel littoris, ad quã aqua alluit: dicta, quod ibi fluctus crepitet.* Aſpirare. ] *Attingere.* Athenienſium claſſis. ] *Nicia duce, ut eſt apud Thucydidẽ.* Quid Cleomeni. ] *Inducit Verris deliberationem de Cleomene, ut oſtendat improbitatem, & euidentius exprimat.* Diſſoluens. ] *Remiſſus.* Exinanitam. ] *Euacuatam.* Phalargum. ] *Philargum legendum puto.* Apponitur. ] *Subornatur.* Emiſſarium. ] *Furtorum interpretem.* In cõmeatu. ] *In immunitate nauigandi ex permiſſione prætoris. Vnde commeatum dicimus habere milites, cum eis ad tempus permiſſum eſt abeſſe ab exercitu.* In qua docet, quot. ] *Colligit inuidiã, & mouet affectum ex ſcripta oratione unius ex Nauarchis.* Talem uirũ. ] *Talem ad laudem pertinet.* Hic cuncti Siculi. ] *Amplificat ab exiſtimatione Siculorũ de populo Romano.* Leuia ſunt hæc. ] *Cõcedit εἰρωνικῶς id quod etiã iniquũ uidetur cauſæ fiducia pari.* Obſoletis. ] *Vulgaribus, leuibus.* Vt adeas. ] *Fingit uerba inhumani lictoris, atq; hinc acerbitatem etiam colligit.* Eſt ne aliquid. ] *Facit ſchema, quod uocant præter expectationẽ, augendi cauſa.* Nam illorum liberi. ] *Verba quaſi ex perſona Verris.* Deſunt. ] *In malam partem.* Per deos immortales. ] *Amplificat ſupplicium Nauarchorum, & accendit iudices.* In ſeptemdecim populis. ] *Qui defecerant ad Cartaginenſes.* Quid uero illa. ] *A' Segeſtanorũ cognatione amplificat.* Vbi pecunias exterarum. ] *Amplificat ex comparatione criminum, quæ in unũ contrahit.* Metuunt homines. ] *Addit cauſam inuidioſam in eos, qui ex prouinciarum ſpolijs ditati erant.* Hoc iam ornatu. ] *Auget inuidiam ex mœrore parentum in iudicio, & eſt redditio contentionis.* Ex litibus æſtimatis. ] *Id eſt, dãnatione tui.* Qua propter ſi quem. ] *Occurrit defenſioni, quam ex omni parte adimit.* Offenderint. ] *Impegerint.* Quod ſi fortunã. ] *Conuertit defenſionem in aduerſarium.* Ego culpam non in Nauarchis. ] *Vrget, & probat culpã in prætore fuiſſe.* Nullum uacuum tractum. ] *Id eſt, nullum uacuum fuiſſe inter eos qui trahebantur.* Hic tu etiã dicere. ] *Redit ad inſtigãdos iudices, & rurſum crimina colligit acri inſectatione.* Neceſſitudini. ] *Quia quæſtor in Sicilia fuit.* Reliqua eſt ea cauſa. ] *Deinceps cõmemorat animaduerſione & ſupplicia in ciues Romanos.* Nõ enim Charybdim. ] *De Scylla & Charybdi 3. Aeneidos.* Plurib. & maioribus. ] *Alludit ad Scyllam, quæ inferiori parte canibus ſuccincta eſſe dicitur. Intelligit autem emiſſarios Verris, & furtorum interpretes, quos actione tertia cõmemorauit.* Sertorianos milites. ] *Sertorius hoſtis erat, et reliquias belli Mariani perſequebatur in Hiſpania.* Odores. ] *Aromata.* Quid eſt Verres. ] *Profert teſtimonia.* Si quis rex. ] *Inſtigat iudices, & crimen amplificat.* Circumretitum. ] *Tanquã laqueis & retibus circundatum.* Maiores plagas. ] *Grauius iudicium, ſcilicet maieſtatis.* Superiore ex loco. ] *Quoniam deſignatus eſt Aedilis, et magiſtratu initio de loco ſuperiore, hoc eſt apud populum in concione cauſam acturus.* Quid enim defendit. ] *Adimit defenſionem, quam primum reprehendit, deinde inficiatione tollit.* Translator quæſturæ. ] *A' Carbone & Sylla.* Adſunt enim Puteoli. ] *Negat Sertorianos fuiſſe, & teſtimonijs cõfirmat.* Nam quid ego de P. Gauio. ] *Tranſit ad aliud crimen: quod quia grauiſſimum eſt, ad eius cognitionem præparat iudices.* Gauius hic, quem dico. ] *Narrat de Gauio, & per totũ admixtis adfectibus.* Meruiſſe. ] *Militaſſe, ſtipendia feciſſe.* Speculãdi. ] *Explorandi.* Deſiderata. ] *Poſt Syllanam uictoriam, deinde à Pompeio reſtituta.* Nunc quoniam. ] *Probat teſtimonijs.* Hoc in Verris. ] *Ex confeſſione ipſius Verris factum exaggerat.* Induatur. ] *Capiatur, illaqueetur.* Ac iuguletur. ] *Alludit ad nomen Verris* Cognitoribus. ] *Hi dicuntur, qui aliquem defendunt, cum de ſtatu eius agitur.* Eſſe futurũ. ] *Verbum eſt hoc in loco infinitum futuri temporis alioqui futurã erat dicendum, ſi eſſet participium. Fit mẽtio apud Gelliũ.* Cognoſceret hominem. ] *De ſtatu eius teſtaretur.* Facinus eſt. ] *Amplificatio per incrementum.* Cauſam. ] *Conditionem.* Si hæc non ad ciues. ] *Graui, & uehementi contentione mouet animos iudicum, & eſt* [illegible] *Amplificatio.* Auctor eſt. ] *Præſidet.* Hoc loco. ] *Iudicij ueſtri.* A' me, tametſi ſatis. ] *Mouet iudices, ut recte iudicent: & metum illis adhibet, quoniam accedit ad totius accuſationis perorationem.* Si res aliter acciderit. ] *Id eſt, ſi abſolutus fuerit Verres.* Nam & ſi qua uis. ] *Significat ſe iterũ accuſaturum eſſe, ſi Verres ex hoc iudicio euadat.* Poteſtatem dedit. ] *Quia deſignatus eſt ædilis, quo in honore cum populo pro cõcione agere potuit.* Creſcere. ] *Magnus fieri.* Notatos. ] *Infamia ſcilicet.* Quamobrem te quoq;. ] *Mouet Hortenſium, & ei minatur.* Regiam ueſtram dominationem. ] *Alludit ad id quod Hortenſius rex fori appellabatur.* Sed quo die. ] *Per Cn. Pompeium, cum à Sylla ſublati fuiſſent.* Vnumquenq; noſtrũ. ] *Eos qui in hoc iudicio erant intelligit.* Ea lege iudicij. ] *Aurelia de iudicijs, quam M. Aurelius Cotta prætor ferebat.* Promulgata. ] *In publicum propoſita.* Quam de nobis habet. ] *Poſſe nos corrũpi.* Reſpõſurus. ] *Cõpariturus in iudicio.* Veſtra dignitas. ] *Senatoria.* Quod reprehendatur. ] *Si quid peccetur.* Propter offenſionem. ] *Propter iudicia male adminiſtrata.* Qui tanto &c. ] *In abſoluendo Verre.* Quæret aliquis fortaſſe. ] *Occurrit obiectioni, & oſtendit ſe, quia nouus ſit homo, neceſſario quod dixerit facturum eſſe: & nobilitatẽ interim, à qua defendebatur Verres, in inuidiã adducit.* Tot hominum. ] *A' quibus defendebatur Verres.* Omnia beneficia. ] *Omnes magiſtratus.* M. Catonis ] *Cenſorij.* Pompeius. ] *Strabo opinor, Magni Pompeij pater, qui floruit Italico bello, ante Syllam & Marium.* Nouorum hominũ. ] *Noui homines appellabantur, quorum parentes nullũ magiſtratũ geſſerant.* Quamobrem mihi iudices. ] *Hunc locum concludit.* Receptum. ] *Promiſſum.* Ad quos, &c. ] *Intelligit Hortenſium.* Diſceptante. ] *Iudicante.* Nunc te Iupi-

ter. Peroratio totius accuſationis, in qua Deos omnes implorat, quos uiolauerat Verres, teſtes & ultores criminum, ut illi quidem tribuant dignum factis ſuis exitum: ſibi autem fidei ſuæ & diligentiæ in accuſando iuſtam apud pop. Rom. approbationem. Locus plenus eſt grauitatis, & interim criminum repetitionem continet. Donum regale.] Regis Antiochi. de quo uide act. 6. Pulcherrimum ſimulachrum.] Iouis. Latona.] Mater Apollinis & Dianæ. Deli.] Nomen urbis in inſula eiuſdem nominis. Chio.] Ex oppido Chio. P. Africani] Maioris. Idæa.] In Phrygia. in celeberr. loco.] In foro Romano. Libera.] Proſerpina. Sanctiſſimæ deæ.] Proſerpinæ. In iudicanda.] In puniendo Verre.

# IN INVECTIVAM M. TVLLII CICERONIS

## PRIMAM IN L. CATILINAM, AD SENATVM,

## FRANCISCI SILVII AMBIANI COMMENTARIVS,

### ARGVMENTVM.

D

E CATILINAE coniuratione amplius dicere poſt Salluſtium, Plutarchum in uita Ciceronis, Appianum in lib. 11. Bellorum ciuilium, mihi uidetur ſuperuacaneum. Ideo quæ huic noſtræ rei propiora ſunt, ea ſolum attingam. L. igitur Catilinæ denunciatione, cum tam longius proceſſiſſet coniuratio, coniurati in domum M. Leccæ VIII. Id. Nouemb. nocte conſequente conuenerunt. Ea nocte dies Catilinæ exeundi, cæteris manendi conditio, cædis atque incendiorum per totam urbem deſcriptio conſtituta eſt. Iam ſe exiturum Catilina dixit, ſed paululum ſibi eſſe moræ, quòd Cicero cõſul uiueret. Tum C. Cornelius & L. Vargunteius Equites Romani polliciti ſunt ſe illa ipſa nocte paulo ante lucem uenturos, tanquã ſalutatũ Conſulẽ, & intromiſſos more Conſulis & iure amicitiæ, in lecto eũ interfecturos. Huius conſilij Cicero per Fului ã factus certior, domum ſuam præſidijs ualidioribus firmat, duos Equites ad cædẽ, ut conſtitutũ erat, uenientes aditu prohibet. Eo ipſo die in templo Iouis Statoris Senatum habet, ut ad eum referat de coniuratione, déq; reip. periculo. In Senatum Catilina uenit, aut diſsimulandi cauſa, aut ſui expurgandi, tanquam iniuria laceſſitus foret. Tum eum nemo amicorum, nemo propinquorum ſalutauit. Ii, prope quos aſſedit in alia ſubſellia ſeſſum iuerunt. Cicero ſiue præſentiam eius timens, ſiue ira commotus, luculentã hanc (id quod ait Salluſtius) atq; utilẽ reip. habuit orationẽ: cuius hoc eſt Argumentũ. Hortatur Cicero, impellitq; Catilinã. ut cũ ſocijs coniuratis ex urbe egrediatur in exiliũ, uel in caſtra Manlij, quòd conſilia eius de cæde Conſulis, Senatus, ciuiũ, urbiſq; incendio, & Italiæ uaſtatione, ſibi & Senatui cognita ſint: quòd eius conatibus omnibus priuato conſilio obſtiterit. nihil in urbe eſſe quod eum delectare poſſit, quẽ omnes boni ciues metuunt & oderunt. Miſerũ eũ oſtendit, quòd cum ueniret eo ipſo die in Senatũ, nemo eũ Senator ſalutauerit, nemo ei aſſidere uoluerit. Vitandæ ſuſpicionis cauſa, ante Catilina ſe multis uiris clariſsimis in cuſtodiam dare uoluit: nullus eum aſſeruare uoluit. tanto metu omnium & odio flagrabat. Pollicitus eſt Catilina ſocijs, abire ad Manlium in caſtra: ab eo poſtulat Cicero, id ut faciat, quòd in caſtris Manlij cum improbis & ſui ſimilibus uerſari iucundũ ei futurum ſit. Catilinam in Manlij caſtra proficiſci, quã à ſe Conſule interfici Cicero putat utilius: Nã primũ ſi proficiſcatur, nemo de coniuratione dubitabit: deinde eũ ſequentur omnes coniurati. Si in urbe necaretur, improbe factũ putarent ij, qui de coniuratione dubitant, & coniuratorũ grex totus in urbe remaneret. Quocirca hortatur eum cum coniuratis, ut exeat cum ſuo & ſuorũ exitio, reiq; publicæ ſalute.

Quouſque tandem.] Quàm uis id fiat ſæpius, ut in orationis proœmio ad auditores ſermo dirigatur: aliquando tamen ad aduerſarium directus acrior fit atque uehementior. Cicero pro Q. Ligario: Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatoris maxime optandum, &c. Salluſtius in Ciceronem: Grauiter & inique animo maledicta tua paterer Marci Tulli. Sicut & Cicero fecerat in Catilinam: Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? auctor eſt Quintilianus libro quarto. Idem libro nono præcipiens, interrogatione acriorem & uehementiorẽ fieri probationem. Figuratum eſt, inquit, quoties non ſciſcitandi gratia aſſumitur, ſed inſtandi. ut pro Ligario: Quid tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? &: Quouſque tã dem abutere Catilina patientia noſtra? &, Patere tua conſilia non ſentis? Et totus denique hic locus, quanto (inquit) magis ardet, quàm ſi diceretur, Diu abuteris patientia noſtra: &, Patẽt tua conſilia. Tandem.] Priſciano auctore libro. 15. hic repletiua coniunctio eſt, auctore Seruio, cauſa ornatus ponitur. Vtriuſque ſententia Valla non probatur. Nam oratio interrogatiua plus habet uirium, quàm quæ figurata non eſt. Orationis interogatiuæ uim particula tandem facit. uehementiorẽ.

Abutere patientia noſtra.] Qui tam diu furores tuos æquo animo patiamur. Patientia.] Id eſt, tolerantia. Quouſque tandem abutere.] Nam furor fit læſa ſæpius patientia. Et ueterem patiendo iniuriam inuitas nouã, ut ait Publius Syrus. Eludere, ut ait Donatus in Eunuchum Terentij, enarrans illud, Eludet ubi te uictum ſenſerit: proprie gladiatorum eſt, cũ uicerint. citatq; hunc locum, additq;: Eludere eſt, ludo finem imponere. Quem ad finem.] Id eſt quouſque, id eſt, quando audaciæ tuæ finem facies. Audacia ferè in mala re dicitur. Nihil ne te nocturnum.] Quintil. libro nono, ab iiſdem uerbis plura acriter & inſtanter incipere docens, hoc Ciceronis exemplo rem probat, ubi nihil repetitur. Nihil urbis uigiliæ.] Vbi de coniuratione auditum certius eſt, decreuit Senatus, uti Romæ per totam urbem uigiliæ haberẽtur, hiſq; minores magiſtratus præeſſent, ut ait Salluſtius. Nihil timor.] Nam immutata urbis facies erat. Triſtitia inuaſit omnes, neque loco, neq; cuiquam ſatis fidebant. Nihil concurſus bonorum.] Qui tum eſſe ſolet, cum peſtis reipub. opprimenda eſt. Conſenſus, non concurſus legit Quintil. Nihil hic munitiſſimus.] Senatus legitimus, qui ſingulorũ menſium calendis & Idibus haberi ſolebat, in curia habebatur. Indictus autẽ, qui ſcilicet noua cauſa adueniente indicebatur, in loco augurato haberi ſolebat. Inde pro Senatu ſæpe templũ dicitur. Senatũ autẽ in templo Iouis Statoris tum habuit Cicero, cũ hanc in Catilinã orationẽ habuit. Id templum ad initium ſacræ uiæ, quæ ad Palatium ſpectat, ædificatũ fuiſſe, Plutarchus in uita Ciceronis tradit. De hoc templo apud T. Liuium in lib. 1. multa licet legere. Horum Senatorum.] Quos ſ. uereri debueras. Conſc. teneri, &c.] Id eſt, ab his omnibus Senatoribus cognoſci. Conſtrictam rem conſcientia tenere, eſt rem ita certo ſcire, ut ea ex animo noſtro extorqueri non poſſit.

Quid

*Quid proxima nocte.*] *In domo M.Porcij Leccæ. A' quo conſilio, infra dicet.* *Quid ſuperiore nocte.*] *Id eſt, proximam præcedente. Sua enim conſilia nocte cum cõiuratis Catilina capiebat, quo illa nocturnis tenebris forẽt occultiora.* *Quid egeris.*] *Illud ex arte eſt, ut cum aduerſariorum nobis conſilium patefactũ eſſe totũ ſignificare uolumus, ex eo pauca dicamus. Tum enim reliqua nobis cognita ſuſpicabuntur.* *Quid cõſilij ceperis.*] *Id eſt, quid deliberaueris.* *O' tempora, ò mores.*] *In magna rei quã tractat indignatione, Cicero id dicere ſolet. ut in actione in C.Verrem 6. & in oratione Pro domo ſua ad Pontifices. Priſc.lib.16. ſcribit hoc loco O' eſſe particulam indignandi. Quintil.lib.9. ſcribit, indignationis ſimulatione affectus auditorum moueri. ut, O' tempora, ò mores.* *Viuit, uiuit.*] *Repetitio eſt, in qua prioris ſententiæ uerbum ultimũ ac ſequẽtis primum eſt idem. qua figura utuntur poetæ ſæpius: Pierides uos hæc facietis maxima Gallo, Gallo cuius amor tantum mihi creſcit in horas. Sed ne oratores quidem raro: Hic tamẽ uiuit, uiuit? immo etiam in Senatum uenit.* *Publici cõſilij.*] *Quod Senatus capit.* *Nos autem uiri fortes*] *Ignauiam ſuam aliorumq; ciuium accuſat, qui ſibi reipublicæ ſatiſfacere uidẽtur, ſi Catilinæ tela declinẽt, quẽ interficere debeant. Quãuis enim uiri fortis ſit, nonnunquam periculis ſe ſubtrahere, ſeq; reip. reſeruare: in hoc tamen Catilinæ furore non licebat.* *Vir ampliſſimus.*] *Argumentum à minore ad maius per comparationẽ. Vbi, ut ait Quintilianus lib. 8. non ſolũ totum toti, ſed etiã partes partibus comparantur. Nam Catilina Graccho, ſtatus reip. orbi terrarum, mediocris labefactatio cædi & incendijs & uaſtationi, & priuatus Conſulibus comparatur.* *P. Scipio Naſica.*] *De Tyberij Gracchi cæde cum alij multi, tum Plutarchus in uita Gracchorum ſcripſit.* *Vir ampliſſimus.*] *Hunc Scipionẽ T.Liuius lib.49. ait uirum optimum à Senatu iudicatũ eſſe.* *Priuatus.*] *Id eſt, nullum gerens magiſtratum auctóre Cicerone libro de Officijs primo, priuatum oportet æquo et pari cum ciuibus iure uiuere: neq; ſubmiſſum & abiectum, neq; efferentem ſe nimis: tamen in republica ea uelle, quæ trãquilla & honeſta ſint. Hic tamen attende, priuatum dici eum qui ſit Pontifex Maximus: ut Titus Liuius libro uiceſimoprimo, C.Flaminium Conſulem deſignatum appellat priuatum.* *Nam illa nimis antiqua prætereo.*] *Id ſolet facere Cicero, cũ multa exẽpla citat, ut ante externa quàm domeſtica, ante antiqua quàm recentia memoret. hæc enim magis quàm illa mouent. Halæ exẽplum, quod antiquius eſt, præterire ſe dicit: alioqui ante Scipionem Hala citatus fuiſſet. Hæc Sp. Melij cædes facta eſt circa annum ab urbe condita CCCXVI. de qua T. Liuius multa in libro quarto.* *Q. Seruilius.*] *Hunc Caium Seruilium Liuius appellat.* *Nouis rebus ſtudentem.*] *Id eſt, regnũ affectantem.* *Fuit, fuit.*] *Hæc geminatio amplificandi gratia fit ut, Occidi, occidi non Spurium Melium.* *Iſta quondam.*] *Quondam hic præteriti temporis eſſe, Priſc.lib.15. docet, ut pro futuro Verg. dixit in Buc. Quondam tua dicere facta Tempus erit. & pro præſenti: Idem in 2. Aeneid. Quondam etiam uictis redit in præcordia uirtus.* *Habemus enim ſic.*] *Enim hic eſt particula continuatiua, nõ cauſalis. In qua ſignificatione nõ nunquam, ſed ſæpius Nam à Cicerone dicitur.* *Senatuſconſultum in te.*] *In atroci negotio reip. Senatus decernere ſolebat, ut uiderent Conſules. ne quid reſpublica detrimẽti caperet. Tum licebat Conſulibus exercitũ parare, bellum gerere, ſocios ac ciues ad bellum cogere, domi militiæq; imperium ſummum atq; iudicium habebant. Aliter iniuſſu po.Rom. harum rerum nulla Cõſuli poteſtas erat Auctor eſt Salluſtius in bello Catilinario.* *Hoc ſenatuſconſultum.*] *Quando S. C. datum ſit, non conuenit. Dicit enim Salluſtius, id datum poſtquam C.Cornelius & L.Vargunteius Ciceronem Cos. opprimere domi conati ſunt. Antea factum Plutarchus in uita Ciceronis dicit. Quam ſententiam ſecutus mihi Cicero uidetur, quod eo ipſo die, quo coniuratorũ manus effugit Cicero, habita ſit hæc oratio.* *Vehemens.*] *Id eſt, urgens.* *Et graue.*] *Id eſt, ſeuerum & triſte.* *Non deeſt reip. conſiliũ.*] *Quo conſilio hæc auctoritas Senatuſconſulti faciendi Senatui permiſſa eſt.* *Nos nos Cos. deſumus.*] *Priſc.lib.17. ſcribit, pronomen aliquãdo amplioris ſignificationis cauſa poni, ubi tantum ad alios omnes uidetur fieri diſcretio. ut Cic. in 1. lib. Inuectiuarum: Nos, nos, dico aperte, Cõſules deſumus. Intelligimus enim, ꝙ nemo alius niſi nos deſit.* *Vt L.Opimius Cos.*] *Id apud Plutarchum in Gracchorum uita amplius ſcriptum eſt.* *Nox nulla interceſſit.*] *Id eſt, eo ipſo die, quo id S. C. mandatum eſt, C.Gracchus interemptus fuit.* *Propter quaſdam.*] *Hoc dicit, ut C.Gracchi facinus, propter quod occiſus eſt, oſtendat leuius eſſe Catilinæ facinore.* *Clariſſimo patre.*] *T.Sempronio Graccho, qui duobus Conſulatibus, duobus triumphis & Cenſura ornatus fuit.* *Auis.*] *quorum auus maternus fuit Scipio Africanus maior.* *M.Fuluius Flaccus.*] *C. Gracchi in ferendis legibus ſeditioſis ſocius, quia cum Graccho contra ſalutem reip. fecerat, Senatus ſententia interfectus eſt eodẽ die quo Gracchus, eius domus euerſa & publicata eſt. In qua porticũ poſt aliquanto Q. Catulus de manubijs Cimbricis fecit, ut ait Cicero in oratione ad Pontifices de domo ſua.* *Cum liberis.*] *Id, cum filio, cui facta optio eſt, ut genus mortis eligeret: ut ait Appia. in lib. 5. Liberos autẽ etiam pro unico filio dici, A.Gellius ſcribit.* *C. Mario & L.Valerio Flacco Coſ.*] *De quo pluribus agit Cice. in oratione pro C.Rabirio perduellionis reo. C.Seruilium Glauciam, & L.Saturninum ſeditioſis legibus remp. lacerantes, & comitia cædibus diſcutiẽtes, C.Marius ſextum Cos. in curia Hoſtilia morte multauit, ut Velleius lib.2. auctor eſt.* *Num unũ diem mors remorata eſt.*] *Id eſt, Nũquid interempti ſunt eo ipſo die, quo factũ eſt S.C.* *Reip. pœna.*] *Quia ſcilicet reſp. ſeditioſos ciues multare ſolet.* *Viceſimum iam diem.*] *Negligentiam ſuam uel nimiam patientiam arguit. Quos, inquit, die hæc S.C. data ſunt, pernicioſi ciues interfecti ſunt. Viceſimus iam dies eſt, cũ hoc S.C. habemus, nec dum eo in Catilinam uſi ſumus.* *Hebeſcere aciem.*] *Vnde ſit metaphora, ſatis patet, ꝙ hoc S.C. datum ſit tanquam gladius, quo necetur Catilina. Quod aũt tãdiu quieſcat, uelut rubigine acies eius hebeſcit & obtunditur. Ferrum enim, ut apud A.Gellium Cato ait, ſi non exerceas, rubigo inficit.* *Horum Senatorum.*] *Conuenit accentu acuto in media, alioqui interfici dicendum eſſet.* *Viuis & uiuis.*] *Hanc uocis geminationem, ubi aliquid interponitur, uehementiorẽ eſſe Quint.lib.9. præcepit. ut: Bona, miſerum me, conſumptis enim lachrymis tamẽ infixus animo hæret dolor: bona, inquam Cn.Pompeij acerbiſſimæ uoci ſubiecta præconis. Viuis, et uiuis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam.* *Non diſſolutum.*] *Id eſt, nõ inertem, non diffluentem, non negligentem. tanquam reip. cura ſolutus ſim. Cicero Actione in Verrem.7. Intelligo maluiſſe Domitiũ crudelem in animaduertendo, quàm in prætermittendo diſſolutum uideri.* *Inertiæ.*] *Id eſt, ſtultitiæ, ꝙ ſolertiam, quæ inertiæ contraria eſt, prudentiam Cicero appellet. Inertiæ igitur: ideſt, ſtultitiæ, quòd clemens & humanus eſſe uelim in eũ, qui parricida patriæ eſſe cogitet, quæ mea quoque nequitia eſt.* *Caſtra ſunt.*] *Cnæus Manlius, qui ſub L.Sylla ſtrenue militauerat, in Etruria Fæſulis cũ alios multos, tum L.Sylla ueteranos milites imperio Catilinæ habebat, qui princeps fuit belli faciendi.* *In Eutruriæ faucibus.*] *Id eſt, Fæſulis, prope quas Florentia non multo poſt deducta colonia eſt.* *In Etruriæ faucibus.*] *Id eſt, in ingreſſu Etruriæ. In dies ſingulos dicit, cũ indies obtineat dicẽdi cõſuetudo.* *Imperatorem eorum.*] *Id eſt, Catilinam.* *Ne hoc potius.*] *Apud Quintil. lib.9. lego. Ne non potius: Vtimur, inquit, uulgo cõparatiuis pro abſolutis, ut cum ſe quis infirmiorẽ*

eſſe dixerit, duo inter ſe comparatiua committimus. Si te Catilina comprehendi, ſi interfici iuſſero, credo erit uerendū mihi, ne non potius oēs boni ſerius à me, quàm quiſquam crudelius factū eſſe dicant? Hoc enim uerbum Credo à Cicerone ſæpe dicitur in oratione interrogatiua, cū ironia, tanquam per parentheſin. ut in oratione contra Rullum in Senatu: Vos hæc, niſi euertere remp. cuperetis, ac uobis nouam dominationem cōparare, credo quàm pernicioſa eſſent, non uideretis? Idem: Hoc motu atque hac perturbatione animorū atq; rerum, cum pop. Rom. uox & auctoritas Conſulis oſtenderit, ſummam tranquillitatem pacis et otij, uerendum (credo) nobis erit, ne ueſtra iſta præclara lex agraria magis popularis eſſe uideatur? Cum uero ſcelera conſiliorum ueſtrorū, fraudemq́; legis & inſidias, quæ ipſi populo Romano à popularibus Trib. pl. fiant, oſtēdero, pertimeſcam (credo) ne mihi non liceat contra uos in cōcione cōſiſtere? Omnes boni.] Ciues boni dicuntur, qui reipu. ſtudioſi ſunt, etiam ſi improbi ſint homines. Nam bonus ciuis & bonus homo, eodem modo non dicuntur. Ariſtoteles lib. Politicorū. 3. ubi docet boni ciuis et boni hominis eandem uirtutem nō eſſe: boni ciuis uirtutem eſſe dicit, conſeruationem cōmunis ſocietatis: ſocietatem uero eſſe remp. quocirca ciuis boni uirtutē ad rempub. ſpectare. Sententia igitur eſt: Si te interfici iuſſero, nemo ex bonis ciuibus id à me factum crudelius dicet, ſed oēs potius dicent prius factum oportuiſſe. Iampridem factum eſſe oportuit.] Id eſt, te Catilinam interfectum. Firmis præſidijs.] Quæ ſcilicet in urbe collocaui, ut nocturnū præſidium Palatij & uigilias. Oppreſſus.] Id eſt, circundatus, & circūuallatus, & circunclusus. Commouere.] Id eſt, mouere. ut paulo infra. Nam inficiari potes, te illo ipſo die meis præſidijs, mea diligētia circunclusum, cōmouere te contra rempub. nō potuiſſe? Non ſentientem.] Id eſt, cum non animaduertes. Adhuc.] Id eſt, hucuſq;: quæ eius propria ſignificatio eſt, in qua Cicero uſurpare ſolet. Speculabuntur atque cuſtodient.] Id eſt, obſeruabunt. id eſt, attente uidebunt & audient, quæ facies aut conſultabis. Illuſtrantur.] Id eſt, declarantur & patefiunt. Teneris undique.] Id eſt, arcana tua conſilia, quæ nocte in priuatis parietibus cepiſti, tenemus & ſcimus: id eſt, ut uulgo dicunt, tu detectus. Mecum licet recognoſcas.] Id eſt, ſi oblitus es, ea tibi in mentem reuocabo. Quo uerbo Cicero cum utitur, cum aduerſarij uitia ſibi cognita dicit. Ante diem V. Cal. Nouemb.] Hoc die Cicerone Cos. futura erant comitia conſularia. Sed pridie Cicero ad Senatum retulit, quoniā multa narrabātur, quæ Catilina facturus erat, ut per uim fieret Cos. factum eſt S.C. referente Cicerone, ne eo die comitia haberentur. Quo die frequenti Senatu Catilinam Cicero excitauit, eumq́; de his rebus iuſſit, ſi quid uellet, quæ ad ſe allata eſſent, dicere. Tum hæc Cicero Catilinæ prædixit. Ante diem XII. Cal.] Auctore Priſc. lib. 18. dicimus tertium & tertio Cal. uel Non, uel Idus, uel Cal. Non. Iduum, pro in. 3. die ante Cal. uel Non. uel Idus. Cicero in. 1. Inuectiuarum: Meminiſti ne me ante diem. 12. Cal. Nouemb. dicere in Senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus eſſet ante diem 6. Cal. Nouemb. Ante diem 6. Cal. pro ante Cal. dictum eſſe, idem Priſc. eodem lib. ſcribit. Adminiſtrum.] Id eſt, magnum & præcipuum miniſtrum: qua uoce uſus ſæpe Cicero eſt: Ad enim habet uim intendendi: ut adamare, admirari, aduigilare. Conſuliſſe.] Id eſt, propoſuiſſe & deſtinaſſe. In ante diem.] Id eſt, in die qui eſſet ante diem. Tuorum conſiliorum reprimendorum cauſa.] Id eſt, ne optimates, ut conſulueras, occideres. Illo ipſo die.] Id eſt, ante diem 5. Cal. Nouemb. Cum te Præneſte.] Hoc Præneſte & hæc præneſtis, auctore Seruio lib. Comment. 7. dicitur. Superiorem noctem.] Qua conueniſti in domum M. Porcij Lecca Senatoris cum coniuratis: quæ nox omnium temporum coniurationis acerrima fuit, atq; acerbiſſima, ut ait Cic. pro P. Sylla. Priori nocte.] Id eſt, ſuperiore.

Inter falcarios.] Falcarij à falce dicti ſunt, qui falce metunt. Hos autem coniuratos appellat falcarios, propterea quòd ciuitatem omnē, adeoq́; ipſa urbis ædificia tanquam falce metere, id eſt, ferro igniq́; omnia uaſtare: ut fœniſeca demetit omnia, ita hi nihil erant relicturi. Inter falcarios.] Id eſt, cum falcarijs: uel ut exponit hunc locum Priſc. lib. 18. in eum locum ubi erāt falcarij. Hoc dicendi genere Cicero utitur etiam in oratione pro P. Sylla: Quid tandem, inquit, de illa nocte dicit, cum inter falcarios ad M. Leccam nocte ea quæ cōſecuta eſt poſterum diem Non. Nouemb. me Cos. Catilinæ denunciatione conuenit? Conſilio.] Id eſt, Senatu. Video eſſe hic.] Salluſt. nominat XI. Senatores, qui fuerunt ex coniuratione, Lentulum, Antronium, Longinum, Cethegum, P. et Ser. Syllas, Vargunteium, Annium, Leccam, Beſtiam & curium. Diſtribuiſti partes Italiæ.] Nam Cn. Manlium Fæſulas, Septimium in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimiſit, auctore Sall. qui tamen ſcribit, has Italiæ partes ante diſtributas, quàm in domum Leccæ conuenerint. Cic. tamen pro P. Sylla, dicit ea nocte Catilinæ exeundi, cæteris manendi conditionem, per urbem totā cædis atq; incendiorū deſcriptionem conſtitutā eſſe. Quos Romæ relinqueres.] Hac nocte conſtituit Catilina, ut cū egrederetur ad exercitum, Lentulus in urbe relinqueretur: Caſſius incendijs, Cethegus cædi præponeretur. ut ait Cic. pro P. Sylla.

Deſcripſit urbis partes ad incendia.] Duodecim opportuna urbis loca ad incendia deſcripta eſſe, quibus Statilius & Gabinius præfecti eſſent, Sall. ſcribit. Confirmaſti.] Id eſt, affirmaſti. Paululum tibi moræ.] Id eſt, nihil te remorari, niſi quòd uiuerem. Reperti ſunt duo equites Rom.] Hos Sall. C. Cornelium & L. Vargunteium, Plut. & Appianus cum Cornelio M. Cethegum nominat. Dimiſſo.] Id eſt, diſſoluto. ut dimitti Senatum, dimitti exercitum, dimitti diſcipulos dicimus. Comperi per Fuluiam.] Quæ omnia Ciceroni patefaciebat. Excluſi.] Id eſt, aditu prohibui: id eſt, in domum meam non recepi. Quos tu mane ad me.] Hi enim duo equites Rom. ceperant conſilium, ut prima luce Ciceronē Cos. tanquam ſalutatum uenirent, ut intromiſſi Ciceronis more & iure amicitiæ, eum in lecto ſuo trucidarent: ut ait Cic. pro P. Sylla. Hi ianua prohiberi ſe indigne ferentes, in ipſis foribus ita acclamauerūt, ut in apertam ſuſpicionem uenerint. Id temporis.] Id temporis & id ætatis, pro eo tempore et ea ætate ſæpe dicit Cic. lib. Epiſt. ad Att. 13. Venit ad me, & quidem id temporis, ut retinēdus eſſet. Idem de Finibus. 5. Is locus ab omni turba id tēporis uacuus eſſet. Idem lib. Epiſt. fam. 6. Ita uiximus. & id ætatis iam ſumus, ut omnia quæ non noſtra culpa nobis acciderint, fortiter ferre debeamus. Perge quò cœpiſti.] Quintil. lib. 9. ubi de dictionum repetitione præcipit: Congregantur, inquit, uerba idem ſignificantia. Quæ cum ita ſint, Catilina perge quò cœpiſti, egredere aliquando ex urbe, patent portæ, proficiſcere. Et in eodem, alio libro: Abijt, exceſſit, erupit, euaſit, nimium tandiu. Iulius Rufinianus Epitropem eſſe dicit, cum figurate cōcedimus, ut quod uelit quis faciat. Verg. 1. ſequere Italiam uētis, pete regna per undas. Et Cicero: Proficiſcere, nimium iandiu te imperatorem illa tua Māliana caſtra deſiderāt. Murus interſit.] Parietes priuati ſunt, muri uero & mœnia publica ſunt: ut ianua priuatorum ædificiorum eſt, porta publicorū, murus urbis.

Huic ipſi Ioui Statori.] Cuius in templo ſenatus hic habebatur. Antiquiſſimo cuſtodi huius urbis.] Cum Sabini cum Romulo bellum gerentes, Capitoliū Tarpeiæ proditione occupaſſent, Romulus inclinata ſua acie, fuſaq́; ad ueterem portam Palatij, ob Ioue precatus eſt, ut fœdam ſuorū fugam ſiſteret. ibiq; Ioui Statori templum uouit, quod monumentū eſſet poſteris, Iouis præſenti ope urbem ſeruatam eſſe. ut ait T. Liuius libro primo. Nec ob id credas primum Romæ hoc templum fuiſſe.

Iouis

Iouis enim Feretrij ante hoc primum Romæ templum ſacratum fuiſſe, idem ſcribit. Stator Iuppiter à ſiſtendo dicitur, quod auctore Gellio habet præteritum ſtiti, & habet ſupinum ſtatũ. Inde ſtatus condictuſq; cum hoſte dies, in lege tab. 12. & in. 1. de Offic. dicitur. Tanquam infeſtam reip. peſtem ] Infeſtum, ut ait A. Gellius lib. 9. id dicitur, quod malum infert cuipiam. Cicero peſtem & perniciem appellare ſolet, id quod damnũ afferat maximum. Periclitanda. ] Id eſt, in periculis uerſanda, & ad exitium petenda. In uno homine. ] Id eſt, in me Cicerone, cuius ſalus cum reip. ſalute coniuncta eſt. Proximis comitijs. ] Quibus Cicerone Conſule D. Syllanus & L. Marena Coſſ. deſignati ſunt. Anno enim ſuperiore Catilina Conſulatus repulſam paſſus, in hunc annum petiuit Conſulatũ. Quo die haberentur comitia, Cicero quòd homines iam tum cõiuratos cũ gladijs in campum deduci à Catilina ſciret, deſcẽdit in campum cum firmiſſimo præſidio fortiſſimorum uirorum, & cũ illa lata & inſigni lorica: ut idem ait in oratione pro L. Murena. In campo. ] Martio. Nullo tumultu. ] Id eſt, nullo bello aut belli apparatu, aut nulla publica ciuium perturbatione concitata. Me petiſti. ] Petere honorem, famam, fortunas alicuius, iugulum, caput, hominem, Remp. ferè in re mala dicimus. Perniciem meam. ] Id eſt meam perniciem redundaturam in Reip. calamitatem. Id quod primum. ] Id eſt, præcipuum, ut uocem populum R. ad arma ex S.C. teq; interficiã. Diſciplinæq; maiorum. ] Hæc enim auctoritas S.C. in atrociore periculo reip. à maioribus inſtituta eſt. Ad ſeueritatẽ lenius. ] Id eſt, minus ſeuerum. Sentina Reip. ] Quemadmodũ nõn uenire ſolet, ut quidquid humoris corrupti in corpore ſit, id totũ ulcus ad ſe contrahat: qdquid aquæ in naui eſt, id ad ſentinam cõfluat: ita in ciuitate quotquot improbi ſunt, ad aliquem unum improbitate inſignem concurrunt. Id in hac Catilinæ coniuratione factum eſt. Nam, ut ait Salluſtius, qui ubique probro atque petulantia maxime præſtabant, qui per dedecora patrimonium amiſerant, oẽs denique, quos flagitium aut facinus domo expulerant, ij Romam ſicuti in ſentinam cõfluxerunt. Quint. lib. 8. de Metapho. ſcribens, dicit Ciceronẽ recte ſentinam reip. dixiſſe, cum fœditatẽ hominum ſignificaret.

Non iubeo. ] Nam id inuidioſum eſſet Romæ, & penè regium, ſi Coſ. iuberet ciuem in exilium ire. Extra iſtam coniurationem. ] Id eſt, exceptis tuis coniuratis. Extra enim pro præter dicitur. Cic. lib. Epiſt. famil. 8. ad Curionem: Deriderites putas. nunc demum intelligo te ſapere. Sed, me hercule, extra iocũ, ualde mihi tuæ literæ facetæ elegantesq; uiſæ ſunt. Idẽ in oratione pro domo ſua: Ciuis eſt nemo in tãto populo extra contaminatam illam & cruentam P. Clodij manum, qui rem ullam de bonis meis attigerit. qui te nõ metuat ut parricidam patriæ, qui te non oderit ut improbum hominẽ et flagitioſum. Vel quia quem metuunt oderunt, quẽ quiſque odit periſſe expetit, ut ex aliquo poeta Cicero ait de Offi. lib. 2. Domeſticæ turpitudinis. ] Nam tu fratrem occidiſti, quẽ mortuum ut uiuum à Sylla proſcribi impetraſti, ut legum pœnas euitares. Tu filium necaſti, ut Aureliam Oreſtillam uxorem haberes. Tu cũ filia concubuiſti. Hæc ſunt partim apud Salluſtiũ, partim apud Plutarchum in uita Ciceronis. Nota non inuſta. ] Inurere notam, pro eo quod eſt ignominiá & dedecus afferre, ſæpe Latini ſcriptores dicunt. Cicero pro A. Cluentio: Qui pretio adductus eripuerit patriam, fortunas, liberos cui innocẽti, is Cẽſoriæ ſeueritatis nota non inuretur? Idem pro P. Sylla: Neque enim nũc propulſandæ calamitatis ſuæ cauſa ſupplex ad uos iudices cõfugit, ſed ne qua generi ac nomini ſuo nota nefariæ turpitudinis inuratur. Inurere maculam, odium, dolorẽ, uulnus, aliaq; eiuſdem generis multa dicimus. Non hæret. ] Id eſt, inſidet & infixum eſt, & manet. Cicero pro P. Sextio: Si iſti Cypriæ rogationi ſceleratiſſimæ nõ paruiſſet, hæreret illa nihilominus in repub. turpitudo. Idem pro M. Cælio: Quare iſta conditio iudices reſpuatur, nec Catilinæ familiaritatis crimen hæreat: id eſt, Cælio infixum ſit & noceat. Terent. in Hecyra: Sola hic fuiſti, In te omnis hæret culpa Soſtrata. Non ad audaciam ferrum. ] Catilina, auctore Salluſtio, maxime iuuenũ uel adoleſcentium familiaritates appetebat: eorum animi molles & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. nam ut cuiuſq; ſtudium ex ætate flagrabat, alijs ſcorta præbere, alijs canes atq; equos mercari. poſtremo neque modeſtiæ ſuæ parcere, dum illos obnoxios fidoſq; ſibi faceret. Ad audaciam ferrum. ] Id eſt, arma, tela, ſicas. Ad libidinem facem. ] Id eſt, ſcorta. Superioris uxoris. ] Id eſt, prioris. Domũ uacuam feciſſes. ] Id eſt, filium ex ea ſuperiore uxore necaſſes. Catilina captus amore Aureliæ Oreſtillæ, cuius præter formam nihil unquã bonus laudauit, quòd ea nubere illi dubitabat, timens priuignum adultum ætate, pro certo creditur, necato filio uacuam domum ſceleſtis nuptijs feciſſe. auctor Salluſt. Alio incredibili ſcelere. ] Id eſt, coitu cum filia. Quam ex ſtupro filiam Catilina ſuſtulit, eam poſtea habuit uxorem, ut ait Aſconius Pædianus in Comment. in ora. Cic. in Catilinam & Antonium. Cumulaſti. ] Id eſt, præter hoc ſcelus grauius aliud commiſiſti. Sileri. ] Id eſt, à me non dici. Proximis Idibus. ] Id eſt, Idibus Nouemb. Senatus enim legitimus ſingulorum menſium Calendis & Idibus habebatur, ut iam diximus. Spiritus cœli. ] Id eſt, ſpiratio aeris: id eſt hæc uita, quæ ſine ſpiritu eſſe nõ poteſt. Pridie Calend. Ianuar. ] Mos fuit Romanorum, ut noui Conſules in concione, quam primam haberent, pop. Rom. gratias agerent, quod ſuffragio ipſius facti eſſent Cõſules, maiorũq; laudes exponerent. ut ait Cic. in oratione contra legem agrariam Rulli, quam Calend. Ianuar. habuiſſe ſe dicit in oratione in L. Piſonem. Pridie Calend. Ianuar. ] L. Torquatus & L. Cotta deſignati Coſſ. actionem primam habituri erant. L. Catilina, P. Antronius & Cn. Piſo circa Nonas Decemb. communicauerunt conſilium, ut eos Conſules interficerent. Ea re cognitas, rurſus in Nonas Februar. conſilium cædis tranſtulerunt. Iam tum nõ Conſulibus modo, ſed pleriſque Senatoribus perniciem machinabantur. Quod ni Catilina maturaſſet pro curia ſignum ſocijs dare, ex eo die poſt conditam urbem Romá peſſimum facinus patratum foret. quia nondum frequentes armati conuenerant, ea res conſilium diremit. auctor eſt Salluſt. Pridie Calend. ] Priſcianus libro decimoquarto. Pridie, inquit, more præpoſitionis accuſatiuo adiungitur. Cicero in primo Inuectiuarum, Pridie Calendas Ianuarias. Calendas tamen Ianuarias cædi Conſulum deſtinatas fuiſſe, Salluſtius ſcribit. Lepido & Tullio Coſſ. ] De horum Conſulum nomine inter ſcriptores non conuenit. Aſconius Pædianus L. Volcatium & Tullium, Salluſtius L. Tul. & M. Lepidum, Cicero pro Sylla Lepidum & Volcatium. Idem hic Lepidum & Tullium appellat. In comitio. ] Vbi habenda concio erat. Cum telo. ] Quod neque in comitium, neque in forum, neque in curiá ferri licebat. Principum. ] Id eſt, ſenatorum & ciuium primariorum. Vt enim dux belli eſt, ita princeps eſt ciuitatis. Aliquam mentem. ] Alij legunt, metum aliquem. Fortunam reip. obſtitiſſe. ] Reipub. fortunæ id tribuit, quòd Catilina ſignum dare maturauerit. Ac iam illa. ] Scilicet quæ ſequuntur. Non multo poſt commiſſa. ] Id eſt, anno ſecundo. Nam Conſules Torquatum & Cottam Catilina necare conatus eſt. Poſt hos Conſules facti ſunt L. Cæſar & C. Figulus. His Coſſ. Cicero & C. Antonius Coſſ. deſignati ſunt. Petitiones conijcere gladiatores dicũtur, cum aduerſario uulnus infligere conantur. Ictum gladij iacere uulgo dicunt. Petere hominem quid ſit, ante diximus. inde petitio appellata eſt. Hæc igitur metaphora à gladiatoribus tota facta eſt. Gladiatorẽ poſtea Catilinam appellat. Petitiones cõiectas aduerſarij qui ſunt uudi, id

*eſt, ſine armis & clypeis, aut parua declinatione euitant, aut corpore effugiunt. Seruius enarrans illud Verg. ex lib. Aeneid. nono. At Niſus ruit in medios, ſolumq́; per omnes Volſcentem petit: Petit, inquit, id eſt, appetit. Petitiones enim proprie dicimus, impetus gladiatorum. Vnde Cicero. Quot ego tuas petitiones ita coniectas: declinationem intelligit, cum ad eludendũ ictum aduerſarij corpus in hãc uel in illã partem inclinamus. Inde factum eſt, ut declinare pro eo quod eſt uitare dicamus. Cicero in primo de Officijs. Declinetq́; ea quæ ei nocitura uideãtur. Corpore effugere prouerbiali ſentẽtia eſt, periculũ iam imminens ac penè premens arte quadam declinare. Translatũ à gladiatoribus, ictum modico flexu corporis fallẽtibus. auctor eſt Eraſmus.* Mihi latere. ] *Id eſt, mihi incognitum eſſe. Vergil. tamen in libro Aeneidos primo dixit, Nec latuere doli fratrem Iunonis, & iræ. Quod uſitatius eſt.* In tempore. ] *Id eſt, opportune, quo ſcilicet tempore ſcire mihi utile ſit. Terentius in Hecyra: Opportune te mihi Phidippe, & in ipſo tẽpore oſtendis. Idem id Heautontimorumeno: In tempore ad eam ueni, quod rerum omnium eſt primum.* Quoties tibi extorta eſt ſica de manibus. ] *Id eſt, quoties tuis conatibus reſtiti. Et tanquam tua tibi è manibus extorta fuiſſet ſica, nihil confeciſti. ut in primo de Offi. Cicero de oppreſſa coniuratione: Conſilio, inquit, diligẽtiaq́; noſtra celeriter de manibus audaciſſimorum ciuium delapſa ipſa arma ceciderunt.* Caſu aliquo. ] *Id eſt, quoties conatus tuus caſu aliquo & fortuna reipub. eluſus eſt, ut pridie Calend. Ianuar. & Non Februar. Sica à ſecando quaſi ſeca genus erat gladij parui, ad cædem faciendã, quod facile occultari poſſet. Inde ſicarius, qui ſica hominem occidit. Sed per abuſionem auctore Quintiliano libro decimo, ſicarios etiam omnes uocamus, qui cædem telo quocunq; cõmiſerint. homicidas dicunt.* Initiato ſacris. ] *Id eſt, ſacrata. Cultris enim utebãtur in mactandis uictimis. ut Aenea Hecatæ ſacrificante apud Vergil. libro Aeneidos ſexto. Supponunt alij cultros, tepidumq́; cruorem Suſcipiunt pateris. Auctore Seruio in Comment. in libro Aeneidos ſecundo frons uictimæ, & foci, & cultri, mola ſalſa aſpergebantur. Huiuſmodi cultro uictimario in profana rei uti non licebat.* Deuota. ] *Id eſt, addicta ſacris & deſtinata, ut in lib. Aeneidos decimoſecundo. Ille quidem ad ſuperos, quorum ſe deuouet aris Succedet fama, uiuusq́; per ora feretur.* Conſulis in corpore. ] *Eam enim primum uoluit defigere in corporibus Torquati & Cottæ Coſ. Poſtea ſæpe in corpore Ciceronis Coſ.* Paulo ante. ] *Sed hoc ipſo die.*

Neceſſarijs. ] *Id eſt, propinquis.* Quis te ſalutauit? ] *In Senatum uenit Catilina, ut cõiurationis ſuſpicione ſe purgaret. ſed adeo creuerat eius odium, ut id fruſtra tentaret: quippe cum prope eum nemo Senator aſſidere uoluerit, ſed ab eo ſe quiſque auerterit longius, ut ante diximus.* Si hoc contigit nemini. ] *Morem fuiſſe ſignificat, ut qui in Senatum intret, eũ ſaltem amici & propinqui ſalutarent.* Grauiſſimo iudicio taciturnitatis. ] *Quod te amici & propinqui non ſalutauerũt, id eorum ſilentium, tacitum de te iudicium erat.* Conſtitui tibi. ] *Id eſt, à te.* Partem iſtam ſubſelliorum. ] *Id eſt, ut tibi aſſiderent ſurrexerunt, alioq́; ſeſſum iuerunt.* Serui me hercule mei. ] *Auctore Quintiliano libro octauo, amplificatio per comparationem incrementum ex minoribus petit. Augẽdo enim quod infra eſt, ex quo ſumitur cõparatio, neceſſe eſt extollat id quod ſupra poſitum eſt. Cicero in Catilinam, Serui me hercule mei, &c.* Vrbem non arbitraris? ] *Relinquẽdam.*

Agnoſcos conſcientia ſcelerum tuorum. ] *Id eſt, quod tu tibi ipſe conſcius ſis.* Odium iuſtum. ] *Vt opponat ei quod dixit, iniuria ſuſpectum.* Omnium noſtrum parens. ] *Pro eo, quod eſt, noſtra omnium parens dicit. ut paulo ante: Ad omnium noſtrum uitam ſalutemq́; pertinent. Item, Qui de meo noſtrumq; omnium interitu cogitent.* Odit ac metuit. ] *Aliũ ante ſeruauit ordinẽ: Nemo qui te nõ metuat, nemo qui te nõ oderit. Si te parentes timerẽt atq; odiſſent.* Parricidio ſuo. ] *Id eſt, interitu ſuo, quæ cõmunis eſt omnium noſtrum parens.*

Sic agit. ] *Id eſt, ſic loquitur.* Tacita. ] *Vſitatius quàm tacens. ut paulo poſt: Quorum uoluntatem tacitorum perſpicis. Ad rei amplificationem proſopopœia, id eſt, perſonæ fictione nonnunquam utimur, cum ſcilicet abſenti, aut mortuo, aut mutæ rei, aut inanimæ ſermonẽ damus. In qua ſeruari decorum illud poeticum oportet, hoc eſt, ut ficta perſona dicat, quod ſi uiua adeſſet, diceret. Vtimur enim fictiõe perſonarũ, ut ait Quintil. lib. 11. & uelut alieno ore loquimur: dandiq́; ſunt ijs, quibus uocem accõmodamus, ſui mores. de hac non pauca idem cum alijs in locis, tum in lib. 3. ſcribit.* Tot annos. ] *Vt in 1. Aeneid. Vna cum gente tot annos Bella gero. Hoc tamen in loco Quintil lib 9. legit Aliquot annis.* Nullum flagitiũ ſine te. ] *L. Syllam in crudeli proſcriptione ſecutus eſt. Prioris & poſterioris coniurationem auctor fuit.* Tibi uni, &c. ] *Id eſt, nemo ciuem Romanum præter te occidit, qui multos occidiſti.* Direptio uexatioq́;. ] *L. Catilina Prætor obtinuit Africam. inde cum rediſſet Cotta & Torquato Coſſ. à P. Clodio adoleſcente repetundarum accuſatus, abſolutus eſt, ut ait Aſconius Pædianus in commentarijs in orationem Ciceronis in L. Catilinam et C. Antonium competitores.* Impunitam. ] *Cicero libro Epiſtolarum ad Atticum 1. & in oratione in L. Piſonem, dicit Catilinam bis abſolutum fuiſſe.* Quæſtiones. ] *Id eſt, iudicia de qua uoce in Ciceronis Milonianam ſcribimus. & Quintil. li. 3.*

Tuliſſes reſponſum. ] *Id eſt, accepiſſes. ut ferre punctum & ferre tribum, id eſt, accipere tribus ſuffragia. Horatius: Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci. Cic. pro Cn. Plancio: Quod quæſtus es plures te teſtes habere de Volitinia, quàm quot in ea tribu puncta tuleris. Idem: Quamcunque tribum inquam delegeris, quam tulerit Plancus, tu oſtendito ſi poteris uitium: ego qua ratione tulerit, docebo. Repulſam ferre idem dicit in libro de Finibus bo. 5. A uano populo repulſam fert.* Morari. ] *Non habitare, ſed moram trahere.* Aequo animo ] *Id eſt, pacato & quieto.* Abire in aliquas terras. ] *Id eſt, regiones. Titus Liuius libro uigeſimoprimo, terras in hac ſignificatione dixit: Aut in alias terras transferendum bellum.*

Ereptam. ] *Liberatam, ſubtractam.* Fugæ ſolitudiniq́; mandare. ] *Qui enim deliquerunt, ſtimulo conſcientiæ, aut pœnæ metu exagitati profugiunt, latenteſq́; ſolitudinem quærunt. Mandare ſe fugæ eſt profugere, mandare ſe ſolitudini eſt ſe occultare & ſolitudinem quærere: id eſt, hominum aſpectum euitare.* Refers, inquis, &c. ] *Cum habebatur Romæ Senatus, Conſulum alter ad Senatum referebat id, de quo faciendum Senatuſconſultum erat. nec aliter ullum fieri S. C. licebat. Ideoq́; Cicerone exulante, P. Clodius lege cauit, ne quis Conſulum ad Senatum referret de reuocando Cicerone. Referre ad Senatum eſt, ponere in deliberationem Senatus, ut fiat Senatuſconſultum: ut ferre ad populum eſt, ponere in deliberationem populi, ut ferat ſuffragium.* Hic ordo. ] *Id eſt, Senatus.* Sibi placere decreuerit. ] *Id eſt, Senatusconſultum fecerit.* Abhorret à meis moribus. ] *Dicebat ante Cicero, cupere ſe clemẽtem eſſe, & in tantis Reipub. periculis non diſſolutum uideri. Idem in oratione pro P. Sylla, ſe natura eſſe dicit lenem & miſericordem. Si igitur in Senatum referret Cicero de Catilinæ exilio, ſeueritatem contra naturam ſuam aſſumere uideretur.* Quid hi. ] *Senatores.* Animaduertis horum ſilentium. ] *Sententia eſt: Cum dico tibi, egredere in exilium, Senatores tacent: id ſi dicerem uiro bono, ut Sextio uel Marcello in hoc loco Senatus iure optimo mihi uim afferret. Tacito itaque iudicio Senatus dignum te exilio putat, hoc ipſo in templo Iouis Statoris. Rem enim differendam Senatus non putaret, nec loci ſan-*

ctitas tueri me poſſet. tanta eſſet dicti atrocitas. Paulo ante.] Cum uenires in Senatum. Quorum ego.] Id eſt, quos uix iandiu retineo, quin tibi uim & manus inferant. Meditere.] Cogites. Tibi iſtam mentem.] Vt in exilium fugere uelles. Mea uoce.] Id eſt, mea oratione. Animum induxeris ire.] Inducere animum, & inducere in animũ cum infinitiuo, eſt putare, arbitrari, uelle, perſuaderi. Terẽtius in Andria: Per ego te deos oro, ut ne illis animũ inducas credere, quibus id maxime utile eſt. Idem in Eunucho: Qui huic aſſentari animum induxeris, ex flamma te petere cibum poſſe arbitror. Idem in Hecyra: Leuia ſunt quæ tu pergrauia eſſe in animũ induxti tuum. Idem in Andria poſuit cum gerundio: Cum illa animum induxit tuũ, hoc quod cuperes aliquo pacto efficiũdum tibi. In præſens tempus.] Pro eo quod eſt in præſenti tempore. Nam ut ait Priſc. lib. 18. Latini præpoſitionem in accuſatiuo ſepe adiungunt loco ablatiui. Terent. in Eunucho, In quem exempla fient: pro in quo. Idem id Adelphis, Vereor in os te laudare amplius: pro in ore. Cic. Inuectiuarum 1. Si minus in præſens tempus, at in poſteritatem impendeat. Salluſt. in bello Catilinæ, hoc dicendi genere uſus eſt: Si cauſa peccandi in præſens minus ſuppetebat, nihilominus inſontes ſicuti ſontes circũuenire & iugulare. Recenti memoria ſcelerum tuorum.] Id eſt, cum adhuc erit recens memoria ſcelerum tuorum. In poſteritatem.] Quod in poſterum ſæpe dicit. Vulgare magis eſt in futurum, qua uoce Liuius raro utitur. Quanta tẽpeſtas inuidiæ.] Id eſt, uis inuidiæ. Inuidia autẽ hic ea eſt, quæ mala gratia uulgo dicitur. Non eſt mihi tanti.] Ariſtot. lib. Eth. 3. dicit inuidiam uiro forti metuendam: quæ tamen Reip. cauſa ſuſcipitur metuenda non eſt. Iſta igitur inuidia mihi tanti non eſt. id eſt, eam tanti non facio. Sed tu uitijs, &c.] Sententia eſt, Non eſt poſtulandum ut commoueare tuis uitijs: is enim non es, ut à turpitudine unquam te pudor reuocauerit. non eſt poſtulandum, ut pœnas legum pertimeſcas: is enim non es, ut te à periculo metus reuocauerit, &c. ut etiam poſtremum poſtremo reſpondeat. Vt temporibus Reipub. concedas.] Id eſt, ut ad Reip. tempora te accõmodes: & cum te res ipſa publica timeat, diſceſſu ex urbe eã metu liberes. Vt te aut pudor unquam.] Quint. lib. 9. de detractione præcipiens, & eius tertiam eſſe ſpeciem dicit, in qua unum ad uerbum plures ſententiæ referuntur, quarum unaquæq; deſideraret illud, ſi ſola poneretur. Id accidit aut propoſitio uerbo, ad quod reliqua reſpiciant. ut pro A. Cluẽtio: Vicit pudorẽ libido, timorem audacia, rationem amentia. Aut illato, quo plura clauduntur: Neque enim is es Catilina, ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore unquam reuocauerit. Vt ſæpe iã dixi proficiſcere.] Primum enim dixit: Perge quò cœpiſti, egredere aliquando ex urbe, patent portæ, proficiſcere. deinde: Egredere ex urbe Catilina, libera Rempub. metu. Proficiſcere.] Proficiſci in re ægra & difficili dicitur, ut ait Donatus, exponẽs illud Daui Terentiani in And. Quid cauſæ eſt, quin hinc in piſtrinum recta proficiſcar uia? Recta uia, & recta dicit Teren. non recte, quando locale eſt. In Phormione: Vt modo argentum tibi dedimus apud forum, recta domum ſumus profecti. Si mihi inimico.] Id eſt, uis mihi conflare uel inuidiam, uel gloriam: ſi inuidiam, proficiſcere in exilium: ſi gloriam, in caſtra Manliana, cum manu coniuratorum diſcede. Iubere ciuem Romanum proficiſci in exilium, eſſe uidetur nimiam ſibi potentiã uſurpantis. Ideo Ciceroni inuidiam conflaturus Catilina ſit, ſi in Exilium egrediatur. Conflare pro eo quod eſt facere, cum dij multi, tum ſæpe Cicero dicit. ut pro M. Cælio, cõflare inuidiam: in Verrem Actione quarta conflare crimen & inuidiam: id eſt, ob crimen homini inuidiam facere. Ibidem conflare negotium, id eſt, facere & exhibere. de Reſponſis Aruſpicum, conflare pactiones & ſocietates, id eſt, facere. Pro Deiotaro, conflare conſenſum: id eſt, facere conſenſionem. Pro Roſcio, conflare iniuriam, id eſt facere. Pro eodem, conflare iudicium, id eſt litem facere. Pro Cluentio, conflare ſeditionem. Pro P. Sylla, conflare exercitum, & conflare tumultum. Libro Epiſtolarum familiarium quinto, conflare bellum. In Partitionibus, conflare crimen & ſuſpiciones. Pro Cælio, conflatum monſtrum, id eſt compoſitum. Vnde facta ratio ſit, promptius eſt quàm ut dici debeat. Sermonem hominum.] Id eſt, famam. Molem.] Id eſt, onus iſtius, quam tu mihi conflaueris. Nam pronomen iſtud, & à Cicerone, & à Terentio, ad perſonam ſecundam referri ſæpius attendimus. Seruire laudi meæ.] Id eſt, laudem mihi facere. Importuna manu.] Cicero importunum pro malo, crudeli & inhumano, ſæpe dicit in orationibus. ut pro P. Seſtio, dicitur manus Catilinæ importuna. Ibidem, prodigia importuna, & ciuis importunus. Pro Murena, importunus Catilina gladiator. In Verrem actione tertia, importunum animal. In Piſonem, importuna bellua. In Rullum, importuna auaritia. Pro C. Rabirio, importuna actio regia. Pro Cluentio, importuna mulier. Pro domo ſua, importuna peſtis. De Aruſpicum reſponſis, importunum ſcelus. De prouincijs conſularibus importuna crudelitas. Inde importunitas facta, in his ſæpe rebus dicitur. Perditos.] Improbos, ſceleratos homines appellare ſolet Cicero raro appellat malos, quo nomine uulgo appellantur. Infer patriæ bellum.] Vſitatius quàm illud uulgare, Fac bellum contra patriam. Latrocinium.] Latro is eſt, qui ſpe prædæ hominum uitæ inſidiatur, quales ſunt graſſatores & uiarum obſeſſores. Latrocinio impio.] Id eſt, contra patriam facto. Qui te ad forum Aurelium.] Tibi, non te legẽdum hic eſſe Priſcianus docet: qui libro octauo dici latine præcipit, præſtolor te & tibi. Terentius in Eunucho. Quẽ præſtolare Parmeno. Cicero in primo Inuectiuarum, Qui tibi ad forum Aurelium præſtolarentur. Ad forum Aurelium.] Forum pro tribunali dicit. Nam ſæpe Cicero appellat tribunal Aurelium: & pro L. Flacco, & A. Cluentio gradus Aurelios. Ante id Aurelium tribunal magnam fuiſſe plateam, quò etiã improbi homines conuenirent, coniectare licet: quod auctore Cicerone in oratione quam habuit ad Quirites poſt reditum, homines pro tribunali Aurelio palàm conſcribebantur, ac centuriabãtur, cum Clodianæ inuidiæ tempeſtas in ipſum Ciceronem impendebat. Non modo liberi, ſed etiam ſerui homines ex uicis omnibus conciti, tum pro hoc tribunali conſcribebantur, ut ait idem pro P. Seſtio, pro Domo ſua, & in L. Piſonem. Via Aurelia profectum Catilinam in caſtra Manlij, Cicero dicit oratione proxima ad Quirites. Aquilam illam argenteam.] Catilinæ. Aquilam C. Marius bello Cimbrico in exercitu habuiſſe dicebatur, ut ait Salluſtius. Aquila hic non dicitur pro uexillo, in quo depicta aquila ſit: ſed erat ſignum aquilæ conflatum: auctore enim Vegetio libro de Re militari ſecundo, tria Romani in exercitu ſignorum genera habebant: aquilam, dracones, & uexilla. Aquila totius legionis ſignum eſt, quam portat aquilifer. Dracones ſunt ſingularum cohortium: legio enim in cohortes decem diuiditur: quos qui ferunt draconarij dicuntur. Cohortes uero in centurias diuidebantur. Singulis centenarijs ſuum erat uexillum. In uexillis ſingulis notatum erat ex quota cohorte, quota centuria eſſet, ne quid milites à ſigno aberrarent. Prætermitto ueteres in legionibus Minotaurum habuiſſe, quòd ducis conſilium ſemper occultum eſſe deberet, ut in labyrintho ille abditus erat, ut idem ait in libro tertio. Aquilæ igitur & draconem ſigna erant conflata, non picta. Vexillum autem à uelo factum eſt: ut ab ala axilla, à mala maxilla. Funeſtam, id eſt, feralem, mortiferam. Sacrarium, ſacrorum eſſe repoſitorium Valla dicit. Hic pro ſacello dici uidetur. Vt poſſes.]

Id eſt, quomodo poſſis ut apud Terentium, Vt is ualet? Tandem aliquando.] Sæpe ſimul dicit Cicero. Meditati.] Exercitati. Qui feruntur.] Id eſt, uulgo dicuntur. Catilina patiens inediæ, algoris, uigiliæ erat, ſupraquam cuiquam credibile eſt, ut ait Salluſtius. Iacere humi & uigilare ad obſidendum ſtuprum, maritorumq; ſomno inſidiandum, & ad facinus obeundum, ad bonis occiſorum inſidiandum: id eſt, ad expectandum quoad mariti dormiant, ut uxoribus eorum potiare; & ad inſidiandum hominibus, ut interfectos eos ſpolies.

Conſulatu repuli.] Id eſt, cum te accuſaui ambitus, effeciq; ne Conſul eſſes. L. Catilinam & C. Antonium ambitus Cicero accuſauit. Huius oratio quamuis deſideretur, in eam tamen commentarij Aſconij Pediani extant. Tentare.] Id eſt, experiri an poſſes uexare. Nam te Conſule, iſta tua coniuratio bellum appellari poſſet. Alioqui latrocinium, non bellum appellabitur. Deprecer.] Id eſt, depellam & euitem prece adhibita. Percipite quæſo.] Exordium ſpeciale eſt, in quo auditores facit attentos. Eo utendum eſt, cum quid dicturi ſumus, quod noſtra multum interſit auditores cognoſcere.

M. Tulli quid agis?] Hæc proſopopœia patriæ ad Ciceronem mollior eſt, quàm ſuperior illa eiuſdem patriæ ad Catilinam: Nullum iam aliquot annis facinus extitit niſi per te. Natura enim Cicero erat humanior, Catilina audacior. Huic fictum perſonæ ſermonem conuenire decet, non ſolum perſonæ cui datur, ſed etiam perſonæ ad quam datur. De utraque hac proſopopœia eſt apud Quintilianum libro nono. M. Tulli.] Vocatiuum caſum in principio ſolutæ orationis raro inuenias. Illud tamen ſine ueterum imitatione non fiat, ut cum alienum ſermonem allegamus, in orationis principio uocatiuum collocemus. L. Piſo, (ut eſt apud Aulum Gellium libro undecimo) eundem, inquit, Romulum dicunt ad cœnam uocatum, ibi non multum bibiſſe, quia poſtridie negotium haberet. Ei dicunt: Romule, ſi iſtuc omnes homines faciant, uinum uilius ſit. Euocatorem ſeruorum.] Seruius libro cõmentariorũ in Aeneidos Vergilij octauo, tria militiæ genera ſcribens, euocationem genus tertiũ fuiſſe dicit, cũ ad diuerſa loca mittebãtur multi ad cogẽdos milites. Euocatorem igitur, id eſt ad militiam uocatorẽ, per conquiſitores. Seruos tamen à Catilina repudiari, quamuis initio magnæ copiæ ad eum concurrerent, Salluſtius ſcribit: partim quòd opibus coniurationis fretus erat, partim quòd alienũ ſuis rationibus exiſtimabat uideri, ſi cauſam ciuium cũ ſeruis fugitiuis communicaret. Lentulus in eius exercitu ſeruos non fuiſſe oſtendit in literis, quæ ad eum miſſæ deprehenſæ fuerũt. In quibus hortatur eum curet, ut omnium ſibi auxilia adiungat, etiam infimorum. Infima autem conditio & fortuna ſeruorum eſt, ut ait Cicero in libro de Officijs primo. Non emiſſus ex urbe.] Antanaclaſis eſt: cuius multas ſpecies Quintilianus libro nono ponit. ſed elegantius eſſe dicit, quod eſt poſitum ad diſtinguendam rei proprietatem: Hanc reipublicæ peſtem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi poſſe. quod exẽplum paulo infra eſt. Et quæ præpoſitionibus in contrarium mutantur: Nõ emiſſus ex urbe, ſed immiſſus in urbem eſſe uideatur. Mactari.] Id eſt, occidi. ut apud Vergilium in libro Aeneidos decimo: Hic mactat Lacona, Pheretaq;, Demodocumq;. Id autem uerbum à ſacrificijs tractum eſt. Mactus enim, unde mactare dicitur, eſt quaſi magis auctus. Cum autem thus aut uinum ſuper uictimam fundebatur, dicebant mactus eſt taurus thure aut uino, id eſt cumulata eſt hoſtia & magis aucta. auctor eſt Seruius libro commentariorum in Aeneidos Vergilij nono. In ſacris autem, ut idem libro ſexto ait, uerba mali ominis uitabantur. Hinc mactare uictimas pro occidere dicimus, id eſt magis augere. Vergilius libro Aeneidos quarto: Mactant lectas de more bidentes. Vel ad hominem ſacrum alludit. Apud Romanos ueteres à Duum uiris rerum capitalium ad populum Romanum prouocatio erat. Quis populo Romano ob maleficium damnabatur, is homo ſacer dicebatur. Eum qui occiderit, Tribunitia lege parricida non ſit, id eſt homicida. Ex quo quiuis homo improbus ſacer dicitur. auctor eſt Sextus Pompeius, qui tamen negat hominem ſacrũ immolari fas fuiſſe. Legem à Valerio Publicola Cos. latam fuiſſe de prouocatione aduerſus magiſtratus ad populum, ſacrandoq; cum bonis capite eius, qui regni occupãdi conſilia iniuiſſet, Titus Liuius ſcribit ſecundo libro. Mos'ne maiorum.] Qui morte ciuem nõ multabant, iniuſſu populi Romani. Etiam priuati.] Id eſt, non ſolum magiſtratus, ſed etiam priuati, ut Publius Scipio Naſica Pontifex Maximus. Quæ de ciuium reorum ſupplicio.] Lex Porcia uirgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit. Eadem libertatem ciuium lictori eripuit. Lex Sẽpronia, quam C. Sempronius Gracchus tulit, cauebat ne iniuſſu populi Romani ciuis Romanus morte multaretur, ut ait Cicero in oratione pro Caio Rabirio. Præclaram uero.] Ironia eſt, auctore Donato in Commentarijs in Eunuchum Terentij, Vero ſæpe dicitur in Ironia. ut, Egregiam uero laudem & ſpolia ampla refertis, &c. Id apud Terentium ſæpe inuenias. Qui te hominem per te cognitum.] Commemorat populi Romani in Ciceronem beneficia, ut oſtendat Ciceronem pro ſalute populi Romani non debere inuidiam metuere. Hominem per te cognitum.] Id eſt, qui maioribus tuis præluxiſti, à quo ſplendorem maiores acceperunt: uel nouum hominẽ. qua ratione maius fuit populi Romani in te beneficium. Nam pleraque nobilitas, ut ait Salluſtius in bello Catilinario de Conſulatu Ciceronis, quaſi pollui Cõſulatum credebat, ſi eum nouus homo, quantũuis egregius, adeptus foret. De ſuo Conſulatu Cicero in Rullum ad populum Romanum. Me, inquit, perlongo interuallo prope memoriæ temporumq; noſtrorum primum hominem nouum Cõſulem feciſtis, & eum locum quem nobilitas præſidijs firmatum, atque omni ratione obuallatũ tenebat, me duce reſcidiſtis, uirtutiq; in poſterum patere uoluiſtis. Tam mature.] Certa quædam & legitima ætas gerendi Conſulatus erat. ante quam ætatem ſuſcipere non licebat. Cicero anno ſuo.] Id eſt, eo quo ei licebat gerere, Conſulatũ petijt, eſtq; factus Conſul quod nemini nouo homini ante ſe cõtigiſſe, dicit in Rullum ad Quirites. Ad ſummum imperium.] Id eſt, conſulare, qui honos ampliſſimus etiam dicitur. Per omnes honorum gradus.] Honorum, id eſt, magiſtratuum illi gradus ſunt, Quæſtura, Aedilitas, Pretura, Conſulatus Cenſura. Cicero fuit primum Quæſtor, deinde Aedilis, deinde Prætor, anno ſecundo poſt Conſul. Quam inertiæ.] Magiſtratus inuidiam ſuſcipit, ſi eſt nimium acer & ſeuerus, aut iners & deſidioſus & negligens in uindicandis maleficijs. Leuiorem ſuperiore poſteriorem dicit inuidiam. Tecta.] Id eſt, ædificia. Eſt autem ſynecdoche. ibi enim pars pro toto ponitur. Hæc autem figura quamuis ſit poetis familiarior, tamen in proſa mucronem pro gladio, & tectum pro domo recipi, Quintilianus libro octauo ſcribit. Vſuram unius horæ.] Id eſt, tempus: uel ut exponit Donatus, id eſt uitam. Is enim exponens illud ex Adelphis, Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paululum præ manu dederis, unde utatur: Vtatur, inquit, id eſt uiuat: unde uſura uita dicitur. ut, Vnius uſuram horæ gladiatori iſti ad uiuendum non dediſſem. ut uſuram lucis pro tempore uitæ, aut pro uita ipſa ſæpe dicit Cicero: In Verrem actione ſeptima: Cur, inquam, ciuibus Romanis, quos piratæ ceperant, ſecuri ſtatim percuſſis, ipſis piratis lucis uſuram tam diuturnam dediſti? Pro P. Sylla lucis'ne hanc uſuram eripere uis, plenam lachrymarum atque mœroris? Et pro Rabirio Poſthumo: Vſuram huius lucis, & ueſtrum conſpectum eripiatis. In oratione ad Quirites in Rullum ſecunda: Partam exigui temporis

uſuram

uſuram bonæ de me opinionis, poſtulo pro parua parte utẽda.

Gladiatori.] Catilina. Parricida à Latinis priſcis dicebatur, non ſolum qui parentem, ſed etiam qui alienũ occidiſſet, ut ait Sex. Pompeius. Hic uero parricida amplificationis cauſa dicitur. patria enim communis parens omnium eſt. Ciues igitur ſunt ueluti fratres: qui igitur ciues necat, ciuiũ parricida eſt. Virtute.] Id eſt, animi magnitudine, id eſt fortitudine. In qua ſignificatione à Cicerone ſæpe dicitur. In hoc ordine.] Id eſt, Senatores. Imperiti.] Id eſt, Idiotæ, ſtulti, & uulgo ut dicunt, ſimplices. Nam poſtea ſtultum refert ad imperitos. Coniur. eſſe patet.] Factam, non patefactam hoc loco apud Priſcianum lego, libro 18. Quæ lectio placet. Pauliſper reprimi.] Locus hic uidetur oſtẽdere, quid diſtet inter reprimere & comprimere: ut ſit reprimere ad tempus, comprimere in perpetuum. Idem Quintilianus ſentire uidetur libro nono, ubi de antanaclaſi ſcribit. Quod ſi ſe eiecerit.] Id eſt, tanquã ex naufragio in Manliana caſtra appulerit. Eiectus enim is eſt, qui litori ex naufragio tabulæ, uenti aut fortunæ beneficio ſaluus ſe applicat. Terẽtius in Andria: Atticus quidam olim naufracta apud Andrum eiectus eſt. Virgilius libro Aeneidos quarto: Eiectum, & litore egentẽ Excepi, & regni demens in parte locaui. Idem in primo: Si quibus eiectus ſyluis aut urbibus errat. Eiectus, inquit Seruius, id eſt naufragus. Adulta peſtis.] Id eſt, natura. Verumetiam ſtirpis.] Stirps cum generis eſt fœminini, genus ſignificat. Virgilius in libro Aeneidos ſeptimo: Heu ſtirpem inuiſam, & fatis contraria noſtris Fata Phrygum. In maſculino arborem ſignificat. Idem duodecimo: Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum ſuſtulerant. Auctores ſunt Priſcianus libro quinto, & Seruius libro tertio Cõmentariorum in Aeneid. Virgilij. Stirpem ſacrum pro oleaſtro, ubi nautæ ſeruati ex undis, ſua figere dona ſolebant. Paulo poſt pro oleaſtri trunco uel radice ſtirpem dicit: Nanque diu luctans, lentoq́; in ſtirpe moratus, Viribus haud ullis ualuit diſcludere morſus Roboris Aeneas. Idem in eodem libro ſtirpem dicit pro caudice, id eſt ea trunci parte, unde aguntur radices. Is enim de Latini ſceptro: Vt ſceptrum hoc inquit, dextra ſceptrum nam forte gerebat, Nunquã fronde leui fundet uirgulta, nec umbras, Cum ſemel in ſyluis imo de ſtirpe reciſum. Columella in lib. 4. dicit pro ramo eo ab arbore auulſo uel deciſo, qui terra infixus radicat: Nulla ſtirps, inquit, antequam deponatur, uexata et infracta melius prouenit, quàm quæ integra & inuiolata ſine iniuria cõpoſita eſt. Stirpem in genere fœmineo poſuit, ut Horatius ſtirpes raptas dicit. Eſt igitur hic ſumpta ſimilitudo ex ſtirpe pro caudice, uel pro ramo ab arbore auulſo. Huius enim modi ſtirps in certo arborũ genere, cũ plantatur, agit radices. Stirpes Seruius plantas appellat, libro Georgicorũ ſecundo: Plantæ, inquit, & plantaria differunt. nam plãtæ rapta ſunt de arboribus: plantaria uero ex ſeminibus nata, cũ radicibus & terra propria transferuntur. Malorum omnium.] Id eſt, omnium incommodorum, ne de improbis hominibus intelligas. Ac ueteris furoris.] Biennio ante conceptam hanc coniurationẽ in Conſulatu ſuo emerſiſſe, Cicero dicit in oratione pro P. Sylla.

Maturitas erupit.] Perſtat in translatione peſtis adultæ. Peſtis aut aliud quoduis hulcus tum demũ erumpere dicitur, cum maturum ſe ſua ui, ſine ullo medicamento, ſine ferro aperitur. Maturitas hulceris etiam domeſtico ſermone dicitur. Ex tanto latrocinio.] Id eſt, ex tanta coniuratorum & latronum turba. Tolletur.] Mactabitur. Periculum autem reſidebit.] Perſtat in translatione peſtis, quæ ſi nondum matura ferro aut medicamẽtis aperiatur, uel opprimatur, tum ſanies ipſa in uenis atque in uiſceribus penitus reſidebit, aliaſq́; erumpet. Aegri morbo graui.] Id eſt, grauiter ægrotãtes. Aeger dicitur animo & corpore, ægrotus uero corpore. Terẽtius tamen ægrotum animum ſæpe dicit, ut in Andria: Priuſquam harum ſcelera & lachrymæ confictæ dolis, Reducant animum ægrotum ad miſericordiam: id eſt, triſtem & iratum. Idem in Heautontimorumeno: Cœpi non humaniter, neq; ut animum decuit ægrotum adoleſcentuli tractare, ſed ut, &c. Ab alijs auctoribus dici raro inuenias. Aeſtu febriq;.] Id eſt, æſtuante febri. Releuari.] Id eſt, conualeſcere. Afflictantur.] Id eſt, ægrotant. Viuis reliquit.] Coniuratis ſcilicet. Viuis melius quàm uiuentibus, quod uſu cariſſimũ eſt, niſi participiũ ſit. Quare ſecedat.] Concluſio eſt. Id quod ſæpe iam dixi.] Id eſt, bis. Primo: magno me metu liberabis, dummodo inter me & te murus inteſit. deinde: Cum à me quoque id reſponſum tuliſſes, me nullo modo poſſe ijſdem parietibus tutũ eſſe tecũ, qui magno in periculo eſſem, quod ijſdẽ mœnibus cõtineremur. Domi ſuæ Conſuli.] Id eſt, mihi Conſuli domi meæ. Circunſtare Tribunal Prætoris urbani.] Decretis à Senatu prouincijs, quæ Conſulares, quæ Prætoriæ eſſent, ſortiebantur Prætores, qui ad quas prouincias adminiſtrãdas proficiſceretur: cui ſorte obuenerat, ut in urbe remaneret ad dicendum ius Romanis ciuibus, is Prætor urbanus dicebatur. Circunſtare tribunal.] Id ante ſignificat Cicero in proſopopœia patriæ ad Catilinam: Tu, inquit, non ſolum ad negligendas leges & quæſtiones, uerumetiam ad deuincendas perfringẽdaſq́; ualuiſti. Obſidere cum gladijs curiam.] Cum Lucium Torquatum & Lucium Cottam Conſules & pleroſque Senatores Nonis Februarijs necare conatus eſt, cum nimiũ maturauit pro Curia ſocijs ſignum dare, malleolos faceſq́; ad incendendam urbem comparare. Vegetius libro de Re militari quarto, malleolos eſſe dicit uelut ſagittas, quas ardentes obſeſſi proijciũt in turres hoſtiũ ambulatorias: quæ ſi adhæſerint, uniuerſa cõfragrant. Nonius uero Marcellus eſſe dicit manipulos ſparteos, pice contextos, qui incenſi aut in muros, aut in teſtudines iaciuntur. Ad incendendam urbem.] Catilina antequam in domum Marci Portij Leccæ cum coniuratis conueniret, multa moliebatur, Cõſuli Ciceroni inſidias tendebat, incendia parabat, opportuna loca armatis hominibus obſidebat, cum telo erat, ut ait Salluſtius. Inſcriptum in frontem.] Frons homini triſtitiæ, hilaritatis, demẽtiæ, ſeueritatis index eſt, ut ait Plinius libro undecimo. Ideo à ferendo frontem appellata putant, quòd præ ſe ferat, quid in animo ſit. Sententia eſt, quid quiſque de republica ſentiat, cognoſcatur. nam hilari fronte ciues boni ſint, triſti uero & obnubilata coniurati. uel improborum diſceſſu, quid quiſque de republica ſentiat ex fronte cognoſcatur, tanquam ſi id in eorũ frontibus inſcriptũ eſſet. Hiſce omnibus.] Quæ ſequuntur. Tam tu Iupiter.] εὐχὴ, id eſt, precatio eſt. ut apud Virgiliũ: Da nunc Tymbri pater ferro quod miſſile libro. Cicero in Catilinam, cum inuocat Iouem ad pœnam coniuratorum, atq; ita concludit: Aeternis ſupplicijs uiuos mortuoſq́; mactabis. hæc Iulius Rufinianus in libro de figuris. Aris.] Id eſt, templis: partem pro toto poſuit. Cicero dicit Catilinam ad hæc ſua uerba obmutuiſſe. Is enim in libro de Oratore ad Brutum de genere dicẽdi ſcribens, quod Græci παθητικὸν nominãt, quo perturbantur animi & concitantur, in quo uno regnat oratio: quod uehemens eſt, incenſum incitatum, quo cauſæ eripiuntur: quod cum rapide fertur, ſuſtineri nullo pacto põt. Quo genere, inquit, nos mediocres, aut multo etiam minus, ſed magno ſemper uſi impetus, ſæpe aduerſarios de ſtatu omni deiecimus. Nobis pro familiari reo ſummus orator non reſpondit Hortenſius. à nobis homo audaciſſimus Catilina in Senatu accuſatus obmutuit. Etiam Ciceronis ingenium Catilina fugit, ut ait Plinius libro ſeptimo. Sed auctore Saluſtio, pauca quædam purgandi ſui cauſa dixit. Cum uero in Ciceronem maledicta conijceret, cœperunt omnes obſtrepere, hoſtem ac parricidam eũ uocare. Tum furibundus ille: Quoniam, inquit, circumuentus ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina reſtin

*guam: deinde ſe ex curia domum proripuit. Marcus tamen Cicero hoc à Catilina ante dictũ fuiſſe ſcribit, in oratione pro Lucio Murena. Paucis enim diebus ante diem XII Calend. Nouemb. Catoni iudicium minitanti, & denuncianti, Catilina reſpondit: ſi quod eſſet in ſuas fortunas incendium excitatũ, id ſe non aqua, ſed ruina extincturum. Nocte intempeſta cũ trecentorum ſatellitum comitatu urbem egreditur, ſibiq; Conſularis dignitatis inſignia faſces atque ſecures præcedere iubet, inq; Manliana caſtra contendit.*

# IN INVECTIVAM MARCI TVLLII CICERONIS

## SECVNDAM IN L. CATILINAM AD QVIRITES,

## FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

*HAC oratione exultat Cicero, quòd Catilinam peſtem nefarie molientem patriæ ex urbe emiſerit. Emiſit autem potius quam occidit, ut etiam coniurationis ſocios perſequi poſſet: quod non potuiſſet, oppreſſus inuidia, ſi Catilinã occidiſſet. Catilinã nihil eſſe foris timendum oſtendit, ſed magis pertimeſcẽdos eos, qui in urbe remanſerint: in quos fore ſe ſeuerum minatur, ſi quid in rempublicam conentur. Iis concedit, ut ad Catilinam ex urbe exeant. Id ſi fiat, rempub. eſſe dicit fortunatã, quòd hac ratione improbis hominibus purgetur. Se conſulturum iis qui reſipiſcentes quieſcent, aduerſus alios gerendo bello ducem ſe profitetur. Eludit eos, qui dicant à ſe Catilinam in exilium eiectum, cur ipſe ſcelerum conſcientia cõuictus in Manliana caſtra abinerit. Hanc eiecti à ſe Catilinæ inuidiam, modo erat in exilium, non in caſtra Manlij ab bellum patriæ faciendũ, negat ſe unquam deprecaturum. Exponit, ex quibus hominum generibus coniuratorum copiæ ſint: deinde ſingulis medicinam cõſilij affert. Has copias nihil omnino pertimeſcendas eſſe oſtendit. Populum Romanũ hortatur, ut domos ſuas cuſtodijs uigilijsq; defendant. ſibi urbi, colonijs & municipijs ſatis prouiſum dicit. Coniuratos qui in urbe ſunt, ut exeant iterum hortatur: ſi quid in rempublicam conentur qui remanſerint, carceris pœnam minitatur. Septem conſeruandæ urbis ſe dicit concepiſſe, deorum quibuſdam ſignificationibus, quorum opem ſuadet implorandam, ut præſentes urbem defendant. Eſt habita hæc oratio poſtero die quàm ſuperior. Deliberatiua oratio eſt.*

*TANDEM aliquãdo Quirites.*] Tandem particula tarditatis eſt ut demum, cũ ſcilicet aliquid factũ tardius dicimus, quod ante factum oportuit. Terentius: uix tandem ſenſi ſtolidus. Idem, Modo ne id demũ ſenſiſti Pamphile? Tandem aliquando pro re eadem ſimul dicit ſæpe Cicero, ut dicendi ratio augeatur. ut hic, & libro ſuperiore: Ibis tandem aliquando. Quamuis utrobique Priſcianus lib. 15. aliquando futuri eſſe temporis putet. *Scelus anhelantem.*] Id eſt, ſummo ardore animi ſcelus committere cupientem. *Ferrum uobis.*] Id eſt, cædem. *Vrbi flammam.*] Id eſt, incendium. *Abijt.*] Verborum congregatio eſt, auctore Quintiliano, ut libro ſuperiore diximus. Idem Quintilianus libro nono ſcribit, hic eſſe homœoteleuton. Quæ dicendi ratio fit etiã ſingulis uerbis: Hæc cubat, dolet, piget, pudet. et, Abijt, exceſſit, erupit, euaſit. *Monſtro illo.*] Id eſt, Catilina monſtroſo ciue, qui patriæ peſtem moliatur. *Sine controuerſia.*] Id eſt, ne Catilina quidem repugnante. *Non in campo Martio.*] Scilicet, ut comitiis Conſularibus, cum Cicero Coſ. armatus lorica in comitia uenit, ut Catilinæ perditos conatus eluderet. *In foro.*] Vbi etiam ad perfringendas leges & quæſtiones ualuit Catilina. *Non in curia.*] Vbi nullus Senatorum ipſi aſſidere ſuſtinuit. *Loco ille motus eſt.*] A bellatoribus tranſlatio facta uidetur, qui occupatum aliquem locum pertinaciter tuentur: unde ſi fuerint deiecti, uincuntur facilius. *Motus igitur Catilina loco eſt.* Id eſt, ex urbe exceſſit. *Bellum iuſtum.*] Quia cum hoſte geritur. *Ex occultis inſidijs.*] Nocte enim de coniuratione Catilina conſultabat. Ea nocturna conſilia in apertum Cicero coniecit. *Non cruentum mucronem.*] Nã punctim feriebant Romani, non cæſim. qua ratione facilius multo occiditur hoſtis. Ideo Vegetio libro primo auctore, tyrones punctim, non cæſim ferire diſcebant. Punctim feriendo, cruentus fit mucro. *Viuis nobis.*] Id eſt, me Conſule uiuo. Catilina in domo Lecæ dixit, cupere ſe ad exercitum proficiſci, ſi prius Ciceronem oppreſſiſſet, quem ſuis conſilijs officere multum ſentiret, ut ait Salluſtius. Aliàs ſæpe Ciceronem Catilina occidere conatus eſt, ut libro ſuperiore dictum eſt. *Perculſum.*] Id eſt, euerſum. In qua ſignificatione dici, Nonius Marcellus auctor eſt. Inde perculſus pro attonito & ſtupefacto dicitur, tanquam quod mentis eius ſedes euerſa ſit. Vergilius in primo Aeneidos: Obſtupuit: ſimul ipſe, ſimul perculſus Achates. & libro octauo, Obſtupuit tanto perculſus nomine Pallas. *Abiectum.*] Id eſt, odij cauſa eiectum. ut ablegare, amittere, amandare dicimus. ubi particula A uel Ab odij quandam ſignificationem habet. *Retorquet oculos.*] Hoc magis ueriſimile eſt, quàm quod Ciceroni compertum ſit. *Ex ſuis faucibus.*] A feris tranſlatio eſt. *Luget.*] Magis quàm dolet. *Euomuerit.*] Alia tranſlatio eſt. *Hoc ipſo.*] Quod Catilinam eiecerim. *Triumphat.*] Ad id alludit, Magnificeq; uicimus. uel Triumphat gaudio. ut pro L. Murena Cicero de Catilina dicit: Tum erupit à Senatu triumphans gaudio, quem omnino uiuum illinc exire non oportuerat. Idem pro A. Cluentio: Tum uero illa egregia ac præclara mater palàm exultare lætitia ac triumphare gaudio cœpit, uictrix filiæ, non libidinis. Sed ubi uictoriæ nulla mentio eſt, id uerbum Cicero uſurpat in libro Epiſtolarum ad Atticum nono: Ego cum ex ipſa re magnam capio uoluptatem, tum meum factum probari abs te triumpho & gaudeo. *Tam capitalem hoſtem.*] Id eſt, tam peſtiferum & pernicioſum. ut in libro de Senectute: Nullam capitaliorem peſtem quàm corporis uoluptatem hominibus à natura datam dicebat. *Supplicio affectum.*] Affectum in re bona raro, ſæpius in mala dicitur. *Mos maiorum.*] Nam perſæpe etiam priuati in hac repub. pernicioſos ciues morte mulctarunt, ut in ſuperiore dixit oratione Cicero. *Huius imperij.*] Conſularis ſcilicet quod ego gero. *Seueritas.*] Vt tanta fuit Conſulum ſeueritas in C. Gracchi, & M. Fuluij in L. Saturnini cæde, ut eo ipſo die quo ſibi decreto Senatus mandatum eſt, ut uiderent ne quid reſpublica detrimenti caperet, hi ciues pernicioſi interempti ſint. *Stultitiam.*] Id eſt, imperitiam, &

quam uulgus appellat ſimplicitatem. Qui propter improbitatem fauerent.] Nónulli è Senatoribus pericula, quæ à Catilina imminebát, non uidebant: aut ſi uidebant, diſſimulabant. Horum auctoritatem ſecuti imperiti multi & improbi, Ciceronẽ feciſſe crudeliter dicerent, ſi Catilinam occidiſſet. Ne nobis quidem omnibus.] Id eſt, eſſe ex nobis qui non crederét.

Hoſtem.] Catilinam. Parum comitatus.] Eum trecenti ſatellites conſecuti ſunt, ut ait Plutarchus. Hunc in Manliana caſtra cum paucis profectum, Salluſtius ſcribit. Tongillum mihi.] Mihi cauſa ornatus hic tantum ponitur, ut pro L. Murena: Apud exercitum mihi fueris, inquid Tongillum, Publicium, & Munatium, abiectos homines & contemnendos, ſecutos eſſe Catilinam dicit, cũ in urbe remanſerint cóiurati nobiles & ualentes: ut oſtendat, magis metuendos qui in urbe remanſerunt, quàm Catilinam, eoſq; qui eum ſecuti ſunt. Calumnia.] Aut otioſa eſt hæc uox & ſuperuacanea, aut hic locus emendatus non eſt. Quorum æs alienum.] Pecuniam neruos bellorum eſſe, dici ſolet. Ideoq; Philippus Macedo caſtella omnia expugnari poſſe dicebat, in quæ modo aſellus onuſtus auro poſſet aſcendere, ut ait Cicero lib. Epiſtolarũ ad Atticum primo. auctore Salluſtio, Catilina pecuniá ſua aut amicorum fide ſumptam mutuam Fæſules ad Manlium mittebat. A. Publicio et Munatio ſumpta pecunia mutua eſt, ſed ea helluationibus conſumpta eſt: ne credant eam Quirites ad uſum belli conſumptum iri. Quanto ære alieno.] Quæ res impellit eos potius ad ciuium & urbis cædes & incendia. Itaq; ego illum exercitum.] Exaratum ex Gallicanis legionibus.

Cum hoc delectu.] Et cum hoc delectu, etiam in nonnullis codicibus lego: ſed emendata mihi lectio non uidetur. quæ illo modo mihi uidetur emendatior, Itaq; ego illum exercitum ex Gallicanis legionibus comparatum cum delectu etiá. ut oſtendat Cicero, Catilinæ exercitum nihil eſſe metuendum. Nam Gallicas legiones C. Manlius Catilinæ nomine comparandas curauerat, quæ ex contemnendis hominibus erant. Q. uero Metellus Celer Prætor à Senatu in agrum Picenum miſſus eſt, eiq; permiſſum, uti pro tempore atq; periculo exercitum compararet, ut ait Salluſtius. Ex Gallicanis legionibus.] Quæ ſcilicet in Gallia nobis tranſalpina, ubi tum erant Boij, comparatæ ſunt, quæ fluuio Rubicone et Alpibus cótinetur. In agro Piceno.] Picenum regio Italiæ eſt, quam quintam Plinius lib. tertio ponit. eam uberrimæ hominum multitudinis eſſe dicit. Idem capite quinto libri eiuſdem, à Surrentino ad Sillarum amnem XXX.M paſſus agrum Picenum eſſe dicit. Quem habuit.] Habere delectum eſt, quod dicimus congregare milites, quod bonorum & malorum delectus ſit, ut mali remittátur, bonorũ nomina accipiantur. Qui milites cógregant, hi à Liuio conquiſitores dicuntur. Magnopere contemno.] Id eſt, nihil metuo. Contemnere enim ſæpe dicitur, ut metuere ei contrarium ſit. unde artium ſcriptores præcipiunt, aduerſariũ in cótemptum iudicum adducendum eſſe. Senibus deſperatis.] Deſperati ſenes epitheto perpetuo dicuntur, ꝙ eorum uitæ diuturnitas nunquam ſperetur. Inde prouerbium apud Ariſtotelem libro Rhetoricorum ſecundo eſt, Beneficium apud ſenem collocandum nó eſſe, eo ꝙ id propter uitæ breuitatem, quæ reliqua eſt, nó referat. Deſperatam ſenectutem Cicero dicit in oratione pro Marco Cælio, pro extrema, quæ capulo proxima ſit: Conſeruate, inquit, parenti filium, ne ſenectutem propè deſperatam contempſiſſe uideamini. Deſperatus ægrotus is eſt, cuius de ſalute deſperatur, et deſperatus morbus, qui eſt grauiſſimus & anceps maxime. Inde deſperata reſpub. & ægrota dicitur à Cicerone in Diuinatione, & pro Pub. Sylla: Magni, diuturni, & deſperati reipub. morbi. Inde deſperatum hominem, pro perdito & improbo, idem ſæpe dicit, quem in uiam reduci poſſe nulla ſpes eſt. Nemo enim adeo ferus eſt, auctore Horatio, ut non miteſcere poſſit. Deſperare honorem idem dicit pro L. Murena, & deſperare pacem, libro Epiſtolarum ad Atticum ſeptimo. Deſperare de honore & de fama, uulgo dicunt. Agreſti luxuria.] Vel hic locus mendoſus eſt, uel hæ duæ uoces otioſæ ſunt: uel intelligi debet, Senibus deſperatis, id eſt, perditis agreſti luxuria. Decoctoribus.] Id eſt, belluonibus & patrimonij uoratoribus. Vadimonia deſerere.] Vadimonium eſt ſponſio ſiſtendi in iudicio, cũ quis reus citatur, isq; dicto die in iudicium uenire ſe promittit. Promittit uadimonium, cum dicto die uenit. Obit uadimonium, cum dicto die non aduenit, et ut uulgo dicunt, ponitur in defectu, deſerit uadimonium. uel ad uadimonium non uenit: ut ex Cic. oratione poſſis cognoſcere, quæ pro Pub. Quintio eſt. Lib. Dig. 2. titulo, Si quis in ius uocatus non ierit, Paulus ſcribit, ut ex quacunq; cauſa ad prætorem, uel alios Præſides qui iuriſdictioni præſunt, in ius uocatus uenire debeat, ut hoc ipſum ſciatur an iuriſdictionis eius ſit. Si quis non ierit, à iudice qui uocauit, mulcta dánabitur. Deſerere uadimoniũ quàm exercitũ malle, eſt malle (ut uulgo loquuntur) amittere multum, uel negotia multũ neceſſaria relinquere, quàm exercitum non ſequi. Vadimoniũ enim deſeri nó ſolebat, niſi iuſtiſſima ex cauſa. Concident.] Id eſt, territi animum amittent. Quos ét in Senatũ uenire.] Nam Senatores XI ex coniuratis fuerunt, quorum Curius Senatu ob probrum aliquod motus fuerat. Quid cogitent.] Non ſolum quid dicant aut faciant. Cui Apulia ſit attributa.] C. Iulio Apuliam, Etruriam Manlio, agrum Picenum Septimio diſtributas, Cethegum cædi, Caſſium Statilium & Gabinium ad incédenda XII urbis loca præfectos fuiſſe, in oratione ſuperiore diximus. Superioris noctis.] Non nouiſſimæ, ſed quæ nouiſſimam præceſſit. qua in re ſuperior uix dicitur. Ideo ſuperiorem, nouiſſimam intelligere poſſis, qua ex urbe Catilina diſceſſit: qua mandauit Lentulo, Cethego, cæteriſq; ut cóiurationis opes cófirmarent, inſidias Cóſuli maturarent, cædem atq; incédia pararent, ſe propediẽ cũ magno exercitu ad urbem acceſſurum. Catilina ipſe pertimuit.] Argumentum à minore ad maius, quo oſtendit coniuratos eos qui in urbe remanſerunt, magis quàm Catiliná timédos eſſe. Hæc enim conſilia coniuratorum cũ dixit, Catilina in Senatu pertimuit & profugit. Hi.] Coniurati, qui eadem audiuerunt, & noctis ſuperioris cóſilia ſentire intelligunt, nihil permouentur. Hi.] Coniurati, qui in urbe remanſerunt. Meam priſtinam lenitatem.] Qua in Catilinam uſus ſum quamuis id Senatuſconſultum uehemens & graue in eum haberem. Quod expectaui.] Mea lenitate ſcilicet, hoc eſt ut Catilina exiret, ut cóiuratio nobis omnibus paſefacta eſſet. Niſi ſi quis eſt.] Id eſt, niſi quis eſt. Vt nulli eſſe ulli, pro nulli eſſe, A. Gellius: & neminẽ hominem, pro neminem, luculenti ſcriptores dixerunt. Non eſt iam lenitati locus.] Vt Terentius in Andria: Enimuero Daue nihil loci eſt ſegnitiæ, neq; ſocordiæ. Locum actionis, opportunitatem eſſe téporis, Stoici dicunt, ut eſt apud Ciceronem libro de Officijs primo. Aurelia uia.] Ad quam eſt Aurelium forum, de quo ante. Ea uenitur Roma in Etruriam. Releuata.] In ſentinæ metaphora ſtat, qua nauis premitur: ea cum exhauritur, nauis releuatur. Vel ab ægrotis facta translatio eſt, ut in oratione ſuperiore: Morbus qui eſt in repub. releuatus iſtius pœna. Recreata.] Tanquam ex morbo refecta & ſanata. ut in oratione ad Quirites poſt reditum: Bona ualetudo iucundior eſt ijs, qui è graui morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt. C. Marium inedia fluctibuſq; feſſum à Minturnenſibus recreatum, Cicero pro Cn. Planco dicit. Idem de prouincijs Conſularibus, Macedoniam exercitu ita uexatam dicit, ut uix poſſit ſe diuturna pace recreare. Id uerbum ad animum transfertur, ut libro Epiſtolarum ad Atticũ

duodecimo recreare à mœrore dicit. Et libro quarto: Literis, inquit, ſuſtentor & recreor. Et pro Cn. Planco: Conſeſſus iſte reficit & recreat mentem meam. & pro Milone: Me recreat & reficit Cn. Pompeij ſapientiſſimi & iuſtiſſimi uiri conſilium. Conceperit.] Id eſt, admiſerit. ut pro P. Sylla: Quod flagitiũ Lentulus non cum Antronio concepit. Per abuſionem ſicarios omnes uocamus, qui cædem telo quocunq; cõmiſerint, ut ante diximus. Quibus teſt. ſub.] Subiector teſtamentorũ eſt, qui pro teſtamento uero falſum ſupponit. ut in oratione pro A. Cluentio, cũ Oppianicus Aſinij adoleſcentis pecunioſi hæreditatem captaret, Aiulius Aſinium ſe nominans, ut erat conſtitutum, ſimulat ſe ægrotare, & teſtamentum facere uelle: Oppianicus obſignatores, qui neq; Aſinium, neque Aiulium noſſent, ad eum adducit: Aſinij nomine teſtamentum obſignatur. Aiulius illico conualeſcit, Aſinius breui illo tempore occiditur. Subiector teſtamentorum à Cic. appellatur in lib. de Offic. tertio. teſtamentarius: Neque, inquit, de ſicarijs, ueneficis, teſtamentarijs, furibus, peculatoribus, hoc loco diſſerendum eſt. Vbi paulo poſt de falſo L. Minutij Baſili teſtamento ſcribit, quod quidam è Græcia attulerunt. Quod quo facilius obtinerent, ſcripſerũt hæredes ſecum M. Craſſum & Q. Hortenſium, ætatis eiuſdẽ homines potentiſſimos. Circunſcriptor.] Id eſt, impoſtor & deceptor. Circunſcribere enim fallere eſt. Cicero in libro Academicarum quarto: Alterum eſt, quòd fallacibus & captioſis interrogationibus circunſcripti atq; decepti quidam, cum eas diſſoluere non poſſunt, deſciſcunt à ueritate. Idem libro de Officijs tertio: Dolus malus legibus erat uindicatus, ut tutela duodecim tabulis, & circunſcriptio adoleſcentium lege Lectoria. Idem in Philippica decimaquarta: Teſtamẽta credo ſubijciũt, aut eijciunt uicinos, aut adoleſcentulos circunſcribunt. Quis ganeo.] Ganeones, ut ait Non. Marcellus, à ganeis dicti ſunt, quæ ſunt loca uinolentiæ & libidini apta. Varro in Modio: Hoc intereſt inter Epicurũ & Ganeones noſtros, quibus modulus eſt uitæ culina. Citatq; hunc locum in Catilinam. Quæ mulier infamis.] Catilina etiam mulieres aliquot ſibi aſciuit, quæ primo ingentes ſumptus ſtupro corporis tolerauerant. Per eas ſe Catilina credebat poſſe ſeruitia urbana ſollicitare, urbẽ incendere, uiros earum uel adiungere ſibi, uel interficere, ut ait Salluſtius. Non familiariſſime.] In eadem ſententia Salluſtius eſt. Catilina, inquit, omnium flagitioſorũ atque facinoroſorum hominum circum ſe tanquam ſtipatorum cateruas habebat. nam quicunque impudicus, adulter, ganeo, alea, manu, uentre, pene, patria bona diſſipauerat, quicũq; alienũ æs grande conflauerat, oẽs parricidæ, ſacrilegi, cõuicti iudicijs, aut pro factis iudicium timentes, ad hoc quos manus atq; lingua periurio aut ciuili ſanguine alebat, poſtremo omnes quos flagitiũ, egeſtas, cõſcius animus exagitabat, hi Catilinæ proximi familiaresq; erant. Sine illo facta eſt.] Idem dixit in oratione ſuperiore, in proſopopœia patriæ ad Catilinã. Quod nefarium ſtuprum.] Salluſtius: Adoleſcens Catilina multa nefanda ſtupra fecerat, cũ uirgine nobili, cũ ſacerdote Veſtæ, alia huiuſcemodi contra ius faſq;. Eundem cum ſorore ſtuprum feciſſe diximus. Iuuentutis illecebra.] Auctore Salluſtio, Catilina iuuenum uel adoleſcentiũ familiaritates maxime appetebat, nam eorum animi molles et ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. Nam ut cuiuſque ſtudium ex ætate flagrabat, alijs ſcorta præbere, alijs canes aut equos mercari, poſtremo neq; modeſtiæ ſuæ parcere, dũ illos obnoxios fidoſq; ſibi faceret. Qui alios ipſe.] Salluſtius hanc Ciceronis ſententiã non probat. Scio (inquit) nonnullos, qui ita exiſtimarent, iuuentutem, quæ domum Catilinæ frequentabat, parum honeſtæ pudicitiam habuiſſe. Sed ex alijs rebus magis, quàm quod cuiquã id compertum foret, hæc fama ualebat. Seruiebat amori.] Id eſt, lenocinabatur. Alijs mortem parentum.] In contuberatione filij familias erant, quorũ ex nobilitate pars maxima erat, qui in illa urbis uaſtatione parentes interfecturi erãt. ut ait Salluſtius. In ludo gladiatorio.] Vbi ſe gladiatores exercent, ut ludus literarum dicitur. Intimum.] Id eſt, familiariſſimum. Nemo in ſcena leuior.] Id eſt, nullus hiſtrio, nullus mimus. Mimi enim uiles & abiecti ita habebantur, ut ab his nominatim appellari, cõtumelioſum exiſtimatũ ſit. Ideo Lucilius eum à quo in ſcena nominatim læſus fuerat, & L. Accius eũ à quo fuerat nominatus, in iniuriarũ iudicium uocauerunt, ut eſt libro Rhetoricorum ad Herennium ſecundo. Hanc eſſe cauſam arbitror, cur Terẽtius in prologis à ſe factis nominatim ſe non appellet, ſed ſolum poetam: ne qua ſibi tum afferretur contumelia, cum mimus prologum recitaret. Sodalem.] Sodalis hic dici uidetur, pro ſocio in rebus leuioribus & uoluptuarijs, in qua ſignificatione dici Valla exiſtimat. À ſedẽdo, uel ſimul edendo dici, Sext. Pompeius putat: quòd ita ſodales ſocij ſunt in helluationibus & comeſſationibus, alijſq; huius generis libidinibus, quamuis in re quoq; honeſta dicatur ſodalis. Diuerſa ſtudia in diſſimili ratione.] Cicero in oratione pro M. Cælio, de Catilinæ ſtudijs diuerſis cũ alia multa dicit, tum illud: Erant, inquit, apud illum illecebræ libidinum multæ, erant etiam induſtriæ quidam ſtimuli & laboris. flagrabant uitia libidinis apud illum, uigebant etiam ſtudia rei militaris. neque ego unquam fuiſſe tale monſtrum in terris ullum puto, tam ex contrarijs diuerſiſq; inter ſe repugnantibus naturæ ſtudijs cupiditatibuſq; conflatum, &c. Eius itaq; diuerſa fuere ſtudia. nam improbis & nequam hominibus familiaris fuit, & tamen fortitudinis partibus exercuit: hoc eſt, frigore, fame, ſiti, & uigilijs. Induſtriæ ſubſidia.] Induſtria uulgo dicitur, pro ingenij dexteritate quadam & felicitate. ſed à doctis hominibus dici inuenio pro conſtanti labore, qui certo quodam & honeſto conſilio ſuſcipiatur: quæ fortitudinis pars eſt, cui contraria ſit pigritia aut ignauia. Cicero in primo de Finibus libro: Neque laborum perfunctio, neque perpeſſio dolorum per ſe ipſe allicit, nec patientia, nec aſſiduitas, nec uigiliæ, nec ea ipſa quæ laudatur induſtria, nec fortitudo quidem. Idem in oratione Poſt reditum in Senatu: Habet magiſtros non ex iſtis ineptis, qui dies totos de officio ac de uirtute diſſerunt, qui ad laborem, ad induſtriam, ad pericula pro patria ſubeunda adhortantur. Inde induſtrius homo dicitur. Idem libro in Verrem ſexto: Ne iſta præclara nobilitas deſinat queri populum Romanum hominibus nouis atque induſtrijs libenter honores mandare, ſemperq; mandaſſe. & libro Tuſculanarum ſecundo de labore & dolore locutus: Hæc, inquit, duo Græci illi, quorum copioſior eſt lingua quàm noſtra, uno nomine appellant. Itaque induſtrios homines illi ſtudioſos, uel potius amantes doloris appellant, nos cõmodius laborioſos. Aliud eſt enim laborare, aliud dolere. Induſtriæ ſubſidia appellat, frigoris, famis, ſitis, uigiliarum patientiam, qua ratione labor facilius ſuſcipitur, fitq; conſtantior. Virtutis.] Id eſt, fortitudinis. In libidine.] Id eſt, ad obſidendum ſtuprum, & maritorum ſomno inſidiandum. Audacia.] Id eſt, ad facinus obeundum, & occiſorum bonis inſidiandum. Nõ mediocr.] Id eſt maximæ. Inhumanæ.] Id eſt, maiores quàm natura humana afferat, ideoq; feroces ſunt et belluinæ. Audacia quãuis in numero ſingulari dicatur ſæpius, nõ tamẽ ſemel dixit Cicero audacias in plurali. ut lib. Epiſt. ad Att. 9. Libidines, audacias, ſumptus, egeſtates tot egentiſſimorum hominũ. nec priuatas poſſe res, nec Remp. ſuſtinere. In Verr. Act. 5. Vultis autẽ iſtorum audacias ac libidines aliqua ex parte reſecare? pro P. Sylla: Penitus introſpicite, Catilinæ, Antronij, Cethegi, Lentuli, cæterorumq; mentes, quas uos in his libidines, quæ flagitia, quas turpitudines, quantas audacias, quàm incredibiles

*dibiles furores, quas notas ſcelerum, quæ indicia parricidiorũ, quantos aceruos facinorum reperietis? Obliguriérunt.] Obligurire quid ſit, explicat Donatus, cum enarrat illum Terentij ex Eunucho locũ. Patria qui obliguriérat bona. Obligurierat, inquit, ſuauibus eſcis conſumpſerat. Ligurire enim dictũ eſt propterea, ꝙ ſuaue λιχυρὸν Græci appellãt. Libido permanet.] Libido peruerſa eſt admodũ, ſi in egeſtate remaneat ea quæ fuit in abundantia. Inertes homines.] Inertes dicit eos, quos uulgus parum Latine appellat puſillanimos. Ebrioſos febrijs.] Ebrioſum ab ebrio diſtinguit Cicero libro Tuſculanarum quæſtionum quarto, quantũ iracundũ ab irato, & amatorem ab amante. quod hic in actione ſit: illi autem ad actionem procliuitas ſit, etiam ſi in actione non ſit. Qui mihi.] Mihi ornatus gratia hic ponitur. Vino languidi.] Languere herbas dicimus, cum humore defectæ aut cæſæ flacceſcunt. Vergilius in libro Aeneidos nono, de morte Euryali: Voluitur Euryalus leto, pulchroſq; per artus It cruor, inq; humeros ceruix collapſa recũbit: Purpureus ueluti cũ flos ſuccisus aratro, Langueſcit moriens, laſſó ue papauera collo Demiſere caput, pluuia cũ forte grauantur. Hinc languere homines dicimus eos qui animi & corporis amiſſo uigore debilitantur: cuiuſmodi ebrij eſſe ſolent. Confecti cibo.] Alij legunt conferti: quæ lectio aſpernanda non eſt. Sertis redimiti.] In conuiuio luxurioſo coronas & unguenta addi ſolita, uulgatius eſt quàm ut dici poſtulet. Vnius uirtute, terra mariq;.] Cn. Pompeij. Domeſticum.] Id eſt, inteſtinum. Cum luxuria.] Id eſt, cum luxurioſis hominibus. Quæ ſanari põt.] Ex medicis ſimilitudo ſumpta eſt, qui immedicabile uulnus enſe recidũt, ne pars ſincera trahatur. Quod uero curari põt, id non reſcindunt, ſed dant operã ut ſanent. Aut quieſcant.] Quieſcere dicitur is, qui eſt inſolens & inquietus, cum ceſſat, ut ait Donatus in Andriam Terentij. In eadem mente.] Id eſt, in eodem animo coniurationis. Quod uerbo ſi ego aſſequi poſſem.] Id eſt, ſi uerbo tantũ ualerem, ut eo ciuem eijcere poſſem, eijcerem iſtos ipſos qui hæc de me loquũtur. Videlicet.] In ironia hic, ut alias ſæpe dicitur. Vehemens ille Conſul.] Ille hic emphaſim habet, auctore Priſciano lib. 17. quamuis dicamus ipſe facio, & ipſe facis, tamen nõ dicimus ille facio, & ille facis, niſi addamus aliud pronomen primæ aut ſecũdæ perſonæ. citatq; hunc Ciceronis locũ. Hic ego uehemens ille Conſul.] Simile illud eſt, Ille ego qui quondam gracili modulatus auena. Apud M Leccam.] Id eſt, in M. Porcij Leccæ domo. Quid in proxima.] Id eſt, in ſuperiore: id eſt, procedente illã noctem, qua conuenit in domum Leccæ. Ratio totius belli.] Id eſt, qui cædi, qui incendijs præficerentur, qui quæ in loca ad cogendum exercitũ proficiſcerentur. Deſcripta ei.] Id eſt, ab eo. Cum teneretur.] Tacita confeſſione & hæſitatione conuictus. Alij cunctaretur legunt. Quo iampridẽ.] Id eſt, in caſtra Manlij. Etenim credo, &c.] Ironia eſt. Se Maſſiliam, ut aiunt.] Catilina poſtquam ex urbe profectus eſt, cum iret in caſtra Manliana, conſilij ſui diſſimulandi cauſa, ex itinere multis Senatoribus, præterea optimo cuiq; literas miſit, ſe falſis criminibus circumuentum. quoniã factioni inimicorũ reſiſtere nequiuerit, fortunæ cedere, Maſſiliam in exiliũ proficiſci, non quòd ſibi tanti ſceleris conſcius eſſet, ſed uti Reſpub. quieta foret, néne ex ſua contentione ſeditio oriretur. auctor eſt Salluſtius. Circunclusus.] Id eſt, illaqueatus & irretitus: ut facta ſit tranſlatio à feris, quæ circunclusæ retibus debilitatæ ſunt. Spoliatus armis audaciæ.] Id eſt, impeditus, quo minus conaretur. Indemnatus.] Innocens. Singulis uerbis ſuum pondus additum eſt. Sed timidum.] Miſerum, non timidũ legit Priſcianus libro decimo octauo. Miſer enim nõ dicitur ſceleratus, qui calamitate premitur. Donatus in Hecyrã Terentij, negat quenquam dici miſerum, præter innocentem. citatq; illud Salluſtij: Atque ea cogentes non coactos, ſceleſtos magis quàm miſeros aſtringit. Exiſtimare uelint.] Exiſtimari apud Priſcianum lego: quod quàm exiſtimare, cũ uerbo uelle dictum, eſt elegantius. Eſt mihi tanti.] Id eſt, tam parui facio: ut ſit ironia. Volitare.] Exultare. Triduo.] Pro intra triduum hic dici, Priſcianus libro decimo octauo teſtis eſt. Vulgus diceret, antequam ſint tres dies. Nõ tam hoc.] Significat, qui hoc dictitant eſſe ex coniuratis, aut certe fauere coniurationi. Hoc quod agit.] Id eſt, patriæ bellum facere. Præter uoluntatem.] Id eſt, contra uoluntatẽ. Vbis nobis.] Illud enim moræ ſibi dicebat, quo minus ad Mãliũ proficiſceretur, quòd uiuerem. Vlciſci ſtudio, quàm ſanare.] Id eſt legibus punire. Vlciſci ſæpius dicimus eum qui læſit. Sed iniuriã aut mortẽ ulciſci dicimus. Si me audire uoluerint.] Audire & auſcultare, cũ obedire ſignificant, datiuo nonnunquam, ut obedire ab audiendo compoſitũ, iunguntur. Sæpius tamen accuſatiuo, ut ait Priſcianus. Exponam enim uobis.] Attentos reddit auditores ad ea quæ ſequuntur. Magno in ære alieno.] Id eſt, multa debentes. Diſſolui.] Nam qui in ære alieno ſunt, quodammodo ſunt obligati: qui diſſoluuntur, cum ſatisfaciũt creditoribus. Diſſoluere æs alienum, & diſſoluere ſe ære alieno dicimus. Tu familia ſeruorum.] Scilicet copioſus, id eſt, diues & abundans. Detrahere uendendo.] Fidem acquirere, quam amittit debitor, cum non diſſoluit æs alienum. Poſſeſſiones ſacroſanctas.] Sacroſanctũ, ut ait Sex. Põpeius, dicebatur id quod iureiurando interpoſito erat inſtitutum. ut ſi quis id uiolaſſet, morte pœnas penderet. Vt ſacroſanctos Tribunos plebis, Titus Liuius dicit libro ſecundo. Cicero in oratione pro L. Cornelio Balbo, negat quidquam ſacroſanctum eſſe, niſi quod populus plebs'ue ſanxiſſet. Tabulas nouas.] Cum ære alieno & uſuris plebs Romana oppreſſa erat aut Senatuſconſulto, aut Imperatoris decreto tabulæ nouæ in foro proponebantur, quibus credita pecunia debitoribus cõdonabatur. De hac tabularum nouarũ indignitate Cicero in lib. de Officijs ſecũdo: Tabulæ, inquit, nouæ quid habẽt argumenti, niſi ut emas mea pecunia fundum, & eum tu habeas, ego non habeam pecuniam? Quamobrem ne ſit æs alienum, quod Reipub. noceat, prouidendum eſt: Quod multis rationibus caueri poteſt, ſi hoc non fuerit ut locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res uehementius Remãpub. continet, quàm fides: quæ eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum. De hac coniuratorum expectatione tabularum nouarum, ſuoq; adhibito remedio, idem ſubiungit: Nunquam, inquit, uehementius actum eſt, quàm me Conſule, ne ſolueretur. Armis & caſtrũ tentata res eſt, ab omni genere hominum & ordine. Quibus ita reſtiti, ut hoc tantum malum de repub. tolleretur. Nunquam nec maius æs alienum fuit, nec melius, nec facilius diſſolutum eſt. Fraudandi enim ſpe ſublata, ſoluendi neceſſitas conſecuta eſt. Verum auctionariæ.] Auctio, eſt publica bonorum uenditio, cum res adducitur ei qui pretium obtulit maximũ. Inde auctionari publice, & uelut ex decreto uendere. Auctionarias tabulas hic appellat Cicero, quibus agros, ædificia, aliaq; quæ ſunt debitorum proſcribet uenalia, ut æs alienum diſſoluatur creditoribus. Salui.] Id eſt, ære alieno diſſoluti, quã eadem in re paulo poſt dicit. Maturius.] Id eſt, citius. Certare cum uſuris fructibus prædiorum.] Eſt prædia tantum amare, ut ea uendi nolis, ut ære alieno fœnore ſumpto te exoluas. Locupletioribus.] Vſuræ enim rem familiarem diminuunt maxime. Ideoq; M. Cato maior fœnerari aliud nihil eſſe putabat, niſi hominem occidere, ut ait Cicero in libro de Offic. ſecundo. Locupletioribus his & melioribus uteremur.] Vſurarum multiplicatio ciuitati pernicioſa eſt. T. Pomponius Atticus, ut in eius uita Corne-*

lius Nepos ſcribit, cũ Athenis erat, neque uſuram unquam accepit, neq; eos, quibus pecuniam crediderat, lõgius quàm dictũ eſſet debere paſſus eſt. Quod utrunq; erat ſalutare. nã neque indulgendo inueteraſcere eorum æs alienum patiebatur, neq; multiplicandis uſuris creſcere. Rerum potiri.] Potiri in infinitiuo tantum in quarta coniugatione dicitur, quamuis in alijs modis ſit tertiæ et quartæ coniugationis, ut ait Priſcianus lib. x. ubi citat hunc locum. Eodem auctore libro decimo octauo, potior illius rei, illã rem, & illa re, citat itidem hunc locũ.

Id quod cum ſummo furore, &c.] Id eſt, ut ciuium cæde, urbis incendio & uaſtatione, aſſequantur magiſtratus. Aetate iam confectum.] Nam Catilinæ coniuratione permulti erant ueterani Syllæ milites, quorum alij per Italiam fugitiui, alij & hi quidẽ bellicoſiſſimi per urbes Etruriæ ſparſi, oppidorũ direptiones, parat aſq; ſibi rapinas ſomniabant: Manliũ hi ſibi ducem nacti, uirum qui ſub Sylla ſtrenue quondam & fortiter militauerat, ut ait Plutarchus in uita Ciceronis. Salluſtius poſtquã enumerauit quos ſibi amicos Catilina parauiſſet: His, inquit, amicis ſocijsq; confiſus Catilina, ſimul ꝙ æs alienũ per omnes terras ingens erat, & ꝙ plerique Syllani milites largius ſuo uſi, rapinarũ & uictoriæ ueteris memores, ciuile bellũ exoptabant, opprimendæ Reipub. conſiliũ cepit. Quas Fæſulis.] L. Syllã 47. legiones in agros captos deduxiſſe, eosq; ipſos diuiſiſſe, Titus Liuius libro. 89. ſcribit. Fæſulas ab Atlante cælifero conditas, easq; ab eius filia Fæſula appellatas eſſe, Politianus contendit in libro Epiſtolarum primo. Multas autem colonias huc à Sylla deductas ſignificat. Campos eos, qui inter Fæſulas & Aretiũ iacent, maxime opulentos eſſe frumenti, pecoris, omniumq; rerum copia, Titus Liuius libro 22. ſcribit. Ciuium eſſe, &c.] Ciues à colonis diſtinguit, ꝙ ciues ſint qui erant ante coloniam deductam, coloni uero qui deducti ſunt. Se iactarunt.] Id eſt, diuitias ſuas oſtentarũt, effundẽdo eas ſumptuoſe & inſolenter. Inſolentiusq;.] Inſolentem hominem dicimus præferocem, & ultra uſitatũ morem hominũ elatum. Ea animi inuſitata & nimia elatio, inſolentia dicitur.

Lecticis.] His uehebantur ægroti, ſenes, & nõnunquam mulieres, quod id uectationis genus eſſet mollius. Iiſdem nonnunquam homines uehebantur. Id ex uerbis C. Gracchi apud A. Gellium cap. 2. libro. 10. & ex Ciceronis Actione in C. Verrem 7. poſſis agnoſcere. Eas lecticas ferebant nonnulli aut equi, aut ſerui, qui inde lecticarij dicuntur. Seruius Sulpitius ad Ciceronem libro Epiſtolarum 4. Coactus ſum in eadẽ illa lectica, qua ipſe delatus eram, meisq; lecticarijs in urbem eũ referre. Lecticarios lecticarũ artifices Cicero appellat pro Sexto Roſcio: Mitto, inquit, haſce artes uulgares, coquos, piſtores, lecticarios. Inciderant.] Id eſt, repente deuenerant. Ab inferis excitandus.] Id eſt, reſuſcitandus. Proſcriptiones.] Quales Sylla fecit. Et dictaturas.] Qualem Sylla habuit, qui ſe annos 120. Dictatorem fecit. Huiuſmodi proſcriptionẽ à Catilina ne ſperent. Tantus illorum templorum dolor.] De Syllæ etiam in ciues Romanos crudelitate maxima, Plutarchus in eius uita amplius ſcribit. Inurere dolorem.] Id eſt, afferre dolorem pergrauem. à medicis ſumptũ uidetur, qui ulcera aut uulnera, quæ alioqui curari non poſſunt, ad uiuum adurunt. Turbulentũ.] Id eſt, ex turba & multitudine & quaſi colluuione hominũ conflatum. Nunquam emergent.] Id eſt, nunquam fient diuites, nec ad ullum unquam dignitatis gradum aſcendent. Inertia.] Id eſt, ignauia & pigritia, aut nullius artis peritia: quæ quantum hominibus incõmoda ſit, Solon ſenſit, qui lege cauit, ut filius patrem alere non teneretur, qui ab eo artẽ nullam accepiſſet. Male gerendo negotio.] Id eſt, res ſuas male collocando & adminiſtrãdo: qua ratione multis ex opulentis pauperes fieri ſolent. Partim ſumptibus.] Qui parſimoniæ contrarij ſunt. Rem familiarem cõſeruari debere diligẽtia & parſimonia, Cicero dicit in libro de Officijs 2. Inde prudenter illud dictum eſt, Parſimoniam optimũ eſſe uectigal. Vacillant.] Periclitantur. eſt enim à uacillante naui facta translatio. Vt contra. ante dixit: Si ſalui eſſe uelint, Sylla ſit his ab inferis excitandus. Itemq;: Neque enim iſti, qui poſſeſſiones habẽt, alia ratione ulla ſalui eſſe poſſunt. Vadimonijs.] Id eſt, ſponſionibus ſiſtendi ſe in iudicio, id eſt, citationibus. Nam citantur rei hi, qui promittunt uadimonium. Iudicijs.] Id eſt, damnationibus, cum ſcilicet à creditoribus in ius uocati damnantur. Proſcriptionibus bonorum.] Id eſt, uenditionibus poſſeſſionũ, aliorum'ue bonorum, quas inuiti faciunt à creditoribus in iudicio uicti. Proſcribere enim eſt, uenalem rem proponere. Cicero in tertio de Officijs: Claudius proſcripſit inſulam, uendidit, emit C. Calpurnius. Idem: Tu cum ædes proſcribas, tabulã tanquam plagam ponas, domũ propter uitia uendas. In illa caſtra.] Manlij. Inficiatores.] Inficiatores potius lego cum Priſciano libro. 12. ubi præcipit de ſyllaba ce adiuncta cum pronomine hic, hæc, hoc, in his caſibus ubi in s deſinit: quàm inſtitores. Petitionem negat Cicero in primo de Oratore: Nobis in tribunali Q. Pompeij prætoris urbani familiaris noſtri ſedẽtibus, homo ex numero diſertorũ poſtulabat, ut illi unde peteretur uetus et uſitata exceptio daretur, cuius pecuniæ dies fuiſſet? Quod petitoris cauſa cõparatũ eſſe non intelligebat: ut ſi ille inficiator probaſſet iudici, ante petitam eſſe pecuniam, quàm eſſet cœpta deberi: petitor rurſus competeret, ne exceptione excluderetur, ꝙ ea res in iudicium antea non ueniſſet. Quo in loco erraſſe mihi uiſus eſt Non. Marcellus, qui hoc Ciceronis loco utitur, ut doceat inficiatores eſſe falſi criminis obiectores. Auctor Rhetoricorũ ad Herennium, inficiationem libro primo appellat obiecti criminis negationem, & quam Quintilianus lib. 3. depulſionem uocat. Ex intentione, inquit, & ex inficiatione iudicatio conſtituitur hoc modo. Intentio, occidiſti Aiacem: Inficiatio, non occidi: Iudicatio, occiderit ne. Si ſtare non poſſunt, corruant.] Id eſt, ſi de ſententia & ſpe deijciantur, ſibi mortem domi conſciſcant. Honeſte.] Extra coniurationem ſcilicet. Perire turpiter.] Cum coniuratis. Cum multis.] Coniuratis.

Si ſoli pereant.] Domi. In latrocinio.] Id eſt, bello in patriam. Poſtremum genus eſt de Catilinæ delectu.] Non ſolũ numero, ſed etiam genere uitæ eius, quæ Catilinæ propria eſt, & qua utitur Catilina præcipue. Imo uero de cõplexu, &c.] Id eſt, familiariſſimis ei & intimis. Imberbes.] Id eſt, pueri uel adoleſcentes, uel uiri barba uulſa. quales erant molles & effœminati. Apud A. Gellium. cap. 12. lib. 7. P. Scipio Africanus minor, P. Sulpitio Gallo homini delicato obiecit, quòd quotidie unguentatus aduerſus ſpeculum ornetur, quòd eius ſupercilia radantur, quòd barba uulſa fœminibusq; ſubuulſis ambulet, ꝙ in cõuiuijs adoleſcentulis cũ amatore, cũ chirodota tunica inferior accubuerit. Pexo capillo.] Id eſt, cura nimia compoſito. Capillum in numero ſingulari pro coma ſæpe dicunt auctores maximi. Bene barbatos.] Romanis antiquis mos fuit, ut barbam ne tonderent. Hinc graues illi et ſapientes ſenes, barbati dicebantur. Cicero pro L. Muræna: Hæc, inquit, tum apud illos barbatos ridicula credo uidebantur. Sed hanc ueterum barbam horridam, non pexam, idem ſignificat in oratione pro P. Sextio de L. Piſone: Alter ò dij boni quàm teter incedebat, quàm truculentus, quàm terribilis aſpectu. Vnũ aliquem te ex barbatis illis, exemplũ imperij ueteris, imaginem antiquitatis, columen reipub. diceres intueri. Veſtitus aſper noſtra hac purpura plebeia ac penè fuſca, capillo horrido, Barbam uero quæ molliter pexa eſt & curata, barbulam, eosq; qui eam gerunt barbatulos idem appellat. Pro M. Cælio de Appio Claudio: Aliquis mihi ab inferis excitandus eſt ex barbatis illis, non hac barbula, qua iſta delectatur,

ctatur, ſed illa horrida, quàm in ſtatuis antiquis et imagibus uidemus. Idem in Epiſt. ad Atticum lib. 1. Nam cum dies ueniſſet rogationis ex S.C. ferendæ, cócurſabant barbatuli iuuenes, totus ille grex Catilinæ, duce filiola Curionis, et populum ut antiquaret rogabant. De more barbam & genas radendi ante ſenectutem, A. Gellius ſcribit cap 4. lib. 3. Bene igitur barbatos, id eſt, barbatulos, & barbula bene pexa & curata. Manicatis.] Manicatis tunicis ac talaribus Romæ atque omni in Latio uel uiris indecorum, ut fœminis ſolis decorum fuiſſe uti ueſte longa & manicata ad ulnas cruraq; aduerſus oculos protegenda, idem Gellius eodem in capite ſcribit. Igitur uirorum tunicæ citra brachia deſinebant. Talaribus.] Id eſt, ad talos demiſſis, quæ muliebres erant, non uiriles, quæ uiris probro dabantur. Cicero in oratione pro A. Cluentio, in L. Quintium: Facite, inquit, ut non ſolum mores eius & arrogantiam, ſed etiã uultũ atq; amictum, atque illam uſque ad talos demiſſam purpurã recordemini. Idem in Verr. Actione 7. Stetit ſoleatus Prætor populi Rom. cũ pallio purpureo, tunicaq; talari, muliercula nixus in littore. Apud Verg. lib. Aeneid. 9. Romulus Troianis hoſtibus ignauiam, & (ut ita dicam) effœminationem obijciens: Vobis, inquit, picta croco, & fulgenti murice ueſtis, Deſidiæ cordi, iuuat indulgere choreis, Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ. Seruius uerſum hunc poſtremum exponens: Tunicæ, inquit, ueſtræ habent manicas, quod etiam Varro uituperat, dicens Manicatis & talaribus tunicis. nã colobijs utebãtur antiqui. Hæc ille. Colobia aũt ſunt, ueſtes ſine manicis. Talaribus tunicis legit Nonius Marcellus, non talaribus ac tritis tunicis, uti in exẽplis omnibus ſcriptũ inuenio. Tunica, inquit, eſt ueſtimẽtum ſine manicis. Cicero in Catilinam, Manicatis ac talaribus tunicis. Si adiungis & tritis, contra Ciceronis ſententiam dices. Nam in tritis ueſtibus huiuſmodi homines effœminati nullũ unquam ornatum inuenerunt. Velis amictos, non togis.] Romani ueteres ſola toga amicti fuerunt, poſtea ſubſtrictas et breues tunicas citra humerũ deſinentes cum toga induebant, ut ait Aul. Gellius cap. 12. libri ſeptimi. Quamuis tunicæ talares non fuerint, togam à ueteribus Romanis ad calceos uſq; demiſſam, ut a Græcis pallium, Quintilianus lib. 11. ſcribit. qui miratur Plinium tradidiſſe, id Ciceronem facere ſolitum, uelandarũ uaricum gratia. M. Cato minor cũ Prætor eſſet, iudicium ſine tunica, toga ſola amictus æſtate exercebat. in forum quoque ſic indutus deſcendebat, iuſq; dicebat. Id repererat uetere conſuetudine, ſecundum quam & Romuli ætatis ſtatuæ in Capitolio, & in Roſtris Camilli fuerunt togatæ ſine tunicis. auctor eſt Aſconius Pædianus. Velis amictos, non togis.] Togarum laxitatem exprimit. Quorum omnis induſtria uitæ.] Id eſt, hi homines delicatuli alia in re nulla ſuſcipiunt laborem, niſi quòd in cœnis antelucanis uigilant. Antelucanas cœnas, ut arbitror, appellat nocturnas, quæ ad primam lucem ab heluonibus & ebrioſis hominibus continuantur. ut M. Antonium Plutarchus ſcribit in Hippiæ mimæ nuptijs cœnatum, tantum uini per uniuerſam noctem hauſiſſe, ut ei poſtridie in concionem uocato, neceſſe fuerit in conſpectu populi Romani euomere. Antelucanum.] Id eſt, quod fit aut ſuſcipitur ante lucem. Cicero libro Tuſculanarum quæſtionum quarto: Cur, inquit, non ſunt auditæ Demoſthenis uigiliæ? qui dolere ſe aiebat, ſi quando opificum antelucana uictus eſſet induſtria. Ita antelucanum, ut antemeridianum & pomeridianum dicit in libro de Oratore tertio. Non eſt, inquit, paucorum libellorum hoc munus, ut hi qui ſcripſerunt de dicendi ratione, arbitrati ſunt: neque Tuſculani, neque huius ambulationis antemeridianæ, aut noſtræ pomeridianæ ſeſſionis. Impuri impudiciq.] Hominem impurum pro improbo ueteres dixerunt generaliter, ut ait Donatus in Commẽtarijs in adelphos Terentij. Neque cantare.] Auctore Aemilio Probo in uita Epaminondæ, Romæ turpe erat cantare & ſaltare, quæ in Græcia laude digna erant. Salluſtius in bello Catilinæ, Semproniam impudicam deſcribens, eam dicit pſallere & ſaltare doctam elegantius, quàm neceſſe eſt probæ mulieri, quæ luxuriæ inſtrumenta ſunt. Virum ſapientem in foro ſaltaturum non eſſe, Cicero in libro de Officijs 3. ſcribit, ſi id promiſerit, quòd ea ratione ſola hæreditatem adiret. Idem in oratione Poſt reditum in Senatu, A. Gabinium ſaltatorem calamiſtratum uocat. L. Murenæ Seruius Sulpitius in accuſatione maledicti loco obiecit, quòd eſſet ſaltator. In huius defenſione illa Ciceronis uerba ſunt: nemo inquit, ferè ſaltat ſobrius, niſi forte inſanit: neque in ſolitudine, neque in conuiuio moderato atque honeſto. Intempeſtiui conuiuij, amœni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio. Macrobius libro Saturnalium tertio de cantandi & ſaltãdi apud ueteres ratione ſcribit. Cicero libro de Oratore tertio, ſaltationis duo eſſe genera ſignificat: alteram ſcenicam & hiſtrionicam, quæ infamis & uiro indigna eſt: alteram uirilem, quæ ab armis aut palæſtra ſumpta eſt, quæ forti ac uirili laterum inclinatione fiat. Hanc Quintilianus libro primo ueteribus Romanis dedecori fuiſſe negat, eſſeq; argumento ſaltationẽ ſacerdotum, nomine & religione uſque ad tempora ſua durantẽ. Lacedæmonios quoque ſaltationem quandam tanquam ad bella quoq; utilem, habuiſſe inter exercitationes ſcribit. Hanc tamẽ ſaltationem qua oratorem futurum inſtitui uelit, ultra puériles annos retinendã non cenſet. Saltare potius quàm pſallere, ut in uulgatis exemplis ſcribitur, legendum eſt. Vibrare.] Id eſt, ui in ciuium corpora adigere. Spargere uenena.] Id eſt, necare ueneno. id quod præcedit, pro eo quod ſequitur. Seminarium, ut ait Valla libro primo, non locus, ſed ſemen ipſum dicitur, id eſt, plantulæ. Translatio hæc ſatis nota. Mulierculas in contemptum dicit.] Id eſt, meretrices. His præſertim iam noctibus.] Quæ longiores ſunt, ideoq; frigidiores. Nam ad ſextum Idus Nouemb. habita hæc oratio eſt. Apenninus mons Italiæ ampliſſimus eſt, perpetuis iugis ab Alpibus tendens in fretũ Siculum, ut ait Plinius capite 5. libri tertij. Vt mediam Græciam Thermopylis, ita Italiam Apennino diuidi, Titus Liuius libro trigeſimoſexto auctor eſt. Pruinam ex gelido rore gigni. Plinius libro ſecundo ſcribit. Ariſtoteles autem libro Meteorologiæ primo ſcribit, id conuenire & diſconuenire inter pruinam et rorem, ut uapor quidam eleuatus, nocturno frigore altius aſcendere prohibitus, cum humi ſubſidit, conglaciatus pruina, in aquam mutatus ros dicatur. Quantum inter pluuiam & rorem, tantum inter niuem et pruinam conuenit. Hanc pruinam album gelu uulgo appellant: dictam pruinam, quòd fructus & uirgulta perurat, Sextus Pompeius ſcribit. Exuſtionem, quæ iniuria pruinarum eueniat, Plinius libro decimoſeptimo carbunculationem appellat. Hyemem.] Id eſt, frigora hyemis. Nudi ſaltare.] Hanc frigoris patientiam, ſi quando eſt, pueritiæ turpiter actæ tribuit. O bellum magnopere.] Ironia eſt. Cohortem prætoriam.] Prætoria cohors, ut ait Sextus Pompeius, dicta eſt, quæ à Conſule uel Prætore non diſcedat. Scipio enim Africanus primo fortiſſimum quenq; delegit, qui ab eo in bello nõ diſcederent, & cætera militiæ munere uacarent, & ſeſquiplex ſtipendium acciperent. Idem Prætoriam portam in caſtris appellari dicit, qua exercitus in prælium educitur. Quia initio Prætores erant, qui nunc Conſules. hiſq; bella adminiſtrabant, quorum tabernaculum dicitur Prætorium. Vegetius libro de Re militari primo, portam Prætoriam etiam dici ſcribit, quæ ad orientem, aut quæ ad hoſtem ſpectat.

Has tam præclaras.] Ironia eſt. Confecto & ſaucio.] Id eſt, grauiter uulnerato, qui in caſtra Manlij abijt. quia uim orationis meæ ſuſtinere non potuit. Confice-

re, ut ait Donatus in Eunuchum Terentij, proprie conuenit gladiatoribus ijs, qui grauiſſimis uulneribus occubuerũt. Cicero in Catilinam: Gladiatori illi confecto & ſaucio. Cicero tamen grauiſſime uulneratos gladiatores dicit confectos in lib. Tuſ. 2. Mittunt, inquit uulneribus cõfecti ad dominos. qui quæsãt, qd uolunt, ſi ſatiſfactum ijs non ſit, ſe uelle decumbere. Sententia eſt: Conſules & Imperatores Catilinæ, conniuentis ex Romana ciuitate flos et robur totius Italiæ, agreſtibus & ſylueſtribus rõ iuratis coloni et municipes opponentur. ex Catilinæ parte rem extenuat. Catilina enim confectus eſt & ſaucius, ciues cõiurati naufragi ſunt eiecti ac debilitati, cõiurati alij ſunt cumuli ſylueſtres. Naufragos appellat ciues coniuratos, tanquã q in ciuitatis tẽpeſtate fecerunt naufragium, unde in caſtra Manlij electi ſint. Vrbes coloniarum & municipiorum.] Id eſt, coloni & municipes. Reſpondebunt.] Id eſt, reſiſtent & repugnabunt. Cumulis.] Id eſt, multitudini ordinem in pugna nullum ſeruanti, qui tamen in re militari ualet plurimum.

Cæteras copias, ornamenta, &c.] Id eſt, Senatum, Equites Romanos, populum, urbem, ærarium, &c. Conferre.] Id eſt, comparare. Nos ſuppeditamur.] Id eſt, abundamus. Hoc tamen uerbũ ſæpius iungitur cũ nomine ſignificante rem quàm perſonam. Cicero in 1. de Off. Suppeditant autem & campus noſter & ſtudia uenandi, honeſta exempla ludendi. Itemq;: Si omnia nobis, quæ ad uictum cultumq; pertinent, quaſi uirgula diuina, ut aiunt, ſuppeditarentur. Et lib 3. Néue cõmittas, ut cũ tibi omnia ſuppeditata ſint à nobis, tute tibi defuiſſe uideare. Quibus ſuppeditamur, &c.] Id eſt, Catilina eget rebus ijs, quibus abundamus. Ipſas cauſas.] Catilinæ & noſtram ſcilicet. Contendere.] Id eſt, comparare. Cæcilius: Egon, uitam meam Atticam contendam cum iſtac ruſticana Syra? Licinius: Illi ſuam uitam cum mea contendunt, quorum in corpore ita crebra ſunt uulnera uitæ, nouæ cicatrici ut locus non ſit. Hæc aliaq; multa exempla Nonius Marcellus citat, cũ docet contẽdere eſſe comparare. Ipſi Catilinarij.] Id eſt, nobis inferiores ſint. Ex hac parte.] Id eſt, ex noſtra. Pudor & pudicus ideo dicuntur, q putum pro puro dixerunt antiqui. auctor eſt Sex. Pompeius. Eſt autem pudor, honeſta quædam & liberalis uerecundia: cui petulantia cõtraria eſt, quæ diſſoluta eſt et effuſa dictorum factorumq; uenereis in rebus permiſſa ſibi licentia. Sed pudor in dictis, pudicitia in factis potius eſt: fraudatio fidei contraria eſt. Qui æs alienum diſſoluere nolũt, fidem amittunt, fraudant creditores. Ignauiam fortitudini opponit. Eam parum latine philoſophi noſtri puſillanimitatẽ appellant. Etiam ſi hominum ſtudia deficiant.] Bellorum alia humanis tantum uiribus ſine ullo diuino auxilio utrinq; gerũtur, ut apud Homerũ lib. Iliad. 8. ubi Iupiter dijs omnibus interdicit, ne quis eorũ Troianis aut Græcis ferat auxilium. Alia diuino auxilio maxime geruntur, cum tantus pauor animis hoſtium diuinitus offunditur, ut nullo negocio uincantur. Eſt igitur ſententia: Si boni ciues, quorum ex parte uirtutes ſunt, deſicerẽt; & uincerentur ab improbis, pro quibus uitia pugnarẽt, dij tamen ipſi à uitijs uirtutes ſuperari nunquam paterentur. Id eſt, ciuibus bonis animos, & improbis pauorẽ adderent. Sine ullo tumultu. Id eſt, militũ delectu. Quàm pars patritiorum.] Quorũ multi Catilinæ cõiurationem ſecuti ſunt. Multos ex ordine Senatorio Salluſt. nominat, qui in coniuratione fuerũt. Q. Metellus Celer, prætor in agrũ Picenum miſſus eſt cum ea poteſtate, ut pro tẽpore & periculo exercitum compararet, ut ait Sall. Is Metellus eſt, à quo repudiatus Catilina eſt, cum ei dare ſe in cuſtodiam uoluit. Gallicanum agrum.] Ante Gallicum appellauit. Maturandis.] Id eſt, celerandis. Iam ad Senatum.] Significat eo ipſo die ſe habere Senatum. Quia nati ſunt ciues.] Ciuium duo erant genera, alij nati. alij ciuitate donati erant. illorum arctior neceſſitudo q̃ horum erat. P. Africanus maior dicere ſolebat, malle ſe unum ciuem conſeruare quàm mille hoſtes perdere. L. quoque Lucullus in concione militum, malle ſe dixit unum ciuem Rom. hoſti eripere, quàm oẽs ſibi hoſtium res uendicare. auctor eſt Plutarch. in eorum uitis. Tantum ciuis conſeruandi ſtudium erat.

Solutior.] Id eſt, maior & liberior. Id quod latebat.] Id eſt, coniuratio. Meam hanc eſſe.] Cicero in lib. de Legibus 2. omnibus municipibus duas eſſe patrias dicit, unã naturæ. alteram ciuitatis. ut Cato, cum eſſet Tuſculi natus, in pop. Ro. ciuitatem ſuſceptus eſt. Itaq; cum ortu Tuſculanus eſſet, ciuitate Rom. habuit alteram loci patriam, alteram iuris. Idem in eodem lib. natum ſe, & Q. Fratrem dicit in parua uilla prope Arpinum, ubi pater & auus eius uixerunt. Inſidiator.] Qui proficiſcentes ad Catilinam in urbem retrahat ad pœnã.

Vindicem.] Id eſt, animaduerſorem & punitorem, quòd in carcere quoq; extremo ſupplicio improbi ciues afficiantur. Significationibus.] Id eſt, ſignis & inducijs. Non procul ut quondam.] Vt bello Senonico & bello Punico: dij abeſſe uidebantur, q pop. Rom. uinci paterentur, nihilominus in hoc bello Romam, in illo Capitolium defendiſſe uidentur, quòd magna uim imbrium & grandinis Annibalem ab urbe mouere caſtra coegerint, & aſcendentibus Gallis clangore anſeris Romanos excitauerint: ſuperatis cum ab alijs, tum maxime à Cn. Pompeio.

# IN INVECTIVAM MARCI TVLLII CICERONIS

## TERTIAM IN L. CATILINAM AD QVIRITES,

## FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

Llobrogorum Legati à P. Lentulo per P. Vmbrenum, L. Caſſium, & P. Gabinium ſollicitati ad coniurationis ſocietatem, Q. Fabio Sanga rem omnem indicarunt. Per Fabium Cicero factus certior, ut Legati rem diſſimulent hortatur. Conſtituta nocte, qua egrederentur, C. Pomtinum & L. Flaccum Prætores ad Pontem Mil
A uium, quà ituri Legati erant, collocat, ut eos cũ literis ad Catilinam & ad ſenatum ſuum reuertentes, cum eorum uiæ duce T. Vulturcio interciperent. His ex uia à Prætoribus prima luce Romam retractis, Cicero uocatis ad ſe ijs qui Legatis ad Catilinam literas dederant, Senatum in templo deæ Concordiæ habuit. in Senatu quid actum ſit, pop. Rom. eo ipſo die ad ueſperam hac oratione docet. In Senatu igitur T. Vulturcius accepta iuſſu Senatus fide publica, & Allobroges, qui ex coniuratione eſſent, quid machinarentur indicauerũt. Introducti alius poſt alium Lentulus, Cethegus, Statilius literarum à ſe ſcriptarum ſigna tandem cognoſcentes, de coniuratione confeſſi ſunt. Actæ ſunt gratiæ Ciceroni, C. Antonio Coſ. Flacco & Pontino prætoribus. P. Lentulus prætura ſe abdicauit. Hic & reliqui in cuſtodias liberas traditi ſunt. Supplicatio ad omnia deorum puluinaria Ciceronis nomine decreta eſt. Deprehenſis coniuratis, Catilinæ conatus

metuendos

*metuendos non eſſe oſtendit Cicero : cum quo ſibi pugnandum fuiſſet, ſi in urbe remanſiſſet : deorum nutu & conſilio deprehenſam coniurationem ex prodigijs quæ anteceſſerunt, & ex ſimulachro Iouis in Capitolio ad orientē ſpectante, ex conſilio Aruſpicū poſito, probat. Quare hortatur populum Romanum, ut dies ſupplicationis cum uxoribus & liberis celebrent. Oſtendit hoc bellum Catilinæ futurum fuiſſe multo crudelius bellis ciuilibus Syllæ, Sulpitij, Octauij, Cinnæ, Marij, Lepidi, Catuli, in quibus ciues innumerabiles occiſi ſunt. Pro huius deprehenſæ coniurationis indicio atque uictoria Cicero neq; honorem, neq; triumphum, neq; ſtatuam poſtulat, ſed memoriam huius diei perpetuam. Orat pop. Rom. ut prouideat, ne quid ſibi hoc beneficium noceat, ſi quam inuidiam ſibi pœna coniuratorum in poſterum conflauerit. Omnem ſuam operam in cōiuratos pollicetur, etiam cum priuatus erit. Populum Romanum hortatur, ut domos ſuas uigilijs cuſtodijsq; defendant. Oratio deliberatiua eſt, cuius in proœmio oſtendit diem, quo deprehenſa coniuratio eſt, quo eodem die habita eſt hæc oratio, qui dies Non. Decemb. eſt. perinde ut natalem urbis Romæ diem quotannis celebrandum eſſe.*

R EMPVBLICAM Quirites.] *Illud Cicero perſæpe facit, ut cum acrius mouere uult, per partes enumeret, quod in genere dici poſſet.* Omniū ueſtrum uitā, omnium noſtrum ſalutē *in his orationibus à Cicerone dici attendendum eſt : Nam ſi ex Grammaticorum præceptione diceretur, ueſtram omniū uitam, noſtram omnium ſalutem dici oporteret.* Bona, fortunas.] *Fortunas in numero plurali pro fortunæ bonis Cicero ſæpe dicit. Hic uero bona & fortunas dicit, ut ſæpius moueat, & tanquam feriat animos auditorum.* Domicilium imperij.] *A' Roma Romanum imperium dicebatur.* Hodierno die.] *Vſitatius quàm hodie Ciceroni eſt.* Ex faucibus fati.] *Metaphora à feris eſt, quarum faucibu cum quid eripitur, ex periculo extremo liberatur. Fatum pro interitu, pro morte uiolenta, non naturali dicitur.* Quàm illi quibus naſcimur.] *Natalem diem celebrari Romæ mos fuit. quibus in ſacris ſolis operam uoluptati dare licebat. In cæteris ſeruabatur caſtitas, ut ait Seruius, exponens illum Virg. ex Bucolicis uerſum, Phyllida mitte mihi meus eſt natalis Iola. Romæ quoque natalem 12. Calendas Maij celebrari ſolitum, quo die animarum nihil ad ſacra adhiberetur, quòd diem ipſum, qui origini patriæ conſecratus erat, purum et ſine ſanguine ſeruari oportere putarent, Plutarchus in uita Romuli ſcribit.* Saluti certa lætitia eſt, naſcendi incerta conditio.] *Id eſt, cum quis naſcitur incertum eſt bonáne an mala ſit ea natio. Nōnullis enim uita contingit ita miſera, ut horam eam qua nati ſunt deteſtentur.* Ad deos immortales.] *Apud Seruium in libro Aeneidos ſexto, illud Ennij eſt, Romulus in cœlo cū dijs genitalibus æuū Degit. De Romulo quid Proculus dixerit, ex Liuio, Plutarcho, alijsq; ſatis cognitum.* Vrbem ſeruauit.] *De hoc die illud Ciceronis in oratione pro L. Flacco eſt, O' nonæ illæ Decembres, quæ me cōſule fuiſtis, quem ego diem uere natalem huius urbis, aut certe ſalutarem appellare poſſum. Templa & delubra ſimul ſæpe dicit Cicero, Aſconio Pediano in Ciceronis Diuinationē auctore. Sunt qui templa eſſe dicant ſingulorum locorum dijs attributorum, delubra multarū ædium ſub uno tecto, à diluuio pluuiæ munitarū.* Subiectos propè iam ignes.] *Cicero in L. Piſonem : Ego tela extremo menſe Conſulatus mei intenta iugulis ciuitatis de coniuratorum nefarijs manibus extorſi, ego faces iam accenſas ad huius urbis incendium comprehendi, protuli, extinxi.* Vobis iam exponam breuiter.] *Propoſitio eſt eorum quæ dicturus eſt, qua ratione attentos & dociles facit auditores.* Coniuratorum manū ſimul exituram.] *Coniuratos, non coniuratores, ut teſtes et iudices iuratos, nō iuratores, Latine dicimus.* Oculis uideretis.] *Pleonaſmos non eſt. Nam ad rem certius ſignificandam, Oculis adiecit.* Maleficium.] *Id eſt, coniurationem. In re atrociſſima ſæpe dicitur maleficium à Cicerone, ut pro Sexto Roſcio, maleficium appellat parricidium. Allobroges Galliæ populi ſunt, qua parte Arar Rhodano miſcetur, accolæ, nulla gente Gallica opibus aut fama inferiores, ut ait Titus Liuius lib. uigeſimoprimo. Hos, eodē auctore libro ſexageſimoprimo, Q. Fabius Maximus filius fratris Africani minoris, qui in Fabiorum familiam adoptatus eſt, Cōſul dicit, inq; deditionem accepit. Inde Allobrogicus cognominatus eſt. More Romanorum, qui gentem nationem'ue bello deuicerat, eius patronus erat, ut eſt apud Ciceronem libro de Officijs primo. Ex Allobrogici familia Q. Fabius Sanga Allobrogum patronus erat. Allobrogum Legati à P. Lentulo per P. Vmbrenum ſollicitati, ad Q. Fabium Sangam rem omnem uti acceperant, detulerunt. Ciceronem eorum quæ audiuerat, Fabius certiorem facit. Ciceronis conſilio legati ſocietatem coniurationis ſimulāt, ut amplius ſcribunt Salluſtius & Plutarchus in uita Ciceronis.* Tumultus Gallici excitandi cauſa.] *Bellum generalis dictio magis eſt quàm tumultus. Auctore Cicerone in Antoniana octaua, poteſt eſſe bellū ſine tumultu, tumultus eſſe ſine bello non poteſt. Quid eſt enim tumultus, niſi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? Vnde etiam nomen ductum eſt tumultus. Itaque maiores noſtri tumultum Italicum, quòd erat domeſticus, et tumultum Gallicum, quòd erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant. Grauiorem autē tumultum eſſe quàm bellum, quòd bello Gallico uacationes ualent, tumultu nō ualent.* Cum literis mandatisq;] *Id eſt, ut uulgo loquuntur, cum literis credenti. T. Vulturcium Crotonienſem Salluſt. appellat.* Facultatē.] *Id eſt, occaſionem & opportunitatem.* Heſterno die.] *Vſitatius quàm heri.* L. Flaccum.] *Is eſt L. Valerius Flaccus, quem repetundarum factum reum poſtea Cicero defendit.* Cn. Pontinum.] *C. Pontinium Cicero pro L. Flacco, C. Promptinium Salluſtius appellant.* Ex profectura Reatina.] *Id eſt, ex præſidio Reatino. Noctis uigiliæ ab antiquis dicuntur. Noctem enim in quatuor uigilias diuidebant, ut eſſent duæ ab occidēte ſole ad mediam noctem, & totidem inde ad ſolem orientem. Noctis horas itidem antiqui dixerunt.* Integris ſignis.] *Id eſt, non reſignatæ, non apertæ.* Machinatorem.] *Id eſt, principem & auctorem, quem architectum alibi appellat. Cicero pro A. Cluentio : Ipſum principem atque architectum ſceleris abſoluerunt. & pro Sexto Roſcio : Non ne quiuis poteſt intelligere omnium architectum & machinatorem unum eſſe Chryſogonum?* Temere.] *Imprudenter, & ſine cauſa.* Cogere Senatum.] *Pro eo quod eſt congregare dicit. ut in libro Epiſtolarum ad Q. Fratrem ſecundo : Pridie Idus cum Appius Senatum infrequentem coegiſſet, tātum fuit frigus, ut populi conuicio coactus ſit nos dimittere. Libro Epiſtolarum familiarium quinto: Recordare cætera quàm cito Senatum illo die facta ſortitione coegerim.* Cogere iudices.] *Idem in oratione pro L. Muræna, cogere medicos. libro Epiſtolarum quarto, cogere agmen. libro Epiſtolarum ad Atticum 15. cogere pecuniam. pro M. Fonteio, cogere pecuniam à ciuitatibus, pro eo quod eſt colligere dicit.* Maximum ſicarum numerum.] *Id eſt, ſicas plurimas. ut Actione in Verrem quinta : Magnus à multis frumenti numerus, magnaq; pecunia coacta ſunt.*

Introduci Vulturcium.] *Singulos alium poſt alium introduxit. Nec qui prius introducti erant, aduenientibus alijs exibant.* Fidem publicam.] *Id eſt, ex publica fide impunitatem.* Iuſſu Senatus dedi: ille dixit.] *Cicero in oratione pro C. Rabirio, Conſuli fidem publicam licere ſine auctoritate Sena*

tus dare negat. Nec uiolata fides publica eſt cæde L. Saturnini, cui eam C. Marius Conſul ſine Senatuſconſulto dederat. Exciperet.] Id eſt, reciperet & interficeret. Quintilianus in libro.4. Aprum quẽ ipſi muneri obtulerat, exceptum eſſe ò ſe uenabulo confeſſus eſſet. Ducibus urbanis.] Coniuratis, ſcilicet. Et ò L. Caſſio.] Legati à Lentulo, Cethego, Statilio, item Caſſio iuſiurandum poſtulauerunt, quod ſignatum ad ciues ſuos perferrent: aliter haud facile ad tantum negotium impelli poſſe. Cæteri nihil ſuſpicantes dant. Caſſius ſemet eò uenturum breui pollicetur, ac paulo ante Legatus ex urbe proficiſcitur. auctor eſt Salluſtius. Equitatum.] Quia eo Galli ualent maxime. De Cinna Titus Liuius libro.79. & 83. L. Florus libro. Epitomatum 3. & amplius. App. lib. de Bellis ciuilibus.1. Poſt uirginum abſolutionem, poſt Capitolij, &c.] Fabia ueſtalis uirgo non multo ante hãc coniurationem inceſti cauſam dixit. Ei Catilina obiectus eſt. Fuit tamen abſoluta, quia ſoror erat Terentiæ Ciceronis uxoris, ut ait Aſconius Pædianus. Poſt Cap. incenſionem.] Id eſt incendium. In oratione pro P. Sylla: Meis conſilijs, meis laboribus, mei capitis periculis, ſine tumultu, ſine delectu, ſine armis, ſine exercitu, quinque hominibus comprehẽſis atque confeſſis, incenſione urbem, interitione ciues, uaſtitate Italiam, interitu remp. liberaui. ſæpius tamen incendium dicitur. L. Scipione & Norbano Conſulibus ante L. Syllæ dominationem, Capitolium, quod à Regibus plus quadringẽtos annos manſerat, exuſtum eſt: cuius incendij cauſa omnes latuit, ut ait App lib.1. Cethego cum cæteris.] Auctore Salluſtio, Cethegus de ſociorũ ignauia querebatur. Illos dubitãdo & dies prolatando magnas opportunitates corrũpere facto, non conſulto in tali periculo opus eſſe, ſeq; ſi pauci adiuuarẽt, languẽtibus alijs impetum in curiam facturum. Natura ferox erat, uehemens, manu promptus. maximum bonum in celeritate putabat. Saturnalibus.] Id eſt, eo die quo fierent Saturnalia, quæ 14. Cal. Ian. fieri ſolita eſſe, Macr. lib. Sat.1. ſcribit. Eſtq; in ea ſententia, ut Saturnalia uno tantum die fierent. quamuis ſint auctores, qui duobus ſeptẽ fieri ſolita ſcripſerint.

Tabellas.] Id eſt, literas. Inde tabellarius. Quæ à quoque.] Id eſt, unoquoque. Signum.] Quo ſignatæ erant. Linum incidimus.] Qui literas negotij paulo ſecretioris mittunt, eas funiculo obligãt: deinde qua parte funiculi nodus eſt, cera impoſita ſignant. Hunc morem ætate ſua fuiſſe Cicero ſignificat. Linum enim, pro funiculo lineo dicit. Cognouit ſignum.] Id eſt, non negauit, confeſſus eſt. Ferramenta dicuntur inſtrumenta ferrea, quibus fabri utuntur. Horat. in lib. Epiſt.1. Cras ferramenta Theanum Tolletis fabri. deinde gladios, ſicas, liceas, haſtas, pila, aliaq; huius generis tela uel ferrea, uel ferro præfixa ſignificant. Pro P. Sylla, Cicero, Obtulit ſe ad ferramenta proſpicienda. Bonorum ferrametorum ſtudioſum.] Vt hac ætate multi non ignobiles armamentarium ſtudioſe ferramentis adornant. Abiectus.] Id eſt, animo deiecto & depreſſo. Cognouit manum & ſignum ſuum.] Id eſt, ſcripturam propriam: quæ in re manus hic ſæpe dicitur.

In eadem ferè ſententia.] In qua erant illa Cethegi.

Signum, imago.] Appoſitio eſt, quæ Ciceroni uſitata admodum non eſt. Liuio multum familiaris. Imago aui tui.] Id eſt, P. Lentuli, qui C. Gracchum perſecutus eſt, de quo in oratione proxima plura dicemus. In annulis uirorum clariſſimorũ capita inſculpebãtur, hiſq; literas obſignabant. Auctore Liu. lib. 27. cum annulo Marcelli Cos. ſimul cum corpore Annibal potitus eſſet, eius ſigni errore, ne cui dolus necteretur à Pœno, metuens Criſpinus eius Collega, circa ciuitates proximas miſerat nũcios occiſum Collegã eſſe, annuloq; eius hoſtem potitũ, ne quibus literis crederent nomine Marcelli cõpoſitis. Valerius Max. lib.3. tit. De ijs qui à parentibus claris degenerauerũt, ſcribit è manu Scipionis detractum eſſe annulũ: in quo caput Africani patris ſculptum erat. Idem lib.8. tit. de Cupiditate gloriæ, annulum ſignatorium appellat. Facere poteſtatem, pro eo quod dicunt dare poteſtatem, uel dare facultatem, ſæpe dicit Cic. in orationib. pro Sex. Roſcio, in Verr. Act.7. pro Cluẽtio, Antequã iret in exilium, Poſt reditum in Senatu, Pro domo ſua. Surrexit.] Lentulus. Impudentia.] Id eſt, mendacium. Hoc literarum exemplum iiſdem fermè uerbis eſt apud Salluſtium.

Etiam infimorum.] Id eſt, ſeruorum, quorum infima conditio eſt. Impudenter.] Id eſt, mẽtiendo. Argumenta.] Probationes. Sic obſtupuerunt.] Diatypoſis eſt, quam Cicero ſub oculis ſubiectionem appellat: cum res ita deſcribitur, ut tanquam ſub auditorum oculos ſubijci uideatur. Aſpiciebãt inter ſe.] Id eſt, ſe mutuo. ut inter ſe amant: quod dicunt, amant ſe mutuo. À principibus acerrimæ ac fortiſſimæ.] A. Gellio auctore cap.7. libri 14. M. Varro ſcriptum reliquit, cum haberetur Senatus, rogandarum ſentẽtiarum illum fuiſſe ordinem, ut primus rogaretur quem Cenſores principẽ Senatus legiſſent, deinde uiri Conſulares per ordinẽ, poſtremo reliqui Senatore: ſed poſtea nouum morem inſtitutum per ambitionem & gratiam, ut qui Senatus haberet, quem uellet primum rogaret, modo is eſſet uir cõſularis, deinde alij Cõſulares ordine ſuo, poſtremo reliqui Senatores. À principibus igitur.] Id eſt. à Conſularibus, qui primi ſententiam dixerunt. Senatus.] Id eſt, reliqui Senatores. Senatuſcõſultum per diſceſſionem factũ ſignificare uidetur: quod tum fieri idem dicit, cum cõſentiretur. Ex memoria.] Id eſt, ut memoriter: ut ex ſcripto dicere, id eſt, legendo. Gratiæ uerbis ampliſſimis aguntur.] In eo Senatu Q. Catulus Ciceronem parentem patriæ nominauit. eidem coronam ciuicam à rep. deberi L. Gellius dixit, ut ait Cic. in L. Piſonem. Ampliſſimis uerbis.] Id eſt, ſingularibus, ut dicit etiam pro P. Sylla. À ſuis & Reip. conſilijs.] C. Antonius Ciceronis Conſulis collega, Catilinæ familiaris & neceſſarius erat: ideo tum eo Conſulatũ petierat. adiecit deinde animum ad petendum Conſulatum proximum, ſperans ſi deſignatus foret, Antonio ſe ex uoluntate uſurum. Metuens igitur Cic. ne contra Remp. ſentiret, pactione prouinciæ eum expulit: ut ait Salluſtius. Ea fuit cauſa, cur cum exercitu aduerſus Catilinam miſſus ſit. Quòd ſi cum Catilina ſenſiſſet, extra urbem minus quàm in urbe nocuiſſet. Gloriatur Cicero in oratione in L. Piſonem, quòd Antonium collegam cupidum prouinciæ, multa in Rep. molientem, patientia atq; obſequio ſuo mitigauerit.

In cuſtodiam traderentur.] Hos coniuratos in liberam cuſtodiã uiris clariſſimis alios alijs traditos fuiſſe, Salluſtius ſcribit. M. Ceparium.] Q. Ceparium Salluſtius appellat, qui (ut idem ait) in Apuliam ad cõcitanda ſeruitia proficiſci parabat. Vbi uero audiuit Gallos cum comitatu deprehẽſos eſſe, ex urbe profugit, paulo ante quàm miſiſſet Cicero qui eum ad ſe accerſeret. Sed ex fuga retractus eſt. P. Furium.] Is eſt, ut arbitror, quem Cicero in oratione pro C. Rabirio, hominem omnibus inſignem notis turpitudinis dicit. Q. Manlium Chilonem.] Fortaſſe legendum eſt Q. Magium Chilonem. ut in Ciceronis lib. Epiſt.4. Seru. Sulpitius ſcribit de P. Magio Chilone. Non enim legere memini, ex Miliorum familia fuiſſe, qui Chilo appellaretur. À quo Gallos ad Gabinium, &c.] P. Lentulum P. Vmbreno dediſſe negotium, ut Allobrogum Legatos ad cõiurationis ſocietatem impelleret, ab Vmbreno Legatos in domum D. Bruti, quæ foro propinqua erat, cum abſente Bruto Sempronia (quæ ex coniuratione erat) ibi eſſet, ab eodem Gabinium accerſitum, quo maior auctoritas ſermoni eſſet, quo præſente aperta coniuratio ſit, & nominati coniurati, ſcribit Salluſtius. À L. Caſſio fuiſſe nominatos, Cicero dicit in oratione pro P. Sylla. Pœna.] De pœna mortis non intelligit, ſed de pœna carceris. Nondum enim decretum erat, quo ſupplicio punirentur.

Supplicatio dijs immortalibus.] Mos erat Romanorum, ut

ex

ex Senatus decreto imperatorũ nomine qui bella gererent proſpere, ſupplicationes ad Deorum templa cum liberis & cõiugibus cauſa gratulationis celebrarentur. Vt actore Cicerone in oratione de prouincijs Cõſularibus, C. Marij nomine decretæ ſunt ſupplicationes quindecim dierum C. Cæſaris nomine, ſua ſe ſententia totidem decreuiſſe, & Cn. Põpeio Mithridate interfecto ſe Conſule referente, decem dierum ſupplicationem decretã eſſe dicit. Bene geſtæ Repub. ] Vt in Piſonem: Mihi togato Senatui, non ut multis bene geſtæ, ſed (ut nemini) conſeruatæ Reipub. ſingulari genere ſupplicationis Deorum immortalium templa patefecit. Magiſtratu ſe abdicauit, & purpuream ueſtem, qua indutus erat, in Senatu ponens, etiam fortunæ ſibi congruam induit, ut ait Plutarchus. Religio non fuerat. ] In Campo Martio, auſpicato in loco, captatis prius auſpicijs Conſules & Prætores fiebãt. In his igitur magiſtratibus tanquã Deorum conſilio factis, aliquid ineſſe religionis uidebatur. quæ religio C. Marium Coſ. nihil remorata eſt, quo minus C. Glauciam L. Saturnino furores Tribunitios ſecutum interficeret. de quo in oratione prima dictum eſt. Priuato. ] Id eſt, magiſtratũ nullum gerente, quòd ſe Prætura abdicauerit. Ille unus. ] Catilina ſcilicet. Omnium aditus tenebat. ] Id eſt, norat rationem alloquendi omnes & ſollicitandi. ut in quarto Aeneidos, Sola uiri molles aditus & tempora noras. Neque lingua, neque manus deerat, &c. ] Erat eloquens Catilina, & manu promptus. Cum aliquid mandauerat, ipſemet faciebat, quòd in ſe plus quàm in alijs diligentiæ putaret ineſſe. Saturnalia conſtituiſſet. ] Quibus cædes & incendia fierent. Neque tanto ante. ] Qui Saturnalia conſtituebant, diem cædis & incendiorum, plus quindecim dies ante cõſtituerunt. Catilina tam longum tempus non conſtituiſſet. Manifeſte. ] Manifeſto à Cicerone ſæpius dici attendimus. Priſc. lib. 15. aliquot aduerbia ab adiectiuis nominibus facta dicit, quæ in o ſolũ exeant: ut falſo, cõſulto, poſtremo, ſedulo, auſpicato, augurato, manifeſto, priuato, precario, merito. Sed nec priuato, nec priuate, ſed priuatim Latine dicitur. Vt leuiſſime dicam. ] Id eſt, ne grauiore & atrociore uerbo utar. Nam ad arma capienda ciues bonos ex ſenatuſconſulto conuocaturus fuiſſem, et Catilinã interfecturus. Tantis periculis à tanta pace, eodem modo cum uerbo liberaſſem ui non conueniunt. nam liberare periculis, ut liberare morte, & liberare tãta pace, id eſt, tã pacate, ut liberare tam paruo negotio, id eſt, tam facile, dicimus. Opem & auxilium tulerint. ] Vtrunque dicit, ut rem magis ſignificet. Vt eos penè oculis uidere poſſemus. ] Quamuis ipſi incorporei ſint, uiderięq; non poſſint. Nam ut illa omittam. ] Illud ex arte eſt, ut cum dicturi ſumus quod cauſæ noſtræ ualde utile ſit, nonnulla, quæ minus utilia uideantur, nos omittere ſimulemus. Hac enim ratione præparamus auditores ad audiendũ attente, id quod cauſæ noſtræ ſit utilius. Caneret. ] Id eſt, diuinare. Canere enim auctore Seruio in Cõmentarijs in librum Aeneidos primum, etiam diuinare ſignificat. Verg. in lib. Aeneid. 3. Atque hæc deinde canit diuino ex ore ſacerdos. Cotta & Torquato Coſſ. ] L. Cotta, & L. Torquatus deſignati Coſſ. fuerunt Volcatio & Lepido Coſſ. quo tempore prior coniuratio facta eſt. Hæc prodigia id temporis apparuiſſe, Cicero hic ſignificat. De priore coniuratione Salluſtius in bello Catilinario ſcribit. De cœlo eſſe percuſſas. ] De cœlo percuti, & de cœlo tangi, ut De cœlo tactas memini prædicere quercus, ſæpius dicunt Latini, quàm quod uulgo dicitur: fulminari. Depulſa. ] Id eſt, deiecta. Legum æra liquefacta. ] Leges tabularũ 12. in æreis tabulis fuiſſe ſcriptas, Dionyſius Halicarnaſſeus lib. decimo, & Titus Liuius libro tertio ſcripſerũt. ueluti Solonis leges in tabulis ligneis ſcriptas fuiſſe, Plutarchus in eius uita ait. Moſi leges in lapideis tabulis ſcriptas fuiſſe, libri ſacri teſtantur. Quem inauratum. ] Inauratum dicimus nõ deauratum. Paruum atque lactentem. ] Hæc prodigia uerſibus præſcripta ſunt in libro Cic. De Diu. 1. de hoc autem Romuli ſigno, quod in Capitolio erat: Hic ſylueſtris erat Romani nominis altrix Martia, quæ paruos Mauortis ſemine natos Vberibus grauidis uitali rore rigabat, Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu Concidit, atque auulſa pedum ueſtigia liquit. Aruſpices ex tota Hetruria. ] Hetruſcos aruſpicinæ maxime fuiſſe deditos conſtat, apud quos Tages diſciplinæ eius uel diuinationis auctor apparuit, ut eſt apud Ciceronem lib. de Diu. 2. Fata ipſa flexiſſent. ] Fata deorum flecti & mutari poſſe ſignificat. Vergil. uero ſentit, fata extrahi poſſe, mutari nõ poſſe. In lib. Aeneid. 6. Sibylla Palinuro: Deſine fata deum flecti ſperare precando. Et lib. 7. Iuno: Atque immota manet fatis Lauinia coniũx, At trahere atq; moras tantis licet addere rebus. Item lib. 8. Vulcanus: Nec pater omnipotens Troiam, nec fata uetabant Stare, decemq; alios Priamum ſupereſſe per annos. Auctore Seruio, ſecundum aruſpicinæ libros & ſacra Acruntia, quæ Tages compoſuiſſe dicitur, fata decẽ annis quadã ratione differri poſſunt: nunquam tamẽ penitus immutari poſſunt. In excelſum. ] Id eſt, in altum. Forũ curiamq;. ] Forum, ubi agebantur cauſæ: curia, ubi habebatur legitimus Senatus: & comitium, ubi ad populum habebantur conciones, ſibi proxima erant. Illuſtrarentur. ] Id eſt, declararentur.

Vt. ] Id eſt, ita ut. Ita. ] Id eſt, in excelſum, & ad orientem. Conſules illi. ] Cotta & Torquatus. Neque à ſuperioribus. ] L. Cæſare & C. Figulo. Tam præceps. ] Id eſt, tam peruerſus. In ædem Concordiæ. ] Templa Concordiæ Romæ tria fuiſſe accepimus, Vnum, quod in area Vulcani Cn. Flauius Aedilis Curulis ſumma inuidia nobilium dedicauit, ut ait Titus Liuius lib. 9. Alterum, quod ad initium ſecũdi belli Punici L. Manlius Prætor in Gallia per ſeditionem militarem uouit: idq; L. Aemilius, M. & C. Attilij, L. Scribonius in arce dedicauerunt. Tertium à L. Opimio Coſ. in foro, C. Graccho occiſo, ædificatum eſt, ut ait Plutarchus in uita Gracchorum. Signum. ] Iouis. Sumam. ] Id eſt, arrogabo, & (ut uulgo dicunt) præſumam. Aſſumere quoque in hac re dicitur. Credita. ] Id eſt, commiſſa. Et ignotis & barbaris. ] Allobrogibus ſcilicet. Huic tantæ audaciæ. ] Id eſt, hominibus tantæ audaciæ. Vt homines Galli. ] Quibus inſitum erat cum Romanis odium. Ex ciuitate male pacata. ] Allobrogũ fuiſſe urbem quandam ſignificat, ex qua Allobroges nominati ſunt. Salluſtius quoque Allobrogum ciuitatem dicit. Allobrogum regnum tempore ſecundi belli Punici fuiſſe, T. Liuius lib. 21. dicit. quorum multas ciuitates fuiſſe Salluſtius ſignificat. ſed una erat præcipua, unde appellabãtur. Male pacata. ] Q. Fabius, filius Fabij ritu, qui Scipionis minoris frater in Fabiorum familiam adoptatus eſt, Allobrogos deuicit. inde Allobrogicus cognominatus eſt. Hi Romanorum imperium iniquo animo tolerabant: ideoq; nullo negotio non modo ad defectionem, ſed ad belli cum Romanis gerendi ſocietatem impelli poterant. À Patricijs. ] Coniuratis. Ad omnia puluinaria. ] Id eſt, templa. Illos dies. ] Multorum dierum hanc ſupplicationem decretã ſignificat. L. Sylla P. Sulpitium oppreſſit. ] Belli Mithridatici prouincia L. Syllæ Cõſuli ſortitione obuenit. C. Marius huius belli prouinciam ſibi appetens, cũ P. Sulpitio Trib. pl. egit, ut ea ſibi prouincia pop. Rom. ſuffragijs decerneretur. Quo plures beneficio ſibi ſuo obligatos Sulpitius haberet, legem ferre uoluit, ut exules reuocarentur, ut noui ciues libertiniq; in tribus diſtribuerentur. Sylla & Q. Pompeius Coſſ. id ne fiat operam dant: multorum dierum iuſtitiũ edicunt, quo minus legem ferri liceat. Sulpitius conducta multitudine armata, etiam in conſules ferẽdæ legi aduerſantes impetum fecit. Ibi Pompeij Coſ. filius, Syllæ gener, occiditur. Sylla Capuam ad exercitum proficiſcitur, apparare uelle ſimulans

ra, quibus opus ſit ad bellum Mithridaticum, exercitum Romã conuertit. Signis collatis cũ Mario & Sulpitio in urbe pugnat. Victum Sulpitium de uilla extractum occidit, Marius à Minturnẽſibus naui publice accepta in Africam nauigat. auctores ſunt Titus Liuius lib. 77. & App. lib. bellorũ ciuiliũ 1. Cuſtodem huius urbis.] Hoc dicit propter bellum Cimbricum à Mario confectum: propter quã uictoriam primores ciuitatis alioqui ei inuidentes, ab eo conſeruatam Remp. fatebantur, ut ait T. Liuius lib. 68. Quamuis C. Marium municipem ſuum Cicero ſemper laudare ſolitus ſit, cum in eius mentionẽ incidit: ibi autem ideo laudat apud populum R. quia popularis Marius fuit.

Partim eiecit.] Duodecim uiros, in quibus Sulpitius et Marius fuerunt, à Senatu hoſtes patriæ iudicandos Sylla & Pompeius Coſs. curauerunt. Cn. Octauio Cos.] L. Cornelio Sylla ad bellum Mithridaticum profecto, C. Cornelius Cinna Conſul deſignatus pernicioſas leges per uim ferre conatus eſt. Cn. Octauius collega eius aduerſatur, cum eo in urbe pugna. Cinna uictus fugit: Conſulatu abdicatus: patriæ hoſtis iudicatur, alias urbes ad defectionem ſollicitat, ſeruos promiſſa libertate euocat. C. Marius ex Africa rediens, cum Cinna ſe coniungit. Romam quaternis caſtris obſidet, quibus præſunt Cinna ipſe, C. Marius, Sertorius, & Cn. Carbo. Multis ex ciuibus ad eos deficientibus, in urbem commeatu penè defectam recipiuntur. Eam clariſſimorum uirorũ cædibus fœdauerunt. Cn Octauium Cos. multos Senatores, multos ex equeſtri ordine, Q. Catulũ, L. Merulam flaminem dialem, M. Antonium & C. Cæſarem duos oratores clariſſimos, Craſſos patrem & filiũ, alioſq; innumerabiles aduerſæ partis nobiles interfecerunt. ut T. Liuius lib. 79. & App lib. 1. ſcribunt. Omnis hic locus.] Id eſt, comitium, ubi leges ferre Cinna conabatur, ubi pugnatum eſt. Lumina ciuitatis.] Id eſt, uiri clariſſimi. Vltus eſt huius uictoriæ.] De Syllæ uictoria et crudelitate iidem auctores, & Plutarchus in uita L. Syllæ ſcripſerunt ampliſſime. Poſt ea cum.] Scilicet, rediit à bello Mithridatico. Quãta diminutione ciuium.] Nam urbem & uniuerſam Italiam cædibus repleuit, ut ait T. Liuius lib 88. Ex equeſtri ordine duo millia & ſexcentos, Senatores nonaginta, Conſulares quindecim occidit, ut ait Appianus.

Diſſenſit M. Lepidus.] Mortuo Sylla, de eius funere diſſenſio fuit inter M. Lepidum et Q. Catulum Cõſules, filium eius, quem à Cinna occiſum diximus: primũ de funere eius, deinde de actis eius reſcindendis, quæ aduerſante Catulo Lepidus omnino reſcindi uolebat. Poſtquam abiuerunt Conſulatu, in cãpo Martio collatis ſignis pugnauerunt. Victus Lepidus, in Sardiniã fugit, ibiq; morbo interiit, ut ait App. lib. 1. & T. Liuius lib. 90. Interitus ipſius Lepidi nõ tã attulit luctũ Reip. q̃ interitus cæterorũ. Internecione.] Internecio ab internecãdo appellata eſt. Particula inter, in compoſitione actiua eſt, adeo ut non pro mediocri ſignificatione ſit, ſed qua maiorem habere nõ poteſt: ut interfectus, interceptus. auctor eſt Donatus, enarrãs illud ex Andria: Dauus interturbat omnia. Idem enarrans illum uerſum ex Eunucho, Quod nos capere oportet, hæc intercipit: Intercipit, inquit, proprie quaſi totum capit. Plautus in Aulularia: Quæ ſola interbibere Corinthienſem fontem & Pirenæum poteſt. Dyudicatæ.] Id eſt, terminatæ. A cauſarum ciuilium diſſenſione facta tranſlatio eſt, quæ iudicum ſententia terminãtur. Nulla unquam barbaria.] Id eſt, nunquam ulli barbari. Ducerentur.] Id eſt, exiſtimarentur & haberentur. Quantum infinitæ cædi reſtitiſſet.] Id eſt, reliquum fuiſſet facta cæde infinita. Obire.] Id eſt, adire & attingere. Nullum præmium uirtutis.] Id eſt, nullum honorem, nullum magiſtratum, qui uirtutis præmium ab Ariſt. dicitur lib. Ethi. 4. qui idem lib. magnorum Moralium 2. ex uirtute gigni honorẽ dicit: Auctore Cicerone lib. de Ora. 3. ſapiens uirtuti honorem præmium petit. Nullum inſigne honoris.] Id eſt, nullum triumphum, quod præcipuum magiſtratus inſigne eſt, Aedilitatis enim magnificentia, Quæſturæ fides, & Præturæ diligentia & integritas, muniebant uiã ad Cõſulatũ, qui magiſtratus erat ampliſſimus. Conſulibus præcipue triumphus ob rem bene geſtam decernebatur. Triumphare Romæ minoris non ducebatur, quàm in Græcia Olympia uincere. Triumphus igitur erat ampliſſimum honoris inſigne. Nullum monimentum laudis poſtulo.] Id eſt, nullam ſtatuam. Viris enim clariſſimis, de Rep. meritis optime, ſtatuæ in roſtris collocabantur. Græci hunc honorem habitum hominibus, in monimẽtis huiuſmodi nõnulla Deorum religione conſecrari arbitrabantur, ut ait Cic. Actio in C. Verr. 4. Huiuſmodi ſtatuas iam à uiris nonnullis uel clariſſimis non fuiſſe optatas inuenio. M. Cato maior multorum ſtatuas cum uideret poſitas: Malo, inquit, homines de me quærant, cur ſtatua Catoni poſita non eſt, quàm cur poſita eſt. auctor eſt Plutarch. in Apophthegmatis. Eodem auctore, Ageſilaus Lacedæmoniorum dux, cũ Græci, qui ſunt in Aſia, decreuiſſent ipſi ſtatuas in clariſſimis urbibus ponere, ad eos ſcripſit ad hanc ſententiam: Mei ne una quidem ſit imago, neque picta, neque ſculpta, neque conflata. Idem moriens amicos rogauit, ne ullam ſibi mortuo ponerent ſtatuam. Si quid (inquit) præclare geſſi, hoc meum monimentũ erit: ſin minus, ne omnes quidem ſtatuæ monimentum meum eſſe poſſunt. Nihil mutum.] Id eſt, nullæ ſtatuæ quæ mutæ ſunt & tacitæ. Minus digni.] Id eſt, indigni. Sermonibus creſcent.] Ciceroni conſtans is animus fuit. Nam poſtea Proconſul cum Aſiam prouinciam ſumma iuſtitia, abſtinentia, et clementia adminiſtraſſet, ob hæc beneficia nullos honores ſibi, niſi uerborum ab Aſiaticis decerni ſiuit, ſtatuas prohibuit, ut lib. Epiſt. ad Att. 6. ſcribit. Ageſilaus is, cuius paulo ante mentionem feci. nullam imaginẽ ſuam paſſus eſt eſſe. Vnus uero Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines hominũ ſtatuaſq; ſuperauit, ut ait Cic. lib. Epiſt. fam. 5. Inueteraſcent.] Scriptorũ monimenta quo ſunt antiquiora, eo minus inuidiæ ſunt obnoxia, & auctoritatem uetuſtate acquirunt. Extitiſſe.] Id eſt, emerſiſſe, & præter alios apparuiſſe. Terminaret.] Id eſt, finiret & terminos poneret. Vobis erit prouidendum.] Nam niſi me defenderitis, nullus poſthac pro ſalute communi perditorũ hominum audaciæ ſe opponet. Mihi quidem ipſi, &c.] Hoc prouidendum populo R. quod dicat Cicero, id cauſa Reip. dicit, non uitæ cupiditate. Satis enim ſe uixiſſe dicit, cum ullum honoris & dignitatis gradum altiorem poſſit aſcendere. Conſulari uiro immaturam mortem accidere poſſe, in Oratione proxima negat. Idem in lib. Tuſc. diſputationem 1. Nemo, inquit parum, diu uixit, qui uirtutis perfectæ perfecto functus eſt munere. Multa mihi ipſi ad mortem tempeſtiua fuerũt, quæ utinam potuiſſem obire. Nihil enim iam acquirebatur, cumulata erant officia uitæ. Hæc ille.

# IN INVECTIVAM MARCI TVLLII CICERONIS

## QVARTAM IN L. CATILINAM IN SENATV,

### FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

### ARGVMENTVM.

P

OSTRIDIE *quàm deprehenſi coniurati, indicati, confeſſi, & in cuſtodias liberas traditi ſunt, Legatis Allobrogum T.q́; Vulturtio ex Senatus decreto præmia data ſunt ampliſſima. Huius diei poſtridie, cũ ſentiret Cicero operarum manus comparari ad eripiendos ui è cuſtodijs coniuratos, habuit Senatum in curia, ut de coniuratorũ pœna Senatus decerneret. D. Syllanus Cos. deſignatus, primus ſententiã rogatus, eos ultimo ſupplicio afficiendos cenſuit. Eius ſententiam multi ſecuti ſunt. Poſtea C. Cæſar cenſuit eos publicatis bonis per municipia diſpertiendos, inq́; publicas cuſtodias tradendos, denunciatis pœnis ijs qui eximerent, uel qui ut reuocarentur ad Senatũ referrent. Hanc Cæſaris ſententiã multi ſeqnebantur, pluresq́; ſecuturi uidebantur, propterea quòd minorem Ciceroni inuidiam coniuratorum pœna ex hac ſententia decreta, conflatura eſſe uidebantur. Cicero, ne in hanc ſententiã reliqui oẽs concederent, utq́; ſua uox officio functa cõſulari uideretur, hanc orationem in Senatu habuit. Hortatur Senatores, ut cogitent magis de ſuo, de coniugum & liberorũ periculis, quàm ipſius Ciceronis. Cæſaris ſententiã uere popularem eſſe dicit, eam laudat, eam ſibi minus periculoſam fatetur. Sed hortatur Senatores, ut Syllani potius quàm Cæſaris ſententiã ſequãtur. Nec uerendum ijs eſſe oſtendit, ut uideãtur crudeles, ſi deprehenſos coniuratos ultimo afficiant ſupplicio: ſed potius uerendum, ne ſi in coniuratos lenes & clementes ſint, in patriam crudeles eſſe uideantur. Sibi eſſe ſatis præſidij ad ea tranſigenda ſtatuerint dici, q omnes omnium ordinum homines ad imperium retinendum ſtudioſe conſentiant. Hortatur ut prouideãt, ut eam dicant ſententiam, ne ſimilis unquam fieri poſſit coniuratio. Tantam multitudinem inimicorũ ſibi uidet ſuſceptam, quàm multi ſunt coniurati. Sed eos contemnit, eos nunquam metuet, dum apud Populũ R. erit Conſulatus ſui memoria. Ab ijs ſi ulla uis afferatur, iniquo animo ſe moriturum negat: quòd moriendum omnibus ſic, quòd inter laudes Africanorum, L. Pauli, C. Marij, & Cn. Pompeij aliquid loci gloriæ ſuæ fore ſperet. Sed ſi ea uis afferatur, paruum ſuum filium M. Tullium ſenatui commendat. Vt fortiter decernant, poſtulat: quæ decreuerint, effecturum ſe pollicetur. Oratio deliberatiua eſt. Ea eſt habita 7. Idus Decembris, Anno ab urbe condita DCC. Eo enim anno Ciceronem fuiſſe Cos. Plinius ſcribit.*

V

IDEO *patres C.* ] *Multi Senatores Cæſaris ſententiam, quæ exilio coniuratos multabat, in rem Ciceronis eſſe putabant, quòd hac cõiuratorum pœna minus inuidiæ ſubiret Cicero, ideoq́; hanc Cæſaris ſententiã ſequebãtur. Eos igitur Senatores hortatur Cicero, ut periculum ſuũ, et coniugũ, & liberorum metuant, magis quàm ipſius Ciceronis.* Ora. ] *Id eſt, uultus.* Etiamſi. ] *Id eſt, quamuis.* In malis. ] *Id eſt, periculis.* Eam deponit. ] *Deponere multis in rebus Cicero dicit. ut pro L. Murena, deponere ſtudium & fauorem. Pro eodem, deponere labores. lib. Epiſtol. famil. 4. deponere curas & dolores. lib. de Offic. 2. deponere moleſtias. oratione in Rullum ad Quirites, Actione I. deponere inuidiam. oratione Poſt reditum in Senatu, deponere odia. de Prouincijs Conſularibus deponere inimicitias. pro Cn. Planco, deponere ſimultates. pro Milone, deponere timorẽ, pro M. Cælio, deponere memoriã pro obliuiſci. & pro Pub. Sylla. deponere ex memoria, in eadem re dicit.* Data eſſe fato aut Deorum nomine. ] *Donatus exponens illud Terentij ex Eunucho, Eſt iſtuc datum profecto, ut grata ſint quæ facio omnia: Datũ, inquit, id eſt, fato decretoq́; conceſſum. Virgilius: Non dabitur regnis eſto prohibere Latinis.* Non forum. ] *Significat autem aliquid periculi ſibi intentatum eſſe à Catilina in foro iudiciali.* Non campus Martius. ] *Cum ſcilicet magnam illam loricã accipere coactus eſt, ut diximus in Oratione prima.* Non curia. ] *Cum Catilina Ciceroni minatus, duo corpora Reipublicæ eſſe dixit, quorũ alterum caput haberet, ſed ægrum: alterum ſine capite, ſed potens & ualidum, cui ſe ipſe caput adiungeret. Id ænigma exiſtimult Cicero, ut ait Plutarchus in uita Ciceronis.* Summum auxilium. ] *Auctore Cicerone libro de Officijs ſecundo, cum imperium populi Romani beneficijs tenebatur, regum, populorum, nationum portus erat & profugium Senatus.* Non domus. ] *Ad quam miſſi ſint duo equites, qui Ciceronem tanquam ſalutatum uenientes, in lecto interficerent, ut ante dictũ eſt.* Commune perfugium. ] *Negat Cicero in oratione pro Domo ſua, quidquam ſanctius, quidquam omni religione munitius, quàm ſi domus uniuſcuiuſque ciuium: Hic (inquit) aræ ſunt, hic foci, hic Dij penates, hic ſacra religionis cerimoniæ continẽtur: hoc perfugium ita ſanctum eſt omnibus, ut inde arripi neminem fas ſit. Auctore Plutarcho in uita Gracchorum, apud Romanos ueteres ne in capitali quidem cauſa reum domi licebat facere: ſed ante domum conſiſtens præco, tuba citabat.* Commune perfugium. ] *Non refugium Cicero ſolet dicere. Confugere tamen, Perfugium, non perfugere in hac re dicimus. Vnde confugebam dixerunt Latini ueteres.* Hunc exitum Conſulatus mei, &c. ] *Id eſt, talem finem. Septima Idus Decembris, ut iam dixi, habita hæc oratio eſt. Calendis autem Ianuarijs deſignati Conſules, de more inituri erant magiſtratum.* Vt uos populoq́; Romano. ] *Per partes commouendi cauſa enumerat, quod in genere dicere potuiſſet.* A' uatibus fatale. ] *Id eſt, ab Aruſpicibus & à fatis Sibyllinis.* Nomen ſuum. ] *Id eſt, Cornelium.* Mihi parcere. ] *Id eſt, mei miſereri. ut in libro Aeneidos primo. Parce pio generi, & propius res aſpice noſtras. Inde parcere, pro ignoſcere factum eſt. Quorum enim miſeremur, ijs ignoſcimus.* Relaturos gratiam eſſe. ] *Deum hominibus referre gratiam dicimus tum, cum pro egregio aliquo facinore ad tutandam religionem ſuſcepto, uel pro ædificato templo, uel pro uita honeſte acta, aut ab impendenti malo ſeruatur, aut felicem aliquam fortunam aſſequitur. Vt habere gratiam Deo dicimus, pro eo quod eſt Deo agere gratias.* Si quid obtigerit, æquo animo, &c. ] *Id eſt, ſi mihi mors ſubeunda ſit. Obtingere mala tantum dicimus, ut Donatus ſignificat, enarrans illud Terentij ex Phormione: Præter ſpem atque incredibile hoc mihi obtigit, ita ſum iratus. animum ut nequeam ad*

cogitandum inſtituere. Idem in Andriam Terentij, contingere dicit id quod uix euenit. Neque enim turpis mors forti uiro.] Turpis mors ea eſt, quam quis formidat. Ea uiro forti cõtingere non poteſt: cum fortitudo, auctore Cicerone de Officijs, ſit, mortis doloriſq; contemptio. Grauis, nõ turpis legit hoc loco Quintilianus, libro ſexto. Nec immatura Conſulari.] Vſura uitæ expetenda eſt, ut uirtute ad gloriam nobis muniamus uiam: hanc qui aſſecutus eſt, ſatis diu uixit. Hanc affert Conſulatus, qui honos ampliſſimus eſt. Ideoq; Cicero in oratione ſuperiore, in gloria uirtutis negabat ſe quidquam uidere altius, quò ſibi liberet aſcẽdere. Immatura.] Id eſt, nimiũ cito adueniens. Vt immatura poma dicimus, quæ nondum matura ex arbore decerpuntur: ita immatura mors ea eſt, quæ ante extremam ſenectutem accidit. Auctore Cicerone in libro de Senectute, ut pòma ex arboribus, ſi cruda ſunt, ui euelluntur, ſic matura & coacta decidunt: ſic uitam adoleſcentibus uis aufert, ſenibus maturitas. Nec miſera ſapienti.] Ea eſt diſputatio libri Tuſculanarum quæſtionum primi. Mœrore non moueat.] Plutarcho auctore, M. Ciceronem Q. Frater & P. Nigidius ad coniuratorum pœnam accenderunt. Nec uxor.] Terentia non reuocat. Filia.] Tullia. Paruulus filius.] M. Cicero. Gener.] Cicero tres generos ſuos dicit. Vnum in libro Epiſtolarum familiarium primo, Craſſipedem: alterum in libro ſecundo, Dolabellam tertium in 13 libro, Cn. Piſonem, cuius ſæpe meminit in orationibus Cicero. Nobiſcum omnes etiam ſuis, &c.] Id eſt, mecum, cum uxore, cum liberis. Potius & illi & nos.] Mihi legendum uidetur, Non potius quàm. Iterum Tribunus plebis.] Cum fieri uellet T. Gracchus, à Scipione Naſica occiſus eſt, ut ait T. Liuius libro 58. Gracchorum & Saturnini Trib. plebis ſeditiones fuerunt grauiſſimæ, ſed nulla ex parte conferendæ cum hac coniuratione. De his, inquit, iudicaturi nõ eſtis, ſed de manifeſtis cõiuratis. L. Saturninus.] Is Tribunus plebis, C. Memmium candidatum Conſulatus petitorem maximum, quem aduerſarium actionibus ſuis metuebat, interemit, ut ait T. Liuius lib. 69. Reſtiterũt Romæ.] Id eſt, remanſerunt: id eſt, qui Catilinam ſecuti non ſunt. Sollicitantur Allobroges.] Literis datis à coniuratis ad Allobrogum Senatum. Seruitia.] Id eſt, ſerui: ut apud Vallam eſt. Seruorum auxilia, ut ſibi Catilina adiungeret, ſcripſit Lentulus' ut ex literarum exemplo oratione ſuperiore Cicero recitauit. Heſterno die.] Salluſtius dicit præmia Allobrogibus T.q; Vulturcio decreta eſſe, eo ipſo die quo indicata coniuratio eſt. Id factum poſtero die Cicero dicit. Damnati eſſe uideantur.] Salluſtio auctore, Senatus frequens hos coniuratos iudicauerat contra remp. feciſſe. Tanquam integrum.] Id eſt, tanquam ſi nihil iudicaſſetis, ideoq; uobis integrum ſit, quam uelitis ferre ſententiam. Inclinant.] Se ſcilicet, uel inclinantur. ut, Nox humida cœlo præcipitat. Quæcunque.] Siue ad liberandũ coniuratos, ſiue ad damnandum. Statuendum uobis ante noctem eſt.] Nam ſciebat Cicero, à libertis & clientibus Lentuli opifices & ſeruos ad eum ui eripiendũ ſollicitari, à Cethego per nuncios familiam atque libertos in audaciam orari, ut impetu facto ad ſe proxima nocte irrumperent. Huic.] Facinori. Affines eſſe.] Affinis pro cõſcio, datiuo ſæpius iungitur. ut pro A. Cluentio: Duos ſolos uideo auctoritate Cenſorum affines ei turpitudini iudicari. & pro P. Sylla: Circumſpicite paulìſper mentibus ueſtris, ut alia omittamus, hoſce ipſos homines, qui huic affines ſceleri fuerunt. Affines ſuſpicionis ab eodem in eadem oratione dicuntur, de quibus habeatur ſuſpicio: Vbi neq; homines fuiſſe putantur, huius affines ſuſpicionis. Tranſcendit Alpes.] Ad Allobroges. Suſtentando.] Id eſt, patiendo. Ac prolatando.] Id eſt, differendo. Quacunque ratione.] Siue liberetis, ſiue damnetis. Video duas adhuc.] Non quod hi duo ſoli deliberauerint, ſed hæ duæ ſolæ hucuſq; dictæ ſententiæ ſunt, qui non cõſentiant inter ſe, quarum in aliã alij iuerunt. Sed Neronem ante Cæſarem dixiſſe ſententiam Appianus libro ſecundo ſcribit: qui coniuratos cenſuit cuſtodiendos, quoad Catilina ſuperatus eſſet, ut rem diligentius certiuſq; inquirerent atque animaduerterent. Mortis pœnam remouet.] Id eſt, cenſet morte multandos non eſſe. Cõmuni ſpiritu.] Id eſt, aere, qui cõmunis omnibus eſt, ciuibus iuxta et exteris, ſeruis & liberis. omnes enim ſpirant. Vſurpatum.] Id eſt, uſitatum nam ab uſu uſurpare Non. Marcellus inclinat. In improbos.] M. Manliũ, Sp. Melium, Sp. Caſſium, Gracchos, L. Saturninum. Alter intelligit mortem.] C. Cæſaris ſententia perſcripta à Salluſtio eſt: illinc aſſumas quæ ad hunc locum pertineant. Atque haud ſcio, an ea ipſa ſit oratio, quam habuit Cæſar. Scribit enim Plutarchus in uita Catonis, uti cum de coniuratorum pœna ageretur, à Cicerone celerrimos quoſdã ſcriptores diſpoſitos, qui ſignis quibuſdam et notis breuibus multarum literarum uim habentibus dicta omnia colligerẽt. unde factum initium eſt notariorum eorũ, qui in foro iudiciali ſcribant quàm celerrime. À quibus poſtea acceptam breuem Ciceronis defenſionem Milonis, Aſconius Pædianus auctor eſt. Sed ſolam Catonis orationem, ut ait, ſeruatam ferunt. Mihi non uidetur, cur Catonis potius quàm Cæſaris aliorũq; ſeruata ſententia ſit, cum Cicero ipſe in oratione pro P. Sylla dicat, cum de coniurationis indicio ſuperiore Senatu ageretur, conſtitutos à ſe Senatores ſumma uirtute, memoria, ſcientia, cõſuetudine & celeritate ſcribendi faciliime quæ dicerentur, qui omniũ iudicũ dicta, interrogata, reſponſa perſcriberent. Id iudicium in tabulas publicas relatũ, ab omnibus librarijs idem deſcribi iuſſit, peruulgauit, ediditq; populo Rom. toti Italiæ, atque in omnes prouincias diuiſit, ut eius indicij nemo ignarus eſſet. Idem de Senatorum ſententia factum arbitror. Sed contra mouet me, ut non credam illam Cæſaris orationem eſſe: primum, quod è republica uiſum non ſit, illam orationem ſeruari, & Catonis ſolius ſeruatã, cuius ex ſentẽtia in coniuratos animaduerſum eſt. Deinde, quod aliqua hic Cicero dicit, quæ non ſunt in oratione Cæſaris.

Aut neceſſitatem naturæ.] Cum quis morbo uel extrema ſenectute moritur. tunc enim uitam natura producere non poteſt. Cicero de Senectute, ſenum mortem naturæ neceſſitate afferri dicit. Aut laborum & miſeriarum.] Cum quis mortem ſibi conſciſcit. Nunquam inuiti.] Quod eam miſeram nunquam putarent. Libenter.] Cum ſibi mortem conſciuerunt. Vincula ſempiterna.] Pro carcere, ut uulgo loquuntur, perpetuo dicit. Iniquitatem.] Nam iniquum eſt municipibus imperare, ut cõiuratos in cuſtodias ſuas accipiãt: id rogando impetrare facile non eſt. Decernatur.] Vt in municipia diſpertiantur. Ego.n. ſuſcipiam.] Nam in quæ municipia Ciceroni placeret, C. Cæſar deliberabat. Si quis eorũ.] Municipũ ſcilicet. id in Cæſaris oratione nõ eſt. Vincula.] Id eſt, carcerẽ. Horribilis cuſtodias.] Id eſt, carceres horridos. Sãcit.] ſcilicet, ne quis, &c. Quos cõdemnat.] Sua ſentẽtia. Aut per Senatũ.] Cẽſet Cæſar, ne quis de cõiuratis his poſtea ad Senatũ referat, néue cũ populo agat. Qui aliter fecit, Senatũ exiſtimare, eum cõtra Rẽp. et ſalutẽ omniũ feciſſe. Eripit ſpem.] Vincula ſempiterna cẽſendo rũpendi uincula, & ad Senatũ referendi, & cũ populo agendi poteſtatem adimendo. Quàm ſi eripuiſſet.] Id eſt, ſi morte mulctandos cenſuiſſet. Vno dolore animi & corporis.] Id eſt, ſuſtinendo mortẽ. Significat autẽ, ut corporis, ita animi ſenſum extremũ in morte eſſe: hoc eſt, una cũ corpore animã interire. In qua ſententia erat, qui ultra mortẽ ullũ curæ aut gaudio locũ eſſe negat. Id igitur Cicero dicit, quia Cæſaris ſententiã refert. Nã multis in libris Cicero animum immortalem eſſe contendit. ut in 1. Tuſcul. in Lælio, in Catone Maiore, in libro de Repub. ſexto. Multas & omnes ſcelerum pœnas.] Id eſt, cruciatum conſcientiæ. De huiuſmodi

conſcientia

*conſcientiæ uexatione Cicero in Paradoxis: Te inquit, conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimant iudiciorũ atq; legum. Quocunq; aſpexiſti, ut furiæ, ſic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ te reſpirare non ſinunt. Qui tamen ſatis opibus hominum ſepti eſſe & muniti uidentur, ut idem ait libro de finibus primo, Deorũ tamen numen horrẽt, easq; ipſas ſollicitudines, quibus eorũ animi noctes dieſq; exeduntur, à Dijs immortalibus ſupplicij cauſa importari putant. Macrobius in expoſitione Sõnij Scipionis, per Titij ſupplicium, cuius iecur uultures duo uiciſſim ſibi ſuccedentes cõtinuo exedunt, malæ conſcientiæ tormenta ſignificari dicit. Cicero pro Sex. Roſcio: Nolite, inquit putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumero uidetis, eos qui aliquid impie ſceleratéq; cõmiſerunt, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus. Sua quenq; fraus, & ſuus terror maxime uexat: ſuum quenque ſcelus agitat, amentiáq; afficit, ſuæ malæ cogitationes, conſcientiáq; animi terrent.*

Apud inferos.] *Inferos negat eſſe Cicero, quemadmodum facit pro Aulo Cluentio, & in Tuſculanarum quæſtionum primo.*

Hoc Cæſare.] *Auctore huiuſce ſentẽtiæ, quem ſecuti ſitis.* Impetus populares.] *Id eſt, populi.* Illam alteram.] *Syllani.* An amplius.] *Quam ſi ſecuti ſitis ſententiam Cæſaris.* Negotij.] *Id eſt, moleſtiæ & periculi.* Reip. utilitas uendicat.] *Vendicat rem is, qui eam in iudicio ſuam aſſerit. Vtilitas periculorum meorum rationes ſibi uendicat, id eſt, ſuas eſſe affirmat. Illa igitur ſententia eſt, cum Reſpub. mihi ſe ipſa populi Romani ſuffragijs commiſit, cum ſcilicet Cos. factus ſum, ea lege ſe cõmiſit, ut nullũ periculũ defugerem cauſa utilitatis eius.* Et maiorum eius amplitudo.] *Quorum uoluntas in rempublicam ſemper bona fuit. Magna tum erat Ciceroni cũ Cæſare amicitia, quæ multo etiam poſtea perſeuerauit.* Tanquam obſidem.] *Cæſar hac deliberatione uere popularis uſus eſt, non furioſe. Hanc ſententiam, cum ſuam in Rempub. uoluntatem teſtatus eſt, uelut obſidem tradit. Hoc ideo uidetur Cicero dicere, q multi de C. Cæſare male ſentirent: alij quòd faueret coniuratis, alij quòd hac leniore coniuratorum pœna ſibi fieri aditum ad urbis dominatum putaret.* Non neminem] *Id eſt, aliquem. Is qui fuerit, ignotum eſt.* Quæſitori mihi.] *Qui maleficium quæſiui.* Gratulationem.] *Id eſt, ſupplicationem, qua Dijs gratulabantur, id eſt, gratias agebant, de quo uerbo eſt apud Vallam libro quinto.* Legem Semproniam.] *Lex Sempronia à C. Sempronio Graccho lata cauebat, ne iniuſſu populi Romani ciuis Ro. morte mulctaretur, ut ante dixi, uſq; in magiſtratũ, ſi quis contra feciſſet, animaduerſio foret.* At uero C. Cæſar.] *Id ab aduerſario obijci poſſit Ciceroni.* Qui autem.] *Id purgat Cicero.* Ipſum latorem legis.] *C. Gracchum.* Iuſſu populi.] *Ab hiſtoriæ fide hic uidetur Cicero diſcedere. nam auctore T. Liuio lib. 61. cum C. Gracchus ſeditioſo Tribunatu acto Auentinum cum armata multitudine occupaſſet, L. Opimius Cos. ex Senatuſconſulto populum ad arma uocauit. Tum Gracchus pulſus interemptuſq; eſt. Quamuis enim populus Conſulem ſecutus ſit, eius tamen populi iuſſu, id eſt, ſuffragio, Gracchus interemptus non eſt. Nam ut Senatus cenſet, ita populus iubet.* Aeternis tenebris uinculiſq; mandare.] *Id eſt, in ſempiternum carcerem tradere.* De meo ſenſu.] *Id eſt, de animi mei ſententia.* Ita mihi ſalua Repub. &c.] *Iuſiurandi formula eſt. ut cum dicimus: Ita me Deus bene amet, ut dico uerum.* Mihi propoſui.] *Id eſt, animo meo.* Purpuratum.] *Id eſt, Cos. uel Prætorem. Togis enim magiſtratuũ prætexta purpura erat.* Quàm acerbiſſimum ſanxerit loco.] *Loco uerbi ſanxerit, legendũ arbitror ſumpſerit.* Importunus.] *Id eſt, crudelis.* Dolorem.] *Ex occiſis uxore & liberis & incenſa domo cõceptum.* Cruciatu ſerui.] *Sororis ſuæ Iuliæ.* Virum.] *Id eſt, maritum. Iulia enim mortuo Antonio marito, filio M. Antonij oratoris, et patre M. Antonij Triumuiri, nupſit P. Lentulo, ut ait Plutarchus in uita M. Antonij ubi ſcribit, hoc Lentuli ſuppliciũ fontem & caput fuiſſe inimicitiarũ, quæ inter eum & Ciceronem interceſſerunt. Hic Cæſar antequam diceret ſententiam de Lentulo, excuſauit propinquitatem, ut & luctu ſororis moueretur, & ſaluti Reipublicæ prouideret. Auctor eſt Cicero in 8. Philippica.*

Cum auum iuſſu Cos.] *Quem intelligat, mihi conijcere non licet præter C. Gracchus, qui fuit filius Corneliæ filiæ P. Cor. Africani maioris. Ex Corneliorum familia Lentulum eſſe, nemo ignorat. Quamuis huius Lentuli auus non fuerit, aliqua tamẽ generis propinquitate cum eo coniunctũ fuiſſe nomen familiæ docet. Has autem propinquitates uel affinitates nominibus propinquitatem interiorem ſignificãtibus appellare ſolemus, ut patrueles Liuius & Cicero ſæpe appellat fratres patrueles. Q. Metellum maritum Clodiæ ſororis P. Clodij, Clodij fratrem ſæpe appellat Cicero. Nec licet intelligi ipſum Lentuli auum, de quo paulo poſt dicit. C. autem Gracchus iuſſu L. Opimij Cos. interemptus eſt. Cuius auum, pro cum auum ſi legeretur, improba lectio non eſſet.* Filiumq; eius impuberem.] *Si C. Gracchum intelligere liceat, hic Gracchi filium intelligit eũ, quem paruũ mater Licinia manu tenebat, cum maritũ Gracchum in Auentinum proficiſcentem proſecuta eſt. Impubem & impuberem dici Priſcianus libro ſexto ſcribens, hunc Ciceronis locum citat. ſed corrupte citari inuenio in codice etiam uetuſtiſſimo ad hũc modum: Filiumq; eius impuberem legatum à patre miſſum. Impuberem tamen potius quàm impubem dici putem in ſoluta oratione.* Necandum.] *Id eſt, necare debuiſſe.* Quorum aui & filij.] *Quod ſimile factum eſt, atq; eſt hoc Lentuli factum.* Largitionis uoluntas.] *Omnes enim Gracchi leges erant populares, multæ autem largiebantur aliquid populo R. ut quam tulit de ueſtimentis dandis militibus ſine ſtipẽdiorum diminutione, ut frumentaria, de annona pauperibus danda: de quibus fuſius Plutarchus.* Partium quædam contentio.] *Vt plebeiorum cum patritijs & Senatu, ut C. Gracchi & Fuluij Flacci cum M. Liuio Druſo, de quibus apud Plutarchum.*

Illo tempore.] *Caij Gracchi.* Graue tum uulnus accepit.] *Valerius Maximus libro quinto, titulo de ingratis, hac de re ſcribit amplius.* Accepit uulnus.] *Vt pro P. Sextio: A quibus hic multis uulneribus acceptis, ac debilitato corpore, & cõtrucidato, ſe abiecit exanimatus. Itẽ pro P. Sylla: Accepit P. Sylla, iudices, uehemẽs uulnus & mortiferũ.* Ne quid, etc.] *Id eſt, ut Gracchi conatibus obſiſteret.* Hic.] *P. Lentulus.*

Attribuit.] *Id eſt, ſua coniuratis munera diſtribuendo, attribuit nos, ſcilicet me Cos. & uos Senatores.* Hoc ex arte eſt, *ut quod ab aduerſarijs noſtris nobis obijciatur, uel obijci poſſit, id in aduerſarios reijciamus, ſi fieri põt, uel contrariũ nobis conuenire oſtendamus. Miloni obiecerunt aduerſarij, quod Clodio inſidias fecerit: contra obijcit Cicero, quod Clodius Miloni inſidiatus ſit. Sex. Roſcius ab aduerſarijs occidiſſe patrem accuſatus eſt: id aduerſarios feciſſe Cicero contendit. Ab A. Cluentio corruptos eſſe iudices dicunt aduerſarij: ab Oppianico aduerſario eos corruptos Cicero docet. Mirantur nõnulli fortaſſe, quod Cicero qui defendere alios ſolitus ſit, ad Verrem accuſandum deſcendat: Cicero magis id ſe facere docet, ut defendat Siculos à C. Verre uexatos, quàm ut Verrem accuſet. Hic itidem obijci poſſit Ciceroni ſuſpicio crudelitatis, ſi morte multẽtur cõiurati: probat Cicero, niſi morte multentur, Senatum crudelitatis in patriam ſuſpicione laboraturum.* Diſſimulare.] *Id eſt, tacere. Nam quæ audimus, ſi tacemus, diſſimulare uidemur.*

Vereri habeam.] *Id eſt, uereri ne habeam.* Tranſigenda.] *Id eſt, efficienda, & (ut uulgo loquuntur) in executione ponenda.* Plena templa circũ forum.] *In curia habita hæc oratio eſt. Curiæ forum iudiciale proximum erat. Circum forum multa fuerunt templa, in quibus in cauſa Milonis præq*

*pit, cũ in media narratione aut quæſtione eſt. de ſententia idem ſentiendum eſt. Ea ratione uerbi præſentis operis celeritas oſtendi ſolet. Terentius in Eunucho: Hos prius introducam, & quæ uolo ſimul imperabo, poſtea continuo exeo.* Mors omnibus eſt parata. ] *Id eſt, fato conſtituta omnibus eſt. Seruius enarrans illud ex lib. Aeneid. 10. Stat ſua cuique dies: Stoici, inquit, dicũt fatorum ſtatuta ſeruari. Ideoq́; ſubiungit Virgilius: Sua Turnum Fata uocant, metaſq́; dati peruenit ad æui.* Cuius conſilio Annibal, &c. ] *P. Scipio Cos. anno ſecundi belli Punici 15. exercitum traducit in Africam. multis uictorijs Carthaginenſes debilitati, Annibalem ad defendendam patriam reuocare coacti ſunt. In Africa uicto Annibale fœdus ictum eſt, Carthago Romanis facta eſt tributaria.* In Africam redire, atque ex Italia decedere coactus eſt. *Similem narrandi rationem Quintil. non probat lib. 4. Quædam, inquit, etiam turpiter conuertuntur, ut ſi peperiſſe narres, deinde concepiſſe: apertum teſtamentum, deinde reſignatum.* Ornetur eximia laude. ] *Alij codices habent, Ornetur alter eximia laude: idq́; melius. Quamuis ille exemploꝝ dicendorum ordo ſit, ut antiquiſſimum quidq; ſit, ita primum locandum ſit. Hic tamen deletas Carthaginem & Numantiam prius dicit, quàm Perſen captum, qui captus eſt à Scipionis patre ante has urbes deletas. Sed hoc fecit Cicero, ut Africanum utrunque ſimul tractaret.* Cuius currum. ] *In Triumpho ſcilicet. uicti enim hoſtium duces ante currum triumphantis duci ſolebant, ut pulcherrimum ſpectaculum fructũq; uictoriæ populus R. percipere poſſit. Tamen cum de foro in Capitolium currum flectere incipiebat qui triumphabat, uictos in carcerem duci iubebat, ut ait Cicero actione in Verrem 7.* Bis Italiam. ] *C. Marius Teutonos & Ambrones duobus prælijs circa aquas Sextias deleuit: in quibus cæſa traduntur eorum CC millia, & capta nonaginta. Ob hanc uictoriam Triumphus ei oblatus eſt, quem quoad Cimbros uiciſſet diſtulit: à quibus ante uicti fuerunt, primũ Papyrius Carbo Cos. deinde M. Iunius Sylanus Cos. tertio Aurelius Scaurus Conſulis legatus, quarto C. Manus & Qu. Seruilius Cæpio Proconſules, poſtremo Qu. Catulus Proconſul, qui fauces Alpium obſederat, ut ipſis aditum in Italiam intercluderet. Hos C. Marius quintum Cos. iuncto exercitu, cum Catulo uicit. CXL millia; occidit. LX millia cepit. auctor eſt T. Liuius libris 63. 65. 67. 68. Marium diuinum uirũ ad ſalutem imperij natum, Cicero dicit pro P. Sextio: & pro C. Rabirio patrem patriæ, parentem libertatis ac Reip. uere appellari poſſe confirmat.* Anteponatur omnibus Pompeius. ] *Is enim rerum geſtarum magnitudine ſuperiores omnes ſuperauit.* Patefacere nobis prouincias. ] *Id eſt, ſubiugare, in eaſq́; nobis aditum dare.* Habeant quo uictores reuertantur. ] *Cn. Pompeius tum in Aſia cum Mithridate bellum gerebat, cum arderet hæc coniuratio. Quod Ciceroni rediens dixit, ab hac re alienum non eſt. Id autem apud Ciceronem eſt lib. de Offic. 1. Mihi quidem certe, inquit, uir abundans bellicis laudibus Cn. Pompeius multis audientibus hoc tribuit, ut diceret fruſtra ſe triumphum tertium deportaturum fuiſſe, niſi meo in Remp. beneficio ubi triumpharet eſſet habiturus. Alienigenas, dicit quos exteros appellare ſolet.* Recepti. ] *Facta deditione. Conſpiratio in bonam partem dicitur ſæpius à Cicerone. ut in oratione pro Domo ſua: Hanc noſtram coniunctionem, hanc conſpirationem in Rep. bene gerenda, hanc iucũdiſſimam uitæ atque officiorum omnium ſocietatem, certi homines factis ſermonibus & falſis criminibus diremerunt. Idem in libro de Officis 2. magnas utilitates adipiſcimur, conſpiratione hominum atque cõſenſu. In malam quoque partem pro hac coniuratione dicit idẽ in oratione ad Quirites antequam iret in exilium: Quoniam, inquit, animaduertiſtis illam conſpirationem conflatam ita eſſe reſtinctam, ut nulla ſcintilla compareat incendij, nos quoque tribunitiam ſedate temeritatem. Amoris conſpirationem idem dicit in lib de Finibus 1. Epicuris, inquit, una in domo, & ea quidem anguſta, quàm magnos, quantaq́; amoris conſpiratione conſentientes tenuit amicorum greges?* Pro imperio. ] *Conſulatus gloriæ cauſa petebatur. Conſulibus enim decernebantur prouinciæ, dabantur exercitus iis re bene geſta triumphi decernebãtur. Triumpho autem nihil in uita poſſe glorioſius contingere arbitrabantur. Ideo honorum populi R finem eſſe Conſulatum, Cicero dicit in oratione pro Cn. Planco: Pro imperio Conſulari, pro exercitu, qui Ciceroni datus fuiſſet, ſi prouinciam ſortitus fuiſſet. quam neglexi præ ſtudio Reip.* Prouincialibus. ] *Id eſt, quæ mihi in prouincia paraſſem.* Paruum meum filium. ] *M. Ciceronem, cui poſtea ſcripſit libros de Officijs.* Quapropter de ſumma. ] *Hæc Ciceronis ſententia eſt, ad quam rediturum ſe promiſit, cum egrederetur. In deliberatiua autem oratione ſententia pro concluſione poni ſolet.* Fortiter. ] *Id eſt, ſine ullo metu.* Parere ueſtris decretis non dubitet. ] *Si cenſeatis coniuratos morte multandos. In quam ſententiam Senatus quantum poteſt inclinat.*

# IN MARCI TVLLII CICERONIS ORATIONEM

## IN VATINIVM, SCHOLIA, BARTHOLOMAEO

## LATHOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

### ARGVMENTVM.

*V B. Lentulo, Q. Metello Coſs. cum magna contentione ageretur per T. Annium Milonem, & P. Sextium Trib. pleb. ut Cicero ab exilio reuocaretur, quem P. Clodius in tribunatu expulerat, P. Sextius quo contra uim aduerſariorum munitior eſſet, armatos homines circa ſe habuerat. qua de cauſa finito tribunatu, de ui accuſatus fuit à quodam M. Tullio, adiuuantibus Clodianis, & à Cicerone defenſus. Sed in eo iudicio cum A. Vatinius teſtimonium dixiſſet contra Sextium, homo alioqui impurus, & Clodianæ factionis adiutor, cum quo Ciceroni iam antea inimicitiæ interceſſerant, confutatus eſt à Cicerone hac uehementi & inimica oratione. In qua illi primum reſpondet Orator ad conuicia, quæ in ſe contecta fuerant. deinde grauiſſime inſectatur perſonam hominis ex anteacta uita, atque ita totum illius teſtimonium de Sextio confutat reprehendit. Oratio eſt iudicialis, reprehenſionem teſtimonij continens: ſed tota pene in demonſtratione perſonæ uerſatur. Statum habet coniecturalem, an credendum ſit Vatinio. Sed hoc totum qualitate perſonæ explicatur, an cum talis ſit Vatinius, teſtimonio eius ſit credendum. Primo habet exordium, ad contemptum perſonæ: deinde reprehenſionem maledicorum. In ipſum Ciceronem: poſtremo uitæ inſectationem, quæ tota acriter, more iudiciali, per interrogationem tractatur.*

SI TVA Vatini. ] Oditur κατὰ πρόληψιν: & cauſam reddit cur interroget potius Vatinium, quàm contemptum tacitus dimittat. Nemo enim te ut. ] Aetiologia, interpretandi cauſa. Quare ne tibi. ] Concludit ſententiam. Etenim debuiſti. ] Cauſa, cur uexandum putarit potius, quàm dimittendum. Et eſt ex meritis Vatinij. Sed heſterno. ] Refutatio, qua primū uanitatem arguit, ex ipſius Vatinij dictis, quia pugnantia dixerit. Qui & Titū Claudiū. ] Epiſtola 7. ad Q. fratrem refert, Sextium à quodam M. Tullio de ui accuſatum fuiſſe. ergo plures fuerunt accuſatores. In quorum altero. ] Oſtendit quid efficiatur ex dictis Vatinij, quæ expoſuit. Nimium es uehemens. ] Obiurgat, quod prodire auſus fuerit. Repente enim te. ] Comparatio ad hypotypoſin, id eſt euidentiam orationis. Hypotypoſi autem reſpicit ad guttur Vatinij, quod illi ſtrumoſum erat. unde alibi per iocum, uocauit inflatum oratorem. Vt mihi renouatus. ] Hoc uidetur eſſe corruptum, quia certam ſententiam non præſtat. Sed quæro à te. ] Reprehendit obiectionem: & qualitatem ita defendit, ut oblique perſtringat aduerſarium. nam quæ à Cornelio remouet, tacite confert in Vatinium. Nū Heliam! nū ? ] Lex Helia & Fuſia obnunciationem confirmabant, qua reſiſtebatur pernicioſis legibus. C. Cæſar autem in Conſulatu cum legem agrariam inuito Senatu ferret, adiuuante Vatinio, qui tū Trib. pl. erat, obnunciantem collegam ſuum M. Bibulum armis è foro expulerat. Codicem legiſſe di. ] Defendit cauſam Cornelij ex ui definitionis, quid ſit maieſtatem minuere: de qua re lege Aſconium. Attamen hoc Vatini. ] Oſtendit à ſigno, ſe in defendendo Cornelio populo Rom. rem gratam feciſſe. Vaticinando ſperare. ] Vatiniano more uiuendo, alludendo ad nomen. Nam quod mihi. ] Confutat aliam obiectionem, de diſceſſu ſuo, quem defendit. Quare Vatini. ] Concluſio, quā per ironiam amariorem efficit. Deinde eius uiri. ] Vide nū, Ne increpes, legendum ſit. nam alioqui deeſſe aliquid uidetur.

At enim diuiſti. ] Reprehendit aliud dictum Vatinij, idq; ex qualitate, cui inficiationem adiūgit. Scilicet aſpera mea. ] Inficiatio. Sed nihil ſit factum. ] Conceſſio ex abundanti, qua ad qualitatem reuertitur. Reddo tibi tuum. ] Id eſt, uices tibi debitas refero. Atque ut aliquando ad. ] Inſectatio uitæ (tertia orationis pars) quam grauiter & uehementer tractat, obſeruato more interrogandi teſtes in iudicio. Et ut me tecum. ] Incipit à natiuitate, & ordinem temporis perſequitur.

Atque illud tenebricoſiſſ. ] Oratoria ἀντίφρασις. Non populi beneficio. ] Puto L. Cæſarem intelligi. nam hic cum C. Figulo Conſulatum Ciceronis anteceſſit. Aquaria prouincia. ] Puteolis in Campania, à calidis aquis dicta. Factus es Tribunus plebis. ] Tribunatus plebis, quem uehementer exaggerat.

Ac tibi iam inde. ] Præmunit ad tribunatus inſectationem, ne C. Cæſarem offendat. Vt cum inaudita ſacra. ] Colligit indignitatem rei ex contrarijs, uel ex minori, quod Vatinius magica ſacra colat, contemnat auſpicia. Impedimento non futuram. ] Significabat Vatinius, ſe nulla obnunciatione impeditū iri, quo minus ea quæ deſtinauerat, in tribunatu perficeret. Et quoniam hic unus. ] Iterum ſeiungit Cæſarem à Vatinio, ut acrius urgeat. Primum quæro. ] Ex differentibus probat.

Deinde quæ ſit. ] Hoc ad qualitatem pertinet: quia non eſt recte factum, quod alicuius auctoritate defendi neceſſe eſt.

Deinde, erumpet. ] Παῤῥησία, quæ proxima eſt aſſentationi.

Ex his tres erant. ] Ad impediendum actiones tuas pernicioſas. De quibus duos prætextatos. ] Id eſt, maioribus honoribus functos, ut ædilitate, uel prætura, uel Conſulatu: quamuis hic ædilitatem intelligat. nam prætexta eorum erat magiſtratuū inſigne. Te ædilitiam prætextam. ] Non conſtat. nam pendet ex hiſtoria. Tertium ſcis, ex illo. ] Puto Q. Metellum Nepotem intelligi. Quem diſrumperis cum ædilitiū. ] Id eſt, ædilitate functum: hoc eſt, prætextatum. Volo uti reſpondeas. ] Vide quomodo amplificet. primo, quòd ſolus ex Collegio legem tulerit, contemptis collegis. deinde, quòd contra auſpicia tulerit. quo loco exagitat, quòd augur fieri uoluerit. poſtremo, quòd Conſuli uim attulerit: quam rem uehementer exaggerat, & deinde Vectianum iudicium, quod ab illo falſo ſubornatum fuerat, ſubiungit. Quæ quidem leges. ] Gabinium & Piſonem intelligit, qui annū Conſulatus Cæſaris ſecuti ſunt.

Ecquando dubitatis. ] Redditio periodi. Adeó ne non labefacta. ] Increpatio. Hoc loco quæro. ] Argumentatur ex hypotheſi per fictionem, ex eo quod futurū erat, ſi fuiſſet Augur. Illi autem quibus eras. ] Pompeius & Cæſar. Cum eum tu Conſulem. ] Primo Vatinius conatus eſt Conſulem in uincula ducere, niſi à collegis prohibitus fuiſſet. deinde pontes ſtruxit in foro, ne quis intercedere poſſet. Nam ſæpius actum fuit magna contentione, cū Bibulus Cæſari obnunciaret. Tabula Valeria. ] Locus erat in foro, à tabula ibidem fixa ſic dictus. Fueris ne tanta. ] Obijcit Vectianum iudiciū, & rem grauiter exaggerat. M. Bibulum. ] Enumerat eos, quibus per Vectium inſidiatus ſit Vatinius. quos intelligat, incertum eſt: niſi quòd ſuſpicor ex socijs Catilinæ fuiſſe, quos L. Paulus accuſatos damnauerit. Quæſtionem de tot amp. ] Iudicum, nempe rogationem, qua iudicium decerneretur. Et quoniā crebro. ] Obijcit crudelitatem in C. Antonium, quod cum Vatinius legem promulgaſſet, qua dabatur reo alterna reiectio iudicū, expectaſſe eum donec Antonius reus fieret. Deinde in lege adiecisse, qui poſt legem ſuam reus factus eſſet, ut hac exceptione Antonium à beneficio legis excluderet. Qui tuā poſt legem reus eſſet factus. ] Verba ſunt exceptionis in lege, quæ poſt legem promulgatam aſcripſerat Vatinius. Dices familiaritatem. ] Occurrit defenſioni Vatinij. nam Maximus accuſabat Antonium. Et quoniam pecuniam aliorum. ] Obijcit pecuniarum rapinas à Republica. Eripueris ne partes chariſſ. ] Munera, ſeu officia quæſtuoſiſſima. In illo ipſo anno. ] C. Cæſare & M. Bibulo Coſſ. quo Vatinius erat Tribunus plebis. Amiciſſimi tui. ] C. Cæſarem intelligit, qui legem Iuliam tulerat de Repetundis. Apud quem tu etiam. ] Significat affinitatem Vatinij, ad contumeliam Cæſaris potius, quàm ad honorem pertinere. Atque illud etiam. ] Obijcit inciuile factum & contumeliam in Q. Arrium, quòd in epulo eius ſolenni cum toga pulla accubuerit. Dices ſupplicationes. ] Occurrit defenſioni. Quæro illud etiam. ] Obijcit quod cum reus eſſet, iudicium ui diſturbarit. Quòd priuatus. ] Poſt tribunatum. Nam in tribunatu reus eſſe non poterat. In quo ne quid. ] Κατὰ ἀπο[illegible] quod dixit probat ſuo teſtimonio. Atque illud etiam quæro. ] Amplificat ex libidine peccandi. Et quoniam legationis tuæ. ] Obijcit quòd non legitimo iure legatus factus ſit. Fuerat autem legatus C. Conſidio in Hiſpaniam, ut ſupradictum eſt, non ſenatuſconſulto, ut mos erat, ſed ſua ipſius lege, qua etiam C. Cæſari imperium per Galliam tranſalpinam & Illyricum in quinquennium dederat. Age factum eſt. ] Remittit quod exaggerauit, ne ſit acrior in abſentem Cæſarem, & ad alterum reuertitur. Poſt te continuo. ] Clodius in tribunatu Gabinio & Piſoni Syriam & Macedoniam dederat plebiſcito. Atque illud etiam audire. ] Obijcit, quòd contra legem Tulliam gladiatores det populo. Nam petebat tunc præturam Vatinius Cn. Lentulo L. Philippo Coſſ. quo anno hæc cauſa acta eſt, ante Conſulatum Craſſi & Pompeij, quo tempore Cæſar in Gallia bellum gerebat. Ob haſce omnes res. ] Concludit obiectionem præcedentem. Nec poſt Romam conditā. ] Intelligit comitia Prætorum aliquoties habita fuiſſe, propter ſtudia Craſſi & Pompeij

pij contra Catonem, qui cum Vatinio petebat. uide Plutarchum in uita Catonis. Ac ſi hæc omnia.] Obijcit iudicium Cæſaris de ipſo, & iactantiam reprimit. Quod ſi ipſe Cæſar.] Concludit uehementer, & exaggerat. Quæro quæ tanta in te.] Arguit inconſtantiam teſtimonij, quòd quē ante laudauit, nunc teſtimonio lædere conatus ſit. Gladiatoribus & beſtiarijs.] Qui cum beſtijs in arena depugnabant. Sed cum Titum Annium.] Negat ſeparari oportuiſſe, quorum cauſa eadem ſit. Extremum illud eſt.] Alia inconſtantia teſtimonij, quod cum in ſingulari præuaricatione Albinouani uoluerit uere accuſari Sextium, negarit de ui eundem accuſandum fuiſſe, &c.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS ORATIONEM

## IN L. PISONEM, IACOBI OMPHALII ANTONIACENSIS ANNOTATIONES

### ARGVMENTVM.

R

EVOCATVS Piſo cum Gabinio ex Conſularibus prouincijs, Lentulo & Philippo Coſſ. ex Ciceronis Senatusq; ſententia, grauiter in frequenti Senatu de oppreſſione atque inſectatione Ciceronis cōqueſtus eſt, fiducia maxime Cæſaris, ſui generi, qui tum Gallias occupabat. Eius inſectationi hac nobili oratione, Cn. Pompeio Magno & M. Craſſo ſecundum Coſſ. habita, reſpondet Cicero. Oratio eſt generis demonſtratiui, in robuſto ac ſublimi dicendi genere poſita, tota pathetica, ac crebris comparationibus, locis cōmunibus, amplificationibusq; expolita. proinde eius lectio in primis utilis eſt, ad parandam eloquentiam. Conſtitutio eſt qualitatis. Partes habet: Exordium abruptum, Contentionem, quæ perpetua quædam hic narratio eſt, omnibus occaſionibus amplificata, & Epilogum.

IAM'NE uides bellua.] Vehemens & abruptum exordium, accōmodatum inuectiuis. Nam & grauem infantiæ improbitatisq; inſectationem habet, & ſignis eſt amplificatum. Sentis.] Metaphora per deflexionem. Frontis tuæ.] Metonymicῶs frontem ſeueritatem intelligit. Eſt enim frons ſeueritatis & clementiæ index, à ueteribus Genio dicata, quemadmodum religioni caput. Nam magna ſegnes, parua mobiles, rotunda iracūdos, lata leues & inconſtantes arguit. Alexander Genial. dierum lib. 2. cap. 19. Hinc ductæ pulchræ elocutiones, frontem contrahere, id eſt, admirari: Exporrigere, apud Terentium, id eſt, læto animo eſſe: Ferire, id eſt, animo affligi, apud Ciceronem ad Atticum. Syrum neſcio quem.] Syrum dixit per ταπείνωσιν, ſiue μείωσιν, hoc eſt, diminutionem. Nā Syri populi uiles, neglecti, & ab omni exiſtimatione relicti ac inopes fuerunt: ſicut & Cappadoces. Quod addit, De grege nouitiorum, hoc quoque contemptionem ſignificat. Color iſte ſeruilis.] Auxeſis reprehenſionis à ſignis. Eſt autem in genis pudoris & uerecundiæ ſedes. nam rubore ſuffuſæ in pueris, integritatem animiq; uirtutem pollicentur. Non dentes.] Ἐπαναφορὰ, id eſt repetitio, augendæ indignitatis cauſa. Oculi, ſupercilia.] Ἀσύνδετον, ſiue diſſolutum. Oculi ſanè hominis naturam mentisq; imaginem repræſentant, quaſi cordis nuntij. ex his enim iratum, lætum, & affectum animum dijudicamus. Supercilia.] Hæc faſtum ſuperbiamq; habent, eaq; deflexa auſteros, inflexa irriſores, demiſſa maleuolos arguunt. Vultus.] In uultu cuiuſque ueluti indoles ac uoluntas relucet. Prorſus in facie, inquit Salluſtius, uultuq; uecordia inerat. Eſtq; hic locus cōmunis. Obſeruabit autem iuuentus, frequēter Ciceronem eiuſmodi uti ſignis in deſcribendis peſſimorum hominum ingenijs. Sic pro Murena: Vultus, inquit, plenus furoris, mēs ſcelere obſtricta, lingua maledictis impedita: oculi feritatis, ſermo atrocitatis plenus. In fraudem.] Geſtit copia, & orationem illuſtrat figura, quam ἀσύνδετον Græci uocant. Ea apta eſt, quoties aliquid inſtantius dicimus. Dicitur autē hoc loco fraus, impoſtura & deceptio, cum aliâs quoque periculum et pœna ueteribus dicatur, referente Vlpiano l. Cum autem. ff. de Aedil. edi. Hinc in fraudem impellere, illicere, apud Terentium deducere. Panni iſta tua.] Metaphoris illuſtrem facit orationem, ac uehementem. Scribit autem Cicero cum alicubi, tum in oratione ad Senatum, hunc Piſonem eſſe hominem ſine ſenſu, ſine ſapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum, plenum uini, ſomni, ſtupri, nec aliud quidquam præter ſimulatam irritamq; triſtitiam in forum attuliſſe. Nullum non modo.] Adimit Piſoni omnem ciuilis uitæ ac militaris diſciplinæ uſum. Porrò domi ac militiæ eum uixiſſe dicimus, qui experiens eſt, ut ait Cicero, & multo rerum uſu exercitus. uulgus inepte uocat expertum.

### CONTENTIO, SECVNDA ORATIONIS PARS.

OBREPSISTI.] Contentio, quæ hic perpetua quædam narratio eſt, omnibus locis amplificata. Significat autem obrepere, clàm prorumpere & aduenire. Vt is mihi, inquit Cic. ampliſſimus habetur, qui ſua uirtute in altiorem locū obrepit, non qui aſcendit per alterius incommodum & calamitatem.

Is mihi gloriabitur.] Collatio à cauſis tracta, ad extenuandū Piſonis honorem. Erat autem hic Piſo ex clariſſima familia Piſonis Frugi, cuius magna & præclara in Rempublicam extant officia. meminit Piſonis Frugi Cicero in fine orationis ſcriptæ pro M. Fonteio. Piſo eſt à populo.] Piſonem intelligit, qui Frugi cognominatus fuit, uir (ut Cicero ait in oratione pro M Fonteio) tanta uirtute atque integritate, ut optimis illis temporibus, cum hominem inuenire nequam non poſſes, ſolus tamen Frugi nominaretur. quem Gracchus inimicus coactus fuit appellare Frugi. Meminit & Cicero Piſonis Frugi, libro tertio Tuſculanarum quæſtionum. Noti illi erant mortui.] Antitheſis, id eſt, contrapoſitum iucundum ſchema augendis rebus. quale eſt illud in Catilinam: Honeſte uiuere cum non poſſit, turpiter perire maluit. Qui laudis uirtutisq, ſplendorem chorus omnibus eſſe non potuit, maluit uitiorum turpitudine cunctis eſſe infenſus. Me cum quæſtorem.] Altera comparationis pars. Tractat autem & hunc locum in oratione pro lege Manilia: propter dilationem, inquit, comitiorum ter Prætor primus cunctis ſuffragijs ſum renunciatus. eſtq; tota hæc orationis pars figuris rhetoricis exornata. Nam quid ego.] Amplificatio à ſui conſulatus functione, per comparationem. Miſerum me.] Diſſimulatio cupiditatis, & tanquam quadam præcaſtiga-

tio. Habet autem ex more Cicero, ut hominem ſeurram, ſcelere atque infamia fractum, uocet peſtem atque labem, itaque frequentes apud illum uituperationis ſunt formulæ. ſentina & fex urbis, buſtum reipublicæ, cœnum hominis, pecus, cadauer, & putrida caro, ſcelus ad dedecus, &c. quibus in eos utimur, qui labe ac ſcelere animos gerunt impeditos atq; oppreſſos. Confero.] Hic eſt quod cõparo, aliàs recipio & transfero ſignificat. ut, Ego id omne, quod petis, ad tuum arbitrium confero. Conſul es renunciatus.] Id eſt, deſignatus, factus, pronũciatus. Nihil dicam grauius.] Παράλειψις præcaſtigatio. Impeditis Reip. temporibus.] Scilicet ciuili diſſidio: quod tum ſerpere cœpit, cũ tota Reſp magnis factionibus turbaretur. Porrò Cæſari ad parandos egentium animos conuerſo, rogationemq; de deducendis colonijs, diuidẽdisq; agris ferenti, Bibulus obſiſtebat, ut auctor eſt Plutarchus in uita Põpeij.

Nequior quàm Gabinius.] Hunc Cic. in oratione Poſt reditum in Senatu habita, ſcribit primum ætatis ſuæ tempus ad omnes libidines diuulgaſſe, egeſtam & luxuriã domeſtico lenocinio ſuſtentaſſe, & egregium (ut refert Plutarchus) inter omnes Pompeij ſcurras aſſentatorem fuiſſe. De hoc etiam quædam ſcribit lib. 3. Epiſt. ad Q. fratrem, cuius initium eſt, Ad VI. Id. Octob. &c. Me cuncta Italia.] Metonymia. Hanc hiſtoriam refert idem Cicero in oratione pro lege agraria: Eſt illud, inquit, ampliſſimum, quòd meis comitijs non tabellam iudicẽ tacitæ libertatis, ſed uocem uiuam præ uobis indicem ueſtrarũ erga me uoluntatum ac ſtudiorum tuliſtis. Cic. in Phil. dicit tabellam eſſe populo datam, omniq; ſenatui: ſignificãs ius eſſe populo datũ eligendi quem uelit. Legis agrariæ.] Inter Gracchanas leges extat Agraria, Coſ. Caſſio, & Proculo primum lata, & magnis poſtea rerum motibus per annos ferè triginta iactata, quam Cicero poſtea ſuſtulit. Extant eius orationes Pro lege Agraria contra Rullum. Meminit illius Liu. libro. 2. ab Vrbe condita. Dionyſius Halicarnaſ. Appianus, Plutarchus ac Florus. Idem Cic. eius incõmoda deſcribit lib. Offic. 2. Agrum Campanum.] Huius agri meminit Cic. in oratione 1. cõtra Rullũ, ad finem ferè. & item in ſecunda. Maiores, inquit, noſtri non ſolum id quod à Campanis acceperãt, non imminuerunt, uerũ etiam quod & tenebant, quibus adimi iure non poterat, coemerunt. Qua de cauſa nec duo Gracchi, qui de plebis Romanæ commodis plurimum cogitauerunt, nec L. Sylla, qui omnia ſine ulla religione, quibus uoluit eſt dilargitus, agrũ Campanũ attingere auſus eſt Rullus extat, qui ex ea poſſeſſione Remp. dimoueret, ex qua nec Gracchorũ benignitas eã, nec Syllæ dominatio deleciſſet. Scribit de eo quoque Liuius & Plutarchus in uita Ciceronis, qui dicit illo ob ærarij inopiam uendito, certum habitãdi locum Campanis ciuibus datum eſſe. Antonio Cic. in Phil. 2. obijcit, quòd agrum Campanum compranſoribus ſui & colluſoribus diuiſerit. Ego in C. Rabirio perduellionis reo.] C. Rabirius, quod cum telo in colliſione oppreſſi Saturnini adfuerit, eiusq; caput ludibrij cauſa circumtulerit, à T. Labieno perduellionis reus Cicerone defendente peractus eſt. Suſtinui.] Hoc eſt, Senatus factum defendi. eſt autem hic annorum ſupputatio ſummatim comprehenſa, auctore Aſconio Pædiano. Ego adoleſcentes bonos.] Hiſtoriam habes apud Plutarchũ in uita Ciceronis, & paſſim in Epiſtolis. Conuulſuri.] Venuſta metaphora à ſtirpibus ſumpta, pro infringere & labefactare. Sic conuellere Reip. auxilia: Reip. aut alicubi Cicero, præſidia conuellunt, amicitiam qui abijciunt. Cupidum prouinciæ.] Scilicet Macedoniæ, ut Plutarchus in uita Ciceronis refert, exardebat enim eo tempore coniuratio Catilinaria, cuius ut non ignarus fuit Antonius, ita rem omnẽ diſſimulauit ob prouinciæ pactionem, ærisq; alieni, quo obſtringebatur, magnitudinem. Mitigaui.] Mitigare eſt lenire, & ueluti ad moderationem effingere. ut literis bonis ad humanitatẽ ex agreſti uita mitigamur, & triſtis ſeueritas humanitatis condimentis erit mitiganda. Studiorum labores, ut ait Cicero, magna compenſati gloria mitigantur. Ego L. Catilinam cædem Sen.] Huius hiſtoriæ plena ſunt omnia Ciceronis ſcripta. & meminerunt quoque Plutarchus, App. Bellorũ ciuil. lib. 2. Auguſt. lib. 1. cap. 5. Oroſius lib. 6. Euſebius, Salluſtius, &c. eſtq; hic locus mirabiliter amplificatus.

Ego tela.] Cõmoratio, amplificandis expoliendisq; reb. apta. Erat autem à Catilina interficiendi Ciceronis negotium datum C. Cornelio, & Marco Cethego. Sed horum inſidias, quibus per ſalutationes & officij ſpeciẽ interfecturi Conſulem fuerãt, prodidit Fuluia, noctu ad Ciceronem profecta. Intenta iugulis ciuitatis.] Metonymia, & uenuſta metaphora in uerbo Intendere, à uenatoribus ſumpta. Horatius intendere animum dixit, Salluſtius ingenium intendere litem Cicero, ac pleriq; Iuriſconſulti dixerunt: ubi hodie uulgus iuriſconſultorũ inepte dicit, litem intentare. cum intentare ſit, uim & cõminationem alicui obijcere. Vergilius, Præſentemq; uiris intentant omnia mortem.

Protuli, extinxi.] Incrementum. Parentem patriæ.] Hæc ferè geſta ſunt anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo nonageſimo nono. Eſt autem Cicero parens patriæ omnium primũ appellatus à Catone Vticenſi, auctoribus Plutarcho in uita Ciceronis, Plin. lib. 7. cap. 30. Iuuenalis Satyra octaua: Sed Roma parentem, Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit. M. Q. Catulus.] Locus à pronunciato. Ciuicam coronam.] Corona erat aut triumphalis, aut obſidionalis, aut ciuica: quæ ei dabatur, a quo ciuis eſſet conſeruatus. Aul. Gellius lib. 5. cap. 6.

Mihi togato.]. Hiſtoriam ſcribunt Plin lib, 7. cap. 3. Quintil. lib. 2. cap. 17. & paſſim in orationibus Cicero. Togato.] Togæ uſus in maxima Reip. tranquillitate fuit. eoq; togatis Romani dicuntur, quòd togis, rebus domi ac foris bene pacatis uterentur. Hic emphaſim habet. Supplicationibus.] Supplicare eſt, magnis in malis & rebus noſtris afflictis alicui ſupplicẽ eſſe. hinc ſupplicationes, quarum frequens mentio fit apud Liuium. A' tribuno plebis.] Q. Metellum Nepotem intelligit, qui Ciceronem Conſulatu abeuntem, de ſuo magiſtratu dicere non eſt paſſus, ne inde populo ſeditio oriretur. Quo quidẽ tempore.] Vide Plutarchum. aliquot enim ciuium millia incredibili ſtudio obuiã Ciceroni iuerunt. Mecum eſſet.] Hac locutione ſignificamus & animi uoluntatisq; coniunctionem. ut, Omnes boni mecum ſunt: id eſt, mihi ſuffragantur. Quod Terentius in Phormione dixit, cum aliquo ſtare: Nam ni hæc ita eſſent, ait, cum illo haud ſtares, id eſt, conſentires, illũ propugnares atque defenderes. Atque ita eſt.] Epilogus per enumerationem, Expoſui breuiter.] Tranſitus ad alteram collationis partem per antitheſim, & locũ repugnantium, ad oſtendendam obiti magiſtratus indignitatem, ad hunc modum: Conſulis eſt, Senatuſconſulta tueri: At piſo contra ludos fieri, leges conuelli, & huiuſmodi alia paſſus: Metellus deſignatus Conſul obtinuit, ne ludi ſpectarentur: Piſo Conſul contra fecit, &c.

Compitalitij.] Hi ludi, qui à magiſtris uicorũ fiebant, Bacchanalia, & Collegia, & quicunque alij ludi, tumultum excitare poſſe uidebãtur, poſt nonum annum quàm prohibiti eſſent, per Clodium ſunt reſtituti. eſt autem res hæc ex admirabile euẽtu nata, ut ex Lexicis uidere licet. Helia & Fuſia.] Aſconius Pædianus hanc rem ampliſſime ſcribit. Pub. Clodius Tribunus plebis, Coſ. Piſone & Gabinio, quatuor leges in Reip. exitium tulit. quarum prima fuit Annonia: ut frumentum, quod antea ſenis æris ac trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur. Secunda, ne quiſquam magiſtratus impediretur, contra legem Eliam & Fuſiam: Pomponius Lætus Aliam uocat. harum monumenta extant apud Iureconſultos. Tertia, ut collegia & ludi reſtituerentur. Quarta, ne quem Cenſores in Senatu legenda præterirent, nẽue ignominia quẽpiam afficerent. Lex euerſa eſt. Legem euertere, antiquare, frangere, delere, conuellere

uellere, damnare, Cicero paſſim dicit. Porrò huius quoque his uerbis meminit Cicero in oratione de Aruſpicum reſponſis: Suſtulit, inquit, Heliam & Fuſiam, maxime Reip. ſalutares, cenſuram extinxit, interceſſionem remouit, auſpicia deleuit, Cōſules ſceleris ſui ſocios ærario, prouincijs, exercitu armauit: & quæ ſequuntur. Scribit idem amplius in oratione pro Seſtio, quem locum mihi ſatis eſt notaſſe, ne cōmentarijs onerem iuuentutē. In oratione quoque in Vatinium, conqueritur duas has leges indigniſſime eſſe conuulſas. Cum tu interim. Infert per locum repugnantium, ut dixi: quando boni Cōſulis eſt, ut refert Cic. in oratione pro C. Rabirio, cum cuncta Reip. auxilia labefactari conuelliq; uideat, ferre opem patriæ, ſuccurrere ſaluti, fortunisq; cōmunibus, ſalutem ſuam posteriorē cōmuni ducere. Scribit in hanc rationem Cicero in oratione quam habuit poſt reditum in Senatu: Domus ardebat, inquit, non fortuito, ſed oblato incendio. Conſules epulabantur, & in coniuratorum congratulatione uerſabantur, cum alter ſe Catilinæ delicias, alter Cethegi conſobrinū fuiſſe diceret. Buſtum.] Buſtum nūc exuſtum cadauer, nunc tumba & ſepulchrum Liuio ab urbe condita lib. 5. dicitur. Cic. in Phil. 1. Serpit, inquit, in urbe infinitum malum, idq; manat indies latius. ijdem enim in foro buſtū faciunt, qui antea ſepulturam in Senatu effecerant. Hinc buſtuarij, profecto temerarij homines, qui in defuncti honorem ante eius buſtum de uita dimicabant. Nondum quæ feceris, ſed quæ, &c.] Commonitio ſiue interfatio, qua trāſit ad criminationem Piſonis. Non dico.] Correctio, ad amplificandā indignitatem. Centum propè annos.] Clauſula per enumerationem. Nemo tam effuſe petulans.] Amplificatio nominis, augendæ indignitatis criminationisq; cauſa. Si pro Marco Cælio de Clodia: Vidua libere proterua, petulanter diues, effuſe petulans, &c.] Proſequere cōnexos hic funeribus, &c.] Funera uocat perturbationem Reip. grauemq; optimorū ciuiū diuexationem, cuius auctor fuit Pub. Clodius. Pro Aurelio tribunali, &c.] Amplificatio à ſeditione Reip. quam P. Clodius ſublato aditu Caſtoris, ac reuulſis gradibus cōcitauit. Scribit hāc rem amplius Cicero in oratione pro Domo ſua ad Pontifices: Cum uero, inquit, gradus Caſtoris conuelliſti ac remouiſti, tum ut modeſte tibi agere liceret, homines audaces ab eius tēpli aditu atque aſcenſu repuliſti? cum eos, qui conuentu utrorū bonorum uerba de ſalute mea fecerant, adeſſe iuſſiſti: eorumq; aduocationem manibus, ferro, lapidibus diſcuſſiſti: tum profecto oſtēdiſti, uim tibi maxime diſplicere? Eſt autem totius orationis decurſus uehementi inſectatione amplificatus. Cui templum illud fuit te Conſule arx ciuium perditorum.] Amplificatio κατὰ τὴν συνωνυμίαν, ut pluribus uerbis rei indignitatem demōſtret. Erat non ſolum domus mea, ſed totū Palatium, &c.] Altera collatio per antitheſim, ad exaggerandam Piſonis inhumanitatem. hiſtoria extat apud Plutarchum. Cui primam comitijs tuis dederas tabulam prærogatiuæ.] Hoc eſt, feceras poteſtatem, quem uellem, magiſtratum eligendi. Eſt enim prærogatiua, antelatio quædam. Nunquam aſpiraſti.] Reprehenſio abiectæ negligentiæ. Eſt enim aſpirare, leuiter contendere. ueluti ſi dicas, pigri ac tardi eſt ingenij, ad nullam eruditionem aſpirare. Mihi uero ipſi coràm, &c.] Grauis reprehenſio priuati facti, & cuiuſdā ueluti proditionis, ad Piſonis improbitatem coarguendam. Genero meo, propinquo tuo.] Cicero repudiata Terentia uxore, prædiuitē puellam in uxorem ſenex duxit: filiam ſuam, quæ prius Piſoni Frugi nupſerat, illo defuncto, in uxorem dedit Lentulo. Egere, foris eſſe Gabinium.] Hic poſtea urbe eiectus, atque [illegible]tus eſt. Sed à Senatu quidem deſperaſſe.] Deſperaſſe ab aliquo, & deſperare alicui, & deſperare aliquid dicimus. ut, Nemo ita deſpondere animum debet, ut fortunis deſperet. Vereor ne qui ſit.] Præcaſtigatio. iuxta illud: Fronti nulla fides. Meminiſtine cœnum?] Narratio ſordium & perfidiæ Piſonis, qua oppreſſus Cicero furori Clodiano ceſſit. eſt autem hic dictum ſine lædorium. Neſcio quo è gurguſtio te prodire, inuoluto capite, &c.] Extenuatio κατὰ τὴν μείωσιν ad augendam à loco inuidiam. Gurguſtium enim tugurium eſt, ex arundine & ſtraminibus compoſitum. Soleatum.] Sicut crepidas antea Senatores, mox Equites, Deorum milites habuerunt proprias: ita ſoleæ, id eſt, calciamenta, quibus plantarum calces teguntur, habenis iuncta, à patritijs & ſenatoribus ad mulieres ſunt reiecta, propterea quòd ſoleatum eſſe parum habebatur uirile. Cicero quoque in Philippicis, Verrem uocat ſoleatum Prætorem. Teterrimam nobis popinam.] Per metonymiam dixit, nidorē popinæ, in qua obſonia publice ueneunt. Ganea & ganeum idem dicitur. A. Gellius popinationem uocat, quam Cicero ſupra helluationem dixit. Et hinc popinones, quos uulgo hodie tabernarios uocamus. Inhalaſſes.] Onomatopœia, qua res ipſa fit dilucidior. Quid enim facere poteramus?] Parentheſis, ad declarandam rei turpitudinem. Idem illo ferè biduo productus in concionem ab eo, cui ſic æquatum, &c.] Obruit Piſoni obiectionem, per criminis tranſlationem: nempe, ſe Conſulē de inſidijs cōiuratorum ad Senatum retuliſſe: Senatum autem ſua auctoritate coniuratos damnaſſe. Productus in concionem.] Id eſt, longo comitatu deductus. Eſt enim multæ ſignificationis uerbum producere. nam producere uirginem, eſt proſtituere. hinc productores, hoc eſt, lenones. Donatus autem propriè rei uenales produci putat. & producere ſtudia, atque ſermones in multam noctem dicimus, &c. Grauis auctor.] Εἰρωνεία, ſiue illuſio. Colatinus credo aliquis, aut Africanus, aut maximus, &c.] Præclara horum omnium extant in rempublicam beneficia. Et non Cæſonius ſemiplacentinus Caluentius.] Hic Cæſonis cuiuſdam furaciſſimi hominis fuit filius, cuius filiā in uxorem duxerat quidam ex Piſonibus, unde hic productus eſt. Eundem in oratione Poſt reditum in Senatu habita, uocat Cæſonium Caluentium, ſine ſenſu & ſapore hominem. In oratione de Prouincijs Conſularibus, uocat Cæſonium Caluentium, niſi locus ſit deprauatus: Te enim, inquit, imperatorē infeliciſſimo & teterrimo Cæſonio Caluentio, ciuitas libera ſpoliata eſt. Eſt autem hic interpretationis locus à natalibus.

Reſpondens altero ad frontem ſublato, altero ad mētū, &c.] Hyperbolicos Piſonis habitum ac deformitatem deſcribit. Nā relatio illa ſalutaris & diligens fuerat Coſ.] Referre hoc loco eſt, conſultandi cauſa aliquid nunciare. Et referre prærogatiuam Cicero dixit, inter primos ſententiam dicere: Prius, inquit, quàm in nocentes animaduerteretur, referri de crimine ſolebat ad Senatum. quod ipſum iudicium ſequebatur, atque inde relatio. Quid enim interfuit inter Catilinam, &c.] Excurſus in ſcelera Catilinæ, Publij Clodij & Piſonis, per collationem.

Quē enim L. Catilinam, &c.] Confirmatio à ſignis, per antitheſim. Leges incendere.] Diſſolutum. hiſtoria uniuerſa extat apud Plutarchum. Non enim ſe tectis priuare noluerunt, &c.] Confirmatio à ſignis, per antitheſim. Huic enim populo.] Comprobatio collationis. Omnium gentium uictore.] Plin. lib. 7. cap. 26. Quod autem maius iudicium expectatis.] Probatio à ſignis, plena uehementiæ & affectionum, figuris quoque ad augendam facinoris indignitatem illuſtrata. Ex intermortuis Catilinæ reliquijs concitaſtis.] Amplificatio κατὰ τὴν ἑρμηνείαν, id eſt, interpretationē, tota patet ea. Sed iam redeo ad præclaram illam concionem tuā, &c.] Regreſſio ad intermiſſam concionem, Rhetores frequentationē uocant. Porrò Plutarchus in uita Ciceronis refert, Ciceroni reo præter equeſtrem ordinem ex Romana iuuentute uiginti millia mutato habitu, ac paſſis capillis adfuiſſe: Senatum quoque, ut ueſtem ueluti ex publica mœſtitia mutandam eſſe decerneret, à Piſone & Gabio Coſſ. prohibitum fuiſſe.

Locum hunc amplius tractat Cicero in oratione pro Pub. Seſtio. O noſter miſericors.] Exclamatio ironica. Quid facis?] Subiectio rhetorica. Omitto.n.illud Conſulem edicere, etc.] Occupatio, qua in crudelitatem Piſonis tāquam affectionibus impulſus digreditur, & rem uniuerſam collationibus locisq; Rhetoricis mirabiliter exaggerat. Quod ſi ueſtem non publico cōſ.] Fictio argumēti à minore. Cum illa ſaltatrice tonſa.] Scomma in profuſam, petulantem atq; abiectam Piſonis libidinem coniectū. Tonſum enim eſſe in delitijs nuper haberi cœpit, cum anteo ad Vrbis conditæ annum quinquageſimū quartum ſupra quadringenteſimum populus Romanus fuerit intonſus.

At quærebas etiam paulo ante de me, quid ſuo mihi opus fuiſſet auxilio?] Alterius obiectionis confutatio, plena affectionū & indignationis, à cauſis ducta: Non Clodianorum furori ſe ceſſiſſe, ſed communi ſe omnium ſaluti conſeruaſſe. Erat huius rei orgumētum in oratione, quam habuit, antequam iret in exilium Cicero. Ego iſtius pecudis ac putridæ carnis conſilio, &c.] Σαρκασμὸς, hoc eſt, amarulentus riſus, in ſcommate & ironia poſitus. Conſulem, inquom.] Copula, elegans in primis figuro od deſcribendam hominis naturam. Cum enim eſſet omnis cauſa illa mea.] αἰτιολογία, à cauſis & circūſtantijs ducta. Alia.n.cauſa præſtantiſſimi uiri Q. Metelli fuit.] Ab exemplo amplificat per locum comparationis, ad diluendā reprehenſionem. Metellus.n exilium, miſerrimiq; mortalis infeſtum caſum ſubire maluit, quàm in Gracchorū leges iurare, cū Apuleius Saturninus Mario Conſule confiſus iuramentum retractantibus aqua & igne interdicturum ſe minaretur. Scribit hanc rem amplius App. lib. 1. Bellorum ciuil. Plutarchus in Mario, Plin. de Viris illuſtribus, Valeriūs, & Oroſius cap. 17. Florus libro. 3. cap. 16. An cum altero barboto Epicureo?] Cicero quoque in oratione Poſt reditum in ſenatu habita, & ferè paſſim, Piſonem uocat Epicureum, uoluptatis uocabulo captum. Neque Collegæ tui cymbala ac crotala fugi.] Reprehenſio ab habitu effœminato, & luxurioſo. Vt qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reip. nauem gubernaſſem.] Illuſtris & inſignis metaphora. talis eſt & illa eiuſdem in oratione pro P. Seſtio, Difficile eſt clauum tanti imperij ſuſtinere, & gubernacula Reip. tractare in maximo curſu & fluctibus. Explicat aūt inſignem quoq; hic locum cōmunem Cicero, quo indicat ſapientis eſſe non cum cuilibet pernicioſiſſimi hominis furore confligere, ſed cōmuni ſaluti ſeruire, & tāquam tempori, ſi ita Reip. dignitas poſtulet, credere. Neceſſe enim eſt, inquit in Philippica decima, in tanta concurſione perturbationum rerum temporibus potius parere, quàm moribus. Cū omnes boni abditi incluſiq; mœrerent.] Amplificatio crudelitatis Piſonis per hyperbolen, tota pathetica. Quid ego illorum dierum epulas, &c.] Amplificatio indignitatis à temporis ratione ducta, ad augendā inuidiam. Facit autem eam uehementiorem erotemate Rhetorico, cæterisq; figuris. Totus ſanè locus de epulis et cōgratulationibus Piſonis & Gabinij, ampliſſime exponitur in oratione Ciceronis pro Pub. Seſtio: quem hic repetere, ne adoleſcentiam onerem, prudens nolui, contentus locum indicaſſe. Rotam fortunæ pertimeſcebat.] Hanc pulchre deſcribit Boetius lib. 1. mero 5. & lib. 2. metro 1. de Conſolatione philoſophica. Valer. Max. libro. 4. & 8. Seneca paſſim in Epiſtolis, Quintus Curtius de Geſtis Alexandri lib. Taxat autem exiliū Gabinij, in quod grauiſſimis criminibus oppreſſus poſtea actus fuit. Quaſi aliquod Lapitharum aut Centaurorum conuiuium.] Cōparatio ad deſcribendam conuiuiorum importunitatem. Tu etiam mentionē facies conſulatus tui?] Amplificatio per locum cōmunem de officio ac dignitate cōſulatus, omnibus circunſtantijs mirifice expolita. Probat autem, nullo Conſulis officio uſum fuiſſe Piſonem, argumentatione per ſubiectionem. Conſilio, fide.] Diſſolutum. Ego Conſulem eſſe putem, qui Senatum eſſe in Repub., &c.] Definitio Conſulis ab officijs. Sine quo Romæ ne reges quidem eſſe potuerunt?] Magna iam inde à naſcente Romani populi imperio fuit Senatus maieſtas: quam læſam ac conuulſam à Piſone eſſe, pleriſque in locis ſcribit Cicero. nam Senatores, ut ſcribit Feneſtella & Pomponius Lætus, à Romulo electi centum, qui & Patres ab ætate & ſapientia, & poſtea Patritij quoq;, ab Athenienſibus, & Lacedæmonijs Senes, à peregrinis Principes ſunt appellati. Qui poſt illos centū Senatui adſcripti ſunt, Patres Conſcripti oppellabantur. Quod igitur Tarquinius Romanus rex pleraque multa inconſulto Senatu decreuiſſet, tyrannus appellari cœpit. adeo magni fuit facinoris, Senatus lædere maieſtatem: cuius tamen criminis non puduit Piſonem. Etenim illa iam omitto, cum ſeruorum delectus, &c.] Occupatione rhetorica repetit turbatæ atque afflictæ Reip. incōmoda, à Clodianis, præcipue Conſule Piſone inuecta. locus paulo ante notatus. Atque à Catilina præuaricatore quondam.] Catilinam repetundarum reum, primo accuſatore Pub. Clodio, poſtea uero præuaricatore, iudicibus corruptis abſolutū eſſe, ſcribunt Plutarchus & Aſconius Pædianus. Vlpianus titulo Ad ſenatuſconſultum. Turpil. ff præuaricatorem uocat qui ſua cauſa prodita, partem aduerſam iuuat. Cum equites Romani relegarentur.] Συναθροισμῷ explicat atque congerit impeditæ Reip. incommoda. Cum ciuis is, &c. Loquitur de ſeipſo. Qui latrones igitur, ſiquidem uos Conſules.] Enthymema à repugnantibus. Magnum nomen eſt, magna ſpecies.] Ἐπιφώνημα figuris illuſtratū. Seplaſia me Hercule ut dici audieb.i.] Extenuatio per tapinoſin à loco. Erat enim Seplaſia platea, in qua (referente Aſconio Pædiano) unguentarij negotiabantur. Audierat Decios, Magios, &c.] Locus collationis, ab exemplo. Nam olim Capuæ magna ingenij rerum geſtarum gloria floruerunt Magij, Taurea, Tarbellius, & cæteri: præcipue tamē Decij, qui ſe pro Rep. Dijs manibus deuouerunt. Hiſtoriam ſcribunt Valerius Max. lib. 5. cap. 6. Plin. libro. 22. cap. 5. Natural. hiſtoriæ. Plin. de Viris illuſtribus cap. 26. Auguſtinus de Ciuitate Dei, lib. 4. cap. 20. Cic. quoque lib. offic. 3. Et fluentes ceruſſatæq; buccæ.] Ceruſſa pigmētū eſt, quod Græcis pſymithion dicitur. fit autem ceruſſa, auctore Vitruuio ex maſſis plumbeis in acri aceto ſolutis. Erant illi compti capilli.] Proſopographia ab abſurdo. Nam hæc quidem quæ nunc eſt.] Præcaſtigatio ad deprecandam inuidiam. Me inaurata ſtatua donarant.] Altera cōparationis pars, qua uirtutis ſuæ cōmendationem συναθροισμῷ expolit. Hiſtoria narratur in uita Ciceronis apud Plutarchum. An tu eras Conſul, cum in Palatio, &c.] Amplificat diſputationem de Officio Conſulis à circunſtantijs, & Reip. incōmoda criminoſe explicat. Fit autem tota oratio erotomate, epanaphora, antitheſi ab abſurdo, cæteriſq; figuris cōcitator. Sedebas non extinctor, ſed auctor incendij.] Auxeſin abſurdi per epanorthoſin, id eſt, correctionem. At ne tum quidem emerſiſti lucul ente Cæſoni, &c.] Amplificatio ab ijs turbis, quæ obortæ ſunt referente Cn. Pompeio de reuocando Cicerone. Vſus autem eſt metaphora, Emerſiſti, apta rebus nilioribus, referente alicubi Donato. nam Terentius, emergere ex malis dixit. Cum tamen ille. qualiſcunque eſt, qui eſt ab uno te, &c.] Collatione auget inuidiam Piſonis, quòd Conſul in rep. audaciā inualeſcere, æquitatem opprimi ſuſtinuerit: cum tamen proprium ſemper Cōſulum habitum iam inde ab Vrbe cōdita ſit uidere, ne quid detrimenti Reſp. caperet. Cæterum colligere ſe, paſſim Ciceroni is dicitur, qui ex animi perturbatione, qua antea permotus fuerat, in priſtinam alacritatem ſe uindicat. hinc colligere gratiam, optimorum hominum amicitiam ac beneuolentiam, &c. uenuſte dicimus. Ad extrēmū tamen pro Cn. Pompeio uere uehementerq; pugnauit.] Cum Publius Clodius urbe tota latrocinij uim exercens, Pompeij acta reſcindere conaretur, prouocatus Pompeius cum uniuerſo Senatu

aduerſus

*aduerſus Clodianum impetum, de reſtituendo Cicerone referre cœpit. orta igitur funeſta ſeditione, ſaucijs tribunis, colliſis etiã ex ſenatorio ordine multis, Gabinius & potior plebis pars ad Põpeij Senatuſq́; auctoritatem deſciuit, lætiſq́; acclamationibus Ciceronis reſtitutionem approbauit. auctor Plutarchus in uita Ciceronis.* Vter eorum pugnaſſet, tanquam laniſta. ] *Comparatione illuſtrat orationem.* Eras ipſe ſceleratus, erat gladiator. ] *Conceſſio, cum repetitione.* Tu ſcilicet homo religioſus, & ſanctus, &c. ] *Ε'ιρωνεία.* In pactione prouinciarum. ] *Scilicet Macedoniæ, et Siciliæ.* Cauerat enim ſibi ille ſororius adulter. ] *Paſſim in orationibus Cicero, etiam lib. Epiſt. 1. Plutarchus quoque Pub. Clodio cum ſorore ſtupri cõmercium fuiſſe ſcribunt.* Fracti faſces. ] *Id eſt, oppreſſa Senatus auctoritas.* Equis auditis, non modo actionem aliquam, &c. ] *Clauſula per interrogationem inſtandi.* Conſulem tu te fuiſſe putas? *Amplificatio à perſona Pompeij, cum exaggeratione oppreſſæ dignitatis.* Qui omnis omnium gentium partes tribus triumphis deuinxerat. ] *Plutarchus in uita Pompeij ſcribit, Cn. Pompeium primum ex Africa, ſecundum ex Europa, tertium ex Aſia triumphum, quaſi ex uniuerſo orbis ambitu duxiſſe. Eius geſta narrat Plinius in Natural. hiſtor. lib. 8. cap. 16. Plin. cap. ult. de Viris illuſtrib. Cic. in oratione pro L. Manilia, Florus lib. 3. cap. 5. Lucanus lib. Pharſal. 2.* An cum eratis Conſules, cum quacunque de re uerbum facere, &c. ] *Amplificatio à lege, per Pub. Clodium Tribunum plebis lata, qua Ciceroni in fugam conuerſo aqua & igni interdictũ eſt, edictumq́; ne intra quingenta milliaria Italiæ tectis exciperetur. auctor Plutarchus.* Quæ lex priuatis hominibus eſſe lex nõ uidebatur. ] *Auget legis indignitatem, argumento à minori.* Nam ſi illam legem non putabatis, &c. ] *Probatio per dilemma ſiue complexionem, qua utrunque remouetur.* Aſtricta ſcelere. ] *Aſtringere eſt ſe deuincire. nam aſtringere ſe ſcelere, Cicero in orationibus dicit, pro inquinare. & aſtringere alij ſuam fidem, id eſt promittere. Plautus dixit aſtringere ſe furti, hoc eſt, rem furtiuã occupare.* An cum proficiſcebamini paludati in prouincias uel emptas, uel ereptas. ] *A' profectione Piſonis in prouinciam poſt Conſulatum amplificat, per comparationem. eſt autem hic locus grauiſſimæ inſectationis plenus.* Tu'ne etiam immaniſſimum ac fœdiſſimum monſtrum auſus es, &c. ] *Refellit Piſonis maledicta, per inuerſionem Rhetoricam. ſcribit hanc rem amplius Cicero in oratione ad Quirites poſt reditum.* Tu luctum Senatus, tu deſiderium equeſtris ordinis. ] *Explicat Reipublicæ uulnera Clodianis furijs inuſta, per σωματοποιῶν.* Qui ſi calamitoſiſſimus fuiſſet, tamen, &c. ] *Fictio per conceſſionem, ad renouandam inuidiam.* Tum uero forſitan hoc quod dicturus ſum, mirabile auditu eſſe uideatur. ] *Παῤῥησία, apta figura conciliandæ fidei atque auctoritati, ſub qua tamen ſæpe latet aſſentatio, ac quædam etiam ingenij iactatio.* Atque ut tuũ lætiſſimum diem cum triſtiſſimo meo conferam. ] *Comparatio, collecta in locum honeſti.* Sed perge porro. ] *Continuatio, ſiue frequentatio de ſui reſtitutione, omnibus locis amplificata.*

Quæ in te dedecoris plena. ] *Antitheſis.* Nõ, ut tu nuper dicere auſus es. ] *Correctio per nominis interpretationem, ad reuellendam Piſonis obiectionem.* Quaſi ſigno dato. ] *Alludere uidetur ad morem Romani populi, qui in maximis Reipublicæ motibus, duo uexilla ex Capitolio proferebat, quorum altero purpureo pedites, altero cæruleo equites ex agris locisq́; finitimis reuocabantur. Vtitur ſimili locutione in oratione pro M. Marcello.* Præter unum Prætorem. ] *Appium Claudium ſignificat, fratrem P. Clodij.* Præterq́; duos de lapide emptos Trib. plebis. ] *Tribunos plebis intelligit Statilium Serranum, & Q. Numerium. qui erant uitæ ac infamiæ turpitudine affecti, & maximis largitionibus corrupti. Habet autem prouerbij ſpeciem hæc locutio, quam alij ad præconis lapidem, ad Tarpeiam uero alij referunt, ex qua nocentes præcipites dabantur.* Comitijs Centuriatis. ] *In quibus populus in centum turmas diuiſus, ex ſexu & ætate ſuffragium ferebat.* Et quod in honoribus noſtrorum propinquorum non factis. ] *A' maiori.* Confer nũc Epicure noſter. ] *Alia comparatio, qua ſuum exilium cum Piſonis abſentia confert, qui locus grauiſſimam criminationem habet.* Ex hara producte. ] *Ex hara productum, prouerbiali figura dicimus, referente Eraſmo, ſi quid indoctum ac illiteratũ notemus.* Obtinuiſti prouinciam conſularem. ] *Macedoniã.*

Quas res geſſiſti in imperio. ] *Ab ijs quæ impotenter, cupide & pernicioſe geſta ſunt à Piſone. eſtq́; hic ſubiectio.* Nondũ cõmemoro rapinas. ] *Occupatione explicat ſcelera Piſonis.* Mox ſi uidebitur. ] *Α'ποδίωξις, id eſt, reiectio.* Non cædem hoſpitum. ] *Maximi ſemper ſceleris fuiſſe ius hoſpitij uiolare, ſatis declarat Homerus.* Nunc meam ſpoliatam fortunam. ] *Propoſitio alterius comparationis, qua Piſonis exiſtimatio ob res turpiter geſtas, uehementer eleuatur.* Hic Vulturius. ] *Vulturium appellari à Cicerone inuidioſo uocabulo puto Piſonem, quaſi rapacem, & fortunæ alienæ appetentem, ſumpta à natura uulturis metaphora. Idem in oratione pro Seſtio, Vulturios uocat Piſonem & Gabinium: Exierunt, inquit, malis ominibus atque execrationibus duo Vulturij paludati, quibus utinam euenissent ea quæ tum homines precabantur.* Si Dijs placet. ] *Ironia.* Paule noſter. ] *Aſconius Pædianus Paulum Africani filium ſignificari putat. Is enim ex Macedonia triumphum retulit. eſtq́; & hic ironia.* Niſi, inquit. ] *Sermocinatio.*

Nihil enim mea refert. ] *Reiectio per reprehenſionem conſilij Piſonis.* Quem deleueras. ] *Epanaphora, Similiter deſinens, incrementũ.* Atque haud ſcio an malim. ] *Senſus huius orationis eiuſmodi declaratur dilemmate, ſiue argumentatione à remotione. Literæ aut ſunt miſſæ, aut non ſunt miſſæ. Si miſſæ ſunt, damnatas eas à multis eſſe oportuit. Si non miſſæ, in cauſa fuit, ſcelerum tuorum conſcientia. Eiuſdem igitur ſceleris eſt, aut impeditum te in literis mittendis fuiſſe, aut pudẽtẽ in ſupprimendis.* Quod ſi non tuis nefarijs. ] *Obliquam enumerationem partium per remotionem habet hæc inſtandi interrogatio, ut probet per locum cauſarum, literas non eſſe miſſas.*

Tu uero qui ad Senatum nihil ſcripſeris. ] *Amplificatio per collationem Gabinij & Piſonis, ad utriuſque ſcelera deſcribenda.* Natus abdomini ſuo. ] *Is dicitur, qui uoluptatum illecebris irretitus, in omnem libidinum turpitudinem ſe inuoluit. Nã abdomen pinguedo eſt, quæ ab ilijs ac pube ſurſum uerſus ad præcordia tendit. metaphoricos pro luxuria & libidine uſurpatur. Facit ſanè orationem figuris concitatiorem, ad mouendos affectus.* O' dij immortales. ] *Exclamatio indignitatis.* Voragines ſcopuliq́; Reip. ] *Metaphora, plena inuidia.* Cum de me ea Senatuſconſulta. ] *Collatio.* An ego, ſi te & Gabinium. ] *Digreditur in locum cõmunem, & Philoſophorum more diſputat de infamia ac ſcelerum turpitudine, de innocentia animiq́; uirtute, quæ ſupplicio expugnari nõ poteſt. Facitune huc pulchre, quæ idem Philippica undecima ſcribit: Nam quo, inquit, maior uis eſt animi quàm corporis, hoc ſunt grauiora ea quæ concipiuntur animo, quàm illa quæ corpore. Miſerior igitur, qui ſuſcipit in ſe ſcelus, quàm is qui alterius facinus ſubire cogitur. Virtutis uero uim immenſam ac immortalem his uerbis idem deſcribit in oratione pro Pub. Seſtio: Virtus magnitudoq́; animi in tempeſtate quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, atque hæret in patria, ſplendetq́; per ſe ſemper, neque alienis unquam ſordibus obſoleſcit.* Nullum eſt ſupplicium putandum. ] *Confirmatio per locum communem, quem ampliſſime Cicero tractat in Tuſculanis quæſtionibus.* Atque hoc quidem etiam iſti tui dicunt, &c. ] *Locus à pronunciato Epicureorum.* Audis in præſepibus. ] *Præſepes, hoc in loco lupinaria dicũtur. eſtq́; repetitio.* Sed dicunt ipſi. ] *Expolitio*

*ſententiæ Epicureorum, quam in Paradoxis, & libris de Finibus bonorũ & malorum, deſcribit amplius.* Etiamſi in Phalaridis tauro. ] *Phalaris Agrigentinorum tyrannus, in tauro æneo à quodã Perillo ædificato, ſontes concremabat, nouo uidelicet ſupplicij exemplo.* Tantam uirtutis eſſe uim uoluerunt. ] *Epiphonema.* Quæ eſt igitur pœna? ] *Subiectio, qua pœnæ uocabulum deſcribit.* Nec mihi ille M. Regulus. ] *Confirmatio ab exemplis. Hiſtoriam deſcribit in Tuſculanis quæſtionibus & Paradoxis Cicero, Valerius lib. 1. de Cultu Deorum. Tuditanus, Aul. Gellius lib. 6. cap. 27.* Nec C. Marius. ] *De C. Mario, qui magnis ſæpe rerum motibus Remp. liberauit, atque ad poſtremum, ut Syllæ uictoris infinitam ſæuitiam deuitaret, mortem ſibi conſciuit, uide Valerium Maximum lib. 1. cap. 5. & Plutarchum in uita Syllæ. Florum lib. 3. cap. 21. Ciceronem in Paradoxis, & lib. 2. Tuſc. quæſt.* Thyeſtea iſta execratio eſt. ] *Prouerbij figuram habet. Erat enim Thyeſtes Pelopis filius, maledicentiſſimus poeta, & in execrationibus profuſus inhumanus.*

Vt ait ille. ] *Ennium poetam ſignificat, qui eiuſmodi carmina in fabulã de Thyeſte retulit. ea carmina refert & Cic. lib. Tuſc. quæſt. 1.* M. Marcellus. ] *Hic Marcellus, referẽte Aſconio Pædiano, quintum Conſul, Syracuſas uicit, extinctus naufragio apud Africam, paulo ante bellum Punicum tertium.* In fortuna quadam. ] *Epiphonema.* Quæ eſt igitur pœna? ] *Redit ad inſectationem per argumentationem, quam Subiectionem Rhetores uocant.* Ecce duos duces in prouincijs. ] *Locus attentionis ab indignitate ac nouitate neglecti magiſtratus.* Sic fuiſſe infirmatum. ] *Fractum, impeditum, oppreſſum. illuſtris metaphora.* Ex qua prouincia modo uir omni dignitate ornatiſſimus. ] *Ab exemplis. Hiſtoriam deſcribunt præter Plutarchum, Plinius de Viris illuſtribus, cap. 28. Liuius lib. 7. ab Vrbe condita, Aul. Gellius. cap. 13. libri noni. Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. Eutropius lib 2. cap. 1. Florus 1. Mihi enim, ut conſtitui, ſatis eſt locum indicaſſe, quem diligens quiſque lector inueſtiget.* Ab altero allatæ literæ. ] *Diſſolutio.* Dij immortales. ] *Exclamatio, qua ſimul pœnam, quam Piſoni & Gabinio imprecatus fuerat, interpretatur uehementi & omnibus figuris illuſtrata oratione, ad cõmouendos affectus.* Et genere uerborum. ] *Nomen Imperatoris olim Prætoribus magnarum laudũ titulus fuit: poſtea illis accõmodatum, quorum auſpicijs, parta pace, & imperio aucto, decem aut undecim millia hominũ uno prælio cecidiſſent. Sic Metellus, ſic Cicero profligatis apud Amanum Parthis, Imperator eſt appellatus. Quod ideo hic ſubieci, adoleſcentiæ ſtudijs ſeruiens, quia paulo ante Cicero uocauit ironicos Imperatorem ipſum Piſonem, cuius nulla præclara in Rempub. extant beneficia.* Qui uos non oculis fugiat. ] *Iucundã facit orationem periphraſi & diſſolutione.* Hæc ego ſemper de nobis. ] *Clauſula.* Plura enim acciderunt. ] *Amplificat pœnam, commemoratione rerum in prouincijs à Piſone & Gabinio geſtarum. Porrò, optare noue dixit, pro imprecari.* Me tamen fugerat Deorum immortalium. ] *Locus cõmunis, quem his uerbis explicat Valerius Maximus: Lento gradu, inquit, ad uindictam ſui diuina procedit ira, ſed tarditatem ſupplicij grauitate compenſat. Similis ferè eſt apud Liuium lib. 3. ab Vrbe condita.* Nolite enim putare P. C. ] *Interpretatur illorum factũ, mentis inſaniam, deſcribitq́; exemplis ſcenicis. Eſt autem in primis uenuſta Quintiliani in hanc rationem ſententia, lib. Inſtitutionum oratoriarum 12. cap. 1. Nihil eſt, inquit, tam occupatũ, tam multiforme, tot ac tam uarijs affectibus conciſum atque laceratum, quàm mens mala. Nam cum inſidiatur, ſpe, curis, labore diſtringitur. & iam cum ſceleris compos fuerit, ſollicitudine, pœnitentia, pœnarum omnium expectatione torquetur. Similis eſt apud Ciceronem in oratione pro Milone, item Iuuenalis Satyra decimaquarta. Huc pertinet locus Ciceronis in oratione de Aruſpicum reſponſis: À Dijs, inquit, immortalibus quæ eſſe pœna maior poteſt furore atque dementia? niſi forte in Tragœdijs, quos uulnere ac dolore corporis cruciari ac conſumi uides, grauiores Deorum immortalium iras ſubire, quàm illos, qui furentes inducuntur, putas, &c.* Mitto. ] *Occupatio.*

Dimittendi uero exercitus. ] *Erotemate taxat furorem Piſonis.* Si familiam tuam dimiſiſſes. ] *Exaggerat facti turpitudinem, indignitatemq́; dimiſſi exercitus, à minore.* Ecce tibi alter. ] *Collatio, qua Gabinij furorem ſignis & rebus turpiter atque auare geſtis comprobat. Amplificantur autem omnia epithetis & circunſtantijs.* Ad hunc Tuſculanum montem. ] *Hyperbolicos inſanas Gabinij ſubſtructiones, ædificationesq́; immenſas deſcribit.* Regi Aegyptio uendidit. ] *Ptolemæus Gabinium conſularem uirum in Syriam profectum, ut tranſportato in Aegyptum exercitu, regnum ſibi reſtitueret, ingentis pecuniæ pollicitatione adegit. Plutarchus in uita Marci Antonij.*

Quam prouinciam Pub. Lentulus. ] *Ab exemplo.* Interpoſita religione. ] *Interpoſita religio, ueluti mali ominis metus, prohibebat quidquam noui fieri. Hinc Gellius religioſos dies lib. 4. uocat nefaſtos, & ominis funeſti ſuſpicione infames, quibus uetabatur rem ſacram aut nouam fieri.* Sed quoniam fortunarum contentionem facere, &c. ] *Tranſitus à fortunarum collatione, ad utriuſque reditus comparationem.* Vt à Brundiſio. ] *Ciuitate Italiæ.* Neque in municipium. ] *Colonia ſic differt à municipio, quòd illa ex ciuitate aliò traducitur: Municipes aliunde in ciuitatem ueniũt, ſuumq́; ius proprium habent: excludebanturq́; à magiſtratibus & ſuffragationibus.* Neque præfecturam. ] *De præfecturæ origine & dignitate multa cõmemorantur apud Alexandrum ab Alexand. Genialium dierum lib. 6. cap. 20.* Templa lætari. ] *Hyperbolicos omnia auguſtiora illuſtrioraq́; facit.* Quod ante me nemini. ] *Hoc nouum ac uni Ciceroni contigit, quòd diruta eius domus, incenſa ac conſecrata, ſumptu publice fuerit ædificata, cum tamen multis ante ætatibus (ut ſcribit Aſconius Pædianus) Valerio Maximo M. Valerio Publicolæ, & Antiochi filio obſidi, Murrhinæ cæteriſq́; de ciuitate bene meritis uiris domũ populus R. ædificauerit.* Habes reditũ meum. ] *Cõmonitio, qua tranſit ad alterã contentionis partem, de reditu Piſonis.* Præter os illud priſtinum tuum. ] *Metonymia.* Quos tu Mæandros. ] *Ἑρμηνεία, Id eſt interpretatio, apta rebus augendis, cui ſubijcit antitheſim, ad deſcribendum fœdiſſimum Piſonis reditum, plenũ probri ac infamiæ.* O familiæ, non dicam Calphurniæ. ] *Exclamatio ad augendam indignitatem Piſonis, cuius abiectionem familiæq́; deprauationẽ taxat, correctione rhetorica.* Sed quid ego enumero. ] *Correctione ſui pulchre diſſimulat animum, ex ſingulari Piſonis odio laborantem: & inuidiam uehementius auget.*

Tegulæ lictoribus. ] *Auxeſis inuidiæ, ab habitu.* Sic iſte tanto exercitu. ] *Epilogus paruus.* At audiſtis P. C. ] *Reuellit, atque exagitat Piſonis uocem, ac Philoſophorum more diſputat de gloria ac laudis ſtudio.* O ſcelus. ] *Exclamationibus irrumpit in affectus.* Cum extinguebas Senatum. ] *Amplificat Piſonis ſcelera, per ἑρμηνείαν.* Hoc modo Decimus Syllanus. ] *Confirmatio ab exemplo.* Quod ſi te Senatus populusq́; R. ] *Epicherema rhetoricorum quinque partium, in hunc ferè ſenſum conectum: Nemo ſuſcepto bello triumphi honorẽ deſpicit, niſi prædæ cupiditate ducatur. cui αἰτία, hoc eſt, ratio additur, ac deinde aſſumptum ſiue medium: Sed Piſo triumphũ contempſit. eſtq́; hæc pars amplificata expolitione, more rhetorum. ſequitur poſtremo concluſio: Ergo, &c. Notaui hoc argumentum, ut iuuentus diligenti animi iudicio obſeruet, quã artificioſe Rhetores ipſam dicendi artem ſæpe diſſimulent, quo facilius in quam uelint ſententiam animiq́; habitum auditores trahant.* Nam ut leuitatis eſt. ] *Ratio, ſecunda Epicherematis pars, per locum communem. Nullam (inquit Cicero in oratione pro Archia poeta) uirtus aliam mercedem laborum periculorumq́;*

culorumq; deſiderat, præter hanc laudis ac gloriæ. Extant ſimiles ſententiæ in oratione pro Milone, apud Valerium Maximũ libro.7 cap.15. Cum uero non modo non poſtulante atque cogente.] Aſſumptum, ſiue medium, quo colligit ac interpretatur, Piſonem in adminiſtranda Macedonia, rebusq; ſuſceptis nihil ſpectaſſe, præter prædæ ac rapinarum cæcam cupiditatem. Hanc rem amplius in oratione poſt reditum in Senatu habita ſic deſcribit, ut ſignificet Gabinio Syriam, Piſoni Macedoniam à Pub. Clodio Tribuno plebis datam eſſe, ut illius furori Conſules omnia permitterent, illi manum, copias, illi paratos Cẽturiones compararent, illum ſceleratis concionibus ſubleuarent, Senatus auctoritatem irriderent, Equitibus Romanis mortem proſcriptionemq; minitarentur, ſibi uero Ciceroni cædem et dimicationem denunciarent. Et paulo poſt eadem in oratione ſcribit, Piſoni Campano conſuli à Clodio condonatam eſſe totam Achaiam, Theſſaliam, Bœotiam, Græciam, Macedoniam, omnemq; Barbariam: Gabinio uero Syriam, Babylonem, Perſas, integerrimas pacatiſſimasq; gentes ad diripiendũ traditas. Extat inſigne auaritiæ exemplum de Piſone, in eadem oratione. Non eſt integrum Cn. Pompeio.] Expolitio à contrarijs bonorum exemplis, tota ironica: hiſtoriam de Pompeij triumpho ante notauimus. Pub. Seruili.] Hic in bello Piratico Iſaurum oppidum flumine, quo hoſtes aquabantur, auerſo, ad deditionem cõpulit. Plutarchus in uita Pompeii, Plinius cap. ultimo illuſtrium uirorum, Sextus Ruffus, Valerius Maximus cap. 5. libri octaui, Eutropius cap. 1. libri ſexti. De Curione item multa extant apud Plutarchum in uita Pompeij Cæſarem in Cõmentarijs, Flor. lib. 4. cap. 2. De Camillis & Paulo, iam ante diximus. O ſtultos Camillos.] Exclamatio ironica. Iſtorum amborum conſulum.] Ex hoc loco quoq; apparet, orationem hanc eſſe habitam Cn. Pompeio & M. Craſſo ſecundum Coſſ. Porrò Pompei pater bello Italico de Picentibus, Craſſi pater ante bellum Italicum de Hiſpanis triumphauit. Quid ceſſat hic homulus.] Tapinoſis, ad exagitandam Piſonis diſputationem, ab exemplo C. Cæſaris. Fertur ille uir.] Ἐρμηνεία, cum diſſolutione. Flagrat.] Metaphoricũs, id eſt, ardet. ut Voluptuarij homines graui ubiq; flagrant infamia, hoc eſt, male audiunt. Flagrare literarum ſtudio, flagrare infamia, ad Atticum dixit Cicero, pro uehementer inſanire, flagrare deſiderio patris.

Incenſam illius cupiditatem.] Superlatio. Reſignas.] Metaphora. Volitantem gloriæ cupiditate.] Volitare proprie eſt diſcurrere. hic metaphoricũs dixit pro æſtuare. Geſſit autem hoc in loco orationis copia Cicero, ut ferri, flagrare, ardere, incendi, uolitare gloriæ cupiditate: adeoq; locus uniuerſus in ironicas antitheſes eſt coniectus. Dices enim.] Proſopopœia, id eſt, ſermocinatio, uenuſtum ſchema, & ad exornandam ſententiam, & ad exprimendam impudentem ac illiberalem Piſonis orationem. Vt noſter ille diuinus dixit Epicurus.] De Epicureorum & Stoicorum controuerſia, multa ſcribit Auguſtinus lib. de Ciuitate Dei 8. cap. 1. & Cic. lib. 3. Tuſc. quæſt. Vertes te ad alteram ſcholam.] Id eſt, diſputationẽ. Figura eſt metonymia. Quid tandem habet iſte currus?] Deſcriptio triũphi, quam uide apud Alexandrũ ab Alex. Genial. dierum lib. 6. cap. 6. Macedonicam lauream.] Corona triumphantibus antea dabatur ex myrto, referente Maſurio: mox lauro plexa, propterea quòd laurus nullo fulmine afflaretur: poſtremo ex auro. ſed eam ſeruus eodem in curru ſupra triumphantis uerticem tenebat; ut humanæ fragilitatis memoria atque exemplo triumphantis frangeret inſolentiam. Magnam autem hic locus habet extenuationem Lucij Piſonis, quòd ſe ad omnem honoris abiectionẽ morumq; deprauationem dimiſerit. Notabit quoque iuuentus inſignem & in primis elegantem dictionem, Ex hac die biduo ante, &c. Ad Aerarium.] Hunc morem ſeruatum fuiſſe Romanis, refert amplius in Annotationibus in Pandectas Budæus. Quas rationes ſi cognoris.] Piſonis egeſtatem deſertam atque nobilitatam paupertatem, uoluptatum ſordibus contractam, taxat ſcommate ac ioco amarulento. Legi autem debet οἴχεται, id eſt, abijt, exceſſit, non extat. Verba ſunt Plauti in Trinummo, à Cicerone traducta. Hac tu oratione.] Redit ad inſectationem, & rem exaggerat exclamatione plena indignitatis atque reprehenſionis, cum dicit: O tenebræ, ò lutum, &c. Paterni generis.] Hoc eſt, familiæ Piſonis Frugi, quæ ornatiſſima habita ſemper fuit, ut ante notauimus. Neſcio quid.] Diminutio. Mediolanenſi præcone.] Comparatione exagitat Piſonis turpitudinem.] Præconis enim erat, ad comitia conuocare Quirites. quod quoniam uile atq; abiectum habebatur, dari plerunque ſemper ſolebat libertis, quemadmodum etiam munus apparitorum. L. Craſſus.] Amplificat ab exemplis. L. Craſſi nimia potentia, ac quædam maior etiã triumphi cupiditas, quòd illius collegæ Q. Scæuolæ pontifici foret ſuſpecta, impedita eſt ſenatuſconſulto. Quòd uero dicat, ſpiculis propè ſcrutatus eſt Alpes: ſignificat, quantum ille laboris ac ſtudij impenderit rebus præclare gerẽdis, ſpe maxime triumphi, cuius honorem abijcere uidebatur ac ſpernere Piſo. Eadem cupiditate.] C. Cotta inſignis orator, ante triumphi diem ex reſciſſa cicatrice mortuus eſt, auctore Aſconio Pædiano. M. Piſo uero orator, de Hiſpania triumphauit. Tu eruditior.] Cõcluſio epicheirematos, per ironiam. Iam uides.] Epilogus prioris diſputationis, cum enumeratione; qua tranſit ad priuata & domeſtica Piſonis uitia, quibus omnium in ſe ciuium odium concitauit. Age Senatus odit te.] A ſignis & cauſis, tanquã inductione uſus Rhetorica colligit, quãto odio omnium penè ordinum laboret Piſo. Obſeruabit autem iuuentus, quanta orationis copia ac diuina quadam ubertate rẽ uniuerſam illuſtret Cicero. Senatus, inquit, odit te, Equites Romani uidere nõ poſſunt, plebs perditum cupit, Italia execratur. Multum iuuabit, hæc diligenti animi iudicio ad imitationẽ Latinæ linguæ obſeruari à iuuentute, quæ plurimum ſtudij atque induſtriæ impẽdere eloquentiæ ſtudijs debet. Inſtant poſt hominum.] In his Pompeius primus omniũ elephantorũ pugnã in circo dedit, cantabatq; in Pompeianis theatri Romæ recentes illius uictorias, Ponticos & Armenios triumphos, Q. Metello et L. Affranio Conſulibus: ut ſcribũt Plutarchus, Aſconius, L. Florus lib. 4. cap. 2. Sed nimia hæc illius laudatio atque potentia, cuius ferè comes eſt inuidia, magnam illi apud plebẽ excitauit indignationem. Sibilum metuis?] Argumentatio per ſubiectionem, apta refutandis aduerſariorum hypophoris. Dolor enim eſt malum.] Sententia Epicureorum, quam amplius Cic. in Tuſc. quæſt. explicat. Iam quod uerbis.] Expolitio per συναθροισμὸν, ſiue congeriem. Comptoribus.] Legi debet, compotoribus. Luxuriam.] Amplificatio ab abſurdo, & domeſticis ſordibus. Oculorum & aurium uoluptati.] Id eſt, ſcenicis ſpectaculis. Toreuma.] Toreumatis nomine, quidquid artis elegantia exculptum eſt, comprehendimus. à τορεύω, id eſt ſculpo. Conchylijs aut piſcibus.] Plinius lib. Natur. hiſtor. 9. cap. 34. ſcribit non aliunde maiorem luxuriam, quàm ex concharum genere petitam fuiſſe: eoq; cenſorijs legibus, auctore ac principe M. Scauro fuiſſe cautũ, ut ſicut glires, ita conchylia cœnis adimerentur. Idem hoc ſcribit libro. 8. cap. 57. Vbi galli cantum.] Scomma cum uehementi inſectatione. Dicit aliquis.] Procataleptics exponit Piſonis inſtitutionem. Magnã laudandi aut uituperandi materiam præbet locus ab educatione, ut pulchre tradunt Rhetores. quando fieri plerunque ſemper ſolet, ut ad naturam moresq; eorum deducamur, quorum præceptis ac monitis imbuimur. quam rem in argumẽtum pulchre quoque Cicero trahit, in oratione pro M. Cœlio. Eſt quidam Græcus.] Philodæmum philoſophum Epicureum ſignificari putat Aſconius Pædianus, cuius obſcœna admodum fue-

runt carmina. Cum hac Dijs irata fronte.] Metonymia, cum acerba excitatione. Non apud indoctos.] Præcaſtigatio à nouo orationis genere, diuerſo propemodum ab hoc genere epidictico. Recte an ſecus.] Apodioxis. Audiſtis profecto dici.] Expolitio ſententiæ Epicureorũ. Expiſcatus.] Metaphora. Adhinniit.] Onomatopœia. Claudus pilam.] In eos conuenire Eraſmus ſcribit, qui quidquid à præceptoribus acceperũt, ſiue id doctũ ſiue indoctum ſit, nullo animi iudicio ſequi ac tenere ſolent. Quid multa?] Interfatio. Eſt autem hic.] Deſcriptio Philodami Græci philoſophi. Vt poetam.] Contemptio, quando poetis leuitatem ac furorem quoq; attribuit Plato. Deuenit.] Epanorthoſis, ſiue correctio. Deuenire enim eſt, deſcendere, & ueluti dilabi. Sic Cicero ſe dicit conſulatu in medium omnium rerum certamen deueniſſe, atq; diſcrimen. Sic dicimus, In eam fortunã deueni, ut quod ſors ferat, neceſſario mihi ſit ferendum. Incidere eſt, temere ruere: ut Incidere in morbum, amicitiam, ſuſpicionem. Quò tam ſapiens.] Metonymia. eſtq; argumentum à maiore. Qui ſi fuiſſet.] Reprehendit Philoſophi inſtitutum, à deſcriptione philoſophiæ, tanquam per locum coniugatorum. ut, ſi Philoſophia eſt uirtutis ac bene uiuẽdi diſciplina, etc. debet certe Philoſophus à nullo uirtutis ac bene uiuendi officio declinare. Idem Cicero in Tuſcul. quæſtionibus, philoſophiam definit uitæ dominã, uirtutis indagatricem, expultricemq; uitiorum. Quæ quidem laudatio.] Redit ad inuectiuam Piſonis, per anthypophoram.

Cedant arma togæ.] Dialogiſmus eſt. Magnam Ciceroni inuidiam conflauit, ut Plutarch. quoq; refert, huius carminis iactatio. Nam & Clodius Ciceroni frequenter obijcit: quòd glorioſius de ſe prædicet, q̃ ſe Iouem, quòd Mineruam ſuam ſororem eſſe iactet. cuius tamen obiectionis indignitatem Cicero in oratione pro Domo ſua ad Pontifices refutans: Ego, inquit, cum mihi largitiones, libidines obijciuntur, reſpõdere ſoleo, meis cõſilijs patriam conſeruatam. Non tam ſum exiſtimandus de geſtis rebus gloriari, quàm de obiectis non confiteri. quod idem Quintilianus alicubi de Cicerone ſcribit, quo magis illum bonũ uirũ eſſe probet. Et Antonius huius carminis inuidia conatus eſt Ciceronem obruere, ut uidere licet in Philippica 2. & 3. Fluctus illos excitauit.] Elegans in primis metaphora. Quàm uarijs autẽ fortunæ fluctibus iactatus ſit Cicero, apparet maxime ex præfatione illius in libros de Oratore, & oratione ad Quirites habita antequam iret in exiliũ. Ad hoc uſquam.] Anthypophora: cuius amplius argumentum habes in oratione ad Quirites antequam iret in exilium. Veruntamen.] Interpretatur carmen ſuum, ad diluendam obiectam criminationem Piſonis. At in illo altero, inquit, hæres.] Refutatio per inuerſionem Rhetoricam, ſiue τὸ βίαιον. Atq; iſta ratione.] Tranſlatione rhetorica regerit obiectæ inuidiæ criminationem in Piſonẽ & Clodianos. Plutarchus ſanè in uita Ciceronis cauſas offenſionis cõmemorat, ob quas Cicero oppreſſus à Cæſare, proditus à Põpeio, neglectus à Craſſo, infelicem miſerrimi hominis caſum ſubire conatus fuerit. Pernicies quæſita.] Eiuſmodi locutionem cum proprietatem, tum elegantiam, ſumma cũ diligentia obſeruabit iuuentus. eiuſmodi quoq; eſt, periculũ creare, peſtem adferre, accuſationẽ & crimen facere, litem capitalẽ inferre. Alioqui ſi nihil præter orationis intellectionem quæratur, ut ferè hodie fit in ſcholis, parua erit eius lectionis utilitas.

Omitto.] Occupatio. Sed ſit offenſus.] Conceſſio rhetorica. Sic in 4. Aeneid. Eſto ægram nulli quondam flexere mariti, &c. Placidóne etiam pugnabis amori? Quod ſi eſt.] Fictio argumenti à minori. Tu quidem tu.] Cõduplicatio, qua Piſonem grauiſſimæ inuidiæ offert. Iam paulo ante dixiſti.] Probatio à pronunciato. Me Cn. Pompeius.] Explicat cauſas, quibus Pompeius ad inimicitiam impulſus fuerit.

Stare ſuo iudicio.] Venuſta locutio. Ad Atticum dixit, Stare animis: id eſt, animi magnitudinem retinere. Stare conditione, ſtare ſententia, quod eſt, in eadem uolũtate permanere. Non'ne ad te.] Probatio ab exemplis. hiſtoria paſſim in ſcriptis Ciceronis, Plutarchi, & aliorum refertur, neq; eſt obſcura. Ecquid infelix.] Repetit in inuidiam Piſonis reſponſum. Ego C. Cæſarem.] Locus coniecturalis de ſua in Cæſarem uoluntate, ad repellendam obiectionis inuidiam. hiſtoriam ante notauimus. Sed præterita.] Prudens eorum reiectio, quorũ cõmemoratio habere nõnihil offenſionis uidebatur. eoq; totus hic locus leuiter à Cicerone attingitur, quaſi magnus ille & longo rerum ciuilium uſu exercitus orator, magis motã ſuſpicionem reijcit, quàm ut confutet. Scribit in eam rationem pulchre alicubi Fabius Quintilianus, monens ne in earum rerũ cõmemoratione, quæ audientium animi eſſe poſſunt ſuſpectæ, diu inſiſtamus, &c. Me ut Cn. Pompeius.] Signis probat Pompeij amicam in ſe uoluntatem. Iam uides.] Epilogus, quem ornatiorem facit locis communibus, quatenus ſuſcipiẽda ſint inimicitiæ. In oratione pro C. Rabirio Poſthumo: Mortales, inquit, nos inimicitias, immortales uero amicitias habere oportet. Quã ſententiam utinã omnes in animo haberemus, ac non tam hoſtilibus animis nos diuexaremus. Sed eſt neſcio quæ, ut Cicero dicit in oratione pro L. Cornelio Balbo, ſeculi huius labes, & quædam ueluti maculæ, uirtuti inuidere, uelle ipſum florem dignitatis infringere. Equidem dicã.] παῤῥησία, dicendi libertas, qua fidem ſibi de ſua in Cæſarem uoluntate, rebuſq; illius geſtis dicturo cõciliat: etiam ſi ſub hac figura ſæpe lateat aſſentio. Porrò de rebus à Cæſare geſtis, quia multæ ac magnæ ſunt, & extolluntur à Cicerone in oratione pro M. Marcello, poterit lector uidere Plinium lib. 7. Natural. hiſtor. Plutarchum, Appianum, & Cæſarem in ſuis Commentarijs. Sed cum me expetat.] Expetimus ferè honeſta, etiam ſi Cicero pœnas expetere dixerit. ſed eum diligimus, quem amore & perpetuo quodam iudicio complectimur. Refricabis.] Metaphoricῶs, id eſt renouabis. hinc refricare uulnus & obductam cicatricem ſimili figura dicimus, pro renouare dolorẽ. ſed & refricare memoriam dicimus. Nec deſero.] Metum adfert Piſoni, eumq; uehementi inſectatione exagitat. An uero tu parum.] Amplificatio à formis uitiorum, per συναθροισμὸν ad augendam Piſonis inuidiam atque odium. Recenſet autem primum inſignia crudelitatis exempla, cum graui criminatione, plena conuicij ac uituperationis. Addixeras.] Addicere, uerbum eſt auctionibus accommodatum. hoc in loco ſignificat, ciuis ueluti damnati ſanguinem ſub haſta uendere. Et addicere fidem religionemq; pretio, eſt pecuniam ob rem iudicandam accipere. Quem ne maiorum quidem more.] Amplificatio crudelis impietatis, à modo, quem τρόπον Græci appellant. Facti enim qualitas pœnas ac ſupplicium diſtinguit. in quam ſententiam pulchre ſcribit Clodianus in l. aut facta. §. qualitate. ff. de pœnis.

Pleuratus.] πάθος commiſerationis ac indignitatis à ſenectute, cuius imbecillitatis uenerationem meretur. Exemplum adfert Macrobius libro Saturnal. quarto, capite tertio, ex Vergilio: Dauni miſerere ſenectæ, Ducitur infelix æuo confectus Aletes, &c. Rabocentum.] πάθος à fortuna. Vergil. Tot quondam populis terriſq; ſuperbum Regnatorem Aſiæ, &c. Denſeleth.] Bellum primum Romano populo cum Macedonibus propter fœdera Philippi regis, cum Hannibale crudeliſſimum fuit, Leuino Coſ. Secundum, cum Perſe Philippi filio, Coſ. Marcio Philippo. Tertium, cum Andriſco, qui Pſeudophilippus eſt appellatus, Prætore Iuuentio, quem cum legione amiſſum reſtituit Conſul Metellus. auctores ſunt Tit. Liuius libro quarto, & quinto, Florus lib. ſecundo, Euſebius libro quarto, capite tertio, Valer. Maximus lib. 7. cap. 5. Eiſq; cum fideliſſimis ſocijs.] Athenienſi indignitatem auget. Vectigalia.] Explicat Reipublicæ pericula, à Piſone inuecta.

A'te Iouis Velſuri.] Multis cognominibus appellatur Iuppiter ut Pulucrius, Abretanus, Prodigialis, Prædator, Xenius, Pluuius, Latialis, Stator, &c. Qui cum uno.] Epilogus cum enumeratione. Cognoſcis.] Tranſitio ad auaritiam Piſonis. Apollonia.] Ciuitas Epyri Corinthorum, hodie Valonia Straboni dicitur. eſt & alia inter inſulas Thraciæ, cis Iſtrum amnẽ.

Honorarij.] A'definitione. uide Alciatum in l. Inter donum. ff. de Verborum & rerum ſignifi. Budæum in Pãdectas.

Quid ego rerum capitalium.] Συναθροισμῷ amplificat Piſonis ſcelera, auaritiæ, crudelitatis, libidinũ. Populari ſacerdoti.] Pub. Clodium dicit, qui Pontificis & ſacerdotis domum ac templũ inceſtu polluit. meminit huius in oratione pro Milone, item de Aruſpicum reſponſis, & paſſim. Mitto aurum coronarium.] Occupatione Rhetorica multiplicia Piſonis ſcelera enumerat, ac priuata quædam illius facta plena improbitatis atq; perfidiæ recenſet. Deuorare.] Pecuniam, laboris moleſtiam, hominũ ſtultitiam, pulchræ locutiones. ſic enim dicimus, Optimarum artium ſtudioſo ultro omnes uitæ, laborum, hominumq; moleſtias eſſe deuorandas. Euomere.] Simili metaphoræ elegantia dixit, pro expenſum ferre, & reſcribere, rependere. Eſt autem euomere iram, euomere acerbitatis uirus in aliquẽ, ſtomachari, quale illud: Orationem impuriſſimo ore in aliquẽ euomere. Lege Iulia.] Scilicet repetundarum, lata primũ à L. Piſone Frugi, in eos qui ærarium uel prouinciarũ pecunias aut dona depeculati ſunt. Aetolia.] Topographia Aetoliæ, Græcæ regionis, in tertio ſinu Europæ. O' pœna.] Exclamatio, in quam affectibus implicatus irrumpit, augendæ inuidiæ cauſa. Arſinoan.] Vrbs in Cyrenaica regione. Vt ipſe dixiſti.] Locus pronunciati. Quibus autem hoſtibus.] Subiectio rhetorica. Aras & focos.] Pathos indignitatis & miſericordiæ à fortuna. Atque ut duorum.] Amplificatio per comparationẽ Albutij & Piſonis, qua deformem, ignobilem, abiectum, & infamem Piſonis reditum deſcribit. auget autẽ inuidiam antitheſi. Quæ cum ita ſint.] Epilogus generalis, cũ partium enumeratione & affectibus. Niſi Reipublicæ tempus.] Metum addit ab animaduerſione iudicum. Lege iudiciaria lata.] Hac lege ab Aurelio Cotta promulgata, iudicia Senatui, equitibus Romanis, & tribunis ærarijs communicabãtur: eam rurſus, ut ſcribit Aſconius Pædian. Pompeius quo tempore hæc oratio habebatur, tulit, ut ampliſſimo ex cenſu atque cẽturijs, ex iiſdem quidẽ ordinibus, aliter tamen atq; antea electi iudices, res iudicarent. Iudices iudicabunt.] Epexegeſis, & quædam prioris ſenſus interpretatio. Equidem.] Anacephaleoſis, qua per capita tãquam quæ in oratione ſparſa ſunt, repetit. L. Opimius.] Hiſtoriam ſcribunt Plutarchus in uita Gracchorum, Liu. lib. 6. App. lib. Bell. ciuil. cap. 1. A. Gellius lib. 11. cap. 13. Oroſius lib. 5. cap. 12. Non in eo.] αἰτιολογία, priori ſenſui ſubiecta. At contra bis Catilina.] A' contrarijs exemplis Catilinæ, & P. Clodij. Quinque & ſeptuaginta.] Id eſt, omnes te iudices ſuis damnent ſententijs. Omnes memoriam.] Amplificatio per diſtributionem, ad explicandas publicas omnium offenſiones. Achaia exhauſta.] Exuperans dicendi uis & copia. Ad horum omnium.] Enumeratio priuatarum ſordium, quibus implicatus Piſo, in omnẽ animi deprauationem ac turpitudinem ſe abiecit. Qui ſi nihil.] Dilemmate urget Piſonis humilitatem. An tu mihi.] Conuellit Piſonis excuſationem. eſt autem hic locus communis, quem Cicero refert in oratione pro C. Rabirio Poſthumo habita, ſtatim ipſo orationis exordio. Quanquam, inquit, hoc plerũq; facimus, ut conſilia euẽtis ponderemus, & cui bene quid proceſſerit, multum illum prouidiſſe, cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicamus.

Supplicium legis ac iudicij.] Locum hunc exemplis antea confirmauit. Et ſanè lubrica eſt iudicij ratio, quo maior certe iuſti ac æqui ratio habenda eſt eis, qui ad rerum ciuilium adminiſtrationem accedunt. Extant de hac re inſigniores aliquod loci apud iureconſultos in l. Reſpiciendum. ff. de pœnis. in l. Rem non nouam. C. de iudicijs. in c. ſtatutum. §. Inſuper. de reſcript. lib. 6. c. 1. de ſenten. & de re iudic. c. nouit, extra de iudicijs. Sed abiectum, contemptum.] Hæc ſunt conſcientiæ malæ ac læſæ ſupplicia ſiue tormenta. Quare.] Concluſio.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAM PRIMAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATHOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

## ARGVMENTVM.

H AEC Philipica dicta eſt in Senatu, abſente Antonio. & continet liberam ſententiam de omnibus, quæ à Calendis Martijs, quibus interfectus fuerat Cæſar, uſque ad Calendas Septembres acta fuerant. Exponit primo cauſam profectionis & reuerſionis ſuæ, & queritur de iniuria Antonij. Deinde caſtigat Senatum, & inconſtantiam quorundam in Republica arguit. Deinde diſputat de actis Cæſaris, & acta quædam nouasq; leges Antonij reprehendit. Poſtremo conuerſa oratione ad Dolabellam & Antonium, hortatur Antonium, ut omiſſis prauis conſilijs, imitetur maiores ſuos, & ad Rempublicã reuertatur. Scopus orationis eſt, ut oſtendat ſe rediiſſe ex itinere ut Rempub defendat, contra Antonij & quorumuis improborum conſilia: & ut confirmato Senatu, Antonium, ſi poſſit, ab inſtituto reflectat. Status igitur principalis, an Senatui conſtanter gerenda ſit Reſp. & nouis conſilijs reſiſtendum. Orationes ſunt deliberatiui generis.

ANTEQVAM de Republica.] Incipit a propoſitione, qua partitur ſummã eorum de quibus dicturus eſt. Aliquando.] Poſt interfectum Cæſarem. Statuebam.] Metaphora ducta à militibus, qui in ſtationes conſtituuntur. Diſcedebam.] Manet in Metaphora, tanquã miles in in ſtatione. In ædem Telluris.] Interfecto Cæſare, Senatus in ædem Telluris conuocatus fuerat, ut ageretur de pace & concordia cum coniuratis, qui Capitolium occupauerant. ad quam rem conficiendam Antonius dederat filium ſuũ obſidem ut Caſſius & Brutus de Capitolio diſcederent. Ἀμνηστίας.] Ἀμνηστία, eſt oblitio iniuriarum. quod uerbum tũc ab Athenienſibus uſurpatũ fuit, cum à Thraſybulo 30. tyranni expulſi fuiſſent. Præclara tum oratio.] Inſtituit ἀντίθεσιν, & primo commemorat recte facta Antonij, ut cum his poſtea mutatam uoluntatem conferat. Ciuibus.] Caſſio & Bruto, quos laudat Cicero tanquam recuperatores ciuitatis. Cum dignitate.] Vt Conſulem decebat. Conſtantia.] Vt bonum ciuem. Vnum aiebat.] Sex. Clodius P. Clodij filius intelligitur, qui fuerat à Cæſare reſtitutus. Figeretur.] In publico

*proponeretur.* Multa prætereo.] Correctio Rhetorica. Vncus impactus.] C. Amatius obſcuræ ſortis homo, ſe C. Marij filiũ prædicauerat, ex Iulia Cæſaris amita, & interfecto Cæſare concitarat multitudinem ad ſeditionem. Itaque ab Antonio interfectus, & unco tractus more damnatorum, in Gemonias præcipitatus fuerat. Cum collega.] Dolabella. Nam cum ſerperet.] Declarat id quod propoſuit, oratione. Nam cum ſerperet.] Multitudo ob interfectũ Cæſarem uehementer cõcitata erat, & quotidie cremebatur in foro imago aliqua Cæſaris, ad renouandum deſiderium. Porrò Antonius auctor fuerat, ut Cæſar honorifice ſepeliretur: quam rem hic notat Cicero, quaſi ad incitandam multitudinem pertinuerit. Itaque in ſepultam ſepulturam uocat, quaſi nondum conſumatam, ſed quotidie motu aliquo reuiuiſcentem, ſeſtiua αὐτομαλάσσα. Execratæ columnæ.] Amici Cæſaris columnæ in foro inſcripſerant, parenti patriæ. quam euertit Antonius, & locũ ſaxo ſtrauit. uide Suetonium. Ius legationis.] Legatio aut publica erat, aut uotiua, aut libera. Publica mandabatur publico nomine: uotiua & libera priuatim impetrabantur, aut uoti ſoluẽdi cauſa, aut alio priuato nomine. Expoſui P. C.] Tranſit ad alteram partem Narrationis, cur ex itinere redierit. A quibus primum.] Antonius concionem habuerat de Sex. Pompeio Magni filio reuocando, qui poſt mortẽ patris reliquias belli contra Cæſarem in Hiſpania perſecutus fuerat. Nec multo poſt.] Brutus & Caſſius urbani prætores edixerant, ne cui minori 20. annis prouincia mandaretur. Remiſſis Gallijs.] In ſortiendis prouincijs Antonio Macedonia obuenerat, Gallia Ciſalpina Bruto, Tranſalpina Munatio Planco: ſed cum Antonio, ad ea quæ conceperat, Gallia opportunior uideretur, cœpit agere apud Senatum de permutandis prouincijs, quam rem tamen ne difficilem & ſuſpectam mox ſua ſponte omiſit. Atq; ego.] Continuando Narrationem, obiter de fortuna Bruti queritur. Nam Brutus & Caſſius ingraueſcente metu Antonij, quamuis Prætores eſſent, tamen urbe exceſſerant, cura rei frumẽtariæ per ſpeciẽ prouinciæ à Senatu eis mandata. Ex quo primum.] L. Piſo ſocer interfecti Cæſaris, ſuaſerat depoſitis armis omnia ad Senatus auctoritatem referenda eſſe, multaq; alia dixerat, tum ad arguendam mutatam Antonij ſententiã, tum ad confirmandam libertatem pertinentia. Sed pauci ſententiam eius fuerant ſecuti: quod dolebat Ciceroni, et poſtea inconſtantiam Senatus arguit. Præterq; fatum.] Mortem uiolentam intelligit. ſed quomodo hoc præter fatum ſit, diſputant auctores, cum fato omnia comprehendantur. Mihi uidetur Cicero per fatum diuinam ordinationẽ ſignificare, quæ mali cauſa eſſe non poteſt: quod etiam Moſellano uidetur. Violenta autem mors contra Dei uoluntatem inuitis adfertur. uide Gelliũ libro. 6. de fato & lib. 13. Macrobium de Somnio Scipionis. Quoniam utriuſq; conſilij.] Inducit querelam in Antonium, & eſt accuſatoria pars orationis. nam præcedẽs in narratione conſumpta fuit, & habuit conſilij expoſitionẽ, quod ad purgationis naturam refertur. Cui ſum amicus.] Hoc dicit ad remouendam offenſionis ſuſpicionem. Officium autem Antonij in ſe ſignificat, ex Clodiano tempore, quo ab Antonio defenſus fuit, ſicut ipſe cõmemorat in oratione pro Milone, & in ſecunda Philippica. Quid tãdẽ erat.] Propoſitio querelæ, cui mox adiunguntur argumenta defenſionis, quod non fuerit in Senatu: ad confirmandam iniuriam Antonij. Argumenta ſunt ex pari, & ex more cogendi Senatus. Annibal credo erat.] εἰρωνεία eſt, ſumpta de ſecundo bello Punico. Pyrrhus bello Tarentino petiuerat à Romanis, ut pacis componendæ cauſa in urbẽ reciperetur: quod Appius Cæcus, lectica delatus in Senatũ, diſſuaſit. De ſupplicationibus.] Hoc ex ἀντιθέσεως infert. Supplicationes ſacra erãt, quibus Dij publice ob rem bene geſtã gratiæ agebantur. de his Antonius retulerat ad Senatum, ut una cum parentalibus Cæſari decernerentur. Non pignoribus.] Senatores ſi abeſſent, pignoris capione, aut mulcta indicta cogebantur in Senatum, præterquam in ſupplicationibus aut triumpho decernendo. Aedificatam domũ.] Reprehẽdit Senatuſconſultum ab Antonio factum, ne Cæſari tanquam parenti patriæ ſupplicationes cum parentalibus fierent. huic contradixerat L. Piſo. Parentalia erant ſacra, quæ mortuis fiebant: quæ coniungi cum ſupplicationibus, Cicero nefas putat. Quas fuerit.] Argumentatur ex maiori. Sed hoc ignoſcant.] Corrigit cum deprecatione, & tranſit ad reprehendendã inconſtantiam Senatus. Pertinẽt iſta ad principalem partem orationis, quam de Repub. porpoſuit. Itaque ſenatuſconſultum modo reprehẽdit. In quo uide quàm cõmode ex perſona Antonij huc delapſus ſit, ut etiam animaduerſionem auditoris fefelliſſe uideatur. Sed hoc.] Deprecatur. Semper licebit.] Παῤῥησία. Poteſtas modo.] Α᾿ντίθεσις Honore.] Senatorio & conſulari. Ampliſſimus.] Conſulares & prætorios, item quæſtorios. Idcircòne uos.] Inſurgit acrius, & obiurgat principes Senatus. Voce.] Sententia ſua. Quæ nam, malũ, eſt iſta.] Malum, interiectio indignantis. & facit infenſam ἀνθυποφορὰ. ut ſit ſenſus: Fuerit neceſſaria ſeruitus, certe uoluntaria eſſe non debuit. Quænam.] Aſperior obiurgatio. Nec ego hoc.] Occupatione excipit eos, qui neceſſitudine qua aut beneficijs Cæſaris tenebãtur. cæteros, ut priuatis rationibus corruptos arguit. Vocem requiro.] Qui loqui debebant, & reſiſtere pernicioſæ ſententiæ. Quare primum.] Concluſio, & ſimul monet attentionem. Primũ igitur acta.] Antonius multa beneficia dabat ex actis Cæſaris, ſicut ipſe prædicabat. Leges etiam quaſdam ferebat, contrarias legibus Cæſaris: quæ Cicero hoc loco reprehendit. Status ſubeſt partim finitionis, quæ appellanda ſint acta Cæſaris, num chirographia etiã & commentaria Cæſaris, ex quibus Antonius beneficia dabat: partim contrariũ legum, ubi docet Antonij leges pugnare cũ legibus Cæſaris atque adeo Antonium pugnare cum ſeipſo, qui in beneficijs dandis uel minima acta Cæſaris rata eſſe uelit, in legibus ferendis eadem ipſe euertit. Seruanda.] Si ſunt ſeruanda, inique fecit Antonius, qui ea euertit. Vellem adeſſet Antonius.] Negat Antonium ſeruare acta Cæſaris, & ſententiam cum inuidiam profert in abſentem. Sine aduocatis.] Μυκτηρισμῶς, & per εἰρωνείας loquitur, ſcilicet cõductis & armatis hominibus. Quod mihi heri.] Argumentum ex pari. An in commentariolis.] Argumentatur ex minori, & ſimul oſtendit pugnantia committi ab Antonio. Vide autem argumenta finitionis implicata in cõparatione, quibus obiter confirmat leges Cæſaris potiſſimum in actis eſſe, quas tamen euertat Antonius. Commentariolis.] Diminutio ad cõtemptum.

Equidem exiſtimo.] Epiphonemate complectitur, id quod effectum eſt argumentatione. An ſi cui quid ille.] Probat chirographa & cõmentarios nõ eſſe in actis, quoniam præſtare omnia non potuerint: acta autem præſtare poſſunt. eſt ergo ex differentibus. Quæ tamen multo plura.] Obiter arguit improbitatem Antonij, qui acta ſuppoſuerit. Sed ea non muto.] Corrigit quod dixit, ne durior ſit. & obiter profert aliã fraudem Antonij, de pecunia ad Opis ſeruata, quæ ex bonis Põpeianorum redacta fuerat, quã Cæſar iuſſerat reſtitui, ſed Antonius interuerterat. Cruenta.] At proinde iniuſtiſſima.

Sed hic.] ἀνθυποφορά. Quanquam ea.] Conceſſio oratoria. Id quid eſt quod tam.] Rurſus confirmat leges in actis eſſe a perſona actoris quod eſt ex cauſa efficienti, quæ propria actorum eſt. Poteſtate.] Dictatoris. Quare acta.] Confirmat exemplis. Gracchi.] Tyberij uel C. Syllæ.] Dictatoris. A Cæſare.] Hoc exemplum fictorum eſt, ſumptum κατ᾿ ὑπόθεσιν. Toga.] In magiſtratu. Cedant arma togæ, &c. Chirographa.] ἀντίθεσις. Sed ea ipſa concedo.]

Concedit

Concedit ex abundanti, ut augeat ordinem reprehenſionis. Conceſſio eſt per εἰρωνείαν. Conniueo.] Diſſimulo, non repugno, conſentio. translatum ab oculis. Quæ lex melior.] Laudat legem Cæſaris, ut augeat improbitatem Antonij.

Quid? ea lege, quæ.] Cæſar duas decurias iudicum ordinauerat, equeſtris & Senatorij ordinis, ſublatis Tribunis ærarijs, qui ante lege Aurelia iudicauerant. His Antonius tertiam decuriam addebat, deſcriptam ex Centurionibus, ſiue equites Romani eſſent, ſiue non eſſent. quod Cicero reprehendit, tanquam contra iudicia quæſitum. Decuria eſt nomen ordinis: decuriare uero ſegregare eſt, ac deſcribere. Niſi forte ſi quid.] ἐνθύμημα colligit ex minori, ſi Commentarij in actis ſint, multo magis leges eſſe oportere. implicat interim ſingulis penè uerbis argumēta confirmationis, ex cauſa finali, ex genere rei, & legū ferendarum auctoritate. Centuriatis comitijs.] Centuriatis comitijs inibatur ſuffragium ex claſſium deſcriptione, hoc eſt, ex cenſu & ætate, qua ratione ſeniores et optimates præcedebāt tenuiores, erantq; grauiora comitia. Centuriatis autem tributim inibatur ſuffragium, nullo delectu cenſus & ætatis. unde & in his popularius agebatur, cū ſæpe ſordidiſſimus quiſq; in prærogatiua ſuffragaretur. At quæ eſt iſta.] Inſtituit altercationem ad explicandam improbitatem legis. Iudicatus.] Iudicandi poteſtas, iudicum ordo: ſicut conſulatus. Præfiniebatur.] Translatum à locis acceſſis. Cenſus præfiniebatur.] Cenſus equeſter erat quadringentum ſeſtertium: id eſt, duodecim millium coronatorum. quem qui non habebat, eſſe nō poterat in equeſtri ordine, nec proinde iudicare. Itaq; hanc cauſam proferebat Antonius, cur tertiam decuriam [redacted] equitum, ſed centurionum: qui ſiue equites eſſent, ſiue non eſſent, tamen iudicarent. Itaque uiri fortiſſimi.] Reſponſio eſt Ciceronis, inferentis ex uerbis Antonij, quod laudandum eſt in lege Cæſaris. Et redditur per inuerſionem. Inuerſio fit, cum aliquid quod aduerſarius ſumit, in illum torquemus, ut puta: Linguæ non ſunt diſcendæ, ne nos in αἵρεσιν inducant: imo diſcendæ ſunt, ut hæreſin fugiamus. Aliud: Satyrici poetæ non legendi ſunt, qui docent uitia: imo legendi ſunt, ut uitijs cognitis, euitemus. Non quæro.] Cum ſtomacho pronunciandum eſt. At ſi feratis.] Hoc παρῳδικῶς reſpondet Cicero ad id, quod Antonius dixit, quicunq; ordinem dixit. & Feratis pluraliter dixit, unà complectens collegam, qui unà cum Antonio has leges ferebat. Parodicon eſt accentio, ſiue admodulatio. ut apud Verg. Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo, etc.

Equo meruiſſet.] Eques Romanus eſſet. In iudice.] Aetiologia. Addo etiam iudices.]. Mire fingit iſta dicentem Antoniū, quaſi ſuperbe ac præfracte legem ſuam defendentem. Legionem Alaudarum uocat, quam Cæſar conſcripſerat ex Tráſalpina Gallia, cultuq; ac diſciplina Romana inſtitutam, poſtea ciuitate donauerat. nomen indiderat à Galliarum forma, quā repræſentat alauda auicula apud Gallos, quam Romani galeritam uocant. Noſtri.] Noſtræ factionis, ſcilicet Antonianæ.

O contumelioſum.] Exclamat in rei indignitatem. Hic enim.] Declarat quod dixi. Legis iudex.] Synecdochicos, pro iudices. Eorum.] Antonij & collegarum eius. Sordidiſſimus.] Obſcuriſſimus, abiectiſſima fortuna. Sordes eluet.] Metaphoricos: id eſt, obſcuritatem ſuam diſcutiet.

Laborabitq;.] Dabit operam. Altera promulgata lex eſt.] Hanc legem reprehendit. primo quod armet licentiam ſeditioſorum hominum: deinde quod abroget Cæſaris legibus. Probat priorem partem ex remotione: Non pertinere ad præſentes reos, neque ad futuros, ergo ad licentiam ciuitatis. utrunque explicatur argumentatione. Quis enim eſt.] Interrogatione acrius urget. Armis enim geſta.] Confirmatio ex conſequentibus. Ad res popularis.] Subaudi eſt. Occupatio eſt, ex perſona aduerſarij, rem populo gratā eſſe, ſi ad eum prouocatur. Reſpondet Cicero per optationem, negans hoc populare eſſe. & ſubeſt finito, quid ſit populare eſſe hoc tempore.

Salute.] Libertate. Quæ eſt.] Concluſio acris.

Quid enim.] Declarat. Sed quid plura. Corrigit, & infert quod efficitur ex argumentatione, legem ad impunitatē peccatorum pertinere. Probat coniecturis, periculo, ſi quis reus delatus ſit. Genus correctionis, quod rhetores uocant dicti pœnitentiam. Quis enim.] Confirmat. Multitudini conductæ.] Multitudinem conductā & operas mercenarias ſeditioſos homines ſignificat, pretio comparatos à reo, ut eum iudicio eripiant. Conductæ.] Corruptæ ad ſoluendum reum. Nō igitur.] Concludit ſpecialiter. Prouocatio.] Ius prouocandi. Quæſtiones.] Iudicia. Quid eſt.] Sequitur concluſio generalis, ſpecialis præceſſit. habent eandem uim. Quam autem.] À ſpe impunitatis. Quæſtionibus.] Iudicijs.

Quid quod abrogatur.] Docet hanc legem Cæſaris legibus contrariam eſſe. quæ eſt altera pars reprehenſionis. Obrogare autem eſt, rem contrariam rogare. ſicut obnunciare, eſt etiam decernere & ſtatuere aliquid. Quæ quidem ego P.] Amplificat leges Cæſaris, à tempore & actorum magnitudine, ut leges Antonij deprimat. Hoc tempore.] Nondum confirmata concordia, ſpectante Antonio ad dominatū. À mortuo.] Cæſare. Non ſolum.] Ordo amplificandi. Immunitatibus.] Septimus caſus. Ergo hæc.] ἐπιχείρημα ex minore. & habes εἰρωνείαν, cum dicit Viro optimo, Antonium intelligēs.

Recitauit.] Per præconem. Ipſe.] Cæſar. Ac de ijs tamen.] Correctio, qua diſtinguit, de quibus legibus loqua[redacted] poſſe dolet. Promulgatæ.] Propoſitæ. Nulla promulgatione.] Ergo non legitime. Antequam ſcriptæ.] Id eſt, in ſenatu approbatæ. nam ubi S. C. factum erat, ſcribebatur, & plures auctoritatem ſuā adſcribebant, cuius rei exemplum extat in epiſtola Celij quadam ad Ciceronem libro. 8. in epiſt. familiarib. Quærunt quid ſit.] Occurrit illis qui putabant nihil periculi eſſe à promulgatione legū Antonij, quoniam, in latione earū interceſſiones & obnūciationes defuturæ non eſſent. à quo diſſentit Cicero, & profert uiolentiam Antonij. Monet Senatum, ut occurrat in tempore his incōmodis. Religione.] Obnunciatione. Defendit.] Obnūciente. Quæſtu.] Locus tractatur διαλογισμῷ. Eas ſcilicet.] Reſpondet Cicero. Negligimus.] Rurſus uerba Antonij. Quid tū?] Reſpōdet Cicero. Iubebitis.] Vos Coſſ. Interrogat, quod dici nō poteſt. Credo illa.] Sunt uerba Antonij. Sciuit.] Decreuit. Qui populus?] Interrogat Cicero. Quæ ſi.] Eſt cōfirmatio per ἐρώτησιν. Augurū.] Ad augures pertinet, ut impudentia mala Reipub. denūcient, quo præcaueri poſſint. Promulgatis.] Ab Antonio. Iraſci quidem.] Alloquitur Dolabellā, & primo queritur de Antonio, cuius offenſionē deprecatur: deinde utrunq; hortatur, ut relictis prauis cōſilijs ad Remp. redeat. Capita hortationis ſunt, à laudabili & periculoſo tyrānorum exitu. Eſt tertia pars orationis. Quanq quidem.] Tēperat Cicero ubique orationē, ne inimicos irritare magis q̄ ſanare uideatur. Auorū.] Antonianorū. Auunculi.] L. Cæſaris, qui fuerat frater matris Antonij. Sed tū.] Reſumptio. Iratū & armatū.] Facit προθεραπείαν. Sed proponam.] Deprecatur defenſionem, & locum purgationis habet. Si cōſuetudinem.] Formas orationē per ἀντίθεσιν. Dixero.] Ex officio boni Senatoris & Remp. amātis. Quid hac.] Poſtulatio eſt æquiſſima. Admonere.] Familiares Antonij. Nec erit.] Subeſt argumentatio ex minori: Mortis cauſa iniuſtior erit, q̄ morbi. Sed per Deos.] Liberius erūpit, & monet, qua uia ad uerā gloriam contendendū ſit. Et eſt locus ex laudabili. tota oratio habet colorem amici loquentis, potius q̄ inimici.

Credo.] Format ſententiam ex ἀντιθέτω. Et habet oratio hæc tacitā quandā ratiocinationē ad amplificationem. Dice-

rem Dolabella.] Profert exemplum ueræ gloriæ, & loquitur de eo tempore, quo à concitata multitudine ara Cæſari in foro ſtatuta fuerat, & diuini honores habiti, quã turbam diſcuſſerat Dolabella, & de auctoribus ſupplicium ſumpſerat. Dicerem.] Occupatio rhetorica. Diem.] Hic dies fuit poſt mortem C. Cæſaris. Expiatio.] Expiato dicit, quaſi pollutũ fuerit forum, propter honores illi habitos tanquam Deo. Recordare quæſo.] Tribunatum Dolabellæ ſignificat, quem ille ſeditioſe geſſerat, promulgata lege nouarum tabularum, quibus omne æs alienũ cõtractum inter ciues abolebatur. Theatri.] Nã in theatro populus plauſerat Dolabellæ, propter diſcuſſam multitudinem in foro. Hanc tu.] Cõcludit Epiphonemate.

Te autem M. Antoni.] ἀποστροφὴ ad Antonium, cuius primo gloriam ex rectè factis cõmemorat, deinde mutatam uoluntatẽ ita improbat, ut illi periculoſam fore oſtẽdat. Quæ fuit.] Amplificat acta Antonij illius diei. Veterani.] Veterani timebant, ne acta Cæſaris reſcinderẽtur, quibus cõtinebantur beneficia illius. Cũ tuũ collegã.] Antonius cũ antea recuſaſſet Dolabellã collegã, quem Cæſar ſibi ſubrogabat, opponeretq́; auſpicia, mox interfecto Cæſare ſponte ſua illũ aſſumpſit. Inimicitijs.] Erant inter Antoniũ & Dolabellam inimicitiæ. Antonius putabat ſuam uxorem à Dolabella eſſe corruptam.

Obſes.] Qui datur uictori. Vt illi.] Brutus & Caſſius. Suſtuliſti.] Ex Rep. A' te.] Hæc ingeminatio habet emphaſim. M. Manlij.] Exemplum ad amplificationem, à ſimili. Sic tu.] Similitudo. Vnde igitur ſubito.] Trãſit ad reprehendendã mutatã uoluntatẽ, & mire orationem temperat. Vnde igitur.] Infert per ἀντίθεσιν. Adduci.] Vide temperamentũ, ne hominẽ irritet, quẽ tamen ſcit eſſe moroſiſſimũ, & ſibi inimicũ. Atque ut.] Bene optat Antonio, quem tum nouit inimicũ eſſe: ſed facit Reip. cauſa. Metui uero.] ἀντίθεσις. Quod uidemus.] Confirmat teſtimonio. Quod uidemus.] Teſtimonium ex Poeta, & ſunt uerba Atrei apud Actium. Illa erat.] Exclamatio laudantis M. Antonium.

Proſperas.] Intelligit honorem. Sed quid.] Correctio Profert exitum C. Cæſaris. Beatus fuiſſe.] Locus communis. Impune.] Nulla pœna. Sine quo.] Sine qua re.

Et populi quidem.] Colligit multa populi Romani iudicia, quibus oſtendit illum interfecto tyranno uelle Rempub. liberã eſſe. Gladiatorij.] Ludis gladiatorijs editi. Quid Pompeij.] Statua Pompeij poſt mortem Cæſaris coronata, magnos plauſus excitauerat. O' beatos.] Brutum & Caſſium intelligit. Niſi forte.] εἰρωνεία. Equidem is ſum.] Occupatione confirmat, plauſum iudicij loco eſſe, cũ ab omnibus ordinibus redditur. Popularibus.] Seditioſis. A. Hircij fuiſſe.] Hircius conſul deſignatus, cum in morbũ incidiſſet populus uota eius nomine ſuſceperat. Probatum illum eſſe populo.] Diſtributio, ad amplificationẽ. Cœpi P. C.] Extrema cõcluſio.

## IN EANDEM PHILIPPICAM PRIMAM

[redacted] SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

C VR dictæ Philippicæ orationes, Fab. Quintilianus lib. 10. de Cicerone ſcribit., quòd is ſe totum ad imitationem Græcorũ, & maxime Demoſthenis dederit: unde & iſtas Orationes in M. Antoniũ Triumuirum ſcriptas, uerbo (ut Plutarchus quoq; auctor eſt) Demoſthenis nominauit. Siquidem & Demoſthenes quatuor Orationes in Philippum regem Macedoniæ conſcripſit, quarum imitatione Cicero & ſe in Antonium ſcripſiſſe uideri uult. Sed uidendum, quæ Ciceroni occaſio ſcribendi iſtas Orationes fuerit. Cũ itaque Brutus & Caſſius interfectores C. Cæſaris urbe Roma, & propter concitatam plebem & metum Veteranorum diſceſſiſſent, & Antio exularent, Cicero quoq; in urbe manere nolebat: tum quod inſectorũ Cæſaris amicus putaretur: tum quod Antonij & ſuperbiam & impotentiam ferre non poſſet. Et cum primum obnixe laboraſſet, ut cum Dolabella Legatus in Syriam mitteretur: deinde Hircio & Panſa Conſulibus rogantibus, ne ſe desereret, ſe anno Cõſulatus ſui omnibus conſilijs, omnibus uiribus Antonij uires fracturos, ſe Antonium ex urbe electuros, mox Legatus Dolabellæ eſſe recuſat: & Athenas proficiſcitur, hac ſpe, & hoc conſilio, ut cum primum Panſa & Hircius Conſulatum iniuiſſent, ipſe Romam rediret. Profectus Cicero, priuſquam in Græciam peruenit, nunciatur ei, Antonium alium eſſe factum, atq; fuiſſet: quo audito, Cicero mox Romã reuertitur. quo reuerſo, Antonius poſtero die Senatum habet: ad quem cũ non acceſſiſſet Cicero, ſimulans ſe de uia defeſſum eſſe, ſed reuera inſidias Antonij metuens, Antonius abſentia Ciceronis grauiter cõmotus, milites mittit, qui aut illum in Senatum pertraherent, aut domum eius incenderent. Cæterũ rogatu quorundam amicorum, captis pignoribus contentus fuit. Ex hoc ſimultas inter Antoniũ & Ciceronem erat, donec Octauius, quem Iul. Cæſar hæredem inſtituerat, Romam redit: quem Cicero inimicitijs & odio Antonij adactus, ſua auctoritate, ſuis opibus adeo auxit, adeo euexit, ut Antonij metu Romã relinquere cogeretur, & hoſtis Reip. à Senatu iudicaretur. Hinc Cicero orationes illas in Antonium habuit: habuit uero eas partim in Senatu, partim ad populũ, uide Plutarchum in uita Ciceronis copioſius de his rebus diſſerentem. Cæterum quàm iſtæ orationes Ciceronis alijs præſtant, primo omniũ inde colligitur, quod Cicero eas iam ſenex, in quo iam & eloquentia maturuerat, & iudicium firmatũ erat, conſcripſit. Deinde & teſtimonio Iuuenalis probari poterit, qui in decima Satyra, ita de ſecunda Philippica ſcribit: O' fortunatam natam me Conſule Romam. Antonij gladios potuit cõtemnere, ſi ſic Omnia dixiſſet: ridenda poemata malo, Quàm te conſpicuæ, diuina Philippica, famæ, Volueris à prima quæ proxima. Huc pertinet & illud elogium Plinij lib. 7. cap. 30. de Cicerone: Tuum Catilina fugit ingenium, tu M. Antonium proſcripſiſti, &c. Argumentum porrò primæ Philippicæ hoc eſt: In hac prima Philippica Cicero & cur Roma diſceſſerit, & cur reuerſus ſit, primo omnium narrat. Sub hoc de Antonij iniuria conqueritur. Poſtremo ſuperbiam & impotentiam Antonij accuſat, & ſuam operam Reip. pollicetur.

## QVO ORATIONIS GENERE CICERO IN HIS PHILIPPICIS VSVS EST.

C ICERO in his Philippicis in primis uſus eſt demonſtratiuo & iudiciali orationis genere. Demõſtratiuo quidẽ, dum in Antonij uituperio uerſatur, iudiciali, dum obiecta diluit, dum fortiter crimina regerit. Porrò in prima Philippica, & deliberatiuo orationis genere utitur. Siquidem in ea & profectionis, & reuerſionis ſuæ conſilia explicat,

tum

*tum quæ ſit ſua de Republica ſententia oſtendit. Admiſcet tamen hic orationis generi iudiciale, dum in principio ſtatim orationis, obiecta purgat. Admiſcet & demonſtratiuum, dum in Antonij ſuperbiam & impotentiam inuehitur.*

ANTEQVAM de Repub.] *Exorditur à propoſitione eorum, quæ ordine dicturus eſt.* Patres Cõſcripti] *Feſtus Pompeius ſcribit, Patres Conſcriptos uocatos, qui ex Equeſtri ordine patribus adſcripti ſunt, ut Senatorũ numerus expleretur.* Breuiter.] *Captat docilitatem.* Conſilium & profectionis.] *Attentionem captat: nam magna proponit.* Ego cum ſperarem.] *Primo narrat, cur Roma profectus ſit.* In ædem Telluris.] *Quæ erat ad forum Romanum, & uiam ſacram, non procul à Capitolio, & Palatio, in qua Senatus crebro habebatur.* Quod tum in ſedandis diſcordijs.] *De hac hiſtoria uide Iuſtinum libro quinto Hiſtoriæ. & Velleiũ Paterculum in poſteriore uolumine hiſtoriæ Romanæ.* Pax denique per eum.] *Nam cum Brutus & Caſſius infectores Cæſaris facta cæde, in Capitolium confugiſſent, nec deſcẽdere uellent, Antonius Conſul, habito in æde Telluris Senatu, uelut pacis auctor, liberos ſuos obſides in capitoliũ miſit, fidẽq; deſcẽdẽdi tuto interfectoribus Cæſaris dedit. Hæc Velleius Paterculus in uolumine poſteriore hiſtoriæ Romanæ.* Ad deliberationes eas quas.] *Multa præclare ab Antonio & Dolabella facta narrat.* Num qui exules reſtituit?] *Interrogatio- nibus orationem ornat.* Vnum aiebat.] *Sext. Clodium ſcilicet, P. Clodij filiũ, qui M. Tullio Ciceroni infeſtiſſimus fuerat.*

Multa præterea.] *Occupatio eſt.* Ad ſingulare enim.] *Hæc uerba reddunt auditorem attentum.* Vncus impactus fugitiuo.] *C. Amatium deſignat, qui abiectiſſimæ ſortis homũcio, ſe Marij clariſſimi uiri filium uenditabat, & perinde atq; Cæſaris neceſſarius eſſet, aram illi occiſo erigebat. tum cõparata perditorum hominum manu, magnum timorẽ ciuitati incutiebat. Hunc Antonius cum magna Senatus & admiratione & approbatione interemit. auctor App. lib. Bell. ciuil. 3.* Atq; hæc omnia.] *Epilogus.* Alia propria Dolabellæ.] *Propria Dolabellæ facta narrat.* Buſtum facerent.] *Imagines Cæſaris quotidie cremarent. Buſtum enim dicitur, cũ cadauer crematum eſt.* Inſepultam ſepulturam.] *Cremandis quotidie imaginibus Cæſaris effecerant, ut mortui ac ſepulti deſideriũ ac memoria ſupereſſet.* Execratæ columnæ.] *Ni fallor, illa colũna eſt, quam plebs Romana in foro erexit Cæſari Dictatori, ſolidã propè uiginti pedum, inſcripſitq; parenti patriæ. uide Suetonium in uita Cæſaris.* Ecce autem Calendis Iunijs.] *De mutata Antonij uoluntate in Rep. narrat.* Vrbe carebat ea.] *πάθος mouet ab indignitate.* Ius legationis liberum.] *Beroaldus legit, ius legationis liberæ. Eſt uero Legatio libera inde dicta, quod libera ſit, & ad quamcunq; nationem, quæ impetrari ſolebat ab Senatu tanquam cauſa proficiſcendi honeſta & prætextu: quo ſub titulo Legationis procul à patria ciues eſſe poſſunt.* Expoſui P. C.] *Tranſitio eſt.* Veni Syracuſas.] *A' locis narrationem uериſimilem facit.* Leucopetrã.] *Strabo lib. 6. Eſt, inquit, è regione ad Orientem nauiganti promontorium, quod à colore Leucopetram, id eſt, ſaxum albũ appellant.* Agri Rhegyni.] *Ciuitatis Calabriæ, de qua Strabo lib. 6.* Cumq; intẽpeſta nox.] *A' tempore narrationem uериſimilem reddit.* Municipes Rhegyni.] *A' perſonis narrationem uериſimilem facit.* Municipes.] *Municipes ſunt ciues Romani ex municipijs ſuo iure, & legibus ſuis utentes, muneris tamen honorarij, id eſt, fungendi magiſtratus, participes, quo munere capeſſendo dicti uidentur. auctor Gellius lib. 16. cap. 13.* Edictum Bruti.] *Ne intra uigeſimum annum prouinciæ adminiſtratio alicui dari poſſit. auctor Appianus libro ſecundo Bellorum ciuilium.* Remiſſis Gallis prouincijs.] *Quarum una ciſalpina D. Bruto, tranſalpina Planco obtigerat. Sed ciſalpina Macedoniæ loco, quæ ei obtigerat, à Senatu Antonius poſtulabat. auctor Appianus libro ſecundo Bellorum ciuilium.* Veliam.] *Oppidum Italiæ auctor Mela libro ſecundo.* Quanto meo dolore.] *πάθος ab occupatione.*

Neque uero illum.] *Præoccupatio eſt.* L. Piſonis.] *Huius filiam Calphurniam Cæſar uxorem habuerat. Is L. Piſo ſuaſerat, ut arma deponerent, Senatui per omnia morem gererent, libertatem tuerentur. tum etiam in Antonium inuectus erat. denique ut Octauius filius Cæſaris adoptiuus, qui Antonio reluctaretur, domum accerſeretur, conſuluerat. tum ne penetralia cum ſupplicationibus Iulio Cæſari proſoluerentur, diſſuaſerat.*

Præter naturam etiam, &c.] *Violentiam & inopinatam mortem intelligit, quæ recte poteſt uideri præter naturã accidere. Vergilius quoque idipſum quod Cicero de Fato opinatus eſt, cum hoc in quarto libro Aeneidos dixit de Eliſa, quæ mortem per uim potita eſt: Nam quia nec fato, merita nec morte peribat. Tanquam in faciendo fine uitæ, quæ uiolenta ſunt, non uideantur è fato uenire. uide Gellium libro decimotertio, capite primo.* Quoniam utriuſque.] *Tranſitio eſt.* Quid tandem erat cauſæ.] *Propoſitio querelæ de iniuria Antonij.*

An non ſæpe.] *Ab exemplis Antonium urget.* Annibal credo.] *Exaggerat iniuriam à circunſtantijs.* De Pyrrhi pace.] *Pyrrhus rex Epirotarum, cum aduerſus Romanos aliquandiu uario Marte pugnaſſet, Cyneas Legatus eius ad Senatum Rom. miſſus, petijt, ut componẽdæ pacis cauſa rex in urbem reciperetur: de qua re cum ad frequentiorem Senatum referri placuiſſet, Appius Claudius, qui propter inualetudinẽ oculorum iam diu à conſilijs publicis abſtinuerat, uenit in curiam, & ſentẽtia ſua tenuit, ut id Pyrrho negaretur. Hæc Florus Epito. decimotertio.* Vt pene liberum.] *Exaggeratio iniuriæ, à iuſta cauſa abſentiæ.* At ille.] *A' dicto Antonij exaggeratio.* Aedificatam domum.] *Intelligit domum ſuam, quam cum exularet, Clodius euerterat. At reuerſo illo ab exilio, Senatus domum publica pecunia reſtaurãdam cenſuit. uide orationem Ciceronis in Piſonem.* An me cenſetis.] *Inuehitur in decreta ab Antonio, & dicit ſe nunquam decreturũ fuiſſe, ut Iul. Cæſari mortuo ſupplicatio decerneretur. Eſt autem hic ſtatus coniecturalis.* Nihil dico.] *Occupatio eſt.* Sed hoc ignoſcant.] *πάθος à precatione.* Quid de reliquis Reip.] *παρασκευὴ, id eſt, præparatio ad ea quæ de Rep. dicturus eſt.*

Atque utinam.] *Votum, Græci εὐχὴν uocant.* Homines ampliſſimi.] *πάθος ab indignitate rei.* Idcirco ne] *Obiurgat grauiſſime uiros conſulares, quod ſententiam L. Piſonis ſequuti non ſint.* Deinde à uobis.] *Captat beneuolentiam ad ea quæ dicturus eſt.* Primum igitur.] *Propoſitio eſt.*

Non quo probem.] *Præoccupatio eſt.* Vellem adeſſet autem.] *Σαρκασμὸς eſt, id eſt, riſus amarulentus.* Sine aduocatis.] *Id eſt, operis fabrilibus, quibus non ſecus ac aduocatis Antonius res ſuas tutabatur. Porrò infantiam quoque Antonij tacite notat.* Quemadmodũ ipſe.] *Sũma ſequentiũ argumẽtorũ hoc ſyllogiſmo colligi põt. Qui leges Cæſaris nõ ſeruat, is acta eius nõ ſeruat: Antonius leges Cæſaris nõ ſeruat: ergo nec acta eius ſeruat.* Ac ne prolaris.] *Correctio.* In æs incidit.] *Leges intelligit.* Pecunia utinã ad Opis.] *Matris Deũ, quæ alio nomine Cybelle uocatur. Porrò hæc pecunia, de qua hic loquitur Cicero, eſt pecunia redacta ex bonis Põpeianorũ, partim occiſorũ, partim proſcriptorũ.* Quanquam ea quoque.] *Conceſſio ironica.* Et quid eſt.] *Confirmatio maioris, quod acta Cæſaris proprie ſint leges Cæſaris. probat ab exemplis per inductionem.*

Acta Gracchi.] *Florus Epitomarum 60.* Syllæ.] *De legibus Syllæ uide Pomponium Lætum, de legibus Romanorũ.*

Pompeij.] De legibus Pompeij infra, & in Inſtitutionibus libro 4. in titulo de Publicis iudicijs. Quæ lex melior.] Confirmatio minoris propoſitionis, ab Antonio ſcilicet leges Cæſaris non ſeruatas, ſed deſtructas. Quam ne prætoriæ prouinciæ.] Leges Cæſaris ab Antonio uiolatas eſſe, primo probat à legibus prætorijs ab Antonio uiolatis. Quid.] ἐπιφώνημα ab enthymemate. De tertia decuria.] Cæſar iudices in duo genera diuiſerat, ita quòd iudices eſſent aut Equeſtris aut Senatorij ordinis homines, & Tribunos ærarios ab Aurelio Cotta quoq; inter iudices electos ſuſtulerat. At mortuo Cæſare Antonius Tribunis ærarijs iterum iudicandi poteſtatem faciebat. O` contumelioſum honorem.] Exclamatio pathetica eſt. Vt de ui.] Seu publica, ſeu priuata, aduerſus eos lata qui uim uel armatam uel ſine armis cõmiſerint. Sed ſi quidem armata uis arguatur, deportatio, ex lege Iulia de ui publica irrogabitur. Si uero ſine armis, in tertiam partem bonorum ſuorum publicatio imponitur. § Item. L. Iulia. Inſtit. de Iudicijs publicis. De maieſtate.] Lata aduerſus eos, qui contra Imperatorẽ, uel Remp. aliquid moliti ſunt, cuius pœna animæ amiſſionem ſuſtinet, & memoria uel etiam poſt mortem damnatur. §. Publica autem. Inſtit. de Iudicijs publicis. Quid eſt enim hodie.] Legis Antonianæ improbatio, ab inutili. At res eſt popularis.] Subiectio. Vtinam quidem.] Confutatio ſubiectionis à negatione. Quæ igitur cupiditas.] Ab inhoneſto legem improbat. Quid enim turpius.] Probat legis turpitudinem. Sed quid plura de lege diſputo?] Correctio. Quaſi uero.] A` fine legis, legem improbat. Quis eſt enim.] Confirmatio a diuiſione, uel potius diſtributione. Non igitur prouocatio.] Clauſula argumentorum eſt. Quid eſt igitur.] Exaggeratio. Quid, quod abrogatur.] Exaggeratio eſt, finis legis Antonianæ. Quæ quidem ego.] Redit ad ſuperiorem propoſitionem, acta Cæſaris ſeruanda eſſe. De exilio reducti.] Quia Antonius dixerat in actis eſſe Cæſaris, ut aliqui exules ab exilio reducerentur. uide Appianum lib. 2. Bell. ciuil. De exilio reducti ſunt.] A` minori probat leges, quas uiuus Cæſar tulit, in primis tuendas eſſe. Eas inquam.] Repetitio cũ magna uehementia. Ac de his tam legibus.] Tranſitio eſt.

Quærunt quid ſit.] πρόληψις, id eſt occurſio obiectionis eſt.

Tribunus plebis.] Hoc dicit propter Lucium Antoniũ, qui iſto tempore Tribunus plebis erat. Religione.] Hoc propter augures dicit, qui obnunciare ſolebant, ſi in legibus ferendis aues nõ addicerent. Quas tu mihi.] Dialogiſmo orationem exornat. Reip. ſalus.] Nam ſaluti Reip erat, ſi quando Tribuni plebis legibus latis à Senatu intercederent, aut quãdo augures obnunciabant infauſtũ eſſe hunc diem, quo uel leges ferre, uel comitia inire uellent. Atq; ego dico.] Adhortatiuncula ad Patres Conſcriptos eſt. Iraſci quidem.] Dicturus & in Dolabellam Conſulem præſentem, & collegã Antonium abſentem, nouo quodam exordio utitur. Pro Repub.] Captat beneuolentiam à re, pro qua dicturus eſt. Noui facilitatẽ.] Captat beneuolentiam à facilitate Dolabellæ. Auorum ſcilicet M. Antonij oratoris, qui Syllã ſequutus à Mario interfectus eſt. Sed promam ius.] Captat beneuolentiam ab æquitate poſtulationis, quam ab Antonio poſtulet. Id eſt, libere quæ ſentiam.] Epexegeſis eſt, quando uerba ſequentia, præcedentia interpretantur. Non idem tibi aduerſario.] Fingit ſecum loqui Antonij familiares, per Mimeſin. Admonent quiddam.] Ne ſcilicet ab Antonio inopinato interficiar. Non enim uult aperte indicare, id qđ cauere debeat, ne offendat, et irritet animos plerorumq;. Sed per Deos immor.] In Dolabellam inuehitur, ſed amice, quod uoluntatẽ Reip. defendendæ prorſus depoſuerit: & eam iam euertat, quam antea omnibus uiribus propugnarit. Credo enim.] A` diuiſione locus. Sed charitatem ciuium.] Locus à re, cum nobiles è Rep. concupiſcant. Ea autem eſt gloria.] Locus à finitione gloriæ. Dicerem Dolabella.] A` fructu recte factorum Dolabellam hortatur.

Expiato foro.] Id eſt, ara deturbata illa, in qua ſcelerati quidam Cæſari diuinos honores habebant, ut ſupra habuimus.

Diſſipato concurſu impio.] Qui ad aram conuolabant, & incendia tam tectis quàm templis minitabantur. Cuius ordinis.] Amplificatio facti Dolabellæ. Pœna.] Serui in crucẽ ſuffixi ſunt: liberi uero homines præcipites è loco edito detruſi. auctor App. libro. 2. Bell. ciuil. Earum rerum obliti.] Indicat tribunatum Dolabellæ, quemadmodum ſeditioſe geſſit, ut ſcribit App. lib. 2. Bell. ciuil. Hanc tu potuiſti.] Clauſula et amica reprehenſionis, & hortationis. Magno loquor.] πάθος mouet. Hanc tu inquam.] Amplificatio à repetitione.

Te autem M. Antoni.] Nonnihil in M. Antonium abſentem dicit, & eum quo recta ad ueram gloriam contendat, hortatur. Depoſitis inimicitijs.] Cũ Iulius Cæſar aliquando Conſul crearetur, neq; in urbe manere auderet, in locum ſuum Dolabellam eligendum cenſuit: quem cum Collegam habere Antonius repudiaſſet, ex augurio tamen poſtea cum Iulius Cæſar occiſus eſſet, eum ultro optauit, oblitus augurij, &c. Vt enim propter exemplũ.] Ab exemplo pari factum Antonij exaggerat. M. Manlij.] Qui Capitolium à Gallis defenderat, cum obſtrictos ære alieno liberaret, nexos exolueret, crimine affectati regni dãnatus, de ſaxo Tarpeio deiectus eſt: in cuius notam Senatuſconſultum factum eſt, ne cui de Manlia gente, Manlio cognomen eſſet. Hæc Florus Epit. 6. Num te, cum pro ſalute.] Exaggeratio factorũ Antonij à cõmodis, quæ facta eius ſequuta ſunt. Non poſſum adduci.] Occupatiuncula eſt.

Quam ſolent.] Correctio quædam eſt. Charum eſſe ciuem.] Hortatur Antoniũ, ut malit ſe charũ eſſe ciuibus q̃ metui. Quod uidemus etiam.] Ab exitu tyrannorum tragicorum Antoniũ hortatur, ne metui à ciuibus uelit. Oderint dum metuant.] Tyrannica uox, ſumpta eſt è tragœdia Actij, & à multis ſcriptoribus uſurpata. præcipue à Seneca lib. de Clementia 2. Acerbiſſimum eius diem.] Is. n. cum Syllanus eſſet, à Mario & Cinna interfectus eſt, cuius caput pro roſtris poſitũ fuit. L. Cinnæ.] De Cinna Eutropium uide, lib. 5. hiſt. Ro.

Si enim exitus.] A` morte Cæſaris Antonium hortatur.

Beatus eſt nemo.] A` finitione beati locus. Quare flectere.] Epilogus. Et populi R. iudicia.] A` iudicijs pop Rom. utrunq; & Antonium & Dolabellam hortatur: ut diligi magis, q̃ metui, & Remp. liberam potius, quàm oppreſſam uelint.

Quid. n. gladiatorij.] Cum ſcilicet Cæſarem confectis bellis ciuilibus plerique regem ſalutarent. uide App. lib. 2. Bell. ciuil.

Plauſus infiniti.] Dati à populo, propter ſtatuam, qua Pompeius propter uirtutem ſuam donatus eſt. Apollinarium ludorum plauſus.] A` plauſu populi in ludis Apollinaribus dato, adhortatur. Apollinares autem ludi dicti, quod in laudem Apollinis celebrati ſint. Et alij hiſtorici ſcribũt peſtis gratia, alij uictoriæ cauſa celebratos. Liuius in 5. ſecundi belli Punici, Macrob. in 1. Saturnalium. O` beatos illos.] Exclamatio pathetica eſt. Actio.] Poeta tragico, cuius fertur exhibita fabula, cui nomen Bruto fuerit, quæ fabula cum magno applauſu ſpectata eſt. uide Petrum Crinitum libro 2. de Poetis latinis, & Euſebium in Chronicis. Equidem is ſum.] Occupatio eſt.

Satis enim erat.] Diſtributio per incrementum. Non interpretamini.] Id eſt, non exponitis, non expenditis cuiuſmodi ſit iudicium, & uoluntas populi R. in retinenda libertate, cum adeo de Hircij libertate propugnatoris uita laborarit.

Certe in nullo.] Subiectio. Quod igitur.] Clauſula hortationis. De ueſtra uita.] De uobis, qui adhuc incolumes eſtis, & non laboratis morbo, ut Hircius. Cœpi Patres Conſcripti.] Epilogus orationis totius: in quo diſſerit, & cur tam libere de Rep. & quid poſthac ſi uixerit, dicturus ſit.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAM SECVNDAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

## ARGVMENTVM.

POSTQVAM *Cicero liberius de Rep. & de Antonio dixerat, offenſus ille grauiter, uenit poſt aliquot dies in Senatum, & meditata oratione cóqueſtus de iniuria Ciceronis, multis maledictis in perſoná eius inuectus eſt. Non reſpondit illo die Cicero, prohibitus ab amicis, propter arma Antonij, quibus ad manifeſtá uim ſpectare uidebatur. Sed aliquantum poſt confirmatus opibus Octauij, qui hæres Cæſaris erat, & offenſus Antonio, gratiaq; & auctoritate Senatus ueteranorumq; præſidio ad parem potentiam prouectus, reſpondit hac ornatiſſima oratione, & quidem præſenti in Senatu. in qua primo obiecta crimina diluit. deinde inſectatur uitam hominis: & per omnes gradus ætatis uitia colligens, crimino ſe commemorat quæ ab illo unquam priuatim aut publice commiſſa fuerunt. Oratio eſt abſolutæ eloquentiæ in demonſtratiuo genere, uituperationem perſonæ cum criminum purgatione continens. Status prioris partis tam multiplex, quod diluuntur crimina poſterioris & principalis, an talis ſit Antonius, qualis à Cicerone oſtenditur: hæc eſt qualitas demonſtratiua, ut non ad probationem, ſed ad oſtentationem multis locis figuriſq; amplificationis tradatur. incipit à querela, quæ ad fauorem accommodata eſt, ex qua mox ad criminum depulſionem deſcendit.*

QVONAM *meo fato.*] *Queritur de fortuna ſua, & ſimul terret aduerſariorum, & improbitatem illius amplificat.* Atq; hoc.] *Contentione aliorum amplificat improbitaté Antonij.* Quid putẽ?] *Enumeratione colligit uerá offenſionis cauſam, & utitur ſchemate ſubiectionis.* Illud profecto.] *Infert quod dixit, cum epiphonemate.* Cui priuſquam.] *Ingreditur reprehenſionem maledictorum.* Contra rem ſuam.] *Specialis propoſitio eſt. Fuerat familiari cuidam Ciceronis lis cũ Q. Fundo Bambalione ſocero Antonij (nam plures habuit uxores) cui Cicero aduocatus fuerat. hic reprehenderat, defendit Cicero.*

Familiari.] *Domeſtico. Quis ille fuerit, non conſtat. ab officio defendit.* Contra gratiam.] *Scilicet Antonij, quam extenuat.* Interceſſoris iniquiſs.] *Videtur Tribunum quempiam pleb. ſignificare. qui in iudicio interceſſerit in gratiá Antonij, uel ut mutaretur ratio iudicij, uel ut proferretur dies, qđ cómodum eſſe Q. Fundo, incómodum autem Ciceronis familiari. Nam res non extat.* Sed hoc idcir.] *Exprobratio libertini, affinitatis Antonij.* Sed hoc.] *Correctio.* At enim te, &c.] *Hoc breuiter negat, cum exprobratione famoſæ conſuetudinis cum C. Curione. de quo uide Plutarchum in uita Antonij.* At enim.] *Profert obiectionem ex perſona aduerſarij.* Pudicitiæ.] *Nam proſtrauerat ſe C. Curioni.* Sed nec.] ἀντίθεσις. Auguratus petitionem.] *Hoc quoque negat, & confirmat uanitatem à tempore. Fuerat Cicero cooptatus in augurum collegium, in locum M. Craſſi, qui in Parthis perierat.* Auguratus.] *Eadem forma, qua Conſulatus.*

O incredibilem.] *Per exclamationem.* Quo enim.] *Infert à tempore, illum mentiri.* Nec tu ſoluendo.] *Qui ſoluendo non erant, uel damnati repetundarum, non poterant auguratum petere.* Soluendo.] *Eras oppreſſus ære alieno, plus debebas quàm ſoluere poſſes.* Poterás.] *Aliud argumentum ex tempore.* Curio.] *Amaſius tuus.* Non eſſet.] *Interrogatione acrius inſtat.* Vnam tribum.] *Suffragium unius tribus.* Ferre potuiſſes?] *Interrogat quod dici non poteſt.*

Cuius etiam.] *Hoc obiter addit, ad dicti confirmationem, & ad notandam uiolẽtiam Antonij, qui fretus auxilio Curionis, competitorem ui de foro expulerat.* Familiare.] *Scilicet Curionis.* De ui.] *Hoc lædit hominẽ.* At beneficio ſuo.] *Hanc obiectionẽ ita reprehendit, ut primo neget beneficiũ fuiſſe, deinde qualitatem ſcilicet facti ſui defendit: quorum alterũ habet finitionem, alterũ qualitatem comparatiuam.* Quanq; illud.] *Correctio ad temperandum dictum.* Malui me.] *Addit cauſam, ut fecerit.* Sed quo.] *Redit ad inſtitutum. nam hoc obiter inſeruit ad temperandum dictum.* Sed quo beneficio.] *Nõ uult hoc beneficium, quoniam ſine ſcelere omitti non potuerit. beneficiũ aũt liberum & gratuitum eſſe debet, & cũ honeſtate coniunctum. Probat ſe ſine ſcelere occidi nõ potuiſſe, ipſius Cæſaris iudicio. quod profert per contẽtionem, ex maiori. Hiſtoria pertinet ad illud tempus, quo poſt Pharſalicam pugnam Antonius in urbem remiſſus à Cæſare, Ciceroné Pompeianas partes ſecutum, Brunduſij offenderat.* Tu.] *Antoni, minor Cæſare.* Niſi ut.] *Declarat ſimilitudine odioſa. Nam crimen crimine defenditur.* Quod ſi eſſet.] *Ex cõtrarijs.* Nunquam ij.] *Caſſius & Brutus.* Quale aũt beneficium.] *Aliud argumentum ex adiunctis. quod item ad differentiá pertinet.* Id.] *Quod tu iactas.* Sed ſit beneficium.] *Concedit rurſus quod extorſit, et nihilominus obtinet defenſionem: qui ordo ex incremento eſt firmiſſimus in argumentando. Defendit aũt qualitatẽ facti ſui ex comparatione, et mitigat quod fecit, & profert tyrãnidem Antonij, cum amplificatione.* Gradu.] *Intelligit gradum dignitatis.* Quid.] Pro aliquid. Quid nõ.] *Eſt* ἀντίθεσις. Reliquias.] *Poſt C. Cæſarẽ, qui Remp. euertit.* Promulgatæ.] *In publico propoſitæ.* Luſtriſq;.] *Scortis.* At ego.] ἀντίθεσις, *cõtentio cũ perſona Craſſi.* At etiá.] *Trãſit ad aliá obiectionẽ.* At etiá literas.] *Antonius protulerat literas Ciceronis, ad arguendũ eius inconſtantiá. quam rẽ Cicero primo ut inhumaná, deinde ut ſtultá, poſtremo ut iniquá reprehendit. et accõmodatur locus odio in Antoniũ.* Conſuetudinem.] *In literis mittendis.* Quid hoc.] *Amplificat ad locũ cõmunem.* Seria.] *Grauia.*

Sit hoc.] *Ad aliud trãſit.* Sit hoc inhumanitatis.] *Arguit ſtultitiá, & obiter lædit & irridet hominẽ.* Quid habes.] [illegible] *Si oſtenderis.*] *Obijcit ei uim, quod armatos in Senatũ conduxerit. ſtabãt. n. in proſtibulo. Obijcit hoc orator, ut lædat aduerſariũ.* Sed qđ oppones.] *Redit ad inſtitutá ſententiá, de qua breuiter deflexit.* Sed quid.] *Eſt reuocatio uerbi. Subiũgit ſententiá per fictionẽ.* Quo me teſte.] [illegible] *eſt, quo tacite ſignificat, Antoniũ ex chirographis Cæſaris quæſtũ facere.* Quæſtuoſam.] *Hoc opportune introducitur ad lædẽdũ aduerſariũ.*

Iam inuideo.] *Hoc urbane dicitur, et cũ uenuſtate in fine ſententiæ ex cõtrario, docemus homines ſapere, uõ cõtrariũ. Quintilianus uetat, ne nobis fingamus ſtultũ aduerſariũ.* At ego nõ nego.] *Arguit iniquitatẽ obiectionis, ex tacita ui trãſlationis. nã ſenſus ſubeſt, nõ nego me ſcripſiſſe ſed tu obijcere nõ debes, quo*

*niā amici ſcripſi et profert in teſtimoniū uerba aduerſarij,quæ extremo loco ex ἀντιδόσιν ita euertit,ut augeat benignitatem ſuā.Trāslatia apud Rhetores eſt,cū nō defendimus, ſed depelli mus actionē.* Quod n.] *Declarat.* Crimē.] *Pro criminatio ne,Et profert uerba Antonij,qui locus ſapit proſopopœiā.* Ad ciuem.] *Non ad tyrannum.* At ego tuas.] *Viciſſim con fert ſuam modeſtiam cum uanitate Antonij,quam ex illius ad ſe literis commemorat.* Quendam de.] *Intelligit filium P. Clodij.* Adiuraſq;.] *Hoc uale ſimulatum fuiſſe, & mox confirmat ex cauſa.* Quid enim.] *Ex maiori.* Verum tamen quid.] *Reſpondet, falſum & fictum eſſe.* Cæſaris le ge.] *Cæſar legem tulerat, ut reduceretur.* Sed uidelicet.] *εἰρωνεία.per occupationem irridet,& occurrit reſponſioni Anto nij.* Meam gratiam uoluit.] *Voluit mihi uideri gratiam à Clodio,eleganter dictum.* In quo.] *In qua re ,id eſt in re ducendo Clodio.* Lege lata.] *A' Cæſare.* Sed cum mihi P.] *Poſtulat beneuolentiam,& offenſionem inſectationis de precatur. Eſt præparatiuncula ad ſequentem locum orationis.*

Non tractabo ut.] *Relatio ex parte,quam tamē minuit ex diuerſa parte,ut ſuam potentiorem efficiat.* Vt igitur intelli geretis.] *Mire proponendo obiectionem,eam in argumentum trahit,& mox coniungit defenſionem, quæ eſt ex remotione.*

Verbo.] Nomine. Re.] *Senatus actis, conſilijs.*

Quid enim.] *Declarat.* Ordinis.] *Omnia ſunt decre ta, ſententia Senatus.* Hæc tu homo.] *Acrius inuadit per ſonam,& reprehendens ſtultitiam, profert aliam defenſionem. ex bonorum iudicio, in quo & obiter taxat Clodium, & pa rem illi exitum Antonio ominatur.* Hæc tu.] *Defendit ab ſolute.duplex eſt defenſio,abſoluta & aſſumptiua.* Sapiens.] *εἰρωνεία.* Non ſolum.] *Valla diceret,ne dum eloquens.*

Quis autem.] *Mox profert teſtimonium. obiter facta men tione Clodij, idem factum illi intendit ſicut Clodio.* Quoniā id domi tuæ eſt.] *Fuluiam uxorem intelligit, poſt Clodiū & Curionem Antonio nuptam:quæ ambitioſa erat mulier,& ma ritum ad immoderatas opes inſtigabat.* Non placet.] *Profert auctoritates illuſtrium uirorum,& concitat orationem crebra enumerationis iteratione.* Non placet.] *Facit contentionē.*

M.Antonio.] *ἔμφασιν habet,ad contemptum.* Craſſo.] *Qui in Parthis periit.* Hortenſio.] *Qui eloquētiſſimus fuit, & par Ciceroni.* Sed quid.] *Correctio pœnitentiæ.* Sed quoniam illi.] *Profert uirorum teſtimonia, ex quibus Cotta & Lentulus ſententiam dixerant Conſule Cicerone, in depre henſos coniuratos.* Reliqui.] *Superſtites.* Togato.] *Senatori.* In ſororis ſuæ uirum.] *P.Lentulum ſignificat, qui fuerat inter coniuratos.nupſerat huic Antonij mater, poſt mortem illius Antonij patris.* Vitricum.] *Is eſt matris meæ maritus,non pater.* Hunc tu eum.] *Deflectit bona occaſio ne,ad reprehendendam nequitiam Antonij in gerenda Repub.*

Hunc.] *L.Cæſarem.* Vitrici.] *P. Lentuli.* In ſoro ris.] *ἀντίθεσις.* Ad quos.] *Exclamatio, ad indignitatem.*

Ad eos.] *Reſpondet.* O fœditatem hominis.] *Mire in ducit uerba populi de Antonio,ad exprimendam indignitatē.*

Hodie non.] *Inducit proſopopœiam.* O fœditatem.] *Exclamat indignitatem.* Tu.] *Conuerſus in aduerſarij per ſonam,acrius inſtat.* Ad eum.] *ἀντίθεσις.* Tuus uidelicet.] *εἰρωνεία.* Adeo'ne.] *Grauis increpatio.* Florent.] *Ante dominatum Cæſaris.* At etiam.] *Tranſit ad aliam obiectionem.* At etiam auſus.] *Refellit aliam obiectionē. oppoſitis actis illis temporis, quod arguebat Antonius. habent uim ex teſtimonijs.* Vt illa credo.] *Ironicos loquitur,& Se natus Conſulta intelligit ſe Conſule facta in coniuratos.& ui detur imitari uerbum Antonij cum dicit Nefaria.* Illa nefa ria.] *Μίμησις.* O miſerum.] *Per exclamationem refellit.*

Loquere.] *Mentiare..* In hoc templo.] *In æde Concor dia.* Nomen non dedit.] *Milites dabant nomina,ubi dele ctus fiebat ex ſingulis claſſib.deinde dicebāt oēs ſacramēto. qui milites huiuſmodi cōgregant, ſunt conquiſitores.* Etenim cū.] *Eſt cauſa,cur ciues nomina darent,à tempore.* Sua manu.] *Grauiſſima teſtimonia.* Parricidio.] *In parentem & patriam.*

Ducem.] *Seipſum intelligit.* Ad ſepulturā.] *Hæc ob iectio cohæret cum ſuperiori,nō tam re q̃ tempore.* Ad ſepul turam corpus.] *Et hoc negat,reprehendens impudentiam men dacij ex Clodiani teſtimonij remotione, quod ſumit ex maiori. nā teſtimonia interdū & ubi deſunt,ualent Fab.lib.5.* Supe ratum.] *Hoc obiter inſerit,ad uituperationem hominis.* Qui aūt tibi.] *Reprehendit ſtultitiā obiectionis,& aduerſam eſſe oſtendit.* Diſciplina.] *Magiſter P.Lentulus.Cic.in hac tota ferè oratione inſectatur Antonium ab infantia, ut eū in odiū ducat.de qua re uide Quintilianū.* Tam aūt eras.] *Inter pretando pugnantia colligit.Laudare aūt & reprehendere ſunt pugnātia.* Homo diſertus.] *εἰρωνεία.* Vituperari.] *Quod eſt offenſum apud Rhetores.* Iam illud cuius.] *Aliam repu gnantiam oſtendit, qua pugnent facta Antonij cū oratione.Si mile eſt illud in Euangelio, de Feſtuca in oculo fratris,& trabe in ſuo,&c.* Inter ſubſellia.] *In ſenatu.* Cella.] *Sacel lū.* Salutatores.] *Ad ſalutem Reip.in coniuratos.* Accu ſa Senatum.] *Conceſſione inſultat in impudentiam hominis.*

Ithyreis.] *Ithyrei fuerunt in Palæſtina Iudæa,in qua Anto nius ſub Gabinio militauerat.* Hunc ordinem.] *Senatum.* Nihil profecta.] *Concluſio.* Quid eſt.n.] *Enthymema ex contrarijs.* At etiam quodā.] *Reprehendit ineptiam obiecti uerſiculi,& criminatur aduerſarium, & ſtudia ſua defendit.*

In quo eſt.] *Hæc eſt εἰρωνεία.Obiter aūt perſtringit hominē à nequitia.* In quo eſt tua culpa.] *εἰρωνεία eſt,quaſi hoc dictū ineptū fuerit,non Antonij culpa, ſed ſua qui uerſiculi auctor fuerit.* Mima.] *Hiſtrionica mulier, Hippica prius appellata, quæ poſtea ab illo Volūniam,&c.* Cedant arma.] *Notus eſt ille uerſiculus,qui iactus à Cicerone de Conſulatu ſuo, tractus fuit ad inuidiā,& frequenter illi ab inimicis obiectus.Erāt aūt duo:Cedant arma togæ,concedat laurea linguæ.O fortunatam natā me Conſule Romā.* At poſtea.] *Ex Antitheſi percellit Antoniū.* Quæramus.] *Confert ſe cū Antonio, ſuamq; togā cum armis illius.* Tamē dicam breuiter.] *Præteritio Rheto rica.* Reip.] *Conſulendo.* Subciſiuis.] *A' ſubcidendo, de trahendo,amputando.* Vt meæ uigiliæ.] *Ab honeſto & utili.*

Quid'nā hom.] *Hoc refellit argumentādo ex maiori,et ſi mul eodem crimine repetit Antoniū.Argumentatio eſt: Si tibi cū fauerem nō ſuaſi,nec ſuaſi Miloni cui fauere nō potui.* Stricta,] *Nuda de qua re fit mentio in defenſione Milonis, &c. quæ oratio extat.* Oppilatis.] *Occluſis, foribus obiectis.*

Sed quid.] *Hæc particula adfert quādam uehementiam.* At ego.] *εἰρωνεία.* At ego.] *Eſt argumetum à ſuperuacuo & maiorū.* At lætatus.] *Defendit ex tpe.* Quanquā de mor te.] *Corrigit,& improbat Clodianū iudiciū,ut iure cæſum ar guat.ergo defenſio eſt ex qualitate.* Quæſtio.] *Iudiciū. de qua re eſt apud Aſconiū.* Noua lege.] *A' Pōpeio lata.* Quid ergo?] *Ad cōiecturā reuertitur,& requirit teſtimonia.* Quod uera dicere.] *Refellit à tēpore, ſe integra re conatū fuiſſe Pōpeiū abſtrahere à Cæſare,poſtea nō potuiſſe. Hoc ex hiſtoria pē det,et pertinet ad cauſam ciuilē.* Ego illū.] *Exponit rē.* Quid ego.] *Negat ſe efficere hoc potuiſſe.erat.n.arcta gratia inter illos.* Duo tamē tēpora.] *Profertur conatū ſuū in impediendis creſcētib. opibus Cæſaris.quib.ille ad tyrānidē profectus fuerit. Sed hoc negat reprehendi poſſe.* Prorogaretur.] *Scilicet,lege Trebonia.* Abſentis.] *Cæſaris.* Atque idē.] *Sequitur ordi nē tēporū.* Cœpiſſet.] *Pōpeius.* Bellū.] *A' Cæſare.* Meaq; illa.] *Hoc teſtimonij loco profert.* Grauitatis.] *Pōpeij.* Hæc mea.] *Cōcluſio huius loci.* Tu tuis.] *Ex Antitheſi lædit aduer ſarium*

ſarium. Sed hæc.] Abrumpit hunc locum. Illud uero re cens.] Hoc primum refellit coniectura, deinde qualitatem defendit. Præuaricator, qui colludit cum aduerſario, qui cauſam ſumit defendendam, ſed ſimulate. Quis rnim meum.] Argumentatur ex teſtimonijs. Cuius autem.] Subeſt argumentatio, quàm dialectici uocant ex ſecunda figura. Omnium coniuratorum nomina fuerunt diuulgata: Meum non fuit diuulgatum: Ergo, ego non fui inter coniuratos. Citius dixerim.] ἐπιφώνημα. Quàm uériſimile.] Confirmat quod protulit argumenta, à ſua perſona. Etenim ſi.] Eſt argumentum à ſuperuacuo. Illis.] Exiſtentibus. Vterque.] Marcus & Decimus, qui fuerunt ex radem familia orti. Auctor eſt, alicuius rei effector. Qui etiam ſine.] Hoc factum fuit in brllo ciuili in Aegypto. Auunculi.] Cn. Pompeij. Sed mea.] ἀντίθεσις. Quo etiam.] Hunc obiter laudat.

An L.] Omnes ordine narras. Longum eſt.] Abrumpit orationem. At recordamini.] refellit probationem Antonij. Acutus.] εἰρωνεία. Cæſare interfec.] Refert uerba aduerſarij, quæ per ſe infirma ſunt & friuola, & refert cũ quadam eluſione. Cur mihi.] Reſpondet Orator. Vide ne illa.] Soluit in diuerſum in interpretando. Tu autem, &c.] Facit offenſum aduerſario, & ſimul populi iudicio defendit. Ingreditur autem iam alteram partem reſponſionis.

Ecquis eſt. Addit rauſam, cur excipiat Antonium. Occiderant.] Voluntatr & ſtudio. Sed ſtuporem.] Pergit defendere qualitatem, & ſimul pugnantia colligit. Exclamauit.] Nominauit. Ergo ego.] Infert Enthymema ex repugnantibus. Appellat Ciceronem, quod conſcius fuerit: Marcum laudat, quod fecerit. Eſto, ſit in uerbis.] Profert & rerum pugnantiam: ex qua euincit, interfectores Cæſaris non parricidas, ſed liberatores patriæ eſſe, ipſius Antonij teſtimonio. Argumẽtationem acriter tractat, cum increpatione, qua ſtoliditatem hominis exagitat. Primo conſtituit propoſitionem ſyllogiſmi hypothetici, deinde adiungit aſſumptionis probationẽ, poſtremo concludit. Brutorum.] Significat Marcum & Decimũ.

Edormi.] Increpat hominem, & inſultat. Crapulam.] Vini ingurgitationem. facit eum quaſi ebrium in Senatu.

Illorum.] Coniuratorum. Tu homo.] Aſſumptio, cuius probationem profert rx teſtimonio Antonij. Data.] A te. Scribam.] Concludit increpando aduerſarium, & irridendo. Sequitur.] Ex repugnantibus. Sed tamen hæc.] Colligit concluſionẽ totius quod efficitur, nempe glorioſum eſſe quod ſibi obiectũ ſit, nec ſe iam negare, ſed ronfiteri: in quo rſt ſpecies Ironiæ, audacius concedentis ex cauſæ fiducia. Quintil. lib. 6. & 9. facit duas ſpecies Ironiæ, alteram inter tropos, alteram inter ſchemata. hæc inter ſchemata eſt. Liberati ſunt.] Hæc rſt intentio, & concluſio argumentationis. Retexo.] Muto. Mrtaphora ſumpta à lanificio. Ad illos.] Brutum & Caſſium. Etenim uereor.] Cauſa. Quæ enim res.] Deſcendit in amplificationem, & rem uerbis, extollit. Pro ſancte.] Exclamatio attollit rem. Conſilij.] Coniurationis interfecti tyranni. Tanquam in rquum.] Venuſta & illuſtris comparatio, ad rei amplificationem inſertarſt. Ago etiam.] εἰρωνεία. Quid enim beatius.] Commutatione uerborum frequentat randem ſententiã. Expolitio illa rfficitur ex adiunctis. Illos.] interfectores Cæſaris. Tu uero.] Conceſſio. Sed unam rem.] Hoc dicit in Antonium, quem ſignificat unà cum Cæſare tollrndum fuiſſe: & ſententiam iterat. Allegoria ſumpta à poetis, ut modeſtius loquatur. Regẽ.] Cæſarem. Sed regnum.] Intelligit Antonium. Stylus.] Alludit ad pugionem, quo interfectus eſt Cæſar. Quãquam ſi interfici.] Transfert grauiorem ſuſpicionem in Antonium, et loquitur per ironiam. non. n. uult uerum rſſr quod obijcit, ſed redarguit impudẽtiam Antonij in alijs inſectandis. Seuocari.] Ante curiam ſcilicet. Quod ſi te in iudicium.] Ex ſpe cõmodi facit ſuſpicionẽ credibiliorẽ in Antonio, ꝗ in cæteris.

Cui bono fuerit.] Verba erant L. Caſsij iudicis, cum de facto quærebatur. Aſconius refert. hũc Caſſiũ ſeuerum fuiſſe iudicem. Hæreas.] Nr uincaris. Metaphora ſumpta à uelis.

Qui maximo.] Enumerat, quod cõmodum ſecutus ſit. & facit crimino ſam enumerationem. Tabulas.] Cæſaris, in quibus acta tenebãtur. Officina eſt, in qua res fiunt: taberna, in qua uenduntur. Neſcio quid.] Abrumpit hunc locum, & interpretatur quæ dixit, ne quod modo laudauit, tribuere uideatur Antonio. Libero te.] Reſpondet. Caſtra mihi Pompeij.] Dicit ſe pacem coſuluiſſe, idq; defendit ex bono publico, remouens ſuam perſonam, & interitum clariſſimorum uirorũ deplorans. Reſp.] Diſtributio in perſonas. Delebam.] Cauſa cur in mala triſtitia fuerit. Peritur. i.] Brllo ciuili.

Neq; uero.] Occurrit obiectioni, ne ei ipſe timuiſſr uideatur: & à ſua remouet perſona. Illos ego.] ἀντίθεσις. ubi ſuam perſonam remouit, alios profert. Mihi. n.] παρρησίᾳ defendit, quod dixit de pace. Vt alia.] Incõmoda. At uero Cn.] Hoc ut falſum refellit, & docet qualis ſibi fuerit cum Pompeio diſſenſio, quid ille de ſe iudicarit. alterũ ad rauſam in coniectura, alterum ad teſtimonium pertinet. Quod uero.] Remouit cauſam diſſenſionis Pompeij, nunc profert illius teſtimonium. Ab eo.] Pompeio. Me uidiſſe plus.] ἐλλειπτικὸς rſt, ſi uera eſt lectio, uel quod me plus uidiſſe, uel meo ampliore aſpectu: quod latiue durius eſt. dicit enim aſpectum ſuũ Pompeio ſpem attuliſſe, quoties ab eo uiſus rſſet. Et eius] Amarior indignatio, ad concludendum. Sectorem.] Sector eſt, bonorum redemptor, qui ſpem lucri ſecutus, emit uniuerſa bona, ut in auctione reuendat. Infrctari.] Facit Paronomaſian. Inter ſe colludunt. Ne iocis quidẽ.] Hoc ita præterit, ut tamẽ obiter defendat ex cõmuni humanitatr. Verũtamen.] ἀνθυποφορά. Quod autem.] Hoc infert in bonam partem.

Negaſti uenire.] Negaſti me conſtitutum fuiſſe hæredem.

Plures amici.] Hoc ut falſum refellit: & quod multo improbius eſt, obijcit Antonio. Seſtertiũ.] Sunt quinquies centena millia coronatorum. Acceptum hæreditatibus.] Idem ex hæreditatibus accepi. Modus loquẽdi, natus rx tabulis rationũ, in quas accepta & expenſa referebant. Hæreditatibus.] Acquiſitiuus datiuus. Quanquã in hoc genere.] ἀστείως loquitur. nõ enim felicẽ, ſed improbũ eſſe uult, qui in alienas hæreditates irrepſerit. Me nemo.] Declarat, & addit cauſam.

Caſſinas.] Gentile, ſicut Arpinas. Albus ater'ue.] Prouerbialis figura ex contrarijs. Nr nomen.] Fratris ſui filij. Quẽ nunquã uiderat.] Hoc uult incredibile uideri, ut quod diuerſum rſt probet, nempe Antoniũ fraude ad hæreditatẽ perueniſſr. Subeſt argumentũ ex diuerſis, aut ex remotione. Quæ prædia habuerit.] Quaſi diceret, nũquã cognoui hominẽ, ſed dedi operã ut prædia ipſius cognoſcerẽ. Quanquã hoc maxime.] Pater Antonij perliberalis fuiſſe traditur, unde mortuus magnũ æs alienũ filio reliquit. Hæc ut rolligeres.] Inſurgit acrius, & reprehẽdit declamãdi ineptiã, ac proinde ſtoliditatẽ hominis. Iam enim quoniã.] Tranſit ad alteram partẽ orationis, quia uituperat Antoniũ. & breuiter mouet attentionẽ. Incipit autẽ à pueritia, & ordinem ætatis perſequitur, crimino ſi cõmemorãs tũ priuata tũ publica flagitia, interpoſita frequẽti amplificatione. Illud tamẽ audaciæ.] Primi 14. gradus in theatro lege Roſcia equitib. aſſignati erant, ex quibus ſpectarẽt, proximr poſt Senatũ. Muliebrẽ ſtolã.] Figurate obijcit maſculã uenerẽ. Seſtertiũ ſexagies.] Id eſt, centũ quinquaginta coronatorũ. Sed liã.] Abrũpit orationẽ oratorie. Sed reliquũ uitæ.] Renouat attentionẽ, & trãſit ad alia. Ad hæc.] Addit cauſam, cur feſtinet ad alia, prætermiſſis priorib. Incidamus.] Prætermittamus, cõpẽdij gratia amputemus. Intimus.] Accingitur

ad rem. Fax.] Omniũ ſeditionũ auctor. Inde itum Alexandriam.] Antonius cum Gabinio Ptolemæum expulſum à ſuis, in regnũ reduxerat, tametſi id fieri uetaretur & Senatus conſulto, & Sibyllinis uerſibus. Itum.] Ab Antonio, poſt Clodij Tribunatum. Sed habebat.] εἰρωνεία. Pernicioſiſſimus fuit Gabinius. Qui cum.] Cum quo. Qui tũ.] Perſequitur ordinem temporis, ſignificat turpem fuiſſe reditũ.

Domum dico.] Correctio. Tanquam ſi Saponem.] Obſcura comparatio. clarum tamen, ſi Saponem eſſe urbem Hiſpaniæ intelligas, ad quam miniaris celeberrima fuerint. Miniarij autem genus hominũ, ut opinor, aſotum & diſſolutius uiuens, quales hodie Minerarij in Germania: unde apparet comparationem eſſe ductam. Plinius lib. 13. facit mentionem. Saponem.] Fodinariam. Satis fieri.] Ut in gratiam tecum redirem, ut me placabilem præſtarem. Cumq; eam.] Hoc commemorat, ad referendam maledictum Antonij. Satis eſſe facturum.] Satis pœnarũ daturum. Id enim.] Addit cauſam cur cucurrerit ad Cæſarem potius quàm ad alium imperatorem. Ibi.] Apud C. Cæſarem. Aduolas.] Omnia uerba ſunt odioſa. Ut in eo.] Addit cauſam. Vitrici.] P. Lentuli. Accipite nunc.] Renouat attentionem, dicturus de Tribunatus, quẽ Antonius pro Cæſare populariter ac ſeditioſe geſſerat, contra auctoritatem Senatus, Vide Plutarchũ in uita Antonij. Priuatum.] Criminoſe ſententiam exponit, quæ ſignificat Antonium fuiſſe auctorem belli ciuilis. Cóſulere.] Ut dimitteret exercitum, quem habebat in Gallia. Mancipatum.] Mancipatum, id eſt addictum. uerbum iuris eſt, de rebus quæ contractu ſeu emptione alienantur. Conſilijs ueſtris oppoſuit.] Conſultabat Senatus de adimendo exercitu Cæſari, & de armando aduerſus illum Pompeio, ne Remp. armis inuaderet, cui conſultationi interceſſit Antonius. Itaque unà cũ Cæſare hoſtis fuit iudicatus. In te autem M. Antoni.] Conuertitur in Antonium crimínoſa accuſatione, & hunc locũ amplificat, uerſando cómutatis uerbis: & diutius in eo cómorãdo, amplificationé ducit à iudicio Senatus, ab infamia ſempiterna, ab audacia Antonij, & incómodi Reip. Rhetores uocant cómorationem hoc genus amplificandi. In te M.] ἀποστροφὴ in Antonium, & oratio acrior redditur. Et tu.] Hoc per indignationem dicit. Iudicatus.] ἐνθύμημα. Intermiſſa.] Suſpenſa ad tempus. Quid cupide.] Obiurgat acrius. Adoleſcens.] Aetas tanto grauior audacia. in huiuſmodi amplificationibus ſpectãda ſunt circũſtantia, quibus res noſtra fulcitur, ut ſecurior ſit. Cum te.] Iterum repetit, quomodo fecerit, quo animo, quá pertinacia. Addicta.] Mancipata C. Cæſari. Tum illud.] Redit ad τί μα, ad iudicium Senatus.

Vulnus.] Vulnus μεταφορικῶς. at ipſa cóparatio auget.

Tum contra.] Eſt eadem ſententia, quam rurſus iterat.

Dedit arma.] Id eſt cómendauit Remp. Tu tu.] Tertio loco iterat eandem ſententiam. geminatio urget, & adfert uehementiam. Dediſti.] Hæc ab hiſtorijs pendent. Conſules uitam Antonij. Quid enim.] Confirmat teſtimonio Cæſaris. Interceſſio.] Tribunitia, quæ ſacroſancta erat. Circũſcriptus eſſet.] Id eſt, poteſtate prohibitus, ac ui repulſus. Circunſcribere eſt uerbũ iuris, circunuenire, & quaſi ſepta circundare. Circunſcriptio, quaſi iuris diminutio. Omitto.] Oratoria præteritio. Tibi.] Quarto repetit eandem ſententiã. In hoc loco Plutarchus diſſentit. O miſeram.] Hanc ſententiam ſupra poſuit, quã repetit de infamia Antonij. Coſ.] Exaggerat rem enumeratione. Et ſingula augent. Prætorij ſunt, qui præturam aliquando geſſerunt, ſicut Senatorij. Ut igitur.] Similitudo. Doletis.] Enumerando incommoda, uehementius premit, crebra conuerſione ad nomen Antonij facta. Omnia enim.] Epiphonemate concludit. Ut Helenæ.] Bona comparatio. Reliquæ.] Enumerauit primam actionem in ſenatum Antonij, tranſit nunc ad alia. Patrui.] Patruus Antonij fuit C. Antonius, collega Ciceronis in conſulatu, poſtea repetundarum damnatus. Si ſeuerus.] Correctio rhetorica: nam occurrit defenſioni, & remouet utrunq; quod dici poteſt. Licinium.] Hoc ita refert, ut uituperet. Quaſi uero ludere.] Illudit obiter, & ré urbanitate perſtringit. eſt εἰρωνεία. Quam attuliſti.] Improbat reſtitutionem aleatoris, ut patrui negligentiam exaggeret. Pertinet enim ad cóparationem ex minori. nam ſi alienum propinquo anteferre improbũ eſt, quáto improbius, ſi id nequiter & contra leges fiat.

Abſensem.] εἰρωνεία. Lege.] Legitimum, lege conſtitutum. Patruo.] Antonio. At uir.] Similis εἰρωνεία.

Ego tamen.] Apprehendit aliud, in quo arguit nequitiam Antonij. Hominem uero.] ἀντίθεσις. Vel lege quæ.] Si non legitime damnatũ, eadem lege reſtituas.] In eodem.] Perſequitur reliqua. Conculcandum.] Non adminiſtrandum. Luſtratio.] Circuitio per omnia municipia. Scio me in rebus.] Occurrit dubitationi, ne quid fingere uideatur. Eſt præmonitio quædam, ad ea quæ dicturus eſt. Verſari.] Hoc eſt, de rebus notiſſimis dicere. Etenim.] Hæc congeries rem quodammodo maiorem efficiunt. Lectica.] In uehiculo Gallico. Vehebatur in eſſedo.] Inuidioſa ὑποτύπωσις, quæ turpitudinem itineris ante oculos ſubijcit. Fabius hanc figurã uocat ſubfigurationem. Sed Volumniam.] Hæc proprio nomine uocabatur Cytheris: ſed Volumnia appellata à patrono, cuius liberta erat. Mima.] Hiſtrionica mulier. Mulier.] Iulia. O miſeræ.] Exclamatio dolentis & miſerantis Ciceronis, in matrem Antonij. His ueſtigijs.] Memoriam flagitiorum ſuorum reliquit. ἀλληγορία. Infixit hominum memoriæ ſua flagitia. Reliquorum factorum.] Hoc εἰρωνικῶς dicit. reprehendit enim tempus Pharſalicæ expeditionis. Et lubrice uerſatus.] Hoc uidetur cohærere cum præcedenti ſententia, ut legatur Difficilis reprehenſio & lubrica. Lubrica.] Id eſt, anceps & incerta: dicta metaphora ab unctis Athletarum corporibus. Felix.] Per uictoriam. Sed quoniam.] Abrumpit hunc locum, eſtq; εἰρωνεία tacita, quæ cóplectitur Antonium. Ducem.] Cæſarem. Tamen ne.] εἰρωνεία. Victor.] Perſequitur ordinem temporis poſt Pharſalicam pugnam. Theſſalia.] Ex Theſſalia. Ibi me.] Hunc locum ſupra poſuit, quem hic renouat. Quanquam nemo.] Opponit militum iudicium. Tanta enim.] αἰτιολογία. Sanctus.] Inuiolandus. ſancire uocamus proprie firmare. Sed fac te.] Concedit rurſus quod reprehendit, ne pertinax uideatur in contemnendo beneficio, & culpam dictorum confert in Antonium. Tueri.] Conſeruari. Mira oratoris prudentia & moderatio in dicendo. Præſertim cum te hæc.] Hoc eſt, cum nihil noui tibi obijciatur. Veniſti Brunduſium.] Pergit ad cætera. Mimulæ.] Diminutio augendi cauſa flagitij.

Quid eſt.] Inſtat, urget, exagitat hominem. Quod ſit.] Enthymema rhetoricum, ornandi cauſa. Quis qui neſcierit.] Hoc inuidioſiſſimum eſt, propter calamitatem ciuium. Secutus.] Secuta legendum eſt, intelligitur Mimula. Percurſatio.] Scilicet à te facta. Militum.] Veteranorum.] Fœda.] Turpis & crudelis. In urbe.] Roma. Conſtitueretur.] Crearetur. Cum Hippia.] Hippias mimus fuit, cuius nomine alludit ad magiſterium equitum Antonij. Eadem alluſione addit, equos uectigales Sergio mimo traditos: hoc eſt, tributarios Reip. nomine, quibus Sergius præeſſet. Quid ego.] Præteritio rhetorica. alij uocant ἀπόφασιν, & eſt ſpecies Ironiæ.

Cogebat.] Addit cauſam dicti. Aliorum.] Ciuium Romanorum. Erat ei.] Ita defendit, ut grauius criminetur.

Sed hæc.] Abrumpit hunc locum, feſtinans ad alia. Robuſtioris.] Violentioris: quæ committuntur ui, non nequitia. Leuitatis.] Nequitiæ. Tu iſtis faucibus.] Hæc re-

ferendo

ferendo habent amplificationem ex tacita ratiocinatione. nam ad fauces & latera reſpicientes, colligimus quantum uini hauſerit. uide Quintilianum de elocutione. Eſt congeries, uel incrementum. Hoc genus elocutionis uim habet extollendæ rei.

Lateribus.] Erat robuſto corpore & amplo Antonius.

Vomere.] Argumentum magnæ ebrietatis, & intemperantiæ. Si inter.] Amplificatio ex comparatione. Dicimus inter cœnam, uel inter cœnandum. In cœtu uero.] Et in his amplificatio eſt, in quibus continentur prolatis, ſemper aliud priore maius ſubiungitur. Hæc uocatur incrementum apud Quintilianum, & eſt tertia ſpecies. In cœtu.] Eſt redditio comparationis. Eſculentis.] Comeſis, uel in cibo natantibus. Eſculentum, quod aptum eſt eſui. Gremium.] Eſt imago quædam & expreſſio, nõ ad oculorum ſenſum, ſed et narium.

Veniamus.] Abrumpit hunc locum, & tranſit ad alia.

Miſerum me.] Prorumpit in affectum, priuſquam ſententiam abſoluat. Et eſt uox dolentis. deplorat enim bonorum Pompeij auctionem, quam Antonius fecerat, cuius inſectatur ſceleratam importunitatem. Bona inquam Cn.] Iterando nomen Pompeij, rem amplificat. tantum enim ſemel dicit, quo nihil maius eſſe poteſt. Expectantibus.] Hic cum deteſtatione pronunciandum eſt. Sectionis.] Auctionis, emptionis.

Præſertim.] Rem amplificat. Audacia.] Ergo audacior quàm cæteri omnes. Subeſt pars comparationis. Tantus igitur.] ἀποστροφὴ ad Antonium. Exprobrat illi ſtuporem. Vt primum cum.] Perſequitur ordinem facti, & luxuriã uituperat, totumq; cum amplificatione. At quam.] ἀντίθεσις tacita. Inſolenter.] Superbe & intemperanter. Ingurgitaſſet.] Intercesſiſſet. Perſona de Mimo.] Id eſt, de fabula, in qua idem hiſtrio modo pauperis, modo diuitis perſonam agit. Repente diues.] Tanquam Mimus. Neſcio quẽ.] Næuium intelligit: cuius tamen nomine abſtinet, ne ſtudioſus eius artis uideatur. itaque & rejectiora particula utitur.

Neſcio.] Sic decet grauem uirum, ne uideatur huius rei ſtudioſus eſſe. Sed diebus.] Et hic amplificatio eſt, ut res fiat maior. Maximus.] Reſpicit ad cados. Non illa.] Obiter defendit Pompeium, ne uideatur ipſe luxurioſus fuiſſe.

Quæ Charybdis.] Amplificatio hyperbolica. Scriptũ.] Hoc eſt, Inſcriptum, ſcriptura notatum: ut cum tituli inſcribuntur clauſis rebus. Suggerebantur.] Inter cætera eueniebãt. ſimul minuit. Conchyliatis.] Hoc dictum habet ingentem amplificationem, ex tacita ratiocinatione. nam ſi tantus luxus ſeruorum fuit, quantum necesse eſt in domino ipſo cogitare.

Conchyliatis.] Conchylijs tincta. Tu ingredi illam.] Hoc ſeparate exaggerat, cum uehementi increpatione. Nec uero te.] Fingit crudibiliter in Antoniũ, quæ ſceleratis accidere ſolent. atque hæ ſunt poetarum furiæ. Me quidem.] Delabitur in commiſerationem. Popinæ.] Tabernæ rerum eſculentarum. Etſi iam negat.] Occurrit defenſioni, quam fictis ad imitationem uerbis eludit. imitatur autem uerba in diuortijs uſurpari ſolita: tuas res tibi habeto, tuas res agito. quæ ita demum rata erant, ſi cauſa legitima ex duodecim tabulis acceſſiſſet. At quam, &c.] Hoc ſuperbe & inepte uſurpabatur ab Antonio, cum quid ediceret uel imperaret: quare merito reprehenditur. Cur et bello.] Arguit inconſtantiã in ſuſcepto bello perſequẽdi, & de eadem re Cæſaris offenſionẽ obijcit. Quo numero.] Offenſionem Cæſaris cum amplificatione commemorat, ex perſona & meritorum circumſtantia. habet locus uim iudicij Cæſaris in Antonium. Et ne omnia.] ἀφοσίωσις eſt, qua defendentis ſpecie & inducta Antonij perſona, ſcelera eius enumerat. Cum repente à te.] Tabulam bonorũ Pompeij ſignificat in auctione propoſitam, quam Antonius facere cogebatur, ut pretiũ ſectionis diſſolueret. Præclara illa.] εἰρωνεία. Hanc tu auctionem.] Heredes L. Rubrij, decreto Cæſaris interpoſito, auctionem prohibebant: quia Antonius bona eorum inuaſiſſet. Ego aliud flagitium Antonius ex alio infert. Hunc igitur, &c.] Enthymema rhetoricorum ex contrarijs, ad hominis contemptum. Peruenire non.] Propter mortem Cæſaris, quæ falſo nunciabatur. Quónam modo.] Reprehendit ab exemplo. Ter depugnauit.] Amplificatio inconſtantiæ. Sed tamen conſilium.] Occupatione interpretatur quid reprehendat. nam ex adiunctione turpe fit, quod per ſe erat honeſtum: ut bellum ſuſceptum non perſequi, & ciuile bellum. Tu uero.] À perſona arguit, oportuiſſe Antonium potius intereſſe bello in Hiſpania, quàm Dolabellam.

Hæc cum.] Concludit ſententiam, & ſummam proponit quam expoſuit. An tu.] Iterat quod dixit, cum increpatione. Qui uero Narbona.] Hoc propoſito in aliud delabitur, quod ſibi ab Antonio fuerat obiectum. σχῆμα facit minus præparatam orationem, cum uelut aliud ex alio occurrit.

Nam quod quærebat.] Hoc ita eludit, ut ineptam interrogationem Antonij fecerit magis ridiculam: & ſimul contraria conferendo, ſuum cum illius reditu conferat. Gallicis.] Gallicæ ſoleæ appellabantur, uiris parũ decoræ. Rogabatur.] Flagitabatur. Cucurriſti.] Per Galliam, ut colligeres ſuffragia. Decima.] Hora 4. poſt meridiem. In gratiam redeas.] Blanda ironia, ſed tanto amarulentior. Conſulatus noſter.] De ſuo Conſulatu loquitur, & obiter confert cum Antonij. Ciſo.] Rheda. Cauponula.] Taberna uinaria.

Inuoluto.] Obtecto. Tabellarius.] Antonius. Caput.] Summa. Ferre.] Dolorem mulieris. O' hominem.] Exclamatio contemnentis nequitiam Antonij. Ergo ut.] Inuadit Antonium, cum increpatione. Catamitum.] Effœminatum. Ne L. Plancus prædes.] Prædes ſunt fideiuſſores: prædia, bona eorum ſponſione obligata. ſed hic prædes pro bonis μετωνυμικῶς uſurpatur. Dicacem.] Vrbanum. Nugis.] Rebus leuibus. Serenum.] Sedulum. Præclare commendatus.] εἰρωνεία. Nihil queror de.] Cæſar induxerat Dolabellam, ut Conſulatũ peteret, ſed ubi dies uenit, ipſe petiuit, & collegam aſſumpſit Antonium. mox conſtituit bellum Parthis, & Dolabellam ſibi ſubrogare. de quo cum ageretur Calendis Ian. in ſenatu, reſtitit Antonius, qui inimicus erat Dolabellæ, & ſe auſpicia oppoſiturum eſſe denunciabat. Nihil queror.] Præteritio. Dolabellam Conſulem.] Obiter cum indignatione excurrit in eos, qui Cæſaris tyrãnidem defendebant. Iuſſurum.] Verbum tyrannicum. Vt comitia auſpicijs.] Reprehendit inſcitiam auſpiciorum in Antonium.

Quæ dixi Dij boni.] Exclamatio admirãtis indignitatem.

Sed cum Cæſar.] Reuocat ſe ad inſtitutam ſententiam.

Ante menſibus.] Antequam fierent comitia Dolabellæ.

Nos.] Augures. Quiſquam'ne diuinare.] Negat uitium denunciari poſſe. & complexione probat, quod neque comitijs de cœlo ſeruare liceat per leges: & ante comitia ſi ſeruatum ſit, obnunciari debere. Atque illo die.] Ingreditur reprehenſionem conſulatus. in quo uide in quanta uarietate rerum, tamen ordinem temporis ſequatur. Colligit uaria flagitia et ſcelera Antonij. Ad Idus Martias.] Vſque ad cædem tyranni Cæſaris. Apparitor.] Qui præſto eſt, ad exequenda imperia Magiſtratus. Ipſe.] Antonius. Rogabat.] Suppliciter, humiliter. Lecticam.] Cæſaris. Venderet.] Ad quæſtum ſuum. Sortitio prærogatiuæ.] Mira breuitate ordinem rei geſtæ perſtringit. Similis eſt βραχυλογία apud Terentium: Effertur, imus, &c. Dies.] Adeat. Prærogatiuæ.] Scilicet fit. Vocatur.] À magiſtratu, per præconem, ad ferendum ſuffragium. Confectio.] Lato ſuffragio. Lælium diceres.] Lælius fuit augur, ſingulari auctoritate, familiaris minori Africano. Lælium diceres.] Ridicula comparatio, cum εἰρωνεία. Senſeras.] Terræmotũ. Audieras.]

Tonitruum. Id igitur.] Infert quod ex enumeratione relinquitur.confirmatq́;,illum mentitum fuiſſe auſpicia. Ergo hercule.] Concludit cum amplificatione. Religione.] Metu numinis. Conſuli.] Dolabellæ, quod non oportuit.

Nolo plura.] Abrumpit hunc locum, & addit cauſam.

Quæ.] Acta Dolabellæ. Collegium.] Scilicet augurũ.

Sed arrogantiam.] Ex uno in aliud tranſit. Quàm diu tu uoles.] Vituperat,quod Delabellam repudiatum,poſtea ſua ſponte aſſumpſerit. quam leuitatem oratorie arrogantiam appellat. Voles.] Subaudi eſt. Si nihil.] Vrget rem complexione. Sed ne forte.] Regreditur unde progreſſus eſt, ne prætermittat ſingulare facinus Antonij. Pulcherrimam.] εἰρωνεία,quaſi diceret flagitioſiſſimam. Non diſſimulat.] Inſultatio,quaſi in uictum, qui non poſſit tergiuerſari amplius.

Sudat.] Hoc obiter ad irridendum hominem. Quæ poteſt.] Proponit rem cum amplificatione. Rhetoris.] Scilicet, Clodij. Campus Leontinus.] Quem tu dediſti totum tuo Rhetori.] Coronatus.] Triumphali habitu. Diadema.] Hoc erat flagitioſiſſimum.Deiadema, faſcia quæ circumligatur coronæ, aut capiti regio. à διαδέω, circunligo. Captabas.] A' C.Cæſare. Tibi uni.] Subiungit obiurgationem. Et hoc figurate in Antonium dicit,qui in iuuentute muliebria paſſus eſt. quam rem ſupra taxauit. O' præclaram illam.] Exclamatio irridentis, aliud ex alio inuadit. Quid hoc.] Vehemens inſultatio in Antonium. Vereor ne.] Dubitatione præmunit,quod liberius dicturus eſt.intelligit autem Brutum et Caſſium, à quibus Antonium unà cum Cæſare interfici oportuiſſe ſignificat.Rem complectitur enthymemate.

Vereor ne.] Hoc ſchema habet uim ex minori. abijcere minus eſt,imponere maius. In factis.] In libris quibus anni deſcriptio continebatur. Iam iam.] Acris & criminoſa inuectio. Vrbem.] Patriam tuam Romam. De die.] Sicut de nocte. eadem figura facit παρωνομασίαν. Vbi.] Hoc amplius urget,quod dixit. Quæ.] Quas leges. Ideo ne.] Profert contraria exempla. Manilius.] Ex ſaxo deiectus.uide Liuium in.5. Sed ad auſpicia.] Non redit ad eandem rem, ſed ordinem temporis perſequitur,& reprehẽdit quod facturus erat Antonius,niſi Cæſar interiſſet. Audiebã.] Hoc dicit loco teſtimonij. Paratum.] Inſtructum oratione.

Sed incidi in id.] Breuiter diſtinguit orationem, dicturus de his quæ mortẽ Cæſaris ſecuta ſunt, de quibus inſtituta fuit oratio. Sed incidi.] Perpetuo perſequitur ordinem temporis. Quæ tua.] Hæc orationis diſtinctio ad renouandam memoriam pertinet. O' mea ſempcr.] Exclamatione accuſat infelicitatem ſuorum ronſiliorum. Similem.] Ad mores rediturum. Optimis.] Caſſio & Bruto. Poſt tertium.] Ab interfecto Cæſare. Armati.] Ab Antonio rollocati.

Qui tibi ille dies.] Amplificat recte facta, ut malefacta mox grauius uituperet. Mentem.] Conſilium & ſententiam. Obſidem.] Hoc ex hiſtoria pendet. Obſes eſt, qui datur à uicto uictori. Bambalionis.] Hoc obiter dicit ad uituperationem. Quanquam te bonum.] Rurſus interpretando corrumpit,quæ modo extulit, ne ueram & integrã laudem tribuat Antonio. Magiſter.] Auctor,qui ſtatim ab officio recedit. Oderunt peccare boni,&c. Funeri.] C. Cæſaris.habuit tum temporis Antonius miſeram orationem,& non ſolum uerbis rem exagitauit,uerum etiam corpus cõfoſſum populo monſtrauit: quo uiſo,in inſaniam & rabiem ita ferebatur,ut mox ad ulciſcendũ Cæſaris interfectores impetuoſe curreret,&c. Tua illa pulchra.] Loquitur cum illuſione, & funus Cæſari factum inſectatur. Pulchra.] εἰρωνεία. Facet.] Significat rogum C.Cæſaris, quem Antonius ſua manu accendit. Flagrauit.] Combuſta eſt. Idem cum.] Eſt urbana cõparatio,quæ ducta eſt à rogo Cæſaris. Præclara.] In ſpeciem,ut uidebatur. ſapit hic locus εἰρωνείαν,ex perſona Antonij. Cuiuſquam.] Scilicet tabula. Immunitatis.] Vacationis, à bonis publicis. Naufragia.] Bona metaphora. Inſpectantibus.] Sequitur criminoſa narratio factorũ Antonij. Væuibant.] Vendebantur. Singillatim.] Priuatis hominibus. Dabatur.] Vendebatur. Stante.] Salua Rep. Nundinis.] Pactionibus.Inſtat rurſus in Antonium, & obijcit interuerſam pecuniam. Septies millies.] Septuagies quinquies centena millia coronatorum ſunt 17.millioues cum dimidio. Tabulæ.] In quibus erat ſumma pecuniarũ ſcripta. Iis.] Pompeianis. Argumẽtum ex conſequentibus. Seſtertium quadringenties.] Decies centena millia roronatorum. Deiiſti.] Diſſoluiſti. Sed unum.] Profert ridiculam impudentiam ablatæ pecuniæ à Deiotaro. nam huic abſtulerat Cæſar, reſtituit Antonius,pactus ex ſyngrapha centies ſeſtertium ab legatis eius. Centies.] Sunt ducenta millia & quinquaginta millia coronatorum. Hoſpitem.] Deiotarum. Præſens.] Cæſar. At quibus uerbis.] Profert uerba decreti,quo rem apertius roarguat. Mira.] Ironia. Complexio.] Comprehenſio. At ille.] Cæſar.

Semper enim.] Suum interponit teſtimonium. Viros.] Scilicet facta eſt. Seſtertij centies.] Hoc eſt, ducentum & quinquaginta millium corouatorum. Gynæcio.] In conclaui mulierum.hoc obiter addit ad uituperationẽ Antonij,quod decreta fecerit inter mulieres. Quæ ex ſyngrapha.] Monet nihil actum eſſe cum legatis,& locum ex iure profert. Syngrapha.] Quæ ex cautione. Suo Marte.] Per ſe. Ne iſte.] Qui tibi eſt à ronſilijs.quis ſit,incertum eſt. Ille uir.] Obiter laudat Deiotarum. Tanquam gladiatorum.] Opinor pugnas nobilium gladiatorũ ſignificari, in membranis ad uiuum expreſſas. Appendantur.] Ad ſtateram. Liberant.] Accepta pecunia. M. Brutum.] Qui prætor obtinebat Cretam. Vectigalibus.] Quæ pendebantur quotãnis pop.R. Tu mentis.] Vehementer inuidit. An Cæſaris.] Arguit uanitatem decreti,ex tempore.quod ueriſimile non ſit, Cæſarẽ eiuſmodi decretum feciſſe.nec ſi feciſſet, poſſet ualere, quoniam ad Brutum Creta adhuc nihil pertinuerit. Omnino.] Epiphonemate roncludit hanc inſectationem. Et de exulibus.] Interrogat, quod dici non poteſt oratorie. Nullius inſector.] Improbat legem,& ſubdititiam arguit coniecturis.

Eorum.] Exulum. Inquinatos.] Ignominia affectos. notatos. Reditus.] Scilicet tardiores. Quorũ cauſam.] Argumentum ex coniecturis. Cur eos habes.] Delabitur ad reprehẽdendã impietatem in patruum.Intelligit C.Antonium.

Quem etiam.] Colligit & alia crimina. Eamq́;.] Singularis impietas in patruum. Petitionem.] Id eſt, eos competitores ſubornaſti. Cur autem.] Varia hoc in loco colligit.

An quia.] Rurſus interrogat, quod dici non poteſt. Siniſtrum.] Ad ſiniſtram partem. Interuenit.] C. Antonius. Credo.] εἰρωνεία. Omnibus eam contumelijs.] Erumpit uehementius,& obijcit multa crimina,quæ granatim attollit.Contumelia eſt, iniuria cum cõtemptu. Sororem.] Patruelem. Alia cõditione.] Alio matrimonio.intelligit Voluminiam. Quis interpretari.] Amplificat frequenti & criminoſa dubitatione,quam ſingulatim in perſonas ſpargit. Sed ad.] Continuat ordinem temporis, & excitat auditorem.Locus hic pendet ex hiſtoria. Ad chirographa.] Cæſaris.

Dixiſſet.] Falſo,& mentitus fuiſſet. Si ſunt.] Obiter coarguit Senatum. Væneant.] Vendantur.Complexio rhetorica. Cum conſilio.] Cum conſiliarijs (ſic uocant) adhibitis. Quem.] Conſiliarium, An eis.] Interrogat, quod negari non poteſt. An eas ad.] Ad quas te donec armatus eſſes comparaſti. Cum Capuam.] Coloniam. Cum Capuam.] Antonius conatus fuerat Capuam nouam coloniam

deducere

*deducere ex ueteranis militibus, ut ſtudia eorũ ſibi adiungeret: ſed prohibitus fuit à Campanis, & penè interfectus.* Tollatur.] Negotium perficiatur. Agrum Campanum.] Rem profert cum amplificatione. Militibus.] Cæſarianis ueteranis. Inſigi.] Comparatio: id eſt, dolebamus. Leontino.] In Sicilia. Agrum.] Scilicet dediſti. Te ſanum.] Eſt feſtiua deflexio à corpore ad animum. Eſt etiam εἰρωνεία. Sed ad.] Reuocat ſe ad inſtitutum. Inſolentia.] Superbia & arrogantia. Vt uexillum.] Addit cauſam inuidioſam. Vt uexillum uideres.] Hæc erat ſolennitas in colonijs deducendis, uel condendis urbibus. nam erecto uexillo, ſulcus aratro proſcindebatur, in modũ futuræ urbis, quẽ primigenium appellabant. Vomer eſt inſtrumentum, quo terra proſcinditur. Territorium.] Ager. Perturbatione.] Violatione. Aduolas.] Id eſt, inuadis: uerbum uiolentiæ, & iniuriæ. Etſi ab haſta.] Occupat, & contendit ex abundanti, quod tamen à bonis Varronis remouet. Ab haſta.] Ab auctione. Valeant.] Vim habeant. Etſi.] Concedit. Haſtam.] Auctionem. In foro figebatur haſta, ſi alicuius bona uendenda eſſent, quæ præco pronunciabat. Miſiſſe.] Alia obiectio. Ipſum enim.] A' ſuperuacuo.

De fortunis.] De bonis. Nullius.] Ῥογυδίτου confirmat. Quod ſi.] Occurrit uarijs obiectionibus, & anteuertit omnes Antonij defenſiones. Quod ſi etiam ſcripſit.] Hoc uult factum fuiſſe à Cæſare, ſed Antonium non obtemperaſſe.

Aliam cauſam.] Scilicet iuſtam. Aliam confidentiæ.] Iniuſtam. At quàm multos.] Inſectatur luxuriam, & fortunam uillæ deplorat. Tertia.] Octaua ab ortu ſolis.

Tecta.] Villæ Varronis. Hæc uidentur ſumpta eſſe ab aliquo poeta. Iſte.] Antonius. At uero te.] Amplificatio ex contentione ſtudiorum. Natabant.] Inundabant.

Meritorijs.] Cinædis: quaſi dicas, cum meretricibus.

Obſolebant.] Obſcurabantur. Cum inde.] Perſequitur cætera, & ordinem flagitioſiſſimi itineris deſcribit. Vt mortuus.] Ridicula comparatio. Habitabant.] Officij cauſa præſtolabantur. Deuij.] Id eſt, à uia diuerſi, longius à uia ſiti. Incredibile.] Tantam arrogantiam in quoquam eſſe. Sed cum.] Obiter hoc addit, ad uituperationem.

Quid ego.] ἀπόφασις rhetorica. Magno quidem.] Obiter laudat factum, & probat. Non ut te.] Hoc in loco facit ἀποστροφὴν ad Antonium, & contendit ſententiam. Cliens eſt inferior, qui colit patronum: patronus, qui inferiorem ſumit in tutelam. ſuntq́; relatiua. Interea dum.] Deſcripſit peragrationem, nũc tẽpus illius deſcribit: omnia cũ uituperatione.

Buſtum.] C. Cæſari erectum. Vt conſtabat.] Hoc addit loco teſtimonij. Concediſti.] Scilicet metu, animo.

Quid euenerit.] Loquitur de Dolabella, qui optimus fuit Conſul, ſed poſtea ab Antonio corruptus. Collegam quidem de.] Id eſt, de ſumma gloria in ſummam inuidiam conieciſti. Prouerbialis metaphora, in cœlo eſſe, eſt ſummis laudibus celebrari, in honore eſſe. Sed certe ut diſſimilis.] Significat Dolabellam corruptum quidem ab Antonio, ſed minus quàm illum peruerſum eſſe. Qui uero.] Redit ad illius aduentũ Romã. & amplificat rem comparatione. Regnantem.] Dominantem. Abſconditi.] Erant uerecundiores quam Antonij.

Agmine.] Rem oculis ſubijcit. Quadrati.] Quaſi in procinctu ſtantes, ad prælium ituri. Atque his.] Quæ dixit leuiora facit, ut grauiora ſubiungat. Subeſt uis comparationis, & amplificationis. Mirabilia.] Παράδοξα. Qui chirographa.] Exponit iſta mirabilia quæ dixit. Præclaras.] Serio loquitur. Prorogauit.] Contra legem Cæſaris.

Prorogauit.] Auxit, extendit. In publicis.] Quod dixit, exponit. Leges alias.] Cæſaris. Obtentum.] Ratum fuit. Signa.] Exponit, quomodo ſit reſciſſum.

Populo.] Scilicet Romano. Deportanti.] Sibi uſurpauit. Et tu in Cæſaris.] Μιμητικῶς eludit uerba Antonij, & inconſtantiam eius ceprehendit in defendẽdis honoribus Cæſaris: ſimul inuehens in ἀποθέωσιν illius, quam uiuo Antonius lege decreuerat. In illam.] Hæc geminatio efficacius eludit. Puluinar.] Lectum ſtratum in Capitolio, & alijs templis. Simulachrum.] In effigiem ipſius Cæſaris. Faſtigium.] Faſtigium moles erat, pyramidis in modum in altum extructa, quam uarijs picturis ornatam in cõſecrationibus diuorum erigere ſolebant. Flaminem.] Sacerdotem, qui ipſe erat ſacerdos. Eſt ergo.] εἰρωνεία. Ceſſas.] Differs. Cur non inauguraris.] Significat hæc omnia irrita eſſe. Inaugurari.] Conſecrare. Siue quod tyranni, &c.] Vtrunque nefas. Quæro deinceps.] Sumit occaſionem ex tempore.

Prætextati.] Vtebantur prætexta & in ludis, & feſtis diebus. An ſupplicationes.] Supplicationes mortuo Cæſari præter cæteros honores addiderat Antonius, ut parentalibus celebrarentur. Quære, placeat'ne.] Occupat, & interpretatur quod ceprehendis. Metiri.] Facere, æſtimare. Quid.] Eſt inculpatio quædam. Apertiorem in dicendo.] Summa ex ambiguo. Apertiorem.] Nudiorem. nam & ad corpus refertur. aliud refert dicendo, aliud notat. Ille.] εἰρωνεία urget grauius. Hiſcere.] Mutire. Hunc unum diem.] Acriter inſtat, & exaggerat obiectionem. repetitio auget.

Valuæ.] Fores, à uoluendo dictæ. Præſidij.] Occupat defenſionem. Non'ne igitur.] Nunc defenſionem conuertit in uituperationem & criminationem. Sed nullum.] Delabitur in cõminationem, & peroeat. Eſt concluſio orationis. Septum.] Munitum. Eripiet.] Minatur. Conſilijs.] Tyrannicis. Etenim iſta tua.] Volumniam intelligit, quæ ante Clodio & curioni, deinde Antonio nupſerat. & eſt ominatio ex fato mulieris. Auara.] ἀλληγορικῶς dicit, et μεταφορικῶς. Sine contumelia.] Eſt εἰρωνεία. Penſionẽ.] Mortem Antonij. Habet populus R.] Brutum & Caſſium intelligit, in quibus denunciat præſidium fore defendẽdæ Reip. Et eſt locus facultatis in coniectura, qua quæ minatur, futura eſſe probat. Præſidium.] Omnis defenſio. Vita eſt.] Cæde C. Cæſaris. Habet quidem.] Iterat eandem ſententiam. Nobiliſſimos.] Brutum & Caſſium. Cedant.] Occupatio. Quàm.] Quantum uolent. A' Repub.] ἀντιπαραφορά. Et nomen pacis.] Addit cauſam ſuſcipiendi facinoris, qua optimus quiſq; ad depellendam tyrannidem impellatur. Sed inter.] Habet nim ex minori. Bello.] Suſcepto contra tyrannum. Quod ſi ſcipſos.] Occupat oppoſitionem, & profert alia, ut cauſam impulſionis ab exemplo liberatorum patriæ, quorum factum amplificat tyrannidarum cõparatione. Abſtulerunt.] Si ceſſerunt inſidijs, & gladijs Antonij. Tarquinium.] Amplificat, & docet. de quo eſt apud Liuium in 2. & 3. lib. Iunium intelligit. Hij.] Caſſius & Decius & M. Brutus. Appetentem.] Cæſarem. Cœlo.] Id eſt, ampliſſimam gloriam & immortalem. Etſi.] Ipſe exponit hanc gloriam, quam ſunt ſecuti. Recordare igitur.] Concludit, & confert præteritam gloriam Antonij cum tyranico lucro. & remiſſius mouet. Lætitiam.] Quaſi recuperata libertate. Nummatione.] Pecuniaria copia.

Sed nimirum.] Omittit gloriæ cõmemorationem, & ad periculum reuertitur. Sed nimirum.] Correctio. Sentiunt.] Vt febricitantes. Stupore.] Senſus diminutio eſt, & priuatio. Sic libidinoſe.] Apta comparatio. Iudicia non timeas.] Occupat ſecuritatem, & refellit. Vim.] Potentiam tuam. Quod ſi non metuis.] Rurſus occupat, & aliud opponit, quòd confirmat exemplo Cæſaris ex maiori.

Interfectus.] εἰρωνεία. An tu es ulla.] Perſtat in comparatione, & ex ea ducit aliud argumentũ cõiecturæ, Cæſarẽ

periſſe, ergo Antonium facilius periturum. Lenierat.] Conciliauerat ſibi, adiunxerat. Monimentis.] Spectaculis & ludis. Congiarijs.] Liberalitate. Epulis.] Publicis. Monimentis.] Aedificijs. Cæteris uero.] ἐμφατικῶς Sed ex plurimis.] Argumentum ex tempore: periculoſius appeti dominatum poſt mortem Cæſaris, quàm tyrannide nouadum cognita. Hæc igitur non.] Concludit, & congregat argumenta. Hæc ſolent fieri in Epilogis. Sed de te.] Correctio. Defendi Rempub.] Oſtendit fidem ſuam erga Rempub. & tacite Antonio minatur. Catilinæ.] Ex maiori. Repræſentari.] Reſtitui. Vtinam àliquando.] Allegoricos optat, ut populus Romanus tyrannos armis expellat: ſe adſerendæ libertati defuturum non eſſe, etiam ſi occumbendum ſit. Duo modo.] Pathetica & plena fauoris optatio, qua orationem concludit.

# IN EANDEM PHILIPPICAM SECVNDAM

## [redacted] [redacted] SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

ORATIO hæc partim eſt iudicialis, partim demonſtratiua. Iudicialis quidem, quod criminibus & maledictis Antonij in ea reſpondet Cicero: Demonſtratiua uero, quod uehementiſſime & acerbiſſime Antonium uituperat.

QVONAM meo fato.] Exorditur ab expoſitione infortunij ſui, cũ admiratione, & indignatione. Nec uero.] Occupatiuncula. Te miror Antoni.] Admiratur Antonium nec aliorum malis à lædenda Rep. abſterreri, & non laceſſitum à Cicerone alienum exiſtere. Tune uerbo quidem.] Beneuolentiã captat, quod ultro ab Antonio prouocatus, ei reſpondere cogatur. Contemptum'ne me.] Beneuolentiã captat, quod Antonius in ſe Cicerone habeat nihil, qđ contemnat. Cui priuſquam.] Propoſitio eſt, cum captatione & docilitatis & attentionis. Contra rem ſuam.] Primum crimen Ciceronis ab Antonio obiectum. An ego.] Confutatio obiecti criminis, & argumentum ab honeſto. Non uirtutis ſpem.] Subindicat M. Antonij impudicitiam. Sed hoc idcirco.] Inuidioſum eſt quod hic narrat: nam ad inuidiam ſoceri Antonij hoc cõmemorat. Domum meam uentitaras.] Secunda obiectio Antonij. Næ tu.] Confutatio eſt à falſo. Auguratus petitionem.] Tertia obiectio Antonij. Quo enim tempore.] Confutat à falſo, quod nec Antonius auguratũ petere potuerit, ut qui damnatus fuerit de debito ducentorum ac quinquaginta talentorum. Poterat autem, &c.] Nam eo tempore electus eſt Cicero augur, quando M. Craſſus petijt ad Parthos, & in eius locum Cicero ſucceſſit.

Sine Curione.] Ambitum Antonij notat. At beneficio.] Quarta obiectio, de Ciceronis ingratitudine erga Antonium. Quo?] Diſſimulatio. Sed quo beneficio.] Subiectio. Beneficio.] Cæſar cum Pompeium uiciſſet, dabat negotium Catoni Vticenſi, ut Ciceronem claſſibus & copijs nauallbus præficeret. Verum Cicero recuſata iſta conditione, Brunduſium fugiebat, ubi Antonius collocatus eum ut puta Põpeianum, & recuſantem imperiũ Cæſaris interficere potuiſſet, ſi modo uoluiſſet. uide App. lib. 2. Bell. ciuil. Quem ipſe uictor.] Confutatio à maiori, & quod non debuerit Antonius ſe Ciceronem Brundiſij interficere. Ex latronibus.] Inuidioſe hoc dictum eſt. Fac potuiſſe.] Conceſſio eſt.] Quod eſt aliud.] Cõfutatio ab extenuatione beneficij, & quod prorſus non ſit beneficium. Quos tu ipſe.] Vrget Antoniũ ſuo ipſius de interfectoribus teſtimonio. Sed ſit beneficium.] Conceſſio.] In quo potes.] Se non ingratum erga Antoniũ eſſe probat. An de interitu.] Subiectio. At illa querela.] Confutatio ſubiectionis eſt. Equidem cuius temperantia.] Congeries flagitiorũ Antonij in prima oratione enumeratorum. Reliquias.] Intelligit opinor quatuor millia talẽtorum, quæ à Calphurnia uxore Cæſaris mutuo accepit Antonius. At etiam literas.] Quinta obiectio Antonij ex literis Ciceronis facta. Quis enim unquam.] Locus eſt cõmunis, quàm immane, quàm capitale facinus ſit, literas amicorũ arcanas propter quandam offenſionem in apertum proferre. Sed quid oppones.] Ad obiectionem ex literis ſuis ab Antonio factam redit. Magiſtro tuo.] Sex. Clodio Latinæ linguæ iuxta ac Græcæ doctore clariſſimo. de quo Suetonius de Grammaticis & Rhetoribus claris. Quod enim uerbum.] Mea ſententia intelligit Epiſtolam, cuius initiũ eſt, Quod mecum literis agis: ſcriptam ad Antonium. de qua uide lib 13. Epiſt. ad Atticum. At ego tuas literas.] Anticategoria, id eſt, recriminatio per occupationem eſt. Tuas literas.] Initium literarum Antonij eſt, Occupationibus eſt factum, &c. quas quoque uide lib. 13. Epiſtol. ad Attic. Veruntamen.] Nullam fuiſſe Antonij rogandi cauſam de reducẽdo quodam ab exilio, indicat. Sed cum mihi.] Diluturus atrocia quædam crimina ſibi ab Antonio obiecta, nouo quodam exordio utitur. Multa dicenda.] Attentionẽ captat. Pro me.] Beneuolentiam captat, quod pro ſe dicere uelit. Vt prouocatus.] Beneuolentiam captat, quod prouocatus reſpondere Antonio cogatur.

Quid enim.] Probat conſulatũ ſuum, re ipſa Senatui fuiſſe. Vtrique fatale.] Fuluiam intelligit, cuius fato Clodiũ, Antonium, Curionem periturum eſſe oſtendere uult. Non placet.] Repetit obiectionem Antonij. At placuit.] Inductione utitur, probans nulli non bono uiro Conſulatum ſuũ placuiſſe. Qui honos.] Amplificatio honoris ſibi decreti.

Huius ego alienus.] Anticategoria eſt: nam Antonij conſulatum recriminatur. Hodie non deſcendit.] Dialogiſmus eſt. Neminem nominabo.] Intellectio eſt. O' fœditatem.] Exclamatio pathetica. Tu enim principem.] Exaggerat hoc, quod relicto auunculo ſuo, tam malis conſultoribus utatur Antonius. Tuus ſcilicet.] Epiphonema ironicum.

At etiam auſus es.] Reſpondet Antonio obijcienti, quod in cliuo Capitolino armatos ſeruos collocarit. Siue illa tibi.] Dilemma eſt. Quis enim.] Se non armatos ſeruos in cliuo Capitolino poſuiſſe probat. Quis enim nomen.] A' ſe nullã uim Senatui illatam, dum de pœna coniuratorum conſultat, cõfirmat. Etenim homines.] Exaggeratio ſceleris coniuratorum, è qua probat quod omnes ultro ſibi operam promiſerint. Se urbem inflammare.] Diſtributio eſt. Ad ſepulturam.] Obiectio Antonij eſt. Hoc uero.] A' falſo confutauit, ut quod capitaliſſimus ſuus hoſtis dixerat. An uerebare.] Antonium uituperat à praua educatione. Tum autem eras excors.] A' pugnantibus & contrarijs confutat. Vitricum tuum.] Pugnantia & contraria oſtendit. Iam iſtud.] Repetit ſuperiorem Antonij obiectionem de cliuo Capitolino.

Ab Ithyreis.] Ithyrea regio Palæſtinæ pariter & Iudææ, in qua M. Antonius rei bellicæ operam dedit, unde & non parum

rum multos inde miniſtros & ſatellites abduxit. Quid enim eſt dementius.] Repugnantiam probat. Cedant arma.] Obiectio Antonij eſt. At poſtea.] Recriminatio eſt.

Nec uero tibi de uerſibus.] Reiectio eſt. P. Clodium.] Obiectio Antonij eſt. Quid nam homines.] Regerit obiectum crimen gratia inuidiæ conflandæ. Si tu occiſus eſſet.] Paradoxon eſt. Sed quid.] Ad obiectionem Antonij redit.

Quanquam de morte.] Correctio eſt, qua leuiter perſtringit Pompeij quæſtionem nouam de cæde Clodij conſtituentem.

Quid ergo.] Subiectio. Ego M. Bibulo.] Confutatio obiectionis. A' mea familiaritate ſubtraxit.] Cum ſcilicet Cicero legationem Cæſari pactam abnegaſſet, & ſe ad publica uertiſſet. auctor Plutarch. in uita Ciceronis. Stulti erat ſperare.] Diſtributio. Duo tamen tempora.] Parrheſia, id eſt licentia eſt. Vtinam Cn. Pompeij.] Apoſtrophe ad Pompeium. Hæc mea.] Epilogus conſultationis. Sed hæc uetera.] Tranſitio eſt. Cæſarem meo iudicio.] Obiectio Antonij. Iam uereor.] Confutatio obiectionis. Quis enim meum.] Confutatio à falſo. Occultatum dico.] Correctio. Etenim ſi auctores.] Probat ſingulos coniuratores alia quàm Ciceronis conſilia habuiſſe, quibus ad occidendũ Cæſarem cõmoti ſunt. Hala.] A' quo matris ſeruilis reſpectu oriundus erat. hic Hala Sp. Melium largitione frumentaria regnum adfectantem in medio foro obtrũcauit, auctore Liuio in 4. Non ſpoliatio dignitatis.] Nam Cæſar eum nullo honore fungi paſſus eſt. An C. Trebonio.] Probat pleriſque, ſe, ut Cæſarem interficerent, ne ſuadere quidem auſum fuiſſe, ut qui amantiſſimi Cæſaris fuerint. Vanum ergo eſſe, conſilio Ciceronis Cæſarem interfectum. At quemadmodum.] Diluit ſuſpicionem, è qua Antonius Cæſarem conſilio Ciceronis interfectum coniecerat. Cur mihi potiſſimum.] Inuerſio cauſæ gratulationis M. Bruti. Quid enim intereſt.] Probat conſequentiam argumenti. Etenim, &c.] Confirmatio

Sed ſtuporem.] Antonium ſtuporis arguit, quod Ciceronẽ, quia conſcius fuerit coniurationis in Cæſarem, ſceleratum appellarit, & M. Brutum Cæſaris interfectorem honore ſemper affecerit. Sic enim dixit.] Mimeſis eſt. Eſto.] Conceſſio.

Nunquam'ne intelligis.] Vrget Antonium argumento à diſiunctiuo. Aut parricidæ ſunt interfectores Cæſaris, aut uindices libertatis. Sed uindices libertatis ſunt, ergo non parricidæ.

Cognitionem ſobrij hominis.] Exprobrat ebrietatem Antonio. Neque quidquam eſſe medium.] Nam in diſiunctiuo argumento neceſſe eſt alteram partem eſſe ueram, alteram falſam. Si parricidæ.] Interfectores Cæſaris non eſſe parricidas, à præmijs quibus ab Antonio adfecti ſunt, probat. Sciebã ad illos.] Summa eſt, gloriæ ſibi eſſe, quod etiam inter cõſcios cædis Cæſaris numeretur. Quæ enim res.] Exaggeratio cædis Cæſaris, à magnitudine rei. Qui locus eſt.] Diſtributio.

Etſi meus ille ſtylus.] Hoc eſt, ſi hoc negotiũ meo arbitrio, meoq; artificio cõmiſſum fuiſſet. Sũpta metaphora à fabularum auctoribus, quorum ſtylo & calamo fabula tota cõficitur.

Quanquam ſi interfici.] Regerit crimen ſibi obiectum in aduerſarium Antonium. Quanquam quidem illud fuit.] Ratiocinatio eſt. nam à ſpe cõmodorum, Antonium Cæſaris occidendi conſilium cepiſſe probat. Reſpondi maximis criminibus.] Tranſitio eſt. Fateor enim me.] Parrheſia utitur, ſe enim doluiſſe libere fatetur. Dolebã dolebam.] Conduplicatio. Neque uero.] Præoccupatio. Illos ergo præſtantiſſimos.] Cauſam doloris ſui indicat per diſtributionem.

At uero Cn. Pompeij.] Obiectio Antonij eſt. An ille quenquam.] Confutatio obiectionis. Ego incolumitati.] Regreſſio eſt. Quod autem habebat.] Enthymema eſt.

Paphum.] Oppidum Cypri, ab Agapenore conditum, non procul ab Alexandria diſtans. uide Pomponium Melam lib. 2.

Te ſectorem eſſe.] Sector dicebatur, qui bona condemnatorũ in auctionibus emebat, & poſtea pro compendio uẽdebat. Dictus ſector, quod ſpem lucri ſui ſequeretur. ita Aſconius Pædianus. Ne iocis quidem.] Pompeio dicenti, Ciceronem ſero ueniſſe: reſpondit Cicero, Minime ſero ueni: nam hic nihil paratum uideo. Interroganti Pompeio, Vbi nam gener eius eſſet Dolabella: reſpõdit, cum ſocero ſuo eſt. Tamen ſi modo.] Non intempeſtiue ſe uſum iocis probat. Hæreditatem mihi.] Obiectio Antonij eſt. Vtinam hoc tuum.] Confutat obiectum crimen, & à recriminatione, & à falſo. Te ii quem nunquam.] Ab indignitate rem exaggerat. Velim mihi dicas.] Accuſat Antonium, quod malis artibus hæreditates alienas adierit. Quanquam hoc maxime.] Tacite paupertatem Antonio exprobrat. Hæc ut colligeres.] Epilogus criminum ſibi obiectorum ab Antonio. Vini exhalandi.] Ebrietatem Antonio exprobrat. At uero adhibes.] A' præceptore Antonium uituperat. Vide autem.] Collatio aui & Antonij in agendis cauſis. Et quanta merces.] A' mercede præceptori data Antonium inſectatur. Iugerum.] Columella lib. 6. Duo, inquit, actus, iugerum efficiũt, longitudine pedum 240 latitudine pedum 20. quæ utræque ſummæ in ſe ductæ, quadratorum pedum faciunt millia 28. & octingentos.

Sed dicam.] Reiectio eſt. Iam enim.] Tranſitio.

Nec enim omnia.] Attentionem parat. Vis ne igitur.] Secunda orationis pars, in qua uitam Antonij inſectatur.

Tenes'ne memor.] Pueritiam Antonij percerpit. Quatuordecim ordinibus.] Lucius Roſcius Otho Conſul legem tulit, ut in theatro Equitibus Romanis ordines uigintiquatuor ſpectandi gratia darentur. Hæc Pomp. Lætus in libello de legibus Romanis. Sumpſiſti uirilem togam.] Adoleſcentiam Antonij inceſſit. Primo uulgare ſcortum.] In fœminam ſtatim mutatus, & non ſecus ac ſcortum uulgare te proſtituiſti, mercede flagitioſiſſima. Quoties te pater eius.] Veriſimile facit, quod Curio cum Antonio rem habuit. Retardare tempus illud.] Narratio facti cuiuſdam. Seſtertium ſexagies.] Id eſt, centena millia ſeſtertiorum, id eſt, centum quinquaginta millia aureorum. Sed iam ſtupra.] Occupatio. Sed reliquum curſum.] Attentionem cum docilitate captat.

Intimus erat.] Quid Antonius apud Clodium fecerit, cũ ſumma Antonij inſectatione cõmemorat. Molitus eſt.] Intelligit Cicero, quod Antonius Fuluiam uxorẽ Clodij de ſtupro appellarit. Quid dicam.] Intellectio eſt. Ind·itum.] Quid cum Gabinio Antonius egerit, narrat. Aut qualis.] Quàm inhoneſtus. nam Antonius omnem pecuniam, quam ex regis Ptolemæi largitione acceperat, in itinere abſumpſerat. auctor Plutarchus in uita Antonij. Quam domum.] Inſectatur Antonium, quod nullam propriam domum habuerit.

Quæ autẽ erat domus.] Hoc dicere mihi uidetur propter domum Pompeij, quàm Antonius uicto Pompeio à Cæſare poſſedit. Veniſti è Gallia.] Quid egerit Antonius, è Gallia ad quæſturam petendam domum reuolans. In quo demiror.] Antonium mendacij accuſat. Deinde continuo.] Quid in quæſtura Antonius fecerit. Sine Senatuſconſulto.] Quia non licebat quæſtori abſque Senatuſconſulto in prouinciã proficiſci. auctor Pomponius Lætus de Magiſtrat. Rom. Id idem unum.] Eadem Suetonius in uita Cæſaris. Aduolas egens.] Paradoxon eſt. Accipite nunc quæſo.] Quid in tribunatu Antonius deſignarit, & quid ei à Senatu obtigerit. Nam cum L. Lentulo.] Narratio eſt. In te M. Antoni.] Apoſtrophe ad Antonium eſt. Id decreuit, &c.] Nam Senatus M. Antonium, & Curionem, & Caſſium acerrimos abſentis Cæſaris patronos, primum è curia eiecit, deinde cũ ſumma ignominia ex urbe exegit, & in exilium ire coegit. Quid cupide, &c.] Amplificat interceſſionem Antonij. Sed ſæpius.]

Nam Marcello Conſule legiones Pompeio decernente, Antonius interceſſit rogationem ferens, ut præſentes copiæ Bibulo in Syriã aduerſus Parthos mitterentur. Præterea cũ Cæſar epiſtolas Senatui miſiſſet, & eas Senatus legi in publico nollet, Antonius fretus Tribunatu, literas in publico recitauit. auctor Plutarchus in uita Antonij. Tum tu inquã M. Antoni.] Repetitio propter uehementiã. Cauſam belli, &c.] Nam Antonius in exilium eiectus, aſſumpta ueſte ſeruili, uectus cheda, ad Cæſarẽ confugiens, Senatum accuſauit, nullas in Vrbe ualere leges, ius tribunitium ſublatum eſſe: ijs qui æquum & bonum defenderent, periculum capitis imminere dixit. Auctoribus Plutarcho in Cæſare. App. in lib. 2. Omitto quàm hæc falſa.] Per occupationem Cæſarem perſtringit. O' miſerum te.] Exaggerat hoc, quod Antonius auctor belli ciuilis fuerit, quanquam Plutarchus id uerum eſſe negat. Conſules ex Italia.] Exaggerat factũ Antonij à uiris in bello ciuili ex Italia expulſis. Et eſt diſtributio. Vt igitur in ſeminibus.] A' ſimili exaggerat. Interfecit Antonius.] Complexio uel συμπλοκὴ, quando proprium nomen crebro repetitur. uide Fabium lib. 9. Vt Helena.] Exaggeratio à ſimili. Reliquæ partes Tribunatus.] Cõmemorat quæ reliquo tempore Tribunatus ſui Antonius fecerit. Cuius tamen ſcelus.] Propoſitio cum attentione eſt. In his patrui.] Accuſat Antonium impietatis. Patrui.] C. Antonij, collegæ Ciceronis in Conſulatu, qui poſt Conſulatum condemnatus, in Inſula Cephalenia exulauit. Si ſeuerus, ſi miſericors.] Dilemma eſt. Beneficio legis diſſolueret.] Hoc eſt, ideo Antonius legem de reſtitutione Licinij tulit, ut quod Licinius in alea perdidiſſet, reſtitutus rurſum lucraretur. Quam attuliſti rationem.] Communicatio eſt. Abſentem credo.] Fingit cauſas, propter quas Antonius Lenticulam reſtituerit. & eſt fictio. At uir bonus.] Subiectio Antonij. Nihil id quidem.] Reiectio. Hominem nequeo.] A' circunſtantijs exaggerat nequitiam. In eodem Tribunatu.] Commemorat aliud factum Antonij, quod Cæſare in Hiſpaniam proficiſcente fecerit. Scio me in rebus.] Beneuolentiam & attentionem parat. Vehebatur in eſſedo.] ὑποτύπωσις eſt, id eſt, ſplendida deſcriptio uectura, qua Antonius uectus eſt in luſtratione municipiorum. O' miſeræ mulieris.] Exclamatio pathetica. Præfecturas.] Præfecturæ dicebantur quondam in Italia, in quibus & ius dicebatur, et nundinæ agitabantur. Et erat quædam earum Reſp. nec tamen magiſtratus ſuos habebant, in quas præfecti Romani mittebantur quotãnis qui ius dicerent. Hæc Beroaldus. Et lubrice uerſatus.] Quomodo in bello cum Cæſare Antonius uerſatus ſit. Si poteſt ulla.] Correctio. Victor Theſſalia.] Repetit quod ſupra ab Antonio obiectum confutauit, nempe, quod Antonius Ciceronem quem Brundusij interficere potuiſſet, non interfecit. Veniſti Brunduſium.] Ex obiectione Antonij, Cicero occaſionem inſectandi libidinem Antonij arripit. Si te municipiorum.] Exaggeratio eſt flagitij Antonij. Italiæ rurſus.] Quæ flagitia Antonius in Italiæ peragratione fecerit, narrat.

Sed hæc quæ robuſtioris.] Tranſitio eſt per occupationem. Tu iſtis faucibus.] Inanem Antonij uiolentiam & uomitus inſectatur. Iſta gladiatoria.] Amplificatio eſt per ratiocinationem. Fab. in 8. Si inter cœnam.] Amplificatio eſt à minori ad maius, uel à circunſtantijs. Veniamus ad ſplendida.] Inſectatur Antonium, quod ſolus Pompeij bona publica auctioni ſubiecta, emere auſus fuerit. Me miſerũ.] Narratiuncula adfectibus plena. Bona inquam.] Repetitio eſt propter longiorẽ parentheſin. Inuentus eſt nemo.] Pathos ab Antonij indignitate. Tantus igitur.] Exaggerat flagitium, & furorem Antonij à circunſtantijs. At quàm inſolenter.] Inſolentiam Antonij in inuadendis Pompeij bonis reprehendit. Sed ut eſt apud Poetam.] Profuſionem bonorum Pompeij in Antonium inſectatur. Poetam.] Poeta Neuius eſt, auctore Feſto Põpeio, in dictione Partus, pro paratus

Maximus uini.] Diſtributio eſt. Charybdin dico.] Eſt amplificatio ab hyperbolarum cumulatione, ut annotauit Fabius lib. 8. cap. de Tropis. Nihil erat clauſum.] Hypotypoſis. id eſt, luculenta deſcriptio luxuriæ Antonij. Quamobrem.] Clauſula. Ad eiuſdem ædes.] Inſectatur Antonium, quod & ædes & hortos Pompeij ingredi auſus ſit. O' audaciã.] Exclamatio indignabunda. Tu ingredi illam domum.] Interpretatio eſt cum interrogatione. Quam domum.] Exaggeratio facti Antonij ab impudentia. An tu illa.] Ab ornatu domus Pompeij. Nec uero te unquam.] A' fictione. Neceſſe eſt.] Exaggeratio ab hyperbola. Niſi ex optimo more.] Hoc eſt, Pompeius in iſta domo ſua optimis inſtitutis uſus eſt, & ſanctiſſime uxorem, liberos, familiam ſuam rexit.] Fuit enim ille uir.] A' perſona Pompeij. Frugi factus.] Ironia eſt. Illam ſuam.] Iocatur cum Antonio, quod ſe cum Mima diuortium feciſſe dixerat. Suas res ſibi habere iuſſit.] Verba ſolennia ſunt & repudijs & diuortij. L. 2. ff. de Diuortijs. At quam crebro.] Inſectatur Antonium, quod in edictis & literis & Antonius & Conſul copulatiue ſcripſerit. Nam ſi dignitas.] Ab exemplo confirmat, in nomine proprio non indignitatem ſignificari. Sed omitto.] Occupatio eſt cum tranſitione. Cur ei bello.] Inſectatur Antonium, quòd cum belli ciuilis auctor fuit, bello à C. Cæſare in Africa geſto abfuerit. Itaque quem locum.] Irridet Antonium, quòd parum gratiæ ex rebus in Pharſalia geſtis, apud Cæſarem conſequutus ſit. Cuius tum Imperatoris.] Sermocinatio eſt odioſa. Dictatoris magiſter.] Amplificatio eſt à dignitatibus Antonij. A' me Cæſar.] ἔλλειψις eſt, id eſt defectus uerborum, irato accõmodatus. Ego ad illum.] Cæſarem ſine ſe non potuiſſe uincere probat, ſed odioſiſſime.

Ego leges.] Amplificatio per diſtributionem. Quorum facinus.] Locus à conſequentibus. Illa tabula.] In qua bona quæ tua eſſe adfirmabas, deſcripta erant. Poſſet ſuum dicere.] Nam cum Antonius bona Pompeij à Cæſare emiſſet, nec ſoluendo eſſe poſſet, rurſum diuendere coactus fuit, & ita præter miſerum prædium ſuum nihil retinuit. Auctionis uero.] Antonium bona Pompeij reuendere coactum recriminatur. Veſtis Pompeij.] πάθος eſt à circunſtantijs. Prohibuerunt.] Dictitãtes, ſi quæ bona Antonij ſupereſſent, eis debere, ut qui ab Antonio bonis paternis ſpoliati eſſent. Quippe in his ipſis.] Antonium cædis Cæſaris Iulij accuſat. Proficiſcitur in Hiſpaniam,] Criminatur & reprehendit Antoniũ, quod Cæſarem in Hiſpaniam proficiſcentem, tam ſero ſequutus ſit. Rudem accepiſti.] Id eſt, uacationem ab arte gladiatoria. Eraſmus in Prouerbijs. Sed tuo.] Timiditatem Antonij perſtringit. Quo nam modo.] Confutat obiectionem Antonij, & eum timiditatis arguit. Si de meo iudicio.] Præoccupatio eſt. Cn. Pompeij liberi.] Antonij obiectio. Iſto fuerit.] Confutat Cicero obiectionem. Repetebant.] Congeries eſt. An tu Narbonæ.] Antonio uomitum exprobrat. Qui uero Narbona.] Perſtringit Antonij ex Narbona reditum. Et tamen quærebat.] Digreſſio eſt ab inſtituta recriminatione, quomodo in Græciam nauigaturus ex itinere redierit Romam. Primum luce.] Facetum admiſcet.

Caligis.] Beroaldus ex Gellio legit Gallicis. Sunt uero Gallicæ, ſoleæ, & calciamenta effœminatorum, quibus uiros ingredi indecorũ erat. uide Gell. lib. 13 cap. 2. quanquã & caligis poteſt legi, ut ſit antitheton uocum. Ex omnium omnibus.] Ad inſtitutum redit, narrans quomodo ex Narbona Antonius redierit. At uidete.] Attentionem captat. Saxa rubra.] Loca inter urbem & Veios. auctor Liu. in 2. Inde Caſſia.] Beroaldus legit ciſio. Eſt uero ciſium uehiculi genus, quo M. Antonius

tonius uelociter Romã aduectus eſt, qua uoce & Cicero in oratione pro Roſcio uſus eſt. Ianitor qui tu.] Dialogiſmo exornat narrationem. Miſericors.] Ironia. O' hominem nequam.] Exclamatio. Catamitum.] Hominem mollem & effœminatum, alioqui maſculum ſcortum. auctor Valla in Raudens. Iccirco urbem.] Quid malorum Antonius falſo nuncio de obitu Cæſaris fecerit. Et domi quidem.] Nona narratiuncula. Sed minus multa.] Correctio cum tranſitione. Cæſari ex Hiſpania.] Narrat quomodo tandem Antonius rurſum Cæſari ex Hiſpania redeunti obuiã proceſſerit.

Habebat hoc.] Cæſarem obiter proſcindit atrociter. Nihil queror.] Dolabellam excuſat. Qua in re.] Perfidiæ tam Cæſarem quàm Antonium accuſat. Veniunt Cal. Ianuarij.] Narrat quomodo Dolabella in conſulatu circunuentus ſit. Quem negant Regem.] Cæſaris tyrannidem inceſſit.

In quo primum.] Antonium ſtuporis accuſat. Sed uidete impudentiam.] Impudentiam Antonio impingit. Per leges.] Et hoc per legem Fuſiam & Heliam ſcilicet. Verum implicata.] γνώμη eſt. Atque illo die.] ἀποτροπὴ eſt, id eſt, abhortatio. Quibus unquam.] Vituperat Antonium ob ambitionem, qua in petendo Conſulatu apud Cæſarem uſus eſt.

Sortitio prærogatiuæ.] Tribus Romanæ bifariam ſuffragia ferebant, aut pee pærogatiuam, aut per iure uocationẽ. Per prærogatiuam dabantur ſuffragia, quãdo tribus aut centuriæ obtinebant, ſed ſorte, ut primæ ſuffragia ferrent. Qui uideras.] Γνώμη eſt. Conuellere.] Irrita facere. nam ſi uitio creatus Dolabella Cõſul fuiſſet, omnia eius acta irrita fuiſſent.

Sed arrogantiam.] Arrogantiæ inſolentiæq; Antonium accuſat. Non diſſimulat.] Irridet Antonium amarulente.

Quæ potest eſſe turpitudinis.] Exagitat Antonium, quod mercedem præceptori datam peſſime collocarit. Accedis ad ſellam.] Inſectatur Antonium, quod diebus Lupercaliorum diadema capitis Cæſaris impoſuerit. Tu diadema imponebas.] Contentio eſt. Tu ergo unus.] Amplificat factum Antonij.

At etiam.] Subiectio ironica. O' præclaram illam eloquentiam.] Irridet Antonium, quod nudus in Lupercalibus coram Cæſare concionatus ſit. Qui hoc turpius.] Exaggeratio facti Antonij. Vereor.] Per occupationem oſtendit Antonium dignũ eſſe, qui uita priuaretur. At etiam inſcribi.] Ab indignitate argumentum. Sp. Caſſius.] Quia in agraria largitione ambitioſus in ſocios, & quia pro Siculo frumẽto pecuniam acceptam populo retribui iuſſerat, necatus eſt. auctor Liuius lib. 2. ab Vrbe condita. Sp. Melius.] Sp. Melius eques Romanus frumẽta populo R. ſua impenſa largitus eſt, & ob id factum conciliata ſibi plebe regnum adſectans, à Seruilio Hala magiſtro Equitum iuſſu Cincinnati Dictatoris occiſus. Liuius in 4. ab Vrbe condita. Sed ad auſpicia.] Ad auſpicia Antonij redit, per cõmorationem. De quibus rebus.] Cõmunicatio eſt. Tum etiam tuum.] Odioſum eſt, quod hic narrat.

Quæ tua fuga.] Inſectatur Antonium, quod occiſo Cæſare, abiectis inſignibus Conſularibus, & mutata ueſte fugeris, & ſeſe illatebraris. O' mea ſemper.] Exclamatio pathetica.

Poſt tertium diem.] Narrat quid Antonius à cæde Cæſaris fecerit. Quanquam te bonum.] Correctio dictorum.

Tua illa pulchra laudatio.] Qua in funere Cæſaris uſus es. uide App. lib. 2. Miſeratio.] Cum ſcilicet ueſte à Pratore diſcuſſa, lachrymans corpus Cæſaris nudũ produxiſti, et prætextam Cæſaris cruentam protuliſti. Funeſtæ pecuniæ.] Redactæ ſcilicet ex bonis Pompeianorum interfectorum. Seſtertium quadringenties.] Id eſt, decies centena millia aureorum coronatorum. Ita Budæus. Sed unum egregium.] Irridet Antoniũ, quod accepta pecunia Deiotaro regi à Cæſare ablata reſtituere promiſerit. Modo æquum.] Verba ſunt ex decreto Antonij, quod Antonius ex Cõmẽtarijs, ut ipſe dicebat, Cæſaris affixerat. Rex enim ipſe.] Antonium irridet, quod ſe ex cõmentarijs Cæſaris Deiotaro ſua redditurum permiſit, quæ Deiotarus ſuopte Marte recuperare potuerit. Sciebat homo ſapiens.] Locus à iure gentium. Ne iſte quidem.] Intelligit, ni fallor, Sex. Clodium. Quid de innumerabilibus.] Inſectatur Antoniũ, quod ex chirographis falſis multũ pecuniarum contraxerit. Gladiatorum libellos.] Libelli gladiatorum, in quibus pugnæ gladiatorum deſcriptæ erãt. At quam cæca.] Proſcindit Antonium, ꝙ Cretam uectigalibus liberarit. Tum mentis campos.] Exaggeratio eſt. At huius uenditione.] Ironia amarulenta. Et de exulibus.] Cauillatur legem Antonij de exulibus latam. Cur eos habes.] Obiter hic impietatem Antonij in patrem, & C. Antonium oſtendit. Et riſus hominum.] Propter abiectos homines, quos cõpetitores cum patruo conſtituerat. Et querelas moueret.] Hominem adeo clarum ſcilicet, & uirum Conſularem ab Antonio ludibrio haberi. An quia Trib. pleb.] Ironia eſt. Fulmen ſiniſtrum.] Quod in ſolis comitijs uitium eſt, ut ſcribit Cic. libro 2. de Diuinatione. Alioqui fulmina ſiniſtra, ſeu læua, proſpera exiſtimãtur, quoniam læua parte mundi ortus eſt. auctor Plinius libeo. 2. cap. 53. Nulla auſpicia.] Ironia eſt.

In Septemuiratu.] Cic. lib. 3. de Orat. Pontifices, inquit, propter ſacrificiorum multitudinem tres uiros eſſe uoluerũt, ut ludorum epularia ſacrificia facerent. deinde numerus epulorũ auctus eſt adeo, ut ſeptem fuerint numero epulones, ut & hic locus Ciceronis indicat. Credo ne ſaluo.] Ironia eſt. Sororem tuam.] Oſtendit M. Antonium uxorem C. Antonij patrui filiam duxiſſe. Tales ſorores patrueles uocantur, ſicut fratres patrueles ex duobus fiunt nati. Quis interpretari põt.] Amplificatio eſt partim à diſtributione, partim ab incremento.

Acta enim Cæſaris.] Accuſat Antonium, quod multa egiſſe Cæſarem dixerit, quæ nũquam ab eo acta ſint. Quis Cal. Iunij.] Accuſat Antonium, quod non conuentis ſteterit.

An eas.] Inopinatum eſt. O' præclaram illam.] Irridet Antonium, quod cum Capuam coloniam deducere conatus ſit Campani eum prohibuerint. Agrum Campanum.] Antonium accuſat, quod agrum Campanũ publicum, et uectigalem in priuatorum hominũ uſum redegerit. Quid iam queras.] Agrum Leontinum ab Antonio in priuatum uſum redactum damnat. Sed ad iter.] Correctio. Caſilinum.] Oppidum Campaniæ ad flumen Vulturnum ſitum. Coloniã Caſilinum.] Criminatur Antonium, quod Coloniam Caſilinum deduxerit contra auſpicia. Vt uexillum uideres.] Hoc eſt, ut diſcordiam & bellum inter ueteres & nouos colonos cõcitares.

Et aratrum circunduceres.] Hoc eſt, ut occupares, & euerteres. Nam ut ueteres urbem extructuri, eam aratro deſignabant, unde Verg. 1. Aeneid. Interea Aeneas urbem deſignat aratro: ita deleturi urbem, aratrum circũducebant. auctor Porph. & Acron, interpretes Horatij in 1. Odarum. Quo in hæredum.] Inopinatum eſt. Et Antonium inſectatur, quod fundũ Varronis ui inuaſerit. Varronis quidem.] Commoratur in narratione, quàm inique Antonius fundũ Varronis occuparit. Miſiſſe te te dicis.] Antonij obiectio. Ipſum enim expectare.] Reſponſio Ciceronis ironica. Remoue gladios illos.] Ironia eſt Ciceronis. Haſtæ Cæſaris.] Hoc eſt, uenditionis bonorum Pompeianorum facta à Cæſare. At quàm multos dies.] Quo modo Antonius in uilla Varronis uixerit. O' tecta ipſa miſera.] Exclamatio pathetica eſt. Quanquam.] Correctio. Studiorum enim.] Collatio rerum, quas & Antonius & Varro in Caſſinate fecerit. Vt uero te inquilino.] ὑποτύπωσις eſt, id eſt, luculenta deſcriptio conuiuij luxurioſi. Aquino.] Quid Antonius Aquini, Interamnæ fecerit. Quid Anagnini.] Quid Anagnini Antonius fecerit. Quid ego illas.] Occupatio. In Sidicinos.]

Ciues Campaniæ grauiſſimos. Nam Sidicinum ciuitas Oſcorum in Campania eſt: auctor Mela. Vexauit Puteolanos.] Proſcindit Antonium, quòd immerito Puteolanos uexauit.

Interea dum tu abes.] Accuſat Antonium, quod Dolabellam collegam ſuũ metu et armis à factis præclaris absterruerit.

Qui uero reditus.] Qualis reditus Antonij fuerit Romam, oſtendit. Meminerámus Cinnam.] Ab exemplis exaggerat crudelitatem Antonij. Agmine quadrato.] ὑπερβολή eſt.

Cal. Iunijs.] Quæ Antonius à reditu ſuo in urbem Romã Calend. Iunijs fecerit, inſectatur. Illa mirabilia.] Ironia eſt.

Numerum annorum.] Scilicet, ut Prætoriæ prouinciæ pluſquam annum, Conſulares pluſquam biennium ualerent.

In publicis actis.] Locus à diuiſione. Signa, tabulas.] Per diſtributionem probat, Antonium teſtamentum Cæſaris uiolaſſe. Puluinar.] Puluinaria lecticæ erant Deorum, & lectuli: quibus in templis ſtratis, Dij honorem habebant.

Faſtigium.] Vel dignitatem faſtigio humano (ut inquit Suetonius) ampliorem, uel templum faſtigio inclytum. Flaminem.] Id eſt, ſacerdotem ſic dictum, quod uelato capite eſſet ſemper. Porrò flamines cognomina habebant ab ijs Dijs, quibus ſacra faciebant. Sic diuo Iulio.] Ironia acerba eſt, & tacita inſectatio tyrãnidis Antonij. nam uult dicere, M. Antonius fuit flamen Cæſaris, id eſt, miniſter, & imitator tyrannidis Cæſaris. O detestabilem.] Exclamatio pathetica eſt.

Quæro deinceps.] Antonius, cum ab obitu Cæſaris, ei diuinos honores habere uellet, ad populũ tulit, ut quinto die ludorũ Rom. Cæſari ſacrificaretur, id quod populus ſciuit. Sed Antonius iſtum honorẽ Cæſaris nõ executus eſt, id quod Cicero exagitat.

Ludorum Roman.] In quibus equi pugilesq; dimicabant, à Tarquinio Priſco, ut in circo agerentur instituti: agebantur uero VI. Idus April. uide Liuium libro primo ab V. C.

An ſupplicatione.] Antonium contra auſpicia diem unum ſupplicationibus Cæſaris addidiſſe deteſtatur. Aut undique.] Exagitat, quod aliquos honores Cæſaris ſeruet, aliquos deſerat.

Niſi forte uis.] Inopinatum eſt. Auum tuum.] M. Antonium, de quo Plut. in uita M. Antonij. Ille nunquam.] Irridet Antonium, quod nudato pectore concionatus ſit.

Sed præterita.] Correctio eſt. Hunc unum, hũc unũ.] Conduplicatio eſt. Cur armatorum corona.] Exaggerat Antonium, quod omnia loca armatis compleuerit.

Armatorum corona.] Hoc factum eſt, quãdo Antonius reſponſurus orationi primæ Ciceronis, Senatum ingreſſus eſt.

Præſidij ſui.] Obiectio Antonij eſt. Non ne igitur.] Reſponſio ad obiectionem. Sed quoquo modo.] Minatur Antonio exitium breui futurum. Etenim iſta.] Argumentum à fato uxoris. Penſionem tertiam.] Allegoria eſt. nam uult intelligi Fuluiam mulierem eſſe fatalem, & peſtiferam, et antea Clodium & Curionem maritos interfeciſſe: quare tertiũ maritum, Antonium ſcilicet, quoque breui interfectum iri.

Habet P.R.] Eſt locus à iuuenibus, quos Reſp. Romanorũ habuit. Et nomen pacis.] A dulcedine nomine pacis, & à ſeruitutis amarore minatur. At exemplum.] Ab exemplo facti, id eſt, cædis Cæſaris, minatur Antonio exitium.

At exemplum, &c.] Hoc eſt, ut ita tyranni Reipub. interficiantur, uelut Cæſar interfectus eſt. Illi quod nemo fecerat.] Collatio eſt cædis Cæſaris, cum factis alijs quibuſdam.

Hi primi.] Cæſarem quoque iure interfectum probat.

Præſertim cum illi.] A laudabili argumentum. Recordare illud.] Eſt locus ab antefactis honeſtis, et laudabilibus Antonij. Recordare igitur.] Epilogus orationis eſt, in qua hortatur Antoniũ, ut relicta tyrãnide, Reip. defenſionem ſuſcipiat.

Sed nimirum.] A ſimili expolitio. Iudicia nõ metuis.] Subiectio. Si propter innocentiam.] Dilemma eſt.

Quod ſi non metuis.] Argumentũ à periculo, quod à ſuis Antonio imminebit. Niſi uero maioribus.] Argumentum à maiore ad minus. An tu es.] Collatio Cæſaris & Antonij. Fuit in illo.] Encomion Cæſaris. Eſt etiam congeries.

Non multos annos.] Nam uixit Cæſar annos quinquaginta ſex, & imperauit poſt finem Bell. ciuil. tres annos, & ſeptem menſes. auctor Suet. Congiarijs.] Congiarium eſt donatio Imperatoris, ut ſcribit Sen. lib. 4. de beneficijs. dictũ congiarium à congio. Eſt autem congius menſuræ nomen capax ſex ſextariorum, ut Priſcianus auctor eſt. Hæc igitur.] Eſt locus à laude tyrannicidarum. Et cum illum.] Argumentum à maiori ad minus. Ego de me ipſo.] Se perpetuum Reip. defenſorem fore dicit, & Antonium non unquam formidaturũ.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAM TERTIAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATHOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

## ARGVMENTVM.

CVM Cicero grauiſſime in Antonium inuectus eſſet, commotus ille tum factorum conſcientia, tum opibus Octauij adoleſcentis, cui ueteranorum ſtudia adhærebant, percurſauerat Italiam, ut ueteranis militibus ſollicitatis cum exercitu ad urbem ueniret. ſed conatum eius repreſſerat Octauius, qui et ipſe ueteranorũ præſidium priuato conſilio comparauerat. quam ob cauſam territus Antonius, abierat in Galliã, ut eam occuparet. ſed cum prohiberetur à D. Bruto, qui eam prouinciam Cõſul deſignatus obtinebat, illũ Mutinæ obſedit. quibus rebus cognitis, cum Senatus ad decimum tertium Calendas Ianuarij per Tribunos plebis haberetur, dixit ſentẽtiam de Repub. Cicero, quam hac oratione complexus eſt: ut quæ egiſſet Octauius Cæſar, ea rata eſſent auctoritate publica. & ut præmia decernerentur legionibus, quæ illum ſecutæ fuerant: & Cæſar imperatoria dignitate ornaretur. item ut prouinciam Galliam retineret Brutus in Senatus populiq; Romani poteſtate, & ut Antonius hoſtis iudicaretur.

SERIVS omnino.] Orditur à periculo Reip. & cenſet primo quoque tempore Antonij armis occurrendum eſſe: quod initium ad conciliationem animorum accõmodatum eſt.

Tum breue tempus.] Id eſt, non ſpatio longum, ſed æquiparatione, & periculi admittendi culpa. Quo uſque enim.] Delabitur ad rem, & exponit acta Octauij Cæſaris cum amplificatione: & illi gratias agendas, & publicam auctoritatem ad defendendam Rempub. tribuendam cenſet.

Fortiſſimos uiros.] Hi erant centuriones Martiæ legionis quæ ab Octauio ad Antoniũ tranſijt, quos necari iuſſerat Antonius, qa præliũ ullius ab eo promiſſũ, tumultuoſius aſpernati ſunt.

Nec

Nec uero.] Venit ad legionem. Eſtq; interpoſita excuſatio. Quis enim.] Rem narrat cum amplificatione, et laudat. Eſtq; obiter eius defenſio legis, &c. Quem nihil.] Addit cauſam. Fortiorum.] Colonorum. hiſtoria eſt apud Liuium lib 1. ab urbe cond. Adoleſcens.] Octauius. Eorum.] Veteranorum. Conſules.] Hircius & Panſa.

Atque ea.] Tranſit ad D. Brutum. Optimo iudicio.] De Rep. & Antonio. Sed ut dixi.] Reuocatio uerbi. O' ciuem malum.] Amplificat laudes Bruti, quarum extollendarum gratia Antonij tyrannidem exaggerat, Tarquinij regis comparatione. Maiorum.] Iunij Bruti. Illi regibus.] Propoſuit eam, & nunc explicat oratorie. Illi.] Maiores noſtri. Obliuio ceperat.] A' tempore. Sed ſuperbus.] Comparatio ducta à circumſtantijs. Priuatis.] Hominibus.

L. Brutus.] Concludit. Quid Tarquinius.] Alia pars comparationis, & confert facta Antonij. Seruabant.] Declarat quo modo Antonius auſpicia non ſeruarit, ſed cũ fuerit Augur neglexerit. Collega.] Dolabella. Hic.] Antonius. Humile.] Indignum liberali homine. At uero.] Quaſilla inſtrumentum muliebre erat, in lanificio, nempe ciſtella in qua penſa reuoluebant. Græci ἠλάκατον uocant. Nundinabantur.] Mercabantur ab Antonio. Pro populo.] Contra hoſtes pop. Ro. Sacrificijs.] Imperatores antequam exercitum educebant, ſacrificabant. Maius igitur.] Concludit, & ex inſectatione Antonij refert quod efficitur, Brutũ magnum beneficiũ in Remp. contuliſſe. Maius.] Hunc locum refert ad laudes Bruti. Bruto.] Qui reges exegerat. Cũ autem.] Alia Amplificatio, quam addit. Impuro.] Deſcribit Antonium. Hunc igitur.] Eſt concluſio intentionis principalis. Conſulem.] Antonium. Faciendum.] Seriam ſententiam infert, quã dixit in Senatu. Faciendũ eſt.] Illata principali intẽtione, tacitæ occurrit dubitationi, ut ſententiam ſuam confirmet. Subeſt.] Finitio, quam probat ex factis Antonij, item ex iudicio Tribunorum pl. & ex contrario.

Collega.] Cæſari. Eſſet enim.] Declarat. Hunc igitur.] Acriter inuehitur, & ſingula exaggerat. Conſequi.] Vt poſt Cæſarem regnaret. Nec uero te de uirtute.] Confirmatio ex dignitate prouinciæ, Antonium ab ea prohibendum fuiſſe. Nec uero.] Hoc argumentum refertur ad principalem intentionem. Municipiorum.] Ciuitatum liberarum.

Quamobrem Trib. pl.] Profert iudicium Tribunorum pl. de Antonio, quod ex relatione eorũ ad Senatum interpretatur.

Vt Senatum.] Rei interpretatione oſtendit eorũ iudicium, & uoluntatem. Quamobrem omnia mea.] Concludit intentione, & colligit capita ſententiæ ſuæ. Nã ſi ille Conſul.] Confirmat ex contrario, quod extremo poſuit: & utitur argumentatione hypothetica, ex diſtinctione conſequentis, quam oratorie explicat. Fuſtuarium.] Id eſt, fuſtigationem, quæ erat animaduerſio militaris. At quàm contumelioſus.] Perſequitur ordinem, & inuehitur in edicta Antonij, & eos quos ille inſectatus fuerat: defendit de obiectis in Octauium. lege Suetonium. Hinc Voconia.] C. Voconius legem tulerat, ne qui cenſus unicam filiam hæredem relinqueret. Hinc Scatinia.] Scatinius, ut puerorum concubitores punirentur. Sed ſi Aricinam.] Refert parem conditionem in aduerſarium, & natales Octauij etiam natalibus uxoris Antonij anteponit. At anus huius nobilis.] Hoc totum ἀγωνιστικῶς & cum contentione dicit. de Tuditano parum ſano homine, fit mentio apud Valerium de teſtamentis, quæ rata manſerunt. Suis reliquiſſet.] Ad Antonium reſpicit, qui alijs diripiebat. Qui autem.] Confert natales Antonij cum natalibus Cæſaris, & oſtendit eos eſſe pares. Qui autem euenit.] Arguit inconſtantiam, & rurſus aliud regerit quod turpius eſt, in patrẽ Antonij. Iulia.] Iulia fuit ſoror Cæſaris dictatoris. Pater.] M. Antonius.

Proditoris.] Hi defecerant à populo. R. ſociali bello.

Sed hoc.] Opponit exempla, ad refellendum arrogantiam Antonij. Idem. Tranſit ad aliud. Compellat.] Contumelioſe nominat. Gladiatorem.] Non uero nomine appellat gladiatorem, ſed oratorie. O' admirabilem.] Renouat cauſam ſceleris à nepote. Nam in.] Hoc interpretando pro ſe conuertit. Optimis.] Romanis. Quaſi.] εἰρωνία. Refricat.] Renouat. Sed ipſe.] Antonius. Sed ipſe quid.] Inſequitur ordinem temporis, et reprehendit atrocitatẽ edicti. Ad VIII. Cal.] 23. die Nouemb. Conſiliorum.] Octauij, qui exercitum duxerat contra Antonium. Si quis non.] Hoc non negat Cicero, ſed defendit tum finitione, tum qualitate. Tui.] Ve tyranni. Sed cum.] Ad aliud tranſit. Concitauiſſet.] Magno quodam impetu. Vino &.] Reſpondet per ſubiectionem. Diem edicti obire.] Obire diem, obire horam, prouinciam, eleganter dictum. Quartam.] Diem 23. Nouemb. Neſcio.] ad contemptum dicit dubitationẽ. Corrogati.] Aegre contracti, quia uix quiſque bonus Senator audebat adeſſe. Is enim.] Addit cauſam. De Cæſare.] Octauio. Alterum.] Vel Octauium, uel Antonium ex contrario. Hoc argumentum habet uim præiudicij & conſcientiæ ſceleris. Si ille.] Octauius. Tacuerit.] Diſſimulauerit. Spartacum.] Spartacus fuit nobiliſſimus gladiator. At in rebus.] Inſectatur infantiam hominis, ut in odium adducat. Fabius facit mentionem huius loci lib. 5. de Confutatione. An illa contumelioſa.] Reprehendit obſcuritatem: & interpretando alterum abſurdum, alterum contrarium facit. Maior.] Contumelia, quàm quæ fit ab homine dignitate prædito. Quid eſt porrò.] Contumeliam facere tẽporibus Ciceronis uidetur minus uſitatũ fuiſſe. ſed poſt Ciceronem & hodie eſt receptum: tametſi hæc Cato ſenior & Plautus in Aſinariam uſurpaſſe reperiantur. Decepi.] Scilicet ſunt.

Hem.] Indignitatis eſt. Hem cum.] Inſectatur eius infantiam ab eius magiſtro S. Clodio, & facto ſuo. et eſt feſtina παρρησίαν ad eei indignitatem. Sed hæc leuiora.] Redit ad Senatum, & conſcientiam Antonij. Quid autem attinuerit.] Vult poſt Senatum prohibitos fuiſſe, ut honeſtius de Octauio poſſet diſſimulare Antonius. Quid] Eſt argumentum conſcientiæ Antonij. Cui Senatus.] Occurrit contradictioni. De ſupplicatione.] Hoc cum eluſione, & εἰρωνικῶς eſt pronunciandum. Ne eius.] Lepidi. Præclara tamen.] Reprehẽdit prouinciarum ſortitionem factam ab Antonio, quã ne ipſi quidem qui ſortiti fuerant probabant, & uult eandem periculoſam fuiſſe Reip. Præclara.] εἰρωνία irridet & reprehendit. per irriſionem loquitur. Religioſa.] Quaſi auſpicata. Vt quæ.] Declarat. Apta.] Prouincia. eſt perpetua εἰρωνία. Preclare.] Serio loquitur. Hominum.] Antonianorum, qui nihil aliud cogitant quàm de tyrannide, & occupanda Rep. Spectata.] Cognita repudiauit.] Scilicet prouinciam. Sors diuina.] εἰρωνικῶς appellat diuinam. O' fœlicem.] εἰρωνία. Modo enim.] Addit ridiculam cauſam. Duarum.] Nempe Siciliæ & Hiſpaniæ, eſtq; crebra εἰρωνία. O' C. Cæſar.] Prorumpit in periculi amplificationem. Etenim in concione.] Confirmat ex dictis Antonij. Et quidem. Tyrãnica uox. Hodierno die.] Delabitur in grauem inſectationem Antonij. & exaggerata illius tyrannide, incitat Senatum ad recuperandam libertatem. Hæc eſt peroratio ſententiæ. Cuius.] Libertatis. obiter cõmendat ſuã fidẽ erga Rẽp. et excuſat quod ille aliquãdo dominatus fuerit tyrãno Cæſare. Abiecte.] Quod eſt ignaui. Dignitate.] Quod eſt uiri fortis. Hãc uero teterrimã.] Cõfert Cæſaris dominatũ utrũque tolerabiliorẽ, cũ Antonij indignitate. Quis eſt.] Crimino ſa deſcriptio, ad indignitatẽ hominis. Quapropter quoniã.] Hortatur, moriẽdũ potius eſſe ꝗ turpiter ſeruiẽdũ

*Multa quæ in.*] Rurſus cõfert Cæſaris dominatũ cũ Antonio: et criminoſa ſcelerũ enumeratione, intolerandã eius dominationẽ oſtẽdit. *Neceſſitas*] Dominationis. *Etiam'ne.*] Cũ indignatione loquitur. *Quid hic faciat.*] ἐνθύμημα ex minori. *Refertam.*] Delabitur in enumerationẽ ſcelerum Antonij. *Eius.*] Scilicet Cæſaris. *Domeſticum.*] omnia domi uendit. *Pop. R. leges.*] Vide uehementiã ex celeritate membrorũ, et ex ſimiliter deſinentibus. hæc autẽ oſtendũt, qualis futurus ſit Antonius ſi dominatũ occupauerit. locus eſt hortationis à futuro incõmodo. *Cæſaris.*] Octauij. *Mutilatum.*] Diminutũ, quia duæ legiones ab eo defecerant. *Ex Myrmillone.*] Myrmillones fuerunt Gallici gladiatores, & Gallicis armis utebantur.

*His uos teterrimis.*] Prorumpit in indignationem, & perficiendi facultates preferens, uehementius inſtat. *Ducibus.*] Octauio & D. Bruto. *Conſpirante.*] Conſentiente. *Nullum.*] Aſſeueranter loquitur. *Si in Galliam.*] Occurrit dubitationi. *Magnum numen.*] Diuina quædã poteſtas. *Videtis.*] Hoc declarat. *Refertum.*] Completũ. *Hunc ego diem.*] Excuſat præteritum tempus, quo ceſſerit Antonio, & nũc operam ſuam pollicetur. Hæc omnia pertinent ad facultatem. *Inuehens.*] Compoſita oratione & meditata, de qua facta eſt mentio in 2. Phil. *Si enim.*] Declarat. Oratoria locutio, cũ aliquid proponitur, ut deinde ſubiungatur explicatio. Græci uocãt ἐπεξήγησιν. *Facultatem.*] Scilicet, temporis. *Cogitem.*] Scilicet ingenio & conſilio, prudentia in Senatu. *Dij immortales.*] Addit etiam alias facultates. *Galliæ.*] Ciſalpinæ. *Hanc igitur occaſionem.*] Hortatur obteſtando, & cum ſeruitutis incommodo ignominiam proponit. *Signum date.*] Significate. bellica metaphora, forti & ſalubri decreto ſignificato. *Nihil eſt.*] Correctio. *Dormierimus.*] Ceſſauerimus. *Noſtis inſolentiam.*] Confirmat hoc à perſona Antonij, & eius conuictoribus. *Quod ſi iam.*] Occurrit iterum dubitationi, & hortatur à minori. *Nimium diu.*] Repetit argumenta facultatis ad concluſionem. *Patefecerunt.*] Declararunt uoluntatem ſuam. *Nimium multi.*] Subiungit paucos eſſe Antonios. *Pro multitudine.*] Hæc omnia ad facultatem pertinẽt. *Conſules.*] Hircius & Panſa. *Seruitutis.*] Sub C. Cæſare dictatore. *Quas ob res.*] Colligit ſummam ſententiæ, & concludit. *Quas.*] Hæc omnia ad ſententiæ confirmationem pertinent. *Exq; Rep.*] Pro Rep. ita legendum eſt. *Senatui magnæ.*] Concludit ſententiam. Hæc omnia poſſunt in tria topica redigi. primũ de Decio, &c.

# IN EANDEM PHILIPPICAM TERTIAM,

## SCHOLIA.

### ARGVMENTVM.

IN tertia Phil. Cicero ſuadet, ut Octauianus ex filia Cæſaris nepos, puer adhuc, auctoritate ornetur. Cuius beneficia in P. R. commemorat, ac laudibus tollit. in Antonium uero inuehitur ut quàm maxime. Ceterum oratio hæc partim eſt ſuaſoria, partim demonſtratiua. Suaſoria quidem, quia ſuadet Cicero, ut Octauianus aliquo magiſtratu ornetur. Demõſtratiua uero, quia Cicero Octauium laudibus tollit, & Antonium uituperat.

SERIVS OMNINO.] Exorditur à cauſis, cur Senatũ ante Cal. ian. quibus Hircius & Panſa conſulatum inituri erant, conuocandum flagitarit. *Contra aras.*] Amplificatio à circunſtantijs. *Ex qua ſe inſtructum.*] Argumentum à minis Antonij. *Quanquam enim.*] Præoccupatio eſt. *Tamen breue tempus.*] Πάθησις eſt. *Certus autem dies.*] A' diſſimili locus. *Quod conſido.*] A' conſulibus futuris Remp. conſolatur. *Quod conſido equidem.*] M. Antonius Conſul, cum impotenter dominaretur, legẽq; de Prouinciarum permutatione tuliſſet per uim, et Cæſarem Octauianum quoque petentem, ut ſibi aduerſus auunculi percuſſores adeſſet, magnis iniurijs adfecit. Cæſar ut ſibi, & Reip. uires contra eum paraturus, deductos in colonias ueteranos excitauit. Legiones quoque Quarta, & Martia, ſigna ab Antonio ad Cæſarem tulerunt. deinde plures ſæuitia Antonij trucidati, quia & ſuſpecti erant, & ad Cæſarem deſciuerunt. D. Brutus ut petenti ciſalpinam Galliam Antonio obſiſteret, Mutinam cum exercitu occupauit. Hæc Florus Epitomatum 117. *Sunt enim.*] Argumentum ab animi conditione Cõſulum. *Quonſque enim.*] Παρεκβολή eſt, ad laudem Cæſaris iuxta beneficia eius in Remp. *C. Cæſar*] Laus perſonæ Cæſaris. *Incredibili ac diuina.*] Laus partim à mente, partim à uirtute. *Tum cum maxime.*] Laus beneficij Cæſaris à tempore. *Cum à Brunduſio.*] Laus à neceſſario. *Nec opinantibus.*] Laus beneficij ab inopinato. *Inuicto genere.*] Laus beneficij à genere. *Effudit.*] Nam quingentas drachmas ſingulis pollicitus eſt. *Quanquam.*] Correctio.

*Quis eſt tam ignarus.*] Exaggerat beneficium Octauiani.

*Si M. Antonius.*] Locus à futura Antonij crudelitate, niſi Octauianus fuiſſet. *Quippe.*] Exaggeratio crudelitatis Antonij. *Quippe qui in hoſpitis tectis.*] Antonium in ciues Romanos crudelem futurum fuiſſe, probat argumento à minori. *Sic enim perſpicio.*] Ταυτολογία eſt. nam eandem ſententiam mutatis uerbis effert. *Cui quidem.*] Gradatim aſcendit ad ſuaſionem, ut P. C. Octauianũ auctoritate ornent.

*Nec uero de legione.*] Digreſſio eſt in laudem Martiæ legionis, quod Antonium reliquerit. *Quis enim.*] Laus Martiæ legionis à fortitudine. *Cõſedit Albæ.*] Vrbs ab Aſcanio condita: nam Alba in loco munitiſſimo ſita fuit, in ſaxo edito, & propè in conſpectu urbis. *Quam potuit urbem.*] Laus Martiæ legionis à loco, quo conſedit. *Quarta legio.*] Laus Quartæ legionis, quòd ab Antonio defecerit. *Faciendũ eſt igitur.*] Suadet ut Octauianus publica auctoritate ornetur, ueteranis & legionibus præmia & honores ſpondeantur. *Virtute enim admirabili.*] Ταυτολογία eſt. *Hoc uero recens.*] Obiter aſpergit laudem D. Bruti. *O' ciuem.*] Exclamatio pathetica. *Neque enim Tarquinio.*] Pulcherrima collatio eſt factorum D. Bruti, & Iunij Bruti, Tarquinij, & Antonij.

*Superbus habitus eſt.*] Quia ſocerum gener ſepultura prohibuit, Romulum quoque inſepultum comperiſſe dictitãs. Vide Liuiũ in 1. ab urbe cond. Secus ſentit Dionyſius Halicarn. in 1.

*Quod nos uiſum.*] Argumentum à minori ad maius. *Quid Tarquinius tale.*] Collatio factorum Antonij, & Tarquinij. *Supplicia uero in ciues.*] Intelligit ciues, quos Octauianus ad ſollicitandas colonias miſerat. *Supplicia uero.*] Hic rhetorice magis quàm hiſtorice narrat. nã Tarquinius cũ imperiũ metu defendẽdũ exiſtimaret, ex patribus alios occidit, alios in exiliũ egit, alios bonis mulctauit, auctor Liuius lib. 1. *Maius igitur beneficiũ.*] Concluſio collationis D. Bruti, & Iunij Bruti.

*Cum autem omnis ſeruitus.*] Argumentum ab uniuerſali ad particulare. *Faciendũ eſt igitur.*] Hortatur Senatũ, ut D.

Brutũ publica auctoritate ornet, Nec uero M. Antonium.] Antonium non eſſe Conſulem probat. Hunc igitur ego Conſulem.] Amplificatio per incrementum. Nec uero de uirtute.] Laus Galliæ ciſalpinæ: laus municipiorum coloniarum Galliæ, quod magno conſenſu in Remp. defendendam conturarint. Quam ob rem Trib. pl.] Statutum Tribunorum pl. de habendo ſenatu, & collocando præſidio, quo Cal. Ian. ſenatus tuto haberi poſſet, interpretatur. Intra muros.] Locus à conſequentibus. Vobis non inuitis.] Beneuolentiam captat.

Et ut præſtantiſſ.] Diuiſio orationis. Nam ſi ille Conſul.] Antonium non eſſe Conſulem probat. & eſt locus à cõditionali ſyllogiſmo. Si ille Conſul.] Prima pars conditionalis ſyllogiſmi. Sin autem militibus.] Secunda pars ſyllogiſmi conditionalis. At quàm contumelioſus.] Ab edictis probat Antonium nequaquam eſſe Conſulem. Primum in Cæſarem] Defendit Octauium Cicero aduerſus Antonium, & in Antonium inuehitur. Maledicta.] Iactitans Octauium fuiſſe concubinum Iul. Cæſaris. id quod uerum fuit, ut teſtatur Cicero in epiſtola ad Octauium. Deprompta ex recordatione.] Hoc eſt, putans Octauium talem fuiſſe, qualis ipſe adoleſcens fuerit. Ignobilitatem obijcit.] Alia obiectio.

Conſul factus eſſet.] Nam is decedens Macedonia, quam prouinciam ſortitus fuerat, priuſquam profiteri conſulatus candidatum poſſet, morte obijt repentina. ita Tranquillus. Aritia mater.] Obiectio Antonij. Aritia Italiæ ciuitatis in Appia uia, ab Archilogo & Aritio appellata. uide Plinĩu lib. 3. cap. 5. Porrò Actia mater Auguſti, paterna ſtirpe Aricina fuit. Siquidem patrem habuit M. Actium Aricinum. auctor Sueton.

Vetuſtate antiquiſſimum.] Laus Aricini municipij.

Propinquitate.] Nam Aritia ſtadijs centum ſexaginta diſtabat ab urbe. Hinc Voconiæ.] C. Voconius Aricinus fuit. Is Trib. pl. non paucas leges tulit, inter quas hæc non poſtrema eſt, ne quis cenſus hæredem unicam relinquat. Hinc Scatiniæ leges.] À Scatinio Aricino latæ: inter quas una fuit lata in ipſos molles, & effœminatos homines, qui muliebria paterẽtur.

Sed ſi Aricinam.] À pari argumentum. Quanquam huius ſanctiſſimæ] Collatio matris Octauiani, & cõiugis Antonij. At auus huius nobilis.] Obiectio Antonij. Tuditanus nempe ille.] Reſpondet Cicero obiectioni. Materno genere.] Nam Antonius fuit ortus ex Iuliorum genere, reſpectu matris. Plutar. in uita Antonij. Idem etiam Q. Cicero.] Defendit Q. Ciceronem fratris ſui filium, aduerſus Antonium. O admirabilem.] Exclamatio pathetica. Omnibus horis.] Amplificatio per diſtributionem. Nam in eiſdem edictis.] Se quoque in edictis ab Antonio perſtringi, narrat. Sed ipſe quid fecit.] Inſectatur Antoniũ, quod cũ Senatum certo die adeſſe edicto mãdaſſet, ipſemet abfuerit. Si quis nõ affuerit, &c.] Verba quædam ex edicto Antonij. Quæ ſunt perdita cõſilia.] Ciceronis reſponſio ad uerba edicti. Me auctorem.] παρομολογία eſt. Si epulæ potius.] Correctio. Per Gallorũ cuniculum.] Locũ ſubterraneũ, à Gallis Senonibus olim effoſſum, cũ Capitoliũ obſiderent. uide Liu. lib. 5. ab Vrbe cõd. Conuenerunt corrogati.] Irridet Antonium, quod cũ in Capitolio cõuenerit, de Cæſare ſuo hoſte nihil referre auſus fuerit. Quid eſt aliud.] Vtitur ratiocinatione in prima figura. hoc modo: Qui de eo referre nõ audet, qui exercitũ duxit, is hoſtis eſt Reip. Antonius de Octauio, qui contra eũ exercitũ duxit, referre nõ audet: Ergo Antonius hoſtis eſt Reip. Neceſſe. n. erat.] Antoniũ Reip. hoſtem eſſe adhuc probat. Si igitur C. Cæſar.] Argumentũ à cõditionali. Spartacũ appellat.] Hoc eſt, hominem fugitiuũ. Pli. lib. 15. cap. 29. Spartacũ refert interdixiſſe caſtris ſuis, ne quis aurũ haberet, aut argentũ. Sentẽtiolas edicti cuiuſdã.] Irridet quaſdã ſententiolas in edictis Antonianis. An ulla contumelia.] Scripſit Antonius in quodã edicto, ſe neque Octauio, neq; cuiquam cõtumeliã facere, ut qui digne & iure faceret: hoc dictũ Antonij irridet Cicero. Quàm facit dignus.] Cauillatur ambiguitatẽ uocabuli Dignus. Deinde nec timor.] Irridet aliã edicti Antoniani ſentẽtiolã. illud quero.] Crudelitatẽ Antonij, quã in edictis ſuis oſtenderit, narrat. De ſupplicatione credo.] Ironia eſt. M. Lepidi.] Cũ M. Lepidus & præfuiſſet exercitui, & Remp. optime geſſiſſet, & Põtifex Max. fuiſſet, amici & propinqui eius inſtabãt, ut ei ſupplicatio decerneretur, quæ etiã ei decreta eſt. Ac ne ſine cauſa.] Mãſuetudo Antonij in ſenatu oſtẽditur. Quæ uero profectio.] Profectionẽ Antonij ab bellũ criminatur. Præclara tamen.] Ironia eſt. Præclare igitur.] Laudãtur Trib. pl quòd de præſidio Senatus & Cõſulũ ad Patres retulerint. Qui. n. carere.] Argumentũ à neceſſitate. Ille aũt homo adflictus.] Inſectatur ſortitionẽ Prouinciarũ, quam Antonius diuinam dixerat, iudicijs amicorum, quòd prouincias ſibi delatas recuſarint. Quid ego.] Occupatio eſt. L. Cinna.] Qui fuit prætor quãdo Cæſar occiſus eſt. auctor Suetonius. O felicem utrũque.] Ironia eſt. C. Antonius Macedoniã.] Perſtringit quoſdã amicos Antonij qui prouincias ſibi oblatas cupide acceperũt. Hũc quoque felicem.] Ironia. Minus diuinas fuiſſe.] Qui. n. eas ſortiti erant, M. Iccius & Q. Caſſius, in Antonij uolũtatẽ nõ erãt. O C. Cæſarem.] Exclamatio pathetica eſt ad Octauianũ Cæſarem. Quã improuiſam.] Exaggeratio eſt. Qui. n. hæc.] Argumentũ à minori ad maius. Etenim in concione.] Irridet Antoniũ, quòd ſe cuſtodem urbis futurũ dixerit, & alia quædã imprudenter effutiuerit. Dixerat ſe cuſtodem.] À uerbis Antonij colligit, eũ in Rep. peſſima facturũ, ſi in ea manſiſſet. Ad urbem.] Eſt loquendi ratio de his, qui cũ poteſtate prouinciali nondũ in prouinciam profecti eſſent. O præclarũ cuſtodem.] Ironica exclamatio. Hodierna die.] Gratulatur Reip. libertatis recuperationem. Pedem ponimus.] Alluſio eſt ad etymologiam uocabuli poſſeſſio, quæ eſt dicta quaſi pedũ poſitio. in l. 1. ff. de acquirenda poſſeſſ. Hanc uero teterrimã.] Antoniũ nõ ferendũ eſſe docet. Quid eſt in Antonio.] Eſt locus à uitijs Antonij. Quapropter quoniã res.] Hortatur patres, ut de Antonio ſuppliciũ ſumãt, & ut is è medio tollatur. Aut libertatẽ.] Argumentum a diſiunctiuo. Multa quæ.] Præoccupatio. Alij ſpe recuperandæ.] Locus à diuiſis. Quo neceſſitas.] Locus à neceſſitate. Quid hic faciat.] À futura Antonij crudelitate, & audacia colligit. Quid hic uictor.] Argumentum à minori. Tãta ſcelera.] Per diſtributionem ſcelera Antonij recẽſet. Cædis, & incendiorũ.] Congeries factorum eſt. L. fratrem expectat.] Crudelitatem L. fratris Antonij criminatur.

Ex Myrmilone dux.] Retiarius & Myrmilio gladiatores erant: cumq; Retiarius aduerſus gladiatorem pugnaret, ita ei cantabatur, Non te peto, piſcem peto. nam Myrmilio more Gallico in galea piſcis effigiem habebat: auctor Feſtus Pompeius.

Cædit greges armentorum.] Partim diſtributio eſt, partim ὑποτύπωσις. Tempore oblato.] Ab occaſione argumentum.

Magna uis eſt.] Sententia eſt. Videtis'ne refertum.] Argumentum à populi frequentia. Hunc ego diem.] À ſua perſona argumentum. Dij immortales.] Eſt locus ab auctoribus præſidiorum. Si enim ille.] Eſt locus à malis futuris.

Hanc igitur occaſionem.] Clauſula eſt. Et ampliſſimi orbis.] Ab officio & munere locus. Nihil eſt quod moneam.] Obliqua monitio eſt. Nõ modo crudelem.] À futuro malo argumentum. Noſtis inſolentiam.] À moribus Antonij.

Noſtis amicos.] À moribus amicorum. Quod gladiatores.] À ſimili docet, quid faciendum ſit, ſi forte Reip. finis inſtet. Nihil eſt deteſtabilius.] Confirmatio à ſententia. Ad decus.] À natalibus argumentum. Aut hæc teneamus.] Enthymema eſt. Sunt impij ciues.] Non timendos impios ciues eſſe dicit. Quorum opprimend.] Eſt locus à facultate

opprimendi impios ciues. Ad enim.] Explicat poteſtatem, & fortunam opprimendi ciues impios. Quas ob res.] Epilogus orationis eſt, in quo omnē ſuā ſententiam de tota re aperte ſignificat. Conſulis deſignati.] D. Brutus & C. Plancus Conſules erant deſignati, Conſulatu finito Panſæ & Hircij magiſtratū inituri. D. Brutum Imperatorem.] Diſtributio eſt.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAM QVARTAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

## ARGVMENTVM.

HAEC oratio eſt eodem argumento, quo prior: et eodem die ad populum habita, quo prior in Senatu. docet enim populū,
H quid actum ſit in Senatu, cum laudatione eorum, qui Remp. defendendam ſuſceperint, & cum inſectatione in Antoniū qui hoſtis iudicatus ſit. hortaturq́; populum ad libertatem recuperandam. Aliquoties uero populi reclamatione interrūpitur, quod ſuo loco eſt obſeruandum.

FREQVENTIA.] Orditur breuiter à commendatione officij ſui, & antegreſſi tēporis excuſatione.
F Quirites.] Sunt appellati ſic à Romulo, à Curibus Sabinorum oppido. Erat magna expectatio huius orationis.

Concioq́;.] Eſt ipſa congregatio multitudinis, & ipſe ſuggeſtus ex quo uerba fiunt. Quanquam,] Loquitur per occupationem. Simul ac primum.] Simul ac, poſtquam. Oſtendere.] Id eſt, oſtendere aliquid facultatis, μικροφωνεῖν.

Hodierno.] Accedit ad rem, & narrationem incipit à propoſitione. Nam eſt.] Declarat quod dixit. Nunc uero multo.] Hic reclamauerat populus, decretum Senatus comprobans. Quare conſenſum eius laudat Cicero, ſed ita ut tamen cohæreat curſus orationis. Erectior.] Confirmatior. Nec enim.] Confirmat ſenſum populi ex contrario, uel ex remotis.

Il.] Octauius adoleſcens, & Dec. Brutus. Hanc igitur.] Subiungit. C. Cæſar.] Octauius adoleſcens. Laudo, laudo.] Hic iterum reclamauerat concio ad nomen Octauij adoleſcentis. laudat igitur populum, & beneficium Cæſaris amplificat. Grauiſſimi.] Propter beneficium in Remp. Vel pueri.] Laus ab ætate, per correctionem. Multa memini.] Delabitur in amplificationē facti. Qui cum.] Exaggerat rem. Inſperatum.] Hæc ab oratore adduntur ad rei comprobationem, & amplificationem. Crudeliſſimis.] Tyrannicis. Quis eſt.] Amplificat periculum & atrocitatem Antonij, ut beneficia Octauij explicet. Eum.] Antonium. eſtq́; approbatio dicti. Deo.] Scilicet Marte. Ipſa.] Scilicet legio. Præclara.] Hic iterum reclamauerat populus, & uirtutem huius legionis amplificat. Opportuna.] Ad rem gerendam, & defendendam Remp. Quæ expectas.] Conuertitur in abſentem Antonium. Iudicia grauiora.] Grauiores ſententias in te. Laudantur.] Scilicet à Senatu.

Legiones.] Martia. Niſi forte.] εἰρωνεία. Sic arbitrabar.] Aſſeueranter dicit. Quid Dec.] Hic reclamauerat populus, comprobans edictum Bruti.] Eſt enim quaſi.] Laudatio à genere Brutorum. Si conſul.] Iterum argumentatur. Vtrum] Vter hoſtis ſit. Gallia.] Ciſalpina.

Quid igitur.] Occurrit, & ſimul proponendo comprehendit. Ipſi.] Qui ſequuntur Antonium. Quos non.] Loquitur de ueteranis. Haſta.] Auctio bonorum Pompeij, quam fecerat Antonius. Propoſuerunt.] Hæc omnia ſunt crimnoſa in Antonianos milites. Quibus.] Suis militibus.

Hoc.] Quia atrox eſt. M. Antonius, ò Dij.] Interpoſita auerſatio, ad rei atrocitatem. Ita uero Quirites.] Hic concio diras imprecabatur Antonio. Si enim prodigijs.] Confirmat quod dixit diuino teſtimonio, idq́; colligit ex ſigno. Si. n. prodig.] Ex coniectura malum ominatur Antonio. Denunciata.] Dixit, denunciatum. Si enim.] Hoc declarat.

Omnium.] Ordinum pronunciatum. Reliquum eſt Quirites.] Altera pars orationis, qua hortatur populum ad libertatem recuperandam. Fertis.] Oſtenditis crebra reclamatione. Faciam] Proponit hunc locum per collationem ſimilitudinis. Videat.] Ipſi Imperatores. Erectos.] Attētos.

Non eſt.] Profert crudelitatem Antonij, à crudeli periculo & incōmodo. Neque. n.] Declarat, & apertius facit, id quod dixit, & latet argumentū. Nullus.] Cōmutatis uerbis iterat.

Non eſt nobis.] Eadem ſententia. ſed repetita hæc formula loquendi, habet in ſingulis uerbis amplificationē, ut eſt apud Quintilianum. Non fur.] Sed ſacrilegus. In foueam.] Perſtat in tralatione. Obruatur.] Oppugnetur, perdatur à nobis. Si. n.] Cauſa cur obruenda ſit hæc bellua. Sed tenetur.] ὑποτύπωσις. Mox iji.] Delabitur in facultatem uincēdi.

Coſſ.] Hircius & Panſa. Nunquàm inter.] Et hoc ad facultatē pertinet. Agitur.] Addit cauſam, cur ſit tantus cōſenſus: et delabitur in crudelitatē Antonij. Quanquàm mortē.] Delabitur in uirtutem populi R. & dignitatē, per correctionem. Seminis.] Originis. Hæc retinete.] Crebro repetit adhortationē. Virtus eſt.] Amplificatio uirtutis. eſt n. res quædam diuina.

Altiſſimis.] Profundiſſimis Metaphora ſumpta ab arboribus Hæc maiores.] Subiūgit exempla. Numantiā.] In Hiſpania belliꝗoſiſſima urbs Hæc uirtus reclamat, ne unquā Antonio ſeruiant. Ac maiorib. quidem.] Remouet pacis cōditiones, alterū hoſtium cōparatione, ut cōfirmet belli neceſſitatem. Rationē.] Pacis & fœderis. Fides eſt condimentum fœderis & pacis. Eſt igitur Quirities.] Cōcludit, & breuiter renouat argumentum. Induſtria.] Peritia, ſcientia. Ille.] Catilina. Amiſit.] Defecerāt ab illo duæ legiones. Vt igitur Catilinā.] Pollicetur certā uictoriā, eiq́; ſuā operā promittit. Equidem quantum.] Cōmendat ſuam operā populo, ut gratiam ineat. Hodierno.] Profert exēplū, ſe auctorē fuiſſe huius rei. Seruilio.] Trib pl.

# IN EANDEM PHILIPPICAM QVARTAM, [redacted] SCHOLIA.

## ARGVMENTVM.

ORATIO hæc ad populum habita eſt mixta, partim ſuaſoria, partim demonſtratiua. Suaſoria quidem, quia ſuadet populo R. ut Remp. defendat, libertatem recuperet. Demonſtratiua, quia ſubinde in Antonium inuehitur.

FREQVENTIA

F REQVENTIA ueſtrum.] Exorditur partim à ſpe, quam a frequentia populi capiat, ut qui ſibi auidus reparandæ libertatis confluxiſſe uideatur. partim à ſuo in defendenda libertate ſtudio. Item colligit enthymematice. Et alacritatem mihi ſummam.] Beneuolentiam capiat à ſuo ſtudio in Republica defendenda, & à ſpe libertatis recuperandæ. Hodierno enim die.] Attentionem aucupatur. Nunc uero multo ſum.] Propoſitio: Antonius eſt hoſtis Reipublicæ. Aut ille hoſtis contra.] A' disiunctiuo argumentum eſt. Laudo, laudo uos.] Argumentum à populari gratitudine, & eſt π λ ακά. Sunt.n. facta eius.] Argumentum à genere factorum. Multa memini.] Exaggerat factū Octauij. Nihil ex omnium ſecul.] Hyperbolica exaggeratio eſt, & à nullo facto, ſeu exemplo. Antonijq; furorem.] Exaggeratio. Quis eſt.n.] Argumentū à neceſſitate eſt. Non ſine exitio noſtro.] Exitio futurum reditum Antonij, ab antefactis quibuſdā eius confirmat. Quod autem erat.] Locus à cōiugatis. Quem.n.app.] Cōfirmatio. Quid legio Martia?] Laus legionis Martiæ, à nomine. Nam ille ſi.] Argumentum à conditionali. & eſt enthymema. Præclara & luculenta.] Argumentum à populi reclamatione.

Qui ſe ad Senatus.] Argumentum ab honeſto, à meritis.

Hoſtem illum.] Incrementum uocum. Parricidam.] Abuſio in uoce parricida. Albæ conſtituerunt.] Laus Albæ.

Huius Martiæ legi.] Epilogus argumentorum omniū prædictorū. Quæ expectas M.Ant.] Apoſtrophe ad Antonium.

Laudantur exquiſit.] Interpretatio. Conſulem ꝙ hoſtē. Argumentū à ſignis. Niſi forte uos Quir.] Correctio tacita.

Municipia.] Argumentū à conſenſu municipiorū. Oēs mortales una.] Argumentū à ſuffragio omnium hominum. Quid D.Brute.] Argumentū à Bruti iudicio. Eius dicto perſpicere.] Quod ille Proprætor Galliæ, & cōſul deſignatus effigi curaret, ſe nō ceſſurū Antonio prouincia. Eſt.n. quaſi Deorū.] Argumentū ab auctoribus, à quibus Reip. genus datum Brutorū. Quid igitur D.Brutus.] A' factis Bruti indicat qualē uirum Antoniū iudicauit. Excluſit prouincia.] Diſtributione utitur hoc loco. Si Conſul Antonius.] Argumentum ab enthymemate conditionali. Num igitur utrum.] Probat enthymematis antecedens. Vos una mente.] Argumentū à conſenſu populi. Decreuit Senatus.] Argumentum à decreto Senatus. Deinceps laudatur.] Locus à laude Galliæ. Omnes.n. qui ſub Conſ.] Epilogus argumentorum. Negat hoc.] Inductio eſt. D.Brutus Imperator.] Amplificatio à conditione. Quis igitur illum.] Inuehitur obiter in quoſdam ciues impios Reip. O' Dij immortales.] Abominatio eſt. Ita uero Quir.] Pœnam quam Antonius de alijs ſumere cogitarit, in ipſum relapſurā cōfidit. Quo huius amētiæ] Hic habes ſtatum coniecturalem. Iam enim non ſolū homines.] Confirmatio. Argumenta ſunt duo: alterum ab hominum, alterum ab immortalium Deorum conſenſu. Si.n. prodigijs.] Conſenſum Deorum probat ratioſtinatione in ſecūda figura. Si enim prodigijs atque.] Maior propoſitio.

Si enim tantus conſenſus.] Minor propoſitio. & eſt argumentum à cauſa ad effectum. Quid eſt quod de uolun.] Concluſio. Faciam igitur ut.] Concluſio orationis, in qua hortatur Quirites, ut Reip. libertatem recuperent. Vt Imperatores inſtruct.] Propoſitio eſt, exornata ſimili, & occupatione. Non eſt, non eſt.] Prolepſi utitur hoc modo: quid ſi aliqua pacis conditio cum Antonio fieri poſſet? Cum eo hoſte.] Argumentum à genere hoſtis. Sed iam iratus.] Argumentum ab habitu animi. Nullus ei ludus.] Eſt locus à neceſſitate. Quàm cruor, quàm cædes.] Exaggeratio, & incrementū eſt in uocibus. Tetraq; belua.] Amplificatio in uoce Belua eſt. Si enim illinc emer.] Eſt locus ab opportunitate. Nullius ſupplicij.] Argumentum à futuris malis.

Sed tenetur.] Argumentum à copijs. Incumbite in cauſam.] Modeſta adhortatio eſt. Nunquam inter Senatū.] Argumentum eſt hortatorium à conſenſu Senatus & populi.

Agitur enim non qua.] Argumentum à cauſa conſenſus.

Quanquam mortem quidem.] Prolepſis eſt modo: Etiamſi Antonius nos occidat, quid tū? tamen moriendum eſt omnibus. Crudelitatē mortis.] A' genere mortis confutatio obiectionū.

Quæ propria eſt Romani.] Argumentum eſt à proprio generi Rom. Hanc retinete.] Eſt locus à maiorū imitatione.

Quanꝙ omnia alia.] Obiter admiſcet laudem uirtutis.

Virtus eſt una.] Laus uirtutis à conſtantia. Quæ nunꝙ ulla ui.] Laus uirtutis à firmitate. Hac uirtute.] Laudat uirtutem ab effectibus. Deuicerunt, exciderunt.] Interpretatio eſt. Ac maioribus quidem.] Collatio hoſtium, quibus cū maiores Romani bello decreuerūt, & Antonij præſentis hoſtis.

Cum eo hoſte.] Enallage numeri. Qui haberet Remp.] Enumeratio eſt. Eſt igitur Quir.] Clauſula. Spartaco.] Spartacum appellat Antonium, quaſi alterū gladiatorum principem, ducem fugitiuorum, qualis fuit Spartacus. Nam qui ſe ſimilem.] Cōfutat hoc quod Antonius gloriabatur ſe Catilinæ ſimilem exiſtere. Ille cum exercitum.] Collatio perſonarum. Equidem quantum.] De ſe pauca dicit. Hic cum ipſum exercitum.] Intelligit quinq; legiones, quas Antonius in Macedonia habebat. Neq; enim id pro ueſtris.] Argumentum eſt à beneficijs. Longo interuallo.] Hæc propter Iul. Cæſarem dicit, ſub quo libertas Reip. laborabat.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAM

## QVINTAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATHOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

### ARGVMENTVM.

C K ALENDIS Ianuarijs, cum noui Conſules ad Senatum referrent de Republica & honoribus eorum qui Rempublicam defendebant, ſententijs amicorum Antonij eò inclinantibus, ut Legati mitterentur ad Antonium, qui de pace & concordia agerent: Cicero hac oratione diſſuaſit eam ſententiam, tanquam turpem Senatui, & periculoſam Reipublicæ, in qua cenſet non ſolum Legatos mittendos non eſſe ad Antonium, ſed etiam acta illius reſcindenda, quod contra auſpicia, & per uim Conſulatum geſſit. Deinde decernit, qui honores quibus ſint tribuendi.

NIHIL.] Ordiur à querela prolati temporis, propter periculum Reip. Quod idem.] Addit cauſam, & Antonium intelligit.

Conuocabamur.] Serius ſcilicet. Sed querelam] Colligit & laudat Coſ. Conſulum.] Hircius & Panſa. Atque ut oratio.] Accedit ad rem, & improbata ſententia Piſonis, laudat Senatus cõſtantiã. eſt initium confirmationis. Atque ut.] Format hanc ſententiam per diſſimilitudinem, & ἀνθυποφορὰν. Eius.] L.Piſonis, qui primus ſententiam dixerat. Eſt primus locus à conſtantia Senatus: non ſequenda eſt ſententia Piſonis, quia turpis eſt, & contra Senatus conſtantiam. Hic enim.] Laudat conſtantiam Senatus. Dies.] Cal.Ian Ordinis.] Senatus.

Quantum uirtutis.] Idem ualent. Recordamini.] Perſtat in amplificatione laudandi Senatus. Nudius tertius.] XII. dies ante Calend.Ian. aduerbialiter. Honeſta pax.] Subeſt argumentum aſſumptionis. Cui dum.] Obiter refert cauſas inimicitiarum, & remouet à ſe, ut conferat in Antonium. Nihil eſt.] Pergit exequi rem quam inſtituit.

Nudius tertius.] Aduerbialiter. Legatos uero ad eũ.] Profert inconſtantiam, & enumeratione exaggerat. Primum enim.] Declarat enumerando. loquitur pluraliter.

Sed adoleſcentem.] Octauium. Atqui eum.] Commemorat rem. Placet.] Vide inconſtantiam & leuitatem.

Siquidem.] Declarat. Hoc dies.] Obiurgat acrius.

Cotylam.] Fuit unus ex contubernalibus & ſectoribus Antonij. Patronos.] Defenſores. Hoc dies.] Prorumpit in obiurgationem, & indignationem. Quem nemo.] ἀντίπτωσις, Vt placerent quas feciſſet fabulas. Qui.] Conſulares. Qui utinam.] Occupat futuram aduerſariorum ſententiam, ut deterreat. Quiquam ſuſpicor.] [illegible] remouet ſtultitiam occupationis. Galliam.] Tranſalpinã.

Quid hoc.] Reprehendit à periculo publico. Primum.] Declarat quod dixit. Pecuniam.] Vocat neruos belli eleganti metaphora. Si enim quis habet pecunias, ille optime ad bellum gerendum inſtructus eſt. eſt enim ueluti nerui in corpore humano. Excors.] Caret mente & ratione. Tu cleuem.] Iterum increpat ex indignatione. Nullæ.] Occupat excuſationes populi. Amicus.] Proſopopœia aduerſariorum. An poteſt.] Et hoc repellit. Mihi.] Alia excuſatio. Quid autem.] Profert periculum cum amplificatione. Agitur utrum.] Aperit, & oſtendit periculum.

Populum Rom.] Sunt omnia grauiſſima. Dubitate.] Subiungit per εἰρωνείαν. At non cedunt.] Occupat confirmandi cauſa. & hinc delabitur ad inſectationem actorum Antonij, quæ cenſet reſcindenda eſſe, & Antonium hoſtem iudicandum. Hæc pars orationis ſeruit priori. An non.] Occupat quod dici poteſt, ut confirmet id quod dixit. Hoc me.] Reſpondet ex minori. Cotyla.] Fuit ſtudioſiſſimus & compotor Antonij. Leges.] Cæſaris. Paludes.] Pontinas, in Campania, quas Cæſar decreuerat exiccare. Quid.] Particula quid adfert uehementiam orationi. & eſt apta contentioni oratio, quaſi aſcendit. Sed augur.] εἰρωνεία per occupationem. Quanquam.] Correctione illuſit. Ioue.[ Declarat, Iouem pro cœlo. Sexeunij.] De prouincijs prætorijs. Promulgata fuit?] Sunt negatione interrogatiuæ.

Factam.] Latam. eſt participium à ſum, non à fio. non dicimus legem fieri. eſt noue dictum. Vbi lex Cæcilia.] Cæcilia lex & Didia, ſtatuebant ut leges ante trinundinum promulgarentur q̃ ferrentur. quod poſtea confirmatum fuit, legit Iunia et Licinia, pœna etiam adiecta. Vbi pœnæ.] Requirit in Antonium. Eges.] Cæcilia & Didia. Eccui.] Arguit leges contra auſpicia promulgatas. hanc eandem rem inſectatus eſt etiam in ſuperioribus Philipp. Auſpicia.] Religio auſpiciorum. Quid? quod.] Aliud uitium. Sua nũciatione.] Tanquam augur. nunciantur. n. auſpicia. Sed auſpiciorũ.] Abrumpit hunc locum. Nũ ergo.] De ui Antonij. Primum oẽs.] Declarat rem. Præſidia.] Armatorum hominum. Quibus de cauſis.] Concludit, & colligit ſententiam ſuam de legibus Antonij. Quamuis ergo.] Cæſar orator, & teſtatur leges Antonij reſcindendas eſſe, et bonas promulgãdas.

Gladiatoris.] Gladiatorem uocat, eo quod armatus per urbem incedebat. Illa uero diſſipatio.] Pergit ad cætera acta Antonij. Septies millies.] Scilicet ſeſtertium, ſunt ſeptagies quinquies centena millia coronatorum. Perſcriptionibus.] Aſſignationibus per ſcripturam factis. Vertit.] Interuertit ſibi, uſurpauit. Quid illi.] Declarat quæſtus & mercatus, quos Antonius Ioui ſuo conſtituerat. Exhauſit.] Abſumpſit, tanquam uorago quædam. Decreta.] Quaſi ante facta à C.Cæſare. Immunitates.] Libertates. In interiore ædium parte.] In gynæcio. Nundinæ.] Hoc eſt, mercatus. Hic locus in 2. Phil. eſt emendandus: ubi ſcriptum eſt Numatione, legendum Nundinatione. Vir.] Antonius. Actionem.] Nundinationem. hoc erat turpiſſimum, mulieri uendere Remp. Syngraphæ.] Sunt ſcripturæ ex utraque parte factæ. Is etiam legem.] Vituperat legem iudiciariam Antonij, qua ille tertiam decuriam abiecerat. Actor.] εἰρωνικῶς. Anteſignanos.] Milites. Alaudas.] Ex legione alaudarum, genus militum. O conſeſſum iudicum.] Oſtendit indignitatem iudicum, & quoſdam nominatim deſcribit.

O dignitatem.] Ironia. Sed fac.] Occupat quod dixit, & firmius reprehendit. Vobis.] Romanis. Notatio.] Animaduerſio iudicum, ut boni & probi ciues eligãtur. Cortynium uero.] Argumentatio ex maiori. Cortyniũ.] Cortyna ciuitas fuit Cretæ inſulæ, ex qua fuit ille. Nominauit quoſdam, ut indignitatem illorum oſtendat. Nã Lyſiadem.] Venit ad alium, & irridendo ſuam dignitatem oſtendit. Feſtiuus] Vrbanis, facetus. εἰρωνικῶς dixit. M.Curio.] Erat peritiſſimus aleariũ. Quæro igitur.] Negat Lyſiadem poſſe iudicẽ eſſe. Citatus.] Scilicet à quæſitore, qui nomina in ſcriptis iudicum continebat, & unumquemq; ſuo nomine appellabat. Res iudicare.] Eſt iudicem eſſe, officium iudicis exercere, officio iudicis fungi. Græculi.] Diminutiuum, ad cõtemptum dicit. Palliati.] Et hoc ad eluſionem dicit ab habitu. Togati?] Interrogãdo improbat. Alleget.] Id eſt, defenſores adducat, cauſam defendat. Apud Terent. in Andria: Ne tu me hunc allegatũ ſenem. Dicimus etiã ius noſtrum allegare. unde allegatio iuris. Quo modo.] Qua defenſione et eloquẽtia inſtructus, ſcilicet reus. Natio.] Cretenſium. Ad Athenienſes.] εἰρωνικῶς hoc ſubiungit, & eſt quaſi antypophora.

Faciat.] In alea ſcilicet. Ludit in hunc Curionem, & contemnit hoc totum genus iudicum Antonij. Sunt item.] Et hoc εἰρωνικῶς dicit. Solũ uertiſſe.] Eſt locũ mutare, in exilio eſſe. Hoc ille.] Scilicet Antonius, cum indignatione. Nomina.] Scilicet conſcripta. His.] Iudicibus. Nolui.] ἀπόφασις rhetorica. Chorum.] Totum ſodalitium. Hæc cauſa.] εἰρωνεία indignãtis. Vẽtis.] Omnia uerbis exaggerat, criminoſe enumerat magnitudinẽ ſcelerũ Antonij. Quæſiti.] Scilicet ab Antonio ſunt. Sed illud.] Verba ſunt corrupta, aut q̃dã deſunt. Hãc ego et.] Arguit leges p uim latas, et rẽ exaggerat. Sine.] iure. Nũc uero.] Ex minori. An illa.] Oſtẽdit leges Antonij latas eſſe p uim. Regib.] Sp. Melius, M. Mãlius Capitolinus. Cinnã.] Corneliũ cõtra Marianos. Nõ poſſum affirmare.] Cõparatio cæterorũ tyrãnorũ cũ Antonio, q̃b. illũ anteponit. Stipatos.] Munitos. Agmẽ.] Singula uerba habẽt uim. facit [illegible]. Lecticæ.] Iqb. occultabãtur arma. Nõ modo.] Nedũ. Cella.] Tẽplo. Carcerẽ.] Senatum in tẽplo quaſi in carcere fuiſſe incluſum. Huc etiã niſi.] Perſequitur

quitur reliqua hiſtoria, et ordinẽ tẽporis cõtinuat. Supplicatione.] Decernendo C. Cæſare xxx. dieb.] Cal. ſextilib. Digeſtio.] Cõcoctio crapulæ. hoc ad uituperationẽ obiter inſeruit. Agmine.] Quaſi inſtructus ad pugnã. Etenim.] Hoc facit ueriſimile, quod dixit. Milaſis.] Vrbs in Ionia. Mẽdacitas.] L. Antonij. Agros.] Allatos à Põpeianis. Quæ.] Ponit ſententiã ſuã. Notãda.] Reprehendenda. Indicandumq; nullos.] Cenſet diuiſionem agrorum præſcindendã, & Antoniũ hoſtem iudicandum. Septemuiri creati fuerant ad agros diuidendos à L. Antonio Trib. pl. Pro æde.] Ante ædem. Niſi uictorem.] Tyrãnica uox. Quid uero.] Aliud dictum tyrãnicum Antonij, quo indicat eum hoſtem eſſe. Quid erat.] Interpretatur dictum Antonij. Quid uero.] Perſequitur ordinem rei geſtæ. Vel potius.] Correctio. Effrenatio.] Intemperantia & crudelitas Antonij. Animus impotens, qui in noſtra poteſtate non eſt. Vxoris.] Fuluiæ: & hoc obiter uituperat. Quo animo.] Reſpicit ad ſcopum orationis, & argumentatur ex minori. Totius orationis ſcopus eſt, ne mittantur Legati ad Antonium: & oſtendit periculum futurum, ſi cum exercitu R. uenerit. Deſcripſit.] Diuiſit. Deſcriptio populi in claſſes, eſt diuiſio. Brunduſio.] Caſus localis: id eſt, Brunduſio ueniens. Infeſta.] Infeſtum eſt, quod uehementer aduerſum uenit. Cæſar.] Octauius. Patris.] Cæſaris dictatoris. Latronis.] Antonij. facit omnia atrociora uirtute oratoria. Quarta legio.] Nam legiones ſequebantur Antonium Brunduſio. Conſularem.] Puto ſignificari Piſonem. Concidit.] Exterritus eſt animo. Paludatus.] Quod turpiſſimum eſt Antonio. Impotentem.] Intemperantem. Quid ille fecit.] Prorumpit in argumentationem, & confirmat Antonium hoſtem eſſe. Profert quod abſurdum eſt, ut contrarium confirmet. Si Annibal eſt hoſtis, & Antonius eſt hoſtis. Depopulationes.] Omnia ſunt hoſtilia. Hæ ij.] Hic locus corruptus eſt. Ad hunc, Dij.] Redit ad caput ſententiæ, & aduerſarios reprehendit. Redit ad principalem ſententiam. Iſti homines.] Inuehitur in aduerſarios. hæc omnia habent ſententiam negatiuam. Denique quãuis.] Negat legatos mittendos eſſe, propter incõmoda quæ conſecutura ſint. Ardorem.] Studium. Municipiorũ.] Liberarum ciuitatum. Vt omittam.] Aliud incommodum.

Quamuis dicant.] Occupat quorundam ſententiam, quorum errorem reprehendit. Legati proficiſcantur.] Eſt proſopopœia. Minimis.] Confirmat & declarat quod dixit, ex genere negotij. Inclinationes.] Mutationes. eſt locus cõmunis. Recedat à Mutina.] Ex ἀντιθέτου docet quid agendum ſit. Brutum.] Qui Galliam ciſalpinam obtinet. A Mutina.] Occurrit e contrario exemplo, quod diſſimile eſſe oſtendit. Coloniam.] Mutinam. Itáne uero.] Inſurgit acrius, & indignitatẽ oſtendit. Oſtendit uehementius per illuſionẽ rei indignitatem. Quid intereſt.] Exaggerat rem. Belli Punici.] Iterat exempli diſſimilitudinem. Age ſi paruerit.] Profert aliud incõmodum, nempe offenſionis Antonij, quam ex actis Senatus oſtendit. Ante diem.] Declarat non poſſe fieri, ut populus R. hoc diu uiatur. Refert acta Senatus. Concidiſtis.] Condemnaſtis. Vertit.] Auertit à Roma in Galliam. Factum.] Scilicet D. Bruti. Qui ſi.] Aliud periculum. Vexillum.] Ducem, Imperatorem. Sed hæc minus.] Correctione colligit præcedentem locum. & certius incõmodum ſubiungit ex retardatione uerbi, & confirmat antegreſſi tẽporis exemplo. Hæc.] Quæ cõmemorata ſunt. Non ſui.] Coniectura ex perſona. Familiam.] Gladiatoriam.

Belli.] Apparandi contra Antonium. Vt primum.] Hoc declarat. Latronis.] Contemptius, quàm ſi hoſtem uocaret. Vel potius.] Corrigit atrociori uerbo. Conuocati.] A Trib. pl. Iecit ſentẽtia.] Hoc factũ fuit in tertia oratione

Ex eo tempore.] Ex XIII Cal. Ian. Omne malum.] γνώμη. Verum præterita.] Abrumpit querelam antegreſſi temporis, & Argumentationem urget. Hanc moram.] Hoc incõmodum Reip. admittamus. Delectus.] Exercitus cogendi. Quamobrem P.C.] Concludit hanc totam partem orationis, & ſententiæ ſuæ ſummam colligit. Tumultum.] Tumultus proprie uocabatur bellum cum finitimis. Iuſtitiũ indici.] Vacationem iuriſdictionis. Saga.] Veſtem militarẽ, & arma. Delectum haberi.] Conſcribi exercitum. Vacationibus.] Nunquam ciui datur uacatio & immunitas.

Vrbs.] Roma. Totam.] Et ciſalpinam & tranſalpinã.

Obruet.] Franget illius animum. Nam nũc quidem.] Declarat quod nunc dixit, & Antonij errorem oſtendit. Conſentientis.] Vult Cicero in conſenſu Senatus Remp. ſaluam et incolumẽ fore. Diſcordia magnæ res dilabuntur, concordia paruæ res creſcunt. Victi.] Põpeiani. Alteri.] Cæſariani.

C. Cæſaris.] Octauiani. Niſi forte.] Illudit quod dici minime poteſt. Niſi.] εἰρωνεία. Cæſaris.] Dictatoris. Hoc uero.] Hoc aſſeueranter ſubiungit. Spe.] Prædandi.

Quibus.] Declarat. Legi epiſtolam.] Hoc confirmat teſtimonio. Capitalem.] Criminoſum. Quid concupiſcas.] Colligit uerba Antonij. Proponit ei optionem. Hem.] Prorumpit in indignationem. Vult Antonium iam bona ciuiũ ſuis diſtribuiſſe. Deſtituit.] Deſtinauit. Sibi.] Suo arbitrio.

Cum hoc P.C.] Redit ad ſententiam concluſionis. & alia adiungit. Conſulibus.] Panſa & Hircio. Prouide aut.] Hæc erat forma cõmendationis Reip. Res fraudi.] Ne imputetur. elegans lectio, fraus pro pœna & animaduerſione.

Hæc ſi.] Eſt extrema admonitio. Altera res eſt.] Venit ad alteram partem orationis, qua honores decernit cũ meritorum amplificatione. Huic tanto merito.] Amplificat meritum Bruti, à periculi magnitudine. Municipijs.] Liberis ciuitatibus. Colonijs.] Qui uiuebant iure populi R. Decius.] Auerſus. Arcuit.] Prohibuit. Præſidet.] Defendit.

Laudatur.] Gallia. Atque etiam.] Sententia de Lepido. Imponente.] Die Lupercalium. Magna hæc.] Amplificat moderationem Lepidi in bello ciuili poſt mortẽ Cæſaris componendo, quod inter ueteres & nouas partes futurũ erat.

Tetro.] Abominando. Filios incolumes.] L. Pompeium & Quintum. Sex. Pompeium.] Vide Plutarchum in uita Cæſaris. Filius.] Cn. Pompeius. Sed omnia.] Correctio.

Cum à M.] Senatuſconſultum Lepidi. Reponere.] Cenſeo. In roſtris.] Foro Romano. Honos.] Equeſtris ſtatua.

Ampliſſimis meritis.] Hic deeſt aliquid: quare uide num poſt redditur, addendum ſit, Deinde quia nouus: ac deinceps cætera ſubnectenda. Qui niſi fuiſſet.] Amplificatione meritũ Octauij erga Rẽp. à tempore. Magni honores.] Cõfert Octauium cũ Pompeio, amplificãdi cauſa. Paratior.] Expeditior.

Genere belli.] Deteriori, nempe ciuili bello. Proſcriptorũ.] Marianorũ. Et pro populo R.] Hic deeſt aliquid. Aetati.] Adoleſcentiæ. Quod C. Cæſar.] Honores Cæſari decernendi.

Sũmo.] Periculoſiſſimo. Senatorem eſſe.] Cenſeo. Quid eſt.] Obſtat. Quid eſt enim.] Occurrit legibus annalib. quibus uult Octauiũ ſoluendũ eſſe. Itaq; maioribus.] Cõfirmat maiorum auctoritate, ſpectatã uirtutẽ legibus ſubiectã eſſe nõ oportere. Aequales.] Pares ætate. Nam quod ij.] Occupat aliam obiectionem, quam coniectura futuri temporis diſſoluit. Vtinam C. Cæſari.] Occurrit contrario exemplo, & diſſimile eſſe oſtẽdit. Lubricam.] Temerariam. At eſt.] Ex minori. Optimis ciuib.] Decimo & Caſſio. Omnes habea.] Suũ teſtimoniũ profert. Senſus.] Volũtatẽ. Doloris.] Interfecti Cæſaris. Põtificis.] Octauij. Quo milites.] Decernit præmia. Deducti.] Ab Antonio, mortuo Cæſare. Intrẽtq; rationẽ.] Inuenirẽt uiã. Agri.] Campani. Flagitat.] Poſtulat.

## SEXTAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

### ARGVMENTVM.

DOCET populum R. quid actum ſit in Senatu de legatione mittenda ad Antonium, & Senatus conſultum interpretatur, hortaturq; ut ad bellum certum parati ſint, interpoſita interim eorum qui in Antonij partibus erant contentione.

Habita fuit hæc oratio pridie Nonas Ianuarias, poſt tertium diem quàm illa ſuperiore habita fuerat in Senatu, ſicut hic ſatis oſtendit.

AVDITA.] Incipit à propoſitione. ut dociles & attentos reddat, ſtatim ab ipſa re incipit. Cuiuſque ſententia.] Nempe ipſius ſententia & aduerſarium. Agitata.] uſque ad pridie nonas Calend. Confecta.] Decreta eſt. Minus] Obiter reprehendit, & temperat orationem, ne offendat Senatum. Diſſolute.] Leuiter. Mora.] Dilatio. Cauſa.] Scilicet belli. Quamobrem.] Per narrationem totum explicabitur. Apuleius.] Tribunus pl. Commendat perſonam, quod ad beneuolentiam pertinet.

Noſſe.] Ex hac mea oratione. Cauſa fortiſs.] Ingreditur narrationem. Conſulibus.] Hircio & Panſa.

Ex eo.] Ex ea re. Eo die.] Reperit ea quæ in ſenatu ſunt facta. Liber Senatus.] Obiter Senatum laudat.

Interuallo.] Longo ſpatio interiecto. Conclamaſtis.] Hoc antea cognouiſtis in tertia, & quarta Philippica.

Finem.] Propter periculum ab Antonio. Fructum.] Præmium. Cum uos.] Declarat quem fructum ceperit.

In Senatum.] Excitatus & confirmatus à uobis ad patrocinium Reip. Perſonam.] Metaphora ſumpta à ludis ſcenicis: ut meminiſſem quod meum officium eſſet, quod minus ad me pertineret defendendæ Reip. Illatũ.] À M. Antonio.

Rebus.] Sceleribus. Bello cenſui.] Commemorat ſententiam quam in Senatu dixerat, qua cenſuerat tumultum decernendum eſſe. Saga.] Veſtis erat militaris. cum populus Romanus in ſagis erat ſagatus, ſignum erat belli. Iniurias.] Illatas ab Antonio. Grauiſſimi.] Periculoſiſſimi. Diſceſſio facta.] Hoc eſt, res tranſacta non eſſet, Senatus conſultum non eſſet factum. Obiecta.] Impedimento obiter eſt interpoſita improbatio. Nam.] Declarat. hæc fuit ſententia aduerſariorum. Intelligo Quirites.] Hic ſucclamabat concio quare excipit et probat eius ſententiam contra ſenatuſconſultum, quod tamen mox corrigit. Legatis.] Indignatio. ſcilicet mitteremus. Ab his.] Legionibus. In Galliam.] Ciſalpinam. Gladiatore.] Gladiatores uocat uituperandi cauſa. Communitas.] Societas, quæ iure gentium cunctis inter ſe hominibus eſt communis. Quanquam.] Nunc corrigit, & rurſus mitigat. Ita enim.] Declarat quam uim hæc legatio habeat. Conſulem deſig.] Brutum. Delectus.] Militum. Poteſtate.] Sit ſubiectus legibus.

Facile.] Exponit legationem, & negat eum pariturũ eſſe. ex minori. Quid enim.] Probat hanc rem ex uita Antonij. probatio argumenti ex moribus Antonij. Diſſimilis.] Quia lenones perdunt, latrones rapiunt & auferunt. Mulieri.] Fuluiæ. Itaque quod.] Confirmat coniecturam ſuam prædictione, et ex moribus Antonij, legationi non pariturum eſſe. Ergo cauſam belli integram eſſe. Quæ.] Aduerbium loci eſt. Is eſt.] Ex antefactis uel adiunctis.

Millia.] Scilicet paſſuum. Contentioſe loquitur.

Rubicon.] Limes & terminus Galliæ inter Rauennam & Ariminum. Saguntum.] Ex adiunctis. Commiſiſſet.] Singulari audacia & ſcelere: Quid? quod.] Tranſit ad cætera explicanda. Habet ignominiam.] Per admirationem. Iisq;.] Imperatori & militibus. Introire.] Iterum hoc probat ex moribus Antonij. Nec uero.] Epiphonema, quo confirmat ea quæ dixit de Antonio. Diſſolutũ.] Leue. Atrocitatis.] Seueritatis. Procraſtinatio.] Elegans uerbũ, dilatio ex uno die in alium. Succurrendum.] Addit cauſam. Eximere.] Differre. An ille non.] Delabitur ad laudes Bruti, amplificandi cauſa. Primus.] Princeps, qui ſententiam primum dicebat. Sed cum.] ἀντίθεσις: potuit facere, ſed non fecit. Libertati natum.] Nempe ex ſamilia Brutorum. Ad hunc.] Dec. Brutum.

Legatos, an legiones.] Paronomaſia. Sed præterita.] Abrumpit hunc locum. Sagum.] Veſtis militaris. Ad ſaga iretur.] Saga ſumerentur, mutaretur habitus. Quæremur.] Moleſte feremus. Non metuo.] Occupat dubitationem, & remouet. Vertat.] Mutet ſententiam. Vt ego.] Declarat refellendo. Nunquam fat.] Per ſubiectionem. Quid?] Aliud profert ex perſona fratris ſui.

Labare.] Dubitare de bello perſequendo. Myrmillone.] Nomen gladiatoris intelligit Antoniũ. ab armatura, qui cædendo pugnabant. A' fratre.] M. Antonio. Hic locus ſapit ἀστεϊσμόν. Nam hic inter illos Africanus.] Dilabitur ad inſectationem L. Antonij, quem unà cum cæteris qui Antoniũ ſecuti erant contemnit. Iſta digreſſio habet aliquid utilitatis, atq; interim confirmat contemnendo aduerſarios. T. Plancius.] Hic Plancius propter æs alienum condemnatus, ad Antonium redierat, cum eum ante reliquiſſet. ſed Cicero mire fingit eum inuitum rediiſſe, quaſi & ipſe damnarit Antonium. Vt retractus.] Hic uidetur aliquid deeſſe. Incenderit.] Hoc factum fuit in ſepultura C. Cæſaris. hoc orator addit amplificãdi & ornandi cauſa. Tabulis nouis.] Abolitione æris alieni.

Oderat tum.] Viuo Ceſare. Audiſſe.] Hoc declarat quod dixit. Creditores.] Sponſores. Cognomen.] Videtur cognomen ductũ fuiſſe à fide, ut appellaretur Fidiculanus. non poteſt inueniri hoc cognomen quale fuerit. Hunc.] L. Trebellium. Significat Trebellium caſu recte tum feciſſe, no ſponte ſua & uoluntate: quare laudandus non eſt. Sed redeo.] εἰρωνικῶς loquitur cum quadam exprobratione. Recepit.] Hic reclamabat populus. Colligit ſyllogiſmis deeſt concluſio. Interrogat & reſpondet affirmandi cauſa. Rurſus.] Iterum reclamabat populus. Cõfirmat teſtimonio ipſius ſtatuæ, populum Romanum patronum optaſſe L. Antonium: quam rem eis ut turpem exprobrat. Tribus.] Subaudi poſuerũt.

Igitur.] Iam infert concluſionem. L. Antonius.] Rurſus reclamabat populus. Peſtem.] Precor. ἔλλειψις.

Non modo hic latro.] Vide figuram orationis, in qua cum enumeratione inceperit, mox uertit in interrogationem, & permutat ordinem. Nam rectum & ſimplex erat, nemo unquam tantus fuit, ut dignus eſſet patronus populi Romani, nedum hic latro. Tutorem.] Patronum. Videmus.]

VT

Vt indigniorem rem faciat, addit cõparationem. Trebellij. ] viri clariſſimi & triumphalis. Milaſſis. ] Vrbs in Italia.

Ab equit. ] Puto Aeque in publico legendum eſſe.

Quem unquã. ] Indignatur. ſignificat rem nouam eſſe & inauditam, ac proinde indigniorem. Sed me. ] Abrumpit orationem, ne incurrat in arrogantiæ inuidiam. Sordidos. ] Quaſi dicat turpiter egentes. Agrum. ] Occupatio obiectionis. Improbum. ] L. Antonium. Duo bis. ] Hoc ad uituperationem addit. Quis eſt. ] Pergit reprehendere.

Iis quoque. ] Iterum occupat defenſionem, ne reprehendat Semuriũ. ] Campanũ iuxta muros urbis. Cãpus Martius. ] Ad inuidiam hoc dicit, & crimen Antonij. Aſſignatio. ] Diuiſio. L. Cæſaris. ] Ille dixerat, ut acta Antonij reſcinderentur. Nuculæ. ] Vnus ex ſatellitibus Antonij. Friget. ] Abolitus eſt, extinctus eſt. Habebant. ] Ironica ratio dicti ſui. Significat agros fuiſſe diuiſos egenis. Sed illa ſtatua. ] Redit ad ſtatuam, cuius ante meminit. & palmarum ironicos uocat, quaſi triumphalem & palma dignam. Iano medio. ] Quaſi dicas, medio foro. ſunt quidem qui putant tres fuiſſe, ſed hinc non poteſt colligi. hic ad locum refertur.

Clientela. ] Id eſt, ut habeat patronum Antonium.

Expenſum & acceptum ferre. ] Elegans uerbum, quaſi referre in tabulam expenſi & accepti. Expenſum fero, hoc eſt, teſtificor hoc me tibi debere. Sed nimis. ] Redit ad inſtitutum, & hortatur populum, ut ad bellum certum paratus ſit.

Nugis. ] De Plancio, Trebellio, & L. Antonio. uocat nugas ad contemptum. Quanquã non. ] Obiter reddit rationem, cur has perſonas perſcripſerit. Si melius. ] Nempe, ut nulla mitteretur legatio. Celeritas. ] Addit cauſam. Qui ita. ] Obiter reprehendit, qui loquebatur pro Antonio. Iſtam certe. ] Minatur ijs, nempe fautoribus Antonij. Extorquebit his res. ] Irritam faciet.. Quo etiam. ] Quam ob cauſam.

XX diebus. ] Ablatiuus temporis. Vixit XX annis uel annos, utroque modo. Deuorate. ] Metaphora ſumpta à comedentibus, qui pilulas deuorant, Bona ſimilitudo in metaphora. Si pacem afferent. ] Si paruerint. Si bellum. ] Si non paruerint. An ego non. ] Occurrit inuidiæ uerbi, & commendat uigilantiam ſuam in Rep. atque eo ipſo confirmat animos populi ad bellum capeſſendum. A ſe. ] Nouum, cuius maiores nullos honores geſſerant. Nobiliſſimis. ] Galbæ & Catilinæ. Rudis. ] Imperitus earũ rerum quæ ad Rempublicam pertinent. Ciuibus improbis. ] Primum cum Catilina, deinde cũ Clodio, nunc cum Antonio. Quamobrem. ] Modeſte loquitur. Vnum ſentitis. ] Loci deliberatiui in adhortando. Omnes ordines. ] Et Senatus & equitum Romanorum & plebis. Venit tempus Quirites. ] Poſtremo loco ponit adhortationem, ab honeſto. Fatalis caſus. ] Sub C. Cæſare. Voluntarius. ] Tanto turpior. Seruire fas non eſt. ] Ergo bellum honeſtum. Populi Romani. ] ἐπιφώνημα.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAM SEPTIMAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATHOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

## ARGVMENTVM.

MISSIS legatis ad Antonium, fautores eius in Senatu benignius diſputabant de cauſa, & Antonij reſponſa fingebant, quibus apertius oſtendebant, ſe pacem quàm bellum malle, improbantes interim Ciceronis ſententiam qui & irritaſſet Antonium, & nunc nihil aliud quàm bellum urgeret: his ſermonibus ne forte flecteretur Senatus, Cicero hac oratione reprehendit eos homines tanquam corruptos, gratia Antonij. ac deinde oſtendit bellum omnino neceſſarium eſſe, tribus de cauſis: primum, quia turpis ſit pax omnis cum Antonio: deinde, quia periculoſa Reip. ſit: poſtremo, quia nulla fieri poſſit.

ABERRAT. ] Deflectit. Explicatio. ] Conſultatio. Adducta eſt. ] Omiſſa propoſita re, tranſit ad belli diſputationem.

Non ſine cauſa. ] Queritur de legatione, & accuſat eos qui fauebant Antonio, inter quos erat L. Piſo, uir Conſularis. Timui. ] Querela. Languoris. ] Remiſſionis. Tenent. ] Non temperant ſibi, inſtigant populum, in Senatu defendunt Antonium. Reuiuiſcere. ] Bona metaphora, inquit reuiuiſcere, tãquam extinctus eſſet Senatus. Expeditos. ] Octauium & cæteros.

Nunc. ] Priuſquam legati uenerint. Alij poſtulare. ] Explanat, quæ reſponſa fingant. Alij. ] Scilicet dictitant.

Omnes. ] Omnibus in locis. Scilicet legatos. ] Hoc reprehendit, & oſtendit rei indignitatem, εἰρωνεία indignantis.

Alij. ] Ex fautoribus eius, hoc fingunt reſponſum. Vltimam. ] Tranſalpinam. Præclare. ] Iterum εἰρωνεία, qua reprehendit. Alij. ] Ex eo genere. Suam. ] Tanquam propriam prouinciam. Vocat. ] Quod indignum eſt.

Sed quæ. ] Negat omnino illam prouinciam Antonio concedendam eſſe. Incendium. ] Bellum Bellicum. ] Hoc eſt, auctorem belli fuiſſe, Antonium irritaſſe. Allegoria ſumpta de bello. & eſt prouerbialis metaphora. Patrocinium. ] Defenſionem. Irritari. ] Imitatur eorũ uerba, ad eluſionẽ.

Confidens. ] Audax Antonius. Quos quidem. ] Hæc rurſus ſunt Ciceronis uerba. ſunt omnia ex imitatione aduerſariorum. Vtrum igitur. ] Reprehenſio per inuerſionem. Non ſunt legendi poetæ, qui uitia docent: imo legendi, quia cognitis uitijs nobis cauere poſſumus. ita hoc loco eſt inuerſio.

Cautio eſt. ] Diligentius cauetur. Eſt mihi cautio. ] Id eſt uereor, apud Teren. Atque hæc. ] Notat L. Piſonem conſularem. Ex quo. ] Arguit improbitatem & inconſtantiã. Abhor uiſſe. ] Odiſſe optimum ciuitatis ſtatum.

Qui enim. ] Confirmat ex minori. Populares. ] Optimatibus relictis ſtudioſi multitudinis. Certum argumentũ eorum improbitatis, & fraudis in Remp. eſt maxima inconſtantia. Me quidem. ] Diſſimile exemplum ex ſua perſona.

Popularem. ] Vt ſtudeam populo. Et quidem. ] Amplificat hanc inconſtantiam L. Piſonis à perſona. Nomine. ] Conſulari. Conſulares uocabantur, qui conſulatum geſſerant.

Fasceas. ] Amplificat à perſona, & nunc acrius inſurgit.

Hoſti. ] Patria. Deſcribendas. ] Eleganter dictum. Negat Cicero hæc eſſe officia Conſularis, ſed nequàm. Accipiet in. ] Auget rem comparatione, & ſimul tacite probat Piſonem Conſulari nomine indignum eſſe, diſſimili exemplo. C. Panſa. ] Deprecatur offenſionem. Quanq. ] Colligit, & ſimul eũ laudat. Vſus. ] Pãſæ. eſt mihi uſus cũ illo homine.

Similitudoq́;.] Vterque erat ſtudioſus literarum & Reip. Reſpexit.] Ergo teſtis eſſe poſſum. Negare.] Repetit quod ante dixit. Sed etiam.] Iam laudat. Non.] Præſtantiſſimum dixit, hoc interpretatur. Tempeſtas.] Perturbatio Reipub. Itaque.] Nunc parat dicere de bello, & pacem omnem cum Antonio diſſuadere. Itaque ego.] Diſſuaſurus pacem, deprecatur offenſionē, amplificans interim pacis commoda, ne interim à ſua ſententia recedere uideatur. Eſt igitur præmonitio ad ſequentem partem orationis, quæ durior eſt, & παράδοξον ex perſona Ciceronis continet. Obſerua autem longum ὑπέρβατον, quod totum hunc locum complectitur interpoſita pacis amplificatione. Curriculum.] Metaphora ſumpta à currentibus. id eſt, oē tēpus, uel omnis actus induſtriæ meæ conſumptus eſt in propulſandis Reip. periculis.

Elaboratum.] Quod conſumptum eſt. Mediocres.] Modeſte loquitur. Alumnus.] Qui alitur, non qui alit. Significat ſe ad pacem alitum eſſe & profectum. Ego itaq;.] Reſumptio. Retinendæ.] Conſeruandæ noſtræ dignitatis.

Pacem cum M. Antonio.] Hæc eſt propoſitio. In reliquam.] In probationem huius ſententiæ. Præteruectus.] Bona metaphora à nauigantibus. Quia turpis.] Partitur diſputationem in tria. Quid eſt.] Aggreditur primum, omnem pacem turpem eſſe. Quid eſt inconſt.] Turpitudo ex inconſtantia, quam declarat ex anteactis. Quaſi uero.] Vtitur εἰρωνείᾳ, ut acrius urgeat. Vocationes.] Immunitates, à militia. Cum Brutum.] De Octauio dixit. nunc de Bruto loquitur, qui reges expulit: ut eſt apud Liuium. Galliam.] Ciſalpinam. Quo igitur.] Inſtat, urget. Collega.] Collega in auguratu. At qua imbecil.] Amplificat ex ualetudine Hircij. Aequum.] Addit cauſam cur profectus ſit, & obiter laudat Hircium. Votis.] Nam uota populus Romanus pro ſua ſalute ſuſceperat. Vacationes.] Immunitates: à militia, ne quiſquam immunis eſſet. Armorum.] Argumenta ex adiunctis. ſignificat bellum eſſe, & Antonium hoſtem. Milites.] Delecti ad bellum. Specie.] In ſpeciem. Nomina dant.] profitentur nomina ſua in militia. At legatos.] Occurrit defenſioni. Heu me.] Legatos ad Antonium miſſos reprehendit, & hoc ſe inuito factū fuiſſe dicit. Quid?] Hæc particula adfert uehementiam orationi. Vrget.] Inſtat. Flagitari.] Poſtulari.

Cui.] Sententiæ. Pridie.] Priori die. & de præterito tempore & futuro dicitur. Eſſetis.] Eſtis legendum eſt.

Quanquam.] Interpretatur legationem. & hunc locum mitigat per correctionem. Ordini.] Senatui. Quid refert.] Quid intereſt. Retinenda.] Concluſio. Repetenda.] Reuocanda. Siquidem.] Amplificatio ex tempore recuperandæ libertatis. Ordo.] Senatorius: fuit enim oppreſſus tyranno C. Cæſare. Dominatu.] Cæſaris. Ipſa.] Arma Cæſaris. Extorquenda.] Ab Antonio.

Quanta enim illa.] Profert indignitatem futuri temporis, ſi in urbem recipiatur Antonius: & breuiter ex uita & factis illius amplificat. Conſulari.] Si fiat pax. Omittam.] Dicit ſe omittere, ſed tamen narrat oratorie. Dicam.] Nunc quantum periculum Reipub. immineat, ſi pacem cum Antonio ſuſcipiant. Dicam deinceps.] Tranſit ad ſecundū caput, & periculum colligit ex potentia & ſcelere trium Antoniorū. Poteratis.] Negat pacem eſſe diuturnam, ſed periculoſam Reipub. Magiſtratum.] Tribunatum plebis. Suffragium.] Ius ſuffragij, cū legem Agrariā ferret per uim: & obiter criminoſe dicit. Patronus fori.] Patronus eorum, legendum eſt. Miniſtros.] Improbos & ſeditioſos homines. alij magiſtros legunt. Habuit.] Scilicet clientes, ut Antonius. Quem gladiatorem.] Gladiatorem uocat contumelioſe. Augendi cauſa uerbum interpretatur. Planè.] Qui non utuntur figuris, ſed proprie loquuntur. Thræcidibus.] Scilicet armis. abſolute uſurpat. Fugientem.] Cedentem.

Luculentam.] Inſignem. Qui familiarem.] Vituperauit Antonium, hanc uituperationem nunc accommodat ad cauſam. Animi.] Per luſum, ex minori. Decuriabit.] Id eſt, conuocabit. uetus uerbum decuriari. Expulſos.] Senatuconſulto. Agrarios.] Agrorum diuiſionem optantes. M. uero.] De Mario loquitur. Parum'ne.] Pro pauci, eleganter dictum. Præſidia.] defenſio. Ego uero.] ἐπιφώνημα ad aſſeuerationem. Hæc ego.] Interpretatur ſuam ſententiam, & periculum quod lateat. Inuolutum.] Tectum, amictum, uelatum. Eſt autem noſtri.] Conuertitur ad hortationem. Tanquam in ſpecula.] Bona comparatio. monet Senatum officij ſui in Rempub. Eos Conſules.] Exaggerat à facultate. Docebóne coagmentari.] Negat pacem ſarciri poſſe propter odiū Antonij, quod per omnes ordines ciuitatis colligit. Intueri.] Aſpicere. Ore.] Pudore. Quid ij, qui.] De Senatu locutus, nunc de militibus. Amplectetur.] Amabit. Occulte.] Addit cauſam, cur nunquam poterit amare. Vocauerunt.] Interrogatio, habet ſenſum negatiuum. Nam quid ego.] Nunc de equitibus & populo Romano. Declarauit.] Acclamatione ſcilicet. Aucum.] Ad municipia uenit. Firmani.] Puto Firmiani legendum. Principes.] Primi. Subterfugiſſent.] Detrectaſſent. His cum.] εἰρωνεία. Quæ poteſt.] Per ſubiectionem infert. Vt omittam mult.] Commemorat priuatorū offenſiones. Mei capitis.] Meæ uitæ. Vicinos.] Auolanos. Iam uero.] εἰρωνεία. Omnia uidebitis.] ἐπιφώνημα, quo concludit. Quorſum hæc.] Concludit, & diſputationem accommodat ad ſcopum orationis. Interdicta & denunciata.] Per legatos noſtros. Brutum.] Ipſe declarat. hæc omnia erant mandata per legatos. Sed nos moneo.] Hortatur Senatum: & monet, periculum cauendum eſſe.

Agitur libertas.] Id eſt, agitur de libertate. Panſa.] Panſam alloquitur, qui præerat Senatui. Victoribus.] Ab ijs qui uehuntur in naui. Bona & apta cōparatio. Hunc.] Declarat tempus. Ordinis.] Senatus.

## IN MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAM OCTAVAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATHOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

### ARGVMENTVM.

R EVERSIS Legatis ab Antonio, cum Senatus non bellum, ſed tumultum decerneret, uidelicet abhorrens ab aſperiori uerbo: Cicero hac oratione improbans eam ſententiam, primo docet bellum decerni, ſi tumultus decernatur, & re ipſa iam bellum eſſe. Deinde inuehitur in Q. Fuſium Calenum, qui aperte fauebat Antonio: & reprehendit timiditatem Senatus, & Legatorum inconſtantiam: & reſponſa Antonij improba, ſuperba, & inſidioſa eſſe oſtendit. Poſtremo, colligit ſummam ſententiæ ſuæ, & concludit.

CONFVSIVS *heſterno.*] *Incipit à reprehenſione Panſæ, & breuiter acta Senatus repetit.* Confuſius.] *Negligentius, minus ſeuere & diligenter.* Parum mihi.] *Quod dixit, explanat.* Eos.] *Fautores Antonij.*

Cædere.] *Pro tua conſtantia & uirtute in Repub. Non ſuſtinere, eſt uincere aliquem.* Virtus.] *Conſtantia.* Quidam.] *Fautores Antonij.* In diſceſſione.] *In Senatuſconſulto faciendo.* Quanquam is quidem.] *Excuſat L.Cæſarem, ut cæteros accuſet. nam cæteri poſſunt excuſari, quod ſecuti ſint ſententiam L.Cæſaris.* Idem.] *Addit exemplum.*

Sororis uiro.] *Soror L.Cæſaris fuit Iulia, primaria fœmina, M.Antonij mater, ante nupta P.Lentulo, qui cum Catilina coniurauerat.* Præcepit.] *Præſcripſit.* Se.] *Vt Conſulari uiro.* Propinquitate.] *Antonij.* Ergo ille.] *L.Cæſar. concludit.* At in quo.] *Proponit rem quam reprehendere inſtituit.* An in.] *Oratorie interrogat, & reſpondit. hæc figura auditorem mouet & excitat.* Ignari non.] *Breuiter ponit diuiſionem, & nomine & re bellum eſſe.* Poteſt.] *Nunc ingreditur diſputationem: bellum eſt ut genus, tumultus ut ſpecies.* Quid eſt.] *Breuiter definit rem, ut confirmet.* Itaque.] *Confirmat exemplis.* Ignari non.] *Breuiter ponit, et illa cohærere debent. Status eſt finitiuus, quid ſit tumultus. Probatio ex nomine, adiunctis, & contrario ſumitur, tumultum bellum eſſe.* Etenim cum inter bellum.] *Argumentatio per diuiſionem ex contrario.* Sed nimis.] *Tranſit ad rem. Status, ſit'ne bellum decretum.* Rem.] *Subiectam.* Quam igitur.] *Argumentum ex incómodo Reipub. quod per contrarium ſumitur, quem ductum obliquum uocát.*

Damus.] *Interrogatio habet ſenſum negatiuum.* Sin.n.] *Declarat quod dixit. Subeſt ſtatus finitionis, quid ſit bellum.* D.Brutus.] *Colligit alia argumenta ex adiunctis.* Fortiſſimum.] *Hircium Conſulem. Argumentum ex præiudicio Senatus, alterum ex iudicio Hircij.* C.Cæſar.] *Nepos Cæſaris Dictatoris.* Decernendi.] *Quando decernendũ eſſet bellum à Senatu.* Ergo illi.] εἰρωνικῶς. Conſulem.] *Hircium.* Collegæ.] *Hircij.* Præſidium.] *Antonij.*

Quæ pax.] *Infert per* εἰρωνείαν. *hæc omnia ſunt belli propria, & inſignia.* Saga.] *Veſtitus militaris. erimus omnes ſagati, quod ſignum eſt futuri belli.* Verum.] *Confirmat non ſolum bellum eſſe, ſed maximum.* Cæteris enim.] *Cæterorum bellorum comparatione, probat hoc bellum maximũ eſſe, cuius rei cauſam oſtendit.* Sylla.] *Declarat exemplis. Lege Plutarchum in uita Syllæ & Marij.* Necem.] *Aeditam crudeliſſimam à Mario.* Ex contentione.] *Ex contentione ciuium inter ſe. Conſenſio & concordia, idem ualent.*

Quæ eſt igitur.] *Profert cauſam huius belli cum amplificatione.* Belli.] *Contra Antonium. Acerba enumeratione rem amplificat.* Diſſipet.] *In ſuum uſum, ut ſolet. Auget indignitatem.* Miſerrimum.] *Atque inde indigniſſimum.*

Caphones.] *Proprium nomen ex ſocijs Antonij.* Agreſtes.] *Qui Antonium fouebant.* Si homines.] *Parentheſi uituperat.* Quid nos.] *Conqueritur.* Dij meliora.] *Auerſatio, abominatio, deſtinatio.* Inuitus dico, ſed.] *Queritur de haſta Cæſaris, per quam probat quod dixit. Argumentum coniectura.* Haſta.] *Auctio, bonorum uenditio. nam ſub haſta bona Cæſaris uendita ſunt.* Viderunt.] *Declarat.* Quid uos.] *Reddit ad comparationem.* Et ijs.] ἀντίθεσις.

Antonij igitur.] *Multiplicat* ἀντίθεσιν. Hic mihi etiã.] *Reprehendit aduerſarios, & nominatim inuadit Q. Fuſiũ conſularem. Hæc eſt altera pars orationis.* Amicus:] *Tacita* εἰρωνεία. Semel enim.] *Ex contrario ſe defendit: mihi pax eſt optabilior quàm cuiquam ciui. Induſtrius, qui officium ſuũ grauiter & diligenter facit.* Induſtria.] *Eſt officij perſecutio, hic pro diligentia ponitur.* Sed quæſo Calene.] *De integro colligit ſe, & cõpellat Fuſium, ut acrius inſtet.* Sed quæſo.] *Acrius inſurgit, ut uehementius aduerſarium premat. Dicit ſub nomine Pacis certam latere ſeruitutem, ex maiorũ exẽplo.* At tu.] *Ex diſſimili.* Et ſi non.] *Tacite occurrit obiectioni, eum fore principem, ſed principatũ eius nemini fore moleſtum.* Niſi forte.] *Amara & criminoſa exprobratio.*

Pertinere.] *Calere.* In quo bis.] *Confutat errorem Caleni.* Primum.] *Hoc improbum & ſceleratum eſt in Remp. ſua cómoda præferre Reip. commodis.* Antea.] *Sub Cæſare.* De illo.] *C.Cæſare.* Quid eandem.] *Profert exempla contraria, quibus improbos ciues puniendos eſſe cóſirmat. Hic totus locus pugnat contra ſententiam Caleni.* Primas.] *Partes. Metaphoricos ſumptum à ſcenicis.* Eius.n.] αἰτιολογία. Quod L.] *Aliud exemplum. hiſtoriæ ſunt apud Plutarch. in uita Gracchorum.* Armis.] *Perſecutus.* Illi igitur.] εἰρωνεία. C. Mario.] *Narrat plura exempla.*

In corpore.] *Bona ſimilitudo.* Dura.] ἀνθυποφορά. *Opponit quod dici poteſt, & grauius, ut infirmet.* Ego P.] *Exprobrat illi lenitatem præteriti tẽporis, hic locus habet uim exempli.* Nam me tecum.] *Purgat affectionem, ſed locus ſapit* εἰρωνείαν. Parua.] *Aperta ironia.* Coloniam.] *Mutinam.* Quouſque.] *Acrius inſurgit.* Conductæ.] *Contractæ in unum locum.* Tres.] *L.Philippũ, L.Piſonem, & S.Sulpitium.* Cum ſuo magno.] *Tacite ſignificat Fuſium præuaricatũ fuiſſe, cum accuſaret Antonium. eſt enim ridicula defenſio Fuſij, quam occupat orator, & improbitatem illius oſtendit.* Quo melior.] εἰρωνεία. Reum.] *Antonium.* Ego te cum.] *Interfecto Cæſare Maſſilienſes à Senatu repetitum uenerant, quæ bello ciuili eis ablata fuerant. Reſtiterat Fuſius, Cicero eos defenderat. unde & nunc oritur querela in Fuſiũ, cum ille fortaſſis pridie in Senatu in eos inuectus fuiſſet.* Quoſque.] *Reprehendit crudelitatem Fuſij contra Maſſilienſes, & illorum infortunium deplorat.* Sublata.] *Portata in triumphum.* Per quem.] *In quo triumpho.* Ingemuit.] *Rei indignitatem.* Quanquam.] *Declarat quod dixit.* Cæſar ipſe.] *Amplificat ex maiori.* Rurſus.] *Sapit ironiam hic locus.* Antea deterrere.] *Miratur Cicero, quo conſilio Fuſius hæc faciat.* Generi.] *Panſæ conſulis, qui gener erat Fuſij.* Venio nunc.] *Præmunitio ad ſequentem locum eſt. reprehenſurus eſt enim Senatum. ergo præmunit ne Senatum offendat.* Quam heſternus dies.] *Reprehendit Senatus inconſtantiam, & ex inſolentia Antonij amplificat.* Legatos mittamus.] *Vult rem indignam eſſe. nam hoc quidam cenſuerant, hos reprehendit.* Tormentis.] *Bellicis.* Conſules.] *Hircium & D. Brutum deſignatum.*

Ad hunc.] *Exprobrat eis timiditatem.* Equidem.] *Declarat quod dixit.* Hoc.] *Hac re.* Languidiores.] *Remiſſiores, timidiores.* Vtinam L.Cæſar.] *Sulpicius obierat in legatione. L. Cæſar non fuit ex legatis, ſed abſens erat propter morbum.* Dolenter.] *Conqueritur de ſtatu Reip.*

Principibus.] *Conſularibus.* Antonium.] *Alacritatem.*

Quanquam.] *Correctio.* C.Pompilius.] *Inuehitur in legatos, & rem contrario exemplo amplificat.* Prò.] *Exclamatio indignitatis.* Differret.] *Tergiuerſaretur.* Facturus.] *Diſceſſurus ab Alexandria.* An ego ab eo.] *Enthymema ex maiori.* At quæ mandata.] *Pergit exponere mandata Antonij, & indignitatem amplificat. Hæc autem omnia pertinent ad reprehendendam Senatus indignitatem.* Stupore.] *Scilicet data ſunt ab Antonio.* Aedilitium.] *Ironia ad contemptum. Aedilitius, qui ædilitatem geſſit: ut Conſularis, qui conſulatum geſſit.* At quam.] *Redit ad mandata.* Priuatus.] *Sine magiſtratu, ſine imperio, ſine aliqua poteſtate publica.* Verba.] *Scilicet Antonij.*

Cohorti prætoriæ.] Quam C.Cæſar inſtituerat Tyrannus Lagarde. Hic eſt.] Ex agrorum amplificatione oſtendit hoc non poſſe fieri, ſed indigniſſimum eſſe. Cauet.] Securos reddit. Quos.] Equitum ſodalitium. Collegæ.] Dolabellæ. Commentariorum.] Cæſaris. Quid laborat.] Ipſe interrogat, ut excitet auditorem, & reſpondet. Mercatas.] Ab Antonio. Seſtertium ſepties millies.] Septuagies & quinquies centena millia coronatorum. Ne fraudi.] Ne imputetur, ne reprehendatur. Nucula hoc credo.] Nucula fuerat inter ſeptem uiros, quorũ acta Senatus reſciderat. nam hi dimiſerant agros ex lege L.Antonij Tribuni plebis.

Nihil.] Nihil ſollicitus eſt de ſe, nihil metuit ſibi. Elegans locutio. Quid enim.] εἰρωνεία. Sed quid.] Crebra Ironia. Abrogetur.] Cuius rei facta eſt mentio in 2.Philipp. Togatam.] Quæ eſt trans alpes. Otioſus.] Recitat mandata Antonij. Non modo.] Pro nedum, eſt frequens apud Ciceronem. Huius.] Antonij. Eſt enim.] Dixit conuiltijs. hoc obiter reprehendit. Hæc tu mandata.] Prorumpit in indignationem & Legatorum inconſtantiam reprehendit.

Hæc.] ἀποςροφὴ, ad legatos. Tenere.] Teucri. Neſcio.] Ironia. Quid nos.] Facit contentionem Cotylæ & populi Romani. His.] Cotylæ. Codicillos.] Vt ad Antonium referret, & ſententiam noſtram ei indicarent.

Venditabant.] Commendari ſtudebant. Victori.] Populi Romani. Nam illud.] Alia reprehenſio contra inuidos quoſdam oculos. Alicuius conſtantiæ.] Intelligit ſe ipſum. Ego Q. Scæuolam.] Amplificat exemplo diſſimili.

Omnibus facere.] Hoc eſt feciſſe, Græciſmus eſt. Sexennio.] À morte C.Cæſaris. Hoc honore.] Docet ſuo exemplo quid faciendum ſit. Non enim.] Addit cauſam, cur ipſe ſit ſagatus. È nobis.] Locutio talis eſt apud Gellium.

Auerſi.] Negligentes Rempublicam. Præ ſe ferant.] Nihil diſſimulent. Subleuatum.] Adiutum. Huic.u.] Occaſione ſumpta redit ad Cotylam. Varius.] Vocabatur L.Varius Cotyla. Quas ob res.] Nunc colligit ſummam ſententiæ ſuæ, & concludit. C. Cæſarem.] Octauium adoleſcentem. Fraudi.] Eis ne imputetur. Quo.] Pro ut.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAM

## NONAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO

## LATOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

### ARGVMENTVM.

SERVIVS Sulpitius in Legatione ad Antonium obierat, de cuius honore cum conſuleretur, Cicero hanc ſententiam dixit, qua cenſuit et ſtatuam ponendam & ſepulchrum publice faciendum eſſe. Diſſentiebat P.Seruilius, qui ſepulchrum tantum decernebat, quod Sulpitius non ferro, ſed ex ualetudine interiſſet. Contra quem ſic diſputat Cicero, ut doceat ex uoluntate maiorum non genus mortis, ſed cauſam ſpectandam eſſe, propter quam aliquis obierit. Status ſententiæ eſt qualitas deliberatiua ex meritis Sulpitij. reprehenſo Seruilij finitione continetur, cui nam debeatur ſtatua. Cui accedit interpretatio inſtituti maiorum, quæ ad naturam ſcripti refertur.

VELLEM DII.] Incipit querela de morte Sulpitij. Eſt officioſum exordium, & proinde beneuolentia dignum. Nõ quid.] Occurrit offenſioni, & interpretatur quod dixit. Illis anteiret.] Etiam dicimus anteire illum. Sapientia.] Ab eius perſona interpretatur. Debilitatam.] Imperfectam. Quod ſi unquam.] Iam aggreditur & laudat Sulpitium, & meritum eius amplificat. In nullo.] Id quod propoſuit, per contentionem explanat. Ser. Sulpitius.] Confert quo animo, quo ſtudio Sulpitius profectus ſit. Affectus.] Scilicet languore. dicunt uulgo diſpoſitus eſſe. Diffideret.] Deſperaret. Spiritu.] In ipſa morte. Experiretur.] Conaretur, tentaret, ſubiret. Verbum iuris. Retardanit.] Impediuit. Cuius.] Antonij. Vt igitur alia.] Abrumpit hunc locum & tranſit ad reprehẽdendam Seruilij ſententiam. Hoc Panſa.] Laudat obiter Panſam. Ornandum.] Honorandum. Ego autem.] Iam opponit ſuam. Cauſam mortis.] Interpretatur maiorum ſentẽtiam, quam probat ex cauſa finali, & exemplis cõfirmat. Voluerunt.] Confirmat maiorum ſententiam. Monumentum.] Statuam. Audacius.] Cauſa finali. Exempla.] Quæ collegerat Seruilius ad confirmandum ſententiam ſuam.

In Roſtris.] In foro Ro. In eam familiam.] Octauiorum, & obiter declarat quis fuerit. Nemo enim tum.] Hoc obiter dicit ad correctionem ſuorũ temporũ. Nam.] Declarat. Regum.] Aſiæ. Claſſes.] Inſtrumentum bellicum. In gymnaſio.] In palæſtra. Gentem.] Octauiam. Huic.] Octauio. Habita honori.] Obita legendũ. Caſus.] Fortuna. Nũc aũt quis.] Concludit per ἀντίθετον, et cõfirmat Sulpitium ex Legatione obijſſe, & ſtudium eius in rem publicam cõmendat. Secum.] Declarat. Diſſimilem.] Erat ſtudioſiſſimus & uigilantiſſimus Reip. Diſcrimine.] Periculo. Perturbatus.] Propter grauitatem eius. Inſolenter.] Superbe. Non igitur.] Interpretatur mortem Sulpitio illatã. Is enim.] Approbatio ex finitione. Quocirca ad.] Argumentum qualitatis ab utili, ad quam reuertitur. Extare.] Monumentum aliquod. Erit enim.] Declarat. Conſequutus ſit.] Meruit. Quod ſi.] Aliud argumentum ex æquo, & hæc omnia ad qualitatem pertinent. Faciamus.] Facere debeamus. Vos enim.] Hunc locum declarat. Vos enim P.C.] Probat quod ſumpſit rei geſtæ teſtimonio. Diſcendum.] Liberius loquitur, παῤῥησία. Cum uideritis.] Confert culpam obiter in Senatum: ſed interim excuſat Senatum, ne offendat. De ſententia.] Sententiam eius mutaſtis.

Vt uero.] Rem ipſam commemorat teſtificandi cauſa. Nos.] Ego & filius. Mouebatur.] Amplificat. Sententiæ.] Exequendæ. nam ille auctor fuit, ut Legatos mitterent ad Antonium. Auctor.] Suaſor. Omen fati.] Significatio mortis. Reddit igitur.] Concluſio, cum cohortatione. Inſcij.] Imprudentes. Nam reliqua Ser.] Delabitur ad cæteras laudes Sulpitij. Hic locus ſumitur extra cauſam, extra rem. Nam.] Eſt particula inceptiua. Iuriſconſultus.] Non magis Iuriſperitus, quàm Iuſtitiæ executor. Elegans dictũ. Multum etiam.] Mouet è filij luctu. Animati.] Confirmati in decernendo honore. Quanquam.] Correctio. Effigiem.] Nam in filijs plerunq; parentum mores relucent. Mihi autem recordanti.] À uoluntate defuncti, ex cuius etiam moribus pedeſtrem ſtatuam confirmat.

Magnifice.]

Magnifice.] Confirmat ex moribus. Si ipſum.] Sulpitium. Ex ære.] Aeream ſiue aneam ſtatuam.

Atque hanc.] Ex ipſius Seruilij ſententia, cuius ipſum interpretatur. Hæc ſunt capita argumenti. Nam ſi.] Facit ſententiam iſtam Sulpitio contrariam, aduerſam interpretando. Cur quod.] Ex minori. Maiores quidem.] Sepulchri quàm ſtatuæ honorem maiorem eſſe. Sed ſtatuæ.] Aliud argumentum. VI.] Cum deijciuntur.

Solo.] In ipſa terra, quod ſubiectum eſt pedibus noſtris. Sanctiora.] Anguſtiora. Augeatur.] Concludit.] Non debitus.] Qui in debeatur. His enim.] Declarat quod dixit. Lemonia.] Rectius puto legendum eſſe, Lemonius. Affectus.] Debilitatus. Ponit cauſam mortis.

Contenderit.] Certauerit. Obiter commemorat totam rem. Cenſeo placere.] Ita debet ſententia coniungi.

Gladiatoribus.] Gladiatoribus abſolute, ſubaudi ludis. nam hi in foro dabantur. Quod additur Ludiſq; , puto abundare, & ſubreptitium eſſe. irrepſit enim ex gloſſa. nam ludi ſcenici in theatro dabantur. Locum.] Ad ſpectandum.

Quod is.] Addit cauſam. Baſi.] In ſolo ſtatuæ. βάσις eſt ſolum, quod ſtatuam uel aliquam rem ſuſtinet. Vtique.] Penultima longa legendum eſt. Redemptori.] Redemptor eſt qui opus faciendum conducit certo pretio, atque is fabros et architectos adhibet. Redemptori] Conductori. Eum.] Sulpitium. Ampliſſime.] Ampliſſima pompa & apparatu. Supremo.] Intelligit diem funeris ſepulturæ. Ornamentis.] Statua & ſepulchro. Mittere.] Proponere.

Deſignet.] Proprie dictum. Publice.] A' Rep.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAM DECIMAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

## ARGVMENTVM.

BRVTVS interfecto Cæſare, primo urbem, deinde Italiam reliquerat, metu Antonij: & in Græciam fuerat profectus. ibi cum ſe nihilominus ad bellum compararet, collectis alijs copijs à C. quoque Antonio proconſule, qui à fratre in eam prouinciam mittebatur, exercitum auerterat. quam rem Panſa Cos. cum ex literis Bruti ad Senatum referret, ut acta Bruti confirmarentur, Q. Fuſius primus rogatus ſententiam, negauerat Bruto tantam potentiam concedendam eſſe, quòd ea periculo eſſet Reipubl. & quod ueteranos offenderet. Itaque Cicero eam ſententiam acriter reprehendens, primo inuehitur in Fuſium: deinde laudat Brutum, & commodum ab illo occupatæ Macedoniæ oſtendit, & remouet omnem periculi ſuſpitionem. poſtremo collecta ſumma ſententiæ, ſuo more concludit.

M.

MAXIMAS TIBI.] Incipit à laude conſulis, qui Senatum conuocauerat.

Et habere, & agere.] Habemus animo, Agimus uerbis. Declaraſti.] Declarat, cur oratio fuerit grata. Neminem.] Γνώμη. eas partes.] Id officium. Eius.] Scilicet Fuſij. Neceſſ. attulit.] Adferre neceſſitatem eleganter.

Diſſenſio.] Ita obiter ſe excuſat. Quæ eſt enim.] Inuehitur in Fuſium, & liberius obiurgat. Tua oratio.] Ratio legendum. Quæ tua mens. Inſtat acrius, & ſingulis non modo ſententijs, ſed etiam uerbis argumenta complectitur. Solus oppugnas.] ἐνθύμημα ex contrario.

Qui is eſt iſte.] Perpetua obiurgatio, cum uituperatione.

Quos.] Inſtat. Ampliſſimæ tibi.] Vrget exemplo contrario, cuius confeſſionem extorquet. Ac permitto.] Vult Cicero omnes eſſe deterrimos. Conſules.] Conſulis legendum. Hoc uero.] Parat grauius reprehendere, & aggreditur ſententiam Fuſij. Literas Bruti.] Reprehendit malignitatem in laudandis literis Bruti: & amplificat ab inſolentia rei, & à moribus Fuſij. Librarium.] Amanuenſem ſcriptorem. Qui nobis hodie ſunt calcographi, ueteribus erant librarij. Vſum.] Pacat amplificare, ab inſolentia & nouitate. Obtrectare:] Minuere laudem, æſtimationem, & dignitatem. Quam ob rem.] Hortatur benigne, & oſtendit turpitudinem. Collige.] Redi ad te ipſum, noli indulgere inuidiæ, obtrectandi ſtudio. Genero.] Panſa. Legiones abducit.] Pergit ad cætera: & primo oſtendit indignitatem, ſi exercitus abducatur à Bruto, deinde periculum Reipub. Antonij.] C. ſcilicet. Impoſuerunt.] Intelligit Antonianos, de qua re fecit mentionem in ſecunda Philippica. Ac de.] Amplificat indignitatem ex meritis Bruti. Tantum ne.] Alius locus ex moderatione Bruti, & charitate erga Rempub. Qui cum.] Declarat ſuam moderationem: Manu.] Armis. Apollinares.] Quos prætor urbanus faciebat. erat enim muneris eius & officij. Viam patefaceret.] Occaſionem daret.

Quanquam.] Correctio. Bruti.] Iunij. Liberatoris.] Patriæ. Hunc.] Brutum. Ludorum.] Apollinarium. Ciuilis.] Domeſtici, inteſtini. Proditores.] Indigniſſimum. Caſſius.] Socius coniurationis. Initio.] Inprima. Pati.] Ab Antonio. Parauit.] Abſens in Macedonia. At cui peſti.] Oſtendit commodum Reip. ex facto Bruti, quod ab Antonio exercitum abduxerit, & quid facturus fuerit Antonius. At cui.] Exclamatio admirantis. Pulſo.] Ex Gallis. Agger.] Munitio.

Audire.] Vt animo concidat, abijciat & ſpem occupandæ Reipub. Tria tenet.] Extenuat opes Antonij. Infeſta eſt.] Inimica. In Macedoniam.] Vt eam occuparet.

Cæſaris.] Adoleſcentis Octauij. Volaſſe.] Amplificat eius celeritatem, ut oſtendat periculum. Caducæ hereditates.] Caduca hæreditas, quæ à certo hærede ita decidit, ut à nemine iure adiri poſſit: Ea in ærarium referebatur. Alios ad.] Enthymema ex contrarijs. Extrudere.] Impellere, ut negotium citius exequantur Excluſimus.] Ne quid moliretur. At quid ei.] Criminatur ultra præſcriptum occupaſſe, ut conſilium belli arguat. Modo.] Numero.

Illius.] Hortenſij. Ac ne Bruto.] Cum abundat.

Id enim fortaſſe.] Occupat quod opponi poteſt, & defendit Brutum, quod illi potius quàm Antonio exercitus cedere debuerit. Bruto.] Scilicet, aliquid erat cum legionibus.

Omnes enim exercitus.] Omnes, accuſatiuus. Alter.] Facit comparationem Antonij & Bruti. Alter aduolaret.] Antonius. Nec uero.] Laudat obiter milites, & iudicium eius probat. Ab hoc igitur.] Reprehendit metum

periculi à Bruto, & ex moribus illius, & ſingulari uirtute ſuſpitionem remouet. Quanquam.] Correctio. Defuerit.] Ex antefactis. Sed iam uideo.] Occurrit, & reſpondet de uoluntate ueteranorũ, quos negat moleſte laturos eſſe, quoniam eorum cauſa & Bruti eadem ſit. Quaſi uero.] Reſpondet Cicero per εἰρωνείαν. Suſpectum.] Qui auctor fuit coniurationis in C. Cæſarem. Magis.] Reſpondet à pari, à ſimili. Commune.] In cæde C. Cæſaris. Ii.] Cæſariani, Ab illo.] D. Bruto. Obſidione.] Nam obſidebatur ab Antonio. Il credo.] εἰρωνεία. Cæſar.] Iulius. Quorum.] Veteranorum.

Decernendum.] Dimicandum bello. Quid eſt.] Accommodat comparationem ad rem. Panſa id non.] Ab auctoritate Panſæ, Brutum metuendum non eſſe. Quis enim.] Subiungit oratorie. Atqui.] ἀντίθεσις.

Præcepit.] Occupando oſtendit, præſcripſit. Scilicet.] Ironia. Cæſar.] Iulius. De quibus.] Iam ſerio loquitur. Quæ, malum, eſt iſta ratio.] Inſurgit acrius, & negat ueteranis ſeruiendum eſſe, ſi arrogantes ſint.

Malum.] Interiectio auerſantis ac indignitatis. Poſtremo, erumpat enim.] Deteſtatur turpitudinem ſeruitutis, & dilabitur ad incitationem capeſſendæ libertatis.

Capeſſendæ.] Aſſerendæ, defendendæ. Tulerimus.] paſſi fuerimus. Diutius.] A tempore. Hunc ueſtitum.] Sagum. Sed ut.] Occurrit oppoſitioni.

Exitus.] Euentus. Spiritu.] In hoc ſenſu corporis. Noſtra ciuitas.] A uirtute & diſciplina Romana.

Ea.] Immortalitas. Concurritur undique ad commune incendium.] A facultate opprimendi Antonij. Repulerunt.] Conatum Antonij. Retuderunt legendum.

Vnus eſt omnium.] Contemnit uires Antonij, & nominatim quoſdam uituperat. Reſtituti.] A C. Cæſare.

Ad has.] Ad Brutum redit. Moleſte.] Ironia. Omnis cogitatio.] Colligit. Tueri.] Defendere.

Tentauit.] Periculum fecit. Obtineat.] Scilicet lege. Quæ cum ita ſint.] Format ſententiam, & concludit. Cepione,] Forſan ex materno genere hoc nomen ſortitus eſt. Vtrique.] Vtique, penultima producta legendum. Proxime.] Maxime prope Italiam.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAM VNDECIMAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

## ARGVMENTVM.

DOLABELLA Proconſul cum Syriam obtineret, in quam inuito Senatu ab Antonio miſſus fuerat & C. Trebonium Aſiæ præfectum noctu Smyrnæ circumuentum, crudelem in modum intermiſiſſet, ea re Romæ nunciata, hoſtis à Senatu iudicatus eſt: cumq; conſultaretur de Imperatore in id bellum eligendo, alij cenſebant priuatum Imperatorem extra ordinem mittendum eſſe, alij alterum ex Coſ. quas ſententias improbans Cicero, hanc orationem dixit, in qua primo deplorat mortem Trebonij, cum graui in Dolabellam & Antonium inſectatione: monens, ab utriuſque immani crudelitate cauendum eſſe. Deinde improbatis contrarijs ſententijs, cenſet bellum contra Dolabellam Caſſio & Bruto, qui in ijs partibus erant, mandandum eſſe.

MAGNO IN DOLORE.] Incipit à deploratione mortis Trebonij, quam ſtatim confert ad amplificandam Dolabellæ & Antonij crudelitatem. Magno.] Ab ipſa re quaſi incipit, habetq; uim ad beneuolentiam. eſt enim gratioſum, interitum clariſſimi uiri enumerare.

Perſpeximus.] Declarat. Alter.] Antonius.

L. Cinna.] Contraria exempla, quibus amplificat crudelitatem Dolabellæ. Ecce.] Demonſtratio inopinatæ rei.

Sed ille.] Dolabella. A ſocio.] M. Antonio.

Quid ergo.] Amplificat ex conſilio Dolabellæ. Omnes.] Reſpondet per ſubiectionem, oratorie. Hoſpes.] Quod grauius eſt & crudelius. Incrementũ adfert orationi uehementiam. Quamobrem.] Hortatur à communi periculo, ut caueant ab Antonio, & libertatem defendant.

Brutus.] Decimus. Colligauit.] Cõſtrinxit, impediuit.

Curſim.] Celeriter, ad ſcelus, non rem gerendam.

Quod opus fuit. Delabitur in narrationem oppreſſi Trebonij. Totus locus ſpectat ad incitandum Senatum, & confirmandum bellum contra Antonium & Dolabellam. Agros.] Aſiæ in Ionia. hunc autem obiter uituperat ab egeſtate. Ad ſpem.] Scilicet prædæ. Paſtum.] Rapinam.

Conſecutus.] Legionem. Sequuntæ collocutiones.] Obiter excuſat imprudentiam Trebonij, in inſidijs cauendis.

Dextræ.] Manus. Nocturnus.] Clàm per inſidias. Incautus.] Imprudens. Ex quo.] Conuertit narrationem ad ſcopum. Conſularem.] Cõfirmat narrationem.

Ne nimis.] Addit cauſam odioſe. Liberalis.] Benignus.

Inceſto.] Impuro. Ceruices.] Qui iungunt caput humeris: pluraliter. Quid loquor de.] Prorumpit in affectum, & parem crudelitatem confert in Antonium.

Teterrima.] Loquitur aſſeueranter, cum indignatione.

Detineri.] Impediri. Ponite.] Facit ὑποτύπωσιν.

Ponite igitur.] Redit ad Trebonium, & necem eius ante oculos ſubijcit. Vrbem.] Smyrnam. Os.] Aſpectum, uultum. Infame.] Erat enim famoſus impudicitia Dolabella. Magna laus.] Laudat Trebonium, & Dolabellæ ſcelus amplificat: totum eſt cum affectu. Eſt enim ſapientis.] Locus cõmunis. Accidere.] Quia improuiſa tela grauius feriunt. Modice.] Patienter. Quanquam.] Παρέκβασις, ad uituperationem. O multo.] Iam conuertitur ad Dolabellam. O multo miſerior.] Excurrit in locum communem de dolore, & miſerum Trebonium fuiſſe negat, ſed miſeriorem Dolabellam. Dolores.] Eſt locus communis ex Philoſophia, Dolorem non eſſe malum. Perditiſſimi.] Intelligit Dolabellam. Nam quo.] Hoc quod dixit, probat.

Miſerior igitur.] ἐπιφώνημα. Cruciatus.] Laceratus, excarnificatus. In qua re.] In quo ſupplicio. In ciue.] Ex minori. Nam cæteris.] Negat ullam collationem eſſe poſſe. Totus locus affectum habet, ſed duplicem: alterum Dolabellæ, & alterum Trebonij. Eſt Rhetorica αὔξησις, augendi cauſa. Conſilium.] Hoc dicit, quia fuit ſocius coniurationis

in

in C. Caſarem. Lætatus.] Gloriatur. Verecundo.] Modeſto. Dij.] Eſt dolentis & pœnitentis. Et hic Dij.] Purgatio ab imprudentia, quod aliquando amicus fuerit Dolabellæ. Etenim Dolabellæ.] Redit ad Antonium, & monet etiam amplius ab eo cauendum eſſe: demonſtrat quos habeat ſocios ſceleris impulſores. Primum.] Explanat quod dixit.

Quam facem.] Quod incitamentum ſceleris & audaciæ.

Voraginem.] Hæc ad auaritiam referuntur. Niſi forte.] Alij codices ſic habent, & recte opinor: Niſi forte damnatus etiã à nobis populoq; R. putat altercari nobiſcum, homo ſummo ingenio, ſumma potentia, &c. quod totum εἰρωνικῶς dicitur, uſque Qui tamen. Niſi.] Irriſio. Quanqui.] Corrigit quod dixit. Credo.] Et hoc ironicos. Defendente.] Patrono. Palma.] Victoria. In iudicio fuit quinquies abſolutus, ſexto non potuit abſolui. Fide optima.] εἰρωνεία. Clariſſimum.] Ad contemptum dixit. Qui tamen nunc.] Hi fuerant iudices, ut opinor, qui lege iudiciaria Antonij iudicauerant, quam poſtea Senatus aboleuit. Neſcio.] Contemptim ad obſcuritatem, habet diminutionem.

Cæſar.] Iulius. Metator.] Diuiſor. caſtra metari, eſt caſtra ponere. Alijs.] Vrbibus. Capho.] Scilicet eſt.

Veteranus] Miles. His.] Suis aſſeclis, ſectatoribus hæc omnia ſunt criminoſa. Dos proprie in nuptijs, hic transfertur.

Dotem.] Prædã. Antonius hæc bona dederat, poſt mortem Cæſaris. Nutriculas.] Nutriculas, id eſt, fructus quibus alerentur, donec maiora acciperent. Pueri primum ſunt ſub nutricibus, deinde aluntur firmiore cibo. hinc ſumpſit metaphoram. Ferremus.] Pateremur. Bellum.] Ab Antonio contra patriam. Quid illa.] Ordine deſcribit plures. Eſt εἰρωνεία. Diuiſores.] Agrorum, qui uacui erant in Italia.

Latam.] Ab Antonio. Commentarus.] Scripſit.

Mimos.] Genus fabulæ. Proſcripta.] In actione ut uenderentur, propter æs alienum. Tanta.] Ironia eſt. Procurator eſt, qui alienum negotium agit. At hic.] Scelera quædam commemorat. Prodige.] Perſtat in loco. Videte etiam P.] Ludit in Domitium Decium, & Trebellium. Clariſſimi.] Ironia. Deuouit.] Id eſt. ad interitum dedit Antonium ſecutus. Alludit hoc loco ad exemplum maiorum. alter Decius ſe uouerat pro Rep. ad placandam iram numinis.

Emptor.] Ironia. nemo uoluit emere bona illius clariſſimi uiri, præter Antonium. Poteſt etiam non eſſe ironia. Se exire.] Se liberari ære alieno. Furiæ.] Vltrices, quæ debita ulciſcuntur, finguntur à poetis etiam uiuos agitare & uexare. Tabularum nouarum.] Vult Trebellium pœnas dediſſe, quod nouis tabulis reſtiterit, quia ipſius bona poſtea fuerint proſcripta. Vindicem.] Irriſio faceta, & arguta. Ipſum in Græco.] In abundat. Illius] Antonij. Lyſidicum.] Quaſi iure diſſolutum. à uerbo λύω ſoluo, & δίκη ius.

Niſi forte.] Ludit ex ambiguitate uerbi, in Cimbrum, qui fratrem occiderat. Germanum Cimber.] Gens Cimbrites occiderat Germanicam gentem. Cum hanc.] Nunc colligit ſententiam & intentionem. Quapropter ut.] Comprobat Fuſij ſententiam, & ſuſpicionem leuitatis remouet. Diſſidero.] Cum datiuo: ſicut aſſentior, id eſt, diſſentio à Q. Fuſio, eſt noua figura. Ex quo.] Obiter excuſat ſe. Dixit.] Declarat. Nunc quoniam.] Tranſit ad alteram partem, de Imperatore eligendo. Impiorum.] Ciuium. Duæ.] Propoſitio bipartita.

Alienum.] Inutilem. Nam extra.] Propoſuit duas ſententias, nunc pergit improbare. Ventoſum.] Gratia & fauore collectum, ambitioſum, leue. Bello Antiochi.] Exemplo probat, extraordinarium imperium ſemper à maioribus improbatum fuiſſe, ſemperq; ordinarium quæſitum. Ordinarium imperium eſt, quod magiſtratus ordinarius obtinet: ut Conſul, uel prætor. Bello.] Locus ab auctoritate.

Obueniſſet. Sorte.] Roboris.] Fortitudinis, conſtantiæ. Animi.] Conſilij. Negotium.] Bellum. Deprecatus eſt.] Precibus auertit. aliquando eſt precari, aliquãdo precibus depellere. Legatum.] Hodie uocant lieutenant.

Punico tertio.] Colligit multa exempla. Seruat ordinem temporum. P. Scipionem.] Minorem Africanum. Cum Ariſtonico.] Aliud exemplum. Flacco.] L. Valerio Flacco. Tribus tuli.] Id eſt, duarum tribuum ſuffragia. Cn. Pompeij.] Occurrit contrario exemplo Pompeij, et diſſimilitudinem oſtendit. Turbulenti.] In uerbo eſt poſita infirmatio. Fuerunt Gabinius & Manlius, quorum alter Piraticum, alter Mithridaticum lege ad populum lata mandauerat. L. Cæſar.] L. Cæſar bellum contra Dolabellam P. Seruilio Iſaurico mandandum cenſebat, quod reprehendit Cicero. Comitia oratorie appellat ſuffragationem in Senatu, ſicut in campo. quam rem uult indignam eſſe, & decernendæ libertati contrariam. Itaque & ambitionem uocat, hoc eſt precariam ſententiarũ tanquam ſuffragiorum collectionem. Priuatus.] Eſt, qui in magiſtratu non eſt. Homini.] Seruilio. Ambiamus.] Ironica conceſſio. Tabula modo noua.] Populus R. cum uoce ſuffragia ferre antea conſueſſet, poſtea ut liberius ſuffragaretur, tabulam accepit lege Caſſia. Cur comitijs.] Oſtendit incommodum, & iniquitatem huius ſententiæ. Præteritus.] repulſus. At enim, nam id exaudio.] Occurrit obiectioni, & diſſimilitudinem in Octauio Cæſare oſtendit. idem fecit ſupra de Pompeio. Dedi.] ἀνθυποφορᾷ occurrit, & reſpondet ex ſua perſona. Mihi.] Toti Reip. A quo.] Adoleſcente Cæſare. Aut imperium.] Per ſubiectionem. Eripuiſſetis.] Hoc ſi non confirmaſſetis. Sub eſt tacita finitio. Contulerant. Antonio relicto. Faſces.] Inſignia imperij, in quibus eſt auctoritas. Obſecro.] ἀποστροφή. Peritiſſimo.] Ab auctoritate. Sed de.] Abrumpit hunc locum.

Refragari.] Eſt contrarium ſuffragium dicere, obſtare, impedire. Etſi.] Correctio. Illa uero P. C.] Venit ad alteram ſententiam, quam bifariam reprehendit. Dignitate.] Facit obiter quaſi partitionem. Aliena à Conſulum dignitate.] Ita legendum eſt. Sortiantur.] Sortitione eligãtur.

Parricidæ.] Antoniani. Geramus.] A tempore.

Conſulibus.] Hirtio & Panſa. Materiam.] Hoc addit epiphonematikoi. Suſpicioni crimen.] Si Brutus deſertus & perditus eſſe uideatur. Crimen.] Proditionis. Materiam.] Cauſam inuidiæ. At uero ita.] Occurrit defenſioni, & negat committendum eſſe, ut Panſæ animus à cura liberandi Bruti aliò diſtrahatur, neque id fieri poſſe.

At uero.] Hoc pertinet ad alterum caput orationis.

Decernunt.] Occupat quod dici poteſt. Reſtabat.] Reprehendit talem defenſionem. Quamuis.] Iam ad Panſam conuertitur, ut explanet quod dixit. Clariſſimum.] Brutum. Natura.] Conditio rerum. Subeſt ἀνθυποφορᾷ in hac ſententia. Deriuare.] Transferre. Cogitando.] Nedum agendo, quod minus eſt. Adde iſtuc ſermones.] Oſtendit turpe fore Panſæ, ſi Bruto deſerto Syriam expetiiſſe uideatur. Inuidiam.] Quæ conſequetur. Qui.] Explanat. Prouinciam.] Galliam Ciſalpinam. hoc fecerat Cicero in Conſulatu, cum Antonium collegam habebat: & conceſſit eam Antonio, ut melius ſentiret de Rep. & Catilinæ coniurationi obſiſteret. Incendium] Vocat Catilinæ coniurationem. Quicum.] Cum quo Parentheſis, ad rei confirmationem. Collega uir.] Auget comparatione collegæ. Collega. Hirtius. Nihil.] Declarat. Decertat.] Contra Antonium. Vereor ne exercitus.] Addit incommodum turpitudini. Delectus.] Qui habitus fuerat à Coſs. Neceſſitate] Non quia coacti fuerãt dare nomina, quod ſecundũ

claſſes fiebat. Tardentur.] Langueſcant. Quod ſi prouinciæ] Occurrit improbationi,& pollicetur Coſ. prouincias in aliud tempus. Signum.] Palladium. Hunc.] Amplificat Brutum. Vobis.] Coſ. Agitur.] Ipſe declarat, quid agatur. Quid ſit etiam.] Aliud incommodum,à quo confirmãdo remouet,quæ opponi poſſunt. Sententia.] Quæ decernis,ut prouincias ſortiantur. Quo.] Vt. Ciuitatũ.] Rerum publicarum. Mittent.] Occurrit oppoſitioni. De ſuo numero.] Ex optimatibus,ex his qui Remp. conſeruatam nolunt. Valde.] Ironia. Clariſſimo uiro.] Ex pari,uel maiori. At hominem.] Alia oppoſitio: Sophiſtæ replicam uocant. Dandum.] Extra ordinem. Vnius iudicio.] Ex maiori ad minus. Expedito nobis.] Ex antitheſi uenit ad ſuam ſententiam,& decernit Caſſio et Bruto Imperium mãdandum eſſe. Legitimum.] Non extraordinarium,legibus conſtitutum.& eſt quaſi quædam partitio. Is.] Talis.

Decernerem.] Pergit ſtatim confirmare ab opportuno.

Colligaſſemus.] Defixiſſemus,obtruxiſſemus. Vergere.] Inclinare. Non ue.] Addit cauſam. Ipſa acies.] Ipſe exercitus Bruti. Transmarinũ.] In Græcia. Grauem.] Difficilem captu,expugnatu. Oricum.] Vrbem. Quãquam. Facit correctionem,ne uideatur. confirmare partes aduerſariorum. Manicas.] Vincula: id eſt,ſe dedere,præbere manus,ſe dare in poteſtatem. Per ſe.] Suo conſilio.

Senatus.] Auctoritatem Senatus. Neceſſe eſt enim in.] Permittit rem conſilio Bruti,& hinc utiliter delabitur ad comprobationem eorũ,quæ ab illo et Caſſio priuato conſilio in Græcia & Aſia acta fuerant.Locus habet uim defenſionis contra obtrectatores Caſſii & Bruti. Ipſe ſibi.] Ipſe ſtatuit ſuo priuato conſilio,ſuo conſilio priuato geſſit. Temporibus.] Caſibus incertis,ſubitis. Moribus.] Legibus. Nec enim.] Quod dixit confirmat,& explanat. Putarem.] Haberem.

Alterius.] Caſſij. Neque enim.] Comprobando defendit,& declarat. Macedoniam.] In prouinciam C. Antonij. Sua.] Vt ſui iuris eſſent. Oblitum.] Contaminatum, penultima correpta. à lino,facit litum: inde litura. Parricidio. Cæde Trebonij. Nam ni.] Confirmat. Quid C. Caſſius.] Quæ dixit de Bruto, eadem confirmat de Caſſio. Eo.] Ipſo. Reſpondet. Vt omnia.] Declarat

Lex nihil.] Elegans definitio,& ueriſſima. Ratio.] Voluntas. Cum P. Dolabella.] Colligit ſententiam ſuam, et imperium Caſſio decernit. Crudeliſſimi.] Propter cædem Trebonij. Vt is.] Addit cauſam. Iure.] Interficiendo proconſulem. Parricidio.] Oratorie uocat. Placere.] Cenſeo,ut placeat. Proconſule.] Syriæ ante Dolabellam. Imperandi.] Curandi in uſum bellicum. Deiotarum.] Hic rex Gallogræciæ fuit. Tetrarchæ.] Qui quartam partem regni obtinebant. Non immemorem.] Gratum.

Ab his.] Imperatoribus. Succeſſum.] Succeſſu datum.

Hoc Senatuſconſulto.] Confirmatio ab animo & copijs Caſſij. Animum.] Fideliſſimum erga Remp. Haltenus.] Enumerat copias Caſſij,& amplificat. Inſtitutus.] Inſtructus legendum.Laudat ab utili,ad amplificationem. Sylla.] L.Sylla dictator. Fulmus.] colligit teſtimonia. Propinquis.] Gallogræciæ. In quo quid faciendum.] Deiotarus Pompeij partes ſecutus fuerat,quãuis pax bello melior fuiſſet.

Delectus.] Connexio exercitus. Syria & Phoenicia.] Sunt coniunctæ regiones. Fortem.] À perſona Caſſij. Peritum.] Rei militaris. Magnas.] Hoc explanat. Impetu.] Nam faciebant incurſiones. Cuius.] Addit cauſam,cur laudem hãc maximam prætermittat. Prædicatio.] Laus. Omnibus.] Nempe Cæſarianis. Animaduerti P. C.] Occurrit reprehenſioni, & à perſonis defendit. Animaduerti.] Facit contentionem. Ornari.] Laudari,honoribus & imperijs affici. An Antonios.] Sunt argumenta ex repugnantibus,& ex pari. Quid D.] Hic ſubeſt argumentum ex pari. Sectorem.] Bonorum uenditorem, à ſectando: quòd lucrum ſectando emerent, ac facerent auctionem. Taurum abeſt.] Aſſeueranter ſubiungit. Ego autem ueteranos.] Anteuertit & aliam obiectionem, quam primo negat,deinde defendit. Quibus ſanitas.] Diſtinguit,quos debeat tueri. Legio.] Legiones habebant nomina à numero,aut aliquo euentu. Qui autem.] Facit tria genera ueteranorum. Saxa ſe &.] Qui ſunt in copijs Antonij.

. Ego autem.] Colligit ſummam diuiſionis, quam fecit.

Vtriſque.] Et Reip. & Antonio. Tertio.] Antonianorum. Dolorem.] Quaſi inuro ſtigma ignito ferro. Metaphoricos. Quanquam P.C.] Defenſio contra ueteranos, ab indigno & utilitatis contentione. Tyrones.] Nouitij, adhuc rudes,quorum multi erant in exercitu Dec. Bruti contra Antonium. Legiones.] Conſcriptæ. Cæſaris.] C.Cæſaris defuncti. Vincunt.] Veteranos. His.] Qui Rép.defendũt. Illis.] Veteranis. Perſoluta.] À C.Cæſare. Vel perſoluãtur.] Correctiua particula, pro imo. Spopõdimus.] Promiſimus.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAM

## DVODECIMAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA

### ARGVMENTVM.

MISSIS prioribus Legatis ad Antonium de pace,ac reſpõſo eorũ repudiato,propter conditiones quas petebat Antonius,amici eius poſtea perſuaſerant Senatui,facturum eſſe illũ quæ imperarentur,& ab armis diſceſſurũ: obtinuerantq́; ut denuo mitterentur legati,qui de pace transſigerent,hoſq́; P. ſeruiliũ & Ciceronem ipſum decernebant. uerum cum nihil remiſſius Mutinam urgeret Antonius,et nihilominus de legatis mittendis ageretur, dixit hanc ſententiam Cicero:qua primo excuſat imprudentiam ſuam & Senatus,quod amicis Antonij crediderint.& quoniam decepti ſunt,negat amplius Legatorum mentionem faciendã eſſe. Deinde Cenſet,quemuis potius quàm ſe mittendũ eſſe: & in eo deprecatur pudorem ſuum apud Antonium,& periculum uitæ certiſſimum oſtendit.

ET SI MINIME.] Excuſat terrorem ſuum,& culpam confert in fautores Antonij L. Piſonem & Calenum. Erraui.] Habet uim ex pari. Nam.] Explanat. Attuliſſent.] Suaſiſſent in Senatu. Eius.] Antonij aliquod incõmodum. Apud alterũ uxor.] Explanat quod dixit. Liberi.] Scilicet erant. Alter quotidie literas.] Q. Fuſius Calenus. Hi.] Familiares Antonij. Acceſſit Cõſul hortator.] Hæc omnia pertinẽt ad excuſationẽ Ciceronis. Cõſul.] Piſa.Et amplificat perſonã Cõſulis. Nulla pacẽ.] Schema per ſubiectionẽ..C. Halieni.] Hic locus corruptus eſt, nẽpe mutilus,mãcus,imperfectus. Mæſtitia.] Hæc erãt ſigna mutatæ

*mutatæ uoluntatis Antonij.* Habitant.] *Perpetuo obſeruant, à quorum nullo oculos non dimouent.* Quod ſi non ita eſt.] *Confirmat quæ dixit ex anteactis: & arguit diſſimulationem Piſonis & Caleni, ut fraudem oſtendat.* Quod ſi.] *Ex contrario.* Potiſſimum.] *Scilicet facta mentio eſt pacis.* Implicatos.] *Impeditos, obſtrictos.* Negat.] *Co arguit diſſimulationem.* Audiſſe.] *De rebus Antonij, quo in ſtatu eſſent.* Decepti.] *Prorumpit in id quod confitédũ eſt.* Videbam.] *Intelligebá, ſuſpicabar.* Perſtrinxerat.] *Obſcurauerat iudicium.* Pacificatoria.] *Quod ad pacem perficiendam attinet.* Præſtrinxerat.] *Id eſt, hebetauerat. translatum à fulgore, quod præſtringés oculos aciem eius retundit.* Includit.] *In Mutinam. Locus habet uim expurgationis, ex charitate Bruti. Charitas dicit, honeſta ratio.* Ne ſi.] *Refert uerba Fuſij.* Fracti.] *Victi ſumus.* Ceſſimus.] *Amicis Antonij.* Recedit igitur.] *Inducit ſermocinationé ad maiorem inuidiam. Nam hæc dicebant Piſo & Calenus in Senatu.* Neſcio.] *Calenus reſpondet.* Parat.] *Ex perſona Senatus.* Credo.] *Calenus reſpódet.* Valde uobis.] *Ironia ad indignationem.* Laborandum.] *Debitis ualde ſolliciti eſſe conſultando, decernendo, &c.* Per uos.] *Veſtra auctoritate, & beneficio.* Iacens.] *Profligatus, calamitoſus, ſupplex.* Quanquam.] *Erat aliquid dicturus, & ſuppriſmit.* Inſtanti reſiſtendum.] ἀντίθεσις. At non eſt.] *Occurrit obiectioni, & reprehendit ab honeſto & utili.* Poſteriores.] *Prouerbium.* Illa caligo.] *Error, falſa opinio.*

Diluxit.] *Abſolute ad diem refertur, pro, res aperta eſt.*

Diſcuſſa eſt.] *Oſtendit rem apertam eſſe, & conſenſu hominum confirmat.* Viri.] *P. Seruilij.* Liberos.] *Intelligit unicum.* Neque mirum.] *Ad Seruilium conuertitur.*

Quod ſi eſt erratum.] *Improbat legationé, quod debilitet & auertat animos à ſtudio belli, & quod turpis ſit, & quod pax fieri non poſſit.* Redeamus.] *Reſipiſcamus, colligamus terrorem. Bona metaphora, ab his qui iter faciunt.* Portus.] *Ad metaphorá reſpicit, ante greſſa me.* Quid enim.] *Oſtendit inutilem eſſe, imo periculoſam Reip.* Prodeſſe.] *Correctio ad amplificationé, & ſimul facit gradationé.* An nos.] *Explanat quod dixit, legationem iam nocuiſſe.* Incendiũ.] *Cótra Antonium.* Præ ſe tuliſſe.] *Aperte oſtendiſſe.* Capua.] *Ampliſſima & florentiſſima urbs.* Illa impios.] *Cómemorat merita, ut rem indigniorem oſtendat.* Conſenti.] *Cóprehendere & ulciſci Antonium.* Incidimus.] *Debilitauimus animos militum noſtrorum: à cado, non cado: bona Metaphora.* Cœleſtis.] *A' Deo Marte, bellorum præſide.* Nomen.] *Fortitudinis.* Fluent.] *Ipſo uerbo indicat negligentiam: elabentur.* Senatum.] *Addit cauſam.* Pudet.] *Pudore afficior. pudet me tui dicimus, & bifariam capitur.* Ex duobus.] *Nempe Panſæ et C. Cæſaris exercitibus.* Luſtratus.] *Purgatus, expiatus: more Romano, nempe ſue, tauro, etc.* Vt non refe.] *Etiamſi non referat pedem, ſi pareat imperatoribus.* Inſiſtet.] *Quieſcet.* Quis.] *Addit cauſam.* Receptui.] *Verbum militare receptui canere, eſt canere ad receptum, ut ſe recipiant dato ſigno ex acie.* An nos.] *Quod dixit inuitis, hoc declarat.* Vincere.] ἀντίθεσις. Quid Gallia.] *Admiſcet locos turpitudinis.* Firmauit.] *Oppoſuit ſe Antonio.* Corpus.] *Omnem ditionem ſuam, omnes urbes, omnes uires & populos.* Omnis.] *Gallia.* Vrbtur.] *Agri uruntur.* Patauini.] *Iuxta Venetias.* Iniurias alienari.] *Iniurias propter negatum ius ſuffragij, unde bellum ſociale ortum fuit.* Expertes.] *Iuris ſuffragij.* Nomen.] *Vult indignum eſſe.* Quid ſi ne poteſt.] *Nó poſſe fieri pacem, cũ eam & Antonius repudiaturus ſit, niſi cóceſſis quas ipſe uelit conditionibus: & Senatum eas concedere non poſſe.* Maluit.] *Coniectura ex anteactis, & uoluntate Antonij.* Qui pacis.] *Enthymema ad indignitatem.* Verecundioré.] *Ex pari uel minori, modeſtiorem.* Cóciſus.] *Iudicatus hoſtis: cótentio ex minori.* Senatuſcóſulta fal.] *Deſcédit in turpitudinem Senatus.* Senatuſcóſulta delata.] *Alij legũt Relata, & melius opinor: nempe Senatuſcóſulta, quæ quaſi ex actis Cæſaris falſo ad Senatum retulerat Antonius.* Leges.] *De prouincijs & diuiſione agrorum & iudicijs.* Septies.] *Septuagies quinquies centena millia coronatorũ.* Figere tabulá.] *Eſt legé aliquá ſancire.* Refixiſtis.] *Improbaſtis.* Obruere.] *Delere, extinguere.* Eius.] *Antonij. Hæc omnia ad turpitudinem pertinét, turpe eſſe pacé facere.* Fœditate.] *Deformitate ſagorum.* Vt Centurionum.] *A' futura infamia.* Eluatur.] *Expurgetur, pietur. Manet in metaphora. Eluere, eſt delere.* Monumenta.] *Operũ, quæ fuerũt extructa circa Mutiná, ad oppugnádũ.* Remittamus.] *Cócedamus quæ poſtulat Antonius.* Nec ſolũ.] *Oſtédit periculũ.* At ille.] *Ironia, qua occurrit oppoſitioni, & reprehendit.* Tot uno.] *Cótentione augetur, et amplificat periculũ.* Ordinis.] *Senatorij.* Tyrones.] *Viliores homines, ex minori.* Pax non erit pax, ſed pactio.] *Agnominatio.* L. Piſonis.] *Profert dictũ Piſonis, quo cófirmat.* Quoſnódũ.] ἐνθύμημα *ex minori.* Vbi ſunt.] *Delabitur ad ignominiá, & turpitudiné huius pacis.* Didicit.] *Ex C. Cæſare.* Cur nó.] *Cóplexio rhetorica.* In hac ego.] *Deſcédit in alterũ caput de legatione ſua: et oſtédit quod turpe et periculoſum ſibi ſit, ſi ipſe legatus mittatur.* Ad id cóceſſum.] *Huic legationi. Delédá legendũ.* Princeps.] *Auctor.* Eiurabit.] *Alij deierabát, id eſt, affirmabit.* Auũculũ.] *Antonij.* Leuiorem.] *Ac proinde æquioré.* Nó quo.] *Occurrit, ne cófirmet quod turpe eſſet Piſo.* Quib.] *Ironia.* Omnib.] *Fœliciter, bonis auibus.* Quod ſi de Antonio.] *Deprecor pudoré ſuũ in cóueniendo Antonio, et odiũ illius in ſe cómemorat.* Oculis.] *Verecũdia meæ: nolite me pudore afficere.* Quo. n.] *Explanat quod dixit.* Cógredi.] *Illũ cóuenire.* Vrbinati.] *Decoctori cuidá.* Ex naufragio.] *Bona metaphora: comeſis paternis bonis, ad arma uenit.* Municipij.] *Arpini, qui fuit patria Ciceronis.* Aquæ.] *Militibus primi ordinis.* Primipili.] *Primi uexilli. Aquilá quidé ipſam.* Ita legendũ.] *Faſtidio.* Obiter excuſat. Sed uincá animũ.] *Oſtédit uitæ periculũ, quod uarie colligit ex itinere, ex audacia Antonij, & ex militũ offenſione.* Vnicá.] *Schema cóceſſionis.* Frágere.] *Excutere ex animo, & delere.* Præſertim.] *Interpretatur quod dixit ſupra. ná cótempſit, cólligit cũ inſectatione Dolabellæ.* Spiritus.] *Vita, ſalus mea.* Is eſt.] *Hoc explanat.* Sentétijs.] *In Senatu dicendis.* Pertulerim.] *Pertulerim abũdat, et deinde aliquid deeſt, ad explédá ſenteτiá.* Impiorũ.] *Sceleratorũ ciuiũ.* Vt nó.] *Deſunt hic aliqua.* Hic cũ.] *Colligit ſententiá ex minori.* Tres.] *Parat explanare quod dixit.* Tres uiæ ſunt.] *Colligit inſidias itineris, uiarũ enumeratione. Totus locus ad facultaté cóiecturarũ pertinet.* Illud pignus.] *Obiter delabitur ad laudem Bruti, & affectũ.* Pignus.] *Auctoré & cófirmatoré.* Tres ergo.] *Reſumit uerbũ, ex quo ſententiá inſtituerat.* Supero.] *Adriatico.* Infero.] *Tirreno.* Lentonis.] *Fuit ex Antonianis.* In uia.] *Caſſia.* Præſtat.] *Id eſt, promittit: eſt uerbũ iuris, quo ſecurũ facere ſignificamus, ut id de quo conuenit ſeruetur, uel adimpleatur.* Præſtare uitium.] *Securũ reddere. De uitio ſic loquũtur iuriſperiti.* Capite eſſe.] *A' me temperaturũ.* Tenere.] *Iter facere ſine periculo.* Tota familia.] *Ironicos loquitur de P. Clodio.* Præſidia.] *Auxilia.* Hiſce ergo.] *Infert intentionem, & confirmat.* Suburbium.] *In agrum ante urbé.*

Statiuum.] *Alludit ad militarem.* Neque uero receſſo.] *Rurſus colligit quæ dixit.* Nemo cautior.] *Diligentior in prouidendis periculis, & cauendis.* Vigeſimus.] *A' coniuratione Catilinæ.* Ne dicam.] *Corrigit, ut modeſtius loquatur.* Timide.] *Occurrit obiectioni, & defendit.*

Timide hoc dicam.] Loquitur de Clodiano tempore, quo ſponte ſua in exilium receſſerat, ne per ſe ſeditio oriretur in ciuitate. Infeſto.] Infeſtum, quod tutum non eſt, periculoſum.

Solam enim gloriam.] Mortem ſine culpa noſtra pro patria eſſe oppetendam dicit. confirmat exemplo. Solam.] Hic locus habet tacitam occupationem obiectionis. Quis.] Cōfirmat exemplo. Dure.] Inhumaniter. Etenim qui.] Addit cauſam huius dicti, affirmādi cauſa. Quam ſeptus.] Occurrit obiectioni, quam ſoluit temporis & perſonæ ſua exceptione. Luci.] Aduerbium temporis. Sic ueſperi.] Interdiu. Militari.] Sunt uiæ, per quas exercitus ducebantur. Non modo.] Declarat. Hæc ego.] Alia obiectio, ex perſona aduerſarij. Num.] Reſpondet Cicero. Tramitibus. Tramites ſunt uiæ anguſtiores, quæ pedibus teruntur. Attendere.] Cogitare, meditari. Sed effugi.] Ex abundanti concedit, quæ obtinuit. Sed effugi.] Perſequitur reliqua periculi, ex odio & audacia Antonij, & diuiſionem facit. Acturum.] Statim, Poetica particula. Immanitas.] Obiter innuit uiolentiam Antonij. Memini.] Amplificat diſſimilibus exemplis. Tyro.] Nouus miles. Scæuo.] Dux aduerſarum partium. At ille.] Pompeius. Sylla.] Aliud exemplum. Poſſumus.] Accommodat Antonij colloquium cum huiuſmodi exemplis. Quod ſi non extra.] Perſequitur alterum membrum diuiſionis. Caſtris.] Panſæ & Octauij. Neque enim.] Confirmat. Ordine.] Senatu. Ne imperita.] Periculum à militibus, tertium caput. Deſtineri.] Impediri. Certe ſcio.] εἰρωνεία. Quorum.] Militum commoda. Firmaui.] In actis C. Cæſaris, ſed non Antonij. Horum.] Veteranorum. Cum enim.] Periculum in reditu. Cuſtodiatur.] Concludit.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAM

## DECIMAMTERTIAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATHOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

### ARGVMENTVM.

LEPIDVS Imperator in Tranſalpina Gallia, miſſis ad Senatum legatis, ſuadebat pacem faciendā eſſe cum Antonio, & belli ciuilis incommoda uitanda. quam ſententiam cum in ſenatu approbarent amici Antonij, allegantes auctoritatem & potentiam Lepidi, & quòd antea Cn. Pompeiū Magni filium reſtituiſſet. Cicero diſſentiens, hanc dixit ſententiam, in qua negat ullam firmam & ſalutarem pacem fieri poſſe cū Antonio: & frangit interim Lepidi auctoritatem, uoluntate eiuſdem ac meritis in Remp. cōprobatis: & confert cum Antonijs Pompeium, quātum interſit oſtendens, eodemq́; in loco adiungit inſectationē ſcelerū Antonij, & poſtremo recitat literas eiuſdem ad Hirtiū Conſulem, interpoſitis breuibus diſputationibus, quibus oſtendit inimiciſſimū Antonij animū in Senatū & Remp. quantumq́; periculum immineat omnibus bonis, ſi ille euaſerit.

M.

IN PRINCIPIO HVIVS.] A' re ipſa incipit, & dicit ſe ſemper pacis ſtudioſum fuiſſe: quā ampli[f]icat, ſed negat pacē cū Antonio fieri poſſe. Inſidioſa.] Ergo periculoſa. Itaq; ſi.] amplificat exemplis, et enumerat duces bellorū ciuiliū. De proximo.] Cæſare, auctore belli ciuilis calamitoſiſſimi, nuper geſti. Sed hoc.] Hic totus locus figuratur κατ' ἀνθυποφοράν. Cū omnibus ne pax.] Negat pacē cū Antonio fieri poſſe, & periculū eius oſtēdit, amplificās diſſimilibus exemplis, & ſocios Antoniani ſceleris cōmemorās.

Bellum expiabile.] Id eſt, cuius damna expiari & ſarciri poſſunt. Cinna.] Collega Octauij. Dimiſiſſet.] Quia nimium cupiebat. Cum Cenſorino.] Enumerat ſocios Antonij, homines inimiciſſimos Reipublicæ. Illa naufragia.] Id eſt, homines perditos, Metonymicos. Huc accedunt Alaudæ.] Milites ueteranos ſignificat, ex legione quæ Alauda uocabatur. Ex haſtis.] Deſcribit homines.

O' fidam.] Ironica exclamatio. Lucij.] Fratris Antonij. Sanctitas.] Religio. Illis locus.] ἐπιφώνημα.

Ora nobis eorum.] Hypotypoſis, qua exprimit Antonianorum inſolentiam. Latera tegentes.] Comitatum ſignificat. Niſi forte.] Hæc omnia ad coniecturam pertinent & qualitatē. Niſi forte eos.] Irridet contradictionem, & profert decretorum ſeueritatem, quibus irritatus ſit Antonius. Niſi.] Occurrit contradictioni, & irridet.

Salutabunt.] εἰρωνεία. Non recordamini.] Nunc ſerio loquitur, & affert cauſam. Sententijs.] In Senatu. Acta.] Conſulatus. Leges.] De prouincijs & iudicijs, & agrorum diuiſionibus: Collegam.] Dolabellam. Hoſtem.] Propter interfectum Trebonium.

Si eſſet.] Ex minori amplificat. Factis.] Sceleribus, iurijs. Sed ſi.] ἀντίθεσις. Hi.] Antonius cū ſuis. Faucibus.] Ad perniciem reſpicit, quod plus eſt. Quibus.] Cōfirmat quod dixit fore periculum, ſi iſti homines in urbē reciperentur. et interrogādo obtinet, quod negari nō poteſt. At incertus exitus.] Occurrit periculo belli, et negat fortibus fortunā belli extimeſcendam eſſe, ſed potius pro libertate moriendum, neq; audiendam eſſe ſapientiam, quæ tuta pacis conſilia libertatis dimicationi anteponat. Locus ferè proſopopœia tractatur, & eſt comparatio utilis & honeſti. Virtute.] Senatores alloquitur. Ordine.] Senatu. Quanquam.] Separatim loquitur de fortitudine & ſapientia, quantumuis ſint cōiuncta. Sic ſeiungit docendi cauſa, non re. Ne.] Affirmatiua particula. Reſponderit.] Sapientia. Fortunas.] Bona.

Poſteriora.] Viliora. Vel.] Fruí. Pignora.] Pignus eſt quædam obligatio. hic Metaphoricos utitur. Illis.] Antonio cum ſuis. Decertandi.] Pro libertate. Aut enim.] ἐπιφώνημα. Omen.] Præſagium, ſumptum ex dictis uel factis fortuitis. At enim nos.] Occurrit auctoritati Lepidi, & primum uoluntatem illius erga Rempublicā laudat, & amplificat merita ex reſtitutione Pōpeij, cuius ille auctor fuerat. Deinde opponit auctoritati periculum Reipu. & ſcelera Antonianorum, quos cum Pompeio cōfert, negans parem Antonij & Pompeij cauſam eſſe: interim laudans S. C. quod de Pompeio factum fuerat. At enim.] Sunt uerba ex aduerſariorum perſona. Ciuil.] Contra Cæſarem. Nullius.] Reſpondet Cicero, & laudat. Familiæ.] Erat ex Aemiliana. Nam cum.] Declarat quod dixit. Magnum.] Magni filium. Neque ei.] Amplificat. hi honores nimirum ſunt in tertia Philippica. Pignoribus.] Obligationibus. Nam pignus eſt, quod interponitur fidei ſeruandæ. Summa.] Enumerat. Sacerdotium.] Erat enim Pontifex Maximus.

*Maximus. Caſta.* ] *Integra, incorrupta. Labi.* ] *Errare opinione. Talem.* ] *Veram & ſalutarem. non inſidioſam. Qua.* ] *Ipſe explanat diſſimilitudine. Putauit.* ] *Putabat legendum. Haec cauſa.* ] *Amplificat hunc locum ex honoribus, decretis M. Lepido. uide 3. Phil. L. Aemilio.* ] *L. Paulo Aemilio. Aemiliano Scipioni.* ] *Minori ſcilicet, nā duo fuerunt: qui quoque triumphū geſſit, propter delatam Carthaginem. Superiori.* ] *Maiori ſcilicet, qui de Cimbris triūphauit. Silentio.* ] *Sine ſanguine. Sicut.* ] *Quemprimum potuiſtis. Exiſtimas ne.* ] *Alloquitur abſentem, & confert Antonios cum Pompeio. nam aduerſarij exemplo Pompeij cenſebant, & Antonium eſſe reſtituendum: quòd ex diſſimilitudine reprehenditur. In altero.* ] *Pompeio. In illis.* ] *Antonijs. Deinde obſecro.* ] *Commoditas reſtituendi Pompeij, quam latius exequitur. Caeca.* ] *Ad amplificationem hoc addit. uide commoditatem à fortuna. Caeſaris.* ] *Iulij Caeſaris. Saluis.* ] *Integris. Redimet.* ] *Prorumpit in cōmiſerationem eius rei, & locum abrumpit. Decreuiſtis.* ] *Explanat rem quam inſtituit. hoc fuerat factū Senatuſconſultum. Diſſipatione.* ] *Auctione, uenditione: nam bona Pompeij Antonius uendiderat. utitur odioſo uerbo. Redegiſſet.* ] *Confeciſſet. Formianū.* ] *Alij Firmianum legunt. Oppugnant.* ] *Quod indigniſſimum eſt. Anſeres.* ] *Intelligit Anſerem poetam quempiam, ſcriptorem laudum Antonij, cui Antonius agrum ex Pompeij bonis in Phalerno dederat. ad hūc alluſit Virgilius nona Ecloga: Argutos inter ſtrepere anſer olores. Anſeres.* ] *Cicero hic pluraliter per Synecdochen.*

*Satis inconſiderati.* ] *Obiter reprehendit bonorum Pōpeij emptores. Domino.* ] *Cn. Pompeio. An is non reddet.* ] *Demetrium intelligit, ſeruū Pompeij, & poſtea Caeſaris libertum, de quo Plutarchus in uita Pompeij. Quaſi theſaurū.* ] *Odioſa comparatio, ſumpta ex Poetis. Septies millies.* ] *Septuagies quinquies centena millia coronatorum. interim adhortatur. Millies.* ] *Scilicet ſeſtertium. In primis.* ] *Ennumerat quae propoſuit. In quo.* ] *In qua re. inſerit cauſam honeſtam. In primis paternum.* ] *Augur augurē in demortui locum nominando cooptabant: ſicut fit hodie inter Canonicos, qui in uacuas praebendas ex ordine thurni, ut uocant, alios nominant. ſic Cicero à Pompeio ante fuit cooptatus. At ne illud.* ] *Laudat Pompeij uoluntatem erga Remp. Clariſſimi.* ] *Lepidi. L. Paulus.* ] *Nomina legatorū. Eumq;.* ] *Pompeium. Copijs* ] *Quas ex Hiſpania adduxerat. Veteranorum.* ] *Militum Caeſarianorum. Eſt uero.* ] *Laudat hoc conſiliū Pompeij. Praeſto fuiſſe.* ] *Vt ſuccurreret Reip.*

*Atque etiam hoc.* ] *Per occaſionē Pompeij diſputat de Lepidi officio, quid illū facere deceat erga Remp. quia aduerſarij dixerant, timendum eſſe ne ſe cū Antonio coniungeret. Arrogantius.* ] *Propter potentiam, ſuperbius, inſolentius. Si enim.* ] *Explanat. At uel.* ] *Dicis aliquis. Quid tū.* ] *Reſpondit Orator. Quid.* ] *Proponit, deinde aſſumit, Quod non licet, nefas eſt: quod nefas, ſceleratum, foedum, & turpe.*

*Tibi enim.* ] *Alloquitur abſentem, & officij ſui admonet.*

*Hiſq; recentibus.* ] *Caeſarem intelligit. Quod ſi auctoritatem.* ] *Auctoritatē Senatus anteponit Lepido, quare ne auctoritatem quidem Lepidi paci cū Antonio interponendā eſſe cenſet. Quod ſi.* ] *Ex ipſa figura orationis naſcitur quadā diuiſio. Quanquā.* ] *Declarat, & ita anteponit auctoritatē Senatus, ut tamen non contemnat Lepidi auctoritatem. Odiomus.* ] *Explanat, & exponit ardorem, quem nominauit.*

*Receptui canere.* ] *Eſt reuocare à pugna, uelut ſi ab opere ſe recipiant ad otiū. Caeſar.* ] *Octauius adoleſcens. Quatuor.* ] *Duos deſignatos, & duos iam conſulatum gerentes.*

*At periculum.* ] *Occurrit obiectioni. At periculū eſt.* ] *Renouat obiectionē de Lepido, et cōiectura uoluntatis refellit. haec coniectura aperta eſt, à metu incōmodi. Prodat.* ] *Perdat. Nemo tam ſaeuus eſt, ut perforet nauem, in qua ipſe nauigat. Quis fortunatior.* ] *Quaſi aſſumptio. Sanior.* ] *Prudentior. Vidit eius moeſtitiam.* ] *Addit exempla anteacti temporis in Lepido, & exaggerat ſcelera Antonij. Vidit.* ] *Hic locus ad comparationem pertinet. Qui ſi.* ] *In inſectationē Antonij delabitur ex laude Lepidi. Tyranni.* ] *Intelligit C. Curionem. Illo.* ] *Caeſare. In qua.* ] *Explanat. Teter.* ] *Abominabilis, deteſtabilis. Caeſare.* ] *Confert Antonium cum Caeſare. Quadrato.* ] *Quaſi inſtructa acie. Municipium* ] *Municipia erant melioris conditionis quàm coloniae. uide Gell. in Noctib. Atticis. Praeſidium.* ] *Auxilium & defenſionem. Caeſaris.* ] *Octauij adoleſcentis. Diceret.* ] *Nam eum aſpergebat conuitijs. Dominis.* ] *Aedium poſſeſſionibus. Notaret.* ] *Deſignaret ſibi. Concio.* ] *Qua ſuos incitabat. Conſularis.* ] *Opinor Q. Fuſij. Circunſcribendo.* ] *Opprimendo. Tramitibus.* ] *Tramites ſunt anguſtiores calles. Deſignati.* ] *Decij. Quod ſi qui.* ] *Perſequitur inſectationem Antonij, & literas eiuſdem recitat, quibus explicādis incendit odium Senatus, & demōſtrat pacem cum tali inimico nullam fieri poſſe. Me attente.* ] *Poſtulat attentionem. Caeſarem.* ] *Scilicet aſcribi. Nomen.* ] *Imperatoris. Gauiſus.* ] *Significat ſe pariter gauiſum fuiſſe, et doluiſſe. Clariſſimi.* ] *Iulij Caeſaris defuncti. Parricidae.* ] *Trebonij. Vertentis.* ] *Id eſt, circūacti & completi, peragratis omnibus ſignis in zodiaco, nā ita loquuntur Aſtronomi. uox eſt paſſiuae ſignificationis, qua tamen carent Latini, in participijs praeſentis tēporis: Graeci habent. Eadem figura equo uel naui uehentem dicimus, pro eo qui uehatur. O' Spartace.* ] *Qui dux fuerat & auctor belli ſeruilis, quod grauiſſimū erat pop. R. Catilina.* ] *Comparatio eſt. Niſi quod te Idibus.* ] *Cum interficeretur Caeſar, Trebonius Antonium ante curiam, ut abeſſet longo ſermone detinuerat. Peſte.* ] *Caede, morte.*

*Sicarium.* ] *Trebonium, qui conſcius fuit coniurationis in Caeſaris necem. Scurrae.* ] *Contumelioſe uocat Trebonium ſcurram. Caeſare ornato.* ] *Octauio. Scurra.* ] *Qui ſine delectu riſum captat. Quaſi.* ] *εἰρωνία. Ex eadem* ] *Scilicet humilitate, nempe ex M. Bombalionis filia. Acerbiſſimum.* ] *Haec uerba ſequebātur in epiſtola. Ornamenta.* ] *Scilicet honorum, quae Hircius conſecutus eſt. Confert Antoniū cum Hircio, ut contrario uel diſſimili exēplo uituperet. Duplex reprehenſio, altera directa, altera indirecta, &c. Mentē nō.* ] *Facit agnominationē ad feſtiuitatē orationis. Puerū.* ] *Octauiū intelligit. Eius.* ] *Iul Caeſaris. A' quo.* ] *Octauius fregerat imperiū Antonij. Agere.* ] *Subaudi decet. Actionē.* ] *Scilicet obijcit irriſio. Venifica.* ] *Venificus hic legendū. Haerebis.* ] *Peribis. Nimirū.* ] *Ironica inſultatio. Putes.* ] *Iterū irridet. Viros.* ] *Brutū et Caſſiū. Duo praetores.* ] *Cōfert Antonianos cū Senatu, et uituperat. Duo.* ] *Hic locus cōſtat cōparatione, ut oſtēdat indignitatē Antonij, et Senatus dignitatē. Duo praetores.* ] *Cēſorinus & C. Antonius, qui praetores fuerūt Coſ. Antonio. et addit cauſam odioſam. Habituros.* ] *Ex beneficijs Caeſaris. Praetorij.* ] *Praetorij ſunt, qui praeturā geſſerūt: ſicut cōſulares, qui cōſulatū. Innocēs.* ] *Ironia eſt. Lat. et uoci meae teſtis Beſtia.* ] *Cicero Beſtiā de ambitu defenderat, accuſante P. Seſtio. Beſtia.* ] *Hoc cū exprobratione dicit in Beſtiā. Patronus.* ] *Ironia, imo proditor filio. Fraudator.* ] *Hoc ſerio dicit. creditores, qui dāt pecuniā. debitores, qui debēt. Dirutus.* ] *Perditus, euerſus. Diruptus.* ] *Erat. n. hernioſus. facit paronomaſiā. Cotyla uarius.* ] *Videtur urbane loqui, tanquā de duob. Sic etiā alibi, C. Caeſare Coſ. urbane: debuiſſet dicere, C. Caeſare et Bibulo Coſ. Deliriae.* ] *εἰρωνικῶς. neminē nominat hic orator ſine cōtumelia, Oratorie. Suo iure.* ] *Quia nomine & re hoſtis erat. Imperatorem.* ] *Opinor Hirciū, cui nomen dederat.*

Balueatorum.] Exprobrat homini ſordes,& obſcuritatem. neminem autem nominat ſine aliqua inſectatione. Incidiſſet.[] Poſt interfectum Cæſarem, cum plebs tumultuaretur, Plancus dux fuit concitatæ multitudinis,& ſeditionis. Commune.] Quod damnatus in urbem rediit. Perire.] Ludit in hominem,& habet tacitam cognitionem,uĕpe ſupplicij.crura enim latronibus in cruce frangebantur. Aquila.] Centurioni. Itaque Cæſaris munere.] Decius munere Cæſaris depugnauerat:in quem ludit, quaſi exemplo maiorum ſe deuouiſſet pro patria. Maioribus.] Irridet hominem,tanquam degenerem. Per hunc præclarum.] Ironia. Interuallo.] Multo tempore interiecto. Ex ultimis.] Exprobrat illi pecc griuantem. Similitudinem.] Improbitatis & ſcelerum & flagitioſum. Voluntarius.] Sua ſponte factus,non à Senatu lectus. Apertam.] Declarat quo modo ipſe elegerit.

Mutauit calceos.] Senatores calceis lunatis utebătur, ſicut lato clauo,luna imagine inſignitis, ad repræſentandam uetuſtatis originem,ab Euandro & Archadibus,qui ſe ante lunam fuiſſe prædicabant. Hoc igitur.] Nunc enumerat ueros Senatores,ut oſtendat eorũ dignitatem. Hoc igitur.] Confert Pompeianum Senatum cum Antoniano. Ceſſiſſet.] Facta fuiſſet. Sed quantum.] Bona coniectura ex pari, imo potius ex minori. Quot uiros.] Per admirationem. Bibulum.] M.Bibulum. Maiorum.] Duorum Scipionum, quos confert cum Antonij ſceleratis. Verum igitur.] Inſtat ut urgeat. Quid uero.] Iam prætorios enumerat. Venerunt.] Qui neutram partem ſecuti ſunt,nec Pŏpeij,nec Cæſaris. Eo libentius.] Tranſit ad alia. hoc Cicero ſibi putat eſſe honorificum,& fatetur, & defendit. Macedoniam.] Quæ decreta fuerat eius fratri minori. Et quidem.] Fatetur Cicero cum inſultatione. Hic cum.] Reprehendit ineptiam Antonij, quod illa obijciat. Non igitur.] Hoc fatetur,& cum inſultatione. Caſſium.] Qui fuit unus ex interfectoribus Cæſaris. Cauſæ.] Bonæ,iuſtæ, piæ Reipub.

Caſcam tribunatum.] Eſt ueluti perpetua expoſtulatio.

Cæſarem.] Ceſennium legendum. Vt Ceſennium etiam à Rep.] Defendit obiectum,& contrarium exemplum exprobrat.M.u.Arullus & Ceſennius Trib.pl. quia diadema impoſitum ſtatuæ Cæſaris detraxerant, à Cæſare Tribunatu fuerăt moti. Eum.] Caſcam uult indignum eſſe, ut Caſca à Rep. remoueatur. Huiuſmodi.] Tyrannica. Vectigal.] Aliud obiectum. Iuliana.] Lege Iulia conſtituta,attributa lupercis ſacerdotibus,quam legem Cæſar tulerat. Lupercorũ.] A re in perſonam conuertitur: & breuiter deſcribit hominĕ ad odium erat enim temulentus Antonius. Nos ſuſtulimus.] Hoc Cicero negat. Sauximus.] Confirmauimus. Veteranos.] Loquitur de his qui Antonium ſecuti fuerant, ſic in Antonio hanc obiectionem conuertit. Bello.] Ciuili.

Facilis.] Plana & aperta. defendit,& ſcelus accuſat Antonij,quod ille aduerſetur Maſſilienſibus. Neminem.] Alias obiectio & querela. Neminem Pompeianum.] Refellit legis auctoritatem,quæ ſub tyranno lata fuerit. Hircius.u.cum adhuc de partibus Cæſaris eſſet,in Tribunatu tulerat legem,ne quis Pompeianus honores gereret. Ipſum.] Hirciũ,qui nũc Cos. eſt. Apuleiana.] Alia querela Antonij. Subornaſtis.] Vt bellum gereret. Quid ſi omnibus.] Reſpondet, laudat factum, & irridet. eſt quædam inſultatio cum irriſione. Fratrem.] C. Antonium. Non laudamus.] Negat factum, & contemnit. Magnum.] Ironia. Serg. Galbam.] Alia obiectio. Præſens tibi.] Illudens annunciat malum Antonio. Præſens.] In acie. Aut imperatoris.] Antonij. Scilicet.] Irridet, & ſimul defendit.

Cæſaris.] Interrogat duo,quorum alterum confirmat, alterum negat. Fatalem.] A` Dijs immortalibus immiſſam.

Quid faciat, ſi reminiſcatur?] Eludit,& ſtultam interrogationem facit ab inexpectato. Filius.] Cn. Pompeius.

Domi.] Paternæ. Immigrabit.] Per Senatuſconſultum. O` nos turpes, ſiquidem Cn.Pŏpeium imitaturi ſimus. εἰρωνεία.

Quibus adhuc.] Qui nondum alterutri parti ſe adiunxerunt. Non erat integrum illi homini hoc uel illud facere:id eſt non poterat.non erat facultas. Eleganter dictum. Imperatorem.] Antonium. Offenderint.] Adhuc Cæſare uiuo.

Venuſtis.] Venditi eſtis,proditi eſtis. Deprauari.] Irridet. Incluſis.] Intra Mutinam cum D. Bruto. Eum.] D.Brutum. Quàm benigne.] Irridet εἰρωνικῶς, & inſultat, & exagitat aduerſam fortunam Antonij. Quam benigne denique.] Irridet et exagitat fortunam Antonij,qui à Quarta legione & Martia deſertus fuit, & ſceleratum illius odium in Brutum oſtendit. Ad hoſtem.] Octauium, Per quos ſi non ſtetiſſet.] Qui ſi non prohibuiſſet. Per me non ſtat,non impedio. Et iam ſerio loquitur: Parentaſſet.] Iuſta ſoluiſſet. Parentare, mortuis iuſta ſoluere, ſacrificare mortuis.

Collegæ.] Cæſari. Concordiæ.] Pergit ad reliqua.

Me præcipitem.] Qui me perdiderint,hoſtem patriæ iudicauerint,qui ſunt auctores mali mei periculi. Conditiones.] Pacis. Vix etiam.] Addit alteram cauſam incredulitatis. ſunt argumenta coniecturæ. Parum ne uidetur.] Premit confeſſionem,& ſcelus amplificat. Ipſe denique.] Omittit ipſam rem, & apprehendit alia quæ adiunxerat Antonius.

Hoc quidem.] Irridet amarulenter. Rectiſſimum.] Propter interfectum Trebonium. Quid huic.] Rem expoſuit,nunc amplificat. Inhiberet.] Intentaret,inferret, irrogaret,infligeret. eſt nouum. Conſeruandus.] εἰρωνεία.

Fœdere.] Cum Dolabella. Verecundas.] Si Dijs placeret. Vt haberet.] Declarat. Alaudæ.] Milites ex Alauda legione. Acta.] Conſulatus. Remanet.] Omnia ſunt reſciſſa & abolita ab omnium hominum memoria.

Decempedator.] Diuiſor. Nos.] Qui omnes Cæſariani ſumus. Iugulata.] Victa. Contingat.] Vt iugulemini. De elegantia.] Irriſio. Partes furioſe.] Negat partes,ſed bellum appellandum eſſe ſceleratum.Furioſe eſt hoc ĭdi caſus. Perſecuti ſumus.] Vlti ſumus. Obliuione.] Actorum Cæſaris. Vt eiſdem ornamentis.] De honoribus Cæſari decretis,uide Plutarchum & Suetonium.uult autem Antonius deceptum fuiſſe Cæſarem,quod nimiũ fiderit Senatui propter delatos honores,nec à percuſſoribus cauerit. Inuſtum.] Alludit ad ſtigmata, quæ ſeruis olim inurebantur. ad ignominiam hoc dicit. Sempiternæ.] Scilicet cognoſcendũ. Viri ceciderũt.] Negat ullũ lucrũ futurũ, ſi Octauij ceciderint, ſed ſi Antonij ceciderint. Deceptos.] Quaſi fraude quadă ad hoc bellũ impulſos. Flaminia.] Sacerdotiũ.nă erat flamen Iulius. Sed iam.] Irridet. Cŏſtat.] Firmatũ & decretum eſt, firmiter ſtatutum eſt. Homo plus.] Antonius.irridet.

Quam fidem.] Oſtendit improbitatem & ſcelus in Remp. Tibi cũ.] Negat Cicero. Inſanum.] Ratione & mente captũ. Nihil agis.] Refutat,& tamen tĕperat,ne quid uideatur affirmare. Pijſſimos.] Hoc in uſu non erat,tempore Ciceronis. Plancũ.] Refellit Cicero tanq̃ falſum,quod Antonius ſpirat. Lucem.] Spem, fiduciam. Niſi forte.] εἰρωνεία. Præſidia.] Octauij & Hircij. Si me.] Hic Antonius cŏſolatur ſe,et enũciat malũ aduerſarijs. Præcipio.] Antecapio,nĕpe ad ſolatiũ,anteuerto. Nă ſi.] Hoc declarat quod dixit. Præcipias licet gau.] Detorquet uerba in aduerſum ſenſum,deuictis Antoniũ mox periturũ eſſe. O`ĕ te Dij.] Cŏgeries uerborũ ad amplificationĕ. Sĕſimus.] Cŏfirmat. Hae Antonij.] εἰρωνικῶς hoc totum dicit. Abductus.] Ab officio. Quod ſi partium.] Indicio Cæſaris iterum negat partes, ſed bellum potius totius Reipubl. contra Antonium eſſe. Reſpicit ad

locum

locum ſupra poſitum.hoc ad laudem Cæſaris pertinet. Subeſt hic hypothetica ſententia. Duo cornua.] Facit comparationem ex re militari.loquitur hic metaphoricos. Clauſulam.] Epiſtolæ. Bellum quo.] Bellum quo ueniat,id eſt ut ueniat. nam hoc cohæret cũ præcendenti dicto Legatos non uenire,uempe ut bellum geratur. Erunt credo.] Ironia. Sanctiores.] Munitiores, tutiores. Sanctum eſt quod firmum eſt,& nefas uiolare. Patris.] Iulij. Deſignatus,] Brutus.

Quin tu.] Male precatur. Oriens.] Arguit ab exemplo. Hanc ego epiſtolam.] Colligit quid egerit Epiſtolæ recitatione,& ad inſtitutum reuertens concludit,renouatis capitibus diſputationis. Videret.] Intelligeret. Prius undas.] Aſſeueranter hoc ſubiungit. Neſcio quis.] Hoc non ad inſcitiam,ſed negligentiam pertinet,ne hac ætate poetarum uideatur eſſe ſtudioſus. affirmatiua, comparatiua,uel hyperbolica.

Monſtra.] Prorumpit in indignationem, Moueri.] Transferri in alias regiones. Cæſaris.] Octauij. Secundum.] Secundo loco æſtimandum. Quæ cum ita.] Format ſummã ſententiæ. Seruilio aſſentior.] Nã Seruilius dixerat ante Ciceronem. Hoc.] Quod additum eſt de Põpeio.

# IN PHILIPPICAM MARCI TVLLII CICERONIS DECIMAMQVARTAM SCHOLIA, BARTHOLOMAEO LATHOMO PRAELEGENTE, EXCEPTA.

## ARGVMENTVM.

PVGNATVM erat ad Mutinam cum Antonio, & uictus fugatuſq; Antonius magno prælio. qua renunciata Romam,ac ſimul miſſis literis ad Senatum à Coſſ.de ſupplicatione decernenda: cum fautores Antonij illud etiam adderent,ut ſaga ponerentur in eam diem,& poſtridie reſumerent donec confectum eſſet bellum:ſupplicationes aiunt,ita decernerent,ut neque imperatores appellarent eos qui tantam rem geſſerãt, neque hoſtes Antonij, ſed audaces tantummodo & improbos ciues.Diſſentiens ab ijs Cicero hanc dixit ſententiam,in qua primo reprehendit ueſtitus mutandi abſolutam mentionem factam ante confectã uictoriã. deinde peruerſam lenitatem inconſtantiãq; eorum,qui neque Antonium ſuo merito nomine, neque duces Reip.imperatores appellabant, commemorans nefaria ſcelera Antoniorum,& uirtutem meritaq; defenſorum Reipub. amplificãs. Poſtremo decernit præmia & honores militibus,eoſq; laudat qui in pugna occubuerãt,et mortis eorundẽ breuẽ cõſolationẽ inducit.

I, VT EX.] Ab ipſa re incipit & negat ſaga ponẽda eſſe,anteq̃ conſtet Brutũ liberatũ eſſe & ante confecti uictoriam. Vt ex.] Cõparatio. Optamus.] Vt liberatus ſit omnium periculo. Arbitramur.] Speramus. Salutem.] Liberationem. Ante uero.] [illegible]. Allata ſit.] Nunciata ſit certo ſcilicet. Lætitia.] Ex uictoria contra Antonium. Confectæ uictoriæ.] Sicut confectũ bellum,id eſt,cõſummatum,profectum eadem figura. Quæ autem eſt.] Reprehendit inconſtantiam ex contraria ſententia à turpi & religioſo, Optamuſq;.] Ad ueſtitum otij & pacis. Turpe.] Vide incõſtantiam. Gratũ.] Ergo non religioſum. Adierimus.] Supplicandi cauſa. Atque.] Arguit quorundam maleuolentiam erga Brutũ,qui nondũ liberato eo,tamen ſaga ponenda eſſe cenſebant,nempe ut non tam Bruti,q̃ Reip.cauſa ſumpta fuiſſe uiderentur. Quoſdam.] Inuidos Bruti. Veſtitũ.] Ad togas.

Prodatur.] Prorogatur Elegãter dictum prodere memoriæ. Tollite.] Remouete hanc cauſam. Praue.] Peruerſe. Vos uero P.C.] Hortatur Senatũ,ut maneat in ſententia erga Brutũ,& acta de eodem cõmemorat, quæ uim præiudiciorum obtinent. Locus pertinet ad inconſtantiam deuitandam. Vos.] Ad cõſtantiã hortatur, Diſcrimen.] Quod dubium & incertum eſt,id eſt periculũ. Ad.] Iam cõmemorat acta Senatus,

Sortiti.] Prouincias. ſorte diuiſerãt more Romano, hoc obiter cõmemorat amplificandi cauſa. Peſtibus.] Periculis. Victiq; dolorem.] Hoc ad laudem pertinet C.Cæſaris. A' quo.] Scilicet Panſa in concione. Neceſſitati uictus.] Annonæ opinor, quæ à conſule procuranda erat. Quod ſperare.] De ſalute loquitur,& concludit. Inibi eſſe.] Propẽ eſſe in articulo,[illegible]. Fructum.] Lætitiam & reditum ad priſtinũ ueſtitum. Reſeruari.] Differre,& nondum mutare ſagam. Vim.] Temeritatem. Præripuiſſe.] Feſtinatione quadam ante tempus.

De hac re.] De Bruto liberando, & pace cõficienda. A' prætore.] Octauio. Conſuli.] Hircio. Imbuti ſanguine.] Ad ſupplicationem uenit, ſed ante reprehendit aduerſariorum ſententiam,qui nomine hoſtis in Antonio abſtinebãt. Imbuti.] Significat dimicatum eſſe inter ciues. Vel madefacti,] Correctio,augendi cauſa. Tertio.] Quod tertium Cæſar bellum cõmiſerat. Pietas.] Eſt: Quouſque.] Subeſt finitio huius loci, an Antonius ſit hoſtis.hoc confirmat Cicero. Mucrones.] Gladios. Tremere.] Hoc interpretatur ipſe,id eſt,dubitare.ita legendũ. Gratæ.] Ironia,habet cõtrariũ ſenſum. De improbis, inquit.] Refert uerba,ut opinor Seruilij, ut abſurditatẽ & indignitatem oſtendat:quem etiam reprehendit, ſed modeſtius q̃ alios. Clariſſimus.] Seruilius. Euellũt terminos.] Locus corruptus eſt. Aut eijciunt.] Loquitur de Antonijs. & [illegible] profertur. Circunſcribunt.] Circumueniunt. His.n.uitijs.] Cõmemorat ſcelera Antoniorum cum amplificatione, ut hoſtiũ nomine dignos oſtendat. Subeſt ſtatus finitionis,ſi quis requirat.

Agnoſcere.] Confiteri,ideſt,quod nulla barbaries poſſet cõmittere.eſt caſtrenſe uerbũ.hoc dictum habet uim amplificãdi.

Id Deorum conſilio.] Id Deorum conſilio,ita legendum. Iupiter.] Capitolinus ſcilicet hæc ad amplificationem L. Antonij ſceleris pertinet. Quos.] Parmenſes. Præludium.] Nempe Antonij ante crudelitatem. ad crimen hoc loco pertinet: ſumptum à muſicis. Inſigne.] Pergit in deſcribenda perſona ad odium. Portentum.] Hæ portentoſæ & monſtroſæ crudelitates. Refugit.] Penult.corepta id eſt, abhorret. Quas. n.] Explanat. Turpitudines.] Significat maſculam Venerẽ, ipſi in prima ætate cõſtuprati fuerunt. Lætantur.] Quod indigniſſimũ eſt. Oblita.] Contaminata, à lino: polluta, conſpurcata eſt. Eſt igitur.] Infert intentionem. Victã.] Superatã eſſe.

Quã.n.] Declarat. Subrepta.] Ad extenuandã uirtutem Antonij. Niſi forte.] [illegible]. Quid tandẽ,] Arguit ex minori. Ad explẽdas egeſtates.] Eſt uerbũ religionis. Explendas.] Sarciendas. Metator.] Diuiſor, menſor. Recordamini.] Ex recenti periculo & trepidatione in urbe. A' domeſticis.] Id eſt,Antonianis. Hæc à.] Vrget intentionem. Itaque cũ ſupplicationes.] Venit ad literas & ſupplicationes, quas ita decernit ut duces reip.ad Mutinã imperatores appellet. atq; in

eo reprehendit aliorum ſententiam, qui hunc honorem illis nõ tribuebant, Subeſt item uis finitionis. Liberis,] Conſulem.

Dierum.] Supplicationes. nam decernit quinquaginta ſupplicationes, cæteri decreuerãt tantum uiginti dierum ſupplicationes. Etenim cui uiginti.] Appianus tradit morem fuiſſe, ut is dignus Imperatorio nomine haberetur, ſub quo mille hoſtium concidiſſent. Vt non imperator.] Duplex argumentum: alterum ex minore, alterum ex connexis. non eſt maritus ſine uxore, ſunt connexa. Domeſtici.] Q. Fuſius Calenus, & L. Piſo. Quanto enim.] Affirmat ex minori, ex ſua perſona. Templum.] Senatum. Is enim.] Amplificat à loco communi Tu igitur de te.] Occurrit reprehenſioni, & excurrit in querelam cõtra improbos quoſdam, qui de ſe inuidioſum rumorem ſparſerant, & conſilium machinabantur ad ſeditionem excitandam. Inuitus.] De me dico.

Sed iniuriæ.] ἀντίθεσις. Inuehitur in maleuolos & inuidos quoſdam. Ignaris.] Improbis. Scitis enim.] Explanat quod dixit. Sermonem.] Famam. Cum faſcibus.] Me ſumpturũ conſularia inſignia. Aliquem'ne imperatorem.] Inducit uerba aduerſariorum: & tacitum eorundem conſilium oſtendit. In aliquem.] Ita legendum, aliquem'ne imperatorem habituri erimus? crimen inuidiæ quaeritur. Inuidiæ.] Dicimus ad inuidiam. Credo hoc in gladiatorem.] Remouet à ſe tantum crimen, & purgat ex ante factis ſuis & ex ſceleris magnitudine. Non in eum.] Scilicet Ciceronem. Quibus auſpicijs.] Iſta ad coniecturam pertinent, an uera ſint. Augur.] Defenſor religionis, qui auſpicijs præſum. Quatenus.] Vſque. Quãquam opinor.] Corrigit rurſus quod exaggerauit, & incredibile efficit. Hoc.] Tantum ſcelus, me nempe tanquam Catilinam, Remp. oppreſſurum. Vnde.] Ipſe interrogat Oratorie, & reſpondet.

. Cum ut ſcitis.] Exponit occaſionem ſparſi rumoris, & inſidioſum improborum conſilium. Partirentur.] Operas, ſtationes. Oſtia.] Ingreſſus, aditus, uias patentiores. alias proprie oſtia ſunt fluminum bona metaphora. Conductorum.] Qui mercede conducti erant ad me interficiendum.

Quæ.] Quas res. Fons.] Origo. Doloris.] De dolore meo. Hæc interpoſui.] Excuſat quod ab inſtituto digreſſus ſit: & quoſdam in Senatu reprehendit, ex quibus potiſſimum Q. Fuſium, & L. Piſonem, qui fauebant clàm Antonio, & à Cicerone frequenter diſſidebant. Alios parum.] Conqueritur, & ſimul eos reprehendit, & deſcribit. Sed conſpecto.] Male legitur. legendum autem: Sed cum ſpe, tum timore moderari. Contendit.] Si quis mihi inuideat dignitatem. Vitijs.] Sua peruerſitate. In fortibus.] In campo uirtutis & gloriæ. Tu ſi.] Indignatur, & inſurgit in aduerſarium, facitq; proſopopœiam. Tu ſi ego.] Hæc in Fuſium & Piſonem dici uidentur. Sed ſi.] Redit ad priorem ſententiam. Principatus,] De principatu eleganter.

Ego enim.] Addit cauſam. Quidam moleſte.] Illa increpatio eo pertinet in Antonianos, ut eos reuocet, & in uiam redigat. eſt ſcopus orationis. Vt enim.] Declarat quod dixit. Ordinem.] Senatorium. Loco.] Conſulari, qui principes ſumus. Auent.] Cupiunt. Exiſtimant.] Iudicant. Memoria.] Iam confert ſe cum cæteris. Eſtq; contentio. Ante diem decimumquartum.] Hoc factum eſt in 3. Philip. Principem.] Auctorem. Indicatum.] In 5. Philipp. Pacis.] Suſpectæ, inſidioſæ. Ventidium.] Hic erat Antonianus. Deſignati.] Hircius & Panſa. Diſceſſionem facere.] Diſceſſionem facere erat, cũ propoſitis duabus pluribus'ue principum ſententijs, unã earum cæterorũ ſuffragijs comprobarent, ut in eam Senatuſconſultum fieret. Voluiſſent.] Ciceronis ſententia fuit excluſa, tanquam acerba & aſpera in Antonium. Iampridem.] Bellum reliquiſſent. Sed quod tamẽ non.] Relabitur ad appellationem hoſtis in Antonium, & adhortatur Senatum. De numero ſententiarum.] In quas uidelicet diſceſſio fieret. nam dictis pluribus ſententijs, non in omnes, ſed in duas tres'ue, quæ cæteris potiores uidebantur, pedibus ibatur. ex quibus, quæ numero ſuperaſſet, in eã Senatuſconſultum fiebat. Ieiuno animo.] Id eſt, uacuo à laudis & gloriæ cupiditate, quæ propoſita eſt ijs qui Remp. defendunt, non qui tyrannis fauent. Ad te ipſum.] Colligit exempla, quibus confirmat ex contrario, ſupplicationem nunquam niſi de cæſis hoſtibus decerni, quoniam de ciuibus nunquam decernatur. At miſit.] ἀντίθεσις. Eos.] Addit rationem.

Nam mihi.] Contrarium exemplum prioribus. Quamobrem.] Concludit intentionem ex connexis. Nemini.] Vt ſupplicatio ob Remp. bene geſtam negaretur. Quod ergo illi re.] Cõmode redit ad inſtitutum, inferens ex præcedenti loco imperatoriam appellationem in ducibus Reip. cũ hoſtis ſit Antonius. nam ſubeſt uis connexorum. Deinde ſubtexit argumentationem, ex rebus geſtis & meritis perſonarum, quæ ordine & breuiter commemorat. Connexa ſunt, ſicuti uxor & maritus, ſeruus & dominus, non poſſunt ſeparari. Honoris.] Conſulis. Alterum.] Nomen conſulis. Nomen beneficij.] Conſulis, Imperatoris. Cæſarem.] Octauium. A' ingulis.] A' uita noſtra. Princeps.] Iam commemorat rem.

Martia.] Fortiſſima erat legio ex ueteranis. Effrenatius.] Vehementius. ita cõmemorat, ut oculis ſubijcere uideatur. In primis.] In prima acie. Omnem auertant.] Hoc omnem fruſtra deprecatur Cicero, quoniã Panſa ex uulnere paulo poſt prælium diſceſſit. Hircius autem, ut tradunt Hiſtorici, in acie ipſa ceciderat. Sed apparet eius rei nuncium aut nõdum Romã perueniſſe, aut ſuppreſſum fuiſſe, ne ciuitas perturbaretur. Eduxit.] Vt ſuccurreret collegæ. Seruaſſent.] Non comediſſent. Inferret.] In aciem Antonij. Vrbis tectis.] Amplificat rem uerbis. An uero.] Ad tertium uenit. Imperium.] Proprætoris. Quamobrem.] Tranſit ad milites. Quamobrem promiſſa.] Abſoluit hunc locũ de imperatoribus, & tranſit ad milites. Præſtatur.] Seruatur. Sed facile.] Correctio. Bene.] Bona fide, benigne.

Tacentibus flagitari.] Prouerbiale. Flagitari eſt: quaſi inſtando petere. Admirabilius.] Laudabilius. Duo certe.] Breuis propoſitio. Placet.] Propoſuit, nunc rem ipſam aggreditur. Monimentum.] Quod nos præteritæ rei admonet.

Placet igitur mihi.] Decernit honorẽ militibus, qui in acie occubuerant. Martiæ.] Quæ primo impetum fecerat in Antonium. Hæc ſe prima.] Commemorat & effertur in amplificationem. Amplificatio eſt demonſtratiui generis. Deſiderat.] Amiſit: id eſt, habet omnes ſuos ſaluos. O' fortunatæ.] Iam effertur in amplificationem. Vos.] Iam alloquitur ipſos milites. Pignorari.] Pignorari, id eſt, pignori accipere, nempe ad obligãdum cæteros, ut uictoriam non niſi uirtute obtineant, cuius Mars ipſe eſt præſes. Recidiſtis.] Occidiſtis: à cædo, quod eſt percutio. Breuis uita.] Quia adhuc iuuenes occubuerant. Inſepulta.] Inhonorata & neglecta. aliàs inſepultum pro aperto ponitur: metaphoricos. Multi ſæpe.] Amplificat hunc honorem, ut & uirtutem amplificet. Vos ab.] Delabitur ad commemorationem debitorum. Moles.] Sepulchrum. Sermo conticeſcet.] Perpetuo omnium ſermone celebrabimini. Parentibus.] Obiter conſolatur omnes, patres, liberos, &c. loquitur diſtributiue. Omnibus aliquid commodi tribuit, quo iactura incommodi compenſatur. Oratio.] Conſolatoria. Sed ut aliquando.] Format ſummam ſententiæ, & concludit.

Verſatur.] In prima acie. Occidione occidit.] Conſuetudo loquendi de magna cæde. Commemorat merita cuiuſque, deinde ſententiam de honore ſubiungit.

Omnia

Omnia puluinaria.] Hoc eſt, per omnia templa. Cumq́;.] Ad milites uenit. Reſoluturum.] Puto Perſoluturum legendum eſſe, ſcilicet cenſeo. Princeps.] Prima. Cæderent.] Ferro: à cædo uulnerarent, trucidarent. Monimentum.] Sepulchrum. Locandum.] Locat, qui mandat opus faciendum. Contribuere.] Conferre.

# IN EASDEM MARCI TVLLII CICERONIS PHILIPPICAS GEORGII TRAPEZVNTII ANNOTATIVNCVLAE.

## ARGVMENTVM.

CVM Brutus & Caſſius interfectores Cæſaris cócitatæ plebis furori ceſſiſſent, et ueteranos Cæſaris timẽtes, (quanquam per Antonium liceret) in urbẽ Antio ubi exulabãt redire nollent, eſſetq́; omnibus & maxime bonis formidoloſus Antonius, Cicero quoq; ex urbe ſibi diſcedendum putauit, q & interfectorum Cæſaris amicus habebatur, & Antonij ſuperbiam & impotentiã ferre non poterat. Dolabellæ, qui in Syria Conſulatũ gerebat, legationem ei deferenti, primum quidem aſſenſus eſt. deinde cum Hircio & Panſa Conſules deſignati rogaſſent, ne ſe imitatores ac diſcipulos deſerere uellet, ſeq́; anno Conſulatus ſui cõſilio atq; eius ope ſi adeſſet euerſuros ac planè electuros Antonium pollicerentur, legationem Dolabellæ renuit: ſeq́; ea ſpe & conſilio Athenas contulit, ut ſimul ac illi Conſulatum iniſſent, ipſe Romam reuerteretur: interea dum Antonius Conſulatũ gereret, Athenis toto æſtatis tempore futurus. Profectus igitur Cicero, antequam in Græciam traieciſſet, nuncijs allatis de uoluntate Antonij commutata, Romam redijt. Cumq́; Antonius poſtridie Senatum habuiſſet, non uenit, q ex iudicio quodam inſidias timeret. Id ægre ferens Antonius, milites ſtatim miſit, qui aut illum in Senatum adducerent, aut domum eius incenderent. Verum nonnullorum precibus adductus, acceptis pignoribus contentus fuit. atq; ita non ſine ſuſpicione Romæ erant, ut alterius alter inſidias uitarent, donec Octauius, quem C. Cæſar hæredem reliquerat, Romam reuertit: quem Cicero inimicitijs atq; odio Antonij compulſus, ſua auctoritate atq; opibus adeo auxit atq; extulit, ut Antonius metu Romã relinquere cogeretur, et hoſtis à Senatu iudicaretur.

### IN PHILIPPICA PRIMAM.

ANTEQVAM DE REPVB.] In hac igitur 1. Phil. Cicero, & quare Roma profectus fuerit, & cur redierit, primũ proponit: deinde de iniuris Antonij queritur: demũ illius impotentiam & importunitatem oſtendit, & ſuum ſtudium operamq́; Reip. pollicetur. Aliquando ad ueſtrum.] Scilicet interfecto Cæſare. Quaſi in uigilia quadam Coſulari ac Senatoria.] Imago, quam Græci εἰκόνα uocant. Vſquam.] Aliquo. In ædem Telluris conuocati ſumus in templo.] Neque enim alibi Senatus haberi poterat, quàm in loco ſacro. Athenienſiumq́; renouaui uetus exemplum.] Cum ſcilicet bello Peloponneſiaco poſt multas Reipub. cõiurationes, tandem Athenienſes, qui inter ſeipſos multas cædes ediderant, conuenerunt, ut obliterata iniuriarũ memoria, cómuni conſilio concordes & unanimes Remp. ſuſciperent. Græcum etiam uerbum uſurpaui.] ἀμνηστίαν ſcilicet, καὶ ὁμόνοιαν.

Et liberos eius.] Nam cum Brutus & Caſſius principum ſuaſu è Capitolio (quò ſe interfecto Cæſare receperant) in forũ deſcendiſſent, & Cinna quodam concionem habente, deſiderio & miſericordia Cæſaris plebs eum eſſet concitata, rurſus ſe in Capitolium contuliſſent, poſtridie obſide filio Antonij accepto iterũ deſcenderunt: ubi in templo Telluris pace facta, ita inter eos conuenit, ut acta Cæſaris ſeruarentur, et eius cadauer magnifice efferretur: quo tempore Antonius multa de concordia diſſeruit.

Quas habebat domi de Rep.] Hoc dicit propter Commentaris Cæſaris. Ad hunc ordinem.] Senatorum ſcilicet.

Res optimas deferebat.] Quibus de rebus Senatores deliberarent, & auctores eſſent. Num qui exules reſtituti.] Quaſi dicat, nulli. Hoc dicit, quia poſtmodum multos reduxit, multos etiam reiecit quos Cæſar in Commentarijs ſuis minime notauerat. Vnum alebat.] Scilicet reſtitutum eſſe ex Commentarijs Cæſaris. Num immunitates datæ.] Nullæ. nam poſtea multas ciuitates ac populos, qui tributum populo Ro. pendebant, immunes facit. Seruio Sulpitio.] Qui iuris prudentiſſimus fuit, & eloquentiſſimus. Feſtinat.] Σπεύδει. Quẽ iam uim regiæ poteſtatis obtinebat.] Poſt Syllam ſcilicet & C. Cæſarem, qui perpetuam Dictaturam ſibi aſſumpſerunt, cum illud imperium ſemeſtre legibus eſſet. Quod ſæpe antea iuſtũ fuiſſet.] Scilicet & legibus accipiebatur, et legitime deponebatur. Vncus impactus eſt.] Infixus eſt. Inuaſerat.] Tanquam in alienam poſſeſſionem. Quæ niſi collega abfuiſſet.] Profectus ſcilicet in Syriam. Serperet in urbe.] Senſim & ſine ſenſu ſubiret, progrederetur. Buſtum in foro facerent.] Id eſt, cadauer in foro cremarent. tum enim buſtum dicitur, cum cadauer concrematum eſt. Qui illam inſepultam ſepulturam effecerant.] Id eſt, qui effecerant, ut mortui ac ſepulti deſideriũ ac memoria ſupereſſet ac uiueret. in quo notat Antonium, qui in conuentione repugnante Caſſio, concedente Bruto, tandem obtinuit, ut Cæſar magnifice ſepeliretur, & funus duceretur. Talis animaduerſio fuit Dolabellæ.] Id eſt, ita animaduertit, puniuit aliquos Dolabella. Execrata columnæ.] In qua amici Cæſaris ad æternam eius memoriam inſcripſerant, Parenti patriæ. Conſules deſignati.] Scilicet Hircius & Panſa. Cauerat.] Id eſt, quibus Senatus proſpexerat, & lege eorum utilitati & incolumitati conſuluerat. Haberemq́; ius Legationis liberum.] Poterat enim pro ſuo arbitrio Legatus proficiſci. Non ſine cauſa.] Pertimebat enim inſidias. Vrbs coniunctiſſima.] Propter Quæſturam, quam geſſit in Sicilia. Vrbs.] Vrbem pro ciuitate poſuit, ſicut in Epiſtolis ad Atticum, cum dicit: Domum ſuam inflammatam fuiſſe urbe inſpectante. Agrigenti.] Ciuitas eſt Siciliæ. Præter naturam, præterq́; fatum.] Violentam & inopinatam mortem ſignificat: ut eſt apud Homerum, μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον ἄϊδος εἰσαφίκηαι. Quòd Cicero fatum atque naturam uidetur dixiſſe, illud multo ante Demoſthenes dixit ὑπὲρ στεφάνου, his uerbis, ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι νομίζων μόνον γεγενῆσθαι, τὸν τῆς εἱμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει.

De heſterna Marci Antonij iniuria.] Dictum eſt enim, M. Antonium milites mittere uoluiſſe, qui Ciceronem in Senatum pertraherent. Poſtea pignoribus acceptis, reliqua uí abſtinuiſſe. Præ me ſemper tuli.] Non ſolum, inquit, hoc leue eius & exiguum beneficium in memoria habui, ſed

etiam prædicant quod eſt grátiſſimi hominis. Propagauit, produxit.] Sumptum de uitibus. Si quis accidiſſet grauior Reipub caſus.] Propter hoc piaculum, & iram deorum. ſolent autem Dij immortales publica ſcelera, aut bello, aut morbo, aut fame ulciſci. Velim.] Vtinam. Vultu.] Indicando ſcilicet uoluntatē animi ſui, lætitiam ſcilicet, aut dolorem oſtendendo. Ab omnibus his.] Quos ſcilicet neceſſitudo Antonij, aut beneficium Cæſaris prohibent libere loqui: ſicut erat L.Cæſar, & multi alij. Primum igitur acta Cæſ.] Superius cauſas uſcaſq; dixit & profectionis & reuerſionis ſuæ. deinde queſtus eſt de iniuria Antonij: in multos etiam Conſulares uehemens fuit, minime rogatus de ſententia. Vt ægrotos.] Hoc dicit propter App.Claudiū, qui bello Conſentino Tarētino, cum Senatores pacem cum Pyrrho faciendam cenſerent, delatus in Senatum diſſuaſit: qui apud Ennium his uerſibus Senatum reprehendit: Quò nobis mentes, rectè quæ ſtare ſolebant, Antehac, præcipiti ſeſe flexere ruina? Hunc Pyrrhum Conſentini cū aduerſus populum R. bellum gererent, ex Græcia accerſiuerūt, ut eo Imperatore uterentur. Remiſiſſet de ſeueritate cogendi] Quam ſcilicet ita intenderat. Parentalis.] Iuſta ſunt mortuorum. Inexpiabiles.] Quæ nullo ſupplicio, nullo ſacrificio piari & expurgari & lui poſſent. Stirpem.] Progeniem ſuam, ſcilicet Brutū qui Cæſarem occidit. De actis Cæſaris ſeruandis dicit.] Quæ ab Antonio non ſeruari docet hoc argumento. Is acta Cæſaris non ſeruat, qui leges non ſeruat: Antonius leges Cæſaris non ſeruat. ergo Antonius acta Cæſaris non defendit. Deſtruit autem leges primum de prouincijs Prætorijs & Conſularibus, deinde iudiciarias: denique eam quæ eſt de ui ac maieſtate à Cæſare lata. Sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis atq; otij.] Quia in primis conſulendum cenſeo & proſpiciendum eſſe otio ac paci. Modo ſine aduocatis.] Vel aduocatis intelligit milites quibus ſepius in Senatū ueniebat, & eorū præſentia ac ui cauſam ſuam tuebatur, quemadmodum priuatorum aduocati tueri ſolēt: aut certe eius infantiam notat, qui per ſe ſine patronis & aduocatis ſe tueri ac defendere non poſſit. Sed ut opinor licet ei minus ualere, quod mihi heri per illū non licebat.] Id eſt, licet ei ualetudinem malā afferre in excuſationem non ueniendi in Senatum, quæ mihi non profuit heri cum à me afferretur: quia Antonius non conceſſit, nec excuſationem probauit. Hoc chirographum.] Alij chirographum, quod quis manu ſua notauit. In æs incidit.] Non in ære dicitur. Sculpebantur autem leges literis inciſis. In quo populi iuſſa perpetuaſq; leges.] Nam lex eſt generale iuſſum populi magiſtratu rogante. Tributa.] Cui debebantur pro meritis. Data.] Gratis. Ad ædem Opis.] ἐν τῷ ἱερῷ τῆς ῥέας. Cruenta illa quidem.] Ex bonis ſcilicet Pompeianorum cæſorum.

Togatus in pace.] Non in bello. Promulgata.] Quaſi prouulgata: tum demum lex lata eſſe dicitur, cum per trinundinum propoſita eſt. Centuriatis comitijs.] Quando omnes Centuriæ in campo Martio ſuffragium de aliqua re ferunt.

Equo meruiſſe.] Militaſſe equo. Quod eſt laudatius.] Honorabilius, ſplendidius. Ex legione Alaudarum.] Quam Cæſar in ulteriore Gallia conſcripſit. ergo erat barbara legio.

Noſti.] Scilicet milites qui multa per uim & contra moleſtatem cōmiſerunt. Libere iudicare non audeant.] Aut propter auaritiam & ſordes, aut propter conſcientiam alicuius facinoris aut metum. Quantus eſt error.] Legitur in textu: ſed Quantus eſt error & hic ſcripſi, & hic habet Quàm latus eſt error, id eſt, quàm late patet, quàm ad multos pertinet.

Ad operas mercena.] Ad eos quos ille reus mercede conduxerit. Protrahatur.] Ad pœnam ſcilicet, atque ſupplicitū.

Quæſtiones.] Cum ſcilicet per tormēta & cruciatus quæritur quid ſit à reo cōmiſſum. Quid quod abrogatur legibus Cæſaris.] Id eſt, leges Cæſaris abrogantur. Nationibus.] Natio genus hominum qui non aliunde uenerant, ſed ibi nati ſunt, quos Græci αὐτόχθονας uocant. Vectigalia.] Quæ Græce τέλη dicuntur. Immunes.] ἀτελεῖς. Recitauit.] Ipſe pronunciauit per præconem, ἐκήρυξε. Paratos hab. qui intercedant.] ἀκριβῶς. quaſi dicat. Trib.pl. non habemus qui intercedant, ſi Cōſules malas leges ferant. hoc autem dicit propter C.Antonium & M.Antonij fratrem, qui eo tempore Tribunatum gerebat. Paratos qui Remp.] Hoc dicit propter Augures, qui ius habebant obnunciandi, ſi Trib.pl. egiſſent cū populo, Ioue tonante aut pluente. Erat autem id temporis Augur M Antonius. Cedo illa legit.] Τὰ νόμιμα. ea ſcilicet quæ ſcripta ſunt legibus. Sciuit.] Decreuit. Refelletur.] Refutabitur ἐξελεγχθήσεται. Eſt integrum.] Nam latæ nondum erant. quare licet eas uel accipere, uel reijcere. Iroſci.] Hoc loco oſtendit Conſules auaritia, & dominandi cupiditate multa per uim & contra leges facere. Nouo quodam exordio licentiam quærit.] Reprehendit igitur amice, ut uidetur utrunque quòd exitus initio actionum ſuarum nō conſentiat: deinde hortatur ac monet, ut alia uia gloriam quærant & potentiam. Auorum.] Auum habuit M. Antonium oratorem: auunculum, L. Cæſarem. Vt ego opinor, cū tanta perſertim gladiorum ſit impunitas.] Hoc eſt, cum licet tam impune uti gladijs. ὅρος τῆς δόξης. Ea aūt eſt gloria & laus recte factorum magnorumq; in Rep. meritorum, quæ tum optimi cuiuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur.

Expiato foro.] Nam τὸ ἄγος, & piaculum cōmiſſum eſſe uidebatur per eos, qui aram Cæſari & diuinos honores ſtatuebant. Cuius ordinis.] Vel Senatorij uel equeſtris uel plebeij. Cuius generis.] Sunt enim tàm inter patritios, quàm inter equites & plebeios multa genera & gradus. Denique fortunæ.] Vel pauperes, uel diuites, uel ſerui, uel liberi. Aptarunt.] Accōmodauerunt, adiunxerunt. Quo auctore.] Quo conſiliario, quo duce, quo admonitore. Auſpicio eum te ipſo, &c.] Quia non licebat Conſulē niſi auſpicio ſumpto creari. Inuſta eſt à te.] Impreſſa eſt ignominia: ſumptum ab equis, quibus notæ ac ſigna cauterio, hoc eſt ferro calido imprimuntur. unde nota cenſoria, quādo Cenſores ignominia afficiebāt aut Senatores aut Equites. Pœnitebat.] Parum uidebatur, ſcilicet fortuna & amplitudo, & charitas, & gloria, cum adeptus fueras. Deprauare.] Prauū uideri, facere prauū, uel à recto detorquere & deflectere. Nihil enim tam ſanctum.] Hoc dicit, quamuis domi omnia fiant. Caſte.] Sāctè: integre, incorrupte. tamen domeſtici plerunque in malum & non recte accipientes, in uitia detorquent. Domeſtici.] Quos ſuperius dixit familiares, οἰκείους. Deteſtabile.] Dignum deteſtatione, & abominandū, execrabile. In fabulis.] In Tragœdijs, aut apud Accium Atreus inducitur. Oderint dū metuant, crudeliter ſanè quare & regno pellitur. Si enim exitus.] Mors, interitus. Nam facto.] Τυραννοκτόνων.

Sine quo.] Scilicet ſine beneuolentia ciuium. Gladiatoribus.] Cum dabatur munus gladiatorum. Hærebant.] Infixi erant. Accio hiſtrionum & Tragœdiarum actori.

In illo apparatiſſimo ſpectaculo.] Nam cum Brutus multa atque omnis generis animalia undique coemiſſet, antequā Roma cederet, quanquam poſtea ludis faciendis adeſſe non poſſet: tamen omnia illa animalia exhiberi, & quàm maxime ac magnificentiſſime ludos fieri uoluit: adeo ut Neapolim cōceſſerit, ubi multos hiſtriones ludorum Apollinarium conduxerit, ac Romam miſerit. ſcripſit etiam ad amicos, ut Canutium quendam Græcum, egregium ea tepeſtate hiſtrionem conducerent. à Cicerone etiam uehementer contendit, ut ludis ſuis omnino interesse uellet. A popularibus.] Ciuilibus, qui bonos oderūt, & malis artibus ac rationibus gratiam populi quærunt.

Quale

Quale ſit, non interpretamini.] Id eſt, non expoſitis nos, & explanatis nobis ipſis, quo animo populus R. ſit, & cuiuſmodi ſit eius iudicium & uoluntas in retinenda libertate, cũ tantopere laboret de uita Hircij, qui propugnat pro libertate.

## IN PHILIPPICAM II.

HAEC eſt ſecunda Philippica, quæ Ciceroni mortem attulit. Reſpondet autem criminibus & maledictis Antonij: deinde uehementiſſime & acerbiſſime in eum inuehitur. Quónam meo fato.] Ab admiratione & indignatione incipit, & format ſententiam ſuam. Hoc tamen affirmatiue dicit: hoc fato uideor eſſe ſuſpectus & natus, omnes Reip. hoſtes qui fuerunt his annis uiginti, mihi etiam fuerint hoſtes. In aliis.] Catilina, Piſone, Vatinio, Clodio.

Vltro.] Non à me prouocatus, nullis iniurijs à me affectus.

Vt uidérere.] Id eſt, in quo tu es mihi uiſus audacior quàm Catilina. Quid putem.] Numerat cauſas, quæ uideri poſſunt adduxiſſe Antonium ad maledicendum de Cicerone: quæ cum non ſunt idoneæ, ad extremũ unam ſubijcit quæ uidetur eſſe uera. In uita.] Quantum ad mores. In gratia.] Quantum ad beneuolentiam ciuium. Detrahi.] Maledici. unde detractores dicuntur. Sed ætatis flore collectam.] Notat impudicitiam M Antonij. Domum meam uentitaras.] Scilicet cauſa audiendi, quod Greci dicunt ἐμπορεῖν.

C. Curionem.] Scilicet filium, cuius τὰ παιδικὰ fuerat: cuius cõſuetudine ita perditus ac nequam euaſit, ut ducentorũ ac quinquaginta talentorum æs alienum cõtraxerit: quod cum Curio filius diſſoluere conaretur, Curio pater domo illum expulit, ex quo Clodio ſe adiunxit: cumq; illi uis pararetur, in Aſiam ſe contulit, & Gabinio in Iudæos exercitum ducenti præfectus equitum fuit. Nominauerunt.] Scilicet, cum Ciceronem cooptauerunt in locum demortui. Nec tu ſoluendo eras.] Id eſt, non poteras ſoluere æs alienum. Vnam tribum ſiue Curione ferre potuiſſes?] Quaſi dicat: Non ſuppetebat tibi pecunia, quam tu ambitu collocares. Ipſe uictor.] Scilicet Cæſar.

Fac potuiſſe.] Id eſt, concedamus quòd potueris. Quod ſi eſſet.] Hoc dicit, Si non adimere uitam eſſet beneficium, illi quibus Cæſar non ademit uitam cum poſſit, quòd eum interfecerunt, ingrati ſunt habendi & uituperandi: Sed ipſi laudantur. Ergo non adimere uitam, non eſt beneficium. Cum tu reliquias Reip. diſſipauiſſes.] Credo propter quatuor illa millia talentorum, quæ à Calphurnia uxore Cæſaris accepit. Offenſione aliqua interpoſita.] Id eſt, ſi qua offenſio inter eos intereſſet, ſi quo in re ſe offendiſſent poſt miſſas literas. Inepta.] Inſulſa, abſurda, nõ loco, nõ tempori, nõ perſonæ, nõ rei apta aut conuenientia. Vt Muſtellæ Tamiſio.] Vt Muſtellæ ſolum, & non alijs ſcire aliquid uidearis. Erant autem Muſtella & Tyro Numiſius milites Antonij, ac latrones. Sicarios facinoroſos.] A ſico, qui eſt breuis gladius. In quo habes ſcientiã quæſtuoſam.] Hoc eſt, tu es egregius magiſter faciendorum chirographorum, ex quo magnum aſſequeris fructum & compendium. Officij beneuolentiæ.] Id eſt, redarguo te, non reddidiſſe officium te mihi, non beneuolentiam. Fatale.] Peſtiferum. Prouidit.] Cauit, proſpexit, ſicut imperium Cæſaris, ſeruitutem populi R. Ex Syria.] Cum in Palæſtinam profectus, templum Iudæorum profanauit. Non ut parenti gratias ageret, &c.] Nam pater patriæ appellatus eſt, unde eſt ille uerſus, Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit. Referret acceptam.] Acceptum referre tractum eſt à rationibus & libris. in quo cum pecuniam creditam accepimus: acceptum referre dicimur: cum uero pecuniam credimus, expenſum ferre dicimur. Illa nefaria Senatuſconſulta.] Per contrarium accipiendum eſt. nam ea Senatſconſulta facta ſunt referente Cicerone, quibus ſupplicium ſumptum eſt de parricidis, & Reſp. ab interitu liberata. Scribæ.] Γραμματεῖς Græce. Capere.] Χωρεῖν. Confiterentur.] Vi ſcilicet: fatemur autem ſponte. Conſciorum indicijs.] Et multorum aliorum, et Ceparij cuiuſdã in primis, qui retractus fide publica interpoſita totam coniurationem patefecit. Patriæ parricidio.] Parricida dicitur non utique ſolum is qui parẽtem aut patriam uiolat, ſed qualemcunque hominem occidit. Indicat lex Numæ Põpilij, ijs compoſita uerbis: Si quis hominem liberum ſciens morti duit, parricida eſto. Voce literarum.] Quæ deprehenſa ſunt ad pontem Miluium, cum legati Allobrogum capti ſunt.

Sceleratorum arma.] Scilicet ceſſiſſe meæ togæ. Monimentorum meorum.] Id eſt, ſcriptorum. In omni genere.] Et in philoſophia, & in arte dicendi. Operis ſucciſiuis.] Id eſt, ſubſequentibus & ſecundarijs, quod Græci dicunt πάρεργον.

Iuuentutis utilitatis.] Quia facti ſunt docti & eloquẽtes.

Nomini Romano laudis.] Quia Romani Græcos antea tantum belli gloria ſuperabant: poſt Ciceronem etiam ingenij laudem ſibi arripuerunt. Compilatis.] Alij oppilatis. Compilare à pilis, ita furari, ut ne pilus quidem relinquatur. Quæſtio non ſatis prudenter illa quidem conſtituta.] Hoc dicit. nã cũ ueteri lege de morte hominis quæri poſſet, lege noua per Põpeium lata quæſitum eſt, M. Bibulo Conſule, cuius collega fuit Cæſar, qui in eo Conſulatu ita impotenter ac male ſe geſſit, ut Collegam ſuum in Senatum uenire prohibuerit. quo tempore iactati ſunt duo uerſus, quorum alter eſt: Non Bibulo fieri Conſule uix memini. Quàm charitate Reip.] Id eſt, non charitate: eſt enim abnegatiua coniunctio. Perſequi.] Scilicet numerare, διελθεῖν. Aemulum.] Imitatorem. Stuporem.] Κατάπληξιν. Edormi crapulam, inquam.] Simile illud Terentianum, Ibo in angulum, ibi interea hoc uilli edormiſcam. Tantæ cauſæ indormientem.] Id eſt in tanta cauſa. Vindices.] Sunt facinoris non cõmiſſi: ultores iam commiſſi. Siquidem.] Quia atrocius, crudelius. Si ab urbe.] Prætori plus quàm decem dies ab urbe abeſſe non licebat. Diſtinctius.] Elegantius, clarius, apertius. Retexo.] Rurſus texo, & ordior, quaſi aliam telam. Norbone.] Ciuitas Hiſpaniæ. Illud Caſſianum.] Caſſius ſolitus eſt dicere, cum factum negatur, nullum eſſe firmius argumentum, quàm uidere cui ea res aliquid cõmodi offerat. Officina.] Taberna. Nundinæ.] Mercatus. Immunitatũ.] Τῶν ἀτελειῶν.

Vectigalium.] Τῶν φόρων. Tot duces.] Sicut Pompeium, Afranium, Petreium, Catonem, & alios. Exercitus legiones.] ut in Pharſalia, cum Pompeio: in Aphrica, cum Iuba & Scipione, in Hiſpania, cum Petreio & Afranio. Angoribus.] Doloribus. Contulit.] Communicauit. De ſumma re.] De tota Repu. Quid ſequeretur.] Quid ſpectaret quaſi finem, καὶ σκοπόν. Pophum.] Inſula & ciuitas eſt. Sectorem Pompeij appellat M. Antonium, quòd bona Pompeij in primis à Cæſare redemiſſet: imo cum Cæſar pretium domus popoſciſſet: iratus eſt Antonius, quòd pro tanto eius in Cæſarem ſtudio, pro tãtis laboribus ac periculis, illam pecuniam Cæſar ipſi non remiſiſſet. Sunt autem ſectores, qui prædam publicam redimunt. Facie.] Facies, totius corporis lineamenta.

Statura.] Longitudo, proceritas corporis. Compotorũ.] Συμποτῶν. Dicta.] Per excellentiam uerba ſalſa & iocoſa intelliguntur: ut eſt apud Terentium, Vnum dictum de melioribus. Campi.] Leontini, qui eſt in Sicilia publicus.

Prætextatum.] Cum nondum uirilem togam ſumpſiſſet.

Decoxiſſe.] Mercatorum fidem fefelliſſet. Quamuis.] Scilicet cõſtitutus eſſet locus & qui fortuna uitio decoxiſſet, nõ ſuo. Interceſſiſſe.] Fidem ſuam interpoſuiſſe, ſpopondiſſe.

Inde iter in Alexãdriam.] Expulſus Antonius, & excluſus à patre Curione, primum Clodio ſe adiunxit. unde eo metu re

licto, in Aſiam ſe contulit: ubi & corpus & in dicendo ſe exercuit: poſt Gabinio aduerſus Ariſtobulum in Iudæos exercitum ducenti Præfectus equitum fuit. Cumq; Ptolemæus regno expulſus, Gabinium ſe ut reduceret decem millia talẽtorum pollicitus obtinere non poſſet, (timebat enim Gabinius ſine auctoritate Senatus exercitum Alexandriam ducere) hortatu Antonij eam expeditionem ſuſcepit. Miſenum.] Villa Antonij ad mare poſita. Eſt autem locus iuxta Baias. de Miſeno tibicine Aeneæ dictus eſt. de quo Verg. in 6. Aeneid. Miſenum Aeolidem, quo non præſtantior alter, Aere ciere uiros, Martemq; accendere cantu. Vt mihi ſatisfieri paterer à te.] Id eſt, ut acciperem tuã excuſationem & purgationem. De gratia.] Propter gratiam Cæſaris, id eſt, ut gratificarer Cæſari. Cuſtoditus.] Id eſt, habui te ad cuſtodiam corporis mei, quemadmodum alios nobiles permultos. Sine Senatuſconſulto.] Scire uos oportet Curionem filium cum antea bonarum partium fuiſſet, cõmutata uoluntate popularem eſſe factum, & Cæſari fauere cœpiſſe: quod quo facilius efficere poſſet, & Cæſar ea quæ cuperet aſſequeretur, ſua gratia atque opibus effecit, ut M. Antonius Trib. pl. fieret: inde ut Augur eſſet, in quo quidem Tribunatu cum Marcellus Conſul legiones conſcriptas Pompeio attribueret, & alias ſcribendi poteſtatem faceret, Antonius interceſſit: & plebiſcito eas legiones Bibulo in Syria aduerſus Parthos bellum gerenti mittendas auxilio cenſuit. Eodem tempore Conſulibus & magna parte Senatus, literas à Cæſare miſſas in Senatu palàm recitari prohibentibus, Antonius ui tribunitiæ poteſtatis recitauit: in quo multorum animos & ſtudia ad Cæſarem cõmutauit: quod eis literis Cæſar, niſi iuſtum ac mediocre nihil poſtulare uidebatur. Item cum in Senatu ſententiæ rogarentur, utrũ Senatui uideatur Cæſarem an Pompeium arma deponere, & pluribus Cæſarem tantum arma dimittere oportere uideretur: Antonius cum ſurrexiſſet, & quæſiſſet, placeret ne Pompeium & Cæſarem ſimul arma deponere et legiones dimittere, ab omnibus eſt collaudatus. Cumq; omnes eam ſententiam decernere uellent, Cato & Lentulus prohibuere, & Antonium ex Senatu reiecerunt: quare uim timens Antonius, conducto uehiculo ſeruili habitu, unà cum Caſſio ad Cæſarem ſe contulit. Fulcire.] Suſtentare: unde etiam fulcra lectorum dicuntur. Mancipatum.] Venditum. Addicta.] Conſecrata, deſtinata.

Circunſcriptus.] Oppreſſus. Exequi cladem potuiſſent.] Qui fugere potuerunt, & ea clade fungi, & eam calamitatem obire. Omnem ſobolem.] Omnem fœtum, & quaſi ſementem Reip. nam in iuuenibus ſpes eſt ſufficiendæ prolis, quemadmodum in agnis & iuuencis uidemus. Idcirco Virgil. Modo namque gemellos Spem gregis. Dicitur autem ſoboles à ſuboleſcendo, id eſt, creſcendo. creſcunt enim & ſuccedunt parentum & ſeniorum ætati. Exterminatam.] ἐξορισθεῖσαν, extra terminos & fines poſitam. Afflixit.] Proſtrauit. Ratiocinabimur.] Συλλογιούμεθα, colligemus. Cuius tamen ſcelus in ſcelere cognoſcite.] Scelus fuit leges ſoluere: ſcelus, patruum non reſtituere, alienos cum reſtitueret. In Hiſpaniam proficiſcens.] Tum ſcilicet, cum pulſo ex Italia Pompeio, ne quid hoſtium à tergo relinqueretur, ad Afranium & Petreium Pompeij duces perſequendos profectus eſt: quo tempore urbem Lepido cõmendauit, Antonio negotium dedit ut Italiam luſtraret. Conculcandum.] Non luſtrandum. eſſet enim leue uerbum, nec tantæ importunitati conueniens. Non fui.] Quippe qui in caſtris tum erat Pompeij. Exhedra.] Sedes. Mima.] Scilicet Citheris. In rheda.] In uehiculo. Magiſter equitum.] Nam Cæſar Dictator erat. Vallatus.] Munitus. Haſta.] Poſita. Vnde ſubhaſtare dicitur, cum haſta poſita eorum bona ueneunt, qui haſta, hoc eſt bello uincuntur. Copias.] Facultates, diuitias. Ingurgitauiſſet.] Id eſt, tanquam gurges quidam & uorago immiſiſſet. Apothecæ.] Repoſitoria, ἀποθῆκαι. Totus dies potabatur. Suggerebantur.] Subminiſtrabantur, ſubijciebantur: interdum enim in alea multum numorum perdebatur. Importuniſſimum.] Impuriſſimum, improbiſſimum. Importunum illud dicitur, in quo nullum eſt auxilium, uelut ſolet eſſe portus nauigantibus. Diuerſari.] Ad tempus habitaret. unde diuerſoria dicuntur, quò ex itinere diuertere ſolemus, καταλύσεις καὶ καταλῦσαι Græce. Veſtibulum uel à ue, quæ eſt particula diminutiua, & ſtando, quia ibi non ſtetur: uel à ueſtiẽdo, ut quidam uolunt. Roſtra.] Quæ à Pompeio foribus ſuſpenſa ſunt, cum de piratis uictoriam reportaſſet. Spolia.] Quæ ex alijs uictorijs & terreſtribus bellis ſuperatis hoſtibus domum retulit. Illam ſuam, &c.] Quod ab his fiebat qui diuortium faciebant: nam uxoribus ut dotem ſuam retinere iubebant. Pro triclinijs.] Triclinium locus eſt ubi diſcumbitur, id eſt, cœnaculum. Popinæ.] Sunt loca guloſorum, ubi coquuntur res ad gulam pertinentes. Cauſam.] Scilicet Pompeij. Et bello.] Quod in Africa geſtum eſt cum Scipione & Iuba, & reliquis Pompeianis. Numero.] Gradu honoris. Rogaui.] Cum Trib. pl. eſſet. unde dicuntur rationes.

Auctionaretur.] Auctionantur, qui bona ſua per præconẽ uendunt. hoc intereſt, inter ſubhaſtare & auctionari. Subhaſtare eſt, bona hoſtium & inimicorum proponere: auctionari priuatorum. Colliſa.] Fracta. Mancipia.] Quidquid manu capi poteſt. Nebulo.] Epithetum nequam ſerui. quos Comici idcirco appellant, quòd nebulas dominorum oculis offundũt, & eos decipiunt: aut quòd leues & futiles ſunt, quaſi nebulæ. Proficiſcitur in Hiſpaniam.] Secunda expeditione aduerſus Pompeij filios. Gladiator.] Gladiatorem appellat M. Antonium, quòd gladios in ciues Romanos exercuerit.

Rudem.] Rudis uirga quædam, ſiue baculus, qui dabatur gladiatoribus emeritis, id eſt, quibus per ætatem artem finire licebat in ſignum uirtutis. Qui uero Narbona redirus.] Nam cum Romam nunciatum fuiſſet, Cæſarem Pompeij filium ſuperaſſe, multi congratulatum urbe obuiam exierant: inter quos cũ eſſet Antonius, repentino ſed falſo nuncio allato de morte Cæſaris, ſtatim Romam reuerrit. Lacerna.] Quod minor capitio eſt, ſic dicta. Lacina uero, pars ueſtimenti. Delituit.] Aut timens, quoniam hoſtes occupaſſe urbem dicebantur: aut certe, ut liberius perpotaret. Caſſia uia.] Quà iter erat Roma in Galliam per Tuſciam: dicta Caſſia, quia à Caſſio erat ſtrata. Catamitum.] Pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iouis concubinus. Dicacem.] Dicaces dicuntur faceti & mordaces, & σκωμματικοί τινες. Cæſari ex Hiſpania redeunti. Quo tempore Cæſar per Italiam lectica ueheretur, ſecum ſemper in lectica habuit Antonium. & Romam reuerſus, & quintum Conſul declaratus, Antonium Collegam ſibi adiunxit.

Interuerti.] Dolore auferre. Dicitur autem hæreditas interuerti, & patrimonium, & pecunia. Vel impedire.] Antequam deligeretur. Vel uitiare.] Poſtquam electus fuiſſet. Aſſeuerauit.] Affirmauit. Aut id factum, &c.] Scilicet ut diceret auſpicia uitioſa fuiſſe, & Dolabellam uitio creatum fuiſſe. Seruare de cœlo.] Eſt nunciare aut pluiſſe, aut intonuiſſe. Ioue enim tonante, cum populo agere non licebat. Verum impl. inſcitia, &c.] Impudentia in eo fuit, quod de futuris diuinaturum ſe dixit: inſcitia in eo, quod morem ac ritum religionis ignorat: cum neſciat uitio creari poſſe neminem, niſi eum qui pluente aut tonante Ioue delectus ſit.

Obſtrinxiſti, &c.] Vt piaculum fieri oporteat. Vitioſus.] Vitio creatus. Lupercalia.] Feſta Panis, dicta à lupis arcendis. diſcurrebant iuuenes nudi per laſciuiam, pellibus obuiam occurrentes diuerberando. Nauſeat.] Quod Græci dicunt ναυτιᾶν à naue, quæ nauſeam facit. Amictus.] Indutus. Toga purpurea.] Τῇ παρυφίδι. Coronatus.]

Στεφανωθείς

Στεφανωδέος, coronatus. Differt autem corona à diademate. nã corona etiam ciuium priuatorum eſt, ſiue magiſtratum gerentium, honoris cauſa delata. Διάδημα inſigne regum eſt. eſt autem faſcia, quæ capiti religatur. Plangor.] Plangor luctus & doloris. Plauſu.] Plauſus, lætitiæ. In faſtis.] Faſti libri ſunt, in quos referebãtur acta Conſulum. Multis poſt ſeculis.] Seculum ad tempus centum annorum extendi exiſtimabant. Beneficio eorum.] M. Bruti potiſſimum conſilio & ſuaſu. Tua miſeratio.] Quam omnibus mouit Antonius, cum ueſtem Cæſaris ſanguine reſperſam pro concione oſtẽdebat. Semiuſtum.] Nam ne totum cadauer combureretur, Dolabella prohibuit, expulſis foro improbis & ſeruis. Fuligine.] Fauilla. Vænibant.] Vendebantur. A' tributis.] Tributa ſunt, quæ à priuatis in publicum tribuuntur.

Appendantur.] De more antiquo. nam cum pecunia nondum ſignata eſſet, ære penſo, nõ numerato ſoluebant. Vnde pendere pœnas etiam dicimus, ab eo quod ære graui cum uterẽtur Romani, eo penſo non numerato ſoluebant. unde etiam penſiones dictæ, & pendere tributum. Inquinatos.] Mixtos, turpes, fœdos. Deſtituiſti.] Reliquiſti, deſeruiſti. Sororem tuam.] Scilicet patruelem. ergo non germanam. Inſimulaſti.] Falſo accuſaſti. Stipatum armis.] Stipatores dicuntur cuſtodes cuiuſque corporis. à ſtipe quam accipiebãt mercedis nomine. Percurſationẽ tuam menſe Aprili.] Quo tempore mortuo Cæſare colonias ueteranorum luſtrauit, ut eorum ſtudia ſibi adiungeret: quod & effeciſſet, niſi Octauius magna ex parte impediſſet. Vel penè non adieris.] Parum enim abfuit quin occideretur. Grandiferæ.] Grandem numerum frumenti ferentes. Vexillum.] A' uelo uexillum, ſicut à talo taxillus. Territorium.] Eſt quantitas agri uniuſcuiuſque urbis ſeu caſtelli. quantũ eius iuriſdictio extẽditur. Seſtertiũ.] Dicitur quarta pars denarij, quo tempore is decuſſis ualebat, id eſt dipondius & ſemis. Fundum.] Fundus dicitur ager, quòd planus ſit, ad ſimilitudinem fundi uaſorũ. Quàm multos.] Quot. O' teſta.] Tritum eſt prouerbium, O' domus antiqua quàm diſpari dominare domino. In eos dictum, qui ipſi nequam bonos habuerunt parentes ac maiores ſuos. Buſtũ.] Dicitur locus in quo mortuus eſt cõbuſtus & ſepultus. diciturq; buſtum, quaſi bene uſtum. Vbi uero combuſtus quis tantummodo, alibi uero eſt ſepultus, is locus ab urẽdo uſtrina uocatur. Sed modo buſta ſepulchra uocamus. Obduruimus.] Callum obduximus. Irritum.] Non ratum. Legauit.] Teſtamento reliquit. Ludi Romani.] Ludi magni dicebantur, ſiue Circenſes, ſiue Conſualia. Prætextati.] Prætexta ueſtis erat nobilium puerorum. Deſcribo.] Deſigno. interdum lacero, carpo, noto. Tertiam penſionem.] Nam duobus iam nupſerat, qui propter ſeditionẽ fuerant interfecti. de Clodio memini, de altero non item. Confer.] Compara. Iudicia.] Ipſa litigatio diſceptantiũ. Iudicatio.] Pœna, locus ubi agitur cauſa: ipſi etiam iudices: quemadmodum Dion. σημαίνει γὰρ τὸ πρᾶγμα ὃ περὶ ὧν δικάζουσι καὶ ἡ ἀμφισβήτησις, καὶ ἡ τιμωρία. Literatura.] Scientia literarum. ſcripſit enim ad Ciceronem librum de lingua latina.

Num multos regnare meditatus eſt annos.] Hoc eſt, non ſe exercuit multos annos ut regnaret. Congiarijs.] Congiarium dabãt Imperatores militibus, aut domini ſiue tyranni, cũ pecuniam uiritim gratis dabant. Repræſentari.] Impræſentiarum reſtitui. Immaturam.] Acerbam. Perfuncto.] Qui perfunctus ſum, & obij honores. Alterum.] Vt ita cuique eueniat, ut de Rep. quiſque mereatur.

## IN PHILIPPICAM III.

SERVIVS.] Quo tempore Cæſar eſt occiſus. Octauius ex filia nepos, qui Apolloniæ literis operam dabat, Romã reuerſus ut hereditatẽ adiret, ab Antonio quæ de bonis Cæſaris (multa enim ad eum peruenerãt) habuiſſet, repoſcere inſtituit. Antonius ætatem pueri cõtemnens, atque opibus ſuis fretus, nõ modo puerũ eludebat, ſed libertatem populo eripere conabatur. quod ut facilius efficeret, ſtatim poſt mortem Cæſaris colonias militum ueteranorũ omnis adierat, maximiſq; cõgiarijs ac muneribus militum animos ſibi deuinciebat. Cicero igitur quãtum Reip. periculum impẽderet proſpiciens, intelligenſq; nullum niſi in armis ac ui præſidium libertati eſſe, puerum eo animo atque conſilio aduerſus Antonium adiuuandum ſuſcepit, ut eius auxilio, quem propter memoriam Cæſaris non parũ apud milites ueteranos beneuolentia et auctoritate ualiturum cenſebat, Remp. defenderet. Igitur eo reuerſo cum multæ legiones eũ ſecutæ fuiſſent, Antonius pueri uires timens, & populi conſenſum, urbe exceſſit, & in Galliam cum exercitu tranſiens, Brutum Mutinæ obſidere inſtituit. Cicero igitur ſuadet, ut Octauius puer auctoritate ornetur: cuius beneficia in populum R. commemorat ac laudat: & Antonium è contrario uituperans, hoſtem cenſet iudicandum. Ab homine profligato.] Perdito, confecto. unde & profligata quæſtio, confecta. Reſperſum.] Madefactum, balneatum. Imbutus.] Tinctus, infectus. Imbutum autem eſt, quod cuiuſpiam rei ſuccum dat. unde infantibus au uelint bibere dicentes, bum ſyllaba contenti ſumus. Quoniam longo interuallo.] Nam Senatus à Cal. Iun. uſque ad Calen. Ian. libere habitus non fuerat. Inſignite.] Egregie. Humile.] Abiectum, uile. Quorum intererat.] Quibus utile erat. Nundinabantur.] Vendebant. In cuſtodiam.] ὡς τὴν φυλακήν. Trucidauit.] Atrociter interfecit.

Atrox.] Crudelis. Nuncupauit.] Vnde nuncupata uota dicuntur, quæ Prætor uel Conſul exercitum aduerſus hoſtes educens nominatim proponit, luſtrato ante exercitu. Vota uero concepta dicuntur, quæ non proferuntur, ſed tantum mente atque animo concipiuntur. Trallianum.] Θράλλεις ciuitas & populus in Thracia, ſanè barbarus: unde Θράλλιος.

E'φεσίων.] Ex Epheſo, quæ eſt ciuitas Cariæ. Multæ ſellæ curules.] Id eſt magiſtratus, quibus licebat ſella curuli uti: quemadmodum ædiles curules, prætores, conſules. Tum palla & cothurnis.] Habitu Græco. Nam pallium: ueſtis Græca: unde palliatæ comœdiæ. Atauus.] Auus patris matriſq; pater, dictus à Græco uocabulo, quod eſt apud eos πάππος, mutatis quibuſdã literis. Abauus dicitur, qui abeſt auo, et eſt coæuus aui. Atauus qui ara eſt aui, id eſt pater, ut pueri uſurpare ſolẽt.

Fregellanum.] Fregellæ ciuitas Auruncorum, quæ cum defeciſſet à populo R. bello Italico euerſa eſt funditus & deleta.

Libertinus.] Filius liberti. Quos certo ſcio dignitatis optimarum fœminarum non pœnitere.] Quibus ſcio uxorẽ ſuarum dignitatem uehementer placere paruam uideri et magnopere contentos eſſe. Compellas edicto.] In ſuo edicto nominat. Refricat.] Tranſlatio à cicatrice uel hulcere. proprie dixiſſet repetere, uel recolere memoriam. Atroci edicto.] Crudo, duro. Atroces enim appellantur ex Græco: quia illi atroncia appellant, quæ cruda ſunt. ſiue Atrox dicitur ab eo quod nihil timeat. τρέειν enim Græci dicunt timere. Triſti.] Graui. Terentius, Triſtis ſeueritas ineſt in uultu. Epulæ honeſtorum ſunt, popinæ ganeonum & ebrionum. Petulantiam.] Impudentiam, luxuriam, inſolentiam. à petendo dicitur. Conglutinatus.] Compactus, conflatus, à glutine. Nihil ingenuum.] Nihil liberale, ſed omnia ſeruilia. Vaſtantur.] Vacui & uaſti redduntur.

## IN PHILIPPICAM IIII.

FREQVENTIA.] Cum Senatus Ciceronis ſententiam comprobaſſet, Senatuſq; conſultum in eius ſenten-

*tiam factum eſſet, uniuerſum populum R. cohortatur ad libertatem recuperandam, maxime cum M. Antonius iudicio Senatus & ipſorum Quiritum & Deorum immortaliũ hoſtis Reip. planè ſit iudicatus. Alacritatem.] Προθυμίαν. Luculenta.] Clara, à luce. Prodigium.] A porro & abigo.*

*Monſtrum.] Dictum eſt uelut moneſtrum, quod moneat aliquid futurum. Prodigium.] Velut prodictum, quod prædicat. Portentum.] Quod portendat. Oſtentũ.] Quod oſtendat. quaſi idem ſignificant. Incumbite in cauſam.] Totis animis & pectoribus inſtate.*

## IN PHILIPPICAM V.

*NIHIL Cal. Ian.] Cum ſententiæ in Senatu dicerentur, & quidam amici Antonij Legatos ad eũ mittendos cenſuiſſent, Cicero non modo ad faciendũ non cenſet, ſed omnia eius acta reſcindenda: nec eum Conſulem, ſed hoſtem habendum. eſſe uero non ſolum patriæ inutile, ſed etiã turpe imperio Romano, Legatos ad eum mittere, quẽ deceat armis depoſitis ueniam pro ſuis peccatis & facinoribus petere.*

*Vertit à poſſeſſione Reip.] Ad ſuum ius poſſeſſionemq; iniuria & dolo conuertit. unde & auerti patrimonium & hereditas dicitur. Falſis proſcriptionibus.] Falſo proſcribendis & in exiliũ mittẽdis ciuibus Romanis, & eorũ bonis publicãdis. nam proſcribere eſt, ciuem in exiliũ exigere, & bona eius publicare. nam eorum nomina in publico ſcribebantur. Aut præſcriptionibus.] Præſcribi res dicitur: quæ ſi mobilis eſt, ut pecunia, biennio eius fit qui tenet: ſi immobilis, decẽnio inter præſentes, aut, 20. annis inter abſentes. Conſeſſum.] Locus ipſe & multitudo iudicum ſedentium, Græce συνέδριον. Mores ue noſtri?] Mos eſt inſtitutũ patrium, pertinens maxime ad religionem cerimoniasq; maiorum. Delectus de bonis dicitur.*

*Notatio.] De malis. Gortynium Cretenſem.] Γόρτυνα πόλις τῆς κρήτης. Phædri.] Is ætate Ciceronis præſtantiſſimus inter Epicureos philoſophus fuit. Feſtiuus.] Hilaris: lætus, iocundus. Ariopagites.] Conſilium Athenis qui de cæde iudicabant, ἀπὸ τοῦ ἄρεος καὶ πάγου. Citatus.] Vocatus, nominatus. nam ciere nominare eſt. unde etiam nomenclatores, qui nominatim aliquem uocant in ſenatu, ut ſententiam dicat.*

*Quæſtioni.] Inquiſitioni. Periculum fortunæ.] In alea ſcilicet. unde prouerbium illud in promptu eſt, Iacta eſt alea: quo Cæſar uſus fuiſſe dicitur, cum Rubiconem fluuium traieciſſet, & in alienam prouinciam irrupiſſet. Solum uertiſſe.] Patriam cõmutaſſe. Comeſſationis.] Comeſſatorum, εἰλαπιναστῶν. Opertis.] Clauſis. Si per amicos licuiſſet.] Id eſt, ſi amici permiſiſſent. Poſſeſſio.] Eſt, uſus quidam agri aut ædificij non ipſe fundus aut ager. Locuples.] A multitudine locorum. Ad Pœnum.] Ad Africanum. Penus autem ſine diphthongo eſt quidquid in annum reponitur. Saga ſumi.] Hoc ſagum prima correpta, ueſtis militaris: hæc ſaga prima producta, eſt mulier perita ſacrorum & uir ſapiens. nam ſagire eſt acute & perſpicaciter ſentire. Deinceps.] Ineſt tempus & ordo: deinde ſolum tempus. Præceps.] Προπετής. Præſidet.] Præſidio, & præſidij locum tenet. Moderatione. Qui non geſſit partes, cum Cæſarianus fuiſſet, & exercitum haberet. Legibus annalibus.] Quibus conſtituebatur, quo quiſque tempore, quibuſque annis magiſtratum petere deberet. Temeritatem.] Imprudentiam, imperitiam, audaciam. Indoles.] Quaſi inoles ab inoleſcendo, cum maior quædam uirtus in puero eluceat quàm ætati conueniat, & magnam quandam ſpem de ſe polliceatur.*

## IN PHILIPPICAM VI.

*AVDITA.] Hac concione docet Cicero Quirites quæ acta ſunt in Senatu: Legatos miſſos eſſe ad Antonium, qui mandata Senatus ad eum deferant: quibus niſi pareat, hoſtis poſtea iudicetur. Hortatur ergo ut interea dum Legati redeunt, ſint animis ad bellum paratis: quoniam propemodum exploratum habeat Antonium nec uelle, nec ſi uelit poſſe Senatus mandata ſuſcipere & ijs obtemperare. Quam perſonam.] Sumptum ab hiſtrionibus qui in comœdia uel tragœdia quam perſonam ſeu lenonis, ſeu regis, ab initio ſuſceperunt, dictis aut factis conſtanter & perpetuo ſeruent, ut ſibi conueniant.*

*Vt quamquam diſceſſio facta non eſſet.] Ideſt, cum nondũ conſtaret inter omnes de mea ſentẽtia, nec ab omnibus probaretur. Quæ nobis poteſt cum hoc gladiatore conditionis, æquitatis, legationis eſſe cõmunitas.] Quaſi dicat nulla: quippe qui nec ciuis ſit nec hoſtis, nec homo denique, ſed immanis quædam bellua cum qua hominũ generi nulla cõmunitas eſt, nulla ſocietas. Quid enim ille.] Ille in ſua poteſtate eſt & arbitrio, qui rationi obtemperat: contra, qui appetitui & libidini paret, is ſeruit, nec ſui compos eſt. Procraſtinatio.] In diem dilatio.*

*Primus.] Nam qui priore anno prouinciæ præfuiſſent, depoſito magiſtratu in Senatu primi omnium ſententiam rogabãtur. Labare.] Titubare a correpta. Labor autem a producta. Hoc Tibur.] Ciuitas: hic & hæc Tiburs gentile.*

*Retractus.] Retrahuntur fugitiui ut ad ſupplicium.*

*Iam fert in oculis.] In ſinu. in eos dicuntur quos præcipue diligimus. Palmaris.] Aut quæ palmam meretur, aut quæ propter palmam ſtatuta eſt in ſigno uictoriæ. Medio Iano.] Tria fuerunt templa Iani Romæ. de quo Horatius, Hoc Ianus primus ab imo docet. Excubabo.] Noctu. Vigilabo.] In die. Habui multas conciones.] Id eſt, ſæpenumero coegi multitudinem in foro, ut cum plebe agerem. quo in loco concio uel pro oratione ipſa, uel pro multitudine accipi poteſt.*

## IN PHILIPPICAM VII.

*PARVIS timeri.] Cicero ne Senatus miſſis Legatis ad pacem cum Antonio flecteretur, ſi ille ad cõditiones æquas deſcendiſſet, ſuadet nullo modo pacẽ cum Antonio eſſe faciendam, quia ſit turpis, periculoſa, & impoſsibilis. In principio uero diluit ea quæ fingebantur à fautoribus Antonij, de reſponſis eius ac poſtulatis: & eius Conſulares ad quos Antonius literas miſiſſe uidebatur, callide & artificioſe reprehendit. Appia uia.] Quà iter erat in Apuliam, quemadmodum Caſſia in Tuſciam, Flaminia in Galliam. Remittere.] Tanquam de ſuo iure concedere. Bellicum.] Sonus quidam, & modulatio tubæ ad bellum excitandum.*

*Curriculum.] Curſus ipſe, & ſpacium in quo curritur. quod Græci appellant δρόμον ſiue στάδιον. Elaboratum.] Labore conſumptum. Ego alumnus pacis.] Τροφεὺς, qui alui, & auxi ſemper pacem. Prætervectus.] Tanquam ſcopulum, ſiue Euripum, ſiue fretum aliquod.*

## IN PHILIPPICAM VIII.

*CONFVSIVS.] Superiore oratione, quam in Senatu habuit, cohortatione ſua & ſententia non tantum potuit, ut fautores Antonij non obtinuerint, ne bellum decerneretur. Hac oratione confutat illorum ſententiam qui non animaduerterint, ſi tumultus decernatur, bellum quoque decerni. probat igitur bellum eſſe & maximum quidem, confutans ſententiam eorum. ad extremum dicit ſentẽtiam quæ eſt poſita in fine orationis. Cinna cum Octauio.] Pulſis Marianis Cinna Conſul de exulibus reducendis legẽ ferebat, ſed Octauius Collega quieti atque otio conſulens adiuuãte Senatu, Cinnam eiecit. is poſtea cum Mario reuerſus, ultus eſt iniuriam ſuam. nam caput Octauij Conſulis pro roſtris*

propoſitum

propoſitum eſt: Fimbria, Craſſi pater & filius, Catulus, Merula, ſacerdos Ancharius, Q. Mutius Scæuola, interfecti ſunt.

Commode.] Diſerte. Induſtria.] Labor honeſte ſuſceptus, propria uirtus ſummorum uirorũ qui in iure uerſantur, & eius quem Græci πολιτικὸν appellãt: ab inſtruo dictum.

Quod L. Opimius.] Interfecto Tyb. Graccho, C. Gracchus eius actiones de re agraria ſuſcipiens, cum Capitolium occupaſſet, L. Opimio Conſule auctore eſt interfectus à Glaucia Prætore L. Apuleius Saturninus inſtigante Mario, interfecto Antonio, in eius locum Collegam C. Mario Conſuli quendam C. Gracchum ſubſtituere conatus eſt, hominem ſine tribu, ſine nomine, ut eius auxilio leges Gracchanas aſſereret poſſet. Verum non obtinuit. Poſtea cũ C. Memmium competitorem Glauciæ interfici iuſſiſſet, ut Glauciam ſibi adiungeret, ipſo Glaucia duce & Mario adiuuante (timebant enim, ne libertatem occuparet) interfectus eſt: nam cum & ipſe in Capitoliũ confugiſſet, tandem per legatos in Senatum uenit, ibi facta irruptione populus fuſtibus ſaxiſq; opertum in ipſa quoque morte lacerauit.

Conductæ uineæ ſunt.] Prouerbium: quod tunc uſurpari ſolet, cum ſpacium alicuius rei gerendæ aut faciendæ ſublatũ eſt. Virgula circunſcripſit.] id eſt, circunduxit lineas quaſdam, in modum geometricum, quod dicunt Græci περίγραμμα. In codicillos.] In codices & libellos. Vendicabant.] Gratiam inire ſtudebant: metus cauſa, turpiter & ignominioſe. Deducimus.] In forum. Reducimus.] In domum. Sed etiam oculis ſeruire.] Princeps, inquit, Senatus eiuſ debet; ut nihil aut dicat aut faciat, quod aut aſpectu turpe ſit, aut exiſtimatione & iudicio alicui reprehendi poſſit. Bello Marſico.] Bello ſociali, quia nunc Gallia citerior quaſi tota defecit.

## IN PHILIPPICAM IX.

VELLEM Dij immortales.] In Senatu de Seruio Sulpitio honorando Cicero ſuadet, ut ei ſtatua decernatur: confutat autem illorum ſententiam, qui legẽ eſſe dicebant de his qui in Legatione interfecti fuiſſent, ut illis tamen ſtatua collocaretur. nã docet maiores ea lege ſenſiſſe, ut idem honos æque omnibus haberetur, qui propter legationẽ publicam mortui fuiſſent. Ereptus.] Immatura morte præuentus. trãslatio eſt de parente, quæ ſumma ætate filium unicũ amiſerit. Monumentum.] Eſt, quod mortui cauſa ædificatum eſt, & quidquid ad memoriam alicuius factum eſt.

Properaus feſtinanſq;.] Propero animo, feſtino corpore.

Maiorum continentiam.] Abſtinemus à pecunia, continemus à cupiditatibus & a libidine. Decoranda.] Honeſtanda. In baſi.] ἐν τῇ βάσει λίθῳ, ᾧ ἐπέκειτο ἀνδριάς.

Lemonia.] Nomen tribus. Deſignet.] Vnde deſignatores ſepulchrorum dicuntur. Horatius, Deſignatorem decoret lictoribus atris.

## IN PHILIPPICAM X.

QVEM niſi in uia caduca hered.] Caducæ ſunt hæreditates, quæ tunc adeuntur cum nemo eſt qui iure eas adeat. Adiudicaret.] Attribueret, aſſignaret. Faſtidium.] Arrogantiam, à faſtu, id eſt ſuperbia.

Ingenuo dolore.] Non ſeruili.

## IN PHILIPPICAM XI.

MAGNO in dolore.] Allato de morte Trebonij nuncio, quẽ Dolabella dolo oppreſſum in Aſia crudeliſſime cruciatũ interfecerat: & Dolabella hoſte iudicato, cum alij iudicarent priuato imperium deferendũ, alij alterum Conſulem mittendum ad id bellum, Cicero neutram ſententiam probat, quia præter morem maiorum fiat. deinde quia inutile & inhoneſtum cum Reip. tum uero Conſulibus: ſed decernendum, ut id negotium Bruto & Caſſio, qui ipſi partim in Græcia, partim in Aſia ſiut, committatur. Samarium.] A' Samario, quæ eſt regio Aſſyriæ iuxta Palæſtinam. Tortorem.] A' torquendo tortor dicitur. Equuleus.] Genus eſt tormenti. Omnium noſtrorum.] Pro noſtrum, more antiquo. Ex ultima Celtiberia.] Ea eſt Hiſpaniæ regio, Celtis Gallis uicina. Caſtrorum metator.] Metari caſtra dicuntur, quod metis diriguntur. P. Scipionem.] Eum qui appellatus eſt P. Scipio Africanus minor: quem filium filius Africani maioris ſibi adoptauit de Paulo Aemilio. Duas tantum tribus tulit.] Id eſt, ſibi ſuffragantes habuit. Ne refragari uidear.] Refragari eſt ſuffragio impedire, & repugnare, deriuare, detenuare: à fluuijs metaphora tracta.

## IN PHILIPPICAM XII.

ETSI amici & fautores Antonij Senatum in eam ſpem deduxerant, ut crederent M. Antonium conſilium mutaſſe, & ad ſanitatem reuertiſſe, ex quo actum fuerat in Senatu de mittendis Legatis: poſtea cognitum eſt, nihil eorum eſſe quæ de Antonio promiſſa Senatui erant, et illum in ſententia perſtare, nec ad ullam pacem uelle deſcendere, niſi qua dignitatem ſuã retineret, Senatus imminueret. Suadet igitur Cicero, ut cum decepti & proditi fuerint, conſiliũ cõmutent, nec Legatos mittant, quod & inutile & turpe Reip. futurum ſit: ſe autem quam Legationem ſuſceperit, quod ea ſibi periculoſa nec Reip. ſalutaris futura ſit, uehementiſſime deprecari. Falli.] Fallimur opinione. Decipi.] Decipimur ab alijs per fraudem. Errare.] Errant, qui certam uiam non uident. Dari uicarij ſolerent.] Vicarij ſunt, qui gerunt magiſtratum uice alicuius: unde iſtorum uicarij dicuntur. Contaminatos.] Inquinatos, pullutos. Excitamus.] Excitauimus. Eiurabant.] Valde iurabant. compoſitum eſt ex è & iuro. Diſcriminat.] Diuidit. Quis mihi præſtat.] Quis fidem facit.

## IN PHILIPPICAM XIII.

IN principio huius belli.] Cum Antonij fautores quod inſidioſe quæſierunt non obtinuiſſent, ut Legati de pace ad Antonium mitterentur: hac oratione & auctoritatem M. Lepidi frangit, qui Antoniũ cum ſuis reconciliandum ciuitati, & in patriam reſtituendum cenſebat: & Cn. Pompeium, Magni Pompeij filium Senatuſconſulto laudandum decernit, quòd is omne ſuum ſtudium, operam, facultates, copias Reipub. polliceantur, & ad Mutinam ire paratiſſimum ſe eſſe dicat. Helluo.] Dictus eſt, immoderate bona ſua conſumens, ab eluendo: cui aſpiratur, ut auiditas magis exprobretur. fit enim uox incitatior. Expedit.] Conducit, utile eſt. Archipirata.] Plus eſt quàm tyrannus, ἀπὸ τοῦ ἄρχω καὶ πειρατοῦ. De circunſcribendo.] Et diminuendo ei licentiam, & de eo quaſi intra terminos & cancellos quoſdam concludendo. Diuexat.] Lacerat, diripit. Non uijs.] Quæ ſunt amplæ, & frequentantur. Tramitibus.] Qui ſunt in deuijs. Citius lecta.] Per ſcriptum enim attulerat. Cæſarem.] Octauium.

Sequi.] Pone ire, & inſequi. Egredi.] Conuerti Romam uerſus. Progredi.] In Galliam ulteriorem.

De ſingulis ſententijs.] Ipſarum literarum. Antonius, Hirtio & Cæſari.] Initium Antonij literarum, in

quod diſputat Cicero. Monumentorum.] Annalium:nam nomina Conſulum in annalibus notabantur. Decempeda.] Pertica, ad menſurandnm. unde decempedator. Elegantius.] Eligibilius, aliàs quod ipſum aliquid magis nouit eli-

gere. Laniſta, lanio: à laniandis beluis & homini bus. Flaminia.] Quemadmodum à Saturno Saturnalia, ita à flamine flaminia. Recolis.] Recordaris. Quo maior.] Quo, propter quod.

# IN C. CRISPI SALLVSTII ORATIONEM IN M. T. CICERONEM FRANCISCI SYLVII COMMENTARIVS. ORATIONIS HVIVS, ET EIVS QVA HVIC CICERO RESPONDET,

## ARGVMENTVM.

LLVD uſnuenire ſolet, ut inimicitiæ grauiores ſint inter eos, qui amici aliquando fuerunt. Quales fuerunt inter Syllam & Marium, in P. Sulpicium & Q. Pompeium, inter Ciceronem & Clodium, inter eundem Ciceronem & M. Antonium. C. Salluſtium Ciceronis amicum fuiſſe, ſatis conſtat ex hiſtoria
I belli Catilinæ, in qua Ciceronem Salluſtius commendat, Salluſtium familiarem ſuum Q. Cicero in libro de Diuinatione Primo appellat. Inter eos ortæ ſunt inimicitiæ: quia T. Annius Milo Salluſtium in ſerui habitu in adulterio uxoris ſuæ, filiæ Syllæ, deprehēſum loris cecidit: & cum dediſſet pecuniam, dimiſit: ut apud A. Gellium capite decimooctauo libri decimiſeptimi, & Seruium libro Commentariorū in Aeneida Virgilij ſeptimo. Eam ob rem Milo factus eſt Salluſtio inimicus, multaſq; Salluſtius Trib. pleb. occiſo Pub. Clodio in Milonem habuit conciones, ut eſt apud Aſconium Pædianum. Cum Salluſtio Milonis cauſa Cicero inimicitias ſuſcepit. Is enim in oratione pro Milone, inimicias potentem pro eo Milone ſe appetiuiſſe, eiuſq; inimicorum armis corpus ac uitam obtuliſſe dicit. Cum igitur Cicero & Salluſtius inimici eſſent, inter eos in Senatu diſſenſio etiam contumelioſa fuit. Quocirca Salluſtius ex tempore hanc orationem in Ciceronem habuit, cui Cicero itidem ex tempore reſpondet. Orationes ſunt demonſtratiuæ. Acerbam enim uituperationem utraque continet. Ciceronem Salluſtius uituperat à uitijs pueritiæ & adoleſcentiæ, à uitijs domeſticis, à domo in qua habitat, à Conſulatu pernicioſe geſto, à coniuratione Catilinæ, à quæſtione de coniuratis facta, à iactatione, à leuitate. Vti proœmio uſus non eſt, nec concluſione utitur: quamuis inchoandæ orationis ratio quædam fuerit, nullus tamen fuit deſinendi modus. Eſt tamen quod coniectem Salluſtium plura non dixiſſe, quòd ad ea ſolum quæ in oratione extant, Cicero reſpondeat. Ita autem reſpondet Cicero, ut alia refutet, alia aut ſimilia in inimicum retorqueat, eumq; nouis quibuſdam infamet. Quamuis Cicero orationes ſcribere ſolitus ſit, poſtquam eas habuerat: hanc tamen à Cicerone ſcriptam non arbitror, ſed à notarijs quibuſdam, cum diceretur, exceptam: quod tam abſoluta non ſit, quàm aliæ, quas ipſe edidit. Hæ orationes multis in locis mendoſæ erant, ſed nos adiuti uetuſto quodam è diui Victoris bibliotheca exemplo, alioq; annis abhinc quadraginta Venetijs impreſſo, & Laurentij Vallæ elegantijs, multa reſtituimus. Hæc autem inter Salluſtium & Ciceronem contentio fuit poſt necem C. Cæſaris.

RAVITER ET INIQVO animo.] Quæ in nos ab inimicis per contumeliam di-
G cuntur, ſi nos contemnere ſignificemus, inimicos afficiunt grauius. Iudicio.] Id eſt, conſilio & ſana mente. Morbo animi.] Id eſt, temere & quadam inſania. Petulantia.] Petulantia, ut ait Sex. Pompeius, à petendo dicta eſt. M. Tullius de Republica libro quarto: Itaque à petendo petulantia, à procando id eſt poſcendo procacitas nominata eſt. Eſt autem petulantia, ut ait Nonius Marcellus, improbitas. Cicero de Oratore libro ſecundo: Illud aſſequor, ut ſi quis mihi forte maledicat, petulans aut ſanè inſanus eſſe uidetur. Hoc in loco petulantia pro ea improbitate, & (ut ita dicam) maledicentia dici uidetur. Laurentius Valla libro quarto, proteruiam eſſe dicit contumeliam leuiorem, procacitatem maiorem. petulantiam maximam: id ut probet, hunc Salluſtij locum, multoſq; ex proxima Ciceronis oratione locos citat. Apud quem hunc locum ita lego: Si te ſcirem iudicio animi magis quàm morbo petulantia iſta uti. Sed cum in te neque modum.] Id eſt, maledicendi finem & menſuram. Neque modeſtiam ullam animaduerto.] Id eſt, temperantiam. Male dicendo.] Duas eſſe uoces Valla libro tertio ſignificat: uetuſti cum dicimus, male opto, male precor. Idem ſcribit, male audire eſſe infamari crimina ſua audientem: cuius contrarium eſt male dicere. Citatq; hunc Salluſtij locum. Voluptatem cepiſti.] Vt Cic. lib. Epiſt. famil. 3. Hoc uelim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis à te prouiſum eſſe intellexero, magnā te ex eo, & perpetuam uoluptatem eſſe capturum. Capere lætitiam, detrimentum, & dolorem dici alio loco probauimus. Amittere uoluptatem dici ex hoc loco eſt attendendum.

Vbi quærar? quos implorem?] Addubitatio eſt, qua in augenda re uti ſolemus. Largitionibus.] Largitionem fere in mala re Cicero quoque uſurpare ſolet, ut ſit aut prodigalitas, aut id quod datur hominibus in corruptelam: ut teſtibus, ut iudicibus. Se ipſe ac fortunas ſuas uænales habeat.] Huic diſſimile non eſt illud Iugurthæ dictū, qui cum Roma cederet, quo euocatus fuerat: O urbem, inquit, uænalem, & cito perituram, ſi emptorem inueneris. auctor eſt T. Liuius libro ſexageſimoquarto. Leges iudicia popu. Rom.] In alio codice ſcriptum eſt, Leges iudiciaq;: in alio, leges, iudicia, Rempublicam. In hoc ordine.] Senatorio. Repititus.] Magis placet ut repititus legatur, quàm ut in alijs codicibus, repertitius. Cicero enim in uilla quadam prope Arpinum ſe natum dicit, in libro de Legibus ſecundo. Quia tamen erat ex municipio, ciuis Romanus erat. Omnibus enim municibus duæ erant patriæ, una naturæ, id eſt loci, in quo quis natus eſſet: altera ciuitatis. ut Cato cum eſſet Tuſculi natus, in populi Romani ciuitatem ſuſceptus eſt. Repetitum dicit, quod tanquam

ſerpens

*ſerpens humiliter in Rom. ciuitatem irrepſerit. L. Torquatus in P. Syllæ accuſatione Numam primum, Tarquinium ſecundum, & Ciceronem tertium peregrinum eſſe regem dixit. Cicero in Syllæ defenſione, ut regem, ita peregrinũ ſe non eſſe oſtendit. Negat cuiquam ex municipijs id eſſe obiectum, cũ Coruncanus, Curius, Cato, Marius ex municipijs fuerint, cumq; ij duo proximi multos habuerint inimicos. Romulum Arpinatem poſtea Ciceronem Salluſtius appellat. Accitus.] Id eſt, euocatus, non natus. Inſitus.] Tranſlatio ab arboribus eſt, quæ ex ſolo, in quo innatæ & nutritæ ſunt, in aliud ſolum transferuntur, & ut ita dicam tranſplantantur. A' pueritia uexiſti.] Hæc ſcelera quæ Tullio Salluſtius obijcit, arbitror eſſe ex uituperãdi cõſuetudine, magis quàm ex certo animi iudicio. Vt Cicero dicit, L. Cornelio Balbo obiectã eſſe ab accuſatoribus luxuriam, quæ non crimine aliquo libidinis, ſed cõmuni maledicto notabatur. Quis. n. hæc in Cicerone credat, quæ in alijs reprehendere ſolet? Quod alteri.] In codice ſancti Victoris melius eſt, Quod alieni. Immòderatam eloquentiam.] Aduerſarij eloquentiã Cicero Comendat, quo nomine eam auditoribus facit ſuſpiciosam. ut pro P. Quintio nonnihil ſe dicit cõmoueri, ne ſe Q. Hortenſij eloquẽtia in dicendo impediat. Ne igitur Ciceronis reſponſioni credatur, inſinuat. Apud M Piſonẽ.] Cicero in libro de Claris oratoribus, declamitãtẽ ſe quotidie cum M. Piſone & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo cõmẽtatũ eſſe dicit. Hunc Piſonem Cicero pro Cn. Planco nobiliſſimum hominem, innocentiſſimum, & eloquentiſſimum appellat. Hunc in libro de Finib. 4. familiarem ſuum appellat: & libro. 5. facit eum diſputantem de ſecta Peripateticorum. Flagitioſe uẽditas.]. Cum ob patrocinia grandem pecuniam accipis. Mercenarium patronum hunc poſtea appellat. Splendor domeſticus.] Id eſt, infamia domus tuæ. Ironia eſt. Tibi animos tollit.] Id eſt, te ſuperbum facit, ut in me ſis tantum petulans. Vxor ſacrilega.] Terentia Ciceronis uxor non inertis ingenij, audax & ambitioſa fuit, ut in Ciceronis uita Plutarchus ſcripſit. Cicero lib. Epiſt. ad Att. 11. ſcripſit ex Philotimo auditum eſſe, Terentiam ſcelerate quædã facere. Ea autem uixit annos CXVII. ut Plinius libro. 7. Periurijs delibuta.] Melius in alijs codicibus eſt, nobilitata. Nobilitatum enim etiã in malam partem dicitur, ut in lib. de Offi. 2. Teſtis eſt Phalaris, cuius præter cæteros nobilitata crudelitas eſt. Filia matris pellex.] Id eſt, Tullia filia tua, cum qua tu concubuiſti. Vi & rapinis.] Id eſt, pecunia flagitioſe comparata. Nam paulo poſt dicet, ſanguine et miſerijs ciuium Ciceronem emiſſe domum. Quàm conuerſa ſit Reſp.] In codice alio ſcriptum eſt, Quam conuerſa res ſit. Cum in ea domo habitares, etc.] Odioſum enim eſt, cum à prætereuntibus dicitur, O' domus antiqua, quàm diſpari domino dominaris. Ciceronis domus in Palatio fuit. eam P. Craſſi antea fuiſſe, hic Salluſtius dicit. Poſt Ciceronẽ fuit Cẽſorini, ut ait Velleius Paterculus. P. Craſſus uir ampliſſimus Scæuolæ frater fuit, ut ait Cic. in libro. de Orat. 1. Haud ſcio an L. Craſſi ſcribendum eſſet. L. enim Craſſus orator magnificam domum in Palatio habuit, quæ ei hæreditate obuenit, ut ait Plin. cap. 1. libri 17. Hunc Budæus lib. de Aſſe 3. ſexagies ſeſtertium, id eſt, centũ & quinquaginta millibus aureorum noſtrorum habitaſſe dicit. Vt Ciceroni Salluſtius obijcit, quod in domo P. Craſſi habitet: ita L. Cornelio Balbo ab accuſatore obiectum Cicero dicit, quod Tuſculanũ poſſideret, quod Q. Metelli, & L. Craſſi fuerat. Illud, inquit Cicero, neſciebat accuſator, prædiorum nullam eſſe gentem, eaq; emptionibus ſæpe ad alienos homines, ſæpe ad infimos, non legibus tanquam tutelas peruenire. In concilio Deorum immortaliũ fuiſſe.] Vbi id dicat Cicero, legere nõ memini, nec puto eſſe in libris ijs, qui extent. Abſq; carnificis nomine.] Id eſt, ſine ulla crudelitate, ſi emendata lectio eſt. Ciuitatis incommodum.] : Id eſt, Catilinæ coniurationem, ob quam ciues alij in carcere iugulati ſunt, alij in prælio necati, alij exilio ſe multauerunt. In gloriam ſuã ponit.] Sæpe enim gloriatur Cicero, quod hanc coniurationem Conſul oppreſſerit. In gloriam ſuam ponit.] Hoc dixit, quemadmodum in gratiam ponere dixit libro Epiſt. fam. 8. Si quid quod opus fuerit, Appio facies, ponito me in gratiam. Idem tamen dicit pro A. Cluentio, ponere in culpa: Omnes qui Oppianicum condemnarunt, in culpa ſunt ac ſuſpicione ponendi. Fuerit Conſulatus tuus.] Videtur ſignificare Salluſtius Catilinam ad coniurationem impulſum fuiſſe, quod uideret in Conſulatus adeptione ſibi patritio Ciceronẽ hominem nouum præpoſitum fuiſſe. Sed certe ante Conſulatum Ciceroni mandatum, Catilinæ coniuratio cœpit: ut idem Salluſtius ſcribit in bello Catilinario. Te magis extollunt.] Vt mihi male dicas. Cum Terentia uxore de Rep.] Terentia curarũ Reip. à Cicerone facta eſt participans, magis quàm ipſe ab ea domeſtica, ut ex Ciceronis ſententia Plutarchus ſcribit. Hanc à Cicerone poſtquam ab exilio redijt repudiatã, idem ſcribit, quod moleſta nimis & turbulenta eſſet. quam poſtea Salluſtius, & poſtremo Meſſala Coruinus uxorem duxerunt. Cum legis Planciæ iudicia domi faciebatis, &c.] Plautiæ, non Planciæ legi debet: ut Salluſtius dicit, Catilinam lege Plautia interrogatum à L. Paulo. Vt autem cautem & cotem, plauſtrum & ploſtrum dicimus, ita legem Plauciam, & Plotiam dici inuenias. Eſt autem lex Plotia, quam M. Plotius Syllanus Trip. pl. tulit de ui, quæ eſt in eos qui Remp. oppugnent: de qua fuſius ſcripſimus in Milonianam. Ciceroni poſtquam abijt Conſulatu, à Senatu mandatum eſt, ut qui in cõiuratione fuiſſent, inquireret. Eos igitur lege Plotia Cicero interrogabat. Cum tibi alius Tuſculanam, alius Pompeianam uillã ædificabat.] Tuſculana uilla dicta eſt, quod in agro Tuſculano ædificata ſit: ut Pompeiana, quod in agro Pompeiano. Villam Tuſculanã Lucius Sylla ante Ciceronẽ poſſedit, ut ait Plin. cap. 6. libri. 22. Nihil poteras.] Id eſt, pauper erat. Calumniæ proximus.] Id eſt, crimini: aut calumniæ tuæ, id eſt, malitioſæ & mendaci infamationi. Fortaſſe coniurationi, non calumniæ ſcribendum ſit. Quantum patrimonij acceperis.] Significat Salluſtius, Ciceronem paruum patrimonium accepiſſe, & paruũ ex accuſationibus & defenſionibus quæſtum feciſſe, comparatione pecuniæ eius, qua domum emerit, Tuſculanũ & Põpeianum ædificauerit. Vnde colligit, ex ſanguine & miſerijs ciuium tantam pecuniam comparatam eſſe. Domum parauetis.] Id eſt, emeris. Ciceronem non minoris quinquaginta millibus aureorum coronatorum habitaſſe, Budæus in libro de Aſſe. 3. colligit. Et (ut arbitror) domus eſt, quam ut emeret Cicero à Pub. Sylla, qui tum reus erat, uicies ſeſtertium, id eſt, quinquaginta millia aureorũ mutuo accepit, ut eſt apud A. Gellium cap. 12. lib. 22. Infinito ſumptu.] Ciceronis Tuſculanum æſtimatũ fuiſſe duodecim millibus & quingẽtis aureis, Budæus ſcribit de Aſſe lib. 3. Infinito.] Id eſt, maximo. Vt in oratione Ciceronis pro M. Cælio: Nunquã Cælius tam amens fuiſſet, ut ſi ſe iſte infinito ambitu commaculaſſet, ambitus alterum accuſaret. Cui poteſt eſſe dubium, quin opulẽtiam iſtã, etc.] Argumentum ex remotione eſt, ad hunc modum: Pecuniam habuiſti infinitam: igitur aut ex patrimonio, aut ex litibus, aut ex ſanguine & miſerijs ciuium. ſed non ex patrimonio, neque ex litibus tantam habere potuiſti: relinquitur, ex ſanguine & ex miſerijs ciuium eorum quos lege Plotia interrogaſti. Ex M. Craſſi familia.] Ironia eſt. Eius uirtutem imitatur.] Craſſus enim ex paterna hæreditate tantum trecenta talẽta accepit. prius tamen quàm aduerſus Parthos exercitum duceret, ſeptem millia & centum talenta coegit: quamuis Herculi facultatum ſuarum partem decimam conſecraſſet, pop. Rom. epulum publicum dediſſet, & minas ternas in ſingula ciuiũ capita cõ*

tuliſſet. auctor eſt Plutarchus in eius uita, ubi ſcribit qua ratione tam cito diues factus ſit. Rempublicam charam habet.] In codicibus alijs melius ſcriptum eſt, Populi Romani curam habet. Amicitiæ tantum ac uirtutis eſt.] Melius lego in codicibus alijs, Amicitia tantum ac uirtus eſt. Perſeuerat autem in Ironia. Supplex inimicis, amicis contumelioſus.] Cicero uocatus in Iudicium à Clodio Tribuno plebis, quòd contra fas ac maiorum leges de coniuratis cauſa indicta ſupplicium ſumpſiſſet, adeo fracto animo atque demiſſo fuit, ut profluēte coma per uicos et angiportus amicos iuxta et inimicos ſupplex orauerit, ut ſibi adeſſent. Mercenarius patronus.] Quod mercedis cauſa reos defendit. Quod idem Hortenſio Cicero obijcit de ſphinge Verris. Id autem turpe erat. Itaque Cicero ne in talem incidat ſuſpicionem, in proœmijs defenſionem cauſam honeſtam ſolet dicere, cur ad defendendum reum acceſſerit.

A' turpitudine uacat, &c.] Vacat turpitudine, & uacat à turpitudine, in eadem re dici alio loco docuimus. Pedes fugaces.] Hoc dicit propter Ciceronis exilium. Audet dicere, O' fortunatam natam me Conſule Romam.] Quintilianus in libro undecimo, ſcribens de iactatione oratori fugiēda: M. inquit, Tullius ſæpe dicit de oppreſſa cōiuratione Catilinæ: ſed modo id uirtuti Senatus, modo prouidentiæ Deorū immortalium aſſignat, plerunque contra inimicos atque obtrectatores plus uindicat ſibi. erant enim tuenda, cum obijcerentur. In carminibus utinam pepercſſet, quæ non deſierūt carpere maligni: Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ, &c.] O' fortunatam natam me conſule Romam. Et Iouem illum, à quo in concilium Deorum aduocatur: & Mineruam, quæ eum artes edocuit. quæ ſibi ille, ſecutus quædam Græcorum exempla, permiſerat. Hoc in libris ſuorum temporū Ciceronem dixiſſe, Valla adnotauit. Cicero autem libro Epiſtolarum familiarium primo, P. Lentulo ſcripſiſſe ſe dicit uerſibus libros tres de ſuis tēporibus. Natam me conſule Romam.] Cicero in Inuectiua tertia in Catilinam, oſtendit diem eum quo deprehenſi & cōfeſſi coniurati ſunt, uelut diem urbis natalem celebrandum eſſe.

In tua libidine erant.] Id eſt, in tua uoluntate & poteſtate. Nam (ut ait Salluſtius in bello Catilinario) cum eſſet coniuratio uulgi rumoribus exagitata, de eaq; ad Senatum relatū eſſet, decreuit Senatus, ut Conſules darent operam, ne quid Reſpublica detrimenti caperet. Ea poteſtas per Senatum more Romano magiſtratui maxima permittitur, exercitū parare, bellū gerere, coercere omnibus modis ſocios atq; ciues, domi militiæq; imperium atque iudicium ſummū habere. aliter ſine populi iuſſu, nulli earum rerū Conſuli ius erat. Sublata lege Porcia.] Romani ueteres morem Græciæ imitati, uerberibus animaduertebant in ciues, de condemnatis ſummū ſupplicium ſumebant: ut eſt apud Salluſt. in oratione C. Cæſaris de pœna coniuratorum. Poſtea lata lex Porcia eſt, quæ graui pœna ſanxit, ſi quis uerberaſſet necaſſet'ue ciuem Romanum, ut ait T. Liuius libro decimo. Lex Porcia libertatem ciuium lictori eripuit. uirgas.n. ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit: ut ait Cicero pro C. Rabirio perduellionis reo. Noſtrorum omnium.] Omnium noſtrum à Cicerone dici ſolitum, alibi admonuimus. Noſtrum omnium, ex grāmaticorū præceptione dicendū eſſet.

Neque licet obliuiſci.] Id eſt, non licet pop. Rom. obliuiſci ſeruitutis, quam te Conſule ſeruiuit. In codice antiquo ſcriptum eſt Seueritatis tuæ, non ſeruitutis ſuæ. Egeris oro te.] Conceſſio eſt. Oro te.] Id eſt, quæſo. Etiam ne aures noſtras, &c.] Id eſt, etiam ne inuitis nobis, quæ odioſa ſunt, & quæ nos audire nolumus, iactabis. Onerabis odio dixit, uti Cicero libro Epiſtolarum familiarium tertio, onerare mendacijs: Te autem quibus mendacijs homines leuiſſimi onerarunt?

Cedant arma togæ.] Quia pacis & otij inſigne toga eſt, arma autem tumultus & belli, Cicero more poetarum locutus hoc intelligi uoluit, bellum ac tumultum paci atq; otio cōceſſurum: ut ipſe explicat in oratione in L. Piſonem, cum Piſo hunc uerſum reprehendiſſet. In libro quoq; de Officijs 1. in hoc uerſu inuadi ſe ab inuidis & improbis dicit. Et non armatus.] C. Antonius Ciceronis Conſulis collega, per M. Petreium Legatū armis Catilinam ſuperauit. Sed quæ Cicero fecit, ea togatus fecit. Præter nomen imperij.] Tu enim Conſul, Sylla uero Dictator erat. Quem Minerua, &c.] Vt de ſe iactanter Cicero dixit. Italia exulem ſuis humeris.] Hoc quoque à Cicerone dictum arbitror in libris de temporibus ſuis. Ciceroni decimo exilij ſui menſe tanta ſingulorum lætitia, tanto ciuium ſtudio obuiam itum eſt, ut (quod ab ipſo memoratur) ſe Romam Italiæ humeris reportatum res ipſa ſuperauerit: ut in eius uita Plutarchus ſcripſit. Glorianti Ciceroni humeris ſe Reip. de exilio reportatum, Vatinius dixit, Vnde ergo tibi uarices? ut ait Macrobius libro Saturnalium ſecundo. Romule Arpinas.] Romulus fuit Romæ conditor: alterum ſe cōditorem Cicero dixiſſe uidetur, cum dixit Romam ſe conſule natam. Ideo Romulum Arpinatem appellat. Egregia tua uirtute.] Ironia eſt.

Obtines.] Id eſt, conſtanter tenes. Cui inſidias feciſti in ciuitate ancillares.] Ancillares hoc in loco ſupuacanea uox eſſe uidetur, nec eam uocē inuenio in codice eo, quē annis abhinc quadraginta Venetijs Philippus Pincius impreſſit. Ea autem ſententia eſt: Cn. Pompeio feciſti inſidias, cum poſtquam ab exilio rediſti, coluiſti & ſecutus es. A' nonnullis perſuaſus Pompeius eſt, ſibi Ciceronem facere domi inſidias. Cicero in oratione pro Domo ſua: Deſinant, inquit, homines iiſdem machinis ſperare, me reſtitutū labefactari poſſe, quibus antea ſtantem perculerunt. Quod enim par amicitiæ fuit unquam in hac ciuitate coniunctius, quàm fuimus inter nos ego & Cneus Pōpeius? Quis apud populum Romanum de illius dignitate induſtrius, quis Senatui ſæpius dixit? Quis tantus fuit labor? quæ ſimultas? quæ contentio? quam ego nō pro illius dignitate ſuſceperim? Quis ab illo in me honos? quæ prædicatio de mea laude? quæ remuneratio beneuolentiæ prætermiſſa eſt? Hanc noſtrā coniunctionem, hanc cōſpirationem in Republica bene gerēda, hanc iucundiſſimam uitæ atque officiorum omnium ſocietatē Certi homines factis ſermonibus & falſis criminibus diremerūt: cū iidem illum, ut me metueret, me caueret, monerent: iidē apud me mihi eſſe uni inimiciſſimū dicerent. Idem in oratione pro P. Seſtio de eodem Pompeio: Quem uirum ſtudioſum mei, cupidiſſimum Reip. ſeruandæ, domi meæ certi homines cōpoſiti monuerūt, ut eſſet cautior eiuſq; uitæ à me inſidias, apud me domi poſitas eſſe dixerunt. atque hanc ei ſuſpicionē alij literis mittendis, alij nuncijs, alij corām ipſi excitauerunt. Dyrrhachio rediſti.] Dyrrhachium fuit urbs & portus in Epiro, quò in Græciam appellebant, qui Brunduſio ſoluebant. de hac urbe alio loco plura ſcripſimus. Cicero pro Cn. Plancio ſuā profectionem deſcribens, Dyrrhachium ſe dicit ueniſſe, inde in Macedoniā perrexiſſe. Cum igitur redije Cicero, Dyrrhachio redije.

Quos tyrannos apellabas.] Vt C. Cæſarem, M. Craſſum, Cn. Pompeium. Vatinij cauſam agis.] P. Vatinium Ciceronis inimicum fuiſſe, conſtat ex oratione Ciceronis in eū, & ex libro Macorbij Saturnalium ſecundo. Eundem Cicero poſtea defendit & laudauit, ut ſcribit ad P. Lentulum libro Epiſtolarū familiarium primo. In libro earundem epiſtolarum quinto eſt epiſtola Vatinij ad Ciceronem, qua ſe abſolutū fatetur. Auctore Valerio Maximo libro quarto, De ijs qui ex inimicis amici facti ſunt, Cicero P. Vatinium dignitati ſuæ ſemper infeſtū duobus publicis iudicijs tutatus eſt, ut ſine ullo crimine leuitatis, iterum aliqua laude. De Seſtio male exiſtimas.] P. Seſtius Ciceronis ſtudioſus admodum fuit. Is in templum Caſtoris armatos homines deduxit, quo liberius de Ciceronis reditu ageretur. A' Clodianis exceptus, plus uiginti uulneribus conciſus,

mortuos

mortuus creditus eſt. Poſtea à quodam M. Tullio de ui accuſatus. Eum Cicero defendit. De eo quod male exiſtimet Cicero alibi legere non memini. Bibulum petulantiſſimis uerbis lædis.] M. Bibulum Cicero laudat in oratione in Vatinium teſtem. Bibulo collega C. Cæſar Conſul abrogauit imperium, ut eſt apud Suetonium in uita Cæſaris. Is domi cum ſe cótinuiſſet. eam Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis uictorijsq; Cicero antetulit: dixitq; eoſdem eſſe qui Bibulum extre domo prohibuiſſent, & qui ſe coegiſſent. ut ſcribit ad Publium Lentulum Libro Epiſtolarũ familiariũ primo.

Laudas Cæſarem, quem maxime odiſti.] C. Cæſarem Ciceroni iratum eſſe, homines ignari ueritatis putabãt. eiusq; ſaluti inimiciſſimum eſſe P. Clodius dicebat, ut eſt in oratione pro Publio Seſtio. Rediſſe ſe in gratiam cum Cæſare, Cicero dicit in oratione de Prouincijs Conſularibus, negatq; ulli de Rep. bene merenti ſe amicum eſſe non poſſe. Vbi Cæſarem laudat, ſupplicationem quindecim dierum, ſtipendium, & legatos decem ad eum in Galliam mitti debere decernit. Leuiſſime trãsfuga.] A re militari facta translatio eſt. Transfuga enim eſt, qui liber aut ſeruus, aut hoſtis uoluntate ſua ad hoſtes tranſierit, ut ait Sext. Pompeius. Neque in hac, neque in illa parte fidem habens.] Id eſt, neque hac neque illa pars tibi confidit. Hanc Ciceronis leuitatem exprobrauit D. Laberius, cum dixit eum geminis ſellis ſedere ſolitum: ut eſt apud Macrob. lib. Saturnal. 2.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS ORATIONEM, QVA C. CRISPO SALLVSTIO RESPONDET, FRANCISCI SYLVII AMBIANI COMMENTARIVS.

EA DEMVM magna uoluptas eſt.] Cicero reſpondet maledictis ijs quæ obicit Salluſtius, aliaq; maledicta in Salluſtium reijcit. Ea demum.] Id eſt, ea ſolum, uel ea omnino. hunc enim locum Valla libro 6. ita exponit. Illoto.] Id eſt, impuro. Quò me uertam.] Addubitatio eſt. Atque actibus.] Laurentius Valla lib. 4. inter geſta & acta quid differat ſcribens, actis, non actibus hoc in loco ſcribendum putat. Quod ſi ſcribi poſſit actibus, ut apud Lucanum, Licet ingẽtes abruperit actus: minus mirari ſe dicit, cur actus apoſtolorum magis quàm acta dicamus. Idem tamen, ut dicit, actus ſunt & actiones. Actiones pro actis poſtea Cicero uſurpat: Quas ego habui omnium mearum actionum monitores. Quod aũt geſta dici Valla putauerit, apud ſcriptores uix inuenias. Hi enim res geſtas, non geſta dicere ſolent. Inuidia gloriam conſequatur.] Meas enim res geſtas prædicem neceſſe fuerit. id ſine aliorum inuidia facere non licebit. Procacitatis.] Id eſt, maledicentiæ. Id.] Id eſt, propter id. Aures calent.] Salluſtij crimina tam ſæpe auditis, ut ſæpe audiendo aures ueſtræ quaſi caleant. ut cum Virgilius libro Aeneid. 4. diligentem formicarum in aceruo farris cumulando laborem deſcribere uoluit, illud dixit: Opere omnis ſemita feruet. Qui ne incipiens quidem peccare, &c.] Sententia eſt: Cum ſæpius Salluſtius peccare, non fuit principio, ut uulgo dicunt, addiſcẽs, ſed illico peritus in peccando magiſter. Qua ratione ſummam eius improbitatem demõſtrat. Nemo enim, ut ait Quintilianus, repente fit malus. Hic autem repente tam improbus factus eſt, ut omnes uiceris improbitate ſua, nec poſtea in uita reliqua ipſe fueris improbior, quàm fuit principio. Ponere rudimentum eſt, facere initium quod rude ſit, non politum, nec abſolutum.

Ingreſſus eſt.] Id eſt cœpit. Ingredi pro incipere, Quintil. quàm Cicero uſurpat ſæpius. Aggredi Ciceroni magis familiare eſt. Præterire.] Id eſt, uincere. Nihil aliud ſtudet.] Vt Titinnius in Pſaltria, auctore Priſciano libro 7. Ferentinatis populus res Græcas ſtudet. Vt lutulentus ſus cum quouis uolutari.] Vt lutulentus ſus cũ quouis uolutari uult, ut luti ſordes eluat: ita Salluſtius improbitate tanquam repletus, eam in alios euomit, ut ea eiecta ſe eluat. Calumnia.] Id eſt, malitioſa & mendax infamatio. Fert.] Id eſt, habet & indicat.

Nemo ciuis.] Id eſt, nullus ciuis: ut nemo poeta, nemo orator, nemo Senator, aliaq; generis eiuſdem multa dici ſolent.

Poteſt latere.] Eius enim uitia inimicus diligẽter inquirit. Itaq; ſtudet, ut ſit & habeatur bonus ciuis. Primũ igitur.] Abſoluto procœmio accedit Cicero, ut maledictis reſpõdeat. Ad unum exemplum & regulã.] Vt omnium maiores ſint ciues Romani & uiri Cõſulares. Ad id reſpõdet, quaſi unus reliquus ex familia uiri clariſſimi, &c. Itemq; ad id, Oro te Romule Arpinas, &c. Aut opinionis aut gloriæ.] Auctore Valla lib. 3. illud dicitur, magna auctoritate eſt uir, uel magnæ auctoritatis. ſed raro ſine adiectiuo, duntaxat in genitiuo. Nam in ablatiuo nunquã. ut Cicero in Salluſtium: Nunquid quos protulit Scipiones & Metellos, ante fuerũt aut opinionis aut gloriæ. Eſt illa igitur ſententia: Nunquid Scipiones & Metelli famã & gloriã ante conſecuti ſunt, quàm eos ſuæ res geſtæ, & uita innocentiſſime acta cõmendauit? Nunquid quos protulit.] Idẽ Valla eodem lib. ſcripſit hunc locum ab alijs legi, Nunquid eos quos protulit, &c. ab alijs, Nunquid ij quos protulit. ab alijs, Nũquid quos protulit. Hoc.] Id eſt, res geſtæ, et uita innocẽtiſſime acta. De nobis, etc.] Nobis eſt pluralis pro ſingulari. ideo relatiuũ, cuius numeri ſingularis ad rem ſignificatã, non ad dictionẽ refertur. Meis maiorib.] Id eſt, patri, auo, abauo, alijsq; auctore Valla lib. 6. oẽs qui ante nos fuerunt, qui liberos in noſtra ciuitate reliquerũt, maiores dicũtur: qui uero poſt nos, poſteriores aut poſteri. His exẽplis utitur, ut id doceat, refutetq; Pauli iuriſcõſulti ſententiã, qui maiores eſſe dixit, qui fuiſſent ante patres, auos, proauos, abauos, tritauos: ut poſteriores, qui poſt trinepotes futuri eſſent. Præluxi.] Prælucere proprie dicitur ſeruus, qui ardentẽ tædã præfert. Suetonius in uita Auguſti: Per nocturnũ iter lecticã eius fulgur pſtrinxiſſet, ſeruumq; prælucẽtẽ exanimaſſet. Per trãſlationem ſuis ſe maioribus Cicero dicit præluxiſſe. Quemadmodũ. n. qui tædã præfert, prælucet ijs qui alioqui in tenebris eſſent: ita Cicero maiores ſuos, qui tanq in tenebris erãt, uirtute ſua illuſtrauit. Quã turpiter egiſti.] Salluſtij uita quàm turpis, quàm libidinoſa fuerit, legere licet apud Crinitum in eiuſdẽ uita. Antiquos uiros.] Apud Vallã melius ſcriptũ eſt, Antiquos meos. Antiquos aũt appellat, maiores. Opinione.] Id eſt, dignitate et gloria. Cũ ijs.] Maioribus meis. Sed ſi fuerim.] In codicib. alijs ſcriptũ eſt, Sed ſi fuiſſem. Reſpondet ad ea quæ de Cõſulatu ſibi obiecit Salluſt. Popularẽ ambitionẽ.] Ambitionis duo genera ſignificat. unũ, cũ quis gerẽs magiſtratũ, operam dat, ut quod utile, & gratũ populo ſit, efficiat. alterũ, cũ quis petens magiſtratũ, largition: populum corrũpit.

*contra quã iſtæ ſunt leges de ambitu, quales fuerunt Calphurnia & Tullia.* Primos ordines ducis.] *Id eſt, princeps eſt.*

In uindicandis maleficijs.] *Id eſt, puniendis coniuratis. Maleficia dicit, pro ijs qui uulgo malefactores dicuntur.* Quam tu proſcriptionem uocas.] *Nam dixit Salluſtius: Quæ crudeliſſimam proſcriptionem ciuium perpeſſa eſt.* Credo quod nõ oẽs.] *De ijs.n. ſumptũ fuiſſet ſupplicium.* Sceleſtorũ ciuiũ.] *Id eſt, coniuratorũ.* Neque te tui piget.] *In codice alio ſcriptũ eſt, Nũquid te tui piget.* Quæ in hiſtorijs.] *De bello Catilinæ. Ciceronis.n. uigilantiã, diligentiã, uirtutem in emendãda et op primẽda cõiuratione, Salluſtius Cõmendauit.* Scribentem mentiri.] *Prima hiſtoriæ lex eſt, ut ait Ci. lib. de Oratore 2. ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid ueri tacere audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis. Eodem quoq; eodem in libro auctore, hiſtoria teſtis eſt temporũ, lux ueritatis, uita memoriæ, magiſtra uitæ, nũcia uetuſtatis.* Scribentem.] *Id eſt, hiſtoricũ.* Quàm illum.] *In codice antiquo eſt, quàm illud. Eſt autem ſententia: Tu de me mentitus es aut in hiſtorijs, aut in oratione, quam in me modo in Senatu habuiſti: nam pugnantia dixiſti. In ſcribenda hiſtoria mentiri, turpe eſt, mentiri præſente Senatu, minus turpe non eſt.* Nã quod ætatem.] *Nam inceptiua particula eſt. Nã quod, accipi pro eo quod eſt, quod autem, aut quod uero, ſcripſit Valla lib. 2. citatq; locũ eũ qui paulo poſt ſequitur: Nam quod iſta uſitata rabie, &c. Nam quod, ſignificat quod uulgo dicunt, quantum ad id.*

Aetatem increpuiſti.] *Id eſt, adoleſcentiam uehementer reprehendiſti & uituperaſti. ut in oratione in Vatinium teſtem: Eius uiri diſceſſum increpas, quem uides omniũ ciuium deſiderio, ipſius denique Reip. luctu eſſe reuocatum.* Sed quid ego de te plura querar.] *In codicibus alijs melius ſcriptum eſt, Loquar, quã querar.* Cuius ſemper nocens.] *Bis enim ad iudicis ſubſellia Salluſtius attractus eſt.* Mutuam tibi gratiam relaturum.] *Referre gratiam, quia in bonam partem ferè dicimus, in malam hoc in loco dici, attendendum eſt.* Tuos.] *Vxorem & liberos.* Ex mea re familiari.] *Id eſt, ex mea opulentia.* Vt potius amici mei uiuerent, quã ego teſtamentis, &c.] *Vt in ſecũda Philipp. Hæreditates mihi negaſti uenire. utinam hoc unum uerum crimen eſſet, plures amici mei et neceſſarij uiuerent. Sed qui iſtuc tibi uenit in mentem? Ego enim amplius ſeſtertium ducenties acceptum hæreditatibus retuli. Quanquã in hoc genere fateor fœliciorem eſſe te. Me nemo niſi amicus fecit hæredem, ut cum illo commodo, ſi quod erat, animi quidam dolor iungeretur: Te is, quem nunquã uidiſti, L. Rubrius Caſſinas fecit hæredem, &c. Ducẽties ſeſtertiũ ualet quingenta millia aureorum, ut collegit Budæus de Aſſe.* Furori Trib. plebis ceſſi.] *P. Clodius Trib. pl. ut inimicum ſuum Ciceronem ulciſceretur, eum uocauit in iudiciũ, quod de ciuibus Romanis indicta cauſa ſupplicium ultimum ſumpſiſſet. Res eò redacta eſt, ut Ciceroni fuerit uel cum Clodio armis decertandum, uel ex urbe diſcedendum. Vt armis decertaret, amici hortabantur, atq; auxilium pollicebantur. Sed uidebat Cicero decertari nõ poſſe ſine magno Reipublicæ incommodo: itaque maluit ex urbe diſcedere, ut fuſius dicit in oratione pro P. Seſtio.* Quamuis.] *Id eſt, quamcunque.* Suum annum.] *Quo erat Trib. pleb. Tribunatus enim annuus erat.* Pace & otio reſederunt.] *Poſtquam abijt Tribunatu.* Animo quidem meo.] *Id eſt, mea uoluntate, meo iudicio.* Superet.] *Reliquam uitam meam.* Populuſq; Romanus frequens.] *Cicero menſe decimo poſtquã diſceſſerat reuocatus, maxima celebritate exceptus eſt. Dum enim redeuntem eum complecterentur, eiuſq; aduentui gratularentur, diem fermè totum eſſe conſumptũ, ut Demoſtheni Athenas reuertenti contigit, auctor eſt Appianus lib. 2.*

Neque hercule mirum eſt.] *Ciceronis leuitatem in amicitijs Salluſtius reprehenderat. Ad id Cicero reſpondet.* Ancillatus ſum.] *Id eſt, ſeruiui. Vt à ſeruo ſeruire, ita ab ancilla ancillari deducitur. Titinnius apud Non. Marcellum, Dotibus deleniti ultro etiam uxoribus ancillantur. Hæc autem uox rara eſt.*

Me addixi.] *Id eſt, in temporariam ſeruitutem dedi, quod faciunt qui obærati ſunt. Inter ſeruum & addictum quæ ſit differẽtia, Quintilianus libro ſeptimo de diffinitione precipiẽs, explicat. Ex addictis hic translatio ſumitur.* Audacias.] *Rarum eſt, ut audacias in numero plurali dicamus. ut Actione in Verrem quinta: Vultis iſtorum audacias ac libidines aliqua ex parte reſecare? Et pro P. Sylla: Quantas audacias, quàm incredibiles furores, quas notas ſcelerũ, quæ indicia parricidiorum, quantos aceruos facinorum reperietis?* Audacias timuerunt.] *Melius timuerunt, quàm metuerunt, ut in codicibus alijs ſcriptum eſt.* Quidquam poſſe, niſi pro uobis.] *Id eſt, ullam poteſtatem habere.* Ex uobis potentia freti.] *Id eſt, ex ueſtro ordine Senatorio. quales fuerunt P. Clodius, A. Gabinius, L. Piſo, C. Cæſar.* Virtutibus.] *Id eſt, fortitudini & ſtrenuitati.* Temeritas tua reprehendetur, &c.] *Qui amicos etiam minime ſtudioſos Reip. retineas, nec in amicitiã aſciſcas eos qui Reipublicæ ſtudioſi ſunt.* Actionum.] *Id eſt, actorum.* Maiorem iniuriam, &c.] *Magna eſt Salluſtiorũ patris & filij uituperatio.* Neque tu ſi quæ in pueritia peccaſti.] *Legi etiam poteſt, neque quæ in pueritia peccaſti. Eadem utrobiq; ſententia eſt.* Sed qualem adoleſcentiam egeris.] *Exequar,* Poſteaquam immenſæ gulæ.] *Salluſtius in gratiam Cæſaris Cn. Pompeium ſcriptis ſuis uituperauit, eumq; ore improbo atq; animo inuerecũdo eſſe ſcripſit. Quocirca Lenæus Pompeij libertus Salluſtium acerbiſſima ſatyra lacerauit, nebulonem, lurconem, popinonem, laſtaurum, quaſi meretriculam et ſcortum, & uita ſcriptiſq; monſtroſum appellans, ut ait Suetonius libro de Illuſtribus grammaticis.* Exoleuerat.] *Id eſt, præterierat, & creſcendi finem fecerat. Vnde exoleti dicuntur, auctore Sex. Pompeio, qui creſcere deſierunt.* Cupiditatibus.] *Id eſt, libidinibus.* Turpiſſime uenalem habuit.] *Id factũ creditum eſt, ut iudices corrũperet, apud quos de adulterio cauſam dicturus eſſet.* Neque pudet, &c.] *Illud ſæpe facit Cicero, ut idẽ crimen aut ſimile in aduerſarium retorqueat, quod aduerſarius obiecerat.* Tyrocinio.] *Id eſt, inſcitia & ignorantia.* Abijt in ſodalitium ſacrilegij Nigidiani.] *Hoc ſacrilegium Nigidianum, cuius conſcius fuit Salluſtius, quod fuerit, legere non memini. Nec de Publio Nigidio Figulo, ut homine doctiſſimo, ita uiro probatiſſimo, credendum eſt.* Ad iudicis ſubſellia.] *Auctore Aſconio Pædiano in Diuinationem Ciceronis, ſubſellia ſunt Tribunorum, Triumuirorum, Quæſtorũ, & huiuſmodi minora iudicia exercẽtium, qui nõ in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſellijs conſidebant.* Bis ad iudicis ſubſellia attractus.] *Id eſt, bis in iudicium de adulterio uocatus.* Extrema fortuna ſtetit.] *Id eſt, fuit in periculo maximo, ut condemnaretur: ut extrema fortuna ſit ablatiui caſus.* Iudices peieraſſe.] *Id eſt, iudices corruptos eſſe. Iudices enim in leges iurabant, ut obſtricti religione iudicarẽt, ut ait Aſconius Pædianus.* Primum honorem.] *Id eſt, primum magiſtratum.* Hunc locum & ordinem.] *In codice ſancti Victoris ſcriptum eſt, hunc locum ſecutus eſt & ordinẽ.* Deſpectus.] *Id eſt, abiectus homo Senator factus eſt.* Sibi quoque.] *Ipſi melius quàm ſibi ſcribendum uideretur. Id referri uidetur ad Senatum, contra fas à Cæſare auctum, ut eſt apud Macrobium libro Saturnalium ſecundo.* Cum omnibus matribuſfamiliarum opprobrio eſſet.] *In codicibus alijs ſcriptum eſt, cum omnibus matrumfamiliarum uiris. Valla autem libro ſexto ſcribens opprobrium aliquando in facto eſſe, ſed ſæpius in uerbo, idq; eſſe quaſi exprobrationem atque conuicium, hunc locum ita legit: Itaque timens ne facinora eius clàm uobis eſſent, cum omnibus ma-*

tlibuſfamilias

tribuſfamilias ueſtris opprobrio eſſet, confeſſus eſt nobis audientibus adulterium. Nam Salluſtius, inquit Valla, uel ex eo quod fœminis quibus cum ſe uſum habuiſſe notū erat, uel quod ipſe illis uulgo impudicitiam obijciebat, opprobrio erat. Eſt autē materfamilias, quæ in manum uiri per coemptionem conuenit: ut eſt apud Boetium libro Cōmentariorum in Topica Ciceronis 2.

Confeſſus eſt adulterium.] Vt paulo poſt, Quem nō puduit palàm nobis audientibus adulterium confiteri. Sæpius ante à Latinis dici de adulterio cōfiteri, alio loco ſcripſimus. Ora ueſtra.] Id eſt, ueſtram (ut uulgo dicunt) præſentiam. Erubuit ora ueſtra,] Genus hoc dicendi adnotandum eſt, quia uſitatum non eſt. Experrecti.] Hoc ad ſoporem refertur. Vt à te cauere.] Caueo te, & caueo à te, dicimus. Prius uſitatius eſt. de eo alio loco plura ſcripſimus. Studia.] Id eſt, diligentiam noſtram & uigilantiam. Per me.] Id eſt, meis uerbis, mea oratione. Cenſorium elogium.] Id eſt Cenſorum teſtificationem, in tabulas Cenſorias relatam. De elogio ſcripſimus in Catonem maiorem Ciceronis. Significat autem, Appium Claudium & L. Piſonem Cenſores eieciſſe Salluſtiū Senatu, propter confeſſa adulteria, aliasq; libidines. Integerrimorum uirorū.] Haud ſcio an ſit L. Piſo, quem tam grauiter multis in locis Cicero inſectatus eſt. Id ſi ita eſt, reconciliata inter eos gratia credenda eſt: ut fuit inter eundem Ciceronem & A. Gabinium, quem repetundarū reum Cicero defendit, ut ait Valerius Max. lib. 4. de ijs qui ex inimicis amici facti ſunt. Poſt illum delectū Senatus.] Factum a Cenſoribus, qui te notauerunt. In ea te caſtra.] Id eſt, in caſtra Cæſaris contra Pompeium. Quò omnis ſentina Reipub.] Tranſlatio eſt, qua Cicero fœditatem hominum ſignificat, ut ait Quintilianus lib. 8. ut inuectiua in Catilinam prima: Sin tu, quod te iandudum hortor, exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna & pernicioſa ſentina Reip. Et inuectiua ſecunda: O' fortunatam Remp. ſi quidem hanc ſentinam huius urbis eiecerit. Salluſtius in Catilina: Primū omnium, qui ubique probro atque petulantia maxime præſtabant, item alij qui per dedecora patrimonia amiſerāt, poſtremo omnes quos flagitium aut facinus domo expulerat, hi Romā ſicut in ſentinam confluxerant. In ciuili bello Cæſaris & Pompeij omnes boni ciues Pompeium, improbi Cæſarem ſecuti ſunt.

In pace.] Ante bellum ciuile. Et idem uictores qui exules.] Ita in codicibus propè omnibus ſcriptum inuenio. Quia tamen ſententia mihi ſatis libera uiſa non eſt, arbitror legēdū, à uictore eo qui exules reduxit. ut ea ſententia ſit: Salluſtium primū in Quæſturā, deinde in Senatum, à Cæſare uictore reductum. Cæſar enim, auctore Suetonio, Prætorum, Aedilū, Quæſtorum, minorum etiam magiſtratuum numerum ampliauit, nudatos opere Cenſorio, aut ſentētia iudicum de ambitu cōdemnatos reſtituit. Quem honorem.] Id eſt, Quæſturam.

Ac uerum duxeris.] Id eſt, iuſtum. Verum pro iuſto, & iuſtum pro uero dici, probat Budæus in Adnotationibus in Pandectas. Neque aliter uexauit ac debuit, ſi quis præda, &c.] Sententia eſt: Salluſtius non aliter uexauit, quam debuit is qui magiſtratum loco prædæ accepiſſet, ſi quis prædæ loco magiſtratū accepiſſet, ut accepit Salluſtius. Magna pignora eis dederat.] Id eſt, magna dona, quæ amoris monimenta forent.

Erat exemplar.] Quod tanquam imitandum ſibi ille hominū grex proponeret. Quò.] Id eſt, in quem gregem, uel in quem Salluſtium. In unam uoraginem.] Id eſt, in abyſſum. Cillonum.] Id eſt, cynædorum. Hunc enim locum ita explicat Crinitus cap. 8. libri 7. ubi ex Sex. Pompeio docet, chilones appellari, qui ſint labris maioribus: & cilones ſine aſpiratione, & cum uno l, qui fronte prominentiore ſunt. Sicut in fretis ſubſederant.] Si emendata lectio eſt, ſententia eſt, Omne hoc genus hominum in hoc grege ſicut in mari, quò omnis aqua profluit, ſubſederat. Nulla in parte.] Melius ſcribatur Nulla ex parte. Modeſte ſe geſſit.] Ironia eſt. Socij noſtri.] Afri. In bello.] Id eſt, ſi quod bellum gereretur. Fide nominum.] Id eſt, fide debitorū. Mutuam enim pecuniam nonnullis crediderat, quam traijciendam, id eſt tranſportandam Romam curarent. Ne cauſam diceret.] Repetundarum.

Seſtertium duodecies.] Id eſt triginta millibus aureorum.

Modo.] Id eſt: antequam Prætor eſſet. Retinere potueris.] Redimere, non retinere, in codicibus alijs ſcriptum eſt.

Hortos precioſiſſimos.] Hi ſunt horti Salluſtiani, à ſcriptoribus Latinis multum celebrati. De his eſt apud Pōponium Lætū in libro de Romanorum antiquitatibus. Villam Tiburti.] Tyburtum enim, ut Tybur dicitur. Eſtq; oppidum ab urbe Roma diſtans millia ſex & decem. Hanc uillam C. Cæſaris antea fuiſſe ſignificat. Veteris uillæ.] Tyburtinæ. Non comeſo.] Auctore Priſciano lib. 10. à comedo comeſum & comeſtum inuenitur. Quibus rationibus.] Id eſt, quibus modis. Nihil ad omnium ſcelus.] In alijs codicibus melius ſcriptū eſt, Nihil ad tuum ſcelus. Tantidem putas eſſe, &c.] Bis conſularem, itemq; bis triumphalem eſſe, maximum eſt. Bis autem Senatorem & bis Quæſtorem fuiſſe, id parui dicendum eſt. Nihil eſt igitur, cur inſolentior fiat Salluſtius, qui fuit bis Senator et bis Quæſtor, cum bis conſularis & bis triumphalis non ſit. Omnium menſarum aſſecla.] Ab aſſequendo aſſecla dictus eſſe uidetur: ut menſarū aſſecla ſit is, qui alienas menſas ſequatur. Non. uero Marcellus aſſeclas dictos putat, q adſint, & omnibus iuſſis dominorum præſto ſint. Itaque aſſeclæ ſerui ſunt, aut miniſtri. ut libro de Diuinat. 2. Is cum ei troginorum Tetrarchiam eripuiſſet, & aſſeclæ ſuæ Pergameno neſcio cui dediſſet. Et actione in Verr. 3. Se cum partes eſſent hoſpitum recipiendorum, tum ipſos tamen Prætores & Coſſ. non legatorum aſſeclas recipere ſolere. In prima ætate.] Id eſt, in pueritia & adoleſcentia. Poſtea.] Id eſt, ætate maiore. Petulantiſſima conſectari lingua.] Inſectari, non conſectari, apud Vallā lib. 4. ſcriptum eſt. Moribus tuis.] Id eſt, ſecundum mores tuos.

# ORATIONIS PRO A. CECINA ARGVMENTVM,

## ET CAPITA, ET DISPOSITIO, PER

## BARTHOLOMÆVM LATOMVM.

*EX. Ebutius fuit homo callidus ac litigioſus, qui cum ſe in familiaritatem Ceſenniæ, uiduæ cuiuſdam mulieris, inſinuaſſet, gerebat negotia eius familiariter, et omnibus rebus eiuſdē cognitor ac procurator interponebatur. Nupſit poſtea Ceſennia Aulo Cecinæ, in quo matrimonio cum mortua eſſet, hæredē fecit Cecinam ex maiore parte bonorū, ex duabus ſextulis libertum prioris mariti, Ebutio ſextulam aſſignauit. In hac partitione hæreditatis orta cōtrouerſia inter Ebutium & Cecinam de fundo hæreditario, quem Ebutius ſuum eſſe dicebat, ſibiq; emptum uiua Ceſennia, cū illa uſumfructum teſtamento prioris mariti in eodem fundo haberet: poſtulauit arbitrū ea de re Cecina, ut ſicut mos erat, iure ciuili ſecum in re præſenti ageretur. Itaq; dies in rem præſentem conſtituitur. Ebutius prior locum occupat cum ſeruorum manu, & accedentem eodem cum aduocatis Cecinam, non ſolum prohibet ab ingreſſu fundi, ſed etiam ui repellit ac fugat. Queſtus eſt ea de re apud prætorem Cecina. Prætor interdixit de ui armatis hominibus, ut unde deieciſſet Cecinam Ebutius, eodem reſtitueret. Reſtituiſſe ſe dixit, eaq; de re ſponſio facta eſt, ni ex interdicto reſtituiſſet. Cicero cauſam egit Cecinæ tribus iudicijs, cum bis amplius pronunciatum eſſet, C. Piſo nobilis quidam Ebutium defendit. Vltima actione Ebutius rē in eo conſtituebat, ut armatis hominibus ſe obſtitiſſe confiteretur, ſed uim factā eſſe negaret, eo ꝙ nemo læſus fuiſſet. deinde quod prohibuiſſet tantum à fundo Cecinam, non deieciſſet. tertio quod non poſſediſſet Cecina, qui ciuis non eſſet, propter adeptam Volaterranis ciuitatem. Atq; his rationibus contendebat, ſe interdicto non teneri: & quem ex interdicto reſtituere non deberet, eundem à ſe reſtitutum eſſe. Contra Cicero primum conſtituit firmamentū actiones in confeſſione aduerſarij, quam etiam teſtimonijs ipſius confirmat, Cecinā armatis hominibus repulſum fuiſſe. Deinde docet, hāc cauſam ad actionē interdicti Vnde ui, pertinere, definiendo quæ ſit interdicti actio. Poſt hæc diſſoluit firmamenta aduerſarij de ui & deiectione, diſputans quid ſit uim fieri: item quid ſit ex interdicto deijcere: quod poſterius cum ſit in ſcripto, diſputatione ſcripti & uoluntatis inducta docet, eum qui repulſus ſit, ex ſententia Prætoris deiectum eſſe. Item & ſcripto utens, deijci quemplā non ſolum ex loco, ſed etiam à loco oſtendit: quod à ſe factum eſſe aduerſarius confitebatur, tametſi deijciendi uerbo abſtineret. Poſtremo docet cauſam poſſeſſionis ad hoc interdictum non pertinere, & tamen ex abundanti probat poſſediſſe Cecinam: & multa cōtra legem Corneliam diſputat, non potuiſſe à Sylla ciuitatem adimi Volaterranis. Prima igitur duo capita contentionis ad confirmationem cauſæ pertinent, Vim armatam factam eſſe, & eandem ad interdictum pertinere: quorum alterum coniectura conſtat, ſit ne armata uis facta: alterum finitione, ſit ne ea interdicti actio. Poſteriora duo (quibus alia etiam minora continentur) opponuntur defenſioni aduerſarij: quorum in altero rurſus quæſtio finitiua eſt, quid ſit uim fieri: in altero, ſcripti et uoluntatis, quid ſit ex interdicto deijcere. Nam quæ adduntur de poſſeſſione, extra cauſam ſponſionis ſunt: quare non per ſe, ſed tanquam auxilia quædā adhibentur. Exordium accommodatur ad offenſionem aduerſarij, & ad tollendam dubitationem iudicum in lite finienda. deinde narratur cauſa, deinde confirmatur. poſt hæc euertuntur firmamenta aduerſarij. poſtremo concluditur. Genus dicendi preſſum ac ſubtile eſt, cuiuſmodi Atticum erat apud ueteres, acumine & elegantia præ cæteris commendatum.*

## DE INTERDICTO VNDE VI, ET DE STATV.

*MVLTA eſt mentio interdicti in hac oratione: de quo ſcire debemus, interdicta iure ciuili cōparata fuiſſe contra uim, poſſeſſionis uel adipiſcendæ, uel retinendæ, uel recuperandæ cauſa. Itaque alia exhibitoria erant, alia prohibitoria, alia reſtitutoria: ut in hac cauſa, in qua reſtitutorium interdictum uerſatur, ad reſtituendum eum qui per uim poſſeſſionem amiſit, quod & recuperatorium uocatur. unde & iudices recuperatores appellati. Cæterum uis duplex erat, armatis hominibus facta, & ſine armis. Itaque & duo interdicta erant, quæ in libris Digeſtorum in unum conflata ſunt: quod & Titulus indicat, de ui & ui armata. Sed ex his quod de ui ſine armis erat, ad poſſeſſorem duntaxat pertinebat: quod de ui armatis hominibus, ad quemlibet, ſiue poſſediſſet, ſiue non poſſediſſet. Itaque ius diuerſum erat. Multis uerbis iactantur iſta ab alio quodam, nec tamen totum dicitur. qui dum iuris & ciuilis & canonici titulos, capita, gloſſas, ſtipat totis marginibus, eaq; & præponit à fronte longa ambitioſaq; præfatione, & in totam orationem diffundit, non tantum lucis affert legentibus, quantum inanis oſtentationis obijcit. Congerit enim in cauſam Cecinæ noſtri iuris auctoritates, ubicunque locum aliquem nancisci poteſt: in quo, & ſi totum hoc ius ſub interdicto comprehenditur, tamen non tam prudenter, quàm affectate facit. Quæ enim noſtri iuris ratio in illorum temporum cauſas, niſi parte aliqua, conuenire poteſt? aut quæ interdicti auctoritas ponadus habet hoc tempore, in qua non ſatis cautum explicatumq; ſit illud, in quo tota Cecinæ cauſa quondam uerſabatur? non ſolum deijci eum qui electus ſit de loco, ſed eum etiam qui à loco prohibitus ſit. Omitto poſtulationem arbitrij familiæ herciſcundæ, diſceptationem in re præſenti, ſponſionis certamen: quæ tantum abeſt, ut cum noſtro iure quidquam commune habeant, ut quamuis exploſa ſint principum conſtitutionibus, tamen quia abhorrent a noſtra conſuetudine, uix apud ueteres in uſu fuiſſe uideantur. Idem ſubtilis eſt in ſtatu conſtituendo, nouis etiam nominibus introductis. In quo tamen ignoſco illius diligentiæ, quod hanc partem rhetoricæ cum iure ciuili comparare conetur. Ad exceptiones enim alludit, ex quibus dum oppoſitiones & replicationes transfert in artem dicendi, eaſdem etiam in ſtatibus conſtituit. Illud odioſæ affectationis eſt, ita indulgere uitio undique petitæ oſtentationis, ut dum à plana uſitataq; uia recedis in docendo, non tam expedias exitum rei, quam explanandam ſuſcepiſti, quàm uerboſis ambagibus doctrinam eius inuoluas. Status princeps quæſtio eſt in cauſa, atque adeo primum caput, ad quod omnia in oratione referuntur. Hic incumbit in firmiſſimam rationē aliquam, in qua ſumma eius tanquam in cardine uerſatur, ut ſi ea obtenta ſit, cauſa obtineatur: ſin minus, neceſſe ſit litigatorem ſuccumbere. Hanc cum ſtatu coniunctam tum diſceptationem, tum iudicationem uocat, quod neceſſe ſit ex euentu eius cauſam iudicari. Naſcitur ex contentione cum aduerſario, & quidem ſtatus ex prima intentione & depulſione, iudicatio ex conflictione rationum, quæ utrinque ut firmamenta in cauſam pro ſe cuique adferuntur. ut, Reſtitui te ex interdicto, Non reſtituiſti: intentio & de-*

pulſio prima eſt. Status igitur, An reſtituerit. Firmamentum actoris: Non enim deieci te, ſed prohibui, cum interdictum de eo loquatur qui deiectus ſit. Quem igitur ex interdicto reſtituere non debui, eum à me reſtitutum eſſe dico. Occurrit defenſor: Cum prohibuiſſe te fateris, deieciſſe fateore neceſſe eſt: quia prohibere deijcere eſt, idq; ita ſenſit prætor. Hæ cum rationes ſint utrinq; adductæ, iudicatio exiſtit, ſit'ne idem prohibere, quod deijcere, ex ſententia prætoris. Priorem quæſtionem ſtatum uocant, in definitione locatum, quid ſit reſtituere: poſteriorem iudicationem, ex firmamentis utriuſque partis, ſit ne prohibere deijcere ex ſententia prætoris: quod in ſcripto & uoluntate uerſatur. His duobus capitibus tota cauſa continetur, & alterum alteri innititur. Itaque fit ut huc tota accommodetur oratio, nempe idem eſſe ex ſententia prætoris prohibere quod deijci. quo probato, quis non uidet Cecinam ab Ebutio ex interdicto reſtitutum non eſſe? Primum igitur diſputatur, ſicut paulo ante notaui, Vim armatis hominibus factam eſſe, ex ipſa confeſſione aduerſarij. deinde, eandem uim ad interdictum pertinere. deinde in refutando aduerſario, uim fieri etiam ſi corpus non tangatur. Poſtremo, uoluiſſe prætorem eum etiam qui prohiberetur, deiectum uideri. quæ omnia ad unum caput referuntur, quo iudicatio continetur. Cætera quæ ad poſſeſſionem Cecinæ, & ad ius ciuitatis pertinẽt, extra cauſam ſunt, & idcirco in extrema oratione diſputantur.

I QVANTVM IN AGRO.] Oſtendit impudentiam & calliditatem aduerſarij in cauſa defendenda, & in odium adducit. Aſſumit interim audaciam eiuſdem, et modeſtiam Cecinæ in ſententiis formanda. Membris autem comparibus & ſimiliter cadentibus utitur, ad uenuſtatem orationis. Qui cum ui & armis.] Pro cum quo, ſed alterum ſuauius. Niſi forte.] Inuidioſe explanat calliditatem, cũ audacia conferendo. Si facta uis eſſet moribus.] Nempe deijciendo è fundo Cecinam, poſtquam in eodem conſtitiſſet, non prohibendo: ſicut fieri ſolet, cũ deijciuntur poſſeſſores. Quaſi uero.] Reprehendit amare illudendo. Itaque longe.] Conuertit aſtutiam aduerſarij ad ſuam utilitatem, & in ea ſpem defenſionis collocat. Recuperatores.] Sic iudices appellabantur in recuperatorio iudicio, in quo agebatur de poſſeſſione, quam quis aut ui, aut metu, aut dolo male amiſiſſet.

Atque initio ueneram.] Quia cauſa ante bis acta fuerat & ampliata. In defenſione mea.] In ingenio & induſtria defenſionis. Nunc ſum animo.] Simulatio oratoria eſt, ad oſtendendam fiduciam in cauſa. De aduerſarij teſtium] Securus eſt ſiue credatur, ſiue non credatur teſtibus, cũ ſint aduerſarij teſtes. Puto igitur priori loco ſic legendum eſſe, Cũ ſiue creditur his, hoc ipſum dicunt, quod nos arguimus: ſiue fides nõ habetur, &c. Dicunt igitur deeſſe uidetur. Verũtamen cũ.] Queritur cauſam aliquoties ampliatam eſſe, quam culpã confert in aduerſariorum malitiam: ſibi autem plus negotij exhiberi oſtendit. De iure ciuili.] De interdicto prætoris, ut reſtituat'ne eum prætor qui prohibitus ſit, non deiectus, cũ dicat in interdicto, Vnde tu illum ui deieciſti. Pars reliqua iuris.] Nempe prætorij, quod & honorarium uocatur. Sed etiam uis ea.] Quæ fit armatis hominibus. Religioni ueſtræ.] Id eſt, iuri iurando, quod ad religionem & cultum Deorũ pertinet. Seruato enim iureiurando, redditur debita Dijs pietas: neglecto, uiolatur. Quanquam ego.] Correctione excuſat iudices, & tamen queritur de dilatione pœnalium iudiciorum, quæ more peruerſo ampliari ſoleant. Aut diſtrahendarum controuerſiarũ.] Sunt enim, ſicut actiones, & ita & iudicia, aut perſecutoria, aut pœnalia: quibus tertium genus additur, quod mixtum uocatur, Inſtitutionũ libro tertio de actionibus. Sed queritur de interdicti iudicio, quam pœnam habuerit. Eandem quam hodie, nempe quod conuictus nõ ſolum rem, ſed etiã æſtimationem reſtituere cogebatur: hoc eſt, fructus etiam non perceptos, & omnia quorũ ueteris poſſeſſoris intererat, ut ff. unde ui. l. prima §. quod autem ait prætor. Et conſentiunt principum conſtitutiones, ut. C. unde ui. l. ſi de poſſeſſione. & l. inuaſor. & l. finali, cum querebatur. Diſceptatore domeſtico.] Arbitro. Honorariam operam amici.] Id eſt, arbitri, qui à partibus rogatur, cum iudex lege datur. Qui igitur conuenit.] Enthymema ex contrarijs. Spopondit.] Promiſit, ut in uerborum obligationibus. Qui per tutelam aut ſocietatem.] Ex his enim ſunt actiones tutelæ, ſocietatis, mandati. Aut fiduciæ rationem.] Id eſt, contractum fiduciarium, qui non iure nititur, ſed fiducia contrahentis: ut ſi fidem eius qui tibi obligari non poteſt, ſequaris. Ita fiducia contrahitur, ſi te ita hæredem inſtituam, ut alas filium uel amicũ meum exulem: uel ſi ea lege conferam tibi præbendam, ut eam alteri reſignes, quod in manus fideles tradere uulgo appellant.

Videte igitur.] Rurſus concludit enthymemate. At ſi quis mihi.] Occurrit, & collatam in ſe culpam defendit, negans in hac cauſa ſe alia actione uti potuiſſe. Etenim ſi prætoris.] Argumentatur à maiori. Maior enim eſt poteſtas prætoris, quam iudicis. Sanè prætoris quondam iudicia dabant litigatoribus, hoc eſt, agendi poteſtatem faciebãt, cum actiones interim liberæ eſſent, quibus quiſque uti uellet. Inſtitutæ tamen actioni formam præſcribebant, à qua qui receſſiſſet, cauſa cadebat: cuius rei frequens fit mentio in literis. Verum ſine uos.] Concludit exordium, & tranſit ad narrationem. Quam me ratio iuris, & ius.] Ratio iuris, id eſt, iuris quæſtio. Ius interdictum unde ui, de quo ſponſio facta eſt. Ne ſummo iure egiſſe.] Summum ius poſſeſſionibus intelligit, certũ ius ſpõſionis ex interdicto. Dicit enim Cecinam non ſolum uelle cauſam ſponſionis probari iudicibus, ſed etiam fundum de quo controuerſia ſit, ſuum eſſe. Et hæc cauſa eſt, cur narrationem altius repetere uelit: nempe ut doceat, quo modo fundus ad Cecinam peruenerit. M. Fulcinius.] Narratio cauſæ eſt, qua docet primum quo modo fundus, de quo lis eſt, ad Ceſenniam, atque inde ad Cecinam peruenerit. Deinde quomodo lite orta inter Ebutium & Cecinam, cum in rem præſentem uentum eſſet, Cecina ab Ebutio ui & armis pulſus ac deiectus fuerit. Temporibus illis difficillimis.] Opinor, poſt bellum Syllanum, quo etiam argentarij numis exhauſti erant. Magnus honos.] Dicturus mortuũ fuiſſe filium Ceſenniæ, qui erat ex priori marito, admiſcet affectum mulieris, ad auertendam inuidiam ſecũdarum nuptiarum cum Cecina, & ne filius fraude aliqua ſublatus eſſe uideatur. In familiaritatem inſinuaſſet.] Proprio uerbo utitur ad exprimendas ficti captatoris artes. Vt cum aliquo ſuo compendio.] Accommodat narrationem ad fidem cauſæ. Itaque mox ad deſcribendam perſonã Ebutij excurrit. Mulierum aſſentatoris.] Odioſa deſcriptio, & apta ad fidem faciendam. Cognitoris uiduarum.] Cognitor eſt, inquit Aſconius, qui cauſam alicuius nouit familiariter, et præſentem defendit: Procurator autem, qui abſentem. Aduocatus præſentiam ſuam commodat in iudicio, & ius ſuggerit: patronus uerba facit. Is enim Ceſenniæ fuit Ebutius.] Repetit perſonam Ebutij, commutatis uerbis. Cui tandem? cui putatis?] Interrogatione excitat iudicem, quia res ad cauſam pertinet. Adeſt ad tabulam.] Tabulam auctionis intelligit, quæ proponebatur in publico, ut quæ uenalia eſſent, cognoſcerentur. Pecuniam argentario promittit.] Quia argentarij publicis & priuatis auctionibus præerant, & ſeruabant pecunias priuatorum hominum, quas cum fœnore reddebant. Quo teſtimonio nunc uir optimus utitur.] Obie

ter argumentatur in narratione, & reprehendit firmamentum aduerſarij. Cuius rei putat iſte.] Rurſus argumentatur contra aduerſarium, quod quia loco fit in narrando, utilitèr ſic ri cenſetur. Tabulas domeſticarum rationū Ceſenniæ intelligit, quibus accepta & expenſa perſcribebantur. Has auertiſſe dicit Ebutium, ne Ceſennia, non ipſius nomine emptum fuiſſe fundū argui poſſet. In argentarij enim tabulis argentariæ rationes cōtinebantur. In quibus ſibi expenſa pecunia lata ſit, &c.] Id eſt, in quibus ſe debuiſſe argētario ſcriptū ſit, & eidem ſeſe pecuniam ſoluiſſe. Notæ ſunt formæ loquendi, acceptum et expēſum ferre, ex rationum tabulis apud ueteres, quarum altera accepti, altera expenſi uocabatur. Facit hæredem ex deunce & ſemuncia Cecinam.] Hoc eſt, ex undecim partibus & dimidia. As enim, quod totum cuiuſq; rei eſt, in duodecim uncias diuiditur, quarū ſingulæ uocantur unciæ, duæ ſextans, tres quadrans, quatuor triens, quinq; quincunx, ſex ſemiſſis, ſeptem ſeptunx, octo beſſis, nouē dodrans, decem decunx, undecim deūx, totum as, ut dictum eſt. Porro unciā in ſex particulas diducitur, quarum unaquælibet ſextula uocatur: duæ igitur ſextulæ uocatur: duæ igitur ſextulæ duellam, tres ſemunciam faciunt. Ergo Ceſennia cum ex deunce, & ſemuncia hæredem faceret Cecinam, ſemunciā ſolam de aſſe detraxit cuius duas ſextulas Fulcinio, unam Ebutio aſſignauit. Ebutio ſextulā aſpergit.] Rem uerbi leuitate extenuat. uult enim, ne Ceſenniæ quidē iudicium magnū de Ebutio fuiſſe. & auſam retinere putat.] Metaphora eſt à uaſis ſumpta pro occaſione & facultate ponitur. Iam principio auſus eſt dicere.] Principio, non ordinis, ſed temporis particula eſt. ut ibi, Principio cœlum & terras cāpoſq; liquentes: Spiritus intus alit. Propter incōmodum Volaterranorum.] Quibus quia aduerſam partem ſecuti fuerant, ciuitatem ademerat Sylla. Ergo hoc inuidioſum facit, cū addit, Calamitatemq; ciuilem: bellum ciuile intelligens inter Marium & Syllam. Itaque homo timidus.] Ironia eſt, qua laudat prudentiam atque conſtantiā Cecinæ, interim illudens improbitati & ſtultitiæ aduerſarij. Imo ut uiro forti.] Per ſubiectionem hoc recto ſenſu infertur. Nomine hæredis arbitrū familiæ herciſcundæ poſtulauit.] Id eſt, cauſam ſicut mos erat, in iudicium uocauit. Iure enim conſtitutum erat, ut ſi qua lis inter hæredes exiſteret, ea iudicio à prætore dato, per arbitrū definiretur. Poſtulabatur aūt iudicium à prætore, & ab eodem arbiter dabatur. Familiæ herciſcundæ nomen habebat, quod ita ueteres loquerentur, familiam pro hæreditate, herciſcere pro diuidere dictitantes. Nomine hæredis fieri dicitur, quod fit ab ipſo hærede. Sic alibi Cicero ſe non ſuo nomine, ſed Reipub. metuiſſe dicit: ſuo nomine, pro ſibi. Quid ais? Iſtius ille, &c.] Interpellatio admirantis, qua excitat iudicem, & improbitatē hominis confutat. Vſus enim, inquit, eius.] Inducit uerba eleuantis, ſed malitioſa interpretatione. Quo die in rem præſentem conueniretur.] Hoc apud ueteres in uſu erat, ut multa cauſarū genera in loco ipſo diſceptarentur, quod poſtea ſublatū eſt. Nec tantum decidebantur lites in re præſenti, ſed etiam emptiones contrahebantur, quæ per æs & libram fiebant. Hinc natum eſt illud, in ius manu conſertum uocare, quod irridetur in oratione pro Murena. In fundo igitur inſpiciendo, in diuidēdis agrorum finibus, in aqua pluuia arcenda, in diſceptando iure poſſeſſionis & dominij, ut in hac Cecinæ cauſa aduocati cum arbitris in rem præſentem conueniebant, atque ibi explicata cōtrouerſia ſententia ferebatur. Moribus deduceretur.] Id eſt, more ac iure ciuili controuerſia decideretur. Videtur teme.] Occurrit, & ita purgat temeritatem Cecinæ, ut maiorem offenſionem conferat in aduerſarium. Illum olearum ordinem.] Quæ in ordinem diſpoſitæ erant in extremo fundo. Dolabella prætor interdixit.] Hoc eſt, edixit: ut inſtitut. 4. de interdictis, ubi abuſio uerbi notatur. De ui armatis hominibus.] Hoc eſt, iure prætorio, quo de ui, quæ armatis hominibus facta eſſet, interdicebatur. Nam hoc nomen ueteris edicti erat, quod hodie ſub titulo Digeſtorū, de ui & ui armata comprehēditur.

Sine ulla exceptione tantum, ut unde deieciſſet.] Id eſt, ſimpliciter, nulla interpretatione uerbi facta, ſed tantūmodo, unde deieciſſet: cum poſſet dicere, unde deieciſſet uel prohibuiſſet. ſed non dixit. Sponſio facta eſt.] Hæc erat prouocatio obligatoria, qua litigator litigatorem prouocabat, ut niſi probaſſet quod intendebat, præter cauſam, certam pecuniam amitteret: Sponſio uocabatur, quod uterque ſponderet apud prætorem, ni ita eſſet: ex quo erat actio & iudicium ex ſponſo, in quo qui uiciſſet, auferebat pecuniam ſuam integram, uicti aūt pecunia in ærarium redigebatur. Idem genus actionis ſacramentum appellabant, quod eiuſmodi pecunia deponeretur ad ſacrum, uſq; ad finem litis. unde uſurpatum, ſacramento, ſicut ſponſione, cōtendere. Inſtitutum fuit hoc actionis genus, ne quis temere litigare uellet: in cuius locum poſtea ſucceſſit pœna temere litigātium, à principibus introducta. Maxime fuit optandum Cecinæ.] Hoc eſt principium confirmationis, quam cum præparatione ingreditur. Vituperat enim aduerſarium ab improbitate & ſtultitia, quæ illum pariter in hac cauſa commiſiſſe dicit, & inferendo iniuriam, & rem factam confitendo. Quantum enim læſerit Cecinam cogendo armatos homines, tantundem confitendo ſubleuaſſe. Itaque proponit ſe in defenſione ſua, ſtulta illius confeſſione, & teſtibus contra ſe productis uſurum eſſe. Quid confitetur.] Proponit rem, & quidem odioſe ex actione aduerſarij, & comprobat. Nam dicta teſtium de armatis hominibus ordine commemorat, interim perſtringens unumquenque, ut aduerſarij teſtes, quod illorum dicta hoc pacto pro ſe plus ponderis habitura ſint. Sed ideo credatis, quod ex illa parte id dicit.] Quia aduerſarij teſtis plus prodeſt, & minus nocet: noſter autem plus nocet, ſi quid alienū dicit, & minus prodeſt. Fabius libro. 5. de teſtibus. Alienum eſt, & quod ad cauſam non pertinet, & quod cauſæ nocet, ut hoc in loco. Sic alieno tempore rem geſtam dicimus, pro incommode & intempeſtiue. Ne arguere illum rei capitalis uideret.] Quia capitale erat alteri imperaſſe, ut cum ferro inuaderet; cum lege XII. tabularum etiam impulſor puniretur, & is qui cum telo hominis occidendi cauſa deprehenſus fuiſſet. quod etiam hodie eſt in uſu. Vt aliquo in iudicio eius teſtimonio.] Vrbane ludit in teſtem, qui mentiri conſueuerat.

P. Ceſennius auctor fundi.] Qui dominus cum eſſet, fundum uendiderat, emptum à Ceſennia, ut ſupra dictum eſt. auctor eſt, inquit Aſconius, à quo ius nobis comparamus, id eſt, qui uendit rem aliquam uel donat, à quo ius dominij in nos transfertur. Non tam auctoritate graui.] Ludit ex ambiguo, quia & auctoritatem grauem, et corpus quod obeſum eſt, graue appellamus. Quàm ille Terentianus eſt Phormio.] Faceta comparatio eſt ad paraſitum, qui apud Terentium in fabula inducitur, quæ ipſius nomine inſcripta eſt. Decimo uero loco teſtis expectatus.] Hunc teſtem grauius exagitat, quia & ante corruptus fuerat in Oppianici iudicio, & hic contra Cecinam, non ſolum contra cæteros teſtes omnes, ſed etiam pugnantia inter ſe dixerat. Itaque irridet hominem Cicero, deſcribens: Teſtis expectatus, ſenator popu. Roma. decus & ornamentorum iudiciorum. Quot millia fundus ſuus abeſſet ab urbe.] Hoc facete interrogauerat Cicero, notans corruptelam Falculæ, qui hunc fundum à Cluentio acceperat, ut Albium Oppianicum condemnaret, quem Cluentius de ueneficio accuſabat. Hoc notandi genus figuram habet, quam μετ'ἔμφασιν uocat Fabius, cum aliud etiam quàm dicimus intelligitur. Trapezuntius ductum orationis figuratum appellat: eumq; tum ſimulatum, tum obliquum, tum contrarium facit. uide Fabium libro. 8. ante finem, ubi emphaſin inter figura ponit.

Veniſſe in conſilium publicæ quæſtionis.] Id eſt, in iudiciū rei capitalis. Conſilium enim iudicium appellatur, ſicut Senatus. Quæſtio à quærendo crimine: unde quæſitor iudex capitalis, qui quæſtioni præeſt. Dicebatur Falcula ſe ſuppoſuiſſe inter iudices, & reum incognita cauſa condemnaſſe. Sed in oratione pro Cluentio negat hoc Cicero: quia ibi cauſa ſeruit in defendēdo Cluentio, qui arguebatur Falculam corrupiſſe. Non abs fuiſſe animo.] Id eſt, ſtuduiſſe Ebutio, & in cauſa eius iuuanda cogitantem fuiſſe. Sed tantiſper de aliquo reo cogitaſſe.] Tantiſper, id eſt, dum cæteri teſtes dicerent. uide Vallam de huius particulæ proprietate. De aliquo reo, nempe Ebutio ipſo, cui tanquam reo conſulendum erat, propter uim factam, quamuis de ſponſione ageretur. In ſponſione enim uterque & reus & actor erat, niſi quod prouocator cauſam prius dicere cogebatur, ut hic Ebutius, in cauſa Quintij ipſe Quintius. Cum ſubito ecce idem qui ſolet.] Qui ſolet, corruptū uidetur, Quare uidemus, Qui ſolus, legendum ſit. ut ſubaudias, cōtra cæteros dixit: aut Qui ſolus negauit, ut plenus ſit ſenſus. Dicit enim Falculam ſolum, non modo contra cæteros teſtes omnes, ſed etiam pugnantia dixiſſe. Pugnant enim, Nullos armatos, & ſuos ſeruos armatos fuiſſe. Verum Recuperatores.] Concludit teſtimonia de armatis hominibus, deinde alteram partem cōfirmationis inducet, hanc rem ad interdicti actionem pertinere. Delibat interim firmamēta aduerſarij, quæ poſterius cōfutaturus eſt, ut cū inſtituta defenſione ſua componat, qua non ſolum cōfirmatur cauſa Cecinæ, ſed etiam Ebutij defenſio euertitur. Cum quid liqueret.] Liquebat ſanè, cum res manifeſta eſſet. At cōtrouerſia non erat.] Subijcit interrogationi quod dicendum eſt, quod ſchema per ſubiectionem uocant. Vult non ſolum teſtibus, ſed etiam rei credendum eſſe. Quid ais?] Admiratio illudentis eſt. Poſterius de uerbo uidebimus, nunc rem ipſam ponamus.] Ingreditur alteram partem confirmationis, quæ recto & firmo ordine priori ſuccedit. Probauit enim, armatos homines coactos fuiſſe: nunc docet eam rem ad interdicti actionē pertinere. quo probato, quis non uidet Cecinam ex interdicto reſtituēdū non eſſe? de quo ſponſio facta eſt. Si hæc ad ſyllogiſmū exigas prior pars ad minorem, poſterior ad maiorē pertinebit. Eſt hæc res poſita.] Proponit diſputationem, quam in aduerſarij confeſſione conſtituit. Ego homo imperitus iuris.] Ironia eſt. Quæro, ſit'ne aliqua huius rei actio? an nulla?] Argumentatur ex diuiſione, quam pluribus uerbis explicat: aut eſſe actionem aliquam eius qui repulſus ſit, aut nullam eſſe. Et probat non eſſe nullam, hoc eſt, aliquam eſſe: nec iniuriarum, ergo hanc quam ipſe intendat. Quæ tota argumentatio una eſt intentione, per locum expugnantibus, uel ſecundum Fabium, ex remotione: probatione multiplex. Deſcendit enim in plures argumentationes, quæ ei ſubſtituuntur. quarum tamen duæ ſunt principes. Vna, qua probatur non eſſe nullam actionem. Altera, qua remouetur iniuriarum actio, contra L. Calphurnij ſententiam. ex quo relinquitur, hanc eſſe qua ipſe utatur. Cætera quæ accedunt, harum explicandarum cauſa adhibentur. De forma repugnantium, quæ eſt in tertio modo Dialecticarum concluſionum, uide Ciceronem in Topicis, ubi locus explicatur. Conuocari homines.] Probat non eſſe nullam huius rei actionem, ex æquitate iuris. Argumentum coniecturale eſt, de uoluntate prætorum, qui æquitate moti, nō eſſe nullam huius rei actionem uoluerunt. Quod cum ita ſit.] Infert quod efficitur, & rurſus inſtat, ut aut tacitā confeſſionē exprimat, aut inficiandi pudorem. Nullam eſſe dices? audire cupio.] Inſtat, ut dixi, & eandem argumentationem repetit uehementius, & commutatis uerbis. Feci equidem quæ dicis omnia.] Inducit perſeuerantem aduerſarium, ut acrius cōfutet. Ita ne uero recuperatores.] Monet indignationem, & argumentatur à minori, & ficta ſimilitudine utitur.

Vt ſi qui me exire domo mea.] Similitudo apta eſt, & mouendi uim habet, quare ei impenſius immoratur. Nondum de Cecinæ cauſa loquor.] Diſtinguit præſentem diſputationem à ſequenti, quæ de poſſeſſione futura eſt. Quia enim in proferenda ſimilitudine dixit, Si qui me exire domo mea coegiſſent: ne forte occurrat aduerſarius, & neget fundum Cecinæ, quaſi domum eius fuiſſe, cum poſſeſſor eius non fuerit: dicit ſe hoc loco nō dum de iure poſſeſſionis, ſed de actione loqui, quam ex interdicto habeat Cecina: & probat exemplo fictæ ſimilitudinis, quam hic repetit, contra Calphurnij ſententiam, qui dicebat iniuriarum hac in re, non interdicti actionem eſſe.

Monet amicus meus te L. Calphurnius.] Apparet hunc aduocatum Ebutio fuiſſe. Ergo contra eū diſputans, oſtendit actionem iniuriarum in hac cauſa locum habere non poſſe. Eſt altera pars argumentationis, quam ſupra dixi, ex remotione, ſiue ex repugnātibus, non iniuriarum actionem eſſe, ergo hanc quā ipſe intendat. Quid ad cauſam poſſeſſionis.] Argumentatur ex differentibus, quod iniuriarum actio ad pœnā perſequēdam, non ad poſſeſſionem recuperandam pertineat, quam petat is, qui ex interdicto ſit adiectus. Ergo cum aliud petatur à Cecina, quàm actione iniuriarum obtineri poſſit, non poſſe actionem iniuriarum in cauſam eius conuenire. Quid deniq; ad ius ciuile.] Quod non uult irritas actiones eſſe, ſed obtineri à litigatore id quod recte atq; ordine petatur. Ad actoris notionem & ad animaduerſionem.] Id eſt, intentionem ad petitoris & cauſæ perſecutionem, ut in poſſeſſionem reſtituatur.

Prætor interea Piſo.] Oſtendit quàm abſurda ſequantur ex ſententia aduerſarij, eaq; commemorando amplificat.

Quid enim dicet? aut quid tu.] Inſtat, & commoratur in eadem re, ut eam aduerſario extorqueat. Si ex interdicto agendum non ſit, nō poſſe reſtitui eum, qui à fundo uel ab ædibus ſuis prohibitus ſit. Atqui hoc iniquū eſſe, ergo illud iniquū, ex quo conſequens ſit. Sumpta enim ſententia aduerſarij oſtenditur falſum aut iniquum aliquid ex ea cōſequi, ex quo probatur apud Dialecticos illam falſam atq; iniquam eſſe. Porrò cū eadem nobis contraria ſit, noſtram ſentētiam eadem uia confirmamus. Deijcior ergo inquis, ſi, &c.] Hanc interpretationem uerbi cōcedebat aduerſarius, quāuis in alia reluctaretur. Hanc igitur ſumit Cicero, & pro ſe à ſimili argumentatur: ſicut in uno uerbo, ita in cæteris uoluntatem ſpectandam eſſe.

Age nunc ſi quidem ne tuorum quiſquam.] Longius progreditur, & eandem ſimilitudinem transfert ad actionis cōfirmationem. Si in cauſa explicanda æquitatis interpretatio ſequenda ſit, eandem in actione conſtituenda ſequendam eſſe, ut cum nulla alia ſit actio eius qui prohibitus ſit, non deiectus: eadem actione ac ſi deiectus eſſet, ex uoluntate prætoris utendū eſſe. Aliæ ſi qua forte eſt; dic quæ ſit.] Argumentationis genus eſt ex remotiōe, quod hic in parte inſeritur. Semel enim, ut inquit Fabius, remouētur omnia. Quod fit, cum duobus propoſitis, illud interrogatur quod haud facile reſponderi poteſt.

Non enim uereor, ne hoc dicas.] Hoc addit confirmandæ ſimilitudinis cauſa. Nam quod in perſona Piſonis propoſitum eſt, de omnibus eſt intelligendum. Etenim cui perſpicuum nō ſit.] Addit aliam principem argumentationem, qua totam aggreſſam diſputationē confirmat, periculoſum fore omnibus, ſi nullam huius rei actionem eſſe ſtatuatur. Argumentum æquitatis eſt in ſuam partem, periculi & diſcriminis omniū in contrariam: idq; acrius eſt, ad iudices commouendos. Sententia huius interdicti.] Quæ non tam uerbis, quàm æquitate continetur. Diminuta.] Sententijs iudicum. Infirmata.] Oppugnatione aduerſariorum. Is'ne apud uos obtinebit.] Inſtigat iudices, notans calumniam aduerſarij. Vnam literam dicit in uerbo deieci, in quo una litera plus eſt, quàm in eieci.

Quid ergo? hoc quam habet uim.] Prorumpit in argumentationem,

mentationem, & oſtendit indignitatem diſcriminis, in pari iniuria perſequenda. Totus locus uehementior eſt in monẽdis iudicibus, & demonſtrãdo cõmuni periculo, ſi ab hoc genere actionis recedatur. Quid negligentius, aut quid ſtultius.] Commoratur in argumentis coniecturæ, quæ ſupra poſuit, ex uoluntate prætorum, quia magnam uim habent. Itaq; in commemoratione eorum, & in periculo communi hunc locum concludit.

Queramur, inquit, licet.] Hæc eſt refutatio poſt confirmationem cauſæ, ad euertenda firmamenta aduerſarij, in quibus ille defenſionem ſuam collocabat. Dicebat enim uim Cecinæ factam nõ eſſe, quamuis armati coacti fuiſſent, quoniã nemo occiſus, neque uulneratus fuiſſet. Hæc confutat ex ui definitionis Cicero, quid ſit uim fieri: in quo explicando exemplis, et rationibus, & loco æquitatis à tuto & periculoſo, item alijs argumẽtis utitur. Quid ita? Quod uis Cecinæ facta non eſt.] Inducit ſecum diſceptantem aduerſarium, ut acrius premat. Proponit autem rem, & tum intentionem illius, tum rationẽ profert, uim factam nõ eſſe, quia nemo læſus fuerit, quod reprehẽdit. Ergo argumentatio eſt ex proprijs, Dici in hac cauſa poteſt: quæ proponenda re adhibetur. Altera ex differentibus, Tu uim negabis eſſe factam, ſi cædes & occiſio facta non erit. Ego exercitus maximos.] Argumentatur ab exemplo per comparationem à maiori, uim non in uulnere, ſed in metu poſitam eſſe. Argumentationem exponit quatuor partibus, propoſitione, ratione, confirmatione, concluſione. Itaque ſaucij ſæpe homines.] Confirmat exemplo. Quod ſi ui pulſos dicimus.] Concludit argumentationem, & uberius colligit. Itaque mox torquet enthymemata: Quæ uis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur? & quod uehemens in re militari putatur, id leue in iure ciuili iudicabitur. quæ omnia clauduntur una periodo, ut quaſi librata pondere acrius ferantur. Tum enim teſtis hoc dixit.] Probat quod extreme loco intulit, fugam factam fuiſſe. atque hinc ſubtexit aliam argumẽtationem per locum ex effectis: fugam factam fuiſſe, ergo uim factam eſſe.

Poteſtis igitur principia negare. Infert quod efficitur, cauſam fugæ confitendam eſſe, cum fugam cõfiteantur. Fabius hoc genus uocat, à ſumma ad initium, cui contrarium eſt ab initio ad ſummam, ſed ad effectum & cauſam referuntur: niſi quod in his incrementum eſt, in cauſis & effectis ſimplex ratio.

At uero hoc quidem iam uetus eſt.] Profert aliud argumentum à minori, conſpectũ armatorũ ad uim interdicti pertinere: ergo impetum & fugam pertinere. Ni aduerſus edictum prætoris.] Hæc uerba ſponſionis erant, quibus litigatores utebãtur. Primũ enim ſubauditur, ſpondeo: deinde infertur, Ni aduerſus edictum, prætoris uis facta ſit. Itá ne uero? ſcire eſſe armatos ſatis eſt.] Et hic colligit enthymemata, ut acrius pugnet. At ego dico hoc: ſi, ut primo.] Addit ex abundanti, & auget uim argumentationis, ſolam denũciationem armatorum ſuffeciſſe ad uim probandam: ergo multo magis fugam & impetum ualere debere. Quod ſi aliter ſtatuetis.] Opportunè infert argumentationem ab iniquo & periculoſo, ſi hoc genus defenſionis recipiatur. Ne quemadmodum in bello pœna ignauis.] Exemplum eſt à contrario, quia bellũ & iudicium contraria ſunt. Ergo ſi fit in bello, in iudicio fieri non debet. Additur ornandi cauſa. Pœnæ militares quondam erãt, decimatio, fuſtigatio, exauctoratio, uel ut fuſtem circũferrent, uel ut militarẽt deteriori conditione quàm cæteri, quorũ multa & uaria exempla apud auctores inueniuntur. Cum de iure & legitimis.] Adiungit æquitatem interpretandi iuris, quatenus uis in legibus & iudicijs intelligenda ſit. Age uero, de ui te ipſum.] Addit & ſenſum cõmunem, atq; adeo loquendi conſuetudinem, quid ſit ui impediri aliquem. Itaque urget aduerſarium, & in re nota confeſſionem eius exprimit. Argumentum teſtimonij pondus habet ex tacita confeſſione.

Aut tu dic quamobrem.] Et hæc remotio eſt, quam ſupra dixi, quæ fit interrogando aduerſario. Nam hoc loco approbandæ argumentationis cauſa adhibetur. Iam uim factam negare nõ potes.] Confutat cauillationem ex uerbo deijciendi, in quo ita conſiſtebat aduerſarius, ut etiam ſi fateretur uim factam eſſe, tamen negaret ſe interdicto teneri, quia non deiectus, ſed prohibitus eſſet Cecina. Cõtra quam defenſionem, quæ ex uerbo nititur, Cicero opponit ſententiam & uoluntatem interdicti, qua etiam comprehendatur is, qui prohibitus ſit. Deinde ex abundãti adiungit uerbi interpretationẽ, cõfirmans deiectum eſſe Cecinam, etiam ſi inſiſtatur uerbo prætoris. In priori diſceptatio eſt ſcripti & uolũtatis, in poſteriori finitio, quid uerbum ſignificet. Pro uoluntate contra ſcriptum diſputat longa & copioſa oratione, demonſtrãs argumentis, exemplis, auctoritatibus, recedendum eſſe è uerbo, & uoluntatẽ amplectẽdam. Primo igitur proponit ſentẽtiam aduerſarij, deinde confutationem ſuam ſubiũgit. Quod ſi fuiſſet, & ex eo loco metu permotus fugiſſet.] Argumẽtatur à ſimili, metu fugates deiectos dici, quãuis tacti, ac proinde reuera deiecti non fuerint: ergo in cæteris eodem modo deiectos non ex uerbo interdicti, ſed ex uoluntate iudicandos eſſe, ac proinde à uerbo ad uoluntatem tranſeundum. Quod enim in unam ſpeciem recte conuenit, id æquum eſt in cæteras, ac proinde in uniuerſum genus conferri, propter ſimilitudinem. Argumenti genus à ſpecie uocat Agricola, Cicero à ſimili. Forma eius imperfecta inductio eſt, quam exemplum uocant, non παράδειγμα, ſed ἐπαγωγὴν. Ergo ſiue à ſpecie, ſiue à ſimili, ſiue ab exemplo dixeris, non erraueris.

An tu qui tam diligẽter.] Oſtendit uere deiectum aut detruſum dici non poſſe, qui tactus non ſit, ac de ſuperiori loco in inferiorem datus, ut in eo qui metu pellatur. Ex quo efficit, ex uoluntate & ſententia interdicti deiectũ dici, non ex uerbo, quod proprie in metu fugatum conuenire non poſſit. Quid ergo hoc interdictum putamus.] Infert igitur quod efficitur. Ex ſententia potius, quàm ex uerbo interdicti ius interpretãdũ eſſe, atque adeo recedendum à uerbis, & uoluntatẽ ſequendã. Non enim omnia includi poſſunt, ut in metu pulſis: neque quæ poſſunt, tamen ad interdictum pertinent, ut ſi quis ſe ex alto præcipitauerit, quam poſteriorem rationẽ concludendo argumẽtationẽ amplectitur. Rem & cauſam, & utilitatem cõmunem.] Hæc quoque pondus argumentorum habent. Non relinquere ſolum, ſed etiam prodere.] Plus eſt prodere quàm relinquere, quia is prodit qui deſerit eum, quem defendere debebat. ut iudices etiam, cum ab æquitate recedunt, & uerborũ calumniam ſequuntur. An hoc dubium eſt, quin neque uerborum.] Aliud argumentum eſt à neceſſario, q propter uerborum inopiam ad ſententiam confugiendum ſit, cum non poſſint omnia ſuis uerbis dici. Huic mox aliud committit, non res uerbis, ſed uerba rebus ſeruire, ergo rem potius amplectendam eſſe. Quæ lex, quod Senatuſconſultũ.] Confirmat exemplis quæ dicta ſunt, oſtendens quæ incõmoda futura ſint, ſi relicta ſententia nos ad uerba aſtringamus. Pactio, eſt conuentio cum hoſte facta, unde pacem Vlpianus dictam tradit. ff. de pactis. Communiter eſt duorum uel plurimum in idem conſenſus.

Quæ iudicia, aut ſtipulationes, aut pacti & cõuenti formulæ.] Iudicia dicit, quia in certa uerba concipiebãtur à prætore, qui ea diſcernebat litigantibus, quod poſtea ſublatum eſt. Stipulationes uerborum obligationes ſunt, quæ interrogãdo & reſpondendo fiunt. ut ſpondes, ſpondeo. Pactum & conuentũ idem ualent. Itaque pactum conuentum, in iure appellatur ſine cõiunctione media, & nudum pactum intelligitur, quod ſolo conſenſu conſtat. Nam alterum ueſtitum appellant, hoc eſt, aliquo certo iure formatum, quod præter conſenſum partium etiam uim habet ex iure ciuili, & tunc aliud nomen accipit. Hoc proprie actionem parit, illud exceptionem duntaxat, ut. ff.

& C. de pactis. Sermo familiaris non cohærebit.] Id eſt, abſurdus erit. Vt ad uerba nobis obediant.] Vt ſi iubeas triclinium ſterni, argentum eluí, fabam, uitem, lentem ferí, mulos calceari: quæ omnia abſurda erunt, ſi nos uerbis religioſe aſtringamus. Exemplis nunc uti uidelicet.] Negat exemplis opus eſſe, & tamen ea profert. Ornate & copioſe L. Craſſus.] Craſſum oratorem dicit, qui in libris de Oratore inducitur. Hic defendit cauſam ſecundi hæredis contra Scæuolã, qui pro agnatis agebat: & uicit, cum uoluntatẽ teſtamenti contra ſcriptum tueretur. Scriptum enim erat, Si filius mihi natus erit, & antequam in tutelam ſuam uenerit mortuus erit, Curius hæres mihi eſto. Nullus natus fuit, & tamen Curius ex ſententia teſtatoris petebat hæreditatem, quod idẽ de non nato atq; de mortuo ſenſiſſet teſtator. Contradicebant agnati, & uerbis teſtamenti inſiſtentes negabant locum eſſe ſecũdo hæredi, niſi et natus & mortuus eſſet filius. Quam ſententiam cum tueretur Scæuola, qui iuriſperitus erat, tamen ſuccubuit in cauſa, cũ Centumuiri ſecundum uoluntatem teſtatoris contra ſcriptum iudicaſſent. Mortuo Poſthumo filio.] Hæc uerba Poſt particulam ita, interpoſito ſpiritu inferenda ſunt, & ad perſonã teſtatoris referẽda. Quid? uerbis hoc ſatis cautum erat?] Altercatione excitat iudices, ut oſtendat ſecundum uoluntatẽ iudicatum fuiſſe. Lex uſum & auctoritatem fundi.] Aliud exemplum eſt. Lex, inquit, iubet fundum biennio uſucapi, & tamen utimur eodem iure in ædibus uſucapiẽdis, quamuis fundus non ædes in lege appellentur. Vſus & auctoritas uerba priſci iuris ſunt, quibus uſucapio ſignificabatur. Vſucapio enim ius acquirendi dominij eſt, ex certi temporis poſſeſſione. Per uſum igitur poſſeſſio, per auctoritatem ius dominij accipitur, cum auctor in iure appelletur is, à quo ius nobis comparatur. Tempus uſucapionis poſtea mutatum eſt, & aliud in mobilibus, aliud in ſoli rebus præfinitum, adiecta etiam præſentium & abſentiũ perſonarum conditione. Si uia ſit immunita.] Id eſt, clauſa uel corrupta: ne per eam agi non poſſit. Actio eſt in auctorem præſentem.] In dominum, ſiue poſſeſſorem. Actionem. n. uindiciarum intelligit, cuius uerba ſolennia erant, quæ hic ponuntur. Referuntur pluribus in Oratione pro Murena. Sed poſtea ſublata ſunt, ut abſurda in agendo, & ſuperuacua.

Teſtamento ſi recitatus heres eſſet pupillus Cornelius.] Pupillus proprie impubes eſt, qui deijt eſſe in poteſtate patris: ſed ſenſu & æquitate iuris etiam puberem intelligimus. Ergo ſi ſcriptum ſit, Cornelio pupillo meo do, lego: nõ ſolum impubes filius, ſed etiam adultus intelligendus erit, modo ſit extra poteſtatem patris. Hoc ipſum interdictum de quo agitur.] Profert exẽpla ex ipſo interdicto, utilitatem eius nos amiſſuros eſſe, ſi relicta æquitate uerba aucupemur. Vnde tu, aut familia, aut procurator tuus.] Verba ſunt interdicti, ex quo iudiciũ Cecinæ cõſtitutum eſt, quod ſupra in fine narrationis de ui armatis hominibus appellauit. Ergo non eſt idem quod in libris Digeſtorum citatur: ſed illud de ui ſola eſt, hoc de armatis hominibus, quod iuriſperitorum interpretationibus ſub illo comprehenditur.

Si me uillicus tuus ſolus.] Argumentatur ex uerbo familia & procuratoris, negans ea ſaluo interdicto in omnibus locũ habere poſſe. Exemplo ficto utitur, ſi me uillicus tuus ſolus deieciſſet, deiectum quidem eſſe me, nec tamen à familia deiectũ, quod facile probari poſſit, cum unus ſeruus familiã non faciat. Quid ergo? reſtitues ne ex interdicto? id quidem æquum eſt, & prætor ita ſentit. Non igitur quiſquis reſtituẽdus eſt, ex uerbo interdicti deiectus fuit, ſed ex ſententia prætoris. Ductus argumẽtationis obliquus eſt, quia improbato eo, quod in uerbo interdicti conſtituitur, ex contrario ſententia eius confirmatur. Recte igitur dices.] Interrogat id quod dici non poteſt, et ſimul ad Ebutij defenſionem alludit, qui dicebat ſe reſtituiſſe Cecinam, quoniam ex interdicto reſtituere non deberet.

Quippe quid enim facilius.] Hoc ironicos dicitur, nempe ex ſententia eius qui uerbis inſiſtit, uoluntate neglecta. Hoc igitur improbat, ut mox contrarium inferatur. Si uero ne habeas quidem ſeruum.] Addit aliam fictionem in eandem ſententiam, quaſi pro aduerſario, quem reprehendit. Neq; dubium eſt, quin ſi ad rem.] Omiſſa ironia, aſſentitur aduerſario in unam partem, id quod in alteram reprehenſurus eſt. At uero ratio iuris, interdictiq; uis.] Tollit rurſus κατ᾽ ἀντιστροφὴν, quod conceſſit, & infert quod efficitur, à uerbis igitur recedendum eſſe. Quid ergo? iſti homines.] Occurrit, & dicit prætores non tam ſolicite, quàm cõmode loqui ſolere, & ſimilia eiſdem uerbis complecti: quod oſtendit in uerbis interdicti, ſententiam eorum interpretãdo. De liberis autem, quiſquis eſt.] Amplectitur hic procuratoris nomen, quod cum familia propoſuit. Nam eadem ratio utriuſque eſt. Quare ſi ad eum reſtituendum.] Concludit argumentationem, quam expoſuit, repetitis eiſdem ferè quæ dicta ſunt, commendandi cauſa.

Hominibus coactis.] Aliud uerbũ interdicti eſt, de quo eodem modo diſputat, nõ poſſe omnes cauſas in uim eius includi, quæ tamen æquitate comprehenſæ ſint. Armatis ue. Quid dicemus.] Et huius uerbi anguſtias oſtendit, quæ arma proprie dicantur, quæ porro intelligantur ſenſu & uoluntate prætoris.

Atque ut magis intelligas.] Vertit etiam numerum uerbi in exemplum: ut quamuis armatos nomine prætor, tamẽ unum etiam armatum accipi uelit. Atqui uide ne multo nunc ſis impudentior.] Vertit hanc interpretationem in aduerſarium per cõparationem à maiori, à numero uerbi, id quod abſurdius ſit, recedi. ergo à cæteris qualitatibus, ubi res poſtulet, recedendũ eſſe. Verum in his cauſis non uerba.] Reddit rationem, cur à uerbis recedendum ſit, confirmando priorem argumentationem, & ita hunc totum locum abſoluit. Sine ulla exceptione.] Id eſt cauſatione, quæ in uerbis conſtitui poſſit.

Venio nunc ad illud tuum.] Probauit à uerbis recedendum, & æquitatem ſequendam eſſe: nunc reſpondet dictis aduerſarij, quibus ille quæ confutata ſunt, confirmare conabatur. Non deieci, ſi non ſiui accedere.] Reprehẽdit hoc ut friuolum et cauilloſum, multoq; infirmius eſſe dicit, quàm id quod modo reprehenſum ſit. Vim habere uidebatur ex repugnantibus, ſed iam ſatis demonſtratũ eſt, non pugnare iſta, ſi ſpectemus uoluntatem prætoris. Deijci enim, & non acceſſiſſe, uerbis repugnant duntaxat: ſicut inimicum eſſe & diligere. Verum quia uult prætor eum etiam deiectum eſſe, qui priuſquam accederet, pulſus ac fugatus fuit: non pugnant hæc ſenſu interdicti, ſed qualiacunque ſunt uerbis, re & ſententia iuris coniunguntur.

Atque illud in tota defenſione tua.] C. Aquilius iuriſperitus erat clarus temporibus Ciceronis, qui conſultus in cauſa Cecinæ reſponderat, à uerbis interdicti recedi non poſſe, ſed tamen ſponſione uinci Ebutium, qui ex uerbis prætoris non reſtituiſſet Cecinam: quod ne in eum quidem locum reſtituiſſet, ex quo priuſquam ille ad fundum accederet, deieciſſet. Qua ſententia cum eſſet contra Ebutium, defenſor eius detraxerat iuriſperitis, & negarat auctoritati eorum obtemperari oportere. Cicero reſpondens, miratur primo auctoritatem iuriſperitorum ab eo repudiari, qui uerbis inſiſtat, contra ſententiam, cum contra fieri ſoleat. Deinde defendit iuriſperitos, & aduerſarij obtrectationem reprimit, amplificãdo ius ciuile, & ad eius conſeruationẽ iudices adhortando. Ad iſtam hortationem decurrunt.] Eſt enim locus cõmunis, à ſententia contra ſcriptum, qui adhortatione iudicum tractatur. Et ut dici ſolet, ſummo iure contenditur.] Prouerbium intelligit, quod eſt apud Terentium, Summũ ius, ſumma iniuria: cuius ſententia ab ipſo in primo Officiorum explicatur. Aucupia uerborum, & literarum tendiculas.] Odioſæ metaphoræ ſunt, quibus taxat aduerſarium, in quem totam hanc ſententiam oblique intendit.

Et hoc

Et hoc loco Scæuolam dixiſti, ] Reprehendit exemplum, quo male uſus ſit aduerſarius, & ei contrarium facit.

Cum id miror te hac in re. ] Defendit iuriſperitorum auctoritatem, & cõtra obtrectationẽ aduerſarij quæ obiecta ſunt, diſtinguit, ſi male aliquando reſponſum ſit, non iuri ciuili, ſed hominibus imputandum eſſe: ſi ſecus aliquando iudicatum, quàm reſponſum à iuriſperitis, uidendum utrum rectè: ſi uariè reſponſum, & iudicatum ſecundum Manilium uidelicet cõtra Mutium, hoc ipſum ex auctoritate iuriſperitorum eſſe, cũ id iudicatum ſit, quod placuerit Manilio. Etenim ipſe Craſſus. ] Dicit Craſſum in Curiana cauſa cũ cõtra Scæuolam diceret, nõ tam contra iuriſperitos, quàm ſecundum eos dixiſſe, cũ auctoritatibus iuriſperitorum uteretur. Nam qui ius ciuile contemnendũ putat. ] Approbat quod dixit de Craſſo, & hunc locũ reprehenſionis concludit. Quod uobis uenire in mentẽ. ] Excurrit in locum cõmunem, & amplificando ius ciuile hortatur iudices, ut integram eius uim cõſeruent, nec patiantur ulla uerborum calumnia labefactari. Itaque in cæteris controuerſijs atque iudicijs. ] Amplificat per comparationem, in cæteris cauſis iudicia corrumpi poſſe, in iuris quæſtione non poſſe: itaq; maxima religione ius ciuile conſeruandum eſſe, in quo nõ ſolũ iudiciorum ueritas, ſed etiã priuatorũ fortunæ collocatæ ſunt.

Imponi falſæ tabulæ. ] Subaudi ſolent. Imponi, id eſt, ſubijci in iudicio: quod eſt, falſas pro ueris proferri. Tabulas probationum intelligit. Qua digitum proferat. ] Metaphora ab ijs, qui clauſi, & undique muniti tenentur. Significat in iuris quæſtione nihil contra iudicem attentari poſſe.

Cui filius agnatus ſit. ] In cuius poteſtatem natus ſit. Teſtamenta enim rumpuntur aut nouo teſtamento facto, aut agnatione ſui hæredis, hoc eſt, eius qui in patris poteſtatem naſcitur. ut. ff. de iniuſto, rupto, irrito facto teſtamento, & Inſtit. quibus modis teſtamenta infirmentur. Quod mulier ſine tutore auctore. ] Mulieres quondam ſub perpetua tutela erãt, donec per matrimonium in manum uiri cõueniſſent: quod ius poſtea ſublatũ eſt, & in pupillis duntaxat, & furioſis, et prodigis ſeruatũ. Ergo ſi quid à muliere quondam non matrefamilias, item à pupillo, furioſo, uel eo, cui bonis interdictũ erat promiſſum fuiſſet, ſine tutoris auctoritate: id ratum non erat, ſicut nec hodie eſt, excepta muliere, in qua tamẽ cõſenſus uiri requiritur, ut. ff. de auctoritate & conſenſu tut. & curat. & Inſtit. de inutilibus ſtipulat. Iſte neſter teſtis. ] Falculam intelligit, de quo ſupra dictum eſt, quem hic in exemplum profert. Quam mulier nullo auctore dixiſſet. ] Id eſt, ſine tutoris auctoritate promiſiſſet. Quia, ut modo dixi, mulieres erant ſub tutela, nec ſine parentum uel tutorum auctoritate obligari poterant. O rem præclaram. ] Prorumpit in adhortationem. Quod enim eſt ius ciuile? id eſt, quale & quàm ſanctum eſt? per admirationem. Quod ſi non modo oppreſſum. ] Profert commune periculum ſi ius ciuile labefactatum fuerit. Amplificatio eſt per locum communem, quem ſupra notaui. Quæ cum omnia tua iure mancipij ſunt. ] Id eſt, iure dominij per abalienationẽ. Ea fiebat ueteri iure ciuili, aut nexu per æs & libram, aut in iure ceſſione, ſicut ipſe in Topicis definit. Iura finium, poſſeſſionum, aquarum, itinerumq;. ] Iura finiũ, ut de finibus regũdis. Poſſeſſionum, ut de acquirenda, uel recuperãda poſſeſſione, quas uindicias appellabant. Amiſſa tamen ui, poſſeſſio per interdictum recuperabatur. Aquarum iura in aquæductibus erant, & in aqua pluuia arcenda. Itinerum, in ſeruitutibus ruſticorũ prædiorum, quæ omnia noſtra quoque iure explicata ſunt.

Fundus à patre relinqui poteſt. ] Fundus alienus ſcilicet, quem pater bona fide poſſidebat. At uſucapio fundi. ] Id eſt, ius dominij, quod certo ſpatio temporis acquiritur, quod iure ciuili conſtitutum eſt. Hoc eſt, finis ſolicitudinis, ac periculi litium. ] Obiter definit uſucapionem ab effectu. Eſt enim effectus eius, ut completo legitimo tẽpore poſſeſſionis, res tibi acquiratur, nec poſſis amplius de iure eius periclitari, quamuis aliena fuerit, modo tu eam bona fide poſſederis, ut ff. de uſucapio. & Inſtit. eodem. Aquæductus, hauſtus, iter, actus. ] Hæ ſunt iura ruſticorum prædiorum, quæ ſeruitutes appellãtur. Aquæductus fontium ſunt, uel aliarum aquarum. Hauſtus, ius hauriendi in alieno. Iter, ius eundi. Actus, agendi per alienum, ut non ſolum iter facere, ſed etiam iumentum agere poſſis.

Rata auctoritas. ] Vt quamuis alius ſit dominus prædij: tu tamen eodem utaris, fruaris, ſicut iure ciuili conſtitutũ eſt. Separatum eſt enim ius ſeruitutis à corpore, idq; iure ciuili factum, ut rerum uſus latius propagaretur. Quapropter non minus diligenter. ] Concludit locum de iure ciuili, & unà antegreſſæ diſputationis ſententiam de ui & de deiectione repetit.

Hoc loco percommode accidit. ] Inducit alium locum ex abundanti, cõiunctum cum auctoritate iuriſperitorum, quo, ſi uerba ſequenda ſint, & ſe ex uerbis cauſam defendere. Primo laudat Aquilium, cuius auctoritate uſurus eſt, quæ eſt præparatio ad ſequentia. Deinde oſtendit, ſi uerbis pugnandum ſit, ſe nihilominus ſponſionem uincere, quoniam non unde deiectus ſit, reſtitutus ſit Cecina: cum neque in fundum ipſum à quo ſit prohibitus, neque in eum locum in quo cõſtiterit, ſit reſtitutus. Atq; hoc ita cenſuerat Aquilius, qui, quamuis à uerbis putaret recedendum non eſſe, tamen reſtitutum eſſe Cecinam negabat.

Dictum eſt ab illa cauſa. ] Ab illa parte, ab aduerſario. Concedi, id eſt, tribui. In cauendo. ] In reſpondendo. Nam iuriſperiti litigatoribus cauere dicuntur, quibus conſulunt.

Non diſciplina conſultus. ] Id eſt, doctus. Cum eum auctorem ueſtræ defenſionis eſſe dicitis. ] Quia Aquilius, ut dixi, ab utraq; parte conſultus putabat à uerbis recedi nõ poſſe, quamuis fateretur æquitatem facere pro Cecina: & nihilominus cenſebat, ſponſione uinci Ebutium ex uerbis interdicti, quod unde deieciſſet Cecinam, non reſtituiſſet. Illud autem miror. ] Arguit aduerſarium inconſtantiæ, quod pugnantia dicat: Aquilium pro ſe eſſe, & eundem contra ſe ſentire. Omnibus quidquid actum. ] Hoc eſt, Aquilius omnibus conſentit, quæ uerbis acta pronunciataq; ſunt à Prætore. Hoc reſponſo aduerſarij pro ſe utebantur, à uerbis recedendum nõ eſſe de Aquilij ſententia. Sed Cicero hoc ipſum apprehendit, uertens in aduerſarios, & de Aquilij ſententia uerbis ſe uſurum eſſe reſpõdet. Ego ex iſto genere conſultorum. ] Dicit Aquilij auctoritatem pro ſe ualere oportere, & narrat quid idem in cauſa conſultus reſponderit. Is quo modo ſe reſtituiſſe dixit. ] Nempe, unde deieciſſet: hoc eſt, ex eo ipſo loco, ſiue in fundo is eſſet, ſiue extra fundum. Quid eſt Piſo. ] Vrget aduerſarium: & oſtendit quid efficiatur, nempe etiã uerbis interdicti ſe ſponſionem uincere: idq; de ſententia Aquilij, quem ille pro ſe alleget. Ego quod mihi uideretur. ] Oſtendit ſe ita amplecti uerborum defenſionem, ut tamẽ ab æquitate nõ recedat. idq; ſe facere coactum ab aduerſario, qui à uoluntate prætoris ad uerba ſe reuocet. Communitio eſt in præſentem locum, ne temere ad uerba tranſire uideatur. Quoniam ſatis recuſaui, uenio nunc quò uocas. ] Exequitur inſtitutam argumentationem, & acrius inſtat, uerſando huc illuc aduerſarium: in quo hærens, oratoria commoratione utitur. Velim recuperatores, hoc totum ſi uobis. ] Excuſat quod hoc genere defenſionis utatur, & culpam refert in aduerſarium. Verumtamen & quid mihi reſpondetur. ] Hic ultimus locus refutationis eſt de uerbo Vnde ui: ubi oſtenditur, Cecinam non ſolum de ſententia interdicti, quod multis uerbis adiuncta iuriſperitorum auctoritate demonſtratũ eſt, ſed etiam ex uerbo ipſo deiectum eſſe. Vnde deieciſti, dicit prætor. negat Ebutius ſe deieciſſe, quoniam in loco Cecina non conſtiterit, qui ne acceſſerit quidem, cum à ſe prohibitus fuerit. Ergo deiectum non eſſe ex loco, ſed à loco

repulſum eſſe: cum unde, non à quo, ſed ex quo loco ſignificet. Docet Cicero hoc uerbum unde non ſolum ex quo, ſed etiam à quo loco ſignificare: idq; ita ſenſiſſe prætores, qui unum interdictum ad utranque rem accommodauerint. Confirmat exemplis, & uim duorum uerborum unde & eò, quæ relatiua ſunt, interpretatur. Quod antea dixi.] Vbi uerba interdicti ad uoluntatem reuocanda eſſe demonſtrauit. Attendite diligenter quæſo.] Poſtulat attentionem, & laudat prudentiam prætorum, quorum auctoritate uſurus eſt in probando eo quod propoſuit. Cum de ui interdicitur, duo genera cauſarum.] Argumentatur à rebus ad uerba, hoc eſt ab ijs quæ ſignificantur, ad ea quæ ſignificãt, ut probet duo ſignificari uno uerbo Vnde, quoniam totidem et nec plura in hoc genere ſubiecta ſint. Argumentum eſt ex cauſis, quoniam uerba ſeruiunt rebus, non res uerbis, ſed hæc illis ſignificandis adhiberi ſolent.

Vnde deiectus eſt Cecina.] Declarat exemplis quod dixit, uerbum Vnde, & ex quo, & à quo loco ſignificare.

Vi, cum autem.] Aut ui particula abundat, aut aliquid deeſt. Interpretatur autem uerbum eò, quid ſit eò reſtitui, cum id prætor iubeat. quam rem ſimilitudine declarat.

Similitudine rerum.] Quali modo in exemplo uſus eſt.

Eò reſtituatur eũ uerba non.] Poſt reſtituatur aliquid deeſt. Etenim Piſo.] Addit aliud exemplum, quo etiam ſupra uſus eſt, in quo hunc locum concludit. Vt uero iam recuperatores, &c.] Tranſit ad confutationem de poſſeſſione Cecinæ, quæ extra cauſam eſt. Negabat enim Ebutius Cecinam poſſediſſe fundum, quoniam ciuitas ei cum Volaterranis lege Cornelia adempta eſſet. Ergo deiectum non eſſe. Cicero primo docet poſſeſſionẽ ad cauſam interdicti non pertinere, quod ſiue poſſederit, ſiue nõ poſſederit aliquis, per hoc interdictũ reſtituatur. Deinde ex abundanti docet Cecinam poſſediſſe, nec ratam eſſe legem Corneliam. Numera quàm.] Arguit inconſtantiam aduerſarij, qua relictis uerbis ad poſſeſſionem confugiat, atq; ita tacite concedat, quod ante negauerit, cauſæ ſcilicet diffidens. Cur ergo, &c.] Oſtendit duo interdicta eſſe, quorũ alterum pertineat ad poſſeſſorem, alterum non pertineat. Probat ex uerbis utriuſq;, quod in alterum addatur Cum ego poſſiderem, in alterum non addatur: quæ probatio eſt ex cauſa, differentiam oſtendens. Infert igitur in cauſa ſponſionis, eum qui ſine armatis hominibus deiectus ſit, uinci ſponſione, ſi probetur non poſſediſſe: qui autem armatis hominibus deiectus ſit, non uinci: ſed aduerſariũ eius, ſi fateatur ſe deieciſſe, quamuis nõ poſſediſſe probauerit, tamen ſpõſioni ſuccumbere. Vis enim ſimplex ad poſſeſſorem duntaxat, armata ad quemuis pertinet.

Vt nec ui.] Multum ergo differunt hæc interdicta, cũ in altero ſpectetur ſola uis armis facta, in altero uis in poſſeſſorẽ facta, neque hoc ſatis, ſed in eum poſſeſſorem, qui neque ui à domino, neque clàm, neque precario poſſederit. Clàm poſſidet, qui ignorante domino, Precario, qui permittente eo poſſidet.

Atque ego in hoc Cecinam non defendo.] Dicit ſe hac defenſione ex abundãti uti, quoniam extra cauſam ſit. Siue enim poſſederit Cecina, ſiue non poſſederit, ad hoc interdictum non pertinere, nec proinde ad ſponſionem. Hoc igitur ſeparat à cauſa, & tamen ex abundanti probat Cecinam poſſediſſe.

Ius commune defenſum.] Cõtra legem Corneliam, quæ iniuſte lata fuit in Volaterranos. Ceſenniam poſſediſſe propter uſumfructum.] Probat ex iure ciuili, Ceſenniam poſſediſſe: ergo poſt mortem eius Cecinam, qui hæres ei fuerit. Succedit enim hæres in ius & poſſeſſionem defuncti. Propter uſumfructum dicit, quia ex hoc tranſijt poſſeſſio in proprietatem, cũ antea uſufructuaria fuiſſet Ceſennia, deinde fundũ emiſſet, quá conſolidationem appellant iuriſperiti. Cum erat colonus in fundo.] Quo tempore mortua eſt Ceſennia, colonus conductũ ab eo fundum habebat, & manſit in eadem conductione poſt mortem eius ſine controuerſia. Ergo dubium non eſt, quin eodem iure continuata poſſeſſio in hæredem tranſierit. Rationes à colono accepit.] Argumẽtum eſt ex proprijs poſſeſſoris, uel ex conſequentibus, ſecundum Ciceronem in Topicis. Rationes enim accipere proprium eſt, & cõſequens eius qui poſſidet.

Poſtea cur Ebuti de iſto potius fundo.] Citat iudicium ipſius Ebutij, qui Cecinæ arbitrium familiæ herciſcundæ denũciauerit, & de hoc fundo nominatim denunciauerit: item qui poſtulationi Cecinæ ut moribus deduceretur, paruerit. Quæ certe non feciſſet, niſi eum fundi poſſeſſorem eſſe iudicauiſſet. Ergo tacita aſſenſione utitur ipſius aduerſarij, Cecinã poſſediſſe. probat ex adiunctis, quòd arbitrium denũciauerit, & quod poſtulationi in rem præſentem paruerit. At enim Sylla legem tulit.] Reſpondet ad legem Corneliam. Primo non omnia iuſſa populi rata eſſe. Deinde ciuitatem inuito adimi non poſſe. Poſtremo ſoluit quæ contra opponebantur. Probat non omnia iuſſa populi rata eſſe, ex ipſa lege: in qua, ſicut in cæteris, aſcriptũ ſit, Si quid ius non eſſet rogari, eius ea lege nihil rogatum. Deinde addit exemplum, libertatem populi iuſſu adimi non poſſe, non igitur omnia poſſe. Ciuitatem ademerat Sylla Volaterranis, quod Marium ſecuti fuiſſent, lege poſt bellum lata. Deinde nihil rationis affert, quã ob rem ſi libertas.] Argumẽtatur à pari, libertatem adimi non poſſe, ergo nec ciuitatem, cum pari iure conſtituta ſint. Item ex conſequentibus, ſi ciuitas adimi poſſit, & libertatem poſſe. atqui non poſſe libertatem, ergo nec ciuitatem. Probat maiorem, quoniam is liber eſſe non poſſit iure ciuili, qui ius ciuitatis amiſerit. Atque ego hanc adoleſcentulus cauſam.] Profert rem iudicatam in conſimili cauſa, quam ipſe egerit apud decemuiros, & obtinuerit. Religionẽ inieciſſet.] Id eſt, dubitationem attuliſſet, ut timerent ne contra ueritatem iudicarent, cum eſſent iurati iudices. Sacramentum noſtrum.] Id eſt, cauſam, quæ ſacramẽto agebatur. Sponſionem enim fecerat mulier, ni libera eſſet: quod genus ſacramentum appellabatur, pecunia quãſi ſponſio facta eſſet, ad ſacrum depoſita, donec cauſa iudicaretur. Prima actione nõ iudicauerunt.] Id eſt, cauſam ampliauerunt. Iam uero in cæteris, ut omnes.] Addit communem cõſenſum ciuitatis, quo lex Syllæ tacite abrogata ſit. Omnes qui in eadem cauſa ſunt, &c.] Volaterranos intelligit. Et lege agant, & ius ſuum perſequantur.] Ergo pro ciuibus habentur, cum hæc nemo poſſit niſi ciuis. Certe quæri hoc ſolere.] Negauit ciuitatem inuitis adimi poſſe: ſoluit, quæ contra diſputabantur.

In colonias Latinas.] Quæ carebant ciuitate, & ius ſuffragij duntaxat habebant. Ergo qui eò proficiſcebantur, ciues amplius non erant. Aut ſua uoluntate, aut legis multa profecti ſunt.] Solutio eſt obiectionis. Negat enim inuitis ciuitatem adimi poſſe. hos autem in colonias ſponte ſua profectos eſſe, aut certe hoc maluiſſe, quàm legis multã ſufferre. Itaque nõ ademptam illis ciuitatem, ſed ſponte ab ipſis depoſitam eſſe. Quid? quem pater patratus dedidit.] Pater patratus ſacerdos fœcialis erat, in ijs rebus, quæ ad bellicos ritus pertinebant, cũ quis dedendus erat hoſtibus, deditionem peragebat, ut cum T. Veturius & Sp. Poſthumius Samnitibus, C. Mancinus Numantinis dederentur. De Veturio & Poſthumio eſt apud Liuium lib. ab Vrbe cond. qui dediti fuerũt, quod turpem pactionem feciſſent cũ hoſtibus. Eadem cauſa Mancini fuit, qui deditus Numantinis receptus non fuit. Si pater uendidit eum.] Vendidit dicit, pro emancipauit, uetere iure ciuili, quo multa per æs & librã gerebantur: ut in abalienationibus, teſtamentis, adoptionibus, emancipationibus. Aderat enim is, qui libripẽs dicebatur, adhibitis quinque teſtibus. Tum emptor familiæ uel mancipij) ita enim appellabatur) æs manu tenens percutiebat libram his uerbis, Hunc ego hominem, uel hanc rem, iure Quiritium meã eſſe aio, mihiq; emptam hoc ære & hac ænea libra. idq; æs dabat

bat ei qui uēditor appellabatur, quo ritu peracta erat abalienatio. Ergo imaginaria uenditio erat, quæ iuri ciuili interponebatur. In ſuam poteſtatem ſuſceperat. ] Vel natum ex legitimo matrimonio, uel in liberorum locum adoptandum. Iam populus cum eum uēdidit. ] Hoc eodem modo, ſed publice agebatur, ſicut in emancipatione. Per æs enim & libram in foro declarabatur aliquis in numero ciuium non eſſe: nempe ſi quis, cum delectus haberetur, uel cum cenſeretur ciuitas, nomen profeſſus non eſſet. Cenſu liberetur. ] Quod fiebat, cum permiſſu domini ſeruum nomen ſuum in cenſum detuliſſet. Tribus enim modis libertas dabatur, cenſu, teſtamento, uindicta. Sed plures poſtea adiecti ſunt. Quod ſi maxime. ] Ex abundanti, addit, etiam ſi modis prædictis ciuitas adimi poſſet, tamē lege aut alia ratione non poſſe. quæ ſolutio communis eſt omnium obiectionum prædictarū, & eas ſemel propoſita cauſa remouet, lege nō potuiſſe adimi ciuitatem Volaterranis etiam ſi alijs modis potuiſſet. Nam quod ad exilium attinet. ] Reſpondet ad hanc quoque obiectionem, et eodem modo quo cæteras diſſoluit exilio non adimi ciuitatem, ſed ab ijs qui ſolum uertāt, deponi. Confugiunt quaſi ad aram. ] Itaque lex Portia & Sempronia, quæ de capite ciuis latæ erant, nō irrogabant ſupplicium mortis, ſed eius uitandi cauſa exilium permittebant. Nō me præterit recuperatores. ] Excuſat quod longius progreſſus ſit: & hunc locum de lege Cornelia, & de ciuitate Cecinæ concludit, implicatis obiter & alijs argumentis. Horum nexa, atq; hæreditates. ] Nexa, ideſt, commercia cum ciuibus, quæ in contractibus per æs & libram fiebant. nam ea proprie nexa uocabantur. Hæreditates, iura hæreditatum intelligit, quæ non niſi à ciuibus capi poterāt, uel ab ijs quibus lege permiſſum eſſet, ut duodecim colonijs Latinis. Quod ſi adimi ciuitas A. Cecinæ. ] Addit perſonæ commendationem ex abundanti, Cecinā etiamſi ciuitate priuatus eſſet, tamen retinendum inter ciues, nec uiolandum iudicum ſententia, quaſi ciuili iure frui nō poſſit. Ex quo loco ſubtexit perorationem. Vt id non minus in hac cauſa laborarit. ] Eadem ſententia ſupra uſus eſt ante narrationem, Cecinam non magis laborare, ut ius ſuum obtineat, quàm ut ſummo iure egiſſe uideatur, ius ſuum ex ſponſo intelligens, ſummum ius in cauſa poſſeſſionis. Quapropter ſiquid extra iudiciū. ] Peroratio eſt, qua notatis defenſionis capitibus orationem concludit.

# SEQVVNTVR IN PHILIPPICAS

## CICERONIS ORATIONES NECESSARIAE

### DOCTORVM HOMINVM INTERPRETATIONES, FRANCISCI MATVRANTII, PHILIPPI BEROALDI, IO. STVRMII. HIERONYMI FERRARII.

### FRANCISCI MATVRANTII PERVSINI VIRI eruditiſſimi in M. Tullij Ciceronis Philippicas Præfatio

QVANTVM Demoſtheni conſummato apud Græcos oratori tribuerit Cicero, uel hinc manifeſte poteſt colligi, quòd quas in M. Antonium ſcripſit orationes, in quibus Demoſthenem imitari præcipue nititur, qui aliquot orationibus eſt in Philippum Macedonum regem Alexandri patrem inuectus, Philippicas appellauit. Eas tamen ex ueteribus complures, & in primis A. Gellius, Antonianas nonnunquam ſuo nomine uocauerunt: & Demoſthenem quidem, ad Brutum ſcribens, multa & in dicendo perficere, ſe conari multa: poſſe illum, uelle ſe, dicit. Exitij hæ orationes Ciceronis cauſa fuere, dicente etiam Satyrico poeta,

O' fortunatam natam me conſule Romam:
Antoni gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnia dixiſſet. ridenda poemata malo,
Quàm te conſpicuæ diuina Philippica famæ,
Volueris à prima quæ proxima.

Cum enim Triumuiratum inuaſiſſent Octauius, Antonius, Lepidus, & atrociſſimam illā proſcriptionis tabulam Syllæ proponerēt exemplo, ante omnes Ciceronem ad necem poſtulauit Antonius: qui ea lege conceſſus eſt, ut L. Cæſarem auunculum ſuū ipſe concederet. Habitæ ſunt orationes hæ à Cicerone partim in Senatu, partim ad populum poſt Iulium Cæſarem quatuor & XX. uulneribus Idibus Martijs confoſſum. Et hanc quidem primam Calendis Septembris Dolabella altero ex conſulibus audiente, magna libertate, admirantibus cunctis, nec minore dixit facundia: Cuius argumentum huiuſmodi eſt. Cæſare trucidato, M. Antonio & Dolabella Coſ. etſi primo collaudati à multitudine interfectores eius, tamen inconſtantiam & opes amicorum Cæſaris ac fraudes ueriti Brutus & Caſſius, Capitolium occuparunt. Idcirco timens Antonius, conſulatus abiectis inſignibus, & mutata ueſte delituit. Verum quando neminē illos nocere accepit, tutaq; eſſe omnia, prodijt è latebris. Senatus in telluris æde habitus eſt. Multa pro concordia facta ſunt uerba. Cicero illico princeps in illo ordine apparuit. Cum recuperata libertas uideretur eſſe, pacem inter amicos & interfectores Cæſaris qui Capitolium occupauerant, ſuaſit: diſcordiarum memoriam ſempiterna obliuione delendam cenſuit. Brutus & Caſſius lætis omnibus è Capitolio uocati, non prius tamen deſcendere, quàm Antonius & Lepidus uterq; filium ſuum obſides pro illis in capitolium mitterent. Et C. quidem Caſſium cœnæ die illo Antonius, Lepidus Brutum adhibuit. Poſtridie uero eius diei, cum de obliuione diſcordiarum, de prouincijs diuidundis Antonius retuliſſet, ſummo ſtudio ei Senatus aſſenſus eſt, etiā ut Cæſaris acta rata manerent. Magnam tunc omnium iudicio laudem eſt Antonius conſecutus, quòd inteſtinum ſua prudentia ſuſtuliſſet bellū, et recto conſilio ac ciuili animo uſus fuiſſet. Sed mutata mox eius uoluntas eſt, reiq; ad ſeruitutem rurſus & cladem ſpectare cœpit.

tolli deſiderat ſuam. Si fidem deceperit Antonius, morieris: ſi præſtiterit, ſeruies. quòd ad me attinet, fallere malo. Per te M. Tulli, & tres & ſexaginta annos pulchre actos, per ſaluatarem Reip. conſulatũ, per æternam, ſi pateris, ingenij tui memoriam, oro & obteſtor, ne moriaris confeſſus quòd nolueris mori. M. Cicero ſanguinaria illa Triumuirali proſcriptione proſcriptus, ſub aduentũ triumuirorum cedens urbe, primo in Tuſculanũ fugit: inde tranſuerſis itineribus in Formianum, nauim conſcenſurus proficiſcitur. Vnde in altum prouectus, cum modo à uentis aduerſis retro ferretur, modo ipſe iactationem nauis cæco uoluente fluctu pati non poſſet, tædium tandem eum & uitæ & fugæ cepit: regreſſusq; in uillam, Moriar, inquit, in patria ſæpe ſeruata. Satis conſtat ſeruos fortiter fideliterq; paratos fuiſſe ad dimicandum: ipſum deponi lecticam, & quietos pati quod ſors iniqua cogeret, iuſſiſſe. Ecce tibi præſto adeſt Popilius olim à Cicerone defenſus: quem cum armatis militibus poſtquam aduentare proſpexit, Accede, inquit, ueterane, & incide ceruicem. Itaque prominenti ex lectica, præbentiq; immotam ceruicem, caput præciſum eſt, relatumq; ad Antonium. quo uiſo lætus dixiſſe fertur, Peracta proſcriptio eſt. Iuſſuq; eius inter 2. manus in Roſtris poſitũ, ubi ille conſul, ubi ſæpe conſularis, ubi eo ipſo anno aduerſus Antonium, quanta nulla unquam humana uox, cum admiratione eloquẽtiæ auditus fuerat. Vir ſane fuit magnus, memorabilis, ac penè diuinus, & in cuius laudes exequendas, Cicerone laudatore opus fuerit. Ciceronis mortem Cornelius Seuerus iſto elegantiſſimo carmine deplorauit.

Oraq; magnanimum ſpirantia penè uirorum
In Roſtris iacuere ſuis: ſed enim abſtulit omneis,
Tanquam ſola foret rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia conſulis acta,
Iurataeq; manus, deprehenſaq; fœdera noxæ,
Patriciumq; nefas: eſt nunc & pœna Cethegi,
Deiectusq; redit uotis Catilina nefandis.
Quid fauor aut cœtus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt? ſacris exacta quid artibus ætas?
Abſtulit una dies æui decus, ictaq; luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ,
Vnica ſollicitis quondam tutela ſalusq;,
Egregium ſemper patriæ caput, ille Senatus
Vindex, ille fori, legum, ritusq;, togæq;,
Publica uox ſæuis æternum obmutuit armis.
Informes uultus, ſparſamq; cruore nefando
Caniciem, ſacraſq; manus, operumq; miniſtras
Tantorum, pedibus cuius proiecta ſuperbis
Proculcauit ouans, nec lubrica fata deosq;
Reſpexit: nullo luet hoc Antonius æuo.
Hoc nec in Emathio multis uictoria Perſe,
Nec te dire Syphax, non fecit in hoſte Philippo:
Inq; triumphato ludibria cuncta Iugurtha
Abfuerant: noſtraq; cadens ferus Hannibal iræ,
Membra tamen Stygia tulit inuiolata ſub umbras.

## IN ORATIONES PHILIPPICAS CICERONIS
προλεγόμενα [redacted], & primum quidem ipſum argumentum.

M. TVLLIVS Cicero, cum poſt C. Cæſaris mortem Remp. inique & regio more uideret ab Antonio Cæſaris in conſulatu collega tractari, Athenas iter inſtituit, ut à patriæ ſuæ calamitate tantiſper oculos deijceret, dum M. Antonius conſulatu ſuo defungeretur: ut ſimul ac Hircius atq; Panſa conſules deſignati ſuum iniiſſent conſulatum, ipſe Romam rediret. Neq; enim poterat uir alioquin in Rep. ſumma auctoritate, Antonij iuuenilem & effrenatum animum cohibere, neq; illius potentiæ ſine ciuium ſuorũ clade reſiſtere. Erat enim cum per ſe ſatis potens, tum ex Cæſaris bonis auctior, maxime autẽ alterius conſulis cõiunctione factus. Nam P. Dolabella, quem Cæſar eodem anno aliquando in ſuũ locum ſubſtituere conatus eſt, & tamẽ reiectus Antonij interceſſione, poſt Cæſaris cædem conſulatus inſignia accepit, & cum Antonio concordiæ cauſa conſilia ſua coniunxit. Multos exules ciues peſſimos reſtituerunt, multis immunitates dederunt, multorum decretorum tabulas fixerunt, non ex Cæſaris cõmentarijs, ſed ex ſua libidine. Profectus itaq; Cic. & in Siciliam uſq; delatus, uel, ut ipſe dicit, propter uentos aduerſos, & nouum nunciũ cupide auditum: uel, quod mihi ueriſimilius eſt, ob noua aliqua conſilia in itinere reperta & inita, priuſquam in Græciam tranſmiſiſſet, profectionem cõmutauit, Romamq; eſt reuerſus. Poſtridie uero eiuſdẽ diei Antonius ſenatũ habuit de faciendis ſupplicationibus Cæſari. Ad hunc Cicero, quod inſidias metueret, non uenit. Quod factum Antonius irritatus tanquã probrũ uindicare incæpit. Milites enim confeſtim miſit, qui niſi in Senatum deduci uellet, domũ eius demolirẽtur. Sed neutrum, quamuis utrunq; proterue imperaſſet, perfecit. Nam ex quorundam conſilijs atque precibus paululum ex iracundia remiſit, & pignoribus acceptis contentus fuit. Hanc cõtumeliam Cicero ægre ferens, inſequente die in Senatũ uenit. Conſilium abitionis & reuerſionis ſuæ expoſuit, de heſterna iniuria conqueſtus eſt, contra Antonij ſententiã de Cæſaris morte, ſupplicationibus, actisq;, multum criminando Antoniũ, diſputauit. Poſtremo utrunq; conſulem, Dolabellam, qui tum coràm aderat præſens, & Antonium, qui abſens erat, προσωποποιητικῶς commonuit atque reprehendit, ſumma prudentia & conſtantia, cum maxima omnium admiratione.

quod factum eſt, iniũcto regi Lacedæmoniorum Lyſandro for mandæ urbis negotio. Sed rectores illi tyranni facti ſunt, qui oppreſſas ſeruitute tenebant Athenas: ciues quibus fortuna in bello pepercerat, partim expulerunt, partim interfecerunt, plurimorum bona publicata inter ſe diuiſerunt. Thraſybulus Lyci filius Philen cõfugit munitiſſimum in Attica caſtellũ, habuitq; ſecum non plures triginta ex ſuis: & cõparata inde multitudine haud ſanè magna, in Piræum tranſiuit, Munychiãq; muniuit: unde bis tyrãni qui oppugnare adorti erãt, turpiter ſunt repulſi, protinuſq; in urbẽ armis atque impedimentis amiſſis refugere. Critias in ſecundo prælio cecidit tyrannorum dux. Pax facta Pauſania Lacedæmoniorum regis interuentu, his conditionibus, ne qui præter triginta tyrannos & decem qui poſtea Prætores creati pari crudelitate erant uſi, exilio afficerentur. Eleuſinam ij in exilium migrarunt. Interiectis diebus cũ bellum intuliſſent Athenięſibus, cuncti ſunt trucidati. Thraſybulus inſignẽ libertati uictoriam, clariorẽ aliquanto moderationis laude fecit, legemq; tulit, nequis anteactarũ rerum accuſaretur, né ue mulctaretur, omneſq; in hanc legem; quæ nullã præteritarum iniuriarum mentionẽ fieri permittebat, iurare coegit: quo pacto labantem ciuitatis ſtatum in priſtinum habitũ reuocauit. Lex uero illa uocata eſt obliuionis iniuriarum, quã Athenienſes ἀμνηστίαν dicunt. Multi auctores. Valer. lib. 4. tit. de moderatione, Flauius Vopiſcus, Paulus Oroſius, Tranquillius, Probus Aemylius in uita Thraſybuli, Trogus lib. 5. meminere. Græcum uerbum. ] ἀμνηστία, hoc eſt obliuio iniuriarum.

BERO. Græcum uerbum uſurp. ] Amneſtiam ſignificat: ſic enim Græco uerbo obliuio iniuriarum ſignificatur. Super quo hiſtoria talis apud luculẽtos ſcriptores perſcripta eſt: Thraſybulus ciuitatem Athenarum oppreſſam à triginta tyrãnis, cum in libertatem uindicaſſet, atque Atticos palabundos in patriam reduxiſſet, non minori prudentia ac moderatione uſus quàm fortitudine, ad cuncta pacificanda, pacemq; reconciliandam, legem tulit ſaluberrimam, ne quis anteactarum rerũ accuſaretur: ne qua præteritarum iniuriarum mentio fieret: ne quis mulctaretur. Et hanc Athenienſes ἀμνηστίαν uocauerunt, hoc eſt legem obliuionis: qua concuſſus & labans Atticæ Reip. ſtatus in priſtinum habitũ eſt reuocatus. Cic. igitur cũ poſt interfectum Cæſarem Dictatorem iacere conaretur pacis fundamenta inter Romanos tumultuantes, dicit ſe in templo Telluris uſurpaſſe uetus uerbum, hoc eſt amneſtian, ut ita obliuione ſempiterna, memoria diſcordiarũ deleretur, quemadmodum apud Athenienſes Thraſybuli conſilio factitatũ fuerat. De amneſtia Probus Aemylius, Valerius Maximus, Flauius Vopiſcus, Paulus Oroſius meminerunt. Meminit & quadantenus Tranquillus, omiſſo tamen Amneſtiæ nomine, & nos in libro Annotationum copioſius fuſiuſq; cuncta perſcripſimus.

[redacted]. Antequã de Rep. ] Protinus ab initio propoſitionem facit totius orationis generalẽ, quæ ipſa etiam in ſe multo maximam ordinis & diſpoſitionis partem complectitur. Eſt igitur locus docilitatis. Ego cũ ſperarem. ] Initiũ narrationis προοίμιον ex duobus membris. Nec uero uſquã. ] Explanatio poſterioris membri, ideo priori loco poſita, quoniam breuior erat. Græcum etiam uerbum. ] Hanc legem Thraſybulus tulit poſt deuictos & profligatos triginta tyrannos. Erat autem lex ἀμνηστίας, ut ne quis de anteactis accuſaretur, néue præteritarũ rerum mentio fieret, lata communis concordiæ cauſa. Vide Valerium Maximum lib. 4. & Aemylium Probum in uita Thraſybuli.

MATVR. Liberos eius. ] Brutus & Caſſius cũ multa pro cõcordia in æde Telluris uerba feciſſet Antonius, uiſuſq; eſſet recto cõſilio ac ciuili animo uti, eũq; omnes collaudaſſent, è Capitolio (quod interfecto Cæſare occupauerant) principũ ſuaſu in forũ deſcendere, miſſis prius ab Antonio & Lepido liberis, qui obſides pro illis eſſent. Cumq; unũ duntaxat filium miſerit Antonius, liberos dicit. nã quod A. Gel. quoque docet, liberi multitudinis numero etiam unum ſignificant, & tã fœminam quàm marem. Quod à Lepido quoq; factũ eſt, uni tribuit Antonio. Domi de Repub. ] De actis & commentarijs Cæſaris. Hunc ord. ] Senatorium. Res optimas. ] De quibus Senatores deliberarent. In Cæſaris commẽtarijs. ] Sunt cõmentaria libri in quibus nudæ res ſignantur, & quædã initia duntaxat. Seneca in Declamationibus: Sine cõmentario nunquam dixit, nec commentario contentus erat, in quo nudæ res ponuntur. Cic. in Bruto: Non eſt oratio, ſed capita rerũ, et orationis commentarium. Dicitur commentarium et cõmentarius. A. Gel. Eſt adeo Probi grãmatici cõmẽtarius ſatis curioſe factus.

Num qui ex reſt. ] Ac ſi diceret, nulli. plures enim poſtea ſunt reſtituti, multi electi, in Cæſaris cõmentarijs minime notati, et ut eijcerẽtur deſcripti. Vnum aiebat. ] Reſtitutũ eſſe ex Cæſaris cõmentarijs. Num immunitates datæ. ] Sic ex Antonio quærebatur à quopiam. quaſi dicat, nullæ. Seruio Sulpitio. ] Iuris prudentiſſimo, & eloquẽtiſſimo. Decreti. ]. Quo aliquid alicui adimeret. Beneficij. ] Quo aliquid alicui conferret. Vel decreti in re publica beneficij in priuata.

BERO. Vnum aiebat, præterea neminem. ] De quo exule reſtituto intelligendum ſit, non temere reperias qui tibi expliret. ſignificatur autem Sext. Clodius P. Clodij filius infeſtiſſimi M. Tullio, ſuper qua re extant M. Antonij & Ciceronis epiſtolæ. ſic enim ſcribit M. Antonius: A Cæſare petij, ut Sextum Clodium reſtitueret: impetraui.

[redacted]. Præclara tum or. ] Explanatio prioris mẽbri in initio narrationis per enumerationem, qua probat iuſtã quandoque ſpem fuiſſe tranquillioris & melioris Reip. Vnũ aiebat, præter. ] Sext. Clodium aiebat P. Clodij filium, qui precibus Antonij à Cæſare eſt reſtitutus.

MATVRANT. Quæ uim iam. ] Nam Sylla prius, inde Cæſar perpetuam ſibi dictaturam aſſumpſerunt.

Obſederat. ] Nõ potuit uti aptiore uerbo. hoc eſt occupauerat. Regno. ] Cuius nomen & inimicum libertati, & Romanis inuiſum. nam re uera rex fuerat Cæſar, et regis uſus poteſtate, etſi Dictatoris tenuerat nomen. Sæpe iuſtum fuiſſet. ] Non niſi in magno Reipub. diſcrimine creari Dictator conſueuit. ſtatimq; re perfecta ob quam creatus fuerat, Dictatura ſe abdicabat: neque ultra ſex menſes retinere illam fas erat. Summa ei fuit poteſtas, à qua nulla erat prouocatio ad alium magiſtratum. In caput ciuis Romani animaduertebat, omniſq; Reſpub. penes illum erat. Quòd futurus dictaret magiſtratus, appellatũ eſſe Dictatorẽ Varro ait. Alij, quod eius dicto audientes eſſent omnes. Sæpe Dictatura utiliſſima Reip extitit, cum alicuius uiri conſilio et opera, metus diſcuſſus eſt ſedato bello, hoſteſq; repreſſi. L. Quintius Cincinnatus, quẽ tres pida ante boues Dictaturam induit uxor, bello Sabino & Volſco, obſeſſo ad Algidum Minutio Conſule uictis hoſtibus, ſextodecimo die poſt quàm acceperat dictaturã, depoſuit, ad agriculturam reuerſus. Iterũ uiginti annis poſtea Dictator creatus difficillimo & periculoſiſſimo Reip tempore, Sp. Melio oppreſſo, qui regnum affectabat, Dictatura ſubito abije. Idem & Camillus bello Gallico, idem & alij complures uarijs temporibus belliſq; & periculis diuerſis præſtitere. Semper utilis Reipublicæ Dictatura fuit, antequam Sylla & Iulius Cæſar ſub Dictatoris nomine tyrannidem arriperent, & honeſtũ prius nomen impotentia & diuturnitate corrumperent. Regno. ] Regia poteſtate, qua per omnia uſus eſt Cæſar. Regni timore. ] Sublata penitus Dictatura. Vncus impactus eſt. ] Nam unco tractus eſt, & in Gemonias abiectus, qui puniendi damnatos Romanis mos fuit. Ouid. in Ibin: Perq; uias urbis populo plaudẽte traheris: Infixuſq; tuis dentibus uncus erit. Trãquillus, Nemo

punitorũ non in Gemonias abiectus, uncoq; tractus in Tiberim. Erãt autẽ ſcalæ Gemoniæ ad rupem Tarpeiam, unde damnati in Tiberim deijciebantur: ſic à Gemonio quodam dictæ, qui primus eſt deiectus. Per hunc autẽ quem fugitiuũ uocat, C. Amatium ſignificat, qui humillimæ ſortis homo, ut ait Liuius, prioris Marij filium ſe falſo prædicabat. Cumq; ob hanc ſimulationẽ C. Cæſaris putaretur affinis, (nã C. Marius Iuliã habuit uxorem Iulij Cæſaris amitam) & eius interitũ ferret permoleſte, plebem ad res nouas moliẽdas ſolicitabat, & Senatui cædem minabatur. Aram uero ante rogũ Cæſaris in foro conſtituerat, collectaq; audaciorũ manu, ijs qui effugerant in Capitolium, tremendum ſe præſtiterat: quorum nõnulli in prouincias quas ſortiti erant uiuo Cæſare, abierunt: C. Brutus in Ciſalpinam Galliam, Trebonius in Aſiam quæ circa Ioniam eſt, Tullius & Cimber in Bithyniã. Caſſius & M. Brutus, quibus Senatus plurimum fauebat, ſortiti & ipſi ſequentis anni prouincias, Syriã Caſſius, Macedoniam Brutus: cum urbani Prætores adhuc eſſent, & neceſſitate adeſſe in urbe cogerentur, lege prohibuerũt ne cui extra uigeſimum annum prouinciæ adminiſtratio conferri poſſet. Exortus eſt rumor, Amatium ipſum cum his agitare conſilia, & Antonio unà inſidiari. qua re motus Antonius, in eos prius inuectus, Amatium cepit, et perdidit nullo iudicio exhibito, audacter admodum: quod opus ut arduum iniquumq; Senatus admiratus eſt, habitaq; utilitatis ratione diſſimulanter tulit, intelligens, abſque huiuſmodi audacia, quæ ad Brutũ pertinebant, & Caſſium, in tuto collocari nõ potuiſſe. Sed et milites & populus Amatij deſiderio, ob quẽ re uera Antonius populo acceptus fuerat, dolore nimio affecti, ut qui ab Antonio ſpernerentur, forũ clamoribus opplevere, probra in Antoniũ iacientes, magiſtratus quoq; adhortantes, ut Amatij loco arã quã dixi frequentarent, & Cæſari in ea ſacra facerent. ſed ab Antonij militibus foro ſunt pulſi, et idcirco longe maiori affecti indignatione uociferabãtur. Aliqui ex Cæſaris amicis imagines eius proferebant, quoad miſſis ab Antonio militibus, reſiſtentiũ alij occiſi, alij capti ſunt, ſerui quidã cruci affixi, liberi nonnulli ex alto quodã loco præcipites dati, quo pacto ſedati tumultus: ſed odium ingens ex magna populi beneuolentia in Antonium cõflatum. Hæc ferè Appianus.

BERO. Vncus impactus eſt.] Catum Amatium ſignat, qui humillimæ ſortis homo ſe ferebat Marij filium, qui perinde ac Cæſaris neceſſarius, aram illi interfecto conſtituerat, collectaq; perditorum manu, ſeſe formidandum exhibebat. hunc Antonius interemit. quod facinus Senatores demirati ſunt, & approbauerunt. Auctores Appianus & Liuius.

[redacted] Multa prætereo.] Pulchra cõmonitio, ad augẽdã fidẽ cũ breuitate orationis. Lux quædã uidebatur.] Declinatiuncula ἐπιφωνηματικῶς κατ᾽ ἐπεξεργασίαν ad orationis grauitatem, & exaggerationẽ. Liberatus cædis periculo.] Aptus reditus ad ipſam enumerationem. cuius tametſi extremũ & unicum membrum eſt, tamen magnum pondus habet. Nam C. quendam Amatium, qui ſe filium C. Marij, et propterea Cæſaris affinem falſo dictitarat, hominem poſt Cæſaris necem popularẽ & ſeditioſum, Antonius indicta cauſa interfecit, ad Gemoniaſq; ſcalas unco infixo trahi curauit: quo facto ſummam ſuam erga Cæſaris percuſſores uoluntatem declarauit. Vide Appianum & Florum.

MATVR. Cum collega.] Ab Antonio facta cum collega Dolabella. Cũ ſerperet.] Poſt trucidatũ Amatiũ. Iidemq; buſtum.] Qui Amatium erãt ſecuti. hoc propter Cæſaris imagines dicit in foro concrematas. Qui illã inſepultã ſepulturam.] Nam quotidie aliquã Cæſaris cremabãt imaginẽ, tanquam crematus iam non eſſet. Quotidie.] Poſt crematũ Cæſarem. Talis animaduerſio.] Appianus Antonio tribuit, quæ Cic. Dolabellæ. Sunt alia quæ Dolabella fecit ſine collega, quæ cõmunia, inquit, fuiſſent cũ Antonio, niſi abfuiſſet Antonius. Dolabella ijs qui in Cæſarem coniuraſſent, ignoſcendũ eſſe prædicauit, & dolere ſe, quòd ipſe quoq; manu à Cæſaris cæde abfuiſſet. Dolabellæ tunc maxime omnes confidebant, quem quia ut iuuenem & Conſulẽ aduerſaturũ Antonij conatibus exiſtimabãt, deſcendere è Capitolio Brutus & Caſſius, & in media cõſiſtentes multitudine, nihil timidum locuti ſunt: ſed populum adhortati, ut ſuos imitari maiores uellet: qui reges nõ uti, ut Cæſar, ſed lenitate & legibus imperantes, paſſi tamen non fuerãt. Hæc et plura cum dixiſſent, confeſtim in Capitoliũ, non ſatis fidentes rebus præſentibus, ſe recepere. Antonius uero & Lepidus ſimulata cum interfectoribus concordia, et pacẽ pollicẽtes, ſed ulciſci Cæſarem uehementer cupientes, effecerũt ut Cæſaris teſtamentũ L. Piſone ſocero eiuſdẽ poſtulãte aperiretur. apertũ recitatumq; eſt in Antonij domo. Funus inuitis pluribus ex Senatoribus, et in primis Caſſio, etſi Brutus nõ abnuebat, indictũ eſt. Rogus in campo Martio extructus iuxta Iuliæ tumulũ. pro roſtris aurata ædes ac ſimulacrum tẽpli Veneris genitricis collocata, intraq; lectus eburneus, auroq; ac purpura ſtratur: ad caput trophæum cũ ueſte in qua fuerat occiſus. Pronũciauit Antonius per præconem Senatuſcõſultum, quo omnia ſimul ei diuina atque humana decreuit. Concrematum cadauer eſt in foro ante curiam, congerente turba arida uirgulta cũ ſubſellijs & tribunalibus: nam rogus in campo Martio extructus fuerat. Et cum uariæ eſſent ſententiæ ubi cremandus Cæſar eſſet, repente duo quidã gladijs ſuccincti, ac bina iacula geſtãtes, ardẽtibus cereis ſuccenderunt. Laudatione, quam habuit, ſic plebem accendit Antonius, ut confeſtim à funere ad domum Bruti et Caſſij tetenderit, ægreq; repulſa fuerit. Tunc mirifica apparuit Dolabellæ opera in reprimenda perditorũ audacia. Illius euerſæ columnæ.] Quam ſolidam propè XX. pedum lapidis Numidici illi ijdem Amatij ſectatores, & plebs in foro erexere, ſcripſereq; Parenti Patriæ. apud quã lõgo tẽpore ſacrificare, uota ſuſcipere, cõtrouerſias quaſdã interpoſito p Cæſarẽ iureiurãdo, diſtrahere pſeuerauere, ut ait Trãquillus. Ab illo uno die.] Quo ſcelerati repreſſi, & columna à Dolabella euerſa. Ecce enim.] Ciceronis eſt, in rebus improuiſis hac particula uti: ut in Verrem, Ecce autem repente ebrio Diomede, eſurientibus cunctis. Quod cum cura Virgil. & legit et tranſtulit, ut ait Aſconius, Ecce autem gemini à Tenedo. Et, Ecce manus iuuenem interea poſt terga reuinctum. Edixerat.] Antonius. & proprio uſus eſt uerbo. magiſtratum enim edicere eſt, hoc eſt iubere, unde edicta Conſulum, ac Prætorum. Per ipſum.] Antonium. Conſules deſignati.] Hircius & Panſa Calend. Ianuar. proximis conſulatum inituri. Patriæ liberatores.] Quia abierant in prouincias, ut dictum eſt. Cuius à ceruicibus.] Effictio eſt. nam rei inanimatæ dat quod eſt animatæ, ceruices ſcilicet urbi. Et in concionibus.] In conuentu populi & multitudine, in loco publico. In ſermone.] In loco priuato, & inter amicos. Veterani.] Cæſaris milites, qui eum in bellis ſecuti fuerant, & tunc partim in Macedonia, partim ad Brundiſium erant. Cauerat.] Proſpexerat eorum laboribus. præmijs conſulens, & aſſignatis agris. Quas habebant.] Poſſidebant aſſignatas à Cæſare & Senatu. Incitabantur.] Ab Antonio & Lepido ad bona interfectorum diripienda. Audire mallem.] Nam quod ipſe ait Cic. in Epiſt. Lentius in animum deſcendunt quæ audiuntur, quàm quæ uidentur, minusq; commouent. Ius legationis liberum.] Oblatum à Dolabella, qui in Syriam proficiſcebatur. Liberum.] Poteram enim pro meo arbitrio legatus proficiſci, uel non. Senatus cogendi.] Tunc enim non cogebatur: nam pro ſua libidine cuncta gerebat Antonius. Fore uero ſperabat Cic. ut Coſſ.

Hircio

Hirtio & Panſa et ipſe aliquid in Senatu auctoritatis haberet, & Senatus per Conſules cogeretur, cum prius domi Antonij, abſente Senatu, & populo etiam inuito, omnia agerentur.

BERO. Euerſio execratæ columnæ. ] Non ſat liquet an hæc illa ſit columna quam plebs Romana in foro ſtatuit Cæſari Dictatori ſolidam propè uiginti pedũ lapidis Numidici: inſcripſitq; Parenti patriæ. Nam ne credamus hanc hoc in loco ſignificari, facit Suetonius, qui ſcribit quemadmodum apud eandẽ columnã longo tempore ſacrificare & uota ſuſcipere, et controuerſias quaſdam interpoſito per Cæſarem iureiurãdo diſtrahere populus R. perſeuerauerit. In Epiſt. ad Att. dilaudans hoc facinus Dolabellæ ſic inquit: O mirificũ Dolabellã meum: colũnam tollere, locum illum ſternendum locare. Quid quæris heroica? In hunc ſenſum Lactant. lib. 1. ſic refert: Quod ſi Cõſul nõ fuiſſet Antonius, C. Cæſar pro ſuis in Rep. meritis etiã defuncti hominis honore caruiſſet, & quidem conſilio Piſonis ſoceri, et L. Cæſaris propinqui, qui uetabant funus fieri: & Dolabellæ Cõſulis, qui columnã in foro, id eſt titulum eius euertit, ac forum expiauit: Infra dicet buſtum Cæſaris in foro euerſum eſſe à Dolabella. Cal. Iunijs immutata omnia. ] In Epiſt. ad Atticũ, Nonne meminiſti clamare, te omnia periiſſe, ſi ille funere elatus eſſet? ſapienter id quidem. Itaque ex eo quæ manarint, uides. Quæ ſcribis Calend. Iunijs Antonium de prouincijs relaturum, ut et ipſe Gallias habeat, & utriuſque dies prorogetur, licebit'ne decerni libere? Haberẽ ius legationis liberũ. ] Sic in omnibus ferè Tullianis codicibus legi ſolet, et exponi liberum ius, ut intelligamus fuiſſe in arbitrio Ciceronis utrum legationẽ ab Dolabella oblatam ſuſcipere uellet, an renuere: ſed mihi purior lectio & uerior uidetur eſſe ſi legas, ius legationis liberæ. ſunt enim quædam legationes partim uotiuæ, partim liberæ nũcupatæ. Votiuã legationem ex eo dictam autumant, ꝙ ſumitur ad uota diſſoluenda. Liberam uero legationem ex eo opinor appellatã, quòd libera ſit, & ad quamcunque nationem: quæ impetrari ſolebat à Senatu tanquam cauſa proficiſcendi honeſta, & uelamentum, ut ita ſub nomine legationis honorifico procul à patria ciues eſſe poſſent. Interdum liberæ legationes exigendi cauſa petebantur. quod multi boni uiri ſæpe fecerunt, ut docet M. Tull. in orat. pro Flacco. De libera legatione mentionem facit D. Brutus his uerbis: Cum in his anguſtijs uerſarer, placitum eſt mihi, ut poſtularem legationẽ liberã mihi, [illegible]ſpiris, ut aliqua cauſa proficiſcendi honeſta quæreretur. Idẽ M. Tull. in epiſtola quadam ad Q. fratrem ſic inquit: Illud autẽ quod cupit Clodius, eſt legatio aliqua, ſi minus per Senatum, per populum libera, aut Byzantium, aut Brogitarum, aut utrunque, plena res nummorum. Liberæ legationes uidebantur habere definitũ tempus quinquennij ex lege Iulia. Verum ne dubitemus hoc in loco legendum eſſe, ius legationis liberæ, euidenter oſtendit M. Tull. epiſtola quadam ad Atticum ſcribens ſibi legatione opus eſſe, honeſtiorem eſſe libera uotiuam. Sed licet, inquit, uti utraq; . atq; inibi ex interuallo, Dolabella, inquit, me ſibi legauit ad quartum Nonas Apriles. id mihi heri ueſperi nunciatum eſt. Votiua ne tibi quidẽ placebat. Item, Cogites quid agẽdũ nobis ſit ſuper legatione uotiua, quòd in his locis moneor à multis ne in Senatu Cal. adſim.

MATVR. Nõ ſine cauſa. ] Timebat enim inſidias, & Cæſaris ueteranos, qui ad Brunduſium ciuitatem Iapygiæ in Calabria erãt, quã Cretenſes habitoſſe memoriæ proditum eſt, qui è Gnoſſo cum Theſeo diſceſſerunt. Portus Brunduſinus commodiſſimus eſt: multi enim uno ore portus includuntur, qui nulla fluctuum agitatione turbãtur, cũ interni ſinus excipiãt, ut forma ipſa cerui cornibus ſimillima ſit, unde nomen inditũ. locus enim cum urbe, ceruino capiti maxime eſt comparãdus: et M. ſapiorum lingua Brunduſium cerui caput nominatur, Strabo auctor. Brũduſio ſoluebãt Romani in Græciã et Aſiã nauigaturi, redeuntesq; inde Brunduſium appellebant. Syracuſas. ] Vrbs eſt Siciliæ, quam Archias è Corintho nauigans condidit, & agri fœlicitate, et naturali portuũ cõmoditate inſignis, tribus annis obſeſſas M. Marcellus expugnauit, & diripuit. tantum ut mulieribus et templis parceretur edixit. Tranſmiſſio. ] Tranſitus & traiectio. Tranſmittere, trãſire. Virg. Alia de parte patentes Tranſmittunt curſu campos. Cõiũctiſſima ]. Omnis Sicilia fuit Ciceronis ſtudioſiſſima, propter quæſturã illic integerrime adminiſtratã. Neceſſarios. ] Amiciſſimos Siculos. Leucopetrã, quod eſt promontoriũ agri Rhegyni. ] Quid mirum ſi ſuperior locus librariorũ & literatorũ negligentia tã inſigne mendum accepit, ut uinctus pro uncus ſcriberetur, cum hic locus quem ẽt indoctis apertũ eſſe conueniebat, tã temere ſit deprauatus? Quis enim ignorare potuit Leucopetrã non Siciliæ, ſed Italiæ & Calabriæ atque agri Rhegyni promontorium eſſe? quod et ipſa indicãt Ciceronis uerba. Ait. n. Leucopetrã ex Sicilia relatũ ſe uentis. Cum agri Rhegyni ſcribẽdũ fuerit, ſicut & Cicero ſcriptum reliquit, Agrigenti ſcriptũ ab imperitis eſt. Leucopetra Calabriæ eſt promontorium, ſic à colore uocatum: albũ enim apparet. è Rhegyo ad orientẽ nauiganti occurrit per ſtadia quinquaginta. montis Apænini finem eſſe dicunt. Strabo. Intempeſta. ] Inactuoſa, non habens idoneum tempus rebus gerendis. In uilla. ] Quæ in agro erat Rhegyno. Comitis. ] Qui Ciceronis comes erat itineris, & idem familiaris atq; hoſpes. Is eſt P. Valerius, ad quem eſt Ciceronis epiſtola lib. 1. ad Lentulũ, cuius initium eſt: M. Tullius Cicero Pub. Valerio iuriſc. ſalutem dicit. Cur enim tibi hoc non gratificer, neſcio. Cũ nõ eſſet, quoniã parũ peritus iuris, uideri tamen uolebat & uocari iuriſconſultus: quod in epiſtola quæ eſt in principio 3. libri ad Appiũ Pulchrũ melius cognoſcitur. Municipes Rhegyni. Ex Rhegyo municipio. Quid ſint municipes, A. Gellius docet lib. 15. cap. 13. Rhegyum uero Chalcidenſes condidere, qui cũ ex oraculo decumatim Apollini oblati fuiſſent, è Delphiſeò deduxiſſe coloniam feruntur, alijs ſecum aſſumptis ſic dictum eſt, quoniam eo loci conditum fuit, ubi terræmotu Sicilia eſt ab Italia auulſa interueniente anguſto freto. ῥήγνυμι frangi eſt.

Roma. ] Hoc eſt à Roma. Recentes. ] Qui nuper uenerant ab urbe. Accipio. ] Intelligo. Virg. Accipe nunc Danaum inſidias. Concionem. ] Orationem habitam in Senatu, qua Sex. Pompeium ex Iberia acciri ſuaſit, ubi aduerſus Cæſaris Prætores bellum gerebat, eiq; pro paternis bonis in publicũ redactis, uicies et quinquagies X mille drachmas Atticas decreuit rependi: maris quoque præfectum inſtitui debere, quẽad modum & parens eius olim extitiſſet, rebusq; urguentibus Romanorũ claſſe ubicunque ea eſſet, uti poſſe. Senatus ſingula admiratus conceſſit, Antoniumq; per uniuerſum diẽ laudibus immenſis extulit. Non enim quiſpiam eo popularior fuiſſe uidebatur: quamobrem deſiderabatur ab omnibus. Caſſius porrò et Brutus qui ex Pompeiana factione eſſe dicebantur, tunc quidẽ in honore habiti, ſalutem indubiã adipiſci putabantur. Senatus Antonio conceſſit, ut contra uulgi inſidias cuſtodiam corporí adhiberet. Ille uero ad ſex millia militũ coegit, in quibus eos qui ſub Cæſare militarant, & ordines duxerant: qua multitudine eſſe formidoloſus poſtea cœpit omnibus. Ea lecta. ] Eſt enim in ſcriptis ad Ciceronem perlata.

[redacted]. Expoſui P. C. ] Tranſitus ad alteram partẽ expoſitionis ex periodo bimembri, κατὰ κῶλον, uel ut alij uocant, per conuerſionem breuiter & abſolute. Quæ plus habet adm. ] Propterea ẽt auditu iucundior. Omnis trãſitus docilitatis locus eſt, hic etiam attentionem habet. Non ſine cauſa. ] Propter ueteranos, qui Brundnſij erant. Quæ tamen urbs. ] Declinatiũcula. magis. n. feſtinationẽ ſuã et animi dolorẽ oſtẽdit ꝙ narrationẽ ꝓpetuet. Veritus ſum ne. ] Ἀπολογία ad probitatẽ ingenij ſui innuendã. Cũ autẽ me. ] Cõtinuatio

narrationis. Eſtq́; hic locus plenus ſignis uериſimilibus πιθανοῖς, & ipſo rei inſperato exitu iucundam expoſitionem habet. Ex his quidẽ. ] Hactenus ita ex circunſtantijs temperauit orationẽ, ut in ſumma feſtinatione neceſſaria mora facta eſſe uideatur. Nunc cauſæ reditus rurſum per enumerationẽ exponuntur. M. Antoni Concionem. ] Δημηγορίαν. Hanc in Senatu habuit pro Sex. Pompeio Cn. filio, qui id tẽporis in Iberia bellum gerebat contra Cæſaris Pretores. Hunc reuocãdũ in patriam ſuaſit, & pro patris bonis, quæ in æde Opis in publicum redacta erant, uigeſies & quinquagies decies mille drachmas atticas reſtitui, et præſidem maris inſtitui debere cenſuit.

MATVR. Edictum Bruti & Caſſij. ] Qui Prætores erant urbani. Fuit autem hoc edictum, ne cui intra uigeſimũ annũ prouinciæ adminiſtratio dari poſſet: quod iniquo animo tulerat Antonius, erepta ſibi, adoleſcentibus, qui audatiores ſolet eſſe, gratificandi poteſtate. Remiſſis Gallijs. ] Quarum Ciſalpina D. Bruto cum tribus legionibus, Tranſalpina Munatio Plãco obtigerat. Sed Ciſalpinam ſibi Macedoniæ loco, quæ ei obuenerat, concedi à Senatu poſtulabat Antonius, id animo agitãs à Cæſare è Gallia redeunte Pompeiũ oppreſſum. Senatus periculum animaduertens, ſolicitus cœpit eſſe: et ſubeſſe inſidias intelligens, miſit qui nũciarent D. Bruto, prouinciã retinere, exercitũ alium ſcriberet, quo Antonio obſiſteret. Veliam deuectus. ] Oppidum in agro Lucano Velia eſt, quã ex terra Phocide fugati ab Harpalo Regis Cyri præfecto condiderunt. auctor A. Gellius. Græci Heleam dicunt, quoniã intra paludes ſita eſt, quas illi ἕλη uocant. Cum inſolentior fieret in dies Antonius, et magis magisq́; timendus eſſet, Brutusq́; & Caſſius tutum nihil intuerẽtur, etſi Vrbani Prætores, uelut privati tamen degebãt, inclinabant ad fugam. Quorũ uoluntate cognita, Senatus eis frumenti ex omnibus locis conuehendi curam iniunxit, ut ſub honoris prætextu Vrbe excederent, et minime uiderentur effugere. Ergo Veliæ Cicero offendit Brutũ. Pulcherrimi facti conſcientia. ] Quòd Cæſarem occiderat, & patriam ſeruitute tyranni liberauerat. L. Piſonis. Cuius filiam Calphurniam uxorẽ habuit Cæſar. Is L. Piſo ſuaſerat deponenda arma, ad Senatus auctoritatem omnia referenda, libertatẽ conſeruandã. longa uero oratione Antonij accuſauerat impotentiã, & de mutata uoluntate erat cõqueſtus pluribus. Magno animo hortatus fuerat, ut ei occurreretur, & ut C. Octauius, quem Iulius in familiam nomẽq́; ſuum adoptauerat, reuocaretur, qui Antonij audaciæ & conatibus obijceretur. Is primus uel ſolus potius diſſuaſit parentalia cũ ſupplicationibus Iulio decernenda, quod retulerat & uolebat Antonius: magna contentione multis contra diſſeruit rationibus: ſed parũ eſt adiutus ab ijs à quibus uel in primis debuerat. Cicero in epiſtola ad Caſſiũ, Ita nec Piſoni, qui in eũ primus inuectus eſt, nullo aſſentiente: nec mihi, qui idem trigeſimo poſt die feci; nec P. Seruilio, qui me eſt conſecutus, tuto in Senatum uenire licet. Cædẽ enim gladiator quærit. Is tamen L. Piſo poſtea Antonij abſentis defenſor contra Ciceronem extitit.

ASCEN. Sed ut ſi quid mihi humanitus &c. ] Loci huius enarratio apud A. Gellium eſt li. Noct. At. 13. c. 1. Præter naturam, inquit, præterq́; fatũ, an utrunq; idẽ ualere uoluerit, fatum atque naturam: et duas res ἀνθ' ἑνὸς ὑποκειμένου, περιεχομένου καὶ φύσιν: an uero diuiſerit ſeparaueritq́, ut alios ſua natura ferre uideatur, alios fatum, conſiderandum equidẽ puto. Atque id maxime requirendum, qua ratione dixerit accidere multa humanitus poſſe præter fatum, quando ſic ratio et ordo et inſuperabilis quædã neceſſitas fati cõſtituitur, ut omnia intra fatum claudenda ſint, niſi illud ſanè Homeri ſecutus eſt.

Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον ἄϊδος εἰσαφίκηαι.

Nihil autem dubium eſt, quin uiolentam & inopinatã mortẽ ſignificauerit, quæ quidẽ poteſt rectè uideri accidere præter naturam. Sed cur id quoque mortis genus extra fatum poſuerit, neque operis huius eſt explorare, neque tẽporis. Illud tamen non prætermittendum eſt, quod Virgilius quoque idipſum quod Cicero, de fato opinatus eſt, cum hoc in 4. lib. dixit de Eliſa, quæ mortem per uim potita eſt.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat:

Tanquam in faciendo fine uitæ, quæ uiolenta ſunt, non uideantur è fato uenire. Demoſthenis autem uiri prudentia pari atque facundia præditi uerba idem ferè ſignificantia de natura atq; fato, M. Cicero ſecutus uidetur. Ita enim ſcriptũ eſt in oratione illa egregia cuius titulus eſt περὶ στεφάνου. ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι νομίζων μόνον γεγενῆσθαι, τὸν τῆς εἱμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει. ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν ἀποθνήσκειν ἐθελήσει. Quod Cicero fatũ atque naturã uidetur dixiſſe, id multo ante Demoſthenes τὴν πεπρωμένην καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον appellauit. αὐτόματος enim θάνατος, quaſi naturalis & fatalis, nulla extrinſecus ui coactus uenit. Hactenus Gellius.

BEROAL. Præter naturam præterq́; fatum. ] Cõſiderandum atque id maxime requirendum putat A. Gel. qua ratione dixerit accidere multa humanitus poſſe præter fatũ, quãdo ſic ratio & ordo & inſuperabilis quædã neceſſitas fati conſtituitur, ut omnia intra fatũ claudenda ſint. Nihil autem dubiũ eſt quin uiolentam & inopinatã mortem ſignificauerit, tãquam in faciendo fine uitæ quæ uiolenta ſunt, non uideantur è fato uenire, ſintq́; præter naturam. Virgilius quoq; id ipſum quod Cicero de fato opinatus uidetur, cum in 4. Aeneid. de morte Didonis uiolenta ſic ſcriberet,

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat:

Hoc eſt, non ſecundum inſtitutum naturæ, quod fatis attributum eſt Hominibus, ſcilicet ut nulla ui adhibita moriãtur. Hinc enim difficilis mors eſt, cũ non conſenſu naturæ ſpiritus redditur, ſed extorquetur uiolẽta, et extruditur ante diẽ quo natura potuit afferre cõſenſum. Græci βιοθάνατον uocant mortẽ uiolentam, et βιοθανάτους homines qui uiolenta morte perimuntur. de quibus frequens mentio apud Firmicum Maternum. Contra Demoſthenes θάνατον αὐτόματον appellat ſuæ ſponte mortem, quã naturalẽ intelligi uult, quaſi naturalis & fatalis ille ſit obitus, qui nulla extrinſecus ui coactus uenit.

[redacted]. Nec multo poſt. ] Edictum Bruti erat ne cui intra uigeſimum annum prouincia obueniret. quod factũ erat à Bruto & Caſſio urbanis prætoribus contra Antonij potentiã, qui minor his annis erat. Fit enim plerunq; παρένθεσις γνωμολογικὴ ad fidem narrationis. Remiſſis Gallijs. ] Nã harũ Ciſalpina D. Bruto cũ tribus legionibus obuenerat. Trãſalpinã Munatius Plancus ſortitus erat: Ciſalpinã Antonius loco Macedoniæ poſtulabat: quæ res ſuſpecta Senatui fuit, eoq́; Bruto ſignificauit ut prouinciam retineret, et contra Antonium maiorem manum faceret. Dum uero tanta. ] Συμπεριφορὰ τῶν pulchra ὑπερβολῇ ornatum, moderatũ etiam breuiuſcula occupatiuncula ad beneuolentiã augendã. Atq; ego celeriter. ] Declinatio tum ad Brutum ἐπαινετικῶς commendandum, tum ad cauſam eam commendandã à perſona L. Piſonis. Erectus. ] Τὸ προτρεπτικὸν hic locus habet, propter libertatem orationis.

Ex quo primum. ] Pars altera declinationis etiam, tamen ſuperiori coniuncta, ut cauſa fuiſſe illa uideatur maturãdi reditus. Hũc igitur ut. ] Reſumptio cõcluſionis κατ' ἐπεξήγησιν.

MATVR. Vtriuſque conſilij. ] Profectionis & reuerſionis. Confido. ] Credo, tum in præterito, ut hic: tum in præſenti, ut Cicero in principio de Offic. Quanq̃ à Cratippo noſtro principe huius memoriæ Philoſophorum hæc te aſſidue audire atque accipere confido. in futuro, ita fore confidimus. De heſterna &c. ] Qui minatus in Senatu eſt, cũ reduſſet Cicero, & in eo ordine non affuiſſet, miſſurum ſe fabros qui domum

demolirentur,

demolirentur, & milites qui inuitum traherent: poſtea uero acceptis pignoribus, reliquis abſtinuit. Hánibal credo &c. ] Qui poſt Cannenſum pugnam caſtra poſuit ad Anienem ad tertium ab urbe lapidem, urbem obequitauit, & haſtam intra Romana mœnia iecit: quo tempore magna Romæ trepidatio fuit.

De Pyrrhi pace. ] Hic Epirotarum rex fuit. accerſitus à Tarentinis, pro illis aduerſus Romanos uario euẽtu bella geſſit. ad uigeſimum ab urbe lapidem caſtra metatus eſt. Cum de pace cũ eo ageretur, & potentiorum per Cyneam legatum fauor quæreretur, Appius ſenex & cæcus lectica in Senatum latus turpiſſimas conditiones magnifica oratione diſcuſſit, uſus uerbis quæ ex Ennio recitauit Cicero in Catone Maiore: Quò uobis mentes rectæ quæ ſtare ſolebant Antehac, præcipiti ſeſe uertere ruina? Luminibus captus eſt, quoniam Potitijs ut Herculis ſacra publicos ſeruos docerent, perſuaſit. De ſupplicationibus. ] Decernendis unà cum parentalibus in honorem Iulij, cum tamen ex ueteri more & ſemper cuſtodito duorum, trium, aut plurium dierum pro re ab aliquo bene geſta decerni ſolerent, & præuiæ eſſe triũphi plerunque. Ibant autem Sacerdotes per urbẽ tẽpla adeuntes, ſupplicantes dijs, & gratias agentes. Quoties autem de ſupplicationibus referendum erat, ab amicis illius cuius gratia decerni poſtulabantur ipſæ ſupplicationes, in Senatũ precibus Senatores conuocari ſolebant. Gratia. ] Cauſa De triumpho. ] Cuipiam decernendo. Sine cura. ] Cogendi per uiatorem Senatores, quando de ſupplicationibus aut triumpho agendũ. nam cogendi laborem ipſis relinquunt, quorum de honore agitur. De uia languerẽ. ] Ex itinere feſſus eſſem,

Fabris. ] Demolitorijs. Multiplex enim faber eſt, lignarius, ferrarius, lapidarius. Diſturbaturum. ] Demoliturũ. Publice ex &c. ] Infeſtante P. Clodio Tribuno pleb. & Piſone ac Gabinio Coſs. cum poſſet armis contra uim defendere ſe, cedere maluit Cicero: mediaq; nocte urbem egreſſus, exul factus eſt. Villæ eius incenſæ, uaſtati agri, bona ſub haſta uendita, domus diruta: & quò ſolum quoque auferretur, ædes Libertatis in area exædificata. Reſtituto Cic. decimo et ſexto menſe poſt domus publica impenſa reædificata: in quam, etſi numini ſacrata fuerat, Ciceronem pontifices, Coſs. Prætores collocauerunt: quod in oratione contra L. Piſonem ipſe ait.

BERO. Coguntur non pignoribus. ] Mar. Varro in libris epiſtolicarum quæſtionum diſſeruit de pignore capiendo, deq; mulcta dicenda Senatori, qui cum in Senatũ uenire deberet, non adeſſet. nam Senatores infrequentes captis interdum pignoribus mulctabantur. Ex Senatus ſententia ædificatã domum. ] Intelligi planè uult domum ſuam, quam olim Clodius incendiſſet, mox Senatus cenſuit publica pecunia ædificandam. Gloriatur Marcus Tullius in oratione contra Piſonem, ſibi, quod antea nemini, pecuniam publicam ad ædificandam domum fuiſſe decretam. Quod non tam hiſtorico more, quàm oratorio, ut inquit Aſconius Pædianus, uidetur poſuiſſe. Nam multis ætatibus ante Ciceronem nulli id contigiſſe uerum eſt: an uero nemini unquam antea, uideamus, ne parũ caute dicamus. Antiquis enim temporibus idem cõtigit Valerio Maximo, cui inter alios honores domus quoque publice ædificata eſt in palatio. Et Antiochi regis filio obſidi domum publicæ ædificatã tradunt. Varro quoque refert, Mutini qui ab Hanibale trãſierat ad Romanos, ædes Romæ datas, & ad pecuniam ex ærario. Videamus tamen num ideo Cicero dicat ſibi, quod antea nulli, domum pecunia publica ex ærario ædificatam, quia illis aut locus publice datus ſit, aut domus, quæ fuerit eorum, nõ publico ſumptu ædificata: Ciceronis uero domus quæ fuerat ipſius, & diruta atque incenſa erat, & à Clodio conſecrata Libertati, publico ſumptu ædificata ſit, quod nouum & huic primo, & adhuc & ipſi ſoli contigit.

[redacted]. Quoniam utriuſque con. ] Tranſitus poſt factam narrationem ad reprehenſionem Antonij iniuriæ. qui locus tametſi prior uideatur potuiſſe eſſe, & occaſionem habuiſſe maioris expoſtulationis & querelæ, tamen ideo utrunq; uitatũ eſt, ne uideretur ſuũ, non Reip. negotium agere. Cui ſum amicus. ] More ſuo aduerſario ſe amicum profitetur. Quid tandem erat cauſæ. ] Propoſitio huius loci. Nulla cauſa fuit cur in Senatum cum contumelia cogeret. Subiungitur inde ex proximo probatio. Nam neque ſolus aberam, neque ea res agebatur ut neceſſariũ eſſet: ſed de ſupplicationibus agebatur, ubi gratia, non mulcta requiritur. Hannibal credo. ] Pulchra ironia uice infirmationis ad contemptionẽ aduerſarij atque eius cauſæ. Imitatus eſt hunc locum Liuius in oratione Catonis pro lege Oppia. Hannibal poſt cladem Cannenſem exercitũ ſuum promouit ad tertium ab urbe lapidem, Romam obequitauit, et intra mœnia iaculum miſit, unde magna omnium mentes conſternatio occupauit. Pyrrhus Epirotarum rex, uario Marte ſæpe pro Tarentinis contra Romanos pugnauit. Poſtremo ad uigeſimum ab urbe lapidem caſtra poſuit, cœptumq; eſt de pace agi per Cyneam legatũ: ad quod cõſiliũ Appius Cæcus et ſenex delatus eſt, qui fortiſſime et prudentiſſime regijs promiſſis ſua oratione reſtitit. Cogũtur. n. nõ pig. ] Sed amore et cõſuetudine. Qui cũ mihi mos. ] Συμπερασμάτιον ἀντιληπτικὸν addita eſt μετάστασις etiam ad maiorem defenſionem. At ille nobis aud. ] Criminatio ex aduerſo illata, ad quid. i. ἀνάλογον, hoc eſt facti ſui & contumeliæ aduerſarij diſſimilitudinem oſtendendam. Nimis iracunde. ] Ἔμφασις ad maiorem uituperationem & indignationẽ. Se publicis operis diſturb. ] [illegible], & exaggeratio facti.

MATVR. Aut quid. ] Duobus modis cogi Senator poteſt, ut uel pignus ab eo auferatur, uel mulcta, hoc eſt pecuniaria pœna irrogetur. Samnitum uocabulũ mulctã dicit eſſe Varro, & ſpecialis peccati eſſe, cuius animaduerſio pecuniaria ſit, cũ pœna generalis exiſtat. Vt Parentalia cũ ſupplicationibus miſcerentur. ] Vt in Cæſaris honorem quotãnis parẽtalia ſimul et ſupplicationes certo die celebrarentur. Sunt autẽ parentalia, iuſta mortuorũ: & parentare eſt pro mortuis parentibus iuſta facere, & epulum dare. Omnes uero maiores in infinitũ parentes uocari ait Caſſius iureconſultus. Apud ueteres Romanos, ſicuti nũc à nobis Nouembri menſe, duodecimo Calendas Februarij parentalia celebrari pro mortuis ſolita ſunt, quod Ouidius tradit in Faſtis. Cum ſupplicationibus. ] Quas item in Cæſaris honorem decerni uolebat, tanquã relatus in deos eſſet. Inexpiabiles. ] Quæ expiari nõ poſſent. nã nõ pro mortuis decerni ſupplicationes cõſueuere, ſed pro uiuis: nõ pro re triſti, ſed pro læta, ut pro uictoria. Ille Lucius Brutus. ] Hoc ſignificare uult: ne Iunius quidẽ Brutus, à quo ſunt exacti reges, et parta urbi libertas, dignus eſt ad cuius ſepulcrũ ſupplicetur: multo minus Cæſar, qui regio dominatu liberã urbẽ preſſit. Ille profuit pellẽdo tyrannidem: hic obfuit exercendo, & eſt à maiori ad minus argumentum. Si non dignus Brutus, multo minus Cæſar. Id honoris duntaxat Bruto tributum, quòd cadauer eius in foro poſitum collega Valerius laudauit, matronæ anno luxerũt. Corruptum ſcio locum, & Iun. Id eſt Iunium, non Lucium Brutum legendũ. Regio dominatu. ] Eiecto Tarquinio Superbo et filijs. Stirpẽ. M. Brutũ, qui Cæſarem occidit. Propagauit. ] Extendit. ſumptũ à uitibus, unde et propago. Cũ duorũ Immortaliũ religione. ] Vt ei ueluti dijs Immortalibus ſupplicemus. Nuſquam. ] Nullo enim loco Bruti ſepulcrũ oſtendebatur. Si quis accidiſſet caſus. Propter hãc religionem & nouam & periculoſam, & propter hoc piaculum, deorum cõmoueretur ira: quia cõmiſſa in eos ſcelera peſtilentia, fame, bello ſolent ulciſci. Poſſem defendere. ] Et dicere, monui ego uos ne faceretis. et dici ſolet, quãdo quippiã accidit errore et peccato, quod nobis eſt prohibẽtibus cõmiſſum. Iã ſunt. ] Vt belo

lum quod adhuc in Hiſpania gerebatur contra Sextum Pompeij filium à Petreo & Afranio prætoribus. Qui id non probat. ] Decretas Iulio ſupplicationes. Huic ordini. ] Senatorio. Mihi uero. ] Qui libere ſemper dicere cõſueui, qui nullius unquam ſubire inimicitias pro Rep. ueritus ſum. Libertatem tueri. ] Sine qua nemo optet uiuere, quod ait Salluſtius.

In hunc locum. ] Senatũ. Dicendi periculum. ] Quod inſtat libere loquentibus, & aliquos in quos dicitur, offendentibus. Calendis Sextilibus. ] Quibus relatum ab Antonio eſt de ſupplicationibus & parentalibus Iulio decernendis. Vnus Cõſularis. ] L. Piſo. Conſulares erant qui Conſulatum geſſerant. Maioris autem habebantur auctoritatis & prærogatiuæ in Senatu. Optimæ ſententiæ. ] Ne parentalia & ſupplicationes Iulio decernerentur. Pro nihilo. ] Hoc eſt, ut quid accidat Reip. non magnopere curemus. Vultu. ] Annuendo et indicando placere ſibi illius ſententiam. Malum. ] Interiectũ eſt, frequens apud hunc auctorem & in hoc opere, & in Verrẽ, ſicut nefas, apud Virgilium nonnunquam.

BERO. Vt parentalia cũ ſupplicationibus miſcerẽtur. ] Parentare eſt manibus defunctorũ parentũ ſacrificare, unde & parentalia dicta ſacra quæ dijs manibus ſoluuntur. Fabius Maximus, Seruilianus Pontifex negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Ianum Iouemq́; præfari neceſſe eſt, quos nominari atro die non oportet.

[redacted]. Aut quid eſt ultra. ] ἐκ περιουσίας, hoc eſt ex abundanti uis quædam argumenti, hoc pacto: In ſupplicationibus gratia non mulcta ualere debet. Tametſi etiam aliàs, nunquam ultra pignus eſt, nunquam ædium demolitio. Qui ſi sciſſet. ] Hoc cum contemptione quadam proferendũ eſt. Habet autem tranſitum ad inſequentem probationem.

An me cenſetis P. C. ] Propoſitio pulchra exornata & producta ſchematibus, ad orationis uehementiam & grauitatem.

Nihil dico quis. ] Cõparatio à maiori ad amplificationem.

Vt cuius ſepulc. ] Ratio cur diſſuadeat ſupplicationes.

Ego uero eam ſententiam. ] Summam ſuæ ſententiæ dixit: tamen nunc quaſi nihil dixerit, incertum profert. Sed pertinet hic locus ad animorum pertubationem, habetq́; in ſe ἐπιφωνηματικῶς quandam ἔκπληξιν, à deorum ira & metu. Quæ partim iam ſunt. ] ἐμφατικῶς illud extra ambitum collocatum eſt, ut magis aures et mẽtes feriat. Sed hæc ignoſcant. ] Εὐχή, ad precationem & excuſationẽ magno indicio charitatis ſuæ erga patriam. Quid reliq. ] Παρασκευὴ ad reprehenſionem inſequentium, & tractationem principalis quæſtionis. quæ eſt de Cæſaris actis. Qua quidem ex re. ] Παῤῥησία temperata per querimoniã. Non modo uoce nemo. ] Cũ admiratione illud proferendũ, habet tamen & admixtã indignationẽ.

MATVR. Voluntaria ſeruitus. ] Cui ueſtra ſponte uos ſubijcitis. nemo. n. ſua ſpõte ſeruus fit, et natura omnes liberi, et ad libertatẽ proni naſcimur: hæcq́; appetitio nõ modo in homine eſt, qui rationis eſt particeps, ſed in brutis ẽt. nã qd ait Ouid.

Cum bene ſint cauea clauſæ Pandione natæ,
Nititur in ſyluas quæque redire ſuas.

Fuerit quædam neceſſaria. ] Qui neceſſitate, ut bello, ſeruituti ſubijcitur, ipſa neceſſitate defenditur. Nec ego hoc. ] Non ego, inquit, ab omnibus Conſularibus hoc requiro, ut libere ſicut L. Piſo loquãtur. Multi enim ſunt quorũ ſilentio ueniam do, cũ aut Antonij neceſſitudine, aut Cæſaris beneficijs loqui prohibeantur: ſed eos libere nõ loqui doleo, quibus nulla eſt cũ Antonio neceſſitudo, qui nulla accepere à Cæſare beneficia. Video enim eos in populi Romani ſuſpicionem uenire, et aliũ quidem alia cauſa, uel metu ſcilicet uel præmio, quod ſe dignũ ſit, non efficere. Quare primum maximas. ] Dicimus habeo gratiam, ago gratias: ſed cum utrunque uerbum iungimus ago & habeo, gratias dicimus, et nõ gratiã. Quid efficere poſſet. ] Videbat enim parum profuturam ſententiam ſuam, ſed dignũ ſe ſic dicere intelligebat. Auctoritatem. ] Sententiam et uoluntatem. Benigne audiatis. ] Eſt beneuolentiæ captatio, quam non in exordio ſolum, ſed & per totam orationem colligere ſtudemus. Adhuc. ] Hucuſque. Primum igitur. ] Sententiam nunc dicit de actis Cæſaris, et ſeruanda aſſerit, quæ non ſeruari ab Antonio, hoc docet argumento: qui leges Cæſaris, non ſeruat, is acta eius non ſeruat: Antonius leges Cæſaris deſtruit, ergo acta Cæſaris deſtruit. Non quo probem. ] Non quòd laudem & approbem ſeruanda Cæſaris acta eſſe, cum re uera non ſint ſeruanda. Poteſt. ] Probare. Pacis. ] Cui uel in primis proſpiciendum conſulendumq́; eſt. Modo ſine aduocatis. ] Scilicet adeſſet, hoc eſt ſine operis & militibus, quibus ueluti aduocatis & defenſoribus ſtipatus uenit in Senatum, et cauſam ſuam tuetur Antonius, quemadmodum priuati cauſas ſuas per aduocatos agũt. quanquã inſcitiam Antonij notat fortaſſe, qui ſine aduocatis tueri ſe ac defendere nequiret.

Sed ut opinor, licet ei minus ualere. ] Iocus eſt cum amaritudine. quaſi dicat, non licet minus ualere ei, quod mihi heri non licuit. mihi non licuit afferre excuſationem quòd languerem, & mihimet diſplicerem. omnino enim pignora ſunt accepta. nec Antonio itaque licere debet aliquam afferre excuſationem quòd abeſſe hodie debeat. Chirographis. ] Recitato Cæſaris teſtamento, & cadauere in foro ante roſtra cremato, acta eius ſeruari poſtulauit Antonius, eaq́; in cõmẽtarijs celata penes ſe habebat à Cæſare tradita, in quibus decreta iudicataq́;, & multa ad multorũ gratiã erant ſcripta. Scribã Cæſaris Fabertium nomine, fidum in omnibus atque obſequentem nactus, urbibus, & dynaſtis. ſcribebat, quibuſcunque depoſcentibus aliquid concedebat, ut libitum erat addens & detrahens. alijs magiſtratus, alijs immunitates dabat. multos Senatores faciebat, plures ab exilio reuocabat, eaq́; omnia uelut à Cæſare ante decreta ſe facere prædicabat. quamobrem iocantes Romani Antonium et reliquos eiuſmodi Cæſaris amicos Charonitas appellabant: qui ſi quid obiectũ eſſet, illico ad defuncti chirographa confugiebãt: quo factum eſt ut Antonij opes auctæ plurimum fuerint: quibus territi Brutus & Caſſius ab urbe ceſſerunt. Calphurnia itẽ Cæſaris uxor, ad Antonium mariti pecuniam tranſtulerat. erat autem talentorũ quatuor millia. L. Antonius frater Trib. pl. & Caius alter frater Prætor deſignatus, eius furoris ſocij erãt. Syngrapha, cautio eſt per contrahentium ſcripturam facta, cũ uterque contrahẽtium ſcribit. Chirographum, manus ſcriptura eſt, & ſic interpretatur. Cicero ait epiſtolã miſiſſe chirographo ſuo, id eſt manu ſua exaraſſe, nõ dictaſſe. Quod quis ſua manu notauit, chirographum eſt. Se uno auctore. ] Solus enim erat qui Cæſaris eſſe diceret. Tantummodo dictis. ] Quia ſolũmodo penes ſe commentaria Cæſaris diceret eſſe, non etiam oſtẽderet. Quæ ille in æs incidit. ] In marmore dicimus inciſæ ſunt literæ, in gemma, non in marmor: & in æs, non in ære. In tabulis uero æreis leges ſcribebãtur. Vſus æris (quod ait Plinius) ad perpetuitatem monumentorum iampridem tranſlatus eſt, tabulis æreis, in quibus publicæ cõſtitutiones incidũtur. Et Ouid. inquit: Nec uerba minantia fixo Aere ligabantur, nec ſupplex turba timebat Iudicis ora ſui, ſed erant ſine iudice tuti. Populi iuſſa. ] Plebiſcita & leges. nam Lex eſt generale iuſſum populi rogante magiſtratu. Pro nihilo habebuntur? ] Quaſi dicat, minime decet leges Cæſaris pro nihilo haberi, et acta quæ Antonius auctor profert, & non profert quidem, ſed tantũ dicit, ſeruari. Equidem exiſtimo. ] Acta ſunt publica. Iuuenalis, Cupiũt et in acta referri. Libri ſcilicet in quibus rerũ publice geſtarũ fit deſcriptio. Vnde actuarij, qui acta in Senatu ſcribebãt. Tranquillus, Orationes aliquas reliquit: inter quas temere quædam profertur pro Q. Metello: quã non immerito Auguſtus exiſtimabat magis ab actuarijs exceptã male ſubſequentibus

quentibus uerba dicentis, quàm ab ipſo editam. Sunt & priuata, ut acta Pompeij, acta Syllæ, acta Cæſaris, acta Marij. An ſi cui quid ille promiſit, id erit fixum? ] Sic intendit argumētum, nō eſt opus dicere, in cōmentarijs et libellis hoc uel illud annotauerat Cæſar quod facturus erat, & facere alicui promiſerat: quoniam quod cuipiam promittebat, id ratum erat, & faciebat: quod uero non potuit, neque uoluit facere, id non fecit. multa autem multis promiſit Cæſar, quæ non impleuit. Quæ tamē. ] Promiſſa. Multo plura. ] Quàm ipſe promiſerit fortaſſe Cæſar. Beneficia. ] Vt immunitates. Tributa. ] Gratis. Data. ] Quibus dari conueniebat, & merentibus.

BERO. Quænā, malum, eſt iſta ſeruitus. ] Annotant grammatici hanc particulam malū, eſſe interiectionem indignationis. quæ locutio cum honeſta ſit, frequens eſt apud celeberrimos ſcriptores. Donatus in commentario Phormionis, Malum, inquit, eſt aduerbium interpoſitæ indignationis.

[redacted]. Quenam, malum. ] Plena ἀγανάκτησις. Fuerit quædam neceſſaria. ] Propter regnum. ſ. Cæſaris.

Nec ego hoc. ] Pulchra præſumptio ad beneuolentiam. Elabitur autem per diſtinctionem. Quare primum gratias. ] Concluſio ſiue abſolutio præmunitionis ex locis beneuolentiæ et attentionis. Primum igitur. ] Apta propoſitio huius quæſtionis, non integra, ſed diuiſa & ſeparata, & ſparſa lōgius, ut paulatim aſſenſum demereatur, hoc pacto: Cæſaris acta ſeruanda quoque cenſeo, ſed quæ legibus eius nō repugnēt, ut multa eius chirographa, libelli, commentarioli: et ea demum quæ legitime ſeruari deberent, ferantur, quæ non pro Antonij arbitrio excogitentur. Hæc enim tria ſunt firmamenta in hac quæſtione contra Antonij rationes. Hic intelligant ſtudioſi quā callide Orator & ſenſim incedat: quod fit plerunque in firmamentorum collocatione. Equidē exiſtimo. ] Approbatio primi firmamēti ὁμολογία. An ſi cui quid. ] Infirmatio contrariæ ſentētiæ, à maiori. Quæ tamen multa. ] Alterū firmamentum breuiter & paucis ſaltem indicatum. Sed ea non muto. ] Pulchra præteritio poſt rem expoſitam.

:MATVR. Pecuniā utinā ad Opis. ] Ops mater deū eſt, & Cybele dicitur. Hæc pecunia ex bonis redacta erat Pōpeianorū occiſorum, & damnatorū ac proſcriptorū: ideoq́; cruētam uocat, nōnullis iniuſte minis & crudeliter extortam, & quæ reſtituenda fuerat ijs quibus erat adempta, ſed eā M. Antonius interceperat. Inferius Philippica octaua, Poſtulat præterea ut chirographorum & cōmentariorum ſua collegæq́; ſui decreta maneant: quòd laborat ut habeat quod quiſque mercatus eſt: ſi quid accepit, habeat qui uendidit, & ne tangantur rationes ad Opis, id eſt ne ſeſtertiū ſepties millies recuperetur, ne fraudi ſit Septemuiris quod egiſſent. Ad Opis. ] In æde Opis. Si ita in actis fuit. ] Vt effunderetur. Nā nō ita in actis fuit ut Antonij fieret, ſed ut in templo Opis ſeruaretur. Ecquid eſt. ] Si nihil tam in actis alicuius qui Remp. adminiſtrauit, dici poteſt, q̄ lex aliqua ab eo lata: nihil in actis C. Cæſaris numerari magis poteſt, quā ab eo latæ leges: ſed has Antonius nō ſeruat: ergo acta nō ſeruat, quæ ſeruāda dicit. Quære acta. ] Si quæris, inquit, acta Gracchi, & oſtendi, ita ut ſit, poſtulas tibi, proferuntur & oſtendūtur leges ipſius Gracchi, quæ Semproniæ uocantur: & acta Syllæ, exhibētur Corneliæ leges, quia nihil magis in eius numeratur actis qui Rēp. adminiſtrauit, quā ab eo latæ leges. Tyberius Gracchus Tyberij Sēpronij Gracchi filius, Scipionis ex filia nepos, plures tulit leges Trib. pl. cū eſſet: inter quas, ne quis plus mille agri iugera haberet, et ut Attali Regis hæreditas populo diuideretur. L. Cornelius Sylla Dictator & ipſe multas leges tulit: teſtamētariā, de parricidis, de ſicarijs, & ut Senatus cōtra legē Curiatā, hoc eſt ſiue ſorte, prouincias cuilibet magiſtratui aſſignare poſſet, et alias cōplures. In quibus actis cōſiſtit. ] Legibus dūtaxat ab eo latis. Chirographa. ] Exhibita certis pſonis propria manuſcripta. Non iſtas res. ] Huiuſmodi chirographa & priuatas conceſſiones. Duceret. ] Exiſtimaret eſſe. Concedo. ] Etiam ſi in actis habenda non ſunt. Cōniueo. ] Cōſentio, oculos claudō, ita ut ſit quoties quippiā non uidere ſimulamus. Tubero, ut eſt apud A. Gellium de Marco Attilio Regulo, Palpebras quoque eius, ne cōniuere poſſet, ſurſum ac deorſum diductas inſuebant. Tranquillus in Iulio, Delicta neq; obſeruabat omnia, neque pro modo exequebatur, ſed deſertorum ac ſeditioſorū inquiſitor ac punitor acerrimus, cōniuebat in cæteris. Plinius, Viginti gladiatorū paria in C. principis ludo fuere, in his duo omnino qui contra comminationem aliquam non conniuerent. lib. 11. Qua lex melior. ] Acta Cæſaris ſeruanda Antonius dicebat, quæ in legibus à Cæſare latis cōſiſtere oſtēdit Cicero: Leges uero Cæſaris ab Antonio ſublatas, & primum quidem de Prætorijs ac conſularibus prouincijs, iudiciariam inde, & demum de ui & maieſtate, ideoq́; & acta Cæſaris ſublata. Prætoriæ. ] In quas mitti Prætores conſueuere. Conſulares. ] In quas Proconſules. Prouinciarum ergo aliæ erant Prætoriæ, aliæ Conſulares. Hac lege. ] Quæ Iulia de prouincijs dicebatur. Sublatæ. ] Ab Antonio, qui contrária quotidie his legibus & ſuadebat & faciebat. Quid ea lege quæ promulgata eſt de tertia. ] Iudicia Iulius lege lata ad duo genera iudicum redegit, equeſtris ordinis, ac Senatorij: Tribunos ærarios, quod erat tertium, ſuſtulit. Duæ prius hac Iulia lege eligebātur decuriæ iudicum, altera ex equeſtri ordine, ex Senatorio altera. Sed Antonius tertiam Centurionū adijcere uolebat. Promulgata. ] Lex ante promulgabatur, deinde cum approbata fuiſſet, in æs incidebatur, & in ærario condebatur. & tunc demum lata dicebatur. Trinundino autē prius promulgabatur. Eſt autem promulgare quaſi prouulgare, hoc eſt in uulgus edere, ut Pompeio Feſ. placet. & Trinundinum quidem dicitur à ternis nundinis. Nundinæ uero mercatum ſignificant, quoniam octo diebus ruſtici in agris uerſabantur in opere faciundo occupati, & nono quoque die in urbem ueniebant, rerū permutationes facturi, lites compoſituri, ac ſuffragia Senatuſconſulto conceſſa, ſi opus foret, laturi. Primis nundinis & itē ſecundis lex promulgabatur, ut à ſingulis atq; uniuerſis, quod ait Macrobius, facile naſceretur. Tertio foro ſeu mercatu, cum omnis & urbana & agreſtis adeſſet turba, rogatio fiebat: præco uerba legis ſcriba ſubijciente recitabat: & ſi populus ſciſcebat, lex ferebatur, hoc eſt in æs, ut dictum eſt, incidebatur, & in ærario reponebatur. Et primis quidem ac ſecundis nundinis intercedere, hoc eſt contradicere & impedire licebat: cum uero lata fuerat, minime. Hinc Cicero dicit aduerſas duas leges, quas poſt Cæſaris mortem Antonius promulgauerat: alteram de tertia decuria iudicum, alteram ut de ui damnati prouocarent ad populum ſi uellent. De alijs tamen, inquit, legibus quæ promulgatæ ſunt, ſaltem queri poſſumus: de his quæ iam latæ dicuntur, ne illud quidem licuit. Illæ enim nulla promulgatione latæ ſunt ante, quàm ſcriptæ. Ex qua oſtēdit, trinundino recitatas populo non fuiſſe, neque intercedere illis licuiſſe. Nec multo poſt ait, Loquor de legibus promulgatis, de quibus eſt integrum nobis: non enim latæ erant, ſed tantum promulgatæ. Libellum. ] Chirographum ſeu commentarium. Quod ad populum, &c. ] Quidquid Romæ ſtatuebatur, aut curiatis, aut centuriatis, aut tributis comitijs ſtatuebatur. Cum ex generibus omnium comitia ferebantur, curiata erant comitia: cum ex cenſu & ætate, centuriata: cum ex regionibus & locis, tributa. In campo Martio duntaxat centuriata habebantur comitia, cum cētum ex omni tribu ſuperiorū cenſu & ætate atque honeſtiorum eligebātur qui aliqua de re iudicarent. De claſſibus in quas diuiſit populum Seruius Tullius, de cēturijs, de comitijs, de ritu ſuffragij ferendi more Romano, multa Liuius lib. 1. ab urbe cond. & Diony. lib. 6. tradit.

Comitia. ] Quibus coit populus ad danda ſuffragia in rẽ quampiam uel iubendo uel uetando: unde comitiales dies, quibus agere licet cum populo.

BEROAL. Ad opis maneret. ] In epiſtolis ad Atticũ in hanc ſententiam ſic ſcriptum legimus, Rapinas ſcribis ad Opis fieri, quas nos tum uidebamus: nec liberati ab egregijs uiris, nec liberi ſumus. ita laus illorum eſt, culpa noſtra. Vbi annotanda elocutio eſt ad Opis, pro ad ædem Opis Deæ: ſic ad Telluris, ad Veſtæ, ad Dianæ, et ſexcenta ſimilia reperies apud auctores claſſicos, & primi nominis. De tertia decuria iudicum. ] Tyberius Gracchus legem tulerat ut equites Romani iudicarent: qui iudicauerunt triginta annis ſine infamia: poſt Cornelius Sylla uictor leges tulerat, ut Senatorius ordo iudicaret: & iudicauit per decem annos turpiter. Lex quoque ab Aurelio Cotta lata eſt, ut unà cum Senatoribus et equitibus Romanis Tribuni ærarij ſimul iudicarẽt. Cæſar dictator lege Iulia iudiciaria redegit iudicia ad duo genera iudicum, equeſtris ordinis, & Senatorij: Tribunos ærarios, quod erat tertium genus, ſuſtulit. Decuriæ autem iudicum, ut Plinius noſter refert, pluribus diſcretæ nominibus fuere. alij nanque Tribuni ærarij, alij Selecti, quidã Nongenti uocabãtur. De Selectis ait Horatius, Vnum ex iudicibus ſelectis obijciebat. Decuriæ iudicum nõ niſi quatuor fuere primo: deinde aliæ quoque à Cæſaribus additæ ſunt, ut in commentarijs Tranquilli ſuis locis annotauimus. Centuriatis comitijs. ] Centuriata comitia, ut ſummatim explicẽ id quod plenis paginis apud pleroſque implicatum eſt, dicuntur quando non uiritim feruntur ſuffragia, ſed cẽturiatim, hoc eſt ut ſingulæ centuriæ ſingulos calculos ferant. Curiata uero ea ſunt comitia, in quibus uiritim populus ſuffragium fert. In centuriatis comitijs poteſtas omnis erat penes optimates & nobiles: in curiatis uero penes populum. unde controuerſia quandoque orta inter patritios & plebeios, poſtulantibus patritijs annitentibusq; ut comitia centuriata haberẽtur, in quibus ipſi pollebãt contra tendentibus plebeijs, et curiata comitia efflagitãtibus, in quibus ipſi erãt domini ſuffragiorum.

[redacted]. Cruenta illa quidem. ] Hoc σχῆμα quidã ἀντιπαραγωγὴν uocant, ego malim Ariſtotelem ſequi, & ἀντιμετάληψιν uocare. In hoc autem loco prior pars quæ eſt ex permiſſione, eo ſuauior eſt, quo magis aduerſariam cauſam quàm ſuam lædit. Quanquam ea quoque. ] Altera συγχώρησις. Ecquid eſt quod. ] ἐπανάληψις, hoc eſt rationis primi firmamẽti reſumptio. Quære acta Gracchi. ] Probatio per locum cõparationis à ſimili, eſtq; forma quadã argumentationis κατ᾽ ἐπαγωγήν. A` Cæſare ipſo ſi. ] Aliud argumentũ è fictione, quod genus Græci πλασὸν uocant. Sed ea ipſa concedo. ] Tranſitio facta rurſus κατὰ συγχώρησιν ad ſpeciem quandam ἀντικατηγορίας faciendã criminatur enim Antonium quòd magis in eo peccet ipſe, quod ab alijs uelit ſeruari. Quid? ea lege. ] Cæſar Tribunos ærarios iudicum ordinibus amouit, & Senatorum equitumq; duas decurias reliquit. Antonius rurſus tertiam addidit centurionum contra legem Iuliam. Diſſoluũtur. ] Καταλύονται. Et uos acta Cæſ. ] ἀγανάκτησις loco cõcluſionis. Niſi forte. ] Ironica occupatio, ex cõparatione maioris & minoris per contentionem.

MATVR. Centurionum, inquit, ] Quibus id honoris tribuere uolebat, ut militum auxilio, & eorum qui duxerãt ordines, quidquid uellet in Rep. faceret. Quid? ] Interrogat Cic. Iſti ordini. ] Centurionum. Iudicatus. ] Iudicandi facultas, quarti ordinis. A. Gellius, Iuraui mihi nõ liquere, atq; ita iudicatu illo ſolutus ſum. Iulia. ] Quæ duæ eligebantur decuriæ, & ex equeſtri ordine, & ex Senatorio. Pompeia. ] Aurelius Cotta aliquot annis ante accuſatũ à Cicerone Verrem prætor legem iudiciariam tulit, qua communicata ſunt iudicia Senatui, equeſtri ordini, & tribunis ærarijs. Pompeius poſtea in ſecundo Conſulatu tulit, ut ampliſſimo cenſu ex Centurijs aliter quàm antea lecti iudices, æque tamen ex illis tribus ordinibus, res iudicarent. auctor Pædianus, Non patebat? ] At ſi dicat, patebat. nã et Cẽturionibus, et ijs qui duxiſſent ordines, licebat eſſe in iudicum decurijs, modo ampliſſimo eſſent cenſu.

Cẽſus præfiniebatur, inquit. ] Ant. Id eſt præfiniebatur qui eligi poſſent, nec niſi ampliſſimo cenſu, & equeſtribus facultatibus, hoc eſt quadringentis ſeſtertijs eligebantur. Non omnes autẽ centuriones hoc cenſu erant: & priuari eos iudicandi honore, uidebatur indignum. Non Centurionum ſolum. ] Reſponſio Cic. ſcilicet præfiniebatur cẽſus. Itaq; quod uiri fortiſſimi. ] Et equites, & Centuriones, qui eodem cenſentur numero. Non quæro inquit iſtos. ] Inquit Antonius, fortiſſimos & honeſtiſſimos. Quicunque ordines duxit, iudicet. ] Siue ſit amplo cẽſu & prouecta ætate, ſiue non, modo ordines duxerit. Ducere ordinem, eſt magiſtratum in militia & in caſtris gerere, præeſſe decuriæ, centuriæ, manipulis, cohorti. At ſi ferretis quicunque equo meruiſſet. ] Cicero reſpondet, non ſolum quicunq; cẽturio, ſed quicũq; equo meruit, ſit inter iudices. Si ferretis. ] Quoniam non feretis: & ferendum minime eſſet ut digni & indigni iudicent, etiam qui equo meruerint, hoc eſt qui ex publico equum habuerint. Dari enim & ali iuuentuti equus ſolebat ex publico. Eques ex equeſtri erat ordine. qui uero equũ ex publico habebat, eius nulla erat dignatio, tantum oportebat ut præſto cũ equo eſſet quoties Reſp. eius opera indigeret. Equũ adimere penes cẽſorem erat, ſi quis ſtrigoſiorẽ habuiſſet, ut Aul. Gellius & Valerius Maxim. tradunt. Quod eſt laudatius. ] Vt iudicent quicunque equo meruerunt: laudatius, quàm ut iudicent quicunque ordines duxerunt, ut decuriones. Legitur et lautius, id eſt ſplendidius. Nemini probaretis. ] Nemo fieri conſentiret. Fortuna. ] Cenſu, ut ſit, ampliſſimo. Dignitas. ] Vt amplũ etiam geſſerit magiſtratũ, & dignus ſit. Non quæro, inquit, iſta, addo etiam. ] Antonius, ex ijs etiam eligi iudices uolo, qui manipulares ſunt. hoc eſt manipulos duxerũt externorum militum, ipſi externi, & non Romani ciues. nã Cæſar unam legionẽ ex Tranſalpinis conſcriptam Alaudam uocabulo Gallico appellauit, quam diſciplina cultuq; Romano inſtitutam & ornatam poſtea uniuerſam ciuitate donauit. Alauda autem uocabulo Gallico auem ſignificat, quam Galeritã nos appellamus. Tranquillus & Plinius auctores. Aliter enim. ] Niſi Tranſalpini iudicent in urbe. & ironice dictum eſt.

Noſtri. ] Ego Anton. intelligo, & milites qui multa per uim & contra maieſtatem commiſerant. O` cõtumelioſum honorem ijs ipſis quibus defertur, quòd ad iudicandum ne opinantes quidem uocantur. Hic eſt enim legis iudex. ] Hic lege à te lata Antoni iudex eligitur, qui quoniam nullis conditionis et ſortis eſt, iudicare libere non audeat, ſed metu, aut alicuius ſceleris conſcientia, pro tua libidine iudicet. Sed deciperis et tu, quicunque legem hanc de tertia Centuria adijciendа excogitarunt. Vt enim quiſque ſordidiſſimum uidebit ſe eſſe, ita libentur ſeueritate in iudicãdo utetur: exiſtimabit enim fore ut ſordes et turpitudinẽ ſuam purget, ſi libere loquatur et iudicet. Quantus eſt error. ] Quàm latus eſt, id eſt quàm late patet, et ad quàm multos pertinet. Altera promulgato &c. ] Cæſar legem tulerat de ui et maieſtate cõtra eos qui aut uim facerẽt, aut amplitudinem magiſtratus & Reip. minuerent. Legis Iuliæ de maieſtate meminerunt libri Iuriſconſultorum: quæ in eos qui contra Imperatorem uel Remp. aliquid moliti eſſent, ſuum uigorem extendebat, cuius pœna animæ amiſſionẽ ſuſtinebat, & memoria rei etiam poſt mortem damnabatur. Suſtulit autem Cæſarem prouocationem. Noluit enim quempiam qui uim feciſſet, aut maieſtatem læſiſſet, prouocare poſſe: ſed Antonius & Lepidus promulgauerant contraria huic legi, nondũ tamen tulerant contra hanc legem, ut de ui damnati ac maieſtate, ad

populum.

populū prouocare poſſent, quo nihil pernicioſius. homines enim audaciores redduntur ad perpetranda ſcelera, ſperantes impunitatem, ſi uiderint eſſe ad quos damnati prouocare poſſint.

Cuius intereſt.] Cui utile ſit. Nemo reus eſt iſtis legibus.] Nemo damnabitur de ui & maieſtate, cum ſit ad populum prouocatio. Nemo quem futurum putemus.] Nemo enim accuſabit eum quem elabi iudicium poſſe uidebit prouocatione. Armis enim geſta.] Bello & ciuili diſcordia. At res populares.] Obiectio eſt, ſi armis geſta in uidicium non uocabuntur, at res populares uocabuntur, hoc eſt in populo geſtæ, ac ſpectantes ad populum. Vtinam uelletis.] Reſponſio eſt Ciceronis, ut populare, hoc eſt liberum & in populi arbitrio poſitum uelletis aliquid eſſe: quia ſi libertate ſua populus uteretur, omnia recte fierent, & una mens ac ſententia populi de Rep. eſſet.

Eius legis.] Vt damnati de ui & maieſtate ad populum prouocent. Damnatum iudicio.] Per ipſam legem de ui & maieſtate. Ad eam ipſam.] Scilicet maieſtatem populi R.

Reuerti.] Per prouocationem.

BERO. Iudicatus.] Iudicatio, iudicandiq; poteſtas nomen eſt. Ex legione Alaudarum.] In epiſtolis ad Attic. Miſit ad me Cecinam quēdam Volaterranum familiarem ſuū, qui hoc pertulit tantum, Antonium cum legione Alaudarū ad urbē pergere, pecunias municipijs imperare, Legionē ſub ſignis ducere. Cæſar Dictator, ut apud Suetoniū enarrauimus, legionem unam ex Tranſalpinis conſcripſit, quam uocabulo quoq; Gallico Alaudam appellauit, eamq; poſtea uniuerſam diſciplina cultuq; Ro. inſtitutam & ornatam, ciuitate donauit. Plinius quoque de Alauda auicula ſcribens, quæ alio nomine Galerita appellata eſt: poſtea, inquit, Gallico uocabulo etiam legioni nomen dederat.

[redacted]. At quæ eſt illa tertia.] Diſputatio contra legem iudiciariam Antonij. περίλαμον habet τὸ αἰσχρὸν: ſed ad illud ἀνταγωνιῶς ſenſum peruenit.

MATVR. Vt quiſquam prouocet.] Quoniam non id agitur ut prouocet quiſquam, ſed ut nemo unquam accuſet eum quem prouocatione elabi poſſe uideat: quod & turpe accuſanti eſſet, & pericoloſum. Conductæ.] Pecunijs corruptæ, & ueluti ad dandam operam conductæ ac mercenariæ.

Ad operas mercenarias.] Ad multitudinem quam reus mercede conduxerit. Protrahatur.] Rationem iudicij redditurus, & reſciſſa ſententia pœnam ſubiturus. Duæ maxime ſalutares.] Quaſi dicat, nihil aliud, cum uideant paratam prouocationem, & uiam impunitatum per corrupta populi ſuffragia conſequendi. Quam ad peſtem.] Ac ſi dicat, ad quamuis peſtem & damnum. per ſe enim Tribuni ſeditionibus alebantur, unde & eorū furor dicitur atq; inſania. Quid quod] Vere oſtendit acta Cæſaris deſtrui ab Antonio, cum obrogatur legi ab eo latæ, quæ iubet interdici aqua & igni damnato de ui & maieſtate. Quod tollitur.] Scilicet prouocare. Tantiſper enim & in urbe eſt damnatus, & interdici aqua & igni non poteſt, donec populus ad quem prouocatum eſt, aut damnauerit aut abſoluerit. Interdicere quempiam aqua & igni, eſt prohibere illum ab uſu aquæ & ignis, quibus duabus rebus maxime humana cōtinetur uita. Obrogatur.] Obrogatur legi cū prorſus tollitur. Quæſtionibus.] Cum per tormenta & cruciatus quæritur quid reus fecerit. Reſcindūtur.] Irrita fiunt & tolluntur. Prolatas eſſe.] In publicum. Et fixas.] In parietibus, in ærario, ac in æs inciſas. De exilio reducti ſunt à mortuo.] Quia poſt Cæſaris mortem acta prolata ſunt, quæ Cæſaris eſſe dicebantur, cum re uera non eſſent, quibus dicebatur uoluiſſe Cæſarē aliquos exules reduci, id quod ipſe uolebat & fingebat Antonius, ut prius eſt dictum. Ciuitas data non ſolū ſingulis, ſed nationibus.] Vt legioni Alaudarum. Antonius quo ſibi fauorem ciuitatum & nationum uēdicaret, ciuitatem illis dedit. Negatio genus hominum eſt qui non aliunde uenerunt, ſed ibi nati ſunt, αὐτόχθονας Græci uocant: nos indigenas appellamus. Vectigalia.] Publici prouentus: φόρους Græci uocant. Sunt etiam priuatorum. Cicero in Parado. Ex meo tenui uectigali annua ducenta capio. Ergo hæc &c.] Ironice. Ergo quæ unus Antonius profert domo ſua, quaſi domi ſuæ compoſita, ea defendimus: quæ Cæſar ipſe & tulit, & gloriabatur tuliſſe, euertimus. Ipſe.] Cæſar. Eas inquā Cæſaris leges.] Hyperbaton eſt: in quo aut eadem uerba quæ in principio clauſulæ ſunt poſita, repetimus, aut diuerſa quæ idem ualeant, ut in rhetoricis ad Herēnium, Si perſuaſus auditor fuerit, id eſt ſi oratio aduerſariorum fidem fecerit auditoribus. Et paulo poſt, Ergo ſi fidem factam putabimus. Quæ promulgatæ ſunt.] Poſſumus, inquit, de his legibus quæ promulgatæ ſunt conqueri, quia non ſunt adhuc latæ, & in æs inciſæ: ſed aliquæ latæ dicuntur ab Antonio, ſcilicet quæ trinundino, ut prius eſt dictum, promulgatæ non ſunt de quibus conqueri non poſſumus.

BERO. De legibus quæ promulgatæ ſunt.] Promulgari leges dicuntur, cū primum in uulgus eduntur, quaſi prouulgari. Caput autem & origo & quaſi fons legum rogatio eſt. quando ſcilicet promulgātur leges, populum [illegible] rogat id eſt interrogat magiſtratus, Velitis iubeatis'ne Quirites hoc fieri? Ex inſtituto priſcorū lex trinis nundinis promulgabatur: eratq; integrum per id tempus intercedere ac tollere ſi parum probaretur, ſiue quid uitij eſſet. Vbi uero trinundino lata erat, et in tabulis æneis inciſa, amplius reſcindere infirmareq; non licebat. Trinundinum dici interpretatur Priſcianus, quaſi trinarum nūdinarum: de quo M. Tullius in Oratione ad Pontifices, Si quod in cæteris legibus trinundinum eſſe oportet, in adoptione ſatis eſt trium eſſe horarum, nihil reprehendo. Quintilianus, Siue non trino forte nundino promulgata lex, ſiue non idoneo die fuit.

MATVR. Quid ſit.] Occurrit obiectioni, & , quærunt, inquit, Antonius & cæteri eius amici, atque idem ſentientes, cur timeamus ne malæ ferātur leges, cum habeamus bonos Tribunos, qui uidentur, ſi id fiat, interceſſuri, & ſeſe oppoſituri. Paratos qui intercedant.] Ironice. quaſi dicat, minime habemus Tribunos plebis qui intercedant ſi malas leges Conſules ferāt. quod propter L. Antonium dictum eſt M. Antonij fratrem, qui Tribunus erat eo tempore. Paratos qui Remp. religione defendant.] Propter augures hoc dictum, quibus ius erat obnunciandi ſi auguria non addicerent, aut ſi pluiſſet, aut tonuiſſet. Erat autem Augur M. Antonius. Lex autem Fuſia & Helia erant, quæ uetebant agere cum populo, niſi ſeruatum de cœlo fuiſſet. In oratione contra L. Piſonem queritur Cicero obnunciationem, qua pernicioſis legibus reſiſtebatur, Fuſia & Helia legibus (quas propugnacula muroſq; tranquilitatis atque otij uocat) euerſam eſſe. Obnunciatio autem Auguris erat, qua obnunciabat: hoc eſt, nō poſſe per auſpicia fieri, admonebat. Tribunorum plebis ea fuit auctoritas, ut quidquid Senatus decreuiſſet, ita ratum eſſet, ſi Tribuni approbarēt. Præcipue autem interceſſione pollebant, ſeſe alijs magiſtratibus opponendo, & per eos uim fieri prohibendo, adeo ut cum unus collegis repugnaret, facile impedire omnes poſſet. Et ſacroſancti quidem atq; inuiolabiles erant Tribuni. Augures tantæ fuerunt auctoritatis, ut nihil neque domi neque foris niſi auſpicato gereretur: quod Valerius Maximus docet de inſtitutis antiquis. Quas tu mihi interceſſiones inquit.] Veluti dialogus eſt. hoc Antonius reſpondet Ciceroni, & quidem indignatus. Interceſſiones.] Tribunitias. Religiones.] Augurum obnunciationes. Eas ſcilicet.] Cicero reſpondet. Negligimus iſta.] Antonius.

Forum ſepietur.] Et hic Antonius. Quid tum?] Cicero. & comicus ſermo eſt. Id lex erit?] Ac ſi dicat, nō erit.

Cedo illa legitima.] Dic illa, inquit Antonius, legitima. & quæ ſint reſpondet Cicero, quæ more ſunt à maioribus tradita. tum demum aliquid ratum ſit, cum populus ſciuerit. Qui populus?] Antoni, populum dixiſti, ſed quemnam populum? an illum intelligis qui ui & armis à nobis eſt excluſus? Quo iure?] Quod mihi ius cōmemoras? An eo quod.] Eo iure quo omnia ſunt ſublata ui, & armis ſcilicet. Atque ego hoc dico de futuris.] Quæ ſuperius de Cæſaris actis dixit Cicero, ut reſcinderentur ab illis ipſis qui inuiolata manere uelle aſſererēt. Si de legibus prouincialibus, iudiciarijs, & de ui ac maieſtate aliter ferretur quàm Iulius tuliſſet, item ut leges omnes diſſoluerētur, & ciuitas laberetur in deterius: futura quidem erant, nam facturi dicebantur Antonius & Dolabella: & integrum ipſis ac liberum fuerat adhuc non facere: ideoq; ne faciant, monet Cicero. Poſtea continua oratione præſentem Dolabellam alloquitur, multa de Antonio, plura de Rep. dicens. Quod eſt Augurum.] Quia fungor Auguris officio. ſic enim, ut illi ſolent, futura prædico. quoniam Augur erat Cic. Refelletur oratio mea.] Dicar uanus fuiſſe & mendax uates. Loquor de legibus promulgatis.] A te Antoni, ſed nondum latis, & in actis ciſis. Integrum nobis.] Liberum non ferre.

[redacted]. Quærunt quid ſit.] Occupatio ad oſtendendum iuſtam cauſam eſſe doloris & metus, per ἀπαλογισμὸν.

Qui intercedant.] Scilicet Trib. pleb. Religione defendant.] Scilicet augures. Quas mihi inquit.] Hactenus μιμητικῶς pronunciauit: nunc Orator ex aduerſo interrogat.

Eas ſcilicet.] Reſponſio aduerſarij, ſed omnia illa actionum ſimulatam cum contemptu habent. Negligimus iſta.] Reprehenſio à ui & uiolentia, ad comparandam inuidiam.

Quid tum?] Ruſus alter interrogat. Cedo illa legiti.] Hoc eſt, oſtēde quid demum legitimum & rite latum exiſtimes. Suntq; uerba Ciceronis. Reſpondet alter ex definitione legis, Quæ Conſules &c. Rurſum Cicero, Qui pop. &c.

Atque ego hoc dico.] Commonitio, ὑπομνηστικῶς ad excitationem Senatus, loco concluſionis.

MATVR. Iraſci.] Vtriuſque Conſulis, & præſentis Dolabellæ, & Antonij abſentis reprehenſurus uitia, ſed auaritiam in primis, & dominādi cupiditatem obiecturus, quòd perā uim multa & contra leges faciant, ueniam dicendi poſtulat, & quaſi nouo utitur exordio. Amice utrunque & familiariter obiurgat, quòd actionum earum initio exitus non conſentiat: & ut alia ratione gloriam & potentiam quærant, hortatur.

Facilitatem.] Quæ proprie eſt in admittendo, audiendo, ignoſcendo. Mihi.] Dicere noluit, peſſima exiſtimatur.

Auorum.] Maiorum, ut M. Antonij. Oratoris, qui auus fuit Antonio, Syllanas partes ſecutus, quem C. Marius necauit, magnæ in Rep. auctoritatis. Auunculi, qui fuit L. Cæſar, frater Iulia ex qua natus eſt, & ipſe Conſularis, & magni in Rep. ſplendoris, nec minoris integritatis. Cum tanta gladiorum ſit impunitas.] Cum impune liceat gladijs uti. Promam.] Depromam, exhibebo. Tranſlatio à penu, unde neceſſaria ad uictum depromuntur. Vt qui armis utatur.] Non offendendi, ſed ſui defendendi cauſa, ut dicebat Antonius. Vt qui armis utatur.] Scilicet iraſcitur. Si ita neceſſe eſt.] Quia neceſſe ei minime eſt, etſi hoc prætendit audaciæ & furori ſuo. Iis qui pro Rep. &c.] Non noceant &c. Sed iidem.] Amici, Antonij familiares. Ita mecum.] Loquuntur. Licebit.] Libere loqui in Antonium, quoniā inimicus haberis Cæſaris, & interfectorum amicus. Piſoni ſocero.] Cæſaris, qui in Antonium inuectus fuerat, & ſolus libere loqui auſus, ut eſt prius dictum. Admonent quiddam.] Periculum eſſe ne occidat Antonius. Quod cauebimus.] Nam in Senatum non ueniemus: nec erit minus iuſta cauſa non uenīēdi in Senatum mortis metus, quàm morbus. Excuſantur qui prætendunt morbum, multò magis ego excuſandus uidebor, ſi mortis prætendam metum: & ſimul Antonium tangit, qui morbum prætēdens cauſam, in ſenatum non uenerat quo die hanc Cicero habuit orationem.

[redacted]. Iraſci te quidem.] Poſtrema pars orationis: quæ, ut diximus, in reprehenſione Conſulum eſt. Atque forma quædam eſt deliberationis mixta ex locis laudatiui generis. παράδοξα ſunt τὸ ἔνδοξον καὶ ἄδοξον per cōparationem. Principio gratam & iucundam habet præmunitionē à perſonis Dolabellæ & Antonij, multa cum attentione & beneuolentia.

Collegam tuum aiunt.] Si aiunt legis, fit ἀντανάκλασις: ſin audio, fit ἐπανάληψις repetitione unius uerbi. utrunque tamen bonū per hyperbaton. Video autem quām ſit.] Trahit eum in inuidiam & odium indicatione potentiæ. Ego ſi quid in uitam eius.] Auertit ſuſpicionem & crimen dicacitatis ac ſtudij in reprehendendo, ut non ſuum animum ſequi, ſed Reip. cauſam agere uideatur. Quod ſi, ut à quibuſ.] ἀπόδοσις ex aduerſo illata facta optioni, ut plus odij & inuidiæ Antonio, ſibi beneuolentiam & fauorem maiorem conflet.

MATVR. De utriuſque ueſtrum errore.] De mutatione uoluntatis & actionum: quibus de rebus dicet. Credo enim uos.] Non credere ſimulat, quòd maxime credit.

Quæ ſemper ab ampliſſimo.] Cicero ipſe in offitijs, Quam obrem & hæc quidem uidenda ſunt, & fugienda pecuniæ cupiditas. Nihil eſt enim tā anguſti animi, tamq; parui, quàm amare diuitias nihil honeſtius magnificentiusq;, quàm pecuniā cōtemnere, ſi non habeas: ſi habeas, ad beneficentiam liberalitatemq; conferre. Expiato foro.] Diſiecta illa ara quam in foro Amatius extruxerat: & columna euerſa, quam Cæſari à plebe erectam diximus fuiſſe. Videbatur enim uiolatum forū fuiſſe, & piaculum commiſſum ab illa multitudine perditorū & audaciſſimorum hominum, qui aram et diuinos honores Cæſari ſtatuerant. Diſſipato concurſu impiorum.] Nefariorum qui ad aram conueniebant, & tectis ac templis urbis minabantur. Principibus ſceleris.] Animaduertit enim Dolabella cum in audaces ſceleratoſq; ſeruos, tum in impuros & nefarios. Cuius ordinis.] Senatorij, equeſtris, plebeij. Cuius generis.] Ac ſi diceret, cuius qualitatis & gradus. multi uero ſunt inter Senatores, equites, plebeios. Cuius fortunæ.] Pauperes, diuites: liberi, ſerui. Aptarunt.] Accommodarunt, adiunxerunt. Auctore.] Monitore, ſuaſore. Conſenſum illum theatri.] Quod cū ingreſſus eſſet, omnes plauſere.

Earum rerum obliti.] Seditioſum geſſit tribunatum Dolabella, graues autem excitauit turbationes, cum legem de nouis tabulis ferret: cūq; ea cauſa plebs tumultuaretur, inducti ſunt à M. Antonio magiſtro Equitum milites. 80. qui omnes ſunt à plebe cæſi. hoc autem eo tempore contigit, quo Cæſar contra reliquias Pompeianas & Iubam in Africam traiecerat. Doloris ueteris.] Quem conceperant lata à Dolabella de nouis tabulis lege. Cum tuum collegam.] Quartum Conſul creatus Cæſar, Antonium ſibi aſſumpſit collegam. inſtituerat autem urbe excedere, magiſtratu ſe abdicare, & in locum ſuum Dolabellam ſubrogare: qua de re etiam in Senatu uerba fecit. Sed moleſte ferens Antonius inimicum ſibi in magiſtratu adiungi, in Dolabellā grauiter eſt inuectus: nec pauciora tamen aut æquiora ab illo audiuit. Re infecta Senatus eſt dimiſſus: cumq; in ſententia perſtaret Cæſar, Dolabellamq; renunciari Conſulem iuſſiſſet, auguria obiecit Antonius, effecitq; ut ab incepto deſiſteret Cæſar: quo poſtea necato, Conſularem ueſtem induit, & Cōſulatus inſignia circumtulit Dolabella. Antonius oblitus auſpiciorum quæ obiecerat Cæſari, cum pacē in Telluris templo ſanxiſſet, ut quo animo ipſe eēt, omnibus pateſieret, Dolabellā collegā ſibi eſſe uoluit, quod ante paſſus nō fuerat. Te ipſo augure.] Nō. n. licebat Conſulē ſine auſpicijs creari. Ipſe uero Cæſar

trucidatus

trucidatus eſt. Pacis obſes.] Pro Bruto & Caſſio, qui è Capitolio ſunt uocati.

BERO. Te intuens Dolabella.] Dolabellam ſubaccuſat, quòd à uirtute priſtina degenerauerit, & Remp. cuius fuerat ab initio defenſor, non ſolum deſeruerit, ſed etiam euerterit: de quo ſic ſcribit ad Atticũ, Ego, ſi me non improbiſſime Dolabella tractaſſet, dubitaſſem fortaſſe utrum remiſſior eſſem, an ſummo iure contenderem: nunc etiam gaudeo mihi cauſam oblatam in qua & ipſe ſentiat, & reliqui omnes me ab illo alienatum, idq; præ me feram, & quidem me mea cauſa facere, & Reip. cauſa, ut illum oderim, quòd cũ eam me auctore defendere cœpiſſet, non modo deſeruit emptus pecunia, ſed etiam quantũ in ipſo fuerit euertit. Extant Ciceronis epiſtolæ ad Dolabellam, quibus eum præconio laudis extollit, tanquam Reip. propugnatorem: qui mox immutata uolũtate deſeruit partes optimatiũ, ſecutus factionem Antonianam. Ab ampliſſimo quoq; contempta eſt.] Plato lib. 6. de Rep. philoſophum dixit minime cupidum pecuniæ eſſe: carpitq; φιλοχρημάτους. ſic enim Græci auaros pecuniæq; ſitientes appellant. Neminem licet M. Manlium uocari.] Quintilianus in tertio, Poſt mortẽ adiecta quibuſdã ignominia eſt, ut Melio, cuius domus ſolo æquata: Marcoq; Manlio, cuius prænomẽ è familia in poſterum exemptum eſt. Liuius lib. 6. Adiectæ, inquit, mortuo notæ ſunt, publica una, qua latũ ad populum eſt ne quis patritius in arce aut in Capitolio habitaret: gentilia altera, quòd gentis Manliæ decreto cautum eſt ne quis M. Manlius uocaretur.

[redacted]. Sed per Deos immortales.] ἀνανάκτησις & reditus ad perſonã Dolabellæ, ſtatim arrepta propoſitione, Vtrum que ueſtrum errat. Credo enim uos.] Ratio ex loco adiacentium, & actuum, apud Rodulphum Agricolam: uel ut Rhetores, περιστατικῶς à ſtudio nobilium. Compoſitio eſt περιοδική, continuata & producta ex repugnantibus, ad orationis grauitatem. Ea autem eſt gloria.] Explanatio à definitione. Dicerem Dolabella.] Genus quoddam eſt præteritionis. nam quod ſe dicturum negauit, per δεῖξιν quandã hoc exẽplo oſtendit, rectè factorum fructum ſcilicet. Cuius ordinis.] Approbatio per acclamationem. Mihi etiam, quo.] À minori confirmatio. Recordare quæſo.] Alterum exemplum ad explanationem ueræ gloriæ fructus. Hanc tu P. D.] Rurſus ἀνανάκτησις loco concluſionis. Te autem M. Antoni.] Tranſitio ad perſonam Antonij, quem & ſuo exemplo docet erraſſe, & quis uerus ſit gloriæ fructus, oſtendit. Hic uide iucunditatem orationis ex uiciſſitudine perſonarum: quo modo ſcilicet primũ à Dolabella inceperit, deinde ad Antonium deflexerit: rurſus ad Dolabellam redierit, iterum ad Antonium iam diuerterit. atque hæc uirtus quædam eſt collocationis. Expouit autem eius in Repub. inſtauranda bonam uoluntatem ac fidẽ qua principio uſus eſt, & cum exaggeratione & uehementia dictionis exponit, ut hoc modo ea quæ inſequuntur, indigniora uideantur. Multum à me diſſentientes, beatum putaut.] Προανθυποφορά. Cum tuum collegam.] Poſtremo conſulatu Cæſar cum collegã ſibi Antonium aſſumpſiſſet, decreuit uel ex urbe exire, uel ſe eo magiſtratu abdicare, & in ſuum locum Dolabellam ſubrogare. Cũ ea de re Senatus conueniſſet, dimiſſus eſt propter Antonij orationem quam contra Dolabellam habuit. Rurſus cum Cæſar inſtaret, oppoſuit auguria Antonius, donec mortuo Cæſare Dolabella inſignia conſularia arripuiſſet, atque ex communione conſiliorum pax inter Antonium & eum eſſet facta.

MATVR. Viros fortiſſimos.] Brutum & Caſſium. Hæc inuſta.] Impreſſa ignominia. Ab equis ſumptũ, quibus cauterio, hoc eſt ignito ferro, notæ & ſigna quædam imprimuntur. Vt enim propter unius.] M. Manlius ob defenſum Capitolium Capitolinus cognominatus, cum Gallicos theſauros ſuppreſſiſſe argueretur, & addictos ac nexos propria pecunia liberaret, ſuſpicione regni affectati in carcerem coniectus eſt, & poſtea de Tarpeio ſaxo præcipitatus, domus diruta, bona publicata. adiecta eſt & gentilitia nota, quòd gentis Manliæ decreto cautum eſt, ne quis M. Manlius uocaretur. Liuius lib. 6. ab Vrbe cond. Vnius dictatoris.] Iulij. Pœnitebat.] Pudebat. Virgil. in Buco.

Nec te pœniteat calamo triuiſſe labellum.

Licet quod cuique libet.] Nam & dicebant hoc plures, & credebant. Quanquam ſolent domeſtici.] Quod re uera accidit quotidie, ut principes uiri à domeſticis perſuadeãtur & deprauentur. Depeauare.] À rectitudine & honeſtate detorquere. Verum iter gloriæ.] Cic. lib. 2. Offic. Vt pecuniæ, inquit, non quærendæ ſolum ratio eſt, uerum etiam collocandæ, quæ perpetuos ſumptus ſuppeditet, nec ſolum neceſſarios, ſed & liberales: ſic gloria & quærenda, & collocanda ratione eſt: quanquam præclare Socrates hãc uiam ad gloriam proximam & quaſi compendiariam eſſe dicebat, ſi quis id ageret, ut qualis haberi uellet, talis eſſet: quod uera gloria & radices agit, & propagatur: ficta omnia celeriter tanquã floſculi decidunt, nec ſimulatum poteſt quidquam eſſe diuturnum. Metui.] Cicero in eodem lib. Omnium rerum nec aptius quidquam ad opes tenendas ac tuendas, quàm diligi: nec alienius, quàm timeri. Præclare itaque Ennius, Quem metuũt, oderunt: quem quiſq; odit, periiſſe expetit. Multorum autem odijs nullas opes ſubſiſtere poſſe, ſi antea fuit ignotum, nuper eſt cognitum, morte. ſ. Iulij.

In fabulis ipſis.] Tragicorum poetarum apud Accium Atreus inducebatur dicens, Oderint dum metuant. & item apud Ennium, ut refert Cicero. Pernicioſum fuiſſe.] Quoniam aut occiſi ſunt, aut in exilium pulſi.

BEROAL. Vt culpam, ſic etiam ſuſpicionem.] Quintilianus in ſecundo ſalubriter præcipit carendum eſſe non ſolum crimine turpitudinis, uerum etiam ſuſpicione. Cæſar Dictator interrogatus cur Pompeiam repudiaſſet uxorẽ. Quoniã, inquit, meos tã ſuſpicione quàm crimine iudico carere oportere. Oderint dum metuãt.] Seneca lib. 1. de Clementia ſic inquit, Timeri uult, quia inuiſus eſt: & illo execrabili uerſu, qui multos dedit præcipites, utitur, Oderint dum metuant. Inde cernis quanta rabies oriatur ubi ſupra modũ odia creuerunt. Itẽ, Vocem illam diram & abominandam, Oderint dum metuãt, Syllano ſcias ſeculo ſcriptam. Item, Conſidero multas uoces magnas ſed deteſtabiles in uitam humanam perueniſſe, ut illam, Oderint dum metuant. Caligula imperator, ut auctor eſt Tranquillus, tragicum illud ſubinde iactabat, Oderint dum metuãt. Vox autem hæc ab Atreo crudeliſſimo apud poetam Tragicum uſurpata eſt.

[redacted]. Vt enim propter unius.] Amplificatio facti cum comparatione à pari. M. Manlij ſcelus.] Propter Gallicos theſauros ſuppreſſos, & propter regni affectati ſuſpicionem. Vide Liuium lib. 6. ab Vrbe cond. Nam te cum hæc pro ſalute.] Indignatio temperata dolore & cõqueſtione, quæ ipſa actione magis cognoſci poteſt. Vnde igitur ſubito tanta.] Sic argumentatur, uel amore pecuniæ, uel regni cupiditate captus uoluntatẽ tuam mutaſti. Non gratia pecuniæ, ergo regni. Prius membrum probat ex loco adiacentium: de poſteriore ſuſpicioſe ueretur. Hic animaduertant ſtudioſi, quanta hunc locũ cũ ſuperiori iucunditate tractet, ut non tam extorquere, quàm cum quadam beneuolentia impetrare quod cupit uideatur.

Quòd ſi ita putas.] Hanc propoſitionem conſtituas. Metui à ciuibus, non eſt uerum iter gloriæ. Charum eſſe ciuem.] Approbatio ex enthymemate. Quod uidemus etiam.] ὑποδείγματος ἐργασία, & primum poſterioris partis confirmatio ab exemplo fabuloſo.

MATVR. Auum tuum.] M. Antonium oratorem eloquentiſſimũ, qui multa & domi & militiæ geſſit præclara:

periit autem Mariano & Cinnano furore. eius caput pro roſtris eſt poſitum. Is L. Cinna Conſul cum Octauio legem de exulibus reuocandis, Mario ſ. & cæteris tulit, prohibitusq; à Collega, & honore priuatus, ex urbe profugit, tranſiensq; ad partes, iunctus eſt Mario: cum quo urbem ingreſſus & Octauium interfecit, & plurimas edidit cædes & crudelitates. Exitus.] Finis & mors. Quem.] Cæſarem. Ea lege.] Eo pacto, eo modo. Cum ſumma gloria.] Summa enim gloria eſt tyrannum occidere: & ei qui facit, præmia ſolent tribui.

Maiores tuos reſpice.] Reſtitue, repræſenta, redde. Sine quo.] Sine ciuium beneuolentia. Quiſquam.] Tuorum, quibus obducturus es quaſi tenebras & obliuionem ſi perges ſic facere, uel quiſquam noſtrum omnium. Quid enim gladiatorij clamores.] Maximi, & quales gladiatorum ſolent eſſe. Hiſtoria aũt hoc habet, Cæſar bellis omnibus ciuilibus cõfectis Romam rediit, formidabilemq; uniuerſis ſe præbuit. Omnes honores qui excogitari ab homine poſſunt, ei decreti ſunt. Sed aliquando euntẽ ſalutantibus ut regẽ, inclamauit uehementer & ingemuit populus: Ipſe Cæſarem ſe eſſe, non Regẽ, callide ſubiecit. Lupercalibus item cum diadema capiti eius in foro ſedentis & ſpectantis unus ex lupercis accurrens Antonius impoſuiſſet, ægre tulit populus: iterumq; ac tertio imponente illo, ac reijciẽte Cæſare & omnino reſpuente, clamore magno populus lætitiam prodidit, Cæſareq; ſummis laudibus extulere omnes. Quid populi uerſus.] Qui tribunal Bruti (erat autem Prætor urbanus) uerſibus in hanc ſententiam noctu implebat: Brute dormis, neque uere es Brutus. Quid Pompeij ſtatuæ plauſus infiniti.] Quæ à populo poſita occiſo Cæſare, & coronata eſt reperta. Quid ij tribuni.] Qui omnes aduerſabantur Antonio & Dolabellæ, præter unum Saluium qui Antonio fauebat, & L. Antonium fratrem. Quid?] Suſpendenda particula, & adiuuanda pronunciatione ſciſcitatio. Apollinarium ludorum.] Brutus, ut dictum eſt, Prætor erat urbanus cum eſt Cæſar necatus: & quoniam nihil tutum Romæ uidebat, diſcedere ex urbe ſtatuerat: & Senatus, ne fugere uideretur, et & Caſſio rei frumentariæ curam demandauerat. Cum ergo abeſſet Brutus, ludos quos edere in Prætura conſtituerat, uoluit et iuſſit ſe abſente edi: & magnifice & ſumptuoſe nimis emerat elephãtos complures, quos exhibere populo in ſpectaculis mãdauit. Profectus Neapolim cum hiſtrionibus & mimis de Canutio quodã qui in re ſcenica habebatur præſtãtiſſimus, ſcripſit ad amicos, ut non niſi nolentem illum adducerent, quia Græcum quenquam ui cogi nefas eſſe dicebat. Scripſit & Ciceroni orans ut his ludis omnino intereſſet. Quibus ingens plauſus Bruto datus eſt, etſi ab erat: quo ingens apparuit populi ſtudium in libertatis auctores, ingens beneuolentia, & in tyrannos odium. Apollinares uero ludi, qui & Scenici dicuntur, quoniam recitatione fabularum cõmendabantur, T. Sulpitio Potito, & C. Licinio Stolone Coſſ. cum intoleranda ui peſtilentia urbem uexaret, inter alia cœleſtis iræ placamina inſtituti ſunt acitis ex Hetruria ludionibus. Circi dũtaxat prius ſpectaculum fuerat, quod Romulus dum rapiebãtur Sabinæ, primus omnium Cõſualium nomine celebrauit. Liu. 7. ab Vrbe cond. & Valerius Max. auctores.

BERO. Ludorum Apollinarium.] Romanorum annalibus cõtinetur, ut Macrobius refert, ludos primo Romæ Apollini celebratos eſſe ex uaticinio Marcij uatis, carmineq; Sibyllino: qui dum celebrarentur, repentino hoſtis aduentu plebes ad arma excitata hoſti occurrit: eoq; tempore nubes ſagittarum in aduerſos uiſa ferri, & hoſtem fugauit, & uictores Romanos ad ſpectacula dei ſoſpitalis reduxit. Hinc intelligitur prælij cauſa, non peſtilentiæ, ſicut quidem exiſtimant, ludos Apollinares inſtitutos. In carminibus Marcij uatis inuentum ita eſſe ferunt, Hoſtem Romani ſi ex agro pellere uultis, uomicamq; quæ gentium uenit longe, Apollini uouendos cenſeo ludos, qui quotãnis comiter Apollini fiant. his ludis faciendis præſit is Prætor qui ius populo plebiq; dabit ſummum. hoc ſi recte faxitis, gaudebitis ſemper, fietq; Reſp. ueſtra melior. Liuius lib. 25. ab origine urbis, Hæc eſt, inquit, origo ludorum Apollinarium, uictoriæ non ualetudinis ergo, ut plerique rentur, uotorum: factoq; populus ſpectauit coronatus, matronæ ſupplicauere, uulgo apertis ianuis in propatulo epulati ſunt, celeberq; dies omni ceremoniarũ genere fuit. Annotandum à Liuio dici ualetudinis ergo, pro cã, ſecundum priſcorum conſuetudinem, à quibus dicitur, ſtatua donatus eſt honoris uirtutisq; ergo, id eſt cauſa. hinc illud notiſſimũ poeticum, Illius ergo Venimus.

[redacted]. Vtinam Antoni.] Alterum exemplum uerum & efficaciſſimum ad probandum partem priorẽ enthymematis. Itaque ut omittam.] Confirmatio totius enthymematis coniuncte facta. Sed quid oratione te flectam?] Rurſus ſeparatim poſteriorem partem cõfirmat ob exemplo Cæſaris, quod accommodatiſſimum & firmiſſimum eſt. Quem qui beatum fuiſſe putãt.] Occupatio, ut refutet uulgi opinionem. Quare flecte te quæſo.] Concluſio & cohortatio è maiorum eius exẽplo, è populi uolũtate & expectatione, quæ probatur multorum enumeratione.

MATVR. O beatos illos.] Caſſium & Brutum.

Accio tum plaudi.] Poeta cuius fabula recitabatur Atreus. L. Accius Tragœdiarum ſcriptor fuit. natus eſt Mancino & Serrano Coſſ. non multo ante Ciceronem & Cn. Pompeium, genitus parentibus libertinis. Seni iam Pacuuio Tarenti ſua ſcripta recitauit. Piſaurum inter colonos ex urbe deductus fuit, fundumq; illic habuit, qui Accianus eſt dictus. Niſi forte.] Non enim Accio poſt annos ſexaginta quàm ſcripſerat illam fabulã, ſed Bruto & Caſſio plaudebatur. Equidem is ſum.] Occurrit, Non ſunt magni faciendi huiuſmodi plauſus, quoniã à paucis & iiſdem popularibus potentiorum fauorem aucupantibus dari ſolent. fateor, inquit Cic. & eos ſemper ego contempſi, Sed quando non à paucis, qui nihil aliud agunt & ſtudent, ſed ab uniuerſis tribuũtur, non contemno, nec plauſum eſſe, ſed iudiciũ puto: hoc eſt, quid ſentiant uniuerſi de eo cui plaudunt, iudicare & demonſtrare exiſtimo. Popularibus.] Ac ſi diceret uilioribus. Semper contempſerim.] Nam (quod ipſe ait in Offic.) qui ex errore imperitæ multitudinis pẽdet, in magnis uiris non eſt habendus. Ii qui ante ſequi &c.] Vt Antonius. Tam caram populo Romano uitam &c.] Nam ſatis, inquit, conſideratis cuiuſmodi populi ſit iudicium de uiris bonis, & libertatis ſtudioſis, & quæ uoluntas in ipſa retinenda libertate. A. Hircius uero Conſul deſignatus, & initurus proxime Conſulatum cum Panſa, grauiter ægrotauit, & maximus fuit omniũ timor, maxima ſolicitudo, ne decederet, publice priuatimq; ſuſcepta uota. In quo meminimus.] Ac ſi dicat, in nullo, quod ipſe ſubiungit. Non interpretamini.] Non intelligitis, & quale ſit iudicatis. De ueſtra uita.] Quos timent obfuturos Reipublicæ. Extaret.] Appareret quaſi monumentum aliquod. Vel ad ætatem.] Quia iam ſenex.] Vel ad gloriam.] Quia per omnes decurrit magiſtratus.

Huc.] Ad ætatem & gloriam.

BERO. Qui his ludis.] Brutus poſtquam uidit tuto Romæ ſe eſſe non poſſe, in Aſiam proficiſci deſtinauit: uerum cum eſſet Prætor, ludos abſens facere curauit: quorum cura & adminiſtratio ex magna parte ad Pompeium Atticum pertinebat. Idem per epiſtolam rogauit M. Tullium ut ludos ſuos ſpectaret: de quibus ſic ſcribit ipſe ad Atticũ, Illos ludos celebrari, & eſſe quam gratiſſimos cupio, idq; ita futurum eſſe confido. Alio quoq; loco docet uenationem poſtridie ludorum Apollinarium editam eſſe à Bruto. Reperio apud auctores quod annotatu dignum, & huic loco mire congruit, ab Accio poeta cõditã fuiſſe fabulam cui nomen eſt Brutus: quam inter togatas præ-

textatas

textatas numerāt. Ex titulo ſuſpicari merito poſſumus hanc fabulā Bruti titulo inſcriptam, celebratā his ludis ſcenicis fuiſſe, quos Brutus abſens fecit. Ad hanc fabulam alludere uidetur & M. Tull. ſic ſcribens ad Att. Tuas iam Brutus literas expectabat: cui quidem ego non nouum attuleram de Tereo, ille Brutū putabat. Tam charam populo R. uitam.] Hircius & Panſa deſignati Conſules poſt Antonium & Dolabellam, Conſulatus inire honorem Cal. Ian. debebant: quorum populus R. Reipu. conſulturos ſperaret, charos habebat ita, ut merito cū id temporis morbo implicitus Hircius foret; ſolicitudine maxima atque timore affectus ſit, & uota pro eius ſalute ſuſceperit. M. Tull. prætextatos & grandes diſcipulos uocabat, cum eo declamandi magiſtro iam deſignati Conſules uterentur. Hircium & Dolabellam feſtiuiter epiſtola quadam ad Papyrium Pætum dicit ſe habere dicendi diſcipulos, cœnandi uero magiſtros: illos apud ſe declamare, ſe apud illos cœnitare. Quod uixi, uel ad ætaté.] Ceſtius Declamator egregie dixit: Si ad deſideriū populi reſpicis Cicero, quando perieris, parum uixiſti: ſi ad res geſtas, ſatis uixiſti: ſi ad iniurias fortunæ, & præſentem Reipublicæ ſtatum, nimium diu uixiſti: ſi ad memoriam operum tuorum, ſemper uicturus es.

[redacted] O' beatos illos.] Exclamatio cum ad exaggerandam uoluntatem populi, tum ad motum animorum faciendum ex cōmendatione liberatorum patriæ. Equidem is ſum.] Pulchra παρομολογία προλαμβανοῦσα ad exaggerationem.

Quid igitur hoc uos.] Vehementer concludit. Cepi P.C.] Epilogus generalis & breuiuſculus.

## IN PHILIPPICAM II.

MATVR. Quonam meo fato.] Hæc eſt ſecunda Philippica, quæ M. Antonium priore oratione uehementer commotum, ſic in Ciceronem accendit, ut leniri odij atrocitas poſtea nunquam potuerit. Extitit autem exitij & mortis Ciceroni cauſa, dicente etiam Satyrico Poeta,

> Ridenda poemata malo,
> Quàm te conſpicuæ diuina philippica famæ,
> Volueris à prima quæ proxima.

Superiorem Cicero Antonio abſente in Senatu habuerat orationem, qua ille irritatus inimicitias Ciceroni denunciauerat. Sed ea denūciatione nihil omnino deterritus eſt ubi armati, & potentiſſimi minas ueritus. Cum deinde XIIII. Calend. Octobris, quo die Senatus habitus eſt, magna armatorum caterua ſtipatus in Senatum ueniſſet Antonius, & longa oratione, quam totos ſeptem & decem dies in Tiburtino Scipionis meditatus fuerat, & poſtea edidit, in Ciceronem inuectus eſſet: in Senatu & coràm reſpondere cupientem amici retinuere, quòd et longe potentiora eſſent Antonij arma, & ad manifeſtum tenderet interitum. Sed dum hæc Romæ geruntur, C. Octauius adoleſcens hæres à Cæſare ex dodrante relictus, & in familiam nomenq; adoptatus, ex Apollonia redijt. primum omnium Antonium paternum amicum ſalutatum acceſſit, facta pecuniæ patris mentione, quam Antonius tenebat, cum adita hæreditate uiritim tricenos ſeſtertios, ut Cæſar legauerat, daturus eſſet. Verū Antonius aſpernari illum, & inſanum dicere, ac bonis carētem ſuaſoribus, quòd tam oneroſam adire hæreditatem uellet, ac nō potius abſtineret. ſed neque perſuadere adoleſcentem potuit, & inſtare ille pro pecunia uehementius cœpit. Antonius & iactare multa cōtumelioſe, & facere, donec petenti tribunatū plebis, & auream ſellam patris ſui ponenti, ducturus ſe illum in carcerem, niſi ſolicitare plebē deſineret, minatus eſt. Qua contumelia irritatus Cæſar, ad Ciceronem contulit ſe, totumq; ei ſe permiſit & tradidit, breuiq; per eum Senatum ſibi cōciliauit. Plebis uero & ueteranorum ſic in ſe ipſe concitauit ſtudia, ut per omnes amicos de reconciliatione egerit Antonius: qui tandē cōgreſſis in Capitolio, in gratiam redire, ſed ſimulate quidem: nec multo poſt maximæ inter eos rurſus exarſere inimicitiæ. uterq; ad legiones ſolicitandas per Italiā diſcurrit: ab utroq; præmijs Veterani ſunt allecti. Cicero ciuitatis eo tempore princeps, quacūque ratione poterat, omnes in Antonium mortales cōcitabat: cuius factioni par iam uel ſuperior potius auſus eſt uenire in Senatum, & hanc orationem, qua omnem ante actam Antonij uitam carpit & lacerat, habere ipſo Antonio præſente & audiente. Eſt autem in demonſtratiuo genere cauſarum poſita. cōtinet enim uituperationem. partim autem purgationē habuit criminum, quæ obiecit aduerſarius: partim relationem. nam & regerit maledicta, & retaxat uehemētiſſime & acerbiſſime inuectus. Omnis ab ipſo principio cōcitata eſt oratio, breuiſſimo quidem exordio. nam & reſpondet prouocatus. cum uero ſe purgat ſatis beneuolos auditores habiturus creditur: & indignatus eſt, ut continere ſe nequeat, quin erumpat quàm primum. Exordiū per expoſitionem incōmodi factum eſt cum admiratione, & indignatione. dicit enim neſcire ſe, quo fato ſuo cōtingat, ut uiginti annis quicunque Reip. hoſtes fuerint, etiam ſibi bellū indixerint. Argumenta à locis confutationis & purgationis prius, deinde turpitudinis ducuntur. His annis XX.] Ac ſi dicat, à XX. annis uſque huc. Indixerit.] Denunciauerit. ſignificat autem L. Piſonem, Gabinium, Vatinium, Clodium, Catilinam, M. Antonium: in quos Ciceronis extant orationes. Magis autem Reip quàm priuata cauſa odia cū illis & inimicitias exercuit. Illi.] In quos inuectus eſt Cicero acerbiſſime, & quorum detexit ſcelera. Quorum facta imitere.] Nam Catilinæ & Clodij ſcelera imitaris. Exitum non perhorreſcis.] Qui fuit fœdiſſimus & infœliciſſimus. In alijs.] Qui mihi hoſtes fuere. Audacior.] Quæ enim maior audacia, quàm contra patriam coniurare? Furioſior.] Magnus Clodij furor fuit, qui ut Remp. perturbaret, ſeſe adoptādum dedit cuidā plebeio Caio Fonteio, qui minor natu erat. Monſtri aūt ſimile uidetur, ut pater minor natu filio ſit. Multas leges ſuſtulit, et in primis Aeliam & Fuſiam, quæ agere cum populo prohibebāt niſi ſeruatum de cœlo eſſet. Denique Cicero ſemper Clodij furorem uocat. Vltro.] Tua ſponte, non laceſſitus à me. Ad ciues impios.] Tui ſimiles, & eiuſdem furoris, ſi bono uiro & libertatis ac patriæ ſtudioſo hoſtis fieres. Quid putem?] Multas enumerat cauſas quibus impulſus uideri poſſit Antonius ut tam acerbe in ſe inueheretur: multas refellit minus idoneas: unā ſubijcit ad extremum, quæ uera eſſe uideatur. In uita.] in moribus. Gratia.] Ciuium beneuolentiæ. Detrahi.] Maledicēdo minui aliquid eorum quæ dixi mea, gratiam, ingenium. Mihi uni conſeruatæ.] Nam cum patriam à coniuratorum audacia liberaſſet Cicero, & de coniuratis ſupplicium ſumptum eſſet, alij urbis conſeruatorem, alij conditorem appellarunt: quòd uiuerent, quòd incolumes eſſent, uirtuti eius acceptum referentes: Marcus Cato patrem patriæ cenſuit appellandum, quod in libera ciuitate ei duntaxat contigit. Hinc Satyricus ait poeta, Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Illud profecto eſt.] Hoc eſt illud poſtremum quod probat. Patriæ.] Quandoquidem quicunq; à uiginti annis patriæ hoſtis fuit, idem & Ciceroni bellum indixit.

BERO. Hæc eſt illa Philippica omnibus Antonianis anteponēda, quam diuinam eſſe merito appellant, de qua ſic ſerio ſcripſit poeta Satyricus,

> Ridenda poemata malo,
> Quàm te conſpicuæ diuina Philippica famæ,
> Volueris à prima quæ proxima.

Hac omnes rhetoricæ partes continētur, quæ ad demonſtratiuū genus pertinent. ſi quidem laudes & uituperationes ex his locis

ſumuntur: eſtq́ꝫ tripartita diſtributio, in animum, & corpus, & extra poſita. Corporis, ualetudo, dignitas, uires, uelocitas. Extraneæ res, honos, pecunia, genus, potentia, atque his contraria. Animi autem & laus honeſta, & uituperatio uehemens eſt. Nunc M. Tullius, utpote diuinus orator, oratorie ac eloquenter uituperat Antonium, ab animi potiſſimum maculis & ſordibus: quæ uera uituperatio eſt. Quid putem? contemptum'ne me?] Quintilianus inquit, Verum eloquentiæ ut indecora iactatio, ita nónunquam concedenda fiducia eſt. Nam quis reprehendet hæc, Quid putem? contemptum'ne me? non uideo, nec in uita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenij, quid deſpicere poſſit Antonius.

MATVR. Contra rem ſuam.] Res ſic habet: Tres Antonio fuere uxores. Prima Marci Fundi Bambalionis filia. Secunda, C. Antonij Ciceronis in conſulatu Collegæ, quam adulteratam à Dolabella ſuſpicatus, repudiauit. Tertia, Fuluia, Caio Curioni antea nupta. Ex prima illa libertini generis filium ſuſtulit, quem pro obſide in Capitolium miſſum diximus. hæc inferius patebunt, & in hac Philippica, et in tertia. De re pecuniaria lis fuit amico Ciceronis & domeſtico cum M. Fundo Bambalione, homine libertinæ conditionis, ſed locupletiſſimo: pro quo Cicero in iudicium ubi res agebatur, uenit aduocatus. Antonius iniquo animo tulit, & illa oratione qua eſt in Ciceronem inuectus, queſtus fuit, contra rem ſuã, hoc eſt soceri ſui, Ciceronem ueniſſe aliquãdo: quod Cicero nũc excuſat, & cur non uenirem, inquit, contra ſocerum tuum, alienum mihi, & cum quo amicitia aut conſuetudo non intercedebat, pro familiari, neceſſario, & quaſi domeſtico, contra Antonij fauorem & gratiam, quam non uirtute, ſed flagitio collegit? contra iniuriam, hoc eſt iniquitatem iudicis, quam Antonij ſocer auxilio & fauore interceſſoris obtinuerat, cum præſertim etiam prætorio iure mihi uenire liceret? An ego non uenirem?] Interrogatiue legendum. Gratiam.] Fauorem & beneuolentiam hominum in Antonium. Non uirtutis ſpecie &c.] Virtutis ſpeciem dixit pulchritudinem & honeſtatẽ: unde ſpecioſa res dicitur honeſta & pulchra: ſic ait, quoniam ætatis florem ſubiungit. Significat autem rem fœdiſſimã, Antonium ætatis flore multorum ſibi gratiam conciliaſſe. Egregia fuit forma, ardenter à Curionis filio dilectus: qui ut obnoxium magis ſibi redderet Antonium, in amores, libidines, uarioſq́ꝫ ſumptus impellebat, qua re grande æs alienum conflauit. Cumq́ꝫ CC L. millia deberet, idem pro eo interceſſit Curio: pater uero Curionis ægre ferens, domo ſua prohibuit Antonium: qui ad Clodium prius ſe contulit, inde in Aſiam abijt. Cicero fœdiſſime actam obycit Antonio pueritiam, & ſe pluribus proſtituiſſe illum oſtendit. Iniuriam.] Iniquitatem iudicis. Iſte.] Socer tuus. Interceſſoris iniquiſſimi.] Aut Antonij, aut Curionis, qui magnam dicendo comparauit potentiam: iniquum uero quippiam contra Ciceronis amiciſſimum obtinuerat. Non iure prætorio.] Scilicet uenirem? nam aut contra leges, aut dolo malo quippiam contra Ciceronis amicum ſtatutũ à iudice fuerat, quod Prætoris edicto & iure ſeruari non conueniebat, id quod ſecutus eſt Cicero. quid id autem fuerit, imaginari potius licet, quàm certum aliquid tradere. Infimo ordini.] Libertinorum. Commendares.] Gratũ redderes, & ad amorem prouocares. Libertini generum.] Te ſcilicet. nam libertini locupletis filiam uxorẽ duxit Antonius. Nepotes quoq́ꝫ Fundi.] M. Fundi Bambalionis, & quoq́ꝫ legendum eſt. Definiuntur aũt in iure ciuili Libertini, qui iuſta ſeruitute manumiſſi ſunt. At enim te in diſciplinam.] Et hoc obiecerat Antonius, q in Ciceronis diſciplinam ſeſe adoleſcens tradidiſſet. uolebat autem uideri obſeruaſſe Ciceronem. cõtra Cicero negat factum, nec per Curionem, etiam ſi uoluiſſet & optaſſet, dicit facere licuiſſe. Nam ut obſequentiorem adoleſcentem haberet Curio, à uirtute abducebat, & ad omnem turpitudinẽ impellebat, quod eſt prius dictum. Næ tu, ſi id feciſſes.] Certe ſi id feciſſes. Græca particula eſt, uim habet affirmandi. Teren. in And. Næ iſte haud mecum ſentit. Auguratus petitionem.] Et hoc obiecerat Antonius, in petitione Auguratus ceſſiſſe Ciceroni ſe, hoc eſt petente Cicerone, honoris & beneuolentiæ cauſa petere deſiiſſe. Falſum oſtendit Cicero, quoniam ne petere quidem licebat Antonio Auguratum: cum & deberet CCL. millia: & ſoluendo non eſſet. nam neque petere Auguratum, neq́ꝫ Augurem in demortui locum nominari eos licebat, qui aut damnati eſſent de repetundis, aut creditoribus ſoluendo non eſſent. ſic. n. lege cautum erat. Et præterea Curio, cuius interceſſionibus id Antonius conſequi poſſet, aberat Quæſtor in Aſia. is enim Curio eſt, ad quem ſunt plures Cic. epiſtolæ in principio ſecũdi libri epiſtolarum ad Lentulum. Augur Cicero in Craſſi locũ cooptatus eſt poſtquam ille perijt in Parthis, paulo antequam Procõſul in Ciliciam proficiſceretur. Nominauerunt.] Præſtãtiſſimi uiri, & in ſua Rep. florentiſſimi, Cn. Pompeius, & Hortenſius orator. Aut tum, cum es.] Tunc, inquit, cum factus fuiſti Augur, unam tribum ad ſuffragia ferre & producere non potuiſſes ſine Curionis auxilio: ac ſi dicat, non ſuppetebat tibi pecunia qua unã tribum ambires. Fauore Cæſaris Iulij, inquit Plutarchus, inter Augures cooptatum fuiſſe Antonium. De ui.] Quòd ui pulſo competitore ſuperiores fuiſſent pro Antonio laborantes.

BERO. Auguratus petitionem.] M. Tullius in Bruto refert ſe cooptatum ab Hortenſio oratore in collegium Augurum, & inauguratum ab eodem. Docet Plin. in epiſtolis, Augurum dignitatem fuiſſe perpetuam, neque Auguri dum uiueret adimi ſolitam. Collegium Augurum ex Auguribus numero nouem conſtabat, cautumq́ꝫ erat ut numerus eorũ impar eſſet. Allegebantur non ſolum de Patricijs, ſed & de plebe. Græci, ut auctor eſt Dionyſius, οἰωνοπόλους uocant. Plinius in 8. Naturalis hiſtoriæ, Auguria, inquit, periculis fecere. Apud Romanos ſacerdotum collegium uel maxime ſolenne eſt. Vnam tribum ferre.] Suffragium tribulium & ſuffragatorum unius tribus.

MATVR. At beneficio ſum uſus tuo.] Et hoc obiecerat Antonius, ſuo uſum beneficio Ciceronem, q eum Brunduſij cũ poſſet, nõ occidiſſet. ad quod reſpõdet Cic. Põpeio in Pharſalia ſuperato, cũ Cato qui naualibus præerat copijs, & claſſem & exercitũ Ciceroni cõmittendũ cẽſeret, omnesq́ꝫ ut acciperet, hortarentur, ac unum illum ſibi ducem in cõmuni ſalute depoſcerent: ipſe conſtanter recuſauit, finemq́ꝫ ſibi belli feciſſe, & in otium properare palàm reſpondit. quod eius dictũ ſic moleſte quidam tulere, ut parum abfuerit quin occideretur. quare propere in Italiam reuerſus, ſtatuit Brunduſij Cæſaris reditum in Aſia & Aegipto commorantis præſtolari. Erat autem Brunduſij Antonius, qui Ciceronem, q in partibus fuiſſet Põpeiãnis, occidere potuit: quod obiecit, dicens ſuo eum beneficio uiuere, uixq́ꝫ ſe eum à Cæſaris militibus defendiſſe. Semper præ me tuli.] Faſſus ſum ſemper, ac ſi ita ut dicis, eſſet. Minus prudenti.] Rem ipſam ut eſt cognoſcenti. Ipſe uictor.] Cæſar. Eum tu occideres, quem ſaluum Cæſar uoluiſſet.] Ac ſi dicat, minime. Quod ſi eſſet beneficium, non occidere eum poſſis, quoniam beneficium non eſt: illi quibus Cæſar non ademit uitam cum poſſet, non laudarẽtur quòd eum interfecerint, ſed ingrati haberentur, & uituperarentur: ſed quia laudantur, id circo non adimere uitam non eſt beneficium. Illum.] Cæſarem. Seruati.] Non occiſi, ut Brutus, Caſſius, & reliqui, qui partes Pompeij ſecuti ſunt, quibus uictor Cæſar pepercit.

Quàm miſerum.] Miſerum enim uideri debet, te hominẽ nefarium tantum habuiſſe licẽtiæ, ut ciuem optimum & præ-

ſtantiſſimum

ſtantiſſimum necare poſſes, ſi uelles. De interitu Reipu.] Quæ interijt per te. Ne ingratus uiderer.] In te, qui non ademiſſe ioctas uitam cum poſſes. In illa querela.] Quæ eſt in ſuperiore oratione. Et quidem.] Et tamen nullus adeo temperans extitiſſet, qui de te conquerens abſtinere à maledicto poſſet. Reliquias Reip.] Propter interceptã pecuniam hoc ait, quæ fuerat ad ædem Opis: & propter quatuor millia talenta, quæ à Calphurnia Cæſaris uxore accepit. Turpiſſimo mercatu.] Tanquam in nundinis & mercatu omnia Antonius uendiderat, magiſtratus, immunitates. Cum leges eas.] Vt Prætoriæ prouinciæ plus quàm annum, Cõſulares plus quàm bieñium obtinerẽtur, ut duabus decurijs tertia Centurionum adderetur, ut de ui & maieſtate damnatis liceret prouocare. De te.] Nam uolebat Antonius licere ſibi prouinciam pro arbitrio ſuo retinere. Interceſſionem.] Tribunitiam. Suſtuliſſes.] Conſulari poteſtate & auctoritate. Omnes impuritates.] Omnes impuros & fœdos homines, aleatores, ganeones, ut mox dicetur. Luſtris.] Sunt & in ſyluis luſtra ferarum habitacula. Virgil. Non abſunt illic ſaltus, & luſtra ferarum. & loca ſordida, atque occulta: in quibus qui uerſantur, gulæ & luxuriæ operam dant: ac ipſa etiam lupanaria. Plaut. In Aſin. Luſtris ſtudet. Confectus.] Conſumptus, exinanitus.

BEROAL. At beneficio uſus ſum tuo.] In epiſtola ad M Antonium ita ſcribit, Nam cum te ſemper amaui, primũ tuo ſtudio, poſt etiam beneficio prouocatus: tum his temporibus Reſp. te mihi ita cõmendauit, ut chariorẽ habeã neminem.

Vino luſtriſq; confectus.] Mala luſtra bono epitheto dixit Horatius, intelligi uolens nequitiæ, libidinis, gulæ diuerſoria. Luſtratus à Grammaticis luxurioſus exponitur, uidelicet à luſtris, de quibus Plautus, Id apud ſcortum corruptelæ & liberis luſtris ſtudet. Idem in Caſſina, Vbi fuiſti? Vbi luſtratus? Vbi bibiſti? Idem in Pſeudolo, Ex conſpectu heri ſi ſui ſe obdiderunt, luxuriantur, luſtrantur, comedunt. Eſt enim luſtrari, luſtris operam dare.

MATVR. Cum M. Craſſo.] Hic eſt M. Craſſus ille diues, qui perijt in Parthis, cum quo Ciceroni graues & diuturnæ fuerunt inimicitiæ. Earum uero extitit cauſa, quòd cum Catilina coniuraſſe eũ Cicero inſimulauit: & in oratione, quam de Cõſulatu ſuo habuit, Craſſum ad ſe noctu ueniſſe retulit, epiſtolam à Catilina miſſam tenentem, qua illum quaſi conſciũ ad confirmandam coniurationem hortabatur. Quòd uero in Ciceronẽ æquior eſſet Craſſus, ac non aperte inſectaretur, filius cauſa extitit: qui ſtudiorum gratia Ciceronem aſſectabatur, & ſic obſeruabat, ut eo damnato ueſtẽ mutauerit: idq; ut complures nobiliſſimi adoleſcentes facerent, ſuaſerit. Tandem uero patrem etiam reconciliauit Ciceroni. Tum.] Quando habuit primam illam orationem, quæ hanc præcedit. Vitæ communis.] Ac ſi diceret, humanæ conſuetudinis, quam ſequi ſolemus. non enim ſi quid ſcriptum aut dictum eſt nobis ab amicis prius, id eũ inimici euadimus, diuulgare debemus. Nec prudens quiſpiã facere auderet.] Nam ſi hoc fieret, abſtinerent homines loqui multa cum amicis aut ſcribere abſentes: quippe qui dicerent, ſi forte inimicitiæ inter nos exorirentur, quidquid dixero aut ſcripſero, propalabitur. Aliqua offenſione.] Id eſt, ſi qua offenſio interuenit, ſi diſplicuerunt. Vitæ ſocietatem.] Vt ad amicũ non audeat quiſquam ſcribere aliqua de re, ſi dubitat eum aliqua offenſione interueniente proditurum. Inepta.] Vt ioci & dicta faceta, ambigua, et obſcœna nõnunquam, qualia ſunt in Cic. epiſtolis illis ad Pætum & alios nonnullos. Seria.] De Rep. ſed non diuulganda, quando periculum eſt inde ei qui ſcripſit, ut cum tempora accuſamus, & principes carpimus.

Sit hoc inhumanitatis tuæ.] Id eſt, imputetur inhumanitati tuæ, cum ſic ſis natus: ſed uos P.C. incredibilem ſtultitiam uidete, & conſiderate. Homo diſerte.] Ironice. Vt tuis, inquit, uideris.] Operis & aſſeclis, hominibus impuriſſimis & ſceleſtiſſimis. Muſtellæ Tamiſio, Tyroni.] Quos & inferius commemorat. Ij uini exhalandi, non acuẽdi ingenij cauſa declamare dictitabantur: quod poſt dicetur. Inter ſicarios.] Quaſi iocatur Cicero, & tamen uerum obijcit crimen Antonio, quòd & ipſe & operæ eius obnoxij eſſent legi de ſicarijs, quoniã armati uenerant in Senatum. Lex uero Cornelia de Sica. homicidas ultore ferro perſequitur, uel eos qui hominis occidendi cauſa cũ telo ambulant. Sica uero eſt, quidquid teli hominis occidendi cauſa fertur. An chirographo.] Ipſa manus meæ ſcriptura. In quo habes &c.] In effingendis ſcilicet chirographis, et ſcripturo manus alicuius ac characteribus, ex quibus magnum copis fructum in adulterinis literis & teſtamentis.

Qui poſſis?] Quaſi dicas, non uideo. non enim ſunt mea, ſed librarij mei manu. Iam inuideo &c.] Et hic iocatur, ſed cum felle & acri reprehenſione: Curioni dicit inuidere ſe, qui nihil Antonium ſapere docuit tanto mercede: etenim ſe ſubſtrauerat Antonius, ut eſt dictum.

BERO. Literas recitauit.] Apuleius in Apologia reprehendit filium Pudẽtillæ, quòd literas maternas publicouerit, & in cœtu frequentiſſimo legerit: contra laudantur Athenienſes, qui ex captiuis epiſtolis Philipphi Macedonis hoſtis ſui unam epiſtolam, cum ſingulæ publicè legerentur, recitari prohibuerunt, quæ erat ad uxorem Olympiadem conſcripta. hoſti potius pepercerunt, ne maritale ſecretũ diuulgarent, præferendum rati fas commune propriæ ultioni. Iam inuideo magiſtro tuo.] Non Curionem intelligi uult, ut Commentatores hallucinãtur: ſed Sextum Clodium Latinæ ſimul Græceq; eloquẽtiæ profeſſorem, male oculatum, & dicacem, qui cum M. Antonium rhetoricen docuiſſet, ab eo mox Conſule ingens congiariũ accepit: et ut poſt paulo docebit, duo millia iugerum Sexto Clodio rhetori aſſignauit Antonius, & quidem immunia, ut tanta mercede nihil ſapere doceret. De hoc Sexto Clodio ſcribit Tranquillus in lib. de Grammaticis & Rhetoribus. Si uerba negarit.] Potentiſſimum eſt, ut inquit Quintilianus, & longe faciliima tuẽdi ſe ratio, ſi quod obijcitur, negari poteſt. Quod enim uerbum in iſtis literis.] Opinor ſignificari epiſtolã illam Ciceronis ad Antonium, cuius initium eſt, Quod mecum per literas agis, unã ob cauſam mallem corãm egiſſes. In calce huius epiſtolæ clauſula talis legitur: Ego quæ te uelle, quæq; ad pertinere arbitrabor, ſemper ſine ullo dubitatione ſummo ſtudio faciam.

MATVR. Omne autem tuum crimen eſt.] Omnis in tali re tua accuſatio eſt, & in hoc me criminaris. At ego tuas literas.] Literæ Antonij quas hic ſignificat, ſic incipiũt, Occupationibus eſt factum meis, et ſubita tua profectione, ne te cum corãm de hac re agerem: quam ob cauſam uereor ne abſentia mea leuior ſit apud te. Quòd ſi bonitas tua reſponderit iudicio meo, quod ſemper habui de te, gaudebo. À Cæſare petij ut Sextum Clodium reſtitueret. impetraui. Erat mihi in animo etiam tum ſic uel beneficio eius, ſi tu conceſſiſſes: quo magis laboro, ut & tua uoluntate id per me facere liceat. Quòd ſi duriorem te eius miſeræ et afflictæ fortunæ præbes, non cõtendam ego aduerſus te. Ex hac M. Antonij epiſtola ſatis liquet quem de exilio reducere uelit, & quemadmodum inuito Cicerone adiuret ſe nihil eſſe facturum. Quendam de exilio reducere.] P. Clodij filium intelligimus: quem exulem reducturus Antonius ſcripſit ad Ciceronem prius, ſe illum niſi Cicero annueret, non reuocaturum. Quid enim me interponerem aud. tuæ.] Ac ſi diceret, facturus omnino fueras, uellem nollem ego.

Huius ordinis.] Senatorij. Cæſaris lege.] Quam in actis & libellis Cæſaris tu ipſe eſſe dicebas. Meam gratiam.] Meum beneficium. Lege lata.] Si Cæſar tulerat ut P. Clodij filius reſtitueretur, neq; Ciceronis cõſentientis, neque Antonij

punitorũ non in Gemonias abiectus, uncoq́; tractus in Tiberim. Erãt autẽ ſcalæ Gemoniæ ad rupem Tarpeiam, unde damnati in Tiberim deijciebantur: ſic à Gemonio quodam dictæ, qui primus eſt deiectus. Per hunc autẽ quem fugitiuũ uocat, C. Amatium ſignificat, qui humillimæ ſortis homo, ut ait Liuius, prioris Marij filium ſe falſo prædicabat. Cumq́; ob hanc ſimulationẽ C. Cæſaris putaretur affinis, (nã C. Marius Iuliã habuit uxorem Iulij Cæſaris amitam) & eius interitũ ferret permoleſte, plebem ad res nouas moliẽdas ſolicitabat, & Senatui cædem minabatur. Aram uero ante rogũ Cæſaris in foro conſtituerat, collectaq́; audaciorũ manu, ijs qui effugerant in Capitolium, tremendum ſe præſtiterat: quorum nõnulli in prouincias quas ſortiti erant uiuo Cæſare, abierunt: C. Brutus in Ciſalpinam Galliam, Trebonius in Aſiam quæ circa Ioniam eſt, Tullius & Cimber in Bithyniã. Caſſius & M. Brutus, quibus Senatus plurimum fauebat, ſortiti & ipſi ſequentis anni prouincias, Syriã Caſſius, Macedoniam Brutus: cum urbani Prætores adhuc eſſent, & neceſſitate adeſſe in urbe cogerentur, lege prohibuerũt ne cui extra uigeſimum annum prouinciæ adminiſtratio conferri poſſet. Exortus eſt rumor, Amatium ipſum cum his agitare conſilia, & Antonio unà inſidiari. qua re motus Antonius, in eos prius inuectus, Amatium cepit, et perdidit nullo iudicio exhibito, audacter admodum: quod opus ut arduum iniquumq́; Senatus admiratus eſt, habitaq; utilitatis ratione diſſimulanter tulit, intelligens, abſque huiuſmodi audacia, quæ ad Brutũ pertinebant, & Caſſium, in tuto collocari nõ potuiſſe. Sed et milites & populus Amatij deſiderio, ob quẽ re uera Antonius populo acceptus fuerat, dolore nimio affecti, ut qui ab Antonio ſpernerentur, forũ clamoribus opplerent, probra in Antoniũ iacientes, magiſtratus quoq; adhortantes, ut Amatij loco arã quã dixi frequentarent, & Cæſari in ea ſacra facerent. ſed ab Antonij militibus foro ſunt pulſi, et idcirco longe maiori affecti indignatione uociferabãtur. Aliqui ex Cæſaris amicis imagines eius proferebant, quoad miſſis ab Antonio militibus, reſiſtentiũ alij occiſi, alij capti ſunt, ſerui quidã cruci affixi, liberi nonnulli ex alto quodã loco præcipites dati, quo pacto ſedati tumultus: ſed odium ingens ex magna populi beneuolentia in Antonium cõflatum. Hæc ferè Appianus.

BERO. Vncus impactus eſt.] Caium Amatium ſignat, qui humillimæ ſortis homo ſe ferebat Marij filium, qui perinde ac Cæſaris neceſſarius, aram illi interfecto conſtituerat, collectaq́; perditorum manu, ſeſe formidandum exhibebat. hunc Antonius interemit. quod facinus Senatores demirati ſunt, & approbauerunt. Auctores Appianus & Liuius.

[redacted] Multa prætereo.] Pulchra cõmonitio, ad augẽdã fidẽ cũ breuitate orationis. Lux quedã uidebatur.] Declinatiuncula ἐπιφωνηματικῶς κατ᾽ ἐπεξεργασίαν ad orationis grauitatem, & exaggerationẽ. Liberatus cædis periculo.] Aptus reditus ad ipſam enumerationem: cuius tametſi extremũ & unicum membrum eſt, tamen magnum pondus habet. Nam C. quendam Amatium, qui ſe filium C. Marij, et propterea Cæſaris affinem falſo dictitarat, hominem poſt Cæſaris necem popularẽ & ſeditioſum, Antonius indicta cauſa interfecit, ad Gemoniasq; ſcalas unco infixo trahi curauit: quo facto ſummam ſuam ergo Cæſaris percuſſores uoluntatem declarauit. Vide Appianum & Florum.

MATVR. Cum collega.] Ab Antonio facta cum collega Dolabella. Cũ ſerperet.] Poſt trucidatũ Amatiũ. Iidemq́; buſtum.] Qui Amatium erãt ſecuti. hoc propter Cæſaris imagines dicit in foro concrematas. Qui illũ inſepultã ſepulturam.] Nam quotidie aliquã Cæſaris cremabãt imaginẽ, tanquam crematus iam non eſſet. Quotidie.] Poſt crematũ Cæſarem. Talis animaduerſio.] Appianus Antonio tribuit, quæ Cic. Dolabellæ. Sunt alia quæ Dolabella fecit ſine collega, quæ cõmunia, inquit, fuiſſent cũ Antonio, niſi abfuiſſet Antonius. Dolabella ijs qui in Cæſarem coniuraſſent, ignoſcendũ eſſe prædicauit, & dolere ſe, quòd ipſe quoq; manu à Cæſaris cæde abfuiſſet. Dolabellæ tunc maxime omnes confidebant, quem quia ut iuuenem & Conſulẽ aduerſaturũ Antonij conatibus exiſtimabãt, deſcendere è Capitolio Brutus & Caſſius, & in media cõſiſtentes multitudine, nihil timidum locuti ſunt: ſed populum adhortati, ne ſuos imitari maiores uellet: qui reges nõ ui, ut Cæſar, ſed lenitate & legibus imperantes, paſſi tamen non fuerãt. Hæc et plura cum dixiſſent, confeſtim in Capitoliũ, non ſatis fidentes rebus præſentibus, ſe recepere. Antonius uero & Lepidus ſimulata cum interfectoribus concordia, et pacẽ pollicẽtes, ſed ulciſci Cæſarem uehementer cupientes, effecerũt ut Cæſaris teſtamentũ L. Piſone ſocero eiuſdẽ poſtulãte aperiretur. apertũ recitatumq́; eſt in Antonij domo. Funus inuitis pluribus ex Senatoribus, et in primis Caſſio, etſi Brutus nõ abnuebat, indictũ eſt. Rogus in campo Martio extructus iuxta Iuliæ tumulũ. pro roſtris aurata ædes ac ſimulacrum tẽpli Veneris genitricis collocata, intraq́; lectus eburneus, auroq́; ac purpura ſtratus: ad caput trophæum cũ ueſte in qua fuerat occiſus. Pronũciauit Antonius per præconem Senatuſcõſultum, quo omnia ſimul et diuina atque humana decreuit. Concrematum cadauer eſt in foro ante curiam, congerente turba arida uirgulta cũ ſubſellijs & tribunalibus: nam rogus in campo Martio extructus fuerat. Et cum uariæ eſſent ſententiæ ubi cremandus Cæſar eſſet, repente duo quidã gladijs ſuccincti, ac bina iacula geſtãtes, ardẽtibus cereis ſuccenderunt. Laudatione, quam habuit, ſic plebem accendit Antonius, ut confeſtim à funere ad domum Bruti et Caſſij tetenderit, ægreq́; repulſa fuerit. Tunc mirifica apparuit Dolabellæ opera in reprimenda perditorũ audacia. Illius euerſæ columnæ.] Quam ſolidam propè XX. pedum lapidis Numidici illi ijdem Amatij ſectatores, & plebs in foro erexere, ſcripſereq́; Parenti Patriæ. apud quã lõgo tẽpore ſacrificare, uota ſuſcipere, cõtrouerſias quaſdã interpoſito p Cæſarẽ iureiurãdo, diſtrahere pſeuerauere, ut ait Tranquillus. Ab illo uno die.] Quo ſcelerati repreſſi, & columna à Dolabella euerſa. Ecce enim.] Ciceronis eſt, in rebus improuiſis hac particula uti: ut in Verrem, Ecce autem repente ebrio Diomede, eſurientibus cunctis. Quod cum cuta Virgil. & legit et tranſtulit, ut ait Aſconius, Ecce autem gemini à Tenedo. Et, Ecce manus iuuenem interea poſt terga reuinctum. Edixerat.] Antonius. & proprio uſus eſt uerbo. magiſtratum enim edicere eſt, hoc eſt iubere, unde edicta Conſulum, ac Prætorum. Per ipſum.] Antonium. Conſules deſignati.] Hircius & Panſa Calend. Ianuar. proximis conſulatum inituri. Patriæ liberatores.] Quia abierant in prouincias, ut dictum eſt. Cuius à ceruicibus.] Effictio eſt. nam rei inanimatæ dat quod eſt animatæ, ceruices ſcilicet urbi. Et in concionibus.] In conuentu populi & multitudine, in loco publico. In ſermone.] In loco priuato, & inter amicos. Veterani.] Cæſaris milites, qui eum in bellis ſecuti fuerant, & tunc partim in Macedonia, partim ad Brunduſium erant. Cauerat.] Proſpexerat eorum laboribus. præmijs conſulens, & aſſignatis agris. Quas habebant.] Poſſidebant aſſignatas à Cæſare & Senatu. Incitabantur.] Ab Antonio & Lepido ad bona interfectorum diripienda. Audire mallem.] Nam quod ipſe ait Cic. in Epiſt. Lentius in animum deſcendunt quæ audiuntur, quàm quæ uidentur, minusq́; commouent. Ius legationis liberum.] Oblatum à Dolabella, qui in Syriam proficiſcebatur. Liberum.] Poteram enim pro meo arbitrio legatus proficiſci, uel non. Senatus cogendi.] Tunc enim non cogebatur: nam pro ſua libidine cuncta gerebat Antonius. Fore uero ſperabat Cic, ut Coſ.

Hircio

Hircio & Panſa et ipſe aliquid in Senatu auctoritatis haberet, & Senatus per Conſules cogeretur, cum prius domi Antonij, abſente Senatu, & populo etiam inuito, omnia agerentur.

BERO. Euerſio execratæ columnæ.] Non ſat liquet an hæc illa ſit columna quam plebs Romana in foro ſtatuit Cæſari Dictatori ſolidam propè uiginti pedũ lapidis Numidici: inſcripſitq́; Parenti patriæ. Nam ne credamus hanc hoc in loco ſignificari, facit Suetonius, qui ſcribit quemadmodum apud candẽ. columnã longo tempore ſacrificare & uota ſuſcipere, et controuerſias quaſdam interpoſito per Cæſarem iureiurãdo diſtrahere populus R. perſeuerauerit. In Epiſt. ad Att. dilaudans hoc facinus Dolabellæ ſic inquit: O' mirificũ Dolabellã meum: columnam tollere, locum illum ſternendum locare. Quid quæris heroica? In hunc ſenſum Lactant. lib. 1. ſic refert: Quod ſi Cõſul nõ fuiſſet Antonius, C. Cæſar pro ſuis in Rep. meritis etiã defuncti hominis honore caruiſſet, & quidem conſilio Piſonis ſoceri, et L. Cæſaris propinqui, qui uetabant funus fieri. & Dolabellæ Cõſulis, qui columnã in foro, id eſt titulum eius euertit, ac forum expiauit: Infra dicet buſtum Cæſaris in foro euerſum eſſe à Dolabella. Cal. Iunijs immutata omnia.] In Epiſt. ad Atticũ, Nonne meminiſti clamare, te omnia perijſſe, ſi ille funere elatus eſſet? ſapienter id quidem. Itaque ex eo quæ manarint, uides. Quæ ſcribis Calend. Iunijs Antonium de prouincijs relaturum, ut et ipſe Gallias habeat, & utriuſque dies prorogetur, licebit'ne decerni libere? Haberẽ ius legationis liberũ.] Sic in omnibus ferè Tullianis codicibus legi ſolet, et exponi liberum ius, ut intelligamus fuiſſe in arbitrio Ciceronis utrum legationẽ ab Dolabella oblatam ſuſcipere uellet, an renuere: ſed mihi purior lectio & uerior uidetur eſſe ſi legas, ius legationis liberæ. ſunt enim quædam legationes partim uotiuæ, partim liberæ nũcupatæ. Votiuã legationem ex eo dictam autumant, ꝙ ſumitur ad uota diſſoluenda. Liberam uero legationem ex eo opinor appellatã, quòd libera ſit, & ad quamcunque nationem: quæ impetrari ſolebat à Senatu tanquam cauſa proficiſcendi honeſta, & uelamentum, ut ita ſub nomine legationis honorifico procul à patria ciues eſſe poſſent. Interdum liberæ legationes exigendi cauſa petebantur. quod multi boni uiri ſæpe fecerunt, ut docet M. Tull. in orat. pro Flacco. De libera legatione mentionem facit D. Brutus his uerbis: Cum in his anguſtijs uerſarer, placitum eſt mihi, ut poſtularem legationẽ liberã mihi, [illegible] uexaris, aut aliqua cauſa proficiſcendi honeſta quæreretur. Idẽ M. Tull. in epiſtola quadam ad Q. fratrem ſic inquit: Illud autẽ quod cupit Clodius, eſt legatio aliqua, ſi minus per Senatum, per populum libera, aut Byzantium, aut Brogitarum, aut utrunque, plena res nummorum. Liberæ legationes uidebantur habere deſinitũ tempus quinquennij ex lege Iulia. Verum ne dubitemus hoc in loco legendum eſſe, ius legationis liberæ, euidenter oſtendit M. Tull. epiſtola quadam ad Atticum ſcribens ſibi legatione opus eſſe, honeſtiorem eſſe libera uotiuam. Sed licet, inquit, uti utraq;. atq; inibi ex interuallo, Dolabella, inquit, me ſibi legauit ad quartum Nonas Apriles. id mihi heri ueſperi nunciatum eſt. Votiua ne tibi quidẽ placebat. Item, Cogites quid agẽdũ nobis ſit ſuper legatione uotiua, quòd in his locis moneor à multis ne in Senatu Cal. adſim.

MATVR. Nõ ſine cauſa.] Timebat enim inſidias, & Cæſaris ueteranos, qui ad Brunduſium ciuitatem Iapygiæ in Calabria erãt, quã Creſenſes habitaſſe memoriæ proditum eſt, qui è Gnoſſo cum Theſeo diſceſſerunt. Portus Brunduſinus commodiſſimus eſt: multi enim uno ore portus includuntur, qui nulla fluctuum agitatione turbãtur, cũ interni ſinus excipiãt, ut forma ipſa cerui cornibus ſimillima ſit, unde nomen inditũ. locus enim cum urbe, ceruino capiti maxime eſt comparãdus: et M. ſapiorum lingua Brunduſium cerui caput nominatur, Strabo auctor. Brũduſio ſoluebãt Romani in Græciã et Aſiã nauigaturi, redeuntesq́; inde Brunduſium appellebant. Syracuſas.] Vrbs eſt Siciliæ, quam Archias è Corintho nauigans condidit, & agri fœlicitate, et naturali portuũ cõmoditate inſignis, tribus annis obſeſſas M. Marcellus expugnau't, & diripuit. ſanctum ne mulieribus et templis parceretur edixit. Tranſmiſſio.] Tranſitus & traiectio. Tranſmittere, trãſire. Virg. Alia de parte patentes Tranſmittunt curſu c.ipos. Cõiũctiſſima]. Omnis Sicilia fuis Ciceronis ſtudioſiſſima, propter quæſturã illic integerrime adminiſtratã. Neceſſarios.] Amiciſſimos Siculos. Leucopetrã, quod eſt promontoriũ agri Rhegyni.] Quid mirum ſi ſuperior locus librariorũ & literatorũ negligentia tã inſigne mendum accepit, ut uinctus pro uncus ſcriberetur, cum hic locus quem ĕt indoctis apertũ eſſe conueniebat, tã temere ſit deprauatus? Quis enim ignorare potuit Leucopetrã non Siciliæ, ſed Italiæ & Calabriæ atque agri Rhegyni promontorium eſſe? quod et ipſa indicãt Ciceronis uerba. Ait. n. Leucopetrã ex Sicilia velatũ ſe uentis. Cum agri Rhegyni ſcribẽdũ fuerit, ſicut & Cicero ſcriptum reliquit, Agrigenti ſcriptũ ab imperitis eſt. Leucopetra Calabriæ eſt promontorium, ſic à colore uocatum: albũ enim apparet. è Rhegyo ad orientẽ nauiganti occurrit per ſtadia quinquaginta. montis Apœnini finem eſſe dicunt. Strabo. Intempeſta.] Inactuoſa, non habens idoneum tempus rebus gerendis. In uilla.] Quæ in agro erat Rhegyno. Comitis.] Qui Ciceronis comes erat itineris, & idem familiaris atq; hoſpes. Is eſt P. Valerius, ad quem eſt Ciceronis epiſtola lib. 1. ad Lentulũ, cuius initium eſt: M. Tullius Cicero Pub. Valerio Iuriſc. ſalutem dicit. Cur enim tibi hoc non gratificer, neſcio. Cũ nõ eſſet, quoniã parũ peritus iuris, uideri tamen uolebat & uocari Iuriſconſultus: quod in epiſtola quæ eſt in principio 3. libri ad Appiũ Pulchrũ meliuscognoſcitur. Municipes Rhegyni. Ex Rhegyo municipio. Quid ſint municipes, A. Gellius docet lib. 15. cap. 13. Rhegyum uero Chalcidenſes condidere, qui cũ ex oraculo decumatim Apollini oblati fuiſſent, è Delphis eò deduxiſſe coloniam feruntur, alijs ſecum aſſumptis ſic dictum eſt, quoniam eo loci conditum fuit, ubi terræmotu Sicilia eſt ab Italia auulſa interueniente anguſto freto. ῥήγνυσθαι frangi eſt.

Roma.] Hoc eſt à Roma. Recentes.] Qui nuper uenerant ab urbe. Accipio.] Intelligo. Virg. Accipe nunc Danaum inſidias. Concionem.] Orationem habitam in Senatu, qua Sex. Pompeium ex Iberia acciri ſuaſit, ubi aduerſus Cæſaris Pretores bellum gerebat, eiq́; pro paternis bonis in publicũ redactis, uicies et quinquagies X mille drachmas Atticas decreuit rependi: maris quoque præfectum inſtitui debere, quẽ ad modum & parens eius olim extitiſſet, rebusq́; urguentibus Romanorũ claſſe ubicunque ea eſſet, uti poſſe. Senatus ſingula admiratus conceſſit, Antoniumq́; per uniuerſum diẽ laudibus immenſis extulit. Non enim quiſpiam eo popularior fuiſſe uidebatur: quamobrem deſiderãbatur ab omnibus. Caſſius porrò et Brutus qui ex Pompeiana factione eſſe dicebantur, tunc quidẽ in honore habiti, ſalutem indubiã adipiſci putabantur. Senatus Antonio conceſſit, ut contra uulgi inſidias cuſtodiam corpori adhiberet. Ille uero ad ſex millia militũ coegit, in quibus eos qui ſub Cæſare militarant, & ordines duxerant: qua multitudine eſſe formidoloſus poſtea cœpit omnibus. Ea lecta.] Eſt enim in ſcriptis ad Ciceronem perlata.

[redacted]. Expoſui P. C.] Tranſitus ad alteram partẽ expoſitionis ex periodo bimembri, κατὰ κῶλον, uel ut alij uocant, per conuerſionem breuiter & abſolute. Quæ plus habet adm.] Propterea ĕt auditu iucundior. Omnis trãſitus docilitatis locus eſt, hic etiam attentionem habet. Non ſine cauſa.] Propter ueteranos, qui Brunduſij erant. Quæ tamen urbs.] Declinatiũcula. magis. n. feſtinationẽ ſuã et animi dolorẽ oſtẽdit ꝙ narrationẽ ꝑpetuet. Veritus ſum ne.] Ἀπολογία ad probitatẽ ingenij ſui innuendã. Cũ autẽ me.] Cõtinuatio

narrationis. Eſtq; hic locus plenus ſignis uériſimilibus πιςωτικοῖς, & ipſo rei inſperato exitu iucundam expoſitionem habet.

Ex his quidẽ. ] Hactenus ita ex circunſtantijs temperauit orationẽ, ut in ſumma feſtinatione neceſſaria mora facta eſſe uideatur. Nunc cauſa reditus rurſum per enumerationẽ exponuntur. M. Antoni Concionem. ] Δημηγορίαν. Hanc in Senatu habuit pro Sex. Pompeio Cn. filio, qui id tẽporis in Iberia bellum gerebat contra Cæſaris Prætores. Hunc reuocãdũ in patriam ſuaſit, & pro patris bonis, quæ in æde Opis in publicum redacta erant, uigeſies & quinquagies decies mille drachmas atticas reſtitui, et præſidem maris inſtitui debere cenſuit.

MATVR. Edictum Bruti & Caſſij. ] Qui Prætores erant urbani. Fuit autem hoc edictum, ne cui intra uigeſimũ annũ prouincia adminiſtratio dari poſſet: quod inique animo tulerat Antonius, erepta ſibi, adoleſcentibus, qui audatiores ſolẽt eſſe, gratificandi poteſtate. Remiſſis Gallijs. ] Quarum Ciſalpina D. Bruto cum tribus legionibus, Tranſalpina Munatio Plãco obtigerat. Sed Ciſalpinam ſibi Macedoniæ loco, quæ ei obuenerat, concedi à Senatu poſtulabat Antonius, id animo agitãs à Cæſare è Gallia redeunte Pompeiũ oppreſſum. Senatus periculum animaduertens, ſolicitus cœpit eſſe: et ſubeſſe inſidias intelligens, miſit qui nũciarent D. Bruto, prouinciã retinere, exercitũ alium ſcriberet, quo Antonio obſiſteret. Veliam deuectus. ] Oppidum in agro Lucano Velia eſt, quã ex terra Phocide fugati ab Harpalo Regis Cyri præfecto condiderunt. auctor A. Gellius. Græci Heleam dicunt, quoniã intra paludes ſita eſt, quas illi ἕλη uocant. Cum inſolentior fieret in dies Antonius, et magis magiſq; timendus eſſet, Brutuſq; & Caſſius tutum nihil intuerẽtur, etſi Vrbani Prætores, uelut priuati tamen degebãt, inclinabant ad fugam. Quorũ uoluntate cognita, Senatus eis frumenti ex omnibus locis conuehendi curam iniunxit, ut ſub honoris prætextu Vrbe excederent, et minime uiderentur effugere. Ergo Veliæ Cicero offendit Brutũ. Pulcherrimi facti conſcientia. ] Quòd Cæſarem occiderat, & patriam ſeruitute tyranni liberauerat. L. Piſonis. Cuius filiam Calphurniam uxorẽ habuit Cæſar. Is L. Piſo ſuaſerat deponenda arma, ad Senatus auctoritatem omnia referenda, libertatẽ conſeruandã. longa uero oratione Antonij accuſauerat impotentiã, & de mutata uoluntate erat cõqueſtus pluribus. Magno animo hortatus fuerat, ut ei occurrerent, & ut C. Octauius, quem Iulius in familiam nomẽq; ſuum adoptauerat, reuocaretur, qui Antonij audaciæ & conatibus obijceretur. Is primus uel ſolus potius diſſuaſit parentalia cũ ſupplicationibus Iulio decernenda, quod retulerat & uolebat Antonius: magna contentione multis contra diſſeruit rationibus: ſed parũ eſt adiutus ab ijs à quibus uel in primis debuerat. Cicero in epiſtola ad Caſſiũ, Ita nec Piſoni, qui in eũ primus inuectus eſt, nullo aſſentiente: nec mihi, qui idem trigeſimo poſt die feci: nec P. Seruilio, qui me eſt conſecutus, tuto in Senatum uenire licet. Cædẽ enim gladiator quærit. Is tamen L. Piſo poſtea Antonij abſentis defenſor contra Ciceronem extitit.

ASCEN. Sed ut ſi quid mihi humanitus &c. ] Loci huius enarratio apud A. Gellium eſt li. Noct. At. 13. c. 1. Præter naturam, inquit, præterq; fatũ, an utrunq; idẽ ualere uoluerit, fatum atque naturam: et duas res ἀντ' ἴσου ὀνομαζομένων, προσρημάτων καὶ φύσιν: an uero diuiſerit ſepararitq; ut alios caſus natura ferre uideatur, alios fatum, conſiderandum equidẽ puto. Atque id maxime requirendum, qua ratione dixerit accidere multa humanitus poſſe præter fatum, quando ſic ratio et ordo et inſuperabilis quedã neceſſitas fati cõſtituitur, ut omnia intra fatum claudenda ſint, niſi illud ſanè Homeri ſecutus eſt.

Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον ἄϊδος εἰσαφίκηαι.

Nihil autem dubium eſt, quin uiolentam & inopinatã mortẽ ſignificauerit, quæ quidẽ poteſt rectè uideri accidere præter naturam. Sed cur id quoque mortis genus extra fatum poſuerit, neque operis huius eſt explorare, neque tẽporis illud tamen non prætermittendum eſt, quod Virgilius quoque idipſum quod Cicero, de fato opinatus eſt, cum hoc in 4. lib. dixit de Eliſa, quæ mortem per uim potita eſt.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat:

Tanquam in faciendo fine uitæ, quæ uiolenta ſunt, non uideantur è fato uenire. Demoſthenis autem uiri prudentia pari atque facundia præditi uerba idem ferè ſignificantia de natura atq; fato, M. Cicero ſecutus uidetur. Ita enim ſcriptũ eſt in oratione illa egregia cuius titulus eſt περὶ στεφάνου. ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι νομίζων μόνον γεγενῆσθαι, τὸν τῆς εἱμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει. ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν ἀποθνῄσκειν ἐθελήσει. Quod Cicero fatũ atque naturã uidetur dixiſſe, id multo ante Demoſthenes τὴν πεπρωμένην καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον appellauit. αὐτόματος enim θάνατος, quaſi naturalis & fatalis, nulla extrinſecus ui coactus uenit. Hactenus Gellius.

BEROAL. Præter naturam præterq; fatum. ] Cõſiderandum atque id maxime requirendum putat A. Gel. qua ratione dixerit accidere multa humanitus poſſe præter fatũ, quãdo ſic ratio & ordo & inſuperabilis quedã neceſſitas fati conſtituitur, ut omnia intra fatũ claudenda ſint. Nihil autem dubiũ eſt quin uiolentam & inopinatã mortem ſignificauerit, tãquam in faciendo fine uitæ quæ uiolenta ſunt, non uideantur è fato uenire, ſintq; præter naturam. Virgilius quoq; id ipſum quod Cicero de fato opinatus uidetur, cum in 4. Aeneid. de morte Didonis uiolenta ſic ſcriberet,

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat:

Hoc eſt, non ſecundum inſtitutum naturæ, quod fatis attributum eſt Hominibus, ſcilicet ut nulla ui adhibita moriãtur. Hinc enim difficilis mors eſt, cũ non conſenſu naturæ ſpiritus redditur, ſed extorquetur uiolẽta, et extruditur ante diẽ quo natura potuit afferre cõſenſum. Græci βιοθανάτους uocant mortẽ uiolentam, et βιοθανάτους homines qui uiolenta morte perimuntur: de quibus frequens mentio apud Firmicum Maternum. Contra Demoſthenes θάνατον αὐτόματον appellat ſuæ ſponte mortem, quã naturalẽ intelligi uult, quaſi naturalis & fatalis ille ſit obitus, qui nulla extrinſecus ui coactus uenit.

[redacted]. Nec multo poſt. ] Edictum Bruti erat ut ne cui intra uigeſimum annum prouincia obueniret. quod factũ erat à Bruto & Caſſio urbanis prætoribus contra Antonij potentiã, qui minor his annis erat. Fit enim plerunq; παρένθεσις γνωμολογικῆς ad fidem narrationis. Remiſſis Gallijs. ] Nã harũ Ciſalpina D. Bruto cũ tribus legionibus obuenerat. Trãſalpinã Munatius Plancus ſortitus erat: Ciſalpinã Antonius loco Macedoniæ poſtulabat: quæ res ſuſpecta Senatui fuit, eoq; Bruto ſignificauit ut prouinciam retineret, et contra Antonium maiorem manum faceret. Dum uero tanta. ] Συμπερασμάτιον pulchra ὑπερβολῇ ornatum, moderatũ etiam breuiuſcula occupatiuncula ad beneuolentiã augendã. Atq; ego celeriter. ] Declinatio tum ad Brutum παθητικῶς commendandum, tum ad cauſam eam commendandã à perſona L. Piſonis. Erectius. ] Τὸ προσωπεῖον hic locus habet, propter libertatem orationis.

Ex quo primum. ] Pars altera declinationis etiam, tamen ſuperiori coniuncta, ut cauſa fuiſſe illa uideatur maturãdi reditus. Hũc igitur ut. ] Reſumptio cõcluſionis κατ' ἐπεξεργασίαν.

MATVR. Vtriuſque conſilij. ] Profectionis & reuerſionis. Confido. ] Credo, tum in præterito, ut hic: tum in præſenti, ut Cicero in principio de Offic. Quanq̃ à Cratippo noſtro principe huius memoriæ Philoſophorum hæc te aſſidue audire atque accipere confido. In futuro, ita fore confidimus. De heſterna &c. ] Qui minatus in Senatu eſt, cũ reduſſet Cicero, & in eo ordine non affuiſſet, miſſurum ſe fabros qui domum demolirentur,

demolirentur, & milites qui inuitum traherent: poſtea uero acceptis pignoribus, reliqua ut abſtinuit. Hánibal credo &c. ] Qui poſt Cannenſum pugnam caſtra poſuit ad Anienem ad tertium ab urbe lapidem, urbem obequitauit, & haſtam intra Romana mœnia iecit: quo tempore magna Romæ trepidatio fuit.

De Pyrrhi pace. ] Hic Epirotarum rex fuit. accerſitus à Tarentinis, pro illis aduerſus Romanos uario euétu bella geſſit. ad uigeſimum ab urbe lapidem caſtra metatus eſt. Cum de pace cũ eo ageretur, & potentiorum per Cyneam legatum fauor quæreretur, Appius ſenex & cæcus lectica in Senatum latus turpiſſimas conditiones magnifica oratione diſcuſſit, uſus uerbis quæ ex Ennio recitauit Cicero in Catone Maiore: Quò nobis mentes rectæ quæ ſtare ſolebant Antehac, præcipiti ſeſe uertere ruina? Luminibus captus eſt, quoniam Potitijs ut Herculis ſacra publicus ſeruos edocerent, perſuaſit. De ſupplicationibus. ] Decernendis unà cum parentalibus in honorem Iulij, cum tamen ex ueteri more & ſemper cuſtodito duorum, trium, aut plurium dierum pro re ab aliquo bene geſta decerni ſolerent, & præuiæ eſſe triũphi plerunque. Ibant autem Sacerdotes per urbẽ téopla adeuntes, ſupplicantes dijs, & gratias agentes. Quoties autem de ſupplicationibus referendum erat, ab amicis illius cuius gratia decerni poſtulabantur ipſæ ſupplicationes, in Senatũ precibus Senatores conuocari ſolebant. Gratia. ] Cauſa De triumpho. ] Cuipiam decernendo. Sine cura. ] Cogendi per uiatorem Senatores, quando de ſupplicationibus aut triumpho agendũ. nam cogendi laborem ipſis relinquunt, quorum de honore agitur. De uia languerẽ. ] Ex itinere feſſus eſſem,

Fabris. ] Demolitorijs. Multiplex enim faber eſt, lignarius, ferrarius, lapidarius. Diſturbaturum. ] Demoliturũ. Publice ex &c. ] Infeſtante P. Clodio Tribuno pleb. & Piſone ac Gabinio Coſs. cum poſſet armis contra uim defendere ſe, cedere maluit Cicero: mediaq; nocte urbem egreſſus, exul factus eſt. Villæ eius incenſæ, uaſtati agri, bona ſub haſta uendita, domus diruta: & quò ſolum quoque auferretur, ædes Libertatis in area exædificata. Reſtituto Cic. decimo et ſexto menſe poſt domus publica impenſa reædificata: in quam, etſi numini ſacrata fuerat, Ciceronem pontifices, Coſs. Prætores collocauerunt: quod in oratione contra L. Piſonem ipſe ait.

BERO. Coguntur non pignoribus. ] Mar. Varro in libris epiſtolicarum quæſtionum diſſeruit de pignore capiendo, deq; mulcta dicenda Senatori, qui cum in Senatũ uenire deberet, non adeſſet. nam Senatores infrequentes captis interdum pignoribus mulctabantur. Ex Senatus ſententia ædificatã domum. ] Intelligi planè uult domum ſuam, quam olim Clodius incendiſſet, mox Senatus cenſuit publica pecunia ædificandam. Gloriatur Marcus Tullius in oratione contra Piſonem, ſibi, quod antea nemini, pecuniam publicam ad ædificandam domum fuiſſe decretam. Quod non tam hiſtorico more, quàm oratorio, ut inquit Aſconius Pædianus, uidetur poſuiſſe. Nam multis ætatibus ante Ciceronem nulli id contigiſſe uerum eſt: an uero nemini unquam antea, uideamus, ne parũ caute dicamus. Antiquis enim temporibus idem cótigit Valerio Maximo, cui inter alios honores domus quoque publice ædificata eſt in palatio. Et Antiochi regis filio obſidi domum publice ædificatã tradunt. Varro quoque refert, Mutini qui ab Hanibale trãſierat ad Romanos, ædes Romæ datas, & ad pecuniam ex ærario. Videamus tamen num ideo Cicero dicat ſibi, quod antea nulli, domum pecunia publica ex ærario ædificatam, quia illis aut locus publice datus ſit, aut domus, quæ fuerit eorum, nó publico ſumptu ædificata: Ciceronis uero domus quæ fuerat ipſius, & diruta atque incenſa erat, & à Clodio conſecrata Libertati, publico ſumptu ædificata ſit, quod nouum & huic primo, & adhuc et ipſi ſoli contigit.

[redacted]. Quoniam utriuſque con. ] Tranſitus poſt factam narrationem ad reprehenſionem Antonij iniuriæ. qui locus tametſi prior uideatur potuiſſe eſſe, & occaſionem habuiſſe maioris expoſtulationis & querelæ, tamen ideo utrunq; uitatũ eſt, ne uideretur ſuũ, non Reip. negotium agere. Cui ſum amicus. ] More ſuo aduerſario ſe amicum profitetur. Quid tandem erat cauſæ. ] Propoſitio huius loci. Nulla cauſa fuit cur in Senatum cum contumelia cogerer. Subiungitur inde ex proximo probatio. Nam neque ſolus aberam, neque ea res agebatur ut neceſſariũ eſſet: ſed de ſupplicationibus agebatur, ubi gratia, non mulcta requiritur. Hannibal credo. ] Pulchra ironia uice infirmationis ad contemptioné aduerſarij atque eius cauſæ. Imitatus eſt hunc locum Liuius in oratione Catonis pro lege Oppia. Hannibal poſt cladem Cannenſem exercitũ ſuum promouit ad tertium ab urbe lapidem, Romam obequitauit, et intra mœnia iaculum miſit, unde magna omnium mentes conſternatio occupauit. Pyrrhus Epirotarum rex, uario Marte ſæpe pro Tarentinis contra Romanos pugnauit. Poſtremò ad uigeſimum ab urbe lapidem caſtra poſuit, cœptumq; eſt de pace agi per Cyneam legatũ: ad quod cóſiliũ Appius Cæcus et ſenex delatus eſt, qui fortiſſime et prudentiſſime regijs promiſſis ſua oratione reſtitit. Cogũtur. u. nó pig. ] Sed amore et cóſuetudine. Qui cũ mihi mos. ] Συμπερασμάτιον ἀντιληπτικὸν addita eſt μετάστασις etiam ad maiorem defenſionem. At ille nobis aud. ] Criminatio ex aduerſo illata, ad quid. i. ἀλλοίωσιν, hoc eſt facti ſui & contumeliæ aduerſarij diſſimilitudinem oſtendendam. Nimis iracunde. ] ἐπιφώνημα ad maiorem uituperationem & indignationẽ. Se publicis operis diſturb. ] Παραμυθία ἐμφατικὴ, & exaggeratio facti.

MATVR. Aut quid. ] Duobus modis cogi Senator poteſt, ut uel pignus ab eo auferatur, uel mulcta, hoc eſt pecuniaria pœna irrogetur. Samnitum uocabulũ mulctã dicit eſſe Varro, & ſpecialis peccati eſſe, cuius animaduerſio pecuniaria ſit, cũ pœna generalis exiſtat. Vt Parentalia cũ ſupplicationibus miſcerentur. ] Vt in Cæſaris honorem quotãnis parẽtalia ſimul et ſupplicationes certo die celebrarentur. Sunt autẽ parentalia, iuſta mortuorũ: & parentare eſt pro mortuis parentibus iuſta facere, & epulum dare. Omnes uero maiores in infinitũ parentes uocari ait Caſſius iureconſultus. Apud ueteres Romanos, ſicuti nũc à nobis Nouembri menſe, duodecimo Calendas Februarij parentalia celebrari pro mortuis ſolita ſunt, quod Ouidius tradit in Faſtis. Cum ſupplicationibus. ] Quas item in Cæſaris honorem decerni uolebat, tanquã relatus in deos eſſet. Inexpiabiles. ] Quæ expiari nó poſſent. nã nó pro mortuis decerni ſupplicationes cóſueuere, ſed pro uiuis: nó pro re triſti, ſed pro læta, ut pro uictoria. Ille Lucius Brutus. ] Hoc ſignificare uult: ut Iunius quidẽ Brutus, à quo ſunt exacti reges, et parta urbi libertas, dignus eſt ad cuius ſepulcrũ ſupplicetur: multo minus Cæſar, qui regio dominatu liberã urbẽ preſſit. Ille profuit pellẽdo tyrannidem: hic obfuit exercendo, & eſt à maiori ad minus argumentum. Si non dignus Brutus, multo minus Cæſar. Id honoris duntaxat Bruto tributum, quòd cadauer eius in foro poſitum collega Valerius laudauit, matronæ anno luxerũt. Corruptum ſcio locum, & Iun. Id eſt Iunium, non Lucium Brutum legendũ. Regio dominatu. ] Electo Tarquinio Superbo et filijs. Stirpẽ. M. Brutũ, qui Cæſarem occidit. Propagauit. ] Extendit. ſumptũ à uitibus, unde et propago. Cũ duorũ immortaliũ religione. ] Vt ei ueluti dijs immortalibus ſupplicemus. Nuſquam. ] Nullo enim loco Bruti ſepulcrũ oſtendebatur. Si quis accidiſſet caſus. Propter hãc religionem & nouam & periculoſam, & propter hoc piaculum, deorum cómoueretur ira: quia cómiſſa in eos ſcelera peſtilentia, fame, bello ſolent ulciſci. Poſſem defendere. ] Et dicere, monui ego uos ne faceretis. et dici ſolet, quãdo quippiã accidit errore et peccato, quod nobis eſt prohibẽtibus cómiſſum. Læ ſunt. ] Vt bel-

lum quod adhuc in Hiſpania gerebatur contra Sextum Pompeij filium à Peteeo & Aſeanio pretoribus. Qui id non probat. ] Decretas Iulio ſupplicationes. Huic ordini. ] Senatorio. Mihi uero. ] Qui libere ſemper dicere cóſueui, qui nullius unquam ſubire inimicitias pro Rep. ueritus ſum. Libertatem tueri. ] Sine qua nemo optet uiuere, quod ait Salluſtius.

In hunc locum. ] Senatū. Dicendi periculum. ] Quod inſtat libere loquentibus, & aliquos in quos dicitur, offendentibus. Calendis Sextilibus. ] Quibus relatum ab Antonio eſt de ſupplicationibus & parentalibus Iulio decernendis. Vnus Cóſularis. ] L. Piſo. Conſulares erant qui Conſulatum geſſerant. Maioris autem habebantur auctoritatis & prærogatiua in Senatu. Optimæ ſententiæ. ] Ne parentalia & ſupplicationes Iulio decernerentur. Pro nihilo. ] Hoc eſt, ut quid accidat Reip. non magnopere curemus. Vultu. ] Annuendo et indicando placere ſibi illius ſententiam. Malum. ] Interiectū eſt, frequens apud hunc auctorem & in hoc opere, & in Verrē, ſicut nefas, apud Virgilium nonnunquam.

BERO. Vt parentalia cū ſupplicationibus miſcerētur. ] Parentare eſt manibus defunctorū parentū ſacrificare, unde & parentalia dicta ſacra quæ dijs manibus ſoluuntur. Fabius Maximus, Seruilianus Pontifex negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Ianum Iouemq; præfari neceſſe eſt, quos nominari atro die non oportet.

[redacted]. Aut quid eſt ultra. ] ἐκ περιουσίας, hoc eſt ex abundanti uis quædam argumenti, hoc pacto: In ſupplicationibus gratia non mulcta ualere debet. Tametſi etiam alias, nunquam ultra pignus eſt, nunquam ædium demolitio. Qui ſi ſciſſet. ] Hoc cum contemptione quadam proferendū eſt. Habet autem tranſitum ad inſequentem probationem.

An me cenſetis P. C. ] Propoſitio pulchra exornata & producta ſchematibus, ad orationis uehementiam & grauitatem.

Nihil dico quis. ] Cōparatio à maiori ad amplificationem.

Vt cuius ſepulc. ] Ratio cur diſſuadeat ſupplicationes.

Ego uero eam ſententiam. ] Summam ſuæ ſententiæ dixit: tamen nunc quaſi nihil dixerit, incertum profert. Sed pertinet hic locus ad animorum pertubationem, habetq; in ſe ἐμφωνηματικῶς quandam ἔκπληξιν, à deorum ira & metu. Quæ partim iam ſunt. ] ἐμφατικῶς illud extra ambitum collocatum eſt, ut magis aures et mētes feriat. Sed hæc ignoſcant. ] εὐχὴ, ad precationem & excuſationē magno iudicio charitatis ſuæ erga patriam. Quid reliq. ] Παρασκευὴν ad reprehenſionem inſequentium, & tractationem principalis quæſtionis. quæ eſt de Cæſaris actis. Quæ quidem ex re. ] Παῤῥησία temperata per querimoniā. Non modo uoce nemo. ] Cū admiratione illud proferendū, habet tamen & admixtā indignationē.

MATVR. Voluntaria ſeruitus. ] Cui noſtra ſponte nos ſubijcitis. nemo. n. ſua ſpōte ſeruus fit, et natura omnes liberi, et ad libertatē proni naſcimur: hæcq; appetitio nō modo in homine eſt, qui rationis eſt particeps, ſed in brutis ēt. nā qd ait Ouid.

Cum bene ſint cauea clauſæ Pandione natæ,
Nititur in ſyluas quaque redire ſuas.

Fuerit quædam neceſſaria. ] Qui neceſſitate, ut bello, ſerui tuti ſubijcitur, ipſa neceſſitate defenditur. Nec ego hoc. ] Non ego, inquit, ab omnibus Conſularibus hoc requiro, ut libere ſicut L. Piſo loquātur. Multi enim ſunt quorū ſilentio ueniam do, cū aut Antonij neceſſitudine, aut Cæſaris beneficijs loqui prohibeantur: ſed eos libere nō loqui doleo, quibus nulla eſt cū Antonio neceſſitudo, qui nulla accepere à Cæſare beneficia. Video enim eos in populi Romani ſuſpicionem uenire, et aliū quidem alia cauſa, uel metu ſcilicet uel præmio, quod ſe dignū ſit, non efficere. Quare primum maximas. ] Dicimus habeo gratiam, ago gratias: ſed cum utrunque uerbum iungimus ago & habeo, gratias dicimus, et nō gratiā. Quid efficere poſſet. ]

Videbat enim parum profuturam ſententiam ſuam, ſed dignū ſe ſic dicere intelligebat. Auctoritatem. ] Sententiam et uoluntatem. Benigne audiatis. ] Eſt beneuolentiæ captatio, quam non in exordio ſolum, ſed & per totam orationem colligere ſtudemus. Adhuc. ] Hucuſque. Primum igitur. ] Sententiam nunc dicit de actis Cæſaris, et ſeruanda aſſerit, quæ non ſeruari ab Antonio, hoc docet argumento: qui leges Cæſaris, non ſeruat, is acta eius non ſeruat: Antonius leges Cæſaris deſtruit, ergo acta Cæſaris deſtruit. Non quo probem. ] Non quòd laudem & approbem ſeruanda Cæſaris acta eſſe, cum re uera non ſint ſeruanda. Poteſt. ] Probare. Pacis. ] Cui uel in primis proſpiciendum conſulendumq; eſt. Modo ſine aduocatis. ] Scilicet adeſſet, hoc eſt ſine operis & militibus, quibus ueluti aduocatis & defenſoribus ſtipatus uenit in Senatum, et cauſam ſuam tuetur Antonius, quemadmodum priuati cauſas ſuas per aduocatos agūt. quanquā inſcitiam Antonij notat fortaſſe, qui ſine aduocatis tueri ſe ac defendere nequiret.

Sed ut opinor, licet ei minus ualere. ] Locus eſt cum amaritudine. quaſi dicat, non licet minus ualere ei, quod mihi heri non licuit. mihi non licuit afferre excuſationem quòd langue-rem, & mihimet diſplicerem. omnino enim pignora ſunt accepta. nec Antonio itaque licere debet aliquam afferre excuſationem quòd abeſſe hodie debeat. Chirographis. ] Recitato Cæſaris teſtamento, & cadauere in foro ante roſtra cremato, acta eius ſeruari poſtulauit Antonius, eaq; in cómētarijs relata penes ſe habebat à Cæſare tradita, in quibus decreta iudicataq;, & multa ad multorū gratiā erant ſcripta. Scribā Cæſaris Fabertum nomine, fidum in omnibus atque obſequentem nactus, urbibus, & dynaſtis. ſcribebat, quibuſcunque depoſcentibus aliquid concedebat, ut libitum erat addens & detrahens. alijs magiſtratus, alijs immunitates dabat. multos Senatores faciebat, plures ab exilio reuocabat, eaq; omnia ueluti à Cæſare ante decreta ſe facere prædicabat. quamobrem iocantes Romani Antonium et reliquos eiuſmodi Cæſaris amicos Charonitas appellabant: qui ſi quid obiectū eſſet, illico ad defuncti chirographa confugiebāt: quo factum eſt ut Antonij opes auctæ plurimum fuerint: quibus territi Brutus & Caſſius ab urbe ceſſerunt. Calphurnia item Cæſaris uxor, ad Antonium mariti pecuniam tranſtulerat. erat autem talentorū quatuor millia. L. Antonius frater Trib. pl. & Caius alter frater Prætor deſignatus, eius furoris ſocij erāt. Syngrapha, cautio eſt per contrahentium ſcripturam facta, cū uterque contrahēntium ſcribit. Chirographum, manus ſcriptura eſt, & ſic interpretatur. Cicero ait epiſtolā miſiſſe chirographo ſuo, id eſt manu ſua exaraſſe, nō dictaſſe. Quod quis ſua manu notauit, chirographum eſt. Se uno auctore. ] Solus enim erat qui Cæſaris eſſe diceret. Tantummodo dictis. ] Quia ſolūmodo penes ſe commentaria Cæſaris diceret eſſe, non etiam oſtēderet. Quæ ille in æs incidit. ] In marmore dicimus inciſæ ſunt literæ, in gemma, non in marmor: & in æs, non in ære. In tabulis uero æreis leges ſcribebātur. Vſus æris (quod ait Plinius) ad perpetuitatem monumentorum iampridem tranſlatus eſt, tabulis æreis, in quibus publicæ cōſtitutiones incidūtur. Et Ouid. inquit: Nec uerba minantia fixo Aere ligabantur, nec ſupplex turba timebat Iudicis ora ſui, ſed erant ſine iudice tuti. Populi iuſſa. ] Plebiſcita & leges. nam Lex eſt generale iuſſum populi rogante magiſtratu. Pro nihilo habebuntur? ] Quaſi dicat, minime decet leges Cæſaris pro nihilo haberi, et acta quæ Antonius auctor profert, & non profert quidem, ſed tantū dicit, ſeruari. Equidem exiſtimo. ] Acta ſunt publica. Iuuenalis, Cupiēt et in acta referri. Libri ſcilicet in quibus rerū publice geſtarū fit deſcriptio. Vnde actuarij, qui acta in Senatu ſcribebāt. Tranquillus, Orationes aliquas reliquit: inter quas temere quædam profertur pro Q. Metello: quā non immerito Auguſtus exiſtimabat magis ab actuarijs exceptā mala ſubſequentibus

quentibus uerba dicentis, quàm ab ipſo editam. Sunt & priuata, ut acta Pompeij, acta Syllæ, acta Cæſaris, acta Marij. An ſi cui quid ille promiſit, id erit fixum?] Sic intendit argumentum, nõ eſt opus dicere, in cõmentarijs et libellis hoc uel illud annotauerat Cæſar quod facturus erat, & facere alicui promiſerat: quoniam quod cuipiam promittebat, id ratum erat, & faciebat: quod uero non potuit, neque uoluit facere, id non fecit. multa autem multis promiſit Cæſar, quæ non impleuit. Quæ tamẽ.] Promiſſa. Multo plura.] Quàm ipſe promiſerit fortaſſe Cæſar. Beneficia.] Vt immunitates. Tributa.] Gratis. Data.] Quibus dari conuenlebat, & merentibus.

BERO. Quenã, malum, eſt iſte ſeruitus.] Annotant grammatici hanc particulam malũ, eſſe interiectionem indignationis. quæ locutio cum honeſta ſit, frequens eſt apud celeberrimos ſcriptores. Donatus in commentario Phormionis, Malum, inquit, eſt aduerbium interpoſitæ indignationis.

= [redacted]. Quenam, malum.] Plena ἀγανακτήσεως. Fuerit quædam neceſſaria.] Propter regnum. ſ. Cæſaris.

Nec ego hoc.] Pulchro præſumptio ad beneuolentiam. Elabitur autem per diſtinctionem. Quare primum gratias.] Concluſio ſiue abſolutio præmunitionis ex locis beneuolentiæ et attentionis. Primum igitur.] Apta propoſitio huius quæſtionis, non integra, ſed diuiſa & ſeparata, & ſparſa lõgius, ut paulatim aſſenſum demereatur, hoc pacto: Cæſaris acta ſeruanda quoque cenſeo, ſed quæ legibus eius nõ repugnẽt, ut multa eius chirographa, libelli, commentarioli: et ea demum quæ legitime ſeruari deberent, ferantur, quæ non pro Antonij arbitrio excogitentur. Hæc enim tria ſunt firmamenta in hac quæſtione contra Antonij rationes. Hic intelligant ſtudioſi quã callide Orator & ſenſim incedat: quod fit plerunque in firmamentorum collocatione. Equidẽ exiſtimo.] Approbatio primi firmamẽti ὅρμου. An ſi cui quid.] Infirmatio contrariæ ſentẽtiæ, à maiori. Quæ tamen multa.] Alterũ firmamentum breuiter & paucis ſaltem indicatum. Sed ea non muto.] Pulchra præteritio poſt rem expoſitam.

MATVR. Pecuniã uetinã ad Opis.] Ops mater deũ eſt, & Cybele dicitur. Hæc pecunia ex bonis redacta erat Põpeianorũ occiſorum, & damnatorũ ac proſcriptorũ: ideoq; cruẽtam uocat, nõnullis iniuſte minis & crudeliter extortam, & quæ reſtituenda fuerat ijs quibus erat adempta, ſed eã M. Antonius intercœperat. Inferius Philippica octaua, Poſtulat præterea ut chirographorum & cõmentariorum ſua collegæq; ſui decreta maneant: quòd laborat ut habeat quod quiſque mercatus eſt: ſi quid accepit, habeat qui uendidit, & ne tangantur rationes ad Opis, id eſt ne ſeſtertiũ ſepties millies recuperetur, ne fraudi ſit Septemuiris quod egiſſent. Ad Opis.] In æde Opis. Si ita in actis fuit.] Vt effunderetur. Nã nõ ita in actis fuit ut Antonij fieret, ſed ut in templo Opis ſeruaretur. Lequid eſt.] Si nihil tam in actis alicuius qui Remp. adminiſtrauit, dici poteſt, quàm lex aliqua ab eo lata: nihil in actis C. Cæſaris numerari magis poteſt, quã ab eo latæ leges: ſed has Antonius nõ ſeruat: ergo acta nõ ſeruat, quæ ſeruãda dicit. Quare acta.] Si quæris, inquit, acta Gracchi, & oſtendi, ita ut fit, poſtulas tibi, proferuntur & oſtendũtur leges ipſius Gracchi, quæ Semproniæ uocantur: & acta Syllæ, exhibẽtur Corneliæ leges, quia nihil magis in eius numeratur actis qui Rẽp. adminiſtrauit, quã ab eo latæ leges. Tyberius Gracchus Tyberij Sẽpronij Gracchi filius, Scipionis ex filia nepos, plures tulit leges Trib. pl. cũ eſſet: inter quas, ne quis plus mille agri iugera haberet, et ut Attali Regis hereditas populo diuideretur. L. Cornelius Sylla Dictator & ipſe multas leges tulit: teſtamẽtariã, de parricidis, de ſicarijs, & ut Senatus cõtra legẽ Curiatã, hoc eſt ſine ſorte, prouincias cuilibet magiſtratui aſſignare poſſet, et alias cõplures. In quibus actis cõſiſtit.] Legibus dũtaxat ab eo latis. Chirographa.] Exhibita certis pſonis propria manuſcripta. Non iſtas res.] Huiuſmodi chirographa & priuatas conceſſiones. Duceret.] Exiſtimaret eſſe. Concedo.] Etiam ſi in actis habenda non ſunt. Cõniueo.] Cõſentio, oculos claudo, ita ut fit quoties quippiã non uidere ſimulamus. Tubero, ut eſt apud A. Gellium de Marco Attilio Regulo, Palpebras quoque eius, ne cõniuere poſſet, ſurſum ac deorſum diductas inſuebant. Tranquillus in Iulio, Delicta neq; obſeruabat omnia, neque pro modo exequebatur, ſed deſertorum ac ſeditioſorũ inquiſitor ac punitor acerrimus, cõniuebat in cæteris. Plinius, Viginti gladiatorũ paria in C. principis ludo fuere, in his duo omnino qui contra comminationem aliquam non conniuerent. lib. 11. Quæ lex melior.] Acta Cæſaris ſeruanda Antonius dicebat, quæ in legibus à Cæſare latis cõſiſtere oſtẽdit Cicero: Leges uero Cæſaris ab Antonio ſublatas, & primum quidem de Prætorijs ac conſularibus prouincijs, iudiciariam inde, & demum de ui & maieſtate, ideoq; & acta Cæſaris ſublata. Prætoriæ.] In quas mitti Prætores conſueuere. Conſulares.] In quas Proconſules. Prouinciarum ergo aliæ erant Prætoriæ, aliæ Conſulares. Hac lege.] Quæ Iulia de prouincijs dicebatur. Sublata.] Ab Antonio, qui contraria quotidie his legibus & ſuadebat & faciebat. Quid ea lege quæ promulgata eſt de tertia.] Iudicia Iulius lege lata ad duo genera iudicum redegit, equeſtris ordinis, ac Senatorij: Tribunos ærarios, quod erat tertium, ſuſtulit. Duæ prius hac Iulia lege eligebãtur decuria iudicum, altera ex equeſtri ordine, ex Senatorio altera. Sed Antonius tertiam Centurionũ adijcere uolebat. Promulgata.] Lex ante promulgabatur, deinde cum approbata fuiſſet, in æs incidebatur, & in ærario condebatur. & tunc demum lata dicebatur. Trinundino autẽ prius promulgabatur. Eſt autem promulgare quaſi prouulgare, hoc eſt in uulgus edere, ut Pompeio Feſ. placet. & Trinundinum quidem dicitur à ternis nundinis. Nundinæ uero mercatum ſignificant, quoniam octo diebus ruſtici in agris uerſabantur in opere faciundo occupati, & nono quoque die in urbem ueniebant, rerũ permutationes facturi, lites compoſituri, ac ſuffragia Senatuſconſulto conceſſa, ſi opus foret, laturi. Primis nundinis & itẽ ſecundis lex promulgabatur, ut à ſingulis atq; uniuerſis, quod ait Macrobius, facile naſceretur. Tertio foro ſeu mercatu, cum omnis & urbana & agreſtis adeſſet turba, rogatio fiebat: præco uerba legis ſcriba ſubijciente recitabat: & ſi populus ſciſcebat, lex ferebatur, hoc eſt in æs, ut dictum eſt, incidebatur, & in ærario reponebatur. Et primis quidem ac ſecundis nundinis intercedere, hoc eſt contradicere & impedire licebat: cum uero lata fuerat, minime. Hinc Cicero dicit aduerſas duas leges, quas poſt Cæſaris mortem Antonius promulgauerat: alteram de tertia decuria iudicum, alteram ut de ui damnati prouocarent ad populum ſi uellent. De alijs tamen, inquit, legibus quæ promulgatæ ſunt, ſaltem queri poſſumus: de his quæ iam latæ dicuntur, ne illud quidem licuit. Illæ enim nulla promulgatione latæ ſunt ante, quàm ſcriptæ. Ex quo oſtẽdit, trinundino recitatas populo non fuiſſe, neque intercedere illis licuiſſe. Nec multo poſt ait, Loquor de legibus promulgatis, de quibus eſt integrum nobis: non enim latæ erant, ſed tantum promulgatæ. Libellum.] Chirographum ſeu commentarium. Quod ad populum, &c.] Quidquid Romæ ſtatuebatur, aut curiatis, aut centuriatis, aut tributis comitijs ſtatuebatur. Cum ex generibus omnium comitia ferebantur, curiata erant comitia: cum ex cenſu & ætate, centuriata: cum ex regionibus & locis, tributa. In campo Martio duntaxat centuriata habebantur comitia, cum cẽtum ex omni tribu ſuperiorũ cenſu & ætate atque honeſtiorum eligebãtur qui aliqua de re iudicarent. De claſſibus in quas diuiſit populum Seruius Tullius, de cẽturijs, de comitijs, de ritu ſuffragij ferendi more Romano, multa Liuius lib. 1. ab urbe cond. & Diony. lib. 6 tradit.

Comitia. ] Quibus coit populus ad danda ſuffragia in rẽ quampiam uel iubendo uel uetando : unde comitiales dies, quibus agere licet cum populo.

BEROAL. Ad opis maneret. ] In epiſtolis ad Atticũ in hanc ſententiam ſic ſcriptum legimus, Rapinas ſcribis ad Opis ſieri, quas nos tum uidebamus : nec liberati ab egregijs uiris, nec liberi ſumus. ita laus illorum eſt, culpa noſtra. Vbi auncianda elocutio eſt ad Opis, pro ad ædem Opis Deæ : ſic ad Telluris, ad Veſtæ, ad Dianæ, et ſexcenta ſimilia reperies apud auctores claſſicos, & primi nominis. De tertia decuria iudicum. ] Tyberius Gracchus legem tulerat ut equites Romani iudicarent : qui iudicauerunt triginta annis ſine infamia : poſt Cornelius Sylla uictor leges tulerat, ut Senatorius ordo iudicaret : & iudicauit per decem annos turpiter. Lex quoque ab Aurelio Cotta lata eſt, ut unà cum Senatoribus et equitibus Romanis Tribuni ærarij ſimul iudicarẽt. Cæſar dictator lege Iulia iudiciaria redegit iudicia ad duo genera iudicum, equeſtris ordinis, & Senatorij : Tribunos ærarios, quod erat tertium genus, ſuſtulit. Decuriæ autem iudicum, ut Plinius noſter refert, pluribus diſcretæ nominibus fuere. alij nanque Tribuni ærarij, alij Selecti, quidã Nongenti uocabãtur. De Selectis ait Horatius, Vnum ex iudicibus ſelectis obijciebat. Decuriæ iudicum nõ niſi quatuor fuere primo : deinde aliæ quoque à Cæſaribus additæ ſunt, ut in commentarijs Tranquilli ſuis locis annotauimus. Centuriatis comitijs. ] Centuriata comitia, ut ſummatim explicẽ id quod plenis paginis apud pleroſque implicatum eſt, dicuntur quando non uiritim feruntur ſuffragia, ſed cẽturiatim, hoc eſt ut ſingulæ centuriæ ſingulos calculos ferant. Curiata uero ea ſunt comitia, in quibus uiritim populus ſuffragium fert. In centuriatis comitijs poteſtas omnis erat penes optimates & nobiles: in curiatis uero penes populum . unde controuerſia quandoque orta inter patritios & plebeios, poſtulantibus patritijs annuentibusq; ut comitia centuriata haberẽtur, in quibus ipſi pollebãt contra sendensibus plebeijs, et curiata comitia efflagitãtibus, in quibus ipſi erãt domini ſuffragiorum.

[redacted]. Cruenta illa quidem. ] Hoc σχῆμα quidã ἀντιπαραγωγὴν uocant, ego mallim Ariſtotelem ſequi, & ἀντιμετάληψιν uocare. In hoc autem loco prior pars quæ eſt ex permiſſione, eo ſuauior eſt, quo magis aduerſariam cauſam quàm ſuam lædit. Quanquam ea quoque. ] Altera συγχώρησις. Etquid eſt quod. ] ἐπανάληψις, hoc eſt rationis primi firmamẽti reſumptio. Quære acta Gracchi. ] Probatio per locum cõparationis à ſimili, eſtq; forma quedã argumentationis κατ' ἐπαγωγήν. A Cæſare ipſo ſi. ] Aliud argumentũ à fictione, quod genus Græci πλαστὸν uocant. Sed ea ipſa concedo. ] Tranſitio facta rurſus κατὰ συγχώρησιν ad ſpeciem quandam ἀντικατηγορίας faciendã: criminatur enim Antonium quòd magis in eo peccet ipſe, quod ab alijs uelit ſeruari. Quid ? ea lege. ] Cæſar Tribunos ærarios iudicum ordinibus amouit, & Senatorum equitumq; duas decurias reliquit. Antonius rurſus tertiam addidit centurionum contra legem Iuliam. Diſſoluũtur. ] Καταλύονται. Et uos acta Caſ. ] ἀνακεφαλαίωσις loco cõcluſionis. Niſi forte. ] Ironica occupatio, ex cõparatione maioris & minoris per contentionem.

MATVR. Centurionum, inquit, ] Quibus id honoris tribuere uolebat, ut militum auxilio, & eorum qui duxerãt ordines, quidquid uellet in Rep. faceret. Quid ? ] Interrogat Cic. Iſti ordini. ] Centurionum. Iudicatus. ] Iudicandi facultas, quarti ordinis. A. Gellius, Iuraui mihi nõ liquere, atq; ita iudicatu illo ſolutus ſum. Iulia. ] Qua duæ eligebantur decuriæ, & ex equeſtri ordine, & ex Senatorio. Pompeia. ] Aurelius Cotta aliquot annis ante accuſatũ à Cicerone Verrem prætor legem iudiciariam tulit, qua communicata ſunt iudicia Senatui, equeſtri ordini, & tribunis ærarijs. Pompeius poſtea in ſecondo Conſulatu tulit, ut ampliſſimo cenſu ex Centurijs aliter quàm antea lecti iudices, æque tamen ex illis tribus ordinibus, res iudicarent. auctor Pædianus, Non patebat ? ] Ac ſi diceat, patebat. nã et Cẽturionibus, et ijs qui duxiſſent ordines, licebat eſſe in iudicum decurijs, modo ampliſſimo eſſent cenſu.

Cẽſus præfiniebatur, inquit. ] Ant. id eſt præfiniebatur qui eligi poſſent, nec niſi ampliſſimo cenſu, & equeſtribus facultatibus, hoc eſt quadringentis ſeſtertijs eligebantur. Non omnes autẽ centuriones hoc cenſu erant : & priuari eos iudicandi honore, uidebatur indignum. Non Centurionum ſolum. ] Reſponſio Cic. ſcilicet præfiniebatur cẽſus. Itaq; quod uiri fortiſſimi. ] Et equites, & Centuriones, qui eodem cenſentur numero. Non quæro inquit iſtos. ] Inquit Antonius, fortiſſimos & honeſtiſſimos. Quicunque ordines duxit, iudices. ] Siue ſit amplo cẽſu & prouecta ætate, ſiue non, modo ordines duxerit. Ducere ordinem, eſt magiſtratum in militia & in caſtris gerere, præeſſe decuriæ, centuriæ, manipulis, cohorti. At ſi feratis, quicunque equo meruiſſet. ] Cicero reſpondet, non ſolum quicunq; cẽturio, ſed quicũq; equo meruit, ſit inter iudices. Si feratis. ] Quoniam non feretis : & ferendum minime eſſet ut digni & indigni iudicent, etiam qui equo meruerint, hoc eſt qui ex publico equum habuerint. Dari enim & alij iuuentuti equus ſolebat ex publico. Eques ex equeſtri erat ordine. qui uero equũ ex publico habebat, eius nulla erat dignatio, tantum oportebat ut præſto cũ equo eſſet quoties Reſp. eius opera indigeret. Equũ adimere penes cẽſorem erat, ſi quis ſtrigoſiorẽ habuiſſet, ut Aul. Gellius & Valerius Maxim. tradunt. Quod eſt laudatius. ] Vt iudicent quicunque equo meruerunt: laudatius, quàm ut iudicent quicunque ordines duxerunt, ut decuriones. Legitur et lautius, id eſt ſplendidius. Nemini probaretis. ] Nemo' fieri conſentiret. Fortuna. ] Cenſu, ut fit, ampliſſimo. Dignitas. ] Vt amplũ etiam geſſerit magiſtratũ, & dignus ſit. Non quæro, inquit, iſta, addo etiam. ] Antonius, ex ijs etiam eligi iudices uolo, qui manipulares ſunt. hoc eſt manipulos ducũt externorum militum, ipſi externi, & non Romani ciues. nã Cæſar unam legionẽ ex Tranſalpinis conſcriptam Alaudam uocabulo Gallico appellauit, quam diſciplina cultuq; Romano inſtitutam & ornatam poſtea uniuerſam ciuitate donauit. Alauda autem uocabulo Gallico auem ſignificat, quam Galeritã nos appellamus. Tranquillus & Plinius auctores. Aliter enim. ] Niſi Tranſalpini iudicent in urbe. & ironice dictum eſt.

Noſtri. ] Ego Anton. intelligo, & milites qui multa per uim & contra maieſtatem commiſerant. O cõtumelioſum honorem ijs ipſis quibus defertur, quòd ad iudicandum ne opinantes quidem uocantur. Hic eſt enim legis iudex. ] Hic lege à te lata Antoni iudex eligitur, qui quoniam uilis conditionis et ſortis eſt, iudicare libere non audeat, ſed metu, aut alicuius ſceleris conſcientia, pro tua libidine iudicet. Sed deciperis et tu, quicunque legem hanc de tertia Centuria adijcienda excogitarunt. Vt enim quiſque ſordidiſſimum uidebit ſe eſſe, ita libentur ſeueritate in iudicãdo utetur : exiſtimabit enim fore ut ſordes et turpitudinẽ ſuam purget, ſi libere loquatur et iudicet. Quantus eſt error. ] Quàm latus eſt, id eſt quàm late patet, et ad quàm multos pertinet. Altera promulgata &c. ] Cæſar legem tulerat de ui et maieſtate cõtra eos qui aut uim facerẽt, aut amplitudinem magiſtratus & Reip. minuerent. Legis Iuliæ de maieſtate meminerunt libri Iuriſconſultorum: quæ in eos qui contra Imperatorem uel Remp. aliquid moliti eſſent, ſuum uigorem extendebat, cuius pœna animæ amiſſionẽ ſuſtinebat, & memoria rei etiam poſt mortem damnabatur. Suſtulit autem Cæſarem prouocationem. Noluit enim quempiam qui uim feciſſet, aut maieſtatem læſiſſet, prouocare poſſe : ſed Antonius & Lepidus promulgauerant contraria huic legi, nondũ tamen tulerant contra hanc legem, ut de ui damnati ac maieſtate, ad

populum

populũ prouocare poſſent, quo nihil pernicioſius. homines enim audaciores redduntur ad perpetranda ſcelera, ſperantes impunitatem, ſi uiderint eſſe ad quos damnati prouocare poſſint.

Cuius interſit.] Cui utile ſit. Nemo reus eſt iſtis legibus.] Nemo damnabitur de ui & maieſtate, cum ſit ad populum prouocatio. Nemo quem futurum putemus.] Nemo enim accuſabit eum quem elabi iudicium poſſe uidebit prouocatione. Armis enim geſta.] Bello & ciuili diſcordia. At res populares.] Obiectio eſt, ſi armis geſta in iudicium non uocabuntur, at res populares uocabuntur, hoc eſt in populo geſtæ, ac ſpectantes ad populum. Vtinam uelletis.] Reſponſio eſt Ciceronis, ut populare, hoc eſt liberum & in populi arbitrio poſitum uelletis aliquid eſſe: quia ſi libertate ſua populus uteretur, omnia recte fierent, & una mens ac ſententia populi de Rep. eſſet.

Eius legis.] Vt damnati de ui & maieſtate ad populum prouocent. Damnatum iudicio.] Per ipſam legem de ui & maieſtate. Ad eam ipſam.] Scilicet maieſtatem populi R. Reuerti.] Per prouocationem.

BERO. Iudicatus.] Iudicatio, iudicandiq́; poteſtas nomen eſt. Ex legione Alaudarum.] In epiſtolis ad Attic. Miſit ad me Cecinam quẽdam Volaterranum familiarem ſuũ, qui hoc pertulit tantum, Antonium cum legione Alaudarũ ad urbẽ pergere, pecunias municipijs imperare, Legionẽ ſuis ſignis ducere. Cæſar Dictator, ut apud Suetoniũ enarrauimus, legionem unam ex Tranſalpinis conſcripſit, quam uocabulo quoq; Gallico Alaudam appellauit, eamq́; poſtea uniuerſam diſciplina cultuq́; Ro. inſtitutam & ornatam, ciuitate donauit. Plinius quoque de Alauda auicula ſcribens, quæ alio nomine Galerita appellata eſt: poſtea, inquit, Gallico uocabulo etiam legioni nomen dederat.

[redacted]. At quæ eſt ille tertia.] Diſputatio contra legem iudiciariam Antonij. κεφάλαιον habet τὸ αἰσχρὸν: ſed ad illud ἀσύμφορον ſenſum peruenit.

MATVR. Vt quiſquam prouocet.] Quoniam non id agitur ut prouocet quiſquam, ſed ut nemo unquam accuſet eum quem prouocatione elabi poſſe uideat: quod & turpe accuſanti eſſet, & periculoſum. Conductæ.] Pecunijs corruptæ, & ueluti ad dandam operam conductæ ac mercenariæ.

Ad operas mercenarias.] Ad multitudinem quam reus mercede conduxerit. Protrahatur.] Rationem iudicij redditurus, & reſciſſæ ſententiæ pœnam ſubiturus. Duæ maxime ſalutares.] Quaſi dicat, nihil aliud, cum uideant paratam prouocationem, & uiam impunitatum per corrupta populi ſuffragia conſequendi. Quam ad peſtem.] Ac ſi dicat, ad quamuis peſtem & damnum. per ſe enim Tribuni ſeditionibus alebantur, unde & eorũ furor dicitur atq; inſania. Quid quod] Vere oſtendit acta Cæſaris deſtrui ab Antonio, cum obrogatur legi ab eo latæ, quæ iubet interdici aqua & igni damnato de ui & maieſtate. Quod tollitur.] Scilicet prouocare. Tantiſper enim & in urbe eſt damnatus, & interdici aqua & igni non poteſt, donec populus ad quem prouocatum eſt, aut damnauerit atat abſoluerit. Interdicere quempiam aqua & igni, eſt prohibere illum ab uſu aquæ & ignis, quibus duabus rebus maxime humana cõtinetur uita. Obrogatur.] Obrogatur legi cũ prorſus tollitur. Quæſtionibus.] Cum per tormenta & cruciatus quæritur quid reus fecerit. Reſcindũtur.] Irrita fiunt & tolluntur. Prolatas eſſe.] In publicum. Et fixas.] In parietibus, in ærario, ac in æs inciſas. De exilio reducti ſunt à mortuo.] Quia poſt Cæſaris mortem acta prolata ſunt, quæ Cæſaris eſſe dicebantur, cum re uera non eſſent, quibus dicebatur noluiſſe Cæſarẽ aliquos exules reduci, id quod ipſe uolebat & fingebat Antonius, ut prius eſt dictum. Ciuitas data non ſolũ ſingulis, ſed nationibus.] Vt legioni Alaudarum. Antonius quo ſibi fauorem ciuitatum & nationum uẽdicaret, ciuitatem illis dedit. Negatio genus hominum eſt qui non aliunde uenerunt, ſed ibi nati ſunt, αὐτόχθονας Græci uocant: nos indigenas appellamus. Vectigalia.] Publici prouentus: φόρους Græci uocant. Sunt etiam priuatorum. Cicero in Parado. Ex meo tenui uectigali annua ducenta capio. Ergo hæc &c.] Ironice. Ergo quæ unus Antonius profert domo ſua, quaſi domi ſuæ compoſita, ea defendimus: quæ Cæſar ipſe & tulit, & gloriabatur tuliſſe, euertimus. Ipſe.] Cæſar. Eas inquã Cæſaris leges.] Hyperbaton eſt: in quo aut eadem uerba quæ in principio clauſulæ ſunt poſita, repetimus, aut diuerſa quæ idem ualeant, ut in rhetoricis ad Herẽnium, Si perſuaſus auditor fuerit, id eſt ſi oratio aduerſariorum fidem fecerit auditoribus. Et paulo poſt, Ergo ſi fidem factam putabimus. Quæ promulgatæ ſunt.] Poſſumus, inquit, de his legibus quæ promulgatæ ſunt conqueri, quia non ſunt adhuc latæ, & in æs inciſæ: ſed aliquæ latæ dicuntur ab Antonio, ſcilicet quæ trinundino, uti prius eſt dictum, promulgatæ non ſunt de quibus conqueri non poſſumus.

BERO. De legibus quæ promulgatæ ſunt.] Promulgari leges dicuntur, cũ primum in uulgus eduntur, quaſi prouulgari. Caput autem & origo & quaſi fons legum rogatio eſt. quando ſcilicet promulgãtur leges, populum rogat id eſt interrogat magiſtratus, Velitis iubeatis'ne Quirites hoc fieri? Ex inſtituto priſcorũ lex trinis nundinis promulgabatur: eratq́; integrum per id tempus intercedere ac tollere ſi parum probaretur, ſiue quid uitij eſſet. Vbi uero trinundino lata erat, et in tabulis æneis inciſa, amplius reſcindere infirmareq́; non licebat. Trinundinum dici interpretatur Priſcianus, quaſi trinarum nũdinarum: de quo M. Tullius in Oratione ad Pontifices, Si quod in cæteris legibus trinundinum eſſe oportet, in adoptione ſatis eſt trium eſſe horarum, nihil reprehendo. Quintilianus, Siue non trino forte nundino promulgata lex, ſiue non idoneo die fuit.

MATVR. Quid ſit.] Occurrit obiectioni, &, quærunt, inquit, Antonius & cæteri eius amici, atque idem ſentientes, cur timeamus ne malæ ferãtur leges, cum habeamus bonos Tribunos, qui uidentur, ſi id fiat, interceſſuri, & ſeſe oppoſituri. Paratos qui intercedant.] Ironice. quaſi dicat, minime habemus Tribunos plebis qui intercedant ſi malas leges Conſules ferãt. quod propter L. Antonium dictum eſt M. Antonij fratrem, qui Tribunus erat eo tempore. Paratos qui Remp. religione defendant.] Propter augures hoc dictum, quibus ius erat obnunciandi ſi auguria non addicerent, aut ſi pluiſſet, aut tonuiſſet. Erat autem Augur M. Antonius. Lex autem Fuſia & Helia erant, quæ uetebant agere cum populo, niſi ſeruatum de cælo fuiſſet. In oratione contra L. Piſonem queritur Cicero obnunciationem, qua pernicioſis legibus reſiſtebatur, Fuſia & Helia legibus (quas propugnacula muroſq́; tranquillitatis atque otij uocat) euerſam eſſe. Obnunciatio autem Auguris erat, qua obnunciabat: hoc eſt, nõ poſſe per auſpicia fieri, admonebat. Tribunorum plebis ea fuit auctoritas, ut quidquid Senatus decreuiſſet, ita ratum eſſet, ſi Tribuni approbarẽt. Præcipue autem interceſſione pollebant, ſeſe alijs magiſtratibus opponendo, & per eos nim fieri prohibendo, adeo ut cum unus collegis repugnaret, facile impedire omnes poſſet. Et ſacroſancti quidem atq; inuiolabiles erant Tribuni. Augures tantæ fuerunt auctoritatis, ut nihil neque domi neque foris niſi auſpicato gereretur: quod Valerius Maximus docet de inſtitutis antiquis. Quas tu mihi interceſſiones inquit.] Veluti dialogus eſt. hoc Antonius reſpondet Ciceroni, & quidem indignatus. Interceſſiones.] Tribunitias. Religiones.] Augurum obnunciationes. Eas ſcilicet.] Cicero reſpondet. Negligimus iſta.] Antonius.

Forum ſepietur.] Et hic Antonius. Quid cum?] Cicero. & comicus ſermo eſt. Id lex erit?] Ac ſi dicat, nõ erit.

*Cedo illa legitima.* ] *Dic illa, inquit Antonius, legitima. & quæ ſint reſpondet Cicero, quæ more ſunt à maioribus tradita. tum demum aliquid ratum ſit, cum populus ſciuerit.* Qui populus? ] *Antoni, populum dixiſti, ſed quemnam populum? an illum intelligis qui ui & armis à nobis eſt excluſus?* Quo iure? ] *Quod mihi ius cõmemoras?* An eo quod. ] *Eo iure quo omnia ſunt ſublata ui, & armis ſcilicet.* Atque ego hoc dico de futuris. ] *Quæ ſuperius de Cæſaris actis dixit Cicero, ut reſcinderentur ab illis ipſis qui inuiolata manere uelle aſſeuerit. Si de legibus prouincialibus, iudiciarijs, & de ui ac maieſtate aliter fecretur quàm Iulius tuliſſet, item ut leges omnes diſſoluerẽtur, & ciuitas laberetur in deterius: futura quidem erant, nam facturi dicebantur Antonius & Dolabella: & integrum ipſis ac liberum fuerat adhuc non facere: ideóq; ne faciant, monet Cicero. Poſtea continua oratione præſentem Dolabellam alloquitur, multa de Antonio, plura de Rep. dicens.* Quod eſt Augurum. ] *Quia fungor Auguris officio. ſic enim, ut illi ſolent, futura prædico. quoniam Augur erat Cic.* Refellatur oratio mea. ] *Dicar uanus fuiſſe & mendax uates.* Loquor de legibus promulgatis. ] *A te Antoni, ſed nondum latis, & in æs incisis.* Integrum uobis. ] *Liberum non ferre.*

[redacted]. Quærunt quid ſit. ] *Occupatio ad oſtendendum iuſtam cauſam eſſe doloris & metus, per ἀνθυποφορὰν.*

Qui intercedant. ] *Scilicet Trib. pleb.* Religione defendant. ] *Scilicet augures.* Quas mihi inquit. ] *Hactenus μιμητικῶς pronunciauit: nunc Orator ex aduerſo interrogat.*

Eas ſcilicet. ] *Reſponſio aduerſarij, ſed omnia illa actionem ſimulatam cum contemptu habent.* Negligimus iſta. ] *Reprehenſio à ui & uiolentia, ad comparandam inuidiam.*

Quid tum? ] *Rurſus alter interrogat.* Cedo illa legiti. ] *Hoc eſt, oſtẽde quid demum legitimum & rite latum exiſtimes. Suntq; uerba Ciceronis. Reſpondet alter ex definitione legis, Quæ Conſules &c. Rurſum Cicero, Qui pop. &c.*

Atque ego hoc dico. ] *Commonitio, ἐπαναληπτικῶς ad excitationem Senatus, loco concluſionis.*

M A T V R. Iraſci. ] *Vtriuſque Conſulis, & præſentis Dolabellæ, & Antonij abſentis reprehenſurus uitia, ſed auaritiam in primis, & dominãdi cupiditatem obiecturus, quòd permulta & contra leges faciant, ueniam dicendi poſtulat, & quaſi nouo utitur exordio. Amice utrunque & familiariter obiurgat, quòd actionum eorum initio exitus non conſentiat: & ut alia ratione gloriam & potentiam quærant, hortatur.*

Facilitatem. ] *Quæ propria eſt in admittendo, audiendo, ignoſcendo.* Mihi. ] *Dicere noluit, peſſima exiſtimatur.*

Auorum. ] *Maiorum, ut M. Antonij Oratoris, qui auus fuit Antonio, Syllanas partes ſecutus, quem C. Marius necauit, magnæ in Rep. auctoritatis.* Auunculi, qui fuit L. Cæſar, frater Iuliæ ex qua natus eſt, & ipſe Conſularis, & magni in Rep. ſplendoris, nec minoris integritatis.* Cum tanta gladiorum ſit impunitas. ] *Cum impune liceat gladijs uti.* Promam. ] *Depromam, exhibebo. Tranſlatio à penu, unde neceſſaria ad uictum depromuntur.* Vt qui armis utatur. ] *Non offendendi, ſed ſui defendendi cauſa, ut dicebat Antonius.* Vt qui armis utatur. ] *Scilicet iraſcitur.* Si ita neceſſe eſt. ] *Quia neceſſe ei minime eſt, etſi hoc prætendit audaciæ & furori ſuo.* Iis qui pro Rep. &c. ] *Non noceant &c.* Sed ijdem. ] *Amici, Antonij familiares.* Ita mecum. ] *Loquuntur.* Licebit. ] *Libere loqui in Antonium, quoniã inimicus haberis Cæſaris, & interfectorum amicus.* Piſoni ſocero. ] *Cæſaris, qui in Antonium inuectus fuerat, & ſolus libere loqui auſus, ut eſt prius dictum.* Admonent quiddam. ] *Periculum eſſe ne occidat Antonius.* Quod cauebimus. ] *Nam in Senatum non ueniemus: nec erit minus iuſta cauſa non ueniẽdi in Senatum mortis metus, quàm morbus. Excuſantur qui prætendunt morbum, multò magis ego excuſandus uidebor, ſi mortis prætendam metum: & ſimul Antonium tangit, qui morbum prætẽdens cauſam, in ſenatum non uenerat quo die hanc Cicero habuit orationem.*

[redacted]. Iraſci te quidem. ] *Poſtrema pars orationis: quæ, ut diximus, in reprehenſione Conſulum eſt. Atque forma quadam eſt deliberationis mixta ex locis laudatiui generis. προῦλαμα ſunt τὸ ἔνδοξον καὶ ἄδοξον per cõparationem. Principio gratam & iucundam habet præmunitionẽ à perſonis Dolabellæ & Antonij, multa cum attentione & beneuolentia.*

Collegam tuum aiunt. ] *Si aiunt legis, ſit ἀνακόλουθον: ſin audio, ſit ἐπανάληψις repetitione unius uerbi. utrunque tamen bonũ per hyperbaton.* Video autem quàm ſit. ] *Trahit eum in inuidiam & odium indicatione potentiæ.* Ego ſi quid in uitam eius. ] *Auertit ſuſpicionem & crimen dicacitatis ac ſtudij in reprehendendo, ut non ſuum animum ſequi, ſed Reip. cauſam agere uideatur.* Quod ſi, ut à quibuſ. ] *ἀπόδοσις ex aduerſo illata factæ optioni, ut plus odij & inuidiæ Antonio, ſibi beneuolentiam & fauorem maiorem conflet.*

M A T V R. De utriuſque ueſtrum errore. ] *De mutatione uoluntatis & actionum: quibus de rebus dicet.* Credo enim uos. ] *Non credere ſimulat, quòd maxime credit.*

Quæ ſemper ab ampliſſimo. ] *Cicero ipſe in officijs, Quamobrem & hæc quidem uidenda ſunt, & fugienda pecuniæ cupiditas. Nihil eſt enim tã anguſti animi, tamq; parui, quàm amare diuitias nihil honeſtius magnificentiuſq;, quàm pecuniã cõtemnere, ſi non habeas: ſi habeas, ad beneficentiam liberalitatemq; conferre.* Expiato foro. ] *Diſiecta illa ara quam in foro Amatius extruxerat: & columna euerſa, quam Cæſari à plebe erectam diximus fuiſſe. Videbatur enim uiolatum forũ fuiſſe, & piaculum commiſſum ab illa multitudine perditorũ & audaciſſimorum hominum, qui aram et diuinos honores Cæſari ſtatuerant.* Diſſipato concurſu impiorum. ] *Nefariorum qui ad aram conueniebant, & tectis ac templis urbis minabantur.* Principibus ſceleris. ] *Animaduertit enim Dolabella cum in audaces ſceleratoſq; ſeruos, tum in impuros & nefarios.* Cuius ordinis. ] *Senatorij, equeſtris, plebeij.* Cuius generis. ] *Ac ſi diceret, cuius qualitatis & gradus. multi uero ſunt inter Senatores, equites, plebeios.* Cuius fortunæ. ] *Pauperes, diuites: liberi, ſerui.* Aptarunt. ] *Accommodarunt, adiunxerunt.* Auctore. ] *Monitore, ſuaſore.* Conſenſum illum theatri. ] *Quod cũ ingreſſus eſſet, omnes plauſere.*

Earum rerum obliti. ] *Seditioſum geſſit tribunatum Dolabella, graues autem excitauit turbationes, cum legem de nouis tabulis ferret: cũq; ea cauſa plebs tumultuaretur, inducti ſunt à M. Antonio magiſtro Equitum milites. 80. qui omnes ſunt à plebe cæſi. hoc autem eo tempore contigit, quo Cæſar contra reliquias Pompeianas & Iubam in Africam traiecerat.* Doloris ueteris. ] *Quem conceperant lata à Dolabella de nouis tabulis lege.* Cum tuum collegam. ] *Quartum Conſul creatus Cæſar, Antonium ſibi aſſumpſit collegam. inſtituerat autem urbe excedere, magiſtratu ſe abdicare, & in locum ſuum Dolabellam ſubrogare: qua de re etiam in Senatu uerba fecit. Sed moleſte ferens Antonius inimicum ſibi in magiſtratu adiungi, in Dolabellã grauiter eſt inuectus: nec pauciora tamen aut æquiora ab illo audiuit. Re infecta Senatus eſt dimiſſus: cumq; in ſententia perſtaret Cæſar, Dolabellamq; renunciari Conſulem iuſſiſſet, auguria obiecit Antonius, effecitq; ut ab incepto deſiſteret Cæſar: quo poſtea necato, Conſularem ueſtem induit, & Cõſulatus inſignia circumtulit Dolabella. Antonius oblitus auſpiciorum quæ obiecerat Cæſari, cum pacẽ in Telluris templo ſuaſiſſet, ut quo animo ipſe eẽt, omnibus patefieret, Dolabellã collegã ſibi eſſe uoluit, quod ante paſſus nõ fuerat.* Te ipſo augure. ] *Nõ. n. licebat Conſulẽ ſine auſpicijs creari. Ipſe uero Cæſar*

trucidatus

trucidatus eſt. Pacis obſes.] Pro Bruto & Caſſio, qui è Capitolio ſunt uocati.

BERO. Te intuens Dolabella.] Dolabellam ſubaccuſat, quòd à uirtute priſtina degenerauerit, & Remp. cuius fuerat ab initio defenſor, non ſolum deſeruerit, ſed etiam euerterit: de quo ſic ſcribit ad Atticũ, Ego, ſi me non improbiſſime Dolabella tractaſſet, dubitaſſem fortaſſe utrum remiſſior eſſem, an ſummo iure contenderem: nunc etiam gaudeo mihi cauſam oblatam in qua & ipſe ſentiat, & reliqui omnes me ab illo alienatum, idq; præ me feram, & quidem me mea cauſa facere, & Reip. cauſa, ut illum oderim, quòd cũ eam me auctore defendere cœpiſſet, non modo deſeruit emptus pecunia, ſed etiam quantũ in ipſo fuerit euertit. Extant Ciceronis epiſtolæ ad Dolabellam, quibus eum præconio laudis extollit, tanquam Reip. propugnatorem: qui mox immutata uolũtate deſeruit partes optimatũ, ſecutus factionem Antonianam. Ab ampliſſimo quoq; contemptæ eſt.] Plato lib. 6. de Rep. philoſophum dixit minime cupidum pecuniæ eſſe: carpitq; φιλοχρημάτους. ſic enim Græci auaros pecuniæq; ſitientes appellant. Neminem licet M. Manlium uocari.] Quintilianus in tertio, Poſt mortẽ adiecta quibuſdã ignominia eſt, ut Melio, cuius domus ſolo æquata: Marcoq; Manlio, cuius prænomẽ è familia in poſterum exemptum eſt. Liuius lib. 6. Adiectæ, inquit, mortuo notæ ſunt, publica una, quæ latũ ad populum eſt ne quis patritius in arce aut in Capitolio habitaret: gentilia altera, quòd gentis Manliæ decreto cautum eſt ne quis M. Manlius uocaretur.

[redacted]. Sed per Deos immortales.] ἀνανέκτησις & reditus ad perſonã Dolabellæ, ſtatim arrepta propoſitione, Vterque ueſtrum errat. Credo enim uos.] Ratio ex loco adiacentium, & actuum, apud Rodulphum Agricolam: uel ut Rhetores, περιστατικῶς à ſtudio nobilium. Compoſitio eſt περίοδος, continuata & producta ex repugnantibus, ad orationis grauitatem. Ea autem eſt gloria.] Explanatio à definitione. Dicerem Dolabella.] Genus quoddam eſt præteritionis. nam quod ſe dicturum negauit, per δίεσιν quandã hoc exẽplo oſtendit, recte factorum fructum ſcilicet. Cuius ordinis.] Approbat id per acclamationem. Mihi etiam, quo.] A` minori confirmatio. Recordare quæſo.] Alterum exemplum ad explanationem ueræ gloriæ fructus. Hanc cu P. D.] Rurſus ἀνανέκτησις loco concluſionis. Te autem M. Antoni.] Tranſitio ad perſonam Antonij, quem & ſuo exemplo docet erraſſe, & quis uerus ſit gloriæ fructus, oſtendit. Hic uide iucunditatem orationis ex uiciſſitudine perſonarum: quo modo ſcilicet primũ à Dolabella inceperit, deinde ad Antonium deflexerit: rurſus ad Dolabellam redierit, iterum ad Antonium iam diuerterit. atque hæc uirtus quædam eſt collocationis. Exponit autem eius in Repub. inſtauranda bonam uoluntatem ac fidẽ qua principio uſus eſt, & cum exaggeratione & uehementia dictionis exponit, ut hoc modo ea quæ inſequuntur, indigniora uideantur. Multum à me diſſentientes, beatum putant.] Προκατάληψις. Cum tuum collegam.] Poſtremo conſulatu Cæſar cum collegã ſibi Antonium aſſumpſiſſet, decreuit uel ex urbe exire, uel ſe eo magiſtratu abdicare, & in ſuum locum Dolabellam ſubrogare. Cũ ea de re Senatus conueniſſet, dimiſſus eſt propter Antonij orationem quam contra Dolabellam habuit. Rurſus cum Cæſar inſtaret, oppoſuit auguria Antonius, donec mortuo Cæſare Dolabella inſignia conſularia arripuiſſet, atque ex communione conſiliorum pax inter Antonium & eum eſſet facta.

MATVR. Viros fortiſſimos.] Brutum & Caſſium.

Hæc iniuſta.] Impreſſa ignominia. Ab equis ſumptũ, quibus cauterio, hoc eſt ignito ferro, notæ & ſigna quædam imprimuntur. Vt enim propter unius.] M. Manlius ob defenſum Capitolium Capitolinus cognominatus, cum Gallicos theſauros ſuppreſſiſſe argueretur, & addictos ac nexos propria pecunia liberaret, ſuſpicione regni affectati in carcerem coniectus eſt, & poſtea de Tarpeio ſaxo præcipitatus, domus diruta, bona publicata. adiecta eſt & gentilitia nota, quòd gentis Manliæ decreto cautum eſt, ne quis M. Manlius uocaretur. Liuius lib. 6. ab Vrbe cond. Vnius dictatoris.] Iulij. Pœnitebat.] Pudebat. Virgil. in Buco.

Nec te pœniteat calamo triuiſſe labellum.

Licet quod cuique libet.] Nam & dicebant hoc plures, & credebant. Quanquam ſolent domeſtici.] Quod re uera accidit quotidie, ut principes uiri à domeſticis perſuadeãtur & deprauentur. Depeauare.] A` rectitudine & honeſtate detorquere. Verum iter gloriæ.] Cic. lib. 2. Offic. Vt pecuniæ, inquit, non quærendæ ſolum ratio eſt, uerum etiam collocandæ, quæ perpetuos ſumptus ſuppeditet, nec ſolum neceſſarios, ſed ẽt liberales: ſic gloria & quærenda, & collocanda ratione eſt: quanquam præclare Socrates hãc uiam ad gloriam proximam & quaſi compendiariam eſſe dicebat, ſi quis id ageret, ut qualis haberi uellet, talis eſſet: q uera gloria & radices agit & propagatur: ficta omnia celeriter tanquã floſculi decidunt, nec ſimulatum poteſt quidquam eſſe diuturnum. Metui.] Cicero in eodem lib. Omnium rerum nec aptius quidquam ad opes tenendas ac tuendas, quàm diligi: nec alienius, quàm timeri. Præclare itaque Ennius, Quem metuũt, oderunt: quem quiſq; odit, periſſe expetit. Multorum autem odijs nullas opes ſubſiſtere poſſe, ſi antea fuit ignotum, nuper eſt cognitum, morte. ſ. Iulij.

In fabulis ipſis.] Tragicorum poetarum apud Accium Atreus inducebatur dicens, Oderint dum metuant. & item apud Ennium, ut refert Cicero. Perniciosum fuiſſe.] Quoniam aut occiſi ſunt, aut in exilium pulſi.

BEROAL. Vt culpam. ſic etiam ſuſpicionem.] Quintilianus in ſecundo ſalubriter præcipit carendum eſſe non ſolum crimine turpitudinis, uerum etiam ſuſpicione. Cæſar Dictator interrogatus cur Pompeiam repudiaſſet uxorẽ. Quoniã, inquit, meos tã ſuſpicione quàm crimine iudico carere oportere. Oderint dum metuãt.] Seneca lib. 1. de Clementia ſic inquit, Timeri uult, quia inuiſus eſt: & illo execrabili uerſu, qui multos dedit præcipites, utitur, Oderint dum metuant. Inde cernis quanta rabies oriatur ubi ſupra modũ odia creuerunt. Itẽ, Vocem illam dicam & abominandam, Oderint dum metuãt, Sylano ſcias ſeculo ſcriptam. Item, Conſidero multas uoces magnas ſed deteſtabiles in uitam humanam perueniſſe, ut illam, Oderint dum metuant. Caligula imperator, ut auctor eſt Tranquillus, tragicum illud ſubinde iactabat, Oderint dum metuãt. Vox autem hæc ab Atreo crudeliſſimo apud poetam Tragicum uſurpata eſt.

[redacted]. Vt enim propter unius.] Amplificatio facti cum comparatione à pari. M. Manlij ſcelus.] Propter Gallicos theſauros ſuppreſſos, & propter regni affectati ſuſpicionem. Vide Liuium lib. 6. ab Vrbe cond. Nam te cum hæc pro ſalute.] Indignatio temperata dolore & cõqueſtione, quæ ipſa actione magis cognoſci poteſt. Vnde igitur ſubito tanta.] Sic argumentatur, uel amore pecuniæ, uel regni cupiditate captus uoluntatẽ tuam mutaſti. Non gratia pecuniæ, ergo regni. Prius membrum probat ex loco adiacentium: de poſteriore ſuſpicioſe ueretur. Hic animaduertant ſtudioſi, quanta hunc locũ cũ ſuperiori iucunditate tractet, ut non tam extorquere, quàm cum quadam beneuolentia impetrare quod cupit uideatur.

Quòd ſi ita putas.] Hanc propoſitionem conſtituas. Metui à ciuibus, non eſt uerum iter gloriæ. Charum eſſe ciuem.] Approbatio ex enthymemate. Quod uidemus etiam.] ὑπόμνημα ἱστορίας, & primum poſterioris partis confirmatio ab exemplo fabuloſo.

MATVR. Auum tuum.] M. Antonium oratorem eloquentiſſimũ, qui multa & domi & militiæ geſſit præclara:

periit autem Mariano & Cinnano furore. eius caput pro roſtris eſt poſitum. Is L. Cinna Conſul cum Octauio legem de exulibus reuocandis, Mario ſ. & cæteris tulit, prohibituſq; à Collega, & honore priuatus, ex urbe profugit, tranſienſq; ad partes, iunctus eſt Mario: cum quo urbem ingreſſus & Octauium interfecit, & plurimas edidit cædes & crudelitates. Exitus.] Finis & mors. Quem.] Cæſarem. Ea lege.] Eo pacto, eo modo. Cum ſumma gloria.] Summa enim gloria eſt tyrannum occidere: & ei qui facit, præmia ſolent tribui.

Maiores tuos reſpice.] Reſtitue, repræſenta, redde. Sine quo.] Sine ciuium beneuolentia. Quiſquam.] Tuorum, quibus obducturus es quaſi tenebras & obliuionem ſi perges ſic facere, uel quiſquam noſtrum omnium. Quid enim gladiatorij clamores.] Maximi, & quales gladiatorum ſolent eſſe. Hiſtoria autem hoc habet, Cæſar bellis omnibus ciuilibus cõfectis Romam rediit, formidabilemq; uniuerſis ſe præbuit. Omnes honores qui excogitari ab homine poſſunt, ei decreti ſunt. Sed aliquando euntẽ ſalutantibus ut regẽ, inclamauit uehementer & ingemuit populus: Ipſe Cæſarem ſe eſſe, non Regẽ, callide ſubiecit. Lupercalibus item cum diadema capiti eius in foro ſedentis & ſpectantis unus ex lupercis accurrens Antonius impoſuiſſet, ægre tulit populus: iterumq; ac tertio imponente illo, ac reijciẽte Cæſare & omnino reſpuente, clamore magno populus lætitiam prodidit, Cæſarẽq; ſummis laudibus extulere omnes. Quid populi uerſus.] Qui tribunal Bruti (erat autem Prætor urbanus) uerſibus in hanc ſententiam noctu implebat: Brute dormis, neque uere es Brutus. Quid Pompeij ſtatuæ plauſus infiniti.] Quæ à populo poſita occiſo Cæſare, & coronata eſt reperta. Quid ij tribuni.] Qui omnes aduerſabantur Antonio & Dolabellæ, præter unum Saluium qui Antonio fauebat, & L. Antonium fratrem. Quid?] Suſpendenda particula, & adiuuanda pronunciatione ſciſcitatio. Apollinarium ludorum.] Brutus, ut dictum eſt, Prætor erat urbanus cum eſt Cæſar necatus: & quoniam nihil tutum Romæ uidebat, diſcedere ex urbe ſtatuerat: & Senatus, ne fugere uideretur, et & Caſſio rei frumentariæ curam demandauerat. Cum ergo abeſſet Brutus, ludos quos edere in Prætura conſtituerat, uoluit et iuſſit ſe abſente edi: & magnifice & ſumptuoſe nimis emerat elephãtos complures, quos exhibere populo in ſpectaculis mãdauit. Profectus Neapolim cum hiſtrionibus & mimis de Canutio quodã qui in re ſcenica habebatur præſtãtiſſimus, ſcripſit ad amicos, ut non niſi uolentem illum adducerent, quia Græcum quenquam ui cogi nefas eſſe dicebat. Scripſit & Ciceroni orans ut his ludis omnino intereſſet. Quibus ingens plauſus Bruto datus eſt, etſi ab erat: quo ingens apparuit populi ſtudium in libertatis auctores, ingens beneuolentia, & in tyrannos odium. Apollinares uero ludi, qui & Scenici dicuntur, quoniam recitatione fabularum cõmendabantur, T. Sulpitio Potito, & C. Licinio Stolone Coſſ. cum intoleranda uis peſtilentiæ urbem uexaret, inter alia cœleſtis iræ placamina inſtituti ſunt accitis ex Hetruria ludionibus. Circi dũtaxat prius ſpectaculum fuerat, quod Romulus dum rapiebãtur Sabinæ, primus omnium Cõſualium nomine celebrauit. Liu. 7. ab Vrbe cond. & Valerius Max. auctores.

BERO. Ludorum Apollinarium.] Romanorum annalibus cõtinetur, ut Macrobius refert, ludos primo Romæ Apollini celebratos eſſe ex uaticinio Marcij uatis, carmineq; Sibyllino: qui dum celebrarentur, repentino hoſtis aduentu plebes ad arma excitata hoſti occurrit: eoq; tempore nubes ſagittarum in aduerſos uiſa ferri, & hoſtem fugauit, & uictores Romanos ad ſpectacula dei ſoſpitalis reduxit. Hinc intelligitur prælij cauſa, non peſtilentiæ, ſicut quidem exiſtimant, ludos Apollinares inſtitutos. In carminibus Marcij uatis inuentum ita eſſe ferunt, Hoſtem Romani ſi ex agro pellere uultis, uomicamq; quæ gentium uenit longe, Apollini uouendos cenſeo ludos, qui quotãnis comiter Apollini fiant. his ludis faciendis præſit is Prætor qui ius populo plebiq; dabit ſummum. hoc ſi recte faxitis, gaudebitis ſemper, fietq; Reſp. ueſtra melior. Liuius lib. 25. ab origine urbis, Hæc eſt, inquit, origo ludorum Apollinarium, uictoriæ non ualetudinis ergo, ut plerique rentur, uotorum: factoq; populus ſpectauit coronatus, matronæ ſupplicauere, uulgo apertis ianuis in propatulo epulati ſunt, celeberq; dies omni ceremoniarũ genere fuit. Annotandum à Liuio dici ualetudinis ergo, pro cã, ſecundum priſcorum conſuetudinem, à quibus dicitur, ſtatua donatus eſt honoris uirtutiſq; ergo, id eſt cauſa. hinc illud notiſſimũ poeticum, Illius ergo Venimus.

[redacted]. Vtinam Antoni.] Alterum exemplum uerum & efficaciſſimum ad probandum partem priorẽ enthymematis. Itaque ut omittam.] Confirmatio totius enthymematis coniuncte facta. Sed quid oratione te flectam?] Rurſus ſeparatim poſteriorem partem cõfirmat ab exemplo Cæſaris, quod accommodatiſſimum & firmiſſimum eſt. Quem qui beatum fuiſſe putãt.] Occupatio, ut refutet uulgi opinionem. Quare flecte te quæſo.] Concluſio & cohortatio à maiorum eius exẽplo, à populi uolũtate & expectatione, quæ probatur multorum enumeratione.

MATVR. O beatos illos.] Caſſium & Brutum. Accio tum plaudi.] Poetæ cuius fabula recitabatur Atreus. L. Accius Tragœdiarum ſcriptor fuit. natus eſt Mancino & Serrano Coſſ. non multo ante Ciceronem & Cn. Pompeium, genitus parentibus libertinis. Senilam Pacuuio Tarenti ſua ſcripta recitauit. Piſaurum inter colonos ex urbe deductus fuit, fundumq; illic habuit, qui Accianus eſt dictus. Niſi forte.] Non enim Accio poſt annos ſexaginta quàm ſcripſerat illam fabulã, ſed Bruto & Caſſio plaudebatur. Equidem is ſum.] Occurrit, Non ſunt magni faciendi huiuſmodi plauſus, quoniã à paucis & iiſdem popularibus potentiorum fauorem aucupantibus dari ſolent. fateor, inquit Cic. & eos ſemper ego contempſi, Sed quando non à paucis, qui nihil aliud agunt & ſtudent, ſed ab uniuerſis tribuũtur, non contemno, nec plauſum eſſe, ſed iudiciũ puto: hoc eſt, quid ſentiant uniuerſi de eo cui plaudunt, iudicare & demonſtrare exiſtimo. Popularibus.] Ac ſi diceret uilioribus. Semper contempſerim.] Nam (quod ipſe ait in Offic.) qui ex errore imperitæ multitudinis pẽdet, in magnis uiris non eſt habendus. Ii qui ante ſequi &c.] Vt Antonius. Tam caram populo Romano uitam &c.] Nam ſatis, inquit, conſideratis cuiuſmodi populi ſit iudicium de uiris bonis, & libertatis ſtudioſis, & quæ uoluntas in ipſa retinenda libertate. A Hircius uero Conſul deſignatus, & initurus proxime Conſulatum cum Panſa, grauiter ægrotauit, & maximus fuit omniũ timor, maxima ſolicitudo, ne decederet, publice priuatimq; ſuſcepta uota. In quo meminimus.] Ac ſi dicat, in nullo, quod ipſe ſubiungit. Non interpretamini.] Non intelligitis, & quale ſit iudicatis. De ueſtra uita.] Quos timent obfuturos Reipublicæ. Extaret.] Appareret quaſi monumentum aliquod. Vel ad ætatem.] Quia iam ſenex.] Vel ad gloriam.] Quia per omnes decurrit magiſtratus.

Huc.] Ad ætatem & gloriam.

BERO. Qui his ludis.] Brutus poſtquam uidit tuto Romæ ſe eſſe non poſſe, in Aſiam proficiſci deſtinauit: uerum cum eſſet Prætor, ludos abſens facere curauit: quorum cura & adminiſtratio ex magna parte ad Pompeium Atticum pertinebat. Idem per epiſtolam rogauit M. Tullium ut ludos ſuos ſpectaret: de quibus ſic ſcribit ipſe ad Atticũ, Illos ludos celebrari, & eſſe quam gratiſſimos cupio, idq; ita futurum eſſe confido. Alio quoq; loco docet uenationem poſtridie ludorum Apollinarium editam eſſe à Bruto. Reperio apud auctores quod annotatu dignum, & huic loco mire congruit, ab Accio poeta cõditã fuiſſe fabulam cui nomen eſt Brutus: quam inter togatas prætextatas

textatas numerãt. Ex titulo ſuſpicari merito poſſumus hanc fabulã Bruti titulo inſcriptam, celebratã his ludis ſcenicis fuiſſe, quos Brutus abſens fecit. Ad hanc fabulam alludere uidetur & M. Tull. ſic ſcribens ad Att. Tuas iam Brutus literas expectabat: cui quidem ego non nouum attuleram de Tereo, ille Brutũ putabat. Tam charum populo R. uitam.] Hircius & Panſa deſignati Conſules poſt Antonium & Dolabellam, Conſulatus inire honorem Cal. Ian. debebant: quos cum populus R. Reipu. conſulturos ſperaret, charos habebat ita, ut merito cũ id temporis morbo implicitus Hircius foret, ſolicitudine maxima atque timore affectus ſit, & uota pro eius ſalute ſuſceperit. M. Tull. prætextatos & grandes diſcipulos uocabat, cum eo declamandi magiſtro iam deſignati Conſules uterentur. Hircium & Dolabellam feſtiuiter epiſtola quadam ad Papyrium Pætum dicit ſe habere dicendi diſcipulos, cœnandi uero magiſtros: illos apud ſe declamare, ſe apud illos cœnitare. Quod uixi, uel ad ætatẽ.] Ceſtius Declamator egregie dixit: Si ad deſideriũ populi reſpicis Cicero, quando perieris, parum uixiſti: ſi ad res geſtas, ſatis uixiſti: ſi ad iniurias fortunæ, & præſentem Reipublicæ ſtatum, nimium diu uixiſti: ſi ad memoriam operum tuorum, ſemper uicturus es.

[redacted]. O beatos illos.] Exclamatio cum ad exaggerandam uoluntatem populi, tum ad motum animorum faciendum ex cõmendatione liberatorum patriæ. Equidem is ſum.] Pulchra παρομολογία πεοληπτικὴ ad exaggerationem.

Quid igitur hoc uos.] Vehementer concludit. Cepi P.C.] Epilogus generalis & breuiuſculus.

## IN PHILIPPICAM II.

MATVR. Quonam meo fato.] Hæc eſt ſecunda Philippica, quæ M. Antonium priore oratione uehementer commotum, ſic in Ciceronem accendit, ut leniri odij atrocitas poſtea nunquam potuerit. Extitit autem exitij & mortis Ciceroni cauſa, dicente etiam Satyrico Poeta,

> Ridenda poemata malo,
> Quàm te conſpicuæ diuina philippica famæ,
> Volueris à prima quæ proxima.

Superiorem Cicero Antonio abſente in Senatu habuerat orationem, qua ille irritatus inimicitias Ciceroni denunciauerat. Sed ea denũciatione nihil omnino deterritus eſt nihil armati, & potentiſſimi minas ueritus. Cum deinde XIIII. Calend. Octobris, quo die Senatus habitus eſt, magna armatorum caterua ſtipatus in Senatum uentſſet Antonius, & longa oratione, quam totos ſeptem & decem dies in Tiburtino Scipionis meditatus fuerat, & poſtea edidit, in Ciceronem inuectus eſſet: in Senatu & coràm reſpondere cupientem amici retinuere, quòd et longe potentiora eſſent Antonij arma, & ad manifeſtum tenderet interitum. Sed dum hæc Romæ geruntur, C. Octauius adoleſcens hæres à Cæſare ex dodrante relictus, & in familiam nomenq; adoptatus, ex Apollonia redijt. primum omnium Antonium paternum amicum ſalutatum acceſſit, facta pecuniæ patris mentione, quam Antonius tenebat, cum adita hæreditate uiritim tricenos ſeſtertios, ut Cæſar legauerat, daturus eſſet. Verũ Antonius aſpernari illum, & inſanum dicere, ac bonis carẽtem ſuaſoribus, quòd tam oneroſam adire hæreditatem uellet, ac nõ potius abſtineret. ſed neque perſuadere adoleſcentem potuit, & inſtare ille pro pecunia uehementius cœpit. Antonius & iactare multa cõtumelioſe, & facere, donec petenti tribunatũ plebis, & auream ſellam patris ſui ponenti, ducturus ſe illum in carcerem, niſi ſolicitare plebẽ deſineret, minatus eſt. Qua contumelia irritatus Cæſar, ad Ciceronem contulit ſe, totumq; ei ſe permiſit & tradidit, breuiq; per eum Senatum ſibi cõciliauit. Plebis uero & ueteranorum ſic in ſe ipſe concitauit ſtudia, ut per omnes amicos de reconciliatione egerit Antonius: qui tandẽ cõgreſſis in Capitolio, in gratiam redire, ſed ſimulate quidem: nec multo poſt maximæ inter eos rurſus exarſere inimicitiæ. uterq; ad legiones ſolicitandas per Italiã diſcurrit: ab utroq; præmijs Veterani ſunt allecti. Cicero ciuitatis eo tempore princeps, quacũque ratione poterat, omnes in Antonium mortales cõcitabat: cuius factioni par iam uel ſuperior potius auſus eſt uenire in Senatum, & hanc orationem, qua omnem ante actam Antonij uitam carpit & lacerat, habere ipſo Antonio præſente & audiente. Eſt autem in demonſtratiuo genere cauſarum poſita. cõtinet enim uituperationem. partim autem purgationẽ habuit criminum, quæ obiecit aduerſarius: partim relationem. nam & regerit maledicta, & retaxat uehemẽtiſſime & acerbiſſime inuectus. Omnis ab ipſo principio cõcitata eſt oratio, breuiſſimo quidem exordio. nam & reſpondet prouocatus. cum uero ſe purgat ſatis beneuolos auditores habiturus creditur: & indignatus eſt, ut continere ſe nequeat, quin erumpat quàm primum. Exordiũ per expoſitionem incõmodi factum eſt cum admiratione, & indignatione. dicit enim neſcire ſe, quo fato ſuo cõtingat, ut uiginti annis quicunque Reip. hoſtes fuerint, etiam ſibi bellũ indixerint. Argumenta à locis confutationis & purgationis prius, deinde turpitudinis ducuntur. His annis XX.] Ac ſi dicat, à XX. annis uſque huc. Indixerit.] Denunciauerit. ſignificat autem L. Piſonem, Gabinium, Vatinium, Clodium, Catilinam, M. Antonium: in quos Ciceronis extant orationes. Magis autem Reip. quàm priuata cauſa odia cũ illis & inimicitias exercuit. Illi.] In quos inuectus eſt Cicero acerbiſſime, & quorum detexit ſcelera. Quorum facta imitere.] Nam Catilinæ & Clodij ſcelera imitaris. Exitum non perhorreſcis.] Qui fuit fœdiſſimus & infœliciſſimus. In alijs.] Qui mihi hoſtes fuere. Audacior.] Quæ enim maior audacia, quàm contra patriam coniurare? Furioſior.] Magnus Clodij furor fuit, qui ut Remp. perturbaret, ſeſe adoptãdum dedit cuidã plebeio Caio Fonteio, qui minor natu erat. Monſtri aũt ſimile uidetur, ut pater minor natu filio ſit. Multas leges ſuſtulit, et in primis Aeliam & Fuſiam, quæ agere cum populo prohibebãt niſi ſeruatum de cœlo eſſet. Denique Cicero ſemper Clodij furorem uocat. Vltro.] Tua ſponte, non laceſſitus à me. Ad ciues impios.] Tui ſimiles, & eiuſdem furoris, ſi bono uiro & libertatis ac patriæ ſtudioſo hoſtis fieres. Quid putem?] Multas enumerat cauſas quibus impulſus uideri poſſit Antonius ut tam acerbe in ſe inueheretur: multas refellit minus idoneas: unã ſubijcit ad extremum, quæ uera eſſe uideatur. In uita.] in moribus. Gratia.] Ciuium beneuolentia. Detrahi.] Maledicẽdo minui aliquid eorum quæ dixi mea, gratiam, ingenium. Mihi uni conſeruatæ.] Nam cum patriam à coniuratorum audacia liberaſſet Cicero, & de coniuratis ſupplicium ſumptum eſſet, alij urbis conſeruatorem, alij conditorem appellarunt: quòd uiuerent, & incolumes eſſent, uirtuti eius acceptum referentes: Marcus Cato patrem patriæ cenſuit appellandum, quod in libera ciuitate ei duntaxat contigit. Hinc Satyricus ait poeta, Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Illud profecto eſt.] Hoc eſt illud poſtremum quod probat. Patriæ.] Quandoquidem quicunq; à uiginti annis patriæ hoſtis fuit, idem & Ciceroni bellum indixit.

BERO. Hæc eſt illa Philippica omnibus Antonianis anteponẽda, quam diuinam eſſe merito appellant, de qua ſic ſerio ſcripſit poeta Satyricus,

> Ridenda poemata malo,
> Quàm te conſpicuæ diuina Philippica famæ,
> Volueris à prima quæ proxima.

Hac omnes rhetoricæ partes continẽtur, quæ ad demonſtratiuũ genus pertinent. ſi quidem laudes & uituperationes ex his locis

*ſtantiſſimum necare poſſes, ſi uelles.* De interitu Reipu.] *Quæ interijt per te.* Ne ingratus uiderer.] *In te, qui non ademiſſe lactas uitam cum poſſes.* In illa querela.] *Quæ eſt in ſuperiore oratione.* Et quidem.] *Et tamen nullus adeo temperans extitiſſet, qui de te conquerens abſtinere à maledicto poſſet.* Reliquias Reip.] *Propter interceptã pecuniam hoc ait, quæ fuerat ad ædem Opis: & propter quatuor millia talenta, quæ à Calphurnia Cæſaris uxore accepit.* Turpiſſimo mercatu.] *Tanquam in nundinis & mercatu omnia Antonius uendiderat, magiſtratus, immunitates.* Cum leges eas.] *Vt Prætoriæ prouinciæ plus quàm annum, Cõſulares plus quàm biẽnium obtinerẽtur, ut duabus decurijs tertia Centurionum adderetur, ut de ui & maieſtate damnatis liceret prouocare.* De te.] *Nam uolebat Antonius licere ſibi prouinciam pro arbitrio ſuo retinere.* Interceſſionem.] *Tribunitiam.* Suſtuliſſes.] *Conſulari poteſtate & auctoritate.* Omnes impuritates.] *Omnes impuros & fœdos homines, aleatores, ganeones, ut mox dicetur.* Luſtris.] *Sunt & in ſyluis luſtra ferarum habitacula.* Virgil. *Non abſunt illic ſaltus, & luſtra ferarum. & loca ſordida, atque occulta: in quibus qui uerſantur, gulæ & luxuriæ operam dant: ac ipſa etiam lupanaria.* Plaut. in Aſin. *Luſtris ſtudet.* Confectus.] *Conſumptus, exinanitus.*

BEROAL. At beneficio uſus ſum tuo.] *In epiſtola ad M Antonium ita ſcribit, Nam cum te ſemper amaui, primũ tuo ſtudio, poſt etiam beneficio prouocatus: tum his temporibus Reſp. te mihi ita cõmendauit, ut chariorẽ habeã neminem.*

Vino luſtriſq; confectus.] *Mala luſtra bono epitheto dixit Horatius, intelligi uolens nequitiæ, libidinis, gulæ diuerſoria. Luſtratus à Grammaticis luxurioſus exponitur, uidelicet à luſtris, de quibus Plautus, Id apud ſcortum corruptelæ & liberis luſtris ſtudet. Idem in Caſſina, Vbi fuiſti? Vbi luſtratus? Vbi bibiſti? Idem in Pſeudolo, Ex conſpectu heri ſi ſui ſe abdiderunt, luxuriantur, luſtrantur, comedunt. Eſt enim luſtrari, luſtris operam dare.*

MATVR. Cum M. Craſſo.] *Hic eſt M. Craſſus ille diues, qui perijt in Parthis, cum quo Ciceroni graues & diuturnæ fuerunt inimicitiæ. Earum uero extitit cauſa, quòd cum Catilinæ coniuraſſe eũ Cicero inſimulauit: & in oratione, quam de Cõſulatu ſuo habuit, Craſſum ad ſe noctu ueniſſe retulit, epiſtolam à Catilina miſſam tenentem, qua illum quaſi conſciũ ad confirmandam coniurationem hortabatur. Quòd uero in Ciceronẽ æquior eſſet Craſſus, ac non aperte inſectaretur, filius cauſa extitit: qui ſtudiorum gratia Ciceronem aſſectabatur, & ſic obſeruabat, ut eo damnato ueſtẽ mutauerit: idq; ut complures nobiliſſimi adoleſcentes facerent, ſuaſerit. Tandem uero patrem etiam reconciliauit Ciceroni.* Tum.] *Quando habuit primam illam orationem, quæ hanc præcedit.* Vitæ communis.] *Ac ſi diceret, humanæ conſuetudinis, quam ſequi ſolemus. non enim ſi quid ſcriptum aut dictum eſt nobis ab amicis prius, id cũ inimici euadimus, diuulgare debemus.* Nec prudens quiſpiã facere auderet.] *Nam ſi hoc fieret, abſtinerent homines loqui multa cum amicis aut ſcribere abſentes: quippe qui dicerent, ſi forte inimicitiæ inter nos exorirentur, quidquid dixero aut ſcripſero, propalabitur.* Aliqua offenſione.] *Id eſt, ſi qua offenſio interuenit, ſi diſplicuerunt.* Vitæ ſocietatem.] *Vt ad amicũ non audeat quiſquam ſcribere aliqua de re, ſi dubitat eum aliqua offenſione interueniente proditurum.* Inepta.] *Vt ioci & dicta faceta, ambigua, et obſcœna nõnunquam, qualia ſunt in Cic. epiſtolis illis ad Pætum & alios nonnullos.* Seria.] *De Rep. ſed non diuulganda, quando periculum eſt inde ei qui ſcripſit, ut cum tempora accuſamus, & principes carpimus.*

Sit hoc inhumanitatis tuæ.] *Id eſt, imputetur inhumanitati tuæ, cum ſic ſis natus: ſed uos P.C. incredibilem ſtultitiam uidete, & conſiderate.* Homo diſerte.] *Ironice.* Vt tuis, inquit, uideris.] *Operis & aſſeclis, hominibus impuriſſimis & ſceleſtiſſimis.* Muſtellæ Tamiſio, Tyroni.] *Quos & inferius commemorat. ij uini exhalandi, non acuẽdi ingenij cauſa declamare dictitabantur: quod poſt dicetur.* Inter ſicarios.] *Quaſi iocatur Cicero, & tamen uerum obijcit crimen Antonio, quòd & ipſe & operæ eius obnoxij eſſent legi de ſicarijs, quoniã armati uenerant in Senatum Lex uero Cornelia de Sica. homicidas ultore ferro perſequitur, uel eos qui hominis occidendi cauſa cũ telo ambulant. Sica uero eſt, quidquid teli hominis occidendi cauſa fertur.* An chirographo.] *Ipſa manus meæ ſcriptura.* In quo habes &c.] *In effingendis ſcilicet chirographis, et ſcriptura manus alicuius ac characteribus, ex quibus magnum capis fructum in adulterinis literis & teſtamentis.*

Qui poſſis?] *Quaſi dicat, non uideo. non enim ſunt mea, ſed librarij mei manu.* Iam inuideo &c.] *Et hic iocatur, ſed cum felle & acri reprehenſione: Curioni dicit inuidere ſe, qui nihil Antonium ſapere docuit tanta mercede: ei enim ſe ſubſtrauerat Antonius, ut eſt dictum.*

BERO. Literas recitauit.] *Apuleius in Apologia reprehendit filium Pudẽtillæ, quòd literas maternas publicauerit, & in cœtu frequentiſſimo legerit: contra laudantur Athenienſes, qui ex captiuis epiſtolis Philippi Macedonis hoſtis ſui unam epiſtolam, cum ſingulæ publice legerentur, recitari prohibuerunt, quæ erat ad uxorem Olympiadem conſcripta. hoſti potius pepercerunt, ne maritale ſecretũ diuulgarent, præferendum rati fas commune propriæ ultioni.* Iam inuideo magiſtro tuo.] *Non Curionem intelligi uult, ut Commentatores hallucinãtur: ſed Sextum Clodium Latinæ ſimul Græceq; eloquẽtiæ profeſſorem, male oculatum, & dicacem, qui cum M. Antonium rhetoricen docuiſſet, ab eo mox Conſule ingens congiariũ accepit: et ut poſt paulo docebit, duo millia iugerum Sexto Clodio rhetori aſſignauit Antonius, & quidem immunia, ut tanta mercede nihil ſapere doceret. De hoc Sexto Clodio ſcribit Tranquillus in lib. de Grammaticis & Rhetoribus.* Si uerba negarit.] *Potentiſſimum eſt, ut inquit Quintilianus, & longe facillima tuẽdi ſe ratio, ſi quod obijcitur, negari poteſt.* Quod enim uerbum in iſtis literis.] *Opinor ſignificari epiſtolã illam Ciceronis ad Antonium, cuius initium eſt, Quod mecum per literas agis, unã ob cauſam mallem coràm egiſſes. in calce huius epiſtolæ clauſula talis legitur: Ego quæ te uelle, quæq; ad pertinere arbitrabor, ſemper ſine ulla dubitatione ſummo ſtudio faciam.*

MATVR. Omne autem tuum crimen eſt.] *Omnis in tali ea tua accuſatio eſt, & in hoc me criminaris.* At ego tuas literas.] *Literæ Antonij quas hic ſignificat, ſic incipiũt, Occupationibus eſt factum meis, et ſubita tua profectione, ne tecum coràm de hac re agerem: quam ob cauſam uereor ne abſentia mea leuior ſit apud te. Quòd ſi bonitas tua reſponderit iudicio meo, quod ſemper habui de te, gaudebo. À Cæſare petij ut Sextum Clodium reſtitueret. impetraui. Erat mihi in animo etiam tum ſic uti beneficio eius, ſi tu conceſſiſſes: quo magis laboro, ut & tua uoluntate id per me facere liceat. Quòd ſi duriorem te eius miſeræ et afflictæ fortunæ prabes, non cõtendam ego aduerſus te.* Ex hac M. Antonij epiſtola ſatis liquet quem de exilio reducere uelit, & quemadmodum inuito Cicerone ad tuetur ſe nihil eſſe facturum. Quendam de exilio reducere.] *P. Clodij filium intelligimus: quem exulem reducturus Antonius ſcripſit ad Ciceronem prius, ſe illum niſi Cicero annueret, non reuocaturum.* Quid enim me interponerem aud. tuæ.] *Ac ſi diceret, facturus omnino fueras, uellem nollem ego.*

Huius ordinis.] *Senatorij.* Cæſaris lege.] *Quam in actis & libellis Cæſaris tu ipſe eſſe dicebas.* Meam gratiam.] *Meum beneficium.* Lege lata.] *Si Cæſar tulerat ut P. Clodij filius reſtitueretur, neq; Ciceronis cõſentientis, neque Antonij*

renocantis poterat beneficium eſſe. Attentem.] Quoniam magna & uera in illum dicam. Moleſtiam.] In uita & moribus. Oblitum eſſe putetis me.] Conſuetudinis meæ.

Vel quòd ita factus eſt Conſul.] Cæſar Antonium ſibi collegam aſſumpſit Cæſaris ergo arbitrio, non populi ſuffragijs factus eſt Conſul, non lege, non more: Ideoq; ait Cicero, Vel quòd ita factus eſt Conſul. Statuerat autem Cæſar ſe magiſtratu abdicare, ita ut in locum ſuũ Dolabella ſubrogaretur. quod prius eſt dictum. Re noſter.] Vobis enim & publicæ utilitati, nõ meæ & priuatæ, ut Antonius ſuæ, Cõſul fui: nec quidquam niſi ex Senatus auctoritate geſſi aut conſtitui, cum omnia Antonius ex libidine agat. Tu homo ſapiens.] Ironice. Fatum.] Vt quemadmodum ille, pereat. C. Curionem.] Qui in Libyam contra Attilium Varum, qui pro Pompeio ductabat exercitum, & Iubam Maurorum ac Numidarum Regem qui Varo obſequebatur, cum duabus miſſus legionibus, pugnãs apud Bragadam fluuium, cũ omnibus qui unà erant trucidatus eſt: quod Appianus & Lucanus ſcribunt pluribus. Domi tuæ.] Vt omnes ex iſta familia ferro pereatis, ſicuti & auus tuus perijt.

Fatale.] Peſtiferum.

BERO. Non tractabo ut Conſulem.] Scitum eſt illud oratoris Domitij, Cur ego te, inquit, habeam ut principem, cum tu me non habeas ut Senatorem? Lucius quoq; Craſſus ſimiliter Philippo inquit, Ego te Conſulem putem, cum tu me nõ putes Senatorẽ? quæ uox, ut inquit Quintilianus, honeſtiſſimæ eſt libertatis. Quinetiam à M. Tullio in Lucium Piſonem nõ diſſimilis eſt deprompta illa ſententia, Ego Conſulem eſſe putẽ, qui Senatum in Rep. non putauit? & ſine eo conſilio Conſulem numerem, ſine quo Romæ ne Reges quidem eſſe potuerunt?

Quoniam id domi tuæ eſt, quod fuit illorum utriq; fatale.] Fuluiã intelligi uult, quæ trigama fuit, hoc eſt tres habuit maritos, Clodium, Curionem, & M. Antonium: quæ cum duobus iam maritis fuiſſet fatalis atq; peſtifera, præſagit orator eandẽ conſimile infortunium & fatum Antonio allaturam: tanquam Clodius, Curio, & Antonius non magis ſuo, quàm uxoris infauſtæ fato perierint. Alibi ſic inquit, Etenim iſta tua minime auara coniux, quam ego ſine contumelia deſcribo, nimiũ debet diu populo R. penſionem tertiam.

MATVR. P. Seruilio.] Is eſt qui Iſauros in Cilicia domuit, & Iſaurici cognomen reportauit. L. Catulo.] Q. Catulum potius legendum puto, qui conſumptum incendio Iouis templũ in Capitolio & refectũ dedicauit. Duobus Lucullis.] Lucio & Marco. uterq; Conſularis fuit. Lucius ætate Pompeio grandior, res præclaras contra Mithridatem geſſit, & ingẽtes poſſedit diuitias. M. Craſſo.] Illi diuiti.] Q. Hortenſio.] Oratori præſtantiſſimo. C. Curioni.] Patri, cuius & alijs in locis, & in libro meminit de claris oratoribus. Deceſſit is non multo antequam in Ciliciam proficiſceretur Cicero.

M. Lepido.] Qui fuit triumuir. C. Piſoni.] Qui frater fuit Lucij Piſonis ſoceri Cæſaris. M. Labeoni.] Is iureconſultus fuit, cum Cæſare in Gallia militauit, & tamen in ciuilibus bellis Pompeium eſt ſecutus. L. Volcatio.] Huius meminit in Epiſtolis. C. Figulo.] Ad hunc multæ ſunt Ciceronis epiſtolæ. fuit autẽ eruditiſſimus. D. Syllano, & L. Murænæ.] Horum & Salluſtius meminit in Catilina. Placuit M. Catoni] Qui Conſularis non fuit, ſed Prætorius. M. Cato, qui ſe Vticæ occidit, ne Cæſarem uictorem, patriamq; ſeruiẽtem uideret, & illi ſupplicare cogeretur, ac pro his rebus gratias agere, quas cõtra leges & per iniuriam feciſſet: quemadmodũ ipſe L. Cæſari inquit, Cæſaris propinquo: qui à trecentis qui cõtra Cæſarem ſenſerant, pro uenia & ſalute impetranda ad uictorem mittebatur. Cn. Pompeius.] Qui cum primum ex Aſia ſeſe in urbem recepiſſet, gratias Ciceroni egit, fruſtra ſe affirmãs triumphum reportaturũ fuiſſe, niſi urbs à Cicerone ſeruata eſſet, in qua poſſet triumphare. Ex Syria.] Quam prouinciam populus R. fecit, cum & Iudæã ſubegit direpto Salomonis templo, & Ariſtobulo Iudæorum rege capto. Vt parenti.] M. Catonis ſententia pater patriæ eſt appellatus, quod diximus.

Acceptum referret.] A ratiocinantibus & rationibus, hoc eſt ſupputationibus tractus eſt ſermo: in quibus cum pecuniam creditam accipimus, acceptam referre dicimur. cum uero reddimus, expenſam: Ad quos.] Viliſſimos & nefarios. Audiendi ſunt.] Et oſtendit quo pacto quaſi per dialogum. uox enim eſt cuiuſpiam interrogantis cur in Senatum, aut forũ non deſcendat Antonius: cui reſpondetur.

BERO. Meo beneficio patriam ſe uiſurum.] In primo de Off. ſic refert, Mihi quidem certe uir abũdans bellicis laudibus Cn. Pompeius multis audiẽtibus hoc tribuit, ut diceret fruſtra ſe tertium triumphũ deportaturũ fuiſſe, niſi meo in Remp. beneficio ubi triumpharet eſſet habiturus. Vitam refert acceptam.] Epiſtola quadam ad Atticum ſcribit hoc ad hanc ſententiam pertinens, Craſſus ſurrexit, ornatiſſimeq; de meo Conſulatu locutus eſt, ut ita diceret, ſe quòd eſſet Senator, quòd ciuis, quòd liber, quòd uiueret, mihi acceptum referre. quoties cõiugem, quoties domum, quoties patriam uideret, beneficium meũ uidere. L. Cotta.] Is ſupplicationem decreuit Ciceroni patefacta coniuratione, & ſupplicio de coniuratis ſumpto, cui Senatus eſt aſſenſus. Nemini autem contigit unquam talis honor togato. nam decerni ſupplicationes cõſueuere ijs qui extra urbem bellũ gerunt. Qui honos habitus eſt togato ante me nemini.] Vbique librorum gloriatur M. Tullius ſibi in toga ſoli ſupplicationes fuiſſe decretas, qui maximus honor uictoribus bello ducibus datur. In inuectiuis cõtra Catilinã, conſimiliter inquit, Meo nomine ſupplicationẽ decreuiſtis: qui honos togato habitus ante me eſt nemini. Et paulo poſt, Cæteris ſemper bene geſtæ, mihi uni conſeruatæ Reip. gratulationem decreuiſtis. In ſororis ſuæ.] Iulia ex Cæſaris familia, L. Cæſaris ſoror, Antonio M. Antonij oratoris filio nupſit: fœmina primaria, & nulli ætatis ſuæ pudicitia cedens. poſt mariti mortẽ nupſit iterũ P. Corn. Lentulo, qui cum L. Catilina coniurauit, & ſupplicio Cicerone Conſule & uindice coniurationis eſt affectus: unde uehemens Antonij in Ciceronẽ odium, quippe qui dicere ſolebat uitrici ſui corpus non prius ad ſepulturam cõceſſum, quàm id mater ſupplex à Ciceronis uxore impetraſſet. ſed falſo hoc prædicabat. nam nemo ſupplicio affectorum ob eam coniurationẽ ſepultura eſt prohibitus. Alienus.] Non affinis, aut propinquus. Sororis.] L. Cæſaris. In ſororis ſuæ uirum.] Lentulum intelligit: qui unus fuit ex popularibus Catilinianæ coniurationis. Vitrici.] Lentulum ſignificat.

MATVR. Dat natalitia.] Dat facultatem celebrandi natales dies in hortis ſuis, & ipſe intereſt. Neminem nominabo.] Cui det. Sed putatote eum.] Cogitate uos ipſi, & diuinate. Phormioni.] Phormio & Gnatho perſonæ ſunt paraſitorum Terentianæ. Alter in fabula cui nomen dat: alter in Eunucho introducitur. Ballioni.] Ballio lenonis nomen. is in fabula eſt apud Plautum cui nomen Pſeudolus. Tuus uidelicet.] Hæc Antonij fuerunt uerba, quæ eleuat & contemnit Cicero. Scilicet & uidelicet deriſum indicant cum amaritudine quadam permixtum, ut Terent. Id populus curat.ſ.

In eo templo.] Concordiæ, ubi habitus eſt Senatus, quod poſt apparet, quando in Ciceronem dixit Antonius. aut certe in Curia, quæ ſacra erat. non enim niſi in ſacro loco haberi Senatus poterat. Virgilius, Hoc illis curia templum. Cliuum capitolinum.] Qui ducebat ad Capitolium ex Romano foro.

Vt illa crede.] Hæc ironice ait: ideo cliuum inquis Capitolinum armatorum ſeruorum plenum fuiſſe, ut tũc illa Senatuſconſulta de coniuratis fierent, cum uim Senatui afferebam, & ita ut nolebã ſentire illũ cogebã. quod in diuerſum accipiẽdum eſt:

eſt: nam & ſalutaria referente Cicerone Senatuſconſulta facta ſunt, quibus liberata ab interitu Reſp. & puniti nefarij homines coniurati. Prater te.] Qui Catilinæ perſimilis minime aſſuiſti, quaſi iniquo animo ferres talia in Catilinã ſtatui.

Quis nomen non dedit?] Interrogatus itáne cenſeret, & quaſi profitens ſe in Senatu uolũtate futurũ. nã militaturi unã cũ aliquo Cõſule ſeu imperatore, nomina dabãt. Conſciorũ indicijs.] Hæc omnia apud Criſpum. Haberet ducem.] Me.

Ad ſepulturã.] Hoc quid ſit, prius eſt dictũ. P. Clodius.] Cũ accuſator Ciceronis ad populũ multa obiecit: ſed illud in primis, quòd de indẽnatis ciuibus Romanis ſupplicium ſumpſiſſet.

BEROAL. Dat natalia.] Lege natalitia. ſic. n. appellant conuiuia luxurioſa ad celebrandũ natalem diem peculiariter ſtructa. Phormioni, Gnathoni.] Nomina ſunt paraſitorũ notiſſimorũ ex Terentiana lectione. Ballioni.] Nomẽ eſt Plautini lenonis ex Pſeudolo, qui Buſtrapus, Sociofraudus, Legirupa periuriſſimus, cõuicio lenonio appellatur. In oratione pro Roſcio Comœdo, Nam Ballionem illum improbiſſimũ & periuriſſimum lenonem cum agit, agit Chæream. perſona illa lutulẽta, impura, inuiſa, in huius moribus natura uitaq; eſt expreſſa. Item in oratione pro Cecina, Sextus Clodius cui nomen eſt Phormio, nec minus niger, nec minus confidens quàm ille Terẽtianus Phormio. Cliuum Capitolinum] De cliuo Capitolino mentio eſt apud Liuium ſic ſcribentem, Hunc ducem ſecuti nequidquam reclamantibus Tribunis in cliuum Capitolinum erigunt aciem. Meminerunt & iuriſconſulti Titulo ad legem Aquiliã his uerbis, in Cliuo Capitolino duo plauſtra onuſta mulæ ducebant. Meminit & M. Tullius pluribus in locis. Sua manu, uoce penè literarum coacti.] In Catilinã ſcribens ſic ait, De coniuratis introductus eſt Statilius. Cognouit magnum & ſignũ ſuũ, recitatæ ſunt tabellæ. et poſt paulo, Atque ibi uehementiſſime perturbatus Lentulus, tamen ſignum & manum cognouit. Ad ſepulturam nitrici.] Ferunt uehemens illud Antonij odium in Ciceronem, hinc initiũ traxiſſe, quòd ſcilicet cõqueri ſolebat Antonius cadauer Lentuli nitrici ſui nõ prius ad ſepulturã datũ, quàm id mater ſupplex impetraſſet à Ciceronis uxore: ſed hac quidem in re ſanè mentiebatur Antonius: ſiquidem nullus ex Catilinianis coniuratis, qui tunc ſupplicio fuerunt affecti, ſepultura prohibitus eſt.

MATVRANT. Diſciplina.] Educatio. Quanta tecum eſſet contentio.] Dum minus coherentia dicis, & à te ipſo diſſentis. Eum.] Me. Eos.] Senatores. In hac cella Concordiæ.] Templũ Concordiæ in cliuo fuit Capitolino non procul à Iunonis Monetæ tẽplo, quod illic fuit ubi domus M. Manlij in Capitolio, qua diruta ædes Iunonis eſt extructa. Furius Camillus uouit bello Veientano & poſuit. Ouid. auctor in Faſt. Cella uero pars templi eſt ubi res diuina fit, ubi ſimulacrũ numinis, circa quam præcinctiones columnarum. & in cellam ingredi, omnibus fas non erat. Ab Ithyreis.] Ithyrea regio eſt Palæſtinæ Iudææ, in qua Antonius ſub Gabinio Conſule meruit, unde etiã multos abduxit, quibus poſtea utebatur ſeruitiis miniſtris. Sunt item Ithyrei uicini Parthis & Arabibus, montanam incolentes regionem, homines malefici. Virg. Optimos arcus ſignificare uolens, Ithyreos dixit in Georg. Ithyreos taxi torquentur in arcus. Alteri.] Mihi. Salutaria.] Quæ ſalutem attulerunt.

BEROAL. Niſi acceſſiſſet etiam diſciplina.] Rhetorici doctores inter attributa perſonæ enumerant educationẽ et diſciplinã, ex quo argumẽta ducũtur. In quo cõſiderare oportet; apud quos, & quo more, & cuius arbitratu ſit educatus: quos habuerit magiſtros, quibus amicis utatur. In laudẽ Druſi cecinit Horat. Auguſti paternus in pueros animus Nerones, Doctrina ſed uim promouet inſitam. Animaduerſio.] Punitionem intelligit & pœnam qua affecti ſunt coniurati ex Senatuſconſulto.

MATVR. At etiam quodã loco facetus eſſe uoluiſti.] Nam quaſi per iocum, Ciceronis recitauerat uerſum, Cedant arma togæ. Salis.] Facetiarum. Teren. Qui habet ſalem, quod in te eſt. Ab uxore mima.] Antonio fuit uxor & eadem ſoror C. Antonij filia, Ciceronis collegæ in Conſulatu, quã à Dolabella adulteratã ſuſpicatus repudiauit, & Fulniam accepit, C. Curioni prius nuptam: quæ ſic imperium in uirũ exercebat, ut ei ſe gratiam habere aliquãdo Cleopatra dixerit, q ita inſtitutum ab ea accepiſſet Antonium, ut uxoribus eſſe obnoxius didiciſſet. Hic Volumniam intelligit mimam, quæ ueluti uxor Antonio erat, et quam tanquã nurum mater Antonij ſequebatur, ut mox dicetur. Succiſiuis operis.] Quidã tex. hoc nõ habent. Succiſiua tempora uocat Plin. ſunt autem quæ à rebus neceſſarijs ſucciſa ſunt, et ab illo tempore quod alicui certæ rei deſtinatum eſt, diuiſa, ut horæ nocturnæ quietis. Cic. lib. de legib. Succiſiua quædã tempora incurrunt, quæ ego perire nõ patior. A. Gel. Quantũ autem uitæ mihi deinceps deũ uoluntate erit, quãtũq; à cura & à re familiari, procurãdoq; cultu liberorum meorum dabitur otiũ: ea omnia ſucceſſiua & ſubſecundaria tẽpora ad colligendas huiuſmodi memoriarũ delectatiunculas conferam.

Meo conſilio interfectũ.] Id quod alij quoque Ciceroni obiecere, eius conſilio & impulſu à Milone occiſum Clodiũ. Cum tu illũ.] Antonius ducenta quinquaginta millia debebat: pro quibus cum interceſſiſſet Curio, cuius erat ſcortum, Curionis pater ægre ferens domo prohibuit Antonium. Is ſe ad P. Clodium contulit: nec multo poſt ortis inter ipſum & Clodium inimicitijs, in Aſiam abijt. Oppilatis.] Direptis. Nam tabernam illam librariam in qua delituit fugiens Clodius Antonium, etiam oppilauit. Eſt autem oppilare & compilare, furari, ſed ita, ut ne pilus quidem remaneat. uel quoniam milites quæ rapiunt, in pilæ figuram conferunt, ut ait Pædianus. Pauiſſe.] Contra Clodium. Rem tranſegit.] Clodium occidit in uia Appia. Scilicet is animus.] Quaſi Reip. cauſa occiderit Clodium Milo: quod in illa oratione nititur probare quæ pro Milone extat. At lætatus ſum.] Diluit & hoc quod obiecerat Anto. In tanta lætitia.] Quæ fuit publica occiſo Clodio. Quæſtio.] Lege Pompeij, qui tulit ut de cæde in Appia uia facta quæreretur. erat aũt tum ſolus Cõſul Põp. ut Cic. & Pædia. Non ſatis prudenter illa &c.] Nam ueteri lege 12. tab. de morte hominis quæſtio cõſtituta eſt. Nemo in me dixit.] Me ſuaſore aut impulſore cæſum Clodium.

BERO. Cedant arma togæ.] Hic eſt uerſiculus ille notiſſimus, Ciceroni frequenter obiectus. Nanq; & Piſo dicere ſolebat, M. Tulli, nõ illa tibi inuidia nocuit, ſed uerſus tui. nimis magna pœna te Cõſule cõſtituta eſt. ſcripſiſti. n. uerſum, Cedant arma togæ. Quem uerſum ita Piſo interpretabatur, ſiquam diceret Cicero ſibi togato ſummum imperatorem Pompeiũ eſſe ceſſurũ. Et ita uolebat Põpeium iſto uerſu factum eſſe inimicũ Ciceroni. Verum Cicero ita uerſiculũ ſuum enarrat ut dicat ſe more poetarum locutum, ſignificare uoluiſſe bellũ ac tumultũ paci atq; otio conceſſurum, cum pacis inſigne ſit & otij, toga: è contrario autem arma, tumultus atq; belli. Hiĩq; oppilatis impetum nõ compreſſiſſet.] Huius hiſtoriæ cõmeminit in oratiõe pro Milone, cuius uerba ſubſcripſi, quæ ſunt hæc, Nuper cũ M. Antonius ſummã ſpem ſalutis bonis omnibus attuliſſet, grauiſſimamq; adoleſcens nobiliſſimus Reip. partẽ fortiſſime ſuſcepiſſet, atque illam belluam iudicij laqueos declinantem iam irretitam teneret, qui locus, quod tempus illud dij immortales fuit, cum ſe ille fugiens in ſcalarum tenebris abdidiſſet? hactenus Cicero. Oppilatas autẽ tabernæ ſcalas expone obſeptas occluſaſq;, & obcæcatione quaſi quadam tenebricoſas. quod uerbum à pila inflexum eſt. In frequenti uſu recentiorum medicorum eſt oppilationem atque oppilatos homines dicere, quorum mea

Nam inter cõiuratos adoleſcentes fuere Cæcilius et Bucolianus Seſtius Naſo, & alij nõnulli. eius autem ætatis eſt nihil reticere. Impuliſſem ergo, inquit, Brutos, ſi conſcius rei fuiſſem, et neceſſe uiſum eſſet. Auctoribus.] In Bruto qui reges exegit, & populi R. primus libertatem peperit: & C. Seruilio, qui magiſter equitum iuſſu Q. Cincinnati Dictatori Sp. Meliũ equitem R. frumentum populo in magna penuria ſua impenſa largitem, & ob id factum cõciliata ſibi plebe regnũ affectãtem interfecit: quod Liu. ſcribit 4. ab V.C. Vterq;.] Vtriuſq; Bruti, M. ſ. & Decimi, paternũ genus in Iun. Brutũ referunt: à quo ſunt, ut diximus, eiecti reges: ſed Seruiliæ matris M. in C. Seruilium Halam origo refertur. Plutarch. auctor. Alter.] Marcus.

Quid C. Caſſius.] Familia Caſſiorum peruetuſta extitit. ab eo Caſſio originem duxit cognomento Sp. qui cõſularis regni affectati crimine damnatus, necatusq; eſt. Cæteri fuere præſtãtiſſimi, & libertatis ſtudioſiſſimi, ſed inſignis ſeueritatis: ut ille L. Caſſius, qui quoties alicuius iudicij quæſitor eſſet, in quo de homine occiſo quæreretur, ſuadebat iudicibus atq; præibat, cui peruire illũ fuiſſet bono. & ille itẽ qui filium Trib. pl. qui agrariã legem primus tulerat, ac multis pro rebus alijs popularibus animos hominum deuinctos tenebat, poſtquam illam poteſtatẽ depoſuit, adhibito propinquorum & amicorum conſilio, affectati regni crimine dãnauit, uerberibusq; affectum necari iuſſit, ac peculiũ eius Cereri conſecrauit. Ipſe C. Caſſius, quod in Bruto Plutarchus tradit, ab ineunte ætate tyrannos oderat. Huius rei quam ſcribit Cicero, ipſe ſolus auctor, cũ fugiẽtem Põpeium perſequeretur Cæſar, & ad Helleſpontũ perueniſſet, triennium inopia ſcaphis exercitũ traducere cõpulſus eſt. Caſſius uero fortuna quadam triremium copia comitatus, obuiam factus eſt cũ ad Pharnacem properaret. Et quamuis aduerſus paruas naues magno triremiũ numero tuto depugnare poſſet, Cæſaris tamen felicitate conterritus, impetrata uenia ultro illi & ſe & triremes omnes dedidit, quæ erãt LXXX. Cõtigiſſe aũt tũc arbitror ut Cæſarem occidere cogitauerit, cum ab Alexandria in Syriã & in Pontum tranſijt contra Pharnacem magni Mithridatis filium, quem quatuor quibus in cõſpectũ uenerat horis, tota profligauit acie. ſimul autem & Caſſius erat. Siue his clariſſimis uiris.] M. & D. Bruti, & alijs plurimis. Ille.] Cæſar.

Cydni.] Per Ciliciã decurrit: cuius, auctore Solino, incerta origo. alij ex mõte Tauro naſci, alij ex Coaſpidis alueo defluere tradũt. per mediũ fluit Tarſum, à qua ſanè nõ procul eſſe eius ortum, Strabo inquit: aquam uero rapidiſſimã frigidiſſimamq;, & ea gratia hominibus ac beſtijs auxiliari, qui neruos craſſiores habent. Cn. Domitiũ.] L. Domitij filiũ, qui adoleſcẽs in coniurationẽ fuit. L. autem Domitius Prætor Cæſarẽ abeuntẽ cõſulatu quẽ aduerſus auſpicia legesq; geſſiſſe exiſtimabatur, ad diſquiſitionẽ Senatus uocauit, et mox Cõſul imperatorẽ ab exercitibus Gallicis retrahere tẽtauit: ſucceſſorq; Cæſari per factionẽ nominatus, principio ciuilis belli ad Corfiniũ captus eſt. inde dimiſſus, Maſſilienſes obſidione laborãtes cũ aduẽtu ſuo cõfirmaſſet, repẽte deſtituit, acieq; demũ Pharſalica occubuit. Sed is quẽ Cicero nominat, filius, inter cõſcios Cæſarianæ necis, quanquam inſcius, dãnatus lege Pedia, ad Brutum Caſſiumq; ſibi propinqua cognatione coniunctos tranſijt. Claſſi præfuit, quam partibus profligatis Antonio ſponte tradidit, ſaluusq; omnium ex his qui pari lege damnati erant, reſtitutus in patriam, ampliſſimos honores percurrit. poſtea ciuili redintegrata diſcordia inter Auguſtum & Antonium, legatus Antonio, & ſumma imperij ſibi commiſſa, ad Auguſtum tranſijt, & in diebus paucis obijt.

Auunculi.] Pompeij, ex cuius ſorore natus eſt. Spoliatio dignitatis.] Neque enim ullam dignitatẽ eum adipiſci paſſus eſt Cæſar. C. Trebonio.] Is & Cæſaris partes ſecutus eſt, & in eius amicis ſemper fuerat. L. Tullius Cimber.] Et is in amicis fuit Cæſaris.

BERO. Alter etiam Halæ.] Ex duobus Brutis qui tyrannoctoni fuerunt, id eſt Cæſaris tyrãni interfectores, alter M. Brutus paterno genere ab illo Iunio Bruto ducebat originẽ, qui Tarquiniorum Regum exactor extiterat: materna uero ſtirpe oriundus erat ab Hala Seruilio, qui Spuriũ Melium largitione frumentaria regnum affectãtem, in medio foro Romano obtrũcauit. quem Cincinnatus Dictator in propatulo ita laudauit, Macte uirtute Seruili eſto liberata Republica. Itaq; M. Brutus imaginem Bruti ob ſtirpem paternam, imaginem Seruilij Halæ ob originem maternam colebat. An Caio Trebonio perſuaſi.] Hic M. Antonium Cõſulem iuxta fores curiæ remoratus eſt inducto ex induſtria longiore colloquio, donec Cæſar in curia à cõiuratis interficeretur. Tullius Cimber.] Hic eſt ille Cimber, quem uiolentum fuiſſe & ebrioſum indicat Seneca in epiſtolis ad Lucilium. huic tamẽ de Cæſaris Dictatoris cæde tam credita res eſt, quàm Caſſio, qui tota uita aquam bibit. Tullius Cimber in hanc rem ita locutus eſt: Ego, inquit, quempiam feram, qui uinum ferre non poſſum?

MATVRANT. Duos Seruilios Caſcas.] Cognomento Caſcas duos fratres dicit, qui rectius Halæ quàm Caſcæ poſſunt cognominari, quòd progenitorem ſuum Seruiliũ Halã ſunt imitati. Alter ex Seruilijs.] C. Seruilius Caſca primus Cæſarem iuxta collum enſe percuſſit: in quem Cæſar conuerſus, eius apprehenſo gladio, Scelerate, inquit, Caſca quid agis? ille autem fratrem uocans inquit, ἀδελφὲ βοήθησον. Plutarchus.

Ergo ego ſceleratus.] Merito ſtultitiæ Antonium arguit Cicero, qui ſceleratũ ipſum appellet, quòd uideatur conſcius coniurationis fuiſſe: cum Brutus interfector, quod nemo negat, honoris à ſe cauſa nominetur. Hic ſtupor.] Hæc hallucinatio, atq; hic error. Cõſtitue.] Irriſiue. Tu, inquit, qui Conſul es, quem decet conſtantem eſſe, ſtatue utrum bonam an malã cauſam uelis interfectorum eſſe. Edormi.] Dormiendo eijce et expurga. Terentianum autẽ eſt. Ille enim ait, Ibo in angulum ibi interea hoc uilli edormiſcã. Crapula uero eſt ebrietas nimia, & capitis ob ebrietatem attonitio. κραιπάλην dicunt Græci.

An faces.] Quod attonitis fit & ſtupidis ac lethargicis.

Ad punctum temporis.] Nam ſecundum Geometras & Euclidem, punctum eſt, cuius pars non eſt. Quidquam eſſe medium.] Tanquam tertium, & alterutrum, duntaxat homicidas, aut uindices. Patriæ parentem.] Sic dicebat Antonius, patriæ parentẽ Iuliũ eos occidiſſe: ſed tyrãnus ille, nõ parẽs fuit.

BERO. Patriæ parentem occidere.] Cæſas inter cæteros honores & titulos cognomen quoque patris patriæ accepit: quod populus comprobauit, qui columnã Cæſari in foro dedicatam inſcripſit parenti patriæ. Occidere autem parẽtem patriæ, haud dubie atrocius eſt quàm ſuũ. Hinc quidam ſcriptores parricidium appellant Cæſaris necem, & interfectores Cæſaris parricidas, quos M. Tul. tyrãnoctonos uocabulo pulcherrimo nominauit. Placuit, ut inquit Tranquillus, Idus Martias parricidium nominari, tanquam parens patriæ Cæſar illo die fuiſſet occiſus.

MATVR. Tu homo ſapiens.] Ironice. Te referente.] Te proponẽte. Legibus cautũ erat, ne liceret Prætori Vrbano plus decẽ dieb. abeſſe ab urbe. Antonius in Senatu retulit, ut Bruto, quãdo rei frumẽtariæ eſſet perfectus, abeſſe liceret: & legibus ſoluit, nec uoluit illis eſſe obnoxiũ. Ludi Appollinares.] De quibus plura diximus in primam Phil. Prouinciæ.] Macedonia prius Bruto, Syria Caſſio conceſſa fuerat: ſed cum Antonius Macedoniam ſibi, Syriã Dolabella aſſumpſiſſet, et qui pro Caſſio & Bruto aderant, alias dari illis depoſcerent prouincias, Cyrene ac Creta Caſſio, Bithynia Bruto cõceſſa eſt. Quæſtores additi.] Qui in prouinciã ſequerentur. Iã retexo etc.] Cõuerto, in cõtrariũ muto: & qui dicebã me inter cõiuratos nõ fuiſſe, dico iam fuiſſe. In equũ Troianũ.] In quo, quo ſ aiũt Poetæ, non niſi uiri principes clauſi ſunt. Cicero ait ex Iſocratis

ludo ueluti ex equo Troiano innumeros principes exiſſe. Virg.

Huc delecta uirum ſortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri. -

BERO. Cur legatorum numerus additus.] Maiores noſtri imperatoribus dederunt decem Legatos ex Conſularibus, quod conſilium foret diſpenſandæ cohoneſtandæq; uictoriæ: quibus legiones & auxilia uniuerſa obtēperabant. auctores Liuius & Vegetius. De his legatis nunc intellige. Celatum me ab ipſis.] Coniurationis in Cæſarē expers fuit M. Tul. quanq́ amiciſſimus coniuratorum: qui, ut hiſtorici prodiderunt, pertimuerunt hominis naturam perinde ac meticuloſi, & ætatē ſeneſcentem, in qua robuſtiſſimis etiam uiris ſolent animi intepeſcere. Fuit enim Cicero micropſychos, & nihil minus quàm ad bella natus. Tanquam in equum Troianum.] Ex lectione poetica ſat notū, proceres principesq; Græcorum incluſos fuiſſe in equum Troianū: de quo compoſitæ apud priſcos fabulæ ſunt eodem titulo. Plin. autumat equum Troianum fuiſſe machinā muralē, qui nūc aries appellatur: cuius fabricator fuerit Epeus. M. Varro indicat Epeū hunc, qui dicitur ad Troiā feciſſe equū Troianum, fuiſſe coquum, & Argiuis cibum curaſſe: ideoq; à Plauto fumificum coquinatorio epitheto nominatum.

MATVR. Sed regnum.] Quaſi dicat, te & cæteros qui regnum hic agitis. Meus ſtilus.] Meus character, mea dicendi figura, in ea fabula fuiſſet: nō incepiſſem ſolū, ſed etiā compleſſem. Fabula, ut tragœdia & comœdia, quinque actibus abſoluitur. Incipere nihil prodeſt, niſi compleas. Et in prouerbiū exijt, ut abeſſe extremum actum diceret, cum imperfecta res eſſet. Cic. Extremum actum tanquam ab inerti poeta eſſe neglectum. Hoc conſilium.] Occidendi Cæſaris. Narbone.] Quæ ciuitas eſt Galliæ, à qua nomen prouinciæ, cuius ampliſſimum eſt emporiū: ſupra exitū Araris fluminis Narbonēſemq; lacum iacet. Seuocari.] Cum quidam Antonium unà cum Cæſare trucidādum cenſerent, prohibuit Brutus, dicens quod pro legibus ac iure ſuſciperetur, id omni iniuria carere debere. Negotium tamen datum fuit Trebonio, ut ingrediente Senatum Cæſare Antonium extra retineret, ſeuocaretq;. cū. n. Conſul eſſet, eius timebant auctoritatē. Cicero innuit idcirco ſeuocatū à Trebonio, quòd conſcius eſſet Cæſaris necis. Non indicaſti.] Cū Brutus & Caſſius cæteriq; occidendi Cæſaris cōſilium cepiſſent, illud agitauere inter ſe, an ad eam rem perficiendam Antonius eſſet inuitandus. quod cum nonnullis placeret, cōtradixit Trebonius. inquit. n. ſe Antonij mentem iam antea tentaſſe cum Cæſar ex Hiſpania reuerteretur: Antoniū uero non eſſe aſſenſum, non tamen id eum indicaſſe. Virum.] Tu autem uir non es, ſed timidus & mollis. Illud Caſſianum, cui bono fuerit.] Hoc in oratione pro Milone, & ſuperius eſt à nobis dictum.

Hæreas.] Dubites. Ad ædem Opis.] Intercepta quæ illic erat pecunia: quod prius diximus. Per eaſdē tabulas.] Eorundem creditorum. nam ſolutis nominibus & debitis ueteribus, eaſdē, hoc eſt priores tabulas, cū iiſdem renouauit creditoribus, mutuatus rurſus ab eiſdem pecunias quas diſſiparet. Tā multa.] A Calphurnia Cæſaris uxore, quod prius diximus.

Officina.] Veluti officina quæ eſt ubi opera fiunt, ut ſtatuarij, fuſoris: cum taberna ſit ubi effecta ueduntur. etſi eadē poteſt eſſe & officina, & taberna, ut ſutrina. Nundinæ.] Mercatus: propriè ſunt feriarū dies, quò mercandi cauſa ruſtici in urbem ueniunt, ut ait Pōpeius. Neſcio quid conturbatus.] Quaſi Cic. ſignificare uelit cōſcium Iulij necis Antonium fuiſſe.

Hoc crimen.] Cæſaris nex. Clariſſimos uiros.] Brutum & Caſſium, & cæteros coniuratos. Non arguo.] Non accuſo feciſſe.

BERO. Non ſolum Regem, ſed etiam regnum.] Significat ſe cum Cæſare Antonium quoq; fuiſſe interfecturum, ut unà cum rege regnum quoque tolleretur. In epiſt. ad Attic. Sublāto, inqt, tyrāno, tyrānida manere uideo. Itē epiſtola quadam ad C. Caſſiū Cæſaris Dictatoris uiolatorē, Vellem, inquit, Idib. Mart. me ad cœnam inuitaſſes: profecto reliquiarū nihil fuiſſet. nūc me reliquiæ ueſtræ exercēt. His planè uerbis ſymbolicōs et cū ſeria quadam mordacitate ſignificat, ſe, ſi coniurationis particeps fuiſſet, Cæſarem cū Antonio fuiſſe ſublaturū. Hoc conſiliū cepiſſe.] Cōiurati in unum congregati, cū multa diſpoſuiſſent, illud inter ſe agitauere an ad eā rem perficiendā M. Antonius eſſet inuitādus. Quod cum nōnullis placeret, cōtradixit Trebonius, oſtendens mentem Antonij ſe antehac tētauiſſe, cum Cæſar ex Hiſpania reuerteretur: Anton. uero recuſaſſe, nec tamē id unq́ Cæſari indicaſſe, ſed tacuiſſe fideliter. His Trebonij uerbis cōmoniti, iterū conſultauere an unà cū Cæſare Antoniū trucidarent: ſed & hoc prohibuit Brutus, cēſens eā rem quā pro legib. ac libertate ſuſciperent, carere omni iniuria oportere. Illud Caſſianum, cui bono fuerit.] L. Caſſius fuit ſummæ uir ſeueritatis, qui quoties quæſitor iudicij alicuius eſſet, in quo quæreretur de homine occiſo, ſuadebat atq; etiā præibat iudicibus (hoc qd nunc Cicero admonet) ut quæreretur cui bono fuiſſet perire eū de cuius morte quærebatur. Ad quem è domo Cæſaris delata.] Ad M. Antonium, utpote Cæſarianū Conſulē, Cæſaris amici ſe cōtulerūt: ad quē & Calphurnia uxor pecuniā à Cæſare relictā detulit, & penes eū depoſuit. erāt aūt quatuor mil. talēta. Accepit & Cæſaris cōmentaria, in quibus decreta iudicataq; erāt perſcripta. Hinc Anto. quodcūq; ipſius animo collibuiſſet, faciebat: alijs magiſtratus dabat, alijs immunitates. multi Senatores facti, pleriq; ab exilio reducti. et hæc omnia faciebat quaſi à Cæſare antea decreta. Quā ob rē iocātes Romani, eos oēs Charonitas ſiue Necronitas appellabāt: quia ſi qd illis obiectū erat, cōtinuo ad mortui Cæſaris chirographa cōfugiebant.

MATVR. Caſtra mihi Pōpeij.] Obiecit quòd ſero in Pōpeij caſtra ueniſſet, & omnia improbis perturbaſſet conſilijs. Quo tpe Pōpeius ueniente ex Gallia Cæſare urbē deſeruit, Cicero cum faſcibus & lictoribus quos populus R. illi dederat, ſe in prædijs ſuis circa Campaniam oramq; maritimā continebat. redire in urbem, cū Cæſar poſt Pompeij à Brūduſio fugā hortaretur, recuſauit: quia ſi adeſſet, ea dicenda eſſent, quæ nullo modo tacere poſſet: & Cæſarem offenderat, qui eū in Hiſpaniā proficiſceretur, ex itinere Ciceroni (quem ad Pōpeium nauigaturū ſatis conſtanti fama afferebatur) epiſtolam ſcripſit, ne ad aduerſarios tranſiret hortatus, & ut ab omni abeſſet ciuili cōtentione. Sed cum puderet uirū bonum ſemper Reip. partes ſuſcipere ſolitū, non eſſe in his caſtris in quibus & Pompeius optime de ſe meritus, & Senatus ac Conſules cōſiſterent, minusq; honeſtos in caſtris de ſe haberi acciperet ſermones, tuto otio periculoſum prætulit bellum. Occolte enim parata naui, cum omnis maritima ora à Cæſaris cuſtodiretur militibus, & Antonio in primis mādatū à Cæſare eſſet, ut Ciceronem obſeruaret, ad caſtra Pompeij nauigauit: ubi cū peiora omnia opiniōe offendiſſet, et neq; gerendi belli conſiliū, neq; Pompeij copias probaret: pacē primo, deinde q Pompeius ualde ab ea ſententia abhorrebat, ut bellū traheret, ſuadere inſtitit. Cumq; eum multorum uaria offenderēt uitia, quos emēdare nō poterat, quaſi pœnitētia ductus q eò acceſſiſſet, omnia contēnere, & ſeſe à rebus gerēdis, quantum poterat, abducere cœpit. Nos liberi eſſemus.] Facta pace, et cōpoſitis inter Cæſarē & Pōpeiū rebus. Tot duces.] Pōpeium, Scipionē, Catonem, Petreium, & Afraniū. Exercitus.] In Pharſalia, in Libya. Cōficeret angoribus.] Oppreſſa Rep. & amiſſis ornamentis. Dimiſſa.] Eſt. n. miſeriarū omniū finis mors. Tot cōſulares.] Qui in Pharſalico bello periere. At nō hi maximo etc.] Pōpeius Pharſalicā pugnā inuitus quidē ſuſcepit: nā trahere malebat bellū: id quod ut faceret, hortabatur Cicero, cū præſertim cōmeatibus abondaret, quibus carebat Cæſar: ſed magna Senatorum multitudo, magna equitū, qui ſeueriores fore ſe

credebant,

credebant, ut ſuſciperet coegerunt: quod App. tradit pluribus. Elati ſpe uictoriæ. ] Qui fore ſibi perſuadebãt ut uincerẽt, ſicut apud Dyrrhachium uicerant.

MATVR. At uero &c. ] Et hoc obiecerat Anton. alienatum à Cicerone fuiſſe Pompeium, Ciceronis ipſius dicacitate & accuſationibus. Cõtulit. ] Cõmunicauit. De ſumma re. ] De tota Rep. ſpectarem. ] Quaſi finem. Peræ ſenti. ] Scilicet dignitati: non quid utile eſſet, ſed quid ſe deceeet, ſpectans. Quid ſequeretur. ] Rationes quibus uterque ſuam firmaret ſententiam. Ille conſularis uir. ] Pompeius.

Paphum. ] oppidum Cypri ab Agapenore conditum, quod diſtare ab Alexandria per tria millia & ſexcenta ſtadia quidam dicunt: unde Venus Paphia. Sectorem. ] Sector, ut ait Pædianus, eſt qui ſpem lucri ſui ſecutus, bona condemnatorũ auctionabatur, hoc eſt in auctione uendebat. Idẽ ait alio loco ſectorem eſſe æſtimatorum redemptorẽq; bonorum dãnati atque proſcripti: qui ſpem ſecutus lucri ſui, id eſt ſecutus ſpẽ æſtimationis ſuæ, bona omnia in auctione uendit. Pli. li. 36. Vnde. n. illi uitricus Sylla, et Metella mater, proſcriptionũ ſectrix? Lucã.

- Sectorq; fauoris
Ipſe ſui populus. -

Antonius bona Põpeij redempta à Cæſare, ſub haſta uendebat: ſed exigi redẽptionis à ſe pretiũ moleſte ferebat: atque hanc ſibi fuiſſe cauſam cur bello Punico non interfuiſſet, dicebat: quòd parũ uideretur in his quæ prius geſſerat, gratiæ cõſecutus. Cũq; Cæſar pretiũ domus Pompeianæ popoſciſſet, iratus uehementer eſt Antonius, quòd pro tanto eius in Cæſarem ſtudio, pro tãtis ſudoribus ac periculis, pecuniam illam non remitteret: ſed quæ emerat, uel dono acceperat Pompeij bona, ea uendebat Anton. ideo ſectorem appellauit. Ne iocis quidem. ] Et hoc obiecit Anton. iocari in caſtris ſolitũ quandoque Ciceronẽ, quaſi parum prudẽtẽ, et ineptũ omnino, qui tã triſti et periculoſo Reip. tẽpore iocari poſſet. Facetiſſimus fuit Cicero, cuius facetiarũ impatiens erat Pompeius: dicebatq; de eo, Quẽ fugiã, habeo: quem ſequar, non habeo. Cũ in caſtra ueniſſet, dicentibus ſero ueniſſe, reſpondit, Minime ſero ueni. nã nihil hic parati uideo. Interrogãti deinde Põpeio ubi gener eſſet Dolabella, reſpondit, cũ ſocero tuo. Et cũ donaſſet Pompeius transfugã ciuitate Romana, O hominem bellũ, inquit, Gallis ciuitatem promittit alienam, qui noſtrã nobis reddere nõ poteſt. Propter quæ merito uidebatur dixiſſe Põpeius, Cupio ad hoſtes Cicero trãſeat, ut nos timeat. Animis relaxantur. ] Remittunt animos. Mæſtitiam meam. ] Nã, ꝙ diximus, cum uideret contemni ſententiam ſuam, et multorũ offenderent uitia, quaſi pœnitẽtia ductus ꝙ in caſtra ueniſſet, omnia negligere, & ſeſe à rebus gerendi abducere cœpit. In utroque. ] In iocis & mæſtitia. Hæreditatẽ &c. ] Hoc obiecerat Ant. diuitẽ Ciceronẽ factũ, et tamẽ nullã ei hæreditatem obueniſſe: ex quo uolebat colligi mali quippiã egiſſe Ciceronẽ, et improbe ditatũ eſſe. Sall. in ea oratione qua in Ciceronẽ inuehitur. Ex cõiuratis, inquit, alios pecunia condẽnabas, cum tibi alius Tuſculanũ, alius Põpeianũ uillã ædificabat. Vtinã hoc. ] Vtinã q̃d mihi crimini das, nullã mihi obueniſſe hæreditatem, id uerum tuum crimen eſſet: ut nulla tibi obuenerit hæreditas, cum obuenerint plurimæ. Plures amici. ] Quos mori tu feciſti, ut eorum adires hæreditates.

BERO. An ille quenquã plus dilexit. ] In oratione ad Pontifices pro domo ſua, Quod par amicitiæ fuit unquã in hac ciuitate cõiũctius, quã fuimus inter nos ego et Cn. Põpeius? Præterea tantopere M. Tulliũ dilexit Põpeius, ut inuidi illũ in ſermonibus Cn. Ciceronẽ appellarẽt. De ſumma re diſſentiẽtes. ] In oratione de prouincijs Conſularibus cõſimiliter dictũ eſt, Poſteaquã ſum penitus in Rẽp. ingreſſus ita diſſenſi ab illo, ut in illa diſiũctione ſentẽtiæ cõiuncti, tamẽ amicitia maneremus. Te ſectorẽ eſſe fateare. ] Vbiq; M. Antoniũ Põpeij ſectorẽ inſectãter appellat. In hac oratione poſt paulo ſcribit, Cũ ſector ſis iſto loco natus. Deinde ait, O Pompeij ſector. Atq; inibi ex interuallo. Tũ erat æquiſſimũ, cõtra Cn. Põpeij liberos Cn. Pompeij pugnare ſectorẽ. Sectores autẽ ſunt, ut docet Aſconius in interpretatione Verrinarũ, qui bona condemnatorũ in auctionibus emebant, et poſtea pro compendio ſuo uenditabãt: dicti ſectores ex eo, quòd ſpem lucri ſui ſequuntur. In libro Annotationum copioſe diligenterq; perſcripſi de ſectoribus & ſectione, ubi enarrauimus illud Cæſaris ex cõmentarijs, ſectionẽ eius oppidi uniuerſam Cæſar uendidit. Cor. Tacitus, Vbique haſta & ſector, & inquieta urbs auctionibus. A Lucano quoq; ſcite dictus eſt populus Romanus ſector ſui fauoris, quia ſcilicet fauorem ſuum uendebat candidatis ſpem lucri ſecutus. nunc à Cicerone M. Antonius ſector Pompeij dolenter et indignãter appellatur, quoniã in ſubhaſtatione bona Pompeij redemerat, cum nemo alius tam impius inueniretur, qui ad illud ſcelus ſectionis auderet accedere.

Ne iocis quidẽ reſpondebo. ] Facetum & mordacẽ in Pompeiũ fuiſſe Ciceronẽ legimus: qui epiſtola quadã ad Atticum ſic ſcribit: Ego uero, quem fugiam, habeo: quem ſequar, non habeo. Idem cũ ad Pompeiũ ueniſſet, dicentibus ſero eũ ueniſſe, reſpondit, minime ſero ueni. nam hic nihil parati uideo. Interroganti Pompeio ubi gener eius eſſet Dolabella, reſpondit, cũ ſocero tuo. Apud Græcos ſcriptores comperio hac quoque mordacitate Põpeium à Cicerone in caſtris fuiſſe perſtrictum, cum poſt pugnã Pharſalicam Nonius quidam dixiſſet adhuc aquilas ſeptẽ, quæ ſunt Romanorũ ſigna, ſupereſſe, & ob id ut bono animo eſſent hortaretur, καλῶς ἂν, ἔφη, παρῄνεις, εἰ κολοιοῖς ἐπολεμοῦμεν. Recte, inquit, admoneres, ſi aduerſus graculos pugnaremus.

MATVR. Amplius ſeſtert. duc. ] Ac ſi diceret ſeſtertia pluſquam ducenta. Acceptum retuli. ] Ex hæreditatibus quæ mihi obuenere, accepi, & in mearum rationum libris ex tali re habuiſſe annotaui. Animi dolor. ] Quòd amico priuarer. L. Rubrius Caſinas. ] Caſinum Campaniæ oppidũ, ubi Latina uia coniungitur Appiæ. Silius, Nymphiſq; habitata Caſini Rura euaſtantur, mox & uicinus Aquinas. Eſt & fluuius eiuſdem nominis Straboni. Varro Caſinatem agrũ ficum optimam inquit producere. Fecit hæredem. ] Vt tu inquies, qui eiuſdem defuncti inuaſiſti falſis tabulis hæreditatem. Statura. ] Longa, an breui. Quo municipio. ] Qua patria. Qua tribu. ] Qua in parte municipij. Alieniſſimorum. ] Qui tibi nunquam fuerunt amici aut noti. Non adiſſes. ] Quoniam ſoluendo creditoribus patris non eras, quẽ & ipſum bonis ſupra modum erogandis tenuem factum legimus. In aliena uilla. ] Tiburtino Scipionis. Magiſtrũ. ] Sextum Clodium Rhetorem, de quo mox dicetur. hoc magiſtro utebatur dicendi, ſed magis compotor erat. Suffragio tuo. ] Vt tibi in declamando ſuffragetur. Salſum. ] Facetum, & qui ſalis multum habeat: unde ſalſa dicta: & inſulſus, inurbanus ac inſipidus. Dicere. ] Iocari & mordere adhibita urbanitate. Iocos autem eiuſmodi dicta & dicteria maiores dixere. Cicero in epiſtola ad Cornelium Nepotem, Itaque noſtri, cũ omnia quæ dixiſſemus, dicta eſſent: quæ facete & breuiter & acute locuti eſſemus, ea proprio nomine appellari dicta noluerunt. Auũ tuũ. ] M. Antoniũ. Senſim. ] Paulatim et ſedate. Aliena. ] Abhorrentia à cauſa, et penitus inutilia.

Duo millia iugerum. ] Actus quadratus undique centum uiginti pedibus præfinitur: duplicatus iugerum facit: dictum quòd ex duobus quadratis actibus iunctũ ſit. ut Varroni uero & Pli. placet, quòd uno iugo boũ in die exarari poteſt. Occupat ergo iugerũ in lõgitudine pedes ducẽtos quadraginta, in latitudine centũ uiginti. Leõtini. ] Leõtiũ mediterranea Siciliæ ciuitas, et in regione Septentrionali, cuius agri feraciſſimi, quod ait Cicero in Verr. act. 5 Immunia. ] Nullũ uectigal pẽdẽtia, cõtra antiquã et Hieronis & Romanorũ legem, qua Siciliæ agri

Decumani erant, hoc eſt decimam pendebant: cui colligendæ qui præerat, Decumanus uocabatur. Sext. Clodium. ] Hic eſt Sext. Clodius, Clodij familiariſſimus, & operarum Clodianarum dux, à quo illatum in curiam Clodij cadauer eſt, & cũ eo curia incenſa. Etiam hoc ex Cæſaris cõmentarijs. ] Scilicet feciſſe dicis, ex Cæſaris uoluntate, quæ in cõmentarijs apparet?

De Campana. ] Qui publicus erat, quem Antonius lagitus fuerat. Inquinauit. ] Fœdauit.

BERO. Acceptum hæreditatibus retuli. ] Honeſtiſſima locutio eſt, expenſum ferre, & acceptum referre, apud iuriſconſultos, oratores, & ſcholam omnium eruditorum. Expenſa ferimus, quæ alijs damus: accepta referrimus, quæ ab alijs accipimus. hinc priſci codicem accepti & expenſi uocant, in quos accepta & expenſa perſcribuntur. M. Tull. in Oratione pro Roſcio Comœdo, Quo modo ſeſtertia ter centum quinquaginta tria in codice accepti & expenſi non ſunt? Item, Vtrum cætera nomina in codice accepti & expenſi digeſta habes, an non? Ex hac negotiatoria conſuetudine ductum eſt decentiſſime illud Plinianum de Fortuna, Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium ſola utranque paginam facit. Referre acceptum hæreditatibus, eſt profiteri & ſcribere ſe ex hæreditatibus accepiſſe ducenties ſerſtertiũ. Albus ater'ue fueris, ignorans. ] Prouerbialis elocutio eſt de eo qui qualis ſit, non magnipendimus. Catullus in Cæſarem prouerbiũ hoc uſurpat: cum ait: Nec ſcire utrum ſis albus, an ater homo. hanc Catullianam mordacitatẽ ſignat Quintilianus cum ſic ſcribit, Negat ſe magni facere aliquis poetarum, utrum Cæſar ater ſit, an albus homo. Inſania. ] Apud Apuleium in Apologia, Etiã libẽter te nuper uſque, albus an ater eſſes, ignoraui: adhuc hercle non ſatis noui. Conſimiliter apud D. Hieronymum libro contra Heluidium prouerbiale hoc dicendi genus decenter uſurpatũ legimus, ita ſcribentẽ, Quare balbutis & erubeſcis? albus, ut aiunt, ater'ue ſis, neſcio. Porphyrio cõmẽtator Horatianus, apud Horatiũ canentẽ, Vultu mutabilis, albus et ater interpretatur album, bonum & liberalem ſignificari: atrum uero, & malum et ſordidum. Præterijt. ] In teſtamento omiſit. Præteriti dicuntur, qui in teſtamentis minime nominantur. dictiõ freqnẽs apud Iuriſcõſultos. Præteritos quoq; uocamus eos, qui in petitione magiſtratus repulſam patiuntur. Præteriti Senatores dicuntur, qui in electione Senatus prætereuntur, & loco mouentur: qui quõdam in opprobrio non erant: poſtea factum eſt ut ignominioſi haberentur. In aliena uilla declamaſti. ] Villã Metelli Scipionis ſignificat, in qua compl ures dies cõmẽtatus eſt Antonius, ut ad reſpondendum paratior eſſet: uerum ut idem ait epiſtola quadam ad Caſſium, Quæ in luſtris & in uino commentatio potuit eſſe? itaque omnibus uiſus eſt uomere, non dicere. Item in 5. Phil. in Tiburtino Scipionis declamitauit, ſitim quærens. hæc enim ei cauſa ſolet eſſe declamandi.

MVTVRANT. De ipſo correctore. ] Irriſiue ipſo Antonio. Nouus. ] Nouis criminibus. Prætextatum. ] Antequam uirilem ſumpſiſti togam. non prætextam, quæ ueſtis fuit regum & magiſtratuũ, à principio ab Hetruſcis ſumpta, diu pueulis uſurpauit erat. Decoxiſſe. ] Creditorum fidem feſelliſſe, & mercatorum interceptis pecunijs: unde decoctores, de quibus Iureconſulti loquũtur. Patris. ] Qui & ipſe prodigus fuit. Pietatis plena defenſio. ] Ironice & irriſiue. neque enim pium eſt, neque decet filium, crimen ſuum in patrem transferre. In quatuordecim ordinibus. ] L. Roſcius Otho Conſul legem tulit, qua equitibus ordines primos XIIII. aſſignauit ad ſpectandum: ſed ijs duntaxat qui quadringenta in cenſu haberent ſeſtertia. Hæc & theatralis lex uocata eſt. Decoctoribus. ] Iis qui decoxiſſent, ſed fortuna uitio, non ſcelere, ut amiſſis naufragio mercibus & pecunijs: quod accidere frequenter ſolet. Virilẽ togã. ] Quã XVI. anno Liberalibus accipiebant deponentes prætextam. quod in Faſtis tradit Ouid. Muliebris ſtola. ] Quoniã in muliebres abijſti mores, ueluti proſtituta fœmina ac uulgare ſcortum factus, certam pro coitu mercedẽ poſtulans. Curio. ] Filius ſtolam dediſſet. ] Vt uiri ſolent uxoribus. Veteres non honeſtam ſolum ueſtem ſtolam dixere: ſed omnem quæ muliebre corpus tegeret. Marcellus. Sed pro honeſta poni frequentius conſueuit. Valerius titulo de pudicitia, Te cuſtode matronalis ſtola cenſetur. In Domitij poteſtate. ] Is eſt Domitius, de quo ſupra diximus, ad Corfinium captus, amator & corruptor pueritiæ. Pater eius. ] Curionis. Hortante libidine. ] Quæ te ſtimulabat & comitabatur. Non potuit. ] Nam omnino te Curio pater domo prohibuit, quod tunc accidit cum pro Antonio qui ducẽta quinquaginta millia debebat, interceſſit. Sexagies ſeſtertium. ] Quod Curio filius ex pecunia paterna pro Anto. effuderat, pro quo interceſſerat. Seſtertius et HS dicitur. dupõdius uero fuit et ſemis. i. duæ libræ & ſemis. Notatur autẽ duplici LL. et S, unde incipit. Sexagies uero aduerbiũ eſt à ſexaginta, ut ſi dicas, mutuo tibi bis HS: ſignificas duo ſeſtertia mutuare. Florẽtiſſima. ] Curionũ. Aes alienũ. ] Debita filij tuo nomine cõtracta. Redimeret. ] Quaſi addictũ creditorib. Cõgreſſione. ] Vt ne loqueretur quidẽ tecũ. Auſus eſſes? Ac ſi dicat, minime. Perſtringã. ] Cõplectar. Incidamus. ] Præcidamus et omittamus.

BERO. Lege Roſcia. ] Hanc legẽ theatralem uocant: de qua Horatius, Roſcia dic ſodes melior lex, an puerorum Nænia? Hac lege cauebatur ut proximis ab Orcheſtra 14. gradibus ſpectarent ij quibus cenſus foret quadringentorũ ſeſtertiorum. Decoctoribus. ] Decoquere dicuntur mercatores et debitores, qui diminuto patrimonio fixa fide creditores fallunt circunſcribuntq;. Annotat Plin. Craſſum qui primus diues cognominatus ſit, decoxiſſe creditoribus ſuis. Res decoxit, dicitur Columellæ pro diminuta eſt, & deterior facta.

ASCEN. Nemo unquã puer emptus libidinis cauſa fuit tã in domini poteſtate. ] Lego in domini, non ut Maturantius Domitij. omnis. n. ſic emptus dominũ habet, non omnis Domitium. dubito autem an cum quibuſdam legam poteſtatem: quia A. Gell. id à Cicerone contra rationem grammaticã dictũ notauit. Mire autẽ in clauſula ſequenti participia & uerba eiuſdẽ tẽporis, proſternẽs, lacrymãs, commendabat, orabat, ſine coniunctione conſtruuntur: ſed diſtincta pronunciatione iuuantur.

MATVR. Intimus erat. &c. ] Cum amoribus, libidinibus, uarijsq; ſumptibus grãde æs alienum conflaſſet Anton. & ducenta quinquaginta millia deberet, interceſſiſſetq; pro eo curio, et Curionis pater idcirco Antonium domo prohibuiſſet. ad P. Clodium Trib pl. ea tempeſtate ſe contulit: in cuius contubernio haud multum fuit, ſiue quòd inimicos Clodij formidaret, ſiue quòd Clodiani furoris ſatietas eum cepiſſet, ut Plutarch. ait. Quiddam iam tum molitus eſt. ] Fuluiam credo Clodij uxorem de coitu appellauit, aut eam adulterauit: poſtea eam ipſe Antonius in matrimonio habuit. Inde iturum Alexãdriã. ] Antonius offenſus amentia, ut diximus, Clodij, in Græciã abijt: ibiq; permanſit, & corpus ad militaria certamina, & linguam ad dicendum exercens. Contigit autem ut A. Gabinius (qui una cum L. Piſone Conſulatum geſſerat, quo tempore accuſante Clodio Trib. Cicero in exilium pulſus eſt) finito Conſulatu in Syriã prouinciam proficiſceretur ad eam cum exercitu obtinendam, ſicuti Pompeius inuitis ferè omnibus Senatoribus uoluerat. Antonium forte, ita ut fit, cũ offendiſſet, ſecum proficiſceretur hortatus eſt. negauit ſe priuatũ iturum. Præfectus uero equitibus ſecutus eſt. Pugnauit contra Ariſtobulum Iudæorum regem & fortiter & feliciter. parua manu magnas hoſtium copias fudit: ipſum Ariſtobulum una cum filio cepit. Cumq; Ptolemæus cognomento Auletes à ſuis regno pulſus impetrare à Romanis nõ potuiſſet ut reſtitueretur in regnũ, ueniſſetq; ad Gabinium,

ingentem pollicitus pecuniam ſi eum reſtitueret: dubitātibus cæteris, & in primis ipſo Gabinio, etſi cupiditate regiæ pecuniæ erat accenſus, & ut reduceret Pōpeij literis hortaretur, Antonius reducendum eſſe perſuaſit: ductoq; per loca aſpera & difficilia exercitu, Peluſium peruenere, ac cepere. Inde Alexandriam profecti, regem in regnum unde exciderat, repoſuere, contra populi uoluntatem, & decreta Senatus (ſtatuerat enim, ne omnino reduceretur) neglecta etiam religione uerſuum Sibyllinorum, qui huiuſcemodi fuere, Si Aegypti rex auxilio quōdam indigens uenerit, eius amicitiam ne abnueritis: ſed illum cū multitudine ne iuueritis. quod ſi aliter factum fuerit, labores & pericula habebitis. Reus deinde Gabinius factus eſt, ſed cum pecuniarum, tum Pompeij auxilio abſolutus. Idcirco profectum inquit Cicero Alexandriam Antonium contra Senatus decreta, & contra religionem. Ieum.] Ab Antonio. Gabinium.] Hominem ſceleſtiſſimum: cuius ubique uitam lacerat Cic. Quicum.] Cum quo. Rectiſſime.] Ac ſi diceret, cum nihil non flagitioſe faceret. Inde.] Ex Aſia. Qualis.] Ac ſi dicat, minus honeſtus, conſumptis omnibus pecunijs, quas ex regis Ptolemæi largitione acceperat. In ultimam Galliam.] Ad Cæſarē.

In tuo.] Ac ſi dicat, nihil: omnia enim ſibi uendicauerant creditores. Præter unum Miſenum.] Prædium in Campania ad Miſenum, quod eſt Cumis proximum promontorium, ut ait Ser. Cum ſocijs.] Cum lenonibus, mimis & paraſitis, aut certe creditoribus qui partem occupauerant. Tanquam Siſaponem.] Villa erat Antonij Siſapo, quam & ipſam cum ſocijs tenebat. Ad quæſturam.] Qui magiſtratus dari adoleſcentibus conſueuit. Prius ad patrem tuum.] Quoniam ad me prius ueniſti, quàm ad patrem tuum. Satisfieri.] Id eſt, ut tuam acciperem expurgationem. nam is ſatisfacere dicitur, qui offendit quempiam, cum tantum facit quantum læſo & irato ſatis ſit ad pœnam, ut ait Pædianus. Tranquillus in Iulio: Valerium Catullū, à quo ſibi uerſibus de Mamurra perpetua ſtigmata impoſita nō diſſimulauerat, ſatisfacientem eadem die adhibuit cœnæ. De gratia.] Ut in gratiam redires mecum. Cultus.] In honore habitus. Idē &c.] Clodiū occidere.

BERO. Inde itū Alexandriā contra religionem.] Deſignat illud tempus quo Ptolemæus Aegypti rex ab Alexādrinis electus Romā uenit: quem Pompeius ſuſcepit, Senatuiq; cōmendauit, ac de reductione eius in regnum diu, uarieq; actitatum. Rex ipſe per Pompeium reduci cupiebat: tādem à Gabinio reductus eſt cōtra auctoritatem Senatus, cōtraq; religionem librorū Sibyllinorum, de qua intelligi uult M. Tul. in epiſt. ad Lent. his uerbis: Senatus religionis calūniā, non religione, ſed maleuolentia, & illius regiæ largitionis inuidia comprobat. In epiſto. quoque ad Q. fratrem ſic refert, De rege Alexandrino factum eſt Senatuſconſultum: cum multitudine eum reduci periculoſum Reip. uideri. Tradunt hiſtorici, Antonium magnarum rerum cupidum, & Ptolemæi gratia permotū perſuaſiſſe Gabinio ut eam prouinciam ſuſciperet, regemq; Alexandrinum in regnum reduceret: qua in expeditione complura & fortitudinis et induſtriæ militaris facinora nauauit Antonius: fuit & magna illius apud Aegyptios fama & exiſtimatio. Suā quiſq; domū.] Hoc dictum accipe propter Pompeiū, cuius domū poſt Pompeianam factionem profligatā poſſedit Ant. Fuit autem Pompeianorū domus in Carinis, quā olim inhabitauit Tiberius: mox ex ea in hortos Mecœnatianos tranſmigrauit. Tanquā Siſaponē tenebas.] Ciuitas eſt in Hiſpania, ubi olim celeberrimum fuit minium. Hinc P. in. Siſaponenſia miniaria magnificat.

ASCEN. Tanquam Siſaponem.] Locus eſt in Hiſpania. Siſapo minium effodientibus communis. Metallarij autem cerebroſi ſunt, & poſt quæſtum aleæ aut potationi operam dantes: unde digni Ciceroni uiſi qui Antonij ſodales forent: ideoq; dixit ipſum Miſenum tenere cū ſocijs tanquā Siſaponē.

MATVR. Sine Senatuſconſulto.] Non enim Quæſtor in prouinciam proficiſcebatur, niſi eam ex Senatuſcōſulto ſortiretur, & lege. Ad Cæſarem.] In Galliam. Id unum perfugium.] Ad Cæſarem, aut ipſe Cæſar. Ducebas.] Exiſtimabas. Ibi.] Apud Cæſarem in Gallia. Aduolas egens ad Tribunatum.] Diſcordia in ciuitate exorta, cū optimates Pompeio hærerent, populus in Cæſarē eſſet propenſior, C. Curio partium prius optimatum, mutata uoluntate popularis factus, & Cæſari largitionibus inuitatus fauens, gratia, quā apud populū dicendo cōparauerat, effecit ut Trib. pl. Antonius crearetur. non multo poſt inter Augures cooptauit. Antonius uero ſimul atque magiſtratum inijt, & partes & cauſam Cæſaris plurimum iuuit. nam Marcello Conſule ſcriptas iam legiones Pompeio decernente, & nouos inſuper delectus habendi poteſtatem dante, interceſſit, rogationemq; ferens obtinuit plebiſcito ut Bibulo in Syriam contra Parthos bellū gerenti ſcriptæ legiōes mitterentur. qui uero deligerentur, Pōpeio nō parerent. Cumq; eodem tempore Senatus pars maxima neq; recipi miſſas à Cæſare literas uellet, neque recitari pateretur, ui Tribunitiæ poteſtatis fretus Antonius, uenit in Senatum, & ipſe recitauit. Quibus auditis, cum æqua poſtulare uideretur Cæſar, multorum mutati ſunt animi, & uoluntates plurium qui prius aduerſabantur Cæſari, cōciliatæ. Cū præterea relatum eſſet in Senatu, Cæſarem ne placeret legiones & exercitū dimittere, an Pōpeiū: Cæſariq; arma dimittenda pleriſq; cenſentibus, aſſurrexit Antonius, rogauit placeretne utrunq; pariter ab armis diſcedere: quā ſententiā omnes penè alacriter excepere, & ſummo ſtudio cōprobauere. Antoniū uero collaudauerunt: &, ut legem ferret, hortati ſunt. quod fieri ab eo Marcellus & Lētulus Conſules prohibuerunt. Oblatæ ſunt & aliæ conditiones ab amicis Cæſaris, quas M. Cato & Lentulus Cōſules improbātes, è Senatu Antoniū & cæteros qui Cæſari fauebāt, eiecerunt. Abiens uero è curia Antonius, multa in capita inimicorū imprecatus eſt. mutata mox ueſte, & cōducto uehiculo ad Cæſarē fugit cū Q. Caſſio: & clamitans apud illum nullas in urbe leges ualere, ius Tribunitiū ſublatū eſſe, omnibus qui æquum bonumq; defendant, capitis periculū imminere, Cæſarē impulit ut cū exercitu in Italiā properaret, & poſtea patriæ arma inferret. Vitrici.] P. Lentuli.

IMO uero uiri legendum contendit Hieronymus Ferrarius in emendationibus ſuis ad Philippicas Cic. ut Curionē intelligas, qui ſuperiore anno Trib. pl. fuerat, emptusq; à Cæſare, ab eius cauſa pertinaciter ſteterat. Virum autem Antonij uocat, iuxta id quod ſupra inquit, Sed cito interuenit Curio, qui te à meretricio quæſtu abduxit, & tanquam ſtolam dediſſet, in matrimonio ſtabili & certo locauit. Sic etiam locutus eſt poſt red. in Sen. Eaq; dixit, quæ ſi uir eius Catilina reuixiſſet, dicere nō eſſet auſus.

FVLCIRE.] Firmare, ſedatis diſcordijs inter Senatorij ordinis homines qui Pompeio fauebāt, & populares qui Cæſaris erant ſtudioſi. Ipſi.] C. Cæſari, ut depoſitis armis & relicta prouincia Romam priuatus rediret, priuatumq; ſplendorem cum omnium beneuolentia, quàm tyrannidem cū omnium odio mallet. Mancipatum.] Veluti mancipium Cæſari addictum: ac ſi dicat, ea fecit pro quibus ſupplicio dignus erat, ut ſecuri quemadmodum noxij & damnati feriretur.

Luminibus.] Principibus uiris, qui uelut quædam lumina erant. Quod in hoſtem togatum decerni ſolitum eſt.] Nam interdictum eſt ei Senatu, ex quo ignominioſe electus eſt: & ut in exilium abiret, coactus: ac mox Reipub. hoſtis iudicatus: id quod in Catilinam quoque adhuc togatum ſeruatum eſt, ut ex Ciceronis orationibus intelligitur quæ in illum extāt. Mos fuit maioribus interdicere Senatu primo, deinde urbe, togatis hoſtibus: mox abeuntes hoſtes iudicare. Vendita.] Cæſari. Addicta.] Deſtinata. Illud uulnus inflictū.] Quòd hoſtis

iudicatus es, tibiq́; aqua & igni interdictum eſt: & permiſſum omnibus, ut te impune occiderent.

B E R O. Id unum perditis refugium. ] Suetonius in hanc ſententiam ſcribit, Tum reorum, aut obæratorum, aut prodigæ iuuentutis ſubſidium unicum ac promptiſſimum erat Cæſar: niſi quos grauior criminum uel inopiæ luxuriæ'ue uis urgeret, ꝙ ut ſubueniri poſſet à ſe. his planè palā bello ciuili opus eſſe dicebat. Vitrici tui. ] Lentulum ſignificat Catilinæ coniurationis popularem. In te id decreuit Senatus. ] Senatus M. Antonium & Curionem atque Q. Caſſium Trib. pl. patrociniū abſentis Cæſaris acerrime ſuſcipientes, è curia, deinde ex urbe ſumma cum ignominia eiecit: qui in ſeruili ueſte rheda meritoria miſerando habitu ad Cæſarem perfugerunt. M. Antonius clamitabat, nullas in urbe leges ualere, poteſtatem Tribunitiam ſublatam: omnibus, qui bonū æquumq́; defendant, periculum capitis imminere. Quæ res prætextum occaſionemq́; honeſtiſſimā Cæſari præbuit armorum ciuilium. De hac re Lucanus, Expulit ancipiti diſcordes urbe Tribunos uicto iure minax actaris curia Gracchis. Tua illa peſtifera interceſſio. ] Marcello Conſule legiones Pompeio decernente, interceſſit Antonius, rogationē ferens ut præſentes copiæ militares in Syriam mitterentur aduerſus Parthos. Deinde cum Senatus epiſtolas Cæſaris legi prohiberet, ipſe Tribunitia poteſtate, quæ ſacroſancta eſt, ſubnixus recitauit, multorumq́; mentes flexit: qui cum hanc rogationem promulgaſſet, placeret ne Cæſarem & Pompeiū ab armis diſcedere, exercituſq́; dimittere, eam ſummo ſtudio uniuerſi comprobauerunt: Antoniumq́; laudantes hortabantur ut eam legem perferret. quod Conſules non permiſere. Interceſſio autem propria eſt Tribunorum, qui antiquitus creati uidentur non iuri dicendo, ſed interceſſionibus faciendis. Sylla cum Tribunitiæ poteſtatis uim communiſſet ſubneruaſſetq́;, interceſſionem tamen liberam reliquit. unde Cæſar merito conqueſtus eſt apud milites, poteſtatē Tribunitiam aduerſarijs ſuis penitus infractam eſſe, & interceſſione præter fas eſſe nudatam. Addicta ſententia. ] Mancipata uenditaq́; Cæſari. Illud uulnus inflictum. ] Eiectionem intelligi uult, qua expulſus eiectuſq́; à Senatu cum Curione & Q. Caſſio ad Cæſarem confugit.

M. A T V R. Cauſam belli. ] Cum ſeruili indutus ueſte & meritoria uectus rheda te ei obtuliſti: Senatum accuſaſti, & ſua ſponte ad tyrannidem accenſo occaſionem & prætextū arma ſumendi, & milites auctorandi præbuiſti: id quod in Cæſaris & Pompeij uita ſcribit Plutarchus pluribus. Circunſcriptus. ] Circunuentus & oppreſſus. Omitto quàm hæc falſa. ] Nam re uera captus imperij conſuetudine, quod ait Trāquil. penſitatiſq́; ſuis & inimicorum uiribus, occaſione rapiēdæ dominationis uſus eſt, quam ætate prima concupierat: quod exiſtimaſſe uidetur Cicero de Off. lib. 3. dicens ſemper Cæſarē habuiſſe in ore eos qui ſunt in Phœniſſis Euripidis uerſus, εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι κάλλιστον ἀδικεῖν, τ᾽ἄλλ᾽ εὐσεβεῖν χρεών. quòd ſic Cicero ipſe conuertit, Nam ſi uiolandum eſt ius, imperij gratia uiolandum eſt: alijs rebus pietatem colas. Conſtitiſſe. ] Poſitam fuiſſe, & hæſiſſe. Conſules. ] Marcellum & Lentulum. Veniente infeſtis ſignis ad urbem Cæſare, Pompeius urbem eſt egreſſus, & Capuam ad exercitum profectus. Abeuntem Conſules ſunt proſecuti: poſtero die maior Senatus pars ad Pompeium diſceſſit. Omnem ſobolem. ] Omnem iuniorum multitudinem, & quaſi omnem fœtum R. populi. nam in adoleſcentibus ſpes eſt prolis ſufficiendæ, ut in grege uidemus: & Virg. ait, Modo nāque gemellos Spem gregis ah ſilice in nuda connixa reliquit. Exterminatam. ] Extra patriæ terminos & fines poſitam. Vt igitur in ſe. ] Pulcherrima ſimilitudo. Cauſa eſt arborum. ] Quoniam ex ſemine naſcuntur.

Semen. ] Cauſa & origo. uocabulum autem retiunit ſimilitudinis. Tres exercitus. ] In Pharſalia, Pompeij & Senatus: in Hiſpania, Petreij & Afranij in Africa, Scipionis & Iubæ regis. Clariſſimos ciues. ] Pompeium, Catonem, Scipionem, & plurimos quos Pharſalicum & Hiſpanienſe bellum abſumpſit. Ratiocinabimur. ] Colligemus. Vulaccepta referemus. ] Vul Antonio imputabimus.

B E R O A L. Circunſcriptus eſſet Antonius. ] Circunuentus, oppreſſus, & in ordinē redactus. Circunſcribere eſt inſidiari, fraudare, circunuenire. Circunſcriptores, ut inquit Seneca, dici ſolent qui aliquid ſuſtulerunt. Circunſcriptio ſemper crimen ſub ſpecie inuoluit: ſemper circunſcriptio per ius ad iniuriā uenit. Nulla cauſa iuſta contra patriam. ] Sententialiter cecinit Silius, Succenſere nefas patriæ. Interfecit Anton. ] Is mortem afferre dicitur, qui cauſa mortis fuit. Plutarch. cum huiuſce Tullianæ ſententiæ mentionem faceret, negat id ſibi uerum uideri. Neque enim, inquit, tam leuis erat Cæſar, neque ita facile iræ impetu ferebatur, ut omnia perturbare cuperet, et bellum patriæ inferre ob M. Antonium ſordidatum expulſum ad ſe confugientem. uerum illa magis Cæſarem impulerunt ad arma contra patriam capienda, quæ Alexandrum Magnum Cyrumq́; olim extimulauerant, amor uidelicet immoderatus dominandi, & principatus furioſa cupiditas, quæ cunctis affectibus flagrantior eſt.

M A T V R. Vt Helenā Tro. ] E curia pulſus Antonius, mutata ueſte, et meritoria uectus rheda, quod prius ſæpe diximus, Cæſarem ad arma contra patriam capienda accendit: & idcirco ut Helena à Troianis, quoniam rapta à Paride, bello quo Troianorum opes corruere, repetita eſt: ſic populo R. Antonius omnium malorum cauſa fuit: id quod falſum eſſe Plutarchus putat: (quoniam non ita, ut inquit, leuis Cæſar erat, neque ſic ira præceps ruebat) & alias fuiſſe cauſas quæ impulerunt: Antoniumq́; Cæſari optanti accommodatiſſimam præbuiſſe occaſionem. Ratiocinabimur. ] Colligemus. Omnia perfecit. ] Quæ Senatus fieri uetuerat cum Reſp. adhuc ſtaret. Scelus in ſcelere. ] Ac ſi diceret, ſcelus maximum & inauditum. ſcelus fuit leges ſoluere, ſcelus patruum non reſtituere, cum alienos reſtitueret. Patrui. ] C. Antonij. Si ſeuerus. ] Quia occurrebat, quoniam ſeuerus, ne patruum quidē reſtituere paſſus eſt. atqui Lenticulam colluſorem ſuum de alea condemnatum reſtituit. Idcirco, inquit, reſtituit, quia optabat cū eo ludere, & cum condemnato ludere nolebat. Iocatur autem Cicero. Perdiderat Lenticula: & hac cauſa reſtituiſti, ut quod in alea perdiderat, beneficio legis à te de reſtitutione eius latæ diſſolueret.

Quod perdiderat. ] Vt ludens, æs alienum quod perdendo conflauerat, lucrando perſolueret. Abſentem credo. ] Hæ, inquit, potuerunt afferri à te rationes, quia abſens condemnatus eſt, quia indicta cauſa, quia nulla lex de alea prius lata, quia ui & armis oppreſſus. Hæc enim ferme dici ſolent cum iniuſte quempiam condemnatum oſtendimus, & reſtituendum aſſerimus. Sed nihil horum afferre in cauſam potuit Anton. De alea. ] Aleam ab inuentore dictam tradunt quidam. Eſt autem tabula luſoria, quæ & latruncularia, & pyrgus & alueus & alueolus uocatur, rotunda illa tabella rotulæ inſtar, qua mouetur. hinc in prouerbio eſt, Iacta alea eſt, cum ſic incepta eſt res, ut deſiſtere integrum nō ſit. quod Iulius traiecturus Rubiconem uſurpauit. pro euentu rei dubio ponitur. Lucanus: Placet alea fati Alterutrum merſura caput. De aleæ luſu & aleatoribus titulus eſt lib. 11. Digeſt. Senatuſconſulto olim uetitum eſt, in pecunia ludere, præter quàm ſi quis certet haſta, uel pilo iaciendo, uel currendo, ſaliendo, luctando, uel pugnando, quod uirtutis cauſa fiat. Quòd de patruo. ] C. Antonius iniuſte dicebatur damnatus, pecunia corruptis iudicibus: uir deinde bonus & Reſpub. dignus ferebatur: ſed nihil apud Antonium efficiebatur. neque enim quidquam ad eum reſtituendum cōmouebatur: & tamen, inquit Cicero, ignoſcerē ego patruo, ſi ita res, ut dicitur,

haberet:

haberet: cum præſertim condemnatum eſſe pro nihilo ſit: quoniam facile omnes quauis cauſa cõdemnati, reſtituũtur ab Antonio. Hominem.] Licinium Lenticulam. Vel.] Etiã.

In integrum.] In priſtinum ſtatum & locum.

BEROAL. Vt Helena Te.] A ſimili ducitur argumentum, ut docet Martianus citans hoc teſtimonium. In his patrui nulla mentio.] C. Antonium ſignificat, M. Tullij collegã in Conſulatu: qui poſt Conſulatum condemnatus, & extorris factus, in inſula Cephalenia diu uixit, totamq; inſulam perinde ac prædium ſubiectam habuit: mox ab exilio reuocatus, uita defunctus eſt.

MATVR. In eodem Tribunatu.] Pompeio ex Italia pulſo cum optimatibus, cum prius quàm eũ perſequeretur, in Hiſpaniam proficiſci ſtatuiſſet Cæſar, oppreſſurus (ut ipſe dixit) exercitum ſine duce, & mox ad ducem rediturus ſine exercitu (nam Petreius & Affranius, qui Hiſpanienſi præerant exercitui, haud magnopere rei militaris periti erant) Lepido Prætori Vrbem, Antonio Tribuno Italiam cuſtodiendam cum præſidijs mandauit. Conculcandam.] Non luſtrandã & cuſtodiendam, ſed uaſtandam potius. Qui non fuit.] Erat enim in Pompeianis caſtris Cicero. Scientiæ ueſtræ.] Cum plura uos memineritis Antonij flagitia quàm poſſim ipſe meminiſſe. In eſſedo.] Curru. Eſſedum uehiculi genus, apud Belgas Gallos primo repertum. Virg.

Belgica uel molli melius feret eſſeda collo.

Trib. pl.] cum ſtomacho dictum eſt. Aperta.] Quod erat multo indignius, ac minus ferendũ. uehebatur enim etiã clauſa, ut Iuuenalis ait:

Nanque facit ſomnum clauſa lectica feneſtra.

Legitur &, in exhedea. ſedem autem ſignificat, & locum ad ſedendum conſtitutum. Græcum eſt. Neceſſario.] Neceſſitate, quadam aſtrictione. iniquo animo ferret Anton. niſi ita fieret. Rheda. Vehiculi genus, & hoc Gallicum, ut ait Fabius, uocabulum, quo Cicero utitur: ſicut item petorritum, quo Horatius. Cum lenonibus comites nequiſſimi.] Erat inter maxime familiares Sergius, & Cytheris quidam ex eadem palæſtra mulierculam amans: erant ſcorta & aleatores: et hoc comitatu Italiam peragrabat Anton. lectica delatus, aureas pateras ueluti in põpa circunferens. Ducebantur & leones ad rhedã ligati. & quod maxime homines torquebat, honeſtiſſimæ domus ſcortis & mimis pro diuerſorijs tradebantur: per lucos & amnium ripas prandia ſumptuoſiſſima parabantur: pleriſque indigne ferentibus quòd Cæſare periculoſa gerẽte bella, et labores maximos tolerãte, Antonius tã luxurioſe Italiam calcaret. quare reuerſus poſtea Cæſar, ueniam Dolabellæ dedit, qui Antonio erat inuiſus: & tertium Conſul creatus, non Anton. ſed Lepidum ſibi collegam aſſumpſit. Fœcunditatem calamitoſam.] Nã cum Antonium peperit Iulia, calamitates peperit plurimas. Præfecturas.] De municipijs & colonijs A. Gel. Præfectura uero prouincia eſt. Auguſtus in præfecturas II. totã diuiſit Italiã, quas alij regiones uocant, Græci ἐπαρχίας. Et præfectura quidẽ gubernandæ, hoc eſt in pluribus unius regionis ciuitatibus ac locis, aut prætor aut proconſul præficiebatur.

Lubrice.] Inconſtanter & uarie, ac dubia fide. Lubricus proprie locus eſt in quo nequeas inſiſtere: & lubrica res, quam non facile teneas, & quæ de manibus labitur, ut anguilla. Hinc homo lubricus. et Ciceroni legimus lubricũ fidei fuiſſe obiectũ.

Diſſimillimorum ſui.] Ac ſi diceret optimorũ. Fuit felix.] Quando uicit, & res ei pro uoto ſucceſſit. Cautum eſſe uoluit.] Nam cautum ueteranis uolebat eſſe Senatus: quod in prima Philipp. dictum eſt. Secuti ſunt.] Cæſarem in patriã ruentem, ſub quo militabant. Quæſiuiſti.] Vrbem egreſſus mutata ueſte, et rheda meritoria in Galliam uectus ad impellẽdum contra patriam Cæſarem. In inuidiam.] Odium.

Ibi me non occidiſti.] Hoc obiecerat Anton. reſponderat quidem Cicero: ſed ſibi ipſi minime ſatisfecerat: quare idem nunc repetit. Sanctus.] Inuiolabilis. Præſertim &c.] Nam cum meam noſſes in dicẽda ſententia libertatem, et hæc mea in patriam charitas te non lateret, illo ipſo tẽpore quo me (ut ais) ſeruaſti, uidere & tibi perſuadere potuiſti hæc facturũ & dicturum quæ facio & dico.

BERO. Cum Cæſari in Hiſpaniam.] Cæſar profecturus in Hiſpaniam, antequã Pompeium trãs maria ſequeretur, Lepido Prætori Vrbem, Antonio Trib. pl. Italiam præſidiaq; cõmiſit: qui in maxima licentia peccandi conſtitutus, multa libidinoſe contumelioſeq; patrauit. Cæſar tamen ex Hiſpania uictor reuerſus, Antonij errata neglexit: gnaruſq; illum uirũ fortẽ eſſe, & manu promptum, eius opera deinceps in bello nõ fruſtra eſt uſus. Eſſedo.] Currus nomen eſt, unde eſſedarij dicti, qui ex eſſedo depugnant: qui & alio nomine couinarij nominantur, à couino peculiari curru Britannorum, ut docet Cornelius Tacitus eo uolumine quod cõdidit de uita Iulij agricolæ ſoceri ſui. Non noto illo & mimico nomine.] Cytheridem intelligi uult meretricem, de qua Gallus poeta libros cõdidit. uerum Volumnia ex eo eſt appellata, quòd Volũnij ciuis Romani liberta fuerit. de hac mima Cytheride dilecta Antonio ſic ſcribit Plinius noſter, Primus Romæ ad currum leones iunxit M. Anton. & quidem ciuili bello, cum dimicatũ eſſet in Pharſalicis campis, non ſine oſtento quodam, tempore illo generoſos ſpiritus iugum ſubire prodigio ſignificante. nã quòd ita uectus eſt cum mima Cytheride, ſupra monſtra etiam illarũ calamitatũ fuit. O miſeræ mulieris fecunditatem calamitoſam.] Cõſimile eſt illud Apuleianum ex Apologia. O infelix uterum tuum pudenticula. O ſterilitas liberis potior. O infauſti decem menſes. Præfecturas.] Præfecturæ appellabantur in Italia, in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agebantur. & erat quædam earum Reſp. neque tamen magiſtratus ſuos habebant: in quas præfecti Romani mittebantur quotannis qui ius dicerent.

MATVRANT. Mimulæ.] Volumniæ. Quid eſt?] Sic ait, quaſi id negare uellet Antonius. Sito.] Argumentum à maiori ad minus. Municipiorum.] Quæ cum mima luſtraſti, ut pudere debuiſſet. Ne exercitus quidem.] Te puduit, ubi maior multo licentia. Tot dierum.] Ab urbe. Quem hominẽ.] Fortem enim & continentem ſequi crediderant uirum, & imbecillem ac laſciuum cognouere. In oppida.] In alienas poſſeſſiones, & eorum inprimis qui Pompeij & bonorum partibus fauiſſent. Magiſter equitum.] Cæſar enim dictaturam iam inuaſerat. Suo iure cum Hippia. Mimus hic erat, & impuriſſimus. quaſi uero ad nomen alludit. nam ἵππος equum ſignificat, unde Hippias, quaſi fas eſſet magiſtro equitũ cũ eo ſuo iure uiuere, cui equi nomen eſſet, Sergio mimo.] De quo dictum eſt prius. Equos.] Legitur & Aquinos, hoc eſt Aquini oppidi municipes: quod nõ placet: nam Aquinates dicet inferius. Vectigales.] Qui ei uectigal penderent, & quos Sergius locaret quibus uellet. Repentinus.] Subitarius, & nulla cauſa.

BEROAL. Se ſuo iure cum Hippia uiuere.] Ferunt M. Antonium in Hippiæ mimi nuptijs cœnatum, tantum uini per uniuerſam noctem hauſiſſe, ut ſibi poſtridie neceſſe fuerit in propatulo uomere, quodã ex amicis togã ſubijciente. Hippiæ autem cum nomẽ ſit quaſi ab equo deriuatum, qui Græce dicitur hippos, cumq; M. Antonius magiſter equitũ Cæſaris Dictatoris foret, uelut alludens M. Tullius ſcite inquit M. Antonium ſuo iure uiuere cum Hippia, tanquã magiſtrum equitum cum equitario, id eſt cum eo mimo cuius nomen equum ſonat.

Vectigales.] Tributarios ſtipendiarioſq;, hoc eſt qui uectigal & lucrum Sergio mimo conficerent: de quo Plutarchus ſic

ſcribit, Erant inter maxime familiares Sergius Mimus, et Cytheris quidam ex eadem palæſtra mulierculam amans.

MATVRANT. Tu iſtis faucibus.] Eſt hic per ratiocinationem amplificatio, ut ad id quod extolli uoluit Cicero, ratio adduceretur. obiecturus enim Antonio merum et uomitum, ſic ait. Fauces uero ac latera ad ebrietatem minime ſunt otioſa. nam reſpicientes ad hæc, poſſumus æſtimare quantũ ille uini in Hippiæ nuptijs exhauſerit, quod ferre et coquere nõ poſſet gladiatoria corporis firmitate. Poſtridie uomeret.] Quodam ex amicis, ut Plutarchus tradit, togam ſubijciente. Ima manibus.] Ingentibus. & hic quod idem ait, amplificatio eſt: ſiquidem tanta uis fuit uini erumpentis, ut non caſum afferret aut uoluntatẽ, ſed neceſſitatem, ubi minima deceret uomendi: & cibus nõ recens, ut accidere interim ſolet, redderetur, ſed qui in poſterum diem redundaret. Haſta poſita.] Cui ſubijciebant ea quæ publice uendabant, et eorũ bona, qui haſta, hoc eſt bello ſuperantur, quia ſignum armorũ præcipuũ eſt haſta. Pompeius Feſtus. Cicero in Officijs, Nec uero unquam bellorum ciuilium ſemen & cauſa deerit, dũ homines perditi haſtã illam cruentã & meminerint, & ſperabũt. Iouis Statoris.] Quam Romulus bello Sabino uouit ſuis fugiẽtibus, et intra ueterem Palatij portam compulſis, illicq; exædificauit. Stator aũt uocatus eſt Iupiter, quòd orantem Romulum ut fugam ſuorũ ſiſteret, audiuit. Liuius auctor lib. 1. ab Vrbe cond. Tam demens.] Viuebant enim Pompeij filij, & redire in patriam, ac ſua recuperare bona poſſe credebantur. Sectionis.] Venditionis. Haſtam illam.] Cæſaris, ſub qua ciuium qui contrariæ fuerant factionis, bona uendebantur. Alia omnia.] Præter Pompeij bona. Iſto loco.] Iſta familia. Sector.] Emptor. nam utrunque ſignificat, & emptorem, & uenditorem. Heluo.] Ab eluendo dictus eſt Heluo, is qui bona ſua immoderate conſumit: quod aſpiratur, ut auiditas magis comprobetur. fit enim uox incitatior per aſpirationẽ. Pompeius Feſtus.

BERO. Tu iſtis faucibus.] Quintil. in 8. de Amplificatione ſcribens quæ fit per ratiocinationem, ſic habet, Amplificatio alibi poſita eſt, alibi ualet: & ut aliud creſcat, aliud augetur: inde ad id quod extolli uolumus, ratio deducitur. Tu, inquit, iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate. Quid fauces & latera ad ebrietatem? minime ſunt otioſa: nã reſpicientes ad hæc, poſſumus æſtimare quantũ ille uini in Hippiæ nuptijs hauſerit, quod ferre et coquere non poſſet illa corporis gladiatoria firmitate. hactenus Quintil. Porcius Latro declamator egregius, & Naſonis poetæ magiſter, hæc uerba Ciceronis decenter uſurpans, inquit, Videbis illas fauces, per quas Cn. Pompeij bona tranſierunt: illa latera, illam totius corporis gladiatoriam firmitatem, uidebis illum pro tribunali locũ, quẽ magiſter equitũ uomitu fœdauerat. In Cœtu uero populi.] Quintilianus, Creſcit oratio minus aperte, ſed neſcio an hoc ipſo efficacius, cum citra diſtinctionem in contextu et cuoſu ſemper aliquid priore maius inſequitur, ut de uomitu in Antoniũ Cicero, In cœtu uero populi R. negocium publicum gerens, magiſter equitum. Singula incrementum habent. Per ſe deforme, uel non in cœtu uomere, in cœtu etiam non populi, populi etiã non Romani, uel ſi nullum negotium ageret, uel ſi nõ publicũ, uel ſi non magiſter equitum. Quòd autem uomitor eſſet Antonius, ſignat Epigrammatiſta illo uerſu,

Quòd uomis Antoni, quòd luxuriaris Apici.

Plinius quoq; taxans ebrietatem, ſcribit hæc digna memoratu, M. Antonius auidiſſime apprehenderat hanc palmã, edito etiã uolumine de ſua ebrietate, quo patrocinari ſibi auſus, approbauit planè, ut equidẽ arbitror, quanta per temulentiã mala terrarũ orbi intuliſſet: exiguo tẽpore ante prælium Actiacũ illud uolumẽ euomuit. quo facile intelligebatur ebrius iam ſanguine ciuium, & tanto magis eum ſitiens. Haſta poſita.] Subhaſtationem auctionemq; bonorũ Pompeij à Cæſare factam eſſe dolenter oſtendit. De haſta quam poſuit Sylla uendens bona ciuium Marianorum, de haſta Cæſaris, pluribus in locis fit mẽtio, & eſt à nobis in cõmentarijs frequenter annotatum. Sector fit.] Id eſt emptor bonorum Pompeianorum. de ſectore paulo ante dictum eſt. Plutarchus in hanc ſententiam, Bona Cn. Pompeij ſub haſta uendita mercatus eſt Antonius, ſed exigi à ſe precium moleſte ferebat. aitq; ſe ipſe hác ob cauſam in bello Africo nõ fuiſſe, quòd parũ ſibi uideretur in ijs quæ prius geſſerat, gratiæ conſecutus. Heluo.] Vorator & gurges. Heluonem ueteres dixere bona ſua immoderate conſumentem: et heluari, patrimonium comeſſe, & gulæ indulgere. M. Tullius Catonẽ librorum heluonem decenter appellat. In oratione pro Seſtio, Vtrum ego tibi patrimoniũ eripui Gelli, an tu comediſti, quod tu meo periculo gurges ac uorago patrimonij heluabare? Aul. Gell. Plerique in patrimonijs amplis heluarentur.

MATVR. Copias.] Maximas diuitias. Ingurgitauiſſet.] Tanquam Gurges quidam & uorago. & cum felle hoc ait, ſimul & magnitudinem diuitiarum hoc uerbo ſignificans Pompeij, & nimiam Antonij ac importunam auiditatem. Perſona de mimo.] Veluti perſona de aliquo mimo et hiſtrione aſſumpta, qui modo reges agat, modo priuatos: modo dominũ, modo ſeruũ: nunc lætum aliquẽ, nunc triſtem alium. Varia erat Antonij perſona, et pro fortunæ conditione nũc triſtis uultus, cum egeret nunc lætus, cum abundaret. Numerus.] Menſura. Quæ numerum & menſuram ſignificat, inuicem pro ſe poni ſolent. Quæ Charybdis.] De tropis præcipiens Fabius, creſcere nõnunquam hyperbolen inquit alia inſuper addita: & hic ſequitur, Oceanus medius fidius. Apotheca.] Loca in quibus uinũ, oleum, triticum, et alia id genus reponũtur. Latine horrea et repoſitoria poſſumus dicere. De apothecis uini Plin. loquitur. Hypotheca pignus eſt. Conchyliatis.] Laudat hanc amplificationẽ Fabius, & Ciceronem inquit tantum de M. Antonij luxuria fingere non potuiſſe, quantũ dicendo oſtendit, Conchyliatis periſtromatis Cn. Pompeij lectos in ſeruorum cellis fuiſſe ſtratos. Nã cũ hoc ita eſſet, aliquid amplius in ipſo domino neceſſe erat cogitare. Conchylia in genere ſunt purpurarum quarum ſucco purpureus tingitur color: unde cõchyliata ueſtis. Et Iuuenalis ait cum ſtomacho de Græcis loquens. Horum ego non fugiam conchylia? hoc eſt conchyliatas & purpureas ueſtes, quibus ſunt indigniſſimi. Periſtroma græca dictio ſtragulam ueſtẽ ſignificat, & aulæum. περὶ enim circum, στρώννυμι uero extendo, ſterno: quòd circunſternuntur huiuſmodi ueſtes: quæ etiam peripetaſmata nominantur. datiuus & ablatiuus numeri multitudinis in his nominibus in bus exeunt, & in is: ut, poematibus, & poematis. Plautus, Lectum, inquit, eſt in poematis. Aedes.] Pompeij. Hortos.] Pompeianos. Tu ingredi.] Repetitio eſt aptiſſima contentioni & inuectioni. habet enim acrimoniæ plurimum.

Roſtra.] Nauium, quæ pro foribus erant affixa, maritimarum uictoriarum monimenta, quas Põpeius de piratis adeptus fuerat. Poſtibus hæc affigendi Romanis mos fuit, quem Virg. ad regem Latinum tranſtulit, dicens,

Multaq; præterea ſacris in poſtibus arma,
Captiui pendent currus, curuæq; ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra:
Spiculaq;, clypeiq;, ereptaq; roſtra carinis,

Et te.] Pompeio diſſimillimum, et illa domo indigniſſimũ. Tua.] Tenuiſſima. Tuos.] Nulla in re cum Pompeio conferendos.

BEROAL. Perſona de mimo. Perſonæ hiſtrionicæ mutabiles ſunt & uariæ. modo enim hiſtrio agit opulentum & regem, modo egenum & humilem. Talem fuiſſe Antonium

tonium ſignificat, qui repente ex diuite factus ſit egẽs ob heluationes popinationeſq́; , & luxuriam exuperantiſſimam. Apud priſcos uecticularia uita eorum dicebatur, qui repente largiter haberent, repente nihil. Apud poetam neſcio quem.] Næuiũ ſignificat, quod Feſtus Pompeius euidenter oſtendit ſic ſcribens, Partus ponitur pro parato. Næuius, Male parta, male dilabuntur. Conſimilis eſt illa Plautina ſententia, Male partum, male diſperit. Metellus inter decem res quas optimas habuit, gloriatus eſt ſe pecuniá magnam bono modo partam habuiſſe. Plato in Gorgia cantilenam conuiualem celebrat, in qua canebatur, optimum eſſe bene ualere: ſecundo loco, formoſum eſſe: tertio, habere diuitias bene partas: tanquam optanda non ſint, nec pro diuitijs habenda, quæ male parta ſunt. At nunc uidere eſt inſitam eſſe mortalibus inexhauſtam atque inexplebilem habendi cupiditatẽ: qui non curant, minimeq́; in hoc ſoliciti ſunt, ut honeſte rem faciant, ut bene parta poſſideant: ſed per rapinas, per furta, per uſuras rem conduplicare & in infinitum augere contendunt. Dies nocteſq́; huic diuitiarum cumulandarũ ſtudio ſitienter impendũt. quibus maior eſt marſupij cura quàm uitæ: quibus nihil eſt ſatis. Scilicet improbæ creſcunt diuitiæ: tamen curtæ neſcio quid ſemper abeſt rei. Verum multiplicent patrimonia, horrea habeant gazis refertiſſima, aurum calcent & argentum: tamen non tam diuitias habent, quàm à diuitijs habentur. Sic diuitias habent, quo modo habere dicimur febrem, cum illa nos habeat. Charybdis tam uorax.] Cum translatis uerbis magis delectẽtur ueteres quàm proprijs, Syrtim patrimonij dicebant & Charybdin bonorum eos qui bona uorouerant, & patrimonium prodegerant. Quintil. in 8. Creſcit interdum, inquit, hyperbole, alia inſuper addita, ut Cicero in Anton. Quæ Charybdis tam uorax? utiturq́; hoc toto Ciceronis exemplo ad hyperbolen explicandam. Tricarius declamator in ſuaſoria qua deliberat Cicero an Antonium deprecetur, hoc totum eleganter uſurpat, cum ſic ait, Quæ Charybdis eſt tam uorax? Charybdim dixi? quæ ſi fuit, animal unum fuit: uix medius fidius Oceanus tot res tamq́; diuerſas uno tempore abſorbere potuiſſet. huic tu ſæculenti putas Ciceronem poſſe ſubduci? Conchyliatis Cn. Pompeij periſtromatis.] Quintil. Quid M. Tull. de Antonij luxuria tantũ fingere ſaltẽ potuiſſet, quantũ oſtendit dicendo, Conchyliatis Cn. Pompeij periſtromatis ſeruorũ in cellis ſtratos lectos uideres? Conchyliata periſtromata, & Cn. Pompeij, & in cellis ſeruorum, nihil dici poteſt ultra: & neceſſe eſt tamen infinito plus in domino cogitare. Sunt autem periſtromata aulea & ſtragula ueſtimenta, quæ & peripetaſmata nominantur. Conchyliata accipe purpurea, & purpurarum infectu pretioſo colorata. De conchylijs apud Plin. in nono. De conchyliata ueſte apud Suetonium in primo commentario. De periſtromatis ſiue periſtromatibus ubique librorum meorũ crebra eſt mentio. Eſt autem periſtromatis hoc in loco ſeptimus caſus, ut poematis, epigrammatis, pro epigrãmatibus & poematibus frequenter utuntur. ſexcenta præſto ſunt exempla, & rõ grammaticæ. huiuſmodi nomina uidentur apud priſcos ſecundæ ordinis fuiſſe, ut hoc periſtromatum, hoc emblematũ: quod et Priſcianus Martianuſq́; notificant. Tanta nequitia.] Nequitiam hoc in loco intelligit luxum uitæ prodigum, effuſumq́; prodigalitatem, quam Græci ἀσωτίαν uocant. Conſimiliter dixit Claudius in I. Annalium, Luxuria & nequitia pecuniá magna conſumpſerat. & omnia mala, ut dicere ſolebat P. Africanus, probra & flagitia quæ homines faciunt, in duabus rebus ſunt, malitia, atque nequitia. Roſtra ſpolia eum aſpexi.] Signa pro ueſtibulo Põpeianæ domus affixa fuerunt ſpolia hoſtilia, & nauium roſtra, quæ ex bellis piraticis Pompeius reportauerat. Hæc hoſtium ſpolia affixa in foribus & circa limina, ut inquit elegãter Plinius, erant animorũ ingentium imagines: quæ nec emptori refringere liceret: quæ etiam dominis mutatis domus ornamenta erant: eratq́; hæc ſtimulatio ſumma & ingens, exprobantibus tectis quotidie imbellem dominum intrare alienum triumphum.

MATVRANT. Stabula.] Veluti ſtabula quędã & diuerſoria in quibus impuri ac nefarij pernoctant. nam ſtabula diuerſoria etiãm, in quibus diuerſari, hoc eſt ad tempus habitare & ex itinere poſſunt homines. Iurecõſulti de cauponibus loquuntur & ſtabularijs. Triclinijs.] Qui eſt locus diſcumbendi, à tribus toris ſeu menſis dictus. ibi enim comedebant, præcipe in conuiuiũ accepti: cui apparando qui præerat, architriclinus uocabatur. Popinæ.] Sunt in quibus cocti quippiam uenditur: ubi qui uerſarentur gulæ indulgentes, popinones ſunt appellati: quod Marcellus ait. Tiberius Cæſar, inquit Tranquillus, ædilibus negotium dedit popinas ganeaſq́; uſque eo inhibẽdi, ut ne opera quidem piſtoria proponi uenalia ſinerent. Frugi.] Modeſtus ac temperans. & locatur. Illam ſuam.] Volumniam mimam ſuas res ſibi habere iuſſit: ac ſi dicat, fecit cum illa diuortium. nam quod ait Paulus tit. de Diuortijs, in his & repudijs his utebantur uerbis, Tuas res tibi habeto. Item tuas res tibi agito. Ex duodecim tabulis.] Ex lege duodecim tabularum, quæ uult ex cauſa fieri diuortium: & niſi adiecta cauſa (ſunt autem plures) ratum non eſſe. Nullum autem diuortium ratum erat, niſi ſeptem ciuibus Romanis puberibus adhibitis. Exegit.] Expulit: hinc dicuntur exacti reges.

Spectatus.] Ipſe interpretatur, ſubiungens, & probatus. Virgil. Et rebus ſpectata iuuentus. At quàm crebro uſurpat & Conſul & Antonius.] Frequenter hoc uſurpabat Antonius, & Conſul & Antonius iubet, uel edicit, non Conſul Antonius. quaſi emphaſis quædam & uis atque auctoritas ſuo inesset nomini proprio. ſed inſolenter & ſuperbe nimis: quod reprehendit & inſectatur Cicero. Auus tuus.] M. Antonius orator, qui Conſul fuit. Dixiſſet.] Se & Conſulem & Antonium. Collega meus.] In Conſulatu, C. Antonius. Solus es Antonius.] Hoc eſt, impudiciſſimus & nequiſſimus.

Earum partium propria.] Ac ſi diceret, earum actionum.

Opera tua.] Per te, & tua cauſa. Natum.] Ordo naturalis, naſcitur quippiam, coaleſcit et augetur, in uſum inde deducitur. Ei bello.] Africanum intelligit, quod cum Scipione & Iuba ac reliquis Pompeianis in Africa geſtum eſt. Anteſignanum.] Cuſtodiendis ſignis & uexill's præpoſitus.

BEROAL. Pro triclinijs popinæ ſunt.] Popina eſt locus in quo eſculentiora cibaria concinantur, & ſcite concinnata uenduntur: diuerſoriumq́; eſt nequitiæ & gulæ. inde popinones dicti ganeones & guloſi: quorum Deus popina eſt. hinc & popinatio nuncupatur heluátio & uoratrina, quam græco uocabulo ἀσωτίαν appellant. Horatius,

–Fornix tibi & uncta popina
Incutiunt urbis deſiderium.

Frugi factus eſt.] Temperatus, abſtinens, moderatus. De frugalitate coploſe ſcripſi in commentarijs Tuſculanarum. Frugalitati aduerſotrix eſt luxuria, id eſt prodigentia. Quintil. Eſt argumentorum locus ex contrarijs, ſi frugalitas bonum, luxuria malum. Suas res ſibi habere iuſſit.] Intelligi uult inter Antonium & mimam Cytheridem factum eſſe diuortium. nanque in repudijs, id eſt in renunciationibus comprobata ſunt hæc uerba, Res tuas tibi habeto. Item res tuas tibi agito. hinc ait matrona Plautina à marito diuortens: Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas. Si dignitas in nomine.] Ex nomine proprio interdum argumenta ducuntur. ſic apud Euripidẽ nomen Polynicis ut argumentum morum frater inceſſit. ſic Cicero in Verris nomen iocatus dicit ius Verrinum nequam, & quod Siculorum bona conuerreret. Cæſar fortaſſe ſeruaſſet.] Clementia Cæſar in uictoria belli ciuilis admirabilem exhibuit. In acie Pharſalica proclamauit, ut ciuibus parceretur: deinceptq́;

cuilibet ſuorum unum quem uellet partis aduerſæ ſeruare conceſſit: nec ulli ferè periſſe, niſi in prælio, reperiuntur. laudatue uox Cæſaris illa plena clementiæ, Neminem niſi armatus occidi.

MATVRANT. Quem locum obtinuiſti.] Ac ſi diceat, uilem locum & conditionem. Antonius hanc ſibi dicebat cauſam fuiſſe cur bello Africano non intereſſet, ꝙ parum gratiæ in his quæ prius geſſerat, uideretue conſecutus, cum domus Pōpeianæ pretiū ab eo exegiſſet Cæſar: qui reuerſus ex Africa, quaſi parum æquus Antonio, Dolabellæ inimico eius ueniam dedit, & tertium Conſul factus Lepidum, non Antonium, collegā uoluit. Quo numero.] Quo ordine, & honoris gradu.

Pro domo.] Pompeiana. Pro ſectione.] Emptione bonorum Pompeij. A' me C. Cæſar pecuniam?] Sub. poſtulat? & ſunt Antonij uerba. Ne potuit quidem.] Sine me uincere. Rogaui.] Cum Trib. pl. eſſem, rogando tuli. Leges in populo libero, ut Romæ quōdam, iniuſſu populi latæ ratæ nō erant: & quoniam rogari, hoc eſt interrogari populus ſolebat, rogationes dicebantur. Atteius Capito legē definit, generale iuſſum populi aut plebis, rogante magiſtratu. Ius poſtulabas.] Nam quod ius erat & æquum, petebas Antoni. Præclara illa tabula.] In qua bona quæ tua eſſe aſſeuerabas & diuendebas, deſcripta erant. ſic inquit deridendo. Præter partem Miſeni.] Prædia ad Miſenum (quod dictum eſt) obtinebat Antonius cum ſocijs. Auctionaretur.] Venderet. nam bona Pōpeij à Cæſare empta non perſoluto pretio, rurſus uendere coactus eſt Antonius. Auctio, uenditio quædam eſt in loco celebri. hinc auctionari, publice & ſub haſta aliorum bona uendere. Deferre pretium in auctione, licitari eſt: qui uero defert, licitator dicitur: & quoniam in huiuſmodi uenditione alius alio maius pretium pollicetur, auctio nominatur. Maculoſa] Aut uaria, ut in aulæis uidemus maculas, & colorum uarietates. Virg.

-Aut maculoſæ tegmine lyncis.

Aut fœdata. nam ſeruorum & impuriſſimorum lectos ea ſterni & ornari paſſus erat Antonius.

BEROAL. Appellatus es de pecunia.] Verbum eſt proprium creditorum, qui debitores de pecunia ſignificanter appellant. Quintilianus, Pauper eras, & maxime à creditoribus appellabaris. Item, non debui tibi pecuniam: nunquam me appellaſti. Fœnerator Alphius dicere ſolebat, ut inquit Columella, bona nomina fieri mala, ſi nunquam appelles. Pro ſectione.] Emptionem Pompeij bonorum ſignificat. De ſectione & ſectoribus ſupra abunde dictum eſt. A' me Cæſar.] Sermocinatio eſt oratoria, quæ fit cum alicui perſonæ ſermo tribuitur, & is exponitur cum ratione dignitatis. Conformatio uero eſt, cum res muta fit loquens, & ei oratio attribuitur ad dignitatem accommodata: ſicuti Cicero Remp. facit loquentem. græco uocabulo proſopopœiam uocant. Leges rogaui.] Tribunus Antonius dum morē gerit Cæſari, multas leges pernicioſas tulit. Legis autem caput ipſum & origo & quaſi fons rogatio eſt, cū ſcilicet magiſtratus rogat populū, Velitis iubeatis'ne Quirites hoc & illud fieri? Niſi autem populus aut plebs rogetur, nullū plebis aut populi iuſſum fieri poteſt. hinc leges appellauerunt rogationes.

ITAQVE Excuſſis tuis uocibus.] Hieronym. Ferrar. in hunc locum, excuſſis uocibus legendum cōtēdit, ut idem hic dicat Cic. quòd his uerſibus Tibul.

Magna loquor: ſed magnifice mihi magna locuto,
Excutiunt clauſæ fortia uerba fores.

& utitur ipſe Cic. pro Sylla, Qui ſi attulerint neruos & induſtriam, mihi crede excutient tibi iſtam uerborum iactationem.

Ad prædes tuos mil. miſit.] Significare uidetur uoluiſſe (inquit idem Hieronym. Ferrar.) quod paulo poſt dicit, Ne L. Plancus prædes tuos uenderet. Antonius eius Pompeij bonis emptis de Cæſare, ei prædibus cauerat: ad quos, ut etiam ad Antonium, cū dependere nollet, miſiſſe milites Cæſarem ueriſimile eſt: quod & ex lib. 12. epiſtola ad Att. patere pōt, ubi ita legitur, Heri cū ex aliorum literis cognouiſſem de Antonij aduentu, admiratus ſum nihil eſſe in tuis. ſed erant pridie fortaſſe ſcripta, quàm datæ. neque iſta quidem curo: ſed tamē opinor propter prædes ſuos accurriſſe.

MATVR. L. Rubrij.] Cuius hæreditatem dolo & calliditate (quod prius dictum eſt) inuaſit Antonius, quare ueri hæredes fieri hanc auctionem prohibebant, decretum Cæſaris interponentes, ꝙ ſcilicet ipſis ſi qua eſſent Antonij bona deberentur, à quo Rubrij hæreditate eſſent priuati. Hærebat] Dubitabat incertus animi. Nebulo.] Pompeius Feſt. Nebulo, inquit, eſt qui non pluris eſt quàm nebula, aut qui non facile perſpici poteſt qualis ſit, nequam & nugator. Scio aliter & Donatum & Marcellū dicere. Sica.] Sicarios per abuſionem uocamus, qui cædem telo quocunque commiſerint, inquit Fab.

Tam bonus gladiator.] Veluti gladiator, qui Cæſarem quocunque ibat comitabatur: & ad id alluſit, ꝙ in ciues Romanos Antonius ſæpe gladios ſtrinxerat. Rudem.] Vacationem & ceſſationem ab arte gladiatoria. nam rudis fœminino genere uirga eſt qua donati gladiatores emeriti erant, & cogi ad certamen & pugnam amplius non poterant. Iuuenalis,

-Hic Sergius olim
Accepta rude cœpiſſet Veiento uideri.

Hinc Horatius de ſe per ſimilitudinem ait,

Spectatus ſatis, & Donatum iam rude, quæris
Mecœnas iterum antiquo me includere ludo. Et Ouid.
Me quoque donari iam rude, tempus erat.

Aliquando.] Sero ſcilicet. Vt ait.] Prætendit enim hanc cauſam ignauiæ. Iſta cauſa.] Cæſaris. Ter depugnauit Cæſar.] In Theſſalia, cum Pompeio: in Africa, cum Scipione & Iuba: in Hiſpania, cum Pompeij liberis. In Hiſpanienſi.] Quæ ad Cordubam & Mundam pugnata eſt, tanto Cæſaris periculo, ut deſperatis rebus etiam de conſciſcenda ſibi morte cogitauerit. graue tunc Dolabella uulnus accepit.

Si de meo iudicio quæris, nollem.] Affuiſſe omnibus pugnis Dolabellam. Principia ſæpe poſſunt reprehendi, & tamē cōſtantia ac perſeuerātia laudatur, id quod in te deſideratur Antoni. Tu uero quis es?] Si de te, inquit, quæramus qualis es. Cn. Pompeij liberi.] Cn. & Sextus. Hæc.] Patria. nam utrique partium Pompeianis & Cæſarianis cōmunis erat patria: ac ſi diceret, non ꝙ cum alijs cōmune illis erat, repetebāt tantum, ſed priuata etiam, quæ tenebas tu. Deos penates patrios.] Qui fuerint dij penates, & Macrob. & Dionyſius inueſtigant. Focos.] Vbi ſacra fiunt. Larem ſuum familiarem.] Quem ſinguli uenerabantur familiæ, & cui ad focum rem diuinam faciebant. Plautus in Aulularia: Ego ſum lar familiaris. Qui ſint lares, docet Ouid. in Faſtis. Il.] Pompeij liberi. Tamen erat æquiſſimum.] Putabatur nō iniquum pro rebus pugnare quas iam tibi uēdicaſſes, ne eriperentur. Sectorem.] In auctione uendentem quæ à Cæſare emeras Pōpeij bona. Qui uero Narbone reditus.] Inhoneſtus ſcilicet, qualē infra deſcribit. nā digreditur interim Antonio reſpondens quæſierat enim cur tam ſubito ex ipſo curſu cum in Græciam nauigaret, rediſſet: id quod in I. Philipp. dictum eſt. Suum cum illius comparat habitum, quo in reditu uterque uſus eſt, dicens, Cū nunciatum Romæ eſſet Cæſarem ex Hiſpania uictorem aduentare, ciuitatis primores ferè omnes obuiam prodiere: cumq; Antonius etiam quamlongiſſime proceſſiſſet, et ortus rumor eſſet Cæſarem occiſum eſſe, hoſteiq; in Italiam properare, illico in urbem Antonius rediſt. famuli ueſte indutus noctu domum uenit, et ſeſe Fuluiæ uxori talem exhibuit, qualem Cicero per notationem deſcribit.

EST autem Narbone ablatiuus, à nominatiuo Narbo. Intelligit enim de Narbone Marcio, de quo Cicero pro Fonteio, & Velleius Paterculus, qui hanc Coloniam deductã tradit Porcio & Marcio conſulibus: ex quo exiſtimari poteſt, à Marcio, Marcij nomen traxiſſe. Hieron. Ferrar.

NON tenebris.] Vt tu Narbone rediſſti. Cum calceis & toga.] Qui ciuilis habitus eſt. Caligis.] Quæ ſunt militares & caſtrenſes: unde C. Cæſar Caligulæ cognomen traxit, quia paruulus manipulario habitu inter milite educatus eſt, quod ait Tranquil. unde caligati, armati ea parte corporis quæ tibialibus muniunt. Nec lacerna.] Quæ & ipſa militaris eſt ueſtis, minor capitio, ut ait Feſtus: quod ſic dicitur, quoniã pectus capit, & induſium operit, id quod intra omnes ueſtes corpori adhæret. Varr. auctor. Quidquid intra capitium & togam, hoc eſt ueſtem exteriorem, ſumebant, ferè ſubuculam dixere.

BEROAL. Nullis nec caligis, nec lacerna.] Vt existimem legendum eſſe gallicis, facit A. Gellius: qui gallicas docet eſſe ſoleas & calciamenta effœminatorũ, quibus calciatos uiros ingredi, nequaquam decorum ſit. ſic & paulo infra legendum eſt, cum gallicis & lacerna cucurriſti. hoc enim eſt illud turpes crimen, quod apud Gell. Caſtritius rhetor à M. Tullio obiectarũ eſſe M. Antonio ſeuere diſſerit. Autumat A. Gellius uerbum id eſſe nouum, nec diu ante ætatem M. Ciceronis uſurpari cœptũ. Videtur Gallicæ tã fuiſſe uiris indecoræ. quàm Sicyonij calcei: de quibus dixit ad Lyſiam Socrates, Si mihi, inquit, calceos Sicyonios attuliſſes, nõ uterer, quamuis eſſent habiles & apti ad pedem, quia non eſſent uiriles. Lucilius Sicyonia id calciamenti genus neutraliter protulit illo uerſu.

Et pedibus læua Sicyonia demit honeſta.

MATVRANT. Na tu mecum.] Næ, certe adũ ualde. Ex omnibus.] Ea gratia in Galliam profectus erat Anton. cum aduentare Cæſar nunciaretur, ut Conſulatum ab eo, fauore municipiorum & coloniarum, Galliæ rogaret. erat enim initurus quartum Conſulatum Cæſar, & dignum ſe Conſulatu iudicabat Antonius, quòd magiſter equitum extitiſſet. Municipia uero & coloniæ ius habebant ciuitatis Romanæ, & dandi ſuffragij comitijs Conſularibus: ad quæ caligatus & lacernatus cucurrerat Antonius, rogaturus ut pro ſe ad Cæſarem intercederent: quod uehementer reprehendit Cicero. nam neq; ſic eundum fuerat, neque rogandus Conſulatus, ſed petendus: & olim, inquit, cum petebatur Conſulatus, per uirtutem & bonas artes, non autem unus Cæſar rogabatur, petere ſolebamus Conſulatum. quaſi tunc eum rogarit Antonius: ideòq; non peteretur, quòd unus rogãdus eſſet. Antonium Iulius in quarto, de quo diximus, Conſulatu collegam ſibi aſſumpſit. Decima ferè.] Circa meridiem. nam diei initium Romanis à media nocte, eſt, A. Gellius & Macrob. docent. Meridie cibum ſumebant hora decima. Martialis,

Hora libellorum decima eſt Eupheme meorum,
Temperat ambroſias cum tua cura dapes.

Ad Saxa Rubra.] Locus in uia Caſſia inter urbem & Veios, quorum Liuius meminit lib. 2. ab Vrbe condita, dicens, Ita fuſi, retro ad Saxa Rubra, ubi caſtra habebant. illic perierunt Fabij illi trecenti. Caſſia uero uia erat quæ in Liguriam per Thuſciam ducebat, à L. Caſſio Longino ſtrata, qui Trib. pl. C. Mario & C. Flacco Conſulibus plures leges ad minuendã nobilitatis potentiam tulit. Conſul poſtea à Tigurinis Gallis in finibus Allobrogum cum exercitu cæſus eſt. Delituit.] Vt cognoſceret re uera tantiſper quid in urbe ageretur (nunciatũ enim erat Cæſarem interfectum) ut uelle uidetur Cicero, quò ſe componeret, et ueluti tabellarius ab Antonio miſſus uxori ſe exhiberet. Ianitor, quis tu?] Scilicet es, inquit. A` Marco.] Scilicet Antonio. Ad eam.] Fuluiam. Caput autem literarũ.] Initium literarum hoc continebat. Illinc.] A` mima Voluũnia. Hanc.] Fuluiam. Nequam.] Qui ne tanti quidem eſt, quàm id quod habetur minimi, quaſi nequidquam.

Vt catamitum.] Mollem & effœminatũ catamitum, inquit Pomp. Feſt. pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iouis concubinus. & nos ſic uocamus ſcorta maſcula. Terrore nocturno.] Rumor enim falſus de Cæſaris cæde exortus erat, & Antonius noctu urbem ingreſſus, trepidationem auxerat. Multorũ dierum metu.] Creditum enim eſt Cæſarem occiſum, quòd Antonius ex medio itinere retro erat conuerſus. Domi.] Apud uxorem. L. Plancus.] C. Munatij Planci frater, & Ciceroni amiciſſimus. Prædes tuos.] Cũ L. Plancus Trib. pl. quia multa Antonius debebat populo pro Rep. ab eo empta, & ſoluẽdi tẽpus erat tranſactũ, prædes, hoc eſt res pro Antonio in ſponſione obligatas, uenditurũ ſe minaretur, productus in concionẽ Antonius, ideo ſe inquit rediſſe, ut rem ſuã ageret: inuehiq; in eum illico cœpit populus, quippe qui nouerat alia cauſa rediſſe rumore illo de Cæſaris cæde exorto. Præs autem eſt qui populo ſe obligat, interrogatusq; à magiſtratu ſi præs ſit, ille reſpondet, præs Feſtus & Varro idem. Prædes autem hic accipias non ſponſores, ſed rem ſponſione à prædibus obligatam. Dicacem.] Conuiciantem. dicax enim mordax eſt. Cæſari ex Hiſpania redeunti.] Quo tempore omnes ciuitatis primores obuiã Cæſari prodiere, & Antonius quamlogiſſime, ſed celeriter & iuit et rediјt, exorto (quod prius dictum eſt) de Cæſare interfecto rumore. Rurſus inde proceſſit obuiam, tanti à Cæſare factus, ut in eodem curru ueheretur. Strenuum.] Diligentem, & rei gerendæ auidum. Rurſus neſcio quo modo.] Iufenſus enim prius et uiſus fuerat Cæſar. Habebat.] Erat hac natura & moribus. Quem planè perditum.] Sciebat enim nihil non auſurum eum qui ære alieno eſſet oppreſſus. cupiunt nãq; huiuſmodi homines res nouas ſemper. His rebus.] Ironicῶs, quòd perditus & egens. Cum ipſo.] Cæſare.

BEROAL. At uidete hominis leuitatem.] A. Gell. citat hoc Ciceronis teſtimoniũ, docẽs leues à ueteribus dictos eſſe uiles, & nullo honore dignos: & leuitatem, quaſi uilitatem, tanquam hoc uocabulo iſta in Antonio dedecora notẽtur, quòd in caupona deliteſceret, quòd ad ueſperam perpotaret, quòd ore inuoluto iter faceret, ne cognoſceretur. Inde Caſſia ad urbem aduectus.] In lib. Annotationum copioſe nec minus diligenter annotauimus legendum eſſe hoc in loco nõ Caſſia, ſed ciſio. Eſt autem ciſium uehiculi genus, quo M. Antonium celeriter ad urbem aduectum eſſe intelligi uult. Cuius meminit Auſonius illo uerſiculo,

Vel ciſio triiugi ſi placet inſidias.

Idem M. Tullius in oratione pro Roſcio Amerino, Decẽ, inquit, horis nocturnis, ſex et quinquaginta millia paſſuum ciſijs peruolauit. A` ciſio ciſiarius dictus ipſe rhedarius, hoc eſt ipſius ciſij auriga & moderator. Iuriſconſultus in tit. locati, ciſiarius dum cæteros tranſire contendit, ciſium euertit, et ſeruum quaſſauit uel occidit, puto ex locato eſſe in eum actionem. Non me fallit Caſſiam uiam eſſe Italiæ celebriorẽ, quæ diſcriminat Hetruriã, à Caſſio, qui eam ſtrauit, nominatam, & commentatores ſimpliciter exponere, tanquam per uiam Caſſiam ſignificet M. Antonium domũ reueniſſe: ſed uerior, purior, eruditior lectio eſt quã tradimus, & auctorum teſtimonium comprobata. O` hominẽ nequam.] Veteres hominem nequam dixerunt nihil, neq; rei neque frugis bonæ, quòd genus Græci ferè ἄσωτον ἢ ἀκόλαστον, ἢ ἄχρηστον, ἢ κακότροπον appellant. Hoc nomine probra ludibrioſa & turpia quæ ingeruntur in Antonium, continentur. Catamitum.] Catamitum pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iouis concubinus. Inde pueri meritorij & maſcula ſcorta catamiti nominantur. Prædes.] Vades, in re capitali ſponſores appellãtur: qui in re nũmaria dati, prædes dicuntur. Auſonius,

Quis cum iis fuerit nummaria quis dabitur? praes. Pædianus prædes fideiuſſores interpretatur, ſic ſcribens: Prædia ſunt res ipſæ: prædes homines, id eſt fideiuſſores: quorum res, bona prædia non uno nomine dicuntur. Conſul.] Cæſar quartum creatus Conſul, Antonium ſibi adſciuit collegam. cóſtituerat autem ſe magiſtratu abdicare, & in ſuum locum Dolabellã ſubſtituere: qua de re etiam ad Senatum uerba fecerat. ſed indignatus Antonius inimicum ſibi in Cóſulatu collegam adiũgi, uehementer eſt inuectus in Dolabellam. itaque infecta re Senatus dimiſſus eſt. deinde cum Cæſar in ſententia perſeueraret, & Conſulem Dolabellã renunciari iuſſiſſet, obiecit Auguria Antonius, effecitq; ut Cæſar tũc ab incepto deſiſteret. Erat ſanè in Dolabella non minus nequitiæ atq; improbitatis, quàm ab ipſo Antonio: feruntq; aliquando cum quis Antonium Dolabellamq; apud Cæſarem accuſaret, diceretq; illos tanquam inſidiatores et rerum nouarum molitores eſſe cauendos, reſpódiſſe Cæſarem, ſe non uereri eiuſmodi nitidos & comatos homines, ſed graciles illos & pallentes, Caſſium ſcilicet & Brutum deſignantem.

MATVR. Nihil queror.] Ac ſi dicat, nihil dico.

Impulſus.] À Cæſare ad petendum Cóſulatum. Ille.] Cæſar. Interuertit.] Fraude abſtulit & per translationem locutus eſt. nam interuertere eſt rem cómodatam aut depoſitam aut creditam callide doloq;, ne domino reſtituatur, efficere.

Adſcripſiſti.] Addidiſti. In iſtum.] Antonium.

Hic.] Antonius. Cum primum.] Hoc in prima Phil. dictum eſt, Cæſarem quartum Conſulem cum Antonio, ſe magiſtratu abdicare conſtituiſſe, & in ſuum locum Dolabellam, inuito Antonio, cui erat inimicus, renunciari Conſulem iuſſiſſe: Antonium uero Augurem obieciſſe auguria. Tũc in Antoniũ eſt inuectus Dolabella acerbiſſime, nec pauciora ab eo audiuit. Senatus aũt re infecta eſt dimiſſus. Occiſo poſtea Cæſare, inſignia Conſulatus Dolabella ſuo iure accepit, et ſe Conſulem geſſit. Antonius uero collegã ſibi eſſe depoſitis inimicitijs paſſus eſt.

Proficiſceretur.] In Parthos Getasq;, contra quos expeditionem apparabat: Getis, ut inſultantibus: Parthis, ut Craſſi ulciſceretur iniuriam, illaturus bellum, inſtructo iam exercitu ſex & decem legionum peditum, equitũ decem millium, & Ioniũ tranſmittere iuſſo: quod ſcribit Appianus. Quem negant regem.] Scilicet Cæſarem, & tamen re uera rex erat, cum faceret ſemper pro iure ſuo omnia, & diceret. Eo ſacerdotio.] Auguratu. Comitia.] Dolabellæ creandi Conſulis. Auſpicijs.] Iure auſpiciorum per Fuſiam & Aeliam leges, quas Fuſius & Aelius Tribuni tulere, ne agi cum populo liceret, niſi de cœlo prius ſeruatum eſſet, hoc eſt niſi captatis prius auſpicijs. Agere uero cum populo, eſt rogare populum ut ſuis ſuffragijs iubeat aliquid, aut uetet. quòd ſi aues non admittebant, obnunciabant Augures, hoc eſt non eſſe agendum quippiam ſignificabãt. Et ſicut interceſſio Tribunorũ eſt, hoc eſt impedimentũ rei agendæ, quod à Tribuno magiſtratui affertur, ita obnũciatio Augurum. Vel impedire.] Antequam haberentur. Vel uitiare.] Poſtquam habita ſint, uitio factum Conſulem oſtendere, quòd ſeruatum de cœlo non ſit, & aut tonuerit, aut pluerit.

BERO. Cogimur in Senatum.] Congregamur, colimus. Senatus eſt coactus, dicitur hiſtorica elocutione.

MATVR. Minus facere potuiſſes.] Ac ſi dicat, multo plus impedire Conſul comitia potuiſſes. Vide ne etiam facilius.] Hoc eſt, multo facere potuiſſes facilius.] Nos.] Augures. Nunciationem.] Vt mox docebit. Iſtã ſpectioné.] Ius inſpiciendi, & præſentiam exhibendi auſpicij. Nunquã ſobrio.] Sic diſtinguendum. Impudentiã.] Temeritatem. Eſt autem impudentia huiuſmodi, dixiſſe in Senatu multis mẽſibus ante, ſe Dolabellæ aut prohibiturum comitia auſpicijs, aut impediturum: id quod fecit. Quiſquam ne diuinare.] Impediri comitia antequam auſpicia capiantur, non poſſunt: quoniam quod uitij in auſpicijs futurum ſit, diuinari non põt: nec niſi uitium acciderit, prohiberi ipſa poſſunt comitia. De cœlo ſeruare.] Auſpicia cœlum obſeruando captare. Quod neq; licet comitijs per leges.] Aeliam & Fuſiam. Comitijs ſeruare de cœlo non licebat, donec ſcilicet cum populo agebatur. ante fieri id conueniebat. Non habitis.] Non completis comitijs. Nunciare.] Quid acciderit, aut pluiſſe, aut tonuiſſe. Nam Ioue tonante agere cum populo non licebat, niſi id per ſudum, hoc eſt ſereno cœlo fieret. Hinc ait Virg. lætum ſignificans augurium,

– Cœli de parte ſerena
Intonuit læuum.

Verum implicata.] Inſcitia declaratur, quoniam de auſpicijs loquens ritum ignorat auſpiciorũ, nec ſcit prohiberi per Augurẽ comitia non poſſe, cuius tantum nunciare ſit aut pluiſſe aut tonuiſſe, & uitio creatum oſtẽdere, ſi aut tale aliquid acciderit, aut ſeruatum de cœlo, priuſquam comitia haberentur, nó fuerit. Impudẽtia uero in eo eſt, quòd ea impediturum minabatur, quæ impedire niſi cauſa adeſſet, non poterat: & ſic de futuris, ac ſi explorata ea haberet, loquebatur. Apparitor.] Miniſter. Apparere, præſto eſſe magiſtratui & regi ſignificat ad quandam dignitatem, ac ueram oſtentationem. Virg.

Hæ Iouis ad ſolium ſæuiq; ad limina regis
Apparent.

Rogabat.] Cæſarem. In aduerſam lecticam.] Cæſaris, qua ille uehebatur. Inferens.] Immittens dum illi ſupplicat.

Beneficia.] Gratias, ut uulgus dicit. À collega.] Cæſare. Ecce Dolabellæ.] Cum abdicare ſe magiſtratu Cæſar uellet, & Dolabellam Conſulem renunciari iuſſiſſet. Sortitio prærogatiuæ.] Creandi Conſulibus comitia habebantur Centuriata, populus in claſſes erat diuiſus, claſſes uero in cẽturias, quæ per magiſtratum ad danda ſuffragia conuocabantur. Prærogatiua uero ſuffragiorum erat, cũ tribus aut centuria obtinebant, ſed forte, ut primæ ſuffragium ferrent. Nã quod ex Liuio & alijs ſcriptoribus licet cognoſcere, nomina tribuum in urnam conijciebantur, & cuius nomen eductũ prius fuiſſet, illa prærogatiuam habebat, hoc eſt prius de cãdidatis iudicium ferebat, et ſuam aperiebat ſententiam, & aut dignos magiſtratu qui petebant, aut indignos renunciabat. Eratq; ueluti ſcrutinium, quod cæteræ ferè ſemper ſequebantur. Prærogatiua enim, quod ex Pædiano licet colligere, duo ſignificat, et cum quiſpiam qui benefacturus nobis eſt, adhuc integro beneficio, aut dicto aut facto aliquid præſignificat de ſua in nos uoluntate & ſtudio: & ſunt tribuum prærogatiuæ, quæ primæ ſuffragiũ ferũt ante iure uocatas. Iuris enim fuerat, quo facilius in comitijs cócordia populi firmaretur, bina de iiſdem candidatis comitia fieri, quorum tribus primæ prærogatiuæ dicebant quos uellent magiſtratus fieri. Secundæ iure uocatæ, ꝙ in his ſequente populo, ut ſæpe contingit, prærogatiuarum uoluntatẽ, iure omnia complerentur. Ergo præibant iudicio & ſententia quæ per ſortem habuerãt prærogatiuam, ſequebantur reliquæ: et ferè ſemper ille obtinebat magiſtratum, in quem tribus primæ prærogatiuæ inclinaſſent.

Quieſcit.] Antonius. Renunciatur.] Dolabella à centurijs quæ primam nactæ erant prærogatiuam. Tacet.] Antonius. Prima claſſis.] Centuriæ primæ claſſis iure uocatæ, poſt uoluntatem & iudicium tribuum habentium prærogatiuam. In claſſes populum diuiſit Ser. Tullius: quod tradit Liuius lib. 1. ab Vrbe Cond. Suffragia.] Omnium centuriarum, ut fieri ſolet creandis Conſulib. Confecto negotio.] Cum renunciatus Conſul eſſet ſuffragio omnium Dolabella. Bonus Augur.] Ironice. Lælium diceres.] Eam præ ſe ferens grauitatem, qua Lælium quondam fuiſſe legimus.

Alio inquit die] Hoc eſt, non licet hodie Conſulem renunciare Dolabellã, quod uitio electus eſt, nec cóſentiunt auſpicia.

Lælij

Lelij duo fuere illuſtres, eodem C. prænomine: alter Scipionis ſuperioris, alter poſterioris amicus: ſed in primis eloquens fuit, ſapientis adeptus nomen, de quo plura Cicero de Claris Oratoribus ad Brutũ. Libro de Amicitia ſic ad eum Fannius gener loquitur, Vnum te ſapientem & appellant, et exiſtimant. Et paulo poſt, Te autem alio quodam modo non ſolum natura & moribus, uerum etiam ſtudio & doctrina eſſe ſapientem. Quid uideras?] Præpetes aut oſcines. Quid ſenſeras?] Vt pluuias. Quid audiueras?] Vt tonitrua. Nec enim.] Nihil profecto aut uideras, aut ſenſeras, aut audiueras. Nec de cœlo te ſeruaſſe dixiſti.] Sed tantũ, nõ hoc die. Neq; hodie dicis.] Te de cœlo ſeruaſſe, cũ quippiã fieri prohibes, ſed tantũ pro iure tuo, & inſolẽter ac impotẽter loqueris, dicens, non hodie.

BERO. Etiam ſpectionem.] Augurale uerbum eſt ſpectio: poniturq; pro inſpectione. Apud priſcos ſcriptores lego dũtaxat ſpectionem fuiſſe datam Auguribus ſine denunciatione, ut eo conſilio rẽ gererent magiſtratus, nec alios impedirent, nunciando. ſed hoc in loco ſecus ſentire uidetur M. Tullius, qui nunciationem ſolam aſſignat Auguribus, cæteris uero inſpectionẽ.

De cœlo ſeruare.] De cœlo ſeruare is dicitur, qui captat auguria, qui tonitrua, fulmina, tempeſtates obſeruat, quibus uitioſi magiſtratus creabantur. Lucanus,

Nec cœlo ſeruare licet, tonat Augure ſurdo.

Ioue tonante, fulgurante, nefas erat habere populi comitia. uitium enim comitiorum eſt fulmen, quod alijs in rebus optimũ auſpicium habebatur, ſi ſiniſtrum fuiſſet. Sortitio prærogatiuæ.] Tribuum Romanorũ quæ ſuffragium ferũt, duo ſunt genera. Alteræ prærogatiuæ dicuntur, alteræ iure uocatæ. Prærogatiuæ ſunt, quæ primæ ſuffragium ferunt: ſecũdo uero loco iure uocatæ, quæ ex magna parte prærogatiuarũ uoluntatem in creandis magiſtratibus ſequebantur. Prima claſſis.] De claſſibus in quas diſtributus erat R. populus, lege Liuium & Diony. Prima claſſis homines, claſſici nominantur, qui cæteris erant opulentiores: cæteri infra claſſem.

MATVR. Id igitur obuenit uitium.] Cæſar, quod ſæpe diximus, quartũ Conſul creatus, Antoniũ ſibi collegã aſſumpſit. Statuerat autem Conſulatum ſimul atq; iniſſet, deponere, ita ut in eius locum Dolabella ſubrogaretur: eumq; renunciari à claſſibus & centurijs Conſulem Cal. ipſis Ian. iuſſit. Anton. obiecit auguria. Inuectus autem in Dolabellam, dixit nõ poſſe illum ſine magna Reip. calamitate, neglecta religione auſpiciorũ Conſulem fieri. Euenit, inquit Cicero, uitiũ quod tu præuidiſti: ſed illa à te prædicta calamitas, in te potius quàm in Remp. futura eſt. Spero.] Credo. Ementita auſpicia.] Quæ ementitus tu es. nulla enim erant quæ Dolabellæ comitia impedirent. Populum.] Ferentem ſuffragia in creando Conſule Dolabella. Obſtrinxiſti.] Alligaſti, impediſti. Auguri.] Cæſari, qui & ipſe Augur erat. Nunciaſti.] Obieciſti auguria, & interceſſiſti. Ne acta Dolabellæ uidear cõuellere.] Tãquam irrita eſſe dicere, quoniam tu uitio creatum nũciaſti.

Ad noſtrum collegium.] Vt decernat fuerit ne uitio creatus, an cõtra, & ſint eius acta ſtabilia & rata. nam poſtquam animaduerſum fuerat etiam finito magiſtratu quempiã (ut apud Liuium & alios hiſtoricos legimus) uitio fuiſſe creatũ, & contra auſpicia, acta eius omnia irrita habebantur & reſcindebantur. Neq; n. uerus magiſtratus fuerat, non rite creatus: neq; conſtituere ea poterat quæ ad eiuſmodi magiſtratus ius & poteſtatẽ ſpectabant. Quandiu tu uoles.] Viuo Cæſare Dolabellã Conſulem fieri paſſus nõ eſt: eo mortuo collegam ſibi eſſe ultro uoluit. Id quod in 1. Phil. eſt dictum. Sed ſi nihil eſt.] Cauſa n. aliqua adijcienda fuerat. Confitere te &c.] Ideo dixiſſe, nõ hoc die, quoniam ſobrius tunc non eſſes, & in aliũ differri diẽ uelles, quo ſobrius eſſes. Augur.] Ego. A' collega.] Te. erant. n. in eodem Augurum collegio Antonius & Cicero.

Pulcherrimam.] Ironice. ac ſi dicat flagitioſiſſimam. Ad Lupercalia.] De origine, appellatione, ac curſu Lupercorum, multa Plutarch. in Romuli uita: multa item Ouid. Faſt. lib. 2. Hiſtoria uero hoc habet: Cæſar triũphali amictus ueſte Lupercaliorũ die pro roſtris ſedens currentes ſpectabat. Erant autem adoleſcentes nobiles nudi ac uncti, loris albis obuios cædentes, inter quos Antonius & Conſul & Lupercus. Is propius ad Cæſarẽ accedẽs, diadema capiti eius impoſuit: quod, detorquens caput, ſemel ille et ſecũdo reiecit, nõ ſine maxima totius R. populi lætitia & plauſu: quippe qui regium nomen & habitũ ferre nõ poterat. Cumq; idẽ diadema Cæſaris ſtatuæ impoſuiſſet Antonius, Flauius & Marullus Trib. pl. abſtulere, ſuntq; à populo collaudati. à Cæſare uero ob id dũtaxat nõ multo poſt magiſtratu priuati. quæ cauſa Bruto et Caſſio, cæteriſq; cõiuratis maturãdi de Cæſaris nece cõſiliũ extitit auctor Plutar. Hoc Anto. factũ Cic. inſectatur acerbiſſime. Sudat.] Quod accidit his quibus id obijcitur crimẽ quod & graue eſt, & diſſimulari nõ põt. Iuuenalis.

Rubet auditor cui frigida mens eſt

Criminibus: tacita ſudant præcordia culpa.

Et ſudat quidem uerecundia, & pallet reprehenſionis timore. Ariſtoteles, cur & pudore erubeſcimus, & timore palleſcimus, quærit in problematis. utrunq; eodem, pro uario animi affectu, ferè cõtingit tẽpore. Ne nauſeet, faciat.] Ne euomat: quod facere ſolẽt hi quib. ſentina nauis fœtor ſtomachũ mouit. Iuuen.

– Illa maritum nauſeat.

Inde nautea herba granis nigris qua coriarij utũtur. & in ſ mutato, ut Feſto placet. In porticu Numicia.] Quã Numicius extruxit, in quam uiri principes conuenire nonnunquam ſolebãt illic aliquando Antonius nauſeam fecit.

MINVTIA magis legi debere putat Hier. Ferr. in hunc locũ, auctoritate Victoris adductus, qui, Regio, inquit, nona circum Flaminiũ continet, & ſtabula quatuor factionum ſex, porticum Philippi Minutiam ueterem, & frumentariam.

RHETORIS.] Sex. Clodij. Collega tuus.] Iulius. Coronatus.] Laurea. Aliud enim corona, aliud diadema. Corona datur priuatis: diadema uero eſt inſigna regũ. Faſcia, quæ circuuligatur coronæ aut capiti regis. διάδημα circũligo eſt. Vt te eſſe Cõſulem.] Nam quod Lupercum decebat, hoc eſt nudum & currentem eſſe, Conſulem non decebat.

BERO. Vitioſus Conſul.] Vitioſi dicuntur magiſtratus uitio creati. Tales ferè ſemp magiſtratu abdicabãtur. A' collega requiro.] Ego Augur à collega Antonio, qui et ipſe in collegio Augurũ eſt cooptatus, id requiro. Ad Lupcalia.] In Epiſt. Cic. olim ita ſcripſit, Data Lupercalibus, quo die Anton. Cæſari. quãuis huic clauſulæ nihil addiderit, obticueritq;, tamẽ nihil hic aliud intelligi poterat ꝙ hoc, diadema impoſuit. auctor Quintil. Cãpus Leõtinus.] In cãpo Leõtino, qui Siciliæ uberrimus eſt campus, duo millia iugerũ Sex. Clodio rhetori aſſignauerat M. Antonius, ut ſe pro tanta mercede nihil ſapere doceret.

MATVR. Collegã.] Quẽ parẽ haberes, quærebas habere ſuperiorẽ. Tẽtares.] Experieris. neq; n. populus id pati poterat. Ad pedes.] Cæſaris. Tibi uni peteres.] Ac ſi dicat, tolerabile id fuiſſet, ſi tibi uni petiſſes ſeruire. Hæc cruentat oratio.] Stimulos habet & pungit ipſa. In faſtis.] In quibus feſtorũ dierũ ac totius anni fit deſcriptio. De die.] In luce uerſari. In diẽ.] Præſentis diei habere rationem, de craſtino nihil cogitare: quod corruptiſſimi & imprudentiſſimi faciunt. Ideóne.] De his omnibus nota hiſtoria.

HANC Eandẽ rẽ indicat locus in epiſt. ad Brut. Ego. n. D. Bruto liberato, cũ lætiſſimus ille ciuitati dies illuxiſſet, idẽq; caſu Bruti natalis eſſet: decreui ut in faſtis ad eũ diẽ Bruti nomẽ adſcriberetur. Adſcribebatur ãt quid in faſtis ad aliquẽ diẽ ſic, Hoc die, exẽpli gratia, Brutus erupuit Mutina: Ant. Cæſar regnũ detulit: Cæſar uti noluit. hoc in faſtis antiquis apparet. Hie. Fer.

Regis hoſpitem. ] Quos plures Romæ habebat: Cicero enim & Pompeius hoſpites fuere Deiotari. In Gynæceo. ] Locus domi eſt ubi ſolæ uerſantur mulieres, ſicuti Andronitis ubi uiri. γυνὴ mulier eſt. Venire. ] Venditæ ſunt, et quotidie uenduntur. Suo Marte. ] Sua authoritate & robore, in prouerbio eſt. Nemo iure conſultus. ] Nemo à te de iure interrogatus. duæ hic partes, Iure conſultus. Ne iſte quidē. ] Sex. Clodium (ut opinor) intelligit rhetorem, cuius conſilio hæc faciebat. Auctorem. ] Cæſarem.

* Sine Sexti. ] Hieron. Ferr. hunc locum ita reſtituit, Sine Sexti, ſine reliq. &c. cum ante legeretur, ſine ſua, ſine rel. Idq; ex 17. lib. epiſt. ad Att. ubi ita legitur, Ecquid amas Deiotarum, & non amas Hieram? qui ut Bleſamius uenit ad me, cum ei præſcriptum eſſet nequid ſine Sexti ſententia ageret, neque ad illū neque ad quenquam noſtrum retulit.

MATVR. Quorum imitatores. ] Nonnulli ex Antonij ſectatoribus chirographa ab eo propoſita in multorum beneficium imitabantur. nam & ipſi ſcribebant, & uenalia proponebant in publico, ut qui uellent, hoc uel illud beneficium emerent: non aliter quàm gladiatorum libelli proponi ſolent, in quibus nomina continentur eorum, & patria atq; ætas, cuius item ſint ut ſciant qui emere aut conducere uolunt. nam Aediles et Prætores munus edebant gladiatorium: & Aedilis Cæſar ludis & reliquæ munificentiæ adiecit gladiatorium munus aliquanto paucioribus quàm deſtinauerat paribus. nam cum multiplici undique familia comparata aduerſarios exterruiſſet, cautum eſt de numero gladiatorum, quo ne maiorem cuiquā Romæ habere liceret, ut Tranquil. ait. Vel libellos, gladiatorum compoſitiones. Cic. in Epiſt. ad Cæl. Quid enim? me hoc tibi mandaſſe exiſtimas, ut gladiatorum compoſitiones: Nam libellus etiam duorum pluriumúe ſignificat pactionem. Ouid.

Dum loquitur, tangitq; manum, poſcitq; libellum.

Poſſumus etiam eos accipere libellos, in quibus pugnæ gladiatorū erant deſcriptæ, quibus legendis uulgus oblectabatur. Venales autē ab his qui inde lucrum quærebant, circunferebantur. Appendantur. ] Quod fieri ſolet quoties maximus numerus eſt. Priſci cum ſignata adhuc pecunia non eſſet, pendebant æs, non numerabant: hoc graue uocabatur, ſicut quod numerabatur, ſignatum. unde pendere tributa, & pendere pœnas. Poſt M. Brutum. ] Qui proconſul Cretā obtinebat. Ne prouincia. ] ut deſigneret tributum pendere, & libera eſſet, nec amplius prouincia & uectigalis haberetur. Conſtringendus. ] Arguēdus & conuincendus hoc decreto quod tu dicis Cæſaris eſſe. Dicebat enim Antonius Cæſarē hoc decreuiſſe. Et dic mihi, inquit, Antoni, Creta non potuit liberari uiuo Cæſare, ſi hæc Cæſaris uoluntas fuiſſet? nam ad Brutum quidem tunc nihil pertinebat. cur ſtatim poſtquam illic diſcederet Brutus, liberā eſſe uoluiſti? Certe apparet neque cogitaſſe, neque uoluiſſe hoc Cæſarem: ſed id agitur P. C. ut hoc decreto Antonius à Cretenſibus immunitate pecuniam accipit, Reſp. Cretam prouinciā amittat.

Omnino. ] nihil quiſquam uoluit emere, quod hic non fuerit paratus uendere. De exulibus. ] Legē propoſuerat, qua exulibus ſub certa pecuniæ pactione reditus liber eſſet in patriā. Cicero non dolere ſe dicit quenquā reſtitui in patriam: ſed id ferre permoleſte et reprehendere, quòd idem pari conditione omnibus reditus patet, cum diſpar cauſa exilij fuerit. Et inquinatos. ] Confuſos, cōmixtos ac uelut fœdatos, tanquam par omnium fuerit cauſa. Simili. ] In qua reliqui reſtituti.

Loco patrui. ] C. Antonij, qui fuit in partibus Pompeianis, & idcirco exul à Cæſare factus: de cuius reditu ferre diſtulit Antonius, cum de alijs Cæſare occiſo referret. eundē reſtitutū poſtea Antonius ad cenſuræ petitionem impulit, ſubornatis uiliſſimis & indigniſſimis quibuſdam qui competitores fierent: id quod et riſus hominum mouit, eiuſmodi perſonas cenſuræ candidates fieri: & querelas, quòd uir clariſſimus & Conſularis honeſtiſſimus ſic ludibrio eſſet Antonio: et tamen haberi ea comitia poſtea non eſt paſſus. Comparaſti. ] Conſtituiſti dedita opera.

Fulmen ſiniſtrum. ] Fulminibus, quid aut faciendum eſſet aut cauendum, moneri ſe à Ioue putabant homines. Siniſtrum fulmen uitium erat comitijs. Cic. lib. 2. de Diuinatione, Comitiorum ſolum uitium eſt fulmen, quod idem omnibus rebus optimū auſpicium habemus, ſi ſiniſtrū fuerit. Cum ſis religioſus. ] Quoniam Augur tu es & religioſus, tuos auſpicijs ſubeſſe non exiſtimas, & te ac tuos extra omnia auſpicia poſitos eſſe tibi perſuades. ironice autē loquitur. In ſeptēuiratu. ] Petierat C. Antonius Septemuiratū, M. Antonio ad petitionem impellēte. ab eodem repente deſtitutus eſt. Septemuiri epulones dicebātur. ſeptem enim erant collegæ in hoc magiſtratu quod ad ſacra pertinebat. Datum autē ijs eſt hoc nomen, quoniam indicendi Ioui cæteriſq; dijs epulas poteſtatem haberēt. auctor Pompeius Feſtus. Eorum filiæ à Veſtæ ſacerdotio excuſationem merebantur, quod A. Gell. tradit. Interuenit. ] Tanquā ad rem certā affuit. Quid metuiſti? credo. ] Id ne metuiſti? ne non poſſes negare ſaluo capite, id eſt uiuus? ac ſi diceret, ne non poſſes negare quando uelles: quoniam quando uoluiſſes, negare omnino potuiſſes. Vel ſaluo capite, ſalua & integra fama C. Antonij, quē idcirco adeſſe uoluiſti, ut maiore afficeretur dedecore, cū negare Septemuiratum ei integra poſſes fama. Sororem. ] Patruelem. Alia conditione. ] Alia uxore Calphurnia.

Probari. ] Adulterij cum Dolabella. Inſimulaſti. Accuſaſti.

BEROAL. Probari inſimulaſti. ] Veteres probrum pro ſtupro poſuerunt. Inſimulare probari, eſt accuſare de ſtupro & adulteria. quod uerbum ferè ſemper genitiuo iungitur.

Sorori & uxori tuæ. ] Signat M. Antonium uxorem duxiſſe C. Antonij patrui filiam. Tales ſorores patrueles appellantur, ſicut fratres patrueles ex duobus fratribus nati. hinc illud Naſonis, Frater erat, fraterna peto.

* CIVI locupl. Cretenſium liberantur. ] Sic bene legas, non autē, ut in uulgaris exemplaribus eſt impreſſum, uectigalibus liberantur: quandoquidem ſcriptores quibus primæ ſermonis latini deferuntur, non aliter unquam locuti ſunt. Cicero mox hoc ipſo loco, An Cæſaris decretis Creta poſt M. Bruti deceſſum potuit liberari? In proxima Philippica, Vēdiderit immunitates, ciuitates liberauit. & V. Regna data: populi prouinciæq; liberatæ. & de prouin. Conſularib. Vectigales multos & ſtipendiarios liberauit. ſic liberare agros, publica, ſeruos, ſine adiūctione dicitur. Hieron. Ferrar.. * Quid metuiſti. ] Hieron. Ferrar. hunc locum mendoſum arbitratur. Quid enim, inquit, frigidius hac ſentētia, Credo ne ſaluo capite negare non poſſes? Quid dico frigidius? immo uero cum ſuperiori non conſtat. nam ſi ita dixiſſet, non enim interuenire uoluiſti, aliquo modo inter ſe fortaſſe cōuenirent. cū autē interuenerit, pugnantia ſine dubio loquitur. Quid ſi necare pro negare reponatur? ſcribit enim libro tertio Liuius, L. Valerium & M. Horatium Coſſ. lege ſanxiſſe, ut qui Tribunis plebis Aedilibus, Iudicibus, Decemuiris nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet. ut hæc ſit horum uerborum ſententia, Cur non paſſus es eum fieri VII. uirum diuidendis agris? nullam aliam ob cauſam credo, niſi ut quem omnibus contumelijs ac probris affeciſti, hunc etiam ſaluo capite necare poſſes. id quod facere non potuiſſet, ſi factus eſſet VII. uir: ſi quidem ſacroſancti ſunt. ſicq; ſtomachoſa quædā ſubeſſet εἰρωνεία, aliud dicentis ac ſentiētis diſſimulatio. Vult enim Antonium eam potentiam ſibi per fas ac nefas paraſſe, ut quēuis occidere poſſit impune. Proinde nos libenter ſic totum hunc locum legimus, Quem metuiſti, credo, ne ſaluo capite necare non poſſes, omnibus eum contumelijs oneraſti. Quem patris loco, ſi &c. nam teſte eodem Ferrario, in omnibus ferè

ſander qui ad Anaſtaſium Cæſarem pulcherrima de re militari ſcripſit cõmentaria, contractiore quadratoq; agmine mouere exercitum, quàm alio modo, ſatius & tutius putat. Lecticas. ] Quibus geſtabatur Ant. cum ſui ſimilibus. Leges Cæſaris. ] De quibus dictum in Phil. 1. Numerum annorum. ] Vt pretorie plus quàm annum, conſulares plus quàm biennium tenerẽtur. Sine promulgatione. ] Priuata auctoritate, re ad populum minime relata. Vt tolleret. ] Latas illas à Cæſare.

Promulgauit. ] Contrarias. Teſtamentum. ] Cæſaris.

Signa, tabulas. ] Signa ſtatuæ ſunt, & ſculptorum artificium: tabulæ uero picturæ, & pictorum opera. In uillam Scipionis. ] Quæ erat in Tiburtino. Is. ] Cæſar. Puluinar. ] Hæc omnia tribuebantur deorũ immortaliũ honori, puluinar, ſimulacrum, faſtigium. Puluinaria lectica erant deorum, & lectuli qui in templis ſterni conſueuere: unde puluinaria feſta. Horatius, Nunc Saliaribus Ornare puluinar deorum.

*De hac re ita Florus, Itaque non ingratis ciuibus, omnes in Cæſarẽ cõgeſti honores, circa templa imagines, in theatro diſtincta radijs corona, ſuggeſtus in curia, faſtigium domo. ut fortaſſe quod noſtra lingua Baldachinum eſt, faſtigium nominaretur, à forma, ut opinor, ducto nomine. Hieron. Ferrar.

F. Faſtigium. ] Templum, & diuinus ædificium. Eſt flamen D. Iulio M. Ant. ] Cum ſtomacho inquit: quoniã eius imitabatur tyrannidẽ, & uelut miniſter erat illius conſuetudinis.

B E R O. Quod Brutos patronos adoptaſſent. ] Mos fuit iſte priſcorum, ut ſingulæ nationes, atque adeo populi patronos Romæ peculiares haberent, in quorum eſſent clientela. Sic Siculi patronos Marcellos habuerunt: Lacedæmonij in tutela Claudiorum extiterunt: Fabius Sanga patronus fuit Allobrogum: quinetiam municipes mei Bononienſes fuere in tutela Antoniorum, ſecutiq; ſunt partes Antonianas in bellis ciuilibus: unde fit, ut, cum patroni clientibus parentum loco ſint, nefas eſſe uideatur Bononienſem quempiam Antoniorum nomen inceſſere, & Antonios ſtilo perſtringere. Quod ſemper obtentum eſt. ] Plinius uolumine epiſt. 5. ſic ſcribit, Mihi defuncti uolũtas (uereor quã in partem iuriſconſulti quod ſum dicturus accipiant) antiquior ipſo iure eſt. Quintil. ſenior in Declamationib. Teſtamẽta ultima rata ſint. Teſtamentum eſt potentiſſima defuncti proxima uoluntas, conſignata iure legibusq; ciuitatis. Vt haberet puluinar. ] Nomina ſunt hæc honorum qui dijs immortalibus tribuuntur. Suetonius de Cæſare Dictatore ſcribens ait, Ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt, ſedem auream in curia & pro tribunali: thenſam & ferculum circenſi põpa, templa, aras, ſimulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, lupercos, appellationem menſis ex nomine ſuo. Faſtigium. ]. Quæri ſolet, quid intelligi uelit nomine faſtigij: num dignitatem faſtigio humano celſiorem, an templum faſtigio inclytum, an conſecrationem? nanque apud Herodianum in Seueri imperatoris apotheoſi (ſic enim dicitur conſecratio relatioq; in numerum deorum) legimus extructum fuiſſe ſuggeſtũ lignis ingentibus, compactum ſpecie quadrangula, æquis lateribus in faſtigij formam, extrinſecus intextis auro ſtragulis, atque eboreis ſignis uarijsq; picturis exornatum: intrinſecus uero poſitum eſt minutum tabernaculum: tertiumq; item & quartum ſemper ſuperiore contractius. poſſis eius ædificij formam comparare turribus his quæ in portubus extruũtur, naues nocturno igne dirigentes, quas uulgo pharos appellant. Flamen ut Ioui. ] M. Varro de flaminibus hæc prodidit, Flamines, quòd in Latio capite uelato eſſent ſemper, ac caput cinctum habebant filo, flamines dicti. horum ſinguli cognomina habent ab eo deo cui ſacra faciunt, ut Martialis, Vulcanalis, Dialis, qui à Ioue eſt.

S C V T O R V M lecticas. ] Feſtiue, inquit Hieronym. Ferrar. ſcutorum lecticas dixit, tanquam de aliquo uaſe loqueretur: ut Plautus cadum uini: hic ipſe fiſcinam ficorum. Apparet autem id quod hic dicitur, & ex Phil. 5. At hanc peſtem agmen armatorum ſequebatur. Claſſitius, Muſtella, Tyro, gladios oſtentantes, ſui ſimiles greges ducebant per forum. certũ agminis locum tenebant barbari ſagittarij. cum autem erat uentũ ad ædem Concordiæ, gradus complebantur, lecticæ collocabantur. nõ quò ille ſcuta occulta eſſe uellet, ſed ne familiares, ſi ſcuta ipſi ferrent, laborarent. ex quo uidere licet, eos, qui in libris pro lecticas ſicas repoſuerint, lapſos eſſe. Promulgatas promulgauit. ] Senſus eſt, Alias leges ſuſtulit ſine promulgatione: ut tolleret alias, promulgauit promulgatas, quas ſcilicet Cæſar ante promulgatas & tulerat. de hac re in prima Philippica, Ac de his tamen legibus quæ iam promulgatæ ſunt, ſaltem queri poſſumus: de ijs, quæ iam latæ dicuntur, ne illud quidem licuit.

M A T V R A N. Cur non inaugurare? ] Cur non per auguria conſecraris, ſacerdotio præfuturus? nam inaugurari, hoc eſt augurio conſecrari, ſacerdotes futuri ſolebant, et item loca quæ numini dicabantur. Exaugurari uero contra, cum extra ſacrum & fanaticam cauſam ponebantur, & in profanum uſum reuocabantur. Sume diem. ] Elige diem quo inauguleris. Qui te inauguret. ] Quia. ſ. nullus futurus eſt.

Quæro deinceps. ] Cũ mortuo Cæſari diuinos honores tribui uellet Antonius, tulerat ad populum, ut 5. die ludorum Roman. Cæſari ſacrificaretur: idq; ſcitum fuerat, & tamen honorẽ Cæſari Antonij lege conceſſum, non exequebantur: ideoq; Cicero, cum ludi Romani celebrarentur, quo tempore hanc habebat orationem, & quintus eſſet eorũ dies, fortaſſe, inquit, ignoras heri diem quartum fuiſſe, hodiernum quintum eſſe, hoc eſt diem Cæſari lege tua decretum. Ludorum. ] Ludi Romani Magniq; uarie appellati annui fuere. equi pugileſq; certabant, à Tarquinio Priſco inſtituti, deſignato circo, qui poſtea maximus eſt dictus. fiebant hi ludi mẽſe Apr. initium erat 6. Id. Cur nõ ſumus prætextati? ] In prætexta ludos & ſacrificia R. celebrabant.

An ſupplicationes. ] Cæſari parentalia & ſupplicationes decreuerat Antonius, quibus poſtea diem addiderat inauſpicato: quare piaculum commiſſum erat, id quod obijcit Cicero. Puluinaria noluiſti. ] Reſpuiſti cum concederentur. Acta Cæſaris. ] Cum acta cuiuſpiam dicantur, non ſolum quæ ille egerit, ſed quæ honori tributa fuerint, etiam intelligamus. Apertiorem. ] Propter id quòd nudato pectore concionatus eſt.

Valuæ Concordiæ. ] Illic enim haberi Senatus ſolebat.

Deſcribo. ] Deſigno. Debet tertiam penſionem. ] Etenim duos prius habuerat maritos Fuluia, Publium Clodium, & Curionem filium, quod antea diximus. ambo perierant, alter à Milone occiſus, alter cum exercitu in Africa circũuentus: uterque Reip. infeſtus, quoniam uterque hoſtis. Tertia ergo penſio dicebatur M. Antonius eius maritus, ut periret.

Habet populus R. ] Octauium ſignificat. Exemplum facti reliquerunt. ] Vt quod egerunt ipſi, alij imitentur, & te occidant. Hi primi. ] Brutus & Caſſius. Confer. ] Cõpara.

Cum nũmatione. ] Cum copia nũmorum & lucro. Si propter innocentiam. ] Scilicet non metuis. innocens enim iudicia non timet. Quid timendum ſit. ] Vt occidatur.

B E R O. Debet dis tertiam penſionem. ] Allegoricũs intelligi uult Fuluiam tanquam uxorem fatalem atque peſtiferam, iampridem duos priores maritos Clodium ſcilicet & Curionem peremiſſe: tertium ſupereſſe Antonium, quem perinde ac tertiam penſionem fatis debeat atque perſoluat.

À quibus eſt interfectus. ] Cæſarem Dictatorem plures amici confecerunt, ut inquit Seneca, quàm inimici, quorum non expleuerat ſpes inexplebiles. In teſtamento plures percuſſorum in tutoribus filij, ſi quis ſibi naſceretur, nominauit: D. Brutum etiam in ſecundis hæreditatibus. M. Brutus princeps cõ

*allicerent, legionesq; ſolicitarent, neq; multis diebus habitus Senatus eſſet, neque conuocari, quòd aberant Conſules Antonius & Dolabella poſſet, expectarétur ꝗ; Cal. Ian. quibus inituri magiſtratum noui erant Conſules: Cicero tamen id egit, ut ante Cal. Ian. Senatus cogeretur: & ne ulterius differretur, quin de ſumma Reip. referretur & ſtatueretur, effecit. Exorditur uero per metum, quem inijcit à periculo expectationis & dilationis, dicens, ut non ſacrificij, ſic conſilij & rei agendæ, in qua ualet occaſio, tempus certum expectandum eſſe. Tempus.] Occaſio rei gerendæ. Profligato & perdito.] Pedianus perditum dicit eſſe quod inueniri nõ poteſt: profligatũ, quod poteſt. utrunq; ad corruptiſſimos mores refertur. Dicimus enim profligatum & perditum adoleſcenté, qui ſic uitijs fertur præceps, ut nullus ſperetur ad uirtuté reditus. Verbum uero profligo quid ſignificet, A. Gellius docet lib. 14. cap. 5. Expectantur.] Cum dolore hoc inquit & ſtomacho. Breue tempus.] Nocuit ſemper differre paratis. Fugit.] Non re uera fugerat, ſed C. Cæſaris metu, à quo ſtrui ſibi inſidias palàm uidebat, ad ueteranos ſolicitandos & legiones exceſſerat. Priuatis.] C. Cæſaris.*

BERO. *Dies affert, & hora potius.] Liu. lib. 3. ab Orig. Vrbis, Quid quæque nox aut dies ferat, incertum eſt: pũcto ſæpe temporis maximarum rerum momenta uerti. Item li. 25. Si in occaſionis momento, cuius prætteruolat opportunitas, cũctatus paulũ fueris, nequidquã mox omiſſam quæraris. Præterea, ut auctor eſt Apuleius, res anceps & periculoſa moram non ſuſtinet: ſed meliora conſilia præuertitur.*

MATVR. *Peſtifer reditus.] Si legiones illas quæ ex Macedonia Brundusium redierãt, ſibi conciliaſſet, & obſequentes habuiſſet. Non enim effudit.] Cum effundere inaniter & inutiliter ſit proijcere. In hoſpitis tectis.] Vbi hoſpitij reuerẽtia abſtinere à tali crudelitate debuiſſet. de his paulo poſt dicturus eſt Cicero. Os uxoris.] Volumniæ mimæ, quam quocunque ibat, ſecum ducebat Antonius. etſi etiam Fuluiam poſſumus accipere. Magna uero Antonij exprimitur crudelitas, qui in uxoris cõſpectu ciues Romanos ſic iuſſerit iugulari. Cic. Phil. 8. Brundiſij in ſinu non modo auariſſimæ ſed etiam crudeliſſimæ uxoris delectos Martiæ legionis Centuriones trucidauit.*

*Priuato conſilio.] Cum certior factus eſſet Octauius, Antonium Brũduſium profectum eſſe, ueritus ne cum quatuor illis rediret legionibus, & ſe præſidio deſtitutum opprimeret, in Cãpaniam abijt ad colonias à patre miſſas & deductas, et ut ſecum militarent ſolicitauit, ſingulisq;, qui ſe ſequerentur, drachmas pollicitus quingentas, decem millia hominum cõtraxit. Explorata eius uoluntate Senatus, quòd Antonij hoſtis ueniret, ingredi urbem permiſit. in templo Caſtoris conſtitit. reliquis dimiſſis, tria millia retinuit. Interim exercitus contumax cœpit eſſe. Antonius intelligens quæ ab Octauio & Romæ & in colonijs fierent, reliquum exercitum properare Ariminum iuſſit: ipſe, una tantum cohorte aſſumpta, Romam uenit: ubi legiones Martiam & Quartã ex his quæ Brundusij erant, Octauio ſe adiũxiſſe, & Martiam quidem Albæ eſſe accepit. qua re uehemẽter cõmotus, etſi de his quæ egerat Cæſar & agebat, uenerat uerba facturus (ſenatus enim iam coactus erat) tamen pauca locutus de prouincijs, et ſupplicatione M. Lepido decernẽda, omnino intactum linquens Octauium, abijt ad portas, et urbem egreſſus, Albam contendit, ut Martiã legionem, ſi poſſet, à propoſito abduceret, ac ſibi reconciliaret. Sed ab Albanis muris repulſus eſt ab eadẽ legione, quã nunc laudat Cicero. inde Tybur, nec multo poſt Ariminum, ubi Gallicæ prouinciæ initiũ olim fuit, profectus eſt, bellum cõtra Decimum, qui prouinciam nõ deponebat, geſturus. Legionibus uero imponi ab Imperatoribus nomina ſolebant uel ab ordine, ut prima, ſecunda, & deinceps: uel à robore, ut Martia: uel ab alia quauis cauſa.*

MATVR. *Longo interuallo.] Nam Senatus à Cal. Iun. uſque ad 13. Cal. Ian. haberi libere non potuerat. Opportuniorem.] Quoniam in loco natura munitiſſimo ſita eſt, in excelſo ſaxo, & propè in urbis conſpectu. Cæſaris.] Octauij. Edictum D. Bruti.] Quod ille proponi mandauerat, quo uoluntatem & ſtudium ſuum declarabat. Sui nominis.] Iu. Bruti, qui exactis Regibus libertatem populo R. peperit. Illi regibus parere. Pulcherrimus locus comparationis per contẽtionem & rerum et uerborum. Sed ſuperbus habitus eſt.] Quod cognomẽ facta indidiſſe, tradit Liuius. Ex moribus datũ tradit Florus, & in omnes eum ſuperbia graſſatum, omniq; crudelitate grauiorem fuiſſe.*

BEROAL. *Superbus habitus eſt.] Veteres ſuperbum eſſe dixere, qui reſpondere dedignaretur: quod & M. Tullius indicare uidetur epiſtola quadam ſcribens, Partim te ſuperbũ eſſe dicunt, quòd nihil reſpondeas: partim contumelioſum, q male reſpondeas. Item in prima Tuſculana, Quid? ſi te interrogauero, non reſpondebis? ſuperbum id quidem eſt. Tarquinio uero Superbo cognomen inditũ à Moribus docet Liuius his uerbis, Inde Lucius Tarquinius regnare cœpit, cui Superbo cognomẽ facta indiderunt. quia ſocerũ gener ſepultura prohibuit, Romulũ quoq; inſepultũ periſſe dictitans. Dionyſius lib. 4. Antiquitatũ Tarquinium ſcribit à Romanis Superbum cognominatum ex inſolentia quadam tyrannica, moribusq; ſuperbiſſimis. Græca lingua ὑπερήφανος dicitur.*

MATVR. *Barbari.] Ithyreos prius dixit. Neglexit.] Vt et ſupra dictum eſt. Collega.] Dolabella. Inſigniter.] Notabiliter & aperte. Vniuerſis prouincijs.] Vt Cretæ. Humile.] Vile. Quorum intererat.] Quibus utile erat. Nundinabantur.] Veluti nundinis & publico mercatu ac foro emebant. Sueſſæ.] Quæ Volſcorum quondam metropolis fuit, ut Strabo ait. ea Pometini incolebant, à quibus Pometina cognominata eſt: inter quam & Formias Minturnæ ſunt: ſic à Setino ſinu, iuxta quem ſita eſt, uocata. Eos.] Ciues Romanos, quos in cuſtodiam dederat. hos Octauius ad ſolicitãdas colonias miſerat, quos deprehenſos Antonius cuſtodiẽdos primo dedit Sueſſanis, deinde iugulauit. Trecentos uero Brũduſij trucidatos milites ſignificat ex quatuor illis legionibus quæ ex Macedonia Brunduſium redierant, quas indignatas q centũ dũtaxat ſingulis drachmas daturum pollicitus eſſet, et ſimul irridentes, atq; omnia perturbantes, petitos à Tribuno trucidauit: quod Appianus ſcribit. Pro populo R.] Contra hoſtes populi R. A legionibus.] Martia & Quarta. Relictis ſacrificijs.] Quæ facere ſolent in prouincias profecturi magiſtratus. Ante lucem.] Nam uenit in urbem, ut dictũ eſt, & pauca locutus in Senatu cucurrit ad portas, & Vrbẽ ante lucem eſt egreſſus. Nuncupauit.] Nominatim & propalàm uouit. Cũ Prætor aut Cõſul exercitũ aduerſus hoſtes ducturus, eo prius inſtrato nominatim uota facit, nũcupare uota dicitur: cũ uero tantũ mente promittit, nõ etiam profert & pronũciat, concipere: unde nuncupata & concepta uota. Ne in metu quidem.] Neque enim maximo metu abſtinebat quin et potaret et ſcortaretur, ac ſe cũ fœdiſſimis hominibus et Mima Volũnia oblectaret. Qui Gallia prohibet.] Dec. Brutus. Quid conſequi ipſe.] Regnum & tyrannidem.*

BERO. *Seruabant auſpicia Reges.] Libro primo de Diuinatione ſic ſcriptũ legimus, Principio, huius urbis parens Romulus non ſolum auſpicato urbem condidiſſe, ſed ipſe etiam optimus Augur fuiſſe traditur: deinde Auguribus & reliqui Reges uſi: & exactis regibus, nihil publice ſine auſpicijs nec domi nec militiæ gerebatur. Supplicia in ciues nulla Tarquinij.] Diſpiciamus an oratorio magis more quàm hiſtorico dictum hoc ſit. nanque apud Liuium legimus Tarquiniũ Superbum, cũ regnum metu tutandum eſſe exiſtimaret, ex patribus alios occidiſſe, alios in exilium egiſſe, alios bonis mulctaſſe.*

*Omnis ſeruitus miſera.*] Apud Iuriſconſultos ſeruitus morti comparatur. Præterea cum innatum ſit omnibus hominibus libertatis deſideriũ, tã dulcis res eſt ipſa libertas, ut olim Legati Spartanorum præfecto Perſarũ dederint reſpõſum hoc digniſſimũ memoratu, Seruus tu quidem eſſe noſti, libertatem autem nondum expertus es utrum ſit dulcis, an nõ: quæ ſi tibi experta foret, non ut haſtis, ſed ut ſecuribus pro ea dimicaremus, nobis ſuaderes.

INTER *quaſilla pendebatur aurum.*] Cum oſtendere uellet Cicero Antonium uſq; eò ſordidum eſſe, ut omniũ rerũ publicarum domeſticum mercatum inſtitueret, eiq; Fuluiã uxorem præficeret. ut eius ſordes non modo re, ſed etiã uerbo exprimeret, inter quaſilla dixit: quo quid ſordidius? Talaſſionẽ in nuptijs Varro ait ſignum eſſe lanificij. Talaſſionẽ. n. quaſillũ uocabant: qui alio modo appellatur calathus, uas utique lanificijs aptum. eſt autem à primitiuo qualus, quaſillum: unde & quaſillos non male forte legatur, cum apud Catonem ſemper hoc uocabulum uirile ſit. Hier. Ferr.

MATVRANT. *Conſpiraſſe.*] Conſenſiſſe. quam ob rem Trib. pl. cum abeſſent Conſules, retulerunt de Senatu habendo, & præſidium ſtatuẽdũ eſſe cenſuerũt, quo haberi Cal. Ian. tuto poſſet. Cicero hac ſententia ſtatuẽdi præſidij interpretatur poteſtatem de tota Rep. dicendi, & quoddã præiudicium de Antonio fieri: metuendum ſcilicet eſſe. Tantiſper autem Cicero quid faciendum ſibi uideatur docet, dandã ſcilicet auctoritatem ducibus Octauio et Decimo: ſpem præmiorum militibus Martiæ & Quartæ legionis oſtendendã: Antonium hoſtem nõ uerbo, ſed re iudicandum. *Conſules.*] Noui. *Nam ſi ille Conſul.*] Si Antonium, inquit, Conſulẽ fatemur eſſe, peccaſſe legiones Martiam & Quartam confiteamur neceſſe eſt, quæ eũ ſecutæ non ſunt, & flagris dignos atq; animaduerſione more R. *Fuſtuarium.*] Fuſtuarius is eſt qui flagris cædit, & ob aliquod commiſſum ſcelus militem uerberat. *In Cæſarem maledicta congeſſit.*] Quoniã Cæſaris iactabat fuiſſe concubinũ: id quod re uera etiam fuit. Cic. in epiſtola ad Cæſarem ipſum Octauium, Cui nulla uirtus, non ullæ ſubactæ & ad imperiũ adiunctæ prouinciæ, nulla dignitas maiorũ conciliaſſet opẽ potentum: ſed forma per dedecus, pecuniam, et nomẽ nobile conſceleratum impudicitiæ dediſſet. *Deprompta.*] Qualis ipſe fuit in pueritia & adoleſcentia, talem Cæſarem eſſe mentiens.

BERO. *Fuſtuarium meruerunt.*] Caſtigationem fuſtium, uirgarumq; ſupplicium, eleganti uocabulo fuſtuariũ appellant: de quo Liuius, Fuſtuariũ meretur, qui ſigna relinquit, aut præſidio decedit. Inter pœnas militares, ut docet Modeſtinus iuriſconſultus, eſt fuſtiũ caſtigatio, ignominioſa miſſio, pecuniaria mulcta, et militiæ mutatio. Errant qui fuſtuariũ exponũt pro eo qui flagris cædit: quẽ uirgatorẽ Plautus appellauit. nõ. n. fuſtuarius homo dicitur, ſed neutro gene fuſtuariũ: accipiturq; pro ſupplicio fuſtiũ & caſtigatione. Martianus, quod annotatu dignũ eſt, aliter hunc locum legit, aliterq; interpretatur, qui docens argumenta duci à contrario, ſic refert: Cicero in tertio Philippicarum contra Antonium, à contrario argumẽtatur dicens, Si ille Conſul fuſtuariũ meruerit, legiones quid, quæ Conſulem reliquerunt? ex hac Martiani lectione elicietur ſenſus talis: Si Antonius Conſul ob improbitatẽ meruerit ſuppliciũ fuſtium, eæ nimirũ legiones quæ illum reliquerunt, merentur præmium & laudem. Sed quod cum bona uenia Martiani dictum ſit, purior lectio eſt, ueriorq; intellectus ex ſcriptura inuulgata, & enarratione inueterata. *Quis hoc adoleſcente caſtior?*] Contraria ſentit in epiſtola ad ipſum Octauium ſcribens, formam per dedecus pecuniam dediſſe Auguſto Cæſari, & ex impudicitia partum nomen. M. Antonius Auguſtum ut effœminatum inſectatus eſt, meritumq; ſtupro adoptionem auunculi. Item Lucius M. Antonij frater probro dedit Auguſto, quòd ſolitus ſit crura ſuburere nuce ardenti, quo mollior pilus ſurgeret.

MATVR. *Cæſaris.*] *Dictatoris Filio.*] Adoptiuo filio. Naturalis enim. Cn. Octauius, decedẽs, Macedonia, quã prouinciam ex Prætura ſortitus fuerat, priuſquã profiteri ſe Conſulatus candidatum poſſet, morte obijt repẽtina, ut Trãquillus ait. *Aricina mater.*] Obijciebat Antonius ꝙ Aricina matre natus eſſet, quaſi Trallianam aut Epheſiã diceret, cum Aricinam dicebat, quaſi in pari dedecore eſſet Aricinos parentes, ac Trallianos ſeu Epheſios habere: cum barbaræ ſint urbes Tralles & Epheſus: & Iuuenalis cum ſtomacho & pro infamia dixerit, Hic Trallibus aut Alabandis Exquilias, dictumq; petunt à uimine collem. Aricia eſt Italiæ ciuitas inſignis in Appia uia, Romanum municipium, et ſtadijs centum ſexaginta ab urbe diſtans, ab Archilocho & ab Aricia puella Attica ſic dicta, Hippolyti, poſtq̃ reuixit, uxore. Tralles ciuitas in Phrygia, Mæandrum tranſeunti occurrens, in uertice quodã plano ſita. Epheſus ciuitas & ipſa Aſiæ in Ionia, Amazonum opus. *Omnes qui ſumus è municipijs.*] Romani principes ex municipijs originem trahebant. *Fœderatum.*] Socia enim populi R. ciuitas Aricia fuit. *Propinquitate.*] Proxima enim urbi eſt.

*Voconiæ.*] C. Voconius Aricinus fuit, is qui Trib. pl. plures leges tulit, inter quas, ne quis cenſus, hoc eſt pecunioſus, hæredẽ unicam relinqueret filiam. Ille autẽ cenſus erat, qui centũ millia in profeſſione detuliſſet ſeſtertia: quam legem Cato ille Cenſorius magna uoce, & bonis lateribus iã annos ſeptuaginta natus ſuaſit. *Scatiniæ leges.*] Scatinius & ipſe Aricinus Trib. pl. legem inter cæteras tulit, qua puerorũ concubitores, quos de σινοποίτας Græci uocant, graui ſupplicio afficerentur: quam legem tum mox in ſe expertus eſt, cum M. Claudij Marcelli Aedilis Curulis filium de ſtupro appellaſſet: neq; ſacroſancta dignitas implorato fruſtra collegarum auxilio, quorũ nemo intercedere uoluit, iudicio eripuit: eſtq; uno teſte, illo ipſo qui tẽtatus fuerat, conuictus & damnatus. auctor Valerius. *Hinc multæ ſellæ Curules.*] Multi patritij magiſtratus qui ſella ſuper currũ ſedẽtes uehebãtur. nã à curru curulis ſella et magiſtratus dicũtur: detracto altero r, unde corripitur ſyllaba. Plebeij magiſtratus pedibus ibant. *Patrum.*] Maiorum. *Lautiſſimi.*] Splẽdidiſſimi. *Tuſculanam.*] Prima Antonij uxor (tres enim, ut diximus, habuit) Tuſculana fuit, & M Fundi Bãbalionis filia, hominis Tuſculani, & libertinæ conditionis. Tuſculũ urbs olim clara, in urbis conſpectu ſita. *Sanctiſſimæ fœminæ.*] Acciæ matris Octauij. Tranquil. Accia M. Accio Balbo & Iulia ſorore C. Cæſaris genita eſt. Balbus paterna ſtirpe Aricinus, multis in familia ſenatorijs imaginibus à matre magnum Pompeium arctiſſimo contingebat gradu: functusq; honore præturæ, inter uigintiuiros agrum Campanum plebi Iulia lege diuiſit. *Tuæ cõiugis.*] primæ illius Tuſculanæ. *Bambalio.*] M. Fundus cognomento Bambalio. *Nullo numero.*] Viliſſimus. *Hæſitantiam.*] Vitium linguæ. & erat balbutiens. *Stuporem.*] Inſaniam. *Ex contumelia.*] Ex contemptu, quòd eum contemnebãt homines, ſic uocabant. *At auus huius.*] Occurrit dicens Bambalionis huius auum nobilem fuiſſe. reſpondet, ſtultumq; fuiſſe dicit. Tuditano illi ſimilem, de quo Valerius Maximus, Quàm certe, quàm etiam notæ inſaniæ Tuditanus, utpote qui populo nũmos ſparſerit, togamq; uelut tragicã ueſtẽ in foro trahens maximo cum hominum riſu conſpectus fuerit, ac multa his conſentanea fecerit. *Cum palla & cothurnis.*] Tragico habitu. *Vellem hanc contemptionem.*] Vellem ita contemneretis & uos pecuniam, ſicuti ille contempſit uxoris tuæ auus, ſtulti omnes eſſetis, ut ille fuit. Ironice enim loquitur. *Iulia natus.*] Octauius Iuliæ nepos ſororis Iulij Cæſaris fuit, ex Iuliorum familia natus Antonius. *Cuius pater.*] Antequam Iuliam duceret. *Fregellanũ.*] Fregellæ ci

ultas

uitas eſt Cãpaniæ in Volſcis, quas Liris præterfluit, qui ad Minturnas erumpit, magna prius: inde cum defeciſſet, deleta à Romanis, & in uicum redacta. Ipſe.] Antonius. Libertini.] M. Fundi Bambalionis. L. Philippus.] Primores hi erant ciuitatis ea tempeſtate. Non pœnitere.] Non pudere. Idem etiam.] Antonius. Q. Ciceronem.] Q. Ciceronis filium.

Edicto.] Quod contra Octauium propoſuerat, accuſabat quòd Octauio hæreret, eumq; ſequeretur. Compellationem.] Accuſationem. Gladiator.] Cum ſtomacho hoc inquit. Hunc.] Q. Ciceronem. De patris.] Quinti. Patrui.] Mei Ciceronis. Idem ſupplicium.] Minabatur n. Ciceroni, & reliquis bonis qui contrariæ erant uoluntatis, id ſuppliciũ quo Cicero coniuratos affecerat: & laudare uidebatur Ciceronem, quaſi imitari uellet. Cum uero factum Ciceronis in puniendis cõiuratis cõmemorabat, fore exiſtimabat ut inuidiam in Ciceronẽ hac commemoratione ſeueritatis eius concitaret.

BEROAL. Ignobilitatem.] M. Antonius libertinum Auguſto Cæſari proauum exprobauit Reſtionem ex pago Turrino, auum argentarium. Idem deſpiciens etiam maternam Auguſti originẽ, proauũ eius Afri generis fuiſſe, et modo unguentariam tabernam, modo piſtrinum Ariciæ exercuiſſe obiecit.

Aricina mater.] Accia mater Auguſti paterna ſtirpe fuit Aricina, ſiquidem patrem habuit M. Accium Balbum Aricinũ. M. Antonius deſpiciens etiam maternam Auguſti originem, ei exprobrabat matrem Aricinam, tanquam naſci Ariciæ, fœdidũ foret & ignominioſum, perinde ac Trallianæ ac Epheſiæ mulieres infamari ſolent, & male audire: non tam quia barbaræ, quàm quia effœminatæ & molles. Nanque, ut inquit poeta, Emollit gentes clementia cœli. Scatiniæ leges.] Vt mihi magiſtra lectione compertum eſt, Scatinia lex à Scatinio Aricino lata uidetur eſſe non tã in ſtupratores puerorum, quàm in ipſos pathicos & molles uiros, qui muliebria patiuntur, quales Satyricus poeta Socraticos cinædos appellat, quos tota Satyra inſectatur: & ad hũc intellectum referendus eſt uerſus ille notiſſimus, Citari ante omnes debet Scatinia. uidelicet in eos qui pathici ſunt & cinædi. De his igitur Auſonius conſimiliter ſcribens, in mollem & effœminatum inquit, Scatiniam metuens nõ metuit Titiam. Domitianus quoſdam ex ordine ſenatorio & equeſtri, lege Scatinia condemnauit, quòd ſcilicet parum uiri eſſent & muliebria paterentur. Eodem materno genere.] Mater Antonij fuit Iulia ex Cæſarum gente, fœmina primaria, pudicitiæ dotis nulli poſtferenda: quæ poſt obitum mariti Lentulo nupſit, qui cum L. Catilina aduerſus patriam mox conſpirauit.

Proditoris filiam.] De hoc Numitorio Fregellano proditore mentio eſt quadãtenus in 2. Rhetorico. In rhetoricis quoque ad Herenn. Fregellas reperio ob hanc opinor proditionẽ perfidioſas appellari, cum dicitur, O' perfidioſæ Fregellæ, quàm facile ſcelere ueſtro cõtabuiſtis: ut cuius nitor urbis Italiam nuper illuſtrauit, eius nunc uix fundamentorum reliquiæ maneant.

M. ACCIVS Balbus.] Hieron. Ferrar. Omnes libri ueteres, inquit, Accius habent: & apud Dionem ſcriptum eſt Atia. Seruius tamen nobilis grammaticus interpretatus eum uerſum Virgilij, Alter Atis, genus unde Atij duxere Latini: propter, inquit, Atiam dixit, matrem Auguſti, de qua dicit Antonius, Atia Latini mater. uult enim eius etiam maternum genus eſſe antiquiſſimum. Hæc Seruius. ex quo intelligi poteſt non Accius neque Attius, ſed Atius eſſe ſcribendum.

MATVR. Refricat.] Repetit & innouat. & à cicatrice eſt tranſlatio, quam ſi quis iterum atq; iterum fricet, recrudeſcit uulnus. In extremo.] In ultima edicti parte.

Quæ ſunt perdita conſilia?] Propter Ciceronem præcipue ea uerba edicto adiecerat in fine Antonius, quẽ timore arbitrabatur non affuturum. Et Cæſaris.] Octauij. Atroci.] Crudeli. Triſti.] Graui. Terẽ. Triſtis ſeueritas ineſt in uultu.

Si epulæ.] Quæ honeſtæ ſunt, & honeſtis apparantur: cum popinæ impudicorum ſint, & fœdiſſimorum ganeonum. In quod templũ.] Capitolium. Per Gallorum cuniculũ.] Per uiã ſubterraneã à Gallis Senonibus olim effoſſam dũ Capitoliũ obſiderẽt. Cuniculi leporũ genus ſunt, inquit Pli. quos Hiſpania ſic appellat. hi terrã ſub qua habitant, aſſidue effodiũt: à quibus foſſæ ſubterraneæ cuniculi ſunt dicti. Martialis,

Gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris,
Monſtrauit tacitas hoſtibus ille uias.

IN Ante diem 4. Cal. Decemb. diſtulit.] Vetuſti omnes codices habent, in ante diem 4. à quibus ut diſſentiam, proq; et, in reponendum putem, non ſolum facit illa cauſa, quòd adduci non poſſum ut credam M. Tullium primum atque extremum uerbum coniunctionibus è medio ſublatis extuliſſe, medium nõ diſſolute dixiſſe: ſed illud etiam, quòd cõſuetudo latini ſermonis ita loquitur, ut dicat, Comitia diſtulit in 4. Cal. non 4. tantummodo Cal. & quemadmodum hoc, ſic etiam illud, Diſtulit in ante diem 4. Cal. nõ ante diem 4. Cal. Quòd autem in ante diem diceretur, exemplis demonſtrabimus. Dixi ergo idem in Senatu, cædem te optimatium contuliſſe in ante diem 5. Cal. Oct. & in 2. lib. epiſt. ad Attic. Comitia Bibulus cum Archilochio edicto in ante diem ( 5. Cal. Decemb. diſtulit. Liuius lib. 45. Latinæ edictæ à conſule ſunt in ante 4. & 3. & prid. Id. Nouemb. & lib. 43. In ante diẽ 8. & 7. Cal. Octob. Comitijs perduellionis dicta dies eſt. Et quemadmodum in ante, ſic ex ante dicebatur. Cice. lib. 3. epiſt. ad Att. Ex ante diem Non. Iun. uſque ad prid. Cal. Sept. Liu. lib. 45. Supplicatio pro concione populo indicta eſt ex ante diem 5. Id. Octob. Hieron. Ferrar.

MATVRAN. Coerogati.] Precibus adſtricti.

Dignitatis ſuæ.] Si enim meminiſſent qui nam eſſent, exorari ſe ab Antonio non ſiuiſſent, neque conueniſſent omnino: & timuiſſent, cum timendum eſſet, cumq; de Antonio ea excitata fama eſſet, ut nihil non hoſtile expectari ab eo poſſet. Conſularis quidam.] Vnus ex hi qui conuenerant, non ignorans relaturum & dicturum de Octauio, Antonio, ſcriptum attulerat quid diceret. Quid eſt aliud.] Ratiocinatio pulchra. Qui non audet de eo referre, qui contra ſe Conſulem exercitum ducit, is ſe Conſulem non eſſe, ſed hoſtem indicat. Antonius non eſt auſus cõtra Cæſarem hæc agentem referre: ergo ſe hoſtem indicat Antonius. Alterum.] Aut Cæſarem, aut Antonium, Ille.] Octauius. Quem in edictis Spartacum.] Spartacus Chryſus & Oenomaus gladiatores effracto Lentuli cuiuſdam cognomento Batiati ludo, cũ triginta haud amplius eiuſdem fortunæ uiris erupere Capua, ſeruiſq; ad uexilla uocatis decem millium ſtatim contraxerunt exercitum. Complures contra hos miſſi imperatores, omnes ſuperati ſunt Clodius, P. Vrantus, Gellius & Lentulus Conſules. à Craſſo tandem uicti et deleti. Ipſe Craſſus ouans eſt urbem ingreſſus. In rebus triſtiſſimis.] Mœſtiſſimis rebus noſtris, in quibus ridere nemo debeat, riſus tamen concitatus eſt ea in uerbis ineptitudine. Nulla contumelia eſt quam facis dignus.] Hæc eſt illa ſententia in edicto Antonij. Dicere autem uolebat Antonius, neque Octauio, neq; cuiquam ſe facere contumeliam, qui digne & iure faceret. Dictum irridet Cicero, quia dignus in utranq; partem accipitur, bonam & malam. & fortaſſe inquit Cicero, Antonius dignum pro eo poſuit ſic locutus, qui eſſet in dignitate, quoniam ipſe Cõſul. Quid eſt porrò.] Ac ſi diceret, & hoc ignoras? nã contumelia (quod Labeo ait iureconſultus) à contemno dicitur, & eſt ſpecialis, cum iniuria ſit generalis. potius ergo Antonio dicendum fuerat, An ulla eſt iniuria, quã facis dignus? Nec timor, quem denunciat inimicus.] Alia edicti Antoniani ſententiola, inepta ſanè. neque enim inimicus denunciat timorem, ſed facit. & ſic inquit Anto. quaſi amicus denũciet timorẽ. nã ſi nõ

*eſt timor quem inimicus denunciat, quæri poteſt ſit'ne timor quẽ amicus denunciet? Magiſter tuus.* ] Sex.Clodius. *Ex oratore arator.* ] Hoc ideo ait, quoniam ei Antonius duo millia iugerum agri Leontini aſſignauerat, ut tanta mercede nihil ſopere diſceret, quod inquit prius. *Infatuet.* ] Fatuũ reddat. Eſt autem fatuus, qui inepta loquitur, ut ait Donatus: uel planè inſipiens, ut alijs placet. Tractum uerbum à cibis, qui cum non ſapiunt, fatui dicuntur.

BERO. *Spartacum appellat.* ] Scribit Plin. Spartacum interdixiſſe caſtris ſuis, ne quis aurum haberet, aut argentum. Tanto fuit, inquit plus animi fugitiuis noſtris. Hic poſt multos duces Romanos profligatos, tandem à Craſſo uictus occubuit. eius cadauer nuſquam inuentum eſt. De hoc Horatius,

Spartacum ſi qua potuit uagantem
Fallere teſta. Et Lucanus,
Vt ſimili cauſa caderes, qua Spartacus hoſtis.

*Quis ſic loquitur.* ] Neſcire me fateor cur M. Tullius id genus locutionis in M. Antonio reprehendat, quod eſt apud eruditos uſitatiſſimum. ſic enim omnes latine loquentes dicunt, facit contumeliam, dicit contumeliam. Plautus in Aſinaria,
Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur? M. quidem Cato paulo remotius dixit, In has contumelias quæ mihi per huiuſce domi petulantiam factũ itur. qua locutione ſignificat, iri ad contumeliam faciendam, id eſt operam dari quò fiat contumelia. *Ex oratore arator factus.* ] Annominatio eſt, quam & proſonomaſiam nominant. ex eodem ſchemate eſt illud Plautinum, & Arare mauelim, quàm ſic amare. Alludens autẽ ex oratore ait aratorem factum Sextum Clodium, propterea quòd duo millia iugerum acceperat donatione Antoniana: quæ, dum uult colere & arare ſtudioſius, ſtudio oratoria quaſi dedidicerat.

IS ENIM *erat dies.* ] Huius rei elucidandæ cauſa Hieron. Ferrar. hic locũ ex Gellio affert lib. Noc. Att. 5. cap. 17. ubi ita ſcriptum eſt, Ante diem 4. Cal. Non. Id. tanquam innominalem diem plerique uitãt. eius obſeruationis an ulla religio ſit tradita, quæri ſolet: nihil ſuper ea re ſcriptum inuenimus, niſi quod Claudius Annalium 5. cladem illam pugnæ Cannenſis uaſtiſſimam factam dicit ante diem 4. Non. Sex. Ex his uerbis licet uidere, ante diem 4. Cal. Decemb. quo die ſenatus habitus eſt, diem religioſum fuiſſe.

MATVR. *Quid attinuerit.* ] Quid neceſſe fuerit.

*L. Caſſio.* ] Hi quos enumerat, uiri boni erant, & de Rep. optime meriti, quos repugnantes libidini ſuæ oderat Antonius.

*Cui ſenatuſconſulto.* ] Quærit cur uenire in Senatum hos prohibuerit: & cui, inquit, Senatuſconſulto ne ſe obijcerent, & impedimento eſſent, timebat? *De ſupplicatione fortaſſe M. Lepidi.* ] De qua referendum fuerat. id, inquit, erat periculũ. ac ſi diceret, minime. nam ironice ait, cum omnes etiam ſua ſponte aliquid honoris extraordinarij M. Lepido decerni cogitarent. M. Lepidus magiſter equitum Cæſaris dictatoris fuerat, tũc & Pót. Max. erat, et quatuor præerat legionibus, in Iberiam, cui prouinciæ præfectus à Cæſare fuerat, profecturus. in Gallia autem ſubſtiterat tranſalpina non procul à Planco, cuius hæc erat prouincia. Lepido inde uictus Antonius ſe coniunxit. Supplicationem decerni Lepido amici eius & propinqui (ut mos erat) poſtulauerant. & quoniam exercitui præeſſet, ac Remp. probe gereret, & quoniam erat Pont. Max. ſolitus erat decerni hic honor, & nemo inquit Cicero, impediſſet, ideoq; hos prohibitos Senatu ab Antonio, quòd uereretur ne Senatuſconſulto de tali re intercederent, credere non poſſumus. *De legione Quarta.* ] Quæ ad C. Octauij tranſierat auctoritatem. *De ſupplicatione.* ] M. Lepido decernenda. *Per diſceſſionem.* ] In Senatu de diuinis prius rebus quàm humanis referebatur: & aut infinite, ut de Rep. gerendum'ne eſſet bellum, an agenda pax: aut de ſingulis rebus finite, ut indicendum'ne eſſet bellum Carthaginenſibus, hoſtis'ne eſſet iudicandus Antonius. Tunc cum relatum ſic fuiſſet. Senatuſconſultum fiebat: ſed duobus modis, aut per diſceſſionem, ſi conſentiretur: aut, ſi res dubia eſſet, per ſingulorũ ſententias exquiſitas. ſinguli autem gradatim conſulebantur. Auctor A. Gell. De ſupplicatione cum referebatur, ſinguli cõſulebantur ſemper. Sed quaſi ad Antonij factum alludit Cic. nã ſtatim ſeſe proripuit, & urbem egreſſus eſt, quod prius diximus.

*Paludati.* ] Paludamenta omnia inſignia ſunt & militaria ornamenta. cum enim exit ad bellum Prætor aut Conſul, ubi lictores mutauerint ueſtem, & ſigna inſonuerint, paludatus dicitur proficiſci. quòd conſpiciuntur qui paludamenta habent, ac fiunt palàm, ſic dicuntur. auctor Varro. Paludati ergo, ad bellum proficiſcentis. *Lucis.* ] Noctu enim abijt. *Præclara tamen.* ] Ironice. *Religioſa.* ] Neque enim forte diuiſæ ſunt prouinciæ, ſed quam quiſque uoluit occupauit. *Ille.* ] Antonius. his omnibus quos enumerat, prouincias decreuerat Antonius: quas non rite conceſſas, ab eo qui concedere nequiret, accipere noluerant, & Senatui ſe obtemperaturos eſſe profeſſi ſunt.

PRAECLARA *tamen.* ] Duplicem plagam Antonio inſligit: alteram, quòd non legitimo tempore S. C. fecerit: alteram, quòd nulla religione ſortitus ſit. S. C. ante ortum aut occaſum Solem facta, rata non fuiſſe, opus etiam Cenſorium feciſſe exiſtimo per quos eo tempore facta eſſent, docet M. Varro apud Gell. lib. 14. cap. 7. Hinc intelligi poteſt, cur S. C. ueſpertina dixerit. Hieron. Ferr.

MATVR. *De L. Cinna.* ] Hic prætor erat quando occiſus eſt Cæſar, in quem fuerat inuectus. ueſtem uero militarem quam præbuerat Cæſar, reiecerat. erat autem ei affinis. militibus uero quibuſdam inſequentibus, & domum in quam cõfugerat, ſuccendere parantibus, ægre à Lepido eſt ſeruatus. Cum poſtea Cæſaris cadauer combureretur, & Antonij oratione concitata plebs ad percuſſorum curreret domos: Cinna alter Trib. pl. qui hic eſſe credebatur, nominis ſimilitudine errorem faciente, furore multitudinis occiſus eſt. auctor App. *Sors diuina.* ] Ironice, aut quia ſic uocabat Antonius. *L. Antonius.* ] Antonij frater. *C. Antonius.* ] Patruus. *Vticæ.* ] Quæ ciuitas fuit Africæ, in eodem ſinu ſita quo Carthago, ſecunda poſt illam & auctoritate & magnitudine: Carthagine exciſa, metropolis & receptaculũ Romanorum ad res in Libya gerendas.

*Duarum.* ] Siciliæ & Hiſpaniæ. qui enim eas ſortiti fuerãt M. Hircius & Q. Caſſius, in Antonij uoluntate non erant.

*Adoleſcentem.* ] Ne uideretur Cæſarem Iulium appellare.

*Qui enim hæc fugiens.* ] Per te ita prouincias diſturbatas.

*Cuſtodem ouium, ut aiunt, lupum.* ] Terentius, Ouem lupo commiſiſti. *Pro æde Caſtoris.* ] Quæ fuit in foro Romano. *Qui fui?* ] Qualis fui? & ipſe reſpondet.

*Conglutinatus.* ] Compoſitus & compactus. *Ingenuum.* ] Liberale. *Paternum.* ] Patrum & maiorum noſtrorum.

BEROAL. *Ad urbem habiturum.* ] Elocutio eſt elegans, ſicq; uſitata ueteribus ſcriptoribus ut dicant, ad urbem eſt Conſul, eſt Imperator cum exercitu, de his qui cum poteſtate prouinciali nondum in prouinciam profecti eſſent. *Viuendi cupiditate.* ] Græci philoſophos uocant uiuendi nimium cupidos: quæ ſæpe cupiditas cauſa eſt ut multa homines perpetiãtur ſine decora, dignaq; uituperatione. ſiquidem nullum periculum, nullus dolor, atq; adeo nullus mortis metus uirum fortem detrudere debet abducereq; ab honeſto: & ut inquit Epigrammatarius, Summum nec metuas diem, nec optes. Vnde merito ſcriptores inceſſunt M. Aquilium, qui nimia uiuendi cupiditate, cum mori glorioſe poſſet, maluit turpiter ſeruire Mithridati: & Cn. Carbonem, qui ad ſupplicium ductus, flebiliter petijt ut ſibi aluum

exonerare

exonerare liceret, ut ita miſerrimæ lucis uſura diutius frueretur, tandiu moeá trahēs in ſella familiari, donec caput illi in ſordido loco abſcinderetur. Turpiſſimum quoque illud Mecœnatis uotum iure iudicatur, quo nullum malum recuſabat, dūmodo ſpiritus prorogaretur. Debilem, inquit, facito manu, debilem pede, coxa: tuber aſtrue gibberum, lubricos quate dentes. uita dū ſupereſt, bene eſt.

MATVR. Si illa tulimus.] Propter Iulium hoc dicit. Pœnæ fatalis.] Quod fato quodam populi R. ut ferremus decretum erat. Non pertulimus.] Aliquando enim à nobis depulimus Iulio occiſo. Huius.] Antonij. Succenſere.] Ex iuſta cauſa iraſci. Græci μὲμϕεσθαι dicunt.

Eius.] Cæſaris. Hortos.] Quos circa Tiberim publice reliquerat Iulius. Ex his.] Hortis. Ornamenta.] Statuas, tabulas, abacos, menſas. Ex funere.] A' Iulij funere.

E' Rep.] Ex Reip. utilitate. Prouincias.] Cretam.

Cæſaris.] C. Octauij. Fortuna.] Rebus ad uotum non fluentibus. Mutilatum.] Imminutum Martia & Quarta legionibus deficientibus. Ex Myrmillone.] Nam Myrmillo prius fuerat, qui aduerſus Retiariū pugnabat, in cuius galea piſcis effigies erat. Retiario uero aduerſus Myrmillonem pugnāte cantabatur, Non te peto, piſcem peto: quid me fugis Galle? Hoc genus pugnæ inſtituit Pittacus Mitylenæus. auctor Pompeius Feſt. Cædit greges armentorum.] Ac ſi dicat, ipſos ditiores et potentiores ſpoliat ipſe: reliquos tenuiores opertis & ſectoribus ſuis prædæ relinquit. Et grex quidem generalius nomē eſt, armentum ſpecialius: & pro omni multitudine ponitur tā hominum quàm brutorum, & tam maiorumq; quàm minorum.

Vaſtantur.] Vacui & uaſti redduntur.

BERO. Compilauit.] Cōpilare, ſi credimus Aſconio, eſt fraudare, ac furto peruellere, ita ut ne pili quidē in corpore ſpoliati relinquantur. Ex eodem fonte & ſignificatu ſunt illa quoque ſuppilare & expilare. Ex Myrmillone dux.] Multa ſunt genera gladiatorum, & nomina. quidam retiarij, alij ſecutores, nonnulli thraces appellantur. Sunt & Andabatæ, qui clauſis oculis depugnant. Sunt & Myrmillones, qui peculiariter aduerſus Thraces cōponuntur. quod & Auſonius docet illo uerſu ex monoſyllabis,

Quis Myrmilloni contenditur æquimanus? Thrax.

Pugnat & Myrmillo aduerſus retiarium. Erat autem Myrmillonum armatura Gallica, ipſiq; Myrmillones antea Galli appellabantur: in quorum galeis piſcis effigies inerat. In uniuerſum gladiatores omnes dici poſſunt arenarij, eò quòd in arena digladiātur. Firmicus Maternus in 7. Matheſeos Arenarios naſci ſcribit luna uidente Saturnum. Idem machærarios uidetur appellare gladiatores quoſdam qui machæra, hoc eſt gladio depugnant. De arenarijs mentio eſt apud Iuriſconſultos tit. de operis libertorum, his uerbis, Nec arenarius manumiſſus patrono præſtare debet tales operas, quia iſtæ ſine periculo uitæ præſtari non poſſunt. Item ad Senatuſconſultum Trebellianum, Sed & qui magna præditus eſt auctoritate, arenarij, uel eius mulieris quæ corpore quæſtum fecerit, hereditatem reſtituere cogetur.

MATVR. Noſtris decretis.] Ut ijs publicam addamus auctoritatem, qui ſua ſponte perſequuntur. Longo interuallo.] Diu enim, quod prius dictum eſt, non conuenerant Senatores. Querenti.] Tunc cum in Ciceronem dixit, & Cicero in Senatum non uenit. Statim.] Subito. neque enim differret cuiuſquam optimi interitu. Si Galliam tenere, paulo poſt.] Cum cederet ſcilicet. Signum date. Oſtendite, & præ uobis ferte. Ille.] Populus. Honeſte.] Non cedentes neque fugientes, ſed pugnantes.

BERO. Dij omnen auertant.] Virg.

Quod dij prius omen in ipſum
Conuertant.

Nihil deteſtabilius dedecore.] In ſecunda Tuſculana deductus aſſerit malum maius eſſe quàm ſit dolor, inquiens, Dolorem exiſtimo maximum malorū omnium. etiam'ne maius quàm dedecus? non audeo id quidem dicere: & me pudet tam cito de ſententia eſſe deiectum.

MAGNA uis, magnum nomen.] Sic rectius legi uidetur. Hieron. Ferrar. hic, quàm ſi legatur, magnum numen. Hæc enim uox nomen, inquit, admirabilem quandam auctoritatem ſonat ex famæ opinione conflatam. Cic. in epiſt. ad Att. Hoc tamen ſpero, magnum nomen imperatoris fore, magnum in aduētu terrorem. & pro lege Manilia, Quod igitur nomen unquam in orbe terrarum clarius? pro Deiot. Quantum eius nomen fuerit. & in Phil II. Qui imperium habeat, qui præterea auctoritatem, nomen, exercitum. & alibi, Tantum eius in Syria nomen atque Phœnice eſt. hæc ille.

MATVRANT. In utranque partem.] Et bonam & malam. Cicero in epiſt. Iam ijdem illi & boni & mali ciues uidentur, qui uideri ſolent. Nunc, inquit, quo animo quiſq; ſit, cognoſcitur, cupiat'ne libertatem, an ſeruire malit. Cōſules.] Panſa & Hircius. In poſterum.] In ea quæ futura coniectamus. Cic. in epiſt. ad Cæl. Sed ut ab homine longe in poſterū proſpiciente, à te futura expecto. Seruitutis recordatio.]. Quæ fuit durum pati, meminiſſe dulce eſt, inquit Seneca: et Aeneas Virgilianus,

Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

Quas ob res.] Concluſio, in qua de tota re ſuam profert ſententiam. Quodq; edictum.] Ordo, & quod edictum propoſitum eſt Decimi Bruti Conſulis deſignati, ita ſcilicet cenſeo, Brutum, & reliqua, ita cenſeo ad ſummam Reip pertinere, Senatū arbitrari obtineri prouincias ex lege Iulia à Decimo Bruto, & reliqua. Decimus Brutus & Cn. Plancus Conſules erāt deſignati, Conſulatum finito Panſæ & Hircij magiſtratu inituri. & Cn. quidem Plancus ulteriorem Galliam cum imperio obtinebat, & tribus legionibus. Ad hunc Ciceronis ſunt epiſtolæ libro decimo. Lege Iulia.] Quia Decimo Bruto Iulius prouincias aſſignauerat. Cumq;.] Ordo eſt, Cenſeo Senatui eſſe magnæ curæ &c.

BERO. Seruitutis.] Dixit Euripides, Suauis eſt præteritorum laborum memoria. Sunt tamen quædam genera malorum, quæ non uult qui pertulit, tranſacta meminiſſe, ut qui carnifices expertus eſt, & tormenta membrorum: ut qui infauſtas pertulit orbitates: uel cui nota quondam inflicta cenſoria eſt.

## IN PHILIPPICAM IIII.

AATVR. Ciceronis de C. Cæſare ornando, Decimo Bruto, Gallia prouincia, Martia & Quarta legionibus, quæ Antoniū deſeruerāt, ſententiam, Senatus uniuerſus cōprobauerat: decretumq; fuerat, ut quidquid ille cēſuerat, id fieret. Frequens & cupidus cognoſcendi ante curiam populus conſtiterat: ad quem egreſſus Cicero, quid actum in Senatu ſit, refert, & Antonium iudicatum hoſtem, etſi re magis quàm uerbo, oſtendit. Cum enim Octauium ornandum, Decimū laudandum, quòd Antonium prouincia Gallia excluſerit, legiones cōprobandas quòd deſeruerint, dicit cenſuiſſe Senatum, manifeſte aſſerit colligi poſſe, non Conſulem illum, ſed hoſtem putari. Ad libertatem recuperandam populum hortatur: in Antonij uero odium omnes accendit. In deliberatiuo genere poſita eſt oratio. ſuadet enim Remp. defendendam, & libertatem recuperandam: etſi incidit maiore ex parte in demonſtratiuum genus. uituperatur enim Antonius. Exorditur per ſpem quam ex populi colligit frequentia, quem ueluti cupidum recuperandæ libertati

*conueniſſe uult intelligi. Suum, ſed modeſte, laudat ſtudium.*

*Concio.] In unum conuentus. Animus.] Semper ſperaui, & conſequi optaui. Tempora.] Occaſio rei gerendæ.*

*Lucis.] Nam ueluti in tenebris eramus prius. ac ſi diceret, poſtquam minus turbulenta nobis cœperunt eſſe. Ante facere.] cum importunum erat, & reſiſti Antonio non poterat.*

*Nunc non poſſem.] Quia periiſſem. Reliquarum actionum.] Vt tranſigi reliqua facile non poſſint, poſtquã nõ uerbo adhuc, re tamen hoſtis eſt iudicatus Antonius. Erectior.] Excitatior, & magis in ſpe: ſicuti contra cadere animus iis dicitur, qui extra ſpem ſunt. Nec enim fieri poteſt.] Ratiocinatio. aut ſunt impij qui contra Conſulem arma compararunt, aut ille hoſtis contra quem ſunt arma ſuſcepta: ſed illi qui arma compararunt, pij ſunt, quod multis rationibus probat: ergo Antonius hoſtis. Ad ueritatem diſiunctiuæ ſufficit alteram partem ueram eſſe. Patrimonio.] Quod effudit, ut ſupra dictũ eſt.*

*Laudo, laudo.] Conduplicatio, quam πλοκὴν Græci dicunt: multum uero habet uehementiæ. Vel pueri potius.] Correctio, ut ſit admirabilior, quòd hæc puer fecit. Immortalitatis.] Ac ſi dicat, diuinitatis cuiuſdam. Multa.] Repetitio. In dies.] Quotidie. Ex Hiſpanis militibus.] Qui habentur robuſtiſſimi de quibus Silius,*

*Prodiga gens animæ, & properare facillima mortem.*
*Nanque ubi tranſcendit florentes uiribus annos,*
*Impatiens æui ſpernit ueniſſe ſenectam:*
*Et fati modus in dextra eſt.*

*Conducere.] Quadringentas drachmas ſingulis pollicitus. Reditum.] Brunduſio. Præſidium.] Ad Antonij furorem depellendum. Sui patris.] C. Cæſaris Dictatoris.*

BEROAL. *Concio.] Concionem tria ſignificare, ex ueterum lectione ſat notum, uidelicet locum ſuggeſtumq; unde uerba fierent. item orationem ipſam, quæ ad populũ diceretur. item cœtum populi aſſiſtentis, quo in ſignificatu hic accipitur. Græci δημηγορίας uocant. Vnde deliberatiuum cauſarũ genus, quod noſtri nomine alio concionale dicunt, illi δημηγορικὸν appellant. Fundamenta ſunt iacta.] Tranſlatio ſumpta ab ædificio, cuius fundamenta niſi fideliter ieceris, quidquid ſuperſtruxeris, corruet. Conſimiliter in oratione pro Murena, Bene habet, iacta ſunt fundamenta defenſionis. Tullianum hoc ſcite uſurpat Lactantius ſic ſcribens, Bene habet, iacta ſunt fundamenta, ut ait eximius orator. Verũ nos non tantum fundamenta iecimus, quæ firma & idonea eſſent operi proferendo: ſed magnis robuſtiſq; molibus ædificium totum penè uſq; ad ſummã perduximus. Vel pueri potius.] In epiſtolis ad Brutum, Cæſaris uero pueri mirifica indoles uirtutis. Brutus autem Cæſarem puerum contumelioſe magis quàm honorifice appellat, his uerbis, Me uero poſthac ne commendaueris Cæſari tuo: ne te quidẽ ipſum, ſi me audies. Valde care exiſtimas tot annos quot iſta ætas recipit ſi propter eam cauſam puero iſti ſupplicaturus es. Item, is tunc puerum iſtum extulit, ut tu iudicares precibus eſſe impetrandam ſalutem talibus uiris.*

SVNT *enim facta eius, Immortalitatis: nomen, ætatis.] Sic omnes libri ueteres habent, inquit Hieron. Ferrar. (non ut paſſim in impreſſis legitur, nõ ætatis.) quod tamen ipſum primo aſpectu abiudicatum atque reiectum, poſtea ſic approbaui, nihil ut mihi neque rectius neque uenuſtius uideatur. Reieceram autem ob eam cauſam, quòd ſi referretur ad Cæſarem, oratio ſibi non conſtaret: ſi ad puerum, nimis durum uidebatur. quod ipſe M. Tullius mihi non multo poſt tempore molliuit. nã eodem modo loquitur in 13. Phil. & quidem de hoc ipſo Cæſare loquens, Puerum appellat, quem non modo uirum, ſed etiam fortiſſimũ uirum ſentit, & ſentiet. eſt iſtuc quidem nomen ætatis. &c. Iam uides, nomen & facta quàm bene inter ſe reſpondeant. Hæc autem uerba habent hanc ſententiam, quod mirabilia facinora facit, eſt cuiuſdam diuinitatis: quod appellatur puer, eſt ætatis.*

MATVR. *Quem.] Hoſtem ſcilicet duntaxat.*

*Ab eo deo.] Marte populum R. generatum.] Propter Romulum, qui ex Rhea Ilia & Marte natus traditur.*

*Nam.] Ratiocinatio. Luculenta.] Clara, à luce.*

*Auctoritatem.] Conſenſum uoluntatem. Opportuna.] Et ad laceſſendum, & ad tutandum. eſt enim in excelſo locata ſaxo, qua pro noxiorum cuſtodia uſi olim Romani ſunt, ut Strabo ait. À te accerſitæ.] Cum eſſent in Macedonia.*

*Niſi forte nos Quirites.] Hic coniicimus, aut uoce, nutu, aut quouis alio ſigno populum, uel potius acclamatione, hoſtem Antonium iudicandum ſignificaſſe. Illam peſtem.] Antonium. Recte & uere negaſtis.] Scilicet contemnendum.*

*D. Bruti edictum.] Quod ille Proprætor Galliæ & Conſul deſignatus proponi curauerat, non ceſſurum ſe Antonio prouincia, eamq; pro Senatus arbitrio retenturum. Vel conſtituendam.] Vt Iun. Brutus fecit exactis regibus. Vel recuperandam.] Vt paulo ante M. & D. Bruti egerant Cæſare trucidato. Quæ eſt enim alia laudanda defenſio?] Quàm eius qui ab hoſte defenderit.*

BERO. *Martialium.] Milites Martiæ legionis ſignificat, quæ à Marte deo Romanorum conditore nomen traxit. Horatius Martiales lupos appellat bono epitheto, uel quòd in tutela Martis ſint, uel quòd rapaces & impetuoſi. Martiales apud Larinates appellabantur miniſtri publici Martis, atque ei Deo conſecrati.*

MATVRANT. *Infinita Pompeij.] Indeficiens Pompeij bonorum uenditio. Quibus.] Latronibus. Si enim.] Conſentire deos immortales ad Remp. conſeruandam ſic colligit: Dij immortales euentura prodigijs & portentis denunciant: conſenſus & conſpiratio omnium ad eandem rem, ſine deorum impulſu eſſe non poſſunt: ergo & hæc prodigiorũ atque portentorum loco accipere debemus: deoſq; uelle ut Antonius hoſtis iudicetur, libertas recuperetur. Cic. lib. 1. de Diuinat. Quia enim oſtendunt, portendunt, mõſtrãt, prædicunt, oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicuntur. In foueam.] Vt lupus, urſus: foueis enim terra opertis decipi ſolent. Noui Conſules.] Panſa & Hircius.*

BEROAL. *Nullus ludus iucundior quam cruor.] Quod de Marte bellorum præſide poetæ tradunt, id Tullius adſcribit Antonio, ut ita inhumana hominis crudelitas euidentius planiuſq; oſtendatur. nam cui cædes & cruor pro ludo eſt, & ludicro oblectamento, is haud dubie crudeliſſimus, & maxime ſanguinarius eſt iudicandus. Mars Græco epitheto dicitur αἱμοχαρὴς, id eſt ſanguine gaudens: Quem, ut inquit Horatius, iuuat clamor, galeæq; leues,*

*Acer & Mauri peditis cruentum*
*Vultus in hoſtem.*

*Silius quoque de Marte ſcribens decentiſſime cecinit,*

*—Lituiq; tubæq;,*
*Vulneraq; & ſanguis, & clamor, atque arma iuuarent.*

*Non pauci memorantur inhumana crudelitate præditi, quibus cædes & ſanguis humanus iucundior fuerit quàm cuncta ſpectacula & ludi. Voleſus Aſiæ Proconſul cum trecentos una die percuſſiſſet, incedẽs inter cadauera uultu ſuperbo quaſi magnificum quiddam conſpiciendumq; feciſſet, proclamauit, O rem regiam. Annibalem quoque illum dirum & Romanis abominatum dixiſſe ferunt, O formoſum ſpectaculum: cum foſſam humano ſanguine plenam uidiſſet. Necnon Vitellij uox illa deteſtabilis merito taxatur dicentis, optime olere occiſum hoſtem, & melius ciuem.*

MATVRAN. *Incumbite.] Inſtare totis uiribus.*

*Quanquam mortẽ.] Quaſi uiri ſint ad mortem intrepidi,*

di,& ſæpe non mortem ipſam,ſed genus mortis deuitare ſtudeant. Aeneas apud Virgilium non mortem timet,ſed mortis genere triſtis eſt.naufragio enim,quod ait Heſiodus,perire,graue eſt. Quæ propria Romani generis.] Liuius,Romanorū eſt, inquit,fortia facere,fortia pati. Quanquam omnia alia.] Ac ſi diceret:etiam ſi maiores noſtri uirtutem nobis non reliquiſſent,ipſa tamen ſua ſponte nos ad ſe complectendam (eiuſmodi enim eſt) poteſt allicere. Exciderunt.] Suſtulerunt penitus tertio Punico bello. Numantiam.] Oeuracorum in Celtiberia ciuitas hæc fuit:ſummum,ſi uires exiſtimes,Hiſpaniæ decus:de cuius nomine duntaxat poſterior triumphauit Scipio.ſe enim & ſua ferro & igni perdiderunt Numantini.

Cum eo.] Tali. Qui haberet.] Hæc omnia,ſcilicet ut Tarentinus,Carthaginenſis. Si ita res tuliſſet.] Si uicti fuiſſent maiores noſtri. Hic ueſter hoſtis.] Antonius. Aerarium.] Vbi publicæ ſeruabantur pecuniæ,quod Romæ fuit in æde Saturni. Nam concordiam ciuium.] Vbi ciuitas eſt, hoc eſt ciuium multitudo,illic concordia poteſt eſſe,ſi cōſentiāt: & diſcordia,ſi diſſentiant. Excurſore.] Qui uagatur,& huc illucq; excurrit. Conflauit.] Contraxit. Quem accepit.] A Rep.Quinque illas ſignificat legiones quæ in Macedonia fuere Antonij prouincia. Equidem.] Suum pollicetur ſtudium. Id ſine ſcelere facere poſſit.] Prætermittere ſcilicet quod ad libertatem pertinere uideatur. M. huic Seruilio.] Trib.hic erat plebis. Collegis.] Alijs Tribunis. Longo interuallo.] Diu enim ſub Iulio ſeruitutem paſſi erant,et tūc patiebantur ſub Antonio.

BERO. Spartaco.] Spartacum appellat Antonium, quaſi alterum gladiatorum principem,ducemq; fugitiuorū,atque latronum uexillarium.de Spartaco ante dictum eſt,et inuulgata ſunt omnia. Belli induſtria inferior.] In oratione pro Cœlio de Catilina ſcriptum eſt,fuiſſe permulta in eo maximarum,non expreſſa ſigna ſed adumbrata,uirtutum: et ſicut flagrabant uitia libidinis apud illum,ita uigebant etiā ſtudia rei militaris:qui cum triſtibus ſeuere,cum remiſſis iucunde,cū ſenibus grauiter,cū iuuentute comiter,cū facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſe uiuebat.

IN PHILIPPICAM V.

MATVRANT. Exercitum Antonius Ariminum præmiſerat,et ſubſecutus ipſe fuerat,in prouinciamq; Galliam uenerat,quam tradi ſibi à Decimo poſtulabat:recuſantemq; intra Mutinam obſederat. res nunciata Romam eſt.Noui Conſules Panſa & Hircius Ianuarij menſis initio illico Senatum in Capitoliū inter ipſa quæ pro ſe faciebant ſacrificia conuocant.de Mutinæ referunt obſidione.Cicero,& qui eiuſdem erant factionis,id agere conantur,ut patriæ hoſtis iudicetur Antonius,quòd Galliam prouinciam ad patriæ oppugnationem inuito Senatu inuaſiſſet:quòd exercitum cōtra Getas in Macedoniā miſſum,in Italiam reuocaſſet: quòd ſtipatus armatis per urbem inceſſiſſet,domū muniuiſſet,& omnibus ſuperbior quàm annua poteſtas poſtularet,uiſus eſſet. Lucius uero Piſo,uir Conſularis,et magnæ auctoritatis,qui abſentem Antonium defendebat,uocandum ad diſquiſitionem cenſet,et cauſa indicta minime damnandum. Aſſenſum tamē Ciceroni fuiſſet, ut hoſtis iudicaretur Antonius niſi Trib.pl. Saluius interceſſiſſet,& in ſequentem diē differendam rem cenſuiſſet.Is quo minus & contra Antonium,et de D.Bruto decerneretur quippiā, tā diu obſtitit, quoad à Senatu eſt prohibitus.Tūc et Decimus collaudatus,quòd Antonio prouincia non ceſſiſſet: et Octauio honores decreti,ut una cum Conſulibus exercitū ducere,et Conſulatū decem annis ante quàm per leges liceret,petere poſſet. Decretum præterea,ut militibus qui ab Antonio ad rē tranſiſſent,tantūdē a populo impenderetur,quantum ipſe uictoribus erat pollicitus.Ex quo Senatus decreto re ipſa hoſtis Antonius eſt iudicatus:ſed cū matris,uxoris,ac paruuli filij tota nocte diſcurrentium,& potentioribus ſupplicantium lacrymis flecti cœpiſſent,orationē habuit Cicero,qua lab.ātes animos retinuit: ut apud Appianum eſt:in qua oblique multa dicit in Saluium Tribunum,& in Antonij odium omnes rurſus accendit. cōtra dicit L. Piſo pluribus,obiecta Antonio à Cicerone diluit,multa ipſe obijcit,efficitq; ne hoſtis patriæ tunc iudicetur:Legatos mittendos ſuadet: dehortatur Cicero,& non modo non faciendū cenſet,ſed inutile & turpe dicit eſſe Romano imperio, ad eum Legatos mittere,quem ſupplicem depoſitis armis ueniam petere pro tot peccatis ac ſceleribus conueniret.Acta eius cenſet reſcindenda,nec Conſulem,ſed hoſtem habendum.Nihil illi credendū monet,qui utiliter latas à Cæſare Dictatore leges peruerterit,et nefarias ipſe prius tulerit quàm ſcripſerit aut promulgauerit. Multa & uera in eū congerit crimina,fœde ac turpiter ab eo facta commemorat.D.Brutum laudat:ut ei,M. Lepido, Octauio,& L.Egnatuleio honores decernantur hortatur: ſuam de præmijs Martiæ & Quartæ legioni,ac militi qui ad Conſules cōueniſſet,diſtribuendis,profert ſententiam.Exorditur autē per locum expectationis Calendarum Ian.Statim autem ſuadet nō eſſe ijs aſſentiendum qui Legatos ad Antoniū mittendos,et de pace cum eo agendum retuliſſent.Eſt,ut ſuperiores,in deliberatiuo genere hæc oratio,etſi maiore ex parte uituperatur Antonius. NIHIL unquam longius.] Nam expectanti animo, quod ait Seneca,omnis celeritas mora eſt. Qui idem bellū.] Antonium ſignificat,& inuidioſe ait,ut Venus apud Virg.

Nauibus infandum amiſſis unius ob iram.

una enim duntaxat perierat. Non expectant.] Sed rem agunt clauſo intra Mutinā Decimo. Nos autem.] Ac ſi diceret: cum agendū erat,deliberabamus,& tēpus conſultando conterebamus qui Demoſthenis locus eſt. Magis exoptent.] Neque enim ſerum uidebatur contra Antonium et decernere & agere Conſulibus:quippe qui & animo erant præſenti,& certam ſumebant ſpem conſeruādæ bonorum ſalutis,et libertatis recuperandæ. Eius.] L. Piſonis. Conſiderem.] Ereæ mihi perſuadēt,ut eius de mittendis ad Antonium Legatis ſententiam minime ſequamini. Nudiuſtertiuſdecimus.] Nūc dies tertiuſdecimus,quo die Cicero duas proximas habuit orationes ad P.C.& ad Quirites. Ea conſtituiſtis.] Laudandum Decimum,& prouinciam Galliam,Octauio honores decernendos,legionibus Martiæ & quartæ præmia promittenda. Integrum.] Liberum. Honeſta pax.] Si Antonius armis depoſitis pro peccatis & facinoribus ſuis ueniā ſupplex petat.Pacem uult.] Hoc L.Piſo eius nomine dicebat. Cōmendat.] Illis gratificando & omnia quæ uelint indulgendo. Grauiſſimum iudicium.] Quidquid ageret,contra ueſtram agere amplitudinem:& qui ei aduerſantur,recte facere. Eos duces.] Octauium,& Decimum Brutum. In colonias.] In Campaniam,& alia loca. Ab Antonio.] Quem Iulius deducendis præfecit colonijs. Nondum haberetis.] Qui nōdum magiſtratum inierant. Imperatorū.] Octauij & Decimi.

BEROAL. Nudiuſtertiuſdecimus.] Dicitur paſſim nudiuſtertius,nudiuſquartus,pro eo quod eſt, nūc dies tertius eſt nūc dies quartus:nec ulterius progredi poſſe pleriq; autumant:quorum opinioni reclamant celeberrimi ſcriptores, quorum auctoritas pro ratione eſt: & in primis Plautus, qui in Trinummo inquit, Ad forum ibo: nudiuſſextus cui talentum mutuum dedi,repoſcam,Et hoc in loco M.Tullius,à quo bis dicitur nudiuſtertiuſdecimus,id eſt nunc dies tertiuſdecimus eſt.

MATVR. Dies duodecim.] Ex quo quæ dixit, decreta erant. Cotylam.] Is unus erat ex impuris & nefarijs

qui Antonium ſequebantur. Patronos Conſulares.] Defenres. & L.Piſonem tangit. Eſt enim opinio.] Id enim ab Antonij amicis iactabatur. Decreturum aliquem.] Aut Saluium Trib.pl. Aut L. Piſonem ſignat. Neruos Belli.] Sic appellant pecuniam belli neruos. Tu.] Aperte in L.Piſonem & Saluium dicit, quorum uterq; ideo ſe dicebat Antonium defendere quòd amicus ille eſſe. Quàm patriæ.] Quæ una omnes omnium charitates complexa eſt, ut ait Cic in Offi.

Mihi pecuniam attribuit.] Verba ſunt Antoniũ defendẽtis. Ideo defendo, quoniam mihi pecuniã tribuit. Cicero uero ſubijcit, Cupio uidere quid ad hæc audeat reſpondere: ac ſi dicat, negare non poterit. At non cadunt &c.] Obiectio eſt, cui reſpondet Cic. Ne Cotyla quidem.] Antonij aſſecla hæc diceret. Eas leges.] De quibus in 1.Phil eſt dictum. Ille.] Iulius. Paludes.] Pontinas, quod in eius uita inquit Tranquillus. Moderato homini.] Ironice. Antonio.] Fratri, quem Trib.pl. diuidendis per totam Italiam agris præfecit.

Legem.] De Triumuiris diuidendorum agrorum. neq;.n. rogatus fuerat populus: & cum legem tulit Antonius, agi cum populo propter tonitrus & imbres effuſiſſimos nõ poterat. Ferri potuit.] Ac ſi dicat, minime. Augur uerecundus,] Ironice. Interpretatione.] Declaratione Augurum, cum aperta ſint per ſe. Ioue tonante.] Hoc idem Cicero ipſe lib.2. de Diuinatione.

BERO. Ille paludes ſiccare uoluit.] Cæſar dictator non ſolum Pontinas paludes ſiccare deſtinauerat, ſed & Nomẽtanas, Setinasq;, ut ita latifundia pãderẽtur, quibus multa mortalium millia ali poſſent. Plin. inquit, Siccentur Aethiopide herba Pontinæ paludes, tantũq; agri ſuburbanæ reddatur Italiæ.

Ioue tonante.] In 2. de Diuinatione, Ioue, inquit, tonante, fulgurãte comitia populi habere nefas. Hoc fortaſſe Reip. cauſa conſtitutum eſt. comitiorum enim non habendorũ cauſas eſſe uoluerunt. hinc exijt illud Lucani,

Nec cœlo ſeruare licet, tonat Augure ſurdo

Auguſtus, auctore Tranquillo, frequentabat dedicatã in Capitolio ædem Tonantis Iouis. Ait Pli. Lucos & aras & ſacra habemus, interq; Statores & Tonantes & Feretrios, Eliciũ quoq; accepimus Iouem.

SVIS Latronibus condonandi.] Quidam legunt, Vrbis, agrorum ſuis lat. condonandorum. ego, inquit Hierony. Ferrar. hic, condonandi, cum omnium librorum, tum locupletiſſimorũ auctorũ, qui ita locuti ſunt, auctoritate defendo: ut Liuius, Veſtri adhortandi cauſa. Plaut. in Capt. Nominandi iſtorum tibi erat magis quàm edundi copia. Eſt etiã apud ſcriptorem neſcio quem, Diripiendi pomorum. Dubitatis?] M. Tullius cũ quid ageretur aperuiſſet, atq; de geſtu intellexiſſet, ſenatui orationem ſuam fidem non feciſſe, nec ſuſtuliſſe dubitationem, tũ addidit, Dubitatis? An non cadunt &c. Sic & Plautus, Poſt argumentum huius eloquar tragœdiæ. quid contraxiſtis frontem? Cic. pro Milone, Sed ita, ſi P. Clodius reuixerit. quid uultu extimuiſtis? & in 6. Phil. Redeo ad amores deliciasq; ueſtras L. Antonium qui nos omnes in fidem ſuam recepit. negatis? Et hæc tam in multis, quia in quibuſdã libris legitur Dubitate quid agatis. in alijs, Dubitatis quid agat ſcilicet. in alijs, Dubitatis quid agatur. in alijs dubitate, tantummodo. Hierony. Ferrar.

MATVRANT. Trib. pl.] Præcipue propter L. Antonium dicit, quo Tribuno factum eſt. Cõtra acta Cæſaris.] Quibus uoluit, ne prætoriæ prouinciæ plus quàm annũ, Conſulares plus quàm biennium obtinerentur. Ille.] Iulius.

Iſti.] Tribuni.] Hanc legem.] De prouincijs. Ante lata quàm ſcripta. Scribebatur enim prius, trinũdino promulgabatur, in æs inde incidebatur, & tunc demũ lata dicebatur. ſed hæc neque ſcripta neq; promulgata, lata ab Antonio aſſerebatur. Vbi lex Cæcilia & Didia.] Quas Cæcilius & Didius tulere de rogãdis legibus, ut nullã uim haberent niſi magiſtratus populum rogaret, niſi item triunundino promulgarẽtur perſcriptæ, hoc eſt tribus nũdinis recitarẽtur, cũ omnis etiam ex agris adeſſet multitudo: ut ſi quis uellet, intercedere poſſet. Vbi promulgatio?] Hic diſtinguendum. Trinundinum.] Vbi trinundinum? Pœnæ.] Statutæ ſcilicet. Recenti.] Nuper lata. Iunia & Licinia.] Quam Iunius & Licinius tulerunt, ſuperiores leges à Cæcilio & Didio prius latas confirmãtes, grauiore pœna adiecta. Hæ leges.] Latæ ab Antonio de prouincijs. Cui.] Nulli. Quæ porrò.] Et prohibuit intrare forum Antonius, & tonante Ioue tulit leges. Hanc dubitabit.] Ac ſi dicat, dubitare non poterit. Cum collega.] Dolabella. Eius collegæ.] In Auguratu. Septis reuulſis.] Repagulis et cancellis, quibus undiq; forũ ſeptum fuerat, quod fiebat comitiali die. Ouid.

Eſt quoque quo populum fas eſt includere ſeptis.

Videres.] Videret quiſpiam. Non teneri.] Non eſſe, obnoxium. De integro.] Denuo, ut iterum rogentur, ac ſi rogatæ nondum eſſent.

BEROAL. vitioſus magiſtratus dicitur uitio creatus contra auſpicia, & Augurum diſciplinam. Vitium eſt ſecundũ Augures ſi tonet tantum: uitium & calamitas, ſi tonet & grandinet ſimul, & etiam fulminet.

VBI lex Cæcilia & Didia. Quidam putant, inquit Hierony. Ferrar. hic, duas leges eſſe Cæciliam & Didiam, cum una ſit, ut item Iunia & Licinia. quod ut planum faciamus, ait Cic. lib.2. epiſt. ad At. Qui legem Aeliam, qui Iuniam & Licinĩ, qui Cæciliam & Didiam neglexerunt. & 4. Nunc ad ea quæ quæris de Catone, Lege Iunia & Licinia ſcis abſolutum. & cõtra Vatin. Poſtulatus'ne ſis lege Iunia & Licinia. Etſi ibi mendum eſt librarij. eſt enim ſcriptum Iulia. Fuit autẽ, opinor, lata hæc lex à L. Licinio Murena, & D. Iunio Silano, qui poſt Ciceronem conſules fuerunt: & propterea recentem appellauit. Cõfirmabat autem, ut arbitror, aliam quandam legem ante latam. & hoc amplius erat diligentiſſime ſancta: pœnasq; maximas conſtituebat in eos qui ei non obtemperaſſent. Hæc ille.

MATVRAN. Septies millies.] Hæc pecunia ad ædem fuerat Opis, quam tranſlatitiam uocat Tranquillus, hoc eſt communẽ, & in medio poſitam. Falſis perſcriptionibus.] Donationibus, dicens à Cæſare in commentarijs perſcriptũ, hoc eſt aſſignatum donatumq; cuipiã eſſe. Alij proſcriptionibus legant, hoc eſt proſcribendis & in exilium mittendis Romanis ciuibus, eorumq; bonis publicandis ac uendẽdis. Vt præſcriptio legatur, hoc eſt rei uendicatio, non procedit. Auertit.] À poſſeſſione Reip. ad poſſeſſionem uſumq; priuatum per fraudẽ trãſtulit. Immunes quæſtus.] Lucrum factum ex immunitatibus, prouincijs & ciuitatibus & priuatis hominibus conceſſis.

In æs.] Vt rata eſſent. Exhauſit.] Omnibus concedens qui emere quippiam uellent. Mulier.] Fuluia. Sibi felicior quàm uir.] Quæ enim ex beneficiorũ uenditionibus accipiebat, ea etiam cõſeruabat, cũ uir ipſe effunderet illico. Quaſi lege.] Quia dicebatur lege Cæſaris reſtitutus, quæ eſſet in commentarijs, cum tamen nulla eſſet. Quæ.] Omnia ab Ant. acta. Commentitijs.] Fictis. Comminiſci fingere eſt.

Falſa.] Quæ Senatus neque nouerat. Syngraphæ.] Cautiones per contrahentium ſcripturam factæ. Senatuſconſulta tanquam facta.] Ac ſi re uera ſenatus feciſſet, in ærariũ referebantur, ubi & leges & Senatus decreta in æs inciſa reponebantur. Etiam exteræ nationes.] Quibus beneficia et priuilegia concedebantur. Hoc genus.] Pecunia. Legem Iudiciariam.] De qua in prima Phil. eſt dictũ. Homo caſtus.] Ironice. Anteſignanos.] Centuriones, & qui ordines duxerant. Anteſignani uero ante ſigna collocabantur, ut primipili.

Manipulares.]

Manipulares.] Qui præerant duabus Centurijs, hoc eſt due centis quinquaginta ſex. Alaudas.] Ex illa legione Alaudarum, de qua prius eſt dictum. Conſeſſum.] Duo ſignificat conſeſſus, & locum, & multitudinem, ut ſenatus. συνέδριον Græci dicunt. Pauet animus.] Eorum qui cauſas orant, dicere pro reo apud illud conſilium, & apud Cydam Cretenſem, qui inſulæ Cretæ portentum eſt. Num ex iudicum &c.] Id eſt ex his qui deligi iudices ſolent. Leges.] Quæ ſcriptæ ſunt. Mores.] Qui ſunt in conſuetudine. nam, quod ait Vlpianus, inueterata conſuetudo pro lege non immerito cuſtoditur: & hoc ius eſt, quod dicitur moribus conſtitutum. Etiam in noſtris ciuibus.] Qui multi nota aliqua digni non ducuntur.

BEROAL. Syngraphæ obſignabantur.] Autumat Aſconius inter chirographa & ſyngraphas hoc intereſſe, φ in chirographis tantum quæ geſta ſunt, ſcribi ſolent: in ſyngraphis uero etiam contra fidem ueritatis pactio uenit: & nō numerata quoq; pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria uoluntate hominum ſcribi ſolet. Chirographarium Iuriſconſulti decenter appellant debitorem, qui proprio chirographo ſe debere profitetur. O conſeſſum iudicum.] In epiſtolis ad Atticū,

Non turpior in talario ludo conſeſſus quàm hic iudicū fuit.

Cydam Cretenſem.] Pronunciatione adtumidum, tanquā hominem nequiſſimū intelligi uelit, qui Cretenſis ſit. Apud Græcos in prouerbio eſt, τρία κάππα κάκιστα, Tria cappa peſſima, propter Ciliciam, Cappadociam, Cretam. Noſtri hoc referunt ad tres Cornelios, uidelicet Cornelium Syllam, Cornelium Cinnam, & Cornelium Lentulum. hi enim per has tres literas deſignati ſunt in libris Sibyllinis. Altera quoq; parœmia eſt κρητίζειν de his qui mentiuntur et fallunt, tāquam uerum ſit illud Epimenidis, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί. id eſt, Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, uentres pigri. Delectus iudicū.] Seruatum eſt, inquit Plin. in hodiernum diem, ne quis è nouis ciuibus in Decurijs iudicum iudicaret. Idem auctor eſt, ad hoc iudicandi munus prouinciales quoque admiſſos.

SIBI fœlicior quàm uiro.] Idem mihi uidetur (inquit Hieronym. Ferrar.) hic locus ſonare quod ille in 2. Philipp. Quis autem meum Conſulatum præter P. Clodium qui uituperaret, inuentus eſt? cuius quidem te fatum, ſicut C. Curionem, manet: quoniam domi tuæ eſt, quod fuit illorum utriq; fatale. & ille alter, Iſta tua minime auara uxor, quam ſine contumelia deſcribo, nimium debet diu populo R. tertiam penſionem. Fuluia cum P. Clodio fuerat, interfectus eſt: cum C. Curione, eundem habuit exitum. quòd igitur eo fato nata erat, ut cui nuberet, ei ferro uita eriperetur, idcirco modo fatalem uiro, modo fœliciorem ſibi quàm uiro dicit.

MATVRANT. Cortynium.] Ex ciuitate Cortyna, quæ illuſtris fuit in Creta inſula. abeſt autem ab Africano litore ſtadijs nonaginta, in campo ſita. auctor Strabo. Nam Lyſiadem.] Et hunc in iudicum numerum elegerat Antonius, corruptiſſimis & fœdiſſimis moribus, etſi Phædri philoſophi Epicurei inſignis ea tempeſtate filius erat. Lyſiadem.] In hunc iocatur Cicero. Feſtiuus.] Iucundus, lepidus. Cum M. Curio.] Is ſcurra erat & aleator impuriſſimus, unus ex iudicibus ab Antonio delectis. Conuenire.] Conſentire & congruere. nam magna inter molles concordia. Citatus iudex.] Vt in conſeſſum ueniat iudicum, per uiatorem uocatus. Areopagites eſſe.] Idcirco adeſſe non debere, nec cogi poſſe, quòd Areopagites, hoc eſt Athenienſis iudex ſit. Areopagus locus fuit iudicij Athenis, in quo primum capitis iudiciū actum eſt, quod ait Plin. & ubi de cæde iudicabatur. & quoniam in eminenti loco ſitus erat, πάγος composito nomine cum ἄρης, qui Mars eſt, pugnæ & cædis deus, appellabatur. Aeſchylus idcirco hoc loco nomen dixit eſſe, quòd ad eum uſq; locum Amazones duxere exercitum, quæ Martis fuere: quel quoniam illic ſedentibus dijs à Neptuno accuſatus eſt Mars, quòd Allirothium eius filium occidiſſet: quod ille fecit compreſſa per uim ab eo Alcippe filia ſua & Agraules Cecropis filiæ: qua de re extant declamationes apud Græcos. Is qui quæſtioni præerit.] Antonius indagandæ rei præpoſitus, & excuſationi munus reijcientium. Modo palliati.] Pallio ueſtiri, quo habitu Græci utuntur. unde palliata eloquentia, & fabula palliata, hoc eſt græca dicitur. Toga n. Romanorum ueſtis fuit. Et Virg. ait,

Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.

An Athenienſium antiquiſſimas leges negligat] Quibus cauebatur, ut, qui Areopagites eſſet, alijs iudicijs adeſſe iudicaturus non poſſet. ſāti enim faciebant in Areopago iudicare, ut turpe ducerēt ſi quis alibi iudicaret, qui iudex in eo iudicio fuiſſet. Cretenſis iudex.] Cydas. Alleget.] Ius ſum explicet. Papinius,

Allegentq; ſuos utrique à ſanguine diuos.

* Putem magis alleget hic ſumi pro eo quod eſt uelut deprecatorē aut defenſorem mittat. quærit Cicero, quem poſſit reus ad eum mittere? quo modo ipſe accedat? * Accedatur.] Cydas. Dura.] Difficilis, inexorabilis. Natio.] Cretenſis.

Periculum fortunæ.] Qui fortunæ uarietatem experiūtur quotidie, hi ſolent eſſe humaniores: ſed iocatur, & periculum ſignificat pecuniarum & bonorum quod in alea Curio faciebat.

Solum uertiſſe,] Locum mutaſſe, & in exilium, quòd ſoluendo non eſſet, abiſſe. Ille demens.] Antonius. Horum nomina.] Iudicum enim nomina in æs incidebātur, & in ærarium deferebantur. Saltatores.] Tripudiantes. ſalto. n. tripudio eſt, & ſaltatio tripudium. Comeſſationis.] Laſciuior conuictus & amatorius comeſſatio dicitur, à uicis quos Græci κώμας uocant. in his enim habitauerunt prius quàm oppida conderentur, quibus in locis alij alios conuictus gratia inuitabant.

BEROAL. Modo palliati, modo togati.] Sat notum pallium ita Græcorum eſſe, ſicut togam Romanorum, unde palliatæ fabulæ, & togatæ dictæ. Claudius Imperator, peregrinitatis rerum, orta inter aduocatos leui contentione, togatum'ne an palliatum dicere cauſam oporteret, quaſi æquitatem integram oſtentans, mutare habitum ſæpius, & prout accuſaretur defendereturq;, iuſſit. Athenienſium leges.] In oratione pro Flacco, Adſunt Athenienſes: unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ atque in omnes terras diſtributæ putantur. Apul. Athenienſes bono epitheto legiferos & catos appellat. Periculum fortunæ.] Alludit ad aleatorem, qui in alea ſingulis momentis periculum fortunæ ſubit. Tradunt auctores, Curium aleatorem fuiſſe notiſſimum, in quem eſt hendecaſyllabus Calui elegans, Et talis Curius pereruditus. Solum uertiſſe.] Solum uertere eſt exilij cauſa ſedem locumq; mutare, ut eleganter docet M. Tullius in oratione pro Cecina: cuius uerba ſunt hæc, Exilium non ſupplicium eſt, ſed profugium portuſq; ſupplicij. nam qui uolūt pœnam aliquam ſubterfugere, aut calamitatem, eò ſolum uertant, hoc eſt ſedem ac locum mutant. Itaque, Collegæ eorum exilij cauſa ſolum uerterunt, bona publicata ſunt. Apud Satyrographum peruagatiſſimum eſt carmen,

Qui uertere ſolum, Baias, & ad Oſtia currunt.

Inter fulmina & tonitrua.] Sæpe diximus quemadmodum fulminante aut tonante Ioue nefas erat agere cum populo: & ex diſciplina Augurum uitium fieri dicebatur, ſi tātum tonuiſſet: nimium uero & calamitas, ſi & tonitrus & grando & fulmina ſimul interueniſſent.

MATVRANT. In tertiam decuriam.] Quam ex Centurionibus uoluit deligi. Scelerū magnitudo.] Hæ cauſæ Antonio fuere decuriam illam eligendi, ut eius beneficio tutus

*quin ſcripti codices mendo uacent, impreſſi & Liuij & Ciceronis libri corrupti ſint, atque deprauati.*

MATVRANT. *Pro Annibale.*] *Depoſcendo.*

*Aut uolumus aut poſſumus.*] *Quaſi dicat, minime aut uelle debemus aut poſſe, cum ea contra eũ decreuerimus. quæ decreuimus.* Ad Vrbem.] *Brunduſio enim Vrbem oppugnatum ueniebat, niſi Octauius terruiſſet.* Edicto allato.] *De uoluntate ipſius.* Vexillum.] *Quod tollet Antonius quoties noui aliquid moliri ciues uoluerunt.* Peregre.] *In Aſia Mylaſis.*

Familiam.] *Gladiatores.* Ipſe per ſe ſanus.] *Eſto per ſe ſapiat Antonius, per Lucium & alios ſanus nunquam erit.*

Teretur.] *Inaniter conſumetur.* Vnde eſt adhuc.] *Nam ſi lenti & pigri in decernendo (quod prius eſt dictum) non fuiſſet, bellum non eſſet. Tarditate Senatus abuſus erat Antonius.* Omne malum naſcens.] *Ouid.*

> *Principijs obſta: ſero medicina paratur,*
> *Cum mala per longas inualere moras.*

BEROAL. *Conſcidiſtis.*] *Lacerastis, proſcidiſtis, & re quaſi ipſa hoſtem iudicaſtis Antonium.* Omne malum naſcens.] *Eccleſiaſtica ſententia eſt, alliđẽdos eſſe paruulos ad petram: quod ſymbolicos ſignificat, uitia dum naſcuntur, eſſe elidenda: quæ ſi inueterata fuerint, adeo roborantur, adeo ualidum capiunt incrementum, ut reuelli profligariq́; deinceps non queant.* Præterita omittamus.] *Apud Liu. inquit Annibal, Præterita magis reprehendi poſſunt, quàm corrigi.*

MITTEBATVR *ad Annib.*] *Veteres omnes libri habent, Mittebatur pro Annibale hoſtibus noſtris & ſocijs. ut non male fortaſſe ſic reponi poſſit, mittebatur pro Annibalis hoſtibus, noſtris etiam ſocijs: ne nimium ab antiqua ſcriptura recedatur. Hieronym. Ferrar.* Ante diem XIII.] *Sine controuerſia ſcribendum eſt, Ante diem XIII. Id declarat quod Nu diuſtertiuſdecimus ſupra dixit.* Idem Ferrar.

MATVRANT. *Tumultum.*] *Bellum propinquum ac periculoſum declarari eſſe. ſic enim appellabant uicina bella & Italica, ut Gallicum.* Iuſtitium.] *Quod in magis periculis & timore Reip. indici ſolebat, hoc eſt iuris dicendi intermiſſio, ut apud Liuium ſæpiſſime legimus. & iuſtitium quidẽ dictum, quoniam ius ſtat.* Saga.] *Veſtimenta militaria: unde Sagatus. Cic. in epiſt. Sagati in forum deſcendimus.* Sublatis uacationibus.] *Vt nulla ſit cuipiam uacatio & excuſatio à bellis.* Præter Galliam totam.] *Comatam & Ciſalpinam.* Contentionem.] *Non contra ſe dicebat bellum parari, ſed partium eſſe contentionem, hoc eſt diſſenſionem: ſed earum partium quas Antonius dicit, alteri uicti ſunt, hoc eſt Pompeiani: alteri in partibus Cæſaris ſunt: niſi fortaſſe quiſpiam ſibi perſuadet Cæſaris partes Dictatoris à conſulibus Hircio & Panſa, qui Cæſariani fuere, et C. Octauio Cæſaris filio oppugnari, quod credibile non eſt: ergo non contentio partium eſt, ſed ipſe oppugnatur Antonius.* Ad opinionem.] *Pro uoluntate & deſiderio cuiuſque.* Septemuirũ.] *Aut ab ipſo diuidundis agris cum L. fratre præfectum: aut ſeptemuirum epulonem ſignificat.* Capitalem hominẽ.] *Flagitioſum, & cuius caput peti debeat ad pœnam. Cicero, capitalis Eteocles, uel potius Euripides. Et uitium ac peccatum capitale dicitur, propter quod cõmittentis caput peti ad ſupplicium debet. Aliter capitale odium, capitalem morbũ dicimus, quòd alterius caput petunt. Alij Septimiũ legunt.* Quid concupiſcas, tu uideris.] *Verba Antonij, Tu cogita & elige quid uelis, nullam patiere repulſam.* Ne ſorti quidem.] *Ante bona noſtra promiſit, quàm ea ſors & fortuna diuideret, & fierent uictoris occupantis.* Ne quid Reſp.] *Hoc uti uerſiculo Reip. periculoſis temporibus ſolebant, quod ait ſæpe Liuius.* Fraudi.] *Damno & periculo. Etiam in ueteri iure lectum eſt, Erit ea res fraudi. Cicero in epiſtola ad Lentulũ, Maiori illis fraudi quàm tibi futurũ. Sed qui ordo in ſententijs rogandis.*] *A. Gellius lib. 4. cap. 10. quid obſeruatum ſit de ordine rogandarũ ſententiarum ante legem de Senatu habendo, quæ poſtea fuit lata, ſcribit. Primi tamen ferè Cõſules deſignati rogari ſolebant. Salluſt. in Catilina, Tum Syllanus ſententiam rogatus, quòd eo tempore Conſul deſignatus erat.* Seipſa.] *Nam uera uirtus ſua ipſius conſcientia contenta eſt, etiam ſi à nullo laudetur: quod ait alio loco Cicero.*

BEROAL. *Sagaſumi.*] *Saga ueſtimenta ſunt militaria, quæ in procinctu belli ſumuntur. Conſulares togati eſſe ſolebant honoris cauſa, cum ciuitas erat in ſagis: ut infra dicetur, Vos ſaga parare. Item, Saga cras ſumentur. Sagaria dicitur negociatio ſagorum; cuius meminerunt iuriſc. et à nobis copioſe facta eſt mentio in commẽtariis Apuleiano. Sagariam intelligi uoluit Satyrographus illo uerſu,*

> *An ſaga uendenti nubat caupone relicto.*

*M. Varro Sagam docet uocabulum eſſe peregrinum.* Sublatis uacationibus.] *Vt in octaua Philippica ſcriptum eſt, Vacationes militiæ non ualent in tumultus. In calce quoq; huius orationis dicit uacationem militiæ eſſe extra tumultum Gallicum Italicumq́;.*

ASCEN. *Quendam Septimium.*] *Quia adlectit, collegam ſuum, legam Septimium, nõ Septemuirum, ut in quibuſdam codicibus eſt: non enim erat Antonius in Septemuirũ collegio, ſed Augurum, in quo & Septimius eſt.*

* FORTVNAE QVE *noſtra notata.*] *Notata ſine cõtrouerſia legendum, ut ſit quemadmodum illud, Pecunias noſtras æſtimabat, poſſeſſiones notabat & urbanas & ruſticas. ſupra hac ipſa Philippica. Hieron. Ferrar.* Fortunas noſtras deſtinauit.] *Deſtituit ante legebatur, omnino male. Siquidem deſtituere hoc ſignificat, non ſtare promiſſis: atq; etiã, qui à te ſperet aliquid, hũc in ipſo articulo temporis deſerere: quod in L. Antonium profecto non cadit, à quo nihil tale expectabatur. Deſtinare uero dicitur, cum habeas aliquid cum amico iam ſtatutum ut facias. Alia quadã notione deſtinare ualet emere; ſed hoc nihil ad rem. Qui locus urbis terræ iam nõ erat alicui deſtinatus? iam mente et cogitatione attributus, aſſignatus, addictus? ne ſorti quidem fortunas noſtras deſtinauit. iam ſingulorum ciuium bona ſingulis latronibus deſcripſit: ut ne hoc quidem integrum reliquerit, ut quiſque haberet quod cuique ſors obtuliſſet, quod erat ſignum, eum qui id faceret, ſitire ſanguinẽ ciuium, atque omnium bonorũ uitæ imminere: quippe qui ſibi nihil reliqui ad promiſſa faceret, ut quod animo intenderat, poſſet efficere. Deſtinauit igitur omnino conuenit, non deſtitit. Hieron. Ferrar.*

MATVR. *Muro.*] *Quæ ſunt uelut murus. & in portẽto habuere maiores Alpes ab Annibale prius, deinde à Cimbris eſſe ſuperatas, quod Plinius ſcribit.* Præſidet.] *Ad opem ferendam & defenſionem præeſt. nam id ſignificat præſidere, unde præſes auxiliator & defenſor.* Antonio diadema Cæſari imponente.] *Lupercalibus, quod dictum eſt prius.* Illa.] *Sub Cæſare ſeruitutem.* Moderatione.] *Cum in partibus Cæſaris & magiſter equitũ illius eſſet, exercitumq́; haberet plebe quidem uociferante, & ut Cæſaris necem ulciſceretur obtẽſtãte, faciẽdũ eſſet diſſuaſit quod Appianus ſcribit.* Pietas.] *Quòd cum patre ſenſerunt, & contra Cæſarem paterna pietate ducti arma ſumpſerunt.* Fraudi.] *Damno.* Sex. Pompeium.] *Is ab omnibus ferè diligebatur. Lepidus ſuaſit acciri ex Iberia, ubi cõtra Cæſaris prætores bellum gerebat, eiq; pro paternis bonis in publicum redactis uicies & quinquagies decem millia drachmas atticas rependi: maris quoque imperium dari, quemadmodum parens eius olim habuiſſet, ut ingruẽtibus caſibus Romanorum claſſe, ubicunque ea eſſet, uti poſſet: quod Senatus conceſſit: etſi Appianus hoc Antonium trahit ſuaſiſſe.*

Patris ſimillimus filius.] *Cn. Pompeius. Is apud Mundam*

*honoribus, qui minoris extitiſſent ætatis, ideoq; uoluiſſe ut quidã gradus eſſent petitionis: uerbi gratia, qui 26. annũ agerẽt, Aedilitatẽ petere poſſent: qui quadrageſimũ, Quæſturam & Præturã: qui quadrageſimũtertiũ, Cõſulatũ & obfuiſſe dicit has leges: quoniã multi, qui potuiſſent prodeſſe Reip. ſi gerere magiſtratũ potuiſſent, antequã in ætate eſſent qua petere liceret, extincti ſunt.* Magna indoles ] *Ac ſi diceret, ſpecimẽ & apparẽtia, nõ ſignificatio ſolũ uirtutis idẽ in Off. In quibus eſt uirtutis indoles, cõmendantur. Etſi indoles nũc proprie dicitur, cũ maior in pueris elucet uirtus, quàm ætati cõueniat.* Rulli. ] *Vſurpat pluralem numerũ: Rullus uero eſt Q. Fabius Rullus primus ex ea familia ob uirtutẽs Maximus cognominatus, q magiſter Equitũ à Papyrio Dictatore penè eſt ſecuri percuſſus, q contra eius edictũ cũ Sãnitibus, etſi proſpere, pugnauerat. is ſolutus legib. Cõſul ante tẽpus factus eſt: de quo multa Liu. 8. & 11. ab V.C.*

Decij. ] *P. Decius bello Sãnitico Tribunus militũ Aulo Cor. Cõſule exercitũ in locũ iniquũ coniectũ ſeruauit. collẽ. n. occupauit imminentẽ ei in quo Sãnites cõſederant. Cõſul occaſione euadendi dedit. Ipſe ab hoſtibus circũſeptus erupit. Sequẽti anno ante tempus Cõſul creatus cum T. Manlio, bello Latino ſe deuouit.*

Coruini. ] *M. Valerius Trib. militum bello Gallico, Gallũ à quo prouocatus fuerat, inſidẽte galeæ coruo, et unguib. roſtroq; infeſtante, hoſtem interemit. Coruini ſibi poſteriſq; ea cauſa uendicauit cognomen: Cõſul proximo anno creatus eſt ob uirtutem, cùm 23. ageret annum. Liuius auctor lib. 7. ab Vrbe Cond. & Valerius tit. de his quæ magnifice cuiq; contigere.* Superior Africanus ] *Hic & Aedilis ante annos factus eſt, & Prætor cum ageret 23. annum, & Conſul tunc, cũ concedente collega in Africam traiecit. Valerius Max. Superiori, inquit, Africano Conſulatus citerior legitimo tempore datus eſt, quod fieri oportere, exercitus literis Senatum admonuit. ita neſcias, utrũ illi plus decoris Patrum Cõſcriptorum auctoritas, an militum conſilium adiecerit. Togam. n. Scipionem ducem aduerſus Pœnos creauit, arma popoſcerunt.* T. Flaminius ] *T. Q. Flaminius tempore belli Macedonici & ipſe ſolutus legibus eſt. Conſul n. factus aduerſus Philippum Macedoniæ regem fortiter pugnauit in faucibus Epiri, fugatũ coegit in regnum reuerti.* Iunior quàm Conſularis. ] *Quem 43. anno licet petere. Iunior & ſenior tũ moniis ſunt generis: & Cicero ait, Seniore Rep.* Curſum celeritorum. ] *Sæpe. n. anteit ætatem uirtus.* Namq; ij. ] *Hæc Octauio obijciebant aduerſarij, quibus occurrit.* Nihil cũ hac gloria. ] *O quàm falleris Cicero, & contra te ſunt quæ ſcribis in Off. lib. 1 Sed illud odioſum, q in hac elatione & magnitudine animi facillime pertinacia & nimia cupiditas innaſcitur principatus. et totus locus qui ſequitur. et, Aliud eſt expetere ueram gloriam, aliud ſimulare. Multis. n. quod ait Cicero, ſimulationum inuolucris obtegitur, & quaſi uelis quibuſdam obumbratur uniuſcuiuſq; natura: Frons, oculi, ſæpe mẽtiũtur, oratio uero ſæpiſſime.* Adoleſcenti. ] *Fuit. n. lubrica adoleſcentia, corrupta, & ad omne ſcelus, ſed præcipue ad ſeditiones prona: appetens uero principatus iam tunc maxime extitit Iulius .* Leuitate. ] *Fauore populi ſibi largitionibus & malis artibus conciliato.* Non poſſet. ] *Sicut tandem non tulit, ſed extinxit.*

BEROALD. Rulli. ] *Quidam codices habẽt Rutilianũ. Rullorum quoq; frequens mentio apud ſcriptores.* Titus Flaminius. ] *Hic Conſulatum ex Quæſtura petijt: unde Trib. pl. comitia impedire cœperunt, frementes iam Aedilitatem Præturamq; faſtidiri, nec per honorũ gradus documẽtũ ſui dãtes nobiles homines tẽdere ad Cõſulatũ, ſed trãſcẽdẽdo media, ſũma imis cõtinuare: Verũ nec ſic impedimento eſſe potuerũt, quin Titus Quintius Flaminius cum Sex. Ælio Pæto Conſul crearetur.*

MATVRAE. Hoc uidit. ] *Hoc animaduertit, ut uerã gloriam adipiſceretur.* Memoria domeſtici doloris. ] *Iulij patris occiſi, id quod multi iactabant, non confidẽdum Cæſari, qui priuatum accepiſſet uulnus, & ulturus crederetur.* Facere nõ auderem. ] *Si quid ſcilicet timendum eſſet.* Qui ager colonus eſſet. ] *Cæſar Dictator bellis confectis legem tulit, qua ueteranis præmia diſtribuit. deductis. n. in colonias agrorum certũ modũ uiritim aſſignauit. ſi quis plus occuparet, adimi & diſtribui alijs ueteranis, qui prius miſſi adderentur, uoluit.* Quò. ] *Ad quas colonias.* De agro Campano. ] *Qui ſemper populi R. fuiſſet, & diuiſus nunquam extitiſſet: quod multis in locis dicit Cicero.* Secunda & 35. ] *Scilicet legio. & ſic habet uera & antiqua lectio.* Extra ] *Præter.*

BERO. At eſt quibuſdam inimicus. ] *Obiectio per hypophoram eſt, hoc modo: Timendum eſt, ne Cæſar Auguſtus inimicus ſit clariſſimis ciuibus, his uidelicet qui patrem ſuũ interemerunt, & ob id deſciſcat à partibus Reip. Diſſoluitur hoc per anthypophorã, ut dicat Cæſarem adoleſcentem omnes inimicitias Reip. cõdonaſſe, & publicũ cõmodum priuatis affectibus antepouere, cui nihil ſit charius ipſa Rep.* Promitto, recipio. ] *Recipere ſignificatione minus remota eſt, idem penè quod ſpõdere atq; promittere. In epiſtola D. Bruti ſic ſcriptũ eſt, Pro C. Cæſare & te, ſi quid me uoliris recipere, recipiam.* De quibus retuliſtis. ] *Relationem feciſtis, Senatumq; conſuluiſtis. Inde relationes in Senatu fieri dicuntur. Celeberrimi ſcriptores tradunt de rebus diuinis prius quàm humanis ad Senatum referendũ eſſe: tum porrò referri oportere aut infinite de Rep. aut de ſingulis rebus finite. Auctor eſt Seneca, maiores noſtros nouam relationem poſt horam decimam in Senatu fieri uetuiſſe.*

IISQVE militibus legionis Mar. &c. ] *Locus hic ex ſententia Hier. Ferr. reſtitutus eſt, cũ ante uarie legeretur, aut, eiuſq; militibus leg. Mar. & leg. Quartæ darẽt, aſſignarẽt, ut quib. &c. aut, ijsq; ſeu hisq; militibus &c. quorum utrũq; falſum eſt: quòd harum legionũ cũcti milites Cæſarem ſecuti ſunt, ut ſupra rectè additum eſt prænomen ijsq; militibus qui de legione 2. & 35. quoniam eorum partim ad Hirtiũ & Panſam Conſules uenerant, partim ſe contulerant ad Antonium, ut ex epiſtola Galbæ licet intelligere. Dicitur autem, is, nẽpe ager, militibus leg. &c. ita aſſignaretur, quemadmodum paulo ante, Veteris militibus ueteranis diuideretur.* Hieron. Ferrar.

## IN PHILIPPICAM VI.

MATVR. *L. Piſonis & nonnullorum aliorum qui Antonio fauebant, in Senatu uicit ſententia de mittendis ad Antoniũ Legatis. Fuere autem Seru. Sulpicius, L. Cæſar, L. Piſo, L. Philippus: quibus hæc mandata Cicerone præſcribere, etſi inuito eo Legatio erat decreta, à Senatu data ſunt ad Antonium, ut Mutina confeſtim diſcederet: ut Decimo Galliæ prouincia cederet, quæ intra Alpes & Rubiconem amnẽ eſt: exercitum citra flumen reduceret, ita tamen, ne propius urbem ducentis millibus admoueret. Præfinitus item dies eſt, quo ſi nõ pareret, hoſtis Reip. haberetur.* Iam profecti erãt Legati. *Quid ergo in Senatu actum ſit, frequentem populũ ſcire cupientem, & uoce P. Apuleij ſciſcitantem, docet Cicerò, dilatum dicẽs eſſe, nõ ſublatum bellum. Facit autem præiudicium, re infecta Legatos redituros, & Antonium neque pariturũ Senatui, neq; ſi uelit, poſſe. atq; idcirco hortatur, ut paratis ſint ad rẽ animis, dum redeant. Inuehitur per occaſionem in M. & L. Antonios, quædam in L. Trebellium & T. Plancum, improbos & nefarios, qui ad Antonium ſeſe cõtulerãt ſuis electi ſceleribus, maledicta congerit. Populi in ſe commemorat beneficia, & ſuã operam ſummãq; ſtudiũ pollicetur. In eo præcipue laborat, ut ſuſpicionẽ populo adimat aut timoris Senatus ob miſſos Legatos, aut futuræ cũ Antonio cõcordiæ.* MINVS ſeuere. ] *Nã pro dignitate & ſeueritate Senatus nõ decernenda legatio, ſed illico hoſ*

ſis iudicandus fuerat Antonius. Diſſolute.] Mollius & remiſſe. Mora.] Donec legati reuerterētur. Nō cauſa ſublata.] Quoniā, ut dicturus paulo poſt eſt, non parebit Antonius. P. Apuleius.] Is Trib. pl. erat, cuius meminit Appianus. Ex eo.] Ac ſi dicat, propter id. Quod Senatus decreuit.] Quid aūt decreuerit, prius eſt dictū. Lōgo interuallo.] Poſt longū interuallū. diu. n. liber nō fuerat, XIII. Cal. Ian. cœpit eſſe. Etiam ſi uitæ finem allaturus eſſet.] Propter ea quæ in M. Antoniū dixi, & quibus hortatus ſum, ut honores & præmia Decimo & Octauio decerneretis, & omnib. qui cōtra Antonium pro Rep. quippiā feciſſent. Vna mēte.] Vna uoluntate. contigit aūt hæc populi acclamatio, & Ciceronis commēdatio, cum illam ad populum habuit orationem XIII. Cal. Ian. cuius initium eſt: Frequentia ueſtrum incredibilis, concioq; tanta Quirites. Quā perſonam.] Quam grauitatem & conſtantiam. Ab hiſtrionibus tractus eſt ſermo, qui quam perſonam ab initio fabulæ ſuſceperint, ſeu liberi, ſeu ſerui, ſeu regis, ſeu priuati, eam ad extremum uſque tum dictis tum factis ſeruant. Putaui.] Cal. Ian. quod præcedenti apparet oratione.

BERO. Iterum à me conſeruatam Remp.] Nemo non nouit ſemel à Cicerone conſule Remp. eſſe ſeruatam, detecta appreſſaq; Catilinaria coniuratione. Iterum cōſeruata uidebatur hoc tempore quo eodem duce Reſp. reſpirare uidebatur.

MATVRAN. Imperatorē.] Decimum. Coloniā.] Mutinā. Diſceſſio.] Senatuſcōſultū per diſceſſionē, quoniam nō omnes aſſentirētur, nec inter omnes de mea ſentētia cōſtaret.

Pecunia publica.] Quæ fuit ad ædē Opis. Per uim.] Hæc omnia prius dicta ſunt à Cicerone et enarrata. Ad Annibalē.] Ad hoſtē, nō ciuem, qui denūciarēt, cōfeſtim Sagūto diſcederet.

Cōſulem deſignatū.] Decimū. Facile uero.] Qui non eſt in ſua poteſtate, hoc eſt ſibi ipſi nō cōſtitit & cōuenit, multo minus alijs. Quid. n. ille unquā.] Qui rationi obtēperauit nūquā, & ſemper appetitui paruit, nec ſui cōpos unquā fuit. Diſſimile.] Quid. n. lenoni cū latrone? ille mācipijs quæſtuarijs lenocinitū facit, hic ex inſidijs inuadit, & rapto uiuit. Forenſibus.] In foro editis. Mulieri auariſſimæ.] Volumniæ Mimæ.

BERO. Qui in ſua nūquā fuerit.] Quem magis, inquit Seneca, admiraberis, quàm qui imperat ſibi, quàm qui ſe habet in poteſtate? Gētes eſt facilius barbaras, impatiētesq; alieni arbitrij regere, quàm animum ſuum continere, & ſibi tradere. Plu. de Alexādro Magno loquēs ait, Magnus animo, maior imperio fuit: nec minor hoc facto, quàm uictoria aliqua: quippe ſe uicit.

MATVR. Citra flumē Rubiconē.] Is inter Rauēnā & Ariminū fluit, in Adriaticū uero mare excurrit: de quo Lucan.

Fonte cadit modico, paruisq; impellitur undis
Puniceus Rubicon, dum feruida canduit æſtas:
Perq; imas ſerpit ualles, & Gallica certus
Limes ab Auſonijs diſterminat arua colonis.

Qui finis eſt Galliæ.] Super Rubiconis pōte inciſum in marmore edictū fuit his uerbis, Imperator, miles, tyro, armatus quiſquis es, hic ſiſtito, uexillū figito, arma deponito, nec citra hūc amnē Rubiconē ſigna, arma, exercitum'ue traducito. Si quis aduerſus præcepta ierit, feceritue, adiudicatus eſto hoſtis populi R. ac ſi contra patriam arma tulerit, ſacroſq; penates è penetralibus aſportarit. Vt ab urbe.] Nā ita à Mutina auocabatur, ut ei non concederetur Romam reuerti. Procraſtinatio.] Cū dies de die ducitur. Horam eximere.] Horā differre. At ille nō potuit.] Occurrit obiectioni, ac ſi dicat, ſed ciuis bonus faciendum nō iudicauit. Primus.] Nā Cōſul erat deſignatus, & primus ferè deſignatus Cōſul rogari ſententiā ſolebat. Legiones.] Quæ oppugnarent. Properent.] Legati. Hoc.] Quod ſequitur. Nūquā.] Et eſt ordo: nō uereor ne uertat ſe.

Refellēdi mei cauſa.] Vt refellat, & mētitū oſtēdat. Nō inuidebit huic mea gloria.] Vt ſapiēs dicar, quòd prouiderim quæ Antonius eſſet facturus. Paſſurum.] Vt pareat Senatui. Labare.] Nutare, inclinareq; ad Senatus uoluntatem. Secerni.] Abeſſe à fratre, & ab illo diſiūgi. Africanus.] Veluti quidā Africanus Scipio. Inter illos.] In cōuentu illo flagitioſiſſimorū. Quàm L. Trebellius, quā T. Plācus.] Hi erāt ſceleratiſſimi: cūq; ob uaria flagitia eſſe in urbe impune nō poſſent, ad Antoniū cōfugerāt: et T. quidē Plācus populi dānatus ſentētijs, ad Antoniū, cū quo prius fuerat, ſic redierat, quaſi coactus eſt, idq; inuitus faceret. Sic uero ab Antonio cōtinebatur, ut nō rediſſe ſua ſpōte, ſed retractus putaretur, cū retrahi fugitiui ad ſuppliciū ſoleant.

BERO. Citra Rubiconē.] De Rubicone, qui Ciſalpinā Galliā ab Italia diſterminat, iam uulgata ſunt omnia. Illud adde, quod à Sidonio memoratur, Rubiconē nominis originē de glarearū colore puniceo mutuari, quod & Lucan. inſinuat illo uerſu,

Puniceus Rubicon, dum feruida canduit æſtas.

Procraſtinatio odioſa eſt.] Silius ſententialiter protulit illud,

Pelle moras: breuis eſt magni fortunæ fauoris.

A Columella quoq; dictū eſt, diſpendioſam eſſe cunctationē: cōtra pleriſque in rebus cunctatio utilis eſt, cum celeritas improuida ſit & temeraria. Silius,

In rem cunctari fuerit: non ulla perenni
Auxilio fortuna fouet.

Scribit Ammianus Marcellinus, quòd cunctatio in magnis ductoribus præcipuū eſt bonū. Sunt itaq; loci cōmunes pro cunctatione, & cōtra procraſtinationē. Ab hoc myrmillone Aſiatico.] L. Antonium hoc nomine probroſe inſectanter appellat, perinde ac gladiatorem famoſiſſimum: de quo ſupra diximus.

QVAM T. Plancus.] Plancus ſine controuerſia ſcribendū eſt, nō Plācus, inquit Hier. Fer. hic. Eſt enim hic T. Munatius Plancus Burſa, frater L. Munatij Planci oratoris, qui temporibus Milonianis uel acerrimum ſe Ciceronis oppugnatorem præbuerat, maximamq; in eum, quòd tanto ſtudio Milonem defenderet, inuidiam concitauerat, quoq; inſtigante curiam populus incenderat. poſtea contra opes ac potentiam Pompeij condemnatus, à Cæſare initio belli ciuilis in integrum reſtitutus eſt.

MATVRANT. Si contemnit.] T. Plancum Antonius tanquam exulem, & hoſtem publicum. nam hoſtibus iudicatis aqua & igni interdici ſolebat. Is Cæſare occiſo, & tumultuante plebe, cum facibus ad curiam ipſam cucurrit, cui contumelioſe obijciebat Antonius, quòd curiam incendiſſet, & merito ex curia & urbe pulſum. Oderat tunc, cū ille tabulis nouis aduerſabatur.] Plutarchus in Antonio, à Dolabella tradit adoleſcente Trib. pl. nouarum rerum cupidò remiſſo à Cæſare poſt Pharſalicam pugnam Antonium, & ipſum Tribunū amicum & popularem rogatum, ut adiutor ſibi uellet eſſe in perferenda lege de nouis tabulis, hoc eſt ære alieno diſſoluēdo, cui Aſinius & Trebellius intercedebant: & Antonium quidem adulteratam ab eo uxorem ſuam, C. Antonij patrui filiam, ſuſpicatū, aduerſatum eſſe, partesq; Aſinij & Trebellij ſuſcepiſſe: Dolabellam quoque foro, quod armis occupauerat, expuliſſe. Contraria hic dicit Cicero, & Antonium, non Dolabellam ferre legem illā noluiſſe, Trebellium interceſſiſſe: eam cauſam odij Antonio fuiſſe: amaſſe poſtea, cum æs alienum ingens Trebellius conflauiſſet, quo damnatus ad eum confugiſſet: & niſi lege lata de nouis tabulis ære alieno reſciſſo, ſaluum eſſe non poſſe.

Tabulis nouis.] Nouæ tabulæ dicebantur, quoties æs alienum diſſoluebatur, & ueteres creditorum tabulæ abolebantur, Tranquillus in Iulio, De pecunijs mutuis diſiecta nouarum tabularum expectatione, quæ crebro mouebatur. Iam fere in oculis.] Amat præcipue. Sponſores.] Qui pro eo ſe obligarunt. Creditores.] Qui pecuniam mutuati ſunt. O fides.] Exclamatio. Cognomen, inquit, fidei accepiſſe arbitror Trebelliū, ut fides ipſa uocetur. & irriſiue hæc ait. Vbi Planſus ille.] Cum triumphante Trebellius. Spe ludi.] Obiecta

ſpe,

ſpe, nó uirtutis, ſed ludi, ut nos deluderes, & alium quàm ſperaremus te exhiberes. Quis eſt qui hūc &c. ] Quaſi dicat, quæ prius rectè fecit, nó uirtute, neque uolens aut ſciens, ſed fortuito fecit. Nequitia iam ſcelus eſt. ] Caſu bonus fuit, iam peccat nequitiis, quæ eſt ſcelus, cum quiſpiam uolens malus eſt, nó caſu.

Ad amores. ] Ironice. L. Antonius poni ſibi ſtatuam curauerat, cui inſcripſerat, L. Antonio patrono po. R. quinq; et xxx. trib. poſuere. In quod inuehitur Cice. quærens ex populo eius'ne ſit patronus L. Antonius, & poſuerint'ne ſtatuā quinq; et xxx. trib. Negatis. ] Verum eſſe non conceditis patronum uobis eſſe. Patronus in fidē recipit clientem, ut tueatur, & cauſam defendat, ſed accuſati, non etiam accuſantis. Certe nemo. ] Scilicet eſt qui tribum nó habeat. ſinguli. n. eſtis in aliqua tribu, quæ ſunt quinque & xxx. ergo omnes optaſtis patronū. Malá quidem illi peſtem. ] Scilicet opto: & uerum eſſe non dubito quod dictis ueſtrum patronum neque eſſe, neque fuiſſe. Hic latro. ] L. Ant. In foro. L. Ant. ſtatuam uidemus. ] Quaſi dicat, indigniſſimum eſt. Sicut illam Q. Tremuli. ] Sic habet hic locus, nó autem Q. Trebellij. Q. Martius Tremulus Cóſul cū P. Cornelio, Anagnia capta de Hernicis triūphauit: ſtatua equeſtris in foro ei decreta eſt, et ante Caſtoris tēplū poſita, quod Liu. ſcribit lib. 9. ab V. C. Hernici populi fuere Latinio, Albe, & ipſi Rome uicini: quorum oppida Ferentinum, Verula &c.

BERO. Tab ulis nouis aduerſobatur. ] Re diligēter ſtudioſeq; perpenſa, docuimus in cómentarijs in Tranquillū, tabulas nouas pertinere ad æs alienū obliterādū, et ueteres creditorū tabulas abolendas, ut uidelicet debitores creditas cum uſuris pecunias creditoribus nó perſoluant, & ueteribus credita pecuniæ tabulis ſublatis, nouæ tabulæ conficerentur, cū perditi homines & nequam ſine nouis tabulis eſſe non poſſint, qui ſoluēdo nó ſunt: quæ res in tumultuet in perturbata Rep. induci flagitariq; ſolebat. qua in re illud annotandum, quod Fortunatiano docēte didicimus, lege de nouis tabulis lata, pecuniam cum uſuris creditā repeti non poſſe: depoſitum uero ſine fœnore poſſe. hinc illa controuerſia et exemplum, Petebat ab amico ſuo quis pecuniam cū uſuris quaſi creditam, ille offerebat ſine uſuris tāquā depoſitā. Inter moras iudicij lex lata eſt de nouis tabulis. repetit ille pecuniam tanquam depoſitam: retinet iſte quaſi fœnori datam.

Igitur eſt patronus Antonius. ] Clientes ſic inſtituerunt colere patronos, ut ſtatuas eorum in domibus atque in atrijs ponerent: quæ fori ornamentum erant. auctor Plin. Quinti Tremuli. ] Ante ædem Caſtoris, ut Plinij uerbis utar, fuit M. Tremellij ſtatua equeſtris togata, qui Samnites bis deuicerat, captaq; Anagnia populum ſtipendio liberauerat. De hoc Liuius uolumine nono, Martius Tremulus de Hernicis triumphás in urbem redijt, ſtatuaq; equeſtris ei in foro decreta eſt, quæ ante templum Caſtoris poſita eſt. Thracem. ] Supra diximus, & alicubi annotauimus, gladiatores quoſdam peculiari uocabulo Thraces appellari, qui proprie aduerſus Myrmillonem depugnabāt. Horat. in Epiſt. ad Lollium, Thrax erit, id eſt gladiator. Olim Domitianus patremfamilias canibus obiecit, quòd Thracem Myrmilloni parem, numerario imparem dixerat, cum Myrmillo aduerſus gladiatorem Thracem componatur. Exiſtimo legendum, Myrmillo Thracem iugulauit.

MATVR. Altera ab Equitibus R. ] Altera in foro, hoc eſt ſecunda ſtatua erat Lucij Antonij, quam Equeſtris ordo poſuerat, & item patrono inſcripſerat. Equo publico. ] Quem publice Equites poſuiſſe titulus & inſcriptio indicabat, quod refellit Cicero. Si quenquam, debuit me. ] Nam equeſtris ordinis fuit. Cicero, et Remp. ſeruauit, in quē gratus eſſe ordo debuiſſet.

Quem Cenſorem? ] Scilicet ſibi adoptauerunt patronum? quod idcirco facere debuiſſent, quia Senatus Equitumq; regimē penes Cenſores eſſet, cū equos ipſis adimere ſoli poſſent, ac notā inurere, ſi quid diſplicuiſſet, cum urbem trabeati ipſi luſtrarent Equites. quod bis ſingulis faciebant annis, Lupercalibus, & Idib. Iulij, ut Valer. Max. tradit. Agrum iis diuiſit. ] Ac ſi dicat, quem diuidere nefas erat, et quem iniuria poſſeſſoribus interceperat. Sordidos. ] Auaros. Qui acceperunt. ] Illū agrum.

Qui dederit. ] L. Antonius. Statuerunt. ] Iocatur Cic. quod mox ipſe indicat, & hæc ueluti nugas reprehendit. Statuerunt. ] Statuam equeſtrem unà cum equitibus Romanis poſuerant Antonio duo qui in Cæſaris exercitu bis fuerant Tribuni militares, quibus Antonius Semuriū diuiſerat. Quis eſt iſte ordo. ] Cum duo fuerint, ſicut ait. Multis legionibus. ] Nam quælibet legio duos habebat Tribunos militares: minorem, qui præerat cohorti quingenariæ, quē Græci uocant πεντακοσιάρχην & maiorem, qui millenariæ præpoſitus erat cohorti, ò Græcis uocatus χιλιάρχης. Iis. ] Tribunis militaribus, qui duo bis fuerunt in exercitu Cæſaris. Semurium. ] Agrum ſecus urbis muros. ideoq; ſubiungit, Campus Martius reſtabat, ſcilicet diuidēdus. L. Cæſaris. ] Qui fuit M. & L. Antoniorū auūculus.

Sētentiá. ] Quā dixit in Senatu. Huic. ] L. Cæſari. Septemuirū. ] L. Antonij & Collegarū, quos Antonius diuidūdis agris præfecit. Iacēt. ] Irrita ſunt beneficia collata Nuculæ, et ager et ab Antonio diuiſus. Is aūt Nucula unus ex Antonij fuit ſatellitibus. Friget. ] Quia uidet, quæ decreuit, irrita eſſe. Poſſeſſores. ] Illi quibus L. Antonius agros diuiſit. Illa ſtatua palmaris. ] Illa prior cui inſcriptū erat: L. Antonio patrono pop. R. quinq; et xxx. trib poſuere. Palmaris, digna. Terēt. in Eunuch. Id uero eſt quod ego puto mihi palmariū. Iano medio. ] Hoc eſt in medio Iano. Baſilicā Paulus Aemylius in foro Romano extruxit mille et quingētis talētis: qua pecunia Cóſul unà cū Claudio Marcello corruptus eſt à Cæſare, ut ipſi faueret. hæc inter admirabilia Vrbis opera à Plinio laudatur. Prope eā locus fuit Ianus nomine: duæ n. illic Iani ſtatuæ fuere, in ſummo una, in imo altera. eū uero in locū fœneratores cóueniebāt auctores Porphy. & Acrō. Horat. Hoc Ianus ſummus ab imo Perdocet. Ità ne ē Ianus medius. ] Cū ſtomacho hoc inquit, etiā medius Ianus ubi erat poſita ſtatua, ſit in L. Antonij clientela? Sed nullū unq̃ in eo loco inuenit Lucius, qui mille ipſi nūmos mutuaret. quaſi dicat, nullus ei unq̃ credidit, quoniá fallere et decoquere conſueuerat. Ferre uero acceptā et expēſam pecuniá, ſermones ſunt à ratiocinātibus et mercatoribus ſumpti, qui traditā ab alio pecuniá annotāt ut acceptá. datā uero alijs, ut expēſá. Mille uero numeri eſt ſingularis, pro eo poſitū q̄ χιλιὰς græce dicitur, et ut μία χιλιὰς καὶ δύο χιλιάδες, ita unū mille, et duo millia dicūtur: rectéq; et probabiliter dici ſolet, mille denariū in arca eſt, et mille equitū in exercitu. Cic. itē pro Milōe, Ante fundū Clodij, quo in fundo propter inſanas illas ſubſtructiones facile mille hominū uerſabatur. auctor Gell. Noct. Att. lib. 1. cap. 16. Etiā ſi melius aliud fuit. ] Nó mittere legatos, neque bellū differre. Pauci. ] L. Piſo, Saluius, & alij nónulli. Iſtam uocem. ] Expectandos legatos.

Tumultum. ] Bellum periculoſum & propinquum.

BERO. Nondum inſtruxerant. ] Qui habet fundum & uillam, ea inſtruere ſolet inſtrumento neceſſario. hinc titulus apud Iuriſcóſultos eſt de fundo inſtructo, & inſtrumēto legato. Martial. Præſto domum, plus eſt. inſtrue tu, minus eſt.

ALTERA Equitum Romanorum. ] Quam ſcilicet equites Romani poſuerant: ut literæ Cæſaris lib. 3. epiſt. ad Q. fratrem, quas Tullius ad Cæſarem dederat, Quòd antiquior dies in tuis fuiſſet adſcripta literis, quàm in Cæſaris. nā quod reo poſuere quidam, At altera ab equitibus Rom. id credo ſua ſponte, non de librorum auctoritate fecerunt. Hieron. Ferrar. Semuriū. ] Hieron. Ferr. hic ait in ſcriptis nonnullis codicibus Semuriam legi, ac proinde, quid, inquit, ſi remuriam aut remoriá corrigamus? Sex. Pompeius, Remurinus, inquit, ager dictus q̄a poſſeſſus eſt à Remo, et habitatio Remi Remoria. Sed et locus in ſummo Auētino Remoria dicitur, ubi Remus de cōdēda urbe fuerat

auſpicatus. Plutarchus hunc locum in uita Romuli non Remoriam ſed Remorium appellat. Dionyſ. Halicarn. ſcribit Remum cepiſſe conſilium condendæ urbis in eo colle qui poſtea ex eo inuento nomine Remoris appellatus eſt. Illud autẽ quod huic ſubiungit, Campus Martius reſtabat, nõnihil huic opinioni ſuccinit: ut quemadmodum hoc, ſic illud, non ad ueritatem, ſed ad augẽdam inuidiam dictum ſit. quanquam nihil hic definio. Hæc ille.

MATVR. A' ſe ortum. ] Cicero in Salluſt. Ego meis maioribus uirtute mea præluxi, ut ſi prius noti non fuerint, à me accipiant initiũ memoriæ ſuæ. Fuit.n. homo nouus, & tamẽ uirtute nobiliſſimis uiris eſt æquatus. Eoſdem geſſi in foro labores. ] Nullus.n dies erat, quod ipſe ad Q. fratrẽ ſcribit, quo pro reo non diceret. Quos in petendis. ] Scilicet geſſi. Rnndis in Rep. ] Scilicet ſum. XX annos. ] Quod in principio ſecundæ Phil. dictum eſt. Voluntarius. ] Scilicet erit, quòd uoluerimus nos ſeruitute liberare cum potuerimus.

IN PHILIPPICAM VII.

MATVR. Cũ Senatus mãdatis ad Antonium profecti erãt, nõdum quid actũ ab illis eſſet audiebatur, & quidnã allaturi eſſent, omnino incertum uidebatur. Qui uero Antonio fauebãt, & eius fingebant poſtulata ac reſponſa, et pro ſuo arbitrio interpretabantur, in Ciceronem oblique inuehebantur, nõ oportuiſſe dicentes irritare Antonium. Veritus igitur Cicero ne ad pacem cum eo faciendam Senatus inclinaret, ſi forte ad æquas Antonius conditiones deſcenderet. rurſus nullo pacto pacem cum Antonio habendam ſuadet, quoniã turpis eſſet, quoniam periculoſa. Et ne fieri quidem poſſit omnino, primum contra ea dicit quæ Antonij fautores cõminiſcebãtur. Conſulares ad quos ſcribebat Antonius, aperte tangit. Et quoniam quibuſdam de rebus à Conſule Panſa relatum in Senatu fuerat, quæ etſi ad Remp. pertinebant, facileq; explicari poterant, nõ tamen ad eas applicare animũ Senatus maioribus detentum curis poterat: Cicero per occaſionem exorditur, parua ſed utilia dicens eſſe Reip. quæ à Conſule relata ſunt & Tribunis, & tamen à ferenda de his ſententia aberrare animum curis maioribus implicitũ, Rep. in maximum periculum adducta. Cõſulimur. ] Rogamur.

De Appia uia. ] Quam Appius Claudius Cæcus ab Vrbe Brunduſium uſque ſtrauit, ideoq; eſt Appia appellata. Et de uia quidem Appia inſtauranda (nam Pontinis paludibus proxima, ſæpe multis in locis euertebatur) conſuluerat Panſa Cos. De moneta. ] Romæ quatuoruiri fuere, qui uiarum curam agebãt. Idem Panſa de moneta retulerat, quã ſcimus & adulterari nõnunquam, ac idcirco mutari, & nouam fieri. Extitere in urbe olim triumuiri monetales, auri & argenti flatores, quibus cura erat numiſmata ex auro atque argento cudere. De Lupercis. ] De quibus diximus in 2. Phil. Retulerant autem de iis Tribuni fortaſſe: quoniam quæ ad eorum pertinebant ritum, aliqua ex parte notabant, & emendatione indigebant, ut quia uectigalia illis à Iulio conceſſa fuerant adempta. A' ſententia. ] De his rebus ferenda. Suſpenſus. ] Dubius. Virgilius,

Suſpenſi Eurypilum ſcitatum oracula Phœbi. Mittimus. ] Piſonem tangit. Auctoritatis priſtinæ. ] Quam obtinebat ante occupatam à Iulio Remp. Conſpirantem. ] Idem ſentientem Italiam. Expeditos. ] Promptos & paratos Octauium & Conſules. Omnes. ] Planci, Lepidi, Octauij. Suus ipſius ] Antonij. Scilicet. ] Deriſionem habet hæc particula cum amaritudine permixtam: ut, Scilicet is ſuperis labor eſt.

Reſerare. ] Si exercitus dimitteremus. libere enim & audacter ruerent. Remittere. ] Tanquam iuris eius ſit, & tanquam beneficium concedat. Vltimam. ] Vlteriorem, quam Plancus tenebat. Prædare. ] Ironice. Caius. ] Frater ipſius Antonij. ac ſi dicat, idcirco inde Caium reuocauimus, ut Antonium mitteremus. Sed quæ prouincia. ] Eſto Macedoniam teneat, & non Galliam, quæ tamen prouincia eſt ex qua excitare bellum & incendium non ualeat? Iidem illi. ] Qui hæc de Antonio fingunt. Quaſi prouidi. ] Ironice. Bellicum me cecinisse. ] Velut tuba ſonum dediſſe quo bellum excitatur. Partis. ] Factionis, cuius ſunt ipſi. Nequam eſt homo. ] Dicentes ſcilicet non fuiſſe irritandum Antoniũ, quoniã nequam homo eſt. Confidens. ] Audax nimium. Multi præterea improbi. ] Idem ſcilicet dicunt, quos, inquit Cicero, à ſe incipientes (nã et ipſi improbi ſunt) numerare poſſunt. Verũ igitur. ] Ac ſi dicat, magis ulciſci debemus quando poſſumus, quàm pertimeſcere: & diligentiores ſunt qui ulciſcuntur, quã qui timent cum poſſint ulciſci. Populares. ] Commodorum populi & cõmunis utilitatis ſtudioſi. In re una. ] In Antonio defendendo, quem impugnari populo gratiſſimum eſt.

Præclariſſima cauſa, ] Antonij perſequendi, & opprimendi. Se conſulares. ] L. Piſo præcipue tangitur. Tanti honoris. ] Vt omnia ex cõmodis Reip. & dignitate, nihil ex ſe metiatur. Hoſti. ] Antonio. Ille. ] Antonius. Improbis ciuibus furorem auges. ] Sic eſt legendum, non autem forũ.

Tantam. ] Quanta hæc eſt contra Antonium. Tempeſtas. ] Perturbatio Reip. Curriculum. ] Spatium & ueluti ſtadium. In foro. ] Cauſis forenſibus accuſando & defendẽdo: ſed defendendo potius, quod fecit Cicero diutiſſime. In curia. ] Dicenda ſententia. Elaboratum. ] Labore perfectũ.

Pacis alumnus. ] Quem pax aluit. Nam qui ab alio educatus eſt, alumnus dicitur: & Cicero ſine pace, ut ſubiungit, ciuili, eſſe quod fuerat, non potuiſſet. Arrogo. ] Aſſumo. eſt autem arrogare audacter, & inſolenter ſibipſi attribuere. Periculoſe. ] Præfatur ſuaſurus cõtra inſtitutũ ſuũ bellũ, et reddit attentos. Auctor. ] Suaſor. Silẽtio. ] Veſtro. nemo.n. reclamauerat, quod argumẽto erat nõ improbari. Cur igitur pacẽ nolo? ] Diuiſio eſt. nã capita proponit earũ rerũ de quibus eſt dicturus.

Quid eſt &c. ] Diſſuadet pacem habendam cum Antonio à turpitudine. Eſt autem locus comparationis: Si ſingulis hominibus turpis eſt leuitas, Senatui, quẽ præcipue grauitas decet, turpiſſima. Quòd leuitos futura ſit Senatus, ſi cum Antonio pacem egerit, oſtendit per ea quæ prius fecit, cum quibus niſi ſequẽtia congruant, non poteſt ſuam tueri grauitatem Senatus. Cum eſſet hoſtis. ] Quia re uera hoſtis erat. Vacationes. ] Vt emeriti eſſent poſtea, uacationem haberẽt, nec cogi amplius ad ſtipẽdia poſſent. Meus collega. ] In Auguratu. Qua imbecillitate. ] Grauiſſime.n. ægrotauerat, ut prius diximus. Votis. ] Publice.n. pro eo populus uota ſuſcepit. Vacationes omnes ſuſtuliſtis. ] Vt cogi ad danda nomina omnes poſſent. Specie. ] Vt uideatur. Nobis. ] Senatui. At legatos miſimus. ] Obijcit hoc ex Senatus perſona. Cui. ] Sententiæ meæ. non tamen omnes erant aſſenſi Ciceroni ſuſcipiendũ bellum, & hoſtem iudicandum Antonium. Poſtridie. ] Quo die de legatis decreuiſtis mittendis. Oppreſſit. ] A' Cæſare Dictatore.

Iuſta. ] Neque.n. obſiſti adhuc tyrãno poterat. Liberatis. ] Cæſare trucidato. Armis domeſticis. ] Cõiuratorum, nulla extrinſecus adhibita ui. Addixit. ] Adiecit quibus uoluit & uendidit. Hoſtis iudicatus. ] Re tamen, non uerbo.

BIRO. Quid eſt incõſtantia turpius. ] Lib. de Off. I. ſic ſcriptum legimus, Nihil eſt quod tã deceat, quàm in omni re gerenda conſilioq; capiendo ſeruare conſtantiam. Hinc illud Ciceronis penè ſcurrile in Iſauricum, Miror quid ſit quòd pater tuus homo conſtantiſſimus te nobis uarium reliquit. Dicebatur autem Iſauricus à patre aliquando cæſus flagris, unde Cicero uarium illum appellauit, ut qui ſimpliciter audit, intelligat inconſtãtem et mobilem, varioq; animo præditum: occulte uero intelligi uelit uariũ, hoc eſt maculoſum, et uibicibus, quas lora faciũt uariegatum.

uarieg atum. Satis multa de turpitudine. ] Expedit, ut inquit Quintil. expoſitiones breui interfatiõe diſtinguere: ut illud, Audiſtis quæ ante acta ſunt, accipite quæ nunc inſequuntur. Reficitur enim auditor primorum fine, & ſe uelut ad nouum rurſus initium præparat. Rhetorici doctores exornationem hanc oratoriam appellant tranſitionem.

BRVTVM omine quodam. ] Locus hic uarie legebatur. codices enim quidam habebant, Brutum omen quoddam. Hieron. autem Ferr. hic legi uult, Brutum omine quodam &c. ut ſit illi ſimile de M. Bruto in 10. Phil. Cum ſua excellentiſſima uirtute Reip. natus, tum fato quodam materni generis & nominis ut quemadmodũ L. ille Brutus regibus exactis, ita hic interfecto tyranno patriam in libertatem uindicaret. Ab eadem ratione dixit in 3. accuſ. Dixit idem Dolabellam impetraſſe. omen magis P.C. quàm cauſa placuit. & in Rull. Neque te P. Rulle omina illa M. Bruti atque auſpicia à ſimili furore deterrerent. Hæc ille, & plura.

MATVRAN. Vt propoſui. ] Secundo loco. Offendit animos magis. ] Plures enim periculo mouentur, quàm turpitudine. Exploratum. ] Certum. Ne Caius quidẽ. ] Fratrem M. Antonij. Eſt enim patronus. ] Iocatur, cum ſtomacho tamen: & hæc in ſuperiore Philippica dicta ſunt.

Sua lege. ] Ac ſi dicat, nulla lege. id enim propria auctoritate, & ſine ullis populi ſuffragijs egit: Lucius Trib. pl. Iulio occiſo arripuit: Caius uero frater Praturam aſſumpſit: uiſiq; ſunt hoc pacto ſortiri magiſtratus ſua lege, hoc eſt ſorte Præturã & Tribunatum inter ſe diuidere: quo facto & plebs, & equeſtris ordo, qui in Centurias diuidebatur, cum ueniebant ad danda ſuffragia, priuati iure ſuffragiorũ uiſi ſunt. Marcus, Lucius, & Caius nomine Antonij tres fratres fuere: Marcus Cõſul erat cum Iulius necatus eſt, Lucius Tribunus plebis, Caius Prætor eſt factus. auctor Plutarchus. Eoſdem magiſtros. ] Eoſdem improbos & ſceleratos, quibus magiſtris utitur. Terent. Tum ſi quis magiſtrum ad eam rem ceperit improbum. Legitur & miniſtros, ſcilicet ſcelerum. Quis unquam omnes tribus. ] Scilicet deduxit. Gracchorum. ] Tiberij, & Caij., qui turbulentos & ſeditioſos geſſerunt tribunatus alter à Scipione Naſica, alter ab Opimio Conſule oppreſſus. Non ita appellaui. ] Vt gladiatorem dicere ſolemus crudelem, & facile in quemuis gladius nudantem, etiam ſi gladiator profeſſione nunquam fuerit, & hoc modo M. Antonium gladiatorem uocat Cic. ſed uere & ſerio gladiatorem appellat Luciũ. myrmillo. n. Mylaſis depugnauerat. Latine. ] Aperte ut res habet. Martial. Si quis autem tã ambitioſe triſtis eſt, ut apud eum in nulla pagina latine loqui fas ſit. Idem, Qui triſtis uerba latina legis. Eſt igitur latine loqui, aperte, & nulla uti obſcuritate, aut circuitu. Cum ornaſſet Threciditis. ] Cuiuſdam laniſtæ comitem amicum ſuum ornauit, & pro Retiario inſtruxit. cum eo depugnauit, & fugientem in arena cõfodit. Nã ſequebatur alter, fugiebat alter: unde ſecutor dicitur. Iuuen. Cum Graccho iuſſus pugnare ſecutor. Idem ait, Luſtrauitq; fuga mediam gladiator arenam. Luculentã plagam. ] In facie uulnus: cuius cicatrix apparet, & in aperto ac luce eſt. Qui familiarem. ] Similis locus cõparationis apud Terent. eſt in re diſſimili: Nam ſi illum obiurges, uitæ qui auxilium tulit, quid facies illi qui dederit damnum aut malum?

Animi cauſa. ] Delectationis gratia. Decuriabit. ] Qui denis equitibus præeſſent, Decuriones ſunt dicti, primi ſingularũ decuriarum. tres enim erant in una turma, quæ ex duobus & XXX conſtabat. unus decurio maior cognominatus antecibat, iſq; etiam decanus & dux primus & praſtes nũcupabatur. auctores Feſtus, Marcellus, Frõto. Erant & domi principum Decuriones, alijs præpoſiti, et in municipijs quidẽ ac colonijs idẽ quod Romæ Senatores. Inde decuriare, eſt decuria in militia adſcribere uel præficere. Agrarios. ] Eos quibus diuiſi ſunt agri, aut diuidendi. Expulſos. ] Ex agris ſuis, ad eos repetendos.

Omni motu. ] Quidquid motus & perturbationis in Rep. fuerit. Vt nemo ſit alius. ] Etiamſi alius quiſpiam improbus non fuerit. Bellũ gerendũ eſt. ] Nã quod ipſe ait Cic. in Off. Bellũ gerendũ eſt, ut in pace uiuatur. In ſpecula. ] In editiſſimo loco, unde longe lateq; intueri poſſimus. Virg.

Specula Miſenus ab alta.

BEROAL. Vel potius Antonios. ] Tres fuerunt fratres nomine Antonij, Marcus, Lucius, Caius, de quibus in Epiſtolis ad Brutum ſic ſcribit, Ego ſic ſentio: trium fratrum unam & eandem eſſe cauſam. Patronus Iani medij. ] Supra dixit Orator, ita ne Ianus medius in L. Antonij clientela ſit? fuit. n. Romæ uicus in quo fœneratores cõſiſtebãt: in quo ſimulachra Iani in ſummo, in imo, et medio poſita cõſpiciebãtur. hinc illud Hora.

Hæc Ianus ſummus ab imo
Perdocet: hæc recinunt iuuenes dictata ſeneſq;. Idem,
Poſtquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta eſt.

Cum ornaſſet Threciditis. ] Locus mendoſus eſt, & inexplicabilis, quẽ nos Marte noſtro ita emẽdare atque explicare cõſueuimus, ut legas Threcidicis, hoc intellectu: L. Antonius gladiator ornauit comitẽ ſuũ Threcidicis, hoc eſt armis gladiatorijs, quibus gladiatores illi qui Thraces nominãtur, inſtructi digladiari cõſueuerũt, & mox eundẽ in ſimulachro gladiatoriæ pugnæ fugientẽ iugulauit. Ornare Threcidicis elegãter dicitur, pro inſtruere armis gladiatorijs. Auſonius cũ Cõmodũ Imperatorem gladiatorem fuiſſe deſignaret, decenter dixit,

Cõmodus inſequitur pugnis maculoſus arenæ,
Threcidico princeps arma mouens gladio.

Titus Imperator ſtudiũ armaturæ Thracũ gladiatorũ præ ſe ferebat, ut docet Trãquillus. Labũtur errore nõ dubio, qui Threciditis exponũt pro nomine proprio laniſtæ, corrupto uerbo et ſẽſu.

CVM Cæſare magiſtratus partitus eſt. ] Sic omnib. in uetuſtis libris, et recte, legi teſtatur Hie. Fer. hic: et, quid ſibi, inquit, uelit Cic. Sueton. in uita Iulij Cæſ. declarat, Comitia, inquit, cum populo partitus eſt: ut exceptis cõſulatus cõpetitori. de cætero numero cãdidatorũ pro parte dimidia quos populus uellet pronunciarẽtur: pro parte altera, quos ipſe dediſſet. Vt aũt hoc Cæſari liceret, L. An. legẽ tuliſſe, ex oratione Cic. licet intelligere. hæc ille.

MATVR. Sine culpa Senatus. ] Qui negligẽs in occurrẽdo malis imminẽtibus fuerit. Coagmẽtari. ] Coaptari, & quodã modo colligari. trãlatio eſt ab ædificijs, in quibus coagmẽta dicũtur arctæ cõmiſſiones et cõpages, à cogẽdo, hoc eſt cõſtringẽdo. Cic. de Senectute, Viuẽdi finis eſt optimus, cũ integra mente, certiſq; ſenſibus opus ipſa ſuũ eadẽ quæ coagmẽtauit natura diſſoluit. Age, uel ille ſolus. ] Ac ſi dicat, ferri poſſet, ſi ſolus eſſet.

Amplectetur. ] Amicuſ'ne erit Equitib. Romanis. Occulta. ] Quaſi dicat, minime occulta. Bis. ] Quãdo habuit illas orationes ad Quir. quas interpretati ſumus. Ducem. ] Præit. n. nobis. Cũ in municipijs. ] Quæ erũt in auctoritate Senatus. Hæc aũt quæ ſcribit Cic. ultro cõtra Antoniũ Senatui et pollicebãtur et agebãt. Curã. ] Quia ſit ſua ſpõte omnia factũ, ut publica cura opus nõ ſit. Firmani. ] Inſignis Piceni ciuitas eſt Firmũ. Marrucini populi ſunt ſupra Pelignos iacẽtes, Veſtinis finitimi. eorũ metropolis Thegete, quæ ciuitas et Thrate dicitur à Silio. Qui militiã ſubterfugiſſent. ] Qui dare nomina recuſaſſent. L. Naſidio. ] Fuit is Aſculanus municipio, Romanus Eques, Cicer. hoſpes et amiciſſimus, cui egregiã cõtra Catilinã nauauit operã, et nũc cõtra Anto. nõ Aſculanos ſolũ, apud quos auctoritate pollebat, ſed et uicina municipia ad dãda nomina ſollicitabat. Interdicta. ] Vetita. Indixerit. ] Perinde habeatur ac ſi indixerit. Quo. ] Ad quã fortunã et ultã. A uectorib. ] Iis quehũtur: utrũq; tamẽ ſignificat uector, et q uehit, et q uehitur.

## IN PHILIPPICAM VIII.

MATVR. Superiorem Cicero habuerat orationem, & ut contra Antonium qui Mutinã obſidebat, & D. Brutum Conſulem deſignatũ oppugnabat, bellum tãdem decerneretur, ſuaſerat. Cumq; eorũ ualuiſſet ſententia, qui nõ bellum appellandum, ſed tumultum potius cenſebant: hac oratione & L. Cæſaris ſententiam cur ſit dicta, uidetur interpretari: & illorum arguit ac deridet inſcitiam, qui aliud tumultum eſſe quàm bellũ interpretabãtur: cum bellum poſſit ſine tumultu eſſe, ſine bello tumultus eſſe nõ poſſit. differũt enim quod genus & ſpecies, & quod animal & homo. Nam ut homo omnis animal eſt, ſic omnis tumultus bellum. quod idem non erit ſi cõuertas, ut omne animal ſit homo, & omne bellum ſit tumultus. Ea enim duntaxat bella quæ uicina eſſent, tumultus uocauere Romani, in quibus periculi uicinitate timor eſſet multus. Bellũ igitur, & quidem grauiſſimum probat eſſe. Cõfutatis antẽ aliorum ſententijs, & in primis Qu. Fuſij Caleni, ſuam in exitu orationis quæ ſit, oſtendit. Eſt autem hic finitionis ſtatus, qui cõiecturam ſequitur. nam qui nõ poteſt dicere non factum aliquid, proximũ habet ut dicat non hoc nomine appellandum quod factũ eſt. Eſt autem finitio, rei propoſitæ propria & dilucida ac breuiter comprehenſa uerbis enunciatio. conſtat enim genere, ſpecie, differentijs, proprijs. Et in hac quidem cauſa ſic præcedit finitionem coniectura: hoſtis eſt Antonius, non eſt hoſtis. ſed hoſtem eſſe, probatũ eſt pluribus cõiecturis: quod laudatæ legiones quæ eum deſeruerunt, quòd laudatus & honoratus Octauius, quòd cõmendatus Decimus, & prouincia Gallia, quòd conſulem deſignatum & coloniã populi Romani oppugnaret, prouinciamq; uaſtaret, ſequebatur reprimendum eſſe: Cicero dicebat bellum contra hoſtem decernendum. Ii quibus aſperum nimis hoc uidebatur, & qui Antonio fauebant, nõ bellum eſſe, ſed tumultum cenſebant appellãdum, quaſi tumultus leuius quiddam bello eſſet. Cicero multo grauius oſtendit, & bellum omnino eſſe. Exorditur autem ſtatim per expoſtulationem cum Conſule Panſa, et ad ipſam rem quamprimum accedit. Confuſius. ] Perturbatius. Parum ſuſtinere. ] Statim enim inclinaſti, & ueluti uictus terga dediſti. ſuſtinemus enim in bellis irruentium impetum. Ea uirtus. ] Fortitudo & conſtantia. Id uerbum. ] Belli. In diſſenſione. ] Multorum concertatione. Ad lenitatem. ] Ad eos qui lenius ſe putabant uerbum quærere. Propenſior. ] Inclinatior. Noſtra ſententia. ] Vt bellũ diceretur. Propinquitatem. ] Cum Antonio, cuius erat auũculus, Iuliæ matris eius frater. Viro. ] P. Lentulo, qui cũ Catilina coniurauit. Præcepit. ] Monuit. Eamq; ſe ac Rep. dignam. ] Scilicet dicturum fuiſſe. Illi. ] L. Cæſari. In ſententia. ] Vt dicerent decernendum quidem eſſe, nõ bellum ſed tumultum. Poteſt enim bellum eſſe ſine tumultu. ] Nam genus eſt, & comprehendit, non autem cõprehenditur: ut omnis homo eſt animal, non autem omne animal eſt homo. Quid eſt enim tumultus. ] Hæc eſt definitio, quæ conſtat ex genere, quod eſt perturbatio: & differentia, quæ eſt timor, tãtus ut maior eſſe non poſſit. Domeſticus. ] Penè domeſticus timor. Gallicum. ] Ciſalpinæ Galliæ. Præterea. ] Præter domeſticũ & finitimum. Hic. ] In hac cauſa. Gallico. ] Tranſalpino & longinquo. Vacationes. ] Beneficio Senatus & populi publice uel priuatim conceſſæ. Medium nihil ſit. ] Nã induciæ pax ſunt, ſed tẽporaria. ne quis de illis forte obijciat, oſtẽdit per definitionem aliud tumultum, aliud bellũ eſſe: nũc autẽ argumentatur à conſequenti detrimento, ſi bellum nõ uocetur.

BERO. Tumultus ſine bello eſſe non poteſt. ] Apud maiores tria erant militiæ genera in bellis gerendis. Nãque aut legitima erat militia, aut cõiuratio, aut euocatio. Legitima erat militia eorũ qui ſinguli iurabant pro Rep. ſe militaturos, nec diſcedebant niſi completis ſtipendijs, & ſacramento uocabantur. Aut ſi eſſet tumultus, id eſt ſi eſſet bellum Italicũ uel Gallicũ, in quibus ex periculi uicinitate erat timor multus, unde nomẽ tumultus deriuatũ, tunc ſingulos interrogare nõ uacabat. Qui erat ducturus exercitũ, ibat ad Capitolium: & exinde proferẽs duo uexilla, unum roſeum, quod pedites euocabat: & unũ cæruleũ, quod erat equitũ, dicebat, Qui uult Rẽp. ſaluã eſſe, me ſequatur. & qui cõueniſſent, ſimul iurabãt: & dicebatur iſta militia cõiuratio. Erat & tertium militiæ genus, euocatio. De tumultu dixit poeta, Simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium.

Quintil. in 7. docens argumẽta duci ab etymologia, ait M. Tull. hinc argumentari, dũ definit quid ſit tumultus. Item in tertio, In deliberatiuis interdum eſt finitio, ut apud Cic. in Philippicis, quid ſit tumultus. Inter pacem & bellum nihil mediũ ſit. ] Sunt quædã, quæ ut philoſophi et dialectici ſubtiliter diſputãt, medium habent: quædam uero immediata, hoc eſt medium nõ habent. exempli cauſa, mediata ſunt album & ut grũ niger eſt. n. horum medius quilibet alius color, qui neque candidus ſit, neq; niger, ut luteus, ruber, & uiridis; ſic inter frigidum et calidum nouimus aliquid mediũ eſſe, quod tepidũ uocant. ſic aliquis beatus eſt, aliquis miſer, aliquis nec miſer, nec beatus. Immediata uero contraria ſunt, quæ mediũ nõ habent, ut leuitas & grauitas, ut ſanitas & imbecillitas, ut bellũ & pax. horũ. n. nihil eſt medium. Immediatorũ eſt iſta natura, ut alterũ ſemper ineſſe ſubiecto neceſſe ſit, ut corpori grauitatẽ uel leuitatem, ſanitatem uel imbecillitatẽ. Cõſimiliter in rebus humanis neceſſe eſt ut ſemper ſit aut pax, aut bellũ, quoniã hæc immediata ſunt, & horũ nihil mediũ poteſt inueniri. hinc ſcite atque ſubtiliter argumẽtatur M. Tullius, tumultum, cũ pacis non ſit, neceſſario belli eſſe.

MATVRAN. Deſcendit in cauſam. ] In eam in qua nos ſumus, & idem ſentit quod nos. Quæ poteſt pax eſſe certior? ] Ironice. Fortiſſimum uirum. ] Alterum Conſulem Hircium. Eius ætatis. ] Penè puer. Decernendi. ] Statuendi cum Senatu. In pace uerſantur. ] Quaſi dicat, minime. nam eſt hoſtis Antonius. Cliterna. ] Sic arbitror legendum: nam Claterna oppidum eſt Apuliæ, Cliterna uero in medio Parmæ & Bononiæ exiguum oppidum fuit. Cic. in Epiſtola ad C. Caſſium, Parmis omnino iam copijs obſidebatur, quòd magno præſidio Bononiam tenebat Antonius. erat aũt Cliternæ noſter Hircius, ad forum Cornelij Cæſar. Ex collegæ literis. ] Sic. n. Hircius ſcripſerat. Quæ pax poteſt eſſe maior? ] Cum deriſu pronũciandũ. Saga. ] Militaris habitus ab omnibus ſumetur. ſic. n. decretũ fuerat. Cõſul. ] Hircius. Deſcẽſurũ. ] Ex Cliterna Mutinã. Cũ præſidio. ] Quo tutus ab Ant. eſſet. Sylla cũ Sulpitio. ] Vt intelligi res poſſit facilius, repetẽda eſt altius. Poſt ſociale bellũ, cũ Mithridates Põti rex Bithyniã et Phrygiã, aliaſq; Romanorũ in Aſia prouincias inuaderet, L. Sylla Cõſul cũ Qu. Põpeio declaratus, Mithridaticũ bellũ ſortitus eſt: ad quod anhelãs Marius cupiditate accẽſus, P. Sulpitiũ Trib. pl. multis pollicitationibus ſibi cõciliauit: et ut cõſequi quod optabat, facilius poſſet, nouos ciues qui minus poſſidebãt, et idcirco ultimi ſuffragiũ ferebãt, inutileſq; ferè erãt, impellit ut admiſceri tribus poſtulent. legẽ ferre uolenti Sulpitio repugnatũ à ueteribus ciuibus eſt, & in nouos lapidibus lignisq; depugnatũ. Res etiam per Conſules dilationibus impedita. poſt multas tamen contentiones lex perlata eſt, Qu. Pompeio altero Cõſule è foro fugiente, eiuſq; necato filio, ac Sylla omnis timore concedere coacto. Horum nouorũ ciuium ſuffragijs, qui numero ueteribus longe erant ſuperiores, lata à Sulpitio lex, qua prouincia Mithridatica adempta Syllæ, & Mario adiecta eſt: Sylla tamen ueluti contra Mithridatem profecturus, Capuam confeſtim ad exercitum ſe contulit, apud quem pluribus de iniuria conqueſtus eſt, &

Romam

Romam reuerſus atque hoſtiliter ingreſſus eſt: Marius & cum eo XII. pulſi & hoſtes iudicati, Sulpitius interfectus. Fugiẽs Marius in Minturnenſi palude delituit: captus eſt à Minturnenſibus, & in cuſtodiam apud Fanniam mulierem datus: moxq́; emiſſus in Africam nauigauit. hiſtoriam App. & Plut. ſcribunt pluribus. De iure legum. ] Et aliarum, & eius qua tribus admixta ſunt: & item eius qua decreta Syllæ prouincia Mario data eſt. Cinna cum Octauio de nouorum ciuium ſuffragijs. ] Exulum amici, Cinna Conſule poſt Syllam declarato cũ Octauio, rurſus nouos ciues, abrogatis per Syllã Sulpitij legibus, ad idem petendum, ut tribus admiſcerentur, impellunt. Et nouis quidem Cinna, ueteribus Octauius fauebat. Vincitur Cinna, pellitur urbe, fugit ad partes: redit Marius Carthagine, Cinnæ iungitur: adducuntur Sertorius, Carbo: Romam ingrediuntur: plurimas edunt cædes: exul fit Sylla: qui uictor poſtea ex Mithridatica reuerſus prouincia, afflictis aduerſarijs Dictaturam inuaſit. De proximo. ] Pompeiano.

BERO. Præſidium Claterna deiecit. ] Oraculum Plinianũ eſt, ſui quenque ſitus & regionis diligentiſſimum auctorem uideri. itaque cũ Claterna in territorio noſtro fuerit, eiusq́; extent expreſſa ueſtigia, non debemus pati hæc ab alijs perperã temereq́; proferri. Fuit enim antiquitus Claterna oppidum in agro Bononienſi, ſecus Aemyliã uiam, inter Bononiã & forum Cornelij, quaſi in meditullio poſita, hodieq́; fluuius illic labẽs uulgo à noſtris Claterna nominatur, à quo inditum fuit oppido nomen. In epiſtolis ad Caium Caſſium ſic ſcriptum eſt, Magno præſidio Bononiam tenebat Antonius, erat Claternæ Hircius noſter, ad forum Cornelij Cæſar, uterque cũ firmo exercitu. proinde errore manifeſtiſſimo cæcutiũt, qui ſinceriore ſcriptura interlita, non Claternam legunt, ſed Citernam.

MATVRANT. Hoc bellum ciuile quintũ geritur. ] Primum fuit Syllæ contra Marium & Sulpitium, quo Marius fugit, Sulpitius perijt: Cinnæ & Octauij Conſulum, quo ſuperior Octauius Cinnam expulit, qui confugit ad partes. Secundũ Cinnæ, Marij, Sertorij, Carbonis, qui quadruplici agmine in urbe rediere, et plures ex Romanis principibus trucidauere. inter quos Octauium Conſulem, M. Antoniũ Oratorem, M. Craſſum una cum filio, Fimbriam, Bebium, Numitorium, Merulã, Ancharium & alios nonnullos. Tertium Syllæ ex Aſia reuertentis Conſulibus Norbano & Scipione, cum Norbani ad Capuam fudit exercitum, & apud Sacriportũ debellauit omnes hoſtiũ copias, totq́; tum in prælijs, tum in urbe, & inermes occidit, quot numerare difficile eſt, propoſita illa ingẽti proſcriptionis tabula, qua ad duo millia ex ipſo equeſtris ordinis flore, ac Senatus, electi qui mori iuberentur. Quartũ Cæſaris et Pompeij. Quintũ intelligit quod geritur contra M Antonium. Ignoro cauſam. ] Non quòd re uera ignoret, ſed præ dolore non libet dicere. Exitum. ] Quòd perijt Pompeius. Quintum. ] Cum M Antonio.

In noſtram ætatem. ] Superiora, ſicut hoc præſens. Primum. ] Cætera ex diſſenſione nata ſunt, & ciuium contentione: in hoc uero omnes conſentiunt, & idem uolunt, ſcilicet perſequendum eſſe Antonium. Eos ſceleratos & impuros. ] Qui Marco hærent & Lucio. Quæ eſt igitur in medio cauſa belli poſita? ] Nobis cauſa belli eſt ut defendamus quæ euertere optat & quærit Antonius. Prædam. ] Vt Remp. diripiat. Omnibus portis. ] Quibuſcunque uelit portis Vrbis. Quò uelint. ] Ad quaſcunque opent uillas, ad prædia, & quæcunque concupiſcerint ciuium bona. Omnes Caſones, omnes Saxæ. ] Caſo & Saxa, gladiatores fortaſſe, certe improbiſſimi Antonij ſectatores. Tuſculana, Albana. ] Villas & prædia in Tuſculano & Albano. Ad aquas Puteolanas. ] Ac ſi diceret Puteolanũ litus, ad quod prouehebantur, hoc eſt perducebãtur ſpe obiecta ut illic prædia haberent, quæ alijs adimerentur. Vel aquas calidas intelligit, quæ in toto illo Baiarum, Cumarum & Puteolano tractu exiſtunt. Haſta Cæſaris. ] Hoc idem Cic. ipſe in Off. Q. Fuſius Calenus. ] Is Senator erat, & ſub pacis ſuadendæ prætextu Antonium defendebat. Fuit autẽ in partibus Cæſaris bello ciuili, & Ciceroni parum amicus, ut in epiſt. ad Att. pluribus cognoſcitur locis.

MATVRAN. Semel enim pacem defendi? ] Quaſi dicat, non ſemel, ſed pacem ſemper defendi, & otio ſtudui. Probat errare Calenum, quoniam ea pax quam ſuadet, ſeruitus potius ſit. Poſſe. ] Scilicet iniuſtum eſſe. Antea. ] Dominante Cæſare, cui charus fuit Fuſius. De illa homine. ] Cæſare. De bellua. ] Antonio. Atqui et. ] Sic dicebat Calenus. Quid intereſt inter te & illos. ] Qui malis fauet, is non niſi malus cenſeri poteſt. P. Naſicã. ] Is eſt qui uir optimus à Senatu eſt iudicatus, & ob inſignẽ prudentiam Corculũ appellatus: P. Scipionis Africani ſuperioris patruelis frater: Cn. Scipionis, qui in Hiſpania unà cum Publio fratre cecidit, filius. is Tib. Gracchũ Africani ex filia nepotem, Trib. pl. qui perniicioſas leges tulerat, & prorogare ſibi magiſtratum uolebat, omnioq́; aduerſus nobilitatem moliebatur, Mutio Conſule ſegniter ceſſante, præfatus ut ſe quicunque ſaluam Remp. uellet, ſequeretur, perſecutus in Capitolium oppreſſit. Num aliter. ] Quàm pater tuus & dicebat & ſentiebat. Non omnes. ] Qui noluiſſent perire Tiberium. Quòd L. Opimius. ] Cum C. Gracchus & ipſe Trib. pl. ea graſſaretur uia, qua frater Tiberius graſſatus fuerat, & de ea re L. Opimius Cõſul retuliſſet, cenſuerunt Senatores ut uideret ne quid Reſp. detrimenti caperet. is Caium qui armata familia Auentinum occupauerat, inuaſit, & fugientem uel ſua, uel ſerui manu interfecit. Qu. Metellum. ] Hi omnes armati cum L. Opimio Gracchum perſecuti ſunt. Qu. Metellum. ] Qui ò deuicta Macedonia Macedonicus eſt cognominatus, quatuor filiorũ pater, ſupremo tempore humeris eorum ad ſepulturam elatus eſt: ex quibus Prætor unus, duo Conſulares, duo triumphales, unus Cenſorius. auctor Plin. P. Lentuli. ] Huius lib. de Claris Oratorib. meminit Cic. M. Fuluius. ] Socius eiuſdem furoris. Eius. ] Fuluij Flacci. C. Mario. ] Qui fuit ſepties Conſul, & Arpinas.

L. Apuleius Saturninus. ] Is ſeditioſum egit Tribunatum, multas inuito Senatu leges tulit: Nonium cõpetitorem occidit: Qu. Numidicum, quòd in ſuas leges non iuraret, in exilium abire compulit: Tertio Tribunus refectus, à Mario Cõſule tãdem Senatus auctoritate armato in Capitolio unà cum Glaucia eiuſdem furoris ſocio obſeſſus eſt: cumq́; ſe eidem Mario dedidiſſet, minime ſeruata fides eſt: Glauciæ fracta ceruix: Apuleius cum in curiam fugiſſet, lapidibus & tegulis interfectus eſt: caput eius à Rabirio quodam Senatore in ludibrium per conuiuia circunlatum eſt. Omnes illo die. ] Hæ omnes nobiliſſimæ & illuſtriſſimæ Romæ fuere familiæ. Conſules illos. ] C. Marium & L. Valerium.

HONESTA oratio. ] Ante legebatur, honeſta ratio. Hieronymus Ferrarius hic magis probat ut legatur, honeſta oratio, ut illud Terentianũ, Quæ ſeſe uoluit in ignem conijcere, prohibui, ſeruaui: honeſta oratio eſt. & huius ipſius de Offic. Vulgo loquuntur, ſeſe in beneficijs collocandis mores hominum, non fortunam ſequi: honeſta oratio. & de fin. bon. & mal. Cupit enim dicere, nihil poſſe ad beatam uitam deeſſe ſapienti: honeſta oratio. & in VII. accuſ. An bello fugitiuorũ Siciliam uirtute tua liberatam? magna laus, & honeſta oratio. Hæc ille.

MATVRANT. Vri ac ſecari patimur. ] Ouid.

Sed immedicabile uulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Dura uox. ] Hæc mea. Vno in homine. ] P. Clodio. totus autẽ hic ſermo ironicus eſt. Vehementer. ] Cũ cõtentione, et dicendi genere cõcitato: animo uero ſedato & leui. Tu illi. ] Antonio. Coloniã. ] Mutinã. Vineæ. ] Inſtrumentũ militare

uinea eſt, crates ſcilicet uiminea, terrã & arborũ ramis opertæ, ſub quibus milites latẽt, muros hoſtiles ariete demolientes, & à ſaxis tuti, quæ ex propugnaculis deijciũtur. Tres principes. ] Tres legatos, de quibus iam dictum. Et quidem quo melior. ] Ad P.C. conuertitur. Quo melior Senator uideatur Fufius, negat ſe Antonio amicum eſſe, dicens eũ ſcilicet Antoniũ uenisſe contra ſe reum, hoc eſt accuſatum aliquando & reum factum, cum ſuo magno ipſius Antonij ſcilicet beneficio, qui ſubornatus in Fufiũ & productus, magni idcirco aliquid cõſequutus eſſet.

Vide quanta ſit charitas patriæ. ] Omnia ironice, & cum deriſu. in contrarium enim uertitur ſenſus uerborum. Maſſilienſes. ] Maſſilienſes Cæſare occiſo, quæ uictor ille ademerat, repetitum uenerant à Senatu. Cic. ad Att. in epiſt. Maſſilienſibus ſua reddis: hæc armis (quæ quàm firma habeamus, ignoro) reſtitui fortaſſe poſſunt, auctoritate non poſſunt. Q. Fufius impugnabat. ] Cicero Maſſilienſibus aderat, & defendebat ac iuuabat quantum poterat, idcirco acerbitatem nunc Fufij in amiciſſimam populi Romani ciuitatem, inuadit. Homini. ] Antonio qui contra eum reum uenerat. Triumphus. ] De quo inquit in Off. Cic. Itaque uexatis & perditis cæteris nationibus, ad exemplum amiſſi imperij portari in triumpho Maſſiliam uidimus, & ex ea urbe triumphari, ſine qua nunquam noſtri imperatores ex Tranſalpinis bellis triumpharunt. Illis. ] Maſſilienſibus. Remittebat. ] Quotidie lenior fiebat. Popularis. ] Populo fauens, & eius gratiam colligere ſtudens. Vt nunc ſis popularis. ] Rem populo gratam facias, & in Antonium, quem populus odit, potius dicas, quàm eum defendas.

Generi. ] Panſæ Conſulis: quod ex epiſtola ad Brutum colligo, ubi inquit Cicero, Erat præterea in Senatu Panſa ſatis uehemens & acer, cum in cæteros huius generis, tum in ſocerum. conqueſtus in Senatu longa oratione de Caleno fuerat Panſa, quòd Antonio faueret. Iterum legatos. ] Scilicet cenſuerunt mittendos, ut tẽtaretur, poſſent ne proficere qui mitterẽtur, poſtquam nihil profecerant qui miſſi prius fuerant. Quid? ] Suſpendendum eſt, & cum indignatione pronunciandum.

Ille ] Antonius. quaſi dicat, minime faceret inducias.

Ante Conſulem. ] Hircium. Reſpirauit. ] Intermiſſa eſt. Adhuc legatos. ] Scilicet mittemus. Sibi. ] Ipſis legatis. Conueniendi. ] Colloquendi. L. Cæſar. ] Vnus ex legatis. Seru. Sulpitius. ] Qui mortuus eſt in legatione.

A' tribus. ] Nobis, quàm à nobis omnibus. Nullũ unquã timorem attulerunt. ] Nam hæc præuideram, & timuerã mea ſponte prius. C. Popilius. ] Is à Senatu legatus ad Antiochũ miſſus, ut bello quo Ptolemæum laceſſebat, abſtineret: cũ ad eũ uenisſet, atque is prompto animo & amiciſſimo uultu dextram ei porrexiſſet, inuicem illi ſuam porrigere noluit, ſed tabellas Senatuſconſultum continentes tradidit: quas ut legit Antiochus, dixit ſe cum amicis collaturũ. Indignatus Popilius quòd aliquã, moram interpoſuiſſet, uirga ſolum quo inſiſtebat denotauit, & prius, inquit, quàm hoc circulo excedas, da reſponſum, quod Senatui referam. continuo Rex affirmauit fore ne amplius de ſe Ptolemæus conquereretur: ac tum demum manum eius Popilius tanquam ſocius apprehendit. Liuius auctor lib. 45. ab V.C. Valerius lib. 6. tit. de Grauiter Dictis aut Factis. Cotylam. ] Hunc in Epiſtolis quoque ad Attic. nominat, & cum ſtomacho ædilitium uocat. Serui publici. ] Quibus in munere ædilitio utebatur Reſp.

BEROALD. Popilius apud maiores. ] Plin. à cæteris ſcriptoribus diſſentiens nõ Popilium hunc appellat, ſed Octauiũ, cuius hic uerba ſubſcripſi ex lib. 34. quæ ſunt hæc: Nõ præteribo C. Octauium ob unum uerbum, quo regem Antiochum dilaturum ſe reſponſum dicentem, uirga quam tenebat forte, circumſcripſit, & prius quã egrederetur circulo illo, reſponſum dare coegit. in qua legatione interfecto Senatus ſtatuã poni iuſſit quam oculatiſſimo loco in Roſtris. Hactenus Plin. Cui fortaſſe ſicut olim Ciceroni obrepſit μνημονικὸν ἁμάρτημα, id eſt memoriæ peccatum. Niſi prius reſpondiſſet. ] Apud Plutarchum ſic Græce ſcriptum eſt, ἐνταῦθα τοίνυν ἑστὼς βουλεύου καὶ ἀπόκριναι, id eſt, hic ergo ſtans conſulta, & reſponde.

* ARMIS, equis, uiris. ] Concinna, inquit Hieronym. Ferrar. hic, locutio, armis, equis, uiris. Liuius lib. 35. Omnem ſe Græciam armis, equis, uiris, omnem oram maritimam completurum. & lib. 22. Armis, uiris, equis, commeatibus iuuant. Salluſt. Equis uiris pecunia amiſſa nunquam defeſſi ſunt armati de imperio certare. & hic ipſe in 13. Philipp. Armis uiris pecunia belli principia firmauit. Quid multa? ex diuturna obſeruatione, inquit idem Ferr. didici præclaros latinitatis auctores cum equitatum & peditatum ſignificare uellent, ita locutos eſſe ut dicerent equos uiros: idq; adeo tritum fuiſſe, ut ueniret in prouerbium, ut cum aliquid uel totis uiribus uel omni celeritate factũ oſtenderent, id his duobus uerbis deſignarent. Cic. de Off. Cum his, uiris equiſq;, ut dicitur, ſi honeſtatem tueri ac retinere ſententia eſt, decertandum eſt. & lib. 2. ad Q. fratrem, Curſu corrigam tarditatem tum equis, tum uiris: & quoniam ſcribis poema ab eo noſtrũ probari, quadrigis poeticis. quãquam ſunt qui legi uelint, equis uelisq;: ſed tota aberrant uia. hæc ille. Atque hæc tam multis, quòd paſſim hic legebatur, armis, equis; uiribus, omnino ridicule.

MATVR. Vtranque prouinciam. ] Galliam Ciſalpinam, & Macedoniam. Remitto. ] Quaſi ſui iuris eſſent.

Impudentiſſimus uideatur. ] Impudens ſit, quoniam cõtra Remp. arma ſumpſerit. Dederit. ] Prius. nam agros diuiſerat quibus uoluerat. Cauet. ] Proſpicit, cõſulit, cautum uult eſſe illis quibus agros aſſignauerat. Pugnaces. ] Ironice.

Maneant. ] Rata ſint. Septemuiris. ] Quos diuidũdis agris præfecerat. Num ait. ] Ironice, & cum deriſu. Iudiciaria. ] Qua etiam Centurionibus iudicia communicauerat.

Comatam. ] Quæ eſt Tranſalpina. In tres partes Gallia diuiſa eſt, Belgicam, Celticã, quæ & Lugdunenſis dicitur, & Aquitaniam, quæ quondã Aremorica uocata eſt. Narbonenſis enim, quæ interno mari alluitur, amne Varo ab Italia diſcreta, Alpiumq; iugis à reliqua Gallia, Bracchata nominatur. Subiecta ipſis montibus, & Rauennam uſque producta, Togata eſt.

Acidaliſia. ] Lege de rebus Venereis. nam Acidalia Venus eſt, dicta ab Acidalio fonte in Orchomeno Macedoniæ, qui et & Muſis dicatus eſt. quanquam & proprium poteſt eſſe Decurionis cuiuſpiam corruptiſſimi. Eſſe malo. ] Quàm aliquid dicere. Próue conſules. ] Proconſules poſtquam finito cõſulatu abierunt in prouincias. Proconſul huius comitijs * ſuis pro conſulem fecit, hoc eſt cui prouinciam dedit Macedoniã ſua auctoritate, & religioſa illa prouinciarũ ſortitione, ut 3. Philipp. dictum eſt. Repulſam. ] Conſulatus, & tamen prouinciam ei M. Antonius conſularem dedit. Lex Cæſaris. ] De prouincijs: de qua dictum prius. Et tua. ] Quia Antonius ſpatium prorogabat, ſed non quinquennij. L. Piſo, & tu L. Philippe. ] Ii legati cum L. Cæſare & Seruio Sulpitio ad Antonium miſſi fuerant.

BEROAL. Annonæ perfugia. ] De agro Campano ſic ſcribit in oratione de lege Agraria contra P. Rullum: Ager Campanus hac lege diuidetur, orbis terrarum pulcherrimus. Eũdem agrum paulo poſt appellat ſubſidium belli, fundamentum uectigalium, horreum regionum, ſolatium annonæ. Ex fundo Campano nunquam malus nuncius auditus eſt. De Leontino agro, qui in Sicilia eſt feraciſſimus, ait in Verrinis: Caput rei frumentariæ eſt campus Leontinus, cuius antea hæc ſpes erat, ut cũ obſitũ uidiſſes, annonæ caritatem non uererere. Ad Opis. ] Locutio eſt uſitata eruditis, et perinde elegans, ut ad Opis dicas, pro ad ædem deæ Opis: ſic ad Veſtæ, ad Telluris, ad Apollinis dicunt.

dicunt. quod & ſupra memorant, & in lib. Annotationum fuſius explicant. Acidaliſia.] Mendoſus locus hic eſt, & prorſus inenodabilis, quem ego ita emendo enodoq́ue, ut legas, à Cyda, Lyſiade, Curio. ſunt enim hæc nomina propria iudicum Antonianorum: qui cum eſſent turpiſſimi, & à re iudiciaria longe abhorrentes, lecti fuerunt ab Antonio: qui à Cicerone per contemptum faſtidiumq́ue atque indignationem nominantur. hic eſt uerus ſenſus, hæc lectio ſinceriſſima, quam euidenter oſtendit ipſe Cic. in 5. Philip. mentionem faciens pleniſſimam iſtorum trium, quorum conſeſſum in iudicum ſubſellijs docet eſſe turpiſſimū, ubi ait Cydam fuiſſe Cretenſem, portentum inſulæ, hominē audaciſſimum & perditiſſimum: Lyſiadem uero Athenienſem Phædri filium, hominem feſtiuum & ſcurrilem: Curium autem crudelem & aleatorem. Meræ nugæ ſunt & ſomnia eorum qui Acidaliſia legunt, interpretanturq́ue pro lege Venerea.

MATVRANT. Templum.] Vbi habebatur Senatus. Referebant.] Qui Antonio fauebant. Senatorū ſententias referebant in codicillos, hoc eſt libellis mandabant & deſcribebant, dabantq́ue Antonij ad Senatum legato Cotylæ. Summis honoribus.] Scilicet functi. Hi.] Antonio fauentes.

Venditabant.] Vendere & addicere quodammodo uidebantur. Perſonam.] Decorum. Legatum.] Cotylam.

Reducere.] Honoris gratia & deducimus domo in forum, & reducimus domum. Alterum.] Libertatem adipiſci.

Nam illud quidē.] Occurrit quæſtioni, & fieri hoc timore dicit ſuſpicari, non inuidia aliqua in ſe. Q. Scæuolam.] Is eſt de quo in Lælio, Q. Mutius Augur Scæuola. fuit autem P. filius. eo præceptore iuris ciuilis uſus eſt Cicero, quod ipſe tradit lib. de Claris Oratorib. aut Syllā & Q. Pompeium cum Craſſo Conſulatum geſſit, quócum etiam Cenſura functus eſt. Pontif. erat Max. cum Mariana clade in Senatu occiſus eſt, & fluuio immerſus. Liu. lib. 86. in ueſtibulo Veſtæ dum fugeret, tradit necatum. Bello Marſico.] Quod contra Marſos geſtum eſt. tempore belli ſocialis, quod & Italicū dicitur, cum diuerſis in locis bella Italiæ populi ob negatam ciuitatem concitauere, Marſis & Latinis duce Popedio initium facientibus. Vltra Picenū ſunt Marſi & Poligni, de quibus plura Strabo. Alterius.] Meo.

Iam ſexennio.] Iam ſunt anni ſex ex quo pugnari cum Iulio cœptum à Pompeio & bonis omnibus pro libertate. compoſitis rebus tribus annis imperauit Cæſar, paulo amplius quatuor ſuperſtes Pōpeio fuit. Diutius.] Tres annos & amplius.

Captiui frugi.] Nam captiui ſi frugi & induſtrij fuerint, etiam citius ſolent dimitti, & liberi fieri. Hoc honore.] Qui conſulatum geſſere. nam mutāte ueſtem populo, & ſaga ſumēte, cōſulares togam retinebant, idq́ue eorum honori tribuebatur.

Noſtri honoris inſignia.] Nos alij ſagatis uideat in conſulari ueſte. Huic hoſti.] Antonio. Præ ſe ferant.] Aperte oſtendant, ac minime diſſimulent. Legatum Antonij.] L. Varium, qui & ipſe uenerat cum Cotyla. Prohiberi.] Hoc enim ſuadebat Cicero, nō permittendum ut rediret Varius, qui Cotyla cognominabatur. Fraudi ſit.] Pœnæ. Primo quoque.] Quocunque die quando eis libuerit.

BEROAL. Non differre ueſtitu.] Id eſt ſumere ſagū, quod bellicum geſtamen eſt, à quo conſulares immunes erant.

Pro populo Romano.] Corrige proprætorem. ut enim ante docuimus, Cæſar Auguſtus Proprætoris dignitate decoratus fuit.

ANTE Idus Martias primas.] Loquendi modus antiquorum, ut dicerent, Ante Idus primas, ante Cal. primas, hoc eſt quæ futuræ erant ab eo tempore primæ. ante ſecundas, quæ poſt eas anno proximo. Cato de re Ruſt. Locus uinis dabitur ante Calēd. Ian. primas. & paulo infra, Vinum accipito ante Calend. Ian. primas. & Liu. lib. 23. Vt frumenta omnes ex agris ante Calend. Iul. primas in urbes munitas conueherent. & lib. 42. Qui ex caſtellis deditis in libertatem reſtitutus ante Cal. Sextiles primas non eſſet. & apud alios item auctores ſæpe. Hieron. Ferrar. hic.

## IN PHILIPPICAM IX.

MATVR. Seru. Sulpitius, qui primum in orando, aut certe optimū poſt M. Tullium locum tenuit, cum aliquādo Q. Mutium Scæuolam de re amici ſui conſuluiſſet, & de ſua re ſemel ſibi atq́ue iterū interroganti, ille reſpōdiſſet, neq́ue tamen percepiſſet, dixiſſetq́ue Mutius, Turpe eſſe patricio, & cauſas oranti, ius in quo uerſaretur ignorare: uelut cōtumelia cōmotus, iuri ciuili operam dedit, euaſitq́ue omnis humani & diuini iuris peritiſſimus. Ciceroni extitit admodum familiaris, quod & eius ad Ciceronem, & Ciceronis ad eum, indicant epiſtolæ, tametſi aliqua quādoq́ue interuenit offenſio, & tūc præcipue cum L. Murenam ab eo reum factum defendit Cicero. Hic Legatus cum L. Philippo & L. Piſone ad M. Antonium Mutinam, illic D. Brutum Conſulem deſignatum obſidentem, cū aduerſa teneretur ualetudine, profectus eſt, ſed penè impulſus, nō tamen inuitus, ut Reip. ſi poſſet prodeſſet: & peruenit quidē ad Antonium: antequam tamen mandata exponeret Senatus, deceſſit è uita. Actum eſt in Senatu de eo honorando: cumq́ue ſtatuam ei ponendā cenſeret Cic. plures, & in primis P. Seruilius, non ſtatua, ſed ſepulcro honorandum ducebant: legemq́ue illis dūtaxat qui interfecti in legatione fuiſſent, ſtatuam poni uelle aſſerebant. Contradicit Cic. & æque ponendam omnibus qui in legatione mortui eſſent, maiores lege probat ſenſiſſe. Exorditur per deſideriū hominis defuncti, & per ademptum cōmodū: ſed breuiſſime narrat, & quidem aptiſſime: ſubijcit deinde diuiſionem, quam plures & pulcherrimæ ſequūtur probationes & refutationes, etiā additis per exempla exornationib. Genus cauſæ eſt partim deliberatiuum, & hoc principale (Suadetur enim ponendam ſtatuam Sulpitio) partim demōſtratiuum, ſed incidens, cum laudatur Sulpitius. Status uero legitimus ex ſcripto et ſententia. nam aliter legem aduerſarij, aliter interpretatur Cicero.

Sapientia.] Erat enim iuris conſultiſſimus. Ereptus.] Immatura morte. Orbam.] Veluti orbam. Ad incertā.] Ea metuentes quæ metuere omnes poſſunt. Nulla reuertendi.] Graui ualetudine oppreſſus, & ui morbi.

BEROAL. Vetus hic fuit populi R. mos, ut legatis in legatione cæſis ſtatuæ ponerentur: qui honos ampliſſimus habebatur: ſic Publio Iunio, & Tito Coruncano, qui ab Teucaſillyricorum regina interfecti ſunt, ſtatuæ poſitæ. ſic Tullo Cælio, ſeu Cluuio, Sp. Antio, L. Roſcio, C. Fulcinio, à Fidenatibus in legatione interfectis, ſtatuas in Roſtris poſuerunt. Annotauere annales tripedaneas his ſtatuas in foro ſtatutas. hæc uidelicet menſura honorata tunc erat. Hinc M. Tullius hac oratione ſuaſoria cenſet Seruio Sulpitio ſtatuam pedeſtrem ſtatui oportere, qui in legatione perierat: ut ita extet monumentum eius hominis, cui legatio ipſa mortis cauſa fuerit. Tanquam Seru. Sulpitium occiderit Antonius, ut qui mortem attulerit, qui mortis cauſa extiterit. Ex hac Ciceronis ſententia poſita ſtatua eſt Seru. Sulpitio, cuius rei & iuriſconſulti meminerunt, his uerbis, Hic cum in legatione periſſet, ſtatuam ei populus Romanus pro Roſtris poſuit, hodieq́ue extat.

MATVR. Ita affectus eſſet.] Ita ſeſe haberet.

Sibi ipſi diffideret.] Spem de uita ſua non haberet. Obeundi.] Sui muneris exequendi. Quia hunc honorem ſtatue.] Diuiſio eſt. Eorum.] Maiorum. Lartes Tolumnius.] Fidenæ ſtadijs 40. ab Vrbe diſtabant, ciuitas olim magna, & populo frequens Romanorum etiam colonia. hæ ad Lartem Tolumnium Veientium regem defecere. Quatuor miſſi ſunt à Senatu legati, quos Cicero inferius nominat, qui noui cō

*filij cauſam quærerent. eos Fidenates Tolumnij iuſſu occidere. Tribunis militum Conſulari poteſtate, Q. Cincinnato Cincinnati filio, M. Aemylio, L. Iulio, ſtatuæ legatis pro roſtris poſitæ ſunt. Ipſe Tolumnius poſtea cum Corn. Coſſo cógreſſus, cæſus eſt. eius opima ſpolia Ioui Feretrio relata. auctor Liu. lib. 4. ab V. C.*

Cn. Octauij. ] *C. Rufus uir Quæſtorius, Cn. & C. procreauit, à quibus duplex Octauiorum familia defluxit. Cn. & deinceps ab eo reliqui omnes functi ſunt honoribus ſummis: at C. eiuſq; poſteri in equeſtri ordine uſq; ad Cæſaris Auguſti patrem conſtitere. Et Cn. quidem Octauij legendum eſt. aliter cum hiſtoria non conſonaret. Sed id admiror quod apud Plin. ſcriptum inuenio lib. 34. Nat. hiſt. his uerbis, Non præteribo Cn. Octauiũ ob unum uerbum quo regem Antiochum daturum ſe reſpõſum dicentem, uirga quam tenebat forte, circũſcripſit: &, prius quã egrederetur circulo illo, reſponſum dare coegit: in qua legatione interfecto, Senatus ſtatuam poni iuſſit quãoculatiſſimo loco in roſtris. Nam circunſcriptum uirga à C. Popilio Antiochum in ſuperiore Philippica dicit Cicero. Sed profecto hic Octauius nepotem Antiochi miſſus ad explorandos Regũm Aſiæ animos circunſcripſit, Popilij exemplum ſecutus, qui auum Antiochum circunſcripſerat.* Nouitati. ] *Noui enim erant, quorum maiores magiſtratum non geſſerant.* Nepotem. ] *Antiochum eodem nomine appellatum quo auus.* Laodiceæ. ] *In Media ciuitas fuit Laodicea nomine, à Macedonibus condita: altera in maiori Phrygia, et urbium Phrygiarum maxima, de qua hic loquitur Cic. Lyco fluuio proxima eſt, qui ex Cadmo profluit mõte, urbi ipſi imminente. auctor Ser. Gymnaſiũ uero locus eſt ubi uarijs ludis exerceri iuuentus ſolebat: γυμνάζω enim exerceo eſt: & γυμναϛὴς, exercitationum corporis præceptor pueros & adoleſcentes inſtruens.* A` quodam Leptine. ] *Antiochi iuſſu.*

Sola reſtaret. ] *Nam familia pené interierat Ciceronis tempore.*

BEROAL. Ita affectus eſſet. ] *Id eſt ægrotaret, & graui ualetudine langueret. ſic enim abſolute, nec minus eleganter dicimus affectum hominem pro ægrotum, inualidum atq; languentem.* Propertius,

> *Iuppiter affectæ tandem miſerere puellæ.*

*Liuius, Vires corporis affectæ, ſenſus oculorum atque aurium hebetes.* Cornelius Celſus: *Pulmo totus afficitur. Item, At renes ubi affecti ſunt, diu male habent. Itẽ, At lienis ubi affectus eſt, intumeſcit.* Nouitati inuidebat. ] *Nouos homines appellant ignobiles qui nullis maioribus nullaq; claritudine natalium orti ſunt. Et, ut auctor eſt App. eos nouos Romani ſolent nominare, qui à ſemetipſis nulla maiorum dignitate claruerũt. Inde nouitas dicta pro humilitate natalium. In oratione de ſupplicijs. Videmus, inquit, quanta ſit in inuidia, quantoq; in odio apud quoſdã homines nobiles nouorũ hominũ uirtus & induſtria. M. Tullium ſcriptores nouum hominem appellant. hinc illud Satyrographi,*

> *Hic nouus Arpinas ignobilis, & modo Romæ*
> *Municipalis eques.*

MORTI fuiſſet. ] *Ut dicimus, hoc fraudi eſt, pœnæ, crimini: ſic, morti eſt, recte dicitur. Cic. pro Flacco, Quibus odio ſunt noſtræ ſecures, nomen acerbitati, ſcriptura decumæ, portorium morti.* Hieron. Ferrar. Lar Tolumnius. ] *Priſc. Lar ſi ſignificat* ἐπιχώριον θεὸν, *laris facit: ſin autem imperatorem Veientium, quem mactauit Coſſus, Lartis. quanquam ſunt & qui Lars ſcribunt, ſeu Lartes.* Hieron. Ferrar.

MATVR. Huic. ] *Cn. Octauio. itaque eſt argumentum à minori ad maius. ſi, inquit, ereptum cõmuni caſu, non autem Reip. cauſa, monumentis publice ob ſingularem uirtutem honorandum putarem: multo magis nunc perſuadere & cenſere debeo, cum in legatione perierit. mortem uero ei legationẽ attuliſſe, & ſeruari adhuc in uita, niſi profectus eſſet, potuiſſe, colligit pluribus.* Diſſimilem ſui. ] *A` ſua priſtina conſuetudine nobis parendi diſceſſurum.* Is enim profecto. ] *Optimam hãc uiam uocat Fabius, cũ finitionem præcedit probatio: ut hic Ser. Sulpitium ab Antonio occiſum colligit Cicero, & in clauſula demum ita finit, Is enim profecto mortem attulit, qui cauſa mortis fuit. ergo Antonius occidit.* De hoc bello. ] *Antoniano.*

Excuſationem. ] *Nam morbum excuſabat.* Seduxit. ] *Seorſum duxit: aliàs ſeducere decipere eſt.* Nos. ] *Ego & filius.* Eius. ] *Filij.* Eius ſententia. ] *Ut legati mitterentur.*

BEROALD. Is mortem attulit. ] *Ut iuriſconſulti prodiderunt titulo ad legem Aquiliam, occidiſſe dicitur, qui mortis cauſam qualibet modo præbuit. Item ad legem Corneliã de Sicarijs inquit Vlpianus, Nihil intereſt occidat quis, an cauſam mortis præbeat. Hinc illa ſcholaſtica controuerſia, ſtuprator decem millia dare debeat. ſtupratus ſe ſuſpendit. petitur ſtuprator ad mortem, & contradicit. quæritur an capite puniendus ſit, tanquam cauſa mortis fuerit, quia ſtupratus ob id ſtuprum ſe ſuſpenderit. Quintil. in 7. Finitionem, inquit, præcedit probatio, ut in Philippicis Cic. Seru. Sulpitium occiſum ab Antonio colligit, & in clauſula demum ita finit, Is profecto mortem attulit, qui cauſa mortis fuit.*

* TVLLO Cliuio. ] *Sunt, qui legant, Tullio Cluuio, & L. Roſcio, & Sp. Actio, & C. Fulcinio. Liuius ſic, Clelium Tullum, Sp. Antium, & C. Fulcinium, & L. Roſcium. Plin. Tullium Celium, L. Roſcium, Sp. Matium Fulcinium.* Hieron. Ferrar.

MATVR. Quam iuſtitiæ. ] *Quod ipſe interpretatur, quia ad æquitatem ſemper declinabat: cum ſit plerunq; ſummum ius, ſumma iniuria.* Gratiæ. ] *Gratitudinis.* L. Syllæ. ] *Tres ſtatuæ L. Syllæ Dictatoris fuere iuxta roſtra, ſed minores, inquit Plin. lib. 34.* Id. ] *Sepulturæ honorem.*

BEROALD. Cum Sulpitio non ſunt comparandi. ] *Scribit in Bruto Cicero, Seru. Sulpitium in ſecunda arte primũ eſſe maluiſſe, quàm in prima ſecundum. Ubi annotandum primam artem à Cicerone dici eloquentiam oratoriam, ſecundam uero iuris ciuilis ſcientiam, aduerſus iſtorum opinionem, qui legalem diſciplinã in ſummo faſtigio, oratoriam artem in imo collocandã pertinaciter affirmant. Sed Seru. Sulpitius lõge omniũ fuit non eiuſdem modo ætatis, ſed eorum etiam qui fuiſſent, in iure ciuili princeps.* Pietas filij. ] *De hoc ſic refert epiſtola quadam ad Seru. Sulpitium. Seruius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primiſq; in hac in qua ego me acquieſcere ſcripſi, ita uerſatur, ut excellat: à me uero ſic diligitur, ut tibi uni cedam, præterea nemini.* Pedeſtris ſtatua. ] *Docet Plinius pedeſtres ſtatuas Romæ fuiſſe in auctoritate longo tempore, cum equeſtres Romanam celebrationem ſerius habuerint, orto ſine dubio à Græcis exemplo. Menſura autem pedeſtrium ſtatuarum tripedaneã fuit honorata.*

MATVR. Sanctitas in ipſo ſolo eſt. ] *Oſtendit longe plus eſſe ſepulcrum, quã ſtatuã publice tribuere: quoniam, ſtatua pereunte, deſinit locus ubi poſita ſtatua erat, cuiuſquã eſſe: at uero pereunte ſepulcro, locus ipſe remanet religioſus, & reuocari in profanum uſum nõ poteſt. nam ædis ſacra etiam diruto ædificio, locus ſacer manet: & illato ſemel mortuo in locum quempiam, religioſus eſt locus, quod iureconſulti dicunt. ff titulo de rerum diuiſione & qualitate.* Ita cenſeo. ] *Suam, ut cõſueuit, ſubijcit ſententiam.* Lemonia Rufus. ] *A` tribu Lemonia, quæ à pago Lemonio appellata eſt, ad portã Capenã uia Latina. nam Rufus à colore dictus eſt. Seruius prænomen eſt, Sulpitius nomen.* Et in baſi. ] *In lapide qui ſubeſt ſtatuæ, & eã ſuſtinet.* Quæſtoribus urbanis. ] *Erant enim & caſtrẽſes, & prouinciales.* Redemptori. ] *Is eſt redemptor, qui publica & priuata ædificia redimit & conducit facienda: unde*

redemptura:

redemptura: quo uocabulo Liu. utitur. qui item conducunt conuehendas ſarcinas et onera quæuis tum publice, tum priuatim, ſuis humeris aut mulis & rheda, redemptores uocantur. Horat.

Feſtinat calidus mulis geruliſq; redemptor.

Salluſt. Et Perpennam forte cognoſcit mulio redemptoris.

Deſignet. ] Vnde ſepulcrorum deſignatores dicuntur. Horat. in Epiſt.

Dum ficus prima caloręq;
Deſignatorem decoret lictoribus.

& ſi aliter, ſed minus uere, enarrat Acron.

BEROAL. Locum gladiatoribus. ] Menius cum domum ſuam uenderet Catoni & Flacco Cenſoribus, ut ibi baſilica ædificaretur, receperat ius ſibi unius columnæ, ſuper quam tectum proijceret tabulatis prouolantibus atque productis, quæ Meniana dicuntur: unde ipſe & poſteri eius ſpectare gladiatores poſſent: & ex illo columna Menia uocitata eſt, ut in Apuleium latius dixi. Sepulcrum ipſius. ] Familiaria ſepulcra dicuntur, quæ quis ſibi familiæq; ſuæ conſtituit: Hæreditaria autem, quæ quis ſibi hæredibuſq; ſuis conſtituit. Auctor iuriſconſultus titulo de religioſis.

* Q. F. Lemonia Rufus. ] Lemonia, ſcilicet tribus, ſexto caſu, Lemonia tribus, inquit Sext. Pompeius, à pago Lemonio appellatur, qui eſt à porta Capena, uia Latina. Aſconius locũ illum interpretans, Romilia Verrem, Romilia, inquit, nomen eſt tribus, ablatiui caſus: ut ſit, ex Romilia. Tribus enim urbanæ ruſticæq; omnes XXXV. numerantur, ex quibus aliquã neceſſe eſt, cuiuſcunq; ordinis fuerit, ciuis Romanus obtineat. Moris autem fuit, cum aliquis ciuis Romanus oſtendendus eſſet, ſignificaretur aut prænomine ſuo, aut nomine, aut cognomine, aut cognatiõe, aut tribu in qua cenſeretur. ſic alibi ait, L. Claudius Palatina. Hieronym. Ferrar. hic. Quoquouerſus aſſignet. ] Sic omnibus in uetuſtis codicibus legitur, & recte, inquit Hiero. Ferr. hic. Hoc enim uerbum uel maxime ponitur in monumentis ac limitibus: unde illud in marmoribus antiquis, Locus aſſignatus monumento. Cic. lib. 3 ad Att. Mihiq; ex agro tuo tantum aſſignes, quantum meo corpore occupari poteſt. Quod ad quoquouerſus attinet, ita uerum mihi uidetur, ut in illo quoque altero loco haud ſciam an reponendum ſit: ſiquidem Cato, Cæſar, cæteriq; primæ, ut ita dicam, claſſis auctores, modo quoquouerſus, modo quoquouerſum, nunquam quaqueuerſus uſurparunt.

IN PHILIPPICAM X.

M ATVR. M. Brutus ex Italia diſcedens in Græciam nauigauit, & inde Athenas profectus eſt, ubi Theomneſto Academico & Cratippo Peripatetico ſic operã dabat, ut nihil aliud agere uideretur. Interea tamen bellicam rem non negligebat: Heroſtratum enim in Macedoniam miſit, qui Pompeij reliquias quaſdam quæ illic erant, colligeret. Nobiles adoleſcentes qui Athenis ſtudiorum gratia morabantur, ſibi adiunxit; ex quibus Ciceronis filium præcipue admirabatur ac diligebat, q & generoſus eſſet, & tyrannos uehementer odiſſet. Manifeſte deinde ſeſe apparans ad bellum, ab Antiſtio Prætore ex Aſia redeunte ſibi amiciſſimo obuiam facto, apud Cariſtum naues aliquot et æris quinquaginta millia accepit: quotquot milites in Pharſalia ex Pompeij copijs uagabãtur, ad eũ confluxere: A. Cinnæ equites per Domitiũ abſtulit, quos in Aſiã ad Dolabellam ducebat: Arma quæ ad C. Antonium Demetriade conuehebantur, à Cæſare Dictatore ad Parthicum præmiſſa bellum, intercepit. Reges & principes finitimos ſibi conciliauit: C. Antonium M. fratrem ad copias accipiendas quas Gabinius Epidãni & Apolloniæ habebat, uenientem ut cõprehenderet, profectus, aduerſam contraxit ualetudinem. cum fame laboraret, Apolloniatæ non ſolum cibaria præbuere, ſed intra mœnia ſua recepere. C. Antonius uero & milites qui circa Apolloniam erant, & Apolloniatas ipſos Bruto obſecuturos uidens, Buthrotum perrexit, ſed tres in itinere cohortes amiſit, quæ à Bruto cæſæ ſunt. Loca deinde circa Billidẽ ualide præoccupata ſuperare conatus, à M. Cicerone filio cõmiſſo prælio uictus eſt, cui ſeipſum Caius cũ exercitu dedidit. Manſit autem in honore apud Brutum, dignitatiſq; ſuæ inſignia retinuit, donec exercitum corrumpens, neq; reprehenſus deſiſtẽs, naui impoſitus cuſtodiæ traditus eſt. Appianus tamen interfectum ſcribit. Ingẽs iam erat Bruti auctoritas, ingens exercitus. Traijcere in Aſiam deſtinauerat, Dolabellam oppreſſurus: literas ad Senatum dederat. eas Panſa Conſul coactis Senatoribus recitauerat, & Brutũ laudauerat. Qui Antonio fauebant, & in primis Calenus, adimendam Bruto auctoritatem, abducendaſq; ab eo copias cenſebãt: periculoſum aſſerentes libertati, tantum potentiæ Brutum habere, & rebus communibus officere poſſe, cũ præſertim ueterani omnes ei eſſent infeſti. Cic. per officiũ Conſulis exorditur, qui ſimul atq; Bruti literas acceperat, Senatum coegerat, & literis recitatis Brutum laudauerat. in Calenum dicit, & eius ſententiam confutans, omnes de Bruto ſuſpiciones diluit. De ijs qui Bruto cum copijs ſe adiunxerant, uerba facit: ſuam poſtremo profert ſententiam. Tota autem oratio in contentione poſita eſt & refutatione. Quas partes. ] Quod officium. Eius. ] Q. Fufij Caleni: quem primum omnium, quia ſocer erat, ſententiam rogarat Panſa.

Qua mens. ] Conſilium. Virg.

Quà facere id poſſis, noſtram nunc accipe mentem.

Alterum. ] Marcum.

BEROAL. Brutos ut non probes. ] Magna uis, magnum pondus eſt in nominibus. Brutos cum audis, intellige uiros optimos, & libertatis aſſertores, ac populo R. chariſſimos: Antonios uero accipe nequiſſimos, & Reipub. oppugnatores, ac Romanis inuiſos. Proinde nomen Brutorum cum laudatione pronunciandum eſt: Antoniorum uero cum uituperatione deprimendum.

MATVRANT. Ampliſſimæ fortunæ. ] Diuitiæ. Summus honoris gradus. ] Quia conſularis. Eum. ] Filium. De tribus Antonijs. ] Marco, Caio, Lucio. De ſcripto. ] Ex ſententia quam ſcriptam attuleras. Inopia uerbi. ] Quid aliud tibi uerbum non ſuccurrerit, ut accidit multis. Tuam facultatem. ] Nam ea in dicendo facultate es, ut deeſſe tibi uerba nõ poſſint. Literas Bruti. ] Hoc cenſuerat Calenus, Senatuſcõſulto declarandum literas Bruti bene ſcriptas uideri: cæterum ab eo dimittendas copias. hoc eleuat & irridet Cicero. Librarium. ] Quem ſcriptorem & cancellariũ uulgus uocat. Vſum. ] Experientiam. Quo S. C. decretum bene ſcriptas literas? ] Quaſi dicat, nullo. Hanc tibi conſuetudinem. ] Bonis inuidendi omnibus non haberes, nemo tibi inuideret. quaſi dicat, hac una cauſa te oderunt omnes, q tu bonos odiſti. Detractare autem eſt contra recte tractantes facere.

Collige te. ] Reſipiſce. Genero tuo. ] Panſa. Ampliſſimi honoris. ] Conſularis dignitatis. Eos qui diadema. ] Inuidioſe hoc de uno dicit M. Antonio. Vrbe caruit. ] De his in 1. Phil. ſatis multa.

BERO. A te diſſentiens. ] Senator Tiberius diſſentiens in curia à Quinto Atherio, ignoſcas, inquit, rogo, ſi quid aduerſus te liberius ſicut Senator dixero. De ſcripto. ] Conſimiliter in oratione pro Plancio inquit, Recitetur oratio, quæ propter eius magnitudinem dicta de ſcripto eſt. Diuiſim autem legendum eſt de ſcripto, ut dictiones duæ ſint. Collige te. ] Quid eſt ſeipſum colligere, ut inquit M. Tul. in Tuſculanis quæſtionibus, niſi diſſipatas animi partes rurſum in ſuum locum cogere? Tantam'ne patientiam dij boni. ] Apoſiopeſis, quam Cicero reticentiam, Celſus obticentiam, nonnulli interruptionẽ

appellant. ſigura eſt familiaris indignantibus, quæ ſenſus interrumpitur, nec ſententia integra enunciatur, ut, Méne incepto deſiſtere uictam? Et illud Horatianum,

Hunccine ſolem
Tam nigrum ſurrexe mihi?

Apollinares Ludos.] Relege quæ in 1. cõmentario de Apollinaribus ludis fuſius explicauimus, quos Brutus Prætor abſens fieri procurauit.

MATVRANT. In inſula.] Inſulæ propriè dictæ ſunt quæ non diſtinguuntur cõmunibus parietibus cum uicinis, circuncinctuq; publico aut priuato iunguntur, ad ſimilitudinẽ terrarum quæ fluminibus aut mari imminent: ſic uocatæ, quòd in ſalo, id eſt in mari ſunt. Luculli adoleſcentis.] Qui fuit Luculli præſtantis illius Imperatoris & locupletiſſimi filius.

Vidi Veliæ.] Et hoc in 1. Phil. Proditores.] Antonios.

Initio.] In 1. Phil. C. Antonius.] M. Antonij frater, in Illyricum & Macedoniam miſſus ad militem colligendum, & prouincias ſolicitandas. Tendit dextram.] Porrigit auxiliũ, quod ipſe interpretatur. Ornata.] Apparata ad dimicandum. Quod.] Præſidium. Ab illo.] M. Bruto. Tria tenet oppida.] Aut pauciſſima dicit, ut uulgus ſolet: aut Brũduſium, Tybur, Sueſſam intelligit. In Antonio.] Caio.

Medijs interiectus.] Nam Caius erat medius, maior eo Marcus, minor Lucius. Et non prohiberetur.] Nam prohibuerat in Macedoniam eum ſenatus proficiſci. Cæſaris.] Octauij.

Quem niſi in uia caducæ hæreditates tenuiſſent.] Caducæ hæreditates dicebantur, cũ nemo erat qui iure eas adire poſſet, & uel ad ærarium uel ad fiſcum deuoluebantur, aut à potẽtioribus occupabãtur. Et quoniam à certo hærede cadebant, caducæ uocabantur. Tribus autem modis relicta ultimis uolũtatibus deficiebant, & pro nõ ſcriptis habebantur: uel cum ijs relinquebantur qui in uita tunc non erant, ignaro tamen teſtatore: uel cum is qui hæres inſtitutus fuiſſet, aut legatarius uiuo teſtatore decedebat: aut conditio ſub qua relictum aut legatum aliquid fuerat, deficiebat. Lege autem Papia de caducis, relictum aut legatum deficiente conditione uiuo uel mortuo teſtatore, ad ærarium perueniebat. Legi autem cauſam dedere ciuilia bella, quibus plurima fiebant caduca, & pereuntibus uiuis teſtatoribus ijs quibus relictum legatum'ue fuerat, & implere conditiones non ualentibus. Emendata poſtea lex eſt, ut non ad ærarium et fiſcum, ſed ad proximiores deuoluerentur quæ deficerent.

Et Iuuen. ait,

Iura parentis habes: propter me ſcriberis hæres:
Legatum omne capis, necnon & dulce caducum.

Abolita poſtremo penitus eſt, ut ſcribitur lib. Codicis 6. tit. de caducis tollendis. Cũ Apollonia.] Dyrrhachij & Apolloniæ copiæ erant, quibus Gabinius præerat. Illyricum cum imperio Vatinius obtinebat: ſed Caius in Macedoniam proficiſcebatur.

Quid ergo ei cum copijs Gabinij aut Vatinij erat?] Quaſi dicat, nihil.

AGGER oppug. Italiæ Græcia.] Nonnulli ueteres libri, (inquit Hieron. Ferrar. hic) expugnandæ habent: ſed mea quidem ſentẽtia mendoſe. his enim uerbis ac ſuperioribus mihi uidetur Cic. exprimere uoluiſſe illa Xenophõtis quæ sũt in li. 5. Παυσανίας, ὅπως φρούριον ἑαυτοῖς μὴ πρόβολον ἐν πολέμου, τοῖς δ' ἀντιπάλοις ἐπιτείχισμα. πρόβολον Græci dixerũt locũ & operibus & natura munitum, quò, incurſantibus in fines hoſtib. ſe recipere, atq; inde propugnare poſſent. ex quo autẽ ipſi procurrerent, ut hoſtes oppugnarent, atque in eorum fines inſultarent, id ἐπιτείχισμα nominauerunt. Demoſth. ſi. Philipp. ὡς χαλεπὸν πολεμεῖν ἐστιν ἀθηναίοις ἔχουσι τοιοῦτα ἐπιτειχίσματα τῆς αὐτοῦ χώρας. quo loco interpres, ἐπιτείχισμα τόπος ὁ φησὶν ὃν περικαταλαβόντες πολέμιοι ἐτείχισαν διὰ τὸ ἐντεῦθεν αὐτοὺς ὁρμωμένους ἐπιτίθεσθαι τοῖς ἐχθροῖς. hoc uno uerbo cũ Tullius reddere nõ poſſet, duobus expoſuit: illud alterum receptaculũ appellauit: ut Cæſar lib. 2. Bell. Ciuil. Magno ſibi eſſe præſidio poſſe, ſi pro caſtello & receptaculo turrim ex latere ſub muro feciſſent: quam primo ad repentinos incurſus humilẽ paruamq; fecerũt. huc ſe referebãt. hinc, ſi qua maior oppreſſerat uis, propugnabant. Magis tamen propriè propugnaculum nuncupari poſſet, ut pro Fonteio, Narbo Martius propugnaculũ iſtis ipſis nationibus oppoſitum & obiectũ. ſed ad hunc locum nõ ſatis aptè conueniret. oppugnãdæ igitur conuenit, non expugnandæ. Hier. Ferr. Claſſis.] De Caſſij claſſe in epiſto. ad Att. Nam Caſſij claſſem, quæ plane bella eſt, non numero ultra fretum. nam q ipſe quoq; Brutus in Græciam cum claſſe tranſmiſerat, idcirco ſubiungit, Caſſij claſſis &c. Hieronym. Ferrar. hic. Incredibilis ac diuina uirtus, furentis &c.] Sic in omnibus uetuſtis libris legitur, nõ autem, Incred. ac di. uirtus Cæſaris, furentis etc. inquit Hieron. Ferr. hic. ſiquidem his uerbis Cicero Brutũ deſcribit, non Cæſarem: cui non cum C. Antonio, ſed cum M. negotium erat. Idem Ferrar.

MATVRAN. Cum Apollonia?] Macedoniæ ciuitas eſt Apollonia, libera olim & optimis inſtituta legibus: quã Corinthij & Corcyræi ædificauere: ſuper Aoum fluuium ſita, quam Eantem Hecatæus uocat: diſtans ab eo ſtadijs decem, à ſinu uero Rhizonico ſexaginta. Dyrrhachium Macedoniæ & ipſa libera ciuitas, quam Corcyræi condidere, ſic uocata à Cherſoneſo in qua ſita eſt, ante Epidamnus dicta. Auctor Str. Appianus à Dyrrhacho Epidamni filio tradit appellatam, lib. 2. de Bellis Ciuilib. Hortenſio.] Qui præerat Macedoniæ. Certiſſimo modo.] Finibus indubitatis. Illius.] Hortenſij certus erat exercitus, nec ad eum Gabinij et Vatinij pertinebãt copiæ.

Ac ne cum Bruto quidem.] Dicet quiſpiam. nam occurrit quæſtioni, ne cum Bruto quidem aliquid erat Gabinij, Vatinij, et Hortenſij copijs, & tamen eas Brutus accepit. Omnes legiones.] Reſpondet, ſi Reſp. ipſa adiudicaret, hoc eſt attribueret & aſſignaret has copias quæ ſuæ ſunt, Bruto aſſignaret, non Antonio. Nam Antonius ad perniciem. Brutus ad defenſionem uteretur. Ipſi milites.] Qui ſe Bruto adiunxerant. Scribit.] Brutus. Captus eſt.] Id quod accidit, diuinat Cicero. nam re uera captus fuit. Aut certe domo uerecundus.] Ironice.

Legatus Antonij.] C. Antonij. Equitatus qui in Syriam ducebatur.] Ii quingenti fuere, quos A. Cinnæ abſtulit, qui eos in Syriam ad Dolabellam ducebat. Alterum.] Quingentos equites prædictos. Cn. Domitius.] Is Domitij illius filius fuit, quem in Pharſalica pugna Antonius occidit. de hoc Brutus in Epiſt. ad Ciceronem: De Domitio & Apuleio quid attinet me ſcribere? Ab legato Syriaco.] A Cinna. P. Vatinius qui & antea &c.] Cum Gallias Cæſar teneret, & Lucam prouinciæ ſuæ urbem hybernatum ueniſſet. Pompeius et Craſſus ad eũ profecti ſunt. facta eſt inter eos conciliatio & concordia, ſic ut omnis Reſp. eorum arbitrio adminiſtraretur. Cõuenerant autẽ ut Cæſari in aliud quinquẽnium Galliæ prorogarentur, Craſſus & Pompeius in ſequentem annum Conſulatum peterẽt. Redière candidati, in campum deſcendere. Cato L. Domitium ſororiũ ſuum ad petitionem compulit, ut cum utrouis crearetur, eius libidini repugnaret: ſed armis acta res eſt, & multi occiſi ſunt, Cato uulneratus: demumq; Põpeius & Craſſus renunciati Conſules. Cato cũ Domitium oppoſuiſſe parum profuiſſet, & animaduerteret initam trium principum concordiam primum & maximũ ciuile malum eſſe, Præturam ipſe ſtatuit petere. Cæſar uero & Pompeius Præturam in Catone Conſulatui parem fore uidentes, Senatũ multis ignorãtibus habuere, decreuerũtq; ut qui Prætores crearentur, confeſtim magiſtratum inirent, neq; conſuetum tempus expectarent, & ne fraudi eſſet ſiquis cũ magiſtratum per ambitum obtineret: ac ſimul amicos ad petitionem ipſi impulere, pecuniam qua ſuffragaturos corrumperẽt, ſubminiſtrantes.

*niſtrantes.cumq́; nihilominus Catonis uirtus ſuperaret, & prima tribus quæ prærogatiuam habebat, eũ renũciaſſet, tonitrua Pompeius mentitus eſt. Vetabant autem auſpicia agi cũ populo Ioue tonante. Pulſis inde è campo optimatibus, magis largitionibus factum eſt ut Vatinius pro Catone Prætor renũciaretur, qui anno ſequenti ambitus reus factus eſt, & à Cicerone defenſus ac laudatus: quod quam ob rem fecerit, ipſe docet Cic. in Epiſt. ad Lentul. quæ eſt lib. 1. Famil. Hunc Vatinium oderat prius Cicero, quoniam Trib. pl. Clodio fauerat: extatq́; oratio contra Vatinium teſtem, qua eum proſcindit & lacerat.* Antea.] *Decimo anno. totidem enim exierant ex quo Vatinium Cicero defendit & laudauit.*

BEROALD. Ciceroni ſe filio meo.] *Per id tempus Cicero filius Marci Tullij Ciceronis ſub Bruto militabat: cumq́; Brutus cum primis admirabatur, utpote generoſum iuuenem, ac tyrannos exoſum, qui Cratippo tunc philoſopho in Peripatetica philoſophia clariſſimo operam dabat. ab hoc C. Antonius prælio uictus capitur. Verum qui in adoleſcentia ſpecimen maximum futuræ uirtutis oſtenderat, is mox decoxit, degenerauitq́; à ſeipſo: quem ſcriptores tradunt nihil ex paterno ingenio habuiſſe præter urbanitatem: cui ebrietas memoriam omnẽ ſubduxit, quem ferunt binos uini congios uno potu haurire ſolitũ; Marcoq́; Agrippæ à marcido ac temulento ſcyphum impactũ.*

Vatinius iure laudatus.] *Nihil notius odio Vatiniano, nihilq́; oratione illa Ciceronis in Vatinium teſtem uirulenta & crimínoſa celebratius, quem multo ſale perfricuit, & urbana amaritudine perſtrinxit. Olim Vatinij morte nunciata, cuius parũ certus dicebatur auctor, dixit M. Tull. interim uſura fruar. Item cum, audita falſo Vatinij morte, Ouinium eius libertũ interrogaſſet, rectè ne omnia? dicenti, rectè: mortuus eſt, inquit. Item cum Vatinius pedibus æger uellet uideri cõmodioris ualetudinis factus, & diceret ſe bina millia paſſuum ambulare: Dies, inquit, longiores ſunt. In Conſulatu quoq; Vatinij, quem paucis diebus geſſit, notabilis Ciceronis urbanitas circunferebatur, Magnum oſtentum, inquit, anno Vatinij factum eſt, q̃ illo Conſule nec bruma, nec uer, nec æſtas, nec autumnus fuit. Illud quoque non indignum quod annotetur, Vatinium hominem natum & ad riſum & ad odium, ſcurram fuiſſe & uenuſtum ac dicacẽ. In pedes ſuos ipſe plurima dicebat, & in fauces inflatas. ſic inimicorum (quos plures habebat quàm morbos) & in primis Ciceronis urbanitatem effugit. Attamen cum inimicitiæ mortales eſſe debeant, M. Tullius oblitus priſtini odij, oblitus iniuriarum, utpote molli ingenio præditus, Vatinium non ſolum laudauit, uerumetiam in iudicio defendit. De quo ſic refert Quintil. in 11. Dixit Cicero pro Gabinio, & P. Vatinio, inimiciſſimis ſibi antea hominibus, & in quos etiam orationes deſcripſerat.*

MATVRANT. Paterni.] Brutorum. Materni. Seruiliorum. Quo minus.] *Decimus præcipue à Cæſaro diligebatur, plurimiq́; fiebat, & ſecundus ab eo inſtitutus hæres fuerat.* Acrius credo acta ſua defenderet?] *Quaſi dicat, minime.* Quàm filius.] Octauius. Alter.] Brutus.

Quorum uotis.] *Populi, ut eſt dictum in 1. Phil.* Alter.] *Octauius ſcilicet, cum deriſu hoc & ſtomacho.* Comitijs centuriatis.] *Comitia centuriata quid ſint, prius eſt dictum. Conſtant enim ex cenſu & ætate, fieri uero intra pomœrium nefas erat.* Se proſpicere Reipublicæ.] *Quia ſimulant ſe timere & proſpicere ne quid Reſp. detrimenti capiat.* Illorum ſimulatio.] Qui non timent. Sic ignauia.] *Vt credat eos timere qui re uera non timent; ſed timere ſe ſimulant: ipſi qui timent, uehementius timent.* Malum.] *Interiectio eſt.* Faſtidium.] *Superbiam, à faſtu.* Non ſunt credo innumerabiles?] *Quaſi dicat, ſunt innumerabiles, ut non ſint timẽdi ueterani.* Ingenuo dolore.] *Nõ ſeruili, ſed qui ingenuos decet.* Poteſt igitur ſtare.] *Quaſi dicat, minime poteſt.* Quos.] Veteranos. Fatalem caſum.] *Quo uictus eſt Pompeius, & Cæſar rerum potitus.* Hunc ueſtitum.] Saga. Non enim in ſpiritu uita eſt.] *Hoc eſt in uiuendo, & ſpiritum ducendo, ſed in actionibus & rebus geſtis ac uirtute.* Sed ea nulla eſt omnino ſeruienti.] *Nam qui ſeruit, uerius mortuus eſt, quàm uiuit.* Quod ſi &c.] *Etiam ſi immortales euaderemus præſens periculum effugientes, tamen tanto magis fugere immortalitatem deberemus, quanto ſeruitus futura eſſet diuturnior per ipſam immortalitatem.* Quem naturæ quis debeat.] *Omnino enim morituri ſumus.*

BEROALD. Nulla ſeruienti.] *Iuriſconſulti ſeruitutem morti comparant: tanquam mors ſit ſeruituti anteponenda. hinc uox illa Laconis pueri memorabilis, qui ab Antigono rege captus uendituſq́;, cum iuberetur à domino matulam ferre, uiriliter dixit, οὐ δουλεύσω, id eſt non ſeruiam. mox ſe præcipitem dedit: atque ita mori generoſe maluit, quàm turpiter ſeruire.*

* NON tamen eo magis &c.] *Argumentũ eſt ex maiore ductum: Si mors fugienda non eſſet, etiam ſi nos huius periculi fuga immortalitas eſſet exceptura, propterea quòd diuturnior ſeruitus eſſet: quanto magis, ne ſeruiamus, id nunc facere debemus, qui etſi euaſerimus ex hoc periculo, tamen non habeamus exploratum nos ad ueſperum eſſe uicturos, præſertim cum & Romana uirtute digna facturi ſimus, & uitam cum amoris in patriam gloria commutatur?* Hieronym. Ferrar. hic. *Quod ideo ſic notaui, quòd in impreſſis paſſim ſine negatione legebatur, tamen eo magis &c. idq́; contra ueterum codicum fidem.*

MATVR. Chariſſimum pop. R. ciuem.] *Ironice.* Tabulis nouis.] *Quæ ne fierent, interceſſit Ant. nunc uero ut fiant, auctor eſt.* Ipſi ruſtici.] *Homines ruſtici erant Saxa & Capho.* Auertit.] *Abduxit à Rep. & ad Antonium traduxit.* Cuius.] Agri. Mimos & mimas.] *Quibus & ipſis ager Campanus fuerat diuiſus.* De Apuleio.] *De quo Brutus ad Cic. ſcribit in epiſtol.* A' Q. Cæpione.] *M. Brutus proprio & uero nomine dictus eſt Qu. Cæpio Brutus: & tamen M. Brutus appellatus. Senatuſconſultis uerum exprimebantur nomen.*

BERO. Pecuniam exigit.] *M. Brutus cum à Lycijs pecuniam popoſciſſet, eos ad deſperationem redegit, ut ſe omnes ultronea cæde ferro flammaq́; perimerent. quod ſpectaculum prorſus tragicum haudquaquam Brutus ſpectare ſuſtinuit. Idem ſcribens olim ad Pergamenos epiſtolam ex Laconiſmo breuitateq́; Spartana ſic inquit, Audio uos Dolabellæ dediſſe pecunias: quas ſi quidem ſponte dediſtis, faſſi eſtis iniuriam: ſi inuiti, hoc oſtendetis: ſi è diuerſo, eas mihi ſponte dederitis.*

## IN PHILIPPICAM XI.

MATVRAN. Cum Brutus & Caſſius Antonium & amicos Cæſaris occiſi formidantes urbe exceſſiſſent, aucta illico Antonij poteſtas eſt. itaque ad prouincias occupandas, & exercitus qui uſquam eſſent, ſibi uendicandos animum adiecit. Cumq́; in primis Syriam cuperet iam Caſſio decretam, & ſuſpectum ſe animaduerteret, foreq́; colligeret ut maiorem de ſe ſuſpicionem excitaret, ſi illam peteret, Dolabellam iuuenem audacem & ambitioſum, quem clàm ſibi adiungebat Senatus, quoniam Antonio aſſidue prius fuiſſet aduerſatus, ad Syriam petendam & paratum in Parthos exercitum impulit: cumq́; impetrari res per Senatum non poſſet, lege lata ad populum, magnis tamen contentionibus, Syria et Parthicum bellum Dolabellæ decreta prouincia eſt. Erat tũc Aſiæ præfectus C. Tre-

bonius unus ex Cæſaris percuſſoribus, qui Antonium extra curiã detinuerat, dũ Cæſar confoderetur. Is ciuitates muro ſepiebat, pecunias congerebat, exercitũ parabat, Bruto Caſſioq; ut id faceret in primis adhortãtibus. uenientẽ ad ſe Dolabellam Pergamo & Smyrna non admiſit: & quoniam Conſul erat, extra muros commeatum parari iuſſit. cumq; urbes ille inuaderet, neq; tamen proficeret quidquam, ut Epheſi reciperetur, Trebonius mãdauit. illuc uero tendentem, ex interuallo quoſdam ſubſequi iuſſit. ij recedentem Dolabellã nocte ſuperueniente intuẽtes, nec ulterius ſuſpicati quidquã, paucis relictis qui perſequerẽtur adhuc, Smyrnam ſe recepere. Sed conuerſus Dolabella, & eos qui relicti fuerant adeptus, occidit omnes: Smyrnam contendit: incuſtoditam offendit: admotisq; muro ſcalis occupat: Trebonius in lecto deprehenſus ſic occiditur, ut ipſe narrat Cic. & Appianus refert. Treboniũ ſupplicaſſe militibus ut ad Dolabellam duceretur, ſpontéq; ſecuturum ſe dixiſſe. Ducem uero turmæ cũ intueretur illum, Eia ſequere tu: poſt reſpondiſſe, Caput interim nobis præbe, nã ut hoc afferamus, nobis mandatum. & hoc dicto caput abſcidiſſe. Dolabellam ante lucem pro Tribunali ubi iudicans ſedere ſolebat Trebonius, poni iuſſiſſe: ꝙ exercitui, ꝙ ex Cæſaris fuiſſet percuſſoribus, & caput & reliquum corpus ludibrio extitiſſe. Allato Romam de Trebonij cæde nũcio, Dolabella hoſtis iudicatus eſt. de quo perſequendo cum in Senatu relatum fuiſſet, & alij priuato cuiuis optimo & innocentiſſimo imperium deferendum, alij alterum Conſulem mittendum cenſerent, neutrã ſententiam probat Cic. dicens præter maiorũ morem faciendum, ſi priuato imperium deferatur, & inutile atq; inhoneſtum tum ipſis Conſulibus, tum Reip. ſi alter Conſulum mittatur. Negotium Bruto & Caſſio qui in uicinis erant locis, dandum ſuadet. nam Brutus in Macedonia uerſabatur & Græcia: Caſſius eo conſilio ex Italia profectus fuerat, ut Dolabellam Syria prohiberet. Exorditur autem Cic. per commodum quod ex ipſo naſci uidetur incõmodo quo affecta erat Reſp. miſerabili Trebonij morte: ut animaduertentes tam atrox Dolabellæ facinus, ab Antonio qui longe crudelior eſt & ſceleratior, diligentius uigilantiusq; caueant. Et hoc in hac Philippica Ciceronis fuit conſilium, per hanc ex Dolabellæ ſcelere occaſionem magis magiſq; in Antonium Senatores accendere, in quem inuehitur, eius ſceleratiſſimos commemorans & audaciſſimos comites, ac nihil non auſuros dicens, niſi quamprimum opprimantur.

Vel mærore potius. ] Nam dolor eſt quiddam generalius, mæror particularius. utrunq; ſic definit Cicero, Dolor eſt ægritudo crucians: mæror ægritudo flebilis. Crudeli. ] Quoniam abſciſſum caput. Miſerabili. ] Qui etiam poſt mortem ludibrio fuit militibus. Immanitas. ] Qualis ferarum omnem egreſſa humanitatem. Alter. ] Dolabella Trebonium occidit, & Syriam prouinciam occupauit. De altero. ] Antonio. patefecit enim ꝙ cogitaret prouinciam Galliam occupare, ut inde armatus Vrbem & Imperium inuaderet. Vltra mortem. ] Sicut in Trebonio Dolabella. Ecce tibi. ] Superabundat tibi, ut ſæpe apud Virgilium: & ſermo eſt iratis congruens.

Quorum. ] Dolabellæ & Antonij, de quorum inimicitijs ſatis multa dicta ſunt prius. In quo potuit. ] In Trebonio. Coſſ. ] Panſa & Hirtio. A ſocio furoris. ] Antonio.

BEROAL. Crudeli & miſerabili morte. ] Progreſſa ultra mortem nimirum inhumana crudelitas, & efferata immanitas uideri poteſt illorum, qui in inimicos ſæuiũt atq; graſſantur ultra mortem: quibus dici poteſt illud Maronianũ, Vlterius ne tende odijs. Carpitur apud poetas merito conuicio Achilles, perinde ac omnis humanitatis oblitus, qui trahit Hectorẽ ad currum religatum, lacerari & ſentire putans, in quo nullus reſidebat ſenſus. Fuerunt præterea non pauci qui inimicos etiã mortuos punierunt. Execratur apud Ennium Thyeſtes, & dirũ cruciatum optat fratri, primum ut naufragio pereat Atreus, ut ſaxis fixus aſperis euiſceratus ſaxa aſpergat tabo, ſanie, & ſanguine atro, neque ſepulchrum quò ſe recipiat habeat. Ita ignaris homines in uita mentibus errant, qui in mortuos acerbe ſæuiunt atq; graſſantur. Ecce tibi. ] Familiare M. Tullio eſt ut in rebus aduerſis inopinatisq; atque indignis uſurpet id genus elocutionis. In epiſtolis ad Atticum: Ecce tibi nuncius pueros ueniſſe Rom. Inuſitatum. ] Inauditum. Dialyton eſt ſiue diſſolutũ: quæ rhetorica exornatio multum habet concinnitudinis.

MATVR. Mortem. ] Si enim occidat, exiſtimat naturam pœna affici, quia diſſoluitur anima à corpore: ſi etiam torqueat & cruciet, iracundiæ ſatisfieri. Ex utraq; parte. ] Reditu & progreſſu. Marſo Octauio. ] Hic legatus cum Dolabella eſt profectus. Qui popularetur agros. ] Aſiaticos.

Quam. ] Rem familiarem. Tenere. ] Tueri & ſeruare. His enim erat moribus, eaq; prodigalitate, ut tueri parta nequiret. Hic Senator. ] Hoc cum ſtomacho ait. Ad præſentem paſtum. ] Quæ præſentem paſcerent edacitatem, cum in dies uiuerent, & præſentis tantum diei haberent rationem.

Nulla ſuſpicione belli. ] Cum nihil bellicum metuerent ij populi, per quorum agros iter habebat. Secutæ collocutiones. ] Nam etſi intra urbes non recipiebat, cum eo tamen colloquebatur, & commeatus extra urbem præbebat. Fidei. ] Cui Numa Pompilius dextram conſecrauit, ut ait Liuius: quam etiam Plinius in fide inquit appeti. Nocturnus. ] Scalis noctu admotis muro. Smyrnam. ] Poſt Clazomenas in Ionia Smyrna eſt: à qua ſinus Smyrnæorum. Lydi eam euertere: Antigonus prius, deinde Lyſimachus ſuſcitauit. Pars in monte ſita eſt, pars maxima in cãpo iacet, Melas amnis præterfluit. De Homeri origine cum alijs quibuſdam certant Smyrnæi. auctor Strabo, qui hoc in loco obſidione à Dolabella Trebonium captum dicit, & dirutas complures urbis partes. Qui aperte hoſtis eſſet. ] Sed hoſtis aperte non erat. nam ſi hoſtis fuiſſet, incautus eſſet habendus Trebonius, qui ſic ſe opprimi ſiuiſſet. Qui ciuis etiam tũ ſpeciem haberet. ] Cum hoſtis eſſet patriæ, ſicut poſtea iudicatus eſt. Miſerum. ] Nam occidi à ciue, miſerum eſt. Quid eſſet uictis extimeſcendum. ] Cum hæc fiunt, neq; à uictis, neque ab hoſtibus, ſed à ciuibus. Conſularem. ] Trebonium. Samario. ] Is à Dolabella ad Trebonio caput amputandum miſſus eſt. Interficere ſtatim. ] Aliter tamen recitat Appianus. Inceſto. ] Turpi, impuro. Quæſtionem habuit. ] Quæſiuit per tormenta ubi eſſet pecunia publica ex uectigalibus & tributis.

BEROAL. Mortem naturæ pœnam. ] Vetus ſententia celebratur, Mors miſera non eſt, ſed aditus ad mortem eſt miſer. Contra in oratione pro Milone mortem putat naturæ finem eſſe, non pœnam. In oratione pro Seſtio: Neſciebam uitam breuem eſſe, curſum gloriæ ſempiternum: cum eſſet omnibus definita mors, optandum eſſe ut uita, quæ neceſſitati deberetur, patriæ potius donata, quã reſeruata naturæ uideretur. Hinc à Ceſtio declamatore dictum eſt, Vbi eſt ſacra illa uox tua, Mori, naturæ finis eſt, nõ pœna: hoc tibi uni nõ liquet? Cæſar mortem adeo leue ſupplicium putabat, ut cũ audiſſet Carnulium morti damnatum anticipaſſe eam, exclamauerit, Carnulius me euaſit. Et in recognoſcendis cuſtodijs, precanti cuidam pœnæ maturitatem, reſponderit, Non dum tecum in gratiam redij.

MATVRAN. Hoc iugum. ] Hanc ſeruitutem, quã nobis ueluti iugum uolunt imponere. Eculeum. ] Eculeus tormenti genus eſt. Equuleus ab equo diminutiuũ dicitur, et equulus & equula fœminini generis. Modice. ] Moderate. Miſerior qui ſuſcipit in ſe ſcelus. ] Qui peccat. concipit enim quã pœna ob cõmiſſum peccatum dignus ſit, & torquetur aſſidue. hinc Iuuenalis ait,

—Cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti

Mens habet attonitos, & ſurdo uerbere cædit.
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem uehemens, & multo ſæuior illis
Quas & Cæditius grauis inuenit, & Rhadamanthus:
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Cruciamenta morborum.] Vt claui, podagræ, tormina. Subire.] Pati. Regulus.] De quo notiſſima hiſtoria. Eſt autem locus comparationis à minori ad maius, Si crudeles in hoſte iudicati ſunt Pœni, quanto crudelior in ciue Dolabella eſt habendus?

BERO. Ceruicibus caput abſcidit.] Veteres maluerũt pluraliter dicere ceruices, quã ceruicẽ ſingulariter. primus Hortenſius ceruicem dixiſſe traditur in oratione contra Verrinum, Fregeris in carcere ceruicem ipſi Vectiæ. græce αὐχὴν dicitur ceruix: inde πορτιαύχενα, iuncturam ceruicem dicunt: quod cũ imitari uellet Pacuuius, improſpere ac duriter effinxit incuruiceruicum pecus. hinc ait Q. Lucilianus, Cũ πορτιαύχενα mirati ſumus, incuruiceruicum pecus uix à riſu defendimus. Iugum impiorum.] Dolabellã & Antonium ſignificat, qui duo ueluti coniugati copulatiq; bellum nefariũ moliebantur. cõſimiliter Apuleius iugum ſororium appellat ſorores duas Pſyches perfidioſiſſimas nequiſſimasq;. O multo miſerior.] Socraticum decretum eſt, quod & à Platone atq; Ariſtotele principibus philoſophorum latiſſime explicatur, peius eſſe iniuriam facere, quã pati: quod græce dicitur, χεῖρον εἶναι τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι.

Dolores non miſeros, ſed laborioſos.] In ſecunda Tuſculana aſſerit, dolorem non eſſe malum, & ob hoc conſequẽter nõ eſſe miſerum: quamuis res ſit triſtis, aſpera, amara, inimica naturæ, ad patiendumq; difficilis.

MATVR. Alterius.] Trebonij. Alteri.] Dolabellæ. Re certe noluit.] Quia ad prædas & rapinas Antonium ſequi maluerat. Quid Beſtiam.] Is eſt L. Beſtia, qui in præturæ petitione repulſam paſſus eſt, & ambitus damnatus: etſi Cicero eum defendit. Ipſe in Epiſtola ad Q. fratrem: Ad 4. Id. Februarias dixi pro Beſtia de ambitu apud Prætorem Cn. Domitium in foro medio maximo conuentu: incidiq; in eum locũ in dicendo, cũ Sextius multis in tẽplo Caſtoris uulneribus acceptis præſidio Beſtiæ ſeruatus eſſet. Damnationem.] Quia non Prætor renunciatus eſt, ſed ambitus paulo poſt damnatus, fruſtra defendente Cicerone. Alter Cæſar Vopiſcus.] Et hic cũ Antonio erat homo Aedilitius, & tamẽ conſulatum petebat, cũ lex eſſet, ut fieri Conſul non poſſet, qui Prætor non fuiſſet. Erat præterea adoleſcens, ut per ætatẽ adipiſci magiſtratũ nequiret.

Homo ſummo ingenio.] Ironice omnia. meminit huius Vopiſci Cic. in Epiſtolis ad Att. ſæpe. Vopiſcum uocabãt ueteres unum è geminis qui recenti utero naſceretur, altero interẽpto abortu: ut tradit Plinius. Sexta palma.] Si accuſaretur iterum, difficile eſſet defendere, & uictoriam defendẽdo cõſequi, cum ad Antonium tranſierit, & gladiator factus ſit. Sed hæc iudicum culpa, non mea eſt.] Quo minus abſolueretur. nam defendi quidem ego, ut alias, ſed iudices damnauerũt, & extra ferunt. omnia tamen ironice. Qui tamen nihil aliud nũc agere uidetur.] Antonio hæret, & omnia contra patriã faciẽs.

Illos iudices.] Qui damnauerunt ſententijs ſuis: quorũ res iudicatas irritas fecimus defendendo Vopiſcum, & irritũ iudicium faciendo, illum abſoluendo et reſtituendo. Neq; hoc in hoc uno eſt.] Hoc eſt, non in uno ſolo irritas fecimus res iudicatas, In eiſdem caſtris.] Antonij.

BEROALD. Cæſar Vopiſcus.] Vopiſcum priſci appellant eum, qui ex duobus conceptis, una abortu excluſo, ad partum legitimum perducitur.

MATVRANT. Cæſar.] Iulius. Neſcio quis.] Per contemptum ſic ait. Ex ultima Celtiberia.] Quæ pars eſt Hiſpaniæ, per quam Tagus & Anas flumina decurrunt.

Caſtrorum metator.] Qui locos parabat & purgabat metandis, hoc eſt ponendis caſtris. Nunc urbis metator, hoc eſt diuiſor. Metari enim diuidere eſt & partiri. Horat.

Nulla decempedis metata priuatis porticus.

A qua.] Vrbe. Alienus.] Quia ex Celtiberia. Suo capiti dominetur ſaluis nobis?] Quaſi dicat, minime decet etiã ſibipſi dominari Saxam, & ſuo capiti, liberumq; eſſe, dũ ſalui & incolumes nos ſumus. His.] Saxæ & Caphoni. Dotem.] Ingentes diuitias à Cæſare ueluti dotem quandam prabitas. Nutriculas.] Veluti nutriculas, hoc eſt fructus prædiorum quibus nutrirentur. Lumina.] Ironice. Lege.] Agraria, quam per uim tulit Antonius. Commentatus.] Effinxit comœdiam. Proſcripta.] Venalia propoſita, ſicut proſcribi dicitur domus, cum uenalis ſit. Tanta procuratorũ negligentia.] Qui obſiſtere nequibant, quo minus proſcriberẽtur. Infudit uenenũ, nõ dedit.] Copiã ſignat præbiti ueneni, quo periret citius. nam maiorem quantitatem infundimus, minorem damus. Sed non poſſunt.] Ideo. n. effundunt, quòd recepturos ſperant. Ouid.

Quærere ut abſumant, abſumpta requirere certant:
Atque ipſæ uitijs ſunt alimenta uices.

Videte P. Decij.] Iocatur cum amaritudine Cic. P. Decius & ipſe moribus corruptiſſimis ſectabatur Antonium. is cũ multis deberet, & ſoluendo nõ eſſet, ut caueret creditorib. ſeipſum uenalem fecit, et quaſi deuouit. Sed qui eũ in auctione ſeipſum uendentem emeret, nullus repertus eſt. Cautionem.] Quia ſuo capite cauere & ſatiſfacere uolebat. Clariſſimi uiri.] Ironice. Maiorum ſuorum.] Qui uarijs temporibus, bellisq; diuerſis ſe deuouerunt, hoc eſt mori ultro pro ſalute exercitus & Reip. uoluerunt. In ea auctione.] Cum ſeipſum ſub haſta uenderet Iuuenalis de perditiſſimis loquens ſui temporis hominibus inquit:

Queis facile eſt ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluuiem, portandum ad buſta cadauer,
Et præbere caput domina uenale ſub haſta.

Exire ære alieno.] Liberari debitis, quæ conflauerat. Cũ uenderet aliena.] Promittebat enim aliena uenditurũ bona, & hoc pacto ſeipſum redempturum. Quid ẽ iam quã nulla uidentur furiæ debitorum.] Sic enim cõſciẽtia ſtimulabat, ut tot uexent furiæ, quot eius ſunt debita. Vindicia.] Vltoris, & prohibitoris. nam aduerſatus eſt Antonio cũ legem de nouis tabulis ferre uellet, ut dictum eſt prius Phil. 6. poſtea ad id impulit, & ueluti noua tabula ipſa fuit. nam ſine nouis tabulis ſaluus eſſe nõ poterat. De Placo.] De hoc, ut de Trebellio, prius dictum. Aquila Polleritia.] Caſtellum arbitror fuiſſe ubi nunc ingens ciuitas Aquila: & Polleritia à Polo conditore uel poſſeſſore cognominata. Lumen & decus.] Ironice. In græco.] Verbo, λύσις τῆς δίκης. Niſi forte iure.] Quod fieri non poteſt, ut iure fratrem occiderit. Copiam.] Multitudinem & exercitum. Cum Dolabella.] Plurimos occidit Dolabella, & tamen tantam latronum manum non habet. Cum cauſa.] De qua agitur, ut ſit opinionum, nõ animorum diſſenſio.

BEROALD. Polleritia expulit.] Quid ſi legas Pollentia? quod nomen eſt urbis ſubalpinæ, ubi lanæ pulli coloris generoſæ cenſebantur. hinc illud Silij,

Fuſciq; ferox Pollentia uilli.

Fuit & altera Pollẽtia in Liguria in regione Italiæ nona, cuius Plinius meminit. Lyſidicum ipſum.] Vrbanitas eſt in uocabuli etymologia. nam græce λύσις dicitur ſolutio, δίκη iuſtitia: quaſi lyſidicus dicatur iuſti iuſtitiæq; præuaricator, & qui, ut ait Cicero, iura ipſa diſſoluat. Germanum Cimber occidit.] Alter locus in uerbo. nam cũ intelligit à quodam nomine Cimbro occiſum eſſe fratrem, feſtiuiter alludit ad nationem Cimbrorũ

& Germanorum, tanquam homo Cimber iure Germanum occiderit. De hoc Quintilianus in 8. Cimber hic fuit, à quo fratrem necatum hoc Ciceronis dicto notatum eſt; Germanum Cimber occidit.

SVO capiti ſaluis nobis ominetur.] Quod enim dixerat, Caſtrorū antea metator, nunc, ut ſperat, urbis: idcirco ut hoc omen auerteret, optaretq; ut in ipſum Saxam recideret, ſubiunxit, ſuo capiti nobis ſaluis ominetur: ut Cel. Te ad IX. Calē. Iun. ſubroſtrarij, quod illorum capiti ſit, diſſiparant periſſe. & Plautus in Pen. id Mercatus eſt: tuo meſtro capiti iſtuc quidem. & M. Tullius ad Att. Multa inquam mala cū dixiſſet, ſuo capiti, ut aiunt. & in Bruto, Sic Hortenſij uox extincta fato ſuo eſt, noſtra publico. Melius queſo ominare, inquit Brutus. Hæc ideo, quòd ante promittetur, dominetur debebatur. Hieron. Ferrar. hic. Pro alieno ſe &c.] Hieron. Ferrar. hic ait in omnibus uetuſtis exēplaribus legi, Pro alieno ſe ære deuouit emptori. hominem ridiculum &c. quod ſummopere placet. facete enim dixit, Decium pro alieno ſe ære deuouiſſe emptori, in carmen innuēs quo Decij uſi erant in deuotione. ſul. in quo hoc erat in extremo, Sicut uerbis nuncupaui, ita pro Rep. Quiritium, exercitu legionibus, auxilijs populi R. Quiritium, legiones auxiliaq; hoſtiū mecum dijs manibus tellurique deuoueo. Vindicis tab. no.] Idem hoc loco quod ſupra in VI. ſignificat: Nam Trebellium ualde tūc diligit, oderat tum, cum ille tabulis nouis aduerſabatur. Iam fert in oculis, poſtquam ipſum Trebellium uidit ſine tabulis nouis ſaluum eſſe non poſſe. Nam Dolabella legem ferenti de nouis tabulis, Trebellius acerrime reſtiterat, creditoreſq; defenderat: poſtea ſe ære alieno ſic obruerat, ut tabula, ut mos erat, prolata ſit, bonaq; eius auctione uenierint. Ludit igitur in tabulis nouis, et auctionarijs. ex quo etiā liquet cur dixerit, Trebellij ulte uidetur furiæ debitorū. Quē præſtantiſſimus ciuis Aquila &c.] Ne locus hic tem. te correctus uideatur, ſcribit Dion, Pontium Aquilam unum ex tyrannicidis prælio decertaſſe cum T. Munatio Planco, eumq; ſuperaſſe: ſed ipſius uerba ſubijciam: ὡς οὐ ταῦτα ἐγένετο, καὶ πόντιος ἀκύλας ἐν τῇ τῶν σφαγέων καὶ τὸν ἀδελφὸν τοῦ καταγραφέντος πλάγκου ἀπέκτεινε μετὰ ἀυτοῦ μάχῃ ἐνίκησε. Hanc autem rem, eundemq; hominem nunc à Cicerone deſignari, ex 13. Phil. apparet. Illud tamē uerum, quod in hoc Planco prouerbij loco dici ſolet, perire eū nō poſſe, niſi et crura fracta eſſent. fracta ſunt, & uiuit. hoc tamē, ut alia multa, Aquilæ fertur acceptū. Quod ad Pollētia attinet, oppidum eſt Italiæ non longe à Polentia. Hieron. Ferr. hic.

MATVR. In eam ſe iturum.] Comprobaturum.

Confidens.] Audax, improbus, temerarius, impotens, arrogans, ſuperbus. Addictus.] Violentæ deſtinatus morti, qualem obeunt gladiatores. Quamobrem.] Cum hoſtis patriæ occiſo Trebonio iudicatus eſſet Dolabella, conſtabat ut bello eſſet perſequendus. Relatū in ſenatu de eo eſt, cui talis prouincia demandaretur. alij priuatum extra ordinem deligendum, alij alterum ex Conſulibus mittendum cēſuerant. neutram ſententiam probat Cicero. Alterum.] De extraordinario imperio.

Periculoſam.] Sequitur enim, non extraordinarium ſemper imperium populare atq; uentoſum, ut non idoneus deligatur, ſed quem populi libido uoluerit. Populus autem leuis ac uento ſimilis minus recte iudicare de hominib. nouit, & dignis præfert plerunq; indignos. Alterum.] De Conſulibus mittendis. Alienum.] A Conſulum abhorrente dignitate, & temporum grauitate, ut mox dicturus eſt. Populare.] Populi iudicio delatum, & populo ſeruiens. Ventoſum.] Leue.

Bello Antiochi.] Quod primum bellum Macedonicum ſtatim ſecutum eſt. Antiochus autem rex Syriæ Thoante Aetoliæ principe, & Annibale Pœno, qui uictus & exul ad eum fugerat, adhortantibus, ſub prætextu Lyſimachiæ repetendæ, quam in littore Thraciæ ſui maiores poſuerant, Romanis bellū intulit, mouens ex Aſia illico inſulas & Græciæ littora occupauit, ſed in Eubœa elanguit: unde diſcedens tandē uincente Acilij Glabrionis fugit. nec multo poſt in Syriam ſe recepit, nauali prælio cui Annibalem præfecerat, duce Aemylio Regillo ſuperatus ad Myoneſum adiuuantibus Rhodijs. Cum prouincias Conſules ſortirentur, & Syria bellumq; contra Antiochum L. Cor. Scipioni obueniſſet, Senatuſq;, quoniam ille infirmo corpore, & moribus minus probatis eſſet, ad C. Lælium Senatus tunc principem inclinaret, eiq; prouinciam illam decreturus uideretur, P. Scipio Africanus ſuperior L. frater, ut hāc fratris deprecaretur ignominiā, & fratrem laudauit, & ſe illi legatum iturum ultro eſt pollicitus: quod gratis à Senatu animis eſt exceptum. L. uero Cornel. Aſiatici cognomen reportauit, nam fratris uſus conſilijs apud Sipylum montem Antiochum ſuperauit; tunc cum illo cōgreſſus, cū pluuia hoſtiū arcus hebetati eſſent. ipſe Antiochus ultra Taurum relegatus eſt. & poſtea à ſodalibus, quos ebrius in conuiuio pulſauerat, occiſus. Huius ſapientis.] De quo ſuperius dictū.

Deprecatus.] Depulit. Duobus.] Primo & ſecundo. & primo quidem imperatores fuere Cn. Duillius, Attilius Calatinus, Attilius Regulus, Cæcilius Metellus, C. Luctatius. Secundo uero C. Flaminius, Q. Fabius Maximus, Paulus & Varro, Q. Fuluius, Appius Claudius, T. Sempronius, Claud. Marcellus, P. Scipio P. filius, M. Liuius, Claudius Nero, omnes Conſulares.

Dictatoribus.] Ut ab Attilio Calatino; qui primo Punico bello extra Italiam exercitū primus Dictator duxit. Pyrrhi.] Qui rex Epirotarū materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus, accerſitus à Tarentinis ante primum bellum Punicum in Italiam traiecit, & uaria fortuna cum Romanis conflixit, uicto apud Heracleam Valerio Leuino, territis elephātorū inuiſitata facie militibus: ipſe poſtea à Curio Dentato Italia pulſus eſt. Duxere exercitum Conſules bello Pyrrhi Valerius Leuinus, C. Fabritius, M. Curius Dentatus. Quidam Philippi.] Tria bella Macedonica geſſere Romani: & primum quidem contra Philippum cauſa belli à fœdere rupere, quo rex dominantē in Italia Annibalem ſibi ſociauerat. acta inde ſunt imploratibus aduerſus Regis iniurias auxilium Athenienſibus, Leuino Cōſule, Attalo Rege Pergamenorum, & Rhodijs adiuuantibus, bis uictus bis exutus caſtris, bis fugatus eſt, mox à Flaminio Rege oppreſſus ad tumulos quos Cynocephalas uocant, pace tamē impetrata & regno. Quām poſt Achaico bello.] Quod poſt tertium Punicum bellum & dirutam Carthaginem geſtum eſt cōtra Corinthios & Critolaum, qui libertate à Romanis accepta contra ipſos uſus eſt. Legatos enim Romanos, dubium an & manu, certe oratione uiolauit. Metellus Macedonicus Conſul exercitum Critolai & ipſum Critolaum cecidit. L. Mūmius uictoriam alieno labore quæſitam intercepit. Miſſus enim Metello ſucceſſor cum lictoribus & paucis equitibus in Metelli caſtra properauit. Diæum alterum ducem ſub ipſis Iſthmi faucibus ſuperauit, deſertamq; ab incolis ciuitatem diripuit. de Achæis triumphauit: ſigna ærea marmoreaq; & tabulas pictas in triumpho tulit, Achaicuſq; cognominatus eſt. Quām Punico tertio.] Quo deleta eſt Carthago: fuere Imperatores eo bello L. Martius, M. Manlius, à quibus obſideri oppugnariq; cœpta eſt Carthago.

Pub. Scipionem.] P. Scipio Aemylianus cum Aedilitatem peteret, Conſul à populo dictus eſt 1. & quoniam per annos Conſulem fieri minime licebat, legibus ſolutus eſt; eiq; Africa prouincia extra ſortem data.

SERO. Huius ſapientis partem.] In lib. de Amicitia, ubi Lælium habitum & nominatum eſſe ſapientem teſtatur, in quo Fannius ad Lælium: Vnum te ſapientem appellant & exiſtimant. Item lib. 3. de Off. Nemo horū ſic ſapiens eſt, ut ſapientem intelligi hic uolumus, nec ij qui ſapientes habiti ſunt & nominati, Marcus Cato, Caius Lælius, ſapientes fuerunt. Horatius periphraſi poëtica innuit Lælium ſapientem nuncupari, ſic ſcribens

bent

beas in Sermonibus,

Virtus Scipiadæ & mitis ſapientia Lælî.

In laudem Lælij maioris ſic cecinit Silius.

Magnum Dardaniæ Lælî decus, omnia felix
Cui natura dedit nulla renuente deorum.

Succrevit P. Africanus.] Bello aduerſus Antiochum magnum Syriæ Regem ſuſcepto conſules erant Lælius & Lucius Scipio, qui ambo Græciam prouinciam cupiebant. multum Lælius in Senatu poterat. is, cum Senatus aut ſortiri aut cóparare inter ſe prouincias Conſules iuſſiſſet, elegantius facturos dixit, ſi iudicio patrum quàm ſorti eam rem permiſiſſent. Scipio reſpódit ſe cogitaturum quid ſibi faciédum eſſet. qui cum fratre P. Africano locutus, iuſſusq; ab eo permittere audacter Senatui, renunciat Collegæ facturum ſe quod is cenſeret. Cũ itaque res noua contemnis expectatione Senatum erexiſſet, P. Scipio Africanus ait, ſi Lucio Scipioni fratri ſuo prouinciam Græciam decreuiſſent, ſe illi Legatum iturum. hæc uox magno aſſenſu audita ſuſtulit certamen. Experiri libebat utrum plus Regi Antiocho in Annibale uicto, an in Africano Conſuli legionibusq; Romanis auxilij foret: ac propè omnes Scipioni Græciam, Lælio Italiam decreuerunt.

GESTA ſunt, quàm Pyrrhi.] Recte. nam quod paſſim legebatur, geſta & cóſummata ſunt, in uetuſtis codicibus cõſummata non habetur. ſiquidé nunquã id uerbũ, Conſummare ſcilicet, neq; ſuperior, quod ſciam, neque Ciceronis ætas uſurpauit: quod inferior poſtea tribuit, nón in proœmio de off. Quæ de officijs tradita ab illis & præcepta ſunt & conſummata, hæc extrema à libris ueteribus abſunt: ut in dubiũ uenire non poſſit, quin de libris tollendum ſit. Hieron. Ferrar. hic.

MATVRAN. Cum Ariſtonico.] Poſt deletam Numantiam cum Ariſtonico regis Eumenis filio bellum geſtum eſt, dum ille Aſiam quæ teſtamento regis Attali libera eſſe debebat, occupaſſet. Coſ. erant L. Valerius Flaccus, & P. Licinius Craſſus, idemq; Pont. Max. Senatus populum rogauit quem id bellũ gerere placeret. populus Flaccum reſpódit. cum uero L. Valerius Flamen Martialis eſſet, & ſacerdotij ratione Craſſo Pont. Maximo ſubeſſet, uetitus eſt mulcta dicta, hoc eſt pecuniaria pœna, à ſacris diſcedere: quam pœnam etſi ſtatim populus illi remiſit, noluit tamen Pontifici parere: ipſe Craſſus miſſus eſt, & quod nunquam antea acciderat, Pont. Max. extra Italiam profectus. prælio autem uictus & interemptus eſt. Sed Marcus Perpenna uictum Ariſtonicum in deditionem accepit. Duas tantũ tribus tulit.] Duarũ tribuũ habuit ſuffragia, & duas pro ſe adduxit tribus duntaxat. Locus aũt ſuperior ubi eſt, L. Valerio P. Scipione Conſulibus, manifeſte corruptus eſt. nam P. Licinio Craſſo legendum eſt. Trib. pl. turbulenti.] Qui turbulenti tũ ſolent eſſe, & omnia impedire. Gabinij rogatione piraticum bellũ Manlio, Mithridaticũ Pópeio eſt demandatũ. Nam Sertorianũ.] Dũ multos in Hiſpania duces ſuperaſſet Sertorius, non contentus Senatus P. Metello Pio, Numidici filio, uiro claro ac bellicoſo, ſed ſene admodũ, & ueritus ne in Italiam ille traduceret bellũ, Pompeium illi addidit, Conſulibus Q. Catulo, & L. Philippo proficiſci recuſantibus. Cumq; inter patres admiraretur quiſpiam, rogaretq; Philippum, idoneum'ne exiſtimaret Pompeium qui Procóſul, in Hiſpaniam mitteretur, non pro Conſule reſpondit, ſed pro Conſulibus mittendum. Plutarchus etiam auctor. Quæ igitur hæc comitia.] L. Cæſar hanc dixerat ſententiam, ut P. Seruilio Iſaurico priuato Dolabellæ perſequẽdi prouincia decerneretur: qua ſententia induci dicit Cic. ambitioné in curiã, periculoſam, ut uel uir præſtantiſſimus ferat repulſam, ſi ſuffragia in eũ nó concurrant: aut cæteri tali honore uideantur indigni, cum tamen ſint pari dignitate, Senatores ſcilicet & Conſulares. Aſſenſero.] Si aſſenſero, hoc eſt, ſi aſſenſus fuerit quiſpiã, dabitur ambitioni aditus in curiã, ut ſperét ſe homines ambiẽdo quauis dignitatem poſſe conſequi. Negauero.] Si negauero. Suffragio.] Voce mea, ac ueluti ſuffragio. Tanquã comitijs.] Vt Curiatis, aut Centuriatis. Quod ſi comitia &c.] Ironica eſt conceſſio. Petamus.] Quamuis dignitatem ambitiorus prenſantes & largientes. Tabula noua detur nobis.] In qua ſuffragia noſtra deſignemus aut deſcribamus. Vt data eſt populo.] Nam L. Caſſius Longinus Trib. pl. C. Mario C. Flacco Cóſulibus legem tulit, ut populus per tabellam ſuffragiũ ferret: qua lege, ut ait Cic. in oratione pro Cornelio de maieſtate, ſuffragiorum ius poteſtasq; conualuit. Cur comitijs Cæſar?] Nã hoc eſt comitia quaſi habere, et per ſuffragia deligere, quod neque utile eſt in Senatu, neque omnino decet. Præſtantiſſimus uir.] P. Seruilius. Si tibi nã ſit aſſenſum.] Cũ de eo retuleris. Præteriens.] Cũ de uno tantũ referatur, et de reliquis ſileatur.

BEROAL. Tabula populo data.] Suffragia apud ueteres Romanos uoce ferebantur, exiſtimabaturq; nihil in ſuffragijs eſſe uoce melius: deinde placuit per tabellam ſuffragari: unde leges tabellariæ artæ ſunt. Autumat M. T. lib. 3. de Legib. tabellariã legem abſtuliſſe omnem auctoritatem optimatium. Suffragia per tabellam lata eleganter tacita uocantur à Plinio in epiſt. qui ſcribit ex tacitis ſuffragijs iocularia multa atq; etiã fœda dictu emanare, & multos in ſuffragiorum tabellis ſcurriliter illudere. Tantum licentiæ prauis ingenijs adijcit illa fiducia; Quis enim ſciet? Nanque ita latebra quædam data populo, ut detur, in qua bonis ignorantibus quid quiſque ſentiat, tabella uitioſum occultaret ſuffragium. Fuerunt autem quatuor leges tabellariæ. prima Gabinia, quæ lata eſt ab homine ignoto & ſordido. Secuta poſt Caſſia eſt, à nobili homine lata L. Caſſio. Carbonis eſt tertia ſeditioſi atq; improbi ciuis. Quarta Cælij ſiue Cradij. Ad has tabellarias leges referẽdus eſt huiuſce loci intellectus.

MATVR. At enim.] Obiectio de C. Octauio. Ille.] Reſponſio. A quo.] Octauio. Aut exercitus adimendus.] Quem ipſe ſua ſponte coegerat. Eripuiſſetis.] Quoniam habebat reuera. Cum paratiſſimo.] Tecum, qui ad dicendũ es promptiſſimus. Homini antiquiſſimo.] P. Seruilio. Illa uero.] Secundæ reſpondet ſententiæ. Quis.] Aut Decimi, aut quis alius qui ab eo oppugnatur. Vt aut ſuſpiciant crimen.] Vt oriatur ſuſpicio, ne prodere uelimus D. Brutum, miſſis in Aſiam & Syriam Conſulibus. Inuidiæ.] Aemulationis materiam Conſulibus præbeamus ex prouincijs: id quod ſolet accidere in ſortiendo. Iis decernunt.] Sic de prouincijs deliberant, quaſi liberatus Brutus ſit. Rerũ natura.] Conditio & qualitas rerum. Declinare.] Deducere & diuertere. Sermones hominum.] Qui de te ſunt futuri, cupiditate prouinciæ D. Brutum deſeruiſſe. Inuidiam.] Ex prouincia. Prouinciam.] Ciliciam. Poterat enim Cicero eam obtinere diutius. nihil autẽ magis timuit, quàm ne annuũ tempus prouinciæ prorogaretur. Ea enim lege acceperat, ut poſt annum ſtatim ſuccederetur. Reprime famam.] Cupiditatis.

BEROAL. Prouinciam depoſui.] In oratione contra Piſonem in hanc ſententiam hæc, Ego Antonium collegam cupidum prouinciæ multa in Rep. molientem, patientia atque obſequio meo mitigaui. Ego prouinciam Galliam Senatus auctoritate, exercitu & pecunia inſtructam & ornatam, quam cũ Antonio communicaui, quòd ita exiſtimabam tempora Reip. ferre, in concione depoſui, reclamante populo Romano.

MATVRAN. Collega.] Hircius. Eſt uel.] Decernendæ prouinciæ. Deductus neceſſitate.] Quod accidit, cum dare nomina iuuentus à Conſulibus cogitur. Vt id ſignum.] Palladium Mineruæ ſimulacrum, quod Ilo regnante de cœlo cecidit. Romam tranſlatum eſt poſtea, et in Veſtæ templo reconditum. Reſponſum enim ab Apolline fuerat, cũ cecidit:

Aetheream ſeruate deã, ſeruabitis urbem: Imperium ſecũ tráſferet illa loci. Plura de hoc Palladio Ouid. lib. 6. Faſtorũ,

& Seruius in 2.librum Aeneidos. Quando ueniet Conſul.] SI Conſul mittatur, quando in Aſiam perueniet? Ne neſtigium quidem.] Quia omnia Dolabella delebat. At mittét.] Obiectio, Dicet quiſpiam, mittét aliquem Conſules Legatum aut Quaſtorem de ſuo numero. Valde mihi probari poteſt.] Ac ſi dicat, Minime illum probabo, qui P. Seruilium non probaui, quem mittendum cenſebat L. Cæſar. Quod ergo ipſe nemini putas dandum.] Ad illum loquitur qui ſecundæ ſententiæ auctor fuerat, eſſe ſcilicet mittendum. Legitimum.] Iuſtum, et qui magiſtratus, non priuatus exiſtat. Quis igitur eſt?] Facit ſibi ipſi interrogationem: & quis, inquit, is eſt qui hæc habeat, quæ tu habenda ab illo cenſes? Qui mittatur.] M. Brutus reſpondet, aut Caſſius, aut uterque. Decernerem.] Ego, inquit, libenter Conſules aut ipſorum alterum decernerem ſi fieri poſſet. Neq;.n. Brutus reuocandus eſt, aut ei adimendus exercitus, quem nos in Græcia ex utilitate Reip. colligauimus, & obſtrinximus, ut diſcedere illinc non debeat, quò magis Italiæ auxilio poſſit eſſe quàm Aſiæ. Vergere.] Inclinare & reſpicere.

Non ut ex ipſa acie ſubſidium haberemus.] Non ut Bruti exercitus traijceret in Italiam, & præſenti auxilio eſſet: ſed ut illic conſiſteret ubi eſt, ſciretq; habere ſe paratum transmarinum ſubſidium, quod ſuccederet ſi forte ſuccumberet. ſignificat ergo, magis dandum, quàm adimendum Bruto auxilium. Præterea.] Alia ratio, cur remoueri ex Græcia Brutus non poſſit, nec ab eo exercitus abduci. L. Antonius.] M. Antonij frater.

Byllidem.] Poſt Apolloniam Macedoniæ Bulliaca eſt, ſiue Bullis. ei uicina eſt Amantia. Plinius Nymphæũ locum in Apolloniatarum finibus incolere dicit Amantes & Bulliones. Idem in ora maritima dicit eſſe oppidum Oricum à Colchis códitum, ubi initium Epiri, abeſſe à Salentino italiæ promótorio. 85. millibus paſſuum. Orcum uocat Strabo, & depruuatus credo locus eſt. Epirus autem regio eſt Macedoniæ finitima. Etiam de Brunduſio.] Vt redeat Caius, & occupet. Quanquã miror.] Miror, inquit, ſuſtinere C. Antonium ſe tandiu à Bruto obſideri, et non ultro illi ſe dedere, ac uincula & manicas accipere, ut conſueuit.

* AVT M. Brutus, aut &c.] Locus ſine dubio mendoſus. Neque enim ſuperior ſcriptura cũ inferiori cohæret, et longe aliud loqui mihi uidetur ac ſentiat Cicero: Cuius hæc, mea quidem ſententia, mẽs eſt, hoc conſilium, ut ad Caſſium hoc bellum deferat, Brutũ autem uerbo excludat à negotio, re uera iudiciũ eius liberum atque integrum relinquat: ut ita fortaſſe corrigendum ſit, Aut C. Caſſium, aut M. Brutum, aut utrunque decernerem planè, ſicut multi Conſulem alterum, ambos'ue, ni &c. Nã cum dixiſſet, Expedito nobis homine & parato P. C. opus eſt, et quæ ſequuntur, deinde ſubiunxiſſet, Quis igitur is eſt? is id quod diximus, ſententia ſua complecti atque efficere uolebat, id quod profecto uolebat: non ei reſpondendum fuit, C. Caſſius & M. Brutus, ſed aut C. Caſſium, aut M. Brutum, aut utrunque decernerem planè, ſicut multi Conſulem &c. Sic enim & uni Caſſio decernebat imperium, & aſſequebatur ut Bruti iudicium eſſet, quid ex dignitate ſua, exq; Rep. uideretur eſſe. Sed nihil affirmo: tantum opinionem meam teſtatam relinquere uolo. Illud omni aſſeueratione affirmo, libros eſſe deprauatos, nec eorũ uerbis ſenſa Ciceronis exprimi. Vrget Illyricum.] Recte, inquit Hieron. Ferrar. hic, atque adeo ex uetuſtis etiam exemplaribus. nam & proxima ſuperiori oratione oſtendit Illyricum à C. Antonio eſſe tentatum: & hæc diſpoſitio ex ordine eſt: illa altera (nempe quæ Oricum pro Illyricum habet) perturbata: ſiquidem cum oppidis prouinciam confundit. Hæc ille.

MATVR. Quod ſi fecerit Brutus.] Si comprehenderit Caium, & in uincula coniecerit. Per ſe.] Sua ſponte, ut aliàs ipſe Brutus & Caſſius fecere. Ipſe ſibi Senatus fuit.] Vterq; fuit ſibi pro Senatu, quoniã ea egit ſponte, quæ Senatus imperaſſet agenda: non expectata Senatus auctoritate. Temporibus.] Opportunitatibus. Quàm moribus.] Maiorum inſtitutis. Nec enim.] Diu ante, inquit, indicarunt Brutus & Caſſius legem ſanctiſſimam, & optimũ morem eſſe, ſaluti patriæ & libertati ſtudere. Itaque etiã ſi de Dolabella hoſte perſequendo nihil decerneretur, intereſſe ego putarẽ ſummorum uirorum, quales ſunt Brutus et Caſſius, ſua auctoritate ſine decreto aliquo publico illum perſequi. Quorum alterius.] Bruti.

Alterius.] Caſſij. Studia.] Voluntates. Alienam.] Quia decretam M. Antonio. Equitatum.] De quo prius dixit. Oblitum.] Perfuſum, ab oblino. Ouid.

Oblitus à dominæ cæde libellus erit.

Sua ſententia.] Equitatum auferendo. Qua lege.] Obiectio eſt, cui reſpondet. Iupiter.] Qui omnia ſanxit iuſta et honeſta, quæ pro patriæ fierent ſalute. & ſapit hoc Ciceronis dictum illud Hectoris ad Polydamantem fratrem, cum Augurem ſuaderet de rebus gerendis conſulendum lib. 12. Iliados, εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Eſt enim lex.] Lib. de Legibus quoq; 1. ſic diffinit, Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibetq; contraria. Nec multo poſt ratione et lege cũ dijs homines coniunctos eſſe ſic colligit: Homo ſolus ex tot animantium generibus atq; naturis particeps eſt rationis & cogitationis, cũ cætera ſint expertia. Quid eſt autẽ non dicã in homine, ſed in omni cœlo atq; terra, ratione diuinius? quæ cum adoleuit & perfecta eſt, nominatur rite ſapientia. Eſt igitur, quando nihil eſt ratione melius, eaq; & in homine & in deo, prima homini cum deo rationis ſocietas: inter quos autem ratio, inter eoſdem etiã recta ratio cómunis eſt: quæ cum ſit lex, lege quoq; conciliati cum dijs homines putandi ſumus. Alienam.] Dolabellæ. His uero.] Legibus ſcriptis.

Oppreſſis.] Ab Antonio & Dolabella. Suam.] Ipſius Caſij. Lege naturæ.] Quam definiuit. Sed ut ex.] Suam nunc dixit ſententiam Cicero, poſtquam aliorum impugnauit. Senatui placere. Supple cenſeo. Eum.] Caſſium. Q. Martio.] Is & L. Scaurus Procoſ. fuerant in Syria cum Dolabella decreta eſt. Perſequi.] Cenſeo placere Senatui. Aſia.] Non eam dicit quæ in tertia orbis parte terminos habet amnes, ab Aegyptio mari Nilum, à Mæoti lacu Tanaim: ſed eam quam ab Oriente Lycia includit et Phrygia, ab Occidente Aegæa litora, à Meridie mare Aegyptium, Paphlagonia, à Septẽtrione Bithynia, quæ olim Bebrycia & Mygdonia dicta eſt, deinde à Bithyno Rege ſic uocata. Eſt autem in exordio Ponti ad partem ſolis orientis aduerſa Thraciæ, opulenta ac diues urbium. à fonte Sangarij fluminis primos fines habet.

Ponto.] Ponticis gentibus ad Pontum Euxinum habitantibus Tetrarchiæ. Quæ partem quartam obtinent, de quibus prius eſt dictum. Dynaſtæ.] Potentes & optimates, unde δυναστεία potentatus. Vtq; Panſa.] Cenſeo Senatui placere.

BERO. Suam lege naturæ.] Natura, ut ſubtiliter docet Plato in Gorgia, demonſtrat ut præſtãtior plus habeat quàm inferior, & potentior quàm debilior. Ex hac lege naturæ Hercules Geryonis boues neq; emptos, neque donatos abegit, utpote naturali ipſo iure præſcribente, & boues, & cætera omnia quæ ab hominibus poſſidentur, illius eſſe debere, qui præſtãtior ſit, atque ualẽtior. hinc reſponſum illud Gallorũ ferox celebratur, qui Romanis quærentibus quidnam rei in Hetruria Gallis eſſet, reſponderunt ſe in armis ius facere, & omnia fortiũ uirorũ eſſe. In decretis canonicis octaua diſtinctione, euidẽter oſtenditur iure humano factum eſſe ut dicatur, hæc uilla eſt mea, hic fundus eſt meus, hæc domus mea eſt: cum lege naturæ omnia omnibus communia forent.

MATVR. Alienus.] Hic Legatus Dolabellæ erat præfectus. C. Baſſi.] Huius in epiſtolis crebra fit mentio. Ipſius æqualis ætati.] Ac ſi diceret, ab incunabulis amicũ fuiſſe.

M. Bibulus

M. Bibulus.] Is præerat Syriæ, ut in epiſtolis ad Cælium, quæ ſunt in lib. 2. Famil. quo tempore Cicero præerat Ciliciæ, Caius Thermus Bithyniæ. Quid faciendũ.] Id autem fuit faciendum, quod fecit, ut Remp. ſequeretur, & arma Pompeij. In recta ſententia.] Et profecto uoluntas & cauſa omnibus in rebus, non euentus ſpectandus: iureq; ait apud Ouid. Phyllis.

Careat ſucceſſibus opto,

Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

Tyrij.] Maxima & antiquiſſima Phœnicum ciuitas fuit Tyrus, ab omni olim continente diuiſa, poſtea ab Alexandro molibus & aggere coniuncta. Calamitates quas paſſa eſt ab Alexãdro capta, omnes euicit, & ſe ipſam nauigando inſtaurauit, qua una re Phœnices omnibus ſemper præſtitere. Syria & Phœnice.] Vicinæ regiones. C. Caſſiũ.] Nã præfuit Syriæ, de quo Cic. in epiſt. ad Cæl. Caſſius, quod mihi magnæ uoluptati fuit, ab Antiochia hoſtẽ reiecerat, Bibulus prouinciã acceperat. Memoriæ teſtimonio.] Vt recordatione potius quàm uoce teſtes ſimus.

BERO. In recta ſententia.] In oratione pro Ligario, Cauſa, inquit, dubia, quòd erat aliquid in utraque parte quod probari poſſet, nunc melior certe iudicanda eſt, quam etiam dij adiudicauerunt. Huic ſententiæ concinit illud Lucani.

Victrix cauſa deis placuit, ſed uicta Catoni.

MATVR. Cenſorinũ. De quo prius dictũ. Sectorẽ.] Venditorẽ bonorũ alienorũ ſub haſta. Latrocinio.] Latronũ cœtu: ut ſeruitiũ eſt ſeruorũ multitudo, & famulitiũ. Naufraga.] Vel quia ipſi tanquã facto naufragio ad Antoniũ ſe receperãt: uel quia cauſa ſunt ut multi periclitẽtur, & naufragiũ faciãt. Vide inquit.] Occurrit culpã ſic dicenti, Si Caſſius perſequendo Dolabella proficiscitur, ueterani offendẽtur, qui eum q Iuliũ percuſſit oderũt. Probat non ita fore, quoniam tria genera ſunt ueteranorũ. unũ eorũ qui Octauiũ ſequũtur, & D. Brutũ liberare obſidione ſtudent: alterũ eorũ qui neutræ parti ſeſe adiũgunt; tertium impiorum, qui ſunt cum Antonio. Qui boni ſunt, non poſſunt inquit offendi. nã ſi ſaluũ uolũt eſſe Decimum cur eſt credibile Caſſiũ odiſſe? Cõtra illos malos ſumpta ſunt arma. medij illi non ſunt timẽdi: ergo, ne ueterani offendãtur, uerendũ nõ eſt, qui quieſcũt, neq; Octauiũ, neq; Antoniũ ſecuti. Cæſaris.] Iulij. Fruãtur illis.] Veterani præmijs perſolutis. Vel.] Etiã. Spero.] Credo. Aequiſſimũ.] Dari quæ ſpopondimus.

BERO. Dolorem inurere.] Translatio ſumpta à quadrupedibus, quæ cauterio & charactere ſignari ſolent. Seruorũ quoq; uultus inſcribuntur, & frontes ignito ferramẽto inuruntur: unde ſtigmatici dicti, quibus dolor ſignificanter et propriè inuri dicitur. Aetas ſuccedit ætati.] In hanc ſententiam ait Lucretius, Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur. & à Laberio Mimographo dictũ eſt, Nõ poſſunt primi eſſe oẽs omni tẽpore: Cecidi ego, cadent qui ſequũtur: laus eſt publica.

## IN PHILIPPICAM XII.

MATVR. Legati qui ab initio poſtquã obſideri D. Brutus cœpit, miſſi ſunt, redierãt re infecta, & Antonius urgere obſidionẽ deſtiterat nunquã. Amici tamẽ & fautores eius. L. Piſo et Q. Fuſius Calenus in primis rurſus honeſtæ pacis ſpẽ faciebãt, et in eã ſententiã etiã Cõſulem Hirtiũ adduxerant, ut pacẽ uelle Antonium crederent oẽs: idq; ut crederent multis etiã impellebãtur argumentis & ſignis: ex quo actũ in Senatu eſt de legatis iterũ mittendis: delectiq; ſunt P. Seruilius, & M. Cicero. Compertũ inde eſt falſa fuiſſe quæ de Antonio ab amicis promiſſa fuerant, nec ad pacẽ illũ, niſi qua dignitatem ſuã retineret, Senatus minueret, deſcendere uelle. Ergo Cicero deceptos dicit & proditos, ac cauſam Antonij ab ijs qui huiuſmodi de pace diſſipauerint ſermones, actam, publicam eſſe neglectã. Hortatur conſilium cõmutent, nec Legatos mittãt, idq; ſi fiat, et inutile & turpe Reip fore, pluribus probat rationibus. Multa in Calenum dicit: armis perſequendum ſuadet Antonium, & in incepto permanendum: nec deeſſe uim & facultatem ad illum actutum opprimendum. Quòd immineat periculũ ſi pax concedatur, oſtendit, et ne concedi quidẽ honeſte poſſe. In ſe uero deligendo maxime erratum probat, eamq; legationem & periculoſam ſibi futuram, & Reip. minus utilem: & tamen ſe totum periculũ magis ex Reip. cõmodo, quàm ex ſuo metiri uelle. In deliberatiuo genere poſita eſt hæc Philippica, ut cæteræ. Exorditur per locũ conſolationis à ſocietate in errore. Nã cũ alios & eoſdẽ ſapientes in eadẽ re uidemus errare in qua erratũ à nobis eſt, leuius de errore noſtro dolemus. Errauerat quidem Cic. quòd Antonij amicis pacis ſpem afferẽtibus crediderat: ſed in eodẽ errore reliqui Senatores et ipſe Cõſul fuerat: ex quo erroris ſui dedecus modeſtius ferebat. Falli.] Aperte. Decipi.] Occulte & per fraudem. Errare.] Per ſe & ſua opinione labi. Duo Cõſulares.] Piſo & Calenus. Aliquod uulnus.] Aliquid quod eũ ueluti uulnus cruciaret, & tamen lateret. Apud alterũ.] Piſonẽ. Vxor. Fuluia. Alter.] Calenus. Literas mittere.] Quod ſuperius dictũ. Deditionẽ.] Antonij. ſic. n. ſpondebãt eius amici, fore ut ſe dederet. De imponẽdis.] Hoc. n. futurũ nobis perſuadebatis, ut leges & conditiones Antonio imponeretis, non re uera acciperetis ab eo. quoniã dare, non accipere uolebat. Quorum in uultu habitant oculi mei.] A' quorum uultu oculos nunquam remoueo.

BERO. C. Haleni.] Exiſtimo legẽdũ eſſe Caleni, ut de Fuſio Caleno intelligamus q fautor erat Antonij et propugnator.

MATVR. Quod ſi ita non eſt.] Si hæc uera nõ erãt, cur à Piſone & Caleno mentio pacis facta eſt tam importune? neque. n. ſine cauſa credibile erat fieri, etſi negabat uterque rem ullam nouam ab Antonio allatam, & ſe quidquid facerent, ſpõte ſua dicebãt facere. Exiſtimabãt enim non eſſe integrum à legatis mittendis abſtinere, poſtquã delecti ſemel fuerant: & id agebant, ut è Senatu amouerent duos acerrimos Antonij inimicos, Ciceronem & Seruilium, ac periculo obijcerent. Pacificatoris.] Pacis, ut dicebant, cauſa decreta. Nouo conſilio.] Mittendi legatos. Si in re nihil eſt noui.] Si nihil ab Antonio nouum allatum eſt, et permanet in ſententia, in qua fuerat prius. Præſtrinxerat.] Clauſerat & obcæcauerat. Vicarij.] Qui loco alterius ponũtur ut illius uicẽ gerãt, et pro illo ſint uel in magiſtratu, uel in quauis alia re. Capi.] Decepi. Ne ſi à Mutina quidẽ.] Verba hæc Fuſij fuerãt, qui in hãc ſententiã locutus erat, nõ eſſe audiendũ Antoniũ etiã ſi à Mutina recederet, niſi in Senatus poteſtate futurũ ſe polliceretur. Verũ durũ uidebatur ſinere impune abire Antoniũ ſi à Mutina recederet, et ſe in ſenatus diceret poteſtate futurũ, & tamen fracti ſumus nos, & ceſſimus Antonio. Sed dic mihi Calene, recedit ne ipſe à Mutina? Valde nobis &c.] Ironice, ac ſi dicat, minime cõmittendum eſt ut nos legatos mittendo, & cedendo Antonio, perdatis auctoritatem. Neq;. n ſine ueſtro dedecore facere poteſtis, ut illius dignitatis, quæ nulla eſt, rationẽ habeatis. Per ſe.] Suo; nõ fortunæ uitio. Si iacent.] Seſe ante nos proſternũt & ſupplicant. Nobiſcũ ageret.] Si poſtularet ne ſuã amitteret dignitatẽ. quanquã.] Voluit dicere, quanquã omnino ne audirem.

Statim.] Nunc reſiſtendũ eſt, & nihil differendũ. Cõcedenda libertas.] Vt nos ipſos illi tradamus, & noſtrã libertatem, ac ſeruitamus. At nõ eſt integrũ.] Rurſus occurrit obiectioni Caleni. Quid autẽ.] Reſpõſio. Tritũ eſt prouerbiũ, ſapientis eſſe, cum licet, mutare propoſitum. Reſtitui.] Reuocari in integrũ. Poſteriores cogitationes.] Sed prouerbiũ eſt, poſterioris cogitationis & ſapientiæ plenas domos eſſe. Illa caligo.] Qua obcæcati errauimus. A' noſtris.] A' P. Seruilio, quod ſequẽtia mox indicãt. Inquit.] P. Seruilius. Nec mirũ.] Hæc quæ dixiſti cõtigiſſe Seruili. Suſpicionẽ.] Proditionis, ne nos uideretur et Rep.

prodere, quòd tam repète mutata ſententia de pace loqueretur.

BERO. Præſtrinxerat aciem animi.] Tranſlatio à præſtigiatoribus, qui ſpectantium oculos præſtringunt uafritia et calliditate nugarum. unde à præſtringendo præſtigiator dictus, atque præſtigiæ, à fulgore quoque tranſlatũ, qui oculos præſtringis mortalium, ne tueri contra poſſimus. Plautus, Curate ne ſplẽdor ſit meo clypeo, ut præſtringat oculorum aciem in hoſtibus.

Quanquam, ſed hoc malo.] Interrupta ſententia eſt per apoſiopeſim ſiue obticentiam, indignantibus, cupientibus, dolẽtibus familiarem. Conſimile eſt illud Virgilianum,

Quanquam ò, ſed uincant quibus hoc Neptune dediſti.

Prodeſſe dico.] Exornatio rhetorica eſt, quæ græce climax, latine gradatio nominatur. Diuus Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſtiana docet Apoſtolum Paulum uti gradatione, cum ex tribulatione patientiam, ex patientia probationẽ, ex probatione ſpem decentiſſime connectit.

MATVR. Profeſſos eſſe.] Aperte oſtendiſſe. Ex duob.] Exercitibus Hircij Conſulis & Octauij. Luſtratus.] Pro more Romano. conſtitutus. n. in campo Martio luſtrabatur expiabaturq́; id quod Seruius Tullius rex inſtituit. Vt.] Quamuis. Inſiſtet.] Conſiſtet: non dimicabit. Patauini.] Venetiæ ciuitas Patauium cunctas olim eius urbes excelluit. Strabonis ætate cenſi in ea ſunt quingenti equeſtris ordinis uiri. Idẽ ait, Priſcis annis centum uiginti militum millia miſiſſe conſtat.

Cõmunicata Rep.] Donati. n. ciuitate fuerãt Patauini, & reliqui eiuſdem regionis inſigniores populi. Eius. Reip.

BEROAL. Luſtratus exercitus.] Expiatus, recenſitus, recognitus. Apud Macedonas luſtrandi exercitus ſolẽne erat tale: prior hoſtiæ pars ad dextram, poſterior ad læuam uia ponebatur: inter hanc diuiſam hoſtiam copiæ armatæ traducebantur: præferebantur primo agmini inſignia omnium ab ultima origine Macedoniæ Regum: deinde Rex ipſe ſequebatur: proxima erat regia cohors, cuſtodeſq́; corporis. poſtremum agmẽ Macedonum cætera multitudo claudebat. Receptui canente.] Verbum militare eſt canere receptui, quando ſcilicet imperator iubet copias ex acie atque conflictu in caſtra reuocari, atque in tuto collocari. hinc per tranſlationem decentiſſimam dicimur canere receptui, quotieſcunque artem deſinimus, & in portũ quietis nos conferimus. Quintilianus loquens de Oratore ſic inquit, Quare antequam in has ætatis ueniat inſidias, receptui canat, et in portum integra naue perueniat.

MATVR. Conſciſſus.] Laceratus. Superius Phil. 5. Decretis ueſtris enim cõſcidiſtis. Delata.] Cõceſſa & tradita: niſi forte locus corruptus eſt, & relata legendum. nam Phil. 5. inquit, Senatus etiam conſulta pecunia accepta falſa referebãt.

Peculatus.] Furti publici. Venierunt.] Vendita ſunt.

Eæ tabulæ.] Immunitatũ & priuilegiorũ. Veſtitus fœditate.] In ſagis, militari ueſte depoſita. Neq; noſtri ordinis.] Senatorij, ſed externos ſocios eorũ. Tyrones.] Nummij, Muſtellæ.

BERO. Sperantem Conſulatum.] Quid ſi legas ſpirantem? dicitur enim perquam eleganter quiſpiam ſpirare Cõſulatum, quando ſuperbiam illã & inſolentiam atq; impotentiam præfert, oſtentatq́; ſpiritu & inceſſu quæ Conſuli conueniunt. Sic illius,

Mago quatit currus, & fratrem ſpirat in armis.

Si ſperantẽ legas, erit dictio hæc copulanda cũ inferiore colo: ut ita iunctum enuncies, ſperantem conſulatum Luciũ adiungite.

MATVRAN. In quo &c.] Senſus eſt & ordo, neque in hac legatione eſſe me conuenit, neq; ad conſilium deliberationemq́; de tali negocio acceſſiri, in quo ſi non ad pacem accipiendam ab Antonio corrogamur, & ego à cæteris non diſſenſero, ita fiet, hoc eſt id accidet, ut populus R. mihi imputaturus ſit ſi quid peccauerit Antonius, cum aliquid ei remiſſum cõdonatumq́; de erroribus et peccatis fuerit, aut à nobis libere cõceſſum. dicet enim mea culpa fieri, qui conſenſerim, et nõ ut inſtitueram, perpetuo repugnauerim. Princeps ſagorum.] Auctor ſaga ſumendi. Eiurabant.] Valde iurabant. Confixum.] Quaſi uulneratum. De Antonio non laboratis.] Non curatis quo animo laturus me ſit.

BERO. Cum alij aduerſarium.] Cum ſit quædam uirtutibus ac uitijs uicinitas, utimur decenter proxima deriuatione uerborũ, ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro auaro parcum uocemus, quæ etiam contra ualent. ſic nõ nulli qui fauebant Antonio, non hoſtẽ illum appellabant, ſed mitiore uocabulo aduerſariũ. Eiurabant.] Quidam codices habent deierabant, quod probo. eſt enim ſenſus, iureiurando affirmabãt aſſerebantq́; me iniquũ eſſe & iniurium. Deierare enim ualde iurare eſt: ſicut deamare ſignificat amoris incrementũ. hæc enim particula de, frequenter auctiua eſt: inde deiurium dicitur ipſum iuſiurandum. Dicimus quoque eiurare pro ualde iurare, cum e, ſignificet intentionem, ſicut nonnunquam eſt μόριον στερητικὸν, id eſt priuata particula, ut in egelido, & edurο. Apud auctores eiurare magiſtratum, eſt deponere atque finire magiſtratum, reſoluto illo iureiurando quo iurati accipimus. Quo modo aſpiciam hoſtem. Hinc illa Porcij Latronis declamatoris ſententia, Videbis ardentes crudelitate ſimul ac ſuperbia oculos: uidebis illũ non hominis, ſed belli ciuilis uultum: uidebis illas fauces, per quas Cn. Pompeij bona tranſierunt: item erit aliquid quod Antonium offendat, aut factum tuum, aut dictum aut ſilentium, aut uultus. haud enim placitus et.

MATVR. Petiſſio Vrbinati.] Ex Vrbino Vmbriæ ciuitate nunc inſigni. Ex naufragio.] Loquitur per tranſlationem ab ijs qui periclitantur in mari, & naui fracta enatant.

Luculenti.] Ampli. Municipij mei.] Arpinatis.

Aquilæ.] Apud aquilam Pollertilam: uel aquilæ primipili, hoc eſt uexillo Centurionis, & militibus qui ſub ea aquila erãt. uel Aquila proprium nomen eſt. Primipilus autem Centurionem ſignificat. Duos Prætores.] Erant. n. cum Antonio Prætores duo: & infra inquit Phil. 13. Duo Prætores ſine cauſa diffiſi ſe aliquid habituros. horũ alter Caius fuit, alter Cenſorinus.

Non Trib. pl.] Saxam Decidium. Duos deſignatos.] T. Hoſtilium & Viſeuium. de ijs omnibus ſuperius multa dixit, & plura dicet in ſequentibus. Non potero frangere.] Si nõ licebit frangere & depellere, occultabo tamen. Vt optanda mors eſſet.] Quicunque enim eos repetat animo cruciatus, quibus & uiuum & mortuum affecit Trebonium Dolabella: is mori maulit, quàm ea experiri quæ uictori collibuerint, ſi in eius ueniendũ ſit poteſtatem. Ad eum exitum.] Quem mihi propoſueram, ut pro Rep. perirem. A ſupero mari.] Adriatico.

Ab infero.] Tyrrheno. Media Caſſia.] Quæ Vellos ducit & Narniã ac Peruſiam. Diſcriminat.] Diuidit ferè per medium. Lentonis Ceſenij Septemuiralis.] Hic unus erat ex Antonij fœdiſſimo comitatu Hetruſcus. huius & prius meminit.

BERO. Petiſſio Vrbinati.] Vrbinates populi ſunt Vmbriæ, in ſexta Italiæ regione, cognomine Metaurenſes, monumẽtis ſcriptorum celebres: ſed maxime clari principibus noſtri temporis, Federico, quo in diſciplina militari nemo præſtantior, qui Annibali & Scipioni merito comparatur: & duce Guidone Vbaldo, qui eruditione & reliquis uirtutibus principalibus eſt eminentiſſimus. Adde egregias ædes: quæ in tota Italia pulcherrimæ magnificentiſſimæq́; domiciliorum omnium conſpiciũtur. In quibus eſt bibliotheca omnis generis librorum refertiſſima: adeo ut neque Pergamenis neque Alexandrinis bibliothecis, quas extollit uetuſtas, aſſurgant.

MATVR. Panſæ.] Vocatiuus eſt. Ventidius.] Et hic Antonianus erat cognomento Baſſus. fuit autem Picenus loco humili. mater eius à Pompeio Strabone Magni Pompeij patre Sociali bello quo Aſculanos ſubegit, capta eſt. de Perուſino

primus

*primus omnium triumphauit publico funere elatus eſt. Plura de eo. A. Gellius lib. 14. cap. 3. & Plut. in Antonio.* Hic quadam etiam præſidia habeo. ] *Ironice, & in contrarium uertēda omnia.* Terminalibus. ] *Die feſto Termini, cui poſſeſſores agrorum uicini ſacrificabant 11. Cal. Mart. Ouid. Faſtorum lib. 2.*

*Termine, ſiue lapis, ſiue es defixus in agris.*

*Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.*

Præſidium ſtatiuum. ] *Firmum & permanens: ut ſtatiua caſtra, in quibus diutiſſime conſiſtit exercitus.* Semel cecidi fidens. *Quando in exilium abiij, & tempori maluit cedere, quā ferro, cum poſſet, depugnare, urbem media nocte egreſſus.* Lectis uiribus. ] *Operarum Clodianarum.* Cum ſeptus ſis. ] *Obiectio eſt, cui reſpondet.* Militari uia. ] *Vias publicas, inquit Vlpianus, prætorias dicimus, uel cōſulares, uel militares, quæ publice irentur, & commearentur. Vicinales uero, quæ in uicis ſunt, aut in uias ducunt. Viæ priuatæ, quæ in agris quibus impoſita eſt ſeruitus, & ad alterius agrum ducunt.* Num idem. ] *Quod nunc facio.* Tramitibus. ] *Vijs anguſtioribus.*

BERO. Terminalibus. ] *Terminalia dies feſtus eſt in honorem termini cōſtitutus nouiſſima anni parte. Duodecimus enim menſis fuit apud priſcos Februarius, idemq; anni ultimus, quo Terminalia celebrabant: quibus peractis, poſt 20. & 3. diē intercalabant. Horat.* Aut agna feſtis cæſa Terminalibus. *Termonem antiqui terminum dixere.* Vigeſimus annus eſt. ] *Signat illud tempus, quo Catilinianam coniurationem detexit, oppreſſitq;.* Sui primum capitis cuſtodem. ] *Prouerbialis eſt ſententia Plautina, Tunica pallio propior eſt. & apud Græcos celebre prouerbiū circumfertur, γόνυ κνήμης ἔγγιον, id eſt, genu crure proximius. cum nihil nobis penſius cariusq; nobiſmetipſis naturæ eſſe uoluerit, debet unuſquiſque in primis capitis ſui et uitæ habere rationem.*

MATVRAN. Sed effugi. ] *Eſto hæc omnia euenture ſint.* Cn. Pompeius. ] *Fuere eodem tempore Pompeij illuſtres tres. Is qui Pompeius Strabo cognominatus eſt, Cn. Pōpeij Magni pater, Q. Pōpeius qui cum L. Sylla Conſul fuit, & orator illo tempore haud contemnendus. ſcripta quædam reliquit, quod Cicero tradit in de Claris Oratorib. & Cn. Pompeius Sexti filius, ſub quo adoleſcentulus militauit Cicero. Is Picētes prælio fudit, & obſedit: propter quam uictoriam Romæ prætextæ aliaq; magiſtratuum inſignia ſumpta fuere. Conſul Marſos acie uicit. auctor Liuius lib. 74. ab V. C.* Bina. ] *Romanorum, & Marſorum.* Sylla cum Scipione. ] *Cum rogatione Sulpitij Mithridatica prouincia adempta Syllæ, Mario eſſet adiecta, Sylla hoſtiliter cum Q. Pompeio Conſule Vrbem ingreſſus, Mariū & ſocios Vrbe expulit. ad Mithridaticum bellum profectus eſt. Octauius interim Cinnam pellit. is confugit ad partes Marij. redit Marius. plures caduntur Syllanorum, et nobilitatis cædes fit. Exul et hoſtis Sylla, ſed tandem uictor reuertitur ex Aſia. undique et occurritur ab imperatoribus XV. ut ipſe dicebat, inimiciſſimis, quadringentas & quinquaginta cohortes habentibus. inter hos C. Norbanus & L. Scipio erant Conſules. ſed C. Norbanus uictus illico eſt, & intra Capuam clauſus. alterum Conſulem L. Scipionem Sylla in quanto eſſet periculo undique hoſtibus circū clauſus, animo reputans, ad pacem eſt hortatus: ad quam cum inclinaret ille, habita ſunt plura colloquia. Tantiſper autem à Syllanis, cum cōmeare militibus utriuſque imperatoris per caſtra libere liceret, et colloqui, Scipionis argento corruptus eſt exercitus, & perſuaſus ut relicto duce ſuo ad Syllam tranſiret: factumq; eſt, ut ſolus penè relinqueretur Scipio. cumq; interimi poſſet, dimiſſus eſt. Auctores Liuius lib. 85. & Plutar. in Sylla.* Inter Cales & Teanum. ] *Cales de quo fabuloſa quædam tradit Sylius; & Teanum cognomento Sidicinum, Oſcæ gentis in Cāpania inſignia fuere oppida.* Alter. ] *Sylla: cum quo omnis erat nobilitas; nam optimatum partem fouebat.* Alter. ] *Scipio.* Socios belli. ] *Cōmilitones & populares.* De Auctoritate Senatus. ] *Per Mariū, Sulpitiū, Norbanū, Carbonem, ac alios complures diminuta, & penè abolita. id enim cōqueſtus eſt Sylla.* De ſuffragijs. *De ſublato iure ſuffragiorum. omnia. n. pro libidine agebantur paucorū.* Iure ciuitatis. ] *Quæ amplius ius ſuū & decus non obtineret.* Leges & cōditiones. ] *De fœderibus quibus ſe obligarent.* Nō tenuit fidem. ] *Sollicitato clàm muneribus per emiſſos à Sylla Scipionis exercitu & traducto.* A ui. ] *Eſt. n. à cæde temperatū, & Scipio dimiſſus, cū interfici poſſet.* Aeque. ] *Ita eſſe ut Scipio fuit, procul à ui & periculo.* Et ſi hic non poſſumus. ] *Romæ, ubi tuti ab Antonio non ſumus.* Me. ] *Quem ille odit uehementiſſime.*

Vna ſententia. ] *Vt omnia ad Senatum reijcienda dicam.*

Vt bellis confectis. ] *Mos fuit Romanis, quoties aut populos ſubegerant, aut regionem aliquam in formam redegerant prouinciæ, ut decem aut plures mitterent legatos, qui populorū illorum, aut prouinciæ ſtatum ordinarent, poſtulata publice priuatimq; audirent: & quæ concedenda eſſe iudicarent, ea concederent, rataq; ea habiturum Senatus ſe recipiebat. nūc ſibi & collegis hoc non licere aut permiſſum eſſe dicit Cicero, ſed ut audiāt duntaxat Antonij poſtulata, & ad Senatum reijciant.*

BERO. Ne uino quidē permixta temperari. ] *Scribit Plinius oēm animi impetū cibo molliri et potione. Vetus uerbū eſt, ut inquit Seneca, à laſſo rixā quæri, itē à ſitiēte. Ergo hæc animi aſperitas dulciore ſucco mitigatur, & acerbitas morum emollitur.*

*P. VECTIO. ] *Huius meminerūt Appianus & Velleius Paterculus, & Catonem uocant, nō Scatonem, ut paſſim in uulgatis Philippicis legitur.* Hieron. Ferrar. hic.

MATVR. Quæ cū agā in cōſilio. ] *Cū Antonij poſtulata ad Antoniū reijciā.* Diſtineri ] *Differri.* Hoc meū cōſiliū. ] *Omnia ad Senatū reijciēdi.* Certe ſcio, & cætera. ] *Occurrit obiectioni.* Sed quoniā modo. ] *Et ſi nō timemus eos, quoniā ne ipſi quidē timeri uolūt.* Ad ſuam uim. ] *Volētes ut pro eorū potētia omnia decernamus, et ut ipſis libet.* Hæc quoq;. ] *Eſto tutus futurus ſit acceſſus, nō erit reditus tutus.* Vel dignitas. ] *Qua amiſſa, haud magnopere in uita ſupeſſe optaſſet Cic.*

## IN PHILIPPICAM XIII.

MATVR. M. Antonij amici & fautores id egerāt in Senatu, ut iterū de pace acturi ad Antoniū legati mitterētur. Sed quoniā cōmētitia quadā dixiſſe, et inſidioſe extrahere ipſam rē uoluiſſe, Senatūq; in apparatu bellico tardiorē reddere cœperit ſunt, obtinere res nō potuit, Cicerone in primis diſſuadente, & nō modo inhoneſtum, ſed inutile uel potius periculoſum, fore, ſi rurſus legati mittantur, proclamāte. Et quoniā M. Lepidus ad pacem hortabatur, et Antoniū cū ſuis recōciliandum reſtituendumq; patriæ ſuadebat, eius Cic. frangit auctoritatem, & ſententiam impugnat. Sex. Pompeium Cn. Magni filiū Senatuſconſulto laudandum cenſet, quoniam ſuā Reip. operam polliceatur, & Mutinā proficiſci paratiſſimum oſtendat. Antonium lacerat, eiuſq; quaſdam recitat literas ad ſe ab Hirtio Conſule miſſas, & nefarios quoſdam qui ſectabantur, enumerat. Multa diluit in ſe ab Antonio dicta. Eſt in genere deliberatiuo oratio. ſuadet enim, M. Lepido non eſſe aſſentiendum de Antonio reſtituendo. Exorditur autem per timorem ſimulatæ pacis, in quo fuit Cicero. Pacem ipſam laudat: ſed illud intuendum dicit, poſſit'ne cum omnibus pax eſſe, & ſit'ne aliquod bellum, quod expiandi purgādiq; gratia geratur, in quo bello ipſa pax, niſi expiatum id fuerit cuius geritur gratia, ſeruitus ſit. Inſidioſa. ] *Fraude intecta & agitata ab Antonij fautoribus. ſub prætextu enim pacis dolus latebat: ut tantiſper Senatus donec de pace ageretur, omnia pararet remiſſius: Antonius uero urgeret obſidionem.* Sylla. ] *L. Sylla Dictator.* Marius. ]

C. Marius Arpinas VII. Cos. Octauius.] Is qui Conſul collegam expulit Cinnam de reuocandis ferre uolentem exulibus, et poſt ea ipſe Mariano & Cinnano furore periit, capite à Cenſorino abſciſſo. Iterum] Secunda clade poſtquam ex Aſia uictor rediit. Alter Marius. Iunior, qui 27. annorum Conſulatum inuaſit, & patri ſæuitia ſimilis, armatus obſedit curiá. inimicos trucidauit. ſed Præneſte à Lucretio Offella obſeſſus, Põtio Teleſino iugulãdum ſe præbuit quod Appianus tradit pluribus. Carbo.] Qui Cinnanas & Marianas partes ſecutus eſt. uictus autem cum in Lybiam, atque inde in Siciliam, et mox in Corſicam fugeret, comprehenſus, & ad Pompeium tractus, ante eius pedes percuſſorem ſenſit. caput ad Syllam miſſum eſt. De proximo.] Bello ciuili Pompeiano. Victorem.] Iulium.

Videndum.] Conſiderandum, quoniam cum omnibus pax eſſe non poteſt, & bellum aliquod expiabile geritur, quod neceſſarium eſt, & quaſi expiandi gratia, tollendiq́; illos cum quibus pacem agere nõ poſſumus. In quo pactio pacis.] Si de pace agamus & paciſcamur, ut præſenti bello Antoniano, cum quo pax omnino haberi non poteſt. Lex ſeruitutis.] Iugum ſibi ſeruitutis imponere. Cum Scipione.] De quo in præcedẽti Philippica dictũ. Cinna.] L. Corn. Cinna Conſul cũ pernicioſas leges ferret, et de nouis ciuibus qui minus poſſiderent, per omnes tribus diſtribuendis, & de exulibus, Mario ſcilicet & cõpluribus, reuocãdis, à collega Octauio cum ſex tribunis urbe pulſus eſt, abrogatumq́; ei imperium. ſed corruptum Appij Claudij exercitum in poteſtatem redegit. bellum urbi intulit, uocatis ad pileum ſeruis. aduerſarios uicit, Octauium interfecit. iterum & tertio ſe Conſulem fecit. lapidibus tandem ob crudelitatem ab exercitu obrutus eſt. Proximo.] Ciuili Pompeiano. De ſumma grauitate.] Videbatur. n. turpe ſibi, & Reipub. minime honeſtum eſſe, quidquam Cæſari cõcedere. poſtulabat autem ille Galliam & Illyricum cum duabus legionibus: Pompeius contra uolebat illum, ut par erat, priuatũ redire, et Senatui parere. Hinc ſeueritas erat Pompeij, inde Cæſaris imperãdi cupiditas.

Antonijs.] Marco, Lucio, Caio. hos omnes qui ſequuntur, et cõmmemorauit Cicero, & cõmemoraturus infra eſt. Eutrapelum.] Hic proprium eſt, alids comẽ facetumq́; ſignificat. Eutrapelia autem urbanitas eſt, comitas, feſtiuitas. Alaudæ.] Milites legionis Alaudæ. Seminarium.] Ex quibus iudices electi fuere. Eſt autem hic Seminariũ ſemen ipſum. Cæſaris.] Iulij. Vrbi ipſi. Que ab ipſis delebitur. Latera tegentes alios. Satellites. Refixiſtis.] Incidebantur enim in æs, & affigebantur parieti. Ouid. Nec uerba minantis fixo.

Aere ligabantur. Virg. Fixit leges pretio, atque refixit.

Collegam.] Dolabellam. Id ipſum.] Pax ſcilicet eſſe.

Eum.] Quicunque eſſet qui talia feciſſet.

BERO. Seminarium iudicum.] Scriptores ruſticarũ rerum tradunt ſeminarium eſſe locum cui tãquam nutrici ſemina arborum atque pulluli nouellaq́; plantæ committuntur: ubi adoleſcunt, mox inde migrant, locanturq́; in ſua ſede. hic tranſitus mirum in modũ mitigat etiam ſylueſtres plantas, cum arborũ quoque, ut hominum natura, nouitatis ac peregrinationis auida ſit. docet Cato ſeminarium loco quamoptimo & ſtercoratiſſimo eſſe faciendum. ſaccum ſuccoſumq́; & bipalio ſubactum eſſe debet, aduenis hoſpitale, quamſimillimum terræ in quam ſeminaria et ſeminaria trãſferantur. Hinc trãnſlatione decẽtiſſima ſeminarium ad alia quoque transfertur pro origine & quodam quaſi ſeminio. Sic Martianus Capella monada uocat ſeminarium numerorũ; ſic Curtius cohortem Alexandri magni pretoriam ſeminarium ducum præfectorumq́; apud Macedonas fuiſſe prodidit, ſic & Apuleius noſter omnium maiorum ſeminariũ appellat Herennium Ruf. qui architectus & auctor et origo omniũ flagitiorum fuerat. conſimiliter & nunc M. Tullius ſeminariũ iudicum Antonianorum Alaudas & ueteranos appellat, tanquã ab his deriuati ſint atque propagati iudicum conſilij. Refixiſtis.] Reuelliſtis, infirmaſtis, irritaq́; feciſtis. Refigere enim & figere diſparantur: refigere eſt quod fixum eſt reuellere, tollere. Virg. Fixit leges pretio, atque refixit.

MATVR. At incertus.] Obiectio, cui occurrit dicens, efficiendum uirtute eſſe, ut temeritatem fortunæ atque culpam nõ extimeſcant: hoc eſt, id agendum, ut fortuna obeſſe non poſſit.

Vix uidetur hæc poſſe ſeiungi.] animi enim fortitudo, quæ pars honeſti eſt, ſine ſapientia non poteſt eſſe: neque ulla ex quatuor poteſt à ſapientia abeſſe. Quamuis ſit erudita.] Quamuis erudite reſpondeat. Sin reſponderit.] Sicut reſpondere eam decet. Poſteriora libertate.] Vt his libertatem ante ſeponas. Pignora iniuriæ.] Obnoxia & ſubiecta iniuriæ.

Illis.] Antonio & comitibus. Si non ſpiritu.] Scilicet uiuemus. Iterum.] Secundo proximo ciuili bello Pompeiano, & inclinans ad pacem, & abhortens à crudelitate. Ad pacem.] Cum Antonio. Familiam.] Lepidorum, quæ erat honeſtiſſima. Nam cũ magnas.] Hæc & prius ſunt dicta.

Plus quàm pro id.] Ac ſi dicas, plus quàm poſſit, & facultas polliceri queat. Summa nobilitas.] Familia. Omnis honor.] Per omnes honores cucurrerat. Eius ampliſſimum ſacerdotium.] Pontificatus Maximus. Vrbis ornamenta.] Quæ urbs contulit, ut ipſius & L. Lepidi fratris monumento eſſent. Caſta à cruore ciuili.] Ac ſi dicas, incorrupta, & ex ciuili ſanguine non conſtata. Opinione.] Vt opinetur aliquid cõducere Reip. quod reuera inutile & inhoneſtũ ſit, puta pacẽ futuram cũ Antonio, quæ ſine dãno et dedecore fieri nõ poteſt.

BERO. Vix uidetur poſſe ſeiũgi.] Subtiliter ſcitèq́; diſſeruit diuus Auguſt. epiſtola quadã ad Hieron. qui unã uirtutẽ habet, oẽs habere: et cui una defuerit, et oẽs deeſſe uirtutes: ut uerbi gratia iuſtus nõ ſit, niſi prudẽs, fortis, tẽperãs, &c. Cõſimiliter et hoc, ut docet M. Tull. in 2. de Off. cõſtat inter philoſophos oẽs: uerum cum ad opinionem cõmunem & intellectum popularem accõmodatur oratio, ſolent iſta ſeiungi, ut uidelicet alios fortes, alios prudentes, alios iuſtos eſſe dicamus. quod et in præſentia facit diuinus orator. Antiquius.] Carius, potius, præſtabilius.

Probatiſſima uxor.] Lego in epiſtolis Bruti, uxorem M. Lepidi ſororem fuiſſe ipſius Bruti: unde M. Brutus Ciceronẽ rogat, ut ſororis ſuæ liberos obliuiſcatur eſſe Lepidi filios, ſeq́; his in patris locum ſucceſſiſſe exiſtimet, quorum erat auunculus.

AT ENIM M. Lep. &c. Vt Euſebius literis tradidit, L. Lucullus primus imperator appellatus eſt, Armenia, Meſopotamia, & Niſibi cum fratre regis capta. Ac principio quidem nemo hoc honore dignabatur, niſi qui res ampliſſimas præclariſſimasq́; geſſiſſet. poſtea is ita peruagatus atque peruulgatus eſt, ut uel minimis rebus geſtis nomen hoc multis tribueretur, neque ſemel modo, ſed iterum ac ſæpius, ut ueterum monumenta declarant, & Dion memoriæ tradidit. Hac autem appellatione decorabantur duces aut exercitus cõclamatione, aut (quod erat, opinor, honorificentius) decreto ſenatus. Atque hanc quidem arbitror Euſebium intelligere uoluiſſe: nã illa altera uetuſtiſſima eſt: id quod uel ex uno Liuij loco intelligi poteſt. Tum Scipio, inquit, ſilentio per præconem facto, ſibi maximum nomen imperatoris eſſe dixit, quo ſe milites ſui appellaſſent. Nũc autem M. Lepidum Imperatorem iterũ appellatum fuiſſe, etiã ex epiſtolis ipſius ad Marcum Tullium ſcriptis apparet, in quibus adſcribit, M. Lepidus imp. iterum. Hæc & plura Hieron. Ferrar. hic.

MATVR. Nuper.] Cæſare trucidato, cũ & armis agendũ nõ eſſe cẽſuit, et Sex. Põpeiũ reuocandũ. Statuam.] Quã Cic. ſuaſit ponendã. Quod nec L. Aemylio.] Nemini horum eſt poſita ſtatua. Qualẽ Põpeiũ.] Sextũ, reſtitueli. In altero.] Pompeio. In illis.] Antonijs. Fortuna ipſa.] Quæ uoluit Cæſarẽ uincere. Emit.] A Cæſare ſub haſta uenditã.

Hanc

Hanc mihi diſpenſationem depoſco. ] Ne eam iniquo animo feramus Albanũ, Firmanum. ] In Albano et Firmano prædia & uillas. Anſeres. ] Propter Anſerem poetam M. Antonij hoc dictum, qui laudes eius deſcribebat, cui in Falerno agrum Antonius donauerat. At is nõ reddet. ] Demetriũ intelligit, qui Pompeij ſeruus fuit: ſic ab eo dilectus immodice, ut maiores penè domino diuitias poſſederit: de cuius inſolentia nõnulla Plutarch. Põpeio trucidato muneribus Cæſarẽ placauit, & inter eius libertos numerari obtinuit. Quaſi theſaurum draco. ] Dicũtur à poetis theſauris incubare dracones, ut malis Heſperidum, et aureo uelleri. eſt enim animal oculatiſſimum et uigilantiſſimum. Illud ſepties millies. ] De quo ſupra.

Eum. ] Sextum. Quod à patre accepi. ] A' Pompeio Cic. in Augurum collegium eſt cooptatus, ut alijs locis gloriatur, & nũc ſe filio Pompeij, quod ſibi pater eius præſtiterat, redditurum dicit. Cooptari autem proprie dicuntur qui ſacerdotũ numero & collegio inſeruntur. Antonium. ] Qui in Põpeij locum à Cæſare eſt cooptatus.

BEROAL. In altero pudor. ] Longe fallitur M. T. qui in Sext. Pompeio pudorem, grauitatem, moderationem eſſe autumat, cũ ille paulò mox immutatus exercuerit piraticam, & à uirtute paterna degenerauerit. unde non immerito cecinit Lucanus.

> Sextus erat Magno proles indigna parente:
> Polluit æquoreos Siculus pirata triumphos.

Firmanum. ] Malim legere Formianum, ut ſignificet uillam Pompeij, quã in territorio Formiano poſſedit: nec longo ſanè interuallo diſparantur Albanum, Formianum, Tuſculanum. Quòd ſi Firmanum legere libet, deriuabitur prætorij ſiue uillæ uocabulum à caſtello Firmanorum, quod in Piceno eſt, in quinta Italiæ regione. De Falerno anſeres depellẽtur. ] Seruius Grãmaticus in enarratione illius carminis ex Bucolico ludicro, Argutos inter ſtrepere anſer olores: ſic commentatur: Alludit ad Anſerem quendam Antonij poetam, qui eius laudes ſcribebat: quem ob hoc per tranſitum carpſit. de hoc etiam in Philippicis dicit, Ex agro Falerno Anſeres depellentur. ipſum enim agro donarat Antonius. De hoc Anſere poeta mentio quoque fit ab Ouidio, ita ſcribente, Cinna quoq; his comes eſt, Cinnaq; procacior Anſer,

SVPELLECTILEM, uinum &c. ] Sic Phil. 2. Maximus uini numerus, fuit permagnũ optimi pondus argẽti precioſa ueſtis, multa & lauta ſupellex. Hierony. Ferrar. hic.

MATVRAN. Legati. ] Qui ad Sex. Pompeium cũ Senatus mandatis miſſi fuerant. Omnidne uiris bonis. ] Nõ quidquid licet, idem & libere debet. Si non obſtatur. ] Idcirco enim nõ obſtatur, quòd reſiſti ſæpe improbe agentibus nõ poteſt. M. Lepidi Ponti. ] Is eſt M. Lepidus, qui temporibus fuit tertij Punici belli, & Senatus princeps ſextis Cenſoribus lectus eſt. Moriturus iam, præcepit filijs lecto ſe ſtrato ſine linteis, ſine purpura efferrẽt, in reliquum funus ne plus quã æris denos conſumerent: imaginũ ſpecie, non ſumptibus, nobilitari maximorũ uirorũ funera ſolere. meminit huius Valerius Maximus titulo de fide publica: & Alexandriã, cum Ptolemæus filio ſuo populum R. tutorẽ reliquiſſet, bis Conſulẽ & Pontificem Maximũ dicit iuiſſe, ampliſſimi uiri ſanctitatẽ Reip. uſibus & ſacris compacatã, externæ procurationi uacare uoluiſſe. Huius filius Prætor nonnullas urbes Carthagini circumpoſitas expugnauit. Proconſul aduerſus Vacceos pugnans, cladẽ similẽ ei, quam Mancinus ad Numantiã, paſſus eſt: & huius Marci hic Lepidus ad quẽ loquitur Cicero, nepos fuit. Alienis. ] Abhorrentibus à moribus eius priſtinis. Recentibus. ] Iulij. Si auctoritatẽ interponis. ] Si repugnare uis, abſq; armis repugnato. Nõ ſe cõtemnit. ] Honoris ſui nõ obliuiſcitur. L. Planci. ] Qui tenebat ulteriorẽ Galliã. IIII. Cõſules. ] Quorũ duo in magiſtratu erant Pãſa & Hircius duo deſignati, D. Brutus, & L. Plãcus. At periculum eſt ne opprimamur. ] Etſi uiſus eſt Cicero ad præſentẽ Lepidũ loqui, aberat tamen ille, et in Gallia erat, in Hiſpaniam profecturus. Nunc pacem ſuadentiũ reſpondet obiectionibus, qui futurũ dicebant ut opprimerentur, ſi Lepidus quoq; arma inferret patriæ: quod erat dubitandũ. Is. ] Lepidus. Qui fortunati ſunt. ] Fœlices & ampli in Rep.

Sanior. ] Prudentior. Illũ. ] Antonium. Ob hoc unum factũ. ] Quòd impoſuit diadema Cæſari. Eius pueritia. ] Antonij. Libidines eorum. ] Iulij: cui ſeſe ſubſtraxerat. Eum. ] Iulium, quem tyrãnum diadema imponens uoluit eſſe. Archipirata. ] Latronum & piratarum (qui prædones in mari ſunt) princeps. Dominis. ] Domorũ.

Sententia Conſularis. ] Quã Antonius Conſul perſcriptã attulerat contra Octauium, ut circũſcriberetur, et hoſtis haberetur. Non uijs. ] Quæ ſunt amplæ, & frequentãtur. Tramitibus. Qui ſunt in deuijs. Citius lecta. ] Perſcripta. n. attulerat. Cæſarẽ. ] Octauiũ. Sequi. ] Ponè ire, et inſequi. Regredi. ] Cõuerti Romã uerſus. Progredi. ] In Galliã ulteriorẽ.

* CITIVS delata quàm ſcripta. ] Recte delata, nõ lecta, nec deleta, aut perlata, ut eſt in quibuſdã codicibus. Siquidẽ Senatuſconſulta deferri dicebantur cũ facta ac ſcripta ad ærarium deferebãtur. ſic in ſuperiori oratione, S. C. falſa delata ab eo iudicauimus & in epiſt. ad Cornif. Omnia tũ falſa S. C. deferebantur. Quòd autẽ ad ærariũ deferrentur, apparet in quinta Phil. S. C. tanquam facta ad ærarium deferebantur. hæc et alia plura Hieron. Ferrar. hic.

MATVR. De ſingulis ſententijs. ] Ipſarum literarũ. Antonius Hircio & Cæſari. ] Initium Antonij literarum, in quo diſputat Cicero. Alienum nomen. ] Neque enim ſe Conſulem aut Imperatorem dixit, ſed tantum Antonium. ſciebat enim tale nomen ſibi non conuenire. Seduxit. ] Cũ extra curiam detinuit, rem agentibus & Cæſarem occidentibus cõlucatis. Scurram. ] Sic uocat, quoniam Trebonij pater urbaniſſimus extitit. Ex eadem. ] Humilitate, ex filia M. Fundi Bambalionis libertini hominis, etſi locupletiſſimi. Acerbiſſimum. ] Antonij uerba. Mimarum. ] Vt Volumniæ.

BERO. Nec Romani populi prӕter Cæſarem. ] Emendo, Proprætorem Cæſarẽ, ut ſit lectio ſincerior, et ſenſus lucidior ac uerior. nam inſectanter carpit, quod in literis, quas ſcribebat ad Hircium & Cæſarem Auguſtum, neminem appellauerit nomine honoris, uidelicet neque Hirciũ Cos. neque Cæſarem Proprætorem. Eſt enim mos, ut in principio epiſtolarum ſcribẽs ad Conſulem Hircium, dicat, Hircio Conſuli ſalutem. Item Cæſari Proprætori ſalutem. uerũ Antonius per inſolentiam inſtituti propè ſolennis fuit præuaricator. Cognita morte. ] Verba ſunt ex epiſtola Antonij, quæ perpendit orator, & perpendendo uituperat. Anni uertentis. ] Significanter locutus eſt. Priſci. n. annum Solis uertentem appellauerunt, ſcilicet eum Sol duodecim ſignorum interualla peruagando redit ad id ſignum unde cœperit, & ita perficitur ſignum uertentis anni. Menſem quoq; lunarem uertentẽ dicunt, quã luna cœli circuitione metitur, reuertendo ad id ſignũ, ex quo progredi cœperit. Quinetiã annũ magnum, qui mundanus uocatur, uertentẽ appellari poſſe, tradunt ſcriptores idonei: cum aſtra cuncta ad eandem metam redierint, unde ſemel profecta ſunt. Suetonius in Caligula, Immenſas opes nõ toto uertente anno abſumpſit. Plautus in Perſa, Tu ſi hanc emeris, nunquam hercle hunc menſem uertentẽ credo ſeruibis tibi. Mentum mẽtemq; deponeres. ] Annominatio eſt ſiue proſonomaſia, quæ decenter fit breui commutatione literarum. Conſimile eſt illud, Ex oratore factus arator.

* EX Fadia ſuſtuleris lib. ] Recte Fadia, non aũt ex eadẽ, ut quidã & legũt, et enarrant. Obijcit. n. Antonio ignobilitatem

uxoris,ut ſupra in 3. Philippica,Eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate,cuius pater Numitoriam Fragellanâ proditoris filiam habuerit uxorem, ipſe ex libertini filia ſuſceperit liberos, et 11. Cũ te omnes recardarentur libertini generũ, & liberos tuos nepotes Q. Fadij libertini hominis fuiſſe. Mulieribus ante non fuiſſe prænomina docet Plutarch. appellabantur autem uel gentis nomine,ut Licinia,Cornelia: uel cognomine,ut Metella, Lepida. Hoc autẽ idcirco dixi,ut cum de nomine patris,nẽpe Q. Fadij, inter omnes conſtaret: ex eo nata,cur appellata ſit Fadia,nemo requireret, Hieron.Ferrar.hic.

MATVR. Ерте, ô puer. ] Antonij uerba ad Octauium. Qui omnia eius nomini debes ] Antonius. Eius. ] Iulij. Hic ] Octauius Id agere. ] Scilicet te decet Octaui. Et ut neneficia hæc. ] Antonius. Acutior. ] Iratior nobis Annibale. Vt quampotentiſſimus. ] Antonius. Hoc agis Octaui,ut Brutus & Caſſius ſint quampotentiſſimi. Pueres Cenſorinum. ] Cenſorinus & Ventidius flagitioſi fuere,et in Antonij partibus. Cum,inquit, Brutũ & Caſſium nominas, Cenſorinum et Ventidium nominare te exiſtimas. Nimirũ. ] Antonius. Sic aſpicitis caſtra noſtra,inquit, ut priora aſpexiſtis Pompeij caſtra, quem Senatum uocatis. Duo Prætores. ] Cenſorinus,& C. Antonius. Sine cauſa. ] Nam cum acta Cæſaris ſtatueremus firma eſſe: beneficia quæ ille conceſſit,mutari nolumus. Prætorij. ] Qui præturam geſſere. Innocẽs. ] Ironice:& Antonij enumerat comitatum. Aedilitij. ] Aedilitate functi. Laterum & uocis meæ Beſtia. ] Scilicet fraudator. pro hoc de ambitu à Seſtio accuſata dixit Cicero. ipſe in epiſtola ad Q. fratrem: Dixi pro Beſtia de ambitu apud Prætorem Cneum Domitiũ,in foro medio, maxima conuentu: incidiq; in eum locum dicendo,cum Seſtius multis in templo Caſtoris uulneribus acceptis ſubſidio Beſtiæ ſeruatus eſſet. Laterũ. ] Quæ firma oportet eſſe dicentibus. nam ea attallit et deprimit reſpiratio. Cato lib.de Senectute: Cum ego quinque & quadraginta annos natus legem Voconiam uoce magna & bonis lateribus ſuaſiſſem. Fidei patronus,fraudator Trebellius. ] Ironice fidei patronus.ſuperius ſexta Phil.inquit, O fides,hoc puto Trebellium ſumpſiſſe cognomen. Fraudator uera, quoniam creditores fraudauerat. Diruptus. ] Hernioſum fuiſſe credimus.Rupti enim uocantur,quibus in ſcrotum cadunt inteſtina. Martialis,

Qui ſanet ruptos,dic mihi Galle,quis eſt?

Dirutus. ] Conuulſo & diſpsta patrimonio. Columen. ] Princeps. Deliciarum cauſa. ] Oblectationis gratia. Septemuirales. ] Diuidentis agris L. Antonio præfecti.

Tullius Hoſtilius. ] Is diſcedens ab urbe relicto imperatore ſuo,cũ prodere eũ non ualuiſſet,nomen ſuũ portæ urbis inſcripſit,et ſe uere patriæ hoſtẽ fore profeſſus eſt. Iſauri. ] Apud Iſaurũ Lycaoniæ oppidum,unde nomen regioni quã P. Seruilius ſubegit,adeptus inde Iſaurici cognomen. Balneatorem. ] Balneator is eſt qui balneis præeſt, & pretium ab adeuntibus pro balneatura exigit. Martialis,

Quos diuidebat balneator elixus.

BEROALD. Homo diruptus dirutusq;. ] Per paranomaſiam ſiue annominationem ludit in uerbis:quæ cum prolatu nõ multum diſſideant,ſignificatione ſunt diſſimillima. nãque diruptus is dici uidetur,qui enterocelicus eſt,et uitio herniæ laborat,quo in genere morbi inguina tumeſcunt, et tunicæ teſticulorum dirũpuntur: ex quo genere multifaria nomina ſunt, uidelicet euterocele,epiplocele,hydrocele,ſarcocele,& bubonocele.Dirutũ ære militem antiqui dixere, cui ſtipendiũ ignominiæ cauſa non erat datũ,quod æs diruebatur in fiſcum,non in militis ſacculum. hinc illud ab Auſonio decentiſſime tranſlatum, Procedere mihi inter frequentes ſtipendiũ iubebis. ſiu aliter, ære dirutum facies,ut cumula carminis in fiſcum ſuum redacto redeant uerſus unde uenerat. M. Tullius in ſeptima Verrinarũ, Aleatoris Placentini caſtra memorabuntur:in quibus cum frequens fuiſſet,tamen ære dirutus eſt. Columen amicorum. ] Princeps ac ſuſtentaculum atque fulsura.dictum eſt autem per ironiam. Teren. in Phormione inquit, O bone cuſtos ſalue,columen uero familiæ. Exponit Donatus columellas apud ueteres dici ſeruos maiores in domo. Lucillius,Columella hic ſitus Etrophanes. Hũc Lucillianũ uerſum ſcitiſſime inſeruit epigrammatis ſuis poeta epigrammatarius. Ab Hieronymo quoq; dictum eſt perquam eleganter, Salue columen Palatinæ familiæ. Exiſtimant Grammatici dici columen & columellam à columnis,quibus ædificia continentur.

VENEFICA hæc. ] Venefica, per contemptionem ſcilicet,non ueneficus,ut illud ad Att. Duce filiola Curionis. & illud de Orat. Quid tu Egilia mea, quando uenis ad me cũ tua colu & lana? Hieron.Ferrar.

MATVRAN. Redit. ] Redire uult, & ut redeat conatur. Diſſimillimis. ] Ac ſi dicat,& alij plures hæc idẽ agunt,ut redire armis uelint in patriam, non adeo ſcelerati ut C. Plancus eſt. Fracta ſunt. ] Aquila enim Centuria fregerat,& tamen uiuebat. Decius. ] De quo ſuperius dictum Philip. 11.Ironice autem ait,ab illis ut opinor Decijs. Et munere Cæſaris. ] Multa enim huic largitus erat Antonius,idq; ex Iulij cõmentarijs facere dicebat. Vt. ] Tanquã. Saxa. ] Ex Celtiberia. Alter. ] Saxa Saſcrenus cognomine. Exterius. ] Is græcus erat. Philadelphi. ] Qui et ipſe ſceleratiſſimus fuit,et Antonio chariſſimus. Mutauit calceos. ] Aut tranſmarinũ & externum innuit fuiſſe,qui calceis erat prius gypſatis. nam creta argentaria pedes uenalitiorum trans mare aduectorum illinere maiores conſueuerunt,quod Plin.tradidit: hinc Tibullus ait,

Vera loquor,regnum ipſe tenet,quem ſæpe coegit
Barbara gypſatos ferre cataſta pedes.

Et Iuuenal.de Criſpino inquit.

Nuper in hanc urbem pedibus qui uenerat albis.

Aut reuera illud eſt,depaſuiſſe calceos Aſinium,quibus utebatur prius,& quos ignobiliores geſtabant. neque enim omnes eodem utebantur calciatu. Patritij nanque & nobiliores nigros ferebãt calceos luna inſcripta, ueluti ab Euandro & Arcadibus deriuati qui Palatium tenuerunt,& ſe ante lunam natos crediderunt. auctor Plutarch. in Quæſtionibus. Horatius,

Nam ut quiſque inſanus nigris medium impediit crus
Pellibus,& latum demiſit pectore clauum. Martial.
Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga.

Et Patritiorum quidem calcei mullei uocabantur: qui prius Regum Albanorum fuere:quod ait Pompeius Feſtus. M. Marcellũ. ] Qui à Magia Chilone cliẽte ſuo Athenis percuſſus eſt pugione ſecundũ aurem,cum tamen ei pepercisſet Cæſar à Cicerone illa pulcherrima oratione exoratus,cuius initiũ eſt: Diuturni ſilentij Patres Conſcripti. De hoc Marcello plura in epiſtolis lib.4. Eius. ] Sulpitij. Collegam. ] In Conſulatu. Duos Conſules. ] Quo tempore fugit ex urbe Põpeius, & in Epirum traiecit,Conſules erant C.Marcellus,& L.Lentulus,qui M. Marcello,& Ser. Sulpit.ſucceſſerant, eos ſignificat Cicero,& Cic.quidem M.Marcelli patruelis frater fuit. Bibulum. ] M. Bibulum: de quo plura Cic.in epiſtolis, & Tranquillus in Iulia,uirum patriæ ſtudioſiſſimum, & conſtantiſſimũ. L. Domitium. ] Qui Corfinij captus,et dimiſſus à Cæſare eſt,ac poſtea in Pharſalica pugna ab Anton.occiſus. App. Clodium. ] Patruelis is frater Appij Clodij fuit Ciceroni infeſtiſſimi,ſocer Sex. Pompeij, qui Cn. Pompeij Magni filius erat, ad quem ſunt multæ Cic. epiſtolæ. Sectorẽ Cn. Pompeij Antonium. ] Qui bona Põpeij redemit à Cæſare,quæ poſtea uẽderet. M. Cato. ] Qui ſe accidit. In illa caſtra. ] In quæ

tot

tot illuſtres Senatores uenere.

AB ILLIS, ut opinor, Muribus.] Muribus, recte: ſiquidem Decijs hoc erat cognomen, ut ex Liuio põt intelligi, qui lib. 8. Creauere, inquit, Coſ. T. Manlium Torquatũ III. & P. Decium Murem. & lib. 10. Coſ. noui Q. Fabius maximus III. P. Decius Mus. & aliàs. Hieron. Ferrar. hic. Alter Saſerna.] Cic. in epiſt. ad At. de duobus fratribus Saſernis, quorum alteri prænomen C. alteri P. fuerit, belli Africani ſcriptor. ut fortaſſe ob eam cauſam, alter Saſerna, ſeq; in eorum prænominibus errare dixerit. Idem Ferrarius.

MATVRANT. Victum Ciceronem ducẽ habuiſtis.] Sic dicebat Antonius, Ciceronem ſe, non Senatum perſequi: & ducem intelligebat puto aduerſæ ſibi factionis. Nihil laboro.] Nam cum uniuerſa Repu. uictus fui. Fratri tuo.] C. Antonio, de quo prius dictum. Africam commiſiſtis Varo bis capto.] Antonius. Cicero ſubijcit, ſic loquitur cum Hircio Conſule & Octauio, ut cum C. fratre litigare ſolet. Plures uero Vari fuere, ſed duo Pompeianas & Senatus partes ſecuti, Attilius Varus, qui Pompeij in Libya ductor exercitus, occiſo Pompeio, & partibus in Africa ſuperatis, Pompeij liberos ſecutus, in ipſo oceani oſtio cum Didio claſſis Octauij duce conflixit: & is de quo loquitur nunc Cicero, qui fuit uir Conſularis, à Triumuiris poſtea proſcriptus, & à liberto proditus ſeſe in mõtes proripuit, & in palude latuit Minturnenſi: deprehenſusq; à Minturnenſibus, cum eſſe ſe latronem à principio aſſeueraret, & ad ſupplicĩu traheretur, faſſus tandẽ qui eſſet, & à turmæ ductore agnitus, occiſus eſt. auctor Appianus. Is Pompeianis bellis à Cæſarianis captus fuerat, & dimiſſus. In Syriam Caſſium miſiſtis.] Antonius. Erat autem Syria prouincia Dollabellæ decreta. Caſſio autem mandauerat ex Ciceronis ſententia Senatus, ut Dolabellam hoſtem iudicatum poſt occiſum Treboniũ perſequeretur, & ex Syria pelleret. Extra.] Præter. Munitiones.] Quas Mutinam oppugnaturus extruxerat. Caſcam trib.] Antonius. Caſca primus fuit qui Cæſaris pectus pugione percuſſit. In hac cauſa.] Tam fœda, ſic dicebat Antonius. Quid ergo.] Id uellet Antonius, ut eos qui profuerunt, à Rep. remoueremus? nam profuit Caſca, profuere Maryllus & Cæſetius. Maryllus & Cæſetius Tribb. pl. cũ Antonius Lupercalibus capiti Cæſaris diadema ſemel atque iterum imponere uoluiſſet, relectumq; ab eo ſtatuæ eius impoſuiſſet, illico abſtulerunt, laudatiq; propterea à populo uehementer ſunt: ſed haud multo poſt à Cæſare magiſtratu priuati. Plura de ijs Appianus cõmentario bellorum ciuilium ſecundo. Idem.] Hoc quod paſſi ſumus ſub Iulio. Vectigalia Iuliana Lupercis ademiſtis.] Antonius cõqueritur uectigalia à Iulio Lupercorum collegio decreta, adẽpta eſſe. Decreuerat ãt Iulius Lupercis redditus ex quibuſdã publicis uectigalibus. Eſt autem uectigal quod ex publico & priuato capitur locato. Veteranorum colonias deductas lege.] Et hoc obijciebat Antonius, quod negat Cicero. Lege.] Iulia. Comitijs centuriatis.] Ac ſi dicat, tuas ſuſtulimus perperam latas: hanc à Iulio latam, rite, & comitijs centuriatis, comprobauimus. Horum autem comitiorum quæ Centuriata uocabantur, uis omnis penes potentiores erat, cum ex promiſcuo ſuffragiorum genere Curiata conſtarent, ut ex Liuio, Dionyſio, & A. Gellio colligitur. Perditi.] Improbiſſimis moribus. In eum locum.] In exilium. Maſſilienſibus &c.] Et hoc obijciebat Antonius.

Iura.] Quæ adempta à Iulio uictis, ſenatus eo trucidato reddidit: quod & ſuperius eſt dictum. Eam ciuitatem.] Maſſiliam. Neminem Pompeianum.] Hircius in partibus fuit Cæſaris, quo uictore & rerum potito Trib. pl. legẽ tulit, ut nullus Pompeianus gerere aliquem magiſtratum poſſet. Tenere.] Scilicet fas eſt. Cuius.] Legis. Latorem.] Hircium.

De quibus.] Contra quos. Vt.] Quamuis ſit lex, quoniam rite lata. Apuleiana pecunia.] Antonius C. Apuleius in Macedonia magiſtratũ gerebat quo tẽpore Brutus illuc acceſſit: qui Cæſare occiſo quibuſcunq; rebus potuit Brutũ iuuit, & pecunias ſuppeditauit publicas quas collegerat quæſtor. De hoc Brutus in Epiſtola ad Ciceronem: De Domitio & Apuleio quid attinet me ſcribere, cum ipſi per ſe commendatiſſimi ſint? Domitium uero tua auctoritate ſuſtinere debes: ſed Apuleius in ſua epiſtola celebrabitur. Tuum fratrem.] C. Antonium, ut ſupra dictum.

* VECTIGALIA Iuliana.] Scribit Dion, Senatum maximos atque ampliſſimos honores Cæſari decreuiſſe, in eis tertiam quandam Lupercorum ſodalitatem: quam Iuliam, inquit, nominarunt. ut fortaſſe Iulianis pro Iuliana reponendum ſit. Hieron. Ferrar. hic.

MATVRAN. Securi percuſſos.] A Bruto in Macedonia. Ciuitate donatos] A Cæſare Iulio, & eius hoſpites & Antonij ſunt uerba. Theopompũ nudũ expulſum &c.] Item Antonius. De Theopompo Cicero reſpondet cum deriſu.

Sergium Galbam.] Hunc inſimulabat Antonius cædis Cæſaris, & unum ex percuſſoribus fuiſſe dicebat. Eodem pugione.] Quo Cæſarem percuſſit. Milites aut &c.] Et hæc Antonius. Quæſtoris ſui.] Generaliter dicit ad id impuliſtis, ut aut Quæſtorem ſuum qui me ſequi nolebat, aut me occiderent. Scilicet, uerba dedimus.] Reſpondet Cicero, ſic loquitur Antonius, quaſi deceperimus nos legiones. Fatalem.] Fatis decretam, quoniam uoluerunt fata tyrannum perire. Cum re.] Effectu, & uere. Sed maximum.] Cicero, Audite, inquit, P. C. maximum crimen uerborũ Antonij, qui inquit, quid non probauiſtis factum ab alijs, aut non feciſtis? Quid facias, ſi reuiuiſcat?] Scilicet Cæſar. Quid?] Cicero reſpondet, Cn. Pompeium.] Antonius, imitari, ait, nos oportebit Cn. Pompeium, ut Senatui ſeruiamus, ſicut ille ſeruiuit: aut filium eius Sextum, ſi quid Romæ potuerit. Poſtremo.] Antonius

Ego uero.] Cicero. Quid hoc?] Antonius, hoc quod facitis, placet ne ueteranis militibus qui uobiſcum ſunt? ac ſi dicat, minime: & poſſunt ad me tranſire. Nihil uidi tam integrum.] Cicero, nihil tam liberum illis eſt, quàm te oppugnare Antoni. te enim ſemel deſerẽtes offenderũt. Quoniã uos.] Antonius. Venenatis.] In quibus re uera uenenum latet.

Væniſtis.] Venditi eſtis. Væneo enim paſſiuæ eſt ſignificationis, ut Horatius,

Vænit uiliſſima rerum
Hic aqua.

Deprauati.] Cicero quaſi dicat, minime: neque enim corrumpere opus fuit, ut te peſſimum omnium perſequerentur.

At militibus.] Antonius. Moror.] Differam. Eũ] Brutum. Quàm benigne.] Cicero, Ironice. Per quos ſi nõ ſtetiſſet.] Qui niſi fuiſſent, hoc eſt niſi Antonium deſeruiſſent, non prius Dolabella occidiſſet Trebonium, quàm Anton. D. Brutum. Imperatori ſuo.] Iulio. Parentaſſet.] Sacrificaſſet, ueluti uictimam immolaſſet. Eſt enim parentare, mortuis ſacrificare. unde parentalia ſacra mortuorum, de quibus Ouid. in faſtis. Etiam collegæ.] In Conſulatu. Concordiæ.] Antonius. Parum.] Cicero. Eademq; inhiberet ſupplicia nobis.] Ironice, quia ſi illos perdi uellet, etiam nos perdendos curaret. Conſeruandus.] Ironice. Nullum ueſtigium.] Cum acta eius omnia reſciderimus. Cauebat.] Cautum eſſe uolebat in conditionibus. Aequiſſimus.] Ironice. Decempedator.] Agrorum diuiſor. Decempeda pertica eſt decem pedũ, qua architecti & agrimenſores utuntur. Nucula.] Scilicet collega. Quam ob rem nos potius animaduertite.] Antonius. Elegantius.] Pulchrius. Concurrere.] Conuenire & conſentire. Iugulata.] Victa penitus. Si eſſet iugulata.] Cicero. Contingat.] Vt iugulemini. Partes.] Tuæ dicuntur furioſe. Illam rem.] mortem Cæſaris.

*Quibus utri noſtrum.*] Sed Anton. Vtri noſtrum, uel ego cum meis, uel uos cum ueſtris. *Quibus.*] Inimicis. nam cohæret cum ludibrioſiſſimis inimicis. *Quod ſpectaculum.*] Vt eade remus. & Antonius loquitur. *Vnius corporis.*] Vnius uolũtatis, me & uos. *Quaſi ea.*] Quaſi ipſe prior pulcherrime dicat, & non reſponſurum me ſibi perſuadeat. *Iniuſtum.*] Translatio ab equo, cui nota ſit cauterio, ut cognoſcatur ex quo ſit armento. *Patrem.*] Iulium. *Cuius homo ingratiſſime flaminium reliquiſti.*] Diuini honores mortuo Iulio Antonij lege decreti ſunt, ut puluinar haberet, ſimulacrum, flaminem: et Antonius quidem Flamen cooptatus, ſed neque inauguratus eſt unquam, & honorem Cæſari datum lege ſua, deſeri paſſus eſt, ut Phil. 2. dictum eſt. ex quo ingratum nunc uocat Cicero. Flaminium uero eſt dignitas & miniſterium flaminis. Valerius Maximus. Flaminio abire iuſſi ſunt.

BEROAL. *Populus R. Cæſar.*] Corrige, Proprætor Cæſar, ſignificatur autem Octauius Cæſar, quem Proprætorem fuiſſe, abunde in ſuperioribus explicauimus. *Laniſta Cicerone.*] Maledictum eſt Antonij in Ciceronem, quem nomine probroſo Laniſtam uocat. Eſt enim Laniſta magiſter gladiatorum, qui gladiatorias familias comparat, paſcit, docet, ut eas mox uendat muneraríjs, id eſt ludorum editoribus. Probrũ hoc maledicentiſſimũ ita repercutit Cicero, ut in laudem uertat. *Flaminia.*] Sacerdotia ad Flaminem ſpectantia & miniſterium. Flaminica uero dicitur uxor Flaminis, quam ſi amiſit, Flaminio decedit. Flaminiam quoque ueteres appellant Flaminis Dialis domum: ex qua ignem, niſi ſacrum, efferri ius non erat. *Verbum omnino nullum.*] Notabile eſt id quod hoc in loco Cicero demonſtrat, uidelicet uocabulum hoc píjſſimum, non eſſe latinũ, & in Latina lingua non inueniri, quo uſum eſſe Antoniũ reprehendit, & ob id hominem arceſſit inſcitiæ. & profecto diſpiciendum eſt an ante Ciceronis ætatem quiſpiam ex eruditis ſcriptoribus píjſſimũ uſurpauerit. Nam poſt M. Tullium fuiſſe in uſu id uocabulum nemo ambigit. Auſonius Gratianum Imperatorem laudare uolens píjſſimum appellat: cuius contrarium eſt impíjſſimus. Vtraque dictio recentioribus ſcriptoribus frequenter uſurpata.

* INHIBERET *ſupplicia.*] Recte. nã inhibere uerbũ eſt & uſitatum & optimum, & idem ferè ualet quod adhibere. Plaut. in Bacc. Hoccine hic pacto poteſt inhibere imperiũ magiſter, ſi ipſus primus uapulet. Liu. lib. iij. Animis ad imperiũ inhibendum imminutis. & 4. Pronunciauerũtq; ex collegij ſententia C. Valerio Cos ſe damnum aliamq; coerctionem aduerſus interceſſionem collegæ delectus cauſa detrectantibus militiam inhibenti auxilio futuros eſſe. Vt igitur imperium, damnum, coerctionem inhibere, ſic ſupplicium recte dicitur. Hiero. Ferr. hic.

*Flaminium cur reliquiſti,*] Flaminium, dignitas flaminis: & ſingulare nomen eſt, non multitudinis. Liuius, C. Claudius Flamen Dialis, quòd exta perperam dederat, flaminio abijt. Fabius Pictor apud Gell. Vxorem ſi amiſit, flaminio decedet. Val. Max. Flaminio abire iuſſi ſunt. Trogus apud Priſcianum, Propter mortem flamineæ, flaminio abijt. idem Ferrar. hic.

MATVR. *Mihi quidem.*] Antonius. *Conſtat.*] Certũ conſtitutumq; eſt. *Sanctiſſimi uiri.*] Ironice. *Ac optimi cuiuſque.*] Sic conſpirauerant, ut optimi cuiuſq; ſedes & bona, urbem & Italiam diuiderent. *Nec Lepidi ſocietatẽ uiolare.*] Antonius. & à ſuperioribus pendet Antonij uerbis, nec patiar. & ſic loquitur quaſi totum haberet Lepidum, ut in Cæſaris Iulij cauſa habuerat. *Id agis.*] ut inſanus aut impius credatur Lepidus, ſi tecum habeat ſocietatem. *Nec Plancum prodere.*] Antonius, ſcilicet patiar. *Prima præſidia.*] Prima auxilia. *Se colligit.*] Reſipiſcit, & ſapere incipit. *Si me rectis ſenſibus.*] Anton. *Præcipio gaudia.*] Præripio & occupo, me ipſum occidens, gaudia inimicorum. *Præcipias licet.*] Cicero. *Falſo nuncio.*] Quo allatum fuerat periſſe.

MATVR. *Hanc Ant. ſent.*] Totus hic locus ironice legendus eſt. neque enim tale quidquam fecerant ij ad quos ſic Ant. ſcripſerat, ſed propius ad eius acceſſerant munitiones, ipſum oppugnaturi. *Denique.*] Antonius. *Quo.*] Propter quod.

*Nulla ſpecie.*] Nullo reſpectu. *Abductus.*] Auocatus à contubernio. *Partium.*] Vel actas Antonius. *Earum duces.*] Non Antonius & Ventidius, ſed Cæſar adoleſcens & Panſa & Hirtius duces eſſent. ſed extinctæ omnino ſunt.

*Duo cornua.*] Aciei Cæſaris, dextrum, ſiniſtrum, quæ & capita dicuntur ac pes, in quas partes acies à fronte per totam ſui altitudinem ſecatur. *Alteris.*] Vobis. *Alteris.*] Antonij. *Clauſulam.*] Concluſionem. nam clauſula eſt breuis cõcluſio. Cic. in epiſt. ad Curionem, Vtar illa clauſula qua ſoleo. & ſunt Antonij uerba, Veniamus aliquando ad clauſulam.

*Bene me nouit.*] Cicero. nam ſuadeo non eſſe mittendos Legatos, & proficiſci ego nolo. *Bellum.*] Bella res, ironice.

*Veniant.*] Eant. *Cæſar.*] Octauius. *Patris.*] Iulij. *Cum uenerint.*] Antonius. *Quin tu.*] Cicero.

*Si hæc uideret.*] Quæ ipſe profitetur Antonius. *Electos.*] Ex Italia. *Bruti.*] Decimi. *De mandatis & literis.*] Ad Senatum. *V. C. Seruilio aſſentior.*] Viro clariſſimo, ut de his referatur. ſic enim ille cenſuerat.

BERO. *Vt ait poeta neſcio quis.*] Vſitatum hoc Ciceroni eſt elocutionis genus, cum nomen poetæ quamuis notiſſimi ſupprimere uult, ut dicat, poeta neſcio quis, & apud poetam neſcio quem. Eſt autem poetica ſententia, prius undas & flãmam iugabili quadam competentia cõcordes fieri, quæ naturaliter cõpugnant: quàm inter Antonium & Romanam Rempu. gratia ſit atque concordia, Conſimile eſt illud, Omnia iã fient, fieri quæ poſſe negabam. *Optatiſſimum eſt uincere.*] Demoſthenicũ eſt, Longe fœliciſſimum eſt in bellis uincere: fortiſſimum, ſi uictoria non detur, pro cauſa mori. Eſt tamen tertium aliquod inter dedecora, in patriam certe redire: & ſi uincere non detur, effugere. Hinc olim cum ipſe Demoſthenes ex prælio apud Cheroneam facto ſalutem fuga quæſiuiſſet, cumq; id ei q fugerat, probroſe obijceretur, uerſu illo notiſſimo eluſit, ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται, id eſt, Vir fugiens iterum pugnabit. *Cum hoc.*] S. C. de M. Lepido faciendo.

## IN PHILIPPICAM XIIII.

MATVRAN. Audiuerat Legatos Antonius, ut eſt dictum prius, mandata Senatus ſpreuerat, de quo & Cicero in primis acerbe nimis cõqueſtus fuerat. obſidere & oppugnare Mutinã non deſtiterat, nec ſe diſceſſurum inde propalàm dixerat, niſi cõceſſam ſibi à populo R. prouinciam pulſo Decimo obtineret. Iulij percuſſoribus, & bonis omnibus, ſed Ciceroni ante omnes minatus mortem erat. fame laborabat Decimus, Ver appetebat. quare Hirtius & Octauius propius Mutinam caſtra poſuere. poſt plurima, ſed leuia & equeſtria & pedeſtria certamina, pugnatum tandem eſt totis utrinſque exercitus uiribus. Victus eſt & fugatus Antonius. Romam nunciata res eſt, ſed tumultuarie. Multi cenſebant deponenda ſaga, & ad priſtinum ueſtitum redeũdum. diſſuadet Cicero. Et quoniam toties cum Antonio concurſum eſt, totq; utrinque cædes editæ, non eſſe ulterius differendum dicit, quin hoſtis ille iudicetur, cum præſertim ſupplicationes decernantur, quæ non niſi uictoria de hoſtibus habita decerni ſolent. Scelera cõmemorat L. Antonij, & in Parmenſes crudelitatem. De quibuſdam diſſipatis rumoribus, et timore plurium ac ſuo multa dicit, quædam de ſe prædicat. Laudat Octauium, de honore illis tribuendo refert, qui pro patria ceciderunt. ſuã in fine dicit ſententiam, & L. dierum cenſet decernendas ſupplicationes, ac conſtituta à Senatu militibus præmia

mis perſoluenda. Eſt in deliberatiuo genere oratio ſtatim diſſuadet ſaga mutanda eſſe togis, id quod plures faciendũ cenſebant.

Arbitramur.] Non etiam compertum habemus D. Brutũ obſidione liberatum. Lætitiæ riſus ſatis eſt.] Vt rideamus et hilares ſimus. Ordo eſt autem, Riſus lætitiæ ſatis eſt uictoriæ pugnæ clariſſimæ reditum ad ueſtitum, confectæ uictoriæ reſeruate. Deinde cras ſagati prodeamus.] Adhuc obſideri Decimũ.

Huic fauere ſententiæ.] Vt ad priſtinum ueſtitum redeamus. Vnius ciuis.] Bruti. Tollite hanc.] Quæ Bruto inuidetur.

BEROAL. Multis ex literis.] Purior lectio eſt: Si, ut ex literis: & talis ſenſus melius quadrat cum ſequentibus: uerum dictio illa ſicut, eſt ſic emendanda, ut legas, ſic id. ex hac lectione intellectus eſt manifeſtior, & ſtructura commodior.

Lætitiæ riſus ſatis eſt.] Seiunctim ſingula enuncianda ſunt, ut dicas ſatis eſſe lætitiæ, ſatis eſſe riſus & feſtiuitatis. itidem illud quod ſubſequitur, per ſe plenũ eſt, maximæ præclariſſimæq; pugnæ: extrinſecus ſubintelligendum eſt ſunt, ut ſit caſus rectus pluratiuũ numeri. aliter fluctuat lectio & ſententia.

MATVR. Sortiri.] Vt alter Romam ueniret, alter in Galliam proficiſceretur. Cæſar.] Octauius. Primis peſtibus.] Quæ à M. Antonio paratæ erant & imminebant, cum Brundiſio rediret, niſi Octauius obſtitiſſet. Dolorem domeſticum.] De patris cæde. A' quo.] Panſa. Inibi.] In eo ipſo loco. Spe.] Quam nunc concipimus, euaſiſſe Brutum.

Vim fortunæ.] Quæ adhuc poſſet Bruto obeſſe obſeſſo.

Significatio.] Oſtendebant enim ſe Ciceroni aſſentiri.

Et a Propr.] Sic legendũ eſt, Proprætore, id eſt Octauio.

Tertio Cæſaris prælio: Quo Octauius conflixit. Si hoſtium.] Si hoſtes fuere Antoniani, quorum ſanguis à militibus noſtris eſt effuſus, pietas in patriam militum noſtrorum ſumma fuit: eorundem uero nefariũ ſcelus uocandum, ſi ciuium ſanguinem effudere. Sed hoſtes fuerunt, non ciues: quoniam omnes hoſtes ſcelere antoceſſit. Niſi mucrones &c.] Quod ridiculũ eſſe dixit. Supplicationes.] Oſtendit uehementer errare, qui decernendas cenſeant ſupplicationes. & gratulandum dijs immortalibus, at ciues non hoſtes dicant cæſos, quaſi probaturi ſint decretas pro ciuium cædibus ſupplicationes. Gratæ.] Ac ſi dicat, minime. De improbis, inquit, & audacibus.] Verba ſunt aduerſariorum, De improbis et audacibus ciuibus uictis decernantur ſupplicationes. Clariſſimus uir.] Q. Fuſius, aut Piſo. Quæ ſunt &c. Sed hæc maledicta in urbanis litibus uſurpantur. Nec iuſta.] Nam qui accuſantur in foro & in ciuilibus cauſis, improbi dici ſolent, & audaces. Euelli inquiter &c.] Deprauatus locus eſt, & euellunt terminos legendũ. Ironice autem inquit, ſic improbi & audaces, Antonius, & qui eum ſectantur, uocandi ſunt, ut in litibus ciuilibus appellantur, qui ſcelestè quippiam cõmittunt, cuius cum accuſantur, improbi dicuntur & audaces, ut qui terminos euellunt, teſtamenta falſa pro ueris ſubijciũt, aut eijciunt uicinos ex ſuis prædijs, quod fieri frequenter ſolet à potentioribus: aut adoleſcentulos pupilloſq; circumueniunt. hæc, inquiunt, faciunt Antonius, & qui eum ſectãtur, ut improbi & audaces appellandi ſint? quaſi dicat, minime hæc, ſed contra patriam bellum gerunt, & nobis exitium machinantur & minantur. Quatuor Coſſ.] Hircio, Panſæ: Decimo, Planco. Suis cladibus.] Quas ipſi ſibi machinantur. Facinus.] Trebonij cædem. Ab hoc templo.] Capitolio. Parmenſium.] In Gallia Ciſalpina inſignis ciuitas Parma eſt, à fluuio qui eam præterlabitur ſic dicta. Præludiũ.] Qui quaſi præludit fratris crudelitati. Eſt enim præludere prætẽtare atque experiri rem. Tractum à citharœdis, qui ante legitimum ſonũ recẽſent & prætentant chordas. Papinius in Achilleide.

Magnumq; tibi proludit Achilles.

Quos oportet.] Illos quos deos odiſſe oportet.

*TVM primis peſt.] Recte tum, ut ad poſtea referatur ut illud in lib. 6. ad Att. Sed & tum præſens & poſtea creberrime non deſtiti rogare. Hieron. Ferr. hic. Aut inibi eſſe.] Inibi eſſe dicebatur id quod nondum quidem perfectum, ſed ita parum aberat à perfectione, ut iamiamq; perficiendum eſſet, et ut loquitur M. Tullius, quod non confectum, ſed affectũ erat. Afranius, Poſtquam ſe uidit inibi eſſe, gnatam paruulam ſororibus cõmendat. Pacuuius, profecto inibi eſt. iamiam potiuntur frugum. Hæc ex Nonio Marcello. Ferr. hic.

Non iniuſtæ belli internecini notæ.] Locus hic elegantiſſime ab Hieron. Ferrar. ſic reſtitutus eſt ut impreſſimus, cum ante in alijs legeretur maledicta litium non iniuſta. euellunt terminos: teſta. &c. In alijs, mal. lit. nõ iniuſta euelli, internecti nota teſta. perperam omnino & ridicule. Bellum autem internecinum ualet peſtiferũ, capitale, exitioſum, cũ ſcilicet & non de imperio ac dignitate, ſed de fortunis & capite dimicatur, neque uter imperet, ſed uter ſit, decernitur. Liu. lib. 9. Deletaq; Auſonum gens uix certo defectionis crimine, perinde ac ſi internecino bello certaſſet. & lib. 22. Non internecinum ſibi eſſe cum Romanis bellum: de dignitate atque imperio certare. Internecinum, inquit Sex. Pompeius, teſtamentum eſt, propter quod dominus eius necatus eſt. Idem Ferrar. hic. Propudium illud.] Propudiũ, inquit Sex. Pompeius, dicebãt, cum maledicto nudare turpitudinem uolebant, quaſi porrò pudendum. quidam propudium putant dici à quo pudor & pudicitia procul ſint. Plau. in Curg. Quid ais propudium? tun' etiam cum nocturnis oculis odium me uocas? & in Bacchid. Recede hinc directe. en ut pultat propudium. & in Pœn. Tun' audes etiam ſeruos ſpernere propudium? Idem Ferrar. hic. Alij præludium ſeu proludiũ legunt.

MATVRAN. Antonij.] Marcus & Lucius fœdiſſimæ & corruptiſſimæ pueritiæ. Alijs.] Vt Parmenſium pueris & puellis quos ſtuprauerat. Oblita.] Fœdata & coinquinata, ab oblino. Huius coloniæ.] Parmæ. Callidus.] Ironice. Recordamini.] Nunciatum fuerat, tametſi falſo, quod mox dicetur, uictoriam aſſecutum Antonium, et infeſto agmine ad urbem uenire. Magnus timor, & ingens in urbe fuerat trepidatio. Diſſipatis.] Diuulgatis. Larem familiarem.] Cuiuſque priuatæ domus deum præſidem. Grauius.] Quàm hoſtis. Tribus ducibus.] Panſæ, Octauio, Decimo. Ab eo.] Seruilio. Appellaret Senatus.] Quaſi dicat, appellaret.

BERO. Saxa diuiſerat.] Saxa nomen eſt aſſeclæ Antoniani, perditiſſimi ſcilicet & profligatiſſimi. Supra carpens cœtum Antonianorum, Caſones & Saxas probris eſt inſectatus. Decempeda autẽ pertica eſt, qua architecti & fabri atque menſores uti ſolent. hinc decempedator dictus, qui decempeda agrũ metatur. Horatius,

Nulla decempedis metata porticus.

Sicut autem à numero pedum denum dicta decempeda eſt: ita à quinque pedibus nuncupata quinquepeda: quæ, ut ait epigrãmatiſta,

Sæpe redemptoris prodere furta ſolet:

Metatores appellant proprie eos, qui locum eligunt caſtris, atque metantur, ut Vegetius docet. hinc illud Lucani,

Heſperios audax ueniam metator in agros.

Rumoribus diſſipatis.] Id totum deſcribit epiſtola quadã ad Brutum his uerbis, Triduo aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam rumore quodam perculſa ciuitas tota ad te ſecũ cõiugibus effundebat: eadem recreata ad duodecimum Calendas Maias te huc uenire, quàm ſe ad te ire malebat. quo quidẽ die magnorum meorum laborum multarumq; uigiliarum fructũ cepi maximum: ſi modo eſt aliquis fructus ex ſolida ueraq; glo-

ria. nam tanta multitudinis, quantam capit urbs noſtra, cócurſus eſt ad me factus: cum ita uſque in Capitolium deductus maximo clamore atque plauſu in Roſtris collocatus ſum. Supplicationes decernere.] Mos fuit priſcorum Romanorum, ſupplicationes decernere imperatoribus ob res egregie bello geſtas. Vni Ciceroni in toga ſupplicationis honos habitus eſt, ob detectã Catilinæ coniurationem: Cæſari Dictatori, ob res clariſſime geſtas in Gallia, decreta eſt ſupplicatio quindecim dierum: quod ante id tempus accidit nulli. Nunc M. Tullius quinquaginta dierũ ſupplicationes decernit nomine trium imperatorũ, Octauij Cæſaris, Hircij & Panſæ Cõſulũ. Imperatorem appellat Senatus.] Refert Appianus nomen imperatoris maximæ eſſe apud milites auctoritatis: quem honorem Prætores reliq; militaris Præfecti in maximis belli operibus ſibi antiquitus uendicabant: nunc autẽ, ut uerbis Appiani utar, eum, ſub quo decem millia concidiſſent, hac appellatione dignum haberi audio. M. Tullius pluribus in locis gloriatur, quòd imperator appellatus ſit ab exercitu ob Pindeniſſas atq; Amanẽſes profligatos. Idem hoc in loco teſtatur nomen imperatoris concedi illi ſolere, qui mille uel duo tantũ millia hoſtium occidiſſet.

MATVR. Adimemus.] Minime. Quanto.] Audita Panſæ & Octauij uictoria, gratulabundus populus ad domum cucurrit Ciceronis, & in Capitolium quaſi uictorem et ouantem comitatus eſt. Tu igitur de te.] Scilicet hæc ais glorìabundus: ac ſi diceret, turpe eſt. Et quidem inuitus.] Scilicet dico, inquit Cicero. Iniuriæ dolor.] Quænam fuerit, mox declarat. Non'ne ſatis eſt.] Sufficiebat non referri mihi ab ignaris uirtutis gratiam: eſt enim hæc iniuria, eaq; non parua: ſed addita eſt multo maxima, quòd finxerunt aliqui me Conſularibus inſignibus arreptis ad accipiendum imperium deſcẽſurum. hoc diluit Cicero. Aliquem'ne Imperatorem habituri eramus?] Sic dicebant qui hos ſermones diſſipabant. Crimen in inuidia quæretur.] Quæret'ne Cicero hoc crimen & ſcelus cum inuidia & odio omnium, ut imperator deſcendat? Credo hoc.] Nunc Cicero. Conſultum.] Quæſitum et rogatum, num facturus eſſet ſe Imperatorem Catilina. In eum.] Ciceronem. Quatenus.] Qua ratione & quouſque.

Oſtia.] Ingreſſus. Inuidia mea.] Vt odium in me concitent. Fons.] Origo. Apuleius.] De quo ſupra dictũ.

BERO. Vni.] id eſt mihi. Se enim ipſum intelligi uult, & denotat gratulationem illam, qua ut paulo ante memorauimus, concurſus populi ad ipſum factus eſt, et ipſe uſque in Capitoliũ deductus, atque in Roſtris collocatus, maximo clamore uulgi ac plauſu. Triſtis à Mutina fama.] Vt ſupra memorauimus, triduo aut quatriduo ante uictoriam, timore quodam percùlſa eſt tota ciuitas, cum à Mutina fama cladis diuulgata fuiſſet. Quo quidem tempore omnes ſe ad M. Brutum tanquã unicum libertatis aſſertorem cum coniugibus et liberis profugere decreuerunt. Impij ciues.] Illos nimirum deſignat, qui Antonianam ſectam ſequebantur, Antonioq; abſenti fauebant.

APER Id. Quint.] Hæc prælia, quibus de agitur hac oratione, facta ſunt ad XVII. Calend. Maias, ut ex epiſtola Galbæ licet intelligere, uel XVIII. ut in 4. lib Faſtorum apparet apud Ouid. Nuncius huius uictoriæ Romam uenit ad XII. Calend. Maias: quod epiſtola quadam ad Brutum hic ipſe declarat. Triduo, inquit, aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam timore quodam perculſa ciuitas tota ad ſe cum coniugibus & liberis effundebat. eadem recreata ad XII. Cal. Maias te huc uenire, quàm ſe ad te ire malebat. Hæc autem oratio poſtridie eius diei habita eſt. illa uerba declarant, Cum heſterno die propter eorum res geſtas me ouantem & propè triumphantem populus R. in Capitolium domo tulerit, domũ inde reduxerit. ut locum hunc deprauatum eſſe facile perſpici poſſit. Teneo hunc diem inter Palilia & Vinalia medium fuiſſe: ex quo coniectura ducor ad ſuſpicandum, uel poſtridie Palilia uel, quod etiam magis placet, à ſcriptura enim propius abeſt, pridie Vinalia eſſe reponendum. Hieron. Ferrar. hic.

MATVRAN. Male ageretur.] Male mihi eſſet. Ieiuno.] Vacuo, & idcirco detrahendi cupido, et mordendi cauſa, ut ij faciunt qui ieiuni ſunt. Craſſus.] Ille Orator, de quo apud Ciceronem de Oratore. Illi principes.] Cato, Bibulus, Pompeius. Male ſentire.] De Rep. Moderari.] Vt multi Antonium timentes faciebant. Principatus.] Vt primus ſit. Tu.] Quicunque es qui ſplendori meo inuides. Quod mihi eſſet optatius.] Quàm tecum de principatu contendere. Fuſium certe aut Piſonem ſignificat. Hæc.] Me talem eſſe.

Poterat'ne fieri.] Minime fieri poterat. Ad Antonium.] Mitti noluiſſe. Iidem.] Scilicet memoria tenent, me unum uoluiſſe ſemper Ventidium cum alijs Trib. pl. qui ad Antoniũ ſe contulerunt, hoſtem eſſe. Conſules deſignati.] Panſa & Hircius. Diſceſſionem. Senatuſconſultum per diſceſſionem, cum omnes aſſentirentur Ciceroni.

BEROALD. Diſceſſionem facere noluiſſent.] Senatuſconſultum fieri duobus modis ſcribunt M. Varro & Gell. aut enim per diſceſſionem fit, aut per ſingulorum ſententias exquiſitas. Tubero ait nullum Senatuſconſultum fieri poſſe nó diſceſſione facta: quia in omnibus Senatuſcóſultis, etiã in his quæ per relationem fierent, diſceſſio eſſet neceſſaria: Idq; Atteius Capito uerũ eſſe confirmat. De hac diſceſſione intelligi uoluit M. Tullius ſcribens in epiſtolis ad Lentulũ, Frequẽtes ierunt in alia omnia. Liuius quoq; diſceſſionem ſignificat cum ait, Sed tum quoque aut uerbo aſſentiebat, aut pedibus in ſententiam ibat. Hinc non pauci opinantur pedarios Senatores appellatos, qui in alienam ſententiam pedibus ibant, cum ipſi ſententias non rogarentur. Suetonius in Tyberio, Cum Senatuſconſultũ per diſceſſionem forte fieret, tranſeuntem eum in alteram partem, in qua pauciores erant, ſecutus eſt nemo.

MATVR. Suſtulerunt.] Quòd ciues hoſtes appellarem. Imprudens. Incautus & minus aduertens. Octauij.] Qui Cinnam expulit. Collega.] Scripſit ne ad te amicum & Collegam Iulius, ut de ſupplicatione ei decernenda referres in Senatu? De Alexandria.] De uictoria Alexandrina, et Pharnace magni Mithridatis filio deuicto, quem intra quintum quàm affuerat diem, quatuor quibus in conſpectũ uenerat profligauit horis: quam uictoriæ celeritatem ad Amantiũ familiarem tribus ſcripſit uerbis, Veni, uidi, uici. Ne triumphũ quidem egit.] Triumphare prò uictoriis ciuilis belli Romanis legibus non licebat. Et Lucanus ait,

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Superioribus.] Syllæ Marij, Octauij, Cinnæ. Præter Gabinium.] Is eſt Gabinius qui Conſul cum Piſone Ciceroni fuit infeſtiſſimus, quo tempore in exilium truſus eſt. Syriam Proconſul tenuit. ob res cõtra Parthos geſtas, ſupplicationes poſtulauit. negatæ ſunt, Cicerone in primis id agente, ne decernerentur.

Hoſtes.] Qui uicti ſunt. Ampliſſimi.] Conſulatus.

Alterum.] Imperator, quo nomine non appellabatur quiſpiam, niſi cum hoſtibus conflixiſſet, & iuſtam uictoriã adeptus eſſet. & ab exercitu quidem hoc nomine honorari ſolebant.

BEROAL. Nunquam in ciuili bello ſupplicatio.] Siquis apud ueteres Romanos res præclaras, maximeq; Reipub. utiles in ciuili bello geſſiſſet, non appellabatur imperator, neque ullæ ſupplicationes ei decernebantur, neque aut ouationem, aut triumphum conſequebatur: quià ut neceſſariæ iſtæ, ita lugubres ſemper exiſtimatæ ſunt uictoriæ, utpote nó externo ſed domeſtico cruore partæ. Ideoq; lauream nec Senatus cuiquã dedit, nec quiſquam ſibi dari deſiderauit ciuitatis parte lacrymante. P. Seruilium.] Legere malim, Pub. Seruili, ut ſit caſus uocatiuus, quem ſalutatorium appellant. ſermone ad ipſum P. Seruilium

per

per apoſtrophen directo, qui id temporis erat in Senatu, qui collega fuit in Cóſulatu Cæſaris Dictatoris in bello ciuili Pompeiano.

Ne triumphum quidem egit.] Cæſar Dictator profligatis aduerſarijs uictor, ac uoti compos, domum reuerſus egit quinq; triumphos, primum Gallicum, ſequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, huic proximum Africanũ, nouiſſimum Hiſpanienſem. Pharſalicæ uero pugnæ & Pompeianæ cladis nullum egit triumphum, nec fas erat ciuem triumphare de ciue. Annotant hiſtorici, populum R. dolenter grauiterq; tuliſſe cũ in triumpho Cæſaris Africano imagines Scipionis, Petreij & Catonis, repræſentatæ fuiſſent eo habitu, quo illi mortem oppetierant, adeo omnis ciuilis uictoria perinde ac funeſta damnabatur. Præter Gabinium.] In oratione contra Piſonem tradit, Gabinium, cũ nihil aliud in prouincia Syria egiſſet, niſi ut urbes depopularetur, agros uaſtaret, exhauriret domos, poſtulaſſe à Senatu per literas ſupplicationem: Senatum literis Gabinij non crediidiſſe, poſtulantibus denegaſſe: unde ſubiungens ait, His ego rebus paſcor, his delector, his perfruor, quòd de Piſone et Gabinio Senatus opinatur non ſecus ac deterrimis hoſtibus.

MATVR. Reip. uitam reſeruauit.] Se morti ſubduxit, ut diutius Reip. uiueret. Sagitta percuſſus eſt, duobus uulneribus acceptis, quibus poſtea perijt. Alterum fecit.] Vt uictoria ſatisfaceret. Alterius.] Vt morte ſatisfaceret. Illa.] Quartam ſignificat: & eſt ſenſus: & Quarta legio & Martia ac Septima ex ueteranis militibus conſtans, quæ beneficia ij ſeruauerunt, charum ſibi eſſe Senatus populiq; R. nomen docuerunt, cum ſic fortiter & ſtrenue pro Senatu & populo R. pugnauerunt. Hoc prælio.] Mutinenſi. Cæſaris beneficia ſeruaſſent.] Rata eſſe uoluiſſent quæ Cæſar Iulius tradiderat & conſtituerat. Aquilam.] Signiferi manu raptam cum cunctaretur ille. Huic Ioui.] Capitolino. Dux latronum.] Antonius. Imperium.] Faſces & exercitum, ac Proprætoris nomen. Trium.] Panſæ, Hircij, Cæſaris. Reſtat.] Vt præmia promiſſa reddamus uictoribus: nam mortuis iam perſoluenda ſunt præmia.

BERO. Alterius omen auertant.] Fruſtra optat M. Tullius, ut dij immortales in Panſa Conſule omen mortis auertãt, cum uulneratus in prælio paulo mox ex uulnere deceſſerit. Tradunt hiſtorici, Panſam Conſulem ictu ſagittæ in ilibus cóſoſſum, delatũ eſſe Bononiam, ibiq; periiſſe, cum Hircius Collega in acie cecidiſſet. Rumor diſſipatus eſt, ambos opera Auguſti Cæſaris occiſos, ut ſolus Remp. occuparet. Quin etiam Panſæ adeo ſuſpecta mors fuit, ut Glico medicus cuſtoditus ſit, quaſi uenenum uulneri indidiſſet. Moriens Panſa, ut auctor eſt Appianus, ſuaſit Auguſto ut Antonio reconciliaretur. Cadauera Hircij & Panſæ Auguſtus Romam, ut illic ſepelirentur, deportari iuſſit. Virtute ſuperabit.] Ex hac ſententia exijt illud Maronianũ,

Ante annos animumq; gerens mentemq; uirilem.

& à Perſio dictum eſt.

Scilicet ingenium, & rerum prudentia uelox,
Ante pilos uenit: dicenda tacendaq; calles.

Decerno quinquaginta dierum ſupplicationes.] Appianus lib. 3. Bellorum Ciuil. ſic refert: Supplicationes ob res in Antonium geſtas, quinquaginta dierũ anniuerſarias Senatus habendas cenſuit, quot nec unquam bello Celtico aut alijs in bellis decreuere Romani. Confirmata duabus legionibus præmia, quæ ab Antonio profugerãt, ſingulis ſcilicet militibus drachmæ quinque millia, quaſi uictoribus, quæ olim promiſerat Senatus: conceſſumq; ſolennibus diebus corona florida uti poſſe.

*QVOD, cum eſt &c.] Quod nomen, nempe imperatoris, rebus geſtis ſuis comprobauit, ſecutus decreti noſtri auctoritatem. ſic ferè locutus eſt in VI. accuſ. Nimirum ut hic nomen ſuum comprobauit, ſic ille cognomen. Hieron. Fer. hic.

MATVRAN. A quibus tacentibus.] Tritum eſt prouerbium, ſatis flagitare, qui bene ſeruit & tacet. Memoria proſequi.] Vt memorem gratumq; ſe oſtendat. Monumentum.] Polyandrium, hoc eſt tumulum multorum uirtuti extructum. Quæ naturæ debita.] Omnino enim lege naturæ moriendum fuit. Ex acie pignerari.] Veluti pignus accipere, & ad ſeſe capere, ac pro pignore quodam fortitudinis tenere. Piorum.] In campis Elyſijs, ubi habitant animæ beatorum: de quibus plura Virgil lib. 6. Reddita.] Quia accipimus à deo hanc uitam, cum repoſci redditur: unde & defuncti uita dicuntur, hoc eſt uitæ officio nobis a deo attributo.

BEROAL. Ad leniendum mœrorem proximorum.] Plato in eo libro cui titulus eſt Menexenus, ſiue Epitaphium, magnifica oratione funebri proſequitur eos qui in prælio ob patriã ceciderunt. illorum filios fratreſq; ad uirtutis ipſorũ imitationẽ hortatur: parentes autem & maiores alios, ſi qui ſuperſunt, conſolatur. Ex Platonicis filis hæc Ciceronis tela contexta eſt, & ex philoſophicis racemis collecta uindemia, ut uerũ ſit illud, Ciceronem ex Academiæ ſpatijs & placitis maximum oratorem extitiſſe, cum omnis ubertas & quaſi ſylua dicendi ex philoſophorũ diſputationibus ducta ſit. Deſiderat neminem.] Signat ex legione Quarta neminem in pugna occidiſſe. Deſiderati enim hiſtorico uocabulo interfecti nominantur. In fuga fœda mors.] Conſimile eſt illud Horatianum,

Dulce & decorum eſt pro patria mori:
Mors & fugacem perſequitur uirum,
Nec parcit imbellis iuuentæ poplitibus, Timidoq; tergo.

Longior quàm hæc uita.] Animæ immortalitatem aſſerit: de qua ſcribens in Tuſculanis quæſtionibus ſic inquit, Nemo unquã niſi ſpe magna immortalitatis ſe pro patria offerret ad mortem, licuit eſſe ocioſo Themiſtocli: licuit Epaminondæ: licuit (ne uetera & externa quæram) mihi: ſed neſcio quo modo inhæret mẽtibus quaſi ſeculorum quoddam augurium futurorũ: idq; in maximis ingenijs altiſſimiſq; & exiſtit maxime, & apparet facillime: quo quidem dempto, quis eſſet tam amens, qui ſemper in laboribus & periculis uiueret? Monumentum.] Iuriſconſultus tit. de religioſis, Monumentũ eſt, inquit, quod memoriæ ſeruandæ gratia exiſtat. Item monumentum, generaliter res eſt memoriæ cauſa in poſterum prodita: in quam ſi corpus uel reliquiæ inferãtur, fiet ſepulchrum: ſi uero nihil eorum inferatur, erit monumẽtum memoriæ cauſa factum, quod Græci cœnotaphium appellant. Conſolemur proximo.] Plato in Menexeno, Patres noſtros ac matres, ſi cui noſtrum ſuperſunt, atq; conſolatione indigẽt, conſolari oportet, quia deceat facile quæcũque acciderint, ferre. Liberis domeſtica exempla.] Idem Plato, Equidem ò uirorum præſtantium filij, uos ipſe et in præſentia exhortor, & in poſterum: quemcunque ueſtrum nactus fuero, admonebo ſemper & cohortabor, ut quamoptimi euadere contendatis.

MATVR. Hæc uita.] Quam in terris & in corporibus uiuimus, & unà cum morte extingueretur. Quod ipſum.] Inhumatum & deſertum eſſe. Ara uirtutis.] Veluti ara quædam uirtutis, quam omnes intuentes uenerentur. Ita cenſeo.] Ordo eſt, ita cenſeo ob eas res Senatũ exiſtimare & iudicare, & reliqua, cũ C. Pãſa Cóſul Imperator initiũ &c.

Occidione occiderit.] Nullo ſuperſtite. frequens apud Liuium ſermo. Occiſio poteſt eſſe unius aut paucorum: occidio autem generalis eſt. Deſiderauerit.] Amiſerit. perdita deſideramus: unde deſiderati dicũtur mortui. Prætor urbanus.] Qui abſentibus Conſulibus maximus in urbe erat magiſtratus.

Ad omnia puluinaria.] Ad omnia deorum templa & ſimulacra. Re.] Effectu.

BEROAL. Id genus quod eſt pulcherrimum.] Socrates apud Platonẽ ſic ſermocinatur. Videtur Menexene apud plurimas gentes præclarum eſſe in bello occumbere. etenim qui

*ſic è uita migrat, funere & ſepulcro magnificentiſſimo honoratur. Epaminondas Thebanus dicere ſolebat, ἐν πολέμῳ θάνατον εἶναι κάλλιστον, in bello mortem eſſe pulcherrimam. Apud Sillium inquit Annibal,*

*"Pugnantem cecidiſſe meum eſt.*

*Item in elogio Pauli Aemylij,*

*"Tibi gloria leto*
*Iam parta inſigni.*

*Plato quoque ita refert: Profectò cum liceret nobis turpiter uiuere, honeſte mori maluimus. Parentibus tribuenda cenſeo.] Lex Athenienſium perinde ac optima laudatur, quæ parentes et filios eorũ qui in bello interierunt, ali iubet ſummoq́; magiſtratui talium committit curã, uidelicet ne ulla prorſus iniuria parentes horum afficiantur: filios autem educat ipſa ciuitas, ſtudetq́; ut illis ignota ſit orbitas. nam ipſa parentis gerit uicem, dum pueri ſunt: & cum ad maturam ætatem uenerunt, ad officia ſua tranſmittit, omni armatura fulcit & ornat, patris ſtudia oſtendit & memorat, dum paterna uirtutis tribuat inſtrumẽta. hinc ait Aſpaſia in oratione funebri, Nempe ſenectutem ueſtrã priuatim publiceq́; alemus: et quemcunque ex illorum progenie nacti fuerimus, ſumma beneuolentia complectemur. Cum C. Panſa.] Formula eſt Senatuſconſulti quod cenſente Cicerone decernitur. Occidione occiderit.] Scriptores ſtragem magnam atque internecionem ſignificare uolentes, "dicunt ad occidionem occidi. Columella ſcribens de fucis ait, Nam nec ad occidionem gens interimenda eſt, ne apes inertia laborent. Supplicationes ad puluinaria.] Liuius, Supplicatio inde à Conſulibus triduum ex Senatuſconſulto indicta eſt, obſecratioq́; circa omnia puluinaria dij: quod bellum cum Philippo iuſſiſſet populus, id bene ac feliciter eueniret. Item, Obſecratio circa omnia puluinaria facta. Sunt autem puluinaria, ut grãmatici docent, lectuli qui ſterni in templis conſueuerunt, & pro templis ponuntur. Reſolutorum.] Iunctim legendum eſt, ut ſit dictio una, non duæ. Plautus in Menech. Perdomiſco ſi reſolui argentum quibus debeo. M. Antonius, ut apud auctores idoneos obſeruaui, reſcripſit orationes maledicentiſſimas aduerſus haſce Ciceronis Philippicas: in quibus inter cætera Ciceroni probro dedit, quòd Terentiam immerito repudiaſſet, quòd uirginem ſenex duxiſſet uxorem: locatusq́; eſt in Ciceronem perinde ac mollem. Cicero autem obiectũ crimen uxorium diluit hoc dicto, quòd obiurgantibus quibuſdã quòd ſexagenarius Publiliã uirginẽ duxiſſet uxorem, Cras mulier erit, inquit. Tiro Tullius Ciceronis libertus, & in ſtudijs literarum patroni adminiculator, idcirco uxorem hanc à patrono ductam eſſe refert, ut ita diſſoluere poſſet æs alienũ, quo maximo obruebatur. erat enim puella illa opulentiſſima, eiusq́; fortunæ ac opes Ciceronis tutela cuſtodiebantur.*

*o SINE ulla retractatione.] Sic Liuius lib. 6. Iuniores ad edictum ſine retractatione conuenerunt. Vtitur etiã Cicero in Tuſc. lib. 5. & 13. lib. epiſt. ad Att. Hieron. Ferrar. hic.*

*Pecuniam dare, attribuere, ſol. &c.] Recte attribuere ut in omnibus uetuſtis libris legitur, non contribuere. nam et ſupra in IX. Phil. ita loquitur, Tantam pecuniam redemptori ſoluendam attribuendamq́; curent. & contribuere pecuniam non dicitur. nam hoc uerbum proprie in ijs ponitur, qui aliquem liberum populum ſub alterius ditionem ſubiungunt, Liuius, Corinthum ijs contributuros in antiquum gentis concilium. & alibi, Phocenſes Locrenſes contribuerunt Aetolis. ij autem populi contributi dicebantur. Cæſar, Oſcenſes, & Calaguritani,*

*qui erant tum Oſcenſibus contributi.*

*Idem Ferrar. hic.*

F I N I S.

SERIES LITERARVM.

a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T.

Omnes quaterniones.

APVD ALDI FILIOS.

VENETIIS, M. D. L I I.

# Q. ASCONII PEDIANI PATAVINI COMMENTATIO

## LOCORVM OBSCVRORVM EX PRIMA ORATIONE M. TVLLII CICERONIS IN C. VERREM, QVAE DIVINATIO DICITVR.

### A R G V M E N T V M.

N. POMPEIO *primum & M. Craſſo Coſs. C. Verres perfunctus Quæſtura, Legatione, Prætura urbana, patre C. Verre, & prætextato filio, & filia nupta, uxorem habens, cum ſucceſſiſſet in Sicilia C. Sacerdoti Prætori, eamq́; non ſibi ſuccedente Arria, per triennium tenuiſſet, atque in ea fuiſſet libidinoſe, auare, crudeliterq́; uerſatus, ſuccedente tandem in eadem prouincia Metello, repetundarum reus ab Siculis appellatus eſt: qui omnes, præter Syracuſanos, & Mamertinos, M. Tullium, illo tempore florentem defenſionibus amicorum, ad accuſandum deſcendere compulerunt, iam pridem illis neceſſitudine copulatũ, quòd Quæſtor in Sicilia fuiſſet Prætore Sex. Peduceo; & quòd, cum decederet in illa oratione, quam Lylibæi habuit, multa ijs benigne promiſiſſet. Acceſſit his, non ignobilis futura de Verre uictoria, quia à Metellis, Scipionibus, & multis alijs nobilibus uiris, & præcipue ab Hortenſio ipſo defenderetur, facile & principe in ſenatu propter nobilitatem, & in foro ob eloquẽtiam rege cauſarum, & eodem conſule deſignato cũ Q. Metello fratre Metellorum, alterius Prætoris Siculi, alterius Prætoris urbani. His ita conſtitutis, extitit Q. Cæcilius Niger, domo Siculus, & Quæſtor Verris, & eiuſdem, ut ipſe dicebat, inimicus, qui ſe potius accuſatorem contenderet conſtitui oportere, has afferens cauſas: unam, quòd ab eo læſus, & ob hoc iure ille ſit inimicus, quare præuaricator eſſe non poſſit: alteram, quòd, cum Quæſtor ei tum fuerit, etiam ipſe in quæſtione crimina nouerit Verris: tertiam, quòd Siculus pro Siculis agat. Huiuſcemodi propoſitionibus Cicero deſignatus Aedilis his capitibus reſpondet: accuſatorem eum eſſe oportere, qui inuitus cogitur religione officij, rogatus ab omnibus Siculis; qui pro republica agat; quem uolunt, qui accuſant; quem metuit, qui accuſatur; qui idoneus eſt facundia, & innocentia; qui hoc facit imitatione maiorum. Diuiſio principalis una de ſe ipſo, altera de contentione ſui & Cæcilij. Diuinatio dicitur hæc oratio, quia non de facto quæritur hac coniectura, ſed de futuro, quæ eſt Diuinatio, uter debeat accuſare. Alij ideo putant diuinationem dici, quòd iniurati iudices in hac cauſa ſedeãt, &, quod uelint, præſentire de utroque poſſint. Alij, quòd res agatur ſine teſtibus, & ſine tabulis; & his remotis argumenta ſola ſequitur iudices, & quaſi diuinent. Agitur autem cauſa ſenatorijs iudicijs in inuidia apud populum conſtitutis corruptione multorum, uexatis prouincijs omnibus, ac ſocijs populi Romani feſſis, toto orbe terrarum, accuſatoribus præuaricatione infamibus, flagitante plebe iudicia equeſtris ordinis, quæ ferè ante annos X uictor Sylla ſuſtulerat; cognoſcente de pecunijs repetundis M. Glabrione Prætore, & ampliſſimis quibuſque ſenatorij ordinis iudicantibus, ſumma expectatione cunctorum. Genus cauſæ honeſtum. Status, quas litat negotialis comparatiua de conſtituendo accuſatore, qui potiſſimum de duobus, aut qui ſolus accuſet. dicit enim Cæcilius, aut à ſe accuſandum eſſe Verrem, aut à ſe quoque.*

### Initium expoſitionis,

*Pagina 55. in Diuinatione, in libris apud Aldi filios impreſſis.*

I QVIS *ueſtrum iudices.] Hæc tota capite ſolœciſmi ſpecies continetur, niſi addas* ET, *aut* IDEM: *ut ſit, & ſubito nunc mutata uoluntate ad accuſandum deſcenderim: quare multi non, deſcenderim, legunt, ſed deſcendere. Eorum, qui adſunt.] Coronam populi dicit, circũ ſubſellia ſtantem. Cauſis, iudicijsq́; publicis.] Cauſæ etiam priuatæ ſunt: ſed repetundarum, ambitus, maieſtatis & cæteræ, reipublicæ cauſa conſtitutæ ſunt. Vnd & id, quod facio, probabit.] Principalis diuiſio huius cauſæ bipartita eſt, utrum rectè Cicero accuſet, & utrum Cæcilio ſit anteponendus. Siculis omnibus.] Elatorie. cum enim à duobus Quæſtoribus Sicilia regi ſoleat, uno Lilybætano, altero Syracuſano; ipſe uero Lilybætanus Quæſtor fuerit Sex. Peduceo Prætore: omnibus tamen ſe placuiſſe dixit. Cum Quæſtor.] Narrationem in exordio multi admirantur, ac reprehendunt, ſed non rectè. eſt enim argumentalis narratio ad priorem diuiſionem. In qua quæritur, an rectè Cicero ex defenſore accuſator effectus ſit. Veteribus patronis multis.] Siculi ueteres patronos habebant: in quibus Marcellus, à Marcello ortus, qui Syracuſas uictor ſeruauit incolumes: Scipiones, quorum auctor P. Scipio Africanus, Carthagine exciſa, Siciliæ ornamenta retulit ſua, quibus quondam à Pœnis uictoribus ſpoliata erat: Metelli, quorum familia proxime Siculis patrocinium præbuit, cũ fuit reus Lepidus in ea prouincia Prætor inſtantibus ad accuſandum eum Metellis duobus, Celere, & Nepote. Populati, atque uexati.] Populati auaritia, uexati libidine & crudelitate. Cuncti.] Simul omnes, quaſi coniuncti. In cauſis, iudicijsq́; publicis.] Iam hoc contra Cæcilium eſt, qui nunquam ſui periculum fecit.*

*Cauſam defenſionemq́;.] Cauſa genus eſt ad accuſationem, & defenſionem. & mire defenſionem uult eſſe, non accuſationem. Sæpe eſſe pollicitum.] In ea oratione, quam decedens Lilybæi habuit. Veniſſe tempus aiebant.] Vt Terentius: Hoc hercle factum eſt: fac, ut promiſſa appareant.*

*Se ſe iam ne deos quidem in ſuis.] Mire imitatus eſt uerba Siculorum, dolore oxymora, & inania: quaſi deos non habeãt, qui ſimulacra perdiderunt. Ex delubris.] Ex templis. etſi delubra hic aliter oſtendit Tullius, aliter cum dicit, templis atque delubris. & ſunt qui templa eſſe dicãt ſingulorum dijs attributorum locorum, delubra multarum ædium ſub uno tecto à diluuio pluuiæ munitarum. alij delubra dicunt ea templa, in quibus ſunt labra corporum abluendarum * more, Dodonæi Iouis, aut Apollinis Delphici, in quorũ delubris lebetes tripodesq́; uiſuntur. ſunt etiam, qui delubra ligna delibrata, id eſt decorticata, pro ſimulacris deorum more ueterum poſita exiſtiment, ſed male.* 55:

*Per triennium.] Expectabat Arrium, in prouincia Siciliæ ſucceſſurum Verri: qui non ſucceſſit. hinc in triennium Verris Prætura durauit. Rogare, & orare.] Rogare ut hominem, orare ut deos. iam enim, quibus id facerent, non habebant. Quos me incolumi nemini ſupplices eſſe oporteret.] Superbiſſimũ uideretur, ſi addidiſſet, alteri, ut eſſet nemini alteri. nã hoc non addidit: quaſi, nec ipſi Tullio ſupplicare debere,*

intelligatur.quàquam,cum anaphora ſit ad perſonam Siculorũ, non uidetur inuidioſe orator dicere,quæ Siculos dixiſſe commemorat. Grauiter,& acerbe.] Grauiter,quod accuſare nolebã: acerbe , quòd Siculorum iniurijs affligebar. Multorum bonorum exemplo.] Ipſe mox dicet , quo exemplo optimorum uirorum. Vetere conſuetudine.] Quia uiri robuſtiores accuſare conſueuerant,non ut nunc,adoleſcentuli. Non ex meo.] Vt Cæcilius,qui inimicitias perſequitur ſuas. 56.

In Achaia,Aſia.] In his prouincijs Legatus & proQuæſtore Dolabellæ C.Verres flagitia multa cõmiſit. Romæ denique.] In Prætura urbana. Populatæ,uexatæ.] Nõ à Verre tãtũ, ſed ab omnibus.hoc enim uult intelligi,prodeſſe uelle reipublicæ accuſationis exemplo. Socij.] Non Siculi tãtum , ſed per omnes prouincias. Accuſatores ſe idoneos non habere.] Cæciliũ tangit. Populus Ro.interea,tametſi multis incõmodis.] His enim X annis uictore Sylla ciuilibus bellis ſpoliatus eſt populus Roma.poteſtate tribunitia, iudicandi iure, quod habuit per equites Romanos, * militaris arbitrio creandorum ſacerdotum ſenatus,aut iudicum. Difficultatibus.] Propter plebem ruſticam,quæ partim agros,partim ius ciuitatis amiſit,partim omnino proſcripta eſt uictore Sylla,quòd plebs Romana de Marianis partibus fuerit.difficultatem enim paupertatẽ ſignificat.Terentius è contrario:Quàm uos facillime agitis . & ipſe alibi, In ſumma difficultate eſſe nũmaria. Iudiciorum deſiderio tribunitia p.tãs efflagitata.] Primus Sicinius Tribunus pl. nec multo poſt Quintius,& poſtremo Palicanus,perfecerunt, ut Tribunitiã p.tãtem populo darent Coſſ.Cn.Põpeius Magnus,& M Licinius Craſſus. Ordo quoque alius ad res iudicandas poſtulatur.] C.Gracchus legẽ tulerat,ut equites Romani iudicarẽt.iudicauerunt per annos X L ſine infamia. poſt uictor Sylla leges tulerat,ut ſenatorius ordo iudicaret : & iudicauit per X annos turpiter:nunc Aurelius Cotta legẽ fert,ut ſenatores, & equites Romani,ac tribuni ærarij ſimul iudicent.hoc eſt,quod Tullius dicit offenſione ſenatorij ordinis fieri.& bene addit, QVOQVE; ut ſimul iudicatur eos alios eſſe,mõſtraret. Etiã cenſoriũ nomẽ.] Regendis moribus ciuitatis Cenſores quinto quoque anno creari ſolebant.hi probroſus ciues ſic notabãt,ut,qui ſenator eſſet , eijceretur ſenatu;qui eques Romanus,equum publicũ perderet;qui plebeius,in Cæritum tabulas referretur,et ærarius fieret,ac per hoc non eſſet in albo centuriæ ſuæ,ſed ad hoc eſſet ciuis , tãtũmodo ut pro capite ſuo tributi nomine æra penderet . ijdem completo quinquẽnio urbem luſtrabant,& Solitaurilia ſacrificia, de ſue, oue,tauro,faciebant.eorum notam ſucceſſores plerunque ſoluebant.hoc igitur tam triſte ſeuerumq; nomen populus Romanus ſic oderat,ut intermiſſum eſſet per plurimos annos: quos nunc orator,propter infamiã corruptorũ iudicum , dicit plebẽ ipſam, quæ ante recuſabat,expoſcere. In hac libidine hominũ nocentiſſimorum.] Qui prædantur ſocios populi Romani. Totius ordinis.] Senatorij ſcilicet. 56.

Cognitorem iuris ſui.] Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur,ſi orator eſt; aut aduocatus,ſi aut ius ſuggerit,aut præſentiam ſuam commodat amico ; aut procurator, ſi negotium ſuſcipit; aut cognitor,ſi præſentis cauſam nouit, et ſic tuetur , ut ſuam . ergo cognitorem dixit modo , familiariſſimum defenſorem. De quo non præiudicium ,ſed planè iudicium.] Præiudicium dicitur res,quæ,cum ſtatuta fuerit,affert iudicaturis exemplum,quod ſequatur.iudicium autem res quæ,cauſam litemq; determinat.Idq; præiudicium de Verre,iã factum eſt iudicium eum ſpoliauiſſe prouinciam ; quòd Siculi, qui antea publice teſtimonium dixerant , actorem cauſæ ſuæ contra Verrem Tullium quæſiſſent. Ne nimium familiariter inimicitias.] Senſus eſt per iocum hæc ſignificans. quaſi dicat. uideto Cæcili,ne nimium amice inimicitias exerceas;hoc eſt, ne inimicũ te fingas,ut præuaricari poſſis. Deinde ſunt teſtes uiri clariſſimi.] Ordo,& ſenſus hic eſt:primum cauſam inimici tui ſubleuando non uideberis accuſator: deinde teſtimonijs conuinceris in eo,quòd negat me à Siculis eſſe delectum.

Scit is,qui eſt in conſilio,C.Marcellus:ſcit is,quem adeſſe uideo, Cn.Lentulus Marcellinus.] Et Marcellus , & Marcellinus inter ſe gentiles ſunt.quare reddidit rationem,cur iſti Siculum patroni ſunt : ſcilicet,quia à M.Marcello originem ducant,qui Syracuſas cepit,nec tamen deleuit. Veſtrum iudicium à ſuo iudicio.] Non dixit,ab ſua uoluntate;ut præſcribat iudicibus,ſequendos eſſe Siculos:quod paulo ante tentauit. Duo crimina uel maxima.] Per unam furatus eſt,Syracuſanam : per alteram furta exportauit,hoc eſt Mamertinam.ſed leuiter hoc præterit,quòd illos quoque conatur à laudatione Verris abducere. Syracuſanorum autem crimina,& Heraclij bonis, quæ cum paleſtritis partitus Verres eſt,& de Cleomenis Nauarchi flagitio, & de alijs multis rebus interpretantur. Mamertinorum,de naui quam Verri fecerunt,& quam populo R.ex fœdere non exhibuerunt,multis alijs immunitatibus contra fas remunerati &, Duo crimina,generaliter;nam multa ſunt. Vt oculis iudicare poſſitis.] Hoc quidam leuiter à Cicerone dictum & neoterice putant : ſed aptum eſt aſſeuerationi. Cur hoc mihi detrimẽto eſſe debeat.] Cur hoc me in hac cauſa debeat impedire.

Temporis,ualetudinis,facultatis.] Temporis,Marcelli iudicantis : tunc : ualetudinis,Marcellini,quòd erat tunc infirmior ualetudine corporis : facultatis,alterius Marcelli,iuris magis ſtudioſi , quàm eloquentiæ.

57.

Quàm neminem.] Ac per hoc Neminem Cæcilium ſignificat. Ciuili ferè actione priuato iure repetuntur.] Recte : hoc.n.iudicium pecuniarũ repetundarum publicum eſt. Hanc habent arcem.] Arx uel ſedes tyranni dicitur , ut ſæpe alibi ; uel editus in ciuitate & munitior ad ſalutem ciuium locus ,ut Virg. Quo res ſumma loco Panthu,quam prendimus arcem? ergo prima ſpes in muris eſt, ſecunda in arce, ſi muros hoſtis irruperit. Non modo à populo Romano.] Cur à populo Romano,ſi ſocialis eſt?quia ipſi ſocij populi Romani ſunt . Quod in unaquaque re.] Leges Hieronicas,Rupiliasq; dicit,aut regis ſui,aut Rupilij,de X Legatorũ ſententia conſtitutas. Eripuiſti,atque abſtuliſti.] Eripuiſti,quidquid auri & gemmarum: abſtuliſti,quod in unaquaque re beneficio ſenatus populiq; Romani iuris habui. Seſtertium millies ex lege repeto.] Fruſtra calumniantur Ciceronem quidam homines; & modo cum ſeſtertium millies dicunt repetere , modo quadringenties : cum primum non ſuo ore,ſed Siculorum loquatur accuſatoriæ uociferantium : deinde`, ſi maxime ad eum ſunt referenda quæ dicit,adhuc non inſtructus ſit contra Verrem, nec ad plenum nouerit cauſam.tertio,cur aut calumniatoris , aut præuaricatoris perſonam ſubeat,cum aliud agatur? non enim de condemnando Verre, ſed de conſtituendo accuſatore confligitur, poſtremo, cur id fraudi ſit Ciceroni,cum ad tempus oratorum dicta proferantur ? nam eodem modo erit contrarium præſenti actioni, quod alibi dicit,oratione uictum à ſe Cæcilium,qui idoneas cauſas ad accuſandum Verrem multas protuliſſet. Accedere, aut aſpirare.] Accedere,eſt proximum fieri : aſpirare , in eam partem,qua quid quæſitum eſt , uultum & oculos ac ſpiritum oris aduertere. Etiam ſi tacent , ſatis dicunt.] Tale illud eſt . Cum tacent,clamant . &,Victoriam ipſam uiciſſe uideris. & , Philoſophandum eſt,etiam ſi non eſt Philoſophandum.hæc in loco nec oxymora,nec cacozela iudicanda ſunt,aut enim inferioribus dictis,aut ſupra poſitis leniuntur : ut eſt illud : Vereor,ne hoc,quod dicam, perinde intelligi poſſit auditu, atque ego ipſe cogitans ſentio . & illud quod ſequitur,Verum non tacent.

58.

Ecquis unquam tam palàm de honore, tam uehementer de ſalute

ſalute ſua contendit?] Bene diſtribuit: omnis enim ſtudioſa contentio aut de honore, aut de ſalute præcipua eſt.

58.

Non enim, inquit, illud peto, quod ſoleo, cum uehementius cõtendi, impetrare.] Acriter ipſum inducit Hortenſium confiteri conſuetudinem ſuam in corrumpendis iudicijs peruagatam. & addit, uideri ſibi tantundem ſe impetraturum à iudicibus corruptis, ſi Cæcilius conſtituatur, quantum ſi planè abſoluatur Verres. & eſt ordo & ſenſus. nõ enim, inquit, illud peto, quod ſoleo impetrare à iudicibus, cum uehementius contendi. quid? hoc ſcilicet, reus ut abſoluatur: non id peto. CVM VEHEMENTIVS CONTENDI: cum pecuniam iudicibus dedi. ſignificat iudicium corrumpi. ſed quare non aperte dicit? quia ipſum Hortenſium inducit loquentem: & omnes homines facinora ſua honeſtius leuiusq; pronunciant. Quod facile eſt, quod honeſtum, quod non inuidioſum.] Scilicet ut à Cæcilio Verres accuſetur. quo facto, non damnabitur reus: &, cum hoc egerint iudices, tamen non uidebũtur eſſe corrupti, cũ tantundem fecerint. Cuius ego cauſa laboro.] Inepti ſunt homines, qui hanc clauſulam notant, ut malam: cum ſit ex Spõdeo & Bacchio de induſtria durior ad exprimẽdam ſententiam poſitam, more Ciceronis, ut alibi idem: Non tu eum patria priuare, qua caret, ſed uita uis. Te ipſum ulciſcantur] Vlciſcor & punio ſignificat, & uindico: nunc ergo, puniant, intelligemus. A pueris nobilibus.] Appio Claudio adoleſcente nobili; qui cum accuſaret Terentium Varronem repetundarum ex Aſia, uictus ab Hortenſio eſt: in quo iudicio diſcoloribus ceris ſigna ſententiarum notabantur. ſignificat & Cæſarem, item adoleſcentem in Dolabella reo ex Sicilia, qui quidem damnatus eſt, quantum oportuit per Hortenſium * gratiam. nam ſi non damnatus eſt Dolabella, quo mõdo poſtea dicit Tullius: Nemo iam Dolabella neque tui, neq; tuorum liberum, quos tu miſeros in egeſtate ac ſolitudine reliquiſti, miſereri poteſt. ſignificare põt ſanè etiam Scaurum, qui alterum Dolabellam conſularem triumphalemq; accuſauit: & potuit eidem Hortenſius reſiſtere. Si à quadruplatoribus.] Quadruplatores delatores erãt criminum publicorum: in qua re quartam partem de proſcriptorum bonis, quos detulerant, conſequebantur. Alij dicunt quadruplatores eſſe eorum reorum accuſatores, qui conuicti quadrupli damnari ſoleant, aut alea, aut pecuniæ grauioribus uſuris fœnerata, quàm pro conſuetudine; aut eiuſmodi aliorum criminum. Aliquis metus adiunctus ſit ad gratiam.] Id agit corruptor, ut gratioſus iudex non ſolum uelit ſeruare corruptori ſuo fidem, uerum etiam aliquid habeat, cur uel inuitus cogatur ad cuſtodiendam pactionem promiſſæ à ſe gratiæ. quid autem eſt, quòd metum adiungat ad gratiam? ſcilicet aut cuſtos, aut ſignum, aut aliquid eiuſmodi. Certos.] Aut ob hoc, quòd ſententiam ſuam, cur quiſq; damnaret, aut cur quiſque abſolueret, prius dixiſſet: aut ideo certos, quaſi ſequeſtres huius rei inter ſe habere dicit Hortenſius, quibus, antequam tabulas in unum omnes conijciant atque confundant, furtim oſtendant, quam quiſque ſententiam conſtituendo accuſatori contulerit. Non enim ſingulos ferre ſententiam, ſed uniuerſos conſtituere.] In diuinatione & in alijs cauſis maioribus uniuerſi iudices in ciſtam tabulas ſimul conijciebant ſuas, eaſq; inſculptas literas habentes, A abſolutionis, C condemnationis; cũ de alicuius capite agebatur, N L, ampliationis: his enim literis ſignificabant non liquere. Vult ergo corruptionis tantam ſolicitudinem circa iudices eſſe Tullius, ut hac religiõe iniecta pro ſe iudicent. ſinguli autem ſententiam de tabula pronunciabant in leuioribus cauſis, & ob id ipſum neque nota, neq; cuſtode opus fuit, cur corruptor iudicum adiungeret metum ad gratiam iudicantis. Conſtituere autem, tabulas in ciſta ponere, ſignificat magis, quàm decernere. Ceratam unicuiq; tabellã, dari, cera legitima.] Varro conſobrinus frater * huic cenſi, reus ex Aſia, apud L. Furium Prætorem primo de pecunijs repetundis, deinde apud P. Lentulum Suram eſt accuſatus, abſolutusq; eſt à Q. Hortenſio, qui corruptis iudicibus hunc metum adiunxit ad gratiam, ut diſcoloribus ceris inſignitas iudices tabellas acciperent, ut timeret unuſquiſque eorum, ne fidem pactionis non ſeruaſſe uideretur, ſi non in tabula, quam unicuique datam meminiſſet Hortenſius, ex nota ceræ ſcilicet diſcoloris, abſolutum Varronem reperiret. Non illa infami ac nefaria.] Mire ex ipſius Hortenſij perſona hoc dicitur. quæ ſæpe uirtus maxima Ciceronis in huiuſmodi allocutionibus inuenitur. Ad uiros fortes.] Quàm graue futurum erat, ſi, ad me, diceret, cum de illo ſpecialiter, nominatimq; dicat. & uiros contra pueros nobiles ponit, ſpectatos contra ſordidum quadruplatorum genus. Totam eſſe mutandam.] Amare totam dixit: quaſi ex nulla parte bonam rationem defendẽdi habeat Hortenſius. Meliore conditione ſit.] Id eſt, meliorem conditionem habeat, meliorq; ſit; quippe qui & poſſit, & debeat honeſte agere; & hoc ſit facilius, quàm corrumpere iudices.

Homines eos, quos ipſe uidit.] Bene ipſe uidit: maior enim eſt Hortenſius Tullio: adeo, ut in libris, qui de oratore ſcribuntur, etiam laudetur Hortenſius à L. Craſſo, & M. Antonio. hos ante ſe Cicero, Catonemq; ueneratur, & multos alios, quos & de Oratore, & in Oratore, & Bruto collegit. ſed Craſſum & Antonium uidit Hortenſius: alij uetuſtiores ſunt. Sine magno multorum periculo poſſe corrumpi.] Bona occaſione ſubtiliter & iudibus comminatur, & Siculis acrimoniam ſuam in accuſando demonſtrat. Suſceptam.] Suſcipitur totum: recipitur pars. ſuſcipitur, principale eſt: recipitur, quod hinc pendet. ſuſcipitur ſolum aliquid propter ſe: recipitur etiam propter aliud Vt mihi non unus improbus.] Verres.

Omnis improbitas.] Et corrupti iudices, & corruptores eorum, & ſequeſtres, & interpretes, & emiſſarij, & omne quod uitij eſt.

59.

Tute tui periculum.] ἀπὸ τῆς πείρας tentamentum dicit. hoc eſt, quando tu te ipſe tentaſti? quãdo uel exercuiſti, uel prætuliſti? Vitam alterius totam explicare.] Præſtruit ad illud quod dicturus eſt, multa eſſe crimina in Verre, quæ conſcius ſocietatis Cæcilius non audeat attingere. & hoc innocentiæ eſt, Vitam alterius totam explicare: illud eloquentiæ, Atq; ea non modo in animis iudicum &c. quod ſequitur. Sociorum ſalutem, commoda prouinciarum.] Hoc eſt cauſam patriæ ſuſcipere: ut recepiſſe ſingulorum. Rationem uitæ repoſcere.] Accuſatorem eſſe. Suæ reddere.] Defenſorem. Deinde accuſatorem firmum, uerumq; eſſe.] Firmum, ut poſſit: uerũ, ut uelit. Vt eſt hominum genus.] Amariora dicturus ad Siculorum perſonam contulit dicta. Niſi à Siculis potuiſſe cognoſci.] Aut quia Siculus ipſe eſt; aut quia, niſi fuiſſet Quæſtor in Sicilia, nihil aliud fecit Cæcilius, in quo noſceretur quid hominis eſſet. Deportate literas.] Aſportare aliquid, ut intereat: deportare, ut mutet locum.

59.

Potamonem ſcribam, & familiarem.] Hæc omnia ſigna ſunt falſi accuſatoris. Lectiſſimum adoleſcentem.] Vera laudatio. uult enim illum non ut inimicum fratris contra germanitatis officium eſſe cum Verre, ſed ideo quòd Cæcilius quoque Verri carior ſit. Queritur Sicilia tota.] Inepte quidam mirantur, cur hæc Tullius in accuſando Verre non obiecerit Cæcilio, & multa alia, & non intelligunt hæc ad tempus commode adiungi, quæ uicto Cæcilio non ſunt neceſſaria. Frumentum in cellam.] Annonas Prætoris dicit, quæ in frumẽti certo numero præbebantur ab Siculis: in quibus Verres & pecuniam pro frumento exegit, & eo pretio, ut pro duobus ſe

ſterijs duodenos in modios ſingulos exegerit, ſexies plus, quàm emebatur. Emptum eſt ex S. C. frumentum ab Siculis.] Sicilia dabat decumanum frumentum, quod ab aratoribus exigebatur ſine pretio: dabat emptum, pro quo ex S.C. pecunia ſoluebatur: dabat æſtimatum, quod decretum Prætori in cellam, hoc eſt in uſus cellæ, æſtimare ſolebat accipiens, cum interdũ pro frumento pecuniam ſumeret. Pecuniam publicam tu tractabas.] Hæc erat prima ſenatoris adminiſtratio, Quæſtorem fieri, & in prouincia curam gerere pecuniæ publicæ in uſus diuerſos erogandæ.

60.

Ne qua deductio fieret.] Modo deductio diſpendium ſignificat, aliàs deductio imminutio eſt etiam iuſta. Mancipes à ciuitatibus.] Mancipes, ſunt publicanorum principes, Romani homines: qui, quæſtus ſui cauſa ſi decumas redimunt, decumani appellantur; ſi portum, aut paſcua publica, portitores, aut pecuarij: quorum ratio ſcriptura dicitur. hi omnes exigenda à ſocijs ſuo periculo exigunt, reipublicæ repræſentant, prouidentes tamen in illa redemptione commodis ſuis. licet autem, ſi moderate fiat, æſtimare in cellam Prætori frumentum. mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licet. Quod cum faciebat.] Eſt uera defenſio, eſt & inanis; ut tamen aliquid dici uideatur. neutram harum habuit Verres, & tamen ita faciebat. mire oſtendit auaritiæ cæcitatem. Sunt alia magis occulta furta.] Inepte à quibuſdam quæritur, quæ ſint: nulla ſunt enim: ſed oratorum eſt, neque minuere laudes, uel crimina, neque oſtendere. Benigniſſime cum Quæſtore ſuo communicauit.] Iocularitèr irriſit, fures deſignãs: ut tota iſta Quæſtura ad ſocietatem furtorum ualeat, non ad accuſationem. Si tibi indicium poſtulas.] Certa ſunt, in quibus impunitas indici datur, ut in cauſa proditionis, maieſtatis, & ſi quid huiuſmodi eſt. Certæ etiam perſonæ ſunt, quæ indices fieri poſſint. itaque neque repetundarum cauſa per indices agi ſolet, neque ſenatoria perſona poteſt indicium profiteri ſolutis legibus. Index eſt autem, qui facinoris, cuius ipſe eſt conſcius, latebras indicat impunitate propoſita. eſt autem ſenſus: index potes eſſe, ſi tibi hoc licet: accuſator, de qua re agimus, eſſe non potes. Satis contumelioſe tanquam leuem hominem exagitauit Cæcilium.

Ego etiam, quæ tu ſine Verre commiſiſti.] Quæ iſta? nulla ſcilicet. hæc. n. uim comminationis, non ueritatis habent.

60.

Et qui ſis.] Non in nomine tantum, & in genere eſt, ſed in omnibus attributis perſonæ. ergo, qui ſis, & quod Siculus, continet, & quòd indoctus, & quòd non intelligeret, & quòd nullo ingenio. Putas ne te poſſe.] Proprium oratoris eſt in omni qualitate comparatiua, ſic agere, ut cum cui præferri uelit, occaſionem ſibi ſumat oſtendendi, quàm perite poſſit tractare id ipſum, de quo agitatur. ergo quia de conſtituendo accuſatore ambigitur, oſtendis Cicero qualis accuſatio eſſe debeat: ut perinde, ac dicit, uideatur acturus.

61.

Athenis, non Lilybei; Romæ, non in Sicilia.] Dicit illum græcas literas ſimul & latinas in Sicilia didiciſſe, in ea inſula, quæ neutra lingua bene utatur ita enim. Plautus in Perſa:

Dabuntur dotis inde ſexcenti tibi
Logi, atque Attici omnes nullum Siculum acceperis.

Quod mihi ab amicorum negotijs datur.] Quod licet per amicorum negotia. Ita mihi Deos uelim propitios.] Genus iuriſiurandi id eſt, quod dicimus: Tantum mihi diuinitas faueat, quantum uerum eſt illud, quod dico tibi. ſic igitur, ita mihi deos uelim propitios, ut commoueor animo, ac toto corpore perhorreſco, cum mihi illius diei uenit in mentem, quo die citato reo &c. Magnitudo iudicij.] Repetundarum. iudicium ſine dubio magnum eſt & ex perſona Verris, qui poſt Praturam de fortunis omnibus dimicat; & amplitudine iudicum: ſunt enim clariſſimis & auctoritatis contemplatione, & multarum rerum huiuſmodi. Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras.] Metum ad offenſionem inimicorum Verris retulit, cogitationem ad expectationem hominũ, laborem ad magnitudinem rerum.

61:

Iouem ego Optimum Maximum.] Hæc capita ſolent uſitata eſſe cauſidicis imperitis. quod genus uitij in primo libro Rhetoricon uulgare nominat. Incipiebant autem ueteres, ut Virgil. oſtendit, aut ab inuocatione deorum, quale eſt,

Præfatos diuos ſolio Rex infit ab alto;

aut ab reprehenſione ſuperioris temporis, ut ait Lucilius,

Vellem cum primis, fieri ſi fors potuiſſet,
* uitioſe ambo cola. & Virgilius,
Ante equidem ſumma de re ſtatuiſſe Latini
Et uellem, & fuerat melius.

Cuius ego ingenium ita laudo.] Cur hoc Tullius dicit? ſcilicet, ut terreantur Siculi laude patroni aduerſarij ſui. Factũ eſſe, nec ne.] Factum eſt, non eſt factum: calumniationes. & hoc genus argumenti complexio dicitur. quæ, ſi probabilis eſt, uincitur: ſi neceſſaria, ſolui non poteſt. Quid, cum accuſationis tuæ membra diuidere cœperis?] Hic irridet Hortenſij conſuetudinem, ut ſæpe alias. Transfigere?] Quod manifeſtum eſt. Expedire?] Definiendum. Abſoluere?] Diuidẽdum an transfigere eſt, quod aut confiteri non timeat, aut negatione excludas: expedire, quod diffinitione ſoluatur: abſoluere, quod per qualitatem licitum eſſe monſtretur? Ipſe profecto metuere incipies.] Mire deſcripſit imperitum, cui perſuaderi poſſit, uerum dicere aduerſarium ſuum. Ex illius inuidia deonerare aliqui.] Hoc plus eſt, quàm ſocium criminis reddere. Poteris ne eius orationis ſubire inuidiæ] * Quaſi latine dixit, & magno ponderi ſubire.

62.

Præſtringat aciem.] Vel à præſtigiatoribus tranſtulit uerbum, uel à tironibus, qui ignari & rudes pugnæ etiam uano armorum ſonitu terrentur præſtrictis luminibus. Plautus in Milite Glorioſo:

Vt, ubi uſus ueniat, contra conſerta manu
Oculorum præſtringas aciem in acie hoſtibus.

Magiſter ludi.] Literarij ludi magiſter. omnem enim ſcholam ludum dixere Romani. & magiſtri ludi dicuntur, qui primas literas docent. ergo libellum ueterem uult intelligi attuliſſe Cæcilium, unde magiſter dictata pueris præbere conſueuiſſet.

Cum ſubſcriptoribus exercitatis, & diſertis.] Ironia. ſubſcriptores autem dicuntur, qui adiuuare accuſatorem cauſidici ſolent: quos oportet ſummiſſius agere, quàm dicat ille, quem ſequuntur. Vt omnibus enim rebus.] Hic ratio redditur, quare dixit, Tametſi non eſt ſatis. nam ſupra ideo poſuit, Eſt aliquid hoc, ut oſtenderet, quòd ſine his nihil ſit Cæcilius. Proximum ſubſcriptorem.] Secundum ab accuſatore Cæcilio. Habet Allienum.] Cæcilius ſcilicet. Allienum autẽ uolunt intelligi proprium nomen eſſe quaſi ab Allia, ut Virgilius,

Quoſque ſecans infauſtum interuenit Allia nomen.

alij alienum non nomen proprium putant eſſe, ſed alienum, & alterius iudicij, & non ex auditorio Prætoris, maiorumq; cauſarum, ſed à ſubſellijs, hoc eſt non à tribunalibus. ſunt enim ſubſellia Tribunorum, Triumuirorum, Quæſtorũ, & huiuſcemodi minora iudicia exercentium, qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſellijs conſidebant. Hunc tamen ab ſubſellijs.] Vtrum hoc ad contemptum, an ad genus laudis pertinet? ego quaſi ad laudem. dictum accipio: ut maior irriſio ſit Cæcilij, qui nec à ſubſellijs fuerit aliquando. In clamando quidem.] Hmói homines in libris de Oratore non declamatores, ſed clamatores idem Tullius uocat. Totũ iudiciũ ſuſtinebit.] Quia tu nec partẽ iudicij ſuſtinebis. hoc eſt. n. totũ iudiciũ, & ſpes omnis. Actoribus Græcis.] Palliatarũ. ſ. fabularũ. in his. n. ẽtſi latinæ

ſunt

ſunt græca omnia ſeruantur. nã latinæ fabulæ per pauciores agebantur, perſonas, ut atellanæ, togatæ, & huiuſmodi aliæ. * An ideo auctores græcos dixit. Sæpe illum, qui eſt ſecundarũ, aut tertiarum.] Comœdia quinque actus habet, hoc eſt quinquies ducitur in ſcenam. Eſt ergo perſona primarum partium, quæ ſæpius actu regreditur; ſecundarum, & tertiarum, quæ minus minuſq; procedunt. Terentius in Phormione;

Quia, primas partes qui aget, is erit Phormio.

Quàm ille primarum.] Subaudi, partium. Multum ſubmittere.] Subaudi, uocem, uel geſtum.

62:

Quartum quẽ ſit habiturus.] Duos dixit, quo modo quartum nominat? ſcilicet ab accuſatore; cum ipſo Cæcilio numerãs proximum Apuleium. Quartum ex illo grege oratorum.] Obturbatores quoſdam ſordidoſq; cauſidicos ſignificat, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores aduocati recrearentur, & ſe denuo compararent ad dicendum. & non receſſit à translatione ſcenicorum, qui ſunt tragici & comici, dicendo quartum actorem, & gregem. Cuicunque.] Siue mihi, ſiue Cæcilio. Alieniſſimis hominibus.] Hinc apparet, etiam ſupra alienum alienũ iudicij hominem ſignificari. & ideo de alienis, quaſi exteris per iocum dicit tanquam peregrinantibus, & aduenis aliquem hoſpitio eſſe recipiendum Cæcilio. Quaſi præteriens ſatiſfaciam uniuerſis.] Sufficiet, inquit, omnibus, quod ego uel præteriens breuiter dixero, pro leuitate eorum, quibus reſpondendum eſt. oblique autem Cicero remouere conatur Cæcilium etiam à ſubſcribendi ſpe, quòd poſtea ille popoſcerat ſecundarum munus. ſed inhumaniſſimum erat dicere, ne ſubſcriptorem quidem idoneum poſſe eſſe Cæcilium. quare in ſumma ſibi ſubſcriptorẽ neceſſarium non eſſe dicit. alibi mox ait, Sed ne ſubſcribendi quidem, cum id poſtularet, facerent poteſtatem. De populo ſubſcriptor addatur?] Amare, ſubſcriptor de populo: quaſi iſti in uulgo numerandi ſint. & addatur, proprie, quaſi inuito, & ſuperbo, quòd huiuſmodi res addita dicuntur. Veſtri ordinis reos.] Reos ueſtra defenſione condignos. uel fures & ſeruos nequam, qui apud Triumuiros capitales apud columnam Meniam puniri ſolent. Ad columnam Meniam.] Menius, cum domum ſuam uenderet Catoni & Flacco Cenſoribus, ut ibi Baſilica ædificaretur, exceperat ius ſibi unius columnæ, ſuper quam tectum proijceret prouolantibus tabulatis, unde ipſe & poſteri eius ſpectare munus gladiatorum poſſent, quod etiam tum in foro dabatur. ex illo igitur columna Menia uocitata eſt. cauſæ eiuſmodi ſoliti * aderant autẽ his rebus moratores apti talibus negotijs. Cuſtodem inquit Tullio me apponite.] Subſcriptorem non dixit, ſed cuſtodem, ut, quia acerbe reſponſurus erat, laceſſitus conuitium facere uideatur. nam ſubſcriptores non ſolum chartarum cauſa, neque iuuandi accuſatoris adhiberi ſolent, ſed etiam ut non facile corrũpatur. De iſto cuſtode toto.] Hoc eſt, de omni genere ſubſcriptorum; id eſt, etiam ſi Cæcilius ſubſcriptorem ſe eſſe depoſcat. Nunquam tales uiros commiſſuros.] Facturos praue. nam committi fraus dicitur, atq; peccatum. ſum enim & fidelis, & diligens: & ideo nec cuſtode indigeo, & ſpeculatorem eſſe inter mea ſecreta non patior. Verum, ut ad te Cæcili redeam.] Recte, quia in ſubſcriptores παρέκβασιν fecerat.

63.

Sed cæteri Siculi.] Sæpe in Cæcilium utitur hoc conuitio, ut illum non Romanum, ſed Siculum dicat.

63:

Præfectus Antonij.] Quidam Antonius curator tuendæ totius oræ maritimæ, quà Romanum erat imperium, non ſolum ipſe nequam, uerum etiam comitibus peſſimis, rem inauditam inuaſit, & indicto Cretenſibus bello, male re geſta ibidem perijt, antequam Pompeius contra piratas miſſus eſt. de hoc alibi ait Tullius, Poſtquam Marci Antonij infinitum illud imperium ſenſerant. Quibus ſe in claſſe uti uelle dicebat.] Cani remigibus celeuma per ſymphoniacos ſolebat, & per aſſam uocem, id eſt ore prolatam, &, ut in Argo naui, per citharam: ſed quia hic, in claſſe, dixit, poſſumus intelligere, ad hoc ſymphoniacos capi ſolere, ut in claſſe pugnantibus claſſicum canant, unde ipſi tubæ claſſis nomen eſt poſitum claſſicum. Non Verres, ſed Q. Mutius.] Scæuolam ſignificat. huius Quæſtor Rutilius Ruffus damnatus eſt, quòd cum Prætore cõſenſerit ſuo, ut publicani aliquid agerent in prouincia ſua. quo cognito, equites Romani (nam tũ ante Syllana tempora iudicabant) damnarunt eum. hic eſt Mutius, in honorem cuius Aſiani diem feſtum Mutia nominabant.

Redit ad ſe, atque ad mores ſuos.] Nota redire ad ſe homines. Circæo poculo.] Illa enim ſues ex hominibus faciebat. Redit autem iam ad argumentum, non ad ſimilitudinem, pertinet. uult enim innuere, quod recte fecit, alienum eſſe, & breuiſſimi temporis; proprium uero, & perpetuum, quod admiſit. Hic tu læſum te à Verre dicis.] Iniuria ſemper iniuſta ſit: lædi etiã aliquis iuſte poteſt: nam & qui iure damnantur, læduntur, ſed non iniuria. & recte contra patiar, defendam, poſuit; contra cõcedam, negabo. & bene addit, negabo: potuit enim aliter atque aliter intelligi defenſio: eſt enim hic finis, quid ſit iniuria.

Quam ne in alio quidem probarent.] Qui & idoneus orator, & integer Quæſtor Verris fuiſſet.

64:

Quamobrem eum, cui Quæſtor fueris, accuſes.] Accuſes, pro eo quod eſt accuſare uelis. an apud nos modo accuſes, cum dicas ab illo tibi iniuriam factam? Itaque neque L. Philoni.] Omnia exempla ſunt Quæſtorum, qui Prætores ſuos non permiſſi ſunt accuſare. Atque ille Cn. Pompeius.] Propiora exempla & magis ſimilia, poſteriora ponenda ſunt. Strabonem autem dicit Pompeium, Cn. Pompeij patrem.

65.

Etenim cum lex ipſa.] Vide, firmamenta argumentorum quoties in oratione ſine metu faſtidij repeti ſolent. Clariſſimi noſtræ ciuitatis.] Hoc ruſum extra contentionem, quam ante cum Cæcilio habuit, de ſuo officio, quemadmodum cœperat, repetit, ne leuis uideretur ex defenſore repẽte accuſator factus.

M. Catonem illum ſapientem.] Cato hic accuſauit Ser. Galbam pro direptis Luſitanis, & P. Furium pro iiſdem, pro iniquiſſima æſtimatione frumenti.

65:

Accuſabat M. Aquilium.] Hic M. Aquilius de pecunijs repetundis accuſatus eſt. hic eſt igitur Lentuli Suræ pater, in carcere ſtrangulati propter coniurationem. L. Cottam in iudicium uocabat.] Hunc P. Africanus poſt ſecundum Conſulatum & Cenſuram dicitur accuſaſſe.

66.

Iudicijsq; corruptis, & contaminatis.] Corrupta iudicia ſunt in ijs, qui acceperunt pecuniam: contaminata in ijs, qui offenſione ordinis infamantur. Requiret.] Amiſſum ſentiet. hoc eſt enim, nihil requiret. non ſentiet ſibi deeſſe aliquid ex ijs rebus, quas nunquam habuit.

66:

Ego me dignitate ſuperatum non arbitrabor.] Ero enim defenſor, ut fui: & neceſſitatem accuſationis euadam. hoc quidem uidetur plane dicere, ſed latenter hoc ſignificat, prauo de ſe iudicio magis iudicibus hæſuram turpitudinem, quàm ſibi.

ſterijs duodenos in modios ſingulos exegerit, ſexies plus, quàm emebatur. Emptum eſt ex S. C. frumentum ab Siculis.] Sicilia dabat decumanum frumentum, quod ab aratoribus exigebatur ſine pretio: dabat emptum, pro quo ex S.C. pecunia ſoluebatur: dabat æſtimatum, quod decretum Prætori in cellam, hoc eſt in uſus cellæ, æſtimare ſolebat accipiens, cum interdũ pro frumento pecuniam ſumeret. Pecuniam publicam tu tractabas.] Hæc erat prima ſenatoris adminiſtratio, Quæſtorem fieri, & in prouincia curam gerere pecuniæ publicæ in uſus diuerſos erogandæ. 60.

Ne qua deductio fieret.] Modo deductio diſpendium ſignificas, aliàs deductio imminutio eſt etiam iuſta. Mancipes à ciuitatibus.] Mancipes, ſunt publicanorum principes, Romani homines: qui, quæſtus ſui cauſa ſi decumas redimunt, decumani appellantur; ſi portum, aut paſcua publica, portitores, aut pecuarij: quorum ratio ſcriptura dicitur. hi omnes exigenda à socijs ſuo periculo exigunt, reipublicæ repræſentant, prouidentes tamen in illa redemptione commodis ſuis. licet autem, ſi moderate fiat, æſtimare in cellam Prætori frumentum. mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licet. Quod cum faciebat.] Eſt uera defenſio, eſt & inanis; ut tamen aliquid dici uideatur. neutram harum habuit Verres, & tamen ita faciebat. mire oſtendit auaritiæ cæcitatem. Sunt alia magis occulta furta] Inepte à quibuſdam quæritur, quæ ſint: nulla ſunt enim: ſed oratorum eſt, neque minuere laudes, uel crimina, neque oſtendere. Benigniſſime cum Quæſtore ſuo communicauit.] Iocularitur triſit, fures deſignãs: ut tota iſta Quæſtura ad ſocietatem furtorum ualeat, non ad accuſationem. Si tibi indicium poſtulas.] Certa ſunt, in quibus impunitas indici datur, ut in cauſa proditionis, maieſtatis, & ſi quid huiuſmodi eſt. Certæ etiam perſonæ ſunt, quæ indices fieri poſſint. itaque neque repetundarum cauſa per indices agi ſolet, neque ſenatoria perſona poteſt indicium profiteri ſaluis legibus. Index eſt autem, qui facinoris, cuius ipſe eſt conſcius, latebras indicat impunitate propoſita. eſt autem ſenſus: index potes eſſe, ſi tibi hoc licet: accuſator, de qua re agimus, eſſe non potes. Satis contumelioſe tanquam leuem hominem exagitauit Cæcilium.

Ego etiam, quæ tu ſine Verre commiſiſti.] Quæ iſta? nulla ſcilicet. hæc. n. uim comminationis, non ueritatis habent.

60:

Et qui ſis.] Non in nomine tantum, & in genere eſt, ſed in omnibus attributis perſonæ. ergo, qui ſis, & quod Siculus, continet, & quòd indoctus, & quòd non intelligeret, & quòd nullo ingenio. Putas ne te poſſe.] Proprium oratoris eſt in omni qualitate comparatiua, ſic agere, ut eum cui præferri uelit, occaſionem ſibi ſumat oſtendendi, quàm perite poſſit tractare id ipſum, de quo agitatur. ergo quia de conſtituendo accuſatore ambigitur, oſtendit Cicero qualis accuſatio eſſe debeat: ut perinde, ac dicit, uideatur acturus.

61.

Athenis, non Lilybei; Romæ, non in Sicilia.] Dicit illum græcas literas ſimul & latinas in Sicilia didiciſſe, in ea inſula, quæ neutra lingua bene utatur ita enim. Plautus in Perſa:

Dabuntur dotis inde ſexcenti tibi
Logi, atque Attici omnes nullum Siculum acceperis.

Quod mihi ab amicorum negotijs datur.] Quod licet per amicorum negotia. Ita mihi Deos uelim propitios.] Genus iuriſiurandi id eſt, quod dicimus: Tantum mihi diuinitas faueat, quantum uerum eſt illud, quod dico tibi. ſic igitur, ita mihi deos uelim propitios, ut commoueor animo, ac toto corpore perhorreſco, cum mihi illius diei uenit in mentem, quo die citato reo &c. Magnitudo iudicij.] Repetundarum. iudicium ſine dubio magnum eſt & ex perſona Verris, qui poſt Præturam de fortunis omnibus dimicat; & amplitudine iudicum: ſunt enim clariſſimis & auctoritatis contemplatione, & multarum rerum huiuſmodi. Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras.] Metum ad offenſionem inimicorum Verris retulit, cogitationem ad expectationem hominũ, laborem ad magnitudinem rerum. 61:

Iouem ego Optimum Maximum.] Hæc capita ſolent uſitata eſſe cauſidicis imperitis quod genus uitij in primo libro Rhetoricon uulgare nominat. Incipiebant autem ueteres, ut Virgil. oſtendit, aut ab inuocatione deorum, quale eſt,

Præfatos diuos ſolio Rex infit ab alto;

aut ab reprehenſione ſuperioris temporis, ut ait Lucilius,

Vellem cum primis, fieri ſi fors potuiſſet,
* uitioſe ambo cola. & Virgilius,
Ante equidem ſumma de re ſtatuiſſe Latini
Et uellem, & fuerat melius.

Cuius ego ingenium ita laudo.] Cur hoc Tullius dicit? ſcilicet, ne terreantur Siculi laude patroni aduerſarij ſui. Factũ eſſe, nec ne.] Factum eſt, non eſt factum: calumniationes. & hoc genus argumenti complexio dicitur. quæ, ſi probabilis eſt, uincitur: ſi neceſſaria, ſolui non poteſt. Quid, cum accuſationis tuæ membra diuidere cœperis?] Hic irridet Hortenſij conſuetudinem, ut ſæpe aliàs. Transigere?] Quod manifeſtum eſt. Expedire?] Definiendum. Abſoluere?] Diuidẽdum an transigere eſt, quod aut confiteri non timeat, aut negatione excludat: expedire, quod diffinitione ſoluatur: abſoluere, quod per qualitatem licitum eſſe monſtretur? Ipſe profecto metuere incipies.] Mire deſcripſit imperitum, cui perſuaderi poſſit, uerum dicere aduerſarium ſuum. Ex illius inuidia deonerare aliqui.] Hoc plus eſt, quàm ſocium criminis reddere. Poteris ne eius orationis ſubire inuidiæ] * Quaſi latine dixit, & magno ponderi ſubire. 62.

Præſtringat aciem.] Vel à præſtigiatoribus tranſtulit uerbum, uel à tironibus, qui ignari & rudes pugnæ etiam uano armorum ſonitu terrentur præſtrictis luminibus. Plautus in Milite Glorioſo:

Vt, ubi uſus ueniat, contra conſerta manu
Oculorum præſtringat aciem in acie hoſtibus.

Magiſter ludi.] Literarij ludi magiſter. omnem enim ſcholam ludum dixere Romani. & magiſtri ludi dicuntur, qui primas literas docent. ergo libellum ueterem uult intelligi attuliſſe Cæcilium, unde magiſter dictata pueris præbere conſueuiſſet.

Cum ſubſcriptoribus exercitatis, & diſertis.] Ironia. ſubſcriptores autem dicuntur, qui adiuuare accuſatorem cauſidici ſolent: quos oportet ſummiſſius agere, quàm dicat ille, quem ſequuntur. Vt omnibus enim rebus.] Hic ratio redditur, quare dixit, Tametſi non eſt ſatis. nam ſupra ideo poſuit, Eſt aliquid hoc, ut oſtenderet, quòd ſine his nihil ſit Cæcilius. Proximum ſubſcriptorem.] Secundum ab accuſatore Cæcilio. Habet Allienum.] Cæcilius ſcilicet. Allienum autẽ uolunt intelligi proprium nomen eſſe quaſi ab Allia, ut Virgilius,

Quoſque ſecans infauſtum interuenit Allia nomen.

alij alienum non nomen proprium putant eſſe, ſed alienum, & alterius iudicij, & non ex auditorio Prætoris, maiorumq; cauſarum, ſed à ſubſellijs, hoc eſt non à tribunalibus. ſunt enim ſubſellia Tribunorum, Triumuirorum, Quæſtorũ, & huiuſcemodi minora iudicia exercentium, qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſellijs conſidebant. Hunc tamen ab ſubſellijs.] Vtrum hoc ad contemptum, an ad genus laudis pertinet? ego quaſi ad laudem. dictum accipio: ut maior irriſio ſit Cæcilij, qui nec à ſubſellijs fuerit aliquando. In clamando quidem.] Hmõi homines in libris de Oratore non declamatores, ſed clamatores idem Tullius uocat. Totũ iudiciũ ſuſtinebit.] Quia tu nec partẽ iudicij ſuſtinebis. hoc eſt. n. totũ iudiciũ, & ſpes omnis. Actoribus Græcis.] Palliatarũ. ſ. fabularũ. in his. n. etſi latinæ

ſunt

ſunt græca omnia ſeruantur. nã latinæ fabulæ per pauciores agebantur, perſonas, ut atellanæ, togatæ, & huiuſmodi aliæ. * Au ideo auctores græcos dixit. Sæpe illum, qui eſt ſecundarũ, aut tertiarum.] Comœdia quinque actus habet, hoc eſt quinquies ducitur in ſcenam. Eſt ergo perſona primarum partium, quæ ſæpius actu regreditur; ſecundarum, & tertiarum, quæ minus mi nusq; procedunt. Terentius in Phormione;

Quia, primas partes qui aget, is erit Phormio.

Quàm ille primarum.] Subaudi, partium. Multum ſubmittere.] Subaudi, uocem, uel geſtum.

62:

Quartum quẽ ſit habiturus.] Duos dixit, quo modo quartum nominat? ſcilicet ab accuſatore; cum ipſe Cæcilio numerãs proximum Apuleium. Quartum ex illo grege actorum.] Obturbatores quoſdam ſordidosq; cauſidicos ſignificat, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores aduocati recrearentur, & ſe denuo compararent ad dicendum. & non receſſit à tranſlatione ſcenicorum, qui ſunt tragici & comici, dicendo quartum actorem, & gregem. Cuicunque.] Siue mihi, ſiue Cæcilio. Alieniſſimis hominibus.] Hinc apparet, etiam ſupra alienum alieni iudicij hominem ſignificari. & ideo de alienis, quaſi exteris per iocum dicit tanquam peregrinantibus, & aduenis aliquem hoſpitio eſſe recipiendum Cæcilio. Quaſi præteriens ſatiſfaciam uniuerſis.] Sufficiet, inquit, omnibus, quod ego uel præteriens breuiter dixero, pro leuitate eorum, quibus reſpondendum eſt. oblique autem Cicero remouere conatur Cæcilium etiam à ſubſcribendi ſpe, quòd poſtea ille popoſcerat ſecundarum munus. ſed inhumaniſſimum erat dicere, ne ſubſcriptorem quidem idoneum poſſe eſſe Cæcilium. quare in ſummus ſibi ſubſcriptorẽ neceſſarium non eſſe dicit. alibi mox ait, Sed ne ſubſcribendi quidem, cum id poſtularet, facerent poteſtatem. De populo ſubſcriptore addaturi.] Amare, ſubſcriptor de populo: quaſi iſti in uulgo numerandi ſint. &, addatur, proprie, quaſi inuito, & ſuperbe, quòd huiuſmodi res additæ dicuntur. Veſtri ordinis reos.] Reos ueſtra defenſione condignos. uel fures & ſeruos nequam, qui apud Triumuiros capitales apud columnam Meniam puniri ſolent. Ad columnam Meniam.] Menius, cum domum ſuam uenderet Catoni & Flacco Cenſoribus, ut ibi Baſilica ædificaretur, exceperat ius ſibi unius columnæ, ſuper quam tectum proijceret prouolantibus tabulatis, unde ipſe & poſteri eius ſpectare munus gladiatorum poſſent, quod etiam tum in foro dabatur. ex illo igitur columna Menia uocitata eſt. cauſæ eiuſmodi ſoliti * aderant autẽ his rebus mercatores apti talibus negotijs. Cuſtodem inquit Tullio me apponite.] Subſcriptorem non dixit, ſed cuſtodem, ut, quia acerbe reſponſurus erat, laceſſitus conuitium facere uideatur. nam ſubſcriptores non ſolum chartarum cauſa, neque iuuandi accuſatoris adhiberi ſolent, ſed etiam ut non facile corrũpatur. De iſto cuſtode toto.] Hoc eſt, de omni genere ſubſcriptorum; id eſt, etiam ſi Cæcilius ſubſcriptorem ſe eſſe depoſcat. Nunquam tales uiros commiſſuros.] Facturos praue. nam committi fraus dicitur, atq; peccatum. ſum enim & fidelis, & diligens: & ideo nec cuſtode indigeo, & ſpeculatorem eſſe inter mea ſecreta non patior. Verum, ut ad te Cæcili redeam.] Recte, quia in ſubſcriptores παρένθεσιν fecerat.

63.

Sed cæteri Siculi.] Sæpe in Cæcilium utitur hoc conuitio, ut illum non Romanum, ſed Siculum dicat.

63:

Præfectus Antonij.] Quidam Antonius curator tuendæ totius oræ maritimæ, quà Romanum erat imperium, non ſolum ipſe nequam, uerum etiam comitibus peſſimis, rem inauditam inuaſit, & indicto Cretenſibus bello, male re geſta ibidem periijt, antequam Pompeius contra piratas miſſus eſt. de hoc alibi ait Tullius, Poſtquam Marci Antonij infinitum illud imperium ſenſerant. Quibus ſe in claſſe uti nolle dicebat.] Cum remigibus celeuma per ſymphoniacos ſolebat, & per aſſam uocem, id eſt ore prolatam, &, ut in Argo naui, per citharam: ſed quia hic, in claſſe, dixit, poſſumus intelligere, ad hoc ſymphoniacos capi ſolere, ut in claſſe pugnantibus claſſicum canant, unde ipſi tubæ claſſis nomen eſt poſitum claſſicum. Non Verres, ſed Q. Mutius.] Scæuolam ſignificat. huius Quæſtor Rutilius Ruffus dãnatus eſt, quòd cum Prætore cõſenſerit ſuo, ne publicani aliquid agerent in prouincia ſua. quo cognito, equites Romani (nam tũ ante Syllana tempora iudicabant) damnarunt eum. hic eſt Mutius, in honorem cuius Aſiani diem feſtum Mutia nominabant.

Redit ad ſe, atque ad mores ſuos.] Nota redire ad ſe homines. Circæo poculo.] Illa enim ſues ex hominibus faciebat. Redit autem iam ad argumentum, non ad ſimilitudinem, pertinet. uult enim innuere, quod recte fecit, alienum eſſe, & breuiſſimi temporis; proprium uero, & perpetuum, quod admiſit. Hic tu læſum te à Verre dicis.] Iniuria ſemper iniuſta ſit: lædi etiã aliquis iuſte poteſt: nam & qui iure damnantur, læduntur, ſed non iniuria. & recte contra patiar, defendam, poſuit; contra cõcedam, negabo. & bene addit, negabo: potuit enim aliter atque aliter intelligi defenſio: eſt enim hic finis, quid ſit iniuria.

Quam ne in alio quidem probarent.] Qui & idoneus orator, & integer Quæſtor Verris fuiſſet.

64:

Quamobrem eum, cui Quæſtor fueris, accuſes.] Accuſes, pro eo quod eſt accuſare uelis. an apud nos modo accuſes, cum dicas ab illo tibi iniuriam factam? Itaque neque L. Philoni.] Omnia exempla ſunt Quæſtorum, qui Prætores ſuos non permiſſi ſunt accuſare. Atque ille Cn. Pompeius.] Propiora exempla & magis ſimilia, poſteriora ponenda ſunt. Strabonem autem dicit Pompeium, Cn. Pompeij patrem.

65.

Etenim cum lex ipſa.] Vide, firmamenta argumentorum quoties in oratione ſine metu faſtidij repeti ſolent. Clariſſimi noſtræ ciuitatis.] Hoc rurſum extra contentionem, quam ante cum Cæcilio habuit, de ſuo officio, quemadmodum cœperat, repetit, ne leuis uideretur ex defenſore repẽte accuſator factus.

M. Catonem illum ſapientem.] Cato hic accuſauit Ser. Galbam pro direptis Luſitanis, & P. Furium pro iiſdem, pro iniquiſſima æſtimatione frumenti.

65:

Accuſabat M. Aquilium.] Hic M. Aquilius de pecunijs repetundis accuſatus eſt. hic eſt igitur Lentuli Suræ pater, in carcere ſtrangulari propter coniurationem. L. Cottam in iudicium uocabat.] Hunc P. Africanus poſt ſecundum Conſulatum & Cenſuram dicitur accuſaſſe.

66.

Iudicijsq; corruptis, & contaminatis.] Corrupta iudicia ſunt in ijs, qui acceperunt pecuniam: contaminata in ijs, qui offenſione ordinis infamantur. Requiret.] Amiſſum ſentiet. hoc eſt enim, nihil requiret. non ſentiet ſibi deeſſe aliquid ex ijs rebus, quas nunquam habuit.

66:

Ego me dignitate ſuperatum non arbitrabor.] Ero enim defenſor, ut fui: & neceſſitatem accuſationis euadam. hoc quidem uidetur plane dicere, ſed latenter hoc ſignificat, prauo de ſe iudicio magis iudicibus hæſuram turpitudinem, quàm ſibi.

cum ad Syllam ille tranſiret proditor partium Marianarum.

Cuius legatio.] Legatus per has prouincias Dolabellæ Proconſulis fuit, & pro Quæſtore, Malleolo mortuo. eiuſdemq; in iudicio, cum accuſaretur, proditor fuit. In inuidiã ſuis maleficijs adduxit.] Propter ſua ſcelera, inquit, tũ fecit inuidioſum reum. Oppugnauit, & prodidit.] Peius prodere, quàm oppugnare: propterea quòd, oppugnare, inimici & hoſtis officium eſt; prodere, grauius; cum ad eos, qui amici eſſe debent, referatur hoc uerbum. Cuius Prætura urbana ædium ſacrarum.] Quemadmodum hic dicit, ſic diuiſa ſunt crimina huius Præturæ urbanæ, ſcilicet iuris dicundi, ſartorumq; tectorum.

68:

Contra omniũ inſtituta.] Qui Pætores urbani ante ſe fuerunt. ſunt autem inſtituta Prætorum in decretis interponendis, dijudicandiſq; cauſis. Ita uexauit, ac perdidit.] Nimirum, uexauit, ingentis calamitatis uſum ſignificat. nam & ipſe ſupra ſic ait, Populatæ, uexatæ, funditus euerſæ prouinciæ. Virgilius,

Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
Dulichias uexaſſe rates.

Ex aratorum bonis.] Aratores frumenti decimam dare populo Romano ſolent. hos non una atque altera, ſed tribus amplis decimis per mancipes à ſe ſubornatos, id eſt publicanos, qui decumani uocantur, Verres exhauſit. Socij fideliſſimi in hoſtiũ numero exiſtimati.] Hic locus crimina cõtinet in ea oratione, quæ inſcribitur de ſupplicijs. Abſentes rei facti.] Vt Sthenius, & Heraclius. Partim regum locupletiſſimorum.] Agathoclis, aut Hieronis, Siciliæ regum. Noſtrorũ imperatorũ.] Scipionis, & Marcelli. dedit Marcellus, reddidit ex Africa Scipio.

69.

In ſtupris uero, & flagitijs.] De Cleomenis uxore dixit. Proponit inania mihi nobilitatis.] Vt Curionis, & Metellorum trium, Hortenſij, & Scipionis. hi enim Verri palàm ſuffragabãtur. Aliud quiddam diu machinetur.] Dilationem accuſationis, & corruptionem iudicij. Redemptio eſt huius iudicij facta.] Sic quidam accipiunt, quaſi hoc dicat Cicero, corrupti ſunt iſti iudices. non hoc dicit, ſed ait artifices quoſdam corrumpendorum iudicum pactos eſſe cum Verre, & redemiſſe ſemel omnem procurationem iudicij corrumpendi ſuo periculo, abſolutioniſq; præſtandæ. Ea manſit in conditione atque pacto.] Hic eſt ſenſus. de pacto, inquit, * & promiſſione iudicum. ſed poſtquam reiecti ſunt iudices, diſplicuit totum negotium redemptoribus, & reſilierunt à conditione ac pacto.

69:

Renunciata eſt tota conductio.] Renunciatio dicitur recuſatio eius rei, quæ in pactum & promiſſionem uenerat. Libelli nominum ueſtrorum. Moris erat, celebrata iudicum rejectione, & haberi in officio Prætoris, & in arca reponi nomina iudicum ſelectorum. reiectio autem idcirco dicitur, quia, cũ multi iudices in conſilio cum Prætore ſuo iudicaturi eſſent, qui quæſitor fuiſſet in publica cauſa, uerbi gratia repetundarũ, ambitus, maieſtatis; neceſſe fuerat eos primum de curia ſenatoria conſcribi, cum ſenatus iudicaret; deinde in urnam ſortito mitti, ut de pluribus neceſſarius numerus cõfici poſſet; tertio, id eſt poſt urnam, permitti accuſatori ac reo, ut ex illo numero reijciant, quos putauerint ſibi aut inimicos, aut ex aliqua re incommodos fore. ſolet autem ex moribus ac fama iudicum illorũ, quos aut reijciebant, aut retinebant, uoluntatis coniecturam facere populus, quis cauſæ ſuæ confidere, quis corrumpere iudices uellet. reiectione celebrata, in eorum locum, qui reiecti fuerant, ſubſortiebatur Prætor alios, quibus ille iudicum legitimus numerus complertur. prima enim ſortitio dicebatur. his perfectis, iurabãt in leges iudices, ne obſtricti religione iudicarent. cum iuraſſent omnes præter ipſum Prætorem, nomina eorũ liberis, ut ſupra diximus, conſignabantur, & ubique habebantur, ne pro ſelectis iudicibus, ut fit in multitudine, aliqui ſuppoſiti corruptiſſime iudicarent, itaq; & Prætoris Tribunal ut cõſiderent * iudicatur Prætori ſuo. Nulla nota, nullus color, nullæ ſordes.] Etſi hæc Cicero, quia contra Hortenſium profunt, ſæpiſſime repetat: tamen, in qua cauſa, & à quo, & quo modo hæc facta ſint, memini mus in Diuinatione narraſſe. illud factum tamẽ animaduertendum, quod, alieni ſordes non tabulis, ſed ſententijs, figurate dixit. Ex alacri, atque læto.] Alacris ſiue alacer, utrunque. n. dicitur, is qui uiget ſenſibus uniuerſis: quod eſt indiciũ erecti animi, atque ſublimis. nam è cõtrario lacer dicitur amputatis corpore ſenſuum membris, hoc eſt auribus, oculiſ'ue, quæ ad animũ ſæpe transferuntur: ut plerunque afflicto animo ſenſibus non utamur erectis. ſic alacer dicitur is, cui omnis ſenſus in loco ſuo quiſq; degat * ui ſunt & intenti, ut uultu indicent adeſſe animum non ſincerum ſenſibus ſuis. qua re cognita, illud quoq; intelligitur, aliud eſſe alacrem, aliud lætum. ſunt, qui alacrem feſtinantem & properũ dici putant, qualis alis acrem. Comitijs conſularibus.] Sunt etiam ædilitia, & Prætoria, & tribunitia comitia. Ecce autem.] Proprium hoc Ciceronis eſt in rebus improuiſis. quod cum cura Virgilius & legit, & tranſtulit; ut,

Ecce autem gemini à Tenedo.

Eadem illa uetera conſilia.] Corrumpendi iudicij. Per eoſdem.] Per ſupra dictos redemptores conductoreſq; facinoris iſtius. C Curio, quem ego.] Quæri ſolet, cur hoc de Hortenſio, aut de alijs non dicat. quia nemo ſolebat precari ueniam ueteres de eorũ compellatione nuda, quos negotium tãgeret. Curionem autem patrem dicit. Tam aperte, palamq; dixiſſet.] Aperte, ad uerba pertinet non obſcura: palàm, ad præſentium multitudinem, & qualitatem frequentis loci. Ad ipſum fornicem Fabianum.] Fornix Fabianus arcus eſt iuxta Regiã, in Sacra uia, à Fabio Cenſore cõſtructus; qui à deuictis Allobrogibus Allobrox cognominatus eſt; ibiq; ſtatua eius poſita propterea eſt.

70.

Aperte iam, ac perſpicue nulla.] Non ex ſua perſona hoc dicit Tullius: nam eſſet offenſum. Quod tota Sicilia omnes Siculi, omnes negotiatores.] ἐπεξήγησις: ut, quidquid ſubiectum eſt, intelligatur eius eſſe, quod dixit tota Sicilia. In unius poteſtate.] Hortenſij ſcilicet. Non tenebimus iudicia.] Finxit dicere, non tenebimus iudicia; mollius ſcilicet, quàm ſi populares fingeret dicentes, Auferemus à ſenatu iudicia. Iſtius perditi lætitia.] Verris. Hominis ampliſſimi gratulatio.] C. Curionis. Vt M. Metello obtigiſſet, ut is de pecunijs repetundis.] Sorte obueniebat unicuique Prætori. hic ergo M. Metellus amicus Verris ſucceſſurus Glabrioni fuerat.

70:

Fiſcos compluris.] Sportæ, ſportulæ, ſportellæ, nũmum ſunt receptacula: & ſacci, ſacculi, ſaccelli, & crumenæ & uellerea, & ſcortea, & mãtica, & marſupia. ita fiſci, fiſcinæ fiſcellæ, ſpartea ſunt utenſilia ad maioris ſummæ pecunias capiẽdas. Vnde quia maior ſumma eſt pecuniæ publicæ, quã priuatæ, ut pro cenſu priuato * ærariũ dicitur pro loculis, & arca theſauri pro ſacello fiſcus, unde fiſcus pecunia publica, & cõfiſcare dici ſolet. Illis diebus paucis, cũ Prætores deſignati ſortirẽtur.] Accuſatio cœpta eſt Nonis Auguſtis. & comitia conſularia fuerunt VI. Cal. Auguſti. nec multo poſt ſortitio Prætorum fuit, celebratis eorundem comitijs. A quodam ſenatore ad equitem R.] Horum nomina nõ nulli ponunt, inepte; quaſi certum ſit, quod dicitur, & non de induſtria fingatur à Tullio ad inuidiam aduerſariorum, & ſui defenſionem, quia cogitur nouo modo eam agere horis breuioribus, quàm mos eſt accuſatoribus: itaq; ſuſpicantur ſenatorem alij Craſſum, alij Hortenſium. Equitem Rom.] Alij neminem proferunt, alij Publium quendam, temporibus illis in diuidẽda pecunia populo famoſiſſimum. pecunia Sicilienſis eſt ex Sicilia prædationibus capta. Comitiorũ meo

rum nomine.] Vt ego Aedilitate deijcerer, quá petebá. poſt conſularia enim & prætoria comitia ædilitia ſequebátur. comitiorum autem meorum nomine, addidit, ut oſtenderet, excepta hac pecunia totam corruptioné iudicij deſtitutam eſſe. Qui ſe omnia mea cauſa debere arbitrabantur.] Locutio pro plena habetur: ſed ſi quæras, quod integrum eſt, deeſt, facere; ut ſit, omnia facere. & bene, omnia, protulit; ut hæc proditio ſecreto actæ rei propter amicitiam uideatur eſſe ſuſcepta. Diuiſores omnium tribuum.] Verum legitimos habent omnes tribus diuiſores ſuos, quos Plautus magiſtros curiarum in Aulularia uocat his uerbis,

Nam noſter, noſtræ qui eſt magiſter curiæ,
Diuidere argenti nummos dixit in uiros:

an, diuiſores, criminis nomen eſt? ſed ſi hoc eſſet, non ſibi unũ ex ijs earum eſſe dixiſſet. Cum ipſe Præturam petiſſe.] Oſtendit Verrem non gratis factum fuiſſe Prætorem urbanum; & alterum Metellum, Prætorem Siciliæ, pecunia Verris ſimiliter meruiſſe Præturam. C. Verrem Romilia.] C. Verrem nomen proprium. Romilia nomen eſt tribus, ablatiui caſus; ut ſit, ex Romilia. tribus. n. urbanæ ruſticæq; omnes XXXV numerantur: ex quibus aliquam neceſſe eſt, cuiuſque ordinis fuerit, ciuis Romanus obtineat. moris autem fuit, cum aliquis ciuis Romanus oſtendendus eſſet, ſignificaretur aut à prænomine ſuo, aut à nomine, aut à cognomine, aut à cognatione, aut à tribu in qua cenſeretur, aut à Curia, aut à cenſu, ut, ſi erat ſenator, eques'ue Romanus. ſic alibi ait, L. Claudium Palatina. Patris iſtius diſcipulum.] Tanquam diuiſorũ magiſtri. Iſtius.] Verris ſcilicet. Ex optima.] Ironia eſt. Vrgebant comitia.] Hæ ſunt res maximæ. Vrgebant comitia: inſtabat iudicium: fiſci minabantur.] Exquiſite dictum. Agere, quod ad iudicium pertinebat, libere.] Vel occupatione in petendo honore: uel quia accuſatio libertatem uel minas exigat, petitio blandimenta & preces. Minari deniq; diuiſoribus, ratio non erat.] Cur enim minarer, inquit, accuſatoribus, uel diuiſoribus, quos accuſatione Verris impeditus accuſare non poſſem, id ipſumq; illi callidi homines intelligerent? Diſtrictum, atque obligatum.] Diſtrictus poteſt & ſine uinculis in diuerſum manu dicentium ferri: obligatus etiam nodis uinculorum in loco intelligitur. plus eſt ergo obligatum eſſe, quàm diſtrictum.

71

Qui quamobrem arceſſerentur.] Bene interpoſuit hæc ad cauſam non ueniendi. nam, ſine hac ad deſignatum Conſulem Siculos non ueniſſe, contumacia uideretur. ſanè & hic, & in primo capite Verrinarum animaduertitur inconſequens locutio, ſimilisq; ſolœciſmi, ſi quidem, non ueniſſe, legeris: nam ſi, non ueniſſent, legeris, error non erit. Cæterorũ hoc anno.] Crimino ſe, ut ſupra diximus, in Hortenſium, Metellosq;. Cũ filio blando & gratioſo.] Fœminis, ac maxime meretricibus amicitiæ cõueniunt. gratia uero quæ poteſt in adoleſcẽtibus eſſe ſine infamia? gratiam enim amicorum copiam modo dicit.

Appellare.] Quaſi familiares. Et conuenire.] Quaſi de promiſſorum debito. Intellectum, & animaduerſum.] Intelligitur aliquid argumentis: animaduertitur ſenſibus præſenti animo utentibus: plerunque enim aduertimus rem aliquá oculis, aut quouis ſenſu corporis ſine animi intẽtione. ergo plus eſt animaduerſum, quàm intellectum. an, ab alijs intellectũ, ab alijs animaduerſum, intelligi poſſit? quod ſi eſt, rurſus plus erit intelligere, quàm animaduertere. Vt eius diuitiæ me.] Magna emphaſi diuitias dixit. & ſignificat breuiter, etiam ſibi præmia præuaricationis oblata, ſed fruſtra. Sed etiam Q. Metellum.] Subaudi, Conſulem. & ne error ſit in nominibus, tenere nos oportet, tres Metellos eſſe, unum Conſulem cũ Hortenſio, alterum in urbe Quæſitorem de pecunijs repetundis, tertium Siciliæ Prætorem. Dedit enim prærogatiuam ſuæ uoluntatis eiuſmodi.] Dilogia dicitur figura, cum ambiguum dictum duas res ſignificat. nam prærogatiua præter iuſtum integrumq; beneficium aut dictum, aut factum aliquid ſignificat liberalius ab eo, qui nobis bene facturus eſt. & rurſus, prærogatiuæ ſunt tribus, quæ primæ ſuffragium ferunt ante iure uocatas. mos enim fuerat, quo facilius in comitijs concordia populi firmaretur, bina omnino de iiſdẽ cádidatis comitia fieri: quorũ tribus primæ prærogatiuæ dicebantur; quòd primæ rogarẽtur, quos uellent Conſules fieri: ſecũdæ, iure uocatæ; ꝙ in his, ſequente populo, ut ſæpe contingit, prærogatiuarũ uoluntatẽ, iure omnia cóplerentur. hoc igitur dicit Cicero, uocando ad ſe Metellum Siculos, & eos minis deterrẽdo ab accuſatione Verris, propè oẽ beneficium, corruptarum à ſe tribuum Verris pecunia, perſoluiſſe. Vult enim, illum Verris pecunia Conſulem factum, intelligi. At me taciturum] Eſt hinc epitherapeuſis: ubi non emendatio dicti atrociſſimi, ſed confirmatio ponitur recte dixiſſe, cauſa ſubiecta cũ quadam acrimonia. Arceſſit alter Conſul deſignatus Siculos.] Hic eſt prærogatiua, quá Metellus Verri pro prærogatiuis reddidit. nam huius rei fuerat dilata narratio.

Promiſſum.] Quo modo, ſi comitiorum ſors atque fortuna eſt? ſed uult totum pecunia Siciliénſi, hoc eſt corruptis à Verre tribubus, eſſe confectum.

71 :

Te non fato, ut cæteros ex ueſtra familia.] Dictum facete & contumelioſe in Metellos. antiquum Næuij eſt:

Fato Metelli Romæ fiunt Conſules.

cui tunc Metellus Conſul iratus uerſu reſponderat ſenario hypercatalecto, qui & Saturnius dicitur:

Dabunt malum Metelli Næuio poetæ.

de qua parodia ſubtiliter Cicero dixit, ſe non fato, ut cæteros ex ueſtra familia. Quæſitor.] Prætor de pecunijs repetundis quæſtionem exercens nam propriè Quæſitores dicuntur criminalium quæſtionum; ut Virgilius,

Quæſitor Minos urnam mouet.

Duo igitur Cõſules.] Q. Hortenſius, Q. Metellus. Quæſitor.] M. Metellus. Nimium diligentem.] Hæc eſt artificioſa laudatio iudicis ſine ſuſpicione aſſentationis, & tamẽ efficax ad beneuolentiam. qui aũt diligentem uituperare non poterat, pro crimine addidit Nimium. Terentius. Ne quid nimis.

M. Cæſonius.] Deſignatus Aedilis cum Tullio, & ideo non iudicaturus, quia & Aedilis & iudicis partes ſuſtinere non poterat uno tempore. ut autem ſagacem integritatem eius oſtenderet, non dixit, Quod corrũpamus, ſed, conemur corrumpere; & nó Aperte & plana corruptione, ſed Aliqua, id eſt uel exigua.

Iuniano conſilio.] Iunius Quæſtor fuit in Cluentij cauſa Verre Prætore; in qua cum Oppianicus dánatus eſſet, defenſor Oppianici Tribunus pl. Quintius rem in inuidiam adduxit, cũ diceret pecuniam in iudicio fuiſſet uerſatam: & cum incertum eſſet, ex qua parte eſſet profecta, populus Romanus non credidit ab Oppianico datam, quia damnatus erat; & errore multorum in falſo crimine Cluentius fuit. hic ergo Cæſonius, damnatis alijs iudicibus, non modo innocens pronunciatus eſt, ſed etiam ex ijs fuit, qui illa crimina Staleni, & Bulbi, & Guttæ, & cæterorum iudicum detexerunt, cum Verres quoque turbatus ſubiectos iudices eſſe diceret, & interpolatos libellos ſortitionis iudicũ, quos libellos ipſe obſignauerat. Magiſtratum ineat neceſſe eſt Nonis Decembribus.] Eo die Tribunus pl. futurus. Ex acerrima equeſtri illa familia.] Nouo modo laudem ab ignobilitate quæſiuit, more ſuo laudás equites Romanos, et maxime quia, cum iudicarent, ſine infamia ſe geſſerunt. L. Caſſius cum ad cæteras res.] Inde ſunt leges Caſſiæ tabellariæ de ſuffragijs libere ferẽdis, nó uoce, ſed tabula. ille ille Caſſius, qui cognoſcendis criminalibus cauſis in primis quærendum eſſe dicebat, cui bono

Homines ueteres.] Graues, & ſeueri. & uide figurate ſingulis

gulis additam laudem ex ore aduerſarij,ueluti oſtendentis, cur ſibi iſti omnes diſpliceant. Tribuni militares. ] Tribunorũ militarium duo genera,primum eorum , qui Rufuli dicuntur. hi in exercitu creari ſolent . alij ſunt Comitiati ; qui Romæ comitijs deſignantur. Subſortiemur etiam. ] Mire oſtendit ſecuritatem rei,tanquã ipſe ſit omnia facturus.

72.

Nonæ Sextiles. ] Sextiles, Auguſtæ : Quintiles, Iuliæ:nondum enim nomina de Imperatoribus ſumpſerant : propter quã mutationem nominum Virgilius ait,

= Et incipient magni procedere menſes.

hac tota argumentatione ſignificat Cicero bis accuſare ſe non poſſe,ſi accuſandi conſuetudinem ſeruare uoluerit, non ſeruire breuitati. Ludos uotiuos. ] Hoc Pompeius uouerat, ſi Sertorium ſuperaſſet. Deinde continuo Romani ſequentur. ] Romani ludi ſub regibus inſtituti ſunt ; magniq; appellati,ꝙ magnis impenſis dati ſunt,tunc enim primum ludis impenſa ſunt ducenta millia nummum. alij ideo magnos ludos dictos putãt, quòd Conſo,cõſiliorum ſecretorum deo,id eſt Neptuno laticum regi & rerum conditarum,& dijs magnis , id eſt laribus urbis Romæ,dati ſunt : quibus aiunt raptas Sabinas eſſe. ut uideatur propter hoc dicere Virgilius,

=Magnis Circenſibus actis.

nam & Circenſes ludi ſunt. Deinde ſe ducturos. ] Dilaturos, moram facturos. Dicendo . ] Longa oratione . Excuſando. ] Cur interdum non dicant. admittebãtur enim excuſationes multæ etiam pro reo, aut occupationis alicuius , aut malæ ualetudinis. Ad ludos Victoriæ. ] Hos Sylla inſtituit bello ciuili uictor. Secundum quos plebeij ludi, ] Quos exactis regibus pro libertate plebis fecerunt,aut pro reconciliatione plebis poſt ſucceſſionẽ in Auentinum. Quã ego hominẽ. ] Metellum ſcilicet : in cuius locum ſubſortiendum iudicem,ex perſona Verris ſupra dixerat : qui Prætor futurus ſit ex Cal . Ian. qui nunc in iudicum numero eſt. Iurato ſuam. ] Cum iudex ſit Metellus,tabellam iudiciariam iuratus accipiet: cũ Prætor fuerit ; & non iurabit, quia non eſt iuris ; & in poteſtate habebit tabellas omnium iudicum. Id enim conſilij mihi profecto taciti dabitis. ] Sermocinatio iſta non decet iudicũ grauitatẽ:ideo,Taciti,dixit.ſic agit autẽ,ut oſtendat ſe nõ debere horis legitimis abuti bis ad accuſandũ Verrem , cum poſſit prima actione teſtimonijs uti tantum. Perficiam,ut nemo unquam paratior. ] Quàm ego uenerim,ſcilicet . nunc illud eſt quod poſtea dicet,in alia tempora reſeruemus,id eſt in ſecundã actionẽ. Auctoritatibus. ] Confirmationibus eloquẽtiæ ſcilicet.

72:

Ex iſtius tempore,& cauſa . ] Senſus eſt : nõ ingenij tui eſt, quòd contra me malitioſe exis:ſed hoc ita expetit tempus huius, hoc eſt periculum Verris,& mala cauſa,quam ſuſcepiſti. Secundum binos ludos. ] Poſt binos ludos,uotiuos,ac Romanos.

Ante primos ludos comperendinem. ] Id eſt,me & te dixiſſe profitens,comperendinationis iudicibus factam poteſtatem.

Aſtuta. ] Vrbana:etenim urbs ἄστυ dicitur. Terentius, An in aſtu uenis? Cupiditas. ] Corruptionem iudicũ ſignificat. In quibuſdam iudicijs. ] Terentij Varronis: ubi diſcoloribus ceris uſus eſt , & ubi,ut ſupra diximus , eluſit nobiles pueros.

73.

Aſſiduum. ] Moleſtum,additum. Ex eo loco,ex quo. ] De Roſtris ſcilicet. Hoc munus Aedilitatis. ] Alluſit ad ambiguitatem muneris,& Verris nomen beſtiæ præferentis.

Qui aut deponere &c. ] Deponitur in ſequeſtri: accipitur ab eo, qui corrumpitur:recipitur,id eſt promittitur ab eo , qui pro iudicaturo ſpondet:pollicetur,qui apud ſe dicit aut præmiũ, aut ſentẽtiæ poteſtatem eſſe. ſequeſtres ſunt,apud quos pecunia deponitur:interpretes , per quos inducitur pactio. Inter decẽ annos. ] Recte dixit.hoc enim tẽpus, quo ſenatus iudicat, uictore Sylla ab ordine equitum transferente iudicia. Annos propè quinquaginta. ] Tanto enim ferè tempore equeſter ordo iudicauit lege Sempronia. Sublata populi Romani poteſtate. ] Scilicet ſublata prouocatione ad populũ,hoc eſt à Tribunis pl. Q. Calidius dãnatus dixerit,minoris ſeſtertium tricies honeſte n.p.d. ] Q. Calidius,M.Calidij oratoris pater, ex Prætura Hiſpanienſi accuſatus à Gallio,pro quo poſtea Cicero dixit, atque damnatus,cum ſenſiſſet iudicibus pecuniam contra ſe datam,in eos iudices,qui paruo pretio corrupti ſe damnauerant , exclamauit : Vel idoneam,inquit,mercedem pro meo capite paciſci debuiſtis.hoc ſaltem honeſtatis eſſet in uocabulis, ut hominem prætorium non ulli pretio uenderetis , &,Honeſte,ironice dictum eſt . Lis æſtimata ſit. ] Hoc eſt pecunia , de qua lis fuit , & propter quam condemnatus eſt , in ſummam redacta , quæ de eius rebus exigeretur. Duæ enim pœnæ uel conſequebãtur damnationem,pecuniæ altera;in qua uel ſimpli,uel dupli, uel quadrupli ratio ducebatur:altera exilij.

73:

Qui ambo peculatus damnati ſunt. ] Quid hoc,inquiet quiſpiam,ad iudicium corruptũ pertinet ? reſpondebimus, litis æſtimationem fieri non ſolũ ex titulo propoſiti criminis,ſed etiã ex alijs probationibus,quæ ex ante actis rebus apud iudices cõſtiterint.hi,peculatus crimine propoſito, etiam quas iudicãdo pecunias ceperant , reddiderunt . Similiter ſoluitur etiam illud , quod ſupra de pecunijs repetundis poſitum eſt. Qui C.Verre Prætore urbano ſortiente. ] Sic hoc criminoſe dicit , quemadmodum ſupra,Hortenſio Prætore.& totum hoc magis inuidioſe,quàm uere,dicitur : nam ipſe Verres pro teſtimonio dixit, in Iuniano iudicio adulteratas fuiſſe tabellas ſuas, in quibus ſuppoſiti iudices eſſent ad ſententiam corruptam ferandam.

Quem incognita cauſa condemnarent. ] Cum cauſam ante non audiſſent.ſignificat autem C.Fidiculanium Falculam , qui ad complendam Oppianici damnationem dicebatur eſſe ſuppoſitus. Quòd inuentus eſt ſenator. ] Stalenum dicit ab utraque parte fuiſſe corruptũ.quod aduerſus eum recitatũ poſtea , in Cluẽtiana oratione uix purgat,ubi dicit à ſolo Oppianico ſeſtertiũ DC Caio Aelio Staleno iudici data pro numero iudicũ, qui corrũpendi eſſent. Vt diſcoloribus ſignis. ] Iam ſupra dictum eſt. Signa autem alij ceratas diuerſo colore tabulas,alij ab iudicibus appoſitas tabulis ceras diuerſi coloris aiunt , ut hoc ſignum eſſet ad uoluntatem rei ſententiæ ſcriptæ. Iuratorum hominum. ] Iudicum ſcilicet,qui in leges ante,quàm iudicarent,iurare conſueuerant. Se habere hominem potentem. ] Hortenſium uult intelligi : ſcit enim hoc nimis ualere ad minuendam eius auctoritatem. Apud M.Glabrionem . ] Prætorem præſentis anni,quiq; præeſſet huic iudicio.

74.

Neque enim ullam aliam ob cauſam populus Romanus. ] Per annos continuos tres populus Romanus illo tempore tribunitiam poteſtatem flagitabat.hoc Cicero utitur ad inuidiam iudiciorum & infamiam ſenatu iudicante. Qui Cn. Pompeio. ] In inuidia tunc Põpeius fuit,quòd Conſul redderet populo tribunitiam poteſtatem:ſed totum Tullius ad ſui temporis commodum refert,ut etiã Catuli ſententiam in ſenatu demonſtret.

74:

Cũ primũ concionem ad urbẽ Conſul deſignatus. ] Ad urbẽ, In urbe.& ſic dici ſolet de ijs,qui cum poteſtate prouinciali aut nuper è prouincia reuertiſſent,aut non dum in prouinciã profecti eſſent.Pompeius autem pro Conſule de Hiſpania,Sertorio uicto,nuper uenerat , & ſtatim habuerat concionem de reſtituenda tribunitia poteſtate,Palicano Tribuno pleb . Homines in ſpeculis ſunt . ] Scilicet equeſter ordo,& urbana plebs , & omnes,qui fauent tribunitiæ poteſtati. Obſeruant. ] Modo

ſpeculantur, aliàs uenerantur. Virgilius,

Præterea regem non ſic Aegyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes.
Obſeruant.

Poſt legem tribunitiã. ] Ex quo lex fertur de tribunitia poteſtate reſtituenda. Vnum ſenatorem uel tenuiſſimum. ] Pauperem, qui, unde iudices corrumperet, non haberet. Dolabellam autem ſignificat. Quod tametſi non reprehendunt. ] Potuit enim dici, Quid ergo? noxius ſi pauper ſit, non eſt dãnãdus? Non gratia. ] Vult amicum uideri Hortenſij Verrem, ſed tantummodo prædæ participatione ſociatum. Non cognatione. ] Hoc ad Metellũ collegam Hortenſij pertinet, qui illum, tanquam ſi ſit cognitus, defendit. Mediocri uitio. ] Vt ſi quis nimia ſeruitute patrocinium meruerit, aut aſſentatione aliqua defendi meruerit. Inueſtigare. ] Ratione. Conſequi. ] Vi. hoc totum ad terrendos à corruptione iudices dicitur.

75.

Poſt hæc conſtituta iudicia. ] Senatoria iudicia dicit, per hos X annos Syllæ legibus conſtituta. Qui iam pridem inuentus eſt. ] Verrem dicit. Quo loco ſis. ] In tribunali. Fac tibi paternæ legis Aciliæ. ] M. Acilius Glabrio legem Aciliam tulit, de pecunijs repetundis, ſeueriſſimam, ut qua ne comperendinari quidem liceret reum. Fortiſſimum patrem. ] M. Acilium Glabrionem.

75.

Sapientiſſimum auum. ] Scæuolam dicit, iuris peritiſſimum, qui cum Cn. Piſone Conſul fuit quo anno Trib. Gracchus occiſus eſt. Grauiſſimum ſocerum fuiſſe. ] Scaurum ſignificat. Scauri conſtantiam. ] Inde ſubiecit, quid ſit cõſtantia. & animaduertendum, hanc eſſe artificioſam laudationem iudicum ad beneuolentiam, quæ tamen ab aſſentationis ſuſpicione ſemota eſt. Ad ſuſpicionem criminis. ] Quòd multũ rapuit. Ad rationem ſalutis. ] Vt corruptis iudicibus reus reſeruetur. Serui deſignatorum conſulum. ] Mentionem facit illius rei, quam de Metello ſupra mõſtrauerat, quòd Siculos domum arceſſitos iam ante conterruit. Quadraginta diebus interpoſitis. ] Iis, qui ſunt per binos ludos, uotiuos, atque Romanos: quos alij bini cõſecuturi erãt, Victoriæ, atque plebeij. Cum hæc frequentia totius Italiæ Roma diſceſſerit. ] Frequentiam dicit plebis ruſticæ, cui uoluit iudicij exitu notam eſſe integritatẽ ſuam. conuenerat autem ex municipijs cuiuſcunque modi multitudo, aut propter comitia ſuffragiorum cauſa, aut ludorum uotiuorum, Romanorum, Victoriæ, plebeiorũ, aut ut cenſeretur apud Cenſores Gellium & Lentulum, qui tunc erant.

Huius iudicij, & laudis fructum, & offenſionis periculũ ueſtrum. ] Figura Zeugma: ad ſingula enim ſubaudiendum eſt, puto eſſe oportere. Faciam hoc non nouum, ſed ab ijs, qui nũc principes noſtræ ciuitatis ſunt, ante factum. ] Verum dicit. etenim L. Licinius, & item M. Licinius, ambo conſulares: Marcus uero etiã triumphalis fuit. hi, cum accuſarent L. Cottã, non uſi ſunt oratione perpetua, ſed interrogatione teſtium cauſam peregerunt. Illud à me nouum cognoſcetis. ] In eo ſe dicit noui aliquid allaturum, in quo diligentius crimen expoſiturus eſt, quàm qui ante ipſum breuiter accuſauerunt.

76.

Vt ubi id interrogando. ] Apparet ex hoc dicto, teſtes ſuos etiam ipſum accuſatorem interrogare conſueſſe. Argumentandi, dicendiq; ſit. ] Argumentari, eſt argumentis uti ad rem probandam: dicere, amplificatione uti ad rem, ad delectandum cõmouendumq; auditorẽ oratione perpetua. Si quis erit, qui perpetuã orationem. ] Vides quòd argumentis ſe uſurum non negat iam modo, quanquam perpetuã orationem ſe neget habiturum in hac actione, quæ prima eſt. Si quis erit, qui perpetuam orationẽ, accuſationemq;. ] Bene hæc ſeparauit; ut oſtenderet, etiam ſine perpetua oratione accuſationem tamen eſſe: ut res non una, ſed ut duæ ſint. Nunc id, quod facimus, ea ratione facimus. ] Inconſequens locutio, & obſcura non minus eſt, quàm illa in fine orationis pro Ligario. niſi forte, facimus, ſemel ponitur. Cũ multa libidinoſe, multa crudeliter in ciues, atque ſocijs. ] À ſpecie cœpit, & ſubiunxit genus, dicendo poſtea, In deos, atque homines. ſed non eſt uitium, quòd pro auxeſi poſitum, non pro ratiocinatione eſt. Seſtertium quadringenties. ] Diximus de hac quæſtione ſummæ uariæ. In Diuinatione enim ſeſtertiũ millies dixit. quod ſoluimus, quod adhuc non erat inſinuata criminum ratio Ciceroni: & quòd ex perſona Siciliæ loquebatur, augere uoluit ueritatem; & quoniã, ſpe dupli uel quadrupli repetitionis, quantũ uis accuſatori progredi licuit. nam quamuis ſeſtertiũ quadringenties à Verre petitum eſſet, ſeptuagies tamen dupli nomine exigi iuſſus eſt; ad gratiam ne Hortenſij, an ſuam, an etiam conniuentia Ciceronis ipſius, parum cõperimus. Dixi. ] Moris ueterum fuit, cũ ſatis uiſum eſſet fluxiſſe uerborum, hanc ſibi neceſſitatem finiẽdæ orationis imponere, ut dicerent ad ultimum, Dixi; quòd etiam, ab utraque parte oratione conſumpta, ut in conſiliũ dimitterentur, Prætor ſoleret pronunciare, Dixerunt. bene ergo Tullius denuncians aduerſarijs compendium breuitatis, hoc uerbo uſus eſt, Dixi. Non autẽ hic finitur prima actio: inducentur enim dehinc à Tullio teſtes: quorum uerba in oratione conſcribere, nullius elegantiæ fuit. multis autem diebus prima actio celebrata eſt, dum teſtes Verris producuntur criminũ diuerſorum, dum recitãtur publicæ priuatæq; literæ: quibus rebus adeo ſtupefactus Hortenſius dicitur, ut rationem defenſionis omitteret; adeo perculſus Verres, ut abiret in exilium ſua ſpõte. nec quid amplius in iudicio geſtum eſt, niſi quòd Tullius metuẽs ne tantum negotium penè tacitum præteriret, finxit Verrem comperendinationi præſto fuiſſe, ut bis defenſus accuſaretur iterũ. & quemadmodum uictoriæ conſuluerat breuitate dicendi, ita laudem eloquentiæ tãquam repetita accuſatione eſt conſecutus reliquorum conſcriptione librorum, qui cæteros cõſequuntur.

## COMMENTATIO IN III. CICERONIS ORATIONEM CONTRA C. VERREM.

### ARGVMENTVM.

D EINCEPS hæc omnia non dicta, ſed ſcripta ſunt contra eum. quod ita factum eſt. Fingit Cicero adeſſe in iudicio Verrem comperendinatum, et reſpondere citatum & defendi. In cæteris enim orationibus defenſor futurus, accuſationis officium his libris, qui Verrinarũ nomine nuncupantur, compenſare decreuit, & quoniã accuſare multos indecorum Tullio uidebatur, in una cauſa uim huius artis & eloquentiæ demõſtrare. nam & bene intelligentes omnem uirtutem oratoriam, quæcunque in criminationibus conſtituta eſt, hic expreſſam uident: & contra ex hac defenſionum uim in cæteris orationibus & neruos eius ex hac uirtute cognoſcunt, quæ in opprimendo exprimitur reo. Igitur uerum ſcena ſic facta eſt, ut dicit Tullius, nõ autem acta res eſt. ADEST, inquit, Verres, reſpondet, defenditur. ergo cum prima actione accuſatus ſit, ac defenſus Verres; nũc,

uelut

uelut defenſus iterum (ſic enim mos erat) in altera actione, accuſatur ad ultimum rurſus oratione perpetua. crimina repetundarum, & alia pleraque ex anteacta uita ſæpe firmantur. ſumitur etiam hinc ſæpe defenſio. omnis enim confirmatio ab attributis perſonæ, & negotio ſumi ſolet. ergo attributa perſonæ maxime in anteacta uita quæri ſolent: negotio, in ipſo crimine. Libros igitur pro qualitate criminũ Tullius diuidens, anteactis unũ dedit, hunc ſcilicet ſolũ; criminibus ipſis repetundarum quatuor, unũ de iure dicendo, alterũ de re frumentaria, tertiũ de ſignis, quartum de ſupplicijs. ad hanc enim ſimilitudinem poeta Virgilius Minoem iudicem apud inferos, tanquam ſi Prætor ſit rerum capitalium, Quæſitorem appellat, dat ibi ſortitionem, ubi urnã nominat: dat electionem iudicum, cum dicit, Conſiliumq; uocat: dat cognitionem facinorum, cum dicit, Vitasq; & crimina diſcit. Ergo hic liber, qui de anteacta uita eſt, ſtatum neceſſe eſt coniecturalem habeat. Capita autem quatuor ipſe Tullius fecit, diuidendo totam hanc accuſationem in ea, quæ commiſit Verres primo in Quæſtura, deinde in Legatione, tertio in Prætura urbana, poſtremo in Prætura Sicilienſi. cum autem omnes eius Actus Quæſturæ nomine, Legationis, Præturæ urbanæ, Sicilienſiſq; quadripartita librorũ diuiſione cognoſcantur: anteacta eius omnia hoc libro comprehenſa ſunt ad eorũ fidẽ, quæ poſt dicentur. Proœmia ſanè huius libri in ſimulatione conſtituta ſunt, quaſi ueræ accuſationis in Verrẽ audentem adeſſe, atque defenſum: in exhortatione iudicũ ad rectè iudicandum: tũ in minis contra aduerſarios: & in exhibenda ratione officij ſui, cur ita maluerit accuſare, ut prima actione tantũ teſtibus uteretur. quæ omnia eiuſmodi ſunt, ut non tam noua dicere, quã dicta libri ſuperioris inſtaurare uideatur. Poſt hæc omnia ipſius Ciceronis per honores Verris cum criminibus iunctos diuiſio per ordinem temporum currit.

76:

NEMINEM ueſtrum ignorare arbitror iud. ] Hoc totum figmentum eſt Ciceronis, ut ſequentium librorum uera actio uideatur. nam Verres iam ſua ſponte elegit exilium.

Reſpondet. ] Rectè dictum eſt, reſpondet. nam apud ueteres & iudices, & rei, & accuſatores, & defenſores citabantur à præcone Prætoris. Patior iudices. ] Cum dolere debuerit, reſtitit ſibi, pati ſe, & æquo animo ferre dicit, ut pugnam uictoria conſequatur.

77.

Neque enim ſalus ulla maior Reip. ] Eadẽ repetit, quæ in prima actione dicta ſunt, è Rep. eſſe damnari Verrẽ. Diligenter relectis. ] Relectos iudices pro electis intelligi conuenit. ibi enim relectio iudicum, ubi et retentio, cõtinetur. in relectione autem accuſatoris, uel fides accuſationis, uel præuaricationis perfidia, ut ſupra dixi, apparet. Et propè depoſitã. ] Deſperatæ ſalutis. ſic & Virgilius.

Ille ut depoſiti proferret facta parentis.

Poſtremo ut eſſet hoc iudicatum. ] Subauditur, acceſſi. ęnũ nouũ ad omnia, quibus hoc uerbum in hac ſententia conuenit.

Reus eſt enim nocentiſſimus. ] Terentius: Et habet, quod det: & dat nemo largius. & de perſona: Fatuus, inſulſus, tardus ſtertit. Impie, nefarieq; commiſit. ] Nefandum, eſt non fandum: nefarium, quod ſacra polluit, farre pio ſolita celebrari. ergo nefarij ſacrilegi.

77:

Agunt eum præcipitem. ] Proprium Ciceronis & in orationibus, & dialogis, & in epiſtolis ſæpius eandẽ ſententiã dicere, & uti eloquentia diuerſis modis, ijſdem ſententijs, tamen ab alia occaſione repetitis. nam & hic repetitio furoris, in qua uidetur inſaniæ Verris cauſam uelle monſtrare, eſt enim hic locus de ſupplicijs irrogatis; ubi oſtendit, ciues Romanos Verrẽ pro prædonibus occidiſſe. Religiones uero, cerimoniaeq. ] De ſignis & furtis tacet modo, quaſi minus idoneis ad furorẽ auaritiæ. Supplicio cõmuni. ] Aeſtimatione litis, & exilio.

Cui damnari expediret. ] Quia minor in damnatione pœna, quàm in concione populi Romani, & in eorum animaduerſione.

78.

Non iſtum maius in ſeſe ſcelus &c. ] Subtiliter etiam iudicibus comminatur. Non id tempus. ] Quod inuidioſum ſenatui eſt. Non is reus. ] Qui eſt nocentiſſimus. Nõ id tempus. ] Quod inuidioſum ſenatui eſt. Non id conſiliũ. ] Quod ex optimis uiris lectũ tale eſt, ut, ſi quid in ipſo culpæ fuerit, ſperari melius ex ſenatu non poſſit. Ne actor quidem. ] Tullius ſcilicet, in quo omnia ad uincendũ parata. Ad aliud iudiciũ. ] Populi ſcilicet, & equitum Romanorum. Alieno nomine. ] Quæſtores urbani ærarium curabant, eiuſq; pecunias expenſas & acceptas in tabulas publicas referre conſueuerant. alieno autem nomine dicit, Carbonis nomine, et exercitus eius: nam Cõſulis & militum eius nomine pecunias ex ærario ſumptas auertit, conuerſas ad Syllam bellis ciuilibus uel alieno nomine, ad frumenti emptionẽ, quod Siculis non perſoluit.

De capite. ] Hoc in Sicilia fecit gratioſius in decumanos, ut frumentum in auctione promiſſum ab decumanis, uſibus populi Romani cũ illi refragarẽtur à * plicito de ſumma detraxerit, minueq; eos inferre paſſus ſit annonæ populo Romano. quod illicitũ probatur multis documentis. M. Marcelli, & P. Africani monumenta. ] Signa conceſſa et reportata Siculis à M. Marcello & Scipione Africano. nam Marcellus donauit, quæ uictis Syracuſis aſportare iure belli potuerat: Africanus uicta Carthagine reportauit, quæ uictis Siculis ademerant Pœni.

Meditetur de ducibus hoſtium. ] Hic crimen de ſupplicijs eſſe cognoſcitur: in hoc enim libro hæc latius explicantur.

78:

Quos in eorum locum ſubditos. ] Captis prædonum ducibus, Verres illos quidem remiſit accepto præmio: pro illis autem mercatores innocentiſſimos partim trucidauit, partim domi ſuæ priuatim reſeruauit, quòd diceret timuiſſe ſe, ne ſibi crimini daretur, eos ipſos à ſe pecunia liberatos eſſe. Vſque dum per me licuerit. ] Quantum in ipſo fuerit. An hoc? domi ſuæ priuatus, quod eſt maieſtatis crimen, hoſtes publicos habere nõ dubitauit: ſed finẽ fecit huius audaciæ me cogente, qui inſtitit ut eius domo in publicam cuſtodiam ducerentur. Qui è me iã pridem uocat populus R. ] Se dicit, quia Aedilis eſt factus, ut defendat libertatẽ populi Romani. Qui cognitores homines. ] Hoc genus defenſionis in iure cognitor dicitur, maxime cum de alicuius ſtatu agitur. ipſe alibi, Cognitorem iuris ſui. Quinque & XXX. ] Ac per has totus populus Romanus. Principio tres fuerũt, Tatienſis una à Tatio rege, Ramnenſis altera à Romulo, Lucerεs altera à Lucumone, ſiue Lucretino, ſiue è luco, quẽ lucum Aſylum uocauerat Romulus. poſt de nominibus Sabinarum plures fuere, quibus deprecatricibus parentum bellũ maritorumq; finitum eſt. ad poſtremum XXX & V factæ. Obtinuerunt autem nomen aut à tributo dando. aut quia primo tres fuerunt, unde etiã tribuni dicti. Religionem. ] Quia iurati teſtes dicebant. Latumijs. ] Latumiæ carcer Syracuſis. Latomiæ autem Siculorũ lingua, id eſt lapicidinæ dicuntur, loca cæſis lapidibus excisa.

79.

De loco ſuperiore. ] De Roſtris, quippe qui Aedilis ſum factus. Quo in numero è nobis complures fuerunt. ] Alia enim ſortitione nunc ſedent: alia in diuinatione cõſtituendi accuſatoris fuit. Inimicitias iuſtas. ] Ad aliud argumentũ uictoriam ſuam interpretatus. ſimpliciter fatetur quod in diuinatione expugnauerat, non idoneam fuiſſe cauſam accuſandi

pulſſetis,hoc dicit : C et X dies inquirendi in Sicilia poſtulauit. conſequens erat,ut, etiam ſi quinquageſimo die rediſſem,ut rediij,ſtatim accuſarem quod ne poſſem facere,interpoſuiſtis accuſatorem quendã cuiuſdam ex Achaia rei,qui ſibi C et VIII peteret.ita factũ eſt,ut, quamuis ego feſtinato rediiſſem,ille adhuc proficiſceretur,non potuerim tamen agere,donec complerentur illo abſente C & VIII dies. Sic enim erat à Prætore legibus ordinatum,ut,intra centum & octo dies ille inquiſitor Achaicus adueniſſet,priore loco ageret. ita factum eſt, ut propè tres menſes ſine ludorum impedimento ad agendum appoſitos ſine cauſa Tullius amiſerit aduerſariorum dolo.centũ enim & octo. dies plus,quàm tres menſes, ſunt. Vecum horis noſtris. ] X X diebus ſcilicet. hi enim dabantur ad accuſandũ legitimi, totidemq́; defenſori ad reſpondendum. Ne,quẽ nemo prima Actione defendere auſus eſſet. ] Teſtes tabulæq́; facti dari ſolent, itaque ab accuſatore dantur. non facti non dantur teſtes: ergo nihil proſunt à parte defenſoris.quid ergo facit pro defenſore? oratio ſcilicet; cuius poteſtatem Hortenſius nõ habuit tacente accuſatore.non ergo defendere Verrem non auſus eſt,ſed, quia non poterat ut uolebat,in totum prætermiſit Hortenſius.

Si,quam diem qui iſtum eripiendum redemerunt. ] Fingit Tullius perueniſſe ſe ad pactionem eorum,qui in ſe ſuſceperãt procurationem corrumpendorũ iudicum, & liberandi Verris. quos ita in cauendo ſcripſiſſe dicit, pro eo ſe promittere corrupturos eſſe iudicium,ſi poſt Cal.Ian. de Verre iudicarent.

82:

In eã diem ego. ] Eſſem ſtultus,inquit,ſi,quam diẽ illi in promittẽdo elegerant,ego in accuſando non refugiſſem, præſertim cum poſſem effugere,ſi imprudens non eſſem. Nunc mihi temporis eius,quod mihi ad dicendũ datur. ] Alij fecerunt hoc dies X X, alij pauciores,alij plures. Aut ex iſto, quem ſui ſimillimum produxit. ] Reprehẽdunt homines ſtultiſſimi Tullium,quòd in filio Verris innoxiam lædat ætatem, ignorantes illum accuſatoria arte prouidere,ne in epilogis productus ab Hortenſio conciliet miſericordiã iudicum patri. Lenonum, aleatorum,perductorum. ] Lenones ſunt ſcortorũ perductores & inuitarum perſonarũ, & in quibus ſtupra exercita legibus uindicantur. Quæſtor Cn. Papirio Conſul fuiſti. ] Vno nomine Cn. Papirij Carbonis & tempus criminis ſignificauit, & crimen. legitur tamen & Conſules Obtigit tibi conſularis. ] Prouincia, ſubauditur, Diſſenſio ciuium. ] Leuiter dixit bellum ciuile grauiſſimum Syllæ cum Marianis.

83.

Quid ſentire debueris ] Cum quibus facere. Ac ſorte. ] Potuiſti enim, & debuiſti, ſi nolles,repudiare illam ſortem,aut ſuſceptam tueri. Pecunia attributa. ] Quæ in ſtipẽdium militum de ærario à tribunis ærarijs ad numerari Quæſtori ſolet. ergo Verri adnumerari intelligitur.Voluntatis aſſenſioniſq́; eorum. ] Syllanorũ ſcilicet. Compilarit. ] Pilos peruellerit; ſic fraudauerit furto, ne pilos quidem in corpore ſpoliatis reliquerit. Ad nobilitatem. ] Hoc eſt ad ſuos. totum hoc per ironiam dicitur. Accepi, inquit. ] Referri ad ærarium ratio ſolet pecuniæ publicæ à Quæſtoribus Verres igitur retulit. ſed Tullius hoc reprehendit,primo falſam hanc breuem relationem eſſe,deinde idcirco acceptam,quia proditor Carbonis fauorem ſibi apud Syllam comparauerat. nam paucis uerbis,quid acceperat,quid reliquerat, dixit. Dedi ſtipendio, frumẽto Legatis. ] Hæc omnia nomina ſunt erogationũ: quibus,aut ſtipendium militibus dediſſe ſe,dicit Verres; aut frumẽtum commiſſe in annonam exercitus; aut Legatis. & pro Quæſtori inſumptũ dediſſe: eis enim alimenta de publico dabãtur.

83:

Cohorti prætoriæ. ] Comitibus cõſularibus.Veteres enim omnem magiſtratum,cui pareret exercitus, Prætorem appellauerunt, unde & prætorium tabernaculum eius dicitur, & in caſtris porta prætoria, & hodie quoque præfectus prætorio.

Pro Quæſtore. ] Id eſt,pro officio quæſtorio. ſignificat autem Quæſtoris annonas. ſibi imputat pecunias publicas datas Verres accepi,inquit,uicies ducenta triginta quinque millia, quadringentos decem & ſeptem nummos. Reliqui Arimini ſexcenta millia. ] Hæc ſumma cum ratione cõſentit. Hoc modo aut tu Hortenſi,aut ego. ] Ambo enim Quæſtores fuerant. Quæ ne falſo quidem potuit. ] Non enim uerîſimile eſt,tantæ pecuniæ rationem duobus uerſiculis confici potuiſſe. Oppidũ ſibi elegit Ariminum. ] Hoc oppidum Albinouanus Syllæ prodiderat,dux ipſe Marianus. Recita denuo.P.Lentulo,L. Triario Quæſtoribus. ] Hoc eſt caput lectionis relatarum à Verre rationum ad ærarium totius Quæſturæ eius. Non ut honos, & dignitas. ] Pro nobilitate pugnante Sylla cõtra Marianos. hac enim de cauſa ſi tranſfugiſſe aiebat Verres, ut dignitas & ſalus nobilitati reſtitueretur. Idem feciſſes,quod anno poſt M. Piſo. ] Exemplo urget Verrem;ut oſtendat,quid facere potuiſſet,niſi furtum pararet.

84.

Beneuenti eſſe iuſſit. ] Beneuentani plerique Syllani erant.

Non modo non exiſtit. ] Emergit, exoritur, exurgit.

Malleolo occiſo. ] Oratoriè pro mortuo occiſum dixit.

Quæ in iſtum ualebant crimina. ] Apertius hoc poſtea dicturus eſt Tullius. etenim Accuſator Dolabellæ uolens iudice Verre uel contra Dolabellam, librum criminum communium Verris & Dolabellæ Verri oſtendit, & promiſit hæc ſe crimina non obiecturum, ſi ſibi Verres & cauſam omnem Dolabellæ proderet, & teſtimonium aduerſus eum diceret. quare Verres Dolabellam,cui Legatus, & pro Quæſtore fuerat, oppugnare compulſus eſt. Inimicos autem accuſatoreſq́; Dolabellæ, Cæſarẽ dicit. nam Scaurus Dolabellam alium accuſauit, nec damnare potuit. Miſer cum eſſet. ] Miſerum pro innocente Tullius ponit. ſic alibi: Et erunt,qui illum,ſi hoc fecerit,non improbũ, ſed miſerum; me non diligentiſſimum Conſulem, ſed crudeliſſimum tyrannũ exiſtimari uelint. Ex communi calamitate. ] Ex Syllanis temporibus ſcilicet: ne diceret de Sylla, clauſit, ut diceret,Sylla mihi iuſſit, Sylla hoc fecit. Circumſcripto. ] Sublato,circunducto,ac prætermiſſo. aliàs decepto ſignificat.

Poſteaquam Cn. Dolabellæ. ] ἀναφαίνεται de Dolabella. nam ſupra de eius damnatione dicebat.

85.

Eſt alius mihi locus. ] De ſignis ſcilicet.an peculatus,ſi hinc euaſerit Verres? Aeſtimatum. ] Impoſito pretio exactum,ſecundum legem repetundarum.

85:

Ita magni fluctus eijciebantur. ] Extra fines litoris exibãt.

Temporibus exactis. ] Menſibus exactis. Sacra putatur. ] Sacra mari colitur medio.elegerũt potius ſacra dicere, quàm,id quod in conſuetudine eſt,ſacrata. Vt ne Perſæ quidem,cum. ] Dario Xerxeq́; duce. Dijs hominibuſq́;. ] Quia non ſolũ hoſtes erant,utpote barbari, uerum etiam more gentis ſuæ nulla dis in terris templa condenda eſſe credebãt, præſertim cum uni Soli,quem uenerarentur, uix mundus ipſe ſufficeret. Erant ergo & ædium ſacrarum & ſimulacrorum euerſores.

86.

Equos,muneraq́;. ] Quærendum cur equos à cæteris muneribus ſeparauit.an, quia Aſiani magno pretio æſtimant equos? Quem quondam in Comitio uidiſtis. ] Licebat enim mutua hæc ſigna deportare Romam Aedilibus ad ornatum ludorũ, & rurſum ſocijs reportare.nec hoc crimen diſtulit in orationẽ, quæ eſt de ſignis: quia ſpecialiter crimen & breue eſt; nec habet, quod adijci poſſit. Iunonis Samiæ. ] Hinc Virgilius, Poſthabita coluiſſe Samo.

Non ad prætorem,ſed Romã deferri oportere. ] Atqui legimus, de Oppio & de Procilio non apud populum Romanum depoſitas eẽ querelas,ſed apud eos,ſub quibus agebãt aut Quæſturam,aut Legationẽ. Legatus autem Verres non Neronis,ſed Dolabellæ erat. Cum obſignandi gratia ueniſſem. ] Moris fuit, ut accuſator obſignaret domum, & clauſa omnia eius, quem accuſaturus erat; ne qua furtorum indicia aut in uaſis, aut in ſignis,aut in literis conſtituta, ab eo remouerentur. Ad omnes columnas. ] Locus intercolumnium dicitur. In ſilua. ] In uiridario. Sub dio. ] Id eſt,ſub cœlo.cœlũ Græci τὸν δῖα dicunt: ſed ita declinatur,hoc diũ,huius dij,huic dio, hoc diũ,ò dium,ab hoc dio. Quandiu alium Prætorem. ] Metellum ſcilicet,cum iudicibus,quos in horum locũ, quemadmodum ſupra dixit,ſubſortiturum ſe Verres eſſe credebat. Noſtris teſtibus,quàm horis tuis. ] Vſus eſt enim prima actione Cicero magis teſtibus ſuis,quam temporibus, id eſt ſibi ad dicendum lege datis.

86.

Quæſitorem. ] Legitur & Quæſtorem. ſi Quæſitorẽ, illũ ipſum Glabrionem,cuius cura eſt ut ſocijs omnia rapta reddantur. ſi Quæſtorem,eum ad quem rediguntur pecuniæ ex proſcripti bonis,& à quo ſocijs adnumerantur. Sectorẽ autẽ dicit æſtimatorem redemptoremq́; bonorum damnati,atque proſcripti; qui ſpem ſectans lucri ſui,id eſt ſecutus ſpẽ æſtimationis ſuæ,bona omnia auctione uendit,et ſemel infert pecuniam uel ærario, uel ſocijs.contra hos igitur iam pugnat Verres, inquit Tullius,ſubtrahẽs omnia ſigna,non contra me,qui illum etiam ſubtractis ſignis,teſtimonijs tamẽ poſſum cóuincere. Trierarchus. ] Naui triremi præpoſitus. Triremis ternos remorũ ordines habet.ita & biremis,& quadriremis,& deinceps dicuntur. Quem omnia intus canere dicebant. ] Cũ canũt citharistæ,utrinſq; manus funguntur officio. dextra plectro utitur: & hoc eſt foris canere. ſiniſtra digitis chordas carpit: & hoc eſt intus canere. difficile autem,quod Aſpendius citharista faciebat,ut non uteretur cantu utraque manu,ſed omnia,id eſt uniuerſalem cantionem,intus & ſiniſtra tantum manu compleċteretur. unde omnes quotquot fures erant,à Græcis Aſpendij citharistæ in prouerbio dicebantur, quòd, ut ille carminis, ita iſti furtorum occultatores erant. ualet hoc prouerbiũ & in eos, qui multũ inteſtinis ſuis commodis conſulunt præter honeſtatẽ.

Artificio ſuperaſſe. ] Vt interius poſitus eẽt,qui intus cantare conſueuerat. Pergæ fanum antiquiſſimum. ] Apparet oppidũ Pergã uocari, cuius nominatiuus caſus Perga eſt: ergo aduerbium loci Pergæ. Fanum,religioſiſſimum templum unde fata petuntur.

87.

Quid de L.Scipione? ] De quo cũ ſenatus ambigeret, utrũ idoneus eſſet, qui in Aſiam contra Antiochum mitteretur; P. Scipio Africanus,frater eius, Legatum ſe ei obtulit ad id bellũ gerendum,& uictoriam reportauit. Quid de L.Mũmio? ] Legatorũ populi Romani uiolatorũ cauſa bellum aduerſus Corinthum Græcam urbem geſſit populus Romanus, eamq́; deleuit duce Mummio.cur autẽ Græcorum triumphorũ ponit exẽpla? quia de ſignis loquitur,quorum copia apud Græcos eſt cóſtituta. Omnes erant eiuſmodi. ] Boni ſcilicet. P. Seruilius. ] Bona occaſio promerendi iudicis cum obteſtatione coniuncta.hic enim bellum in Cilicia geſſit,deq́; ea triumphauit captis Coryco,Olympo,Phaſylide,tribus magis eius terræ urbibus. Legatus quæſtorius. ] Legatum ex Quæſtore agens. Per triumphum uexit. ] Ferculis enim ſigna ante triumphantem uehi per pompam ſolebant.

87.

Ad ærarium perſcribenda. ] Hæc fuit ueterum diligẽtia, ut,quod quiſque de ſubiugata prouincia per triumphum apportauiſſet, perſcriptum in tabulis in ærario reponendis cóſeruaretur. Figuram,ſtatum. ] Status eſt circa geſtum ſitumq́; membrorum: figura circa ornatum & habitum ueſtis,inſigniũ, & armorum. Certe maior eſt. ] Non uideo, quid apportet hic ſenſus.nihil enim mirum,diligentiorem eſſe Seruilium,quã Verrem,ſi ita eſt.niſi forte,quod ait,Certe maior eſt, ſic accipiamus,quaſi dicat,Verre maior eſt: & quod ſubiunxit,argumentum,ſit uirtutis,quã uoluptatis,maiorem eſſe fructum. Dices tua quoque ſigna. ] Oratoria plaſi hanc ſibi obiecit quæſtionem, quæ genus confeſſionis in ſe habet. nam Aedili atque Prætori Hortenſio,& item Metellis,rapta ex prouincijs ſigna ad ornandum forum & Comitium commodauerat Verres. olim enim,cum in foro ludi populo darentur,ſignis ac tabulis pictis partim ab amicis,partim è Græcia commodatis utebantur ad ſcenæ ſpeciem,quia adhuc theatra non fuerant. Comitium. ] Locus propter ſenatum,quò coire equitibus, & populo Romano licet. Qui ſe iudiciorum dominos. ] Hortenſiũ,cæteroſq́; nobiles. Ex Aſia,atque Achaia. ] Vnde fuerant iſta ſigna per furtum ſublata. Ab ſocijs per ſcelus ablata, ereptaq́;. ] Nam ſolebant magiſtratibus commodare reddenda.

88.

Habeo & ipſius,& patris eius accepti tabulas. ] Id eſt, acceptarum pecuniarum. legitur & ab eo,& Accepi. moris autem fuit,unumquenque domeſticam rationem ſibi totius uitæ ſuæ per dies ſingulos ſcribere,quo appareret quid quiſq; de redditibus ſuis,quid de arte,fœnore,lucroue ſepoſuiſſet quoq; die, & quid item ſumptus damni'ue feciſſet. ſed poſtquam obſignãdis literis reorum ex ſuis quiſque tabulis damnari cœpit, ad noſtram memoriam tota hæc uetus conſuetudo ceſſauit. dicit igitur Tullius habere ſe & patris eius tabulas,quoad uixit; et ipſius Verris,quoad cóſeciſſet dixit. ex quibus proditur,ꝙ multæ tabulæ pictæ,quoe ſigna apud eum nulla emptionis origine furto capta naſcantur. remoraturq́; in eo, quòd ſe dicat Verres non ex aliquo tempore cœpiſſe literas domeſticæ rationis facere,ſed ex aliquo tempore deſtitiſſe: quod factum nullo exemplo defendi poteſt. Quoniam quidem cum imperio ac ſecuribus. ] εἰρωνεία μετὰ συγχωρήσεως. Cum imperio ac ſecuribus, bene: quia non licet negotiari magiſtratibus,ſed priuatis.

De Antonio. ] Hic eſt M. Antonius diſſolutiſſimus curator totius oræ maritimæ,Cretæ mortuus: de quo ipſe dicet,Poſtquam M.Antonij infinitum illud imperiũ ſenſerant: & quem Saluſtius ait perdũdæ pecuniæ genitũ,et uacuũ à curis niſi inſtãtibus.

Eſt aliqua etiam huiuſce rei ratio. ] Vel mala, uel bona.dicit ergo;etſi non bonam, apparet tamen eſſe aliquam rationẽ. Aut ipſe hoc dicit.bona ratio nunquam ſcribendi,iudicium perſeuerans de tabulis non conficiendis: aliquando cœpiſſe, correctio erroris in melius: deſtitiſſe cum cœperis, mala ratio: eſt enim inconſtantia,& mutatio quædam in deterius. Vſque ad M. Terentium,& C. Caſſium Coſ. ] Ab horum Conſulatu uidetur tabulas Verres rationum ſuarum deſtitiſſe conſignare: quamuis à præſenti tempore non longe abeſt. Alio loco, cuiuſmodi ſit,cóſiderabimus. ] Scilicet ad tegenda furta pertinet iſta prætermiſſio rationum,ne conſcriptis ijs,quæ ante habuit,& ijs,quæ nunc habet,extraordinaria rerum poſſeſſio cerneretur. Atque utinam neges. ] Cum enim confiteris, etſi improbe,uideris tamen aliquid dicere, cum dicis, emi,non rapui. ſi autem negaueris; & conuinceris,& huiuſmodi defenſione nudaberis. Impluuium. ] Locus ſine tecto in ædibus, quo impluere imber in domum poſſit. Quæ ſectorem expectant. ] Repetundarũ cauſa ita ſe habet,ut,ſi conuictus reus ſit,atque damnatus,pecuniam reddat æſtimata lite, hoc eſt in pretium redactis omnium furtis: quam ſummam pecuniæ proſcriptis eius bonis ſectores curabãt. Sectores autẽ dicti ſunt, qui ſpem lucri ſui ſecuti,bona condemnatorum ſemel auctionabantur,proq́; ijs pecunias penſitabant ſingulis: ac poſtea pro compendio ſuo ſingulas quaſque res pecunia populo uenditabant.

*ſola ergo hæc duo ſigna dicit apud Verrem relicta, aſportatis ad amicos cæteris ſignis.* Vt credo. ] *Tranſitus ad aliam criminum ſpeciem. non enim hæc, quæ ante acta ſunt, ſic dicit, tanquam Sicilienſia crimina, propria huius cognitionis; quæ per ſingulos libros conſtat eſſe diuiſa, ut de iure dicundo, de frumentaria, de ſignis, de ſupplicijs.* Ad ſummũ Græcorũ otium. ] *Dixit hoc ſecundum illam ſententiam de Græcis habitam, quos otioſos & leues eſſe conſenſum eſt.* Cum iſte à Cn. Dolabella efflagitaſſet. ] *Ergo non è republica ire coactus eſt; ſed, ut mitteretur, ambitione perfecit.* Nicomedes *autem Bithyniæ rex eſt, Sadala Thraciæ, ambo ſocij populi Romani.* Ianitorẽ quendam. ] *Ianitorem cum dixiſſet, addidit Quendam, ut oſtenderet non appellatiuum nomen eſſe, ſed proprium.* Videãt. ] *Si in promptu res eſt.* Inueſtigent. ] *Quam non uideant. & ideo poſterius poſitum.* Homo factus ad iſtius libidines. ] *In naſcendo fors eſt, in faciendo induſtria. bene ergo non natũ ſed factum dixit. non enim naturam perductores procreare Verri, ſed ipſum ſibi docendo poſt pos fingere.*

89.

Cum ſuæ partes eſſent. ] *Id eſt, uiciſſitudo tangeret. ſimul enim oſtendere uult, nec ſuſcipiendum ſibi eſſe nunc hoſpitem; &, cum ſuſcipiat, condignum ſolere ſuſcipere.* Vna cupiditate. ] *Vna uel præcipua: uere Vna, extra quam non iure, non more, non honeſtate moueretur.* Ius ſuum. ] *Ne Rubrium pateretur.* Laborabat. ] *Bene, quia inuitus ſuſceperat hoſpitem ſe indignum.*

89.

Quid opus eſſet. ] *Vt mulieri ſcilicet uis afferretur.* Græco more biberetur. ] *Grandibus, inquiunt, poculis, & meracis potionibus, qui non intelligunt dicta Ciceronis: & hoc putant græco more potare. Eſt autem græcus mos (ut Græci dicunt) συμπῶν κυαθιζομένους, cum merum cyathis libant, ſalutantes primo deos, deinde amicos ſuos nominatim. nam toties merum bibũt, quoties & deos & caros ſuos nominatim uocant.* Poſcunt maioribus. ] *Sunt, qui producta ſcilicet O litera poſcunt legunt, quaſi ſæpe potent. ſed poſcunt prouocant intelligendum eſt: ut ſit ſenſus: prouocant ſe inuicem. maioribus autem poculis poſcunt, id eſt petunt: ut ſubaudiatur bibere.*

90.

Quærunt, quid optimum factu ſit. ] *Adeo non græca leuitate res geſtæ ſunt, ſed agitato conſilio defenſa libertas.* Leuius eorum peccatum. ] *Magna ui oratoria, etiam parcere peccatum dicebant, inquit, quia Verri parcebatur; ſed tamen leue, quia Legato.* Sic iſte multo ſceleratior, & nequior, quã ille Adrianus. ] *Cinnanis temporibus cum C. Fabius Adrianus, ut alij aiunt, Legatus, ut alij putãt, pro Prætore, uel Prætor, prouinciã obtineret Africam, Vticæ in prætorio ſuo uiuus uſtus eſt, quòd corrupto ſeruitio ciuitatis illius de principum nece conſpiraſſe dicitur. ſed opportune Tullius cauſam tacet illatæ necis in Adriano, & inultam mortem eius oſtendit: quem dicit oratorie non in prætorio, ſed domi ſuæ uiuum crematum. &, Ille, ſic dixit, ut de notiſſimo uideretur loqui.*

90.

Accenſus Neroni. ] *Accenſus nomẽ eſt ordinis, et promotionis in militia; ut nunc dicitur, princeps, uel commentarienſis, aut cornicularius. hæc enim nomina de legionaria militia ſumpta ſunt.* Interpellauit. ] *Interpellare eſt mediã alterius orationẽ interrumpere, uel actioni ſe alterius interponere. Apparet ergo, Hortenſium, quamuis diu multumq; tacuerit, Tertiũ in medio teſtimonio perſtrinxiſſe, quòd diceret Philodamũ adeo malam cãm habuiſſe, ut à C. Nerone damnatus ſit.* Putaſſe non oportere. ] *Reprehẽſio iudicati ab ea parte, qua cauſæ deriuatio facit, ne nobis iudicata obſint. nõ enim cauſam Verris releuatam eſſe, ſed illos damnatos, quòd, quoquo modo, occiſum hominem eſſe conſtaret.*

91.

Pertimuit iſte. ] *Mire orator, non Verrem uindicare mortem Philodami, ſed crimen ſuum releuare potuiſſe: quorum alterum iniuriam paſſi eſt, alterum male ſibi conſcij.* Contendit ab eo. ] *Extorſit.* Togati creditores Græcorum. ] *Noluit dicere equites Romanos; ſed Togatos dixit, & Creditores Græcorum, ut oſtenderet cauſas gratificationis in Verrem.* Accuſator apponitur. ] *Non dicit accedit, ſed à Verre ſcilicet ſubornatur.* Et ex creditoribus Lampſacenorum ] *Et hic cauſa gratiæ in perſona oſtenditur accuſantis.* Et de Philodamo amplius pronũciaretur. ] *Mos ueterum hic fuerat, ut, ſi abſoluendus quis eſſet, ſtatim abſolueretur: ſi damnandus, ſtatim damnaretur: ſi cauſa non eſſet idonea ad damnationem, abſolui tamen non poſſet, amplius pronunciaretur.* Quid ego nunc in altera actione. ] *Hic apparet, etiam in ampliatione ſic alteram dici, quemadmodum in comperendinatione.* Cn. Dolabellæ ſpiritus? ] *Plus ſignificauit dicendo ſpiritus, quàm ſi animoſitatem contentionem ue diceret.*

91.

Perpaucis ſententijs. ] *Per nimium. paucis ſententijs autem eum dixit damnatũ, ut oſtenderet uix paucos inuẽtos, qui, ad opprimendũ eum, numerum dãnationis implerent poſt ampliationem.* Idcirco ne exercitum, atque hoſtẽ relinquebat? ] *Recte dixit: bellum à Dolabella gerebatur in Cilicia.*

92.

Sed etiam ſpoliatum auxilijs. ] *Auxilijs pro auxilio, Quæſtoris ſcilicet. aut Auxilijs ipſius pecuniæ, quæ auertebatur. ſic Virgilius:*

*Auxiliumq; uiæ ueteres tellure recludit.*
*Theſauros.*

Ad inimicos tuos. ] *Accuſatores ſcilicet cauſarum.* Niſi damnato. ] *Non poſſet enim rationes falſas ad ærarium referre Verres, niſi damnato Dolabella, qui redarguere mentientem præſens ualeret.* Teſtimonium tuum, quod apud Neronem dixiſti. ] *Contra Philodamum.* Bellum ne populo R. ] *Sic enim ad Neronem ſcripſerat Verres.* Niſi publice ſatisfactum ſit. ] *Niſi decreto publico traditi ad pœnam ſint culpe auctores. ſatisfacere eſt enim, tantum facere, quantum ſatis ſit irato ad uindictam.* Ei ciuitati bellũ indici. ] *Vt Corinthijs, ut Tarentinis.* Lictorem tuum. ] *Cornelium ſcilicet.* Legitimum tempus ad ulciſcendum. ] *An uitio magiſtratus? accepto enim ſucceſſore ad magiſtratum accuſari poſſunt.*

93.

Et ais, iudicium eſſe factum. ] *Locus reprehenſionis contra iudicatum; ne proſit Verri, Philodamum eſſe damnatum.* In alios tranſtuliſſe. ] *Non in Philodamum.* Neque in eos, tu inſimularis. ] *Dixeris, uel accuſaris. ſenſus hic eſt. & alios, inquit, non Philodamum, accuſaſti: & ij ipſi, quos accuſaſti, damnati non ſunt.* Vbi hos perſequeris? ] *Subauditur, nuſquam, ἐν ὑπονοίᾳ:*

93.

Ab accuſatore interrogatus. ] *Verres ſcilicet, productus in cauſa Philodami, & interrogatus, loqui.n. niſi interrogato, teſti non licebat. interrogatur autem & ab eo, contra quem productus.* Cur imminuiſti ius legationis? ] *Qui poteſtatẽ ſuã in adminiſtrando non defenderit, imminuti magiſtratus, uelut maieſtatis læſæ, reus eſt.* Quòd Epheſi. ] *Epheſus ciuitas, in qua Dianæ numen peculiariter colitur.* Sed etiam inter hoſtium tela. ] *Inuidioſe orator hoc addidit, cum de magiſtratu dicat, non Legato. nam Legatorum, in fœderibus faciundis, uel legibus pacis belliq; dicẽdis, ſancta corpora iure gentium atque inuiolata ſeruantur.*

94.

De ſua claſſe. ] *Habent enim Mileſij præſidiariã claſſem, ex fœdere præbendã populo Romano maritimis neceſſitatibus. Myoparo nauigij nomen eſt.* L. Magio, & L. Phannio. ]

Hi tranſfugæ facti à Mariano exercitu apud Mithridatem agẽtes, ab eodem Rege ad Sertorium miſſi erant de paciſcenda ſocietate belli aduerſus Romanos: quos in Italia iam poſitos, et ad Sertorium feſtinantes, & hoſtes iudicauerat, et inquirendos mãdauerat ſenatus. hi tamen ad ultimum ad Romanos, prodito ex magna parte Mithridate, redierunt. Vſque à dianio ad Sinopem. ] Dianium Hiſpaniæ maritima ciuitas, Sinope Põti eſt, ubi Rex Mithridates erat. Renũciationemq; eius. ] Quia renunciauerat, nauem à Verre L. Magio uenditam fuiſſe.

94.

Non ſolum illud perſcribunt, quod tum prohibiti ſunt, ſed etiam cauſam adſcribunt. ] Hoc eſt, non ſolum prohibitos ſe ſcribunt, ſed cur ſe magiſtratus ipſe prohibere curauerit, ne, cũ oporteret, in literas publicas referrent quod geſtum eſſet. Qui tametſi Februarium menſem. ] Hic eſt menſis, quo frequens ſenatus poſtulatis prouinciarum legationibus audiendis datur.

Et Conſulum deſignatorum nomen expectent. ] Et, Extimeſcunt, legitur. nam utroque uerbo idem ſignificatur. Hortẽſij autẽ & Metelli opibus dicit Legatos Mileſios poſſe terreri, ne de myoparone dicant; præſertim cum ad beneficia petenda uenturi ſint Februario menſe; & in manu ſit Conſulum, quãdo, & quemadmodum referant ad Senatum. & bene Nomen Conſulum dixit, ut potẽtiam demonſtraret eorum, quorũ etiam nomẽ formidinẽ efficit. Religioni adducti. ] Quia iurati teſtes produci ſolent; non ſolum, ne falſa dicant; uerum etiam, ne, quæ uera ſunt, taceant. Legum domeſticarum metu. ] Patriæ ſuæ legum, quibus coguntur de incõmodis patriæ nõ tacere. C. Malleolo Quæſtore Cn. Dolabellæ occiſo. ] Suſpicioſo uerbo uſus eſt. nam non iuſſit, ut probet à Verre occiſum eſſe: ſed ita uult uideri, quia Verri mors eius lucro fuit. Alterã tutelæ. ] Filij Malleoli tutor factus eſt Verres.

95.

Syngraphas fecerat. ] Inter ſyngraphas & cætera chirographa hoc intereſt, quòd in cæteris tantum, quæ geſta ſunt, ſcribi ſolent, in ſyngraphis etiam contra fidem ueritatis pactio uenit, &, non numerata quoque pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria uoluntate hominum ſcribi ſolent more inſtitutoq; Græcorum, & cæteræ tabulæ ab una parte ſeruari ſolent, ſyngraphæ ſignatæ utriſque manu, utrique parti ſeruandæ tradũtur. Extrema cera. ] Vltima tabula; ultima parte tabulæ. Expenſa Chryſogono ſeruo. ] Quæritur, cuius ſeruo. Verris ſcilicet, nõ Malleoli. Quadrarint. ] Solida facta ſint; ut neque plus quidquam, neque minus inueniatur in ſumma. ubi enim ratio ſine fraude eſt, difficile eſt ſexcenta, detractis quadringentis, quadrare, et ſolidari, uel ſolida fieri, quin aut minus, aut plus aliquid reperiatur. Nomen infimum. ] Vltimum titulum. Infimum autem, ut appareat falſum eſſe. Vt illa de Cn. Carbonis pecunia. ] Et ibi enim, ſexcenta ſuperfuiſſe, mentitus eſt.

95.

Commune Milîadum. ] Mire, Commune, rempublicam. Frumento imperãdo, æſtimando. ] Licebat enim magiſtratibus in uſus ſuos frumentum accipere, ſi uellent, aut pro frumento pretium: quæ æſtimatio dicebatur: in qua re auariſſimi quique infinitam pecuniã contrahebant, iniquum pretium ſocijs imperando. Coria, cilicia, ſaccos. ] Cilicia texta de pilis in caſtrorum uſum atque nautarum. Dolabellæ æſtimatam. ] ſub quo hæc Quæſtor Verres admiſit. Conſiſtam in uno nomine. ] Perſeuerabo, inquit, in eodẽ titulo quæſtorij criminis.

99.

Ex eodem genere. ] Furtorum ſcilicet Verris. In ſua poteſtate ac dictione tenuit. ] Obnoxium criminum conſcientia, et ſocietate cũ reo Dolabella, cui pro Quæſtore fuerat, et Legatus. Homo adoleſcens. ] Quia cupidius accuſauit, quàm grauiorem uirum decebat: ſed excuſatur ætate. Eorum omnium uoluntatem repudiaui. ] Quia nõ, ut Scaurus, adoleſcens accuſo. Non accuſatorem maxime laudari uolo. ] Accuſatorium nomen in totum uiro bono fugiendum eſt. uel dicit, ſe uelle non ſatis accuſatorem uideri. tale eſt illud Terentianum,

Eia, ne parum leno ſies.

Rationes ad ærarium. ] Quia redargui potuit earũ falſitas, ſi ante damnationẽ Dolabellæ more Quæſtorum rationes ad ærarium retuliſſet. ſic enim fiebat ante, cum de prouincijs Quæſtores Romã rediiſſent. Perinde quaſi exſcribendi. ] Etſi occupaſſet accuſator tabulas rei, aut amicorum eius, tantũ ad neceſſarios uſus licebat exſcribere, id eſt exempla transferre. Qui nunquam rationes ad ærarium referat. ] Hoc ideo, quia nec ſuperioris Quæſturæ, quæ cum Carbone fuit, rationes ad ærariũ retuliſſet. Tribus uerſiculis. ] Ait enim, Accipi, dedi, reliqui.

96.

Quæſtores quoque. ] Bini Quæſtores in Sicilia quotannis erant ſingulis Prætoribus, Lilybætanus, & Syracuſanus. Omen magis, quàm Cauſa. ] Omen, auſpiciũ: cauſa, excuſatio. Omen autẽ ideo dixit, quia eius exemplum attulit Verres, qui pecuniarum damnatus eſt. Ecce. ] Reſiduis ſordibus. Nomina. ] Tituli, & capita criminũ. Quòd minus Dolabellæ. ] In hoc capite, ut oſtendat falſitatem rationum Verris, dicit, non conueniſſe ſummas Dolabellæ cum ipſius ſummis: in qua re uult credi, non Dolabellã, ſed Verrem fuiſſe mentitũ. Hinc illæ extraordinariæ pecuniæ. ] Sordida lucra, & furta ſignificat. nã eæ ſunt, quæ neq; de redditibus, neque de annonis, neque de aliqua legitima acceſſione, ut donationis, ut hæreditatis, uerbi gratia, uidentur adiectæ. Hinc ratio cum Q. & Cn. Poſthumijs, Curtijs. ] Hi ſunt, qui extraordinarias pecunias Verris tractabant: quæ in tabulis Verris nunquam ſcriptæ ſunt, ne ſe ipſe proderet, ac pecunias tantas ſuis literis indicaret. Hinc ſeſtertiũ quater decies P. Tadio. ] Et extraordinariarum Verris pecuniarum ſuſceptor hic oſtenditur Græcorum teſtimonio.

97.

Cui ſit data, nihil ad me. ] Oratorie, quæ probari nõ poſſunt, fingit ſe uoluntate negligere. Terentius.

En, non dico. quaſi non noris, tentatum aduenis.

Tabulas cum conficeres. ] Quo modo ergo dicit, Verrem tabulas non habere, ſed aliquo tempore cœpiſſe non ſcribere? hæc ergo tempora rationis tabulas confectas habent. His expenſum non ferres. ] Expenſum ferre, eſt ſcribere, te pecuniã dediſſe. Acceptum Curtij referrent? ] Accepiſſe à te ſe ſcriberent, expenſum tuliſſe te ſibi ſcriberent. Et ex utroque genere. ] Summa diuiſionis & actionis Præturæ urbanæ & criminum C. Verris, in duobus conſtituta, iuris dictione, & ſartis tectis.

97.

Qui auſpicato à Chelidone. ] Auſpicari dicuntur ineũtes magiſtratus. & quia chelidon, id eſt hirũdo, urbem frequentat, facete urbanam prouinciam Chelidonis auſpicio meretricis dicit eſſe ſuſceptam. Neque cenſus eſſet. ] Neque centũ millia ſeſtertium poſſideret. nam more ueterum cenſi dicebantur, qui centum millia profeſſione detuliſſent. huiuſmodi adeo facultates cenſus uocabantur. Alij ſic intelligũt, Neque cenſus eſſet, hoc eſt neq; cenſus eius in quinquennium illud eſſet factus, quorũ annorum ſpatio inſtaurari cenſus ſolet apud Cenſores, quorum adminiſtratio per luſtrum, hoc eſt quinquennium, extenditur.

An tentatus. ] Tanquam ſcire quis uellet, qualẽ ſe Prætorem fuerit præbiturus. Appellat hæredem. ] Iniurioſum uerbum in perſona Prætoris. appellatio enim eſt inferioris ad potiorem.

98.

Cum intelligam, legem Voconiam. ] Voconius legem tulerat, ne quis cenſus, hoc eſt pecunioſus, hæredem relinqueret filiã. hoc ergo caput edicti ad legem Voconiam probantis Prætoris.

Non improbũ, non inofficioſum, non inhumanum. ] Hæc enim teſtamenta non ſolent ualere. nam improbum, contra leges: inofficioſum, contra merita: inhumanum, contra pietatem. Sua ſponte ſcelerata, ac nefaria eſt. ] Maleficia ſponte, & non diſputatione iuris conſultorum, ſed naturali interpretatione fugienda ſunt, ut ueneficium, parricidium, & cætera; quæ etiam nullo prohibente euitanda ſunt. Cornelia, teſtamentaria, nũmaria. ] Lex Cornelia nummaria, quæ de moneta, ne quis priuatus pecuniam faceret.

98:

Ex certo tempore. ] Vt etiam id, quod ſemper reprehẽſum eſt, tamen à certo tempore in iudicium ueniat, & à certo tempore plecti poſſit. Rata eſſe nõ patietur? ] Hoc totum ὑποκρίσει: ut quaſi per indignationem dici uideatur, & interrogatiue. Cedò mihi leges Atinias, Furias, Fuſias. ] Iſtæ omnes de iure ciuili ſunt, nihil continent criminum capitalium, publiciq; iudicij.

99.

Bona, fortunaſq;. ] Bona in ipſis poſſeſſionibus, fortunæ in fructibus earum. Eripies igitur pupillæ togam prætextã? ] Toga communis habitus fuit & maris, & fœminarũ: ſed prætexta honeſtorum, toga uiliorum: quod etiam circa mulieres ſeruabatur.

99:

Hoc populus Romanus non manu uindicaſſet. ] Confuſa locutio: abundare enim uidetur Non. Poſteaquam ius prætorium conſtitutum eſt. ] Ex quo ius prætorium ſtabilitum eſt. ſic hoc dixit, quaſi diceret, poſt conditam urbem Romam, aut poſt hominum memoriam, ex quo eſt ius prætorium. Tum uti proximum quenque potiſſimum hæredem eſſe oporteret. ] Si is inteſtatus mortuus eſſet. Ita ſecũdũ eum poſſeſſio daretur. ]

Quaſi ab inteſtato agnati eius ſuccederent, quamuis diceretur teſtamentum feciſſe, ſi tamen tabulæ non proferrentur. Et hoc uetus edictũ, tranſlatitiumq; eſt. ] Tranſlatitia ueteres dixerunt non noua, nec nuper inuenta, ſed aliunde tranſlata. Si habuiſſet iſte dictum. ] Quale ſupra tranſlatitium dixit eſſe.

Lege ageret in hæreditatem. ] Experiretur iure, quemadmodum probaret ſe hæredem ſcriptũ eſſe; & poſſeſſionem à Prætore peteret. Aut pro præde litis uindicaturũ, cum ſatis accepiſſet, ſponſionẽ faceret. Ita de hæreditate certaret. ] Aut peteret, inquit, ut poſſeſſor eſſet: aut acciperet ab aduerſario ſatis pro præde litis uindiciarum, & ipſe ſponſionem faceret: & ita de hæreditate certaret. Lis uindiciarum eſt, cum litigatur de ea re apud Prætorem, cuius incertũ eſt quis debeat eſſe poſſeſſor. & ideo, qui eã tenet, ſatiſdat pro præde litis uindiciarum, aduerſario ſuo, quo illi ſatisfaciat, nihil ſe deterius in poſſeſſione facturũ, de qua iurgium eſſet. Rurſus ſponſione ipſe prouocatur ab aduerſario certæ pecuniæ, aut æſtimationis, quã amittat, ni ſua ſit hæreditas, de qua contendit. Prædes ergo dicũtur ſatiſdatores locupletes pro re, de qua apud iudicẽ lis eſt; ne interea, qui tenet, diffidens cauſæ, poſſeſſionem deteriorẽ faciat, tecta diſſipet, excidat arbores, & culta deſerat. Si poſſeſſor, ſponſionem nõ faciet. ] Subauditur, eſt: hoc eſt, ſi poſſeſſor eſt, ſponſionem non faciet.

100.

Quid id ad Prætorem? ] Bene dixit. cum enim incertum ſit, cuius debeat eſſe poſſeſſio; cur Prætor dicat, ſi poſſeſſor eſt, quaſi iam probauerit poſſeſſorem eſſe eũ, qui incubauit? ergo, à quo pretiũ accepit, poſſeſſorem illũ uocat, & uetat eum facere ſponſionem: & cum in poſſeſſionem mittere Prætor ipſe deberet; quem non dum miſit, iam poſſeſſorem appellat. Ergo quia poſſeſſor eſt, non moues poſſeſſione: ſi poſſeſſor non eſſet, non dares. ] Contrariũ poſuit, ut oſtenderet improbitatẽ gratificati Prætoris. Ergo nec adimere tibi licet poſſeſſionem incubãti, nec dare iure poſcenti, quod cum utrũque fieri oporteat, cur hunc poſſeſſorem nominas, à quo corruptus es, quaſi eum, quia poſſeſſor dicitur, mouere de poſſeſſione non poſſes? Si de hæreditate ambigitur. ] Caput eſt edicti Verris. Hoc tranſlatitium eſt. ] Ciceronis uerba ſunt. Qui ſe dicat hæredem eſſe. ] Verba Verris iniuſta. dabo, inquit, ſi quis tabulas teſtamẽti bene obſignatas protulerit. Sequitur, dabo, inquit, ſi ſe tantũ hæredem factum eſſe dixerit, quamuis ille teſtamentũ non proferat. Apparet, Verrem contra Minutiam gentem fuiſſe corruptũ ab eo, quem ante poſſeſſorem appellat in edicto, quã ei poſſeſſionem paratus eſt dare. Ipſe in Sicilienſi edicto. ] Figura prolepſis. nõ enim adhuc peruenimus ad Siciliam: cuius crimina, in accuſatione futura ſunt; in tempore, præterita. Capite Anniano. ] Propriè iuris capita dicuntur.

100:

In quibus ita interceſſit. ] Intercedere, ut uides, etiam Prætor Prætori ſolet, ut Piſo Verri, appellatione cauſa ad collegam facta. Quàm plena ac referta Chelidonis. ] Plebeia quædam clientula Verris Chelido fuit, quæ illum etiam moriens fecit hæredem: qua cauſa impunè illam meretricem appellat orator.

101.

Tribunus pl. ] M. Lollius Palicanus. Cuius rei. ] Non in eodem negotio, ſed generaliter, cuius criminis, id eſt crudelitatis. Suo tempore. ] Cum agetur de ſupplicijs. Viros bonos, & honeſtos. ] Quo modo igitur fallunt mortui uoluntatem, cum ad Verrem adeunt? an uetuſte bonos pro magnis, honeſtos pro diuitibus poſuit? an bonos, & honeſtos, ut ipſe crediderat? Dat eis poſſeſſionem. ] Iniuſte. aut enim ſolui potius debuit teſtamentum, quod contra legẽ Corneliã factum fuerat; aut integrum cum uoluntate mortui permanere.

101:

Lex eſt: pœna eſt. ] Accuſetur, inquiet, cum fecerit: & dãnetur: hoc Prætoris eſt; non, prohibere ne faciat. qui enim ius dicit, factorum iudex eſt, non futurorum, duntaxat in ciuilibus cauſis. O' modeſtum ordinẽ. ] Quia ordinem dixit, equitum Romanorũ ordinem dici quidem putant: ſed libertinos ſignificat; quorum non conditionem, ſed more, ſuo, quaſi honeſtorum ordinem uocat. C. Sulpitius Olympus fuit. ] Vetus locutio. * eminus eſt Vulturnus Capua tria millia paſſuum. Ex edicto iſtius, quod edictum Sacerdos non habuerat. ] Edictum in cauſa ueteri nouum adhuc oſtendit, ut nummarium probet. nam ex ipſo negotio uidetur edixiſſe Verres, ut omnis libertus nõ patrono tantum, ſed ẽt patroni filiæ ſextam relinquat hæreditatis. L. Gellius. ] Sine ornamentis nomen poſuit, quia per ſe clarum eſt conſularis & nobilis uiri.

102.

Aduentitia. ] Quia ab alieniore hæreditas ueniebat.

102:

Non alienus à matris eius genere, & nomine. ] Qui putant εἰρωνικῶς pronunciandum, non uident contra teſtis ſuæ dignitatem nunquam dicturum Ciceronẽ fuiſſe. ergo ſimpliciter accipiendum eſt. uult enim patrem Verris diuiſorem fuiſſe, matrem honeſtiorem intelligi. Tabulas protulit. ] Per quas probauit abiſſe à ſe pecunias certis nominibus inſcriptas. nõ enim Verres ſcripſerat ſe accepiſſe: ſed illo tempore, unde, & quo modo, et per quos dederit, ſcriptum in tabulis oſtendit. Quo maximarum rerum frequentiſſimæ quotidie aduocationes fiũt. ] Vel ubi conſulantur conuenientibus aduocatis, uel ut alterutri parti apud arbitros adſint, uel ut ipſi iudices in rem aliquã capiantur.

103.

Quibus de ſartis tectis. ] Harũ rerũ cura propria Cenſoribus datur, id eſt ſartorũ tectorum. uerum hæc cũ cæteris * initæ aut ædilium cura eſt annua. Prætores, niſi ſenatus decreuerit, de hac re minus laborant. Sine ullo intertrimẽto. ] Detrimentum uel unius partis dici poteſt: intertrimentum non ad unius partis ſpectat, ſed dantis & accipientis.

103:

Nullam columnã, quæ ad perpendiculum eſſe poſſit. ] Pero

*furtorum participē ſuorum & diuitē fecerat, & annulo donauerat aureo. Eiuſdē modi ſubſortitionē homo amentiſſimus ſuorū quoque iudicum fore putauit.* ] *Obſcurus locus, ſed, ut opinor, hic ſenſus eſt. putauit, inquit, Verres eodē loco ſupponi potuiſſe iudices, qui ſe corrupti abſoluerent, quemadmodū ſuppoſiti erant, qui Oppianicum condemnarant. nam Q. Curtius, ſodalis eius, iudex quæſtionis, ſubſortiebatur in locū reiectorū; quos iſte redemerat, improbos iudices, quibus ad uenales ſententias proferendas ultimo die ſubiectis uteretur. Facile autem pro ueris iudicibus improbi ſupponi poterāt nolēte hoc iudice quæſtionis, et illis patiētibus, qui ueri iudices erāt; quia niſi citati nō cōſidebant, & graue onus erat, & incōmodū iudicare. Q. Curtium iudicem quæſtionis.* ] *Apparet hunc poſt hoc factū à Cicerone eſſe reiectū conuitio populi, qui in corona aderat. Ex hac decuria noſtra.* ] *Decuriā modo ordinē, ac per hoc ex nobis: quia honeſtiorem decuriæ, inferiorū centuriæ dicebātur.*

108:

*Cuius mihi copiam quālargiſſime factā oportebat.* ] *Quæ ſcilicet non fieret, ſi pro nobis alij ſubijcerētur. Quos iſte annuerat.* ] *Quaſi diceret, ſuggereret. Sine cauſa.* ] *Nō reiectis ſcilicet ijs, in quorum locum alios ſubſortiebatur. hoc eſt ne ſtro nobis manente neque reiecto.*

# COMMENTATIO IN QVARTAM CICERONIS CONTRA C. VERREM ORATIONEM, DE PRAETVRA SICILIENSI, ET PRIMVM DE IVRIS DICTIONE.

## ARGVMENTVM.

HAEC *ſine dubio ad accuſationem propoſiti criminis ſpectat oratio. nam in ſuperiores anteacta res ſunt expoſitæ, quæ quia magis adiuuant accuſationē, quā ipſæ ſunt principales, in unū librum coactæ ſunt iudicio Ciceronis curſim enumerantis, quæ Verres Quæſtor, quæ pro Quæſtore, quæ Legatus, quæ denique Prætor urbanus admiſerit. ubi uentum eſt ad cauſam ipſam, & Sicilienſia crimina, quatuor libros edidit, unum de iuris dictione. alterū de frumento, tertium de ſignis, quartum de ſupplicijs: in qua diſtributione non ordo temporis, ſed facinorum genera, & momenta ſeruata ſunt. Incipit autē à laude Siciliæ, & egreditur ad crimen Dionis, deinde Soſippi, & Epicratis. ſed de iure Siculorum euerſo fruſtra quidam Ciceronem reprehendunt, quòd non inde cœperit: cum ſuperiora crimina non egeant eiuſmodi tractatu, qui ad ſequentia pertinet, & oratoris conſilio magis ijſdem clarioribus ſumendū eſſet exordium. itaque poſt hoc de Heraclio, de expreſſis honoribus ab inuitis, de Epicrate Bideno, deq; rebus capitalibus, de Sopatre, de Sthenio: quæ omnia genus unum criminum efficiunt: quod eſt de iure dicundo. alterum de ſenatoribus, de ſacerdotibus, de Cenſoribus pretio à Verre factis, de collatione in ſtatuas, de publicanorum cum Verre conuenientia in furtis, de tabulis Carpinatij pecunias Verris extraordinarias continentibus. Genus cauſæ in omnibus Verrinarum libris admirabile. ſtatus principaliter coniectura.*

109.

EA ME *ad hoc negotiū prouincia attraxit.* ] *Hoc uero plus eſt, quā q in Diuinatione dixit, Suſcepi cauſam reip. Princeps Siciliæ.* ] *Tū cum Meſſana ciuitas ſeditione diuiſa auxiliū contra Hieronē per alios à populo Romano petijt: quod initiū fuit diſcordiæ. Nunquā poſtea defecerunt.* ] *Apparet, quia poſt ſocietates & amicitiam firmatam nihil tale commiſerant.*

109:

*In amicitia perpetua manerent.* ] *Quæ nunquā defecerāt. Signis, monumentiſq; pulcherrimis.* ] *Præparatio ad librū de ſignis. Denique ille ipſe M. Marcellus.* ] *Hic imperator cū eſſet, uicit, cepitq; Syracuſas, & uictis pepercit. Quæ cū maxime munitiſſima eſſet.* ] *Ne quis diceret, Non fuit quod timeret. Cū ui conſilioq; cepiſſet.* ] *Ne quis diceret, Nō potuit hoſtium urbē Syracuſas. Quādo illa frumētū.* ] *Omne genus pēſitationis in hoc capite poſitum eſt, canonis, oblationis, indictionis. Italico bello.* ] *Sociali.*

110.

*Quæ forſitan ne ſentimus quidē iudices.* ] *Quædam commoda ita, ut non ſentiantur, alia conſequuntur, ut ſanitatē integritas uirium. ſentimus autē, ſi illa ſubtrahantur: cuiuſmodi eſt, quod nunc dicit, negotiatores Romani lucra faciunt, & locupletes ſunt de opportunitate Siciliæ. Illam ueterem.* ] *Bonam cōſuetudinem. Non hanc, quæ nunc increbruit.* ] *Malam. Neque publicanus, neque negotiator odio ſit.* ] *Hæc ſunt Romanorum hominum per prouincias nomina. Aram legum.* ] *Tribunal Prætoris, ac ſubſellia iudicum. Publico conſilio.* ] *Quia non poteſt negari, fuiſſe illos accuſatores M. Lepidi; addidit, publico conſilio; quaſi illud omnes tunc fecerint. Tametſi illum annum.* ] *M. Lepidi Prætoris, qui accuſari cœperat à duobus Metellis, Celere, & Nepote: qui cum legibus interrogaſſent, uicti eius apud populum gratia deſtiterūt: Vt bis ex ea familia.* ] *Semel, q proauus cōſeruauit uictor Syracuſas: iterum, hic pronepos magiſtratu ſuo Siculos recreauit,*

110:

*Poſtquā M. Antonij.* ] *Hic eſt M. Antonius, qui gratia Cottæ Cōſulis, et Cethegi factione in ſenatu, curationē infinitā nactus totius oræ maritimæ, Siciliā et prouincias omnes depopulatus eſt, et ad poſtremū inferens Cretenſibus bellum, morbo interijt. In neminem ante hunc.* ] *Rectè: quia Lepidus legibus tantū interrogatus, nec dum etiā cœperat accuſari. Poſtulata Conſulibus, quæ non poſtulata.* ] *Ne ipſe in Verrē cōcitaſſe Siculos uideatur, uoluntatem eorū Verrem cum multis alijs rebus eſſe monſtratā dicit, tum etiā quia petitiones ad ſenatum per Legatos Siculi tales miſerunt, ut non tam beneficia poſtulare, quàm huius iniurias deſcribere uideantur, ut puta cum petūt, ne rei fiant abſentes, quia Sthenius apud Verrē hoc paſſus fuerat; & alia huiuſmodi. A' quo mea longiſſime ratio.* ] *A' quo, à qua re, à quo negotio, accuſationis ſcilicet. Publice, priuatimq;.* ] *Aut legati, aut ſuas iniurias perſequentes. At quemadmodū iudices uenerint.* ] *Obſcurus ſenſus, & per hyperbaton cū parentheſi figura, & nouo modo, in ſententia magis, quàm in uerbis explicatur. eſt enim ſenſus hic. at quēadmodū iudices uenerint, id eſt quàm animoſe contra Verrem, ex hoc cognoſcite. & docet, quoties deterriti, et per quos, et quibus minis, accuſandi, tamen Verris non depoſuerint uolūtatem. Saluti enim potius illorum conſulam, quàm uoluntati.* ] *Hoc ideo, quia contra Metellum dicturus eſt Siciliæ tunc Prætorem.*

111.

*Quæſtores utriſque prouinciæ.* ] *Duos Quæſtores habet Sicilia, Lilybætanum & Syracuſanum. nam Prætori una prouincia eſt, Quæſtori duæ. Preſto fuerunt.* ] *Vt impedirent ſcilicet meam inquiſitionem. ſequitur enim, Non minus acres cōtra me fuerunt. apparet, cum triennio Siciliā tenuerit unus Verres, Quæſtores tamen per annos ſingulos huic eſſe mutatos. Prætorem uero.* ] *Ipſum Metellum, ſucceſſorem Verris. Vna opera.* ] *Quòd Romā uenerunt, aut quòd proceſſerunt in cōſpectū iudicum. In laudando, atque repetendo.* ] *Accuſando re-*

115:

*Niſi cum nihil intererat iſtius.* ] *Niſi, cum, quid iuſſu edeo ret, non habebat.* *Stragulæ neſtis.* ] *Stragula ueſtis eſt picta.* *inſanias.* ] *Noue, ſed proprie.*

*Reliqua deſiderantur in Verrinas Accuſationes.*

# COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM

## PRO C. CORNELIO DE MAIESTATE.

### ARGVMENTVM.

H A N C *orationem dixit L. Cotta L. Torquato Coſ. poſt annũ quàm ſuperiores. Cornelius homo nõ improbus uita habitus eſt. fuerat Quæſtor Cn. Pompeij, dein Tribunus pl. C. Piſone Conſule, biennio ante, quàm hæc dicta ſunt. in eo magiſtratu ita ſe geſſit, ut iuſtior * pertinacior uideretur. alienatus autẽ à ſenatu ex hac cauſa. Retulerat ad ſenatum, ut, quoniam exterarũ nationum Legatis pecunia magna daretur uſura, turpiaq; & famoſa ex eo lucra fierent, ne quis Legatis exterarum nationum pecunia expenſam ferret. cuius relationẽ repudiauit ſenatus, & decreuit ſatiſfactum uideri eo S. C. quod ante annos aliquot Cn. Domitio C. Celio Coſ. factum erat, cum ſenatus ante pauculos annos illo S. C. decreuiſſet, ne quis Cretenſibus pecuniã mutuã daret. Cornelius ea re offenſus ſenatui, queſtus eſt * de ea ne exhauriri prouincias uſuris. prouidendum ut haberent Legati unde præſentia darent: promulgauitq; legẽ, qua auctoritatẽ ſenatus minuebat, ne quis, niſi per populũ, legibus ſolueretur: quod antiquo quoque iure erat cautum. itaque in omnibus S. C. quibus tũ aliquẽ legibus ſolui placebat, adijci erat ſolitum, ut de ea re ad populum ferretur: ſed paulatim ferri erat deſitum; resq; iam in eam conſuetudinẽ uenerat, ut poſtremo ne adijceretur quidem in S. C. de rogatione ad populũ ferenda; eaq; ipſa S. C. per pauculos admodum fiebant. Indigne eam Cornelij rogationem tulerant potentiſſimi quique ex S. C. quorũ * gratia magnopere minuebatur. itaque P. Seruilius Globulus Tribunus pl. inuentus erat, qui L. Cornelio obſiſteret. Is, ubi legis ferundæ dies uenit, & præco ſubijciente ſcriba uerba legis recitare populo cœpit; & ſcribam ſubijcere, & præconem pronunciare paſſus non eſt. tũ Cornelius ipſe codicem recitauit, quod cum improbe fieri C. Piſo Conſul uehementer quereretur, tribunitiam interceſſionem dicerет, graui conuitio à populo exceptus eſt. & cũ ille eos, qui ſibi intentabant manus, prendi à lictore iuſſiſſet; fracti eius faſces cuncti, lapideſq; etiam ex ultima concione in Conſulem iacti. quo tumultu Cornelius perturbatus cõcilium dimiſit. Actum deinde eadem de re in ſenatu eſt magnis contentionibus. tũ Cornelius ita ferre rurſus cœpit, ne quis in ſenatu legibus ſolueretur, niſi CC affuiſſent, néue quis, cum ſolutus eſſet, intercederet, cũ de ea re ad populum ferretur. hæc ſine tumultu res acta eſt. nemo enim negare poterat, pro auctoritate ſenatus eſſe eam legem: ſed tamen eã tulit inuitis optimatibus, qui uel paucos gratificari ſolebant. Aliam deinde legem Cornelius, etſi nemo repugnare auſus eſt, multis tamen inuitis tulit; ut Prætores ex edictis ſuis perpetuis ius dicerent. quæ res tum gratiam ambitioſis Prætoribus, qui uarie ius dicere ſolebãt, ſuſtulit. alias quoq; cõplures leges Cornelius promulgauit: quibus pleriq; collegæ interceſſerunt. per quas cõtentiones totus Tribunatus eius peractus eſt. Sequenti deinde anno M. Lepido L. Volcatio Coſ. quo anno Prætor Cicero fuit, reũ Cornelium duo fratres Cominij lege Cornelia de maieſtate fecerunt, detulit nomen Publius, ſubſcripſit Caius. & cum P. Caſſius Prætor decimo die, ut mos eſt, adeſſe iuſſiſſet; eoq; die ipſe non affuiſſet, ſeu auocatus propter publici frumenti curam, ſeu gratificans reo: circumuenti ſunt ante tribunal eius accuſatores à notis operarum ducibus, ita ut mors intentaretur, ſi mox non deſiſterent. quã perniciem uix effugerunt interuentu Conſulum, qui aduocati reo deſcenderant. & cum in ſcalas quaſdam Cominij fugiſſent, clauſi in noctem ibi ſe occultauerunt, deinde per tecta uicinarum ædium profugerunt ex urbe. poſtero die, cum P. Caſſius aſſediſſent, & citati accuſatore: non adeſſent, exemptum nomen eſt de reis Cornelij. Cominij autem magna infamia flagrauerũt, uendidiſſe ſilentium magna pecunia. Sequente deinde anno L. Cotta L. Torquato Coſ. quo hæc oratio à Cicerone Prætore dicta eſt, cũ prima pars M. Manilius, qui iudicium per operarum duces turbauerat, deinde q ex S. C. anno Coſ. præſidebant, & iudicio non reſpondiſſet, atque eſſet damnatus recreauiſſet iam accepta pecunia tollere ait Corneliũ lege maieſtatis. Res acta eſt magna expectatione paucos ante me ergo Cornelius præteritus Manlij exitu in iudicium adhibuit, ut ne clamor quidem illius ab aduocatis eius oriretur. Dixerunt in eum infeſti teſtimonia principes ciuitatis qui plurimũ in ſenatu poterant, Q. Hortenſius, Q. Catulus, Q. Metellus Pius, L. Lucullus, M. Lepidus. dixerunt autem hoc, uidiſſe ſe, cum Cornelius in Tribunatu codicem pro Roſtris ipſe recitaret: quod ante Cornelium nemo feciſſe exiſtimaretur. uolebant uideri, ſe iudicare eam rẽ magnopere ad crimen imminutæ maieſtatis tribunitiæ pertinere. etenim propè tollebatur interceſſio, ſi id Tribunis permitteretur. Cicero, quia nõ poterat negare id factũ eſſe, eò cõfugit, ut diceret, non ideo, q lectus ſit codex à Tribuno, imminutã eſſe tribunitiã poteſtatẽ. Qua uero arte & ſcientia orationis, ita ut & dignitatẽ clariſſimorũ ciuium, contra quos dicebat, non uiolaret, & tamen auctoritate eorum lædi reum non pateretur, quantaq; moderatione rem tam difficilem alijs tractauerit; lectio ipſa declarabit. adiumentũ autem habuit, quòd, ſicut diximus, Cornelius, præter diſtrictum propoſitum aduerſus principum uoluntatem, cætera uita nihil fecerat, quod magnopere improbaretur. Præterea & ipſe Globulus, qui interceſſerat, aderat Cornelio, quod ipſum quoque diximus, q Cornelius Pompeij Magni Quæſtor fuerat apud duas præfecturas equitũ Rom. & tribuno et ex tertia quoq; parte apud pleroſque excepti ij familiaris principũ ciuitates. Res acta eſt magno conuentu, magnaq; expectatione, quis euentus iudicij futurus eſſet: À ſummis uiris dici teſtimonium & id, quod ij dicerent, confiteri reum animaduertebant. Extat oratio hominis accuſatoris: quam ſumere in manus, eſt aliquod operæpretium, non ſolum propter Ciceronis orationes, quas pro Cornelio habemus, ſed etiam propter ſemet ipſam. Cicero ipſe ſignificat, quatriduo Cornelium defendiſſe. quas actiones cõtuliſſe eum in duas orationes apparet: iudicium id exercuit Q. Gallius Prætor.*

## Initium expoſitionis.

### VERSV A' PRIMO CIRCITER CLXI.

POSTVLATVR apud me Pretorem primum de pecunijs repetundis. Proſpectas uidelicet Cominius,quid agatur . uidelicet homines fœneos in medium ad ſëtandum periculũ pro iectos. ] Simulacra effigieſq; hominum ex fœno fieri ſolebant,quibus obiectis ad ſpectaculum præbendũ tauri irritarentur. Quid Metellus,ſumma nobilitate,ac uirtute,cũ bis iuraſſet,ſemel priuatim. * Priuatum parta publicæ legis,delectus eſt ratione , an ui * an ueri ſuſpicionẽ animi tollit C. Curionis uirtus,ad dignitas, & Q. Metelli adoleſcentia ad ſummam laudem omnibus rebus ornata . ] Hoc exemplum affert hoc loco,quòd uult probare,deſiſtere eum debere ab accuſatione,quanquam neque accuſa:ueris, neque fecerit pactionẽ. nam Metellus & poſtulauerat Curionem,& deſtiterat. Confugit autem orator ad Metelli nobilitatem,& ad C. Curionis induſtriam,ut legeret id,quod illi utilius,quàm honeſtius,fecerãt. Res autem tota ſe ſic habet : in qua quidem illud primũ explicandum eſt,de quo Metello hoc dicit. fuerunt enim tunc plures Quinti Metelli : ex quibus duo conſulares,Pius,et Creticus, de quibus apparet eum non dicere : duo autẽ adoleſcentes, Nepos, & Celer,ex quibus nunc Nepotem ſignificat eius enim patrem Q. Metellum Nepotem,Balearici filium,Macedonici nepotem, qui Conſul fuit cum T. Didio,Curio is,de quo loquitur, accuſauit;iſq; Metellus moriẽs petijt ab hoc filio ſuo Metello, ut Curionem accuſatorem ſuum accuſaret ; et,id facturũ eſſet, iureiurando adegit. Metellus fecit reũ Curionem. cumq; interim quẽdam ciuem idem Metellus,ſeruũ eſſe contendẽs,ui arripuiſſet , ac uerberibus affeciſſet ; Curio aſſertorem ei cõparauit , dein , cum appareret eum exitum iudicij illius futurũ, ut liber is iudicaretur,quem Metellus uerberibus affectum eſſe negare non poterat : inter Metellũ & Curionẽ facta pactio eſt, ut neq; arbitrium de libertate urgeret in Metellũ Curio,neque Metellus perſtaret in accuſatione Curionis. eaq; pactio ab utroq; firmata eſt.huc ergo illud pertinet,cũ iuraſſe dixit, ſemel priuatim , et iterum legatũ,ſcilicet cum in Curionem calumniam iurauit. Cum hoc autem Metello poſtea Cicero ſimultates geſſit : euaſit enim Metellus malus atque improbus ciuis.' Legem, inquit,de libertinorum ſuffragijs Cornelius cũ Mãlio dedit . quid eſt hoc? dedit,an tulit , an rogauit,an hortatus eſt ? nam tuliſſe ridiculum eſt,quaſi legem aliquam aut ad ſcribendũ difficilem , aut ad excogitandum reconditã,quæ lex paucis his annis non modo ſcripta,ſed etiam lata eſſet. ] P . Sulpitium in Tribunatu hanc eandem legẽ tuliſſe ſignificauimus. tulit autem L. Sylla, qui poſtea Felix appellatus,Q. Pompeio Coſ. ante XVI annos,quàm hæc dicta ſunt,cum per uim rempublicã poſſediſſet, ab initijs bonarum actionũ ad perditas progreſſus. quod & initium bellorum ciuilium fuit,et propter quod ipſe Sulpitius Coſ. armis ire oppreſſus eſſe uiſus eſt. In quo cum multa reprehẽſa ſint,tum in primis celeritas actionis. ] Celeritatem actionis ſignificat,quia Manilius,ſicut iam oſtendimus,poſt pauculos ſtatim dies,quàm inierat Tribunatum, legem eandem compitalibus pertulit. Petiuit tamẽ à me Prætore maxima conteſtatione,ut cauſam Manilij defenderem. ] C. Cornelium ſignificat,ſicut iam ante dictum eſt.

### VERSV A' PRIMO DCCCCL.

Dicit de eodem Manilij tribunatu. Nam cum is Tribunus pl. duas leges tuliſſet in eo magiſtratu , unam pernicioſam, alteram egregiam,quod ſumma republica non hæſit,ſed ab illo ipſo Tribuno abiectum eſt,bonũ aũt quod ſumma rep . manet in * ueſtri ordini fuit . ] Supra de his legibus : quarũ una de libertinorum ſuffragijs,quæ cum S. C. damnata eſſet , ab ipſo quoque Manilio abiecta eſt : altera de bello Mithridatico Cn. Pompeio extra ordinem mandando ; ex qua lege tum Magnus Pompeius bellum gerebat. Dicit de diſturbato iudicio Mãliano . Alijs ille in illum furorum magnis hominibus auctoribus impulſus eſt,qui aliquod inſtitui exemplum diſturbandorũ iudiciorum,pernicioſiſſimum, temporibus ſuis accommodatiſſimum,meis alieniſſimum rationibus,cupierũt. ] L. Catilinam & Cn. Piſonem uidetur ſignificare . Fuit autem Catilina patritius,& eodem illo tempore erat reus repetundarum , cum prouinciam Africam obtinuiſſet, & Conſulatus candidatum ſe oſtendiſſet. accuſator erat eius P. Clodius adoleſcens,ipſe quoque perditus,qui poſtea cum Cicerone inimicitias geſſit. Cneus quoque Piſo,adoleſcens potẽs & turbulentus, familiaris erat Catilinæ,omniumq; conſiliorum eius particeps,& turbarum auctor.

### VER. CIR. LXI.

Poſſum dicere,hominem ſumma prudentia clarum C. Cottã de ſuis legibus abrogandis ipſum ad ſenatũ retuliſſe . ] Hic eſt Cotta,de quo iam ſæpe diximus,magnus orator habitus, & compar in ea gloria P. Sulpitio,& C. Cæſari . Videntur autem in rebus paruis fuiſſe leges,illæ quas cũ tuliſſet, retulit de ijs abrogandis ad ſenatum . nam neque apud Salluſtium , neq; apud Liuium,neque apud Feneſtellam ullius alterius latæ ab eo legis mentio,prætor eam,quam in concione nobilitate magno populi ſtudio,ut ijs,qui Tribuni pl . fuiſſent, alios quoque magiſtratus capere liceret . quod lex à Dictatore L. Sylla paucis ante annis lata prohibebat. neque eã Cotta legem abrogatã eſſe ſignificat .

### SEQVITVR.

Poſſum & eiuſdem Cottæ legem de iudicijs priuatis anno poſt,quàm lata ſit,à fratre eius. ] M. Cottã ſignificat. fuerunt autẽ tres,duo hi,C. & M. tertius L. Cotta, qui lege ſua iudicia inter tres ordines communicauit,ſenatum,equites,tribunos ærarios:adeptiq; ſunt omnes Conſulatum.

### STATIM.

Legem Licinian & Muciam de ciuibus regundis, uideo conſtare inter omnes,quam duo Conſules omniũ,quos uidimus, ſapientiſſimi tuliſſent,non modo inutilem,ſed pernicioſam reip . fuiſſe. ] L. Licinium Craſſum oratorem,& Q. Mutium Scæuolam Pont. Max. eundemq; & oratorem,& iuriſconſultum, ſignificat. hi enim legẽ eam,de qua loquitur , de regẽdis in ſua ciuitate ſocijs,in ſuo Conſulatu tulerunt. cũ enim ſumma cupiditate ciuitatis Romanæ Italici populi tenerentur , & ob id magna pars eorum pro ciuibus Romanis ſe gereret ; neceſſaria lex uiſa eſt,ut in ſuæ quiſque ciuitatis ius redigeretur . uerum ea lege ita alienati animi ſunt principum Italicorum populorũ , ut ea uel maxima cauſa belli Italici,quod poſt triennium exortum eſt,fuerit. Quatuor omnino genera ſunt iudices,in quibus per ſenatum more maiorem ſtatuatur aliquid de legibus. unum eſt eiuſmodi,placere legem abrogari,ut Q. Cæcilio, M. Iunio Coſ. quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. ] Q. Cecilius Metellus Numidicus,M. Iunius Silanus , de quibus facit mentionem,Conſules fuerunt bello Cimbrico,quod diu praue ſimul & infeliciter geſtum eſt . neque ipſe quoque hic Iunius male rem aduerſus Cimbros geſſit , ac plures leges , quæ per eos annos,quibus hæc gerebãtur,populo latæ erãt, quibus militiæ ſtipendia minuebantur,abrogauit. Alterum , quæ lex lata eſſe dicatur,ea non uideri populum teneri,ut L . Marcio Sex. Iulio Coſ. De legibus Liuijs. ] Puto uos reminiſci , has eſſe leges Liuias,quas illis Conſulibus M. Liuius Druſus Tribunus pl. tulerit : qui cum ſenatus partes tuendas ſuſcepiſſet , & leges

et leges pro optimatibus tuliſſet, poſtea eò licētia eſt progreſſus, ut nullum in ijs morē ſeruaret. itaque Philippus Conſul, qui ei inimicus erat, obtinuit à ſenatu, ut leges eius omnes uno S. C. tollerētur. decretū eſt enim, cōtra auſpicia eſſe latas, neq; ijs teneri populum. Tertium eſt de legum abrogationibus. quo de genere perſæpe S. C. fiūt, ut nuper de ipſa lege Calphurnia, quæ derogaretur. ] Lex hæc Calphurnia de ambitu erat. tulerat eā ante biennium C. Calphurnius Piſo Conſul; in qua præter alias pœnas pecuniaria quoq; pœna erat adiecta. P. Africanus ille ſuperior, ut dicitur, non ſolum à ſapientiſſimis hominibus, qui tum erant, uerum etiam à ſe ipſo ſæpe accuſatus eſt, q, cum Conſul eſſet, cum T. Longo, paſſus eſſet tum primum à populari conſeſſu ſenatoria ſubſellia ſeparari. ] Hoc factum eſt ſecundo Conſulatu Scipionis, poſt ſeptimū annum quàm Carthaginenſibus bello ſecūdo dicta eſt pax. factū id eſſe autē Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt Aediles curules Attilius Serranus, T, Scribonius Libo: id eos feciſſe iuſſu Cēſorum Sex. Aelij Peti, C. Cornelij Cethegi. & uidetur in hac oratione hunc quidem auctorem ſecutus Cicero dixiſſe, paſſum eſſe Scipionem ſecerni à cætero conſeſſu ſpectacula ſenatorum. in ea autē, quā poſt aliquot annos habuit de ariſpicum reſponſo, nō paſſum eſſe Scipionem, ſed ipſum auctorē fuiſſe dandi eum locum ſenatoribus, uidetur ſignificare. uerba eius hæc ſunt. Nam quid ego de illis ludis loquar quos in Palatio noſtri maiores ante templū matris magnæ fieri celebrariq; uoluerunt: quibus primum ludis ante populi conſeſſum ſenatui locum P. Africanus II. Coſ. & collega eius Sempronius Longus. hoc tributum eſſe ſenatui ſcribit, ſed ſine mentione Megaleſium: Aediles enim eos ludos facere ſoliti erant. uotiuis ludis factum tradit, quos Scipio & Longus Coſſ. fecerint. Non præterire autem uos uolo, eſſe oratoriæ calliditatis, ut, cum opus ſit, eiſdem rebus ab utraque parte uel à contrarijs utantur. nam cum ſecundum Ciceronis opinionē auctore Scipione Conſule Aediles ſecretū ante omnes locum ſpectandi ſenatoribus dederint. eodē illo facto Scipionis in hac quidem oratione, quia cauſa popularis erat, premebaturq; ſenatus auctoritate, atq; ob id dignitatem eius ordinis quàm poſſit maxime eleuari cauſæ expediebat; pœnituiſſe ait Scipionem, quòd paſſus eſſet id fieri. in ea de aruſpicum reſponſo, quia in ſenatu habebatur, cuius auribus erat blandiendum, & magnopere illum laudat, & non auctorem fuiſſe dandi, nam id erat leuius, ſed ipſum etiam dediſſe dicit.

CIRCA MEDIVM.

Quo loco numerat cum lex feratur, quot loca interceſſionis ſunt * iubeat dicere. Eſt utique ius uetandi, cum ea feratur quandiu * ferundi transferuntur id eſt lex. * dū priuati dicūt dum * dum ſitella defertur, dum æquātur ſortes, dum ſortitio fit, & ſi qua ſunt huius generis alia. ] His peractis, cum id ſolum ſupereſt, ut populus ſententiam ferat, iubet unūquēque is, qui fert legem, diſcedere. quod uerbum nō hoc ſignificat, quod in communi conſuetudine eſt, de eo loco, ubi lex fertur, ſed in ſuā quiſque tribum diſcedat, in qua eſt ſuffragium laturus. populus enim confuſus, ut ſemper aliàs, ita & in concione.

PAVLO POST.

Vnum tamē, quod hoc ipſo Tribuno pl. factū eſt, prætermittendum non uidetur. neque enim maius eſt legere codicem, cū intercedatur; quàm ſitellam ipſam cum ipſe interceſſore deferre; nec grauius incipere ferre, quàm perferre; nec uehemētius oſtēdere ſe laturum inuito collega, quàm ipſi collegæ magiſtratum abrogare; nec criminoſius tribus ad legem accipiendam, quàm ad collegam reddendum priuatum introuocare. quæ uir fortis huius collega Aulus Gabinius in re optima fecit omnia: neque, cum ſalutem populo R. atq; omnibus gentibus finē diuturnæ captiuitatis, turpitudinis, & ſeruitutis afferret, paſſus eſt plus unius collegæ ſui, quàm uniuerſæ ciuitatis uocem ualere, et uoluntatem. ] Manifeſtum eſt, de ea lege Ciceronem nunc dicere, qua Cn. Pompeio bellum aduerſus piratas datū eſt. L. autem Trebellius Tribunus pl. quem non nominat: quo perſeuerante intercedere, (nam ſenatui promiſerat, moriturū ſe ante, quàm illa lex perferretur) introuocare tribus Gabinius cœpit, ut Trebellio magiſtratum abrogaret, ſicut quondam T. Gracchus Tribunus M. Octauio collegæ ſuo magiſtratum abrogauit. et aliquandiu Trebellius ea re non perterritus aderat, perſtabatq; in interceſſione, quòd omnia magis, quàm perſeueraturū eſſe Gabinium, arbitrabatur. ſed poſtquam X & VII tribus rogationem acceperunt; & una mens eſſet populi, ut iuſſum cōficeret; remiſit interceſſionem Trebellius: atque ita legem Gabinius de piratis perſequendis pertulit. At enim de corrigenda lege retulerunt. ] Diximus iam in principio, Cornelium primo legem promulgaſſe, ne quis per ſenatū lege ſolueretur: deinde tuliſſe, utrum denique de ea re S. C. fieret, cum adeſſent in ſenatu non minus CC. hæc eſt illa, quam appellat, correctio, Idem, niſi hæc ipſa lex, quam C. Cornelius tulit, obſtitiſſet, decreuiſſem id, quod palàm iam iſti defenſores iudiciorum pugnauerunt, ſenatui non placere id iudicium de Syllæ bonis fieri. quam ego cauſam longe aliter Prætor in concione defendi, cum id dicerē, quod idem iudices poſtea ſtatuerunt, iudicium æquiore tempore fieri oportere. ] Quia defuerat ſuperioribus tēporibus in ærario pecunia publica, multa & ſæpe eius rei remedia erant quæſita, in quibus hoc quoque, ut pecuniæ publicæ, quæ reſiduæ apud quenque eſſent, exigerentur. id autem maxime pertinebat ad Cornelium Fauſtum Dictatoris filium, quia Sylla per multos annos, quibus exercitibus præfuerat, & Remp. tenuerat, ſumpſerat pecunias ex uectigalibus, & ex ærario populi Romani: eaq; res ſæpe erat agitata, ſæpe omiſſa, partim propter Syllanarum partium potentiam, partim quòd iniquum uidebatur, poſt tot annos, quam quis pecuniam acceperat, eius reddere rationem.

STATIM.

Antea uero quàm multarum rerum iudicia ſublata ſint, et quia ſcitis, prætereo, & ne quem in iudiciū oratio mea reuocare uideatur. ] Bello Italico, quod fuit adoleſcentibus illis, qui tum in rep. uigebant, cum multi Varia lege inique dānarētur, quaſi id bellum illis actoribus conflatum eſſet, crebræq; defectiones Italicorū nunciaretur, tunc ob eius triſtitiæ occaſionem ſenatus decreuit, ne iudicia, dum tumultus Italicus eſſet, exercerentur. quod decretum eorum in concionibus populi ſæpe agitatum erat. ſupererant autem ex ijs, qui illa iudicia metuerūt, uigentes multi, maxime C. Curio, Curionis adoleſcentis pater, eius, qui bello Ciuili Cæſaris fuit partium.

PAVLO POST.

Non Cn. Dolabella C. Volcatium, honeſtiſſimum uirum, cōmuni et quotidiano iure priuaſſet. ] Duo fuerunt eo tempore Dolabellæ, quorum alterum C. Cæſar accuſauit, alterū M. Scaurus. Non denique homo illorum & uita & prudentia lōge diſſimilis, ſed tamen nimis in gratificando iure liber, L. Siſenna bonorum Cn. Cornelij poſſeſſionem ex edicto ſuo P. Scipioni, adoleſcenti ſumma nobilitate, eximia uirtute prædito, dediſſet. ] Hoc ſolum hic annotandum eſt, hunc eſſe L. Siſennam, qui res Romanas ſcripſit. Quare cum ambitum populus Romanus uideret, & cum à Tribunis pl. decerneretur, niſi pœna acceſſiſſet in diuiſores, extingui nullo modo poſſe, legē hanc Cornelij flagitabat; illam, quæ ex S. C. ferebatur, repudiabat. ] Idq; uir is doctiſſimus duorum Conſulum deſignatorum * calamitate.

## ET EADEM DE RE PAVLO POST.

VT ſpectaculum illud duorum deſignatorum Cõſulũ calamitate, re & tempore ſalubre ac neceſſarium, genere & exemplo miſerum ac funeſtũ, uideremus. ] P. Syllam & L. Antronium ſignificat: quorum alterum L. Cotta, alterũ L. Torquatus, qui, cum hæc Cicero dicebat, Conſules erant, ambitus dãnarant, & in eorũ locum creati erant. Quid ego nunc tibi argumentis reſpondeam, poſſe fieri ut alius aliquis Cornelius ſit, qui habeat * Philerotẽ, ves uulgare nomẽ eſſe Philerotis, Cornelios uero ita multos, ut iam etiam collegium conſtitutum ſit? ] Frequenter tum etiam cœtus factioſorum hominum ſine publica auctoritate malo publico fiebant: propter quod poſtea collegia S. C. et pluribus legibus ſunt ſublata, præter pauca atq; certa, quæ utilitas ciuitatis deſideraſſet, ut fabrorum, lictorumq;.

At enim extremi ac difficillimi temporis uocem illam C. Corneli Conſulem mittere coegiſti, qui rempublicam ſaluã eſſe uellent, ut ad legem accipiendã adeſſent. ] C. Piſo, qui Cõſul eodem anno fuit, quo Cornelius Tribunus pl. erat, cum legem de ambitu ex S. C. grauiorem, quàm fuerat antea, ferret; et propter multitudinem diuiſorum, qui per uim aduerſabantur, à foro electus eſſet: edixerat id quod Cicero ſignificat, et maiore manu ſtipatus ad legem proferendã deſcẽderat. Plebem ex Maniliana offenſione uictã & domitã eſſe dicit, ante ueſtros annos propter illius Tribuni pl. temeritatem poſſe adduci, ut omnino * ne illius poteſtate abalienemur * qui reſtituerũt eã poteſtatẽ, alterũ nihil unum poſſe contra multos, alterũ lõge abeſſe. ] Manifeſtum puto eſſe uobis, M. Craſſum, & Cn. Põpeiũ ſignificari: è quibus Craſſus iudex tum ſedebat in Cornelium, Pompeius in Aſia bellum Mithridaticum gerebat. Tãta igitur in illis uirtus fuit, ut anno XVI poſt reges exactos propter nimiam dominationem potentium ſecederẽt, leges ſacratas ipſi ſibi reſtituerent: duos Tribunos crearent, montem illum trans Aniené, qui hodie mons Sacer nominatur, in quo armati conſederant, æternæ memoriæ cauſa conſecrarent. itaque auſpicato poſtero anno X Tribuni pleb. comitijs curiatis creati ſunt. ] Inducor magis librariorum hoc loco eſſe mendam, quòm ut Ciceronem parum proprio uerbo uſum eſſe credam. illo enim tẽpore, de quo loquitur, quod fuit poſt XVI annos quàm reges exacti ſunt, plebs ſibi leges ſacratas non reſtituit, (nunquã enim Tribunos pl. habuerat.) ſed tum primũ eas conſtituit. Numerum quidem annorum poſt reges exactos, quo id factum eſt, diligenter poſuit, qui fuit A. Verginio Tricoſto, L. Veturio Cetuſino Coſ. Cæterũ quidã non duos Tribunos pl. ut Cicero dicit, ſed quinq; tradunt creatos tũ eſſe, ſingulos ex ſingulis claſſibus: ſunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quẽ Cicero, ponant: inter quos Tuditanus, et Pompeius Atticus, Liuiuſq; noſter. idem hic & Tuditanus adijciunt, tris præterea ab illis duobus collegas creatos eſſe. nomina duorum ſunt hæc, qui primi creati traduntur, L. Sicinius L. F. Velutus, L. Iunius C. F. Paterculus. Reliqua pars huius loci, quæ pertinet ad ſecundã conſtitutionem Tribunorum, & Decemuirorum finitum imperium, & breuiter & aperte ab ipſo dicitur. nomina ſola nõ adijcit, quis ille ex Xuiris fuerit, qui contra libertatem uindicias dederit; & quis ille pater, contra cuius filiam id decreuit: quòd ſcilicet, ut ipſe Pomponius latiſſime refert in lege II. uerſ. Virgin. de origine iuris notiſſimum eſt, Decemuirum illum Appium Claudium fuiſſe, patrem autem uirginis L. Virginium, hoc tantummodo explicandum, quo loco primum de ſecunda ſeceſſione plebis, deinde de concordia facta, ſic dicit. Tum interpoſita fide per tres legatos, ampliſſimos uiros, Romam armati reuertuntur: in Auentino conſederunt: inde armati in Capitolium uenerunt; decẽ Tribunos pl. per Pontificem, quòd magiſtratus nullus erat, creauerunt. ] Legati tres. quorũ nomina non ponit, ij fuerunt, Sp. Tarpeius, C. Iulius, P. Sulpicius, omnes conſulares: Pontifex Maximus fuit M. Papirius. Etiam hæc recentiora prætereo, ponam principium iuſtiſſimæ libertatis. Caſſiam, qua lege ſuffragiorum uis poteſtaſq; conualuit, alteram Caſſiam quæ populi iudicia firmauit. ] Quæ ſit iſta lex Caſſia, qua ſuffragiorum poteſtas conualuit, manifeſtum eſt. nam ipſe quoque paulo ante dixit, legem Caſſium tuliſſe, ut populus per tabellam ſuffragium ferret. altera Caſſia lex, quæ populi iudicia firmauit, quæ ſit, poteſt quæri. eſt autem hæc. L. Caſſius L. F. Lõginus Tribunus pl. * C. Mario, C. Flacco Coſ. plures leges ad minuendũ nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut, quem populus damnaſſet, cui ue imperium abrogaſſet, in ſenatu nõ eſſet. tulerat autem eam maxime propter ſimultates cum Q. Cæcilio, qui ante biennium Conſul fuerat; & cui populus, quia male aduerſus Cimbros rem geſſerat, imperium abrogauit. Dicit de nobilibus. Qui nõ modo cum Sylla, uerum etiam, illo mortuo, ſemper hoc per ſe ſummis opibus retinendum putauerunt; inimiciſſimi, C. Cottæ fuerunt, quòd is Conſul paulum Tribunis pl. non poteſtatis, ſed dignitatis addidit. ] Hic Cotta, aut puto, legem tulit, ut Tribunis pl. liceret poſtea alios magiſtratus capere: quod lege Syllæ ijs erat ademptum. Quandiu quidem hoc animo erga uos illa plebs erit, quo ſe oſtendit eſſe, cum legem Aureliam, cum Roſciam non modo accepit, ſed etiam efflagitauit. ] Aurelia lege communicata iudicia inter ſenatores, & equeſtrem ordinẽ, & tribunos ærarios. Roſcia eſt, quam L. Roſcius Otho biennio ante Coſ. firmauit, ut in theatro equitibus Romanis XIIII ordines ſpectandi gratia darentur. Memoria teneo, cum primum ſenatores cum equitibus Romanis lege Plotia iudicarent, hominem dijs ac nobilitati perinuiſum, Cn. Pompeium cauſam lege Varia de maieſtate dixiſſe. ] M. Plautius Silanus Tribunus pl. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coſ. ſecundo anno belli Italici, cũ equeſter ordo in iudicijs dominaretur, legem tulit adiuuantibus nobilibus, quæ lex uim eam habuit quã Cicero ſignificat: nam ex ea lege tribus ſingulæ ex eo numero quinos denos ſuffragio creabant, qui eo anno iudicarent. ex eo factum eſt, ut ſenatores quoque in eo numero eſſent, & quidam etiam ex ipſa plebe.

## PRO CORNELIO.

Num in eo, qui ſint hi teſtes, hæſitatis? ego uobis edã duo reliqui ſunt de conſularibus, inimici tribunitiæ poteſtatis. pauci præterea aſſentatores eorũ atque aſſeclæ ſubſequuntur. ] M. Lucullũ, et M. Lepidũ ſignificat. quinque enim conſulares, ut iã diximus, in Cornelium teſtimoniũ dixerunt, Q. Catulus, Q. Hortenſius, Q. Metellus Pius Pont. Max. quos hac ſecunda oratione * tractat; et duo, qui non dixerunt, quos nunc ſignificat, Lucullus & Lepidus. Quid auunculus tuus, clariſſimus uir, clariſſimo patre, auo, maioribus, credo ſilentio, fauente nobilitate, nullo interceſſore comparato, populo R. dedit, & potentiſſimorum hominum collegijs eripuit cooptandorum ſacerdotum poteſtatem. ] Hác egere enarratione, quia hoc loco non ponit quis fecerit, ei demũ uideri põt, qui oblitus ſit, minus ante XV uerſus hæc de eo ipſo Ciceronem dixiſſe: Sed ſi familiariter ex Q. Catulo ſapientiſſimo uiro atque humaniſſimo uelim quærere, utrius tandem tibi Tribunatus minus probari põt, C. Cornelij, an, non dicam P. Sulpitij, non L. Saturnini, non C. Gracchi, non Tiberij; neminem, quem iſti ſeditioſum exiſtimãt, nominabo; ſed auũculi tui Q. Catuli, clariſſimi patriæq; amãtiſſimi uiri: quid mihi tandem reſponſurum putatis?

## SEQVITVR.

Quid? idem Domitius M. Silanum, conſularem hominem, quemadmodũ Tribunus pl. uexauit? ] M. Silanus quinquennio

ante

*ante Conſul fuerat, quàm Domitius Tribunus ple. atque ipſe quoque aduerſus Cimbros rem male geſſerat. quam ob cauſam Domitius eum apud populum accuſabat: criminabatur bellum cum Cimbris iniuſſu populi geſſiſſe, idq; principium fuiſſe calamitatum, quas eo bello populus accepiſſet: ac de eo tabellam quoq; dedit: ſed pleniſſime Silanus abſolutus eſt: nam duæ ſolæ tribus eũ, Sergia, & Quirina, dãnauerunt. Hæc eſt controuerſia eiuſmodi, ut mihi Trib. pl. Cn. Domitius* ✶ *Catulo. M. Terpolius contemptiſſimum nomen eiectum eſſe ex ijs qui Trib. pl. fuerunt.* ] *Poſt infractã tribunitiã poteſtatem à Sylla,* ✶ *ante reſtitutam à Cn. Pompeio, apparet. fuit autem is Tribunus pl. ante XII annos, D. Bruto, & M. Lepido Coss. Cn. Domitius Tribunus fuerat ante II. de XL annos, C. Mario II. C. Fimbria Coss. Magno numerro ſentẽtiarum Cornelius abſolutus eſt.*

# COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM IN TOGA CANDIDA CONTRA C. ANTONIVM ET L. CATILINAM COMPETITORES IN SENATV.

## ARGVMENTVM.

*HAEC oratio dicta eſt L. Cæſare C. Figulo Coss. poſt annum quàm pro Cornelio dixerat. Sex competitores in Conſulatus petitione Cicero habuit, duos patritios, P. Sulpitiũ Galbam, L. Sergium Catilinam; quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles, C. Antonium, M. Antonij oratoris filium, L. Caſſium Lõginum, duos, qui tantum non primi ex familijs ſuis magiſtratum adepti erãt, Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotẽ. ſolus Cicero ex competitoribus equeſtri erat loco natus, atq; in petitione patrem amiſit. cæteri eius cõpetitores modeſte ſe geſſere, ut ſiq; ſunt Cornificius & Galba ſobrij ac ſancti uiri: Sacerdos nulla improbitate notus. Caſſium, qui iners ac ſtolidus tum magis, quàm improbus uideretur, poſt paucos menſes in coniuratione Catilinæ eſſe apparuit, ac cruenciſſimarum ſententiarum fuiſſe auctorem: itaq; hi quatuor pro re iacebant. Catilina autem & Antonius, quanquam omnibus maxime infamis eorũ uita eſſet, tamen multum poterant. coierant enim ambo, ut Ciceronem Conſulatu deijcerent, adiutoribus uſi firmiſſimis, M. Craſſo, & C. Cæſare. itaq; hæc oratio contra ſolos Catilinam & Antonium eſt. Cauſa orationis huiuſmodi in ſenatu habẽdæ Ciceroni fuit, quod, cum in dies licentia ambitus augeretur propter præcipuam Catilinæ & Antonij audaciam, cenſuerat ſenatus, ut lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur: eiq; rei Q. Mutius Oreſtinus Tribunus pl. interceſſerat. cum Cicero, grauiter ſenatu interceſſionem ferente, ſurrexit, atq; in coitionem Catilinæ & Antonij inuectus eſt ante dies comitiorum paucos.*

### Initium expoſitionis.

DICO P. C. *ſuperiore nocte cuiuſdam hominis nobilis, & ualde in hoc largitionis quæſtu noti & cogniti, domum Catilinã & Antonium cum ſequeſtribus ſuis conueniſſe.* ] *Aut C. Cæſaris, aut M. Craſſi domum ſignificat, etenim accerimi ac potentiſſimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petijt Conſulatum, quod eius in dies ciuilem creſcere dignitatem animaduertebant. & hoc ipſe Cicero in expoſitione ſuorũ conſiliorũ ſignificat. eius quoq; cõiurationis, quæ Cotta & Torquato Coss. ante annum quàm hæc dicerentur facta eſt à Catilina & Piſone, arguit M. Craſſum auctorem fuiſſe.* QVem *enim aut amicum habere poteſt is. qui ciues trucidauit; aut clientem, qui in ſua ciuitate cum peregrino negauit ſe iudicio æquo certare poſſe?* ] *Catilinam, cum in Syllanis partibus fuiſſet, crudeliter feciſſe, nominatim etiam poſtea Cicero dicit, quos occiderit, Q. Cæcilium, M. Volumnium, L. Tantaſium: M. etiam Marij Gratidiani, ſumme popularis hominis, qui ob id bis Prætor fuit, caput abſciſſum per Vrbem ſua manu Catilina tulerat: quod crimen ſæpius ei tota oratione obijcit. fuerat uero hic Gratidianus arcta neceſſitudine Ciceroni coniunctus. clientem autem negat habere poſſe C. Antonium. nam is multos in Achaia ſpoliauerat, nactus de exercitu Syllano equitum turmas. deinde Græci, quos ſpoliauerat, eduxerũt Antonium in ius ad M. Lucullum Prætorem, qui ius inter peregrinos dicebat. ✶ egit pro Græcis etiã tum adoleſcẽtulus, de quo paulo ante mẽtionem fecimus. & cum Lucullus id, quod Græci poſtulabant, decreuiſſet, appellauit Tribunos Antonius, iurauitq; ſe ideo iurare, quod æquo iure uti non poſſet. hunc Antonium Gellius & Lentulus Cenſores ſexennio, quo hæc dicerentur, ſenatu mouerunt, cauſasq; ſubſcripſerunt, quod ſocios diripuerit, quòd iudicium recuſarit, quòd propter æris alieni magnitudinem prædia mancipārit, bonaq; ſua in poteſtate non haberet.* Ne ſi iã tum reſpexit, cum grauiſſimis ueſtris decretis abſens notatus eſt. ] *Catilina ex Prætura Africam prouinciam obtinuit. quam cum grauiter uexaſſet, Legati Afri in ſenatu iã tũ abſente illo queſti ſunt, multæq; graues ſententiæ in ſenatu de eo dictæ ſunt.* In iudicijs quanta uis eſſet, didicit cum eſt abſolutus ſi, aut illud iudicium, aut illa abſolutio nominanda eſt. ] *Ante annum quàm hæc dicerentur, Catilina cũ rediſſet ex Africa, Torquato, & Cotta Coss. Accuſatus eſt repetundarum à P. Clodio adoleſcente, qui poſtea inimicus Ciceroni fuit. defenſus eſt Catilina, ut Feneſtella tradit, à M. Cicerone. quod ego ut addubitem, hæc ipſa Ciceronis oratio facit, maxime quòd is nullam mẽtionem rei habet, cum potuerit inuidiam facere competitori tam turpiter aduerſus ſe coeunti; præſertim cũ alterum competitorem ſuum Antoniũ in eadem hac oratione ſua admoneat, ſuo beneficio eũ ex ultimo loco Præturæ candidatũ ad tertiũ perueniſſe.* Neſcis, me Prætorem primum eſſe factum, te conceſſione competitorum, & collatione centuriarum, & meo maxime beneficio è poſtremo in tertium locum eſſe ſubiectum? *qui igitur Antonio ſuffragationem ſuam imputandam putat, is, ſi defendiſſet Catilinam, caput eius protectum à ſe non ei imputaret? quòd ita eſſe, manifeſtum eſt ex eo, quod ſtatim dicit. Q. enim Mutius Tribunus pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur: quod facere pro Catilina uidebatur. hunc Mutium in hac oratione appellans Cicero ſic ait.* Te tamen Q. Muti tam male de eep. exiſtimare, moleſte fero, qui heſterno die me eſſe dignũ Conſulatu negabas. quid? populus Romanus minus diligenter ſcit ſibi conſtituere defenſorem, quàm tu tibi? qui, cum te furti L. Calenus ageret, me potiſſimum fortunarum tuarum patronum eſſe uoluiſti. & cuius tu conſilium in tua turpiſſima cauſa delegiſti, hunc honeſtiſſimarum rerũ defenſorem populus Romanus auctore te repudiare põtuit? niſi forte hoc dicturus es, quo tempore à L. Caleno furti delatus ſis, eo tempore in me tibi parum auxilij eſſe uidiſſe. ] *Verum, ut egerit Mutij cauſam Cicero, ſicut Catilinæ egiſſe eũ uideri uult Feneſtella, cur, cum, quãuis male exiſtimet de cauſa Mutij, tamen ei exprobret patrocinium ſuum, non idem in Catilina faciat, ſi modo pro eo dixit?*

## Initium expoſitionis.

### VERSV A' PRIMO CIRCITER CLXI.

POSTVLATVR apud me Prætorem primum de pecunijs repetundis. Proſpectat uidelicet Cominius, quid agatur. uidelicet homines fœneos in medium ad tētandum periculū proiectos. ] Simulacra effigieſq; hominum ex fœno fieri ſolebant, quibus obiectis ad ſpectaculum præbendū tauri irritarentur. Quid Metellus, ſumma nobilitate, ac uirtute, cū bis iuraſſet, ſemel priuatim. * Priuatum partæ publicæ legis, delectus eſt ratione, au ul * an ueri ſuſpicioné animi tollit C. Curionis uirtus, ad dignitas, & Q. Metelli adoleſcentia ad ſummam laudem omnibus rebus ornata. ] Hoc exemplum affert hoc loco, quòd uult probare, deſiſtere eum debere ab accuſatione, quanquam neque accuſauerit, neque fecerit pactioné. nam Metellus & poſtulauerat Curionem, & deſtiterat. Confugit autem orator ad Metelli nobilitatem, & ad C. Curionis induſtriam, ut legeret id, quod illi utilius, quàm honeſtius, fecerāt. Res autem tota ſe ſic habet: in qua quidem illud primū explicandum eſt, de quo Metello hoc dicit. fuerunt enim tuue plures Quinti Metelli: ex quibus duo conſulares, Pius, et Creticus, de quibus apparet eum non dicere: duo autē adoleſcentes, Nepos, & Celer, ex quibus nunc Nepotem ſignificat eius enim patrem Q. Metellum Nepotem, Balearici filium, Macedonici nepotem, qui Conſul fuit cum T. Didio, Curio is, de quo loquitur, accuſauit; isq; Metellus moriēs petijt ab hoc filio ſuo Metello, ut Curionem accuſatorem ſuum accuſaret; et, id facturū eſſet, iureiurando adegit. Metellus fecit reū Curionem. cumq; interim quendam ciuem idem Metellus, ſeruū eſſe contendēs, ui arripuiſſet, ac uerberibus affeciſſet; Curio aſſertorem ei cōparauit, dein, cum appareret eum exitum iudicij illius futurū, ut liber is iudicaretur, quem Metellus uerberibus affectum eſſe negare non poterat: inter Metellū & Curioné facta pactio eſt, ut neq; arbitrium de libertate urgeret in Metellū Curio, neque Metellus perſtaret in accuſatione Curionis. eaq; pactio ab utroq; firmata eſt. huc ergo illud pertinet, cū iuraſſe dixit, ſemel priuatim, et iterum legatū, ſcilicet cum in Curionem calumniam iurauit. Cum hoc autem Metello poſtea Cicero ſimultates geſſit: euaſit enim Metellus malus atque improbus ciuis. Legem, inquit, de libertinorum ſuffragijs Cornelius cū Mālio dedit. quid eſt hoc? dedit, an tulit, an rogauit, an hortatus eſt? nam tuliſſe ridiculum eſt, quaſi legem aliquam aut ad ſcribendū difficilem, aut ad excogitandum reconditā, quæ lex paucis his annis non modo ſcripta, ſed etiam lata eſſet. ] P. Sulpitium in Tribunatu hanc eandem legē tuliſſe ſignificauimus. tulit autem L. Sylla, qui poſtea Felix appellatus, Q. Pompeio Coſſ. ante XVI annos, quàm hæc dicta ſunt, cum per uim rempublicā poſſediſſet, ab initijs bonarum actionū ad perditas progreſſus. quod & initium bellorum ciuilium fuit, et propter quod ipſe Sulpitius Coſ. armis ire oppreſſus eſſe uiſus eſt. In quo cum multa reprehēſa ſint, tum in primis celeritas actionis. ] Celeritatem actionis ſignificat, quia Manilius, ſicut iam oſtendimus, poſt pauculos ſtatim dies, quàm inierat Tribunatum, legem eandem compitalibus pertulit. Petiuit tamē à me Prætore maxima conteſtatione, ut cauſam Manilij defenderem. ] C. Cornelium ſignificat, ſicut iam ante dictum eſt.

### VERSV A' PRIMO DCCCCL.

Dicit de eodem Manilij tribunatu. Nam cum is Tribunus pl. duas leges tuliſſet in eo magiſtratu, unam pernicioſam, alteram egregiam, quod ſumma republica non haſit, ſed ab illo ipſo Tribuno abiectum eſt, bonū aūt quod ſumma rep. manet in * ueſtri ordini fuit. ] Supra de his legibus: quarū una de libertinorum ſuffragijs, quæ cum S. C. damnata eſſet, ab ipſo quoque Manilio abiecta eſt: altera de bello Mithridatico Cn. Pompeio extra ordinem mandando; ex qua lege tum Magnus Pompeius bellum gerebat. Dicit de diſturbato iudicio Māliano. Alij: ille in illum furorum magnis hominibus auctoribus impulſus eſt, qui aliquod inſtitui exemplum diſturbandorū iudiciorum, pernicioſiſſimum, temporibus ſuis accommodatiſſimum, meis alieniſſimum rationibus, cupierūt. ] L. Catilinam & Cn. Piſonem uidetur ſignificare. Fuit autem Catilina patritius, & eodem illo tempore erat reus repetundarum, cum prouinciam Africam obtinuiſſet, & Conſulatus candidatum ſe oſtendiſſet. accuſator erat eius P. Clodius adoleſcens, ipſe quoque perditus, qui poſtea cum Cicerone inimicitias geſſit. Cneus quoque Piſo, adoleſcens potēs & turbulentus, familiaris erat Catilinæ, omniumq; conſiliorum eius particeps, & turbarum auctor.

### VER. CIR. LXI.

Poſſum dicere, hominem ſumma prudentia clarum C. Cottā de ſuis legibus abrogandis ipſum ad ſenatū retuliſſe. ] Hic eſt Cotta, de quo iam ſæpe diximus, magnus orator habitus, & cōpar in ea gloria P. Sulpitio, & C. Cæſari. Videntur autem in rebus paruis fuiſſe leges, illæ quas cū tuliſſet, retulit de ijs abrogandis ad ſenatum. nam neque apud Salluſtium, neq; apud Liuium, neque apud Feneſtellam ullius alterius latæ ab eo legis mentio, præter eam, quam in concione nobilitate magno populi ſtudio, ut ijs, qui Tribuni pl. fuiſſent, alios quoque magiſtratus capere liceret. quod lex à Dictatore L. Sylla paucis ante annis lata prohibebat. neque eā Cottæ legem abrogatā eſſe ſignificat.

### SEQVITVR.

Poſſum & eiuſdem Cottæ legem de iudicijs priuatis anno poſt, quàm lata ſit, à fratre eius. ] M. Cottā ſignificat. fuerunt autē tres, duo hi, C. & M. tertius L. Cotta, qui lege ſua iudicia inter tres ordines communicauit, ſenatum, equites, tribunos ærarios: adeptiq; ſunt omnes Conſulatum.

### STATIM.

Legem Liciniam & Mutiam de ciuibus regundis, uideo conſtare inter omnes, quam duo Conſules omniū, quos uidimus, ſapientiſſimi tuliſſent, non modo inutilem, ſed pernicioſam reip. fuiſſe. ] L. Licinium Craſſum oratorem, & Q. Mutium Scæuolam Pont. Max. eundemq; & oratorem, & iuriſconſultum, ſignificat. hi enim legē eam, de qua loquitur, de regēdis in ſua ciuitate ſocijs, in ſua Conſulatu tulerunt. cū enim ſumma cupiditate ciuitatis Romanæ Italici populi tenerentur, & ob id magna pars eorum pro ciuibus Romanis ſe gereret; neceſſaria lex uiſa eſt, ut in ſuæ quiſque ciuitatis ius redigeretur. uerum ea lege ita alienati animi ſunt principum Italicorum populorū, ut ea uel maxima cauſa belli Italici, quod poſt triennium exortum eſt, fuerit. Quatuor omnino genera ſunt iudices, in quibus per ſenatum more maiorem ſtatuatur aliquid de legibus. unum eſt eiuſmodi, placere legem abrogari, ut Q. Cæcilio, M. Iunio Coſſ. quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. ] Q. Cæcilius Metellus Numidicus, M. Iunius Silanus, de quibus facit mentionem, Conſules fuerunt bello Cimbrico, quod diu praue ſimul & infeliciter geſtum eſt. neque ipſe quoque hic Iunius male rem aduerſus Cimbros geſſit, ac plures leges, quæ per eos annos, quibus hæc gerebātur, populo latæ erāt, quibus militiæ ſtipendia minuebantur, abrogauit. Alterum, quæ lex lata eſſe dicatur, ea non uideri populum teneri, ut L. Marcio Sex. Iulio Coſſ. De legibus Liuijs. ] Puto uos reminiſci, has eſſe leges Liuias, quas illis Conſulibus M. Liuius Drutus Tribunus pl. tulerit: qui cum ſenatus partes tuendas ſuſcepiſſet,

et leges pro optimatibus tuliſſet, poſtea eò licētia eſt progreſſus, ut nullum in ijs morē ſeruaret. itaque Philippus Conſul, qui ei inimicus erat, obtinuit à ſenatu, ut leges eius omnes uno S. C. tollerētur. decretū eſt enim, cōtra auſpicia eſſe latas, neq; ijs teneri populum. Tertium eſt de legum abrogationibus. quo de genere perſæpe S. C. fiūt, ut nuper de ipſa lege Calphurnia, quæ derogaretur. ] Lex hæc Calphurnia de ambitu erat. tulerat eā ante bienniū C. Calphurnius Piſo Conſul; in qua præter alias pœnas pecuniaris quoq; pœna erat adiecta. P. Africanus ille ſuperior, ut dicitur, non ſolum à ſapientiſſimis hominibus, qui tum erant, uerum etiam à ſe ipſo ſæpe accuſatus eſt, q, cum Conſul eſſet, cum T. Longo, paſſus eſſet tum primum à populari conſeſſu ſenatoria ſubſellia ſeparari. ] Hoc factum eſt ſecundo Conſulatu Scipionis, poſt ſeptimū annum quàm Carthaginenſibus bello ſecūdo dicta eſt pax. factū id eſſe autē Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt Aediles curules Atilius Serranus, T, Scribonius Libo: id eos feciſſe iuſſu Cēſorum Sex. Aelij Peti, C. Cornelij Cethegi. & uidetur in hac oratione hunc quidem auctorem ſecutus Cicero dixiſſe, paſſum eſſe Scipionem ſecerni à cætero conſeſſu ſpectacula ſenatorum. in ea autē, quā poſt aliquot annos habuit de ariſpicum reſponſo, nō paſſum eſſe Scipionem, ſed ipſum auctorē fuiſſe dandi eum locum ſenatoribus, uidetur ſignificare. uerba eius hæc ſunt. Nam quid ego de illis ludis loquar quos in Palatio noſtri maiores ante templū matris magnæ fieri celebrariq; uoluerunt: quibus primum ludis ante populi conſeſſum ſenatui locum P. Africanus II. Cos. & collega eius Sempronius Longus. hoc tributum eſſe ſenatui ſcribit, ſed ſine mentione Megaleſium: Aediles enim eos ludos facere ſoliti erant. uotiuis ludis factum tradit, quos Scipio & Longus Coſs. fecerint. Non præterire autem uos uolo, eſſe oratoriæ calliditatis, ut, cum opus ſit, eiſdem rebus ab utraque parte uel à contrarijs utantur. nam cum ſecundum Ciceronis opinionē auctore Scipione Conſule Aediles ſecretū ante omnes locum ſpectandi ſenatoribus dederint. eodē illo facto Scipionis in hac quidem oratione, quia cauſa popularis erat, premebaturq; ſenatus auctoritate, atq; ob id dignitatem eius ordinis quàm poſſit maxime eleuari cauſæ expediebat; pœnituiſſe ait Scipionem, quòd paſſus eſſet id fieri. in ea de aruſpicum reſponſo, quia in ſenatu habebatur, cuius auribus erat blandiendum, & magnopere illum laudat, & non auctorem fuiſſe dandi, nam id erat leuius, ſed ipſum etiam dediſſe dicit.

## CIRCA MEDIVM.

Quo loco numerat cum lex feratur, quot loca interceſſionis ſunt * iubeat dicere. Eſt utique ius uetandi, cum ea feratur quandiu * ferundi transferuntur ideſt lex. * dū priuati dicūt dum * dum ſitella defertur, dum æquātur ſortes, dum ſortitio fit, & ſi quæ ſunt huius generis alia. ] His peractis, cum id ſolum ſupereſt, ut populus ſententiam ferat, iubet unūquēque is, qui fert legem, diſcedere. quod uerbum nō hoc ſignificat, quod in communi conſuetudine eſt, de eo loco, ubi lex fertur, ſed in ſuā quiſque tribum diſcedat, in qua eſt ſuffragium laturus. populus enim confuſus, ut ſemper aliàs, ita & in concione.

## PAVLO POST.

Vnum tamē, quod hoc ipſo Tribuno pl. factū eſt, prætermittendum non uidetur. neque enim maius eſt legere codicem, cū intercedatur; quàm ſitellam ipſam cum ipſe interceſſore deferre; nec grauius incipere ferre, quàm perferre; nec uehemētius oſtēdere ſe laturum inuito collega, quàm ipſi collegæ magiſtratum abrogare; nec criminoſius tribus ad legem accipiendam, quàm ad collegam reddendum priuatum introuocare. quæ uir fortis huius collega Aulus Gabinius in re optima fecit omnia: neque, cum ſalutem populo R. atq; omnibus gentibus finē diuturnæ captiuitatis, turpitudinis, & ſeruitutis afferret, paſſus eſt plus unius collegæ ſui, quàm uniuerſæ ciuitatis uocem ualere, et uoluntatem. ] Manifeſtum eſt, de ea lege Ciceronem nunc dicere, qua Cn. Pompeio bellum aduerſus piratas datū eſt. L. autem Trebellius Tribunus pl. quem non nominat: quo perſeuerante intercedere, (nam ſenatui promiſerat, moriturū ſe ante, quàm illa lex perferretur) introuocare tribus Gabinius cœpit, ut Trebellio magiſtratum abrogeret, ſicut quondam T. Gracchus Tribunus M. Octauio collegæ ſuo magiſtratum abrogauit. et aliquandiu Trebellius ea re non perterritus aderat, perſtabatq; in interceſſione, quòd omnia magis, quàm perſeueraturū eſſe Gabinium, arbitrabatur. ſed poſtquam X & VII tribus rogationem acceperunt; & una mens eſſet populi, ut iuſſum cōficeret; remiſit interceſſionem Trebellius: atque ita legem Gabinius de piratis perſequendis pertulit. At cum de corrigenda lege retulerunt. ] Diximus iam in principio, Cornelium primo legem promulgaſſe, ne quis per ſenatū lege ſolueretur: deinde tuliſſe, utrum denique de ea re S. C. fieret, cum adeſſent in ſenatu non minus CC. hæc eſt illa, quam appellat, correctio, idem, niſi hæc ipſa lex, quam C. Cornelius tulit, obſtitiſſet, decreuiſſem id, quod palàm iam iſti defenſores iudiciorum pugnauerunt, ſenatui non placere id iudicium de Syllæ bonis fieri. quam ego cauſam longe aliter Prætor in concione defendi, cum id dicerē, quod idem iudices poſtea ſtatuerunt, iudicium æquiore tempore fieri oportere. ] Quia defuerat ſuperioribus tēporibus in ærario pecunia publica, multa & ſæpe eius rei remedia erant quæſita, in quibus hoc quoque, ut pecuniæ publicæ, quæ reſiduæ apud quenque eſſent, exigerentur. id autem maxime pertinebat ad Cornelium Fauſtum Dictatoris filium, quia Sylla per multos annos, quibus exercitibus præfuerat, & Remp tenuerat, ſumpſerat pecunias ex uectigalibus, & ex ærario populi Romani: eaq; res ſæpe erat agitata, ſæpe omiſſa, partim propter Syllanarum partium potentiam, partim quòd iniquum uidebatur, poſt tot annos, quam quis pecuniam acceperat, rius reddere rationem.

## STATIM.

Antea uero quàm multarum rerum iudicia ſublata ſint, et quia ſcitis, prætereo, & ne quem in iudiciū oratio mea reuocare uideatur. ] Bello Italico, quod fuit adoleſcentibus illis, qui tum in rep. uigebant, cum multi Varia lege inique dānarētur, quaſi id bellum illis actoribus conflatum eſſet, crebræq; defectiones Italicorū nunciaretur, tunc ob eius triſtitiæ occaſionem ſenatus decreuit, ne iudicia, dum tumultus Italicus eſſet, exercerentur. quod decretum eorum in concionibus populi ſæpe agitatum erat. ſupererant autem ex ijs, qui illa iudicia metuerūt, uigentes multi, maxime C. Curio, Curionis adoleſcentis pater, eius, qui bello Ciuili Cæſaris fuit partium.

## PAVLO POST.

Non Cn. Dolabella C. Volcatium, honeſtiſſimum uirum, cōmuni et quotidiano iure priuaſſet. ] Duo fuerunt eo tempore Dolabellæ, quorum alterum C. Cæſar accuſauit, alterū M. Scaurus. Non denique homo illorum & uita & prudentia lōge diſſimilis, ſed tamen nimis in gratificando iure liber, L. Siſenna bonorum Cn. Cornelij poſſeſſionem ex edicto ſuo P. Scipioni, adoleſcenti ſumma nobilitate, eximia uirtute prædito, dediſſet. ] Hoc ſolum hic annotandum eſt, hunc eſſe L. Siſennam, qui res Romanas ſcripſit. Quare cum ambitum populus Romanus uideret, & cum à Tribunis pl. doceretur, niſi pœna acceſſiſſet in diuiſores, extingui ullo modo poſſe, legē hanc Cornelij flagitabat; illam, quæ ex S. C. ferebatur, repudiabat. ] Idq; uir is doctiſſimus duorum Conſulum deſignatorum * calamitate.

## ET EADEM DE RE PAVLO POST.

VT ſpectaculam illud duorum deſignatorum Cōſulū calamitate, re & tempore ſalubre ac neceſſarium, genere & exemplo miſerum ac funeſtū, uideremus. ] P. Syllam & L. Antronium ſignificat: quorum alterum L. Cotta, alterū L. Torquatus, qui, cum hæc Cicero dicebat, Conſules erant, ambitus dānarant, & in eorū locum creati erant. Quid ego nunc tibi argumentis reſpondeam, poſſe fieri ut alius aliquis Cornelius ſit, qui habeat * Philerotē, res uulgare nomē eſſe Phileroti, Cornelios uero ita multos, ut iam etiam collegium conſtitutum ſit? ] Frequenter tum etiam cœtus factioſorum hominum ſine publica auctoritate malo publico fiebant: propter quod poſtea collegia S. C. et pluribus legibus ſunt ſublata, præter pauca atq; certa, quæ utilitas ciuitatis deſideraſſet, ut fabrorum, lictorumq;.

At enim extremi ac difficillimi temporis uocem illam C. Cornelii Conſulem mittere coegiſti, qui rempublicam ſaluā eſſe uellent, ut ad legem accipiendā adeſſent. ] C. Piſo, qui Cōſul eodem anno fuit, quo Cornelius Tribunus pl. erat, cum legem de ambitu ex S. C. grauiorem, quàm fuerat antea, ferret; et propter multitudinem diuiſorum, qui per uim aduerſabantur, à foro electus eſſet: edixerat id quod Cicero ſignificat, et maiore manu ſtipatus ad legem proferendā deſcēderat. Plebem ex Maniliana offenſione uictā & domitā eſſe dicit, ante ueſtros annos propter illius Tribuni pl. temeritatem poſſe adduci, ut omnino * ne illius poteſtate abalienemur * qui reſtituerūt eā poteſtatē, alterū nihil unum poſſe contra multos, alterū lōge abeſſe. ] Manifeſtum puto eſſe nobis, M. Craſſum, & Cn. Pōpeiū ſignificari: è quibus Craſſus iudex tum ſedebat in Cornelium, Pompeius in Aſia bellum Mithridaticum gerebat. Tāta igitur in illis uirtus fuit, ut anno X V I poſt reges exactos propter nimiam dominationem potentium ſecederēt, leges ſacratas ipſi ſibi reſtituerent: duos Tribunos crearent, montem illum trans Anienē, qui hodie mons Sacer nominatur, in quo armati conſederant, æternæ memoriæ cauſa conſecrarent. itaque auſpicato poſtero anno X Tribuni pleb. comitijs curiatis creati ſunt. ] Inducor magis librariorum hoc loco eſſe mendam, quàm ut Ciceronem parum proprio uerbo uſum eſſe credam. illo enim tēpore, de quo loquitur, quod fuit poſt X V I annos quàm reges exacti ſunt, plebs ſibi leges ſacratas non reſtituit, (nunquā enim Tribunos pl. habuerat.) ſed tum primū eas conſtituit. Numerum quidem annorum poſt reges exactos, quo id factum eſt, diligenter poſuit, qui fuit A. Verginio Tricoſto, L. Veturio Cetutino Cos. Ceterū quidā non duos Tribunos pl. ut Cicero dicit, ſed quinq; tradunt creatos tū eſſe, ſingulos ex ſingulis claſſibus: ſunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quē Cicero, ponant: inter quos Tuditanus, et Pomponius Atticus, Liuiuſq; noſter. idem hic & Tuditanus adijciunt, tris præterea ab illis duobus collegas creatos eſſe. nomina duorum ſunt hæc, qui primi creati traduntur, L. Sicinius L. F. Velutus, L. Iunius C. F. Paterculus. Reliqua pars huius loci, quæ pertinet ad ſecundā conſtitutionem Tribunorum, & Decemuirorum finitum imperium, & breuiter & aperte ab ipſo dicitur. nomina ſola non adijcit, quis ille ex Xuiris fuerit, qui contra libertatem uindicias dederit; & quis ille pater, contra cuius filiam id decreuit: quòd ſcilicet, ut ipſe Pomponius latiſſime refert in lege I I. uerſ. Virgin. de origine iuris notiſſimum eſt, Decemuirum illum Appium Claudium fuiſſe, patrem autem uirginis L. Virginium, hoc tantummodo explicandum, quo loco primum de ſecunda ſeceſſione plebis, deinde de concordia facta, ſic dicit. Tum interpoſita fide per tres legatos, ampliſſimos uiros, Romam armati reuertuntur: in Auentino conſederunt: inde armati in Capitolium uenerunt; decē Tribunos pl. per Pontificem, quòd magiſtratus nullus erat, creauerunt. ] Legati tres. quorū nomina non ponit, ij fuerunt, Sp. Tarpeius, C. Iulius, P. Sulpicius, omnes conſulares: Pontifex Maximus fuit M. Papirius. Etiam hæc recentiora prætereo, ponam principium iuſtiſſimæ libertatis. Caſſiam, qua lege ſuffragiorum uis poteſtaſq; conualuit, alteram Caſſiam quæ populi iudicia firmauit. ] Quæ ſit iſta lex Caſſia, qua ſuffragiorum poteſtas conualuit, manifeſtum eſt. nam ipſe quoque paulo ante dixit, legem Caſſium tuliſſe, ut populus per tabellam ſuffragium ferret. altera Caſſia lex, quæ populi iudicia firmauit, quæ ſit, poteſt quæri. eſt autem hæc. L. Caſſius L. F. Lōginus Tribunus pl. * C. Mario, C. Flacco Coss. plures leges ad minuendū nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut, quem populus damnaſſet, cui ue imperium abrogaſſet, in ſenatu nō eſſet. tulerat autem eam maxime propter ſimultates cum Q. Cæcilio, qui ante biennium Conſul fuerat; & cui populus, quia male aduerſus Cimbros rem geſſerat, imperium abrogauit. Dicit de nobilibus. Qui nō modo cum Sylla, uerum etiam, illo mortuo, ſemper hoc per ſe ſummis opibus retinendum putauerunt; inimiciſſimi, C. Cottæ fuerunt, quòd is Conſul paulum Tribunis pl. non poteſtatis, ſed dignitatis addidit. ] Hic Cotta, ant puto, legem tulit, ut Tribunis pl. liceret poſtea alios magiſtratus capere: quod lege Syllæ ijs erat ademptum. Quandiu quidem hoc animo erga uos illa plebs erit, quo ſe oſtendit eſſe, cum legem Aureliam, cum Roſciam non modo accepit, ſed etiam efflagitauit. ] Aurelia lege communicata iudicia inter ſenatores, & equeſtrem ordinē, & tribunos ærarios. Roſcia eſt, quam L. Roſcius Otho biennio ante Cos. firmauit, ut in theatro equitibus Romanis X I I I I ordines ſpectandi gratia darentur. Memoria teneo, cum primum ſenatores cum equitibus Romanis lege Plotia iudicarent, hominem dijs ac nobilitati perinuiſum, Cn. Pompeium cauſam lege Varia de maieſtate dixiſſe. ] M. Plautius Silanus Tribunus pl. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coss. ſecundo anno belli Italici, cū equeſter ordo in iudicijs dominaretur, legem tulit adiuuantibus nobilibus, quæ lex uim eam habuit, quā Cicero ſignificat: nam ex ea lege tribus ſingulæ ex eo numero quinos denos ſuffragio creabant, qui eo anno iudicarent. ex eo factum eſt, ut ſenatores quoque in eo numero eſſent, & quidam etiam ex ipſa plebe.

## PRO CORNELIO.

Num in eo, qui ſint hi teſtes, hæſitatis? ego uobis edā duos. reliqui ſunt de conſularibus, inimici tribunitiæ poteſtatis. pauci præterea aſſentatores eorū atque aſſeclæ ſubſequuntur. ] M. Lucullū, et M. Lepidū ſignificat. quinque enim conſulares, ut iā diximus, in Cornelium teſtimoniū dixerunt, Q. Catulus, Q. Hortenſius, Q. Metellus Pius Pont. Max. quos hac ſecunda oratione * tractat; et duo, qui non dixerunt, quos nunc ſignificat, Lucullus & Lepidus. Quid auunculus tuus, clariſſimus uir, clariſſimo patre, auo, maioribus, credo ſilentio, fauente nobilitate, nullo interceſſore comparato, populo R. dedit, & potentiſſimorum hominum collegijs eripuit cooptandorum ſacerdotum poteſtatem. ] Hoc egere enarratione, quia hoc loco non ponit quis fecerit, ei demū uideri pōt, qui oblitus ſit, minus ante X V uerſus hæc de eo ipſo Ciceronem dixiſſe: Sed ſi familiariter ex Q. Catulo ſapientiſſimo uiro atque humaniſſimo uelim quærere, utrius tandem tibi Tribunatus minus probari pōt, C. Cornelij, an, non dicam P. Sulpitij, non L. Saturnini, non C. Gracchi, non Tiberij, neminem, quem iſti ſeditioſum exiſtimāt, nominabo; ſed auūculi tui Q. Catuli, clariſſimi patrieq; amātiſſimi uiri: quid mihi tandem reſponſurum putatis?

## SEQVITVR.

Quid idem Domitius M. Silanum, conſularem hominem, quemadmodū Tribunus pl. uexauit? ] M. Silanus quinquēnio

ante

*ante Conſul fuerat, quàm Domitius Tribunus ple. atque ipſe quoque aduerſus Cimbros rem male geſſerat. quam ob cauſam Domitius eum apud populum accuſabat: criminabatur bellum cum Cimbris iniuſſu populi geſſiſſe, idq; principium fuiſſe calamitatum, quas eo bello populus accepiſſet: ac de eo tabellam quoq; dedit: ſed pleniſſime Silanus abſolutus eſt: nam duæ ſolæ tribus eũ, Sergia, & Quirina, dânauerunt. Hæc eſt controuerſia eiuſmodi, ut mihi Trib. pl. Cn. Domitius * Catulo. M. Terpolius contemptiſſimum nomen electum eſſe ex ijs qui Trib. pl. fuerunt.] Poſt infractã tribunitiã poteſtatem à Sylla, * ante reſtitutam à Cn. Pompeio, apparet. fuit autem is Tribunus pl. ante XII annos, D. Bruto, & M. Lepido Coss. Cn. Domitius Tribunus fuerat ante II. de XL annos, C. Mario II. C. Fimbria Coss. Magno numerro ſentẽtiarum Cornelius abſolutus eſt.*

# COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM IN TOGA CANDIDA CONTRA C. ANTONIVM ET L. CATILINAM COMPETITORES IN SENATV.

## ARGVMENTVM.

*HAEC oratio dicta eſt L. Cæſare C. Figulo Coss. poſt annum quàm pro Cornelio dixerat. Sex competitores in Conſulatus petitione Cicero habuit, duos patritios, P. Sulpitiũ Galbam, L. Sergium Catilinam; quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles, C. Antonium, M. Antonij oratoris filium, L. Caſſium Lõginum, duos, qui tantum non primi ex familijs ſuis magiſtratum adepti erãt, Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotẽ. ſolus Cicero ex compeditoribus equeſtri erat loco natus, atq; in petitione patrem amiſit. cæteri eius cõpetitores modeſte ſe geſſere, uiſiq; ſunt Cornificius & Galba ſobrij ac ſancti uiri: Sacerdos nulla improbitate notus. Caſſium, qui iners ac ſtolidus tum magis, quàm improbus uideretur, poſt paucos menſes in coniuratione Catilinæ eſſe apparuit, ac cruentiſſimarum ſententiarum fuiſſe auctorem: itaq; hi quatuor pro re iacebant. Catilina autem & Antonius, quanquam omnibus maxime infamis eorũ uita eſſet, tamen multum poterant. coierant enim ambo, ut Ciceronem Conſulatu deijcerent, adiutoribus uſi firmiſſimis, M. Craſſo, & C. Cæſare. itaq; hæc oratio contra ſolos Catilinam & Antonium eſt. Cauſa orationis huiuſmodi in ſenatu habẽdæ Ciceroni fuit, q, cum in dies licentia ambitus augeretur propter præcipuam Catilinæ & Antonij audaciam, cenſuerat ſenatus, ut lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur: eiq; rei Q. Mutius Oreſtinus Tribunus pl. interceſſerat. cum Cicero, grauiter ſenatu interceſſionem ferente, ſurrexit, atq; in coitionem Catilinæ & Antonij inuectus eſt ante dies comitiorum paucos.*

### Initium expoſitionis.

DICO P. C. ſuperiore nocte cuiuſdam hominis nobilis, & ualde in hoc largitionis quæſtu noti & cogniti, domum Catilinã & Antonium cum ſequeſtribus ſuis conueniſſe.] *Aut C. Cæſaris, aut M. Craſſi domum ſignificat, etenim accerimi ac potentiſſimi fuerunt Ciceronis refragratores, cum petijt Conſulatum, q eius in dies ciuilem creſcere dignitatem animaduertebant. & hoc ipſe Cicero in expoſitione ſuorũ conſiliorũ ſignificat. eius quoq; cõiurationis, quæ Cotta & Torquato Coss. ante annum quàm hæc dicerentur facta eſt à Catilina & Piſone, arguit M. Craſſum auctorem fuiſſe.* Quem enim aut amicum habere poteſt is. qui ciues trucidauit; aut clientem, qui in ſua ciuitate cum peregrino negauit ſe iudicio æquo certare poſſe?] *Catilinam, cum in Syllanis partibus fuiſſet, crudeliter feciſſe, nominatim etiam poſtea Cicero dicit, quos occiderit, Q. Cæcilium, M. Voluminium, L. Tantaſium: M. etiam Marij Gratidiani, ſumme popularis hominis, qui ob id bis Prætor fuit, caput abſciſſum per Vrbem ſua manu Catilina tulerat: quod crimen ſæpius ei tota oratione obijcit. fuerat uero hic Gratidianus arcta neceſſitudine Ciceroni coniunctus. clientem autem negat habere poſſe C. Antonium. nam is multos in Achaia ſpoliauerat, nactus de exercitu Syllano equitum turmas. deinde Græci, quos ſpoliauerat, eduxerũt Antonium in ius ad M. Lucullum Prætorem, qui ius inter peregrinos dicebat. * egit pro Græcis etiã tum adoleſcẽtulus, de quo paulo ante mẽtionem fecimus. & cum Lucullus id, quod Græci poſtulabant, decreuiſſet, appellauit Tribunos Antonius, iurauitq; ſe ideo iurare, quod æquo iure uti non poſſet. hunc Antonium Gellius & Lentulus Cenſores ſexennio, quo hæc dicerentur, ſenatu mouerunt, cauſaſq; ſubſcripſerunt, q ſocios diripuerit, quòd iudicium recuſarit, quòd propter æris alieni magnitudinem prædia mancipârit, bonaq; ſua in poteſtate non haberet.* Ne ſe iã tum reſpexit, cum grauiſſimis ueſtris decretis abſens notatus eſt.] *Catilina ex Prætura Africam prouinciam obtinuit. quam cum grauiter uexaſſet, Legati Afri in ſenatu iã tũ abſente illo queſti ſunt, multæq; graues ſententiæ in ſenatu de eo dictæ ſunt.* In iudicijs quanta ubi eſſet, didicit cum eſt abſolutus ſi, aut illud iudicium, aut illa abſolutio nominanda eſt.] *Ante annum quàm hæc dicerentur, Catilina cũ rediſſet ex Africa, Torquato, & Cotta Coss. Accuſatus eſt repetundarum à P. Clodio adoleſcente, qui poſtea inimicus Ciceroni fuit. defenſus eſt Catilina, ut Feneſtella tradit, à M. Cicerone. quod ego ut addubitem, hæc ipſa Ciceronis oratio facit, maxime quòd is nullam mẽtionem rei habet, cum potuerit inuidiam facere competitori tam turpiter aduerſus ſe coeunti; præſertim cũ alterum competitorem ſuum Antoniũ in eadem hac oratione ſua admoneat, ſuo beneficio eũ ex ultimo loco Præturæ candidatũ ad tertiũ perueniſſe.* Neſcis, me Prætorem primum eſſe factum, te conceſſione competitorum, & collatione centuriarum, & meo maxime beneficio è poſtremo in tertium locum eſſe ſubiectum? *qui igitur Antonio ſuffragationem ſuam imputandam putat, is, ſi defendiſſet Catilinam, caput eius protectum à ſe non ei imputaret? quòd ita eſſe, manifeſtum eſt ex eo, quod ſtatim dicit. Q. enim Mutius Tribunus pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur: quod facere pro Catilina uidebatur. hunc Mutium in hac oratione appellans Cicero ſic ait.* Te tamen Q. Muti tam male de rep. exiſtimare, moleſte fero, qui heſterno die me eſſe dignũ Conſulatu negabas. quid? populus Romanus minus diligenter ſcit ſibi conſtituere defenſorem, quàm tu tibi? qui, cum te furti L. Calenus ageret, me potiſſimum fortunarum tuarum patronum eſſe uoluiſti. & cuius tu conſilium in tua turpiſſima cauſa delegiſti, hunc honeſtiſſimarum rerũ defenſorem populus Romanus auctore te repudiare põtuiſſi forte hoc dicturus es, quo tempore à L. Caleno furti delatus ſis, eo tempore in me tibi parum auxilij eſſe uidiſſe.] *Verum, ut egerit Mutij cauſam Cicero, ſicut Catilinæ egiſſe eũ uideri uult Feneſtella, cur, cum, quàuis male exiſtimet de cauſa Mutij, tamen ei exprobret patrocinium ſuum, non idem in Catilina faciat, ſi modo pro eo dixit?*

*Piſo autem, cum hæc dicerentur, perierat in Hiſpania, miſſus à ſenatu * per honoré legationis, ut auus ſuus obligaretur. ibiq; dum iniurias prouincialibus facit, occiſus erat, ut quidam credebant, à Cn. Pompeij clientibus Pompeio non inuito.* An oblitus es, te ex me, cum Præturam peteremus, petiſſe, ut tibi primum locum concederem? quod cum ſæpius ageres, & impudentius à me contenderes; meminiſti, me tibi reſpondere, impudéter te facere, qui id à me peteres, quod auunculus unquam impetraſſet?] Diximus iam ſupra, Syllæ ludis, quos hic propter uictoriam fecerit, quadrigas C. Antonium & alios quoſdam nobiles homines agitaſſe. præterea Antonius redemptas habebat ab ærario uectigales quadrigas, quam redemptioné ſenatori habere licet per legem. fuit autem notiſſimus in circo quadrigarum agitator Boculus. Dicit de malis ciuibus. Qui poſteaquam illo, ut conati erant, Hiſpanienſi pugiunculo neruos incidere ciuium Romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in rep. ſicas diſtringere.] Hiſpanienſem pugiunculum Cn. Piſonem appellat: quem in Hiſpania occiſum eſſe dixi. Duas ſicas, Catilinã & Antonium appellari manifeſtum eſt. Hunc uos ſcitote Licinium gladiatorem iam immiſiſſe cupidum Catilinæ iudices, Quintumq; Curium hominem quæſtorium.] Curius hic notiſſimus fuit aleator, damnatusq; poſtea eſt. in hunc eſt hendecaſyllabus Calui elegans: Et talis Curius pereruditus. Huic orationi Ciceronis & Catilina & Antonius contumelioſe reſponderunt; quod ſolum poterant, inuecti in nouitate eius. feruntur quoque orationes nomine illorum editæ, non ab ipſis ſcriptæ, ſed ab Ciceronis obtrectatoribus: quas neſcio an ſatius ſit ignorare. ceterum Cicero Conſul omnium conſenſu factus eſt: Antonius pauculis cẽturijs Catilinam ſuperauit, cum ei propter patris nomen paulo ſpecioſior manus ſuffragata eſſet, quàm Catilinæ.

# COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS PRO M. SCAVRO.

## ARGVMENTVM.

HANC quoque orationem eiſdem Conſulibus dixit, quibus pro Vatinio, L. Domitio Aenobarbo, & Appio Claudio Pulchro Coſs. ſummus iudicij dies fuit ad IIII. Nonas Septembris. Marcus enim Scaurus, M. Scauri filius, qui princeps ſenatus fuit, uitricum habuit Syllam: quo uictore, et munifico in ſocios uictoriæ, ita abſtinens fuit, ut nihil neque donari ſibi uoluerit, neq; ab haſta emerit. Aedilitatem ſummam magnificentia geſſit, adeo ut in eius impenſas opes ſuas abſumpſerit, magnumq; æs alienũ contraxerit. Ex Pratura prouinciam Sardiniam obtinuit: in qua neque ſatis abſtinẽter ſe geſſiſſe exiſtimatus eſt, & ualde arroganter. quod genus morum in eo paternum uidebatur, cum cætera induſtria nequaquam eſſet par. orauerat tamen aliquando inter patronos cauſarum: ſed poſtquam ex prouincia redierat, dixerat pro C. Catone, iiq; erat abſolutus ad III. nonas Quint. ipſe, cum ad Conſulatus petitionem ad III. Cal. Quint. Romam rediſſet, querentibus de eo Sardis à P. Valerio Triario, adoleſcente parato ad dicendũ & notæ induſtriæ, filio eius qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulerat, & poſt in Aſia Põtoq; Legatus L. Luculli fuerat, cum is bellum cõtra Mithridatem gereret, poſtulatus apud M. Catonem Prætorem repetundarum, ut in actis ſcriptum eſt, poſtridie Nonas Quint. poſt diem tertium, quàm Cato erat abſolutus. Subſcripſerunt Triario in Scaurum L. Marius L. F. M. & Q. Pacuuij fratres, cognomine Claudi, qui inquiſitionem in Sardiniam itemq; in Corſicam inſulas dies tricenos acceperũt, neque profecti ſunt ad inquirendum. cuius rei hanc cauſam reddebant, quòd interea comitia conſularia futura erant: timere ergo ſe, ne Scaurus ea pecunia, quam ab ſocijs abſtuliſſet, emeret Conſulatum, & ſicut pater eius feciſſet, ante, quàm de eo iudicari poſſet, magiſtratum iniret, ac rurſus ante alias prouincias ſpoliaret, quàm rationem prioris adminiſtrationis redderet. Scaurus ſummam fiduciam in paterni nominis dignitate, magnam in Cn. Pompij Magni reponebat. habebat enim filium liberorum Cn. Pompeij fratrem: nam Tertiam Scæuolæ filiam, dimiſſam à Pompeio, in matrimonium duxerat. M. Catonem autem, qui id iudicium, ut diximus, exercebat, metuebat admodum propter amicitiam, quæ erat illi cum Triario. nã Flaminia Triarij mater, & ipſe Triarius ſororem Catonis Seruiliam, quæ mater M. Bruti fuit, familiariter diligebat. ea porrò apud Catonem maternam obtinebat auctoritatem, ſed in eo iudicio neque Põpeius propenſum adiutorium præbuit: (uidebatur enim apud animum eius nõ minus offenſionis contraxiſſe, quòd iudicium eius in Mutiam, crimine impudicitiæ ab eo dimiſſam, leuius feciſſe exiſtimaretur, cũ eam ipſe probaſſet, quàm gratiæ acquiſiſſe neceſſitudinis iure, quòd ex eadem uterque liberos haberet) neq; Cato ab æquitate ea, quæ & uitam eius, & magiſtratum illum decebat, quoquam deflexit. Poſt diem autem quartum, quàm poſtulatus erat Scaurus, Fauſtus Sylla tũ Quæſtor, filius Syllæ Felicis, frater ex eadem matre Scauri, * ſeruus eius uulneratus proſiluit ex lecticis, & queſtus ° eſt pro interempto eſſe cõpetitoribus Scauri, & ambulare cum trecentis armatis, ſeq; , ſi neceſſe eſſet, uim ui repulſurum. Defenderunt Scaurum ſex patroni; cũ ad id tempus raro quiſquam pluribus quàm quatuor uteretur: ac poſt bella ciuilia ante legem Iuliã ad duodenos patronos eſt peruentum. fuerunt aũt hi, P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Meſſala Niger, Q. Hortenſius. ipſe quoq; Scaurus dixit pro ſe, ac magnopere iudices mouit & ſqualore, & lacrymis, & Aedilitatis effuſa memoria, ac fauore populari, ac præcipue paternæ auctoritatis recordatione.

### Initium expoſitionis.

CIRCA VER. À PRIMO XL.

*Cum enumeraret iudicia, quæ pater Scauri expertus eſt.*

SVBIT etiam populi iudicium inquirẽte Cn. Domitio Tribuno pl.] Cn. Domitius, qui Conſul fuit cum Caſſio, cum eſſe Tribunus pl. iratus Scauro quòd eum in Augurum collegium nõ cooptauerat, diem ei dixit ad populum, & mulctam irrogauit, quòd eius opera ſacra multa populi Romani diminuta eſſe diceret. crimini dabat, ſacra publica populi Romani deũ penatium, quæ Lauinij fierẽt, opera eius minus recte caſteq; fieri. quo crimine abſolutus eſt Scaurus quidem, ſed ita, ut à tribus tribubus damnaretur, à XXXII abſolueretur, & in eis pauca puncta inter damnationem & abſolutionem intereſſent. Ibidem. Reus eſt factus à Q. Seruilio Cepione lege Seruilia, cum iudicia penes equeſtrem ordinem eſſent, & P. Rutilio damnato nemo tam innocens uideretur, ut non timeret illa.] Q. Seruilius Cepio Scaurum ob legationis Aſiaticæ inuidiam & aduerſus leges pecuniarum captarum, reum fecit repetundarum, lege, quam tulit Seruilius

Glaucia. Scaurus tanta fuit conſtantia, & animi magnitudine, ut Cepionem contra reum detulerit, & breuiore die inquiſitionis accepta effecerit, ut ille prior cauſam diceret; M. quoq; Druſum Tribunum pl. cohortatus ſit, ut iudicia commutaret. Ibidem. Ab eodem etiam lege Varia cuſtos ille reipub. proditionis eſt in crimen uocatus: uexatus à Q. Vario Tribuno pl. eſt non multo ante.] Italicobello exorto, cum ob ſocijs negatam ciuitatẽ nobilitas in inuidia eſſet, Q. Varius Tribunus pl. legẽ tulit, ut quæreretur de ijs, quorum opera cõſilió ue ſocij contra populum Romanũ arma ſumpſiſſent. tum Q. Cepio, uetus inimicus Scauri, ſperans inueniſſe ſe occaſionem opprimendi eius, egit ut Q. Varius Tribunus pl. belli concitati criminè adeſſe apud ſe Scaurum iuberet anno LXXII. ille per uiatorem accurſus, eum iam ex morbo male ſolueretur, diſſuadentibus amicis, ne ſe in illa ualetudine et ætate inuidiæ populi obijceret innixus nobiliſſimis iuuenibus proceſſit in forũ: deinde, accepto reſpondendi loco, dixit: Q. Varius Hiſpanus M. Scaurum principem ſenatus ſocios in arma ait concitaſſe: M. Scaurus princeps ſenatus negat: teſtis nemo eſt: utri uos Quirites conuenit credere? quauoce ita omnium commutauit animos, ut ab ipſo etiam Tribuno dimitteretur. Dicit iterũ de patre M. Scauri.

Non enim tantum admiratus ſum ego illum uirũ, ſicut omnes, ſed etiam præcipue dilexi. primus enim me flagrantem ſtudio laudis in ſpem impulit poſſe uirtutem ſine præſidio fortunæ, quò cõtendiſſet, labore & conſtantia peruenire] Poſſit aliquis quærere, cur hoc dixerit Cicero, cum Scaurus patritius fuerit: quæ generis claritas etiã inertes homines ad ſummos honores prouexit. uerum Scaurus ita fuit patritius, ut tribus ſupra eum ætatibus iacuerit domus eius fortuna. nam neq; pater, neq; auus, neq; etiã proauus, ut puto, propter tenues opes, & nullam uitæ induſtriam, honores adepti ſunt: itaq; Scauro æque ac nouo homini laborandũ fuit. Si me hercule iudices pro L. Tubulo dicerem, quẽ unum ex omni memoria ſceleratiſſimum & audaciſſimum fuiſſe accepimus; tamen non timerem, uenenũ hoſpiti, aut conuiuæ ſi diceretur cœnanti ab illo datum, cui neq; hæres, neq; iratus fuiſſet.] L. hic Tubulus prætorius fuit ætate patrum Ciceronis. is propter multa flagitia, cum de exilio accerſitus eſſet, ne in carcere necaretur, uenenum bibit.

## CIRCA TERTIAM PARTEM À PRIMO.

Illa audimus, hoc uero meminimus, ac penè uidimus, eiuſdem ſtirpis & nominis P. Craſſum, ne in manus incideret inimicorum, ſe ipſum interemiſſe.] Hic Craſſus fuit pater Craſſi eius, qui æmulus potentiæ Cn. Pompeij fuit. perijt autem in dominatione L. Cinnæ, cum ille & alios principes optimatum, & collegam ſuum Cn. Octauium occidit.

## STATIM.

Ac neq; illius Craſſi factũ ſuperioris, ijſdem honoribus uſus, qui fortiſſimus in bellis fuiſſet, M. Aquilius potuit imitari.] Hæc uerba, quibus Cicero nunc utitur, AC NEQVE, eam uidentur habere naturam, ut ſemel poni non ſoleant: quia NEQVE eſt coniunctio diſiunctiua, & ſemper poſtulat ut rurſus inferatur, ut cum dicimus, neque hoc, neq; illud. quo autem caſu acciderit, quáue ratione, ut hoc loco Cicero hoc uerbo ita uſus ſit, præſertim cũ adiecerit illam appoſitionem, et nomen intulerit poſtea alterum, neque perſpicere potui, & attendendum eſſe ualde puto. moueor enim merito uiri auctoritate: neque ignoro aliquando hoc uerbum, neque, uel ſemel poni, ut in eadem hac oratione ante ipſe Cicero poſuit: Sic inquã ſe iudices res habet, neque hoc à me nouum diſputatur, ſed quæſitum ab alijs eſt. ſed hoc loco et ſine præpoſitione illius uerbi uidemus eſſe poſitum, & tamen poſt ſecundum aliquid inferri. nam cum dixit, Neque hoc à me nouum diſputatur, infert, Sed quæſitum ab alijs eſt.

## PAVLO POST.

Quid uero alterum Craſſum temporibus eiſdem num aut clariſſimi uiri Iulij, aut ſummo ingenio præditus M. Antonius potuit imitari?] Hic alter Craſſus idem eſt, de quo ſupra diximus. alterum autem eum appellat, quia ante mentionem fecit P. Craſſi, qui fuit Põtifex Maximus & bello Ariſtonici in Aſia dedit operam ut occideretur. Iulios autem cum dicit, duos Cæſares fratres Caium & Lucium ſignificat: ex quibus Lucius & Prætor & Conſul fuit; Caius ædilitius quidem occiſus eſt, ſed tãtum in ciuitate potuit, ut cauſa belli ciuilis cõtentio eius cũ Sulpitio Tribuno fuerit. nam & ſperabat, & id agebat Cæſar, ut omiſſa Prætura Conſul fieret. cui cum primis temporibus iure Sulpitius reſiſteret, poſtea nimia contentione ad ferrũ & ad arma proceſſit. idem inter primos temporis ſui oratores & tragicus poeta bonus admodũ habitus eſt. huius ſunt enim tragœdiæ quæ inſcribuntur Iulij. & hi autem Iulij, & Antonius, ab ſatellibus Marij ſunt occiſi, cum Craſſus, ut ſupra diximus, eundem caſum ſua manu præueniſſet.

## CIRCA MEDIVM.

Neque uero hæc ipſa quotidiana res Appium Claudium, illa humanitate & ſapientia præditũ, per ſe ipſa mouiſſet, niſi hũc Claudij fratris ſui cõpetitorem fore putaſſet: qui ſiue patritius, ſiue plebeius eſſet, (non dum enim certum conſtitutum erat) cum illo ſibi contentionem fore putabat.] Fuerunt enim duæ familiæ Claudiæ: earũ quæ Marcellorum appellata eſt, plebeia: quæ pulchrorũ, patritia. ſed hoc loco urbane Cicero luſit in Claudium, cum quo in gratiam non redierat. nam quia is P. Clodij erat frater, qui ex patritiis in plebeiam familiam tranſierat: per ſummam infamiam ſe quoque dubitare adhuc dixit.

## POST DVAS PARTES ORATIONIS.

Dicit de Scauro quem defendit. Nam cum ex multis unus ei reſtaret Dolabella paternus inimicus, qui cum Q. Cæpione propinquo ſuo contra Scaurum patrẽ ſuum obſignauerat * ſtateras eas ſibi inimicitias non ſuſceptas, ſed relatas &c.] Ne forte erretis, & eundem hunc Cn. Dolabellam putetis eſſe, in quem C. Cæſaris orationes legitis; ſcire uos oportet, duos eodem tempore fuiſſe, & prænomine, & nomine, & cognomine, Dolabellas. horum igitur alterum Cæſar accuſauit. nec damnauit; alterum M. Scaurus & accuſauit, & damnauit.

## POST TRES PARTES,

Quo loco defendit ꝙ tam magnificã domũ Scaurus haberet.

Præſertim cũ propinquitas & celebritas loci ſuſpicionẽ deſidiæ tollat, aut cupiditatis.] Demonſtraſſe uobis memini me, hanc domũ in ea parte Palatij eſſe, quæ, cum ab Sacra uia deſcenderis, et per proximum uicum, qui eſt ab ſiniſtra parte, prodieris, poſita eſt. poſſidet eam nunc Longus Cæcina, qui Conſul fuit cum Claudio. In huius domus atrio fuerunt quatuor columnæ marmoreæ inſigni magnitudine, quæ nunc eſſe in regia theatri Marcelli dicuntur. uſus erat is Aedilis, ut ipſe quoque ſignificat, in ornatu theatri, quod ad tempus perquam ampla magnitudine magnum fecerat. Hæc cum tu effugere non potuiſſes, contendes tamen & poſtulabis, ut M. Aemilius cum ſua dignitate omni, cum patris memoria, cum aui gloria, ſordidiſſimæ, leuiſſimæ, uaniſſimæ genti, ac propè dicã, pellitis teſtibus cõdonetur.] Auũ nunc Scauri maternum ſignificat L. Metellum Pontificem Max. quem poſtea quoque nominat. nam paternus auus proauusq; Scauri humiles atque obſcuri fuerunt.

### VER. A NOVISSIMO CLX.

*Vndique mihi ſuppeditat, quod pro M. Scauro dicam, quocunque nõ modo mens, uerum etiam oculi inciderint. curia illa de grauiſſimo principatu patris fortiſſimoq́; teſtatur. L. ipſe Metellus, auus huius, ſanctiſſimos deos illo cõſtituiſſe in templo uidetur in ueſtro conſpectu iudices, ut ſalutem à nobis nepotis ſui deprecarentur.* ] Caſtoris & Pollucis templũ Metellus, quẽ nominat refecit. Laudauerunt Scaurum conſulares nouem, L. Piſo, L. Volcatius, Q. Metellus Nepos, M. Perpenna, L. Philippus, M. Cicero, Q. Hortẽſius, P. Seruilius Iſauricus pater. Cn. Pompeius Magnus. horum magna pars per tabellas laudauerunt, quia aberant, inter quos Pompeius quoque: nam, quod erat pro Conſule, extra urbem morabatur. unus praeterea adoleſcens laudauit frater eius Fauſtus Cornelius Syllae filius. is in laudatione multa humiliter & cum lacrymis locutus, nõ minus audientes permouit, quàm Scaurus ipſe permouerat. ad genua iudicum, cum ſententiae ferrentur, bifariam ſe diuiſerunt qui pro eo rogabant: ab uno latere Scaurus ipſe, & M. Glabrio ſororis filius, & Paulus, & P. Lentulus Lentuli Nigri Flaminis filius, & L. Aemilius Bucca filius, & C. Memmius Fauſta natus ſupplicauerunt: ex altera parte Sylla Fauſtus frater Scauri, & C. Apronius Lino, cui Fauſta ante paucos menſes nupſerat dimiſſa à Memmio, & T. Peduceus, & C. Cato, & M. Olenas Curtianus. Sententias tulerunt ſenatores duo & XX, equites tres & XX, tribuni aerarij XXV. ex quibus damnauerunt ſenatores IIII, equites II, tribuni II. Cato Praetor, cum uellet de accuſatoribus in conſiliũ mittere, multiq́; è populo manus in accuſatores intenderent, ceſſit imperitae multitudini, ac poſtero die in conſilium de calumnia accuſatorum miſit. C. Triarius nullam grauem ſententiam habuit: ſubſcriptores eius M. & Q. Pecuuij fratres denas, & L. Marius tres graues habuerunt. Cato Praetor iudicium, quia aeſtate agebatur, ſine tunica exercuit, campeſtri ſub toga cinctus. in forum quoque ſic deſcenderat, iuſq́; dicebat, idq́; repperérat ex uetere conſuetudine, ſecundum quam & Romuli aetatis ſtatuae in Capitolio, & in Roſtris Camilli fuerunt togatae ſine tunicis.

# COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM CONTRA L. PISONEM.

## ARGVMENTVM.

HAEC oratio dicta eſt Cn. Pompeio Magno II M. Craſſo II. Coſ. ante paucos dies quàm Cn. Pompeius ludos faceret, quibus theatrum à ſe factum dedicauit. hoc intelligi ex ipſius Ciceronis uerbis poteſt, quae in hac oratione poſuit: dixit enim ſic: *Inſtant poſt hominum memoriam apparatiſſimi, magnificentiſſimiq́; ludi.* Feneſtella quidem poſuit hanc inter eas orationes, quas dixit Cicero L. Domitio Appio Claudio Coſſ. ultimam: ſed, ut ego ab eo diſſentiam, facit primum, quòd Piſo reuerſus eſt ex prouincia Pompeio & Craſſo Coſſ. Gabinius Domitio & Appio: hanc autem orationem dictam ante Gabinij reditum, ex ipſa manifeſtum eſt: deinde, quòd magis naturale eſt ut in ipſo recenti reditu inuectus ſit in Ciceronem, reſpõderitq́; inſectationi eius, qua reuocatus erat ex prouincia, quàm poſt anni interuallum. apparet autẽ Ciceronem reſpondiſſe Piſoni. in ſumma, cum dicat in ipſa oratione Cicero inſtare magnificentiſſimos apparatiſſimoſq́; ludos, non uideo quo modo hoc magis Domitio et Appio Coſſ. dictum ſit, quibus Conſulibus nulli notabiliores ludi fuerunt, quàm Pompeio & Craſſo: quo anno Pompeius exquiſitiſſimis magnificentiſſimiſq́; omnis generis ludis theatrum dedicauit. Argumentum huius orationis breue admodum eſt. nam cum reuocati eſſent ex prouincijs Piſo & Gabinius ſententia Ciceronis, quam dixerat de prouincijs cõſularibus Lentulo & Philippo Coſſ. reuerſus in ciuitatem Piſo de inſectatione Ciceronis in ſenatu conqueſtus eſt, & in eum inuectus, fiducia maxime Caeſaris generi, qui tum Gallias obtinebat. Piſoni Cicero reſpondit hac oratione.

## Initium expoſitionis.

### CIRCA VER. A PRIMO.

*QVOD minimum ſpecimen in te ingenij, ingenij autem? immo ingenui hominis, ac liberi: qui colore ipſo patriam aſpernaris, orationẽ genus, moribus nomen.* ] Tametſi haec oratio inſcribitur in L. Piſonem: tamen non puto uos ignorare, hunc Piſonem ex ea familia eſſe, quae Frugi appellata ſit: & ideo dicit aſpernari eũ moribus nomen.

### CIRCA VER. A PRIMO LXXX.

*Hoc non ad contemnendam Placentiam pertinet, unde ſe is ortũ gloriari ſolet, neque enim hac mea natura fert: nec municipij, praeſertim de me optime meriti, dignitas patitur.* ] Magnopere me haeſitare confiteor, quid ſit, quare Cicero Placentiam municipium eſſe dicat. uideo enim in annalibus eorum, qui Punicum bellum ſecundum ſcripſerunt, tradi, Placentiam coloniã deductam pridie Cal. Ian. primo anno eius belli, P. Cornelio Scipione patre Africani, T. Sempronio Longo Coſſ. Neque illud dici poteſt, ſic eam coloniam eſſe deductam, quẽadmodum poſt plures aetates Cn. Pompeius Strabo, pater Cn. Pompeij Magni, tranſpadanas colonias deduxerat. Pompeius enim non nouis colonis eas conſtituit, ſed ueteribus incolis manentibus ius dedit Latij, ut poſſent habere ius, quod caeterae Latinae coloniae, id eſt, ut petendi magiſtratus gratia ciuitatem Romanam adipiſcerentur. Placentiam autem ſex millia hominũ noui coloni deducti ſunt: in quibus equites deducendi fuit cauſa, ut opponerentur Gallis, qui eam partem Italiae tenebat. deduxerunt Triumuiri P. Cornelius Aſina, P. Papirius Maſo, Cn. Pompeius ſiue Cn. Cornelius Scipio. eamq́; coloniam LIII deductam eſſe inuenimus. Deducta eſt autem Latina. duo porrò genera earum coloniarũ, quae à populo Romano deductae ſunt, fuerunt. Itaque aliae latinorũ eſſent. * De ſe autem optime meritos Placentinos ait, quòd illi quoque honoratiſſima decreta erga Ciceronem fecerant, certauerantq́; in ea re cum tota Italia, cum de reditu eius actũ eſt.

### PAVLO POST.

*De auo Piſonis Paterno.* Hic cũ ad Padum Placentiae forte conſediſſet, pauci * in eam ciuitatem (nã tum erat ciuitas) aſcedit. Prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo ſemiplacẽtinus haberi coeptus eſt. ] Hic quoque dicit ciuitatem fuiſſe. ab eadẽ perſuaſione ponit Placentiam municipiũ fuiſſe. Auum autem Piſonis primo Gallum fuiſſe ideo ait, quòd ueniſſe eum in Italiã dicit trans alpes, quòd in Italia conſederit, Placentiae poſtquam aſſitus ſit à Placenti * auus multo poſt ea tempora fuit, quibus Placentia colonia deducta eſt.

CIRCA VER. A PRIMO.

Lautiorem pater tuus ſocerum, quàm C. Piſo in illo luctu nõ ei filiam meam collocaui, quem ego, ſi poteſtas cũ omnium fuiſſet, unum potiſſimum delegiſſem.] Quis fuerit ſocer Piſonis patris, ſupra dixit his uerbis. Inſuber quidam fuit, id eſt mercator, & præco. Is cum Romam cum filia ueniſſet, adoleſcentem nobilem Cæſoninum hominis furaciſſimi filium auſus eſt appellare; filiam collocauit. Caluentium etiam eum appellatum, patris Piſonis, contra quem hæc oratio eſt, ſocerum. Rutilium Atilium Nudum Feneſtella tradit. Cicero filiam poſt mortem Piſonis generi P. Lentulo collocauit, apud quem illa ex partu deceſſit.

In libris Aldinis pagina 80.

EGO in C. Rabirio perduellionis reo XL annis ante me Conſulem interpoſitam ſenatus auctoritatem ſuſtinui contra inuidiam, atque defendi.] Poſſit aliquis credere, lapſum memoria Ciceronem, qui dicat, XL annis ante Conſulem factum eſſe S.C. aduerſus L. Apuleium Saturninum Tribunum plebis: cum XXXVI anni à C. Mario & L. Valerio Flacco Conſulibus numerarentur. ſed hîc non ſubtilis computatio annorum facta eſt, uerum ſummatim tempus comprehenſum eſt: & perinde accipiendum, ac ſi dixerit propè XL annis. hæc enim conſuetudo eſt ipſius Ciceronis: itaque idem in ea quoque, quam habuit in Catilinam in ſenatu, cum octauus decimus dies eſſet poſteaquã factum S.C. ut uiderent Conſules, ne quid Reſpublica detrimenti caperet; dixit: Vigeſimum iam diem patimur hebeſcere aciẽ horum auctoritatis. habemus enim S. C. ueruntamen incluſum in tabulis, tanquam gladium in uagina reconditum.

80.

Ego, cum in concione abiens magiſtratu à Tribuno pl. dicere prohiberer ea, quæ conſtitueram; cum is mihi tantummodo iurare permitteret, ſine ulla dubitatione iuraui, rem publicam, atque hanc urbem mea unius opera eſſe ſaluam.] Diximus iam antea à Q. Metello Nepote Tribuno pl. Ciceronem Conſulatu abeuntem prohibitum eſſe concionari de rebus, quas in eo magiſtratu geſſit.

81.

Dicit de ludis compitalitijs, quos Q. Metellus fieri uetuit. Q. Metellus (facio iniuriã fortiſſimo uiro mortuo; qui illum, cuius paucos pares hæc ciuitas tulit, cum hac importuna belua conferam) ſed ille deſignatus Conſul cum quidam Tribunus pl. ſuo auxilio magiſtros ludorum ludos cõtra S. C. facere iuſſiſſet; priuatus fieri uetuit: atque id, quod nondũ poteſtate poterat, obtinuit auctoritate. Tu, cum Calendis Ian. compitalitiorum dies incidiſſent, Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuiſſet, ludos facere, & prætextatum uolitare paſſus es.] L. Cæcilio Q. Marcio Coſ. quos & ipſe Cicero ſupra memorauit, S. C. collegia ſublata ſunt, quæ aduerſus remp. uidebantur eſſe. ſolebant autem magiſtri collegiorum ludos facere; ſicut magiſtri uicorũ faciebant compitalitios prætextati. qui ludi ſublatis collegijs diſcuſſi ſunt. poſt nouem deinde annos, quàm ſublata erant, P. Clodius Tribunus pl. lege lata reſtituit collegia. inuidiam ergo & crimen reſtitutorum confert in Piſonem, quòd, cum Cõſul eſſet, paſſus ſit ante, quàm lex ferretur, facere prætextatum ludos Sex. Clodium. Is fuit familiariſſimus Clodij, & operarum Clodianarum dux, quo auctore poſtea illato ab ijs corpore Clodij, curia cum eo incenſa eſt. quos ludos tunc quoque fieri prohibuit L. Mummius Tribunus pl. ante biennium autem ante, quàm reſtituerentur collegia, Q. Metellus Celer Conſul deſignatus magiſtros ludorum ludos compitalitios facere prohibuerat, ut Cicero tradit, quamuis auctore Tribuno pl. fierent ludi: cuius Tribuni nomen adhuc non inueni.

82.

Ego his fundamentis poſitis Conſulatus tui, triduo poſt inſpectante & tacente te, à P. Clodio fatali portento prodigioq; reip. lex Aelia & Fuſia euerſa eſt, propugnacula, murique tranquillitatis, atque otij: collegia, non ea ſolum, quæ ſenatus ſuſtulerat, reſtituta, ſed innumerabilia quædam ex omni fæce urbis ac ſeruitiorum conſtituta. Ab eodem homine in ſtupris inauditis, nefarijsq; uerſato, uetus illa magiſtra pudoris et modeſtiæ cenſoria ſeueritas ſublata eſt.] Diximus, L. Piſone, & A. Gabinio Coſ. P. Clodium Tribunum pl. quatuor leges pernicioſas reip. tuliſſe, annonianam, de qua Cicero hoc loco mentionem non facit, (fuit enim ſumme popularis) ut frumentũ populo, quod antea ſemis aris ac trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur: alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſeruaret. propter quam rogationem ait legem Fuſiam & Aeliam, propugnacula & muros tranquillitatis atque otij, euerſam eſſe: obnunciatio enim, qua pernicioſis legibus reſiſtebatur, quam Aelia lex confirmauerat, erat ſublata: tertiam de collegijs reſtituendis, nouisq; inſtituendis, quæ ait ex ſeruitiorum fæce conſtituta: quartam, ne quem Cenſores in ſenatu legendo præterirent, néue qua ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus, & utriuſque Cenſoris ſententia damnatus eſſet. hac ergo eius lege Cenſuram, quæ magiſtra pudoris & modeſtiæ eſt, ſublatam ait.

83.

Perſequere connexos his funeribus dies. pro Aurelio tribunali, ne conniuente quidem te, quod ipſum eſſet ſcelus, ſed etiam hilarioribus oculis, quàm ſolitus eras, intuente, delectus ſeruorum habebatur ab eo, qui nihil ſibi unquam nec facere, nec pati turpe dixit.] Profecto intelligitur, P. Clodium ſignificari.

84.

Dicit de Caſtoris templo. Id autem templũ, ſublato aditu, reuulſis gradibus, à cõiuratorum reliquijs, atque à Catilinæ prævaricatore quondam, tum ultore, armis teneretur.] Catilinam lege repetundarum abſolutum eſſe accuſante P. Clodio, iam dictum eſt. Cum equites Rom. relegarentur, uiri boni lapidibus è foro pellerentur.] L. Lamiã à Gabinio Conſule edicto relegatum eſſe, iam diximus. Seplaſia mehercule, ut dici audiebã, te ut primum aſpexit, Campanum Conſulem repudiauit.] Dictum eſt in diſſuaſione legis agrariæ ad populum, plateam eſſe Capuæ, quæ Seplaſia appellatur, in qua unguentarij negotiari ſunt ſoliti. ergo eos quoque, qui in ea platea negotiarentur, dicit inuitos Piſonem uidiſſe, cum Capuam Conſul uenit, quòd eos, à quibus ille expulſus erat, adiuuiſſet.

85.

Et quod in hac urbe maius unquam incendium fuit, cui non Conſul ſubuenerit? at tu illo ipſo tempore apud ſocrum tuam, cui domum meam exhauriendam patefeceras, ſedebas.] Poſt profectionẽ ex urbe Ciceronis, bona eius P. Clodius publicauit. poſtea direpta ſunt omnia, quæ aut in domo, aut in uillis fuerunt, & ex eis ad ipſos Cõſules lata complura. domus direpta primum, deinde inflammata, ac diruta eſt. Socrus Piſonis quæ fuerit, inuenire non potui, uidelicet quia auctores rerum non perinde in domibus ac familijs fœminarũ, niſi illuſtrium, ac uirorum nomina tradiderũt. At ne tũ quidẽ emerſiſti lutulente Cæſonine è miſerrimis naturæ tuæ ſordibus, cum experrecta tandem uirtus clariſſimi uiri, celeriter & uerum amicum, & optime meritum ciuem, & ſuum priſtinum morem requiſiuit.] Profecto, Cn. Pompeium ſignificari, intelligitur.

87.

De me, cum omnes magiſtratus promulgaſſent præter unum Prætorem, à quo non fuit poſtulandum, fratrem inimici mei, præterq; duos de lapide emptos Tribunos pl. legem comitijs centuriatis tulit P. Lentulus Coſ.] P. Clodij App. Claudius, ſicut iam ſæpe ſignificauimus, fuit frater. Duos tribunos, de quibus ipſis ſæpe iam diximus, quos de lapide emptos ait, quia mercede id faciebant, Sex. Attilium Serranum, & Q. Numerium ſignificat.

87:

*Appellatus eſt hic Vulturius, illius prouinciæ, ſi dis placet, Imperator. ne tum quidẽ Paule noſter tabellas cum laurea Romã mittere audebas?* ] Confido uos intelligere, L. Paulũ nũc ſignificari, qui fuit pater naturalis Africani poſterioris, quiq́; de Macedonia atque ultimo eius de rege triũphauit: Macedoniam autem Piſo, in quem hæc oratio eſt, obtinuit: propter quod paulum eum appellat, irridens eum, q ibi ſe non proſpere geſſit.

89.

*M. Marcellus, qui ter Conſul fuit, ſumma uirtute, pietate, gloria militari, perijt in mari: qui tamen ob uirtutem, gloriæ laude uiuit.* ] Fortaſſe quæratis, quem dicat Marcellum. fuit autem nepos M. Marcelli eius, qui bello Punico ſecundo Syracuſas uicit, & quinque Conſulatus adeptus eſt. hic autem Marcellus, de quo Cicero dicit, naufragio ad ipſam Africam perijt, paulo ante cœptum bellum Punicum tertium. idem, cum ſtatuas ſibi, ac patri, itemq́; auo poneret in monumentis aui ſui ad Honoris & Virtutis ædem, ſubſcripſit. III. Marcelli nouies Coſſ. fuerat autem auus quinquies, pater ſemel, ipſe ter. itaque neque mentitus eſt, & apud imperitiores patris ſui ſplendorem auxit.

90,

*Me conſequentibus diebus in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incẽderas, Pontifices, Cõſules, Prætores collocarũt, mihiq́;, quod ante me nemini, pecunia publica ædificandam domum cenſuerunt.* ] Hæc Cicero oratorio more, non hiſtorico, uidetur poſuiſſe. nam multis ætatibus ante Ciceronem nulli id contigiſſe uerum eſt. nemini uero unquam antea, uideamus, ne parum caute dicamus. antiquis enim temporibus pluribus idem contigit. nam Valerio Maximo, ut Antias tradidit, inter alios honores domus quoq; publice ædificata eſt in Palatio: cuius exitus, quo magis inſignis eſſet, in publicum uerſus declinaretur, hoc eſt extra priuatum aperiretur. Varronem autem tradere M. Valerio, quia ſæpius uicerat, ædes in Palatio tributas, L. Higinius dicit in libro priore de uiris claris: P. Valerio Valeſi filio Publicolæ ædes publicas ſub Velia, ubi nunc ædes Victoriæ eſt, populum ex lege, quam ipſe tulerat, cõceſſiſſe. tradũt & Antiochi regis filio obſidi domum publice ædificatam, inter quos Atticus in annalibus, quæ poſtea dicitur Lucilij poetæ fuiſſe. Varro quoque in libro III. de uita populi Romani, quo loco refert quàm gratus fuerit erga benemeritos, dixit Mutini, quòd in Sicilia cum equitatu ſuo tranſierat ad nos, ciuitatem datam, ædeiq́;, & pecuniam ex ærario. Videamus tamen, num ideo Cicero dicat ſibi, quod antea nulli, domum pecunia publica ſex ærario ædificatam, quia illis aut locus publice datus ſit, aut domus quæ non fuerat eorum, neq; propter illos publico ſumptu ædificata: Ciceroni domus, quæ fuerat ipſius, & dirupta atq; incenſa erat & conſecrata, publico ſumptu ædificata ſit: quod nouũ & huic primo, & adhuc etiam ſoli contigit.

92.

*O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos: amentem Paulum, ruſticum Marium, nullius conſilij patres horum Conſulum, qui triumpharunt.* ] Diximus hanc orationem eſſe dictam Cn. Pompeio Magno II. M. Craſſo II. Coſſ. Pompeij pater bello Italico de Picentibus, M. Craſſi pater P. Craſſus ante bellum Italicum de Hiſpanis triumphauit.

93.

*Eadem cupiditate uir ſummo ingenio præditus C. Cotta, nullo certo hoſte, flagrauit. eorum neuter triumphauit, quòd alteri illũ honorẽ collega, alteri mors ademit.* ] Credo uos quærere, & quis hic Cotta, & quis ille collega Craſſi fuerit. fuit autẽ C. Cotta orator ille compar P. Sulpitij, qui eſt in dialogis Ciceronis de Oratore ſcriptis; qui, cum decretus illi eſſet triumphus, mortuus eſt ante diem triumphi, cũ cicatrix uulneris eius, quod ante plures annos in prælio acceperat, reſciſſa eſſet repẽte. Craſſo autem collega fuit Q. Scæuola Pontifex: qui cum animaduerteret Craſſo propter ſummam eius in Rep. potentiam ac dignitatem, ſenatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitauit reip. magis quàm collegæ habere rationem: ac, ne fieret S. C. interceſſit. ſed idem prouinciam, cuius cupiditate plerique etiã boni uiri delinquebãt, depoſuerat, ne ſumptui eſſet ærario.

*Irriſa eſt à te paulo ante M. Piſonis cupiditas triumphandi: à qua te longe dixiſti abhorrere. qui etiam ſi minus magnum bellum geſſerat, ut abs te dictum eſt: tamen iſtum honorem cõtemnendum non putauit. Tu eruditior, quàm Piſo.* ] Quis hic M. Piſo fuerit, credo uos ignorare. fuit autem, ut puto iam nos dixiſſe, Pupius Piſo eiſdem temporibus, quibus Cicero, ſed tanto ætate maior, ut adoleſcentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quòd in eo & antiquæ uitæ ſimilitudo, & multæ erant literæ. orator quoque melior, quàm frequentior, habitus eſt. bienio tamen ſerior, quàm Cicero, Conſul fuit. triumphauit pro Cõſule de Hiſpanis, Q. Hortenſio, Q. Metello Cretico Coſſ. ante Ciceronis Conſulatum.

93:

*Inſtant poſt hominum memoriam apparatiſſimi, magnificentiſſimiq́; ludi: quales non modo nunquam fuerunt, ſed ne quo modo quidẽ fieri poſthac poſſint, poſſum ullo modo ſuſpicari.* ] Cn. Pompeij ludos ſignificat, quibus theatrum à ſe factum dedicauit, quibus ludis elephantorum pugnam primus omnium dedit in Circo.

94.

*Eſt quidam Græcus, qui cum iſto uiuit, homo, uere ut dicam, ſic enim cognoui, humanus, ſed tam diu, quàm diu cum alijs eſt, aut ipſe ſecum.* ] Philodemum ſignificat, qui fuit Epicureus illa ætate nobiliſſimus, cuius & poemata ſunt laſciua.

97.

*Quanquam, quod ad me attinet, nunquam iſtam imminuã curam inficiando tibi.* ] Propè notius eſt, quàm ut indicandum ſit, hunc uerſum eſſe L. Accij poetæ, & dici à Thyeſte in Atreo.

98:

*Quod populari illi ſacerdoti ſexcentos ad beſtias ſocios, ſtipẽdiarioſq́; miſiſti.* ] Manifeſtum eſt, P. Clodium ſignificari.

99:

*Ecquid uides, ecquid ſentis, lege iudiciaria lata quos poſthac iudices ſimus habituri?* ] Legem iudiciariam ante aliquot annos, quibus temporibus accuſatus eſt Verres à Cicerone, tulit Aurelius Cotta Prætor: qua communicata ſunt iudicia ſenatui, & equitibus Romanis, & tribunis ærarijs. rurſus deinde Pompeius in Conſulatu ſecundo, quo hæc oratio dicta eſt, promulgauit, ut ampliſſimo ex cenſu ex cẽturijs aliter, quàm antea, lecti iudices, æque tamen ex illis tribus ordinibus, res iudicarent.

100.

*L. Opimius electus patria eſt is, qui & Prætor, & Cõſul maximis periculis rempublicam liberarat. non in eo, cui facta iniuria eſt, ſed in eis, qui fecerunt, ſceleris & conſcientiæ pœna remanſit.* ] Notum eſt, Opimium in Prætura Fregellas cepiſſe: quo pacto uiſus eſt cæteros quoque nominis Latini ſocios male animatos repreſſiſſe: eundemq́; in Conſulatu Fuluium Flaccũ conſularem, & C. Gracchum tribunitium oppreſſiſſe: ob quam inuidiam poſtea iudicio circumuentus eſt, & in exilium actus.

# COMMENTATIO IN M. TVLII CICERONIS ORATIONEM PRO MILONE.

## A R G V M E N T V M.

H A N C dixit Cn.Pompeio III. Conſule,ad VI. Idus Apr. quod iudicium cum ageretur, exercitum in foro & omnibus in templis,quæ circum forum ſunt,collocatum à Cn.Pompeio fuiſſe,non tantũ ex oratione,& annalibus,ſed etiam ex libro apparet,qui Ciceronis nomine inſcribitur de optimo genere oratorum. H T.Annius Milo,& P.Plautius Hypſæus,& Q. Metellus Scipio Conſulatum petierunt,non ſolũ largitione palàm profuſa, ſed etiam factionibus armatorũ ſuccincti. Miloni,& Clodio ſummæ erant inimicitiæ; quòd & Milo Ciceronis erat amiciſſimus,in reducendoq; eo enixe operam Reip. dederat; & P. Clodius reſtituto Ciceroni erat infeſtiſſimus,ideoq; ſumme ſtudebat Hypſæo,& Scipioni contra Milonem. ac ſæpe inter ſe Milo & Clodius cum ſuis factionibus Romæ depugnauerant: & erat uterque audacia par: ſed Milo pro melioribus partibus ſtabat. præterea in eundem annum Conſulatum Milo, Clodius Præturam petebat: quam debilem futuram Conſule Milone intelligebat. deinde,cum diu tracta eſſent comitia conſularia: perficiq; ob eaſipſas perditas candidatorum contẽtiones non poſſent,& ob id mẽſe Ianuario nulli dum neque Conſules,neque Prætores eſſent,traherenturq; dies eodem quo antea modo,dum Milo quamprimum comitia confici uellet,conficeretq; cum bonorum ſtudijs,quòd obſidebat Clodio,tum etiam populi,propter effuſas largitiones. impenſas quoque ludorum ſcenicorum ac gladiatorij numeris maximas, in quas tria patrimonia effudiſſe eum Cicero ſignificat; competitores eius trahere uellent,ideoq; Pompeius gener Scipionis,& T.Munatius Tribunus pl.referri ad ſenatũ de patricijs conuocandis, qui Interregem proderent,non eſſent paſſi,cum interregem prodere moris eſſet: ad III.Cal.Feb.( acta etenim magis ſequenda, & ipſam orationem,quæ actis congruit,puto, quàm Feneſtellam,qui ad IIII. Cal.Feb.tradit) Milo Lanuuium,ex quo erat municipio, & ibi tum Dictator, profectus eſt ad Flaminem prodendum poſtera die. occurrit ei circa horam nonam Clodius paulo ultra Bouillas,rediens ab Aricia, propè eum locum,in quo Bonæ deæ ſacellum eſt. erat autem allocutus Decuriones Aricinorum. uehebatur Clodius equo. ſerui XXX ferè expediti,ut illo tempore mos erat iter facientibus, gladijs cincti ſequebantur. erant cũ Clodio præterea tres comites eius,ex quibus eque, Romanus unus C.Caſſinius Schola,duo de plebe noui homines,P.Pomponius,C. Clodius. Milo rheda uehebatur cum uxore Fauſta filia L.Syllæ Dictatoris,& M.Fufio familiari ſuo. ſequebatur eos magnum ſeruorum agmen: inter quos gladiatores quoque erant,ex quibus duo noti Eudamus,& Birria.hi in ultimo agmine tardius euntes,cum ſeruis P. Clodij rixam commiſerunt.ad quem tumultum cum reſpexiſſet Clodius minitabundus,humerum eius Birria rumphea traiecit.inde cũ orta eſſet pugna,plures Miloniani accurrerunt. Clodius uulneratus in tabernam proximam, Bouillano delatus eſt. Milo ut cognouit uulneratum Clodium,cum ſibi periculoſius illud etiam uiuo eo futurum intelligeret, occiſo autem magnum ſolatium eſſet habiturus,etiam ſi ſubeunda eſſet pœna; exturbari tabernam iuſſit. fuit anteſignanus ſeruorum eius M.Fuſtenus. atq; ita Clodius latens extractus eſt,multiſq; uulneribus cõfectus.cadauer eius in uia relictum,quia ſerui Clodij aut occiſi erãt,aut grauiter ſaucij latebãt. Sex.Tedius ſenator,qui forte ex rure in urbem reuertebatur, ſuſtulit,& lectica ſua Romam ferri iuſſit.ipſe rurſus eodem,unde uenerat, greſſum recepit. perlatum eſt corpus Clodij ante primam noctis horam: infimæq; plebis & ſeruorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus poſitum circunſtetit.augebat autem facti inuidiam uxor Clodij Fuluia,quæ cum effuſa lamentatione uulnera eius oſtendebat. maior poſtera die luce prima multitudo eiuſdẽ generis cõfluxit,cõpluresq; noti homines eliſi ſunt, inter quos C.Vibienus ſenator.erat domus Clodij,ante paucos menſes empta de M.Scauro,in Palatio. eodem Munatius Plancus frater L.Planci oratoris,& Q. Pompeius Rufus Syllæ Dictatoris ex filia nepos,Tribuni pl.accurrerunt: eiſq; obſtantibus * uulgus imperitum corpus nudum caldatum, ſicut in lecto erat poſitum,ut uulnera uideri poſſent,in forũ detulit, & in Roſtris poſuit.ibi pro concione Plancus,& Pompeius,qui competitoribus Milonis ſtudebant, inuidiam Miloni fecerunt. populus duce Sex.Clodio ſcriba corpus P.Clodij in curiam intulit,cremauitq; ſubſellijs,& tribunalibus,& menſis, & codicibus librariorum. quo igne & ipſe quoque curia flagrauit; & item Porcia baſilica,quæ erat ei iuncta,ambuſta eſt. domum quoq; M.Lepidi Interregis,(is enim magiſtratus curulis erat creatus) & abſentis Milonis eadem illa Clodiana multitudo oppugnauit. deinde ſagittis repulſa eſt.sũ faſces ex lecto libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis & Hypſæi.deinde ad hortos Cn.Pompeij,clamitans eum modo Conſulem, modo Dictatorem.incendium curiæ maiorem aliquãto indignationem ciuitatis mouerat,quàm interfectio Clodij.itaque Milo,quem opinio fuerat iuiſſe in uoluntarium exilium,inuidia aduerſariorum recreatus,nocte ea redierat Romam,qua incenſa erat curia; petebatq; nihilo deterius Conſulatum. aperte quoque tributim in ſingulos millia aſſium dederat: concionem ei poſt aliquot dies dedit M. Celius Tribunus pl.acci * ipſe etiam cauſam * ad populum. dicebant utrique Miloni à Clodio factas eſſe inſidias. fiebant interea alij ex alijs Interreges; qui comitia conſularia propter eorum candidatoum tumultus & eaſdem manus armatas habere non poterat. itaque primo factum erat S.C.ut Interrex & Tribuni pl.& Cn Pompeius,qui pro Conſule ad urbem erat, uiderent ne quid detrimenti reſp. caperet: delectus autem Pompeius tota Italia haberet: qui cum ſumma celeritate præſidium comparaſſet, poſtulauerunt apud eum familiam Milonis, item Fauſtæ uxoris eius exhibendam duo adoleſcentuli, qui Appij Claudij ambo appellabantur, qui erant C.Claudij filij,qui frater fuerat Clodij, & ob id illi patrui ſui mortem uelut auctore fratre perſequebantur. eaſdem Fauſtæ & Milonis familias poſtulauerunt duo Valerij,Nepos,& Leo, & L. Herennius Balbus.P. Clodij quoq; familiam,& comitum eius poſtulauit eodem tempore Cælius, familiam Hypſei,& Q. Pompeij poſtulauit. * Affuerunt Miloni Q. Hortenſius,M.Cicero,M.Marcellus,M.Calidius, M.Cato, Fauſtus Sylla.uerba pauca Q. Hortenſius dixit,quæ ſunt,liberos eſſe eos,qui pro ſeruis poſtularentur.nam poſt recentem cædem manumiſerat eos Milo ſub hoc titulo,quòd caput ſuum ulti eſſent. Hæc agebantur menſe intercalari,poſt diem trigeſimum ferè,quàm erat Clodius occiſus.Q. Metellus Scipio in ſenatu contra M.Cepionem conqueſtus eſt,ac de cæde P.Clodij falſum eſſe dixit quòd Milo ſic ſe defenderet, & Clodium Aricinos Decuriones alloquendi gratia abijſſe,profectum cum ſex ac XX ſeruis. Milonem ſubito poſt horam quartam,ſenatu miſſo,cum ſeruis amplius CCC armatis obuiam ei contendiſſe,& ſupra Bouillas inopinantem in itinere aggreſſum: ibi P. Clodium tribus uulneribus acceptis, Bouillas perlatum: tabernam,in quam profugerat,expugnatam à Milone: ſemianimem Clodium extractum,in uia Appia occiſum eſſe,annulumq; eius ei morienti extractum: deinde Milonem,cum ſciret in Albano paruulum filium Clodij ueniſſe ad uillam,& cum puer ante ſubtractus eſſet,de ſeruo Alicore quæſtionem ita habuiſſe,ut eum articulatim conſecaret: uillicum & duos præterea ſeruos

ea ſeruos iugulaſſe : ex ſeruis Clodij, qui dominum defenderint, undecim eſſe interfectos : Miloni duos ſolos ſaucios factos eſſe : ob quæ Milonem poſtero die X I I ſeruos, qui maxime operam nauaſſent, manumiſiſſe, populoq́; tributim ſingula millia æris ad defendendos de ſe rumores dediſſe. Milo miſiſſe ad Cn. Pompeium dicebatur, quòd Hypſæo ſumme ſtudebat, q fuerat eius Quæſtor, deſiſtere ſe petitione Conſulatus, ſi ita ei uideretur. Pompeium reſpondiſſe, nemini ſe neque petendi, neq; deſiſtendi auctorem eſſe, neq; populi Romani poteſtatem, aut conſilium, aut ſententiam interpellaturum. deinde per C. Lucilium, qui propter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni, egiſſe, quoq; dicebatur, ne ſe de hac re conſulendo inuidia oneraret. Inter hæc cum crebreſceret rumor, Cn. Pompeium creari Dictatorem, neq; opportune aliter mala ciuitatis ſedari poſſe; uiſum eſt optimatibus tutius eſſe, eũ Conſulem ſine collega creari : & cum tractata ea res eſſet in ſenatu, facto in M. Bibuli ſententiam S. C. Pompeius ab Interrege Ser. Sulpitio V. Cal. Mart. menſe intercalario Conſul creatus eſt, ſtatimq́; Conſulatum inijt : deinde poſt diem tertium de legibus nouis ferendis retulit : duas ex S. C. promulgauit : alteram de ui, qua nominatim cædem in Appia uia factum, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehendit : alteram de ambitu : pœnam grauiorem, & formam iudiciorum breuiorem. utraque enim lex prius teſtes dari, deinde uno die atque eodem & ab accuſatore & ab reo perorari iubebat, ita ut duæ horæ accuſatori, tres reo darentur. his legibus obſiſtere M. Celius Tribunus pl. ſtudioſiſſimus Milonis conatus eſt, q & priuilegium diceret in Milonem ferri, & iudicia præcipitari : & cum pertinacius legem Celius uituperaret, eò proceſſit iræ Pompeius, ut diceret, ſi coactus eſſet, armis ſe remp. defenſurum. timebat autem Pompeius Milonem, ſeu timere ſe ſimulabat. plerunque non domi ſuæ, ſed in hortis manebat, idq́; ipſum in ſuperioribus, circa quos etiam magna manus militum excubabat. Senatum quoq; ſemel orepentinus erat Pompeius, quòd diceret timere ſe aduentum Milonis. dein proximo ſenatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat. poſtulauerat, ut femur nudaret : & ille ſine mora tunicam leuarat. tum M. Cicero exclamauerat, omnia illi ſimilia crimina eſſe, quæ in Milonem dicerentur, alia. deinde Munatius Plancus Tribunus pl. produxerat in concionem M. Aemilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi. Is ſe dicebat, pariterq́; ſecum quatuor liberos homines iter facientes ſuperueniſſe, cum Clodius occideretur, &, ob id cum proclamaſſent, abreptos, & per duos menſes in uillam Milonis præcluſos fuiſſe : eaq́; res, ſeu uera, ſeu falſa, magnam inuidiam Miloni contraxerat. idemq́; Munatius & Pompeius Tribuni pl. in Roſtra produxerant Triumuirum capitalem; eumq́; interrogauerant, an Galatam Milonis ſeruum cædes facientem deprehendiſſet. ille dormientem in taberna pro fugitiuo deprehenſum, & ad ſe perductum eſſe reſponderat. denunciauerant tamen Triũuiro, ne ſeruum remitteret. ſed poſtera die Celius Tribunus pl. & Manilius Canianus collega eius ereptum è domo Triumuiri ſeruũ Miloni reddiderunt. Etſi nullam de his criminibus mentionem fecit Cicero : tamen, quia ita compereram, putaui exponenda. Inter primos & Q. Pompeius, & C. Salluſtius, & C. Munatius Plancus Tribuni pl. inimiciſſimas conciones de Milone habebant, inuidiam etiam * de Cicerone, quòd Milonem tanto ſtudio defenderet. atq; maxima pars multitudinis infenſa non ſolum Miloni, ſed etiam propter inuiſum Ciceroni patrocinium. poſtea Pompeius & Salluſtius in ſuſpicione fuerat, in gratiam rediſſe cum Milone, ac Cicerone. Plancus autem infeſtiſſime perſtitit, atque in Ciceronem quoque multitudinem inſtigauit. Pompeio autem ſuſpectum faciebat Milonem, ad perniciem eius comparari uim uociferatus : Pompeiusq́; ob ea ſæpius querebatur, fieri ſibi quoque inſidias, & id palàm : ac maiore manu ſe armabat. dicturum quoque diem Ciceroni Plancus oſtendebat. poſtea autem Q. Pompeius idem minitatus erat. tanta tamen conſtantia ac fides fuit Ciceronis, ut non populi àſe alienatione, non Cn. Pompeij ſuſpicionibus, non periculi futuri metu, ſi ſibi dies ad populum diceretur, non armis, quæ palàm in Milonem ſumpta erant, deterreri potuerit à defenſione eius, cum poſſet omne periculum ſuum & offenſionem inimicæ multitudinis declinare, redimere etiam Cn. Pópeij animum, ſi paulum ex ſtudio defenſionis remiſiſſet. Perlata deinde lege Pompeij, in qua id quoque ſcriptum erat, ut Quæſitor ſuffragio populi ex ijs, qui Conſules fuerant, crearetur, ſtatim comitia habuit, creatusq́; erat L. Domitius Aenobarbus Quæſitor. aliorũ quoque iudicum, qui de ea re iudicarent, Pompeius tales propoſuit, ut nunquam neque clariores uiros, neque ſanctiores propoſitos eſſe conſtaret. poſt quod ſtatim noua lege Milo poſtulatus à duobus Appijs Clodijs adoleſcentibus, iiſdem, à quibus antea familia eius fuerat poſtulata. itemq́; de ambitu ab iiſdem Appijs, & præterea de ui à L. Cornificio, de ſodalitijs à P. Fuluio Neruto. poſtulatus autem erat & de ſodalitijs, & de ambitu ea ſpe, quòd primum iudicium de ui futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebant, nec poſtea reſponſurum. Diuinatio de ambitu accuſatorum facta eſt, Quæſitore A. Torquato: atque ambo Quæſitores Torquatus & Domitius pridie Nonas Apr. reum adeſſe iuſſerunt : quo die Milo ad Domitij tribunal uenit, ad Torquati amicos miſit. ibi poſtulante pro eo M. Marcello obtinuit, ne prius cauſam de ambitu diceret, quàm de ui iudicium eſſet perfectum. apud Domitium autem Quæſitorem maior Appius poſtulauit à Milone ſeruos exhiberi numero IIII & L. & cum ille negaret eos, qui nominabantur, in ſua poteſtate eſſe; Domitius ex ſententia iudicum pronunciauit, ut ex ſeruorum eorum numero accuſator quot uellet ederet. citati deinde teſtes ſecundum legem, quæ, ut ſupra diximus, iubebat, ut prius, quàm cauſa ageretur, teſtes per triduũ audirentur, dicta eorum iudices conſignarent, quarta die adeſſe omnes in diem poſterum iuberentur, ac coràm accuſatore ac reo pilæ, in quibus nomina iudicum inſcripta eſſent, æquarentur : dein rurſus poſtera die ſortitio iudicum fieret unius & LXXX : qui numerus cum ſorte obtigiſſet, ipſi protinus ſeſſum irent : tum ad dicendum accuſator duas horas, reus tres haberet, reusq́; eodem die illo iudicaretur : prius autem quàm ſententiæ ferrentur, quinos ex ſingulis ordinibus accuſator, totidem reus reijceret, ita ut numerus iudicum relinqueretur, qui ſententias ferrent, quinquaginta & unus. primo die datus erat in Milonem teſtis Caſinius Schola, qui ſe cum P. Clodio fuiſſe, cum is occiſus eſt, dixit, atrocitatemq́; rei factæ quammaxime potuit auxit. quem cum interrogare M. Marcellus cœpiſſet, tanto tumultu Clodianæ multitudinis circunſtantis exterritus eſt, ut uim ultimam timens in tribunal à Domitio reciperetur. quam ob cauſam M. Marcellus, & ipſe Milo à Domitio præſidium implorauerunt. ſedebat eo tempore Cn. Pompeius ad ærarium, perturbatusq́; erat eodem illo clamore : itaque Domitio promiſit, ſe poſtero die cum præſidio deſcenſurum, idq́; fecit. quare territi Clodiani ſilentio uerba teſtium per biduum audiri paſſi ſunt. interrogauerunt eos M. Marcellus, & Milo ipſe. multi ex ijs, qui Bouillis habitabant, teſtimonium dixerunt de ijs, quæ ibi facta erant, cauponem occiſum, tabernam expugnatam corpus Clodij in publicum extractum eſſe. uirgines quoq; Veſtales dixerunt, mulierem ignotam ueniſſe ad ſe, quæ Milonis mandato uotũ ſolueret, quòd Clodius occiſus eſſet. ultimæ teſtimonium dixerunt Sempronia Tuditani filia, ſocrus P. Clodij, & uxor Fuluia : & fletu ſuo magnopere eos, qui adſtabant, commouerunt. Dimiſſo circa horam decimam iudicio, T. Munatius pro concione populum adhortatus eſt, ut poſtero die frequens adeſſet, & elabi Milonem non pateretur, iudiciumq́; & dolorem ſuum oſtenderet. euntibus ad tabellam ferendam poſtero die iudicibus, qui fuit ad III. Idus Apr. clauſæ fuerunt tota urbe tabernæ : præſidia in foro & circa omnes fori aditus Pompeius diſpoſuit : ipſe pro ærario, ut pridie, conſedit, ſeptus delecta manu militum. ſortitio deinde iudicum à

*Quæſitore facta eſt. poſt tantum ſilentium toto foro fuit, quantum eſſe in aliquo foro poſſet. tum intra horam ſecundam accuſatores cœperunt dicere, Appius maior, & M. Antonius, & P. Valerius Nepos. uſi ſunt ex lege horis duabus. reſpondit his unus M. Cicero: & cum quibuſdam placuiſſet ita defendi crimen, interfici Clodium pro republica fuiſſe, quam formam M. Brutus ſecutus eſt in ea oratione, quam pro Milone compoſuit, & edidit, quamuis non egiſſet; Ciceroni id non placuit, quòd, qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus poſſet. itaque, cum inſidias Milonem Clodio feciſſe poſuiſſent accuſatores, quia falſum id erat, (nam forte illa rixa commiſſa fuerat) Cicero apprehendit, & contra Clodium Miloni feciſſe inſidias diſputauit: eoq; tota oratio eius ſpectauit, ſed ita conſtitit, ut diximus, ne utrius conſilio pugnatum eſſe eo die, uerum forte occurriſſe. ex ea rixa ſeruorum ad eā caedem peruentum. notum tantum erat, utrunque mortem alteri ſæpe minatum eſſe: & ſicut ſuſpectum Milonem maior, quàm Clodij, familia faciebat, ita expeditior & paratior ad pugnam Clodianorum, quàm Milonis fuerat. Cicero cum inciperet dicere, exceptus eſt acclamatione Clodianorum, qui ſe continere ne metu quidem circunſtantiam militum potuerunt: itaque non ea, qua ſolitus erat, conſtantia dixit. manet autem illa quoque excepta eius oratio. ſcripſit uero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut iure prima haberi poſſit.*

## Initium expoſitionis.

102.

*NVM genus eſt aduerſum, infeſtumq; nobis, &c.*] *Ita ut in expoſitione diximus, Munatius Plancus pridie pro concione populum adhortatus erat, ne pateretur elabi Milonem.*

103:

*Declarant huius ambuſti Tribuni pl. illæ intermortuæ conciones, quibus quotidie meam potētiam inuidioſe criminabatur.*] *T. Munatius Plancus, & Q. Pompeius Rufus Tribuni pl. de quibus in argumento huius orationis diximus, cum contra Milonem Scipioni & Hypſæo ſtuderent, concionati ſunt eo ipſo tempore, plebemq; in Milonem accenderent, quo propter Clodij corpus curia incenſa eſt: nec prius deſtiterunt, quàm flamma eius incendij fugati ſunt è concione. erant enim tunc Roſtra non eo loco, quo nūc ſunt, ſed ad Comitium, propè iuncta curiæ. ob hoc T. Munatium ambuſtum Tribunum appellat. fuit autem paratus ad dicendum.*

104.

*Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipſam contra remp. ſenatus factam eſſe decreuit?*] *. Poſt Biduum medium, quàm Clodius occiſus erat, Interrex primus proditus eſt M. Aemilius Lepidus. nō fuit autem moris, ab eo, qui primus Interrex proditus erat, comitia haberi. ſed Scipionis & Hypſæi factiones, quia recens inuidia Milonis erat, cum contra ius poſtularent, ut Interrex ad comitia Conſulum creandorum deſcenderet, idq; ipſe non faceret, domum eius per omnes interregni dies (fuerant autem ex more quinque) obſederunt: deinde omni ui ianua expugnata, & imagines maiorum deiecerunt, & lectulum aduerſum uxoris eius Corneliæ, cuius caſtitas pro exemplo habita eſt, fregerunt: uterque * telas, quæ ex uetere more in atrio tenebantur, diruerūt. poſtq; ſuperuenit Milonis manus & ipſa poſtulans comitia: cuius aduentus fuit ſaluti Lepido: in ſe enim ipſæ conuerſæ ſunt factiones inimicæ, atque ita oppugnatio domus Interregis omiſſa eſt.*

*Quòd ſi per furioſum illum tribunum pl. ſenatui, quod ſentiebat, perficere licuiſſet: nouam quæſtionem nunc nullā haberemus. decernebat enim, ut ueteribus legibus tantūmodo extra ordinem quæreretur. diuiſa ſententia eſt poſtulante neſcio quo. (nihil enim neceſſe eſt omnium flagitia proferre) ſic reliqua auctoritas ſenatus empta interceſſiōe ſublata eſt.*] *Quid ſit diuidere ſententiam, ut enarrandum ſit, ueſtra ætas filij facit. Cū aliquis in dicenda ſententia duas plures'ue res complectitur, eæ ſi non omnes probantur, poſtulatur, ut diuidatur, id eſt de rebus ſingulis referantur. Forſitan nunc hoc quoque uelitis ſcire, qui fuerit qui poſtulauerit * quod non ferat adiutor non eſt ei, qui hoc poſtulat, oratione longa utendum, ac ne conſurgendum quidem utique eſt. multi enim ſedentes hoc unum uerbum pronūciant, diuide. quod cum auditum eſt, liberum ei, qui facit orationem, diuidere. ſed ego, ut curioſius ætati neſtræ ſatiſfaciā, acta etiam totius illius temporis perſecutus ſum: in quibus cognoui, pridie Cal. Mart. S. C. eſſe factum, P. Clodij cædem, & incendiū curiæ, & oppugnationem ædium M. Lepidi contra remp. factā: ultra relatum in acta illo die nihil: poſtero die, id eſt Cal. Mart. Munatium in concione expoſuiſſe populo, quæ pridie acta erāt in ſenatu: in qua concione hæc dixit ad uerbum. quæ Q. Hortenſium dixiſſe, ut extra ordinem quæreretur apud Quæſitorē * æſtimare futurum, ut cum puſillum ediſſet dulcedinis, largiter acerbitatis deuoraret: aduerſus hominem ingenioſum ingenio uſi ſumus: inuenimus Fuſium, qui diceret, diuideret ſententiam. reliquæ parti ego & Salluſtius interceſſimus. Hæc concio, ut puto, explicat, & quid ſenatus decernere uoluerit, & quis diuiſionem poſtulauerit, & quis interceſſerit, & cur. illud uos meminiſſe non dubito, per Q. Fuſium illo quoque tempore, quo de inceſtu P. Clodij actum eſt, factum, ne à ſenatu aſperius decerneretur.*

105:

*Dederas enim, quàm contemneres populares inſanias, iam ab adoleſcentia documenta maxima.*] *Conſtantiam L. Domitij, quam in Pretura præſtitit, ſignificat. nam eo tempore, cum Cn. Manlius Tribunus pl. ſubnixus libertinorum & ſeruorum manu, perditiſſimam legē ferret, ut libertinis in omnibus tribubus ſuffragium eſſet, idq; per tumultum ageret, & cliuum Capitolinum obſideret, diſcuſſerat perruperatq; cœtū Domitius, ita ut multi Manlianorum interficerentur. quo facto & plebem infimam offenderat, & ſenatus magnam gratiam inierat.*

107:

*Itáque illud Caſſianum.*] *L. Caſſius fuit, ſicut iam ſæpe diximus, ſummæ uir ſeueritatis. quoties Quæſitor iudicij alicuius eſſet, in quo quæreretur de homine occiſo, ſuadebat, atq; etiam præibat iudicibus, hoc, quod Cicero nūc admonet, ut quæreretur, cui bono fuiſſet perire eum, de cuius morte quæreretur. ob quā ſeueritatem, quo tempore Sex. Peduceus Tribunus pl. criminatus eſt, L. Metellum Pont. Max. totumq; collegium Pontificū male iudicaſſe de inceſtu uirginum Veſtalium, quòd unam modo Aemiliam damnauerat, abſoluerat autem duas, Martiam & Liciniam; populus hunc Caſſium creauit, qui de eiſdem uirginibus quæreret: iſq; & utraſque eas, & præterea cōplures alias, nimia etiam, ut exiſtimatio eſt, aſperitate uſus, damnauit.* *Et aſpexit me illis quidem oculis, quibus tūc ſolebat, cum omnibus omnia minabatur. monet me quippe lumen curiæ.*] *Hic eſt Sex. Clodius, quem in argumento huius orationis diximus corpus Clodij in curiam attuliſſe, & ibi cremaſſe, eoq; incenſo curiam conflagraſſe. ideo lumen curiæ dicit.*

108:

*Quando illius poſtea ſica illa, quam à Catilina acceperat, cōquieuit? hæc intentata nobis eſt: huic ego obijci uos pro me paſſus non ſum: hæc inſidiata Pompeio eſt.*] *Manifeſtū eſt pertinere ad id tempus, quo poſt rogationem à Clodio in eum promulgatam urbe ceſſit. Quare dicat Inſidiata Pompeio eſt, fortaſſis quæratis. Piſone & Gabinio Coſs. pulſo Cicerone in exiliū, cum III. idus Sext. Pompeius in ſenatum uenit, dicitur ſeruo P. Clodij ſicam excidiſſe. eaq; ad Gabinium Conſulem delata,*

dictum

dictum eſt, ſeruo imperatum à P. Clodio, ut Pópeius occideretur. Pompeius ſtatim domum rediit. ex eo domi tenus. obſeſſus eſt etiam à liberto Clodij Damione, ut ex actis eius temporis cognoui: in quibus XV. Cal. Sep. L. Nouius Tribunus pl. collega Clodij, cum Damio aduerſum Flauium Prætorem appellaret Tribunos, & Tribuni de appellatione cognoſcerent, ita ſententiam dixit: Et hoc apparitore Publij Clodij uulneratus ſum: & hominibus armatis præſidijs diſpoſitis à republica remotus ſum: Cneus Pompeius obſeſſus eſt. cum appeller, non utar eius exemplo, quem uitupero: & iudicium tollam, & reliqua de interceſſione.

Hac iſtam Appiam uiam, monumentum nominis ſui, nece Papirii cruentauit.] Pompeius poſt triumphum Mithridaticum Tigranis filium in cathenis depoſuerat apud Flauium ſenatorem: qui poſtea cum eſſet Prætor eodem anno, quo Tribunus pl. Clodius, petit ab eo Clodius, ſuper cœnam, ut Tigranem adduci iuberet, ut eum uideret. adductum collocauit in conuiuium, dein Flauio non reddit: dimiſit, & habuit extra cathenas, nec repetenti Pompeio reddidit: poſteaqu nauem depoſuit: & cum profugeret ille, tempeſtate delatus eſt ✶ tantum ille ut deduceretur ad ſe, Clodius Sex. Clodium, de quo ſupra diximus, qui eum reduceret. Flauius quoque re cognita ad diripiendum Tigranem profectus eſt. ad quartum lapidem ab Vrbe pugna facta eſt: in qua multi ex utraque parte ceciderunt, plures tamẽ ex Flauij, inter quos & M. Papirius eques Romanus publicanus, familiaris Pompeio. Flauius ſine comite Romam uix perfugit.

Hæc eadem longo interuallo conuerſa rurſus eſt in me. nuper quidem, ut ſcitis, me ad Regiam penè confecit.] Quo die periculum hoc adierit, ut Clodius eum ad Regiam penè cófecerit, nuſquam planè inueni. non tamen adducor, ut putem Ciceronẽ mentitum, præſertim cum adijciat, ut ſcitis. ſed uidetur mihi loqui de eo die, quo Conſulibus Domitio & Meſſala, qui præceſſerant eum annum, cum hæc oratio dicta eſt, inter candidatorum Hypſæi, & Milonis manus in uia Sacra pugnatum eſt, multiq; ex Milonis ex improuiſo ceciderunt. de cuius diei cæde & periculo ſuo ut putem loqui eum, facit & locus pugnæ, nam in Sacra uia traditur commiſſa, in qua eſt Regia; & quòd affuerunt cũ candidatis ſuffragatores Milonis Cicero, Hypſæi Clodius.

109.

Potuit ne L. Cæcilij, iuſtiſſimi fortiſſimiq; Prætoris, oppugnata domo.] L. Cæcilius Rufus, de quo dicitur, prætor fuit P. Lẽtulo Spinthere, Q. Metello Nepote Coſs quo anno Cicero reſtitutus eſt. is cum faceret ludos Apollinares, ita infima coacta multitudo annonæ caritate tumultuata eſt, ut omnes, qui in theatro ſpectandi cauſa conſederant, pellerentur. de oppugnata domo nuſquam adhuc legi. Pompeius tamen, cum defenderet Milonem apud populum, de ui accuſante Clodio, obſtitit. et legimus apud Tironem libertum Ciceronis in libro quarto de uita eius, oppreſſum à Clodio L. Cæcilium Prætorem.

110.

At quo die? quo, ut ante dixi, fuit inſaniſſima concio ab ipſius mercenario Tribuno pl. concitata.] Hoc ſignificat, eo die, quo Clodius occiſus eſt, concionatum eſſe mercenarium eius Tribunum pl. Sunt autem concionati eo die, ut ex actis apparet, C. Salluſtius, & Q. Pompeius, utrique & inimici Milonis, & ſatis inquieti. ſed uidetur mihi Q. Pompeium ſignificare. nam eius ſeditioſior fuit concio.

110:

Dixit C. Caſſinius Interemnas, familiariſſimus, & idem comes Clodij, P. Clodium illo die Albæ manſurũ.] Fuit hic Caſſinius, apud quem Clodius manſiſſe Interamnæ uideri uolebat, qua nocte deprehenſus eſt in Cæſaris domo, cũ ibi in operto uirgines pro populo Romano ſacra facerent. Scitis iudices, fuiſſe qui in hac rogatione ſuadenda dicerẽt, Milonis manu cædem eſſe factam, conſilio uero maioris alicuius. me uidelicet latronẽ & ſicarium abiecti homines & perditi deſcribebant.] Q. Pompeius Rufus, & C. Salluſtius Tribuni fuerunt, quos ſignificat. hi enim primi de ea lege ferenda populum hortati ſunt; & dixerunt, manu Milonis occiſum eſſe Clodium, conſilio uero maioris alicuius.

111.

Atqui ut illi nocturnus aduentus uitandus fuit, ſic Miloni, cum inſidiator eſſet, ſi illum ad Vrbem noctu acceſſurum ſciebat, ſubſiſtendum. &c.] Via Appia eſt prope Vrbem monumentum Baſilij: qui locus latrocinijs fuit perquã infamis: quod ex alijs quoque multis intelligi poteſt.

112.

Comites Getuli, quocunque ibat, etiam cum in caſtra Hetruſca properabat.] Sæpe obijcit Clodio Cicero, ſocium eum coniurationis Catilinæ fuiſſe. quam rem nunc quoque reticens oſtendit. fuerat enim opinio, ut Catilina ex Vrbe profugerat in caſtra Manlij centurionis, qui tum in Hetruria ad Feſulas exercitum ei comparabat, Clodium ſubſequi eum uoluiſſe, & cœpiſſe, tum dein mutato conſilio in Vrbem rediſſe.

114.

Non iam hoc Clodianum crimen timemus, ſed tuas Cn. Pópei (te enim iam appello, & ea uoce, ut me exaudire poſſis) tuas inquam ſuſpiciones perhorreſcimus.] Diximus in argumento orationis huius, Cn. Pompeium ſimulaſſe timere, ſeu planè timuiſſe Milonem, & ideo ne domi quidem ſuæ, ſed in hortis ſuperioribus ante iudicium manſiſſe, ita ut uillam quoque præſidio militum circundaret. Q. Pompeius Tribunus pl. qui fuerat familiariſſimus omnium P. Clodio, & ſectam ſuam ſequi ſe palàm profitebatur. dixerat in concione poſt paucis diebus, quàm Clodius erat occiſus: Milo dedit, quem in curia cremaretis: dabo quem in Capitolio ſepeliatis. in eadem concione idem dixerat, habuit enim eam ad VIII. Cal. Febr. cum Milo pridie, id eſt VII. Cal. Febr. uenire ad Pompeium in hortos eius uoluiſſet, Pompeium ei per hominem propinquũ miſiſſe, ne ad ſe ueniret. prius etiam quàm Pompeius tertium Conſul crearetur, tres Tribuni, Q. Pompeius Rufus, C. Salluſtius Criſpus, T. Munatius Plancus, cum quotidianis concionibus ſuis magnam inuidiam Miloni propter Clodium excitarent, produxerant ad populum Cn. Pompeium, & ab eo quæſierat, num ad eum delatum eſſet illud quoque indicium, ſuæ uitæ inſidiari Milonem. reſponderat Pompeius Licinium quendam de plebe, ſacrificulum, qui ſolitus eſſet familias purgare, ad ſe detuliſſe, ſeruos quoſdam Milonis, itemq; liberos comparatos eſſe ad cædem ſuam: nomina quoque ſeruorum edidiſſe: ad Milonem miſiſſe, ut eos in poteſtate ſua haberet: à Milone reſponſum eſſe, ex ijs ſeruis, quos nominaſſet, partim neminem ſe nuquam habuiſſe, partim manu miſiſſe: dein, cum Licinium apud ſe haberet, Lucium quendam de plebe ad corrumpendum iudicem ueniſſe: qua re cognita, in uincla eum publica eſſe coniectum. decreuit enim ſenatus, ut cũ Interrege & Tribunis pl. Pompeius daret operam, ne quid reſpublica detrimenti caperet. ob has ſuſpiciones Pompeius in ſuperioribus hortis ſe continuerat. deinde, ex S. C. delectu per Italiam habito cum rediſſet, uenientem ad ſe Milonem unum omnium non admiſerat. item, cum ſenatus in porticu Pompeij haberetur, ut Pompeius poſſet intereſſe, unum tum excuti prius, quàm in ſenatu intraret, iuſſerant. hæ ſunt ſuſpiciones, quas dicit ſe Cicero pertimeſcere.

115.

Contrahes ternam concionem illam.] Idem T. Munatius Plancus, ut ſæpe diximus, poſt audita & obſignata teſtium uerba, dimiſſoſq; interim iudices, uocata concione cohortatus erat populum, ut clauſis tabernis poſtero die ad iudicium adeſſet, nec pateretur elabi Milonem.

115:

Incidebantur iam domi leges, quæ nos noſtris ſeruis addicerent.] Significaſſe iam puto nos, fuiſſe inter leges P. Clodij, quas ferre propoſuerat, eam quoque, qua libertini, qui nó plus,

Abacus columna 977 linea 47
ab admiratione initium 1192.11
abalienationis formula 1168.51
ab animato ad animatum 996.64
ab exemplis argumentum 478.40
ab honeſto arg. 322.25
abhorrere 246 46
ab igne ad amorem tranſlatio 635.15
abigo 243.18
abiudicare 175.15.922.16
ablatio inferens 170.30
ablatiuus in i & in e 512.14
abortus & aborſus 244 2
abrado 148.40
abripio 808.60
abrogatio legis 1195.54
abſolutio ex beneuolentia 1191.21
abſolutionis, condemnationis, & amplificationis nota 152.50
abſtinendum in oratione 347.8
abſtinentia 85.61
abſtineo & contineo 1140.45
abundans nomen & participium quomodo 302.47
ab utilitate argumentum 488.21
Abyla & Calpe 666.18
accedere ad rempub. 34.18
accedere & aſpirare 1338.54
accepero & acceperim 726.48
accepti & expenſi codices 1221.13
acceptum referre 81.31.1100.22.1210.5.1226.5
accerſire 648.26
accipenſeris nobilitas 24.46
accipere 1184.38
accipere facinus 633.11
accipere uulnus 564.45
Accius poeta 1396.52
acclamationum locus 862.38
accommodatio & expoſitio 833.60
accuſandi & defendendi ſpatiū 330.29
accuſare & maledicere 107.17.613.19
accuſator uerus 1357.21.1337.6
accuſator & reus 270.7
accuſator qui 660.19
accuſatoris conſideratio 958.18
accuſatoris & defenſoris differentia 329.38.923.27
accuſatoris & defenſoris difficultas 3.39
accuſatoris & patroni hora 289.2
accuſatoris & patroni officium 886.31
accuſatoris & rei hora 425.35
accuſatoris & rei ſedes 39.35
accuſatoris nomen 899.5
accuſatoris officium 903.7
accuſatoris præmium 1373.31
accuſatorium nomen 1366.3
accuſatorum obſeruatio 345.36
a, e, ni 294.13.739.21
à circunſtantijs amplificatio 1086.5
Achaia 912.35
Achillis fortuna 481 20
à conſequentibus arg. 411.53.733.10
acta publica & priuata 1190 59
actio 416.36
actio turpis 123.14
Actius Varus 860.32
actum eſt 69.32
actus pro actore 283 34 1148.7
actus tragici 1373 20
aculei pro maledictis 549.38
ad 244.61.299.6.85.55.988.55
addicere 146 31.964 7.1047.41.1134.39
addicti & ſerui differentia 416.16
addictus 708 38.12 5.34
addictus & ſeruus 90.17.1151.5
addubitatio 22.9.22
adducere uxorem, & abducere 302.2
ad ærarium deferri 484.61
ad Caſtoris 724.10
ad conſtitutum uenire 153 64
ad & apud 923.35
à diffinitione arg. 970.25
ad hæc ſubſellia 769.56
adhortatio 163.36
adhortatio ab honeſto 1101.22
adhortantur Chriſtiani in Turcas 486.2
à digreſſione ad refutationem 634.56
adipiſcor 549.54
adire hæreditatem 92.39
à diſſimili arg. 514.49
aditus ad cœlum ſecundum Ciceronem 726.16
adiumentum, adiutorium 774.60
adiunctionis effectus 1069.8
adiutor & impulſor 244.58
adminiſter 255.47
adminiſtrare bellum 196.63
admoneo 614.34
admonitio 335.51
ad mortuos pertinentia 786.50
adoleſcentia 695.11
adoleſcentiæ uoluptas 620.60
adoleſcens & iuuenis 51.49
adoleſcentis pulchritudo 602.28
adoleſcentum animi 234.30
adoleſcentum ingenia 628.38
adoleſcentum nobilium cura 640.31
adoleſcentum præceptum 450.3
ad Opis 1193 4
adoptare 909.48
adoptionis forma 175.12
ad oſtentandam copiam rerum 841.25
Adrianus 98.27
Adriani lex 53.26
Adriani mors 1363.44
Adramytium 421.32
ad rogatum 403.62
ad ſanitatem redire 1143.23
aduerbia in o 18.32
aduerbiorum terminationes 341.56
aduerbium pro aduerbio 639.21
aduerbium pro nomine 878.54
aduerſarij iudicium 336.43
aduerſarium in inuidiam adducere 134.2
aduerſarium rapere in odium 835.8
ad Veſtæ & ad Apollinis 1290.63
adulterina ſigna 246.27
aduocare & aduocatio 156.45
aduocatio amicorum 84.51
aduocatus 275.45.344.55.597.38.28.21
aduolare 238.26.305.17
ad urbem 1373.12 & 33
ædes 31.50
ædicula 597.63.617.8
æditituum munus 362.19
ædilium genera 546.32.424.15
ædilium ſumptus 546.51
ædium euerſores 1360.55
æger & ægrotus 998 63
æmulari & obtrectare 401.16
ænigma 57.25
æquitas, & ius 355.8
æquiuocatio 115.55
æquo animo ferenda 25.4
æquo iure uti 1383.30
ærarij anguſtiæ 672.28
ærarium 1263.15
æris penſio 1243.37
æris uſus 1190.50
æs alienum 629.31.555.15.122.20
æs alienum conflare 1205.42.1278.53
æs alienum diſſoluere 1007.21.1304.36
æſopicus ſerpens 452.57
ætas ad accuſandum & defendendum apta 296.27
ætas ætati ſuccedit 1311.44
ætas militari 191.58
ætas pro hominibus 234.56
ætatis diuiſio 192.26
Aetnenſes 969.42
à fabis abſtinendum 290.55
à facultate arg. 707.47
affectus 1001.27.1293.33
affectum mouere 305.26.454.12.725.7
affectus languore 1106
à felicitate amplificatio 219.1
à fictione argumentum 53.54.382.58
affines 447.6
affinis pro conſcio 1024.54
Africani otium 553.59
Africanus ſuperior 1275.27
Africæ laus 840.20
age 265.1.706.12.708.9.768.20

age, agite 1104.6
agentes & conſentientes 252.53
agere bellum & gerere 668.35
agere comœdias, cauſas & alia 87.4
agere cum populo 1237.45
aggredior 331.8
agi iure ſiue 192.8
agmen quadratum 1246.61
agnoſcere & cognoſcere 540.16. 1125.15
ago & actio 179.21
agricolarum laus 471.50
agri ſteriles 422.42
agrorum leges 1191.59
Alcidi animus 333.21
alacer & lacer 1248.8
alacris, & alacer 366.43
Alaracus rex 216.54
alauda 195.24.1118.17.1195.20
albus an ater 1221.22
Alcibiades ab Athenienſibus accuſatus 3.37
aleæ luſus 1226.56
allegare & allegatus 1095.41
allegatus, adhibitus 245.40
alectrinum 669.39
alleuamentum 446.19
Alexander de Achille 471.30
Alexandri mors 243.60
Alexandriæ laus 766.25
alienus 56.35.253.8.882.8
alieniſſimi 343.28
alieno tempore 1161.35
aliud ex alio 1069.16
Allobroges 1014.49
à loco augere atrocitatem 664.17
alta nox 906.34
altum & ſedum pro mari 342.7 & 19
aluus 637.64
alumnus 1139.47.1282.28
amandare 46.34
Amatij hiſtoria 1161.5
Amatius ab Antonio occiſus 1056.26
amator & amans 1006.26
Amazonum ciuitas 1254.17
ambitio 573.40
ambitio & contentio honoris 454.43
ambitionis genera 1149.39
ambitioſus 434.2.350.3
ambitus 616.39
ambio 573.41
ambitus ....ns 253.1.271.57
amentia 234.23
Ameria urbs 38.55
amicitiæ ſigna 528.7
amicitia uetus & noua 343.29
amicitiæ uis 805.30
amicorum cauſa 522.30
ami...ie 239.40
amittere litem, cadere cauſa 288.36
amittere animam, & uitam 702.37
à minori ad maius argum. 317.9. 323.52 654.656.24
à miſericordia 837.58
amita & amitini 242.17
amoris effectus 453.48
amor meretricius 603.44
amphibologia 151.4 548.25.684.35. 978.9
amplector & amplector 281.4
ampliatio 1358.40
amplificandi modus 1043.9
amplificatio 150.33.151.28 396.49 450.6.455.13.461.8.478 36 708. 21.734.40.1066.34.1080.34
amplificationis genera 861.44
amplificatio à cauſa finali 499.10
amplificatio ad beneuolentiam 71.6
amplificatio à dignitate 650.5
amplificatio ad indignationem 73.4
amplificatio à loco 533.29
amplificatio à maiori 488.6
amplificatio à natura 121.9
amplificatio à rebus geſtis 476.24
amplificatio cum epiphonemate 616.16
amplificatio ex comparatione 242.55
amplificatio ex definitiõe 458.15.459.16
amplificatio impietatis 1047.45
amplificatio in uerbo 1149.28
amplificatio inſignis 132.23
amplificatio per collationem 632.57
amplific. p cõparatiõe 992.54 1048.31
amplificatio per contentionem 615.29
amplificatio per exempla 1118.5
amplificatio per gradationem 743.35
amplificatio per incrementum 610.51
amplificatio per inuerſionem 456.62
amplificatio per obtestationem 759.24
ampliſſimi ordines 207.46
amplitudo 66.52
anapæſtus 619.28
anaſtrophe 137.37.167.61.758.39
ancillari 151.1
Ancon 245.55
andronitis 1243.3
angiportus 713.2
anima 359.55
animaduertere in aliquem 66.59
animam ducere 53.49
animam profundere 787.25
anima triplex 473.36
animi immortalitas 232.48.297.62. 1332.27
animi imago, & index 267.26
animi index 1130.5
animi in numero plurali 904.20
animi pars nobilior 889.31
animi partes 473.40
animi uirtus 440.44
animi uitia 584.59
animorum immortalitas 488.45.721.17
animorum latebræ 784.20
animos tollere 1144.31
animum inducere 48.45
animus armatus 787.18
animus & mens 462.57
animus fractus 545.37
annales 498.55
annalis lex 398.19
Annibalis bellum 200.17
anni obſeruatio 870.6
annonæ utilitas 410.10
annulorum ſigna 1016.56
annulorum uſus 724.19
annus ciuilis 870.10
annus ſecundum Romulum & Numam 21.42.244.22
annus uertens 870.47.1320.48
anſa reprehenſionis 562.21
anſam retinere 1147.26.1160.25
anſeres curantur cenſoribus 49.42
Anſer Virgilianus 1120.26.1319.3
ante cauſam dicenda 729.29
antecello & antecelleo 316.14
antelucanus 1010.53
anthypophora 1276.15
Antiochia 464.2
Antiochi mors 1306.15
antiqui homines 42.59
antiquorum lauatio 878.48
antiquorum laus 269.4
Antiochus 884.47.885.3
Antiochus à Scipione uictus 765.32
antitheſis 1033.29
antitheton 155.41.637.42
Antonij comites 1227.37
Antonij concio 1080.36
Antonij debitum 1212.24
Antonij hiſtoria 1200.63
Antonij literæ ad Ciceronem 1208.45
Antonius in exiliũ electus 1078.1225.10
Antonij facinus 438.1
Apamea 471.15
à parentibus argumentum 593.62
à perſona iudicum beneuolentia 621.43
aperte, & palam 1348.27
appetitus 26.16
à Platone, ab Andria 374.40
apodixis 619.52
Apollinis Delphici delubra 1335.19
Apollinis ædes 1386.11
Apolloniæ ciuitas 1048.5.1258.19
apoſiopeſis 237.2.1206.63
apoſtrophe cum obiurgatione 133.53
apotheca, & hypotheca 1130.30
Appia uia 1281.40
Appij auctoritas 1188.19
Appij Cæci diſſuaſio 1050.61
applico eas causa 425.37
approbatio 218.31.1200.69
approperare 705.17
aqua fluuialis & marina 53.29
aqua pluuia 351.12
aquæ ductus 167.27
aquilæ ſignum 995.49
Aquilij hiſtoria 1258.62
à quo incipiendum 837.52
Arar flumen 1014.49.1217.31
aratorum decimæ 1347.20
arbitrium & iudicium 145.17
arbitraria, iuſſa, euenta, & alia 25.19
arbor cruci apta 332.42
arbores

arbores infelices 332.29.35
area 745.28
arcem ex cloaca facere 865.48
Archiæ dignitas 477.64
Archimedis excellentia 267.59
architectus, architectari 255.5
ardere 56.42
ardor orationis 825.37
arduum caput 963.21
area 980.57
à religione remoti 98.51
à remotione argumentum 54.5
Areopagus 1267.59
argentarij 125.51.115.49
argentariorum genus 143.38
argentariorum officium 82.6
arguere 150.62.609.60
argumentatio 256.58
argumentatio ad confirmationem 221.2
argumentatio ad remotionem 1041.31
argumentatio à ſententia 131.53
argumentatio per ſubiectionem 1045.42
argumentationis partes 221.2.958 35
argumenti forma 313.49.317.52.
323.18
argumentor 256.54
argumentorum collatio 134.25
argumentum à fictione 802.37
argumentum à licito & honeſto 391.54
argumentum ab exemplo 458.43
argumentum ab inutili 154.57
argumentũ ad uериſimilitudinem 770.3
argumentum à loco 707.8
argumentum à maiori 590.32.1159.10
argumentũ à natura & moribus 732.14
argumentum à repugnantibus 152.62
argumentum coniecturæ 475.25
argumentum diſiunctiuum 1076.42
argumentum & argumentatio 860.49
argumentum ex diuiſione 1162.41
argumentum ex remotione 255.64.277
30.1163.48
argumentum ex repugnantibus 2015.24
argumentum hortatorium 1093.23.
argumentum in re nota 278.59
argumentum minus comprobatũ 970.32
argumentum per fictionem 1031.12
Argyrinenſes 968.44
Ariobarzanis regnum 181.61
Ariſtobulus 1220.3.1222.60
Ariſtonicus Eumenis filius 1307.31
Aricia 706.39.1088.25.1254.13
arma 163.50
arma & armarium 301.6
armamentarium 522.58
armamentarium & armarium 335.40
armarium 632.23
armatus 304.52
arma uitæ 451.21
armiluſtrium 713.31
Arpinum 577.54
arrogantiam remouere 571.14
arrogantia orationis 57.2
ars unde 196.42
ars & natura 487.26
ars prima & ſecunda 1294.36
Arſinoe urbs 1048.28
arceſſere & accerſere 405.20
artes optimæ 779.14
articulus expolitus 827.34
artificioſa inuerſio 891.24
artificioſa locutio 285.28
artificioſa prohibitio 419.2.429.53
artificioſiſſima recriminatio 824.47
artificioſum exordium 681.57
artis effectus 2.23
artis & naturæ diſcrimen 464.49
artis laus 478.28.487.41
artis occultatio 47.41.835.25
artium ſocietas 483.20
arx 1338.31
as 14.61
aſcribi in ciuitate 464.61
aſculum 109.12.438.25
Aſiæ ianua 358.64
Aſiæ termini 1310.38
aſpidis morſus 764.4 & 13
aſſentio & aſſentior 200.37.742.20
aſſecla 1153.38
aſſiduus 164.16.350.7
aſſiduus, ab aſſidendo 47.20
aſſignare 1295.32
aſſimulare 244.60
aſſipondium 14.59
aſſis diuiſio 125.63.1160.14
aſſis pretium 88.1
aſſumptionis cõprobatio 214.31.220.55
aſtringere fidem 1040.32
Aſtrubolus rex 421.6
aſtu 46.8
aſtutus 1351.52
aſyli auctoritas 88.17
aſyndeton 637.26.766.7
at & atenim 266.4.381.7
Athamas 523.43
Athenarum nomen 419.16
Athenienſiũ fœminarũ ſupplicium 419.31
Athenienſium laus 1268.41
Athenienſium mores 621.9
atrium 709.59
atrociſſimæ dictiones 964.1.1137.51
attalica 637.20
attentio auditorum 186.30.298.34
attentio iudicum 65.6.231.27
attentionem captare 1079.62
attentionem remouere 1066.21
attentionis præcepta 961.1
atteſtari 746.48
Attilius legatus in aſino 418.55
Attilij Serani hiſtoria 48.46
auaritiæ deſcriptio 1231.20
auctio 42.28.144.58.539.32.878.7
1007.50
auctio & auctionari 5.29
auctionariæ tabulæ 1007.53
auctionari & ſubhaſtare 1135.22
auctor 151.41
auctor & impulſor 235.58
aucupari orationem 159.25
aucupium 164.49
audacia 610.53.985.5.1005.56.
1151.7
audaciæ, libidines, &c. 450.3
audacter 60.16
audire pro obedire 430.45
auditorem attentum facere 37.20
auditorum memoriam firmare 706.58
augere per comparationem 2001.20
auguratus lex 1206,10
auguris officium 1126.10
augurum dignitas 1206.30
augurum ius 1131.10
augurum officium 1053.45
augurum tempora 1131.11
auguſta auſpicia 704.41
auidus 86.34
aulœdus 356.24
auletes 766.36
Auletes regno pulſus 1222.63
auleum 606.8.637.18
à uita ante acta confirmatio aut refutatio 701.49
à uirtute amplificatio 219.14
aures peregrinari 698.56
auri cuſtos 1319.33
auri uis 216.44
auſpiciorum ius 1131.35
auſpiciorum mos 235.53
auſpiciorum obſeruatio 339.49.52.
1238.14
aut 696.19
Automedon 59.7
autonomaſia 371.61
auxeſis per comparationem 634.44
axioma 974.1
Baiæ 620.40
Baldachinum 1257.20
balneatoris premium 635.37
Barbaria 667.23
barbatus & barbatulus 1009.51
baſilica 376.61
beatus 637.59
bella ciuilia 1287.32
bella Mithridatica 358.40.359.33.
349.42
bellare 472.49
belli ciuilis cauſa 1226.20
bellicoſiſſimæ nationes 193.26
bellicum 1139.43
belli domina 779.64
bellicum canere 356.44
belli decus 1326.31
belli inſigne 1146.94
bello & bellor 106.11.358.20
bellorum uis 356.57
bellum ardere 799.16.860.25
bellum contra Philippum 185.26
bellum & tumultus 1285.11
bellum ſeruile 430.40
bellum ſociale, Latinum, et Italicũ 658.46
bene & beate uiuere 885.46
beneficium ſerere 502.53

bene habere 347.5
benemeritorum amplificatio 494.44
benemeritus ſum de te 647.28
bene pro ualde, & bene manere 763. 35.43
beneuolentia à ſua perſona 565.53
beneuolentiæ captatio 314.29.593.34. 475.2.1190.3
beneuolentiæ pars 325.2
beneuolentiam præparare 1075.36
beneuolentiæ reconciliatio 476.53
benignitas 89.11.142.25.406.58. 756.38
beſtia 51.36
bibere græco more 1363.28
Bibuli conſulatus 1133.27
Bibuli laus 1322.56
biſſextus 871.20
Bithynia 1310.41
bona ſecundum philoſophos 885.37
Bonæ deæ ſacellum 722.12
bona prædia 1369.19
Bonæ deæ ſacra & ritus 710.49
boni conſulis officium 1036.10
bonitas & liberalitas 774.6
bonitatis indicium 684.9
bonorum finis 473.2
bonus & honeſtus 1368.23
Boſphorus 359.45
bona & fortuna 1367.18
bonus ciuis & bonus homo 988.17
brachæ 104.28
breuis rei abſolutio 971.58
breuitas 1068.57
breuitas orationis 231.24
Brutij populi 161.5
Brunduſium 194.49.566.37.592.51. 921.14.1183.56
Bruti, & Antonij 1196.30
Budæus ex Aſſe 35.24
bulla aurea, & ſcortea 137.23
bulbus 260.1
bum 1137.23
buſtu 1036.18.1056.34.1129.9 1136.37
Canl. 1358.38
c litera & t 73.64
C. Gracchi præſtantia 106.13
C. Marij fuga 514.18
C. Marij oratio 470.25
cadauera comburendi ratio 241.49
cadauerum lauatio 99.64
cadere cauſa 344.57
cadere in iudicio 370.59
C. Gracchi eloquentia 333.14
calamitas 147.53
Calendi diuinatio 243.58
calcei gypſati 1322.28
calcei ſenatorum 1122.16.1322.45
calculi nigri & albi 3.21
caligæ uſus 713.54
Caligula 1235.8
callidus 61.63.161.61
calumnia 49.24.717.35.1148.38
calumniari 267.29.295.6.17
Calphurnia lex 445.44.1379.7
campus 176.44
cancelli 28.37
candidati 363.55.375.49.60.576.11. 704.37
canere 1018.49
canere intus & foris 1361.30
Cappadoces 1032.16
capere conſilium 23.1
capere laborem, ſomnum & alia 91.31
capere lætitiã, uoluptatem 43.48.526.64
capere magiſtratum 279.55
capeſſo, faceſſo, & uiſo 905.37
capillus & capilli 66.36.1009.50
capitale crimen 1161.36
capitalis homo 1271.52
capiti ominari 1305.5
capitis dimicatio 343.30.727.22
capitis diminutio triplex 135.58
Capitolium exuſtum 1016.24
captare attentionem 134.31
captatio beneuolentiæ 140.32
captio & captioſus 15.3
Capuæ nobilitas 324.30
caput 622.36.28.19
caput Iouis ſacrum 1144.53
caput pro bonis 6.49
Carbonis hiſtoria 1258.64
Cares 420.19
carmen 354.13
carnifex ciuis 333.25
carnificis natura 333.31.62
Carthaginenſis 669.58
Carthago Romanis tributaria 1028.13
Caſilina fames 1245.30
Caſſia lex 1382.8
Caſſiorum familia 1215.13
caſtellum 149.5
caſtimonia & caſtitudo 614.58
Caſtoris & Poll. templum 1391.7
caſtra 772.25
caſtrenſe uerbum 614.56
caſus 421.19
caſus & occaſus 439.52
caſus ſeptimus 139.42
catamiti 1235.42.1236.4
catapophaſis 747.12
caterua 616.7
Catilinæ ænigma 368.10
Catilinæ coniuratio 1024.31
Catilinæ & Ciceronis contentio 443.9
Catilinæ fautores 313.35
Catilinæ interitus 429.36
Catilinæ ſtupra 1004.50
Catilinæ uita 1263.32
Catonis auctoritas 1334.35
Catonis diſciplina 383.28
Catonis interitus 1209.57
Catonis inſtitutum 397.37
Catonis laus 1304.63
Catonis mors 387.27
Catonis ſecta 341.18
Catuli eloquentia 464.16
cauere 349.11.1169.27.1290.29
cauere inimicitias & proditorem 39.38
caupo & copo 295.24
cauſæ fundamentum 844.2
cauſæ ordo pulcherrimus 71.23
cauſam recipere 34.13
cauſam dicere 38.13
cauſam obtinere 3.35
cauſa publica & priuata 1335.13
cauſarum genera 248.64
cauſidici ad moram faciendam 915.30
cautum eſſe 1227.60
cautus 144.2
cedere hoſti 104.61
cedo 412.19.528.14.770.50
cella 903.56
celeberrimi loci 13.62
celeberrimus 533.45
celebrare 624.53
celeritas 779.36
Celtiberia 1141.10
Celticum bellum 193.38
cenſere & iubere 191.23
cenſores 1337.36
cenſorum auctoritas 642.51
cenſoriæ leges 333.23
cenſoris officium 958.40.287.32
cenſorum creatio 279.32
cenſorum cura 717.15
cenſum agere 484.46
cenſura quinquennalis 466.6
cenſuræ laus 1394.20
cenſuræ poteſtas 900.2
cenſus more ueterum 1366.52
cenſus equeſter 1052.25
centumuiralia iudicia 159.47.319.47
centumuiri 456.58
centuria, centurio 994.53
centuriæ Romuli 378.16
cernere & intueri 719.26
certamen Capitolinum 870.22
certe, certo, & certum 441.13
certus 4.12
ceruices 1303.11
Cethegi interitus 447.43
cæcus 655.48
cælo & eius conſtructio 304.12
Cæſaris concubitus 1088.18
Cæſar, Craſſus, & Pompeius 1298.50
Cæſaris columna 1056.38
Cæſaris cupiditas 1226.21
Cæſaris ætas 1083.30
Cæſaris ara 1054.2
Cæſaris & Ciceronis amicitia 1026.29
Cæſaris & Ciceronis inimicitia 671.64
Cæſaris & Pompeij bellum 974.54
Cæſaris & Pompeij diſcordia 804.9
Cæſaris funus 1050.10.1182.23
Cæſaris geſta 1047.27
Cæſaris imperium 1083.31
Cæſaris monimenta 785.63
Cæſaris pugna 1234.32
Cæſaris titulus 779.39
Cæſaris triumphi 1331.5


Cæſaris

Cæſaris uictoria 779.28
Cæſaris uxor 1057.6
charitatis opus 486.6
charos habere 671.40
charta 771.22
chelidonum amicitia 1373.50
Cherilus Alexandri poeta 471.37
Chilo lacedæmonius de mortuis 242.11
chirographum & ſyngraphum 1190.41. 1267.15
Chriſtianorum mors 508.39
cibaria 49.46
cibum ex flamma petere 48.48
Cicero accuſatur à Clodio 1146.7
Cicero cur Pomp. ſecutus eſt 800.23
Cicero de deis 720.42
Cicero de inferis 1026.17
Cicero facetiſſimus 1219.33
Cicero iunior. 1299.15
Cicero qua ætate primã cãm egit 910.34
Ciceronis actiones 343.57
Ciceronis animoſitas 1189.4
Ciceronis benignitas 1187.31.1299.42
Ciceronis conſuetudo 1393.32
Ciceronis competitores 348.25
Ciceronis conſuetudo 329.6
Ciceronis conſulatus 401.6
Ciceronis dignitas 801.12
Ciceronis domus 518.18.643.7. 1057.33.1144.54.1187.44
Ciceronis exilium 702.2.808.29
Ciceronis hoſtes 1132.14.1204.25
Ciceronis humilitas 904.35
Ciceronis laus 180.55.313.14.342.50. 453.18.817.5.1045.30.1210.24. 1393.32
Ciceronis luxuria 1144.41
Ciceronis maiores 312.6
Ciceronis mordacitas 1220.17
Ciceronis natura in orando 1.11.322.9
Ciceronis nouitas 1354.3
Ciceronis ordo 181.56
Ciceronis præceptor 463.11
Ciceronis proprium 1355.28
Ciceronis quæſtura 363.5
Ciceronis repudium 1036.57
Ciceronis ſolertia 861.29
Ciceronis ſtudium 462.53
Ciceronis uerſus 1146.32
Ciceronis urbanitas 540.42
Cilicia 912.38
Cilicum ſocietas 194.10
Cilones & Chilones 1153.11
Cimbri 206.6
Cimbrica ſtrages 661.25.338.63
Cincinatus dictator 1080.46
cingulum & cingula 406.42
Cinnæ partes 1386.3
Circenſes ludi 377.51
Circes fabula 908.28
circunforaneus 245.57
circunſcribere 423.4.1226.7
circunſcriptus 1225.42.1360.38
circunſtantiæ effectus 461.15
circũuenire et opprimere 305.30.231.36
circus maximus 1370.36
ciſium uehiculi genus 40.11.72.17. 1079.64.1236.42
citare reum 248.57
citharista aſpendij 1361.37
ciues boni & mali 988.16.1152.38
ciues & coloni 1008.30
ciuica corona 556.52.589.62
ciuile ius 154.6
ciuilis mali cauſa 1298.57
ciuis duarum ciuitatum 464.7
ciuium genera 1013.20
ciuium pernicioſorũ ſupplicia 381.55
ciuium Romanorum mors 402.20
ciuium Romanorum oſtenſio 1349.23
Cizicum urbs 187.48
clamis 765.18
clara & ſuppreſſa uoce 239.57
claſſes et cẽturiæ Rom. 365.10.1239.32
claſſicum 916.9.1344.9
clauſula 637.14.1326.12
climax & aſcenſus 712.21
cliterna & claterna 1286.38.1287.20
cloaca 154.49.565.50
Clodia 723.9.1394.7
Clodianæ cædis dux 1406.10
Clodij auaritia 563.16
Clodij cædes 1402.1.1404.3
Clodij facinora 711.17
Clodij interitus 722.6
Clodij luxuria 563.34
Clodij natura 699.4.642.27
Clodij ſica 1402.51
Clodius in habitu ancillæ 591.56
cœlibatus uitia 486.18
cœlum 53.2 cœnũ te facio 1269.8
coaugmentari 1284.42
codex 82.35
cogere pro congregare, & colligere 265. 44.1015.37
cognitor 1337.50 cognomen 160.24
cognoſcere cauſas 125.39
cognoſcere in re 95.37
coqui æſtimatio 345.62
cohæredes 92.35
cohors prætoria 1011.52
coire ſocietatem 41.2.1214.40
collatio 1033.18.1087.17
collatio ad amplificationem 25.9
collatio facti 459.17
collatio quadrimembris 825.5
collectio 823 24
colere, & diligere 417.27
colligere ſe 190.11.250.42.1039.58
colobium 1010.26
collocare filiam 304 23.631.32
coloni 173.39.298.39
colonia, & municipium 1043.24.535.7
coloniam deducere 1245.38
color purpureus, & cæruleus 778.27
Columella 413.47
columen & colũnæ 413.42.1322.3
columna Cæſaris 1183.5
columna Menia 923.37.1295.16. 1343.37
comœdiæ partes 420.23.1343.4
comeſum, & comeſtum 298.25.1153.30
commiſſa 1373.52
comitia 687.6.1362.13 1348.18
comitia conſularia 443.3
comitia centuriata & curiata 391.18 573.64.1130.50
comitia enucleata 574.20
comitia & comitiales dies 1193.1
comitia pontificia & calata 617.50
comitiorum diuiſio 318.21
commeatus 659.19.779.51
commendatio à meritis 476.18
cõmentari & cõmentaria 55.28.1180.7
commeſſatio 625.26
comminatio 960.56
comminus 156.33
commiſeratio 219.29.455.16.751.2. 834.16
committere 69.42.269.35
committere ludos 609.53
commoda 290.34
commodum eſſe 1374.60
commonitio 819.35
commoratio 1035.7
commune 1365.49
communes hominum ſenſus 233.8
communicare 63.3
communicatio 457.58
comparare 253.38.978.43
comparatio ad amplificationem 196.49
comparatio ex minori 1067.9
comparatio per commemorationem meritorum 846.7
comparatio pulcherrima 1393.38
comparationis concluſio 845.42
comparationis & amplificationis uis 1072.58
comparatiua pro abſolutis 987.64
comperendinatio 1358.12 & 24
compendium 145.15.403.19
compilare 353.11.1133.20.1259.30. 1359.49
cõplexio 214.54.317.27.632.53.963. 44.1071.59.1342.19
cõplexio probabilis & neceſſaria 868.14
componere & cõpoſitio 44.35.66.48
compoſitio hians & aſpera 502.36
compoſitum pro ſimplici 418.13.988.28
cõpromittere et cõpromiſſũ facere 83.64
concedere temporibus 994.35
conceſſio 153.40
conceſſio cum repetitione 1040.8
conchylia 1045.51.1231.44
conciliare odium & amorem 469.6
conciliatio beneuolentiæ ab honeſto 483.6
conciliatio iudicis 23.59.127.8
concio 1261.30.229.35
concionis locus 406.20
concleue 51.43
concluſio 396.57.429.5.457.52.847.6
concluſio à contrario 224.10

concluſio generalis 215 4576.19.
153.14
concluſio orationis 67.45.74.26
concluſio per adhortationem 322.45
concluſio per collationem 133 55
concluſio per cōmiſerationem 108.55
concluſio per connumerationem 674.3
concluſio per enumerationem 164.13.
323.59.375 44 409.9.474.6.537.9
concluſio per exclamationem 746.6.
745.9.750.47
concluſio per obiurgationem 522.43
concluſio per repetitionem 201.21
conceſſio rhetorica 1016 57
concoquere 90.40
concordiæ effectus 782.12
concordiæ templum 1019 28.1211.43
condemnationis ſignum 50.11
condiſcipulorum amicitiæ 805.12
conditio 615.61
conditionalis ſyllogiſmus 1088.12
conditus à condiendo 375.40
conduplicatio 100.45.321.60.616.4.
760 39
conduplicatio ad cōmiſerationem 641.8
conduplicatio cauſa amplificationis
173.25
conduplicationis uehementia 1261.17
confecta uictoria 1124.8
confero 1034.7
confeſſio rei 859.16
conficere 193.44 428.24
conficere exercitum & pecuniā 206.20
conficere pacem & bellum 410.13
conficere prouinciam 192.60
conficere ſtipendia 191 44
conficere tabulas 648.35
confidere & ſperare 305.48
confirmatio 212.12
confirmationis conſideratio 826.53
confirmatio à teſtibus 619.15
confirmator 260.21
confiteri 1152.7
conflare 621.24
confirmatio ab exēplo fabuloſo 1020.61
confirmatio ab occupatione 913.26
confirmatio ex fine 737.54
confirmatio inficiationis 460.50
confirmatio iuriſdicialis 827.54
confirmatio partitionis 215.48
confirmationis ingreſſus 150.12
confiteri 472.58.799.3
conflare 615.27.994.59.
conformare 371.49
confoſſus 440.9
confugio 230.57
confutatio 316.36.459.6
confutatio à pugnantibus 484.48
confutatio à teſtibus 484.48
congeries 861.58.1068.3
congiarium 1136.55.1249.43.39
congius 1083.34
coniectura 839.10
coniecturæ locus 820.50
coniecturæ locus ſecundus 74 29
coniecturale argum. 1162.55
coniugium proximorum 714.34
coniungendi hoſpitij mos 886.1
coniuratio Catilinæ 442.55
coniuratus, non coniurator 368.41
conuexa 1126.8.1127.19
conniuere 1052.2.1192.8
conqueſtio 343.8
conqueſtionis locus 860.29
conquiſitores 714.27 746.30
conſceleratus 304.63
conſcientia & conſcius 96.41.252.58
conſcientiæ ſignum 637.24
conſeneſco 235.8
conſenſio 96.18
conſeruus 301.13
conſeſſus 230.41.1267.3
conſideranda in deprecatione 868.38
conſiliorum duces 221.653.50
conſilium iudicum 37.9
conſilium 248.62.261.36.382.60.655.
1158.900.53
conſobrini & patrueles 233.43.535.49.
801.63
conſtantia 1282.58
conſtituere & decernere 611.25.691.
8.1339.63
conſtituere quæſtionem 227.43.463.33
conſuetudo 38.58
conſulare ſacrificium 400.7
conſularis 1121.54
conſularis familia 549.50
conſultantium animus 453.51
conſulatus initium 381.43
conſulis preces 339.45
conſulo & conſultor 352.5.667.45
conſulum auaritia 1131.16
conſulum imperium 341.33
conſulū poteſtas 329.14.715.15.986.57
conſummatus 1307.23
conſumere operam & laborem 93.33
contemnere 1002.48
contemptio 1096.62
contendere 228.35.343.35.905.53
contentio 1033.13
contentio ad amplificationem 770.64
contentio honorum 704.30
contentio per definitionem 156.22
contentio ſtudioſa 1339.2
conteſtari litem 92.20
contiguus 706.43
continens pro contento 908.32
continentia & abſtinentia 198.4
contra caput dicere 901.48
contractus inter uirū & uxorē 343.57
contrahendi matrimonij forma 355.15
contrapoſitum 503.33.637.42
controuerſum ius 356.2
contribuere 1334.21
contubernia 804.19
contumelia 1271.52
contumeliam facere 1085.29.1257.20
contumeliam & uim oſtendere 841.18
Conuentio 159.15
conuentus 867.12
conuictus in ſcelere 452.59
conuiualis cantilena 1231.10
conuiuia intempeſtiua 467.6
conuiuium funerale 379.33
copiæ copiarum 208 20
copioſus pro diuite 464.6
corradere pecuniam 970.23
cor & oculi 51.63
cordis nuncius 1032.23
correctio 523.11.734.61
correctio ad amplificationem 1036.26
correctio cum defenſione 571.27
correctio figurata 759.56
correctio uenuſtatis 824.45
corrigere 372.10
corrigia 406.44
Corinthi euerſio 184.55
Corinthi laus 65.47
Cornelia lex 694.29.759.18
Corneliæ laus 1401.30
Corneliorum familia 1381.10
cornicum oculi 532.55.386.36
cornutus ſyllogiſmus 155.3
corrogare 1256.30
corollarium 978.39
corona 683.30.735.50.1335.10
corona & diadema 1240.36
corona triplex 1035.25
corporum nuditas 714.14
Coruini hiſtoria 1275.21
corruptio & corruptela 882.18
corruptio iudicum 899.62
Craſſus 422.32
Craſſus orator 1165.7.1390.8
Craſſi diuitiæ 1145.60.270.14
Craſſi eloquentia 286.47
Craſſi interitus 1202.36
Craſſi laus 159.37.656.53
credere pecuniam 415.49
creditor & debitor 1121.58
credo 984.415.35
crepida 765.46
Cretenſium Andria 375.5
crimen & facinus 636.55
crimen in uirtutem 538.31
crimen neceſſitatis 820.11
criminaliter 527.60
criminis conſilium 744.8
criminis deductio 832.54
criminis exaggeratio 243.20
criminis imminutio 380.58
criminis probatio 217.38
crimineſum, non criminale 376.11.440.
62.709.52
criminum loca 1347.24
crocola 524.5
crudelitatis argumentum 589.44
crudelitatis ueſtigium 635.54
crudus 296.55
cruentare templum 702.45
cruſta 978.32
crux 332.28

cubile

cubile 265.46
cubile nouæ nuptæ 237.50
cuiuſquemodi 58.28
culeus 73.18
culpæ extenuatio 602.10
cultus patroni 1279.40
cum,& tum 138.3.165.20.201.17.897.14
cum literis mandatiſq; 1015.19
cunctatio ducum 1278.24
cuniculus 172.12
Cupidinis & Dianæ narratio 46.1
cupiditas 37.54.441.35.543.55
cupreſſus 565.56
curare & curatio 245.40.522.62.766.37
curia 869.18
curiæ Romanæ incendium 1402.2
curiæ ſtercus 935.31
curriculum 330.33.1139.45
curriculus 777.49
Curij hiſtoria 627.60
curulis 1254.36
Cybea 976.45
Cyclades 222.9
Cyrenæ 575.8
Cyzicum urbs 216.16
Dactyli & ſpondei 502.44
damnatorum auctoritas 975.18
damnatorum imagines 454.7
damnatorum nota 279.40
damnatorum teſtimonium 412.3
dare poteſtatem 393.52
dare ſenatum & concionem 406.34
dare ueniam 151.19
datum 1022.20
dedere pecuniam,gratiam, & beneficium 555.7
de capite & fortunis 868.64
decedere ex prouincia 897.8.799.13
decempeda & decempedator 718.1.1142.2.1324.58
decemuirorum ius 314.19
decertandi genera 564.25
Deciorum hiſtoria 1039.32.1275.16
Deciorum uotum 1305.19
de ciuitate eijcere 264.33
Decimus Brutus 472.30
declinare & declinatio 992.6
decoquere & decoctores 1003.6.1113.60.1221.53
decumani agri 1221.1
decumanum 904.4
decuria & decuriare 273.32.1052.10.1372.8
decurio 73.6.246.43.1283.58
dedecus 1260.1
de die,de nocte 1070.32
deducere & reducere 1291.23
deductio 1341.11
defendere & accuſare 435.51.343.53
defenſionis initium 461.49
defenſionis partes 76.2
defenſores in iudicio 1337.50
defenſoris & accuſatoris differentia 99.2.179.60
deferre 40.54.325.54
deferre nomen 633.36.619.64
deferre pro accuſare 36.43
deferre rem 60.56
deferueo 629.27
deferueſcere & efferueſcere 274.39
deficere 104.43
definitio 834.1
definitus 663.62
deformare 449.17
deformatus 24.7.384.6
defunctus 41.5.1332.9
de genere,de ſtatu, & de partibus orationis 569.8
deierare 1314.13
deijcere 923.57.925.3
dei mandatum 486.32
de improuiſo de repente 69.51
deintegro 241.56
Deiotarus ad Cæſarem 878.16
de lapide emptus 1040.61
delectus 440.4
Deliacus 976.3
deliberatiui generis oratio 1250.50
deliberatiuum genus 322.59.1260.60
delibutus 66.30
delicatus 378.57.349.46
deliteo,& deliteſco 163.57.635.23
Delos 222.8
delubrum 1336.15
Demetij Phalerei ſententia 1.9.763.59
demittere 38.9
Demoſthenes de fato 1186.8
Demoſthenis & Cic.cõparatio 1150.59
Demoſthenis laus 817.5
Demoſthenica oratio 620.27
denarius 6.1.27.42
de nocte 351.2.376.13
denũciare ſenatui 126.262.40.8.405.43
deonerare 905.40
deorum & hominum beneficia 559.39
deorum & iudicum poteſtas 389.33
deorum pedes 721.60
deorum uindicta 1042.51
depeculator 920.15
deponere inimicitias 304.50.344.18.401.60.559.17.1022.9
deprauare 1131.41
deportare,& aſportare 1340.51
deprecari,deprecatio,& deprecator 196.28.340.1.399.63.568.11.594.13.734.54.2013.4
deprecatiua comparatio 845.46
de principio,& de improuiſo 446.61
deriuare crimen 697.39
derogare 20.14.56.60
deſcendere ad accuſationem 611.29
deſcribere populum 1096.20.267.64
deſcriptio ad odium cõmouendũ 1125.21
de ſententia 639.7
deſerere & deſiſtere 444.42
deſerere uadimonium 14.48
deſiderati 1332.21 & 58
deſiderium 350.42
deſignatus magiſtratus 341.1
deſiſtere 547.31
deſperare 363.44.1036.61
deſperati homines 1002.62
deſtinare 63.9.1272.29
de te ſpem habeo 3.12
detractio 994.38
detrahere 165.49
detrahere de teſte 151.15
detractare 1296.50
detractores 1132.22
detrimentum & intertrimentũ 1368.60
deuius & auius 1273.4
deuouere pecuniam 418.23
dextera fidei conſecrata 1302.23
dexteram tendere 1297.18
diadema & corona 1970.19.1136.8
dialogiſmus 1058.42
dialyton 1302.7 diatypoſis 707.40
dicare 661.3
dicax & dicacitas 4.24
dicendi ex tempore facultas 469.18
dicendi genera duo 825.15
dicendi impetus 53.34
dicere pacem 1379.15
dicere ſententiam 416.51
dicere teſtimonium 404.26
dicta 1133.56
dicta per abſolutionem 825.50
dictatoris poteſtas 67.6.118.40
dictatores primi 1180.33
dictatura perpetua 1129.2
dictio exornans 862.21
dicto parere 767.34
dictum ex arte 1027.44
diecula 260.13
diei initium 241.45.380.4.1235.47
dies & diecula 1346.15
dies faſti & nefaſti 352.21
difficultas 1337.22
digreſſio ad laudes 158.13
digreſſio ad reconciliationem 768.26
digreſſio breuis & opportuna 132.16
digreſſio per cõmunicationem 145.32
digreſſio per exclamationem 605.6
digreſſionis effectus 1099.25
dij gentium 103.10 dij magni 178.10
dialectici & oratoris differentia 846.19
dilemma 398.45.571.63
dilemma per interrogationem 320.6
dilemma ſiue complexio 134.6
dilemmatis forma 971.60.974.4
diligentia in cauſis 2.14
diligentia in dicendo 2.19
diligentiæ comites 2.27
diligentiæ & culturæ effectus 422.30
diligere 470.38
diligere ut quammaxime 234.16
dilogia 1350.1
dilutio à ſignis 612.35
dimittere exercitum 989.32
diminutiui effectus 1095.39

dimittere iudicium 262.92
Diogenis Cynici patria 320.54
Dionyſius Siciliæ tyrannus 968.20
diremptio & diremptores 575.60
diruptus & dirutus 1321.53
diſceptator 624.64
diſciplinæ conſideratio 1211.59
diſciplinarum fœdus 479.32
diſcordia optimatium 315.2
diſcordiæ effectus 1097.15
diſcrepare & diſcrepantia 280.55
diſcrimen 529.21
diſcriminare 1141.38.1314.47
diſertus 521.39
diſertus & eloquens 551.17
diſpoſitio per uerba 496.32
diſputationis concluſio 233.23
diſputationis diſtinctio 1163.4
diſſimulare 1027.59
diſſipare 428.28
diſſolutus 987.49.44.12.298.46.54
diſtentus 41.34
diſtributio 312.21
diſtributiua oratio 1127.59
diſtrictus & obligatus 1349.37
diuerſorium 1135.7
diuerticulum 92.13
diuidere ſententias 731.14.1401.42
diuinatio morientium 243.53
diuinationes 896.4
diuinatio per ſortes 804.44
diuitiarum cupiditas 1198.24
diuitum multa 406.23
diuortium 235.19
diuus Iulius 1082.21
diuortij uerba 1232.54
diuortium ratum 1232.21
dium dij 1361.31
dixi, oratoris uerbum 10.55.1354.31
doceri de his rebus 42.59
docilitas & attentio auditoris 240.64. 278.10
de in compoſitione 41.35
Dodonæi Iouis delubra 1339.18
Dolabella iudicatur hoſtis 1301.23
Dolabellæ tribunatus 1054.8
dolor & mœror 1301.41
dolorem habere 384.21
dolorem renouare 297.15
doloricare 107.57
doloris morio 844.51
dolorum ſimulatio 536.56
domeſticarum rationum mos 1362.22
domi & foris 66.55
domicilium 465.24
dominari 26.22
domini & ſerui quæſtio 874.49 & 56
Domitiani crudelitas 1279.51
Domitianus in Pharnacem 877.59
domus 560.30.805.14
domus filij regis Antiochi 1395.37
dos ex publico 125.8
drachma 412.11
dubitationis effectus 43.52
dubium genus cauſæ 604.8
ducere 925.6
ducere in matrimonium 181.26
ducere ordinem 1194.15
ductus aquæ 340.5
dupondius 14.52
dulcis recordatio 1260.23
dum 1379.46
Duumuiri, Triumuiri &c. 240.43
Dyrrhachium 566.48.592.67.1147.49
Ebrietatis effectus 1299.21
ebrius & ebrioſus 1006.10
ecce 235.13.1182.37
ecce autem 1348.20
eclipſis in locutione 632.45
econtrario & contra 91.14
ecquid 173.30
edere & edititij 302.59.365.48
edere & edicta 1182.43
edicere prætoris eſt 1122.58
edictum in ponte Rubiconis 1277.50
è & ex in compoſitione 64.54
efferri 413.20
efflare animam 706.12
effrenatus 236.20
effundere 36.7
egeſtas 244.34.
Egnatia urbs 668.45
egreſſio 656.60
egreſſio poſt narrationem 235.63
electi 429.62.998.17
eijcere ex ſententia 278.64
eiurare 1314.19
eiuſmodi 616.44
elephantorum pugna 1045.36.1396.29
elocutionum genera 817.3 & 12.
elocatus 421.49
elogium 1152.16
eloquentiæ iactatio 461.54
eloquentiæ uis 1.7.115.54.463.12
eludere 902.26.985.3
emblematum 978.6
emere interceſſionem 692.7
emergo & emergor 640.62.621.2
emphaſis 155.62.615.1
emptio liberi hominis 295.3
emptionis formula 1171.61
emptus de lapide 1394.62.
energia 707.42
encomium 970.35
enim & nam 562.17.986.53
Ennij doctrina 550.21
Ennij laus 356.54
enumeratio 281.14.706.55
enumerationis effectus 846.45
enthymematū genera 494.55.689.20
enunciatio per interrogationem 317.22
epicherima 627.37.628.1
Epicureorum & Stoicorum controuerſia 1044.49
Epicurus de deo 720.34
Epicurus de ſapientia 628.14
Epidamus 566.51.1238.25
Epilogi concluſiones 562.2
epilogi partes 324.60
epilogus 394.49.488.51.766.64.1059.63.893.26
epilogus confutationis 79.37.638.54
epilogus orationis 1083.22
epilogus per amplificationem 512.42
epilogus per diſtributionem 192.10
epiphonema 739.25.859.40.862.41.28.60
epiſtolarum diuiſio 625.28
epiſtolarum initium 1320.43
epitherapeuſis 1350.15
epulum & epulæ 379.33
epulum pro mortuis 429.39
equeſtris cenſus 1194.7
equi Aſiani 1360.58
equitum iudicium 337.40
equitum Romanorum cenſus 90.26
equuleus 708.57.874.51
equus deſultorius 370.9
equus ex publico datus 284.24.1194.22
equus Troianus 638.2
errare 802.63.1141.33
erratum, & uitium 284.6
ergo 1202.8
eripere, & auferre 1338.38
error 535.19
error honeſtus 674.8
eruditus artificio ſimulationis 533.31
erumpere 446.31
Eryx 247.8.907.25
eſſedum 1226.23
eſto 277.21
et 176.60.333.2
Etruriæ fauces 987.59
Eudoxi annus 870.23
euentus & euentum 25
euertere 621.18
eueſtigio 908.23
euomere iram 1048.21
Euripidis uerſus 729.52
Euripus 360.23
eutrapelia 1317.38
ex aduerſario requirere 544.60
exaggeratio 72.5.140.9.1078.50. 185.56
exaggeratio criminoſa 747.23
exaggeratio cum exclamatione 1045.6
exaggeratio per contentionem 31.33
exaggerationis uenuſtas 643.31
excedere ex pueris 149.50.463.59
excitare 784.38.105.38.
excitare teſtem 89.41
excitare auditorem 1071.56
excipere 70.6
exclamatio 861.4.882.29.964.29
exclamatio ad indignitatem 1043.42
exclamatio per egreſſionem 43.49
ex comparatione argumentum 308.34
ex conſequentibus argumentum 265.18
excubare, & uigilare 1139.27
excurſio 248.37
excurſor, & emiſſarius 1373.36
excuſatio 213.29

excuſatio à iuris uocatione 331.20
exempla in cauſis 882.11
exempla laudabilia 975.20
exempla maiorum 134.30
exempla per enumerationem 669.43
exemplorum ordo 357.45
exemplorum regula 959.16
exemplorum uis 322.12
exemplum & exemplar 885.51
exequiæ 722.41
ex æquo & bono 164.44
exercitatio dicendi 461.64
exercitus 560.4.110.1
exercere iudicium 463.52
eximere nomen de tabulis 43.3
exhedra 1134.58
exigere 881.55.1232.34
exigere uiam 1370.38
exilium 136.40.175.22
exilium Ciceronis 728.9
eximius 907.15
exinanire 900.25
exiſtimatio 925.13.49.6
exiſtimationem retinere 827.31
exiſtimationi illudere 90.9
exoletus 708.21.1151.32
exordij partes 729.20
exordium à conſolatione 1312.10
exordium à criminatione 137.2
exordium ad fauorem 892.2
exordium à generali ſententia 958.2
exordium à querela 1094.1
exordium breue 211.10
exordium Ciceronis 329.2
exordium cum indignatione 1074.2
exordium & deprecatio 844.37
exordium & narratio 859.60
exordium & refutatio 686.24
exordium firmiſſimum 496.37
exordium officioſum 2006.2
exordium orationis 798.51
exordium per metum 1251.6
exordium ſpeciale 996.18
exornatio expeditio 167.19
expedire 636.62.690.19
expenſum ferre 81.32.1366.42.146.59.1100.23
experiens & exercitus 239.52.1033.6
expetere 1047.31.467.36
expilare 301.61
explere auaritiam 69.5
explico.caui 656.56
expolitio 214.33.224.48.584.7.589.56.827.14
expolitio à contrarijs 1044.20
expolitio per contentionem 222.4
expolitio ſiue amplificatio 129.39
expreſſa imago 467.61
exprimere 637.36
exprobrare 46.54
expugnatio oppidorum ſecundum Philippum 20.50
ex ſyngrapha agere 360.12
ex tempore nata 540.31
extenuatio 741.5.774.51
extenuatio apparatus 741.5
extenuatio narrationis 746.9
exterminare 225.60
exterminatio criminis 622.58
externæ nationes 537.14
exteræ nationes 208.8
extra 990.40
extremi loci argumentum 975.57
extremis digitis attingere 620.57
extrema pueritia 196.35
Fabularum recitatio 687.60
faber de ſacerdotum cœlibatu 486.12
Fabianus fornix 1348.30
fabrorum genera 1187.28
fac,id eſt,pone per caſum 1534.1132.37
facere 472.2
facere conſules 240.44
facere furtum,inſidias & alia 300.55
facere hæredem 243.27
facere hominem 1363.16
facere iniuriam 175.62
facere inſidias 23.7
facere ludos 362.6
facere magiſtratus,creare,& eligere 279.4
facere manum 153.58
facere pro ſacrificare 384.53.388.34
facere nobiſcum 178.3
facere quæſtorem & conſulem 696.3
faces nuptiales 237.38
faceta Auguſti reſponſio 372.12
faceta comparatio 1161.48
faciei mutatio 421.64
facies & ſtatura 86.15.1133.54
facile 763.36
facinus & libido 747.27
facio cum ablatiuo 303.40
facite ut recordemini 418.28
factum fortunæ & uirtutis 452.62
Fæſulanorum conditores 1008.24
falcarij 443.28.969.2
falernus ager 398.35
falces 436.43
falli & decipi 1141.32
falſi negatio 296.52
fames ingens 687.21
familia 22.22.162.4.163.23
familia diui Franciſci 247.40
familiæ adoptatio 379.38
familia Martis 247.29
familia pro hæreditate 1160.42
famoſum iudicium 13.41
fanum 1361.43
fartores 380.40
faſtidioſus 553.11
faſtidium 1140.57
faſtigium 1247.51
fatalis neceſſitas 833.56
fateor & profiteor 150.30.334.32
fati neceſſitas 1185.59
fatorum mutatio 1019.10
fatorum uis 865.26
fatum 1014.14.1050.42.1057.14
fatum ſecundum Stoicos 1028.6
fatuus 1257.6
fatum,odium,& iudiciū populi 317.38
febris 299.30
feci ut eijcerem 725.30
felices arbores 332.32
felicitas bellatorum 199.62
feræ unde 307.32
ferende ſuffragij modus 548.3
ferre ad populum 662.49
ferre & conferre pro pugnare 94.37
ferre & proferre 1379.59
ferre & referre 368.1
ferre quæſtionem 761.21
ferre punctum & ſuffragium 584.17
ferre ſententiam 416.52
ferre ſuffragium 544.52
ferrum pro cæde 1000.10
feſti dies 553.51
fictio 913.50
fans 413.28
fidem frangere 124.17
fidem implorare 329.36
fideiuſſor 9.3
fidem retrahere 633.64
fides 61.36.102.55.187.618.25
fides optima 67.56
fides pro auxilio 43.58.152.16.383.48.563.43
fiducia 85.15
fiduciam accipere 124.3.417.2
fiduciaria mancipatio 141.41
figura apta indignanti 590.13
figura hominis 51.30
figurarum uis 1041.44
filij ignominia à patre reprehenſa 113.7
filij imperatorum 535.39
filij uirorum clariſſimorum 440.27
filius fratris & ſororis 379.44
fingere perſonam clientis 73.22
fingere quod nolumus 191.5
finitor 319.11
firma præſidia & firmæ nuptiæ 111.8
fiſcina & fiſcella 413.31
fiſcus 923.33.1348.52
fiſtulæ 340.3
flabellum 418.3
flagitare 528.18
flagitium rei militaris 28.19
flagrare infamia 1044.38
flamen 1082.19
flamines 1247.58
Flaminius aduerſus Philippum 1275.34
Flaminium 1325.9
flora 981.23
fœda imperatorum cupiditas 224.42
fœcialium ſacramentum 62.12
fœderatarum ciuitatum ius 484.40
fœderatus 465.9.657.45
fœderis feriendi mos 158.42
fœminei homines 1377.8
fœminæ aditus in forum 111.53
fœminarum auctoritas 427.27
fœnum noxium 422.35

fœnus 62.7
fodere pectus 781.10
fori ornatus 1369.12
forma dicendi 497.5
forma hominis inductus 450.28
fons pro origine 1126.37
fornix 923.1
fortaſſis & fortaſſe 308.43
fortes uiri 1119.5
fortis & audax 683.16
fortitudo 193.50
fortuna 754.47.773.9.1014.8
fortunæ bona 46.60
fortunæ deſcriptio 167.54.780.3
fortuna fortunarum 187.18.684.17
fortunæ ſuccumbere 448.9
forum 222.16.750.44.995.33.276.47
forum & curia 1919.21
foueo 378.48
fragiliſſimus 1369.7
frater germanus 627.5.445.32
fratris & ſororis filius 239.28
fraudare 67.52
fraudator 415.60
fraus 698.43.762.24.880.44.1097.28
1032.33
Fregellæ 1137.43
fretus 617.44
frigeo 548.34
frontis indicium 261.15.959.36
frontis & oculorum fides 769.25.
1275.49
fructuoſus 186.27
fructus uitæ 778.55
frugalitas 108.22.422.20.1232.51
frugalitas luxuriæ oppoſita 36.24
frugalitatis uis 881.29
frugi 108.33.1232.15
frugum inuentrix 419.5
frui uita 144.33.205.48
frumenti numerus 552.52
frumentum Siciliæ 1341.3
frux 108.37
fucatus 578.8
fucum facere 533.26.771.21.
fugitiuorum dux 1374.2
fugitiuorum ſignum 751.10
fulcra 1134.38
fulmen ſiniſtrum 1081.18.1244.4
fundamenta iacere 1261.36
fundere 338.63
fundi ſignificatio 65.55
fungi & defungi 547.44
funebres laudationes 380.9.1332.13
funebres ludi 444.7
funebris cantus 749.40
funus ducere 14.6
funus, exequiæ, buſtũ, ſepulcrum 700.18
fuſcatus 578.4
fuſcus color 533.25
Fuſia lex & Aelia 1196.45
fuſtigatio 1084.48
fuſtuarius 1253.48
futurorum certitudo 22.48
futurorum euentus 191.22
fures abſoluere 975.46
furiarum effectus 212.42
furiarum tædæ 52.13
furiæ poetarum 1068.47
furioſi 302.23
furum pœna 688.39
furum ſuſpendium 332.49
G litera 609.47
Gabinius in Aegyptum 1043.14
Gabinius in Iudæos 1132.31
Gallia Ciſalpina 1276.48
Gallia duplex 1271.41
Gallia togata 1290.39
Gallicanus 27.27
Galliæ Ciſalpinæ termini 239.38
Galliæ diuiſio 1290.35
Galliæ laus 1088.4
Galliæ termini 1002.39.1098.50
Gallicanus ager 1013.16
Gallicæ prouinciæ initium 1252.59
Gallonius 24.44
Gallorum natura 193.29
ganeones 1004.38
gaudio triumphare 235.38
gaza 208.30
geminatio 605.9.986.48.987.44.
746.58
geminationis uis 1066.49
gemini 92.30.248.22
Gemoniæ ſcalæ 1181.2
genitiuus in us 58.31.65.20.
genus dicendi duplex 817.14
Germani 112.4.304.39
gerere ſe pro ciue 466.15
geſtire 637.54.780.62
gigantum bellum 774.21
gladiatores 8.50.1109.2
gladiatorum genera 1259.34
gladiatorum libelli 1081.8
gladij uis in bello 5.8.
gladius à Deo acceptus 485.56
gleba 163.46
gloria immortalis 725.59
gloria turpis 404.59
gloria populi Romani 203.59.
gloriæ amor 488.30
gloriæ cupiditas 479.10
gnarus 609.46
gnatus & genitor 549.58
Gracchi et Syllæ leges 1027.30.1191.53
Gracchi interitus 1024.28.1026.50
Gracchorum ſeditiones 1024.30
gradatio 160.20.745.40.1313.13
gradatio ad amplificationem 759.36
Granicus fugitiuorum dux 193.28
grandis 243.41
gratia 694.60
gratia in re mala 210.24
gratia pro amicitia 166.30.
gratiam debere 1062.14
gratiam referre 1150.33
gratias ago & habeo 1189.64
gratioſus & gratioſiſſimus 1.22.49.55.
534.45
gratiſſimi hominis officium 1130.1
gratitudo 515.22.590.52
gratuitus 376.41
gratulatio 1026.38
gratulor 923.6
graues homines 259.28
grauari & grauatim 258.19
Græcorum natura 801.58
gregarij milites 556.31
grex & armentum 57.9.1259.26
grex oratorum & amicorum 906.38
guloſorum decus 1232.44
gurguſtium 1037.5
gynæceum 1243.2
Habeo 295.30
habeo amorem in te 291.29
habeo dicere 59.33.75.29.664.27
habeo tibi honorem 415.23
habeo neceſſe 5.4
habere delectum 1002.44
habere gratiam & pecuniam 555.1
habere in honorem 303.11
Hala occidit Melium 1080.45
haſta 1072.17
haſta pro uenditione 1081.55
haſtam abijcere 363.61
Hæmus 411.20
heredem relinquere, ſcribere, & facere
239.23
hæreditas caduca 1140.55.1297.27
hæreditas inteſtatorum 296.3
hæredum iura 1170.59
hæres ſecundus 243.14
hærere 920.29.990.62
Hebræorum dictum 1241.7
Helleniſmos 624.36
heluo 1141.51.1229.31.1230.11
Heraclea quæ, & Troia 464.57
hereiſcere 1160.42.1171.7
Hercules ad Gades 666.14
Hermogenes de ſtatibus 967.40
hernioſus 1321.38
heſterno die 1015.22
hic & ille 7.42
Hieronica lex 693.2
Hieronis regnum 961.43
Hieroſolyma 420.18
Hieroſolymæ euerſio 421.2
hinc natus 1027.1
Hircij lex 1323.60
Hircius contra Pompeianos 1122.52
Hiſpaniæ decus 1263.10
Hiſpaniæ duæ 96.32.664.45
hiſtoriarum ſcriptores 438.60
hiſtoriæ & annales 772.48
hiſtoria lex 1150.12
hodierno die 1014.12
hœdinus 379.46
Homerus 461.21
Homeri laus 817.4
Homeri origo 470.9.488.33
hominem fortunis euertere 15.19
homines hominibus prodeſſe 305.52

hominum cupiditas 841.41
hominum cura 1231.19
homo 274.20
homo frugi 621.8
hominum immolationes 103.41
hominum ſeditioſorum deſcriptio 461.4
homœoteleuton 1000.14
homulus 1044.34
honeſta mors 13.60
honeſtatis diuiſio 323.60
honeſtorum hominum digladiatio 393.2
honeſtum & bonum 291.21
honeſtum pro crimnoſo 544.37
honor 356.42
honor magiſtratus & poteſtas 107.29
honorarium ius 1048.7
honore affectus 341.63
honores Cæſari decreti 1123.40
honorum compenſatio 960.51
honorum gradus 997.40
horæ antiquorum 40.4
horæ Romanorum 697.29
horarum conſideratio 7.57
Horatij cædes 686.54
Hortenſij eloquentia 221.59
Hortenſij laus 960.36
hortor & moneo 383.47
hoſpes 295.20
hoſpitij ius 1041.14
hoſtis pro peregrino 70.43
hoſtium pœna 1278.38
hoſtes Romanorum 193.42
hoſtium lex 540.10
HS ſeſtertia 82.12
humana fragilitas 223.20
humana conſuetudo 1207.49
humanitas 372.38.463.21.483.21.587.37
humanitatis officium 253.11.390.59
hiemare & hybernare 96.35
hyperbaton 1196.9
hyperbole 41.43.461.3.577.53.
hyperbolica amplificatio 1068.38
hyperbolica exaggeratio 192.14
hyperbolicum argumentum 1230.29
hypophora 1276.22
hypotheticum argumentum 625.24
hypotheticus ſyllogiſmus 649.8
hypotypoſis 636.44.387.6
hyſtrici 442.30
Iacta eſt alea 1138.40.1226.53
iacere contumeliam 537.49
iactare 620.18
iactatio oratoris 1146.20.270.20
Iani templum 1139.26
ianua & porta 359.1.989.56
iaſpidia 663.45
Iberarum dos 825.18
ibi amici ubi opes 24.29
ibi pro tunc 154.39
id temporis 989.40
ieiunus animus 1127.6
ignis perpetuus Veſtæ 112.31
ignorantia & ignoratio 858.02
ignoratio ſui 274.60
ignoſcere 373.55
illecebra 615.12
ille & ipſe 1006.37
illudo 48.45
illuſtris oratio 644.16.822.19
imagines antiquorum 700.12.981.24.1401.29
imbuo 109.17
immatura mors 1024.13
immunis 97.12
immunitas 436.33
immunitas ciuium Romanorum 193.34
impedimenta 697.20
impeditus 764.32
imperator primus 1318.42
imperare pecuniam & obſides 196.31
imperatoris dignitas 1339.52
imperita multitudo 401.23
imperiti 66.42
imperitorum obiectio 749.16
imperium 191.32
impius 45.8
impluuium 1362.56
imponere uectigal 98.3
importare 887.37
importunus 234.2.995.12
improbi ciues 685.57.1367.1
improborum natura 441.56
improborum tabulæ 246.34
improuiſi teli effectus 1111.13
improuiſo & ex improuiſo 360.50
imprudens & ignarus 798.30
impubem & impuberem 1027.22
impudens & impudentia 164.3.250.40.900.48
impurus 258.46.1010.62.994.15
inanis & uacuus 258.58.525.29
inaugurari 1248.16.272.13
in ærarios referri 280.49
in bonam partem accipere 46.53
incendium legum 592.42
incenſio 440.12
inceſtum 691.27
inceſtus adulterium & ſtuprum 710.25
inclinare in ſententiam 1029.40
incolere 417.31
incolumis 354.26
in commune 4.56
incrementum 1068.10
incrementum per amplificationem 29.42
incrementum probationis 770.27
increpere 351.20
in crimen uocari 78.59
incubare 261.2
incumbere 371.22
incuſatio aduerſariorum 276.21
indemnatus 662.57
inde uſque 462.60
indicare & confiteri 301.48
indicatiui & ſubiunctiui differentia 897.1
indicere & edicere 539.9
indicta cauſa 332.8
in diem uiuere 1241.4
indignatio 248.40.750.31
indignationem augere 850.6
indignorum laudatio 90.36
indoctorum uituperium 88.15
indoles 627.41.1275.9
inducere animum 994.6
induciæ 1285.59
inductio 324.40
induſtria & induſtrius 193.51.615.15.1005.30
induſtria & contraria 342.64
ineptus 1133.45
in equo 697.15
inermis 240.30
inertia 987.52
infamia notatus 13.45
in familiaritatem inſinuare 145.5
infatuare 415.45
inferre bellum 995.26
inferre litem 778.16
inferre ſe 145.23
infeſtus 570.63.990.5.
infeſtus & inimicus 914.16
inficiatio 397.49.398.8.417.45.469.1
inficiatio ab impoſſibili 459.36
inficiator 415.61.1002.28
infima fortuna 996.45
infinita oratio 259.18.300.4.615.42
infinitus 673.5
inflammatos cupiditate 368.45
informare 463.62
informare cauſam 11.1248
informare genus 1132.55
ingenij extenuatio 875.61
ingenij flumen 779.18
ingenioſus 962.22
ingenioſi natura 374.9
ingenioſi ſecundum Ariſtotelem 21.14
ingenuarum artium coniunctio 463.27
ingenuus 1026.40
ingratitudo 495.18
ingredior 757.50
ingredi pro incipere 1148.35
ingurgitare 1134.63
in herba eſſe 641.31
inhibere 38.4
inhumana actio 862.59
inhumanus 4.13
inijcere infamiam 274.11
inibi eſſe 1328.4
inimicitiæ 297.30
inimicitiæ effectus 251.12
inimicus 506.50
inimicus teſtis 101.19
in euentione ſpectandæ 505.42
inire conuiuium & epulas 43.30
inire gratiam 636.62
initium à deploratione 2010.2
initium à perſona & à recto 3.64
iniuria 1344.20
iniuriæ uirorum 234.58
iniuriarum oblitio 1178.14
in ius uocare 24.19

In matrimonio habere 541
Innocentia 779.16
Innoxiam ætatem lædere 1359.33
Innumerabiles & innumerare 359.42
In odium adducere aduerſarium 36.28
Inops, inopia, & ſolitudo 40.49
In partem uocare 144.54
In poſteritatem 994.24
In petitione obſeruanda 810.13
Inquam 449.63.884.38
Inquinatus 1136.19
In religione ſpectanda 518.13
In rem præſentem 126.33.148.56
In rem præſentem conuenire 1160.48
In reo conſideranda 868.41
Inſania popularis 695.6
Inſanum 707.24
Inſitiis & imprudentia 1135.56
In ſententiam ire 1305.43
Inſidere 706.49
Inſidias facere & ponere 59.5.701.47
Inſidiæ 1345.14
Inſignite improbus 20.4
Inſimulare 87.31.625.17.1244.29
Inſimulatus 301.44
Inſita res, ut inſitæ inimicitiæ 104.11. 356.42
Inſolens 969.11
Inſolentia 274.57.1008.33.56.54. 1072.8
Inſtantia 154.38
Inſtituere & inſtruere codicem 82.38. 351.11
Inſtitutum de accuſatore & patrono 307.18
Inſtructus 300.18
Inſtruere 772.27
Inſtruere inſidias 304.21
Inſula 617.1.1297.9
Inſulſus 606.47.639.29
Inſultare 749.48
Inſultatio 1070.25
In tabulas referre 407.43
Integrum eſſe 119.21.798.37
Intendere & intentare 13.12.36.33. 1035.12
In tenebris eſſe 467.47
Intempeſtiuus 346.58
Intentionis ratio 214.64
Inter & intra 208.62
Interamna urbs 705.48
Intercalaris uerſus 21.58
Intercalatio Cæſaris 871.10
Intercalatio dierum 870.3
Intercedere 1133.62
Interceſſor 446.9
Intercolumnium 1361.9
Interdicere 1160.63
Interdicere aqua & igni 1195.52
Interdicti mos 270.39.1224.62
Interdictum 142.40
Interdictorum ius 131.58
Interfatio 144.15
Interitus 269.23
Intereſſe rei & in re 95.27
Internecinum bellum 1328.15
Internecio 440.16.1020.46
Inter os & offam 22.43
Interpres 272.48
Interrogatio 161.30
Interrogatio ad attentionem 762.28
Interrogatio ecliptica 757.2
Interrogatio faceta 1161.57
Interrogatio cum attentione 151.28
Interrogatio negatiua 1104.30
Interruptio per apoſiopeſim 1313.9
Interpellare 1363.56
Interpellatio admirantis 1160.46
Interuallum 333.19
Interuerſa pecunia 609.63
Inuerſio 457.31
Interuertere 1237.21
Inteſtatus 295.62
In teſtibus conſideranda 1409.45
Inuentio artificioſa 806.11
Intramuranus magiſtratus 1373.13
Inuidiam concitare 29.29
Inuerſio 79.3.460.29.733.4
Inuerſionis forma 1052.32
Inuerſionis ſchema 745.6
Inuidia 656.32
Inuidiæ concitatio 318.56
Inurere 282.52.343.40.536.60.727.7. 990.55.1249.24
Ioci opportuna urbanitas 259.54
Iocus cum amaritudine 1304.22
Iocus oratoris 152.2
Iouis cognomina 1048.1
Iouis Statoris templum 989.62
Iudices iurati 37.5
Iraſci & ſuccenſere 21.5
Iratorum fides 96.7
Iræ definitio 876.14
Ire in conſilium 252.19
Ire uiam 354.33
Ironia 269.19.318.32.657.48.859.29. 1125.7.1289.10
Ironia blanda 1069.23
Ironiæ ſpecies 1064.45
Is ea id pronomen 205.18
Iſaurum 1209.39.1321.48
Iſocratis tria mirabilia 132.58
Iſte 995.10
Italici belli cauſa 109.3
Italici belli origo 539.36
Iteratio 1068.19
Ithyrei 1211.42
Iuba rex 866.50.812.16
Iubere & uetare 406.17
Iucundus 464.31
Iucunda narratio 149.37
Iucunda orationis mutatio 913.53
Iucundum & neceſſarium 959.47
Iudicatus 1193.58
Iudicatus & conſulatus 1052.22
Iudica publica 333.56
Iudex in reum non in accuſatorem 242.7
Iudicandi æquitas 98.61
Iudicandi ritus 3.22
Iudices alterni 396.30
Iudices editilij 396.28.542.5
Iudices iurati 280.8.334.38.1151.50
Iudices reijcere 455.21
Iudicia corrupta & contaminata 1344.52
Iudicia ſummæ exiſtimationis 141.51
Iudicia uera 964.63
Iudicij corrupti deſcriptio 965.25
Iudicij notæ 902.6
Iudicio abuti 48.63
Iudicio uincere 92.23
Iudiciorum genera 561.6.140.55.262
Iudiciorum ſeueritas 899.45
Iudiciorum intermiſſio 1380.44
Iudicis condonatio 306.2
Iudicis qualitas 128.19
Iudicis uerba ad lictorem 354.20
Iudicium acerbum 542.40
Iudicium capitis 774.62
Iudicium committere 37.64
Iudicium & arbitrium 385.34
Iudicium & præiudicium 1337.55
Iudicium facere 428.59
Iudicium magnum 1341.63
Iudicium pati 18.9
Iudicium pro iudicibus 418.36
Iudicium turpe 123.20.279.10
Iudicium attentio 684.24
Iudicum ætas 274.27
Iudicum electio 279.43
Iudicum infamia 918.2
Iudicum laudes 242.2
Iudicum literæ 252.28
Iudicum religio 91.3
Iugerum 1077.18.1220.56
Iugurtha in triumpho ductus 206.3
Iulia lex 710.41.759.9
Iumentum 160.56
Iupiter hoſpitalis 879.16
Iupiter Optimus Maximus 65.17. 655.52
Iuramenti ritus 102.47
Iurandi mos 428.23
Iurare in litem 82.21
Iurati teſtes 139.20
Iuratus & coniuratus 1014.44
Iure optimo facere 1270.1
Iure ſummo agere 124.48
Iuriſdictio & dicere ius 402.58
Iuris interpres 165.47
Iuriſiurandi auctor 90.62
Iuriſiurandi formula 284.20.1026.58
Iuris origo 419.15
Iuris præcepta 115.5
Iuris uiolatio 1225.50
Ius dicere 12.18
Ius edititium 396.32
Ius, & officium 1374.25
Ius hominum, gentium, & humanum 307.35.772.38
Iuſiurandum 632.59

Iuſiurandum

Iuſiurandum aduerſarij 83.38
Ius non obtinere 143.4
Iuſta numero plurali 429.42
Iuſta ſoluere 422
Iuſtinianus de laudibus Caroli 821.40
Iuſtitia & fides 306.14.54.54
Iuſtitiæ proprium 966.36
Iuſtitiæ definitio 323.62
Iuſtitium 4168.538.59.1019.60. 1271.35
Iuturna 272.35
Iuuenes pro militibus 192.3
Iuuenum anni 110.4
L litera 1008.33
labefactare 773.28
Labicum oppidum 553.59
labo & labor 1139.20
laborare 308.48
laborioſus 611.5
Lacedæmoniorum phiditia 379.3
lacerna 1235.11
lacrymula 558.56
lædere 1344.20
languere 1006.14
laniſta 39.58.1143.1.1325.20
Lanuuij conditores 383.54.696.36
Laodicea 421.25
lapidare & lapidatio 436.21
lares & laruæ 42.25
largitio 1143.8
largitionem facere 342.37
larua 615.6
latere 992.13
laterum uis 1321.31
latibulum 772.37
latinæ feriæ 721.42
latinæ uocis honos 471.23
latine loqui 1283
latratus oratoris 58.6
latrones & latrocinium 995.26
laudis cupiditas 478.92
laudis monimentum 1021.15
laureatum uomer 47 56
laus à ſuperiori 908.64
laus in ore proprio 960.13
laus in republica 1131.24
laus uera 393.30
lautus 606.19.637.58
Lælij laus 1304.59
lectica & lecticarius 1008.36
lectus & cubile 1027.31
legati ex regionibus 331.34
legati pro reo 253.5
legatio triplex 1050.18
legationis ius 1056.42
legationes liberæ 427.2
legationes uotiuæ 1183.30
legatorum ſanctitas 62.15
legatorum ius 1364.59
legatus 358.29
legatus legitimus 1031.51
lege agere 352.20.915.28
legem euertere 1035.64
legem promulgare & ferre 445.38
1248.9
leges præſcriptum 99.45
leges in exitium reipub. 1035.56
leges ciuitatum 1374.50
leges Liciniæ 541.30
legionis cohortes 402.33
legionis & cateruæ numerus 376.46
legis agrariæ lator 565.37
legis definitio 326.63.1130.44.1310.19
legis inciſio 1192.28
legislator 695.25
legis uirtus 123.22
legitimum 696.34
legum æra 1018.59
legum æra 1371.26
legum cuſtos 901.22
legum & fœderum deſcriptio 670.12
lemniſci 59.26.80.48
leno & lenocinium 378.58
lenones & productores 1359.36
Lentuli Suræ interitus 1344.47
Leucopetra 1056.48
leuare tædium 301.35
lex aduerſus accuſatores 79.22
lex annalis, annaria & comitialis 1274. 36
lex de ambitu 375.48
lex pro muneribus 273.54
lex pro ſuſpenſis laqueo 332.53
lex 12 tabularum 688.29
libationes & ſacrificia 522.7
liberalitas duplex 778.62
liber & libera 981.22
liberi 242.48.1180.2
liberi hominis teſtimonium 639.15
liberi nomina 416.22
liberi pro filia 307.8
liber populus 654.8
libertatis amor 1253.6
libertatis templum 709.60
liberti beneficium 334.4
libertini 283.50
libertinorum ius 396.25
libertus & libertinus 251.37.1026.46
libido 105.30
librariolus 656.8
librarius 1296.45
licentia 630.60
licet audiatis 1374.6
licinia lex 580.22.1378.42
lictores 593.5
Lilybæus 904.47
limbi comparatio 862.37
lineæ 747.43
linteum 771.24
Lipara 970.55
liptote 358.30
lis capitis 278.19
lis & certamen 252.13
litem æſtimare 277.62
litem obtinere 83.50
litem perdere & amittere 83.63
litera 164.63.469.24
literæ publicæ 423.31
literarum effectus 473.11
literarum fructus 486.38
literarum lumen 467.47
literatura 1249.31
litigantium pœna 1161.17
litigatoris uox ab oratore ſumpta 67.60
litigioſus 353.50
litis conteſtatio 88.56
litura 246.13.922.57
Liuij Druſi laus 692.54
locare & conducere 88.3
locorum commemoratio 693.41
locorum tractatio 486.18
locupletes, honorati, & beati 555.39
locus ad amplificationem 632.33
locus ad miſericordiam 823 34
locus concitandi affectus 724.53
locus coniectura 1118.48
locus coniecturalis 1047.6
locus contra teſtes 69.43
locus pro tempore 1003.48
locus ſenatus 559.49.710.3.1128.13
locus utilis ad labefactandas aduerſarij exceptiones 132.1
longinquus 876.52
Lotharingia 620.47
lubricus 1227.54
Lucani patria 468.42
luce clarior 618.42
luci & ueſperi 1118.10
luctus indictum 563.64
luctus matronarum 1188.52
luculentus 1262.6
Luculli hiſtoria 184.3
Luculli uictoria 181.30
ludere ex ambiguo 1261.46
ludere pro fallere 49.23
ludus & ludi magiſter 192.11.609.40
ludi Apollinares 1201.54
ludi conceſſi 1226.58
ludi in numero plurali 362.3
ludi magiſter 1342.37
ludi Tarquinij 1082.30
ludorum factores 1393.48
ludorum prohibitio 1035.51
lumen 1224.56
lupa & lupari 708.23
lupercalium ritus 1135.60
luperci 599.22.619.54
lupercorum habitus 1241.1
lupercorum hiſtoria 1240.2
Luſitanorum iuuenta 655.45
luſtratio poſt funus 565.58
luſtrare exercitum 1313.28
luſtrum 603.5.630.6.870.44.1207.18
luxuria & luxuries 45.56.24.3. 54.51
luxuriæ fructus 24.34
luxuriæ origo 345.55
luxuriæ umbra 346.61
luxurioſi conuiuij deſcriptio 1081.61
lychnus 638 43
Lyciorum facinus 1300.40
Lycurgi obſeruata 378.62

M litera 844.59
M.Craſſi diuitiæ 270.14
Macedonica bella 1306.36
machinas omnes adhibere 244.43
mactus & mactare 996.55
macula pro infamia 530.38.537.38.
manceps 914.25
mancipi res 341.36 & 47
magnanimi uiri natura 884.26
magnifacio 247.50
magnificentia,grauitas,& auctoritas 724.39
magiſtratum capere 207.31
magiſtratus à Deo 486.29
magiſtratus creare & facere 67.7
magiſtratus maiores & minores 528.33
magiſtratus quid ſit 485.47
magiſtratus uerba ad lictorem 332.14. & 18
magiſtratus uitioſus 1266.21.1240.40
magiſtratuum collatio cùm dijs 391.25
magiſtratuum interuallum 393.17
magiſtratuum obſequium 486.31
magiſtratuum reditus 981.16
magna mater 522.11
magni Dei 453.28
magni menſes 1351.11
magnorum uirorum filij 781.18
magnus annus 870.11
maieſtas & honeſtas 271.6.665.57
maiores et poſteri ſiue poſteriores 1149.21
maior propoſitio 214.50
maiorum magnitudo 380.20
male audire & male loqui 67.16
maledicere & accuſare 881.52
maledico tibi & te 883.4.
maledicta 256.14
malefactoris pœna 884.43
maledictorum confutatio 537.30
maledictum 466.36
maleficium 1014.47
maleficium pro malefactore 110.4
malleoli 999.17
male parta 1231.6.258.1.
maleuolentia & maleuolus 89.13. 532.40
malitia & malitioſus 302.36
malitioſa iuris interpretatio 115.32
malo emere,quam rogare 976.28
malorum fautores 1288.12
malorum ſucceſſores 968.21
malum à forti uiro timendum 112.55
Mamertini 669.50
manceps & mancipium 41.6.78.14. 1341.13
Mancinus à Mithridate captus 214.10
mancipi & mancipatio 341.45.391.34
mancipij ius 167.10
mancipi,frugi,cordi & alia 341.47
mancipium patriæ 1143.22
mandare ſe fugæ 993.42
mandati definitio 141.29
mandati formula in Romanorum ciuium 332.24
mandatum 123.58.148.43
manere dictis 922.44
mangones 1146.16
manica 1114.23
manifeſto 229.5
Manilij hiſtoria 1079.35
manipularis 194.34.1267.1
manipulus 805.20
Manlij hiſtoria 1199.62
manſuetudo & clementia 774.24
manubiæ & præda 6.60.61.2.1370.31.52.320.54.488.46
manum conferre 353.27
manum prehendere 25.22
manumiſſio 334.9
manupretium 1369.51
manus 1016.50
Marcelli benignitas 1371.11
Marcelli & Marcellini 900.56
Marcellorum laus 776.7.1395.10
mare ſuperũ & inferũ 305.27.410.23
Marij caput 1385.21.1386.9
Marij factio 1020.11
Marij fuga 535.11
Marij hiſtoria 1042.11
Marij laus 100.26
Marij uictoria 1028 37
Marius hoſtis iudicatus 1287.1
Martis laus 1262.40
Maſſilia 659.31
Maſſiliæ conditores 670.43
materfamilias 623.1.1151.59
matreuti 237.11
matricida & fratricida 242.40
matrimonij uerba 426.13
matrona 623.21
Mauritania 444.26
Mecænatis uotum 1259.3
metum facere 169.5
Medeæ hiſtoria 188.64.216.37. 657.19
medicorum cura 1006.28
medicus & orator 253.47
medium non habentia 1286.18
Megarenſium ædificia 1241.8
mehercule 641.4
Melius ab Hala occiſus 1076.22
memini ſcribere 885.57
memor 560.31
memor & gratus 565.17
mendacem memorem eſſe oportet 318.11
mendicus 1269.47
Menenij eloquentia 316.2
mens 1296.26
menſtruum 83.7
menſurarum nomina 241.34.887.23
mentiri 92.8
mercaturæ laus 421.60
mercenarius et famulus 103.52.295.12
merere 1130.52
meritorum commemoratio 734.57
merere pro milite 346.12
meſſana 669.50
metaphora 689.46.991.63
metaphoræ effectus 1032.39
metaphoræ genera 700.50
metari & metator 1125.31.1304.3
Metelli funus 1288.30
Metelli opus 1391.7
Metellorum laus 564.46
Metellus 1349.61
Metellus Dalmaticus 137.30
Metellus contra Gracchos 1038.24
Metellus Creticus 410.50
metonicus annus 870.31
metonymia 603.32.1035.12
metuo ab illo 37.18.68.1
metuo & timeo 757.57
metus & pœna 129.60
metus & ſpes 313.40
mihi 350.25.378.45
mille 707.20
mille denariorum pretium 86.53
milium & milliarium 152.28
miles externus 659.47
militare quadriennio 438.38
militaris corona 590.1
militiæ & urbis comparatio 386.28
militiæ genera 996.35.1285.63
militis inſtitutum 869.45
militum Romanorum diuiſio 805.27
militum Romanorum lex 554.19
mimeſis 259.10.363.60.802.45
mimographus 579.53
mimus & mimulus 537.55.579.50. 637.1.1067.48
miniſterium & ars 345.63
miniſteriũ pro miniſtris 418.35.564.11
mirabilis dubitatio 815.43
Miſenus 1134 8
miſer 26.14
miſer & innocens 1360.33
miſereo 802.50
miſericordiæ definitio 372.55
miſericordiæ locus 771.64.837.63
miſericordiam capere 26.5
miſericordiam mouere 454.40.596.24. 644.3
miſericordiam trahere 825.4
miſſos facere 1374.10
mitella 765.15
mittere iudices in conſilium 266.13. 1358.46
Mithridates à Lucullo uictus 181.30
Mithridaticum bellum 194.30
Mithridatis crudelitas 182.35.213.19 418.48
Mithridatis fuga 188.24
Mithridatis interitus 360.2
mitigare 1034.63
mœſtorum ſermo 496.33
moderator 613.31
modus 270.48.304.60
modus conficiendæ pecuniæ 407.34
modus ducendi uxorem 354.58
moles 152.25
monetales 1281.47
monoſyllaba 824.33

mons

monſ citatorum 576.10
monſ ſacer 1381.34
monſtrum 615.20
monteſus & montanus 133.47
monumentum 1140.42
morbus deſperatus 450.39
morbus ſonticus 354.29
mors crudelis 1301.55
mors ducum & imperatorum 200.2
mors honeſta 1082.64.1332.64
mors miſera 1302.44
mors oppetenda 1118.4
mors praeter naturam 1139.27
mors turpis 449.52.1024.3.1240.56
mortalium conſolatio 482.52
mortiferum & mortale 449.27
mortis auctor 1294.28
mortis conſtitutio 693.16
mortuorum honos 1140.39
mortuorum ſepultura 423.43.565.62
722.26
mortuorum uita 725.58
mortuos odiſſe nefas 242.10
mortuorum conſideratio 85.45
mos ducendi nouas nuptas 235.44
236.41
mos & conſuetudo 768.3
moueri tribu 280.32
multa 136.13
multam ſuſtinere 885.12
mulier 166.44
mulier non immiſceat ſe uilibus officijs
111.59
mulierarius 637.29
mulieris laus 253.41
mulierum communis dolor 234.57
mulierum hereditas 239.29
mulierum nomina 1321.5
mulierum tutela 166.39.394.9
1168.33
mulierum tutores 423.12
mulſum 296.15
multam irrogare 702.9
munera 360.55
munerare & munerari 878.45
munerum lex 180.24
munerum pœna 259.46
municeps & ciuis 56.33
municipes 514.11.652.44.1056.54.
1247.30
municipes non ciues 247.44
municipii filius 438.16
municipia & coloniae 694.54.1121.11
municipiorum genera 46.30
murum familia 1323.2
murus Italiae 1273.11
mutorum loquela 623.55
muta ſolitudo, caeca nox 706.30
mutis feſta 1374.9
mutus 655.43
myleſa 1269.38
myrmilo & retiarius 1086.12.1089.
45.1259.20
myſterium 352.7
Nam 282.1.342.35
nam quod 1150.22
Narbone 1217.29
narratio 72.7.237.16.314.48.403.57
818.21.39.1335.20
narratio à perſona 799.4
narratio à perſona quam orator tuetur
143.12
narratio breuis 695.36
narratio & confirmatio 697.61
narratio falſa quo modo credibilis 696.23
narratio in genere deliberatiuo 211.37
narratio ne ſit tedioſa 248.55
narratio quando nõ eſt neceſſaria 345.17
narratio ſpecialis 422.59
narratio ſtatus coniecturalis 233.14
narratio uériſimilis 39.28
narrationis collectio 74.17
narrationis locus 38.37 & 53.
756.21.892.24
narrationis qualitas 40.61.42.52.
232.26
naſcendi conditio 1014.24
Naſica contra Gracchum 564.28
Naſica occidit Gracchum 1024.29
Naſicae bonitas 580.43
natalis dies 1014.16
natalitia 1211.12
natio 1131.2.1196.1
nationum ſtudia 395.2
natu 612.19
naturae & doctrinae uis 480.29.372.35.
478.19
naturae & ſtudij effectus 47.12
naturae lex 1310.49 & 60
naturae munus 690.7
naturae obſeruatio 461.12
naturae ordo 383.40
natus Venere & ex Venere 241.29
nauarchus 981.58
nauare operam 618.35
naufragus 441.46
naui & induſtrij 186.34 & 37
nauicularij 184.24
nauis, puppis, & clauis 337.55
ne 1206.3.1235.35
Neapolis & Parthenope 618.48
nebulo 1234.13
neceſſarij 239.45
neceſſitudo 14.47
nefandum & nefarium 1355.24
negligentiae effectus 762.13
negotium 958.64
nemo homo 1003.47
nemo pro nullo 93.45.111.21.1148.40
50.30
nepos 239.24 & 41.38.61
nequam 614.5
neque 1389.53
nequitia 980.56.1231.13
nerui belli & reipub. 182.29.1265.4
nexa 1173.6
nexum aes 176.11
nexus 341.37.385.32
nexus iuris 136.48
ne ſit mihi patruus 619.34
Nicomedis hiſtoria 181.57
Nicomedis teſtamentum 358.60
niger pro malo 152.10
nihil uirtute praeclarius 486.63
nimium 1350.36
nobilitas 385.56
nobilium cũ populo diſceptationes 313.2
nobilium Romanorum ueſtes 484.36
noctis diuiſio 1015.28
nomen 81.12.82.10.1260.8
nomenclator 363.55.380.35.398.41
nomen dare 1211.5
nomen deferri 978.14
nomen pro debito 5.26.11.44
nomen pro aduerbio 149.10
nomen Romanae libertati inuiſum
1130.37
nomina dijs attributa 1247.40
nomina facere 622.34
nomina propria in numero plurali 347.
58.512.18
nominum & praenominũ regula 357.59
non ad id 159.30
non me praeterit 175.56
non ſolum ne dum 1062.30
noſter & noſtri 376.31
noſtra perſona pro aliena 169.44
nota 612.18.922.53
nota cenſoris & turpe iudicium 279.16
nota & ſordes 1348.3
notare 1006.7
notae iudicum 252.28
nothus 47.8
nouae inſulae 655.45
nouae ſponſae coniunctio 237.35
nouae tabulae 1278.56
noui homines 347.32.1293.41.983.62
nouiſſime 88.28
nouus 33.22
noxa 50.60
nubere, & ducere in uxorem 241.2
nullo negotio 40.57
nudiuſtertius 1263.40.1264.60
Numantia 1091.30
numeralia nomina 40.23.261.52.57.
262.6
numerus 909.22
numerus & menſura 1230.27
numerus frumenti 95.18.186.43
Numidiae bellum 1093.3
numi & aurum 301.18
numum mouere 93.59
nuncius in cruce 189.28
nuncius uolucris 22.4
nundinari 1084.22
nundinae 406.13.11.92.32
1217.55
nuptiae prohibitae 233.45
nuſquam eſſe 550.24
nutus & renutus 152.56
nympharum templum 246.33.642.43.
717.9

o 586.11
o in penultima 506.55
obiectionis reprehenſio 585.36
obijcere & imponere 1070.29
obire diem 1085.16
obire munus 63.16
obiurgatio 458.40
obiurgator 903.15
obligatoria prouocatio 1161.7
obligurire 1006.3
obliterare iniuriam 1128.16
obloqui 256.20
obnubere caput 332.26
obrepere 1033.15
obrogare & obnunciare 1053.17
obſeruare 772.58.1352.64
obſes 266.22.1070.50
obſido 1180.35
obſignare domum 1361.6
obſignator 244.63
obſoleſco & obſoletus 110.6.628.2. 1246.23
obſtrictus 556.18
obteſtatio & deteſtatio 221.63.226. 664.18
obtinere cauſam 288.28
obtingere 1023.29
obtrectator 656.38
occidione & occiſione occidere 1127.62. 1332.56
otij laus 314.4
otium conſumere 93.36
otium pro pace 64.53
Octauij & Antonij inimicitiæ 1250.20
oculi imperatorum 669.22
oculis ac manibus teneo 239.13
oculis uidere 1014.45
occupare pecuniam fœnore 417.16
occupatio 90.35.191.7.256.56.359. 29.449.47.462.11.486.37.811.26. 959.52.968.61
occupatio inuidioſa 76.48
occupatio per ironiam 742.34
occupatio rhetorica 1048.14.1054.5
oderint dum metuant 1200.35
odij & beneuolentiæ comparatio 24.15
odioſum dictum 1246.10
odium bonorum 964.11
odorare & odorari 265.37
offendere 767.26
offenſa & offenſio 232.58.417.55. 904.60
offenſio paſſiue 258.42
offenſiuncula 546.17
officina & taberna 66.17.1065.8. 1217.53
officiorum gradus 232.36
officiorum finis 375.2
officium 46.4.534.22
olea & oliua 149.20
Olympias 890.43
Olympica certamina 870.21
ominum obſeruatio 361.14
operarij 643.
operæpretium 60.55
operæ pro operarijs 446.45
operire 1269.35
oppilare & compilare 1202.30
oppilatus & oppilatio 1212.52
Opimij hiſtoria 1049.10.1396.52
opimus 425.25
Opis ædes recuperata 1191.36
oportet & licet 237.60
oppoſitio 925.18
oppoſitio inuidioſa 458.17 & 32
oppoſitio rhetorica 571.19
oppoſitus laterum polliceri 788.5
opis, opima hoſtia, & opima ſpolia 36.63
optima ciuitatum gubernatio 411.28
Optimus Maximus Iupiter 329.46
optio iudicis 83.31
ora erubeſcere 1152.9
oratio aſcendens 821.62
oratio dilucida 900.10
oratio infinita de indignitate rei 266.35
oratio interrogatiua 984.20
oratio ſine narratione 392.18
oratio uerbi infiniti 237.28
oratio, quæ ſimul uera aut falſa eſſe non poteſt 781.48
oratio quo modo in altius progreditur 841.16
oratio ſpecioſiſſima 360.16
orationes antiquorum 905.4
orationes Ciceronis 423.64
orationis aſperitas 828.38
orationis humilitas 711.57
orationis illuſtratio 1032.33
orationis incrementum 971.3
orationis initium 341.12
orationis iudicialis initium 227.1
orationis partes 793.62
orationis pulchritudo 818.54
orationis qualitas 231.23
orationis ſuauitas 637.50
orator 229.7
orator in aduerſarium 266.42
orator qui 848.25
oratores purpurati 276.27
oratoribus et philoſophis conceſſa 623.54
oratoris auctoritas 341.8
oratoris calliditas 883.7
oratoris cautio 253.63
oratoris definitio 181.12
oratoris grauitas 831.7
oratoris officium 41.27.504.63. 899.17
oratoris proprium 877.5
oratoris prudentia 387.30.594.38. 595.8
oratoris ſtatus 306.32
oratorum & iudicum ſtatus 33.11
orbita 1370.43
orbarum coniugium 714.33
orbus & orbatus 417.62
orbus, uacuus, & liber 417.58
ordinalia nomina 40.21 & 37
ordines ampliſſimi 383.3
ordines florentiſſimi 694.57
ordo ad conſulatum 1303.42
ordo ampliſſimus 685.29
ordo ampliſſimus maior & minor 612.59
ordo creſcendæ orationis 655.58
ordo optimus procedendi 447.4
ordo referendi in ſenatu 1257.64
ordo ſenatorius & equeſtris 685.59
ordo triplex 192.7.1368.33
Oreſtis cædes 685.11
Oreſtis ætas & regnum 688.15
oris ſignum 56.37.58.38
ortus Ioue & d Ioue 549.60
ortygia & aſteria 222.14
os durum 20.50.257.12
oſtraciſmus 406.25
Othonis lex 395.40.1077.27
otij propugnacula 1394.13
otium honeſtum 438.32
otium pro pace 441.48.1027.41
ouem lupo committere 1258.47
Ouidij facilitas 469.22
Pacatus homo 208.50
paciſcor & compoſita 561.39
pacis amplificatio 2002.12
pacis inſigne 1146.63
pacis ornamenta 356.39
Palladium Mineruæ 1308.60
pallium & toga 1010.37.1268.7.34. 1137.38
palma & palmarium 39.45
palmaris ſtatua 1280.23
paludamentum 1258.10
Pamphylia 156.27
Panſa moritur 1332.44
Panætij diſcipuli 468.8
Paphi conditor 1219.11
Paphus 1076.63
Papia lex 670.6
parare mancipia 551.34
paraſceue 623.40
paraſceue ad ſolutionem 762.36
parcere pro miſereri 1023.20
parentare 1123.18.1324.50
parentalia 429.59.1051.7
parentalia & ſupplicationes 1188.34
parentes 557.15.818.36
parentes eorum qui in bello interierunt 1333.12
parentheſis effectus 747.21
parentes negligere 237.29
parentis dignitas 536.46
parentum cura ſecundum Salomonem 1008.59
parere & parturire 1249.27
paret ſuffragijs 548.8
parricida 242.24.998. 1133.7
parricidium 1216.47
parricidium patriæ 555.53
pariendi tempus 244.15
paries & murus 989.55
parodiæ 1052.41


parſimonia

parſimoniæ laus 1009.2
Parthenope 484.31
partes 1296.24.342.43
partim 149.10
partitio 44.46.64 17.212.9.231.32.
59.345.26.961.13
partitionis partes 84.21
partum facetus 4.13
Patauij laus 1313.21
Patauinitas & Hiſpanitas 472.16
patefacere 631.23
pater certus 46.63
paterni & materni nominis differentia
234.11
pater patratus 136.19.1171.50
pater patriæ 495.39.1035.19.1132.59
pathetica exclamatio 1075.28
pathos à forma & à ſeneƈtute 1047.49
patientia 867.62
patres 1177.6.1254.38
patres conſcripti 1039.9.1056.3
patres & maiores 184.52
patres & patritij 438.2
patriæ amor 1226.11
patriæ fortunæ 224.47
patrini & matrini pueri 237.39
patroni fides 800.2
patroni nationum 1247.26
patronus 1.17.1159.39
patronus, aduocatus, procurator, & cogni-
tor 145.43
patronus, id eſt defenſor 330.36
patrueles 634.50.1244.32
patrum poteſtas 52.25
paulo minus 42.17
pax & concordia 313.51
pax & uenia 101.57.102.20.330.3
peccandi libido 53.61
peccare per ignorantiam 655.60
peccatorum differentia 693.27
pecu, pecunia, pecuarius, & pecuarium,
431.881.25
peculatus 362.45.395.56.414.22.920.
22.970.52
peculatus & peculator 331.2
pecunia 35.30
pecunia obſignata 292.4
pecunia Ptolemæi regis Cypri 716.58
pecuniæ expugnatio 920.50
pecuniæ uis 900.7
peculator 1345.9
pecuniam dicere 427.16
pedem conferre 544.49.584.11
pedem inferre 155.29
pedem ponere 153.23
pedes in oratione 817.49.56
pedetentim 922.62
pedibus in ſententiam ire 1127.5
Pegaſus equus 22.8.31.64
pellex 234.60
pellicis pœna 235.2
Pelion mons 617.25
pelliturus 379.47
penates 453.29.42.59
penſio 91.42
penſiones & pœnas pendere 1136.17
penus, & pœnus 1138.47
ponere in culpa 282.12
percutere 367.19
percrebuit 900.43
perculſus 1001.3
perditi homines 995.23
perditus & profligatus 1251.10
perditorum refugium 1225.5.1346.15
peregrinari 712.4
peregrinus 437.35
peregrinorum expulſio 670.6
peregrinorum prohibitio 465.54
perendie & perendinus 355.28
perendinus dies 394.32
perfidus & perfidioſus 258.57
perfugium & perfugere 239.55
1023.10
Periclis ſententia 654.63
periclitari 999.8.25.16
periculum iudicij præſtare 341.53
peripetaſmata 977.19
periſtromata 1231.47
periculoſa publicarum rerum gubernatio
433.35
permittere & committere 293.58
pernoƈtare 244.62
peroratio 23.54 76.40.136.56.225.
17.388.26.399.16.462.15.728.18.
734.42
peroratio cum enumeratione 476.43.
480.12
perperam 165.29
per populum & ſenatum 541.4
Perſes Macedoniæ Rex 202.64
perſiſtere in re 265.36 & 47
perſoluere officium 560.34
perſona conſideratur, non locus 392.24
perſona 625.4
perſtringere 539.51
pertimeſco pertimui 759.47
peſtis & peſtes 450.42.1124.25
peſſimorum hominũ deſcriptio 1032.29
petere hominem 343.18.990.20.992.
6.382.62
petitionem gubernare 696.6
petitor & accuſator 90.23.295.14
petulantia & procacitas 1142.6
phalanx 616.6
Phalaris 1042.3
Pharnaces deuiƈtus 1330.39
pharmacopola 245.56
phantaſia 719.23
Philippi diƈtum de expugnandis caſtellis
182.31.920.50
Philippi duo 185.37
Philippi Macedonis epiſtolæ 1208.23
Philoƈteta 523.40
Philodemus 1396.33
philoſophi 1258.56
philoſophi de anima 473.32
philoſophi natura 1199.17
philoſophiæ definitio 1046.20
philoſophiæ laus 113.48
Picenum 1022.42
piƈtæ tabulæ 66.5
piƈtura uocalis & muta 54.16
piƈturarum uſus 219.57
pietas 305.38.333.11.378.27
pingue 472.12
pignorari 1127.48
piraticum bellum 214.39
piſcina & uiuarium 301.16
Piſonis laus 1144.25
Piſonis pater 1393.4
Piſonum familia 1033.19
Placentia 1391.18
Placentini erga Ciceronem 1392.11
plaga, uulnus, ſecuris pro damno
366.9
plango & plauſus 1136.4
Platonis conſolatio 1332.41
plauſibile 900.5
plauſus 884.5
plebiſcitum 660.54
plebs ruſtica & urbana 471.45
Plotia lex 701.5.742.50.1145.25
pluralis pro ſingulari 608.28.1149.18
plures, ſuperior, & poſterior 764.22
plus, amplius, & magis 45.49
pœna merita, & immerita 884.63
pœnæ militares 1164.55
pœnitet 1200.5
poetria & poetris 636.22
poetarum auƈtoritas 973.45
poetarum efficacia 504.48
poetarum laus 688.8 468.36
poetarum leƈtio, & fruƈtus 467.16 &
27
poetæ commendatio 469.29
poeticæ artis præſtantia 487.49
Poggij epiſtola 821.24
polliceor & promitto 349.26
pollutio ex cadaueribus 103.19.563.54
713.21
polyton 615.56
Pompeianorum & Cæſarianorum diffe-
rentia 782.20
Pompeij bona 1081.56
Pompey & Cæſaris comparatio 845.11
Pompeij & Herculis comparatio
217.55
Pompeij geſta 220.36
Pompeij laus 192.13.513.44.656.
6.1273.30
Pompeij iunioris mors 1273.1
Pompeij præſidia 681.48
Pompeij triumphi 1040.19
Pompeius cõtra piratas 185.13.195.50
Pompeius laudat Ciceronem 1209.63
ponere 203.17.229.49
ponere arma, cauſam &c. 787.4
ponere in gloriam & in gloria
1145.4
Popilius ad Antiochum 1289.43
popinæ & popinones 1037.13.1135.
16.1232.11

Populari & uexare 136.2
popularis beneuolentiæ captatio 314.34
popularis tempeſtas 530.54. 587.31
populi diuiſio 1238.31
populi & ſenatus diſcordia 316.1
populi Romani odium 449.12
Porcia lex 1146.48
Porcius latro 1229.43
portare exercitum 206.35
portenta, oſtenta, monſtra, & prodigia 45.12
portorium 407.14
portus 409.51
portus Brundusij 924.60
portus pro requie 441.51
poſſeſſiua 239.44
poſt hominum memoriam 207.39. 452.26. 562.56
poſthumus 166.3
poteſtas 274.56
poteſtas odioſa 970.14
poteſtatem facere & dare 909.33
poſterior cogitatio 1312.60
poſtliminium 661.62. 663.30
poſtmittere 633.15
poſtremi homines 67.1
potentes & beati 560.43
poteſtatem facere 1017.2
potiri 1008.5
potio, & potus 879.11
praui colloquij affectus 613.27
precatio 999.44
precor à deo 330.6
pretium ſeſtertium 77.35
præ amore, præ mandatis 538.9
precario 620.23
præcaſtigatio 222.41. 1036.64
præcedentia ex conſequentibus 971.51
præceptoribus debere, & parētibus 88.4
præceptum & præceptio 10.14
præco 4.17
præconis uoci ſubiectus 13.51
præcipitare 434.8
prædes et prædia 144.10. 758.64. 770.29. 1069.30. 1369.31. 1367.47
prædicare 141.556.12.
præditus crudelitate 69.20
præfectus fabrum 377.61
præfectura 336.53. 1078.39. 1228.31
præfica mulier 722.47
præficio & præpono 551.48
præiudicium 900.39
præloqui 684.62
prælucere 1149.26
præludere 1327.60
præludium 1125.19
præ mandatis, præ amore 579.62
præmonitio 2001.9
præmunitio 322.7
Præneſte 988.61
Præneſtis 552.34
præparatio ad definitionem 360.58
præparatio ad narrationem 142.53
præparatio ad recriminationem 826.9
præparatio ad ſolutionem 767.6
præparatio & aditus ad refutationem 587.31
Præparatio ſuaſionis 224.58
Præpoſterum 454.60
Prærogatiua 1036.50. 925.7. 1350.2
Præſcriptio 330.35
Præſente me & te 243.29. 349.59
Præſentis uerbi effectus 1028.2
Præſideo & præſes 1272.48
præſidium 1122.21
præſidium firmum 368.42
præſtabilis 656.11
præſtare 139.64
præſtigiæ 769.31
præſtituere 142.15
præſto eſſe 349.26. 536.7
præſtringere aciem 1342.32
prætērea 181.64
præterire 246.28
præterire pro uincere 1148.33
præteriti 1221.36
præteritio 212.31. 218.63. 1069.40
præteritio rhetorica 1062.59
præteritorum æſtimatio 881.44
prætexta 392.41. 1030.62. 1136.44. 1221.51. 1367.21
prætexta & bulla 346.22
prætexta depoſitio 613.47. 1222.1
prætexta, uſus 1073.15
prætextatus 1133.59
prætor & prætorium tabernaculum 1350.64
prætoria porta 1011.59
prætorij 1121.53
prætoris, et quæſtoris differentia 1372.26
prætoris officium 124.29
prætoris poteſtas 1332.58. 1368.30
prætorum inſtituta 1347.14
prætorum numerus 335.29
prætura 695.57
præuaricari 523.64. 598.57
præuaricatio 619.4
præuaricator 254.8. 908.43
præuertere 442.26
prima ætas 1153.48
prima hominis ratio 1315.30
primipilus 1314.33
primo diluculo 40.6
primoribus guſtare labris 620.50
primus Cæſaris percuſſor 1323.34
primus de duobus 451.63
princeps in omni uirtute 532.48
principiorum genera 311.2
principis officium 1140.26
principium 1160.37
priſcum uerbum 665.35
priuatim 1018.35
priuatus homo 1001.63
pro 248.39. 747
probare 799.12
probatio à fabulis 47.14
probatio à loco 707.5
probatio artificialis 712.9
probatio à ſimilitudine 487.46
probatio aſſumptionis 155.63
probatio ex comparatione 257.35
probatio ex minore 762.22
probatio ex ui finitionis 748.50
probatio in contrarium 96.23
probatio ſuorum 647.8
probrum 1244.28
probus & probatus 417.61
procacitas 1148.17
pro capite 874.25
procax 631.59.
procella pro calamitate 634.39
procraſtinare 43.12
procraſtinatio 1277.58. 1099.6
procurator 162.8
prodere & oppugnare 1347.7
prodigioſum animal 450.23
producere 1037.24
producere aduerſarium 9.17
profeſſorum turpitudo 551.26
proficiſci 994.49
profiteri 139.61. 250.23. 1249.24
profligare 45.22. 78.60. 772.32. 920.24. 1251.14
profuga 63.17
profugere & profugus 437.29
profundere pecuniam 257.53
profectus 32.30
prolis reficiendæ ſpes 1225.58
prolixe 428.4
prologuium 917.29
proluſio 905.61
promiſſa repetere 367.39
promiſſum & promiſſio 10.15
promitto, polliceor 757.56
promulgare 1130.48. 1192.27. 196.20
pronominare 835.2
prooemij formula 161.53
propagare & propago 1130.1. 1188.56
properare & feſtinare 1140.44
propinqui 876.53
propoſitio 1323.29. 457.35
propoſitio coniecturalis 839.24
propoſitio ex diſtributione 78.53
propoſitio maior & minor 967.34
propoſitio minor 212.47. 214.25
propoſitio iucunda 137.12
propoſitionis declaratio 741.47
propoſitionis qualitas 826.35
propoſitionis repetitio 79.53
proprium pro perpetuo 201.15
propudium 1328.23
Propugnator 669.51
Propulſare 618.25
Prorogare 365.34
Prorumpere in crudelitatem 2011.4
Proſcribere 1009.12. 1304.13. 27.63
Proſcriptorum pœna 89.6
Proſonomaſia 1320.60. 1257.27
Proſopopœia 259.13. 386.26. 565.22. 623.52. 993.6. 1233.43
Pro templis, pro roſtris 633.33. 735.53
Proteruia 1142.14


Proteruitas

proteruitas 612.32
proteruus 627.21
prouidere 783.61
proxime 711.35
prudens & ſciens 782.31
prudentia adoleſcentis 43.22
pſalterium 524.6
pſephiſmata 405.53.409.15
Ptolemæi heredes 309.10.319.42
Ptolemæus Cypri Rex 410.37
Ptolemæus 757.18 regno pulſus 1223.38
pubes 339.13.712.36
publicani 373.63.534.3.756.33
Publius Seruilius 336.32
pudicitiam expugnare 631.48
pudor & pudicitia 234.26.1012.40
pudoris indicium 1240.21
pudoris ſedes 1032.19
puer 7.36
pueri 50.41.697.25.902.18
pueritia & infantia 437.9
pueritiæ anni 464.27
puerorum ius 442.61
pugnantia 1162.20
pugnare uerbis 169.22
pugnare, litigare 252.12
pugnarum exitus 770.1
pugnæ Cæſaris 785.59
pullarij 318.60
pulchre 354.12
pulſus & fugatus 164.33
pulueres 26.1
puluinar 1082.15.1334.1
puncti definitio 1216.38
punicanus 370.57
punio & punior 742.20
pupillus 161.42.1166.40
purgatio 457.8.733.59.735.49
purgatio criminis 72.33
purgatio affectionis 519.52
purpuræ uſus 1026.58
puſio 625.39
puteoli 612.52.1246.49
Pyrgus 1226.51
Pyrrhus Epirotarum Rex 1187.6
Pyrrhus in Italiam 1306.25
Pyrrhus Rex 1057.23
pyxis 635.2
Q. Fabij Max. uictoria 1014.52
quadrantarius 635.44
quadruplator 902.29
quales principes, tales ciues 197.52
qualis debet eſſe orator 859.37
quamobrem 174.10
quando & aliquando 506.47
quaſi 925.42
quaſi uero 138.29
quadrare 1365.42
quadruplatores 1339.36
quatriduanum 20.19
quæ ad abſoluendum ualent 843.32
quæ ad uictum optima 1246.30
quæ in Imperatore eſſe debent 110.59
quæ in oratore plurimum ualent 33.13
quæ orator cauere debet 439.35
quærere & inquirere 921.11
quærere extra ordinem 692.4
queribundæ orationes 58.40
quæ ſimul eſſe non poſſunt 769.26
quæſitor 99.3.411.3.1350.32
quæſo, ſis, ſultis & alia 37.32
quæſtio 463.30.450.54
quæſtio coniecturalis 48.42
quæſtio de eodem 302.10
quæſtio de mortuis 302.1
quæſtio duplex 686.31
quæſtio & quæſitor 1162.3
quæſtionem conſtituere 301.54
quæſtor 903.41.1368.20
quæſtum facere 96.58
quæſtura 348.45
quæſtus & fructus 56.53
querela ad beneuolentiam 590.38
quibus exemplis mouemur 824.1
quicum 1066.6.1158.7
quid agis 539.43
quid ais 155.60
quid in oratione 1094.51
Quirites 174.21
quoad 801.18
quo anno ſuæ ætatis Cic. habuit orationem pro Quintio 1.10
quo die conſules inibant magiſtratum 430.47.342.30
quondam 986.50
quo pro unde 626.52
Rana gyrina 151.21
ratio à ſignis præcedentibus 173.32
ratio diſtribuendi ſententias 475.55
ratio ex ſententia 459.22
ratio pro modo 256.36
ratio propoſitionis 221.9
ratio retexendi exordij 452.12
ratiocinatio 34.5.217.56.964.23.1076.54.1088.55
ratiocinatio noua 742.33
ratiocinationis partes 846.17
ratiocinor 126.4
rationem habere 1130.30
rationem reddere 146.53
rationes accipere 179.42
rationes uitæ 179.22
receptaculum 409.58
receptator 706.23
receptui canere 1126.52.1313.35
recipere 1276.18
recipere mandatum 62.3
recipio tibi 63.33
recognoſcere 922.32
reconciliare 920.10
reconciliata gratia 694.55
recordatio malorum 1260.40
recordor 568.41
recreare 1003.57
recriminatio 839.848.46.960.31.459.38
recriminatio per occupationem 1075.9
recriminationis partes 826.17
recta ſententia 1311.5
recuperator 415.57.139.1.965.16
redemptor 186.64.1109.10.1294.63
reddere & tradere 806.21
redimere 215.30
redimere uectigalia 186.59
redditio oppoſitionis 576.14
reduplicatio 850.16
reduuia 65.2.76.12.80.55
refero tibi 171.9
referre ad me, ad te, & ad ſenatum 15.11.563.45.662.51.993.49.1276.23
referre in codicem, & in tabulas 81.7
referre gratiam & habere 1023.24
reficere 414.53
reficere ſtomachum iudicis 235.46
refigere 1318.2
refragari 1113.34
refricare uulnus 639.64.1047.33
refutare & confutare 201.58
refutatio 151.25.237.9
refutatio à contrario 223.30
refutatio & confutatio 686.37
refutatio per diſtinctionem 458.55
refutatio per ironiam 579.52
refutationis concluſio 225.1.633.26
regij nominis odium 315.54
regium nomen 883.14.886.45
regnum ciuile & ſpirituale 485.08
Reguli hiſtoria 1042.8
regum commentaria 333.42
regum & pontificum literæ 412.37
rei domeſticæ continentia 380.24
rei & accuſatoris diſcrimen 232.11
rei familiari ſeruire 46.31
rei publicæ cuſtodes 389.30
rei publicæ dignitas 380.24
reiectio 457.38 reijcere 667.58
reijcere iudices 921.39
religio 139.50
religione ſolui 174.55
religionis defenſores 1196.42
religionis ratio 340.46
religioſi dies 1043.18
religioſi loci uiolatio 330.42
rem gerere 656.19
remittere & remiſſi 898.33
remotio arrogantiæ 569.59
renouatio attentionis 970.30
renunciare 1347.43
reorum laudatores 275.36
reorum ueſtitus 454.9
repentina improbitas 1148.27
repetitio 169.24.170.2.315.50.398.10.698.19.822.10.824.24.834.15.986.14.818.30
repetitio ad amplificationem 640.45
repetitio ad indignationem 1032.21
repetitio bimembris 825.59
repetitio diuiſionis 576.58
repetitio & exaggeratio interrogationis 79.6
repetitio & propoſitio 295.39
repetitio inciſionis 841.10

repetitio per correctionem 747.59
repetitio præpoſitionis 755.13
repetitio uenuſta 254.16
repetitionis diuiſio 821.20
repetundarum lex 1048.22
replicare 438.42
reprehenſio 459.10
reprehenſio modeſta 149.34
reprimere & comprimere 998.13
repromittere 845.89.64
repugnantia 1063.19.1167.40
repugnantium forma 1162.52
repugnare 92.10
reputare 885.57
rerum omnium origo 53.15
rerum potiri 52.37
res frumentaria 199.19
res mancipi 385.31
res pro perſona 66.52
reſpondere 1355.6
reſponſio generalis 731.6
reſponſio per interrogationem 588.26
reſponſum Gallorum 1310.55
reſumptio 585.58.763.29
reticentia 626.28
retiſo 719.27
reum fieri 1345.28
reuocare 469.32
reus læſæ maieſtatis 1364.56
rheda 679.9 & 36
rheda meritoria 1225.12
Rhegyum 1056.51
rhetorica 224.57
rio deſinentia 1249.45
riſus amarulentus 1038.18
ritus emendi mancipium 341.41
rxa 145.49
robur 379.8 robuſtus 533.22
rogare & erogare 410.30
rogare & orare 1336.25.898.5
rogatu, iuſſu, euento, &c. 667.24
rogatus, arbitratus, & alia 900.35
Romæ deuaſtatio 39.10
Romæ origo 1014.20
Romanæ reip. adminiſtratio 184.36
Romanarum mulierum nomina 235.30
Romani à Mithridate laniati 765.63
Romani ciuis multa 997.16
Romani de religione Iudæorum 420.61
Romani exercitus ſtrages 190.58
Romani intonſi 1038.11
Romani populi ſuffragium 654.19
Romanorum mos de cadaueribus 700.26
Romanorum nomina per prouincias 1371.25
Romanorum proprium 1263.4
Romanorum ſigna 995.50
Romanorum uulnera 1000.30
Romanus ciuis 533.17
Romuli ſignum 1019.3
Roſcia lex 1222.24.1382.26
Roſtra 634.32
Rubicon 1277.43
Rudem accipere 1079.46
Rudis 1135.31
Rulli inſolentia 320.50
rumores hominum 395.52
rumuſculus 174.1
ruſticæ uitæ fructus 24.56
ruſticorum cupiditas 45.64
ruſticorum præd.iura 1169.5
Sacerdotis auctoritas 284.25
ſacer & ſacratus 1360.49.997.2
ſacrarium 383.21
ſacramentum 717.47
ſacrificare & litare 429.56
ſacrificuli officium 1404.19
ſacroſanctum 664.7.1007.25
ſacrum ſponſionis 747.35
ſagati ſignum 1098.26
ſagum, ſagatus, ſaga, ſagire 104.20.1138.49.1271.38.1272.8
Saguntus 1270.22
ſal 1212.4
ſalinæ & ſalinator 186.7
ſalinarum inſtitutor 215.13
Saluſtij uita 1149.33
ſalſus & inſulſus 1220.47
ſaltare & ſaltator 346.48.1268.28
ſaltatio 881.18
ſaltationis genera 1011.17
ſaltus 21.62
ſaluo capite 1245.5
ſancire pœnam 544.42.1067.42
ſanctiones 664.14
ſanctitas 600.17
ſanctus & ſanctum 190. 36.224.33.469.58.664.16.920.47.1228.3
ſanguis 413.16.242.49
ſapere patruos 619.36
ſapiens nihil opinatur 373.16
ſapientis officium 783.35
ſapientis prudentia 1312.58
ſarta tecta 1369.6
ſat & ſatis 57.34
ſatiare, & ſaturare 69.19
ſatiare mentem & oculos 709.52
ſatiſdare 26.13.1369.41
ſatiſdatio 8.63
ſatiſfacere 1223.30.1364.38
ſatis flagitat, q bene ſeruit, et tacet 1332.1
ſatis ſuperq; 83.49
Saturnalia 1016.33
Scatinia lex 1084.53.1088 34.1254.27.1255.30
ſceleratorum nomina 1034.1
ſceleratorum ſedes 297.55
ſcelerum pœna 1025.64
ſcenæ ornatus 1362.13
ſchola Pariſienſis 533.12
ſcientiæ exercitatio 47.44
ſcilicet 1210.55.1251.59
ſcire & opinari 373.26
ſciſcere, ac iubere 405.60.540.63.667.15
ſcitus 540.59
ſcomma in petulantiam 1038.8
ſcorta 968.48
ſcribarum ordo 1026.20
ſcribere heredem 706.11
ſcribere in marmore, & in æs ſcribere 1190.48
ſcriptoris diligens conſideratio 507.64
ſcriptura antiquorum 59.58
ſcrupulus 71.15
ſcurrarum & paraſitorum natura 24 20
ſcutum 156.27
ſector 294.62.1065.28.1033.53.1219.13.1229.50. 1311.24.1361. 21. 1362.57
ſecunda pars defenſionis 74.49
ſecures 218.57
ſecurim infligere 555.57
ſecurus 415.43
ſedere in conſilio 842.12
ſedere in equo 946.13
ſedere pro expectare 48.22
ſedere pro iudicare 273.30
ſedes 359.53.901.25
ſeditio 610.44
ſeducere 1294.7
ſedulo 254.7
ſeipſum colligere 140 42
ſeipſum uincere 779.21
ſella curulis 577.49.761.30.1132.36
ſellularij 1027.28
ſemel 1345.22
ſeminarium 1317.40 & 48
ſemiuſtulatum 700.24
ſempiternus 768.45
Sempronia lex 672.47. 997. 14.1026.41
ſenatoris prima adminiſtratio 1341.8
ſenatorum ius 918.9
ſenatorum ornamenta 1284.1
ſenatum cogere 1015.37
ſenatum dimittere 696.47
ſenatus 206.29.1177.5
ſenatus auctoritas 1374.63
ſenatus conſultum per diſceſſioné 1017.24
ſenatus & populi auctoritas 208.17.24.4
ſenatus faciendi modus 1330.20
ſenatus maieſtas 1039.3
ſenatus poteſtas 654.14
ſenatus ubi habebatur 383.35.1128.12.1178.6.1210.58
ſenectutis natura 781.28
Senonum in Romanos hiſtoria 134.45
ſenſus pro ſententia 1026.55
ſententiæ mutatio 375.16
ſententiam dicere, & facere 416.51
ſententia uenalis 1371.8
ſentina rei publicæ 990.27
ſentire 431.31
ſenum epithetum 1002.51
Seplaſia 241.54
ſepelire, & humare 241.54
ſepta & comitia 704.13
ſeptemuiratus 1081.22
ſepulcri & ſtatuæ honor 1008.7
ſepulcrum & monumentum 1332.39
ſepulcrum familiarum, & hæreditarium 1295.18

ſepulcrum

ſepulchrum & ſtatua 1294.51
ſepulturæ contemptus 726.53
ſequeſtris, & ſequeſter 240.51.260.18. 542.55.616.22.948.23.1351.63
ſermocinatio 87.43.1116.16
ſermonis uarietas 320.60
ſermocinatio odioſa 1079.29
Sertorius 1307.48
Sertorij bellum 207.1
Sertorij & Mithridatis fœdus 183.33
ſeruatus 421.52
ſeruile bellum 193.17
Seruilij uictoria 1209.39
ſeruilis belli dux 968.35
ſeruire 342.56
ſeruire, & inſeruire 785.22
ſeruire ſeruitutem 373.3
ſeruire temporibus 615.44
ſerui ſtigmatici 1311.43
ſeruitia pro ſeruis 899.50.418.36
ſeruitium, latrocinium & famulitium, 1311.25
ſeruitus & mors 1300.12
ſeruitus in dominatu 882.23
ſeruitutis comparatio 1253.1
ſeruitutes agrorum 1169.5
ſeruorum conſideratio 1026.54
ſeruorum exercitus 1256.46
ſeruorum lex 331.27
ſeruorum liberatio 659.64
ſeruorum quæſtio 710.14
ſeruorum ſupplicium 303.66.881.14
ſeruorum teſtimonium 711.41
ſerunculus, homunculus 883.27
ſeſtertius, & ſeſtertium 913.31 & 36. 1136.31
ſeſtertium millies 921.30
ſeſtertij ſignum 1222.17
ſeſtertia cum coronatis 77.15
ſeſtertium bis millies 762.63
ſeuere accipere 633.12.362.60
ſeuerus 463.42
ſeuocare 4.59
ſexagenarios de ponte 59.44
ſextilis & quintilis 1351.8
ſi [illegible] 897.1
Siciliæ quæſtores 1372.25.1373.35
ſi pro utinam 13.13
ſi, qui 507.42
ſi quis 171.55
ſica & ſicarius 37.11.992.26. 1132.46.1208.10
ſicariorum pœna 694.29
Siciliæ ab Italia diuiſio 1184.35
Siciliæ afflictio 968.16
Siciliæ laus 968.14
Sidicinum ciuitas 1084.1
Sigeum 471.26
ſignifer 440.36
ſignum ſeſtertij 83.42
ſignum uertumni 1370.33
ſilent leges inter arma 690.20
ſimilitudo artificioſa 45.16
ſimilitudo corporis & animi 375.32
ſimilitudo ex iure ſumpta 512.62
ſimilitudine confirmatio 1163.52
ſimilitudinis uis 1163.1
ſimplicitatis expreſſio 741.2
ſimulatio 1198.22
ſimulatio artificioſa 1018.47
ſimulatio oratoria 1158.19
ſimultas 416.25
Sinope 1365.7
ſis pro ſi uis 73.47
ſis, ſultis, ſodes 47.27
ſoboles 1134.45
ſobrini & conſobrini 27.33
ſoccus 766.11
ſociale bellum 109.14
ſocietas 123.47
ſocietatem coire 4.7
ſocietatis offenſio 85.24
ſocij, & prouinciales 799.10
Socratis ciuitas 653.28
Socratis iudicium 264.29
Socratis ſupplicium 884.64
Socratis uerba ad uxorem 803.53
Socratis uxor 25.5
ſodalis 544.28.1005.14
ſodalitas 599.22
ſola terrarum 655.51
ſolarium 16.62
ſolatium & conſolatio 235.28
ſolatium propinquorum 297.7
ſolenne 696.28
ſolennis precatio 340.42
ſolidus 533.21
Solitaurilia ſacrificia 1337.42
Solon de parricidis 33.12
Solonis & Lycurgi leges de ſponſis 125.9
ſoluere penſionem 92.3
ſolum 17.14
ſolum uertere 1095.49.1138.42. 1268.48
ſolutio obiectionis 573.55
ſolutio per inficiationem 173.62
ſolutio per locum cõmunem 153.24
ſolutus lege 207.13
ſomnos ducere 14.8
ſomnum capere 51.54
ſonoritas hexametri 502.43
ſonus orationis 745.60
ſorbeo, & ſorbo 349.38
ſordes 380.26
ſordidus, & ſplendidus 380.28
ſordidus pro auaro 267.47
ſororis filius 331.16
ſortiri 2013.38
ſortitio iudicum 922.48
ſortitus, & ſortitio 282.30
Spartacus 1088.60.1093.39.1256.42. 1257.9
Spartanæ ciuitatis prudentia 346.2
Spartanorum pueri ad aram 111.24
ſpartea 1348.49
ſpecies pro genere 156.26
ſpecimen 902.55
ſpectio 1239.14
ſpecialiter 1340.13.1360.62
ſpectaculum, & ſpectare 377.33
ſpecula 381.20.388.64.1284.6.880. 21.260.13
ſpeculator 199.52
ſpem ſibi habeo 3.11
ſpiritum ducere 65.32
ſplendor 449.15
ſplendor perſonæ 634.41
Spoletum, ſpoletinus 669.1
ſpondere & deſpondere 300.47
ſponſio & ſponſum 9.33.10.14.123. 41.126.53.149.56
ſponſionis formula 156.6
ſponſores & prædes 1136.63
Spurij 47.2
Sp. Melij cædes 687.22
ſqualor fortium & nobilium 444.42 612.36
ſtat ciuitas 610.33
ſtare in fide 338.29
ſtare iudicijs 380.29
ſtare ſententia 147.2
ſtata ſacrificia 705.3
ſtatim 908.15
ſtatiuus 1315.8
ſtatuarum locus 883.62
ſtatus coniecturalis 38.43.149.27
ſtilus 1217.23 ſtipatores 1136.22
ſtipendium, et ſtipendiarius 614.50.659. 37.899.29.979.38
ſtipulatio 84.33.159.12
ſtipulor 30.11
ſtirps 998.24
Stoici de uoluptate 628.22
Stoicorum dogma 387.31
Stoicorum paradoxa 372.36
ſtola 1222.5
ſtomachari 254.31
ſtragula ueſtis 65.59.1375.2
ſtrictim referre 616.13
ſtudere 38.34.564.12.529.25
ſtudia amicorum 449.22
ſtudia omnium ætatum 460.41
ſtudij colendi ratio 487.32
ſtudium 356.41.557.50.780.45
ſtudiorum initium 463.6
ſtudioſorum laus 478.3
ſtudium & ſtudere 343.12
ſtulti coniectura 87.57
ſtupidorum hominum dogma 456.22
ſtuprum 710.32
ſtylum cenſorum 280.63
ſuaſio à deorum auctoritate 201.26
ſub 771.36
ſub in compoſitione 887.8.382.52
ſubhaſtare 1134.61
ſubiectio 316.25.966.25
ſubleuare 297.12.441.21
ſubornari 166.10
ſubſcriptores 915.18.366.39.1342.42
ſubſeciua opera 1213.11
ſubſellia 38.42.456.58.638.32.915. 20.1151.42.1342.53

ſubſidium 2.13
ſubſipio 1269.18
ſubſtantiuum pro adiectiuo 971.64
989.22
ſubucula 1235.15
ſuburbium 299.23.1117.59
ſuccenſere 1259.11
ſufficere 382.50
ſuffragium 530.58
ſuffragium ferre 541.10
ſuffragia Athenienſium 419.24
ſuffragia ueterum Romanorum 1308.16
ſuffragiorum confuſio 364.52
ſuffragiorum tabula 377.41
ſuggeſtum 1247.50
Sulpitij interitus 1266.47
ſui amantiſſimus 444.36
ſumma poteſtas 264.8
ſumma uis 276.16
ſummatim exponere 238.61
ſummi oratoris ingenium 848.55
ſummiſſio 155.53
ſummum bonum, & ſolum bonum
783.40
ſummum imperium 378.47.997.39
ſummum ius ſumma iniuria 142.62
689.54.1168.61
ſummum ornamentum 221.42
ſumo mihi hoc 453.9.527.38.901.2
ſumere arbitrium, & iudicem 84.13
ſumere dignitatem 347.15
ſuo gladio iugulatur 169.52
ſuo Marte 1243.5
ſuperbus 1252.12
ſupercilij poteſtas 86.20
ſuperciliorum effectus 1032.25
ſuperior ætas 911.7
ſuperlatiuum aduerbium 303.8
ſuperſtitio, & religio 305.44
ſuperuacuus & ſuperuacaneus 359.43
ſuperum mare, & inferum 1314.45
ſuppeditare 1012.20
ſupplex 545.47.901.9
ſupplicare 1035.31
ſupplicationes 1050.63.1187.15.
1329.4
ſupplicationes pro imperatoribus 672.17
ſupplicij amplificatio 79.50
ſupputatio 407.32
ſupremus dies 380.1
ſuſcipere 175.5
ſuſcipere crimen 105.17
ſuſcipere & recipere 1340.28
ſuſcipere factum 243.24
ſuſcipere ignominiam & dolorem
105.8
ſuſpenſi 1281.53
ſuſpenſiua ſententia 725.24
ſuſpicio 967.64
ſuſpicio cauenda 1200.30
ſuſpicioſus 304.10
ſuum natura 1148.35
ſuum quiſque opus diligit 234.5
Sylla à Cenſorino accuſatus 411.45
Sylla exul 1287.15
Syllæ ætas 1008.48
Syllæ & Marij pugna 1020.2
Syllæ conſtitutum 222.44
Syllæ & Mithridatis pax 182.50
Syllæ & Verris comparatio 970.46
Syllæ gratificatio 362.55
Syllæ leges 1057.61
Syllæ legiones 1008.23
Syllæ nimia ſæuitia 134.42.321.4.
802.11
Syllæ proſcriptio 802.9
ſyllogiſmi ſumma 733.60
ſyllanæ factionis princeps 1370.48
ſymphonia 625.33
ſymphoniacus 907.48
ſyncopa nominum 261.61
ſyngraphus, & ſyngrapha 360.8.758
24.1095.21.1266.56.1365.33
Syracuſæ 961.56
Syracuſarum conditor 1184.2
Syria & Cilicia à Pompeio deuicta
410.33
Syrus 1032.14
T litera 207.54.543.35
tabella cerata 1339.64
tabellariæ leges 1350.61
tabellæ & tabellarij 1016.36
tabellæ, & tabulæ 760.7
tabellæ iudicum 430.50
taberna, & officina 1027.14
tabernarij 406.63
tabula 146.18
tabula accepti & expenſi 81.34.
1160.12.
tabulæ iudiciales 1339.55
tabulæ bularum 94.15
tabulæ publicæ 256.12.465.15.
739.20
tabulæ nouæ 1007.34
tabularium 331.8.465.18
tacitus actiue & paſſiue 160.11
Tages Hetruſcus. 1019.8
Tagus flumen 1303.64
talarius ludus 1267.22
talaſſio 1253.14
talentum 762.56
talenti pretium 767.50
tandem, & demum 1000.1
tangi de cœlo 1018.57
tantiſper 1162.10
tapetium 977.21
tapinoſis 1032.14.1044.34
Tarquinij crudelitas 1087.27
Tarquinij oppidum 88.34
Tarraco urbs 885.55
tautologia 270.50.1087.3
Telegonus 532.7
Telephus 422.53
telum 688.49.
telluris ædes 1056.9
temere 238.56.442.18
temeritas & prudentia 1274.18
temperantia 198.13
temperatum dicendi genus 463.41
tempeſtas 201.2.685.54
tempeſtas & procella 736.58
templa & delubra 210.9.1014.35
templum pro ſenatu 714.21
temporis punctum 246.2
temporum caſus 1001.8
tempſa 981.35
tempus 179.36.992.16
tempus coniungendi nouas ſponſas
237.35
tempus adminiſtrandi prouincias 897.22
tempus emere 1346.16
tempus oratoribus præſtitutum 10.31
tempus pro tempore 264.46
tendiculæ 164.55
Tenedos 359.9
tenere memoria 242.52
tenet me ſpes 230.34
tenſæ curricula 522.3.1370.41
Terentiæ natura, & ætas 1144.33
Terentiæ mariti 1145.19
tergiuerſari 89.47.415.55
territorium 1136.30
terminalia 1315.4
teſtamentum 1247.37
teſtamenti formula 131.18
teſtamentorum genera 466.23
teſtamentorum infirmatio 132.43
teſtamentorum ſubiector 1004.8
teſtari 666.21.339.6
teſtatus 350.2
teſtes iurati 90.45.252.8.465.23.
604.46
teſtes fideles 8.50.90.33
teſtes nocturni 618.9
teſtes teſtamentorum 245.1
teſti denunciare 405.33
teſtificari 286.63
teſtimonium dicendi mos 654.60
teſtimonium dicere, & ferre 431.35
Teſtis duplex 633.21
teſtis mercenarius 305.85
teſtis non interrogandus 99.32
teſtis oculatus, & auritus 51.17.96.39
teſtium confutatio 617.46
teſtium interrogatio 1358.60.408.20.
1364.52
teſtium honos 96.12
teſtium refutatio 296.42
teter 615.33
tetrarcha 655.31.747.55.1085.5
theatrum 371.34
thenſæ 564.31.960.21.591.8
Theophanes Pompeij poeta 471.41
Thermopylarum fauces 358.9
Theſſalonica 593.12
Threcidicus 1284.22
Thyeſtes. 1042.16
tibi 1301.50.1302.4
tibicinum uſus 391.54
Tigranes & Mithridates 470.59.
1403.13
Tigranes à Lucullo uictus 181.32

Tigranis

Tigranis regnum 410.33
Tigranocerta ciuitas 189.40.
timoris effectus 874.20
timoris indicium 1240.21
Timotheus Cononis filius 779.55
Titij fabulæ expoſitio 1026.19
tmeſis 237.24
tmeſis & diereſis 228.24
Tmolus 415.20
toga & togati 156.54.765.7.1010.
34.1367.20
toga & pallium 764.50
togæ Romanorum 276.41
togæ aſſumptio 613.47
togæ uſus 1035.29
togatorum ætas 346.26
tollo, ſuſtuli 240.45
tonitruum effectus & obſeruatio 1135.
54.1238.8
toreuma 978.8.1045.49
Torquatus filium percuſſit 439.41
torqueo 615.48
torter 300.8.709.1
totus in ære meo 592.55
tragœdia pro ſceleris atrocitate 693.47
trahere 99.50
tractus 533.42
Tralis, Alpis, Sardis, &c. 417.25
trames 1121.18
tranſcribere 246.24
tranſfuga 1149.7
tranſigere & paciſci 6.42.62.20.
245.33.63
tranſire tibicinis 353.52
tranſitio 393.15.457.42.731.43.
820.6.729.28
tranſitio ad defenſionem 153.30
tranſitio à digreſſione 769.3
tranſitio per interrogationem 970.5
tranſitio per occupationem 318.41
tranſitus ab una re ad aliam 217.14
tranſitus ad confirmationem 149.40
741.14
tranſitus à proœmio ad narrationem
233.2
tranſlata uerba 1231.25
tranſlatio à feris 265.33.734.9
tranſlatio à guſtu ad animum 468.51
tranſlatio commodiſſima 829.4
tranſlatitia 1367.32
tranſmittere bellum 199.4
Threſybuli lex 1179.16
Trebonius occiditur 1301.18
tranſlationis mutatio 617.36
tria cappa peſſima 1267.25
tria in dicendo neceſſaria 2.16
triarij claſſes 191.10
tribules mei 47.18
tribunatus annuus 1150.55
tribuni ærarij 338.12.767.47.
1026.18
tribuni legionum 1280.11
tribuni plebis 335.28
tribunitiæ leges 333.24
tribunitiæ poteſtatis ius 382.20
tribunorum genera 1351.3
tribunorum officium 1225.29
tribunorum pl. auctoritas 1196.51
tribus quæ & unde 353.6
tribus Romana 316.19.1349.10.
532.63
tribus urbanæ & ruſticæ 1295.25
tributum & uectigal 1136.14.415.1
triclinium 1232.8.1135.15.
638.25
trierarchus 1361.27
trieteris, & trieterica 870.15.18
trimembris repetitio 828.6
triumuiri 245.10
trini ludi, & trina litera 395.46
trinundinum 1196.28
triumphalis orator 47.56
triumphantium corona 1044.55
triumphi lex 1330.43
trucidare & necare 182.43
Tuberonum familia 802.23
Tubuli interitus 1389.36
tueri 306.24
tumultus 38.64.439.56.1097.6.
1271.33.1286.4
tumultus, & bellum 1015.11
Tulli hiſtoria 1275.11.
tunica talaris 1010.12
tunica pallio propior 764.52
tunica & tunicatus 614.39
turpis pro improbo 267.48
turpiter conuerſa 1028.15
Turcarum immanitas 485.58
Tuſculani pretium 1145.49
Tuſculi conditores 532.6
tu te collige 25.15.904.37
tutela & cura 140.22.394.17
tutelæ diuiſio 123.44
tutelæ poteſtas 133.8.1168.35
tutores legitimi 513.2.671.4
Tyburs & Tyburum 670.17.1153.27
tyranni 655.35
tyrannicida 719.34.1216.2
tyrones 1117.18.1115.37
Tyrus 1311.9
Vacatio 621.51
uaco, & uacuus 179.45
uadari 7.1427.55
uadimonium 6.55
uadimonium deſerere 14.26.1003.8
ualens homo 298.43.306.8
Valentia 566.26
Valonia urbs 1048.5
uarices 524.2
uarietas orationis 707.57
Varius 1282.62
Varronis laus 1245.58
uas uadis 6.57
uaſa colligere 978.11
uaſtare ciuitatem & agros 900.22
Vatiniana oratio 1299.25
Vatinius teſtis 695.59
uectigalium genera 182.15.185.55.
186.18.407.15.1067.57.1196.3.
1228.63
uectigalium locatio 182.21
uectigalium receptores 767.37
uector 771.33
uehementia 825.28
Veliæ conditores 1185.23.670.40
uelitari, & uelites 19.57
uelocitas & curſus orationis 825.21
uelocitas & mora 843.2
uenale caput 1304.35
uenalis 543.45
uenalitiorum pedes 1322.29
uenatoris ſimilitudo 320.46
uenenatus 3.43
Veneris templum 247.16.916.2
uenia 463.46
uenia pro pace 102.10
uenire in ſenatum 414.7
uentris obeſi natura 151.52
uentum excitare 441.49
uentus popularis 283.11
uenus maſcula 1125.24
uenuſtas 468.58.474.13
uenuſtas orationis 822.23
uerba boni ominis 361.11
uerba concepta 284.14
uerba grauiora 741.62
uerba idem ſignificantia 989.48
uerba referendi rationes ad ærarium.
1366.15
uerbena 52.60
uerborum commutatio 741.39
uerborum copia 500.63
uerborum interpres 361.4
Verres 916.16
ueriſimilis narratio 818.46
ueritatis index 769.22
ueritatis uis 372.34
uero 105.35.997.17
uero cum ironia 235.37
uerſare naturam 648.4
uerſari in rep. 655.61
uerſura 407.40.601.64
uerſuram facere 93.1.415.62.
616.53
uerſutus 171.22
uertens 1121.25
uerum, & iuſtum 1152.48
uerum pro bono 3.3
Veſtales placabant Deos & homines
112.22
Veſtalium regula & nuptiæ 112.19
ueſtibulum 154.30.635.29
ueſtigium facere 155.30
ueſtigium imprimere 618.8
ueſtimentorum mutatio 536.52.
701.57.
ueſtis manicata 1010.8
ueteranorum genera 1311.30
ueteraſco, ut pertimeſco, & extimeſco
918.11.919.4
ueterum iudicum mos 1364.12
ueterum mulierum exercitium 1401.31

uetulus 8.52
uetus 73.15
uetus ac nobilis 39.52.43.35
uetuſtatis effectus 781.37
uexare 1347.15
uexillum 1136.29
uexilla Capitolij 1040.56
uia 592.61
uia ad laudem & honorem 596.18
uia Appia, Caſſia, & Flaminia 1139.41
1404.7
Vibo, Hippo, 566.24
uicanus, paganus, uillanus 403.37
uicarius 61.63.163.22.381.58.438.41
1141.34.1312.39
uices interrogandi 861.14
uicinitas 626.37
uictimæ dijs gratiores 103.6
uictor 245.48
uictoriatus nummus 97.50
uictus & cibus 54.25
uidelicet 762.60.1210.53
uidere & audire 238.20.900.51
uiduarum luctus 244.26
uiæ latitudo 131.10
uillicus 162.9
uim ui repellere 485.50.688.58
uincula ſempiterna 1025.41
uindex 1013.35
uindicare 38.14.393.58.764.43.
781.27
uindiciæ 717.39.747.31.394.2
uindiciarum lis 394.5
uindicta 334.6
uindicta Dei 721.63.1130.4
uinea 1289.1
uiolatio mandatorum 62.56
uir 241.16
uir & homo 86.9.298.50.
883.2
uir fortis 358.18
uir magnæ auctoritatis 1149.8
uiri boni laus 54.41
uiri excellentes 437.9
uiri fortis mors 1024.4
uiri magnanimi 432.8
uiri proprietas 634.12
uirorum fortium mores, & natura
618.21
Virgilius de fato 1186.26
Virgilij laus 817.5
uirtus 660.38.666.55.725.34
uirtus Auguſti 1331.47
uirtutis, & formæ bona 783.50
uirtutis laus 959.8.1093.31
uirtutis poſſeſſor 1318.30
uirtutis præmium 1021.4
uirtutis ſolatium 1272.6
uis animi & corporis 1041.52
uis deſinentia 566.21
uis in metu 1164.23
uis pro copia 552.58
uiſus eſt 260.4
uita calamitoſa 297.43
uitam amittere 44.7
uitam & ſpiritum ducere 195.10
uita uecticularia 1231.3
uitæ anteactæ conſideratio 461.18.
52.19.258.55
uitæ breuitas 725.55
uitæ meta 693.20
uitæ turpitudo 451.44
uitia, & uirtutes 787.32
uitiorum exaggeratio 346.54
uitioſum exordium 253.53
uitioſum fundamentum 864.38
uituperatio aduerſarij 1161.20
uituperatio à genere 600.63
uiuentium nomina 47.23
ulciſcor 1339.24
ultimus pro primo 462.58
ultima repetitio 827.28
Vmbria, & Vmbri 47.28.363.29
unctio regum & ſacerdotum 190.44
uncus carnificis 334.24.1180.61
unum diuidere in duo 773.2
unum uelle 788.1
unus ad amplificationem 507.35
uocatiui locus 802.47.996.17
uocem mittere 268.8.402.40
uoce ſuppreſſa 439.19
Voconia lex 1084.52.1254.23
Volaterræ oppidum 40.26.147.38
uolaticus 524.23
uoluntarius 164.15
uopiſcus 1303.45 & 53
Vortumnus 1370.75
uota nuncupare & concipere 1137.30.
1269.63
uotum Pompeij 1351.14
urbane ludere 1161.40
urbanus pro aſtuto 533.37
urbanæ preturæ dignitas 402.55
urbium deſignatio 1081.46
urbs uenalis 920.53
uſque ad aras 655.1
uſucapio 160.37
uſui uenire 151.57
uſura 997.51
uſurarum multiplicatio 1007.63
uſurpare 1025.9
uſus 249.19.278.42
uſusfructus 144.19
ut in pauca conferam 147.7
uulgo 165.21
uulgus 361.30
uulneratio 157.42
uulnus accipere 1027.38
uulnus, & plaga 58.10.254.4
uulnus pro damno 449.25
uultus 268.32
uultus à mente fingitur 45.4
uultus conſideratio 1032.27
uultus, & frons 769.48
uxor acceſſitur, & deducitur 422.63
uxor quo modo habebatur 426.9
Zeno Citticus 372.48
Zona & zonarius 406.40

F I N I S.

SERIES LITERARVM

*a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z.* ABCD
EFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

*Omnes quaterniones, præter X quinternionem, & Z ternionem.*

APVD ALDI FILIOS.

VENETIIS, M. D. LII.

AL DVS

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google